


13
18 K
38

# VETUS ET NOVA
# ECCLESIÆ
# DISCIPLINA

In tres Partes, ſeu Tomos diſtributa.

# VETUS ET NOVA
# ECCLESIÆ
# DISCIPLINA
## CIRCA
## BENEFICIA ET BENEFICIARIOS,

DISTRIBUTA IN TRES PARTES SIVE TOMOS,

quæ & ipsæ in tres Libros singulæ distributæ sunt.

*PARS PRIMA, sive TOMUS PRIMUS*

UBI AGITUR

Lib. I. De primo Cleri ordine.
Lib. II. De secundo Cleri ordine.
Lib. III. De Clericorum & Monachorum Congregationibus.

Quæstionibus singulis ex ordine temporum ab exordio Ecclesiæ ad Clodovæum, inde ad Carolum Magnum, rursus inde ad Hugonem Capetium, denique ad hæc usque tempora pertractatis; nusquam tamen interrupto earum contextu.

*Opus ex Sanctis Patribus, ex Conciliis, ex quorumque temporum Historicis decerptum.*

Editio Latina prima post duas Gallicanas auctior & emendatior.

*Authore eodemque interprete* LUDOVICO THOMASSINO *Oratorii Gallicani Presbytero.*







PARISIIS,
Apud JOANNEM ANISSON Typographiæ Regiæ Directorem,
via Jacobæa, sub Lilio Florentino.

M. DC. XCI.
*CUM PRIVILEGIO ET APPROBATIONE.*



ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

ECCLESIÆ PRINCIPI, D. D.

# FRANCISCO DE HARLAY,

ARCHIEPISCOPO PARISIENSI,

Regiorum Ordinum Commendatori, Duci & Pari Franciæ, Sorbonæ Provisori, &c.



LLUSTRISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS,

*Non temere ſperaſſe mihi videor affuturum huic lucubrationi meæ Celſitudinis tuæ patrocinium, quod tam ſæpe mihi hactenus & tam amanter affuit. Hæc auſpiciorum tuorum fiducia, & ſcribentem me animabat, & nunc publicæ luci committentem, quidquid hoc eſt operis, extimulat roboratque. Cum enim tam crebro, tam humane & tam ſuaviter rogabas me, quibus in ſtudiis horas meas collocarem, & qui otii mei ſeceſsûſque fructus expectandus eſſet; non injuria audire mihi videbar, non vocem duntaxat tuam, ſed & Chriſti, cujus hic*

*vices geris, summi Pastoris & Episcopi animarum nostrarum: per quem ne in otio quidem ipso otiosis nobis esse licet. Admonebat ille me tuo ore, quibus pigritantium servorum inertia ulciscenda sit pœnis, si ad Evangelicas comminationes obsurduerint; addebat & animos, ac spem faciebat, cassos irritosque non fore ad ejus gloriam promovendam, quantuloscumque conatus meos.*

*Ubi primum obtigit mihi,* ILLUSTRISSIME PRÆSUL, *partum hunc meum Celsitudinis tuæ oculis subjicere, & Capitum ejus ac materiarum summa quædam fastigia coram exponere: emicuit illico tanta lux, tanta vis & opulentia mentis tuæ, tanta omnium quæ hic pertractabantur peritia: ut quidquid in animo meo caliginis & difficultatum supererat, id statim difflaretur. Enimvero uno ex eo congressu tantum lucis huic Operi meo universo infusum est, ut vel hinc rursus tibi vendicandum fuerit: ut ne in publicum exiret, nisi nominis tui splendore & gratia commendatum.*

*Nec difficile tamen erit, aut arduum legentibus, eorum quæ à me, & quæ à te profecta sunt, discrimen advertere; quid luminis tua ex ubertate doctrinæ, quid tenebrarum mea ex inopia insit; quid à te virium additum sit, quid mei ex imbecillitate ingenii langueat adhuc. Cuivis id erit obvium, qui meminerit, & qui audierit Te, mira & summa dicendi vi, ad augusta toties illa Cleri Gallicani Comitia, solis Oecumenicis Conciliis & majestate & eruditione cessura, perorantem. His non aderas tantum, sed & præeras; præeras inquam ingenio etiam magis, quam sede. Sive in enucleandis enim Ecclesiasticæ Disciplinæ rebus maximis tantam vastissimæ eruditionis copiam depromebas: sive in extricandis quibusvis quæstionibus, quæ vel ex tempore nascebantur, tantam explicabas eloquentiæ & ingenii vim, tantam & tam incredibilem eruditionis copiam: ut vel eruditissimi fateri cogerentur, orationibus suis diu multumque meditatis, assequi se vix, ac nec vix posse, tam accuratam sermonum quos ex tempore fundebas diligentiam, tantam eruditionis ultro erumpentis abundantiam.*

*Hos tum capiebas capisque etiam nunc uberrimos fructus,* ILLUSTRISSIME PRÆSUL, *tum diutinorum studiorum tuorum in illa magnificentissimi quondam secessus tui amœnitate: tum longissima quorumlibet & gravissimorum negotiorum tractandorum experientia, & indefessa vigilantia tua in administratione geminæ Diœceseos, & in communi totius Christianæ Reipublicæ providentia. Si cui licuisset eruditas illas, quæ tibi excidebant, & ubi nihil te fugiebat, dissertationes colligere; esset abunde utilitati nostræ provisum: haberemus quod optari possit in hoc genere absolutissimum: & communicato cum omnibus tam divitis thesauri usu, ne cogitassem quidem de publicandis tam tenuibus his opibus meis, inopia magis mea, quam industria testibus.*

*Non displicuit tibi, fateor,* PRÆSUL MAXIME, *Operis hujus institutum; quodque propositi saltem amplitudo utcunque responderet amplitudini mentis tuæ, pretium illi suffragio tuo addidisti. Utinam tam respondisset grandibus cœptis authoris ingenium. Sed illa quanta quanta sint, imbecillitati meæ tantò majores ex amore saltem in Ecclesiam meo vires accessuras speravi: & summo Patri familias, cujus locum & causam tueris, audaciorem operosi servi conatum, minus ingratum fore duxi, quam torpentis & otiantis segnitiem.*

*Nec minor est tam ampli instituti Operis cum summæ authoritatis tuæ, quam cum mentis & sapientiæ tuæ amplitudine convenientia. Illo quippe si Ecclesiarum omnium Disciplina, aut certe Disciplinæ pars præcipua & longe maxima comprehenditur: hac quidquid in Ecclesiis maximum, quidquid est absolutissimum continetur. Constat enim, Præsul vigilantissime, Ovile illud ingens tuis nunc commissum curis: cujus etiam ministerio singularis Dei providentia nostram Gallicani Oratorii Congregationem, Seminariumque illud ipsum addixit, cujus hosce labores & fructus uni Tibi consecratos volui; contractiorem quidem, sed longe pulcherrimam esse Ecclesiæ universalis imaginem, suo unius sinu complexam, quidquid usquam est toto Christiano orbe amplissimum sanctissimumque. Ecquis enim sanus & æquus rerum æstimator negaverit, eo nunc loco & fastigio esse Lutetiam, quo celeberrimæ illæ olim Civitates Imperiorum sedes & Capita: ut in hanc veluti communem generis humani Patriam confluant toto ex Orbe terrarum populi. Imperii quippe Gallici majestas, & Heroicæ Ludovici virtutes, quo illa auspice in immensum crevit gloriæ culmen, non subditorum modo ex omnibus Regni provinciis, sed & ex omnibus mundi partibus hospitum innumerabilem numerum alliciunt; qui tuæ hic authoritati se subesse gratulantur. Nihilo angustior, & sapientiæ tuæ aperiendus fuerat campus, & charitati.*

*Tantæ tuæ hujus equidem Ecclesiæ obsequiis non sine Numinis consilio tot jam annis affixus,* ILLUSTRISSIME PRÆSUL, *ita mecum statui, non posse me satis officio fungi, nisi ejusmodi lucubratione aliqua, quæ magnitudine sua ejus magnitudinem imitaretur. Quam enim cumque in partem Antiquitatis conjiciamus oculos, ab ipsis usque Ecclesiæ primordiis, quas tandem cunque regiones orbis mente peragremus: nec Civitas nobis, nec Diœcesis alia occurrit ulla, in qua tantum luminis & eruditionis, tantum sanctimoniæ & religionis, tantum pacis resplendeat & concordiæ. Eccubi enim usquam tanta & Parochorum copia partes suas strenue implentium, & Doctorum Theologicas palæstras illustrantium, & Concionatorum pari eloquentia & zelo certatim in Apostolicum suum munus incumbentium? Eccubi usquam tot Clericorum Seminaria, tot Sacerdotum Collegia sanctissime degentia, tot utriusque sexus Cœnobia bono Christi odore fragrantia, tot laicorum uni maxime pietati studentium examina? Vixdum cœperam castiorem priorum Ecclesiæ sæculorum disciplinam adumbrare: cum splendida ejus vestigia Civitatis & Diœceseos hujus moribus impressa se mihi prodidere; in qua qui vel primum scientiæ, aut virtutis cujuscunque gustum habuerit, statim qui ejus vim & numeros omnes consecuti sint, complures inveniet in omni promiscue hominum genere & sexu.*

*Nec ii tamen nos sumus, qui dissimulemus, infinitæ hominum multitudini infinitam etiam quandam adhærescere vitiorum & flagitiorum colluviem. Sed quæ usquam urbs virtutibus clara, vitiis inaccessa? Virtutis expertes turmas hominum permultas invenies: ab omni vitiorum sorde puras, nullas prorsus. Quin & virtus ipsa langueret, nisi illam acueret crebra hostium incursatio. Tua ipsa virtus,* PRÆSUL ILLUSTRISSIME, *minus inclaruisset, si pauciores debellandos hostes nacta esset. Laboribus & hostibus illis committenda fuit, quos tanti esset superare. Tanto splendidior hinc laus effloruit,*

*quanto non zeli tantum & constantiæ, sed & sapientiæ atque clementiæ & moderationis fructus ille tuæ fuit.*

*Hoc videlicet sapientiæ & moderationis decus eximium*, PRINCEPS ECCLESIÆ ILLUSTRISSIME, *omnium in te oculos & amorem convertit, & rapit. Agnata tibi illa est, quæ summorum semper Episcoporum virtus fuit, mirabilis quædam fortitudinis & mansuetudinis temperatio. Nec enim Ecclesia Christi paucorum est cœtus, proborum illorum quidem, sed quos ipsa sua probitas feritate nescio qua imbuat & inclementia in cæteros sui dissimiles. Humanissima illa mater est, quæ ad filios suos omnes, in omnes orbis partes, in omnes sæculorum ætates brachia porrigit, ut omnes amantissimo complexa sinu foveat. Immensa charitatis suæ viscera omnibus pandit; æquum omnibus bonis malisque, perfectis & imperfectis affectum impendit. Perfectis gratulatur, imperfectis faces subjicit, justos exosculatur, iniquos tolerat; humanitatem austeritate temperat; austera etiam dum blanditur, humana dum sævit. Harum virtutum alterutri etiam soli, in aliquo Orbis angulo, & ad breve annorum spatium, suus potest esse splendor aliquis, suum non pœnitendum pretium. At in Ecclesia universali, in numerosissimo alicujus Ecclesiæ Ovili, in longa annorum serie, severitatis & indulgentiæ alterna vicissitudo, certissima lex est & veluti vita Disciplinæ, sapientiæ & sanctitudinis Episcopalis specimen singulare.*

*Hoc eodem moderationis ingenio, hac arte blanda sævis, sæva blandis temperandi & condiendi indiget Scriptor ipse, quisquis hoc sapienter & moderate institutum Ecclesiæ regimen tueri volet; & in mentibus Præsulum, per eosque in moribus hominum redivivum excitare. Scripturæ ipsius oraculis*, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, *Conciliorum & Patrum consensione compertissimum est, cælestem ipsum Ecclesiæ Sponsum, ejus Apostolos, & Apostolorum successores, vel ipsa dum vigerent aurea nascentis Ecclesiæ sæcula, ita rerum gubernacula, ita animarum regimen moderatos esse; ut essent & sine ignavia mites, & sine asperitate severi: nihil durius agerent, cum indulgentia melior: nihil remissius, ubi tempestivior atque utilior austeritas erat. Has charitatis artes inter blanditias sævæ, in sævitia ipsa blandientis, diutius observarit, & meditatus sit Author, necesse est; qui velit Lectores suos per illas certo gradu deducere, & tantam superiorum sæculorum sapientiam iis objicere, qui nimio ardore præcipites, his frænis egent. Ita enim demum in animum suum inducent, in medio consistere, extrema quæque defugere; posse enim diversitatem regiminis pro diversitate temporum, & locorum, nunc probari, nunc damnari, perinde ut à divinæ charitatis norma; quæ ut omnes lucretur, omnibus omnia facta est, propius, vel longius abfuerit.*

*Immensa hac & infinita pene negotiorum Ecclesiasticorum scientia*, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, *hac mirabilis peritia in usum vocandæ nunc asperitatis Legum, nunc utilis & necessariæ dispensationis, certissimi tibi fuere gradus, ad hanc Episcopalem sedem principis & splendidissimæ toto terrarum orbe civitatis. Designaverant te populorum procerumque utriusque Ordinis suffragia, silente adhuc Principe, judiciumque suum gaudente anteveniri publico consensu: etsi nec consensus iste fere oriretur, nisi ex præsumpto Prin-*

*cipis*

*cipis judicio, qui non posset non tantis meritis obsecundare. Et Princeps autem & Populus dum ambirent te præmultis unum, cælestis profecto Numinis omen sequebantur; à quo vocatum te probabant, tot ab ipso transfusæ in te dotes; quarum splendore dum tam multis anteires, tam multis æquissima Principis & Populi suffragatione anteferri debuisti.*

*Tot tantarumque virtutum supellectile atque instrumento opus erat illi Præsuli, cui conglutinari necesse fuit cæteros omnes Regni Episcopos, ad promovendas apud Principem Ecclesiarum suarum utilitates. Sic olim Ambrosius, sic Chrysostomus, sic alii Principum Civitatum Episcopi, assidebant Imperatoribus, seduli sparsorum per omnes provincias Antistitum internuntii, quorum causas agerent: Sed & fidi Regum voluntatis erant interpretes, quorum illis patrocinium & benevolentiam conciliabant; conciliabant & beneficentiam, si qua Ecclesias egestas, aut calamitas premeret. Eadem nunc*, PRÆCELLENTISSIME PRÆSUL, *instant causæ, ut omnes Galliæ Episcopi ad potentissimum invicti Regis patrocinium confugiant, teque apud eum optent causarum suarum patronum, & Ecclesiæ jurium vindicem. Nec tibi novum quidquam jam esse, aut videri potest, post revolutam in se tot sæculorum seriem tibi exploratissimam, post tanta & toties expedita à te & confecta negotia: in quibus longo dudum studio versatum, longa insuper experientia scientissimum te & consultissimum fecit; ut eædem enim recurrunt causæ, ita & eadem illarum judicia, iidem exitus. Quamlibet intricata sint negotia, facile & fæliciter iis se expediet, qui apprime noverit, qua ratione olim ea expedierint, ejusmodi rerum expertissimi quique; & qui vel ab aliis, vel à seipso adhibitæ fuerit exitus indulgentiæ, vel austeritatis.*

*Nova hæc etiam ratio me impellit*, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, *ut Opus istud uni Tibi nuncupem; cujus ea natura, is est scopus præcipuus, ut exposita per diversos diversorum temporum progressus sanctissima Ecclesiæ Politia; diversas quoque & pene alternas severitatis ac indulgentiæ vices oculis subjiciat.*

*Quanto mihi jam plura, & quanto majori verborum pompa dicenda essent, adessent modo vires: si tot exinde à te, tot nuper, tot nuperrime fortiter & sapienter facta, vel leviter & strictim attingere aggrederer. Levavit me hoc onere fama ipsa, quæ ubique gentium jamdiu vulgavit, esse urbis Regiæ Præsulem, qui statas Collationes habeat in frequentissimo Conventu Episcoporum, Doctorum, virorum omnis generis doctissimorum: ubi postquam hi dixere, de rebus quibuscunque ad mores, ad Theologiam, ad Ecclesiarum Disciplinam spectantibus; dicat ipse, & addat, quidquid vel Theologi celeberrimi, vel sancti Patres litteris mandarunt: quidquid vel Synodi generales, vel particulares, Romanique Pontifices decrevere. Dicat autem eâ & ingenita sibi, & perpolita eloquentiæ vi, ac majestate, quæ sola respondere ac certare possit tantæ Ecclesiasticarum omnium disciplinarum exuberantiæ. Vidit, audiit, stupuit Lutetia Christianarum urbium doctissima, longe doctissimum & eloquentissimum Præsulem suum, qui pectus suum Bibliothecam fecerat Christi, ut loquitur Hieronymus; & è penu illo inexhausto hauriebat fundebatque opes sacras, quibus tota posset Christiana locupletari Respublica. Manaret adhuc*

*largißimus idem fons, & undique personarent illæ ipsæ Collationes, nisi sub ingenii pondere fatiscens corpus coëgisset sin minus sibi, certe Ecclesiæ Parisiensi & Gallicanæ parci, cujus in uno hoc Capite & salus periclitabatur & gloria.*

*Non paulo vero jam arctior, Præcellentissime Antistes, urget necessitas, ut valetudini servias, quò nova Christianissimo in Regno Catholicæ gentis propago, quæ te subsidiarias, sed potissimas post Christianissimum Regem operas præstante exorta est, & adolescat, & augescat convalescatque in dies, aspirante te; Episcoporumque omnium tam sancte & tam naviter in eandem curam incumbentium vota apud Christianissimum Regem, novum Galliæ Recaredum, novus tu quoque Galliæ Isidorus promoveas. In hac certe etiam nova gente ad Ecclesiam Catholicam recolligenda, explicandæ fuere tibi artes illæ familiares Legum vigoris, aut distringendi, aut remittendi; remittendi autem sane lubentius, quam stringendi, quando tot populorum strages jacebant: & læta certaque tantæ ruinæ reparandæ spes affulgebat; imo non jam instaurationis spes, sed instauratio ipsa tenebatur. Spes me quidem non vana recreat,* ILLUSTRISSIME PRÆSUL, *ne meipsum quidem post tantum non sine frequentibus lapsibus curriculum emensum, humanitatis & indulgentiæ tuæ expertem fore.*





# PRÆFATIO.

I. NE Ego quidem dissimulo, vel ipsa Tituli inscriptione, damnari posse hujus Operis authorem. Illi amplitudini hæ vires non respondent, & ne me quidem id fallere potuit. Unde ergo veniæ spes affulgeat, tenuitatem ingenii sui tandiu experto, & tantæ tamen molis opus adgredienti? Dicam, & vere dicam, non tam ut culpam elevem meam, quam ut Lectori faciam satis, non mea sponte hunc Titulum præfixum fuisse, nec tam ingens opus adoriri me voluisse, etsi tantum temporis spatium ei elaborando insumpserim. *Tractatum de Beneficiis* inscripseram, & ea Tituli simplicitate vehementer delectabar; ut qui non tam late pateret, & sin minus laude quavis alia, brevitate saltem sua se commendaret. Moliebar id quidem, ut has easdem res congestis Conciliorum, Patrum & cujusque ævi historicorum testimoniis illustrarem: at hæc cum veluti procul posita, & necdum satis explicata intueter, sperabam intra non grande volumen posse comprehendi.

II. Huic implendo & Titulo & proposito, mihi esse videbatur & studiorum satis & otii. Verum inter scribendum explicuit sese, & crevit in immensum rerum materies. Incidi in quæstiones innumerabiles: aut plane necessarias, aut admodum utiles. Ita cum mediocri me statim fluvio commisissem, ostia sensim prætervectus, in altum mare abreptus sum. Id vero casu magis, vel Numinis potius providentia factum est, quam certo & definito consilio meo. Adduxit me longius rerum inter se contextarum multitudo, ac torrentis instar abripuit. Jam liberum mihi non fuit, quantum cœpto operi, vel operæ impenderem vel temporis; conterendi mihi fuere plures anni, quam menses destinaveram. Cum vero postea vigiliarum & laborum meorum rationem redderem, Illustrissimo Pontifici, cui me leges Ecclesiæ mancipavere; & amantissimo Patri, cui mea me privata vocatio addixit: mirum in modum illis displicuit Tituli quem præfixeram obscuritas. Jussus ergo alium substitui; qui & copiosam rerum in eo comprehensarum abundantiam & varietatem multiplicem exhiberet.

III. Ita factum est, ut qui videbar author esse Operis; nec Tituli jam author essem, nec ipsius, ut ita dicam, Operis. Fecit enim rerum maximarum abundantia, ut ultra propositos fines producerem Opus: & mea erga Superiores observantia, ut eum inscriberem Titulum, qui eorum & zelo & consilio magis consentiret. Verum uti Deo providente in incœpto itinere progressus sum longius, quam constitueram: eodem faciente exorietur fortasse aliquando aliquis, qui percurrat totum. Qui poterit, quod volui; & cum vires voluntati conjunxerit, delineato à me operi extremam manum imponet.

IV. Delineatio porro ista, quantulacunque est, longius tamen latiusque, quam putabam, protracta est; imparem se quandoque fatigata sensit manus, nec eam tamen subducere licuit. Num enim poteram tot & tantas quæstiones Ecclesiasticas, in quibus esset & curiositatis non parum & plurimum utilitatis, aliter explicare, quam adhibita Conciliorum sanctissimorumque Patrum auctoritate? At horum sæpe nonnihil obscura sunt oracula; egentque luce historiæ, & accurata eorum, quæ iisdem temporibus gesta sunt, disquisitione. Hæc, fateor, scribendi ratio paulo longior est: sed habet vicissim soliditatis plurimum, nec alia est, quæ rerum gravitati respondeat. Cum hinc & hinc immineret discrimen, vitavi quod erat majus: in dicendo longior esse malui, hoc est, ut spero, diligentior, quam in delibandis tantum quæstionibus videri levior. Quin etiam vereor, ne me

multa doctiores forte existiment levius perstrinxisse. Sed hoc persuasum habeant velim, majorem mihi esse de eorum scientia opinionem, quam ut i lis scribere me confidam: longe antiquius optatiusque mihi fore, ut sua mihi impertiant, quam ut mea, quæ non possunt esse nisi tenuissima, cum illis communicem. Id quoque, oro, attendant, potuisse à me quæstiones singulas pertractari diligentius, si de tot & tantis agere non instituissem: suam non deesse corpoti integro pulcritudinem, quamvis partibus ejus singulis venustatis plusculum accedere potuisset: denique non id mihi propositum fuisse, nt doctissimum aliquod opus ederem: non mearum enim id erat virium: sed ut utile, & pietati propagandæ accommodatum: quod ordini magis meo concinit & instituto.

V. Ea sors est & conditio scribentium, ut diversas adversasqne etiam hominum querelas sedare cogantur. Probationes adde probationibus, quantascunque congesseris, huic nunquam satis erit; hujus ex adverso dedicatum experieris fastidium, etsi paucas selegeris, & summa id feceris cura. Volunr alii, rei ut uni te totum dedas, & eam exhaurias: alii ut multa complectaris, & singula quæque obiter perstringas. Quis tam diversa sentientibus, tam discrepantia jubentibus, servire se, aut placere posse speret opere in uno? Huic probatur prolixitas, illi brevitas. Medium quod jacet inter utrumque, & neutrum tamen est, quis obtineat, ut possit placere omnibus, aut saltem nemini displicere? Id optare, id conari me profiteor & præ me fero: consequi ne spero quidem.

VI. Verum quod est Scriptoti difficillimum, perfacile id & perexpeditum est Lectoribus, si alii de aliis sentire, si alii aliorum causa id velle animum adducant, quod prudentia, æquitas, charitas jubet. Eccur enim tantopere id à me expugnare contendenr, à quo abhorreant & contra nitantur tot alii? Cerratim omnes id æquissimum, id optimum factu interpretantur, quod vehementer volunt, & si diversa & contraria velint. Æquitati porro & rationi nihil infestius est, quam si te solum putes, jure & cum ratione sentire, quæ sentis. Si æquus es, sensa tua ex aliorum sensis expende; tua & aliena compara, tua ex alienis tempera. Vim aurem rationis & victoriam in eo magis pone, ut aliis servias; ut infirmioribus etiam potius te accommodes, quam ut illos ad tua invitos vota inflectas.

VII. Multo pluris vero mea interest, ut hac animi æquitate sint & moderatione, qui hæc legent; ut ne ea illos offendat ratio & via, quam tenui in rebus maximis disceptandis. Amant plerique decretoriam ferri sententiam de singulis rebus propositis; amant magistrali authoritate responsa dati, pro certis & indubitatis omnia dici. Sed non ea tamen optima ratio est, qua ad penitiorem veteris Disciplinæ cognitionem venias. Cum ea sit veluti regio longe semota à nobis & involuta tenebris, pedetentim ea & suspensis adeunda atque emetienda est vestigiis. Ablegunda procul hinc sunt consuetudinum hodiernarum præjudicia, & illa maxime omnium pervagatissima hodie opinio, Disciplinæ Ecclesiasticæ posteriorum temporum leges, aur easdem penitus esse, aut alienas omnino esse à legibus ptimævæ Ecclesiarum ætaris. Hoc denique præ cæteris fundamentum ponendum est, tam abditam & abstrusam esse universalem Ecclesiæ disciplinam, ut ejus quantacunque cognitio, nec dubia solvere omnia, nec omnem pellere queat ignorationem. Illud itaque pro certo habe, multa à te nesciti, quæ scire te putes; & de iis non temere dubitari, quæ pro indubitatis habeas. Id facit non infinita tantum rerum copia, sed & caligo ac difficultas.

VIII. Id verò cum altissime animo meo insedisset, circumspectissime semper egi, ne mihi aut mentis præjudicia illuderent, aut arcanæ volnntatis inclinationes. Proposita quæstione quavis, hanc non semel inii ejus elucidandæ rationem; ut statim proferrem & expenderem Conciliorum Canones, Summorum Pontificum & sanctissimorum Patrum authoritates; alias cum aliis conferrem, multa in iis observarem; si ne tum quidem perspicua mihi & certa veritas affulsit, satius duxi non præcipitare sententiam; cum multo consultius sit nihil decernere, quam temere aliquid definire: In rebus dubiis id studui, ut neutram unquam in partem propenderem, nisi ubi me vis probationum ad alterutram inclinaret: definivi nihil, nisi ubi copia & evidentia Canonicarum definitionum, quid seqnerer, præfixit. Statum denique fixumque illud mihi semper fuit, obseqni rationi, non præire; nec quidquam concludere, nisi quod validæ probationes extudissent.

Non sum nescius, quantum ab hac scribendi ratione abhorreant, quibus solemne est, nunquam diu hæsitare, statim affirmare quidvis; ante rem decernere, quam deliberare; ubi decreverint, tum deliberare, imo vero tum rationes conquirere, quibus id efficiant, quod sine ratione jam perfecerant. Rationes porro, vel authoritates affatim fere illis suppetunt in tanta exemplorum & Canonum ac Decretorum sylva, quorum plena est tot retro sæculorum histotia. His familiare est, lucem non sequi, sed antevenire: pro arbitrio jubere, ubi illam exoriri velint: denique claras & distinctas sibi fingere eorum locorum

imagines, quæ nunquam adiere. Placet vulgo hominum brevis illa & decretoria differendi ac scribendi ratio; quia blanditur præcipiti nostræ, & morarum impatienti sciendi, vel jubendi cupiditati. In genere autem omni scientiarum non video, unde plura impendeant pericula quam ex hoc ardore præfestino eorum, qui non verentur à recta aberrare via, dummodo semper accelerent & progrediantur. In hisce certe studiis, quæ in factorum leɡumque cognitione plerumque sita sunt, multo plus periculi mihi videtur esse, ne præpropera festinatione tua & erres ipse, & tum alios in eundem errorem trahas. Non tam ratio enim hic, quam authoritas dominatur.

IX. Si qua hic fuerint & mea ipsius errata, in expediendis rebus intricatissimis; facile condonabis, si consideres alternantem variorum temporum disciplinam, & legum plurimarum atque inter se non raro discrepantium difficillimam conciliationem, obscurarum denique haud facilem elucidationem. Occurrent hic fluctuantia nonnunquam decreta; occurrent & nonnulla pene ad nauseam inculcata; quædam jam deliberata ad novæ deliberationis incudem revocata: ordo, methodus, contextio ipsa orationis nonnunquam desiderabitur. Hæc & alia id genus vitia minus caute vitavi, ne vel transversum quod aiunt unguem discederem ab ea, quam mihi statueram lege, ut rebus obsequerer, eisque me accommodarem; non eas ipse etiam renitentes pertraherem in obsequium Operis. Non est hic fere rationi locus, aut inventioni. Hoc unum agitur, ut omnem quærendi diligentiam explices, ut operta detegas; quod facies profecto nunquam, nisi oblata vestigia veritatis, quocunque te ducent, indiscrete sequeris. Hanc equidem methodum privatis in studiis meis, summa qua potui diligentia tenui; non sine fructu, nisi me fallit opinio: unde & Lectorem existimavi eadem via duci oportere: ut dum eadem premit vestigia, ad eadem pertingat veritatis adyta.

X. Hæc studendi ac discurrendi ratio, confusa ac perturbata primùm videtur, sibi ipsi parum concors, sua in vestigia sæpe recurrens, non sine crebro inevitabilis prolixitatis fastidio. Uti qui rem quampiam quærit ardentius, nullo plerumque ordine quærit, it & redit, progreditur & regreditur, eundem sæpe locum iterumque iterumque repetit, nec ista fiunt sine aliqua perturbatione; sed ita tamen quæri necesse est, quidquid inventum magnopere cupias. Ita in investiganda Ecclesiæ disciplina, quia propter intervalla temporum longius absunt res ab oculis nostris, nec nisi post anxiam & accuratissimam perscrutationem distincta & nitida potest haberi veterum Ecclesiæ & Sæculi legum notitia: necesse omnino est, eodem ut in loco diutius quandoque immoreris, legas, relegas eosdem sæpius canones, tractes & retractes eandem sæpe numero historiam, iterum iterumque idem factum expendas, & laritantis veritatis fugientia vestigia indefesso studio subsequaris. Quis hic ordinem scrupulosius teneri, quis perturbationem vitari omnino speret, quis præcipiat? Aliam fortasse viam possis insistere in pervestigandis Dogmatibus, propter eam quam habent inter se connexionem & seriem. At quæ ad Disciplinam pertinent, ita varia, ita sui dissimilia persæpe sunt, pro locorum & temporum diversitate, ut nisi diutius suspendas animum, nisi sæpius ab omni te sustineas assensu, nisi quanta maxima poteris attentione res consideres, quæ involuta sunt, evolvas nunquam.

XI. Inde liquet omnino, quam necessaria fuerit istiusmodi Operi nostro, factorum, omnis generis Legum, Canonum, Decretorum, corrasorum ex Sanctis Patribus testimoniorum multitudo prope infinita; ut hæc fere, non sit nisi eorum Collectio. Non meæ sunt hic partes, non opis est etiam meæ, ut quidquam definiam, aut pronunciem: sed Conciliorum, sed Summorum Pontificum, sed Sanctissimorum Ecclesiæ Patrum. Horum ago interpretem, & editarum ab ipsis definitionum Consarcinatorem: Si eorum multa, si plurima, si longiora sunt quandoque Placita: nec resecari tamen, nec taceri à me possunt, sine fidei & observantiæ illis debitæ dispendio. Necesse ergo mihi fuit, esse longiorem. Quæ speculationis sunt, simplicia sunt, & eadem semper; sic brevissime proponi, brevissime probari possunt. Apparent enim subito, & sua se luce manifestant animo. At quæ Disciplinæ, quæ in usu rerum sunt, cum suapte sponte versatilia sint, crebrasque & necessarias vicissitudines patiantur; nec lucem illis certam, nec constantiam conciliare poteris, nisi innumeras undecunque probationes, nisi conspirantia testimonia congesseris: & omnes nutantis politiæ mutationes aliis atque aliis authoritatibus approbaveris.

XII. Hinc facile intelliges, cadere in hominem vix posse, ut in citandis, quantacunque id faciat accuratione, tot & tam multiplicibus testimoniis, non aliquando allucinetur. Multa, dum Opus edendum retracto, ipse observavi, quæ me effugerant; multa fastidiosius repetita, multa perstricta levius; quibus vitiis medicinam pro virili facere curavi. Ne ipse quidem dubito, quin viris doctis multo plura occurrant, in quæ censoriam virgam exerant; nisi quod etiam atque etiam oro, malint exercere humanitatem. Illud quæso per-

suasum habeant, ab uno illo potissimum procul esse me vitio, ut nullius me, aut scriptionem meam vitii & culpæ affinem existimem: paratissimumque esse me, quidquid emendandum amicè monuerint, incunctanter emendare. Suæ quoque ipsorum gloriæ majori cessurum cogitent & proximorum ædificationi, atque utilitati, si benevole moneant, & labenti manum porrigant: quam si inexorabili censura in me sæviant. Non quo non præsto sim vel sic errores recantare meos, & atrocibus monitis morigerari. Sed & mihi optatius est & ipsis conducibilius, concordia & unanimitate nostra prodesse fidelibus, in arcana veritatis duce & comite ingredi charitate; reprehensiones mutua & humilitate & mansuetudine condire; non nostris tantum, sed & aliorum erratis ingemiscere; non minus fratrum, quam nostra ipsorum eruditione & luce & delectari, & proficere; nullos aliorum lapsus alienos à nobis putare; tam ex animo gratulari & gestire, si illis, quam si nobis singularis affluat eruditio. Id enim mutua negotiatur charitas, ut quorum inopes sumus privatim bonorum, eorum copia in fratribus abundemus.

XIII. Si bene memini, neminem unquam pupugi; ut non injuria sperem & ipse ab aliis parem lenitatis vicem. Recentiores ubi secutus sum scriptores, laudavi: quorum sententias refellendas duxi, eorum nomina honoris causâ tacui. Peperci nomini & famæ, ubi sententiæ parcere non licuit. Ita nimirum mihi semper visum est, acerbiores hominum & opinionum dissensiones, quærendæ veritati vel maximo esse impedimento.

XIV. Sed nusquam, ut equidem reor, exitialius est, aut partium studio abripi, aut præsumptis animo opinionibus obstinatius adhærescere, quam ubi de controversa vel Ecclesiasticarum Jurisdictione dignitatum agitur, aut ubi de Ordinum omnium reformatione. Paucissimi tenent medium, omnes propemodum extrema sequuntur, eaque penitus opposita. Volunt alii eandem sibi in prioribus Ecclesiæ sæculis disciplinam ostendi, quam in posterioribus vident; non ferunt alii in ista quidquam esse, quod antiquam referat. Hi sunt prioris Ecclesiæ ætatis admiratores perpetui, posterioris censores implacati; illi ultra modum & inconsultius religiosi, temporum suorum, forsan & illapsæ interim Canonum morumque remissionis amantiores quam par est, adduci non possunt, ut credant, laxari jam olim potuisse certis in rebus Ecclesiæ disciplinam, quam in iisdem quidem nunc habeamus firmiorem longe, & perfectiorem.

XV. Nunquam non in pretio est & in laude animorum moderatio; sed nusquam in majore, quam cum est Nova Ecclesiæ Disciplina cum Vetere conferenda. Agni sponsa Ecclesia, Ecclesiæ fides omnibus sæculis, omnibus temporibus eadem ipsa est, eadem semper manet. At ejus Disciplina non ita; mutatur enim in dies, & labentibus annis senescit, ac pristinæ rursum se restituit juventuti; alia & alia subinde & augmenta experitur, & decrementa. Suus erat ejus juventæ vigor eximius, sed obrepebant & vitia. Vitia illa sustulit ætas posterior; verùm dum bona accedunt nova, veterum alicubi splendor evanescit. Senectus languidior est, ut testatur remissio illa & indulgentia, quam hisce temporibus omnino necessariam putant. Verum si ad trutinam expendas omnia, ut juventuti, ita & senectuti experieris sua inesse vitia, suas virtutes. Quod priori Disciplinæ deerat, adjecere Concilia, Pontifices, sancti Patres. Quid dicam nuperrimi Oecumenici Concilii Leges, quid egregia illa statuta complurium nostris temporibus Episcoporum, qui excellenti & doctrina & pietate, velut quædam Ecclesiæ sidera splendescunt; nonne quidquid vitii & labis in hujus ætatis inoleverat disciplina, vel abstersere jam, vel abstergere sedulo pergunt?

XVI. Hæc sunt, quæ me adduxere, ut pro virili portione, & animo moderarer meo, & calamo: ita extollerem disciplinam veterem, ut nequid de hodiernæ laude detraherem; ita primigeniæ Ecclesiæ flori & venustati suffragarer, ut nævos non dissimularem, quos sequens ætas eluit; in vetustissima denique disciplina obscurissima sectarer, & abditissima vestigia earum mutationum, quæ identidem ad hæc usque tempora inciderunt.

XVII. Qui enim vel Politiæ, vel morum Ecclesiasticas leges à limine saltem salutaverunt, illis exploratum est, duplicis eas esse generis. Aliæ quippe sunt immutabiles quædam Regulæ æternæ veritatis, quæ primaria est Lex & fons ipse atque origo Legum illarum, quas nec dispensatione ulla remitti fas est, nec præscriptione everti; nec morum, aut temporum diversitate qualibet, aut vicissitudine labefactari. Aliæ sunt temporariæ leges & consuetudines, ex sese indifferentes; quæ authoritatis, utilitatis, ac necessitatis alio & alio loco ac tempore plus habent, vel minus: quippe quæ ideo tantum positæ sunt, ut facilius primaria illa & æterna lex observetur. Ita pervigil & omnipotens illa Numinis Providentia, quæ fecit, ut Synagogæ succederet Ecclesia: quæ dispensat hujus varias ætates & alternationes; eadem ipsa summa quadam sapientia & charitate has omnes temporalium consuetudinum legumque conversiones ita regit ac moderatur, ut per has Ecclesia ad incommutabilem & æternam sponsi sui gloriam & sanctitatem provehatur.

XVIII. Harum ego Regularum, Legum & Conſuetudinum temporalium dixi magna cum animi moderatione & reverentia explorandas eſſe mutationes. Quanquam enim ad æternæ Legis obſervationem videantur aliæ aliis accommodatiores: fieri tamen poteſt, ut certis quibuſdam & temporibus & locis & hominibus minus ſint commodæ. Accurata & indeflexa Juris obſervantia, anteponenda illa quidem eſt ejus remiſſioni & indulgentiæ. Eſt tamen ubi rigor ille obſit non mediocriter, & ubi omnia peſſum eant, niſi fibulam ſtrictioris diſciplinæ laxet charitas. Docebunt nos in hujus Operis contextu ſancti Patres ab ipſo Chriſto & ab Apoſtolis, quos vicarios ille Architectos ſibi adſcivit, poſita primum fuiſſe in opportunis & neceſſariis Diſpenſationibus Eccleſiæ fundamenta. Nonne in Caput & Fundamentum Eccleſiæ Petrus inſtitutus, vel reſtitutus eſt poſt lapſum, ejuſmodi diſpenſatione, quæ poſterioribus ſæculis non admirationi tantum eſſet, ſed & exemplo? Nefas eſt privata licentia vigorem juris inflectere; at ubi Eccleſiæ ipſius authoritas ob evidentem ſcilicet utilitatem, aut urgentiſſimam fidelium neceſſitatem indulget, & condonat aliquid: hæc humanitatis blandimenta quantumvis cum littera Canonum pugnare videantur in ſpeciem, mirifice tamen cum eorum mente & ſcopo conſentiunt; & adeo non adverſantur caſtiſſimis Legis æternæ inſtitutionibus, ut pro inſtitutis haberi debeant & veluti pro oraculis charitatis, quæ ipſamet eſt Lex æterna.

XIX. Harum ergo, ſive Legum, ſive conſuetudinum, quæ ſponte ſua liberæ ſunt, & ad expeditiorem duntaxat legis æternæ obſervantiam ſunt invectæ; non prima ſolùm exordia & veluti fontes quærere inſtituimus; ſed & ipſa earum crebræ mutationis perſequi veſtigia, etſi ita obſcura & perturbata, ut perſpicaces etiam oculos perſæpe fallant. Id cernere eſt in Eccleſiaſtica maxime juriſdictione, ubi vices hæ fuere frequentiſſimæ. Statim enim præcipua & princeps authoritas manavit à Chriſto in Petrum & in Apoſtolos; ab his ad Epiſcopos eorum ſucceſſores, ſive ſingulares, ſive Synodice collectos; in his enim ſubinde alternatum eſt; ab Epiſcopis denique & à Conciliis particularibus juriſdictionis pars maxima ad ſummum Pontificem revoluta eſt. Hic ſane liquidum eſt agere me de exercitio & uſu juriſdictionis potius, quam de juriſdictione ipſa. Nec magnopere noſtra forſam refert, certe minime neceſſarium eſt expendere, ex hoc multiplici politiæ ſpiritalis genere, ecqna, ſit, vel naturæ ipſi magis conſentanea, vel Eccleſiæ conducibilior. Quâm in partem cunque ſententiam, mens & voluntas noſtra inclinaverit, nihil admodum intereſt: eo quippe loco ſemper res certiſſime erunt, quo ſunt, & quo illas eſſe juſſerit omnipotens & ſapientiſſima Dei providentia. Niſi jubente, vel permittente eo, mutatum, & novatum eſt prorſus nihil. Cumque perſpectiſſimum ſit nobis, nihil vel ab eo fieri, vel permitti, niſi ad illius gloriæ & electorum ſalutis incrementum: quid reſtat, niſi ut quæ Deo placent, placeant & nobis? ejuſque ſanctiſſimis & ſaluberrimis conſiliis lubentes aſſentiamur? Non tanti refert explorare, penes quos principalis Eccleſiaſticæ juriſdictionis poteſtas, vel poteſtatis exercitium ſit: quanti ſcire & curare, quibus legibus & quam convenienter Legi æternæ exerceatur. Sive illain Epiſcopi in ſua quiſque Diœceſi, ſive Epiſcoporum Concilia, ſive Summi Pontifices exerceant; omnes Vicarii Chriſti ſunt, omnes Apoſtolorum ſucceſſores; penes illos depoſita eſt Apoſtolorum authoritas, ſedent illi ad Clavum, cæleſte & divinum Eccleſiæ univerſæ Imperium adminiſtrant. Hoc unum maxime omnium refert, in eo caput & ſumma rei vertitur, ut tota illa poteſtas ex veritatis & charitatis inſtinctu exerceatur, quæ geminæ ſunt Leges æternæ; imo quæ una æterna & incommutabilis lex eſt; utque ſive remiſſo, ſive auſtero jure utantur Præſules, uni ſtudeant ædificationi Eccleſiarum, uni illarum utilitati ſerviant. Ille, ille authoritatis uſus ſanctiſſime ita temperatus, ſemper & ubique neceſſarius eſt. Quod ad illos autem attinet, qui ſanctiſſimæ hujus authoritatis adminiſtri ſunt, quocunque tandem ævo & tempore agant, conſultiſſimum eſt confirmandæ illorum authoritati ad laborare; ejuſque intermicantes & velut antelucanos aliquos radios in puriſſimis illis obſervare ſæculis, ab hoc ævo noſtro remotiſſimis, ideoque majori omnium in veneratione poſitis.

XX. Unum fere ſopereſt, ut dicam, cur ad rerum diſtinctionem & perſpicuitatem majorem hac uſus ſim earum partitione in quatuor ætates. Ab Exordio nempe Eccleſiæ ad Clodovæi Francorum Regis Imperium; ab hoc ad Carolum Magnum; exinde ad Hugonem Capetium; ab hoc denique, vel ab anno Chriſti milleſimo ad hanc ætatem uſque noſtram. Etſi Galliæ noſtræ decus ad hanc me diviſionem non compuliſſet; ecquas potuiſſem illuſtriores & magis notabiles figere Epochas; quam quæ ab Auguſtiſſima eaque triplici Regum noſtrorum ſtirpe ſumerentur? Anno Chriſti circiter quingenteſimo, unus emicat Catholicus toto orbe Rex Clodovæus. Merito ergo ab eo exordienda fuit ſecunda Eccleſiæ ætas. Adde quod cum tunc Imperium Occidentis compluruma in Regna ſciſſum fuerit: in moribus & legibus Eccleſiæ multa tum quoque mutata ſunt, propter eam quæ

illi cum Imperio intercedit necessitudinem. Pipinus & Carolus Magnus, qui desinente octavo, & ineunte nono sæculo potiti sunt rerum, non Rempublicam tantum, sed & iisdem fere in ruinis jacentem Ecclesiam erexere. Fecere eorum Capitularia, ut ejus Disciplina novam veluti faciem indueret, & novo reflorescerer decore. Non assentabatur Regibus nostris Clodovæi stirpe prognatis Gregorius Magnus, Tantum eminere illos cum dixit, supra Reges alios, quantum mortalibus aliis eminent Reges. At de Carolo-Magno id dicere non dubitaverim, tum illum, tum illius ex prosapia ortos Reges, Occidenti propemodum universo Imperasse, & Ecclesiasticum prorsus ac Sacerdotale imperium explicuisse. Ejus augustissimæ stirpis ruina non Rempublicam modo, sed & Ecclesiam labefactasse visa est. Duplicis hujus naufragii reliquias excepit Hugo Capetius & regia ejus posteritas; ab his porro emersit, Reique publicæ & Ecclesiæ accessit nova Regiminis, ejusque temperatissimi forma; quod Jus Novum vocamus.

XXI. Eædem ergo prope fuere Ecclesiæ vices & Gallicanæ Monarchiæ; simul deficere illis contigit, simul & in pristinum splendorem restitui. Itaque posteriorum trium Ecclesiæ ætatum ne optare quidem poteramus splendidiores alias Epochas, sive metas. Nam quod ad primam pertinet, cum Sponsi & Sponsæ unum Corpus sit, una persona: hinc patet eadem fuisse Ecclesiæ, quæ Christi incunabula. Rex ergo sempiternus natus in tempore, primæ initium dedit ætati Ecclesiæ: tribus verò ætatibus aliis, tres è nostris Franciæ Regibus, summi illius Regis imagines expressissimæ. Et principio quidem ætatem illam priorem distribueram in partes tres; quarum una sæculum Ecclesiæ aureum, divinis & Incarnati verbi & ejus Apostolorum radiis illustratum complecteretur: altera contineret duo subsequentia sæcula, persecutionibus horrida: tertia denique pars alia sæcula totidem à Constantino ad Clodovæum usque; quando Ecclesiæ non tantum asserta libertas est, sed & plurium de hostibus triumphorum gloria. Hanc prorsus divisionem secutus essem, si de iis tantum quinque sæculis agere propositum fuisset. Verum cum mihi essent quæstiones eædem per quatuor supradictas ætates pertractandæ, præstabilius tandem visum est intra illius quadripartitæ distributionis fines memet cohibere; nec novis partitionibus Lectores obtundere.

XXII. Quin & in hac tertia Editione Lucubrationis hujus meæ, Latinæ jam linguæ consuetudine, ut summorum & omni exceptione majorum virorum votis obsecundarem, à me ipso donatæ: quò iisdem gratum facerem, quatuor illa ætatum partitio non ad universum Opus effundenda mihi fuit, ut in duobus Editionibus Gallicanis factum fuerat; sed ad singulas singularum partium quæstiones coartanda, & toties iteranda. Nihil hic attinet inculcare, quæ in Gallicanis Editionibus dum præfarer, dicta sunt à me pro illa totius operis in quatuor Partes, & in ætates quatuor divisione. Unum illud hic profitebor, antiquius mihi nihil unquam fuisse, quam ut Lectorum gustui, & utilitati servirem. Sensi statim publicato Opere, & undequaque postea inaudivi, & voluptatis non minus, & utilitatis aliquanto plus etiam emergere hinc posthac posse, si quæstiones singulæ, quæ prius in plures partes, & in diversos Tomos spargebantur, nec aliter perlegi poterant quam pluribus Tomis in manus sumptis: hic jam à capite ad calcem contexerentur, uno ut loco & uno spiritu legi & exhauriri possent: servata nihilo minus in iisdem quæstionibus sejunctim singulis eadem quatuor earundem ætatum distinctione. His necessario gerendus mos fuit, non authoritatem tantum suam, quæ permaxima & mihi colendissima erat, sed & publicam, ut aiebant, utilitatem obtendentibus.

XXIII. Illud quoque mihi visum hic est aptius & præstabilius fore; ut non jam quatuor, sed tres duntaxat essent hujus Operis Partes, totidem in Tomos secti, qui possint tamen in duo crassiora volumina compingi. Erunt ergo Tomi Tres, totidem quot Partes; ita ut singulis rursus in Partibus, sive Tomis Libri sint Tres. Quæ Prima fuit Pars priorum Editionum, erit & hic Prima; & rursum quæ Secunda fuit, erit & hic Secunda, in eodemque utraque quo prius versabitur argumento. In Prima videlicet expendetur Origo & Natura Beneficiorum, tum jura, potestates & officia Beneficiariorum omnium. In Secunda Vocatio, Electio, Confirmatio, Cessio, Translatio, Irregularitates, Sacramenta fidei, Commendæ, Dispensationes. At vero Tertiam & Quartam priorum Editionum Partem, in unam hic contraxi, quæ proinde Tertia & ultima erit, agetque tum de Bonis Ecclesiæ Temporalibus, tum de religioso & Canonico eorum usu; quæ duo prius in duas Partes, Tertiam & Quartam digesseramus.

XXIV. Quoniam vero Ecclesiasticæ Disciplinæ partem maximam, superiorum sæculorum Conciliis definitam, complectitur hujusce instituti mei ratio; spes est aliqua, futurum aliquando, ut hæc sit velut Introductio ad Conciliorum studia, nec fallit me spes, si modo viri docti & pii perlecto Libro una eademque opera volent & censuram & benevolentiam

suam

Suam exercere, & ea insusurrare monita, quibus totum quidquid est hoc Operis, & emaculari possit & expoliri. In commune omnibus lucet veritas; thesaurus ille est publicus, cujus penes omnes est usus & dispensatio, dominium & proprietas penes neminem. Ne ergo veritatis lumina tibi habeas; sed ea cum aliis tibi velis esse communia; ut & in omnes spargantur, ea & humilitate & charitate, quæ veritatis comes individua est. *Conjungar illis Domine in te, & delecter cum eis de te, qui veritate tua pascuntur in latitudine charitatis.* August. Confess. lib. 12. c. 23.

XXV. Privatis & amicis Romani Censoris sive monitionibus, sive querelis, quod ante aliquot annos responsum fuit à me, inferius sejunctim edam, verbis prorsus iisdem Præfationis Latinæ, quæ præfixa fuit Tomo Tertio Editionum Gallicanarum. Hic pene contrarias aliorum expostulationes sedare posse & delinire percuperem; eorum scilicet qui subiniquo ferunt animo, quod æquus mei loci & mearum virium æstimator, librare & disceptare res malim, quam diffinire: alienas sententias promam, meam non raro premam. Hos occupasse me sperabam & demulsisse, ubi non eum esse me, quin imò nec eum esse me debere professus sum, qui facile prosiliam ad decretorium de rebus quibuslibet judicium. Hoc doctis & indoctis distat, quod hi pro certo habent, quidquid certò & asseverantissime affirmatur; illi certum habent quod certis & invictis probatur documentis. Atqui illa præceps affirmandi temeritas, maximum est viris peritis imperitiæ argumentum. Ex adverso plura scire plerumque existimandus est, qui diutius dubitat, qui assensum diutius cohibere mavult, quam præcipitare.

Sed non ea mihi nunc defensione opus est, Brevius & expeditius respondebo, Adeo non multa hic ultro citroque ventilari, pauca definiri: ut non facile aliud invenire sit Opus, in quo plura definiantur. Quot Conciliorum generalium & particularium, quot Pontificum Constitutiones prolatæ sunt à me, prolatæ sunt autem innumerabiles: quot sanctorum Patrum sententiæ, tot prolatæ sunt à me definitiones. Nec enim Scripturæ, Concilia, Pontifices, Patres loquuntur, nisi leges, Decreta, Definitiones. Nulla ergo proposita est à me quæstio, cujus non ibidem illico tot depromptæ sint definitiones, quot depromptæ sunt ineluctabiles hujusmodi authoritates. At amo, ut aiunt, sub his authoritatibus delitescere, & promulgata aliorum sententia meam ipse dissimulo. Qui me tam pulcro & amabili convitio verberant, ne ipsi quidem negare possunt, quin quod crimini vertunt, in laudem redundet meam. Ubi enim de re qualibet sententiam dixere Pontifices, Synodi, Patres: num aliæ possunt esse partes meæ, quam ut assentiar, plaudam, conticescam? Annon bene & naviter impudentis & mortalium insulsissimi ego partes agerem; si ubi Pontifices, Patres, Concilia dixere & edixere, tum meam quoque sententiam expectari censerem? At non satis perspicuæ, non satis certæ sunt illorum definitiones. An ergo meum est illis lumen & pondus addere? Episcoporum est sententiam dicere in rebus istiusmodi; non secundi Ordinis sacerdotum, non eorum certe qui nullo gradu eminent, qui in turba jacent promiscua.



# LUDOVICI THOMASSINI
## RESPONSIO
### AD NOTAS SCRIPTORIS ANONYMI
### IN TOMUM I. ET II.

*De novantiqua Ecclesiæ Disciplina circa Beneficiarios.*



ANIMADVERSIONES seu Notas Scriptoris Anonymi, pii cum primis atque eruditi, in primum & secundum Tomum de Novantiqua Ecclesiæ circa Beneficiarios Disciplina, Roma ad me misit Eminentissimus Cardinalis Hieronymus Casanata, nunquam mihi sine singulari nominis encomio nominandus. Cùm enim Natalium ejus splendori accedat summa reconditioris eruditionis copia, innocentia vitæ, morum sanctimonia Christiano orbi perspectissima: has ille dotes singulari præterea humanitate, obvioque & parato erga litteratos omnes patrocinio cohonestat. Meas ad illum ego vicissim Responsiones misi, quibus Censoris Notas diluere conatus sum; remissasque ab eodem Eminentissimo R. E. Principe, nunc edo, intactas prorsus, & quales à me primùm missæ, & à Doctoribus hîc Sorbonicis probatæ, ab illo pòst remissæ fuerunt. Minusculis litteris interserui Responsiones alias ad prioris Censoris & censuræ vindicem, cujus Notas ante paucos dies idem Cardinalis Eminentissimus ad me misit.

Paucis præfatur Scriptor Anonymus; *ad hoc collimare me tantùm, ut infirmem sanctæ Sedis authoritatem; & Episcopos Conciliaque Provincialia paris ad minimum authoritatis esse demonstrem*: utpote qui in præfatione primi Tomi asseruerim *Christum Dominum dedisse Apostolis omnem supra Ecclesiam authoritatem, eamque transisse ab Apostolis ad Episcopos, ab Episcopis ad Concilia, & à Conciliis ad Sedem Apostolicam devenisse.* Æquiore fruerer, ut spero, Scriptoris hujus judicio, si rescire potuisset, quanta ego ante annos penè viginti flagrare cœperim hîc invidia, & quantis proscissus sim famosis libellis, prælo mandatis, ac in vulgus sparsis; quasi in amplificanda Sedis Apostolicæ authoritate ultra modum provcherer, cùm & optimis in rebus modus tenendus sit. Concerpebantur nimirum tum meæ per annos complures in Seminario Lutetiæ Archiepiscopali prælectiones in Historiam Ecclesiasticam, in Concilia, in Patrum scripta, tum Dissertationes in Concilia; utpote quæ Censoribus meis hîc, doctis sanè nonnullis puisque, viderentur in exaggeranda Primæ Sedis potestate ultra limites evagari. Advertant, quæso, Censores mei, hinc & inde usque adeo adversi, sibique quàm mihi infestiores; non potuisse hanc doctrinam, nisi aurea quadam mediocritate temperaretur, tam diversis sibique pugnantibus impeti criminationibus. Id autem vebm sibi persuadeat nuperus hic, exterusque censor, animi mei consilia, mentisque penetralia Gallis meis esse hauddubio perspectiora, ut qui longe pluribus argumentis ea & diuturnioribus potuerint experimentis probare. Nec id ego unquam dissimnlavi, toto mentis studio animique impetu propendere me ad Ecclesiæ Sedisque Romanæ majestatem atque amplitudinem tuendam; tametsi pari studio in id semper incubuerim, ut mediam veri orbitam tererem, & nec vel tantillum huc, vel illuc deflecterem.

Hæc de animi mei proposito, operisque scopo. Quod autem ex præfatione primi Tomi hîc perstringitur, palam est illius loci eam esse sententiam; *principalem authoritatem*, id est usum & *exercitium jurisdictionis Ecclesiasticæ*, ut ibidem habetur, manasse à Christo *in Petrum & Apostolos*, ab Apostolis in Episcopos, ab Episcopis ad Concilia, à Conciliis rursum ad Episcopos, ab his permagna ex parte ad Apostolicæ Sedis Pontifices devolutam esse. De exercitio jurisdictionis hîc quæritur, non de ipsa jurisdictione, quæ in his omnibus pro cujusque gradu cumulatissima est; sed exercetur nunc à solis Apostolis, dum nulli sunt adhuc Episcopi: pòst à Romanis Pontificibus & ab Episcopis, cum jam nulli supersunt Apostoli; nunc ab Episcopis non singularibus, sed in Concilia adunatis; pòst ubi Concilia colligi ferè desierunt, ab Episcopis rursum singularibus toto orbe sparsis; denique exercetur maxima ex parte à Romanis Pontificibus extrema hac Ecclesiæ ætate, secundum ætatis hujus consuetudines & leges, quibus id præstitum est, ut plurima ad eos devolverentur, quæ antè vel ab Episcopis, vel à Metropolitanis, vel à Conciliis Provincialibus administrabantur. Nullum porro hîc verbum fit, ex quo suspicari jure quis possit exæquari à me jurisdictionem vel Apostolorum cum Episcopis, vel Episcoporum cum Conciliis, vel Conciliorum cum

Pontificibus Romanis. Turpiſſima illa foret hallucinatio, à qua procul ſum, qui toto hoc Opere enucleatiſſimè diſpeſcui jura ac prærogativas primæ Sedis Antiſtitum, quibus ſubjeci Patriarchas, Patriarchis Metropolitanos, Metropolitanis, Provincialibuſque Conciliis Epiſcopos. Ergo nec loco huic affingi poteſt hæc exæquatio poteſtatis, cujus verba ſingula aliud ſonant, aliò collimant; & toto operis contextu ea ſuſpicio abundè diluitur.

Quibus autem gradibus poteſtas inter Petrum & cæteros Apoſtolos diſpenſata ſit, ea quæſtio à me ne delibata quidem eſt, utpote ab inſtituto meo prorſus aliena. Abundè mihi fuit profiteri, nec Epiſcopos Apoſtolis omnino à me exæquari, nec Apoſtolos Petro. Quippe Epiſcopis intra ſuam cuique Diœceſin coarctata juriſdictio eſt, & Apoſtolis cæteris ſupereminet & anteſtat unum ſummumque à Chriſto præſtitutum Caput Petrus. Liquidò hinc claret, quàm non pares faciam ſingulos Epiſcopos ſummo Pontifici Petri ex aſſe ſucceſſori, quos ne ex aſſe quidem ſucceſſiſſe dico illi amplitudini limitum impatienti, qua potiebantur Apoſtoli, Petro Capite utique ſuo minores.

Si qua verò poteſtas dicitur à me quoad uſum & exercitium deveniſſe, aut devoluta eſſe à Conciliis ad Pontificem ſummum, non eò ſignificatur ab illis ei collata eſſe. Multa enim devolvuntur ab Epiſcopis ad Metropolitanos, ab his & à Conciliis Provincialibus ad Romanum Pontificem, nec tamen conferri dicuntur, aut verò dici poſſunt. Pauciſſima devolvuntur à ſuperioribus ad inferiores, pauca ad æquales, longè plurima ab inferioribus ad ſuperiores, ſecundùm tritiſſimas receptiſſimaſque juris regulas.

### *In primam & ſecundam Partem.*

Notat 1. illa Præfationis verba, *Nam principalis authoritas*, *&c.* num. 19. lin. 7. Reſpondeo authoritatis nomine intelligi ejus *uſum* & *exercitium*, ut inferiùs eodem numero exprimitur. Inſerentur tamen illi ipſi contextui hæc duo verba, cùm primùm nova recudetur Editio hujus primi Tomi.

Notat 2. ejuſdem numeri hæc verba, *ſive ſint Epiſcopi*, *&c.* Addetur in nova editione, *in ſua quiſque Diœceſi.* Nec alius ſanè poterat ſubeſſe ſenſus.

Notat 3. quæ dicta ſunt Parte 1. l. 1. c. 1. n. 9. lin. 17 *Quando Filius Dei*, *&c.* Et mox, *Dedit eis ſupremam authoritatem.* Ex quibus videtur inferri poſſe, quod ſummum Epiſcopis ſingulis Sacerdotium, adeoque & Pontificatum contulerit. Reſpondeo toto illo Capite diſceptari de Epiſcopatu, ut Ordo eſt, utque Preſbyteratui, cæteriſque inferioribus Ordinibus comparatur & antefertur: diſceptari de poteſtate, eminentia, authoritate, independentia Ordinis Epiſcopalis, ut Ordo eſt, nulla ratione habita juriſdictionis. Subjiciuntur Ordines inferiores ſuperioribus, non ſacri ſacris, Diaconatus & Preſbyteratus Epiſcopatui ut Ordini ſuperiori; jam Epiſcopatus nulli Ordini ſuperiori ſubeſt, quia nec ullus Ordo ſuperior, vel ulterior eſt eo, qui Ordinum ſummus & ſupremus eſt. Eo ſenſu dicuntur Epiſcopi exercere munia ſui Ordinis cum ſuprema authoritate & independentia; cùm vel Preſbyteri ipſi ſacras miniſterii ſui vices implere non poſſint niſi dependenter ab Ordine Epiſcopatûs, qui ſuperior, qui ſupremus Ordo eſt. Conſentiunt Theologi, nec Romano ipſi Pontifici alias Ordinis functiones competere, quàm quæ Epiſcopalis Ordinis ſunt, Ordinare, Confirmare. Summi Pontificatûs prærogativa ad juriſdictionem pertinet, non ad Ordinem. Nemini in mentem venit unquam, ut diceret Papatum eſſe Ordinem ab Epiſcopali Ordine diſcretum, eoque ſuperiorem.

Notat, 4. hæc verba ejuſdem Capitis n. 12. l. 10. *Fateamur ergo conſecratione dari proprietatem*, *ſummam poteſtatem & independentiam* Ex quo cavendum eſt, ne inferatur, eos ſoli Deo ſubeſſe. Reſpondeo ſingulis penè lineis hujus Capitis liquere, eo non agi de Epiſcopatu, niſi ut Sacramentum & Ordo eſt, utque reliquis Ordinibus, maximè Preſbyteratui componi poteſt. Ita Ordo Epiſcopatûs cùm nulli ſuperiori ſubjaceat Ordini; complectaturque indiſcriminatim ſummum Pontificem, Patriarchas, Metropolitanos, Epiſcopos, uno videlicet Epiſcopatûs Ordine fulgentes, ſecum invehit proculdubio proprietatem, ſupremam authoritatem & independentiam functionum Ordinis. Preſbyter in defungendis Ordinis ſui muneribus Ordini ſuperiori Epiſcoporum obnoxius eſt; ideo nec tingit ſine Chriſmate, nec offert ſine altari, quod Epiſcopus conſecrarit. Epiſcopus ſumma & abſolutiſſima poteſtate hæc eadem obit munia, ut qui Chriſma, quo confirmat, & altare conſecraverit, in quo offert. Hanc Epiſcopatui ſummam & nulli obnoxiam authoritatem tribuimus. Ideo Theologis & Canoniſtis convenit, ſi ſubjiciantur Epiſcopi alii aliis, & omnes ſummo Pontifici, ad juriſdictionem, non ad Ordinem id pertinere. Non quo authoritas juriſdictionis non poſſit ligare functiones Ordinis; poſſunt quippe Epiſcopi functionibus Ordinis interdici vel ſuſpendi, ſive à Metropolitano, ſive à Pontifice. Sed ea ſive Pontificis, ſive Metropolitani poteſtas, non Ordinis poteſtas eſt: ea enim tum ſinguli fruerentur Epiſcopi, conſimili & ipſi Ordinatione inaugurati. Poteſtas ergo Juriſdictionis ea eſt & Dignitatis. Hac uti poſſunt juriſdictione, ante Epiſcopalem conſecrationem: Poſſunt & Epiſcopi ordinare citra ullam iſtiuſmodi juriſdictionem. Diſtant ergo mirum quantum Ordo & juriſdictio; hoc autem Capite ſejunctus à juriſdictione Ordo expen-

ditur, & pendere ab Episcopatu Presbyteratus demonstratur, cùm Episcopatus nulli superiori Ordini sit obnoxius. Denique & si quis supremam illam potestatem, quæ Romani Pontificis propria est, spectari debere urgeret, ea quoque Episcopatûs propria laus & supra Presbyteratum prærogativa dici possit. Necessum est enim Pontificem Episcopali & ordini & collegio accenseri.

Notat, 5. multa posse in Capite XIII. configi asperiore censura, quod ibi dicantur Episcopi Apostolis successisse, & apostolicæ potestatis consortes esse. Porro tria quædam discriminari debuisse. 1. Episcopatum, quo jure Episcopi succedunt Apostolis. 2. Jurisdictionem universalem, qua Apostoli a Christo, nequaquam autem Episcopi donati sunt. 3. Authoritatem Canonici Scriptoris, qua non perinde ut Apostoli, gaudent Episcopi. Respondeo esse quod dubitem, an Notarum author Caput hoc legerit, quod tam durè perstringit. Numero enim statim primo Synopsis conceptis verbis dicitur, Episcopos esse, *in sua quemlibet Diœcesi Vicarios Christi & successores Apostolorum.* Numero sexto pronuntiatur ex Hieronymo, Episcopos esse *Capita Ecclesiarum particularium, sicut Papa Caput est Ecclesiæ universalis.* In ipsius jam corpore Capitis numero primo dicitur, *Episcopos divina authoritate constitutos esse Vicarios Christi in sua quemlibet Diœcesi, successoresque Apostolorum, quin imò & successores Petri; verissimo quodam sensu, quo non prohibetur, quin Pontifex Romanus veriùs & peculiariùs & cum singulari longè amplioris potestatis plenitudine Petri successor sit, tanquam verticis & Principis Apostolorum.* Numero secundo dicitur Episcopos esse *Capita particularium Ecclesiarum, subordinata Capiti universalis Ecclesiæ.* Differre Episcopos ab aliis alios, quòd *alii aliis effusiorem obtineant potestatem, alios aliis subesse.* Numeris sequentibus Ecclesiæ totius & Episcopalis Collegii caput persæpè Pontifex nominatur, Episcopi autem Capita particularium Ecclesiarum. Numero 8. dicuntur Episcopi centra unitatis in sua quisque Ecclesia. Numero 9. *subordinantur cæteri Apostoli Petro; Apostolatus Ecclesiæ Romanæ exaltatur supra omnes Cathedras Episcopales.* Numero 12. *eminet Papa Capitis prærogativâ, in cujus vel participationem vel societatem vocari nequit ullus præterea Episcopus.* Porro de authoritate Scriptoris Canonici ideo silui, quòd eam quæstionem ne delibaverint quidem Scriptores primæ hujus ætatis. Cæterùm plus satis nudati sunt hac dote, quibus unius Diœceseos limites circumscripti sunt. Scripturæ enim Canonicæ tota in Ecclesia dominantur.

Notat 6. quod Part. 1. l. 2. c. 23. n. 15. dixerim Petrum & Paulum fuisse eodem tempore Episcopos Romæ, & dum superstites essent, subrogasse sibi Linum & Cletum. Respondeo prolixè ibi à me occupatas & præsecatas esse præposteras omnes consequentias, quæ exculpi inde potuissent; & adhibitas esse cautiones prorsus easdem, quas pridem præmonstraverat censura Romana, quæ in utramque similem propositionem vibrata fuerat. Nullius culpæ affinis hîc sum, qui cautiones istas authoritate etiam Hieronymi & Augustini firmaverim.

*In tertiam Partem.*

Notat 1°. Censor Anonymus locum illum Partis 3. l. 1. c. 9. n. 1. *Æqualiter Græcos inter & Latinos conveniebat de plenitudine potestatis, quæ in Episcopis residet.* Atqui perspicuum est de potestate Ordinis hîc agi, quæ summa utique in Episcopis est, cùm supra Episcopos nullus à Christo Ordo ulterior constitutus sit, cùm Episcopalis Collegii vertex sit Romanus Episcopus, cùm denique Christus ipse Episcopus sit animarum nostrarum. Porro hoc loco de potestate Ordinis inquiri, liquet ex consequentibus ibidem verbis de potestate *Sacerdotis*, de potestate *remittendi peccata*, *ordinandi*, de potestate denique quæ Episcopos evehat supra Chorepiscopos & Presbyteros.

Si urgeas spargi nonnulla hoc capite, quæ ad jurisdictionis potiùs, quàm ad Ordinis potestatem trahi debeant; esto, ut id largiar, sed hæc jurisdictio statim concluditur intra cujusque Episcopatûs fines, in synopsi, n. 1. Porro à Græcis recentioribus si eadem Episcopis singulis potestas tribuitur, ac Patriarchis; aut Patriarchis eadem quæ Romano Præsuli; ut tu quidem sentis: certè Caroli Magni ætate, qua de in hac tertia Parte disceptatur, nondum illa Græcos invaserat insania. Constabat tum Græcæ & Latinæ Ecclesiæ pax, constabat unitas, tametsi nonnullis subinde dissensiunculis turbaretur.

Notat 2°. quod ibidem n. 2. dictum sit; *Episcopi successerunt eminentiæ supremæ & plenitudini potestatum spiritalium sancti Petri.* Atqui monueram Parte 1. l. 1. c. 13. & Part. 2. l. 1. c. 1. & complusculis aliis locis Petro successisse Episcopos omnes, singulosque, non ex asse tamen, sed pro suo quemque gradu: plenissimè autem & ex asse Petro successisse Romanæ Sedis Pontificem. Nec hîc dixi toti eminentiæ vel toti plenitudini jurium & potestatum Petri singulos successisse Episcopos. Potest autem gaudere nomine & gloria plenitudinis ea potestas, quæ pro loco quem implet, pro munere quo fungitur, plena est; tametsi pleniori & superiori alicui cedat potestati, subsitque. De illa autem plenitudine, quæ potest etiam Episcopis ascribi, vide quæ ex Paciano excerpsi, Parte 1. l. 1. c. 2. n. 9. Cujusmodi possent & alia complura congeri.

Cavesis autem, ne Conciliis Patribusque Ecclesiæ omnibus notam inuras, si singulos Episcopos veteres dici summos Antistites, summos & supremos Pontifices. Apostolici etiam Pontifices appellitabantur, nec ea verborum magnificentia vel tantillum officiebat sanæ doctrinæ de Episcoporum & intra suos limites coarctatione, & erga suos Metropolitanos, Primates, Romanosque Pontifices dependentia. Quorsum attinet de verbis digladiari, ubi de rebus consensio est? Uterer & ipse tua verborum consuetudine, nisi sanctorum Patrum & Conciliorum sententias explanantem, necesse fuisset verba quoque sectari. Tua autem & nostra omnium interest huic nominum & verborum gloriæ non obstrepere, cùm tot radiet Christi Dei nominibus Romanus Pontifex, cujus tantùm Vicarius est. In hanc piam verborum licentiam præeunt nobis Scripturæ, quæ Deos, quæ Dei filios, quæ Christos Domini nuncupant Dei Sacerdotes.

Notat 3°. quod ibidem n. 5. dictum est, *Negari non potest consuetudinem in iisdem sæculis introductam fuisse, ut scilicet interveniret authoritas primæ Sedis, ut novæ erigerentur.* Ait porro hanc propositionem *esse falsam historicè sumptam. Quantæ enim Sedes Episcopales leguntur erectæ ab antiquis Romanis Pontificibus ante Imperium Caroli Magni? Solæ lectiones Breviarii sufficiunt ad demonstrandam ejus falsitatem.* Sententiæ censoris lubens assentior, censuræ intercedo. Nec enim dixi nullas unquam ab Apostolicæ Sedis Pontifice ante tempora Caroli Magni erectas esse Sedes Episcopales. Imò bene multas jam inde ab incunabulis Ecclesiæ ab Antistibus Romanis constitutas fuisse prolixè docui, Parte 1. l. 1. c. 14. & Part. 2. l. 1. c. 11. Quin & hanc primitus fuisse ostendi Apostolicæ potestatis exuberantiam, quæ in Apostolica Sede principaliter residet. Ne mihi ergo hanc aspergat maculam, quasi me authore sola consuetudine, non etiam principali potestate nitatur Romanus Pontifex in erigendis Episcopatibus novis. Contrarium prorsus statui locis citatis, nec quidquam sequius hoc qui carpitur loco mihi excidit. Sed potestati accedit etiam aliquod à consuetudine præsidium, & premit sese nonnumquam potestas spiritalis quantacumque, & latere amat, nec erumpit, nisi quasi obstetricante charitate, vel necessitate, vel consuetudine. Rursum ubi consuetudini succedit desuetudo, non exolescit tamen potestas, sed semetipsa denuo premit, cum ex re erit, rursum eruptura. Neqnaquam ergo inferri potest, quod *per contrariam consuetudinem hæc facultas tolli possit.*

Aies, Juris obligatio consuetudini innixa cum dicitur, soli consuetudini inniti significatur; ergo & erigendorum Episcopatuum authoritas ubi adscribitur consuetudini, soli adscribitur. Respondeo in jure nihil tritius esse, quam jura juribus accumulari, & prioribus nihil derogari. Itaque jura antiqua accedente etiam consuetudine roborantur. Quando ergo potestas consuetudini superstruitur, seu potestatis exercitium, non labefactantur, quin imo confirmantur anteriora ejusdem fundamenta. Conceptis autem verbis monui, multa hujus potestatis Pontificiæ præfulsisse ante documenta, quam hujus consuetudinis jus prætenderem.

Notat 4°. hæc verba, *Missiones ad extraneos occasionem dederunt, ut in manus solius Papæ caderet facultas creandi novos Episcopatus, qua facultate priùs gaudebant Concilia particularia* Cap. eodem n. 7. Hinc enim existimat consequi, quod Pontifex Romanus *ex occasione tantùm, non ex se hac potestate gaudeat.* Mox sic insurgit, *Si Concilia Provincialia hanc facultatem habebant, vel Papa supra illa usurpavit, quod est injustum: vel illam ab eis accepit, quod denotat in illis abundantiam, & in isto indigentiam, quod dictu est impium.*

Advertat animum, oro, doctissimus Monitor, non dici à me, quod ea occasione ceciderit in manus Papæ ea potestas, sed in manus solius Papæ. Perinde est ergo ac si dixissem ea occasione cadere cæpisse ea potestate Concilia Provincialia, ut ea penes solum Romanum Pontificem resideret. Subinfesta ergo potiùs videri debuerant hæc verba Conciliorum particularium, quàm Romanorum Pontificum authoritati.

Qui sensa porro ponderare malet, quàm verbis insidiari, is facilè intelliget, *occasione* non dari potestatem quæ abesset, sed prodi promique, quæ inesset, nec erumperet. Itaque eam dixi extitisse occasionem qua promeret se potestas Romani Præsulis, ut solus Episcopatus conderet, cùm hactenus ea potestas penes Concilia etiam Provincialia & Metropolitanos fuisset. Non ergo eam potestatem à Conciliis Provincialibus vel accepit, vel extorsit Romanus Pontifex; sed quam semper habuerat, semper alicubi exercuerat, eam supersedentibus Conciliis Provincialibus cæpit ubique terrarum solus exercere.

Notat 5°. à me dici, quod *pænitentiæ Canonicæ æqualiter imponebantur peccatis secretis ac publicis*, l. 1. c. 14. n. 5. Existimatque hanc esse *novam, singularem & improbabilem* doctrinam. Non potest tamen nescire Scriptor Anonymus, quæ sibi suisque consentaneis nova, singularia & improbabilia videntur; ea viderí Petavio, Morino aliisque magni nominis & summæ eruditionis viris vetusta, tritissima & maximè probabilia.

Notat 6°. à me dictum esse, quod *Laici præferebant directionem Religiosorum, eò fine tantùm, ut evitarent severitatem legum canonicarum circa pænitentiam, quas Episcopi & Curati severiùs observabant.* L. 1. c. 32. n. 7. Id verò interpretatur ille *injuriosum statui Religioso, quasi vero omnis laxitas morum paulatim introducta ab iis defluxerit.* Denique negat loco à me citato quidam istiusmodi contineri.

Atqui numero ſtatim proximo monui iterum iterumque hanc *nonnullorum*, hanc *particularium* tantummodo culpam fuiſſe tum; Quin & mox addidi vel tum etiam ex Regularibus fuiſſe, qui Epiſcopos Parochoſque in adminiſtrando Pœnitentiæ ſacramento ſublevarent; in diſtringenda autem Canonum & canonicarum Pœnitentiarum authoritate vel ipſis Epiſcopis inexorabiliores eſſent. Quod & exemplis firmavi.

Quod autem laudato à me Concilii Pariſienſis VI. Canone, nihil iſtiuſmodi contineri dicitur, non poſſum non mirari, quomodo poſſit rei tam perſpicuæ offundi caligo. Ubi enim Synodus vetat laicos Clericoſque Monachis, ubi jubet Epiſcopis vel Parochis confiteri, & hanc ſtatuti hujus cauſam ſubtexit: *Quod illis peccatorum confeſſio ſit facienda, à quibus ſubinde & modus pœnitentiæ & conſilium ſalutis capiatur; & poſt tempora pœnitentiæ peracta ſecundùm canonicam inſtitutionem, ſi Epiſcopus juſſerit, reconciliatio mereatur:* nonne apertè inſinuat à nonnullis horum tunc Monachorum pœnitentes, nec *modum pœnitentiæ, nec conſilium ſalutis, nec tempora pœnitentiæ ſecundùm canonicam inſtitutionem peragendæ* accepiſſe? Si perinde enim ab his tunc Monachis ea ſalutis adminicula Pœnitentibus ſubminiſtrata fuiſſent, non fuiſſent Pœnitentes à Monachis ad Parochos revocati, aut non hæc ſaltem ratio deprompta eſſet, cur à Monachis abducerentur.

Denique eadem ipſa Synodus Pariſienſis VI. decreverat paulò antè *perquiri* ab Epiſcopis, *ignique tradi codicillos Pœnitentiales contra Canonicam authoritatem ſcriptos*, quibus *vulnera peccatorum non curarentur, ſed foverentur;* edixeratque Preſbyteros *ſolerti ſtudio ab Epiſcopis ſuis inſtrui, qualiter & confitentium peccata diſcretè inquirere, eiſque congruum modum ſecundùm canonicam authoritatem pœnitentiæ noverint imponere.* Gemini ſunt hi duo Canones, quod ad ſacramentum Pœnitentiæ ſpectat, & utroqoe id cautum voluere Epiſcopi, ut juxta decreta Canonum pœnitentiæ indicerentur. Ideo canonicas leges pœnitentiæ ab Epiſcopis edocebantur Presbyteri, id eſt Parochi; nec ad hanc Canonum doctrinam Monachos vocavit hæc Synodus.

Notat 7°. quod dixerim ab Epiſcopis *ſuprema authoritate* declarari, quæ ſint Eccleſiæ baptiſmales; ideoque Diœceſanos omnes illis *eſſentialiter ſubeſſe*. Hinc enim ſuſpicatur fore, ut Epiſcopi *nullum* habeant *ſuperiorem*, ut ab iis Diœceſanos ſeparare quiſquam poſſit. *Quod enim eſt eſſentialiter ſubditum, ſemper manet ſubditum.*

Authoritas illa ſuprema intra Diœceſin coarctatur, intra quam ſuperiorem non habet Epiſcopus; etſi extra Diœceſin emineat immineatque illi & Metropolitanus, & Primas & Summus Pontifex. Eſſentialiter autem Epiſcopo ſubeſſe Diœceſanos dixi, non ſcholaſtico, ſed vulgatiſſimo apud Gallicè ſcientes uſu, pro ſtrictiſſimè. Etſi & in hac voce *ſtrictiſſimè* tricari quis poſſet. Sed quæ uſquam tam caſtigata oratio, ubi non iſtiuſmodi verborum tendiculæ ſtrui queant? Ut tamen vel delicatiſſimi faſtidii viris inſerviam, hæc ipſa vocum offendicula amoliar & expungam, cum primum ad prælum revocabitur hoc opus. Quorſum enim litigare de verbis, ubi de re convenit?

Notat 8°. à me ſcriptum eſſe, *quod ſuprema diſpoſitio Beneficiorum ad Epiſcopum pertinebat, tanquam ad ſupremum diſpenſatorem Ordinum & ſacramentorum.* L. 2. c. 8. n. 1. Item quod inferiùs agens de electionibus Preſbyterorum ad Beneficia, dixerim *Epiſcopum ſemper fuiſſe dominum ſupremum electionis hujuſcemodi.*

Et hîc quoque donandum fuit aliquid Gallicæ linguæ conſuetudini, quæ ſcholaſticæ parcitatis legibus ſtringi ſe non facilè patitur; ſed paulò liberalior & effuſior in verborum gloriam, *ſupremam* perſæpè nominat popoteſtatem, diſpoſitionem, diſpenſationem, cui ſuperior tamen alia anteſtat & præeſt. Nihil hoc uſu tritius in vernaculo Galliæ ſermone.

Nec Gallorum nunc tantùm, ſed & antiquorum Eccleſiæ Patrum ea fuit frequens loquendi formula, ut omnes prorſus Epiſcopi dicerentur *ſummi Antiſtites*. Nec tamen eò æquabantur *ſummo* Pontifici. Vide quæ in hanc rem congeſſi in c. 1. l. 1. Partis 2. & inde perſpicies hac verborum moroſitate abſtinendum eſſe viris Theologis, ſi qui volent in ſanctorum Patrum & Conciliorum doctrina ac monumentis verſari. *Summi* ergo ac *ſupremi* dicuntur ſive Antiſtites, ſive Diſpenſatores, cum inferioribus comparantur; tametſi ſupra ſummos iſtos Antiſtites emineant Metropolitani, ſupra Metropolitanos ſummi Pontifices, ſupra ſummos Pontifices Chriſtus, denique Caput Chriſti Deus.

Notat 9°. quod dixerim, *Statuenda duo axiomata: 1°. Summi Pontifices confirmarunt Epiſcopos & Archiepiſcopos electos per purum jus canonicum devolutionis fundatum ſupra utilitatem & neceſſitatem Eccleſiæ. 2. Serò laborarunt Pontifices in propugnanda Metropolitanorum authoritate, & ex ſola inevitabili neceſſitate ſuccurrendi Eccleſiæ, aggreſſi ſunt ſupplere eorum defectui.* L. 2. c. 35. n. 10. pag. 269.

Contra ſic Cenſor inſurgit: *Si jus confirmandi electos venit tantùm ad Pontifices per devolutionem licèt canonicam, ergo illud non habent ex ſe; igitur per diſſimilem viam eis auferri poteſt. Quid injurioſius illo effato? Secundum*

*axioma falsum est, nam sæpiùs Pontifices suppleverunt defectum Metropolitanorum ob utilitatem Ecclesiæ, & non solùm ex inevitabili necessitate.*

Non antiquissima tantùm Ecclesiarum disciplina & Synodorum lege, sed novissimo etiam Decretalium jure Episcopos electos confirmabant Metropolitani; nec ea de causa ad summum Pontificem recurrebatur, nisi ex illis Provinciis, ubi ille aut Metropolitani, aut Primatis vices fungebatur. Id hoc opere demonstratum est, nec ea de re movetur controversia. Si ergo post evulgatos Decretalium libros, & antequam per varia cum Regibus Concordata nominatos à Regibus Episcopos Romani Ponrifices eligerent confirmarentque: jam cæperant Romani Pontifices electos extra Italiam Episcopos confirmare: quæritur, quæ novi hujus usus origo? Nihil opportunius ad primæ Sedis majestatem æquitatemque tuendam dici potuit, quàm ut jure devolutionis, quo nihil sanctius, nihil æquius, nihil firmius, id factum esse diceretur & comprobaretur. Nec est quod reformides, ne ita partum jus dilabatur. Nihil enim devolutioni contrarium. Devolutione semel partum jus, perpetuum est. Nullum est postliminii jus, quo in pristinam potestatem redintegretur, qui semel inertia & supinitate sua commisit, ut ad Superiorem ea devolveretur.

Sed ne quem fatiget ista quæstio, moneo non eo jam devolutionis jure confirmari Episcopos à Romano Pontifice, sed longè alio, quod tunc nimirum emersit, cum Concordatis perfectum est, ut Episcopi à Regibus præsentarentur, à summo Pontifice promoverentur & confirmarentur.

Quod verò dixi Metropolitanorum authoritati tuendæ invigilasse Pontifices, nec eorum vices supplesse, aut implesse, nisi inevitabili necessitate urgente: eo prospectum à me est Pontificum majestati, æquitati, sanctitati; qui subditorum sibi Præsulum jura tueantur, non invadant unquam; munia tunc demum suppleant, cum charitas urget, cum utilitas, cum necessitas cogit. Si cui videtur citra necessitatem, propter utilitatem tamen Ecclesiæ, aliquando Pontifices implesse vices & munia negligentium Episcoporum: non contendam, non cavillabor, meam confitebor tarditatem, qui vel honorificentiùs Romano Pontifici duxerim, si nonnisi cogente necessitate, quæ Episcoporum munia sunt, ipse adgrederetur; vel non discreverim utilitatem Ecclesiæ ab inevitabili necessitate. Ecqua enim arctior necessitas incumbere potest Vicario Christi, quàm Ecclesiæ Christi utilitatibus inservire? An potest videri non necessarium, quod Ecclesiæ utile fuerit? Sed esto, sint minutiæ aliquæ utilitatum, quæ necessitatis nomine dignandæ non sint: at Episcopalia munia impleri, vel ab Episcopis, vel à Pontifice eorum supplente negligentiam, has tu existimabis utilitates nullius aut minimi momenti? Si permagni autem momenti sunt, patere ut donentur nomine necessitatis. Cavesis autem ne contumeliam facias ipse Pontificibus præter mentem tuam, si citra necessitatem eos dicas supplere defectum Metropolitanorum, vel Episcoporum. Quid enim magis dissonum, quàm summum Ecclesiæ Pontificem in rebus minimè necessariis occupari? aut invidiam conflare Metropolitanis, eorum vices implendo, quando minimè necessarium est? aut potestatem Metropolitanorum imminutum ire, quando nulla urget necessitas?

Notat 10°. quod dixerim, *agens de juramentis quæ Episcopi ab Ordinandis exigebant. Obligationes hujusmodi erant genericè indispensabiles, & quodammodo statui Clericali essentiales.* L. 2. c. 36. n. 1. Existimat autem *ex hac propositione sequi, juramentum obedientiæ, quod ordinandi præstabant suo Episcopo, nequidem ab Ecclesia potuisse relaxari: quia Ecclesia non potest dispensare in indispensabilibus, & quodammodo essentialibus.*

Atqui verbis conceptis eo loco dixi, agi de juramento, quo obligabantur Clerici obsequi *Canonibus, Episcopo & Ecclesiæ.* Quis hæc vincula relaxari posse existimet? Nam etsi Episcopo vel Ecclesiæ alii post accedebat quis, cedente Episcopo proprio accedebat, nec solvebatur obligatio, sed ab Episcopo ad Episcopum, ab Ecclesia ad Ecclesiam transferebatur. Si quem voles in ampliorem libertatem vindicari, accedet ergo ille Romanæ Ecclesiæ & Romani Pontificis Clericus efficietur, & ne tum quidem ab Episcopalis obedientiæ vinculo, in quod per ordinationis suæ juramentum se induit, absolvetur. Quoque se vertat ergo Clericus, in Ecclesiæ & Episcopatus aureas, sacrasque compedes incurret.

Si pertendas posse quomodocumque hæc juramenta per Ecclesiam *dispensari*, contentiosum funem non diutiùs traham; dabo quod vis, nec assequeris tamen quod speras. Gallis enim nostris nihil usitatius, nihil vulgatius his loquendi formulis, Non possum me dispensare, quin id præstem: Non potes te dispensare, quin &c. Dispensabo me ab hac re præstanda. Existimo me indispensabiliter teneri, ut &c. Nihil interim, dum ita loquimur, in mentem venit de potestate Ecclesiæ in dispensationibus concedendis. De dispensationibus enim hîc agitur, quas sibi quisque concedere potest, citra conscientiæ aut pudoris discrimen. Nec in voce *essentialium* obligationum litem Gallo cui-

quam moveas; nec enim nostris quidem auribus ea vox aliud sonat, quàm obligationes valde strictas. Ego autem hîc non essentiales dixi, sed *quodammodo* essentiales; quod multò temperatius est.

Notat 11°. quod *agens de electione, qua sanctus Vdalricus sibi sumpsit Coadjutorem, dixi, Ne minima quidem cogitatio subiit recurrendi Romam* Et infra in re consimili; *Ne cogitatur quidem de petenda Roma, nec pro renuntiatione facta ab Episcopo, nec pro resignatione in favorem; nec pro Coadjutoriatu.* L. 2. c. 39. n. 7. 9. Suspicatur autem, quod *hic loquendi modus est totus in contemptum Sedis Apostolicæ; & callidè vituperat modum, qui nunc viget. Sed esto ibi non fuisse cogitatum de recurrendo ad sanctam Sedem, an ideo alii non recurrerunt in simili casu? Fortè inveniuntur exempla contraria in eodem & præcedentibus sæculis.*

Assentior equidem tibi vehementer, & eo sæculo & prioribus in istiusmodi causis sæpè aditam imploratamque esse Apostolicæ Sedis authoritatem. Quin & exempla hujus rei, & in Prima, & in Secunda, & in Tertia hujus operis Parte accumulare studui, cùm de cessione, de translatione Episcoporum, aut de successorum atque Coadjutorum adoptatione disserui. Quod autem in hac singulari Udalrici successoris aut Coadjutoris adrogatione, excidit mihi ut dicerem, ne cogitatum quidem esse de consulenda Sede Apostolica, incogitantiâ, aut licentiâ verbi errasse me non dissimulabo; itaque voces illas stili mucrone jam confodi, jam jugulavi. At contemptu Sedis Apostolicæ peccasse me, vehementer etiam atque etiam nego, & hanc enixissimè maculam à nomine meo, à fama deprecor. Quin ex adverso id non rarò mihi contigit, ut istiusmodi suspicionum securus, gnarusque quàm procul sim à fama hominis in Sedis Apostolicæ venerationem parum propensi, fidentiùs licentiúsque verba usurparem; quibus & linguam & calamum abstinerem sanè, nisi adversus istiusmodi suspiciones jamdin satis me tutum ac munitum esse comperissem.

Quod denique suspicatur hic Monitor, *callidè à me vituperari modum qui nunc viget*: meam vicem doleo, qui hunc scopum mihi proposuerim, & id toto crassissimæ lucubrationis corpore connitar, ut mores Ecclesiæ hodiernos firmem, & conquisitis ab omni antiquitate præsidiis communiam: & nunc unius verbuli occasione, aut iniqua interpretatione, quasi disciplinæ præsentis Ecclesiæ adversarius insimuler. Iterum moneo Monitorem meum, Expunxi ego has voces, expungat & ipse ex animo suo has suspiciones, meque deinceps ut hominem Romanæ Sedis honorificentiæ addictissimum spectet, Monastici que Ordinis cultorem & veneratorem præcipuum, nec nuper, sed jam olim ex animo ita affectum.

Ut autem rursus insimulet ambigua aucupari sæpius verba, quibus Episcopis blandiar, eorum que amplitudinem ultra veri fines protrudam: non aliud in causa est, quam quod Censori meo, vel Censoris indici, vitæ, instituti, studiorumque meorum ratio incomperta atque inexplorata prorsus est. Suis ipsemet suspiciones has damnaret, si rescire posset, quam ab ambitu atque adulatione procul sim fuerimque semper. Minus abludet Censor à vero, si animi mei angustias stilique jejunitatem culpet, qui tam perspicuis uti non potuerim verbis, quibus nemo prorsus hominum obtrectare, nemo dentem infigere posset.

Notat 12°. quod loquens de translatione Frotarii Burdigalensis Episcopi ad Ecclesiam Bituricensem, hæc habeam: *Imperator fieri curavit à Papa Ioanne V I I I. quod ab Episcopis Concilii obtinere non potuerat; & ita initium dedit devolutioni, qua tandem soli Pontifici reservata fuit talium concessio dispensationum; quæ priùs apud Concilia Provincialia residebat.* L. 2. c. 11. n. 6. Contrà ille hanc stringit argumentationem: *Ergo Pontifices habent totum jus transferendi ab una Sede in aliam ex devolutione. Igitur eam non habent ex se: & sic per contrariam viam poterit illis tolli. Præterea si Concilia Provincialia hanc facultatem habebant, igitur Pontifex illam usurpavit; & sic illis fecit injuriam. Illam igitur repetere possunt.*

Responsum jam est suprà simillimæ argumentationi. Ubi jus ab inferiori ad superiorem devolvitur, verbi gratia, à Capitulo ad Episcopum, ab Episcopo ad Metropolitanum, à Metropolitano ad Primatem; non accipit ab inferiori, non usurpat in inferiorem superior, non facit injuriam inferiori superior, non repetere potest à superiore inferior. Cassa ergo revincitur ex quotidianis juris regulis & experimentis hæc argumentatio.

Ratio porro ista potiundæ potestatis alicujus jure devolutionis, oppido magnificentissima est; solenne est enim jura omnia ad superiores ab inferioribus devolvi, & omnium prorsus spiritalium potestatum jura ad summum Pontificem devolvi posse, quia summus omnium vertex est. Ne flocci ergo facias jus Devolutionis, quo splendidius aliud vix fingi potest.

Si autem hæc jura à Conciliis Provincialibus ad Romanum Pontificem devolvuntur, quia summus omnium vertex est; perperam ergo inde infertur, quod ea ex sese non habeat, quod ea usurpet, quod contrario usu possit amittere. Quæ enim illi accumulantur jura, quia spiritalium omnium potestatum summus apex ipse est, an eo ipso nomine ea obscurari & evilescere existimabis?

Quin ex adverso ita argumentare: Si cessantibus toto orbe terrarum Concibis Provincialibus,

vincialibus, in quibus residebat potestas Provincialium Ecclesiarum, tota in transferendis Episcopis ad summum Pontificem devoluta est authoritas, tanquam ad summum verticem Episcopalis Collegii: ergo hujusmodi instruxit suæ Ecclesiæ Caput, ejusmodi sibi Vicarium suffecit Christus, in quo tota semper plenitudo potestatis resideat, etsi non totam semper exerceat, etsi eam plerumque non exerceat, nisi ubi cessantibus administris immediatis, vel Metropolitanis, vel Synodis, eam ipsammet ex recepto usu & vigore disciplinæ exercere cogit primæ Sedis dignitas, devoluta potestas, Christi charitas, Ecclesiæ utilitas necessitasque. Istiusmodi autem exercitium potestatis ubi præscriptum est, nisi contraria præscriptione non tollitur. Si negligerent enim Pontifices, sinerentque eam transferendi Episcopos potestatem rursus exerceri à Conciliis Provincialibus, & hunc usum præscribi; assentirentur utique ipsi huic mutationi disciplinæ, quæ ejusmodi non potestatem, sed potestatis exercitium ad Concilia Provincialia rursus transferret. Sed apage has in futurum otiosas conjecturas. Præsenti rerum statui acquiescamus, nec posthumis æternisque minorem consiliis animum fatigemus.

Notat 13° quod ita scripserim: *Incipiebant multò sæpiùs ad S. Sedem pro dispensationibus recurrere: non quòd Pontifices semetipsos ingererent, sed quòd Imperatores, Reges & Episcopi, moti pietate & veneratione erga Christi Vicarium, seipsis non cogitando hanc in disciplina mutationem sensim sine sensu inducebant.* L. 2. c. 49. n. 2. Non dissimili argumentatione ac censura hanc lancinat propositionem atque superiorem. Quocirca nec nova responsione opus est. Quod enim ibi de transferendi Episcopos potestate, hìc de dispensandi potestate, aut potestatis potiùs exercitio dicendum est.

Notat 14°. mea hæc verba: *Episcopi remiserunt Pontifici absolutiones & dispensationes majoris ponderis, sive mallent sese primæ Sedis sapientiæ & judicio subjicere, sive vellent hujusmodi gratias difficiliores reddere, sive vellent honorare præeminentiam sedis Apostolicæ hac causarum majoris momenti ad eam voluntaria reservatione.* L. 2. c. 49. n. 9. Ex hìc existimat sub honoris specie venenum propinari.

Sentio quàm proclive & expeditum sit, non historiæ Ecclesiasticæ monumenta, non Conciliorum omnium Acta & Statuta, non sanctorum Patrum Scripta nocturnâ versare manu, versare diurnâ, non his studiis impallescere, his insenescere, hinc Disciplinæ Ecclesiasticæ lumina regulasque, hinc priscorum morum cum recentioribus concordiam exculpere: sed horum omnium securum & incuriosum, præsentem Ecclesiæ Disciplinam uno velut prospectu intueri, omnibus retro sæculis huic simillimam præsumere, suis frui præjudiciis, & ex præsumptis animo opinionibus sævissimam in omnes passim secus sentientes exercere Censuram.

At verò non quàm proclive est ita sævire calamo, tam facile est cordatis hominibus persuadere, ut innumera ex historicis, ex Patribus, ex Conciliis acervata operosissimè testimonia, exempla, statuta vilipendant. Ecclesia ipsa Christi sexcentis in rebus mores, leges usúsque pristinos novis mutavit, novos revocatis pristinis obduxit, in ipsorum etiam usu Sacramentorum, quorum sacrosancta vel maxime majestas est. Quin ergo & in sacræ potestatis atque authoritatis usu atque exercitio variatum alternatumque sit in tanto sæculorum lapsu, in tot rerum, locorum temporumque diversissimis commissuris?

Consultò dixi non in potestate, sed in potestatis usu atque exercitio variatum esse, sive in Confirmationibus, sive in Cessionibus, sive in Translationibus Episcoporum, sive in Dispensationibus, sive denique in Absolutionibus. Prior enim usus obtinuit, ut hæc partim per Romanos Pontifices, partim per Concilia Provincialia expedirentur: posterior usus hæc omnia ad solos Romanos revocavit Pontifices. In usu & exercitio variatum est, non in potestate, quæ & in Conciliis Provincialibus pro suo modo, & in Romanis Pontificibus pro eorum summo Principatu eadem semper intacta atque illibata viget: erumpit autem & exercetur non eodem semper modo, sed pro locorum temporumque & rerum opportunitate, pro Ecclesiæ sive utilitate, sive necessitate. Non ergo quæstio unquam vertitur de potestate primæ Sedis, quæ summa & sui simillima semper est; sed de variato ejus per tot ætatum, tot locorum negotiorumque varietates exercitio atque usu.

Hæc certissima norma est conciliandæ antiquæ Ecclesiarum disciplinæ cum nova. Huic summopere concordiæ studendum est, si Ecclesiæ incolumitati, si Apostolicæ Sedis amplitudini prospectum volumus. Hæreticorum est antiquitatis qualicumque peritia novos Ecclesiæ usus moresque damnare. Nonnullorum ex Catholicis imperitia magis quàm improbitas est, præ novis Ecclesiæ legibus moribusque veteres contemnere vel damnare. Germanorum Theologorum est, non antiquitatis monumenta omnia insuper habere, non clausis, ut ita dicam, oculis de ea judicium ferre, & novissimæ eam nostrorum temporum Disciplinæ usquequaque consentaneam præsumere ac jactare; sed prisca Hi-

ftoriæ Ecclesiasticæ, Conciliorum, Patrumque scripta pervolntare ac meditari omnia; quid priscis nostrisque temporibus conveniat, quid disconveniat observare; fidei per omnia tempora unitatem, Disciplinæ per varia tempora discrepantias adnotare; priscos usus priscis Synodis approbatos admirari, novos novissimis Synodis Pontificumque Decretis firmatos sequi: non ex novis calumniam priscis, sed ex priscis authoritatem novis aucupari; novissimæ disciplinæ rudimenta & primordia aliqna inter antiquissimas Synodorum Patrumque sive Pontificum sanctiones observitare; antiquissimæ disciplinæ vestigia residua in nostris etiamnum moribus rimari aliqua atque exosculari; Ecclesiæ & Sedi Apostolicæ tuitionem parare non ex nudis animi nostri præjudiciis, quæ pari licentia à nobis proferuntur, ab adversariis Catholici nominis sugillantur; sed ab omnium olim Synodorum Patrumque astipulatione, à quibus suorum temporum disciplina servabatur; nostra præseminabatur, cujusque ætatis disciplinæ atque Ecclesiæ indiscriminatim inhærendum esse declarabatur.

Sed illud cum primum enitendum est, ut momenta & commissuras rerum venemur, quibus mutatio disciplinæ facta est in majoris istiusmodi momenti rebus, quæ ad Dispensationes, ad Resignationes Translationesque Episcoporum, ad Episcopatuum creationes pertinent. Si contendas enim, non eandem tantùm potestatem summam in Romana Sede viguisse, quod & nos ultro profitemur; sed eundem potestatis etiam usum, idem exercitium semper ubique terrarum emicuisse, ridebunt hæretici, & tantò magis ab unitate Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ alienabuntur, quantò eam cernent infirmioribus muniri præsidiis, & toti pugnantibus antiquitati. Consultius ergo tutiusque est, has disciplinæ vicissitudines fateri, non in potestate, sed in potestatis exercitio & usu; vicissitudinum autem istarum & mutationum causas occasionesque scrutari & propalare, quæ Pontificum modestiam & charitatem, quæ Episcoporum cum summo Pontifice consensionem, quæ universæ Ecclesiæ Pontificum ad primæ Sedis ornandam colendamque majestatem studia spontanea redoleant; ut vel hinc hæreticis os obstruatur. Non aliam quippe illi causam extitisse interpretantur, quàm Pontificum inter se dissidia, quàm certamina de principatu, quàm aliorum impotentem dominandi libidinem, aliorum vilem & tristem servitutem. Adversus hæc errorum hominumque portenta dimicandum nobis est. Si abruptè dicas, nec probes, nihil mutatum esse in disciplina, in legibus, in moribus Ecclesiæ, certabunt illi adversum te toto Antiquitatis instrumento, & tanto magis resilient ab Apostolica Sede, quàm præsumptionibus tantùm & præjudiciis tuis à te defensitari perspicient. Quantò satius & sectariis lucrifaciendis, ac recolligendis conducibilibus, ut agnoscas salvo fidei semper unius & irreformabilis vinculo, disciplinam, mores, ususque necessitari temporum accommodari; nihil autem novatum fuisse demonstres, nisi ex Ecclesiæ utilitate, nisi ex charitatis lege, nisi cum summa Episcopalis inter se Collegii consensione; nihil novæ potestatis summo Pontifici accessisse; sed si nonnulla quæ per Metropolitanos & Concilia particularia priùs exercebantur, cœpit ipse unus ubique exercere, id totum perfectum esse non alienam usurpando potestatem, sed suam explicando; aut alienam jure ad se devolutam suæ accumnlando; non principandi latiùs libidine, sed consulendi charitate; non in inferiorum munia invadendo, sed eorum cessationem aut defectum supplendo; Episcopis nequaquam renitentibus, sed ultro concedentibus, ultro Apostolico principatui assurgentibus, nec tam sollicitis à quo, quàm quo modo, qua sapientia, qua charitate, qua sanctitate potestas omnis Ecclesiastica exerceatur.

Istiusmodi fuit animi mei consilium ac studium, hic operis scopus ac fructus; desine venenum suspicari, ubi adversùs venena antidotus paratur.

### *In IV. Partis Librum I.*

Notat 15°. has propositiones; *Episcopi motu proprio semper prævenerunt Romanos Pontifices, & spontaneo motu illis reservarunt facultates, quas ipsi semper exercuerant. Pontifices verò nihil in Diœcesibus, aut Diœcesanos suorum Confratrum egerunt, nisi quod ipsis non solùm utile, sed etiam gratum accidere crediderunt.* C. 1. n. 1.

Præter illa quæ in superiorem notam adnotata sunt, respondeo hæc ita à me temperari, non ut potestatem Romani Pontificis imminutum eam, sed nt non disparem potestati charitatem, modestiam, humilitatem exaggerem; nec ut Episcoporum elevem reverentiam in Christi Vicarium, atque obedientiam; sed nt arctissimis amoris & concordiæ nexibus Episcopos Pontifici conglutinari demonstrem; & frustra esse qui rixas de principatu somniant, qui jurgia & quæstionum molestias interserunt.

Notat 16°. quod Richerii Archiepiscopi Senonensis factum referam, nec improbem, qui Episcopum Meldensem suffraganeum suum excommunicatione innodavit, quod à Legato Pontificis consecratus se inconsultò fuisset. Item quod Bertolfum Archiepiscopum Trevirensem qui nihili faciebat appel.

lationes ad Sedem Apoſtolicam non culpaverim; quin etiam zelo Eccleſiaſticæ diſciplinæ concitatum illum fuiſſe dixerim.

Quod ad Richelium attinet, id eo auſum eſſe monui, quod Legatus facultates à Pontifice ſibi conceſſas tranſiliſſet. Quod ad Bertolfum ſpectat, factum ejus damnavi, verbis Bernardi uſus in re pari, ut *importunius factum*. Si zelum interim laudavi, in uno & eodem factu, ut aſſolet, diſcrevi, quid laudi, quid vitio dandum eſſet. Laudatur zelus diſciplinæ, vituperatur zeli immoderati æſtus.

Notat 17°. quod *loquendo de facultatibus ſummi Pontificis, iiſque ſpecialibus, hæc habeam: Quamvis dici non poſſit, omnes iſtas facultates, quæ nonniſi poſt multa ſæcula apparuerunt, eſſe propriè & immediatè à jure divino; negari nihilominus non poteſt, eas convenire optimè Primatus in jure divino immediatè fundato.* C. 1. n. 19.

Quæ in Notam 14. ſuprà diſceptata ſunt, ea perinde valent & ad iſtam Notam diſpungendam. Unum addo, hoc loco expreſsè me monuiſſe, etſi omnibus ſæculis eadem fuerit in Apoſtolica Sede plenitudo poteſtatis ſpiritalis, non tamen illius *exercitium* idem fuiſſe; facultates porro ejus aliquas, quæ *non explicuerunt ſe* niſi aliquantis pòſt ſæculis, in radice tamen Primatûs divino jure fundati, implicatas ſemper fuiſſe. Itaque de exercitio poteſtatis agitur magis, quàm de poteſtate ipſa toto hoc loco; idque ut Monitori morem geram, lubens ſupplebo in recudendo hoc tomo; & ſi abundè jam id expreſſum fuiſſe videri poſſet.

Quod vero rurſus urgeot, non de uſu poteſtatis, ſed de poteſtate ipſâ verba à me fieri, cum agam de poteſtate quam Chriſtus immediate ſedi Apoſtolicæ contulit; contulit enim certè poteſtatem; vereor, ne tricæ jam iſtæ ſint. Quî enim potui tam prolixo hoc capite de uſu poteſtatis diſſerere, ita ut ne verbulum quidem mihi de poteſtate ipſa excideret? Itaque contòltò reſponderam Monitori, de exercitio poteſtatis magis hoc loco agi, quam de poteſtate ipſa. Toto fere capite incumbo in uſus & exercitii elucidationem: tu captaſti unum de poteſtate verbum quod in me tegeretes. Atqui de particula ex toto, non de toto ex ejus particula cenſendum eſt.

Notat 18°. hæc verba, *Contentiones ſæpè inter Romanam Eccleſiam & Conſtantinopolitanam inſurgentes, non pòterant deſtruere antiquam unitatem quinque Patriarchatuum; qui erant veluti quinque Eccleſiæ capita, unum ſolum caput componentia, quia ſimul ſumpti componebant unicam Sedem Petri, à qua emanaverant.* C. 2.

Hæc monui ibidem à me dici, *verbis ipſiſſimis ſanctorum Patrum*, à me alibi hoc ipſo in opere intextis. Vide ſi vacat quæ in hanc rem congeſta ſunt à me ex Conciliis, ex Patribus, ex antiquis Scriptoribus Eccleſiaſticis, Parte 1. l. 1. c. 4. & Parte 2. l. 1. c. 3. & Parte 3. l. 1. c. 2. Ne quam autem ſuſpicari poſſis æqualitatem cæterorum Patriarcharum cum Romano Antiſtite à me conſtitui, vide tum hæc eadem loca, tum cætera omnia, ubi in quatuor hujus Operis Partibus de Patriarchis verba feci. Ubique enim illos Romanæ Sedis authoritati, principatui, judicio ſubjeci.

Qui reſponſioni huic meæ nondum acquieſcunt, ii non ſatis videntur perpendere, quinque Patriarchas à me dici, non quinque Capita, ſed *veluti* quinque Capita. Quæ ſane non rei proprietas, ſed tranſlatio, vel comparatio eſt. Improprie ergo Capita dicuntur; & ſi quod ex illis Caput conflari dicatur, improprie hoc quoque dicitur, cum proprie univerſalis Eccleſiæ Caput non ſit, niſi Petrus Petrique in prima ſede ſucceſſor. Ad Petrum vero & Paulum hæc trahi nequaquam poſſunt. Et Paulum enim Romæ Epiſcopum dixere Patres Pontificeſque Romani complures. Cautius ergo de Paulo loquendum, ne ex duobus verum & proprium Eccleſiæ Caput conflatum fuiſſe cenſeatur.

Notat 19°. mea hæc verba: *Nimium tribuitur imaginationi, dicendo cum quodam Abbate tempore Concilii Viennenſis, Papam ob juſtas & rationabiles cauſas poſſe immediatè dominari omnibus Epiſcopis unius regni, poſtquam nimirum aboleviſſet Patriarchas, Primates & Archiepiſcopos.... It ſunt ſcopuli in quos præcipitantur, qui alios ſequuntur duces, quàm Patres & Concilia.* C. 15. n. 1. Ait verò à me *proferri locum Bernardi, ex quo nihil tale probatur.*

Quin imo refellit Bernardus commenta iſtiuſmodi, cum docet verbis à me relatis, plenitudinem poteſtatis, qua pollet Sedes Apoſtolica, in eo tantùm à Pontifice exeri & explicari, quod ille *utile judicaverit*, quod *ratio dictaverit*, quod *neceſſe viſum fuerit.* Exemplis declarat Bernardus poteſtatis has ſibi ſapientiæ & juſtitiæ leges præfigentis exercitia; Epiſcopatus nóvos condere, augere, arctare, Metropolitica dignitate amplificare. Hactenus ille. Hactenus enim *ratio, utilitas, neceſſitas* Eccleſiæ ſuadere poſſunt. At Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos omnes alicujus regni extingui, ſanè ut rationi, & utilitati, & neceſſitati Eccleſiæ adverſiſſimum eſt, ita & Bernardo & nobis.

Notat 20°. mea hæc verba, vel potiùs quæ ſuis verbis ita interpretatur: *Sancta Sedes non diſtribuit diverſos dignitatum gradus, niſi ſecundùm juſtas regulas Canonum; & niſi cum ſatisfactione eorum quorum intereſt. Et poſt citatam Epiſtolam Alexandri IV. in qua hoc non continetur, addit: Succeſſores ſancti Petri ſunt diſpenſatores & non domini omnium iſtarum dignitatum novarum. Ipſis namque ſolis competit eſſe univerſales Canonum executores, & proviſores perpetuos neceſſitatum Eccleſiæ.* C. 15. n. 8. Inſurgit autem mox in hunc modum.

*Sunt quatuor partes in iſta propoſitione, quarum ſingulæ deſtruunt & deprimunt authoritatem*

*primæ Sedis. Nam ex prima sequitur Pontificem distribuendo novas dignitates non posse operari, nisi juxta præscripta Canonum. Igitur quando in hoc dispensat supra Canones, malè operatur; quod temerarium & impium dictu est.* Respondeo posse Pontificem relaxare Canones & de iis dispensare, sed ex utilitate vel necessitate Ecclesiæ, ut Canones ipsi antiqui novissimique, ut jus Decretalium, ut Concilium Tridentinum sancit. Si ita dispensat, secundùm Canones de Canonibus dispensat. Si secus dispenset, agit pro potestate, nec de prima Sede quisquam in terris judicat, sed imminet è cœlis tantò formidolosior Judex.

*Secunda pars est falsa, quot enim leguntur Episcopi lamentati fuisse contra erectionem novarum dignitatum.* Imò & antiqua & hodierna Canonum Regula jubet, nihil in istiusmodi rebus novari, nisi de consensu eorum, quorum interest. Si qui autem urgenti Ecclesiarum necessitati consensum suum accommodare nollent, est haud dubio, est in summo Pontifice potestas, qua tanto occurrat malo.

*Tertia pars est etiam injuriosa, volendo Pontifices esse tantùm Dispensatores. Addit non esse dominos harum dignitatum. Nenì possunt igitur illas creare. Neque enim dispensator, sed solus Dominus potest dignitates de novo creare, ut patet* Intercedit Petrus dominationi, *Non dominantes in Cleris.* Monet Paulus coli Pontifices, ut ministros Christi & Dispensatores mysteriorum Dei. Abhorrent Scripturæ, abhorrent Pontifices à dominandi invidiosa voce, multò magis ab ipsa re. Sive Dignitatum creatio, sive quæcumque demum alia administratio Ecclesiastica, non ad ostentationem potestatis, non ad imperiosæ voluntatis declarationem fit, ea enim sanè dominatio foret, sed secundùm Canones, ex utilitate vel necessitate Ecclesiæ, ex charitatis consilio, quæ pietatis & sanctitatis explicatio, quæ dispensatio est.

*Quarta pars est etiam injuriosa; faciendo Pontifices meros esse executores Canonum, & Provisores Ecclesiæ. Hoc est illis sub verbis magnificis illudere.* Cavesis, ne secus vel sentire vel loqui, fœdissima sit adulatio. Catholicis enim & piis auribus, sanis & sobriis Theologis pulchrius, optatius, magnificentius est, & magis imperatorium, executorem esse legum & Canonum, quàm pro arbitrio dominari; provisorem esse publicæ rei ad consulendum, quàm solutum legibus, & salutis publicæ incuriosum, suæ unius gloriæ cupidum regnare.

Quod denique dicitur non contineri Epistola Alexandri IV. quod ea contineri insinuavi, frustra epistolæ Pontificiæ vis & sensus declinatur. Cum enim ait Pontifex, hac dignitatum creatione omnes *assequi, quod ratio personæ, temporis, loci, vel causæ postulat:* interpretatus non immeritò sum, *rationem personæ* tunc haberi, cum, ut ex alia authoritate ibidem à me allegata liquet, res perficitur *de consensu omnium quorum interest.* Si enim temporibus, locis, causis servit creator novarum dignitatum; eccur non etiam personis, seu personarum juribus se accommodet?

Notat 21°. hæc verba, *Sub Pontificatu Ioannis VIII. hoc est sub medium noni sæculi interposita primùm fuit authoritas sanctæ Sedis ad creandam novam Metropolim.* C. 15. n. 15.

Novas Metropoles à sancta Romana Sede complures erectas fuisse & docui & exemplis comprobavi hujus Operis Parte 1. l. 1. c. 11. n. 2. & Part. 2. l. 1. c. 9. n. 11. 12. 13. 14. & Part. 3. l. 1. c. 6. n. 7. 8. 9. De Hispanicis Metropolibus à Pontifice creatis, nihildum dixeram; hîc cæpi dicere, quia hîc cæpere Historici creationis hujus meminisse. De solis ergo Metropolibus Hispaniæ sermo hic erat.

Notat 22. hæc verba: *Concilia Provincialia condunt regulas æternas pro universo Ecclesiæ regimine.* C. 19. n. 13.

Dixi pro universo, nimirum in provinciis suis, non pro universæ Ecclesiæ regimine. Etsi pro universæ quoque Ecclesiæ regimine adhibentur Canones Conciliorum Provincialium, si in eum usum à Pontifice confirmati fuerint, vel à cæteris Ecclesiis usu recepti firmatique, ut plerisque antiquorum Conciliorum statutis contigit. Æternas dixi has regulas, quia vel ad observantiam, vel ad reverentiam æternæ sunt; admirationi & honori sunt, etiam tum cum in desuetudinem abierunt; renasci & revocari possunt, quæ exoleverunt. Vivunt ergo æternitate quadam sua, vel in usu hominum, vel in memoria, in reverentia, in monumentis Ecclesiarum. Æternæ etiam usu tritissimo dicebantur leges Imperatorum. Quantum autem concedat authoritas Conciliorum Provincialium authoritati vel Romanorum Pontificum, vel Conciliorum Generalium, res ipsa dilucidior est, & à me sæpiùs toto hoc opere inculcata. Ne qua resideat ambiguitas, textui ipsi inserentur istæ interpretationes, cum iteratis typis opus mandabitur.

Notat 23°. hunc locum: *Quisquis ille sit, apud quem residet præcipua authoritas clavium & jurisdictionis Ecclesiasticæ, cùm semper resideat apud successores Apostolorum, præcipuum est, ut administretur secundùm regulas justitiæ & veritatis.* C. 19. n. 17.

Non negatur his verbis, imò hac ipsa sectione cum hodiernæ Ecclesiæ inserviendum esse monui, perspicuè astruitur, præcipuam hanc authoritatem penes Apostolicam Se-

dem residere, etiam quoad exercitium. De exercitio enim potestatis, magis quàm de potestate ipsa verba à me fieri, jam à me sæpiùs inculcatum est. Adde quod præcipua illa authoritas etiam penes Concilia Generalia residet. Denique cùm de exercitio potestatis, non de potestate ipsa hîc disseram; nemo inficias ire potest, quin per Episcopos & Concilia Provincialia & Metropolitanos complura olim exercerentur, quæ nunc per Romanum dumtaxat Pontificem administrantur. Meum ergo hoc fuit consilium, hic scopus, ut querelas rixasque sedarem, nec jam certarent alii pro antiqua, ubi Metropolitani & Concilia Provincialia tam multa administrabant, quæ ad Sedem Apostolicam devoluta nunc sunt: alii pro nova disciplina, ubi Pontifices vicem supplent Conciliorum Provincialiom & Metropolitanorum in rebus bene multis; sed his jurgiis superfedentes, Ecclesiasticæ suorum temporum ex animo suffragarentur ac servirent politiæ, qualiscumque demum ea foret quoad personas immediatè potestatem spiritalem exercentes; eò autem vota sua, eò consilia, eò operam suam conferrent, ut hæc potestatis explicatio ad regulas justitiæ & sanctitatis elimatissimas tota temperaretur. Denique si *præcipuam* authoritatem secernas à *summa*; ut hæc penes Pontificem & Concilia Oecumenica, ita illa penes Metropolitanos & Concilia Provincialia erit; & præcipua appellabitur comparatione inferiorum graduum complurium potestatis. Hæc porro præcipua Conciliorum Provincialium & Metropolitanorum potestas, persæpè ad Romanum Pontificem devolvitur. Et eo casu dixi, non tam satagendum esse, à quo demum cumque hæc potestas exerceatur, quàm quibus veritatis & sanctimoniæ regulis exerceatur.

Quod rursus monent, præcipuam authoritatem residere penes summum Pontificem; & ubi ea Conciliis etiam Oecumenicis vendicatur, iis tum includi Pontificem, veluti Caput à membrorum suorum collectione indivulsum, assentior equidem vehementissime, & eam me sententiam constantissime semper professum esse præ me fero. Sed isto qui nunc vexatur loco, palam est de exercitio potestatis, non de potestate sermonem haberi. Non ab iisdem autem omnibus semper exercetur potestas, penes quos est. Unum mihi cordi fuit, ut penes quos demum cumque esset vel potestas, vel potestatis potius exercitium, ea nonnisi ex sanctissimis veritatis & charitatis legibus exerceretur.

Notat 24°. quod loquens de erectione novarum Sedium in Anglia, hæc habeam, *Pontifex ex eo tantùm creavit novos illos Episcopatus, quia Metropolitani, Concilia Provincialia & Reges munus proprium providendi necessitatibus Ecclesiæ negligebant; Rex & Concilium seipsis has Sedes erexerunt. 2°. Confirmationem à Pontifice petierunt; ut iis immutabilitas accederet. Et hæ sunt viæ, quibus creatio Episcoporum in manus Pontificum cadere incipiebat.* Cap. 20. n. 1.

Quam meam sententiam his ille telis configit. *Sunt in ista propositione tres partes I. est temeraria, quia ex ea sequitur Pontificem sine consensu illorum non potuisse novas sedes erigere. Ad quid ergo habet plenitudinem Potestatis?* Plenitudini potestatis lubens subscribo. De usu potestatis agitur, qua nunquam utuntur Pontifices in destructionem, sed in ædificationem; adeoque nec sine consensu Principum & Episcoporum res istiusmodi adgrediuntur. Etenim plenitudini Potestatis comes est plenitudo justitiæ, charitatis & pacis.

*II. Est injuriosa sanctæ Sedi; ab ea enim vult tantum peti confirmationem tanquam aliquid extrinsecum; quasi hoc fieri potuerit inconsulta Sede Apostolica.* Non potest confirmationis Apostolicæ magis commendari vis, authoritas, necessitas, quam si ex eo una accedere dicatur statutorum inconcussa stabilitas & immutabilitas.

*III. Pars est erronea, quia erectio Episcopatuum fuit semper propria sedis Apostolicæ. Dicere porro hanc illi facultatem evenisse ex recursu, est illam subjicere, & eam suis ornamentis spoliare, & hoc schismaticum est.* Tribus prioribus partibus hujus operis, ubi de Episcopatuum erectione disputatum est, illud ante cætera demonstratum est: Primos Episcopatus à Petro & ab Apostolis constitutos fuisse, tum per singulas ætates à Petri successoribus alios subinde aliosque creatos fuisse. Illud dissimulare non potuimus, ne contra totam Conciliorum, Patrum & Historicorum antiquitatem frustra niteremur, multos etiam Episcopatus à Metropolitanis, ab Exarchis, à Patriarchis, Synodisque particularibus creatos esse, donec ad solam primam sedem medii & extremi ævi disciplina Episcopatuum erectionem ubique terrarum revocaret.

Quod autem rursum instat priorum Animadversionum quasi nondum satis dilutarum vindex, urgetque, non referri, sed expendi etiam à me debuisse historicos, narratasque ab historicis Novorum Episcopatuum erectiones inconsulta Romana sede factas, jure an perperam factæ sint: Respondeo historici me partes maxime sustinere; nec tam mea me toto in hoc opere, quam aliorum placita explanare. Porro cum non Historicos tantum proferam, sed Patres, & Episcopales Synodos, à quibus & in quibus Novæ istæ Sedes Episcopales, vel Metropoliticæ institutæ sunt: tanto religiosius cavendum mihi fuit, ne rerum ab illis narratarum fidem meis additamentis adulterarem. Non veto equidem, quin tu Romanorum Pontificum tacito consensu & tolerantia hæc facta esse interpreteris; ego pro mei instituti ratione non potui istiusmodi aliquid interserere, nisi vel historici, vel Patris coævi, vel Concilii alicujus authoritate ac testimonio interpretationem hanc meam firmarem.

Notat 25°. hæc verba mea. *Omnes istæ dispensationes inconsideratius datæ, effecerunt tandem, ut hanc potestatem Episcopi amitterent; & omnes dispensationes ætatis tum ad ordines, tum ad beneficia soli Pontifici fuerint reservatæ.* Cap. 46. n. 4. Contra sic ille Philosophatur, *optime dicit Author privatos fuisse Episcopos facultate dispensandi ob malum illius usum. Sed dicere debuerat, à quo & per quem privati sunt. Hoc autem de industria reticuit, ne cogeretur dicere privationem illam venisse à Pontificibus, qui talem facultatem, quam prius forte toleraverant, revocarunt. Similiter dicere debuerat, à quo & per quem talis reservatio devenit ad Pontifices. Sed etiam libenter reticuit, ne teneretur dicere, Pontifices à semetipsis hoc sibi reservasse. Illud autem non intendit, cum sæpius jam viderimus hoc ab illo tribui devolutioni Canonicæ. Est igitur suspecta propositio.*

Itane vero tu soli Romanorum Pontificum tolerantiæ adscribis, quod omnibus retro ætatibus toto orbe terrarum Episcopi complures dispensationes concederent? Atqui contra stat Historiæ Conciliorumque fides. Episcopi Apostolorum successores cum sint, quin in partem etiam aliquam venerint Apostolicæ dispensandi potestatis, cujus plenitudinem obtinet Apostolicæ Sedis Præsul? Episcopi in particularibus Conciliis Canones condiderunt. Quin ergo & Canones quos condiderant, ex usu & necessitate Ecclesiæ relaxare potuerint? De solis Conciliorum Oecumenicorum Canonibus statum illud fixumque est, à solo Romano Pontifice eos relaxari. Ne hanc prærogativam Canonum istiusmodi ad omnes effundas omnino Canones. Ne Synodorum generalium & particularium jura ac privilegia perturbes ac confundas. Non vides quàm consentaneum sit, ut sicut de Synodorum Generalium Canonibus dispensat earum Præses legitimus Romanus Pontifex: ita Synodorum particularium statuta relaxet, vel Metropolitanus; vel Synodus ipsa singulis annis, vel bienniis recurrens; vel Episcopi provinciæ, si hanc eis potestatem indulserit Synodus, prout exemplis firmari posset? Pleraque certè eorum quæ Synodorum Provincialium Decretis statuta fuerant, adeoque ab Episcopis dispensari potuerant, cæterarum postea Ecclesiarum usu moribusque recepta sunt. Synodus Chalcedonensis Canone secundo *regulas Patrum*, id est multarum Synodorum particularium antè habitarum Canones recepit, firmavitque. Universim dici potest, longè plurima Ecclesiasticæ disciplinæ capita à particularium Conciliorum, quæ quotannis per complures provincias celebrabantur, decretis initium sumpsisse, pauciora à generalium Synodorum statutis, quod hæ rariùs haberentur, & pauciores ederent Canones. Vides quàm proclivè hinc fieret, ut Canonum veniam facerent Episcopi, quorum conditores erant, & non solus ea potestate uteretur Romanus Præsul? Et oro te qui potuerit Pontifex Romæ sedens, Ecclesiis quondam in extremas Asiæ atque Europæ oras semotis singulas & minutissimas quasque librare ac largiri dispensationes?

Quod consequenter autem ais à Pontifice privatos esse Episcopos ea potestate dispensandi, quam hactenus toleraverat, quamque rursum sibi reservavit: non ratio, non authoritas, non probatio ulla tibi suffragatur. Ornat potiùs Pontifex Episcopos, & beneficiis cumulat, quàm spoliat & dehonestat. Culpâ suâ spoliatos censes Episcopos? Hæc ipsa culpa devolutioni canonicæ januam pandit. Quorsum verbis contendere, ubi de re convenit? Devolutionis jus Canonibus & juri in Ecclesiis recepto consentaneum est; spoliatio & privatio à te jactata nusquam in Ecclesiasticis monumentis existit. Magnificum id videtur tibi & ad primæ Sedis gloriam præclarum, si Episcopos privet spolietque pro imperio & potestate qua pollet? At nobis longè magnificentius & ad Pontificiæ sanctimoniæ gloriam luculentius, si Pontifex sua dilargiri, quàm aliorum occupare munia amet: si ditare Episcopos & augere, quàm imminuere & obterere malit. Allatrant nuperi Sectarii Apostolicam Sedem, & illam Episcoporum spoliis & ruina auctam ditatamque calumniantur. Vide ne inopinus tam iniquis præposterisque calumniis vim adjicias, aut saltem latus nudes. Nos ex adverso stamus, & prolatis in medium omnium ætatum documentis ostendimus, si quam de novo potestatem exercere cæperint Romani Pontifices, quam priùs vel Episcopi, vel Metropolitani, vel Concilia Provincialia exercerent: verissimam hujus in disciplina mutationis causam refundendam esse, vel in jus Canonicæ devolutionis ad Ecclesiarum incolumitatem pernecessariæ: vel in Episcoporum ultro Principatui Apostolico & Primatui divinitus instituto assurgentium decreta; vel in Ecclesiæ evidentem utilitatem urgentemque necessitatem, ultro annuentibus profitentibusque Episcopis vigorem Canonum non tam facilè relaxatum iri, si solus dispenset Pontifex, non de solis Conciliorum Generalium statutis, sed de iis etiam quorum antea ipsi veniam faciebant. Ita & fidei historiæ consulitur, & occurritur adversariis Ecclesiæ. Tibi autem cavendum est, ne cum Catholicis, id est cum tuis confligere malis, quàm cum adversariis.

Notat 26°. hæc verba. *Cùm Reges & Episcopi tam sæpè procurarent intervenire authorita-*

*tem Pontificis pro confirmatione Exemptionum, quas Monasteriis concedebant; credibile est Pontifices tandem ex seipsis incepisse hujusmodi exemptiones concedere, quamvis sub initio non fecerint istud sine consensu Episcoporum Diœcesanorum.* C. 54. n. 1. Pergit autem sic ratiocinari: *Ex hoc manifestè sequitur, vel Pontifices hanc usurpasse potestatem, quod est impium: vel eam tacito saltem consensu ab Regibus & Episcopis accepisse, quod est erroneum. Fateor quidem Pontifices non semper concessisse Exemptiones; sed hinc non sequitur eos non habuisse facultatem illas concedendi. Ad quid enim, quæso, ad eos recurrissent Reges & Episcopi? nisi certum iis fuisset, hujusmodi facultatem in eo residere.*

Extremam istam partem tuæ Animadversionis vehementer amplector, sed non satis video quî cum prima cohæreat. Largiendarum exemptionum potestas penes Apostolicam sedem semper fuit, & si ab ea non semper explicata fuerit. Explicandi autem illam ex precibus Regum & Episcoporum occasionem sumpsere Pontifices. Longe aliud autem est potestatem ab aliquo accipere, atque explicandæ pristinæ potestatis occasionem ab eo arripere. Si de Translationibus & Resignationibus Episcoporum, si de Episcopatuum & Metropoleon erectionibus, si de Dispensationibus aliisque ejusmodi in hunc eundem modum philosophatus esses, atque hoc loco de Exemptionibus, nostræ prorsus sententiæ accessisses, aut tuæ nos habuisses consentaneos. Nec enim Pontificum potestatem in dubium unquam vocavimus. Sed ejus in quaque re explicandæ exercendæque occasiones, causas, initia, rimati sumus; sicut tu hic confiteris. *Pontifices non semper concessisse exemptiones.* Vide quam facile potuerimus in gratiam redire.

Notat 27°. hæc verba. *Hæ sunt conditiones Privilegii Canonici, Monasteriis concessi, nimirum quod sit utile, quod sit necessarium pro disciplina regulari Monasterii, quod sit datum de consensu Episcopi. Et author citat Epistolam Gregorii VII. in quo tria allata reperiuntur.* Cap. 54. n. 4. In quæ sic ille commentatur. *Fateor Pontifices in concedendis exemptionibus attendisse ad utilitatem Monasterii & necessitatem Regularis Disciplinæ. Fateor etiam Pontifices circa hoc egisse cum consensu Episcopi. Sed nego semper id necessario factum fuisse. Nam apud ipsum authorem Gregorius VII. minatur Archiepiscopo Taurinensi daturum se exemptionem, cuidam Monasterio, si illud vexare pergeret.*

Tuæ huic sententiæ lubens assentior, nec tu dissentis à mea, cum consensum Episcopi eo tantum prætermitti posse & à Pontifice insuper haberi doces, cum Episcopus Monasterium divexat, suoque in illud jure seipsum fraudat. Quando autem ita pergis. *Voluerunt ergo Pontifices habere sæpius consensum Episcopi ob bonum pacis. Sed nego hoc fuisse unquam necessarium, ob plenitudinem potestatis quam habet in omnem Ecclesiam:* non video quî tibi consentias. Nec enim Gregorius VII. utebatur plenitudine potestatis, sed plenitudine justitiæ; quando Episcopi Monasterium devastantis consensum non necessario expectandum sibi existimabat; ut illud ejus potestati, vel potius infestationi subduceret. Negas necessarium fuisse consensum Episcopi, etsi requisitus sit ob bonum pacis. Et quid tam necessarium, quam bonum pacis inter Pontificem & Episcopos? Plenitudini Pontificiæ spiritalis Potestatis ex animo assentimur, sed usum hujus potestatis & exercitium semper bono pacis, charitati, utilitati, necessitati Ecclesiæ, justitiæ, & sanctitati serviisse, id vero est quod hoc opere toto per omnium retro sæculorum volumina demonstrare aggressi sumus. Quod denique ita pergis: *Sed dolus hic latet maximus, Nam si de ratione Canonici privilegii circa exemptiones est necessarius consensus Episcopi, manifestè sequitur privilegia omnia à multis sæculis concessa, & quæ etiamnum hodie conceduntur sine consensu Episcoporum, non esse Canonica & hoc est erroneum, temerarium, & dolosum.* Has tuas consequentias tu tibi imputa. Confessus enim es consensum Episcopi in Gregorii VII. Epistola contineri, Canonicum Privilegium describente. In hunc ergo Pontificem tuarum argumentationum spicula contorque, vel retorque in teipsum. Ego quid gesserint, quid scripserint, quid contulerint Pontifices expendi, facta, non jura enucleavi. Nec unquam à me dictum est, irrita esse privilegia, quæ sine consensu Episcopi data sunt. In id unum operam industriamque meam contuli, ut demonstrarem, quam solliciti fuerint Romani Præsules, ut ne ullas nisi consentientibus Episcopis concederent exemptiones. Quod ea mente à me factum est, ut firmiora & Episcopis gratiora essent privilegia; quæ raro, aut nunquam sine Episcoporum consensu indulta essent.

Notat 28°. hæc verba. *Dici potest sine erroris periculo, maxime post S. Anselmum tunc Abbatem, votum obedientiæ submittere Religiosos omnes, non solum Abbatibus, sed etiam Episcopis & omnibus superioribus Ecclesiasticis.* c. 55. n. 8.

Hanc propositionem non damnas, nisi *universaliter* sumptam. Atqui nec ego universaliter protuli. Exemptionibus & Privilegiis Regularium per multa capita subscripsi. Non ergo potuit à me propositio ista *universaliter* defendi. Prolixe expendi, quas Concilium Tridentinum Exemptiones Regularium revocaverit, quas ratas & inconcussas stare

jusserit. Non ergo universaliter hanc propositionem expromere potui.

Notat 29°. quod. *Eodem capite 55. à numero 11. ad finem hortor Regulares, ut se submittant Episcopis, & ferre non possim, quod sua contra illos privilegia tueantur.* Et statim subdit, *Cum rationes quibus utitur author sint debiles, ostendit tantum se esse amaro animo in Religiosum ordinem, & velle se illis creare invidiam supra exemptiones. Nec est quod nolit, ut sua defendant privilegia; quia Religiosi tenentur jura Apostolicæ sedis tueri; & si contrarium facerent, incurrerent indignationem sedis Apostolicæ.*

Egone amaro in Monachos animo, qui toto hoc Opere in Ordinis Monastici dignitate sanctimoniaque, & cum Clericali Ordine confœderatione prædicanda tuendaque tam prolixus fui? Egoe amaro in Monachos animo, qui omnium Ordinum Regulares enixissimè obtestatus sum, ut monerent, si quid esset in hac lucubratione mea tota, quod eorum animos, quod jura offenderet: commonitus, ad eorum nutum jam emendavi nonnulla in primi Tomi editione secunda, emendaturus aliquantò plura in secundi Tomi editione altera? Si amaro ego dicor animo in Regulares, qui etsi nihil veto, quin sua tueantur privilegia, suadeo tamen ingredi in vestigia, & prælucentia sectari exempla Francisci Assisinatis, Bonaventuræ, Xaverii, qui invitis Episcopis suos vetuere uti privilegiis concessis; an hos etiam Religiosi Ordinis principes viros amaro dices in Regulares fuisse animo? Qua tandem ratione perficies, ut mea sive consilia, sive hortamenta, amari sint in Regulares animi argumenta, potiusquam borum Religiosi Ordinis luminum exempla & præcepta? An invidiam illi Ordini suo creare studebant? An illi non utendo privilegiis Apostolicis Apostolicæ Sedis majestati derogari à se existimabant? An concessis non uteudo privilegiis indignationem Sedis Apostolicæ incurrebant, quæ eos postea in album Sanctorum adscripsit, & omnibus pòst sæculis colendos imitandosque præstituit? Quid horum trium vitæ Scriptores, & hujus vel exempli admiratores, vel præcepti, an & hi amaro in Monachos fuere animo, vel in Romanæ Sedis amplitudinem infesto?

Quod aotem postremo loco admonet me Prioris Censuræ vindex, non potuisse me hortari Regulares, ut sponte sua Episcopis sese subjiciant, nisi ipsam universim improbarem privilegiorum concessionem, à Romanis Pontificibus factam: non video unde hæc illi tam obliqua de me, tam ab animi mei senso aliena suspicio obrepserit. Quater de Privilegiis Regularium toto in hoc opere disputavi, toties illa ab Episcopis, à Regibus, à Synodis, à Romanis Pontificibus concessa laudavi; ex utilitate, quandoque etiam ex necessitate Ecclesiasticæ disciplinæ concessa fuisse demonstravi. Ex his animi mei sententia elicienda erat, non ex suspicionibus & conjecturis mere arbitrariis. Ratum illud mihi & inconcussum tota in hac mea lucubratione fuit, ut ad Sedis Romanæ & Ecclesiæ universalis placita, & receptissimas quolibet ævo ejus consuetudines animum meum calamumque inflecterem, illi servirem, cum illa quidlibet probarem, vel improbarem. Cum ergo Universalis Ecclesia legitimis suis Privilegiis Regolares uti velit, si velint; cum eorum nonnulla Synodos Tridentina revocarit, alia firmarit; non potui non & ipse huic sempiternæ Veritatis, divinæqoe voluntatis interpreti medullitus & ex animo assentiri.

Cum autem Prioris Censuræ Vindex, hæc tantum animadverterit in meis omnibus ad Censoris Notas Responsionibus, quæ ulteriore aliqua indigerent elucidatione: & Reliquas Censoris *Notas atque Objectiones bene & sufficienter me diluisse ac solvisse*, confiteatur: est omnino quod ejus amplitudini, eruditionique præcellentissimæ, atqoe humanitati singulari gratias habeam impensissimas.

Notat 30°. hæc verba: *Videntes Episcopi se non posse reprimere insolentiam eorum qui Clericos persequebantur, decreverunt illos non absolvere, eosque omnes ad Pontificem remittere.* C. 72. n. 2.

Frustra es, qui adversus ipsissima Conciliorum verba & contra Historicorum apertissima testimonia in re facti argumentaris, & quintaris hinc consequi, quod hæc ergo absolvendi potestas manarit ab Episcopis ad Pontificem, ab iisque repeti possit. Tuarum potiùs istiusmodi argumentationum infirmitatem suspicari debueras, ex tam densis & tam perspicuis Conciliorum & Historicorum in re facti documentis. Jam porro ad nauseam usque inculcavi, non de potestate, quæ summa in summo Pontifice semper est, eademque semper; sed de exercitio potestatis quæstionem hîc verti, in quo per sæculorum lapsus multa disciplinæ varietas observatur. Negavi etiam revocari pro arbitrio posse usum exercitiumque potestatis, postquam consuetudo legitima & antiqua, præscriptioque accessit.

Notat 31°. hæc verba mea: *Certum est igitur Episcopos sponte & motu proprio misisse Pœnitentes Romam, ut ibi à Pontifice reciperent confirmationem, augmentum & levamen pœnitentiæ ab ipsis impositæ.* Cap. 70. n. 8.

Par tua & hîc argumentatio: *Ergo non potuisse Pontificem Pœnitentes cogere, ut Romam venirent, & certos sibi casus reservare, nisi Episcopi Pœnitentes Romam misissent.* Eadem quoque mea responsio, non abstractas de potestate quæstiones à me agitari, sed de usu & exercitio potestatis; utque res anteactis sæculis actu gestæ sint, à me inquiri. Ego narro facta, non jura definio. Si quid præter historicam fidem retuli, tuum erat monere.

Notat 32°. mea hæc verba. *Impossibile erat, quod Episcopi toties ad Pontifices pœnitentes remitterent, quin tandem fieret consuetudo mittendi Romam*

*Romam pœnitentes maximorum criminum reos ; & quin ejuſmodi conſuetudo tranſiret in legem.* 2°. *Vidimus Concilia quæ certos caſus enormes Pontifici reſervarunt. Et hæc ſunt duo fundamenta iſtarum reſervationum caſuum ad Pontificem.* 3°. *His enim ſublatis Epiſcopi habent jus univerſale abſolvendi ab omni genere criminum.* 4°. *Fieri quidem poſſet aliquos ex his caſibus reſervatis Pontifici in Extravaganti Pauli 2. ab ipſiſmet Pontificibus fuiſſe reſervatos.* 5°. *Denique circa ſpecies particulares caſuum in dicta Extravaganti contentas, dici poteſt ex ſolo Epiſcoporum conſenſu hanc ad Pontificem reſervationem caſuum firmatam & ſolidè ſtabilitam fuiſſe.*

Adverſus iſta doctus & pius Monitor 1°. cenſet jus conſuetudine quæſitum, inſtabile eſſe, & contraria conſuetudine revocari poſſe. Reſpondeo firmiſſima eſſe ea jura, quæ conſuetudine etiam convaleſcunt. Quanta enim alioqui jura deſuetudine aboleſcunt? Res autem facti ſolas expendere profeſſus, ubi conſuetudinis primordia nudavi, non negavi ſi qua alia eſſent ejuſdem juris fundamenta. 2°. Exiſtimat obſtrepere nos Concilio Tridentino, Seſſ. 14. c. 7. ſtatuenti potuiſſe Pontifices *pro ſuprema poteſtate* aliquos ſuo judicio graviores caſus reſervare. Reſpondeo me hoc ipſo loco aſſenſum eſſe huic ſupremæ poteſtati, & eam in rem protuliſſe Extravgantem Pauli 2. Parebo tamen docto & benevolo Monitori, & cum primùm iteratis typis committetur hic Tomus, inſuam locum Concilii Tridentini, quem laudaſſe & citaſſe contentus, verba ipſa non adſcripſi. 3°. Intercedit juri Epiſcoporum univerſali abſolvendi ab omnibus criminibus, quæ Pontifici non ſunt reſervata. Reſpondeo huic Epiſcoporum juri ſuffragari Canoniſtas, atque in primis Proſperum Fagnanum eo loco à me laudatum. 4°. Inſimulat me, quod non ſatis apertè dixerim in Extravaganti Pauli 2. caſus aliquos recenſeri, quos Pontifices ipſi ſuo ſibi nutu reſervarint. Reſpondeo ſatis aperta & perſpicua mihi quidem viſa tunc fuiſſe verba loci illius. Sed quia moleſtiam faceſſere potuerunt, dabo operam, ut cum primum recudetur hic Tomus, lux amplior affundatur. 5°. Indignatur quod dixerim conſenſu Epiſcoporum firmari reſervationes caſuum Papalium. Reſpondeo quantumvis firma & inconvulſa ſtent aliqua jura, jura tamen juribus accumulari & magis magiſque firmari. Cùm ergo duo genera caſuum diſtinxerim, quorum alios Pontifices ipſi ſibi reſervarunt pro ſumma poteſtate, alios Epiſcopi ipſi Pontificibus ultro reſervarunt; non abſurdè dicitur illis etiam prioribus reſervationibus Apoſtolica authoritate jam ſuffultis, accedere aliquid firmamenti, à conſenſu Epiſcoporum, hoc eſt à conſuetudine, qua fit, ut vigeant jura, quæ deſuetudine quandoque marceſcunt.

Notat 33°. quod dixerim. *Bona fide fatendum eſſe per multa ſæcula Epiſcopos ſingulos in ſua Diœceſi gaviſos fuiſſe poteſtate omnino integra abſolvendi, abſque eo quod ulla criminis ſpecies Tribunali ſuperiori pœnitentiæ eſſet reſervata..... Epiſcopi autem, poſt multa ſæcula ex ſe ipſis & motu proprio judicarunt neceſſe eſſe remittere judicio primæ Sedis pœnitentiam & abſolutionem enormium quorumdam criminum, ſive ut reprimerent inſolentiam delinquentium, ſive ut honorarent Privilegium Petri.* Cap. 71. n. 1.

In quæ verba mea, ille hæc animadvertit. *Si per multa illa ſæcula intelligit illa tempora perſecutionum, poterit concedi propoſitio ; quia tunc erat moraliter impoſſibile recurrere ad Pontifices. Si vero intelligit de ſæculis in quibus per multa Concilia cœpit ordinari Eccleſiaſtica diſciplina, propoſitio eſt impoſſibilis.*

Gaudeo & adgratulor tibi mihique, pie & eruditiſſime Monitor quod in gratiam tandem mecum, & in unius ſententiæ conſenſionem redire in animum induxeris. Cæterum quod de Caſuum pœnitentialium reſervationibus, idem tibi de Epiſcopatuum & Metropoleon erectionibus toto orbe, de Epiſcoporum ceſſionibus & tranſlationibus, de Diſpenſationum conceſſionibus, confitendum eſt, per tempora & ſæcula perſecutionum concedi poſſe, quæ à me conſtituta ſunt, *quia tunc erat moraliter impoſſibile recurrere ad Pontifices.* Tunc ergo actitabantur hæc omnia per Metropolitanos, per Epiſcopos, per Concilia Provincialia. Quod autem ſubjicis hæc ad Romanos Pontifices tranſlata eſſe, poſterioribus *ſæculis illis in quibus per multa Concilia cœpit ordinari Eccleſiaſtica diſciplina :* id vero ego vehementer etiam atque etiam amplector ; id approbare, id enucleare toto hoc opere molitus ſum. Deſignavi tempora, Conciliaque, quibus libratæ, quibus tentatæ, quibus ad exitum perductæ ſunt iſtæ in Diſciplina mutationes. Si qua Concilia his invigilarunt, iis anteriora, quæ à me ſunt allegata, tuæ partes erant ut me commonefaceres, ego lubentiſſime acquieviſſem. Mihi enim nihil antiquius, nihil cordi magis fuit, quam ut non poteſtati, ſed poteſtatis Pontificiæ exercitio cuicumque antiquitatem conciliarem. Cæterum nemo cordatus facile ſibi perſuaſerit, uno ictu, aut brevi ſpatio temporis ubique terrarum mutari potuiſſe capita complura ejus Diſciplinæ, quam tribus prioribus perſecutionum ſæculis obtinuiſſe nec ipſe diſſimulas. Trium ſæculorum conſuetudines & mores, & eorum maxime ſæculorum, quæ Apoſtolicæ ſanctitatis gloria & prærogativa floruerant, contrariis moribus & conſuetudinibus ut

abolescerent, magno temporis intervallo, plurium sæculorum interstitio opus fuit. Non litigabo tamen, & cum primum Concilia protuleris illis antiquiora quæ laudavi, illico subscribam & supinitatem meam incusabo. Unum superest quod te admoneam, non posse te jam inficiari quin hujus potestatis exercitium transierit ab Episcopis Episcopalibusque Conventibus, qui eo fungebantur per tria persecutionis saltem sæcula, ad summum Pontificem. Esto ex te maturiùs, authore me seriùs transierit, transiit tamen; & maturiùs transisse lubentissimè confitebor, cum primùm documento aliquo probaveris. Quò ergo jam tuæ illæ argumentationes & consequentiæ, quas in me vibrabas, Ergo potestatem ab Episcopis & Episcopalibus Synodis accepisse Romanos Pontifices, usurpasse, sola consuetudine retinere, quæ diversa consuetudine possit rursus oblitterari? His laqueis non potes te expedire ipsum, quin & me expedias. In mentem nihil mihi venit expeditiùs, quàm ut dicerem potestatem Pontificiam utpote à Christo institutam, & à Petro transmissam, eandem semper suique similem & summam fuisse in spiritualibus; at potestatis usum & exercitium Ecclesiarum utilitatibus & temporum necessitatibus accommodatum fuisse, aliûsque & aliis vel regionibus vel sæculis alio & alio modo habere se potuisse; ideoque aliqua ex parte ab Episcopis nonnunquam ad Synodos, ab Episcopis & Synodis particularibus ad Romanos Pontifices transisse; constantissimam autem hanc semper & immutabilem disciplinæ legem viguisse, ut omnes universali Ecclesiæ sui ævi disciplinæ ex animo servirent, & divinæ Providentiæ has vices dispensanti, ex iisque Ecclesiæ suæ pulchritudinem concinnanti obsequerentur. Tu si quid melius nosti, benignus imperti; aut mecum his utere, donec splendidior è cœlo allucescat veritas, qua fruamur.

---

## *APPROBATIO DOCTORUM.*

NOS infrascripti Sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis Doctores, Testatum facimus, legisse nos Librum Gallice scriptum, cui Titulus est, *Ancienne & Nouvelle Discipline de l'Eglise touchant les Benefices & les Beneficiers*, ubi nihil occurrit nobis contrarium Fidei Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ, uti nec bonis moribus. Datum Parisiis Novembris die decima, anno 1676.

M. GRANDIN. PIROT. G. BOUST.
LAMBERT. LE FRANC DE LA GRANGE.

---

## *PERMISSIO R. P. PRÆPOSITI GENERALIS Congregationis Oratorii.*

NOS ABEL-LUDOVICUS DE SAINTE MARTHE, Congregationis Oratorii JESU CHRISTI Domini nostri, Presbyter & Generalis Præpositus: juxta Regium diploma datum 22. Decembris 1672. quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ejusdem Congregationis imprimant & venales exponant citra licentiam nostram: Visis Privilegio Regis & Approbationibus Doctorum, permittimus Francisco Muguet Typographo & Bibliopolæ, ut Librum cui Titulus est, *Ancienne & Nouvelle Discipline de l'Eglise touchant les Benefices & les Beneficiers*, typis edere ac liberè divendere possit. Datum Parisiis die 10. Decemb. an. 1676.



# *PRIVILEGE DU ROY.*

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre : A nos amez & feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlemens, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hôtel, Grand Conseil, Baillifs, Seneschaux, Prevosts, leurs Lieutenans, & à tous autres nos Justiciers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. *Nostre cher & bien aimé le Pere* Loüis Thomassin, *Prestre de l'Oratoire*, nous a fait remontrer, qu'il desireroit faire imprimer *la continuation de ses Dogmes Theologiques en Latin*, & les traductions soit de Latin en François ou de François en Latin, tant de *l'ouvrage de la Discipline de l'Eglise touchant les Benefices, que des Traitez Historiques & dogmatiques sur la Discipline de l'Eglise, & sur la Morale Chrestienne, & des Memoires de la Grace*, ce qu'il ne peut faire sans nos Lettres de permission sur ce necessaires qu'il nous a tres-humblement supplié de luy vouloir accorder. A ces causes, desirant favorablement traiter ledit Exposant, nous luy avons permis & accordé, permettons & accordons par ces Presentes de faire imprimer, vendre & debiter en tous les lieux de nostre Royaume, Païs, Terres & Seigneuries de nostre Obeïssance, par tel Imprimeur & Libraire qu'il voudra choisir, chacun desdits Ouvrages, soit en Latin ou en François, ensemble ou separement, en un ou plusieurs Volumes, en telle marge & caractere, & autant de fois que bon luy semblera, durant le temps de dix années consecutives, à compter du jour que chaque Livre sera achevé d'imprimer pour la premiere fois, pendant lequel temps nous faisons tres-expresses inhibitions & défenses à toutes personnes de quelque qualité ou condition qu'elles soient, Imprimeurs, Libraires & autres d'imprimer, faire imprimer, vendre ou distribuer lesdits Livres, sous pretexte d'augmentation, correction, changement de Titres, fausses remarques, ou autrement, en quelque sorte ou maniere que ce soit, ny mesme d'en faire des extraits ou abregez, & à tous Marchands étrangers d'en apporter ny distribuer dans ce Royaume d'autres impressions que de celles qui auront esté faites du consentement de l'Exposant, à peine de trois mille livres d'amende, payable par chacun des contrevenans, & applicable un tiers à Nous, un tiers à l'Hôpital General de nostre bonne ville de Paris, & l'autre tiers à l'Exposant, de confiscation des exemplaires contrefaits, & de tous dépens, dommages & interests; à condition qu'il sera mis *deux exemplaires desdits Livres dans nostre Bibliotheque publique, un en celle du cabinet de nos Livres* de nostre Chasteau du Louvre, *& un en celle de nostre tres-cher & feal le sieur le Tellier, Chevalier*, Chancelier de France avant que de les exposer en vente, à la charge aussi que *l'impression en sera faite dans le Royaume & non ailleurs*, & que *lesdits Livres seront imprimez sur de beau & bon papier, & de belle impression*, & ce suivant ce qui est porté par le *Reglement fait pour la Librairie & Imprimerie au mois de Juin 1618. enregistré en nostre Cour de Parlement de Paris le neuf Juillet ensuivant*, à peine de nullité des Presentes, lesquelles seront enregistrées dans le Registre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de nostre bonne ville de Paris. Si vous mandons & enjoignons que du contenu en icelles, vous fassiez joüir pleinement & paisiblement ledit Exposant, ou ceux qui auront droit de luy, sans souffrir qu'il leur soit fait ou donné aucun empêchement. Voulons aussi qu'en mettant au commencement ou à la fin desdits Livres une copie des Presentes ou extrait d'icelles, elles soient tenuës pour bien & deuëment signifiées, & que foy y soit ajoûtée & aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires comme à l'original. Commandons au premier nostre Huissier ou Sergent sur ce requis de faire pour l'execution d'icelles tous exploits, saisies & autres actes necessaires, sans demander autre permission, nonobstant toutes oppositions ou appellations quelconques, clameur de Haro, Charte Normande, & autres Lettres à ce contraires : Car tel est nostre plaisir. Donné à Chaville le dernier jour de May, l'an de grace mil six cens quatre-vingt-un, & de nostre Regne le trente-neuviéme. Signé, Par le Roy en son Conseil, Le Petit.

*Registrées sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, le 6. Octobre* 1687.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 20. Decembre 1687.

*Les Exemplaires ont esté fournis.*

Le R. Pere L. Thomassin a cedé son droit de Privilege à François Muguet pour ces trois Tomes de la Discipline, traduits de François en Latin, pour en joüir pendant le temps porté par iceluy. Ce 2. Octobre 1687.

# INDEX CAPITUM hujus Tomi.

## LIBER PRIMUS.

In quo agitur de primo & principe Cleri Ordine, De Episcopatu & omnibus ejusdem gradibus: de summo Pontifice, de Patriarchis & Exarchis, de Primatibus & Archiepiscopis, de Metropolitanis & Episcopis.

*De plenitudine Sacerdotii in Episcopatu, de variis ejus gradibus, de Papa.*



*De Patriarchis.*



*De Exarchis, Primatibus, Catholicis, seu minoribus Patriarchis.*



*De Patriarchis, Metropolitanis, & Episcopis, qui Titulares dicuntur.*

*De Archiepiscopis, Primatibus, & Vicariis Apostolicis.*



*De Metropolibus & Metropolitanis.*



*De Episcopis, de Episcopalibus sedibus, de Episcopatu ipso.*





# Index Capitum.

## LIBER SECUNDUS.

In quo agitur, De Chorepiscopis, Archipresbyteris, Vicariis Generalibus, Pœnitentiariis, Officialibus, Theologis, Archidiaconis, Parochis, Diaconis, Clericisque Minoribus. De Tonsura & Habitu Cleri, de Officiis Divinis & Cælibatu. De Syncellis, Notariis, Cancellariis, Apocrisiariis, Magnis Eleemosynariis, Archicapellanis, Cardinalibus & Legatis.

### *De Chorepiscopis & Archipresbyteris.*



### *De Vicariis Generalibus, Officialibus, Pœnitentiariis, Theologis.*



### *De Ministris & Regulis Pœnitentiæ Sacramenti: de Casibus reservatis, de Pœnitentia publica, de Indulgentiis.*



### *De Archidiaconis.*



### *De Parochis eorumque Vicariis. De Parochiis.*



### *De Diaconis, Subdiaconis, aliisque minoribus Ordinibus.*



### *De Clericorum Tonsura.*

*De Xenodochiis & Beneficiariis qui illis affigebantur.*



*De Basilicis, Martyriis & Oratoriis, quæ sunt in Castellis & Magnatum domibus.*



*De Defensoribus.*



*De Syncellis & Consiliariis.*



*De Notariis, Chartulariis, Chartophylacibus, Cancellariis, Bibliothecariis.*



*De Apocrisiariis, Capellanis, Archicapellanis, Eleemosynariis, Magnis Eleemosynariis, denique de Clero Palatino.*



*De Cardinalibus & Legatis.*



LIBER

## LIBER III.

In quo agitur, De Capitulis, de Conventibus, de Congregationibus, sive Clericalibus, sive Monasticis.

*Finis Tabulæ primi Tomi.*

# ADDENDA ET EMENDANDA

## IN PARTE I. SEU TOMO I.

TOm. I. Pag. 11. Col. 2. Lin. 16. pro *Ita*, lege *Etsi*. Et lin. 25. pro *appellat*, lege *appellarat*. Pag. 32. col. 1. n. 4. l. 3. & 4. *quarum in numero erant*, lege quarum numero accessere postea. Pag. 48. col. 1. n. 4. l. 14 15. *ab eversa Hierosolyma*, lege *ante eversam Hierosolymam.*

Pag. 51. col. 1. n. 3. l. 8. *officio*, lege *so officio*. Ibidem col. 2. n. 4. l. 5. *per lucidiores*, lege *pellucidiores*. Pag. 55. col. 2. l. 6. *ne à tribus*, lege, *sed nec à tribus*. Pag. 63. col. 2. l. *ad Clerum*, lege *Profert & alias à Gregorio VII. anno 1073. ad Clerum*. Pag. 70. col. 1. l. post *conarentur*, adde, *Illa enim* cunctæ terræ *non alia magis videri possunt esse, quam urbi finitima, ut in ipsas ab urbe, & tum postea ab urbe & ab ipsis Evangelica prædicatio in Africam propagaretur*. Pag. 71. n. 7. lin. ult. adde: *Dum id altissime insideat animo, has Provinciarum & Metropoleon creationes plerumque diu & sæpe antè tentari, quam omnine perfici & constare possint: ut necesse sit nonnihil vacillare hujusmodi de earum initiis historiam*. Pag. 77. col. 2. l. 2. *Paulum*, adde, *Paulinam quoque dictum, ut suspicor*. Pag. 79. col. 2. n. 7. lin. 10. post *Græci*, adde, *Nefas est autem plures sectas sibi adversas copulare, ut Catholica componas & præponas Ecclesiæ. Sed nec rem ita habere, sed ita dici ait Jacobus. Denique de Asia ille, non de Orbe universo verba ibi facit*. Pag. 82 col. 1. l. 26. *firmatum est*, lege *firmatum fuerat*. Pag. 85. col. 1. l. 37. *sedique*, lege *sedique eum*. Pag. 88. col. 2. §. *Postquam* l. 1. *Grecorum* dele, lege *hostium*.

Pag. 103. col. 1. l. 2. ad marginem 621. scribe 681. Pag. 111. col. 2. §. Refert, l. 14. *Adde quod*, lege *Verùm*. Pag. 113. col. 1. §. *Imperante* l. 6. post *immineret*, adde, *Aquitanias hinc excipi liquet ex iis quæ de Primatu Bituricensi suo loco dicuntur*. Pag. 114. c. 1. n. 6. l. 25. post *spes sua*. Adde: *Nec enim valent allata alibi à nobis exempla vel Primatum & Legatorum Apostolicorum in communi, vel Viennensium, vel Cantuariensium Primatum. In ipsa sui institutione his Primatibus tributa fuerat ea facultas, non Lugdunensi*. Pag. 127. col. 2 l. 2. 3. *consensurus*, lege *consensurum*. Pag. 130. col. 2. n. 12 l. 1. *Martyrum*, lege *à Martyribus*. Pag. 137. col. 2. n. 12. post lineam ultimam adde, *An ad Primatem transferat hic Zosimus jus hocce Metropolita, tu videris*. Pag. 147. col. 1. n. 7. l. 1. *curiosior*, lege *cupidior*. Pag. 158. n. 11. l. 11. *ut subessent*, lege *subesse*, l. 12. *ordinarentur*, lege *ordinari*. Pag. 165. col. 1. l. 8. *satisfacturos*, lege *se satisfacturos*. Pag. 167. col. 1. n. 3. ad marginem 1581. scribe 1583. Pag. 169. n. 11 l. 17. 18. pro *illa*, lege *hac*; pro *hac* lege *illa*. Pag. 194. n. 8. l. 10. pro *modo*, lege *aliàs, modò in*.

Pag. 225. n. 1. l. 25. post *Chorepiscopus*, adde, *his quidem temporibus Carolini Imperii*. Pag. 263. o. 3. l. 15. *Quo sane sensu*, dele, *sane*. Pag. 281. col. 2. §. *ut erant*, pro *desinente*, lege *adulta jam*. Pag. 281. col. 1. post l. 20 adde, *Dictum est supra Cap. XVII. n. 12. ampliori jurisdictione usos esse Archidiaconos in Oriente etiam prima Ecclesiæ ætate*. Pag. 290 col. 1. l. 4. post *Viennensem*: adde: *Si certa tamen illi Epistola fides constet*. Pag. 291. n. 3. post finem, adde: *Si qua inter Athanasium & Epiphanium hic pugna sit de Parochiis in agro Alexandrino sitis, quas hic nullas, ille non paucas memorat: vel secundum Athanasium pronuntiandum erit: vel potius aliter & aliter interpretandus erit ager, ut proxima urbi nulla fuerint Parochia; aliquanto remotiores fuerint non pauca, nempe in majoribus vicis.*

Pag. 307. col. 2. l. 2. post *Clericorum*, adde *Si qua ergo superius Cap. XXIII. n. 10. deprompta sint exempla excommunicationum à Presbyteris, seu Parochis vibratarum, vel rariora ea fuere; vel ad leviores quasdam excommunicationes coarctanda, quas necesse non esset per pœnitentias publicas elui, solvique. Certissime enim pœnitentias publicas non administrabant nisi Episcopi*. Pag. 319. col. 2. in Synopsi §. 5. l. 2. pro *adjungit*, lege *adjunget postea Cornelius*. Pag. 321. col. 1. n. 8. l. 16. *proximo*, lege *proximos*. Ibidem l. 17. *Optato*, lege *Optatum*. Pag. 331. n. 3. l. 15. *& Diaconos*, lege *Diaconos & Subdiaconos*. Pag. 367. n. 3. l. 4. post *videmus*, adde, *Nec repugnant huic sententiæ, quæ suprà dicta sunt à nobis C. XXXVII. n. 9. de Corona per quam Episcopi adjurabantur*. Pag. 374. col. 1. post finem cap. 47. & post illa verba, *nequaquam potuit*: adde, *Etsi enim non injuria multis visa sit vacillare fides harum Sacerdotalium Joannis Apostoli vestium: at ante à nobis dictum est, Cap. XLV. n. 1. jure tamen augurabatur Joannes Diaconus aliquid sacerdotalium vestium ei fuisse, etsi non certe id constaret. Jure autem id augurabatur, quia universim ita decet, unde & invaluit tandem in usu, ut aliæ communes, alia sacra vestes essent*. Pag. 379. n. 13. l. 8. *lana linoque*, scribe *lana, non lino*. Pag. 383. col. 1. l. 11. pro *Mox de Fibulis*, lege *Mox prohibentur & fibulæ.*

Pag. 401. col. 1. n. 1. l. 1. *Capite superiori* lege Capite LIII. Pag. 425. n. 13. l. ult. post *adversatur*, adde, *Nec me fallit ab his & Veneti & Turonensis Concilii Epochis dissentire viros doctos; sed cum fateantur & ipsi nihil certi de iis constare, priores malui Conciliorum Editiones sequi & Epochas*. Ibidem n. 14. l. 1. *Concilio*, adde, *Veneto*. Pag. 430. n. 10. l. 36. post *implicaverint*, adde, *Eodem enim hauddubio innectuntur anathemate ipsæ, cum iis qui eas duxerint*. Pag. 447. n. 2. l. 20. pro *suorum*, lege *ejus*. Pag. 489. n. 1. l. 1. *indigitare*, lege *nos indigitaturos.*

Pag. 512. col. 1. §. Matthæus, l. 6. dele *impias &*. Pag. 549. n. 7. l. 12. post *custodiam*, adde, *eum*. n. 10. l. 9. pro *consulere solitum* lege *consuleret*, l. 14. 15. pro *decernere & statuere tandem solitum*, lege *decerneret, & statueret tandem*. Pag. 570. n. 10. l. 4. pro *Papa Gregorii præcessoris*, lege *ejus, qui Gregorii Magni Papæ præcessor fuerat, &c*. Pag. 823. n. 2. l. 10. pro *abdere se*, lege *suum esse abdere se*. Pag. 704. col. 1. l. 2. pro *in confesso est*, lege *simillimum veri est*. Pag. 715. col. 1. l. 4. post *substituebant*, adde, *Vide, quæ hac ipsa de re infra dicentur, Cap. XXXIV. n. 8* Pag. 740. col. 1. §. Quod refertur, l. 2. & 10. pro *Stephani III.* lege *Stephani II*. Pag. 745. n. 8. l. 9. pro *crucifigionum*, lege *crucifixionum*. Pag. 748. col. 1. l. 42. post *privilegia*, adde: *Sentio hæc pugnare cum iis, quæ obiter perstrinxi superius c. XXX. n. 9 hoc idem Fuldense privilegium componens cum Adeodati privilegio. Scilicet hæc ita pugnant, ut pugnat mollior duriori interpretandi rationi; etsi utraque aliàs & aliàs locum habeat. Durius interpretanda sunt privilegia, fateor: sed obtendet aliquis non tam privilegium hoc esse, quam jus commune, ut conditor Cœnobii illud cui vellet subjiciat, maxime si eo loco ex-

# Addenda & Emendanda.

*bium, qui nulli unquam Episcopo paruit.* ... 2. *Callistus II.* lege *Callistus III.* ... 40. l. 5. *pro necessitatibus*, adde ... *in id enim*, dele *enim*. Pag. 825. n. ... *spirasse*. lege *infudisse*. Pag. 839. n. 2. l. ... *atis*, lege *ab iis*. l. 24. 25. post *abdicationem*. ... *forsan ergo*. Post *Remense*, adde *saltem*. Pag. 846. col. 1. post lineam 15. adde, *Quæ hoc Capite dicta sunt, eorum pleraque dicta jam fuerant Libro II. hujus ipsius Primæ Partis, C. XCIII. n. 17. 18. 19. sed necessario hic nobis ea repetenda visa sunt, ut de Præpositis, Decanis & Prioribus disputaturi, rem altissima ab origine ordiremur.* Pag. 847. col. 1. l. 9 pro *per maxima*, lege *quam maxima*. Pag. 846. col. 2. in Synopsi n. 4. pro *ut*, lege *Rursus ut*.

## ERRATA TOMI I. SEU PARTIS I.

PAg. 1. in Synopsi n. 5. *Episcopatu*, lege *Episcopatum*. Pag. 8. n. 3. lin. 10. *Amasiam*, lege *Amasea*. p. 12. col. 1. l. 8. *sed*, lege *sed &*. p. 15. & 17. col. 2. l. 1. IV. lege V. p. 25. col. 1. l. 26. *Antistitem*, lege *Antistitum*. p. 30. col. 1. l. 5. *suer*, lege *suet*. Ibid. col. 1. l. 27. *conservatio*, lege *conservatione*. p. 31. n. 1. l. 4. *Romanum*, lege *Antiochenum*. p. 32. col. 2. l. 10. *Leonem*, lege *Marcianum*. p. 41. n. 16. l. 7. *Leo*, lege *Marcianus*. p. 41. col. 2. in Tit. pag. IX. lege X. Ibid. l. 1. C. XI. lege C. X. p. 48. n. 4. l. 14. *ab eversa*, lege *ad eversam*. *Hierosolyma*, lege *Hierosolymam*. p. 51. n. 4. l. 5. *pellucidiores*, lege *pellucidiores*. p. 57. col. 1. l. 12. *exprobrabam*, lege *exprobrabas*. p. 64. col. 1. l. 2. *quam*, lege *quos*. p. 75. col. 1. n. 6. l. 22. *Aquilacensem*, lege *Aquilaiensem*. p. 70. col. 1. l. 15. *dyploma*, lege *diploma*. p. 81. col. 2. l. 5. *contra*, lege *contam*. p. 85. col. 2. l. 5. *divinne*, lege *divinum*. col. 2. ad marg. 1000. lege 1100. p. 86. col. 1. ad marg. 1039. lege 1139. p. 89. col. 1. l. 17. dele *inque*. p. 98. n. 15. l. 15. *ornamenta*, lege *ornamenta*. p. 122. n. 22. l. 11. *de munda*, lege *demandata*. § Cæterum. l. 9. *commebant*, lege *conveniebant*. p. 127. col. 2. Caput XXIV. lege XXXV. p. 127. col. 2. l. 3. *consensum*, lege *consensuum*. p. 128. col. 1. n. 1. l. antepen. *sive*, lege *sine*. p. 137. n. 13. l. 26. *Metropolitana*, lege *a Metropolitano*. l. 27. *provincia*, lege *provincia*. p. 138. n. 18. l. 24. *velle qua*, lege *velle servare*. p. 140. n. 8. l. 12. *implicarer*, lege *implicaret*. p. 142. col. 1. l. 9. *pro*, lege *nempe pro*. p. 152. col. 1. § Hoc. l. 1. *Imputandum*, lege *imputandum*. p. 158. n. 10. l. 10. *Episcopi*, lege *Episcopis*. p. 159. col. 2. § Eadem. l. 13. *illustrissimus*, lege *illustrissimis*. p. 164. l. 28. VI. lege VII. p. 180. col. 2. l. 23. *obliterat*, lege *oblectarus*. p. 202. col. 2. VI. lege IV. p. 213. col. 2. § Sane. l. 2. *aut quam sæpissime*, lege *aut sæpius aliis*. p. 218. col. 2. in Synop. n. 6. l. 2. *Maldensis*, lege *Morensis*. p. 226. col. 1. l. 4. *usurpaverit*, *usurpaverint*, lege *usurparent*. p. 227. col. 2. l. 4. ante n. 2. *confundens*, lege *confundere*. p. 228. col. 1. l. 11. *generale*, lege *generalis*. p. 247. col. 1. l. 1. *cotos*, lege *tota*. § Non multo. l. 9. *hortatur denique*, lege *hortatur*. p. 244. col. 2. § Hac in parte. l. 9. *a denique*, lege *a*. p. 249. col. 1. l. antepen. *Ancyritanus*, lege *Ancyritana*. col. 2. § Ideo. l. 3. *pænitentiarum*, lege *pænitentiarum*. p. 252. n. 15. l. 6. *exvisandas*, lege *antevisandas*. col. 2. § Hoc pro. l. 6. *sacerdotum*, lege *sacerdotum*. p. 253. in Synopsi l. penul. *animadversionum*, lege *animadversionem*. p. 256. n. 15. l. 5. *Cartophylacem*, lege *Chartophylacem*. l. 24. *Cartophylax*, lege *Chartophylax*. p. 260. n. 22. l. penul. *mediis*, lege *mediam*. n. 1. l. 3. *districtione*, lege *districtione*. p. 264. n. 6. l. ult. *eorum quos*, lege *eorum quos*. p. 271. col. 1. l. p. ante finem *quo Canonica*, lege *qua canonica*. n. 6. l. 10. *quo sciebat*, lege *quo sciendum*. p. 280. n. 9. l. 7. *Diaconus*, lege *Decanus*. p. 313. col. 2. l. 12. ante finem *Propterrationes*, lege *propter rationes*. p. 314. col. 1. l. 1. *Diaconi*, lege *Decani*. p. 321. n. 8. l. 16. *proximos*, lege *proximos*. n. 11. l. 2. *asserendo*, lege *asserendo*. p. 329. col. 1. l. 14. ante finem, *absolvi*, lege *absolvendi*. p. 329. col. 1. l. 13. *ille*, lege *illa*. p. 330. n. 16. l. 9. *debent*, lege *debent*. p. 332. col. 2. l. 8. ante finem *Ostiaria*, lege *Ostiarius*. l. 9. *teneretur*, lege *tenerentur*. p. 339. col. 1. l. 14. *illo*, lege *illud*. pag. 345. n. 10. l. 23. *Occidentalium*, lege *Orientalium*. p. 355. col. 2. § Inde. l. 6. *Monacho*, lege *Clerici*. l. 11. ante finem XI. lege IX. p. 355. l. 1. XI. lege XII. p. 356. n. 4. l. 6. 314. lege 1314. p. 357. col. 2. l. 25. *nutriant*, lege *non nutriant*. p. 360. n. IX. l. 15. *congereret*, lege *congererent*. n. 2. l. 12. *reprehenderent*, lege *reprehenderet*. p. 368. n. 14. l. 15. *prohiberent*, lege *prohiberent*. p. 371. n. 2. l. 12. *nostro*, lege *vestro*. p. 379. col. 1. l. 1. *peramurare*, lege *permanerare*. col. 2. § quod. l. 12. *oramur*, lege *manamur*. p. 383. col. 2. § Eadem. l. 6. *studiuntur*, lege *studiant*. p. 389. n. 9. l. 2. *aperiebantur*, lege *epiabantur*. p. 392. col. 2. l. 17. *vestem*, lege *vestes*. p. 395. col. 1. l. 25. *Oriente*, lege *Occidente*. col. 2. l. 3. *similium*, lege *similium vitæ*. p. 400. col. 2. l. 14. *percepta*, lege *præcepta*. p. 401. col. 1. l. ult. *Antiochia*, lege *Antiochia*. p. 402. col. 2. l. 17. *Metropolis*, lege *Metropolitano*. p. 406. col. 2. l. 14. ante finem *essent*, lege *esse*. p. 412. col. 2. § Hæc. l. 19. *Henricum*, lege *Stephanum*. p. 417. col. 1. l. 10. ante finem *Nec*, lege VIII. Nec col. 2. § Dein. l. 3. *Pallii* lege *Crucem*. p. 421. col. 2. § Cyrillus. l. 25. *Ne Episcopum*, lege *Ne Episcopum*. p. 433. col. 2. l. 5. *docendo*, lege *ducendo*. p. 432. col. 2. l. 23. *eorum*, lege *earum*. p. 439. LVXI. lege LXVI. p. 438. col. 2. l. 23. 1514. lege 1114. p. 451. col. 2. l. ult. *Ex Concilio*, lege IX. *Ex Conciliis*. p. 455. col. 1. l. 25. *eam*, lege *& eam*. col. 2. in Synopsi n. 9. l. 1. *Primo*, lege *Prima*. p. 454. n. 2. l. 7. *illum*, lege *illud*. p. 454. col. 2. l. 11. ante finem *Antiochenum*, lege *Laodicenum*. p. 476. col. 2. l. 4. *Hormisda*, lege *Hormisdas*. p. 478. col. 2. l. 12. *assiduitate*, lege *assiduitate*. col. 2. l. 5. *vel ut*, lege *velut*. p. 482. n. 14. l. 3. *tales*, dele. p. 483. col. 1. § Luculentissimus. l. 14. *Remensis*, lege *Monensis*. p. 488. col. 1. § Tarasius. l. 13. *Antistites*, lege *Antistes*. col. 2. l. 41. *nullorum*, lege *& nullorum*. p. 495. col. 2. l. 2. *aliquis*, lege *aliquos*. p. 497. col. 2. § Rotegit. l. 1. *Viennensis*, lege *Veronensis*. p. 400. n. 10. l. 3. *saltem*, lege *saltem*. p. 508. col. 1. § ... l. 1. ... lege VI. ... p. 510. n. 2. l. 24. *modulamen*, lege *modulamen*. p. 512. n. 6. l. 16. *quod conduplicatam*, lege *qua conduplicata*. l. 13. ante finem. XI. ... lege IX. ... p. 518. n. 5. l. 8. *gyrosa*, lege *gyro*. p. 520. n. 1. l. penul. *solam*, lege *Sodales*. p. 524. n. 2. l. 4. *ante*, lege *ante*. p. 525. col. 2. l. ult. *sollantes*, lege *fulgientes*. p. 526. col. 2. l. 3. 10. *quo*, lege *ansa*. p. 529. col. 1. l. 20. *sede*, lege *sedi*. p. 532. n. 1. l. 8. *decantatam*, lege *decantata eo*. p. 535. n. 7. l. 18. *evorratum est*, lege *enarratum est*. p. 542. n. 7. l. 6. *ornarit*, lege *ornarit*. l. 7. *ornatum*, lege *ornatum*. p. 541. col. 1. l. 6. ante finem *Orphanotrophio*, lege *Orphanotrophio*. p. 544. col. 2. l. 3. *Sophronii*, lege *Sophronium*. p. 548. n. 2. l. ult. *formaticare*, lege *formaticare*. p. 551. n. 15. l. 31. *Carolum Crassum*, lege *Carolum Calvum*. p. 556. n. 14. l. 2. *Mopsuestiam*, lege *Mopsuestena*. p. 547. col. 1. § Non. l. 15. *ipse*, lege *ipsa*. l. 16. *significare*, lege *significare*. p. 575. n. 4. l. 7. *præsentare non sinas*, lege *præsentare non desinas*. p. 578. n. 7. l. 5. *toto orbi*, lege *toto orbe*. p. 583. n. 1. l. 12. *habeant*, lege *habitant*. p. 584. n. 3. l. 21. *ultimo*, lege *penitenti*. p. 596. col. 2. § Qui. l. 6. *mandaras*, lege *mandaram*. p. 597. n. 7. l. 3. *diligens*, lege *diligens*. p. 609. col. 2. l. 26. *Anatolii*, lege *Aeatas*. p. 615. col. 2. § Anno. l. 6. 1245. lege 1145. p. 621. n. 4. l. 20. *in æquales*, lege *inæquales*. p. 624. col. 1. l. 25. ante finem. III. lege VII. p. 632. n. 21. l. 21. *apud*, lege *apud omnes*. p. 614. col. 2. l. 12. *facerer*, lege *facias*. l. 12. *dispolas*, lege *dispolas*. p. 633. n. 3. l. 5. *cognovi*, lege *cognovisse*. p. 641. col. 2. l. 7. ante finem *direxissem*, lege *direxisset*. p. 643. col. 2. l. 10. ante finem *Clericorum*, lege *Monachorum*. p. 645. n. 14. l. 7. ante finem *liquebat*, lege *liquebat*. p. 656. col. 2. l. 23. *Canonica sanctissimaque*, lege *Canonice sanctissimeque*. p. 661. col. 2. l. 25. ante finem *confisente*, lege *constituendi*. p. 668. col. 1. l. 15. ante finem *est*, lege *sit*. p. 694. col. 2. § Oxford. l. 15. *irrevocabilem*, lege *revocabilem*. p. 693. col. 2. § Nec in Gallia. l. 3. *Innocentius II.* lege *Innocentius III.* p. 709. col. 1. § Dominabatur. l. 7. anno 811. lege 815. p. 712. col. 1. § Cum. l. 20. *Nulla*, lege *olla*. p. 715. col. 2. § Augustione. l. 6. *continentiam*, lege *continentiam*. p. 720. col. 1. l. 30. *Confoederatim*, lege *II. Confoederatim*. p. 722. col. 2. § Longe. l. 7. *Gaignone*, lege *Guignone*. p. 724. n. 14. l. 14. *video*, lege *videor*. p. 726. n. 5. l. 28. *ob noxie*, lege *obnoxie*. p. 729. col. 1. § Cum Martin. l. 25. *Abiem*, lege *Abbatem*. p. 737. col. 2. l. 1. *potestatem*, lege *potestate*. p. 739. col. 1. l. 12. *& a*, lege *& Episcopi*. p. 741. col. 1. l. 12. *qui*, lege *quo*. p. 746. n. 1. l. 11. *multi*, lege *multum*. p. 750. col. 1. § Paschalis. l. 2. & 9. *ulmari*, lege *vulmari*. pag. 751. n. 15. l. 10. *dignitatem*, lege *dignitatem*. p. 754. n. 16. l. 13. *monachatus*, lege *monachatus*. p. 754. in Synopsi n. 10. *Minorum*, lege *minimorum*. p. 759. n. 5. l. 6. *licentia*, lege *licentia*. p. 760. n. 6. l. 19. *decenos*, lege *decennii*. p. 763. n. 5. l. 15. *revocatam*, lege *revocatum*. col. 2. l. 6. ante § Io. *Cum alio*, lege *si cum alio*. p. 766. col. 2. l. 26. *quorundam*, lege *quorundam*. p. 770. col. 1. l. 7. ante finem *gravi*, lege *grave*. p. 771. col. 2. l. 13. *Professor*, lege IX. *Professor*. p. 779. n. 15. l. 18. *apponeret*, lege *apponeret*. p. 792. col. 2. l. 7. X. lege XI. p. 799. col. 1. § Hic. l. 5. *duobus*, lege *duabus*. p. 798. col. 2. *IV. Erit*, lege *V. Erit*. p. 803. col. 2. l. 10. ante finem. *incipiendi*, lege *facultas incipiendi*. p. 809. in Synopsi n. 2. l. 2. *necessaria*, dele. p. 821. n. 22. l. 32. *quod*, lege *quid*. p. 828. col. 2. n. 13. l. 23. *fore*, lege *fuisse*. p. 830. col. 1. l. 6. *Cælestinus IV.* lege *Cælestinus VI.* p. 832. col. 2. n. 21. l. 9. *gravissimam*, lege *gravissima*. p. 839. n. 2. l. 1. *alio*, lege *ab alio*. p. 832. n. 4. l. 4. *& Abbatias*, lege *ferens & Abbatias*. p. 866. col. 9. l. 1. *Præceptor*, lege *Præcentor*.



# VETUS ET NOVA
# ECCLESIÆ DISCIPLINA
CIRCA
## BENEFICIA ET BENEFICIARIOS,
DISTRIBUTA IN TRES PARTES,

Quæ & ipsæ in tres Libros singulæ distributæ sunt.

## *PARS PRIMA,*

In qua agitur

Lib. I. De primo Cleri Ordine.
Lib. II. De secundo Cleri Ordine.
Lib. III. De Monasticis Congregationibus.

## *LIBER PRIMUS.*

De primo & principe Cleri Ordine, De Episcopatu & omnibus ejusdem gradibus· de summo Pontifice, de Patriarchis & Exarchis, de Primatibus & Archiepiscopis, de Metropolitanis & Episcopis.

De plenitudine Sacerdotij in Episcopatu, de variis ejus gradibus, de Papa.

### CAPUT PRIMUM. *P.1.l.1.c.1.*

De Episcopatu in genere, prout omnes Episcopatûs gradus amplectitur, esse in eo plenitudinem, summumque apicem spiritalis amplitudinis & sacerdotalis imperij.

*I. Christus Ecclesiæ suæ summus æternusque lex est, & æternus Pontifex.*

*II. In cælos se recepturus, & Pontificatum suum splendidissimè ibi explicaturus, ejusdem vicarios & ministros suos antè in terris Ecclesiæ præfecit.*

*III. Is sunt Apostoli, & Episcopi, Apostolorum successores.*

*IV. Hos in consortium ascivit Pontificij sui & sacerdotalis imperij, ut ipsi erat consentaneum.*

*V. Non ergo Episcopatûs mera est extensio Presbyteralis Ordinis, ut facile dilucebit, si Episcopatum spectes qualem quantumque vel Christus exercuit, vel Apostolis exercendum concessit.*

*VI. Non aliud vel Paulus vel Hieronymus innuunt, quàm inter exordia suæ Ecclesiam à solis Episcopis administratam fuisse, & ex re tunc quidem fuisse, ut omnes Presbyteri ordine & potestate Episcopali pollerent.*

*VII. Qui primi fuere Ecclesiarum satores & parentes, Apostolico Ordini & nomine omnes accensebantur.*

*VIII. Prædicatio verbi, Ecclesiarum propagatio, gentium conversio, civitatum administratio Episcopis demandanda erat.*

*IX. Ut Episcopatûs natura, indoles & majestas eluceat, in suo maximè fonte spectandus est, in Christo & in Apostolis.*

*X. Cum Presbyter Episcopali Ordine augetur, tum vero plenitudine & suprema potestate sacerdotij donatur, qua carebat priùs.*

*XI. Ut primum Episcopus inauguratus est, ipsa Presbyteratûs munia perfungitur longe splendidius, exercet & splendidiora.*

*XII. Presbyteratûs munia non fere nisi absente Episcopo implebant olim Presbyteri.*

*XIII. Sacerdotium solus Episcopus confert, quod ejus plenitudinem solus obtineat.*

*XIV. Sacerdotium Christus instituit, Episcopus effundit, Presbyter exercet.*

*XV. Episcopi opulentia & fœcunditas ea est, ut non solum Sacerdotium impartiat, sed & ejus impartiendi vim & fœcunditatem.*

I. EMPITERNUS Dei Filius in terras & in carnem nostram delapsus, ut novæ legis, novique sacerdotii fundamenta jaceret, lex ipse nobis summa summusque idem Pontifex esse voluit. Æterna & incorruptibilis veritas, Verbum Patris qui est ante sæcula, eóque Lex ipsissima & Legislator verissimus, nostræ se carni infundere in tempore dignatus est, atque ita Sacerdos & sacerdotii sui novi victima ipsemet evasit. Lex nova, auctore Paulo,
Heb. 7. 12. novo sacerdotio fulcienda erat. Pontifex numeris omnibus absolutus, Lex ipse viva & vegeta populorum est. Ita imperii populique nullo locorum, nullo temporum fine circumscribendi, Lex non poterat esse, nisi sempiterna Veritas.

II. Hinc supernæ cœlestisque Jerusalem Pontifex æternus Christus est, idoneo teste Paulo eodem, ubi semetipsum adolet Patri, jugis instar & suavissimi holocausti, quo tota Beatorum in cœlis degentium civitas una ardet. Sed ita in cœlos avolavit Christus, ut à terris non abesset, quippe illis infusus & insertus, quos in sacerdotii sui societatem adoptaverat, & adoptat etiamnunc, ut eorum ore & manibus æterni hujus sacerdotii æterna ipsemet victima jugiter immoletur. Rerum copia & magnitudine laboramus; itaque revocanda est oratio ad contemplationem illius sacerdotii, quod ab exordiis carnis suæ exercuit ipse, & ministrorum opera exercere non desinet.

III. In dubium quippe vocari non potest, quin humanæ naturæ consors factus Dei Filius, totam sacerdotii plenitudinem & amplitudinem & ipse obtinuerit, & in sinum Patris rediturus Apostolis suis infuderit, eorum successoribus subinde impartiendam, propagandamque in Ecclesia, donec temporum vices beata claudat & figat æternitas. Apostolatus ergo, sive Episcopatus à Christo institutus, plenissima erat sacerdotalis dignitatis & potestatis ubertas, cujus gradus, vires, opesque omnes complectebatur.

IV. Nec enim Christus Apostolos sacerdotio suo initiavit, uti nunc fit iis qui per gradus singulos, per temporum & ordinum interstitia ad culmen usque provehuntur spiritalis hujus potestatis. Largius, nobilius, opulentius, & ab Apostolis accipi par erat, & ab optimo maximoque Christo dari, vim & majestatem eam, qua Ecclesiæ Patres & summi Pontifices crearentur. Ita singuli, ita omnes in lucem edimur, ut per ipsas nascendi, crescendi & adolescendi moras ac tædia moneamur, quàm nihili sit totum hoc, quod sumus, & quo superbimus. At quem Deus constituebat principem & parentem totius generis nostri, illum statim tota humanæ naturæ quanta maxima obtingere potest, perfectione, pulcritudine, & dignitate condecoravit omnipotens opifex, qui non potest quod facit non perficere: & quod fingit, non perpolire. Ita sanè Christus Ecclesiæ suæ, ceu novi, aut innovati mundi conditor, satores & summos parentes novæ suæ gentis Apostolos ita præstituit, ut illos ante verbi sui & Spiritûs plenitudine ac potestate vestiret, & ea cumularet sacerdotalium munerum copia, ex qua filii Dei ad fines usque sæculorum propagarentur.

V. Qui sacerdotium non aliter spectarunt, quàm uti nunc eò eluctamur, per gradus varios adrependo, illos gravis hæc perculit difficultas, ecquid ordini & characteri Presbyterorum accederet per Episcopalem inaugurationem. Cùm enim Presbyteris utraque illa amplissima concessa sit potestas Eucharistiæ consecrandæ & donandorum peccatorum: num his amplius quid aut divinius Episcopis indulgeri potest? Hinc Scholæ ex proceribus non pauci, quin & ex iis qui altiùs se demerserant in sanctorum Patrum Conciliorumque patritiam ùt ita dicam Theologiam, Episcopatum dixere non aliud esse, quàm extensionem quandam & ampliationem Presbyteralis characteris: & quod magis mirere, extensionem dumtaxat moralem. Non facilè in mentem venire poterat quidquam, quo magis obscuraretur & vilesceret, quam Christus esse sanxit inter Ecclesiæ suæ dignitates præcellentissimam.

VI. Non id erat quidem consilii his Theologis, quidquam decerpere eorum ornamentorum ac luminum, quibus ab institutore suo Episcopatus honestatus est; sed iis addere aliquid lucis ex Hieronymi verbis, aliorumque complurium Scriptorum Ecclesiasticorum, qui eosdem Episcopos atque Presbyteros fuisse primo Ecclesiæ ævo, ideoque indiscriminatim illos ab Apostolo Paulo persæpè & haberi & nominari opinantur. At sospite & illibata reverentia quam his Theologis impendendam profiteor, omne eo & Pauli & Hieronymi verba, & cæterorum, horum vestigiis insistentium Scriptorum, inflecti possunt, ut significent inter illa nascentis Ecclesiæ rudimenta, propiùs imitatos esse Apostolos recentissima Christi exempla: utque ipse simul & semel Apostolatum contulerat illis, cui indivulsis nexibus & Presbyterii & Episcopatûs tota potestas conserta erat: non aliter Apostolos, aut semper, aut frequentissimè, quibus Presbyteratûs Ordinem largiebantur, eosdem Episcopalibus insignibus exornasse.

VII. Quæ enim ratio Christum adduxerat, ut geminam hanc dignitatem summa quadam sanctimonia ac potestate radiantem, alteram ab altera non divelleret: eadem & Apostolos adigebat, ut utramque simul, aut semper, aut sæpissimè conferrent iisdem ministris, quos in Apostolorum vel Apostolicorum hominum amplitudinem allegebant. In operis hujus contextu patebit, non Apostolicos tantùm homines, sed etiam Apostolos vocitatos creberrimè fuisse, quos Episcopos beatorum illorum temporum Ecclesiis Apostoli ordinaverant. Nec sola illi nominis gloria fulgebant, sed zelo, spiritu, potestate, ac sanctimonia verè Apostolica. Quo minùs mirum est si eorum ordinatio ordinationem Apostolorum propiùs æmularetur.

VIII. Non erant limites præfigendi eorum potestati & jurisdictioni, quorum zelus & charitas ultra limites efferebatur. Manus illis imponebantur, non tantùm ut sacrificia peragerent, vel ea sacramenta, quibus peccata eluuntur: sed ad id vel maximè, ut prædicationi verbi, & disseminando Evangelio incumberent, ut Christo plebem gignerent, fidelium cœtum augerent, Apostolatûs denique munera implerent. Sacerdotio inungebantur, ut Christi imperio subjugarent, ut subjugatas re-

gerent maximas quasque provinciarum urbes, ac civitates, unde fides ad proxima quæque loca deflueret. Nec enim simile veri est, antè vicis & oppidis, quàm majoribus urbibus Evangelium ac fidem affulsisse. Exemplo suo præiverunt Apostoli, opulentissimas & populosissimas statim urbes expugnare adgressi. Reginas urbium tres Apostolorũ Princeps Petrus, Romam, Alexandriam, Antiochiam Christi jugo subjecit. Cæteri Apostoli cæterarum urbium culmina invasere. Joannes septem principes Asiæ civitates, quarum nomina in Apocalypsi ejus consignata sunt, Ecclesiæ adjunxit. Fama & opibus celeberrimas urbes Paulus hospitio suo, & scriptis ad eas Epistolis illustravit. Nec eorum, nec adgregatorum illis discipulorum is fuit numerus, qui innumerabili urbicularum & oppidorum multitudini æquari posset. Denique invictissimi Christi nominis præcones, ejus imperii pomœria hoc compendio brevissimo latissimè proferebant, superatis maximis quibusque civitatibus, quarum ruina quodammodo opprimebantur cæteræ minusculæ. Con-
Cap. 1. sultò itaque Paulus Tito præcipiebat, *constitui per civitates Presbyteros*. Hi profectò *Presbyteri*, qui civitates vel subigebant, vel subactas regebant, Episcopali clarebant Ordine; cùm jam inde à primis Ecclesiæ sæculis ejus Ordinis ea propria fuerit laus & potestas, civitatum & primariarum urbium Ecclesias adgubernare, obscurioribus locis Presbyterorum regimini & curæ adsignatis. Pluribus alibi de hoc argumento; hîc quantum satis erat, Pauli verbis & Hieronymi doctrinæ luminis affusum est.

IX. Ad Episcopatum retorquendus est stylus, qui Ordinum & Beneficiorum, ut antiquissimus, ita & eminentissimus est; ut qui fons & origo sit omnium Ordinum & potestatum spiritalium. Emicuit hæc primùm Episcopatûs inexhausta plenitudo in Christo, qui idcirco vocatur ab Apostolo *Episcopus animarum nostrarum*. Exundavit hæc primùm plenitudo Sacerdotii à Christo in Apostolos, & Apostolico ministerio in Apostolicos homines, eâ gratiarum & virtutum copiâ, quæ concreditam illis edomandi orbis provinciam addeceret. In hoc suo fonte & vertice perpendendus est Episcopatus, ut ejus natura, vis & majestas intelligatur. Cùm hoc Ordine & cælesti ministerio suos Christus Apostolos, Apostolorumque successores Episcopos insignivit, plenitudinem illis infudit sacerdotii totius, non unius Presbyteratûs extensionem; provexit illos ad sacræ potestatis summum fastigium, & ad infinitam quandam sacerdotalium functionum, & regiminis Ecclesiastici opulentiam. Ab hac scatebra manarunt deinceps rivulorum instar dignitates & ordines omnes Episcopali apice inferiores. A veri ergo etiam specie & similitudine procul sunt, qui sola Presbyterii extensione constare Episcopatum autumant. Certum ex adverso & inconcussum illud haberi debet, Ordinum omnium sacrorum & dignitatum Ecclesiasticarum, virium ac prærogativarum spiritalium plenitudinem in Episcopatu, ut in primigenio fonte residere; & inde ceu rivulos effluere ordines & potestates omnes sacerdotales, atque in primis Presbyteratum.

X. Quando igitur Presbyter in Episcopalem Ordinem sacra inauguratione adsciscitur, non prior ejus dignitas extenditur: sed tota illi plenitudo superfunditur sacerdotii, cujus rore tantùm aliquo priùs perfusus fuerat: arbori antè tanquam ramusculus coaluerat, tunc in arborem ipse excrescit divinissimam. Poterat Presbyter Deo filios gignere per baptismum: at novæ creaturæ vigorem roburque vegetum non poterat indere. Peccata dimittere poterat, sed hanc ejus potestatem pro arbitrio suo Episcopus coarctabat. Offerre Deo incruentam victimam poterat, sed ea lex invaluerat Apostolico jam ævo, ut nonnisi vel deficiente, vel absente Episcopo, eoque jubente hanc partem sacri muneris impleret; nec nisi Templis, Altaribus, & vasis sacris, quæ Episcopus consecrasset. Denique verbo Dei poterat populos pascere, sed mandante Episcopo, tempusque illi & locum præfigente. Permagna igitur erat hæc Presbyterii potestas, sed precaria, & obnoxia legi & imperio Episcopali. Adde quod hac potestate ita fruebatur ipse, ut ejus in participationem vocare neminem posset: sua ipsi copia sufficiebat, effundi in alios non poterat; dignitas permagna erat, sed sterilis.

XI. Cum Episcopale in fastigium assurget Presbyter, hujus ipsius multiplicis potestatis, cujus hactenus usuram parcissimam nactus erat, consequetur plenitudinem, nullius ex arbitrio pendentem potestatem, summum imperium, & stupendam quandam fœcunditatem. Tunc verè sponsus erit Ecclesiæ, eique filios procreabit per baptismum, quem novo cum auctoritatis incremento celebrabit: Confirmationis sacramento etiam adjecto, perfectos tum demum edet Christianos, quod antè frustra tentasset. Gravium scelerum laqueis implicatos absolvet, sed ea potestatis plenitudine, quæ nullos fines patiatur. Immaculati Agni sanguine asperget aras, & Ecclesias, quas ipse Deo dicabit. Evangelium promulgabit, ut Apostolici maximè hujus muneris summus administrator. Postremò totam hanc potestatem non vendicabit sibi solùm, non jure suo solum exeret, sed & alios ea impartiet: sibi dives peræquè & alios ditare poterit, citra sui dispendium & alios locupletabit.

XII. Dum prima florebat ætas & juventus Ecclesiæ quædam, non paulò constantior & dilucidior erat hæc doctrina. Illius enim felicis & verè aurei ævi Conciliis, & reliqua Scriptorum monumenta testatum faciunt, tunc Presbyteros nec prædicasse, nec baptizasse, nec reconciliasse pœnitentes, nec rem divinam peregisse, nisi absente, vel jubente Episcopo, qui tum sacra hæc munera plerumque unus exequebatur. Confertur igitur Episcopali consecratione proprietas & plenitudo Sacerdotii, summo cum imperio defungendi. Quocircà etiam tum cum Episcopus eadem illa sacramenta conficit, quæ antè Presbyter ipsemet conficiebat, longè splendidior, exertior, & augustior ab eo explicatur potestas. Easdem aquas dixeris fontis & rivuli, eosdem radios solis & luminis orbem illustrantis: sed permagna tamen est horum intercapedo. Easdem quandoque partes Rex & Proreges obeunt; sed longè excellentissima est Regis ipsius in eas incumbentis dignitas & majestas.

XIII. Inde fit, ut & solus Episcopus possit sacerdotali ordinatione mirificas has potestates conferre, utpote qui solus Sacerdotii principatum summum, adeoque & fœcunditatem sortitus sit. Non potest Presbyter Presbyteros creare, quod precario Sacerdotium adeptus sit, & tam parcè, ut vix sua ipsi copia sufficiat, effundi in alios haud possit. At Episcopus de venæ suæ plenitudine locupletans, quoscunque probarit dignos, eo satis documento probat totam Sacerdotii opulentiam à se obtineri. Itaque cum dicit Hieronymus sola ordinandi potestate præstare Presbyteris Episcopos, de simpli-

tudine Episcopalis Ordinis nihil demetit, etsi in angustum eam videatur contrudere. Quisquis enim Episcopis ordinandi potestatem solis vendicat, is profitetur solos Episcopos illam Sacerdotii amplitudinem, eas sacræ potestatis opes immensas esse consecutos, quas refundere in omnes orbis Ecclesias, & in omnium deinceps sæculorum decursus possint.

XIV. Baptismo tinxit aliquos Christus, peccata donavit, sacrificium obtulit, prædicavit, sed hæc omnia proprio sibi & peculiari cum imperio ac splendore peregit, utque Unigenito Patris omnipotentis Filio consentaneum erat. In ipso pectoris penetrali scaturiebat hæc illi potestas, haec à nullo ipse, ab ipso omnes mendicabant; denique ab ipso effundebantur non rivuli duntaxat, sed fontes perennes, qui in orbis usque fines, & ad extremas sæculorum metas redundarent. Sacerdotium ille instituit, exercuit, impartivit, sed ejus instituendi potestatem uni prorsus sibi ita vendicavit, ut cujus in consortium neminem vocaret. Illius impartiendi jus Apostolis, Apostolorumque successoribus Episcopis concessit; illius denique exercendi munus omnibus indulsit Presbyteris. Nemini autem non perspicuum est abundantiore Sacerdotii copia dotatos esse, qui illud non exercent tantùm, sed & ejus exercendi potestatem aliis condonant. Semel institutum est Sacerdotium, & hoc singulare fuit unius Christi decus: at impertiri eo Presbyteros Diaconosque singulos necesse est: hæc porro propria est Episcoporum fœcunditas ac plenitudo ditissima.

XV. Denique non his finibus arctata est Episcoporum dignitas ac magnificentia, ut Sacerdotium exerceant, ejusque exercendi potestate Presbyteros Diaconosque exornent: sed ut Episcopos etiam ordinent, & novellos in dies creent Apostolos, qui pari potestate & ipsi non Presbyteros modò, sed Episcopos pariant. Mira supra modum hæc exuberantia Sacerdotii, ubi non ejus tantùm propagandi fœcunditas suppetit, sed hujus quoque divinæ fœcunditatis donandæ auctoritas. Ecquienim dubium esse potest, quin summa futura sit Solis admirabilitas & præcellentia, qui Soles alios progignere possit, pari luminis copia, pari fœcunditatis gloria pollentes? Huic sanè facilè primas concederet, qui orbem hunc visibilem, Sol illuminat, & fœcundat innumeras hic naturas, qui sua ipse in natura sterilescit.

## CAPUT II. *P.1.l.1.c.2.*

### Sanctorum Patrum testimoniis & argumentis probatur Episcopatu contineri plenitudinem & summum imperium Sacerdotalis Ordinis.

*I. Epiphanii verbis refellitur Aërius, qui Presbyteros Episcopis æquabat. Solus Episcopos Patres Ecclesia gignit.*

*II. Argumenta ex Constitutionibus Apostolicis. Solus Episcopus Christi regnum sacerdotale gestat.*

*III. Ex Ignatio Martyre. In Ecclesia æterni Patris locum & sedem implet Episcopus, vel Christi inter discipulos.*

*IV. Ex Dionysio quem ferunt Areopagitam, Episcopus solus habet & confert summam sacerdotii perfectionem.*

*V. Ex Simeone Archiepiscopo Thessalonicensi, Episcopum exhibet in Ecclesia Patrem, qui principium est sine principio.*

*VI. Hieronymus dum Episcopis adserit confirmandi & ordinandi potestatem, singulari eorum excellentia aperte subscribit.*

*VII. Utroque hoc sacramento perfectio & plenitudo Spiritus sancti conciliatur.*

*VIII. Sanctus Hilarius & Optatus supremum Episcopo tribuunt & universale Sacerdotium.*

*IX. Ex sancto Paciano Episcopi Apostolorum ex asse hæredes & successores sunt.*

*X. Æneas Parisiensis Episcopus aperit, qua ratione cæteros in se Ordines modo longe eminentiore Episcopatus contineat.*

*XI. Goffridus Vindocinensis Abbas Christum existimat Apostolos consecrasse, ut sui Vicarii, apud quos excellentiam & omnipotentiam sacerdotalem deponeret.*

*XII. Guillelmus Parisiensis præcipuam quandam in administrandis Sacramentis omnibus auctoritatem Episcopis attribuit.*

*XIII. A quo adeo Dignitatum Ecclesiasticarum omnium, omnium Beneficiorum collationem.*

*XIV. Quæ hactenus disceptata sunt, Petrus Aurelius in unum coegit & confirmavit.*

*XV. Summa fastigia rationum, quibus sanctorum Patrum consensus declaratur.*

I. DOcet Epiphanius ab hæresiarcha Aërio Episcopis æquatos fuisse Presbyteros, quod eorumdem Sacramentorum ministri essent, iisdemque fruerentur honoribus. *Nullum inter utrumque discrimen est. Est enim amborum unus ordo, par & idem ordo ac dignitas. Manus imponit Episcopus, imponit & Presbyter. Baptizat Episcopus, idem facit & Presbyter. Œconomiam latriæ administrat Episcopus, non minus id facit & Presbyter. Episcopus in throno sedet, sedet & Presbyter.* Explodit mox hunc errorem Epiphanius, & discrimen utriusque hujus Ordinis in eo præcipue locat, quod Episcopus gignat Ecclesiæ solus, non filios tantùm, sed Patres & sacrificos. *Siquidem Ordo Episcoporum ad gignendos Patres præcipue pertinet. Hujus enim est Patrum in Ecclesia propagatio. Presbyter cùm Patres non possit, filios Ecclesiæ regenerationis lotione producit, non tamen Patres aut Magistros.* πατέρων γεννητικὴ τάξις. πατέρας γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ. Epiph. hær. 75. n. 3.

Igitur quidam quasi rivus Presbyter est, qui ne alios quidem rivulos suo ex sinu queat fundere: at Episcopus fons est inexhaustus, à quo non rivi tantùm, sed fontes uberrimi scatent, non dissimili aquarum abundantia.

II. Constitutionum Apostolicarum auctor, quisquis ille est, Episcopatûs dotes præcellentes uno omnes verbo comprehendit, dum ait, Presbyteri esse sacerdotium: τὸ τῆς ἱερωσύνης: Episcopi verò Regiam Sacerdotii dignitatem: τὸ τῆς ἀρχιερωσύνης: Christum denique ex natura sua Sacerdotem esse primum, Regem & Principem: φύσει ἀρχιερέα, τῷ φύσει ἀρχιερεῖ. Quis nesciat Christum inter & Presbyteros, L. 8. c. 46. Constit. Apost. in administrando sive Dei verbo, sive baptismate, seu sacramento quolibet alio, discrimen esse propè infinitum: cùm Christus obtineat Sacerdotii totius regnum, Presbyteri ministerium. Hic porro est sacer & regius principatus, quem Apostolis concredidit Christus, in Episcopos ab illis transfundendum. Quantum est ergo discriminis inter regiæ Majestatis apicem, & cæteras quæ inde religatæ pendent dignitates: tantum inter Episcopalem Ordinem statue & Presbyteralem. Quin & peculiaris ea laus est Sacerdotii præ humanis dignitatibus, quòd hæ exterioribus tantùm ornamentis effulgeant, in animæ penetralia non pervadant: at Ordines sacri penitissimos mentis sinus illuminent, splendidissimos & indelebiles inurant characteres.

III. Ignatius Martyr Episcopis quandoque appinxit personam ejus qui æternus Verbi Dei Pater est. *Omnes sequimini Episcopum, ut Jesus Christus Patrem.* Quemadmodum enim in Patre, tanquam in

fonte tota residet Divinitas, ex qua in alias exundat Deitatis Personas: ita Sacerdotii participata quasi Divinitas tota est in Episcopo, tanquam in scaturigine: unde in cæteros sacrorum ministros derivatur. Quamobrem eodem in loco subjungit vir ille Apostolicus, nullum sacerdotale munus celebrari debere, nisi præsente Episcopo, vel auctoritatem conciliante. *Ubi utique apparet Episcopus, illic multitudo sit; quemadmodum utique ubi est Christus Jesus, illic Catholica Ecclesia. Non licitum est sine Episcopo, neque baptisare, neque Agapen facere.* Id Christus præ se ferebat, quidquid ipse operaretur, Patrem in se operari. *Pater in me manens ipse facit opera.* Quidquid laudis, quidquid gloriæ est in eximiis illis operibus, illius totum est, qui primum est eorum Principium, ex quo in aliis divina eadem vis operandi existit. Alia in Epistola profitetur Ignatius, eum qui paret Episcopo, parere Deo & Patri, tanquam Episcopo universali: *Consentientes ipsi, non ipsi autem, sed Patri Jesu Christi omnium Episcopo.* τῷ αὐτοῦ πατρὶ χριστῷ, τῷ πάντων ἐπισκόπῳ. Et paulò pòst: *Quemadmodum igitur Dominus sine Patre nihil facit, unitus existens: ita nec vos sine Episcopo, nec Presbyter, nec Diaconus.*

*Epist. ad Smyrn.*

*Ad Magnes.*

Aliis in locis Episcopum nobis objicit, tanquam Christi personam circumgestantem, Presbyteros verò tanquam Apostolos, Christi præsentis majestate & luce radiantes. *Revereantur omnes Episcopum, ut Jesum Christum, existentem Filium Patris. Presbyteros autem, ut Concilium Dei, & conjunctionem Apostolorum.* Altiùs protrudi non poterant Presbyteri, nec vel tum tamen Episcopo coæquantur, ut nec Apostoli Christo, in eorundem etiam sacramentorum dispensatione. Totum hoc certè ex alia ejusdem Epistola magis dilucescet. *Omnes Episcopum sequimini, ut Christus Patrem; & Presbyterorum Collegium, ut Apostolos. Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum quæ ad Ecclesiam spectant. Et honora Deum, ut omnium authorem & Dominum; Episcopum verò, ut Principem Sacerdotum, imaginem Dei referentem: Dei inquam propter Principatum, Christi verò propter sacerdotium.*

*Epist. ad Trall.*

*Epist. ad Smyrn.*

IV. Quæsitæ istæ Episcopi cum Patre Christi, cum Christo comparationes, clarissimè demonstrant, compertam exploratamque fuisse vetustissimis Ecclesiæ Patribus hanc plenitudinem & principalem authoritatem, ac primigeniam sacerdotii Pontificaliumque omnium privilegiorum, quæ Episcopatus naturam ipsam constituit, quam imitari, & ad quam accedere inferiores Ordines nullo pacto queant. Dionysius Diaconis tribuit purgandi, Presbyteris illuminandi potestatem, at Episcopis perficiendi. Addit hic Scriptor ne illuminandi quidem vices obire posse Presbyteros per baptismum, si chrismate destituantur, quod ab Episcopo consecratum sit; necesse esse & altaria, & templa in quibus sacris operantur, ab Episcopo dedicata fuisse: initiandos & ipsos fuisse Presbyterio per Episcopalem manus impositionem. Quæ omnia ut in Presbyteris certam & determinatam obnoxiamque potestatem denotant; ita in Episcopis absolutam penitus ostendant & interminatam, in iis etiam fungendis muneribus.

*Eccles. Hier. c. 4.*

V. Hæc tota Dionysii doctrina à Simeone Thessalonicensi Archiepiscopo ita dilucidata est, & quæ capite superiori disputata sunt, ea tam aptè & tam breviter unum in locum conjecta, ut ab illius verbis hic adscribendis abstinere nec possim, nec debeam. Scripsisse existimatur Simeon per ea tempora, quibus Franci Constantinopolitanum Imperium obtinuere. Hinc non injuria illud elicimus, ad hæc usque tempora, ejus doctrinæ, quam hic exequimur, traditionem, in Ecclesia Græca intactam & illibatam viguisse. *Nam gratiam communicativam non habet Presbyter, neque aliquid aliud perfectivum vel illuminativum producere potest, sed baptisma solum, & mysteria perficere: verùm Episcopus illuminandi vim habet, eo quod Patrem luminum imitatur, ipsiusque virtutem abunde possidet, & per ipsum omnis Ordo, omne Mysterium, omne Sacramentum. Ipse enim ordinatione sua & baptizare valet, simul & sacrum unguentum conficere, & quæ ad ministerium & perfectionem, & illuminationem pertinent, perficere, &c. Omnia denique per gratiam Christi præstare. Omnia enim Ecclesiastica ab ipso velut luminis fonte perficiuntur.*

*Simeon Thessal. De sacris Ordin. c. 1.*

Quod Ignatius, quod Dionysius sensit, vides conceptis verbis scripsisse virum hunc doctissimum, dum Episcopum ob oculos ponit, tanquam genuinam ejus imaginem in terris, qui in beatissima Trinitate solus nomen obtinet Patris, quia solus Principium est principii expers, & Personarum omnium divinarumque perfectionum origo exuberans & fœcundissima. Addit aliquantò pòst ab Episcopo dimanare sacerdotium, ut Divinitas profunditur ab eo qui sine principio, ideoque verè solus Pater est: *Etsi una Episcopatûs gratia est, & virtus, & ordo ex Deo primo, & solo Patre, & Episcopò emanans.* Apostolo authore est Christus Episcopus animarum nostrarum. Neminem ergo movere debet, quòd Simeon Patrem quoque eodem nomine designet.

VI. A Græcis ad Latinos propero, quos inter Hieronymus à solo Episcopo conferri Confirmationem auguratur, quòd hac infundatur plenissimè Spiritus sanctus, cujus etiam plenitudine perfusus est ipsa sua ordinatione Episcopus. *In Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipit Spiritum sanctum.* Et id quidem ille institutum affirmat, *ad honorem potiùs Sacerdotii, quàm ad legis necessitatem.* Prorsus acsi diceret, ita sancitum & in mores Ecclesiæ invectum fuisse, ut honos haberetur illi plenitudini sacerdotii & Spiritûs sancti, qua gaudet Episcopus, & cujus rore velut aliquo Ecclesiastici Ordines cæteri asperguntur. Subdit Hieronymus salutem Ecclesiæ aptam nexamque pendere ab egregia & summa Pontificalis potestatis copia, quæ in Episcopo, ut in capite resplendet, ab eoque in cætera membra pro eorum modulo refunditur, ut hac capitis præcellentia & beneficentissima dominatione, totius corporis unitas invictissimè constringatur. *Ecclesia salus in summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quædam & eminens datur potestas, tot in Ecclesiis efficiuntur schismata, quot Sacerdotes.*

*Hier. adv. Lucif.*

VII. Sua Episcopis supra Presbyteros dignitas stabiliri aptiùs non poterat, quàm concessa illis ea Spiritûs sancti & Sacerdotii abundantia, qua soli possunt & fidelibus omnibus perfectionem baptismi adjicere per Confirmationem, & ministris sacris Sacerdotii congruas partes admetiri per ordinationem. Hoc duplici quasi vinculo hinc fideles, illinc Clerici Capiti suo, nimirum Episcopo indivulse connectuntur, à quo consentaneæ sibi quisque sanctimoniæ & potestatis summam consequuntur. Si alibi Hieronymus innuere videatur, sola ordinandi potestate præcellere Presbyteris Episcopus; *Quid enim facit excepta ordinatione Epis-*

*Epist. ad Evag.* *copus, quod non faciat Presbyter?* ejus fortasse menti tunc obversabatur, quarundam Orientis Ecclesiarum consuetudo, ubi Presbyteri cœperant baptizatis manus imponere, ut acciperent Spiritum sanctum, quod ipsissimum erat Confirmationis sacramentum. At verò ne in his quidem Ecclesiis Presbyteri confirmandorum Neophytorum frontem alio chrismate linire poterant, quàm quod Episcopus consecrasset, & ea proinde vi munisset, qua Spiritus sanctus eorum cordibus influeret, quorum frontes eo linirentur.

Plus satis autem jam demonstratum est, sola ordinandi, & Patres Ecclesiæ Presbyterosque suggerendi potestate, abundè comprobari totius gratiæ & auctoritatis Pontificiæ abundantiam. Porro cum alibi idem Hieronymus Luciferianos Schismaticos sugillat, quòd cùm Hilarius eorum auctor & parens Diaconus tantùm ordinatus esset, qualemcumque Ecclesiam condere tam non posset, quàm nec Clericos ordinare; nec Ecclesia censenda sit ulla, *Adv. Lucif* quæ suos non habeat Sacerdotes: *Cum homine secta interiit, quia post se nullum Clericum Diaconus ordinare potuit. Ecclesia autem non est, quæ non habet Sacerdotem.* His verbis sanctus Pater apertissimè prodit, non constare Ecclesiam, non perpetuari, nisi Episcopali ordinandi potestate. Denique fatetur Hieronymus omnes Episcopos Apostolorum in vicem *Epist. ad Marcell adv. Montan.* successisse: *Cæterum omnes Apostolorum successores sunt.* Atqui Apostoli Sacerdotium adepti erant, non pluribus Ordinum quasi rivulis confluentibus, sed fonte ipso simul & semel in eos inundante. Rursus idem alibi: *Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent.*

VIII. Hilarius eorum auctor Commentariorum in Paulum, qui & olim, & non ita pridem Ambrosio ascribebantur, omnes Ordines Episcopatu contineri declarat, quòd Episcopi primi, principes & summi sint Sacerdotes, his enim illi nominibus passim olim ornabantur; nec poterat principatus iste sacerdotii non parem spiritalium virtutum opulen- *In Epist. ad Ephes. c. 4* tiam secum invehere. *In Episcopo omnes Ordines sunt, quia primus Sacerdos est, id est, Princeps Sacerdotum, & Propheta, & Evangelista, & cætera adimplenda officia Ecclesiæ in ministerio fidelium.* Optatus in apice & summo fastigio sacerdotii locat Episcopos, quo nihil ditius, nihil sublimius vel fingi possit. *Quid Diaconos commemorem in tertio, quid Presbyteros in secundo sacerdotio constitutos? Ipsi apices, & Principes omnium Episcopi, &c.*

IX. Pacianus Barcinonensis Episcopus Apostolorum potestate tota donat Episcopos; & hos autem & illos plenitudine universa sacerdotii Christi, qui eos in consortium vocavit suorum nominum; ut Episcopi & ipsi, & Pastores essent, nec vacua & inania nominum ludibria, sed convenientem his nominibus potestatem consequerentur. *Totum ad* *Epist. 1.* *nos ex Apostolorum forma & potestate deductum est. Et Episcopi Apostoli nominantur, sicut de Epaphrodito Paulus edisserit: Fratrem & commilitonem, inquit, meum, vestrum autem Apostolum, &c. Deus illud nobis, ut Apostolorum cathedram non negabit, qui Episcopis etiam unici sui nomen indulsit. Nemo Episcopum hominis contemplatione despiciat. Recordemur, quod Petrus Apostolus Dominum Episcopum nominavit. Sed conversi, inquit, modo ad Episcopum & Pastorem animarum nostrarum: Quid Episcopo negabitur, in quo Dei nomen operatur?*

Vides ut augustissimum illud Episcopi & Pastoris nomen, adrogatum Christo, ab infinita & divina ejus potestate sejungi non potuerit; ideoque cum nomine etiam nominis res & potestas ad Apostolos Episcoposque delapsa sit. *Nos Episcopi, quia Apostolorum nomen accepimus, & Christi appellatione signamur.* *Epist. 3.* Qui ergo de potestate dubitat Episcopi, de Christi etiam potestate dubiter necesse est, quæ cùm in Episcopis plenissima & tota est, tum per eos mira virtute operatur. *Quare sive baptizamus, sive ad pœnitentiam cogimus, sive veniam pœnitentibus relaxamus, Christo id auctore tractamus. Tibi videndum est, an Christus hoc possit.* Quam Christus Apostolis amplitudinem potestatis contulit, hæc ipsa eadem in omnium temporum Episcopos manavit, & manat. *Vides quæcumque Ecclesiæ nascenti dicta sunt, ad plenitudinem Ecclesiæ pertinere.*

X. Æneas Parisiorum Episcopus criminationes eas diluens, quibus Latinos Græci impetebant, atque illud in primis refellens, quod ad Episcopatum sublimare dicebantur, qui Presbyterorum ordinationem nunquam suscepissent; id docere conatur, si qui præposteras istiusmodi & Canonibus infestas Ordinationes celebrarint, eos nimirum præsumptum id animo & persuasissimum habuisse, in Episcopatu eminentissimè contineri perfectionem & potestatem omnem inferiorum Ordinum: quemadmodum inest majestati Regiæ splendor omnis & jurisdictio dignitatum inferiorum. *Quia qui benedictione Pontificali perfungitur, benedictionum reliquarum honore decoratur. Sicut enim in terrarum Rege dignitates diversæ adscribuntur, &c.* *Spicil. To 7. pag. 114.* Itaque Æneæ tametsi res ipsa minimè probatur, videtur tamen placuisse rei ratio, qua ordinationum istiusmodi culpam, ut potest, elevare conatur.

XI. Goffridus Vindocinensis Abbas, ubi de Episcoporum ordinatione sermonem habet, testatur eorum primum consecratorem esse Christum; qui electi enim ab ipso fuerant Apostoli, inaugurati quoque ab eo fuerant, eoque exemplo sancita deinceps fuit lex, cui Vicarii ejus, Apostoli, Episcopique obsequerentur. *Christus primus & elegit Apostolos, & consecravit &c. Hoc sanctum sacramentum electionem videlicet & consecrationem Apostolorum, Christus primus omnium fecit, per quod cætera fierent sacramenta, &c. Hæc priùs per se ipsum Christus fecit, deinde Vicarii ejus, &c.* *Opusculo 2.*

XII. Luculentissimè omnino edisserit Guillelmus Parisiensis Episcopus, qua ratione Presbytero per Episcopatum accedat, non jejuna quædam & fungosa extensio, sed ineffabilis quædam excellentia Sacerdotii, & inexhausta sanctitatis exuberantia ac potestatis, quanta maxima in Sacerdotii naturam & dignitatem cadere potest. *Et quia in solis Episcopis plenitudo potestatis & istorum officiorum perfectio est, manifestum est, Episcopatum plenum & perfectum esse Sacerdotium. Officium enim sacramentandi plenum atque perfectum minores Sacerdotes non habent, quia nec sacramentum Confirmationis, nec sacros Ordines, nec majora sacramentalia impendere possunt. Similiter authoritatem docendi, seu magistros instituendi modicam habent.* *Guillelmus Paris. pag. 523.* Idem mox demonstrat Apostolicæ amplitudinis hæreditatem & successionem plenissimam Episcopis obvenisse: *Quidquid enim Apostolis commissum fuit, commissum fuit & Episcopis. Unde & in sedibus, in quibus sederunt Apostoli, sedent, tanquam pleni juris successores, tanquam loco Apostolica potestatis.* Denique consecrati tradit Episcopos, ut Pontificalis gratiæ & omnipotentiæ cumulus in eos effundatur. *Consecrantur ad complendum & perficiendum, atque ad summum perducendum ipsos, non solum*

*officii plenitudine & amplitudine potestatis, sed etiam ad cumulandum gratia & pinguedine sanctitatis.* Incompta sunt verba, sed rerum & sententiarum gravitas mira.

XIII. Observat præterea idem Guillelmus, diversos quidem esse Archiepiscoporum, Primatum & Patriarcharum gradus, unum verò & eundem esse Episcopatum; Papæ cum Episcopis communem esse Ordinem, jurisdictionem præ illis majorem; denique primas partes tenere Christum in Episcopatûs Ordine. *Ipse Dominus Jesus Christus non plus quam Episcopus est in dignitatibus Ecclesiasticis, secundum quod homo.* Hinc emergit penes Episcopos esse Ecclesiasticarum dignitatum & beneficiorum omnium dispensationem; hos enim in Apostolorum sortem & successionem vocavit Christus, cui cælum & terra morigerantur. *Scire autem debes ad Episcopos, tanquam Apostolorum successores, & tanquam ad Apostolicæ dignitatis pertinere ministros ex ipso Episcopali officio, institutionem Clericorum in Ecclesiis prebendariis, & sacerdotum in Capellis & Parochiis: institutionem inquam plenam, quantum est de jure communi: licèt ex speciali collatione Episcoporum, nonnullis jura Patronorum concessa sint.* Hinc jam liquet, quid causæ fuerit, quamobrem hunc de Beneficiis Ecclesiasticis tractatum ab Episcopali præcellentia ordirer ut, quòd videlicet Episcopatus Ordo omnium antiquissimus & præstantissimus sit, cæteros complectatur, ex illo denique oriantur omnes, & ab illo dispensentur.

XIV. Finem imponet huic capiti celeberrimi horum temporum nostrorum Theologi suffragium, quod nemo felicius in hujus doctrinæ penetralia invaserit. Adde quod antedictorum omnium compendiaria hæc esse poterit inculcatio. Hæc ergo ejus
Petrus Aurelius To. 2 pag. 87. sunt verba: *Christum refert Episcopus, & vicem ejus in terris gerit, ut sæpè docent sancti Patres. Sicut ergo Christi sacerdotium vim omnem sacerdotalem perfectamque pascendi gregis potestatem complectitur: ita ut varias in ea plenitudine & perfectione conclusas potestates distinguere quidem discernereque liceat: dissociare verò & inter se quodammodo discindere, sit piaculum: non secus ac divinitatis ipsius dotes perfectionesque ita distinguimus, ut non dividamus: Sic Episcopatus plenitudinem Sacerdotii & Pastoralis muneris perfectionem natura sua continet, &c. Christus enim perfectionem Sacerdotii à Patre accepit, quando ab illo missus est. Perfectionem deinde Sacerdotii, sive Episcopalem utramque potestatem simul dedit Apostolis, quando misit eos, sicut ipse à Patre missus fuerat, eandem denique perfectionem ipsi tradiderunt Episcopis, mittentes eos, sicut ipsi missi fuerant à Christo.* Hinc ille efficit, Patres dici & esse Episcopos, manante in eos à summo Patre Deo quæ hîc esse potest maxima & præstantissima paternitate. *Ut vera sit Pauli vox, A quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur: nulla enim major in terris paternitas, quàm Apostolica & Episcopalis: quam sibi Paulus idem sumpsit, cùm diceret, Sed non multos Patres.*

Hinc illud quoque ab eo elicitur, Regiæ & divinæ cujusdam dignitatis gloria coruscare Episcopos; quod hoc argumento certissimè efficitur, quòd nemo hactenus Episcopali ordinatione nobilitatus, nemo posthæc nobilitandus sit, cui non statim sua Diœcesis, veluti regnum peculiare adsignetur, quod vel suæ Christique ditioni subjiciat, vel subjectum regat. Non pauci sive Presbyteri, sive Diaconi initiati sunt, & initiantur etiam nunc, sine jurisdictione, sine subditis. At Episcopo non potest non statim cum ipso Ordine indivulsum ab eo Ordine jus & imperium tribui, ut qui Regalis Sacerdotii Christi consors, ejusque regias in terris vices obiturus sit, qui denique vestiatur persona hîc ejus & authoritate, qui in ipsa divinitate Rex, regnique sui in coæquales sibi personas alias dispensator est. *Atque hæc est eminentia dignitatis Episcopalis supra sacerdotalem, quòd sacerdotalis nullam per se jurisdictionem nec includat, nec exigat, utpote imperfectior & Episcopali subjecta: cujus nutu regi, & ad operationes admoveri, non ipsa prosilire debet: ut Canones jam pridem sanxerunt. At Episcopalis dignitas, ut summa, & in suo genere perfecta, jurisdictionem necessariò complectatur, nec sine ea consistat, non magis quàm Regia dignitas, cui sancti Patres Episcopalem dignitatem passim comparant, sine imperio concipi nequit.*

Hoc cursus elicit, quorum sacramentorum ministri sunt Presbyteri, non eo tamen illa splendore, nec ea tanquam regia potestate administrari ab iis posse, qua soli donati sunt Episcopi, tanquam summi Antistites, & in regali Christi sacerdotio principes. *Summa illa potestas Episcopis propria, quæ non ad sacramentum solum Ordinis, sed ad cætera etiam omnia pertinet, revera suppleri non potest à Presbyteris, qui quandiu Presbyteri manent, summam illam Ordinis potestatem, seu summum illud Sacerdotium assequi nequeunt, ita ut summi Sacerdotes efficiantur, quales sunt Episcopi sensu Patrum, quales Christus instituit.* Apostolis quippe potestatem fecit Christus sacramenta quælibet dispensandi. In vicem autem Apostolorum succedunt Episcopi. Hi ergo si quos adsciscunt sibi socios hujus ministerii defungendi, at eximiam quandam sibi reservant & supremam potestatem. Ordine igitur Episcopali non ordinandi tantùm potestas includitur, sed summa etiam jurisdictio, & regnum quoddam spirituale, tum denique exors quædam in conficiendis sacramentis omnibus gloria, & in hierarchicis muniis implendis, Ordinibus quibuscumque inferioribus inconcessa. *Præter consecrationem Sacerdotum Episcopalis Ordo est* Pag. 90.
*potestas summa in sacramenta omnia, & in omnes actiones hierarchicas, quæ ab eo omnes, ut à capite & fonte in Ecclesiis particularibus fluere ac manare debent, ex Christi lege, sicut ab universali Episcopo in totam Ecclesiæ universalis amplitudinem. Quod perspicuè docuerunt Concilia & Patres, dum nihil à Presbyteris aut Diaconis sine nutu Episcopi agendum esse declarant.* 109.
Quod denique Presbyteris etiam ipsis inaccessa sit hæc singularis & verè regia Episcopatûs amplitudo, sic ille tandem concludit: *Atque hæc est excellentia Ordinis Episcopalis, cuilibet Ministrorum inferiorum incommunicabilis. Quod nimirum sit amplissimus quidam fons omnis sacerdotalis sanctionis, in quaque Ecclesia singulari constitutus, à qua omnem aliam in eadem Ecclesia potestatem, & operationem hierarchicam necessariò scaturire oporteat.*

XV. Non injuria ergo ratum illud fixumque fuisse contendemus Patribus & Conciliis olim omnibus, quod hoc toto & superiori capite constitutum est: cùm ejus doctrinæ capita & fastigia summa hæc esse videantur, quæ illorum consensione unanimi firmata sunt. 1. Successione & hæreditate Apostolica plenissimè potitos esse Episcopos, non Presbyteros, non Diaconos. 2. Summos illos esse Antistites, summos Sacerdotes, omnium principes, apicesque. 3. Solos esse Confirmationis & Ordinationis administratores, quo utroque specialiter sacramento plenitudo Spiritûs sancti infunditur. 4. Proprio & innato jure sacramenta omnia ab

illis conferri, quæ precaria tantùm & obnoxia potestate conferunt Presbyteri, olim ne conferebant quidem nisi per absentiam Episcoporum. 5. Non magis posse creari Episcopum, quàm Regem, vel Imperatorem, nisi regno quodam attributo. 6. Non posse Ecclesiam sine Episcopo constare, uti nec corpus sine capite, à quo jugis vitæ fons scaturiat, & in omnes artus perlabatur. *Non enim potest Ecclesia esse sine Episcopo*, atebat olim Chrysostomus, cùm suæ causæ & innocentiæ addictissimos defensores hortaretur obsequi & adglutinari Episcopo, quemcumque sibi per summum nefas depulso suffecissent.

## CAPUT III. *P. 1. l. 1. c. 3.*

### De Titulis insignibus Metropolitani, Archiepiscopi, Exarchi Diœceseos, Patriarchæ, Papæ.

*I. Nomina & jura hæc omnia comprehendit Episcopatus. Cæteris antiquitate præstat Metropolita.*

*II. Per maximas Imperii Metropoles cœptum est à sancto Petro cæterisque Apostolis Evangelium promulgari.*

*III. Unde factum est ut earum civitatum Ecclesia aliarum mater esset & præses. Probatur ex Scripturis.*

*IV. Vetustissimi Canones Sedium Apostolicarum Episcopos solo Metropolitarum vocabulo designant.*

*V. Expenditur sextus Canon Nicæni Concilii, ubi antedicta confirmantur, & majores Metropolitæ tres secernuntur ab aliis, quibus singulis singulæ suberant Provinciæ.*

*VI. Cur tres illi Metropolitæ majores Provinciarum plurium Episcopos ordinarent.*

*VII. Cœpit Episcopus Alexandrinus Archiepiscopus nominari. Quid ita?*

*VIII. Per Nicænam Synodum res omnes in Conciliis Provincialibus finiebantur. Quæ ibi dirimi non poterant, mox cœpere ad Imperatorem referri. Huic malo mederi conata est Antiochena Synodus, vocatis ad Concilium unius Provinciæ vicinarum Provinciarum Episcopis.*

*IX. Medebatur eidem malo Sardicensis Synodus, per appellationes ad Romanum Antistitem.*

*X. Rarò tunc usurpabatur Archiepiscopi nomen.*

*XI. Male illud olebat Africanis Episcopis, ab iisque reprobatum est. Sed in Concilio Ephesino Generali majores illi Metropolitæ eo honestantur.*

*XII. Exarchi Diœceseon in Concilio primo Constantinopolitano primùm creati sunt, qui ea diffinirent, quæ in Provinciali Concilio terminari non poterant.*

*XIII. Concilium Chalcedonense nomen Patriarchæ in usum primò recepit.*

*XIV. Origo ejus nominis.*

I. MOnendus est rursum obiter Lector, Episcopatu, de quo hactenus sermonem habuimus, comprehendi Metropolitas, Archiepiscopos, Patriarchas, sive Primates, & ipsum denique summum Pontificem, Petri in solio sessitantem. Unus enim Ordo summi Sacerdotii, & Episcopatûs, quo omnes fulgent, sola jurisdictionis contemplatione alii aliis eminentiores, ex quo sedium dignitatumque tanta varietas existit, qua Hierarchia Ecclesiastica mirificè venustatur.

Primum omnium Metropolitæ nomen accessit Episcopali, simplex & plenum modestiæ, aptissimumque designando ejus urbis Episcopo, quæ esset secundùm civilem Imperatorum ordinationem, totius Provinciæ Metropolis & caput. Quæ enim Metropolis erat civilis, eadem & in Ecclesia principatum honoris obtinuit; propterea quod cæteri Provinciæ Episcopi ita facilius cum suo veluti capite & præside conferre poterant & consultare.

II. Adde quod verisimillimum est, Apostolos Apostolicosque verbi divini præcones à celeberrimis Romani Imperii urbibus, & à Provinciæ cujusque Capite Evangelii prædicandi initium fecisse. Erat nimirum ex re, & in maximam Ecclesiæ laudem vertebat, ibi maximè idololatriam aggredi & evertere, ubi plurimum poterat, & majore cum fastu florebat. Certissima spes erat, nullo negotio deturbatum iri minoribus locis, si semel esset majoribus depulsa. Lux ipsa veritatis à Provinciæ cujusque celso vertice in urbes reliquas facilè diffundebat sese. Quæ causa fuit B. Petro, ut in maximis totius Orbis terrarum urbibus, Roma, Alexandria, & Antiochia Sedis suæ Principatum collocaret. Scripsit Paulus Epistolas præcipuis tantùm cujusque Provinciæ Civitatibus; quod argumento est plurimum laboris & operæ ab eo illis impensum fuisse. In Apocalypsi sua Joannes ad eas tantùm civitates mentem calamumque convertit, quæ tum insignes erant. Ipse Ephesi maximè commoratus est, quæ totius minoris Asiæ facilè princeps erat.

Ex quibus colligitur, si civiles Metropoles in Metropoles etiam Ecclesiasticas evasere, id eo maximè factum esse, quòd Metropoleon Ecclesiæ cæteras quoque pepererint fundarintque Provinciæ Ecclesias: eo prorsus modo, quo urbis cujusque Cathedralis, cæteris vicinorum oppidorum Ecclesiis ortum dedit, atque adeo maternam in eas dominationem jure est consecuta.

III. Hunc igitur maximarum Imperii civitatum delectum fecere Apostoli, Apostolicique viri: non humano ambitu, quod suspicari nefas est: sed eodem prorsus ducti Spiritu, quo Christus delegit Jerosolymam, ubi Evangelicam doctrinam & prædicando primùm diffunderet, & proprio postea cruore consignaret. Scribit Petrus fidelibus Ponti, Bithyniæ, Galatiæ, Asiæ, Cappadociæ. Ephesus Metropolis erat civilis Asiæ, Cæsarea Cappadociæ, Nicomedia Bithyniæ, Amasæam Ponti. Neminem autem præterit has omnes percelebres fuisse Metropoles Ecclesiasticas primis Ecclesiæ temporibus. Scripsit Paulus ad Corinthios & ad Galatas. Magni porro nominis fuere Metropoles, Corinthus Achaiæ, & Ancyra Galatiæ totius caput. Idem Apostolus reliquit Cretæ Titum, ut per civitatea Presbyteros ordinaret, hoc est Episcopos. Provinciæ universæ cum Ecclesiastica sua Metropoli conjunctionem & societatem idem perspicuè demonstrat, cùm scripta ad Thessalonicenses & ad Corinthios Epistola contestatur se verba facere ad universos, qui Provincias illas incolebant, id est, Achaiam, ubi Corinthus: & Macedoniam, ubi Thessalonica dominabatur. *Qui sunt in Achaia fratres, &c. Et cæteros qui sunt in Macedonia.* Extat ejusdem Apostoli ad Philippenses Epistola, quod ut Thessalonica, ita & Philippi unius Provinciæ Macedoniæ geminum caput essent. Epist. 1. c. 1. 2. Cor. 1. 1. Thess. 4.

His suffragatur Tertullianus, dum ne quis ab indeflexo Traditionum Apostolicarum tramite aberraret, recurrere jubet ad Ecclesias, quas Apostoli ipsi condiderunt imbueruntque limpidissimo Evangelicæ veritatis fonte: *Proximè est tibi Achaia? habes Corinthum. Si non es longè à Macedonia: habes Philippos & Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam.* L. de Præscr. c. 36.

IV. Canon Apostolicus uno & altero verbo Metropolitanum describit: nempe quòd is primus sit, & caput Provinciæ. *Episcopos uniuscujusque gentis nosse oportet eum, qui in eis est primus, & existimare ut Caput.* πρῶτον. ὡς κεφαλήν. Antiochena Synodus hunc innovans Canonem, Metropolitani nomine insignit Can. 33.

insigni primum Provinciæ cujusque Episcopum.
Can. 9. *Per singulas Provincias Episcopos convenit nosse eum qui in Metropoli præest Episcopum.* καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τὸν ἐν μητροπόλει ἐπίσκοπον. A Latinis simpliciter appellabatur primæ sedis Episcopus. Concilium Elibertanum hoc illi præcipuè tribuit, ut ab eo formatæ seu communicatoriæ litteræ acciperentur.
Can. 58. *Maximè in eo loco, in quo prima cathedra constituta est Episcopatûs.* Episcopalibus electionibus præesse jubet Metropolitanum
Can. 12. Laodicena Synodus.

Nicæna Synodus sua Metropolitanis jura confirmat cum ipso nomine: & quamvis Romani, Alexandrini, Antiocheni & Jerosolymitani Episcoporum disertè meminerit, nullo tamen vel nomine, vel titulo quemquam eorum illustriori ornat, quàm Metropolitæ. Quo perspicuè rursus comprobatur, eos qui postea Archiepiscopi, Exarchi, Patriarchæ appellati sunt, solo tunc Metropolitanorum nomine ornatos esse, quanquam spiritalis eorum ditio ac jurisdictio latiùs quàm cæterorum cujusque Provinciæ Metropolitarum pateret. Nicænæ Synodi
Can. 4. 6. verba hæc sunt: *Firmitas eorum quæ per unamquamque Provinciam geruntur, Metropolitano tribuatur Episcopo.*

V. Quod si obstrepentibus tunc frustra Meletianis, asserta est in eadem Synodo Episcopis Alexandrinis vetus illa Episcopos ordinandi potestas, per Ægyptum, Libyam & Pentapolin, quibus tamen Provinciis suos tunc privatim præfuisse Metropolitanos, vix quisquam jure potest ambigere: si eadem Episcopis Antiochenis per Provincias Orientis confirmata idcirco potestas est, quòd Episcopus Romanos Provinciarum etiam complurium Episcopos sine controversia ordinaret, Italiæ videlicet, & adjacentium Insularum: hinc illud manifestè efficitur,
Can. 6. Nicæno hoc Canone declarari, tres illos Episcopos primævæ Ecclesiæ Metropolitas fuisse, & solos initio Metropolitanos fuisse earum omnium Provinciarum, quæ illorum deinceps semper ditioni mancipatæ fuerunt. Unde enim consuetudo illa ortum duxisset, ut Episcopus Alexandrinus Provinciarum illarum trium, Antiochenus etiam quindecim Orientis strictè & propriè dicti Provinciarum Episcopos ordinaret: nisi ex eo quod Episcopi duarum civitatum istarum, ubi permagna statim fuerant incrementa Ecclesiæ, veritatis Evangelicæ lumen affuderant, Episcoposque designaverant civitatibus cæteris circumpositarum Provinciarum, eisque proinde Metropolitico jure præfuerant. Indubitatissimum quippe illud est, priscos Canones ordinandi Episcopos potestatem uni cujusque Provinciæ Episcopo vendicasse. Hinc ergo manarat illa consuetudo, quòd utriusque Metropolis latissimè pateret jurisdictio, & omnes illas complecteretur quondam Provincias, quibus singulis singulos præstitui Metropolitas assensi postea fuerant, ordinandorum tamen Episcoporum vetustissima potestate sua sibi reservatâ.

Præclarior est & indubitatior res hæc tota in Romano Pontifice. Constat enim tempore Nicæni Concilii unum illum, nec præterea quemquam Metropolitico jure & nomine floruisse per universam, aut propemodum universam Italiam, Siciliam, Sardiniamque. Hinc Nicæni Patres Romanam Ecclesiam Ecclesiis cæteris etiam majoribus in exemplum & normam objiciunt. Cùm enim nullusdum per has omnes Provincias Metropolitanus esset, Episcoporum per eas ordinatio ad Romanum Pontificem spectabat. Ita quæ prima & princeps erat orbis Ecclesiarum, specimen erat & documentum, posse complurium Provinciarum Episcopos à Metropolita ordinari. Si sua autem in vastissima ditione nullum adhuc præterea Metropolitam alium creaverat Papa: tametsi in Provinciis sibi obnoxiis Alexandrinus & Antiochenus complures jam ordinassent, qui Metropolitana authoritate singulis præsiderent: ea disciplinæ varietas ab iis manare putuerat causis, quæ nihil prohibebant, quin Alexandrinus & Antiochenus ordinandorum omnium prilca sui Imperii Episcoporum facultatem intactam sibi unis servarent. Hic, ut puto, sensus est celeberrimi illius Canonis Nicæni: verba autem hæc sunt: *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam & Pentapolin, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem. Quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam cæterasque Provincias suis privilegia serventur Ecclesiis. Illud autem generaliter clarum est, quod si quis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definivit Episcopum esse non oportere.* Can. 6.

VI. Privati Libyæ & Pentapoleos Metropolitæ, aliorum exemplo, quibus id juris jamdudum erat, volebant & ipsi Provinciæ quisque suæ ordinare Episcopos. Dispar autem erat ratio & causa, quòd aliorum Metropoles avulsæ non essent ab antiquiore Metropoli, & effusiore, quæ illis jus suum aliud quodcumque sponte cessisset, hoc non cessisset. Nec similitudine veri caret, plurium Provinciarum Episcopos, Romæ, Alexandriæ, & Antiochiæ ordinatos fuisse, quòd opportunitate loci & temporis uterentur; cùm civilia Ecclesiasticaque perinde negotia his maximè in regiis Civitatibus tractarentur. Longa temporum & historiarum serie plus satis manifestatum est, non posse non plures semper Episcopos in regias Civitates, Imperiorum capita confluere, & occasione uti, ut solemni ibi pompa Pontificiam suscipiant ordinationem.

VII. Quoniam autem Episcopi Alexandrini jus maximè in controversiam vocabatur, sive à Metropolitis, sive ab Episcopis, qui uni Metropolitano suo immediatè subjici se debere contendebant: propterea primus omnium Alexandrinus, ut amplitudinem suam præ aliis insigniret Metropolitis, Archiepiscopi sibi nomen assumpsit. Ita Alexandrum Alexandriæ Episcopum, & prædecessorem ejus B. Petrum Martyrem Epiphanius appellat. Provincias quoque pernumerat eidem Archiepiscopo subjectas. *Hic enim mos est Alexandrinorum Archiepiscoporum, ut per totam Ægyptum ac Thebaïdem, Mareotidem, Libyam, Ammonitidem ac Pentapolin, Ecclesiastica negotia administrent.* Epiph. Hær. 68 c. 1 & 7. Verùm illud quoque observes velim, Meletium Thebaidis Metropolitanum, qui Alexandrino suberat, ab eodem Epiphanio Archiepiscopum dici. *Meletius Thebaidis in Ægypto Archiepiscopus, & Alexandro subjectus, rem omnem ad Archiepiscopi aures detulit.*

Dubitationem tamen habet, an ipsis Petri & Alexandri temporibus jam esset in usu nomen Archiepiscopi: an illud eis è suorum temporum consuetudine sumptum Epiphanius tribuerit. Refert enim ipse Arii & ejus asseclarum epistolam ad Alexandrum, ubi Papam illum & Episcopum appellant, Archiepiscopum nequaquam. In Concilio Antiocheno, uti & in Nicæno Metropolitani solum nomen invenies. Et cùm necesse esset supra Provinciæ Concilium, aut agnosci aliquod, aut institui tribunal, ubi quæ in Concilio non poterant, causæ finirentur: nullum tamen aut Archiepiscopum, aut Exarchum, aut Patriarcham Antiochena Synodus indigitat, à

quo possit convocari Concilium celsius & universalius Provinciali.

VIII. Ad Concilii quippe usque Nicæni tempora causæ omnes Ecclesiasticæ in Concilio cujusque Provinciæ definitæ fuerant: paucissimæque incurrerant lites, quas plurium Provinciarum judicio sopiri necessum fuisset. Nicæni Patres solius meminere Provincialis Synodi, ubi & controversias omnes finiri sanxere. Cur tam modestè & pacificè omnia gererentur, id causæ fuit, tum residuus primigeniæ fervor Ecclesiæ, tum difficultas majora congregandi Concilia, dum persecutionum tempestas sæviret, & turbaret omnia. Postea verò exortæ in Conciliis dissensiones animorum, suffragiorum secessiones, Metropolitanorum aut Provinciarum mutuæ contentiones satis superque demonstrarunt, non posse Provincialibus Synodis jurgia omnia sedari. Ideo interpellati non rarò Imperatores, ut aut universale Concilium, aut certè Provinciali superius & generalius convocaretur, ad disceptandas causas, in quibus plures inter se Provinciæ collidebantur. At illi ipsi Episcopi, qui in rebus Ecclesiasticis & spiritalibus Imperatoris potestatem accersiverant: aliquando tandem animadvetterunt, quanta hinc labes posset Ecclesiasticæ invehi disciplinæ. Novam ergo protinus juris formam moliti sunt instituere, ut ne causæ Ecclesiasticæ ad tribunalia sæcularia deferrentur. Antiochenum & Sardicense Concilia, eodem ferè tempore in id incubuere, sed diversas omnino iniere vias, illud in Oriente, in Occidente istud. Statuit enim Antiochenum, ut Presbyteri, Diaconique, quos Provinciale Concilium graviore nota inussisset, ad majus & numerosius Episcoporum

Can. 12. Concilium appellare possent. *Oportet ad majus Episcoporum converti Concilium, & quod putaverint habere jus, ad plures Episcopos referre: eorumque examinationem & judicium suscipere.* Si ad Imperatores autem querelas deferrent, ne unquam restitui possent Ordini, aut dignitati, qua deturbati essent. *Si molesti fuerint Imperatori, hos nulla venia dignos esse.*

Aperitur ibi paulò pòst, quale futurum sit majus illud Episcoporum Concilium, in quo causæ retractabuntur jam judicatæ, aut quæ judicari requisiverint in Synodo Provinciæ: nempe ubi decernitur, si in capitali causa Episcopi scindatur in alias & alias sententias Synodus Provinciæ, à Metropolitano Provinciarum viciniarum Episcopos invitari debere, qui cum eis Provinciæ Præsulibus causam fi-

Can. 14 15. niant. *Metropolitanus ex propinqua Provincia alios evocet judicaturos, & controversiam decisuros: & cum Provincialibus quod probatum fuerit confirmet.* Quòd si quis Episcopus unanimi coëpiscoporum Provinciæ omnium consensione damnetur, ei jam nulla sit ad majus provocandi Concilium facultas.

IX. Consentiebat mirum in modum hæc disciplinæ ratio cum ea quam obscuriora & procellosa tenuerant Ecclesiæ sæcula. Sic enim tum coaluere Concilia quædam extraordinaria: cujusmodi fuere illa, quæ Antiochiæ adversùs Paulum Samosatenum eximiæ ejusdem urbis Episcopum habita sunt. Conveniebant scilicet Metropolitæ complures & Episcopi viciniores cum Episcopis ejus Provinciæ, quæ pernicialis dissensionis igne conflagrabat.

At Sardicensis Synodus in hoc ipsum collimans, ut oblitteraretur consuetudo, quæ paulatim invalescebat, ad Imperatorem causas Ecclesiasticas referendi: aliam rationem secuta est, quæ superiorum temporum disciplinæ non minùs esset consentanea: & in sacris præterea litteris fundamentum haberet. Cùm enim Petro dederit Christus supra cæteros Apostolos Primatum & eximia Capitis dignitatem: cumque cæteris Apostolis cæteros omnes Episcopos, Petro Romanos Pontifices succedere jusserit: cùm denique sanxerit Ecclesiam suam in æternum unam esse, & indivulsis nexibus cohærentem, omnium Episcoporum cum suo Capite unione: hinc apertè liquet, si unius Provinciæ Episcopi in Concilio suo peculiari consentire non possent, & si quæ plures inter Provincias lites sererentur, hanc omnium optimam & expeditissimam pacandæ discordiæ & revocandæ pacis viam fuisse, si interponeretur Capitis auctoritas, ejus videlicet, in quo centrum unitatis & communionis Ecclesiasticæ Christus fixisset. Hoc secuta est Synodus Sardicensis, tum ut B. Petri memoriam honoraret: *Beati Petri memoriam honoremus, &c.* tum ut ipsis vestigiis insisteret, quæ videbatur impressisse divina Providentia, rerum temporumque omnium moderatrix, cùm Cæcilianus Primas Carthaginensis, & Athanasius Alexandrinus Archiepiscopus Romam demum profecti sunt, cùm neutri quidquam opis aut spei reliquum esset in vicinis Episcopis, aut usquam alibi, præterquam Romæ, adversùs iniquissimas Synodorum machinationes, quibus sedibus suis extrusi fuerant. Can. 3. 4 7.

X. Verùm cùm gemina hæc Concilia solius meminerint Metropolitani, fatendum est nullum nomen illustrius aut magnificentius hactenus in Ecclesiæ usu fuisse. Marcus Diaconus in ea vita quam scripsit beati Porphyrii Cæsareæ in Palæstina Metropolitani, Chrysostomum non rarò Archiepiscopum appellat. Inde suspicari posset quis, usitatius tunc esse cœpisse hoc nomen, idque acerbius ferentes Africanos Episcopos Concilii III. Carthaginensis, cui intererat Augustinus; id nomen proscripsisse, ut quod novum esset, & sæculi magis fastum ac dominationem redoleret, quàm modestiam & humilitatem Ecclesiæ ministris accommodatam. Vetuit ergo hæc Synodus, ne quis deinceps summus Sacerdos, aut Princeps Sacerdotum, quod idem est ac Archiepiscopus, diceretur. *Vt primæ Sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, aut summus Sacerdos, sed tantùm primæ Sedis Episcopus.* Can. 26.

XI. Cùm sola novitas minùs æquam peperisset hujus nominis interpretationem, brevi & cum novitate ipsa evanuit vocis invidia, ac dominationis suspicio illi affricata. Re igitur tota maturiùs pensitata, deprehensum est magnifica hæc in speciem nomina Archiepiscopi, Principis Episcoporum, summi Sacerdotis, non aliam sivè originem, sive significationem habere, quàm primæ Sedis: aut primæ cathedræ Episcopi. Primatum enim dumtaxat & primam Sedem hæc indicant. Quis enim dixerit Archipresbyteri aut Archidiaconi nomine formidolosam Presbyteris aut Diaconis aliis dominationem intentari? Si fas erat Afris, primum inter Presbyteros, vel Diaconos Archipresbyteri, vel Archidiaconi nomine donare, eccur invidiosum erat Archiepiscopum dici, qui primus esset inter Episcopos? Primus & Princeps Latinè idem sonant. Principem locum tenet, qui primum. Qui ergo primus, idem Princeps erat Sacerdotum; & qui Latinè Princeps Sacerdotum, eodem sensu parique modestia Græcis Archiepiscopus dicebatur.

Quanquam autem tam dilucida hæc sint & eliquata, ab Archiepiscopi tamen vocabulo abstergi non potuit invidia, nisi aliquanto pòst temporis intervallo; nec nisi in prima Ephesina Synodo Generali primariis totius orbis Episcopis apertè tri- Ann. 430. Conc. Ephes. Act. 1.

butum est. Ibi persæpe Cyrillus ab aliis, nonnunquam & à seipso Archiepiscopus appellatur; eodem honestatur nomine ab ipsa Synodo in Epistola ad Imperatorem scripta de Nestorii depositione. Idem nomen Cælestino Papæ ibidem, & à Cyrillo, & ab aliis datur. Impartitus est & eadem nominis gloria à Pseudosynodo sua, cui eodem tempore Ephesi non intererat tantùm, sed præerat Joannes Antiochenus. Quin & eodem appellationis honore ibidem gaudet Memnon Ephesinus Episcopus; adeo ut solis tunc Primatibus aut Exarchis Diœceseon id tunc nomen tributum fuerit.

XII. Usu jam tum receptum erat in Oriente, ut Exarchi Diœceseon dicerentur majores illi Metropolitæ, qui Metropolitis minoribus aliis præfecti erant pluribus, pluribusque Provinciis, quarum sub uno Capite consociatio, Diœcesis dictitabatur. Quæ nunc familiari Gallorum idiomate Diœcesis dicitur, videlicet tota ditio uni Episcopo subjecta, olim non diœcesis, sed Parochia nuncupabatur. Diœceses autem Latinis olim Ecclesiis, maximè autem Africanis dicebantur, quæ nunc usitatiùs Parochiæ appellantur, vici nempe, villulæ, oppida, suis quæque Parochis subdita, & unius Episcopi ditione circumscripta. Ita etsi non recedamus ab antiqua nominum consuetudine, duplex tamen Diœceseon genus erit secernendum. Diœceses enim majores erunt, quæ plures Provincias in unum veluti corpus compaginabant, unique suberant Exarcho; minores autem Diœceses erunt, quæ per agros sparsæ à singulis Presbyteris reguntur. Græca ea vox est, sed alio & alio sensu donata à Græcis atque à Latinis, ad quos ab illis derivata est.

A Constantino, sive ab Imperatore alio aliquo ortum duxerat civilis hæc dispositio, quæ Orientales Provincias in varias distribuerat Diœceses. Ex antedictis abundè patuit, nullam earum habitam esse rationem, sive in Nicæno, sive in Antiocheno Concilio. Illas prima invexit, aut invectas memoravit in Ecclesiasticam politiam Synodus prima
An. 380. Constantinopolitana. Iste enim ibi Canon conditus
Can. 2. est: *Episcopi qui extra Diœcesin sunt, ad Ecclesias quæ extra terminos eorum sunt, non accedant, neque confundant & permisceant Ecclesias. Sed secundùm regulas constitutas, Alexandriæ quidem Episcopus ea quæ sunt in Ægypto tantùm gubernet. Orientis autem Episcopi solius Orientis curam gerant, servatis honoribus primatus Ecclesiæ Antiochenæ, qui in Regulis Nicænæ Synodi continentur. Sed & Asianæ Diœcesis Episcopi ea quæ sunt in Asia, & quæ ad Asianam tantummodo Ecclesiam pertinent, gubernent. Pontici autem Episcopi Ponticæ tantùm Diœcesis habeant curam; Thraciæ verò ipsius tantummodo Thraciæ.*

Radiant in hoc Canone majores tres Diœceses, Romana, Alexandrina, & Antiochena; totidem minusculæ, Asiana, Pontica, Thracica. Romana hîc innuitur, cum laudatur Regula Ecclesiastica, hoc est Canon Nicænus: expressè autem declaratur Ca-
Can. 3. none sequenti, quo Ecclesiæ Constantinopolitanæ honoris & consessus prærogativa conceditur, post antiquam Romam. In hac Constantinopolitana Synodo affirmat Socrates institutos esse Patriarchas. Hos intellige, aut de Exarchis; aut de eximiis quibusdam Episcopis ibi designatis, qui essent Communionis Catholicæ veluti capita; quod illis tunc quidem temporis honoris forsan gradum aliquem supra alios Episcopos contulit. Argumento esse potest quòd Gregorius Nyssenus Episcopus, qui horum in numero erat, Metropolitanis accenseatur in

ea sub Nectario Synodo, ubi ventilata est causa Arabiæ Episcoporum. Verùm id privilegium personæ fuit, non Sedis.

Redeo ad Exarchos. Decrevit Chalcedonensis Synodus, si Clerico, aut etiam Episcopo lis & causa sit aliqua adversus Metropolitanum, posse eam referri ad judicium Exarchi, *Petat Exarchum Diœce-* Can 9. 17.
*seos*, aut ad Episcopum Constantinopolitanum. Hoc in Concilio Exarchi nomine donatus est etiam Episcopus Antiochenus. Legitur hoc ipsum Exarchi Diœceseos nomen in Actis Berythensis Synodi, quæ Actione decima Concilii Chalcedonensis perlecta sunt.

XIII. In hoc ipso denique Chalcedonensi Concilio Patriarchæ nomen primò usurpatum reperias. Ita Theodosius Imperator in suis, & ad Valentinianum Imperatorem & ad Gallam Placidiam litteris Leonem Papam appellat. Actione Concilii ejusdem tertia, libelli supplices quatuor, qui ibi lecti sunt, quorum unus erat Presbyteri, duo Diaconorum, quartus autem laici cujusdam adversus Dioscorum, ita inscribuntur, *Leoni Archiepiscopo univer-* Conc. Calced. Part. 1.
*sali, & Patriarchæ, Patriarchæ œcumenico.* Idem Leoni, & Leoni soli tributum est nomen in lætis faustisque acclamationibus Concilii: *Leonis multi anni: Patriarchæ multi anni; πατριάρχου πολλὰ τὰ ἔτη.* Nec c. 29. 30.
dissimulandum tamen est, Actione secunda ejusdem Concilii, Magistratus civiles qui aderant, Exarchos Diœceseon Patriarcharum nomine affecisse.

XIV. Non aberrabit ergo à vero, qui existimaverit ut Archiepiscopi nomen initium habuerat ab Episcopis Alexandrinis, utpote quod apud ipsum legatur Athanasium in Apologia secunda: ita Pag. 612.
Patriarchæ nomen à Romanis Pontificibus ortum Edit. Commel.
duxisse, & deinde cæteris Exarchis ac Primatibus esse collatum: ita ut vertente quinto sæculo Principibus quinque Ecclesiæ Episcopis fuerit commune. Nihili certè faciendum existimo, quod in Pseudo- In subscript.
synodo Ephesina Dioscorus Alexandrinus dictus sit Olympii Episcopi Evazomen.
à nescio quo Oecumenicus Patriarcha. Cæterum abhorret à veri etiam similitudine, Patriarchæ nomen irrepsisse in Ecclesiam à Patriarchis Judæorum: multò minùs à Montanistis, quibus suos fuisse Patriarchas memorat Hieronymus. Patriarchas appel- Hier. Epist. 54.
lavit Socrates Exarchos Diœceseon, aut Com- Socrat. l. 5. c. 8.
munionis Catholicæ Principes à Concilio Constantinopolitano constitutos. Gregorii Nazianzenus & Naz. Orat. 20. 41 72.
Nyssenus clarissimos suorum temporum Episcopos Nyss. Orat. de Magno Episc.
Patriarchas vocant, dum eos conferunt cum Patriarchis Testamenti veteris, quorum in illis virtutes reviviscebant. Hinc propius à vero abest, in usum Ecclesiæ vocem illam venisse. De Papæ demum nomine sermo erit capite sequenti, ubi & tempus indigitabitur, quo summo Episcopatûs vertici, Petri successori cœpit adrogari, cùm priùs usitatissimè Episcopis quibuslibet adscriberetur.

---

## CAPUT IV. *P. 2. L. 1. c. 1.*

Præsulibus quidem omnibus communia fuisse nomina Papæ, Apostoli, Præsulis Apostolici, Apostolicæ Sedis Episcopi: sed ea tamen jam tum singulari quadam cum honoris prærogativa Romano Pontifici attributa sunt.

*1. Hæc nomina divinam quandam potestatem sanctitatemque præ se ferunt.*

*II. Galliarum Episcopi, Papa & eorum Cathedra, Apostolica Sedes appellitabantur.*

*III. Ita tamen ut suus Romana Sedi, & pra cateris eximius honor servaretur.*

*IV. Servos servorum Dei sese ipsi scribebant, & à Regibus quoque Apostolici vocabantur.*

*V. In Hispania Metropoles, salvo honore Romana cathedra principatus, pro Sedibus Apostolicis habebantur.*

*VI. Pontifices ipsi unitati & aqualitati Episcopatûs assentiebantur, ut qua imitaretur divinarum Trinitatis personarum unitatem, & salva origine atque subordinatione aqualitatem.*

*VII. In Africa Carthaginensis Episcopus Apostolicus dictus,*

*VIII. In ipsa urbe Constantinopolitana supra Patriarcham eminentius sedet Papa, prasidetque.*

*IX. Idipsum in Conciliis, & fit, & probatur maxime.*

*X. De Papa nomine, & quo demum tempore Episcopo Romano uni adscribi caperit.*

I. TAmetsi Petri successori & Christi in terris Vicario sæpiùs & luculentiùs tributa fuerint splendidissima hæc & sanctissima nomina, Papæ, Apostoli, Apostolicæ Sedis Præsulis: fatendum tamen est etiam tribus his, quæ à Clodoveo Francorum Rege ad Caroli usque Imperium fluxere sæculis, ea Episcoporum omnium communia fuisse. Momenti oppidò magni duo hæc sunt, quæ capite isto elucidanda & comprobanda adgredior, ut amplitudini Episcopatûs universalis, & præcellentiæ ejus qui Caput est & centrum, lucis aliquid & gloriæ nostra hac opera accedat. Neque enim augustissima ista nomina, eorum similia sunt, quorum vanissimo rumore homines gloriæ cupidi delectantur: sed quæ verissimam spirent sanctitatem, divina quadam potestate suffultam.

II. Fortunatus Pictaviensis postea Episcopus Euphronio Turonensi Episcopo in hæc verba scribit: *Domino sancto & meritis Apostolico domino Euphronio Papa, &c. Apostolice & peculiaris domine & pater, &c. Apostolatui vestro me commendans, &c. Sanctitati vestra me commendans.* Felici Nannetensi Episcopo in hunc modum: *Domino sancto, & Apostolica Sede dignissimo Patri, Felici Papa.* Claromontanum autem Episcopum ita compellat: *Domino sancto, & Apostolicis actibus praconando.* Similiter Siagrium Episcopum Augustodunensem, *Domino nostro, & Apostolica sede dignissimo.* Quin & Radegundis Regina ita Episcopos scripta ad eos Epistola affatur: *Dominis sanctis & Apostolica sede dignissimis Patribus.*

*L. 3. poëmat. & Opusc.*
*L. 4.*
*Greg. Turo. L. 9 c. 42. Baron. an 590 n 29.*

III. Avitus Episcopus Viennensis Episcopum Jerosolymitanum magnificis iisdem titulis ornat: *Papa Jerosolymitano. Exercet Apostolatus vester concessos à Divinitate Primatus: & quod principem locum in universali Ecclesia teneat, non privilegiis solùm studet monstrare, sed meritis.* Romanum porro Pontificem absolutè Papam dum vocat idem Avitus, quantum verborum detrahit, tantum accumulat gloriæ: *De his qua Papa dicebantur objecta.* Nec verò Romanos cives Primatûs Petri minùs amantes esse vult ille, quàm fuere Imperii: *Nec minùs diligatis in Ecclesia vestra Sedem Petri, quàm in civitate apicem mundi.* Denique si quis Papam aut defendit, aut impetit, ab eo censet, non ex Episcopis unum aliquem defendi, aut imperi, sed ipsummet Episcopatum. *At si Papa urbis vocatur in dubium, Episcopatus jam videbitur, non Episcopus vacillare.* Propterea ergo statuit Symmachum Papam, ab æterno Pastore ac Judice, à quo commissa ei erat Ecclesia, judicari oportere. *Reddet rationem, qui ovili Dominico praest, qua commissam sibi agnorum curam administratione dispenset. Caterùm non est gregis proprium pastorem terrere sed judicis, &c. Qua ratione vel lege ab inferioribus judicetur?* His consentiebat & Synodus Romana, quæ Avito teste, *causam quam penè temerè susceperat, inquirendam, divino potiùs servavit examini.* Ex his facilè intelliges, quo sensu scripserit idem Avitus *Papa*, id est Episcopo Constantinopolitano, Romanum Pontificem, ipsumque *velut geminos Apostolorum Principes esse, &c. velut in cœlo positum Religionis signum pro gemino sidere.* Nec verò nescius erat Avitus unum esse inter sidera, diei ac rerum omnium parentem Solem, unum inter Apostolos cæterorum caput, ac principem Petrum: *Sic quondam Petrus Apostolorum Caput, id est Principum Princeps.*

*Epist. 23.*
*Epist. 31.*
*Epist. 7.*
*In Fragm. pag. 159.*

IV. Hoc uno nomine humillimè & sanctissimè gloriabatur Desiderius Cadurcensis Episcopus: *Servus servorum Dei*: quod & ab ipso gloriæ Rege sumpserat, qui venit non ministrari, sed ministrare, *Ego in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat.* Unde & ejus proprium deinde factum est nomen, quem Christus habet in terris modo quodam singulari Vicarium, ut ejus esset humilitatis imitator primarius, qui primas acceperat potestatis. Coepiscopos sane suos Desiderius idem iisdem titulis, de quibus sermo est, prosequitur cum ad eos scribit, *Apostolico Patri, Dodoni Papa.* Et Epistola alia: *Rogo Apostolicam dignationem vestram.* Parem & illi vicem referunt, dum ad eum scribunt: *Apostolica sede dignissimo Papa & Patri.* Imò & ipsi Reges ad Episcopos: *Apostolica sede dignissimo Patri Desiderio Sigebertus Rex.* Iisdem verbis usus est Childebertus Rex ad Pontificem Romanum: *Domino sancto & Apostolica sede colendo in Christo Patri Joanni Childebertus Rex.* Iisdem & Clodoveus ad Episcopos Galliæ: *Orate pro me, domini sancti, & Apostolica sede dignissimi Papæ.* Carolus Major-Domus, ubi Bonifacium Papæ Legatum commendat Episcopis: *Dominis sanctis, & Apostolicis in Christo Patribus Episcopis.* At Concilia III. IV. V. Aurelianensia, & Arvernum II. sive Claromontanum Ecclesiæ tantùm Romanæ *sedem Apostolicam* adsignant.

*Matth. 20. 28.*
*Luc. 22. 27.*
*Bibl. Patr. To. 9. p. 415. & cat. Epist. 10. 11. Ibid. 1. 3. 6. 9. 17.*
*Anno 508. Du Chesne Hist. Franc. To. 1. p. 868*
*Bonif. epist. 32.*

V. Isidorus Hispalensis Patriarchas & Archiepiscopos omnes sedibus Apostolicis donat: *Patriarcha Graca lingua summus Pater, quia primum, id est, Apostolicum retinet locum. Archiepiscopus gracè summus Episcoporum: tenet enim vicem Apostolicam.* Alio loco omnes Episcopos Apostolicis thronis invehit: *Siquidem & cateri Apostolorum Petro par consortium honoris & potestatis acceperunt, qui etiam in toto orbe dispersi Evangelium pradicaverunt; quibusque decedentibus successerunt Episcopi. qui sunt constituti per totum mundum in sedibus Apostolorum.* Nec nescivit tamen Isidorus, quo Petrus jure cæteris antepositus sit Apostolis à Christo, qui illum suum ipse in locum subrogavit: *In novo Testamento post Christum, sacerdotalis Ordo à Petro Apostolo cœpit, ipsi enim primus datus est Pontificatus in Ecclesia Christi. Sic enim ad eum Dominus, Tibi dabo claves regni calorum.* Et alio in loco: *Quod verò de parilitate agitur Apostolorum, Petrus praeminet cateris, qui à Domino audire meruit, Tu es Petrus, &c. Pasce agnos meos, &c. Honorem Pontificatûs in Christi Ecclesia primus suscepit. Cujus dignitas potestatis etsi ad omnes Catholicorum Episcopos est transfusa, specialiùs tamen Romano Antistiti, singulari quodam privilegio, velut capiti, cateris membris celsior permanet in aternum. Qui igitur debitam ei non exhibet reverenter obedientiam, à capite sejunctus, Acephalorum schismati se reddit obnoxium.* Idalus verò Barcinonensis Episcopus ad Archiepiscopum Toletanum ita scribit: *Juliano Toletana prima Sedis Apostolo.*

*Originum L. 7. c. 12.*
*De Offic. Eccles. l. 2. c. 5.*
*Ibidem.*
*Epist. ad Eugen. Tolet. Episc. pag. 697.*
*Acheriani Spicil. To. 1. pag. 313.*

VI. Episcopatûs illam & Apostolatûs in Papa & Episcopis æqualitatem & unitatem, sospite & in-

fotacta inferiorum erga superiores obedientia, scitissimè propalat Symmachus, dum adorandæ Trinitatis formam proponit, ubi cum origine, emanatione, & missione æqualitas, & cum ordine unitas mirè consistit: *Epi. 2. Sym.* *Nam dum ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum sit per diversos Antistites sacerdotium: quemadmodum priorum statuta à sequentibus convenit violari?* Formulam professionis fidei & communionis Catholicæ præscripsit Hormisda Pontifex, cui & subscripsere post Joannem Patriarcham Constantinopolitanum Orientis omnes Episcopi. Istud autem erat inter alia multa ejus Professionis capita diligentissimè notandum: uti Ecclesiæ omnes una tantummodo Ecclesia sunt: ita thronos omnes Apostolicos sedesque omnes Episcopales ubique terrarum, unam esse solùm sedem Apostolicam. Petri sedi individua copula cohærentem. *Post Epist. 40. Hormisdæ.* *Sanctissimas Dei Ecclesias, id est, Superioris vestræ, & novellæ illius Romæ unam esse accipio; illam sedem Apostoli Petri, & istius Augustæ civitatis unam esse definio.* *In disput. con. Aceph.* Bis mille & quingentis ab Episcopis Orientalibus hanc Professionem subscriptam fuisse testatum facit locupletissimus Autor Rusticus Diaconus.

VII. Ejusdem doctrinæ nova suppeditat documenta, quæ his temporibus sub Vandalis oppressa *Anno 525.* jacebat Ecclesia Africana. Ita enim in Concilio Carthaginensi supplicem libellum Bonifacio Carthaginensi Episcopo oblatum Monachi cum Abbate ordiuntur: *Spicil. To. 6. pag. 2. 3. 6.* *Rogamus, beatissime, & Apostolica dignitate prædite, Christi venerande Pontifex, &c. Tui Apostolatûs orationibus nos commendamus.* Simile veri est habitam in his esse rationem ejus potestatis, qua Carthaginensis Episcopus supra cæteros Africæ Episcopos eminebat. *Vt tanta Sedis, quæ totius Africæ Ecclesiæ Primatum tenere cognoscitur, defensione muniti.* Idcirco & hi tunc Monachi cùm se Carthaginensis Præsulis ditioni & tuitioni commisissent, ab Episcopi Diœcesani jure & potestate immunes deinceps se fore sperabant, ut suo loco dicemus.

VIII. Quamvis autem Apostolatûs & Sedis Petri, cujus partem singuli habent Episcopi, una sit & æqualis potestas: nulli tamen non exploratum est, Romano Præsuli Afros omnes semper confessisse Episcopos, quippe qui & jure quodam singulari successerit Petro, & omnium caput sit Episcoporum, vocatus non in partem, sed in plenitudinem, cum sollicitudinis, tum potestatis. *L. de Incar. & Grat.* *Duorum magnorum luminarium Petri & Pauli verbis, tanquam splendentibus radiis illustrata, eorumque decorata corporibus, Romana, quæ mundi Caput est, Ecclesia.* Verba hæc sunt Fulgentii Ruspensis Episcopi.

Addendus & Possessor Africanus Episcopus, qui ad Hormisdam Papam scribens, ea illi adscribit, quæ non possint nisi Petri & Pauli ex asse hæredi & successori competere. *Inter Epist. Hormisdæ.* *Quis majorem circa subjectos sollicitudinem gerit, aut à quo magis nutantis fidei stabilitas expectanda, quàm ab ejus Sedis Præside, cujus primus à Christo Rector audivit, Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.*

Quod verò ad Orientem attinet, Joannes, qui Hormisdæ successit, Constantinopolim profectus, supra Epiphanium ejusdem urbis Patriarcham sedit, eam consessus honorificentiam gnarus deberi principatui Apostolicæ Petri cathedræ: *Joannes Byzantium veniens, & invitatus ab Epiphanio Patriarcha, non consensit, usquequo Epiphanio præsideret, utpote Papa Romanus.* Verba hæc sunt Anastasii Bibliothecarii in historia sua, sectantis vestigia Theophanis in Chronographia: ἐν δεξιῷ ἐκάθισεν, ἕως προεκάθισεν ὁ Ῥώμης. Auctore similiter Marcellino Comite, *dexter dextero Ecclesiæ sedit solio.* Addit infra idem Theophanes, Menæ Patriarchæ Constantinopolitani nomen, quod primum erat in sacris diptychis, posteriore loco perscriptum fuisse, ut priore Vigilius Papa & scriberetur, & nominaretur.

IX. In Concilio Oecumenico VI. Papæ nomen uni Romano Præsuli tribui videtur, ita ut manifestissimis documentis anteponatur, & Constantinopolitano, qui ibi Patriarcha, & Antiocheno, qui nominatur Archiepiscopus. *Agathoni orthodoxo Papæ, multos annos. Georgio orthodoxo Patriarchæ multos annos, &c. Audiens Macarius Archiepiscopus Antiochiæ, &c.* *Act. 8.* Quod affectatum nominum discrimen sæpiùs ibidem observari potest. Synodalis ad Pontificem Epistola ita inscribitur: *Sancto & beato Papæ senioris Romæ.* Et illa quidem quina exemplaria Synodalium Actorum quæ ad quinque primas Sedes ex antiquo more missa sunt, Apostolicas sedes tribuunt Constantinopolitanæ Ecclesiæ, & Alexandrinæ, perinde ut Romanæ. At Romana sola dicitur sedes Petri, ut Marci Alexandrina. *Apostolicæ Sedi sancti & principis Apostolorum Petri, sive Agathonis Papæ.* Quare & Macarius Patriarcha Antiochenus, & cæteri, in quos, propter invictam in defensanda hæresi pertinaciam damnationis sententia vibrata fuerat, *probationi sanctissimi Papæ traditi sunt.* *Actio 18.* Quidquid statuerint Trullanæ Synodi Episcopi de commentitia illa æqualitate Papæ & Patriarchæ Constantinopolitani, quasi æqualibus privilegiis illos frui par esset: ἴσων πρεσβείων; non dissimulant tamen ne ipsi quidem secundas tantùm tenere Constantinopolitanum: *Vt qui sit secundus post illum.* Nec ulterius quidquam ambiit Episcopus Constantinopolitanus, sive in Constantinopolitana prima Synodo, sive in Chalcadonensi.

X. Observandum denique nobis est, quanquam Episcopis olim omnibus nomen Papæ communicatum fuisset, ineunte tamen sexto admodum sæculo, ad unum Pontificem Romanum illud revocari cœpisse. Episcopum Romæ, aut Papam Romæ nominat Liberatus; at post Agapeti tempora solo Papæ nomine Romanos designat Episcopos. *Agapetus Papa ordinatur, &c. Papæ & Senatui Romano scribens Rex, &c. Papa Constantinopolin profectus est, &c. Augusta Papa minas intentante, in hoc Papa perstitit, &c. Tunc Papa Menam ordinavit.* *Cap 18 21. 22.* Vbi verò de Sylverii Papæ exilio historiam texit, ita Imperatorem alloquitur Episcopus Patarensis: *Multos esse in hoc mundo Reges, sed non esse unum sicut ille Papa est super Ecclesiam mundi totius.* Sexta Synodus dum Imperatorem affatur, Agathonem nuncupat Episcoporum orbis totius Patrem & summum Papam: *Sanctissimi Patris nostri & summi Papæ.* Synodicæ quoque litteræ inscribuntur Papæ senioris Romæ. Imperator ipse inde ad Leonem secundum Papam scribens, *Archiepiscopum Romæ vocat, & Papam Oecumenicum?* *Act. 18.* Quæ jam satis multa sunt, ut evincatur obtinuisse jam tum in Oriente & Occidente, ut Papæ nomine solus deinceps Romanus Pontifex decoraretur. Siqua autem posthac his contraria occurrant exempla, id ex eo fit utique, quod non invalescat rei cujusquam usus, nisi lentis quibusdam incrementis; & paucissimæ sint consuetudines tam altè infusæ & tam latè diffusæ per orbem, quibus non exceptiones aliquæ adversentur. Sic in sexta Synodo Cyrus Episcopus Alexandrinus gaudet adhuc Papæ nomine. *Vide infra L. 2. c. 30. n. 14.*

## CAPUT V. *P. 3. l. 1. c. 5.*

**Mutua inter Romanos hinc Pontifices, inde Galliarum Imperatores, Reges, & Episcopos concordia permagno utrisque & præsidio fuit, & ornamento, dum Caroli Magni stirps rerum potita est.**

*I. Amplitudo Romanæ Ecclesiæ & Gallicani regni majestas aptissimo nexu sese mutuo colligantur.*

*II. Nomenoius Armoricæ Dux adversùs Reges nostros dum se commovet, totis Episcoporum & Pontificum viribus statim impetitur.*

*III. Carolus cognomento Calvus Rex Francicus perfidiam fratris Germaniæ Regis molitionesque Episcoporum & Pontificis ope eludit.*

*IV. Religio Regum solium firmat, dum subditos confirmat in obsequio.*

*V. Expedit plerumque Episcopis, ut Pontificis authoritate fulciantur.*

*VI. Hincmarus expertus confessusque tandem est, nutare Episcoporum authoritatem, si Pontificis summi patrocinio destituantur.*

*VII. Aliis ab Oriente & Occidente exemplis constat, Apostolica Sede niti Episcoporum omnium Cathedram.*

*VIII. Summus Pontifex vinculum pacis & conciliator extitit inter utrumque Orientis & Occidentis imperium.*

*IX. Fatetur Hincmarus Romanam Ecclesiam novam esse novi Testamenti Hierosolymam, dubiis in rebus adeundam.*

*X. Ad eam orthodoxis consultissimum esse, ut si qua inter regna varia graviores controversia oboriantur, ea in commune tradicentur, conciliatore eo qui totius Ecclesiæ Caput est.*

*XI. Existimat ipsi jure suo Pontificem indulgere veniam, ubi Episcopi ex canonum rigore indixerint pœnam.*

*XII. Quid senserit Hincmarus de præcellentia & amplitudine Sedis Apostolicæ.*

*XIII. Quid eadem de re senserit Fulco successor ejus, & Alcuinus.*

*XIV. Animadversiones in illam Constantini donationem, quæ circumfertur, & qua fingunt ipse Romanos Pontifices ornasse Imperatoriis insignibus.*

*XV. Carolus Magnus Pontifices consultat de dubiis ad Religionem pertinentibus. Illum imitari debuerant Orientis Imperatores.*

*XVI. De dissensione familiæ Imperatoriæ sub Ludovico Pio, quæ & ipsos distraxit Episcopos.*

I. QUis non divino quodam consilio factum putet, ut Carolus Magnus ad Imperii culmen eodem ipso tempore promoveretur, quo ad summum gloriæ & amplitudinis fastigium Romana cælitus vocabatur Ecclesia. Illustri scilicet documento posteris, eadem fore Romanæ Sedi & Coronæ Francicæ incrementa dignitatis, communesque gradus ad honorum apicem. Auctam terrenis ditionibus Ecclesiam Regum Francorum munificentia & tuitione nemo ambigit. Ast eorundem pietate, legibus & obsequio stabilitam sacram Pontificum authoritatem, habitamque reverentiùs, disputationis hujus series prodet. Tam uberem rerum copiam, quàm vix liber unus absolvat, uno concludere capite, non ita facile fuerit. Verum hoc argumentum nec prætermitti omnino potuit, nec fusiùs pertractari. Quippe ut ampla sit materies, operis tamen & instituti nostri nonnisi pars est, eaque exigua.

II. Nomenoius Armoricæ Dux excusso simul utriusque dominationis jugo, Romanæ & Franciæ: quarum jura religiosè conjuncta, communemque esse causam intelligebat; increpitus est ab universis quartæ Synodi Turonensis Episcopis, ut qui inciturisset in offensionem totius orbis Christiani; & dum litteras Legatosque Sedis Apostolicæ aspernatus esset, violata Capitis majestate, totum in se concitasset corpus Ecclesiæ. Ergo non potuisse non in eum exardescere Episcoporum indignationem, qui ut Apostolorum successores sunt, ita Apostolorum Principi successoribusque ejus aspersa contumelia, in ipsos redundasset. *Omnem læsisti Christianitatem: dum Vicarium B. Petri Apostolicum, cui dedit Deus Primatum in omni orbe terrarum, sprevisti, &c. Ne litteras quidem ipsius recepisti. In eo igitur læsisti Apostolos, quorum est princeps Petrus; læsisti Episcopos, qui jam cum Deo regnant in cælis, & miraculis coruscant in terris; læsisti & nos, qui etsi non habemus eorum meritum, idem tamen divina gratia possidemus officium.* Porro litteræ illæ Pontificiæ, quæ contemptum habitæ sunt à Nomenoio, virum contumacem ad debitum Regibus obsequium revocabant. Ann. 849.

III. Ludovicus Germaniæ Rex cùm Carisiacensis Synodi Episcopos à fratre suo Carolo Calvo abalienare studuisset, hoc ab ipsis responsum tulit, haud posse se ab eo Rege desciscere, qui voter sacrorum solemnia inauguratus esset ab Episcopis, & Romani Pontificis litteris bonestatus. *Cum illis Archiepiscopis & Episcopis, qui consensu & voluntate populi regni istius, dominum nostrum fratrem vestrum unxerunt in Regem, sacro chrismate, divina traditione: quemque sancta Sedes Apostolica mater nostra litteris Apostolicis, ut Regem honorare fin iuit, & confirmare.* Ann. 858.

IV. Utroque hoc exemplo patet, quàm verè scripserit ad eundem Carolum Calvum Nicolaus I. Pontifex, vim & robor Apostolicæ Sedis præsidio esse, & munimento, non Ecclesiis tantùm, sed temporalibus quoque Potestatibus; quas Religio dum divinitus institutas docet, sacrosanctas quoque & verendas populis facit, multò faciliùs validiusque, quàm præliarum minis armorumque fremitu obtineri possit. *Privilegia namque Romanæ Ecclesiæ totius sunt Christi, ut ita dicamus, remedia Ecclesiæ Catholicæ. Privilegia inquam Petri arma sunt contra omnes impetus pravitatum & munimenta atque documenta Domini Sacerdotum, & omnium prorsus qui in sublimitate consistunt, imò cunctorum qui ab eisdem Potestatibus diversis afficiuntur incommodis.* Sæpius tamen Principibus Ecclesiæ necessaria est tuitio Apostolicæ Sedis. Epist. 30.

V. Concilii II. Trecensis Præsules precibus quàm poruere humillimis flagitarunt à Joanne VIII. Pontifice, suprema sua auctoritate ut tuerctur sententiam, qua sacrits erant interdicturi prædones sacrilegos, qui in Ecclesiæ prædia invaserant: quippe coërcendæ effrænatæ libidini impar erat tunc Episcoporum authoritas sola. *Nos famuli atque discipuli vestra authoritatis, &c. Vestra authoritate nobis subveniri cum omni mentis humilitate deposcimus, ut censura Apostolica Sedis muniti, robustiores & promptiores deinceps contra Ecclesiasticarum rerum raptores sacrique ministerii Episcopalis contemptores, nos successoresque nostri persistere valeamus.* Ann. 878.

VI. Videbimus alibi num puduerit Reges clarissimos ab arce Romana quærere aliquid præsidii labanti Imperio suo. Observate in præsens juvat præstantissimos quosque Episcopos, ut dignitati suæ consultum esset, adiisse supplices Apostolicam Sedem, & enixè postulasse, ut sua sibi prisca confirmarentur privilegia, utque ne Ecclesiis suis abdicari exturbarique possent inconsultâ Ecclesiâ Romanâ. Hincmarus Remensis Archiepiscopus, quem antea Lotharius dejicere de gradu in Ebbonis restituendi gratiam contenderat, his ipse verbis ad Pontificem Nicolaum scripsit, quibus alii quinque Metropolitani, plurimique ex Trecensi Synodo Episcopi subscripsere. *Summissa devotionis obsequio vestri* Ann. 867.

*Apostolatùs exaramus magnificam beatitudinem, ut more prædecessorum vestrorum, quæ de statu sacri Pontificalis Ordinis ab iis statuta, & imprævaricabili authoritate firmata sunt, ut immota de cætero maneant: mucrone Apostolico quorumcumque Metropolitanorum temeraria præsumptione suppressa, &c. Ita ut nec vestris, nec futuris temporibus, præter consultum Romani Pontificis de gradu suo quilibet Episcoporum dejiciatur, sicut eorundem antecessorum vestrorum multiplicibus decretis, & numerosis privilegiis stabilitum modis mirificis extat. Videlicet ne aliqua varietate & vilitate summus ordo Diaboli administratione mutare, aut irregulariter labefactari sinatur.*

Experimento proprio his Episcopis perspectum erat, tam incertam instabilemque fore dignitatem suam, quàm Principum gratiam, nisi inconcussa petra niteretur, ejusque Pontificis patrocinio, quem longè impensiùs colerent Reges, quàm qualescumque ditionis suæ Episcopos. Ab his non dissentiebat Carolus Calvus in ea quam statim post Concilium Trecense ad eundem Nicolaum Papam scripsit epistola, ubi affirmabat non potuisse à Ludovico Pio Ebbonem Remensi Archiepiscopatu orbari, sine assensu Papæ Gregorii, quem an oraret incertum esset, certum non exorasse; cùm in Ebbonis locum suffectus ab eo nemo sit, unde post Ludovici Pii mortem quasi postliminio restitutus suæ sedi est Ebbo: *Domnus Imperator Gregorio Papæ dirigit, ejus assensum, si fieri potest, in depositione Ebbonis expostulans, &c. Credimus, quia si in abjectionem Ebbonis domnus Imperator prædecessorem vestrum fautorem habuisset, continuò vacanti Ecclesiæ illi alium Pontificem subrogasset.*

VII. Hinc Episcopos commonuit Nicolaus Pontifex, cordi ipsis & curæ esse debere, ut Romanæ Ecclesiæ dignitas eminentissima retineretur, quæ ipsorum esset columen, & qua eversa idem in omnes ingrueret turbo, quo esset nuper Rothaldus
*Epist 32.* Episcopus dejectus: *Privilegia Sedis Apostolicæ tegmina sunt, ut ita dicamus, totius Ecclesiæ Catholicæ. Privilegia inquam hujus Ecclesiæ munimina sunt contra omnes impetus pravitatum. Nam quod Rothaldo hodie contigit, unde scitis, quod cras cuilibet eveniat vestrûm?*

Horum privilegiorum defensioni impensurum se palam profitetur idem Pontifex, quidquid sibi vitæ & sanguinis superesset: nec obscurum certè ille invicti hujus Apostolicique vigoris specimen edidit, Photio, qui Patriarchalem Constantinopolitanam sedem per vim conscenderat, destituto, restituto Ignatio, excluso à sacris Senatu & Imperatore ipso, quòd in Patriarcham legitimum conspirassent, missis ad omnes Orientales Patriarchas istiusmodi litteris, quæ integritatem cum suprema authoritate constantiam commendarent.
*Nicetas in vita Ignatij.* *Photium tyrannum pronuntiat & deponit, asseclas illius ipsumque Imperatorem cum Senatu ejus omni, per litteras à cœtu fidelium excludit. Quæ Nicolaus cùm divino zelo inflammatus egisset, æquissimam judicij sui sententiam ad Orientis Patriarchas transmisit.*

VIII. Non minùs enituit summa hæc authoritas in veneratione & obsequio Regum & Imperatorum erga Pontifices in rebus gravioris momenti. Dum Leonis Imperatoris, qui primus sacras imagines insectatus est, fortiter minas repelleret Gregorius III. Papa, palam contestatus est, si aliquo adhuc esset in loco apud Occidentales Imperator Orientis, Apostolicæ Sedi referendas esse gratias, quam illi impensissimè colerent & amarent: hactenus illud fuisse proprium munus Romanorum Pontificum, Orienti Occidentem conciliare, & utriusque Christiani orbis pacem constringere: denique tanta veneratione habitum à Principibus Occidentis successorem Petri, acsi Deus terras incoleret. *Testis est* *In Anteactis Synodi 2.* *Deus quascumque ad nos misisti epistolas auribus cordibusque Regum Occidentis obtulimus, pacem illorum tibi ac benevolentiam conciliantes, teque laudantes ac mirificè efferentes. Idcirco etiam Laureata tua receperunt, &c. Scire debes, Pontifices qui pro tempore Romæ fuerunt, conciliandæ pacis causa, sedere tanquam parietem intergerinum, septumque medianum Orientis & Occidentis, ac pacis arbitros, & moderatores esse, &c. Sanctum Petrum omnia Occidentis regna, velut Deum terrestrem habent, &c. Totus Occidens sancto Principi Apostolorum fide fructus offert.*

Luculentiùs id comprobavit Carolus Magnus, qui fidei illibatæ merito, constantisque cum Romanis Pontificibus concordiæ, totum pene Occidentem victricibus subegit armis. In spem ineundi cum tanto Principe fœderis, Constantinum Ireneș filium Imperatorem Constantinopolitanum adduxit Hadrianus Papa, modò suum in Oriente redderet sacris imaginibus cultum. *Sicut Carolus Rex Franco-* *Act. 2. Nicæn. Synodi 2.* *rum, & Longobardorum, & Patricius Romanorum nostris obtemperans monitis, atque adimplens in omnibus voluntates, omnis Hesperiæ Occiduæque partis Barbaras nationes sub suis prosternens conculcavit pedibus, omnipotentatum illarum domans, & suo subjiciens regno adunavit.*

Narrat Anastasius Bibliothecarius, missum se Constantinopolim, tum Ludovici Imperatoris, tum Hadriani II. Papæ mandato, ut contrahendas inter utriusque Imperatoris liberos nuptias promoveret, Ludovici nempe filium inter natamque Basilii. Res tantæ utilitatis ad pacem utriusque Imperii, tantæ necessitatis ad libertatem Ecclesiarum sanciendam firmandamque, sine summi Pontificis interventu confici non poterat, si quæ fides haberi debet huic Scriptori: *In tam pio enim negotio, & quod ad utriusque* *In præfat. VIII. Synodi.* *Imperii unitatem, imò totius Ecclesiæ Christi libertatem pertinere proculdubio credebatur, præcipuè summi Pontificii vestri quærebatur assensus.*

IX. Quò dignitatis & fastigii Sedem Romanam extulerint, per duo hæc vel tria sæcula Imperii Carolini, maximi quique & doctissimi Præsules, docebit nos ante alios Hincmarus Remensis: cui nempe visum est iisdem gaudere privilegiis Romanam Ec- *To.2.p.150* clesiam in Christiano orbe, quibus Hierosolymam quondam inter Judæos: *Privilegium quod Jerusalem propter infidelitatem & negationem Filij Dei perdidit, hæc confessione B. Petri promeruit, & non ab homine, neque per hominem, sed per Jesum Christum, sicut Petrus & Paulus Apostolatum, ita & hæc sancta Sedes omnium civitatum meruit principatum.* Et sicut adiri summum Pontificem, ejusque & sacri apud Hierosolymam Seniorum consessus suprema authoritate definiri jussit Lex Mosaica, siqua de moribus aut doctrina oriretur gravior contentio; ita referri debere ad Petri Cathedram de rebus eisdem judiciorum summam, censet Hincmarus; idque potissimùm in Occiduis regionibus, quæ huic Sedi, & fidei integritatem, & sanctitatem morum ferrent acceptam. *De om-* *Ibid. 561.* *nibus dubiis ac obscuris, quæ ad rectæ fidei tenorem, vel ad pietatis dogmata pertinent, sancta Romana Ecclesia, ut omnium Ecclesiarum mater & magistra, nutrix ac doctrix est consulenda, & ejus salubria monita sunt tenenda, maximè ab his qui in illis regionibus habitant, in quibus divina gratia per ejus prædicationem omnes in fide genuit, & catholico lacte nutrivit, &c.*

X. His verbis orditur Hincmarus tractatum, quem scripsit de divortio Lotharii Regis & Reginæ

Tetbergæ. Contendebant nonnulli causam illam per Metropolitanos & Episcopos regni, cui præerat Lotharius, dijudicandam esse, summotis cæteris quibusque. At contra mirificè demonstrat Hincmarus, in unum quoddam Regis Regum Imperium coaluisse omnia Christiani nominis Imperia; ideoque ad omnes pertinere causarum graviorum judicium, quæ privatis primùm in Conventibus agitatæ, in generali demum Synodo expendendæ sunt, ubi sub oculis & arbitrio summi Pontificis ratum vel infectum maneat, quidquid erat antè privatim consultatum: Pag. 683. *Unum regnum, una Christi columba, videlicet sancta Ecclesia, unius Christianitatis lege, regni unius, & unius Ecclesiæ, quanquam per plures regni Principes & Ecclesiarum Præsules gubernacula moderentur. Sed & hæc de qua agitur, talis est causa, quæ generaliter ad omnes Christiano nomine insignitos pertinere noscatur. De Rege enim & Regina, de lege conjugii ratio versatur, &c. Quapropter si eam necesse est definiri, vel definitam à cunctis agnosci, sicut debet ab omnibus observari, &c.* Nec multò pòst allegatis Africanis Conciliis: Pag. 686. *Quibus omnibus demonstratur, quia Synodus comprovincialium Episcoporum judicia, generalis autem Synodus comprovincialium dijudicationes sive dissensiones, vel probet, vel corrigat: Apostolica verò Sedes comprovincialium & generalium retractet, refricet, vel confirmet judicia.*

XI. Perillustri Hincmarus suam ipse observantiam in primæ Sedis Præsules approbavit exemplo; cùm deposito in solemni Episcoporum conventu Rothaldo Suessionum Episcopo: confessus tamen est integrum esse Pontifici Episcopale istud retractare judicium, imò & pristinam in dignitatem redintegrare Rothaldum, ea indulgentia, quæ summis potestatibus, ut prorsus consentanea, ita & familiaris est. To. 2. pag. 250. & seq. *Nullam habere possumus verecundiam de restitutione illius, si foret f[...]a à vestri summi Pontificatûs pietate. quia omnes senes cum junioribus scimus, nostras Ecclesias subditas esse Romanæ Ecclesiæ, & nos Episcopos in primatu B. Petri subjectos esse Romano Pontifici, & ob id salva fide, quæ in Ecclesia semper viguit; & Domino cooperante florebit, nobis est vestræ Apostolicæ authoritati obediendum.*

Et rursum multis præfatus, Ecclesiam à Christo superstructam esse Petræ, & Petro, Petrique successoribus singulariter concreditam; ista mox addit: *Supra fundamentum Apostolicæ Petræ suam fundavit Ecclesiam, quam & ante passionem & post resurrectionem suam speciali cura & singulari privilegio B. Petro, & in illo suis commisit Vicariis.* Addit rursum constituto hoc inconcusso Petri, Petrique sedis spiritali principatu, non gravari Reges & Principes obsequi Pontificum Decretis, quibus nimirum persuasum est, suos Regibus cives tantò lubentiùs obtemperaturos, quantò ipsos viderint cælesti Regi, æternæque legi esse morigeros. *Et quicumque viderit vel audierit, quod Rex & Episcopi Apostolicæ sedis summum Pontificem promptè obaudiunt & honorant, & promptiùs & humiliùs ei subjecti sui obedient.* Paulò inferiùs autem de restitutione Rothaldi Episcopi: *Si vestræ pietati placuerit illum restituere, ut primæ Sedis ac matris & magistræ omnium Ecclesiarum Pontificis, cunctorumque Episcoporum Patris atque Magistri regulare judicium ferre convenit, æquo animo feram.*

Et rursum: *Si judicium nostrum pro quacumque causa fortè rationabiliore, & adhuc nobis incognita, vestræ summæ authoritati, quam multa nobis occulta non transeunt, placuerit refragari, quia meum est, mea vobis obediendo committere, & non vestra judicia discutere, sustinebo, & non recalcitrabo.* Denique quanti illud est erga sacram Sedem obsequii, quantæ observantiæ, cum ait, juris esse Pontificum, quæ judicaverint Episcopi, retractare: at esse muneris Episcoporum, supremæ Sedis placita tanquam ex ore Dei, cui vicariam vocem commodat, excipere. *Vos videbitis quid inde facto melius erit, & nobis in judicio vestro videndum est, quid Deus velit, quoniam injusta esse non poterunt divina judicia, quæ à soliditate confessionis Apostolicæ Petræ, adversùs quam inferi portæ, id est, suggestiones vel operationes pravæ non prævalebunt, dictante justitia proferemur.*

Ita sentit, ita loquitur ætatis suæ Præsul facilè doctissimus, idemque vindex acerrimus Gallicanæ libertatis, & dignitatis Episcopalis. En alia denuo ejus verba, quibus testatam facit propensam suam in Pontifices reverentiam: *Non quòd vestris Apostolicis jussionibus vel diffinitionibus resultare modo quolibet vel in modico velim, qui sicut Domino famulus, & Patri filius in omnibus factis facere & *parere Apostolicæ vestræ authoritati desidero.* Ibid. p. 381. Rursum alibi idem censet Deum ipsum ex Apostolica sede, quæ sua est, librare ac dividere, his pœnas, illis præmia, pari æquitatis pietatisque moderamine: *Quoniam in eadem Sede Dominus velut in throno suo præsidens, aliorum facta examinat, & cuncta mirabiliter, ut videlicet de Sede sua dispensat.* Pag. 405. Præcipit denique Episcopis cujusdam Provinciæ, ut secundùm Romanum Pontificem, precibus & obsequiis Metropolitanum suum juvent. *Justum esse perpenditur, ut Papa Romano prælato, ei à vobis orationis devotio, & obeditionis dilectio expendatur.* Pag. 437.

XII. Non ambigebat Hincmarus, quin Sylvester Papa per Legatos præfuisset Nicænæ Synodo. *Cui ad vicem Sylvestri præsederunt Osius Cordubensis Episcopus, Victor & Vincentius Presbyteri urbis Romæ.* Quin Julius & Sylvester eandem confirmassent: *Julius Nicænam Synodum Apostolicæ sedis authoritate per se, sicut prædecessor illius Sylvester per Legatos suos firmavit.* Pag. 460. Quin denique omnium Episcoporum judicia & decreta, Apostolicis judiciis decretisque quodammodo accensenda essent, cùm à Petri Sede scaturierint tot leges regulæque Ecclesiasticorum judiciorum. *Quique Catholici Episcopi secundum sacros Canones & decreta Sedis Apostolicæ Pontificum, quæque decernimus & judicamus, Apostolica Sedes & Catholica Ecclesia, in nobis, pro Apostolis creatis Episcopis, ut in ordinandis coordinat, ita & in decernendis canonicè condecernis, & in judicandis conjudicat. Nos autem qui sacros Canones & decreta Sedis Romanæ Pontificum sub ipsius Apostolicæ Petræ judicio exequimur, nihil aliud quàm justè judicantium fautores, & justorum judiciorum executores; obedientiam sancto Spiritui, qui per eos locutus est, & Sedi Apostolicæ, à qua rivus religionis, & Ecclesiasticæ ordinationis; atque canonicæ judicationis profluxit.* Pag. 462.

Non facilè quisquam assequetur amplitudinem Sedis Apostolicæ, nisi eum hoc eruditissimo Præsule sibi ponat ob oculos fontem ditissimum, ex quo se per Occidentales plagas Religio effuderit: ubi ordinati, unde missi ad Ecclesiarum propagationem & regimen prodierint Episcopi: unde tot ad mores regendos & ad judicia tuenda Canones fluxerint: ut in tam variis rivulis agnoscas nitorem, puritatem, ubertatem divini fontis unde manarunt, & adhuc fluxu continenti promanant.

XIII. Doctissimo Hincmaro magnæ doctrinæ vir successit in Sede Remensi Fulco: pronissimus & ipse in obedientiam summæ Sedi debitam. Flodoardus breviarium Epistolarum ejus & Consultationum in negotiis intricatissimis historiæ suæ attexuit.

Subjectum

Subjectum se ille, & servum profitebatur Papæ, à quo fratris nomine decorabatur. Flodo. l. 4, c. 1. *Stephano gratiarum actiones referre curavit, quia fratris eum & amici vocabulo voluerit honorare, quod ipse tamen nolit appetere, sed magis servus & subjectus existere.* Simillimum veri est, Alcuinum litteris & pietate notissimum aperuisse Carolo Magno per epistolam, quo gradu & ordine collocaret uterque eorum, tria illa summæ dominationis capita, humano generi à Deo præstituta, Romanum Pontificem, Imperatorem Constantinopolitanum, & Regem Carolum Magnum: Epist. 11. *Nam tres personæ in mundo altissimæ huc usque fuerunt; Apostolica sublimitas, quæ B. Petri Principis Apostolorum sedem vicario munere regere solet. Alia est Imperialis dignitas, & secundæ Romæ secularis potentia. Tertia est Regalis dignitas, in qua vos Christi dispensatio Rectorem populi Christiani disposuit.*

XIV. Hac in Epistola Alcuinus videtur alludere ad Constantini donationem, cujus fama, qua latissimè patet Oriens Occidensque, totum orbem pervaserat. Alienum esset à nostro hîc instituto, in illam donationem inquirere. Quæstionem illam occuparunt viri ij, quibus haud ægrè concedimus. Abundè nobis est, quòd duobus his tribusve sæculis donatio hæc indubitata sit habita. Hinc quippe certò colligitur, eo dignitatis & præstantiæ jam tum Ecclesiam Romanam pervenisse, ut speciem quandam veritatis adderet his ejus privilegiis, quæ ibi commemorantur. Hæc paucis complexus est Æneas Parisiensis Episcopus in eo opere quod adversùs Græcos lucubravit. Tradit hic Constantinum relictâ cælesti ac sacerdotali Pontificum imperio dominatrice gentium Roma, concessisse Byzantium: ut ne duo summi Principes, veluti duo Soles, majore lucis copia, mutuò sibi officerent. Spicil. To 7 pag. 111. *Constantinus Imperator pro Dei amore & Principis Apostolorum honore, sua sponte thronum Romanæ urbis reliquit, dicens non esse competens, duos Imperatores in una civitate simul tractare commune Imperium, cùm alter foret terræ, alter Ecclesiæ Princeps, &c. Bizantium adiit, Constantinopolim sedem Regiam fecit, Romanam ditionem Apostolicæ sedi subjugavit, nec non etiam maximam partem diversarum Provinciarum eidem subjecit, &c. Ut apicem omnis Principatûs Romanus Papa super omnem Ecclesiam, ejusque Pontifices perenniter velut jure regio retineret.* Subjungit hujus donationis exemplaria servari in variis Galliæ bibliothecis. *Cujus exemplaribus Ecclesiarum in Gallia consistentium armaria ex integro potiuntur.*

Abstinuisset Præsul doctissimus ab hoc monumento Græcis ostentando, nisi ejus fidem æquè apud eos constare comperisset, atque apud Latinos. Accedit Balsamonis authoritas, qui donationem integram suis in Nomocanonem Photii Commentariis inseruit. Ibi Constantinus ipse Pontifices præ Imperatoribus honore ac potentia evehit. Nomoc. Tit. 7. c. 1. *Ut sicut sanctus Petrus est Dei in terris Vicarius, ita etiam Episcopi, successores Principis Apostolorum, principalem in terra habeant potestatem, amplius quàm nostra gloriæ imperatoria Majestas. Et sicut Imperatoria nostra potestas in terra honoratur & colitur, ita etiam decernimus coli & honorari sanctam Romanam Ecclesiam: & plusquam Imperium nostrum, terrenam sedem, sancti Petri cathedram gloria affici & extolli.*

Omnibus mox eos exornat insignibus Imperatoriæ Majestatis, summo nempe fastigio congruis, ad quod eos sublimabat. *Præterea etiam diadema, seu coronam capitis nostri, simul etiam lorum & superhumerale, quod Imperatorium collum circumdat, & purpuream clamidem, &c.* Conscendenti in equum Pontifici affuisse se loco ministri, laudi sibi ducit: *Tenentes equi frænum, propter reverentiam sancti Petri, stratoris officio functi sumus.* Quid plura? Traductam à se Constantinopolim sedem Imperii memorat, ne parum religiosè dominari videretur Imperator in ea civitate, ubi primariam Imperii sacerdotalis Cathedram cœli arbiter erexisset. *Quod ubi est principale sacerdotium, & caput Christianæ Religionis datum à Rege cælorum, non est æquum ut terrenus Imperator illic habeat potestatem.*

Utut conficta sit hæc donatio, non eò debilior fuerit vis nostræ argumentationis. Quis enim ejusmodi fabulis fidem dedisset, nisi præsens rerum status fecisset probabiles? Ast ubi tot honorum titulis insigniti, tantæque præcellentiæ & pompæ revera compotes fuere summi Pontifices, prona facilisque fuit largitionis Constantinianæ persuasio. Piguit nempe indagare curiosiùs, quibus initiis ducta suprema illa potestas, ad illum sensim progressa esset gloriæ apicem, & unde proficisci potuisset; hinc esse revera profectam, creditum est, quòd laterent nimirum antiquissimæ hujus pompæ & majestatis primordia.

Latinorum sanè permagni ad gloriam intererat tantum illud tueri decus, quo Ecclesiæ Occidentalis excellentia præ Orientali constabat: nec suspectam habuere fidem donationis ejus, quæ Pontifici non largiretur, nisi ea ipsa ornamenta, quæ illi longa jam possessione firmata erant. Græcis conducibilius visum fuisset, donationis hujus fidem elevare, nisi hæc eos delusisset spes, fore ut hoc ipsum potestatis culmen Episcopo Constantinopolitano communicaretur, cui Concilium primum in eadem urbe habitum omnia veteris Romæ privilegia secundùm ipsam contulisset. Aut nisi hoc è re sua duxissent fore, ut Constantini munificentiæ & dono referrentur acceptæ præcipuæ Pontificii primatûs prærogativæ, quas Latini à primævâ Christi institutione derivabant. Commentitio quidem hoc diplomate excidebant Imperatores Græci spe recuperandi Occidentis Imperii: at cùm ante ejus evulgationem Pipinus Carolusque Magnus Romanæ Ecclesiæ tam multa donassent, tam multa sibimet vendicassent, quæ Imperii antè fuerant: non magnopere de titulis & jure decertandum sibi Græci existimarunt, qui revera tam amplas Imperio suo abscindi Provincias, sive ignavia, sive virium inopia passi erant. Ibidem.

Hincmaro & Adoni Viennensi non improbanda Hincm. To. 1. p. 206. visa est hæc donatio. Hanc etiam strictim attingit Hadrianus in Epistola ad Carolum Magnum, quæ libris Carolinis continetur. Cæterùm toto hoc capite spiritalem dumtaxat Pontificum potestatem nos quidem delibare conati sumus: cui valde consentiebat & cui tandem accessit temporalis permagna dominatio, ex Christianorum Galliæ Regum munificentia. Non alius inter Romanos Præsules Nicolao I. vehementior aut inexorabilior fuit, ad summos etiam Principes Ecclesiasticis Legibus Canonibusque astringendos. Imperitasse eum terrarum dominis summo quasi jure perhibent Annales Metenses, sed eo tantùm fine fructuque, ut intra legis Ecclesiasticæ fines illos cohiberet: quippe qui non minùs lenis ac demissus esset erga pios Religionis cultores, quàm acerbus in impios. Unde non immeritò dictus est Gregorii Magni, tum humilem modestiam, tum infractam constantiam propiùs attigisse: *Denique post B. Gregorium usque in præsens nullus Præsul in Romana urbe illi videtur æquiparandus. Regibus ac Tyrannis imperavit, eisque acsi dominus orbis terrarum authoritate præfuit. Religiosis ac mandata* Annal. Metens. Du Chesne hist. Fran. To. 3. pag. 320.

*Domini observantibus humilis, blandus, pius; mansuetus apparuit; irreligiosis & à recto tramite exorbitantibus terribilis atque austeritate plenus extitit.*

XV. Regiam stirpem suam salubri documento & exemplo imbuerat Carolus Magnus, dum Apostolicæ Sedis, sive responsa ad consultationes suas, sive paterna monita euscultaret; eo pietatis sensu, quo respersa sunt ejus Capitularia. Pulcherrimè ille alicubi, modestissiméque gloriatur, quòd semet ipse correxerit, & pravum morem, qui usu invaluerat, ebrogaverit Romani monitu Pontificis & Episcoporum Galliæ, scilicet ne Clerici castris immiscerentur bellicisque rebus. *Apostolica Sedis hortatu, omniumque fidelium nostrorum, & maximè Episcoporum, ac reliquorum Sacerdotum consultu, servis Dei armaturam portare aut pugnare prohibemus, &c. Secunda vice propter ampliorem observantiam, Apostolica authoritate & multorum sanctorum Episcoporum admonitione instructi nosmetipsos corrigentes, posterisque nostris exemplum dantes, volumus, ut nullus Sacerdos in hostem pergat, &c.*

Capitul. l. 5. c. 33. 34. Ann. 800. Conc. Gall. To. 2. p. 235.

Ibid. p. 237. 238.

Leonem III. idem ipse consuluit de judiciorum forma adversùs Presbyteros suspectæ quidem castitatis, nec tamen perspectæ impudicitiæ: item de Chorepiscoporum causa. Qua in re Canonibus obsequebatur, gravissima quæque negotia ad primam Sedem referri decernentibus. *Placuit nobis ex hoc Apostolicam Sedem consulere, jubente canonica authoritate, atque dicente, Si majores causæ in medio fuerint devoluta, ad Sedem Apostolicam, ut sancta Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, incunctanter referantur.* Responso & decreto Apostolicæ Sedis religiosissimè obtemperatum est. *Ut quidquid super his definiendum esset Apostolica authoritate, à nostris Episcopis regulariter sopiretur.* Mitius quidem aliquid decreverunt Episcopi Galli, & de pœnis Apostolico decreto significatis omnihil remiserunt: sed Pontifice ipso permittente: *Ista permittente eodem Apostolico mitiùs tractantes.*

Ibid. p. 239.

Ibid. p. 240. & Capit. L. 7. c. 187.

Narrat Inculismensis Monachus in vita ejusdem Caroli, delegatos ab eo esse ad Leonem III. Papam Episcopos duos cum Abbate uno, ad percunctandum illum de processione Spiritûs sancti, quam Græci jamdiu soli tribuebant Patri. De Assumptione quoque beatissimæ Virginis eandem Sedem consuluisse meritò existimatur. *De Assumptione B. Mariæ interrogandum relinquimus.* Responsum fuisse ex sententia colligitur, tum ex Capitularibus, tum ex Herardi Turonensis Archiepiscopi statutis, quibus solemnitas illa jubetur celebrari.

Cap. L. 1. c. 158. L. 2. c. 35. L. 6. c. 189. Herard. c. 61.

Nullo tamen argumento certiùs invictiúsque constare potest, quàm constans semper & illibata concordia Francicam Coronam Romanamque Sedem constrinxerit, quàm institutione, de qua prolixiùs infrà agetur, Archicapellanorum Regii Palatii, qui uno eodemque tempore Apocrisariorum, seu Nuntiorum Apostolicæ Sedis, in ipsa Regia, munere fungebantur. Ex regni sui Præsulibus deligebant sibi Reges unum aliquem, quo Archicapellano uterentur, & in quem totam deponerent rerum Ecclesiasticarum sarcinam. Hunc postmodum Romani Pontifices, eadem & fide & authoritate dignabantur, quam suis olim Apocrisariis crediderant apud Imperatores Constantinopolitanos.

Si principem Ecclesiæ Sedem non dissimili aut reverentia aut amore prosequuti essent Constantinopolitani Imperatores; Constantinus Irenes filius repudiatæ uxori legitimæ aliam non superduxisset, nec pervicisset ut adulterinæ Synodi decreto nefandæ nuptiæ confirmarentur. Huic malo medelam quæsivit Theodorus Studites scripta ad Leonem Papam velut ad Ecclesiæ Caput & ad desperatorum morborum medicum Epistola, suo & complurium Monachorum nomine, qui ea de causa nullis non cruciatibus divexati fuerant. *Ad Petrum utique & ejus successorem, quidquid in Ecclesia Catholica per eos innovatur, qui à veritate aberrant, necesse est referri.* Urget deinde Papam, ut expungat Generali congregato Concilio nefariæ Synodi molimina, quæ ne cogi quidem ejus injussu debuerat. Quando Imperatores deinde alii acerbas in imaginum sacrarum cultores, instaurarunt persecutiones, non conquievit Theodorus, sed sparsis quaqua versum Epistolis edocuit inculcavitque ex Scripturarum Canonumque norma, ad Petri Sedem confugiendum esse, quod & ad Imperatores ipsos professus est. *Quod si quid est hujusmodi de quo ambigat aut diffidat divina magnificentia vestra, à Patriarcha posse dissolvi, jubeat ad communem utilitatem à vetere Roma suscipi declarationem, prout olim & ab initio paterna traditione transmissus mos fuit; Hac enim suprema est Ecclesiarum Dei, in qua Petrus sedem primus tenuit, ad quem Dominus dixit, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.*

Baron. ann. 809. n. 14. & seq.

An. 817. Baron. n. 5. Ann. 821.

XVI. Incidit tamen nescio quæ temporum tristitia & difficultas, qua pene soluta est Sacerdotii & Imperii diuturna sub Caroli stirpe concordia; verùm id eò tantùm factum est, quòd Imperatoria ipsa domus intestino dissidio laceraretur. Cum Ludovicus Pius à filiis ipsis suis armis impetitus est, in partes distracti sunt & Episcopi: ex iisque nonnulli Lothario adversùs Ludovicum patrem bellanti affuere, seu antiqua illecti necessitudine, seu viribus ejus compulsi, quem nuper ad Imperii societatem pater cooptaverat. Illud omnium acerbissimum fuit, quod Gregorius IV. Papa à Lothario abductus raptatusque est in castra, Ludovico, Episcopisque obsequii in eum sui retinentioribus inimica. Qui in castris tunc erat Lotharii Paschasius Radbertus cum Vuala Abbate Corbeiensi, idoneus ipse testis est in vita Vualæ, non alio consilio stetisse Pontificem à Lothario & fratribus, qui impotenter se nefarieque gesserant, quàm conciliandæ patrem inter & filios concordiæ. *Mittitur sanctus & summus Pontifex intercessor, Vicarius B. Petri.* Ipsi Ludovico Pio sanctissimè affirmavit Pontifex, non venisse se nisi ut ipsum inter & liberos violatam pacem resarciret: nisi res ex animi sententia succederet, abiturum se propere, votisque exoraturum à Deo, quod homines negarent. *Nos bene venisse scias, quia pro pace venimus & concordia, quam salutis author nobis reliquit, & mihi prædicanda universis commissa est & proferenda omnibus. Idcirco, Imperator, si nos & pacem Christi dignè susceperis, requiescet in vobis ipsa, nec non in Regno vestro: sin autem, pax Christi ad nos revertetur, ut legistis in Evangelio, & nobiscum erit.*

Sæcul. Bened. 4. pag. 514. An. 821.

Vitæ scriptor Ludovici Pii intentatam ait à Gregorio excommunicationem illis Præsulibus qui ab eo starent; easdemque minas vicissim vibrasse in Pontificem Episcopos Gallos, *Si excommunicaturus veniret, excommunicatus rediret.* Hinc & hinc patres filiis collidebantur. Et quod magis mirere, non dissentire aut à Pontifice Præsules, nisi quòd hinc & inde devinctissimi essent Imperatoriæ gentis Principibus inter se confligentibus, unde fiebat ut & ipsi inter se & cum Papa conflictarentur. Neque minùs observabatur à Principibus Pontifices Christi, fervescente licèt dissensionum æstu, Crimini vertebat liberis Ludovicus, ereptum sibi

illis abductumque Pontificem, cujus defensor ipse ex Imperatoriæ Majestatis privilegio solus esset: *Scire vos oportet, quia longè diu defensionem Sedis Apostolicæ devotissimè suscepi; quamvis nunc indebitè usurpetis contra me illud, ut excludatis me ab hujusmodi officio; quod quamdiu advixero, prætermittere non queo.* Reponebat contrà Lotharius vocatum se à patre in partem Imperii, vocatum simul esse in jus dignitatemque tuendæ Ecclesiæ; denique adductum à se Pontificem, ne deesset dignissimus pacis conciliator. *Æquè me præstantissima in Christo providentia vestra suscipere fecit hanc auram, & defensionem ipsius permaximè cæterarumque Ecclesiarum, quando me consortem totius imperij celsitudo vestra constituit, &c. ut essem socius & consors non minùs sanctificatione quàm potestate & nomine, &c. pro pace & concordia conduxi Vicarium B. Petri ad vestri reconciliandam serenissimam animi pietatem.*

Paschasius ibid. p. 513.

Agobardo debemus Epistolam Gregorii Papæ ad Episcopos Ludovici partium sequaces, aut potiùs responsionem ad eorum litteras. Ex hac elucet, præmonitum ab Episcopis fuisse Gregorium, non sine minis, fore ut nisi se ad eorum partes & causam adjungeret, nemo prorsus suis in Episcopatibus mandatis ejus morem gereret. *Subjungitis, quia nisi secundùm voluntatem vestram venero, non habeo Ecclesias vestras consentaneas, sed in tantum contrarias, ut nihil mihi in vestris Parochiis agere vel disponere liceat, nec quemquam excommunicare, vobis obsistentibus.* Auctorem pacis accedere se respondit Pontifex, cæterum non id juris esse, non etiam potestatis Episcoporum, ut ab unitate Ecclesiæ Romanæ totas Regnorum Ecclesias abscinderent. *Legatione fungimur pacis, &c. Noveritis vos non posse dividere Ecclesiam Gallicanam & Germanam ab unitate Tunicæ, quæ subjacet Capitio.*

Uno utroque pacis amore inflammatum se fuisse satis prodidit Pontifex, quando inexpugnabiles ubi primùm intellexit objici obices, confestim discessit, integer prorsus & alienissimus à flagitio, quo parentem nefarii filii discinxerunt & abjecerunt solio. Quod ad minas Episcoporum attinet, & responsa Pontificis, satis liquidò apparet, seponantur præceptæ animo opiniones, primò extra has exitiales dissensiones, perenni concordia Sedis Apostolicæ & Episcoporum id perfici, ut libera & immediata utatur Pontifex jurisdictione in omnibus Ecclesiæ tractibus. Secundò inter has etiam contentionum flammas, minas quandoque hinc vel hinc scintillare, sed extingui protinus, & decedi utrimque, ne vinculum Sacerdotii strictissimum dissolvatur. Tertiò quanquam nihil eorum prætermiserit Gregorius, quæ sustentandæ authoritati suæ prodesse possent: in Episcoporum tamen Diœcesibus nihil jurisdictionis exercuit: haud nescius quanta quanta sit primæ Sedis amplitudo, haud minorem esse debere sapientiam ac moderationem, quæ potestatis usum tempera semper ad charitatis & ædificationis leges. Quartò & ultimò illud monebo, fieri vix aut nec vix potuisse, quin Lothario à Ludovico patre adscito ad Imperii, & ad Defensoris Advocatique Ecclesiarum dignitatem, cùm primùm inter eos excitata dissensio fuit, scinderentur quoque Episcoporum studia, quos & nascendi conditio & Religionis præterea contemplatio Principum obsequio voluntatique devinciebat. Non illa ergo dicenda est fuisse Sacerdotii & Imperii discordia & conflictatio. Unius enim Imperii & Imperatoriæ familiæ secum colluctantis dissensio ea fuit, cujus afflatu aliquo concussum fuit & sacerdotium, velut Imperio Imperatricique familiæ arctissimè implicatum.

## CAPUT VI. *P. 4. l. 1. c. 1.*

### An Romanus Præsul immediatam quandam jurisdictionem exercuerit in omnibus orbis Christiani Episcopatibus, dissentientibus etiam ac renitentibus propriis cujusque Diœceseos Episcopis, post annum Christi millesimum.

*I. Summa nostra hic doctrina ea est, gravissimas istiusmodi causas finiendas potius esse ex usu cujusque sæculi, ad leges charitatis & ad Ecclesiæ necessitates contemperatas, atque ad Episcoporum cum Capite suo consensionem, quam morosa spinosaque finium cujusque potestatis pervestigatione; à qua proinde abstinendum nobis erit, ad rerum usum manifestandum, & ad exempla magis quàm ad argumenta spinosiora incumbentibus.*

*II. Expenditur narratio Glabri de dedicatione Ecclesiæ Belliloci. An vere eam Legatus Romani Pontificis reluctante Metropolitano Turonensi perfecerit.*

*III. Eruitur rei veritas ex monumentis & tabulario illius Ecclesiæ, quibus & Glabri mendacia reteguntur.*

*IV. Nihil ibi tentatum est, in quod Pontifici Romano non consenserit Archiepiscopus.*

*V. Excommunicationes ab Episcopis intentatæ, quibus & Papæ voluntas atque auctoritas accedebat, ex Concilio Lemovicensi.*

*VI. Dissidium inter Leonem IX. Papam & Archiepiscopum Moguntinum: inter Urbanum II. & Archiepiscopum Senonensem.*

*VII. Legatorum à Latere Pontificis missitatio in Orbem universum, jurisdictionis non obscurum est argumentum, etsi concordiæ Regni & Sacerdotij necessitatem invexerit consensus Regum eliciendi.*

*VIII. Censuræ quæ vel evibrantur, vel revocantur, non levia jurisdictionis argumenta sunt.*

*IX. Ea quoque proditur Indulgentiarum concessione, absolutione criminum, aut eorumdem ad Romanas claves reservatione.*

*X. Eadem rursus emicat ex Privilegiis, quæ de consensu Episcoporum Pontifices largiebantur: nec illis inconsultis largiri cœpere, nisi inauspicato illo sæculo, quo simonia inter Episcopos immaniter grassata est.*

*XI. Quando ad Christianorum Principum regna, Francorum maximè & Constantinopolitanorum peragranda profecti sunt Romani Pontifices, liberam ubique jurisdictionem explicuerunt, assentientibus vehementer Episcopis.*

*XII. De Ordinationibus à Papa celebratis.*

*XIII. De Privilegiis Apostolicis, quæ à Ludovico IX. aliisque Galliæ Regibus postulata & impetrata sunt.*

*XIV. Eam esse Ioannis Gersonij sententiam, hac plenissima potestate pollere Pontifices, sed usum ejus arctatum esse ad Ecclesiæ utilitatem & necessitatem.*

*XV. Suffragatur huic doctrinæ Bernardus. Petrus quoque Cluniacensis Abbas.*

*XVI. Ex multis contrariis lux affunditur.*

*XVII. Suffragatio Petri Bertrandi, Cardinalis & Episcopi Augustodunensis, qui Ecclesiæ Gallicanæ quondam os & ingenium fuit.*

*XVIII. Paulò prolixior explicatio doctrinæ Gersonij.*

*XIX. Almaini, Majoris & Petri de Alliaco sententia expenditur.*

*XX. Sententia sancti Thomæ.*

*XXI. Quin imo & Gregorij Papæ.*

*XXII. Cantuarienses Archiepiscopi universalem & immediatam sibi vendicabant jurisdictionem in omnibus Primatiæ suæ Provinciis.*

*XXIII. Anselmus ipse illam sibi adrogabat.*

I. MAgni momenti prorsus est hæc quæstio, & magnis septa difficultatibus. Non id etiam nobis sumimus, ut nostro illam ingeniolo expediamus. Ejus Elucidamenta venabimur inter celeberrima hujus controversiæ & vetusta exempla; inter ea maximè in quibus vicit invicta semper pax & charitas Christi, quam vincere & regnare par est non tantùm in Regali Ecclesiæ Sacerdotio, sed in eorum etiam mentibus & lucubrationibus, qui quæstionibus istiusmodi extricandis incumbunt. Ratum enim

illud maximè & inconcussum est, quod & innumeris illustrari posset exemplis, Romanos cæterosque Orbis Præsules raras de jurisdictionis & potestatis finibus lites movisse; sed de potestatis hujus usu ad sanctitatis Canonumque normam dirigendo certasse non rarò. Pontificibus decedere occuparunt Episcopi, & suapte sponte in eos refudère ea jura, eaque potestatis insignia, quæ antè ipsi in suis Diœcesibus semper obtinuerant. Pontifices vicissim in Episcoporum Diœceses & Diœcesanos nihil adgressi sunt, quod non sperarent in eorum commodum & voluptatem cessurum. Concordiæ charitatisque lex, & publici Ecclesiarum boni amor mentes conatusque eorum hinc & inde omnes rexit & temperavit. Antiquius illis fuit, quid ab unoquoque fieri deberet, quàm quid posset. In regno eo, cujus fundamenta posuit Christus in charitate & pace, existimarunt jurgia movenda non esse de potestate quantacunque, aut potestatis exercitio, quandiu ædificandæ Ecclesiæ, & firmandæ Religioni insudaretur, cùm ea demum sit indoles dignitatum omnium & potestatum Ecclesiasticarum. Si qui evagati sint ultra hos modestiæ limites, id oblivione & silentio opprimi conducibilius est, ut ex quo nihil argumenti elici possit, nihil adjumenti ad posterorum mores regendos.

II. Illuminandæ firmandæque hujus doctrinæ initium ducam à famosa Dedicatione Ecclesiæ & Abbatiæ, quam Fulco Andegavensium Comes in finibus Turonensium apud Locas struxit. Abnuebat Hugo Turonensis Præsul eam Ecclesiam antè dedicare, quàm Fulco agros Ecclesiæ Turonensi ademptos restitueret. Fulco Romam pertexit, & apud Pontificem Joannem XVIII. muneribus magis quàm orationibus & documentis decertans, eblanditus est quod petebat, misso Roma in Gallias Cardinali Petro, qui Ecclesiam dedicaret. Scriptor hujus historiæ Glaber succensuisse Gallicanos Episcopos memorat, quòd Canones impune proterentur, & L. 2. c. 4. hæc auro emeretur licentia. *Quod utique audientes Galliarum quique Præsules, præsumptionem sacrilegam cognoverunt, ex cæca cupiditate processisse.* Nec enim per Canones licere Romano Antistiti in aliorum Episcoporum Parochiis quidquam moliri præter eorum consensum: porro ideo eminere in Ecclesiam universam Romanum Pontificem, ut Canonum sanctitati tuendæ immineat, & eorum violatoribus ulciscendis: *Universi etiam pariter detestantes, quoniam nimium indecens videbatur, ut is qui Apostolicam regebat Sedem, Apostolicum primus ac Canonum transgrederetur tenorem. Cum insuper multiplici sit antiquitus auctoritate roboratum, ut non quisquam Episcoporum in alterius istud Diœcesi præsumat exercere, nisi Præsule, cujus fuerit, compellente, seu permittente.* Nec ambigit Glaber, quin Romanus, æquè ut alii Episcopi, religiosè Canonibus obsequi teneatur, cùm omnes omnino sint Ecclesiarum suarum sponsi, & intra suam quisque ditionem totam Christi auctoritatem circumgestent. *Licèt namque Pontifex Ecclesiæ Romanæ ob dignitatem Apostolicæ sedis cæteris in orbe constitutis reverentior habeatur, non tamen licet ei transgredi in aliquo Canonici moderaminis tenorem. Sicut enim unusquisque orthodoxæ Ecclesiæ Pontifex ac sponsus propriæ Sedis uniformiter speciem gerit Salvatoris, ita generaliter nulli convenit, quidpiam in alterius procaciter patrare diœcesi.* Postremò si qua fides Glabro habenda sit, cùm Ecclesia hæc funditus corruerit, peracta statim consecratione, nemo non hinc auguratus Archiepiscopo adversùs Pontificem vel ipsos cælites suffragatos esse.

III. Quàm prope, vel quàm procul à vero absit hæc Glabri narratio, ex chartulario Abbatiæ Belli-loci æstimari fas est. Chartas à se inspectas & perlectas fuisse testatur magnæ & charæ nobis memoriæ Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis. Observatum porro testatur ille in his à se esse, Monasterium illud ab Andino Comite conditum in honorem sanctæ Trinitatis, Cherubimorum quoque ac Seraphimorum, tuitioni & potestati Romanæ Ecclesiæ statim subditum fuisse, ac proinde veritos jam tum esse omnes Episcopos, ne quid ibi unquam imperii, aut jurisdictionis exercerent. Tam effusæ exemptioni, ut assentiretur, vix adduci potuisse Hugonem Archiepiscopum Turonensem, quòd nullum adhuc istiusmodi exemplum præluceret. Quin & ipsum incunctanter Romam profectum esse, Sergiumque IV. qui Joanni interim suffectus fuerat, etiam atque etiam orasse, ut juxta Canones Ecclesiæ & Justiniani Leges illa sibi Ecclesia dedicanda permitteretur. Contra nitente Pontifice, Licuisse Comiti Basilicam suis impendiis suo in dominio constructam, Abbatiamque offerre Romanæ Ecclesiæ: cæterùm consecrationem ejus esse juris, cujus sit proprietas. *Quia cujus est hæreditas, ipsius & consecratio.* Tum Archiepiscopum satius duxisse quncumque demum jure suo cedere in manus Pontificis, illudque in Ecclesiam Romanam conferre. Tunc demum celebratam esse Ecclesiæ dedicationem ab Episcopo Petro, qui in id muneris à Romano Præsule delegatus & in Gallias missus fuerat.

Marca de Concord. L. 4. c. 8.

Anno Christi 1010.

IV. Nemo cordatus plus habebit fidei Glabro, quàm authenticis Chartis; ideoque dubitabit deinceps nemo, quin Basilica illa annuente Archiepiscopo Turonensi dedicata sit. Cæterorum Galliæ Episcoporum querelæ conticuerunt, ut opinor, cùm primùm audierunt acquievisse Turonensem Antistitem. Et inde claret vanis & obliquis rumoribus delusum fuisse Glabrum, cùm hæc scriberet: ruinamque Ecclesiæ perinde commentitiam esse. Constabit denique hoc ipso opere nostro suis locis, Patres Ecclesiæ, & eruditione ac sanctimonia eminentissimos viros, quanquam alioqui subalieno essent animo erga Monastica Privilegia, ab iis tamen non abhorruisse, quæ conditores ipsi Monasteriorum prima ab origine eis contulissent, aut conferri curassent. Eo impulsus est Turonensis Antistes Hugo, ut si qua possent superesse Ecclesiæ suæ jura, ea in Pontificem & Romanam transcriberet Ecclesiam. Nec aliud consilii capere potuissent cæteri Galliarum Antistites. Procul erant ergo illi ab iis querelis, quas illis affingit Glaber. Porro Petri de Marca hæc demum sunt verba, quibus claudemus totam hanc commentationem de Belli-loci Ecclesia ab illo acceptam, & Chartarum originalium fide subnixam. *Repulsus fuit Hugo hac exceptione, quòd Fulconi liberum fuerit in fundo suo, propriaque hæreditate Monasterium construenti, Monasterium ipsiusque consecrationem Romanæ Ecclesiæ conferre. Quia cujus est hæreditas, ipsius & consecratio. Quare Hugo jus omne quod sibi competebat, in Romanam Ecclesiam transtulit. Sergius verò Petrum Episcopum in Gallias direxit, Monasterium illud suavice consecraturum.* Ab hoc autem exemplo ad veri amussim ita revocato, si quis id exprimat, ne Pontificem quidem negasse abstinendum sibi fuisse ab Ecclesiæ hujus consecratione, nisi ab ortu ipso fundator illam Romanæ Ecclesiæ juri & ditioni addixisset: assentiemur & nos, abstenturum re ipsa præsumi Pontificem, ac ne tunc temporis quidem importuniùs vexatam esse quæstionem de juris ac potestatis limitibus.

V. Id ipsum patet ex responsione Benedicti IX. ad Claromontanum Episcopum Stephanum, qui magnum dolorem ex eo ceperat, quod ab eo solutus vinculis excommunicationis fuisset Arverniæ Comes Pontius, quibus ab universis Provinciæ Episcopis fuerat innodatus. Pontifex in cujus ipsius sinum Stephanus querelas effuderat, respondit ignoratam à se fuisse excommunicationem ab Episcopis in Comitem intortam: alioqui enim confirmandam potiùs à se fuisse: denique revocari à se gratiam & absolutionem, quæ sola subreptione expressa sibi fuerat. *Profiteor omnibus consacerdotibus meis, ubique*
In Conc. Lemov. an. 1031. *terrarum adjutorem me potiùs & consolatorem esse, quàm contradictorem. Absit enim schisma à me & coepiscopis meis. Itaque illam pœnitentiam & absolutionem, quam tuo excommunicato ignoranter dederam, & ille fraudulenter accepit, irritam facio & cassam.* Lemovicensis Synodi Præsules hac perlecta epistola, culpare tum demum seipsus cœperunt, quod de vibrato à se fulmine Pontificem non commonuissent; cùm præsumptum id sibi esse deberet, à Papa confirmatum procul dubio iri sententias, quascumque secundùm æquitatis regulas librassent: nec caput Episcopatus molestiæ quidquam aut tædii illustrissimis sui cor-
Ibidem. poris membris ultro creaturum. *Sic Apostolici Romani Episcoporum omnium sententiam confirmare, non dissolvere debent: quia sicut membrum suum caput sequi, ita caput membra sua non necesse est contristare.*


VI. Contentionis nonnihil quandoque exarsit, cùm in Provinciarum Ecclesiis unà essent Romani Pontifices, & seu Episcopi locorum, seu Archiepiscopi. Narrat Urspergensis Abbas, ut Leo IX. Papa & Imperator Natalem Christi diem Vormaciæ celebrarint. Primo quidem die sacris operatus est Papa. Crastinus dies Moguntino assignatus est, Archiepiscopo nempe totius Provinciæ. Dum sacris Altaribus ipse insisteret, unius ex ejus Diaconis ea fuit petulantia, ut illum Pontifex gradu statim dejiceret. Archiepiscopus urgere Papam, ut sibi pristinoque gradui Diaconus restitueretur; quin imo, ut Papæ constantiam concuteret, contestari, neminem eo die sacramenta incepta consummaturum,
Ann. 1052. nisi Diacono in suum gradum redintegrato. *Contestans, nec se, nec alium quemquam completurum illud officium, nisi reciperet processionis suæ ministrum.* Infregit potestatis suæ vim Papa, & inflexæ constantiæ Archiepiscopo Diaconum reddidit. Hic lucidissimè fulget, in istiusmodi dissidiis vix sperandas esse regulas certas, & fixas jurium leges: sed modestia & indulgentia maximè Superiorum componi facillimè lites, irasque inferiorum defervescere, quæ alioqui in gravia & permolesta, tum his, tum illis damna erumperent. In hoc facto Papa inflexit se ad Archiepiscopi voluntatem, cum Diaconum Ordini pristino restituit, sed Archiepiscopus primitias sacrorum & primæ diei solemnitatem concesserat, nec dissimulabat potuisse propria in sua Ecclesia, præsente se & spectatore, Diaconum suum à Papa exauthorari, nec posse vel ita exauthoratum restitui, nisi ab eodem ipso Papa. Antè ergo Moguntinus superiori Papæ jurisdictioni assurrexerat, quàm ei obluctaretur: ut facilè conjicias de ipsa jurisdictione non certatum fuisse tunc, sed de jurisdictionis usu, quem Moguntinus ita temperatum esse arbitrabatur, quod ampliori potestate Pontifices rarissimè uterentur. Nostræ huic interpretationi favent hæc Abbatis Urspergensis ibidem verba, dum retinentissimum suæ dignitatis Moguntinum, & suio dignitatis, tum clementiæ memorem Pontificem ita commendat: *Qua in re & Pontificis authoritas, & Apostolici consideranda est humilitas, dum & ille officii sui dignitatem deffendere contendebat, & iste licèt majoris dignitatis, Metropolitano tamen in sua diœcesi cedendum perpendebat.*

Non tam brevi, nec tam facili compendio terminata est dissensio Urbani II. Papæ & Archiepiscopi Senonensis. Goffridus Carnotensis Episcopus Episcopatum suum in manus Papæ resignarat, subrogatus illi fuerat Ivo, qui frustratoriis Archiepiscopi Senonensis dilationibus diu delusus, Romam postremò profectus, & à Papa consecratus est. Senonensis convocata Stampis Synodo, Parisiensia, Mel- Ann. 1092. 1093.
densis & Trecensis Episcoporum consilio, ordinationem Romæ factam jamjam videbatur irritam declaraturus, cum ingentem hanc procellam Ivo sua ad Papam appellatione discussit. En ipsa Ivonis ea de re ad Pontificem verba: *Me inordinatè satis accu-* Ivo Epist. 12.
*savit Archiepiscopus, dicens me in majestatem Regiam offendisse, quia à Sede Apostolica consecrationem præsumpseram accepisse. Cum itaque conaremur Gaufredum depositum contra decretum vestrum in statum pristinum reformare, & in me depositionis sententiam proferre, Sedem Apostolicam appellavi, &c.* Indignanter Senonensis tulit hanc appellationem, nec deferbuit ita, nisi ubi alienatum ejus ab Ivone animum aliorum negotiorum moles, temporisque diuturnitas sedavit.

VII. Ut ab his particularium factorum angustiis ad generaliora veniamus argumenta, Legatorum à Papæ latere mittendorum in omnes qua patet Christiani orbis partes, & potestas, & usus, grande est jurisdictionis documentum. Illorum peculiaris gratiæ vicem impetravit Henricus Angliæ Rex, ut ne ventitarent in Angliam Legati, nisi petente Rege, & ubi eæ inciderent rerum difficultates, quæ ab Episcopis Regni expediri non possent. Rem narrat Rogerius: *Rex à Papa impetrat, ut ne-* Anno 1119.
*minem aliquando Legati officio in Anglia fungi permitteret, si non ipse aliqua præcipua querela exigente, quæ ab Episcopis sui regni terminari non posset, hoc fieri à Papa postularet.* Pari beneficio complures posthac Reges affici expetiere, sed hic Principum consensus, qui deinceps necessarius fuit, non eas habet vires, ut inde in Legatos jurisdictio manet; quamvis non aliter ea explicaretur; nec satis firma alioqui Regnum inter & Sacerdotium pax foret.

VIII. Interdicta, suspensiones, excommunicationes, seu quævis vel censuræ, vel sententiæ, Romana ex arce aut excussæ, aut revocatæ in omnibus orbis Provinciis, non minus validè adstruunt ejusdem jurisdictionis Pontificiæ immediatum exercitium, assentientibus utique Episcopis, quos vix unquam dissensisse legas. Gerbertus Remensis Archiepiscopus omni animi contentione enixus est, ut ad interdicti à Papa vibrati contemptum adduceret Archiepiscopum Senonensem aliosque Præsules, qui in Remensi Synodo Arnulphum Remensi Sede abdicaverant. Exaggeratissimè ille demonstrabat, quàm formidolosa esset potestas futura, quæ tam latè pateret, quàm Ecclesia, & pro humana tamen fragilitate posset aut errori, aut privatis affectibus, aut immoderatis cupiditatibus servire: *Non est danda* Anno 995.
*occasio nostris æmulis, ut Sacerdotium quod ubique unum est, sicut Ecclesia Catholica una est, ita uni subjici videatur, ut eo pecunia, gratia, metu, vel ignorantia corrupto, nemo Sacerdos esse possit, nisi quem sibi hæ virtutes commendarint.* Vel ipse tamen Gerbertus postea non potuit non se subjicere & morem gerere sententiæ excommunicationis, qua post Synodum Mosomen-





sem perculsum se à Papâ fuisse intellexit. Intercessit tunc Treverensis Archiepiscopus, ne in desperatæ contumaciæ barathrum præceps iret. *Epist. 22. 52.* *Ne occasionem scandali suis æmulis daret, quasi jussionibus Apostolici Domni resultare vellet.* Fulbertus Carnotensis Episcopus Rodolphum Comitem Regi & Episcopo suo rebellantem à Joanne Papa excommunicari, & in ordinem cogi postulavit. *Te rogamus, cui totius Ecclesiæ cura commissa est.*

In Concilio Romano Gregorius V. à communione Ecclesiæ suspendit Arcembaldum Archiepiscopum Turonensem, unà cum aliis Episcopis, qui incestis Roberti Regis nuptiis cum Bertha auctoritatem favoremque præsentia saltem sua præstiterant. *Anno 998.* Septenni quoque pœnitentiæ Regem Berthamque subjecit. Romam properarunt Episcopi, ut his solverentur vinculis, ut fidem facit Epistola Leonis Papæ IX. ad Henricum Regem Roberti filium scripta, & Ivonis inserta Decreto. *Decretum Ivon. part. 9. c. 8.*

IX. Romam convolantium multitudo ad peccatorum remissionem, indulgentiis potiùs quàm pœnitentiæ tædiis & laboribus impetrandam, nonnullas tandem Provinciales Synodos eò adegit, ut Romanis his peregrinationibus fideles interdicerent, nisi ex Episcoporum suorum concessione, & pœnitentia pro admissis criminibus accepta à propriis *Can. 16. 18.* Parochis Juvabit Canonem audisse Concilii Salin- *An. 1022.* gestadiensis. *Quia multi tanta mentis suæ falluntur stultitia, ut in aliquo inculpati crimine capitali, pœnitentiam à Sacerdotibus suis accipere nolint, in hoc maximè confisi, ut Romam euntibus Apostolicus omnia sibi dimittat peccata. Sancto visum est Concilio, ut talis indulgentia illis non prosit, sed priùs juxta modum delicti pœnitentiam sibi datam à suis Sacerdotibus adimpleant, & tunc Romam ire si velint, ab Episcopo proprio licentiam, & litteras ad Apostolicum iisdem de rebus deferendas accipiant.*

Pœnitentium, aut impœnitentium potiùs fraudibus obviam ibant tum Episcopi, non Papæ potesta- *Anno 1032.* ti eximiæ: nihilo plus quàm Lemovicensis suprà Synodi Præsules, qui in culpa se esse ipsos confessi sunt, ubi non Romano Pontifici nomina & causas eorum deferrent, quos à se ligatos, Romæ solvi nollent: *Potiùs nos culpabiles sumus, nisi litteris nostris ei notum faciamus, de quibus nolumus ut absolvantur.* Cassas & inutiles hæc Synodus pronuntiabat absolutiones istiusmodi: non quòd tantæ potestatis expers esset, is à quo extortæ fuerant, sed quòd eas verè extorsissent ii qui obrepserant Pontifici, nulla facinorum suorum pœnitudine ducti, & Episcoporum suorum imperio contumaciter immorigeri. *Cùm ergo tales deceperint Apostolicum, ut fraudulenter absolvantur ab eo, irrita est eis illa absolutio, ideoque nec ab eo, nec à nobis confirmanda.*

Quandocumque autem illæsa fuit pietas & religio, Romam ire pœnitentes approbarunt Episcopi, ut peccatorum ibi maculæ eluerentur, sanarentur vulnera. Aculeatis verbis suas ad Gregorium *Ann. 1078. L. 6. Ep. 4.* VII. litteras aspersetat Henricus Leodiensis Episcopus, propter absolutionem ab eo præpropere concessam uni ex suis Diœcesanis. Rescripsit Pontifex, Petro Petrique successoribus demandatam à Christo esse provinciam solvendi, ligandique, nullis vel locorum, vel temporum, vel rerum finibus coërcitam: eòque olim hallucinatos esse Orientales Episcopos, qui Julio Papæ obtrectabant, quòd Athanasium præter eorum consensum pristino honori reddidisset. *Mirati sumus, non ea te qua decuit, ad Apostolicam Sedem reverentia scripsisse, sed nos ab absolutione illius Parochiani tui, qui olim ad nos venit, mordaci invectione reprehendisse, tanquam Apostolicæ Sedis non esset authoritas, quoscumque & ubicumque vult ligare & absolvere.* Missum facio casuum criminumque gravissimorum solutionem Romano Præsuli reservatam: & delegationem eorum qui ea Pontificiâ vice solvant: hi nimirum ubivis gentium potestate Ponti- *Synod. Paris. p. 8. 33.* ficis muniuntur, quanquam uti ea non possint, nisi ad normam legum sibi ab ipsis Pontificibus, & à Tridentinæ Synodi Episcopis præscriptarum.

Convenit quippe Theologis & Canonistis Apostolis à Christo infusam plenitudinem potestatis spiritalis, cui limites præfigere nefas sit ullos. Episcopos autem etsi in sedes Apostolorum evecti sint, non tamen in plenissimæ hujus & universalis potestatis totam amplitudinem vocatos omnes esse: unam Petri sedem interminata hac & universali authoritate cumulatam esse, qua pollebant Apostoli, & Petrus maximè, cui ea obtigerat cum singularis abundantiæ privilegio. Id paucis his verbis insinuabat Gregorius VII. *Tanquam Apostolicæ Sedis non esset auctoritas, quoscumque, & ubicumque vult, ligare & absolvere.*

X. Si circumferamus oculos per universam sub hoc Pontifice Ecclesiam, plus satis constabit, necessariò tunc effundi debuisse universalem illam potestatem Petro concreditam, ut deflexa Ecclesiæ disciplina, quæ tunc prorsus labefactata jacebat, in pristinum revocaretur splendorem, discinctis abactisque tot Episcopis Clericisque, qui castitatem Ecclesiæ vel incontinentia, vel simonia jamdiu contaminabant. Ut morbi lues totum orbem Christianum afflaverat, ita & medico opus erat, qui ad extremos usque Orbis fines sapientiam potestatemque suam explicaret, amputandis maximè illis ab Ecclesia membris, quæ dodum computruerant.

Hactenus consentientibus tantùm Episcopis, ab eorum potestate absoluti fuerant Monachi. Sed istorum incontinentiæ & simoniæ torrente exundante & depopulante Ecclesiam, necesse visum est Pontificibus aliquando in largiendis his privilegiis consensum Episcoporum non opperiri. Doluit non semel Episcopis hac innovatione debilitari vim, imminui majestatem Episcopatûs. Ansana Synodus cui *An. 1025.* aderant præerantque Lugdunensis, Viennensis, & Tarentasiensis Antistites, hujuscemodi privilegium abjecit Cluniacensi Abbatiæ indultum: præfata adversari illud Chalcedonensi Concilio, quo jubentur Monachi Episcopo suo subesse, vetantur Episcopi in Collegarum Diœcesibus quidquam rei aggredi: *Decreverunt Chartam non esse ratam, quæ canonicis non solùm non concordaret, sed contrairet sententiis.* Non vili, ut fateor, pendenda hæc sunt, sed pluris utique facienda est Ecclesiæ universæ auctoritas, in qua convaluerunt id genus privilegia, acquiescentibus Episcopis ipsis ei disciplinæ mutationi, qua Ecclesiarum evidenti utilitati, urgentique necessitati consuleretur.

Quæstio vertebatur in hac Synodo de ordinatione facta ab Archiepiscopo Viennensi in Cluniacensi Ecclesia, cujus Abbati adeundus fuerat proprius loci Episcopus, videlicet Matisconensis, nisi Apostolico privilegio permissus fuisset, quemcumque libuisset Episcopum invitare, ad subjectorum sibi Monachorum ordinationes celebrandas *Quemcumque vellent, vel de qualibet regione Episcopum, qui faceret ordinationes, vel consecrationes in eorum Ecclesia.* *Ibidem.* Liberiora sanè hæc privilegia non antè ab Apostolica Sede manarunt, quàm eo tempore, quo permagna ex parte Episcopi simoniæ reatu implicati

erant, & propudiosa sacramentorum licitatione, Ordines conferre abnuebant, nisi venderent quod emissent ipsi, & inæstimabile donum Spiritûs sancti vilissimo pretio distraherent. Id prolixè suo infrà loco demonstrabitur.

XI. Dilucidius alio hoc exemplo fiet, qua reverentia Apostolicam Sedem prosequerentur Episcopi, Regesque ipsi in his rerum & temporum varietatibus. Concilium Remis indixerat Leo IX. eoque se conferre statuerat, eadem opera Ecclesiam sancti Remigii dedicaturus. Nonnulli ex Episcopis qui ad sacras infulas per Simoniacas pactiones grassati erant, malè sibi ab hac Synodo ominari cœperunt. Regem itaque circumveniunt, persuadentque, ut Episcopos in expeditionem bellicam abducat, scribatque Pontifici, quo Synodus in aliud tempus remittatur, regni utilitatibus opportunius. Pontifex
An. 1049. propositi sui tenax, Remis Concilium celebrat, dedicationem Ecclesiæ perficit, Remensis & Treverensis Præsulum opera & ministerio usus: Episcopos simoniaca infamia respersos exauthorat, & hac potestatis suæ significatione commonstrat, quam verè illa eadem Synodus declararit, *Quòd solus Romanæ sedis Pontifex universalis Ecclesiæ Primas esset, & Apostolicus.*

Permagni etiam interest observare, non hunc solum Pontificem, sed & eos qui hoc eodem sæculo, sequentibusque ætatibus Romanam Sedem occuparunt, complures Italiæ, Galliæ, Germaniæque lustrasse Provincias, Ecclesiarum utilitatibus, temporumque necessitatibus servientes; cæterùm neminem prorsus tunc Episcoporum sperasse, aut tentasse, ut vel propria in Ecclesia illis vel consessu vel auctoritate anteiret, aut Pontificalium munerum functiones suo duntaxat assensu obeundas indiceret. Quin ex historiarum omnium testificatione constat, quocumque demum se contulerint Pontifices, velut propria in Ecclesia versatos esse, atque ut summos Pastores, quibus ovile suum credidit totum Christus. Cum Joannes, Agapetus, Vigilius, Constantinus Romani Pontifices Græciam peragrarunt, nullo non loco excepti sunt tanquam Petrus ipse, & cum summis atque inusitatissimis honoribus Imperatores ipsi eos afficerent, ad eorum vestigia provoluti: hinc conjice de minuendis eorum, an de amplificandis honoribus certarent Episcopi. Reges quoque Galliarum cum eo ventitarunt Pontifices, summa eosdem veneratione, & ulteriori quàm usurpatum antè fuerat, prosecuti sunt: ad eorum se exemplum accommodasse Episcopos, ne dubium quidem esse potest.

Si quis aliquando interea pupugit doloris sensus Episcopos, hunc delinire studuerunt Pontifices, facta eis potestate disceptandi ultro citroque juris juxta Canones Legesque. Hanc judicii copiam fecit Urbanus II. Salernitano Episcopo, cùm de dedicanda Ecclesia exempta ageretur. Re seriò perpensa
Epist. 10. Urb. II. Salernitânus stare judicio detrectavit: *Nobis disponentibus Basilicam illius loci dedicare, Archiepiscopus sua Ecclesiæ minui jura clamitabat. Cui nos ex abundanti satisfactionem juris obtulimus, Ille autem cùm ad postulatum, & acceptatum actionis terminum pervenisset, actionem aggredi refutavit.*

XII. In hujus operis contextu firmabimus id quod omnium sæculorum experimentis comprobatum est, eo jure frui Romanam Ecclesiam, ut aliarum Ecclesiarum Clericos Clero suo allegere & astringere possit. Inter *Dictatus*, ita enim vocantur, Gregorii Papæ VII. istam leges regulam, *Quod de omni Ecclesia quemcumque voluerit, Clericum valeat ordinare.* Greg. VII. L. 2. Ep. 76. Immediata quin hinc potestas eliciatur, in omnes cujusque Diœceseos cives, vix ambigi potest.

Hic idem Papa Episcopum Matisconensem Romæ ordinavit, & ad Archiepiscopum Lugdunensem, cujus eæ partes fuerant, scripsit, justis & necessariis causis id se fecisse, *Intervenientibus quibusdam rationabilibus causis.* Non prodit historia tam obliquè id interpretatum fuisse Archiepiscopum Lugdunensem, atque Senonensem in re consimili, ut jam diximus.

XIII. Quando Ludovicus IX. Galliæ Rex, sanctitatis laude & nomine conspicuus, impetravit ab Innocentio IV. Rescriptum, quo suspendebatur Ar- Innoc. IV. Epist. 18.
chiepiscoporum & Episcoporum omnium auctoritas, ne Regnum possent generali interdicto innodare, nisi ex speciali Papæ mandato; & cum Reges alii ejusdem generis privilegiis muniri se exorarunt, nonne totidem argumentis efficitur, immediatè subesse Diœceses & Diœcesanos omnes, quando ita jubet Ecclesiæ charitas, utilitas, necessitasque, *Intervenientibus rationabilibus causis.*

XIV. Facilè coalescunt animi, cum res ita molli pollice tractantur, facilè & sententiarum dissensiones conciliantur; nimirum si omnibus conveniat, immediatam à Papa ubique terrarum promi jurisdictionem, ubicumque tanti res est, tantique interest ad Ecclesiarum salutem. Ita sentit Joannes Gersonius, qui duos errores commemorat, perinde sibi mutuò atque veritati infestos. Alter eorum est, Papam non esse immediatum Pastorem fidelium omnino omnium. Alter verò, esse illum Pastorem ubique ita immediatum, ut nulla ratione habita utilitatis vel necessitatis Ecclesiarum, possit totum Pontificale munus in omnibus Episcopatibus defungi. *Quòd Papa non est immediatus Prælatus omnium fide-* Gers. To. 1. pag. 357.
*lium, nec sponsus Ecclesiæ universalis, sed solius Romæ; alioquin qualibet Ecclesia Cathedralis haberet duos sponsos, Papam & Episcopum. Quòd Papa est sic immediatus Prælatus omnium fidelium, quod potest pro libito per se vel alios commissos omnia exercere licitè, quæ potest quicumque Prælatus, vel Curatus inferior, etiam ubi non subest necessitas, propter defectum inferiorum, neque rationabilis utilitas.* Non *licitè* ergo, ut Gersonii verbo utar, Pontifex citra *utilitatem & necessitatem* Ecclesiæ, omnem ad se Episcoporum jurisdictionem transferret. Sed quando necessitati obsecutus & utilitati, excellentiorum quorundam ex suis membris partes explere adgressus est, nemo illi unquam de potestate controversiam fecit.

XV. Video evenire nonnunquam, ut non idem sit Papæ judicium, atque Episcoporum, de Ecclesiæ utilitate ac necessitate. Sed in hac pernmolesta perplexitate cesserunt ut plurimum Episcopi Capitis auctoritati & sapientiæ, eique se commiserunt, etsi non satis intelligerent, quæ rationis momenta Pontificem moverent. Emicat id mirum in modum in Epistolia Bernardi, cùm de Interdicto ageret, quod ab Archiepiscopo Senonensi & ejusdem Provinciæ Episcopis intortum fuerat, ut Ludovicus VII. Rex ab immani Ecclesiarum infestatione avocaretur. Præceperat Papa solvi interdictum, quod quid aliud erat, quàm terras Regia & ministros regios absolvere ab Episcoporum jurisdictione. Paruerunt Episcopi, unum hoc contestati, ludibrio propinari Episcopatum, & terras Ecclesiarum prædatoribus objici. *Soluto ad vestrum imperium Episcopi justo interdicto,* Bern. Epist. 47. 48. 49.
*&c. interim facti sumus opprobrium vicinis nostris.* Si quando denique sententiarum discordia implacata duraret, ita augurandum est, eum priùs concessu-

rum, qui charitate & humilitate præcelleret, quanquam idem ipse præcelleret & potestate. Quid enim summæ potestati magis consonat, quàm humanitas summa & par indulgentia?

Illud exploratum est, ætate Bernardi integrum omnibus & singulis fuisse, causas suas omnes, qualescomque illæ essent, ad Romanam referre Sedem. Huic tunc vigenti disciplinæ nequaquam ille refragabatur, dummodo curæ & cordi esset justitia, innocentia, pietas, & calamitosorum levamen. *Ventum est ad commune refugium; illò confugimus, ubi confidimus liberari. Tantum adsit pietas, nam facultas non deest. Et quidem ex privilegio Sedis Apostolicæ constat, summam rerum ad vestram potissimum respicere summam authoritatem, & plenariam potestatem.* Hæc ille ad Innocentium II. Cum verò ad Eugenium III. scribit, Ecclesiæ universæ Episcopatui illum præficit *Hæc digna sunt vestro Apostolatu, decent planè orbis Episcopum.* Toletanos idem Bernardus hortatur, ne Prædicatoribus quibuscumque aures præbeant, nisi vel mittente Papa, vel permittente Episcopo Toletano prædicent: *Nullum prædicatorem recipiatis, nisi qui missus à summo, seu à vestro permissus Pontifice prædicaverit.*

Epist. 198.
Epist. 239.
Epist. 241

Alibi autem idem Bernardus, ea libertate, quam flagrantissima Christi & Ecclesiæ charitas aspirare poterat, ad Eugenium III. scribens Petri primùm in Apostolica Cathedra successores profitetur, universorum singulorumque fidelium proprios esse Pastores, & singulas Christi oves illius ovili concludi: *Potestate Petrus, unctione Christus, &c. Sunt & alii gregum Pastores, &c. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus. Non modò ovium, sed & Pastorum, tu unus omnium Pater. Pasce oves meas, inquit. Quas? illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? Cui non planum est, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Et fortè præsentes cæteri condiscipuli erant, cùm committens uni unitatem, omnibus commendaret. Inde est quod alii singuli singulas sortiti sunt plebes, scientes sacramentum. Denique Jacobus, qui videbatur columna Ecclesiæ, contentus est Jerosolyma, Petro universitatem cedens.* At ubi aliquantò pòst sermonem instituit de appellationibus & exemptionibus, ejus quidem potestatis amplitudinem nullo fine artari demonstrat, sed apertè improbat appellationes ante sententiam, quo fiebat ut causæ omnes immediatè ad Papæ judicium devolverentur. Abusum certè hic solum damnari posse confitetur, hisque contentionis amantium ludificationibus mederi posse solum Pontificem; deinque blandè & clementer rem ferri posse, si intra justitiæ limites ea facultas se cohiberet. Magni & infracti animi vir nihilo indulgentior fuit in exemptiones: sed ejus doctrinæ & præceptionum summa eò redit, ut potestas ratione se regi sinat; & dispensationes ad utilitatem, aut necessitatem publicam semper Ecclesiæ revocentur. *Quomodo non indecens tibi, voluntate pro lege uti, & quia non est ad quem appelleris, potestatem exercere, negligere rationem? Vbi necessitas urget, excusabilis dispensatio est. Vbi necessitas provocat, dispensatio laudabilis est. Vtilitas dico communis, non propria.* Denique inflexi vigoris censor hæc summæ potestatis argumenta licita esse non abnuit, non æquè conducibilia; quin ne licita quidem semper; propterea quod cæterorum quoque Episcoporum auctoritas institutione divina fulgeat, divinoque nitatur jure, unde & ejus cursus temerè aut retardari aut abrumpi sine piaculo non possit: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Quid si fortè nec licet? Erras, si ut summam, ita & solam institutam à Deo vestram Apostolicam potestatem existimas.*

L. 2. de Consider.
Ibid. l. 3.

A Bernardi sententia alienus non erat Petrus Venerabilis Abbas Cluniaci. Hæc sunt ejus verba de immediato & universali Papæ imperio in rebus quidem spiritualibus. *Licèt majorem aliis Ecclesiæ Patribus Romani Pontifices, hoc est, etsi per omnem Ecclesiam Petri authoritatem habeant, &c. sicut Romani Præsules omni, & sicut alii Pontifices singulis Ecclesiis præsunt, &c.* Quibus ita succinit Joannes Salisberiensis: *Romanum Pontificem non ambigimus Principis Apostolorum esse Vicarium qui sicut rector clavo navem, ita sigilli sui moderamine Ecclesiam regit, corrigit, & dirigit universam.*

Bibl. Clun. pag. 639.
Epist. 83.

XVI. Non ergo summæ Sedis juri, aut potestati obluctandum sibi quandoque existimarunt Episcopi, zeli non illaudati vi & ardore abrepti; solum illi usum, vel abusum concerpebant. Si retro tantisper flectamus vestigia, observabimus Galonem Metensem Episcopum à Joanne VIII. pallio donatum, *salva in omnibus Metropolitani subjectione.* Vetuit Bertolfus Trevirensis jure Metropolitico, ne pallium gestaret, nisi facta à se copia; quanquam ille eo se tueretur, quòd non primus, sed quintus demum inter Metenses Episcopos esset, cui hæc honoris insignia Pontifices Romani contulissent. Sedavit hanc Præsulum duorum contentionem Hincmarus Remensis Archiepiscopus, cum perdiu alter pro Metropolitico, alter pro Pontificio jure altercatus esset. *Cum Vualo auctoritatem Apostolicam prætenderet, Archiepiscopus Metropolitanorum jura defenderet.* Verùm ea demum ratione pax & concordia renovata est, ut Vualo secundùm leges Canonicas obtemperaturum se Metropolitano spondeteret. *Ad Metropolitani sui eam instruxit obedientiam, & sic restituit concordiam.* Ex historia Trevirensi hoc exemplum excerpsimus, ex qua compertum est etiam sæpiculè aliàs Bertolfum eundem inexpugnabili quadam animi magnitudine jura sua defensitasse, nec litteris Pontificiis cessisse, si quas suffraganei ejus eo dissentiente impetrassent. *Nam litteras Romani Pontificis pro eadem Vualonis præsumptione, vel Episcopi Virdunensis contra suam voluntatem sibi transmissas suscipere noluit.*

Spicil. To. 12 pag. 215.
Preuves des Lib. Gallic. pag. 468.

Hugo Diensis Episcopus, & Apostolicæ Sedis Legatus Meldensem Episcopum cùm inaugurasset, Richerius Senonensis Archiepiscopus tam impatienter tulit citra assensum suum ordinatum fuisse unum ex Episcopis Provinciæ suæ, ut anathema jaculatus sit in præproperum hunc Episcopum, eique successorem subrogarit. Facultates sibi à Pontifice concessas prætergressus erat Legatus, ut credere par est: eoque condonanda erat hæc Archiepiscopi effervescentia. Bertolfi autem constantia dicam, an contumacia, eo sensu sumenda est, quo Bernardus aiebat de quibusdam, qui importunis, quantumvis legitimis appellationibus præfractè quandoque reluctabantur; *Plures sua amittere non ferentes, appellationes minas opportunas & celsa nomina importuniùs contempsêrunt.* Non absurdè tamen crediderit quis, non tam propriæ auctoritatis cupidine, quàm rigidioris disciplinæ amore præfervido, ultra metas quandoque evectum fuisse Bertolfum.

Monac. Altiss. in Chronicol. ann. 1081.
L. 3 de Consider.

XVII. Scripsit Bertrandus Augustodunensis Episcopus, & Romana pòst purpura præclarus, luculentum de ea causa tractatum, cui ipse præfuerat, dum coram Philippo Francorum Rege jurisdictio Ecclesiastica à regiis Judicibus impeteretur. Quæ

tunc

tunc sane esset Gallicanæ Ecclesiæ sententia, liquidissimè hinc certissiméque exprimi potest. Hanc ergo primùm doctrinam astruit, velut à Leone Papa & à reliquis Patribus constitutam, Petro datas esse Petrique successoribus claves, per quos aliis deinde Præsulibus consignentur: *Origo hujus potestatis fuit* (Bibl. Patr. 204 Para) *à Deo immediatè, videlicet à Christo, tradente eam certa personæ, scilicet Petro, pro se, & suis successoribus, à quibus in alios derivatur.* Addit hac potestate comprehendi universaliter omnes, & regiones & fideles, qui Pontifici summo universi non minùs morigeri esse debeant, quàm privato quisque Pontifici suo. (Quæst. 3.) *Cùm prædictam jurisdictionem habeat Papa sine limitatione loci & personarum, ideo omnes Christiani ubicumque sint, debent ei obedire: Cæteris verò Prælatis, Episcopis, Archiepiscopis, & Patriarchis, in territoriis seu Diœcesibus sibi commissis, tenentur obedire omnes Christiani manentes in eis.* Denique ita ille concludit, Christum, ut qui sempiterna esset Sapientia, potestatem eam omnem Ecclesiæ suæ conspicuo Capiti affudisse, quæ ad ejus incolumitatem invictissimè tuendam necessaria esset: *Christus commisit Petro regimen Ecclesiæ tantum, quantum necessarium erat & expediebat, cum regimine Ecclesiæ.* Ea ergo fuit causa, quamobrem Episcopi de auctoritate vix aut ne vix quidem litem moverint Romanis Antistitibus, sed Ecclesiarum potiori disciplinæ quid expeditius esset, ubi se potestas explicaret, id verò in controversiam aliquoties veniebat.

XVIII. Non abs re erit id adnotare, quam tum doctrinam propugnabat illustrissimus Ecclesiæ Gallicanæ Patronos, eandem postea amplexatos esse Gersonium, Alliacensem, Almahinum, Majorem, & cætera Scholæ Theologicæ & Parisiensis lumina, quorum minimè suspecta fides est, quos denique nisi valde hospes causari potest nemo, amplificandæ Romanorum potestati Pontificum plus æquo studuisse. Hæc autem Gersonius ponit fundamenta in ad omnes prorsus fideles extendi jurisdictionem Ecclesiasticam; si extra juris autem metas erumperet illa quandoque, tum intra orbitam revocari deberè Ecclesiæ in Concilium coactæ authoritate. Hanc in Romano Pontifice residere potestatem; unde Monarchicum certissimè est Ecclesiæ regimen: non quòd Pontificis sit Episcoporum quorumcumque munia invadere: sed quòd hanc tunc demum exerat potestatem, cum immediati Pastores, quod sui muneris est, implere negligunt, aut cum ejusmodi vel invitat utilitas, vel urget necessitas, quæ Episcopos ipsos cogeret Parochorum vices obire. (Gerson to 1 pag. 145. 125. 126.) *Plenitudo potestatis Ecclesiasticæ complectitur in se plenitudinem duplicis potestatis, scilicet ordinis & jurisdictionis, tam in foro interiori, quàm exteriori, quæ circa quemlibet de Ecclesia potest immediatè, & absque limitatione exerceri, clave non errante. Sed si errat, potest per Ecclesiam synodaliter congregatam error judicialiter corrigi, &c.* Prior hæc est propositio; posterior autem ita habet: *Plenitudo potestatis Ecclesiæ sic propriè sumpta, non potest esse de lege ordinata, nisi in unico, summo Pontifice. Alioquin Ecclesiasticum regimen non esset Monarchicum, &c. Nec tamen plenitudo potestatis Papalis sic intelligenda est immediatè super omnes Christianos, quòd pro libito possit jurisdictionem in omnes per se, vel alios extraordinarios passim exercere. Sic enim præjudicaret Ordinariis, qui jus habent immediatum, immò immediatissimum super plebes eis commissas actus hierarchicos exercendi. Extenditur igitur plenitudo potestatis Papæ super omnes inferiores, solùm dum subest necessitas, ex defectu Ordinariorum inferiorum, vel dum appareret evidens utilitas Ecclesiæ. Quemadmodum dici potest de Episcopis respectu Plebanorum, vel propriorum Sacerdotum, quorum possunt supplere defectus.*



Comparatione utitur Gersonius, magni profectò momenti. Hoc animo præceptum, persuasissimumque illi erat, juris divini esse Parochorum dignitatem. Nihilo tamen secius, eorum functiones ab Episcopo immediatè expleri posse sentiebat, quotiescumque ad Ecclesiæ salutem ita conduceret. Eadem est ejus de Papæ erga Episcopos auctoritate sententia. Nec minoris est ponderis status Ecclesiæ Monarchicus, & necessariò Monarchicus, à Gersonio vindicatus. Hinc enim ipsemet argumentatur, non posse dici citra fidei Catholicæ dispendium, Episcopum quemlibet sui territorii Papam esse. *Nullam aliam politiam instituit Christus immutabiliter Monarchicam, & quodammodo Regalem, nisi Ecclesiam; & oppositum sentientes de Ecclesia, quod fas est esse plures Papas, aut quod quilibet Episcopus est in sua Diœcesi Papa, vel Pastor supremus, æqualis Papæ Romano, errant in fide & unitate Ecclesiæ, contra illum articulum, Et in unam sanctam, &c.* (Ibid. p. 1, 8.)

His addit idem Scriptor, si Episcopos Pontifex contruderet in eas angustias ut *suis juribus essentialibus* eos orbaret, sive largiendis exemptionibus, sive reservandis sibi tum absolutionibus criminum, tum collationibus Beneficiorum: idque *si passim, communiter, absque utilitate majori Ecclesiæ fieret*, tum (Ibid. p. 190. 190.) verò posse eos opem & tuitionem implorare, non Papæ tantùm ipsius, aut Concilii, *quod est convenientissimum medium*: sed etiam Principum temporalium. Illud denique alibi statuit idem Theologus, dispositionem & politiam Ecclesiæ generalem non posse à Papa immutari, non posse Episcopis, Parochisque viduari, imò nec Cardinalibus, in quantum Cardinales instar habent Apostolorum, quos Petro assessores & consiliarios Christus ipse adgregarat.

XIX. In eadem ingrediebatur vestigia Almahinus. His enim ille verbis, *Pasce oves meas*, mandatam à Christo existimabat provinciam Petro dispensandi dignitates quaslibet Ecclesiasticas, Episcopatus, Parochias. *Fuit Petro data potestas etiam con-* (Ibid. pag. 714. 765. 768.) *stituendi Ministros, ad pascendum, & instituendum, & distribuendum cæteras dignitates Ecclesiasticas, Episcopatus, Curas.* Cùm verò objectaretur hic illi nodus, ut in una quandoque Parochia Parochi plures, & Episcopi plures in uno Episcopatu extiterunt, posse & in primæ Orbis Cathedræ fastigio sedere plures Pontifices: hanc ille objectionem ita diluit, Ecclesiasticæ & humanæ duntaxat institutionis esse, ut civitatem unam unus regat Episcopus; at divini juris, & quod ad homines attinet, incommutabilis esse, ut orbis Christianus universus ab uno summo regatur Sacerdote & Pastore. *Quòd sit aliquis, qui habeat regere totam Christianitatem, est ex institutione Christi; & quòd aliquis regat hunc Episcopatum, est ex institutione humana: ideo potest committi duobus ex æquo: alia verò quæ est ex institutione Christi, non potest.*

Nec discrepat Major ejusdem Parisiensis Scholæ Theologus ab hac eadem sententia, Posse Papam eos omnes potestatis numeros implere in quolibet Episcopatu, & in fideles per orbem quoslibet, atque Episcopum quemlibet intra fines sui Episcopatûs: dummodo ne ea Papæ jurisdictio effundat se (Ibid. pag. 887 888.) in omne corpus Ecclesiæ Oecumenicum Concilium celebrantis.

Petrus Alliacensis qui in collegium Cardinalium postea cooptatus fuit, pulcherrimum *de Ecclesia*

*auctoritate* tractatum, dum Constantiensis Synodus
Ibi. p. 898. haberetur, elucubravit. Ita autem ille constituit: statim à Christo dotatos fuisse Apostolos potestate sacerdotali quadam infinita & prorsus pari: at postea ut occurreretur dissidiis, & schismatum impendenti labi, si Apostolorum successores, hoc est, Episcopi tota illa auctoritatis plenitudine poterentur, universalem universi gregis providentiam ab eodem Christo commendatam fuisse Petro, Petrique successoribus, ut Christianum & sacerdotale imperium in alios & alios secarent Episcopatus, & exercendæ jurisdictionis leges promulgarent. *Quia ex hoc confusio sequi poterat, ideo Dominus hoc prævidens contulit Petro primò & suis successoribus auctoritatem disponendi ministros Ecclesiæ, & determinandi jurisdictionem, dicens, Pasce oves meas, id est, sis Pastor generalis, ad quem pertineat dispositio & regimen generale ovium & ovilis, &c. Et ita in Petro fuit ista plenitudo potestatis, quam tamen postea divisim aliis dedit, vocans eos in partem sollicitudinis.*

Non ægrè sibi persuaderi patientur omnes, quidquid tunc temporis Theologorum fuit, eos non minùs propensos fuisse omnes ad potestatis Pontificiæ exaggerationem, quàm Gersonium, Majorem, Alliacensem, Almainum. Istud quoque facilè adducentur, ut credant, recepto tunc maximè rerum usu, moribusque Ecclesiæ impulsos fuisse hos Theologos, ut huic se doctrinæ addicerent. Compertum est enim non multum operæ eos collocasse in Canonum, Conciliorum, Patrumque commentariis pervolutandis, vel in primævæ Ecclesiæ disciplina pervestiganda. Incumbebant ergo illi in temporum suorum Ecclesiasticas consuetudines receptissimas, hinc doctrinæ suæ munimenta comparabant. Si quando autem prima Ecclesiæ tempora replicabant, & hinc auctoritatem & vim suis placitis conciliare satagebant, id tum maximè consequebantur, cum divinitus institutum Petri primatum, & Christi ipsius verbis consecratum Evangelicosque ea de re contextus commentabantur. Ecquis enim non videt illis Christi verbis ad Petrum & de Petro, inserta atque implicata fuisse jura illa omnia & insignia potestatis privilegia, quæ in longa sæculorum serie explicuerunt sese, & in lucem eruperunt, cum Ecclesiæ utilitas & charitas flagitavit? Horum ergo Theologorum magni omnino doctrina facienda erat, tametsi solis adhærescerer verbis Evangelicæ historiæ, quibus scilicet certissimè origo & radix intexta est totius hujus eminentissimæ potestatis, quæ nonnisi explicantibus se sæculis explicuit sese ipsa quoque, & ea fructuum copia exuberavit, quorum expers plerumque fuit prima Ecclesiæ ætas, in qua sola eorum radix delitescebat. Non ostentavit se omnibus Ecclesiæ ætatibus una & eadem amplitudo Apostolicæ jurisdictionis; ex horum tamen Theologorum sententia jam tum donavit Christus Petro quidquid præcellentiæ & potestatis sæclis volventibus deinceps emicuit, aut ad necessariam Ecclesiæ ædificationem emicaturum est. In assumpta carne æternum & incommutabile Dei Verbum multa dixit, multa præcepit visibiliter, quæ nunc invisibiliter & omnipotenter ab eodem ipso præstantur. Si verò non satis constat divino jure vindicari debere singulas illas potestates, quæ ex illis priscorum sæculorum latebris tardiùs exilierunt, quoad usum nempe & exercitium: inficias tamen nemo ibit, quin adprime illæ consentiant ei primatui Petri, quem divino jure institutum fuisse nemo Catholicus dubitat.

In hunc sensum duces, si voles, non invita Bernardi hæc verba in epistola ad Mediolanenses: *Plenitudo potestatis super universas orbis Ecclesias singulari* Epist. 131.
*prærogativa Apostolicæ Sedi donata est. Qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit: potest, si utile judicaverit, novos ordinare Episcopatus: potest eos qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, &c. potest à finibus terræ sublimes quascumque personas Ecclesiasticas evocare, & cogere ad suam præsentiam, non semel, & bis, sed quoties expedire videbit, &c.* Potestas hæc sibi quidem eadem suique semper simillima fuit; sed ejus usum admoderata semper est sapientia & charitas dispensandi, ad utilitatem & necessitatem Ecclesiæ, aliis aliisque & novis in dies rationibus, ut alternabat temporum disciplina, innumeris & subinde variis temporum, locorum, & personarum commissuris, in tanta principatuum regnorumque Christianæ gentis multitudine.

XX. Cùm particulares ab initio conderentur Ecclesiæ, Apostoli, ut mea fert opinio, qui earum fundatores & parentes erant, non ita transcribebant in Episcopos eam authoritatem, quam sibi creatione hac spirituali pepererant; ut ea se ipsi spoliarent. Atqui sola Apostolica sedes Petri universalem hanc hæreditatem adivit Apostolorum. Scite sanctus Thomas id ex his elicuit Pauli Apostoli verbis, cujus etiam hæres & successor peculiaris est Papa, *In omni loco ipsorum & nostro.* Thomæ verba hæc sunt: *In omni loco ipsorum, id est, eorum jurisdictioni subjecto. Et nostro, quia per hoc quod subjiciebantur Episcopo civitatis, non eximebantur à potestate Apostoli. Quin imo magis erant ipsi Apostolo subjecti, quàm his, quibus ipse eos subjecerat.* Obversabatur ante oculos istorum Theologorum Christus ipsemet, Caput Ecclesiæ invisibile, in conspicuo ejusdem & Vicario Capite sedens, & inde cœleste sacerdotium suum ejusque jura omnia pro sæculorum locorumque opportunitate explicans, ad sapientiæ absolutissimæ & charitatis leges omnia librans, ad tot poris sui mystici incrementa, donec ad extremam illud perfectionis metam perducat. Non aliter sentiebat Petrus Cluniacensis Abbas, his ad Innocentium II. verbis: *Nihil nos à Pastore, nihil à Petro, nihil à* Epist. 1. L. 1.
*Christo, quæ omnia in te uno habemus, separare poterit.* Et his rursus ad Cælestinum Papam: *Ipsos Apostolo-* L. 14. Ep. 18.
*rum summos Petrum & Paulum, imò ipsum Christum in vobis solo se habere gloriabitur orbis terrarum.*

In Epist. 1. ad Cor. c. 1.

Porro si superiorum Theologorum suffragia & verba huc congessi, non ea fuit mea mens, ut abstractam illam quæstionem diffinirem, ac ne attingerem quidem, quæ tunc magna rationum hinc & inde vi, nec minore animorum contentione disceptabatur. Sed ut exploratius fieret, quanta tunc temporis in ipso rerum usu auguranda sit Episcoporum in Apostolicam sedem observantia fuisse, cùm hæc ipsa in Theologicis Scholis doctrina imbuti à teneris fuissent, ut ne in mentem quidem veniret de authoritatis finibus cum Præsule & vertice suo contendere.

XXI. Ex antedictis micat, ita imminere Collegio Episcopali, ita universæ Ecclesiæ Pastorum universitati & paci præesse Spiritum sanctum, ut nunquam passus sit Capiti controversiam fieri de Apostolicæ potestatis jure & plenitudine ipsa. Si qua autem temporum & caussarum fuere discrimina, ubi restrictum erat, eò tantummodo spectatum esse, ut potestatis usus & modus is esset, qui Canonibus observandis, alendæ paci Ecclesiarum, & tuendæ, aut resarciendæ disciplinæ congrueret. Non absurdè

etiam dici potest, cùm Gregorius Magnus Oecumenici Patriarchæ nomen, & nominis pompam repudiaret: & universalis Episcopi titulo semper abstinuisse Romanos Antistites constantissimè affirmaret: hunc illi scopum propositum fuisse, ut abusus amandaret prædamnaretque, qui ea nominis & potestatis magnificentia tegi defendique potuissent. Nequaquam temeraria aut inanis erat hæc suspicio, cùm novitatis invidia titulo ab isto abstersa nondum erat, & eo præterea tegi nitique poterat ambitiosorum Præsulum audacia. Sed utcumque res illa habeat, indubitatum certè est neminem Pontificum Apostolicæ potestatis plenitudine & universalitate tam longè latéque regnasse, quàm Gregorium: sed adverte illud quoque æquè indubium, neminem humiliùs, sanctiùs, modestiùsque regnasse, neminem propensiùs solis Ecclesiæ utilitatibus serviisse. Itaque verbis hujus Pontificis ejus exempla facem præferunt: tum à verbis autem ejus, tum ab exemplis id fulget splendidissimè, plenitudinem & universalitatem Pontificiæ potestatis, non proficisci ab immoderata quadam dominandi libidine, sed à charitate Christi effusissima, limitumque impatiente, & quæ nihil non se posse fidat, quod ad ædificationem Ecclesiæ, ad justitiæ pietatisque propagationem conducat.

L. 5. anno 1119. XXII. In Historia novella narrat Eadmerus, dum se accingeret ad Turstani Eboracensis Archiepiscopi consecrationem Callixtus II. Pontifex in Concilio Remensi, Joannem Archidiaconum Cantuariensem palam intercessisse, contestatumque esse, hoc jus esse muonsque Cantuariensis Primatis, quo citra injustitiam spoliari non poterat, adeoque non poterat à Romano Pontifice, qui injustitiæ ultor, non author est: *Non ipsum, licèt officio Papæ fungeretur, jure posse Ecclesia Cantuariensi jus suum præripere: cùm constaret eum nulli, quod justè debebat, eo usque denegasse.* Hoc se repagulo retineri passus non est Pontifex; peractaque tandem consecratione pax facilè coaluit. Cæterùm adversùs hunc Archidiaconum excipere quis potuisset, & objectare ipsas Ecclesiæ Cantuariensis consuetudines & jura in reliquas Angliæ Episcoporum Diœceses. Vendicante enim sibi Episcopo Salisberiensi regiarum nuptiarum celebrationem, quòd castrum Vindsorium, ubi peragenda ea erat, Episcopatûs sui finibus clauderetur: contrà niti Archiepiscopus Cantuariensis, & reclamare cœpit, pervicitque tandem, non ea tantùm ratione, quòd Rex & Regina Diœcesani & Parochiani sui essent, quocumque demum loco essent; sed altera hac etiam, in qua multò plus momenti est, quòd ex ea stupenda quædam potestatis effusissimæ argumenta manarent. Nimirum tam latè patere Diœcesin Cantuariensem, quàm Primatum; cæterosque Angliæ Episcopos à Cantuariensi Episcopales suas sedes accepisse.

Ibid. l. 6. *Cùm Episcopus Serberiensis quia castrum ipsum in Diœcesi sua consisteret, officium ipsius copulæ niteretur administrare, contradictum & comprobatum ab aliis est, magis ad Archiepiscopum Cantuariensem id pertinere, ea ratione quòd Rex & Regina speciales ac domestici Parochiani sunt ipsius; nec Diœcesim cujusvis Episcopi ei posse præripere, quod sui juris dignoscitur esse: cùm tota terra lege Primatûs Cantuariæ, Parochia sua sit; & omnes Episcopi totius insulæ Parochias quas habent, nonnisi ab ipso & per ipsum habeant. Sedata igitur in hinc controversia est.*

XXIII. Video non injuria forsan coarctari ab aliquo posse secundum hanc rationem ad regias tantùm personas, quæ Cantuariensi Parochiæ semper accenseantur, quantumvis in remotissimis degerent aliorum Episcoporum civitatibus. Sed vel in eo præclarum suppeteret ejus rei exemplum, cui illustrandæ jamdiu insudamus. Accedat præterea veluti ad cumulum Anselmus, qui cùm sanctitatis laude, ac modestia & humilitate præ cæteris claruerit, dignitatis suæ jura enixissimè latissiméque propugnavit, palam professus, auctore eodem Eadmero, sibi jus fasque esse Pontificialia munia in omnibus Angliæ Episcopatibus exercere. *Antecessorum meorum juris fuit, & mei est, indifferenter per Angliam, ubicumque voluntas tulit, Episcopale officium administrare.* L. 4. Prolixiùs de his infrà suo loco, ubi de Primatia Cantuariensi. Sed hic prætermitti non debet, sapientiæ non minùs quàm potestati declarandæ studuisse Anselmum; idque statim ab eo proditum esse, ubi eo se jure non usurum recepit, nisi quod firmasset consuetudo, & Episcopis approbasset: *Dico consuetudinis illud non esse, &c. Hoc unde agitur, quamvis si fieret, non esset fidei contrarium, fieri tamen ex consuetudine non debet, eo quòd nimis inconveniens esset.* Ita quondam Archiepiscopi Carthaginenses ordinarunt aliorum Episcoporum cives, Clericosque: ita Romani Pontifices universalem ubique potestatem sibi adseruerunt, ad *consuetudines* tamen revinctam, usu & Episcoporum assensu receptas; & ea cautione ut ne dissensionibus usquam & schismati via panderetur. De his hactenus. Primatus sanè Cantuariensis contemplatio mollissimam nobis stravit viam ad Primates & Patriarchas.

## DE PATRIARCHIS.

## CAPUT VII. *P. 1. l. 1. c. 4.*

### De Patriarchis in genere per quinque priora Ecclesiæ sæcula.

*I. Necessaria Exarchorum & Patriarcharum institutio, qui majoribus in Conciliis causas finirent, quæ in Provincialibus non poterant.*

*II. Diversorum in Episcopatu graduum subordinatio scitissimè à Leone Papa describitur.*

*III. Solius Papæ in Ecclesia, & Episcoporum in sua cujusque Diœcesi Primatus divini certissimi juris est.*

*IV. Quanquam Metropolitanorum & Exarchorum ad jus divinum propè accedat constitutio.*

*V. Voces quibus significantur dignitates Ecclesiasticæ, si probè intelligantur, nec fastum quidquam, nec dominatum sonant.*

*VI. An Ecclesiam aliquando Patriarchæ rexerint sine Episcopis.*

*VII. Episcopi Romanus, Alexandrinus, Antiochenus ab ipsis Ecclesiæ exordiis longè aliis antecessere. Argumenta sumpta à Conciliis.*

*VIII. Alia argumenta à sanctis Patribus Innocentio, Leone, & Pelagio.*

*IX. Non ab urbium illarum celebritate hunc honorem sortiti fuisse eos illi Præsules.*

*X. Nova rursus argumenta ex Patribus, & ex Eusebio. Quid maximè spectatum sit in seligendis urbibus potissimis.*

*XI. Ecclesia illa tres à B. Petro fundatæ ex Eusebio.*

*XII. Ex sanctis Epiphanio, Gregorio Nazianzeno, & Theodoreto.*

*XIII. Ex ipsa Ecclesia Græca vetustissima traditione.*

I. EX superioribus dilucidè patuit, ad pacem & disciplinam Ecclesiæ stabiliendam multa frustra esse tentata, donec ad Exarchos & Patriarchas ventum est, qui Metropolitanis præessent, singuli pluribus, & in Diœcesano seu Nationali Concilio de iis judicarent controversiis, quæ in Provinciali

ideo dirimi non potuissent, quòd aut essent divisa comprovincialium suffragia, aut ipsis cum Metropolitano res esset, aut ipsis inter se Metropolitanis. Illud demum est, quod potissimum movit Patres Concilii I. Constantinopolitani, ut instituerent, aut jam institutas confirmarent Diœceses majores, instar Diœceseon civilium: eademque opera Diœceseon Principes, qui Diœcesanis præsiderent Conciliis, quibus Metropolitani & Legati Provinciarum interetant. Verùm quidquid tentaverint Patres & Concilii Constantinopolitani, & Antiocheni, quibus alia placuit via, ut oblitteraretur præpostera consuetudo recurrendi ad Imperatorem in causarum spiritalium judiciis; eò tandem res est deducta, ut caput aliquod supra Exarchos constitueretur, sicut Metropolitanis Exarchus instar capitis imminebat. Poterant enim Episcopis & Metropolitanis cum Exarcho lites esse. Poterant Exarchis inter se. Poterant diversarum Diœceseon majorum Metropolitanis & Episcopis. Quæ lites haud aliter compesci poterant, quàm aut per Judicem Exarchis superiorem, aut per Concilium majus Diœcesano.

Si Græcis autem Exarchos supra Metropolitanos instituere licuit, sine injuria Canonum Nicænorum, ubi nullum agnoscitur supra Metropolitanos tribunal, nullum majus supra Provinciale Concilium: Quidni licuerit & Sardicensi Concilio, agnoscere Petri successorem, tanquam Exarchum seu Primatem ab ipso Christo institutum, qui eas terminaset judicio suo controversias, quæ à Conciliis Provincialibus ac Diœcesanis decidi non possent, cùm tamen Oecumenicum Concilium cogi tum quidem non oportere judicaret Ecclesia. Hoc statuto nec Synodi Nicænæ infringebatur auctoritas, nec Canones violabantur; sed ejus exemplo utebatur, ejus vestigiis inhærebat Sardicense Concilium, nova novis malis temperabat medicamenta, eorum non dissimilia, quæ Nicæni Patres excogitarant, ut suorum temporum morbis mederentur. Dici denique non potest, juris dicendi potestatem omnem Ecclesiasticam à Concilio Nicæno solis Synodis Provincialibus attributam esse, cùm majorum Metropolitanorum, qui deinde Archiepiscopi & Patriarchæ appellati sunt, ab eodem assertam confirmatamque videas auctoritatem eam, qua Provinciarum singuli multarum & ordinarent Episcopos, & disciplinam moderarentur.

II. Potestatum hanc & tribunalium, aliorum aliis eminentium rationem & seriem, nemo luculentiùs exhibuit Leone Magno. Ut enim inter Apostolos, alioqui ordine & collegio pares, unum præposuerat Christus, qui Apostolico præesset concilio cœtuique, ita in judiciis Ecclesiasticis per gradus ad supremum tandem judicem veniri oportere. En

Epist. 84. ejus verba: *Connexio totius corporis unam sanitatem, unamque pulcritudinem facit. Et hæc connexio totius quidem corporis unanimitatem requirit sed præcipuè exigit concordiam sacerdotum. Quibus etsi dignitas non sit communis, est tamen Ordo generalis. Quoniam & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis; & cùm omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut cæteris præemineret. De qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio, & magna dispositione provisum est, ne omnes omnia sibi vendicarent, sed essent in singulis Provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursus quidam in majoribus urbibus constituti, sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil usquam à suo capite dissideret.*

III. In hac sacrarum Ecclesiæ dignitatum serie, ratum illud certumque est, jure divino niti Principatum tum Episcoporum in privatis Diœcesibus, tum Papæ supra Episcopos omnes orbis: cùm Metropolitanorum, Exarchorum, Patriarcharumque authoritas Ecclesiastica ab institutione originem ducat. Ipsemet enim Filius Dei Christus, Apostolorum Collegio ortum dedit, eique vice sua Caput Petrum præfecit: utque verbi sui omnipotentia inconcussam Ecclesiæ suæ æternamque stabilitatem pollicitus est: ita & indubiam spem fecit, & Apostolis, & augustissimo Apostolorum Capiti successores in longa sæculorum serie nunquam defuturos. Id ex alia promptum est Leonis Epistola, ubi docet Christum in individuæ secum unitatis consortium Petrum assumpsisse, ut Vicarium hoc esset caput, à quo quisquis se absciderет, exors prorsus esset & divini sacramenti, & æternæ salutis. *Hujus* Epist. 89. *muneris sacramentum ita Dominus voluit ad omnium Apostolorum officium pertinere, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret; ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet; ut exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individuæ unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

IV. Si Metropolitanos dictum est à me & Patriarchas jure tantùm Ecclesiastico niti, nihil derogatum volui iis quæ suprà disceptata sunt de Metropolitanis Ecclesiis & Patriarchalibus, quarum conditores fuere Apostoli, & quarum principatus ipsis Evangelicis Apostolicisque Scripturarum testimoniis consecratus est. Hæc institutio, quæ Ecclesiæ ipsi pene coæva est, juri divino finitima est, ab eoque emanavit proximè & immediatè: quippe cùm ab Apostolis profecta sit, velut æmulatrix quædam Apostolici Collegii, & ejus authoritatis eximiæ, qua Christus Petrum supra Apostolos ipsos evexerat.

V. Juvat paucis refricare memoriam eorum quæ superiùs dicta sunt, ad abstergendam invidiam, & suspicionem inanis gloriolæ, aut dominationis ab his vocabulis, quibus sacri Ecclesiæ Magistratus designabantur, Papa, Patriarchæ, Exarchi, Archiepiscopi. Nihil fieri aut excogitari poterat, quod Christianæ sobrietati & humilitati magis consentiret. Papæ nomine Pater insinuatur, & omnibus primùm Episcopis tributum est. Extat apud Vopiscum in Adriani vita Epistola, in qua mentio fit Presbyterorum & Episcoporum Christiani nominis: imò & Patriarchæ in Ægypto: *Ille ipse Patriarcha cùm* In vita Saturnini. *Ægyptum venerit, ab aliis cogitur Christum, ab aliis Serapidem adorare.* Non immeritò Petrus de Marca de Judæorum Patriarcha intelligi id debere sensit; cùm nonnisi ducentis aut trecentis posthac annis id nominis usurpatum sit in Ecclesia. Patriarchas Hebræorum crebrò memorat Hieronymus, nec eorum tacet abundantiam opum, deliciis, ut moris est, circumfluentem. Sic enim ille in hæc Isaiæ verba, *Effæminati dominabuntur eis*, sic inquam ille: *Consideremus Patriarchas Judæorum effæminatos ac deliciis affluentes, & impletam esse Prophetiam cernemus.* Episcoporum nomen litteris ipsis sacris consignatum est, peræquè ut sacerdotale eorum imperium, paternæ sollicitudinis & charitatis blandimentis conditum. Jam diximus Archiepiscopi & Exarchi nomine solum designari ordinem, quo necesse erat componi Ordinem cæteris omnibus antecellentem.

Denique non hos sibi sumpserunt Episcopi titulos, sed veneratione & pietate fidelium sibi tributos, vel usu invectos, tandiu supersederunt, ne illos sibi ipsi induerent, quandiu ipsorum novitas in suspicionem venire poterat jactantiæ, aut ostentationis.

VI. Non satis liquidò constat, an fides habenda sit Chronico Alexandrino, ubi affirmat Eutychius Patriarcha Alexandrinus, ad Demetrium usque, qui undecimo demum loco Alexandrinam Marci sedem obtinuit, nullum alium fuisse tota Ægypto Episcopum, ab Demetrio ordinatos tres, ab Heracla ejus successore viginti. *Ab Anania quem constituit Marcus Evangelista Patriarcham Alexandriæ, usque ad tempora Demetrii, undecimi ibidem Patriarchæ, nullus in Ægypti Provinciis fuit Episcopus, nec ante eum Patriarchæ crearunt Episcopos. Ille autem factus Patriarcha tres constituit Episcopos, & primus hic fuit Patriarcha Alexandrinus, qui Episcopos fecit. Mortuo Demetrio suffectus est Heraclas Patriarcha Alexandrinus, qui Episcopos constituit viginti.*

Procul est à vero, aut veri saltem similitudine, tamdiu Episcopis caruisse Ægyptum. Sed ex his tamen Eutychii verbis exculpi nonnulla possunt minimè aspernanda. 1. Episcopos cæteros ab illis primùm Episcopis creatos esse, qui majoribus Ecclesiis & Apostolicis sedibus præerant, ubi fides primùm adoleverat. 2. Æquissimum fuisse, ut eorum imperio, videlicet Patriarcharum veterum, subessent Episcopi, à quibus ortum acceperant. 3. Eodem ipso nomine subjiciendos fuisse Metropolitanos Patriarchis, qui Apostolicas insidebant cathedras; in quibus collocarat Apostolus, cum Ecclesias fundaverant alias, tum Episcopos per orbem universum sparserunt. 4. Patriarchas Alexandriæ, perinde ut Antiochiæ & Romæ reservare sibi potuisse potestatem, non Metropolitanis tantùm, sed & Episcopis omnibus suæ ditionis manus imponendi. Nicæno Canone hæc potestas Alexandrino Antistiti confirmata est, cùm unus ex Ægypti Metropolitanis Meletius priscam hanc consuetudinem lacesseret. 5. Cæteri Apostoli Ecclesias singuli proprias genuerant, quæ ad eos speciali semper aliquo jure pertinerent; itaque Patriarchales tres Ecclesiæ majores, quarum conditor parensque fuit Petrus, eis non debebant eodem imperitari jure, quo aliis à se genitis. 6. Charitatis & clementiæ paternæ delinimentis temperatum erat totum hoc imperium, quod incitebatur Ecclesiarum aliarum ab aliis procreationi, matrumque in filias necessariæ vigilantiæ. 7. Facile accidere potuit, ut Episcopi maximarum Metropoleon orbis Romani, Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Carthaginensis, aliquandiu & Provincias aliquas, forsan & majores Diœceses immediatè administrarint, citra operam Metropolitanorum aut Exarchorum: cùm persuasum quibusdam fuerit, Alexandrinam Diœcesio, tot compaginatam ex Provinciis, etiam sine Episcopis à solo Alexandrino Præsule gubernatam fuisse. Metropolitani tantùm nomine donatur Carthaginensis Præsul in Concilio Ephesino: & tamen indubitatissimum est, obnoxios tunc ei fuisse complures Primates, ut in Africa vocari solebant, qui alibi Metropolitani dicebantur. Si ad Cypriani autem tempora revolvaris, numerosissima tunc quidem Episcoporum Africanorum Concilia quandoque colligebantur: an autem alius quisquam jam tum imminenet Metropolitanus, quàm Carthaginensis, haud satis mihi quidem liquere videtur. In Conciliabulo Nestorianorum Ephesi id interponitur discriminis inter Joannem Antiochenum & cæteros Metropolitas, quòd ille unus Archiepiscopi nomine nuncupatur.

VII. Sed si seponatur contemplatio nominum, & ipsa spectetur authoritas, certissimum est singularem prorsus ab ipsis usque Ecclesiæ primordiis, & præcellentissimam fuisse Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ Ecclesiæ potestatem: ut quæ in eas profecta sit à Petri principatu, qui eas & instituerat, & præsentia sua cohonestaverat, in easque effuderat eam plenitudinem, vel plenitudinis Apostolicæ plenissimam participationem, qua illum dotaverat Christus. Canone Nicæno VI. trium horum Episcoporum ratio & dignitas à reliquorum Episcoporum turba sejungitur, eorumque jurisdictio in plures apertè exporrigitur Provincias, cùm cæteris videantur Metropolitis singulæ adsignari. Synodus Sardicensis causam Episcoporum exauthora- Can. 5 3.
torum, & à prioribus judicibus appellantium, ad Sedem Apostolicam retulerat, Petri memoriæ ut honor haberetur. Constantinopolitana prima Synodus Alexandrino & Antiocheno tres alios Diœceseon Exarchos adjecit; utque ad honoris culmen proveheret Episcopum Constantinopolitanum, concessus prærogativam illi indulsit supra alios Episcopos, post Romanum Præsulem. Nihil antiquius tunc, nihil optatius erat Imperatoribus Christianis, quàm ut Constantinopoli civitati, seu novæ Romæ, transcriberent ornamenta honoris, & insignia potestatis omnia, quibus hactenus radiaverat Roma vetus: ut in filiam tota matris traduceretur gloria. Laboratum utique ab illis hoc quoque fuisset, ut principatus ipse Apostolicæ Sedis Constantinopolitano Episcopo adjiceretur; nisi persuasissimum & jamdiu præceptum animo hoc habuissent, divino prorsus instituto majestatem primæ Cathedræ Petro Petrique successoribus tributam esse.

VIII. In Epistola ad Alexandrum Antiochenum Episcopum scripta disertis verbis testatur Innocentius I. Nicæno Canone confirmatum esse jus Antiocheno, non in unam Provinciam, sed in Diœcesin majorem: idque non tam ex eo fluxisse, quòd Græcorum in Syria Imperii Antiochia caput extitisset, quàm quòd ibi primùm Petrus sibi fixisset Sedem; quanquam ne fixisset quidem ibi; eò quippe Antiochiam Romæ concedere, quòd quem ipsa obiter & in decursu tantisper detinuerat, Roma constanter complexa, retinuisset ad palmam usque martyrii, ut ne mors quidem ipsa eam hoc sacro summæ potestatis pignore orbare potuisset. *Revolventes authoritatem* Epist 18 c 1.
*Nicænæ Synodi, quæ una omnium per orbem terrarum explicat mentem Sacerdotum, de Antiochena Ecclesia, &c. super Diœcesim suam, non super aliquam Provinciam, prædictam Ecclesiam recognoscimus constitutam. Unde advertimus, non tam pro Civitatis magnificentia, hoc eidem attributum, quàm quòd prima Apostoli sedes esse monstretur, ubi & nomen accepit Religio Christiana, & quæ conventum Apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit, quæque urbis Romæ sedi non cederet, nisi quòd illa in transitu meruit, susceptum ista apud se consummatumque gauderet.*

Anatolium Constantinopolitanum Episcopum insimulabat Leo Magnus, quòd aucupatus esset occasionem amplificandæ suæ dignitatis ex depositione Dioscori Episcopi Alexandrini, & ex perturbatione rationum omnium Episcopi Antiocheni tempore Concilii Chalcedonensis: ut nempe suam ipse sedem protruderet, supra Alexandrinam, quæ secun-

das: & supra Antiochenam, quæ tertias semper honoris partes obtinuerat; quo tota labefactabatur ordinis inter Sedes à Synodo Nicæna confirmati constitutio: *Epist. 53.* *Tanquam opportunè se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Ecclesia proprietatem tertia dignitatis amiserit, &c. Tanquam illa Nicænorum Canonum per sanctum verè Spiritum ordinata conditio, in aliqua sit unquam parte solubilis.* Harum Sedium eminentior authoritas, eodem teste Innocentio, à Nicænis Patribus firmata ita fuerat, ut à Petro scaturire intelligeretur, qui Antiochenæ ipsemet fundamenta jecerat, Alexandrinæ suis auspiciis, ministerio Marci discipuli sui: *Nihil Alexandrina Sedi, ejus quam per sanctum Marcum Evangelistam B. Petri discipulum meruit, pereat dignitatis: nec Dioscoro impietatis sua pertinacia corruente, splendor tanta Ecclesia tenebris obscuretur alienis. Antiochena quoque Ecclesia, in qua primùm prædicante Apostolo Petro Christianum nomen exortum est, in paterna constitutionis ordine perseveret, & in gradu tertio collocata nunquam se fiat inferior. Aliud enim sunt sedes, aliud præsidentes.*

In præcelsum istum apicem dignitatis, sublimatæ sunt tres illæ Civitatès maximæ, non quòd Regiæ fuissent, sive Romani in orbe toto, sive Græci Imperii in Ægypto & in Syria capita; sed quòd ad eas accesserit, easque sibi quodammodo conservaverit, quem sempiterni Principatûs Ecclesiastici fundamentum Christus posuerat. Potuerunt terreni Principes Regias condere orbes; solus potuit Christus æterna stabilitate sacrum Principatum, Apostolicasque sedes *Epist. 54. 62.* donare: *Alia ratio est rerum sæcularium, alia divinarum. Nec præter illam Petram quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit ulla constructio.* Imperatoriæ majestatis præsentia præstari poterat, ut Regni sedes, non ut Apostolica sedes, quantacumque demum urbs diceretur. *Non dedignetur Regiam civitatem, quam Apostolicam non potest facere sedem.*

Antiqua sanè consuetudo, quam de Nicæna Synodus ita edixerat, *Can. 6.* *Antiqua consuetudo servetur: ἀρχαῖα ἔθη*, non alio aptiùs sensu accipi potest, quàm ut dicatur ea fundamentum habuisse in maximarum illarum trium Sedium dispositione, ab Apostolorum usque temporibus, & in ea auctoritate, quam acceperant ab eo, quem Christus Apostolorum Principem constituerat & caput. Hanc Apostolicæ sedis unitatem & ab unitate effundentem se opulentiam, *Ann. 494.* ita declarabat Gelasius in Concilio Romano: *Quamvis universa per orbem Catholica Ecclesia unus thalamus Christi sit, sancta tamen Romana Ecclesia nullis Synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est, sed Evangelica voce Domini & Salvatoris nostri Primatum obtinuit: Tu es Petrus, & super &c. Est ergo prima Petri Apostoli Sedes Ecclesia Romana. Secunda autem Sedes apud Alexandriam B. Petri nomine à Marco ejus discipulo & Evangelista consecrata est, ipseque à Petro Apostolo in Ægyptum directus verbum veritatis prædicavit, & gloriosum consummavit martyrium. Tertia verò Sedes apud Antiochiam ejusdem B. Apostoli Petri nomine habetur honorabilis, eò quòd illic priusquam Romam venisset, habitavit, & illic primùm nomen Christianorum novellæ gentis exortum est.*

IX. Idem ipse Gelasius, ut Acacij, qui Constantinopolitanam suam Sedem Alexandrinæ & Antiochenæ præferri cupiebat, temerarios ausus reprimeret, hoc afferebat, multos in civitatibus diu commoratos esse Imperatores, quæ tamen hinc nullum incrementum accepissent, quod ad dignitates Ecclesiasticas pertineret. *Epist. 13.* *Risimus, quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia Episcopus fuerit Regiæ civitatis. Numquid apud Ravennam, apud Mediolanum, apud Syrmium, apud Treviros multis temporibus non constitit Imperator? Numquid harum urbium Sacerdotes ultra mensuram sibimet antiquitus deputatam, quidpiam suis dignitatibus usurparunt?* Hæc Ravennæ, Mediolani, Syrmii, Treverorumque exempla, non id valebant tantùm, ut Episcopi Constantinopolitani everteretur causa, ambitus retunderetur: sed etiam ut persuaderent omnino, trium illarum regiarum urbium Ecclesias non ab Regia aut Imperatoria majestate suam illam consecutas esse honoris & potestatis amplitudinem. Neque enim primorum & splendidiorum Ecclesiæ sæculorum indoles ea erat, quæ magis vanissimo terrenarum rerum splendore moveretur, quàm posteriorum.

X. Id ipsum sensere sanctissimi Patres de trium illarum Ecclesiarum Primatu; hunc nempe effluxisse à Petro, in quo videlicet ejus primarium fontem posuerit Christus. Omnipotentem vim Christianæ veritatis & religionis, hinc egregiè Eusebius astruit; quòd solo piscatorum ministerio potentissimos quosque orbis Principes Christo subjecerit, & in Regiis tribus civitatibus maximis, in quibus maximè se jactabat Idololatria, de ea triumphum egerit, trophæo crucis adversaria omnia prosternens munimenta. *Dum potentiam verbi respicio, ut ab agrestibus Jesu Discipulis numerosissima Ecclesia constituta sint,* *Præp. Evang. L. 3. p. 138.* *non in quibusdam obscuris locis, sed in clarissimis civitatibus, in ipsa inquam aliarum urbium Regina Romana urbe, in Alexandrina, in Antiochensi, cogor fateri non aliter audax adeo facinus ipsos obtinuisse, quàm diviniore quadam, longéque humanam superante potentia, ejus qui dixerat, Docete omnes gentes, &c. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque, &c.* Hæ sunt, hæ magnæ profectò causæ, ut in præclarissimis Imperii Græci Romanique urbibus primæ collocarentur sedes & throni consurgerent Ecclesiarum: nimirum ubi plurimum poterat superbia & impietas, ibi crux Christi, ibi humilitas, ibi paupertatis amor, & veritas his amica triumpharet.

XI. Illud quoque auguratur Eusebius, eo consilio Romam divinitus perductum esse Petrum, qui cæteros Apostolos non dignitate tantùm, sed & fortitudine superabat. *Clementissima Dei providentia fortissimum ac maximum inter Apostolos Petrum, & virtutis merito reliquorum omnium primum ac Patronum, Romam perducit.* *Hist. Eccles. L. 2. c. 14. 15. 16.* Addit Petrum Babylone, id est Roma scripsisse Epistolam, ubi filii sui Marci meminit: *Salutat Babylonis Ecclesia à Deo perinde ac vos electa, & Marcus filius meus:* denique perenni traditione constare, Roma profectum esse Alexandriam Marcum, ut ibi Ecclesiam Apostolicam conderet, illustraretque Evangelio, quod à se scriptum confirmaverat Petrus. *Librum illum sua authoritate confirmasse Petrus dicitur, &c. Hunc Marcum in Ægyptum profectum, Evangelium quod conscripserat, primum prædicasse perhibent, & in ipsa urbe Alexandria Ecclesias constituisse.* Postremò tandem diligentiam suam eò potissimum commendavit idem Eusebius, quòd seriem Episcoporum perpetuam contexuerit illarum maximè trium Apostolicarum sedium.

XII. Docuit suprà Epiphanius in quinque sexve Provinciis jus fuisse Archiepiscopo Alexandrino: *Hæres. 68. c. 1.* quo adductus est Petrus Archiepiscopus, ut Meletium Metropolitanum adjungeret sibi socium & coadjutorem. Athanasii Alexandrini Archiepiscopi encomium texens Gregorius Nazianzenus, canonica illum electione ad Marci thronum conscen-

Orat. 21. disse testatur: *Apostolico ac spirituali modo ad Marci thronum evehitur:* Chrysostomus dum Presbyteri partes adhuc obiret Antiochiæ, profitebatur illius Ecclesiæ prærogativam potestatis singularem, conciliatam illi fuisse à principatu Petri, quem cùm accepisset, eo aliquandiu potita, Romæ tandem concesserat:
Tom 1 hom. 42. & To. 5. pag. 180. *Hæc est una nostra civitatis prærogativa dignitatis, quòd Principem Apostolorum ab initio doctorem acceperit. Æquum enim erat, ut ea quæ nomine Christianorum ante universum orbem terrarum ornata fuit, primum Apostolorum Pastorem acciperet. Sed cùm eum doctorem accepissemus, non in perpetuum retinuimus, sed Regiæ civitati Romæ illum concessimus.* Inter Epistolas quæ conjectæ sunt in secundam partem Concilii Ephesini I. occurrit Alypii Presbyteri Epistola ad Cyrillum Archiepiscopum Alexandrinum, ubi illum æquat Athanasio, qui *orthodoxiam denuo erexit, ac sancti Marci Evangelistæ sedem in sublime extulit.* Theodoretus in ea quam scribit Epistola ad Flavianum Constantinopolitanum Episcopum, expostulans de præfracta Dioscori Alexandrini audacia, qui Constantinopolitanos Nicænosque conculcabat Canones, & Marci Sedis obtentu obumbrabat ambitionem suam effrænem; nec considerabat Antiochiæ præfulgere sedem Petri, quo se magistro usum glo-
Epist. 86. riabatur Marcus. *In regia tua urbe congregati beati Patres, cum iis qui apud Nicæam convenerant, conspirantes, Diœceses distinxerunt, & sua unicuique Diœcesi adsignarunt, apertè interdicentes ex altera quosquam Diœcesi alteram invadere: sed Alexandriæ Episcopum Ægypti tantummodo res administrare, & sua singulas Diœceses. Hic verò legibus istis acquiescere non vult, sed sursum ac deorsum B. Marci sedem obtendit, idque cum liquidò intelligat, Megalopolim Antiochiam magni Petri Sedem habere, qui B. Marci magister erat, ebrique Apostolorum Princeps ac Coryphæus.*

XIII. Jam ergo dubitari non potest, quin hæc fuerit Ecclesiæ Orientalis consensio traditioque constantissima, ab ipsis Christiani nominis primordiis, in hisce tribus maximis Sedibus Episcopatûs Primatum constitisse, nec alium illum fuisse, quàm Primatum Petri; de sæculari verò illarum urbium magnitudine, nec Concilia, nec Pontifices, nec sanctos Patres mentionem fecisse, nisi eo sensu qui suprà observatus à nobis est, ut haberet Christi crux & humilitas ubi splendidiùs coruscaret. Juverit & illud notare in Epistola Theodoreti, quàm benè in iis quæ ad Exarchos & Diœceses pertinent, cùm Canonibus Nicænis posteriorum Canones Conciliorum consentiant, quamvis in speciem collidi inter se videantur. Quanquam enim Nicæna Synodus intra Provinciarum & Metropoleon fines omnia [illegible] includere: ubi tamen tres majorum gentium Episcopos agnoscit, quibus plures singulis provinciæ subsint, ea præstruit fundamenta, quibus Constantinopolitani deinde Concilii Patres superstruxere Diœceseon majorum & Exarchorum, sive creationem, sive consummationem.

---

## CAPUT VIII. *P. 1. l. 1. c. 5.*

### De Patriarchis antiquis in particulari, Romano, Alexandrino, Antiocheno, per quinque eadem priora Ecclesiæ sæcula.

*I. Patriarchatum Antiochenum fundatum esse à Petro.*
*II. Antiochiam Metropolim fuisse Orientis propriè dicti, at Primatum Ecclesiasticum à solo Petro habuisse.*
*III. Hunc illi summi Pontifices adversus Constantinopolitani Episcopi infirmam quandam ambitionem adseruisse.*
*IV. Suberant illi Provinciæ quindecim, & ipsa Palæstina.*
*V. Patriarchatus Alexandrini constitutio. Quam late potestas ejus patuerit.*
*VI. Ex allatis auctoritatibus hoc efficitur, Ecclesiam hanc à Marco, non suo, sed Petri nomine fundatam esse. Hinc illius originis præeminentiam. Cur prælata sit Antiochenæ, quam ipse per sese Petrus fundaverit. Existimant nonnulli Petrum ante venisse Alexandriam, quàm Antiochiam: Babylonem porro in qua Epistolam se scripsisse testatur, vel illam famosissimam fuisse ad Euphratem, vel recentiorem aliam in Ægypto ipsa sitam.*
*VII. De Romani Patriarchæ Ecclesia, cujus conditores Petrus & Paulus.*
*VIII. Divina Providentia Ecclesiarum omnium gubernacula moderanti, imputandum est, quod ad Ecclesiæ Romanæ patrocinium confugerint celeberrimi Pontifices, Cæcilianus Carthaginensis & Dionysius Alexandrinus.*
*IX. Rursum Athanasius Alexandrinus.*
*X. Et Chrysostomus Constantinopolitanus Episcopus.*
*XI. Antiocheni Episcopi tres uno eodemque tempore communione Romani Præsulis causam suam tuebantur.*
*XII. Primæ Sedis auctoritate Nestorius Constantinopolitanus & Dioscorus Alexandrinus gradu moventur.*
*XIII. Alia exempla Patriarcharum potestate & judicio primæ Sedis abdicatorum.*
*XIV. Romani supra alios Patriarchas prærogativa duplex. Cur Papa Patriarchatus sui Episcopos omnes non ordinaret.*

I. EX vetustissimis citra dubium Ecclesiasticis monumentis acceperat Eusebius id quod de Euseb. in Chronico.
Petro narrat in Chronico, anno Christi undequadragesimo fundatam ab eo esse Romanam Ecclesiam, & tum Romam profectum illum esse: *Petrus*
Baron. an. Chr. 39 n. 9. 19. *Apostolus Antiochenam Ecclesiam fundavit, ibique Cathedram adeptus sedit.* Et alibi: *Cùm primùm Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam profectus est.* Septennio toto Antiochenam illum rexisse Ecclesiam fidem faciunt, tum idem Eusebii Chronicon, tum Pontificalis liber, qui sub Anastasii Bibliothecarii nomine circumfertur, tum denique Gregorii Magni Epistola ad Eulogium Alexandrinum Episcopum. Accipe Gregorii verba: *Ipse firmavit Sedem, in qua septem annis, quamvis discessurus, sedit.* Hoc insigne decus Antiochenæ Ecclesiæ mirificè extulit Chrysostomus, quòd Christus Petrum Antiochiæ & orbi præficiens, hanc urbem orbi quodammodo æquarit: *Petrus cui claves regni cælorum dedit, cujus arbitrio & potestati cuncta permisit, hunc longo hic tempore jussit commorari. Quamobrem universo orbi ex altera parte civitas nostra respondet.*

II. Antiochiam dicit Eusebius *totius Orientis Me-* De vita Const. ac.
*tropolim*, ἀνατολῆς μητρόπολιν. At ab Innocentio primo Papa jam superiori capite audivimus, *non tam* L. 1. c. 50.
*pro civitatis magnificentia hoc ei attributum, quàm quòd* Epist. 18.
*prima primi Apostoli Sedes esse monstretur.* Alexandrino Pontifici subjectas Provincias sigillatim nominavit Synodus Nicæna; Antiocheno & Romano multas quoque subesse insinuasse contenta, earum reticuit nomina. At Innocentius expressè declarat Antiochenæ Ecclesiæ à Niceno Concilio non unam aliquam Provinciam fuisse subjectam, sed ex multis Provinciis conflatam Diœcesin. Denique cùm idem Pontifex post composita ibidem Catholicorum inter se dissidia, post Antiochenæ ipsius Ecclesiæ cum Romana societatem & pacem arctioribus vinculis revinctam, dissentire diutiùs non potuisse profitetur duas Ecclesias, quæ quasi sorores eundem Petrum Apostolum patrem habeant. *Ecclesia Antioche-* Epist. 22.
*na, quam antequam ad urbem perveniret Romam, beatus Apostolus Petrus sua præsentia illustravit, velut germana Romana Ecclesiæ, diu se ab eadem alienam esse passa non est.*

III. Contenderunt sæpiusculè Constantinopolitani Episcopi Antiochenam Ecclesiam juri suo &

Baron. an. 479. n. 3 10. ditioni vindicare. Imperatori Zenoni obrepsit Acacius Constantinopolitanus, ut Episcopum à se ordinati Antiochiæ pateretur, causatus non aliter posse sedari illam Ecclesiam jam diutinis tumultuationibus laborantem. Exarsit Simplicius Papa hac novitate excitatus, scriptisque ad Zenonem & Acacium Epistolis pervicit, ut nihil istiusmodi posthac à se tentatum iri pollicerentur. De consimili jam antè Anatolii Constantinopolitani conato conquestus
Epist. 54. fuerat similiter Leo apud Leonem Imperatorem. Successor Simplicii Felix III. Petrum Fullonem Ecclesiæ Antiochenæ, quam invaserat, incubantem, in Synodo Romana gradu dejecit; qua de re ad Im-
Epist. 50. peratorem Zenonem in hæc verba scripsit: *Petrus primogenitus & diaboli filius, qui sanctæ Antiochenæ Ecclesiæ indignissimè se ingessit sanctamque Sedem Pontificatûs Ignatii Martyris polluit, qui Petri dextera Episcopus ordinatus est.* Maximus Episcopus Antiochenus in Chalcedonensi Synodo palam testatus est, thronum Antiochenæ Metropoleos, Petri thronum esse: τὸν θρόνον Ἀντιοχέων μητροπόλεως, τὸν τοῦ ἁγίου Πέτρου.

Act. 7. Con. Chalc. IV. Quod spectat ad Patriarchatûs Antiocheni amplitudinem, constat illum complexum fuisse quindecim Provincias Orientis, quarum in numero erant tres Palæstinæ. Rem clarè testatur Hieronymus Epistola ad Pammachium, ubi conqueritur de Joanne Episcopo Hierosolymitano, quòd accusatus apud Antiochiam, causam apud Alexandriam agere vellet. Ostendit enim Cæsaream Metropolin esse Palæstinæ, Antiochiam verò totius Orientis principem & caput: atque adeo secundùm Nicænos Canones Cæsareæ, aut Antiochiæ: id est apud Metropolitanum, aut apud Patriarcham propriam causam Joannis agi oportere. Sic autem ille: *Tu qui*
Epist. 60. *regulas quæris Ecclesiasticas, & Nicæni Concilii Canonibus uteris, responde mihi. Ad Alexandrinum Episcopum Palæstina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi decernitur, ut Palæstinæ Metropolis Cæsarea sit, & totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæsariensem Episcopum referre debueras; aut si procul expetendum judicium erat, Antiochiam potiùs litteræ dirigendæ.*

V. Venio ad Alexandriam, & ad Patriarcham Alexandrinum. Ac præter illa quæ de eo superiore capite dicta sunt, ea est Hieronymi sententia, Romanam urbem illam ipsam esse Babylonem, è qua datam scribit Petrus Epistolam suam illam, in qua Marci discipuli meminit; missum illum esse à Petro Alexandriam, ut Ecclesiæ Alexandrinæ fundamenta poneret, ex quo contigit, ut ejus urbis fideles pro specialibus Petri discipulis haberentur; denique à Philone, qui Petrum Romæ viderat, Christianos Alexandrinos sub Essenorum nomine summis laudi-
Hieron. de Script. Eccl. in Marco, in Philone. bus ornatos fuisse. *Meminit hujus Marci, & Petrus in Epistola prima sua, nomine Babylonis figuraliter Romam significans.* Et alibi de Philone: *Aiunt hunc sub Caio Caligula Romæ periclitatum, quo Legatus gentis suæ missus fuerat; cùm secunda vice venisset ad Claudium, in eadem urbe locutum esse cum Petro Apostolo, ejusdemque habuisse amicitias, & ob hanc causam, etiam Marci discipuli Petri apud Alexandriam sectatores, ornasse laudibus suis.*

Marci in Alexandrina sede successorum seriem texuit Eusebius in Chronico & in Historia, quanquam edere similiter non potuerit qui per cæteras civitates Apostolis illarum Ecclesiarũ parentibus successissent. Dictum est suprà Petro Archiepiscopo Alexandrino assignatas esse Provincias complures ab Epiphanio, additumque præterea Meletium adjutorem, qui eum amplissimæ jurisdictionis, & sollicitudinis parte levaret aliqua. Imò sunt qui velint ab Epiphanio donatum esse Meletium Archiepiscopi nomine, qui solùm esset Metropolitanus. *Videbatur Meletius præ-* Hæres. 68.
*eminere inter Episcopos Ægypti, ut qui secundum locum habebat post Petrum in Archiepiscopatu, velut adjuvandi gratia sub ipso existens, & sub ipso Ecclesiastica curans.* Alexander Alexandriæ Episcopus anno Christi 318. Concilium habuit Episcoporum admodum centum ex Ægypto & Libya; ubi Arium & tum primùm erumpentem hæresin ejus proscripsit: *Nos cum* Baron. an.
*aliis ferè centum Ægypti & Libyæ Episcopis in unum* 318. n. 63.
*convenientes, anathema denuntiavimus.* Ex quibus intelligere est, quàm parum habeat probabilitatis, quod ex Chronico Alexandrino suprà relatum est, annis bene multis solum Alexandrinum Episcopum Ægypto ita præfuisse universæ, ut nullius præterea Episcopi operam desideraret. Neque enim potuit brevissimo illo quod est à Demetrio ad Alexandrum usque intervallo, tam magna Episcopatuum & Episcoporum exoriri multitudo: etiamsi id quod habent Chronica, de sola Ægypti Provincia intelligas. Alludit ad Marcum Evangelistam Synesius, Cyrenes Episcopus, ubi Theophilo Alexandrino tribuit *auctoritatem Evangelicæ successionis:* αὐθεντίαν τῆς Epist. 66.
εὐαγγελικῆς διαδοχῆς. Ecquid esset, quæso, quamobrem prima post Romam totius orbis & Civitas & Ecclesia, authoritatem Marci usque adeo prædicaret, nisi hanc in eum à Petro redundare persuasum omnes passim habuissent? Ideo & auctor est Hieronymus, Episcopos Alexandrinos Romanæ Ecclesiæ voluntati & sententiæ solitos esse deferre plurimum.
*Tu scito nihil nobis esse antiquius, quàm meminisse Ro-* Epist. 58.
*manam fidem Apostolico ore laudatam, cujus se esse par-* 78.
*ticipem Alexandrina Ecclesia gloriatur.* Et rursus alibi, cum Papam hortatur, Alexandrini ut Episcopi judicium adversùs Origenis asseclas auctoritate sua corroboret: *Prædicationem Cathedræ Marci Evange-* Epist. 81.
*listæ, Cathedra Petri Apostoli sua prædicatione confirmet.*

Interrogatus à Dioscoro Alexandrino Episcopo Leo Papa de quibusdam quæ ad disciplinam pertinebant quæstionibus, ita respondit: *Cum Petrus Apo-* Epist. 81.
*stolicum à Domino acceperit principatum, & Romana Ecclesia in ejus permaneat institutis: nefas est credere, quod sanctus discipulus ejus Marcus, qui Alexandrinam primus Ecclesiam gubernavit, aliis regulis traditionum suarum decreta formaverit, cùm sine dubio de eodem fonte gratiæ unus spiritus fuerit, & discipuli, & magistri.* Hic ille est Dioscorus, qui paulò pòst pseudosynodo Ephesinæ præfuit jussu Imperatoris; *sumptis te-* Baron. an.
*cum decem Metropolitanis Episcopis, qui sub tua degunt* 449.
*Diœcesi, & aliis similiter decem Episcopis.* In Concilio Chalcedonensi queritur apud Leonem Ischyrion Diaconus in libello supplici: quòd Evangelicam sedem Dioscorus pravis suis moribus dehonestaret:
*Non sicut decebat Episcopum, & maximè tantæ civita-* Act. 3.
*tis, & Evangelicæ illius sedis Præsulem constitutum.* Post exauthoratum in eo Concilio Dioscorum, omnes Act. 4.
Episcopi Diœceseos Ægyptiacæ datis ad Imperatorem litteris, de constantissima sua in fide Evangelistæ Marci, illiusque successorum Petri, Athanasii & Cyrilli perseverantia certiorem illum faciunt. Annitente quamvis tum maximè Concilio, ut hi ipsi Episcopi Epistolæ Leonis Papæ subscriberent, cui tota jam Synodus subscripserat: subscribere tamen illi pertinacissimè recusarunt, quanquam ejus se fidei sectatores esse gloriarentur. Pertinaciæ suæ hanc Act. 15.
prætendebant causam, quod hæc esset in Alexan- Can. 30.
drino Patriarchatu consuetudo, ut ne quidquam rei auderent Episcopi, sine Archiepiscopi mandato.

Cessit

Cessit prudenti dispensatione et ratione Concilium, quæ summam Archiepiscopi in Episcopos auctoritatem, ac vicissim horum in illum reverentiam obedientiamque demonstraret. In hoc denique eodem Concilio Anatolius Constantinopolitanus Episcopus secundum in Ecclesia locum invadere post Romanum Pontificem tentavit; quod nisi exturbato in inferiorem locum Alexandrino consequi non potuisset. Suscepit Leo Papa causam tuendam Ecclesiæ Alexandrinæ, quæ tunc Dioscori depositione vacabat, eòque Anatolium adegit, ut de ambitione sua remitteret, absisteretque inconsulta & temeraria molitione.

*Con. Chalc. Part 3. c. 5 & 7.*

VI. Hac pene indigesta testimoniorum congerie perspicuum valde est, Principatum Alexandrinæ sedis emicuisse jam inde ab incunabulis Ecclesiæ; secundum dignitatis locum tributum ei semper fuisse: idque non tam ab urbis magnificentia, quàm à Marco Petri discipulo obtigisse, ex unanimi sanctorum Patrum consensu; illum denique Primatum quo supra multas alias Ecclesias ab Apostolis fundatas resplenduit Alexandria, non aliunde ei accessisse, quàm ab ipsius Primatu Petri, cujus auspiciis illam Ecclesiam condiderat Marcus.

Non facilè tamen expediri potest nodus difficultatis hic occurrentis, cur non potiùs Antiochiæ secundus locus, tertius Alexandriæ adsignatus sit, cùm illam ipsemet Ecclesiam fundaverit Petrus, rexeritque plurimis annis, hanc solius discipuli opera instituerit. Sunt qui opinantur Petrum post prædicatum Judæis Evangelium in Palæstina, iis deinde qui erant per orbem dispersi illud annuntiasse, Canonicamque scripsisse Epistolam, porro illum ab ipsis initium fecisse Alexandrinis, quibus & Marcum in sui vicem præfecit Episcopum, ut Antiochiam proficisceretur; hinc petiisse Babylonem ad Euphratem, unde & aliam scripsit Epistolam. Quibus ea sedit animo sententia, ii rem facilè explicant. Verùm non possum equidem dissimulare, ferè consentire antiquos Patres, Babylonem, cujus meminit in Epistola Petrus, urbem esse Romam in Latio, non illam in Assyria. Sed ne de Babylone contendam, facilè adducor ut credam, Petrum fervore suo maximè conspicuum & scripsisse & prædicasse Hellenistis dispersionis, hoc est, vel Hebræis Græca lingua imbutis, vel Græcis Hebræorum religione initiatis; minimè omnium autem præteriisse Alexandriam, ubi Hebræi, Græcique & multitudine & opulentia multò & plures & spectabiliores erant, quàm in quavis alia civitate. Siluit Lucas ea de re tota, quòd se unius Pauli conscribendis gestis dedicasset, ut individuus maxima ex parte peregrinationis ejus comes. Volunt alii Alexandriam quæ secundas post Romam partes nacta erat in civili politia, etiam in Ecclesiastica prælatam esse Antiochiæ; quanquam alioqui dignitates Ecclesiasticæ ita constitutæ sint, ut habita sit ratio ejus ordinis, quem inter Apostolos suos Christus ipse constituerat. Dummodo enim omnibus Ecclesia illa semper emineat, quam Petrus omnibus à Christo prælatus omnibus prætulit; dummodo illæ Ecclesiæ quas Petrus Præsulatu suo aliquandiu illustravit, emineant cæteris, abundè unitati & paci Ecclesiarum provisum est, quem demum cumque aliàs ordinem illæ inter se servent.

*Marca de Conc. l. 6. c. 1. n. 4*

VII. De Romano Patriarchatu dicere supersedere poteramus, cùm id declaratum tam multis jam sit, Alexandrinum & Antiochenum ab illo scaturiisse, & Primatus Petri fuisse quasi decerptas portiones. Hinc in Concilio Nicæno jus perquam maximum, ordinandorum omnium suæ Diœceseos Episcoporum, adseritur Episcopo Alexandrino, cui inde controversiam faciebant: asseritur autem ab exemplo & jure Romani Antistitis, qui eo extra controversiam potiebatur. Adde quod in Concilio Constantinopolitano I. ubi sua cæteris Patriarchis jura præscripta sunt, de Romano nulla facta est mentio, nec ullus ei definitus est modus. Cumque ibi cupiditas incessisset Constantinopolitanum Antistitem in summum honoris verticem promovendi, non aliud tamen connixi sunt Græci Episcopi, quàm ut illum infra Romanum Pontificem nullo interjecto medio collocarent. Cùm verò Paulum Christus exuberantia quadam sapientiæ & potestatis supra reliquos etiam Apostolos cumulasset, id quodam divino consilio factum interpretati sunt post Eusebium vetusti Scriptores Ecclesiastici, ut in Romam veniret, ubi cum Petro primam omniumque clarissimam fundaret Ecclesiam.

*Euseb. Eccl. hist. L. 2. c. 25. L. 3. c. 2.*

Cum Tertullianus Apostolicas indigitat Ecclesias, ex quibus tanquam ex fontibus puriores Catholici dogmatis rivuli manarent, Romanam commonstrat, & hinc maximè extollit, quòd utriusque Apostolorum principis & corpus & spiritum una habeat: *Habes Romam, unde nobis quoque authoritas præsto est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.*

*Tertull. de præscr. c. 36.*

Irenæus quoque non sine quadam sermonis pompa ostendebat Romanam Ecclesiam, ut cæteris præclariorem, quod in confesso esset apud omnes, eam & ab Apostolis fundatam esse, & nunquam interrupta Pontificum serie, Apostolicæ & traditionis & potestatis traducem ad nos perduxisse: *Maxima & antiquissima & omnibus cognita à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo fundata & constituta Ecclesia, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, &c. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam.*

*Irenæus l. 3. c. 3.*

Tertulliani illa ipsa quamvis acrior in Zephirinum Papam dicacitas, *Pontifex maximus, Episcopus Episcoporum dicis*, argumento tamen est, Pontifices hunc illustri non multò pòst martyrio consecratum, summæ tunc per Ecclesias auctoritatis jura explicuisse, ut vocabula ipsa testantur. Idipsum est quod Stephano tacitè objicit Cyprianus, cum Episcopos in Synodo coactos ita alloquitur: *Neque enim quisquam nostrûm Episcopum se Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit.* Sub eodem Zephyrino Romam venerat Origenes, ut antiquissimam & primam omnium Ecclesiam videret. En ipsa Eusebii verba: *Cùm ipsi in votis esset, sicut ipsemet alicubi dicit, Romanam Ecclesiam omnium antiquissimam coram videre: τὴν ἀρχαιοτάτην ἐκκλησίαν.*

*L. de Pudic. c. 1. Baron. an. 216. n. 4.*

*Conc. Cart. sub Cypr.*

*L. 6. c. 44.*

VIII. Ita res rerumque vicissitudines, quæ Ecclesiasticis mandatæ sint Annalibus, per Christi omnipotentis sapientiam comparatæ & constitutæ sunt, ut expediendis & illustrandis iis plurimum conferrent, quorum erat in primis necessaria cognitio, & potissimum asserendæ summæ supra cæteros primi Patriarchæ auctoritati. Imminentem ab Episcopis schismaticis tempestatem & dejectionem suam non evitasset Cæcilianus Carthaginensis Archiepiscopus, nisi ad Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ portum confugisset. Hæc illi diu jactato fidissima primùm fuit statio, pòst etiam pristinæ redintegratio digni-

Epist. 162. tatis. Audiendus de his Augustinus: *Posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret & Romana Ecclesia, in qua semper Apostolica Cathedra viguit principatus, & cæteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum.* Dionysium Alexandrinum Episcopum apud cognominem Romanæ sedis Pontificem, reum egerant adversarii, tanquam Verbi cum Patre Deo consubstantialitati obloqueretur. Synodum Romæ convocavit Papa, apud quam Alexandrinus Antistes pürgavit sese, scriptis complusculis
Anno Chr. 265. Apologiis: *Cùm quidam Alexandrinum Episcopum apud Romanum accusantes, &c. Synodus Romæ coacta indignè tulit, & Romanus ad cognominem sibi Episcopum omnium sententiam perscripsit; & jam inde ille se ad defensionem parans libello suo titulum refutationis, & Apologia indidit, & in hac verba ad Romanum scripsit.*

IX. Non verbis ergo tantùm, sed factis confitebantur ipsi Episcopatus apices, Carthaginensis & Alexandrinus Archiepiscopi, sedem Romanam esse singulari quodam & præstantissimo modo Apostolicam, supra cæteras sedes Apostolicas eminentem. Hoc egregiè probat Optatus Milevitanus in Africa Episcopus, scripta defensione Ecclesiæ & Cæciliani
Opt. L. 2. luculentissima adversùs schisma Donati: *Negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram Episcopalem esse collatam: in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus; in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, nec cæteri Apostoli cæteras sibi quisque defenderet.*

Athanasio quoque ut Arianorum dolos insidiasque effugeret, Romam confugiendum fuit; nec judicavit unquam Constantius Imperator profligatam esse causam Athanasii, conspirantibus in eum quantiscumque & qualibuscumque aliis Episcopis, quandiu patrocinium ejus Episcoporum omnium primus susciperet. Ammiano Marcellino teste, sævissimo Imperatori nihil magis cordi fuit, quàm ut Liberium Papam ad consensum condemnationis Athanasii, aut
Baron. an. 355. n. 39. alliceret, aut pertraheret. *Athanasium Synodus removit, &c. id Princeps licèt sciret impletum, tamen authoritate qua potiuntur æternæ urbis Episcopi, firmari, desiderio nitebatur ardenti.* Refert Socrates à Julio Papa pro privilegio Romanæ sedis restitutos statim fuisse sedibus suis, quibus dejecti fuerant, tum cæteros Episcopos, tum ipsum maximè Athanasium: *Quo-*
Socrat. l. 2. c. 11. *niam Ecclesia Romana præter cæteras privilegia obtinebat, in Orientem litteras mittit, quo & suus cuique locus restitueretur, & eos qui illos temerè abdicaverant, graviter reprehenderet. Illi decedunt Roma, litterisque Julij Episcopi confisi ad suas ipsorum Ecclesias redeunt.* Si quis autem regerat, contemptam ab adversariis fuisse hanc restitutionis sententiam à Julio Romano latam: hoc reponemus & nos non contemptam à Catholicis eam fuisse, non ab Athanasio, non denique à Concilio Sardicensi, à quo & confirmata fuit, quin & sanciti Canones sunt, quibus Episcoporum à sedibus suis depulsorum & ad Apostolicam sedem appellantium causæ ejusdem judicio definiendæ servantur. Postremò denique Orientales ipsi Episcopi his Sardicensibus decretis obtemperarunt. Accusatores Athanasii idoneus Auctor narrat Theodoretus à Julio Papa Romam cita-
L. 2. c. 4. tos, juxta Canones Ecclesiæ: *Canonem Ecclesiæ secutus, jussit eos Romam convenire.* τῷ τῆς ἐκκλησίας ἑπόμενος νόμῳ. Idem confirmat Sozomenus Julium Papam pro Sedis suæ dignitate & potestate, Athanasium cæterosque fidei defensores Episcopos pristinæ
L. 3. c. 7. reddidisse dignitati: *Cùm propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit:* οἷα τῆς πάντων κηδεμονίας αὐτῷ προσηκούσης διὰ τὴν ἀξίαν τοῦ θρόνου.

X. Chrysostomus quoque iniquissima damnationis sententia, qua deturbatus fuerat, ab Apostolica sede revocari posse non desperavit. Latam in eum sententiam irritam pronuntiavit Innocentius Papa, jus illi suum omne redintegravit, incubuit denique in Oecumenicæ Synodi convocationem, ut reipsa suam ille in Ecclesiam revocaretur. Ita enim idem Sozomenus, *Innocentius quæ acta erant adver-* L. 8. c. 26.
*sùs Joannem indignè tulit; atque ea damnavit, ita Oe-* 28.
*cumenicum Concilium convocare studuit.* Mirum in modum hîc effulgescit, quàm verè scripserit Sozomenus, rerum omnium curam ad Romanæ Ecclesiæ pertinere Antistitem, ob Sedis suæ præstantiam. οἷα τῆς πάντων κηδεμονίας αὐτῷ προσηκούσης διὰ τὴν ἀξίαν τοῦ θρόνου. Palladius disertis verbis affirmat Theophili Alexandrini judicium adversùs Chrysostomum ab Innocentio rescissum fuisse. *Judicium Theophili cassum* In vita
*atque irritum esse decrevit.* Legatos quoque Romam Chrysost.
misit Constantinopolitana Ecclesia, & in iis Cassianum Chrysostomi Diaconum. Honorius ipse Oc- Baron. an.
cidentis Imperator congregando Oecumenico Con- 404. n. 36.
cilio adlaboravit. Tam præclari conatus in cassum 73. 74. 78.
cecidere, tum ob Arcadii inexpugnabilem pertina- An. 405.
ciam, tum propter præfestinum obitum Chrysosto- 408. n. 42.
mi. Testatum sanè facit Theodoretus, tum Romanum, tum cæteros Occidentis Episcopos communione sua tandiu abstinuisse Ecclesias Ægypti, Bosphori & Thraciæ, denique Orientis & ipsos Constantinopolitanos Episcopos, donec Chrysostomum revocarent in Sedem suam, quà fas erat eum revocari, qui vivis excesserat, nomine scilicet ejus sacris diptychis restituto, atque ipso quodammodo per intaminatæ innocentiæ & sanctitatis memoriam reviviscente Chrysostomo.

XI. Inciderunt Ecclesiæ quoque Antiochenæ difficillima ejusmodi tempora, ut ope egeret Romani Præsulis. Scindebant eam tres simul Episcopi, unius gregis tres Pastores; Catholicos se singuli, & Romanæ Ecclesiæ communionis consortes venditabant. Versabatur tunc in Oriente Hieronymus, dubiusque pendebat animi, cui se horum trium Episcoporum adjungeret, gnarus certusque illi demum adhærescendum sibi esse, qui frueretur communione Sedis Petri, quæ in alias & alias sectas scindi se non sinit. Diu fluctuatus scripsit tandem ad Damasum Papam, ut ab eo certior fieret, ecquis horum trium Romanæ communionis consors esset. *Ego clamito, Si quis Cathedræ Petri jungitur,* Hier. Epist.
*meus est. Meletius, Vitalis, Paulinus tibi herere se di-* 57.
*cunt. Possem credere, si hoc unus assereret. Nunc aut duo* Baron. an.
*mentiuntur, aut omnes. Idcirco obtestor Beatitudinem* 372. n. 48.
*tuam, ut mihi litteris tuis, apud quem in Syria debeam communicare, significes.* Incomparabilis doctrinæ, nec imparis sanctitatis vir, non ulli conglutinare se Episcopo decreverat, quàm qui Catholicæ communionis centro conglutinatus & ipse esset; gnarus autem erat, non plures, sed ex pluribus unum unius civitatis Episcopum gaudere posse eo bono. Denique hoc primi Patriarchæ Sedis supra alios privilegium conscius erat Hieronymus non à dignitate & opulentia repeti ejus urbis, quæ Imperii caput esset; sed à Primatu, quem ore ipse suo contulit Christus, & in Petri successores in tanta temporum diuturnitate, & inter tantas rerum procellas perpetuavit. *Facessat invidia Romani culminis, recedat ambitio, cum successore Piscatoris, & discipulo crucis*

*loquor, ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri, communione consocior; super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio.*

XII. In Nestorii damnationem exauthorationemque non antè ingressus est Cyrillus, quam potestate & mandatis Romanæ Sedis muniretur. Neque enim alioqui jus esse ullum poterat Alexandrino Archiepiscopo in Constantinopolitanum, cùm *Syn. Nic. c. 6. CP. c. 2. 3.* vetarent Canones, ne quid Exarchi & Patriarchæ ipsi, uti nec Metropolitani, extra subjectam sibi Provinciam auderent. Unde ad Nestorium scribe- *Baron. an. 5* bat his verbis Cyrillus: *Cælestino jubente investigare* *031. n. 59. 104.* *cogor.* Sua illum vestivit auctoritate Cælestinus, jus- *429. n. 29.* sitque decem non amplius dierum intervallum Ne- *430. n. 25. 52.* storio præfigi: *Nostra Sedis auctoritate ascita, &c. Nisi decem dierum intervallo nefariam doctrinam anathematizet.* Ipsa denique Ephesina Oecumenica Synodus depositionis sententiam ita torsit in Nestorium, ut eò cogi se testaretur per Canones & per *Conc. Ephes. Act. 1.* Epistolam Cælestini: *Coacti per sacros Canones, & epistolam sanctissimi Patris nostri & comministri Cælestini, ad lugubrem hanc sententiam necessariò venimus.*

Non alia ratione Chalcedonensis Synodus Dioscorum Alexandrinum Episcopum ita damnavit, ut depositionis sententia ab ipso velut ore promeretur Leonis, tametsi is aberat, intereratque tantùm per *Conc. Chal. Act. 3.* Legatos. *Unde S. & B. Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ Leo, per nos & per præsentem sanctam Synodum, nudavit eum Episcopatus dignitate.* Quatuor antè annis idem Leo Bassianum deposuerat, qui usurpatæ à se Ephesinæ Sedi incubabat. Ita quippe legitur in ipsa Synodo Calchedonensi: *Hodie qua-* *Act. 12.* *tuor anni sunt, & Romanus Episcopus eum deposuit.* In Ephesina secunda Synodo Dioscorus Flavianum Constantinopolitanum depositione iniquissima perculerat, à qua is ad Sedem appellavit Apostolicam, *Cap. 12.* testante in hunc modum Liberato: *Flavianus contra se prolata sententia, per ejus Legatos Sedem Apostolicam appellavit libello.* Valentinianus Imperator ad Theodosium juniorem scribens, appellatum hic fuisse ait secundùm Conciliorum leges: *Secundùm solemnitatem Conciliorum, & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellavit.*

XIII. Post Concilii Calchedonensis finem, non paulò acerbiora inciderunt tempora, quibus multò sæpiùs necesse fuit Romanæ Sedis auctoritatem interpellari. Proterio, qui Dioscoro in Alexandrina Sede fuerat suffectus, immanissimè contrucidato, Timotheus Ælurus, ab eo communione ejectus, quòd Dioscori impietati suffragaretur, intrusus est in ejus locum, beatissimi Martyris sanguine perfusus adhuc & cruentatus. Auctor est Liberatus exinde duos semper Episcopos Alexandrinam Ecclesiam rexisse, aut discerpsisse potiùs. *Ab* *Cap. 15.* *isto Timotheo duo Episcopi Alexandriæ esse cœperunt.* Facilè hinc conjicies, quàm crebrò intervenire postbac debuerit Sedes Romana, quæ orthodoxo Alexandriæ Episcopo adversùs Eutychianum præsidio esset. Joannes Talaïa Marci Sede extrusus ab impio Petro Moggo, Antiochiam secessit: ubi consilio usus Calendionis indidem Patriarchæ, Papam Simplicium appellavit, Athanasii utique exemplo, *Ann. 483 n. 18.* prout his verbis docet Liberatus: *Sumptis à Calendione Patriarcha Antiocheno intercessionis litteris, Romanum Pontificem Simplicium appellavit: sicut B. fecit Athanasius.* Subrogatus Simplicio Felix, Nolano Episcopatu Talaïam donavit: *Joannes Talaïa habens Episcopi dignitatem Romæ remansit, cui Papa Nolanam dedit Ecclesiam.* Constat ex Epistola Simplicii ad Acacium Constantinopolitanum Patriarcham, expeti- *Simp. Epist. 17.* tam fuisse illico à Romana Sede confirmationem Joannis Talaïæ, postquam ab Ægyptiaca Synodo electus fuerat. *Ut quod Catholicus in defuncti ministe-* *Baron. an. 482. n. 14. 483. n. 46.* *rium successisset Antistes, Apostolicæ quoque moderationis assensu votivam sumeret firmitatem.* Epistola quadam sua Felix Papa censet non potuisse à se rejici appellationem Joannis Talaïæ, qui ea re imitatorem se exhibuisset Athanasii prædecessoris quondam sui. *Libellum nobis, quem decessori nostro paraverat, ingessit. Quem morem majoris sui beatæ memoriæ Athanasii exemplo, & priorum nostrorum, non potuimus refutare.* Hic ille Felix est, incredibili animi magnitudine Pontifex, qui hoc ipso anno Petrum Fullonem, contaminatissimum Antiochenæ Sedis incubatorem, depositionis inevitabili fulmine perculit: & qui altero rursus pòst anno, eodem telo impetivit Acacium Constantinopolitanum, qui ignavia quadam inaudita fœdissimaque indulgentia, favorem, imò & communionem impartiebat profanis omnibus Patriarchalium Orientis Ecclesiarum invasoribus. Epistola sua una contexuit Gelasius Papa istas omnes Patriarcharum depositiones, forsan & alias quasdam, quæ prætermissæ à nobis sunt. *In* *Ann. 493.* *hac ipsa causa Timotheus Alexandrinus, & Petrus Antiochenus, Petrus, Paulus & Joannes, & cæteri, non solùm unus, sed plures utique nomen sacerdotii præferentes, sola sedis Apostolicæ sunt auctoritate dejecti. Cujus rei testis etiam ipse docetur Acacius, qui præceptionis hujus extitit executor. Hoc igitur modo recidens in consortium damnatorum est damnatus Acacius, &c.* Sperabant Acacii postea defensores, ludificari à se posse has depositionis sententias, quòd non essent in Synodo, hoc est in Oecumenica Synodo libratæ: at Gelasius declaravit restitutos honori & loco suo fuisse Athanasium Alexandrinum, Chrysostomumque & Flavianum Constantinopolitanum, ea una re, quòd non consensisset Apostolica Sedes Synodis iis, quæ illos exauthoraverant: *Sedes Apostolica sola,* *Epist. 13.* *quia non consensit, absolvit.*

XIV. Quæ hactenus toto hoc capite disseruimus, eò collimant, ut evincatur, prærogativam primæ Sedis Patriarchalis non eo tantùm constare, quòd latiùs se effundat ejus ditio: utpote quæ totum complexa sit Occidentem, cùm Oriens in quinque Diœceses, totidemque Patriarchatus sectus sit. Quocirca Arelatense Concilium his verbis Sylvestrum Papam per Epistolas compellabat: *Tu qui ma-* *An. 314.* *jores Diœceses tenes.* Sed eo maximè splendere, quòd prima Sedes indeclinabilem jurisdictionem exercuerit in cæteros omnes Patriarchas, necessitati semper rerum obsecuta & temporum, quæ divinitus ita dispensabantur ad Ecclesiæ Christi ædificationem & propagationem.

Unum addam occasione Diœceseon complurium, quas uni Patriarchæ Romano paruisse diximus: non abludere à vero, id causæ fuisse, quamobrem Episcoporum ordinationes non retinuerint sibi Romani Pontifices, nisi in Italia & circumpositis Insulis, quas *suburbicarias* Provincias vocat Ruffinus: cùm Alexandrinus & Antiochenus Patriarchæ omnes prorsus sui Exarchatûs Episcopos ordinarent. Horum uterque uni præsidebat Diœcesi, unus Papa pluribus. Quindecim sanè Provinciæ Orientalis Exarchatûs ambitu continebantur: at hæ Provinciæ minusculæ erant, nec conferri iis poterant, quas Patriarchatus Romanus complectebatur. Itaque ne fieri quidem potuisset, ut per tempora illa persecutionibus horrentia, omnes Episcoporum ordina-

tiones per Africanas Provincias, per Hispanias, per Gallíasque, aliasve remotiores Diœceses ante Nicænam Synodum soli Romano Præsuli pertinendæ servarentur.

## CAPUT IX. *P. 2. L. 1. c. 3.*

### De veteribus Patriarchis, Romano, Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano, & Constantinopolitano. Quæ fuerint Patriarcharum jura & privilegia, sæculis VI. VII. & VIII.

*I. Veteres Patriarchæ tres ex Gregorio Magno in una & eadem Apostolica sedent Cathedra, quia Petri Sedi omnes successere.*

*II. Una est in tribus locis Sedes, unus Patriarcha & Pastor cum Christo & Petro unus.*

*III. IV. Idem de Episcopis aliis dici potest, unde intelligas quam ab illis subjectionem exigeret Pontifex.*

*V. VI. VII. Mirifice à Gregorio conciliantur hinc hominum inter se æqualitas ex natura lege, inde instituta à Deo aliorum super alios potestas.*

*VIII. IX. X. Communia omnium Patriarcharum jura & privilegia, Ecclesia unitas. Litteræ communicatoriæ. Diptycha sacra.*

*XI. Patriarchis servabantur causæ majores.*

*XII. Metropolitas ordinabant, & ipsos nonnunquam sui Patriarchatus Episcopos.*

*XIII. De Metropolis judicabant. Oecumenici nomen ab his cantùm majoribus judiciis usurpatum.*

*XIV. XV. Convocabant Concilia, & Monasteriis privilegia confirmabant.*

I. ITa existimavit semper Gregorius Papa, antiquos Patriarchas omnes in Sedem successisse Petri, eidem omnes Apostolicæ Sedi præsidere, eundem denique insidere eos thronum cum eo, qui plenitudinis potestatis, quam à Christo Petrus accepit, præcipuus est hæres. Sedes ergo Romana & Alexandrina, Petri & Marci, magistri & discipuli, eadem Apostolica sedes est, ut scribit Gregorius ad Eulogium Alexandrinum. *Sicut omnibus*
L. 5. Ep. 60. *liquet, quòd beatus Evangelista Marcus à sancto Petro Apostolo magistro suo Alexandriam sit transmissus, sic hujus nos magistri & discipuli unitate constringimur: ut & ego Sedi discipuli præsidere videar propter magistrum, & vos Sedi magistri propter discipulum.*

II. Ecclesiæ suæ, quam unam in unitate fundavit Christus, dedit & caput unum, fecitque mirabili sapientiæ suæ consilio, ut hoc Caput tribus præcipuis trium Regiarum urbium præsideret Sedibus: Romam autem totius Imperii Civitatem principem longiori mora & morte propria consecraret: ita ut tres istæ Sedes inter se unitatis vinculo necterentur indissolubili, Ecclesiasque cæteras strictissimè necterent cum capite, quod divinitus institutum est, ut sit totius vertex unitatis. Ita sentit in Epistola ad Eulogium Gregorius, iis respondens quæ ad ipsum ille de Romana Petri Sede magnificè scripserat. Supremæ Petri Cathedræ participes facit Patriarchas omnes Pontifex: ut Sedes tres, una sint & eadem Sedes: Patriarchæ tres unus Patriarcha, hæredesque Petri tres in unum compingantur Pastorem summum cum Petro, & cum
L. 6. Ep. 37. Christo. *Ille mihi de Petri cathedra locutus est, qui Pe-*
L. 8. Ep. 35. *tri cathedram tenet. Petro dicitur, Tibi dabo claves re-*
42. *gni cælorum, confirma fratres tuos, pasce oves meas: itaque cùm multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis sedes in authoritate convaluit, quæ in tribus locis unius est. Ipse enim sublimavit sedem in qua etiam quiescere & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravit sedem in qua Evangelistam discipulum misit. Ipse firmavit sedem, in qua septem annis quasi discessurus sedit. Cùm ergo unius atque una sit sedes, cui ex authoritate divina tres nunc Episcopi præsident: quidquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo. Si quid de me boni creditis, hoc vestris meritis imputate, quia in illo unum sumus, qui ait, Ut omnes unum sint, sicut & tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.*

III. Hinc æstimare licet, qua ille ratione vellet subesse sibi, subjicique Patriarchas alios, quos & suæ sedis socios, suosque in hæreditate Petri consortes & cohæredes putaret. Unde nec Papam universalem ab Eulogio Alexandrino se dici passus est, nec quod quidquam jussisset: Pro jure enim sui Primatûs posse à se moneri fratres, non juberi.
*Quod verbum jussionis peto à meo auditu removete, quia* L. 7. Ep. 30.
*scio quis sum, qui estis. Loco enim mihi fratres estis, moribus Patres. Non ergo jussi, sed quæ utilia visa sunt, indicare curavi.*

IV. Eadem animi æquabilitate, eodem moderamine usus est Gregorius ergá omnes Episcopos. Pares enim tamdiu habuit, quandiu officio fungerentur suo; nec antè in eos authoritatem potestatemque suam explicuit, quàm eos sua justæ Superiorum reprehensioni culpa subjecisset. *Nam quod* L. 7. Ep. 65.
*se dicit Bizacenus Primas Apostolicæ sedi subjici, si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis ei Episcopus subjectus non sit. Cùm verò culpa non exigit, omnes secundùm rationem humilitatis æquales sunt.*

V. Scitissimè Joannes Diaconus in hujus Pontificis vita à se conscripta, animadvertit, adeo non viluisse, aut obumbratam esse majestatem principis Sedis singulari hac ejus modestia, Pontificique fastigii depressione, ut ex adverso altiùs conscenderit, eluxeritque splendidiùs. *Authoritatem quo-* L. 4. c. 29.
*rumlibet suæ ditionis Pontificum Gregorius authoritatis sua magnitudine nullo modo minuebat, quin potius multipliciter roborabat. Et quamvis inter culpabiles authoritatem sui prioratus agnosceret, tamen inter insontes Episcopos se præbebat prorsus æqualem.* Humilitate & modestia, æquabilitate animi ac lenitate, floret & constabilitur legitima potestas, quæ eadem vitiis contrariis deturpatur & cadit. Non facit inferiores & subditos culpa, ut sit tunc demum novum in superiore jus & imperium, cum peccat minor: sed quod erat, & se premebat antea, tunc erumpit imperium; ac justitiæ tandem locum dat modestia.

VI. Probat idem ipse Joannes ex eodem Gregorio, eandem prorsus esse legem terrestrium quarumlibet dominationum, & cujuslibet hominum in homines, hoc est, æqualium in æquales potestatis. Hæc enim quæ tanta est inter homines, ut sint alii tantopere super alios, inæqualitas: non à natura, quæ ubique eadem est: sed ab institutione divina profecta est, & ab optimi summique medici cura benignissima, qui ea inæqualitate ita utitur, ut omnipotens regnet in terris æquitas, & ruinæ peccantium, ut Augustinus loquitur, ordinentur. Quare propter peccatum solum vim suam exerat potestas, oportet; quæ divinitus idcirco instituta est, ut impressis per peccatum vulneribus morbisque medeatur. Audi rursus Joannem Diaconum de Gregorio disserentem: *Idem Gregorius in libro Regulæ Pastora-* Ibidem.
*lis, Liquet, inquit, quod omnes homines natura æquales genuit, sed variante meritorum ordine, alios aliis culpa postponit. Ipsa autem diversitas quæ accessit ex vitio, divino judicio dispensatur: ut quia omnis homo æquè stare non valet, alter regatur ab altero. Unde omnes qui præsunt, non in se debent potestatem ordinis, sed æqualitatem*

*pensare conditionis: nec præesse se hominibus gaudeant, sed prodesse.* Et rursum: *Quia contra naturam superbire est, ab æquali velle timeri: Et tamen necesse est ut rectores à subditis timeantur, quando ab eis Deum minimè timeri deprehendunt.*

Præpotentem & sævum experti sunt Petrum Ananias & Sapphira, quia culpæ affines erant: æqualem & mitem Cornelius, quia purus à culpa: *Summum se intra Ecclesiam contra peccata recoluit, quod coram bene agentibus fratribus non agnovit. Illic quippe communionem æqualitatis meruit sanctitas actionis, hic zelus ultionis jus aperuit potestatis.* Denique ex Paulo, justo lex non est posita. Lex enim sibi ipse est, qui legem circumgestat in corde scriptam. Facit tamen divina illa lex & humana, à Deo scripta, & homini inscripta, ut jam nunc supremæ illius quæ in mundo regnat authoritatis vim durissimam impii persentiscant.

VII. Hæc genuina est forma Ecclesiastici imperij & juris, cujus gloria nec splendidiùs unquam, nec latiùs effulsit, quàm Gregorio Pontifice. Quia nec Pontificis ullius modestia verior, aut major humilitas fuit. Nunc de Patriarcharum juribus & officiis, seu functionibus dicendum aliquid.

VIII. Præter Ecclesiæ unitatem, cujus fundamentum erat, ut modò dictum est, Patriarcharum concordia: unanimis eorum de doctrina orthodoxa consensus firmissimum erat fidei Ecclesiæ universalis præsidium. Unde Justinianus ait: *In sacrosancta Ecclesia communicare, in qua omnes beatissimi Patriarcha una conspiratione & concordia fidem rectissimam prædicant.* *Novell. 115. c. 3. §. 4.*

IX. Post ordinationem suam mittebant invicem Patriarchæ communionis litteras, ut Gregorius docet: *Hinc est enim ut quoties in quatuor præcipuis Sedibus Antistites ordinantur, synodales sibi Epistolas vicissim mittant, in quibus se sanctam Chalcedonensem Synodum cum aliis generalibus Synodis custodire fateantur.* *L. 7 Ep. 54.*

X. Sua invicem nomina recitabant in diptychis sacris, quandiu uno stringebantur vinculo fidei & communionis Catholicæ. Id approbat Joannes Diaconus ex Gregorii Epistolis, additque ætate sua Patriarchas Orientis inter sacra recitasse è diptychis nomina Patriarcharum cæterarum Sedium, etiam postquam vivere desierant, donec ab eorum successoribus allatæ sibi essent litteræ, non communionis tantùm Catholicæ, sed & fidei testificatrices. *Ita Orientales præcipuè retinent usque hactenus sedes, ut in suis diptychis nullius Pontificis nomen describant, quousque synodicam ipsius suscipiant: & tandiu defunctum Pontificem inter viventes annumerent, quandiu successor illius suas litteras studuerit destinare.* Hinc natæ in Ecclesiis contentiones innumerabiles, ubi de Patriarcharum nominibus certatum est inscribendis, vel expungendis à diptychis Ecclesiæ. *L. 4. c. 23.*

XI. Gravissimis quibusque Ecclesiæ negotiis finis imponi non poterat, nisi expresso Patriarcharum consensu ac conspiratione, in Conciliis præsertim Oecumenicis, ad quæ vocari eos necesse erat, & interesse eos, aut certè eorum Legatos. Hæc enim connexa per se sunt cum honore Sedis Apostolicæ, qualem antiqui saltem Patriarchæ tres habebant. Hierosolymitana Ecclesia Apostolum prima habuit. Constantinopolitanæ cum honorem totius majestas imperii conferre non potuit, quem accepere aliæ à cælestibus illis piscatoribus, quorum ad tumulos venerabundi accidunt Imperatores, ipsam imperii purpuram inde clarescere persuasi. Hinc egregiè Leo ad Marcianum Imperatorem de Anatolio Constantinopolitano Episcopo, ut jam suprà dictum est: *Non dedignetur Anatolius Regiam civitatem, quam Apostolicam non potest facere sedem.* *Epist. 54.*

Concilii Calchedonensis Patres à Leone Papa enixè postulaverunt, Apostolica ut authoritate corroboraret, quam ipsi contulerant Constantinopolitanæ sedi Patriarchicam potestatem in Diœceses majores tres, & in Metropolitanos Asiæ, Ponti & Thraciæ; utque Regiam civitatem aspergeret aliquo illius potestatis Apostolicæ radio, cujus plenitudo Romanæ sedi, ut fonti lucis affixa est. *Confidentes quia lucente apud vos Apostolico radio, & usque ad Constantinopolitanorum Ecclesiam illum spargentes, hunc sæpiùs expandistis, eò quòd absque invidia consueveritis vestrorum bonorum participatione ditare domesticos.* Renuit tunc Leo, sed annuerunt successores ejus, & suprà satis superque emicuit Gregorium ipsum Magnum eodem loco & honore habuisse Episcopum Constantinopolitanum, atque reliquos Patriarchas.

XII. Redeo ad Patriarcharum jura. Ditionis suæ Metropolitas omnes, aut ipsi per sese, aut per Legatos ordinabant. Quin docuit jam nos Synodus Nicæna, ordinari solitos à Patriarcha Alexandrino Exarchatûs ejus Episcopos omnes. Tacitum tandem à Romanis Pontificibus consensum elicuit Constantinopolitanus Episcopus, ut eo gauderet jure, quod ei Concilium Calchedonense tribuerat, ut Asiæ, Ponti, Thraciæque, quæ tres minusculæ erant Diœceses, Metropolitas ordinaret. Potestatem quoque fecerat ei idem Concilium, ut quæ ad Aquilonem gentes nuper ad fidem venerant, id est, interprete Balsamone, Alanis & Russis Episcopos daret. Antiochenus Patriarcha, Hierosolymitanus, & Romanus, præter Metropolis suæ Episcopos, ut jam suprà ostensum est, ordinabant Episcopos bene multos.

XIII. De Metropolitanis judicare soli Patriarchæ poterant, aut Primates. A Metropolitanorum judicio fas erat Episcopis ad Patriarchas appellare, aut Primates. Quin & Presbyteri, adeoque & Clerici ipsi, ut ex Justiniani Novella & ex historia Ecclesiastica facile est intelligere, rem suam ad Patriarcham usque appellando deferre poterant. *Novel. 123. c. 10. 23.* Oecumenici Patriarchæ nomen Dioscoro Episcopo Alexandrino tunc videtur tribui cœpisse, cum de Flaviano Constantinopolitano Patriarcha judicium instituit: Leoni Papæ, cum Dioscorum in Chalcedonensi Concilio deposuit: Agapeto rursum Papæ, cum Anthimum Constantinopolitana sede dejecit: Joanni & Menæ Episcopis Constantinopolitanis, postquam ea usi sunt potestate, de tacito Romanorum Præsulum consensu, ut Exarchos Asiæ, Ponti, & Thraciæ judicarent, qui minorum quasi gentium Patriarchæ erant: Joanni denique Jejunatori, cum de Antiocheni Patriarchæ causa sententiam tulit. In his enim omnibus videbatur is, qui de Patriarchis judicabat, supra Patriarchas evehi, & ejusmodi aliquo donari debere nomine, quo universalis ista potestas significaretur. Verùm quoniam ea authoritate in Patriarchas omnes unus pleno jure ac sine controversia ulla usus est Papa, hinc dici potest ei uni Oecumenici nomen aptissimè tribui. Docet in Epistolis suis Gregorius, Joannem Presbyterum Calchedonensem damnatum hæreseos ab iis, quos illi Patriarcha Constantinopolitanus judices dederat, appellasse ad Apostolicam Sedem, eam appellationis causam ventilasse se in Romana Synodo, latam in Presbyterum infirmasse sententiam, eumque Catholicum declarasse. *L. 5. Ep. 15. 16. 24.*

XIV. Convocabant Patriarchæ ex subjecta sibi ditione Concilia, ubi & de causis majoribus decernerent, & statuta ac leges ponerent. Innumerabiles sunt istiusmodi leges in Jure Orientali, quod in lucem edidit Leunclavius; innumerabilia & apud Historicos Concilia Patriarchalia.

XV. Possem & hic dicere de Patriarcharum jure in Monasteria sui Exarchatûs. Verùm id & alia nonnulla in commodiorem inferiùs locum differre satius est, ubi & ea quæ raptim hic attigimus, fusiùs clariúsque pertractabuntur.

## CAPUT X. *P. 1. l. 1. c. 6.*

### De Patriarcha Constantinopolitano, per priora quinque Ecclesiæ sæcula.

*I. Crevit mirum in modum Episcopi Constantinopolitani authoritas, ex quo sedes Imperii Constantinopolim translata est.*

*II. Primum illi post Papam locum Synodus I. Constantinopolitana decernit. At huic decreto intercedit Occidens.*

*III. Quia non satis dilucidum erat, ad quæ & quanta privilegium illud pertineret, latissime illud & pro arbitrio interpretati sunt Episcopi Constantinopolitani.*

*IV. Quid in Exarchos alios tentaverit Nectarius Episcopus Constantinop.*

*V. Eadem tentavit & Chrysostomus charitatis unicus stimulo incitatus, ut laboranti Ecclesiæ subveniret. Confluebant undequaque ad Imperatorem Episcopi, quorum ille causas ad Episcopi Constantinopolitani judicium rejiciebat.*

*VI. Quæ tentaverit Atticus.*

*VII. Quæ Sisinnius & Proclus.*

*VIII. Ea maximam partem fiebant in Exarchos Thraciæ, Ponti, & Asiæ, quia & viciniores erant, & infirmiores.*

*IX. Quid Flavianus in Patriarcham Antiochenum.*

*X. Quid Anatolius in eundem.*

*XI. Frequentiùs in Exarchum Ephesinum incursatum est.*

*XII. Concilii Chalcedonensis tempore, eo loco res erant, ut effrenati Episcopi Constantinopolitani ambitio obstacles sibi obices perfringeret. Hujus Concilii Canones duo tribunalia alternas vices, aut pravam omnem in Exarchos alios.*

*XIII. Minores Exarchos tres illi subjicit ejusdem Concilii Canon XXVIII.*

*XIV. Legati Romanæ Sedis intercedunt.*

*XV. Ejus rei decretum confirmari a Papa petit Concilium.*

*XVI. Negat Pontifex Quibus de causis.*

*XVII. Rationibus & consilio Pontificis assentiuntur Imperator & Patriarcha Constantinop.*

*XVIII. Usurpatis in Concilio Chalcedonensi privilegiis abstinuisse postea Episcopos Constantinopolitanos demonstratur.*

*XIX. Servasse tamen sibi aliqua, eaque non contemnenda.*

*XX. Nemo tamen illis posthac litem movit de Patriarcha nomine, sed de potestate in tres minores Patriarchas usurpata.*

I. Byzantii, quæ postea Constantinopolis fuit, Episcopus, Heracliensis in Thracia Metropolitani suffraganeus ab exordio fuerat, ut superbienti Acacio jure objicit Gelasius: *An sedem Apostolicam congruebat, parœcia Heracliensis Ecclesiæ, id est Constantinopolitani Pontificis judicium expectare?* Huic tum urbi, tum Ecclesiæ ingens facta est accessio honoris & præcellentiæ, illuc translata Imperii sede, & novæ Romæ appellatione invecta. Hinc illud decretum Constantinopolitani I. Concilii. *Constantinopolitanus Episcopus habeat Primatûs honorem, τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, post Romanum Episcopum, eò quòd sit Nova Roma.* Idem iisdemque pene verbis tribuebat Episcopo Hierosolymitano Nicæna Synodus, salvo tamen intactoque Metropolitani Cæsariensis in eum jure: *Habeat consequentiam honoris, salva Metropoli propria dignitate: ἐχέτω τὴν ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς.* Episcopus ergo Constantinopolitanus suprà laudato decreto, non Patriarcha, non Exarchus, imò ne Metropolitanus quidem constituebatur, honorificentiore tantùm donabatur sedendi loco.

Epist. 13.

Can. 3.

Can. 7.

Quippe in Actis deinceps publicis omnibus Heracleæ semper Episcopus inter Metropolitas numeratur. Et quod ad Exarchos pertinet, eadem Constantinopolitana Synodus alio ante Canone creationem eorum commemoraverat, secto in quinque Diœceses Majores Oriente, quibus & singulis singulos præfecerat Exarchos, seu Patriarchas. Diœceses porro istæ erant Ægyptus, Oriens, Asia, Pontus, & Thracia. Exarchi autem Episcopi Alexandriæ, Antiochiæ, Ephesi, Cæsareæ in Cappadocia & Heracleæ.

II. Non hîc ego duplicem Constantinopoli Conventum, aut duplex Concilium distinguam, quod continuato biennio habitum sit: ut alterum eorum fuerit Concilium Universale, alterum privatus tantùm conventus, in quo & Canon iste editus sit. Constat Concilium coactum fuisse ex solis Orientis Episcopis, Occidentalibus ne vocatis quidem. Nec aliunde habuisse ut in iis quæ ad fidem spectant, Concilium Oecumenicum censeretur, quàm ex Romani Pontificis & Occidentalium Episcoporum, quæ postea accessit, consensione. Qui autem ibidem conditi sunt Canones, eos repudiavit Occidens, teste locupletissimo Gregorio Papa. *Romana Ecclesia eosdem Canones, vel gesta illius Synodi hactenus non habet, nec accipit. In hoc autem eandem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum.* Is ergo Canon pro lege privata haberi poterat, cui sua est authoritas, sed non ea quæ mutando universalis Ecclesiæ membrorum, & ordini, & situi sit satis. L. 6. Ep. 31.

III. Emicat autem prorsus ex historiæ serie, & ex Regiæ hujus urbis Episcoporum deinceps gestis, Canonis hujus verba eos in rem suam ita interpretatos esse, ut eorum obtentu, vel cupiditati suæ & ambitioni velificari possent, vel Ecclesiarum necessitatibus ex charitate servire. Quanquam enim nihil magis adversetur charitati, quàm cupiditas: cùm illi individua comes hæreat humilitas, animique moderatio, & quies, huic audax & temeraria semper superbia: utriusque tamen agendi ratio io speciem simillima est. Ergo non ad solam honoris & consessus prærogativam Canone isto nitebantur Constantinopolitani Episcopi, ipsam plerumque jurisdictionem latiùs propagabant, non solùm ultra Metropolitanis, sed etiam ultra Exarchis præscriptos limites: tum illis, tum his infra se depressis, & causis judiciisque eorum propriis ad se revocatis.

IV. Nectarius qui hac ipsa in Synodo Episcopalem ejusdem urbis adeptus est sedem, non nominis, non consessus gloriosam solam hoc se Canone consecutum ratus, sed insignem & convenientem Regiæ civitatis Antistiti potestatem: aliquantò post, nempe anno 394. quid sibi animi esset, patefecit. In Synodo enim Constantinopoli habita litem disceptavit inter Agapium & Gabadium, concertantes de Episcopatu Bostrensi in Arabia, adeoque ad Patriarchæ Antiocheni jus spectante. Præerat Nectarius Synodo, & superiore loco eminebat, etsi adessent Theophilus Alexandrinus, Flavianus Antiochenus, Helladius Cæsariensis, aliique Episcopi complures. Extant hujus Synodi Acta apud Balsamonem. Meminit Sozomenus litterarum Ambrosii, quibus Nectarium excitabat ad depositionem Gerontii, qui Clericus primùm Mediolanensis, tum Nicomediæ Episcopus, Ecclesiæ suæ offendiculo & pudori erat. Nicomedia Provinciæ Bithyniæ erat, Ponticæ Diœceseos. Sozom. l. 8. c. 6.

V. Nectario successit Chrysostomus, cujus innocentia vitæ sanctitasque morum ita nobis & admirationi debet esse, & amori, ut Apostolicæ imputemus charitati, ea ipsa ejus cœpta consiliaque, quæ in dissimilibus Episcopis temerariæ adscriberentur audaciæ novandique cupiditati. Is profectus in Asiam, non modò Gerontium loco movit, quod non potuerat Nectarius, sed in Asiana Diœcesi Episcopos exauctoraverat sexdecim. Si quid tamen fidei habeodum sit criminationibus Theophili Alexandrini adversùs Chrysostomum, quas apud Palladium leges. Palladius sextantùm ab eo depositos narrat, Sozomenus octo; quorum simoniaca ordinatio fuisse ferebatur. Hac certè accusatione incessebatur Chrysostomus, quòd aliorum invaderet Provincias, Episcoposque ordinaret aliis Metropolitanis obnoxios. Prompta tamen & expedita ad hæc responsio. Venisse enim Constantinopolin privatas ob causas, ex Diœcesibus Asiæ, Ponti, & Thraciæ Episcopos duos supra viginti; ibi affuisse Concilio, cui præerat Chrysostomus; horum ab uno oblatum ei esse libellum adversùs Episcopum Ephesinum, cui ordinationes omnes hæ simoniacæ impingebantur: delegatos ab eo fuisse tres Episcopos, qui in hæc inquirerent; interim fato suo excessisse Ephesinum; illico Episcopos Provinciæ, & Clerum civitatis misisse, qui se invitarent, ut convolaret Ephesum, impendentem Ecclesiæ ruinam amoliretur; denique perfecta à se esse omnia in Concilio ex vicinarum Provinciarum Episcopis adunato, potuisse autem se, juxta receptum prioribus sæculis & approbatum à sacris Canonibus morem, vocari ab Ephesinis, quippe qui & Episcopus esset vicinus, & aliquantulæ auctoritatis.

*Baron. an. 403. n. 19. Phot. Bibl. Cod. 59.*

Habent hæc quidem plurimum momenti ad defensionem Chrysostomi: non multum autem, ut Episcopo Constantinopolitano arrogetur jus istiusmodi in alienas Diœceses. Fatetur Palladius ipse, quos in aliorum locum Episcopos ordinarat Chrysostomus, eos, depositos deinde esse. Verum hoc constat, nondum certam iis temporibus apud Orientales, nondum definitam & perfectam in Ecclesia judiciorum formam. Exarchos quidem supra Metropolitas illi constituerant, atque adeo tribunal erexerant, quo & Metropolitani vocari possent, sicui quid rei cum illis esset: & exortæ inter diversas Provincias finiri controversiæ. Sed si quando Diœceses majores inter se contenderent: si quando Episcopi aut Metropolitani cum Exarcho, neminem tunc habebant judicem à Canonibus constitutum. Adibant tunc illi Imperatorem, qui rem plerumque remittebat ad Episcopum Constantinopolitanum, & ad Synodum Episcoporum, qui tunc variis de causis Constantinopoli versabantur: cui Synodo jure præerat Episcopus Constantinopolitanus. Novum hoc & extraordinarium tribunal, insolensque judiciorum ratio, ut reciperetur, fecit necessitas; ut quæ alioqui nullum finem habituræ erant causæ, hoc saltem modo definirentur. Sed cùm nulla ei Synodo suffragaretur Canonum auctoritas, nondum etiam ita convaluerat longo usu, quin istiusmodi judicia detrectarent, quibus haud æqua, vel propitia fuerant. Facilè sibi blandiebantur Episcopi Constantinopolitani, ut crederent, extraordinariam quidem hanc, sed universalem potestatem aptissimè convenire honorificentiæ consessus, & nominis gloriæ, qua Episcopi Novæ Romæ urbisque Regiæ fruebantur. Sanè Concilium istud Constantinopolitanum I. cum cæteros omnes intra Exarchatûs sui fines coërceat, illud innuisse videbatur, extraordinariam jurisdictionem, quæ supra Exarchos alios evehebatur, aut quæ Exarchatus plures complexura erat, alteri cuipiam concreditum iri.

VI. Atticus Episcopus Constantinopolitanus authore Socrate Theodosio Juniori obrepsit, expressitque ab eo legem, *qua juberet, Ne quis Episcopus designetur absque sententia & auctoritate Concilii Constantinopolitani.* Arsacio successerat Atticus, & ille Chrysostomo. Addit Socrates idem ab Attico donatum esse Sylvanum Episcopatu Philippopolis in Thracia, & ab eodem post triennium translatum fuisse Troadem in Phrygia, cùm Troadis cives Constantinopolim advolassent, Episcopum petituri. Occurrit in Codice Theodosiano lex alia, quæ Illyricum Episcopo Constantinopolitano subjicit, quòd Constantinopolis Nova sit Roma: *Roma veteris prærogativa lætatur.* Facile erat Imperatores Imperii mole occupatos & pene obrutos circumvenire, atque hæc ab illis eblandiri. Adde quod in Provinciis rariores erant, quibus Episcopales dotes suffragarentur & virtutes. Ventitabant ergo Constantinopolin complurium viduatarum Ecclesiarum cives Episcopos petituri, & plerosque juvabat tum Principis, tum Patriarchæ gratiam aucupari, adscitis in Episcopales suas Cathedras iis, quos illi maximè probassent.

*Cod Theod. de Episc. & Cler. l. 46.*

VII. Mitto facio nonnulla alia, quæ in alios Atticus usurpavit. Ejus successor Sisinnius cum primum vacantem audivit Cysicensem Episcopatum, Proclum Episcopum nominavit. Cysiceni sive ita crederent, sive credere se simularent, Theodosii legem ita interpretati sunt, quasi privilegium tantummodo esset, uni Attico peculiariter indultum. Præceperant ergo eligere Dalmatium Monachum, accelerata etiam ejus ordinatione. *Legem propterea neglexerunt, quòd Attico soli, ut illi putabant, nominatim autoritatem illam concederet.* Sisinnio successit Nestorius, Nestorio Maximianus, Maximiano Proclus hic ipse. Memorat Socrates Cæsareæ in Cappadocia cives Constantinopolin profectos, ut hinc sibi Episcopum abducerent: Proclum diligentissimè observasse Senatores, qui sacris Sabbato interfuerant; uni eorum inopino prorsus, manus imposuisse & totam simul Episcopatûs sarcinam. Thalassius is erat Illyrici Rector, quem Imperator paulò antè jusserat Illyrici præfectura decedere, & in Orientem concedere, pari ibi dignitate & cura onerandum.

*Socrat. l. 7. c. 28. 47.*

VIII. Antequam ulterius progrediamur, operæ pretium fuerit illud observare, in jura plerumque Exarchorum Thraciæ, Pontique & Asiæ incursasse Constantinopolitanos Episcopos, quòd & minores & viciniores essent Diœceses, eòque injuriæ opportuniores. Qui Chrysostomo successerant Regiæ civitatis Antistites, videbantur sibi in ejus vestigia ingredi, cùm tanta esset intercapedo, quanta cupiditatis, qua hi perciti erant, & sinceræ charitatis, qua ille æstuabat. Locupletissimus testis adest Theodoretus, ubi constanter docet, in id omni virium animique contentione incubuisse Chrysostomum, ut Episcopos Pastoresque omnes ad morum sanctitatem Canonumque accuratam observantiam compelleret; idque strenuè illum pervicisse, in Thracica Diœcesi, quæ sex Metropoles, in Asiana quæ undecim, & in Pontica, quæ totidem complexa erat. *Atque hoc modo prospexit non illi solùm civitati, verùm etiam toti Thraciæ, quæ est in sex Præfecturas divisa, & cunctæ Asiæ, quæ undecim habet: & Ponticam*

*L. 5. c. 28.*

*Ecclesiam, quæ totidem habet, iisdem adornavit legibus.* Baron. an. 400. n. 73. Palladius trium istarum Diœceseon Episcopos nominat, ubi de Concilio Constantinopolitano, cui Chrysostomus præfuit anno 400. sermonem habet.

IX. Harum insectationum immunes tamen haud erant majorum etiam Diœceseon Patriarchæ. Depromptum jam à nobis est ejus rei exemplum in Episcopatu Bostrensi, qui cùm in Arabia situs esset, Antiocheno suberat Exarcho, & ejus tamen causam Nectarius judicio suo diremit. Suppetunt & exempla alia. Ibas Edessenus in Syria Episcopus morum improbitate animos Clericorum suorum in se concitaverat. Illi id primum consilii ceperant, ut apud Antiochenum Episcopum Domnum cujus ditioni & judicio suberat, illum accusarent; sed mutato postea consilio Constantinopolim adproperarunt, judices ibi postulaturi. Flavianus tunc Regiæ urbis Præsul causam delegavit tribus Metropolitanis, Tyrio, Berythensi & Himerensi. Pertractata & finita lis est in Concilio Berythensi, cujus Acta Actione X. Concilii Chalcedonensis recitata sunt. Disertis verbis pronuntiatum est, *Archiepiscopo Flaviano decernente, piissimo Imperatore disponente*, celebratum esse judicium. Quanquam callidè temperata sint hæc verba, sublucet tamen, causam hanc ab Imperatore fuisse demandatam Flaviano, qui eam postea tribus Metropolitanis delegavit. Quod aliquantò etiam clarius est in Actis ipsis judicii, quæ perlecta sunt Actione IX. & X. Concilii Calchedonensis.

X. Flavianus Proclo successerat, Flaviani locum implevit Anatolius; sectabatur autem uterque impressa à prædecessoribus vestigia, seu cupiditatis, seu charitatis. Creverat Berythus in Metropolin civilem Phœniciæ Pragmatica sanctione principis. Porro antiquissima Phœniciæ Metropolis jam erat Tyrus. Hinc Berythensis Episcopus ansam captavit, ut & Ecclesia sua Metropolitico privilegio gauderet. Sibi non defuit Tyri Metropolita, causa ventilata est in Concilio Constantinopolitano, cui præerat Anatolius, qui & decretoriam sententiam tulit; quin & illam subscribendam misit Maximo Archiepiscopo Antiocheno, qui Constantinopoli tunc degebat, nec tamen interfuerat judicio. Subscripsit, etsi subinvitus, ut professus ipse est sessione V. Concilii Calchedonensis, quòd ejus Exarchatui subesset Phœnicia.

XI. Ubi verò de Archiepiscopatu Ephesino inter plures certatum est, in eam causam altiùs se & libentiùs immergebant majores Ecclesiarum Exarchi, sive illos huc impelleret charitas Ecclesiæ & unitatis studium, sive eorum gratia & patrocinium hinc ambiretur. At Constantinopolitanus primus semper ante alios emicabat, ut causam ad se pertraheret, seu propriæ utilitatis cupidine, seu mandato Imperatoris, seu recepto etiam secundùm Canones more, ut vicinis Episcopis opis aliquid afferatur. Bassianus qui se Ephesi venditabat Episcopum, in Calchedonensi Concilio testabatur venisse se Ephesum, litteris synodalibus Procli Constantinopolitani Episcopi munitum, ad ipsam Ephesum civitatem scriptis, ad Clerum & ad Episcopos. Stephanus qui eandem sibi sedem vendicabat, ex adverso testabatur, Bassianum, ut alienæ Ecclesiæ invasorem, extrusum ea fuisse à Leone Papa, à Flaviano Constantinopolitano Præsule, & ab Archiepiscopis Antiochiæ & Alexandriæ. Cùm Bassianum & Stephanum simul exauctorasset Calchedonensis Synodus, Diœceseos Ephesinæ Episcopi electionem novi Præsulis sibi palam vendicabant. Eorum unus contestatus est jam inde à temporibus B. Timothei viginti septem Episcopos Ephesi ordinatos fuisse. Contra nitebatur Clerus Constantinopolitanus à Joanne Chrysostomo quindecim Episcopos Diœceseos Asianæ abdicatos esse, aliis in eorum locum suffectis: Memnonem & Castinum Constantinopoli inauguratos fuisse: Heraclidem & alios ordinatos fuisse impetrato consensu Archiepiscopi Constantinopolitani, denique Proclum Constantinopolitanum manus imposuisse Basilio. Flagitante Synodo Calchedonensi, ut obtinerent Canones, *Canones obtineant*, acclamatum est à Clericis Constantinopolitanis, standum esse decretis Concilii Constantinopolitani, & Regiæ urbis privilegiis decerpi nihil debere. *Ea quæ sanctorum Patrum centum quinquaginta sunt, teneant: privilegia Constantinopolis ne depereant.*

Hæc documenta sunt nequaquam ambigua, Episcopos Clericosque Constantinopolitanos nova & antè inaudita authoritatis & jurisdictionis incrementa, de quibus jam diu verba facimus, superstruxisse Canoni illi Synodi Constantinopolitanæ & prærogativæ honoris post Antiquam Romam. Etsi enim his verbis nihil clarè, nihil peculiariter exprimeretur novi juris, tanto magis iis poterant quæcumque libuisset obumbrari.

XII. Cùm res ita habuissent à Concilii Constantinopolitani I. temporibus usque ad Calchedonensem Synodum: cùm Dioscorus in Calchedonensi Synodo ita dejectus fuisset, ut necdum quisquam in ejus sedem subrogaretur; cùm Episcopatûs Ephesini incubatores una damnationis sententia perculsi fuissent; cùm Antiochenus Episcopus permolestis esset implicatus negotiis: cùm denique Hierosolymitanus Episcopus ardua cum primis agitasset consilia, ut mox dicetur, de amplificanda dignitate sua: minimè mirum est si tam opportuna rerum temporumq; commissura obrepserit Concilio Chalcedonensi Anatolius, extorseritque ea privilegia, quæ rarò, quæ callidè, quæ furtim tantùm usurpaverant ejus in Constantinopolitana sede prædecessores. Canone hujus Concilii IX. statutum est, ut si Episcopo, si Clerico causa esset adversùs Metropolitanum, fas esset eam referre ad judicium Exarchi, aut Archiepiscopi Constantinopolitani: *Si adversùs Metropolitanum Episcopus vel Clericus habet querelam, petat aut Primatem Diœceseos, aut sedem Regiæ urbis Constantinopolitanæ, & apud ipsam judicetur.* Con. Chalc. Act. 11. Eadem optandi, alternandique libertas rursum indulgetur Canone XVII. Id verò quid aliud erat, quàm universalis quædam jurisdictio in causas Metropolitanorum per quinque majores Orientalis Imperii Diœceses Constantinopolitano Episcopo accumulata. Jure eodem utebatur Papa in Occidente, quod Damaso Papæ firmaverat Gratianus Imperator; Rescriptum ipsum edidit Sirmundus in Appendice Codicis Theodosiani. Inde forsan profectum est, ut Legati Pontificii qui Calchedonensi Synodo præerant, his decretis tametsi novis non intercederent. Hoc ipso præventionis jure aliquando usi fuerant Episcopi antè Constantinopolitani de partium consensu: exempla superiùs aliqua attigimus. Ita nec Synodus Chalcedonensis reluctata est. Geminos ergo hos Canones Codici suo intexuit Dionysius exiguus.

XIII. Sed cùm quasi prælusum hactenus fuisset, jacta sunt demum fundamenta Patriarchatûs Constantinopolitani Canone ejusdem Concilii XXVIII. Jactatum ibi est Romæ veteri concessa esse privilegia,

legia, *eò quòd urbs illa imperaret.* Quod ut à vero non dissideat, ita sumendum est, quòd ea denique fuerit ratio quæ Petrum illexit Romam, ut ibi Apostolicam figeret Cathedram, fontemque cælestis doctrinæ, facilè inde in omnes Orbis partes dimanaturæ. Ita sane Leo Papa: *Petrus Princeps Apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur Imperii, ut lux veritatis quæ in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. Cujus autem nationis homines in hac tunc urbe non essent, aut quæ usquam gentes ignorarent, quod Roma didicisset?* Addit Calchedonensis Canon Constantinopolitani quondam Concilii Patres eodem consilio usos Constantinopolitanæ civitati privilegia aliqua adsignasse, quòd ea sit nova Roma. Indulsisse enim ut Episcopus hujus urbis ordinaret Metropolitanos Thraciæ, Asiæ & Ponti, examinata & confirmata eorum electione, permissaque Metropolitanis ordinatione Episcoporum suæ cuique Provinciæ. Quod ergo multoties tentatum fuerat & extra ordinem, hìc pro jure, & quidèm pro jure ordinario statutum est. Denique hoc Canone data est facultas Episcopo Constantinopolitano ordinandi, emittendique Episcopos in Nationes barbaras. Quo munere functus jam fuerat Chrysostomus in Gothos.

Leo Mag. Serm. in Natal. Apo.

XIV. Aberant Legati Romani Pontificis, cùm postremus hic Canon cuderetur. Illis postulantibus lectus est in Sessione XV, haud mora, intercessere, contestatique sunt decretum illud Concilii I. Constantinopolitani Codici Canonum insertum nunquam fuisse: si quo istiusmodi jure gauderent Episcopi Constantinopolitani, suffragante id genus Canone, minimè opus fuisse novum eadem de re condere Canonem: sin minùs, nihil esse novandum. *Si his temporibus hoc beneficio usi sunt, quid nunc requirunt? si nunquam usi sunt, quare requirunt?* Nec eo contenti Legati, speciale etiam protulere mandatum Papæ, quo jubebantur vetare, vetandoque irritare, quidquid novæ rei molirentur Episcopi, quæ vel detrimento esse posset Apostolicæ sedi, vel Ecclesiis aliis in alias incremento.

Denique cùm persuasum esset Legatis Romanis, expugnatas per vim fuisse Episcoporum subscriptiones, percunctati sunt Episcopos Ponti & Asiæ, an facta sibi esset vis aliqua? Illi coram professi sunt se lubentissimos subscripsisse, se magna ex parte creatos esse Episcopos ab Episcopo Constantinopolitano, nec se tantùm, sed & antecessores suos: hanc inolitam consuetudinem, hos esse Canones: debere se plurimum Episcopo Constantinopolitano, cujus patrocinio & tuitione nitebantur plerumque: Denique Dorylæi Episcopus hunc ipsum se Canonem affirmavit Romæ legisse Papæ, præsentibus nonnullis Constantinopolitanis Clericis, nec eum dissensisse. Tunc verò judices neglecta Legatorum intercessione secundùm Episcopum Constantinopolitanum pronuntiarunt. De Diœcesi Thraciæ rara hìc mentio fuit, quòd Episcopus Constantinopolitanus Conciliis ejus ex more interesset, imò & præesset ex vi Canonis Constantinopolitani; atque ita illam penitus suæ potestati subjecerat.

XV. Datæ sunt ad Pontificem à Concilio Calchedonensi litteræ, tum officiosissimæ, tum reverentiæ & singularis observantiæ testimoniis refertæ. Ecclesiæ Conciliique caput ibi ille prædicatur: *Tu sicut membris caput præeras.* Oratur Primatûs sui radio ut Ecclesiam Constantinopolitanam illustret: *Lucente apud vos Apostolico radio, & usque ad Constantinopolitanam Ecclesiam illum spargentes, eò quòd absque invidia consueveritis vestrorum bonorum participatione ditare domesticos.* Quod ad Episcopum Constantinopolitanum attinebat, pristinam tantùm consuetudinem & vetustam possessionem confirmatam esse. Nec à vero id abludebat; sed possessioni tum frequenter, tum justissimè repugnatum fuerat: ut usurpatio ea potiùs dicenda esset. *Eam namque consuetudinem, quæ ex longo jam tempore permansit ad ordinandum Metropolitanos Diœceseon, tam Asiana, quàm Pontica & Thracia.* Postremò indulsisse Concilium non tam gratiæ & compendio Episcopi Constantinopolitani, quàm Provinciarum, ubi non poterant nisi turbulentæ & tumultuosissimæ ordinationes celebrari. *Non tam sedi Constantinopolitana aliquid præstantes, quàm Metropolitanis urbibus.* Hæc tunc fuere rationum momenta, quibus Canonem hunc à Pontifice confirmari debere contendebant. Nec enim dubium esse poterat, quin esset necessaria Capitis auctoritas & assensio, ut tantum mutationis inveheretur in principalium Ecclesiæ membrorum dispositionem. *Rogamus tuis Decretis nostrum honora judicium: & sicut nos Capiti in bonis adjecimus consonantiam: sic & summitas tua filiis, quod decet, adimpleat.*

XVI. Non alibi usquam plus honoris habitum, plus reverentiæ impensum Romano Pontifici, quàm in Concilio Calchedonensi: & tamen animo prospiciens sanctissimus Papa Leo, quò tandem evaderent molimina Archiepiscopi Constantinopolitani, & quantam perniciem importare posset paci unitatique Ecclesiarum, fidenter rescripsit Leoni Imperatori & Anatolio Archiepiscopo, non p[illegible]um se unquam ut labefactaretur ordo majorum [illegible] à Nicæna Synodo confirmatus, aut ut Alexandrinus secundo, tertio Antiochenus honoris gradu dejiceretur: Canonem Constantinopolitanum nunquam primæ Sedi significatum fuisse, adeoque nec ab ea approbatum, & qui ab initio non valuerat, non posse temporis lapsu convalescere. *Persuasioni tuæ in nullo penitus suffragatur quorundam Episcoporum ante sexaginta, ut jactas, annos facta subscriptio, nunquam à prædecessoribus tuis ad Apostolicæ sedis transmissa notitiam, cui ab initio sui caducæ, dudumque collapsæ, sera nunc & inutilia subjicere fulcimenta voluisti.* Epist. 53. 54.

XVII. Improvida Imperatoris & Anatolii consilia fregit constantia Leonis; ab inceptis ergo illi omnino destiterunt, causante Anatolio, nullius se culpæ affinem, quæ tota refundenda esset in præfervidam quandam Cleri Constantinopolitani audaciam. Imperator dictis Anatolii quasi fidejussor accessit, ut docet nos Leonis ipsius epistola, quæ utriusque epistolarum meminit, & datæ fidei: *Illam autem culpam, quam de augenda potestate, aliena, ut asseris, adhortatione contraxeras, efficaciùs atque sinceriùs tua charitas diluisset, si quod tentari sine tua voluntate non potuit, non ad sola Clericorum consilia transtulisses: sed gratum mihi est quod dilectio tua profitetur sibi displicere, quod tunc etiam placere non debuit. Sufficit in gratia communis regressu, professio dilectionis tuæ, & attestatio Principis Christiani. Nec videtur tarda correctio, cui tam venerabilis assertor accessit.* Gratias egit Imperatori Leo, quòd sua illi grata fuisset constantia, quódque sua singulis Ecclesiis privilegia servari vellet. *Probasse vos observantiam meam de custodia Canonum paternorum pietatis vestræ affatibus indicastis, &c. ut fides Nicæna suam teneat firmitatem, & privilegia Ecclesiarum illibata permaneant.* Meminit horum omnium Gelasius in epistola sua ad Episcopos Dardaniæ, nec silet retractatam tum ab Ana-

Epist. 71.

Epist. 59.

tolio, tum à Marciano priorem sententiam: *Audiant Marcianum sancta memoria Papam Leonem summis laudibus prosequutum, quòd Canonum regulas violari nulla fuerit ratione perpessus. Audiant Anatolium, Clerum Constantinopolitanum potiùs quam se talia tentasse confitentem, atque in Apostolici Præsulis totum dicentem positum potestate.* Collectioni suæ Romanæ inseruit Holstenius hanc Anatolii quod malè exorsus erat recantantis Epistolam, cujus Leo & Gelasius fecerant mentionem.

*Epist. 13.*

XVIII. Enimvero post Concilium Calchedonense apud Historicos non legas, ab Exarchis aliix eorumve Metropolitanis & Episcopis appellatum esse ad Constantinopolitanum Episcopum, aut Metropolitanorum causas primo loco apud eum agitatas fuisse. Quin immo Justinianus Imperator recepto tunc usui accommodans suas leges, multis editis constitutionibus sanxit, ut ne Episcopi nisi apud Metropolitanos, hi apud Exarchum propriam causam dicerent. *Si contra Episcopum fiat aditio propter quamlibet causam, apud Metropolitam ejus secundùm sacros Canones & nostras leges causa judicetur. Et si quis judicatis contradixerit, ad Archiepiscopum, seu Patriarcham Diœceseos illius causa referatur. Si verò contra Metropolitanum talis fiat aditio ab Episcopo aut Clero, aut alia quacumque persona, diœceseos illius Patriarcha simili modo causam judicet.*

*Nov. 123. c. 22. Nov. 137. c. 5.*

Quod ergo Legati summi Pontificis nihil obstitere Calchedonensi Canoni IX. & XVII. quo utroque jus præventionis in causis attribuebatur Constantinopolitano Episcopo: quod item hi Canones habentur in Collectione Dionysii Exigui & Cresconiana: veri simillimum est, id propterea factum esse, quòd his Canonibus non id tantùm, sed & indubitatissima quædam alia continerentur: unde & Hincmarus ait hos Canones quoad illa quæ innovabantur, irritos & inanes fuisse propter Leonis dissensum & repugnantiam. Lege Codicis *Sancimus* apertissimè declaratur à Patriarcharum sententia non appellari, à Metropolitanis verò appellari quidem, sed non nisi ad proprium Patriarcham. Is enim germanus est ejus legis sensus juxta textum Græcum, cujus latina versio parum castigata, in favorem Episcopi Constantinopolitani deflexa est, merâ, ut existimo, Interpretis Latini incogitantiâ.

*Opusc. 55. capitum.*

*De Episc. Aud. L. 29.*

XIX. Nec tamen inficiabor post Concilium Calchedonense, quibusdam non exigui momenti privilegiis potitos semper fuisse Præsules Constantinopolitanos, non abnuente Romano Pontifice. Sederunt illi semper ante Patriarcham Antiochenum & Alexandrinum. Conquestus est in Concilio Calchedonensi Paschasinus Papæ Legatus, quòd in Ephesina pseudosynodo quintus tantùm tributus esset locus Flaviano Constantinopolitano Archiepiscopo, cùm ei primus post sedis Apostolicæ Legatos deberetur, & ab Anatolio revera in ipso Calchedonensi Concilio obtineretur. Ita ut jam in dubium verti non possit, quin successores eundem semper retinuerint locum. *Ecce nos Deo volente dominum Anatolium primum habemus, hi quintum posuerunt beatum Flavianum.* Jure summo semper usi sunt in Exarchatibus minoribus Thraciæ, Ponti, Asiæque. Nec ægrè tulere primæ Sedis Legati, quòd Anatolius primus adversùs duos Ephesi Episcopos depositionis sententiam diceret, quam & ipsi confirmarunt. Cùm Concilii Constantinopolitani Canoni accepta referretur potestas trium horum Exarchorum, nec Canones hujus Concilii admisissent Romani Pontifices, hinc fiebat, ut de eorum vel Canonum vel Exarchorum depressione aut extinctione parum iidem curarent. Cum Leo, tum Gelasius in supralaudatis Epistolis præ se ferebant solos Nicænos Canones sacrosanctos sibi videri, in quibus altum de his tribus Exarchis silentium, etsi conjici aliquid ex iis in illorum gratiam possit: cæterùm pristinam dignitatem sartam tectamque servandam Ecclesiis esse, sed Apostolicis, nempe Alexandrinæ & Antiochenæ. Hinc rursus non ineptè conjicies, ea forsan etiam de causa Legatos Pontificios siluisse, cùm IX. & XVII. Calchedone Canones pronuntiarentur, quòd ex recepta consuetudine augurarentur, locum illis fore in tribus minoribus tantùm Exarchatibus. Denique & à similitudine veri alienum non est, in Justiniani legibus suprà memoratis Exarchos minores non haberi in Patriarcharum numero, à quibus appellari nefas, aut à quibus causas ad Constantinopolitanum Episcopum jure præventionis referre fas est.

*Act. 1. Con. Chalc.*

Quod ad majores autem Patriarchas attinet, etsi nihil jure in eos posset Constantinopolitanus, non pauca tamen in Alexandriam & Antiochenam Ecclesias Acacius ausus est. Simplicii Papæ delegatione munitus fuit, sed non tam angustis limitibus ille circumscribi se passus est. Episcopum Antiochenum consecravit, toleravit Papa, quia alendæ paci id necessarium Imperator censebat. Violari obterique Canones sæpè conquestus est Gelasius, sed has querelas aliquantò frequentiores fuisse non injuria credatur, quandiu Acacii ejusque successorum schismate scissa laboravit Orientalis Ecclesia. Joannes Jejunator de Gregorio Patriarcha Antiocheno judicium synodale instituit, quo nihil audacius post Concilii Calchedonensis tempora tentatum fuerat. Joannes enim ille Patriarcha Constantinopolitanus, qui Acaciano schismati finem imposuit, expunctis ex sacris diptychis tot tantisque nominibus anteriorum suæ Sedis Episcoporum, quòd non aliter pax Ecclesiis reddi tunc quidem posset: cùm Presbyter quidam Ecclesiæ suæ in Episcopum Antiochenum electus fuisset, constantissimè abnuit eum Constantinopoli ordinare, ne Hormisdæ Papæ mandata prætergrederetur, ut liquet ex relatione Dioscori Diaconi ad hunc ipsum Pontificem. Hic ipse tamen est Joannes Patriarcha, cui sanctitate & doctrina celeberrimus Avitus Viennensis Episcopus de reddita pace per litteras congratulatus est, & de concordia inita cum Hormisda Pontifice, cui dicto audientem se posthac fore professus erat: quo fieret ut Ecclesiasticæ unitatis & pacis amatores, ita in eos afficerentur, ut in geminos Apostolorum Principes. *Concordiam vos habere, & velut geminos Apostolorum Principes mundo vos adsignare convenit:* & velut in gemina sidera, quorum fulgore totum velut Ecclesiæ firmamentum illustraretur. *Quis Catholicus de talium ac tantarum Ecclesiarum pace non gaudeat, quas velut in cœlo positum religionis signum, pro gemino sidere mundus expectat.*

*Simpl. Epist. 15.*

*Gelas. Epist. 13.*

*Post Epist. 63. Hormisd.*

*Avitus Ep. 7.*

XX. Quanquam autem Concilio Calchedonensi Concilia, leges, & prope omnia Ecclesiæ monumenta in eo consentiant, ut Episcopo Constantinopolitano nomen tribuant Patriarchæ, & quod iis temporibus idem omnino erat, Archiepiscopi: ita ut Gregorius Magnus vir delicatissimi fastidii in ejusmodi rebus, id ei negare non potuerit, cum præter Papam Patriarchas enumerat quatuor: jus tamen illud Patriarchicum, quo potissimum in minores Diœceses tres utebatur, nonnunquam aliquantulum exagitatum & concussum est. Basiliscus sive

*L. 1. Epist. 5. 54.*

Imperator, sive potiùs Tyrannus, ut stomachum moveret Acacio, Patriarchatum Ephesinum suis antiquis finibus restituit, ut prolixiùs mox differemus, postquam de Patriarcha Hierosolymitano dixerimus. *[Evagr. l. 3. c. 6.]* In Concilio Calchedonensi & aliis deinceps habitis, tres illi Exarchi minores distincto & honorificentiore loco, & sedêre semper & subscripsere, tanquam medio quodam ordine censendi inter Patriarchas majores & Metropolitanos; denique Exarchi Diœceseon semper appellati sunt. Depulso Basilisco restitutus ut primùm est in Imperium Zeno, *[Cod. de sacros. Eccles. L. 16.]* pristina quidem omnia Patriarchæ Constantinopolitani jura redintegravit; sed generalibus tantùm verbis usus, nec nominatim declaratis urbibus, Provinciis, Diœcesibus, quæ Acacio posthac paritura erant. Ita è re sua fore judicabat Acacius, multa moliri, pauca loqui: expertus sæpissimè tum Imperatoriam potestatem, tum crebras negotiorum temporumque difficultates, ubi sua apud Principes gratia & authoritate egerent cæteri omnes Episcopi. Hinc enim subinde prorogandæ ampliandæque potestatis sibi ansas dari, quibus proclive esset à generalibus Legum Canonumque verbis authoritatem accersere.

## CAPUT XI. *P. 2. l. 1. c. 2.*

### Quæ fuerit Gregorium Papam inter & Joannem Jejunatorem de Patriarchæ Oecumenici nomine controversia.

*I. II. Patriarchæ Oecumenici nomen ab aliquibus in Concilio Calchedonensi Leoni Papæ tributum, nihil obluctante Concilio.*

*III. IV. V. Tributum est & aliis deinde Romanis Pontificibus, imò & Episcopis Constantinopolitanis, Papa non repugnante.*

*VI. Cur tunc ab eo nomine nihil valde metuendum videretur.*

*VII. Sumit id sibi nomen Joannes Jejunator Episcopus Constantinopolitanus, in eo Concilio, ubi Patriarcha Antiochenus judicium & condemnationem meditabatur. In eum statim exardescunt Pelagius II. & Gregorius Magnus.*

*VIII. IX. Res erat plena periculi, ut ibi sibi Patriarcha Oecumenici nomen eo tempore usurparet, quo universalem arrogabat sibi potestatem, quod hactenus ex antecessoribus ejus nemo fecerat.*

*X. XI. Quo sensu dixerit Gregorius oblatum Papæ à Concilio Calchedonensi Patriarchæ Universalis nomen, profanum illud esse & periculosissimum. Hujus nominis sensus duplex, ut idem sit quod Episcoporum Caput, aut Episcopus solus.*

*XII. XIII. Cur id nomen à Joanne usurpatum interpretetur Gregorius eo sensu, qui pessimus esse potest. Quàm esset ipse à fastu & ab invidia alienus.*

*XIV. Causa quinque propter quas nihil non pertimescendum in ea re, & inclementiùs id non tunc interpretandum erat.*

*XV. Mira Gregorii humilitas.*

*XVI. Servus servorum Dei primus inter Pontifices appellari voluit.*

*XVII. Jam erat Patriarchæ Oecumenici nomen Dioscoro Alexandrino adscriptum in Ephesina pseudosynodo.*

*XVIII. Non abstinuerunt se ab eo nomine post Gregorium Episcopi Constantinopolitani.*

*XIX. Qua ratione possit ex sanctorum Patrum regulis Joannis Jejunatoris sanctitatis fama conciliari cum iis quæ aculeatissimè in eum à Gregorio dicta sunt. Certant nonnunquam viri sanctissimi inter se, eodem pietatis zelo, quo Angeli quondam & Israelita.*

I. Æquum est ut in exortam Joannem Jejunatorem inter & D. Gregorium, de Oecumenici seu Universalis Patriarchæ nomine controversiam, observemus aliqua; non utique ut Gregorii factum approbemus; quæ enim vel densissimæ calumniarum nebulæ ipso nominis ejus fulgore non evanescant? verùm ut doceamus potiùs quàm varia & inexpectata fuerit splendidissimi nominis



Oecumenici Patriarchæ fortuna.

II. Perlecti sunt in Concilio Calchedonensi libelli multi supplices, Leoni Papæ oblati à Clericis Alexandrinis, ubi illum Patriarcham Oecumenicum nuncupabant. A nominis novitate non abhorruit Synodus, etsi triginta Episcoporum esset supra sexcentos. Tantum autem abest, ut illa nominis gloria invidiam Leoni conflarit, ut in Synodali ad ipsum Epistola, *Patrem* illum & *Caput* Ecclesiæ appellarint sexcenti amplius Patres, cui Christus *vineæ suæ* curam commisisset. Ex his certè libellis supplicibus inscriptis *Patriarchæ Oecumenico Leoni & Synodo Oecumenicæ*, satis liquet, quàm latè patere crederent nomen *Oecumenici*, tum Presbyteri, tum Diaconi duo Alexandrini, qui libellos ita inscripserant.

III. Hoc ergo statim sonare visum est nomen Oecumenici, superiorem quandam & generalem in omnes Ecclesiæ totius Episcopos authoritatem. Quo sensu illud ipsum Hormisdæ Papæ tribuerunt Archimandritæ secundæ Syriæ in ea relatione, quæ est scripta ad Pontificem tanquam ad fidei communionisque Catholicæ, quæ oppressa & pene extincta in Oriente tunc erat, defensorem universalem. *Universæ orbis terræ Patriarchæ Hormisdæ, supplicatio Archimandritarum vestra secunda Syria, &c. Nam caput estis omnium, &c. Vobis occurrit grex cognoscere suum Pastorem, &c.* *[Post Epist. 12. Hormisd.]* Quot ibi voces, tot argumenta authoritatis universalis per omnes Ecclesias.

IV. In Concilio Constantinopolitano sub Agapeto & Mena lectus est libellus supplex Archimandritarum Constantinopolis, Hierosolymæ & Orientis, porrectus Agapeto *Patriarchæ Oecumenico*. *[Act. 1.]* Idem ibidem nomen plerumque tribuitur Menæ Patriarchæ Constantinopolitano, verùm à Scriba. *[Act. 5. 3. 4.]* Nam ipse sibi sumit nunquam, ubi subscribit: contentus summam suam erga Apostolicam sedem observantiam profiteri: *Nos enim Apostolicam sedem sequimur, & obedimus, & ipsius communicatores, communicatores habemus: & condemnatos ab ipsa, & nos condemnamus.* *[Act. 4.]*

V. Neque verò negaverim ejusdem Synodi Sessione V. perlectam esse relationem Concilii ante annos decem & octo habiti ab Episcopis, qui tum fortè Constantinopoli erant: ubi Joannes Patriarcha Constantinopolitanus, is qui Ecclesiam Græcam cum Hormisda Papa conciliaverat, Oecumenicus plerumque appellatur. Ita illum & Monachi, & Concilii Scriba sæpè nominant. Verùm tot erant & tanta in ea conciliatione, quæ Ecclesiam Constantinopolitanam Orientalesque omnes Romanæ subjectas ostenderent: ut nec Hormisdæ, nec Agapeto, nec Vigilio ea venire in mentem suspicio potuerit, futurum aliquando, ut obtentu aut occasione tanti illius nominis, Joannes & Menas ultra positos sibi olim limites potestatem suam proferre vellent. Prudenter ergo neglecta à Pontificibus vocis novitas est; & facilè concessum Episcopis Constantinopolitanis, ut quo tempore Joannis Patriarchæ antecessores plurimi condemnabantur: & ipse, cui Menas successit, deponeretur Anthimus, eo sedis suæ dejectionem & contumeliam, inani saltem nominis grandioris specie solarentur.

VI. Neque verò obscurè apparuit ex eo Oecumenici nomine Menam nec intumuisse animo, nec impulsum esse, ut novi aliquid tentaret: cùm jussus ab Imperatore Justiniano subscribere damnationi trium Capitulorum, non antè subscripsit, quàm juratum ei fuisset, redditum iri chirographum ei suum, si has subscriptiones improbasset Romanus

Pontifex. Hæc ita tradit Facundus Hermianensis
L. 4. c. 4. Episcopus: *De quibus se nihil acturum sine Apostolica sede promiseras, &c. sub ea se conditione cessisse, & juratum sibi fuisse respondit, quod chirographum suum reciperet, si hæc Romanus Episcopus non probaret.*

Nec cæteri quidem Patriarchæ splendoris inde aliquid aut potestatis accessisse Patriarchæ Constantinopolitano putarunt; cùm eadem ipsa in re Zoilus Episcopus Alexandrinus apud Papam subscriptionem per illatam sibi vim factam excusarit: *cæterique Episcopi post subscriptionem Stephano Romano Diacono libellos dederint sedi Apostolicæ transmittendos, confitentes in eis, quod à Constantinopolitano Episcopo coacti subscriberent.*

VII. Ubi verò coacto Constantinopoli Concilio Joannes Jejunator de causa Gregorii Patriarchæ Antiocheni judicium sibi sumsit; tunc assumptum ab eo Oecumenici nomen, & Pelagio II. & Pelagii successori Gregorio, justam suspicandi causam præbuit: eoque Pontifices impulit, ut quæ inde mala nasci poterant, pro virili sua prævertere conarentur. Jam enim tanti nominis splendor non ut antea dejectis erat solatio; sed præsidii instar habebat, quo communiretur recens usurpata potestas supra Patriarchas cæteros adversus primariæ Sedis authoritatem. Quod Joannes coëgerat Concilium, id inter Generalia numerandum erat, cùm judicium ibi de Patriarchæ causa ferendum esset. Concilium autem generale sine authoritate Pontificis, nec convocari debuit, nec haberi. Nec sine primæ ejusdem Sedis assensu vel damnari Patriarcha poterat, vel absolvi. Quæ enim ad universalis Ecclesiæ dispositionem pertinent causæ, non possunt eæ sine capitis interventione finiri. Non poterat Patriarcha Constantinopolitanus extra Patriarchatum juris sibi quidquam arrogare: multò minùs in eum Patriarcham, cujus erat sine controversia & justior & antiquior potestas. Cùm ergo vir ambitionis œstro percitus, studiosè sibi nomen indueret, quod universalem in totam Ecclesiam potestatem innuebat, & ea ipsa tunc in Patriarcham Antiochenum uteretur potestate, nonne tunc justæ erant suspicandi causæ, illam ambiri ab eo authoritatem, qua supra Patriarchas cæteros cæterasque Ecclesiæ Sedes veheretur?

VIII. Integrum ergo jam nec Pelagio erat, nec Gregorio, ea uti indulgentia, qua usi aliquando fuerant Hormisda & Vigilius, ubi per ipsos & Joanni & Menæ licuit Oecumenici uti, vel aliis Patriarchæ nomine. Tunc enim damnatione Patriarcharum omnium Constantinopolitanorum & Anthimi depositione depressa jacebat Constantinopolitanæ sedis dignitas: nunc Joannes Jejunator Patriarcharum aliorum judicem agebat. Tunc fruebatur legitima & agnata sibi auctoritate Sedes primaria, cui Oriens Occidensque, & ipse Constantinopolitanus subjiciebatur Episcopus: nunc novam iste in Patriarcham alterum potestatem usurpabat. Tunc de consensu Papæ convocatum erat Concilium, & quæ controversia ad omnes pertinebat Ecclesias, de consensu maximarum quarumque Sedium finiebatur: nunc Patriarcha Constantinopolitanus solus generale Concilium congregabat, ei præerat, ibi finiebat causam, quæ nonnisi interveniente Ecclesia universali, aut ejus certè capite poterat terminari.

IX. Meritissimò ergo ex his Pelagii II. efferbuit ira & indignatio, ut acta irritaret omnia Concilii hujus Constantinopolitani, excepta absolutione Gregorii Episcopi Antiocheni, decerneretque, ne qua istiusmodi haberentur Concilia, nisi suffragante prima Sede: *Delatum est ad Apostolicam sedem Joannem* Epist. 8. Pelag. II. *Constantinopolitanum Episcopum universalem se scribere, & Synodum convocare generalem, cùm generalium Synodorum convocandi auctoritas, Apostolicæ sedi beati Petri singulari privilegio sit tradita; & nulla unquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulta.* Itemque ut decerneret, ne quis se Episcopus universalem scriberet, neu se hac nominis superbia supra cæteros omnes efferret Episcopos, cùm ea sit Christi prærogativa, & ejus quem sibi Christus in terris Vicarium adoptavit, capitique Ecclesiæ universalis conspicabile: *Qui jejuniis occupatus videbatur, jactantiam tantam sumpsit, ita ut universa sibi tentet adscribere, & omnia quæ soli uni Capiti cohærent, videlicet Christo per elationem pompatici sermonis, ejusdem Christi sibi studeat membra subjungare.* Et paulò inferiùs: *Orate ne Romana Sedes, quæ instituente Domino Caput est omnium Ecclesiarum, privilegiis suis unquam careat, aut expolietur.*

X. Gregorius Magnus in iis quas ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum & Anastasium Antiochenum scripsit epistolis, observat Joannem nomen *Universalis* non solùm oblatum accepisse ab aliis, quod ex ejus prædecessoribus aliqui fecerant: sed & ipsum sibi illud sumpsisse, quod nec ejus majores, nec Patriarchæ alii fecerant hactenus, nec Pontifex Romanus ullus: *Ex alia causa occasionem quærens* L. 4. Ep. 36. *Synodum fecit, in qua se Universalem appellare conatus est.* Addit prætereà potestatem hujus nominis factam fuisse Leoni Papæ à Concilio Calchedonensi; sed nec ipsum, nec quemquam ex posterioribus Pontificibus ea nominis gloria delectatum esse, cùm vendicari non posset alicui uni Episcopatus Oecumenici nomen, nisi discinctis & exauctoratis cæteris Episcopis omnibus: *Uni per sanctam Calchedonensem Synodum Pontifici Sedis Apostolicæ hoc universitatis nomen oblatum est. Sed nullus unquam decessorum meorum hoc tam profano vocabulo uti consensit. Quia videlicet si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.*

XI. Verùm si nomen id à Concilio Calchedonensi oblatum Leoni est, ut quid vir sanctissimus doctissimusque Gregorius *profanum* illud dicit? Ut quid addit, si universalis unus dicatur aliquis, fore ut Patriarchæ cæteri suo exuantur jure & imperio? An Leoni Synodus Calchedonensis cum tanta aliorum Patriarcharum injuria profanum nomen potuit offerre? Hæc nobis nunc occurrit & enodanda difficultas, & illustranda. Silentio saltem suo approbavit Calchedonensis Synodus, oblatum Leoni in supplicibus complusculis libellis Oecumenici Patriarchæ nomen. Ita non temerè dictum est à Gregorio, id nominis oblatum Leoni esse à Synodo, quæ illud offerentibus non intercessit, quæ silentio suo favit, & consensit. Hæc verò in libellis usurpata vox, nihil prophanum præ se ferebat, aut quo offendi possent cæteri Patriarchæ. Offerebatur etiam Leoni non tanquam Patriarchæ, sed tanquam Papæ & universalis Ecclesiæ Capiti. Nam etsi expressè diceretur Patriarcha Oecumenicus, ita sumi tamen debet res tota, ut aut *Oecumenici* vox genericum Patriarchæ nomen, tanquam differentia determinet & coarctet: aut potiùs ita ut Patriarchæ nomen quod ea primum in Synodo cœpit esse in usu, Papæ antè sit attributum, quàm majoribus Archiepiscopis aliis: Papæ inquam, ut Papa est, & Ecclesiæ caput. Eo sensu unus est & universalis, unus nimirum Christi in terris Vica-

rius, & unus Ecclesiæ universæ caput.

In eum modum illa vox nihil obstrepit cæterorum Patriarcharum amplitudini. Neque enim Papa, quà Patriarcha est, Occumenicus dicitur, sed in Occidente solo jus Patriarchicum obtinet exercetque; perinde ut suum cæteri plenissimum in Oriente. Potuit ergo in Synodo Calchedonensi jure dici Papa, quà Papa, Universalis, aut Oecumenicus: non potuit Patriarcha Constantinopolitanus, non potuit Papa ipse quà Patriarcha Occidentis, nisi conculcatis & eversis penitus cæteris Patriarchis. Quemadmodum idcirco universalis Ecclesia est Catholica & Oecumenica, quia sola & unica est in toto orbe terrarum: & generale Concilium & Oecumenicum, quia unicum est, totamque amplectitur Ecclesię auctoritatem, ubi in Pastoribus suis congregatæ. Ut Papa, Universalis est & Oecumenicus, quia unicum ipse est Ecclesiæ universalis caput; ita Patriarcha Constantinopolitanus dici posset Oecumenicus, si solus esset totius Ecclesiæ Patriarcha. Permira ergo erat Gregorii sapientia & sagacitas, ut qui animo provideret, eò tendere Episcopi Constantinopolitani conatus omnes, ut constitutum à Christo ordinem everteret; ac Petri loco quem Christus omnipotentissima vi gratiæ suæ caput Ecclesiæ dederat, conturatusque erat adversùs Imperatorum Romanorum diuturnas acerbissimasque infestationes; Ecclesiæ caput alterum daret, regia dumtaxat potestate, & ambitiosorum hominum vanissimis cupiditatibus subnixum.

XII. Videtur etiam ultrà progredi Gregorius, & illud præterea contendere, nova illa Joannis ambitione, non solùm Patriarchas omnes, sed & omnes orbis Episcopos suis exturbari Sedibus, honoribus spoliari. *Ibidem.* *Si hoc dici libenter permittitur, honor Patriarcharum omnium negatur. Et cum fortasse is in errore perit, qui universalis dicitur, nullus jam Episcopus remansisse in statu veritatis invenitur.* Et in alia epistola: *L. 4. Ep 38* *Nullus Apostolica sedis Antistitum hoc temerarium nomen arripuit, ne si sibi in Pontificatûs gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur.* Et alibi rursum: *L. 6. Ep. 24* *Si unus Episcopus vocatur universalis, universa Ecclesia corruit:* Ubi verò rescribit Eulogio Alexandrino, qui ei nomen appinxerat universalis Papæ, illud præ se fert Gregorius, ne sibi quidem id nominis aptari posse, quin dejiciantur proterantur que cæteri omnes orbis Episcopi. *L. 7. Ep. 30.* *Vobis subtrahitur, quod alteri plus quàm ratio exigit prabetur. Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus. nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est, fratrum meorum solidus vigor. Tunc ergo verè honoratus sum, cùm singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim universalem me Papam vestra sanctitas dicis, negat se hoc esse, quod me fatetur universum.*

XIII. Quæ posteriora Gregorii verba apertum faciunt, excitatum tunc fuisse illum, non vendicandæ suæ, deprimendæque alienæ dignitatis fœda quadam & insana cupiditate: sed zelo & amore defæcatissimo modestiæ, humilitatis, & charitatis maximè ejus, qua conflagrare debet semper Collegium Episcopale. Ambitiosum Universalis nomen nec ab ullo patiebatur arripi Episcopo, nec ipse sibi, quamvis sine ambitione posset, arripiebat. Volebat scilicet, ut honorem Episcopi suum non in strepitu pompaque nominum, sed in morum sanctimonia modestiaque collocarent: nec honori sibi quisquam, duceret fore, quod Coëpiscopis dehonestamento esset. Se enim, qui longe supra alios esset, eo potissimum honore delectari, quo fieret ut ne debitus aliis honor aut negetur, aut minuatur. Nec solùm non sumebat ipse, sed nec ascribi patiebatur sibi à quoquam nomen Universalis: ne unde cresceret ipse, inde fratres decrescerent; & quantum sibi superfunderetur honoris, tantum aliis demeretur.

XIV. Ecquis enim dubium esse potest, quin ea vox Episcopus, Papa; Patriarcha *Universalis* in eum sensum flecti possit, ut exclusis aliis unicus sit Episcopus, & solus? quemadmodum universalis Ecclesia & universale Concilium cum dicitur, aliæ Ecclesiæ aliaque præterea Concilia esse simul posse negantur. Potuit ergo debuitque Gregorius in ambitiosam hanc significationem rapere nomen Universalis, cùm illud usurpare Episcopus Constantinopolitanus inciperet: 1. ut ne res nova & invidiosa impune invalesceret, utque inde eruptura aliquando mala anteverterentur. Id verò perfici non poterat nisi insidiosus & pravus nominis sensus detegeretur, & quæ inde fraudes cladesque emergere possent, palam fieret. 2. Quia qui primus id molitus est, jus sibi universale in omnes, quod certè suum non erat, reapse usurpabat, ut & vocaret Concilium, & inscio Papa, nec vocatis Patriarchis cæteris de Antiocheno Patriarcha solus judicaret. Non alienum ergo erat à ratione, ut existimaret Gregorius cum ambitioso nomine consentire usurpationem potestatis; alterum prodire ex altero: nec minùs in animo & nomine, quàm in opere esse cupiditatis. 3. Quia Joannes iisdem insistebat vestigiis, quibus ejus olim antecessores, in Concilio Constantinopolitano & Calchedonensi, supra cæteros Patriarchas efferre se machinati erant, & usurpata semel jura regiæ auctoritatis parrocinio deinceps sibi adseruerant. Nam etsi negasse Leoni videatur Anatolius, suo consilio & impulsu novarum quidquam fuisse in Concilio Calchedonensi, & ei se, quæ sibi attributa fuerat, potestati renuntiare: ita tamen ea de re loquitur Liberatus: *Et licèt Apostica sedes nunc usque contradicat quod à Synodo firmatum est, Imperatorio patrocinio permanet quodammodo.* *In Breviario cap. 13.* Æquum erat profectò, ut cùm Joannes Jejunator in promovendis antecessorum conatibus & consiliis totus erat, Pelagius & Gregorius Leonem Magnum imitarentur, eique obnitterentur novitati, quæ & Ecclesiæ unitati minaretur exitium, & humilitatem everteret unitatis conservatricem: juxta illud ejusdem Gregorii ad Eulogium Episcopum Alexandrinum: *Hoc ab unitate atque humilitate Ecclesia malum superbia & confusionis amoveat Deus. Obtestor, ut constanter ac sine prajudicio servetis, sicut accepistis Ecclesias.* *L. 4. Ep 36.* 4. Neque enim ignorabat Gregorius, quot & quantas, fovente Principum potestate, excitassent in Ecclesia tempestates Episcopi Constantinopolitani, novorum in dies errorum vel auctores ipsi, vel Patroni. Liquet id ejus Epistolâ ad Anastasium Episcopum Antiochenum: *Scitis quanti non solùm haretici, sed etiam haresiarcha de Constantinopolitana Ecclesia sint egressi.* *L. 6. Ep. 24.* 5. Quàm prudenter fecerit Gregorius, rei probavit eventus. Nam paulò post ejus obitum commotus aliunde in Cyriacum Episcopum Constantinopolitanum Phocas Imperator, quòd & se Oecumenicum diceret, & primum in Ecclesia locum sibi apertè vendicaret, in ordinem illum redegit, & solemni decreto primatum Romanæ Sedis asseruit. *Bonifacius III. Papa obtinuit apud Phocam Principem, ut Sedes Apostolica B. Petri Apostoli Caput esset omnium Ecclesiarum, id est Ecclesia Romana; quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat.* *Paul. Diac. L. 4. de gest. Longob. Anast. Bibl. Ado ann. 604.* Hic stetit

fracta tunc temporis Epiſcopi Conſtantinopolitani ſuperbia, objećto divinitus obice. Sequentibus verò deinde ſæculis ulteriùs audaciúſque progreſſa, effracto unitatis Eccleſiaſticæ vinculo, oſtendit, quàm non injuriâ ab illo œcumenicæ appellationis monſtro iſta calamitas eruptura præſagiretur.

XV. Dum primæ Sedis gloriam & majeſtatem temperaret & quodam ſobrietatis modo conſtringeret Gregorius, non minùs in eo refulſit illa quæ maximum Eccleſiæ Paſtorem maximè decet, humilis magnitudo animi, aut magnanima humilitas: quàm ubi inferiores Eccleſias juſſit intra modeſtiæ limites cohiberi. Tantum autem abeſt, ut Epiſcopum univerſalem ſeſe diceret, ut nec Petrum ipſum, nec ejus ſucceſſores putaret aliud eſſe, quàm prima membra univerſalis Eccleſiæ, qualia ſunt Apoſtoli cæteri, Apoſtolorumque ſucceſſores Epiſcopi ſingularum Eccleſiarum. *L. 4. Ep 18* *Certè Petrus Apoſtolus primum membrum ſanctæ & univerſalis Eccleſiæ eſt. Paulus, Andreas, Joannes quid aliud quàm ſingularum ſunt plebium Capita? & tamen ſub uno capite omnes membra ſunt Eccleſiæ.*

*L. 2. c. 3.* XVI. Narrat Joannes Diaconus in Gregorii vita, primò illum cœpiſſe Servum ſervorum Dei in Epiſtolis ſuis ſe præfari, ut hanc etiam in ſucceſſores transfunderet hæreditatem verè Apoſtolicæ humilitatis, quæ ſola ſupereſt ratio creſcendi & aſſurgendi Pontificibus maximæ & celſiſſimæ Sedis; & contundendi cæterorum omnium intemperantiam, qui refugiunt intra modum & exemplum ejus ſe continere, quem prima in Sede Eccleſiæ Chriſtus locavit. *L. 4. c. 58.* *Univerſalis vocabulum refutavit, & primus omnium ſe in principio Epiſtolarum ſuarum Servum ſervorum Dei ſcribi ſatis humiliter definivit; cunctiſque ſuis ſucceſſoribus documentum ſuæ humilitatis hæreditarium reliquit.* Hoc nempe perſuaſum habebat, perſuſumque omnibus volebat maximus ſimul & humillimus Pontifex, veram Epiſcopi magnitudinem totam eſſe in humilitate poſitam: nec aliud Epiſcopatum eſſe, quàm divinam quandam ſervitutem: qua eorum ſervi Epiſcopi fierent, quorum viderentur eſſe domini. *Ego qui per Epiſcopatûs onera ſervus ſum omnium factus.* Neque verò diffiteor, Auguſtinum quoque quibuſdam in Epiſtolis ſcripſiſſe ſe ſervum ſervorum Dei ante Gregorium; poſtea autem Galliarum Epiſcopos aliquot, Bonifacium Moguntinum, alioſque complures idem feciſſe. At hæc nihil obſtant, quin verè dixerit Joannes Diaconus hæreditarium nomen à Gregorio in Romanus deinceps Præſules devolutum eſſe; hanc quippe eſſe primæ Sedis ſummam gloriam, quæ ſola humilitate exaltari poteſt, ut ſola humilitate exaltatus eſt Princeps Paſtorum Chriſtus. *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.*

XVII. Fateor etiam primum omnium in ſecunda Synodo Epheſina Dioſcorum Epiſcopum Alexandrinum ab Olympio Evazorum Epiſcopo Patriarcham Oecumenicum appellatum eſſe; perlectamque fuiſſe hanc pſeudoſynodum in Concilio Calchedonenſi, & nec vel tunc ſuperbum id nomen rejectum eſſe. Verùm præter quàm quod ſemel hoc tantùm ſubjecit Olympius, ut præter volare & fallere facilè potuerit audientes vocula nova: ut Synodus Epheſina II. gloriæ illis fuit, quos ignominia, aut martyrio affecit: ita dedecori iis fuit, quos ordinavit. Nec dici poteſt ei voci dum relegeretur, non contradixiſſe Calchedonenſem Synodum: quæ & pſeudoſynodum totam, & infamem Dioſcori ambitum, & ipſum etiam damnavit Dioſcorum, qui præſidebat Synodo, ut ſperabat, generali. Qua ex præſidendi dignitate videri poteſt etiam occaſionem arripuiſſe univerſalis Patriarchatûs ſibi uſurpandi. Non inſcitè enim conjicitur Oecumenici nomen attributum ei fuiſſe ut Præſidi Synodi quæ Generalem ſe jactabat, & ei Patriarchæ, cui jus eſſet in alios Patriarchas: velut hic Dioſcorus in depoſitionem Flaviani Patriarchæ Conſtantinopolitani incumbebat. En verba Olympii Epiſcopi Evazorum: *Præſente Univerſali Concilio, cui Præſul eſt & primus, ſanctiſſimus Pater noſter & Univerſalis Epiſcopus Dioſcorus.* *Act 1. Conc. Calch X.* Hinc ergo etiam emicat in hac ipſa hujus nominis Dioſcoro aſcripti abuſione, eo ſignificatum eſſe Epiſcopum verè univerſalem, qui jure ſuo Synodis Oecumenicis præſideret, & de deponendis Patriarchis judicium ſibi vendicaret: quo Pelagius & Gregorius ſenſu nomen iſtud induerunt. Tam ergo à vero abhorret, non improbatam eſſe à Concilio Calchedonenſi vocis hujus attributionem, quando Dioſcoro adſcripta eſt: quàm non eſſe ab eodem damnatum latrocinium Epheſinum, reſciſſumque quidquid ibi per ſummum nefas tentatum fuerat; & nefandam in primis Dioſcori machinationem, qui hac denique inſolentiſſima audacia impietatem ſuam cumulavit, ut in ipſum Romanum Pontificem excommunicationis ſententiam vibraret. Uſque adeo ſibi videbatur Imperatoris patrocinio univerſalis Epiſcopus evaſiſſe. Contrà verò tributum id nomen Leoni eſt in Concilio Oecumenicorum verè Conciliorum numeroſiſſimo & auguſtiſſimo, in libellis ſupplicibus quatuor, quos & ipſa legit Martianus, & legendos remiſit Concilio; Synodo tota non modò non contradicente, ſed unanimi conſenſu approbante: approbante inquam non nudum & inane nomen, ſed ſummam poteſtatem, quæ hoc nomine ſignificabatur, quæque tunc ſplendidiſſimè exercebatur à Leone: ut nimirum eſſet & Concilii Oecumenici proprius Præſes, ſuæ Sedis jure, & judex cauſarum Patriarchalium, & Eccleſiæ caput univerſalis.

XVIII. Scutio non temperaſſe ſibi ab eo nomine ſequentibus ſæculis Epiſcopos Conſtantinopolitanos. Eo ſane non abſtinuit Sergius in iis quæ lecta ſunt in Romano Concilio ſub Martino Papa. Verùm ejuſmodi uſurpationes Concilio VI. generali quodammodo reprobatæ fuiſſe videntur. *Act. 18.* Legati enim Papæ ter in ſubſcriptionibus Papam vocant Oecumenicum. *Act. 15.* Gregorius verò ſimpliciter ſe ſcribit Epiſcopum Conſtantinopolis novæ Romæ. Quod & in ſubſcriptionibus obſervare eſt orationis ad Imperatorem habitæ.

XIX. Porro ſi ea fuit Joannis Jejunatoris vitæ ſanctitas, quam Græci commendant Hiſtorici, non eſt tamen quod quemquam moveat Gregorii adverſùs illum excandeſcentia. Factum enim hoc ejus unum, non perſonam, non reliquam vitam vehementiùs inſectatus eſt. Nemo neſcit præclariſſima ſanctimonia & innocentia homines, homines tamen fuiſſe; inſtar ſyderum, inſtar Solis etiam effulſiſſe: ſed & nonnullis ipſos maculis, nonnullis quandoque defectionibus obſcuratos fuiſſe. Si ultra quàm fas erat in aſſerendis & promovendis Sedis ſuæ juribus progreſſus eſt Joannes, fortè non tam rei ſuæ ſtudio fecit, quàm Eccleſiæ. Nec proſpiciebat animo, quò olim audaciæ venturi eſſent, quos habiturus erat dignitatis magis ſuæ ſucceſſores & hæredes, quàm virtutis. Si ipſam pietatis famam laceſſivit Gregorius, ut quam fucatam perſonatamque exiſtimaret, non alio quàm modeſtiæ

& humilitatis amore stimulatus fecit; in ea invectus, quæ viri cujuscumque & superbiæ maximè speciem præ se ferrent. Invehi paulò vehementiùs illum in Joannem, & æquum erat, & necessarium. Impeti enim & labefactari par erat, non facta tantùm ejus, sed consilia; & furtivam spem, non præsentem tantùm, sed futuram: nec ejus tantùm, sed & successorum ejus, quorum consilia in Ecclesiæ Orientalis perniciem sese tandem explicuere. Viris etiam sanctissimis sua invicem consilia inexplorata inviaque sunt, inaccessi mentium sinus. Hinc inter eos quandoque lites ebulliunt & pugnæ, ubi non aliud quàm virtutes aliæ aliis collidi videntur, quæ tamen adeo non vel maculantur innocuo hoc certamine, vel debilitantur: ut incrementum etiam vel puritatis consequantur non mediocre, vel fortitudinis. In his sane ultro citroque non homines, sed hominum vitia impugnantur; & ubi adversùs vitia immerentibus aspersa certatur, non certatur tamen nisi contra vitia. Istiusmodi nimirum jurgia & pia certamina sunt, quibus inter se apud Danielem Angeli sancti conflictabantur, quibus eadem Scriptura teste Israëlitæ alii aliis pene commissi sunt, cùm hinc & inde par pietatis & religionis amor æstuaret. *Vides igitur quod pro eadem religione, qua rectè colitur Deus, non solùm dissentire à se invicem, verùm etiam laudabiliter pugnare adversùm se religiosi ac rectissimi possunt, dum eos non ratio divini cultûs, sed alterius alterum latet intentio.* Hæc Facundus ad Justinianum Imperatorem. Addit Prophetas fuisse inter Israëlitas, qui adversùs Tribum Gad prælium mire parari essent, propterea quod violatam in eo concussamque religionem suspicabantur, quod ex adverso æternum religionis monumentum futurum erat. Addit denique in investigandis hominum arcanis consiliis non ulterius progredi aut introspicere teneri Episcopos, quàm Prophetas. Denique Concilium Ephesinum primum ex una parte, ex alia Antiochenum cum decem Provinciis magna animorum contentione olim decertasse, cùm pari utrimque erroris odio, pari veritatis amore æstuarent omnes; sed pati suæ invicem mentis, in qua latere putarent errorem, ignorantia deluderentur: *Quære intentionem & invenies utramque partem pro divino cultu fuisse sollicitam. Quære ignorantiam, & neutram invenies, quæ ad divinum cultum pertineat, sed alteram partem alterius intentionem ignorasse.*

Facun. l. 7. c. 6.

---

## CAPUT XII. *P. 1. l. 1. c. 7.*

### De Patriarcha Hierosolymitano, per eadem quinque priora Ecclesiæ sæcula.

*I. Prærogativa Ecclesiæ Hierosolymitanæ.*

*II. Ea orbata est, ubi eversa est civitas Hierosolymitana ab Adriano, à quo non procul extructa est Ælia.*

*III. Temporibus demum Constantini in Hierosolymam revixit eandem, qua quondam floruerat.*

*IV. Habebatur etiam Ælia & locis sanctis honos maximus, etiam ante tempora Constantini.*

*V. Consessus & sedis honorem illi concessit Synodus Nicæna, nec tamen ejus Episcopum subduxit potestati Metropolitæ Cæsariensis.*

*VI. Non is tamen merus erat honor Protothroni, sive primi Suffraganei.*

*VII. Ea sedendi prærogativa recaluit cupido Sedis Apostolicæ, ut quondam.*

*VIII. Juvenali Episcopo Hierosolymitano opportuna aspirare visa sunt tempora Ephesina primæ Synodi ad fundamenta Patriarchatûs sui jacienda, truncato Patriarchatu Antiocheno. Resistit et Cyrillus.*

*IX. Causam suam munivit Juvenalis Rescriptis Theodosii Junioris.*

*X. Convenit tandem ei cum Patriarcha Antiocheno, cui rentem confirmat Chalcedonensis Synodus, eique Palæstinæ tres attribuuntur.*

*XI. Cur minùs repugnarit Papa, qui similiter grassanti Episcopo Constantinopolitano tam fortiter renitebatur.*

*XII. Hierosolymitani Patriarchatûs confirmatio.*

*XIII. Novo illi in quinta Synodo generali firmamenta & augmenta potestatis.*

*XIV. Quid sentiendum de Rescriptis Imperatoriis, de quibus suprà.*

*XV. Et de conatibus Patriarcharum ad juris sui amplificationem.*

I. Cum in Concilio demum Calchedonensi constitutus fuerit Patriarchatus Hierosolymitanus, perinde ac Constantinopolitanus, quintaque hæc sit & postrema Patriarchalis Sedes: ei illustrandæ statim incumbemus, etsi ad ea deveneramus quæ invitarent nos, ut de tribus Exarchis minoribus verba faceremus, quos tandem absorbuit Constantinopolitana Sedes.

Ac primò quidem non potest non videri permirum, qui factum sit, ut inter Patriarchales Sedes extremum locum nacta sit Hierosolymitana Ecclesia, cùm tam verè, quàm reverenter ad Hormisdam Papam scripserit Justinus Imperator eam esse matrem Christiani nominis, ut nemo ausit ab illa sese alienare. *Hierosolymitana Ecclesia omnes favent, cùm sit mater Christiani nominis, ut nemo audeat ab ea sese discernere.* Et cùm non minùs verè ab Epiphanio dictum sit, Jacobum Apostolum ejus urbis primum fuisse Episcopum, cùm suam ipsius Sedem Christus ei commendasset. *Primus ille Episcopalem cathedram cepit, cùm ei ante cæteros omnes suum in terris thronum Dominus tradidisset:* ᾧ πεπίστευκε κύριος τὸν θρόνον αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς πρώτῳ.

Post Epist. 74 Hormisd.

Hæresi 78 c. 7.

II. Mirari autem desines, si perpendas non eundem Hierosolymæ eversæ statum locumque esse potuisse, ac stantis. Diruta quippe cùm à Romanis fuisset, nec nisi aliquantis post annis extructa & nominata Ælia ab Ælio Adriano Imperatore loco non eodem, quamvis vicino; posthac non eadem urbs videri potuit cum Hierosolyma, nec idem Episcopatus. Nicæna Synodus ejus loci Episcopum non alio indigitat nomine, quàm Episcopi Æliæ. Hilarius, Athanasius, Gregorius Nazianzenus negant sua ætate superfuisse Hierosolymam. Spei suæ & votis nonnihil assentabatur Hieronymus, cum eandem volebat esse ac Hierosolymam, quasi eodem loco & ex veteris Hierosolymæ ruderibus restaurata fuisset. Propiùs abest à vero alibi, cum hunc Episcopatum *Æliam territorium vocat*; cum non sine joco dicit Joannem ejus urbis Episcopum Apostolicam suam cathedram venditare: *Apostolicam Cathedram habere se jactans*: cum denique affirmat Episcopum Hierosolymitanum subesse Metropolitæ Cæsariensi; & Exarcho Antiocheno: *Palæstinæ Metropolis Cæsarea: Orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæsariensem Episcopum referre debueras, aut ad Antiochenum.*

In Epitaph. Paulæ.

Epist. ad Theoph. con. error. Ioan. Hierosol.

Epist. ad Pammac. con. errores Ioan. Hierosol.

III. Enimvero Æliensibus Episcopis non antè venit in mentem, ut Æliam Apostolica sede decorari vellent, quàm magnificentissima ibi templa Constantinus & Helena Christo construxissent. Tunc sanè hominum æstimatione & voluntate Hierosolyma hæc fuit rursus quasi rediviva, & ex suis ipsa cineribus excitata. Auctor est Eusebius, Constantinum Imperatorem excitandis his & dedicandis Christo templis, novam quasi Hierosolymam excitasse, ex adverso illius veteris, quæ Christo mortem, sibi exitium consciverat. *In ipso Servatoris nostri martyrio fabricata est nova Jerusalem, ex adverso veteris*

L. 3. de vita Constant. c. 33.

*illius celeberrima, quæ post nefariam Domini cædem, ultimam vastitatem experta est.* Eodem sensu idem Eusebius capiendus, cum ait servatam ibidem fuisse Apostolicam sedem. Hist. l. 7. c. ult. *Hermon Apostolicam Cathedram quæ illic etiamnunc servatur, obtinuit.* Hæc dicta sunt ex usu loquendi novato post Constantini tempora, & convenienter iis quæ sibi deberi contendebant novæ Hierosolymæ Episcopi. Verùm post tam diuturnum naufragium, vix tandem illi centum viginti pòst annis in Concilio Calchedonensi ad Patriarchatûs privilegia protrudere se potuerunt. Quod verò ad Christi thronum pertinet, quo Epiphanius aiebat Jacobum à Christo jussum esse sedere: respondet scitissimè Petrus Damiani, Christum non unius seorsim, sed Ecclesiarum omnium Episcopum esse: atque ita Primatum Patriarchatum nonnisi à Petri Primatu proficisci. Opusc. 33. c. 4. *Constat Dominum Salvatorem non uni cuilibet cathedræ speciali jure præesse, sed cunctis unum Pastorem universaliter præsidere. Liquet ergo Ecclesiarum ordinem esse dispositum juxta privilegium Petri, non secundum incomparabilem excellentiam majestatis.* Adde non potuisse Christum, qui tam luculentè evertendam esse funditus Hierosolymam præmonuerat, Ecclesiæ suæ principem Sedem ibi figere: si vel maximè mentem advertamus ad æterna Dei tremendaque consilia, quibus statum illi & certum erat, Judæos abjicere, à quibus toties abjectus fuerat, & Ecclesiæ suæ imperium in Gentes propagare.

IV. Quanquam de his ambigere nemo jure possit, indubium tamen est, tribus quatuorve primis sæculis apud Fideles, Scriptoresque Ecclesiasticos summo in honore fuisse dignitatem sanctitatemque Hierosolymitanæ Ecclesiæ. Clemens Alexandrinus apud Eusebium ait, Petrum, Jacobum & Joannem de Principatu non contendisse, sed Jacobo omnes Episcopatum Hierosolymorum concessisse. Euseb. l. 2. c. 1. *Quamvis ipsos Dominus cæteris prætulisset, non idcirco de primo honoris gradu inter se contendisse, sed Jacobum cognomine Justum Hierosolymorum Episcopum elegisse.* Tradit Eusebius post Jacobi mortem coisse Apostolos, ut ferebatur, & in ejus locum subrogasse Simeonem, carnis propinquitate Christo conjunctum; ab eversa per Hadrianum Hierosolyma Episcopos sedisse quindecim, de Circumcisione omnes, alios deinde assumptos de Gentibus; Concilio de Paschate in Palæstina habito, sub Victore Papa, Cæsariensem & Hierosolymitanum Episcopos præfuisse. In ordinatione Origenis, Cæsariensis Episcopi nomen Hierosolymitano præponitur: contrà autem in Concilio Antiocheno adversùs Paulum Samosatenum: sic enim habet Eusebius: *Hymenæus, qui Ecclesiam Hierosolymitanam regebat, & Theotecnus qui Cæsariensem illi finitimam administrabat.* Seriem perpetuam Episcoporum Hierosolymæ eadem diligentia litteris mandavit Eusebius, qua & cæterarum Apostolicarum sedium. Et quamvis è re sua esset, quippe qui Metropolin Cæsariensem regeret, ut muniret & obfirmaret se adversùs crescentem sui suffraganei potestatem: non solùm Hierosolymam ut vidimus sedem Apostolicam nominat: sed & cùm enarrasset templorum à Constantino & Helena extructorum magnificentiam, novamque ex adverso veteris excitatam Hierosolymam, addit, hanc forsan esse Hierosolymam novam, quam Prophetæ in cœlum laudibus extulerant. *Atque hæc forsitan fuerit recens illa ac nova Hierusalem, Prophetarum vaticiniis prædicata.*

L. 3. c. 11.
L. 4. c. 5.
L. 5. c. 22. 25
L. 6. c. 8
L. 7. c. 28.
De vita Const. l. 3. c. 33.

V. Si in his ad Constantini voluntatem se calamumque suum conformabat Eusebius, credere par est ad eandem se accommodasse universas Ecclesias. Refert Sozomenus universo ex orbe fideles convenisse Hierosolymam, ut conditarum ibi à Constantino Ecclesiarum dedicationem octo diebus, cum piè, tum splendidè celebrarent. L. 2. c. 25. Non potuit Nicæna quidem Synodus non augere novam hanc Hierosolymam novo dignitatis & honoris splendore; intacto tamen id fecit Metropolitico Cæsariensis in eam Episcopi jure, cui paruerat jam inde cum diruta est à Tito Hierosolyma vetus, Episcopalisque cathedra à circumcisis ad incircumcisos Præsules devenit. Simillimum enim veri est, Judaïzantis illius Ecclesiæ Episcopos primos quindecim, circumpositis Ecclesiis omnibus imperitasse: at excisa Hierosolyma Æliæ Episcopum sub Cæsariensi fuisse Metropolita, cum aliqua sin minùs juris, certè honoris prærogativa, quam sponte concederent Episcopi ejus urbis Præsuli, ad quam toto ex orbe convolabant fideles, adoranda Servatoris vestigia exosculaturi. Id satis apertè innuit Canon VII. Nicæni Concilii: *Quia consuetudo obtinuit, & antiqua traditio, ut Æliæ Episcopus honoretur, habeat consequentiam honoris, salva Metropoli propria dignitate.*

VI. Quia ergo opinione magis quàm re vetus hæc erat Hierosolyma: idcirco veterum Episcoporum illi tantùm concessus honos, non jurisdictio. Ea fuit quorundam opinio, laudato Canone Protothroni dignitate tantùm illum fuisse donatum, id est primi inter Episcopos Provinciæ Suffraganei. Verùm parum id consentit cum amplitudine Sedis Apostolicæ, quam & ipse præsumebat ipse, & non pauci alii ei affingebant. Synodus quidem Constantinopolitana, quæ quinque Orientalis Imperii Exarchos declaravit roboravitque, Episcopum Hierosolymitanum amplissimo huic collegio ideo non adscripsit, quòd congrua jurisdictione destitueretur. Verùm in Epistola Synodica ad Damasum Papam & ad Occidentales data, commendatur Cyrillus Episcopus Ecclesiæ Hierosolymitanæ, matris aliarum Ecclesiarum. *Ecclesia Hierosolymitana quæ est aliarum omnium mater, Cyrillum Episcopum vobis ostendimus.* Theod. l. 5. c. 9. Intexuit hanc Epistolam Historiæ suæ Theodoretus, qui non tacet alibi exitiales dissensiones, quæ inter Acacium Cæsariensem Metropolitanum eruperant, & Cyrillum Hierosolymæ Episcopum de Primatu Sedium: περὶ πρωτείων. Abdicavit Cyrillum Acacius, & referente Sozomeno, in Seleuciensi Synodo confirmata est ea sententia, quòd Apostolicæ sedis gloria ferociens Cyrillus, cum Metropolitano suo contumaciùs altercaretur: *Quòd cùm Episcopus Hierosolymorum constitutus esset, de jure Metropolitico altercaretur cum Episcopo Cæsareæ, velut Apostolicæ Sedis Antistes.* καὶ μητροπολιτικῶν δικαίων διέφερεν, ὡς ἀποστολικοῦ θρόνου ἡγούμενος. L. 4. c. 24.

VII. Ex consessûs honorificentia à Nicænis Patribus indulta, argumentabatur non improbabiliter Cyrillus ad ea quæ hunc consequi deberent privilegia reliqua. Et cùm istud honoris augmentum non posset fere tribui nisi continuæ Episcoporum à Jacobo Apostolo usque ad ipsum successioni, hinc ille paulò plura & effusiora, quàm Nicæna Synodus exprimebat juris argumenta. Joannes Episcopus Hierosolymitanus, cui tam diutinæ simultates cum Hieronymo intercessere, Apostolicæ quoque sedis vacua imagine deludebatur. Cæterùm Diospolitanæ Synodo, quæ Pelagii causam ventilare cœpit, ipse quidem interfuit, præfuit autem Cæsariensis Metropolita. Porphyrius Episcopus Gazæ, sanctitate & rerum gestarum magnitudine in Annalibus

libus sacris commendatus, Presbyter quidem ordinatus fuerat à Praïlio Hierosolymitano Episcopo, at nonnisi à Joanne Cæsareæ Metropolitano in Episcopum electus & inauguratus est.

VIII. Sed temporis tandem lapsu, ut solet, factum est, ut vetus & nova Hierosolyma in unam conflarentur: sicut & aliæ urbes complurimæ, non dissimiles expertæ vicissitudines, alternasque ruinas & restaurationes, pro una tantùm eademque semper urbe habitæ sunt. Interim Apostolico non poterat nomine non honestari Episcopus ejus urbis ab innumerabili peregrinorum turba, qui illuc toto ex orbe Christiano confluebant. Hinc fortasse Ruffinus Episcopos principalium Sedium pernumerans, Romano, Alexandrino & Antiocheno Hierosolymitanum adjicit, non sine Apostolici nominis laude: *In urbe Roma post Damasum Syricius, &c. Apud Alexandriam Timotheus, in Hierosolymis post Cyrillum Joannes Apostolicas reparavit sedes: apud Antiochiam defuncto Meletio subflituitur Flavianus.* Sozomenus hos eosdem similiter quatuor commemorat Præsules. Hinc animi additi Juvenali Episcopo Hierosolymitano in Concilio Ephesino. Ea quæ sibi ipse arrogabat in Palæstinas jura ibi palam prompsit, eaque callidis & versuris scriptis defensitavit. Cyrillus Alexandrinus Archiepiscopus præerat huic Synodo; cùmque naris emunctissimæ viro suboleret, si Patriarchatus nunc Antiochenus ab Hierosolymitano Episcopo discerperetur; fore ut aliquando vel hic ipse, vel successorum ejus aliquis impetum faceret in Alexandrinum, eumque dirionis antiquæ parte aliqua truncaret: constantissimè restitit Juvenali, & Leonem Romanum postea Pontificem per litteras de tentata innovatione commonefecit. Totam hujus rei ita gestæ seriem perdocuit nos Leo in Epistola ad Maximum Episcopum Antiochenum. *Subrependi occasiones non prætermittit ambitio, & quoties ob intercurrentes causas generalis Sacerdotum facta fuerit congregatio, difficile est, ut cupiditas improborum non aliquid supra mensuram suam moliatur appetere. Sicut etiam in Ephesina Synodo, quæ impium Nestorium perculit, Juvenalis Episcopus ad obtinendum Palestinæ Provinciæ Principatum credidit se posse sufficere, & insolentes ausus per commentitia scripta probare. Quod sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Episcopus meritò perhorrescens, scriptis suis mihi, quid prædicta cupiditas ausa sit, indicavit, & sollicita prece multùm poposcit, ut nulla sollicitis conatibus præberetur assensio.* Opportunitate temporis ûtebatur ad consilia sua promovenda Juvenalis, quando nempe Joannes Antiochenus Præsul pseudosynodo Ephesinæ præerat, Nestorianarum partium quasi signifer, etsi Nestorio ita patrocinari se vellet & speraret, ut ejus damnaret errores. Erat tamen ingentis flagitii reus Joannes, qui Ecclesiam Synodumque in partes scinderet, auctoremque foveret, cujus damnaret doctrinam fidei infestissimam. Itaque non immeritò ea pœna mulctandus fuisset, ut parte aliqua suæ potestatis minueretur, si intactis Ecclesiæ suæ juribus ea feriri ipse potuisset. Regebat tunc Ecclesiam Romanam, nondum Pontifex, sed jam Archidiaconus Leo. Ea de causa ad illum scripsit Cyrillus, ne imponeret Pontifici Juvenalis, extunderetque Patriarchatum Palæstinæ.

Ruffinus L. 2. c. 11.

Epist. 62.

IX. Etsi parum ex animi sententia res cesserat, spem non abjecit Juvenalis. Secundior illi aura in Concilio Calchedonensi aspiravit. Quanquam & dubitare possis, an vel in Ephesina Synodo Cyrilli reluctantis auctoritate fractus, ab incœptis destiterit. Hæc enim prorsus stupenda ejus ad Synodum verba leguntur: *Oportebat Joannem Antiochiæ Episcopum obedientiam deferre Apostolico throno Jerosolymorum Ecclesiæ, apud quem maximè mos est ex Apostolico ordine & traditione, ut ipsa sedes Antiochena dirigatur, & apud eum judicetur.* Non possunt hæc verba non stuporem aliquem menti injicere; nec video quem in sensum trahi possint, nisi quis dicat, eo tempore quo Archiepiscopi duo, Antiochenus & Constantinopolitanus, Joannes & Nestorius, in Concilium universale palam rebellabant, schismaticamque ipsi seorsum agitabant Synodum, cùm Cyrillus suo & Vicario Papæ nomine præsideret Oecumenicæ Synodo, primum omnium post Cyrillum esse Episcopum Hierosolymitanum; qui cùm aliunde vicinior esset Antiocheno Patriarchæ, inter ejus judices facilè principem locum habere deberet, ex prisco Apostolicorum temporum & Ecclesiasticorum judiciorum more, quo illustriores accersebantur ex vicinis Episcopis, ad majores graviores que causas dijudicandas.

Conc. Ephes. Act. 4.

Juvenalis repulsam passus à Cyrillo, & quod inde facilè conjicias, à Romana sede, Rescriptum Imperatorium impetravit, quo Theodosius junior tres illi subjiciebat Palæstinas, duas Phœnicias & Arabiam. Obtinuit & Rescripta contraria Antiochenus Episcopus. In longum tempus protracta lis est. Indixit Ephesinam secundam Synodum Theodosius, peculiaribus Rescriptis Dioscorum Alexandrinum & Juvenalem Hierosolymitanum Archiepiscopum interesse jussit. Solo enim tunc fere, ut jam dictum est, Archiepiscopi nomine donabantur, qui Exarchi postea & Patriarchæ dicti sunt.

X. Finem tandem controversiæ diu vexatæ imposuit Concilium Calchedonense, confirmatis iis de quibus inter se convenerant Archiepiscopus Antiochenus & Hierosolymitanus, scilicet ut Antiocheno Phœniciæ duæ cum Arabia restituerentur, tres Palæstinas haberet deinceps Hierosolymitanus. Assensi sunt Legati sanctæ Sedis *pro bono pacis*, hoc est, ut sedaretur diuturna illa contentio. Leo Papa universim testatus est improbari à se, si quid quisquam Calchedone contra Nicænos Canones tentasset, de amplificanda Episcopi Hierosolymitani potestate & dominatione verbum fecit nullum. Non multo post tempore ad Juvenalem scripsit, nec innovationem ejus gratia factam displicere sibi significavit. At cum Episcopo Constantinopolitano ita egit, ut eum ab usurpato jure discedere coëgerit, tametsi à Chalcedonensibus Patribus confirmato. Denique tam patienter tulit, quæ de Episcopatu Hierosolymitano novata fuerant, ut Maximo Antiocheno litteris sua jura antiqua repetenti rescripserit, damnari à se quidquid præter Nicænos Canones actum esset, nec confirmaturum se, quæ Legati sui Chalcedone fecissent, nisi ea quæ ad fidem pertinerent. Plura his non addidit, nec specialius quidquam declaravit.

Conc. Chal. Act. 7.

Epist. 72.

Epist. 62.

XI. Leoni justæ causæ non deerant, cur ita res temperaret, & aliter cum Episcopo Constantinopolitano ageret, quàm cum Hierosolymitano. Inita inter Antiochenum & Hierosolymitanum pacta, ab universo Concilio firmata & corroborata fuerant. Pars verò Concilii tantùm Canonem ediderat XXVIII. in gratiam Episcopi Constantinopolitani. Pacta illa probaverant Legati, Canoni huic palam renisi fuerant. Imperatoriis hinc & hinc rescriptis freti certaverant Antiochenus & Hierosolymitanus; vix ergo aut ne vix quidem poterat concordia

resarciri, nisi pacto aliquo ex assensu partium. At nihil istiusmodi videas Constantinopolitanum inter & Exarchos minores. Adde quod jam non poterat negari, quin esset Hierosolyma sedes Apostolica. Nam ut habent res hujusmodi, quæ in opinione hominum & voluntate positæ sunt, indubiè jam nova Hierusalem eadem erat quæ vetus: ut in quamplurimis aliis civitatibus elucet, quæ post ruinam quodammodo resurgunt. Verùm plusquam satis probavit rerum eventus, quàm jure Leo incrementa potestatis nova impatientissimè in Episcopo Constantinopolitano, in Hierosolymitano leniter tulerit. His enim insolentissimis augmentis suis Constantinopolitanus Episcopus ita crevit, ut in suam & Ecclesiæ perniciem excreverit: hanc sciderit, se ab ea exsciderit, proscissa unitate, quam qui intaminatam servant, hi demum in ea & ab ea servantur.

XII. Ex iis temporibus monumenta Ecclesiastica omnia Episcopum Hierosolymitanum nobis exhibent semper & Palæstinæ primæ Metropolitam, & ejus Patriarcham Diœceseos, quæ tres Palæstinas complectebatur. Scripsit Avitus Viennensis Episcopus ad Hierosolymitanum Episcopum, nec
Epist. 23. Apostolicam tacuit ejus amplitudinem: *Exercet Apostolatus vester concessos à Divinitate Primatus: & quòd principem locum in Ecclesia universali teneat, non privilegiis solùm studet monstrare, sed meritis.* Exinde autem honoris principatus penes quinque Patriarchas fuit, ante alios quoscumque orbis Episcopos; tumque Constantinopolitanus secundum, quintum Hierosolymitanus locum obtinuit. In sessionibus generalium Conciliorum & subscriptionibus, in Legibus Justiniani, in Gregorii Papæ Epistolis, hos semper videas Episcopos eminentissimo semper loco supra alios omnes effulgere. Anno Christi 518.
Act. 5. Con Concilio trium Palæstinarum præsidebat Episcopus
Const. sub Hierosolymitanus. Cujus rei non pauca alia suppe-
Mena. terent exempla.

Vuilel. Tyr. XIII. Sileri prorsus hîc non debet Vuillelmus
L. 4. c. 12 Tyri in Phœnicia Archiepiscopus, qui Patriarchatûs Hierosolymitani prima incunabula repetit à Synodo V. Generali. In hanc opinionem adduci ille potuit, vel ex eo quòd Synodi Trullanæ Canone XXXVI. in enumerandis Patriarchis primus post Papam locus tribuitur Constantinopolitano, quem deinde Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus sequuntur. Nemo nescit enim Trullanæ Synodi Canones à Græcis adscriptos fuisse Synodo Generali V. & VI. Vel certè ex eo quòd amplificati sint ejus fines ab eadem Synodo, adjectæque Metropoles quædam Syriæ & Phœniciæ, ut Berythus & Ruba.

XIV. Duo quædam supersunt nobis obiter observanda. Primum est, arte quadam & improba astutia obrepsisse Juvenalem Imperatori, ut pragmatica ab eo impetraret, quibus detracta de Antiocheno Patriarchatu portio, Episcopatui Hierosolymitano attribueretur. Facilè Antiochenus contraria obtinuit Rescripta, & ex pugnantibus inter se Imperatoriis litteris orta contentio. Ab Ephesina Synodo illud privilegium extorquere conatus erat Juvenalis, ut qui certò sciret, eam esse propriam Ecclesiæ Synodique potestatem, non Imperatoris. Hunc
Con. Calch. tamen honorem habuit Synodus Calchedonensis
Act. 7. majestati Imperii, ut ejus Rescripta nec revocaret, nec rescinderet. Id præstitere Imperatorii Magistratus, facta à Marciano potestate: *Cessantibus secundum jussionem divinissimi & piissimi Principis omnibus Pragmaticis, & quocumque modo sacris ab utraque parte litteris impetratis, insuper & mulctatione, quæ in eis hujus rei causa noscitur contineri.*

XV. Secundò rursus id observari par est: quæ fecere Hierosolymitani Episcopi, ut Sedis Apostolicæ sibi restitueretur honor, quo exciderant; ea non solùm venia, sed etiam laude digna fuisse, si Ecclesiæ suæ rebus, magis quàm suis studebant ex animo. Denique etsi culpæ immunes omnino non erant, potuit illa minimè gravis videri, cùm Apostoli inter se de Primatu contenderent, eo etiam tempore, quo sempiterna veritas & justitia Christus illos pronuntiaverat justos, mundosque: *jam vos mundi estis.* Compertum est autem justos omnes procul semper esse à crimine, sin minùs à culpa.

---

## CAPUT XIII. *P. 3. l. 1. c. 2.*

## De Patriarchis antiquis juxta Græcorum mediæ ætatis doctrinam.

*I. Balsamon licet Latinis infensissimus, præcellere Papam cæteris Patriarchis fatetur. De infula sacra qua donatus est Cyrillus Alexandrinus, ut Generali Synodo Ephesinæ præsideret.*

*II. Græcorum opinio de II. Canone Concilii Constantinopolitani, ut de provocationibus à judicio Patriarcharum.*

*III. Quòd non appelletur à Concilio generali, à Papa, & à Patriarcha Constantinopolitano, id interpretatur Balsamon Imperatorio privilegio concessum fuisse. Quàm insulsa sit hæc allucinatio.*

*IV. Melius & sanius alibi sentit, successores Apostolorum esse Patriarchas, & à Petri Sede omnes primatus oriundos.*

*V. Balsamon arbitratur quinque Patriarchas, totidem esse Ecclesiæ Capita, quæ in Caput unum compingantur.*

*VI. Patriarchæ Constantinopolitano, licèt Oecumenicum se jactet, descriptos esse limites, & ipsi Græci fatentur; fatentur & Concilium continuò fore Oecumenicum, ubi Papa præfuerit, etiam absentibus aliis Patriarchis.*

*VII. Perdiu ante Balsamonis ævum cœperant Græci Ecclesiæ de conculcatis hæresibus victorias, acceptas ferre, unanimi Patriarcharum quinque conspirationi. Multifariam id probatur.*

*VIII. Prærogativa Patriarcharum.*

*IX. Eorumdem Concilia.*

I. DIvini illius corporis, cujus caput est summus Pontifex, membra sunt longè illustrissima veteres Patriarchæ. Ita ferme loquitur Constantinianæ donationis consarcinator & scriptor, quem minimè Græcum fuisse argumento est, postpositus ordine cæteris Patriarcha Constantinopolitanus. *Et sit caput quatuor Sedium, Sedis Alexandrinæ,* In Novella.
*Antiochenæ, Hierosolymitanæ, & Constantinopolitanæ,* Tit. 8. c. 2.
*& ut semel dicam, omnium totius orbis Ecclesiarum.* Patriarchas aliquot Constantinopolitanos ob concessa Sedi suæ veteris Romæ privilegia in prima Constantinopolitana Synodo, jam monuimus affectasse omnes dotes honorificas, quibus à Constantino ditati Papæ ferebantur. Verùm eos operam perdidisse testatur Balsamon: *Sed eis non rectè cessit.*

Refert idem Balsamon, gestari solitam adhuc ab Episcopo Alexandrino in solemnioribus celebritatibus Infulam sacram, quod honoris insigne miserat olim B. Cyrillo Cælestinus Pontifex, dum generali Synodo Ephesinæ Præsidem illum Vicarium; & tum hæreseos Nestorianæ, tum ipsius quoque Nestorii Constantinopolitani Episcopi judicem crearet. *Cùm non posset Cælestinus adesse Ephesi, & judicare Nestorium: visum est, ut sancto Cyrillo à Cælestino permitteretur huic Synodo præsidere. Ut itaque constaret eum habere jus & authoritatem Papæ, sedit cum Phrygio, & condemnavit Nestorium. Ab eo ergo tempore cum eodem Phrygio sacrificant, & procedunt Patriarchæ*

*Alexandrini, & non verentur reprehendi.*

Hinc manifestè liquet, quantùm Patriarchas cæteros infra Papæ fastigium deprimerent Græci sui, non tantùm à Balsamonis ætate, sed à multis retro sæculis ductis probationibus, imò & ab ipsis usque Græciæ cunis. Quippe persuasum illis erat, unius esse Papæ, ut jure præesset Synodis generalibus, & cæterorum Patriarcharum causas dijudicaret. Alexandrini autem Episcopi tantùm sibi Sedique suæ id ornamento fuisse ducebant, quòd nomen & personam Papæ aliquando in generali Synodo gestassent, ut ad perennem tantæ laudis memoriam, transmittenda successoribus honoris ejus insignia curarent.

II. Enimvero licet Balsamon Patriachali Antiochiæ dignitate emineret: licet scriptis suis omnibus infuderit acerbissimi odii in Latinos & in Romanos Pontifices virus illud, quo turgebat: adegit tamen illum veritatis lux invictissima, ut sexcentis in locis Primatui Romanæ Sedis assentiretur. In commentando Canone II. Concilii Constantinopolitani, quo primatus honoris post Romanum Constantinopolitano addicitur Episcopo, sugillat Balsamon, perinde ut Zonaras, eorum argutias, qui hunc Canonem ita interpretabantur, ut illa vox *post* non ordinem, sed tempus sedendi diffiniret: & qui otii sibi videbantur Canone XXVIII. Concilii Calcedonensis, quo eadem Constantinopolitano atque Papæ jura adscribuntur: *τὰ ἴσα πρεσβεῖα.* (margin: τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς.)

Contendit quidem Balsamon, à Patriarcharum judicio appellari nec ad Papam posse, nec ad Imperatorem. At qui secum sentiant paucissimos esse, nec ipse dissimulat. Opinabantur enim aliqui adiri posse post Hierosolymitani Episcopi sententiam Antiochenum, inde Alexandrinum, *& sic deinceps secundùm majorem uniuscujusque ordinem*: hoc est, ab Alexandrino Constantinopolitanum, ab isto Romanum ad judicium properari posse. (margin: In Can. 12 Syn. Antioc.) Censebant alii universim Patriarchales sententias appellationi obnoxias esse; cùm secundùm Leges non eximantur, nisi Præfectorum Prætorio judicia: & Novella Justiniani, quæ intexta quoque Basilicis est, et quæ priscum retentet adhuc vigorem, Patriarcham jubeat Imperatori rationem reddere, & pœna mulctari, si plures in Ecclesia sua Clericos ordinet, quàm per Leges liceat. *Novella tertia Justiniani decernit: Patriarcham Imperatori rationem reddere, & ab Imperatore corrigi, si Clericum ultra numerum ordinarit.* Nonnulli, ubi Patriarchæ rem definissent, appellationis jus laicis indulgebant, non Clericis, non Monachis. Perfugium istud ex aliorum sententia patebat in caussis pecuniæ, non in Ecclesiasticis & spiritualibus. Erant denique qui Patriarchæ sententias tunc solummodo appellationi subjicerent, cum delegatus ab Imperatore cum aliis judicibus, aut in propria Synodo sententiam ferebat. Alii denique tunc ab eo provocari vetabant tantùm, cùm causa ad eum per appellationem ab aliis judicibus relata fuerat.

III. In hoc opinionum alternantium æstu asserit Balsamon ideo per leges concessa Patriarchis non esse privilegia Præfectorum Prætorio, quòd creatio Patriarcharum posterior fuisset legum promulgatione: à Justiniano autem ideo prætermissa hæc esse, quòd pius magis quàm suspicax Imperator, petulantiam hominum non putaverit tantam esse posse, ut nec Patriarcharum judicio acquiesceret: officio fecisse satis ratus, si omnes ad Patriarcharum decreta observanda hortaretur. Porro cùm Constantinus Pontifices Romanos donarit insignibus omnibus Imperatoriæ majestatis, & Pontificis Romani privilegia Constantinopolitanæ urbis Episcopo communicanda decreverit ejusdem urbis Concilium generale: hinc illud effici, ut tria hæc tantummodo sint Tribunalia, à quibus appellari sit nefas, additis omnium Statutis Synodorum, à quibus perinde non provocatur, quòd non aliter per orbem ea promulgentur, quàm Edicta Imperatorum: *Propterea enim ut est consentaneum, & Synodalia edicta instar privilegiorum regalium edictorum emittuntur.* (margin: Ibidem.) Et inferiùs: *A Synodo non cadit appellatio, ut à Papa & à Patriarcha Constantinopolitano.*

Vides ut densissimis tenebris schismatis contagio offuderit clarissima Orientis lumina. Malunt à terrenis Principibus accersere eximias Ecclesiæ Sacerdotiique dotes, quàm confugere ad Regem Regum, qui sponsam suam cælestium benedictionum largissima copia cumulavit. Ne sine fructu tamen aliquo Balsamonis hallucinationes memoratæ à nobis sint, id saltem inde colligemus, eam fuisse ejus ævi, & aliquantò anteriorum etiam sæculorum consuetudinem receptissimam, ut decreta Conciliorum generalium, Romanorum Pontificum, & Episcopi Constantinopolitani, nulla frustrari possent appellatione: hanc porro Episcopi Constantinopolitani prærogativam Schismaticis ipsis Græcis visam esse non aliâ ab origine manare, quàm à prima Sede.

IV. Explodebat alibi Balsamon commentitiam hanc ex Constantini donatione expressam privilegiorum primæ Sedis exundationem in Sedem Patriarchalem novæ Romæ; nec adeo schismatis caligine obtenebratus fuerat, quin per lucidiores alios fontes deprehenderet excellentiæ Patriarchalis. (margin: In Supplem. pag. 1114.) Intellexerat nempe Patriarchas propiores justioresque esse hæredes ac successores Apostolorum, quàm cæteros Episcopos: *Apostolorum successores, eos qui nunc sunt Patriarchæ, appellat.* (margin: In Epist. Dom. pag. 1109.) Huic hæreditati & successioni Apostolicæ authoritatis multò plus inerat gloriæ & stabilitatis, quàm nutanti donationi Imperatoriæ. Sed quî tandem poterat Balsamon Apostolorum successione ditare Episcopum Constantinopolitanum, quùm nec ipse dissimulet Byzantium initio Metropoli Heracleensi obnoxium fuisse; ex eoque illud etiam residuum observati vestigium, quod ab Heracleensi Metropolita inauguraretur Constantinopolitanus Patriarcha. Si quod exemplum in contrarium promatur, ut Stephani, qui germanus erat Leonis Imperatoris, cognomento Sapientis, quem consecravit Theophanes Metropolitanus Cæsariensis, singulare id quiddam fuerit, præter ordinem, præter morem, quo nihil generali regulæ derogetur. (margin: In Supplem. pag. 1114.)

Sed in alio tractatu, qui cum Orientali Jure in lucem editus est, citra fuci suspicionem edisserit idem Balsamon, Patriarchales Ecclesias cum suis privilegiis, effluvia quædam ac propagationes fuisse cælestis illius Primatûs, quo Petrum Christus insignivit; quocirca & ipse post Petrus ordinavit præfecitque Antiochiæ Evodium, Alexandriæ Marcum, Jacobum Hierosolymæ, Andream in Thracia. (margin: Juris Orient. l.7. p.442.) Tum denique æqualitatem quandam astruere nititur inter quinque Patriarchas, quòd instar habeant quinque corporeorum sensuum, quibus Ecclesiæ caput in terris concinnatur: *Cùm instar quinque sensuum capitis unius (qui tot esse numero dicuntur, nec dividuntur tamen in partes) apud populum Christianum habeantur, dignitate nihilominus pares sunt in omnibus; & cùm Capita sanctarum per universum orbem Ecclesiarum Dei jure dicantur, locum in eis discrimen ab hominibus statutum habere non potest.* Patriarchas quidem omnes sub

illa unitatis & æqualitatis mystica specie consociat Balsamon; at illos dissociat idem ipse non mediocri discrimine, cum Patriarchæ unius Constantinopolitani & Papæ judicia nulli subesse provocationi censet.

V. Ex antedictis abundè liquet, sic Balsamonis doctrinæ ubertatem nobis admirationi esse, ut ei tamen in rebus plurimis non assentiamur. Adhibendus itaque delectus est, ut pretiosum à vili secernatur. Incesserat porro eruditissimum hunc Scriptorem ea opinio, Ecclesiam primæva ab institutione inter Patriarchas distributam fuisse, illis commendatam, eorum regimini addictam; utque ex universis Ecclesiis una concrescit Ecclesia, ita ex quinque Patriarchis, qui Capita Ecclesiarum sunt, unum coalescere caput. Ex quo fit, ut unà conjunctimque semper eorum nomina recitentur è diptychis inter sacra: *Quamobrem statutum est ut in quavis Ecclesia Dei sive ad Euphratem, sive ad Tigrin, sive ad ipsum pertingat Oceanum, conjunctim eorum nomina referantur. Acceperunt enim, uti scriptum legimus, regiones gentium, & eorum throni sunt instar Lunæ perfectæ, ac Solis instar coram me sunt.*

Inde fit rursum, ut novi semper creentur Patriarchæ, tum Antiochiæ, tùm Hierosolymis, quamvis ab Infidelibus teneantur istæ urbes. Superstes quippe viget post urbium & Ecclesiarum excidium decus haud unquam interituræ dignitatis. *Quamvis enim gloria thronorum per vim exciderunt, tamen spiritalis gratia non exolescet.* Inde fit rursus ut quanquam usu invaluerit, ut nomen Papæ Romano uni Præsuli vendicetur: ut Constantinopolitanus, Alexandrinus, & Hierosolymitanus Archiepiscopi dicantur; ut denique proprium sit Antiocheni nomen Patriarchæ: communicatum sit tamen quatuor etiam aliis Patriarchæ nomen, ob individuam quinque capitum illorum societatem, quæ ut unum corpus conflant, ita omnia sibi mutuò communicant. *Omnino fit hoc propter identitatem honoris, & quòd hi quinque Patriarchæ vicem unius Capitis universi corporis obtineant, sanctarum videlicet Ecclesiarum Dei.* Papæ, Patriarchæ & Archiepiscopi nomina non idem auri, sed prorsus idem menti sonant, nempe patrem significant, ideo & Patriarchæ in commune dicuntur omnes, quo nomine teneritudinis & authoritatis paternæ Principatus indicatur. Denique ipso quoque Papæ nomine decorati fuere Patriarchæ Alexandrini, ex quo Cyrillum Cælestinus vestivit suis vicibus, sua authoritate, suo nomine in Concilio Ephesino. *Et Alexandrinus vocatus fuit Papa, quod sanctus ille Cyrillus in tertia Synodo privilegia Papæ Romani, Cælestini scilicet acceperit.*

VI. Hactenus Balsamon. At Anastasius Bibliothecarius cùm Constantinopoli degeret, quæ à Græcis hauserit, litteris mandavit. Ea autem sunt ejusmodi: *Quod non ideo œcumenicum dicerent Patriarcham, quòd universi orbis teneat Præsulatum, sed quòd cuidam præsit orbis parti quæ à Christianis habitatur. Nam quod Græci œcumenin vocant, à Latinis non solùm orbis, verùm etiam habitatio vel locus habitabilis nuncupatur.* *Præfat. in VII. Synod.*

Tres Orientis Patriarchæ Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus, cùm adesse non possent VII. Synodo generali, ut nec VI. affuerant, imò nec Vicarios Præsules delegare, quod per Infideles, quorum imperio premebantur, Principes id non liceret: scripsere nihilominus validum ratumque fore, quodcumque decrevisset Synodus, maximè cùm per Legatos summus Pontifex præesset: *Nullum ex hoc sanctæ Synodo adhæsit præjudicium, præcipuè cum sanctissimus & Apostolicus Papa Romanus concordaverit, & in ea inventus sit per Apocrisarios suos.*

Hinc emicat ne ipsos quidem Orientis Patriarchas perfectam & absolutam cum Papa æqualitatem exambiisse, cùm faterentur angusto se coarctari territorio; nec ita desiderari ad Concilii generalis integritatem, ut ipsi interessent, quàm ut Papa præesset. Quod autem attinet ad Balsamonis commentum, qui Ecclesiæ universalis unitatem religat ad consensionem quinque Patriarcharum, velut ad centrum quoddam suum, inane prorsus illud est, suaque sponte corruit. Quod verò nec hæresi, nec schismate putat solvi hanc Ecclesiæ Capitum conjunctionem, tam ineptum est, quàm quod ineptissimum. Non ante I. II. & IV. Synodos fatetur ille fuisse auctas nova Patriarchatûs dignitate Ecclesias, Constantinopolitanam & Hierosolymitanam. Ergo tardiùs ex illius sententia accreverunt Ecclesiæ hæc duo capita, & tunc Ecclesiæ unitas capitumque conditio naturam immutavit suam. Denique fungosa & evanida est tota hæc Balsamonis doctrina, nec ille videtur antè sapere incœpisse, nisi cum scripsit Ecclesias Alexandrinam & Antiochenam eò cæteris antecelluisse, quòd abundantiùs in eas exuberaverit plenitudo potestatis Ecclesiasticæ à Sede Petri. Nisi schismatis livore suffusa caligasset ejus mens, verissimum in eo deprehendisset Ecclesiæ centrum, sacris litteris confirmatum, priorum Ecclesiæ sæculorum administratione comprobatum, & Ecclesiis ipsis Patriarchalibus inter se colligandis prorsus necessarium. Verùm hoc semel constituto, scitissimè ab eo dictum est, immensam, quacumque patet, orbis Christiani amplitudinem à Christo primitus Apostolicis Patriarcharum subjectam fuisse Sedibus, quas ex una Petri Sede profectas esse, & in unam Petri Sedem rursus coaluisse non semel jam monuimus.

VII. Illud certè constat, Græcos jamdiu ante Balsamonis tempora incœpisse victorias Ecclesiæ laureasque de adversariis reportatas, acceptas ferre unanimi conspirationi omnium Patriarcharum, aut saltem complurium ex ipsis, qui à recti tramite aberrantes cæteros, aut in veri semitam revocarent, aut sacro expungerent Collegio. In hac erat prorsus sententia Syncellus Episcopi Hierosolymitani, cum vices ejus in generali VIII. Synodo gerens, his verbis suam mentem aperuit: *Nostis quia Spiritus sanctus, qui locutus est in Prophetis, ipse in Apostolis effatus omnia, &c. Ideo Patriarchalia Capita in mundo posuit Spiritus sanctus, ut in Ecclesia Dei pullulantia scandala per ea extermineutur, &c.* Ex quo infert nequidem opus fuisse vocari in cognitionem causam Photii, quem jam damnasset Papa, nec cæteri Patriarchæ recepissent. *Cùm præsidens & præcedens senioris Romæ Sedes nequaquam receperit Photium, nec etiam Orientis tres throni, non erat opus vocare illum ad examinationem.* Tunc certè Photium pœnituit, puduitque præfractæ audaciæ suæ in aucupandis novis superbiæ titulis. Chirographa quippe extorserat, quibus *Patriarcha Patriarcharum* diceretur. In eadem VIII. Synodo Metrophanes Smyrnensis Metropolitanus Patriarchas contulit cum æternis illis facibus, quas à vulgo aliorum syderum rerum Conditor majore & confertiore lucis calorisque copia distinxit. *Tanquam quædam luminaria magna, videlicet quinque Patriarchalia Capita in illuminationem totius terræ, quò præsint diei & nocti, & separent inter*

*Act. 1. Syn. VIII.*

*Ibid. Act. 2.*

*Ibid. Act. 6.*

*lucem & tenebras.* Eadem prope mens erat Basilii Imperatoris, cum hæc in eadem Synodo est effatus: *Protectione veri Dei nostri quinque Patriarchiæ orbis terrarum recta sentiunt, & non est læsio fidei.* Hinc Bahanes Patricius argumentatus est adversùs Photium, Photiique fautores: *Ostendite hac hora, quia sive hæresis mota est, sive schisma emersit in qualibet parte, & sensit aliquis extra quatuor Patriarchia &* Act. 7. *salvatus est: & audio vos. Hodie quatuor Patriarchia, imò verò quinque condemnant vos, quid vobis videtur ad hæc? Est qui adjuvet vos?*

Ulteriùs etiam postea idem progressus est, cum dixit nunquam evenisse, ut eodem tempore Patriarchæ quinque in errorem fidei infestum delaberentur: sed æterni Ecclesiæ sponsi propitio numine, ex iis saltem unum aliquem ab errore purum in inconcussa veritatis Petra confirmatum esse, à quo cæteri revocarentur. *Posuit Deus Ecclesiam suam in quinque Patriarchis, & definivit in Evangeliis suis, ut nunquam aliquando penitus decidant, eo quòd Capita Ecclesiæ sunt. Etenim illud quod dicitur, Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, hoc denuntiat: Quando duo ceciderint, currunt ad tria, cùm tria ceciderint, currunt ad duo; cùm verò quatuor fortè ceciderint, tunc unum quod permanet in omnium capite Christo Deo nostro, revocat iterum reliquum corpus Ecclesiæ.* Quæ in hac argumentatione artes, quæ fraudes delitescerent, excutere supersedeo. Hoc unum moneo, Græcorum artes offuciasque in coæquandis quinque Patriarchis, prohibere non potuisse, quin experimento tot sæculorum, quæ luculentissima certissimaque est Scripturarum interpretatio, constet, illum unum, qui primus est inter Patriarchas, cæteris affuisse sæpissimè ab errorum hæresumque baratro educendis, nec eguisse ipsum unquam beneficii vicissitudine.

Denique quamvis subinde existeret & emicaret Græcorum jactantia, indubitatum tamen est in hac ipsa generali Synodo VIII. plurimum discriminis interpositum fuisse Papam inter & Patriarchas cæteros, in faustis etiam acclamationibus, quæ desinentibus Sessionibus iterabantur: ut ne opus quidem sit alio documento ullo, ad primæ Sedis singularem præcellentiam astruendam. Videsis quæ Baronius in rem istam decerpserit ex Theodoro Studita, Græcorum omnium eadem hac ætate longè tum doctrina, tum magnitudine animi & pietate præstantissimo. *Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis, &c.* cætera missa facio.

Baron. an. 813 n. 11.

VIII. Jam ut cursim aliquid stringam de Patriarcharum juribus & privilegiis, ea jam fere delibata superiùs fuisse moneo; ut centra sint unitatis, si minus in universali Ecclesia, certè in ea quisque latissimè effusa, quæ fidei ejus & curæ credita est: ut primi omnium nominentur in sacrorum diptychorum solemni recitatione; ut vinculum mutuæ inter se arctiorisque communionis stringant per litteras communicatorias; ut generalibus Synodis adsint, nec sine insignibus eximiæ potestatis; ut ad ipsos, non ab ipsis appelletur. Cætera inferiùs attingentur, cum sermo fiet de Cruce, de Igne, de Pallio, quæ propria erant eorum ornamenta; denique de suprema potestate extruendi regendique Monasteria per totam Patriarchicam Diœcesin suam, atque adeo in Episcopatibus omnibus suæ ditionis.

Act. 3. Syn. VIII.

IX. Unum hic referam Canonem Synodi VIII. generalis, quo duo potissima innovantur privilegia dignitatis Patriarchalis: nempe ut investiant Metropolitas tractûs sui, sive ordinando, sive pallium ad eos destinando: ut vocent etiam illos ad Concilium generale totius Patriarchatûs, ubi & in eorum mores ac vitam inquirant, pro legitimi judicis potestate. *Ita ut universorum Metropolitanorum qui ab ipsis promoventur, & sive per manus impositionem, sive per pallii donationem Episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant potestatem, videlicet ad convocandum eos, urgente necessitate, ad Synodalem conventum, vel etiam ad coercendum illos & corrigendum, cùm fama eos super quibusdam delictis forsitan accusaverit.* Can. 17. Absentiæ suæ prætexebant Metropolitæ imperia terrenorum Principum, à quibus vetabantur eorum regni finibus egredi: aut Conciliorum Provincialium annuas necessitates. Sed has inanes causationes damnat Synodus, quòd Christianorum Principum jussa legibus Ecclesiasticis adversari non debeant: Conciliaque particularia Provinciarum posthabenda sint Patriarchalibus; quæ ut patent latiùs, resque momenti gravioris agitant, ita & ex illis plus emolumenti ad Ecclesiam redundat. *A Metropolita quippe unius quidem Provinciæ dispositio efficitur, à Patriarcha verò sæpè totius causa Diœceseos dispensatur, ac per hoc communis utilitas providetur. Propter quod & speciale lucrum propter generale bonum postponi convenit.* De Patriarchalibus his Synodis operosiùs alibi disputabimus, ubi & justas aperiemus causas, quæ Christianos quandoque Principes moverunt, ut ne temporibus difficillimis sinerent Episcopos Regni finibus egredi.

---

## CAPUT XIV. *P. 3. l. 1. c. 3.*

### De antiquis Patriarchis ex sententia Latinorum mediæ ætatis.

*I. Quid sentiat Nicolaus I. de priscorum trium Patriarcharum origine, & de nova Constantinopolitani & Hierosolymitani in eidem Collegium adoptatione.*

*II. Patriarcharum primatus ex ejusdem mente à Petri primatu haustus.*

*III. Ex sententia Joannis VIII. Papæ, magna Ecclesiæ luminaria non sunt Patriarchæ quinque, sed Petrus & Paulus, qui Orienti sacri jubar & splendorem in Occidentis plagas contulere.*

*IV. Hincmarus Patriarcharum Primatum, & Metropolitanorum jus quodlibet in alios Episcopos, non aliter spectat, quàm ut delibationem imaginemque ejus authoritatis, quam Christus Petro dederat, ut præesset Apostolis.*

*V. Qua ratione fiat, ut Episcoporum jurisdictio divina institutione nitatur, non Patriarcharum, non Metropolitanorum.*

*VI. Ex Hincmaro cur inter Patriarchas Alexandrinus secundo, Antiochenus tertio loco sederit.*

*VII. Quare secundùm Ratramni mentem, primatus à Christo institutus, tribus primariis Orbis civitatibus, sed Romæ præsertim insederit.*

*VIII. His omnibus Græcorum eruditissimi & doctissimi quique assipulabantur.*

I. EXpendimus superiori capite Græcorum effata de Patriarcharum ordine: quid eadem de re sanxerint Latini mediæ ætatis, impræsentiarum indagare juvat. Interrogatus ea de re à Bulgaris Nicolaus I. non alias Patriarchales esse sedes respondit, quàm quas Apostoli tenuere. Atqui præter Romam, Alexandriam & Antiochiam, quas sive per sese rexit Petrus, sive per fidissimum discipulum, nulla rectore tanto gloriatur Ecclesia. Ostentant quidem non paucæ fundatores Apostolos: at unius Petri administratio, quas illustravit Ecclesias, eas gradu honoris & potestatis præ cæteris conspicuo decoravit. Ecclesiæ conditor cælestis sponsusque Christus hunc Evangelii cursum, hæc ei incrementa aptavit: ut unicum illud Caput quod inter prima

Ecclesiæ rudimenta designarat, venturæ posteritati ostenderetur, & commendaretur; vigeretque in omnia sæcula ea disciplinæ, ea sacræ politiæ lex, quam primoribus veluti lineis ipse adumbraverat. *Desideratis nosse quot sint veraciter Patriarchæ? Veraciter illi habendi sunt Patriarchæ, qui sedes Apostolicas per successiones Pontificum obtinent, id est, qui illis præsunt Ecclesiis, quas Apostoli instituisse probantur, Romanam, Alexandrinam, Antiochenam.* Addit à Nicæna Synodo tres illas Sedes cum honore commemoratas, ne
*Ad consulta Bulg. §. 92.* nominata quidem Constantinopolitana, ut quam serius ad Patriarchatum Principum gratia extulit. *Favore potiùs Principum, quàm ratione, Patriarcha Pontifex ejus nominatur.* Honorificentiorem consessum ab eadem Nicæna Synodo impetravit Hierosolymitanus, sed intacta Metropolitani Cæsariensis antiqua in eum potestate. Una quippe Hierosolyma superstes est, cælestis nempe: quæ terras ornaverat, funditus ab Hadriano eversa est. Ideo nec nisi Æliensis Episcopus à Nicænis Patribus vocatur, quòd recentem Æliam non procul à ruderibus priscæ Hierosolymæ Hadrianus excitasset. Non jam ergo Hierosolymitana hæc Sedes est, sed Æliensis. Ita Nicolaus.

II. Hæc ergo Nicolai, hæc Latinorum tunc doctrina, firmissimis Scripturarum fundamentis stabilita, & certissimis sæculorum experimentis: quippe temporum serie, rerumque eventu explicavit se, approbavitque orbi veritas eorum quæ Christus Petro & vaticinatus & pollicitus fuerat, cùm illum affaretur, tanquam petram immobilem, cui Ecclesiam suam superstructurus esset. Unde alibi Nico-
*Epist. 8.* laus idem: *Præsertim cùm Ecclesiæ Romanæ privilegia, Christi ore in beato Petro firmata in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata, & à sanctis universalibus Synodis celebrata, nullatenus possint minui, nullatenus infringi, quoniam fundamentum quod Deus posuit humanus non valet amovere conatus. Privilegia, inquam, istius Sedis vel Ecclesiæ perpetua sunt, divinitus radicata, atque plantata sunt, impingi possunt, transferri non possunt; trahi possunt, avelli non possunt.* Qui nituntur his fundamentis, multò convenientiùs tum de dignitate Ecclesiæ, tum de conditoris ejus omnipotentia sentiunt, quàm qui commentis anilibus Græcorum fulciuntur, & fictitia Constantini donatione. Ea arte, hoc ingenio grassati sunt Episcopi Constantinopolitani, vel eorum assentatores, ut Romanæ sedis privilegiis eandem affingerent novitatem, eandem à beneficentia Principum haustæ potestatis originem, quam ipsi detrectare non poterant.

III. Joannes VIII. Pontifex cùm Bulgarorum Regem hortaretur, ut se Romanæ, quàm Constantinopolitanæ Ecclesiæ inseri accenserique mallet, rem protulit tum veritati, tum sæculorum experimentis adprime consentientem. Jactabant quidem Græci mutuam Patriarchatum quinque conspirationem, qui alternis sibi præstabant opem, ut nunc isti, nunc illi quodam ex errorum veluti naufragio enatarent. At contrà contendit Pontifex, cæteras quatuor Patriarchales Ecclesias, & maximè Constantinopolitanam, in hæreseon & schismatum laqueos frequentiùs incidisse: Ecclesiam verò Romanam, cujus beneficio illæ semper emerserant, nec ulla unquam passam esse naufragia, nec ejusmodi
*Epist. 75* officia desiderasse. *Credimus quod jam vos non lateat nunquam Apostolicam B. Petri Sedem ab aliis Sedibus reprehensam, cùm ipsa alias omnes, & præcipuè Constantinopolitanam sæpissimè reprehenderit, aut ab errore liberaverit, aut certè in his qui resipiscere noluerunt, sententia sua judicio condemnaverit. Noli ergo sequi Græcos, &c.* Miserandus Bulgariæ casus, cæterarumque Orientis Ecclesiarum, quas à Sede Petri fœdus error avulsit; plus etiam quàm in votis esse poterat, confirmavit utriusque Pontificis sententiam; & illam maximè Nicolai, aientis, Luminaria magna Ecclesiæ non esse quinque Patriarchas, ut censebant Græci: sed utrumque Romanæ & Occidentalis Ecclesiæ fundatorem, Petrum & Paulum, quorum vivax & inextinctum lumen, Orientem ut ita dicam, veritatis Solem in Occiduas transtulisset Ecclesias. *Hi ergo tanquam duo luminaria magna cæli in* *Epist. 80*
*Ecclesia Romana divinitus constituti, totum orbem splendore fulgoris sui mirabiliter illustrarunt, & Occidens eorum præsentia, veluti rutilante Sole, factus est Oriens.*

IV. Consentientis ea de re Occidentalis Ecclesiæ, maximè Gallicanæ, fidejussor auctorque idoneus erit Hincmarus, dum ait privilegio Petri supra cæteros Apostolos evecti, contineri Patriarcharum, Primatum & Metropolitanorum omnium privilegia. Hæc enim omnia in eo uno sita sunt, quòd præsint Episcopi alii aliis. At Christus Apostolis solum Petrum præesse jussit. Hinc ergo perspicuè illud efficitur, quascumque Episcoporum supra alios Episcopos præcellentias, ceu radios à Sole luminis fonte, ab hac prærogativa manasse. Præformabat enim Christus totam Ecclesiæ suæ posteritatem; cum illam in exordio, illiusque membra hoc invicem ordine, hoc situ compingebat: utque fundamenta jaciebat Episcopalis in populos potestatis, cùm Petrum alloqueretur, velut eum qui Episcoporum omnium universalitatem gestaret; ita Metropoles & Patriarchatus omnes condebat velut in radice, cùm Petro primatum in Apostolos conferebat. En Hincmari verba de Patriarchis, inferiùs enim de Primatibus & Metropolitanis verba faciemus: *In illius primatu ipse B. Petrus cunctorum* *To. 2. pag.*
*onera portat, cujus principatus authoritate Mediator Dei* *402.*
*& hominum homo Christus Jesus Sedem Romanam super omnes sedes sublimavit, Alexandrinam decoravit, Antiochenam confirmavit, & per cæteras Provincias privilegia suis Ecclesiis conservari ac corroborari decrevit.* Patet ex his Hincmari verbis ad ipsius Christi institutionem refundi trium Patriarchatuum, omniumque Metropoleon originem; nimirum quòd uno Petri principatu, quo Christus illum supra Apostolos, hoc est, supra Episcopos evexit, hæc privilegia implicata sint.

V. Nec inde tamen sequitur, ut Episcopos, ita & Patriarchas jure niti divino immediatè: propterea quod Episcopatum Christus non in solo Petro fundaverit, sed in cæteris etiam Apostolis, ipsos conjunctim & specialiter allocutus; porro in hanc Apostolicæ successionis partem vocati sunt Episcopi. At primatus in Apostolos, hoc est in Episcopos, uni seorsim Petro collatus à Christo est, ejusque successoribus. Hanc ergo Petri potestatem divinitus institutam, necesse est iis omnibus aut imitandam, aut participandam proponi, qui juris aliquid & potestatis in Episcopos assequentur. Sic ad fontem refluunt rivuli, sic cælestem in originem divinamque revocantur dignitates, quas humana tantùm ab institutione profectas esse suspicabamur.

VI. Prolixiùs de his alibi Hincmarus disseruit, *Ibid. p. 432.*
ubi docet complurium Ecclesiarum ortum ab aliis Apostolis repeti debere, qui suas ibi defixere Sedes; ut Jacobus Hierosolymæ, Joannes Ephesi, cui & Timotheus successor datus; sed Patriarchali

culmine eas demum insignitas fuisse Ecclesias, quæ Petri sede decoratæ fuerunt. Ut enim Petro uni collata divinitus erat potestas in Apostolos: ita ab illo uno propagari potestas illa potuit, qua Episcopis præsiderent & jus dicerent Episcopi, non aliud ab aliis Apostolis nacti, quàm potestatem eam, quæ regendis populis imminebant. *Sedes Ecclesiarum Romana, Alexandrina, atque Antiochena, idcirco specialiter legimus sedes dici, cùm plurima sedes, & Apostolorum, sicut Jacobi Hierosolyma, & Joannis apud Ephesum, in qua sedit & Timotheus, B. Pauli discipulus, & multa alia principalium civitatum; quoniam sedes sunt, quin potius una sedes sunt magni Petri Apostolorum Principis.* Addit secundæ sedis honore potiri Alexandriam, quòd eo munerandus fuerit Marcus, tanquam interpres Petri, Evangeliique ab ore Petri excepti scriptor. *Et licèt B. Petrus antea in Antiochia sederit, quàm Romam venerit, unde Marcum Alexandriam misit; non tamen ideo Antiochia secunda, sed tertia sedes; & Alexandrina Ecclesia secunda sedes dicitur propter privilegium Evangelii, quod sanctus Marcus Evangelista ore Petri excepit, atque conscripsit.* Antiochenam Ecclesiam discedens ad Romanæ fundationem Petrus, Ignatio credidit. Quæ omnia hîc referenda fuere, ut liqueret, quàm alia esset tum mens & sententia, tum voluntatum inclinatio, Orientalium atque Occidentalium. Quàm studiose enim Græci terrenas ac feculentas humano ex arbitrio origines Magistratibus Ecclesiasticis assignabant: tam cupidè Latini cælestes, ut ita dicam, natales eis adornabant.

VII. Ratramnus Monachus vanos Græcorum conatus retundens, quos eò collineare perspexerat, ut Patriarchas suos Papæ vel æquarent, vel etiam præferrent, probat ex Scripturis, ex Conciliis, & continenti tot retro actorum sæculorum serie indultum uni Petro principatum, cui gentium dominam Romam subjecit cælestis Providentia, ut ex illa primaria arce Imperii splendidius emicaret Regale Ecclesiæ Sacerdotium, luxque veritatis toti orbi facilius splenderet. Non itaque trium illarum urbium dignitas dignitati Patriarchatum contulit quidquam: sed jam institutam à Christo præcellentiam, Petroque collatam, per tres amplissimas orbis civitates circumduxit providum Numen, ut hinc velut è sublimi coruscans omnium in se venerationem converteret. Hinc Roma deinceps eminentissimus fuit thronus sacri & à Deo instituti principatûs. Alexandriæ & Antiochiæ gloria & potestas, multorum ruinæ superstes, vivit adhuc, & divini Primatûs immortales retinet reliquias. *Quos ambos Petrum & Paulum, ad Ecclesiæ principatum à Christo positos, & Roma directos, tum Ecclesiastica veritas, tum ipsius passionis monstrat authoritas. Illuc namque ambo principes sunt directi, ubi Principatus eminebat mundi, quatenus Romana civitas sicut imperiali potentia totum sibi subjecerat orbem, sic Religionis culmine & Apostolatûs dignitate, totius mundi regnis præsideret. Et sicut voluit Salvator Hierosalymam nativitate sua, doctrina, miraculis, morte, sepultura, resurrectione reddere sublimem; sic etiam delegit Romanam urbem Apostolorum Principum sanguine, sepulcro, memoria, doctrina reddere gloriosam; ut quoniam Christus Hierusalem cælestis in dextera Patris considens, Rex & Dominus honoratur, Angelorum & Sanctorum omnium famulatu: sic Petrus & Paulus Hierusalem peregrinantis obtineant principatum, subjectis sibi per totius orbis latitudinem Christi Ecclesiis.*

*Ratramnus cont. opposita Græcorum l. 4. c. 8*

VIII. Indubia hæc non poterant non videri Græcis etiam illis, qui candore animi, & doctrina præstabant. Testem appello celeberrimum Martyrem Stephanum, qui pseudosynodum Oecumenicam Iconoclastarum invictissimo hoc repudiavit argumento, quod nec à Romano Pontifice esset approbata, sine cujus authoritate majores Ecclesiarum causæ diffiniri non possunt, nec à tribus quidem aliis Patriarchis. *Qui Oecumenicum istud Concilium vocari queat; quod nec Romanus Antistes, citra cujus authoritatem nullo modo fieri potest, ut res Ecclesiasticæ ad normam dirigantur, gratum habuit, nec Alexandrinus comprobavit, nec Antiochenus, nec Hierosolymitanus.* Eadem sententia, idem consilium erat Tarasio Patriarchæ Constantinopolitano, dum ad hunc apicem conscensurus, palam antè profitebatur, malle se spirantem adhuc humo mandari, quàm à cæteris quatuor Patriarchis anathemate percuti. *Recuso esse pastor cœtûs heretici & statui potiùs habitare sepulcrum, quàm esse obnoxius anathematibus sacræ quaternionis sedium Apostolicarum.* Nec promissis defuit. Verè Oecumenicam enim Synodum convocandam curavit, cui præfuit Papa, & ubi fides in integrum restituta est. His suffragabatur Theodorus ille Studites, jam suprà laudatus, nec unquam sine singulari encomio nominandus.

*Vita ejus apud Surium die 28. Novemb. c. 30.*

---

## CAPUT XV. *P 4 l. 1. c. 2.*

### De Patriarchis Græcis in genere, ab anno post Christum natum millesimo.

*I. Oecumenici Patriarchæ nomen à Romano Pontifice eblandiri aittitur Episcopus Constantinop.*

*II. En potestatis universalitas dos est præcipua primæ Sedis, ex qua cætera ortum duxere.*

*III. Istiusmodi ergo longè honorificentissima est, quæ reliquas etiam Sedes divina quodammodo institutione conglutinat.*

*IV. Præsulum ambitiosorum culpâ non potest aliò deflecti, aut exarescere fons beneficentia divina in Ecclesias.*

*V. Recalescunt jurgia inter Græcam Ecclesiam & Romanam. Magni facienda Othonis Frisingensis Episcopi verba de primatu Romanæ Ecclesiæ.*

*VI. Illibata viguit inter ambas Ecclesias nihilo secius fides & communionis unitas, tametsi alienata fabricide essent invicem animo Papa & Episcopus Constantinopolitanus. Probationes & exempla ejus rei.*

*VII. Probationes aliæ ex Bernardo, & Petro Cluniacensi Abbate.*

*VIII. Novæ deinde probationes ex Græcis ipsis. Quid tantopere Balsamonem in Latinos exacerbaverit.*

*IX. Nova eorum argumenta.*

*X. Probationes ex Lateranensi Concilio & Lugdunensi.*

*XI. Et ex Florentino.*

*XII. De Collationibus Constantinopoli habitis sub Lothario II. Germaniæ Imperatore.*

*XIII. Argumenta rursum nova ex sacris in Orientem expeditionibus nostris, ubi Latini Græcique sibi mutuò Catholici videbantur.*

*XIV. Quæ fuerit Othonis Frisingensis doctrina de quatuor Patriarchis Orientalibus.*

I. CONstantinopolitanus Patriarcha Basilii Imperatoris gratia & auctoritate fretus, per Legatos additis etiam muneribus Joannem XX. Papam inducere conatus est, ut ait Glaber: *Quatenus cum consensu unanimi Romani Pontificis, liceret Ecclesiam Constantinopolitanam in suo orbe, sicut Roma in universo, universalem dici & haberi.* Etenim secundùm eundem Scriptorem, *Licèt Philargyria mundi Regina queat appellari: in Romanis inexplebile cubile locavit.* Philargyria, inquam, id est, avaritia tum Romanos infecerat inflexeratque in vota Græcorum; cùm Italia universa hanc periculosam detestata est novitatem. Quin ipsa etiam Gallia, operâ litterisque Guillelmi Abbatis sancti Benigni Romano

*Ann. 1024. Glaber. l. 4. c. 1.*

Pontifici significavit quantum id sibi displiceret. Scripsit ad Pontificem pius juxta & doctus Abbas, pios in Gallia omnes molestissimè tulisse hos Græcorum temerarios conatus; potuisse quidem Romanum Imperium in plures aliquando Imperatores scindi, sed incommutabili lege cæli mandatam fuisse uni Petro universalem clavium potestatem; qua, qui pollebat Papa, eum æquum erat pro summa authoritate & amplitudine, reformandæ universali Ecclesiæ incumbere. *Est fama rei, de qua qui audiens non scandalizatur, noverit se longè ab amore superno disparari. Quoniam licet potestas Romani Imperii, quæ olim in orbe terrarum Monarchez viguit, nunc per diversa terrarum innumeris regatur sceptris; ligandi solvendique in terra & in cœlo potestas, dono inviolabili incumbit magisterio Petri. De cætero optamus, ut universalem decet Antistitem, vos acriùs in correctione ac disciplina sancta & Apostolica Ecclesia vigere.* Ea tunc erat Gallorum non solùm animi sententia, sed & amoris vis & contentio, ad tuenda sedis Apostolicæ jura in Ecclesias Orientis Patriarchales. Nec minus in eam rem, aut perspicua, aut vehemens est Epistola, quam Carthusienses aliquanto pòst tempore dederunt ad Innocentium II. Papam, quæque in Remensi Concilio perlecta est. *Non enim pars una, sed potiùs totus orbis est vestra diœcesis. Nam sicut Deus est unus, mediator unus, mundus unus, Sol unus; & ut minora inferamus, in animalibus cunctis caput unum: ita B. Petri Vicarius, id est, Papa non potest esse nisi unus. Universo itaque mundo rigorem disciplina, rectitudinem justitia, lumen doctrina, & ipsius quam nomine quoque præfertis incomprehensibilis debetis exemplar esse innocentia.* Conspicui sanctitate viri certabant in hunc modum, ad approbandam & constabiliendam in prima Sede spiritalis potestatis plenitudinem: eo demum consilio & fructu, ut ea instituendæ vel restituendæ per orbem universum sanctiori Canonum disciplinæ inserviret.

Anno 1131.

II. Porro ex ea unitate & plenitudine, tum authoritatis, tum jurisdictionis spiritalis, quæ huic Sedi divinitus concessa est, omnes præcipuè dignitates, tum Primatum, tum Patriarcharum effluxere. Apprime rem intellexit Gersonius, cum hæc verba protulit de diversis statibus seu gradibus dignitatis Pastoralis. *Fuerunt primitus velut in quodam seminario vivifico, positi in Ecclesia per Christum, & postmodum crescente Ecclesia, discretio talium magis innotuit; velut si stipes vinea se in folia, & flores, & ramos explicuerit.* Qua nos quoque suprà comparatione rem illustravimus.

Gerson. to. 1. pag. 157.

. Hoc quoque sensu capienda nobis est Benedicti XI. decretalis Epistola, qua fertur ab Ecclesia Romana institutas quatuor alias Patriarchales Ecclesias, eoque auctas dignitatis & potestatis culmine, quo cæteris eminent: *Sancta Romana Ecclesia quatuor Patriarchales sedes instituit, ipsasque multis prærogativis, & honoribus ac privilegiis decoravit.* Eò referri etiam potest Epistola Innocentii III. & interpretatio quatuor illorum animalium sacrorum, quæ in Apocalypsi Joannis ante sedem Agni excubant, quæ Apostolica sedes est. *In medio sedis, & in circuitu sedis erant quatuor animalia, plena oculis, &c. Sedes ista Romana Ecclesia intelligitur, quæ sedes Apostolica nuncupatur. Utique sedes Agni, sedes viventis in sæcula sæculorum. In medio cujus quasi filia in gremio resident, & in circuitu adstant quasi famula in obsequio quatuor Patriarchales Ecclesia, &c.*

Extravag. Comm. l. 1. Tit. 3. c. 3.

Innoc. III. Reg. XV. Epist. 134.

III. Quæ verba cum multùm ad extollendam Sedem Apostolicam, tum plurimùm ad evehendos veteres Patriarchas conferunt. Nec enim divinam hi sibi possent ascribere originem, nisi quantum cum sede Petri, id est ipsiusmet Christi, conjunguntur. In hanc sententiam jam nobis præiverunt superiorum sæculorum Pontifices, cæterique Scriptores Ecclesiastici. His nunc accedet Simeon Thessalonicensis, in libro *de sacris Ordinationibus*, tunc in lucem edito, cum Franci in Græcia & Constantinopoli imperitabant. Cùm de diversis Sacerdotii partibus verba faceret eruditissimus hic Antistes, de diversis Sacerdotii gradibus, in Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, eos ille cum inexplicabili divinarum Personarum trium origine, incolumi & sospite absolutissimæ unitatis vinculo, componi posse non dubitavit. Patet principium est expers principii, ab eoque ambæ aliæ promanant Personæ, cum sibi mutuò, tum illi æquales. *Etsi enim una est Episcopatûs gratia, & virtus, & ordo, ex Deo primo & solo Patre & Episcopo emanans: Patrias tamen habet filiationes, & gratias differentes, ut unusquisque ordo postulat, cùm Pater & Filius & Spiritus sanctus una sint in Trinitate divinitas & natura.* Hæc in primis & majori cum gloria quatuor Patriarchis congruunt, ratione supremæ & primæ Sedis, à qua divinam quasi originem hauriunt; cùm jam sint divinæ hujus originis & plenitudinis Apostolicæ & sacerdotalis veluti exundantes rivi, quos Christus in Petro, ut in fonte suo primùm recondidit, ac deinceps per longa sæculorum volumina effundit.

Cap. 7.

IV. Qui vel primoribus labris Annales Ecclesiasticos delibarunt, illis plus satis compertum est, quid cæca tentaverit nonnunquam ambitio ad Patriarchales quasdam sedes, vel primò instituendas, vel postea viribus opibusque cumulatiùs augendas. Et Petrum ipsum, sicut alios Apostolos, aliquando pupugerat forsan honoris & potestatis amor, inter prima novi hominis rudimenta. Sed divina Providentia, quæ malum non permittit, nisi ut inde mirificentius bonum exprimat, malumque bono famulari cogat; Apostolis nihilominus iisdem & Petro principatum spiritalem in orbem omnem contulit, majori etiam cumulo Petro, quàm cæteris: & ex divino Ecclesiæ Capite quatuor quasi flumina in quatuor Ecclesias Patriarchales manare jussit: tam invicta vi pollens, potensque, ut felix ille cursus, humana ipsorum etiam quandoque Patriarcharum vel superbia, vel nequitia, non possit unquam retardari.

V. Ubi Leo Papa IX. respondet Petro Antiocheno Episcopo, qui eum consuluerat: *ab Apostolica tua sede Apostolicam nostram sedem consulendo:* hortatur eum, ut strenuè tueatur jura Apostolicæ suæ sedis, quæ fuerat Petri, antequam ille Romam profectus, æternum ibi principatûs Ecclesiastici domicilium constitueret, ubi & etiamnunc præsidet, donec novum cœlum terramque novam beata resurrectio repræsentet. *Quatenus principalis dignitatis & totius Ecclesiastica disciplina venerabilis apex ibi præfulgeat & precellat, ubi ipse vertex & cardo Apostolorum Petrus, carnis sua resurrectionem in novissimo die expectat.* Porro Antiochenum monet Leo, ne propriæ cupidine gloriæ ad Ecclesiæ suæ jura defendenda incalescat, sed spiritali Ecclesiæ charitate: *Tertiam à Romana Ecclesia dignitatem te defendere summopere monemus, non tua gloria causa, sed pro Sedis, cui ad tempus præsides, antiqua honorificentia.*

Ann. 1053. Leo IX. Epist. 9.

Procul erat Michaël Patriarcha Constantinopolitanus ab hac religiosa moderatione animi, & propensissima observantia in eos honorum & dignitatum

gradus,

gradus, quos ab exordio rei Christianæ Christus in Ecclesia sua statuerat; cum Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas deprimere sibique subjicere moliebatur. Id testatum facit Leo scriptis ad eum litteris: *Novu ambitione Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas antiquis dignitatis suæ privilegiis privare contendens, contra omne fas & jus tuo dominio subjugare conaris.* Itaque imperium illud supremum & tyrannicum Episcopi Constantinopolitani nondum tunc prorsus confirmatum erat, licèt titulum Patriarchæ Oecumenici sibi arrogaret. Exprobrabat hoc ipsum illi Pontifex, & hoc ipsum maximè telo configebat, quòd nec Petrus, nec Petri successorum ullus tam prodigiosum superbiæ prænomen usurpasset. *Nullus tam prodigioso prænomine consensit penitus appellari.*

*Epist. 6.*

Cùm Episcopus Constantinopolitanus primatum & universalitatem Romanæ Ecclesiæ inde fluxisse jactaret, quòd urbs Roma orbi imperaret: cúmque ex eo spem foveret improbam, æqualem aut certè proximum se auctoritatis apicem sortitum esse, quòd Constantinopolis nova esset Roma: operæ pretium duxi, hîc adferre quæ in hanc rem scripsit Otto Frisingensis Episcopus, ea tum eruditionis, tum sanctitatis laude præfulgens, quæ natalium splendorem posset obscurare. Quærit autem ille, cur Deus, qui orbem eo consilio condidit, ut in eo & gloriæ suæ monumenta ederet sempiternæ, & Ecclesiæ suæ jaceret fundamenta, qui denique Imperia per orbem & per sæcula omnia nutu suo dispensat: cur, inquam, Romano Imperio & firmitatem & diuturnitatem addiderit tantam, quantam nulli antea Imperio. Respondet verò nihil veri similius dici posse, quàm id eò factum, quòd Romæ constabiliendus esset aliquando Ecclesiæ Christi principatus. *Non ergo fortuitis casibus, nec falsorum Deorum cultui, sed Deo vero, formanti lucem, & creanti tenebras adscribendum reor, quòd ad tantum fastigium principatus que Monarchiam, ex humili ac paupere statu Romanorum Respublica crevit. Quare autem illi populo, vel illi urbi hanc potiùs gratiam quàm aliis contulerit, discutere non possumus, nisi fortè ex Principis Apostolorum meritis, quem ibi sessurum prævidit, super quem Ecclesiam suam etiam se fundaturum promisit, factum dicam. Ut videlicet locus qui propter Principis Apostolorum cathedram super universam principaturus erat Ecclesiam, gentium quoque, unde Fideles congregandi erant, antè perficeret Monarchiam. Pulcrè igitur eadem urbs antea fuit Caput mundi, quæ postmodum futura fuit Caput Ecclesiæ.*

*Chron. l. 3. in prolog.*

Erat Otto sanguinis propinquitate Friderico Ænobarbo & Conrado III. Imperatoribus conjunctissimus, tractandis Imperii negotiis implicatus diu fuerat: & in hunc tamen modum sentiebat, orbem ipsum à Deo fabricatum eo fine, ut Ecclesiæ & Religioni inserviret: omnia Imperia à Deo dispensari regique, ut Christi Imperio famulentur. Denique in illud majestatis potestatisque temporalis culmen provectam eo fine fuisse Romam, ut faciliùs fundaretur, & per orbem sic Romano Imperio adunatum, sic perpacatum propagaretur Ecclesia, Ecclesiarumque mater & princeps Romana Ecclesia. Non facilè in hanc sententiam descendent, qui contemplandis divinæ Providentiæ consiliis secretioribus, aut nunquam, aut rarò animum adjecere. Et tamen ex illa summi Imperatoris Christi invisibili aula dispensantur torquenturque hîc omnia, ut temporalia omnia æternitati serviant.

VI. Id effecit Michaëlis Patriarchæ ambitio, ut Ecclesia Græca tunc à Romana divelleretur. Imperium Orientale Manuël Imperator Romano Pontifici Alexandro IV. omnino subjecisset, si vicissim Pontifex, quem tunc acriter insectabatur Fridericus Ænobarbus, animum induxisset, ut Imperium Occidentale Imperatoribus Constantinopolitanis, quibus quondam paruerat, rursum subjiceret: *Ut sub uno Ecclesiæ Capite uterque populus & Clerus Latinus & Græcus, perpetua unitate subsisterent; petebat ut Romani coronæ Imperii in sede Apostolica redderetur, quod non ad Friderici, sed ad suum jus asseveres pertinere.*

*Baron. ann. 1166 n. 17.*

*Idem anno 1170. n. 54.*

Sæpiùs tentata eadem res est, sed inauspicatò. Nec enim satis certam stabilemque fore pacem Ecclesiæ augurabatur Pontifex, quæ ambitiosis Græci Principis machinationibus inniteretur. Non injuria conjiciet quis eò etiam illectos Imperatores Græcos, ut in communionem precum & in spiritalem quandam societatem à Cluniacensibus Monachis admitterentur, quibus & Constantinopoli Ecclesiam concesserant, ut patet ex Epistolis Petri Cluniacensis.

VII. Non temerè autem præfatus sum Manuëlem Imperatorem omnino Ecclesiæ Romanæ Orientalem conciliaturum fuisse, si Romanus Pontifex in Occidentalis Imperii possessionem illum revocasset. Ita enim statuo, illa Græcorum à Latinis animorum alienatione, permolestaque & diuturna dissensione, vinculum ipsum & fœdus utriusque Ecclesiæ nunquam omnino scissum funditusque abruptum fuisse. Ita prorsus Bernardus pertinaciam Græcorum & infidam pacem insimulat, non fidei discrepantiam; quanquam vereatur, ne vel in fide suo demum tempore vacillare cœperint: *Adde & de pertinacia Græcorum, qui nobiscum sunt, & nobiscum non sunt: juncti fide, pace divisi. Quanquam & in fide ipsa claudicaverint à semitis rectis.* Hæc ultima verba non ad hoc valent, ut jam in errorem impegissent Græci, sed ut propenderent: non dixisset enim *fide junctos*, si qua jam hæresi contaminati fuissent: nec in fide claudicare dixisset, nisi ab hæresi prope jam abesse intellexisset. Adde quod Petrus Cluniacensis Abbas mutuam precum & amicitiæ societatem inierat cum Constantinopolitanis Imperatoribus, quæ parùm consentanea fuisset, si eos vel hæreseos vel schismatis affines existimasset. Denique Michaëlis etiam Cerularii Patriarchæ Constantinopolitani temporè, Patriarchæ Hierosolymitanus, Antiochenus & Alexandrinus Romani Pontificis nomen in tabulis Ecclesiasticis recitabant, ut vel ex ipsa constat Michaëlis Patriarchæ Epistola.

*L. 3. de Consid.*

*Baron. an. 1054. n. 32.*

VIII. Non ergo fides adhibenda est Balsamoni Patriarchæ Græco Antiochiæ, dum scribit à Romano Pontifice abhorruisse Græcos, & Latinos ab Ecclesiis Orientalibus in hæreticorum albo censeri. Has Balsamonis calumnias dispunxerunt Græci ipsi, ac præ cæteris Demetrius Chomatenus Bulgariæ Archiepiscopus in responsis ad Constantinum Cabasilam Archiepiscopum Dyrrachiensem. Fatetur enim Demetrius Balsamonem duriùs acerbiùsque in Latinos invectum fuisse, cùm nulla eos Græcorum Synodus rejecerit, nulla ut hæreticos publicè damnarit; cùm denique Græci Latinique uno adhuc communionis non civilis tantùm, sed & sacræ precum communionis vinculo constringerentur. *Huic responso Balsamonis præclari multi viri tunc non sunt suffragati, ut quod multum duritiei & acerbitatis haberet: nec convenientis reprehensionis Latinicarum formarum & morum. Et quod, inquiunt, hæc synodaliter decreta non*

*Iuris Orien. pag. 321. 322. 323.*

*sint, neque ipsi ut hæretici publicè rejecti fuerint, sed & simul nobiscum cibum sumant & precentur.* Postremò affirmat idem Demetrius in eadem secum sententia esse Theophylactum Bulgariæ Archiepiscopum, virum doctrina & sanctimonia cum primis illustrem, dissentire autem vehementissimè à Balsamone.

Nec admodum difficile est explorare quibus de caussis Balsamonis animus tantopere exasperatus fuerit in Latinos. Antiochiæ Patriarcham creaverant illum Græci. Sed eidem urbi præerat tunc Patriarcha Latinus, suprema succinctus potestate, ut infrà suo loco edisseremus: adeo ut Balsamonem ne consistere quidem Antiochiæ, ac ne propiùs quidem accedere pateretur. Sensum ipse doloremque suum dissimulare non potuit, nec sibi temperavit, quin amarulentis verbis quereretur, quòd Græci Hierosolyma proscripti fuissent à Sarracenis, à Latinis Antiochia, Tharso ab Armenis.

*In Can. 16. Antioch. Synod.*

IX. Cæterùm non duos illos tantùm Archiepiscopos Græcos Balsamoni objicimus; sed publicum ipsum usum, & disciplinam Græcorum, qui Latinorum Ecclesias, præsertim Romæ, precum ergo frequentabant, & maximè Petri, nec sacra communione arcebant Latinos, cum ad Græcas Ecclesias ventitabant intereranteque sacris.

*Juris Orien. L. 1. p. 321. 322.*

Missas facio litteras Hadriani Papæ IV. ad Basilicum Thessalonicæ Archiepiscopum, mutuasque Basilici ad Pontificem, quæ in Jure Orientali referuntur. Indolescebat Pontifex schismati Ecclesiæ Constantinopolitanæ: leniebat dolorem ejus Basilicus, hoc maximè argumento, quòd utraque Ecclesia ejusdem doctrinæ nexu sibi mutuo cohæreret. *Eadem tecum prædicamus & docemus, ego iique omnes qui ad magnam Apostolicamque sedem Constantinopolitanam pertinemus.* Et de iisdem Sacramentis: *Unus in utrisque Ecclesiis personat sermo fidei, idemque sacrificatur Agnus.* Porro si qua superesset dissensionum fibra, eam à Pontifice Romano extirpandam esse, ob sedis suæ prærogativam: tam præclaris conatibus Manuëlem Imperatorem nulla re, non officio, non industria, non authoritate sua defuturum.

*Ibid p. 305. 307. 308.*

Pernecessaria mihi quidem visa sunt hæc, rei alioqui apud multos ambiguæ elucidamenta, ut constaret quàm temerè Balsamon scripserit, interdicendos esse sacris Latinos in Ecclesiis Græcis, quòd jamdiu Romana Ecclesia sejuncta esset à communione quatuor aliorum Patriarcharum. *Quoniam ante annos multos Occidentalis Ecclesia, Romana inquam celebris conventus divisus est ab aliorum quatuor sanctorum Patriarcharum spiritali communione.* Huic Balsamonis maledicentiæ refragati sunt reliqui Ecclesiæ Græcæ Præsules, gnari dissentiunculis illis quæ subinde ebulliebant Romanos inter & Constantinopolitanos Antistites, non posse abrumpi antiquissimam necessitudinem atque unitatem quinque Patriarchalium sedium, quæ instar habebant Capitum in Ecclesia, in unum sub Petro & cum Petro Caput coalescentium.

*Ibid. p. 370.*

Hinc Patriarchæ Græci aut ipsi, aut per Legatos interfuere Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. ejusque decreta Græcæ linguæ donata retinuerunt, ut in ultima Conciliorum editione Parisiensi videre est.

*Anno 1215. Abbas Usperg. Conc. Gen. To. 11. Part. 2. pag. 153. 39. 236.*

X. Et hoc ipsum sanè Concilium non aliud cum Græcis expostulat, quàm quòd ab aliquanto jam tempore Græci minùs reverenter Apostolicæ sedi obtemperaverint: quodque eorum aliqui ab Ecclesiæ Latinæ ritibus insania nescio qua sese alienaverint. Denique excitatis Græcis ad obsequium, utque ad ritus, ad mores & ad disciplinam Capitis sui sese accommodent: *Conformantes se, tanquam obedientiæ filii, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matri sua, ut sit unum ovile, & unus Pastor*, confirmat hæc Synodus ordinem priscum Patriarcharum, Constantinopolitanum Alexandrino cæterisque præponit, prudentissima & summis laudibus extollenda indulgentia; denique jubet eos à Papa pallium accipere, idem ipsum postea suffraganeis suis concessuros, quos & ad sacramentum obedientiæ sibi Papæque præstandam adigent; cui & ipsi eodem antè se obligaverint sacramento, utpote quod à pallii genio individuum quodammodo sit.

*Can. 4. 5.*

Editiones Conciliorum varias & Annales Ecclesiasticos pervolutanti, occurrent renovatæ exinde sæpiùs ambas inter Ecclesias confœderationes, sive uniones, maximè autem in Concilio Lugdunensi II. quæ tertia decima dicitur à coævis Scriptoribus. Unam eam in rem maximè ibi laboratum est, ut superbum verticem principatui Petri in Romana sede inclinaret Patriarcha Constantinopolitanus. Ea porro subjectionis testificatio tantò in dies magis magisque necessaria evadebat, quòd ipsa Græcorum fides teste Bernardo cœperat maculari & à seipsa dissidere. Usque adeo dissensiones animorum si diuturnæ sunt inter Pastores, ipsius tandem doctrinæ fideique consensionem debilitant perimuntque.

*An. 1274. Conc. Gen. To. 11. pag. 460. 611. 918. 919. 958. 966. 994. 1032. &c.*

XI. Ut de alternis tandiu consensionibus dissensionibusque Græcorum ac Latinorum æquum feratur judicium, observare necesse est omnes Antistites & Patriarchas Græcorum in Concilio Florentino sedisse, velut Catholicos Antistites, eandemque retinuisse dignitatem, quam in priscis utriusque Ecclesiæ Conciliis obtinuerant. Denique quod magis mirere, ita composita pax est ante finem Concilii, ut hinc & hinc profiterentur, eandem fuisse hactenus Græcorum Latinorumque fidem, etiam de processione Spiritûs sancti: de solis quippe verbis controversiam fuisse, cùm unam communemque doctrinam aliis alii verbis exponerent.

*An. 1439.*

XII. In Acheriano Spicilegio editi nuperrimè fuere luculentissimi Dialogi Anselmi Episcopi Havelbergensis, Eugenii III. Papæ jussu olim scripti, eidemque dicati, ut Latinos suos edoceret, quid actitatum esset in Collationibus quas ipse cum Græcorum doctissimis habuerat Constantinopoli; cùm ibi Legati partes ageret pro Imperatore Lothario II. Perhibet autem eruditissimus Præsul ita quidem vulgo ferri, quod Græci non credant Spiritum sanctum à Filio procedere: *dicuntur non credere:* nequaquam autem affirmat eos non id credere. Quin ex adverso Nechites Archiepiscopus Nicomediensis, qui in Collationibus his publicis cum Anselmo manus conserebat, constanter negat à Græcis unquam negatum esse, quod Spiritus sanctus à Filio procedat: sed ab illis id disertè affirmatum non fuisse, quod nec expressè id in Scripturis legatur; si quando autem excidisset ut id negarent, disputationis æstu abreptos negasse, ut retunderent importunitatem Latinorum quorundam, qui Constantinopolin ad lacessendos venerant Græcos. *Siquidem majores nostri hujus processionis verbum affirmativum, Procedit à Filio, humiliter hactenus vitaverunt; ignorantes quidem rei veritatem, & caventes vocis temeritatem. Verbum verò negativum, non procedit à Filio, etiam nunquam dixerunt, metuentes errorem, & fugientes offensionem scripturæ, neutrum manifestè dicentis: Nisi fortè irritati, & aliquorum Latinorum hoc temerè affirmantium improbitate commoti: qui in supercilio suo ad*

*Spicil. To. 13 pag. 120. 176. 187. 190. 194. 209. 212. 232.*

*nos venientes, scientiolam suam voluerunt ostendere, & conati sunt fastu superbiæ magnam Græcorum sapientiam opprimere, &c.*

Hinc liquet, utriusque gentis dissidia non aliunde fere profecta esse, quàm ex æmulatione & animorum inquieta semper levitate. Quod rursus micat ex eo, quòd cùm Anselmus explanasset Latinorum doctrinam & fidem, eaque illam condulcasset modestia, lenitate, atque animi moderatione, qua causæ fidei & pietatis semper condiendæ sunt, confessus sit Nicomediensis Antistes incunctanter, hanc esse verè Catholicam fidem, ut quæ nihil redoleret ejus supercilii & jactantiæ, quam Latini in disceptandis quibuslibet quæstionibus cum Græcis, hactenus præ se tulissent. *Videor mihi invenisse hominem Latinum verè Catholicum. Vtinam tales Latini istis temporibus ad nos venirent. Nam si aliqui veniunt, ambulant in magnis & in mirabilibus super se, & nunquam talia, nec tam Catholica, nec tam humilia, sed superba & intolerabilia nobis loquuntur.* Postremò eò tandem res evasit, ut cùm Græcus Archiepiscopus audisset expositionem fidei à Theologo isto, patis sapientiæ animique moderationis, & magnopere versato in antiquorum utriusque Ecclesiæ Patrum patritia verè Theologia, ad unguem sibi per omnia consentiente: non potuerit non statim intelligere ac profiteri palam, Græcis Latinisque indubitatissimè convenire, tametsi verbis aliquantulum discreparent; cùm certatim utrique Ecclesiæ suæ antiquis Patribus Theologisque concinerent, de quorum inter se concentu ne locus quidem dubitandi ullus erat, cùm eadem frequentassent Concilia, in eadem consenuissent Ecclesia, & intemeratam semper inter se pacem aluissent. *Nechites Archiepiscopus Nicomediæ dixit: Satis videmur jam posse convenire, quia & nostri & vestri Doctores non inveniuntur usquequaque in hac sententia discrepare; si tamen eorum scripta rectè intelligantur, qui vel apud nos, vel apud vos de hac quæstione diligentiùs scripsisse inveniuntur.* Non minùs Archiepiscopi animum Anselmi moderatio, quàm rationum momenta perculerant. Nec Archiepiscopus id dissimulavit. *Tuam humilitatem, frater charissime, amplector, nequaquam possum non commoveri te loquente: assentio etiam omnibus quæ dixisti, & accedo toto animo, & toto corpore.* Anselmus porro ab hac disputatione de processione Spiritûs sancti ad alias quæstiones digressus est, tunc controversas: de iis quæ ad Romanum Pontificem pertinent fusè disseruit, nec ab ejus sententia abhorrebat Archiepiscopus in iis saltem rebus quæ majoris erant momenti, significans exoptari à se Generale Concilium, ut ad eosdem mores ritusque utraque se aptaret Ecclesia, & minimarum etiam rerum una forma ac disciplinæ consensio restitueretur. *Quia verò non in magnis, sed in minimis aliquatenus discrepare videmur; quæ licèt salutem animarum non impediant, tamen charitatem non ædificant: summo studio elaborandum esset, ut Concilium generale fieret, &c.*

In Concilio Florentino Bessario Cardinalis in hæc eadem ingressus est vestigia ad sanciendam utriusque Ecclesiæ concordiam, quæ antè hic ipse Anselmus impresserat; utriusque enim Ecclesiæ Patres vehementer inter se consensisse, ab his hinc & inde nunquam dissensisse Græcos & Latinos, adeoque præter opinionem & hos & illos conjunctissimos sibi semper fuisse. Auctor est Ottho Frisingensis Anselmum ab Oriente reducem donatum fuisse ab Imperatore Archiepiscopatu Ravennæ, ejusdemque Provinciæ regimine, quòd feliciter commissa sibi Legatione fuisset perfunctus. *Laboris sui magnificam recompensationem à Principe accepit.* *L. 2. de gestis Frid. c. 20.*

XIII. Accedit ad hæc, quod quandiu Latini in 11.
Oriente victricia in Sarracenos arma circumtulere, in Catholicorum populorum numero semper habuerimus Græcos: ejusdem nobiscum fidei & communionis consortes; ac vicissim Græci Latinos amplexati sint, non aliter quàm ut antiquæ libertatis suæ vindices. Baldericus Dolensis Antistes agens de Antiochia obsessa & capta à nostris, ait ea in urbe Ecclesias extitisse supra trecentas, & ejus Patriarchæ paruisse Episcopos centum quinquaginta tres. *L. 3.* Albertus Canonicus Aquensis, qui historias quoque texuit bellorum sacrorum, refert Gotrofredum Bullionium ab Imperatore Græco in filium adoptatum: ejusdem se clientem seu vassallum professum fuisse Imperatoris, cum suis Primoribus, Hominiumque ut vocant præstitisse. *L. 2.* Neuter in hunc modum se gessisset, in causa maximè Religionis, nisi eadem se fide imbutos sensissent. Addit idem Albertus à nobis expugnata Antiochia Græcos Græcumque Patriarcham ipsum in suas Ecclesias restitutos fuisse, ut verè Catholicos. *L. 5.* *Cultores Catholicos in exequendis ibidem divinis mysteriis restituentes, in omni Clero tam Græcorum, quàm Latinorum, Patriarcham, quem Turci dum adhuc Christianorum obsidione circumdarentur, sæpius ad mœnia funibus suspenderant, decenter in Cathedra sua relocaverunt.* Capta autem Hierosolyma ex eodem Scriptore, nostri novum sublegerunt Patriarcham, quòd Græcus Patriarcha ejusdem urbis interim vita cessisset in insula Cypro, quo se receperat, ad declinandas Turcorum molestias. Porro dum superstes fuit Patriarcha, obsidentes Hierosolymam Latinos muneribus, fructuum copia, & levamentis quibuscumque non destitit recreare, sperans capta urbe suæ se sedi restitutum iri: *Sperans sub iisdem Principibus Ecclesia restaurata pacificè servire, atque præesse.* *L. 6.* Sed nondum finita obsidione in cælestem evolavit Hierosolymam, quo compulsi sunt Latini novum Patriarcham subrogare. *Sicque Ecclesia suo Pastore viduata remansit. Quapropter, &c.*

Ad Vuillelmum Tyrium venio, quo referente Symeon Hierosolymæ Patriarcha, sic Petrum Eremitam alloquebatur, illum ipsum primi belli sacri incentorem & signiferum: quasi spes Græcorum Palæstinæ Catholicorum tota penderet ab armis precibusque Latinæ Ecclesiæ: quippe jamdiu Sarracenorum jugo premebantur. *Si vester verè Dei cultor populus, præsentibus fraterna pietate compati vellet.* *L. 1. c. 11.* Scriptis idem Patriarcha litteris ad Romanum Pontificem & ad Occidentis Principes, quasi tubam cecinit belli sacri. Nec sua illum fefellit spes. Urbanus II. in Concilio Claromontano ad capessenda pro Christo arma & ad recuperandam Christiano nomini Palæstinam sic cohortabatur omnes, ut tanquam germanis fratribus, tanquam unius secum corporis membris opitulari, hoc est, fidelibus Græcis in Palæstina degentibus succurrere properarent. *Vt fratribus vestris & cælestis Regni cohæredibus, omnes enim sumus invicem membra, qui in Hierosolymis & in finibus ejus habitant, compatientes, &c.* *ibid. c. 15.*

Idem Vuillelmus Tyrius de Patriarcha Græco Antiochiæ, eo tempore, quo eam urbem ab Infidelibus infessam expugnabamus, sic verba facit, ut de Catholico Præsule. Subjicit ejus ditioni viginti Provincias, quarum quatuordecim suis singulæ subessent Metropolitis, sex aliis in duos Exarchos distributis. *Viginti Provincias in sua jurisdictione ejus-* *ibi l. 4. c. 9.*

Tom. I.

*dem Deo amabilis civitatis dicitur habere Patriarcha, quarum quatuordecim singulos habent Metropolitas cum suis suffraganeis: sex verò reliqua sub duobus Primatibus, qui vulgari appellatione dicuntur Catholici, quorum alter est Aniensis, alter verò Hirinopolitanus, qui est Baldacensis cum eorum suffraganeis disponuntur. Quæ omnes Oriens videlicet nuncupatur, &c.* Addit Vuillelmus multa passum esse Patriarcham eundem à Sarracenis in ipsa urbe Antiochia, dum hanc obsidione premeremus, & eam an mi infractam constantiam adhibuisse, quæ Christi confessorem egregium de-

L. 6. c. 23. ceret. *Tanquam verus Christi confessor.* Itaque statim capta urbe, illum suæ reddidimus dignitati, nemini que in mentem venit de Patriarcha novo creando, quandiu ille in vivis egit. Sed biennio pòst conscius sibi ipse, & expertus quàm administrandæ Latinorum plebi minus aptus esset Græcus Pontifex, Constantinopolim sua ipse sponte secessit, & tum demum creatus à nobis est Patriarcha Latinus. *In sede propria cum multo honore eum locaverunt. Nostra verò Latinitatis Patriarcham, eo vivente qui pridem ibi ordinatus fuerat, eligere vel conservare non præsumpserunt. Sed postmodum vix evoluto biennio videns ipse quod non satis utiliter præesset Græcus Latinis, urbe cedens Constantinopolim abiit. Post cujus discessum convenientes civitatis clerus & populus sibi præfecerunt Patriarcham.* Manifestè hinc præter Græcos tom & Latinos verè Catholicos sibi invicem visos esse, atque unius Ec-

L. 11. c. 67 clesiæ Catholicæ membra. Idem rursus emicat ex eo quod cum Antiochiam & Hierosolymam jamjam circumvallaturi erant Latini, complures Græcorum à Sarracenis passim contrucidabantur, ut qui nos ad suppetias ipsis fecendas vocassent. *Multos occiderunt, suspectos eos habentes, quod Occidentales Principes litte-*

L. 12. c. 10 *ris & nuntiis evocassent.* Hinc tanta in urbe Hierosolyma vastitas, ac raritas incolarum, ubi eam invasimus. Balduinus Rex Syros in eam inducere longè adscitos coactus fuit.

Nonnisi verò post mortem Manuelis Imperatoris cœperunt Græci Latinos incessere & hæreticos insimulare, ob nonnullas externorum rituum diversitates, quæ hactenus promiscuæ & indifferentes habebantur. Verùm ut idoneus testis idem Tyrius advertit, dum impuber adhuc regnaret Alexis Manuelis filius & successor, his cœpere Græci Latinos lacessere conviciis, nimirum doloris impatientia, quòd tamdiu Latini gratia floruissent apud Manuelem, eosque potestate & opibus anteirent. *Odiorum fomitem ministrante sacramentorum inter nos & eos differentia. Arrogantes supra modum & à Romana Ecclesia separati per insolentiam, hæreticum omnem eum reputant, qui eorum frivolas non sequitur traditiones.* Nunquam tamen diuturna fuere hæc odia, ut abundè patuit ex iis quæ suprà de rebus sub Innocentio III. gestis diximus.

Facilè confirmari possent quæ ex Vuillelmo Tyrio superiùs decerpta sunt, suffragatione Jacobi de

Cap. 56. 74 Vitriaco in historia Hierosolymitana. Addit præterea Jacobus, Metropolitanum Latinio urbis Petræ, cui Arabicum idemque sonans nomen est *Crac*, subesse Episcopum Græcum montis Sinai, qui & Abbatis munia implet in Monasterio sanctæ Catharinæ, ubi & sedem habet. Refert etiam paulò inferiùs nonnunquam Latinos à Græcis haberi, quasi fidei & Catholicæ communionis extorres; sed inscitiæ Græcorum quotumdam id adscribi; paulò peritiores enim eorum non abnuebant, quin etiam à Filio Spiritus sanctus procederet, quanquam nihil ejusmodi in publica fidei confessione proferrentur, ideoque nec id privatim disertis verbis exprimerent. *Sicut enim Latini Spiritum sanctum à Filio procedere confitentur, ita qui sapientiores sunt inter Græcos eandem sententiam non negant, licet formam verborum non recipiant, eò quòd nusquam apud se talem verborum formam reperiant.* Postremò nunquam ex eodem Jacobo Latini Græcos in hæreticorum numero habuere, per ea certè tempora: quòd non nescirent quantum interponendum esset discriminis inter Nationum mutuò sibi infensarum odia, vel disciplinæ moremque dissidia, atque capitalia fidei Catholicæ dogmata.

Arnoldus Abbas Lubecensis de profectione differens Saxonici Ducis in Palæstinam, non filuit P. *L. 3. c. 5.* sulum, qui se illi comites adjunxerant, Constantinopoli habitas cum Græcis Collationes de eadem Spiritûs sancti processione; sed nec illud tacoit, in Catholicis patribus semper numeratos fuisse tunc Græcos à Latinis: *Nunc erratus, Catholici & religiosi viri.*

XIV. Atque ad id usque ævi ea fuit conditio antiquorum Patriarcharum, ea cum Romano Antistite vel inter se consensio. Redeo jam ad Ottonem Episcopum Frisingensem, qui tam magnificè suprà omnes sentire visus est de Romanæ Ecclesiæ fastigio, & cui persuasum fuit, temporalem principatum orbis universi Romanis à Deo commendatum fuisse, eo consilio potissimum & fructu, ut facilius Christi Ecclesia & sacerdotale Pontificum ejus regnum per orbem se diffunderet, & convalesceret. Subjungit autem mox Regiis in urbibus Imperii Græcorum, Alexandriæ & Antiochiæ constitutas quoque fuisse Patriarchales Ecclesias, jam inde à primis Christianæ fidei cunabulis; eodem denique dotatas esse privilegio, quamvis aliquantò tardius, Constantinopolim & Hierosolymam: illam quidem quòd Imperatorio solio, hanc quòd Christi sepulcro, cui Imperatores pronè advolverentur, esset nobilitata. *Unde hæ duæ civitates processu temporis cum Ecclesia à primitivis Patribus secundum distributionem gentium ordinaretur, tanquam post Romanam urbem dignissima, ad instar ipsius urbis sola Patriarchales sedes habere meruere. Constantinopolitana siquidem & Hierosolymitana postmodum crescente Ecclesia; altera ob Imperii sedem altera ob sanctum sepulcrum & antiquum illud, ac toti orbi venerabile Domini Templum Patriarchales sedes permissione Patrum sortita sunt.*

Ita quod de Primatialibus & Metropolitanis Ecclesiis inficiari non possumus, Otto de Patriarchalibus etiam his, Alexandrina, Antiochena & Constantinopolitana ultro confitetur; defixas illas esse in iis urbibus, quæ vel in Imperio, vel in Regnis, vel denique in Provinciis dominarentur, ut liberior fieret cursus fidei & jurisdictionis Ecclesiasticæ provida hac accommodatione ad civitatum dignitatem & ubertatem copiarum temporalium. Hoc fixo & statuto, faciliùs absolvetur nodus ille, altoquì perplexus, cur Alexandrina Ecclesia Antiochenæ sit antepositа. Divina institutione fundatum esse Episcopatum indubium nobis est; & providè tamen decrevit Ecclesia, ne nisi in majoribus urbibus desigantur sedes Episcopales. Divina fide indubium est, fundatum à Christo ipso esse principatum sedis Petri, Petrique successorum. Sedem hanc Petri in urbe orbis principe ipsa collocavit Numinis providentia. Non injuriâ ergo hinc argumentabimur, cæteras quoque dignitates sacras, seu Patriarchales, seu Exarchicas, seu Metropolitanas in maximis & florentissimis quibusque sui territorii civitatibus

constituendas fuisse, quanquam earum splendor & amplitudo non à terra, sed è cælo, & à Deo omnino defluat.

---

## CAPUT XVI, *P. 4. l. 1. c. 3.*

### De Patriarchis Græcis in particulari, ab anno Christi millesimo.

*I. Per Orientem universum sparsa erant Monasteria, quæ à solo Patriarcha Constantinop. immediate pendebant.*

*II. In electionibus etiam Abbatum dominabatur ejus authoritas, vesana Monachorum ludificatione, qui duos eligebant, ut alterum ex iis unum ipse eligeret: aut illis repudiatis alium quemlibet.*

*III. Quaquaversum Legatos à latere dimittebat, facultatibus instructos, non multùm absimilibus earum, quibus muniuntur Legati Romanæ sedis.*

*IV. Lateranensi in Concilio IV. cui interfuere Patriarchæ Orientis, jura certa præfixit Innocentius III. quibus tum illi fruerentur, tum Latini.*

*V. Postquam capta est à Latinis Constantinopolis, Latinus ejus urbis Patriarcha creatus, in recentia Græci vestigia ingredi voluit. De Ecclesia Thessalonicensi.*

*VI. Quàm late se exporrigeret ditio Patriarchæ Alexandrini. De Ecclesia Carthaginensi.*

*VII. De Ecclesia Antiochena.*

*VIII. Quo nunc statu sint hæ Ecclesiæ.*

*IX. Græci, Melchitæ, Syri iidem prorsus sunt.*

*X. Quam prono nunc sint animo Patriarchæ isti semper ad societatem & concordiam cum Romana Ecclesia resarciendam.*

HOc maximè Patriarchis aliis præstabat Constantinopolitanus, quòd in plura cœnobia per totum Imperium sparsa immediato summoque jure uteretur. Inde est, quod Michaëlis Palæologi Imperatoris furor in Joannem Veccum Patriarcham ubi efferbuit, Monasteria istiusmodi ejus potestati subduxerit, editaque Novella propriis locorum
Pachymeres L. 5. c. 11. Episcopis subjecerit. *Prodiit Novella Imperatoris, ut quæ ubicumque loca vel Monasteria Patriarchæ uni subjecta eatenus censebantur, ea deinceps Episcopis, quorum illa propriæ Diœcesi essent, jure ordinario subjacerent.* Ita Pachymeres. Ægrè ferebant jamdudum Episcopi hanc effusissimam Patriarchæ jurisdictionem extra fines privati sui territorii & Episcopatûs: *Episcopos multos offendebant ista in propriis Diœcesibus exceptiones locorum subtractorum ordinariæ ipsorum potestati, ac Patriarchæ authoritati subjectorum.* Nec dissimulabant ipsi quid ea de re sentirent, nimirum nihilo plus potestatis usurpare posse Patriarcham in Episcopalibus suis Diœcesibus, quàm Episcopos singulos in Constantinopolitana. *Passim contendebant non plus juris Constantinopolitano in alienas diœceses, quàm cuique ipsorum in Constantinopolitanam esse.* Nec animum interim advertebant, ita evanescere Oecumenici Patriarchæ titulum, quo illi blandiebantur. *Quod qui dicebat, non intelligebat eripere se Patriarchæ titulum Oecumenici, quippe quem circumcluderet urbe Constantinopoli.* Ita authore Pachymere, à quo mendicata hæc sunt, coarctabatur Oecumenica Patriarchæ Constantinopolitani potestas intra angustos fines Episcopatûs Byzantini, abrogato illius jure in cœnobia, quæ hactenus per Orientem omnem immediatè rexerat.

II. Nec diu, ut par est credere, viguit hæc Imperatoris Constitutio, quam ira extorserat. Antiquius enim illi erat & usitatius, quia & utilius Patriarchæ jura amplificare. Id ab uno exemplo discere licet, ubi & morbum & morbi curationem perdiscemus. Narrat Cælestinus Papa damnatque abusum, qui Capitulis in quibusdam Cœnobiisque inoleverat; hæc porro ejus sunt verba: *Conventus duas personas nominat, latenter auribus Patriarchæ vel Principis exprimendas, ut sic alterius eligendæ, vel totius electionis potiùs irritandæ, idem Patriarcha vel Princeps plenariam habeat facultatem.* Suberat ergo clancularia collusio eligentium cum Patriarcha, cujus erat confirmare electionem; aut ea rescissa alium nominare, si electus oneri esset impar. Indignos ergo eligebant, ut eligendi potestas in Patriarcham vel in Imperatorem recideret, quibus facilè conveniebat, ut in electionibus eorum dominaretur voluntas. C. Cum terra. Extra De elect.

III. De Latinis Ecclesiæ Orientalis Patriarchis alibi sermo instituetur. Hic observare juvat enormes illas Latini Patriarchæ Constantinopolitani usurpationes, quas reprimere conatus est Honorius III. non aliud fortitan fuisse, quàm illas ipsas prærogativas, quas jam pridem invaserat Græcus Patriarcha. Uno verbo omnia complectère, si dicas, agebat ille summum in Oriente Pontificem; in totum, quàm latissimè patebat, Patriarchatum suum Legatos à latere mittebat cum eadem plenitudine potestatis, qua Pontificii gaudent Legati: hi de nullis non causis & primò judicabant, & per appellationem; aliorum Episcoporum, & quidem ipsis inconsultis, homines anathemate feriebant, solvebant excommunicatos ab aliis, Episcopos ab Metropolitanorum jugo absolvebant, non sinebant à se provocari ad sedem Apostolicam; ob violentas in Clericos injectas manus si qui essent sacris interdicti, eos altaribus iisdem sacris reconciliabant; denique suo arbitratu beneficia conferebant, impatientes legum Canonumque, quos nuper Lateranense Concilium promulgaverat. Hæc erant omnino quæ Patriarcha Latinus per fas & nefas audebat: cùm effrænem hanc licentiam non posset nisi Constantinopolitani antè Patriarchæ Græci exemplo prætexere. Ranol. an. 1218. n. 20. 27.

IV. In Concilio verò Lateranensi IV. Innocentius III. etsi honoratiorem præ cæteris Patriarchis locum Constantinopolitano addixerit, eique ordini etiam ab antiquitate authoritatem conciliarit: An. 1215.
*Antiqua Patriarchalium sedium privilegia renovantes:* nihil tamen potestatis in illos ab eo usurpari passus est. Quin hæc privilegia ex æquo inter eos communia esse sansit; primò pallium ut immediatè accipiant ab Apostolica sede, eique unà sacramento fidelitatis & obedientiæ se obligent. *Præstito sibi fidelitatis & obedientiæ sacramento.* Secundò ut ipsi similiter *suffraganeis suis pallium largiantur, recipientes pro se professionem Canonicam, & pro Ecclesia Romana sponsionem obedientiæ ab iisdem.* Tertiò ut crucem sibi præferri curent, ubivis gentium, præterquam Romæ, & ubi vel Papa, vel Papæ Legatus à latere aderit. Quartò ad ipsos appellari, ut possit in toto Patriarchatu, dum per eos liceat & ad Apostolicam sedem provocari.

V. Turpiter ergo allucinabatur Latinus Constantinopoleos Patriarcha, qui antiqua Græci Patriarchæ exempla sectari se posse sperabat: cùm Innocentius III. in hoc Lateranensi Concilio in eosdem pene limites contruserit Patriarchas etiam Græcos, atque Primates & Metropolitanos. Et hic sanè fuerat horum privilegiorum quondam modus, dum prima & castior vigeret Ecclesiæ juventa. Cùm porro huic Concilio adessent Patriarchæ Græci, ne in dubium quidem venire potest, quin & ipsi ejus legibus subjiciantur.

Si Græcorum ambitio hunc in potestatis modum

revocari potuisset, sospite tum obedientia quæ Capiti debetur, tum unitate Ecclesiæ Romanæ & universalis: in hujus integritate illam facilè assecuti essent auctoritatis amplitudinem, quam in ejus à se dilaceratæ parte frustra quæritant. Hanc labem sarcire Lateranensis, Lugdunensis, Florentina denique Synodus conata est: sed irritus cecidit tam pius, tam necessarius labor.

Matthæus Blastares Monachorum Græcorum non postremus, edita anno 1335. Canonum Legumque Collectione Alphabetica, docet ab Imperatore & Patriarcha, nimirum Constantinopolitano, fulciri & sustentari Ecclesiam; sedem Constantinopolitanam Primas obtinuisse in Conciliis, quòd Regia ibidem sit Imperii sedes; remittique ad Patriarchas Constantinopolitanos ab Imperatore, omnes eas causas, quæ ex omnibus aliis Patriarchatibus ad eum referuntur. *Unde Imperatorum sanctiones, lites in aliis Sedibus si quæ oriantur, ad hujusce Sedis cognitionem & judicium referri jubent.* Addit ille quid juris sibi rursum in alienis etiam Patriarchatibus Orientis Constantinopolitanus arrogasset, postquam eam urbem receperant Græci expugnatis & ejectis Latinis. *Præsuli verò Constantinopolitano licet etiam in aliorum thronorum districtu stauropegia largiri ubi necdum sunt templa dedicata; & lites quæ in aliis Provinciis moventur, observare & moderari, & penitus determinare. Ipse pariter & pœnitentiæ atque conversionis à delictis, ac hæresibus, & quidem solus constituitur exactor & explorator.* Quod eò redit, ut dicas servatam propriamque Constantinopolitano fuisse Indulgentiarum concessionem, graviorum absolutionem criminum, maximè hæreseos, potestatem eximendi Monachos ab Episcopali authoritate, denique majorum causarum judicia. Hæc primæ Sedis jurium æmulatio non nitebatur nisi favore & gratia Imperatorum, quos Græca æmulatio Conciliis generalibus superiores fingebat, ut Blastares ipse multis locis profitetur.

Attingendum hìc strictim aliquid est de Archiepiscopatu, seu potiùs Exarchatu Thessalonicensi. Capta Latinis Constantinopoli, Regnum Thessalonicæ sub Innocentio III. fundatum est. Multa eruditione refertam scripsit hic Pontifex Epistolam ad Archiepiscopum Latinum Thessalonicensem. Non tacuit quàm latè se funderet olim potestas ejus urbis Episcopi, cùm perpetua fungeretur legatione Apostolicæ sedis, sederetque post Patriarchas primus in Conciliis Generalibus. Denique Vicariatum eundem tum innovavit Innocentius, tum huic contulit. Illud autem sine piaculo prætermitti non potest, quòd satis apertè in hac ipsa Epistola insinuat Innocentius, tametsi schismate diuturno abscissa visa esset Ecclesia Græca à Romana, & in errores aliquos corruisse: Græcorum tamen complures etiam tunc temporis à sola *devotione & familiaritate sedis Apostolicæ* se subduxisse, cùm revera & erroris & schismatis immunes essent. Nec enim video qui aliter constare possint hæc verba Pontificis longè doctissimi: nisi alios, qui in errorem & schisma prolapsi essent, utpote secessionis faces & authores; & alios rursus distinguas, qui ab hac utraque contagione puri, desiissent officiis suis & priscis observantiæ significationibus Romanam Ecclesiam frequentare. Apponenda nunc sunt Innocentii verba:

Regest. 15 Epist. 18. *Etsi præfata Thessalonicensis Ecclesia à devotione ac familiaritate sedis Apostolicæ se subduxerit per schisma illud diutinum, quo Ecclesia Græcorum à via veritatis ad erroris invium declinavit; quia tamen hoc tempore per Dei gratiam ad devotionem pristinam est reversa: & ipsam in eadem, te studiosius operante, credimus permansuram.* Porro concordia hæc non multò diuturnior fuit, quàm Imperium Latinorum in Græcia, Thessalonicæ & Constantinopoli.

Denique restituta in integrum fuit ab hoc eodem Pontifice antiqua Primatia Trinoviensis in regno Bulgarorum, creatis Legati Pontificii ministerio Metropolitanis duobus, & Trinoviensi Primati subjectis, quem mitra, pallio, annuloque sacro muneratus est Innocentius, accepto vicissim ab eodem sacramento fidei & obedientiæ. Originem porro & incrementa antiqua Exarchatûs Thessalonicensis infrà persequemur Capite XVIII. Regest. 16. Epist. 105. Gesta Innoc. III. p. 54.

VI. Venio ad Alexandrinum Patriarcham, cui Nicæna Synodus videtur subjecisse Ægyptum, Libyam & Pentapolin tantùm: quòd eæ tantùm tunc Provinciæ, ut non ita procul sitæ, fidei lumine collustratæ fuissent. Docent nos Canones Arabici, quos Nicænis Canonibus ætas posterior attexuit, vel intexuit longè plures alios subinde; docent nos & Relationes postremæ hujus ætatis, Æthiopici Imperii Ecclesias omnes, aliasque circumfusas, ab Alexandrina fluxisse Ecclesia, eique ut parenti obnoxias semper extitisse. In Itinerario suo Æthiopico refert Alvares Abunam Abyssinorum, hoc enim nomine designatur eorum Primas aut Patriarcha, confirmari ordinarique debuisse ab Alexandrino. Subjungit præterea cùm duo Æthiopum Imperatores statuissent, ei deinceps Abunæ parere, qui non ab Alexandrino, sed à Romano Pontifice confirmatus esset: viginti & tribus annis viduatam luxisse Abunæ sedem; proindeque & plerasque tunc Pastoribus orbatas fuisse Ecclesias, quòd vastissimo in hoc Imperio Clericos unus ille ordinet. Quo factum est, ut à priori sententia discederent Imperatores, Abunamque ab Alexandrino postularent. Ille duos misit, quorum alter superstes alteri succederet. Affirmat Alvares ambos illos à se visos esse. Can. 6. Cap. 98. Morin. Exerc. Eccles. L. 1. c. 5.

Quod ad Africanas verò sex Provincias pertinet, quæ suberant Carthagini, eas nunquam in potestate habuit Patriarcha Alexandrinus. In promptu sunt rationes. Propiùs aberant Roma, quàm Alexandria. Id in causa erat, ut & lingua Latina ibi usitatissima esset, Coloniæ Romanorum frequentissimæ. Græcorum arma & Imperium audierant, non senserant; ideo nec eorùm linguam callebant. Fides ergo illis promulgari non potuit, nisi per Pastores Latinos, Roma missos. Ejus rei meminit Innocentius I. in Epistola quadam sua. Claret ergo ad Romanum potiùs, quàm ad Alexandrinum Patriarcham pertinuisse Africanas sex Provincias. Primatis quidem aut Exarchi jura & potestatem potest ibi explicuisse Carthaginensis Archiepiscopus, non Patriarchæ, cùm nusquam vetustissimis in monumentis Ecclesiarum hoc nomine insignitus legatur. Quin & de Primatis nomine cum eo certavit paulò ante annum 1053. Episcopus Gommitanus. Perlatum est jurgium ad Leonem IX. qui tunc Romanam sedem ornabat. Is non paucis Epistolis in Africam datis, Carthaginensem Præsulem priscis Ecclesiæ suæ insignibus juribus gaudere sanxit, quanquam tunc Carthaginis non superessent nisi ruinæ & rudera. Non immeritò tantæ civitati Ecclesiæque indoluit Pontifex, quæ ducentos olim Episcopos obnoxios suo fastigio habuerat; quorum quinque tunc, non plures supererant, iique non rarò inofficiosi aut contumaces. Frustra fuerat Gummitanus, cùm concidente Carthaginensi civitate,

Baron. n. 41. 42. n. 64. 65.

corruisse & Ecclesiam Carthaginensem speraret. Has Leonis Epistolas profert Baronius ad annum 1053. ad Clerum populumque Carthaginensem datas, qui infandis criminationibus Cyriacum Archiepiscopum suum furori objecerant Arabum, qui imperitabant tunc in Africa. Ad Cyriacum ipsum alias Epistolas Pontifex idem scripsit, ut solatii aliquid daret, ut animos adderet, ut laudibus invictam ejus constantiam extolleret. Cùm Hipponenses cives Archiepiscopum sibi elegissent nomine Servandum, is Romam profectus est anno 1076. ut ab eodem Gregorio VII. confirmaretur, & ordinaretur. Quo eodem tempore Rex Arabum qui in Sitifensi Provincia dominabatur, & litteris & muneribus eundem Pontificem prosecutus est. Hinc intelliges, quàm nihil obstreperet libertati Ecclesiarum sui regni. Sed altum deinceps de his Ecclesiis silentium plus satis prodit eas tunc suis urbiumque ruinis insepultas fuisse; nec schismate aut discordia quavis, sed temporum calamitatibus avulsas ab optima parente, Romana Ecclesia.

N. 71. 72.

VII. Antiochenus quoque Patriarcha non plures primùm complexus videbatur, quàm quindecim Orientis Provincias, quæ Antiochiam propiùs circumstabant. Sed lapsu temporis concessisse in ejus jura reliquas Asiæ partes, compertum est. Hieronymus ipse ita innuit: *Ad Alexandrinum Episcopum Palæstina quid pertinet? Ni fallor, hoc in Nicænis Canonibus decernitur, ut Palæstinæ Metropolis Cæsarea sit, & totius Orientis Antiochia.* Primaria & princeps fuerat Antiochia non quindecim tantùm minuscularum Orientis strictiùs sumpti Provinciarum, sed omnium prorsus quà latissimè patet Asiæ regionum, Regia fuerat Imperii Græcorum in Asia, perinde ut Alexandria in Africa. Nemo nescit politiam Ecclesiasticam ad civilem in compluribus contemperatam fuisse. Denique perquam simile veri est, à Patriarchis Alexandriæ & Antiochiæ missos primùm esse verbi divini præcones, qui extremas Asiæ Africæque Provincias cælesti Evangelii lumine perfunderent; adeoque penes ipsos residere debuisse jus summum in illas Ecclesias, suis auspiciis conditas.

Can. 33. 34. 35.

Suprà jam laudati Arabici Canones novum ad hæc ipsa argumentum suppeditant. Ex illis quippe conspicuum est, Catholicum seu Primatem Seleuciæ non secus ac Archiepiscopos omnes ejus imperio subditos, Antiocheno Patriarchæ paruisse. Jacobus de Vitriaco ejusdem potestati subjicit Catholicum Bagdacensem, qui idem non immeritò videtur esse, ac Seleuciensis: & Catholicum Persidis, aut Romagyriæ, qui Armeniorum Catholicus ab aliis dicitur: Hi duo Catholici seu Primates bene multis Archiepiscopis Episcopisque præsunt, quorum Provinciæ per totam Asiam, & ultra Gangem etiam protenduntur. In confesso ergo est, à tempore saltem Arabicorum Canonum, hoc est, ab annis octingentis nongentisve, Patriarcham Antiochenum omnium Asiæ latiùs sumptæ Ecclesiarum Principem Pastoremque summum habitum fuisse.

Hist. Orien. c. 32.

VIII. Quod ad præsentem attinet illarum Ecclesiarum statum, à Leone Allatio ex fide Nili Doxopatrii Scriptoris Græci discimus, undecimo sæculo Patriarcham Constantinopolitanum jus habuisse in sexaginta quinque Metropolitas, sexcentosque amplius Episcopos, præter Archiepiscopos triginta quinque, qui nulli subessent Metropolitæ, ac nullis vicissim præessent Episcopis. Eodem fidejussore, Primatum sancti Andreæ, qui primus ad Apostolatum ante alios omnes accitus fuerat, vendicabat sibi Episcopus Constantinopolitanus, quod Constantinopoli primus ædem præfuisset Andreas, sive Byzantio. Complectebatur autem Patriarchæ Constantinopolitani tunc ditio, Ecclesias omnes urbium, quas Orientis Imperator aut invaserat, aut retinuerat, ex quo tempore Francorum in Occidente Imperium conditum fuerat, aut ex quo Orientales plagas depopulati fuerant Sarraceni. Sed cùm Pontifices postea Romani ope Francorum Calabriæ, Siciliæque administrationem spiritalem, perdiu à Constantinopolitanis Præsulibus usurpatam, recuperaverint; cumque novis in dies vastationibus Barbaræ gentes Orientis urbes Ecclesiasque conterere non destiterint; Byzantinis Patriarchis non plures nunc obtemperant quàm centum quinquaginta Episcopi, in quibus Metropolitæ sunt triginta quinque; si fides adhibeatur Christophoro Angelo scriptori Græco, quem Latino sermone donavit Georgius Flavius Lutheranus, idque quidquid est operis typis mandatum est Francofurti anno 1655. Episcopi porrò isti per Asiam Insulasque maris Ægei, per Thraciam, Græciam, Valachiam, Moldaviam, Serviam, Mingreliam Circassiamque Pontificali potestate & ministerio funguntur.

De perpetuo cons. l. 2. c. 24.

Sedem nunc habet Patriarcha Græcus Alexandrinus apud Cayrum, Antiochenus Damasci, Hierosolymæ Hierosolymitanus. Sequentibus capitibus ostendemus quas in angustias arctata sit eorum jurisdictio per complures Patriarchas, qui ab illis desciverunt, quemadmodum illi à Capite Ecclesiæ & ab unitatis Ecclesiasticæ centro desciverant.

IX. Eutychiani, de quibus inferiùs, Melchitas hoc est, Imperiales nuncupavere Concilii Calchedonensis sectatores, quasi eos ad ejus Concilii authoritatem & fidem, Imperatoria tantùm potestas astrinxisset. Affixum etiamnunc est id nomen Christianis Græcis Orientis, quicumque Antiochenis, Hierosolymitanis & Alexandrinis Patriarchis dicto audientes sunt. Nescio quid discriminis locant aliqui inter Syrios & Melchitas; sed multò probabilius est, eosdem prorsus esse, quibus sola regnorum terrarumque diversitas plura hæc indidit nomina, ut aliis Syrii, aliis Melchitæ, aliis denique Græci dicerentur. Nullum dubitandi locum reliquit Jacobus de Vitriaco. Jacobitarum tamen postea nomen additum est Syriis, vel Syriorum Jacobitis, isque etiamnunc usus obtinet. Cap. 74.

X. Quanquam autem alienari prorsus videri possint à Pontifice Romano Patriarchæ isti omnes, certò tamen constat ab eodem non procul sæpè abfuisse, & abesse etiamnunc eos; & nisi optatissimam hanc concordiam excluderet impotens Turci Imperatoris dominatio, brevi eam coalituram esse, pacemque sæpè hactenus tentatam, ad optatos exitus perventuram. Anno 1582. Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus damnatis proscriptisque omnibus quæ nuper hæretici in fide novaverant, admisit reformatum à Gregorio XIII. Papa Calendarium, & à Ruthenis Græcisque admittendum in se recepit. Turci Imperatoris mentem incessit iniqua suspicio, quò vergeret hæc Papæ & Patriarchæ concordia. Itaque hunc neci addixisset, nisi Oratoris Galli à Romano Pontifice excitati operâ atque industriâ, pœna mortis cum exilio commutata esset. Si in potestate habere Patriarcham potuisset Pontifex, in Cardinalium Collegium adoptare illum decreverat. Anno 1627. Cyrillus Lucar Calviniana hæresi contaminatus, ad Alexandrinam primò,

Spondan. ann. 1582. n. 18.

nec moltò pòst ad Constantinopolitanam sedem se protrusit, ubi & errores disseminare cœpit, quas jamdiu fovebat. Gradu illum Græci moverunt, subrogato in ejus sedem Cyrillo Beræensi, à quo collecta Synodus est, cui affuere Patriarchæ Alexandrinus & Hierosolymitanus cum Episcopis Orientalibus viginti tribus. Hic anathemate confixa est Calviniana Cyrilli Lucaris confessio. Calviniani hinc conjecere, Cyrillum Beræensem societatis vinculo quodam cum Ecclesia Romana conjunctum eadem sentire.

## De Exarchis, Primatibus, Catholicis, seu minoribus Patriarchis.

### CAPUT XVII. *P. 2. L. 1. c. 8.*

### De Exarchis tribus, Ephesino, Heracliensi, & Cæsariensi per priora quinque Ecclesiæ sæcula.

*I. An jam inde à temporibus Nicæni Concilii, Exarchi hi tres exorti essent.*

*II. Quæ his Provinciæ parerent. Eorum auctoritas aut cœpta, aut confirmata est eo tempore, quod fluxit inter Antiochenum Concilium & Constantinop.*

*III. Quando primum mentio facta sit Diœceseon civilium? Quomodo sensim sine sensu Metropolita ejus urbis, quæ erat Diœcesis civilis Caput, evasit in Exarchum, & aliorum Metropolitarum Præpositum?*

*IV. Peculiaris causa Ephesini Exarchatus.*

*V. Et Cæsariensis in Cappadocia.*

*VI. Horum trium ruina in Concilio Calchedonensi Restitutio Ephesiæ, & iterata ejus ruina. Illis deinceps non superfuit nisi nomen & honor loci.*

I. IN Canone Nicæni Concilii VI. nulla expressa est mentio Exarchorum, de quibus sermonem hîc instituimus, etsi trium majorum Metropolitanorum, sive Archiepiscoporum meminerit nominatim ibi Synodus, qui postea dicti sunt Patriarchæ. Insinuati sunt tamen forsan illi his verbis: *Similiter, ὁμοίως, apud Antiochiam & cæteras Provincias privilegia serventur Ecclesiis. τὰ πρεσβεῖα.* Quæ verba significare videntur, etiam illos Episcopos, sicut & Antiochenum, multas sub jure suo habere Provincias: Verùm hæc, ut ingenuè fatear, mera conjectura est. In Concilio Constantinopolitano I. post Alexandrinum & Antiochenum nominatim appellantur Exarchi hi tres: sed idcirco tantùm, ut ne ultra suarum Diœceseon fines, quarum singulæ pluribus constabant Provinciis, jurisdictionem suam effunderent. Ab hac ergo Synodo non satis constat instituros esse tres istos Exarchatus, at saltem confirmatos fuisse exploratissimum est. Monuimus jam allucinatum fuisse Socratem, cum Patriarchas hic pri- [Socrat. l. 5. c. 8.] mùm institutos scripsit. Errorem abstersit Sozomenus, qui non Patriarchas, sed Capita & Princi- [Sozom. l. 7. c. 7.] pes communionis Catholicæ declaravit designatos hic fuisse, ut ex codice etiam Theodosiano comprobari potest. [Cod. Theod. de fide Cat. L. 3.]

II. In Notitia Imperii Diœcesis Asiana habebat Provincias decem, Exarchia verò Ecclesiastica undecim. Item Diœcesis Pontica quoad civilia, decem, & quoad Ecclesiastica undecim. Id quod ortum est à rerum civilium mutationibus, quas easdem res Ecclesiasticæ non semper sequebantur. Diœcesis Thraciæ, teste suprà laudato Theodoreto, habebat Provincias sex. Exarchorum sedes Ephesus in Asia, Cæsarea Cappadociæ in Ponto, & Heraclea in Thracia. Hæc erant Diœceseon capita, ibi Præfecti Imperatorii sedem figebant. Jam antè observatum est ex Canonibus Antiocheni Concilii, in judiciorum Ecclesiasticorum forma necdum tunc locum fuisse vel Exarchis, vel Diœcesibus, vel Diœcesanis Exarchicisque Conciliis. Hoc enim dumtaxat constituitur, ut si qua gravior emerserit causa, cui terminandæ impar sit Provinciæ Synodus, ad vicinarum Provinciarum Episcopos referatur. Verisimillimum ergo est, Exarchorum trium, de quibus verba facimus, authoritatem, eo temporis intervallo, quod fuit Antiochenum Concilium inter & Constantinopolitanum, aut institutam esse, aut certè confirmatam. Et hoc etiam ad Socratis defensionem utcunque valere potest; cùm reipsa Synodus Constantinopolitana Patriarcharum minorum ordinem & potestatem palam & publicè agnoverit simul & constituerit. Cum verò designationem eorum qui communionis Catholicæ vertices futuri erant, permiscuit Socrates cum Patriarcharum designatione, non video qui possit quisquam illi patrocinari.

III. Nihil attinet dicere quod jam delibatum suprà est, Diœceseon civilium meminisse Constan- [Euseb. de vita Const.] tinum Imperatorem in Epistola ad Episcopos scrip- [L. 3. c. 18.] ta post Concilium Nicænum, ut authores sunt Eu- [Theodoret.] sebius & Theodoretus. Quinimo diu antè Cicero [L. 1. c. 20.] Diœceses commemoraverat ejusdem regionis: *Cum* [Cicero Epist.] *ergo iter ita fecerim, ut me omnium illarum Diœcesium* [Famil.] *quæ cis Taurum sunt, omnium civitatum earum Magi-* [L. 3. Ep. 8.] *stratus legationesque convenirent.* Et rursus: *Si quid ha-* [L. 13. Ep. 53.] *bebit cum aliquo Hellespontio controversia, ut in illam* [L. 13. Ep. 67] *διοίκησιν rejicias.* Et tandem: *Ex Provincia mea Cili-* [L. 5. c. 15.] *ciensi, cui scis τρεῖς διοικήσεις Asiaticas esse attributas.* En Asiaticas Diœceses jam tum, sed quantum, vel quantulum paterent, non explicat Cicero. Minusculas fuisse facilè conjicies ex eo, quòd Ciliciæ attributæ fuerint earum tres. Non dissidet igitur à similitudine veri, convaluisse jam ævo Constantini Diœceses civiles, & Metropolitanum ejus urbis quæ caput erat cujusque Diœceseos majori quàm alios in honore fuisse. Augescebat enim quodammodo Ecclesiæ honor & amplitudo, pro urbis magnitudine. Eò rerum civilium gratiâ veniebant totius Diœcesis & Episcopi & Metropolitæ: illis plerumque à loci Pontifice patrocinium impendebatur, hoc lenocinio illiciebantur, ut ei se addicerent, & subesse vellent, aut certè minùs gravarentur. Crebriùs ibi habebantur Concilia; aderant qui rei privatæ & domesticæ causâ affluxerant ex tota Diœcesi Episcopi & Metropolitæ; ita paulatim assuescebant Concilio Diœcesano, seu Nationali, cui jure suo præerat urbis Metropolita. Hæ sunt causæ, hæ rerum temporumque opportunitates, quæ istiusmodi Metropolitam paulatim ad Exarchi dignitatem provexerunt, cùm his emolumento esset subjici, illi præesse ornamento.

IV. Accedunt ad hæc, quæ cum multis communia videri possunt, singulares harum trium civitatum dotes, Ephesi, Cæsareæ, & Heracleæ. Ex Eusebio, Apostolo & Evangelistæ *Joanni Asia obvenit,* [L. 3. c. 24.] *qui plurimum temporis in ea commoratus. Ephesi tandem diem obiit.* *Timotheus Ephesina Ecclesia Episcopatum primus accepisse dicitur.* Citatur ab eodem & illud Irenæi Lugdunensis Episcopi: *Sed & Ephesina* [Cap. 23.] *Ecclesia, quæ à Paulo quidem fundata est, Joannem verò usque ad Trajani tempora habuit præsidentem: testis locupletissima est Apostolicæ traditionis.* Hinc etiam

Ephesina

*Act. 1. in Epist. ad Clerum CP. In Epist. 1. ad Timot. L. 5 c. 34.* Ephesina Synodus commendari se voluit, quòd in ea urbe & Maria Servatoris mater, & Joannes diutiùs essent commorati. Ex Chrysostomo ab Apostolo Paulo *Ephesina Ecclesia credita fuit Timotheo: imò gens ferè tota Asiatica.* Referente rursum Eusebio, Episcopis Asiæ præerat Polycrates Episcopus Ephesinus, tempore Victoris Papæ, cujus etiam mandato, ad finiendam de Paschate controversiam Concilium coëgit. Es quibus abundè patet non temporalis tantùm gloriæ & potestatis contemplatione Exarchatum Ecclesiasticum Epheso attributum fuisse.

V. Non adeo splendida gloriæ vestigia supersunt, quibus Cæsarea & Heraclea illustrentur. Contumacia illa diutina, sic enim potiùs quàm constantia dicenda est, qua Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus Stephano Papæ obstitit, in causa iterandi hæreticorum baptismi, & ingens Episcoporum multitudo, quos in suas partes pertraxit; tristis quidem illa & molesta, sed ingens est potestans qua in circum positas vigebat provincias, ostentatio. Nec obscurius, sed multò lætius argumentum ejusdem potestatis est, quod ubi Rex Armeniæ cum regno suo Christianam fidem amplexatus est, Gregorium suæ gentis futurum Episcopum ad Leontium Cæsareæ Archiepiscopum misit, ut ab eo potissimum ordinaretur. A Gregorio hoc deinceps Armenorum Apostolo sancita lex est, mosque convaluit, ut à Cæsariensi Archiepiscopo Episcopi peterentur. Si interceptæ non essent temporum & injuria & diuturnitate origines Ecclesiarum, horum simillima exempla in manus nostras complura devenissent: de ipsa Thraciæ principe civitate Heraclea æquè diceretur, eam esse antiquissimam matrem longè plurimarum circa se Ecclesiarum: quod de Epheso & de Joanne testatur Hieronymus: *Totas Asiæ fundavit rexitque Ecclesias.*

VI. Hîc non repetam suprà prolisè narratas concertationes Episcoporum Constantinopolitanorum cum tribus his Exarchis, & quas tandem de his illi victorias reportaverint in Concilio Calchedonensi; utque illos eò tandem compulerint, ut suæ ipsi ruinæ assentirentur subscriberentque. Contenti enim posthac nominis & consessûs gloriola, ut pro Metropolitanis Exarchi diœceseon nominarentur: utque honoratiore loco post quinque primos Patriarchas sederent in Conciliis, nihil amplius desideravere. Nullum enim deinceps residuum fuit jurisdictionis monumentum, ac ne vestigium quidem. Commemorat nonnunquam Justinianus Patriarchas quinque, iis Exarchos adjungit nunquam. Si quas promulgat leges, eas Patriarchis destinat, jubetque ab iis ad Metropolitarum notitiam transmitti. Supra Episcopos Metropolitas collocat, supra Metropolitas Patriarchas solos majores. Denique in toto Novellarum corpore vestigia passim incurrunt in oculos abrogatæ hujus jurisdictionis. Revixit ad horam Edicto Tyranni Basi- *Evagr. l. 3. c. 6.*
lisci Patriarchatus Ephesinus; sed iterum æterno insepultus est silentio, Edicto Zenonis, quo in pristina privilegia restitutus est Archiepiscopus Constantinopolitanus. Exarchiæ ergo illæ tres serò exortæ, citò desiere. Vix unum implevere sæculum. Et quo tempore magis floruere, tantam procellarum vim ab Episcopo Constantinopolitano sustinuere, nempe inter Concilium Constantinopolitanum & Calchedonense, ut compendiosius ipsis, & quodammodo honorificentius fuerit, necessitati servire, & non omnino illibenter cedere potestati, cui tamdiu frustra obluctabantur.

## CAPUT XVIII. *P. 1. l. 1. c. 9.*

### De Exarchis sive Primatibus Cypri & Thessalonicæ, per priora Ecclesiæ sæcula.

*I. Cyprus insula una erat ex Provinciis Diœcesis Orientalis. Jugum excussit Exarchi Antiocheni, ubi se ille Arianis adglutinavit, & cum fœdo schismate postea laboravit Antiochia: quo finito, Cyprum repetente Antiocheno, eam illi restituit Innocentius I.*

*II. Ejus libertas in Concilio Ephesino confirmata.*

*III. Multa observantur circa decreta inter se pugnantia.*

*IV. Impugnatur à Petro Fallone illa Cypri immunitas, sed miraculo defenditur.*

*V. Erat ergo Cypri Metropolita Exarchus, sive Primas inferioris cujusdam ordinis, ut nulli præterea Exarcho obnoxius.*

*VI. Præerat Diœcesi Illyrici Orientalis Exarchus Thessalonicensis, tanquam Papæ Vicarius.*

*VII. Exarchatus illius seu Vicariatus Apostolici initia & progressus.*

*VIII. Cur Occidentis Patriarcha Vicarium nominet Apostolicum in Diœcesi Imperii Orientalis.*

*IX. Jura & privilegia Episcopi Thessalonicensis. Quomodo ab his exciderit.*

I. Non immeritò annumerari Exarchis Metropolitas Cypri & Thessalonicæ hoc capite, ut spero, patefiet. Initium ducam à Cypro Insula. Constantiæ in Insula illa Metropolitanus cum Patriarcha Antiocheno diu conflict[illegible] est quod ab illius jugo absolutum se c[illegible] eo inconsulto, & à suis ordinatus esset Ep[illegible] & vicissim eos ordinasset. Ea de re per litteras conquestus tandem est apud Innocentium I. Pontificem Alexander Episcopus Antiochenus: *Cyprios olim Ariana impietatis potentia fatigatos, non tenuisse Nicænos Canones in ordinandis sibi Episcopis, & usque adhuc habere præsumptum, ut suo arbitratu ordinent.* Ex his verbis manifestum est, Metropolitanum & Episcopos Cypri hanc vel legitimam habuisse, vel obumbratam prætexuisse causam vindicandæ libertatis suæ, quòd Antiochenam Ecclesiam diutissimè Ariani in potestate habuissent: quódque infando mox schismate eam proscidissent per annos quadraginta & octo nunc duo, nunc tres Episcopi; inter quos & ipsa divisa fuerant studia Orientalium Occidentaliumque Ecclesiarum; cùm horum Antiochiæ Episcoporum hic Orientis communione se tueretur, ille Occidentis. Neutram in partem inclinavit se interim Cyprus, & quod tutius videbatur, abstinuit se à quacumque Ecclesiæ Antiochenæ, utpote vel ambigua vel profana communione; & tandem lapsu temporis visa sibi est contra antiqua Patriarchæ Antiocheni jura præscripsisse. Emersit à diutino schismate Antiochenus Episcopus Alexander, & cum Orientis, tum Occidentis communionem benevolentiamque recollegit. Tum denique querelas suas effudit in aures Innocentii I. à quo jussi sunt Cyprii ad antiquam se deferre Antiochenæ Apostolicæ Ecclesiæ obedientiam. *Persuademus eis ut curent, juxta* *Epist. 18.*
*Canonum fidem, fidem Catholicam sapere, atque unum* *c. 2.*
*cum cæteris sentire Provinciis, ut appareat, sancti Spiritûs gratia, ipsos quoque, ut omnes Ecclesias gubernari.* Horum verborum hic sensus, hic scopus esse videtur, ut Episcopi Cyprii Antiocheno rursum Exarcho subesse velint: quo non fidei tantùm, sed & disciplinæ cæterarum consentiant Ecclesiarum.

II. Sed aliquantis pòst annis Cyprii Episcopi libertatis suæ causam instaurarunt in Ephesina prima Synodo, quòd mendaciis & fraudibus circumventus ab Alexandro Antiocheno fuisset Innocentius. Contra Canones quippe Apostolicos, præter

Ephes. Syn. Act. 7. decreta Concilii Nicæni, præter vetustissimam consuetudinem niti Antiochenum ad invadendas Cypriorum ordinationes. *Contra Apostolicos Canones & definitiones Nicanæ Synodi, ordinandi jus ad se rapere attentat, præter Canones & consuetudinem, quæ jam olim invaluit.* Sanctissimè affirmarunt jam usque ab Apostolorum temporibus, nunquam celebratas ab Antiocheno Episcopo Cypri ordinationes; quòd ea potestas ad Concilium semper Provinciæ revocata fuisset. *A sanctis Apostolis nunquam possunt ostendere, quod adfuerit Antiochenus & ordinaverit, &c. Sed Synodus nostra Provincia congregata, constituebat Metropolitanum.*

His allegatis decrevit Synodus perperam adhibitos fuisse Magistratus Imperiales, ut vi quidquam facere contra Canones cogerentur Cypri Episcopi; si nunquam hactenus Cypri Episcopos ordinasset Antiochenus, ne quid ejusmodi potestatis in posterum sibi sumeret: unamquamque Ecclesiam ea libertate frui permittendam esse, quam suo nobis sanguine Christus pepigit; denique hanc ratam posthac & intemeratam legem servari debere, ne quis Episcopus ultra antiquos potestatis suæ limites audeat quidquam. *Si non est vetus mos, quòd Episcopus Antiochenus ordinet in Cypro, sicut docuerunt religiosissimi viri, qui ad Synodum accesserunt, habebunt jus suum intactum & inviolatum, qui sanctis in Cypro præsunt Ecclesiis, secundum Canones & veterem consuetudinem. Illud in aliis Diœcesibus &. Provinciis servetur, ut nullus Episcoporum aliam Provinciam occupet, &c. Neve sub prætextu Sacerdotii mundanæ potestatis fastus irrepat, &c. Ne clam paulatim libertas amittatur, quam nobis donavit sanguine suo Dominus noster Jesus Christus.*

III. Habes hîc duo decreta, quæ cùm inter se adversa fronte collidantur, & æquitati tamen, & sacris Canonum regulis mirum in modum consentiunt. De factis nimirum non conveniebat, & alia Innocentio, alia Synodo Ephesinæ allegabantur. Magno constitit Joanni Archiepiscopo Antiocheno, Nestorii partibus & antiquæ cum eo necessitudini usque adeo indulsisse, ut Cyrillo Ephesinæque Synodo adversaretur, schismaticoque conflato Conciliabulo adversùs Catholicam Synodum decertaret. Usi sunt data occasione Cyprii, & facili negotio, quam Joannes nullo modo defenderat, causam obtinuere.

Ex his autem liquet, 1. controversias istiusmodi ex antiqua semper consuetudine & possessione solere decidi. 2. Veteres Ecclesiæ cujusque consuetudines sartas tectasque servari debere, & hanc esse illam ipsam Ecclesiarum libertatem, quam Christus dicitur suo eis sanguine peperisse. 3. Ut ut res se habeat de Cypro, ex sententia Concilii Ephesini, esse potuisse Provincias aliquas, quæ nec Patriarchis majoribus, ac ne Exarchis quidem minoribus ullis essent obnoxiæ, sed suis tantùm obtemperarent Metropolitanis. 4. Hunc esse ex Ephesina Synodo Nicænorum Canonum sensum: ut Diœceseon Exarchi Diœceses quique suas secundùm priscam consuetudinem regant, nec ultra præscriptos ab ea limites expatientur: Provinciæ verò, quæ intra Diœceseon fines non continentur, nec Exarcho hactenus paruerunt ulli, suo se jure arbitrioque ipsæmet regant. 5. Non omnes omnino Provincias intra veterum Patriarcharum jurisdictionem fuisse comprehensas. 6. Immunibus his Provinciis & ab Exarchorum potestate absolutis suos fuisse Metropolitanos, quos Provinciæ Synodus eligeret & ordinaret, nulla petita ab Exarchis confirmatione. 7. Non sine causa de jure ordinandi tam crebras tamque acres olim exarsisse lites: quòd hæc esset Juris Canonici constantissima regula, ut quem quis ordinaverit, perennem in eum jurisdictionem retineat. Parte hujus operis secunda palam fiet, suos Episcopis Clericos ordinationis maximè vinculo obligatos fuisse.

IV. Quamvis esset Ephesino Decreto ea apposita conditio, *si non est vetus mos, &c.* ex historia tamen docemur, vim illi suam integram constitisse, & Cypri Ecclesias remansisse deinceps αὐτοκεφάλους, seu liberas, nec Capiti subjectas ulli, nisi proprio Metropolitæ. Et quidem Petrus Fullo, qui sedem Antiochenam aliquandiu non tam rexit, quàm labefactavit, egit postea apud Zenonem Imperatorem, ut sua sibi jura antiqua in Cyprum restituerentur. Tunc temporis Anthimus Cypri Metropolita Imperatoris animum usque adeo à se alienatum experiebatur, ut de causa sua omnem spem abjiceret. Apparuit illi in somnis Barnabas, qui primus huic Insulæ Evangelii lumen intulerat; & tum corpus ipse suum, tum Evangelium secundùm Matthæum, quod propria sibi manu exaraverat, ubi esset, aperuit, jussitque ut Ecclesiæ suæ, quæ Apostolica verissimè esset, defensioni strenuè incumberet. Movit Zenonem gratissimi prodigii novitas, ab eoque repressus Fullo deinceps conticuit. Contulit etiam non modicum Fullonis perfidia, & in errore Eutychetis propagando pertinacitas, ut universæ Ecclesiæ probaretur, usuque confirmaretur Cypriorum Episcoporum immunitas. Hactenus ex Cedreno, ex quo palam fit, assertam ab Ephesina Synodo Cypriis Episcopis libertatem viguisse usque ad Zenonis Imperatoris tempora, tumque validissimè rursus oppugnatam, opitulante, ut fertur, Numine, expugnari non potuisse.

V. Nec illud sileri fas est, Cypri Metropolitam verè Exarchum fuisse, aut Primatem inferioris ordinis. Nam etsi nulli præesset Metropolitano, vicissim nec ipse ulli suberat Exarcho. Videri non immeritò potest Nicæna Synodus harum Provinciarum immunitati suffragari, cum ait, *Similiter & privilegia serventur Ecclesiis in aliis Provinciis.* Hæc Canonis Can. 6.
Nicæni verba elucidavit fortasse Canon Concilii Can. 3.
Constantinopolitani, quo Exarchis majoribus additi sunt tres minores alii, & suæ quibusque Diœceses assignatæ. Verùm ex Decreto Ephesino super Episcopis Cypriis jam nemini dubium esse potest, quin Provinciæ aliquæ fuerint ab Exarchorum imperio liberæ & solutæ: sive hoc ab ipso sui exordio quasi agnatum, sive temporibus commodis usurpatum, præscriptionis jam jure obtinerent. Finitimum enim vero est, Cypriorum Ecclesiam, quæ Antiochenæ primò filia fuisset, resiliendi à matre, & contra ejus imperium præscribendi occasionem arripuisse primùm, ab Arianorum in eam urbem tyrannide: deinde à diutino schismate, quo Catholici etiam ejus Præsules dissidebant: ac denique à periculosissima Patriarchæ Joannis cum Nestorio, & ejus successorum cum Eutychianis conjunctione. Is ille Joannes est Patriarcha, qui Dionysii Comitis, Ducis Diœcesis Orientalis usus erat opera, ut in eligendo sive ordinando Constantiæ sive Salaminæ in Cypro Metropolita jus suum recuperaret. Ita enim secum statuebat, Cyprum quæ esset Diœcesis Orientalis, Patriarchæ etiam Orientis subesse oportere. Sed quidquid ille sibi juris, jure vel injuria, arrogare poterat, id ipse perditorum hominum consiliis conatibusque obsecutus in Ephesina Synodo

labefactavit. Persequar inferiùs quæ præterea ad hanc Ecclesiasticam Provinciam pertinebunt.

VI. Ab Oriente ad Occidentem pergo, & initium facio ab Exarchatu Thessalonicensi, qui cùm Imperii Orientalis finibus circumscriberetur, ad Occidentis tamen Patriarchatum pertinebat, sive ad Papam. Ejus rei rationem facilè intelliges, si recolas animo, post divisum à Constantino Imperium in Præfecturas quatuor, Galliarum, Illyrici, Italiæ & Orientis, attributum fuisse Imperio Occidentali Illyricum, cui Caput erat Syrmium. Sectum rursus est Illyricum in Orientale & Occidentale. Orientale habebat Macedoniam utramque, utramque Epirum, Thessaliam & Achaiam. Hujus caput Thessalonica, ubi commorabatur Præfectus Prætorio Illyrici. Et hæc pars erat aliqua Imperii Orientalis. Pannonia, Noricum, & Italiæ viciniores Provinciæ aliæ, adjunctæ Imperio Occidentali habebant Præfectum Prætorio Italiæ, cujus erat Vicarius Syrmii. Addicendum ergo fuerat Illyricum Orientale, utpote pars non minima Imperii Orientalis, Exarcho sacro alicui Orientali. Et tamen Pontifici Romano semper paruit, quia pars Patriarchatûs Occidentalis erat, & ex majoribus Diœcesibus una, quas Concilium Arelatense immediatè Romano Pontifici subjectas agnovit.

*Marca de Primatu Lugd. n. 31. 46.*

Ab usu rerum communi id quidem abhorrebat, sed indigitata jam quodammodo causa est. Suberat enim initio Illyricum totum Imperio Occidentali. Primus Honorio fratri & collegæ Illyricum Orientale abstulit Arcadius Orientis Imperator, ut ex antiquis historiis perspicuè probavit Petrus de Marca. Æquum autem non erat ut quod accrescebat Imperio Orientali, id decresceret Patriarchatui Occidentis. Cùm ergo jam olim Romani Pontifices Thessalonicæ instituissent Vicarium Apostolicum, cum Exarchica in a[...] ejusdem Diœceseos Metropolitas potestate; nihil tam erat consentaneum rationi, quàm ut idem facere pergerent, postquam Arcadius, & qui Arcadio Constantinopoli successere, Diœcesin hanc Orientali adjecere Imperio.

VII. Neque enim dubitandi locus est ullus, quin temporibus Damasi Papæ Thessalonicæ Vicarii essent Apostolici. In Romana Synodo non ita pridem ab Holstenio edita, cui ei præerat Bonifacius III. Papa, ut adversùs Episcopi Constantinopolitani novas subinde usurpationes, sua in Illyricum & Thessalonicam jura defenderet: jussit legi prædecessorum suorum Epistolas, quibus probaretur illa delegatio, seu Vicariatus à superioribus Pontificibus Metropolitano Thessalonicensi concessus. Initium factum à Damaso & Siricio, qui re ipsa Episcopo Thessalonicensi causas quasdam audiendas commiserant. Tum ventum ad litteras Innocentii I. ubi ait, sicut Paulus Tito & Timotheo Cretam & Asiam regendas mandaverat, ita Episcopum Thessalonicensem administrandis Provinciis decem, quas & nominatim designat, præfici oportere, idque fieri à se debere exemplo Damasi & Siricii, qui eadem Legatione ornassent Acholium & Anysium Episcopos Thessalonicenses. Litteris deinde Bonifacii I. Ruffo Episcopo Thessalonicensi dantur *vices Sedis Apostolicæ*, & eædem illi nominatim subduntur Provinciæ. Jecere ergo Damasus & Siricius prima fundamenta Vicariatûs Apostolici Thessalonicensis: culmen verò imposuit Innocentius I. eo ferme tempore, quo Illyricum Orientale ab Occidentali divulsum est; & ab Orientis Imperatoribus usurpatum. Bonifacius I. Leo I. & qui deinde secuti sunt Pontifices, rem magis ac magis constabilivere & firmavere.

Lecta est & in eadem Synodo Romana Honorii ad Theodosium juniorem Epistola, qua postulabat Romano Pontifici jus suum servari integrum in Illyricum. Edixerat enim paulò antè Theodosius, Appellationes à Concilio Diœcesano sive Nationali Illyrici ad Archiepiscopum Constantinopolitanum fieri oportere. Suspicabatur forsitan non consentire dignitati Orientalis Imperii, si de appellationibus Orientalium in Occidente cognosceretur; nec decerpi quidquam de privilegiis Sedis Apostolicæ, si de his judicaret Constantinopolitanus Episcopus, ut qui ejus delegatus haberi posset, propterea quod nova Roma Romæ veteris privilegia à Conciliis consecuta est. Sed longè alia erat mens, alius Pontificis sensus. Quin & Theodosius ipse cessit persuasionibus fratris, ad quem & litteras dedit, quæ in hac eadem Synodo perlectæ sunt; his non dissimulat obreptum sibi quidem fuisse; sed jam provisum à se esse remedium, scriptasque litteras ad Præfectum Prætorio Illyrici, ut quæ juria essent Romani Pontificis, eadem illi omnia redintegrarentur. His attexuntur Cælestini, Xisti & Leonis litteræ, quibus omnibus Thessalonicensis idem Vicariatus confirmatur. Fulget præ cæteris Epistola Leonis, qua retundit Anatolii Constantinopolitani ambitionem audaciamque in Calchedonensi etiam Synodo ultra fas effusam; itemque Anatolii responsio, qua receptui canit, & temerarios damnat ipse conatus suos.

VIII. Quod autem Vicarius Apostolicus, qui supremam de causis fere omnibus ferret sententiam, à Romanis Præsulibus Thessalonicæ institutus sit, eam viri quidam doctissimi causam proferunt, quòd id indulserint Pontifices Romani Græcis Imperatoribus, qui iniquo ferebant animo Orientalium causas in Occidente judicari. Id ipsum in Galliis nostris factitari aiunt, cum Episcopi & Archiepiscopi alios & alios instituunt Vicarios Generales, aut Officiales in iis sive provinciæ sive Episcopatûs sui partibus, quæ ab aliis aliisque reguntur Parlamentis. Verùm antiquior est Vicariatus Thessalonicensis, quàm ut illius institutionis hæc fuerit causa. Hæc sane aliquantò similior veri causa est, locorum distantia, ac diversitas sermonis. Agemus infrà de Vicariatibus aliis longè pluribus, qui causam habuere nullam aliam, nisi locorum eorum quibus concedebantur distantiam, ut locorum commodis inserviretur.

IX. Dixi de industria Archiepiscopum Thessalonicensem de causis fermè omnibus supremam tulisse sententiam; majores enim saltem appellatione, Romam poterant referri. Confirmabat electos Episcopos & Metropolitas: tum jubebat ordinari. Consecrationem Episcoporum omnium ei reservarant Siricius & Damasus. Leo auditis Metropolitanis, Suffraganeorum ordinationem eis permisit: Vicario autem Apostolico Metropolitarum tantùm ordinationem servavit, ut patet ex editis ab Holstenio litteris. Præerat Archiepiscopus Thessalonicensis coacto ex provinciis Diœceseos suæ Concilio; ibi causas dirimebat omnes, iis exceptis, quibus terminandis par non erat, quasque ideo ad Pontificem summum remittebat. In Conciliis Oecumenicis IV, V, & VI. primus post Patriarchas sedit & subscripsit: nonnunquam etiam ante Exarchum Cæsareæ Cappadociæ. Imminuta quidem plurimum ejus potestas est, ubi à Justiniano Imperatore detruncatæ sunt ei illæ provinciæ, ex quibus conflata est ad

delicias & ad gloriam Principis Justiniana prima. At funditus eversa & extincta est, cum Leo Isauricus exasperatus infracta constantia Gregorii II. & Gregorii III. pro sacrarum Imaginum defensione, Illyricum, Siciliam & Calabriam à Patriarchatu Romano sejunxit, attribuitque Constantinopolitano, relictâ Thessalonicensi Archiepiscopo solâ Macedoniâ, in qua Metropolitam ageret. Has porro provincias à Patriarchatu Romano avulsit, ut & à fide Catholica divelleret. Verùm non minus ille sibi Imperioque intulit damni, quàm Ecclesiæ. Ab ejus enim Imperio descivit, quidquid in Occidente hactenus retinuerat. Certissimè enim extenuantur & inanescunt Imperia, quibus per Ecclesiarum claves robur & incrementum quæritur. Etsi autem revoluta fuerit Thessalonica tunc in primævæ dignitatis suæ, hoc est, Metropoliticæ mediocritatem: solatio tamen fuit, quòd tempore Sardicensis Synodi cùm Metropolis mera esset, inter maximas tamen & florentissimas Civitates locum habebat, ut mani-
Can. 10. festum facit Sardicensis Canon. Ut revixerit denuo quasi excitatus à tumulo quodam suo per bella sacra Latinorum in Oriente Exarchatus Thessalonicensis, nec multò pòst rursum contumulatus sit, suprà jam enarratum est capite XVI.

## CAPUT XIX. *P. 2. l. 1. c. 5.*

### De Archiepiscopis sive Exarchis aut Primatibus Acridæ, Syrmii, & Thessalonicæ, VI. VII. VIII. sæculo.

*I. Horum titulorum, Patriarcha, Exarchus, Archiepiscopus, Metropolitanus, sors & fortuna obiter refricatur.*
*II. De Archiepiscopis prima Justiniana, ac Thessalonica.*
*III. Fuisse illos Vicarios prima Sedis, cujus ditioni suberant.*
*IV. De nova in Cypro Justiniana, & ejus immunitate.*
*V. De Titularibus Episcopis.*

I. Revocanda hìc obiter eorum memoria, quæ latè superiùs disceptata sunt, de juribus nominibusque Patriarcharum, Exarchorum, Archiepiscoporum maximè & Metropolitarum. Cœpit circa tempora Nicæni Concilii Episcopis tribus, iisque fere solis & in Oriente solo Archiepiscopi nomen tribui, qui nimirum toto orbe erant maximi. Nec aliud illis datum est ab Ephesina prima Synodo illustrius, ubi tamen & Ephesino communicatur Episcopo. Ita illum appellat Theodosius, qui & in Epistola, qua Ephesinam II. convocat Synodum, Cæsareæ in Cappadocia Episcopum, Archiepiscopum vocat. Exploratum verò est Ephesi & Cæsareæ Episcopos, Diœceseon suarum Exarchos fuisse. At ubi Catholici Episcopatûs Principes, augustiori nomine Patriarchæ dici maluere: illis Metropolitis adhæsit nomen Archiepiscopi, quorum juri suberant alii Metropolitæ. Et hi sunt quos olim Exarchos Græci, Latini ætate media Primates dixere. Ita expressè Isidorus Episcopus Hispalensis; qui cùm Patriarchæ titulo honestasset solos Romæ, Alexandriæ & Antiochiæ Episcopos, infra illos & su-
Orig. l. 7. c. 12. pra Metropolitas Archiepiscopos locavit. *Archiepiscopus græcè dicitur summus Episcoporum. Tenet enim vicem Apostolicam, & præsidet tam Metropolitanis, quàm Episcopis cæteris. Metropolitani autem singuli Provinciis præeminent.* Voluit Justinianus Imperator, ut Justinianæ primæ, quæ patria ejus erat, non solùm Metropolitanus, sed etiam Archiepiscopus diceretur,
Novel. 11. tur, pluribusque imperaret Provinciis. *Ut prima Justiniana patriæ nostra Antistes, non solum Metropolitanus, sed etiam Archiepiscopus fiat, & cæteræ Provinciæ sub ejus sint authoritate.*

Archiepiscopum se dixit Apostolus Germanorum Bonifacius, fortè propter generalem & summam, quam ut Legatus Romanæ Sedis inter omnes Germaniæ Metropolitanos potestatem adeptus erat. *Universalis Ecclesiæ Legatus Germanicus, servus Sedis* Epist. 6. *Apostolicæ, sine prærogativa meritorum nominatus Archiepiscopus.* Beda Apostolum Angliæ Augustinum, Hist. Angl. ejusque successorem Laurentium Archiepiscopi no- l. 1. c. 3. 4. mine donat, propter eandem, ut puto, causam, 7. quòd Augustino ejusque successoribus hæc esset in universam Angliam credita à Papa Legatio, qua & Metropolitas antiquos regerent, & novos, si ita visum esset, crearent. Statuit Concilium Matisconense I. cui anno 581. præfuit Priscus: *Ut Archiepiscopus* Can. 6. *sine pallio Missas dicere non præsumat.* Quo tempore Galliarum Metropolitani omnes pallium nondum habebant. Tum enim Pontifices solum Arelatensem Archiepiscopum, & Apostolicum in multas Galliæ Metropoles Legatum seu Vicarium creabant, & ornabant pallio. Atque adeo verisimile est eam Archiepiscopi vocem in Matisconensi Canone ad Priscum Lugdunensem Episcopum pertinere, qui & Patriarcha dicebatur, & Guntrani opera pallium obtinere potuerat, ut Episcoporum regni ejus omnium Caput constitueretur.

II. Redeo ad Archiepiscopum primæ Justinianæ, quæ patria erat Justiniani, quæque Acrida antè vocabatur, subtraique Archiepiscopo Thessalonicensi. Hanc Imperator, au[...]ente Imperatore Vigilius Papa in Archiepiscopatum sive Exarchatum erexit, subjectis ei Provinciis, quæ Thessalonicensi Exarchatui detractæ sunt, & attributo ei Vicariatu Sedis Romanæ, qualem jam [...] habuerat Episcopus Thessalonicensis. Ita Ju[...]nus in Novella: ubi Novel. 131. cùm meminisset quinque sexve provinciarum, qua- c. 3. rum Episcopos ordinabat Archiepiscopus Justinianæ, subjicit: *Ipsum verò à proprio ordinari Concilio, & in subjectis sibi Provinciis locum obtinere Sedis Apostolicæ Romæ, secundum ea quæ definita sunt à sanctissimo Papa Vigilio.* Narrat idem Imperator in Novella Novel. 11. alia, summam illam in rebus tum civilibus, tum Ecclesiasticis potestatem, penes Syrmium in Illyrico olim fuisse. Everso autem pòst ab Attila Syrmio, qui urbi præerat gubernator, Thessalonicam secessisse; ea occasione Thessalonicensem Episcopum illas Provincias, quæ Syrmio antè paruerant, vendicasse: nunc verò recuperatis & in integrum restitutis his Provinciis, ita visum sibi, ut præesset novus Justinianæ Archiepiscopus.

III. Syrmium *matrem urbium* appellat Ammianus, quòd ea esset Illyrici totius Metropolis. Ejusdem etiam urbis Episcopus in Synodo Aquileiensi anno 381. ita aiebat: *Caput Illyrici nonnisi civitas Syrmium.* Sectum postea Illyricum in partes duas, quarum Occidentalis Syrmio subjiciebatur, Orientalis Thessalonicæ: sed & hæc tametsi Orientalis, Occidentalium tamen Patriarchæ, seu Papæ subjecta, ut antè, ita & pòst fuit. Sed esto, existimaverit Justinianus suum id esse, ut ipse solus quod juris erat Ecclesiastici Syrmio transferret Acridam: vel ipse tamen professus est ad Vigilium Papam referri ejusque interponi authoritatem oportere. Sic & frustra tentavit Theodosius junior, ne Synodorum Illyrici Orientalis causæ & judicia, in Occidentem ad Papam postremò referrentur. Quæ enim edita ab illo est Constitutio, ut id juris esset Constantinopolitani

Episcopi, tanquam teneret is locum Papæ, & eadem haberet quodammodo primæ Sedis privilegia, à Constantinopolitana Synodo sibi indulta: ea, inquam, Constitutio vim non habuit. Liquet id tum *Cod. Theod. De Episc. L. 45.* ex Epistolis Leonis Papæ, quibus Episcopo Thessalonicensi Macedoniam & reliquam Orientalis Illyrici partem æquè subjicit atque Illyricum Occidentale: tum ex Canone XXVIII. Concilii Calchedonensis, quo Constantinopolis jurisdictio non in Macedoniam aut Illyricum, sed in minores Ponti, Asiæ atque Thraciæ Diœceses latè profertur. Ex quibus illud collige, penes Imperatorem nullo modo fuisse, ut Archiepiscopatus aut Exarchatus novos crearet, aut aliorum jura transferret in alios, nisi antè summi Pontificis consensus & auctoritas accessisset. Gregorius Magnus scriptis ad Joannem primæ Justinianæ Episcopum litteris missoque pallio confirmavit simul innovavitque Legationem & *L. 4. Ep. 8* Vicariatum sedis Apostolicæ. *Pallium ex more transmisimus, & vices vos Apostolica Sedis agere, iterata in- L. 2. Epist. 6 novatione decernimus.* Interdixit & Joanni alteri hujus antecessori idem Gregorius, ne sacrificium offerret; latamque ab eo in Episcopum Thebanum sententiam irritavit. Quibus satis superque probatur, Justinianæ Archiepiscopum, sicut & Thessalonicæ, quidquid contra contenderint Imperatores, sub ditione Papæ mansisse.

Justinianam appellavit & Carthaginem in Africa, *Nov. 131. c. 4.* eique Justinianæ primæ, patriæ suæ privilegia omnia Justinianus concessit. At hæc concessio pristinorum tantùm jurium renovatio fuit. Archiepiscoporum enim olim Carthaginensium jura, tum omnium erant antiquissima, tum patebant latissimè, ut ex Africanorum Conciliorum Canonibus apertè constat.

IV. Sanxit quoque Justinianus, ut Metropolis Cypri Constantina *Justinianopolis nova* deinceps diceretur. At hæc nominis immutatio tunc potiùs fuit, quàm novæ accessio potestatis. Subacta deinde à Sarracenis Insula, Joannes ejus Metropolita cum aliqua civium parte secessit in Hellespontum, & in ejus gratiam duo quædam decreta sunt à Trullana Synodo, curante Imperatore. Primùm, ut staret, quod ei ab Ephesina Synodo aut donatum fuerat, aut confirmatum, ne esset Patriarchæ Antiocheno obnoxius, sed primatu & autocephalia gauderet sua. Alterum ut Hellesponti Episcopi omnes, & ipse etiam Metropolita, cujus erat sedes Cysici, *Can. 37.* ei subjicerentur. Primum illud decus & privilegium ad finem usque seculi noni retinuit. Nam quæ eo tempore Canonum Arabicorum facta est Collectio, Patriarchæ illum Antiocheno subjicit: à quo tamen prorsus immunis fuisse legitur in ea Imperii Noritia, quæ sub Leone Philosopho scripta est. Alterum personæ, non Ecclesiæ privilegium fuit, & quidam quasi Patriarchatus, ad unius vitam Episcopi, Im- *Syn. Trull. c. 39.* peratoris precibus & Concilii auctoritate concessus. Voluit scilicet Imperator hoc gratificari homini, cujus tanta fuerat erga Romanum Imperium studii constantia: *Vt Christianissima potentia sceptris purè subjicerentur.* Statuit autem Concilium, ut Justinianopolis iisdem privilegiis gauderet, quibus Constantinopolis, hoc est, vetus Cypri Constantina, quam immunem ab Antiocheni Patriarchæ potestate Ephesina Synodus aut fecerat, aut declaraverat. Quòd si velis per Constantinopolin Regiam urbem intelligi, ea privilegiorum æqualitas intra duo illa cohibebitur, quæ Synodus ipsa expressit. Is iste est fortè Joannes Episcopus Justinianopolis, qui post Patriarchas majores quatuor, sed ante minores, ante Exarchos eidem Concilio subscribit.

V. Quod in Episcopis Cypri in Hellespontum translatis observatum est, id ad alias longè plures Ecclesias se porrigit, ut eodem prorsus modo majores Sedes, dignitates, titulique Ecclesiarum, post suum etiam ab Infidelibus excidium superstites adhuc essent, funeri superessent suo, & in Ecclesia in seculorum usque fines perpetuarentur. Est in eodem Trullano Concilio Canon de Episcopis, qui ad eas ordinantur & destinantur urbes, à quibus ut recipiantur, nulla vi consequi possunt. His sua servatur in Ordinationibus celebrandis authoritas, & in loco ubi sedem figunt, plenissimus jurisdictionis usus. *Vt & diversorum Clericorum ordinationes canoni- Can. 35. cè faciant & Pontificatûs authoritate in proprio termino utantur, & sit firma ac legitima quæcumque sub ea procedit administratio.* Quæ verba bifariam sumi possunt, ut istiusmodi Episcopi, aut in aliquo suæ Diœceseos loco, quia in civitate non possunt, jus suum exerceant: aut urbem regendam alibi accipiant, qualem habuit Episcopus Constantiæ Cypri in Hellesponto. De Episcopis Titularibus, quorum hæc quædam velut prædudia fuere, copiosiùs alibi.

---

## CAPUT XX. *P. 1. l. 1. c. 10.*

### De Archiepiscopo Carthaginensi. De Patriarcharum, Exarchorum, sive Archiepiscoporum potestate, prioribus quinque seculis.

*I. Origo Exarchatûs Carthaginensis. Carthagini fides Christiana Romà affulsit.*

*II. Non erat is tamen Vicariatus Sedis Apostolicæ. Probatur multis argumentis.*

*III. Cur subjecta alia aliis Ecclesia tribunalia non cognoverit Cyprianus.*

*IV. Erat initio Carthago Metropolis Ecclesiastica, quæ in omnem Africam vim suam jusque extenderet.*

*V. Quo tempore dispertita Africa in sex Provincias, & singulis Provinciis sui fuere Primates, seu Metropolitani, qui omnes subessent Carthaginensi.*

*VI. Cur Primates dicerentur Metropolitani Africæ, ubi Primates dicebantur antiquiores ordinatione Episcopi, nulla habita ratione Metropolis Civilis.*

*VII. Dubitandi ratio multiplex.*

*VIII. Toti præerat Africæ Carthaginensis Episcopus, & Ecclesiis omnibus Episcopos ordinabat.*

*IX. Dispensationes permagni momenti ipse concedebat.*

*X. Convocabat Concilium Vniversale, eique præerat.*

*XI. Præcipua illi semper erat cum Romano Pontifice conjunctio.*

*XII. Communium privilegiorum & jurium Patriarchalium compendiaria enumeratio.*

I. AUthoritatem Archiepiscopi Carthaginensis & antiquissimam esse, & latissimè patuisse, quàm exploratum certumque est, tam implicata obscuraque tantæ sunt authoritatis primordia. Asserit quidem Tertullianus, Romam Africæ quasi primarium fontem fuisse, unde prima hausisset rudimenta fidei. *Si Italiæ adjaces, Romam habes, unde nobis quoque authoritas præsto est.* *L. de Præsc.* Tum erat Carthago Caput Africæ, quæ pars est orbis tertiarum permagna, & multis dominabatur Provinciis. Hanc mare separat à Roma, sed intervallo tam brevi, ut intra paucos dies hinc illuc transfretare possis. Quare nec fieri potuit, quin brevi lumen fidei Roma Carthaginem propagaretur. Asserit Innocentius I. Africam, Siciliam, Hispanias, Gallias & Italiam ab Evangelicis Prædicatoribus aliis fide imbui non potuisse, quàm

qui aut à Petro, aut à Petri successoribus missi essent. Epist. 1. *Cùm sit manifestum in Africam, &c. nullum instituisse Ecclesias, nisi quos Petrus aut ejus successores constituerint Sacerdotes.* Idem sentire videtur Augustinus ubi ait de Cæciliano Episcopo Carthaginensi, potuisse cum Epist. 162. *non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret, & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, & cæteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum. Ubi paratus esset suam causam dicere, si adversarii ejus ab eo illas Ecclesias alienare conarentur.*

II. Quanquam autem Evangelii prædicatio ex Italia in Africam, & Româ Carthaginem se effuderit, non tamen efficere quisquam inde jure potest, ut Carthaginensis Episcopus, tam antiqua & tam latè diffusa potestate fretus, sedis Apostolicæ Vicarius tantummodo fuerit. Quæ de Vicariatu Thessalonicensi fusè suprà disputata sunt, hoc etiam suadent, si quis istiusmodi fuisset etiam Apostolicus Vicariatus Carthaginensi Episcopo delegatus, ejus residua futura fuisse vestigia, quæ horum similia essent, aut certè proximè accederent. Neque enim, si se delegatum existimasset, aut Romanæ sedis Vicarium Cyprianus, tam amaras effudisset querelas in sinum Cornelii Papæ, quòd Clerici quidam, & Episcopus hæreticus Romæ recepti fuissent, & tantumnon in communionem admissi. Epist. 55. *Post ista navigare audent ad Petri Cathedram, &c. Oportet eos quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola & fallaci temeritate collidere, &c. Nisi si minor videtur esse authoritas Episcoporum in Africa constitutorum, &c.* Quod tandem & tam constanter, durioribus enim verbis hîc abstinendum est, Stephano Papæ restitit idem Cyprianus: inde etiam apertum est longè eum ab ea opinione fuisse, ut se sanctæ Sedis reputaret Vicarium. Augustinus ipse, qui de ista concertatione toties egit, Romanique Pontificis supra singulos quosque Episcopos, & supra Episcopatum ipsum dignitatem agnovit: nunquam tamen dixit, ac ne insinuavit quidem, Episcopum Carthaginensem illius Sedis obtemperare debuisse mandatis, cujus delegatione tantùm quidvis posset, & cujus vices gereret. Denique contestatus est Cyprianus ipse inter initia statim ipsa Concilii sui Carthaginensis, nec à se cuiquam Episcoporum aut vim adferri, aut necessitatem imponi, quominus suo fruerentur judicio, aut ut se ad ejus exemplum accommodarent: sed & parem se sibi libertatem reservasse, cùm Episcopis omnibus velut agnata sit ea potestas, ut suo se quisque regat arbitrio, Christi judicium subiturus. *Non enim quisquam nostrûm Episcopum esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit; quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tanquam judicari ab alio non possit, cùm nec ipse possit alterum judicare. Sed expectemus universi judicium Christi, qui unus & solus habet potestatem, & præponendi nos in Ecclesia sua gubernatione, & de actu nostro judicandi.*

III. Haud scio, an in sententia perstiturus fuisset Cyprianus, si quis è suffraganeis adversùs ipsum, vel Concilium ejus Provinciale, vel Diœcesanum audaciùs quàm sapientiùs insurgens, contendisset soli se subesse Deo, soli Deo rationem consiliorum suorum reddi à se debere. Verùm hæc quæ à moderatione animi longiusculè absunt, habent unde veniam faciliorem impetrent, eo sæculo in quo nondum erat in constituenda Ecclesiæ disciplina tantum peritiæ, tantum experientiæ: imo nec per sævientes identidem persecutiones licuerat, suoa cuique tribunali, certosque fines præscribere. Audivimus modò ex Augustino, Cæcilianum declinatu Episcoporum Afrorum judicio potuisse causam suam judicandam reservare transmarinis Episcopis, & Sedi maximè Apostolicæ. Gesta ipsa Cæciliani in hac eum fuisse sententia satis produnt. Cæciliani exemplum & Augustini sententiam secutus esset, ut mea fert opinio, Cyprianus, si ejus eadem fuissent tempora, si eosdem expertus esset adversarios. Sed nulla se adhuc occasiò præbuerat, propter quam in eam omnes tribunalium & judicum Ecclesiasticorum rationem consentirent. Vel hinc porro manifestum denuo fit, nusquam alibi per ea tempora fuisse Vicarium ejusmodi Apostolicum, nedum Carthagini, cùm tale nihil Cypriano in mentem venerit.

IV. Ratum ergo illud fixumque animo debet esse, Carthaginem meram initio fuisse Metropolim, Romæ, Alexandriæ & Antiochenæ similem, aut non multùm dissimilem: cui subessent Provinciæ plures, quæ suis parerent Episcopia, ut & hi rursus Metropolitano suberant Carthaginensi. Cyprianus de Agrippino prædecessore suo loquens, qui primus ante annos quadraginta baptizatos ab hæreticis cœperat iterato tingere baptismo, affirmat id ab eo decretum fuisse in Concilio Episcoporum Africæ & Numidiæ. *Agrippinus cum Coepiscopis suis,* Cypr. ad Quintinum. *qui in illo tempore in Provincia Africa & Numidia Ecclesiam Domini gubernabant, statuit, &c.* Concilium Carthaginense, cui Cyprianus præfuit, in eadem causa iterandi vel non iterandi hæreticorum baptismi, ex Africæ, Numidiæ & Mauritaniæ Episcopia coaluerat. *Cùm Episcopi plurimi convenissent ex Provincia Africa, Numidia & Mauritania.* Epist. 45. Videtur & hinc innuere Cyprianus, Provincia sua Africa contineri Numidiam etiam, & Mauritanias duas: *Quoniam latiùs fusa est Provincia nostra; habet enim Numidiam, & Mauritanias duas sibi cohærentes.* Hæ sunt Mauritania Tingitana & Cæsariensis. Harum Provinciarum trium Legati Arelatensi Concilio interfuere. Divisa tamen est imperante Constantino Africa in Provincias sex, Africam Proconsularem, ubi Carthago: Byzacenam, Tripolitanam, Numidiam, Mauritaniam; quæ rursus ipsa secabatur in duas, Sitifensem & Cæsariensem. Nam Tingitana Provincia fuerat Hispaniæ adjuncta.

V. His ergo ferè temporibus, cùm Ablavius jussu Constantini ad Concilium Arelatense misit Episcopos: cœpere Provinciæ illæ sex Africanæ suos singulæ habere Metropolitanos, quæ nullum hactenus habuerant alium, præter Carthaginensem. Videri ergo potest Episcopus Carthaginensis ex iis ûnus fuisse, quos Episcopo Antiocheno similes dicit Nicæna Synodus, & quibus similia in Provinciis suis privilegia servari jubet; quæ ad ordinationes maximè spectabant. Erat enim æquissimum, ut qui cùm solus esset plurium Provinciarum Metropolitanus, earum solus ordinaverat Episcopos, hanc sibi servare integram posset facultatem Episcopos ordinandi, cum alios sibi adjungi subjungique Metropolitanos lubens assentiebatur. Post Romam sanè, Alexandriam & Antiochenam, urbium facilè principes, nulla sibi vel civitas poterat, vel Ecclesia in plures Provincias vel Ecclesias principatum majore jure vindicare, quàm Carthago: ejus olim Imperii caput, quod Græcorum Romanorum.

que Imperio, nec minùs per orbem latè effusum fuerat, nec minùs formidolosum.

Sub Episcopo Grato convenere Carthaginem ad Concilium Generale ex his omnibus Provinciis Episcopi anno Christi 349. Affuit Episcopus Adrumetti è Provincia Byzacena, & protulit Statutum Concilii sui Provincialis, de interdicenda Clericis usura, ut à Grato & à Concilio hoc ipso Carthaginensi confirmaretur. *In nostro Concilio statutum est, ut non liceat Clericis fenerari. Quod si & sanctitati tuæ & præsenti Concilio videatur, præsenti placito designetur.* Ubi vides postulari à Concilio Generali confirmationem ejus quod erat in Provinciali decretum. Id argumento est sua singulis Provinciis fuisse capita, suos Præsides, qui Concilio Provinciali præessent; ita tamen, ut unà subessent Episcopo Carthaginensi, & Diœcesano totius Africæ Concilio, cui ille tanquam Exarchus Africæ præsideret. Nullum reperire est sub Agrippino, Cypriano, & Cæciliano Carthaginensibus Episcopis particulare Concilium, quod subsit alteri Concilio Universali. Istiusmodi disciplina ævo Cypriani incomperta prorsus & inaudita videtur fuisse, nec nisi aliquantulo post ejus obitum tempore orbi affulsisse.

VI. Id ipsum etiam fortè in causa fuit, quamobrem Provinciarum Africæ Metropolitani non hoc sibi nomen sumerent, sed Primates dici se mallent. Nec verò Primates illi dicebantur, qui Episcopatum gerebant Metropolis civilis, sed qui Provinciæ Episcopos cæteros antiquitate ordinationis anteibant. Habita semper fuerat Carthago totius Africæ sola Metropolis; quocirca & Carthaginensis Episcopus solus fuerat totius Africæ Metropolita. Postquam autem Nicæno Concilio placuit, ut suus cuique Provinciæ esset Metropolitanus: & à Constantino eodem ferè tempore divisa in plures Provincias est Africa: in ea quidem, in qua hactenus fuerant erga Episcopum Carthaginensem subjectione, perseverarunt Africani Episcopi: sed in singulis Provinciis sua cœperunt habere Concilia, hisque præesse placuit eum ex Episcopis Provinciæ qui ordinatione esset antiquissimus, sive ætatis reverentia, sive quòd rerum experientia præstent seniores, sive quòd non esset in unaquaque Africæ Provincia Metropolis ulla civilis, quæ supra urbes alias aut magnitudine sua emineret, aut eorum hominum concursu, quos eò rerum suarum necessitas, aut commoditas invitaret. Ejus enim rei habita est ratio, cum Metropoles Ecclesiasticæ civilibus sunt affixæ. Statuerat Nicæna Synodus, ut Concilium Provinciale quotannis cogeretur semel & iterum. At erat longè difficillimum, ut vel semel anno quolibet totius Africæ Concilium Carthagini haberetur. Necesse ergo fuit particularia per singulas Provincias Concilia constitui, Conciliorumque Præsides. Decrevit Concilium Carthaginense III. ut semel quotannis congregaretur Concilium Universale, & ut Provinciæ quæ Primates haberent, tres eò Legatos singulæ mitterent. *Provinciæ quæ primas Sedes habent, ternos Legatos mittant.* Erant ergo etiam exeunte sæculo quarto Provinciæ aliquæ sine Primate, hoc est, sine Metropolitano. Nullum habebat Tingitana. Nusquam enim apparent ejus Legati in Conciliis Africæ Universalibus. Quia tamen adjungebat se Mauritaniæ, & ejus Concilio intererat: poterant ejus Episcopi ex Mauritaniæ Concilio ad Universale Concilium delegari. Non ergo incredibile est, sine Primate olim fuisse & alias Africæ Provincias: ut citra dubium, tota, vel pene tota cum adjacentibus Insulis Italia, multo tempore fuit sine ullo præter Romanum Pontificem Metropolita.

VII. Quanquam hæc in conjectura ferè posita sint. Nam etsi prioribus sæculis tribus, aut nulla existant, aut certè rara Metropolitanum cujusque in Africa Provinciæ vestigia; & solus ad muneris, in Conciliis maximè ubiisse videatur Carthaginensis Episcopus: poterant tamen aliqui Provinciis Africanis Metropolitæ interdum esse. Enimvero anno 303. Concilio Cirtensi præsidet Secundus Numidiæ Primas, *Episcopus primæ Cathedræ.* Nec satis alioqui constat quo præcisè tempore facta sit Africæ divisio in plures Provincias. Veruntamen quæ diximus, etsi ejusmodi non sint, quæ certissimam & perfectissimam fidem afferant: præbent tamen aliquam, eamque perutilem Ecclesiæ Africanæ cognitionem.

VIII. Paucis nunc nobis de Archiepiscopi Carthaginensis in omnes Africæ Provincias dicendum est privilegiis. In Concilio Carthaginensi III. ita decernitur: *Fuit semper hæc licentia huic Sedi, unde vellet & de cujus nomine fuisses conventus, pro desiderio cujusque Ecclesiæ ordinare Episcopum.* Verba sunt unius ex iis qui Concilio intererant Episcopis. Alius ex Episcopis Aurelium Carthaginensem Episcopum alloquens, dixit hanc ei potestatem esse omnino necessariam, ut Episcopos in Provinciis quibusque electos ipse ordinaret: quòd ejus esset omnes Africæ Ecclesias suffulcire. Porro non à Concilio ei dari potestatem; sed quam semper habuisset, declarari. *Necesse habes tu omnes Ecclesias suffulcire. Unde tibi non potestatem damus, sed tuam agnoscimus, ut liceat, &c.* Can. 45. Omnium Ecclesiarum Africæ onere se premi confessus est Aurelius: *Ego cunctarum Ecclesiarum dignatione Dei, ut scitis fratres, sollicitudinem sustineo.* Hæc quæ invaluerat in Ecclesiis Africanis consuetudo, ut ab Archiepiscopo Carthaginensi peterent Episcopos, & quæ fuit ejus in illos potestas, ut quem vellet, cui vellet Ecclesiæ, vel Episcopo auferret Clericum, ac petenti ordinaret Ecclesiæ: hæc inquam omnia verisimillimum est, ortum duxisse ex antiqua illa, qua per universam Africam potiebatur, Metropolitani dignitate. Præcipuam enim Canones Metropolitano tribuunt in ordinandis Episcopis potestatem.

IX. Si qua in re graviori dispensandum erat, postulabatur id ab Archiepiscopo Carthaginensi. Hinc Possidius de Valerio Hipponensi Episcopo, quando consilium iniit de adsciscendo sibi Coadjutore, eodemque subrogando successore Augustino: Canonum veniam testatur ab Aurelio Carthaginensi Episcopo petitam impetratamque. *Egit secretis litteris apud Primatem Episcopum Sedis Carthaginensis, ut Hipponensi Ecclesiæ ordinaretur Episcopus, qui suæ Cathedræ non jam succederet, sed accederet. Quæ igitur B. Valerius optavit & rogavit, satagens rescripto impetravit.* Hanc dispensationem etiam tum à Metropolitano & à Concilio Provinciali juxta Canones peti & concedi oportebat. Et hinc rursus intelligere est, Primatem Carthaginis solum olim Primatem in tota Africa, aut Metropolitanum fuisse.

X. Non contemnendum hoc quoque jus illi erat, convocare Universale sive Diœcesanum Concilium, Concilio præsidere, ac de causis majoribus omnibus, quæ aut in Conciliis Provincialibus dirimi non poterant, aut ad commune totius Africæ bonum spectabant, judicare. Dicemus infrà in secunda hujus Operis Parte, ubi sermo erit de Conciliis, prima omnium celebrata esse Concilia

Provincialia: Universalia autem initio rei Christianæ rarissima fuisse & extraordinaria; Afris quidem Episcopis postea crebriùs & annis singulis habita ea fuisse, sed consultius postea illis visum esse, non cogi ea nisi propter causas toti Africæ communes, porro Carthaginensis Episcopi erat ea convocare, cum communes istæ incurrebant & extraordinariæ causæ.

XI. Quanquam autem visum nobis sit, Carthaginensem Episcopum in tanta illa explicanda potestate non egisse vices Apostolicæ sedis, uti nec Ephesinum, nec Cæsariensem in Cappadocia, nec Heracleensem in Thracia: nec precaria, sed sua potestate usum: indubitatissimum tamen illud quoque est, Archiepiscopos Carthaginenses & conjunctiores semper fuisse Apostolicæ Sedi, & subjectiores, quàm Patriarchas, aut quoscunque alios: quòd persuasissimum nempe illis esset, Africam totam intra Patriarchatûs Occidentalis, adeoque Romani limites contineri. Cæciliani gesta, imò & Cypriani, quæ Augustini tempore in Apiarii Presbyteri, & Pelagianorum condemnatione actitata sunt, ipsæ denique inter Africam & Romam aliquando contentiones; hæc inquam omnia apertè docent, quantus esset illarum inter se consensus, & quàm bene conveniret inter Carthaginem & Romam. Sæviente tum maximè persecutione Vandalica, Episcopus Carthaginensis sine Papæ & Ecclesiæ Romanæ, quæ Ecclesiarum caput est, voluntate, constanter negavit, se ad publicam unquam cum Arianis disputationem esse venturum.

XII. Patriarcharum, sive Archiepiscoporum & Exarchorum jura, non semel jam delibata sunt. Unum hîc addam, eadem illa ferè fuisse, quæ Carthaginensis & Thessalonicensis Episcoporum. Penes illos erat Metropolitanorum, & omnium aliquando suæ ditionis Episcoporum ordinatio. Unde jus illis, ut de iis judicarent. A Metropolitanorum judicio ad illos provocabatur, & in Universali, sive Diœcesana Synodo quam convocabant & cui præerant ipsi, causa finiebatur. Mutuis inter se & communicatoriis litteris, summaque concordia, Ecclesiæ pacem & unitatem fovebant. Recitabantur in sacris diptychis eorum nomina. Ad eos causas majores omnes referri necesse erat. Occumenicis aderant Conciliis, ubi & cæteris omnibus præibant Episcopis. Denique singulari quodam supra cæteros Episcopos modo pro successoribus Apostolorum habebantur. Quæ jam omnia vidimus superiùs comprobata.

## CAPUT XXI. *P. 2. l. 1. c. 4.*

De Exarchis, Primatibus, seu minoribus Patriarchis, Heracleensi, Ephesino, Cæsariensi, Carthaginensi, Aquileiensi, Gradensi, Gotthorum, Longobardorum, Francorum, sæculo VI. VII. VIII.

*I. De Exarchis Heracleensi, Ephesino & Cæsariensi.*
*II. De Primatu Carthaginensi.*
*III. Etiam postquam eam urbem à Vandalis recepit Justinianus.*
*IV. Vandali Ariani in Africa suum sibi adrogarunt Patriarcham.*
*V. De Patriarcha Aquileiensi, cui ortum dedit natum ex trium Capitulorum damnatione schisma.*
*VI. De Catholico Gradensi Patriarcha, quem Aquileiensi fidei Catholicæ desertori Imperatores Constantinopolitani adversarium excitavere.*
*VII. Gotthi, Longobardi & Franci primo Metropolitanorum Patriarchæ nomen indiderunt.*
*VIII. De Patriarcha Lugdunensi & Bituricensi.*

I. EX antedictis non pauca hîc rursum obiter stringi necesse erit, ut oculis unà subjiciantur, quæ ad Exarchos Occidentis, seu minores Patriarchas spectant. Verbum non addam amplius de Exarchis seu Primatibus, quos Patriarchas minores dixeris, Heracleæ in Thracia, Cæsareæ Cappadocum in Ponto, & Ephesi in Asia. Hi enim ante annum Christi quingentesimum interierant, eorumque ditio & potestas omnis ad Patriarcham Constantinopolitanum transierat. Fuerant autem quondam ejusdem ferè consortes potestatis, cujus Patriarchæ veteres; ut Patriarchæ subessent nulli, ipsi autem Metropolitanis compluribus jus dicerent.

II. Non dicam etiam de Carthaginensi, tum quòd de eo jam bene multa dicta sint; tum etiam quòd media hac ætate, quale hîc agimus, non diu steterit. Carthaginem recepit Justinianus à Vandalis, eamque Regiæ simul & Ecclesiasticæ restituit potestati. At Saraceni paucis pòst annis torrentis instar florentissimas hasce Provincias barbarie & impietate ita complevere, ut jam inde nonnisi tristes miserrimi naufragii reliquiæ superfuerint.

III. Postquam Africam Justinianus & Christo reddidit & Imperio, coacti Carthagine cum Reparato ejus urbis Episcopo Africæ totius Præsules, ut Majorum sectarentur exempla, ad Joannem II. Papam scripsere, utque ab Apostolica potissimum sede disciplinæ Ecclesiasticæ regulas acciperent. *Convenire charitati credidimus, ut quid habeat sensus noster inter in publicam notitiam nemo perduceret, nisi priùs vel consuetudo nobis, vel diffinitio Romanæ Ecclesiæ proderetur.* *Epist. Joan. II. Papæ.* Diximus jam ut Gregorius Magnus Papa afflictæ hujus Ecclesiæ curam egerit, verè paterna in eam incitatus charitate.

IV. Suus erat & Arianis Vandalisque in Africa Episcopis Patriarcha. Nam in ea quam habuere cum Catholicis Collatione, nostris interrogantibus, quo jure, quo fundamento, eo nomine uteretur Cyrola, *Victor. de* non aliter respondit, quàm jussione immani, ut cru- *persecut.* delissimè torquerentur. Neque alio enim jure res *African.* Arianorum, seu civiles, seu Ecclesiasticæ, quàm vi & tyrannide stabant. Hinc porro planum est, quæ paulò majores erant Hæreticorum sectæ, eas suos sibi creasse Patriarchas, postquam in usu Ecclesiarum cœpit esse id nomen, & à Concilio Calchedonensi posterioribusque sæculis magna simul auctoritate & gloria usurpari. Hieronymus in Epistola ad Marcellam contra Montanum, *Habent*, inquit, *Montanistæ primos de Pepusa Phrygiæ Patriarchas.* Idem non semel commemoravit & Judæorum Patriarchas.

V. Debet Patriarcha Aquileiensis in Italia aut exortum suum, aut incrementa ei schismati quod è trium Capitulorum in quinta Synodo condemnatione initium sumpsit. Gotthorum Reges in Italia, ut claret ex Athalarici ad Joannem Papam Epistola, *Cassiod. l. 9. Epist. 15.* ditionis suæ Metropolitanos Patriarchas appellabant. Non parciores fuere Longobardi in Episcopis suis nominum saltem gloria ornandis; quibus postea in schisma abreptis, visum est Patriarchæ nomen, & rebellioni fovendæ accommodum, & ei potestati confirmandæ, quam ab aliis liberam, nec cuiquam obnoxiam sibi sumpsissent. Adde quod diruto Syrmio videbatur Aquileia evasisse caput Illyrici Occidentalis; cæteroqui per totum Orientis Imperium in præcipua quaque majorum Diœceseon Metropoli is erat constitutus Præsul, qui aut

aut Exarchi aut Patriarchæ nomine supra cæteros assurgeret Metropolitanos. Sive ergo magnitudinem Occidentalis speces Illyrici: sive res primùm Gotthorum, deinde Longobardorum Principum; qui ut ditionem suam decerptam Imperio, ita ditionis suæ Ecclesias nulli Ecclesiæ alteri obnoxias vellent: sive denique schisma perpendas; deprehendes ea conspirasse omnia, ut Patriarchæ nomine augeretur Aquileiensis Metropolitanus. Cúmque specie tantùm & nomine tenus initio videretur ille præcellere, cui nullos subesset Metropolita: eò tamen pervenit tandem, ut reipsa, loco & ordine supra cæteros omnes Metropolitas, supra etiam Primates evectus sit.

VI. Paulus Diaconus qui historiam gentis suæ, sive Longobardorum scripsit, testatum facit sub Benedicto Papa Paulinum Aquileiensem Patriarcham, Longobardorum incursionibus & terrore fatigatum, confugisse Gradum, eóque thesauros sacros
L. 2. c. 8. Ecclesiæ suæ avexisse. *Aquileiensi civitati ejusque populis Paulinus Patriarcha præerat, qui Longobardorum barbariem metuens ex Aquileia ad Gradi Insulam confugit, secumque omnem Ecclesiæ suæ thesaurum deportavit.* Paulinum excepit Elias, Eliam Severus. Is cum Episcopis tribus è Grado Insula Ravennam abductus, à Smaragdo Exarcho Ravennate coactus est ejurare schisma trium Capitulo-
L. 3. c. 12. rum. Ejuratio per vim extorta effectu caruit. Episcopos tamen schismaticos complures erroris tandem sui pertæsum est. Itaque ad unitatem rediere Ecclesiæ Episcopi Utinensis, Tridentinus, Veronensis, Vicentinus, Tarvisiensis, Feltrinus, Bellunensis, Polanus; & nonnulli alii. Tres tantum, aut quatuor relapsi in schisma Patriarchæ pertina-
L. 4. c. 10. cissimè adhæsere. Post Severi mortem, Joannes Abbas suffectus illi est in Patriarchatum Aquileiensem, assentiente etiam Agilulpho Rege; eodemque tempore Gradi ordinatus est Candidianus; quo non multo post vivis excedente, Episcopi Imperatoriæ ditionis & Catholicæ communionis quotquot erant, subrogarunt ei in Gradensem Patriarchatum Epiphanium, qui in Imperatorio Palatio diu meruerat. *Defuncto Severo Patriarcha ordinatus est loco ejus Joannes Abbas Patriarcha in Aquileia vetere cum consensu Regis Agilulphi. In Grado quoque ordinatus Romanis Candidianus Antistes. Candidiano quoque defuncto apud Gradum, ordinatus est Patriarcha Epiphanius, qui fuerat Primicerius Notariorum, ab Episcopis qui erant sub Romanis. Et ex illo tempore cœperunt duo esse Patriarchæ.*

Ita diversis quasi gradibus Aquileienses Patriarchæ schismatici, sub Gotthis Gradum primo secesserunt, Longobardorum furore & vastatione consternati. Ibi diutius moras traxere; Aquileiam demum redierunt à Longobardis ipsis revocati. Tum verò creatus est Gradi primùm Episcopus, inde Patriarcha, cui morem gererent Episcopi, tum qui à schismate resipuerant, tum qui nunquam à communione deflexerant Romana, tum denique qui suberant Romanis Imperatoribus, à quibus recepta interim Grados erat, & aliæ devictæ civitates. Hæc causa fuit dividendi Patriarchatûs unius in duos. Æquissimum enim erat, ut qui Catholicæ communionis retinentiores fuerant, & Romanis semper paruerant, tum Pontificibus, tum Imperatoribus, Metropolitam haberent ejusdem honoris & nominis, cujus erat eorum Metropolita, qui Longobardorum Principi parebant, nec à schis-
Epist 15 16 matis pertinacia recedebant. Scripsit Gregorius II.



Papa ad Serenum Episcopum Aquileiensem, & ad Patriarcham Gradi Donatum: consultò hunc, non illum Patriarchæ nomine & honore impartiens, quamvis illum quoque sinat toti præesse Longobardorum genti: *Nec amplius quàm in finibus gentis Longobardorum existentibus; gressum tendere præsumas.* Ad pacem & unitatem Ecclesiæ recipienti se Aquileiensi, ea lex imposita fuerat, ut ne quid in Patriarchæ Gradensis jura moliretur. *Ei consensum ad hanc conditionem esse sciatis.* Ita Pontifex tunc rem temperavit, Aquileiensi ut jus pristinum non anferret, nomen Patriarchæ suspenderet, quod nuperrimè Ecclesiasticæ paci se reddidisset.

VII. Quo tempore Gotthi atque Longobardi Patriarchæ nomine decoraverunt Metropolitas suos, cœperunt & illo Galli Episcopi delectari. Anno 585. in Concilio II. Matisconensi Priscus Episcopus Lugdunensis Patriarcha dicitur. Ibidem tamen Canone ultimo appellatur & Metropolita. Unde liquidum fit nullo ampliori jure tunc potitum esse Patriarcham, quàm Metropolitanum. Nicetium Lugdunensem jam antè Patriarcham dixerat Gregorius Turonensis. *Quod cum Rex Guntramnus comperisset, congregari Synodum apud urbem Lugdunensem jussit. Conjunctique Episcopi cum Patriarcha Nicetio beato, &c.* Jussu ejus Guntramni coaluerat Synodus Matisconensis II. Unde non ineptè conjicias, ei potissimum Metropolitano nomen Patriarchæ aptatum fuisse, qui sub unius Imperio Regis supra alios emineret. Regnum enim inter se partiebantur, qui de Clodovei stirpe prognati erant Principes. Præfuit Matisconensi Synodo Priscus Lugdunensis, & post eum sederunt, præter Episcopos, Metropolitani quinque, Viennensis, Rothomagensis, Bordigalensis, Senonensis, & Bituricensis. Denique statutum est in hac Synodo, quæ universalis quodammodo seu nationalis erat, ut tertio quoque anno huic simillima Synodus congregaretur, eamque indiceret Lugdunensis Metropolita, ubi de loco cum Rege convenisset. Id nomen, illa potestas, jus illud præsidendi, ea cum Rege consensio, nomen denique Concilii universalis, quod in Canone ultimo legitur, non parùm roboris ac præsidii adferunt superiori nostræ conjecturæ. L. 5. c. 20.

VIII. Quoniam autem Guntramnus nihil liberorum sustulit, & varia plerumque fuit Imperii Gallicani sub prima Regum, ac secunda stirpe partitio; inde contigit, ut & Patriarchæ nomen, & quæ paulatim accrescebant nomini in dies jura, exciderent prorsus & oblitterarentur: nec ad Prisci, atque Nicetii successores devenirent. Fieri præterea potuit, ut Provinciarum aliarum Metropolitæ se Lugdunensi subjici iniquo ferrent animo. Quo forsan excitatus est Desiderius Episcopus Caturcensis, ut Sulpicium Bituricensem Metropolitam suum Patriarcham diceret, ut qui Aquitanicæ primæ caput esset.

## CAPUT XXII. *P. 3. l. 1. c. 4.*

## De Patriarchis novis Latinis mediæ ætatis, sæculo VIII. IX. X.

*I. Plerumque hi Patriarchæ fuere nomine tenus, nullo jure præcipuo freti, & quandoque ne consessus quidem honore indulto. Exempla Patriarcharum Gradi & Aquileiæ.*

*II. Alterius vices minusculorum horum Patriarchatuum, quibus nulla suberant Metropoles.*

*III. Bulgaris Patriarcham sibi flagitantibus respondit Nicolaus I. hunc nomine aliud, re non aliud quam Metropolitam fore.*

*IV. Nec posse eum nisi ab Apostolica Sede impetrari.*

*V. Patriarchatum etiam Bituricensis initio mera fuit Metropolis.*

*VI. At ubi Carolus Magnus Regnum Aquitaniæ instituit, tunc Avarici Biturigum non jam Metropolis tantùm, sed Patriarchatus, sive Primatus resplenduit, ejusque jurisdictioni subesse cœperunt Metropoles Burdigalensis, Ausciensis, & Narbonensis.*

*VII. Extincto Aquitaniæ regno, & ex ejus cineribus Ducatu Aquitanico atque Narbonensi excitato, prorsus tunc quidem interiit Bituricensis Primatus.*

I. MEdiæ ætatis Patriarchæ novi, una fere omnis magnificentia claruerunt, nullo præterea privilegio spectabiles, ne concessa quidem prærogativâ, aut præeundi, aut superiùs sedendi, supra alios Metropolitanos. Carolus Magnus in Epistola ad Elipandum Toletanum, cæterosque Hispaniæ Episcopos data, Archiepiscopum Mediolanensem præponit Patriarchæ Aquileiensi, seu Forojuliensi. *Sacerdotes Italiæ cum Petro Mediolanensi Episcopo & Paulino Forojuliensi, vel Aquileiensi Patriarchæ, viris in Domino venerabilibus.* Adrianus Papa ad
Conc. Gall. To. 2. p. 185. Carolum Magnum Epistolam misit, *Patriarcha Gradensis.* In Concilio Ticinensi anno 855. Patriarcha
Ibid. p. 184. Andreas non nominatur nisi post Archiepiscopum
Epist. 112. 113. Angilbertum. Paulinum Aquileiensem Alcuinus scriptis ad eum Epistolis ornat semper Patriarchæ nomine. Monachus sancti Galli satis innuit solam nominis pompam, totius jurisdictionis inanem superesse Aquileiensi Patriarchæ, cum illum à Carolo Magno invisum narrat: *Episcopus civitatis illius*
L. 2. c. 26. *aut ut modernorum loquar consuetudine Patriarcha.* Egin-
Anno 821. hardus in Annalibus Fortunatum Gradensem Præsulem Patriarcham vocat.

II. Narratum jam suprà à nobis est, Reges Italiæ Metropolitanis suis Patriarchicum nomen addidisse: Eliam aliosque Aquileiæ Episcopos, schismatis ob tria Capitula exciti fautores, eo nominis splendore delectatos esse, quasi inde suæ partes convalescerent: cùm eam regionem recuperassent Imperatores Græci, Candidianum Catholicæ communionis Episcopum, Patriarchatu novæ Aquileiæ ab illis donatum fuisse, jussumque in Insula Grado sedere, ubi & Aquileienses Schismatici Patriarchæ sedem aliquandiu habuerant, & nomen ei adjecerant novæ Aquileiæ. Ita hæc Provincia, sub Patriarchatûs nomine bipartita fuit: Longobardis Schismaticum, Imperatoribus & Pontificibus Romanis Catholicum Patriarcham tuitione sua foventibus. Resilit tandem à schismate Aquileiensis; sede sua in oppidum Cormans, deinde ad Forum Julii translata, quod demum sub Rege Luitprando contigit, ut auctor est Paulus Diaconus. Exinde Aquileienses, iidemque Forojulienses dicti sunt Patriarchæ, nullo supra Metropolitanos alios honore conspicui, usque ad Leonis VIII. Papæ tempora, qui circa annum 980. supra omnes Italiæ Metropolitas sedere eos jussit. Quæ mera tum quidem fuit sedendi prærogativa, sine ullo juris dicendi additamento. Denique Leo Papa IX. anno 1050. gemini hujus Patriarchatûs fines diligentiùs designavit, è quibus Gradensis Venetias tandem translatus est, ut infrà dicetur.

III. Sunt alia quoque exempla, quibus perspicuum fit nonnullos re Metropolitas, nomine Patriarchas fuisse. Bulgari Nicolaum I. percunctati fuerant, an Patriarcham sibi suum creare fas esset. *Requisistis, si liceat in vobis Patriarcham ordinari.* Æmulabantur Bulgari Reges Constantinopolitanos Imperatores, quorum Imperio à Patriarchalibus Ecclesiis non parum accedebat gloriæ & ornamenti. Porro respondit Pontifex, ordinandos primùm illis Episcopos, quibus præfuturus deinde erat, sin minus Patriarcha, certe Archiepiscopus: *Qui si non Patriarcha, certè Archiepiscopus appellandus sit.*

IV. Sciscitantibus rursum Bulgaris, à quo creandus sibi esset Patriarcha: *A quo sit Patriarcha ordinandus, interrogatis*: respondit Pontifex institui eum non posse, nisi ab eo qui inter Pontifices superiorem Patriarchalis dignitatis apicem obtineret: *Scitote quia in loco, ubi nunquam Patriarcha vel Archiepiscopus constitutus est, à majori est penitus instituendus.* Denique non posse illis, sive Archiepiscopum, sive Patriarcham novum creari, nisi à Sede Petri, in qua summum Episcopatûs & Apostolatûs culmen splendet. *Vos sive Patriarcham, sive Archiepiscopum, sive Episcopum vobis ordinari postuletis, à nemine nunc velle congruentius, quàm à Pontifice Sedis B. Petri, à quo & Episcopatus & Apostolatus sumpsit initium, hunc ordinari valetis, &c.*

V. Ab his non recedit Patriarchatus Bituricensis. Caroli Magni precibus permotus Adrianus Papa I. pallium concessit Ermemberto Archiepiscopo Bituricensi. Subveritus primò est Pontifex, ne cui Metropolitano subesset Bituricensis. Nulli eum subesse certior factus, *confessus est, ne sub nullius Archiepiscopi jurisdictione esse videretur*: tum verò pallium ei, & Metropolitæ, sive Archiepiscopi nomen contulit. *Archiepiscopo constituto in Metropolitanam civitatem, quæ Bituricas cognominatur; sicut dudum mos exititit: sub jure sanctæ Romanæ Ecclesiæ degenti, usum pallii concessimus, &c.* In aliquas si tum Metropoles aliquid sibi juris arrogasset Bituricensis, opportuna tunc imprimis ea aderat occasio, petendæ à Pontifice ejus confirmationis. An. 786. Conc. Gall. To. 2. p. 115.

VI. Sed cùm Carolus idem Magnus Aquitaniam Regio nomine illustrasset, novoque hoc Regno majorem natu filium donasset Ludovicum Pium, concessis ejus ditioni civitatibus opulentis Avarico Biturigum, Burdegala, Elusa, qua demum diruta, tota ejus dignitas ad Auscios translata est: tum verò Biturigum civitas novi regni caput esse cœpit, ut quæ primæ Aquitaniæ hactenus Principatum habuisset: ac proinde novo Primatu, sive Patriarchatu supra omnes regni Aquitanici Episcopos auctus est Præsul Bituricensis. In Gratiani Decreto legere est Nicolai I. fragmentum Epistolæ ad Rodolphum Archiepiscopum Bituricensem scriptæ, ubi eum commonefacit Pontifex quantum querelarum effunderet Sigebodus Archiepiscopus Narbonensis, quòd in ejus Diœcesi nova quædam molitus esset, quasi Patriarchatûs sui jure: *Quasi jure Patriarchatûs tui disponas.* Cùm autem in aliorum Episcoporum diœceses immediatè quidquam audere per sacros Canones non liceret, jubet eum Pontifex de solis posthac causis, quæ per appellationem ad eum devolventur, judicium ferre, quòd eo jure uti soleant Patriarchæ in obnoxios sibi Metropolitas. *Nisi fortè pro causis quæ apud se terminari non possunt, ad te quasi ad Patriarcham suum provocaverint per appellationes, vel si Episcopus suus decesserit, res Ecclesiæ suæ judicio suo dispensare voluerit.* 9. q. 3. C. Conquestus. Conc. Gall. To. 3. p. 235.

VII. Si non nutet hujus Epistolæ fides, ea indubitatissimè constat & roboratur sive Patriarchatus in Narbonensem etiam Provinciam, sive potiùs Primatus Bituricensis. Neque enim expostulaverat Metropolita Narbonensis, nisi de immediata juris-

dictione, quam usurpasset Bituricensis in Narbonensem Provinciam; nec damnat Pontifex nisi immediatæ jurisdictionis usurpationem: Appellationibus à Metropolitano ad Primatem faciendis, velut antiquissimæ Primatum consuetudini perlubenter subscribens: *Primates enim vel Patriarchas nihil privilegii habere præ cæteris Episcopis, nisi quantum sacri Canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus contulit, diffinimus.* Hanc porro Nicolai Epistolam ante Gratianum Ivo Carnutensis Decreto suo illigaverat. Suo infrà loco dicemus ut extincto Aquitaniæ regno, emerserint ducatus duo, latéque se effuderint Narbonensis & Burdigalensis. Ex hoc vero ansam arripuisse Metropolitanos Narbonenses & Burdigalenses excutiendi jugi Primatum Bituricensium.

---

## CAPUT. XXIII. *P. 4. l. 1. c. 9.*

### De Patriarchis Gradensi, Veneto, Aquileiensi, Bulgarorum, ætate media & extremis his sæculis post annum Christi millesimum.

*I. Corpus beati Marci Venetiis, ubi delituerat, tandem repertum, Patriarchalem ei portendere videbatur dignitatem.*
*II. Quo tempore & modo Patriarchatus Gradensis illuc translatus sit.*
*III. Quanta fuerit Gradensis Patriarchatûs amplitudo.*
*IV. Quo distaret ab Aquileiensi.*
*V. Exaltatio geminæ hujus Patriarchæ, infra antiquos tamen Patriarchas.*
*VI. Amplitudo antiqua Gradi & Aquileiæ.*
*VII. De Patriarchatu sive Primatu Bulgarorum Trinovis, quæ prisca Justiniana est.*
*VIII. De Primatu Thessalonicensi.*

*An. 1094.* I. REperto Venetiis corpore B. Marci Evangelistæ, quod jamdiu delituerat, solemnis cum primis celebrata est ibi festivitas, & ea pompa, quæ novam ei portenderet ex Gradensis illuc Patriarchatûs translatione dignitatem. Hoc honoris incrementum auguratus quodammodo fuerat Petrus Damiani, cum de hac ipsa disserens beatissimi corporis inventione, aiebat hanc Ecclesiam Apostolicarum Ecclesiarum albo penè adscribi, quæ jam Apostolici Pontificis corpore gloriaretur, proximéque ad Petri verticem accederet, postquam amantissimi ejus discipuli sedes deinceps futura erat. *Dum in tuo gremio virum Apostolica gratia suscepisti, & ipsa quodammodo sedes Apostolica fieri meruisti. Quamobrem sicut mater urbium Roma super omnia regnà terrarum sublimatur in Petro: sic & tu velut ejus insignis filia, per Marcum gloriaris in Christo.* *Baron. an. 1094. n. 35. 36. 37.*

II. Mandatum quidem litteris est à Dandulo, Leonem IX. Gradensem Patriarchatum Venetias transtulisse in Concilio Romano, anno 1050. & in Mantuana Synodo sub Alexandro II. eidem decreto novum robur accessisse. Danduli fides mihi quidem videtur nutare. Aut si consteot illa Pontificum & Synodorum Decreta, intercesserunt Episcopi, quorum minuebatur dignitas; nec usu receptum est, quod ibi fuerat novatum. *Baron. an. 1050. n. 5.* Nicolao V. Veneti debent novam hanc dignitatis accessionem, Ecclesiæ suæ factam, Gradensis illuc Patriarchatûs translatione. Movebat Nicolaum Laurentii Justiniani Venetiarum Episcopi sanctitas & mira doctrinæ ubertas, ut digno ea fastigio clarescetet. *An. 1450. Rainaldus n. 19.* Id porro perfecit Pontifex inconsulto Duce & Senatu, ne dissensu eorum tam præclarus dissiparetur conatus, ut jam sub Eugenio IV. contigerat, à quo res eadem incassum tentata fuerat. Laurentius novo dignitatis pondere adeo non est delectatus, ut cum dissensurum esse Senatum præsagiret; ne splendore novo ferocientes Episcopi sæpius etiam in posterum cum eo de Ecclesiæ juribus altercarentur: id cœperit consilii, ut hac data occasione, non Patriarchatu tantum, sed & Episcopatu, quo dudum gravabatur, sese abdicari curaret. Verùm ut pietatis eximiæ vir abdicationi & depressioni suæ ea sperabat profutura, quæ in ejus honoris & dignitatis augmentum Pontifex moliebatur: ita Venetus Dux & Senatus senserunt tandem, tam mirificam animi moderationem & honorum fugam novis honoribus cumulandam esse, ut & hinc in Rempublicam honoris & gloriæ aliquid redundaret. *Sic quod invidiosum fuerat in dignitate, ex mansuetissimis sancti viri moribus gratissimum factum est.* Verba hæc sunt ejus, qui sanctissimi Patriarchæ vitam litteris consignavit. *Bollan. in vita B. Lauren. Justin. die 8. Ian. c. 8.*

III. Non novi igitur ista fuit Patriarchatûs creatio, sed ejus qui Grado in Insula diu hæserat, latéque jus suum propagaverat per omnem Venetorum ditionem, translatio in ipsam Veneti Imperii primariam civitatem. Scribens Alexander IV. ad Patriarcham Gradensem, non novum tantùm authoritatis pondus addiderat iis privilegiis, quæ illi prisci Pontifices contulerant jam inde ab Urbano II. & Leone IX. sed & jus illi vel novum conces- *Rainal. an. 1246. n. 40.* serat, vel priscum firmaverat in Archiepiscopum Jadertinum, ejusque suffraganeos omnes; cum potestate illos ordinandi, non tamen sacro exornandi Pallio, quod non erat nisi à Romano tradendum Pontifice: *Romano quidem Pontifici traditione Pallii reservata.* Paulò vetustiora tamen sunt exordia ejus potestatis, qua Gradensis Patriarcha in Jaderanum Metropolitanum pollebat. Scripserat enim Innocentius III. Venetis, Jaderam civitatem à Romana sede ad Metropoleon honorem ascitam esse, ut eorum Patriarcha haberet & ipse quibus præesset Metropolitanos; *Ut Ecclesia vestra non solo nomine, sed pleno jure Patriarchalem dignitatem haberet, cùm ei subjecta foret Metropolis Iadertina.* *Gesta Innoc. III. pag. 123. Ex Regest. 1. Epist. 537.* Ex Gestis tamen ejusdem Papæ patet, non potuisse pallio donari Jadertinum Metropolitanum, nisi a Romano Pontifice. Eo quippe etiam præcellebant his junioribus Patriarchæ veteres, quod hi subjectis sibi Metropolitanis pallia largirentur. Denique ut alibi fusius à nobis narratur, huic Patriarchæ subjecit idem Innocentius III. quidquid erat Venetorum, aut Venetis subditorum in Constantinopolitano Imperio sparsum; adjecta etiam potestate creandorum Episcoporum illis in urbibus omnibus, ubi Veneti plures suæ gentis Ecclesias obtinerent. Cùm hæc ita se habeant, in confesso jam est, satis amplam effusamque fuisse Patriarchæ, seu Gradensis, seu Veneti potestatem, cum Archiepiscopis jus diceret, & tam latè per Orientem pateret, quam ipsum Constantinopolitanum Imperium. Quin & singulare prorsus, magnique faciendum erat jus novos erigendi Episcopatus, ubicumque gentium Veneti plures sibi haberent Ecclesias.

IV. Cùm Imperatores Græci urbes provinciasque maritimas occupassent Istriæ & Venetiarum; sectus in duos est Patriarchatus Aquileiensis; Aquileiensi, seu Forojuliensi regente Ecclesias imperio tum Græcorum obnoxias: Gradensi autem administrante reliquam Istriam, quæ Venetorum ditionis erat, &

Romanæ communioni firmiùs adglutinabatur. Ideo qui Gradensis, idem Venetiarum & Istriæ Patriarcha dictus est. Diximus & cur Patriarcha dictus sit Novæ Aquileæ. Verum de hoc Aquileiæ Patriarchatu intelligi par est Luitprandum cum ait, à Petro Romæ constitutum fuisse Apostolatûs thronum, Marcumque ab eo Alexandriam quidem destinatum esse, sed dum iter facit, Aquileiensem Ecclesiam à Marco satam institutamque fuisse. *Ita ut Aquileiensem primo ipse institueret.* Is nimirum tunc temporis rumor increbuerat. Anno 1044. Benedicto IX. obrepsit Aquileiensis Patriarcha Poppo, captumque ab eo dyploma, quo ejus imperio substernebatur Gradensis Patriarcha. Id statim post Popponis excessum revocavit Pontifex,

*Luitpran. Hist l. 4. c. 3*
*Baron. ad an. 1044. n. 3.*

Ducis Veneti precibus adductus Leo IX. datis litteris ad Episcopos Istriæ, jussit eos Gradensi parere, additis illis omnibus honorum titulis, quorum hîc mentionem fecimus. *Relectis privilegiis à sancta & Apostolica sede sibi concessis, judicio totius Synodi hoc definitum fuit, ut nova Aquileia totius Venetiæ & Istriæ caput & Metropolis perpetuò haberetur, &c. cum Gradensis, id est, nova Aquileia Patriarcha, &c.*

*Leo IX. Epist. 2. An. 1050*

In eadem porro Synodo Romana, quæ Gradensia ditionem designavit, circumscripta est etiam Longobardiæ finibus potestas Aquileiensis, convenienter decreto Gregorii II. Papæ, quod Gregorius quoque III. confirmaverat. *Forojuliensis verò Antistes tantummodo finibus Longobardorum esset contentus, juxta privilegium Gregorii II. & retractationem III.*

Ibidem conqueritur hic Pontifex de contumacia Forojuliensis Patriarchæ, qui quater absuerat à Romana Synodo, ad quam vocatus fuerat: cùm quinquies affuisset Gradensis, ne invitatus quidem. Pronum est conjicere, Forojuliensi tum intercessisse necessitudinem & consiliorum antiquam societatem cum Constantinopolitanis Imperatoribus & Patriarchis, quorum tunc crebriores erant cum Romano Pontifice dissensiones. Hinc ampliora illa Gradensis Ecclesiæ privilegia. Dominicus Gradensis Patriarcha, cujus in gratiam illas Leo IX. scripserat litteras, Constantinopolin ipse ad Imperatorem Michaëlem à Gregorio VII. missus est Legatus, sarciendæ inter utramque Ecclesiam concordiæ, sopiendisque simultatibus. Datâ tum ipsemet Epistolâ ad Petrum Antiochenum Patriarcha docet nos Gradensem Ecclesiam fundatore Evangelista Marco gloriari, unam hanc in universa Italia Patriarchalem esse, & in Romanis Conciliis hoc frui privilegio, ut ejus Præsul ad dexteram Pontificis sedeat. Responsum verò est à Petro Antiocheno, quinque sibi, non plures notos esse Patriarchas, ipsum quoque nomen Patriarchæ peculiarius Antiocheno vendicari, ut Papæ Romano & Alexandrino, Archiepiscopi Constantinopolitano & Hierosolymitano: sed Gradensem sibi forsan nomen Patriarchæ sumere, eodem quodammodo more quo in Oriente, qui in Conciliis proximi Patriarchis sedent, Protothroni, Exarchi & Proedri vocitantur.

*Marca de Primatu Lugdun.*

V. Nec is erat sanè Gradensis Patriarcha, qui se antiquis Patriarchis coæquari posse speraret: cùm vel maximè non cœpisset nisi nuperrimè hac ad Pontificis Romani dexteram sede gaudere. Ex Epistola enim Clementis II. palam fit, cùm in Concilio Romano hac ipsa de re concertatum diu fuisset inter Ravennatem, Mediolanensem & Aquileiensem Antistites, statutum tandem fuisse, ut dexteram Pontificis occuparet Imperator, si præsens adesset; eo absente, Ravennas. Nec illud omitti debet, incuria Venetorum ad eas paupertatis angustias Dominicum Patriarcham, de quo suprà, compulsum fuisse, ut de abdicanda dignitate consilia agitaverit; eaque de re scripserit ad Ducem Senatumque Venetum Gregorius VII. Papa, ut tandem aliquando meminissent, decoratam esse Patriarchatûs apice Ecclesiam Venetiarum. *Scitis quoniam præ multis terrarum partibus divina dispensatio terram vestram Patriarchatûs honore sublimavit.* Ægrè fieri poterat ut domi adeo despectus Patriarcha, foris superbiret. Sed nulla re, nullo officio ei defuerunt Romani Præsules. Adrianus IV. Gradensem Patriarcham confirmavit, ejusque authoritatem in Jaderrinum Metropolitam communivit. In Lugdunensi Concilio I. tres primùm Sedes eminentiores cæteris excitatæ sunt, ex adversa Pontificis parte, ut iis sederent Patriarchæ Constantinopolitanus, Antiochenus, & Aquileiensis. Iniquissimo animo tulere Episcopi hanc Aquileiensis insolentem & injuriosam sibi, ut rebantur, sedendi prærogativam: itaque humi dejectus est, qui illi adsignatus fuerat thronus. Pontifex restitui jussit.

*Ann. 1046. Conc. to. 9. pag. 1151.*
*Conc to 10. Adrian IV. Ep. 37. 38.*
*Ann. 1245. Conc. to 11. part 1. pag. 638.*

Quod ad temporale autem dominium spectat, cùm Eugenius IV. ab Episcopatu Florentino Ludovicum Venetum ad Patriarchatum Aquileiensem transtulisset; scriptis ad Venetum Ducem litteris, edixit, ut in Provinciæ Forojuliensis dominationem restitueret hunc Venetum origine Patriarcham. Ejus enim possessione Veneti ejecerant ejus prædecessorem, in cujus potestate ea fuerat, tanquam Ecclesiæ suæ perantiquum patrimonium. Ea etiam de causa à Concilio Basileensi excussa in eos fuerant diræ excommunicationis tela. Denique contestabatur Pontifex, si à restitutione tam æqua & tam necessaria abhorrerent Veneti, à se quidem Ludovicum in aliam Ecclesiam translatum iri: sed Aquileiensis Patriarchæ nominationem in Imperatoris potestate futuram, à quo ne spes quidem esse possit ulla, ut gente Venetus Patriarcha nominetur, cùm maximi omnino momenti propugnaculum illud sit, & inter primarias Imperii dignitates: *Cùm sit ex principalioribus regni dignitatibus.* Prope abest à vero, vendicasse jam olim sibi Imperatores potestatem, eam Sedem quibus vellent donandi, cùm affirmet Papa, Venetum Patriarcham neminem adhuc fuisse. Recaluit non ita pridem hæc altercatio inter Pontificem & Imperatorem: cùm Urbanus VIII. Pontifex Patriarcham designasset origine Venetum: & Imperator constanter restiturum se significasset, ne qua suo juri injuria fieret.

*Rainaldus ann. 1440. n. 12.*
*Spondan. ann. 1628.*

VI. Non est porro quòd stupeat quis, Aquileiam quæ altera fuerat Roma, dum res Romana floreret: quæ inter Ecclesias Occidentales melioribus & antiquioribus sæculis florentissima & ipsa fuerat: quæ in Gotthorum Imperio apicem dignitatis obtinuit, & Patriarchali jam tum nomine fortassis sese jactavit, tanquam regni Gotthorum primaria civitas, cujus rei non pauca superiùs exempla deprompsimus: non est, inquam, quòd quisquam stupeat, eam cineribus & ruinis suis toties obrutam, quod non siluit historia, emersisse rursus in antiquas prærogativas; cùm media ætate, locatâ in confinio Occidentalis & Orientalis Imperii, Romanæ & Constantinopolitanæ Ecclesiæ, tam sapienter consilia sua temperarit, ut certatim Pontifices, Patriarchæ Constantinopolitani, & Imperatores, ad ejus amplificationem conspiraverint, ut ejus rationibus & utilitatibus addicti, suis quoque vicissim illam adjungerent.

Fatetur Paulus ipse Diaconus, antequam Longobardi io Italiam infunderentur, Paulum Episcopum Aquileiensem Patriarchæ nomine effulsisse; & io Iosulam Gradum non coocessisse, nisi ut eorum furori se subduceret: *Paulus Patriarcha, Longobardorum barbariem metuens, ex Aquilsia ad Grados Insulam confugit, secumque omnem thesaurum Ecclesia sua portavit.* Addit his Sigonius Forojulieosem Ducem stirpis Longobardicæ, fidei & communioni Catholicæ cùm se reddidisset, operam dedisse, ut Aquileiensis eligeretur Patriarcha, cui mediterranea Longobardorum tota ditio morigeraretur; Gradeoses alteri tum paruisse Patriarchæ, cui ora etiam maritima Istriaque Imperatoribus Constantinopolitaois subdita, parebat. Idem habet Paulos Diacoous, tunc nempe cœpisse duos esse Patriarchas. *Ex illo tempore duo cœperunt esse Patriarchæ.* Hostilibus incursionibus compulsi sunt Patriarchæ Aquileienses Forumjulii confugere, postea etiam Utinum. Hinc tot illi Patriarchæ oomina.

*Ann. 568. Paul. Diac. L. 2 c. 7. & l. 4. c. 34. & l. 6. c. 51 Ann. 603. Sigonius L. 2. de Regno Italia.*

VII. Ad Bulgarorum tandem Patriarcham redeo, cui Nicolaus I. concessit, ut splendido hoc nomine abuteretur, pompa majore, quàm re & potestate; cùm non alii quàm Patriarchæ veteres parem nomini authoritatem consecuti unquam sint. Metropolis Bulgarorum illa ipsa erat Justiniana prima, in quam Justinianus Imperator congesserat quanta maxima potuerat authoritatis ornamenta, præ cæteris autem vices Apostolicæ Sedis, id est, Exarchatum, sive Primatiam. Patriarchæ nomine tunc quidem abstinebatur; at ubi illud à Nicolao I. concessum est Archiepiscopo Bulgarorum, cui sedes erat civitas Acrida, seu Justiniana prima: incunctanter hanc ei dignitatem firmavit Inoocentius III. postquam sedem suam Trioovianı transtulit, Valachiæ, sive ut tunc appellabatur, Blachiæ civitatem. Accipe jam Innocentii verba in Epistola ad Archiepiscopum Trinoviensem: *Te quoque in regno Bulgarorum & Blaccherum Primatem statuimus, ut & tu & successores tui, qui sibi in Apostolica sedis devotione successerint, cæteros Metropolitanos Bulgaria & Blacchia præcellatis ratione Primatia; & ipsi tibi, & eis juxta formam canonicam, reverentiam Primati debitam exhibeant & honorem.* Subdit Pontifex, ut beoeficio in Regem & Archiepiscopum Bulgarorum suo pondus adderet & pretium, Primates & Patriarchas eosdem protsus esse. *Fraternitatem tuam scire volentes, quod hæc duo nomina apud nos, Primas & Patriarcha pene penitus idem sonant, cùm Patriarcha & Primates unam formam teneant, licet eorum nomina sint diversa.* Jubet deoique Innocentius, Metropolitani ut à Patriarcha confirmari se consecrarique postulent, pallium ne nisi à summo Pontifice expectent, à quo nec repulsam, nec moras aut cunctatiooes passuri siot unquam, tum ipsi, tum Patriarcha.

*Ad consul. Bulg.*

*Baraald. 1204 ann. 37 38.*

*L. 2.*

Refert Nicephorus Gregoras, ut Basilius Imperator Bulgaros Macedoniæ finibus, Justiniana seu Acrida ejecerit, unde abacti, io Mysiam ad oram Danubii confugeruot. Ibi Trinoviam, seu Ternobum Metropolim sibi constituêre, quam & à jure Justinianæ primæ absolvi tum curavere. cum Bulgarorum Regis filiam uxorem duxit Theodorus Lascaris, Imperatoris Græci filius. *Tunc Ternobi Episcopus libertatem perpetuam impetrat, cùm ad id usque tempus prima Justiniana Archiepiscopo, propter veterem illius gentis cognationem paruisset.* Ioocentius porro III. tantò proclivior fuit ad Bulgarorum Reges regio diademate, Archiepiscopos Patriarchali nomine exornandos, quòd gentem bellatricem bis beneficiorum vinculis spetabat, arctiùs obligatom iri Latiois, qui tunc Constantinopoli rerum potiebantur.

VIII. Superiùs jam diximus ab eodem Pontifice renovatam fuisse primotum Thessalonicæ Archiepiscoporum dignitatem, Apostolicasque vices, quibus non immeritò Patriarchalis amplitudinis splendor quidam adhærescebat. Hoc beoeficio potita est Thessalonica, eo toto saltem tempore, quo Constantioopolitani Imperii sedem & potestatem Latini retinuere.

*Innoc. III. Regest. 15. Epist. 18.*

---

## CAPUT XXIV. *P. 4. l. 1. c. 4.*

### De cæteris Patriarchis, de Catholicis, aut Primatibus Asiæ, qui media ætate & extremis his sæculis emersere è ruinis & quasi ruderibus Patriarchatûs Antiocheni & Hierosolymitani.

*I. De Patriarcha & Ecclesia Maronitarum.*
*II. De Patriarcha & Ecclesia Jacobitarum.*
*III. De Catholicis & Ecclesiis Armenorum.*
*IV. De nomine Catholici.*
*V. Discrimen duorum Catholicorum.*
*VI. De Fran-Armenis.*
*VII. De Nestorianis.*
*VIII. De Presbytero Joanne, Patriarcha Nestorianorum, & Imperatore totius Asia.*
*IX. Alii & alii Patriarcha Nestorianorum, iterata eorum cum Ecclesia Romana uniones.*
*X. De Georgianis.*
*XI. Harum Christiani nominis Sectarum innovata subinde societas cum Sede Petri.*
*XII. Explosere tandem Eutychiani ipsi absurdam illam, quam commentus olim erat Eutyches, duarum in Christo naturarum confusionem.*

I. A Maronitis ordimur, quibus nomen inditum non à Maronia urbe, haud procul Antiochia, juxta Hierooymum in vita Malchi Monachi: noo à Presbytero Monachoque Marone, cujus sanctitatem & laudes executus est Theodoretus in Historia Religiosa, & cujus Cœnobium conspicuum præ cæteris fuisse compertum est ex Actis Concilii Constantinopolitani sub Mena; sed à Marone ejus hæreseos parente & principe, quæ Monotheletarum dicta est, & qua ille Libaoi montis incolas inquinavit. Author nobis hîc præit Vuillelmus Tyri Archiepiscopus, Libaoo & Marooitis vicinus; qui docet etiam sua ætate, hoc est, quingentis admodum anois post sextam generalem Synodum, quæ Moootheletas proscripserat, Maronitas in fidem & uoitatem Ecclesiæ Catholicæ restitutos fuisse, ejuratis erroribus pristinis coram Aimerico, qui Latinorum tertius Patriarchatum administrabat. *Ad Ecclesiam rediere Catholicam unà cum Patriarcha suo, & Episcopis nonnullis.* Testem ejusdem rei addere possem Jacobum etiam de Vitriaco, Acræ, seu Ptolemaïdis in Syria Episcopum; qui Maronitas tum ait religiosissimè se addixisse moribus ritibusqoe sacris Ecclesiæ Romanæ; denique eorum Patriarcham Lateranensi IV. Concilio affuisse sub Innocentio III. Maronitæ qoidem ipsi illustriorem sibi vendicant originem à Marone, Maronisque Monasterio, sanctitatis laude olim celeberrimo, de quo suprà: at quæ usquam gens non undecumque venatur sibi majores natalesque splendidiores, & in eorom suffragatiooem captivos trahit Historicos?

*Cap. 16.*

*Vuill. Tyr. L. 22. c. 8.*

*Anno 1182.*

Cùm lapsu temporis Maronitæ implicati essent nonnullis erroribus, & ab Ecclesia Romana penè

*Rainal. an. 1514 n. 37. & seqq.*

abalienati: anno Christi 1445. Andream Archiepiscopum in Hungaria Colocensem Cyprum ablegavit Eugenius IV. ab iisque fidei confessionem expressit prorsus Catholicam. Anno 1469. Paulus II. Papa postulanti Maronitarum Patriarchæ Catholicæ fidei expositionem accuratiorem, misit accuratissimam. Rinald. an. 1516. n. 79. Postremò Leo X. Papa Evangelicos præcones ad eos misit ex Ordine Franciscanorum, qui Catholici dogmatis bibulos cum primis, & ad sanctæ Sedis obsequia pronissimos non potuere non admirari populos. Ergo biennio pòst Patriarchæ Legati Concilio Lateranensi interfuere, & Romanæ fidei palam edidere confessionem. Minùs probavit Pontifex, quòd se Antiochenum Patriarcham dictitaret Maronitarum Exarchus, cùm alter jam esset Latinæ & Catholicæ communionis Antiochenus Patriarcha. Spondan. Ann. 1577. 1580. Litteris Apostolicis Clemens VII. Patriarcham Maronitarum commonefecit, ut illam constantissimè tueretur & coleret Romanam communionem, quam ejus Majores cupidè amplexati essent, sub Innocentio III. & Eugenio IV. Postremò denique Gregorius XIII. & Clemens VIII. Ecclesias hujus gentis cum prima Sede rursum strictissimè devinxerunt.

Indultum eis est, ut sacras preces officiaque divina celebrarent Chaldaïca, hoc est Syriaca lingua. Proximè quidem accedunt ritus eorum ad Romanos, sed interest sæpissimè non parum discriminis, ubi nempe illi ad Græcos deflectunt. Eucharistica communione impertiunt parvulos, necdum rationis radio fruentes, & quidem sub utraque specie; jejuniis eximunt Sabbatum, continentiæ fibula nec Diaconos, nec Presbyteros saltem suos astringunt; dummodo ne post ordinationem nuptias celebrent: non sejungunt à Baptismo sacramentum Confirmationis: una in Ecclesia, & uno super altari sacrificium eodem die iterari vetant, nisi gravis urgeat necessitas. Patriarcha eorum semel vitæ suæ tempore plenissimas largitur indulgentias, postquam Paulus V. ejus rei copiam ei fecit. Quanquam autem litteris mandarint aliqui, à Maronitis numero quadraginta millibus frequentari montem Libanum; sunt & alibi etiam ejusdem sectæ non pauci, tum Aleppi, seu Hierapoli, tum Damasci, & compluribus aliis Syriæ locis. Sedem plerumque habet Patriarcha apud Cænobium, quod Cænobium est rupi penè insitum. Est & illis præterea Archiepiscopus in urbe Heden; sunt & Episcopi.

II. Progredior jam ad Jacobitas, quorum nomen fluxit à Jacobo Syrio, qui sub Imperio Anastasii Eutychetis insanam hæresin per totam Asiam Anast. Sina. in ὁδηγῷ. ita disseminavit, ut jam inde ab ævo Anastasii Sinaïtæ Patriarchæ, qui senescente sæculo VI. Antiochenam regebat Ecclesiam, Eutychetis in Syria sectatores, Jacobitarum nomine designarentur. Per Asiam Africamque totam, qua latissimè imperitabant Sarraceni grassata est hæc pestis. Quadraginta amplius regna hac lue afflata fuisse affirmat Jaco- Hist. Hierof. L. 1. c. 75. bus de Vitriaco, ex ea fama quæ per orbem sparsa erat. Sed impræsentiarum non agimus nisi de iis, qui in Asia suum sibi Patriarcham retinent, nomine tenus Antiochenum, cui parent Metropolitani, sive Archiepiscopi complures: quos inter eminent Hierosolymitanus, Mosulensis, Damascenus, Edessenus & Cyprius. Sedebat olim Patriarcha in Monasterio *Saphran*. Sedem postea transtulit in Spondan. an. 1577. urbem *Caramit*. Est & Aleppi Episcopus Jacobita, qui & ipse Patriarchæ nomine sibi plaudit. Horum Ecclesiæ per Asiam, Assyriam, Mesopotamiam & Diarbekam sparsæ sunt. Gregorio XIII. Romanam regente Ecclesiam, Patriarcha Jacobitarum Neemen, Romanæ sedi obnoxium se conjunctumque profitebatur: Turcorum sævitia in perfidiam priorem præceps actus, Romam tandem profectus ipse est, ubi & pristinos recantavit errores, & à laqueis absolutus est, in quos apostasia sua incurrerat.

III. Inter Eutychianos, aut Semi-Eutychianos Epist. 2. numerari debuerant Armeni. Ita censet Photius in Epistolis suis. Quibus addenda Disputatio Theoriani Presbyteri, à Manuele Comneno Imperatore in Orientem missi, ut Catholicum eorum, Episcoposque ad duarum Christi naturarum confes- An. 1170. sionem revocaret. Sed oleum ille operamque perdidit. Qui Armenos ergo & Nestorianos pro iisdem habuere, aut eorum eosdem arbitrati sunt fuisse errores: aberraverunt ipsi prorsus à vero. Affuisse se narrat Vuillelmus Tyrius Hierosolymitanæ Synodo, ubi Catholicus, seu Patriarcha Armenorum, collatione habita cum Latinis multa se priorum errorum capita abstersurum recepit. En ipsa Vuillelmi Archiepiscopi verba: *Interfuit maximus* Anno 1137. *Armeniorum Pontifex, imò omnium Episcoporum Cap-* L. 15. c. 18. *padocia, Media & Persidis, & utriusque Armenia Princeps & Doctor eximius, qui Catholicus dicitur. Cum hoc etiam de fidei articulis, in quibus à nobis dissentire videtur populus ejus habitus est tractatus, & ex parte ejus promissa est in multis correctio.* Elapso biennio Anno 1145. Legati Armenorum in Italiam profecti, Eugenio III. Ecclesiæque Catholicæ conciliati sunt. Præsens aderat tunc Otto Frisingensis Episcopus, & ille ipse est, qui in historia sua testatum facit, Armenorum Metropolitanum Catholicum dici, sive L. 7. c. 32. universalem, quod mille amplius Episcopi dicto illi audientes essent. *Ea tempestate Legati Armenorum Episcoporum, eorumque Metropolitani, quem ipsi Catholicum, id est, universalem, propter infinitum, id est amplius quam mille Episcoporum, sub se habentem numerum, vocant, Legati ab ultimo penè Oriente, summum Pontificem Viterbii, laboriosum iter per annum, & sex menses complentes, adeunt.* Innovata deinceps, aut confirmata fuit illa unio, sub Cælestino III. cum Archiepiscopus Moguntinus, Romana conspicuus purpura, Armenorum Principem Anno 1197. Regia redimivit corona, tum Papæ, tum Henrico Baron. ad V. Imperatori vicariam ea in re operam suam com- eum annū. modans. Gregorius Armenorum Catholicus per litteras Innocentio III. qui Cælestino interim successerat, gratias egit impensissimas, non sine novis obedientiæ & pietatis suæ significationibus. Anno 1238. Gregorius IX. missis in Armeniam Archiepiscopis duobus ad Patriarcham Armenorum, deterrere illum conatus est, ne ab Antiocheni Patriarchæ fide & obedientia recederet. Clemens IV. intaminatam semper pacem & concordiam aluit cum Huithone Armenorum Rege. Anno 1318. Officinus Armeniæ Rex antiquam Ecclesiæ suæ cum Romana necessitudinem innovavit, missis ad Joannem XXII. Papam Legatis, qui ad trutinam vocata eorum fide, unius eorum maximè, qui Episcopus erat, orthodoxam judicavit. Benedictus XII. anno 1341. & Clemens VI. anno 1351. suspectam aliquandiu fidem habuere Armenorum: sed has Rex & Patriarcha suspiciones scriptis ad eos litteris, quas legere est apud Rainaldum, ex quo hæc omnia deprompta sunt, penitus absterserunt. Denique novum fœdus Armeni cum Ecclesia Romana inierunt in Concilio Florentino, quo eorum Legati post

sancitam cum Græcis pacem accessere: An Armeni omnes huic novæ, aut innovatæ concordiæ assensi sint, nonnulli subdubitant.

*L. 2. de bello Persico.* IV. Docuit nos certè Procopius suo jam ævo usitatum fuisse Catholici nomen, ubi dixit Christiana fide imbutos Persas omnes uni subesse Episcopo, quem Græco nomine vocabant Catholicum. *καθολικὸν καλοῦσι τῇ ἑλλήνων φωνῇ.* Canones Arabici hoc nomine donant etiam Pontificem Seleuciensem, quem docent obnoxium fuisse Patriarchæ Antiocheno; sed ab ejus tandem potestate absolutum fuisse ob locorum longinquitatem. Expressus est primò Patriarchæ consensus, ut Archiepiscopi à Catholico Seleuciensi ordinarentur: quod perinde erat atque si huic adsereretur primaria Patriarchatûs prærogativa: *Debeat appellari nomine Catholici, & possit ordinare Archiepiscopos, sicut faciunt Patriarchæ, ut Orientales non patiantur damnum, expectando Patriarcham Antiochiæ, aut eundo ad eum. In hoc non fit injuria Patriarchæ Antiocheno. Siquidem ipse consensit, postquam hoc ab eo Synodus petivit, &c.*

V. Ambo hi Catholici à Jacobo de Vitriaco, alter Persis, alter Seleuciæ Præpositus, ita distinguntur, ut ex æquo Antiocheni Patriarchæ jugo & authoritate premantur. *Habet sub se viginti Provincias Antiochenus Patriarcha, quarum quatuordecim Metropolitanos habebant, cum sibi suffraganeis Episcopis; sex verò reliqua sub dictis Primatibus, seu Catholicis duobus continentur.* *Orient. Hist. c. 23.* Non immeritò Jacobus Catholicum interpretatur Primatem. Utrumque nomen mirè convenit. Primates enim Occidentales mediæ ætatis commune hoc habebant cum Catholicis Orientalibus, quibus de hic agimus, ut tum hi, tum illi Patriarchæ immediatè subessent, eis autem similiter complures obnoxii essent Metropolitæ.

Expediri non facilè potest, an Catholici isti duo ex uno emerserint, an in unum aliquando conflati sint. Quæ hic attigimus, duos approbant. At ex adverso Otto Frisingensis unum videtur indicare. *L. 1. c. 6.* Eidem sententiæ astipulatur in Itinerario suo Marcus Polus Venetus. Indubitatum est nunc duos esse. Longa sæculorum series varias vicissitudines admisisse potest. Obtinent nunc complures Ecclesias toto Oriente, in Mesopotamia, in Perside, in Caramania, & in utraque Armenia.

Horum Catholicorum alter Sedem habet apud Arard Armeniæ urbem, quanquam plerumque ipse in Monasterio degat, cui nomen *Ermeazim*. Alter sedet in Caramaniæ civitate *Cis*. Laborat fides tantæ Episcoporum Armenorum multitudinis apud Otthonem cum supra mille numerat. Qui nunc apud *Ermeazim* sedet, ducentis præesse Episcopis creditur: qui apud *Cis*, non amplius quàm quinquaginta.

Cave putes Catholicos istos à Patriarcha Antiocheno nunc pendere: cùm Episcopus Armenus, qui Constantinopoli degit, & Patriarchæ nomine ipse quoque gaudet, subsit Patriarchæ *Ermeazim*: sicut quicumque Hierosolymam vel Aleppum incolunt Armeni, in potestate sunt Patriarchæ *Cis*.

Denique cum jam olim Armeni, perinde ut Jacobitæ Eutychetis partes amplexari essent, in easque subinde desciverint, conculcatâ toties fide fœderum cum Romana Ecclesia initorum: vix quidquam dubii superesse potest, quin Patriarcha Antiochenus, cui tamdiu obligati obnoxiique fuerunt, ipsissimus sit Jacobitarum Patriarcha. Sed vel ab eo etiam avulserunt se tandem, seu referendo se in sinum Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ, sive infinita quadam & persæpe absurda rituum sacrorum varietate, de qua prolixissime Annales sacri.

VI. Constantiores multò fuere Franc-Armeni in retinenda fide Francorum, à quibus nomen sibi sumpsere, hoc est, Christianorum Occidentalium: postquam Bonaventura le Petit, Ordinis Dominicani lumen egregium ad eos à Pontifice Romano missus, & Archiepiscopus ordinatus, complures ibi Ecclesias, non pauca sui Ordinis Monasteria excitavit. Sanctissimæ istæ demum coloniæ Provinciam hanc fidei Catholicæ invictissimè astruxerunt, *Spondanus anno 1318.* sua cum Dominicanorum celeberrimo per Occidentem cætu concordia & animorum conjunctione. Vivere desiit Archiepiscopus Bonaventura, anno 1318. Ducentis admodum post annis Gregorius Naxivæ Archiepiscopus, ejusdemque clarissimi Ordinis decus, Romam perrexit, ubi & electio ejus in Archiepiscopum confirmata est. *Anno 1512.* Naxiva porro seu Naixeran urbs est, non alio nomine nobilis, quàm quòd sedes sit Archiepiscopi, cui & Catholici, & Patriarchæ quandoque nomen adscribitur. Denique Petri Cathedram regente Gregorio XIII. Nicolaus ejusdem Ordinis Naxivæ Archiepiscopus Romam venit: cujus ab ore ipso didicimus, ejus jurisdictione non contineri plura quàm tredecim oppidola, Latinorum fidei sacrisque ritibus addictissima. *Ann. 1577.*

VII. Nestorii sequaces multò se latiùs per Orientem effudere, quàm Eutychiani. Ecclesias suæ sectæ propagarunt ad Indiam usque, Persidem, & Tartariam. Anastasius Sinaita de eorum Catholico differit, cujus imperiis obsequebantur magno *In ὁδηγῷ. c. 4.* prorsus numero Episcopi & Metropolitæ. Refert Jacobus de Vitriaco, ita statuisse nonnullos, Græcos Latinosque simul omnes numero superari ab Eutychianis simul seu Jacobitis & Nestorianis. *Qui cum Jacobitis plures esse dicuntur, quàm Latini & Græci.* *Hist. Hier. l. 2. c. 76.* Author est etiam Marcus Polus Venetus, qui annos decem & septem in Tartaria egerat, & quem ministrum habuerat in gravissimis negotiis Tartarorum Imperator: plurimas esse Nestorianorum Ecclesias in Tartarorum & Mogulorum regnis, multas in ipso Sinarum Imperio; imo & in ipsa Sinarum urbe regia Quinsaio: porro ab eorum Patriarcha qui apud Mosul ad Tigrim sedem fixerat, Archiepiscopos Episcoposque mittitari in Provinciam Babyloniam, & in omnes Indias, eodem prorsus modo quo à Papa divini Verbi præcones Antistitesque in omnem occiduum orbem mittuntur. Maffæus, Osorius, aliique nuperarum in Indias navigationum scriptores ita affirmant, Episcopos, & Christiani nominis consortes, quoscunque Lusitani in Indiis Orientalibus invenerunt, cum primum eò appulit eorum classis, Nestorianæ sectæ erroribus inquinatos fuisse, & Mosulensi, hoc est, Babylonio paruisse Patriarchæ. Petrus Strozza qui Paulo V. Romano Pontifici à secretis erat, tunc, cum per Legatos illum adiit Nestorianorum Patriarcha, idem omnino perhibet. *Patriarchæ Nestorianorum amplissima est authoritas, eaque in Indiam sese extendit. Nam Caldæi qui Goæ, Cochini, Angamale atque in Insula sancti Thomæ, ante adventum Patrum societatis Jesu reperiebantur, omnes pariter professione Nestoriani, obediebant Patriarchæ Babylonis.* *Bzovius ad ann. 1330.* Hæc ex annalibus Bzovii.

VIII. Scriptis mandavit Otto Frisingensis Episcopus, quod audierat ipse ab Episcopo, quem *L. 7. c. 33. An. Christ. 1145.* Pontifices Populique Armeniæ ad Papam Legatum miserant. Nimirum paucis antè annis Presbyterum

quendam Nestorianum, nomine Joannem reportatis de Regibus Persarum, Medorum, Assyriorumque victoriis perillustribus, eorum occupasse Imperia, & Regiam civitatem Ecbatana expugnasse. Tanti Principis fama permotus Alexander III. Papa, certiorque factus in votis illi esse, ut in antiquam Ecclesiæ Romanæ fidem & communionem se cum suis recolligeret, litteras ad illum dedit, quas refert Rogerius, & quibus præfigitur inscriptio, quam tunc usitatissimam fuisse jure auguramur; *Indorum Regi, Sacerdotum sanctissimo.* Non multo post resiliere Tartari; & Chingis eorum Princeps deletis exercitibus prostratoque Imperio Nestoriani Presbyteri, Indiam omnem Tartarorum ditioni adjunxit. Mera fuit Lusitanorum allucinatio, qui cum inaudissent famam Presbyteri Joannis apud Indos latissime quondam imperantis: id nominis Abyssinorum in Africa Imperatori affinxere, cum primum oras Africæ perlustrare, aliquando & incolere cœperunt.

*Rogerius. Baronius ann. 1170 n. 32. Ann. 1187*

IX. Cæterùm ex hujusmodi narratione liquet, Patriarcham Mosulensem, Babylonium & Seleüciensem, unum eundemque prorsus esse; ita enim statuunt in Babylonis vetustæ gloriam & potestatem successisse Seleuciam: & quæ vulgò nunc dicitur Mosul, ipsissimam esse Seleuciam, quanquam illam alii teste Paulo Strozza, putent in ipsis antiquæ Ninives ruinis excitatam esse. Itaque quod suprà à nobis ex aliquorum Scriptorum fide dictum est de Patriarcha Bagdacensi, sive Seleüciensi, emendandum forsan, & à secta Eutychianorum ad Nestorianos Eutychianis longè infensissimos referendum est. Spatiosa quidem satis Asia est, ut populosissimas duas has possit complecti sectas, Armenorum, sive Eutychianorum, & Nestorianorum, cum incredibili Ecclesiarum utrimque numero. Sed in dubium adduci non potest, quin Catholici, sive Patriarchæ Ermeazin & Cis, Armeni sint, quin Caramiti Patriarcha Jacobita sit; tum hic, tum illi Eutychiani: quin Mosolensis Nestorii partium sit, quin denique segmenta & frustilla quædam hæc sint omnia Patriarchatûs Antiocheni. Multitudine cæteris præstant Nestoriani, saltem in Asia, nam de Eutychianis Africæ mox verba faciemus. Trecenta millia admodum familiarum Nestorianorum in Asia existimantur esse, qui Chaldæi etiam in Oriente vocantur. Octoginta tantùm millia familiarum Jacobitæ ibidem habitant. Christiani etiam Malabarenses, qui & sancti Thomæ dicebantur, sub Nestoriano Patriarcha degebant, antequam eò se conferrent Apostolici Prædicatores, totamque regionem illam in Ecclesiæ Catholicæ sinum revocassent.

*Anno 1551.* Mosulensium Patriarcharum, sive Seleüciensium, qui primus in Ecclesiæ Romanæ fidem unitatemque se recepit, Simon Solacha dictus est, Ordini sancti Pachomii adscriptus. Hic Romam petiit sub Julio III. ubi abdicatis erroribus pristinis, confirmatus pallioque donatus est. Successor ejus Abdiesu,
*Anno 1563.* ejusdem Ordinis Monachus, à Pio IV. confirmatus Tridentinæ Synodo interfuit. Horum Patriarcharum electioni, per eosque factæ ejurationi errorum, non assentiebatur nisi pars quædam Nestorianorum, seu Chaldæorum. Porro Sedes eorum erat apud Amedum, sive Charemedum: Mosulensi interim Patriarcha ab urbe & Monasterio Mosulensi, prisca Sede sua, non recedente.

Ita Patriarchatus Mosulensis hactenus unus, in duos scissus erat, quorum ille qui in Romanam se communionem retulerat, etsi minor opibus, plurimos tamen Archiepiscopos Episcoposque ordinabat. Qui in locum Abdiesu suffecti sunt, nec sanctitate illi, nec doctrina pares, Sedem suam ad Zenalbecum in confinio Persidis transtulere; eorumque supinitate & ignavia Nestorianorum Patriarcha Babylonius latissimè rursus dominatus, gregemque suum amplificare cœpit. Clemens VIII. è Jesuitarum societate eximia Angamalensem Archiepiscopum ordinavit, commendatis illi iis qui ex Nestorianis aut Chaldæis ad nos se receperant. Elias Patriarcha Mosulensis gemina Legatione coluit aditque Paulum V. Quarum prior tamen irrita cecidit, quòd Romanæ quidem Sedi lubentissimè subjici se Patriarcha profiteretur, imò & Babylonicam Patriarchalem sedem à Petro Petrique successoribus fundatam fuisse: Nestorianam tamen suæ gentis doctrinam indomita tueretur pertinacia, & à Romana etiam fide non distare contenderet, nisi quadam vocum discrepantia. Posterioris auspicatior fuit exitus, misso Archidiacono, eodemque Archimandrita Adamo, jussoque non obedientiam tantùm profiteri Patriarchæ nomine, sed & fidei confessionem Romano examini, ac Pontificis censuræ subjicere. *Ex præcepto Papæ, & ex Concilio Ecclesiæ Romanæ, erecta est Sedes Babylonis, & ita invenitur scriptum apud nos in Annalibus; quod videlicet Patres Orientales Romæ ordinabantur. Propter hoc vocata est Sedes Babylonis quinta, &c.* Quod hic affirmatur, aut de Antiochena Sede intelliges, cujus ex frustulis Babylonica conflata erat; aut hinc conjicies hæc prisca Ecclesiarum monumenta longo temporum decursu intercepta fuisse. Quæ duabus his extremis sectionibus dicta sunt, excerpta sunt è Paulo Strozza, qui Paulo V. ut jam diximus, à Secretis erat, & cujus Commentarios cum authenticis litteris Bzovius in Annales suos conjecit, ad annum 1530.

*An. 1610.*

X. Sermonem ibidem instituit Bzovius de Georgianis, cui genti bellis victoriisque clarissimæ, nomen ascitum est à sancto Georgio Martyre, cujus patrocinio inter prælandum nituntur. Moribus Græcorum se accommodant, nec ab eorum dissident doctrina, quamvis Archiepiscopum habeant, qui nemini se obnoxium venditet, præsit autem ipse Episcopis duodeviginti, si qua fides Chytræo Lutherano. Secus tamen ille videtur fidem Vincentii Bellovacensis, qui eo scribebat ævo, quo maxima nobis cum Orientalibus necessitudo & familiaritas intercedebat. Author est autem Vincentius, Georgianos hactenus Patriarchæ Antiocheno obsecutos, cùm interclusa esset diutino bellorum fragore ejus adeundi facultas, expugnasse ab eo hanc licentiam, ut suum sibi Catholicum crearent, cui morem gererent Episcopi aut Archiepiscopi duodeviginti. Anno 1496. Constantinus Rex Georgianorum unum ex Monachis sancti Basilii ad Alexandrum VI. legavit, qui obedientiæ professionem faceret, subscriberetque Ecclesiarum concordiæ, quæ in Florentina Synodo elaborata promulgataque fuerat.

*Vincent. Bellov. Spec. Hist. l. 30. c. 96. Rainal. an. 1496. n. 21.*

XI. Excidit nobis Nestorianus Archiepiscopus Nisibensis, qui anno 1247. Ecclesiæ Romanæ sociari expetivit missa ad Pontificem Confessione fidei. Excidit & Timotheus Metropolitanus Nestorianorum in Insula Cypro; qui Romam venit, edititque fidei Catholicæ professionem eo tempore, quo ibi Eugenius IV. quasdam Sessiones adhuc celebrabat, tanquam ex prorogatione Synodi Florentinæ, quæ nuperrimè finem acceperat. Excidit & creatio Archiepiscopi Jacobitarum, seu Syriorum Romanæ

*Rainal. an. n. 43. Rainal. an. 1445. n. 22.*

communionis

communionis consortium, Alepi facta nuperrimè, ut liquet ex Relationibus ea de re factis, quæ apud Carmelitas Discalceatos servantur in Parisiensi suburbio san-Germanensi: non injuria autem prætermissæ sunt hæ uniones, quæ nec ad Ecclesias, nec ad Gentes, nec ad Patriarchas ipsos pertinent. Æquius fuerat non siluisse duas conciliationes Patriarcharum duorum cum Pontifice, alterius Græcorum, alterius Armenorum. Harum Acta ibidem asservantur.

XII. Si autem Eutychianos, aut Semi-Eutychianos dixi, tum Jacobitas & Armenos, tum Cophtos & Abyssinos, sive hoc, sive sequenti capite: non ea mihi fuit mens, ut illis omnibus antiquam illam totam Eutychetis errorum infamiam aspergerem. Quæ nunc circumferuntur de his novissimæ Relationes, eæ fidem faciunt, prorsus nunc esse Jacobitas ab ea insulsitate, quæ naturas Christi duas in unam commiscet & confundit: in hac contrà illos esse sententia, sic divinitatem & humanitatem in unam ejus coaslari tum Personam, tum naturam: ut anima & corpus in unam coëunt uniuscujusque hominis & naturam & personam, citra commixtionem aut confusionem, aut unius naturæ in alteram demutationem. Ab ipso jam tum Eutychetis ævo, quos Semi-Eutychianos Facundus aliique nuncupavere, Eutycheti terga ex parte verterunt, & in hoc se veluti temperamentum receperunt. Perlucida sunt ejus rei documenta in Collatione Severianorum cum Catholicis Constantinopoli habita. Aliquantò etiam lucidiora sunt in Confessione fidei, quam ad Manuëlem Imperatorem misit Armenorum Patriarcha, in qua materia versantur celeberrimæ Theoriani Presbyteri Collationes.

Verùm utcumque se ista habuerint, indubitatum tamen est, plurimum esse periculi, non in sententiis tantùm, sed & in verbis quæ ab usu Ecclesiæ abhorrent: & ex vocum pugna nonnunquam etiam dogmata adulterari; nec minùs indubium, non à verbis tantùm usitatissimis Ecclesiæ, sed à fide valde recessurum, qui senserit, ex Deo & homine ita unam fieri naturam, sicut ex anima & corpore. Quippe summa illa & incredibilis intercapedo, qua Deus distat ab homine, id efficit, ut & difficillima, imò & impossibilis sit utriusque in unam naturam; tantò contrà facilior utriusque in unam personam coagmentatio.

---

## CAPUT XXV. *P. 4. l. 1. c. 5.*

### De cæteris Patriarchis Europæ & Africæ, qui ex Constantinopolitani & Alexandrini divisione emerserunt.

*I. De Cophtorum in Ægypto Patriarcha.*
*II. De Patriarcha Abyssinorum.*
*III. Animadvertuntur aliqua in frequentes minorum Patriarcharum renovatas identidem confœderationes, non cum Patriarchis majoribus, à quibus se abruperant, sed cum Papa, unitatis Catholicæ centro.*
*IV. De Patriarcha Moschovitarum.*
*V. De magnificentia nominum & titulorum inter Græcos mediæ ætatis Antistites.*
*VI. Rursus aliqua magni ponderis expenduntur, in crebris Orientalium Ecclesiarum cum Romano Pontifice consultationibus.*
*VII. De Moschorum & Ruthenorum tentata reditu in gremium Ecclesiæ Romanæ.*

I. Cophtorum nomen inditum est Eutychianis, sub Alexandrini Patriarchæ potestate in Ægypto maximè degentibus. Dicti sunt aliquando & Jacobitæ. Chronici Arabici Alexandrini author, sectâ Jacobita, qui ante annos quadringentos scribebat, albo Patriarcharum Alexandrinorum post Dioscorum, non ascribit nisi Eutychianos. Mentionem facit ejus Patriarchæ, qui Confessionem abrogavit anno 1207. & Circumcisionem sua in ditione passus est frequentari. Cophtorum Patriarcha, Alexandrinæ Sedis successione & gloria multùm se jactat. Nomen autem ipsum Cophtorum, aut ab urbe Cophto derivatum est, cujus meminere Strabo, Plinius & Ptolomeus: juxta Strabonem Emporio Orientis nobilissimo, quòd ad sinum Arabicum sita esset: aut certè ab ipso Ægypti nomine, prima scilicet syllaba truncata. Unde & apud veteres dicti quandoque Gyptii, qui Ægyptii. Anno 1441. Joannes Alexandrinus Cophtorum, seu Jacobitarum Patriarcha Eugenio IV. Papæ subjici se professus est, in illis extremis Florentinæ Synodi Sessionibus, quæ post Græcorum discessum habitæ sunt, ut apertum est ex Bulla Eugenii IV. aliisque authenticis Chartis ex Bibliotheca Vaticana promptis, ultimæque insertis Editioni Conciliorum. Priores enim editiones à Græcis acceptæ quòd essent, nihil eorum habebant, quæ tùm gesta sunt, cùm illi jam recessissent.

*Concil. To. 11 p. 1203. &c.*

*Con. To. 13. p. 1201. &c.*

Anno 1596. Gabriel Patriarcha Cophtorum Alexandrinorum, ad Clementem VIII. Romam proficisci jussit Archidiaconum Ecclesiæ suæ, cum duobus Monachis, & solemnem ibi edere professionem tum fidei, tum obedientiæ. Acta ipsa hujus Legationis attexuit Baronius Annalium suorum tomo VI. Nec dissimulari tamen debet Meletium Græcorum Patriarcham Alexandrinum pernegasse hanc Legationem, ejusque fidem elevasse. Ex quo non pauci personatam fictitiamque illam fuisse suspicati sunt. Sed hunc nodum extricavit Leo Allatius, & Græcorum aut inscitiam, aut incogitantiam convicit, quibus in mentem non venerit duos esse Alexandrinos Patriarchas, alterum Græcæ communionis, alterum Cophticæ, seu Jacobiticæ. Enimvero Matthæus Patriarcha Cophtorum litteras dedit ad Urbanum VIII. in quibus mentio habetur Gabrielis Patriarchæ. Tertio ab urbe Cairo lapide ædes sacra visitur, duobus altaribus insignis, in quibus sacris operantur, hic Cophti, ibi Monachi Latinorum, eodem quandoque tempore. Siquos ea incessit opinio, ut existimarent Cophtos Alexandriæ Patriarchas Græcis antiquiores esse; & illos, non hos germanos esse Athanasii Cyrillique successores: à veri orbita immane quantùm illi deviarint. Indubitatissimum est enim exauthoratò per Calchedonensis Concilii Patres Dioscoro, suffectum esse Proterium, cujus in locum deinde successere catholicæ fidei retinentissimi Patriarchæ Græci, usque ad Concilium Lateranense IV. anno 1215. Hi sunt omnino Alexandriæ Patriarchæ germani, qui aut ipsi aut per Legatos adfuere Conciliis deinceps Generalibus utriusque Ecclesiæ, Romanæ usque & Catholicæ communionis consortes; quod de Cophtis ne fingi quidem potest.

*Allatius De perpet. consens. l. 3. c. 8. La Terre sainte d'Eugene Roger.*

II. A Cophto Alexandriæ Patriarcha confirmationem accipit, qui Abuna dicitur Patriarcha Abyssinorum, quorum Imperium Æthiopiam omnem & quadraginta regna complectitur, ex Chytræo. Sed ejus rei periculum fidei penes illum sit, nequaquam enim recentiores historici assentiuntur tantæ tamque incredibili Imperii hujus amplitudini. Illud in Chronico Alexandrino Arabico refertur, jam

inde ab anno 851. Abunam Abyssinorum ab Alexandrino Patriarcha confirmari solitum: anno porro 741. cùm inaudisset Rex Æthiopum ab Ægypti Calypha incarceratum fuisse Patriarcham Alexandrinum, protinus instructo exercitu centum millium equitum, totidemque Camelorum, ad illum libertati vindicandum adproperasse; Calipham denique relaxato Patriarcha, regni sui certam perniciem prævertisse. Primi nos docuere Lusitani, Abunam Æthiopum Patriarcham eligendum fuisse ab Abyssinis Monachis Hierosolymam incolentibus; eam electionem confirmari debere ab Alexandrino Patriarcha Cophto, electum consecrari; denique ne eligi quidem posse nisi genere Alexandrinum, & ex cœnobiis sancti Antonii. Anno 1441. Cophti Ægypti & Abyssini sacramentum obedientiæ præstiterunt Eugenio IV. à quo missa ad illos est Formula fidei, statim post Synodum Florentinam scripta. Anno 1482. alia Legatione Æthiopes Sixtum IV. venerati sunt. Anno 1533. Alvares qui ab Eleemosynis erat Joanni Regi Portugalliæ, Romam venit, Æthiopumque Imperatoris Legatione perfunctus est, cujus & Epistolas Pontifici reddidit, unà cum professione obedientiæ fideique Catholicæ & Romanæ confessione. Anno 1524. firmatum est hoc unitatis fœdus à Davide Æthiopum Rege, scriptis ad Clementem VII. Epistolis, quæ nunnisi anno 1533. Romam perlatæ sunt. Anno 1555. vivis excedente Davide Imperatore, in pristinas sordes revoluta est Æthiopia, invalescente rursum Jacobitarum perfidia, & Alexandrini Patriarchæ communione. Paulus IV. Pontifex stimulante Joanne Lusitaniæ Rege Patriarcham cum duobus Episcopis è Societate Jesu eò misit, quorum fuit zelus & labor ingens, fructus permodicos. At cum sanctissimi Præsules vivere desissent, tum vero rigata eorum sudoribus Æthiopia messem amplissimam protulit. Quippe anno 1600. Seltanus Æthiopum Imperator se regnumque suum omne Catholico gregi Pontificiæque unitati reddidit, quod tamen numeris omnibus perfici, absolvique non potuit nisi Petri sedem implente Urbano VIII.

*Damianus Goës de Moribus Æthiopum.* *Rainaldus.* *Spondanus. Ann 1524. n. 15 1533. n. 2. 1555. n. 15.* *Spondanus post anno 1600.*

III. Antequam ultra progrediar, gradus hîc necessario sistendus est, ut paulò maturius providentiam & fidem contemplemur summi Numinis, in præstandis promissionibus, quibus ab exordio rerum Ecclesiam suam sustentavit. Super Petram & super Petrum fundata ab illo ita Ecclesia est, ut cum ipse, tum successores ejus æterni essent & inviolabiles unitatis & universalitatis Ecclesiæ cardines. Patriarchales & majores omnes Ecclesiarum sedes ab illa sede Petri profectæ & quasi prognatæ sunt, ab his & aliæ prognatæ rursum, propagatæque sunt; longissima sæculorum series has inter se commisit collisitque sæpius sedes; dissensiones & pugnæ percrebuere: sed tandem arcana quædam & omnipotens Providentiæ vis dissidia hæc paulatim restinguit, sedesque omnes tandem origini suæ primariæ recolligit, per tot innovata fœdera, quæ postremis bis capitibus commemorata à nobis sunt.

Illud ex Canonibus Arabicis observare est, minusculos & secundi ordinis Patriarchas, majoribus, nempe Alexandrino & Antiocheno cohæsisse, ut hoc quasi glutine medio cum prima & principe Petri sedi copularentur, tanquam ipso unitatis Ecclesiasticæ vertice. Canone XXXIV. conceditur Patriarchæ Seleuciensi, seu Babylonico consessus perquàm honorificus in Conciliis Græcorum, supra Græcos Episcopos omnes, sexto demum loco post Patriarcham Hierosolymitanum; hoc est proximo & primo post quinque vetustissimos Patriarchas. *Siquidem ipse tenet locum Patriarchæ in Oriente, & Sedes ejus Concilio debet esse sexta post Episcopum Hierosolymitanum.* Canone XXXVI. septimus in Conciliis locus Æthiopum Patriarchæ post Seleuciensem adsignatur. *Sit loco Patriarchæ & appelletur Catholicus, &c. Quod si Concilium in Græcia habeatur, habeat septimum locum hic Prælatus Æthiopum, post Prælatum Seleuciæ.* Hinc compertum est Caput & Præsidem semper fore Romanum Pontificem, proximos ei sessores Patriarchas quatuor alios vetustissimos, atque ita sextam septimamque sedem duobus his Catholicis addici. Ubi ergo abalienarunt se antiqui Patriarchæ à primario vertice suo & centro unitatis: mirum non est si ab illis recesserint, qui obnoxii illis fuerant minores Patriarchæ: & compendio quodam gestierint subinde reddere se primario & vetustissimo unitatis Ecclesiasticæ fonti.

IV. Unus nobis excutiendus superest Patriarchatus, seu Primatus Moschorum, quem nemo nescit sub jure & potestate solitum esse Patriarchæ Constantinopolitani, juxta Canonem XXVIII. Concilii Calchedonensis, quo mancipabantur Constantinopolitano Præsuli Ecclesiæ omnes, in Septentrionalibus plagis propagandæ. Obnoxios sibi habet Metropolitanos duos, Rostoviensem, & Novogardensem præter Archiepiscopos quosdam alios Episcoposque. Ita Possevinus. At Olearius qui recentiùs scripsit, huic Patriarchæ subjicit quatuor Metropolitanos, septem Archiepiscopos, Episcopum dumtaxat unum. Ita enim affirmat, unum in tota Moscovia Episcopum esse. Consentit omnino fides & Ecclesia eorum cum Græca, ad exitum enim vergente sæculo IX. tum demum à Græcis illi fidem sacramque hausere disciplinam, imperante Basilio. Tanto æquius est autem, ut nos ista consoletur spes, fore ut Muschorum tum Patriarcha, tum tota gens in gremium revolet Romanæ Ecclesiæ omnium parentis, quòd Patriarcha jam ab Imperatore ipso Moschorum eligitur, nec confirmari se expectat à Patriarcha Constantinopolitano, cui illum aliquando obtemperasse, si quibus etiamnum proditur vestigiis, perobscura sanè ea sunt & levissima. Exarescent aliquando hi rivuli, in alias & alias gentes sparsi, nisi se referant refluantque in primigenium fontem potius & in Romanam Ecclesiam, quàm in Ecclesias illas à quibus immediatè manaverant; ut ex Asiæ Africæque Primatibus jam demonstratum est, qui non Alexandrinæ, non Antiochenæ se rursum conglutinari Ecclesiæ experierunt, sed principi Petri sedi, ex qua omnes prorsus Ecclesiæ ortum ducunt. Posset & in dubium fortassis adduci, an verè Constantinopolitani Præsules primi fuerint in Russia fidei Christianæ satores & parentes. Quippe in Concilio Antiocheno sub Joviano Imperatore legitur & subscriptio Antipatri Episcopi Rossorum, sive Rhos, quo antiquo illi nomine utebantur, quod in Scripturis sacris non semel occurrit. Atqui sub Joviano Imperatore necdum Ecclesia Constantinopolitana ea fecerat incrementa virium & potestatis, quæ longinquis gentibus sub jugum fidei mittendis videntur necessaria.

*Possev. in Moscovia.*

V. Hoc loco sanè abs re non erit attingere cursim honorum titulos quosdam novos, quibus in Imperio Græcorum Metropolitani insigniores ornati fuere. Exorsus est Andronicus senior, qui

anno 1283. imperii Orientalis clavum capessivit, magnificentioribus quibusdam titulis Græcos Antistites insignire. 1. Metropolitanus Cæsareæ in Cappadocia *Honoratissimorum honoratissimus & totius Orientis Primas* dictus est : ὑπέρτιμος τῶν ὑπερτίμων, καὶ ἔξαρχος πάσης ἀνατολῆς. 2. Metropolitanus Ephesinus dictus est *Honoratissimus & totius Asiæ Primas.* ὑπέρτιμος, καὶ ἔξαρχος πάσης Ἀσίας. 3. Heracleensis dictus est *Honoratissimorum Præsul, & totius Thraciæ, ac Macedoniæ Primas.* πρόεδρος τῶν ὑπερτίμων, καὶ ἔξαρχος πάσης Θρᾴκης, καὶ Μακεδονίας. 4. Duo supra triginta erant Metropolitæ, qui vocabantur *Honoratissimi & Primates*, ὑπέρτιμοι, καὶ ἔξαρχοι. 5. Reliqui Metropolitani simplicius dicebantur *Honoratissimi*, ὑπέρτιμοι. 6. Archiepiscopi qui nec Episcopos in potestate habebant ullos, sed nec in ullius vicissim Metropolitani potestate ipsi erant, reliquis non paucis Metropolitarum dotibus perfruentes, dicebantur *Sanctissimi*, ἁγιώτατοι. Horum gloriæ titulorum non modica pars in Epistola occurret Episcoporum Græcorum ad Gregorium X. post Concilium Lugdunense II. Scripserant illi, ut suæ in Romanam sedem obedientiæ testimonium ederent, constantissimæque voluntatis ad retinendam concordiam utriusque Ecclesiæ, eo in Concilio sancitam. Occurrunt & hi tituli in Concilio Constantinopolitano eandem ob causam habito sub Patriarcha Joanne Vecco.

*An. 1274. Concil. to. 11. part. 1. pag. 699. 5125.*

*An. 1280.*

Fraudanda non esset meritissimis laudibus hæc Imperatoria Constitutio, si hæc virtutum magis quàm honorum splendida nomina fuissent; aut si ad eam laudem Præsules sapientia & pietate attigissent; tum laicis, tum Principibus ipsis Episcoporum sanctitati vel sic applaudentibus. Sed si fungosa hæc fuit verborum & nominum ostentatio, hinc nimirum intelligendum est, per hæc inania aurium blandimenta ludibrio tandem sibi & aliis esse eos, quorum non alia vera est laus gloriaque, quàm quæ ex humilitate inanisque pompæ fuga existit. Ideo nulla horum titulorum monumenta, ac ne vestigia quidem supersunt in subscriptionibus Concilii Florentini, vel ejus Synodi, quæ habita est non multo post Constantinopoli in Templo sanctæ Sophiæ. Sua ergo ipsorum inanitate jam tum conciderant exoleverantque hi tituli.

*An 1450. Conc. to. 13. pag. 1375.*

Non ita res habuit in Archiepiscopi nomine, non paucis attributo Episcopis, quorum Suffraganei nulli erant. Sub Imperio Leonis Philosophi jam tum istiusmodi erant undequadraginta, præter Metropolitanos unum supra Octoginta, uno in Constantinopolitano Patriarchatu, quorum nomina supersunt in Notitia Orientis. Quos imperiale Rescriptum hoc honoris titulo decoraverat Archiepiscopos, sub jure erant sui quisque Metropolitani. Sed ab eo exoluti fuere Edicto Alexis Comneni, circa annum Christi 1081. quo Patriarchæ Constantinopolitano jussi sunt subesse, ab eoque ordinari. Ita docet nos Balsamon : *Ecclesias Edicto Regio honoratas, à throno Constantinopolitano in posterum electionem accepturas*, ψηφίζειν; *nec in eas, qui antea Metropolitæ erant, quidquam juris sibi vendicaturos.* Etiamnunc in Moscovia Russiaque alii sunt Metropolitæ, alii Archiepiscopi, ut jam diximus. Contra autem Abyssinorum Abuna nec Metropolitanis, nec Archiepiscopis ullis jus dicit, sed Episcopis tantùm, quod illi Canon Arabicus XXXVI. præscribit. *Non jus habeat constituendi Archiepiscopos, ut habet Patriarcha: siquidem non habet Patriarcha nomen & potestatem.* Ea in re Alexandrinus retinentior fuit suorum jurium, quam Antiochenus: cum Arabicus Canon XXXIII. Catholico Seleuciæ facultatem indulgeat ordinandi Archiepiscopos : *Possit hic ordinare Archiepiscopos, sicut faciunt Patriarchæ; at Orientales non patiantur damnum, expectando Patriarcham Antiochiæ.*

*Jur. Orient. l. 3.*

*Balsamon in Can. 38 Trullan.*

*Marca De Primatu Lugd. n. 18.*

VI. Congeri potuissent in hæc duo Capita, longè plura unionum exempla, ubi Christianæ Ecclesiæ à Catholica communione jamdiu extorres, in eam revocatæ sunt. Sed affatim horum est pro hujus operis instituto. Unum hoc addam, in quo momenti plurimum mihi quidem visum est esse. Nempe sectas omnes Christiani nominis, excepta Græca, faciles pronasque visas esse ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam, disciplinam fidemque, quoties ad eam vel Pontificiis Nuntiis, Epistolisque, vel quocumque alio invitamento excitatæ fuere. Hæc autem tanta proclivitas ad coalescendum cum primigenio fonte unitatis & religionis, ubi qualiscumque se dat occasio, argumento est hanc earum tam crebram dissensionem secessionemque à Romana communione, non tam proficisci ab animorum alienatione, aut schismatici spiritûs perversitate, quàm ex longinquitate locorum, ex imperiorum diversitate, ex linguæ imperitia, & ex ea quæ hinc oritur, summa commercii colloquiique difficultate. Hinc argumentari integrum cuique est, dum sapientiæ modus & sobrietatis ratio teneatur, de harum Sectarum statu ante incorruptum sempiternæ veritatis Tribunal, quam nec cordium penetralia, nec inaccessi conscientiæ sinus fallunt. Græcos excepi, propter apertissimam totius gentis & indomitam pertinaciam. Nam privatim ex Episcopia eorum non pauci, imò & ex plebibus, æquè specimen dedere animi ad pacem paratissimi. Ipsa rerum dogmatumque ignorantia, quà pleræque harum gentium sectarumque laborant, non leviter præteriri debet. Cùm nesciant enim plerumque, quo discrimine ab Ecclesiæ Romanæ doctrina sejungantur, & alioqui pronissima sint in eam veneratione: hinc facilis fides, diutinum hoc earum schisma non contumaciæ, sed nascendi sorti & calamitati imputandum esse. Ideo & recentissimis rerum istiusmodi Relationibus edocemur, Græcorum plebem plerumque indiscriminatim ad Latinorum Constantinopoli, vicinisque vel Insulis vel Provinciis degentium Ecclesias ventitare, & sacramenta ab Sacerdotibus Monachisque Latinis indiscriminatim accipere.

VII. Potest illud permirum videri, cur Moscovitæ, cùm propiùs absint ab Italia & Roma, postremi tamen omnium ad expetendam ejus communionem accesserint. Nec tamen obscura ejus rei ratio est. Nimirum urbi Ecclesiæque Constantinopolitanæ & propiores & conjunctissimi, hinc suam hanc hauserunt ab Ecclesia & communione Romana alienationem. Accedit quod lege nescio qua Regni, cùm finibus suis Nationes arceant exteras, & ab earum se ipsi commercio subducant, purioris fidei religionisque lumini viam occlusere. Si sedulò tamen Annales Ecclesiæ sacros pervolutemus; tentatæ saltem deprehendemus aliquas hujus concordiæ notas. Cum primùm enim in potestatem Turcorum venit Constantinopolis, cœpit jam tum Moscovita Ecclesia aut abrumpere, aut laxare vincula priora, quibus ad obedientiam Patriarchæ Constantinopolitanis constringebatur. Præsertim quando Patriarchæ hujus nominationem usurpavit Turcus Imperator. Non multo pòst tempore Moscoborum Magnus Dux Basilius Legatos Romam misit.

*Rainal. an. 1641 n. 24.*

*An 1478 n. 9.*

nuptias expetens filiæ Thomæ Despotæ Peloponnesi, cui obvenerat hæreditas Imperii Constantinopolitani, & quæ Romam confugerat, in sinumque se Pontificis Romani condiderat, cum miserrimis reliquiis Imperatoriæ Palæologorum familiæ.
An. 1472. n. 48. Pronis auribus excepta petitio, spes enim erat fore, ut præpotens Princeps arma converteret in communem hostem nominis Christiani. Ea qua par erat humanitate & benevolentia Legatos excepit Sixtus IV. Moschovitas laudibus cumulavit, quòd excussissent obedientiam Patriarchæ Constantinopolitani; qui vile jam esset mancipium Principis Christianæ Reipublicæ infensissimi, quódque Florentinæ Synodi Decretis acquievissent. Denique postquam illi usitatam professi sunt summo Pontifici obedientiam, nuptias celebrari jussit in Ecclesia
An. 1484. n. 26. sancti Petri Romæ. Joannes Basilius Magnus Dux novum tentavit cum eodem Sixto IV. fœdus, ea spe illectus, ut ab eo Regis aut Imperatoris nomine & insignibus donaretur. Adversabatur summopere Polonorum Rex; Pollicitus est Pontifex omnibus se rationibus ejus & utilitatibus consulturum, sed tam præclaros tanti Pontificis conatus mors intercepit.

Magna & mira quædam versabat animo Dux Basilius, suisque cum Romano Pontifice confœderatione non desperabat, de utroque orbis Imperio sibi & suæ familiæ adjungendo. Hinc fortassis etiam mitiora illa & moderatiora consilia Niphonis Constantinopolitani Patriarchæ ad Josephum Kioviæ Metropolitam scribentis, hortantisque ut communionem & fidem Romanæ Ecclesiæ amplecteretur, servatis ritibus Græcis; quippe verè Oecumenicum fuisse Concilium Florentinum, in eoque Græcos omnes alicujus nominis Antistites cum Latinis con-
Ibid. anno 1486. n. 62. sensisse; sed à secundi Ordinis Clero tam necessariam pacem abruptam fuisse, quo Græci omnes in fœdissimam Turci servitutem præcipites acti fuerant. Denique testabatur Niphon, Græcos omnes sub ditione Venetorum agentes, monitos jussosque à se esse, ut à communione Latinorum nec transversum unguem discederent, non abjectis tamen ritibus Græcis; ad Principes verò Episcoposque, tum Lithuaniæ, tum Russiæ litteras à se datas, ut ab obsequio & veneratione Metropolitæ Kioviensis nec vel tantillum deviarent.

Fatemur tamen hæc tentamenta potiùs concordiæ, quàm concordiam & pacem absolutam fuisse. Leo X. Episcopum Gardiensem Legatum misit ad Magnum Ducem Basilium, ut invitaret illum ad duplex fœdus & cum Ecclesia Catholica, & adver-
An. 1519 n. 60. sus Turcos feriendum. Fefellit sua spes Pontificem. Hadrianus VI. & Clemens VII. in hujus fœderis
An. 1524. n. 71. 72. innovationem incubuere: Legatos ad Clementem VII. misit Dux, excitatus ea spe, qua regium no-
An. 1525. 67. 68 73. men expectare jubebatur à Pontifice, si Romanæ communioni se, & fœderi contra Turcos adjungeret. Inscribebat se suis Epistolis *Magnum Imperatorem totius Russiæ.* Non facilè Pontifex hoc illum nomine illustrasset, ne Imperatorem Germaniæ in se & in Romanam concitaret Ecclesiam. Humanis forsan his rationibus & consiliis disturbata sunt incœpta tam religiosa, tam compendiosa Ecclesiæ: cùm tamen Magnus Dux librandas omnes pacis conditiones Clementis VII. arbitrio commisisset. Videsis enim, ut de his Pontifex ad Poloniæ Regem scripserit: *Ille enim non modo nobis rescripsit, sed suum nobis hominem cum suis litteris ad nos destinavit, ad hujus sanctæ Sedis nos invitans unionem: modum atque viam rei conficiendæ nobis totam relinquens.* Excitatæ à Lutheranis procellæ præclarissimos hos oppressere conatus. Sed vel hæc ipsa orsa atque molimina unionum fœderumque toto ex orbe ad Romanam Ecclesiam vergentium, perfectissimam unionem parturientium, instar jam habebant unionis & confœderationis validissimæ, qua Lutheranorum paucitas retunderetur. Non injuriâ ergo Ekius il- Rainal. an. 1525. n. 33.
los hoc ariete impetebat: *Nondum sunt illa tempora, quibus hæreditas Christi, quam accepit à Patre suo in illas angustias redigatur. Supersunt adhuc Christiani in Italia, Gallia, Hispania, Anglia, Scotia, Polonia, Hungaria, Græcia, Æthiopia, India & Armenia.* Quod Spond. an. 1595. n. 14.
ad Russiam Albam pertinet, quade hîc verba fecimus, non abjicienda spes est, quin & illa in unitatem se aliquando Catholicam recipiat, in eaque perseveret: exemplo Russiæ Nigræ, sub Poloni Regis dominatione, quæ sub Clemente VIII. Romanæ se fidei & communioni restituit.

## De Patriarchis, Metropolitanis, & Episcopis, qui Titulares dicuntur.

### CAPUT XXVI. *P. 4. l. 2. c. 6.*

### De Patriarchis Latinis in Oriente, & de Episcopis Titularibus post annum Christi millesimum, & post sacras nostrorum in Orientem Expeditiones.

*I. Compendiaria historia Patriarcharum Latinorum, cum Hierosolymæ, tum Antiochiæ, postquam Latini sub Crucis vexillo Palæstinam subegerunt.*

*II. III. Continuatur eadem historia ad Saladinum usque, qui Hierosolymam nostris ejectis recepit.*

*IV. Series Patriarcharum Latinorum Hierosolymæ, postquam eam urbem expugnarunt Sarraceni.*

*V. Expugnata subactaque à Latinis Constantinopoli. Series Latinorum ejus urbis Patriarcharum.*

*VI. Continuatur eadem Patriarcharum Latinorum series, postquam Constantinopolim receperunt Græci.*

*VII. Magni momenti non pauca expenduntur. Cur Latinos Episcopos creaverimus in urbibus, quæ jam habebant Græcos. Cur postquam eas urbes ejectis Latinis receperunt Græci, Latinos nomine & titulo tenus Episcopos illis sublegere non destiterimus. Latina in his Ecclesia causa propugnatur.*

*VIII. Successio Patriarcharum Latinorum in Oriente.*

*IX. In Concilio Florentino agitur de gemino hoc titulo Græcorum Latinorumque, seu Episcoporum, seu Patriarcharum ejusdem urbis, in unum revocando. Per Græcos stetit, quominus fieret, aut firmaretur hæc titulorum coalitio.*

*X. Cardinalis Bessario à Romano Pontifice creatus Patriarcha Constantinopolitanus, tentavit eam urbem expugnatam Turcis Christianæ Reipublicæ reddere. Labor & industria ejus frustra fuit.*

*XI. Luculentè ut historica tot sæculorum eventa impleant, mirificentissiméque corroborent fidem verborum Christi, prædictionumque & promissionum, quibus Petrum Petrique Sedem munivit.*

*XII. Qua potestate instruxerint Romani Pontifices Latinos Orientis Patriarchas. Quæ causa hunc potestatis modum postulaverint.*

*XIII. Occurritur objectioni.*

*XIV. Quæ possent esse jura, quæ facultates eorum Patriarcharum, quos nonnulli sibi fingunt in aliis & aliis regnis creari posse.*

*XV. Dignitatum omnium Ecclesiasticarum jura admetienda finiendaque sunt ad usum & necessitatem Ecclesiarum. Quia nec Episcopi ipsi Episcopi sibi sunt, sed Ecclesiis suis.*

I. PAolò diligentiùs proliziúsque hæc nobis materia pertractanda erit, atque ab ipsa usque origine sui repetenda: quòd abstergendæ sint sive

suspiciones obliquiores, sive calumniæ, quibus aspersa est Latina Ecclesia, postquam Patriarchas Latinos creare cœpit earum urbium, quæ jam Græcos habebant: præter antiquos Canones, quibus vetabatur, ne usquam duo essent ejusdem urbis Episcopi.

Ann. 1099. Senescente undecimo sæculo Palæstinam subegerunt Latini, & à Principibus Antistitibusque qui Hierosolymorum expugnationi affuerant, electus est in ejus urbis Patriarcham Theodoretus Archiepiscopus Pisanus, sanctæque Sedis Legatus, proscripto nefario illius Ecclesiæ incubatore Arnulpho, qui de Burgundiæ Ducis comitatu erat. Eodem ipso tempore electus est in Antiochenum Patriarcham Bernardus. Gottofredus Hierosolymæ, Boamundus Antiochiæ Principatu investiti sunt à suæ quisque urbis novo Patriarcha. Sed cùm Gottofredus non concederet Patriarchæ, nisi eam temporalis ditionis partem, quam Sarraceni priori Patriarchæ fruendam reliquerant: novus autem Patriarcha non injuriâ speraret contenderetque restitui se debere in ea jura omnia, quibus antiqui Patriarchæ spoliati fuerant à Sarracenis; exorta hinc est lis & contentio importunissima. Vicit Gottofredi pietas temporalium cupiditatum repagula, & Ecclesiæ jura omnia, ipsumque civitatis Hierosolymitanæ principatum cum finibus suis omnibus restituit, quo
Vuill. Tyr. L. 10. c. 4. factum est ut evaderet & ipse velut cliens Ecclesiæ, & vassallus sancti Sepulcri. At eo in cæleste Regnum hinc avecto Balduinus frater ejus, postquam se Hierosolymæ Regem inaugurari curavit, novum hunc Regiæ dignitatis splendorem retineri non posse duxit, nisi quæ Gottofredus Ecclesiæ concesserat, in suam ipse potestatem revocaret. Theodoretus, seu Daibertus in hunc modum Patriarchali sua Sede
An. 1000. exclusus, ad Romanum confugit Pontificem, qui secundùm ipsum pronuntiavit, Sedique redintegravit suæ, jussum illuc quam primùm remigrare, etsi jam Balduinus in ejus quasi vacuam Sedem Ebre-
An. 1104. 1107. marum subrogasset. Messinæ in Sicilia suo fato functus est Daibertus, dum Hierosolymam repeteret, anno Patriarchatûs sui quarto, exilii tertio. Ebremarus certior factus de sententia secundùm Daibertum Romæ lata, non de Daiberti morte, Romam & ipse iter accelerat, ne causæ suæ deesset. Remisit illum Pontifex Hierosolymam, adjuncto Legato à Latere, qui in Concilio Episcoporum Provinciæ causam ventilaret. Demandata est hæc Legatio Gibelino Archiepiscopo Arelatensi. Convocata Synodus, Ebremarus velut intrusus, protinus Episcoporum judicio abdicatus est. Non nescius tamen Legatus pietatis, simplicitatis, & candoris eximii, quo hactenus ille claruerat, transtulit illum in Ecclesiam Cæsariensem, Pastore tunc viduatam. Clerus populusque Hierosolymitanus, vota tunc sua suffragiaque contulerunt in Gibelinum, adoptaruntque eum sibi Patriarcham. Paschalis Papa datis ad hunc & ad Regem Balduinum litteris, consultissimè providentissiméque hoc sanxit: ut cùm diuturna Infidelium dominatio confudisset oblitterassetque limites priscos Episcopatuum atque Metropoleon: quascumque posthac Balduinus expugnatis Infidelibus reciperet civitates Ecclesiasque, seu Episcopales, seu Metropolitanas: eas Patriarchæ Hierosolymitano subjiceret, vel Metropolitico,
Epist. 18. 19. vel Patriarchico jure ab eo regendas, *Patriarchali, sive Metropolitano jure.*

II. Hoc Pontificium Decretum Bernardus Antiochenus Patriarcha molestè tulit, nec siluit Ecclesiæ suæ jura eo convelli, cùm ditionis suæ Episcopatus Hierosolymitano Patriarchæ permitterentur. Rescripsit Pontifex tum ad Balduinum Regem, tum Epist. 20. ad ipsum, Decreto suo non attingi nisi eas urbes, 28. 29. quæ cujus ditionis essent, resciri jam non posset, turbatis post tot interlapsa sæcula finium vestigiis; porro ubi certò constaret ad quem quæque urbs jure pertineret, illi protinus vendicaretur, nulla ratione habita ejus Principis, qui eam infidelium manibus extorsisset. *Non enim volumus, aut propter Principum potentiam, Ecclesiasticam minui dignitatem: aut pro Ecclesiastica dignitate, Principum potentiam mutilari.* Ita Episcopatus, qui sub jure olim fuerant Antiocheni Patriarchæ, etiam sub Imperio Sarracenorum, in ejus potestatem rursum concessere, tametsi eos Rex Hierosolymitanus dominio Sarracenorum subduxisset. Meminit Vuillelmus Ty- Ann. 1110. rius, qui in hæc omnia dux auctorque nobis idoneus præivit, Episcopatus Bethleemitici, à Legato Pontificio recens instituti, & à Balduino Rege dotari.

Gibelinus interim vivere desiit, ejusque in sedem evectus est Archidiaconus Arnulphus, rixarum dissensionumque incentor. Fecit criminum Ann. 1111. quibus infamatus erat enormitas, ut à Paschali Pa- 1115. pa Legatus in Palæstinam ablegaretur Arausicanus Vuill. Tyr. Episcopus. Coaluit sub eo Synodus Episcoporum L. 11. c. 26. Regni, in qua ob immanitatem scelerum sacra dignitate exturbatus est Arnulphus. Romam profectus, quà auro, quà artibus judices suos fascinavit. Restitutus sedi in pristinas se sordes iterum demersit. Garimundus gente & ipse Gallus ei successor Ann. 1118. datus est; sub eoque Tyrus urbs in nostram potestatem venit, eique Vuillelmus natione Anglus & Prior sancti Sepulchri, omnium votis, Archiepiscopus datus est. A Garimundo quidem ille ordinatus est, sed ad Pallium impetrandum Romam proficisci necesse habuit. Hoc insigni potestatis donatus est protinus ab Honorio II. qui Legatum à Latere comitem illi adjunxit eo consilio, ut hujus authoritate compelleretur Antiochenus Patriarcha, Episcopatus omnes antiquæ Tyri Metropoleos ei restituere. Garimundo successit Stephanus, Ab- Ann. 1127. bas antè sancti Joannis apud Carnutas. Exarsit hic Ann. 1128. protinus tum in omnia Pastoralis sollicitudinis mu- Vuill. Tyr. nia: tum in tuitionem priscorum Ecclesiæ suæ ju- L. 13. c. 25. rium. Hinc rixæ & jurgia cum Balduino Rege. Joppem quippe urbem Ecclesiasticæ suæ ditionis esse contendebat, idemque juris arrogabat sibi in Civitatem ipsam Hierosolymam, cùm primum expugnari & in deditionem recipi potuisset Ascalon, sedes tum Regum futura. Præmatura mors hanc spem dissipavit: veneno sublatum nonnulli suspicabantur, qua suspicione Balduinum Regem nec ipse eximebat. Successor datus Guillelmus, Me- Anno 1130. chliniæ in Brabantia natus.

III. Ab hac tanta rerum temporumque æstuatione procul fuerat Ecclesia Antiochena, Patriarchæ sui, tum vitæ diuturnitate, tum per annos triginta sex modesta & ad prudentiæ leges accurata administratione. Sed diutinam hanc tranquilli- Ann 1038. tatem fœdavit immanis veluti quædam procella Vuill. Tyr. post ejus statim obitum. Rodolphus quippe Ma- L. 14. c. 10. mistanus Cenomanensi in Gallia Diœcesi oriundus, L. 15. c. 23. inconsulto Clero, plebis muneribus delinitæ favore solo subnixus, in illam involavit Ecclesiam. Quin & eò erupit audaciæ, ut pallium ex altari beati Petri sibi sumeret indueretque ipse: superfluum aiens, Roma illud aut petere, aut expectare, cùm Roma

& Antiochiæ una sit Petri Cathedra; aut si quid intersit discriminis, Antiochiæ, ut majori natu primæ partes sint: *Vtramque esse Petri Cathedram, Antiochenam, quasi primogenitam, insignem prærogativa.* Intrusum schismaticumque tueri Patriarcham, puduit tandem pœnituitque Antiochenum Principem. Romam ergo veniendum illi fuit, ut crimina sibi ab Archidiacono suo aliisque impacta, qui illuc ante properaverant, quà posset, refelleret. Pallium quod ipse præsumpserat, in manus Cardinalium deposuit, ab eoque qui Cardinalium Diaconorum princeps erat, aliud accepit. Tum redire jussus est in suam Ecclesiam, causam dicturus coram Legatis, qui continuo mittendi eo erant ad instaurandum judicium. A Principe Cleroque Antiocheno iterum iterumque repulsam passus, vix tandem admissus est. Qui hac Legatione primus ornatus est Lugdunensis Archiepiscopus, ab Innocentio II. Ptolemaide interiit. Veneno periisse fama percrebuit. Subrogatus ei Albericus Cardinalis Episcopus Ostiensis, Concilium Antiochiæ coëgit, cui affuit & Hierosolymitanus Patriarcha, unà cum Archiepiscopis Episcopisque utriusque Patriarchatûs. Sistere se Synodo Antiochenus Patriarcha pertinacissimè detrectavit. Nihilo tamen secius Legatus Principis Antiocheni adminiculo subnixus, depositionis sententia illum perculit, annuloque & cruce exutum, in monasterium con-

*Anno 1059.* trusit. Hinc elapsus, Romamque vectus, & excantata inclinataque jam in partes suas Curia, de reditu cogitabat, cum veneno propinato ab uno domesticorum suorum interiit.

Vuillelmus quoque Hierosolymitanus Patriarcha Innocentii II. Romani Pontificis, tantùm non offensionem incurrit. Cùm enim Fulco genere Aquitanus, & Abbas Monasterii Canonicorum Regularium, Tyriorum Metropolita esset electus & à Patriarcha consecratus: ad Romanum se iter accingebar, præcessoris exemplo pallium à Petri sede petiturus. Nullis non artibus ac machinamentis hoc ejus iter sepire & intercludere enixus est Patriarcha. Duri, immorigeri, ingratique animi reum egit Patriarcham Papa, illud etiam inculcans, Orientalibus Ecclesiis libertatem non aliam constare, quàm quæ Romanæ Ecclesiæ ope & beneficio eis obvenisset. *Cùm Romana Ecclesia pro liberatione Orientalis Ecclesiæ tantopere laboraverit, filiorum multorum sanguinem effundendo.* Rescripsit denique Pontifex ad Patriarcham Hierosolymitanum, & ad Episcopos provinciæ Tyriæ, ut jura omnia Tyrii Metropolitani integra intactaque ei servarentur; cum sedes Apostolica absolvisset hos Episcopos à sacramento fidei, quod Antiocheno præstiterant Patriarchæ, & in antiquam revocasset proprii, hoc est Tyrii Metropolitæ obedientiam. *Nos enim vos & Ecclesias vestras Tyrensi Ecclesiæ, quæ vestra Metropolis est, authoritate Apostolica restituimus, & à juramento, vel fidelitate, qua Patriarchæ Antiocheno estis astricti, eodem modo absolvimus.*

*Anno 1143.* Antiochenam interim Sedem consecutus est Aimericus Lemovicensis, non alio quàm muncrum suffragio, quo tam sacrosancta dignitate arcendus fuerat. Is aliquanto tamen pòst tempore Legatione Sedis Apostolicæ functus in Oriente, initium

*Anno 1181.* dedit celeberrimo Carmelitarum cœtui, coadunatis in Monte Carmelo Occidentalibus omnibus, qui eremeticæ vitæ in Palæstina ducendæ amore in-

*Anno 1187.* flammabantur. Postremo denique Saladino Principe Sarraceni Palæstinam Hierosolymamque ipsam Imperio rursum suo subjecere, cùm illa potiti essent Latini Christiani annis septem supra octoginta. Dositheus in Patriarchalem successit Cathedram.

IV. Hic ipse Dositheus est, quem ab Hieroso- *Anno 1193.*
lymitana in Constantinopolitanam transferre Ec- *Nicetas*
clesiam, ejecto hinc Niceta Patriarcha, statuerat *Choniates.*
Isaac Angelus Imperator. De assensu Episcoporum subdubitans, Balsamonem Antiochenum Græcorum Patriarcham lactavit, illexitque spe Oecumenicæ sedis Regiæ urbis, si eam translationem Episcopis in Concilio approbaret. Explicuit in eo Concilio Balsamon quidquid ipse in scrinio pectoris jamdudum condiderat Canonum Legumque, gnatus levi flexu in causæ speique suæ patrocinium omnia detorquere. Itaque Synodus Canonicè translationem eam fieri posse sanxit. Haud mora Imperator Dositheum Hierosolymis Constantinopolin transfert. Ludibrio se haberi Episcopi Clerusque urbis iniquo tulere animo, Dositheum expulere; restitutum ab Imperatore, iterum abegere, Xiphilino in ejus locum subrogato. Interea Hierosolymis creatus fuerat Patriarcha alius in Dosithei locum, non immeritò pœnas dantis, tum suæ quam repudiaverat Ecclesiæ, tum alienæ quam concupierat & utraque simul orbati.

Videtur Dositheo successisse Heraclius, cui sublectus cùm fuisset Soffredus Cardinalis Apostolicę Sedis Legatus, nulla vi, ac ne summi quidem Pontificis hortamentis adduci potuit, ut in Ecclesiæ prorsus collapsæ gubernacula succederet. Suffectus *Spondan.*
ergo illi est Vercellensis Episcopus, Legatus & ip- *ann. 1203.*
se Sedis Apostolicę: pallio illum confestim honesta- *n. 5.*
vit Pontifex, scriptis ad Metropolitas & Episco- *Rainal. an.*
pos Palæstinos Epistolis, ut ei dociles & morige- *1203. n. 9. & seqq.*
ros se prętarent. Ex his antem planum est, etiam *Anno 1203.*
tum complures urbes in Latinorum potestate fuisse, *n. 27.*
suisque in Cathedralibus Ecclesiis Latinos Episcopos complusculos sedem habuisse, forsan etiam Hierosolymis, etsi provincia ipsa tota imperio Sarracenico jam subesset.

V. Non poterat quidem Hierosolymitani Patriarchę non minui plurimùm & vilescere dignitas, urbe ipsa in Infidelium manus revoluta: sed labes ista resarciri & quidem cum fœnore visa est, cum paucissimis pòst annis Latini Imperio Constantino-
politano subacto, urbeque Regia potiti, novum *An. 1204.*
sibi tum Imperatorem suæ gentis, tum Patriarcham creavere Romanæ communionis. Thomas Maurocenus Venetus in Patriarchalem sublimatus est Sedem. Marchio Montis-Ferrati Regno donatus Thessaliæ & Peloponnesi. Gottofredo Ducatus Athenarum cessit & Principatus Achaiæ. Summo jure in hos omnes eminebat Balduinus, Constantinopolis Imperator à Latinis electus. Patriarcha Græcus Joannes Camaterus Nicæam concessit, cum Græco Imperatore. Inauguratus est Romæ ab Innocentio III. Constantinopolitanus Patriarcha Latinus, pallioque ab eodem exornatus, tanquam
insigni *plenitudinis pontificiæ potestatis*: ei vicissim *Rainal. an.*
ipse Sacramentum prętitit fidei, obedientiæque, *1205. n. 16.*
idem prorsus quod Primates & Metropolitani, juxta Innocentii Gesta, ex quibus hæc corrasa sunt. Tum verò Pontifex novum Patriarcham admonuit, Constantinopolitanam Ecclesiam nullo suo jure aspirare potuisse ad Sedium Apostolicarum majestatem eximiam: gratia & beneficio Romanæ Ecclesiæ in id tamen fastigii adscitam fuisse; quin etiam singulari amoris & benevolentiæ privilegio, Ale-

xandrinæ, Antiochenæ & Hierosolymitanæ Ecclesiis prælatam; ut his invitamentis ad pietatem in Romanæ Præsules Ecclesiæ, gratitudinemque, & obedientiam tanto impensiorem adduceretur.

Quanquam ab hac Innocentii narratione non parum abludere videatur historica rerum gestarum superficies & veluti cortex; ratum tamen & inconcussum illud est, jure quidem divino & institutione ipsius Christi, solam Petri, ejusque in Apostolica sede successorum authoritatem supra Episcopos Apostolorum successores eminere: ex quo id efficitur, Patriarchales, Primatiales & Metropolitanas quascumque dignitates posterior Ecclesiæ fœcunditas creavit, inter Pontificem summum & Episcopos quoscunque medias, aut imitationes & imagines, aut emanationes & veluti rivulos esse privilegii Petri: denique antiquissimos Patriarchas Alexandrinum & Antiochenum ex Petri persona & privilegio, ipsos quidem insigne suum decus accepisse: at Constantinopolitanum in eundem ordinem eluctari prorsus, aut pertingere non potuisse, nisi Romani Pontifices temporum necessitati & paci Ecclesiarum servientes, assensionem tandem suam accommodassent, ad tam incredibilem novellæ Ecclesiæ supra vetustissimas quasque provectionem.

Diximus jam semel iterumque, quæ reviviscentibus Patriarchis jura definierit Innocentius III. sive Lateranensis Synodus IV. exordio hinc ducto, quòd ea omnino fuerint antiquorum Patriarcharum jura: *Antiqua Patriarchalium sedium privilegia renovantes.* Pergimus ergo ad successionem enarrandam Latinorum Constantinopolitanæ urbis Patriarcharum.

C. Antiqua. Extra. De Privileg. Canon.

Non his se finibus continebat Everardus, qui Thomæ in thronum regiæ urbis Ecclesiæ successerat. In Provincias Legatos à Latere missitabat, non minùs plena instructos potestate, quàm qua suos Papa armabat: quascumque causas definiendi, excommunicandi & absolvendi subditos aliorum Episcoporum, eis inconsultis; novos creandi Archiepiscopos, quantumvis inde in Metropolitanos emergeret detrimenti: Appellationibus ad Apostolicam sedem factis haud cedendi; percussores Clericorum, eóque Canonicis innodatos censuris exsolvendi: denique Lateranensis Concilii Canones ad Beneficiorum collationem spectantes licenter & impune prætergrediendi. Summa hæc sunt capita querelarum excerpta ex Epistolâ Honorii III. ad Patriarcham Constantinopolitanum, qui cum Sole cœloque Constantinopolitano videbatur unà hausisse ingenium illud indocile, impatiensque jugi, & vel æquissimæ obedientiæ insolens, quæ fuerat ejus urbis priscorum Patriarcharum indoles.

Rainal. an. 1217. n. 17. 1218. n. 28.

Post Everhardi mortem Clerus Constantinopolitanus consentire non potuit in unum aliquem Patriarcham: itaque dari sibi postulavit idoneum aliquem ab Honorio III. Electus ab eo est Matthæus Aquilæ Episcopus, antiquisque donatus prærogativis, præ cæteris autem ut novi Imperii Reges regiis ornaret insignibus, si tamen assentiretur Imperator: utque vetaret, ne obviam illis Clerus solemni qua solet pompa procederet, aut osculandum afferret Evangeliorum codicem, nisi in Ecclesia sacro antè chrismate delibuti essent. Post Matthæi hinc excessum rursus Clerus Constantinopolitanus in partes, & in impacatas rixas scissus est, his Belovacensem Episcopum postulantibus, illis contumaciter aversantibus: cùm ne ii quidem quos Romam delegaverant, in unam sententiam conspirare potuissent, Constantinopolim transtulit Pontifex Archiepiscopum Vesuntionensem, contestatus antè non à se opulentâ splendidâque Ecclesiâ Præsulem sibi carissimum, sed Præsule de Ecclesia universa benemerito, virtutibusque suis splendidissimo Constantinopolitanam sedem donari: *Non tam personæ in Ecclesia, quàm Ecclesiæ in persona nos consulere arbitrantes.* Id genus translatione postea Gregorius ab Episcopatu Nannetensi ad Patriarchatum Constantinopolitanum provectus est. Denique ab Innocentio IV. Pantaleon Justinianus, clarissima apud Venetos gente oriundus, Constantinopolitanæ sedi præpositus fuit, Legatione Apostolica per Orientem simul instructus.

Rainal. an. 1221. n. 27

Anno 1226 n. 29.

Ann. 1254. n. 53.

VI. Sub istius Pontificatu Græci Constantinopolim recuperarunt, exactis Latinis, qui non omnem tamen abjecerunt spem, & urbis & Ecclesiæ illius rursum subjiciendæ suæ potestati: itaque Patriarchæ ab iis deinceps etiam subrogati sunt alii aliis, sin minus in Sedem, certè in spem Sedis, in titulum & nomen. Duodecim plus minus annis utraque rursus Ecclesia in Concilio Lugdunensi II. coaluit, decennio post renovatum dissidium. Bonifacius VIII. nil intentatum reliquit, ad Imperii Constantinopolitani recuperationem. Benedictus XI. nullum non lapidem movit, quò Carolum Valesium Franciæ Regiæque stirpis Principem extimularet, ut conjugis suæ hæreditario illi incumberet vindicando Imperio.

Anno 1261.

Ann. 1274. n. 15.

Ann. 1284.

Ann. 1304.

Minus mirum ergo accidet, si amissa Constantinopoli Patriarchas ejusdem tamen urbis Latinos Romanus Pontifex nominarit nominetque etiamnunc. Veneti eam Sedem ita involaverant, ut eam uni suæ genti vendicarent. Franci ægrè ferebant, nec immeritò, ab ea se arceri. Hinc crebrescebant dissensiones, quibus effectum ut nominandi jus ad summum Pontificem transferretur. Generali Constitutione sanxit Bonifacius VIII. ut non ab alio deinceps, quàm à Papa, quatuor Latini Patriarchæ Orientis designarentur, ubi ea vacuata essent, sive solia, sive nomina. Quippe Capitulis, quorum erat eligere, dissipatis, Canonicis hîc illucque disseminatis, propter vastationes urbium & Ecclesiarum, cùm Canonicam ab iis jam celebrari electionem nulla superesset spes, non aliter quàm per Pontificis nominationem impleri poterant, magnæ quidem, sed vacuæ illæ Sedes. Supererant ergo Capitula, quanquam dispersa: *Ipsarum Capitulis, seu conventibus, & Canonicis dispersis undique extra civitates ipsas, per alias regiones, seu loca à civitatibus ipsis remota.* Patriarcha Constantinopolitano Latinorum Petro vivere desinente, ex Canonicis ejus unus præsens adfuit, ipse unus electionem celebravit, reliquis in varias regiones sparsis. Electus qualecumque suum hoc jus in manus Papæ resignavit: *Solùm per unum Canonicum fuit de novo Pastore electio celebrata: aliis Canonicis suis agentibus in remotis. Dictus tamen electus, juri, si quod sibi ex electione hujusmodi competebat, in nostris manibus sponte ac libere resignavit.* Ineluctabili ergo necessitate istiusmodi nominationes ad primam Sedem reservabantur. Cùm enim superesset multitudo ingens, tum Cleri Latini, tum plebis, nec deessent Episcopi, quorum etiam nunc permagna copia Insulas circumpositas Ægei maris incolit: æquum non erat eos fraudari eo solatio patrocinioque, quod obtingere eis aliquando poterat à communionis suæ Patriarcha Constantinopolitano. Simillimum veri est Ecclesias etiam aliquas Constantinopoli Latinas exinde semper in no-

Rainal. an. 1031. n. 24.

Extra. Comm. l. 1. Tit. 3. c. 3.

stra fuisse potestate, sicut etiamnunc sunt.

VII. Conceptis verbis docuit nos Vuillelmus Tyrius, captâ à Latinis primùm Antiochiâ, restitutum ab iis suo fuisse throno Patriarcham Græcum, eoque superstite ne cogitasse quidem eos de Patriarcha Latinô creando, cùm prohibeant Canones, ne unam unquam Sedem duo insideant Episcopi. Sed post biennium expertus Patriarcha Græcus regendis pascendisque Latinis gregibus, quàm minimè idonei essent Græci, ut idem Tyrius perhibet, Constantinopolin migravit; utque Latinum nobis Patriarcham tum adsciscetemus, necessitas pervicit. Nec dispar fuit ratio Episcopalium omnium Orientis urbium, quas Latini implevere Præsules, tunc demum cùm Græcis vacarent Epis-

L. 6. c. 23. copis: *Dominum Patriarcham in Sede propria locaverunt cum multa honore: per urbes finitimas, quæ Cathedralem consueverant habere dignitatem, constituentes Episcopos. Nostra verò Latinitatis Patriarcham eo vivente qui pridem ibi ordinatus fuerat, eligere, vel consecrare non præsumpserunt, ne duo unum & eumdem obtinere locum viderentur. Quod manifestè contra sacros Canones & contra sanctorum Constituta Patrum esse dignoscitur. Sed tamen postmodum vix evoluto biennio videns ipse quòd non satis utiliter præesset Græcus Latinis, urbe cedens, Constantinopolim abiit. Post cujus discessum convenientes ejusdem civitatis clerus & populus sibi præfecerunt Patriarcham.*

Haud probarunt Græci Latinum Antiochiæ Patriarcham à nostris electum. Refert Cinnamus, qui Manuëlis Comneni Imperatoris res gestas libris sex complexus est, bellorum ipse individuus ejus comes; pepigisse Comnenum hunc Imperatorem cum Antiocheno Principe, ut Constantinopoli mitteretur ex prisco more Patriarcha, qui Antiochiam rege-

Cinnamus. L. 4. c. 18. 50. ret. *Ut Byzantio, prout antea fieri consueverat, Antiochiam Pontifex mitteretur.* Magnopere id doluit Antiochenis: itaque per Legatos Imperatorem mollire, & ab eo consilio avocare studuerunt: ille non pauca relaxavit alia, ab ea voluntate dimoveri non potuit: *Pontificem aliunde quàm Byzantio assumi negavit se permissurum.* Ita enim res habebat: Imperator Antistitesque qui Constantinopoli tunc versabantur, jam Patriarcham Antiochenum Græcum hominem elegerant, nomine Athanasium. Ea tunc invaluerat apud Græcos ratio Episcopos eligendi.

L. 5. c. 7. 16. Cinnamus commemorat Imperatoris nuptias ab hoc eodem Athanasio Patriarcha & duobus aliis celebratas fuisse. Author idem est Metropolitam Kioviensem, qui universæ moderabatur Russiæ, Constantinopoli eò mitti solitum. *Episcopus Byzantio missus illic præfici solet.* Anna Comnena in Alexiade

Alexiad. L. 13. sua, hoc est, in ea quam elegantissimam ac perpolitam scripsit de Alexi Imperatore parente suo historiam, profert ictum pacis fœdus inter Imperatorem Alexin & Boamundum, qui primus Antiochiæ Principatum administravit. Inter conditiones pacis non ultima illa est, qua Boamundus peti Constantinopoli Patriarcham disertis verbis pollicebatur: *Promitto non Antiochia Patriarcham ex nostro genere: sed eum quem vestra majestas in eam dignitatem promoverit, delectum è numero alumnorum Constantinopolitana Ecclesiæ.* In usum minimè recepta est hæc sive conditio, sive pactio, ut abundè constitit ex iis quæ compendiario disseruimus de Antiochenis Patriarchis. Sed hinc apertè colliges, in istiusmodi rerum temporumque commissuris, non potuisse non plerumque duos esse urbis ejusdem Episcopos; quod Latini qui multitudine & potestate primas tenebant, non possent fraudari Episcopo suæ gentis, vernaculæque gnaro linguæ: Græci autem jamdiu moris haberent, Episcopos his urbibus præficere, quas impetu improviso sibi ereptas, in ditionem suam brevi redituras sperabant.

Non poterat ergo tunc temporis ratio haberi eorum Canonum, qui duos uni gregi præesse Pastores, duos uni Ecclesiæ præfici vetant. Nam primò quidem quo tempore Hierosolymam, Antiochiam & Constantinopolim expugnavimus, non omnibus persuasum erat, nec etiamnunc est, Patriarchas & Episcopos Græcos Romanæ socios communionis fuisse. De frequentissimis eo tempore utriusque gentis dissensionibus, ne ambigi quidem potest. Secundò nec fides eadem hic illicque videbatur compluribus, maximè Græcis. Tertiò Græci sive Patriarchæ, sive Episcopi suis ab his urbibus Ecclesiisque ultro exulare, quàm cum Latinis versari malebant. Quartò Latini Græcique etsi intra ejusdem urbis muros clauderentur, duo tamen erant diversissimique populi, duæ Ecclesiæ; nec enim muris, sed hominibus constant Ecclesiæ, urbesque. Quintò numerosissimi exercitus civiumque turbæ prætetea innumerabiles sub vexillo Crucis commigrabant in Orientem eo animo, ut sedes ibi figerent, aut æternas, aut perquàm diuturnas. Suos itaque secum abducebant Episcopos pastoresque, à quibus in Oriente etiam regerentur, antiquo more & jure. Occidentales totæ in Orientem migrabant Ecclesiæ, nec à grege novas sedes quærente recedebant pastores. Sextò, vel una rituum morumque dissonantia non patiebatur vel Græcos Latinis, vel Latinos Græcis satis commodè imperitare. Septimò quamdiu Imperator Constantinopolitanus, Hierosolymitanus Rex, & Princeps Antiochenus Latinæ gentis fuere, vix illi, ac nec vix Ecclesias urbesque suas Græcis duntaxat Episcopis credidissent. Octavò, Episcopis Africæ, Synodisque quondam arriserat illa indulgentia, ut siqui Donatistarum Episcopi in unitatis Catholicæ gremium se reciperent; illis Episcopalis sua sedes authoritasque confirmaretur in illa ipsa urbe, in qua jam Catholicus sedebat Episcopus. Et quidem ubi horum Episcoporum alter vitam cum morte commutabat, totum gregem recolligebat superstes, & unus deinceps grex erat, unusque pastor. At Catholicos inter Afros & Donatistas, qui Catholicæ matris in sinum revolabant, nulla istiusmodi discrimina intererant, non rituum, non linguæ, non fidei, non morum, non disciplinæ, non imperii: quibus in omnibus cum Græci Latinique dissiderent, ægrè illi poterant in easdem Ecclesias adgregari.

Postquam autem in temporalem Græcorum potestatem rediere tres istæ urbes, Patriarchalibus Sedibus radiantes, ex re nihilo secius visum est Patriarchas Latinos subrogari. Primò propter Capitula, quæ dispersa magis, quàm dissipata, nequaquam vero extincta videbantur. Secundò propter Plebes Latinas, quæ easdem adhuc sive urbes incolebant, sive Diœceses. Tertiò propter Metropoles, sive Episcopatus, quibus præerant Latini Antistites, suorum Patriarcharum præsidio non destituendi. Quartò, quia illa nostros adhuc solabatur spes fore ut damna nobis importata resarcirentur. Denique tentabatur aliquid identidem, ut ne frustranea esset ea spes. Quintò, quia inveterata illa erat etiam consuetudo Græcorum, ut urbibus & provinciis, quas Latini in eos, vel ante Latinos Sarraceni invasissent, novos semper allegerent,

gerent, aliosque aliis subrogarent Patriarchas, Metropolitas, Episcopos. Illo toto annorum admodum sexaginta spatio, quo Constantinopoli potiti sumus, Nicææ semper creati sunt Patriarchæ Constantinopolitani, qui pristinam rursus in suam sedem restituti postea sunt. Non deerant argumenta, quibus in eandem spem erigeremur. Balsamonem suprà testem adhibuimus, Antiochiæ eo tempore Patriarcham Græcum, quo Latinus ibi præsidebat Patriarcha. Ea urbe, aut Ecclesia saltem Patriarchali potiti sunt postea Græci. Tradit idem Balsamon, in deditionem rursus Sarracenos Antiochenam urbem accepisse. Nec destitere tamen Græci Patriarchas Antiochenos eligere. Quin ergo & Latini Latinos elegissent, cùm numero plures essent quàm Græci, ut aliquotum fert opinio? Addit denique Balsamon, in aliis Episcopalibus urbibus, Sarracenorum vel Latinorum imperio obnoxiis, Græcos quoque sedisse Episcopos, quod nemo prohiberet: ubi ergo nec Latini prohibebantur, poterant & ipsi in Græcorum Sarracenorumque urbibus suos habere Episcopos. Sextò denique refert idem Balsamon, aditu ipso ingressuque urbis Tarsi interdictos fuisse Græcos, quòd omnibus ibi Ecclesiis incubarent Armeni. Habebant ergo & Tarsensem suum Græci Episcopum, etsi is ne adire quidem eam urbem posset. His adde quæ dicta superius sunt, de Patriarchis compluribus, Catholicisque, seu Primatibus, atque Archiepiscopis aliarum aliarumque sectarum, quibus nomen & titulus erat ejus urbis vel Ecclesiæ, quæ subjaceret Græcis, sedem verò habebant vel in iisdem urbibus ipsi, vel in oppidis, monasteriisque aliquando multum dissitis. Et hæc quidem longo antè tempore, quàm Latinis in mentem veniret de sacris in Orientem expeditionibus. Si tam multæ variæque sectæ experimento didicerant, ita necesse esse: poterant & Latini pari experimento, pari necessitati servire; nec vulnerabatur Canonum sanctitas, cum aliis & aliis populis suus quibusque dabatur Episcopus; quòd quanquam iisdem clauderentur urbis mænibus, moribus tamen, lingua & communione plurimum distabant.

VIII. Supersunt pauca nobis observanda de potestate qua utebantur Pontifices in Patriarchas Orientis Latinos. Repetenda tamen est prius, & ad finem usque pertexenda series Patriarcharum Antiochenorum, ibi intermissa, ubi novam Patriarchæ ex Latinis Constantinopolitani creationem, narrare cœpimus.
*Rainal. an 1206. n. 8.* Vel hinc quoque nova emergent hujus Pontificiæ documenta in Patriarchas Orientales authoritatis. Subiratum se testatus est Innocentius III. Antiocheno Patriarchæ, quòd Romam non venisset, Apostolorum monumenta sacra veneraturus. Cùm vacasset ea sedes, in Petrum primò Capuanum Nepotem Cardinalis
*Ann. 1216. n. 20. 21.* sancti Marcelli inclinavit animus Pontificis. Sed cum placuisset mox eum in Cardinalium potius Collegium adoptare, Patriarchalem Antiochiæ sedem Rainerio contulit, Ecclesiæ Romanæ Vicecancellario, quem Canonici tres Capituli Antiocheni postulabant, consecrationis munus ipse ei contulit,
*An. 1268. n. 53.* & pallium. Verùm impacatæ Christianorum inter se Principum dissensiones, latissimam aperuerunt Infidelibus viam, quâ in eorum Orientalem ditionem omnem irrumperent, Antiochiamque ipsam invaderent diruerentque, interfecto circum aras ipsas Patriarcha, sacrisque ejus sanguine cruentatis. Erat is tunc unus ex Ordine Dominicano.



Venerat tamen jam ea urbs in potestatem Tartarorum, à quibus eam recepit Sultanus. Recreabat etiam tunc nos ea spes, posse eam urbem rursus, vel à nostris, innovata expeditione sacra, expugnari; vel à Tartaris certè, quorum res rationesque non multum à nostris abhorrebant, unde & creberrima eorum nobiscum fœdera. Non destitimus ergo à nominandis Patriarchis Antiochenis, qui spei nominisque hæredes essent. Eligendi jus penes Canonicos fuit, donec ad se illud revocavit Papa, iis rationibus ductus, quæ supra perstrictæ sunt.

Alexandriam quoque adgressi erant sacræ militiæ Duces, sed de ea expugnanda tandem desperarunt. Subegere tamen illi urbes complures Ægypti, ac præ cæteris, Damiatam, quam olim Pelusium dictam nonnulli divinant. Tunc temporis pronum est conjicere, cœptum à nobis esse creari Patriarcham Alexandrinum Latinæ gentis; qui sin minùs Alexandrinam, certè alias Episcopales Ægypti Ecclesias à nostris expugnatas, earumque Latinos Episcopos summo jure regeret. *An. 1291. n. 3.* Paucissimis post annis Bonifacius VIII. Alexandrinam Ecclesiam cum cæteris Patriarchalibus servavit sibi suæque sedi novo Præsule donandam, quoties viduata esset: idque tunc necesse fuit maximè, quod earum Ecclesiarum Capitula distracta dissipataque, Canonici superstites & paucissimi essent, & in varias plagas dispersi. *An 1301. n. 24.* Inter Cardinales, qui Pisano præfuere Concilio, Alexandrinus Patriarcha Latinus sedit proximus post primum Episcopum Cardinalem; Antiochenus & Hierosolymitanus strenuam & ipsi navarunt operam rebus Ecclesiæ in hoc Concilio promovendis. *Spondanus. 1409 n 9. n. 12.*

IX. Actum est in Concilio Florentino de tollenda hac Patriarchalium Sedium in duos Patriarchas sectione, statutumque communi partium consensione, postquam sancita firmataque fuit utriusque Ecclesiæ pax unitasque, ut cum primum alter obiisset eorum, qui Constantinopolitani Patriarchatûs nomine fulgebant, successor ei ne daretur, sed superstes deinceps utriusque gentis Patriarcha unus esset. Fato suo excessit prior Patriarcha Latinus, tuncque Nicolaus V. edixit, ut Gregorius *Rainal. an. 1439. n. 84.* Patriarcha Constantinopolitanus Græcorum, unus & nomen & jus Patriarchale retineret. Verùm cum urbs ipsa Constantinopolitana à Turcis occupata jam esset, Gregorio commendavit Pontifex Ecclesiam Eubœensem, ut ejus reditibus sustentaretur. Post obitum Gregorii Pius II. Papa Isidorum Ruthenum magna sanctitatis & doctrinæ fama virum ea dignitate auxit, quòd Gregorius Romæ obiisset, adeoque juxta Canonica Decreta à solo Pontifice dandus illi esset successor. *Cùm nullus de illa Ecclesia præter nos hac vice se intromittere potuerit, sive possit.*

Si tres alii Patriarchæ Orientis illo ipso tempore subscripsissent Decretis unitatique Synodi Florentinæ: vix potest quis vocare in dubium, quin peræquè tituli eorum in unum conflandi fuissent. Verùm ille ipse Archidiaconus, qui paucis pòst annis ad Pium II. delegatus fuit à tribus his Patriarchis, palam testatus est hactenus unionem nihili habitam fuisse in tota trium horum Patriarcharum ditione; ei ipse eorum nomine consensit subscripsitque, & omnes illas Ecclesias Romano Pontifici obsequentes fore professus est. *An. 1460. n. 55.* Sed cùm Orientalium in rebus istiusmodi promissa, hactenus vel parum fida, vel brevi nutare aut vanescere visa sint: hæc

quoque non multò pòst vacillavit confœderatio; ideoque ab antiquo more non recessimus, novos subinde Patriarchas in eas Sedes, vel Sedium spes titulosque nominandi. His accedebat, quòd Romani Præsules nil non molirentur, ut incenderent Christianos Europæ Principes ad Orientalis Ecclesiæ recuperationem. Nec in Græcorum potestate erant jamdiu eæ urbes, à Sarracenis nimirum, Tartaris, Turcisque subactæ: & tamen Græci in eas Patriarchæ Episcopique allegebantur in dies: quin ergo & à Latinis Latini? Quin horum præ illis potiora erant & tantò plausibiliora jura, quòd viribus opibusque præcellerent, & subinde aliquid tentarent, ad antiquæ gloriæ per Orientem, Ecclesiarumque libertatis restaurationem, quiescentibus & excidio suo acquiescentibus quodammodo Græcis.

Non abhorret à vero Græcos periniquo tulisse animo nominationem Isidori Patriarchæ Constantinopolitani factam à Pio II. nec illi acquievisse, quòd apud eos necdum in usum recepta esset ea Juris nostri Canonici lex de morientibus *in Curia*. Itaque finem non fecerunt Græci deligendi Patriarchas conterraneos; quorum rationem non habuere Romani Præsules, tantò æquiùs, quòd nulla jam apud Græcos ex Canonum regulis celebraretur electio. Post occupatam enim à Turcis Constantinopolim, quatuor tantùm sibi Patriarchas Græci adscivere, ejusmodi electione, quæ speciem quandam saltem præferret Canonicæ disciplinæ. Postea numerato pretio nundinati sunt hanc à Turco Princi-
*Rainaldus.* pe Græci dignitatem. Intrudebant extrudebantque
*1461. n. 40.* sese ipsi mutuò, majore certatim pecunia Impera-
*41.* toriis ministris persoluta; & detestandæ servitutis vincula, in quæ se inducerent, ipsimet fabricabant.

X. E vivis abeunte Isidoro, Bessario in Patriarchalem Constantinopoleos sedem, & in Eubϖæ Archiepiscopatum vocatus est. Consultissimè Romani Pontifices Græcæ gentis homines & lumina in hanc Sedem subrogabant, ut Græcos demererentur. Bes-
*An. 1463.* sario nulla interposita mora litteras perscripsit ad
*n. 70.* Ecclesiam Constantinopolitanam, summa tum eloquentiæ vi, tum eruditionis copia refertas, ut illam ad unitatem & communionem cum Latinis inflammaret. Non abstinuit in hac Encyclica Epistola Bessario, Patriarchæ Oecumenici nomine; persuasus non immeritò, tam æquo animo laturos id Latinos nunc, quàm non ita pridem tulerant, cùm in Concilio Florentino Josephus Patriarcha Græcus eo uti, abutique à Papa sineretur. Potuit & in mentem illi hoc venire, non exasperandos esse Græcos, ista quasi jam imminutione jurium ac prærogativarum Ecclesiæ suæ, si Oecumenici Patriarchæ nomen expungeretur.

Cæteroqui complurimis charitatis sollicitudinisque suæ pastoralis documentis, perdocuit Christianum orbem Bessario, quanti interesset, ut creandorum ad Orientales Sedes Latinorum Patriarcharum nullum finem faceremus. Etenim magnitudine animi præclarior etiam, quàm eruditione, hortatibus etiam Sixti IV. & Cardinalis Jacobi Papiensis, non
*Raynal. an.* gravatus est Legatione fungi in Gallias ad Ludovi-
*1471. n. 5.* cum XI. Regem: non ut perperam quidam & malignius interpretati sunt, ut ambitioni, vel avaritiæ inserviret suæ: sed ut potentissimo Regi calcaria animosque adderet, ad arma in Orientalis Ecclesiæ libertatem convertenda, in quam ipsemet spem & expeditionem erexerat Rempublicam Christianam. Legationis hujus fructum interceperunt turbæ, quibus tunc Gallia conflictabatur; ejusque rei tædio extinctus est non multò pòst Legatus. Ejus inextincta vivet usque gloria, impensæ lætissimo animo vitæ ad desponsatæ sibi Ecclesiæ libertatem restituendam, datique & propagati in posteros exempli, quibus se nominibus obligent, quicumque Patriarchalibus his titulis onerantur vel Episcopalibus, & ad quæ se munia accingere debeant. Sixti IV. nepos, idemque Cardinalis Riarius in Patriarchæ Constantinopolitani titulum Bessarioni successit.

XI. Tardiùs accedimus ad Pontificum in hos Patriarchas jura expedienda. Sed ea ipsa tarditas non nihil conducet, cùm tantò liquidiùs claruerit hos Patriarchatus à Romanis Pontificibus rursum quasi genitos, efformatosque ac roboratos. Neminem quippe præterit, in Romanam Sedem refundi debere sacras omnes in Orientem expeditiones, & quidquid inde emolumenti in Christianum orbem redundavit. Abducendus est à sensuum consuetudine & ab humanarum cupiditatum contemplatione animus: defigendusque in Numinis providentiam, per tam inopinas temporum vices præstantis, & implentis tum vaticinia, tum promissa ad Ecclesiam sua. Hanc Christus inædificavit Episcopatui, cujus fundamenta & culmen Petro Petrique Sedi commisit. Principes Christiani orbis Ecclesias, Sedesque volventibus sæculis & iteratis experimentis, patuit primæ Petri Sedis aut rivulos esse, aut radios. Ita ab initio, ita decursu sæculorum constitit: viguere illæ Sedes, dum se primæ parenti fidas obnoxiasque præstiterunt: elanguere, ubi ab ejus charitate refrixerunt. Ejusdem beneficio & afflatu in pristinum decus & robur subinde effloruerunt: at ubi per variarum divortia sectarum ab originis suæ unitate prorsus discesserunt, in extremum venere exitium, & in infidelium denique Principum servitutem. Si seriò & maturè perpendantur hinc Evangelica Christi promissa, hinc historica eventa sæculorum exinde elapsorum: certò constabit, nihil à nobis exaggeratè dictum esse, multa exaggeratiùs & dici posse, & non immeritò cogitari.

XII. Hoc ita constituto, jam mirabitur nemo, in novæ hujus creationis Patriarchas hæc sibi jura Papam servasse, 1. semel electos confirmandi. 2. Pallio eos impertiendi, tanquam insigni plenissimæ pro summo suo gradu potestatis. 3. Exigendi ab eis sacramenti fidei & obedientiæ. 4. Pallio ornandi etiam Metropolitanos eis subditos. 5. Exigendæ ab eorum Suffraganeis professionis obedientiæ & subjectionis. Verbum enim non addam de appellationibus post Concilium Sardicense toto orbe receptissimis. Ut daretur veteres Patriarchas his nexibus solutos fuisse; laudibus tamen prosequenda esset Pontificum providentia, quæ novis morbis nova remedia temperat, occurritque malis venturis. Orientalium Ecclesiarum labes, tum quod ad disciplinam spiritalem pertinet, tum quod ad temporalem splendorem, ab earum profecta erat contumaciâ adversùs Caput Ecclesiæ universæ. Quid tam æquum ergo, tamque necessarium, quàm ut in nova innovatæ Ecclesiæ Orientalis hierarchia, arctioribus & invictioribus vinculis splendidiora hæc particularium Ecclesiarum Capita, cum universæ Ecclesiæ Capite constringerentur? ut adamantinis deinceps æternisque vinculis constaret unitas ad Ecclesiæ salutem & stabilitatem tam necessaria? Non multo fateor pòst tempore collapsæ sunt hæ Latinorum in Oriente Patriarcharum Sedes. Sed quandiu steterunt, Apostolicæ Sedis auctoritate·

steterunt & patrocinio, adversùs Latinos etiam Principes earundem civitatum: & non aliud magis hos illosque, seu Principes, seu Patriarchas in præceps tandem egit, & Infidelium substravit Imperio, quàm infida semper, tum inter ipsos concordia, tum erga parentem & opitulatricem optimam Romanam Sedem obedientia. Præter ea quæ compendiosiùs hic & tumultuariè congesta sunt, tota Ecclesiasticorum Annalium series testatum facit, industriam, operam, authoritatem suam Pontifices in id maximè contulisse, ut simultates rixasque componerent istorum tum Principum cum Patriarchis, tum ipsorum inter sese sive Principum, sive Patriarcharum.

XIII. Nonnihil superest dubitationis, in quo nec mihi ipse satisfacio. Recurrebat paulò suprà ad Papam Archiepiscopus Tyrius, ut pallio donaretur, cùm confirmatus consecratusque jam esset à proprio Patriarcha. Molestè tulit etiam Papa, quòd restitisset Patriarcha aliquantulum huic Archiepiscopi in Ecclesiam Romanam observantiæ. Et Innocentius tamen III. & Synodus Lateranensis Patriarchis potestatem fecere suffraganeos, hoc est, ut ego interpretor, Metropolitanos sibi obnoxios pallio donandi, postquam eo ornati ipsi essent à Pontifice. Quin idem Innocentius Archiepiscopum Patrensem, eundemque Achaiæ Primatem ad Constantinopolitanum remisit Patriarcham, à quo & confirmationem acciperet & pallium. An juris Canonici callentissimus Pontifex Innocentius III. in Archiepiscopi Tyri causa vidit prædecessorem suum juris limites, aut minùs vidisse, aut minùs accuratè observasse; sive id incogitantiæ dandum sit, sive minùs laudabili indulgentiæ? An suspicabimur necdum prorsus enucleata fuisse jura Hierosolymitani, atque Antiocheni Patriarcharum in Metropolin Tyriam, quam sibi uterque vendicabat; unde facilè tùm Pontifex Romanus, tum Tyrius sibi persuasere, pendente lite, fungendam exercendamque esse à Papa Patriarchæ vicem? Et sanè Innocentius II. Metropolim Tyriam Hierosolymitano subjecit, non decretorio judicio, sed ad tempus valituro, donec res tota accuratiùs disceptata finiretur. *Quousque deliberaretur, utri duorum Patriarcharum perpetuò cederet.* Ita Vuillelmus Tyrius. An brevior eademque absolutior responsio est, cum Innocentius III. dandi pallii potestatem Patriarchis concedebat, integram tamen vel tum sibi conservasse: Ita sanè ipsemet in Epistola ad Patriarcham Constantinopolitanum, qua mandat, consecratione & pallio Patrensem Archiepiscopum ut impertiat. *Licet de plenitudine potestatis ipsum consecrationis munere ac honore pallii potuissemus insignitum remittere, quia sic te vocamus in partem sollicitudinis, quòd nobis retinuimus plenitudinem potestatis: nec cuiquam facimus injuriam, cum utimur jure nostro.*

Spond. anno 1206. n. 3.

Vuill. Tyr. l. 14. c. 11.

Gesta Innoc. 141.

XIV. Quos delectat curiositatem suam inanibus pascere quæstionibus, hanc illi ventilant quandòque per otium, quo abundant; Ecquid si novus Patriarcha in aliquo Christiani orbis regno crearetur? Non difficile est hunc nodum solvere, ex iis quæ duobus his extremis capitibus disputata sunt. Nec enim commentitii Patriarchæ jura fingi possunt alia, quàm quibus gaudebant per Orientem Patriarchæ sacrorum bellorum tempore innovati. Nam si ne thronis quidem Patriarchali authoritate jam inde ab Ecclesiæ exordio fulgentibus, alia indulta sunt privilegia, quàm quæ Exarchis & Primatibus: nefas esset utique amphora arrogare novo cuicumque Patriarchæ. Non tam Patriarchæ ergo creatio ea foret, quàm Primatis eorum simillimi, ad quos jamdiu properamus. Certò enim constat, Orientis Patriarchas hos posteriores, nòmine magis quàm potestate, nostris Primatibus præcelluisse.

XV. Nec in crimen vocandi sunt Patriarchæ Latini Hierosolymæ, Antiochiæ, & Constantinopolis, quòd in tantas angustias dignitatem suam contrudi passi sint. Sapientissimi quippe Præsules hoc Augustini consilio, hac regula utebantur, non sibi, non gloriæ, non privatæ utilitati Episcopos servire debere, sed Ecclesiæ. Itaque intra eum potestatis & jurisdictionis modum sese ipsi cohibeant necesse est, quem usus præfinit, quem utilitas & pax postulat Ecclesiæ; aliis quippe & aliis temporibus protenduntur, vel contrahuntur jurisdictionis limites, pro utilitate, necessitate & charitate Ecclesiæ, ut ejus semper unitati pacique consultum sit.

---

## CAPUT XXVII. *P. 4. l. 1. c. 7.*

### De Episcopis Titularibus.

*I. Contextus juris Canonici de Episcopis Titularibus.*
*II. Diversa adversus eos Concilii Viennensis Decreta.*
*III. Aliorum item Conciliorum.*
*IV. Duo tamen adhuc Titularium Episcoporum genera tolerabantur.*
*V. Observantur aliqua in hos Titulares Episcopos.*
*VI. Decreta Concilii Lateranensis V. & Tridentini, de iisdem Titularibus Episcopis.*
*VII. Prosperi Fagnani observationes circa hos Episcopos post Concilium Tridentinum.*
*VIII. Episcopi Titulares longè vetustiores, & pernecessarii in Hispania, postquam à Mauris expugnata fuit.*
*IX. Post acceptum in deditionem à Cardinali Ximenio Oranum, Africæ oppidum, Episcopi Auriensis spes incalescit.*
*X. Titularium Episcoporum quæ partes, quæ officia sint in suas Ecclesias.*
*XI. De Episcopis Hiberniæ Titularibus.*
*XII. Satisfit objectioni. Gersonii doctrina.*

I. PRofligata superioribus capitibus doctrina de Patriarchis Titularibus Orientis, jubet series & ordo rerum, ut de aliis Episcopis Titularibus sermonem hîc instituamus, atque ita accedamus ad tractandum de Primatibus & Metropolitanis.

Recentiores Juris Canonici Commentatores in Titularium Episcoporum patrocinium accersunt *Caput Pastoralis*: quod ex Gregorio Magno excerptum est. Sed an aliquid hinc præsidii illis accedere possit, non satis liquet. Agit enim Gregorius de Episcopo, cujus nuperrimè eversa ab hostibus civitate, transtulerat eum Gregorius in alium Episcopatum, jussum tamen se priori reddere Ecclesiæ, si pulsis hostibus civitas reciperetur. Suffragatur paulò apertiùs Synodus Antiochena, ubi quæstio versatur Episcopi, cui vel populi alienatio animorum, vel quælibet alia causa intercessit, ne in urbem Ecclesiamque suam reciperetur. Sed hic tamen Episcopus ea tantùm spe ordinarius fuerat, & plerumque certa spe, ut in Ecclesiæ suæ possessionem mitteretur. Quod non parum abludit à causa Episcoporum Titularium, quam hic excutimus. 7. q. 1. c. 42.

D. 92. c. 58

II. Edidit Clemens V. in Concilio Viennensi Decretum, quod spectat quidem certissimè ad Episcopos Titulares: sed ut eos configat, vetetque creari in posterum, ut malis compluribus obviam eatur. Memorat enim Pontifex has Ecclesias, nec populo jam, nec Clero, nec reditibus gaudere; am-

biri tamen à Monachis quibusdam excordibus, qui cupiditati suæ ut facerent satis, dignitatem toto orbe sanctissimam celsissimamque pudenda mendicitate, erraticæque vitæ ludibriis prophanatum ibant. C. In plerisque, in Clementinis. *Qui nec, ut expediret, prodesse: nec ut deceret, præesse valentes, instabilitate vagationis & mendicitatis opprobrio, serenitatem Pontificalis obnubilant dignitatis.* Itaque vetat Clemens ne posthac hujusmodi ordinentur Episcopi solo titulo fruituri, nisi expressa Sedis Apostolicæ licentia: *Nisi speciali super hoc authoritate Sedis Apostolicæ.* Denique pœnas indicit Regularibus, qui præter professionis suæ leges & sanctimoniam, his se effrænaris cupiditatibus abduci sinent.

III. Nec minùs exacerbata fuit Synodus Ravennas II. in Episcopos errones, ignotos, linguæ civium imperitos, & quorum ob vitæ probra sordesque suspecta meritò habebatur ordinatio. Quocirca & Pontificalibus quibuscumque muneribus interdicti sunt, donec certa ederent ordinationis suæ titulique argumenta. An. 1311. Can. 24. *Nisi priùs Metropolitano constiterit, de ipsius ordinatione, consecratione & titulo.* Innovavit hunc Canonem Synodus Ravennas III prohibitis expressissimè Regularibus: ne Pontificalia geri munera sinerent ab Episcopis Titularibus transmarinis. An. 1314. Can. 4. *Episcopos peregrinos, & populum subditum citra mare non habentes, ne invitent, &c.*

IV. Duo nihilominus genera Titularium Episcoporum cum bona Canonum venia habebantur. Namque primò quidem Orientales Patriarchatus Latinis semper Titulo tenus commendabantur Episcopis, quibus interim aliæ reapse committebantur Cathedrales Ecclesiæ, quarum & curæ incumberent, & reditibus alerentur. Secundò Archiepiscopi Episcopique, si qui non possent creditarum sibi Ecclesiarum regimini tantum vacare, quantum opus esset; hi asciscebant sibi Titulares Episcopos, velut Pontificalis ministerii collegas & coadjutores. Concilio Coloniensi anno 1322. Adolphus Leodiensis Episcopus interfuit per Episcopum alium, cui vices suas mandaverat, non ut suo tantùm nomine Synodo adesset, sed & Episcopatum omnem vicaria sollicitudine administraret: Ann. 1322. *Hermannus Heunensis Episcopus vices nostras gerens in Pontificalibus.* In Episcopalibus Comitiis Lutetiæ habitis sub Carolo VI. Rege, ut medicina fieret schismati Avenionensi, præfuerunt ante Archiepiscopos omnes Patriarchæ duo Titulares, Alexandrinus & Hierosolymitanus, qui eodem tempore Administratores erant perpetui, ille Carcassonensis Ecclesiæ, hic sancti Pontii Tomeriarum. Ann. 1394. Post omnes verò Galliæ Episcopos, nomen ascribitur Episcopi Bethleemitici. Cardinalis Campegius Apostolicæ Sedis in Germania Legatus, cum multa decreverat ad ejus Ecclesiæ reformationem, Ann. 1524. Cap. 19. tum istod in primis, quo prohibiti sunt Vicarii Generales in Pontificalibus, ne quid emungerent pecuniæ pro Ecclesiarum consecratione: jussique ex adverso Episcopi locorum idoneam Vicariis suppeditare dotem, interposita Sedis Romanæ authoritate ad Ecclesias pensionibus in hunc usum onerandas.

V. Ex quibus intelligis, 1. quàm frequentes essent in Germania quidem tunc Titulares isti Episcopi. 2. In more fuisse, ut authoritate interposita Sedis Apostolicæ illi crearentur, juxta Clementis Decretum suprà laudatum. 3. Regulares plerumque ad hujusmodi præstanda munia accitos fuisse. Et id quidem rursus emicat ex Concilio Salisburgensi anni 1420. ubi vetantur Episcopi ad Episcopales obeundas functiones ministerio uti Regula- Can. 17. rium, qui dum Episcopali ordinatione inaugurarentur, Monasticas abjecerant vestes: nisi eas rursos induerent, quippe qui iis exui non potuissent, nisi ut simul induerent se in laqueos excommunicationis. *Nullus Suffraganeorum nostræ Provinciæ in sua Diœcesi ad exercendum ea quæ Episcopalis ordinis existunt, tales Titulares Episcopos admittat, nisi habitum suæ religionis manifestè deferant, &c.* Concilium Coloniense anno 1536. multa quidem emendare studuit Can. 17. quæ infuderant se in Ecclesiarum disciplinam vitia: at hujusmodi Generales in Pontificalibus muniis Vicarios, adeo non abolere studuit, ut eorum ex adverso usum frequentem admodum tunc fuisse significaverit: quod idem moneo de Synodo Augustana anni 1548. & de Concilio Trevirensi anni 1548. in litteris Convocationis. Art. 2.

VI. Fatemur ergo necesse est, Concilium Lateranense V. sub Leone X. accommodasse se ad usum eo ævo pervagatissimum, tametsi ex laxata disciplinæ fibula ortum: quando permisit Cardinalibus, quibus commendatæ essent Cathedrales Ecclesiæ, ut eas per Episcopos Titulares, quos Suffraganeos vulgò appellavere, administrarent. Ann. 1514. sess. 9. *Omni conatu suo provideant inserviri Cathedralibus, dignos & idoneos Vicarios, seu Suffraganeos, prout consuetudo fuerit, cum digna competenti mercede apponentes.*

Nec adversatur Lateranensi Tridentinum. Neque enim in isto agitur de Episcopis illis Titularibus, qui Suffraganei appellantur, quique affixi sunt ministerio & regimini Cathedralis alicujus Ecclesiæ, cujus Titulo nequaquam gaudent. Ad aliud genus Titularium Episcoporum pertinent Concilii Tridentini verba, quos carere ait clero populoque, vagari semper, nec usquam certam sibi Sedem figere: *Clero carentes, & populo Christiano, cùm ferè vagabundi sint & permanentem Sedem non habeant:* Ann. 1551. Sess. 14. c. 2. quorum rursus artes improbas damnat, quibus abutebantur ad ordinandos aliorum Episcoporum Diœcesanos Clericosque, Sedem sibi excitando Episcopalem in locis quæ dicuntur nullius esse Diœcesis, sive in exempto quovis Monasterio. *In legis fraudem & contemptum, quasi Episcopalem Cathedram in loco nullius Diœcesis sua temeritate erigunt, & quoscumque ad se venientes promovere præsumunt.* Nec eo contenti Patres, irritas habuerunt id genus ordinationes sine assensu propriorum Episcoporum factas, quo se cumque privilegio tuerentur, & præfractam hanc audaciam prætexerent Episcopi Titulares. *Nemo Episcoporum qui Titulares vocantur, etiamsi in loco nullius Diœcesis, etiam exempto, aut aliquo Monasterio cujusvis Ordinis resederint, aut moram traxerint, vigore cujusvis privilegii, sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum absque proprii Prælati expresso consensu ordinare valeat, &c.* Annua ab Episcopalibus muneribus suspensione feritur Episcopus, si huic Decreto immorigerum se præbeat: qui ab eo autem vel Tonsura Clericali, vel ordine aliquo initiati fuerint, quandiu Diœcesano Episcopo visum fuerit eos suspendi.

VII. Juvat & ex Fagnano aliqua his assuere, quæ in rem sint. 1. Post Concilium Tridentinum prohibuit Pius V. ne crearentur Episcopi Titulares, nisi ad Ecclesias Cathedrales Cardinalibus commendatas, & ubi jam is inolevit mos; nec aliter vel tum nisi assignata Titularibus annua pensione ducentorum saltem Philippeorum, ex Ecclesiæ ipsius reditibus, quam ipsi exigere possint: addita etiam hac cautione, ne quid Episcopalis usquam muneris usurpent sine Romani Pontificis licentia In Lib. V. Decret. Par. 2. c. 40. 41. 42.

extra fines Episcopatûs, in quo Suffraganeorum partes agunt. 2. Addit Fagnanus à Congregatione negotiis Consistorialibus præposita communicatum esse hoc Cardinalium privilegium cum Episcopis quibuscunque, & pensionem titularium Episcoporum ad trecentos Philippeos excrevisse. 3. Cùm Arborensis in Insula Corsica Archiepiscopus flagitaret à Congregatione Concilii Titularem Episcopum, qui sibi subsidiariam navaret operam, tum propter frequentes & ingravescentes ægritudines suas, tum ob exitiales nefariorum hominum inimicitias, qui veneno jam ipsum appetiverant, quibus rebus diu & crebro abesse Diœcesi cogebatur: sacra Congregatio non indulsit, ut novus crearetur Suffraganeus Episcopus; sed si jam ordinatus aliquis Titularis occurreret, aut undecumque acciri posset, huc protinus accerseretur. 4. Equites sancti Jacobi de Spatha in Hispania postulabant concedi sibi Titularem Episcopum, qui Emeritam & vicina quædam oppida regeret, quæ nullius essent Diœcesis, essent autem sub jure & potestate Ordinis. Censuit sacra Congregatio rerum Consistorialium, nullos deinceps his Equitibus permittendos esse Episcopos Titulares; quibus si quos Pius V. & Gregorius XV. annuissent, id inconsulta Congregatione factum esse. 5. Per Oratores suos Hispaniarum Rex urgebat, ut Tunetensis in Africa Titularis Episcopatus, adsignaretur Equitibus sancti Jacobi, ut Suffraganei nomine Episcopus aliquas regeret oppida hujus Ordinis exempta. Re maturius perpensa constantissimè negavit Congregatio, quòd Titularium Episcoporum ordinatio vehementer adversetur antiquæ Canonum disciplinæ, per quos non licet creari Episcopos nisi in Civitatibus: quòd Concilium Viennense refragetur, ne Titulares sint Episcopi: quòd Tridentinum solis indulgeat Cardinalibus: quòd Pius V. non annuat nisi iis locis, ubi eos haberi inveteratus jam mos est: quòd Tridentini Patres vetent Episcopos in partibus, ut Titulares vulgo appellantur, erigere sibi Episcopalem Sedem in locis nullius Diœcesis: vetent denique eos qui oriundi sunt ex oppidis quæ nullius sunt Diœcesis, ordinari à quoquam, nisi licentiam litterasque Dimissorias impetraverint Episcopi Diœcesani: denique quòd cum Tridentina Synodus subjecerit Diœcesano Episcopo loca, quæ nullius sunt Diœcesis; subjecerit & Episcopo proximiori ea loca, quæ in nulla sunt Diœcesi: cederet in contumeliam & dispendium horum Episcoporum, ordinatio nova Titularium, qui sibi sumerent eas Pontificatûs functiones, quas illis integras servari sanxit Synodus. 6. Addit denique pius juxtà & doctus Canonum idem interpres, à Congregatione Concilii declaratum esse, teneri Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos Titulares ad visitanda religiosè Apostolorum limina iis temporibus, quæ Ecclesiasticis legibus sancita sunt; non tantùm ut defungantur duplici illo munere, quod his peregrinationibus sacris alligatum quodammodo est, scilicet, ut vota sua nuncupent ad Basilicas Principum Apostolorum, atque summo Ecclesiæ & Episcopatûs vertici justa dependant venerationis & obedientiæ canonicæ obsequia: sed ut legi præterea satisfaciant, quam religiosissimè observari non minoris refert ad Ecclesiæ salutem. Nimirum ut Congregationi Concilii de administratione creditarum sibi Ecclesiarum rationem reddant, juxta Constitutionem Sixti V. Quanquam enim Titularibus his, nec Clerus sit, nec populus, qui regi pascique ab eis se sinat; assumendo tamen titulo induerunt pariter vinculum & necessitatem curandæ alicujus longinquæ Diœceseos, vigilandi, insudandique ad eam Imperio Christi libertatique Religionis vendicandam. Ipsorum munera est omni ope atque industria incumbere in eam curam, ut perdiscant, quæ nunc conditio sit, qui status dissipatæ hujus Ecclesiæ suæ, ut Evangelicæ veritatis lumen illuc inferant, ut certiorem faciant tum Pontificem, tum Congregationem de opera à se navata, ut eorum auxilium patrociniumque implorent. His convenienter respondit sacra Congregatio ante paucissimos annos ad litteras Patriarcharum Titularium Constantinopolitanæ & Antiochenæ Ecclesiæ, ex quibus Constantinopolitanus, cui commendatus erat Bariensis Archiepiscopatus, per Vicarias operas visitaverat Ecclesiam suam Constantinopolitanam, & Visitationis rationes actaque ad sacram Congregationem retulerat.

Ann. 1605.

Ann. 1649.

Conc. Trid. Sess. 23 c. 10 Sess. 24. c. 9

Fagnan. in L. 2. Decr. pag. 217. 218.

VIII. Si lubeat revolvi in priora sæcula, ostendet se nobis Hispania Titularibus Episcopis pluribus instructa, non sine summo doloris sensu. Postquam enim barbaricæ Maurorum dominationis jugo oppressa est Hispania penè tota, ordinari non destitere Episcopi ad singulas Cathedrales Ecclesias, etsi ad eas nullus omnino pateret aditus. In sua illorum temporum historia Rodericus Archiepiscopus Toletanus, duplicis generis Episcopos tradidit affuisse dedicationi Ecclesiæ sancti Jacobi, alios qui suis & urbibus & Ecclesiis præessent, alios titulo tantùm, non urbe, non sede sua fruentes; ut quæ ab Arabibus, aut tenerentur, aut dirutæ olim essent. *Fuerunt ibi alii Episcopi, quorum Civitates aliqua deserta, aliqua ab Arabibus tenebantur.* Horum novem recenset, quorum tum demum urbes postea ex Arabum potestate receptæ sunt, cum rerum potiri cœpit Alfonsus Rex: is scilicet qui Toletum expugnavit. Hoc autem spatio temporis hi omnes Episcopi, suis sedibus orbati, diversabantur, aut Oveti, aut in Ovetensi Diœcesi. Hinc urbs Episcoporum dicta Ovetum. *Et eorum Episcopi ad Asturias fugientes, tam in civitate, quàm in Diœcesi Ovetensi, partitis sibi territoriis, ut poterant, victitabant. Unde in aliquibus libris antiquis Ovetum dicitur Civitas Episcopalis.*

De rebus Hispan. l. 4. c. 18.

Eandem historiam Mariana quoque mandavit litteris, & suo more, luculentis illustravit circumstantiis. Docet enim hos Episcopos, qui nomine tenus Episcopi videbantur esse: *Minuti scilicet, & paulo amplius quàm solo nomine Episcopi*: fuisse tamen verissimè Episcopos; non eo tantùm quòd spes esset quamprimum redituras in Christianorum manus eas civitates: *Et erat moribus ea tempestate receptum, ut utrarumque urbium Episcopi essent: earum præsertim, quæ vel erepta Mauris, paulò post ad eorum ditionem redierant; vel sperabatur brevi eripiendas fore, Christianique juris futuras: in eamque spem mortuis sufficiebantur vivi*: Sed etiam quòd edixisset Compostellana Synodus, ut Episcopi Titulares pontificalia munia obirent in Civitate & Diœcesi Ovetensi, ex qua eorum quoque singulis, & Ecclesiæ, & territorii partes adsignatæ essent. *Additum præterea, ut Episcopi, qui ditione carerent, Ovetensi Præsuli vicariam operam exhiberent, cura in multos partita, ejusque reditibus alerentur. Iis aliisque tota ditione Episcopis in Ovetensi urbe, & Diœcesi, singula Ecclesiæ darentur, quarum reditibus viverent, &c. Inde certè effectum est, ut ea tempestate Ovetum Episcoporum civitas vulgò diceretur.*

Anno 876. L. 7. c. 18.

IX. Juvat paulò lætiorem hîc historiam intexere, qua & recreari possit animus, & de re quam tractamus, plenius instrui. Ut primum Cardinalis Ximenius animi rerumque gestarum magnitudine & morum sanctitate incomparabilis, Oranum Africæ munitissimum oppidum devictis Mauris expugnavit: Ludovicus Vuillelmus ex inclyto Franciscanorum cœtu, Auriæ Titularis Episcopus antè ordinatus, Auriam Oranumque duo nomina; urbem unam esse speravit venditavitque. Ximenium primùm adiit, à quo extundere nihil potuit, victoriæ suæ scilicet gaudium præmiumque extorqueri sibi non facilè passuro, certoque jam ejus urbis dominium Ecclesiæ Toletanæ ditioni, & patrimonio adjungere. Ludovicus repulsam hic passus Romam confugit, & diplomata à Pontifice facilè impetravit. Ximenius excuti, ventilarique jussit veteres historias Notitiasque Episcopatuum Africæ: compertoque Oranum recentissimum esse oppidum, Tremeseno regno urbique obnoxium, Episcopali dignitate numquam decoratum, quod ipsa prodebat ejus novitas: statuit Ecclesiam ibi condere, Collegiumque Canonicorum, quorum Præfectus Abbatis nomine augeretur, sederetque in Ecclesia Toleti Metropolitana. Ludovicus Pontificio jam diplomate munitus, Regis etiam patrocinio fultus, poterat Ximenii etiam beneficentiâ Orani Abbas ipse creari, si modum spei suæ

An. 1516. ponere potuisset. At cum non acquiesceret, defuncto interim Rege, & Ximenio ad regendum totius Hispaniæ clavum vocato, serò ipsum tandem aviditatis suæ pœnituit. Instandi tamen magis finem fecit, quàm sperandi. Concedente enim satis postea Ximenio ipso, Fonsecam ejus in Archiepiscopatu Toletano successorem convenit, & experimentis doctior factus, eo concedente, Orani Abbas renunciatus est. Bullæ Roma expectabantur, ipse moræ impatiens Oranum profectus est, Vicarium se Archiepiscopi agens. Successores habuit eodem nomine & jure utentes, vitam degentes cum Oranensibus Canonicis, sub jure summo & tuitione Archiepiscoporum Toletanorum. Hactenus ex Gumecio in vita Cardinalis Ximenii.

L. 5. X. His documentis ex Hispanica decerptis historia, manifestum fit, eas temporum incidisse causas & necessitates, priscis etiam Ecclesiæ mediisque sæculis, quibus creari Titulares Episcopos ad Ecclesiæ salutem interfuit: id primo factum, quòd spes recuperandarum urbium & Ecclesiarum permagna esset: nec vanas irritasve fuisse plerumque has spes: receptas enim revera fuisse obtritis hostibus civitates Episcopales; viduatos interim suis Ecclesiis Episcopos, & ista se spe sustentantes, operam industriamque suam sublevandis aliis Episcopis impendisse: adeoque nec cordato cuiquam in mentem venisse, ut dubitaret, an Titulares Episcopi, verè dicerentur, & re essent Episcopi. Quæ supra perstrinximus de Cardinali Bessarione, quæ hîc de Ximenio, quæ denique de rationibus reddendis sacræ Cardinalium Congregationi, quid tentatum, quid cœptum, quid perfectum sit, de utilitatibus Ecclesiæ Titularis sibi commendatæ: quæ denique de Episcopis Hispania narrata sunt, & de eorum Civitatibus post aliquot sæcula Christianæ Reipublicæ Ecclesiæque redditis: hæc omnia, inquam, satis superque evincunt, nequaquam inanes aut cassas fuisse spes, quibus ducti Majores nostri Episcopos Titulares instituerunt.

XI. Cujusmodi essent Episcopatus Hiberniæ Titulares, de quibus cum eorum Rege expostulabat Anselmus per Epistolas, non facile est divinare. Ordinabantur enim nulla sibi certa Sede destinata. *Dicitur Episcopos in terra vestra passim eligi, & sine certo Episcopatus loco constitui.* Ita ne Titulares quidem erant Episcopi, sed Episcopi tantùm: ut nunc L. 3 Ep. 147. Presbyteri nonnunquam ordinantur, nec ulli tamen peculiari addicuntur Ecclesiæ. Non tacuit Anselmus, quæ mala ex vaga hac ordinandi consuetudine antiquis Canonibus inimicâ, proficiscerentur. *Episcopus namque, nisi certam Parochiam, & populum cui super intendat, habeat, constitui secundum Deum non potest. Quia nec in sæcularibus nomen, vel officium Pastoris habere valet, qui gregem, quem Pascat, non habet. Honor quoque Episcopalis non parum vilescit, &c.*

Cùm referat Anselmus ab uno dumtaxat Episcopo ordinari solitos fuisse hos Episcopos, non injuriâ conjecerit quis, in eorum Chorepiscoporum numero eos reponendos esse, de quibus inferiùs agetur, qui regebant Parochias agrestes, delegata Episcopi potestate: qui vacantes Ecclesias Cathedrales interim administrabant: quibus unus tantùm manus imponebat Episcopus: & in quorum locum subiere Titulares illi Episcopi, qui Suffraganei appellantur, subjunguntur autem Episcopis vel Metropolitanis, quos Episcopali onere ex parte saltem relevari æquum est. Quantumvis gravia & aculeata videantur Anselmi verba, nec immeritò; non negat tamen quin Titulares hi verè essent Episcopi. Illi ipsi qui in Concilio Basileensi, tam vehementer insurgebant in Cardinalem Arelatensem, quòd præcipiti quadam festinatione finirentur res, ne expectatis quidem verorum Episcoporum suffragiis, quasi solus Titularium assensus tantis rebus profligandis par esset: ita ut in Episcopalibus subselliis collocatæ semel fuerint celeberrimæ sacrarum Reliquiarum thecæ; ne ii quidem tamen tunc detrectabant, quin ordini & collegio Episcopali verè adscripti essent Episcopi Titulares.

Sed minimè prætereundus est nobis Æneas Sylvius libro primo Actorum Concilii Basileensis. Ubi docet Patronos Episcoporum Titularium, caput illis & authorem adsignasse Petrum ipsum, & sacrum Apostolorum cœtum, qui nec civitates ferè, nec Diœceses in potestate habuerunt, undique extrusi, profugique. *Dum istos repellunt, ipsum quoque Petrum* Reinald. *damnant, & Apostolos, quos diu sine magna plebe fuisse* An. 1439. *constat. Nec unquam aut tota Roma Petro, aut tota* n. 21. 25. *Hierosolyma Jacobo paruit.* Fervidiùs hæc tunc jacta- Gerson. to. 2. bantur. Nobis autem cum Gersonio hæc arridet pag. 190. maximè sententia, Episcopos qui *Titulares & in partibus* dicuntur, indubitatissimè Episcopos esse, sed citra ingentem necessitatem ordinari non debere. *Status Episcopalis licèt esse possit in aliquo, sine plebe & sine usu, vel exercitio; hoc fieri non convenit: quia vanum & monstruosum in Ecclesia videretur; quoniam frustra est potestas, cui non subest operatio.*

---

## CAPUT XXVIII. *P. 3. l. 1. c. 8.*

Altiori ab origine repetitur institutio Episcoporum Titularium, multaque in cumulum adduntur ad antedictorum confirmationem.

*I. Chorepiscopi ex Episcoporum collegio expuncti, quòd ab uno ordinarentur Episcopo, nec ulla eis tunc Episcopalis Diœcesis gubernanda indiceretur. Duabus occurritur difficultatibus.*

*II. Episcopi Titulares, Titulo verè carent, etsi unus aliquis eis dum ordinarentur, assignatus sit, verbo, non re.*

*III. Episcopum inaugurari perinde est ac Regem creari: Rex autem non est qui regno caret. Errantium huc illucque Episcoporum ordinationes prohibita.*

*IV. In Oriente indultum est, beneficia quavis alia retinere ut possent cum Episcopatu in partibus, quo non aliter quisquam se onerari passus esset.*

*V. Non desperabatur de Episcopatibus Titularibus, Ecclesia & Imperio Christiano recuperandis.*

*VI. Portio quadam adhuc vel Metropoleon, vel Episcopatuum Titularium retinebatur à nobis.*

*VII. De Patriarchis Titularibus Antiochia & Hierosolyma.*

*VIII. Nonnullius etiam ponderis fuit mystica ratio quinarii Patriarcharum numeri.*

*IX. Cùm totum Patriarchatum non subegissent Barbari sua ditione, necesse erat Patriarcham nominari.*

*X. Paupertas qua affictabantur non rarò Titulares Episcopi, justa non erat causa supersedendi ab eorum vel nominatione, vel ordinatione.*

*XI. Supererant semper plebecula saltem Catholica, qua suis erant pastoribus commendanda.*

*XII. Imperatores ipsi hos Titulos cupide servabant, ut ditiones sua antiquissima testes.*

*XIII. Cur quandoque in Ecclesiis tolerabantur Episcopi Titulares.*

*XIV. Longe aliud Titularium Episcoporum genus, qui Episcopatui renuntiaverant, ignobilis otii amore, & ignavia.*

*XV. De Canone Concilii sub Photio habiti, quo prohibebantur Episcopi in claustra Monachorum se conjicere, & vitam monasticam profiteri.*

*XVI. Episcopatus* in partibus *in Commendam dati Episcopis, qui alios regebant Episcopatus.*

*XVII, XVIII. XIX. XX. Vetustiora aliqua Titularium Episcoporum exempla.*

I. JUvabit hoc capite antiquissimas vestigare origines Titularium Episcoporum, & institutam de illis disputationem hinc concludere, unde ingrediendum in eam fuisset, nisi rerum ipsarum connexio, & quædam historiarum concatenatio ordinem temporum nobis perturbasset. Exordium ergo ducemus ab eo discrimine, quo Episcopos à Chorepiscopis distare tum exploratissimum esse cœpit, cùm ea de re Sedem Apostolicam percunctatus est Carolus Magnus, legato Romam Archiepiscopo Annone, Galliæque Episcopis in ejusdem quæstionis pervestigationem strenuè incumbere jussis. Romanæ Ecclesiæ Gallorumque Præsulum unanimi consensu diffinitum est, non posse Chorepiscopos alio quàm Presbyterorum ordine censeri; nec enim Episcopali ministerio insigniri potuisse, cùm nulli Episcopali Ecclesiæ regendæ sua ipsos ordinatio affigeret, nec à tribus Episcopis, ut par est, sed ab uno duntaxat manus imponente inaugurati fuissent. *Nam Episcopi non erant, qui nec ad quandam Episcopalem Sedem titulati erant, nec canonicè à tribus Episcopis ordinati.* (Conc. Gall. Tom. 2 pag. 240. 241.) Itaque si quos hi Chorepiscopi ordinassent Presbyteros, Diaconos, Subdiaconosque, eæ pro inanibus vacuisque habitæ sunt ordinationes, nisi à veris Episcopis iterarentur. *Episcopi namque non fuerunt, qui nec a tribus Episcopis, nec ad aliquam Episcopalem Cathedram ordinati fuerunt, & ideo ex his nihil agere potuerunt.*

Si ubi extrema urget necessitas, permittitur etiamnunc Episcopus unus Episcopum ordinare, nullis aliis adscitis collegis, non hinc tamen labefactatur illorum tunc Galliæ Episcoporum sententia. Eadem enim potuit illorum mens esse, atque complurium magni nominis parisque eruditionis Theologorum, ante quadringentos, vel quingentos annos; quibus visum est non posse quidem Presbyteros Confirmationis sacramentum conferre ordinario jure, quod propria ea sit laus & potestas Episcoporum: sed extraordinario posse, ubi urget necessitas, & ubi summus seu jubet, seu permittit Pontifex. Utrobique agitur de vi integra vel irrita Sacramenti, ab Episcopo vel Presbytero administrari, cui indulta vel denegata sit extraordinaria Ecclesiæ, vel Papæ delegatio. Ita perspicuè alludunt sibi mutuò hæc exempla.

Quod ad alteram autem rationem attinet, rescissæ Chorepiscoporum ordinationis, ex eo derivatam, quòd nullus eis grex peculiaris sit, quem pascant: illam ita posset quis forsan interpretari, quòd argumentum inde venarentur Episcopi de Ecclesiæ voluntate & intentione, quæ extraordinaria delegatione onerare nollet Episcopum, qui Chorepiscopum solus ordinabat, ut vel sic verum ordinaret Episcopum. Inusitatissima hac potestate non munit Episcopos Ecclesia, nisi ut suppetias ferat plebibus Pastore viduatis, nec aliter ferè tunc temporis idoneum habituris. Itaque facile erat conjicere nulla istiusmodi extraordinaria potestate donatos esse ab ea Episcopos, ut Ecclesiis proprium Pastorem jam assecutis, alium superadderent. Si qui porro imperare sibi non possint, ut irritas fuisse putent unius Episcopi ab uno Episcopo ordinationes; ii existimabunt à Pontifice & Episcopis Gallicanis irritas esse declaratas, quoad usum tantùm munium Episcopalium, à quibus illi suspendebantur. In hac sententia versantur Theologi, magno & numero, & nomine. Sed unde deflexit, eò revocanda est oratio.

II. Magni ergo ponderis, magnæ necessitatis hæ duæ tum cautiones habebantur. Cúmque hoc capite nihil de primæ adhuc attigerimus, operæ pretium erit hîc inquirere, an inter primæva Ecclesiæ sæcula aliqui extiterint Titulares Episcopi, seu potiùs non Titulares, cùm Tituli inopia tantum molestiæ eis hîc facessat. Titulares nunc dicimus, quòd solo Ecclesiæ alicujus titulo sibi blandiebantur: at olim vehementer Episcopus esse negabatur, qui nullius in Episcopatûs titulum ordinatione sua adoptatus esset. *Nec ad aliquam Episcopalem Sedem titulati erant, Nec ad aliquam Episcopalem Cathedram ordinati erant.* Qua ex duplici sententia liquidum est, ubi Episcoporum causa agitur, unum idemque esse ordinare & titulare, eoque Ecclesiæ alicujus creditam administrationem significari.

III. Quippe Regale Sacerdotium, & Sacerdotale regnum est Episcopatus. Atqui Regno donare, perinde est ac summa donare ditione & jurisdictione in cives, urbes, provinciasque. Hinc Cabilonense II. Concilium ab Episcopis Hibernis quibus- (Ann. 815. Addit. l. 3. c. 17.) dam factas ordinationes nullas cassasque declaravit, quin & plerumque simoniacas, quòd nulla Diœcesi, nulla plebe gaudentes Episcopi, ad distrahendas res sacras fœdissima mendicitate compellerentur. *Sunt in quibusdam locis Scoti, qui se dicunt Episcopos esse, &c. Quorum ordinationem, quia plerumque in simoniacam hæresin incidit, & multis erroribus subjacet, modis omnibus irritam fieri debere omnes uno consensu decrevimus.* (Cap. 43.) Hac consensione Episcoporum in abjiciendis istiusmodi ordinationibus opus fuit, ut ancipitis juris Episcopi, vel ab Episcopalibus deinceps functionibus manus abstinerent, vel in patriam sese reciperent.

Aliquandiu antè Vermeriacensis Synodus erraticorum hoc genus Episcoporum resciderat ordinationes: (Anno 752. Can. 14.) quo etsi subobscurè, significabatur tamen Episcopalis eos muneris & potestatis exortes esse. *Ut de Episcopis ambulantibus per patrias ordinatio non fiat: si autem boni sunt illi Presbyteri, iterum consecrentur.* Clementius aliquid & temperatius consuluit Vernensis Synodus, suspensa ad tempus potestate (Anno 755. Can. 13.)

omni, quam conferre ſe poſſe ſperaſſeot Epiſcopi Epiſcopatu deſtituti: donec amplior & numeroſior Synodus hanc controverſiam prorſus diremiſſet. *De Epiſcopis vagantibus, qui Parochias non habent, nec ſcimus ordinationem eorum qualiter fuit, placuit juxta Inſtituta ſanctorum Patrum, ut in alterius Parochia miniſtrare, nec ullam ordinationem facere debeant, ſine juſſione Epiſcopi, cujus Parochia eſt. Et ſi hoc facere præſumpſerint, ab officio ſuſpendantur, interim quoad ad Synodum exinde venerint, & ibidem ſecundùm canonicam inſtitutionem accipiant ſententiam.*

IV. Verùm Eccleſiam Græcam inexorabilis quædam neceſſitas impulit ad mitiora longè conſilia & temperamenta. Dubitabit nemo, ubi explanata fuerit Conſtitutio Imperatoris Alexis Comneni. Narrat primùm Imperator Abbates, Oeconomos, alioſque plures Cœnobiorum Præfectos, Monachos ipſos, Eccleſiarum denique omnium Rectores & Beneficiarios, onus omnino detrectare, nec adduci ulla vi poſſe, ut aſſenſum præſtent ſuum, quando eliguntur ad Orientalium Eccleſiarum regimen Epiſcopale, quæ ita & longinquæ ſunt, & ab omnibus vitæ ſubſidiis deſtitutæ, ut eò nec accedere ferè quiſquam poſſet, nec ubi acceſſiſſet, vitam utcumque tolerare. Cùm lege receptiſſima nemo poſſet his onerari Epiſcopatibus, quin ſemetipſe illico beneficiis aliis Eccleſiaſticis omnibus exoneraret, refugiebant nimirum homines dignitatem, cui tantum moleſtiarum adhæreſceret. Ut medicina fiat

Juris Orien. To. 1 p. 139. Balſam. in Can. 37. Conc. Trul.

tanto morbo, jubet Imperator, ut ad hos Epiſcopatus electi, gaudere pergant Abbatiis, Officiis, Adminiſtrationibus, cæteriſque Beneficiis Eccleſiaſticis, quibus antè dotati fuerant: ita ceſſabant cauſæ recuſandi Titulos Eccleſiarum, quarum recuperatio haudquaquam deſperanda erat. Et hi ergo erant Titulares Epiſcopi, ad eas ordinati Eccleſias, quæ inacceſſæ prorſus erant, & jam pridem à Barbaris vaſtatæ. *Verentes ne ſibi neceſſaria deficiant, cùm illæ Eccleſiæ ad quas electi ſunt, in partibus Orientis ſitæ ſint, ac prorſus inopes, nec adiri ab eis omnino poſſint.*

[illegible]

V. Ita res habebant ante hujus Imperatoris regnum. Spes quidem aliqua ſuberat recipiendarum à barbarica poteſtate harum, ſive urbium, ſive Eccleſiarum: concedit enim Princeps iſtiuſmodi Epiſcopis, ut de priſtinorum Beneficiorum reditibus alantur, donec Imperio rurſus vendicentur eorum Eccleſiæ. *Donec levationem aliquam conſequantur, & infelicitatem præſentem, cum Eccleſiarum ſibi creditarum felicitate commutent, quæ nunc ab eis adiri propterea nequeunt, quòd ab hoſtibus infenſiſſimis detineantur.* Sed cùm ferè delectet ſpei indulgere, ecqua Epiſcopalis civitas non ſperabitur aliquando fore, ut ab Infidelium manibus extorqueatur?

Ibid. p. 431. 432.

VI. Hinc ergo mos primùm inolevit ſubrogandorum in civitates Chriſtiano Imperio avulſas Epiſcoporum: ex ſpe non inani eas recuperandi. Forſan etiam expugnarant inſidebantque Barbari civitatem, non oppida, non vicos, non agros, ſive Diœceſeos, ſive Metropoleos & Provinciæ. Civitatum harum aliquæ noſtri rurſum juris & imperii factæ ſunt: hinc accenſa magis magiſque ſpes in reliquas. Interim inſuevimus: nec miraculo poſthac fuit, aut offendiculo, Epiſcopus ſine grege, Rex ſine Regno. Diutinæ moræ deſperationem non attulere: aut ſi attulere, tum ſapientiæ fuit, tum utilitatis permagnæ, eam diſſimulari, ut ſupereſſet juris tum Eccleſiaſtici, tum Imperatorii in eas urbes illuſtre & perenne monumentum: illas enim ſive Epiſcopales, ſive Metropolitanas, ſive Patriarchales civitates Chriſtiano nomini rurſum vendicandas jure eſſe, tot erant teſtes, tot hortatores, quot Epiſcopi, earum nominibus & titulis conſpicui.

VII. Patriarchas ipſos agmini Epiſcoporum immiſcui, quòd jam inde ab ætate Balſamonis, Hieroſolymitanus & Antiochenus Patriarchæ urbibus Eccleſiiſque ſuis exturbati eſſent, ut jam prolixè demonſtratum eſt: & hic quoque accedebat eorum infortunio cumulus, ut depoſitionis pœnam illis intentarent homines cervicoſi, & præpoſtero zelo perciti: unum id dantes crimini, quod nec vitæ impendio ſuas in Eccleſias ſe intrudere molirentur: *Audacter prædicant à dignitate Patriarchali removendos Antiochenum & Hieroſolymitanum. Quippe Canonibus ſtatutum eſt, inquiunt, nequidem inter Pontifices recenſendos eſſe, qui non vel extremo cum periculo ſe conferant ad thronos ſuos a Barbaris occupatos, nec martyrii coronam præripiant.* Hunc effrænati zeli impetum retardare nititur Balſamon, objecto Canone Concilii Trullani, quo adeo non jubentur hi Epiſcopi in diſcrimen ire præcipites, ut contrà ſua ipſis adferatur dignitas, poteſtaſque tum ordinandi, tum retinendi juris, ordiniſque ſuarum Eccleſiarum. *In hunc modum ordinatis, & ob hanc cauſam thronos ſuos non poſſidentibus, jus ſuum abſque præjudicio ſic conſervandum decrevimus, ut & ordinationes diverſorum Clericorum juxta Canones inſtituant, & authoritate præſidentiæ ſecundùm modum fruantur, ac denique firma & rata ſit omnis ab ipſis profecta adminiſtratio.* Addit hæc eadem Synodus, ſi qua hoc ſtatuto & more vis fieri videatur antiquis Canonibus, nihil tamen Canonicis regulis tam conſentire, quàm prudentem & charitati obſequentem diſpenſationem in hoc genus neceſſitatibus. *Non enim accuratione, per neceſſitatis tempus circumſcripta lex diſpenſationis in anguſtum cogetur.* His ſubjungitur ſuperiùs expenſa Conſtitutio Alexis Comneni.

Ibidem.

In Syno. Trull. c. 37.

VIII. Non minimi etiam ponderis apud Balſamonem fuere myſticæ quinarii numeri rationes, nequid hinc decederet in numero Patriarcharum, inſtar habentium, ex opinione ſupra perpenſa Græcorum, quinque ſenſuum & vitalium organorum Capitis Eccleſiæ. In cauſa quoque id fuit, ne imminueretur numerus ſplendidiſſimarum Sedium, nunc quidem caligine obductarum, ſed priorem in lucem immortalemque gloriam rurſus ſuſcitandarum, cum incomprehenſæ & ſempiternæ Sapientiæ Chriſto opportunum fuerit. Interim autem author eſt Balſamon, æquius eſſe, non redintegrari luctum Eccleſiæ inter ruinas ſuas ſedentis, non tot Præſules dejectione intentata terreri; ſed & illi, & his blandiri potius, ſuaviſſima illa ſpe, fore aliquando, ut Chriſtus Optimus Maximuſque, ſuos illorumque thronos protritos, majori veſtiat gloria, & de adverſariis ſuis totidem erigat trophæa. *Si tale quid uſu venerit, & Patriarcham Patriarchalibus privilegiis, propterea quiſpiam ſpoliaverit, quod non degat in Provincia ſua, Caput ipſum inutile reddet, tanquam ſurdum, vel cæcum, & quatuor aut tribus duntaxat ſenſibus præditum. Ob hanc ipſam cauſam, ceu credi par eſt, jam dudum ſancitum eſt, ut haud dubiè per electionem inſtituantur etiam ij Patriarchæ, qui cæteroqui ſacros ſibi deſtinatos thronos, ob paganorum hoſtiles incurſus haud poſſident: Antiochenus inquam & Hieroſolymitanus. Quamvis enim gloriâ thronorum ſuorum per vim exciderunt, tamen ſpiritualis gratia ſecundùm Davidem non exoleſcet. Imò potiùs veniet Deus noſter manifeſtò, nec ſilebit, ut colligat omnes*

Ibidem Pag. 448. 449.

nes

*nes sanctos suos, qui testamentum ipsius disponunt. Itaque complectendi sunt amanter ii Patriarchæ, qui sanctissimis Ecclesiis suis spoliati sunt, &c.*

IX. Patriarchalis Tituli, eversa etiam urbe implendi digno Præsule, promptior erat validiorque ratio, quàm Episcopalis, vel Metropolitici cujuscunique. Quæ civitatem Patriarchalem perculerat belli tempestas, non totum absorbuerat Patriarchatum. Opus erat ergo Patriarcham sublegi, eique mandari curam, sive Metropoleon, sive Episcopalium Ecclesiarum, ab illa clade immunium. Ita totam Provinciam si non esset complexa vastatio bellica, Metropoli sola prostrata, necesse erat Metropolitano commendari ingentes ejus reliquias. Denique Episcopali urbe sedeque à Barbaris oppressa, residuis populis oppidisque præstituendi ab Episcopo erant Pastores. Hinc refert Balsamon visum esse à se Iconiensem aliosque Metropolitas Orientis Pontificalibus fungentes sacris, & Ordinum sacrorum ministeria conferentes, quanquam in possessionem nunquam venissent Ecclesiarum suarum à Barbaris infessarum. A Patriarchalibus ergo & Metropoliticis maximè Ecclesiis cœptum est Titulares ordinari Episcopos, qui si quam retinebant sacræ ditionis suæ particulam, de civitate certè principe permodicam spem fovebant.

*In Can. 37. Trullan.*

X. Episcopos tamen alibi idem refert ordinari etiam solitos, in nudum & vacuum titulum Ecclesiæ, ob Barbarorum tyrannidem inaccessæ. Nec dissimulat fuisse homines, qui pluris facerent fucum & ornamenta gloriæ in oculos incurrentis, quam veræ solidæque gloriæ splendorem: mallentque non ordinari omnino eos Episcopos, quos cogebat paupertas pedibus ingredi, quasi hinc vilesceret Episcopatus majestas, unde potiùs sanctitas illustrabatur. Sic tamen illi philosophabantur: Si juxta canones vilescit & obscuratur Episcopatus, ubi in ignobili vico creatur Episcopus: quid si ordinetur, cui ne vicus quidem ad victitandum suppetat? *Hac decernente Canone, dixerit quispiam ex ejus intelligentia conjecturam faciens, quòd quoniam ad Dei & Episcopatûs vergit dedecus, si Episcopus exiguo populo præsit, & ideo contemnatur, multò magis non est ad Dei honorem, si Antistes propter paupertatem eat pedes & privetur necessariis. Quocirca in Ecclesiis Orientalibus, in quibus non admodum multi inveniuntur Christiani, Episcopos eligi, tutum non est.*

*In Can. 57. Laod.*

XI. Quibus extremis verbis nova delibatur ratio ad subrogandos usque Titulares Episcopos, quantumvis obstreperent homines, quibus non saperet sincera virtus pietasque. Poterant Gentiles in Provinciam aliquam arma inferre, sub jugum omnia mittere, conterere vel in fugam dare Episcopos, Clericos, & alicujus ordinis laicos. At in eorum potestate non erat, ne voluntatis quidem plerumque erat, infimam plebem, plebisque fæcem, maximè ruri exterminare. Innumeris ex qualibet historia exemplis constat; nec post aliquanta sæcula locorum vetustos incolas aut abradi omnino ipsos potuisse, aut priscæ Religionis eorum omnia oblitterari vestigia, ut recentium Principum nova Religio induceretur. Ergo his plebium Christianarum reliquiis suos necesse erat ostendi Pastores.

XII. Nec omnino silenda nobis est eorundem obtrectatorum allucinatio alia. Cùm non liceat per Canones extra civitates populosas Episcopatuum Sedes excitari, placebat malè feriatis censoribus, cùm vastitate hostili, seu quovis alio infortunio decreverat populus, splendor, opulentia civitatis Episcopalis, Episcopatum in aliam urbem transferri minùs vetustam, sed populosiorem. *Et adjecerunt, non oportere episcopum eligi in urbe, quæ à magna populi frequentia ad nihil reducta est ex gentium incursione, vel aliqua alia perturbatione, sed in iis, quæ sunt populosæ, etiam si Antistites antea non habuerunt.* Obliquè lacessebantur Episcopi urbium Orientalium, quorum pleræque urbes civibus opibusque exhaustæ erant. Sed horum defensionem in se recepit Imperator, successores substitui statim jubens, ubi excesserant; ex fisco suppeditans quæ ad vitam dignitatemque sustentandam opus erant, non passurus unquam aboleri tam certa, illustriaque vastissimi Imperii sui finium documenta. *A Deo autem coronatus Rex noster sæpe rogatus, an oporteat Orientales Ecclesias & à Sarracenis detentas, Episcopos electione sortiri; & eis quidem eligi Episcopos annuit: & solemnia iis qui eligi debent ad victus sufficientiam concessit per communem jussionem; ut jus quod in eis est Ecclesiis, imperio quoque perpetuo servetur; utpote cùm non desperent Christiani, fore ut ad eas restituantur.*

*In Canon. Sardic. can. 6.*

XIII. Advertit denique Balsamon duplicem discerni debere classem urbium Episcopalium, quæ ditione hostium premebantur. Aliæ quippe erant ad quas nec accedere, nedum ingredi fas erat Episcopis; ad earum Titulum ordinatis. Id genus erat Hierosolyma à Sarracenis profanata, Antiochia occupata à Latinis, Tarsus ab Armenis. Aliæ vero in quibus per Ecclesiæ & Imperii hostes, qui earum potiebantur, licebat orthodoxis Episcopis, & sedem habere & munia exequi; cujusmodi erant plures Episcopopatus Patriarchatûs Hierosolymitani, & Antiocheni. In his enim Sarraceni, Latinique Græcos sinebant suæ fidei ac religionis summa libertate frui. *Reliqua autem Hierosolymorum, Antiochia & quædam Orientales Constantinopolis Ecclesiæ non reputantur vacare: quia Sultanus, Latini, & reliqui Agareni permittunt Antistitibus suas Ecclesias episcopaliter administrare, & Christianorum, qui illic sunt, curam gerere. Unde & ejusmodi Ecclesiarum Antistites, evocati debent proficisci.* Et hi quidem postremi residere compellebantur, quanquam aliquid quandoque discriminis & contumeliarum ab hostibus immineret. Priores autem illi, etsi ne possent quidem, ut maximè vellent accedere: etsi illis ipsis in urbibus alii sederent alterius sectæ Episcopi, ad eas tamen ordinabantur.

*In Suppler. Pag. 1125.*

XIV. Commemorat aliquando etiam Zonaras hos sine Clero, & sine plebe Episcopos. Sed longè alterius generis idem alibi declaravit Episcopos; Episcopatûs exortes. Eos videlicet, qui cesserant Episcopatu, ignavo & inconsulto otii & quietis amore: qui sperabant à se nihilominus retineri posse Episcopalis dignitatis insignia & ornamenta. Contendit Zonaras non posse deinceps ab eis exerceri quidquam Pontificalis juris & potestatis. Si enim Concilio Calchedonensi irrita est ordinatio Presbyterorum, Diaconorum, & Clericorum quorumvis, nisi eos alicujus Ecclesiæ mancipaverit ministerio: quid Episcoporum? Episcopus in Titulum & ministerium Ecclesiæ ordinatus, si nuntium illi remittat, eaque se abdicet: abdicat eâdem operâ omni se jure & potestate, cujus usuram per ordinationem adeptus erat. Qui Episcopus erit, inspector censorque, cui jam nemo suberit, in quem vigilantiam suam censuramque exerceat? Ipso Episcopi nomine invigilandi strenuitas designatur. Episcopi ergo nomine ipso sese exuit, ubi otio se

*In Can. 37. Conc. Trull.*

immergit. Multo manifestius etiam ornamentis exuit se Episcopatûs, & honoribus; quam nomine. Ecquas denique partes sustinebit Hierarchus, sive Imperii sacerdotalis, qui nec clero jam, nec plebi imperitare volet? Hæc argumenta sunt Zonaræ, his ejus verbis implicata: *Quorum ille speculator erit & custos? ipsum enim nomen actionem exercitationemque significat; quam qui defugiat, Episcopi quoque nomen amittat, necesse est. Porro in quem Episcopi nomen haud cadit, quo jure in Sacerdotali dignitate retenta, sacri Magistratûs privilegiis, ac honore perfruetur? Quomodo verò Hierarcha, qui nec ullum subjectum sibi Clerum habet, nec ulla in sacris initiatos homines authoritate preditus est? At cui Hierarcha appellatio non convenit, nec actio conveniet: quique communione nominis excluditur, re ipsa multo magis careat necesse est.* Rationum gravia hæc momenta sunt, ad spoliandos Episcopalibus ornamentis, honoribus & functionibus eos, qui laboris tædio abdicarunt sese, nec abdicarunt tamen cupiditatem gloriæ ejus, quæ uni labori debetur & strenuitati.

Refert quidem Balsamon hos ambitiosæ ignaviæ sectatores, prætexuisse sibi decretum Concilii Ephesini in gratiam Eustathii, quasi per illud fas esset sarcinam Episcopalem abjicere, sola retinere summæ dignitatis insignia, honoris & potestatis. At contra urget ipse non posse in exemplum trahi gratiam huic Pamphyliæ Metropolitano ex necessaria dispensatione tunc indultam: nec generalem condi regulam ex facto singularibus circumstantiis

In Synod. Ephes.

& rationibus vallato. *Quod enim à sanctis Patribus definitum est, ex œconomia dispensationisque ratione definitum est: & non oportet quod per œconomiam dispensationemque propter aliquid utile, introductum est, ad exemplum trahi, & tanquam Canonem deinceps valere.* Addit Balsamon vehementius exarsisse Cyrillum Archiepiscopum Alexandrinum, in has resignationes hominum, hinc laboris fugitantium, hinc gloriæ cupidorum: quàm ut credi debeat Ephesinæ Synodi aliam esse potuisse doctrinam. Addit denique à Calcedonensi irritatas Synodo ordinationes vagas prorsus omnes; sed multo magis Episcoporum; cùm substantia ipsa & natura Episcopatûs in vigilando, præsidendo & docendo sita sit. Quibus muneribus ne locus quidem est, si nec plebs sit ulla, nec Clerus. ποίων ἱερέων ἱεράρχης ἐπισκοπεύσει, ἢ τίνας διδάξει, ποίων δὲ ἢ προεδρεύσει.

XV. Constantinopolitana sub Photio Synodus, cujus idem Balsamon Commentariis suis illustravit Canones, alterius generis, nec melioris notæ Episcopos Titulares commonstrat. Eos videlicet Episcopos, qui specioso vel sollicitudinis & otii, vel pœnitentiæ obtentu, professionem Monasticam amplexabantur, pristinæ tamen ornamenta & jura dignitatis non abdicabant. Hæc Synodus, quæ se jactabat Oecumenicam, declaravit, minimè omnium consentire Monastici propositi humilitati atque modestiæ tantæ dignitatis splendorem, cùm Monachorum sit doceri & obtemperare, Episcoporum autem docere & regnare. Itaque vetantur Episcopi, vel Monasticum induere habitum, aut

Can. 2.

ornamenta Episcopalia retinere. *Ut si quis Episcopus, vel aliquis alius ex Pontificali dignitate, voluerit ad vitam Monasticam descendere, vel pœnitentiæ locum implere, ne amplius Antistitis dignitatem usurpet. Monachorum enim professiones, subjectionis & discendi cupiditatis rationem habent, non autem doctrinæ, vel primatûs; nec alios pascere, sed ipsos pasci profitentur. Ideo decernimus, ut nemo eorum, qui in Episcopalem Pastorumque Catalogum relatus est, ad eorum qui pascuntur & agunt pœnitentiam, locum se demittat. Si quis autem hoc facere ausus fuerit, post denunciationem hujus editæ sententiæ, ipse qui seipsum Episcopali gradu privavit, non amplius ad priorem, quam factis aspernatus est, dignitatem revertitur.*

Vidit Balsamon hoc Canone repugnantiam quandam Episcopalis apicis, & instituti Monastici astrui, à qua tamen doctrina non parum alieni sunt sancti Patres. Huic igitur difficultati sic ille obviare studuit: cum prohibiti sunt Episcopi vitam Monasticam amplecti, non de pœnitentiæ pretio & necessitate quidquam decerptum esse; sed illud insinuatum fuisse, qui ad Episcopales vocantur infulas, eos immunes purosque esse illorum flagitiorum, quæ non eluuntur, nisi austerioris & canonicæ pœnitentiæ cruciatibus: porro vigilias, labores & sollicitudines Episcoporum non minùs valere ad abstergendas animæ sordes, quàm pœnitentium qualvis ærumnas; denique non debere Episcopos in publicum se dare cum veste pœnitentium, quando ipsorum potiùs partes sunt pœnitentes purgare, & noxis illis pœnitentiæ vinculis & squalloribus absolvere. *Si quis autem fuerit ausus hoc facere, &c. Non prohibentes pœnitentiam ut rem odiosam & avertendam, ea enim magna quoque laude digna est: sed significantes, tales esse Antistites, & ita vivere, ut propemodum pœnitentia non indigeant, sed & suis intercessionibus Deum aliis placent.* Ne illud quidem omitti forsan hic debet quod adjicit Balsamo: Ex hoc eodem Canone posse Monachos Presbyterorum, non posse Episcoporum fungi muneribus: propterea quod non ita necessariò Presbyteri atque Episcopi docendi provinciam sustinent. Docere Episcoporum est, reliquorum doceri. *Si quis autem de Sacerdotibus qui tondentur, rogaverit, quomodo post tonsuram sacrificant, & non cessant, audiet non esse Sacerdotes Doctores, & propterea nec Canonem quidem in eis locum habere.*

XVI. Nec siluit Balsamon quam rationem alii inissent consulendi Ecclesiis, quas Barbari invasissent. Nempe commendabantur Episcopis, à quibus jam Cathedrales aliæ Ecclesiæ regebantur. Docet autem necessaria indulgentia hunc usum à Conciliis sæpiùs jam approbatum fuisse, concessumque fuisse his Episcopis ut sederent quandoque in posteriorum Ecclesiarum istarum thronis. Hos sanè constat aliquandiu saltem duobus Episcopatibus oneratos fuisse, altero, ut loquuntur, in Titulum, altero in Commendam: vel certè ita ut duo Episcopatus in unum uniti & conflati essent. Vel ita existimare posset quis, temporariam hanc fuisse conditionem, qua Episcopatus *in partibus* Ecclesiis aliis subjicerentur, maximè Metropolitanis. *Quod liceat quidem Synodis ex œconomiæ ratione, alias Ecclesias quæ à Gentilibus occupantur, aliis Ecclesiis concedere, ex præsenti, ut videtur, Canone traditum est. Jam enim Constantinopolitana Synodus Metropolitano Nazianzeno dedit Ecclesiam Ancyra, & aliis diversis Antistitibus alias diversas Ecclesias. Quibusdam autem concessum est, ut sedeant in ipso throno traditæ Ecclesiæ.* Alius erit opportunior locus polygamiæ hujus spiritalis ipsis Græcorum & Balsamonis ante alios testimoniis damnandæ. Cæterùm etsi Græcorum hîc mores & doctrinam prolixiùs etiam forsan quàm expediret contexuerim, non ea tamen mihi mens fuit, ut illis per omnia assentirer.

XVII. Ne quid autem sileamus, quo res tanta magis magisque illuminari possit, monebimus

rursum, certò quidem illud liquere, quòd prima Titularium Episcoporum origo fluxerit ab illis Episcopis, qui cùm Ecclesias civitatesque suas aliquandiu rexissent, iis à Barbaris ejecti sint, nec deinceps permissi aut urbem, aut regionem eandem incolere, quam illi totam imperio suo subjecissent. Sed Trullanum Canonem sæpiùs jam laudatum palam de iis agere, qui nunquam omnino Ecclesias suas adire, aut vel puncto temporis regere potuissent. *Propter prædictam causam in suis thronis non sunt constituti.* Alluccbat tunc spes aliqua recuperandarum urbium: sed sæpissimè frustrabatur. Hinc valuit consuetudo, successores in vacuas Sedes semper subrogandi.

Can. 39. XVIII. Verùm hæc ipsa Synodus aliud præterea nos docet, quod valde interfit hîc obiter commemorari, quanquam de eo prolixiùs jam dictum sit. Nimirum cùm Cypro Insula potiti essent Sarraceni, & omnes prorsus Episcopos inde ablegassent: Joannem Archiepiscopum secessisse cum Collegis in Hellespontum, ibique non suam solùm & Coepiscorum Cathedras Cypriorum in Hellesponti primariis civitatibus statuisse, sed etiam velut Patriarchali authoritate donatum fuisse in omnes Hellesponti antiquos Episcopos, idque consecutum illum esse beneficio & decreto tum Justiniani II. Imperatoris, tum Trullanæ hujus Synodi. *Ut nova Justinianopolis Constantinopolis jus habeat, & qui in ea constituitur Episcopus, præsit omnibus Hellespontiorum Provinciæ Episcopis, & à suis Episcopis eligatur ex antiqua consuetudine.*

XIX. Cùm Isauriæ Episcopus non dissimili causa in Insulam Corcyram confugisset, unà cum Ecclesiæ suæ Clero, ab Imperatore Mauritio olim Rescriptum impetraverat, ut Corcyrense Castrum vendicaret sibi, Sedemque suam ibi constitueret. Alcyson Episcopus Corcyrensis controversiam illi hac de re movit, causaque & judicio vicit apud Andream Metropolitam Nicopoleos, cui Imperator causam delegaverat. Firmavit Gregorius Magnus Metropolitani sententiam, scripsitque ad suum Constantinopoli Apocrisarium, ut curaret ab Imperatore confirmari, & in executionem mitti judicium à Metropolitano latum & ab Apostolica con-

L. 12. Ep. 21. firmatum Sede. *Id agere studeas, ut cum ejus jussione nostra illic sententia transmittatur: quatenus & Serenitati ipsius, sicut dictum est, reservasse, & rationabiliter correxisse, quæ malè præsumpta sunt, videamur. Qua in re omnino danda opera est, ut si fieri potest, etiam jussionem suam ipse tribuat, in qua ea quæ à nobis definita sunt, servari præcipiat. Nam hoc facto omnis de cætero surreptionis locus obstruitur.* Edixerant Canones, ut Sedibus suis abacti Episcopi à Coepiscopis suis, ut hospites, non ut domini exciperentur: utque hospitali humanitate prolixiùs fruerentur, jurisdictionem autem ne attingerent quidem. *Denique ut contra Ecclesiasticam ordinationem, contra sacerdotalem modestiam, contra sacrorum Canonum Statuta, prædictum castrum de jurisdictione tua abducere, ac suæ molirentur subjicere potestati, ut fierent quodammodo domini, ubi priùs suscepti fuerant peregrini.* Hæc Gregorius ad Alcysonem Corcyrensem Episcopum. Porro obiter cursimque hîc adnotasse juvabit, etsi Imperatorium hoc Rescriptum obreptione elicitum fuisset, æquè legibus ac Canonibus adversaretur, nec proinde executioni mandari potuisset: *Dum Imperatori esset subreptum; nec jussio ejus, quippe quæ contra leges & sacros Canones data fuerat, habuisset effectum, & indecisa inter partes contentio remansisset:* non aliter revoca-



tum tamen fuisse, quàm ut Imperator judicium Metropolitano delegaret, ejusque sententiam ab Gregorio Papa confirmatam confirmaret ipse, & in executionem mitti juberet.

XX. Sicut autem Corcyrensis Episcopus sedi suæ vendicatus est, irritique ceciderunt conatus ingrati hospitis Episcopi Isauriæ: ita author est Balsamon non diuturnam fuisse in Hellesponto insolitam illam potestatem, qua Trullana Synodus Cypri Archiepiscopum cumulaverat. Constantino- *In Can.* politanus Patriarcha, ut mea fert opinio, nec pa- *Trull. 49.* tienter, nec diu tulit ita detruncatam fuisse jurisdictionem suæ sedis, & Cyzicenus Episcopus omni ope & contentione enixus est, ut dominationem excuteret ejus, qui hospitii humanitatem expertus, dominationem ambierat.

In Synodo Matisconensi II. post subscriptiones *Can. 18.* Episcoporum, qui præsentes affuerant, & eorum qui absentium delegatione speciali fungebantur, ita subjicitur: *Item eorum, qui in ea Synodo fuerunt, non habentes Sedes.* Si gradum in anteriora etiam tempora moliamur, occurret Ancyranæ Synodi Canon, quo statuitur, ut Episcopi ad eas Ecclesias ordinati, ad quas ne adire quidem potuerint, pristinum retineant gradum inter Presbyteros Ecclesiæ, cui primùm fuerant adscripti. Nicæna Syno- *Can. 8.* dus arbitrio permisit Catholicorum Episcoporum, ut Novatianos Episcopos à schismate resipiscentes, aut inter Presbyteros Ecclesiæ Cathedralis suæ, permisso eis Episcopi nomine, aut inter Chorepiscopos, aut denique inter Parochos admitterent. Sanxit Antiochenum Concilium, ut Episcopi qui *Can. 18.* omni virium contentione Ecclesias suas adire & regere conati essent, nec objecta potuissent superare repagula, Episcoporum honoribus, insignibusque & functionibus gauderent. Jubet Sardi- *Can. 21.* censis Synodus, honorificentissimè ut excipiantur Episcopi, quos persecutionis diutina acerbitas suis egredi sedibus compulit. In Carthaginensi Collatione Petilianus Partium Donati Episcopus Alypio Tagastensium Episcopo Catholico objecit, quòd in nostris quoque partibus essent Episcopi vicorum, villarumque, aut omnino etiam sine plebe. *Sanè & sine populis habes.* Relatio Ephesinæ Synodi ad Cælestinum Papam, testatur in Nestorianorum Ephesino conciliabulo sedisse plures Episcopos sine Episcopatibus, sine Sedibus, sine Ecclesiis. Diximus jam Metropolitanum Pamphyliæ, qui antè renuntiaverat Episcopatui, jussum esse ab hac eadem Synodo, non honore, non nomine Episcopali exui, sed jurisdictione. Multas hîc habes species Episcoporum sine plebe, sine Clero & Ecclesia: sed illi demum ad hujus capitis institutum maximè spectant, de quibus suprà Balsamon.

---

## CAPUT XXIX. *P. 4. L. 1. c. 8.*

Elevantur aliquæ difficultates ex superioribus emergentes, circa ordinationes Episcoporum, vel plurium in una urbe, vel utcunque in vicis & infrequentibus locis. De pluribus unius Parochiæ Parochis.

*I. Ut obviatum sit emergentibus incommodis, ex duobus unius urbis, aut unius Diœcesis Episcopis. Decreta in hanc rem Innocentii III. & aliorum Pontificum.*

*II. Horum Decretorum usus in Insula Cypro.*

*III. Et in urbe Capha Chersonesi Tauricæ.*

*IV. Et in Insula Rhodo.*

*V. Conciliorum Canones, ut ne plures sint unius Ecclesiæ Parochialis Parochi.*

*VI. Inter Episcopos & Parochos interest non parum.*

*VII. De Latinis Venetorum Episcopis, illis in urbibus, quæ Græcos jam nactæ erant Episcopos.*

*VIII. De Episcopo Suburbani Cantuariensis.*

I. AFfundetur nonnihil novæ lucis, iis quæ de Titularibus Patriarchis, Metropolitis, Episcopisque dicta copiosè sunt, si propositæ difficultates duæ diluantur. Quod ad plures primùm attinet unius, vel civitatis, vel Diœcesis Episcopos: cùm belli sacri temporibus complures Orientalium civitates in deditionem accepissent Latini, sive Patriarchalibus illæ, sive Metropoliticis, sive Episcopalibus fulgerent infulis; difficillimè potuere unius Pastoris cura & regimine contineri duæ gentes, lingua, disciplina, moribusque magnopere dissidentes. Schismati tamen janua pandi videbatur, si uni civitati & Ecclesiæ duo Capita, duo Episcopi præstituerentur. In Concilio Lateranensi IV. Innocentius III. Decretum in hanc rem condidit, atque ita temperavit, ut incommoda omnia hæc prævertere, aut propulsare videretur. Constituit enim ut unus esset Episcopus, qui Ministrorum & Officialium complurium opera & industria, varios doceret regeretque populos, suis quemque moribus & legibus; si qua incumberet autem ineluctabilis necessitas alterius præterea eligendi Episcopi, hunc prior & princeps Episcopus eligeret, institueretque velut sui ministerii Vicarium, nec injussu quidquam suo ausurum. *Prohibemus omnino, ne una eademque civitas, sive Diœcesis diversos Pontifices habeat, tanquam unum corpus diversa capita, quasi monstrum. Sed si urgens necessitas postulaverit, Pontifex loci Catholicum Præsulem Nationibus illis conformem, provida deliberatione constituat sibi Vicarium in prædictis, qui ei per omnia sit obediens & subjectus.*

*Ann. 1215 c. 9.*

II. Insulæ Cypri historia Gallico sermone scripta, refert precibus Ludovicæ Cypriorum Reginæ, Innocentium III. & Concilium illud ipsum Lateranense Nicosiam transtulisse Archiepiscopatum Salaminæ, qui jamdudum Famagustam translatus fuerat post excidium Salaminæ. Sedem suam Nicosiæ defixit Archiepiscopus Latinus, quòd eam urbem & aula regia & Latinæ nobilitatis frequentia maximè illustraret. Convenerat ut vivere postquam desisset Archiepiscopus Græcus, Græci omnes Episcopi Archiepiscopo Latino subessent. Latini Episcopatus quatuor creati sunt, ad eundem numerum reducti Græci, qui quatuordecim fuerant. Porro hæc narratio non prorsus consentit cum iis quæ ultro citroque allegata sunt, quando efferbuit hæc contentio anno 1260. sub Alexandro IV. Pontifice, inter Archiepiscopos Episcoposque Insulæ Cypri, Latinos, Græcosque. Ostendebat Germanus Archiepiscopus Græcus, canonicè à Græcis se electum, jussu Innocentii III. non habita ratione Decreti Concilii Generalis, & ab eodem Pontifice confirmatum. Latini ex adverso muniebant se Decreto Cælestini, quo sanciebatur, ut Insulæ totius Ecclesiasticum regimen esset penes Archiepiscopum & quatuor Episcopos Latinos, quibus & Episcopi Græci jubebantur obedientiæ juramentum præstare. Pronuntiavit Alexander IV. secundùm Cælestini Decretum, Ne plures essent quàm quatuor Episcopi Græci, qui sederent in urbibus totidem Diœcesêon, quas Episcopi Latini occuparent: Græcus quilibet Episcopus à suo Græcorum Cleto eligeretur, ab Episcopo Latino confirmaretur, ab eoque acciperet curam & administrationem Græcorum, in eadem seu Civitate, seu Diœcesi commorantium: denique curaret Episcopus Latinus Græcum à se confirmatum, ordinari à Græcis Episcopis, & ab eo mox præstari sacramentum Obedientiæ, tum sibi, tum Metropolitano, qui tota Insula unus esset, tum summo Pontifici. Adde quod Synodo Episcopi Latini adesse, Synodalibusque Constitutionibus obsequi debebat Græcus Episcopus; Concilio autem Provinciali ut præstò esset, cogi non poterat; visitare autem Latinus Episcopus Græcos Episcopos eorumque plebes, ut Episcopi ab Archiepiscopo visitantur, in potestate habebat. Ita Alexander IV. Pontifex temperandam duxit concordiam & pacem utriusque Gentis; quarum quæ non magis victoria & dominatione, quàm fide & inconvulsa cum Catholicæ unitatis centro conjunctione præcellebat: eam utique æquum erat potioribus decorari privilegiis, non tam ad gloriæ cumulum, quàm ad eorum emolumentum, quibus conducibilius erat Latinis subesse, nec ab eorum fide, communioneque usquam posse vel tantisper deflectere. Hanc sanè Alexandri Constitutionem leges, cum in sacris Annalibus, tum in Conciliorum generalium postremis editionibus.

*Conc. to. 11. Par. 1. pag. 237.*

*Conc. Gen To. 11. Part. 2 pag. 2355.*

*Rainal. an. 1260. n. 35. & seqq.*

Tantò altiùs autem insigenda menti est hæc Constitutio, quòd consentanea in primis sit regulæ, vel regula potius ipsamet, cui inhærendum fuit, quoties in eadem vel civitate, vel Diœcesi duo excrevere populi, moribus legibusque tam diversi ac dissonantes, ut ab uno eos regi posse Pastore juxta Canones, nec sperari posset. Porro hoc decreto mandabatur executioni Statutum Concilii Lateranensis. Namque, 1. nihil intentatum relinquebatur, ut uni Ecclesiæ, uni gregi unus sufficeret Pastor; & ne biceps, adeoque portentosum usquam esset cujuslibet Ecclesiæ corpus. 2. Cùm invictissima necessitas id expugnabat, ut duo essent Episcopi: exempli gratia, ob ritum Græcum Latinumque, qui in unum sociari omnino non poterant: alia urbs, alia sedes Episcopo Latino Græcoque assignabatur, quasi duæ essent Episcopales Sedes. 3. Dominabatur Latinus Episcopus Græco, tanquam Vicario & Coadjutori, qui in partem vocabatur sollicitudinis; atque ita compaginabatur unitas Ecclesiæ sub uno Pastore principe, altero Principis administro. 4. Latinus Episcopus speciem quandam & imaginem præ se ferebat dignitatis Metropoliticæ, cùm Græco præesset. 5. Episcopus Græcus Latino quasi Suffraganeus erat, eo sensu quo superiùs Suffraganei dicebantur Titulares quidam Episcopi, hoc est subsidiarias & vicarias operas Episcopo ordinario præstantes. Hac industria cavebatur ne duo simul unius urbis essent Episcopi.

III. Clementiùs indulgentiùsque Eugenius IV. consuluit Armeno Caphæ Episcopo in Chersoneso Taurica, cui Latinus Episcopus interdicebat usum Pontificiæ Mitræ in publicis Processionibus, & benedictione in plebes spargenda. Secundùm Episcopum Armenum pronunciavit Pontifex, plenamque indulsit ei regendi gregis sui authoritatem, nullaque prorsus re Latino Episcopo obnoxiam. His blandimentis æquum erat demereri gentem Armenorum, quæ nuperrime in sinum unitatis Ecclesiæ Romanæ convolaverat. Alioqui duo erant populi: & si homines spectes, non muros, duæ urbes, præterquam mænibus & finibus, nulla re non remotissimæ: ideoque duobus Episcopis credendæ.

*Rainald. ann. 1439. n. 17.*

IV. Sed postquam nobilissimi Equites sancti Joannis Hierosolymitani, Rhodum insulam occuparunt, principemque ibi locarunt Sedem sacri Ordinis, unde & Rhodii dicti sunt deinceps Equites, antequam Rhodo ejicerentur, & Melitenses dicarentur, quod Melitam se recepissent; tunc sanè Rhodi Insulæ administratio & politia sacra proximè ad eam accessit, quam Cypro jam adscripsimus. In Actis & subscriptionibus Concilii Florentini legere est Græcum Metropolitam Rhodi, & Latinum Metropolitam Colossensem. In nomine solo erat discrimen. Græci enim recentiores, Colossenses vocavere, qui olim Rhodii vocabantur, propter Colossum Solis, fama toto orbe notissimum. Inter hos duos Metropolitanos ebullierunt lites, quas composuit Sixtus IV. Papa, firmata inter partes transactione. Hæ fuere memorabiles præ cæteris conditiones: ut à Græcis eligerentur duo tresve Clerici Græci, ea qua par erat sapientia & probitate, ex quibus unum in Græcorum Archiepiscopum eligeret totius Ordinis Equitum Magister; hunc Archiepiscopus Latinus confirmaret, tanquam Apostolicæ Sedis Delegatus, ab eoque obedientiæ sacramentum exigeret, tum ordinandum permitteret Episcopis Græcis. Metropolitani ambo convenirent ad criminales Græcorum Clericorum, & matrimoniales causas Laicorum dijudicandas; ad Beneficia cum vacarent, nominaret Magister Ordinis, nominatos institueret Latinus Archiepiscopus, & tum sibi, tum Papæ astringeret solemni obedientiæ sacramento. Consonant hæc perspicuè cum iis quæ de Cypri sacra administratione constituta fuerant, unum aut alterum si excipias: nempe in Cypro Insula ne duo ejusdem urbis aut Diœceseos essent Episcopi, cùm Episcopis Latinis communicantur aliqua Metropoliticæ dignitatis privilegia: at Rhodi ne duo regnent in una Provincia Metropolitæ, Archiepiscopo Latino nonnihil aspergitur ejus amplitudinis, qua solent pollere Primates, tanquam Apostolicæ Sedis Delegati. In causa quoque id esse potuit, ut Archiepiscopi nomine donaretur ex duobus Metropolitanis is, qui dignitate & potestate præcellebat, usitato sexti septimique sæculi more; ut Archiepiscopi dicerentur, qui nunc vulgò dicuntur Primates.

*Anno 1310.*

*Spondanus Ann. 1438. n. 29.*

*Idem anno 1474. n. 13.*

V. Extra propositi argumenti fines non evagabitur oratio, si dicamus, plures etiam quandoque Parochos uni Ecclesiæ præpositos fuisse; qua in re tamen grave etiam infligebatur vulnus canonicæ disciplinæ, cui antiquius sanctiusque nihil est, quàm ut Capitis unitas in minusculis etiam Ecclesiis inviolata constet. Londinensis Synodus anni 1237. artes nudat, fraudesque, quibus sperabant se hanc Capitum pluralitatem obumbrare & excusare posse. Ubi de jure Patronatûs inter plures controvertebatur, eorum singuli Parochum nominabant, atque ita unum ovile plures discerpebant Pastores. *Non uni tantùm una datur Ecclesia, sed pluribus, prætextu plurium Patronorum, ut sint plura Capita in eodem corpore, quasi monstrum.* Utque artes artibus, doli dolis accumularentur, cùm & Patronorum & Parochorum turbæ infesti essent Canones, tergiversatores aliqui id commenti sunt, ut Parochorum alterius alter Vicarius substitueretur perpetuus in eadem Ecclesia. Ita mutato nomine fraus tegebatur, donec tum hæc ipsa Synodus, tum aliæ complures ista collusionum ludibria proscriberent, vetarentque omnino, unius ne Ecclesiæ duo usquam essent Pastores, quo se illi cumque numine tegerent. *Statuentes, ut nunquam deinceps in plures personatus, vel Vicarias, una Ecclesia dividatur.*

*Matthæus Paris. anno 1237.*

*Ibidem.*

Retegentur alibi consilia & rationes, ac viæ, quibus studuit Ecclesia mederi morbis, qui ab hac Parochorum Patronorumque turba scatebant. Nec dissimulabimus hîc tamen, ejus mali reliquias vivaces, superstitesque multis post sæculis fuisse. Quippe Concilium IV. Mediolanense sub sancto Carolo Borrhomæo habitum decrevit, ad arcenda prævertendaque posthac scandala istiusmodi, ut Episcopus ubi à duobus Parochis unam regi Ecclesiam comperisset, illam ut bipartiatur, & ex una duas faceret. Ita sua cuique Parochia Parocho obaudiebat. *Ita ut intra suos quisque fines Parochialem curam gerat.*

*An. 1576.*

VI. Paulò aliter aliquanto antè Mechliniensi Synodo visum fuerat, cum ad compescendas rixas litesque facillimè emergentes, & difficillimè sopiendas inter unius Ecclesiæ plures Curiones: statuit in arbitrio & potestate Episcopi ut esset, vel scindere unam Parochiam in duas, & suam cuique Parocho assignare: vel unicum constituere Parochum, & tot illi Vicarios adjungere, veluti Coadjutores, quot Parochiæ amplitudo desideraret.

*An. 1570.*

*Titulo de Decanis Christianitatum.*

Nemini non compertum est, superesse in celeberrimis orbis Christiani Civitatibus exempla istiusmodi aliqua, Parochorum duorum, vel plurium unam Parochiam alternis administrantium, suffragante consuetudine, & nescio qua adversus Canones præscriptione. Sed vel hinc illud exsistit in laudem Episcopalis Ordinis, cujus unitas longè antiquissima & inviolata constat orbe toto etiamnunc; nulla in contrarium consuetudine, præscriptione nulla unquam id valitura, ut Capitis à Christo ipso in unaquaque Diœcesi constituta unitas labefactetur.

VII. Duo quippe in uno populo erant populi, duæ urbe in una urbes, quoties duos assignari Episcopos indultum est, ut ex Insulis Cypri Rhodique patuit. Id rursus patet ex facultate quam concessit Adrianus IV. Patriarchis Gradensibus Venetæ gentis Episcopum Constantinopoli constituendi, aliisque in omnibus Constantinopolitani Imperii civitatibus, in quibus Veneti satis magno essent numero, ubi & eorum plures essent Ecclesiæ. *Ut in Constantinopolitana urbe, & in aliis civitatibus, in Constantinopolitano duntaxat Imperio constitutis, in quibus Veneti plures habent Ecclesias, ubi videlicet eorum multitudo consuevit assiduè convenire, liceat vobis Episcopum ordinare, & absque alicujus contradictione munus ei consecrationis impendere.* Hujus Pastorum multiplicationis causas justas esse censet Innocentius II. linguarum morumque discrepantiam inter alios, aliosque unius urbis populos: *Intra eandem civitatem permixti sunt populi diversarum linguarum, habentes sub una fide varios ritus & mores.* Iisdem Gregorianis Decretalibus, ex quibus caput istud decerptum est, insertus est Canon Conciliorum Africanorum, quo satagebant unitati Episcopatûs prospicere, illis etiam in civitatibus, ubi adgregari se Catholicæ Ecclesiæ flagitabat cum plebe sua Episcopus partium antè Donati. Laboratur primò, ut in duas Diœceses Episcopatus scindatur. Si unica autem tantummodò urbs est, in qua Sedes locari possit Episcopi; illi ea addicetur Episcopo, quem urbis populus postularit. Si populus ejus urbis partim veterum, partim recentium sit Catholicorum adunatione conflatus, vincet pars, quæ numero major est. Vides ut in omnes se partes

*Conc. to. 10. Epist. 39.*

*C. Quoniam Extra. De offic. Jud. Ordin.*

*C. Si Episcopus. Extra. De Parochiis & Paroch.*

N iij

vetterent Concilia, quò unitati Episcopatûs esset consultum.

*Cap 13.*

VIII. Lanfranci Cantuariensis Archiepiscopi vitæ Scriptor singularem prorsus perhibet viguisse morem, ut in Ecclesia sancti Martini proprius crearetur Episcopus in Cantuariæ Suburbano. Tam infensa Canonibus consuetudo adversante Lanfranco, protinus exolevit. *Sed quia authoritate Canonum constat preceptum, ne in una civitate Pontifices duo simul habeantur, statuit Lanfrancus, ne ulterius ipsi loco ordinaretur Episcopus.*

Suo infrà loco verba faciemus de Monasteriis, quibus sui erant Episcopi. Eo quoque in numero esse potuerat ista Cantuariensis Suburbani Ecclesia. Nisi malit quis divinare hunc quondam Britannorum Insulanorum proprium fuisse Episcopum, discretum ab Episcopis, sive Anglorum, sive Saxonum, qui ex Germania in Britanniam majorem irruperant, quæ ab iis Anglia deinceps dicta est. Poterat & amovendi inde Episcopi ea fuisse causa, quòd Episcopos esse non liceat per Canones, nisi in urbibus frequentioribus. Londinensis Synodus, cui Lanfrancus idem præfuit, tres Episcopatus tribus ex oppidulis in totidem civitates transtulit. Inde emerserunt Episcopales Cathedræ Salisberiensis, Cicestrensis & Cestrensis. Ea porro Sedium translatio facta est *Regia munificentia, & Synodi authoritate.* Fuissent & aliæ ex vicis in urbes Episcoporum Cathedræ transferendæ, sed eo temperarunt tunc quidem Episcopi, quòd cis mare tunc esset Vuillelmus Rex, Angliæ debellator.

*Ibid. c 12.*
*An. 1075.*
*Malmesbur. pag. 214.*
*Adde Vuill. Tyr. l. 6 c. ult. p. 727. 728.*

❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧

## De Archiepiscopis, Primatibus, & Vicariis Apostolicis.

---

### CAPUT XXX. *P. 2. l. 1. c. 6.*

De Archiepiscopis, Primatibus, & Apostolicis Vicariis per Hispanias Galliasque, ab anno Christi quingentesimo ad nongentesimum.

*I. Cur Primates non sint in Italia.*

*II. Primatus Hispalensis itemque Tarraconensis in Hispania instituitur, ut accuratior posthac esset observantia Canonum, utque ne quid de Metropolitanorum jure deteretur.*

*III. Primatus istiusmodi non aliud, quàm primæ Sedis delegationes fuere, & Romani Pontificis Vicariatum.*

*IV. Hispalensis Primatus à Pontificibus & Regibus Toletum transfertur.*

*V. Diuturna dissidia in Gallia inter Arelatensem & Viennensem Episcopos, de Primatu, hoc est, de Metropolitico jure.*

*VI. Eadem rursum de re.*

*VII. Excitatur Primatus Arelatensis.*

*VIII. Extinguitur.*

*IX. Excitatur Primatus Remensis.*

*X. Extinguitur.*

*XI. Observationes eruditissimi Cointii, qui Ecclesiæ Gallicanæ sub Francis Annales contexuit ediditque.*

I. EXemplum præluxerat Vicariatûs Apostolici, Thessalonicensi Episcopo olim concessi: ut summi Pontifices Vicariatus consimiles concederent Hispaniæ, Galliæ, Germaniæ, Angliæque. Italia quippe tam propè Roma aberat universa, ut eam facillimè regerent Pontifices sine vicaria cujusquam opera, non solùm ut Patriarchæ, sed etiam ut Exarchi, Archiepiscopi, seu Primates. Metropolitanos quidem suos Patriarcharum nomine ornabant aliquando Reges Italiæ Gothi; ut Baronius post Cassiodorum observat: sed hic erat vacuus tantùm honor nominis; *Vos qui Patriarcharum honore reliquis præsidetis Ecclesiis.* *Baron. an. 533. n. 36.*

II. Primus omnium Simplicius Papa Apostolicam istiusmodi Legationem Hispalensi in Hispania contulit Episcopo: multò magis ut esset aliquis strictissimæ Canonum observantiæ auctor, exactor vindexque, quàm ut nova cresceret dignitate, qui huic muneri præficiebatur. *Congruum duximus, Vicaria Sedis nostræ te authoritate fulciri, cujus vigore munitus, Apostolicæ institutionis decreta vel sanctorum terminos Patrum, nullomodo transcendi permittas.* Hanc Episcopi Hispalensis potestatem firmavit postea Hormisda in Bæticam & Lusitaniam, quæ nunc Provinciæ Andalusiæ & Portugalliæ nomine intelliguntur: cæterùm sarta tecta servari voluit Hormisda Metropolitanis antiqua sua jura. *Salvis privilegiis, quæ Metropolitanis Episcopis decrevit antiquitas.* Poterat enim summus Pontifex quod juris habebat in Metropolitanos, id exercere per eum quem ex ipsis sui Vicarium constituisset: eòque nil delibabatur de potestate ordinaria Metropolitanorum in Provinciæ suæ Episcopos. Vices porro suas in cæteras Hispaniæ Provincias delegaverat idem Hormisda Metropolitano Tarraconensi, ad quem iisdem penè verbis scripserat: *Servatis privilegiis Metropolitanorum, vices vobis Apostolicæ Sedis eatenus delegamus, ut sive ea quæ ad Canones pertinent, sive ea quæ à nobis sunt nuper mandata serventur.* Erant ergo sanctissimæ leges & inconcussæ Vicariatûs Apostolici duæ: ut sua Metropolitanis integra & illibata servarentur jura: utque tota hæc extraordinaria potestas Vicariorum primæ Sedis, ad accuratissimam conspiraret Canonum sanctimoniam tuendam, sive infligendâ reis pœnâ, sive monendo excitandoque summo Pontifice, qui custos ultorque Canonum est, omniumque Ecclesiasticarum Legum.

*Ann. 482. Epist. 1.*
*Epist. 26.*
*Epist. 24.*

III. Sanctus Leander Hispalensis Episcopus sacras has vices à Gregorio Magno consecutus, Concilio Toletano III. affuit tanquam Vicarius Apostolicæ sedis, teste Isidoro Hispalensi: *Interfuit tunc Primas ille Catholicus & Orthodoxus, Leander Hispalensis Archiepiscopus, & Romanæ Ecclesiæ Legatus, sanctitate & doctrina perspicuus.* Ubi advertes unam eandemque vim & potestatem significari tribus his nominibus, Archiepiscopi, Primatis & Legati seu Vicarii Papæ; eorum scilicet vim & authoritatem eximiam, qua qui instructi erant, pluribus Metropolitanis Provinciisque jus dicebant in Papæ Patriarchatu. In Occidente quippe, qui è Metropolitanis supra Metropolitanos alios evecti sunt, id ex sola consecuti sunt summi Pontificis delegatione. Quo tempore cœpit & his tanquam proprium tribui Primatûs nomen. Ad sextum enim septimúmve sæculum vox illa *Primatis & primæ Sedis Episcopi* Metropolitanis omnibus communis erat, & ipsum jus Metropoliticum *Primatus* appellabatur. Cœpere Hispani nomen id eorum facere proprium, quos Græci dicebant Exarchos. Is porro usus deinde per totum Occidentem cœpit gliscere. *Chron. l. 2.*

IV. Quod Leander Concilio Toletano III. præfuit, facit ut credam totius illum Hispaniæ Primatem fuisse. Idem dixeris de Isidoro Episcopo Hispalensi, qui præsentibus Metropolitanis Narbonensi, Emeritensi, Toletano, Braccharensi & Tarraconensi, præfuit IV. Concilio Toletano. Quæ duo Universalia, sive ut nunc loquimur, Nationalia fuere Concilia, ex iis omnibus coacta Episcopis,

qui Hispano Regi, sive in Hispania, sive in Galliæ
*Anno 681.* panculis Provinciis, parebant. Desiit Primatus
Hispalensis in Concilio Toletano XII. Hujus enim
Concilii Patres Toletano Metropolitæ id addidere
juris, ut Hispaniæ Episcopos in posterum solus eligeret,
& illos in vacantium Episcopalium Ecclesiarum
possessionem mitteret, quos Rex nominasset:
ea tamen lege, ut ab Archiepiscopo Toletano electi
& ordinati, intra tres menses sno se sisterent Metropolitano.
Eò potestatis nulli unquam venerant
Primates. Verùm id privilegii obtinuit à Papa, teste
*L. 2. c. 23.* Roderico, Cindasuinthes. *Iste Cindasuinthes Rex à
Romano Pontifice obtinuit privilegium, ut secundum beneplacitum
Pontificum Hispanorum Primatia dignitas
esset Toleti.* Ita Pontifex, & cum Pontifice Hispani
Episcopi omnes, quod suum erat, ad Toletani Primatûs
institutionem contulere. Quæ res adeo rata
mansit & firma, ut cùm in Concilio Toletano XVI.
Sede dejectus esset Toletanus Episcopus, in ejus
locum tota eligente Synodo suffectus sit Episcopus
Hispalensis. Verùm quæ tam propere creverat dignitas,
cadente Hispanorum seu Gotthorum Monarchia,
brevi & ipsa concidit, cùm trigesimo pòst
*Baron. an.* anno infudissent se in Hispaniam Saraceni Afri,
*636. n. 8.* rerumque in ea potiti essent. Nutare mihi visum est
& silentio pene obruendum, quod ait Lucas Tudensis,
Theodriscum Isidori in Episcopatu Hispalensi
successorem in Concilio Episcoporum depositum,
tantæ infamiæ impatientia abreptum esse in
sectam Mahometi detestandam, tumque Primatiam
Hispali Toletum fuisse translatam.

V. Venio nunc ad Archiepiscopos, seu Primates
Galliæ. Hoc enim Archiepiscopi nomine donari
tunc demum cœpere omnes passim Metropolitani
Gallorum in Concilio Suessionensi sub Rege Childerico
III. & Pipino Majore Palatii. De honore
*Anno 744.* Metropolitico diu contendère Episcopi Arelatensis
& Viennensis: & alternis vicibus alius alio, nunc
hic, nunc ille superior fuit. Hujus rei causam affert
Leo Papa, quòd in rebus civilibus ambæ essent
Metropoles, & ambæ una essent Metropolis. *Ut
quarundam causarum alterna ratione, nunc illa in Ecclesiasticis
privilegiis, nunc ista præcelleret: cùm tamen
eisdem commune jus quondam fuisse à Gentibus proderetur.*
At Zozimus Papa non tantùm rem decidit se-
*Ann. 1417.* cundùm Arelatensem, sed & ei in Viennensem &
utramque Narbonensem Provinciam amplissima jura
attribuit: hoc sententiæ prætexens suæ, quòd
olim missus Arelatem à Romana Sede B. Trophimus,
hinc disseminandæ per Gallias fidei initium
*Ann. 422.* fecisset. Metropolitano deinde Narbonensi Bonifa-
*428.* cius I. & Cælestinus Pontifices reddidere jus ordi-
*Epist. 3.* nandi Provinciæ suæ Episcopos. Id confirmavit &
Leo, qui & Metropoliticis juribus Viennensem
*Anno 425.* Episcopum reddidit: Episcopatus qui in controver-
*Epist. 89.* siam venerant, divisit inter Viennensem & Arelatensem
Metropoles: denique Zosimo ab Arelatensi
Episcopo obreptum fuisse declaravit: *Cum & ipsum
quod Patroclo à Sede Apostolica temporaliter videbatur
esse concessum, postmodum sit sententia meliore sublatum.*
*Anno 47.* Edita est à Baronio Epistola Zosimi, qua nec ipse
*n. 52.* jam dissimulat obreptum sibi fuisse, nec inaudisse
se quidquam antè de Decreto Concilii Taurinensis;
ei prorsus jam se assentiri, atque ita rem debere
componi, ut utraque Metropolis in viciniores
Episcopos potestatem obtineat.

VI. Ex his illud exprimitur, aut Zosimum primò
Metropolitica tantùm potestate munisse Episcopos
Arelatenses, in tres illas Provincias: quod cum ab
ipso, tum à tribus ejus successoribus constanter revocatum
est: aut Primatis, hoc est, Exarchi authoritate
eos donatos ab eodem, qua Zosimi successores,
& in primis Leo Papa spoliarunt Patroclum
Hilariumque Arelatenses Episcopos, quòd ea ad
Metropolitanorum functiones invadendas abuterentur.
Jura enim Primatiæ sive Exarchatûs legitima
nihil officiunt potestati Metropolitanorum in
suos Episcopos, nec quidquam de ea demetunt:
quin infundunt potiùs Exarchis rivulos veluti quosdam
de plenitudine ejus amplissimæ potestatis, qua
Papa, ut Occidentis Patriarcha pollet.

VII. Ut ut se res habuerit sub Leone, excitata
rursus est ea contentio sub Anastasio Papa, & rursus
causa melior Viennensis fuit. At Anastasii Decreta
revocavit successor ejus Symmachus, quòd
essent prædecessorum Decretis infesta, Cæsarioque
Arelatensi Episcopo Vicariatum contulit, seu Legationem
sedis Apostolicæ in omnes Gallias. *Cha-* *An. 500.*
*ritati tuæ per omnes Gallicanas regiones utendi pallii con-* *514.*
*cessimus facultatem.* Tunc temporis non concedeba- *Epist. 1. 10.*
tur pallium nisi cum Legatione vicis Apostolicæ, *Epist. 6.*
quæ tota vergebat ad religiosiorem Canonum disciplinam
tuendam, aut revocandam: *Quatenus &
in Ecclesia vestra, & in supradicta Provincia, disciplina
bonis actibus amica servetur.* Porro ista vox *Provincia*,
idem sonat atque quod paulò antè dixerat,
*Gallicanas omnes regiones: &. In Gallia Provincia.*
Quinquaginta admodum pòst annis Vigilius Papa *Conc. V.*
Aurelianum Arelatensem Episcopum Apostolico suo *Universale.*
Vicariatu instruxit in Gallias. *Fraternitas tua, quem* *Collat. 7.*
*Apostolicæ sedis constat per nos esse Vicarium: universis* *Conc. Gall.*
*Episcopis innotescat, &c. Vicarium te Sedis nostræ di-* *Tom. 1.*
*gnis actionibus manifestes.* Eadem potestate auxerat
priùs idem Vigilius Auxanium, Aureliani præcessorem.
Eodem honore cumulavit Sapaudum Arelatensem
Episcopum Pelagius I. *Majorum nostrorum
cupientes inhærere vestigiis, charitati tuæ per universam
Galliam Apostolicæ sedis vices injungimus.* Virgilium
Arelatensem Gregorius Magnus eadem dignitate
auxit, in omnes Ecclesias Childeberti Regis Imperio
circumscriptas. *Opportunum perspeximus in Eccle-* *L. 4. Ep. 50.*
*siis quæ sub regno præcellentissimi filii nostri Childeberti* *52.*
*Regis sunt, secundum antiquam consuetudinem fratri nostro
Virgilio Arelatensi Episcopo vices nostras tribuere.*
Ita Primatûs dignitas, quæ personarum meritis magis
quàm Sedi donari, ideoque temporaria fore
videbatur, toties innovata & in successores propagata,
perpetua quodammodo evasit, Sedique affixa
est.

VIII. Ex Epistolis Gregorii Papæ VII. imò *L. 6. Ep. 2.*
& Nicolai I. apertissimè demonstratur, eorum ævo *Epist. 10.*
Primatum Arelatensem extinctum oblitteratumque
omnino fuisse. Simillimum autem veri est, cadente
Clodovei stirpe regia, cùm Majorum Palatii impotentia
misceret & perturbaret omnia, cum profana,
tum sacra, intercclosam fuisse Gallicanorum
Præsulum & inter se mutuò, & cum Arelatensi Primate
concordiam: tumque Romanos Pontifices
Gregorium II. & III. innovata ejusdem potestatis
jura contulisse in Bonifacium, Apostolicæ sedis in
Germania Legatum.

IX. Non tacendus autem Primatus interim Remensis,
cui vivente sancto Remigio Galliarum pars
obtigerat, cùm pareret altera Arelatensi. Vices
Apostolicas Remigio mandaverat Hormisda Pontifex,
in totum Clodovei regnum: *Vices nostras per
omne regnum, dilecti & spiritalis filii nostri Ludovici,
salvis privilegiis, quæ Metropolitanis decrevit antiqui-*

*tas, tibi committimus.* Hanc Epistolam Flodoardus historiæ suæ intexuit, ejusdemque rei auctor est Hincmarus. Sed cum Hincmarus suorum suæque Ecclesiæ jurium retinentissimus, non dicat hujus dignitatis hæreditatem ad successores venisse, hinc facilè intelligitur, eam Ecclesiæ non fuisse tributam, sed commodatam Remigii personæ. Denique cùm dicat Primatum in aliquas tantum Provincias Remigio fuisse collatum: *Per Belgicam & quasdam Provincias Gallicanas*: hinc collige tum Provincias, quæ Alarico Visigothorum Regi suberant, nempe Aquitanias tres, & primam Narbonensem: tum eas quæ sub ditione erant Gundebaldi Burgundionum Regis, scilicet Lugdunensem I. Narbonensem II. & omnes penè Viennenses, à jure Primatûs Remensis immunes absolutasque prorsus fuisse, eique proinde non obtemperasse nisi duas Belgicas, Lugdunensem III. IV. & V. & Germaniam.

L. 1. c. 13.

Epist. 6. n. 28.

X. Primatum Remigio concessum ad ejus quoque successores manasse, augurantur aliqui, tum ex ejus testamento, quo jubentur illi tres quatuórve nonnunquam advocare Metropolitanos: tum ex Concilio Episcoporum quadraginta, Præsidente Sonnatio Remensi Episcopo temporibus Childeberti Regis: tum denique ex eo quòd Arelatensem Primatiam iisdem finibus arctaverit Gregorius Magnus, quibus Childeberti regnum continebatur. Si cui satis firma videatur his fundamentis innixa sententia, negari certè non poterit, quin Primatus Remensis una cum stirpe Clodovei tum interierit, cum & in regno & in Ecclesia sus deque verterentur omnia. Tunc enim pleræque Galliarum Ecclesiæ Pastoribus viduatæ luxerunt perdiu, atque in primis Remensis, authore idoneo Adriano Papa: *Remensis Ecclesia per multa tempora & per multos annos sine Episcopo fuit.* Idem affirmat sanctus Bonifacius in Epistola ad Zachariam Papam, uti mox referemus, ubi sermo erit de Primatu Moguntino, quo Bonifacius idem in Ecclesias Franciæ Germaniæque donatus fuit.

Flodoar. L. 2. c. 5.

Epist. ad Tilpinum.

XI. Multa nos præclarissimè docuit quæ huc spectent Cointius noster in Annalibus Ecclesiasticis Francorum. 1. Cùm Clodoveus mortem obierit anno 511. Symmachus autem anno 514. hinc necessariò statuendum esse, à Symmacho, non ab Hormisda Remigio concessum fuisse Primatum in omnes regni Clodovei Metropolitanos, postquam Regum tunc iste maximus Christianæ fidei nomen dedit. *Per omne regnum Chludovici, quem nuper cum integra gente convertisti.* 2. Et quoniam Arelatensis Primatus Remensi creato minui arctarique nonnihil videbatur: Arelatensi attributum præterea fuisse à Symmacho, quidquid vel ex Italia Ostrogotthi, vel Visigothi ex Hispània in Gallia & Hispània obtinerent. *Si quis de Gallicana, vel Hispana regionibus ad nos venire compulsus fuerit: cum fraternitatis tuæ notitia iter arripiat.* Exscriptum id est ex Epistola Symmachi ad Cæsarium Arelatensem, quam Sirmundus publici juris fecit. 3. Cæterùm cùm Vigilius Papa Auxanio Arelatensi contulerit Primatum in omne Childeberti regnum, anno post Remigii excessum duodecimo: cumque Childeberti regnum pars esset non parva regni Clodovei: hinc satis manifestè patet, Primatum Remensem cum Remigio desiisse. 4. Pontificiam Sedem regente Symmacho, Primatus Remensis in omnes Francici regni Ecclesias dominabatur, Arelatensis verò Primatus jus dicebat in omnes Gotthicæ dominationis Provincias, sive in Gallia, sive in Hispania. Sed postquam pulsi sunt è Gallia Gotthi, tunc à Vigilio Papa Auxanium Arelatensem Vicarium Apostolicæ Sedis constitutum esse super omnes Ecclesias, quas Metropolitico regebat jure, & super eas præterea omnes, quæ Childeberti in regno essent, disertis verbis significant Pontificiæ litteræ. Regnabant tunc in Gallia diviso inter se regno Childebertus & Chlotarius fratres, eorumque ex fratre nepos Theodebertus. Primatum Arelatensem statui, solus petiit, solus obtinuit Childebertus. 5. Pelagius qui Vigilio successerat Primatiam contulit Sabaudo Arelatensi *per universam Galliam*; quod æquum est interpretari per omne Childeberti & Chlotarii regnum. Ne simile quidem veri est, quod Narbo finitimæque urbes, quæ Visigothis Hispaniæ adhuc parebant, huic Primati fuerint obnoxiæ. Quandiu Pontificatum Arelatensem Sapaudus sustinuit, tota ejus Apostolico Vicariatui morem gerebat Gallia, quamvis nunc in duos, nunc in tres quatuórve Reges secta. Gregorius Magnus vices suas non credidit Virgilio, nisi in regnum Childeberti II. hoc est in Austriam Burgundiamque, cùm Neustria tunc Chlotario subesset. 6. Vicariatus hic Apostolicus à Romanis Pontificibus, non Ecclesiæ, non Sedi, sed personæ indulgebatur. Singulis Arelatensibus Episcopis concedebatur, & quidem flagitantibus tum ipsis, tum in eorum gratiam Regibus. Perspicuè id liquet ex Pontificum litteris ad Cæsarium, Auxanium, Aurelianum, Sapaudum & Virgilium datis, qui omnes in Episcopatu Arelatensi alii aliis successere. Biennio tantùm eam Sedem implevit ante Virgilium Licerius; ideo nec per tempus ei licuit sacras vices has impetrare. Post Virgilium, quem hac dignitate auxerat Gregorius Magnus, nullius Archiepiscopi Arelatensis mentionem fieri videas, qui eo sit privilegio usus. 7. Eruditissimo denique horum Annalium conditori visum est, si Vigilius & Gregorius Magnus Arelatenses Episcopos Pallio, & eo qui Pallio hærebat quodammodo Apostolico Vicariatu donare recusarint, nisi ex assensu Imperatorum, id eo factum esse, quod Justinianus primùm & ejus exinde successores, nec ipsos summos Pontifices sine suo consensu Apostolicam sedem conscendere paterentur.

Cointius ad Anno 508. n. 58 531. n. 19. 545. p. 4 599. n. 9. 604. n. 9.

## CAPUT XXXI. *P. 2. l. 1. c. 7.*

### Rursum de Primatibus Galliæ, Germaniæ, Angliæque, sub Imperio Regiæ stirpis Clodovei.

*I. Cadente Clodovei stirpe Regia, occidêre in Gallia Archiepiscopi & Primates.*

*II. Missus tunc à Papa Bonifacius, & Ecclesiasticam reparat disciplinam, & Moguntiæ constituitur ipse Archiepiscopus & Primas.*

*III. Restituit Metropolitanos in Gallia, quibus & Pallium impertiri obtinet, atque adeo novi generis Primates facit, hoc est Metropolitas ejusmodi, qui Primati nulli alteri obnoxii essent.*

*IV. Probatur novus hujusmodi Primatus.*

*V. Quem habuit Primatum in Gallias Bonifacius, id personæ fuit privilegium: sedis verò Moguntinæ, quem in Germaniam, si Papæ consilium & voluntatem spectes.*

*VI. Augustinum in Anglia Primatem Gregorius Magnus instituit.*

*VII. VIII. Eam in rem multa observantur. Quàm essent privatis Ecclesiis utiles hi Primatus.*

*IX. De Primatu Cantuariensi.*

I. Quæ stirpi Clodovei regiæ finem attulere, & quæ conflagarunt tunc bella civilia: ea

rem Ecclesiasticam fere non minus, quàm publicam afflixere. Nam teste beato Bonifacio in suis ad Zachariam Papam litteris, Episcopatuum pars maxima, aut laicis confetebatur, aut iis Clericis, quorum vita longè turpior esset quàm laicorum. Nulla tunc in Galliis Concilia, Archiepiscopi nulli. Erant tamen Metropolitæ non pauci. In his ergo Bonifacii verbis Archiepiscoporum nomine significari videntur Primates Arelatenses, qui proinde tunc creari destitere; unde orta occasio & necessitas excitandæ Moguntinæ Primatiæ. *Franci ut Seniores dicunt, plusquam per tempus octoginta annorum Synodum non fecerunt, nec Archiepiscopum habuerunt: nec Ecclesiæ Canonica jura alicubi fundabant, vel renovabant. Modo autem maxima ex parte per civitates Episcopales sedes traditæ sunt laicis cupidis ad possidendum, vel adulteratis Clericis, scortatoribus, & publicanis sæculariter ad perfruendum.* Hic erat tunc desperatissimus Ecclesiæ Gallicanæ morbus, cui mederi commodiùs non potuere Pontifices, Gregorius II. Gregorius III. & Zacharias, quàm Bonifacii Legatione & Apostolico Vicariatu. Ita censet &

*Epist. 6. c. 19.* Hincmarus Archiepiscopus Remensis. *Gregorius II. & III. Bonifacium Legatum Apostolicæ sedis, ad reformandam Christianitatis religionem, primo Presbyterum, postea vero Episcopum ordinatum direxerunt. Cui per annos viginti quinque in eadem prædicatione sine sede Cardinali laboranti, præfatorum successor Zacharias Papa formavit ad locum, &c.*

II. Apostolici ergo Legati munus, Missiones, & potestatem omnem Vicarii Apostolici explicuit Bonifacius, per omnes Galliæ Germaniæque Ecclesias, Sedi ipse Ecclesiæque defixus nulli; donec

*Anno 751.* aliquanto post tempore Zacharias Metropolitam fecit Ecclesiæ Moguntinæ, cui & Primatûs affixit dignitatem. Eo nomine Bonifacius Suessione Pipinum inunxit Regem, & Moguntini deincept Metropolitani Principatum honoris & potestatis inter Germaniæ Præsules adepti sunt. Ita affirmat Ma-

*L. 3.* rianus Scotus: *Pipinus in civitate Suessionum, à sancto Bonifacio Archiepiscopo in Regem unctus, regni honore sublimatus est; & ob id deinde post Papam secundus habetur Moguntinus Archiepiscopus, usque in hodiernum diem.*

Multa novus Primas ex Episcopis Galliæ & Germaniæ habuit Concilia, quorum nonnulla in edi-

*Hist. Rem. L. 2. c. 16. An. 744. Bonifac. Epist. 1. 4. 5.* tionibus Conciliorum legas. Metropolitanos constituit Rotomagi, Remis & Agendici Senonum, ut patet ex Epistolis Zachariæ, & ex historia Flodoardi. Pallium ipsemet illis à sede Apostolica concedi obtinuit, atque ita illos tum à Primatus sui jure absolvit, tum Primates ipsos suo quodam modo fecit esse, obscuriore quidem illo, sed permagni tamen deinceps momenti. Scitissimè enim animadvertit Hincmarus, alios esse Primates, qui in Metropolitanos potestatem exerceant, & hos esse primi Ordinis Primates: alios autem Primates etiam dici, quibus nulli quidem Metropolitani pareant, sed nec vicissim ipsi ulli subjaceant sive Metropolitano superiori, sive Primati: sed nullo interposito medio à prima pendeant Sede. En Hincmari verba, quibus hanc secundam retegit Prima-

*Opusc. 35. c. 1. c. 18.* tum classem. *Quibus Canonum Decretis, & sedis Romanæ sententiis claret, eosdem Metropolitanos Primates esse singulos singularum Provinciarum, qui ex antiqua consuetudine, & Apostolica traditione, & convocare Synodos, & ordinare Episcopos, & ordinari à Provincialibus, sine cujusquam alterius Primatis interrogatione possunt, & disponere regulariter quæque per suas Provincias queunt, &c. Illi autem Archiepiscopi, vel Metropolitani, qui hæc sine consultu Primatis non possunt exequi, Archiepiscopi tantum, vel Metropolitani habentur.*

IV. Neque vero putes, quæ dixit Hincmarus, ad commendationem dignitatemque Ecclesiæ suæ extollendam, ingeniose ab eo conficta esse. His enim nihil solidius, nihil apud antiquos constantius. Primis enim quatuor aut quinque sæculis, Metropolitanus quisque dicebatur *Primas, Episcopus primæ Sedis.* Quinto verò, sexto, septimoque sæculo, cœpere in Occidente Metropolitani quidam Metropolitanis aliis subjici, qui ad Exarchorum, Vicariorumque Apostolicorum dignitatem provecti fuerant; quibus tandem & Primatum nomen additum est. Ergò Metropolitani qui recentioribus his Primatibus nunquam subjecti fuere, non immerito arrogarunt & ipsi sibi Primatum nomen. 1. Quòd nihil aliud ea in re, quàm antiquum nomen usumque retinerent. 2. Quòd nullis suis rebus immutatis, nullo de novo præstituto sibi Primate, cum nemini nisi Papæ essent obnoxii, peræquè ut recentissimi hi Primates, non injuria Primates dici, & nominis gloria frui volebant. 3. Quòd Archiepiscopis Rotomagensi, Remensi, ac Senonensi, sua velut consignata firmataque esset Primatûs dignitas, accepto à Pontifice Pallio, quippe quod hactenus Primatibus solum, Vicariisve Apostolicis conferri soleret.

V. Hinc illud emergit, cum per Gallias Germaniasque jussus est Bonifacius fungi vices Apostolicas; illud intercessisse discriminis, quòd privilegium illud honoris & potestatis, quod ad Gallias attinet, personæ collatum esset Bonifacii, non Ecclesiæ: quoad Germaniam vero, etiam Ecclesiæ. Id verbis his suæ ad eum Epistolæ insinuabat Za- *Morin. Exercit. Eccl. L. 1. c. 26. Epist. 5.*
charias: *Non solum Beioariam, sed & omnem Galliarum Provinciam, nostra vice per prædicationem tibi injunctam studeas reformare.* Quemadmodum autem innovato identidem continuatoque privilegio, Primatus Arelatensis, qui personæ primo illigatus fuerat, factus est perpetuus: ita ex adverso Moguntinus, qui ab ortu suo in Germaniam perpetuus fuerat, solius tamen personæ fuit, quippe qui cum Bonifacio extinctus unà sit. En Zachariæ ad Bonifacium scribentis verba. *Beati Petri authoritate sancimus, ut Ecclesia Moguntina perpetuis temporibus sibi & successoribus tuis in Metropolim sit confirmata, id est Tungris, Coloniam, Vormaciam, Spiraciam, & Trectis & omnes Germaniæ gentes quas tua fraternitas per suam prædicationem Christi lumen agnoscere fecit.* *Conc. Gall. To. 1. p. 581.*
Si valuisset hoc decretum, Moguntiæ non Metropolitana tantum, sed & Primatialis potestas in posteros convaluisset. Sed hanc Zachariæ constitutionem aut omnino usu receptam non fuisse, aut non multò pòst obliteratam, liquidum fit non tantum ex iis quæ dicta sunt supra de Gallis Metropolitanis, Pallio & Primatum nomine gaudentibus: sed ex iis etiam quæ mox dicentur de Colonia & Ultrajecto. Bonifacio tam multa obstitere, ut & angustiorem Metropolim, & Primatum breviorem habuerit, quàm voluisset Zacharias, ac sperasset. Adde quod Bonifacius suffecto in sede Moguntina ante obitum suum Lullo Presbytero, ut ad Frisonas pergeret, ubi ipsum desponsa manebat Martyrii palma, susceptoque deinde Sedis Ultrajectinæ vacantis regimine; non potuit quam habebat personæ suæ adglutinatam sedis Apostolicæ Legationem, in Ecclesiam transmittere Moguntinam. *Anno 752.*

Harum rerum testes locupletissimi sunt, qui vitam Bonifacii litteris mandavere, Villibaldus & Othlonus.

VI. Ad Anglos nunc veniendum nobis est, ad quos missus à Gregorio Magno Augustinus Monachus cum aliis ejusdem propositi consortibus venerat, dux ipse operis, ut fidei Christianæ lumen inferret, tum Anglis, tum complurimis gentibus, quarum colluvies in Magnam Britanniam exundaverat, prostraveratque quidquid ibi aut Imperii Romani gloria, aut fidei Christianæ sanctitate hactenus floruerat. Augustinum pallio donavit Gregorius, jussum Sedem suam Londini collocare, & duodecim creare Episcopatus, Londinensi Metropoli parituros, cujus Præsules pallio à Romana sede semper donandi essent. Jusserat & Eburacum ab eo mitti Antistitem, & felices exitus si res haberet, lapsu temporis alteram ibi condi Metropolin, à qua duodecim quoque penderent Episcopatus; facta spe mittendi & ad Eboracensem Metropolitanum pallii, ita ut tamen Augustino, quandiu in vivis ageret, obnoxius esset Eboracensis, eo autem extincto absolutus esset omnino à jure Londinensium Metropolitanorum. Adscribenda nunc sunt Gregorii verba: *Usum tibi pallii concedimus, ita ut per loca singula duodecim Episcopos ordines, qui tuæ ditioni subjaceant; quatenus Londoniensis Episcopus civitatis semper in posterum à Synodo propria debeat consecrari, atque honoris pallium ab hac Apostolica Sede percipiat. Ad Eboracum verò civitatem te volumus Episcopum mittere, ut ipse quoque duodecim Episcopos ordinet, ut Metropolitani honore perfruatur, quia ei quoque pallium tribuere proponimus, quem tamen tuæ fraternitatis volumus dispositioni subjacere. Post obitum verò tuum, ita Episcopis, quos ordinaverit, præsit, ut Londoniensis Episcopi nullo modo ditioni subjaceat. Sit verò inter Londoniæ, & Eboracæ civitatis Episcopos in posterum honoris ista distinctio, ut ipse prior habeatur, qui priùs fuerit ordinatus.* [L. 7. Ep. 15.]

VII. Multa hinc exculpi debent magni omnino ponderis in rem nostram. Primatus enim hic emicat primæ quidem classis, sed personæ Augustini proprius, non Sedi, non Ecclesiæ, non successoribus communicandus: sed peculiari & sanctimoniæ & eruditioni Augustini merito concessus: *Fraternitas tua omnes Britanniæ Sacerdotes habeat subjectos, quatenus ex vita & lingua tuæ sanctitatis, & rectè credendi, & benè vivendi formam percipiant.* [Ibidem.] 2. Duæ post mortem Augustini Primatiæ secundæ classis in Anglia surgebant, Londini & Eboraci, quarum Metropolitani juris alter in alterum nihil prorsus obtinebant, sedendi verò ordo ab ordinationis antiquitate repetebatur. 3, Pallium hîc mittitur, ut insigne ejus potestatis, quam Græci αὐτοκεφαλίαν dicebant, quasi independentiam dicas, qualem Cypro Insulæ nonnunquam Concilia ipsa assignarunt. 4. Habes & hîc justissimas causas unius Metropolitani supra alios promovendi, & majori authoritate armandi; cùm unus aliis eminet, ut eorum parens, ut Ecclesiarum conditor, ut gentis Apostolus: cujusmodi erat inter Francos Remigius, Augustinus in Anglia, in Germania Bonifacius. 5. Student summi Pontifices æqualitatem, libertatem, concordiamque alere inter Episcopos: ideo enim Primatias non instituunt nisi temporarias & breves, ubi diuturniores, aut perpetuas non postulat necessitas, utilitasque ingens Ecclesiarum. Ita Gregorius excedente è vita Augustino, Eboracensem absolvit ab illius Ecclesiæ vinculo Metropolitanum: & post Bonifacii obitum Zacharias antiquæ libertati reddit Galliæ Metropolitanos. 6. Hinc argumenti satis est, ut existimemus, si quando olim Vicariatus Apostolicos voluerint Romani Pontifices esse perpetuos, quod genus fuere, qui concessi quondam sunt Thessalonicæ, Justinianæ, Arelati, Hispali, Toleto, Moguntiæque: uni Ecclesiarum utilitati eos inservisse: & hoc uno stimulo impulsos fuisse, ut novi aliquid jugi Ecclesiis imponerent, & Metropolitis, quo fiebat, ut jam non possent sine Primatis assensu, vel celebrare Concilia, vel Episcopos ordinare, vel à suis ipsi consecrari Suffraganeis. Nec Justinianus Imperator pervicisset hujusmodi Apostolica delegatione illustrari suam Novam Justinianam, nec Cindesuinthes Toletum, nec Francorum Reges Arelatem, nec Gotthi Longobardique Reges Aquileiam, nec Moguntiam Carolomannus & Pipinus vix multis precibus exorassent ornari ejusdem dignitatis splendore, si vel in mentem eis venire potuisset, novas has esse artes & inusitatas machinas propagandæ dominationis Romanorum Pontificum, & novo servitutis jugo opprimendæ antiquissimæ libertatis Ecclesiasticæ in suis regnis. Sensere igitur illi longè aliter, novum scilicet hinc Ecclesiis suis splendorem accedere, qui & in ipsum etiam regnum refunderetur: libertatemque & Antistitum & Ecclesiarum eò majorem fore ac firmiorem, quòd apud sese, id est ab Exarcho proprio, sive Primate, causæ quæque majores finirentur. Quis enim nesciat Concilium Nationale libertatis Ecclesiasticæ in unaquaque gente invictum esse propugnaculum? Istud autem primarium est jus Primatis, Concilium Nationale cogere, ibique quæcumque decidi sine Papa, sine Roma possunt, diffinire.

VIII. A vero ergo & æquo propiùs aberis, si ita existimes, eò maximè & frequentissimè ad Primatum institutionem instigatos fuisse Reges & Pontifices: quòd disciplinam Ecclesiasticam, vel integram servari, vel integritati suæ reddi perciperent, vel Christi fidem in Gentes etiam tum barbaras disseminari. Ruente Regno labefactata fuerat & Ecclesia, cùm illius reparator futurus in Galliam ac Germaniam advolavit Bonifacius. In Anglia interierat Religio Infidelium gentium innumerabili multitudine in eam infusa, cùm eò missus est Augustinus, novæ & victricis gentis debellator futurus Apostolusque. In Hispania ab Arianis Barbarisque gentibus ad extremas angustias redacta erat prisca fides, pietasque: cum Apostolici instituti sunt ibi Vicarii; ac tum maximè cum à Gregorio Magno Leander Hispalensis: cujus opera Recaredus Rex ac tota gens Visigothorum ad primævam fidem Catholicamque rediit unitatem. Præluxerat toto antè sæculo Remigius, Vicarius & ipse primæ Sedis, Francorum Rege genteque tota ad Christi fidem primùm perductis. Satis dilucidè superiùs Leo Papa demonstravit, Illyricum Apostolico Vicario muniendum fuisse, quòd ab urbe illud esset remotius, & barbaris Nationibus adjaceret.

IX. Porro non Londini Sedem, ut sanxerat Gregorius, sed Cantuariæ Augustinus fixit: quòd ibi extructam à fidelibus, priscorum Romanorum, aut potiùs Britannorum reliquiis Ecclesiam Salvatoris pervetustam invenisset. [Beda. l. 1. c. 33.] Obsequutus prædecessorum suorum exemplo moribusque Honorius Papa, misit in Angliam pallia duo, Cantuariensi alterum, alterum Eboracensi Episcopo, servata semper inter utrumque æquabili potestate. *Is qui superest, consors ejusdem gradûs, habeat potestatem alterum ordinandi in locum ejus qui transierat, Sacerdotem, ne sit* [L. 2. c. 17. 18. &c.]

*necesse pro ordinando Archiepiscopo ad Romanam usque civitatem fatigari, per tam prolixa terrarum & maris spatia.*

---

## CAPUT XXXII. *P. 2. l. 1. c. 8.*

### De Primatibus, Vicariisque Apostolicis, eorumque Juribus, observantur aliqua in communi.

*I. Probatur multis rationibus Primatum ei Provinciæ additum non fuisse, quæ prima esset inter Cognomines.*

*II. Vetat Carolus Magnus ne Metropolitani sibi nomen arrogent Primatum.*

*III. Varia Primatum jura.*

*IV. Utraque simul instituebantur authoritate conspirante, laica & Ecclesiastica.*

*V. Hæc utriusque potestatis amica conjunctio, pacandis contentionibus accommodatior, quam subtilis & elimata jurium disceptatio.*

I. Aliqua hic generatim de Primatibus observabimus, & illorum statim refellendo errori incumbemus, qui hac in opinione sunt, Metropolitanum ejus Provinciæ, quæ inter multàs cognomines prima esset, Primatem suo quasi jure, atque Exarchum fuisse. At contra, 1. vel hinc concerpi & exsibilari posset ea sententia, quòd Provinciarum partitio, ab Imperatoribus ad civilem politiam facta, & cui se plerumque Ecclesiastica administratio accommodavit, ejusmodi esset, ut nulla civilis Metropolis quidquam sibi juris in alias arrogaret. Idem ergo potiùs de Metropolibus Ecclesiasticis fuerat augurandum. Ita decrevit Theodosius Imperator, cùm Phœnicia prius una in Phœnicias duas secta est : nec enim novam Berytbi Metropolim à Tyro Metropoli antiquissima pendere passus est. *Utraque dignitate simili perfruatur.* (*Cod. l. 11. L. un. de Metrop. Beryt.*)

2. Prioribus quatuor sæculis, par & eadem fuit Metropolitanorum in Gallia potestas. Nec aliud ea ætate, vel in Conciliis, vel in Pontificum decretis crebriùs, enixiúsque inculcatum : quàm ut suis singuli juribus illibatis gaudeant Metropolitæ; ne quis eorum in Collegas quidquam audeat : ut suam quisque cum Synodo Provinciali juxta Apostolicos Nicænosque Canones Provinciam regat. Quod si quid Patroclus, si quid Hilarius Arelatensis in Collegarum Provincias ausi sunt, illos, ut dictum est, pro summo quo ardent zelo, pro summa authoritate Pontifices intra legitimos fines coërcuere, liberaque inter Episcopos omnes & æquabilia jura juxta Canones servavere.

3. Solus in Asia Ephesinus Episcopus, in Cappadocia Cæsariensis, & Heracleensis in Thracia constituendi Exarchatûs sui occasionem inde sumpsere, quòd eorum & civitas & provincia in rebus civilibus supra cæteras Diœcesis majoris civitates & provincias, primas obtineret. Verùm haud diuturna fuit nova hæcce dignitas. Id enim fundamentum, cum parum stabile erat, tum à purissimis Ecclesiæ legibus alienum. Denique eadem prorsus fuit, aut eadem certè prætexta fuit causa, ut tres hi Exarchatus à Constantinopolitano Patriarchatu absorberentur, quòd Constantinopolis jam Imperii Caput esset.

4. Exarchatus autem sive Patriarchatus alii alia omnino fundamenta, eaque firmiora habuere. Roma, Alexandria, Antiochia ad perpetuandam Sedis Petri successionem Principatum summum adeptæ sunt. Hierosolyma ad Apostolicum Jacobi thronum nova in urbe Ælia excitandum. Constantinopolis & Justiniana prima in summum quendam dignitatis apicem provectæ sunt, ex necessariis dispensatione, ut Imperatoribus gratificaretur & vicem aliquam beneficiorum rependeret Ecclesia, quam illi novis subinde beneficiis cumulabant. Cæteræ urbes hac eadem Exarchatûs Ecclesiastici gloria & potestate muniebantur, ut inexpugnabilia quædam hæc essent præsidia adversùs barbaras Nationes, quæ in fines Imperii irrumpebant, ut Imperio simul Romano, & Christiano nomini extremum afferrent exitium. Sic Primas Arelatensis apud Burgundiones & Gotthos, apud Francos Remensis, Moguntinus apud Germanos, apud Anglos & Saxones Cantuariensis, Hispalensis & Tarraconensis apud Gothos, Alanos & Vandalos, Ecclesiæ fideique defensionem suscepere. Eo enim demum tempore Primatus isti constituti sunt in Occidente, cum in excidium & Imperii & Ecclesiæ barbaricarum gentium colluvies hæc inundavit; sed altiùs consulens Numinis providentia illas ipsas Gentes per hos maximè Exarchos Religioni & Ecclesiæ suæ tandem substravit, per easque varia excitavit Imperia, quæ Christiani Imperii propugnacula essent invictissima.

5. Quas in Occidente Primatias erexit constituto Vicario Apostolico Romanus Pontifex, hæ nequaquam primariæ inter cognomines Provinciæ assignatæ sunt. Is enim Lugduno, Bituricis, Treveris, Coloniæ, atque Londino tributus esset honos, si prima Lugdunensis, prima Aquitanica, prima Belgica, prima Germanica, & ipsum Angliæ caput in id dignitatis fastigium vocata essent. At quàm aliis in civitatibus statuti sint Vicarii Apostolici, satis superque jam declaratum est.

6. Primatem Corinthi Gregorius Magnus in Epistolis suis commemoravit, misso ad eum pallio, concessoque ut Peloponneso præesset, cujus erat Metropolitanus: præesset simul & Helladi, ubi Metropolis civitas Athenarum : quæ in duas postea Provincias secta est. Servire se antiquæ consuetudini in eo testificatur Gregorius : *Dum hoc sibi & antiquæ consuetudinis ordo defendat.* (*L. 4. Ep. 55. 56.*) Exciderat penè nobis hic Primatus, qui rursus argumento est, non illi dicatos fuisse Provinciæ Primatus, quæ inter cognomines primo loco numerarentur.

7. Idem Gregorius, cùm duas in Anglia Provincias duasque Metropoles instituisset, utramque ab alterius jugo absolvit, ut legibus Ecclesiæ & receptis passim moribus obsequeretur. Postremò denique author est Hincmarus, quanquam Trevirorum civitas primæ Belgicæ, Remorum secundæ caput esset, inveteratam hanc tamen & illibatam viguisse consuetudinem, ut qui ex his Metropolitanis ordinatione prior esset, is primas etiam honoris & sedis haberet prærogativas. *Ecclesia Remensis & Trevirensis, comprovinciales atque sorores, ex authoritate & ex antiqua consuetudine habentur : ea conditione, ut qui prior earum fuerit Episcopus ordinatus, prior etiam habeatur in Synodo, & sibi mutuo consilio & auxilio, foveantur, atque fulciantur.* (*Flodoar. l. 3. c. 13 & 20.*) Quæ Provinciæ utriusque in Concilio uno sancta societas & conditio, ejus simillima est, quam voluit in Anglia esse Gregorius : & quæ primis Ecclesiæ sæculis solebat esse, quando stimulante utilitate Ecclesiæ, & fraterna inter se charitate devincti Metropolitæ plures, ad Synodum ipsi conveniebant.

II. Cæterùm ne quis in posterùm sine certo jure, id est, sine delegatione Sedis Apostolicæ, & ejusdem Nationis Episcoporum consensu, Primatis nomen usurparet : & ne Metropolitani eodem amplius nominis honore abuterentur, quòd eo olim

Metropolitæ omnes usi essent: eam in rem Constitutionem edidit Carolus Magnus, quam leges si voles in ejus Capitularibus. Nec obscura ejus vel ratio esse potest, vel æquitas. Nova quippe Ecclesiæ disciplina novam ei nomini significationem invexerat, ut non alii tunc intelligerentur in Occidente Primates, quàm qui vices Apostolicas gestarent. *Ne*
L. 7. c. 336. *alii Metropolitani appellentur Primates, nisi illi qui primas Sedes tenent, & quos sancti Patres Synodali & Apostolica authoritate Primates esse decreverunt. Reliqui verò qui alias Metropolitanas sedes sunt adepti, non Primates, sed Metropolitani vocentur.*

III. Quod ad Primatum jura attinet, pluribus jam suprà de illis. Omnia ferè coegessit Leo Papa in sua ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum
Epist. 86. c. 6. Epistola. Docet enim ejus esse muneris: 1. ut Episcopos & Metropolitanos electos antè confirmet, quàm ordinentur. 2. Ut lites dirimat, quæ in Concilio Provinciali decidi nequiverint. 3. Concilium Nationale ex toto Exarchatu convocet. 4. Curet ut per omnes ditionis suæ Ecclesias, disciplinæ Ecclesiasticæ leges sanctissimè & quàm diligentissimè observentur. Si cui malo mederi non possit, Pontificem admoneat. 5. Denique Metropolitanis, Episcopis, cæterisque Clericis, qui patria exire & Ecclesiis suis abesse volent, formatas det seu communicatorias litteras. Hæc prima Ecclesiæ ætate ante annum quingentesimum, hæc secunda similiter obtinuere, usque ad annum octingentesimum.

IV. Unum superest enucleandum de Primatibus Vicariisque Apostolicis, nimirum necum Principum temporalium Episcoporumque consensu instituerentur. Docuit suprà Carolus Magnus Primates constitui, *Synodali & Apostolica authoritate.* Ubi habes consensum ejus gentis Episcoporum. Primatum Justinianæ primæ obtinuit à Pontifice Justinianus ipse. Primatem seu Patriarcham Aquileiæ patrocinio & auxilio suo fovebant, ut mea fert opinio, Reges Longobardi. Cœpit, ut suprà dictum est, Rex, aut Regum nepotum suorum tutor Guntramnus, quod erat Lugduoensi Episcopo datum, ut Patriarcha diceretur, id authoritate sua defendere. Quæ erat velut Primatûs tessera, pallium, multo tempore nonnisi consentiente Imperatore & postulantibus Regibus à Pontifice concessum est Episcopis. Convenerat sine dubio inter Childebertum Regem, Pelagiumque Papam, de universo illius regno Primati Arelatensi subjiciendo. Ideo nonnisi petente Rege misit Pontifex ad Arelatensem pal-
Pelag. Ep. 7. lium, cum Apostolicis vicibus. *Litteras nostras præfato Consacerdoti nostro Sapaudo, secundum petitionem vestram direximus, usum pallii pariter concedentes.* Hæc Pontifex ad Childebertum Regem. Gallorum Dux & Princeps Carolomannus Bonifacium Papæ Legatum cum Concilio Liptinensi in Archiepiscopa-
Anno 743. Concil. Lipt. c. 1. tûs possessionem misit. *Per consilium Sacerdotum religiosorum & Optimatum meorum ordinavimus per civitates Episcopos, & constituimus super eos Archiepiscopum Bonifacium.*

Zacharias ipse de eodem ad Episcopos nostros
Conc. Gall. to. 2. p. 549. Vicariatu hæc scribebat: *Habetis itaque nostra vice, ad confirmandam dilectionem vestram, & collaborandum vobis in Evangelio Christi, Bonifacium Archiepiscopum Apostolicæ Sedis Legatum, & nostram præsentantem vicem.* Ad Angliæ Reges Gregorius Magnus plures perscripsit Epistolas, cum ad eos Augustinum misit, Ecclesiarum restauratorem. Supra jam ostendimus Cindesunthis Regis precibus cessisse Pontificem, ut Primatus Hispali Toletum transferretur.

V. Subtiliter & elimatè de Principum, Pontificum & Episcoporum potestate, potestatisque certis limitibus disceptare, alienum est à nostro hic instituto. Adde quod & infinitum id foret & infructuosum. Tuenda sunt ea potius, quæ communi ultro citroque consensione & utilitate facta sunt, quàm quæ fieri potuere. Una ut sit regula charitas, quæ totum Ecclesiæ corpus, caput & membra, summa imaque vegetet: non cupiditas inquieta semper & præceps eorum, qui gloriam & principatum aucupantur, vel eo nomine ignobilem, quòd à quiete & pace publica abhorreat. Friget, languetque pietas & Religio Pontificum, frustranturque optima quæque eorum consilia, nisi mundi Principes obsecundantes habeant; nec auspicatos habent usquequaque exitus, nisi consensione firmentur & conspiratione Episcopalis Collegii. Necesse est ergo Pontificali, Episcopali, Regiaque authoritate consentiente perfici res istiusmodi, Sacerdotii Regnique rationibus implicatas.

---

## CAPUT XXXIII. *P. 3. l. 1. c. 5.*

## De Primatibus, & Exarchis per Occidentem & Orientem, imperante Carolo Magno ejusque stirpe Regia.

*I. Primates in Occidente non fuere, nisi qui vices sustinebant sedis Apostolicæ. Eversa Arelatensi Primatu, primus eo honore perfunctus est Bonifacius, personæ ejus, non Sedi indulto.*

*II. Drogo Metensis Archiepiscopus Caroli Magni filius, à Sergio Papa II. eadem ornatus dignitate, indigne & molestissime ferentibus rei novitatem Gallicanis Episcopis cessit, clarior abjecta, quàm adepta potestate.*

*III. Eadem primæ Sedis Vicariatu Ansegisus Senonensis Archiepiscopus à Joanne VIII. ubi donatus fuit, Gallicani Episcopi, tum Imperatori, tum Papæ constantissime restitere.*

*IV. Personæ Ansegisi tantùm ad dignitatis collatum fuerat. Argumenta.*

*V. De Vicariatu, quem idem Joannes VIII. Rostanio Arelatensi contulit.*

*VI. An Primas etiam tunc diceretur Lugdunensis Archiepiscopus.*

*VII. Carolus Magnus nomine Primatus Metropolitanos interdicit.*

*VIII. Hincmarus Primates vocat ex Metropolitanis eos qui nulli parent Primati. Quæ contra possint objici.*

*IX. Tilpinus Remensis in numero fuit Metropolitanorum.*

*X. De Primatu Cantuariensi.*

*XI. De Toletano.*

*XII. Avaricum Biturigum verè sub Caroli Imperio Primatum obtinuit, gessitque.*

*XIII. An Ticinensis, seu Papiensis in Italia Episcopus, Primas fuerit.*

*XIV. In Oriente etiam per hæc tempora Primatia omnes, otiosa & jurisdictionis inanes fuere, solo nomine & titulo clara.*

I. QUòd jam ad nauseam usque inculcatum est, Patriarchas eosdem fuisse, ac Primates, liquet rursum ab exemplo Bituricensis Archiepiscopi, qui tum demum Patriarchæ nomine cœpit fulgere, cum Regni Aquitanici Primas creatus est. Toto passim orbe Christiano, Imperiorum Regnorumque principes Civitates, eadem & nominis & potestatis gloria floruere, Alexandria & Antiochia, Roma vetus & nova. Sed cùm unus verè totum Occidentem complectatur Romæ Patriarchatus, qui hîc Primates, seu Patriarchæ dicti sunt, non potuere nisi delegationem & vices Apostolicæ sedis obtinere. Ideo & Bonifacius hujusmodi potestate triginta & sex annis perfunctus, non aliam quàm Delegationis gloriam ostentabat, cùm ad Stephanum II. Papam ita scriberet. *Si quid in ista*

Conc. Gall. To. 2. p. 7. 74. 75.

*Legatione Romana, qua per triginta & sex annos fungebar, militatis peregi, adhuc augere desidero.* Eodem illum Delegati nomine ornat Adrianus I. in Epistola ad Tilpinum Remensem Archiepiscopum. Erat inter Metropolitanas civitates Moguntia, quippe quæ Germaniæ primæ caput esset. Sicubi obstrepit Otlonus in vita Bonifacii, de tristissimis illis intelligendus est temporibus, cum Metropoles omnes obrutæ jacebant, quod & Bonifacius jam ipse supra testificatus est. Quod prælibatum jam est autem de Primatu Moguntino ad vitam Bonifacii coarctato, id pluribus jam argumentis firmari operæ pretium est.

Anno 844.

II. Post Bonifacii obitum, qui primus assurrexit ad Apostolicum Vicariatum, is fuisse videtur Drogo Metensis sive Episcopus, sive Archiepiscopus, quode aliàs. Cùm enim patruus esset Imperatoris Lotharii, ejusque jussu Romam profectus, existimavit Sergius II. Papa, initurum se gratiam à Regiæ stirpis Francorum Principibus, si hanc Drogoni Legationem conferret in Gallias & in Germaniam. Non temperavit sibi Hincmarus, quin primò quidem eam qua exhilaratus fuerat lætitiam proderet in posteros, ex eo quòd annis omnino octoginta, vel nonaginta etiam inter Bonifacii obitum, & Drogonis Legationem elapsis, Galliarum Metropolitani Primati prorsus nulli mancipati fuissent; Ecclesiasque suas solis Regum & Romanorum Pontificum auspiciis freti administrassent.

Hincmar. Tom. 2. pag. 317.

*Hactenus Provincia Cisalpina, temporibus Pipini Regis & Caroli, ac Ludovici Imperatorum, sine hoc Primicerio vel Primate à sede Apostolica delegato, annos circiter nonaginta, viginti tres manserunt, Metropolitanis singulis suo jure servato, Apostolica sedis favore, & Principum suorum dispositione.*

Pati fuit hîc Hincmarus tum animi magnitudine, tum moderatione. Drogonis enim primùm retudit audaciam altius se efferentis: tum ejusdem postea modestiam justissimis laudibus affecit, in cœlumque extulit: ubi cessisse illum vidit Metropolitanorum conspirationi unanimi adversus ejus dignitatis novitatem invidiosam, qua ut unus extolleretur, deprimebantur omnes. *Quod affectu ambiit, effectu non habuit; & quod efficacia usu, non consentientibus, quibus intererat, obtinere non potuit, patientissimè, ut eum decuit, toleravit; ne scandalum fratribus & consacerdotibus generans, schisma in sanctam Ecclesiam introduceret. Quem tanta generositatis ac dignitatis virum, quisque nostrûm imitari debuerat, ne indebitè appeteret, quod non habebat, qui sine contentione non exequi pertulit, quod adeptus fuerat.* Sergius quidem ut Episcoporum assensum eblandiretur, ostentaverat Drogonis dotes singulares prorsus, quòd Caroli Magni filius, quòd Imperatorum Regumque frater & patruus, quòd sanctitate morum conspicuus, quòd eruditione propè singulari esset. Sed vicit hæc summi Pontificis encomia Drogo, vicit splendorem ipsum tantæ dignitatis modestiæ laude longè splendidiore. Ecquis enim ambigit, quin perfringere potuerit hæc repagula, Pontificia, Imperatoria, Regiaque suffragatione & potestate subnixus?

Anno 844. c. 1.

Concilii Vernensis II. Patres hujus instituendæ dignitatis primos conatus eluserant magis, quàm represserant, illud nimirum causati, tametsi meritis Drogo hunc dignitatis apicem æquaret, expectari debere tamen numerosiorem Synodum Metropolitanorum Franciæ Germaniæque, quorum in eo causa vertebatur. *Expectandum, quàm maximus cogi potest, Galliæ Germaniæque conventum, & in eo Metropolitanorum reliquorumque Antistitum inquirendum esse consensum, cui resistere nec volumus, nec valemus.* Hinc & inde ergo humanitati, charitati, & modestiæ serviebant; Drogoni abunde esse visum est, quòd semel Concilio Metensi præfuisset, quodque Pallio uteretur Ludovici Pii precibus Roma misso, quòd denique Apocrisarius Papæ, & Imperatoris Archicapellanus renunciatus esset. *Ut una cum prædicto ministerio & Imperatoris, & Apostolica sedis, etiam usu pallii potiretur.* Hinc illi forsan additum frequentissimè Archiepiscopi nomen, cùm Metensis civitas locum nunquam habuerit nisi inter urbes Episcopales.

Anno 876. Pontigonense Concilium.

III. Non multis post annis Carolus Calvus Imperator stitit ipse se Concilio Pontigonensi, inter Legatos Pontificios Roma advectos, Legatus & ipse; Concilioque obtulit Decretum Joannis VIII. Papæ, quo Vicariatus Apostolicus in Gallias & Germanias cis Rhenum, Ansegiso Archiepiscopo Senonensi mandabatur. Aliquanto antè Romam profectus Ansegisus, eas artes machinasque explicaverat, quibus Carolo Calvo partum, & attributum fuerat Imperium. Primatis istiusmodi jus erat, ut Concilia cogeret, causas ibi decideret majores, decreta & desideria summi Pontificis Episcopis Gallicanis significaret, ipsumque vicissim Pontificem certiorem faceret de rebus quibuscumque ejus momenti, ut tanti esset eas ad illum referri. *Ut quoties Ecclesiastica utilitas dictaverit, sive in evocanda Synodo, sive in aliis negotiis exercendis, per Gallias & Germanias Apostolica vice fruatur, & decreta sedis Apostolica per ipsum Episcopis manifesta efficiantur; & rursum qua gesta fuerint, ejus relatione si necesse fuerit, Apostolica sedi pandantur, & majora negotia ac difficiliora quaque suggestione ipsius à sede Apostolica disponenda & enucleanda quærantur.* Flagitantibus Episcopis, ut legenda sibi permitteretur Epistola, quam ad eos hac de re Pontifex scripserat, constantissimè recusavit Imperator. Itaque vicissim & Episcopi ipsi constantissimè responderunt, Obtemperaturos se Pontifici, salvis integrisque privilegiis Metropolitanorum, convenienter Canonicis Regulis, & iis Pontificum statutis, quæ ad Canonum normam essent contemperata. En ipsa eorum verba: *Ut servato singulis Metropolitanis jure privilegii, secundum sacros Canones, & juxta decreta Romana sedis Pontificum ex eisdem sacris Canonibus promulgata, Domni Ioannis Papæ Apostolicis jussionibus obedirent.* Summa virium contentione nixus est Imperator, ut simpliciter sponderent morem gerere Pontificiis mandatis: quin & Apostolica legatione munitum se fuisse affirmavit, quam explicaret in Synodo: *Tunc Imperator dixit, quòd Dominus Apostolicus ei vices suas commisit in Synodo.* Sed nihilo secius in sententia perstiterunt Episcopi, nec de priore constantia vel tantillum remiserunt. Jussit Imperator sedem plicatilem proferri, & ibi sedere Ansegisum supra omnes Episcopos. At infracti animi vir reclamavit Hincmarus, eo violari sacros Canones: *Hoc factum sacris Regulis obviare.* Unus omnium Frotarius Burdegalensis Archiepiscopus mandato Imperatoris obsequentem se fore professus, quòd ejus videlicet beneficio, à Burdegalensi tunc vastata ad Pictaviensem, & à Pictaviensi Ecclesia migrasset ad Bituricensem. Propositi sui tenax Imperator, rem proponi curavit in alia Sessione à Legatis cæteris, præsertim ab Episcopo Toscanellensi: tumque Epistola ipsa Pontificis perlecta est. Indeflexa nihilo secius animi firmitate

responsum est ab Episcopis, Præstituros se Canonicam Papæ obedientiam, quam præstitissent ejus prædecessoribus prædecessores sui. Promioribus auribus suscepta est hæc responsio, quòd præsens non esset Imperator. *Et respondentibus singulis Archiepiscopis, quod velut sui Antecessores illius Antecessoribus regulariter obedierunt, ita ejus decretis vellent obedire: tunc facilius est illorum admissa responsio, quàm fuerat in Imperatoris præsentia.* Postremò denique cum Imperator, tum Legati majori impetu, viriumque & argumentorum querelarumque contentione acriori constantiam Episcoporum expugnare rursus adgressi sunt, nec res felicius illis processit: experto Ansegiso tam infelices improbæ cupiditatis suæ exitus, quàm ingressus. *Tantundem in novissime, quantum & in principio Synodi exinde Ansegisus obtinuit.*

Ad calcem tamen Actorum hujus Synodi legitur charta consensionis Episcoporum in Primatiam Ansegisi. Sed cùm taceatur qui fuerint illi Episcopi, credere par est, furtiva hæc fuisse Capitula, ab Ansegiso & Legatis concinnata, & ab Odone Bellovacensi Episcopo subscripta, quem illi demeruerant; de quibus & ibidem mox hæc subjiciuntur: *Post quæ legit Odo Belgivacorum Episcopus quædam Capitula, à Legatis Apostolicis, & ab Ansegiso, & eodem Odone sine conscientia Synodi inter se dissona, & nullam utilitatem habentia; verùm & ratione & utilitate carentia.* L. 3. c. 33. *Et ideo hic non habentur subjuncta.* In causa id etiam fortasse fuit, ut hæc charta post Acta Synodi subjiceretur, ut quæ ad Acta Synodi non pertineret. Ideo & ab Aimoino prætermissa est, qui decreta tamen hujus Synodi diligentissimè est persecutus.

IV. Sunt etiam qui ne hac quidem charta concessam fuisse putent Ansegiso, nisi Primatiam brevissimam, cum ipso interituram, non trajiciendam in posteros. Nullum quippe ibi verbum fit, aut de Sede, aut de successoribus ejus, sed de ipso duntaxat. Quin & ipsa Pontificis Epistola, quæ Ansegisum extraordinaria hac potestate muniebat, disertè significat, ea honoris accessione remunerari Ansegisi privata merita, pietatem, prudentiam, & singularem in Romanos Pontifices fidem. *Talem quippe illum agnovimus, talemque circa sedem Apostolicam devotam & in commisso fidelem reperimus, ut merito ei talia committi posse ducamus; quin & his majora conferri debere illi sine cunctatione credamus, pro sua scilicet sanctitate & fidei merito, atque divinitus sapientiæ dono concesso.* Nihil ad Sedem, nihil ad Ecclesiam Ansegisi pertinebant hæc, sive merita, sive argumenta. Itaque æquius est credi, horum meritorum mercedem in illum unum privatum redundasse.

Quin & vacillasse videtur eodem tempore apud Pontificem Ansegisi existimatio & gratia; hinc enim Pontificis querelæ ad Imperatorem de suspecta Ansegisi fide. Epist. 17. Certè post interlapsum biennium cùm Trecensi II. Concilio præesset Joannes VIII. ipsemet, certum est affuisse Hincmarum & ante Ansegisum subscripsisse. An. 878. Marca de Prim. Lug. pag. 143. Flodo. Hist. Rem. l. 3. c. 21. Eodem anno scribens idem Pontifex ad quinque Archiepiscopos Galliæ, Ansegisum Hincmaro postposuit. Denique authore Flodoardo Ansegisi conatus improbos Hincmarus efficaciter repressit: *Cui conatui hic venerabilis Præsul efficaciter obstitit.*

Ansegisi Primatiam personæ vitæque ejus finibus circumscriptam fuisse, nec manasse ad successores, novo argumento docebimus. Centum quippe amplius pòst annis collata rursus eadem dignitas est Seguino Senonensi Archiepiscopo, sed ut nova omnino gratia, nulla prorsus habita ratione vel successionis Ansegisi, vel sedis Metropolitanæ Senonensis. Præfuit Seguinus Concilio Remensi anno 992. tanquam Legatus Joannis XV. Papæ. Exauctoratus ibi est Arnulphus Remensis Archiepiscopus, nequicquam obluctante Seguino Legato & Præside. Ann. 992. Triennio pòst conquesti sunt amarulentissimè Legati Pontificii de inflicto vulnere gravissimo majestati & juribus Sedis Apostolicæ, deposito citra ejus assensum Episcopo. Anno 995. Gallicani Episcopi sibi non defuerunt, causamque suam hac ratione tuiti sunt, quòd Concilio suo præfuisset Seguinus, innovata Legatione Apostolicæ Sedis, qua illum Joannes Pontifex induerat, & cujus obibat adhuc munera, magno Episcoporum Galliæ assensu. *Certè Seguinus venerabilis vitæ Senonensium Archiepiscopus, Domini Papæ Joannis vices per Gallias sibi creditas innovavit, & ita à latere Apostolici cum decreto privilegii veniens, ejus vices usque ad præsens, omnium Episcoporum Galliæ consensu prosecutus est. In hujus ergo præsentia Arnulphus seipsum sacerdotio exuit.* Ex his patet privilegium Ansegisi cum ipso pariter intermortuum fuisse, & in Seguino innovatum, aut potiùs ressuscitatum, ut novi instar haberet beneficii. Si qua fides Chronico Altisiodorensi, Leothericus Seguini successor eadem Apostolica Legatione palliòque decoratus est. Sed cavesis, ne huic eidem Chronico fidem habeas, ubi ait cassos cecidisse Hincmari conatus adversus Ansegisum. Nihilo plus fidei adjiciendum est Odoranno Senonensi Monacho, cùm fœdissimo partium studio indulgens, ait Ansegisum velut alterum Galliæ Papam fuisse, & hunc potestatis Primatum ad ejus etiam successores perpetuatum esse. Longè plus momenti est in argumentis contrariis suprà relatis. Quin & Odoranni impostura hinc proditur, quòd Joannis VIII. Epistolæ hanc affingat clausulam, ad successores Ansegisi dignitatem transfundendam esse, qua de re altissimum ibi silentium.

V. Inauspicatis his Ansegisi eventis adducimur ad revocandam in dubium ejusdem Joannis VIII. Epist. 93. 94. 95. Epistolam ad Rostanium Arelatensem, Episcoposque cæteros Galliæ ad restituendam aut confirmandam Arelatensis sedis antiquissimam Primatiam. Accipe Pontificis ad Archiepiscopum Epistolæ verba ipsa: *Quod juxta antiquum morem usum pallii ac vices Sedis Apostolicæ postulasti, & quia cunctis liquet* Conc. Gall. T. 3. p. 466. *unde in Galliarum regionibus fides sancta prodierit, cum priscam consuetudinem sedis Apostolicæ vestra fraternitas repetit, quid aliud quàm bona soboles ad sinum matris recurrit? Libenti ergo animo postulata concedimus, &c.* Eodemne ipso tempore instituebat Pontifex Primatus duos, qui sibi mutuò collidérentur, cùm tam Senonensis, quàm Arelatensis universam tunc complecteretur Galliam? An infelicitas Ansegisi non deterruisset Pontificem, ne quid istiusmodi aliquandiu saltem adgrederetur? An simile veri est, ut concessam ad enixissimas Imperatoris preces dignitatem, ipsemet mox everteret, excitata in Galliis æmula Arelatensi Primatia? An infractus ille vigor Episcoporum Galliæ, qui Imperatori ipsi coràm & Pontificiis Legatis in causa Ansegisi reluctari nec temporaria cum ingeri dignitate passi erant: elanguit, mutusque & elinguis fuit, cùm perpetua in Rostanium dignitas eadem conferretur. Eodem anno profectus est in Gallias Pontifex, præfuitque Trecensi Concilio. Quin ergo ipsemet tunc Rostanium illa investivit dignitate, & Sedi suæ ad-

servit? Quomodo Trecensi eidem Synodo subscripsit Rostanius non modò post Hincmarum & Ansegisum, sed etiam post Lugdunensem & Narbonensem Archiepiscopos? Quæ obtenduntur Epistolæ Joannis VIII. ex continuatam volunt, propagatamque ad posteros in Arelatensi sede Primatûs dignitatem antiquam. At nihil ab historiæ fide alienius commitisci poterant. Ostensum enim suprà est, Clodovei regia stirpe occidente, orbatam Archiepiscopis fuisse annis admodum octoginta Ecclesiam Gallicanam: unum suo ævo Archiepiscopum, hoc est, unum Primatem fuisse Bonifacium: post ejus interitum penes solos Metropolitanos fuisse totum Ecclesiæ Gallicanæ regimen per annos nonaginta, sine Primate, sine Vicario Apostolico, prisco more majores causas ad ipsum immediatè Pontificem referentibus Metropolitanis. Denique ex Epistola Niculai I. ad Rolandum Archiepiscopum Arelatensem perspicuum est, nullo tunc Primatu Arelatensem Ecclesiam potitam fuisse. Honoris ergo tantùm titulus erat, quo gaudere se voluerunt Arelatenses Episcopi, & quo Aurelianus Arelatensis Archiepiscopus fruebatur adhuc in Concilio Cabilonensi, paulò ante annum nongentesimum. *Aurelianus Primas totius Galliæ.*

*Ann. 864. Epist. Nicol. ad Roland. 10. in Appendice.*
*Ann. 894. Conc. Gall. Tom. 3. pag 532.*

VI. Haud scio, an Lugdunensis etiam Archiepiscopus spe præsumeret affectaretque Primatis nomen, antè etiam quàm illum Gregorius VII. ea potestate verè indueret. Aliquanto enim tempore ante Pontificatum hujus Gregorii sanctus Odilo in vita sancti Majoli Cluniacensis Abbatis, Ecclesiam Lugdunensem hoc ornaverat encomio, quod inter Gallicanas semper hactenus spectatissima & quasi princeps fuisset Ecclesias. *Deinde apud hanc urbem Philosophiæ matrem atque nutricem, & quæ totius Galliæ antiquo ex more & Ecclesiastico jure non immeritò retineret arcem.* Quibus id etiam adjiciendum est, quod Gregorius ipse VII. in Privilegio Lugdunensi confirmari magis à se antiquum, quàm novum concedi Primatum, affirmare videatur. *Confirmamus Primatum super quatuor Provincias Lugdunensi Ecclesiæ tuæ & per eam tibi tuisque successoribus.*

*Bibliot. Cluniac. p 282.*

VII. Occasio forsan hinc nata, ut in Capitularibus suis vetaret Carolus Magnus, ne passim Metropolitani Primatum nomen arrogarent sibi: sed hi dumtaxat, quos *sancti Patres synodali & Apostolica authoritate Primates esse decreverunt.* Decretum integrum prompsimus capite superiori.

*L. 7. c. 342.*

VIII. Viam sanè aperuerat Hincmarus, qua ad usurpandum Primatis nomen pleique Galliæ Metropolitani progredi poterant. Rem suprà aperui, & ipsa intexui Hincmari verba. Hîc ergo actum non agam. Hinc autem patet omnes pene Archiepiscopos Galliæ eo sensu Primates sibi videri & dici potuisse, antequam Bonifacius crearetur Legatus, & postquam ea Legatio cum ipso expiravit. Eodem enim teste Hincmaro suprà patuit, ab obitu Bonifacii usque ad ambitiosum Drogonis conatum per annos nonaginta solos regnasse sub Romani Pontificis potestate in Gallia Metropolitanos. Denique cum Drogonis, Ansegisi, & Rostanii luctæ ad obtinendum Primatum tam infelices fuerint, hinc manifestum Metropolitanos Galliæ omnes prorsus Primatum nomine abuti potuisse, eo sensu, quem Hincmarus excogitarat.

*Suprà cap 32. n. 3.*

Communicatum quidem fuerat nomen *Primatis* aut *Episcopi primæ Sedis* prioribus sæculis cum omnibus Metropolitanis: sed tunc temporis nihil præcipui splendoris aut juris ei adhæserat nomini, quo Metropolitani alii aliis anteponerentur. Quin meram spirabat modestiam hoc quidquid erat nominis. Quocirca monuimus jam suprà, Africanos Episcopos antiquæ hominum sobrietatis amantiores, id studiosè secutos esse, ut Primates, vel primæ sedis Episcopi dicerentur, qui alibi Archiepiscopi, & Episcoporum Principes gloriosiùs, ipsorum quidem sententia, dicebantur. At posterioribus, mediisque etiam sæculis, ubi invaluit usus, ut Primatis voce innueretur authoritas Metropolitanis amplior, jam integrum iis non fuit exoletas priorum sæculorum voces, aut vocum significationes renovare.

Potuisset forsan Hincmarus nonnihil assurgere supra aliquos Metropolitanos, si Pontifex spopondisset, in seque recepisset, immunes semper posthac fore Remenses Archiepiscopos à subjectione Legatorum, sive ordinariè, sive extraordinariè in Gallias mittendorum, aut in Galliis etiam constituendorum. Sed nec vestigia usquam extant hujus privilegii: & à veri similitudine abhorret, Pontifices ita voluisse suam in posterum authoritatem his vinculis constringi.

Refert quidem Hincmarus Remensem Ecclesiam nulli unquam Primati, præterquam summo Pontifici paruisse, nisi brevi illo temporis intervallo, quo vacua fuerat & orbata proprio Præsule, commendata autem interim, perinde ut Trevirensis, inclyto Martyri & Legato Bonifacio: postquam exturbatus ab ea fuerat per vim nefariam Rigobertus, sub Caroli Martelli Principatu: *Quæ nunquam excepto Romano Pontifice Primatem habuit, nisi quandiu ejecto sine ullo crimine ab ea suo Pontifice Rigoberto, violentia Milonis Tyranni, tempore Caroli Principis, Pastore vacans, Bonifacio Apostolicæ Sedis Legato aliquandiu, sicut & Ecclesia Treverensis, commissa fuit.* Adde quod ut constaret fides huic privilegio singulari, necessum esset comprobari, omnes olim Franciæ Metropoles in ditione fuisse Primatis Arelatensis, sub Clodovei regnatrice familia, solamque ejus jugi immunem fuisse tunc Remensem. Pontificum literæ, quibus Arelatensis Primatus constituitur, ne uno quidem verbo hanc Remensem immunitatem indicant. Adde rursum quod ubi Gallicani Metropolitani tot ediderunt documenta inexpugnabilis constantiæ suæ in Conciliis Pontigonensi & Trecensi adversùs audaces Ansegisi Senonensis conatus: magno quidem præ cæteris animo Hincmarus, sed pro communi tantùm causa certavit, nec suæ magis quàm aliorum Metropolitarum tuendæ dignitati servivit. Omnium ergo Metropoleon Gallicanarum una erat & communis causa: & si vicisset Ansegisus, æquè Hincmarus ejus potestati substratus jacuisset, atque alii Metropolitani.

*Hincmarus To 2 p. 258.*

Nec alia ratio est Drogonis Primatiæ, quam hac maximè regula labefactare visus est Hincmarus, quòd ad Pontificum Regumque gloriam & utilitatem magni referret, ut canonica & prisca libertate fruerentur semper Metropolitani, nec ab ullo penderent vel Legato, vel Vicarias agente Pontificis partes: cùm jam inde ab obitu Bonifacii citra ullam eorum operam satis belle prospectum fuisset Ecclesiæ Gallicanæ. *Metropolitanis singulis suo jure servato.*

IX. Quod verò circumfertur Adriani I. privilegium Tilpino Remensi collatum, sollicitante multis ad Pontificem precibus Carolo Magno; purum putumque illud est Metropolitanorum privilegium, quanquam ex antiquis usûs reliquiis nomen ibi sonet Primatis; prisco quippe more Diœceseos Primas

Flodoard. Hist. Rem. L. 2. c. 17. nominabatur, qui postea Metropolitanus. *Remensem Episcopum & Primatem illius Diœcesis, &c. In sola subjectione Romani Pontificis permanens, Diœcesin & Parochiam Remensem studeas gubernare, &c.*

X. Excurramus in Angliam, ubi Dunstanus Cantuariensem gestabat Archiepiscopatum. Is Romam profectus Pallio, unàque Legatione Apostolica exornatus à Papa, Patriarchatum Angliæ induit, ut loquitur ejus vitæ scriptor. Cap. 29. *Magnificè Pontifex illum honoravit, ac stola sui Apostolatus, pro qua venerat, decentissimè decoravit. Sicque delegata ei Legatione Apostolicæ sedis Genti Anglorum Pastorem dedit. Itaque vir Dei Roma reversus, & in Patriarchatum Primæ sedis Britanniarum receptus, &c.*

XI. In Hispania affirmat quidem Alcuinus Elipandum Toletanum Episcopum supra alios Episcopos eminentiori dignitate fulsisse: sed ea, ut opinor, erat honoris & sedendi prærogativa, in nuperis Toletanis Conciliis ei tributa, non certa judiciorum potestas vel appellationum, quæ propria est vis & authoritas Primatum, quo nunc à nobis sensu ea vox intelligitur. *Elipandum sicut dignitate, ita etiam perfidiæ malo primum esse in partibus illis agnovi.*

XII. Certum illud ratumque ex his emergit, post Bonifacii obitum, quandiu rerum potita est stirps Caroli Magni, nullam Occidente toto veram & germanam floruisse Primatiam, præter Bituricensem. Cui siqua alia addenda foret, Cantuariensis ratio potior esset. Cùm de hac, tum de aliis posterioribus mox disputatio peculiaris instituetur. Silui hactenus Legationem mandatam Ansgario Archiepiscopo Hamburgensi à Gregorio Papa IV. in Danos, Suecos, aliasque ad Septentrionem exporrectas gentes: qualis olim de mandata fuerat Ebboni Remensi Archiepiscopo: ut perhibetur à sancto Remberto in Ansgarii vita, cujus & imitator & successor fuit. Inhærebat personæ ista quoque Legatio, nec ad successores trajiciebatur. Prolixiùs de ea inferius. Interim autem hîc animadvertisse juvabit, cum novæ infidelium gentes vel infundebant se Christiani Imperii Provinciis, vel ad earum fines tumultuabantur, adversus novos hostes, novis præsidiis, novisque Ducibus opus fuisse, & Apostolicos Vicarios ad hæc munia plerumque fuisse destinatos. Id supra manifestatum abunde est, cùm Legatione Apostolica munitos vidimus Primarios Archiepiscopos, qui gentium recens ad fidem conversarum, vel propediem convertendarum saluti invigilarent, Francorum in Gallia, Visigothorum in Hispania, Gothorum & Longobardorum in Italia, Anglorum Saxonumque in Britannica Insula.

XIII. Retro flectenda sunt vestigia ad Joannem VIII. cujus rursum Epistola nobis scrupulum movere potest, hîc eximendum. Epist. 139. Jubet Pontifex Mediolanensem Ravennatemque Archiepiscopos cum Suffraganeis convolare ad Concilium, quandocumque convocatum illud fuerit à Papiensi Episcopo, vel successoribus, ad magni ponderis libranda judicia, quæ majoribus ideo in Conciliis diffiniri æquum esset. *Apostolica authoritate jubemus, ut quoties Ioannes Ticinensis Episcopus & post eum sui successores vos, vestrosque vocaverint, pro emergentibus quæstionibus eximendis, continuò beato Petro Apostolo obedientiam exhibentes, convenire non differatis.* Porro tam insolens prima fronte videtur hæc delegatio, ut justissimæ sint dubitandi causæ, an Archiepiscopi tantæ famæ & potestatis duo ei morem statim gesserint: an prælusorius hic fuerit conatus Pontificis, qui pro Ecclesiæ suæ ingenio, & prædecessorum more & spectatissima indulgentia, à proposito mox resilierit, obsecundans precibus & rationibus Præsulum, quorum jura minuebantur: vel schismatis scandalique periculum prævertens, ut in causa Ansegisi & Drogonis comprobatum supra est. Adde quod nec illa quidem Epistola continet donatque omnia Primatum jura. Imò quod in illis primarium est, omnino ibi reticetur, nempe de appellationibus judicandi. Solùm denique convocandi tota ex Longobardia Concilii conceditur potestas. Conjiceret forsan non temere quis duos Metropolitanos de jure congregandi Concilii tam diu & tam pertinaciter digladiatos esse, ut pertæsus Pontifex in Ticinensem Episcopum illud transtulerit. Idem Pontifex Concilium Ticini præsens ipse habuit, ubi ante Ticinensem subscripsit Mediolanensis. Sed non vacat, & forsan tanti non est, expendere, an Epistola & Privilegio anterius posteriusve sit Concilium.

XIV. Supersunt paucissima de Græcorum moribus usibusque perstringenda. In Can. 1. Conc. Constant. 1. Tradit Balsamon in primigenia Ecclesiæ disciplina nihil tritius, nihil stabilius fuisse, quàm ut Provinciæ suę moderaretur unusquisque Metropolitanus, & à Comprovincialibus Episcopis ordinaretur ipse. Cùm universim hoc teneret, exceptiones tamen erant, quas alibi attigimus. Addit Balsamon ab eo primum jure recessisse Constantinopolitanum Concilium I. cùm Episcopo Constantinopolitano subjecit Metropolitanos Ponti, Asiæ & Thraciæ, cùm nonnullis aliis, eorumque ordinationem illi permisit. Addit denique Bulgariam quidem suo munitam fuisse privilegio à Justiniano Imperatore, Cyprum ab Ephesina Synodo, Iberiam à Concilio Antiocheno sub Patriarcha Petro, qui Iberiam ita liberam esse voluit, ut non omnino ab Antiocheni Patriarchæ potestate eximeretur. Mens & sententia, ut reor, Balsamonis hæc est, Bulgariam, Cyprum, Iberiam ex privilegio Archiepiscopos habuisse, qui cum pluribus singuli præessent Metropolitanis, essent ipsi sub ditione alicujus Patriarchæ.

Cæterùm olim quidem ita habebant, at postea, ut idem ipse locupletissimus testis est, Primates illi, sive Diœceseon Exarchi, nominis sola gloria tumuebant, potestatis cujuscumque in Metropolitanos vacui & exortes. In Can. 9. Conc. Calched. *Exarchus Diœceseos est, ut mihi quidem videtur, non unius cujusque Provinciæ Metropolitanus, sed Metropolitanus totius Diœcesis, Diœcesis autem est, quæ multas sub se habet Provincias. Hoc autem Exarchorum privilegium non est amplius in usu. Etsi enim dicuntur Exarchi quidam ex Metropolitanis, sed tamen alios Metropolitanos, qui sunt in Diœcesibus, non habent omnino sibi subjectos. Est ergo veri simile, alios fuisse qui tunc erant, Exarchos Diœceseon, vel esse quidem adhuc ipsos, sed quæ eis data sunt à Canonibus privilegia, exolevisse.* Subdit etiam alibi Primatum Cypri, ab Ephesina Synodo firmatum, & à Trullana dilatatum in Hellespontum, & Cysicum In Can. 39. Conc. Trull. usque, funditus interisse, quod quidem ad jurisdictionem attinet. Ex quibus colligitur Primatus, seu Exarchatus omnes hoc ævo in Oriente & in Occidente ex æquo intercidisse, & rem tantæ quondam gloriæ ad vacuos & inanes titulos deductam fuisse.

CAPUT

## CAPUT XXXIV. *P. 4. l. 1. c. 10.*

### De Primatibus, ab Hugonis Capeti Regno, sive ab anno Christi millesimo ad hæc usque Tempora. Ac primùm de Primate Lugdunensi.

*I. Gregorius VII. Lugdunensem Archiepiscopum Primata donat in Metropoles Senonensem, Turonensem, & Rotomagensem.*
*II. Ex his Præsulibus duo obluctantur ingrata sibi novitati.*
*III. Rationes stabiliendæ hujus Primatiæ.*
*IV. Ut decertaverint Rotomagensis & Senonensis, ne novum subirent jugum.*
*V. Senonensis subit illud tandem.*
*VI. Denuo illud excutit.*
*VII. Ludovicus VI. Rex, cognomento Crassus, Patrocinium sumit libertatis Ecclesiæ Senonensis, revocatque quod detritum ex ea fuerat inconsulto Rege, Comprovincialium collegio, & Clero.*
*VIII. Ea res maxime Regem exasperabat, quod civitas Lugdunum jam olim à Regno alienata, necdum cum eo coaluerat.*
*IX. Coaluit rursum non multo post, & nullo tunc negotio Senonensis Provincia Lugdunensi Primati paruit.*
*X. Cur non ægrè eidem se subjecisset Metropolis Turonensis.*
*XI. Rotomagensis Metropolis nunquam subigi potuit Lugdunensi: illam tandem eximit Callistus III.*
*XII. Compendiosa hujus Primatiæ explanatio.*
*XIII. Firmissimum ejus fundamentum, Ecclesiæ utilitas.*
*XIV. De Primatu Rotomagensi.*
*XV. Quanti sit momenti jus appellationum.*

I. IMperante Carolo Magno & Regia ejus familia, quin & toto penè sæculo primo, quo regnum capessivit Hugo Capetus, ejusque clarissima stirps, summa videtur inter Gallicanos Metropolitanos æqualitas viguisse, ita eminentibus omnibus, ut nemo super immineret. Gregorius
An. 1079 VII. senescente jam undecimo sæculo, primus Gebuino Lugdunensi Archiepiscopo perpetuum contulit, ejusque successoribus Primatum in quatuor
L. 6. Epist. 34. 35. Provincias Lugdunenses. *Confirmamus Primatum super quatuor Provincias Lugdunensi Ecclesiæ tuæ, & per eam tibi, tuisque successoribus.* Scripsit idem Pontifex, & eadem de re, ad Archiepiscopos Rotomagensem, Turonensem, & Senonensem.

II. Fieri vix, ac ne vix poterat, quin tres Metropolitani certarent aliquantum pro libertate antiqua suarum Ecclesiarum: Regesque ipsi sua interesse ducerent, ne tres Regni sui Ecclesiasticæ Provinciæ in potestatem venirent Archiepiscopi Lugdunensis, eo certè tempore, quo Lugdunensis Civitas & Regio, non Galliæ, sed Burgundiæ suberant regno. Id præsagiebat Pontifex suo ipse animo, utque tam gravi occurreret periculo, præfatus erat, non institui à se novum, sed veterem restitui Primatum Lugdunensem, & confirmari. *Confirmamus.*

III. Non dissidet à veri similitudine Pontificem innixum fuisse Notitiæ Episcopatuum, quæ inserta erat Pseudo-Isidori operibus, & per orbem vul-
Anno 894. gabatur nomine Anacleti Papæ: *Tomus Anacleti.* Indidem fortasse & Cabilonensi Concilio data fuerat occasio, Aurelianum Archiepiscopum Lugdunensem, totius Galliæ Primatem appellandi. Tunc temporis enim hæc Isidori compilatio passim circumferebatur, & multis imposuerat. Provincia & Civitas Lugdunum primo ibi loco radiabat ante Lugdunenses alias. Satis momenti ac præsidii in eo tunc quidem visum est esse, quando exemplo tametsi parum fortunato Ansegisi, accensa erat Præsulum cupiditas complurium, imminendæ alienæ potestatis, suæ amplificandæ. Jam inde ab anno 853. & 854. Lotharius Imperator, cui ex tripartito Galliarum imperio obtigerat ea portio, quæ Burgundici postea Regni nomine designata est, & in qua cæteris civitatibus eminebat Lugdunum, id Spicil. To. 12 pag. 113. 114. plerumque in præcepris Regiis usurpaverat, ut Lugdunensem Ecclesiam inter Gallicanas primam dictitaret: *Lugdunensis sacra & prima Gallicana Ecclesia.* Suffragatur & Eusebii historia, huic Lugduni, & Christiani ibidem nominis antiquitati. Sanctus Odilo in vita sancti Majoli Cluniacensis Abbatis, eandem ita commendat: *Philosophiæ nutricem & matrem, & quæ totius Galliæ ex antiquo more,* An. 1046. *& Ecclesiastico jure non immeritò teneret arcem.* Nec parcior in ejus laudes Stephanus Tornacensis: *Prima Sedes Galliarum Lugdunensis, &c. Primas noster in gloria.* Epist. 92. Cùm hæc existimatio & fama Lugdunensis & Civitatis & Ecclesiæ animis hominum insideret, minimè mirum est, eadem opinione imbutum fuisse Gregorii VII. animum, ut non aliud arbitraretur à se, quàm antiquum ejus Primatum confirmari.

IV. Non ægrè assensus est Rodolphus Turonensis Archiepiscopus huic de Primatu Lugdunensi Decreto. Hinc illi sibique per Epistolas gratulatus est Gebuinus Lugdunensis Archiepiscopus. At hanc Ecclesiæ suæ dejectionem molestissimè tulit Richerius Senonensis Metropolitanus, haud immemor quantum sibi juris in universas Galliæ Ecclesias prædecessores sui non ita pridem arrogassent. Necdum centum anni effluxerant, ex quo Seguinus Archiepiscopus Senonensis in Concilio ad San-Dionysii Abbatiam habito, Primatum Galliæ sibi vendicabat: *Primatum Galliæ in ea Synodo sibi usurpans.* Ipsissima hæc verba sunt Aimoini, in vita S. Abbonis Abbatis Floriacensis. Ergo ut Senonensis Metropolitani assensus exprimeretur, Urbanus II. præcessoris sui Gregorii VII. Decretum innovavit, firmavitque in Concilio Claromontano. At cùm ne tunc quidem de sententia discederet Senonensis, pallii eum usu, omnique in Suffraganeos potestate mulctavit Pontifex, donec ad obedientiam suum ipse animum frangeret. Eadem pœna indicta est Archiepiscopo Rotomagensi tunc absenti, nisi intra trimestre spatium spponderet se pariturum. Episcopi utriusque hujus Provinciæ, qui Synodo intererant, novi Primatis jugum subiere. Ivo Carnotensis Episcopus, Juris sanè peritissimus, nec minùs sanctitatis & moderationis laude præclarus, id consilii Richerio insusurravit, ut impræsentiarum quidem serviret tempori, & Decreto se subjiceret Apostolico, dum per tempus liceret Ecclesiæ suæ jura & privilegia authentica eruere & pervolutare, quo tempestivius aliquando primævæ se redderet libertati. *Non est consilium meum, ut contra torrentem brachia* Epist. 118. *dirigatis, imò Apostolicis sanctionibus interim acquiescatis, absque præjudicio privilegiorum, vel authenticarum Scripturarum, si quando reperiri poterunt, quæ hanc subjectionem ab Ecclesia vestra removeant, & ejusdem Ecclesiæ libertatem defendant.* Cùm tam sapienter temperato consilio non acquiesceret Richerius, ejus se obedientiæ subduxit Ivo, nec interesse voluit inaugurationi Episcopi Aurelianensis, quam ille perficere ad castellum Uxellodunense meditabatur. *Om-* Epist. 54. aliàs 122. *nino recusavimus propter Primatum Lugdunensis Ecclesiæ, quem irrationabiliter refutat illa Sedes, & interdictum Sedis Apostolicæ.* Itaque Aureliæ sollicitante Rege celebrata est Aurelianensis Episcopi consecratio ab Ivone, cæterisque Senonensis Ecclesiæ Episcopis.

V. Fato tandem suo defunctus est Richerius, & An. 1096.

in ejus locum subrogatus Daimbertus. Hunc jussit Hugo Lugdunensis Primas & Apostolicæ Sedis Legatus, antè sibi sisti, & professionem obedientiæ *Epist. 58. aliàs 60.* edere, quàm inauguraretur. Dicto audientes fuere cum Metropolitano suo Provinciæ Senonensis Episcopi, & à consecratione Daimberti supersedere. Sed interim Ivo per Epistolas adiit Urbanum II. contestatus eo jure per Canones non posse uti Primates. *Eo jubente propter reverentiam vestram manus ab ejus consecratione continuimus. Cùm de professione à Metropolitanis Primatibus facienda nihil legamus consuetudine firmatum, vel legibus constitutum; ultra quas metas nihil concessum esse Primatibus testatur Papa Nicolaus.* Daimbertus Romam perrexit, ab Urbano ipso ordinatus est, eodem paulò pòst rediit, præsensque affuit Concilio, ubi instauratum est solenne judicium, & confirmatus Lugdunensis Primatus. Tunc denique recepit convolaturum se quamprimum ad invisendum Primatem, & ad præstandam illi canonicam obedientiam. Quod & strenuè perfecit. Totam narrationis hujus seriem contexuit Urbanus ipse II. in Epistola ad Hugonem Lugdunensem data, quam primus publici juris fecit illustrissimus Petrus de Marca, in eo quem de Primatu Lugdunensi scripsit tractatu luculentissimo. Ex quo palam est non ea necessitate constrictos fuisse Archiepiscopos, ut se Primati antè sisterent, quàm ordinarentur, quanquam id sibi juris Primas sumere vo*Epist. 65.* luisset. Ita non omni ex parte causa cecidit Daimbertus, nec nullum ei fructum attulere Epistolæ & consilia Ivonis, de quibus paulò antè. Sensit quidem Ivo, nec professionem obedientiæ à Metropolitanis præstandam Canonicis usquam legibus præscribi: qua in re assentientem non habuit Papam. Sed prolixiùs de ea professione suo infrà nos loco.

VI. Nec una ea in re temperarunt, aut retardarunt nonnihil Archiepiscopi Senonenses, cursum & progressum Primatûs Lugdunensis. Cùm enim Joannes Lugdunensis Primas Episcopos Senonensis Provinciæ vocasset ad Concilium, ubi vexanda erat causa de Investituris: illi rescripserunt fidentissimè, commodante calamum Ivone, nefas esse per Canones vocari Episcopos ad Concilia extra suam Provinciam, nisi summus Pontifex juberet, aut in Appellationum causis, cùm Ecclesia aliqua ad Prima*Ivo Epist. 236. aliàs 238.* tem provocabat: *Nusquam reverenda Patrum sanxit authoritas, nusquam hoc servare consuevit antiquitas, ut primæ Sedis Episcopus Episcopos extra Provinciam propriam positos invitaret ad Concilium, nisi hoc aut Apostolica Sedes imperaret, aut uni de Provincialibus Ecclesiis pro causis quas intra Provinciam terminare non poterat, primæ Sedis authoritatem appellaret.* Sperabat quidem Legatus, quatuor Lugdunenses Provincias velut in unam conglutinari Provinciam, cujus convocare posset ipse Concilium; aut cujus saltem vocare ad se posset Episcopos, ut in rebus intricatioribus, eorum consiliis fulciretur. Sed hæc erat vel inanis causatio, vel leviter præsumpta opinio, nullo *Epist. 239.* certo ex Canonicis regulis argumento. Itaque fefellit eum spes sua.

* Non in eo tamen se continuere Archiepiscopi Senonenses. Excusserant enim omnino Primatis jugum, quando Humbertus Archiepiscopus Lugdunensis hanc prætexuit Archiepiscopi Senonensis à Lugdunensi Ecclesia defectionem, ne interesset sive *Ann. 1146.* Concilio, sive cætui Episcoporum Carnuti adunando, ad disceptandas, & constituendas Ecclesiarum Orientalium rationes, quo invitatus fuerat à Sugerio Abbate, regni tunc absente Rege administro & rectore. Merito enim Primas dignitatem Primatus committere refugiebat cum eis qui illi non assurgebant. *Verùm quia nos pro officio Primatûs, ex parte domini Regis & Optimatum regni, ad colloquium quod apud Carnutum celebrari debet, invitastis, sciat charitas vestra; quod donec Senonensis Archiepiscopus in eadem causa Primatûs nobis derogari non veretur, & Apostolicis mandatis contumax & rebellis existit, pudor nobis est ad illas progredi partes, ubi domino Papæ contradicitur, & Lugdunensis Ecclesia debito honore fraudatur.* Viderint peritiores an istam obedientiæ detrectationem, etsi clementer, exprobret tamen Bernardus Henrico Archiepiscopo Senonensi. *Inter Epist. Sugerii 114. Du Chesne To. 4. p. 535.*

VII. Hinc ominatur Petrus de Marca non abs re, tum quidem Rotomagensem & Turonensem Metropolitanos Primati morem gessisse. Posset tamen quis addubitare nonnihil. Primatem enim alienare poterat à Concilio una illa magni momenti ratio, quòd habendo Concilio locus adsignatus esset is, ubi nulla ei observantia dependeretur; sive locis in aliis aliqua præstaretur, sive nulla. *Epist. 42. paulò ante finem.*

Sed observandum necessariò hîc nobis est, hanc Archiepiscopi Senonensis defectionem à Lugdunensi Primatu, & diuturniorem fuisse, quàm plerique putent, & vetustiorem. Nuperrimè enim una e sit è tenebris Epistola Ludovici Crassi ad Callistum II. Pontificem, qua magnos semper gerens animos Rex, quanquam bellicis procellis objiciendum esset regnum, & adeundum vitæ ipsius discrimen, testificatur non commissurum se, ut Francici Imperii decus novæ hujus servitutis dedecore obscuretur. *Ann. 1121. Spicil. To. 3. pag. 147.* *Sustinerem potiùs regni nostri totius incendium, capitis etiam nostri periculum, quàm novæ subjectionis & abjectionis opprobrium.* Interesse ad regii nominis majestatem & officium, eniti pro virili, ne vilescat Gallicanæ dignitas Ecclesiæ: & quo demum cumque colore fucaretur Primatus Lugdunensis, & quantacumque ei affingeretur antiquitas, libertatem Senonensis Ecclesiæ & certioribus & vetustioribus niti fundamentis. *Videtur ad nostrum respicere contemptum, contra nos hoc modo fieri, quod nunquam exstitit factum, &c. Si opponitur, quod Veterum institutio Lugdunensi Ecclesiæ Primatum contulerit, respondetur ex opposito, quod antiqua libertatis possessio Senonensem Ecclesiam ab ejus subjectione defendit.* Unum ex Archiepiscopis Senonensibus subscripsisse Primatui Lugdunensi, sed privato & furtivo assensu, inconsultis tum Ecclesiæ suæ Clericis, tum Episcopis Provinciæ, & ipsis maximè Regibus, qui nunc hoc dedecus detrectent, infectumque reddant, quod temerè & præcipitantiùs factum est: Ecclesiæ Regnique majestati non potuisse ullam inuri maculam per unius Præsulis ignaviam clancularium. *Facta est, ut dicitur, furtivè & latenter subjectio illa, nescientes scilicet Clero Senonensi, inconsultis etiam Episcopis illius Diœcesis, ignorante etiam Rege, in quibus omnibus dignitas pendet Ecclesiæ. Et subjectio taliter facta respicere potiùs videtur ad ignominiam malè accipientis, quàm ad incommodum Ecclesiæ nescientis. Res enim communis communi tractanda est consilio, non latenti & privato terminanda colloquio.* Alludant hæc Epistolæ Regiæ verba ad Daimberti professionem in civitatem Lugdunensem, ubi fecit, quod facturum se Papæ receperat, Primati obedientiam professus. Verùm hæc professio irrita habebatur à Clero, & ab Episcopis Provinciæ, qui assensi non erant, ut author hic Rex est, etsi Urbanus II. contrarium innuisse suprà videatur: sed irrita vel maximè habebatur à Rege; extra cujus & Episcoporum consensum non

poruerat Ecclesiæ Regnique cervicibus nova servitus illidi. Sed ultimo tandem Epistolæ suæ loco aperit Rex id, quo maximè movebatur, nempe quòd civitas Lugdunensis extra Regni tunc fines, & alienæ ditionis esset: ex quo non poterat non plurimum dedecoris redundare in Ecclesiam & in Regnum, si alienæ subigerentur potestati. *Videat dulcissime Pater, discretio vestra, nec civitas Lugdunensis, quæ de alieno est regno, de nostro floreat detrimento; nec subjiciatur amicus amico; quia si decipitur pro amico amicus, justè fiet de amico inimicus.*

VIII. Opportunus sanè hic locus est hujus controversiæ penitus extricandæ. Ex quo tempore Imperium Caroli Magni inter nepotes ejus, Ludovici Pii filios divisum fuerat: inter Francorum hinc regnum, inde Germaniæ Imperium, emersit quasi medium, quod Burgundiæ dictum est Regnum, quandoque etiam Regnum Arelatense. Hæreditaria tandem successione ad Germanos Imperatores hoc regnum devolutum fuerat, seriúsque & frustillatim variæ ejus Provinciæ alio & alio tempore in Gallorum Regum potestatem, à qua absciss æ olim fuerant, revocatæ sunt. Burgundici Regni civitatum princeps erat Lugdunum. Narrat Glaber, ut Henricus III. Imperator Archiepiscopatu Lugdunensi donaverit Adelricum anno 1040. (L. 5. c. 4.) Fridericus ejus nominis primus Imperator Heraclium Archiepiscopum Lugdunensem ejus civitatis ditione & dominio temporali investivit anno 1158. *Totum corpus civitatis Lugdunensis, & omnia jura Regalia, quæ in Lugdunensi Episcopatu ad Imperium pertinent, citra Ararim.* Compertum est trito etiamnunc vulgi sermone, terras *Regni* dici, quæ cis Ararim Rhodanumque sunt; quæ ultra, *Imperii*.

Ista etiam fortassis causa Romanos adduxerat Pontifices, ut Lugduni maximè Apostolicum Legatum Primatemque constitui cuperent: quòd Ecclesiasticæ jam ditionis ea urbs esset. Eo factum est etiam, ut duo Lugduni celebrarentur Concilia, magni prorsus splendoris in Ecclesiasticis Annalibus. Hujus operis contextu prodetur, complures alios ejusdem Burgundici, sive Aralatensis Regni Episcopos temporalem etiam civitatum regionumque Principatum assecutos, Imperatorum scilicet beneficio assensuque, sive expresso, sive tacito, sub quorum etiam tuitione semper erant. In causa illud ergo erat quamobrem abhorrescerent Galli Reges à Primatu Lugdunensi, ne Principes regni sui Ecclesiæ in alienam quodammodo ditionem venirent.

IX. Verùm si istas Burgundici regni urbes retinere suæque dominationi adserere diutiùs non potuerant Imperatores: nemo non videt, quantò acriùs Episcopis laborandum fuerit, ut ne sibi hæc Imperatoriæ seu beneficentiæ, seu conniventiæ dona extorquerentur. Caput extulere Duces, Comites, Delphini, & opimæ inhiavere ipsi quoque prædæ. Utqua ne extra cancellos expatier instituti mei, Foresienses inter Comites & Archiepiscopos Lugdunenses decertatum diu & acriter fuit: Franciæ Reges pacis publicique boni vindices interposuerunt sese aliquando; Cives Lugdunenses interpellarunt Ludovicum IX. Regem, sanctitatis gloria jam tum clarissimum, ut ab Archiepiscopo tuti essent. Qua erat is pietate, pacem illis reddidit. Philippus Audax ejus filius concordiæ fibulam arctiùs strinxit. Denique Philippus Pulcher Audacis filius à populo rursus adversùs Archiepiscopos exoratus advolavit & ipse, nec certiorem ullam dissensionum finiendarum rationem inire potuit, quàm ut civitatis regimen & dominium in manus ipse sumeret, & opulentissimam civitatem sibi priscæque Majorum suorum dominationi regiæ recuperaret. Excidit Archiepiscopus temporali urbis dominio, sed vicissim id consecutus est, ut ne Primatus Lugdunensis Ecclesiæ excideret posthac aut vacillaret. Quippe nec Reges nec Pontifices Gallos deinceps puduit, aut pœnituit, plerasque Regni Ecclesias in potestate esse Præsulis Gallicani. Multùm diuque desudavit Bonifacius VIII. ut temporalis ditio Archiepiscopo Lugdunensi redintegraretur: sed Philippus idem Pulcher cum Archiepiscopo & Capitulo Lugdunensi anno 1312. in has tandem conditiones transegit, ut temporale dominium penes Regem, Comitatus urbis penes Canonicos, Archiepiscopo Primatus suus deinceps inconcussus esset: *Regni primam Sedem inter cæteras Galliarum Ecclesias obtinere.* (Marca De Primatu Lugdun. p. 348.)

X. Non satis mihi quidem exploratum compertumque est, cur non eadem virium contentione decertarint adversùs Primatûs hujus novitatem, Turonensis, Rotomagensisque Archiepiscopi, atque Senonensis: & cur Rex ipse Ludovicus Crassus non exarserit nisi in defensionem Senonensis, securus & incuriosus geminarum harum Metropoleon. Non abs re tamen dici posset, Rotomagum & Normanniæ Ducatum juris tunc fuisse Angliæ Regum: Turonensis Metropolis plerosque suffraganeos Minoris Britanniæ, sive Armoricæ Duci paruisse, denique eam fortassa jam tum Provinciam promptioris in Apostolicam sedem obedientiæ leges secutam fuisse: Regesque adeo nostros propensiore cura & studio excubasse pro tuenda libertate Senonensis Metropolis, quæ propria erat Galliæ, & cui obnoxia erat regia ipsa urbs, Regnique Caput Lutetia. Non absurdè etiam conjiceret quis, Archiepiscopos Turonenses, quibus morem gerere detrectabant Britanniæ Armoricæ Episcopi, quòd ab uno ex suis, nempe à Dolensi Archiepiscopo regi mallent, certam sibi despondere victoriam non potuisse, nisi ab Apostolica sede; quam ut demererentur, ultrò uni Primati ab ea instituto subjiciebantur, quo sibi rebellantes plurimos Suffraganeos subjicerent. Huic conjectiunculæ nostræ aliquid accedet momenti ab uno ex Canonibus Concilii Claromontani juxta compendiariam quandam Editionem. Septimus is est Canon, quo uno confirmatur, & Lugdunensis Primatus in Turonensem Metropolim, & Turonensis Metropolis potestas in Episcopos Armoricæ. (Conc. Gen. Tom. 10. pag. 589.) *Turonensi Metropoli citerioris Britanniæ restitutio facta est. Lugdunensi Ecclesiæ Primatus restitutus est super Turonensem.*

XI. Sed non paulò operosius est divinare, quid sibi velit Matthæus Paris, ubi ait convocato apud Bituriges Concilio per Pontificium Legatum, sedere non potuisse Episcopos, ut in Concilio, propterea quòd Archiepiscopus Lugdunensis Primatum sibi vendicaret in Senonensem, Rotomagensis in Bituricensem, Auxitanum, & Narbonensem; eoque factum, ut tanquam in consilio, non velut in Concilio sederetur. (Ann. 1226.) *Sed quoniam Lugdunensis Archiepiscopus vendicabat sibi Primatum super Archiepiscopum Senonensem, Rotomagensis super Bituricensem, Anxianensem, Narbonensem, timebatur de discordia, & ideo non fuit sessum quasi in Concilio, sed ut in consilio.* Simillimum veri est sic emendandum esse hunc locum, mendis apertissimis scatentem: *Quoniam*

*Lugdunensis Archiepiscopus vindicabat sibi Primatum super Archiepiscopum Senonensem & Rotomagensem, & Bituricensis super Auscianensem, & Narbonensem.* Omnino enim dissidet à vero, quòd Rotomagensis quidquam sibi unquam juris arripuerit in Bituricensem, Auscitanum & Narbonensem. At veritati id apprime consentit, Lugdunensi jura quædam fuisse in Senonensem & Rotomagensem, fuisse & Bituricensi in Auscitanum & Narbonensem.

Sed illud magni certè ponderis est, quod ab eodem Matthæi Paris loco exculpimus: absolutum tunc fuisse Archiepiscopum Rotomagensem à jure Primatûs Lugdunensis, aut ne ab exordio quidem obnoxium ei se gessisse. Sunt porro & alia ejusdem rei invicta documenta. Anno rursus 1458. nullum non lapidem movit Archiepiscopus Lugdunensis, ut Rotomagensem Primatui suo substerneret. Causam hanc Callixtus III. Pontifex Cardinali Legato Dominico Capranicæ delegavit. Secundum Rotomagensem pronuntiatum est. *Post definitivam sententiam Rotomagensem Ecclesiam ejusque suffraganeos, atque suppositos, Romanæ Ecclesiæ immediatè & nulli alteri primatiali jure subesse, ipsi Archiepiscopo Lugdunensi super pratenso Primatiali jure, perpetuum silentium imponendo, pronuntiavit. Quæ quidem sententia nulla saltem legitima provocatione suspensa, in rem transivit judicatam.* Verba sunt hæc ipsissima Bullæ Callixti III. qui eâ Legati judicium confirmavit, & causidicorum damnavit quorundam audaciam inusitatissimam, qui velut ab abusu provocaverant. Nemo inter studiosos nescius est, necdum usitata tunc fuisse hæc verba, sed res ipsa eadem erat, idemque perfugium ab Ecclesiastica ad sæcularem potestatem. Nec Callixtus Pontifex, nec Legatus ejus tam facilè in irritum duxissent Decretum Gregorii VII. ab Urbano II. & Paschale II. confirmatum: si longo usu corroboratum fuisset. Finitimum igitur vero est ei Decreto nunquam cessisse Archiepiscopos Rotomagenses; Angliæque Reges, qui tum in Normannia summa potestate utebantur, Ecclesiarum suarum libertati non segnius, quàm Francos consuluisse.

*Rainal. an. 1458. n. 37. 38.*

*Du Chesne in Notis ad Bibl. Clun. pag. 61.*

XII. Hinc existunt aliquammulta, hic obiter adnotanda. 1. Lugdunensi Primatiæ in sui principatûs primordiis obtemperatum non fuisse, nisi in Metropoli Turonensi, ob eas forte rationes, quas attigimus. 2. Senonensem Metropolin tum demum in ejus jura concessisse, cum civitas Lugdunensis Francorum Regum ditioni recuperata est, ut hæc quasi esset beneficii vicissitudo. 3. Rotomagensem Provinciam nunquam assurrexisse Primatiæ Lugdunensi, & Pontificio demum dipplomate constabilitam fuisse hanc ejus libertatem. 4. Primarium & pene unicum jus Primatiæ hujus in Appellationibus situm esse. Alia potestatis documenta vidimus tentata, sed irrita cecidisse. Porro Appellationum juri suffragatur etiam Guillelmus Britto, sub Augusti Philippi regno.

*Du Chesne. To. 5. pag. 252.*

*Et Lugdunensis, quæ Gallia tota solebat,*
*Ut fama est, Pastore regi, causasque referre*
*Difficiles, ut ibi lis ultima litibus esset.*
*Nec mittebatur Romam lis ulla, nisi quam*
*Lugdunense forum per se finire nequisset.*

Appellationibus adjiciendæ Devolutiones, quando his dant locum Metropolitani, seu negligentia, seu pertinacia abnuendi confirmationes, ut institutiones Beneficiorum, propter quas ad ipsos primùm recurritur, & ab ipsis abnuentibus ad Primatem.

XIII. Hac igitur tantùm de causa, non propter alia Patriarcharum jura, Petrus Cluniacensis Abbas Petrum Lugdunensem Archiepiscopum Patriarchæ nomine illustrat; designatque quo distet ejus sive Diœcesis Episcopalis, sive Metropolitana Provincia, à Primatu longè plures complexo regiones: denique ad id fastigii eum extollit, quo sublimior sit solus Papa. Goffridus Vindocinensis Abbas Ivonem Carnotensem Episcopum per Epistolas commonuit, à Senonensi Archiepiscopo, quando obedientiæ tandem professionem Primati Lugdunensi edidit, omnem in eum collatam esse culpam prioris contumaciæ suæ; eaque de causa non mediocriter stomachatum in eum fuisse Primatem. Suprà tamen ostendimus sapientiæ & sobrietatis regulis accommodatum fuisse consilium, quòd Senonensi Ivo instillaverat. Sanè plerisque sui ævi scriptoribus oculatior Ivo, viderat rumores tunc de antiquo Lugduni Primatu ante Gregorii VII. tempora per orbem800 dititos, ex Notitia Episcopatuum sola emersisse, & ex quibusdam urbium Catalogis: *Primatum Lugdunensis Ecclesiæ, quem aliquando ex Catalogis civitatum conjicimus extitisse.* Adhibuit & Urbanus II. eandem vocem: *Et Catalogorum auctoritas; & sedis Apostolicæ idipsum contestabatur auctoritas.*

*L. 2. Ep. 28.*

*L. 3. Ep. 18.*

*Epist. 50.*

Ne tamen usque adeo indulgeas vel suspicionibus, vel obtrectationibus hominum imprudentium magis quàm indoctorum, ut incertis tantùm his Catalogis, vel æquè fluctuantibus rumoribus Lugdunensem Primatum superstructum existimes. Certum inconcussumque ejus fundamentum fuit utilitas Ecclesiæ. Qui primò saltem à limine salutarunt Ecclesiæ Annales, iis compertissimum est, Gregorii VII. vigilantia & indefessis laboribus, plerasque Ecclesias subductas fuisse corruptelis disciplinæ pestiferis innumerisque, in quas Clericorum vel incontinentia, vel impunè diu grassata simonia præcipites illas egerat. Porro Gregorius tam pii & necessarii officii Ministros habuerat Legatos à latere complures. Ad tædium usque inculcavimus Primates Occidentis Legatione tantùm & Vicibus Apostolicæ sedis insignitos fuisse. Compertum est his malis mederi non potuisse in Gallia Pontifices Romanos, nisi frequentioribus Conciliis indicendis, quin & suis etiam in Gallias profectionibus. Denique si tanto Galliæ quondam adjumento fuere & disciplinæ ornamento Arelatensis & Moguntinus Primatus: si Orientalibus Ecclesiis Exarchi sui commoda non mediocria importarunt: si Imperatores, si Galliæ maximè Reges, si Principes alii precibus non semel fatigarunt Pontifices, ut Legati Primatesque reformandis Ecclesiis mitterentur: quid vetat quominus pari æquitate & clementia temperemus judicium de Primatus Lugdunensis institutione? Qui illi primùm adversabantur Metropolitani, eos non immerito movebat extimulabatque libertas Ecclesiarum suarum. Verùm si culpandi in eo non fuere, aliquanto æquius laudandi fortassis erunt, quòd unius Ecclesiæ suæ decus posthabuerint utilitati & honori omnium, aut complurimarum Regni Ecclesiarum, quarum causæ hîc finiuntur, ut necesse non sit tantum emetiri iter, & tantum temporis impendiorumque conterere ad Romanos adeundos judices.

*Blondel. De la Primauté pa. 775.*

Iniquum & intempestivum est prorsus, Bullas Pontificum Gregorii VII. & Urbani II. putidis à Censoribus configi, quòd Primatum hunc cursim enarrando, exempla protulerint Flaminum & Archiflaminum Gentilitiæ superstitionis, aut Catalo-

gos & Notitias Civitatum, aut commentitias quasdam antiquorum Pontificum Epistolas, de quarum fuco & interpolatione nihildum suspicabantur viri etiam doctissimi. Frustra sunt, si sperant his criticorum argutiis labefactari posse inconcussa disciplinæ Ecclesiasticæ fundamenta, cùm Ecclesia veritatis columna sit, cùm disciplina ejus charitatis partus sit. Iterum iterumque moneo, nititur hic Primatus illis præsidiis omnibus & emolumentis, quæ per tot retro sæcula, ubique terrarum, Ecclesiis penè omnibus, ab hujusmodi, seu Primatibus, seu Exarchis accesserunt. Constat constabitque semper inexpugnabile hoc fundamentum: siquis aliunde color, si ornatus adsertus est ad speciem etiam quandam rei solidissimæ conciliandam: possunt peregrina hæc & adventitia ornamenta vel exolescere, vel abstergi: non tamen de rei ipsius stabilitate, de utilitate, de Ecclesiæ necessitate, de charitate, cui uni laboratum est, quidquam excutietur.

XIV. Quod ad Rotomagensem jam Primatum pertinet, ne fingi quidem is potest alius ab eo, de quo tam multa priùs, quòd nulli pareat Primati superiori, nisi Papæ. In eum sensum trahendus est Ordericus Vitalis, ubi refert Hugonem Archiepiscopum Rotomagensem, strenuam præ cæteris navasse operam Pontifici in Italia, vicissimque remuneratum ab eo fuisse concesso in multos Pontifices

Anno 1135. Primatu. *Hugo Rotomagensis Archiepiscopus ipsum summopere adjuvit, & ab eodem honoratus Primatum super multos Pontifices suscepit.* Primatus hic ipsissima est Metropolitica dignitas, ex priscorum privilegiorum confirmatione efflorescens, ut nulli unquam præter summum Pontificem Primati subjiceretur. Centum ampliùs pòst annis eo uno nomine sibi gratulabatur Rotomagensis Archiepiscopus sub Gregorio IX. qui patrocinio illum suo tegere satagebat, adversùs Ministros Regis Franciæ, ut pristinam illi libertatem adsereret, quò solius Papæ judicio obnoxius esset; sive spiritales ejus, sive tem-

Rainal. an. 1232. n. 26. porales causæ aliquæ ventilarentur. *Cùm Rotomagensis Archiepiscopus in spiritalibus & temporalibus nullum post Deum præter nos judicem habeat, de antiqua Rotomagensis Ecclesiæ libertate, ac ipsius consuetudine hactenus observata, &c.*

Si quibus autem in mentem veniret hoc Orderici Vitalis testimonium aptare verbis suprà relatis Matthæi Paris, & hinc uminari Primatum Rotomagensi collatum in Archiepiscopos Bituricensem, Narbonensem & Auscitanum: næ illi plus æquo indulgerent meris & inanibus conjecturis, quæ non possunt non evanescere, ubi certa serie ponderantur argumenta, in hoc caput jam congesta, & in proximè sequens congerenda, ubi de Primatu Bituricensi sermo instituetur.

XV. Porro si Lugdunensis Primatûs vim & potestatem ad solas revocavimus ferè appellationes: non disertum modo secuti sumus testimonium Guillelmi Brittonis, sed receptissimum tot interlapsis sæculis usum, cujus in istiusmodi rebus semper dominatur authoritas. Cæterùm quantum sit momenti in hac Appellationum dijudicandarum potestate, non facilè quisquam dixerit. Primò enim permagni refert, ut ne immediate ad Papam à Metropolitanorum sententia provocetur, sed in ipsius regni finibus iterentur judicia. Secundò juxta antiquissimos Canones præcellentissima & exors Patriarcharum & ipsius Romani Pontificis, supra alios omnes Metropolitanos potestas, in jure appellationum maximè sita erat. Denique tantò pluris facienda est hæc authoritas, quòd ea exciderint Primates alii per orbem Christianum omnes, solus ea liberè potiatur Primas Lugdunensis. Quod Petrus de Marca his verbis testatum fecit: *Jus idem dirimendarum appellationum Bituricensi, Burdigalensi, Narbonensi & Viennensi, licèt se Primates indigitent, extra Provincias suas non competit, imò nec ulli alteri Primati in Europa.* De Primatu Lugdun. n. 120.

---

## CAPUT XXIV. *P. 4. l. 1. c. 11.*

### De Primatu Bituricensi, Burdigalensi, Narbonensi, & Viennensi.

*I. Ut instituta primùm, discissa deinde fuerit Primatia Bituricensis.*
*II. Ut ei se subduxerit Metropolis Burdigalensis.*
*III. In historicas has rerum vicissitudines quadam observantur.*
*IV. Metropolis Burdegalensis iterum Bituricensi subdita fuit Primati, usque ad Clementem V. qui eam hoc vinculo exemit.*
*V. Eam Bituricensi rursum subjicere nititur Carolus VII. Rex.*
*VI. An aliquando Primas fuerit Archiepiscopus Burdigalensis.*
*VII. De duplici jure Primatus Bituricensis.*
*VIII. De Primatu Narbonensis Ecclesiæ in Aquensem.*
*IX. Et in Tarraconensem.*
*X. De Primatu Viennensi in septem Metropoles, per Callistum II. instituto.*
*XI. Cur se Primatem Primatum inscribat.*
*XII. Quis tot Primatiarum occasio.*
*XIII. De Primatu Remensi.*
*XIV. Jura Primatum.*

I. Operæ pretium est paucis hîc retexi, quæ suprà de Primatu seu Patriarchatu Bituricensi disceptata sunt. Ermembertus Bituricensis Archiepiscopus locum sibi esse inter Metropolitanos vix tandem Adriano I. Papæ approbavit, nec ulli unquam se Archiepiscopo paruisse. Pallio incunctanter tunc donatus est. *Nobis confessus est, ut sub nullius Archiepiscopi jurisdictione esse videretur.* At cùm eodem ipso tempore Carolus Magnus Aquitaniam regni nomine condecorasset, Caputque illi adsignasset civitatem Biturigum, illico is hanc Metropolin, Ecclesiasticam curavit Primatiæ titulo & jurisdictione cumulari, subactis illi Metropolitanis Burdigalensi, Ausciensi & Narbonensi, & vendicato ei uni jure inaugurandorum Aquitaniæ Regum; quo semper deinceps usi sunt ejus urbis Antistites. Isidori compilatio orbi fere jam persuaserat, Metropolitas omnes Primatibus subjiciendos aliquibus esse, & Primatum illi dedicandum esse vel civitati, vel Provinciæ, quæ prima in Catalogo civitatum inter cognomines Provincias recensetur. Ita Burdigala & civitas Auscorum, cum secundæ tertiæque Aquitaniarum capita censerentur: Bituricensi, quæ caput erat primæ, subjiciebantur, tanquam suo sibi jure Primatum vindicanti. Quod ad Narbonensem verò Metropolin spectat, non alia potuit ratione Bituricensi Primati mancipari, nec alio consilio & fructu, quàm ut omnes prorsus unius postbac Aquitanici regni Provinciæ arctiori nexu inter se colligarentur. Ann. 788. Ann. 781. Patriarch. Bituric. c. 164. An. 864.

Cum regno Aquitaniæ discissa fuit Primaria Bituricensis. Ex quo Marchionatus Gothiæ, & Ducatus Narbonensis creatus est: Metropolis Narbonensis secessit à Bituricensi Primatu. Primatumque ipsa assecuta est, postquam Urbanus II. Aquensem Metropolin ei subjecit.

II. Auscensem quoque Metropolin Aquitaniæ

Duces Bituricensi suffurati sunt Primati, cui sola deinceps paruit propria Metropolis cum Burdigalensi. Dum Anacleti schismate & rebellione adversus Innocentium II. lacerata gemeret Ecclesia, Giraldus Inculismensis Episcopus in Anacleti partes descivit, & in Burdigalensem tandem Ecclesiam eligi, vel intrudi se fecit. Episcopi ejus Provinciæ Bituricensem tum Archiepiscopum, ut *Caput*, ut *Primatem* suum interpellarunt, ut ejus, per eumque Regis Franciæ tuitione munirentur adversùs insolescentes Schismaticos, quos anathemate percelli in Provinciis Burdigalensi & Ausciensi summopere cupiebant. *Insuper Auxiensi Archiepiscopo & Burdigalensi Ecclesiæ & eorum suffraganeis per obedientiam præcipiatis, ut omnes illos publicè excommunicent, qui Duci Aquitaniæ auxilium impenderent.* Erat is Dux schismatis signifer & patronus primarius. Obviæ sunt hæ Præsulum Epistolæ in Patriarchio Bituricensi Philippi Labbei operâ publicato: necnon & responsa Vulgrini Archiepiscopi Bituricensis, Primatis Aquitaniarum. Summi Pontifices sanè quamplures, Alexander III. Eugenius III. Lucius III. Urbanus III. Clemens III. & Cælestinus III. Primatum Bituricensem aliis aliisque diplomatibus confirmarunt, sed in Provinciam tantùm Burdigalensem, quæ vetè illi suberat. Extat & in Editione nupera Conciliorum Generalium Epistola Eugenii III.

Bosq. nota in Innoc. 3. Epist. pag. 101. Patriarc. Bitur. c. 62.

Bibl. MSS. Labb. To 2. pag. 93. Ann. 1164. 1183 1187. 1188. 1191. Conc. Gen. Tom. 10. pag 1060.

At ubi Aquitaniam ejusque Ducatum suæ adjecerunt ditioni Angliæ Reges, intercesserunt illi vehementissimè, ne Burdigalæ Metropolis subesset Primati Bituricensi. Hinc graves querelæ Philippi Augusti ad Innocentium III. quòd quamvis minus opulenta, longè tamen nobilissima inter regni sui Ecclesias esset Bituricensis; nec fraudandam eam nunc esse à Burdegalensi Archiepiscopo iis officiis honoribusque, quibus illius Primatiam prædecessores ejus semper coluerant. *Ecclesia Bituricensis, licèt tenuis in facultatibus, inter alias tamen regni nostri Ecclesias existit nobilior, cùm Primatiæ obtineat dignitatem. Cùm igitur Burdigalensis Archiepiscopus, prædecessorum non sequens vestigia se adeo obedientem & devotum Ecclesiæ Bituricensi exhibere non velis, sicut iidem prædecessores sui fecisse noscuntur, &c.* Denique tantò vehementiùs instat maximus Rex apud summum Pontificem, ut Bituricensi Ecclesiæ sarta tectaque serventur antiqua privilegia, quòd non alia sit præterea regni sui civitas ulla, quæ Primatûs gloria splendeat. *Cùm sola Bituricensis Ecclesia in toto regno nostro Primatiæ obtineat dignitatem.* Authoritatis suæ pondere roboravit Innocentius suspensionis sententiam, à Bituricensi in Burdigalensem ideo vibratam, quòd nec interfuisset ipse ejus Concilio, nec suas cuiquam ad id vices delegasset. Quanquam ad causam Primatûs ipsam dijudicandam tunc Pontifex non accessit, erat tamen aliquid momenti in hoc præjudicio. Laxavit postea idem Pontifex eam suspensionem, spondente & in se recipiente Burdegalensi Conciliis posthac Bituricensibus se affuturum. *Firmam promissionem recipientes, quòd vocatus accedet ad ipsius Bituricensis Concilium, facturus quod de jure fuerit faciendum.*

Bibl. MSS. Labb. To. 2. pag. 88.

Anno 1211.

Innoc. 3. Regest. 15. Epist. 45. 128. Regest. 16. Epist. 65.

III. Nonnulla hic interim observare lubet, 1. Primatum Bituricensem plenissima authoritate sua uti solitum in obnoxias sibi Provincias eo tempore, quo Gregorius VII. & Urbanus II. Primatûs Lugdunensis fundamenta jaciebant. Itaque eò tantùm duo hi Pontifices collimabant, ut tota Gallia vigeret efflorescereque ea disciplina, quæ jam pridem tribus in Aquitanicis Provinciis obtinebat. 2. Conducibilem cum primis fuisse Bituricensem Primatiam tum Ecclesiis, tum Provinciis Regni, quæ hoc sacro vinculo connectebantur sibi invicem & firmiùs compaginabantur. Id nimirum intuebatur tum Carolus Magnus, in instituenda, tum Philippus Augustus in tuenda summis viribus hacce Primatia. Novæ igitur hæ dignitates eo fine creabantur, ut & Ecclesiæ & Regno, quorum contextæ consertæque semper rationes sunt, & ornamento essent, & præsidio. 3. Si pugnabat autem Philippus Augustus, quominus Burdegalensis Metropolis subduceret se Primati Bituricensi, quanquam Angliæ dominio illa subesset: hinc eliciet forsan quispiam non immeritò, creationem Primatiæ Lugdunensis, nec Canonicis ab exordio regulis adversam fuisse, nec legibus, nec utilitatibus denique regni: cùm temporale Lugduni dominium Imperatores in Archiepiscopos transcripsissent: nec posset usquam quantacumque Archiepiscopi vel Comitis Lugdunensis potestas Galliarum Regi suspecta esse, nedum formidolosa. Erat tamen specialis quædam ratio, quæ Philippum Augustum juvaret: quod videlicet, quantumvis Angliæ Regibus pareret Aquitania; esset nihilo tamen secius in summa Regum Francorum potestate; quod non facilè quis similiter de civitate tum & tractu Lugdunensi expedierit.

IV. Honorius III. privilegia Bituricensis Ecclesiæ generalibus tantùm verbis confirmavit. Itaque statim sub Gregorio IX. recaluerunt lites de Primatia. Hic sententiam interim servandam promsit, dum causa omnino finiretur. Eam leges si voles in Decretalibus *De majoritate & obedientia.* Edicitus ut possit Bituricensis Primas Burdigalensem Provinciam visitando perlustrare, dum intra dies quinquaginta negotium perficiat, quorum tamen numero eximantur, quibus ex morbo forsan decubuerit. *Dies quibus infirmari contigerit, dicimus non esse computandos in numero quinquaginta dierum; quibus secundum provisionem Gregorii Papæ, licet eidem Archiepiscopo, si voluerit, Burdigalensem Provinciam visitare.* Idem alibi Pontifex Archiepiscopum in civitate Bituricensi instituens, hoc eam ornavit encomio: *Ei quæ inter universas Metropoles speciali gaudet privilegio.* Non pauca horum similia argumenta legi possunt in Patriarchio Bituricensi Labbei, usque ad Clementis V. tempora. Publicavit eruditissimus Mabilonius in Analectis Acta & Diarium Visitationis anni 1284. cum Bituricensis Primas Provinciam Burdigalensem lustravit.

Ann. 1233.

Cap. ult. de Decr. Greg. L. 1. To. 33. c. 17. L. 2. Tom. 8. c 4. L. 2. To. 14. c. 20. Patr. Bitur. To. 2. p. 113. 116. 118. Raynal. an. 1255. n. 41.

Tom. 2.

Itaque constantior aliis fuit Burdigalensis Metropolis in fide & obedientia Primatis Bituricensis. Ausciensis enim Narbonensisque Metropoles pristinæ se libertati reddiderant jam inde ab anno 1226. ut nos suprà docuit Matthæus Paris. An Clemens V. autem immunitatem eandem Burdigalæ quoque tandem concesserit, ut ulcisceretur contumeliam excommunicationis à Bituricensi Primate in se ipsum olim excussæ, dum Burdigalensem adhuc ageret Præsulem: an simpliciùs ea libertate nobilitare voluerit Sedem, quæ illi quasi gradus fuerat, ut in Apostolicum thronum attolleretur, aliorum esto judicium. Biturigibus Burdegalensem translatum esse Primatum, affirmare videtur Valsinghamus: *Primatum Aquitaniæ de Bituricensi transtulit ad Ecclesiam Burdigalensem.* Sed ne non tam blandiri suæ genti, quàm insanire videatur hic Scriptor, ita interpretandus utique est, ut donata sit à Clemente Burdigala, immunitate à Primatia, non Primatia ipsa. Post tam varias igitur rerum temporumque

Spondan ad ann. 1308. n. 7. 8.

Ann. 1305. Valsing. To. 2. p. 69. To. 2. p 108. Chron. Tr. vet. ann. 1305. Spicil. To 8. pag. 724.

vices, eò tandem ventum est, ut Primatia Bituricensis suæ intra Provinciæ limites circumscriberetur, eoque se solaretur uno antiquæ amplitudinis vestigio sane obscuro, quod specialem habeat Officialem Primatiæ, ad quem à Provinciæ Officiali provocetur. Credi porro æquum est id manasse ab iis temporibus, quibus vigebant etiam in alias provincias Primatiæ jura. Ut erat enim tunc conspicuus Officialis Primatiæ, ad quem non ab aliarum tantùm, sed & ab ipsius Provinciæ Bituricensis Officialibus appellabatur: ita & idem retinendus visus est ad idem præstandum munus, postquam aliæ Provinciæ divulsæ fuerunt.

V. Immunitatis porro diploma, qua Clemens V. Burdegalensem donavit, legere fas est in *Gallia Christiana*, opulento in primis penu istiusmodi Cartharum magni pretii. Ibi facilè advertes, meram hanc fuisse immunitatis vel libertatis cartham: prorsus necessariam ad sopiendas tot lites, quas Gregorius IX. suis Rescriptis finire frustra tentaverat: quippe iis gravari se Burdigalenses Præsules palam reclamaverant, nec cessarant unquam. Patentibus sane postea litteris, anno scilicet 1465. jussit Carolus VII. Rex Primatui seu Patriarchatui Bituricensi priscos honores innovari, per omnes Aquitaniæ Ecclesias, in causis maximè electionum, sive Confirmationum Archiepiscopalium, Episcopalium, Abbatialium, aliisque litibus per appellationem devolutis: constanter affirmans superioribus sæculis Provinciam Burdigalensem, Tolosanam & Aquitanicas omnes Primatui Bituricensi obnoxias dictoque audientes fuisse: nuperrimè denique appellatum fuisse à sententia Archiepiscopi Burdigalensis ad Bituricensem Primatem in causa electionis Episcopi Santonensis. Quo eodem anno Ludovicus XI. in locum succedens Caroli VII. hæc ejus mandata rata esse & executioni mandari sanxit. Nemo nescit porro Caroli VII. Regis industria & armis Aquitaniam pulsis Anglis dominationi Francicæ recuperatam fuisse, cum longè maxima regni parte, cui jamdiu illi incubabant. Descivit rursus ad eosdem Aquitania, defecit & Burdegala, & vix per ætatem, appetente jam morte, licuit optimo invictissimoque Regi Carolo, eam expugnare iterum, ditionique antiquissimæ Francorum redintegrare. Nihil ergo tunc quidem ipse intentatum reliquit, ut eam urbem provinciamque strictissimè astringeret Francico Imperio. Conferre ad id nonnihil visum est posse, si ea Bituricensi civitati, qua non alia magis prona fidaque fuerat in obsequium Regum Franciæ, & ipsius maximè Caroli VII. spiritualibus his Primatiæ nexibus devinciretur. Sed ut nihil dissimulem, non satis liquet, quod hujus diplomatis operæ pretium fuerit, aut quid inde incrementi accesserit Primatui Bituricensi. Exinde enim nihilo secius Burdigalensis Archiepiscopus Primatem se semper gessit, tanquam ex Clementis V. concessione, ut nullius Primatis obedientiæ devinctus; & Primatiæ suæ Officialem peculiarem habuit, ad quem per appellationem referuntur causæ, jam disceptatæ ab Officialibus Burdigalensis provinciæ.

*Preuves des Lib. Gallic. c. 36. n. 19. Pragmat. Pinson. pag. 1016.*

VI. His adde jure Primatiæ quandoque usum fuisse Archiepiscopum Burdigalensem in Metropolin Tolosanam: nec deterritum fuisse Bituricensem Clementis V. diplomate, quin subinde jura sua priscamque Majorum suorum potestatem in Burdegalensem & Tolosanam Metropoles ostentaret intentaretque. Electo in Archiepiscopum Tolosanum Dionysio du Moulin, an. 1421. interpellatus est à Tolosano Capitulo Henricus Burdigalensis Primas, seu *Patriarcha*, ut electionem confirmaret. Delegavit Henricus, qui eam examinarent, examinatam ipse confirmavit. Ita confirmatus Tolosanus Præsul, scripto authentico incunctanter declaravit, nihil se præjudicii, vel detrimenti importare voluisse rationibus juribusque Bituricensis Primatis in civitatem Tolosanam, tanquam Primatis Aquitaniæ. Non ita pridem Tolosa in Metropolitanum culmen ascenderat; hinc ergo aliquid sibi præsidii venabatur, si à quocunque demum confirmaretur Primate. An. 1542. expresso Francisci I. Regis mandato Burdigalensis Archiepiscopus peculiarem designavit Officialem, tum Provinciæ, tum Primatiæ suæ, qui jus diceret in eos Provinciæ suæ Episcopatus, qui Parisiensis Parlamenti territorio continentur.

*Catel. Memoires du Languedoc pag. 915.*

*Preuves des Libertez de l'Egl. Gall. c. 35. n. 54.*

VII. Superest scrupulus hinc amoliendus, circa potestatem illam duplicem, qua Pontifices Romani Bituricensem munierunt interim Primatem, dum decretorio aliquando tandem judicio tota illa exhauriretur causa. 1. Provinciam ut Burdigalensem visitaret, & canonicas procurationes perciperet, non pluribus tamen, quàm quinquagintâ diebus. 2. Vocare ut ad Concilium suum posset Burdegalenses Præsules, & Canonicis alioqui pœnis constringere. Superiori capite narratum est, Primatem Lugdunensem, ut hæc eadem sibi potestas permitteretur in Senonensem Provinciam, non segniter laborasse, sed spem industriamque ejus omnem cassam irritamque cecidisse. Facilè, & ut spero verissimè solvetur hic nodus, si dicamus, quando temporaria hac sententia Bituricensis Primatiæ litem composuere Pontifices, tunc jus istiusmodi duplex usitatissimum & inveteratum fuisse in Bituricensi Ecclesia, ut non potuerit non ei confirmari vetustissima præscriptaque jamdiu possessio. Quippe ducentis admodum annis cùm anteisset Bituricensis Primatus Lugdunensem, primæva à sui origine hanc sortiri duplicem potuerat facultatem.

VIII. Paucis nunc conveniendus est nobis Narbonensis Archiepiscopus, qui cum Primatiæ Bituricensi mancipatus aliquando in superioribus fuerit, Primatûs postea splendore & fastigio ipse effulsit. Ivo Carnotensis Episcopus Epistolis suis insertam trajecit ad nos Epistolam Nicolai Papæ I. ad Radulphum Bituricensem Archiepiscopum scriptam, ut ei significaret gravissimas Narbonensis Archiepiscopi Sigebodi querelas ad se perlatas, de oppresse suæ Metropoleos dignitate & jurisdictione à Primate Bituricensi, qui non solas Appellationum causas ad se revocaret, ut sanciunt Canones, sed & alias etiam primæ instantiæ judicio præter Canones invaderet. *Cùm hoc nec antiquitas habeat, & authoritas sacrorum Canonum interdicat, nisi fortè pro causis, quas apud se terminare non possunt, ad te quasi ad Patriarcham suum provocaverint.* Habes hic Narbonensem Præsulem sub potestate Primatis. Audi nunc ipsum eadem potestate Primatis instructum.

*Epist. 135.*

IX. Jam inde à temporibus Urbani II. Narbonensis Archiepiscopus jura Primatum spe invadebat, teste ipso eodem Pontifice, in litteris datis ad Cardinalem Legatione in Hispania defungentem. Nec ea spes suis destituebatur præsidiis, aut documentis. Quippe Tarraco nobilis & antiquissima Civitas non ita pridem Maurorum potestati longoque subducta dominio, suæ Metropoleos ju-

ra ostendebat magis, quàm approbabat. Jussit ergo Urbanus II. ut Narbonensi subesset Metropolitano, Toletano autem Primati, donec potuisset Archiepiscopus Narbonensis è Tabulario suo carthas depromere, quibus ejus in Tarraconensem Provinciam Primatus declararetur. *Tarraconensibus* Conc. Gen. Tom. 10. pag. 1841. *Episcopis nostra authoritate præcipito, ut interim Narbonensi, tanquam proprio Metropolitano obediant, Toletano sicut Primati; donec Narbonensis Archiepiscopus se eorum Primatem fuisse certa possit authoritate monstrare.*

Pronum est conjicere, ubi primùm emersere Marchiones Gothiæ, & Principatum citra & ultra Pyrenæos constituère, cui caput præerat Narbo: optatissimum illis fuisse, ut spiritalis ejus civitatis jurisdictio latissimè & ipsa undequaque diffunderetur, temporali imperio ipsa quoque præsidio futura. Id enimvero Narbonenses Metropolitanos extimulavit, ut Bituricensis Primatis à se amolirentur jugum, & Primatûs sibi ipsi simulacrum aliquod meditarentur efformarentque ex Ecclesiis Cataloniæ, Sarracenica tempestate vixdum elapsis, vixdum sibi restitutis. Dicemus infrà ut receperit tandem Tarraco antiquissima suæ Metropoleos privilegia, ut non alium posthac nisi Primatem coleret Toletanum. Hac quidem authoritate spe magis præsumpta, quàm re possessa excidit tunc Narbo; at libertati suæ nova vicissim munimenta accedere gratulata sibi est tanti quondam nominis Ecclesia, beneficio Martini V. Pontificis Maximi, Rainal. an. 1418. n. 31. qui eam absolvit à nexibus omnibus, quibus eam sibi devincire sperabant tum Bituricensis antiquus Primas, tum nuperrimus Viennensis Metropolitanus, quem Callistus II. novo Primatu auxerat, ut mox dicemus.

X. Nimirum Callistus cupidissimus accessione honoris aliqua augendæ ejus Ecclesiæ, è qua in Romanam Ecclesiarum omnium Matrem assumptus fuerat, nova quadam authoritate cumulavit prisca omnia Pontificum Imperatorumque privilegia, An. 1120. Viennensi Ecclesiæ indulta, subjecitque recentissimæ huic quam ipse condebat Primatiæ, Metropoles septem, Viennensem, Bituricensem, Burdigalensem, Ausciensem, Narbonensem, Aquensem, Ebredunensem, cum potestate Concilia cogendi, & causas Ecclesiasticas dijudicandi, pleno scilicet eo jure, quòd Vicariis sanctæ Sedis familiare est. Conc. Gen. Tom. 10. pag. 819. *Vt videlicet super septem Provincias Primatum obtineat, & in eis Romani Pontificis vices agat, Synodales Conventus indicat, & negotia Ecclesiastica justè Canoniceque definiat.* Cùm Burdegala & Narbo Primatiæ Bituricensi jam se subduxissent, sperabat Pontifex posse jam Bituricensem Ecclesiam numero & loco haberi eodem quo ceteras Metropoles, atque adeo posse tribus his Provinciis crescere & amplificari Primatum Viennensem.

Senatum, Romani quasi Senatûs æmulum, ad regendas Gallias Viennæ instituerant Romani. Hinc illam Ado *Vrbem Senatoriam* appellatam memorat. Bibl. Clun. pag. 356. Reges Burgundiæ postea Regiam ibi sedem collocaverant, unde Odiloni: *Vienna nobilis sedes Regia.* Non dissimili splendore & amplitudine illa radiavit, postquam restauratum est regnum Burgundicum, scisso inter Ludovici Pii filios Caroli Magni Imperio. Nihil antiquius, nihil longius fuit Germanis Imperatoribus, quibus illud tandem fortè obtigit, quàm ut Viennam honoris & potestatis ornamentis omnibus cumularent. Sub Friderico I. anno 1157. Archicancellarii nomine & gloria fruebatur Viennensis Archiepiscopus. Callixtus II. Papa, qui regia se Burgundiæ prosapia satum non Ibid. Nota. pag. 141. frustra jactabat, summum columen imposuit amplitudini regiæ hujus Civitatis, incredibilis cujusdam amplitudinis Primatia illi attributa. Quòd ad delectum autem attinet earum, sive Provinciarum septem, sive Civitatum: sequutus est Pontifex Notitiam Civitatum, de qua jam toties suprà. Etenim ibi Vienna sex aliis Civitatibus & Provinciis præponitur, sicut Lugdunum Lugdunensibus cæteris. Petrus Venerabilis Cluniacensis Abbas attingit alicubi Patriarchatum Viennensem, hoc est, Primatum. *Ex quo Viennensis Patriarcha factus est.* L. 6. Ep. 10.

XI. Sumpsit sibi Viennensis Archiepiscopus nomen aliud ad pompam & ostentationem magnificentius, cùm se Primatem Primatum dixit, ut qui emineret supra Archiepiscopos Bituricenses, Aquitaniæ Primates, & supra Narbonenses Metropolitanos, quibus Urbanus II. Primatum contulerat in provinciam Aquensem. Sed quàm subita & inopinata fuit hæc Viennensis Præsulis exaggeratio potestatis, ne auditis quidem Metropolitanis, quorum causa vertebatur, quorum evertebatur libertas: tam brevis illa & in ruinam præceps fuit. Enimvero Marca de Primatu non alium ex hac Callixti Constitutione fructum pag. 123. cepit Viennensis Præsul, quàm certam deinceps Diensis & Vivariensis Episcopatuum subjectionem, qui priùs in jure erant Metropoleos Arelatensis.

XII. Diximus Narbonensi concessum fuisse Primatum ab Urbano II. in Aquensem Metropolita- Paschal. Ep. num anno 1097. Novum robur addidit huic privi- 48. legio Paschalis II. *Primatum vobis super secundam Narbonensem, id est, Aquensis Metropolis, sicut à nostris prædecessoribus statutum est, confirmamus.* Suffragabatur eadem ratio in speciem plausibilis, ex Civitatum Catalogo petita, cui tunc pretium faciebat temporum caligo. Aquensis enim provincia Narbonensis secunda dicebatur. Sed cùm nusquam existant fructus ulli hujus concessionis, prope abest à vero, id unum hinc Narbonenses Præsules consecutos esse, ut liberi essent deinceps solutique à jurisdictione Primatûs Bituricensis, quod eis jamdiu èrat in votis. Cùm Rescripta Alexandri III. anno 1164. & Urbani III. anno 1187. Bituricensi Primati non vendicent nisi jus priscum in Burdigalensem; ab eo eximere videntur Narbonensem & Ausciensem. Ergo hinc patet etsi Metropoles aliquæ à jugo Primatum excutere se & recuperare non potuerint, multò tamen plures potuisse. Nec usi verò offensioni sint hæ rerum vices, aut juges inter Præsules jurisdictionis crescentis aut decrescentis varietates. Temporum hæc lex, temporalium hæc conditio est: juvant nunc quæ priùs oberant: obsunt quæ juvabant: ea disciplinæ alternatio est, imò & charitatis, ad hominum se ingenia, ad temporum rerumque momenta accommodantis. Cupiditas & in primis ambitio partes suas agunt inter hæc, & profanant contagio suo res & personas quasque sanctissimas. Sed ne minuscula quidem eventa suffurari se possunt, omnia circumscribenti & ad consiliorum suorum leges omnia contorquenti sapientiæ divinæ. Multò magis ergo tam stupendæ in Ecclesiarum disciplina vicissitudines attemperantur inserviuntque ejusdem omnipotentis & amantissimæ Sapientiæ consiliis, quæ mirari & amare, quàm scrutari & publicare facilius est & æquius.

XIII. Jamdiu est quod de Remensi tacuimus. Is de Primatu cum Trevirensi Metropolitano altercatus est in Remensi Concilio, sub Leone IX.

anno 1049. Confidebat enim se Primatem videri posse Galliæ universæ: *Quòd Remensis esset Primas in Gallia.* Consultissimè abstinuit Pontifex à perplexa tunc quæstione, edixitque tantùm, ut sedes aliæ Apostolicum thronum in gyrum cingerent. In Concilio anni 1059. ubi Remis regio diademate redimitus est Philippus Rex, rursum instare Remensis, concessum esse à Pontificibus Remensi Archiepiscopo, jus coronandorum Regum, *& totius Galliæ Principatum.* Post verò idem ipse Archiepiscopus, ut ne parere cogeretur Diensi Episcopo, quem Legati à latere potestate armaverat Gregorius VII. ingerere & ostentare cœpit antiquissima Primatiæ Remensis privilegia. Rescripsit Pontifex hoc genus privilegia iis duntaxat temporibus locisque prodesse, quibus utilitas necessitasque Ec- (L. 6 Ep. 2.) clesiarum jubet ea valere. *Possunt quædam in privilegiis prorsus pro persona, pro tempore, pro loco concedi, quæ iterum pro iisdem, si necessitas vel utilitas major exegerit, licenter valeant commutari.* Hæc honoris & authoritatis insignia utilitati Ecclesiarum condonari, non Antistitum cupiditati. *Privilegia siquidem non debent sanctorum Patrum authoritatem infringere, sed utilitati sanctæ Ecclesiæ prospicere.* Floruisse olim præ cæteris Arelatensem Primatiam, inde ad alias Ecclesias honorem illum migrasse, omnia hæc dispensante Apostolica Sede aliter aliterque, pro opportunitate temporum, pro Ecclesiarum necessitate. Remensem Ecclesiam non tacebat idem Pontifex eidem mutabilitati fuisse obnoxiam, quæ & ipsa olim Primati fuisset suo subjecta. *Remensis etiam Ecclesia quodam tempore Primati subjacuit.* Non satis exploratum habeo, an alludat hic Pontifex ad antiquissimum Arelatensem Primatum, an ad ævi medii Moguntinum sub Bonifacio, an denique ad recentiorem Ansegisi Senonensis Antistitis. Venire enim in mentem possunt hæc omnia, etsi nihil horum ab omnibus difficultatibus satis expeditum sit.

Nec dubitandi tamen locus est ullus, quin Remenses tunc Archiepiscopi omnem vim, consilium, industriamque contulerint, ad restituendam Ecclesiæ suæ pristinam lucem dignitatemque. Gerbertus Remensis Archiepiscopus testificatur caput urbium (Epist. 139.) Regni esse Remos: *Quæ quoniam Regni Francorum caput est.* Ludovicus Crassus eodem nominis elo- (Du Chesne To. 4. pag. 445.) gio eandem afficiebat Ecclesiam: *Matrem meam, & caput regni mei Ecclesiam,* Ivo Carnotensis auctor est, tum consuetudine, tum privilegio Apostolico servatam esse Remensi Episcopo potestatem (Epist. 23.) nuptias Regum celebrandi. *Respondi me nuptiis interesse nolle, nisi vos earum essetis consecrator & author, & Coepiscopi vestri assertores & cooperatores, quoniam id competit juri Ecclesiæ vestræ, ex Apostolica authoritate, & antiqua consuetudine.* Hactenus ex Ivonis Epistola, præter quam extat & alia, in qua molitus est, ut probet non semper Francorum Reges Remensi in Ecclesia inunctos inauguratosque esse; posse & in alia inungi Ecclesia, si incidant tempora, quæ (Epist. 70.) ita flagitent. Nec hinc tamen fas est obtrectare juri ordinario Remensis Ecclesiæ ad Regum consecrationem sibi vendicandam, aut obstrepere iis, qui hoc privilegii ex nobilissima hujus Ecclesiæ antiquissimaque dignitate proficisci potuisse ominan- (Epist. 189.) tur. Annuit & ipse Ivo in alia Epistola, ubi refert Diadema Regium Remensi in Ecclesia servari, & tantopere eam omnibus Regni Ecclesiis præcellere, ut inde trahant cæteræ, vel castioris, vel sequioris disciplinæ exempla. *Novit prudentia vestra, eandem Sedem diadema regni habere, & omnibus penè Gallicanis Ecclesiis exemplum ruinæ, vel resurrectionis existere.*

XIV. Non potest aptiùs claudi hæc tota de Gallicanis Primatibus dissertatio, quam nupero eoque perinsigni documento ejus rei, quæ longè maximi in hac re tota momenti est: videlicet jus Primatum uno Appellationum jure contineri. Anno quippe 1619. Archiepiscopus & Primas Lugdunensis Ludovicus de Marquemont cùm Pontificale (Fevret de l'Abus. L. 3. c. 3. n. 14.) sacrum in Ecclesia Parochiali sancti Eustachii Parisiis celebraturus esset, ejus Ecclesiæ Parochus scripto authentico testificatus est, ejus sacri celebrandi licentiam ab Episcopo Parisiensi Gondio Cardinali postulasse & impetrasse Archiepiscopum; non alias quàm quibus uterentur Episcopi sacras vestes induisse: non Pallio usum esse, non Crucem Archiepiscopalem prægestasse; in eadem denique Ecclesia concionatum esse, nec pedo sacro, nec cruce præ- (Marca de Primatu Lugdunen. p. 127.) latis. Anno verò 1628. teste Petro de Marca, Saussaius Officialis tunc Ecclesiæ Parisiensis, ad Tullensem postea provectus Episcopatum, tractatum edidit non mediocri eruditione refertum, pro Episcopi Parisiensis jure adversus Archiepiscopum & Primatem Lugdunensem, qui suam sibi præferri debere Crucem contendebat, quo se cumque Primatia Lugdunensis exporrigeret.

---

## CAPUT XXXVI. *P. 4. L. 1. c. 12.*

### De Primatibus Angliæ & Hiberniæ.

*I. Synodi Pontificesque Primatiam Cantuariensi Metropolitano in Eboracensem addicunt.*

*II. Lanfranci argumenta ad hanc Primatiam constabiliendam.*

*III. Item Anselmi.*

*IV. Novæ concertationes utriusque Metropolitani de jure Primatiæ.*

*V. Laborat semper Cantuariensis Primatia.*

*VI. Primatiæ Angliæ historia compendiaria.*

*VII. Cum tres Archiepiscopi sanctitatis laude clarissimi Primatæ suæ jure jura tanta animi contentione propugnaverint, verendum cui mala fierent homines esset, illas contentiones sequiore interpretari. Ad quam æqui regulam librandum sit de his judicium.*

*VIII. Sanctus Malachias Romanum emensus iter, frustra à Romano Pontifice Primatum consecuti…*

*IX. Has erat velut decerpta quædam portio Primatiæ Cantuariensis. Res æquitas. Argumenta. Quid inde lucis exsiliat, & utilitatis.*

I. FAmosa diuque vexata illa de Primatu contentio inter Archiepiscopos Cantuariensem & Eboracensem, ventilata demum diffinitaque (Matthæus Paris. An. 1072.) est secundùm Cantuariensem, in Concilio Angliæ (Vuill. Malmesb. L. 3. p. 117. 195.) anni 1072. jussu Alexandri II. Papæ, ejusque Legato à latere præsidente. Aderat Vuillelmus Rex Angliæ debellator. Aderant & Lanfrancus Cantuariensis, & Thomas Eboracensis Archiepiscopi. Statutum porro est, ut Cantuariensi subesset Eboracensis tanquam Primati; Conciliis ab eo indicendis interesset, per se, vel per Legatos; Synodicis constitutionibus præstaret se morigerum; ab eo consecraretur, canonicamque illi profiteretur & juraret obedientiam; interpellante tamen Rege Lanfrancus Thomam à juramenti præstatione absolvit, professione contentus; salvo tamen & incolumi successorum suorum jure, quibus visum esset præter professionem etiam sacramentum exigi debere ab Archiepiscopis Eboracensibus. Vuillelmus Malmesburiensis Acta authentica hujus diffinitionis historiæ suæ intexuit, cùm subscriptionibus Regis

& utriusque Archiepiscopi, cæterorumque Angliæ Antistitum. Non est ergo quòd quisquam stupeat si vocetur ab eo Cantuariensis Archiepiscopus *Primas & Patriarcha totius Angliæ.*

Antequam illa Synodus coïret, cùm primùm in sedem Cantuariensem Lanfrancus evectus est, hoc ipso in illum obsequio defungi compulerat Thomam tum Regia jussio, tum consensio Episcoporum. Paruerat ille quidem, sed contestatus antè, non eodem se cultu prosecuturum Lanfranci successores, nisi canonica in Synodo demonstraretur sibi, quâ lege, quo vinculo ad id muneris teneretur. Exinde Romano uterque se dantes itineri, sui hinc & hinc juris documenta firmissima protulerant coram Alexandro II. Papa. Tuebatur se Thomas tanquam validissimo propugnaculo, decreto Gregorii Magni, quo duobus Angliæ Metropolitanis amica indicitur æqualitas, ita duntaxat, ut qui prior ordinatus fuisset, is primas honoris & consessûs obtineret. Reponebat autem Lanfrancus, Gregorium hoc decreto composuisse statum Londinensis & Eboracensis Ecclesiarum, non Cantuariensis & Eboracensis. In tanta animorum, rationumque hinc & inde pugna, providentissimè Pontifex universali Angliæ Concilio rem excutiendam mandaverat, addito etiam sacra vice Legato à Latere. *Malmesb. de gest. Pontif. Angl. L. 1. p. 206.*

II. Ut res in Concilio se habuerint, Pontificem Lanfrancus certiorem fecit per Epistolas: nempe statim prolatam Historiam à Beda scriptam, *Presbytero Eboracensi, & Doctore Anglorum.* Ex ea compertum fuisse Cantuarienses Archiepiscopos, initio facto ab Augustino, qui primus eam Ecclesiam rexerat, usque ad ipsa Bedæ tempora, seu annis centum quadraginta, plenissima Primatiæ suæ jura explicuisse in Eboracensem Ecclesiam, in Angliam omnem, & in ipsam denique Hiberniam. *Demonstratum est Antecessores meos super Eboracensem Ecclesiam, totamque Insulam, quam Britanniam vocant, necnon & Hiberniam Primatum gessisse, curam Pastoralem omnibus impendisse in ipsa Eboracensi urbe persæpe locisque finitimis, ubi eis visum fuit, Episcopales ordinationes, atque Concilia celebrasse, Eboracenses Antistites ad ipsa Concilia vocasse, & cùm res poposcisset, de suis eos actibus rationem reddere compulisse.* Tum adductas in medium Epistolas Romanorum Pontificum Gregorii, Bonifacii, Honorii, Vitaliani, Sergii, Gregorii, Leonis & Joannis. Has perlectas fuisse. Respondisse Lanfrancum ad Gregorii Magni decretum: ad Londinensem illud, non ad Cantuariensem pertinuisse Ecclesiam; nec executioni unquam illud, aut mandatum esse, aut vel mandari potuisse, cùm nec ullus tunc esset Eboraci Archiepiscopus; quippe primum Archiepiscopum Eboracensem Paulinum tunc demum ad Ecclesiæ illius regenda gubernacula ablegatum fuisse, cùm Justus inter Archiepiscopos Cantuarienses numero jam quartus sederet. Augustinum è Cantuariensi Ecclesia, ubi Sedem fixerat, Evangelicæ doctrinæ fluenta in omnes Angliæ provincias dispensasse, Ecclesias fundasse, Episcopales omnes excitasse Cathedras; quarum proinde parentes, authores, conditoresque habiti fuerant Cantuarienses deinceps Archiepiscopi, non ab Anglis tantùm, sed ab ipsis etiam Romanis Pontificibus, qui in Gregorii Sedem, doctrinamque & Ecclesiasticum regimen successerant. *Æquum censent ut omnes Anglorum Ecclesiæ ab eo loco mutuentur vivendi disciplinam; à cujus fomite rapuerunt vivendi flammam. Quis enim nesciat, quòd à Cantia manavit Christi credulitas in Eboracum, & in cæteras Angliæ Ecclesias.* *An. 1072. Ibid. p. 212. Lanfrancus Epist. 3.*

His documentis vicit tunc Cantuariensis Ecclesia, suoque Primatui vendicata est: lux item affusa Decreto Gregorii Magni; ita ut non tam verbis ejus, quàm ingenio & charitati servirent interpretes. Lanfrancus regia subnixus gratia & potestate, Primatis amplitudinem & authoritatem, quanta maxima esse usquam potest, explicuit. Cùm duriusculis aliquando ejus correptionibus exasperatus Angliæ Episcopus, exclamasset, ultra æqui lineas abuti ipsum potestate Primatis: respondit Lanfrancus, propriam Archiepiscopi Cantuariensis Parochiam, nec angustiorem, nec aliam esse, quàm Angliam universam. *Nec sobrius quisquam putaverit hoc esse in aliena Parochia aliquid temerè præsumere, cùm per misericordiam Dei totam hanc quam vocant Britanniam Insulam, unam unius nostræ Ecclesiæ constet esse Parochiam.* Ante Lanfrancum Dunstanus sanctitatis fama celeberrimus, à Joanne Papa impetraverat tum confirmationem Primatiæ suæ, tum Vicariatum Apostolicum, illum ipsum quo Majores sui decorari solebant. *Primatum tuum confirmamus, in quo tibi ex more antecessorum tuorum vices Apostolicæ Sedis exercere convenit, sicut Augustinum ejusque successores habuisse dignoscitur.* *Epist. 23.* *Eadmerus L. 5. histor. novella.*

III. Successit Lanfranco Anselmus, non magis Sedis hæres, quàm zeli & magnitudinis animi. Vuillelmus Malmesburiensis in suæ gentis laudes paulò forsan indulgentior, refert in Concilio Barensi ab Urbano II. Papa Anselmum novis & inusitatissimis quibusdam honoribus affectum fuisse, quin & honorificentissima sede locatum juxta Pontificem ipsum, tanquam Insulani orbis alterius Papam. *Includamus hunc in nostro orbe, quasi alterius orbis Papam.* Illum Paschalis II. hoc munivit privilegio, nullo ut ab alio judice, ac ne à Legato quidem Pontificio posset judicari, præterquam à Pontifice. Girardo nupero Eboracensi Episcopo tergiversante, ne professionem ederet Anselmo Canonicam, rescripsit Paschalis, ut pareret judicio, statutoque adversus prædecessorem ejus publicato. Prævertcrat Girardus Papæ mandatum, regia potestate compulsus. Thoma Girardi successore detrectante & ipso eandem præstare professionem, interdicti sententiam in eum Anselmus vibravit, & excommunicationis laqueo implicuit Episcopos quoscumque, qui illi manus imponerent priùs, quàm hoc obsequio functus esset; denique per Epistolas Paschalem II. interpellavit, ne tergiversatori Thomæ pallium mitteret, donec pertinaciam hanc ille suam exueret: contestatus sese alioqui Anglia excessurum, ne spectator & testis esset schismatis & dedecoris, quo dilaceranda aliàs & inquinanda erat Ecclesia Anglicana. *Ego nullatenus remanerem in Anglia; non enim deberem aut possem pati, ut me in ea vivente, Primatus Ecclesiæ nostræ destrueretur.* Gratulatus est Pontifex ejus zelo, & ejus petitioni voluntatique se accommodavit. Sileri autem sine piaculo non potest illud, à Mattheo Paris observatum. Cùm Thomas ille senior Eboracensis Archiepiscopus Anselmi inaugurationem celebraret, lectis quibusdam verbis, quibus Ecclesia Cantuariensis totius Angliæ *Metropolitana* dicebatur: intercessit Thomas huic elogio, quo Metropolitica dignitate Eboracensis Ecclesia spoliaretur; denique Primatis, non Metropolitani sedem Cantuariæ esse, quæ Angliæ universæ dominaretur. Perspicua æquitate niti visa est hæc intercessio. Itaque expuncta sunt verba, quæ offensioni fuerant. *Paschal. Epist. 41. An. 1108. Mattheus Paris.* *Ansel. Ep 3. Epist. 152. 153.* *An. 1093.* *Eadmerus. Hist. novel. L. 1.*

*Ann. 1115. Parm. Eadmer. L. 4.*

IV. Mortuo Anselmo, suffectoque in ejus locum Rudolpho, moras nectebat Thurstanus Eboracensis Electus, ne Canonicam perageret professionem. Henricus Rex abdicandum ostendit Episcopatum, aut edendam professionem. Thurstanus à Paschali primùm extorsit Epistolas, quibus innovari videbatur Decretum Gregorii Papæ; tum ad Remense profectus est Concilium, ibique consecratus

*Ann. 1119.*

à Callixto II. Papa, præter eam fidem, qua se Regi obligaverat; unde & statim regni Angliæ ingressu ab eodem interdictus est. Tum nec Pontifex quidem Regem potuit aut placare, aut à proposito abducere: sed ubi Romam reversus, libera plenaque potestate clavum Ecclesiæ cœpit regere; tunc enimvero ejus vel precibus, vel minis cessit Rex, Thurstanumque passus est Ecclesiæ suæ regimen capessere. Rudolphus & qui in Archiepiscopatu Cantuariensi successor ei datus est Guillelmus, omnes quidem illi admovere machinas ad pristini sui juris

*Malmesbur. pag. 275.*

recuperationem: at Thurstanus nec tantillum deflexit à priori constantia, nec ulla vi divelli potuit à libertatis Ecclesiæ suæ suscepta defensione, donec in Prioratum Cluniacensis Ordinis abdidit sese, & Episcopatu sponte abdicato, Monasticam professus regulam sanctissimè obiit.

Ottho Cardinalis Legatus in Angliam missus est anno 1137. congregatoque Londini Concilio, recrudere confestim pristinæ querelæ litesque inter Archiepiscopos de sedendi prærogativa. Demulcere illos omni ope enixus est Legatus, objecto Petri Paulique exemplo, qui ita exhibentur, ut Petrus à sinistra, Paulus ad dexteram stet sedeatque, nullo hinc prorsus charitatis pacisque detrimento.

*Rainal. an. 1237. n. 42.*

Verùm hæc jurgia efferbuere rursus vehementiùs, sub illustrissimo Christi Martyre Thoma Cantuariensi. Alexander III. ad breve aliquod tempus

*Alexand. 3 Epist. 5. 14.*

Legationem eam indulsit in omnem Angliam Eboracensi, qua non solebat nisi Cantuariensis honestari. Ad hoc illexerat Pontificem, spes deliniendi hac indulgentia Regis, & cum Thoma conciliandi. Sed cùm seriùs tandem advertisset eo contristatum, animoque tantumnon consternatum Thomam, quo uno tunc invictissimo vindice libertas Ecclesiæ stabat: seriò illum pœnituit consilii sui. Itaque Legationis munus Thomæ restituit in universam Angliam, dempto tamen Eboracensi Archiepiscopatu.

*Epist. 19. Append. 2. Epist. Alex. 3*

Ne vel sic quidem consultum videbatur effusissimæ Cantuariensium Primatum amplitudini. Itaque opportuna hac occasione oblata usus est Rogerius Eboracensis Archiepiscopus, regioque cinxit diademate Henricum Henrici Regis filium, vivente volenteque patre; quanquam obnuntiationes solemnes interposuisset Thomas Cantuariensis, cujus Ecclesiæ jus istiusmodi hactenus dicatum propriumque fuerat; quamvis denique expressissimè vetaret Alexander III. Insolentissimæ audaciæ id fuit, quòd in Cantuariensi ipsa provincia id ausus sit Eboracensis. Haud mora, Pontifex illum ab omnibus suspendit Episcopalibus functionibus. Verùm concussa semel Cantuariensis Primatia, adeo non præsidii inde aliquid & firmitatis adepta est,

*Matt. Paris. ann. 1170. Alexand. 3. Epist. 33. 34.*

*Anno 1178*

ut paucis pòst annis appulso in Angliam Legato Papæ, & collecto apud Vuestmonasterium Concilio, cùm sederet ad Legati dexteram Cantuariensis, inde vi illum abstrahere enixus sit Eboracensis: quo exulcerati qui aderant ministri Primatis, tam malè illum mulctarunt, ut solvi conventum necesse fuerit, convolarintque hinc & inde ad Regem, querelas irasque mutuas in illius aures ut effunderent.

V. In his certè satis argumenti est, ut possit quis sibi persuadere, post illas Paschalis II. Epistolas, de quibus suprà, quibus pluris fieri videbatur Decretum Gregorii Magni, quàm transactio facta sub Lanfranco: multa caligine offusam fuisse Primatiam Cantuariensem, & in provincia Eboracensi tenebris penitus obductam; cùm Archiepiscopi Eboracenses via adduci possent, ut Cantuariensibus primo loco cederent. Recrudruit concertatio in Londoniensi rursus Concilio anni 1237. ubi tamen indivulsus dexteræ Legati inhæsit Cantuariensis, Eboracensi ægritudinem animi sui solis protestationibus & intercessionibus suis solante. Malunt aliqui illud Petri Paulique exemplum tunc à Legato ad leniendum Eboracensis animum prolatum fuisse.

*Matt. Paris.*

Adeundus audiendusque jam nobis est Alexander III. Papa, qui opprimi finirique posse speravit importunam contentionem, si primum authoritatis pondus Gregorii Magni Decreto redderetur, vetareturque proinde Cantuariensis ab Eboracensi Professionem qualemcumque exigere, aut quidquam in eum juris sibi arrogare. *Probibemus ne ulteriùs aut Cantuariensis ab Eboracensi professionem exigat, neque quod à beato Gregorio prohibitum est, ullo modo Cantuariensis Eboracensis jurisdictioni subjaceat.* Denique constituta inter eos summa quadam æqualitate, & consessûs honore solo ei tributo, qui prior ordinatus fuisset. *Sed juxta Patris ejusdem constitutionem, ista honoris distinctio in perpetuum conservetur, ut qui prior ordinatur, prior habeatur.* Hic verè tumulus videri potest fuisse Cantuariensis Primatiæ, ejusque multis nominibus eximiæ authoritatis, quam Ecclesiæ suæ Lanfrancus pepererat.

*Append. Conc. Lat. 3. Part. 44 c. 1. 2.*

Coalituram magis magisque pacem censuit idem Pontifex, si copia fieret Eboracensi Crucis eminentioris per totam Angliam & in ipsa Cantuariensi Provincia circumferendæ. Reclamavit in Concilio Vuestmonasteriensi Cantuariensis, reclamarunt vicissim adversùs eum Eboracenses Clerici. Ex Capite *A memoria. Extra. Ut lite pendente*: perspicuum est hoc privilegii non antè Eboracensem à Pontifice consecutum esse, quàm fidentissimè affirmassor, majores suos eodem jure ex superiorum Pontificum concessione gavisos esse: revocatumque id totum esse ab Alexandro, ubi primùm à Cantuariensi rescivit usum hactenus contrarium viguisse. Querelis tunc sanè suis ita eundem Pontificem fatigavit Eboracensis, quòd ab eo causâ nondum prorsus dijudicatâ, spoliaretur eo jure & honore, cujus possessionem nactus erat: ut compos iterum ejusdem factus fuerit, donec plenius tractaretur, an eo jure frui deberet Ecclesia Eboracensis.

*Roger. Hoveden. anno 1175.*

Non multò pòst tempore cùm Legatus rursum Pontificius in Angliam exscendisset, ingressus est Rex ipse in molestissimam hanc causam dissidii, & operosissimæ concordiæ inter Archiepiscopos faciendæ operam navavit. Denique hortante instanteque eo, Archiepiscopi duo arbitros judicesque elegerunt Rotomagensem Archiepiscopum aliosque vicinos Galliæ Episcopos, quinquennii spatio constituto, quo & causa finiri posset, & ipsi interim pacem alerent, quiescerentque.

Ne veri quidem simile est, quòd Rotomagensis aliique Galliæ Episcopi quidquam aut attigerint, aut pronunciaverint in hac causa. Multo enim post elapsum illud quinquennium tempore, in Concilio Angliæ Balduinus Cantuariensis, præsente etiam Rotomagensi, solemniter obnunciavit, ne Electus Eboracensis Archiepiscopus, ab alio quàm ab ipso

*Roger 1189.*

inaugurari se curaret, prolatis in medium omnibus, quæ in ea causa gesta quondam conventaque fuerant, sub Lanfranco Archiepiscopo & Rege Vuillelmo. Sed vel ex iteratis his protestationibus emicat, Eboracenses Episcopos ab incœptis non destitisse. Quippe ne in Nationalibus quidem Angliæ Conciliis illi loco cedebant, nisi inviti, & de suo in contrarium jure exertè contestati. Denique Vuillelmus de Grenefeld in Synodicis Constitutionibus suis anno 1306. semet ipse Angliæ Primatem pronuncians, sedique Apostolicæ immediate obnoxium, pœnas censurasque indixit iis omnibus, qui ab ipso & Officialibus suis ad Cantuariensem vel Officiales ejus provocarent. *Cùm Eboracensis Archiepiscopus, Angliæ Primas, præter Romanum Pontificem in spiritualibus super orem non habeat, ac ipsa mater Eboracensis Ecclesia honore Primatiæ illustretur, &c.* Exinde certè Eboracenses Archiepiscopi Primates semper Angliæ se adscripsere, ut liquet ex Actis Thomæ Volseii sub Henrico VIII. Rege.

*Ann. 1137.*

*An. 1306.*

*Conc. Ang. Tom. 2. pag. 442. Preuves des Liber. de l'Egl. Gall. c. 20. n. 33 ann. 1527.*

VI. Unum id nunc superest: paucis ut verbis constringamus totam hujus causæ seriem, & munimenta præcipua, quibus ultro citroque inclyti Præsules confidebant: prout hæc omnia summatim Vuillelmus Neubrigensis in historia sua complexus est. Fatetur hic scriptor Primatum à Gregorio Papa I. initio ei adscriptum fuisse, qui ordinatus fuisset prior: *Ipse Prior habeatur, qui prius fuerit ordinatus:* sed Archiepiscopum Cantuariensem, quem Gregorius Londinensem vocabat, *Cantuariensis Episcopus, quem Gregorius Londinensem vocabat:* reposuisse, abrogatum Gregorii decretum à posterioribus Pontificibus fuisse; cùm Theodorum in Angliam miserant, Archiepiscopatu Cantuariensi potiturum, omnibusque Angliæ Episcopis præfuturum, denique Primatis & nomine & dignitate vestiendum: *Quem præfecit Romanus Pontifex universis Angliæ Episcopis, tanquam Primatem.* Exinde porro Theodori successores amplissima illa jurisdictione usos esse.

*L. 5. c. 12. de rebus Anglicis.*

Quamvis validissima hæc viderentur Cantuariensium præsidia, non sibi tamen deerant Eboracenses. Respondebant enim Decretum Gregorii immotum inconcussumque esse fundamentum utriusque Ecclesiæ; provida ad tempus dispensatione potuisse Romanos Pontifices Primatum ad tempus aliquod Theodoro & Cantuariensibus indulgere, dum restauraretur per eos in Anglia litterarum ardor, Canonum vigor, puriorque Ecclesiarum disciplina: postea verò necessum fuisse ut revivisceret primigenia utriusque Ecclesiæ lex & politia illa ipsa, quam primus earum parens & conditor Apostolusque præscripserat: si per socordiam sua oblitterari aliquandiu jura passi essent Eboracenses Episcopi, nihil ab eorum inertia importari posse detrimenti Ecclesiæ Eboracensi; alienari enim non posse agnata hæc & hæreditaria jura, ut liquebat ex usu pallii, quod ignavia Præsulum intermissum aliquandiu post obitum Archiepiscopi Paulini, recuperatum postea fuerat.

Objectabant Cantuarienses obnoxiam sibi fuisse Eboracensem Ecclesiam, post etiam quàm restitutum illi fuerat pallium. Sed regerebat vicissim Eboracensis Ecclesia, Præsulum oscitantiam & inertiam ipsis præjudicio & damno esse posse, non ipsorum Ecclesiæ.

His addit Neubrigensis utrumque Archiepiscopum nomine Primatis gloriari solitum, cùm neuter vel umbram ejus potestatis retinere potuisset. Nil vanius autem quàm de inanibus nominum titulis digladiari. *Vanissimè uterque illorum se scribit totius Angliæ Primatem, cùm neuter habeat significatam hoc nomine potestatem.* Addit rursus ambitum aliquando ab Archiepiscopo Cantuariensi titulum & jus Legati Apostolicæ Sedis, ut in Eboracensi ipsa Ecclesia honor sibi & cultus dependeretur: Primatis verò tunc nomen sub titulo Legati necessariò delituisse. At cùm potuisset tunc obtendi ab Eboracensi privilegium, quo Legatorum Angliæ potestati subducebatur: cessisse eum lubentiùs, ut gratiam potiùs iniret à Legato, quàm ejus potestatem experiretur.

VII. Insurgit alibi idem Neubrigensis, & asperiore censura sævit in Antistitum hujusmodi implacatas contentiones de Sedium suarum prærogativis. Mirum quippe in modum eas dissentire existimat ab ea quam fidelibus ipsis populis inculcavit Apostolus, modestia suique dejectione, qua fit ut certatim honore sese præveniant cedantque mutuo. *Quippe illa Apostolica regula, Honore invicem prævenientes, à nostri temporis Episcopis ita est abrogata, ut sollicitudine pastorali postposita, Episcopi quanto pervicaciùs, tanto & vaniùs de excellentia litigent, & omnis fere Episcopalis controversia circa honorum prærogativas versetur.* *L. 3. c. 1.*

Ita comparatum est cum hominibus, mortalem hanc vitam degentibus, ut placeat hæc mordacitas Historicorum, sive ex sincero profecta zelo, seu plerumque ut contigit, zeli specie palliata. Cogitanti autem mihi sæpenumero, quanti & quàm singulari sanctitate Episcopi exarserint ipsi æstu eodem in defensionem privilegiorum suæ quisque Ecclesiæ, ut nec tempori, nec labori, nec impendiis pepercerint: penè libet Neubrigensis censuram justiore ulcisci & propulsare censura. Lanfrancus, Anselmus, Thomas ille palma tandem martyrii clarissimus, inter Cantuarienses Archiepiscopos, nihilo remissiores segnioresque aliis quibuslibet fuere in Ecclesiæ suæ juribus propugnandis & in vendicanda sibi Primatia, proterendisque Eboracensium Præsulum conatibus. Quantæ verò aut vecordiæ fuerit, aut temeritatis, tanta sanctitatis fama nobiles & inscriptos Sanctorum fastis Antistites, in crimen vocare, & reos agere profanæ honorum æmulationis, quasi expertes fuerint omnino ejus modestiæ, ab Apostolo commendatæ, quæ honores & sincerè à se deprecatur, & libentissimè aliis ingerit? Apposite ergo magis ad sobrietatis & sapientiæ leges existimabimus, cordi & amori fuisse his præsulibus dignitatem suam, non ut insanæ privatim gloriæ, vel publicæ ostentationis materiam: sed tanquam Apostolatûs consortium quoddam & divinæ cujusdam authoritatis culmen, quo invigilare populorum sanctificationi, & Ecclesiarum ædificationi cogerentur; cujus depositum sacrum & cæleste, quale quantumque à majoribus accepissent, in posteros etiam serosque nepotes transmittendum esset. Tota ergo in eo jam vertitur quæstio, an possit Episcopi, Metropolitani, Primatis, Patriarchæ, quanta quanta est potestas, spectari non aliter, quàm ut divina quædam & cælestis potestas, à Christo manans, in Christum refluens, ad obterenda scelera, ad seminandas propagandasque virtutes, ad sapientiæ & charitatis sempiternum ac cæleste imperium in terris & in temporalium rerum administratione constituendū. Si de hoc constat, ne de illo quidem dubitari potest, quin potestatis hujus tam sacrosanctæ tamque salutiferæ administri & hæredes, pro ejus defensione tenean-

rus decertare. Possunt quandoque Præsules aliqui privatis affectibus indulgere, ambitionis & iræ stimulis agi, ultra sobrietatis & justæ defensionis limites efferri. Sed ipsa per sese Ecclesiæ causa, sacræque jurisdictionis indoles ea est, quam adumbravimus; nec sobrius quisquam ambiget, quin Lanfrancus, quin Anselmus, quin Thomas Cantuariensis, quin aliarum Ecclesiarum Antistites quamplures Ecclesiæ causam defensitarint, eo ipso spiritu, quo Ecclesia & vegetatur & regitur, puro inquam sinceroque charitatis, & veritatis, pietatis & religionis amore.

VIII. Subjicio nunc oculis Primatem alios magnos & ipsum animos gerentem, & exploratissimæ tamen modestiæ, atque humilitatis penè nimiæ. Sanctus Malachias Hiberniæ Primas erat. Pallii honos nec auditus usquam fuerat, nedum usurpatus, vel in ejus propria, vel in altera Metropoli, quæ illi suberat ut Primati. Accinxit ergo se ille ad Romanum iter, quo ab Innocentio II. impetraret, tum suæ, tum alteri Metropoli Pallium, quo plenitudo Pontificiæ potestatis explicabatur. Juvat Bernardi verba ipsa promere, excerpta ex vita sancti Malachiæ, quam ille litteris mandavit. *Romam proficisci deliberat, maximè quòd Metropolitica sedi deerat adhuc, & defuerat ab initio pallii usus; quod est plenitudo honoris. Et visum est bonum in oculis suis, si Ecclesia, pro qua tantùm laboraverat, quem hactenus non habuerat, suo acquireret studio & labore. Erat & altera Metropolitica sedes, quam de novo constituerat Celsus prædecessor, primæ tamen sedi & illius Archiepiscopo subdita tanquam Primati. Et huic quoque optabat nihilominus Pallium Malachias, confirmarique authoritate sedis Apostolicæ prærogativam, quam beneficio Celsi adipisci meruerat.*

Baron. an. 1137.

In his verbis animadverti nonnulla alicujus momenti æquum est. 1. Is qui facile tunc antecellebat omnes Ecclesiæ Antistites, tum sincero sui contemptu, & humilitate, tum pœnitentiæ asperitate, Romanam adornat profectionem, Ecclesiam suam deserit, ut pallio decoretur, quod prædecessorum ejus nemo ambierat: utque Primatiæ suæ jura confirmentur. Si cui Malachiæ vel humilitas suspecta fuerit, vel sanctitas, is & inscitiam suam prodet, & insignem impudentiam. 2. Primatiæ Hibernicæ fundamenta jecerat præcessor Malachiæ Armachanus Archiepiscopus, altera instituta Metropoli, quæ pareret Armachanæ. Sensit Malachias hanc sive Metropolis novæ, sive Primatiæ creationem brevi labefactatum iri, nec inte stare posse, nisi pondus illi & authoritas ab Apostolica sede accederet. 3. Ita perspicuum est omnes Episcopalis Ordinis gradus, alios aliis eminentiores, à sede Apostolica manasse, ut ab origine primigenia: & in eam rursum cosluisse, ut in sui centrum, & unitatis radicem. 4. Ita sempiternæ sapientiæ consilio provisum est, ut labentibus sæculis clariores quique Antistites estimularentur subinde ad jocundam cum Apostolica sede societatem & concordiam, promptamque illi obedientiam tanto impensius exhibendam, quanto magis indies Ecclesia in remotissimas orbis regiones dilatabatur. Quippe unitas vis est illa arcana & inexpugnabilis, qua membrorum latissimè diffundentium se integritas perennitasque servatur. Si quos autem Præsules inescavit illecebra pallii, splendorque nominis & consessûs celsioris; carnalis quidem eorum affectus tanquam vitiosus & præposterus, merito culpandus est: at nihilo segnius referendæ sunt gratiæ, clementissimo sapientissimoque Ecclesiæ sponso & moderatori Christo, qui Ecclesiæ regnique sui & ædificationi & propagationi famulari cogit ipsas hominum carnalium cupiditates; ea ipsa omnipotente sapientia, qua mala bene vertit, & lumen mediis ex tenebris accendit.

Anno Christi 1151. misit Eugenius III. in Hiberniam quatuor pallia, creatis eodem tempore quatuor Metropolibus, quarum singulis quinque subjiciebat Episcopos. Refert Rogerius eo violata esse jura Ecclesiæ Cantuariensis, quæ sibi jus adrogabat ordinandorum Hiberniæ Episcoporum: violatam denique in eo antiquissimam consuetudinem. *Hoc factum est contra antiquam consuetudinem, & dignitatem Cantuariensis Ecclesiæ, à qua solebant Episcopi Hiberniæ expetere, & accipere consecrationis benedictionem.*

Rogerius Ann. 1151.

IX. Hinc nimirum illud nascitur: Primatiam Cantuariensem quondam exporrectam fuisse ad extremos usque Hiberniæ fines. Finitimum quoque vero est, Evangelicam fidem & verbi prædicationem ex Anglia in Hiberniam trajectam fuisse. Ita Cantuariensis Ecclesia, quæ omnes in Christo pepererat alias Angliæ Ecclesias, Hibernicas quoque in numerosæ suæ prolis familia recensebat. Multa occurrunt apud Eadmerum, quibus innuitur, Episcopis Anglis illam insedisse sententiam: non Hiberniæ tantum, sed & circumjacentium insularum, Scotiæ ipsius Ecclesias à Primatis Cantuariensis authoritate pendere veluti filias amantissimas. Nec illud abnuerim; dum ne abnuerint illi, optimæ matris tum cumulari gaudium, cùm ejus fœcunditatem imitantur filiæ, cumque & ipsæ in matres, seu in Metropoles evadunt. Nec enim aliter fere increbruere pleræque Christiani orbis Metropoles.

Eadmer. Hist. Nov. L. 1. 4. 5.

Cùm dignitatum Ecclesiasticarum is unus scopus finisque sit, ut utilitati, & majestati Ecclesiæ serviatur: necesse primo fuit, ut suas sibi Metropoles Hibernia haberet; nec posset contra niti Cantuariensis Metropolitanus, nisi suæ quàm Christi gloriæ cupidior. Et rursum necesse fuit, ut Hiberniæ Metropolitani præstitutum sibi suum haberent Caput, qui cùm, & inter sese conferre crebrius, & illa inire possent consilia, quibus disciplina, pax, sanctitas & concors ratio, & consensio omnium Hiberniæ Ecclesiarum sanciretur. Armachanus & Toamensis Archiepiscopi ad hanc certatim Primatis dignitatem suæ Ecclesiæ adjungendam contendebant. Alexander IV. Armachano illam contulit, concessitque, ut Toamensis quoque Provinciæ Primatem se diceret, in ea iter faciens Crucem præferri juberet, singulis denique quinquenniis eam visitaret perlustraretque universam, intra dies tamen septem supra viginti. *Possint se vocare si voluerint, Primates Provinciæ Toamensis, & facere deferri ante se Crucem per totam ipsam Provinciam; possint etiam dictam Provinciam de quinquennio in quinquennium visitare, & per viginti septem dies duntaxat visitationis officio immorari.*

Rainal an. 1255. n. 40.

Observa denique Malachiam ipsum Archiepiscopum Armachanum, singularis qua pollebat pietatis impetu Romam isse, Palliumque postulasse, & duarum Metropoleon confirmationem. Censuit Innocentius II. remetiendum illi esse iter in Hiberniam, ut Concilium ibi congregaret, vota & suffragia colligeret conspirantium Episcoporum, & tum demum sedes Apostolica Metropoles crearet, pallioque impartiret. Eugenius III. quatuor Metropoles instituit postulante Malachia, postulante

& Concilio Hiberniæ universali. Denique tum demum Alexander IV. Primatiam Armachano adjudicavit, cùm de ea inter Armachanum & Toamensem controversia excita esset. In his manifestum est, ita temporum, rerumque & personarum vices temperari regique sempiternis divinæ Sapientiæ consiliis, ut Ecclesiæ corpus in dies convalescat, & arctissime cum suo semper Capite, & unitatis vertice compaginetur.

## CAPUT XXXVII. *P.4.l.1. c.13.*

### De Primatibus Germaniæ, Italiæ, Daniæ, Poloniæ, Hungariæ.

*I. De Moguntina Primatia.*
*II. De Lundensi Primatia in Daniam, Sueciam, Norvegiam.*
*III. De Gnesnensi in Polonia.*
*IV. De Strigoniensi in Hungaria.*
*V. De Pisana in Italia.*

I. IN Moguntino Concilio anni 1071. Archiepiscopus Moguntinus Primatem se dixit Ecclesiæ Moguntinæ, appellavitque Ecclesiam suam *Metropolin Orientalis Franciæ, Principalem verò Pontificy sedem totius Germaniæ & Galliæ Cisalpinæ.* (*Conc.To.9. pag. 1106.*) Hæc tamen verborum magnificentia non aliud oculis subjicit, quàm perantiquam vastamque Metropolin, quæ caput & princeps erat primæ Germanicæ, nullo protsus jure freta Primariæ in alias Metropoles, ac ne in Coloniam quidem ipsam, quæ vertex & caput erat Germanicæ II. Ab historiæ Trevirensis Scriptore disces, (*Spicileg. To. 12. p. 248.*) sub Callixto II. Papa Adelbertum Archiepiscopum Moguntinum Legationis Apostolicæ munia & ornamenta assecutum, curas eò suas vertisse, ut à Moguntinæ imperio Trevirensis posthac penderet Ecclesia. Bruno Trevirensis Archiepiscopus Hincmari scriptis edoctus immunitatem libertatemque Ecclesiæ suæ, Pontificem adiit tunc Cluniacensi in Abbatia commorantem; Rescriptumque ab eo expressit, quo Trevirensis Archiepiscopus uni Papæ, Papæque Legatis morem gerere, obsequique jubetur. Inde est, quod Ottocarus ejusque filius Venceslaus ita firmarunt suo diplomate privilegium illud Archiepiscopi Moguntini, quo solus regio exornat diademate Bohemiæ Reges; ut eum non alio quàm Metropolitani nomine appellarent. (*Rainal. an. 1228. n.39.*) *Consecrationem Regalem & diadematis impositionem tenemur de sacrosanctæ Sedis Moguntinæ Archiepiscopo, terræ nostræ Metropolitano, in perpetuum recipere.* Nullus ergo superest tergiversandi locus: Primatia olim Bonifacio Moguntino ita concessa fuerat, ut superstes ei esse non posset, sed extincto illo interiret unà. Enimvero Germani Antistites non illa eadem flagrarunt cupiditate perpetuandorum in Ecclesiis suis illorum, sive titulorum, sive jurium, quibus Majorum aliquis inclaruerat: qua Angliæ, Galliæ, Hispaniæque Præsules aliquandiu æstuaverunt. Ex quo factum, ut pleræque horum Ecclesiæ Metropolitanæ, vacuo Primatiæ alicujus nomine delectentur, nec simile quidquam in Germania deprehendi possit.

II. Omnes Danorum Ecclesiæ in potestate olim erant Archiepiscopi Hamburgensis. Compellavit Pontificem Leonem IX. Danorum Rex, ut propriam suo sibi in regno Metropolin crearet. Propitium se quidem regiis votis præstabat Pontifex, at Hamburgensis Archiepiscopi assensus necessariò eliciendus erat: nec abhorrebat ille, sed indui se vicissim nomine & jure Primatis flagitabat, aut Patriarchæ. Qua florebat ille tunc apud Pontificem & apud Imperatorem gratia, votorum compos esset factus, ni tam præclaras spes intercepisset mors Pontificis. Porro Daniæ Rex intelligens regni sui Ecclesias ita obnoxias fore Hamburgensi Primati, (*Baron. an. 1053 n.45. 46.*) ab inceptis tunc quidem resiliit. Audienda hic meritò sunt verba Adami historici: (*l.3. c.34. 35.*) *Metropolitanus quòd Papam vel Cæsarem suæ voluntati pronos videret, multo studio laboravit in Hamburg Patriarchatum constituere. Ad quam intentionem primò ductus est ea necessitate, quod Rex Danorum, Christianitate jam in fines terræ dilatata, desideravit in Regno suo fieri Archiepiscopatum. Quod tamen ut perficeretur ex authoritate Sedis Apostolicæ, convenientibus Canonum decretis prope sancitum esset, sola expectabatur sententia nostri Pontificis. Quam rem ille, si Patriarchatûs sibi honos & Ecclesia sua concederentur, Romanis privilegiis fore ut consentiret, promisit.* Cùm Archiepiscopus Hamburgensis in Imperii & Imperatoris potestate esset & nexu, indignantiùs ferebat Danus Regni sui Episcopos à jussis ejus pendere. Consentaneum tamen erat æqui & Ecclesiæ legibus, ut ne frustraretur Ecclesia Hamburgensis sive Bremensis sua in satas propagatasque à se Ecclesias authoritate. Prima enim Evangelicæ fidei rudimenta, primosque verbi præcones & Episcopos ab Hamburgensibus Archiepiscopis acceperant omnes Danorum, Suecorumque, Norvegiæ item, Islandiæ & Orcadum Ecclesiæ. Eodem authore Adamo, hic ipse Adalbertus Episcopus, quo de loquimur, viginti Episcopos unus ipse ordinaverat, emiseratque in omnes has regiones, Christianæ tunc pietatis candidatas. Denique præter Apostolici Legati potestatem & jus, donatus erat à Pontifice Adalbertus in omnia Septentrionis regna jure quodam summo creandi novos Episcopatus, ordinandique Episcopos; qua potestate usus quandoque est etiam citra Principum consensum. *A Papa meruit hoc dignitatis privilegium, ut totum jus suum domnus Apostolicus in illum transfunderet, successoresque ejus; Adeo ut ipse per totum Aquilonem, in quibus locis opportunum videbatur, sæpè invitis Regibus Episcopatus institueret, ordinaretque Episcopos, quos ex capella sua vellet electos.* (*Baron. an. 1067. n.17. Adam. l.4. c.26.*)

Liquet ergo Hamburgensem, seu Bremensem Ecclesiam, quæ parens erat & magistra omnium Aquilonarium Ecclesiarum Episcopalium, ducem principemque earum esse quoque debuisse, tanquam Metropolitanam: aut si & illæ in Metropolitanam exurgerent dignitatem, assurgere & ipsam debuisse in Primatialem; ut suo semper jure, quocumque demum nomine, filiabus mater emineret. Liquet etiam has politiæ Ecclesiasticæ mutationes mixtas non fieri sine Principum temporalium assensu: ut vel hîc argumento est consilium initum de Bremensi Primatia erigenda.

Opportunius postea tempus aucupatus Rex Daniæ, Lundensem Ecclesiam Metropolitico nomine augeri pervicit. Narrat Saxo Grammaticus, ut Ericus Rex Daniæ appellato Romano Pontifice, declinarit excommunicationis telum, quod ab Hamburgensi Pontifice illi intentabatur; nullaque interposita mora Romam perrexerit, ut ab Urbano II. propriam regno suo Metropolim expugnaret. Promissis illum primò deliniit Pontifex, & spe, qua tamen non multò pòst frustratum se non esse sensit. Legatus Apostolicus in Daniam profectus, perpensis serio Lundensis civitatis opibus & ornamentis,

expensis & ejus virtutum meritis qui Episcopalem ejus sedem implebat, Metropolitica illam dignitate cumulavit, addictis ejus potestati Episcopatibus aliis omnibus Sueciæ Norvegiæque: *Cum non minorem personarum, quàm civitatum respectum egisset, Lundia ob egregios Axeni Episcopi mores, tum quod ad eam à finitimis regionibus terra marique transitus abundè pateat, huic potissimum honorem deferendum curavit. Nec solùm eam Saxonica ditione eruit, sed etiam Sueciæ Norvegiæque religionis titulo magistram effecit.* Perinde acsi diceretur truncatam fuisse Metropolim Hamburgensem Ecclesiis omnibus Sueciæ, Daniæ, Norvegiæ, quibus antè imperitabat, ut his augeretur nova Metropolis Lundensis. Schismatica tunc insania Liebarus Hamburgensis Episcopus furebat adversùs Romanos Pontifices. Henrico quippe Germaniæ Regi se totum mancipaverat adversùs Ecclesiam furenti. Jam antè ea de causa Episcopatus Daniæ illi subducere Gregorius VII. meditatus fuerat. Quid enim æquius quàm ut ejus abscinderetur ditio & potestas, qui Ecclesiam Catholicam lacerabat?

Baron. an. 1092. n. 13. 14. L. 11.

Cùm postea Sueci quoque id perfecissent, ut Upsalensis Ecclesia Metropolitico apice cresceret, Innocentius III. firmavit Primatiam ab Hadriano IV. concessam Lundensi Archiepiscopo Daniæ, ampliavitque in Upsalensem Sueciæ Metropolim: ita ut Primas Lundensis acciperet à Pontifice Romano pallium, illoque impartiret Upsalensem Archiepiscopum, solenni primo perfunctum fidei & obedientiæ sacramento, salva intactaque fide Romano Pontifici debita. *Ipsi & Lundensi Ecclesiæ, salva fidelitate Romanæ Ecclesiæ, fidelitatem & obedientiam juramento promittat.* In eadem epistola ad Absalonem Archiepiscopum Lundensem scripta, testatur Innocentius III. successores Hadriani IV. complures, Alexandrum, Lucium, Urbanum, Clementem & Cælestinum patrocinatos esse Primatiæ Lundensi. Est quod mireris forsan, sed est etiam quod gratuleris, cùm Bremensis Metropolis Septentrionalibus his omnibus regnis Episcopos dispensasset: ex his aliquos postea in Archiepiscopos, imò & in Primates excrevisse. Quippe facta tunc incrementa fidei Evangelicæ per omnes illas ad Boream semotas provincias, & harum secessio ab Imperio, distributioque in alia & alia regna, ita tunc jubebant fieri; idque vel maximè tum ad Ecclesiarum novellarum stabilitatem, tum ad gloriam Christi latissimè propagandam condocebat.

Innoc. 3. Reg. 1. Epist. 419. Rainal. an. 1198. n. 76.

III. Nec dispar fuit ratio Gnesnensis in Polonia Ecclesiæ, ad Metropoliticam, adeoque ad Primatialem amplitudinem extollendæ. Ut Bohemiæ, ita & Poloniæ Ecclesiæ cunabula sua & incrementa non pœnitenda debebant Moguntinæ Metropoli; sed æquum erat ut adolescerent & ipsæ tandem, & in Metropoles assurgerent. Ea quippe fors est Ecclesiarum omnium, ea fuerat & ipsius Moguntiæ, ut idem tandem aliquando et conscendant ipsæ fastigium potestatis, atque illæ à quibus ortum duxerant.

Rainal. an. 1207. n. 23.

IV. Aliquantò impeditior fuit difficiliorque conciliatio Archiepiscoporum Strigoniensium, & Colocensium. Transactione facta convenerat illis, ut Strigoniensis omni se in Colocensem potestate abdicaret, eo vicissim privilegio remunerandus, ut solus jure uteretur Regum Hungariæ inaugurandorum. Rex ipse multis precibus sollicitaverat Romanum Pontificem, ut confirmata hac transactione, inconvulsam æternamque concordiam inter hos Præsules sanciret. Sed tam præclaris conatibus obstrepuit Capitulum Strigoniense, interpellato Innocentio III. Papa, utpote quod nec consensisset, nec consensurus esset unquam, Ecclesiæ suæ privilegia ita impunè conculcari. Consultum ergo duxit tunc Pontifex, Strigoniensi jus addicere, aut firmare consecrandorum Regum, alia controversiæ capita tunc non attingere, ne pax regni infinitis contentionibus disturbaretur.

Innoc. Reg. VI. Ep. 138. Rainald. an. 1203. n. 29. Item 1212. n. 7.

V. Primatia Romani Pontificis tanto splendore tantaque se cum majestate explicuit in Italia, ut rari ibi Metropolitani ad Primatûs culmen anhelarint. Urbanus II. non contentus Pisanam Ecclesiam in Metropoleon album retulisse, Apostolica etiam Legatione in Sardiniam eam instruxit. Vicariatu Apostolico in Corsicam antè eandem ornaverat Gregorius VII. Alexander III. Pisanum Archiepiscopum Primatus etiam dignitate munivit in Sardiniam, parere ei jussis tribus illius Insulæ Metropolitanis. Verùm id quidquid erat juris & potestatis, obliteratum prorsus est, superstite sola nominis pompa. Leo Ostiensis mavult à Gelasio II. Archiepiscopales infulas Pisanæ civitati fuisse collatas. Innocentius III. ad Hubaldum Archiepiscopum Pisanum scribens, commemorat, & novo authoritatis pondere confirmat Legationem perpetuam primæ Sedis, ejus Ecclesiæ concessam ab Urbano II. firmatamque ab Eugenio, Anastasio, Cælestino. Hic idem rursus aut confert, aut confirmat Archiepiscopo Pisano Primatiæ jura in provincias Sardiniæ Calaritanam & Arborensem; ea tamen cautione, ut Metropolitanos ad suum non vocet Concilium, nisi permissu Sedis Apostolicæ. *Ita quidem ut eos ad Concilium vocandi, excessus eorum corrigendi, & quæ cætera omnia quæ ad jus Primatûs pertinent, in eos exercendi habeatis liberam facultatem. Veruntamen duarum supradictarum Provinciarum Archiepiscopos ad Concilium non vocabitis Pisas sine conscientia Romani Pontificis.* Hoc eodem tempore annuebat illi non dissimilem potestatem in tertiam quoque Sardiniæ Metropolin, Torrensem videlicet. Denique copiam illi faciebat explicandæ Crucis per has omnes Provincias: *Crucem per subjectas vobis Provincias portandi.*

Ann. 1131. n. 38.

An. 1092. Greg. VII. l. 6. Ep. 12. Ann. 1167. Marca de Prim. Lugd. n. 124.

L. 1. Regest. Epist. 50.

---

## CAPUT XXXVIII. *P. 4. l. 2. c. 14.*

## De Primatibus Hispaniæ.

*I. Toletana Ecclesia ab Urbano II. Primatu donatur in omnes Hispanias.*

*II. Contradicit Archiepiscopus Tarraconensis.*

*III. Item Narbonensis.*

*IV. Qui Narbonensis Archiepiscopus in Primatem evasisset Provinciæ Tarraconensis.*

*V. Urbanus II. Legatione Apostolica muniverat Archiepiscopum Toletanum, ut Primatum ejus fulciret. Posteriores etiam Pontifices suo illum subinde authoritate sustentarunt.*

*VI. De ea lite relatum est ad Concilium Lateranense IV. ubi Innocentius III. nil de ea definivit.*

*VII. Quibus argumentis evincatur, Metropolitanos Toletanos nunquam adeptos esse possessionem, aut executionem potestatis Primatum. De quinque præcipuis Hispaniæ Provinciis & Metropolibus. De Primatu Compostellano.*

*VIII. Contentiones gravissimæ de jure præferendæ Crucis.*

*IX. Quanta fuerit Pontificum Romanorum æquabilitas, animique moderatio, cùm hujusmodi rerum mandatis Episcopi recusabantur.*

*X. Rursum pugna de jure præferendæ Crucis.*

*XI. De Primatu Bracharensi.*

*XII. Exemplo perinsigni sanctissimi Præsulis Bracharensis Bartholomæi, de [illegible] certaminum [illegible] pietatis & religionis amore [illegible].*

*XIII. Si voluntati & mandatis Pontificum variis subinde constitutionibus, Primatum obtemperatum esse, innumerabiles [illegible]*

*Perennius causæ disjudicatæ fuissent, quæ non sine molestia & impensa nunc Romam referuntur.*

I. CUm sibi Christianoque nomini profligatis Mauris Toletanam civitatem recuperasset Alphonsus ejus nominis VI. Toletanus Rex, postquam in hostium potestatem ea venerat annis 368. Tum verò ille multis apud Urbanum II. exoravit, ut antiquissima Hispaniæ Metropolis in illam ipsam restitueretur amplitudinem, qua quondam fruebatur, antequam Maurica colluvies in Hispanias exundaret. Causæ æquitatem juvabat recens Regis victoria. Itaque Toleto redintegrata est antiqua Primatia, qua pollebat in omnes Hispaniæ Metropolitanos. *Tuis exhortationibus invitati, Bernardo Toletanæ urbis Præsuli Pallium contradentes, privilegium quoque Toletanæ Ecclesiæ antiquæ majestatis indulsimus. Ipsum enim in totis Hispaniarum regnis Primatem statuimus & quidquid Toletana Ecclesia noscitur antiquitus habuisse, nunc quoque ex Apostolicæ sedis liberalitate in posterum habere censuimus. Tu illum ut Patrem charissimum exaudias, & quæque tibi ex Domino nunciaverit, obedire curato.* Ipsissima sunt Ur-

An. 1088. Conc. Gen. Tom. 10. pag. 418.

bani II. Epistolæ verba ad Regem Alfonsum, qui in Hispaniæ Primate habiturus deinceps erat, & parentem optimum, & sapientissimum monitorem. Scripsit & ad Archiepiscopum Tarraconensem Urbanus, Primatum à se Toletano concessum ea ratione, ut Metropolitanis illibata sua constarent privilegia: *Salva Apostolicæ sedis authoritate, & Metropolitanorum privilegiis singulorum*: nimirum ut ne toties emetiendo Romano itinere fatigarentur posthac Hispani, apud Primatem causas difficiliores deinceps acturi: *Si quid igitur inter vos grave contigerit, quia ab Apostolica sede procul estis, ad eum velut ad Primatem vestrum omnium recurretis, ejusque judicio, quæ vobis sunt gravia terminabitis.* Si quæ verò tantis essent vallata difficultatibus, ut iis enodandis impar esset Primas; tum verò aditi Pontificem Romanum oportere: *Quod si fortè ipsius quoque judicio nequiveris definiri, ad Apostolicam Sedem, ut dignum est, velut Sedium omnium Principem referetur.* Itaque non ex provocationibus tantùm causæ vel ad Primatem vel ad Papam referebantur: sed quoties spinosior implicatiorque incidebat quæstio, quàm ut eam satis extricare posset vel Episcoporum inferiorum cœtus, vel Primas ipse. Præcipit denique Pontifex, ut Episcopi qui nullis hactenus paruere Metropolitanis, pareant deinceps Primati, ut Metropolitano proprio: *Qui vestrûm sive Metropolitanis propriis sunt, ipsi interim velut proprio subesse debebunt.*

II. Vix poterat tamen non animo suo præsagire Pontifex, quàm non facilè Metropolitanis, quorum causa agebatur, persuaderi posset, non novam nunc creari, sed antiquam renovari Primatiam Toletanam. Itaque ad Tarraconensem scribens, contestatus est ea lege se pallium ei contulisse ipsi, ut Primati Toletano subesset. *Memineris ita te Archiepiscopum institutum, ut tam tu, quàm universi Provinciæ Tarraconensis Episcopi Toletano tanquam Primati debeatis esse subjecti.* Denique ut inducerent animum insuescerentque Episcopi parere Toletano Primati, Pontificia hunc communivit Legatione in Hispaniam universam, & in provinciam Narbonensem:

Ibidem.

*Nunc autem multò amplius, quia ei nostra sollicitudinis vices in Hispania universa, & in Narbonensi Provincia ministrandas injunximus.*

III. Nihil residebat dubitationis in animo Urbani quidem, quin Toletanus quondam plenissima hac Primatûs authoritate in omnes Hispaniæ provincias excelluisset, cùm tam disertis verbis ea de re ad Archiepiscopum Bernardum scriberet. *Te secundùm quod ejusdem urbis constat extitisse Pontifices, in totis Hispaniarum regnis Primatem privilegii nostri sanctione statuimus. & Primatem te universi Præsules Hispaniarum respicient, & ad te, si quid inter eos quæstione dignum exortum fuerit, referent.*

Marca de Prim. Lugd. 125.

Sed longè alia mens erat Archiepiscopi Tarraconensis, qui imperio parebat alterius Regis, nec nesciebat fortasse tam effusa potestate nunquam superioribus sæculis potitos esse Toletanos Antistites. Itaque Castellano Præsuli Arragonius subesse detrectavit, causatus obreptum esse Pontifici. Narbonensis Archiepiscopus animi sui ægritudinem querelasque in aures effudit Pontificis ipsius; gravissimo quippe affectum se damno, tum Primatis Toletani, tum Metropolitani Tarraconensis institutione, sanctissimè affirmans ab annis quadringentis Episcopis provinciæ Tarraconensis nec Metropolitanum præfuisse alium, nec Primatem, quàm Antistitem Narbonensem, *Cùm eos per annos quadringentos sine alterius reclamatione Narbonensis Metropolis possederit.* Pontifex misso in Hispanias Legato, delinire studuit Tarraconensis provinciæ Episcopos, ut Narbonensi interim Metropolitano subessent lubentius, dum restauraretur quæ complanata fuerat civitas & Ecclesia Tarraconensis: at Toletanum Primatem Legatum à latere pronuntiavit, ejusque potestatem in ipsam effudit Narbonensem provinciam, ut eo temperamento allicerentur ad obedientiam Toletano Primati dependendam, tum Tarraconensis, tum Narbonensis Metropolitani.

Conc. Gen. Tom 10. Pag. 459.

IV. Oppressa certè jacuerat annis admodum quadringentis Tarraconensis provincia sub barbarica Sarracenorum dominatione. Simile veri est per ea tempora plerosque ejus regionis Episcopos in vicinam se recepisse provinciam Narbonensem, & Narbone muras traxisse. Quippe tum civitas, tum provincia hæc olim Gotthorum Hispaniæ Regum imperio continebatur. Cùm nec Episcopalium civitatum, nec ipsius Metropolis nisi rudera superessent; non illibentes suberant Narbonensi, qui prolixiore in eos beneficentia, suam hanc in eos alebat confirmabatque dominationem.

V. Legatio ab Urbano II. demandata Primati Toletano, personæ hærebat, nec ad successores transfundenda erat; quocirca nec iis quidquam reverentiæ ab aliis exhibebatur Metropolitanis. Hadrianus & Anastasius minis sævierunt in Braccharenses Archiepiscopos, ut eorum seu contumaciam, seu constantiam in Toletanos Primates frangerent. Paschalis II. Gelasius II. Callixtus II. & Eugenius III. Rescriptis suis roborarunt universalem eundem Primatum Ecclesiæ Toletanæ in Hispanias. Eugenio III. cedere compulsus Braccharensis paruit. Ejusdem extant eadem de re urgentissimæ ad Tarraconensem Epistolæ. Ex litteris Adriani IV. ad Archiepiscopum Braccharensem facilè intelliges, si quam iste unquam Toletano obedientiam exhibuit, ab ea confestim resiliisse. Innocentius III. anno 1209. novis Rescriptis vallavit Primatum Toletanum, *per Hispaniarum regna*: testificatus se prædecessorum legere vestigia, quorum nomina saltem decem recenset. Verùm proximo post anno non tacuit idem Pontifex intricatissimam esse hujus Primatûs causam, nec posse impræsentiarum eam à se definiri, quòd bellum à Mauris immineret, nec Christiana res interim his dissidiorum procellis esset committenda.

Conc. Gen. Tom. 10. p. 460 626. 811. 854. 1036. 1092. & seqq.

Am. 1069.

Inn. Reg. 13. Epist. 5. Regest. 14. Epist. 57.

VI.

[*Anno 1215. Conc. Gen. Tom. 11. Part. 1. pag. 135.*] VI. Concilio Lateranensi IV. præsto fuit sub eodem Pontifice Innocentio III. eruditione & fama clarissimus Rodericus Archiepiscopus Toletanus. Nec mora in causam ille & jus vocavit Archiepiscopos Braccharensem, Compostellanum, Tarraconensem, & Narbonensem, quòd Primatui suo tot Pontificum Rescriptis munito non assurgerent. Triumphos agere maximè visus est Toletanus Rodericus de Compostellano, patefacto non potuisse transferri Compostellam Emeritensem Metropolin, nisi post annum 1124. & quidquid de Jacobi Apostoli profectione in Hispaniam vulgi sermonibus circumferebatur, haud satis firmis niti documentis. [*Mariana. L. 12. c. 4.*] Denique author est Mariana, occepisse quidem Braccharensem Archiepiscopum, & nomine Tarraconensis Archiepiscopi Episcopum ab eo delegatum, harum Ecclesiarum causam actitare, & ostentare privilegia: at cùm alii quorum æquè intererat, abessent, *lite integra discessum esse, neutro inclinatis sententiis.* Idem perhibet Surita: idque ipsum constat ex duabus Epistolis, ab Honorio III. Innocentii III. successore datis ad Toletanum & Braccharensem Archiepiscopos. Claret indidem litem sub hoc ipso Pontifice innovatam rursum fuisse Romæ, & ne tum quidem decisam. Quin immo Honorius hic ipse III. etsi id Mariana Innocentio III. adscribat, ut leniment aliquid adferret Toletano Archiepiscopo Roderico, Primatum illi contulit in Provinciam Hispalensem. Et quidem Hispalis ipsa jugo Arabicæ [*Conc. Tom 11. Part. 1. pag. 245. Mariana L. 12. c. 4.*] dominationis tunc premebatur adhuc: sed cùm primum vindicata esset, & proprium Metropolitanum nacta, tum verò huic Primas Toletanus Pontificio Decreto imminere jubebatur.

VII. Multum igitur operæ industriæque posuit Rodericus quidem, ut non splendorem solum & authoritatem, sed etiam antiquitatis laudem Toletanæ suæ Primatiæ adjungeret. Hoc quoque usus est argumento, quòd Toletana in Synodo XVI. [*Roder. De reb. Hisp. L. 4. c. 3. Mariana. L. 9. c. 18. 19.*] Archiepiscopus Hispalensis translatus sit in Toletanam Ecclesiam, tamquam in Sedem superiorem. At nihilo tamen minùs à vero propiùs abest, quod tradit Mariana, & fusè probat, ante Urbanum II. Episcopos Toletanos nihil unquam exeruisse ejus jurisdictionis ac potestatis, quæ propria Primatum est. In Eliberitano Concilio, immo & in Toletanis, advertit Mariana, non subscripsisse Toletanos Præsules, nisi post complures alios. Illud quidem certò liquet inter antiquioris Ecclesiasticæ disciplinæ Monumenta Hispanica, quinque hos Archiepiscopos, Tarraconensem, Braccharensem, Emeritensem, Hispalensem & Toletanum, longe aliis omnibus antecelluisse Episcopis, & Metropolitani nomine usos esse, seu Primatis, quod ea tunc duo nomina idem sonarent: *diverso nomine, sententia non diversa.* Id porro proficiscebatur aut ab antiquissima sub Romanis divisione Provinciarum Hispanicarum: scilicet in Bæticam, Lusitanicam, Tarraconensem, Carthaginensem, & Gallæcicam: aut potius à complurium varia partitione regnorum, postquam eò irruperunt barbaricæ ab Aquilone gentes. Invaserunt enim Vandali Hispalin & Bæticam: Alani Emeritam & Lusitaniam: Suevi Braccharam & Gallæciam: Gothi Toletum & Carthaginensem; Romanis sese in Tarraconensem recipientibus. Gothi has omnes gentes suæ tandem ditioni subegerunt: ita Toletum, quod illis antè caput erat, Hispaniæ totius caput evasit; eaque regia deinceps civitas à Gothorum Regum aula & præsentia in credibilem splendorem & opulentiam adepta est.

Et tamen mirabilis ista Pontificum Toletanorum gloria & potestas, etiam postquam credita est illis facultas eligendorum Episcoporum, his valde angustis cancellis cohibita est, ut primi ante alios omnes sederent ac subscriberent, nulla prorsus freti ejusmodi jurisdictione, quam seu Primates, seu Patriarchæ in alios Metropolitanos exercent. *In subsequentibus Conciliis Toletani Præsulis prima semper authoritas esse, primùmque sedendo subscribendoque locum occupare, atque his se finibus Toletani Episcopi authoritas continuit. Cætera Primatum jura, qui iidem Patriarchæ sunt, solo nomine discrepantes, ut leges Ecclesiasticæ docent, haud quaquam obtinuit.* Post accisas autem Christianorum res, eversasque à Mauris Ecclesias, vix Toleti superfuit Episcopus. Dux ergo auctorque fuit Bernardus Primatiæ Toletanæ, is qui eam tunc primum impetravit, cum ab Alphonso Rege expugnata esset Toletum. Roma ille *in Hispaniam cum rediret*, ut ait Mariana, *Toleti vicinorum Episcoporum conventum habuit, facilèque homines minimè malos, ingenii dexteritate, & Gallicæ linguæ commercio, quæ ab infantia usus erat, ut imperium agnoscerent, adegit.* Infestis semper animis hunc Primatum spectarunt Metropolitani Hispaniæ. Nonnihil eos quandoque demulcebant & deliniebant Romani Pontifices, alumno suo semper propitii. Callistus II. Metropolin Emeritensem Compostellam transtulit, subduxitque Provincias Emeritensem & Braccharensem Toletano Primati, ut eas Compostellano subjiceret. Hadrianus IV. Primatiam Compostellanam extinxit, adegitque Braccharensem Archiepiscopum, ut Toletani Primatis imperio subesset. Anastasius IV. emisit rescriptum, quo Compostellana Metropolis Toletano Primati subducebatur. Illud Alexander III. revocavit. Quæ gesta sunt in Concilio Lateranensi IV. jam prælibavimus; & rata haberi debent, quæ ibi dicta sunt, quanquam collidi & pugnare secum Mariana videatur, cùm ait contestatam & [*L. 9. c. 19.*] finitam fuisse litem, vicisse Toletanum, ut deinceps supra Metropolitanos Hispaniæ omnes eminueri. *Lite contestata reliquos Hispaniæ Metropolitanos vicit.* Non potest hæc Toletano victoria decus ullum peperisse, nisi ut supra alios sederet: cùm eodem ipso loco testatum faciat Mariana, Toletanos impræsentiarum Archiepiscopos sola Primatis appellatione fulgere, cùm ejus nominis rem, vel potestatem ne minimam quidem adrogare possint, sive judicandis appellationum causis, sive edendis Constitutionibus. *Ac ne nunc quidem præter nomen, ullam ejus potestatis partem exercent in alias Provincias Hispaniæ, neque componendis litibus, neque sontibus plectendis, neque legibus promulgandis.*

VIII. Hoc uno sibi blandiebatur Toletanus eximio honoris insigni, quod solus per omnes Hispanias Crucem circumgestare posset. Joannes Arragoniæ Regis filius, & Toletano Archiepisco- [*Ann. 1320. Mariana. L. 15. c. 17.*] patu auctus, Cæsaraugustam paternum in Regnum profectus, suo quasi jure Crucem Primatiæ propriam explicari jussit. Cæsaraugustanus Archiepiscopus audaciam ejus ut reprimeret, nec jura sua impunè violari sineret, illum incunctanter anathemati, Ecclesiam interdicto subjecit. Jacobus Rex Arragonum patriis primùm indulsit affectibus, mox antiquiores charioresque sibi esse debere intellexit regni sui rationes. Pontifex quoque solatus est illum per litteras, multa animi moderatione, & singulari quadam sapientia conditas; quibus monebat, conducibilius quidem optatiusque fuisse,

ut de jure prius inter se vel de consuetudine, communicato consilio, tractarent Archiepiscopi, quàm se inexplicabiles in hos laqueos conjicerent: sed solatio illud esse debere, quod uterque Pontifex uno & eodem abreptus esset æstu, & amore tuendorum Ecclesiæ suæ privilegiorum. *Causam reperies Zelum quemdam Ecclesiarum jura tuendi, & ipsa illibata servandi, &c. Cùm tam ex parte portantis, quam ex parte resistentium, Zelus conservandi jus Ecclesiarum sibi commissarum fuerit, non injuriam alicui irrogandi.* Denique idem Pontifex vibratam revocavit excommunicationem, evocavit causam totam ad Apostolicæ sedis judicium; vetitis interim Toletanis Archiepiscopis, ne extra propriam Provinciam sibi finerent Crucem prægestari.

*Hisp. illust. To. 3 pag. 364.*

IX. Non debet justissimis fraudari laudibus Romanorum Pontificum incredibilis hic quædam indulgentia, sapientiæque regulis accommodata clementia, in Metropolitanos Hispaniæ, antiquæ suę libertatis retinentissimos, & tamdiu totiesque iteratis eorum rescriptis constantissimè repugnantes. Stimulabat primæ Sedis dignitas, tot Pontificum conspiratio, tot inculcatio rescriptorum, ut nequis impunè hæc aspernaretur. Stimulabat & Castellæ Regum majestas, victoriæque de infestissimis Christiani nominis tam frequentes insignesque. Sed retundebat hos stimulos, animumque ad mitiora consilia reflectebat hæc nimirum contemplatio: quòd non fastum, non dominationem redoleat potestas Ecclesiastica quantalibet: quòd principatus Apostolicæ sedis, principatus sit sapientiæ & charitatis: quòd unus sit scopus, unus fructus omnium Ecclesiasticarum dignitatum, ut utilitati, paci & concordiæ Ecclesiarum inserviatur, non Præsulum cupiditatibus. Inde est quod is ipse qui antè novis Rescriptis roboraverat Primatum Toletanum: is ipse, inquam, Innocentius III. ubi postea oculatus ipse testis, vidit constantem & unanimem Metropolitanorum Hispaniæ conspirationem, secundum eos pronunciavit, nil pronuntiando, & nihil illis imponendo novi jugi. Quòd enim Toletano Primati subjecit Hispalensem Provinciam, needum à Sarracenorum potestate recuperatam, needum è ruderibus suis excitatam, needum Metropolitano ullo donatam, quod & ab Innocentii successore confirmatum est; eo commendabatur magis magisque reliquorum Metropolitanorum libertas. Gregorius IX. exscribi jussit & ad Toletanum misit dipplomata Urbani II. cæterorumque Pontificum ad ejus Primatiæ confirmationem; sed nullo suo ipse diplomate novo ea confirmavit.

*Rainal. an. 1210 n. 5. 1215 n. 16 1218 n. 61 1239. n. 47.*

X. Revocanda nunc oratio est ad intermissam narrationem contentionum inter Archiepiscopos pridem excitarum pro Crucis gestatione. Martinus Pontifex ejus nominis V. ut Primates verè æquaret Patriarchis, id privilegii indulsit Primatibus Toletanis, ut sederent supra Metropolitanos omnes non Primates, tametsi ætate & promotione hi priores essent. *Cùm Patriarcha & Primates unum sint, & solum nomine differant: declaramus Ioannem Toletanum, qui Hispaniarum Primas est, Archiepiscopos non Primates, etiamsi ætate & promotione priores fuerint, præcedere debere: quemadmodum Patriarchæ illos hactenus præcesserunt.* Numeratur & istud non postremum inter Patriarcharum privilegia, quòd Crucem sibi sublimem præferri jubeant, toto Patriarchatûs sui ambitu. Toletanus ea juris sui fiducia fretus tota Hispania Crucem circumgestavit, obstrepentibus quanquam frequenter Metropolitanis quibuslibet, frequentissimè Braccharensibus, de quibus mox. Affirmat Gomecius in vita Cardinalis Ximenii, eum vestigiis & exemplis majorum suorum inhærentem, Crucem tota semper Hispania circumtulisse.

*Mariana. L. 20 c. 14. An. 1422.*

*L. 2.*

XI. Venio ad Braccharensem Archiepiscopum, cujus unius illustranda nobis superest authoritas. Refert Joannes Vasæus, quandiu Arabes splendidissimis civitatibus Hispali & Toleto potiti sunt, Primatiæ per Hispanias omnes munia obiisse Braccharenses Archiepiscopos: testes locupletissimas ejus rei Chartas recondi in Tabulario illius Ecclesiæ: denique his præsidiis fretos Braccharenses constanter intercessisse Urbani II. Rescriptis, quibus Toletana Primatia instituebatur. Porro ea fuerat Braccharensis civitatis laus, ea felicitas, quod prima è Saracenorum dominatione emersisset & Christiano se reddidisset Imperio. *Quæ prima Metropolitanarum Ecclesiarum à Mahumetistarum tyrannide liberata fuit.*

*Chron. Vasæi c. 21. Hisp. Illust. Tom. 1. pag. 630. 623.*

Cognatio non mediocris intercedere videtur inter Braccharensem hanc Primatiam, & Narbonensem, de qua superius, in Provinciæ Tarraconensis Ecclesias. Utriusque enim Primatiæ fundamenta posita erant in ruinis & vastitate cæterarum Metropoleon à Sarracenis dirutarum: & in beneficiis vigiliisque & laboribus, quibus has solari duo illi Metropolitani, ac relevare studuerant. Si seriò perpendas quantum levamenti & præsidii vastatis his Metropolibus accedere potuerit per Braccharenses & Narbonenses Metropolitanos, ad pristinum illis statum splendoremque restituendum: in his satis causæ fuisse forsan intelliges, ut de Primatu cum Toletanis præsulibus certarent, qui fucato imaginariæ possessionis prætextu nitebantur. Nec illud etiam mirum accidet, si Braccharenses Archiepiscopi, non libertatem tantum suam & immunitatem à Primatis Toletani jure ostentarent: sed ipsam vendicarent sibi Primatiam, ut liquet ex illo Decretalium Capite, ubi hæc controversia attingitur. Hinc est quod Braccharenses etiamnunc Archiepiscopi nomen retentant Primatum Hispaniæ, Crucemque Primatialem præferri sibi jubent.

*Bibl. Manuscript. Labbei. tom. 1. pag. 802. 803.*

*L. 1. Decretal. Greg. Tit. 41 n. 7.*

XII. In uno Bartholomæo Martyrum Archiepiscopo Braccharensi luculentissimum suppetet nobis documentum, quo constet non dissidere ab infucatæ humilitatis sensu, & à summa illa quæ Apostolicos maximè Præsules decet, supercilii, fastûs & dominationis detestatione: infractam illam vim constantiamq; in istiusmodi Ecclesiarum privilegiis & libertatibus defensandis. Cum cæterarũ omnium virtutum, tum maxime humilitatis & modestiæ gloria floruit Bartholomæus. Nec potuissent tamen ambitionis vehementissimæ faces quemquam Antistitem inflammare ad flagrantiorem potestatis suæ juriumque defensionem. Tridentinam ad Synodum profectus, pervicit ut ante illum sederet, qui Metropolitanos omnes ordinationis tempore anteibat; atque adeo ut ante Metropolitanos omnes non Primates. Pontifex ipse, ad quem de eo relatum fuerat, sanxerat ita fieri debere: quanquam hactenus Romanis à Pontificibus nihil definitum esset de controversia Archiepiscopos inter Toletanum & Braccharensem pro Hispaniarum Primatu. Sedit ergo tunc in Tridentino Concilio Braccharensis post Patriarcham Hierosolymitanum. At ubi convolarunt Tridentum reliqui ex Hispania Archiepiscopi, tum vero iniquis illi animis tulere, haberi Braccharensem pro Hispaniæ Primate: eoque To-

*Concil. Trident. Sess. 16.*

lestani Pontificis dignitati vehementissimè derogari. Nova tunc gravisque conflagravit contentio, de qua Legati ad Pontificem retulere. Rescripsit Pontifex, ut præirent Patriarchæ Archiepiscopis, hi Episcopis, nec ulla haberetur ratio Primatum, sive dubias illi, sive indubias Primatias ostentarent.

Nihil tempestivius, nihil tum consultius diffiniri potuit, nihil præsentibus Ecclesiæ necessitatibus accommodatius. Cùm tot enim ubique Primates sint in toto orbe, vel nomine solo, vel etiam re & potestate conspicui; si horum titulos chartasque Tridentini Patres excutere adgressi essent, infinitam quandam & spinosissimam in causam ingressi essent, & quæ exitus nullos haberet. Nec elanguit tamen *Vie de Dom Barthelemy des Martyrs L. 2. c. 6.* Bartholomæi Braccharensis vigor in propugnanda Ecclesiæ suæ prærogativa, quam ita successoribus transfundere illibatam statuerat, ut à prædecessoribus acceperat: expressitque tandem ab Apostolicæ Sedis Legatis, qui Synodo præerant, authenticum Scriptum, quo significaretur, nihil posthac damni aut præjudicii creari posse, ex hac sedendi forma in Concilio Tridentino usurpata, adversùs priscam Braccharensis Ecclesiæ dignitatem, eisdem deinceps atque antè honoribus & privilegiis potituræ.

*Ann 1581.* Cum inaugurari voluit Philippus II. Hispaniarum Rex in novum Portugalliæ regnum, & solemne sacramentum præstare pro more inter manus Archiepiscopi Braccharensis: non antè assensus est Bartholomæus, quàm sponderet & in se reciperet Rex, præstaturum ut sua illi Primatialis Crux præferretur in eum locum, ubi Comitia habebantur Regni, tametsi coram reclamarent Archiepiscopi Ulyssipponensis & Eborensis. Causabantur illi, nec immeritò, vetustissimam de Primatia cum Toletano litem diremptam necdum esse: itaque præter fas esse, quod extra provinciam propriam Braccharensis Crucem explicaret. *Vie de Dom Barthelemy des Martyrs L. 3 c. 18.* Bartholomæus uno hoc illos refellebat verbo, constare sibi possessionem, nec posse sine piaculo à se commendatæ sibi Ecclesiæ jura imminui. Denique sanctissimus Præsul accito Notario Apostolico, Acta authentica excipi, & in Ecclesiæ suæ Archivis hæc recondi curavit.

Si quo de alio nobis sermo esset Antistite, non disparis in virtutum curriculo gloriæ, sed disparis sapientiæ & eruditionis: possent hæc omnia zelo adscribi, cui plus inesset ignis, quàm luminis: plus ardoris, quàm sapientiæ. Sed cùm persuasissimum jam pene omnibus sit, certè esse debeat, paucos prioribus & purioribus sæculis Antistites ea abundasse copia Ecclesiasticæ eruditionis, qua pollebat Bartholomæus, in Scripturis totus, in Patrum Commentariis, in Conciliorum statutis evolvendis versatissimus, in Christianæ pietatis, in Episcopalis denique sanctimoniæ regulis meditandis: hinc illud certè efficitur, ad tanti Præsulis exempla conformari refingique nostras ratiocinationes, nostrosque sermones debere; nec committendum nobis esse, ut quod ille approbavit, improbemus.

Non ergo subtilius suprà quàm solidius dicebatur à nobis, has de Primatu aut Principatu Ecclesiastico lites, in omnibus olim Regnis frequentissimas, scaturire quandoque potuisse à zelo non illaudato, imo & ab officio, vinculoque strictissimo juxtà & religiosissimo servandi & in posteros transmittendi depositi sacrarum cujusque Ecclesiæ dignitatum. Tot Antistitum sapientia sanctitasque orbi perspectissima, quibus ita visum, à quibus ita factitatum est, non potest non & ab ipsis, & à nobis quantamcumque obtrectatorum maledicen-



tiam exsufflare. Docuit nos jam non semel Augustinus, summam esse charitatis & cupiditatis, non dissimilitudinem tantùm, sed & similitudinem. Idem ardor, eadem vis, eadem animorum contentio & infatigata lucta, sed scopus finisque longè diversissimus. Et in eo sunt omnia. Nec alio se habet modo religiosus zelus & meram spirans sanctitatem, ambitioni comparatus. Nihil similius in specie & in cortice: nihil dissimilius in penetrali. Certissimè enim zelus iste ipsissima est charitas; & ambitus ille mera est cupiditas. Atqui cupiditas superciliosa & inflata est, tum etiam cum dejicere se & detumescere videtur. Charitas humilis & sincerè modesta est, vel tunc cum magnos gerit animos, & fidentissimè pro veritate certat.

Barbosa, qui Lusitanus fuit gente, & Ugenti tandem creatus Episcopus, Bartholomæi in vestigia ingressos refert fuisse tres ejus ex successoribus, qui Primatûs insignia præ se tulere, solemnesque adepti sunt honores, annis 1617. 1619. & 1638. præsentibus Catholicis Regibus Philippo III. & Philippo IV. ipsa in aula Toletana, nunc regia, nunc Archiepiscopali. Faxit tantum Deus, ut tam bene in eis, quàm in Bartholomæo, consentiret humilitati constantia, modestiæ vigor invictus. Eorum quæ gesta sunt sub ultimo trium horum Archiepiscoporum, oculatum se testem fuisse profitetur Barbosa, magni inter Canonici Juris Commentatores nominis.

XIII. Unum mihi superest observandum, ut finem faciam de Primatibus dicendi: quanquam jam observatum id suprà fuerit. Sed quæ istiusmodi sunt, inculcari aliquoties expedit. Si Regibus, si Metropolitanis tunc idem fuisset animi, quod postea aliis fuit, ut per Gregorium VII. per Urbanum II. aliosque nonnullos Pontifices Primatiæ instituerentur, nec quisquam illos remoraretur: non postea illis ipsis seu Regibus, seu Metropolitanis doluisset, quod sæpè doluit, causarum omnia genera Romam referri judicanda. Has querelas anteveniebat illa Numinis sapientia, quæ Ecclesiam regit vegetatque; Pontificesque incitabat ad creandos subinde Primates, ut de illis tantùm causis ad Romanum tribunal litigatores accederent, quæ in Archiepiscoporum vel Primatum Curia dirimi nequissent. Primatiæ repudiatæ statim aut postea oblitteratæ sunt; sola superest Lugdunensis, eaque valde truncata, abscissis quibusdam provinciis, ejusque jure ad solas appellationum causas coërcito: inde causarum examina Romam perlata: quo dolendæ magis mortalium vices, qui nec mala ferre possunt, nec malorum remedia.

## De Metropolibus & Metropolitanis.

---

### CAPUT XXXIX. *P. 1. l. 1. c. 11.*

**De creatione novarum Metropoleon, prima Ecclesiæ ætate, seu quingentis prioribus annis.**

*I. Cur nulli memorati sint à nobis Vicarii per Provincias Apostolici, prima Ecclesiæ ætate.*

*II. Origo Metropoleon Ecclesiasticarum.*

*III. Qua authoritate novæ possint Metropoles institui? Quomodo instituerint Imperatores.*

*IV. Tyanensem Metropolim creavit Valens, in odium divi*

*Basilii. Displicuit Innocentio Papæ ea novitas.*

*V. In Concilio Calchedonensi, suadente Marciano Imperatore, sublata est Metropolis Berythi, quam Theodosius junior erexerat.*

*VI. Quam caute & quam temperate in ea re tunc actum sit, in authoritate Imperatoria, & Ecclesiastica libertate libranda.*

*VII. Conciliantur inter se Concilii Calchedonensis Canones XII. & XVII.*

*VIII. Congesta ex eodem Concilio alia exempla.*

*IX. Exempla alia indulgentiæ, aut moderationis Imperatorum, libertati Ecclesiæ servientium.*

*X. Quæ privilegia servarentur Metropolitis honorariis.*

*XI. In Occidente sæcularis potestas, non id unquam sibi sumpsit, ut Metropoles novas crearet.*

I. QUanquam jam suprà patefactum sit, Primatum seu Exarchatum Carthaginensem nequaquam inter Vicariatus Apostolicos recensendum fuisse: indubitatissimum tamen est, reliquos omnes Exarchatus Occidentales meras fuisse Apostolicæ sedis delegationes, & Vicarias operas. Horum cunabula senescente demum quinto sæculo & ineunte, vel adolescente sexto conspicua fuere orbi Christiano, eorumque authoritas in Gallia, Hispania, Anglia, Germania, sequentibus maximè sæculis explenduit. Inde est quod nulla, aut rara eorum mentio fuerit in prima Ecclesiæ ætate, qua soli dominabantur Metropolitani, sub potestate tamen & ipsi Metropolitanorum.

II. Ad primam ergo illam juvenescentis Ecclesiæ ætatem, & ad Metropolitanos reflectendum nobis iter est. Vestiganda nobis primùm esset horum origo, nisi illa se jam nobis ostendisset, perinde ut Exarchorum & Patriarcharum, inter ipsa Ecclesiæ rudimenta, & jam inde à prima Ecclesiarum fundatione. Docent nos tùm Apostolorum Actus, tùm Pauli Petrique Epistolæ, tum denique Apocalypsis Joannis, conditas primùm ab Apostolis fuisse Ecclesias in iis provinciæ cujusque civitatibus, quæ cæterarum matres & principes essent. Nec alio er-
Epiph. Hær. 68. 69. go, nec longiori à principio repeti potest Ecclesiarum Metropoleon origo. Cùm vel maximè principes totius terrarum orbis civitates & Ecclesiæ tres, non alio primùm Apostolicos suos Præsules donarint nomine, quàm Metropolitanorum, ut ex superioribus manifestum est.

III. De singulis Metropolibus verba facere hîc supersedebimus, quòd illud quidquid est argumenti, exporrigat se ad secundam maximè Ecclesiæ ætatem, cùm jam Christiano orbi illuxisset regia Chlodovei familia, ut sequenti capite declarabitur. Unum ergo restat hoc capite quod perpendamus, qua demum authoritate ritè creatæ sint in Ecclesia Metropoles subinde novæ. Affixæ erant toto orbe, si Africam demas, Ecclesiasticæ Metropoles Metropoli civili. Siquam ergo de novo provinciam civilem Imperator in duas partiretur, novæ civilis Metropolis Episcopus hinc efferebat se, & in Metropolitanorum collegium adscitum se esse sperabat. Ea spes non spernendo nitebatur fundamento: Canonico scilicet jure temporum Apostolicorum. Ita enim caverant Canones Apostolici, Nicæni, Antiocheni, ut unaquæque provincia suum haberet Metropolitanum, in Provinciale Concilium ejus coirent Episcopi, & ea non aspernarentur itinerum compendia commodaque, quibus fit ut facillimè ad Metropolitanas civitates conveniatur, & ibi in commune de communibus negotiis consulatur. Nova Metropoli civili creata, novellæ provinciæ Episcopi huc jam expeditissimè convenient, non æquè in antiquam Metropolin. Accipe hîc Antiochenum Canonem, quo superiores Canones innovantur, & illa civilis Metropolis ratio expenditur, quòd aditus habeat undique faciliores. *Episcopos qui sunt in* Can. 9.
*unaquaque Provincia scire oportet, Episcopum qui præest Metropoli, etiam curam suscipere totius Provinciæ. Eò quòd in Metropolim undequaque concurrunt omnes qui habent negotia. Unde visum est quoque eum honore præcedere; reliquos autem Episcopos nihil magni momenti aggredi sine ipso, ut vult, qui ab initio obtinuit, Patrum Canon.*

IV. Indubium tamen est non arrisisse Ecclesiæ mutationes hujusmodi, eamque pro virili sua parte connixam esse, ut integra intactaque servarentur sua jura veteri Metropolitæ, nullaque haberetur ratio ejus divisionis, qua Metropolin civilem Princeps in duas secuerat. Valens Imperator ut Basilii Cæsareæ Metropolitani minueret authoritatem, Nazianz. Orat. 20.
Cappadociam, referente Gregorio Nazianzeno, divisit in duas. Hinc data est occasio Anthymo Episcopo Tyanæ, quæ in caput jam evaserat Cappadociæ secundæ, ut ne amplius Basilio subesse vellet, & Metropolitica quævis sibi jura vindicaret. Hoc genus novitates damnasse videtur Innocentius I. Innoc. I.
cùm ad Antiochenum Episcopum scriberet, utcum- Epist. 18.
que Imperator provincias suas inverteret, minueret, augeret; nec tantillum debere Ecclesias à primæva sui dispositione & politia recedere. *Nam quod sciscitaris, utrum divisis Imperiali judicio Provinciis, ut duæ Metropoles fiant, sic duo Metropolitani Episcopi debeant nominari: non verè visum est ad mobilitatem mundanarum necessitatum, Dei Ecclesiam commutari, honoresque aut divisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas duxerit Imperator.* In utriusque Cappadociæ finibus urbs erat perparva, nomine Sasima. Hanc sui juris esse contendebat uterque Metropolita. Anthymum prævertit Basilius, utque certò eam sibi nexu adsereret, Episcopatu eam auxit, Episcopumque ei præposuit, virum amicitia à teneris unguiculis inita & multis exculta officiis sibi conjunctissimum, Gregorium Nazianzenum. Verùm non multo post Anthymus vi & armis urbem recepit. Specimen hîc habes aliquod malorum, quæ his innovationibus importari solent.

V. Concilii Calchedonensis Acta percensenti occurrent longè majore numero harum novitatum exempla, occurrent & quæ adhibita sunt efficacissima medicamenta. Phœniciæ universæ Tyrus Metropolis semper præfuerat. Impetravit à Theodosio Juniore Episcopus Berythi in eadem provincia Eustathius, ut bisecaretur provincia Phœniciæ, & secundæ Phœniciæ Metropolis Berythus designaretur. Ordinare ille Episcopos, & ad Concilium Provinciale suum vocare statim adgressus est secundæ Phœniciæ Præsules. Doluit magnopere Photio Metropolitæ Tyri novitas, unde tantum in illum damni emergebat. Cedere tamen & assentiri eum coëgit judicium Concilii Constantinopolitani, sub Anatolio Constantinopolitano habiti, cui præsto erant Maximus Antiochenus, & alii complures Episcopi, quorum decreto vicit Eustathius. Non multo post coiit Concilium Calchedonense, Photius ad illud Conc. Calc.
causam suam retulit. Cùmque significasset Impera- Act. 4.
tor velle se res Ecclesiasticas non legibus decidi, sed Canonibus; Photio antiqua sua jura restituit Synodus, & convenienter Nicænis Canonibus declaravit, unum uni provinciæ præesse debere Episcopum Metropolitanum.

VI. Super ea re hæc operæ pretium fuerit observare, 1. Berythus obliquè & indirectè forsan Cod. lib. 11.
tantùm inter Metropolitanas Ecclesias numerata c. 21.

fuerat ab Imperatore Theodosio. Cùm enim eam urbem civilem Phœniciæ secundæ Metropolin esse jussisset: Episcopo Berythensi speciem aliquam rationis obtulit, qua excitatus, quasi Canonibus supra laudatis magis consideret, quàm Imperatoriis legibus, Metropolitanum se egit ipse, jactavitque. 2. Non potuit tamen possessionem nancisci usurpatæ dignitatis, nisi postquam ea provinciarum divisio confirmata fuit à Concilio Constantinopolitano sub Anatolio, eique intentato anathematis mucrone subscribere adactus est Tyri Metropolita. 3. Concilium Calchedonense ne attigit quidem quod innovatum fuerat, vel vi Rescripti Imperatorii, vel eo saltem prætextu, nisi postquam significavit Imperator pristinæ integritati reddenda esse omnia, & irrita haberi pragmatica, quæ sacris Canonibus adversarentur. 4. Ingenuè confessus est Marcianus Imperator, Imperatorum non esse, Provinciarum & Metropoleon Ecclesiasticarum numerum augere vel minuere, fines contrahere vel proferre. 5. Omnium admiratione dignissimus, consentaneus & majestati Imperii & Sacerdotii sanctitati mutuus iste honor, quo coluit Imperator Concilium, Concilium Imperatorem. Ubi agitur de revocando, vel coarctando Imperatorio Rescripto, cupit Concilium primas esse partes Imperatoris, quod id & sibi ad reverentiam, & illi ad clementiæ & humanitatis laudem magis conducat. Exclamant Concilii Patres exertè libertiméque, *Contra Regulas Pragmaticum nihil valeat, Regulæ Patrum teneant.* Verùm id tum demum audent, ubi Judices Imperatorii votis permiserunt Concilii, Canonibus, an Legibus lites Ecclesiasticæ istæ dirimendæ essent; & in votis esse Imperatori ipsi certiores Patres fecissent, ut omnia ex præscripto Canonum terminarentur. 6. Etsi ea de re judicaverit Concilium, sententia tamen ipsa ab Imperatoriis Judicibus pronuntiata est. Vicissim autem non à se ipsis, sed à Synodo pronuntiari voluere illam sententiam Judices, ubi de causa spiritali vertebatur, nimirum de Ordinationibus à Tyrio Episcopo celebratis in Ecclesiis quæ potestati ejus subductæ fuerant. Synodus sententiam tulit, eamque Judices confirmaverunt. 7. Flagitavit Cecropius Episcopus, ut generali Edicto revocarentur Pragmaticæ sanctiones, quæcumque Canonum regulis inimicæ essent, circa provinciarum divisiones & ordinationes. Judices percunctati sunt Episcopos, an Concilio placeret Cecropii petitio. Responsum est à Synodo: Optatissimum sibi id esse, ut leges omnes Canonibus infestæ rescinderentur: verùm id à Judicibus perfici oportere. *Sancta Synodus acclamavit, Omnes eadem dicimus: Universa Pragmatica cessabunt, Regulæ teneant. Et hoc à vobis fiat.* Juxta Concilii vota pronunciarunt Judices, & tunc demum exclamavit Synodus, *Hoc justum judicium. Justi justè judicarunt.* 8. Excogitarunt tamen Judices aliquid temperamenti: sanxeruntque deinceps Episcopatu abdicari, quicumque istiusmodi Rescripta impetrassent: quibus hactenus autem concessa fuerant, ii ut honoribus quidem gauderent Metropolitanorum, at nihilo secius subessent jurisdictioni antiquioris & veri Metropolitæ.

VII. Non aliud facilè invenies elimatius absolutiusque specimen, perfectissimæ Imperium inter & Sacerdotium concordiæ: ubi Imperatorem Pontifices honore & obsequio anteveniunt, Imperator Pontifices disciplinæ zelo, Canonumque observantia præ sæcularibus legibus. Judices suo ipsi ore protulerunt has voces, quæ & admirationi & amori esse debeant Clero: *Sacratissimo orbis domino placuit, & non juxta sacras litteras aut pragmaticos typos res sanctissimorum Episcoporum procedere, sed juxta Regulas à sanctis Patribus latas.* Canone XII. non negat Synodus, quin possit Imperator novas erigere Metropoles: sed Episcopos exauthorat, qui posthac obrepserint Imperatoribus ut ejusmodi Rescripta eliciant: prout Judices ipsi jam pronunciaverant. Res eodem redit, sed sermo temperatior est & ad reverentiam magis compositus. *Conc. Calc. Act. 4.*

Canon XVII. hujus ipsius Concilii jubet, ut *Siqua civitas authoritate Imperiali novata est, aut si protinus innovetur, civiles dispositiones & publicas Ecclesiasticarum quoque Parochiarum ordo subsequatur.* Existimat Zonaras hoc Canone restitutam esse Imperatori potestatem, novos erigendi Episcopatus, novasque Metropoles, in iis civitatibus, quas extruxisset ipse, aut instaurasset velut à fundamentis. Largior est etiam Balsamon in interpretando hoc Canone, quo vult Imperatorem ea donari potestate in omnes prorsus urbes. Imposuit utrique sui temporis usus & consuetudo, qua id sibi sumebant Imperatores, à Marciani nimirum pietate & religione alienissimi. At qui potuit illis in mentem venire, tam fæda secum ipsam conflictatione collidi Synodum, editis duobus Canonibus, quasi è diametro pugnantibus? Qui fieri posset, ut Synodus ea Imperatorem potestate indueret, quam ille repudiasset? In hunc ergo potius sensum flectendus est iste Canon, ut si Imperator civitates innovet, augeat, vel à fundamentis excitet, eisque oppida, vicos, agrosque attribuat à territorio circumjacentium Episcopatuum avulsos. Episcopus, cui nova hæc civitas suberit, in hos quoque agros vicosque, curas, vigilias jurisdictionemque suam exporrigat. Ita nec Imperatori affingitur Episcopatuum aut Metropoleon creandarum potestas, nec Canoni XII. quidquam derogatur. Ita Petrus de Marca hos canones conciliat, cujus etiam vestigia legebamus in eorum suprà observatione temperamentorum, quibus Sacerdotii Imperiique concordia alita auctaque fuerat. *De concord. Sac. & Imp. L. 2. c. 8.*

VIII. Exemplum superiori non absimile aliud suppeditat Calchedonensis eadem Synodus. Contentum enim esse jussit Nicænum Episcopum exterioribus Metropolitanorum honoribus & ornamentis, quamvis Rescriptis Imperialibus civitatem suam inter Metropoles referri curasset. Antiquo Metropolitano ejus Provinciæ Nicomediensi, sua jurisdictio illibata & integra constitit, in ipsum etiam Episcopum Nicænum. Eadem temperamenta adhibita; Episcoporum sententiam rogaverunt Judices; responsum est ab Episcopis, standum Ecclesiasticis regulis: *Canones teneant, Canonibus satisfiat.* Denique ut jam supra commemoratum à nobis est, composita sunt in hac eadem Calchedonensi Synodo dissidia, quæ Antiochenum Hierosolymitano commiserant. Orta nimirum ex eo quòd Nicæna quidem Synodus Hierosolymitano solam contulerat honoris & consessûs prærogativam, cæteroqui subesse jusserat jurisdictioni Metropolitani Cæsariensis, cui tota parebat Palæstina. At Rescriptis Imperatoriis munitus postea fuerat Hierosolymitanus, ut Phœniciæ, Arabiæ, tribusque Palæstinis jus diceret. Transegere Antiochenus & Hierosolymitanus de controversis juribus, idque à Concilio & à Magistratibus Regiis, hortatibus Imperatoris confirmatum est. Nequid de concordia *Seß. 13.*

Imperii & Sacerdotii, de Majestate Imperatorum, & de Ecclesiarum libertate delibaretur, molli pollice similiter, & suspensis verbis animisque circumspectissime tractata sunt hæc omnia.

Act. 13. IX. Dum causa ventilaretur Nicænæ Metropoleos, observatum est dum à Valente Imperatore ea Metropolis primùm crearetur, eam honore & titulo tantum Metropoleos ornatam fuisse, non jurisdictione. In hac ipsa Synodo Marcianus civitatem Calchedonensem Metropoliticis decoravit honoribus, at jurisdictionis nihil contulit prorsus, ut veteri semper Metropolitano morigerum
Act. 6. se præstaret Metropolitanus Calchedonensis. Helenopontum & Pontum Polemoniacum in unam postea Provinciam compegit Justinianus Imperator, at Metropolitanos ut prius duos antiqua potestate
Novel. 25. frui sanxit: *Nihil circa Sacerdotium illarum innova-*
c. 2. *mus*. Id ipsum præstitit, redactis in unam Provinciam Paphlagonia, & Honoriade. Quos enim Metropolitas instituerat Theodosius, ubi unam sejunxit ab altera, alteramque de nomine filii dixit Honoriadem; eosdem reliquit Justinianus. Contra verò idem ipse cum Armenias duas in quatuor scidit Provincias, hoc professus est, nihil à se de priori sacra politia inverti; nec plures ibi, quàm ut prius,
Novell. 31. duos fore Metropolitanos. *Quæ ad Sacerdotia spe-*
c. 2. *ctant, ea volumus in pristina manere forma.* In quinta
Synod. V. sanè Synodo refert Euphrantus Tyanensis Episco-
Collat. 5. pus à Justiniano Imperatore urbem Mucissum in ordinem Metropoleon sublimatam fuisse, & præesse jussam urbibus nonnullis, quæ subductæ fuissent Metropoli Tyanensi. At cum nullæ ibi personent querelæ hujus Metropolitani, de immutatione ista & detrimento inde sibi impacto; hinc facilis conjectura, interpositam fuisse à Justiniano Ecclesiasticam authoritatem, ut suadent exempla superiùs jam perstricta.

X. Honorarii Metropolitæ, quos mediæ ætatis Græci Archiepiscopos dixere, quò eos à Metropolitanis sejungerent, privilegiis utebantur non aspernandis. 1. Metropolitani nominabantur. 2. Protothroni dignitate gaudebant; hoc est, primum semper locum & honoris gradum post Metropolitanum obtinebant, ante alios omnes ejusdem Provinciæ Episcopos. 3. Ordinabantur eo ritu, eaque pompa, qua Metropolitani. Itaque tribus in illis minusculis Exarchatibus, quos Episcopo Constantinopolitano subjecit Calchedonense Concilium, & quorum ei Metropolitanos ordinandos concessit: ab eodem Constantinopolitano Episcopo ordinabantur & hi honorarii Metropolitani.

XI. Juvat in antecessum hic nonnulla observare, quæ mox dicendis nonnihil affundant lucis. 1. Ut longo temporum lapsu novæ provinciarum factæ sunt divisiones; ita & in dies excrevit Metropoleon numerus. Eò pertinet quod aliquoties suprà inculcatum est, per tria priora sæcula Metropoles valde paucas fuisse. 2. Ut à Petro Petrique successoribus Gallicana sensit Ecclesia primos sibi delegatos fuisse verbi divini Præcones; ita ab eorum authoritate religiosissimè pendere visa est in Metropolibus suis ordinandis constituendisque. Argumento est Epistola, quam Episcopi Gallicani ad Leonem Magnum perscripserunt, post ejus ad Flavianum litteras contra Eutychetis insaniam perlectas. Quid enim de sua ipsi origine sentiant, apertum abundè faciunt paucis his verbis: *Apostolicæ Sedi, unde Religionis nostra fons & origo manavit.* 3. Interposita nunquam est in Occidente Imperatorum majestas ad novas Metropoles instituendas. In causa videtur fuisse splendor & præsentia Apostolicæ Sedis. Quin & ex Oriente Antiochenus Episcopus Innocentium primum ducem & authorem videtur habere voluisse, ad improbandum Valentis Decretum de nova Tyanensi Metropoli. 4. Cau- Can. 1.
tum quidem fuit in Concilio Taurinensi, ut utra duarum civitatum Arelate aut Vienna civilis se Metropolis honore & jure hactenus potitam probaret, illi & Ecclesiastica adsereretur Metropolis. At certè quascumque istiusmodi lites sacra semper Conciliorum aut Pontificum potestas diremit, nunquam Imperatorum.

---

## CAPUT XL. *P. 1. L. 1. c. 12.*

### De potestate & officio Metropolitanorum, per quinque priora Ecclesiæ sæcula.

*I. Jura multa & Canones Apostolici, & Concilium Nicænum Metropolitanis tribuunt; ut præcipuam in rebus majoribus authoritatem habeant, ut Episcopos ordinent. Quæ & quanta potestatem ordinandi consequi soleant.*

*II. Canones Antiocheni superiorem in rebus majoribus Metropolitano tribuunt potestatem: summam autem Episcopo in regimine sui gregis.*

*III. Convocat Concilium Provinciale Metropolita, & in eo maximam authoritatem obtinet.*

*IV. Non est imminuta Metropolitanorum in Concilio Constantinopolitano I. potestas, cum Exarchi sunt ab eo instituti.*

*V. Vocantur ad Concilium Ephesinum, & ad Generalia quævis Concilia Metropolitani omnes: at de Episcopis aliqui tantum.*

*VI. De sua Provincia Episcopis judicat Metropolita.*

*VII. Illi in Ecclesia Latina super litteris formatis multa tribuit Concilium Eliberitanum & Sardicense.*

*VIII. Ad eum provocari jus est.*

*IX. Concilium Taurinense Patrem eum Episcoporum, quos ordinarit, & Magistrum prædicat.*

*X. Decernitur & illi jus visitandæ Provinciæ.*

*XI. Siricius Metropoles habet pro sedibus Apostolicis.*

*XII. Prohibet Zosimus, nequis Episcopus sine litteris Metropolitæ Arelatensis Romam veniat.*

*XIII. Decernit Leo, ne qua in re Exarchus seu Primas Metropolitanorum jura imminutum eat.*

*XIV. Prohibet Hilarius, ne Clerici de Provincia exeant, sine Metropolitæ litteris.*

*XV. Vult Gelasius Ecclesiarum dedicationem penes illum esse.*

*XVI. Abrogantur à Conciliis Gallicis formatæ pro Episcopis litteræ.*

*XVII. De Africæ Metropolitanis, quos Primates ibi vocabant.*

*XVIII. Novum illi Primatum instituunt.*

*XIX. Summa brevior jurium Metropoliticorum.*

I. CAnone Apostolico jubentur Provinciæ cujusque Episcopi, ei impensiorem habere honorem, qui inter ipsos primus est, & tanquam Caput. πρῶτον, ὡς κεφαλήν. Nec quidquam il- Can. Apost.
lo inconsulto adgredi, nisi quod ad privatum per- 35.
tineat regimen suæ diœceseos: cùm & ipse eorum consilio uti debeat in rebus alicujus momenti. *Nec ille præter omnium conscientiam aliquid agat.* Constitutiones Apostolicæ in electionibus Episcoporum primas partes tribuunt Metropolitano, quem primum inter alios & principalem simpliciter appellant. ὁ πρόκριτος τῶν λοιπῶν, ὡς τῶν πρώτων ὑπερέχων. Const. Apo-
Manifestiùs Laodicena Synodus de electionibus stol. l. 8
Episcoporum, in quibus necesse est, ut Metropo- c. 4.
litani dignitas dominetur. *Episcopos non oportet præter judicium Metropolitanorum, & finitimorum Episcoporum constitui.* Statuit quoque Nicænus Canon, Can. 11.
Episcopum ab omnibus, si fieri possit, omnino Episcopis Provinciæ eligi, sed ita demum ut autho-

ritatis principatus penes Metropolitanum resideret. Can. 4. *Firmitas autem eorum quæ geruntur ὁ νόμος, per unamquamque Provinciam Metropolitano tribuatur.* Enimvero Episcoporum electioni præesse, electos confirmare & ordinare, id sanè primarium & palmare Metropoliticæ, Exarchicæ & Patriarchalis amplitudinis jus est. Hinc enim proficiscuntur alia Metropolitanorum nomina, & privilegia, ut Episcoporum Parentes, Magistri, Judices sint.

Can. 6. Et sanè famoso illo Nicænorum Patrum Canone, quo Patriarcharum veterum numerus & ordo sancitur, controversia versabatur in sola ordinandi potestate, quam Meletius usurpaverat in Episcopos Alexandrinos, hactenus ea potitos. Canonis hujus verba prima fronte non aliud moliri videntur, quàm ut tribus vetustissimis Metropolitanis adserant jus ordinandi Episcopos, eorum potestati obnoxios: at penitius inspecta, constabiliunt omnia prorsus jura Metropolitani fastigii, inconcussam firmitatem cum addunt ei fundamento, cui innituntur: *Si quis præter sententiam Metropolitani factus fuerit Episcopus, hunc magna Synodus definiit Episcopum esse non oportere.* Nihil profectò æquius, quàm ut è jure generationis, sanctissimæ & paternæ dominationis jus desumatur. Ut enim docuit supra Epiphanius, per Ordinationem, non Ecclesiæ filios gignunt Episcopi, sed Patres.

II. Apostolico Canoni novum robur addidit Canon Antiochenus, quo vetantur Episcopi quidquam moliri majoris rei, præter quotidianam Ecclesiarum suarum administrationem, nisi Metropolitani sententiam antè percunctati sint: qui & ipse vicissim eos adsciscere sibi debet consiliarios, in Can. 9. rebus aliquanti ponderis. *Episcopos qui sunt in unaquaque Provincia, scire oportet, Episcopum qui præest Metropoli, etiam curam suscipere totius Provinciæ; eo quòd in Metropolim undequaque concurrunt omnes qui habent negotia. Unde visum est eum quoque honore præcedere, reliquos autem Episcopos nihil magni momenti adgredi, sine ipso, ut vult, qui ab initio obtinuit Patrum Canon, vel sola quæ ad uniuscujusque Parochiam conferunt, & regiones quæ ei subsunt. Unumquemque enim Episcopum habere suæ Parochiæ potestatem, & totius regionis curam gerere, quæ suæ urbi subest. Ut etiam ordinent Presbyteros & Diaconos; & unaquæque cum judicio tractent, & nihil ultra agere aggrediantur sine Metropolis Episcopo, neque ipse sine reliquorum sententia.* Hoc Canone duo stabiliuntur, quæ cùm momenti plurimum habeant, non facilè tamen conciliari possunt: nimirum potestas Metropolitarum in Episcopos in negotiis gravioribus & inusitatis, & Episcoporum authoritas summa in administrandis privatæ suæ diœceseos rebus ordinariis. Hoc tamen discrimine, quòd non possit Metropolitanus tractare causas difficiles & extraordinarias, nisi cum consilio Comprovincialium Episcoporum, possint Comprovinciales Episcopi moderari rebus & causis solito & ordinario cursu fluentibus, inconsulto Metropolitano.

Can. 11. III. Statutum est ejusdem Antiocheni Concilii Canone alio, ne Episcopi Clericive ulli ad Aulam Imperatoriam proficiscantur, quæcumque demum causa inciderit, nisi cum litteris Metropolitani cæterorumque provinciæ Episcoporum: *Si necessarius usus exigat, ut ad Imperatorem se conferat, id agat cum deliberatione & sententia Metropolitani Provinciæ & Episcoporum.*

Illud quoque Antiocheni decernunt Canones, ut causis Metropolitani potestas in Provinciali Concilio emineat. Illius enim est id convocare, eique Can. 14. præesse, quippe qui honore & sede antecellat aliis omnibus provinciæ Episcopis. Illius est, si scissa sint Comprovincialium suffragia in criminali Præsulis alicujus causa, Episcopos vicinis ex provinciis invitare, qui Judices & ipsi assideant, illamque depellant perplexitatem. Adde quod non potest Episcopus Episcopatu orbatus vacantem in aliam Episcopalem sedem migrare, nisi approbet Concilium. Concilium porro verum & germanum non est, nisi ubi præsidet Metropolitanus. *Perfectum Concilium illud est, ubi interfuerit Metropolitanus Antistes.* Can. 16. Ita citra Metropolitani authoritatem transferri non possunt Episcopi.

Quoties novus eligendus est Episcopus, Metropolitani est Episcopos provinciæ vocare omnes. Can. 19. Bis anno quolibet habenda sunt Concilia Provincialia. Metropolitani verò est imminere, & invigilare, ne quis absit Episcoporum. *Metropolitano Comprovinciales Episcopos admoneute.* Can. 20. Nulli verò fas est convocare Concilia, nisi Metropolitani saltem fulgeat potestate. *Nec ullis liceat Synodos per se facere, præter eos quibus creditæ sunt Metropoles.* Hactenus ex Antiocheno Concilio.

IV. At Synodus Constantinopolitana I. cùm majores minoresve Exarchos percensuisset, edixisseque ut suo se Diœcesano & Universali Concilio Can. 2. quælibet major Diœcesis regat, seu Exarchi cujuslibet ditio; addit tandem singulas cujusque Diœceseos provincias per propria Concilia Provincialia regi debere, ea scilicet omni potestate, qua administrarent negotia, unius provinciæ finibus arctata. Hæc Synodus Exarchis omnes Orientis Metropolitas subjiciebat, sed eo ipso adhibito lenimento, quo Episcopi Metropolitanis suberant; ut his illisque integra & intemerata servaretur sui ordinis, suæque propriæ ditionis potestas.

V. Conducibilius mihi visum est, & tum ad utilitatem, tum ad voluptatem accommodatius, si potestatis varios gradus eo ordine explicarem, quo & ipsa eos explicavit Ecclesia, Conciliorumque disciplina, per varias temporum vices eam augens expoliensque. Arte & methodo accuratiore potuissent hæc oculis subjici, sed ex qua non perinde innotuisset pulcritudo Ecclesiæ, quam incorruptibilis pulcritudo, & sempiterna sapientia Christus sponsam sibi ascivit, & aliis aliisque subinde luminibus decoravit. Posteriores Synodi anteriorum politiam novis semper coloribus & lineamentis illustrarunt.

Supersunt & alia Metropolitici juris capita, quæ necdum se oculis nostris subjecere. Sed eandem si pergamus viam, à Spiritu sancto per Synodos complanatam, eorum aliqua saltem vestigia facilè deprehendemus. Ephesinam generalem Synodum convocans Theodosius Junior, per Epistolas Metropolitanos omnes invitavit, jussos secum ut eos adducerent ex Episcopis, quos magis idoneos existimarent, ita tamen ut ne in Ecclesiis Provinciæ Episcopale interim ministerium præsidiumque desiderari posset. *Quos idoneos judicabit, Episcopos Provinciæ suæ unà secum ducat, ita ut neque necessarii Ecclesiis Provinciæ desint.* Conc. Ephes. part. 1. c. 32. Qui Nestorianarum erant partium in hac Synodo, scripsere ad Imperatorem, expeditius fuisse, ut duos tantum Metropolitanus quisque suæ Provinciæ Episcopos secum abduxisset: se quidem eam rationem secutos; at complures ex unaquaque Provincia advolasse cum Metropolitanis partium Cyrilli. Quin & illud

videntur innuere, ita præceptum ab Imperatore fuisse, ut duo tantùm Episcopi Metropolitano comites ad Concilium adjungerentur, ex unaquaque Provincia. Verùm Sacra Imperatoris arbitrio Metropolitani rem permittebat. ὅσους δοκιμάσει. *Quantos idoneos duxeris.* Intererant ergo Conciliis generalibus omnes prorsus Metropolitani; & ex Episcopis Provinciæ eos seligebant, abducebantque secum, quorum industriam operamque majori Ecclesiæ & præsidio & ornamento fore existimabant.

Can. 25. Concilium Calchedonense Canonicas indicit pœnas Metropolitis, qui ultra trimestre spatium vacare permiserint Episcopales suæ Provinciæ Cathedras. Indixerat etiam hoc Concilium Marcianus Imperator, & potestatem fecerat Metropolitanis omnibus, Episcopos secum adducendi, eo numero, quo æquum ipsi censerent, sed eâ Scripturarum & cælestis Theologiæ peritia, quam tantæ molis negotiâ in Concilio pertranctanda desiderarent.

In anteactis Conc. Calched. *Tua sanctitas cum quantis approbaverit Episcopis sub suo sacerdotio constitutis, expertas habentibus divinas Scripturas, & in doctrina Orthodoxæ fidei eminentibus advenire festinet.*

VI. Cum inaudisset sanctus Basilius pretio distrahi ab Episcopis suæ Provinciæ dona ea, quibus pretium facit ipse Spiritus sanctus, quanquam id vanis & fucatis facerent pietatis prætextibus, per Epistolas zelo & eruditione refertas, jussit à flagitio ut abstinerent deinceps, excommunicationem

Epist. 76. 77. interminatus. *Cum nostris his Altaribus nihil habebit commune.* Nec nescius sum, scripsisse eum ad Episcopos, obtrectatorum calumniis nimium credulos, Judices ipsi ut agere se vellent, & sparsos de se ab adversariis obliquiores rumusculos eventilarent; arcerentque sua cum communione, si reum comperissent. Verùm hæc Basilii erat non imminutio dignitatis, sed modestiæ testificatio, & innocentiæ conscientia. Extra dubium enim est Metropolitanos, qui jure suo Præsides semper sunt Conciliorum Provincialium, & qui Episcoporum per ordinationem parentes sunt, judiciaria in eos potestate præcellere, non æquè subesse posse eorum judicio. Rata illa erat juris antiqui regula, ut qui habet ordinandi, habeat & judicandi potestatem. Ea olim lex, ea vigebat consuetudo, ut Provinciæ suæ Episcopos non antè ordinaret Metropolitanus, quàm & examini subjecisset, & necessariis ad Episcopale regimen documentis instruxisset. Scripsit ad Forojuliensem Episcopum Leo Magnus, siquid addubitasset, consulendum illi fuisse Metropolitanum: si nec is potuisset satis extricare rem, utri-

Epist. 61. que percontandam fuisse Apostolicam sedem. *Sollicitudinis quidem tuæ is ordo esse debuerat, ut cum Metropolitano tuo primitùs de eo, quod quærendum esse videbatur, conferres; acsi id quod ignorabat dilectio tua, etiam ipse nesciret, instrui vos pariter posceretis.* Inferius proferentur Canones Concilii Toletani XI. & XII. qui jubent ut Metropolitanus cura pervigili excubet in Episcopos, Episcopi in Clericos, ut doceant, utque urgeant ad sacrarum studia litterarum. Denique jubentur Episcopi trimestri post ordinationem suam spatio, suis se sistere Metropolitanis, ut ea addoceantur, quæ in rem sint.

VII. Defluximus penè inopini ad Latinæ Ecclesiæ leges moresque, cujus Eliberitana Synodus, omnium vetustissima, earum certè, quarum Canones in nostras manus venerunt, sancit, aut supponit verius, ut sui cuique sint Provinciæ Episcopi primæ Cathedræ, seu Metropolitani, penes quos sit authoritas quædam præcipua in examinandis litteris communicatoriis. *Placuit ubique, & maxime in eo loco, in quo prima Cathedra constituta est Episcopatûs, ut interrogentur ii, qui communicatorias litteras tradunt, an omnia rectè habeant, & suo testimonio comprobent.* Can. 58. Sardicensis Synodus non tantum vetuit Episcopos ad Commeatum itare, hoc est in Aulam Regiam, nisi à Principe accersitos: sed præcepit etiam, ut quem eò delegarent Diaconum, eum prius juberent adire Metropolitanum, qui & negotium & Diaconum ipsum excuteret, & tum denique commendatitiis litteris muniret ad Episcopos urbium, in quibus sedem tum haberet Imperator. *Episcopi preces mittant ad Episcopum, qui in Metropoli, ut ille & Diaconum ejus & supplicationes destineat, tribuens commendatitias Epistolas ad Episcopos, qui in urbibus morantur, in quibus Augustus Rempublicam gubernat.* Can. 9.

VIII. Necdum occurrit nobis provocatio ab Episcoporum judicio ad Metropolitanum. Sin minus disertis verbis, at non obscurè tamen de iis mentionem facit appellationibus Concilium idem Sardicense. Quando nempe statuit, ut si Presbyter vel Diaconus ab Episcopo gradu dejectus, hanc non culpæ suæ pœnam, sed Judicis malevolentiam interpretetur; ad vicinos confugiat Episcopos, qui causam retractent, & prius judicium vel rescindant, vel confirment. *Habet potestatem is qui abjectus est, ut Episcopos finitimos interpellet, & causa ejus audiatur, & diligentissimè tractetur, &c.* Can. 17. Propè abest à vero, vicinos Episcopos hos non alios esse, quàm Comprovinciales in Provinciali Concilio coadunatos sub Metropolitano. At hujus Canonis editio Græca omnem amolitur difficultatem, & disertè declarat ad Metropolitanum appellari, aut eo absente, ad Episcopum proximiorem. *Qui ejicitur, potestatem habeat confugiendi ad Episcopum Metropolis ejusdem Provinciæ; si autem Metropolitanus abest, ad finitimum concurrendi, & rogandi ut suum negotium accuratè examinetur.* Can. 14. In Concilio quoque Taurinensi occurrit Episcopus qui Concilii Provincialis authoritate muniri satagit sententiam excommunicationis à se vibratam in Presbyterum audaciorem & insolentiùs tumultuantem. Anno 397.

IX. Sed luculentiora aliquantò nobis suppetunt ab hoc Taurinensi Concilio monumenta potestatis & jurisdictionis Metropoliticæ. Causa enim ibi agitatur Episcoporum Provinciæ II. Narbonensis adversùs Proculum Episcopum Massiliensem, qui se eorum venditabat Metropolitanum, tum quòd sacra ordinatione eos ipse omnes inaugurasset, tum quòd à suæ Ecclesiæ fontibus ad eos manassent rivuli Evangelicæ doctrinæ. *Siquidem assereret easdem Ecclesias, vel suas Parochias fuisse, vel Episcopos à se in eisdem Ecclesiis ordinatos.* Can. 17. At contrà Episcopi Narbonensis secundæ Provinciæ dicebant, alterius Provinciæ Episcopum sibi Metropolitano nomine & officio præesse non posse. *Sibi alterius Provinciæ Sacerdotem præesse non debere.* Synodus hæc, quæ ad preces Episcoporum Gallicanorum convenerat ad componendam hanc litem, sanxit, ut pro bono pacis, *contemplatione pacis atque concordiæ*, id honoris haberetur, non Sedi & Ecclesiæ Proculi, sed Proculo ipsi; ut dum vita superaret, Metropolitica authoritate præesset Episcopis, quos ordinaverat, & quorum Episcopales Ecclesiæ inter ejus Parochias numeratæ quondam fuissent. *Tanquam Pater filiis honore Primatûs assisteret, &c. Vt in Ecclesiis, quas vel suas Parochias, vel suos discipulos fuisse ordinatos*

*ordinatos constiterit, Primatûs habeat dignitatem.*

Liquet ergo perspicuè Ordinationem instar habere generationis cujusdam divinæ, qua fit ut qui ordinat Pontifex in Patrem evadat eorum quos ordinat, paternumque in eos quodammodo imperium sibi comparet, cujus potestas charitas, vis religio sit. Hinc rursus eadem Synodus: *Ut ipse Proculus tanquam pius Pater, Consacerdotes suos honoret, ut filios: & memoratæ Provinciæ Sacerdotes tanquam boni filii, eundem habeant ut parentem.* Ex his duabus Ecclesiasticis legibus, ut qui ordinat, Pater sit & rector eorum, quos manuum impositione sibi quodammodo vendicat: utque Episcopis unius Provinciæ immineat Metropolitanus in eadem Provincia, propriam habens sedem: censuit Synodus priorem posteriori anteponendam plurisque tunc faciendam esse. Non ergo stupebit quisquam posthac tam acriter de jure ordinationum digladiatos esse Præsules, & potissimam vim ejus Principatûs, quo potiuntur Metropolitani, Exarchi & Patriarchæ, in Ordinandi potestate collocatam fuisse.

X. Attigit etiam Taurinensis eadem Synodus litem de Primatu, seu de jure Metropolitico, quæ jam olim exarserat inter Arelatensem & Viennensem Episcopos. Decrevit porro ut Metropolis Ecclesiasticæ dignitas ex his urbibus ei vendicaretur, quæ Metropolin se civilem esse idoneis documentis

Can. 2. approbasset. *Is totius Provinciæ honorem Primatus obtineat, & ipse juxta Canonum præceptum ordinationum habeat potestatem.* Aut certe geminæ essent Metropoles sacræ, & unaquæque proximioribus præesset Episcopatibus: *Viciniores sibi licet Civitates, atque eas Ecclesias visitet, quas oppidis suis vicinas magis esse constiterit.* Perstringi hic vides jus Metropolitanorum in visitandis obambulandisque comprovincialium Episcoporum Ecclesiis.

XI. Siricius, quo Pontificatum gerente coaluerat Taurinensis Synodus, si quæ præter Canones fiant Ordinationes, culpam omnem confert in Metropolitanos; ut majus etiam in ipsos crimen & dedecus redundet, si quos sinant ad Episcopatum adrepere ambitiosos, aut alioqui irregulares, quàm in hos ipsos ambitûs, & irregularitatis macula aliqua inustos.

Epist. 1. c. 8. *Quod non tantum illis, qui hæc immoderata ambitione pervertunt, quantum Metropolitanis specialiter Pontificibus imputamus, qui dum inhibitis ausibus connivent, Dei nostri quantum in se est, præ-*

Epist. 4 c. 1. *cepta contemnunt.* Delibatur alibi ab eodem Pontifice causa, quamobrem credita sit Metropolitanis Ordinationum potestas, tantis & periculis septa & honoribus. Nimirum quòd speciali quadam ratione successores sint Apostolorum, tanquam hæredes, aut certe participes Sedium Apostolicarum. Itaque etiam tum Metropolitica sedes sedis Apostolicæ nomine donabatur. Nec inficias ire quisquam potest, quin obtineat adhuc Metropolitanus quisque partem & delibationem aliquam eximiæ illius potestatis, quam Christus Petro contulit in Apostolos cæteros, hoc est in Episcopos. *Ut extra conscientiam Sedis Apostolicæ, hoc est Primatis, nemo audeat ordinare.*

Epist. 2 c. 1. Epist. 13. c. 2. Epist. 18. Hanc ordinandorum Episcoporum potestatem novis præsidiis firmavit Innocentius I. verba ejus ipsa adscribere supersedeo: at silere non possum, quæ ad Antiochenum Episcopum scribit, ut Metropolitanos quidem sua ipse manu ordinet, ordinationem verò Episcoporum eis permittat, licentiâ à se concessâ: *Sicut Metropolitanos authoritate ordinas singulari, sic & cæteros non sine permissu conscientiaque tua sinas Episcopos procreari.*

XII. Zosimus Pontifex ad Episcopos Galliarum scribens, prohibet ne Clerici quicumque Romano se committant itineri, aut Galliarum finibus egrediantur sine formatis litteris Arelatensis Metropolitani, testibus ordinis & gradûs, cujus in suis compotes sunt Ecclesiis; ne alibi gentium, ubi noti sunt nemini, invadant in munia & in privilegia ordinum & dignitatum, quarum exortes sunt; ac ne Episcopos Presbyterosque se alicubi gerant, cùm expertes sint horum Ordinum. *Si quis ex qualibet Galliarum* Epist. 5. *parte sub quolibet Ecclesiastico gradu ad nos Romam venire contendit, vel aliò terrarum ire disponit, non aliter proficiscatur nisi Metropolitani Arelatensis Episcopi formatas acceperit litteras, quibus sacerdotium suum, vel locum Ecclesiasticum quem habet, scriptorum ejus adstipulatione perdoceat. Quia plures Episcopi, sive Presbyteri, sive Ecclesiastici simulantes, quia nullum documentum formatarum extat, per quod valeant confutari, in nomen venerationis irrepunt, & indebitam reverentiam promerentur.*

XIII. Crebrius inculcatiusque quàm usquam alibi Bonif. Ep. 3. in Papæ hujus Epistolis, ac præterea Bonifacii & Cælest. Ep. Cælestini, Episcopalium ordinationum potestas uni 2. c. 4. Metropolitano vindicatur. Argumento id est, aut ægrè obtemperatum tunc fuisse legi huic, quantumvis æquissimæ: aut Metropoleon & Provinciarum fines needum satis firmos inviolatosque fuisse. Verùm super ea re quædam animadversione dignissima consignavit nobis Leo Magnus in litteris ad Archiepiscopum Thessalonicensem datis. Quanquam enim Apostolicas vices gestaret hic Archiepiscopus in omnes majoris suæ Diœceseos Provincias: monebat tamen illum Pontifex, eas salvis integrisque Metropolitanorum juribus defungendas ei esse: *Metropolitanos Provinciarum Episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus.* Epist. 84. c. 2. Addebat autem Leo liberas quidem esse debere Episcoporum electiones; at si dividantur in plures suffragia, Metropolitani esse judicium, ut illum præponat, qui pluribus juvatur suffragiis & meritis: *Ita ut si in aliam fortè personam partium se vota diviserint, Metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majoribus & studiis juvatur & meritis.* Ibid. c. 5. 6. 9. Confirmari ab Exarcho debere electiones Episcoporum & Metropolitanorum. Cogi debere Metropolitano errones Provinciæ suæ Clericos, inde facessere, & in suas se recipere Ecclesias, ut cum Episcopo resideant. Eadem incumbit Exarcho cura in omnem ditionem suam: *Transfugam Clericum ad suam Ecclesiam Metropolitanus redire compellat.*

XIV. Extra juris limites expatiatus erat Hermes Narbonensis Episcopus in ordinandis Episcopis. Hac illum potestate spoliavit Hilarus Papa, quam in Uceticensem transtulit Episcopum, qui Primas tenebatur inter Episcopos ejusdem Provinciæ. Idem Epist. 8. Pontifex Leontio Metropolitano Arelatensi eam mandavit Provinciam, ut plures Metropolitanos pluribus ex Provinciis in Synodum convocaret: *Metropolitanis per litteras ejus admonitis.* Clericos prohibuit exire Provincia sine Metropolitani litteris, quas si præter jus dare is abnueret, ejus controversiæ judices sederent proximiores duo Metropolitani cum Episcopo Arelatensi. *Cum duobus Metropolitanis Provinciarum quæ contiguæ sunt, Arelatensis Episcopus cuncta discutiens.* Epist. 10. Alia in Epistola jubet ab Arelatensi Archiepiscopo annis singulis

colligi Concilium plurium Provinciarum.

Cùm porro Tarraconensis Provinciæ Episcopi aliquas Episcoporum translationes authoritate sua firmassent, scripsit idem Pontifex ad eos, nec eligi, nec ordinari posse Episcopos sine authoritate Metropolitani: scripsit & ad Ascanium ejus Provinciæ Metropolitam, potestatis & curæ ipsius id esse, ut eligeret Episcopos & ordinaret in Provincia sua: Epist. 2. *Qualem te præcipuè, frater Ascani, oporteat eligere, & deceat consecrare.* Ejus esse Episcopos suæ ditionis, si quando à juris & Canonum regulis deviarent, monere, & in viam reflectere, officiique leges eis Epist. 3. refricare. *Quia pro loco & honore tibi debito, cæteri Sacerdotes docendi fuerant, non sequendi.*

XV. Aurea prorsus est Gelasii Papæ Epistola ad Episcopos Lucaniæ, Brutiæque & ipsius Siciliæ, cui finitimæ sunt illæ Provinciæ Italiæ. Ea quippe doctissimus Pontifex summam complexus est totius Ecclesiasticæ antiquioris puriorisque disciplinæ. Altum porro ibi de Metropolitanis silentium, quòd nulli tunc alii per eas Provincias essent, quàm Romani Pontifices. Ad Metropolitani tamen jura referri potest illa ibi cautio, qua vetantur Episcopi Ecclesias dedicare vel Oratoria, nisi assentiente Apostolica Sede, hoc est, ut ego interpretor, utque alibi interpretandum esse patefaciam, sine assensu Epist. 9. Metropolitani. *Quod absque præcepto Sedis Apostolicæ nonnulli factas Ecclesias vel Oratoria sacrare præsumunt.* Tam servari integra potuerat Metropolitano potestas dedicandarum Ecclesiarum, quàm alienandorum Ecclesiæ bonorum. Apta enim & nexa hæc duo sunt, dedicari & dotari Ecclesias. Innumeræ sunt Gregorii Magni Epistolæ de istiusmodi Dedicationibus, at ubique earundem Ecclesiarum necessaria dotatio commendatur. Dotationi respondet alienatio, dotationi dedicatio connexa est.

XVI. In Regiensi Concilio anni 439. irrita pronuntiata est ordinatio Armentarii Ebrodunensis Episcopi, quòd sine assensu Metropolitani, sine litteris Episcoporum Provinciæ, & à duobus tantùm Episcopis celebrata fuisset. Can. 2. *Nec expetitis Comprovincialium litteris, Metropolitani quoque voluntate neglecta.* Vasionense I. Concilium anni 442. expungi jussit inveteratum usum exigendi litteras formatas ab Episcopis Gallicanis, qui per Gallicanas Provincias iter faciebant. Prompta est & aperta ratio. Abundè sibi innotescebant mutuò Galliæ Episcopi, ex quo maximè tempore Nationalia Concilia celebrari cœperant: unum ergo id poterat desiderari, nullà ut quis Episcopus censura pœnaque canonica verberatus esset, quo per omnes Gallias communione & charitate Catholica frueretur. *Placuit Episcopos de Gallicanis Provinciis venientes, infra Gallias non discutiendos, sed solùm sufficere, si nullus communionem alicujus interdixerit. Quia inter circum habitantes, ac pene sibi invicem notos, non tam testimonio indigent probi, quàm denotatione ac denuntiationibus depravati.* Indubium est hæc ad Metropolitanos pertinere, cùm ad eos spectaret jus dandi litteras formatas istiusmodi. Obiter autem id quoque observandum, processu temporis illas formatarum moras, in quibus tantum momenti fuerat, & quæ tam scrupulosè servabantur, supervacaneas & inutiles magna ex parte evasisse, saltem per eas Provincias, quarum tanta non erat distantia, quin ferè se internoscerent, maximè Episcopi, quos spectabiles facit, nec ignorari sinit sua dignitas.

XVII. Nihildum hoc capite diximus de Metropolitanis Afrorum, quos illi Primates vocitabant. Hilarus Papa Primatem appellat illum ex Episcopis Provinciæ, qui ordinationis tempore alios præcedit: *Ævo honoris Primas esse dicitur.* Eo Epist. 1. sensu in Africa id moris inoleverat, ut Primates dicerentur, qui alibi Metropolitani. Is enim demum ibi Metropolitica dignitate gaudebat, qui ævo honoris seu ordinationis tempore omnium primus & princeps erat. Diximus jam id etiam inde profectum, quòd Ecclesiæ Latinæ consuetudo ea olim fuisset, ut *Episcopus primæ Sedis, Episcopus primæ Cathedræ* diceretur, qui alibi Metropolitanus. Edixit Carthaginensis III. Synodus, ut ne Episcopi mare trajicerent sine litteris Metropolitani. *Ut Episcopi* Can. 28. *trans mare non proficiscantur, nisi consulto primæ Sedis Episcopo, suæ cujusque Provinciæ; ut ab eo præcipuè possint sumere formatam.* Non poterant Afri jam Episcopi non se mutuò internoscere: ita formatis jam non erat opus, nisi ut maria tranarent. Synodico Decreto alio statutum est, ut Archiva Provinciæ Numidiæ duobus locis reconderentur, nempe & ubi sederet Primas, & in urbe Constantina, ubi civilis erat Metropolis. *Ut Matricula & Archibus Nu-* Conc. Afric. *midiæ, & apud primam Sedem sit, & in Metropoli,* Cap. 51. *id est, Constantina.*

XVIII. In Concilio Africano, hoc est, Hipponensi, sancitum est, ut Primas Provinciam perlustraret circa tempus Concilii: *Constitutum est in* Cod. Can. *Concilio Hipponensi singulas Provincias tempore Concilii* Eccl. Afric. *visitandas esse.* Conducebat in primis antè visitari Provincias, & in iis observari vitia disciplinæ labantis, quibus apta in Conciliis remedia temperarentur. Ad Primates provocare fas erat Clericis, qui se suspicarentur ab Episcopis iniquiùs damnatos: *Decreta Nicæna sive inferioris gradûs Clericos, si-* Conc. Afric. *ve ipsos Episcopos, Metropolitanis apertissimè commise-* Can. 138. *runt.* Augustinus Primatis Carthaginensis opem & Epist. 64. authoritatem interpellavit, ut exstirparentur funditus crapulæ, & intemperantiæ dedecora complura, quibus Martyrum dies festi & tumuli contaminabantur. Persuasissimum illi erat, nec immeritò, tantundem saltem momenti & virium fore in exemplo Ecclesiæ tota Africa spectatissimæ & principis, quantum in Canone Concilii Universalis. *Tanta pestilentia est hujus mali, ut sanari prorsus, quantum mihi videtur, nisi Concilii authoritate non possit. Aut si ab una Ecclesia inchoanda est medicina, sicut videtur audacia mutare conari quæ Carthaginensis Ecclesia tenet, sic magna impudentia est velle quæ Carthaginensis Ecclesia correxit.* Colophonem imponet huic capiti Decretum aliud luculentissimum Concilii cujusdam Africani, quo testatum fit, Primates Africæ, hoc est, Metropolitanos instituisse Primatem novum in altera Mauritaniarum, cujus caput erat Sitifis. Necdum istiusmodi quidquam occurrerat nobis, ut Metropolitani novam erigerent Metropolin. En verba Canonis, ut à Justello referuntur, qui potuisset forsan aptiùs in caput superius conjici; nec ineptè tamen huic assuetur: certè aptius est illum hîc inseri, quàm omnino omitti. *De Primatu Mauritaniæ* Collat. *Sitifensis. Primatem proprium cùm Mauritania Sitifen-* Can Eccles. *sis Episcopi postularent, omne Concilium Episcoporum* Afric. 1. 17. *Numidiæ, consentientibus omnibus Primatibus, vel universis Episcopis Provinciarum Africanarum, propter longi itineris novitatem habere permissa est. Cum consensu Carthaginensis Ecclesiæ factum est.*

XIX. Si lubet jam brevi gyro paucisque verbis concludere jura Metropolitanorum hîc perpensa; adverte nihil officere vel Metropolitanorum potestati Exarchorum amplitudinem, vel Episcoporum

dignitati Metropolitanorum authoritatem; causæ omnes aliquanti saltem ponderis in commune à Metropolitano & Episcopis Provinciæ pertractandæ erant: præsertim in Concilio Provinciæ, quod ille convocabat, cui præerat. Concilio Universali intererant ex officio Metropolitani omnes. Episcoporum Patres, Magistri, Judices audiebant. In subditis subditorum sibi Episcoporum jurisdictionem depromebant, vel cum ad ipsos erat provocatum, vel cum Provinciam obambulabant. Sedes Metropolitani instar habebat, & imaginem præferebat Sedis Apostolicæ. Observandorum Canonum præfecti erant, & vindices; impune violatorum in ipsos culpa, in ipsos pœna recidebat. Dabant litteras formatas. Eorum assensione & dedicabantur ac dotabantur Ecclesiæ, & earum bona distrahebantur, ubi ex re erat. Potestas ordinandorum Episcoporum, paternam eis in illos conciliabat authoritatem; & hinc fluebant reliqua in eosdem egregiæ potestatis jura.

---

## CAPUT XLI. *P. 2. l. 1. c. 9.*

## De Metropolitanis Franciæ, Angliæ, Germaniæ, sæculo VI. VII. & VIII.

*I. Metropoles longe plurimæ ante constitutæ fuerant, quàm ulli essent Reges Christiani.*

*II. In Metropolibus Civilibus constitutæ fuerant Ecclesiasticæ Metropoles, consilio à prudentia carnali alienissimo. Antiquæ Galliarum divisiones.*

*III. IV. V. VI. VII. Quid juris sibi arrogaret Arelatensis Metropolitanus in civitates Viennam, Ebrodunum, Tarentasiam, Narbonem, Aquas-Sextias. Varia in eam rem decreta, quibus hæ tandem omnes Metropoles in pristinam dignitatem redintegrantur.*

*VIII. IX. Metropoles Vesontionensis, Turonensis, Bituricensis, Senonensis.*

*X. Metropolis Moguntina & Coloniensis.*

*XI. XII. Pontificum Regumque authoritate & consensione mutatæ Metropoles.*

*XIII. XIV. De Angliæ & Italiæ Metropolibus.*

*XV. De Metropolitis, quorum Suffraganei in aliis aliisque regnis sedem habent.*

I. VEnio ad Metropolitas secundæ ætatis, hoc est, sæculi VI. VII. & VIII. Et in primis illud observo, antiquissimas Metropoles, Apostolicis temporibus & ipsis persecutionum tum maximè sævientium sæculis institutas fuisse, cum necdum Imperatores Christi jugum subiissent, adeoque nec assensus eorum expectandus fuisset. Plures deinde recentiores emerserunt Metropoles per Provincias eas, in quibus varia posterius excitata sunt Regna, ita dilacerato Romano Imperio, ut felicius reviviscerct. Itaque non sola in his paulatim interposita est Ecclesiasticorum Principum authoritas.

II. Id ad tempus pertinet, venio ad locum. Sæpe jam monui approbavique, si Africam eximas, ubi Metropolitanus erat, qui ordinatione antiquissimus, quod & Gregorius Magnus probavit, *L. 1. Ep. 72. 75.* exclusis tantum Donatistis Episcopis ab illo ætatis & ordinationis privilegio: alibi gentium Metropoles omnes sacras in Metropolibus civilibus defixas fuisse, hoc est in illis civitatibus, quæ magnitudine, opulentia, plerumque antiquitate etiam cæteris præstarent. Sed animadversum illud etiam supra est, necessariò hic quoque repetendum, hunc civitatum delectum factum fuisse, Apostolicis temporibus, ab Apostolis ipsis, Apostolicisque viris; quos citra insaniam suspicari nemo potest, fastu



sæculi, aut inanis pompæ specie deludi potuisse. Quin exploratissimum contra est, ideo ab illis factum, ut Evangelicæ veritatis lux illis primum civitatibus affulgeret, ex quibus in alias facilius, & in totum denique orbem latissimè diffunderetur.

Ut initium faciam à Gallia: compertum ab Augusto illam in quatuor Provincias scissam fuisse, Narbonensem, Aquitanicam, Lugdunensem, & Belgicam. Sub Tiberio & Nerone Belgica divisa jam erat in Belgicam unam, vel duas, & in Germanicas duas. Tres aliæ Provinciæ in plures singulæ distributæ sunt tertio, aut quarto sæculo. Secta est Narbonensis in Narbonensem, Viennensem, Alpes Maritimas, & Alpes Graias, seu Penninas. Aquitanica in Aquitanicas duas, & Novempopulaniam. Denique ex Lugdunensis divisione emersere Lugdunensis prima & secunda, & Sequanensis, quæ dicta est maxima Sequanorum. Itaque ante annum Christi 365. quatuordecim jam erant in Galliis Provinciæ, totidem quippe invenies ita recensitas in Breviario historico Rufi Festi, quod ab eo hoc ipso anno Valenti Imperatori dicatum est. Missos facio & alios historicos, utriusque hujus divisionis testes. Tertia denique instituta est postea partitio Galliarum, qua non duæ jam, sed quatuor Lugdunenses erant, quarum capita Lugdunum, Rotomagus, Cæsarodunum Turonum, & Agendicum Senonum: à Viennensi autem divellebatur Narbonensis secunda, cujus caput civitas Aquæ-sextiæ. Ita tribus recentioribus his Provinciis ad quatuordecim priores accedentibus, Provinciæ Galliarum extitere septemdecim. Concilium Aquileiense anni 381. & Taurinense anni 397. meminere Narbonensis secundæ. Jam tum ergo invaluerat tertia hæc divisio. Concilium Valentinum anni 374. quinque Provincias commemorat, easque à reliqua Gallia sejungit. Porro quinque hæ Provinciæ sunt non aliæ, quàm quatuor illæ suprà memoratæ, quæ ex Narbonensi conflatæ fuerant, addita quæ post accessit Narbonensi secunda. In Epistolis Zosimi & Bonifacii Romanorum Pontificum, à reliqua Gallia seponuntur quandoque septem Provinciæ, quæ jure existimantur esse Narbonenses duæ, Viennensis, Alpes Maritimæ, Aquitanicæ duæ, & Novempopulania: quòd ex his unum veluti corpus compegisset Præfectus Prætorio Galliarum, à reliquis Galliis sejunctum. Has civilium sive Provinciarum, sive Metropoleon divisiones secutæ sunt Ecclesiasticæ tum Metropoles, tum Provinciæ.

III. Itaque Provinciæ Metropolesque Romanæ in Ecclesiasticas etiam evasere Metropoles Provinciasque. Hinc diutina altercatio Viennensium & Arelatensium Episcoporum de jure Primatûs, id est de jure Metropolitico. Decrevit Taurinensis *Anno 397.* Synodus, ut quæ se Metropolin civilem approbaret civitas, ea Metropolitanum haberet Pontificem. At enim in civili administratione Arelas & Vienna *An. 450.* multis hinc & hinc dotatæ essent privilegiis, sanxere tandem Romani Præsules, ut Metropolitica dignitate utraque gauderet Ecclesia. Ita Leo Magnus litem tandem diremit.

IV. Zosimus Papa à Patroclo Arelatensi Episcopo circumventus, subjecit ei primam Narbonensem. Patroclus Lutevensi Ecclesiæ præfecit Episcopum, nec Cleri populique votis consonantibus, nec consulto Hilario Narbonensi Metropolitano, cui obnoxia erat Luteva. Bonifacius ab Hilario *Anno 422.*

interpellatus, in Provinciæ suæ regimen illum redintegravit, Nicænis obsecutus Canonibus, quibus sua cuique Metropolitano curanda delegatur Provincia: nec potestas sit ulli Metropolitano duabus Provinciis incubandi: *Nulli videtur incognita Synodi Nicænæ constitutio, quæ ita præcipit, per unamquamque Provinciam jus Metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subjectas.* Bonifacii Decretum Cælestinus & Leo confirmarunt.

V. In Provincia Alpium Maritimarum Ebrodunum Metropolitico semper honore claruerat. Ita author est Hilarus Papa, ubi de Ingenuo Ebrodu-
Anno 439. nensi Episcopo verba facit: *Alpium Maritimarum Provinciæ Metropolitani honore subnixus semper.* Ea de causa improbavit Leo Magnus conatus Hilarii Arelatensis Episcopi, qui Armentarium Ebrodunensem Episcopum exauthoraverat in Concilio Regiensi, quòd ordinatus esset Episcopus à duobus tantùm Episcopis, præter conscientiam cæterorum Provinciæ Episcoporum, & ipsius maximè Arelatensis Metropolitani. Antiquam regulam Leo pristino restituit vigori, ut suum unaquæque Provincia habeat Metropolitanum. *Ordinationem sibi singuli Metropolitani suarum Provinciarum defendant.* Hilarus Papa Ingenuo Ebrodunensi Metropolitano patrocinatus est adversùs Auxanium, quem Aquensem existimant fuisse Episcopum, & Narbonensis secundæ Metropolitanum. Is novum creaverat Episcopatum, ita ut non jam idem esset Cemelenensis & Nicænus Episcopus. Id irritum duxit Hilarus, & duos Episcopatus in unum rursus compegit.

VI. In Provincia Alpium Græcarum & Penninarum Tarentasia Metropolis censebatur, cùm Octoduro præesset. Nihilo tamen secius illam Leo Papa substravit Arelatensi Metropoli. Eodem prorsus modo, quo Aquensis Metropolitanus obnoxius perdiu videtur fuisse Metropolitano Arelatensi eidem. In Concilio Francofordiensi Tarentasia legitur ab hoc vinculo absoluta beneficio Romani Pontificis; & inter Metropoles illas locum habet, quas Caro-
Anno 794. lus Magnus testamento suo regiæ beneficentiæ participes esse jussit.

VII. Quod attinet ad Narbonensem secundam, eam Taurinense Concilium subesse sanxit personæ Proculi Massiliensis Episcopi, non Ecclesiæ ipsi Massiliensi, quòd alteri ea urbs Provinciæ accenseretur. Irrogatam sibi injuriam non ferebant Narbonensis secundæ Episcopi: *Qui sibi alterius Provinciæ Sacerdotem præesse non debere contendebant.* Obrepsit Patroclus Arelatensis Zosimo, ut jam diximus, extorsitque ab eo duarum Narbonensium Provinciarum & Viennensis administrationem; perfecit denique ut gradu moveretur Proculus, propter ea potestatis incrementa, quæ præter fas à Concilio Taurinensi expresserat. Bonifacius, Cælestinus, & Leo retractarunt emendaruntque quæ Zosimo subrepta fuerant: Provinciisque his & earum Metropolitanis pristina jura redintegrarunt. Ita Aquensis Metropolitanus Provinciæ suæ clavum rursum moderari cœpit, sed ea conditione adhuc constrictus, ut si quando ad Arelatensis Metropolitani Concilium
Anno 514. vocaretur, præsto adesset. Curam egit Cæsarius Arelatensis, ut hoc statutum à Symmacho Papa confirmaretur. Liquet ex Concilio Francofordiensi relatum fuisse sub Carolo Magno ad Pontificem de tribus Metropolibus, Tarentasia, Ebroduno, & Aquis-Sextiis: *Et quidquid per Pontificem Romanæ Ecclesiæ definitum fuerit, hoc teneatur.* Quid definitum Romæ fuerit, eventus declarat. Quippe exinde semper in Conciliis aliisque locis Aquensis Episcopus inter Metropolitas sedem habuit. Nulla quidem Aquensis Metropolis mentio in Testamento Caroli Magni, ubi cæteræ pernumerantur omnes. At eâ causâ id factum meritò conjicitur, quòd necdum Pontifex rescripsisset.

VIII. In Maxima Sequanorum Metropolis erat Vesontio. Chelidonius ejus urbis Episcopus gradu dejectus quidem fuerat ab Hilario Arelatensi Episcopo, quòd viduæ maritus, adeoque bigamus, & à regulis Canonicis alienus esset. Rescidit hanc sententiam Leo Papa, quòd Chelidonius à noxa & macula ea purus esset; confirmaturus alioqui, ut æquitati consonam, non ut à legitimo & competente Judice pronuntiatam. Vetuit enim Pontifex, Anno 445
ne in posterum Arelatensis aliarum Provinciarum negotiis se implicaret. *Suis unaquæque Provincia sit contenta Conciliis, nec ultrà Hilarius audeat Conventus indicere Synodales.*

Nec ex eo malè ominandum est de Provincia & Metropoli Vesontionensi, quòd non rarò in subscriptionibus compluribus Episcopis aliis Episcopus Vesontionensis postponatur. 1. In subscriptionibus Exscriptorum incuria aut licentia sexcenties peccavit. 2. Subscripsere non semel Metropolitani post Episcopos priùs ordinatos. 3. Nullam persæpè Episcopi rationem habebant sui vel loci, vel honoris, vel ævi in subscribendo. Eò compulsus est Gregorius Magnus præcipere, ut suo deinceps gradu & ordine tum subscriberent, tum sederent Episcopi. En ejus verba: *Episcopos secundùm suæ ordinationis* L. 7. Ep. 114
*tempus, sive ad consedendum in Concilio, sive ad subscribendum, vel in qualibet alia re, sua attendere loca decernimus, & suorum sibi prærogativam ordinum vindicare.* Denique Vesontio inter Metropoles locum habet in Caroli Magni testamento, in Capitularium libris, in posterioribus eo ævo Conciliis. Joannes etiam VIII. Archiepiscopum Chrysopolis vocat in quadam ad eum scripta Epistola, ad vernaculam ejus vocis significationem alludens.

IX. Sidonius Apollinaris ea dicit de Senonensi L. 7. Ep. 5.
Episcopo, quæ non possint dici nisi de Metropolitano. Perpetuus Turonensis Episcopus Metropolitani partes egit quinto sæculo in Concilio Veneten- Anno 465.
si, ejusque urbis Episcopum ordinavit. Hæ sunt Lugdunenses duæ, secunda & tertia. Sidonius Apollinaris rursus cùm verba faceret coram Episcopo Senonensi de Bituricensi, cujus præfuerat electioni, utrumque inter Metropolitanos disertis verbis annumerat. *Denique & coram Metropolitano verba facturus, &c. Simplicius est, quem Provincia nostra Metro-* L. 1. Poëm. 15.
*politanum pronuntio.* De Burdigalensi idem innuit Venantius Fortunatus ad eum scribens: *Quantum inter reliquas caput hoc superextulit urbes, tantum Pontifices vincis honore gradûs.* Quod ad tertiam Aquitanicam spectat, sive Novempopulaniam, Elusanus Elusa. Eause.
Episcopus inter Metropolitanos subscripsit Conciliis Agathensi, Aurelianensibusque I. II. IV. & V. Ausciensi tunc Episcopo nonnisi inter Episcopos subscribente. Idem observare est in Remensi Concilio Episcoporum quadraginta sub Archiepiscopo Sonnatio. Circa illud ergo tempus, aut non multò Flodoard. l. 2. c. 5.
pòst Elusana Metropolis ad Augustam Ausciorum translata fuisse conjicitur.

X. Ex Germanicis primæ caput erat Moguntia, secundæ Colonia. Moguntiæ fundamenta jecerat Drusus. Coloniam Athanasius ipse Metropolis nomine ornavit in Epistola ad Solitarios. Deliruere diu geminæ hæ civitates, bellorum tempestatibus

accisæ, & variis quasi insepultæ calamitatibus. *Anno 731.* Emersit interim Augusta Treverorum. At Moguntiam Zacharias tandem Pontifex Metropolin sacram esse jussit, sedemque Bonifacii, cui vices suas delegarat in Gallias Germaniamque. Quin & Coloniam ei subjecit, sed cùm jam Metropolitico honore ornasset Coloniam exoratus à Gallis, tenuit hæc prior constitutio, & Coloniæ vendicata est Metropolitana dignitas, non autem Bonifacii sedes, etsi id aliquando placuerat. *Anno 747 Zachar. Epist. 11.* *De Civitate illa, quæ Agrippina vocabatur, nunc verò Colonia, juxta petitionem Francorum per nostræ authoritatis præceptum nominis tuo Metropolim confirmavimus.* Ad manum sunt hæ Pontificum Epistolæ in Editionibus Conciliorum. Ex iis autem patet ipsos penè Gallos pœnituisse, quòd Coloniam Metropolin institui præproperè expetissent.

XI. His præstructis, jam planum est, Metropoles Gallicanas alternasse, nec satis certis limitibus constitisse plerasque, nisi quinto desinente sæculo, nonnullas etiam posterius: super ea re autem quidquid controversiarum exortum est, Romanos Pontifices composuisse. Hinc Avitus Viennensis Episcopus ad Hormisdam Papam scribens, palam profitetur, siquo principatu floreret Vienna in Viennensem Provinciam, acceptum id referendum esse Pontificibus Romanis: *Totius Provinciæ Viennensis nomine, quæ Ecclesia ad me pertinenti ab universis prædecessoribus vestris & ab Apostolica sede commissa est.* Ea ideo itidem efferbuerant inter Metropolitanos dissidia, quæ detumescere non possent, nec vel antiquissimæ Metropoles desigi firmarique, nisi postquam Apostolicæ sedis judicium pacem & tranquillitatem revexit. Quod ad Metropoles novas, aut innovatas attinet, jam Moguntiam & Coloniam Zacharias Pontifex ea potestate auxit. Idem ipse tria Pallia ad tres Archiepiscopos à Bonifacio ordinatos misit, de quibus audiendus nobis hic est scriptor antiquus vitæ Bonifacii: *Le Cointe Ann. 746. n. 5.* *Bonifacius à Principibus Carlomanno, & Pipino Ecclesiæ Mogonciacensi præficitur, & ut ejus dignitas eminentior foret, decreverunt iidem Principes Ecclesiam Mogonciacensem, quæ prius alteri subjecta erat, Metropolim omnium Germaniæ Ecclesiarum efficere, moxque legatione facta illud à Præsule Apostolico impetravere.*

XII. Nòn minus perspicuum hic est, mutatas tum demum esse Metropoles, cum ut ita fieret, preces Principes terreni suas, vel consensionem saltem interposuere. *Ann. 744 Zachar. Epist. 4. Epist. 14.* Testis est Zacharias ipse de Moguntia ad Bonifacium scribens: *Obtinere voluisti, ut sibi Cathedralem Ecclesiam, vel successoribus tuis confirmare debeamus, juxta eorumdem Francorum petitionem, &c.* Non postulaverat Bonifacius tria Pallia, nisi ut obsecundaret votis Principum Francorum, qui his exornari tres Archiepiscopos novos magnopere cupiebant. *Epist. 4.* *Quod de Archiepiscopis & de Palliis à Romana Ecclesia petendis, juxta promissa Francorum, sanctitati vestræ notum feci, &c.* Pipinus Major Palatii, collecta Suessionensi Synodo idem contestabatur: *Anno 744. Conc. Suess. c. 3.* *Per consilium Sacerdotum & Optimatum ordinavimus per civitates legitimos Episcopos, & idcirco constituimus super eos Archiepiscopos Abel & Ardobertum.* Idem prorsus patet ex Liptinensi Concilio, quod convocatum fuerat à Carolomanno Majore Palatii: *Conc. Liptin. c. 1.* *Per consilium Sacerdotum, & Optimatum meorum, ordinavimus per civitates Episcopos, & constituimus super eos Archiepiscopum Bonifacium, qui est Missus sancti Petri.*

Idem alibi Bonifacius profitetur, si quas in Gallia ediderit promulgarique Synodicas constitutiones, id à se factum jussu Papæ & interpellatione Principum Francorum. *Synodum congregandam, & hortandam jussu Pontificis Romani, & rogatu Principum Francorum & Gallorum suscepi.* *Epist. 105. Epist. 97.* Sed sileri hìc nefas quod idem Bonifacius scribit ad Stephanum Papam de Episcopatu Ultrajectensi. Vuillibrordum enim, alio nomine Clementem Sergius Papa delegaverat ad fidem Frisonibus prædicandam. Annorum quinquaginta spatio vir prorsus Apostolicus novam hanc Ecclesiam sevit, rigavit, excoluit pari sanctitate & industria, sedem Episcopalem Ultrajecti sibi defixit, denique designato quem sibi successorem optaret, in cœlos è terris migravit. Bonifacium interpellavit Carolomannus Princeps, ut Sedi vacanti daret Episcopum. Episcopus Coloniensis ut ditioni suæ Episcopatum illum adjiceret, contendebat à Dagoberto Rege donatum fuisse Castrum Trajectense, ea conditione, ut doctrinæ Evangelicæ lex infunderetur Frisonibus: Villibrordum autem non novam ibi constituisse, sed constitutam solum reparasse Ecclesiam. Rogat ergo Stephanum Papam Bonifacius, ut Episcopo & Episcopatui Ultrajectensi eam libertatem, & ab Episcopi Coloniensis potestate immunitatem asserat & tueatur, quæ tum vigebat & viguerat hactenus: ut in unius ditione & jure sit Romani Pontificis, qui Villibrordum Episcopatu & Frisonum Apostolatu donaverat. *Ut fiat sedes Episcopalis subjecta Romano Pontifici, prædicans Gentes Frisorum.* Ita summi Pontificis, & Principis temporalis authoritas consentiebat, ut recentissimo Episcopatui & firmitas accederet, & libertas constaret.

XIII. Enarratum jam à nobis est, ut Gregorius Magnus duas in Anglia Metropoles condiderit, & quo eas uti fore sanciverit. Quod supra ex Gregorii Epistolis explanatum est, lubet hic ex ejus vita à Joanne Diacono scripta confirmare. *Misit* *L. 2. c. 37.* *Augustino Pallium, jubens ut sub Metropoli sua Cantia duodecim Episcopos ordinaret, & Lundoniam & Eboratiam singulos Episcopos mitteret, qui sub se duodecim nihilominus Episcopos consecrantes, Pallium ab Apostolica sede perciperent, & post Augustini obitum, ipsi inter eos primus haberi debuisset, qui prius consecrari debuisset.* Allucinatur hic scriptor, cum Londinensem Metropolin discriminat à Cantuariensi, & cuique earum duodecim subjicit Episcopos. Una omnino fuit ea Metropolis, Cantuariensi in locum Londoniensis suffecta, ut supra adnotatum est.

XIV. Idem porro Joannes Diaconus alibi observat propter obstinatum Severi Metropolitani Aquileiensis animum in schismate trium Capitulorum, Metropolim Aquileiensem in duas divisam esse, ita curante Romano Pontifice, ut & Catholici sua Metropoli gauderent. Ea divisio Metropoleon etiam extincto schismate retenta est. *Romanum* *L. 4. c. 38.* *Pontificem Severi vecordia suscitavit, adeo ut ab ipso illius obitus tempore, Aquileiensis Diœcesis in duos Metropolitanos, Catholicorum videlicet, schismaticorumque divisa sit, neque potuit postmodum, licet omnes generaliter ad unitatem de schismate repedaverint, ad pristinæ conjunctionis unionem usque hactenus reformari.*

XV. Conjicit Annalium Ecclesiæ Gallicanæ *Anno 503. n. 3.* Scriptor doctissimus Cointius noster, ex eo quod inter subjectos Metropoli Narbonensi Episcopos, *Ann. 524. n. 5.* in ea Episcopatuum divisione, quæ à Rege Hispaniæ Vamba facta est, Tolosanus & Uticensis non numerentur; *Ann. 538. n. 9.* conjicit, inquam, utrumque hunc Episco-

parum tum desisse subjici ei Metropoli, quæ Gallicanæ ditionis non esset, postquam geminam hanc urbem Clodoveus Francico adjecit Imperio expugnatis Gotthis. Idem à Gotthis factitatum est. Cum Ruthenos enim, aliasque invasissent Aquitaniæ urbes, Narbonensi eas subegere Metropolitæ, cum antea paruissent Bituricensi, qui erat in Francorum Regum potestate. Patet id ex diversis quæ diverso tempore factæ sunt Episcopatuum Notitiis, pro varia rerum regnorumque vicissitudine, nunc majorem, nunc minorem Suffraganeorum sub una Metropoli numerum fuisse. Patet & ex Concilio III. Toletano, cui interfuit Narbonensis Metropolita cum Suffraganeis, Biterrensi, Carcassonensi, Agathensi, Lutevensi, Magalonensi & Nemausensi, quæ tum urbes Gotthis parebant. In Conciliis Franciciæ Gentis illud quoque observare est, Episcopos unius Nationis alterius Conciliis non interesse, quanquam eorum interesset eis Metropolita, quippe & ipse nationis alterius. Vetuit Concilium Aurelianense III. anni 538. ne pro diversa, quæ tunc frequens erat, Imperii Gallici divisione, Episcopi ditionis unius abessent à Metropolitani Concilio, etsi esset alterius ditionis. Unum enim semper esse Francorum Imperium. [Can. 1] *Hanc excusationem sibi noverint esse sublatam, si absentiam suam divisione sortis crediderint excusandam.* Quæ omnia observasse juvabit, si quis veteris in istiusmodi rebus disciplinæ incuriosus non sit, gnarus quanto illa usui esse possit.

## CAPUT XLII. *P. 2. l. 1. c. 10.*

### De Hispaniæ remotissimarumque Gentium Metropolitanis.

*I. Erigitur à Concilio & Rege Metropolis Lucensis.*

*II. E Carthagine Nova Toletum Metropolis transfertur.*

*III. Missi Gregorius II. qui fidem Bavaris annuntient, & Episcopos constituant. Salisburgensis Metropolis.*

*IV. V. An qui remotiores Provinciæ sunt, eodem modo per Missos Apostolicos adducti sint olim ad fidem, an per Episcopos loci.*

*VI. Congeruntur exempla multa, quibus ostenditur Episcopos vicinis infidelibus pro jure suo Evangelium annunciasse.*

I. IN Hispania Suevorum Rex Theodemirus vocatis ad Concilium Lucense Regni sui Episcopis, creandæ novæ Metropoleos, & instituendorum Episcopatuum rationes & necessarias causas exposuit, ut annis singulis possent Episcopi Ecclesias omnes perlustrare sibi obnoxias: & ubi ad Provinciale Concilium conveniendum illis esset, ne longis itineribus abesse diutius à suo grege cogerentur. [Conc. Lucen. An. 563.] *Cupio, Patres sanctissimi, ut provida militate decernatis in Provincia Regni nostri, quia in tota Regione Gallaciæ, spatiosæ satis Diœceses à paucis Episcopis tenentur; adeo ut aliquanta Ecclesia per singulos annos vix possint à suo Episcopo visitari. Insuper tanta Provincia unus tantummodo Episcopus Metropolitanus est, & de extremis quibusque Parochiis, longum est singulis annis ad consilium pervenire.* Ut ergo Regis voluntati & utilitati Ecclesiæ servirent Episcopi, præter Braccharam, quæ Metropolis jamdiu erat, Lucum eadem ornarunt potestate, constitutis aliis de novo Episcopis præter antiquas Episcopatus sedes. Ut Lucensis autem civitas Metropolis designaretur, in causa erat loci opportunitas, quòd eò undique facilius conveniri posset: *Quia ibi erat terminus de confinitimis Episcopis, & ad ipsum locum Lucensem grandis semper erat conjunctio Suevorum.* Habes hic sine Romani Pontificis authoritate constitutam Metropolin. Verùm haud diu illa stetit. Nam à Gotthorum Rege Reccesuinthe, quod in [An. 666.] Concilio Lucensi factum fuerat, in Emeritensi infectum irritumque declaratum est anno post ferè centesimo; reddirique Emeritensi rursum Metropoli Episcopatus, qui avulsi ab ea fuerant, ut Lucensi subjicerentur; videlicet Conimbricensis, Visensis, [Conc. Emerit. c. 6.] Lamecensis, Egeditanus, quæ sedes Episcopalis postea Gardiam translata est. Non procul à vero est his intetlapsis centum annis Braccharenses Metropolitas Primatum nomen & jus vendicare sibi cœpisse, ut qui sibi subjectam jam esse Lucensem Metropolin gratularentur. At fucatus iste Primatus, solidoque destitutus fundamento, non multo post evanuit. Suevorum Regum victoriæ, eorum regni incrementa Lucensi Metropoli occasionem ortumque dederant: Gotthorum vicissim in Suevos arma victricia, regnique Suevici vastationes eandem extinxere.

Non abs re etiã hîc observare, Emeritensem Episcopum in Concilio Toletano XII. graviter expostulasse, quòd vim attulisset ei nuperus Rex Vamba, ut in Monasterio oppidi Aquensis Episcopum ordinaret. Concilii Patres prolatis Canonibus, qui alibi quàm in majori urbe creari Episcopum vetant, compresso abrogatoque illo Episcopatu novo, statuere, ut Monasterium pro more ab Abbate regeretur; & ei qui solo Regis jussu factus fuerat Episcopus, quæ prima vacaret Sedes, tribueretur.

II. Fuit in Hispania Provincia, suæ Metropolis, tum sacra, tum civilis Carthago nova. Postquam autem florentissima illa à Suevis & Gotthis eversa urbs est, Toletum, ubi Gotthorum Reges Sedem fixerant, Ecclesiastica Metropolis translata est. Metropolitanus appellatur in Concilio Toletano II. [Ann. 535.] Montanus Toleti Episcopus. In Toletano verò III. Carpetaniæ Metropolitam ipse se dicit. Erat autem Carpetania ejus Provinciæ pars, quæ novæ Carthagini suberat, in qua erat Toletum. Edixit tandem in Concilio Toletano alio Gondemarus Rex, Car- [An. 589.] petaniam Provinciam eandem esse ac Carthaginen- [An. 610.] sem, & Episcopum Toletanum in antiquis Conciliis illius Metropolitanum declaratum fuisse.

III. Retorquenda nunc oratio rursus est ad novas per hæc tempora media factas Ecclesiarum Colonias in Provinciis longè dissitis. Gregorius II. Apostolica delegatione muniviit Præcones Evangelicos, quos in Bavariam emisit, addita potestate Episcopos & Archiepiscopos constituendi. *Ut consideratis* [Capitulare Gregorii II.] *locorum spatiis, juxta gubernationem uniuscujusque Ducis Episcopia disponatis, & si tres aut quatuor vel majoris numeri visa fuerint constituta Sedes, reservato præcipua Sedis loco pro Archiepiscopo, adhibito trium Episcoporum conventu, &c.* Magni refert illud adverti, edici illud ab hoc Pontifice, ut Archiepiscopo subjiciantur, vel Metropolitano tres saltem Episcopi, ut uno aliquo ex eis à terris in cœlum migrante, tres superstites possint canonicè alium in ejus locum ordinare. Ejus enim rei habita ratio est, ubi licuit. Ubi potestas non fuit, licuit per Canones ex vicinis Provinciis Episcopos vocare. Porro jam inde ab anno 580. B. Rupertus Episcopus Vormaciensis & Germaniæ Metropolita, Evangelium, ut in ejus vita legitur, Bavaris prædicaverat, & Metropolin fundaverat Salisburgensem.

IV. Nec illud observasse pigebit, non temerè conjici, eodem modo creatas fuisse olim antiquas

illas in finitimis Romæ Provinciis Ecclesias & Metropoles, quo novas postea in Anglia & Germania, apud Frisios & Bavaros vidimus institui, authoritate maximè summi Pontificis, & eorum Episcoporum, qui eò à Pontifice mitterentur. Itaque primis exorientis tum primum aut post adolescentis Ecclesiæ sæculis, in Italia & Galliis, in Hispania & Africa ab ipso Romæ Episcopo, aut ab iis quos ipse delegasset, Ecclesiæ & Sedes pleræque constitutæ sunt. Nam Romæ ab ipso Petro fons scaturire & effundi cœperat, unde veritatis & gratiæ rivuli in omnem deinde Occidentem emanarunt. Quæ res & ab Innocentio I. in quadam Epistola constantissimè affirmatur: & tam apertam dilucidamque habet similitudinem veri, ut fidem meritò possit extorquere. Si enim sæculo V. VI. & VII. tametsi tot & tanti jam effloruissent in Italia, Gallia & Hispania Episcopi, quidquid tamen triumphis accedebat Ecclesiæ, id solius Sedis Apostolicæ operâ aut fieri solebat, aut perfici: quantò magis id judicaveris de sæculis Ecclesiæ primis? An priorum Pontificum & Martyrum zelus & propagandi fervor Evangelii tepidior erat, quàm posteriorum? An erant Evangelici Præcones in petendo subsidio à prima Sede Petri supiniores? Denique facile intelligitur inter priora Ecclesiæ quasi teptantis sæcula, singulis cujusque loci Episcopis in excolendo silvestri agro, & extirpandis Ecclesiæ reliquiis, negotii satis fuisse: curam & sollicitudinem proferendi ulterius Christiani fines Imperii, Pastori universali relictam esse. Cùm quidam ex Africa Fideles,

L. 1 c. 4. Maurorum multitudinem non parvam in remotissimis solitudinibus ad fidem, ut refert Victor Episcopus Vitensis, convertissent; misêre Romam, ut à summo Pontifice Presbyterum atque Pastores acciperent, qui novæ huic excolendæ Ecclesiæ operam darent. Suppeditat ergo eorum historia temporum, quæ ut propiora, ita & notiora sunt nobis, unde conjiciamus quid sentiendum sit de prioribus sæculis, quæ non eò tantùm obscuriora sunt, quò remotiora: sed etiam quòd ejus ætatis homines rebus agendis studerent, vacarentque magis, quàm scribendis.

V. Habeto & hoc aliud ineuntis septimi sæculi exemplum, ex quo quid retroactis sæculis fieret, conjecturam facias. Sanctus Corbinianus, Frisingensis à Gregorio II. primùm ordinatus Episcopus cum delegatione Apostolica in Galliam simul &

Anno 716. Germaniam mittitur. *Accepto etiam Pallio cum benedictione & adjutorio B. Petri Apostoli, ut ubique prædicationis officium exercere in toto orbe posset, &c. Per universam Galliam verbum doctrinæ illius crevit, &c.*

Surius die 8. Septemb. Novellum hunc Apostolum Pipinus Major Palatii regia tuitione complexus est.

VI. Si aut scriptis mandata, aut in manus nostras devoluta fuisset historia rerum in prima Gentium ad Christum conversione gestarum, haberemus profectò incredibilia Metropolitanorum & Episcoporum quamplurium documenta, quibus & flagrantissimum fidei propagandæ studium suum consignaverunt, & novis in dies de Gentibus reportatis victoriis commendatas sibi Diœceses aut Provincias auxere. Lazorum Rex, ii forsan sunt Colchi, Justinum Imperatorem Constantinopolitanum adiit, postulavitque, *ut fieret Christianus, appellareturque ab eo Lazorum Imperator.* Gratulatus est sibi Justinus, non aliter quàm si novum ipse sibi Imperium peperisset, tam insigni ad Imperium Christi accessione facta. *Profectus Lazorum Imperator à Justino, portavit coronam & Chlamydem Imperatoriam albam.* Verba hæc sunt Theophanis. Erulos, Hunnos, aliosque complurimos omitto, qui suam omnes & Justiniani, qui Justini successor fuit, diligentiæ, & optimorum Episcoporum zelo debent conversionem. Francorum Apostolus merito suo dictus est sanctus Remigius Archiepiscopus Remensis: Belgii Eligius Episcopus Noviodunensis. Irruperant Burgundiones & Franci, ut Gallos sibi subjicerent. At illos sibi longè felicius & gloriosius subjecere Gallorum Episcopi: non ægrè passi se fieri Francos, dum Franci fierent Christiani. In hoc sortè toti erant nostri Episcopi; hæc Apostolatûs functio & proposita materies totos detinebat. Ita ut eorum curæ & diligentiæ, nec in Angliam quidquam, nec in Germaniam posset effluere. Zeli & fervoris fortasse id quidem plus habuisset, at certè prudentiæ minus: si neglectis iis quos in Galliam Deus eo consilio adduxerat, ut bello victores, religione mox & pietate victi, felicius vincerent: in remotissimas profecti regiones essent, ut Infideles ad fidem adducerent, suorum incuriosi, solliciti de longinquis. His adde à Ruperto Vormaciensi Episcopo, de quo suprà, multò antè cœptum esse prædicari Evangelium, quàm eò Zacharias Prædicatores Apostolicos ablegaret. Aliquantò antè quàm gestiret Gregorius, qui postea Magnus, in Angliam ipse proficisci; acceperat à Francis Anglia Reginam stirpis Francorum Regiæ, & cum Regina Episcopum, qui unius ibi Ecclesiæ positurus fundamenta venerat. B. Amandus Episcopus Tungrensis, Apostoli nomen in Flandria jam erat promeritus. Slavis idem ipse primùm Evangelii jubar intulerat, nec ab eis antè discesserat, quàm de consequenda ab ipsis Martyrii corona desperasset. Martinus summus Pontifex confirmaverat ei, adauxeratque Apostolicæ functionis jura, anno Christi 650. authore Baronio. Quamobrem non temerè quisquam sibi persuaserit, id sibi semper juris integrum servasse Antistites Gallicanos, ut Christiani possent proferre pomœria Imperii: quanquam eorum conatibus & victoriis cumulum sæpissimè adjecerit Apostolicæ Sedis tum potestas eximia, tum charitas inexhausta. Illud prætereà certum est, etiam post missos in Angliam à Romana Ecclesia Apostolicos Evangelii satores, Anglos nihilominus ab Hiberniæ Ecclesia, non modica & petiisse auxilia, & impetrasse. Postulavit teste Beda Rex Osualdus ab Hibernis Episcopum, qui subditos Christiano dogmate imbueret. Res ei qui primus missus est, non processit. Erat enim in eo fervoris quidem plurimum, at indulgentiæ non satis. Missus est deinde sanctissimus Antistes Aidanus. Is Rege ipso usus interprete, innumerabilem hominum multitudinem ad Ecclesiæ gremium adduxit. Sanctus Vuilfridus Eboracensis Archiepiscopus immanitate Regis throno suo ejectus, antequam Romam se conferret, Frisonibus Evangelicam sementem dispensavit. Ut erant Frisones Angliæ finitimi, vir sanctissimus id sibi juris sumpsit, ut Episcopus & Apostolorum successor eo nomine, ut Evangelium circumjacentibus populis annunciaret. Dedit tamen operam, ut id sibi muneris confirmaretur ab Apostolica sede, ad quam quædam velut hæreditas ex asse, totus & integer venit Apostolatus. Beatus vero Kylianus Hibernus Monachus misit se primum postulavit à Conone Pontifice, & tum demum in Franconiam profectus est, verbi præco insignis. Quos in Germaniam misit B. Egbertus Angliæ Præ-

Baron. an. 522. n. 18. 527. n. 52. 56. 529. n. 28. 530. n. 22. 665. n. 7.

Baron. an. 590. n. 42.

Baron. an. 631. 632. 656. 665.

Baron. an. 634.

Baron. an. 678. n. 18.

Baron. an. 686 n. 7. 690. n. 7.

ſulum decus, voluere & ipſi, referente Beda, Sergii Papæ delegatione & auſpiciis ire. His caput & *Baron. an. 700. n. 2.* dux erat B. Vilbrordus. Non alia re opus fuit B. Vulfrano Archiepiſcopo Senonenſi, ut ad Friſios prædicaturus proficiſceretur, quám ut ei per Regem & Pipinum Principem liceret.

---

## CAPUT XLIII. *P. 3. l. 1. c. 6.*

### De Metropolitanis in genere, de eorum inſtitutione, jure, officio ſub Imperio Caroli Magni, ejuſque Regiæ proſapiæ. De quibuſdam ſpecialiter Metropolitanis.

*I. Annua convocabant Concilia.*

*II. Epiſcopi in rebus perplexa ad eorum, ipſi ad Regum recurrebant authoritatem, aut Concilii Nationalis.*

*III. Qua vigilantia excubarent Metropolitani in Epiſcopos.*

*IV Quam magnos animos gererent, ne Epiſcopi degeneres obtruderentur.*

*V. Enumeratio jurium & privilegiorum, qua ex Hincmaro, Metropolitanis competebant. Animi fortitudo, & inſigne facinus magnanimi Metropolitani.*

*VI. Fatetur Hincmarus hoc eſſe, vel effluvia, vel imitamenta Petri poteſtatis in Apoſtolos, & ſucceſſorum ejus in ſucceſſores Apoſtolorum.*

*VII. Cum Pipinus & Carolus Magnus Metropolitanos, qui pene exoleverant, reſtituerunt, ſedis Apoſtolicæ authoritatem interponi voluere. Exempla varia, Remenſium maximè Archiepiſcoporum.*

*VIII. Authoritas Pontificum & Principum, & conſenſio tum primùs neceſſaria, tum ut inſtituantur Metropoles, tum ut reſtituantur. Exemplorum congeries ex Hiſpania, Francia, Anglia, Germania.*

*IX. Cur à Pontifice expeteretur vel conceſſio, vel confirmatio temporalis Eccleſiarum ditionis & rei.*

*X. XI. Effrænis, & infinita quadam poteſtas Imperatoribus in Græcis tributa ad novas Metropoles erigendas, & ad relaxandos pene ubique Canones.*

*XII. Quo apud Græcos differant Archiepiſcopi à Metropolitanis. Harmenopoli obſervationes. Novas condebant Metropoles Patriarchæ Conſtantinopolitani.*

I. PRomovendus nunc nobis gradus ad Metropolitanos tertiæ ætatis, quandiu Imperatoria Caroli Magni familia rerum potita eſt. Occiderat ferè cum regia Chlodovei ſtirpe Francorum Metropolitanorum ordo & authoritas, jacuitque, donec à Zacharia, ejuſque Vicario Bonifacio, & *Ann. 755.* à Pipino rege excitaretur. Pipinus Rex Caroli Magni parens cum omnes convocaſſet Franciæ Epiſcopos in Palatium Vernum, in ea Synodo ſanciri curavit, ut unaquæque civitas ſuum haberet Epiſcopum: ut Epiſcopi Metropolitanis Canonicam dependerent obedientiam: *Secundum canonicam inſtitutionem*: bina quotannis ut coirent Concilia, al- *Can. 1. 4. 5. 9.* terum Calendis Martiis, eo loco quem Rex deſignaſſet, & eo præſente: alterum Calendis Octobris Sueſſione, vel eo demum loco, quem prioris Synodi Epiſcopi indixiſſent: his Metropolitani Conciliis omnibus adeſſent: poſterioribus autem adeſſe curarent ex Epiſcopis, Abbatibus, & Preſbyteris, eos quorum præſentiam & curam conducibilem fore judicarent: ut ab Epiſcopis Monaſteria reformarentur, opitulantibus Metropolitanis, interpellata etiam Regum majeſtate. ubi neceſſum eſſet alios ſubrogari Abbates diſciplinæ monaſticæ peritiores, tenacioreſque: denique ſi quem præfeſtinè Epiſcopus videretur excommunicationis ſententia irretiiſſe, ab eo ad Metropolitanum appellaretur; quibus ſi qui inſanabiles & indomitæ malitiæ pertinacius reniterentur: *ij Regis judicio, exilio condemnarentur.*

II. Plurimos hîc Canones, in unum conglobavimus, ex quibus dilucidum eſt, nullos tum Primates Eccleſiæ Gallicanæ præfuiſſe: cum poſt Epiſcopi ſententiam à Metropolitano confirmatam, ad Regem confugerent, qui locum & vices mirabili quadam ratione implebat Exarchi, ſeu Primatis. Sed veriſſimè addi illud quoque poteſt, non alias hîc partes ſuſtinere Regem, quàm Advocati & Defenſoris Canonum; ex quo illud exurgit, ut judicii Epiſcoporum & Metropolitarum Executorem agat. Quò referendus eſt etiam Canon Concilii *Can. 6.* Francofordienſis, edicentis, ut qui Metropolitani judicio non acquieſcit, is Regem adeat, qui litteris Metropolitani de re tota certior fiat: *Et ſi aliquid eſt quod Epiſcopus Metropolitanus non poſſit corrigere, vel pacificare, tunc tandem veniant accuſatores cum accuſato cum litteris Metropolitani.* Non agebatur niſi de authoritate & ſententia Metropolitani tuenda ab Rege, cui credita eſt Eccleſiarum tuitio. Conſtat etiam uni Regi, non cuiquam ejus Miniſtrorum id haberi honoris, ut de cauſa utcumque cognoſcat, ab Epiſcopo prius, tum à Metropolitano judicata. Temperamenti aliquid adhibitum eſt huic decreto à Concilio Moguntino, quo plurimum tamen adhuc conceditur poteſtati Regiæ in cauſis Eccleſiaſticis. Statuitur enim ab hujus *Can. 28.* Concilii Patribus, ut poſt firmatam à Metropolitano Epiſcopi ſententiam, Concilium adiri poſſit, cujus judicium erit, an ad Regem recurrendum ſit, an ad Comitia Cleri Generalia. *Si nec Archiepiſcopus eos corrigere valuerit, tunc omnino ſub vinculis conſtringantur, uſque ad Synodum, ut ibi eis judicetur utrum ad judicium Domini noſtri, aut ad iſtam magnam Synodum adferantur ſub cuſtodia publica.* Hic habes adumbratam quandam eorum imaginem, quæ in Græcorum quondam Synodis agitata fuiſſe ſuperius explanavimus. Cum nempe in cauſis Eccleſiaſticis à Metropolitanis & à Provincialibus Conciliis pertinaciores provocabant aliqui, & Imperatoriam authoritatem interpellabant: Epiſcopales autem in id connitebantur Synodi, ut cauſæ ſpiritales apud Tribunalia Eccleſiaſtica terminarentur. Et apud Græcos, & apud Francos poſt Metropolitanorum judicia, nunc ad Reges, nunc ad univerſaliores Synodos itum eſt. Utrobique tentata Primatum ſeu Exarchorum inſtitutio, quæ aptiſſimè rem extricabat. Sed neutra in gente diuturna fuit Primatum poteſtas.

III. Nec ſegnior fuit Pipino, de quo fere hactenus, Carolus Magnus, in reſtauranda Metropolitanorum authoritate, indiſſociabilique eorum cum Epiſcopis concordia, ut omnia in commune tractarentur, & pari hinc & inde conſpiratione profligarentur. *Ut ad Metropolitanum Epiſcopum Suf-* *Capitulare fraganei reſpiciant, & nihil novi facere audeant in ſuis* *Aquiſgr. Parochiis, ſine conſcientia & conſilio ſui Metropolitani,* *Anno 789. nec Metropolitanus ſine eorum conſilio.* *c. 8.* Pronum erat & expeditum Epiſcopis, de rebus omnibus in commune conſulere, quæ aliquanti eſſent ponderis, quando binas in Synodos quotannis conveniebant. Qua de re alibi prolixius. At Metropolitanorum, immo & quorumlibet Epiſcoporum in id maximè ſe cura & vigilantia erigebat, ut comprovincialium Epiſcoporum, non Clericorum tantummodo vitam & mores explorarent, quòd inextincta hæc debeant eſſe ſidera, quæ Cleri & plebis oculis in æternæ ſalutis viam capeſſendam alluceſcant. Ita ſtatuit Valentina Synodus III. *Ut ſingulis Metropolitanis cum* *Can. 19.* *ſuis Suffraganeis cura ſit de vita & opinione non ſolum totius Cleri, ſed etiam ipſorum Epiſcoporum, &c.*

IV.

IV. Alibi quidem operose & diligenter differemus de Metropolitani officio, in electorum Episcoporum confirmatione, & præmittendo austeriori examine. At hîc jamjam excutiendus est nobis Canon alius Concilii ejusdem Valentini III. (Can. 7.) Hoc jubetur Metropolitanus, si protrudatur ad Episcopatum à Rege is qui tam excelsæ sanctæque dignitati dehonestamento futurus sit, excitare Clerum & Populum, ut ad Regem veniant & ad ejus genua se provolvant; eò se conferre & ipsum, si necesse sit, cum Episcopis Provinciæ, ut nihil prorsus relinquat intentatum eorum, quæ suæ sunt potestatis, ut tantum ab Ecclesia dedecus amoliatur. *Si necessarium Metropolitanus viderit, ne tantum malum cogatur agere, ut indebito honorem bonis tantùm debitum tradat, instruat populum, informet Clerum, potius adire clementiam Imperialem & ipse cum Coëpiscopis, quibus valuerit modis, adeat, ut Ecclesiam Dei gloriosus Imperator digno honoret ministro.*

V. Quando Hincmarus Remensis Archiepiscopus diuturnis & molestis se simultatibus jurgiisque implicuit cum Hincmaro Laudunensi Episcopo nepote suo: & cum longam texuit sui apologiam, longam pariter nepotis contexuit accusationem: ibi certè tunc compluscula adnotavit ille capita, in quibus junior Hincmarus debitam Metropolitano suo observantiam canonicamque obedientiam vulnerasset. Crimini vertit, quòd se inconsulto, immo & reluctante, officio nescio quo Regii Palatii investitus fuisset: *Contra interdictum meum Canonicum:* quòd Abbatiam adeptus esset extra Diœceseos suæ limites, sine Metropolitani licentia, qua secundùm Canones muniendus tamen fuerat, ut posset fines Episcopatûs sui egredi: quòd sæpius in hanc Abbatiam concessisset licentia non impetrata, aut nec petita. (Opus LV. Capitum. c. 2.) *Ad quod Monasterium irregulariter adeptum in tertia Provincia, sine mea licentia, quoties tibi placuit, etiam irregulariter perrexisti.* Gravissimè hoc illi exprobrat, quòd toties Metropolitano suo adversatus, legi divinæ adversatus sit, & Spiritui sancto, quo inspirante & dictante conditi erant Canones ii, quibus pulcherrimè culmina magistrâtuum sacrorum alia aliis subduntur, ut gradatim tandem omnia Christo optimo maximoque subjiciantur. *In quo mihi contra regulas sacras resistis, Dei ordinationi resistis, qui per sacros Canones, spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos, me tibi præposuit, & te mihi supposuit.* Qualicumque demum æqualitatis fuco & specie sibi blandiantur Episcopi, unum esse inculcat Hincmarus Metropolitanum, qui non solùm judicia provocationum agitet; sed & Visitatores designet vacantibus Episcopalibus Ecclesiis, electionibus præsit, examini electos subjiciat, & tum confirmet; denique Episcopum ipse tum judicio & voto suo nominet, cùm in plures se sciderint eligentium suffragia. (Ibid. c. 6.) *Si fueris defunctus Episcopus, ego, & non tu visitatorem ipsi viduatæ designabo Ecclesiæ, electionem cum decreto Canonico præcipiam fieri, & si in partes se eligentium vota diviserint, meum, & non tuum erit eligere, qui majoribus ad ordinandum studiis juvetur & meritis, & meum est ordinandum examinare, non tuum.* Admonet non posse Episcopos Metropolitani & Episcoporum Provinciæ judicium declinare: at posse Metropolitanum Episcopos Judicesque ex vicinis Provinciis invitare, quoties ita conducere senserit: *Nec tibi licet ex alia Provincia advocare Episcopum cognitorem, &c. Sed si necesse fuerit pro mea Provinciæ ambiguitatis absolutione, ego à vicina Provincia judices, si decrevero, convocare prævaleo.* Episcopos ex officio debere Metropolitanum percunctari in rebus dubiis, quæ molestiam illis aliquam creant: Metropolitani verò esse, aut alios consulere Episcopos, aut Apostolicam Sedem sciscitari. *Si in causis dubiis vel obscuris aliquid dubitas, me debes interrogare. Et si ego nescièro, ego apud alios, vel si necesse fuerit, apud Sedem Apostolicam debeo requirere, & tibi absolvere. Tu autem sine me de causis generalibus, nec etiam ad Sedem Apostolicam debes requirere, antequam studeas me inde consulere.* Addit Hincmarus si quid peccatum sit ab Episcopis adversùs Canones Conciliorum, aut decreta sanctorum Patrum, illicò posse eos à Metropolitano corripi, non expectato tempore, quo Provinciale vel Nationale Concilium congregetur. (Ibid. c. 5. 35.) *De his ex quibus certas & manifestas sanctorum Conciliorum & Apostolicæ Sedis habemus sententias, si contra eas feceris, non debeo expectare Provinciale vel Generale Concilium, vel Coëpiscoporum nostrorum consultum, sive consilium: sed statim secundùm majorum, & orthodoxorum Patrum sententias ea corrigere debeo, quæ contra eorum definitionem admiseris: quia ut beatus monstrat Gelasius, in his non novæ constitutionis author, sed veteris constituti executor existam.* Debent Episcopi preces ad Deum fundere pro Romano Pontifice, & pro Metropolitano, cujus oratione & manuum impositione in Episcopos ordinati sunt. (Ibid. c. 16.) *Cum vobis Provinciæ Coëpiscopis per Primatem ejus, orationibus & manûs impositione in ordinatione gratia sancti Spiritûs, & Episcopalis ordo tribuitur, justum esse perpenditur, ut Papa Romano prælato, ei à vobis orationis devotio & obeditionis dilectio rependatur.* Denique graviter objurgat Hincmarus Laudunensem Episcopum, quòd simul & semel Presbyteros Ministrosque Ecclesiæ suæ omnes generali interdicto constrinxisset, ut nec Sacramenta ulla, nec Baptismus ipse, nec Viaticum celebrari, aut administrari possent, donec in suam ille Ecclesiam redux esset, aut expressa in contrarium sedis Apostolicæ mandata perlata essent. Quo inconsideratius nihil, nihil Metropolitano contumeliosius, nihil fidelium saluti infensius fieri poterat. (To. 2. pag. 599.)

Scriptis Hincmarus Remensis dignitatem Metropolitanorum illustravit, illustravit & factis & insignibus fortitudinis documentis Bertolfus Archiepiscopus Trevirensis. (Histor. Trevir. Spicil. 12. pag. 215.) Mortuo Advencio Metensi Episcopo, subrogatus ei fuerat Galo, pallioque donatus à Joanne VIII. Inaudiit Bertolfus gestatum ab eo fuisse pallium Paschalibus solemnioribus festis; eumque confestim ad se accersivit. Præsto adfuit Galo, & à Metropolitano increpitus de Pallii gestatione, Rescriptum summi Pontificis repræsentavit, quo innovabatur privilegium illud ipsum quatuor jam antè Metensibus Episcopis collatum, *Salva in omnibus Metropolitani subjectione.* Quatuor horum primus fuerat Urbicius, secundus Codegangrus Pipini Regis ex sorore nepos, tertius Angelramus, quartus Drogo Caroli Magni filius. Bertolfus Canonum statuta sacrosancta objecit, quæ innovari quidquam à Suffraganeis prohibent sine licentia Metropolitani, aut nova vel honoris insignia, vel potestatis incrementa assumi: tum verò pro ea qua pollebat authoritate, usu pallii ei in posterum interdixit. *Per sanctam quam in omnibus Ecclesiasticis negotiis sibi deberet obedientiam.* Non destitit Galo, authoritatem sibi sedis Apostolicæ prætexens, nec Bertolfus abstinuit ab intentanda canonica Metropolitanorum potestate: nec detumuit hæc procella, donec Hincmarus scriptis ad Galonem Epistolis, delinivit inflexitque ejus

animum, ut Metropolitani jussis obtemperaret. *Epistolam Valoni transmisit, sapientia ac sani consilii sale conditam, per quam eum ad Metropolitani sui instruxit obedientiam, & sic reduxit concordiam.* Cautissimè Hincmarus, ut qui non nesciret posse Episcopos privilegiis Apostolicæ sedis in illorum gratiam indultis, uti, posse & non uti: quin immo nec consilii & voluntatis forsan fuisse Pontificum Romanorum, ut in usum tunc ea vocentur, cum gravissima inde in concordiam Sacerdotalem ingruunt discrimina. Nec sanè proditum est, curasse Pontificem, ut valeret Privilegium Galoni concessum: nec Bertolfo obfuit infracta hæc animi constantia. Revocanda jam oratio est ad Metropolitanorum privilegia, ab eodem Hincmaro rursus explanata.

VI. Sed illud in primis luculentum, quod profitetur Hincmarus, Metropolitanorum privilegia eorum esse vel imitationes, vel rivulos, quæ concessit Christus Petro, ut præesset Apostolis, utque præessent successores ejus successoribus Apostolorum Episcopis. Ac primò quidem confitetur ille Primatum Petri divina, Metropoliticum Ecclesiastica institutione niti. *Sicut sollicitudo & Primatus totius Ecclesiæ Catholicæ, sanctæ sedis Romanæ Pontifici divinitus est collata, ita & unicuique Metropolitano & Primati Provinciæ sollicitudo sibi delegatæ Provinciæ, per sacros Canones spiritu Dei conditos noscitur esse commissa.* Ad Canones hîc spectat Hincmarus maximè Nicænos, ut reor, ut qui prolixiùs Metropolitanis suffragentur, quòd tunc nec Exarchi adhuc essent ulli, nec Exarchatus, nec Exarchorum seu Primatum ulla Concilia, nisi Exarchorum nomine tres vetustissimos Patriarchas complectaris. Sed cùm Metropoles ante Nicænam Synodum jam effulsissent, potuere illæ ab ea non creari, sed confirmari. Quin ostensum supra est, eas ipsi Ecclesiæ penè coævas fuisse, saltem Ecclesiis per Apostolos fundatis fuisse suppares, aut illas ipsas fuisse, quas Apostoli condiderunt: ex quo efficitur nullis non Conciliis eas fuisse antiquiores, cum Concilia ineunte tertio sæculo, aut paulò priùs coalescere cœperint. Denique si in confesso est, tres antiquissimas Metropoles, seu tres vetustissimas Patriarchales Ecclesias, quæ solo Metropoleon nomine claruerunt, usque ad Nicæni Concilii tempora, à Petro fundatas esse: quin fatemur etiam cæteras quoque Metropoles omnes à Petri privilegio derivatas esse, cui uni omnem Christus illam contulit potestatem, cui Apostoli, Apostolorumque successores subesse deberent?

To. 2. pag. 608.

Hac manifestissimè doctrina nitebatur Hincmarus Remensis, cum Laudunensem in crimen vocaret, reumque ageret violatæ sedis Apostolicæ Petri, ex eo quòd Metropolitano suo ejusdem privilegii Petri pro suo modo consorti, immorigerum se & contumacem præstiterat. *Tu probaris Apostolicæ sedis privilegio resultare, qui Metropolitano privilegio obedire detrectasti.* Alibi etiam manare & pendere docet authoritatem firmitatemque eminentiorum omnium Ecclesiæ sedium ab Apostolica sede: *Quicumque igitur Primates Provinciarum à Domino constituti & Apostolica authoritate confirmati secundum Canones & Decreta sedis Romanæ Pontificum judicamus, Apostolica sedes conjudicat.* Tradit alibi defensandis suæ Metropoleos juribus satis superque sibi præsidii esse, in Conciliorum Romanorumque Pontificum decretis: at postulari tamen à se identidem nova novorum Pontificum in eorum confirmationem diplomata, quod ita cum plerisque mortalium comparatum sit, ut nova decreta quàm antiqua pluris faciant, & propensius revereantur. *Privilegia sedis Apostolicæ non ideo petii, ut mihi non sufficeret, quod sacri Canones & decreta sedis Romanæ Pontificum cuique Metropoli concedunt, &c. Sed quia veteres Constitutiones jam quasi pro vili apud quosdam habentur, carnales homines his novis decretis territi, reverentius agerent, &c.* Denique non dissimulat Hincmarus, Metropoleos suæ privilegium Apostolicæ sedis privilegio concludi & contineri: quòd ei Sedi demandata sit tuitio privilegiorum omnium & dignitatum, quibus Ecclesiæ particulares quælibet splendescunt. *Quod & ego pro modulo meo servandum esse volui & volo, favente Domino in hac devotione manebo, sciens privilegium Metropolitanæ sedis Remorum in summo privilegio sanctæ sedis Romanæ manere, & privilegium esse sedis Romanæ, si ista authoritate privilegium sibi subjectæ Sedis fecerit vigere, & studuerit confirmare.* Alibi quoque profert verba ipsa Epistolæ Gregorii Magni ad Augustinum Angliæ Apostolum, qua Legationi ejus subducit omnes Franciæ Episcopos, quòd eos jam Arelatensi subjecisset Archiepiscopo, obsecutus decretis & mori prædecessorum suorum.

Ibidem. pag. 645.

Pag. 518.

Pag. 310.

Pag. 259.

Pag. 438.

VII. Hinc illud quoque, quòd cum Episcopale Collegium restaurari & reflorescere cœpit, aspirante tum maximè Pipini & Caroli Magni benevolentia: Metropoles suas Archiepiscopi omnes ab Apostolica sede confirmari vehementer expetierunt. Accipe verba Hadriani I. confirmantis sedem Tilpini Remensis Archiepiscopi: *Petisti à nobis tibi & Ecclesiæ tuæ fieri privilegium ex authoritate beati Petri Principis Apostolorum, & sanctæ sedis Romanæ ac nostra, &c.* Nicolaus I. eodem privilegio Hincmarum donavit: *Jus secundum Ecclesiasticas Constitutiones, Primatui Ecclesiæ, & tibi debitum & secundum sacros Canones & Decreta Romanorum Pontificum, ex antiqua consuetudine traditum & constitutum.* Hadrianus I. anno 788. Metropolin Viennensem jamdiu jacentem excitavit rursum, exertè contestatus anarchia & cessatione Metropoleon per annos sexaginta, vel etiam octoginta; nil deteri, nil deperire potuisse de eorum privilegiis. Radiat in Annalibus Baronianis hæc Hadriani I. Epistola ad Bertericum Archiepiscopum Viennensem. Scripsit & Joannes XIII. ad Episcopos Britanniæ Armoricæ, ut eos ad obedientiam revocaret Turonensis Archiepiscopi, cui Romani Pontifices Metropolitica jura concesserant confirmaverantque. *Arduinus Turonensis Ecclesiæ Archiepiscopus, veniens ad Apostolorum limina Romam oratum, interpellavit nos, quòd jura sui Archiepiscopatûs, quæ ab antiquis temporibus per Decreta sanctorum Pontificum sanctæ Romanæ matris Ecclesiæ suis prædecessoribus concessa & confirmata fuerunt, à vestro Archiepiscopo sublata videntur.* Certè Archiepiscopus Dolensis, quem sibi Armoricæ Episcopi præfecerant, & cujus se nomine adversus Turonensem Metropolitanum tuebantur, Apostolicæ tandem Sedis judicio sublatus evanuit. Si Metropoleon singularum historia, perinde ut Remensis à Flodoardo, mandata scriptis, & ad nos perlata fuisset, æque numerosa occurrerent in eis exempla petitæ earum ab Apostolica sede confirmationis. Ante Nicolaum I. jam Benedictus Papa consimili privilegio armaverat Hincmarum Remensem: *Privilegium authoritate beati Petri, & Apostolicæ ipsius sedis huic Præsuli Hincmaro contulit: ne quilibet hujus Diœceseos regulis subjectus, eo contempto impunè*

Conc. Gall. to. 2. p. 74. 75. To. 3. pag. 216.

Ibidem. pag. 596.

Flodoard. L. 3. c. 11.

*auderet seu valeret aliena expetere aut expectare judicia.* Fulco successor Hincmari, nec meritis impar, à Marino Papa ejusdem generis diplomate donatus est. *Cui etiam litteras misit pro concedendo debito Remensis Ecclesiæ privilegio.* Cumque Hadrianus II. Marino successisset, destinavit ad eum Fulco Remensis Ecclesiæ suæ privilegia omnia, à Leone, Benedicto, Nicolao concessa, ut ea novo diplomate non firmarentur solum, sed augerentur. *Exemplaria Privilegiorum à Leone, Benedicto & Nicolao Pontificibus Romanis Remensi sedi concessorum, huic petit recitanda, & ab eo sibi confirmanda & roboranda atque augmentanda.*

L. 4. c. 1.

Intererat discriminis aliquid inter hæc privilegia, & ea quæ idem à Pontifice impetravit Fulco, pro tuitione agrorum, villarum, totiusque temporalis ditionis Ecclesiæ suæ, adversus prædones sacrilegos. Idem ipse Pontifex Fulconem delegavit, ut coacto Vormaciæ Concilio expenderet litem inter Coloniensem & Hamburgensem, seu Bremensem Archiepiscopos excitatam super jure Metropolitico. Scripsit & ad Provinciæ Remensis Episcopos, ne se quod jam meditabantur, ejus obedientiæ subducerent. Cum Stephanus Papa in Formosi locum successisset, Fulco interposita Caroli Crassi Imperatoris gratia & authoritate, ab eo expressit confirmationem veterum Ecclesiæ suæ privilegiorum. *Scripsit & ad eundem Imperatorem pro percipiendo à sede Romana pallio, roborandisque datis olim à Romanis Pontificibus Ecclesiæ Remensi privilegiis.* Interposuit & aliquando Lamberti Imperatoris preces: *Pro me quoque postulo, ut ejus mihi benevolentiam concilietis, quatenus tam de me, quàm etiam de Sede Remensi mercedem dignetur habere, & sua illi privilegia inviolabiliter custodire, sicut omnes sancti prædecessores ipsius semper fecisse noscuntur.* Denique simile veri est in vestigia ingressos esse Seulphi reliquos deinceps Remenses Archiepiscopos. Is Herveo Fulconis successori successerat; atque eodem reste locupletissimo Flodoardo, *Legatos Romam dirigens pro consensu Papæ Joannis in ordinatione sua, pallium ab eodem sibi missum cum litteris privilegii hujus Sedis suscepit.*

Ibidem. Ibid. c. 2. Ibid. c. 5. L. 4. c. 18.

VIII. Factis, quàm scriptis clarescere curiosior fuit prima ætas Ecclesiæ. Latent ergò origines primarum ferè Metropoleon; at ex posterioribus conjicere pronum est, quales eæ fuerint. Atqui in his quarum historia testatior, liquet Metropoles Occidentales Pontificum authoritate, Regum consensione creatas esse. Refert author vitæ S. Remberti Archiepiscopi Bremensis, hanc quidem Metropolin à Papa institutam fuisse, eique ab eo præfectum Anscharium, cui Rembertus successit: at non potuisse tum ullos ei suffraganeos addici Episcopos, propterea quod circumjacentes civitates altissimis adhuc tenebris Idololatriæ essent immersæ: copiam verò à Pontifice Imperatori factam, ut quibus vellet Episcopis inaugurationem Archiepiscopi delegaret. *Porro in litteris Romanæ Sedis Pontificum, à quibus Archiepiscopi privilegium illi Sedi collatum est, etiam hoc continetur, ut quia propter novellam ejusdem Sedis institutionem, & needum conversos ad fidem populos, suffraganei non habentur Episcopi, à quibus decedente uno alter Archiepiscopus ordinetur; Palatinæ interim providentiæ succedentium per tempora Pontificum consecratio sit commissa, donec numerus suffraganeorum Episcoporum, canonicè eum consecrare debentium, ex gentibus suppleatur.*

Surius die 4. Febr. c. 9.

Perhibet & Adamus in Chronologia sua, à Ludovico Pio jussum esse ordinari Ansgarium Hamburgensem primum Archiepiscopum in Concilio Nationali, palliumque ei à Pontifice impetratum, iliis circumfulgens privilegiis, quæ sunt propria Metropolitanorum. *Habito Sacerdotum generali Concilio. Pius Cæsar votum parentis impleri cupiens, Amaburg civitatem Trans-Albianorum Metropolin statuit, eique Cathedræ primum Archiepiscopum ordinare fecit Ansgarium, &c. Roborante id Gregorio IV. Apostolica authoritate, & pallii donatione. Habentur in Ecclesiâ Bremensi præcepta Imperatoris, & privilegia Papæ sancto Ansgario data.* Bremensem Episcopatum instituit Carolus Magnus, velut insigne quoddam trophæum de manubiis Saxonum, quos iteratis obtriverat victoriis; sed & eundem à Papa fecit confirmari. Postea Nicolaus Papa Bremensem Episcopatum Metropoli Hamburgensi univit, ut una utrobique esset Ecclesia Metropolitana. Salomon Rex Britanniæ Armoricæ Nicolaum I. inde & Hadrianum II. circumvenire precibus conatus est, ut Dolensi Episcopo pallium concederet. Constantissimè abnuerunt Pontifices, & imaginaria tandem Metropolis evanuit, ut prolixiùs alibi & opportuniùs narrabimus. Joannes VIII. Ovetensem in Gallæcia Ecclesiam petente Alfonso Rege Metropolitico nomine & jure cumulavit. *Et Ecclesiâ Ovetensi quam vestro consensu & assidua petitione Metropolitanam constituimus, omnes vos subditos esse mandamus, & concedimus etiam prædictæ Sedi, ut ea quæ Reges seu Fideles justè obtulerunt, vel in futurum Domino opitulante contulerint, rata, firma & inconcussa manere in perpetuum præcipimus.* Quæ tamen translatio Lucensis Metropoleos in Ovetensem Ecclesiam, ubi Sedes erat Regum, aliquantis tantùm pòst annis perfecta est. Denique vitæ scriptor sancti Suviberti eam profert causam, cur cùm antè ordinatus fuisset, quàm Villebrordus, primas tamen illi cessit honoris partes, & ipsum nomen Archiepiscopi Ultrajectensis, quòd Villebrordus ab ipso Pontifice ordinatus fuisset, eique Metropoli destinatus: ex quo & incunctanter Principes Francorum Pipinus & Carolus Martellus Villebrordum ipsa Ultrajectensi civitate donaverunt. *Et licèt sanctus Suvibertus egregius Pontifex præcesserit sanctum Villebrordum tempore, tamen sanctus Villebrordus præcedit sanctum Suvibertum dignitate, & primus Archiepiscopus Trajectensis reputatur, eò quòd à sancto Sergio Papa Archiepiscopus Frisonum specialiter consecratus, & à Sede Apostolica ad eundem populum missus fuerit; atque quòd ab illustri Principe Pipino & Carolo Martello civitatem Trajectensem cum suis appendicibus, pro se, &c. & suis successoribus Episcopis Trajectensis Ecclesiæ impetraverit. Et ideo sanctus Suvibertus non Episcopus Trajectensis appellatur, sed Coepiscopus sancti Villebrordi.*

Ann. 832. Adam. L. 1. c. 10 27. Ann. 858. Grantzius l. 1. c. 20. An. 788. Anno 882. Ann. 901. Surius die 1. Martii. c. 13.

Leo III. Adelardo Archiepiscopo Cantuariensi idem ipsum innovavit privilegium Metropoleos suæ, quod olim Augustino concesserat Gregorius Magnus, duodecim Episcopatus ejus ditioni subjiciens. Romam ad hoc perrexerat Adelardus, cum Epistolis Kenulphi Regis ad Pontificem, à quo orabat Rex aboleri Metropolin Lichefeldiensem, quam Rex Offa ab Hadriano I. Papa erigi exoraverat, ut Cantuariensem breviorem in gyrum contraheret. Annuit Pontifex Leo, ejusque decretum executioni mandatum in Concilio Angliæ, anno 803. En ipsa Leonis III. verba: *Unde & nos veritate ipsa reperta ordinationes seu confirmationes authoritate Apostolica, eas illi in integro, sicut antiquitus fuerunt, consistentes, reddidimus, & privilegium confirmationis secundum sacrorum Canonum censuram Ecclesiæ suæ observandum*

Epist. 1. Malmesb. De Gestis Regum. l. 1. c. 4.

*tradidimus.* Duodenarius verò numerus, sive Episcoporum sub uno quolibet Metropolitano, sive Comitum sub uno Duce, nunquam usu receptus fuit; nec audiendus est contrarius his Annalium Pipini Scriptor. Rescripsit ad Bulgaros Nicolaus I. Metropolitanum illis postulandum esse à Sede Petri, cui Sacerdotii Principatum Christus delegarat. *A quo & Episcopatus & Apostolatus sumpsit initium.* Joannes VIII. Anglicano Archiepiscopo privilegium idem firmavit, quod Gregorius Augustino contulerat, id est, Metropolin. *Nos Sedis tuæ privilegium quam vice B. Augustini à sancto Gregorio, &c. illibatum tibi proculdubio volumus conservare.* Innovantur ejusdem Ecclesiæ privilegia, Formosi quoque Papæ Epistola II. cujus extat & alia, quæ idem genus privilegii confirmat Archiepiscopo Mediolanensi.

Epist. 73. Epist. 65. Epist. 299.

In Chronico Hildesheimensi commemoratur institutio Episcopatuum Bohemiæ & Archiepiscopatûs Pragensis ab Imperatore Ottone III. facta, suffragante Romano Pontifice: *Condunata Synodo Episcopia VII. disposuit & Gaudentium fratrem B. Adalberti in principali urbe Slavorum Pragæ ordinari fecit Archiepiscopum licentia Romani Pontificis.* Anno 967. aut juxta Baronium 971. Joannes XIII. Archiepiscopatum Magdeburgensem instituit hortatu Imperatoris Ottonis, in Concilio Ravennate. Denique quibuscumque verbis, aliis aliàs, historici rem narraverint, illud exploratum ratumque est, in istiusmodi negotio dominatam semper esse Pontificum & Episcoporum authoritatem, ad erigendas Metropoles Ecclesiasticas; nomine tenus primas aliquando tenere visos esse Principes, quòd ab ipsis executio, persæpe & fundatio dotatioque proficisceretur.

Du Chesne Hist. Fran. To.3.p.517.

IX. Indigitata est à nobis superiùs obiter ratio, petendæ à Romanis Pontificibus confirmationis temporalium Ecclesiæ possessionum. Objiciebatur summa, qualem decet esse Christi Vicarii, & maximè tunc reformidata authoritas, adversùs audacissimos Ecclesiæ bonorum deprædatores, & plerumque inultos. Mos invaluit petendæ hujusmodi confirmationis. Unde & Sylvester II. Arnulpho restituens Remensem Archiepiscopatum, quo fuerat exturbatus, hæc rescripsit: *Confirmamus insuper tibi & concedimus Archiepiscopatum Remensem in integrum cum omnibus Episcopatibus sibi subjectis, seu cum omnibus Monasteriis, plebibus, titulis atque Capellis, cortibus atque castellis, villis, casalibus, & cum omnibus rebus ad Ecclesiam Remensem pertinentibus.* Eadem scripserat Hadrianus I. ad Tilpinum Remensem Archiepiscopum.

Adrian. I. Epist. 15. Gerberti Epist. 55.

X. Ne muti omnino nobis abierint Græci: & ne tamen tædiosæ nos dedamus prolixitati: pauca hæc, sed non parvi ponderis advertemus. Refert Balsamon Archiepiscopum concionandi cupidiorem, in Episcopalibus suæ Provinciæ civitatibus & docuisse sæpius & prædicasse, citra assensum Episcoporum cujusque loci. Cumque non pauci invidiam hinc illi facerent, uti solitum illum fuisse hac excusatione, quòd docere & prædicare proprium non esset Episcopi munus: denique id sibi juris in sua Provincia suppetere. At improbatum est à Synodo, & quod ille ausus erat, & quod audaciæ suæ prætexuerat. *Quæ quidem magna Synodo non placuerunt.*

In Can. 14. Apost.

Author est alibi Balsamon posse ab Imperatoribus Metropoles Ecclesiasticas creari, antiquissimo privilegio eis concesso. *Mihi videtur ejusmodi fieri ab Imperatoribus divisiones, secundum potestatem illis olim datam.* Sed semetipse quodammodo castigat Balsamon, cum non multo post subjicit, istiusmodi Metropolitanos regiæ creationis, antiquis obnoxios semper esse Metropolitanis, qui integram in eos sibi servant potestatem, ordinandi, judicandique. *Præterquam quod Episcopatus Metropolis vocatur, in aliis omnibus antiqua Metropoli debet subjici. Ejus enim Episcopus ab antiquo Metropolitano ordinabitur, & ab ipso judicabitur, & ei omnino subjicietur.* Ita nominis honos tantum Episcopis ab Imperatore adjiciebatur, nil novæ porro vel libertatis, vel potestatis.

In Can. 12 Con. Calch. In Can. 38. Conc. Trul.

At incessit tandem libido Alexin Comnenum Imperatorem dilatandi exaggerandique hujus Imperatorii juris sui. *Imperium meum, quod ei à divinis Canonibus datum est privilegium, neglectui haberi non finens, &c.* Constituit ergo ille, ut Episcopales, vel Archiepiscopales Ecclesiæ, quas Imperator inter Metropoles recensuisset, eæ ne in posterum à Metropolitano penderent, sed ab ipso immediatè Patriarcha Constantinopolitano. Invidioso huic decreto modum quendam tamen adhibuit multa temperatum sapientia: vetito videlicet Patriarcha, ne his privilegiis assentiretur, nisi constaret ei, aut nisi Imperator ipse significasset, suopte impetu, justisque & non minimi momenti de causis, ea concessisse se nullis sollicitationibus fatigatum. *Imperator permittit sanctissimo Patriarchæ, ne aliter à quovis allatam de cujuscumque Ecclesiæ Primatu chartam confirmet, nec ejus Præsulem inter Archiepiscopos, vel Metropolitanos recipiat, quam postquam de ea re ad Imperialem potestatem retulerit, & quid sacris cautum sit Canonibus docuerit, & intellexerit, quod Imperator proprio motu justa de caussa Ecclesiæ hunc honorem largitus est. Tunc enim eum admittet, & in eorum qui sub se sunt Antistitum numerum illum cooptabit.* Alibi autem perhibet idem Balsamon, tam alte imbibisse quosdam insulsam hanc opinationem, nullis astringi Imperatorem Canonicis regulis, ut illi non eam tantum affingerent potestatem Episcopatus Metropolesque novas creandi, sed & condonandi Episcopis, ut in aliorum Episcoporum territorio, eorum injussu Pontificalia munia obirent. Ab hac sententia non multum abhorret Balsamon, cum ipse mox id promat, à quo non minus abhorrere debuisset, dispensare & veniam facere Canonum posse Imperatorem, ubicumque potest Episcopus; & canonicis legibus subesse nullis, cum Episcopos Patriarchasque nominet, etsi sanctissimè vetent Canones, ne se Principes electionibus Episcoporum interponant. *Si hoc potest regionis Episcopus, multo magis Imperator, qui non agitur sequi Canones, qui decernunt Episcoporum electiones à Provincialibus Episcopis fieri, non autem à Magistratibus: ideoque citra electionem Episcopos & Patriarchas provehit Imperator.*

Ibidem. In Can. 16. Carthag.

XI. Denique profertur alibi à Balsamone Constitutio Isaaci Angeli Imperatoris, qua decernitur, ut Metropoles recens ab Imperatore institutæ Episcopos suos recipiant, non ab antiquo Metropolitano, sed à Patriarcha Constantinopolitano: ac proinde nec ipsum Patriarcham Constantinopolitanum, vetustissimæ seu legi, seu consuetudini obnoxium fore, ut se curet ab Heracleensi Metropolitano ordinari, cujus olim suberat potestati. Quin & ipsæ Græcorum Synodi ætatis mediæ fœdissima assentatione, nec enim eam fas est dispensationem interpretari, permittebant Imperatoribus Episcopos dare Ecclesiis vacantibus, Metropoles erigere,

Supplem. pag. 1114.

eas priscis Metropolitanis omnino subducere, denique nulla canonica lege obligari. Ita profitetur ipse Balsamon, ubi de Alexi Comneno verba facit. *Iur. Orient. pag. 131.* *Promulgata est Imperatoria sententia præsente Synodo, communique tunc suffragio decernente, ut Imperatori permissum sit, Præsidentiæ thronum Ecclesiis elargiri, & tam Episcopatus, quam Archiepiscopatus in Metropoles erigere, quæque pertinent ad electiones in his faciendas, cæteraque rectè constituenda pro lubitu suo disponere, citra ullum Canonis illius impedimentum, qui decernit, ut salva sint Metropoli jura sua, quæ in eu Episcopatum honore auctum jampridem habebat.*

Non alius magis, quàm Calchedonensis Canon XII. ille erat, qui sarta tecta servabat prisco Metropolitano sua jura in recentiùs creatas Metropoles. Ita posteriorum Græcorum adulatio, suffragantibus ipsis eorum Conciliis, eò evaserat, ut Imperatoribus facultatem largiretur dispensandi de Canonibus Oecumenicarum etiam Synodorum; quo illi jam Ecclesiasticis legibus omnibus solvebantur. Nec abnuam tamen, si quis hæc malit clementius interpretari, existimetque hanc indulgentiam importunitati temporum famulatam esse, & malis minoribus prævertisse longè graviora. Nec enim defuisse officio suo Patriarchas, & ea coram Imperatoribus constantissimè obtestatos esse, quibus illi ab infandis conatibus deterreri debuissent. Etenim Patriarchæ Nicolaï ad Alexin Comnenum oratio ejusmodi fuerat, ad cujus vim & constantiam accedere nihil posset. *Iuris Orien. 271. usque 281.* Cum illi enim ob oculos posuisset, ea quam tanta res desiderabat libertate, & eruditionis copia, antiquissimos Canones, Legesque ipsas Imperatorum, quibus improbatur damnaturque mos ille creandarum ab Imperatore Metropoleon. Cum nec revocatas siluisset à Conciliis Oecumenicis id genus Metropoles. Cum sanctissimas leges percensuisset, quibus proscribuntur hæ innovationes, nisi aut necessitas urgeat, aut utilitas emicat Ecclesiæ: quo etiam casu authoritatem Concilii interponendam esse, & prisco Metropolitano tantundem esse remetiendum ab Imperatore, quantum ei damni importatum esset hac divisione: *Non aliter id assequebantur, nisi publica utilitatis id suaderet ratio, & Synodus assentiretur, & Metropolitanus remunerationes se dignas ex Imperatoris manu consecutus, quæ gererentur, approbaret.* His addebat Patriarcha, adversas Canonibus leges, nullius esse vigoris, in idque ipsos assensos esse Imperatores: statutis Principum instituta Ecclesiæ convelli non posse: consuetudinem nullis morum patrocinari posse corruptelis: *Nam neque Pragmatica sanctio adversus divinos Canones valebit. Constitutum à Majestate tua subnotatum Leges & Canones evertere non potest, aut veritatem succutere. Nec longa consuetudo efficiet unquam, ut quod ab initio subsistere non potuit, locum habeat.* Quanquam id constaret splendorem & opulentiam Ecclesiæ Imperatorum munificentiæ acceptam referri debere, irrevocabilia esse hæc beneficia, cum non possit Ecclesiæ crimen impingi ingratitudinis: quin irritas legibus decerni donationes Principum inconsideratius factas; & in iis numerandas esse gratias istas, ubi Principes uni ut commodent Ecclesiæ, alterius jura concerpunt. Denique præluxisse exempla revocatarum hoc genus gratiarum. Quippe sub Romano Imperatore Curia consulto ex Episcopis & Magistratibus coalita, Præside Patriarcha ipso, antiquæ Metropoli mancipavit Archiepiscopum nuper ab Imperatore creatum. Si Græci hujusmodi machinis expugnare sæpius agressi Imperatorum potentiam altius se in Ecclesiæ negotia intrudentem, tunc cesserunt, cum sem non procedere experti sunt: erit sanè quòd eorum potius doleamus vicem, quàm ignaviam culpemus; indulgentiam enim tunc demum fecerunt difficillimis temporibus, cum inflexa constantia gravioribus damnis Ecclesiam implicuisset. Porro *In Can. 12. Conc. Calched.* quod ex Balsamone supra relatum est, & quod ex Zonara referri potuisset, id abunde testatum facit *In Can. 38. Conc. in Trullo.* nullis istiusmodi Episcoporum hortamentis Imperatores à proposito dimoveri aliquando potuisse.

XII. Non tacuit Balsamon, quò differrent Archiepiscopi à Metropolitanis apud Græcos hac tempestate. *Balsamon pag. 431.* His enim parebant Episcopi complures; illis prorsus nulli, hoc uno conspicuis, quòd nec ipsi Metropolitano ulli essent obnoxii. Eo sensu vocabatur Archiepiscopus Gothiæ. Ita media quædam erat statio Archiepiscoporum, inter Metropolitanos & Episcopos. Ubi de Pallio inferiùs sermonem instituemus, Episcopos Metenses audiemus, postquam Pallio donati fuere, Archiepiscopos dictos fuisse, quamvis vel tunc sub potestate essent Metropolitanorum, nec ullos ipsi morigeros sibi subditosque haberent Episcopos.

In suam Epitomen Canonum aliqua adnotavit *Pag. 13.* Harmenopulus, ex quibus hoc excerpere juvabit. Posse videlicet Metropolitanum tremenda quidem celebrare mysteria in Episcopatu suffraganei sui, eo permittente: at tum in recitandis ab eo Diptychis memorari quidem Patriarcham, non verò Episcopum loci, cui ipse eminet; *Metropolitanus Episcopi quidem sibi subditi concessu, in ejus territorio sacra peragat: verùm relationem non Episcopi, sed Patriarchæ faciat. Non enim admitti debet, & ordini divino refragatur; at superior relationem sibi subjecti faciat.*

Postremo tandem loco hoc adnotabimus majoris aliquanto momenti, permittentibus videlicet, vel jubentibus Imperatoribus, à Patriarchis Constantinopolitanis creatas aliquando novas fuisse Metropoles. Nicephorus Phocas, authore Luitprando, id muneris indixit Polyeucto Patriarchæ Constantinopolitano, ut Hydruntum Italiæ urbem Metropolitica ornaret dignitate, Suffraganeos ei adsignaret *Baron. an. 968. n. 8.* Episcopos, & Græco ritu ac sermone divina ibi celebrari Officia juberet. Paruit Patriarcha, novæque Metropoli quinque subjecit Episcopales sedes, quamvis omnibus retro sæculis ea regio tota Romanæ urbis Metropoli obnoxia fuisset. Obiter hic adverte inusitatam illam Metropoleon & Episcopatuum multitudinem in Regno nunc Neapolitano, magna ex parte profectam esse ab illa Græcorum æmulatione, qua certabant totidem quasi vinculis opulentas has florentissimasque tum civitates, tum Provincias Ecclesiæ suæ Imperioque arctius astringere.

---

## CAPUT. XLIV. *P. 3. l. 1. c. 7.*

De Metropolitanis nonnullis in particulari. De ordine Metropoleon Græcarum. De Metropolitanis cujusque Patriarchatus Protothronis.

*I. Elucidatur Canon Francofordiensis de Metropolibus Viennensi, Arelatensi, Tarentasiensi, Ebredunensi, & Aquensi.*

*II. De eadem re. Cur Metropoles Narbonensis, Elusana & Aquensis sileantur in testamento Caroli Magni.*

*III. Harum trium Metropoleon tunc occasum, itemque Ebredunensis & Tarentasiensis.*

*IV. De Dolensi in Armorica Provincia Metropoli. Cur Nicolaus I. Duci Armorica Regium tunc nomen decusque abnuerit.*
*V. Vices alternæ Germanicarum Metropoleon Laureacensis & Salisburgensis.*
*VI. De Metropolibus quæ primas honoris & sedes in unoquoque Patriarchatu obtinebant prærogativas.*
*VII. Leo Philosophus Imperator, Metropolibus præscribit certum deinceps ordinem.*
*VIII. Ordinationis tempori honor tunc habebatur in inferioribus tantum Dignitatibus.*
*IX. Rationes hujus in Dignitatum ordine diversitatis.*
*X. Singularis consuetudo Trevirensis & Remensis Ecclesiæ.*

I. SUpersunt pauca quæ observasse non pigeat circa Gallicanas Metropoles, ad illustranda, forsan & alicubi castiganda ea quæ superiori capite disceptata jam fuere. Finita ac profligata tandem est in Francofordiensi Concilio lis antiquissima, & quæ tunc recaluerat, inter Archiepiscopos Viennensem & Arelatensem. Statutum porro est, ut starent Decreta Romanorum Pontificum Gregorii, Zosimi, Leonis & Symmachi: haberetque ex eorum præscripto suffraganeos Viennensis quatuor, Arelatensis novem. Quod ad Metropoles vero Tarentasiam, Ebrodunum & Aquas-Sextias, quarum vacillabat status, judicium sedis Apostolicæ expectaretur. *De Tarentasia vero, & Ebroduno, sive Aquis Legatio facta est ad Apostolicam sedem; & quidquid per Pontificem Romana Ecclesia definitum fuerit, hoc teneatur.*

Conc. Gall. Tom. 3. pag. 152. 492. 497. Can. 8.
Le Cointe. Ann. 752. n. 161. An. 755. n. 81. 184. Ann. 773. n. 39. 40.

Ita Concilio Galliarum Nationali visum est adeundum esse fontem ipsum & exemplar Metropoliticæ potestatis, & inde petenda jura ad Metropoleon causas illuminandas. Non abhorret à vero, Romani Pontificis judicio vicisse Ebrodunensem & Tarentasiensem Metropoles, suspensam verò ampliatamque fuisse causam Aquensis. Id conjicitur ex Caroli Magni testamento, ubi Ebrodunum & Tarentasia suum inter Metropoles locum retinent, Aquensis civitas siletur. Viginti & una Metropoles ibi pernumerantur à Carolo, paucis ante obitum annis condito hoc testamento. Eæ sunt Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum Julii, Gradus, Colonia, Moguntia, Salisburgum, Treveri, Senones, Vesontio, Lugdunum, Rotomagus, Remi, Arelate, Vienna, Tarentasia, Ebrodunum, Burdegala, Turones, Bituriges. De Metropoli Narbonensi & Aquensi mirum silentium.

II. Provinciam Aquensem Sarraceni anno Christi 739. fœdissima populatione vastarunt. Orbatæ exinde perdiu luxerunt civitates Metropoli Aquensi obnoxiæ, cum ipsa sua Metropoli. Hæ erant Vapincum, Reii, Forum-Julii, Aptensis civitas, Antipolis. Catalogi Episcoporum per ea tempora vacuos & miserandos ostendunt hiatus. Occitania inferior iisdem Sarracenorum populationibus infestata fuerat, & non antè Pipinus Rex, quàm anno 755. illos ultra Pyreneos expulit, recepta ab eis Narbone. Tunc redintegrata est Narbonensis Metropolis, eique præterea tantis illustrissimus victoriis Rex subjecit tres Episcopales ultra Pyrenæos urbes, quas profligatis Mauris invaserat, Barcinonem, Gironam, & Urgellum. Postea enim quò altiùs se in Hispanias inferebant armis victricibus Francorum Reges, eò augescebat numerus Suffraganearum Sedium Metropolis Narbonensis. Qua in re secundæ Dynastiæ Francorum Reges in vestigia ingrediebantur eadem, quæ prioris Reges impresserant. Quandiu Metropolis Narbonensis imperio paruit Visigothorum Hispaniæ Regum, Metropolis autem Bituricensis Francorum; hi Bituricensi adjiciebant quidquid subducere poterant Narbonensi, & illi vicissim Narbonensi, quidquid decerpere poterant de Bituricensi. In causa ergo Sarraceni fuere illius veluti deliquii, quo Narbonensis & Aquensis Metropoles aliquandiu visæ sunt deficere & obscurari. Gravis orta est contentio inter Narbonensem Metropolitanum & Episcopum Elnensem de Comitatu Razetensi, quo continebantur urbes Alectum & Limotium. Addictus tandem est Comitatus Metropolitano, & tunc aliquoties dicti sunt Archiepiscopi Narbonenses & Razetenses. Anno 793. Sarraceni rursum expugnarunt Narbonem, Barcinonem & Gerundam. Tunc rursum deficere & contenebrescere visa hæc Metropolis. Id causæ forsan fuit, quamobrem expuncta est à catalogo civitatum, quibus Carolus Magnus congestas à se immensas opes eo testamento legavit, quod triennio ante obitum suum scripsit, juxta Eginardum, hoc est anno 811. Eo memorantur Metropoles non plures quàm viginti & una, quamvis viginti-quatuor complecteretur ditio Caroli Magni. Narbonensis, Elusana & Aquensis ibi prætermissæ sunt. Concilium Francofordiense, de quo suprà, curam egit de Aquensi, non de Narbonensi: propterea quòd habita sit ea Synodus anno 794. altero scilicet anno quàm Narbo in Sarracenorum potestatem venerat. Venire etiam in mentem potest, Francorum Reges occasionem aucupatos esse subjiciendæ Narbonensis civitatis Metropoli Bituricensi, ut eam Imperio suo strictioribus nexibus conjungerent, obtemperaturam posthac Metropoli antiquissimæ Monarchiæ Gallicanæ: quo eodem consilio Elusana civitas Burdegalæ mancipata est. Aquensis civitas recuperata Francico Imperio fuerat, profligatis Sarracenis: sed nequedum forsan ei, aut Ecclesiæ ejus, aut pendentibus ab ea Episcopalibus sedibus ea vel libertas, vel integritas restituta fuerat, quæ Metropoliticam ejus dignitatem ab omni dubio & controversia vindicaret. Francofurdienses Patres rem Papæ arbitrio commiserunt, perinde ut de Tarentasia & Ebroduno. Et quando Carolus in testamento suo Ebroduni & Tarentasiæ, non Aqui-Sextiensis meminit civitatis, argumento id esse potest minus propitium forsan huic fuisse Pontificium responsum. Elusa à Vandalis eversa fuerat, ex fide Archivorum Lescariensium, quæ laudantur à doctissimo Balusio in suis ad Capitularium libros notis. Non potuit tam brevi tempore ad Auscios transferri ea Metropolis. Tandiu ergo Suffraganei ejus Episcopi sub authoritate & tuitione Burdegalensis Archiepiscopi delituerunt, qui exinde Caput se dixit Novempopulaniæ. Felicius cessit Aquensi civitati, cujus revixit non multò pòst Metropolis. Nemausensi enim in Synodo, anno 886. congregata ab Archiepiscopo Narbonensi Theodardo, Archiepiscopus Aquensis locum & nomen habet inter Archiepiscopos Arelatensem & Ebrodunensem. *Adfuere Rostagnus Arelatensis, Matfridus Aquensis, Ermaldus Ebrodunensis Archiepiscopi, & cum eis Paulus Aptensis, &c.* Joannes VIII. Papa Epistolas scripsit iisdem verbis, *à paribus*, ad Archiepiscopos tres, Arelatensem, Narbonensem & Aquensem. Itaque Aquensi jam Pontifici nulla fiebat de Metropoli sua controversia.

Ibidem. An. 791. n. 25. An. 793. n. 8.
Pag. 1070.
Epist. 19.

III. Tarentasia verò erat quidem illa in numero Metropoleon jam inde à temporibus Leonis Papæ, ut ex Notitiis Provinciarum liquet. At cùm unus esset ei obnoxius suffraganeus, cui sedes Octodurum erat; eam Leo Metropoli Viennensi subjecit,

Le Cointe. An. 748. n. 42.

quòd necesse esset tres saltem Episcopos uni parere Metropolitano, qui & ipsum ordinare possent, & alios etiam cum ipso Episcopos. Guntramnus Rex Augustam Prætotiam Longobardis depulsis, suæ adjecit ditioni, oppidum sancti Joannis Maurianensis condidit, utrobique Episcopalem sedem erexit, ita novos Tarentasiæ addidit Suffraganeos; quo factum est ut interpellante postea Francofordiensi Concilio, rursum Romanus Pontifex eam Metropolin declaraverit, cui jam tres suppeterent Suffraganei. Nec ineptè etiam conjiceret aliquis, dum sub potestate Visigothorum vel Sarracenorum oppressa gemeret Narbonensis civitas, certasse de Primatu Narbonensis Provinciæ secundæ Metropolitanos Arelatensem & Viennensem, & in id connixos esse, ut minusculas has tres obtererent Metropoles, Ebrodunum, Tarentasiam, & Aquas-Sextias. Ea quoque forsan erat causa dissidii inter hos duos Archiepiscopos, de quo agitur Canone VIII. Concilii Francofordiensis. Visum est Petro de Marca Aquensem civitatem permissam esse à Romano Pontifice ditioni Arelatensis Metropolitæ, quòd ea fuisset olim constitutio Symmachi Papæ. At contrà regeritur, eadem Symmachi constitutione Tarentasiam quoque Viennensi Metropoli subjectam fuisse, à qua nihilo tamen minus absoluta fuit post Francofordiense Concilium.

In hoc opinionum certamine fruetur Lector suo judicio, & quam in partem volet declinabit. Mihi quidem illud à veritate propius abesse videtur, Aquensis Ecclesiæ & urbis occasum vastationi Sarracenorum imputandam esse; ita aliquandiu hanc Metropolin obtenebratam esse. 1. Eadem prorsus ratione Narbonensis quoque Metropolis debilitata & aliquandu oppressa jacuit. 2. Catalogi Episcoporum toto hoc intervallo vacui sunt, & hiant; nec tamen ita habuisset, si aliqui fuissent Episcopi, quanquam Arelatensibus Metropolitanis obnoxii. 3. Potuisset Aquensis Metropolis, quanquam Arelatensi obnoxia, inter Metropoles numerari semper, ut quæ plures nacta esset Suffraganeos, atque ita in Caroli Magni testamento nec sileri, nec tanti Principis munificentia defraudari. 4. Pendebant aliquæ Metropoles à Primatu Bituricensi, easque pari cum aliis & honore, & munerum copia affecit Carolus Magnus. Quin ergo & Aquensem eodem loco habuisset? 5. Denique non alia verè Primatia sub Caroli Magni Imperio effloruit, quàm Bituricensis. Frustra ergo sunt, qui Arelatensem aut alias quasvis somniant.

IV. Diuturnior aliquantò fuit concertatio inter Britanniæ Armoricæ Episcopos & Metropolitanum Turonensem, cujus jugo frustra se subducere meditabantur, ut Francico se quoque Imperio excuterent. *Ann. 859.* Ad Regis & ad Archiepiscopi obedientiam eos revocare per litteras enixa est Synodus Tullensis: *Quatenus ad suam Metropolin redeant, & Salomonem commoneant, ut promissam fidem glorioso Regi Carolo observet.* *Can 8.* Admonuit eos eadem Synodus litterarum antè præscriptarum à Romanis Præsulibus Leone & Benedicto ad Ducem eorum Nomenoïum, cui excommunicationis mucronem intentabat, nisi prisca Metropolitanum Turonensem observantia coleret. Denique Legati Tullensis Synodi in mandatis habebant, ut Salomonem submonerent, veteres Brittones Regibus Francorum nunquam non tributa pensitasse. *Consideret gentem Britannorum Francis ab initio fuisse subjectam, & statutum dependisse tributum: ac per hoc non dedignetur ad nuper omissam reverti consuetudinem.*

Scripsit & ad eundem Salomonem Nicolaus Pontifex, regio illum afficiens honore, instansque vehementiùs ità priùs delinito, ut secum omnes Episcopos suæ gentis ad Metropolitani Turonensis obedientiam revocaret. *An. 865.* *Vt omnes Episcopos regni tui ad Turonensium Archiepiscopum mittere non detrectes. Ipse est enim Metropolitanus, omnesque Episcopi regni tui ejus Suffraganei sunt, sicut conscriptiones prædecessorum meorum evidenter ostendunt.* *Conc. Gall. T.3. p.276.* Cùm his Pontificiis litteris nec mollirentur nec cederent Episcopi Armorici cum suo Rege, Concilii Suessionensis III. Patres egerunt apud eundem Pontificem, ut minas pœnasque exaggeraret, frangeretque contumaciam eorum, qui nec Metropolitano & Provincialibus ejus Conciliis, nec universalibus Galliæ Synodis ipsa Papæ authoritate convocatis, aut adessent, aut obsequentes se præstarent. *Sed neque ad generalitatis nostræ Synodum, si quando Apostolatûs vestri authoritas nostram fraternitatem pro quibuslibet negotiis congregandam decernit.* *Ann. 866. Ibid. p.298.* Qui denique Dolensem sibi nescio quem personatum effinxissent Metropolitanum. *Cui loco se jactitant sedem Metropolin contra fas habere.* Denique instabat Pontifici hæc Synodus, ut excommunicationis telum jacularetur in Principem Armoricæ, nisi eo quo Majores ejus obsequio Reges Galliæ prosequeretur, idemque tributum penderet. *Hactenus indomitam feritatem principali mucrone comprimere, Ecclesiæ filiis efficaciter succurrere dignemini.*

Nec quenquam moveat quòd ad Armoricæ Principem scripserit Nicolaus, tanquam ad Regem. Id enim & honoris & nominis eidem jam concesserat Carolus Calvus, quo tum frueretur ipse, tum proles ejus jam nata. Quin & idem consenserat erectioni Dolensis Archiepiscopatûs; studens videlicet gratificari vicissim & remetiri aliquid gratiæ, propter auxilia ingentia & opportunissima, quibus à Duce Brittonum relevatus fuerat in obsidione Andegavensi. Id exculpsit clarissimus Sirmundus ex charta quadam Monasterii sancti Michaëlis, cujus hæc sunt verba: *Salomon ob obsidionem Andegavensem in auxilium Carolo venit. Hujus rei gratia Carolus Salomoni Regi Brittonum habere permisit circulum aureum, & purpuram, & Archiepiscopalem sedem, & proprium numisma, & insuper omnia Regi convenientia, & non solùm illi, verùm etiam successoribus ejus deinceps habenda permisit.* *Nota in Capit. Car. Calv. pag. 106.* Idem ipse Carolus Imperator in Concilio Carisiaco anni 877. consilia agitavit, & rationes exposuit recuperandi Brittonum regni: cùm fato jam suo extincti fuissent ii, quibus id conferri insuperabilis necessitas jusserat. *Qualiter regnum quod necessitate Brittonibus quondam juramento confirmatum fuerat, quia de illis quibus firmatum est, nullus superstes est, à fidelibus nostris recipiatur.* *Capit. Car. Calv. pag. 424. 439.* Certè extincto Salomone concidisse pariter videtur & regia Armoricorum Ducum dignitas & Dolensis Metropoleos vis ac potestas. Salomoni successere Duces, non Reges. Dolensis Archiepiscopus novis subinde Pontificum Romanorum Decretis impetitus, Joannis VIII. Joannis XIII. Gregorii VII. & Urbani II. ab Innocentio denique III. oppressus jacuit, nec deinceps supra Episcoporum honores quidquam sibi arrogavit. *Epist. Ioan. VIII. 224. Epist. 2. Ioan. XIII.* Defectionis Brittonum dux authorque fuerat Nomenoïus, pulsis Episcopis iis, quos adversaturos videbat tyrannidi novæ, aliisque in eum locum suffectis. Quos abegerat, ad Carolum Calvum confugère. Quos creaverat, eorum cùm desperaret à Turonensi Archiepiscopo consecrationem impetrare, commentitium sibi Metropolitanum excitavit, & antiquis Armoricæ Epis-

*Du Chesne Hist. Fran. Tom. 2. pag. 407.*

copatibus tres novos adjecit, Dolensem, Briocensem & alium præterea. Capite infrà 45. n. 19. reliqua contexemus de hac eadem Turonensis & Dolensis Ecclesiæ concertatione.

V. E Gallia in Germaniam venio. Eugenius Pontifex ab Archiepiscopo Laureacensi certior factus de hujus Ecclesiæ calamitatibus, ad Hungariæ, Moraviæque Episcopos scripsit anno 824. Laureacensi Archiepiscopo septem olim Episcopos paruisse, cujus amplitudinis vix ulla nunc superessent vestigia. Anno Christi 524. obierat Theodorus Episcopus Laureacensis. Barbararum gentium incursionibus vastatæ perdiu & oppressæ jacuerunt deinde istæ cum Ecclesiis suis Provinciæ. Rupertus Vormaciensis Episcopus & Germanicarum Provinciarum Metropolitanus, cùm Metropoliticam suam Sedem apud Salisburgum collocasset, sanctissimè peractæ vitæ curriculum ibi complevit, missis antè duobus commilitonibus & cooperatoribus suis, altero Laureacum, altero Patavium. Exinde Laureacenses Episcopi in potestate fuere Archiepiscopi Salisburgensis usque ad annum 666. Tunc enim demum Bruno Pataviensis Episcopus, Laureacensi quoque Episcopatu investitus, quòd ita ferret rerum temporumque calamitas, atque ita duobus his Episcopatibus in unum conflatis, necessariò denique Metropolitanus evasit Bavariæ, cum vivis excessisset Ansologus Salisburgensis Metropolitanus, eaque Metropolis funditus corruisset. Exinde Laureacenses & Patavienses Episcopi, Metropolitani ipsimet fuere Bavarorum, ad annum usque 798. quo restituta est Metropolis Salisburgensis. Anno 822. solenni transactione convenit, ut Laureacensis Episcopatus à Pataviensi rursum divelleretur, Laureacum à Metropoli Salisburgensi abscinderetur, & in Metropolin cresceret, cui morem gererent Episcopi Hungariæ, Moraviæ, & circumjacentium Provinciarum, sive instituti jam essent illi Episcopi, sive postea instituendi. Ita Cointius noster extricavit implicatissimas harum Ecclesiarum vicissitudines, ob infestationes Gentilium undique incursantium, quibus Christo interim & Ecclesiæ lucrifaciendis infatigata horum Præsulum charitas imminebat. Eæ fuere justissimæ causæ, uniendi duos Episcopatus, eosdemque rursus divellendi; Metropoleos ea una urbe in aliam transferendæ: supprimendæ ac rursus restituendæ: denique novæ creandæ ejusmodi Metropoleos, quæ creandis Episcopatibus, & adgregandis ad fidem populis præesset. Ita enim in omnia se fingit ingenua charitas, Ecclesiarum necessitatibus obsecundans. Urolphi Romanam Ecclesiam interpellantis exemplo liquet, his de Metropoleon erectionibus Romam fuisse relatum, cum primùm id fieri potuit. Jubebat enim per Epistolas Eugenius Papa, creari novos Episcopatus, ubi olim aliqui fuisse deprehenderentur, & ubi creandos existimaret Metropolitanus, cui authoritatem, & Vicariatum delegabat sanctæ Sedis: *Cui vicem nostram apud vos Ecclesiastici regiminis per omnia commisimus.* De alternationibus Hamburgensis seu Bremensis Metropoleos infrà disseremus.

*Ann. 824. n. 28.*

VI. Non abs re erit hic observasse, universim quidem inter Episcopos uni Metropoli, & inter Metropolitanos uni Exarcho, seu Patriarchæ obnoxios, eam vigere ordinis legem, ut prior sit honore & sede, qui ordinationis tempore prior est: at fuisse tamen tum Metropoles, tum Episcopatus, quibus prærogativa honoris & sedis concessa fuerat & longo adserta usu, nulla temporis habita ratione, sive ordinationis. Ejusmodi erat in Patriarchatu Antiocheno Tyrius Metropolita, qui Prothronum se dixit in VIII. Synodo Generali, quo etiam jure vacantem regebat Patriarchatum, & absentis in Concilio Patriarchæ vicem gerebat. *Thomas Metropolita Tyri prima sedis existens sedis Antiochia, qua Patriarcha privata, ipse locum tenet sedis illius, usque dum fiat Patriarcha in eadem sede.* Vocatur etiam Protothronus Antiochiæ, πρωτόθρονος, ἢ ἔξαρχος, ἢ τοποτηρητὴς [illegible]. Prolixiùs hac de infrà capite XLIX. n. 13.

*Act. 1. Synod. 8.*

VII. Promulgavit Leo Sapiens Edictum, vastissimæ & infinitæ illius potestatis insigne monumentum, quam Græcorum ei Præsulum ignavia & assentatio permittebat. Hoc ordinem definiit & delineavit in posterum servandum inter Metropolitanos, Archiepiscopos, Episcoposque, nulla ratione ævi & temporis quo quisque ordinatus fuisset. Ita sedibus jam & Ecclesiis adglutinata fuere hæc honoris privilegia, non personis. Consule jus Orientale Leunclavii. Ibi alio quoque loco designatur ab Imperatore & Patriarcha ordo Metropolitanis & Archiepiscopis posthac observandus, ut præfocentur omnes deinceps de loco & honore lites, sanctitati Ecclesiasticorum Magistratuum minimè consentaneæ, qui certare potius debeant de immortalibus præmiis, & ad ea per humilitatem grassari. *Absurdum enim videbatur, eos sedis Primatum usurpare, & decoris caussa, quod est potius dedecus & infamia, Pontificatûs dignitatem posthac contumelia afficere, cum solam immortalem gloriam curare deberemus, qua marcorem non admittit, sed semper efflorescit, & sui studiosos gloria incorrupta exornat & illustrat.* Eadem ratione eodemque stimulo incitatus Alexis Patriarcha Constantinopolitanus edixit, ne eodem ordine incederent Episcopi, quo eorum Metropolitani, neu se bis unquam implicarent frivolis de honore contentionibus; cùm non honores, sed dehonestamenta hæc sint Episcopatûs. *De sessione Episcoporum sancimus, ut Episcopi secundùm ordinem suorum Metropolitanorum sedeant, idque in concessibus sacris, & in Synodis & in conviviis; neque superiores Sedes & Primatûs studium adfectent, indignis sese modis, inferiorum Metropolium Episcopi: sed in suos Metropolitanos, tanquam in Canones & sanctiones quasdam oculos dirigant, secundùm quos in consessibus, & ubique sese conforment,*

*Iuris Orien. To. 2. p. 89. 90. &c. 243. 244. &c.*

*Ibid. p. 255.*

VIII. Eodem quo cæteri Græci ambitionis & adulationis æstu abripitur Balsamon, unde & existimat Carthaginensem illum Canonem, qui ex ordinationis tempore ordinem sedendi moderabatur, abrogatum fuisse Statuto Leonis Sapientis, qui Sedibus & Ecclesiis suum quibusque locum adsignaverat, & cujus Constitutio asservabatur in Chartophylacio Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Ævum autem & tempus ordinationis servari inter Presbyteros, Diaconos, cæterosque Clericos inferiores. *Ius autem Prioritatis in Clericorum ordinibus locum habet. Honoratur enim unusquisque, prout prior est tempore.* Istud inter Clericos honorificentius sedendi & incedendi jus, vocatur à Balsamone non inscitè primogenitura quædam, πρωτοτοκία; quòd ordinatio quædam sui generis nobilissima sit generatio, aut regeneratio, ex qua censeri debeant alii majores, alii minores natu.

*In Can 89. Carthag.*

At quod spectat ad Officia & Dignitates Ecclesiæ, affirmat idem Balsamon, non alium esse ordinem, quàm quem designat Episcopus in iis promovendis: à quo tamen abhortere se non dissimulat,

quòd

quòd non rarò minores natu majoribus anteponantur. ϗ ὅτι μεταπεσεῖν προτιμᾶται τῶν πρὸ αὐτῶν θαυμάζω. Quod Balſamonis animum ſtupore afficiebat, non aliud erat quàm novitas iſtarum dignitatum, quæ quia novæ erant, novo jure & novo ordine regebantur; cùm Ordines ſacri, & ſi quæ aliæ dignitates propiùs abſint à ſacris Altaribus, ſuam prodant antiquitatem, antiquo ordine ſedendi & procedendi ſervato. Antiquiſſima enim lex, & ab ipſis penè hauſta naturæ legibus, ut primogenitis primæ in omnibus partes concedantur, adhuc in Ordinibus ſacris obſervatur religioſiſſimè. At poſteriores hæ dignitates, ut natales ſuos, ita & honores, ordinemque voluntati Epiſcoporum debebant. Eſt omnino, eſt quod nos pudeat in hac ſæculorum fæce, veriſſimas & ampliſſimas dignitates, Ordines, inquam, ſacros minoris haberi & penè eviluiſſe; exarſiſſe autem hominum cupiditatem ad aucupandas novellas dignitates, quæ plus ſplendoris, minus ſanctitatis habent.

IX. Poteſt tamen & huic ordini poſteriori, qui ad tempus ordinationis non intuetur, nonnihil authoritatis & laudis ab ipſa antiquitate conciliari. Namque Patriarchales Eccleſiæ certum ſemper inter ſe ordinem honoris & ſedis conſtantiſſime jam inde ab incunabulis Eccleſiæ ſervaverunt, nulla temporis, nulla ordinationis contemplatione; nec perſonarum, ſed Sedium habita ratione. Metropolitani etiam ſuam ſupra Epiſcopos ſedendi prærogativam ſervarunt ſemper illibatam: denique ſolæ Africanæ Eccleſiæ Metropoliticam poteſtatem non ſedi, ſed ei illigaverant perſonæ Epiſcopi, qui prior ordinatus fuiſſet. Inter omnes unius Exarchatûs Metropoles, & inter omnes unius Metropoleos Epiſcopales ſedes, una perſæpè fuit, quæ aliis omnibus ſemper anteiret, ita ut prior ordinatio nihil huic juri poſſet derogare. Adde quod arduum non eſt in uno aliquo regno Epiſcopos internuſcere, & exploratum habere, qui quos ordinatione antecedant. At Conſtantinopoli operoſiſſimum id fuiſſet, quòd eò magno numero confluebant Epiſcopi & Metropolitæ toto ex Imperio. Ita abſolutius expeditiuſque fuiſſe, ſedendi, incedendi & ſubſcribendi ordinem ſemel definiſſe inter Eccleſias & ſedes.

X. Nec omitti hic debet ſingularis illa & inuſitatiſſima conditio Eccleſiæ Remenſis & Trevirenſis, quam obſervavit Hincmarus. Quanquam Primatum honoris conſequi debuiſſet Auguſta Trevirorum, quòd ſedes fuerit quondam Imperii, quòdque caput primæ Belgicæ eſſet, ac Remenſis Civitas ſecundæ: Præſcriptum tamen erat conſuetudine quadam mira, nec illaudata, ut quaſi germanitate quadam devincirentur & exæquarentur ſibi mutuò hæ civitates, neutra alteri præeſſet, aut imperitaret: ſed qui prior duorum Metropolitanorum ordinatus fuiſſet, is communi præſideret Synodo ambarum Provinciarum: viduata autem altera, Eccleſiæ alterius Pontifex ſuperſtes cum Coëpiſcopis ſuis nullo ei officio, non ope, non ſtudio, non opera deeſſet. *Quoniam Eccleſia Remenſis & Trevirenſis Comprovinciales atque ſorores, & ex antiquitate, & ex antiqua conſuetudine habentur, ea conditione, ut qui prior fuerit Epiſcopus ordinatus, prior etiam habeatur in Synodo, & ſibi mutuo conſilio & auxilio foveantur.* Hic ergo concedebatur honor conſeſſûs perſonæ, non ſedi: *Vt iſdem Epiſcopus non loci, ſed dignitate ordinis Prior ſecundum ſacras regulas haberetur.* Alibi fere inter Metropoles plus dependeba-

Flodoard. L. 3. c. 20.

Hincmar. Tom. 2. pag. 258.



tur honoris loco & ſedi, quàm perſonæ.

## CAPUT XLV. *P. 4. l. 1. c. 15.*

### De erectione Novarum Metropoleon, ultima ætate poſt annum Chriſti milleſimum.

*I. Poteſtas Pontificum Romanorum in erigendis novis Metropolibus, cum neceſſitas urget Eccleſia, cum conſenſu Principum, & Prælatorum, quorum intereſt.*

*II. Argumenta & exempla promuntur ex antiquis Angliæ Metropolibus.*

*III. Ex Metropolibus Italiæ.*

*IV. De Pragenſi Metropoli.*

*V. De Metropoli Moraviæ.*

*VI. Metropoles Hungariæ.*

*VII. Metropoles Poloniæ.*

*VIII. Metropoles Livoniæ. Non ſemper Metropoleon novarum parentes authoreſque olim fuiſſe Romanos Præſules.*

*IX. Metropoles Daniæ, Sueciæ, Norvegiæ decerptæ ex Metropoli Hamburgenſi. Quando poſſit hæc diviſio fieri invito priore Metropolitano.*

*X. Quæ nuper in Chriſtiana fidei caſtris militare cœperunt gentes, eæ diutius aliquando nullos habuere Metropolitanos.*

*XI. Metropoles Scotiæ Regni.*

*XII. De Metropoli Valliæ.*

*XIII. De Metropolibus Hiberniæ. Ad quod uſque tempus Metropoles à Conciliis Provincialibus creatæ ſunt.*

*XIV. De Metropolibus Hiſpaniæ & Portugalliæ, receptis ex poteſtate Maurorum.*

*XV. De Metropoli Ovetenſi, aliarum Hiſpaniæ Eccleſiarum matre & altrice humaniſſima.*

*XVI. De Metropoli Toloſana.*

*XVII. Metropolis Pariſienſis. Quanta Pontificum regia hujus erectionis animo moderatio.*

*XVIII. De tribus Belgii Metropolibus.*

*XIX. Metropolis Turonenſis vindiciæ, victoriaque cumulatiſſima de Dolenſi.*

*XX. De Metropoli Carthaginenſi.*

*XXI. Politia Græcorum.*

I. AD Metropolitanos denique extremæ hujus ætatis poſt annum Chriſti milleſimum veniendum nobis eſt, nec aptius ordiri poſſumus hunc ſermonem, quàm ex pulcherrimis his Bernardi verbis, ubi Papæ poteſtatem adſignat ad creandas novas Metropoles, adſcito tamen conſenſu Principum & eorum Eccleſiæ Prælatorum, quorum juri & ditioni detruncandum aliquid eſt, quod aliis accedat. Accipe ipſa viri ſanctiſſimi verba, ſulta, ut mea fert opinio, vixaque ſui ſæculi uſu, cui authoritas accedebat ab uſu anteriore, & à conſenſu ſaltem tacito Eccleſiæ; ut minimè neceſſe eſſet, eandem conſuetudinem profiteri, aut demonſtrare, omnibus retro ſæculis viguiſſe. *Plenitudo ſiquidem poteſtatis ſuper univerſas orbis Eccleſias ſingulari prærogativa Apoſtolicæ ſedi donata eſt; qui igitur huic poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Poteſt ſi utile judicaverit, novos ordinare Epiſcopatus, ubi hactenus non fuerunt. Poteſt eos qui ſunt, alios deprimere, alios ſublimare, prout ratio ſibi dictaverit: ita ut de Epiſcopis creare Archiepiſcopos liceat, & è converſo, ſi neceſſe viſum fuerit.* Regula ergo & modus hujus poteſtatis eſt juſtitia, utilitas & neceſſitas Eccleſiæ. *Ratio, Vtile, Neceſſe.* Nihil ergo reliquum facit Bernardus gratiæ, & arbitratus & minimè neceſſariis beneficiis. Certè plus æquo indulgebat ingenii ſui libidini, & inanitati Abbas ille tempore Concilii Viennenſis, qui aiebat poſſe Papam juſtis & rationabilibus de cauſis immediatè dominari unius Imperii Epiſcopis, ablatis expunctiſque Patriarchis, Primatibus, & Archiepiſcopis. *Poſſet facere ex certa & rationabili cauſa, quod in regno, vel regione, ubi ſunt Patriarchæ, Primates & Archiepiſ-*

Epiſt. 132.

Bibl. Ciſter. Tom. 4. pag. 309.

*copi, non esset Primus, nec Archiepiscopus, nec Patriarcha; ita quod omnes Episcopi sibi immediate subessent.* Quid hoc porro aliud est quàm secum pugnare ipsum & conflictari, ubi affirmat quis tam iniquam & exitialem ordinis ab Ecclesiæ exordio sanctissimè instituti & religiosissimè observati eversionem, justis & rationabilibus de causis fieri, & ab ea fieri posse authoritate, quæ ad æqui ordinisque & legum Ecclesiæ priscarum tuitionem divinitus constituta est? In hos scopulos agit se præcipitem, qui alios sequitur duces quàm Ecclesiæ Patres, & Conciliorum Canones; quibus edocemur, non quæ sibi fingere portenta possit animus malè feriatus; sed quæ sint fuerintve Ecclesiæ leges, quæ consuetudine convaluerint; aut quæ consuetudines longo sæculorum assensu usuque in authoritatem legum evaserint.

II. Hunc porro tractatum auspicabor, altiori ab origine revocando id quod nobis supra exciderat de rescissa Metropoli, non aliter quàm conspirante summa Pontificis Regisque authoritate, ad communem Ecclesiæ utilitatem promovendam. Offa Rex Merciorum in Anglia in Lambertum Cantuariensem Archiepiscopum exacerbatus, circumvento Hadriano Papa civitatem Lichefieldiensem Archiepiscopali apice cumulari fecit, ut ne amplius regni sui Episcopi Metropolitano parere cogerentur, qui eidem regno Regique ipse non pareret *Regnum Merciorum Archiepiscopatu insignire affectans.* Pontifex longè plurimos Archiepiscopatûs Cantuariensis Suffraganeos huic novo subjecit Metropolitano: nequicquam reclamante Cantuariensi. Kenulphus Offæ successit, moniensque ab Episcopis Angliæ omnibus, quantum detrimenti præcessor ejus Offa Cantuariensi Ecclesiæ intulisset, non ægrè assensus est ipse, facillimèque à Leone III. impetravit, ut quod surreptum Hadriano fuerat, revocaretur. Hæc novæ Metropolis revocatio facta est interpellatione Regis & Episcoporum omnium, qui ejus institutioni assensi non erant. *Suis & Anglorum omnium Pontificum Epistolis.* Guillelmus Malmesburiensis excusat gravissimas Hadriani Papæ occupationes, *Sicut occupatis animis multa illicita subtrahi & subripi possunt.*

*Matth. Vuestmon. pag. 276. 277. 292.*

*Guill. Malmesb. p. 30. 31. 198. 199*

III. Ulteriùs progressus est Gregorius V. rescissa Metropoli, quam præcessor ejus crexerat; quòd eam erexisset non modò Principe nullo sollicitante, sed etiam præter assensum Ravennatis Archiepiscopi, cujus Metropolis truncabatur & Provincia: adeoque præter Canones & æqui leges. *Placentinam Ecclesiam injustè tibi à meo antecessore ablatam & contra Canones sub nomine Archiepiscopatûs locatam, tibi tuisque successoribus refutantes in perpetuum.*

*Conc. to. 10. pag. 752.*

Sed si creationes ipsas Metropoleon contemplemur, multò splendidiùs delineatas deprehendemus in eis has æquitatis regulas, de necessario Principum consensu Præsulumque, quibus noxa aliqua imminet, denique de utilitate & necessitate Ecclesiæ. Joannes XIII. Beneventanæ Ecclesiæ Archiepiscopatûs dignitatem contulit, ad preces Imperatoris, Episcoporum, Cleri Romani, in Concilio Romano, sollicitatore in primis Principe Capuæ & Beneventi. *Hortatu clementissimi Imperatoris, cum consensu Præsulum, omniumque Clericorum S. R. E. qui inferius subscripserunt, interveniente Pandulpho Beneventana & Capuana urbium Principe, &c.* Capuani Principis precibus donavit Joannes Papa Capuæ urbis promotionem in Metropoliticum honorem. *A Principe rogatus. Archiepiscopatum in eadem civitate instituit.* Gelasius II. Pisis iter faciens, Metropolin ibi instituit. Honorius II. anno 1126. Pisanæ Metropoli restituit Episcopatus Insulæ Corsicæ, juxta antiquas concessiones Urbani II. Gelasii II. & Calixti II. addita potestate crucis per totam eam Insulam circumferendæ. Acerbissimè & perdiu à Schismaticis exagitatus Innocentius II. addictissimas causæ suæ & auxiliatrices expertus fuerat civitates Pisanam & Genuensem. Ut nonnihil ergo & ipse rependeret gratiæ, Corsicæ & Sardiniæ Episcopatus Pisanæ addidit Metropoli; Genuam verò subducens Metropoli Mediolanensi, ipsammet Metropoliticis auxit honoribus. Hæ porro novarum Metropoleon creationes tantò faciliùs expeditiúsque fiebant, quòd plerique omnes Italiæ Episcopatus jam olim & ab exordio uni suberant Romanæ Metropoli: à qua recisæ fuerant Metropoles penè omnes hactenus in Italia & in circumjacentibus Insulis excitatæ. Hoc eodem jure Innocentius III. Sipontinam Metropolin vindicavit, ejusque ditioni asseruit Ecclesiam Montis Gargani, frustra ad idem Metropoliticum decus anhelantem.

*Anno 969 Conc. Tom. 9. p. 1259.*

*Leo Ost. l. 2. c. 9. L. 4. c. 66.*

*Italia sacra To. 3 p. 443. To. 4. pag. 1180.*

*Baron. an. 1132. n. 2.*

*Rainal. an. 1202. n. 12.*

IV. Quanquam autem liberior esset hujus potestatis per Italiam cursus in erigendis novis Metropolibus: perinde tamen opus erat summa quadam spiritali authoritate in aliis Christiani orbis Provinciis, quæ idem, ubi ex re erat, præstaret. Gregorius IX. Moguntino Archiepiscopo firmavit priscum jus coronandi consecrandique Reges Bohemiæ. Ab Innocentio III. expugnare non potuerat Ottocarus Rex Bohemiæ erectionem Pragensis civitatis in Metropolin, ne tantum damni Moguntinæ Metropoli inferretur. At cùm postea Romanæ Ecclesiæ Pontifices vehementissimè exacerbassent præposteris consiliis suis & Archiepiscopus & Clerus Moguntinus: impatientiùs autem ferrent in dies Reges Bohemorum regni sui Ecclesias & Coronam ipsam suam ab extranea pendere Metropoli; tandem Clemens VI. Pallium Pragensi concessit Episcopo, eumque inter Metropolitanos posthac sedere jussit.

*Rainal. an. 1228 n. 39. 1204. n. 53.*

*Rainal. an. 1344. n. 64. 65.*

Juvabit ab Innocentio III. perdiscere, quæ illum absterruerint olim rationes ab erigenda Pragensi Metropoli. Hinc enim facilè colligemus canonicas rationes gratiarum istiusmodi, vel annuendarum, vel abnuendarum. Rescripsit quippe Pontifex juris consultissimus, nihil sibi optatius fore, quàm ut novo splendore aliquo regiam hanc urbem cumularet: sed ut ne quid præfestinè adgrederetur, pensitandum maturiùs antè fuisse, an incumberet gravis necessitas, an invitaret utilitas evidens Ecclesiæ Pragensis, an huic illa assentiretur innovationi, an ea esset opulentia, quæ tantæ dignitatis accessioni par esset, an possent in Bohemiæ regno novi Episcopatus creari, quibus præemineret Metropolitanus, an denique Moguntina Ecclesia assentiretur tantæ ditionis suæ imminutioni. *Siquidem ostendenda nobis est priùs, & urgens necessitas, & utilitas evidens, quæ fieri hoc exposcat; facultas & voluntas Ecclesiæ, in qua Sedes Metropolitica debet stabiliri: & utrum in Bohemia Diœceses possint statui competenter, statuenda Metropoli supponenda. Præterea convenienda & commonenda super hoc est Ecclesia Moguntina, &c.*

*Rainal. an. 1204. n. 55.*

V. Radiant hîc sanè Canonicæ regulæ in instituendis Metropolibus servandæ; quibus si quod aliquando vulnus inflictum est, non siluerunt Episcopi, & pro officio suo palam indoluerunt de accisa Ecclesiæ suæ jurisdictione, longè tamen vehemen-

tiùs de Canonicarum legum contemptu. Moravia olim paruerat Pataviensi Episcopo, Salisburgensis Metropolis Suffraganeo. In eam ex improviso intulit se Archiepiscopus cum Episcopis tribus novis, Romam se missos asserentibus, ut Sedes ibi singuli proprias nanciscerentur. Archiepiscopus Salisburgensis & Pataviensis Episcopus Epistolas dedere ad Joannem VIII. Pontificem hujus innovationis authorem, ea qua decet primam Sedem reverentia, sed & ea quam debebant Ecclesiæ causæque suæ libertate, fidentiùs contestari, nunquam à sede Apostolica manasse Rescriptum, tum æquitati, tum sacris Canonibus megis infestum, ubi videlicet Archiepiscopatus & Episcopatus novi in ea excitabantur regione, quæ suos jam haberet Episcopos, suum complecteretur Metropolitanum: notum ne petito quidem assensu: *Ordinaverunt in nostro Episcopatu unum Archiepiscopum, si in alterius Episcopatu Archiepiscopus esse potest, & tres Episcopos ejus Suffraganeos, absque scientia Archiepiscopi & consensu Episcopi, in cujus fuerunt Diœcesi.* Simillimum veri est cessisse Pontificem tam æquis precibus, & retractasse quod subreptum fuerat: cùm exinde nullum experta sit Moravia Metropolitanum.

Inter Epist. Hincmari Bibl. Patr. To. 16 pag. 610.

VI. In Hungaria sanctissimus Rex Stephanus Strigonium Metropoli decoravit, eique Episcopales sedes decem subjecit. At recurrendum antè fuerat ad dignitatum Ecclesiasticarum primigenium fontem, interposita Romani Pontificis authoritate ad novæ Metropoleos erectionem. *Misit ad Petri limina, ut Petri successor Strigoniensem Ecclesiam sua authoritate Metropolin constitueret; reliquos Episcopatus sua benedictione muniret, ipsum Ducem Regio diademate cohonestaret.* Sebastianus qui primus Strigoniensis Archiepiscopus inauguratus fuerat, aliquandiu post oculis orbatus, successorem habuit Colocensem Episcopum, ita dispensante Papa. Quo rursus similiter dispensante, Sebastianus triennio post receptis oculis absterſoque cæcitatis morbo, pristinæ restitutus est Sedi, remigrante in suam quoque priorem Ecclesiam Episcopo Colocensi, unà cum Pallio, quo exornatus fuerat. Facilè auguramur ea occasione factum esse, ut & Colocensis Ecclesia in Metropolin assurgeret. Porro increbuerunt postea lites inter duos Metropolitas hos, super jure coronandorum Hungariæ Regum, quod frequentibus Rescriptis Romani Pontifices Strigoniensibus Archiepiscopis adscripsere.

Surius die 20. August. c. 7. 16.

Rainal. an. 1103. n. 19. Anno 1111. n. 7. Ann 1131. n. 38.

VII. In Polonia sanè Otto III. Imperator, eò profectus, ut veneraretur Reliquias sanctissimi Martyris Adalberti, Episcopatum Archiepiscopatu auxit, designavitque Episcopatus, qui ei Metropoli subessent. *Facit ibi Archiepiscopum*, ait Ditmarus. Conjectat Baronius in comitatu tunc Ottonis fuisse Pontificium Legatum, qui Archiepiscopatûs erectionem ratam faceret; quanquam eddubitet, an ratam illam esse jusserit Papa: cum septuaginta post annis Gregorius VII. testatum fecerit nullam tunc adhuc Metropolin in Polonia fuisse, in datis ad Boleslaum Ducem litteris. Propius tamen vero est, non negari à Gregorio, quin suus jam esset Polonis Archiepiscopus, sed significari, nullam adhuc certam ei Sedem esse designatam. *Non habentes certum Metropolitanæ Sedis locum.* Quæ superiùs de Hamburgensi Archiepiscopo dicta sunt, & quæ mox dicentur de Archiepiscopo Rigensi in Livonia, ea manifestè produnt, complures novarum Gentium Archiepiscopos diutiùs nulli sedi affixos obambulasse, Apostolorum instar in omnes delegatæ sibi Provinciæ partes, quò illos eamque divini impetus Spiritûs rapiebat. In illis ergo & Gnesnam Poloniæ Metropolin numerabis, post etiam quam Otto III. Metropolin illam instituerat. Cæterùm quæ tum regnabat inter Pontifices & Germanos Imperatores concordia, ne umbram quidem dubitationis ullam in animis nostris residere patitur, quin confirmata fuerit à Papa Gnesnensis Metropolis, ut à Petro de Marca observatum est. Scripsit non semel Crantzius, Magdeburgensem Metropolin ab Ottone Magno excitatam fuisse. Non sine assensione factum id esse sedis Apostolicæ, iisdem argumentis efficitur. Sed quod ad Poloniam attinet, est quod addamus indubitatius aliquid. Refert enim Longinus, seu Dlugossus, qui Polonicam litteris mandavit Historiam, cùm Canonicus esset Ecclesiæ Cracoviensis: Mieslaum Polonorum Principem, cùm primus lustralibus baptismi undis initiatus fuisset, statim duas condidisse Metropoles, Gnesnam & Cracoviam, nec non & Episcopatus septem; quod & à Pontificio postea Legato confirmatum est. Nomina edidit Longinus Archiepiscoporum Cracoviensium, qui alii aliis in eam Sedem suffecti sunt, usque ad annum 1046. Eo quippe anno Antonius Monachus & Abbas natione Gallus, à Casimiro Rege in eam sedem vocatus est, isque fuit ultimus Cracoviensium Archiepiscoporum, successorum ignavia socordiaque, aut ut adularentur Archiepiscopo Gnesnensi, inter cujus Suffraganeos maluere censeri. Si qua tamen Longino fides, vel ipsi Gnesnensi ad honorem & amplitudinem optatius esse debuisset, non Leopolitano tantum, sed & Cracoviensi Archiepiscopo, Primatis nomine præesse. *Quam excellentiam & dignitatem etsi Ecclesia Cracoviensis per negligentiam succedentium huic Aaron Pontificum retinere desiit, justum tamen est, & Reipublica Polonorum decorum & necessarium, ut illam aliquando resumat. Gnesnensi siquidem non tenuis splendor, sed amplior honor accederet, si potius non ad unius Leopoliensis Ecclesiæ Archiepiscopalis, sed ad duarum, Cracoviensis videlicet & Leopoliensis, respectum Primas vocaretur.* Anno 1060. in Aaronis locum successit Lampertus, & incuria jurium Archiepiscopalium, Ecclesiam suam in meram Cathedralem decrescere passus est. Jam quoad erectionem harum Metropoleon & Episcopalium Sedium, ut ea ab authoritate Pontificia Regiaque simul profecta sit, Longinus iterum exequitur. *Mieslaw Princeps Polonorum post sacros suscepti Baptismatis latices, &c. Gnesna & Cracovia duas fundas Metropoles, &c. Pro quarum honore Metropolitico septem alias Ecclesias voluit esse subjectas, &c. Egidius Tusculanus Cardinalis Episcopus à Joanne XX. summo Pontifice missus, singulos Episcopatus Poloniæ & duas Metropoles confirmavit, & singulis Diœcesibus terminos posuit & distinxit.*

Baron. an. 999. n. 11.

L. 2. Epist. 73.

De Concor. L. 2. c. 9. n. 6.

VIII. Anno Christi 1207. Gnesnensis Archiepiscopus, quò certior fias de hujus Metropoleos antiquitate, patrocinio usus est Innocentii III. Papæ adversùs oppugnationem Ducis Polonorum. Paulò recentior est Rigensis Metropolis, de qua id memorandum est, instabilem primò & quasi desultoriam eam fuisse, nulli certæ & determinatæ Sedi affixo Archiepiscopo. Concessum illi est ab Innocentio IV. ut quæ primum vacasset Episcopalis sedes, eam sibi vendicaret. Prima vacavit Riga. In ea sedit Archiepiscopus, cui & eam stabilem deinceps Sedem Rescripto suo firmavit Pontifex idem Alexander IV. quo & memorabile hoc con-

Rainal. an. 1207. n. 12.

Rainal. an. 1255. n. 84. signavit. Itaque prius dicebatur *Archiepiscopus Livoniæ, Estoniæ, & Prussiæ*, dici denique cœpit Archiepiscopus Rigensis.

Sed piaculare fuerit illa prætermisisse Rescripti hujus verba, quibus testatum facit Pontifex, Sedem Petri ab ipso Christo extructam fuisse, huic eidem immobili Petræ superstructam fuisse Ecclesiam: hinc denique ortum, hinc stabilitatem consecutas esse principes quasque Ecclesias quæ longissimo sæculorum decursu expienduerunt, divinæ cujusdam originis afflatu omnes prorsus nobilitatæ, propterea quod insignia potestatis ab eo perceperunt, qui à Christo ipso, ea communicaturus cæteris, perceperat: sed nihilo tamen secius non dispensari, non regi tam varios sacrarum dignitatum gradus ab eo, nisi secundum castissimas justitiæ & Canonum regulas, expensis & compensatis eorum semper rationibus & juribus, quorum interest. *Primatum Cathedræ & apicem cujuslibet Ecclesiasticæ dignitatis, privilegio sibi divinitus tradito, Ecclesia Romana constituit, quam solus ille fundavit, ac supra Petram fidei mox nascentis erexit, qui beato Petro æternæ vitæ clavigero, terreni simul commisit & cœlestis Imperii moderamen. Hinc est quod apud sanctam sedem Apostolicam horum spectatur origo, eorum dispensantur insignia, de cujus plenitudine omnes accipiunt, ejusque speciali munere, quod ratio personæ, temporis, loci, vel causa interdum postulat, assequuntur.* Perinde ac si diceret, successores Petri dispensatores esse, non dominos harum Dignitatum: hac una circumfusos maximè gloria, ut universales sint Canonum executores, & perpetui Ecclesiæ Provisores, pro variis causarum, utilitatum, necessitatumque ejus momentis. Ita confirmavit Pontifex hanc Metropolin, quod creata fuisset consenso omnium ad quos inde vel utilitatis vel detrimenti aliquid redire poterat. *De consensu omnium quorum intererat:* denique animum Pontificis in id etiam inclinavit Suffraganeorum omnium commune votum: *Tuis & Suffraganeorum precibus inclinati.*

Non erat nescius tantæ eruditionis Pontifex Metropoles non paucas præteritis sæculis constitutas fuisse, non in Oriente solum, sed & in Occidente inconsulta Apostolica sede. Sed ut sua constaret veritas ejus orationi, abunde erat, ut solus primæ Sedis Principatus authoritatem habeat in omnes Episcopos divinitus institutam, quod in confesso est apud omnes Catholicæ doctrinæ vindices. Inde enim illud perspicuè emicat, potestates omnes, quæ supra ipsos consurgunt Episcopos, primævæ illius potestatis à Christo institutæ aut imitamenta esse, aut effluvia.

Nec dissimulabo Livoniæ Metropolis & Episcopatuum exordia altiùs aliquantò repeti à Longino, cum ait anno Christi 1091. Meynardum *Episcopum Livoniæ* eam Provinciam primis Christianæ fidei rudimentis initiasse. Germanus frater Bertholdus in ejus locum successit, & Ecclesiæ hujus cunas sanguine consecravit suo, palmam Martyrum adeptus. Substitutus ei Albertus, totam gentem ad Christi ovile adgregavit, perfecitque ut à Romano Præsule novi illi Episcopatus crearentur. *Residuum Livoniæ ad fidei puritatem reduxit. Rigensem Metropolim, & civitatem Gotthorum, &c. aliquot Episcopatus in Livonia Apostolica authoritate fundat & dotat.*

Rainal. an. 1198. n. 76. IX. Aliquantò vetustior erat Lundensis in Dania Metropolis, sicut & Upsalensis in Suecia. Confirmata est ab Innocentio III. Lundensis Primatia in Upsalensem Metropolin, statutumque ab eo Pontifice, ut ambo Metropolitani expetito & impetrato Pallio, Lundensis illud Upsalensi conferret, perfuncto priùs eo quod solemne Archiepiscopis est, in Romanam Ecclesiam obedientiæ sacramento. Jamdiu erat, quod Suecia Archiepiscopum acceperat ex Polonia advectum, si Magno fidem adjiciamus, in historia Gotthorum. *Jam enim Suecia Archiepiscopum ex Polonia acceperat.* Sed huic Archiepiscopo obtemperare detrectaverant Gotthi Suecique, antiquæ Bremensis seu Hamburgensis Archiepiscopi dominationi tum quidem acquiescentes. Anno 1248. Pontificis Legatus congregato Lincopensi in Suecia Concilio, hanc seu contumaciam, seu constantiam expugnare non potuit, Romamque re infecta reversus est, commendato depositoque inter manus Primatis Lundensis Eschili Pallio, quo indueretur futurus Upsaliæ Archiepiscopus. Sed cùm Suecorum nullus frangere animum, vel eò inflectere posset, ut cujusquam Dani jurisdictioni subjiceretur: diu caruit Suecia Metropoli, ut ait Magnus: donec Alexander III. eam dignitatem contulit Upsalensi Ecclesiæ, adjiciens & Pallium, quod Sueci à Danis accipere recusaverunt, quod nec ab eis prima fidei tyrocinia accepissent. Magnus Archiepiscopus Upsalensis plus nimio indulsit suæ gentis gloriæ, cujus historiam texebat, cum silentio oppressit Decretum Innocentii III. quo Metropolis Upsalensis Lundensi Primati subjiciebatur. Eò tamen allusisse videri potuit, ubi ait, si quid juris aliquando habuerit Lundensis Primas in Upsalensem Metropolitanum, id expunctum oblitteratumque fuisse Nicolai Ravaldi Upsalensis Archiepiscopi protestatione in contrarium facta in Concilio Basileensi.

Ioan. Magn. L. 18. c. 18. L. 19. c. 6. L. 16. c. 18. Concil. to. 10. p. 1810.

Dictum à nobis jam suprà est, anno 1054. adlaborasse Regem Daniæ, ut propria suo regno Metropoli donaretur, nec jam necesse sibi esset morem gerere Hamburgensi, sive Bremensi; ac rem ex animi sententia non successisse, propterea quod suo quasi jure Hamburgensis Archiepiscopus Primatem se novæ hujus Metropolis fore venditabat. At aliquantò pòst cùm se Hamburgensis implicuisset partibus Schismaticorum adversùs Gregorium VII. & Urbanum II. Papam infrementium: Urbanus perfecit, quod auspicatus erat Gregorius, ut ab Hamburgensi Metropoli Daniam resecaret, Lundinique non Metropolitanum dumtaxat, sed Primatem crearet, qui Sueciæ Norvegiæque jus diceret. Daniæ Rex gravibus simultatibus cum Hamburgensi susceptis, veritusque ne quo excommunicationis telo impeteretur ab eo, Romam profectus est, Ecclesiarum suarum libertati coram ipse patrocinaturus. Legatus Roma in Daniam ea de causa missus, populosam & opulentam civitatem Londinum ipse elegit, ut Sedem ibi Primatis, aut certè Metropolitani constitueret, addita jurisdictione in Nationes barbaras, quod non minimi esse videbatur momenti, ad temporalem etiam dominationem in eas propagandam. Hæc narrat, hæc & iisdem observationibus illustrat Saxo Grammaticus: *Non solum Lundiam Legatus Saxonicæ ditione eruit, sed etiam Sueciæ Norvegiæque Religionis titulo Magistram efficit. Nec parum Dania Romanæ benignitati debet, quæ non solum libertatis jus, sed etiam externarum rerum dominium assecuta est.* Scitè observatum est à Crantzio, erectionem Metropoleon Londensis & Upsalensis, & eam quam affectarunt absolutissimam libertatem, exitio fuisse Primatiæ Hamburgensi, cui robur & decus sola conciliabat Apostolica Legatio. Deni-

Baron. an. 1054. n. 43. Baron. an. 1092. n. 13. Saxo Grammat. l. 12.

*Crantzii Metrop. l. 5. c. 33. L. 6. c. 23.*

que Metropoliticis quoque honoribus abdicata est Hamburgensis civitas, iique Bremam translati sunt, ut mox dicemus.

Hoc exemplo addocemur posse novas quandoque erigi Metropoles, quantumvis dissentiente, sed perperam & ultra jus dissentiente antiquo Metropolita. Quæ veteres sunt Metropoles, fuerunt aliquando novæ, & ne novæ quidem unquam fuissent, quantavis urgeret Ecclesiæ necessitas, si in eandem se contumaciam veteres Metropolitani obdurassent. Antè filiæ fuerunt, quàm matres: interest porro ad ipsarum matrum gloriam, ut & ipsarum gloriæ ad maternam tum fœcunditatem, tum dignitatem eluceant. Denique specialis fuerat ratio scindendæ Hamburgensis Metropoleos invito Præsule, cùm fœdissimo schismate Ecclesiam ipse proscinderet.

Ludovicus Pius Imperator prima fundamenta jecerat Hamburgensis Metropolis, ut quæ Septentrionalibus omnibus Barbaris adhuc gentibus dominaretur. *Hæc est Hamburgensis Metropolis per Imperiale Decretum constitutio, de consilio Archiepiscoporum & Principum*, ut habet Crantzius. Ludovicus Rex Germaniæ filius Ludovici Pii, indolescens excidio Hamburgensis urbis, Ansgarium ejus Archiepiscopum Bremensi Episcopatu donavit. Ita extinctus quodammodo est Episcopatus Bremensis, quasi oppressus splendore tituli longè præclarioris; dici enim cœpit Archiepiscopus Bremensis, seu Hamburgensis. Cùm verò Brema jam olim obnoxia esset Coloniensi Archiepiscopo, eadem parendi necessitate depressus aliquandiu fuit & Bremensis seu Hamburgensis Archiepiscopus, donec ab Imperatore Henrico IV. suam à Coloniensi immunitatem impetravit Albertus Hamburgensis. Postremò denique cùm se subduxissent Septentrionalia regna tum Primariæ, tum Metropoli Hamburgensi, novæque illis creatæ essent Metropoles, hinc Apostolica Legatio adempta quoque illi est, & ipse denique Metropolis titulus Bremam translatus.

*Crantz. Metrop. l. 1. c. 20. Ibid. c. 36. L. 2. c. 21.*

*L. 5. c. 31. L. 6. c. 23.*

In Dania verò Ecclesia Lundiensis, quæ Hamburgensi jugum vix tandem excusserat, præfueratque Ecclesiis Sueciæ & Norvegiæ: necessaria rerum vicissitudine compulsa & ipsa est utriusque libertati assentiri, creatis novis Metropolibus, Upsalensi in Suecia, Nidrosiensi in Norvegia. Hæc postrema Metropolis, quam necdum attigeramus, tanta fecerat incrementa amplitudinis & potestatis, ut sub Pontifice Romano Gregorio X. Nidrosiensis Archiepiscopus contenderit, juri & principatui Ecclesiæ suæ obnoxium esse ipsum Norvegiæ regnum; qua de re prolixiùs infrà suo loco.

*Rainald. An. 1273. n. 19.*

X. Quæ penè tumultuariè congesta hîc à nobis sunt de Metropolibus regnorum Septentrionalium, firmari illustrarique possunt luculento testimonio Guillelmi Neubrigensis: qui ingenuè fatetur antiquos Archiepiscopatus, ex quibus gloriam suæ genti aliquam venantur Historici Anglorum, merè commentitios esse: ante Augustinum Gregorii Magni discipulum, & ab eo delegatum, nullum unquam Archiepiscopum in Anglia conspectum fuisse: projectas ad Boream gentes omnes, Hiberniam, Norvegiam, Daniam, & Sueciam, quanquam aliquantis antè sæculis Evangelicæ prædicationis luce perfusæ fuissent, Episcoporum tamen curæ dumtaxat & regimini creditas tandiu fuisse, nec multum fuisse temporis, ex quo Archiepiscopos adeptæ essent, cum Pallio Romano: *Primus Augustinus, accepto à Romano Pontifice Pallio, Archiepiscopus in Britannia factus est. Barbaræ verò nationes Europæ, etiam olim ad Christi fidem conversæ, contentæ Episcopis, de Pallii prærogativa non curabant. Denique Hibernienses, Norici, Dani, Gothi, cùm olim Christiani fuisse & Episcopos habuisse noscantur, nostris temporibus Archiepiscopos habere cœperunt.*

*Neubrigensis proœmium.*

XI. Nova ad hoc ipsum astruendum argumenta suppeditabunt nobis Episcopi Scotiæ cum suo Metropolitano. Cùm Henricus II. Rex Angliæ ad Concilium Northamptonense vocasset Regem & Episcopos Scotiæ, Episcopos adegit ea sacramenti fide, qua sibi obligati erant, ut eandem Ecclesiæ Anglicanæ præstarent obedientiam, quam prædecessores eorum præstiterant tempore superiorum Regum. Fidenter illi responderunt, Scotiæ Episcopos nulli unquam Angliæ Præsuli fuisse obnoxios. Rogerius Eboracensis Archiepiscopus monumenta proferebat, venditabatque certissima, quibus constaret eos in potestate & jure fuisse Eboracensis Ecclesiæ. Glascoviensis ex adverso reponebat Episcopus Ecclesiam suam immediatè semper Romanæ Ecclesiæ paruisse. *Glascuensis Ecclesia specialis filia est Romanæ Ecclesiæ, & ab omni subjectione Archiepiscoporum, sive Episcoporum exempta.* Cantuariensis Archiepiscopus idem sibi juris arrogabat in Ecclesias Scotiæ; ergo ne tunc ex Eboracensi subjugarentur, Regi persuasit, ut ejus rei judicium in aliud opportuniùs tempus rejiceret. Guillelmus Scotiæ Rex ut immunitatem regni & Ecclesiæ suæ communiret, Rescriptum à Clemente III. elicuit, quo Episcopatus omnes Scotiæ immediatè subjiciebantur Romanæ Ecclesiæ. *Statuendum duximus, ut Scoticana Ecclesia Apostolicæ Sedi, cujus filia specialiùs existit, nullo mediante debeat subjacere.* Cælestinus III. novo Rescripto eandem confirmavit libertatem, sollicitatore eodem Rege, pernumeratisque novem tum Scotiæ Episcopatibus, quibus expeditius tunc forsan fuisset Metropolitanum dari, si tam facilè hujus, quàm Papæ in Scotiam spiritali dominationi acquiescere potuissent Angliæ Metropolitani. Ita ergo temperari rem placuit, ut Metropolitani vices in Scotia perdiu Pontifex ipse Romanus fungeretur, interim verò desuescerent Angli Pontifices ab ambienda illa potestatis suæ dilatione, & paterentur aliquando tandem proprium Scotiis Episcopis Metropolitanum dari.

*An. 1176.*

*Roger. pag. 550.*

*Roger. 1188. pag. 714.*

*An. 1192.*

Nec mirum si tandiu Metropolitano caruit Scotia, cùm advertat Cambdenus perdiu ejus Episcopos nullas certas Sedes habuisse. *Scotorum Episcopi munia Episcopalia, quocumque fuerant loco, sine discrimine obierunt, usque ad Malcolmi III. tempora, circa annum scilicet restauratæ salutis millesimum septuagesimum.* Eadem fors & conditio fuit omnium Ecclesiarum, dum inter cunabula sua reptarent. Ea natura & ratio est politiæ cujuscumque humanæ, seu sacræ, seu civilis. Magistratus tum & numero & ordine & potestate augescunt, cùm ipsa augescit & perpolitur in dies magis magisque Respublica.

*Cambden. Britannia. Aon. 683.*

Ad Episcopos Scotiæ, unde digressa est oratio, reflectenda nunc est. Tametsi immediatè subessent illi Pontificibus Romanis, illorum tamen ordinationem vendicabat sibi Sant-Andreanus Episcopus. Huic ergo res erat cum ipsa Ecclesia Romana, quæ electos Episcopos confirmabat, contendebatque integrum sibi esse, eorum ordinationem, quibus collibitum sibi esset, delegare. Hujus litis alicubi meminit Innocentius III. ubi & ordinandi Episcopi munus delegat aliis Episcopis quàm Sant-Andreano, sed *sine utriusque partis præjudicio.* Joannes XXII. Episcopo Sant-Andreano confirmavit jus

*Regest. 15. Epist. 119.*

[*Rainal. an. 1329. p. 79. Rainal. an. 1436. n. 31.*] inaugurandorum Scotiæ Regum. Engenius IV. ad Jacobum Scotiæ Regem scribens, Metropolitanum se Scotiæ gerebat. Eo tempore quo Reges Angliæ summum sibi jus & imperium in Scotiæ Reges regnumque arrogarunt, Eboracenses Archiepiscopi Episcopos etiam Scotiæ subjecerunt jurisdictioni suæ. [*Spondan. ann. 1466. n. 7.*] At vero cum Patricins Graam in Sant-Andreanum Episcopum electus fuisset, Romæque repræsentasset documenta authentica immunitatis Ecclesiarum Scotiæ, Paulus II. Romanus Pontifex secundum illum pronunciavit: denique Sixtus IV. indulgens precibus Regis Scotiæ, & perpendens dispendia tædiaque Scotis subeunda, dum Romana adeatur Metropolis, Episcopos Sant-Andreanos sanxit deinceps fore Metropolitanos & Primates Scotiæ, id est Metropolitanos, non alii quàm Papæ obnoxios Metropolitano. Contendunt Scoti hanc fuisse Sixti IV. non institutionem, sed restitutionem Metropoleos Sant-Andreanæ. [*Idem anno 1472. n. 16. 17. Rainal. an. 1472. n. 17. Conc. Tom. 23. p. 1435.*] Quod argumento est prioribus sæculis, cùm necdum hæc certamina efferbuissent de Metropoli inter Anglos, Scotos & Romanos, id muneris urgente necessitate obire solitum Sant-Andreanum. Idem denique Sixtus IV. Glascoviensem Episcopum Metropolitico auxit jure, ut subesset Sant-Andreano, verè jam Primati.

XII. Affirmat Rogerius in Principatu Valliæ, ex quo beatus Samson ejus Archiepiscopus migravit in Gallias, Dolensemque Episcopatum condidit & implevit: ejus in Anglia successores, sedem adeptos in Civitate sancti Davidis, quæ Menevia etiam [*Rogerius Ann. 1199.*] dicitur, habitos semper fuisse Valliæ Metropolitanos, donec Henricus Angliæ Rex eam quoque Provinciam Imperio suo adjecit. Jam inde enim quò magis hæc nova Provincia cum regno coalesceret, & arctiùs compaginaretur, ejus Episcopos omnes edixit ille Cantuariensi Archiepiscopo ut subessent, ab eoque tanquam à Metropolitano suo ordinarentur. Sed tam contumeliosa Canonum libertatisque Ecclesiasticæ conculcatio non potuit non ad judicium referri sedis Apostolicæ. Itaque Eugenius Papa III. judices delegavit, vetuitque ne deinceps Cantuariensis sacramentum exigeret ab Episcopo sancti Davidis, quod hactenus ab eo expresserat, dum ordinaretur: neu de jure Metropolitico litem ei intenderet, aut molestiam crearet. Innovata ea causa est sub Innocentio III. à quo & dirempta fuisset, nisi intercessisset Archiepiscopi Cantuariensis, sive gratia, sive jus. Compressa ergo lite, non definita, Episcopus sancti Davidis inter suffraganeos Cantuariensis Ecclesiæ locum deinceps habuit.

XIII. Multa hic necessariò repetenda fuere, quæ jam delibata fuerant superius, ubi de Primatibus agebamus. Non pauca & hic perstricta, quæ ad Caput de Primatibus referenda sint. Conserta enim est Primatum & Metropolitanorum ratio & historia. Necessum tamen fuit de utrisque seorsim agi. Ex quo necessariò factum est, ut nonnulla jam dicta dicerentur. Diximus in tractatu de Primatibus S. Malachiam Armachanum in Hibernia Archiepiscopum & Primatem Romam se contulisse, ut Pallium impetraret sibi, alterique Metropolitano, quem prædecessor suus Celsus instituerat in eadem Insula, & cujus Metropoli authoritas accersenda erat à primæ Sedis culmine. [*Ann. 1137.*] *Erat & altera Metropolitica sedes, quam de novo constituerat Celsus prædecessor, primæ tamen sedi & illius Archiepiscopo subdita, tanquam Primati. Et huic quoque petebat nihilominus Pallium Malachias, confirmarique authoritate sedis Apostolicæ prærogativam, quam beneficio Celsi adipisci meruerat.* Verba hæc sunt Bernardi in vita Malachiæ. Hic porro observari æquum est, quandiu antiquæ superfuerint consuetudinis & politiæ Ecclesiasticæ vestigia, ut Metropolitanorum, & Provincialium Conciliorum authoritas institueret novas Metropoles, antiquis Metropolibus subjiceret, adeoque Primatias crearet, nec in his interponeretur tum quidem Romanæ sedis potestas. Ea disciplinæ ratio viguit in Hibernia ad duodecimum usque Ecclesiæ sæculum, quod nimirum penè avulsa à reliquarum gentium consuetudine, & in extremos orbis Christiani fines abacta, Capitis vim & opem tardiùs experiretur, difficiliosque ad reliquarum Ecclesiarum consuetudines contemperare se posset. 2. Non obviùs occurrit Romanus Pontifex semotis illis Ecclesiis, ut eas alliciat ad propiorem consuetudinum suarum imitationem, utque titulos & jura sacrarum dignitatum à Romana repetant Ecclesia. Quin ex adverso ipsæ se Ecclesiæ particulares, ipsi sese sanctissimi Præsules, instar Malachiæ, exstimulant, instinctu nescio quo pietatis & religionis, vel rerum suarum necessitatibus exciti, ut hanc expetant arctiorem cum capite suo conjunctionem, & familiaritatem, ejusque rituum & morum æmulationem: non nescii hoc potioris disciplinæ exemplum à Christo Ecclesiis cæteris esse propositum. Quæ hoc Capite, quæ superioribus disputata sunt de Primatibus & Metropolitanis, ea apertissimè produnt, Reges ipsos & Pontifices aliorum & aliorum regnorum sponte sua adproperasse, & interpellasse Romanam Ecclesiam, ut eorum Metropoles nova confirmatione muniret jam creatas, aut omnino crearet. 3. Confirmabat Romanus Pontifex Metropoles erectas citra ullam suæ sedis interpellationem; & ita se confirmari avebant expetebantque singulæ Ecclesiæ; peræquè hinc & inde aberat æmulatio, aut suspicio quævis obliquior: procul amandabantur contentiones de finibus potestatis: uni ultro citroque consulebatur Ecclesiæ ædificationi, & membrorum Christi in inconvulsam unitatem conspirationi. Itaque incunctanter Innocentius II. confirmavit Metropolin, quam Celsus erexerat. *Petiit Malachias confirmari novæ Metropolis institutionem, &c. Et confirmationis quidem privilegium mox accepit.* [*Baron. an. 1151.*] 4. Renuit Pontifex Pallia Archiepiscopalia concedere, nisi antè universali ab Hiberniæ Concilio postularentur. Cùm verò Eugenius III. quatuor in Hiberniam pallia per Legatum Paparons destinarit: hinc facilè conjicitur Concilium universale Hiberniæ totidem pallia, totidem Metropoles postulasse. Hinc rursus liquet, Romanos Pontifices non aliud plerumque, quam particularium Ecclesiarum votis obsecutos esse in istiusmodi novarum dignitatum institutionibus. Erectæ sunt quatuor Hibernicæ Metropoles à Legato Pontificio Paparons in Concilio universali in Monasterio Mellifontis adunato. [*Conc. Gen. Tom. 10. pag. 1130. Script. Hist. Norman. pag. 985. 986.*] 5. Vetustissimi Chronici author clamitat factum id fuisse præter inveteratam consuetudinem & præter jura antiquissima Ecclesiæ Cantuariensis, ad quam ventitabant Hiberni quondam Episcopi, consecrationis munus consecuturi. Verùm aut ea erat vetusta Cantuariensis Ecclesiæ usurpatio, ei simillima, qua paulò antè diximus Eboracenses Archiepiscopos jus & principatum affectasse in Ecclesias Scotiæ. Aut si primam Evangelicæ doctrinæ sementem acceperat Hibernia à præconibus iis, quos Cantuariensis Ecclesia eò ablegarat: iniquum erat, ut quæ Hibernicarum Ecclesiarum mater erat, dedecus aut dispendium

suum fore interpretaretur, si filiæ suę adolescerent, si splenderent, si parerent & ipsæ alias Ecclesias, & beata hac fœcunditate, materno quoque ipsæ nomine gauderent, & Metropoles efficerentur. Denique antequam Pontifices, aut Pontificii Legati hujusmodi negotio immiscerentur, duo jam erant in Hibernia Metropolitani, ut docuit nos Bernardus: & eorum alter Primatus nomine cum floreret, excussum erat jus omne Cantuariensium Præsulum in eam insulam. 6. Tribus his exemplis Metropoleon Hiberniæ, Valliæ & Scotiæ abunde patefactum est, quàm necessariò interpellanda fuerit authoritas primæ Sedis, aut ad primùm creandas Metropoles, aut ad eas saltem postea confirmandas. Cantuarienses enim & Eboracenses Episcopi, seu privatæ cupiditatis æstu, seu immodestiore pietatis zelo, seu Regum Angliæ impulsione, qui eas Provincias regno suo strictissimè copulare cupientes, nullas non ad id artes machinasque admovebant: Cantuariensis, inquam, & Eboracensis Metropolitani novellas illas Valliæ & Hiberniæ Metropoles in exortu ipso suo oppressissent, pervicissentque ne ullæ unquam in Scotia exurgerent, & his omnibus Ecclesiis incredibilia quædam damna importassent, nisi eas Apostolicæ sedis tuitio obumbrasset.

XIV. Ex Hibernia tranandum nobis est in Hispaniam, ubi obvia statim prodit Tarraco, Metropoliticæ antiquæ potestati redintegrata ab Urbano II. statim atque Berengarius Comes illam exemit Mauricæ dominationi. Donatus est ab Urbano Archiepiscopali hac sede Episcopus Ausonensis, qui Vicarius generalis & veluti Custos ejus Ecclesiæ designatus fuerat ejus urbis, tum sub jugo barbarico jacentis. *Nos Antecessorum nostrorum privilegia sequentes, qui Ausonensem Ecclesiam Tarraconensis quondam instituêre Vicariam, tibi, quia tuo potissimum studio hac est restitutio instituta, ex Romana Ecclesia liberalitatis gratia, Pallium, totius scilicet sacerdotalis dignitatis plenitudinem, indulgemus.* Novo huic Archiepiscopo permissum etiam est, ejusque successoribus, ut Ecclesiam Ausonensem unà retineret, donec ad pristinas vires opesque urbs & Ecclesia Tarraconensis convaluisset. *Ausonensem Ecclesiam tibi tuisque successoribus tandiu concedimus possidendam, donec, authore Deo, ad pristini status plenitudinem vestro studio Tarraconensis Ecclesia reformetur.* Intercessit Narbonensis Archiepiscopus Metropoleos Tarraconensis restitutioni, obtestatusque est per Epistolas ad Pontificem datas, quadringentos per annos Narbonenses Præsules Metropolitana munia in Tarraconensi Provincia obiisse, & in eam omnem & humanitatem explicuisse & beneficentiam, quam iniquum jam esset hac repulsa remunerari. Demulcere Narbonensem Præsulem studuit Papa, donec Tarraconensis civitas pristinæ redderetur integritati & amplitudini. At quoniam plures aliæ Hispaniarum Metropoles ruinis suis insepultæ quodammodo erant, curam earum agere jussit Paschalis II. Papa Primatem Toletanum: ea cautione, ut quamprimum illæ sese ad priorem libertatem & gloriam recuperassent, pristina reciperent Metropoliticæ suæ dignitatis jura. *Vt quoad sine propriis extiterint Metropolitanis, tibi ut proprio debeant subjacere. Si verò Metropolis qualibet in statum fuerit pristinum restituta, suæ quæque Diœcesis Metropolitano restituatur.*

Baron. an. 1091. n. 8. Vrban. II. Epist. 7. Conc. Tom. 10. p. 428. 459. 460.

Paschal. II. Epist. 4.

Hic interlucent vestigia quædam nova ejus & utilitatis Ecclesiasticæ, & necessitatis, quæ id effecit, ut in manus recideret summi Pontificis tota illa circa novas Metropoles potestas, quam olim ferè Concilia Provincialia administrabant. Antiquæ Hispaniarum Metropoles solo æquatæ excisæque multis sæculis jacuerant, ut earum non extarent nisi incerta vestigia, confusi limites. Metropolitani alii earum Provincias occupaverant, longaque dominatione, fidissima tuitione, benefactis plurimis sibi devinxerant. Principes jam non ii erant, qui olim, & regnorum utilitates longè diversæ, quibus nemo nescit quantùm cohæreant Ecclesiæ rationes. Ex his difficultatum anfractibus emergere vix licebat, nisi regente & prælucente Apostolicæ sedis authoritate, cujus, ut communis omnium parentis, interest commoda promovere tum Ecclesiasticorum, tum sæcularium Principum, atque ita illos sibi ipsis mutuò, & sibi ipsi colligare indissolubili maximè vinculo justitiæ & charitatis, quæ & Deus ipse est, & invicta proinde ac inexpugnabilis est. Eò collimabant Urbanus II. & Callistus II. eò ut pertingerent, tutissima iniere consilia.

Eodem consilio usus est Callistus II. in negotio Braccharensis Ecclesiæ, quam Henricus Comes nuper regno potitus Portugalliæ in Mauros expugnaverat. Cœperat Paschalis II. huic urbi pristinum splendorem reddere, quanquam jamdiu esset quod titulorum & potestatis ejus memoria oblitterata erat. *Irruentibus Mauris & Metropolis dignitas imminuta, & Parochiarum termini imminuti.* Henrici Comitis verbis fidem adjecit Callistus II. nec alia desideravit documenta, ut limites & Diœcesis & Provinciæ Braccharensis definiret. *Sicut in descriptione prædicti Domini continetur.* Portugallici regni illustrissimus conditori jure merito videbatur, suæ ipsius gloriæ & famæ accessurum, quidquid amplitudinis & splendoris ei civitati comparasset, quæ regni sui caput & decus futura esset.

Baron. an. 1123. n. 2.

Conc. Tom. 10. p. 830.

Idem ipse Callistus II. Compostellanam erexit Metropolin, Provinciam ei subjiciens, cui magna ex parte imperitabant adhuc Sarraceni. Confirmavit Innocentius III. Callisti decretum. Id donabant hi Pontifices pietati & precibus Hispanorum, qui ea maximè in Ecclesia Jacobum Apostolum reverebantur. Eò porrò transtulerunt Metropolin Emeritensis civitatis quondam celeberrimæ, tunc excisæ. Edixit Innocentius III. ut quandocumque recuperaretur & reviviscerer suis ex cineribus Emerita, Episcopo contenta esset Compostellani Archiepiscopi suffraganeo. Verùm id quoque precibus datum esse Regum & Episcoporum Hispaniæ, non absurdè conjicitur. Refert Mariana ab Urbano II. Episcopalem sedem Iria translatam fuisse Compostellam, concessum Compostellano tunc Episcopo pallium, concessam & à jure Braccharensis Metropoleos immunitatem. Hi gradus præstruebantur superiori dignitati adipiscendæ. Addit Mariana Regia consensione totum esse factum. *Accessit Regius consensus.* Interpellatus est ab Imperatore Hispaniarum, ita enim tunc Regem appellabant, Petrus Venerabilis Cluniacensis Abbas, ut Innocentio II. blandiretur, exprimeretque ab eo assensum in postulationem Episcopi Salmaticensis in Archiepiscopum sancti Jacobi. Ita vocabatur tunc quandoque Archiepiscopus Compostellanus. Hujus Ecclesiæ & civitatis incremento suam quoque crescere amplitudinem interpretabantur tunc temporis Reges Hispaniæ. *Inter omnes Hispanas Ecclesias caput extulit,* ait Petrus Cluniacensis Abbas. Non attingam gravissimas & diutinas lites inter Archiepiscopos Compostellanum & Braccharensem, de Episcopalibus Ecclesiis Ulyssipponensi, Conimbrica, Lamecensi,

Baron. an. 1123. n. 8.

Rainal. an. 1199.

Innoc. III. Regest. 2. Epist. 139.

L. 10. c. 5. 12.

Pet. Vener. L. 4. Ep. 9.

Innoc. 3. Regest. 4.

Ep. 105. 133. & seqq.

Visensi, Egitania, & Eborensi. Suffraganeæ quondam eæ fuerant Metropolitani Emeritensis. Tunc eas Innocentius III. Compostellano addixit. Iidem Archiepiscopi Toletano litem moverunt de Episcopatu Zamorensi, cujus origo hæc, quòd eò recepisset Asturicensis Episcopus hospitem perquam illustrem Episcopum Valentinum, quandiu Valentia à Mauris obtrita & oppressa gemebat.

Baron. an. 1118. n. 18.

Alfonsus Arragoniæ Rex vendicata à Mauris Cæsaraugusta, Petrum ejus urbis Episcopum Romam proficisci jussit, ut à Gelasio II. Papa ordinaretur. Ordinavit illum Pontifex, & Indulgentiarum diplomate munivit, quo venia peccatorum facilior fiebat eis qui opis & pecuniæ aliquid impertiissent ad desolatarum Ecclesiarum restaurationem. Non-nisi multo pòst tempore à Joanne XXII. huic Ecclesiæ Metropolitica dignitas conciliata est, divisa Tarraconensi Metropoli ejusdem regni. Mariana Ulysipponensis Metropoleos institutionem Bonifacio IX. adscribit. Denique cùm Granatensis civitas non emerserit nisi omnium postrema è Sarracenica dominatione, post annum denique captivitatis circiter octingentesimum: perspicuum est non tam veteris Metropolis restaurationem, quàm creationem novæ ab Alexandro VI. factam fuisse, cum suos ei Suffraganeos designavit.

Rainal. an. 1318. n. 38. Mariana. L. 18. c. 15. Rainal. an. 1492. n. 6.

XV. Aliquantis annis post excidium totius Hispaniæ à Mauris Africanis, Leo III. Ovetensem erexerat Metropolin. Videri tamen potest Joannes VIII. in Epistolis ad Alfonsum Regem datis, Ovetensi Metropolitano omnes Hispaniæ Episcopos & Abbates subjecisse, postquam ipsum eorum hortatu Metropolitanum creasset. Ita enim Rodericus: *Ecclesia Ovetensi, quam vestro consensu & assidua petitione Metropolitanam constituimus, omnes vos subditos esse mandamus.* Quinque Metropoles antiquæ Hispaniarum ruinis suis intumulatæ quodammodo erant, cum Ovetum sola jam Metropolis surrexit; ideo & ejus Metropolis creatio facta est instante Rege, petente Nationali Concilio: *Rex cum uxore & filiis, Episcopis & Comitibus, & Magnatibus, authoritate domini Papæ Joannis, Ovetum ad celebrandum Concilium convenerunt, in quo cum universali convenientia civitas Ovetensis dignitate Metropolitica insignitur, & Hermegildus in Archiepiscopum sublimatur, quia Hispania captivatis quinque sedibus Metropoliticis, silebat officio Metropolitico destituta.* Idem confirmat Mariana, additque cum Roderico, quod jam suprà adnotatum à nobis est, Ovetum Civitatem Episcoporum dictam esse, quòd Episcopi omnes tota Hispania à Mauris ejecti, eò confugissent, quasi in sinum sui jam Metropolitani.

Roderic. l. 4. c. 9. 17. 18. Mariana. L. 7. c. 18.

Ergo jam inde saltem à temporibus Joannis VIII. hoc est medio sæculo IX. interposita est in Hispania Apostolicæ sedis authoritas ad novæ Metropoleos erectionem. Reges, Episcopi, Optimates in id conspirabant. Vix ulla potest major fingi necessitas, quàm quæ tunc oppresserat Rempublicam Ecclesiamque Hispanicam, ab annis amplius centum miserando naufragio absorptam. Excitabatur Ovetensis Metropolis velut ex aliarum omnium ruderibus, Metropolis Hispaniæ universalis futura. Amantissima hæc mater omnium Hispaniæ Ecclesiarum, commendata sibi earum jura, ut custos interim, non ut domina obtinuit, reddiditque incunctanter, cum primùm illæ animos viresque recepere. Nec tam diurnæ aut dominationis, aut beneficentiæ in eas suæ vestigia ulla reliqua esse voluit, ne earum infortunio crevisse ipsa videretur.

XVI. Metropoleon Galliæ complurimarum certa erat & explorata antiquitas. Non est ergo quod iis diutiùs immoremur. Tolosanum Episcopatum in Metropolin erexit Joannes XXII. Docet nos ipsissima hujus institutionis Bulla, idem in votis habuisse Clementem V. Fulconem Tolosanum quondam Episcopum, sanctitatis fama clarissimum, nil intentatum reliquisse, ut ab Innocentio III. impetraret Episcopatûs sui in plures Episcopales sedes divisionem, quòd ea tunc esset ejus in complures regiones jurisdictio, ut tam latè se porrigere non posset unius Episcopi cura & vigilantia: Innocentium III. consultius duxisse tum quidem nihil imminuere de amplitudine illius Ecclesiæ, ne tantundem de opulentia decurtaretur: qua sanè tota tunc opus in primis erat ad frangendam cohibendamque Albigensium hæreticorum insaniam; nunc porro tempestivum esse ei partitioni manus admovere, postquam tantæ opes cœperant non aliud ferè quàm luxum alere & inanem pompam Prælatorum. *Attendentes quod licèt Tolosanus Episcopatus divitiis abundaret immensis, vix tamen superetat huc usque memoria, quod ex suorum opulentia copiosa redituum aliquod in Ecclesia vel Diœcesi Tolosana pervenisset divini cultûs augmentum. Immo sic ex adipe prodierat, & prodibat iniquitas, ut multo jam tempore luxus, cura carnis in desideriis, evectionum pompa, numerositas clientela, immoderata distributio in parentes, sumptus enormes ac usus extraordinarii sibi vindicassent ibidem totum patrimonium Crucifixi. Et verendum erat, ne Præsul unus incrassatus & dilatatus, ex excessivis hujusmodi operibus & superbus, periculosè recalcitrans, Deum factorem suum relinqueret, & perditionis exempla in suos subditos derivaret.* Ex quibus illud tandem concluditur à Pontifice, conducibile jam, adeoque necessarium fuisse, tantas opes in plures dispensari Episcopos, pluresque adsignari Pastores ei gregi, cui regendo unus Pastor par non erat.

Rainal. an. 1317. n. 12. Extravag. Comm. l. 3. tit. 2. c. 5. 6. 7.

XVII. Interpellavit Carolus V. Galliæ Rex Gregorium XI. ut nova Lutetiæ Parisiorum Metropolis crearetur. Dissensûs sui causas sapientissimo Regi approbavit Pontifex. In iis non postrema erat Senonensis Metropolis antiquitas; quin & paupertas tum Senonensis, tum Parisiensis Ecclesiæ. Concessit tamen Gregorius, ut Pallio indueretur Parisiensis Episcopus. Is qua erat animi modestia, hoc honoris insigni abstinere maluit. Hanc animi moderationem æmulati sunt, qui in ejus locum successere, usque ad annum 1622. cùm urgente Ludovico XIII. Rege Parisiensis Metropolis excitata est. Erit quod stupeat posteritas, tum Regum, tum Antistitum regiæ hujus urbis toto orbe nobilissimæ, amplissimæ, opulentissimæque modestiam, qui tandiu nihil ambierint splendidius: cùm vel ipsa Ecclesiæ antiquitas exemplis hoc genus vix ullis clareat, ut Regiarum urbium Episcopi honoribus tam mediocribus acquieverint.

Spondanus. Ann. 1377. n. 20. Ao. 1622. Preuves des Libertez de l'Egl. Gall. p. 1313. Synod. Par. p. 438. 470.

XVIII. Non multum erat negotii in instituendis à Pontifice Romano Metropolibus novis, quando ii quorum dividebatur & imminuebatur jurisdictio, ejusdem regni finibus cingebantur, eidemque parebant Principi. At longe aliter res se habuit, cum Paulus IV. Papa precibus votisque obsecutus Philippi II. Hispaniarum Regis, Metropolitica dignitate ornavit Cameracensem Episcopatum, qui Remensi suberat Metropoli: & Ultrajectensem, qui Coloniensi: & Mechliniensi denique recens creata Metropoli, his tribus Archiepiscopis subjecit non solum antiquos Episcopatus, Attebarensem

sensem & Tornacensem, Remensis antè Provinciæ Suffraganeos; sed tredecim præterea Episcopatus alios recens creatos: quod perfici nequaquam potuerat, nisi ex parte truncatis compluribus Germaniæ Episcopatibus. Tum sanè complures Ecclesiæ & intercessere, & aures Pontificis justissimis opplevere querelis, quod ne consensu quidem suo requisito, potestatis suæ parte non modica minuerentur. Cardinalis Lotharingus, idemque Archiepiscopus
*Spondan. an. 1559. n. 4.* Remensis, paucis pòst annis cum congregasset Provinciale Concilium Remis, vocatis etiam Episcopis Cameracensi, Atrebatensi, Tornacensi, & Sant-Audomarensi, ut antiquis Ecclesiæ Remensis Suffraganeis: misit per Procuratores suos Archie-
*An. 1564.* piscopus Cameracensis diplomata Pauli IV. & Pii IV. ad creationem Cameracensis novæ Metropoleos, cui subjiciebantur ab his Pontificibus Episcopales hæ Ecclesiæ cæteræ, Metropoli Remensi subductæ. Contestatus est Promotor Remensis Concilii, his adminiculis infringi non posse antiquissi-
*Conc. noviss. Gall. p. 2175.* mam Remensis Ecclesiæ jurisdictionem. Synodus moram interponendam censuit, dum maturius de re deliberaretur, & de re tota certior fieret Rex Christianissimus. Lotharingus Cardinalis rescribens iisdem Episcopis, significavit, vetuisse Pontificem ne quid executioni mandaretur, nisi vocatis quorum res ageretur: *Praceptum esse, ne res conficeretur, nisi vocatis iis, ad quos quomodocumque pertinet:* at ne monitum quidem esse aut Regem Christianissimum, aut Archiepiscopum Remensem, quorum jura hac innovatione tantopere minuebantur: violatos ergo esse Canones Nicænos, Ephesinos, Calchedonenses; ideoque constitutum sibi certumque esse omnia juris remedia, canonumque authoritatem experiri, ut sarta integraque tueatur Metropoleos suæ jura. *Statuimus omni ratione juris remedia adhibere.*

*Conc noviss. Gall p. 254. 274.* Guisius verò Cardinalis Concilio Remensi convocato anno 1583. invitari curavit Episcopos Cameracensem, Tornacensem, Attebatensem, Iprensem & Sant-Audomarensem. Illi quidem non affuere, Synodus ipsa excusandam censuit temporum importunitatem, bellique incendium quo Belgium flagrabat. *Attentis bellorum tumultibus, qui in suis Diœcesibus notoriè urgent.* At pronunciavere Patres Concilii, nisi in posterum Concilio præstò se sisterent hi Episcopi, ubi canonicè vocati monitique fuissent, tum canonicam vindictam in eos exerendam. *Nisi ad futura Concilia debitè vocati accesserint, contra eos per vias juris procedatur.* Exinde Remenses Archiepiscopi easdem sæpius Protestationes iteraverunt. Diutius etiam sævierunt bella, ut præscribi omnino non potuerit. Denique pòstquam victricibus armis Ludovici XIV. Regis supra omnem retro sæculorum memoriam incomparabilis, invictissimique, Cameracensis Civitas Franciæ dominationi recuperata est, cui tot ante sæculis paruerat: altero pòst anno, nempe 1678. innovatæ sunt protestationes eædem ipsæ ab eo qui nunc illi præest Ecclesiæ Archiepiscopo, sollicitudinis pastoralis, doctrinæque & integritatis gloria orbi notissimo.

In istiusmodi causarum perplexitate, aliæ aliàs initæ sunt viæ & rationes, ut Metropolitanorum antiquorum dignitati & juri fieret satis. 1. Nova nonnunquam Metropolis gradu dejecta est, & in Episcopatum redacta, antiquæ rursum Metropoli obnoxium. Ita Dolensis Archiepiscopus, hoc dignitatis culmine & Pallio per aliquot sæcula potitus, in ordinem redactus est, & Turonensi Metropoli



reddita, quanquam assensus olim fuisset Metropolitanus Turonensis, ut Metropolitanus diceretur & ipse, duobusque præesset Episcopis, si reliquam relaxare prædam in animum induxisset. 2. Confirmata quandoque fuit nova Metropolis, additis ei etiam Suffraganeis, dum subesset & ipsa antiquo Metropolitano, tanquam Primati. Cùm tractaretur causa, & pacis tentarentur blandimenta aliqua inter Ecclesias Turonensem & Dolensem sub Innocentio III. Turonensis Metropolitanus potestatem fecit Dolensi, ut duobus præsideret Suffraganeis, & Metropolitani nomine frueretur, dum sibi tanquam Primati subesset, & à se consecrationem Palliumque Roma missum accipere non abnueret. Temperatas has Innocentius III. conditiones magnopere probabat. Rem disturbavit Dolensis dissensu suo, propterea quod non ii subjicerentur sibi Suffraganei, qui Dolensi civitati proximiores essent. Verùm morositatis suæ hujus non multo pòst tempore illum pœnituit, ut mox dicemus. Jam supra narravimus, ut Daniæ Rex postularit propriam in suo sibi regno condonari Metropolim, cùm Episcopatus sui omnes hactenus obnoxii fuissent Metropolitano Hamburgensi, qui Germanicorum Principum Collegio inscriptus erat; at assentiri respuerit Hamburgensis, nisi Patriarcha vel Primas novæ hujus Metropoleos ipse designaretur. *Sola expectabatur sententia nostri Pontificis. Quam rem ille si Patriarchatùs sibi honor, & Ecclesia sua concederetur, Romanis privilegiis fore ut consentiret, promisit.* Ea sunt Adami Historiæ verba. Huic porro Primariæ ne assentiretur Pontifex, duo præstiterunt. Primum quòd ne ipse quidem Daniæ Rex concoquere illud posset, ut omnes regni sui à Primate extraneo penderent Ecclesiæ. Secundò quòd Hamburgensis ipse devovisset se & obstinatissimè adhæresceret schismati Germanicorum Imperatorum adversùs Romanam Ecclesiam bellantium. Diximus jam suprà Narbonensem civitatem à Regibus nostris receptam, expugnatis Hispaniensibus Sarracenis, qui pridem ea potiebantur, Primatiæ Bituricensi subjugatam fuisse cum sua Metropoli, ut Francicæ dominationi indissolubiliùs devinciretur. Nuperrimè, anno videlicet 1678. Albigensis civitas Metropolitico culmine illustrata est, cùm convenisset partium assensu, ut Bituricensi subesset Primati, cujus è Metropoli nova hæc Metropolis decerpebatur. Nonnisi interpellatus à Rege Christianissimo Pontifex hanc instituit. Pontificium diploma anno 1680. publicatum est, in quo de Primatu prorsus siletur. Nempe dissensu suo infirmavit Pontifex id de quo inter partes convenerat. 3. Fuere & aliæ quandoque rationes remunerandi & resarciendi pinguium Cœnobiorum adjectione, quod antiquis Metropolibus novarum institutione decisum fuerat. Exemplum re- *Synodicum*
centissimum in Metropoli Senonensi, cum ab ea sub- *Parif.*
ducta est Parisiensis Ecclesia, & in novam excitata Metropolin. Non facilè poterat Senonensi Ecclesiæ quæ Primati jam parebat Lugdunensi, jus Primatûs concedi in aliam Metropolin. Inauditum quippe hactenus ferè est, ut Primas Metropolitanis præpositus, ab alio ipse pendeat, quàm à verissimo Patriarcha. At ex adverso exploratissimum est, Primatum honoribus juribusque usos esse Remenses olim Archiepiscopos, temporibus ineuntis Monarchiæ Franciæ sub sancto Remigio.

XIX. Revocanda nunc oratio est ad Turonensem Ecclesiam, cujus Metropoli tamdiu controversiam fecerunt Armoricæ Provinciæ Episcopi, quan-

quam Apostolicæ sedis Rescripta identidem illi suffragarentur. Hildebertus Turonensis Archiepiscopus preces olim eniaissimas exhibuerat, ne Romani posthac Pontifices Dolensi Episcopo Pallium destinarent, cùm Urbanus II. pronunciasset, Armoricam Provinciam omnem Metropoli Turonensi subjici debere, Palliumque missum fuisse in gratiam personæ, non Ecclesiæ Dolensis. Hanc denique implicatissimam & infinitam quodammodo litem explicuit & terminavit Innocentius III. perpensis diligentissimè titulis chartisque hinc & hinc omnibus; subjecitque Episcopatus Britanniæ minoris, & ipsum quoque Dolensem Metropoli Turonensi; vetito etiam Dolensi, ne deinceps ad Pallii gloriam aspiraret, & in antecessum irritatis documentis omnibus quæ promi deinceps possent ad hanc litem resuscitandam. Commemorat Pontifex in edito ea de re diplomate, ut olim Brittones Regis Francorum jugo excusso, suæ sibi genti Regem creàrint, affectarintque proprio quoque frui Metropolitano; electum ab eis ad id muneris fuisse Dolensem Episcopum, eique novitati quæsitum colorem à beato Samsone Archiepiscopo Eboracensi, qui Anglia olim exulare jussus, in eam civitatem concesserat, & Pontificalia munia cum Pallio ibidem obierat, dum superstes esset; Nicolaum I. Pontificem obstitisse duplicatæ contumaciæ in Regem & in Metropolitanum: Urbanum II. Lucium II. Anastasium, Eugenium & Alexandrum Pontifices infatigata constantia causam Turonensis Ecclesiæ tuitos esse. Dolensis Episcopus impatientiùs ferens suam dejici ac dehonestari se Pontifice Ecclesiam, abdicare se decrevit in manus Innocentii Papæ, qui in aures ejus hoc unum intonuit, Non posse ab eo sponsatam sibi Ecclesiam repudiari, non posse resignari Episcopatum, nisi licentiam ipse fecisset: se verò adeo non ejusmodi quidquam concessurum, ut certissimè juberet, quàm properè pergeret ad Archiepiscopum Turonensem, ut ab eo Episcopus ordinaretur. *Tu sponsus es, & te sponsa tua exigit. Istud facere absque nostra licentia, quod nolumus, tu non potes. Tibi in virtute obedientiæ præcipimus, &c.*

Spicileg. To. 13. p. 268. Part. 2.

Rainal. an. 1199. n. 52. Innoc. II. Regest. 2. Epist. 82. 83. 84.

Ab hac narratione non dissidet historia Matthæi Paris, qui hac occasione Innocentium III. hoc elogio afficit; nam ad extollendam verè ingentem hujus Pontificis peritiam, *Audacem Jurisperitum* illum vocat, quòd implicatissimam explicuisset controversiam, cui expediendæ tot ejus insudaverant prædecessores, conatu majore quàm fructu. *Ut qui in scientia erat magnus, audax simul Jurisperitus.*

Paris anno 1119.

A Rogerio verò excerptum est quod suprà attigimus, Procuratores Turonensis Archiepiscopi Romam missos, & in id assensos esse, ut Metropolitanus diceretur, duosque Suffraganeos in potestate sua haberet Dolensis, dum acquiesceret Turonensi, tanquam Primati subesse, ab eoque consecrari, & Pallio Roma misso vestiri. Respuisse hoc temperamentum Dolensem, quòd sedi suæ proximiores non adsignarentur Suffraganei. Pontificem omni studio adlaborasse, ut commoda transactione partes inter se convenirent. Quod ubi non processit, judicium tulisse decretorium, de quo Dolensis tanto acerbiùs doleret, quanto jam inutiliùs.

Roger. anno 797.

Prætermitti hîc autem non debet, quòd cum Innocentius III. inter Pontifices numeret Lucium III. qui Turonensi Metropolitano favorem & tuitionem impenderant adversus Dolensem: hinc nos edoceri, cessisse ipsum tandem urgentissimis Epistolis Philippi Augusti Francorum Regis, quibus contestabatur regium diadema sibi excuti, quo cingebatur caput, si Britanniæ minoris Episcopi Metropolitano Turonensi subducerentur. *Regnum nostrum turpiter imminuere ac mutilare, coronam de capite nostro dejicere, frangere & pedibus conculcare, &c. Si processerit factum istud, minus amodo vos æstimabimus Patrem quam vitricum; minus sentietis nos filium, quam privignum.* Missa facio reliqua ejusdem Regis verba, eodem doloris sensu & aculeo incitata. Si loquitur autem Innocentius III. de Lucio II. tum existimandum erit hunc ipsum cessisse tandem rationibus & sollicitationibus regiis; à quibus tamen postea recesserit Lucius III. in causam Brittonum plus æquo propensior.

Inter Epistolas Stephani Torna Epist. 125. 126. 127.

Vide ibid. Epist. 45. 49. 259.

Hæ porro dissensiones, quæ inter Metropolitanos, diversorum quandoque regnorum increbrescunt, necessitatem ineluctabilem produnt confugiendi ad summum aliquem Judicem. In causa id fuit quamobrem curæ fuerit Metropolitanis, ut seu Diœceseos, seu Metropoleos suæ jura omnia à summo Pontifice confirmarentur. Longè plura est legere exempla in nupera amplissimaque Labbei Conciliorum editione.

Conc. to 9. pag. 778. 9. 972. Conc. to. 10. pag. 818. 690.

XX. Remotissimæ in extremas orbis oras Ecclesiæ immunes non fuere hujus necessitatis, ut authoritate sedis Apostolicæ Metropoles suæ vel diruræ restituerentur, vel confirmarentur titubantes. Leo IX. certior factus per Epistolas Archiepiscopi Carthaginensis, non plures jam ei, quàm quinque Suffraganeos superesse Episcopos in Africa tota, tametsi affuissent olim Carthaginensibus Conciliis Episcopi quinque supra ducentos; & ex his quinque Suffraganeis unum esse, qui Metropolineum privilegium invadere gestiret: omni ope, & potestate maxima connisus est, Carthaginensis Ecclesiæ ut has saltem reliquias intactas tueretur. Dictum est supra, ut Tyro ex infidelium potestate recepta, ejus Metropolitanus electus Romam petierit, pallium ab Honorio II. flagitaturus, à quo & antiquos recepit Ecclesiæ suæ Suffraganeos, jussus & ipse parere Hierosolymitano Patriarchæ: Antiocheno autem Patriarcha, qui illum sibi potius vendicabat, compulso stare judicio Romani Pontificis. Innocentius II. perfecit quæ cœpta fuerant ab Honorio II. Protulimus etiam alibi Constitutiones Alexandri IV. de Archiepiscopis & Episcopis Insulæ Cypri, seu Latinis, seu Græcis. Horum concordia & perquam necessaria erat, & difficillima: cùm hi ab illis dissiderent moribus & ingenio, disciplina & lingua: & iisdem tamen cingerentur urbium, nonnunquam & domorum muris. Nec Insulæ Rhodi Metropolitani duo, Græcus alter, alter Latinus, concordare potuere, & deinceps abstinere dissidio, nisi cura & sollicitudine Pontificum primæ Sedis.

Leo IX. Epist. .. 16

Baron. an. 1127. n. 12. Conc. to 10. pag 948. & seqq.

Conc. to. 11. Part. 2. pag. 2355.

Spondan. An. 1070. n. 13.

XXI. Inter Græcos eandem usurparunt potestatem Imperatores erigendarum Metropoleon. Romanus Diogenes eo honore cumulavit Ecclesiam Nazianzenam, teste Curopalate. *Hic Imperator Episcopatum Nazianzi ad jura Metropolitana perduxit.* Occidentis Principes non aliud sibi sumpserunt, quàm ut sua consensio adhiberetur. Sed & in Oriente quandoque Imperatores Ecclesiæ & Conciliorum authoritatem interposuerunt. Accipe ejus rei exemplum. Georgius Phranzes Mauricium Imperatorem narrat gratificari aliquid cupientem civitati Monembasiensi, sibi fidissimæ, Episcopatum illam auxisse, & sanxisse ut inter Metropoles trigesima-quarta esset; Andronicum vero Imperatorem

Baron. an. 1071. n. 14.

ad decimum eam gradum provexisse. Id verò fac- L. 3. c. 24. tum esse Concilii quoque authoritate: *Imperatoria majestate, suffragante Synodo.*

---

## CAPUT XLVI. *P. 4. l. 1. c. 16.*

### De potestate & officio Metropolitanorum in genere, & de mutua cum Episcopis Suffraganeis concordia, hac ultima ætate post annum Christi millesimum. Specialiter autem de eorum jurisdictione in subditos Suffraganeorum, ex jure Decretalium.

*I. Argumenta & exempla potestatis Metropolitanorum in Suffraganeos.*
*II. Quantum honoris habuerint ipsi summi Pontifices Metropolitanis, & quantum eorum judicio concesserint.*
*III. Limites authoritatis Metropolitica.*
*IV. Summa eorum potestas radiat in perlustranda Provincia, explendescit autem tota in Concilio Provinciali.*
*V. Qua Episcoporum potestas in Metropolitanum ipsum in Concilio Provinciali.*
*VI. De immediata Metropolitanorum potestate in subditos Episcoporum.*
*VII. Hujus ipsius potestatis amplitudo, & circumscriptio.*
*VIII. Supplet Metropolitanus negligentiam, & malitia inferiorum Præsulum. Interdum Provincia sua consuetudines malas emendat.*
*IX. Contumelias Episcopis aspersas abstergit & ulciscitur. Invigilat adversus hæreses.*
*X. Exempla Apostolorum Pauli, & Joannis.*
*XI. Observationes alia quapiam.*

I. GErbertus Remensis Archiepiscopus luculentè declarabat, quæ esset vis, quod pondus Metropolitarum potestatis in Suffraganeos; cum ad Ambianensem scribebat Episcopum, etsi totius Provinciæ onus gestaret, specialius tamen ea se cura oneratum esse, ut ejus invigilaret motibus & consiliis, immaturitatem nescio quam redolentibus, & levitatem ejusmodi, quæ Episcopalis ordinis sanctimoniæ & gravitati minimè consenti-
Conc. Tom. 9. p. 749. 1219. ret. *Etsi enim totius Metropolis Remorum nobis cura injuncta est, sed vestri potissimum, qui & annorum teneritudine, & morum levitate pondus Sacerdotale nec dum ferre didicistis.* Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus nihilo blandius agebat cum Episcopo, judiciis ejus obsequi detrectante; allegatis enim Canonibus Nicænis, Antiochenis & Toletanis, significabat, Metropolitanum nihil moliri extra Diœceseos suæ terminos, cum Provinciam suam, quanta quanta est, spectat habetque non aliter quàm Diœcesin suam, quoties in Episcopos incurrit ab officio suo deviantes. *Nec sobrius quisquam putaverit hoc esse in aliena Parochia temere aliquid præsumere, cum per misericordiam Dei totam hanc, quam vocant Britanniam Insulam, unam unius nostræ Ecclesiæ constet esse Parochiam.* Quod de Ecclesiæ Cantuariensis exemplo nos suprà copiosiùs.

II. Pontifices ipsi Romani reverentia non mediocri prosequebantur Metropolitarum judicia. Testis Alexander III. qui cum commodare percuperet Ludovico Juniori Galliæ Regi, & bene de eo mereri; nunquam tamen adduci potuit, ut interdictum revocaret ab Archiepiscopo Remensi intortum. Id unum tecepit, ut precibus adiret Archiepiscopum, quò sententiam vibratam suspenderet, donec causa decideretur in Curia ejus Archie-
Conc. Tom. 10. p. 1319. piscopali, aut Episcopi Bellovacensis. En ejus verba Epistolæ ad Regem: *Illud honestius visum esse cognoscas, ut venerabili fratri Remensi Archiepiscopo deprecatorias litteras, sicut ex rescripto earum videre poteris, mitteremus, rogantes, ut interventu nostro, & tui honoris obtentu, interdictum illud relaxet, donec causa illa in Curia ejus, vel Bellovacensis Episcopi finem debitum sortiatur, &c. Aliter enim minus honestum esset, ut sententiam à tanto viro canonicè promulgatam, sine ejus conscientia facilè solveremus.*



III. Sane cum in Conciliis eam gerant authoritatem Episcopi, quam eis & numerus eorum, & dignitas meritò conciliat: in his etiam illi nonnunquam temperant refrenantque exultantem extra Canonum cancellos Metropolitanorum potestatem. Prohibuit Concilium I. Lugdunense, ne Archie- C. Romana Ecclesia. In Sexto. De Officio Ordinarii. piscopus Remensis Officiales Foraneos constitueret in Diœcesibus Suffraganeorum, quod nullum ibi judicium exercere possit, nec per seipsum, nec per Vicarios, nisi si qua ad eum per appellationem causa devolvatur. Hoc enim casu incipit habere jurisdictionem in Suffraganei sui Diœcesi, potestque proinde per Delegatos de causa appellationis cognoscere. At ante appellationem nihil prorsus arrogare sibi potest jurisdictionis, nec quenquam delegare qui eam exerceat, nisi speciali quapiam consuetudine in Remensi Provincia contrarios usus & diversum jus invaluisset. *Nisi aliud Ecclesia Remensis de consuetudine obtineat speciali.*

Eadem Synodus prohibuit, ne Officiales Metropolitanorum interdicta, suspensiones, vel excommunicationes promulgarent adversus Episco- Ibidem. pos Suffraganeos, quandiu esset in Provincia Archiepiscopus, aut ab ea non procul abesset.

IV. At quandiu Diœceses Suffraganeorum perlustrat Metropolitanus, toto visitationis curriculo permagna nimirum ab eo tunc in iis exercetur jurisdictio. Visitationum autem hujusmodi fructus potissimus is est, ut iis peractis Provinciale confestim celebretur Concilium, in quo deprehensis Provinciæ totius morbis & corruptelis remedia comparentur. Exemplo erit Archiepiscopus Turonensis in Concilio Provinciali apud Salmurium anno 1253. *Nos sanctorum Canonum & Prædecessorum nostrorum vo-* Can. 1. *lentes servare statuta, & ea quæ visitando Provinciam Turonensem correctione novimus indigere, corrigere cupientes, vocatis venerabilibus fratribus, Turonensis Provinciæ Episcopis, &c.* Prolixius infra differemus tum de visitatione Provinciæ per Archiepiscopum, tum de Concilio Provinciali.

V. Congregati in Concilio Provinciali Episcopi possunt & ipsi vicissim Censorum Monitorumque partes agere in Archiepiscopos, si qua eorum moribus offendicula creentur fidelibus; possunt inquam inculcare, ut morum gravitate & sanctimonia Patres se Episcoporum esse commonstrent; possunt denique ad immediatum Superiorem, vel Pontificem summum referre de gravioribus eorum commissis. Ita decrevit Concilium Basileense. *De* Sess. 15. *ipso Metropolitano diligenter inquiratur, cujus excessus & defectus ipsum Concilium eidem specialiter exprimat, ipsum admonendo & obsecrando, ut cum aliorum Pater vocetur & esse debeat, à talibus omnino desistat. Et nihilominus inquisitionem de ipso habitam, in scriptis redactam, ad Romanum Pontificem, vel alium ejus superiorem, si quem habeat, sine mora transmittat, ut ab eo punitionem & reformationem suscipiat condecentem.*

VI. Ea sunt verba Decreti, quibus fortassis excitatus Cardinalis Lotharingus, cum primum coaluit Concilium Remis Provinciale, illico semet ipse, vitamque & administrationem Concilii cen-

suræ & judicio subjecit palam, Patresque Concilii enixius interpellavit, ut in ejus mores & regimen hactenus omne inquirerent. *Inquirerent de vita & moribus, & quemadmodum se gesserit in administrando Archiepiscopatu.* Addidit quin etiam, *Se curaturum, ut efferentur Codices rationum, tam Sigilli, quam Registri Curiæ Ecclesiasticæ, viderent an in iis esset malè versatus, &c. Se codices rationum suarum esse depositurum.* Denique Cardinalitia purpura fulgens Archiepiscopus Coëpiscoporum & subditorum sibi Præsulum examini & Judicio subesse se voluit, ne Synodalibus quidem Constitutionibus suis ab eorum censura & potestate subductis: *Se correctionem minimè velle detrectare, ipsosque Episcopos suarum actionum judices constituere, se sua Synodalia statuta exhibiturum, ut si opus esset, eis suam censuram adhiberent.* Flagrabat tunc adhuc Archiepiscopus igne eo, quo succensos expertus erat complures Episcopos Concilii Tridentini, cum postremæ ejus Sessiones celebrarentur & incredibili zelo effervescerent ad restituendam Ecclesiasticæ Disciplinæ primævam integritatem. Ut ut sit, necesse certè est, has Episcopalis sanctimoniæ leges ineffabili quadam pulcritudine & lenocinio scatere, cùm earum amore corripiantur tàm vehementi, Præsules illi etiam, qui terrenarum alioqui rerum maximis impedimentis constricti sunt.

Acta Conc. Remen. an. 1564 Congreg. 2.

VI. Verùm ut ordine & via, ut sigillatim etiam ea tractentur à nobis, quæ ad jus usumque pertinent: Dicemus hîc primò de potestate Metropolitanorum in subditos Episcoporum, deinde de ea, quam in ipsos suffraganeos Episcopos canonicè exercere possunt. Anno 1132. Stephanus Parisiensis Episcopus magna virium contentione renisus est Archiepiscopo Senonensi Henrico, qui causam Diœcesani Parisiensis ad suum trahebat Tribunal. *Nunquam reverenda Patrum sanxit authoritas, nusquam hoc servare consuevit antiquitas, ut aliarum Ecclesiarum causas alicui Metropolitano liceat terminare vel sine consensu illius Episcopi, cui cura commissa est, judicia judicare.*

Spicil. To. 3. pag. 155.

Ausus erat Archiepiscopus Remensis in laïcos & Clericos Suessionensis Episcopatûs aliquos, qui juri & dignitati Episcopatûs obstreperent: Suessionensis Episcopus opem & tuitionem interpellavit cæterorum ejusdem Provinciæ Episcoporum: quin & Ivonis Carnotensis Episcopi eloquentiam & calamum auxiliarem suæ causæ adjunxit, Coëpiscopos omnes per Epistolas commonefaciens labefactari Episcopalem authoritatem, si Archiepiscopus id sibi suo quasi jure sumeret, ut quod libuisset ipsi, eis inconsultis præciperet: si causas Clericorum suorum judicaret, pœnas denique & censuras in eos quascumque decerneret. *Si concessum fuerit, ut Metropolitanus in Ecclesiis Comprovincialibus absque consensu Episcoporum qui eis præsunt, quidquid voluerit, valeat imperare, Clericos eorumdem judicare, vel ab officio suo suspendere, dignitati Episcopi indigna fiet violentia, & authoritati sanctorum Patrum ruinosa injuria.* His addebat Ivo Epistolam Nicolai I. ad Archiepiscopum Bituricensem, de qua non semel jam: ubi docet Pontifex nec Primatibus nec Patriarchis quidquam esse juris, quod non & Episcopis omnibus communicatum sit, nisi expressè eis id concedant vel Canones vel consuetudo. *Primates enim vel Patriarchas nihil privilegii habere præ cæteris Episcopis, nisi quantum sacri Canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus contulit, diffinimus.* Eadem Nicolai verba intexuit Innocentius III. Epistolæ Decretali ad Tyrium Archiepiscopum datæ, qua declarat non posse Patriarchas inserere se Clericorum, sive Tyriorum civium causis, sive quorumcumque alterius quàm suæ Diœcesis, nisi ad eos provocatum fuerit, aut ex speciali primæ Sedis privilegio: *Quandiu Clerici tui coram te voluerint stare juri, compelli non debent judicium Patriarchæ subire, nisi causa per appellationem ad ejus audientiam perferatur, aut ei aliquid super hoc à Sede Apostolica sit indultum.* Si quod esset hujusmodi privilegium, ab illo non dissonaret, quo muniuntur Legati à Latere, quibus indulget Papa, ut de causis omnibus judicent, etiam primo judicio, non expectata appellatione.

Epist. 133.

C. Duo simul. Extra. De Officio Iudicis Ord.

VIII. Monet alibi idem Pontifex posse ab Archiepiscopo delegari alicui eorum qui Suffraganeis suis subjiciuntur, judicium causæ per appellationem ad se revolutæ: at non posse ab eo vim ei adferri, ut delegationi acquiescat, quòd nulla ejus in illum sit jurisdictio, nisi in casibus à jure expressis. *Ad suscipiendam delegationem compellere nequit invitum; cùm in eum, exceptis quibusdam articulis, nullam habeat potestatem.*

C. Pastoralis. Ibidem.

Jure tamen ipso concedebatur Metropolitanis facultas depromendæ immediatæ jurisdictionis in Suffraganeorum subditos, quando *notoria injuria* perturbabant jurisdictionem ordinariam & legitimam eorum, sive in visitanda Provincia, sive in Episcopis ad Concilium Provinciæ convocandis. *Dummodo existat notoria injuria.* Communi huic juri singulare Innocentius IV. adjunxit Privilegium, quod & ipsum postea in jus commune receptum est: ut possint Archiepiscopi Canonicis pœnis ulcisci contumelias omnes, ipsis, ipsorumque Officialibus & Ministris irrogatas, quandiu legitimam exercent jurisdictionem, quamvis non eæ sint ejusmodi contumeliæ, quæ jurisdictionem illorum remorentur. *Metropolitanis in suis Provinciis, dum sic in illis jurisdictionem exercent, puniendi notorias & manifestas offensas, tunc eisdem illatas, vel suis, etiamsi exinde impediri jurisdictionem hujusmodi non contingat, libera sit de nostra speciali concessione facultas.*

In Sexto. C. Romana Ecclesia. De pœnis.

Ex alio ejusdem Innocentii IV. Decreto, non potest Archiepiscopus sententiam interdicti, suspensionis, vel excommunicationis, ab Officialibus Archidiaconorum Suffraganeis suis subditorum promulgatam relaxare, nisi specialis consuetudo quæpiam illi suffragetur. *Salva contraria super hoc consuetudine, si quam habet.* Excommunicationes verò ab Archiepiscopo, vel Officialibus ejus vibratæ, innurere non possunt nisi eos qui illorum subjacent jurisdictioni.

In Sexto. C. Romana Ecclesia. De sententia excomm.

At verò si sententias excommunicationis vel Episcopi ipsi, vel eorum Officiales intorserint, potest Archiepiscopus eas relaxare, si partes ad eum appellent. *Si à litigantibus ad eos fuerit provocatum.* Nec querimoniæ partium sufficiunt, ut Judicem agat Archiepiscopus: *Cùm sui non sint Judices.*

C. Venerabilibus. Ibidem.

Discrepant porro duo hæc extrema Decreta, propterea quod potest appellari ab Episcopo, non autem ab Episcopi Archidiacono ad Archiepiscopum. Ab Archidiacono enim non provocatur, nisi ad Episcopum ipsum. Potest denique Archiepiscopus Emendas seu pecuniarias pœnas indicere in iis casibus ubi potest excommunicare, & ubi ea viget consuetudo.

Rursus secernendæ sunt causæ, ubi de excommunicationibus agitur, à cæteris omnibus. Cùm enim omnium maximè formidolosa sit hæc pœna, nec possit appellatione suspendi: potest judicem se ejus

agere Archiepiscopos, citra appellationem, querimonia sola eorum qui hoc fulmine afflati sunt: sed ea tunc adhibebitur cautio, ut ad Episcopum primò ipsum absolvendi remittantur, qui ejus se præfestinato judicio præjudicium passos conqueruntur. Si renuat Episcopus, absolutionis beneficium impendet Archiepiscopus, ea lege, ut sacramento astringant se, Episcopo satisfacturos, & in eadem excommunicationis tela iterum lapsuros, si sacramenti fidem fallant: nisi evidenter liqueret injustitia excommunicationis vibratæ. Ita definiit Innocentius III.

*C. Ad reprimendam. Extra. De offic. Jud. ordin.*

Objecta verò quæstione, an in causa appellationis posset Archiepiscopus relaxare aut lenire pœnam ab Episcopo designatam: opinabantur non pauci, non posse, propterea quod eæ sunt duntaxat partes Judicis appellationum, ut infirmet vel confirmet sententiam primò latam: aut ut bene maléve appellatum esse pronuntiet; quo peracto extinguitur ejus jurisdictio. Censebant Patres Concilii Tridentini, non posse veniæ aut indulgentiæ quidquam expectari à Metropolitano, in confirmanda priori sententia, vel leniendis pœnis: sed cùm non constaret, an veniam posset ullam & pœnarum lenimentum indulgere primæ sententiæ judex Episcopus: consultius eis visum est nil pronuntiare.

*Fagnan. in 2. Part. l. 1. Decret. pag. 455. 456.*

IX. Supplet Metropolitanus negligentiæ Episcoporum Provinciæ, 1. Conferendo Beneficia, quæ vacare illi permiserunt ultra præstitutum à Lateranensi Concilio tempus. 2. Electiones celebrando, quæ ab illis neglectæ sunt. 3. Instituendo aut confirmando eos, quos illi immerentes repulere. 4. Si vacante Episcopatu negligat Capitulum, cesserque ab administratione temporali vel spiritali Diœceseos, Metropolitani est designare Visitatorem, aut Administratorem. *Si fortè Capitulum in spiritualibus & temporalibus negligenter aut perperam administret, tunc Archiepiscopus ob negligentiam vel malitiam Capituli, eo vocato, causaque super hoc cognitione præmissa Visitatorem seu Administratorem eidem Ecclesiæ licitè poterit delegare:* Ita habet Bonifacii VIII. Constitutio. Existimavit A Costa concessam esse ab Innocentio III. potestatem Ausciensi Metropolitano, reformandorum omnium Provinciæ suæ Regularium. *Monachi, Canonici, & alii Regulares tuæ Provinciæ*: propterea quòd cessarent ab eo munere jamdiu Abbates, & contagio tam latè serpenti, per omnemque effuso Provinciam, mederi facilè non posset, nisi is cujus etiam latiùs pateret authoritas. *Quia in tam gravibus manifestis excessibus major authoritas & potestas necessaria videtur Innocentio III.* Ita A Costa in *C. Quanto. De Officio Ordinarii.*

*C. Licet. C. Finali. De supplen. negl. Prælat.*

*In Sexto. Ibidem.*

Supplet etiam Metropolitanus malitiæ Prælatorum. Jurisdictio enim inferioris ad superiorem devolvitur justissimè & necessariò, sive affectata sit malitia inferiorum Judicum, sive supina negligentia. Id disertè exprimitur in Decreto Bonifacii paulò ante relato. Idque rursus exprimitur ex Decreto Innocentii IV. in Concilio Lugdunensi, ubi edicitur, ut si quis præpropere se ab Episcopo excommunicatum expostulet, provocetque ad Archiepiscopum, is ad Episcopum remittatur absolvendus: nec vincula ejus solvat Archiepiscopus, *nisi Episcopus requisitus malitiosè deneget*. Decreverat quoque Alexander III. posse à Metropolitano solvi, quos Episcopus excommunicasset, si satisfacere paratos rejiceret Episcopus, & nec solvere ipse acquiesceret, nec ab Archiepiscopo solvi pateretur, tergiversatoria appellatione facta ad Romanum Pontificem. Denique copiam facit Innocentius III. Metropolitano, ut solvat, si quando notoriè injusta excommunicatione ligaverit Episcopus eos, qui ad Romanam Sedem provocabant.

*C. Venerabilibus. In Sexto. §. Sane. De sent. excom.*

*C. Qua fronte. De Appellat.*

*C. Sollicitudinem. De Appellat.*

Potest rursum Archiepiscopus immediata jurisdictione uti in subditos Suffraganeorum, cum exstirpanda occurrit exitialis quædam consuetudo, quæ altiùs latiúsque per totam Provinciam radices egerit. Scripsit Innocentius III. ad Archiepiscopum Cantuariensem, ne sineret possessa à parentibus Beneficia in filios immediatè transcribi in omni Provincia sua. Firmavit Alexander III. excommunicationem ab Archiepiscopo Cantuariensi prolatam adversùs eos omnes Provinciæ suæ Clericos, qui in Beneficia semet ipsi intrusissent, sine Episcopi institutione: quòd eo tum flagitio multi contaminarentur. *Cùm ex officio tibi commisso, tam iniquam consuetudinem de Provincia tua, velis, sicut debes, radicitus extirpare.* Deinque cùm Episcopi & Archidiaconi Cantuariensis Provinciæ fœdissimæ avaritiæ sordibus inquinarentur jamdiu, & in Beneficiorum institutionibus simoniaca plerumque polluerentur contage, mandavit Innocentius III. Archiepiscopo Cantuariensi, ut huic medicando morbo omne studium suum impenderet. *Pravam illam consuetudinem de tua Provincia studeas abolere.* Convenerat olim Augustinus Aurelium totius Africæ Metropolitanum, ut ejus potissimum opera & authoritate, atque Carthaginensis Ecclesiæ prælucente exemplo, abolesceret propudiosa consuetudo, qua religio & cultus Martyrum infandis epulis & comessationibus prætexebatur.

*C. Ad extirpandas. De filiis Presb.*

*C. Ex frequentibus. De Institutionibus.*

*C. In tantum. De Simonia.*

X. Si Canonici interdicto propriam subjiciant Ecclesiam, nullis justis & manifestis causis, cum contemptu etiam aliquo authoritatis Episcopalis, jubet Innocentius III. ut querelis Episcopi pulsatus Metropolitanus, de causa hac judicium instituat, ut Apostolicæ Sedis Delegatus, & Canonicorum audaciam pœnis etiam infligendis comprimat. *Metropolitanus ad querelam Episcopi, tanquam super hoc delegatus à nobis, taliter eos per censuram Ecclesiasticam cognita veritate castiget, quòd metu pœnæ talia de cætero non præsumant.* Ex quibus dilucidum est, ubicumque contumeliosiùs agerent in Episcopos Capitula, harum controversiarum judicem sedere debuisse Metropolitanum; ita enim magis decebat, ut ne suas Episcopus injurias ulcisci videretur.

*C. Irrefragabili. De officio Judicis ordinarii.*

Cùm delegatione summi Pontificis vel consulendum est necessitatibus Provinciæ, vel causæ ejus aliquæ finiendæ: consentaneum est, ut ea Metropolitanus præ cæteris honestetur. Inde Bernardi illæ alicubi querelæ de Romano Pontifice, qui non ipsum maximè Archiepiscopum Trevirensem delegasset, ad componenda dissidia Ecclesiæ Virodunensis & Metensis.

*Epist. 178.*

Si qua novella hæresis in Provinciam irrepserit, debet Metropolitanus quotannis, aut semel & iterum anno quolibet eam visitando perlustrare, & gliscenti pestilentiæ qua ratione cumque potest mederi. Causæ criminales inter Episcopos & Clericos in Concilio Provinciali disceptandæ sunt, cui qui præsidebit Metropolitanus, judex jam erit Clericorum, qui antè erat Episcoporum. Perinde erit de laïco Episcopi sui calumniatore, aut de Clerico, qui in re civili litem illi intentat. In his quippe causis omnibus, si standum erit Canonicis legibus, debet Episcopus causas suas omnes ad Archiepiscopum referre, ut qui & totius Provinciæ generali-

*C. Excommunicamus. § Adjicimus. De hæreticis.*

*6. q. 2. c. 1. 11. q. 1. c. 46.*

ter, & Epiſcoporum ſpecialiter judex & defenſor ſit.

XI. Hæ potiſſimum cauſæ ſunt, in quibus explicat ſe immediata Archiepiſcoporum juriſdictio *19. q. ult.* in ſubditos Epiſcuporum: Cæterùm pauciſſimæ exceptiones iſtæ non derogant generali regulæ: Nihil poſſe Archiepiſcopos in Epiſcopatibus Suffraganeorum, eis inconſultis, niſi ut eorum negligentiæ ſuppleant. Quamobrem non inſcite Gratianus placitum hoc confirmat exemplo Pauli Apoſtoli, qui inceſtuoſum Corinthium damnavit, affecitque pœna, quòd Corinthii ad tantum facinus ceſſarent & obdormiſcerent. Ex adverſo autem Joannes Apoſtolus ſubmonuit duntaxat Epiſcopum Epheſinum de exceſſibus quibuſdam in ejus Eccleſia emendandis, quod nullius negligentiæ affinis ille eſſet. *Sic* *9. q. 3. c. 9.* *& Apoſtolus quia Corinthios vidit negligentes circa correctionem fornicatoris, ſua authoritate illum damnavit. Joannes verò qui Epiſcopum Epheſiorum vidit paratum ad corrigenda vitia ſubditorum, ſine ejus authoritate illos corrigere noluit: ſed illum tantum de eorum correctione admonuit.* Hæc carpſit Gratianus, vel ex Gloſſa, vel ex Beda.

XII. Et quando Gloſſæ mentio incidit, duo hæc ex ea obſervaſſe non pœnitebit. 1. Non poſſe *In Sexto. De foro compet. c. 1.* Metropolitanum de cauſa ipſa judicare, ſed de appellatione tantum, ſi ante latam ab Epiſcopo ſententiam appellatum ſit: at ſi appellatum ſit poſt latam ſententiam, poſſe de cauſa ipſa cognoſcere. 2. Quanquam Metropolitanus non poſſit, ubi juriſdicendi poteſtatem habet, cogere Suffraganei ſui ſubditum, ut delegationi à ſe oblatæ conſentiat, *C. Paſtoralis. De Offic. Ordinarii.* aut ut teſtimonium dicat: poſſe tamen illum ſuam exercere juriſdictionem & ſententiam à ſe latam executioni mandare: aut partibus indicendo, ut de aliquo conveniant: aut mandando Epiſcopis, ut ſubditos cogant, Delegationi acquieſcere, & dicere teſtimonium: denique imperando Suffraganeis, ut ſententiam exequantur.

---

## CAPUT XLVII. *P. 4. l. 1. c. 17.*

### De jure & poteſtate Metropolitani in Suffraganeos ſuos, ex norma Decretalium, & juris Canonici novi. Singularia quædam jura Archiepiſcopi Cantuarienſis.

*I. Metropolitanus eligebat, examinabat, confirmabat, & ordinabat Epiſcopos ſuæ Provinciæ, jure Decretalium.*

*II. Inviſunt aliquando Epiſcopi Metropolitanum & ejus Eccleſiam.*

*III. Concilium Turonenſe Concordato & Tridentina Synodo poſterius, hos ferè mores omnes in uſum revocavit.*

*IV. Declarationes ſacræ Congregationis Concilii Tridentini, de poteſtate Metropolitani in Concilio Provinciali.*

*V. Jus & poteſtas Metropolitani in viſitanda Provincia.*

*VI. Singularia quædam jura Archiepiſcopi Cantuarienſis, & immediata poteſtas in omnibus Angliæ Epiſcopatibus.*

*VII. Alia jura Metropolitanorum ex Anſelmo.*

*VIII. Quàm valide Epiſcopi quandoque Metropolitanis reſtiterint.*

*IX. Quid poſſit Epiſcopus in alterius Epiſcopi Diœceſi.*

I. COmperto jam quòd multa poſſit Metropolitanus in ſubditos Suffraganeorum: tametſi ex univerſali Juris regula, in Epiſcopos plus poſſit, quàm in eorum ſubditos: ſupereſt jam diſpiciendum, quæ ille jura in Suffraganeos ipſos ſuoa exerceat.

Princeps & primaria Metropolitani poteſtas ea eſt, ut Epiſcopos ſuos ipſe ordinet, nec niſi prævio accuratiſſimo examine ordinet. Alexander II. Epiſtola ad Gervaſium Remenſem Archiepiſcopum ſcripta, uni imputat Metropolitanorum negligentiæ graſſantem tunc in Eccleſia ſimoniam. Cùm indubium ſit, ſi illi graviter munere ſuo fungerentur, non commiſſuros Epiſcopos Epiſcopatuum nundinatores, ut multa pecunia emerent repulſam & indignationem auſteri examinatoris & conſecratoris incorrupti. *Quod totum Archiepiſcopis computamus. Nemo enim ſimoniacam emptionem miret, ſi ſe conſecrandum fore deſperaret. Sed quia Archiepiſcopi ſine diſcretione conſecrant, multi indiſcretè ad Epiſcopatus aſpirant.*

Conſerta connexaque ſunt hæc jura, Epiſcopos eligendi, examinandi, confirmandique. Qui enim examinant & confirmant, ſi verè eligunt, ſi tanta partes ſuas impleant fide & diligentia, quantam ſumma ſanctiſſimaque toto orbe dignitas poſtulat. Unum depromo Leonis III. Papæ decretum, quo conſtabit jure novo Decretalium in hac parte nihil decerptum eſſe de priſcorum Canonum rigore, nihil mitigatum. Ex hoc enim jure Decretalium ſancitur, ut ſi vitâ functus ſit Archiepiſcopus, conveniant omnes Epiſcopi Provinciæ in Eccleſia Metropolitana, ſucceſſoremque ſubrogent. Si vacare autem cœperit Epiſcopalis ſedes, Archiepiſcopus tres deſignet ex Epiſcopis Provinciæ, qui ordinent eum qui electus fuerit, cum aſſenſu cæterorum omnium Provinciæ Epiſcoporum: ſed tum auguſtius, tum conducibilius eſt, ut præſit ipſe electioni, digniſſimumque & eligat & ordinet, toto cinctus Epiſcoporum ſuæ Provinciæ collegio. Luculenta hæc prorſus eſt antiquioris ritus in hoc negotio diſciplinæ imago. *Si Archiepiſcopus obierit,* *C. Si Archiepiſcopus. De tempor. Ordinat.* *& alter fuerit ordinandus, omnes Epiſcopi ejuſdem Provinciæ ad ſedem Metropolitanam conveniant, ut ab omnibus ordinetur. Reliqui verò Comprovinciales Epiſcopi ſi neceſſe fuerit, cæteris conſentientibus à tribus juſſu Archiepiſcopi poterunt ordinari: ſed melius eſt, ſi ipſe cum omnibus eum qui dignatus eſt, elegerit, & cuncti pariter Pontificem conſecraverint.*

Vivunt ergo vigentque etiam nunc antiqui Canones, ſed non eadem viget Canonum cura & diligentia. Non patitur hic Pontifex delegari aliquem à Metropolitano ad Suffraganei conſecrationem, niſi urgeat neceſſitas. *Si neceſſe fuerit.* Dubius hæſit aliquandiu Archiepiſcopus Turonenſis, an uſurpare hanc delegandi licentiam poſſet, quando ex gravi morbo decumbebat, aut juſta quavis aliqua cauſa diſtinebatur. Conſuluit ea de re Innocentium *C. Quod ſedem. De Offic. Ordin.* III. & elicuit ab eo Epiſtolam Decretalem, quæ id ei quidem permitteret, ac novo Prælato injungeret, ut à Delegato conſecrationis munus perciperet.

II. Inſigne illud etiam ſpecimen erat Epiſcoporum obſervantiæ in Metropolitanum, quòd ipſum honoris cauſa inviſere, Metropolitanam Eccleſiam ejus adire & venerari, percontari denique ipſum & audire juberentur in gravioribus quibuſque difficultatibus, quæ incidebant. Exarſit Innocentius III. vehementiſſimè in Epiſcopum Pictavienſem, qui ex quo ordinatus fuerat, ne ſemel quidem Eccleſiam Metropolitanam Burdigalenſem viſitaſſet: *Qui ex quo promotus fuit in Epiſcopum,* *Regeſt. 13. Epiſt. 92.* *nunquam Metropolitanam Eccleſiam poſtmodum viſitavit, licet pluries vocatus fuerit ad eandem.* Circa annum Chriſti centeſimum ſupra milleſimum Lambertus Atrebatenſis Epiſcopus Epiſtolas dedit ad Archiepiſcopum & Capitulum Eccleſiæ Remenſis,

*Spicil. to. 3. pag. 548.*

reverentiæ & pietatis eximiæ testificatrices, quibus excusabat inexpugnabiles quosdam obices, qui remorati hactenus eum fuerant, ne solemni visitationis officio in Remensem Ecclesiam defungeretur.

III. Qui desuetudine exolevisse has canonicas leges sibi fingit, is vehementer allucinatur. Eas enim innovavit nuperrime anno scilicet 1583. Concilium Turonense, id primum sanciens, quod caput est à quo religata pendent alia, ut à Metropolitanis suis ordinarentur Episcopi, & ab ejusdem Provinciæ Episcopis.

*Concil. Turonen. anno 1581. Titul. De Episcopis.*

*Cùm suo Metropolitano, & Coepiscopis Suffraganeis, de his quæ sunt sui Pastoralis officii sæpius conferre; eaque de causa Metropolitanus & sui Suffraganei mutuam inter se gratiam, & familiaritatem inire, seque mutuò agnoscere debeant. Archiepiscopus consecrari minimè possit ab alio, quàm suo Primate, vel antiquiore suo Suffraganeo, duobus aliis suis Suffraganeis præsentibus, per ipsum Metropolitanum accersendis: Episcopi verò ab alio quàm suo Metropolitano, assistentibus etiam duobus Suffraganeis, quos ipse Metropolitanus eligere maluerit, in propria Ecclesia, si commodè fieri possit, vel alia Cathedrali Provinciæ, per ipsum Metropolitanum designanda, non alibi, nec clam, aut occultè consecrari non valeant.* Compendiaria videri hæc posset summa antiquæ totius in his disciplinæ, si additum esset, multo conducibilius fore, ut omnes interessent Episcopi Provinciæ. Habita porro est hæc Turonensis Synodus, post Concordatorum, post Concilii etiam Tridentini tempora. Ex quo facilè intelligis, etiam postquam Regiis Nominationibus ad Episcopales infulas ventum est, etiam post promulgata Concilii Tridentini Decreta, suum veteri Disciplinæ constare posse vigorem, si sibi, si Ecclesiæ utilitatibus non desint Episcopi.

IV. Inter officia Archiepiscopi varia, & insignia potestatis ejus, postremum non habet locum Conciliorum Provincialium convocatio. Quæstiones super hac re non paucæ, & perutiles Congregationi Concilii Tridentini subinde propositæ sunt, quarum hic juvabit Declarationes inseruisse, ut à Prospero Fagnano authore & teste locupletissimo, litteris commendatæ sunt.

*Fagnan. In l. 5. Decretal. part. 2. p. 139. Et in l. 3. part. 2. pag. 538.*

Cùm coaluit semel Provinciale Concilium, non potest Metropolitani solius voluntate dirimi, & solvi, nisi ex consilio & consensu cæterorum Episcoporum. Nec inconsultis Episcopis potest silentium Metropolitanus indicere, Episcopos admittere, vel excludere, scripta aliqua legenda dare. Potest causas civiles dirimere Suffraganeorum, immo & subditorum, in casibus à jure expressis. Censuras intorquere non potest in Episcopos, si qui sint eorum, qui jurisdictionem ejus usurpent; causæ quippe hujusmodi extra Concilium excutiendæ sunt. Nec sufficit ut juxta Decreta Concilii Tridentini, Concilio Provinciali approbata sit necessitas visitandi per Archiepiscopum alicujus Episcopatûs in Provincia. Etenim præterea necesse est audiri Episcopum ipsum in Concilio, & ipso præsente ventilari causas Archiepiscopalis visitationis, approbarique justas. Cùm finienda statuendaque sint omnia in Concilio, ex sententia Metropolitani, & consensione Comprovincialium: si aliud Metropolitanus, aliud Episcopi sentirent, respondit Pontifex ipse ad quem de hoc nodo retulerant Cardinales Congregationis, præponderaturam Episcoporum consensionem, quod decisivo suffragio omnes gaudeant, omnes judicum fungantur officio, denique suffragiorum majore numero omnia diffinienda sint. Canonistæ complures senserant, sciscitandam eo casu fore Papæ sententiam & voluntatem.

V. De visitatione Metropolitani jam verba faciemus, quæ quidem non in Episcopos tantum, sed in eorum maximè subditos se porrigit. Oravit olim Ivo Carnotensis Episcopus Daimbertum Archiepiscopum Senonensem, suam ut Diœcesin perlustraret, Clerumque suum ad meliorem revocaret frugem.

*Epist. 181.*

Ratam habuit Innocentius III. excommunicationem à Senonensi Episcopo publicatam in eos, qui canonicis procurationibus ipsum frustrabantur, cum Diœcesin Parisiensem visitaret.

*C. Cum ex Officii. De præscrip.*

Statuit & Innocentius IV. postquam Metropolitanus Diœcesin suam visitaverit, posse ab eo Provinciam, vel totam, vel ex parte similiter perlustrari, visitari inquam posse urbes & vicos, Episcopos & Diœcesanos, Capitula & Monasteria, Clerum & Populum; nec defraudari eum posse procurationibus, ubicumque juris & moris est eas solvi. Si qua Provinciæ pars graviori morbo laborat, & ope indiget peculiari, perlustrare iterum eam poterit, antequam totam obambulaverit Provinciam, dummodo id expetat Episcopus Diœcesanus, aut major pars Comprovincialium consentiat, aut illis præter æquum dissentientibus, de licentia sedis Apostolicæ. Poterit & iterare Archiepiscopus visitationem Provinciæ suæ totius, ubi ex re judicaverit, requisito, nec expectato assensu Suffraganeorum.

*In Statu. C. Romana Ecclesia. De Censibus.*

Adversus crimina, quæ non sunt notoria, solis hortationibus & increpationibus agere potest. Præcipere potest Episcopis, ut juridicè inquirant in ea crimina, de quibus jam rumores in vulgus disseminati sunt. Quod ad notoria autem crimina attinet, tota Canonum authoritate armatus est Metropolitanus ad ea judicanda & vindicanda, cùm perspicuum sit Episcopi negligentia & supinitate, ea multa hactenus fuisse.

Declaratum est præterea à Bonifacio VIII. ex vi Constitutionis Innocentii IV. posse Metropolitanum visitandam adgredi Provinciam, etsi nulla negligentiæ suspicione aspergerentur Episcopi: posse ab eo eandem iterari visitationem: procurationes recipi, irritatis in contrarium consuetudinibus; posse denique Confessiones audiri, remitti crimina, pœnitentias imponi.

*Ibidem. C. Finali.*

VI. Non intempestivè hic proferentur singulares aliquæ Cantuariensis Archiepiscopi prærogativæ in Diœcesibus Suffraganeorum. Cùm multas haberet enim ille villas, vicosque, sui vel dominii, vel Patronatûs Ecclesiastici, omnem in his spiritalem jurisdictionem sibi vendicabat in Clerum hujusmodi Ecclesiarum. Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis Cicestrensem Episcopum acerbissimè objurgavit, quod à suis Archidiaconis passus esset exactiones aliquas fieri pecuniarias in Clericos horum vicorum. *Clerici nostrarum villarum, qui in vestra Diœcesi existunt, questi sunt nobis, &c.* Eamque pecuniam restitui jussit. *Mandamus vobis, ut malè accepta sine dilatione reddi jubeatis:* significavit autem, non amplius passurum se, ut Parochi suarum hujusmodi Ecclesiarum ejus interessent Synodo, aut judicio subessent: sed ipsum se judicem adfuturum, & eorum causas diremprurum, cùm ad hos vicos ipsemet se conferret: *Nos Presbyteris nostris, qui extra Cantiam constituti sunt, omnino præcipimus, ne ad vestram, vel alicujus Episcopi Synodum eant; nec vobis, vel aliquibus Ministris vestris pro qualibet culpa respondeant. Nos enim cum ad villas nostras venerimus, quales ipsi vel in moribus, vel in sui ordinis*

*Eadmer. Hist. Nov. L. 1.*

*scientia sint, Pastorali authoritate vestigare debemus.* Concessit dumtaxat ut Presbyteri hi sui acciperent Chrisma ab Episcopo Diœcesano, & pro eo solverent, quod moris erat. Ita plures erant Parochiæ in Episcopatibus aliis & aliis, ab Episcopi potestate subductæ, & uni immediatè subjectæ Metropolitano. Ita ferebat prisca consuetudo: *Quæ antiquitas usque ad nostra tempora Antecessores nostri habuerunt, solerti vigilantia cupimus illibata custodire.* In sedem Lanfranci substitutus Anselmus, eodem sive jure, sive more usus est. Cumque canonicè intercessisset Londoniensis Episcopus, obnunciationemque illi suam significari curasset, dedicandi Ecclesiam istiusmodi villæ alicujus, quod cœperat Anselmus, intrepide peregit, consuetudinis patrocinio certissimo fretus. *Antecessorum suorum antiquam consuetudinem sciens. Siquidem mos & consuetudo Archiepiscoporum Cantuariensium fuit ab antiquo, & est, ut in terris suis ubicumque per Angliam sint, nullus Episcoporum præter se jus aliquod habeat: sed humana simul & divina omnia velut in propria Diœcesi in sua dispositione consistant.*

Qua erat tamen æquitate Anselmus jam tum decrevit, rem penitius perscrutari, & ei nuntium remittere consuetudini, si parum firmis niteretur fundamentis. *Quatenus si consuetudinem ratam non fuisse comperiret, amodo ab ea temperaret.* Quo & ea de re consuluit Vulstanum Vorcestrensem Episcopum, ætate, sanctitate, & virtutum omnium præsidiis Anglicanæ Ecclesiæ Præsulibus meritò anteponendum. Confirmavit Vulstanus neminem hactenus Episcoporum Angliæ in dubium vocasse jus Archiepiscopi Cantuariensis ad dedicandas Ecclesias, quæ ubi-
*Anselm. l. 3. Epist. 19. L. 4. Ep. 3* cumque, essent illius ditionis. *Nullus aliquando extitit, qui hanc Cantuariensi Archiepiscopo potestatem adimere vellet, & ne dedicationem propriarum duntaxat Ecclesiarum publicè facere, defenderet.* His addidit, Stigandum quondam Archiepiscopum Ecclesias hoc genus aliquas dedicasse; se, cùm Diœcesanus esset, ne monito quidem, nec tamen obstrepente, quòd gnarus esset consuetudinis. *Nobis inconsultis, nec antea, nec postea inde calumniantibus, utpote hanc spiritalem potestatem hujusmodi Metropolitani Episcopi esse scientibus.* Observare etiam illud est in hac Epistola, terras eas, quarum tunc Stigandus Ecclesias dedicabat, opportunè à laïcis Ecclesiæ donatas fuisse. *Haud jure Ecclesiastica hæreditatis, sed ex dono secularis potestatis.*

*L. 4.* Eadmerus idem, ex quo hausta sunt ista, refert Anselmum alio loco fidenter & palam confirmasse, & sui esse, & prædecessorum suorum juris fuisse, eam facultatem liberam Pontificalia munia toto Angliæ regno celebrandi. *Antecessorum meorum juris fuit, & mei est, indifferenter per Angliam ubicumque voluntas tulit, Episcopale officium administrare.* Quo certè multò latiùs protendebantur limites jurisdictionis Cantuariensis, quin immo omnes prorsus limites amovebantur per omnem Angliam. Et sanè cùm Radulphus Anselmi successor nuptias Regis & Reginæ celebraturus esset in castro Regio Vindsoriensi Episcopatûs Salisberiensis, cujus Episcopus hoc sibi juris adrogabat: non tantùm palam is obtestatus est, Regem & Reginam, quo demum cumque
*Eadmer. l. 6.* loco essent, Parochianos censeri Archiepiscopi Cantuariensis: sed etiam ut alibi prælibatum est, omnes Episcopos Angliæ Diœceses suas obtinuisse ab Archiepiscopis Cantuariensibus, qui omnes Magnæ Britanniæ Ecclesias in Christo genuissent, nec posse proinde parentem communem à filiorum quos procreasset & locupletasset ditione eliminari. *Cùm tota terra, lege Primatûs Cantuariæ, Parochia sua sit: & omnes Episcopi totius Insulæ Parochias quas habent, nonnisi ab ipso & per ipsum habeant.* Est enim veri prorsus simile, universalem hanc jurisdictionem & solius Regni amplissimi finibus circumscriptam, resedisse penes Cantuarienses Episcopos, ab eo jam inde tempore, quo nulli ferè adhuc erant Episcopatus alii, & immediatè ipsi pascebant regebantque populos longè summotos nullisdum donatos Pastoribus. Singulare quidem hoc erat Cantuariensis Ecclesiæ privilegium. Sed desperandum non esset, quin & consimilia alia quæpiam reperirentur, si omnium Ecclesiarum origines & dotes pervestigare fas esset.

VII. Idem autem Anselmus alibi scribit, si Archiepiscopus Eboracensis intra trimestres inducias post electionem suam confirmatam, consecrari se non curaret, administrationem illius Archiepiscopatûs ad Archiepiscopum Cantuariensem devolvi. *Quod si non feceritis, ad me pertinet ut ego curam ha-* *L. 3. Ep. 149.*
*beam, & faciam quæ pertinent ad Episcopale officium in Eboracensi Archiepiscopatu.* Eadem lex vigebat, si Suffraganei ultra tres menses à Canonibus præfixos procrastinarent consecrationem suam; redibat enim in manus Metropolitani regimen Episcopalis Ecclesiæ. Cùm abdicare se percuperet Abbas quidam, *Ibidem.*
rescripsit Anselmus in potestate ejus id esse, cum *Epist. 141.*
consensione tamen Archiepiscopi sui, quando viduata erat Sedes Episcopalis. *Assensu & consilio Archiepiscopi, quia Episcopum non habetis.*

VIII. Illud postremò non abs re erit attigisse, qua fiducia & libertate quandoque Episcopi Metropolitanos repressorint, potestate Canonica, ut præ se ferebant abutentes. Operæ pretium est hic audire Fulbertum Carnutensem Episcopum ad Leuthericum Metropolitanum Senonensem, cui suberat. Querelas vigoris & modestiæ, roboris & charitatis temperamento mirabiles effudit ille in aures Metropolitani sui; quòd Aureliæ Episcopum ordinasset sine consilio suo, & ordinasset tanto sanctitatis fastigio valde imparem. *Cum sine meo consilio Epis-* *Epist. 28. 29.*
*copos ordinando, dignitatem suam Ecclesiæ Carnotensi derogas, legem canonicam solvis.* Increpuit, quod & semet, & alios perditum iret, nulla vel novitatis ratione, vel necessitate coactus. *Sed tu Pater non solùm mirandus, sed insuper exhorrendus, quem nec imprudentia fallit, nec casus turbat, nec urget ulla necessitas: sed scienter & quasi cum deliberatione quadam ultro te atque alios perdas.* Monuit denique hujus ut delicti pœnas à se ipso reposceret, si cælesti vindictæ se vellet subduci. *De hujusmodi & hujusmodi resipiscere jam & pœnitere oportet, si cum Apostolo horrendum credis incidere in manus Dei viventis.* Alia occasione apertè professus est Fulbertus, non posse se tum Metropolitano morem gerere; etsi promptus semper esset & obvius, ad ejus tanquam optimi parentis mandata adimplenda, dummodo legibus justitiæ non repugnarent. *Nos in quibus oportet vobis, ut Patri semper obedire parati sumus; sed in hoc ad præsens ideo non oportet, quia neque justum, &c.*

Disertis verbis testatum fecimus de jure Decretalium tantummodo hic tractari. Si Concordata Sedis Apostolicæ cum Regno Francorum inita aliquid mutationis invexerint, id non silebitur inferiùs, ubi ex instituto de his disseremus Concordatis. Quæ nova autem Decreta condidit Tridentina Synodus, ea caput sequens aperiet.

IX. Quæ hactenus dicta sunt, ea constantissimæ

huic

*C. Quoniam. De foro Competenti. In Clement.* huic regulæ incumbunt, nil posse Episcopos exercere jurisdictionis extra Episcopatûs sui fines. Quanquam tamen non liceat eis per Canones vel tantillum jurisdictionis contentiosæ exercere in Collegarum Episcopatibus, voluntariam certè possunt exercere occultè, sive indulgendis gratiis, sive pœnis decernendis, dummodo sese cohibeant intra cancellos rerum & personarum sibi subjectarum.

*C. Postulasti. De foro Competenti.* Contentiosam ipsam quoque jurisdictionem exercere possunt in aliqua parte territorii vicini Episcopi, petitâ ab eo licentiâ, etsi non obtentâ, quando in proprio eam explicare territorio injuriosè & violentè prohibentur. Possunt & de Clerico alterius Episcopatûs judicium instituere, quando crimen in suo ipsorum territorio admissum est.

## CAPUT XLVIII. *P. 4. l. 1. c. 18.*

### Quibus causis debilitata, imminutaque sit authoritas Metropolitanorum postremis his sæculis. Jura Metropolitanorum post Concilium Tridentinum.

*I. Affingenda non est Romanis Pontificibus debilitatio Metropolitanæ potestatis.*

*II. Exponitur Bernardi locus, qui in speciem id videtur innuere, nec innuit tamen.*

*III. Ut Pontifices calcaria admoverint Metropolitanis ad strenuè defensandam authoritatem suæ Sedis.*

*IV. Non alia occasione in manus Papæ devenit complurium Episcoporum authoritas, quàm quod Clerum penè universum simoniæ contagio infecerat.*

*V. In causa etiam fuit schisma Imperatorum Germanicorum adversus Pontifices.*

*VI. In causa fuit imperiosior dominatio quorundam Metropolitanorum.*

*VII. Aut eorum socordia & oscitantia.*

*VIII. Reservationes Episcopatuum, & eorum provisiones Pontificibus Romanis vindicatæ, non immeritò contulisse etiam aliquid videntur. Episcopi quanquam à Papa nominati, electi, & consecrati, Metropolitanis tamen sunt æque subjiciebantur.*

*IX. Prioribus sæculis Patriarcha ordinabant Episcopos penè omnes sui Patriarchatûs.*

*X. Creatio Primatum argumento est, ne cogitasse quidem Pontifices de imminuenda Metropolitanorum potestate.*

*XI. Tridentina Synodus nihil detraxit de potestate Metropolitanorum. Non in judiciis canonicis Episcoporum.*

*XII. Nec in visitandis ab Episcopis Metropolitani lege antiqua.*

*XIII. Nec in visitatione Provinciæ per Metropolitanum.*

*XIV. Potestas & jus Metropolitani ex Concilio Tridentino.*

*XV. Exemplum sancti Caroli Borromæi.*

*XVI. Confertur Metropolitani potestas cum Episcoporum jure & authoritate.*

*XVII. Axiomata quædam memoranda.*

I. QUam perspicuum est extremis his Ecclesiæ sæculis valde labefactatam esse Metropolitanorum authoritatem; tam obscurum perplexumque est quibus id causis factum sit, quòd magno sanè Ecclesiasticæ disciplinæ dispendio constat esse factum. Visum est aliquibus Pontificum Romanorum crevisse authoritatem Metropolitanorum detrimento. *Hallier. De elect. pag. 688.* Somniarunt alii in majores etiam angustias detrusos illos fuisse à Concilio Tridentino. Ad veri amussim juvabit ea duo hic expendisse.

*Hallier. De Hierarchia. pag. 484.* Qui causam hujus innovationis in Romanos Episcopos conjiciunt, ii prætexunt sibi authoritatem Bernardi, & verba, quibus cum Eugenio Papa III. expostulat, & expostulare videtur etiamnunc cum successoribus ejus omnibus, de Ecclesiarum detruncatione, quarum subducuntur Abbates Episcopis, Episcopi Metropolitanis, Metropolitani Primatibus, aut Patriarchis. *Lib. 3. De Consider.* *Murmur loquor, & querimoniam Ecclesiarum. Truncari se clamitant, ac demembrari. Vel nulla, vel pauca admodum sunt, quæ plagam istam aut non doleant, aut non timeant. Quæris quam? subtrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis, sive Primatibus.*



II. Sed qui setiò ista ipsa Bernardi verba pensitarit, & sermonis contextum: facilè deprehendet, non hic agi de imminuta Metropolitanorum potestate, sed de immunitate quorundam Episcoporum, qui impetrato pallio, dominationem Metropolitani excutiebant. Atqui non eo evanuit vigor Metropoliticæ authoritatis. Non eò spectant querelæ justissimæ Metropolitanorum, quòd subducti sibi sint quidam Episcopi: sed quòd in eos ipsos, qui sibi subjiciuntur, antiqua sua jura antiquata penè sint, & tantumnon evanuerint. Rarissimæ sunt illæ seu immunitates, seu libertates Episcoporum, à Metropolitani obedientia absolutorum. Vix paucissima earum proferri possunt exempla. Cùm ergo ait Bernardus paucas superesse Ecclesias, quæ non aliquo istiusmodi vulnere sauciatæ gemant, intelligendus est de Monasteriorum ab Episcopis, non de Episcoporum à Metropolitanis immunitate. Quàm rara enim illa, tam frequens est hæc libertas. Denique sermonem ita claudit Bernardus: posse Pontificem dispensare, non dissipare: hoc est, posse inferiores subducere superioribus, tunc certè, cùm utilitas necessitasque Ecclesiæ invitat, aut urget, & legitimum substernit fundamentum dispensationi, quæ alioqui dissipatio & credi debeat, & dici. *Quid, inquis, prohibes dispensare? non, sed dissipare. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est. Ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est.* At Episcopos absolvere ab obedientia & potestate Metropolitani, dispensationis res est; occurrit utilitas quandoque, incurrit & necessitas, qua ita fieri consentaneum sit. At debilitari, vel infringi Metropolitanorum authoritatem, non ea dispensationis materia, sed Canonum perturbatio est, & antiquioris puriorisque disciplinæ conculcatio. Denique dispensatio quævis, sive æqua, sive iniqua illa sit, ad personas & facta coarctatur, generalibus regulis nil præjudicat. Privilegium est, quo lex minimè abrogatur.

Qui potuisset Bernardus in Romanos Pontifices refundere causas infractæ Metropolitanorum dignitatis, cùm ejus ætate maximè effloruerint illi Pontifices, quorum tam multa & tam luculenta statuta superioribus capitibus congessimus, ad Metropolitanorum potestatem constabiliendam? Ne nunc quidem querelæ personant, nisi de horum Decretorum ab his Pontificibus promulgatorum contemptu, ex quo eviluit majestas Ordinis Metropolitici. Infrà docebimus his potissimum Decretis adeo non minutum accisumque fuisse quidquam de vi & potestate canonica Metropolitanorum: ut ex adverso multa eis de integro accumulata fuerint ornamenta supra antiquos Canones. Fateor in Epistolis à Bernardo ad Papam scriptis de negotio Adalberonis Trevirensis Episcopi, Pontificibus invidiam fieri, quasi per eos in contemptum venerint Metropolitani. *Bernard. Epist. 176. 177. 178. 180. 305.* Sed peculiare id erat negotium, in quo Pontifici obreptum fuerat; & non agitur ibi, nisi de Appellationibus ad primam Sedem, quas omnino tolli passus non esset Bernardus, etsi ægrè patiebatur, quòd iis non pauci abuterentur ad nequitiæ suæ patrocinium.

III. Ipsissimo Bernardi ævo Anastasius Papa gra-

vissimè objurgavit Archiepiscopum Turonensem, quòd & socordia sua inultum tandiu lascivire sineret Trecoricensem Episcopum, cujus vita offendiculo erat, cujus Ecclesiæ bona dilapidabantur, cujus denique simoniaca rerum sacrarum distractio, ipso silente, ad Romani Pontificis aures penetrâsset. *Si honorificationi commissi tibi Pontificalis officii, ea diligentia qua oportet, intenderes, si correctioni eorum, quæ de his qui sub tua provisione instituunt, dicuntur enormia, debita sollicitudine immineres, vita & conversatio fratris nostri Trecorensis Episcopi non remansisset usque nunc sub tuis oculis indiscussa.* Quanquam ex supina Metropolitani negligentia devoluta esset ad Romanum Præsulem causa istiusmodi; satius tamen visum illi est ipsummet Metropolitanum excitare, ut juberet sisti sibi Episcopum dilapidatorem cum suo Clero: suspendique, si crimen constaret; tum Romam mitti, ut secundùm Canones ejus causa disceptaretur. Quid poterat Pontifex decernere, quo illustraretur magis & corroboraretur Metropolitica authoritas?

*Du Chesne To. 4. pag. 765.*

Excutiantur Decretales Pontificum litteræ, superioribus capitibus perstrictæ, quibus & aliæ addi magno numero potuissent, ut quæ toto corpore Juris Canonici sparsæ sint. Ubique obvios se dabunt Metropolitani Romanæ Ecclesiæ tuitione & potestate, adversùs insolescentes ordinis & juris sui oppugnatores armari.

Si quando autem partes adversùs Metropolitanos interpellarint opem Romani Pontificis, id tum factum duntaxat, cum apertissimè Canones proterebantur. Accipe ejus rei memorandum cum primis documentum. Clerus & populus Inculismensis celebrata Episcopi electione, confirmari eam curarunt à Burdigalensi Metropolitano, à quo & diem peragendæ consecrationis poposcerunt. Affuerunt ipsi quidem indicta ab ipsomet die, sed incassum. Aberat enim Metropolitanus. Illi ad Pontificem Eugenium III. rescribunt vicaria Petri Cluniacensis Abbatis manu, & causæ seriem pandunt. *Electionem tam concordem dicunt se Metropolitano canonicè obtulisse, ab eo canonicè confirmatam esse, diem consecrandi ab ipso datam, se ad diem constitutam cum electo suo, ut Metropolitanus promiserat, consecrando venisse: sed consecratorem non invenisse.* Monuerat interim privatim Pontificem Petrus, eam esse totam Metropolitani vitam, agendique rationem, quæ mercenarium magis redoleret quàm Pastorem: in eo maximè eum laborare, ut in Cathedralibus Provinciæ suæ Ecclesiis non tam Episcopos habeat, quàm voluntatum & cupiditatum suarum viles ministros, quibus tanquam Capellanis imperitaret, & quorum degluberet Ecclesias, nihil ipse de suo expensarum faciens. *Ut in Ecclesiis illis non tam habeat Episcopos, quàm ministros, non tam Præsules, quàm sibi in omnibus obsequentes: ut expensis propriis parcat, & Suffraganeis Episcopis ut Capellanis utens, non suum, sed illorum penu exhauriat.*

*L. 5. Ep. 5. Bibl. Clun. pag. 885.*

IV. Nulla frequentior querela in gratiam Metropolitanorum, quàm quòd frustrentur Suffraganeorum Episcoporum ordinatione, quam ad se vel ad delegatos suos Pontifex revocarit. Atqui hoc exemplo liquet imputare sibi debere Metropolitanos, si ea potestate jam minùs utantur. Non hærebo in singularibus exemplis, in quibus tota penes Metropolitanos culpa fuit. Illius tantùm refricabo fœdissimi temporis memoriam, quo peste simoniaca afflati fuerant Præsules & Metropolitani longè plurimi. Paulò ante Bernardi ævum ea lues Ecclesiam depopulata est, & complures coëgit Episcopos Romam confugere, ibique vel ab ipso Papa, vel à Legatis Delegatisve ejus ordinari. Sanctus Hugo Gratianopolitanus Episcopus detrectavit ordinationem Metropolitani sui Viennensis, infamia simoniaca laborantis; & à Legato quidem Pontificio sacros Ordines, ab ipso autem Pontifice consecrationem affecutus est Episcopalem. Prolixiùs infrà dicemus, ut invaluerit per Occidentem universum generalis rerum sacrarum nundinatio hæc; utque religiosissimi quique tunc Papam adierint, qui vel ipsos ordinaret, vel necessaria muniret dispensatione, ut possent à quocumque ordinari Episcopo, ab ea labe puro & intacto.

*Surius die 1. April. c. 4.*

V. Postquam Romani Pontifices simoniacam proscripserunt extirparuntque pravitatem, quæ ex Investituris ortum duxerat: postquam extorsere Investituras ipsas ab Imperatoribus Germanis, tum fœdissima cum Imperatoribus ipsis dissidia exarserunt, quibus implicati Præsules complures, Romanæ Ecclesiæ communione aliquandiu caruerunt. Ea rursus frequentissima fuit causa, ut peteretur & impetraretur à Pontifice Romano licentia ordinationis vel consecrationis percipiendæ à quocumque Episcopo, qui modò consors esset Romanæ communionis. Sanctus Otto Bambergensis Episcopus consecrationem suam toto triennio distulit, quòd Metropolitanus & Episcopi non pauci schismate aut suspensionis vinculo implicati essent. Subverebatur ipsemet ne qua simoniæ aura afflatus fuisset, qui Episcopatum ab Imperatore eo accepisset, cui opera, officio, nullo non denique obsequio inservisset. His stimulis, hac religione Otto incitatus ab ipso Pontifice Paschali II. ordinari se oravit exoravitque. Inseri conducet verba ipsa ejus ad Pontificem Epistolæ, ut quæ tunc Ecclesiarum vastitas esset, intelligatur, & quàm septæ atque interclusæ essent viæ omnes canonicæ ordinationis: *Siquidem mundo jam in maligno posito, cum vix cuiquam creditur homini, aut loco, non parva nos torquens angustia pro nostra ordinationis assecutione. Proinde dubius & anxius, & fluctibus curarum naufrago simillimus, ad te clamo, Domine, salva me, &c. Te solum respiciunt oculi nostri.* Ordinavit illum Pontifex *salva Moguntiæ Metropolis observantia*; idemque per litteras Metropolitano significavit, schismate Germaniæ plerosque Episcopos abductos esse à Pontificalium munerum exercitio, atque ita cogi se plerumque eorum supplere vices. *Propter præteriti schismatis ultionem in Teutonicis partibus perpauci Episcopali funguntur officio.*

*Surius die 2. Julii c. 9. 10.*

VI. Avaritia, simonia & schisma, etsi permagnæ & justæ, non tamen solæ extitere causæ enervandi Metropolitani imperii. Contigit nonnunquam, ut imperiosior dominatio Metropolitarum Episcopos impelleret ad protectionem Sedis Apostolicæ interpellandam. Bruno ad Tullensem Episcopatum electus, accingebat se ut à Poppone Archiepiscopo Trevirensi ordinaretur. Resilit autem, offensus illico tyrannica hac conditione, cui Archiepiscopus Suffraganeos omnes suos subjiciebat, ut paciscerentur, nihil unquam præter ejus præceptum, aut consilii, aut operis adgressuros. *Ab Archipræsule quoddam privilegium promulgatur, in quo hac lex superflua atque impossibilis continebatur, ut quisquam suorum Suffraganeorum ab eo ordinandus, prius sub divina præsentia testimonio spondere debeat, quatenus nihil extra suum præceptum, aut velle, aut quasi quidam servus agere præsumat.* Pervicit quidem indeflexa Brunonis constantia, ut in ejus gratiam relaxaretur à Metropo-

litano importuna ista conditio. Sed hoc tamen exemplo constat, qua suos premerent Episcopos servitute quandoque Metropolitani; & quàm nihil pensi haberent, ne plura præter jus petendo, jura ipsa sua labefactarent.

VII. Contrà Metropolitani alii longa forsan incuria exolescere sua passi sunt jura, & in desuetudinem tandem abire. Toletanus Archiepiscopus in Complutensi Concilio acquievit, ut Episcopi qui ordinati essent eo inconsulto, intra annum accurrerent, canonicam professuri obedientiam. *Ut Episcopus per alium quàm per nos sine nostra licentia consecratus, ex quo suam fuerit ingressus Diœcesin, usque ad annum ad nos accedere teneatur, ad promittendam nobis & nostræ Ecclesiæ reverentiam & obedientiam.*

Rainal. an. 1326 n. 20.

VIII. Ingenuè tamen fateamur necesse est, ex eo maximè tempore, quo reservarunt sibi Pontifices nominationes sive electiones Episcoporum, Episcopos ab illis promotos, aut ab ipsis, aut ab ipsorum delegatis turmatim ordinari cœpisse. Cæterùm vel tunc hi Episcopi ipsi ita ordinati; subesse perinde jubebantur antiquissimæ Metropolitanorum potestati. Ea de re solemnem Urbanus V. promulgavit Constitutionem. *Declaramus ad omnia illa suis Metropolitanis omnino teneri, ad quæ tenerentur, si non per dictam Sedem, seu de mandato ipsius Sedis ad hujusmodi regimina promoti, nec juramentum per eos nobis, vel eidem Sedi præstitutum extitisset.*

Rainal. an. 1370. n. 20.

IX. Nihil expressius, nihil optatius fieri poterat, ut sua Metropolitanis integra & illibata servaretur potestas, in eos etiam Episcopos, quos ipsi non ordinassent. Denique jam ab ipsis Ecclesiæ exordiis nonnunquam, immo & plerumque Episcoporum ordinatio non ad Metropolitanos, sed ad Patriarchas vel Exarchos spectabat. Et tamen eo maximè ævo florebat Metropolitana dignitas. Sexto Canone Nicæni Concilii firmatur antiquus hic usus Patriarchis Alexandrino & Antiocheno, adeoque & Romano in regiones suburbicarias. Perdiu ergo ante Nicænam Synodum viguerat hic usus, perdiu & pòst viguit. Viguit ergo tota aurea Ecclesiasticæ disciplinæ ætate. Si ergo longo sæculorum lapsu & plurimis concurrentibus causis res eòdem rediit, primævàque ex parte revocata est consuetudo: ecquid ea nunc sanctimoniæ Cleri, aut disciplinæ puriori magis adversari censebitur, vel ipsi denique Metropolitanorum authoritati, quàm olim?

X. His addi posset, quod non minora habeat ad rem istam momenta, & quo in illud idem reflectamur, unde exorsi sumus, Bernardi suffragium. Ejus enim maximè ætate insudarunt Pontifices in constituendis ubique terrarum Primatibus, qui Metropolitanis eminerent. De eo suprà copiosissimè. Abhorret ergo à vero mirum in modum, voluisse Pontifices eo tempore, jurisdictione Metropolitanorum debilitanda suam exaggerare; cùm ex adverso suam ipsorum immediatam in Metropolitanos authoritatem aliis delegabant, ut finirentur in Provinciis causæ, rarissimæque Romanum ad judicium referrentur.

Conc. Trid. sess. 13. & 24.

XI. Sed tempestivum jam est, ut ad Concilium Tridentinum veniamus, expendamusque, an ejus Decretis breviorem in gyrum redacta sit potestas Metropolitica. Judiciis quidem Canonicis Episcoporum abstinebo. Dexteriori manu, quàm nostra, & peritiori calamo tractari res ea postulat. Unum dicam; quibus non satisfacit Concilium Tridentinum in suis de Metropolitanorum & Conciliorum Provincialium potestate Decretis: vix fieri posse, ut illis satisfaciat Jus Canonicum Decretalium, cujus authoritas in omnibus Ecclesiis à quingentis amplius annis dominatur. Si ulterius progrediare, eandem toto Occidente politiam regnasse comperies ab. IX. sæculo, ut primum quoque de Episcoporum criminalibus causis judicium Pontifici servaretur. Ita nec in Concilium Tridentinum, nec in libros Decretalium rejicienda causa est. Quibus autem insidet hæc opinio, Gallicanas saltem libertates hoc quidquid est juris servasse Metropolitanis, & Conciliis Provincialibus: fateantur tamen illi necesse est, hoc esse privilegium Ecclesiæ Gallicanæ peculiare, cujusmodi sunt & alia compluta, quibus ab aliis Christiani nominis regnis distat, & quibus distant hæc ipsa inter se regna; quibus tamen in omnibus, & libris Decretalium & Concilio Tridentino, suus, hoc est summus honos constat, summa reverentia: tanto propensius certè, quod & in his Decretalium libris arduum non esset istiusmodi libertatum fibras indagare. Sed parco, ne altius me immergam in quæstionem salebrosam forsan magis, quàm necessariam.

XII. Venio ergo primum ad libertatem eam, ad quam Tridentina Synodus vocat Episcopos omnes, ut ne cogi possint visitare Ecclesiam Metropolitanam, quantacumque temporis diuturnitate prætexeretur hæc consuetudo. *Nec Episcopi Comprovinciales prætextu cujuslibet consuetudinis ad Metropolitanam Ecclesiam accedere in posterum inviti compellantur.* Residuum erat aliquid dubii, an per Procuratores saltem tenerentur adhuc Episcopi eo honore in matricem Ecclesiam defungi. Sacra Congregatio Concilii censuit primùm teneri. At re ad examen iterum vocata, & pensitata maturius, relata etiam ad summum Pontificem, decretum est tandem, anno 1578. occasione oblata Episcoporum Regni Neapolitani, non teneri, ne per Procuratores quidem. Ita Fagnanus.

Seß. 24. c. 2.

Fagnan. in l. 1. Decret. Part. 1. pag. 184.

Si cui tunc contumelia fieri Metropolitanis videtur, cùm primæva restituitur Episcopis libertas: fateor contumeliosum eis videri posse hoc Concilii Tridentini Decretum. Sed cavendum ne invidia potius confletur Metropolitanis, si ea illorum esse existimetur authoritas, quæ Episcoporum dedecore & servitute crescat; eorumque ignominia illustretur. Contra certè Tridentini Patres existimarunt augescere Metropolitanorum dignitatem, oblitteratis usibus iis, qui per dedecus Episcoporum eam obscurabant magis, quàm illustrabant. Ita enim Congregatio Concilii hæc ejus verba interpretata est, *prætextu cujuslibet consuetudinis*, ut soli auferantur particulares abusus, consuetudinesque violentæ & onerosæ Episcopis. Nec sanè lege ulla generali, nullo Canone sanciebatur necessitas visitandæ ab Episcopis Ecclesiæ Metropolitanæ. Constat nec tunc, nec antè viguisse eam consuetudinem in Ecclesia universa. Facilè conjicitur spontanea primum ea fuisse Episcoporum in Metropolitanos officia, pietatis & observantiæ documenta, quibus diuturnitas temporis quibusdam in locis consuetudinis vim addiderat, consuetudo legis instar habere cœperat, ut hæc jam quasi servitus esset quædam Episcoporum. Atqui conducibile in primis est, ut ex intervallo recidantur pullulascentes istiusmodi servitutes, quæ nimirum ex hac populari persuasione proficiscuntur, consuetudines qualescumque in legum vim assurgere, & usus ab origine primæva liberos, ubi adoleverint, jam fieri necessarios. Nisi hac veluti falce castigaretur subinde hæc nova in

dies exorientum servitus consuetudinum, infinitis aliquando tandem vinculis libertas nostra irretiretur, nec gratuita possent unquam impendi honoris & charitatis officia, quin ex iis reformidanda posthac essent molestissimæ vincula necessitatis. Honorificas has Episcoporum visitationes non abolevit Tridentina Synodus; sed naturæ & libertati pristinæ illas reddidit, solam expungens vim & necessitatem. *Ne inviti compellantur.*

At canonicæ & generaliter receptæ leges de conveniendo ab Episcopis in matrice provinciæ Ecclesia Metropolitano: à Tridentina Synodo adeo antiquatæ non sunt, ut novo sint robore confirmatæ. Duabus enim causis præcipit Jus Canonicum confluere Episcopos ad Metropolitanum, nimirum quando consecrandus ipse est, & cum indixit Concilium Provinciale. Atqui prior illa lex, quæ universaliter in omni Ecclesia viguit, non rescinditur per Tridentinos Patres, qui particulares tantum consuetudines abrogant. Quod ad secundam vero attinet, eam Synodus expresse etiam innovavit, jusso Metropolitano, ut quolibet triennio Concilium indicat suum, jussis & Episcopis, ut omnes unà adsint. *Episcopi omnes convenire teneantur.*

C. Si Archiepiscopus. De temporibus Ordin.

XIII. Minus ab æquitatis specie recedit illa alia de Tridentinis Patribus expostulatio, quod Provinciam visitare per eos non liceat Metropolitano, nisi causæ Concilio Provinciali fuerint approbatæ. *A Metropolitano, etiam post plenè visitatam propriam Diœcesin, non visitentur Cathedrales Ecclesiæ, neque Diœceses suorum Comprovincialium, nisi causa cognita & probata in Concilio Provinciali.* Liquidum est jure Decretalium obligatos ea lege non fuisse Metropolitanos, ut causas visitandæ Provinciæ Provinciali Concilio approbarent. Sed si propius rem inspicias, non ea est potestatis coarctatio, sed nova in ejus usu circumspectio; ut tanta sit, quanta prius visitantis provinciam Archiepiscopi jurisdictio, sed consideratior, tantoque validior, quanto jam Episcoporum omnium consensione roborabitur. Non decedit ergo aliquid pristinæ potestatis, sed lucis & consilii plurimum accedit. 2. An injuria est Metropolitani, ubi in commune consulere præcipitur cum Episcopis de rebus maximi momenti? Conciliorum Provincialium sapientiæ debetur & committitur maxima ex parte administratio rerum Ecclesiasticarum. Quid æquius ergo, quàm eam consuli de necessitate visitandæ Provinciæ totius post visitatas Diœceses à suis singulas Episcopis? 3. Longè uberior erit utilitas harum visitationum, ubi causas probaverint earum Episcopi, atque ita quodammodo id in se receperint, ut illis omni virium contentione suffragentur. 4. Denique si mente revolvamus priora florentis tum maximè Ecclesiasticæ disciplinæ sæcula, quorum ubique sanctimoniam revexit, qua potuit, Tridentina Synodus: aut inauditas, aut rarissimas comperiemus fuisse Provinciarum per Metropolitanos visitationes. Et sanè Glossa antiquo potius, quàm novo juri alludens, negaverat posse visitari à Metropolitano Diœceses Suffraganeorum, nisi ubi eorum negligentia, aut appellatione ad eos transfertur ea potestas.

Sess. 24. c. 3.

9. q. 2 & 3. C. Nullus primus.

XIV. Cæterùm ex Decretis Concilii Tridentini debet Metropolitanus monere summum Pontificem, qui Episcopi ab elapso jam anno non resideant, introitu Ecclesiæ interdicto, si ultra tres menses differat. Senior inter Episcopos Provinciæ monere tenetur Pontificem si Metropolitanus ipse ultra annum à sua absit Ecclesia.

2. Metropolitani est scripto probare justas absentiæ Suffraganeorum causas. Eodem munere fungitur senior Provinciæ Episcopus, tum in ipsum Metropolitanum, tum si absit Metropolitanus, in cæteros Provinciæ Episcopos. Sess. 6. c. 1.

3. Metropolitani est judicare cum Concilio Provinciali, an justæ fuerint causæ, quibus vel ipse, vel Episcopi alii permiserint Episcopis, ut ab Ecclesiis suis abesse possent. Item quid pœnarum decernendum sit in eos, qui potestate hac abutuntur. Sess. 23. c. 1.

4. Metropolitani est Episcopos corripere, qui pigritantur cessantque à Seminariis erigendis, nec in id conferunt canonicam suorum redituum portionem: ita & Concilii Provincialis est Metropolitanum increpare, si in culpa & ipse sit. Sess. 23. c. 18.

5. Metropolitani est, vacante Episcopali Ecclesia, Vicarios illi Generales designare, si pigrescat Capitulum nec designet. Eodem jure & senior Suffraganeus in Ecclesia Metropolitana vacante designabit. Sess. 24. c. 16.

6. Metropolitani est, tertio quoque anno indicere Concilium Provinciale; eo legitimè impedito, id juris revolvitur ad seniorem Provinciæ Episcopum. Sess. 24. c. 2.

7. Si qua insignis pravitas radices egerit in aliqua Diœcesi, nec revelli possit, nisi ut difficultates & procellæ aliquæ ingruant: *Si aliquis dubius vel difficilis abusus sit extirpandus:* nil agat Episcopus nisi de sententia Metropolitani & Concilii Provincialis. Ne innovari quidem rei quidquam majoris debet in Ecclesiæ disciplina, nisi explorato Romani Pontificis assensu: *Ita tamen ut nihil inconsulto sanctissimo Romano Pontifice, novum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur.* Sess. 25. c. 1. Ir.

8. Si Ecclesiæ Cathedralis opes impares sint extruendo alendoque Collegio juniorum Clericorum: Concilii Provincialis ea provincia est, aut Metropolitani, cum consilio duorum ex Suffraganeis senioribus, plures ut consocient Cathedrales Ecclesias, construantque illis commune Collegium, aut in civitate ipsa Metropolitana, aut quopiam alio commodiore loco.

9. Si Regularibus aliquæ Parochiæ sint, & eorum Monasteria in nulla sint Diœcesi, Metropolitani est, tanquam Apostolicæ Sedis delegati, ut eos cogat gregem dominicum verbo divino pascere & prædicare, diebus saltem Dominicis, & Festis solemnioribus. Sess. 5. c. 2.

10. Metropolitani est compellere Monasteria suæ Provinciæ, quæ nec in unius Congregationis corpus adunata sunt, nec Episcopo subjiciuntur, ut in Congregationem aliquam se recolligant, & Generalia sibi Capitula triennio quoque indicant, ad restaurandam muniendamque deinceps regularem in Claustris suis disciplinam. Sess. 25. c. 8.

Ex his omnibus satis elucescit, si hac omni potestate utantur Metropolitani, quam illis Tridentina Synodus vel concessit vel vindicavit, non esse jam quod invideant splendori & majestati Metropolitanorum, qui primæva in Ecclesia viguere. Quod autem Tridentino Concilio jubentur arctiùs cohærescere & conglutinari cum Suffraganeis, cum Conciliis Provincialibus, & cum ipso Romano Pontifice: nova hinc illis comparata sunt præsidia & adjumenta perquàm opportuna, ad auspicaciùs efficaciúsque peragendum quidquid Ecclesiarum paci & ædificationi, quidquid muniendæ puriori disciplinæ conducibilius erit.

XV. Carolus Borromæus Mediolanensis Episcopus videri non immeritò potest, gestisque decretisque suis omnibus nihil aliud quàm Concilium Tridentinum interpretatus esse. At is nec in Decretis Provincialium Conciliorum suorum, nec in tota Archiepiscopatûs administratione ansam dedit ullam suspicandi Metropolitanam authoritatem à Tridentinis Patribus truncatam accisamque fuisse. Quin statutum ex adverso est in Conciliis ejus Provincialibus, 1. ut Canonici tres seniores sexto quoque mense moneant Metropolitanum de residentia Episcopi; alioqui menstruis distributionibus priventur. *Act. Eccl. Med. pag. 11* 2. Ut servet Metropolitanus alterum ex duobus Regestis, quibus recensentur res tituli que Ecclesiarum *Ibid. p. 37.* Provinciæ singularum. 3. Ut Metropolitani sit Concilii Provincialis Decreta interpretari. Ad ipsum recurrant ipsumque percunctentur Episcopi & Capitula, *Pag. 75.* in recensendis Statutis suis, ut ea ad normam Concilii Tridentini refingant. Ipsius est denique *Pag. 282.* Romanum Pontificem consulere in rebus difficilibus & intricatis. 4. Potest semper ab Episcoporum sententia ad Metropolitanum provocari, etiam ubi judicant tanquam Sedis Apostolicæ delegati, dummodo ejusmodi causæ sint, de quibus antè judicare poterant jure ordinario. 5. Denique omnium manibus teritur Caroli vita à Giossano elegantissimè scripta, ex eaque eliquescet quàm frugifera fuerit visitatio Provinciæ totius Mediolanensis, quam *L. 3. c. 7.* mandato Apostolico peregit cum summo Metropo- *L. 5. c. 12. &c.* liticæ dignitatis imperio. Corruptelas quasdam & exitiales & insanabiles frustrà tentarant Episcopi excindere; eas pro summa sua qua pollebat potestate Metropolitanus extirpavit.

*S. Thomas Scripto 2. L. 2. d. 45 Art. 2.* XVI. Scitè enim animadversum est à Doctore Angelico sancto Thoma, propensiorem religiosioremque obedientiam deberi Archiepiscopo, quàm Episcopis in istiusmodi rebus, ubi illum Canones & Decreta eximia quadam & eminentissima induunt potestate, ut in visitanda Provincia & in judiciis appellationum. Aliàs Episcopo quàm Metropolitano strictior utique debetur obedientia. Legenda est in hanc rem luculentissima & magnos spirans animos Epistola Stephani Parisiensis Episcopi ad Henricum *Hist. Univ. Paris. l. 2. pag. 129.* Archiepiscopum Senonensem: ubi assurgit ille quidem superiori ejus dignitati; sed Episcopali & indomita libertate negat se judicium ejus subiturum, nisi in casibus per sacros Canones designatis.

XVII. Eam Capiti huic attexam clausulam, quæ adprime consentiat cum solemni illo axiomate, in totius hujus operis Præfatione statim explanato. Nempe consultius nihil fieri à nobis posse, quàm ut nostras semper opiniones & voluntates, linguas, pennasque aptemus ei disciplinæ, quæ in universali viget Ecclesia, eo ævo quo nos summi providentia Numinis locavit. Damnandæ semper sunt abusiones & corruptelæ particulares: at magni semper facienda universalis disciplina, moribus Catholicæ Ecclesiæ confirmata; nunc ad rigorem juris astricta, nunc ad necessariam ex materna providaque charitate indulgentiam temperata, semper sanctitatis adglutinata legibus; Episcopatûs gradus varios magna semper authoritate donans, nunc majori tamen, nunc minori, hos vel illos; prout sempiternæ Verbi sapientiæ libitum est, mutabili hac sanctissimæ politiæ pulcritudine ad sempiternam & immutabilem cælestis civitatis pulcritudinem nos provehere. Non fervore tantùm charitatis, sed & lumine sapientiæ abundemus necesse est; at summæ sapientiæ est sapere ad sobrietatem; nec in tantum desipere, ut detrectemus ei obsequi sempiternæ sapientiæ Spiritui, quo Ecclesia universalis vegetatur & regitur. Conatus in contrarium nostri tam irriti forent, quàm insani. Hæ politiæ & potestatum alternantes vicissitudines nullius in singularis hominis potestate sunt. Dispensat eas summa Numinis Providentia, cujus nutu vel facientis vel permittentis reguntur omnia. Nostrum est illi obsequi nobis obsequenti; & voluntates nostras ei accommodare, nostris se necessitatibus accommodanti; cum ea nunc obrigescere, cum ea nunc mitescere. Quo demum cùmque loco & solio resideat summa in Ecclesias jurisdictio, cùm penes Apostolorum successores semper resideat; unum illud residuum, ut non aliud magni referre existimemus, quàm ut ex sanctissimis justitiæ & veritatis legibus administretur; utque vel austeritates ejus, vel blandimenta tunc in usum vocentur, cum vel utilitas affulget, vel necessitas urget Ecclesiæ.

Perspicuum est autem, cum hîc agimus de principe in Ecclesiis authoritate, agere nos de usu magis & exercitio hujus authoritatis, quàm de authoritate ipsa. Perspicuum est etiam principem authoritatem penes summos Pontifices esse & Concilia universalia, inferiorem autem potestatis gradum Metropolitanis & Conciliis Provincialibus concessum esse, cujus aliquando devolutio fit ad summum Pontificem, & hanc denique authoritatem posse etiam principem seu principalem dici, ubi cum subjectis potestatibus confertur. Elevandis quibusdam difficultatibus opportunum fore visum est istud elucidamentum.

---

## CAPUT XLIX. *P. 4. l. 1. c. 23.*

### De Seniore, Primate & Protothrono inter Episcopos cujusque Provinciæ.

*I. Consuetudine & privilegio quandoque derogatum est Legi; qua universim jubentur Episcopi pro ordinationis sua tempore sedere.*

*II. Exempla Ecclesiæ Anglicanæ, in qua Episcopi Londoniensis, Vintoniensis, Lincolniensis, & Roffensis, munere funguntur Decani, Subdecani, Cancellarii, Vicarii Archiepiscopi & Capituli Cantuariensis, in Ecclesia Metropolitana.*

*III. Roffensis Episcopi peculiaria quadam jura.*

*IV. Harum consuetudinum primordia in Ecclesia Romana extiterant.*

*V. De Protothronis Galliæ.*

*VI. De Polonia.*

*VII. De Oriente.*

I. PRisci Canones Toletani, Milevitani & Braccharenses Episcopos cujuslibet Provinciæ pro ordinationis tempore sedere & subscribere jusserant. Decanus is inter eos erat, qui prior ordinatus fuerat. Hic *avo honoris Primas* ab Hilario Papa dicitur. *Epist. 1.* Huic legi universali derogatum aliquando fuerat, seu consuetudine, seu privilegio. Episcopi Angliæ Londini congregati sub Vuillelmo Rege, post allegatos hos Canones, scitati sunt compluseulos eorum qui ætate erant provectissimi, quo ordine sedere solerent Episcopi. Illi uno ad delibe- *Malmesb. L. 3. de Vuil. Princ. anno 1075.* randum die impetrato responderunt, ad dexteram Cantuariensis Archiepiscopi sedere debere Eboracensem, Londoniensem ad sinistram, Vintoniensem ad latus Eboracensis. *Vita Lanfranci c. 12.* *Ex Concilio Toletano quarto, Milevitano atque Braccharensi statutum est, ut singuli secundùm ordinationis sua tempora sedeant, prater eos qui antiqua consuetudine, sive Ecclesiarum suarum privilegiis digniores Sedes habent. De qua re intero*

*rogati sunt senes, & ætate provecti*, &c.

II. Primus ergo sedis & honoris locus Londoniensi deferebatur Episcopo inter Cantuariensis Provinciæ Episcopos, quamvis alii prios ipso ordinati fuissent. Hinc ejus partes fuere, ut absente Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo Henricum I. Regem inauguraret, ut qui Decanus esset Archiepiscopatûs, adeoque & Provinciæ totius. Audi quid ea de re dicat Vuestmonasteriensis Monachus

Ao. 1100. Matthæus: *In hac coronatione non est derogatum Ecclesiæ vel Antistiti Cantuariensi, quia Londoniensis Episcopus Archiepiscopi Cantuariensis, immo totius Angliæ Decanus, vices ejus in hoc officio exequebatur, & hoc carthæ ejus testificatur.* Primæ etiam sessionis jure fruebatur Londoniensis in consilio Archiepiscopi

Baron. an. 1164. n. 16. Cantuariensis. Ita tradit Scriptor vitæ sancti Thomæ Cantuariensis: *Gilebertus Londoniensis Episcopus, Decanus atque Cantuariensis, & in consilio post Ar-*

Anno 1261 Conc. Gen. Tom. 11. Part. 1 pag. 806. *chiepiscopum primus.* In Concilio Lambethensi sub Bonifacio Archiepiscopo Cantuariensi, constitutum est, ut sive Rex, sive Magnates libertatibus Ecclesiasticis injuriosi essent, terræ eorum interdicto subjicerentur; & his pœnis si non emollesceret eorum cordis duritia, tunc Archiepiscopus, & eo absente Londoniensis Episcopus, *tanquam Decanus Episcoporum*, comitibus ascitis duobus aliis Episcopis, ad Regem pergeret, & ea infracti animi constantia, quæ & Episcopum deceret, nec Regiam dedecoraret majestatem, admoneret officii sui. Denique absente Archiepiscopo, convocabat Londoniensis Archiepiscopus Concilium Provinciale. Si autem Londoniensis quoque vacaret Ecclesia, munus convocandi Concilii ad Vintoniensem Episcopum spectabat, tanquam Subdecanum Ecclesiæ Cantuariensis: denique si vacaret & Vintoniensis Sedes, ad Lincolniensem res spectabat, tanquam ejusdem Ecclesiæ Cancellarium. Hæc ita tradit Harpsfeldius: *Man-*

Ann 1401. *dato Thomæ Archiepiscopi de indicenda Synodo perfunctus est Lincolniensis Episcopus, quasi Cantuariensis Ecclesiæ Cancellarius; quòd Londinensis Sedes, cujus Episcopus ejusdem Ecclesiæ est Decanus, & Vintoniensis, cujus Episcopus in eadem Ecclesia Subdecanus censetur, vacarent.* Quin Harpsfeldii testimonio patet Decani nomine claruisse Londoniensem Episcopum, non eo tantùm nomine, quod præesset cæteris omnibus Angliæ, aut Provinciæ saltem suæ Episcopis, Sedis suæ dignitate: sed quòd unà Decanus esset Capituli Cantuariensis; cujus & Vintoniensis Episcopus, Subdecanus erat & Cantor: Lincolniensis Cancellarius, ut ex eodem contextu liquet; denique Roffensis Episcopus Capellanus erat & Vicarius, ut mox dicetur. Hi certè tituli erant dignitatum, quas Episcopi isti obtinebant in Ecclesia & Capitulo Cantuariensi, quarum functiones implebant solemnioribus diebus festis; & quibus ipsis accedebat jus, ut absente Archiepiscopo, & in locum alii aliorum fungerentur vices Archiepiscopi in convocandis Conciliis Provincialibus, in coronandis Regibus, in libertatibus Ecclesiæ in Aula Regia propugnandis, in prima denique implenda honoris Sede, sive Concilia, sive consilia agitarentur. Palam est ex historia Harpsfeldii post annum etiam quadringentesimum supra millesimum hos Episcopos omnes his ornatos titulis, his oneratos fuisse muneribus.

An. 1147. Chronica Gervasii. III. Venio ad Roffensem Episcopum, qui Capellanus erat Ecclesiæ Cantuariensis. Refertur in Chronico Angliæ perantiquo, ut Vualterus Archidiaconus Cantuariensis, & frater Archiepiscopi, electus fuerit in Roffensem Episcopum, antiquo more, id est, à Monachis Roffensibus in Capitulo Cantuariensi: *Secundum antiquam consuetudinem in Capitulo Cantuariensi electus est à Monachis Roffæ.* Archiepiscopus confirmata electione, Episcopatum donavit. *Ad quem spectat de jure antiquo Episcopatûs ipsius donatio.* Confestim Episcopus sacramentum solemne præstitit Archiepiscopo & Ecclesiæ Cantuariensi, spopondítque ejus jura & consuetudines nusquam à se imminutum iri. Ea autem erant hujusmodi. Scrip. Angl. Antiquæ. Tom 2. pag. 1362.

Cum primum efflasset animam Roffensis Episcopus, Monachi, qui Canonici ejus erant, Pedum Episcopale Cantuariam deferebant, deponebantque super altare Metropolitanæ Ecclesiæ. Item quandiu vacat Sedes, aut Archiepiscopus abest Cantuariensis, debet Roffensis ministerium omne Episcopale implere in Ecclesia Cantuariensi, si oret Capitulum. Idem Scriptor docet alibi, Episcopum Roffensem Cantuariensis Ecclesiæ Capellanum esse, cujus & Vintoniensis Cantor erat: *Episcopus Roffensis, qui ab antiquo Cantuariensis Ecclesiæ proprius erat Capellanus. Vintoniensis in Cantuariensi Ecclesia Cantoris gaudet officio.* Ibid. p. 1982. Cùm Galeramus Episcopus Roffensis electus esset præter antiquum morem in Capitulo Ecclesiæ suæ Cathedralis, consecratus autem ab Archiepiscopo cis mare: compulsus fuit postea eadem dependere obsequia, idemque præstare sacramentum in Ecclesia Cantuariensi. Monachi Roffensis Ecclesiæ ut hoc excuterent jugum Monachorum Cantuariensium, nihil non tentarunt, & fefellit illos semper spes sua. Ibi p. 1462. 1464. 1467. 1475. 1476. 1477. Cæterùm quandiu Roffensis implebat Pontificalia munia Archiepiscopi Cantuariensis, procurabatur ab Ecclesia Cantuariensi, ut *proprius ab antiquo Capellanus.* Pag. 1569. A quibus non abludens Eadmerus, ita habet: *Qui Cantuariensis Ecclesiæ proprius atque domesticus esse dignoscitur.* Nov. l. 4. & 5. Idem Scriptor non silet, ut cùm quinquennio vacasset Cantuariensis Ecclesia post obitum sancti Anselmi, Roffensis Episcopus Pontificale omne ibi munus explicuerit, nulli prorsus obnoxius Episcoporum Provinciæ. *Agebat in ea curam Pontificalis officii Radulphus Roffensis Episcopus, & ei intus & extra, si qua emergebant, assiduus propugnator erat atque fidelis. Ipse Ecclesias in omnibus terris totius Pontificatûs Cantuariensis intus & extra Cantiam, inconsultis Episcopis, ubi petebatur, dedicabat. Ipse quæ ad Christianitatem pertinent, in eisdem terris, prout res exigebat, sedulò ministrabat. Et hæc ita integre quinquennio, &c.* Hunc Archiepiscopi Vicarium nuncupat Rogerius: *Vicarius ejus.* An. 1188. Idem ipsum quod suprà jam laudavimus Chronicum Vintoniensi Episcopo Cantoris titulum & officium delegat, locatque eum ad sinistram Archiepiscopi, cujus latus dextrum tegebat Londoniensis, ut Episcoporum Provinciæ Decanus. *Ad dexteram Primatis sedit Episcopus Londoniensis, quia inter Episcopos Cantuariensis Ecclesiæ suffraganeos Decanatûs præeminet dignitate; ad sinistram sedit Episcopus Vintoniensis, quia Cantoris officio præcellit.* Scrip. Angl. pag. 1418

IV. Pleræque Ecclesiæ ad Romanæ se formam finxerunt. Illa autem Pontificia consecrationem servari integram voluit tribus Episcopis Cardinalibus, Ostiensi, Albanensi, Portuensi; sed maximè Ostiensi. Conc. Tom. 10. p. 368. Dignitates etiam functionesque Romæ obeundas Cardinalibus Episcopis designavit. Albanensis Episcopus vocatur nonnunquam Vicarius Papæ. Baron. an. 1188. n. 18. Liber, qui Ordo Romanus inscribitur, Episcopos Cardinales docet affuisse Papæ Pontificalia celebranti in Ecclesia sancti Joannis Lateranensis: esse in ea Ecclesia Episcopos hebdomadarios, denique ut Pres- Cap. 3. 4.

byteri subministrant solemnius celebranti Episcopo, ita & Episcopos quandoque Romano Pontifici subministrare. *Accedunt primùm Episcopi secundum ordinem de manu Pontificis communicare, & post eos ascendunt Presbyteri omnes, ut communicent ad altare. Sicut enim in Romana Ecclesia summo Pontifici ministrant Episcopi, sic in cæteris Ecclesiis debent Episcopis facere Presbyteri.*

V. In Gallia Suessionensis Episcopus longa jam possessione fretus, vendicat sibi primum locum inter Episcopos Remensis Provinciæ, proximum post illum Catalaunensis. Docet Fulbertus Carnotensis Episcopus has consuetudines niti antiquis Notitiis Provinciarum & Civitatum Romanarum. Ut enim prima harum Civitatum culmine Metropolitico eminebat aliis; ita secunda, & nonnunquam etiam tertia hoc aliquid privilegii in se derivabant, quo cæteris antestarent. En ut Fulbertus loquatur de Catalaunensi Ecclesia:

Epist. 78.

*Sed ne civitati vel Ecclesiæ Catalaunorum suum derogetis honorem, meminisse vos oportet, quòd in antiqua descriptione Provinciæ Belgicæ secundæ, ipsa civitas à Remensi tertium locum habeat.* Tutiùs id forsan astruitur, quàm quod ait Flodoardus ordinatum missumque ab Apostolo Petro fuisse primum Episcopum Remensem Sixtum, adjunctosque illi commilitones duos Sinnicum & Memmium, quorum ille Suessionensem, hic Catalaunensem capessivit Episcopatum.

Flodoard. L. 1. c. 3.

In Concilio Remensi anni 1049. sedit Episcopus Suessionensis immediatè post Archiepiscopum Remensem. Cùm Urbanus II. eatenus restaurasset Archiepiscopatum Attrebatensem, & Lambertum eo donasset: Rainoldus Archiepiscopus Remensis ad Episcopum Suessionensem misit Epistolas ea de causa à Pontifice ad se perscriptas, ut eas cum cæteris Provinciæ Episcopis communicaret. *Litteras domini Papæ suscepimus: quas cùm perlegissemus Coepiscopo nostro Suessionensi eas transmisimus, & ut ipse cæteris Suffraganeis eas transmitteret, præcepimus.* Anno 1171. vacante Remensi Sede Milo Episcopus Suessionensis Concilium Provinciale convocavit, *pro usu jamdiu in Ecclesia recepto.*

Conc. To. 9. pag. 1036.

Spicil. To. 5. pag. 535.

Conc. To. 11. Part. 1. pag 924.

Si ad superiora autem sæcola retro flectamus gradum, jam inde à temporibus Hincmari eadem honoris prærogativa fruebatur Episcopus Suessionensis. Hincmarus ipse in una Epistolarum suarum duodecim recensens civitates Remensi Metropoli subjectas, primum adsignat locum Suessionensi, secundum Catalaunensi. Flodoardus Suessionensem ante alios semper Provinciæ ejusdem Episcopos nominat, ab eoque refert consecratum fuisse Archiepiscopum Remensem. In Concilio Remis habito circa annum millesimum, in quo exauthoratus est Arnulphus Archiepiscopus, Suessionensis Episcopus primas authoritatis partes semper obtinuit ante alios omnes ejus Provinciæ Episcopos. Ludovicus IX. qui & Sanctus, Philippus Audax, aliique nonnulli Reges Remis à Suessionensi Episcopo solemni pompa inuncti sunt, quòd vacaret tunc Remensis Ecclesia. In Remensi Concilio anni 1564. sub Cardinali Lotharingo Archiepiscopo Remensi Suessionensis Episcopus primum semper post Archiepiscopum locum implevit, vocatusque est *Archiepiscopatus Remensis & totius Provinciæ Vicarius.*

Hincmar. Epist. 6. c. 18. Bibl. Patr To. 16. pag. 408

Flodoard. L. 4. c. 35. 36.

Du Chesne Hist. Fran Tom. 4. pag. 300.

Con. To. 15. pag. 59. 65.

In Provincia Turonensi eodem honoris sedisque primatu fruebatur Cenomanensis Episcopus, si fidem addamus Goffrido Abbati Vindocinensi: cum nimirum verba faciens de Hildeberto Cenomanensi primùm Episcopo, inde ad Turonensem Metropolim evecto; narrat quàm strenuè fortiterque obstiterit simoniacæ electioni, quam infando favoris aucupio moliebantur: *Hinc Hildebertus vir religiosus, qui post Metropolitanum in Provincia primus erat Episcopus, non tacuit.* Sirmundus in Notis ad hanc Goffridi Epistolam, hanc Ecclesiæ Cenomanensis prærogativam elicit ex Notitia Provinciarum & Catalogo civitatum Romani Imperii. Adjicit verò Claromontensem Episcopum pari jure niti in Aquitanica Provincia prima, Pictaviensem in secunda. Visum aliis est, Siagrium Episcopum Augustodunensem Pallio à Gregorio Magno impetrato, id etiam consecutum esse, ut Ecclesia Augustodunensis primas teneret inter Episcopales sedes Lugdunensis Provinciæ primæ: *Ecclesia civitatis Augustoduna post Lugdunensem esse debeat: & hunc sibi locum & ordinem ex nostra authoritatis indulgentia vindicare:* nec aliter, postquam Aiglibertus Episcopus Cenomanensis, gratia apud Theodoricum III. Regem florentissimos, Pallio à Pontifice Romano donatus est, impetratum esse ejus Ecclesiæ Primatûs privilegium, supra alios ejusdem Provinciæ Episcopatus.

L. 3. Ep. 11.

Le Cointe. An. 685. n. 21.

Contendebat & Carcassonensis Episcopus idem sibi juris esse in omni Narbonensi Provincia speciali Ecclesiæ suæ jure. Concilium Provinciale Biterrense anni 1531. temporario edicto, dum de causa plenissimè judicaretur, statuit ut post Magalonensem Episcopum sederet, qui priòr erat ordinationis ævo; ita ut nihil præjudicii hinc nasceretur, donec res hinc & hinc accuratiùs expendi posset. Non poterat Carcassonensis obtendere Notitiam civitatum, in qua post Narbonem primo loco Tolosa censetur, secundo Biterræ.

Sed cùm Bajocensis civitas prima post Rotomagum adscribatur in eadem Notitia, Bajocensis Episcopus in Concilio Rotomagensi anni 1581. palam Decanorum prærogativam sibi deberi professus est. Prædecessores quippe suos eo semper honore affectos fuisse; ad generales tantùm Synodos pertinere eam regulam, quæ sedes & sedendi ordinem ex ordinationis tempore dispensat: at in Provincialibus Conciliis civitates singulas suo gaudere honoris gradu locoque; argumento esse ipsa earundem Ecclesiarum Capitula, quæ eodem semper ordine & gradu potiebantur, primum obtinente semper locum Capitulo Bajocensi, secundum Abrincatensi, Ebroicensi tertium, quartum Sagiensi. Et hic sanè ordo est harum civitatum in Notitia ea, quam Sirmundus edidit. Nec fefellit omnino sua spes Bajocensem Episcopum. Secundùm illum interim pronuntiavit Synodus, Decanorum privilegio ut frueretur tunc, citra præjudicium tamen aliarum Ecclesiarum, quæ suas interim chartas excuterent, sicunde aliquid eis juris alluceret. Sed ante omnia statutum est, Romana ut Ecclesia consuleretur.

Conc. Gall. Tom. 2. Conc. Gen. Tom. 15. pag 871.

Capitulum Santonense locum sibi post Pictaviense vendicabat in Concilio Burdigalensi anno 1624. patrocinium possessionis obtendens. Intercessere Capitula alia, cessitque intercessioni Concilium, ita tamen ut nihil præjudicii partibus hinc crearetur. Et sanè in Notitia Sirmundi, nec Santonicæ urbi tertius, nec Pictaviensi secundus post Burdegalam tribuitur locus.

Ibid. p. 1689

In Hispania narrat Rodericus ipse Toletanus Archiepiscopus, cùm non potuisset ipse militari expeditioni interesse, quòd gravi morbo laboraret, missum à se Episcopum Placentinum, Vicarium suum, ut vice sua Pontificalibus muniis fungere-

Roder. l. 9. c. 11.

tur. *Capellanum suum Pontificem Placentinensem, qui in exercitu loco ejus Pontificalia exerceret.*

VI. Ab Innocentio III. expressit Cracoviensis Episcopus, quòd ejus sedi non contulerat Notitia Imperii, in qua altum de ea silentium; ut Episcopos omnes alios Gnesnensis Metropolis loco & honore præcederet: Rainal. an. 1207. n. 14. *Ut Episcopus Cracoviensis omnibus aliis Episcopis Provinciæ & Ecclesiæ Polonæ loco & voce prior sit, & primus Gnesnensi Archiepiscopo in consecrando manus imponat.* Rainal. an. 1227. n. 51. Ita habet Longinus in historia rerum Polonicarum. Nec eo tamen deterritus est Uratislaviensis Episcopus, quin aliquot post annis in Concilio Provinciali de loco sedendi cum Cracoviensi certaret, pervinceretque infracta tuendi loci sui constantia. Erat enim ordinationis ævo superior. Cracoviensis abesse maluit, quàm coram extrudi honore & jure suo.

Epiphan. Hæresi 68. πρωτόθρονος. VII. In Oriente inter Metropolitanos, qui uni plures suberant Patriarchæ, unus aliquis eminebat supra alios sedis suæ jure. Is Protothronus appellabatur. Ejusmodi forsan erat Meletius Archiepiscopus Lycopoleos in Ægypto juxta Epiphanium, cujus hæc sunt verba, primum illi post Alexandrinum Pontificem adsignantis locum: *Videbatur Meletius præeminere inter Episcopos Ægypti, ut qui secundum habeat locum post Petrum in Archiepiscopatu.* Poterat tunc tamen id privilegii personæ hæsisse, non sedi. Ejusmodi erat Cæsareæ in Cappadocia Metropolitanus sub Patriarcha Constantinopolitano, in Novella Isaaci Angeli: Tyrius Metropolita sub Antiocheno, Cæsariensis Palæstinæ sub Hierosolymitano. L. 14. c. 12. Non siluit Vuillelmus Archiepiscopus Tyri tam illustre Ecclesiæ suæ privilegium, cujus in VIII. Synodo Oecumenica emicant documenta. En ipsa Vuillelmi verba: *Certum est quod inter tredecim Archiepiscopos, qui à diebus Apostolorum sedi Antiochenæ subditi fuerunt, Tyrensis quidem primum locum obtinuit, ita ut in Oriente Protothronus appellatur; sicut in Catalogo, &c.* Quando Tyrium Metropolitam Hierosolymitano Patriarchæ interim addixit Innocentius II. dum causa accuratius examinaretur, eundem ei honoris Primatum contulit in Patriarchatu Hierosolymitano.

## De Episcopis, de Episcopalibus sedibus, de Episcopatu ipso.

### CAPUT. L. *P. 1. l. 1. c. 13.*

**Episcoporum authoritas jure divino nititur, ipsaque Christi institutione; successere Episcopi in Apostolorum locum, in Petri etiam quodammodo Sedem.**

*I. Episcopi origine & institutione prorsus divina fulgent, tum quoad Ordinem, tum quoad Jurisdictionem: quippe Vicarii Christi sunt in sua quisque Diœcesi, & Apostolorum successores, & ipsius quodammodo Petri.*

*II. Probatur ex Leonis Papæ testimonio.*

*III. Et ex Optato. Claves spiritalis jurisdictionis Christus semel dedit toti Apostolorum Collegio, id est, Episcoporum: dedit & semel Petro, ut Capiti, quo corpus totum in unitatem indissolubilem collectum repræsentabatur.*

*IV. Exponitur ab Hieronymo, ut Apostoli licèt Petro pares in Apostolatu, ei tamen ut Capiti subjungebantur.*

*V. Episcopatum mirifice idem extollit.*

*VI. Eodem jure divino, eademque necessitate vitandi schismatis, vult Hieronymus Episcopos esse Capita singularium Ecclesiarum, Petrum Ecclesiæ universæ. Annuit ut & Petri successores dicantur Episcopi. Primi Episcopi ab ipsis Apostolis Apostoli dicti sunt.*

*VII. Antedicta firmantur ex sancto Paciano.*

*VIII. IX. Ex Cypriano item, & Augustino.*

*X. Ex Paulino & sustano Pomerio.*

*XI. Ex Canonibus & Constitutionibus Apostolicis. Ex Origene & Eusebio.*

*XII. Ex Basilio, Firmiliano, & Theodoreto.*

*XIII. Eadem honoris & potestatis cognomina Papæ & Episcopis communia, aliquo tamen discrimine.*

*XIV. De nomine Papæ.*

I. PRogredimur à Metropolitanis ad Episcopos: & quanquam ex superioribus præjudicatum illud præceptumque animo jam sit, non Ordinem tantùm, sed Jurisdictionem etiam & Imperium Episcoporum jure divino niti, & ab ipsa proficisci Christi institutione: juvabit tamen tam pulcro & tam copioso immorari paulò diutius argumento. Unanimis Conciliorum, Patrum, Scriptorumque omnium Ecclesiasticorum antiquissima traditio eò conspirabat, ut Episcopi censerentur divina quadam origine & institutione niti, ut Christi ipsius vices agerent in sua quisque Diœcesi, ut successores haberentur Apostolorum, ipsiusque adeo Petri, sensu quodam verissimo, cui nihil illud officiat alioqui indubitatissimum, quòd Papa propriè magis & plenius & ex asse, ut aiunt, hæres sit & successor Petri.

II. Ne optari quidem potest in hac re tota æquius & elimatius quidquam, sive ad summi Pontificis prærogativam commendandam, sive ad majestatem illustrandam institutæ divinitus Episcopalis dignitatis; quàm quòd uno Epistolæ suæ contextu complexus est Leo Papa, verè Magnus. Mirabili quodam fœdere conglutinat ille Principatum Capitis in universa Ecclesia cum Principatu Episcoporum, qui & ipsi Capita sunt suorum quisque gregum: quibus ex omnibus sibi mutuò subnexis, innexisque indivolsa quadam charitate & concordia, existit Caput unum & unus Episcopatus: perinde omnino ut omnes Ecclesiæ Episcopales cum Romana Ecclesia, unum Catholicæ Ecclesiæ corpus coagmentant. En ipsa Leonis verba: *Connexio* Epist. 84. *totius corporis unam sanitatem, unam pulcritudinem facit. Et hæc quidem connexio totius corporis unanimitatem requirit, sed præcipuè exigit concordiam Sacerdotum; quibus etsi dignitas non sit communis, est tamen ordo generalis. Quoniam & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris, fuit quædam discretio potestatis; & cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut cæteris præemineret. De qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio, & magna dispositione provisum est, ne omnes omnia sibi vindicarent; sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres prima haberetur sententia; & rursus, quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem: per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil usquam à suo capite dissideret.*

Manifestè declarat Leo, successisse Episcopos Apostolis, quos nemo nescit institutione prorsus divina hunc apicem assecutos; ordinem & Collegium Episcopatûs unum prorsus esse; Episcopos denique alios ab aliis eo distare, quòd latius horum quàm illorum pateat authoritas. *In similitudine honoris fuit discretio potestatis. Cùm omnium par esset electio, uni datum est, ut cæteris præemineret.* Non eo differre eos inter se, quòd hi ab illis quidquid habent potestatis, mendicarint, quasi ex delegatione quadam: cùm ex adverso omnes immediatè à Christo vocati sint ad Apostolatum, sive ad Episcopatum;

coporum: *Omnium par electio, Ordo generalis*: sed quod alii aliis subjiciuntur, alii aliis latius dominantur, largius, parciusve sua munera dispensante Christo, ut sibi collibitum est, ad Principatus sui sacri societatem Episcopos prorsus omnes vocanti. *Uni datum est, ut cæteris præemineret.* Longè aliud est, quempiam delegare, & ei præesse. Petrus à Christo supra alios Apostolos evectus est; & illi tamen à Petro nec missionem, seu delegationem, nec authoritatem obtinuerunt suam, sed ab uno immediatè Christo, ut à fonte totius Sacerdotii primario.

III. Affirmat Optatus Milevitanus in Africa Episcopus, ad unitatem Ecclesiæ constringendam, Petrum cæteris prælatum fuisse Apostolis, & à Christo accepisse Claves, cæteris communicandas.

[Optat. l. 1.] *Bono unitatis beatus Petrus præferri omnibus Apostolis meruit, & claves regni Cælorum communicandas cæteris solus accepit.* [Epist. 89.] Idem sentit Leo, *Ut ab ipso Petro quasi quodam Capite dona sua Dominus velut in corpus omne diffunderet.* Non horum ille sensus est verborum, quòd Apostoli authoritatem suam & Claves à Petro obtinuerint: cùm evidentissimè & disertis Evangelicæ veritatis verbis constet, Christum ipsum ad Apostolos omnes verba facientem, in commune donasse illos & Clavibus Ecclesiæ, & potestate ea, quà in terris quidquid ipsi factum infectùmque esse jussissent, perinde in cœlis, seu ligando, seu solvendo, factum infectùmve censeretur. Sed cum rursum Christus Petrum nominatim alloquens, & in eo implexum insertumque quodammodo, ut in vertice suo, totum Apostolicum, seu Episcopale Collegium: ligandi solvendique potestatem in cœlis & in terris dedit ei cum Clavibus: eo id significatum voluit, ab omnibus illis administrandas non esse cœlestes has Claves, nisi consensione & charitate indivulsa cum Capite suo, in quo comprehensi & complexati omnes erant, quando illum divina hac & stupenda potestate cumulavit. [Epist. 3.] Ea fuit mens Paciani: *Ad Petrum locutus est Dominus, ad unum, ut unitatem fundaret in uno. Mox id ipsum in commune præcipiens.* Paucis his verbis duplex delegatio perspicuè indigitatur, quarum in una Christus solum affatur Petrum, ut Caput, quo totus repræsentatur Episcopatus. In altera non Petrus delegat Apostolos, sed Christus iisdem prorsus verbis quibus delegaverat Petrum: cui tamen vel tunc sospes & incolumis sua constabat prærogativa, quòd uni illi ut centro & vertici unitatis honos præcipuus habitus esset.

IV. Corticem magis quàm medullam verborum spectarunt, qui suspicati sunt Hieronymum debilitasse vim & majestatem infregisse Episcopatûs, cùm Episcopis Presbyteros æquavit. Etenim ex eo impræsentiarum ea adscribemus hic placita, quibus evehantur Episcopi ad summum dignitatis & potestatis columen, & in successionem adoptentur Apostolorum, qui ipsi in Apostolatu pares sint Petro, non autem in eo singulari privilegio, quo renidet ipsius Apostolatûs apex & caput. Audi ut ille de opulentissimo suo Ecclesiasticæ eruditionis penu depromat, duplicem illam delegationem, utramque immediatam à Christo, alteram Petri, alteram Apostolorum. [L. 1. adver. Jovin.] *At dicis super Petrum fundatur Ecclesia. licèt id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves regni cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Vix præclarius quidquam dici poterit ad derivandam ab uno Christo totam Apostolorum potestatem, æquè ac Petri, quamvis Capitis in vicem præstitutus sit illis Petrus, ut occuparetur & præfocaretur schisma, quod inter illos, seu illorum successores, succrescere aliquando potuisset.

V. Sugillat idem Hieronymus alibi Montanistas, qui novellas duas somniaverant dignitates, ut infra eas tertium demum in locum dejicerent Episcopos, qui primas tenebant in universa Ecclesia Christi, ut ipsissimi Apostolorum successores. [Epist. ad Marcellam. adver. Montan.] *Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent. apud eos Episcopus tertius est. Habent enim primos de Pepuza Phrygiæ Patriarchas: secundos quos appellant Cenones: atque ita in tertium, id est, pene ultimum locum Episcopi devolvuntur: quasi exinde ambitiosior religio fiat, si quod apud nos primum est, apud illos novissimum sit.* Docet rursus idem alibi, omnes peræquè Episcopos esse successores Apostolorum, omnesque una & eadem resplendere dignitate, ne excepto quidem Pontifice Romano, cùm unus ubique terrarum sit Episcopatus, unus Apostolatus. [Epist. ad Evagrium.] *Ubicumque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Regii: sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem meriti, ejusdem est & Sacerdotii. Potentia divitiarum & paupertatis humilitas vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterùm omnes Apostolorum successores sunt.*

VI. Denique eidem Hieronymus inconcusso superstruit fundamento, institutioni scilicet Christi, tum Principatum Episcoporum supra Presbyteros, tum Principatum Petri supra Apostolos, sive Papæ supra Episcopos. Cùm dixisset enim in more fuisse, ut Apostoli ipsi se Presbyteros dicerent: addit ad vitandum schisma, & ad firmandam indissolubili vinculo particularis cujusque, sicut & universalis Ecclesiæ unitatem, designatum esse à Christo Episcopum, qui Capitis vice Presbyteris præsideret, adeoque & plebibus, quarum Presbyteri Capita Pastoresque sunt. *Quòd autem postea unus electus est qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet.* Quamvis divina hæc institutio, *postea* tantùm emicuerit, nempe postquam Episcoporum Presbyterorumque numerus excrevit: divini nihilo secius juris institutio est; quandoquidem divinitus instituta hac authoritate, Episcopi successores sunt Apostolorum: nec potest particularis Ecclesia quælibet non concinere universali, ejusque pro parte sua virili æmulari unitatem. Si alio loco Hieronymus non Episcopos tantùm, sed & Presbyteros ad successionem vocat Apostolorum: [Epist. ad Paulin. De Instit. Monach.] *Episcopi & Presbyteri habeant in exemplum Apostolos, & Apostolicos viros, quorum honorem possidentes, habere nitantur & meritum.* Illud tamen interest semper discriminis, quòd Episcopi supra Presbyteros emineant, ut Petrus supra Apostolos, ea Capitis dignitate, quæ divina ab institutione profecta est.

Ex eodem Hieronymo potest etiam dici Episcopos omnes Petro succedere, quatenus totum in se Petrus circumgestabat & repræsentabat Collegium Apostolorum, cum ei Christus copiam fecit clavium, quibus cœli clauduntur & reserantur. [Ep. ad Heliodorum] *Non omnes Episcopi Episcopi sunt. Attendis Petrum? sed & Judam considera.* Et infrà: *Non est facile stare loco Pauli, tenere locum Petri.* Ad hoc ipsum videtur alludere, cum tradit alibi non posse Ecclesiam constare, nisi emineat Episcopalis dignitas, cui reliquæ subjiciantur potestates omnes, ne scissa unitate exitiale conflettur schisma: [Adver. Lucifer.] *Ecclesia salus in summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quadam & ab om-*

*nibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot Sacerdotes.* Denique monet Hieronymus, qui primi ab Apostolis ordinati sunt Episcopi, vel ab Apostolis ipsis dictos esse & Apostolicos viros, & Apostolos. Usque adeo indubitatum est, non aliud esse Episcopatum, quàm Apostolatum ipsum jugi & nusquam intercisa successione in Ecclesia perpetuatum. *Quòd autem exceptis duodecim quidam vocentur Apostoli, illud in causa est: Omnes qui Dominum viderant, & eum postea prædicabant, fuisse Apostolos appellatos. Paulatim verò tempore procedente, & alii ab his quos Dominus elegerat, ordinati sunt Apostoli. Epaphroditus, Silas & Judas, Apostoli ab Apostolis nominati sunt.*

VII. Præiverat in hanc doctrinam Hieronymo Pacianus Barcinonensis Episcopus, qui observat non esse quod magnopere miremur, si Apostoli suo ipsorum nomine Episcopos illustrarint, cùm suo *Epist. 1.* Christus ipse Apostulos insignierit. *Denique & Episcopi Apostoli nominantur, sicut de Epaphrodito Paulus edisserit, &c. Deus jus illud nobis, ut Apostolorum Cathedram tenentibus non negabit, qui Episcopis etiam uniti sui nomen indulsit. Nemo Episcopum hominis contemplatione despiciat. Recordemur quòd Petrus Apostolus Dominum nostrum Episcopum nominarit. Quid Episcopo negabitur, in quo Dei nomen operatur.* Perspicis hîc Episcopos non Apostolorum tantùm nomine & authoritate indui, sed & Christi ipsius.

VIII. Constantissima hæc etiam est Cypriani doctrina, Episcopos Apostolorum successores esse, centra & vertices unitatis esse in sua quemque Ecclesia; eo sensu in Petri quoque successionem & consortium venisse, in Petri Cathedra sedere, ut in Cathedra unitatis: denique in indivulsam unitatem coalescere omnes debere cum successore Petri primario, Pontifice Romano, sicut Apostoli insolubili vinculo cum ipso semper Petro cohæsere: ut omnes Ecclesiæ in unam illam conflentur Ecclesiam, quæ una sponsa est immortalis Sponsi, à quo amicis Sponsi interim concredita est. Hæc verba Cypriani *L. 2. Ep. 10.* sunt ad Cornelium Papam: *Hoc vel maximè, frater, & laboramus, & laborare debemus, ut unitatem à Domino, & per Apostolos nobis successoribus traditam quantum possumus obtinere curemus.* Et alibi Diaconos objurgans, qui cristas erigebant adversùs Episco- *L. 3. c. 9.* pos: *Meminisse debent Diaconi, quoniam Apostolos, id est, Episcopos & Præpositos Dominus elegit, Diaconos autem Apostoli sibi constituerunt, Episcopatus sui & Ecclesiæ ministros. Quod si nos aliquid audere contra Deum possumus, qui Episcopos facit, &c.* Vix expressius quidquam dici poterat, ut significaret tunc institutos esse à Christo Episcopos, cum instituti ab eo sunt *L. 4. Ep. 9.* Apostoli. Et rursus alibi: *Christus dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes Præpositos, qui Apostolis Vicaria ordinatione succedunt, Qui audit vos, me audit.* Divinæ sanè potestatis & gratiæ opus, & operæ pretium Ecclesia est. Atqui *Ecclesia est plebs sacerdoti adunata, & Pastori suo Grex adhærens. Unde scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo.*

IX. Pulcherrimè idem Cyprianus edisserit alibi, ut illa Apostolorum æqualitas cum Petro in Apostolatu, ad quem peræquè omnes vocati fuerant à Christo, conciliari & constare possit cum ea subjectione, qua Capiti suo eos subjungi astringique necesse erat, cùm Christus omnes illos in Petro complicuisset, quando Petrum constituebat inconcus- *L. de unitate Ecclesiæ.* sum Ecclesiæ suæ fundamentum. *Loquitur Dominus ad Petrum, Super hanc Petram, &c. Tibi dabo claves &c. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, Accipite Spiritum sanctum, si cui remiseritis peccata, &c. Tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua authoritate disposuit. Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur.*

Si visus est autem Cyprianus exæquasse se Stephano Papæ, pariaque quodammodo fecisse in contentione de baptismo hæreticorum: locupletissimus testis authorque erit Augustinus longè aliam ejus menti insedisse sententiam. Nec enim nescire potuit Cyprianus, quantùm emineret Principatus Apostolicæ Cathedræ supra cæteras omnes Cathedras Episcopales. Versat autem eo loco Augustinus hanc ipsam Stephani & Cypriani super baptismo concertationem: *August. de Bapt. cont. Donat. l. 2. c. 1.* *Quis enim nesciat illum Apostolatûs Principatum cuilibet Episcopatui præponendum? Sed etsi distat Cathedrarum gratia, una est tamen Martyrum gloria.*

X. Sanctus Paulinus Nolanus Episcopus Apostolica in sede locat Episcopos. Vide ut ad Victricium Rotomagensem Episcopum scribat: *Sic te Apostolicæ Sedis evectu, quasi super candelabrum sublime Deus constituit.* Sic rursus ille ad Florentium Cadurcensem Episcopum: *Epist. 2. ad Victric.* *Deus qui te in sortem Apostolorum dignatus assumpsit, ut eorum arte hominum piscator existeres.*

Julianus quoque Pomerius in libris de Vita contemplativa Apostolicum in fastigium Episcopos omnes attollit: *L. 1. c. 13. L. 2. c. 2.* *Isti sunt Apostolorum Domini successores, &c. Ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores.*

XI. Nec dissentire ab hac doctrina potuere Græci. Canon Apostolicus intonat plebium salutem Episcopis à Christo commendatam fuisse, ab eis rationem reposcendam esse: ex eoque fieri, ut nec Presbyteri, nec Diaconi, nisi jussu Episcoporum in animarum curam se interponere debeant. *Cas. 40.* *Presbyteri & Diaconi præter Episcopum nihil agere pertentent. Nam Domini populus ipsi commissus est, & pro animabus eorum hic redditurus est rationem.* Ad hunc Canonem alludit Canon Antiochenus, quo sciscitur res Ecclesiæ temporales credi debere fidei & curæ Episcoporum, quibus animas ipsas Christus concredidit. *Cas. 24.* *Cui commissus est populus, & animæ quæ in Ecclesia congregantur.* Constitutionum Apostolicarum Scriptor perantiquus Presbyteros jubet ille quidem locum implere Apostolorum, at Episcopos in ipso Dei throno locat. *Const. Apost. L. 2. c. 26.* *Qui Episcopus est, hic post Deum Deus terrenus. Episcopus vobis præsideat, ut dignitate Dei cohonestatus, qua Clerum sub potestate sua tenet, & toti populo præest. Presbyteri nos Apostolos repræsentare existimentur, &c.*

In Sedem Petri ipsius Origenes Episcopos evehit, easdemque spiritales claves illis permittit: *Tract. 1 in Matth.* *Quoniam ii qui Episcoporum locum sibi vindicant, utuntur eo dicto sicut Petrus, & claves regni cælorum à Servatore acceperunt, &c.*

Eusebio Cæsariensi Episcopi omnes vices Christi circumgestant, tanquam regalis ejus Sacerdotii consortes & administri. *L. 10. hist. c. 4.* *Fortasse id etiam alteri cuipiam secundo à Christo loco concessum est: huic videlicet, quem primus ipse & maximus Pontifex, secundi post se loci Sacerdotio decoratum, divini vestri gregis Pastorem, sorte ac judicio Patris omnipotentis constituit.*

XII. Vocat Basilius Episcopos omnes in consortium & administrationem spiritalis potestatis, æternarumque clavium, quarum regimen Christus Petro, & in Petro Pastoribus omnibus commen-

(*Conſt. Man. c. 22.*) davit. *Hoc à Chriſto docemur, dum Petrum Eccleſiæ ſuæ Paſtorem poſt ſe conſtituit. Petre, inquit, amas me plus his, paſce oves meas. Et omnibus deinceps Paſtoribus ac Magiſtris eandem tribuit poteſtatem, cujus quidem rei ſignum eſt, quòd omnes ſimiliter atque ille, & ligent, & ſolvant.* Ante Baſilium Firmilianus eandem illam rexerat Eccleſiam Cæſareæ in Cappadocia; iſque quamvis acerbius aliquandiu cum Stephano Papa altercatus ſuper baptiſmo hæreticorum, non dubitabat tamen, quin Stephanus in Cathedra Petri ſederet: ſed ſe quoque in eadem non immerito ſedere venditabat. In eo tantùm peccabat, quòd non ſatis perpendebat animo ſingularem illam Capitis prærogativam, qua unus radiat Romanus Præſul, ut quæ nec ſcindi, nec cum pluribus communicari poſſit. *Poteſtas peccatorum remittendorum Apoſtolis data eſt, & Eccleſiis quas illi à Chriſto miſſi conſtituerunt, & Epiſcopis qui eis ordinatione Vicaria ſucceſſerunt, &c. Stephanus, qui ſic de Epiſcopatus loco gloriatur, & ſe ſucceſſionem Petri tenere contendit, ſuper quem fundamenta Eccleſiæ collocata ſunt, &c. Stephanus qui per ſucceſſionem Cathedram Petri habere ſe prædicat.* Nec neſcire poterat eruditiſſimus Theodoretus, Apoſtolorum vicem & locum implere Epiſcopos, etſi ab ea ſe nominis gloria abſtineant. (*In Iſaiam. c. 61.*) *Apoſtolicum nomen præcipuum & ſingulare beatiſſimi illi habuerunt. Etſi enim eorum operi iſti ſucceſſerunt, illorum tamen appellationem nemo ſibi arrogare audet.* Idem alibi advertit Apoſtolorum nomine donatos eſſe à Paulo, non ſolum duodecim illos eximios, quorum ſingulare id decus eſt, ſed eos omnes qui eundem Ordinem acceperunt. (*In Epiſt. 2. ad Corinth. c. 15.*) *Apoſtolos non ſolos duodecim vocavit, ſed omnes qui eundem ordinem acceperant.* πάντας τοὺς τοιαύτην δεξαμένους χειροτονίαν. Et alibi: (*In Epiſt. 1. ad Timoth. c. 3.*) *Qui nunc vocantur Epiſcopi, Apoſtolos olim nominabant. Procedente tempore Apoſtolatûs nomen reliquerunt iis, qui verè erant Apoſtoli.*

XIII. His addi poſſet honorificentiores quoque titulos, & ſummæ præcellentiæ nomina olim Epiſcopis omnibus tribui uſitatiſſimum fuiſſe, quæ poſteriorum uſus ſæculorum ad ſolos Romanos Pontifices revocavit. Enimvero cùm hoc animis fidelium præceptum anticipatumque eſſet, eſſe Epiſcopos omnes Apoſtolos, Apoſtolorum ſucceſſores, in Apoſtolorum ſedibus ſedere, immo & in ipſa Petri ſede: non poterat non ſtatim in illos congeri tota hæc nominum magnificentia, honorumque copia. Quanquam jam tunc perſuaſum uſque adeo eſſet, hac titulorum nominumque gloria longè præcellentius abundantiuſque Petrum ipſum, Petrique ſucceſſores præ cæteris cumulari debere, ut penes hos denique ſolos ea tota reſederit. Quippe nec ſacra, nec civili ulla lege excuſſi ſunt his gloriæ titulis Epiſcopi alii, & ſolus frui juſſus Romanus Præſul, ſed ſolo fidelium tacitoque conſenſu, ſenſim convaleſcente, ut ſolus diceretur Papa, ſummus Pontifex, Vicarius Chriſti in terris, Sanctiſſimus, Beatiſſimus, Apoſtolicæ ſedis Præſul, qui olim honores titulorum omnibus communes erant Epiſcopis. Uſus conſenſuſque ſenſim inoleſcens hæc honoris & poteſtatis inſignia ſoli Romano Pontifici vindicavit, ex certa nimirum fide & conſcientia ſingularium Privilegiorum, quibus Petrum Chriſtus præ aliis decoraverat Apoſtolis.

XIV. Hæc porro honorificentiſſimorum nominum communio inter Epiſcopos omnes, necdum vi. necdum vii. ſæculo prorſus exoleverat, qua de re ſuprà. Unum hîc addam, Papæ nomen videri ex Africa originem traxiſſe, ibique ſpecialius etiam Carthaginenſi Archiepiſcopo tribui ſolitum, cujus authoritas latiſſimè tota Africa dominabatur. Extra Africam etiam uſitatior erat Papæ titulus, ſed in Africa uſitatiſſimus: ut ex Tertulliano, & ex Cypriani Epiſtolis liquidum eſt. Omnibus etiam in Africa Epiſcopis conveniebat Papæ nomen, ſed uſu tandem receptum fuit, ut Carthaginenſi potiſſimum aſcriberetur, tanquam Patri Patrum, & communi omnium Patri. In Collectione Græca Canonum Africanorum, rarius Papæ nomen tribuitur Epiſcopis aliis, præterquam Romano & Carthaginenſi. In Ægypto Papæ nomen uni Alexandrino Pontifici affectatius concedebatur. (*Epiph. hær. 69.*) Obvia ſe dabunt exempla apud Epiphanium, Athanaſium & Hieronymum. (*Hieron. Ep. 16.*) Papæ nomine donat etiam Hieronymus Evagrium Epiſcopum Antiochenum. (*Baron. an. 362. n. 103.*) In Italia jam tum forſan ſervari Romano Præſuli incipiebat id cognomen, cùm ſcriberet Ambroſius *Siricio Papæ*. (*Hieron. in vita Malchi.*) Anno 405. Concilium Toletanum, fidem enim quod ad anni notam ſpectat, Baronio habemus, ita abutebatur nomine Papæ, quaſi jam ſoli Romano Pontifici vendicaretur. *Expectantes quid Papa, qui nunc eſt, quid ſanctus Simplicianus Mediolanenſis Epiſcopus, reliquique Eccleſiarum reſcribant Sacerdotes.* (*Baron. an. 405. n. 33. 34. 410. n. 26.*) Et infrà: *Priuſquam illis per Papam, vel per ſanctum Simplicianum communio reddatur.* In aliis Orbis Chriſtiani Provinciis ſeriùs contigit id nominis Papæ reſervari. Ut Balſamon, & eo duce Nicephorus in hunc errorem impegerint, quòd à Cæleſtino Papa indultum ſit Cyrillo, ejuſque in Alexandrina ſede ſucceſſoribus, Papæ cognomen: id in cauſa fuit, quòd eo nomine diutius Epiſcopi Alexandrini, quàm alii quivis uſi ſint, cùm jam ferè Romano Antiſtiti illud uſus proprium feciſſet. Alicubi in Concilio Calchedonenſi Papæ nomine ſimpliciter deſignatur Romanus Pontifex. *Sic credit Papa Leo, ſic Cyrillus credit, ſic Papa interpretatus eſt.* (*Act. 1. & 2.*) Sed nondum ſatis convaluerat ea loquendi conſuetudo. Eutyches ipſe ibidem vocatur πάπας, id eſt, Pater: propter ætatem nimirum ingraveſcentem, vel quòd Abbas & Pater Monachorum eſſet. (*Evag. l. 1. c. 18.*) Incipiebat ergo tunc, necdum uſu corroboratum erat, ut eo nomine fruerentur ſoli magnarum Sedium Epiſcopi, & præ cæteris Pontifices Romani. (*Suprà l. 1. c. 4. n. 10.*) Plura nos ſuperiùs de hoc Papæ nomine.

---

## CAPUT LI. *P. 1. l. 1. c. 15.*

### De trium Hierarchicorum Ordinum, Primorumque Beneficiorum Eccleſiæ, Epiſcopatûs, Preſbyteratûs, & Diaconatûs præeminentia & antiquitate. Ex Græcis primùm Patribus.

*I. Vera hæc eſſe Beneficia, quibus ſua ſunt ex inſtitutione divina Sacerdotalia munera, & jus ad rem proventumque temporalem.*

*II. Diffinitum eſt à Tridentinis Patribus Hierarchiam hanc inſtitutionis eſſe divinæ. Clerici inferiores omnes Diaconorum nomine quodammodo comprehenduntur.*

*III. Chriſti mandato & delegatâ authoritate ordinati ſunt ab Apoſtolis Preſbyteri & Diaconi: qui ab illis, quaſi rivuli à pleniſſimo Sacerdotii fonte promanarunt.*

*IV. Probatur ex Ignatio & Juſtino Hierarchiam divinitùs inſtitutam, Epiſcopis conſtare, Preſbyteris & Diaconis. Item Diaconos ad Sacrificii miniſterium eſſe militatos.*

*V. Idem probatur ex Canonibus & Conſtitutionibus Apoſtolicis.*

*VI. Ex Clemente Alexandrino.*

*VII. Ex Eusebio.*
*VIII. Ex Origene.*
*IX. Ex Cyrillo Hierosolymitano, & Gregorio Nazianzeno.*
*X Ex Chrysostomo. Cur tria illa Ordinum nomina in Scripturis promiscuè nonnunquam usurpentur.*
*XI. Contra divinam Diaconorum institutionem objicitur Concilium in Trullo. Responsio.*
*XII. Respondetur & Chrysostomo.*
*XIII Concilio Trullano opponitur Neocæsareense.*

I. NOn est quod mireris, si statim à me soli primorum Ecclesiæ temporum Beneficiarii fuisse dicuntur, Episcopi, Presbyteri & Diaconi. Nec enim splendida illa nomina solum Ordinem, & spiritalem in celebrandis sacramentis potestatem significant: sed & eam quæ inde existit dignitatem, itemque Beneficium, veluti florem fructumque ex Ordine sacro, tanquam ex cælesti quadam arbore pullulascentem. Fusè id in hoc opere toto demonstrabitur. Nunc illud observasse satis erit, quòd quemadmodum ubi audis nomen Episcopi, non sacrum quendam Ordinem solum potestatemque spiritualem concipis, sed & gubernandæ Diœceseos munus, fruendaque & utenda, quæ sunt conjuncta muneri, bona temporalia: ita apud sanctos Patres, Concilia, communemque Ecclesiæ totius usum, per annos mille & ducentos, & ao amplius, Presbyteri nomen & Diaconi, tam jus ad rem temporalem possessionemque significarit Beneficii, quàm sacrum illum Ordinem, cælestemque quo in ordinatione insigniti sunt charactèrem. Uti nemo nunc in Episcoporum ordinem adsciscitur, sine Ecclesiæ alicujus cura spiritali simul & temporali: ita ab ipsis Ecclesiæ exordiis nemo poterat ad Presbyteri dignitatem aut Diaconi evehi, sine spiritali in certa Ecclesia munere aliquo, conjunctaque ei tunc quidem temporali re & annona. Id quod apertè Beneficium appellamus.

II. Accedendum nunc nobis est ad ejus Hierarchiæ institutionem, quam observavit Tridentina Synodus ex Episcopis, Presbyteris ac Ministris esse conflatam. Neque enim Ministri alii sunt, quàm Diaconi, ut apparet ex significatione vocis, & propriis Scripturæ ipsius terminis. Verùm eo maximè verbo uti voluit sacra Synodus, ut innueret minores omnes Ordines, quia quædam quasi Diaconatûs decerptæ portiones sunt, divina illa hierarchia comprehendi. Hos enim omnes ita subesse Diacono, ita illi conjungi, ut unum cum illo efficiant.

Objectabit non immeritò quis, ex eodem Concilio, nec Subdiaconos posse comprehendi ea in Hierarchia, quæ sit institutionis divinæ, nedum Ministros inferiores. Quippe quos & sanctissimi Patres & Concilia doceant, nec eosdem, nec semper, nec ubique omnes in omnibus Ecclesiis præteritis temporibus fuisse: sed alios ex aliis ab Ecclesia institutos. At vicissim respondebimus nos, satis esse, ut institutiònis divinæ suo quodam modo esse dicantur, si verè institutionis divinæ sit eorum fons & origo, Diaconatus videlicet, à quo effluxerunt omnes, & in quo omnes excellentiori modo continentur.

III. Ut ad primigeniam rei originem eluctemur, hinc ordiendum nobis est. Factus per incarnationem Filius Dei Christus Sacerdos summus, & tandem reversus in cælum, ubi conveniente homini & Deo, convenienter fælicitati cælestis Ecclesiæ cumulatissimæ, Sacerdotio fungeretur: suos sibi substituit in terris Apostolos primùm, deinde Episcopos, ejusque donavit plenitudine Sacerdotii, quod hic per mortalem vitam ipse gessisset. In Evangelicæ historiæ libris Presbyterorum ac Diaconorum discrimen ab Apostolis aut Episcopis nullum invenies. Occurret autem in Apostolorum Actis & Pauli Epistolis Diaconorum institutio, nomen, officium. Item Presbyterorum & nomen & munus, quanquam hi quidem promiscuè quandoque habeantur cum Episcopis. Cujus rei ratio suprà relata est. Videri possent ibi etiam Diaconi ab Apostolis potiùs instituti esse, quàm à Christo: denique hærentibus in verborum cortice videri potest eorum munus id fuisse potiùs, ut communi mensæ deservirent, in qua divitum charitas reficiendis pauperibus oblectatur. Verùm hæc sequenti Capite diluentur opportuniùs. Nunc illud solum præmitti velim, Apostolos accepta à Christo Sacerdotii plenitudine, ab eodem etiam & potestatem & mandatum accepisse, ut illud non solùm in successores transfunderent, sed & in varios ac multiplices distribuerent gradus, prout Ecclesiæ decor, ordo, & gubernatio postularet. Expresso igitur ipsius Christi mandato Apostoli Presbyteros aut ordinavere ipsi, aut ordinari ab Episcopis jussere, nequaquam eis concessa illa privilegiorum plenitudine, quæ propria & peculiaris dos est Episcopatûs. Tum verò instituêre & Diaconos Apostoli, ut divinum illud imperium pro sua parte gererent, exercerentque, quod est necessariò cum sacro Altarium ministerio conjunctum.

IV. Hortatur Ignatius fideles, Episcopo ut ita obtemperent, sicut Christus Patri; Presbyteros ut colant tanquam Apostolos, Diaconos autem ut mandatorum Dei ministros. *Episcopum sequimini, ut Christus Patrem; Presbyterium, ut Apostolos; Diaconos ut Dei mandatum.* (*Epist. ad Smyrn.*) Postrema hæc verba haud scio an tacitè innuant quod accepere Apostoli à Christo de instituendis Diaconis mandatum. Hoc certè indubitatum apud Ignatium, Ecclesiasticam Hierarchiam in tribus hisce Ordinibus totam positam esse, præter hos alium afferri nullum; hos à se invicem sejungi nunquam; & eo cum splendore semper, ea cum majestate exhiberi, ut divinam horum non possis quin agnoscas institutionem. Ubi verò Presbyteros ait sequendos nobis esse ut Apostolos, non ea ejus mens est, ut in Presbyteris velit eam quæ in Apostolis erat, Sacerdotii abundantiam esse. Non ita. Alioqui Presbyteros æquaret Episcopis, quod ab ejus & sententia & verbis alienissimum est. Sed ubi semel Episcopis tribuit & Christi auctoritatem & Patris principatum ineffabilem, jam non dubitat Presbyteros Apostolorum donare nomine, quorum in locum ex parte & ipsi aliqua reipsa successere. Quantalibet autem ex Ignatio Presbyteris potestas sit, neutiquam tamen eis per eum licet injussu Episcopi quidquam adgredi, ac ne sacrificium quidem offerre. *Non licet sine Episcopo nec offerre, neque sacrificium immolare, neque Missas celebrare.* Est enim Episcopus velut imago vivens Imperii Patris & Sacerdotii Filii, qui solus naturâ Pontifex est. *Honorate Episcopum tanquam Principem Sacerdotum, imaginem Dei ferentem. Principatum secundum Deum, Sacerdotium verò secundum Christum, solum naturâ Principem Sacerdotum.* μόνον τῇ φύσει τοῦ πατρὸς ἀρχιερέα. Docet denique in Ecclesia qui sint ordines, & quibus ex membris Christi corpus alterum, hoc est mysticum coagmentetur. *Laici Diaconis subditi sint, Diaconi Presbytero, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, sicut ipse Patri.* Ubi vides subditum & obtemperantem Clero populum, & laicis in spiritali negotio imperantem Clerum: atque adeo ita temperatam

Cleri dominationem, ut qui terris imperat, eum oporteat cæli legibus parere.

Porro non constat hic Clerus nisi Episcopis, Presbyteris & Diaconis. Quod & ex alia patet ejusdem sanctissimi Martyris Epistola, ubi præcipit similiter, ne quid agatur rei injussu Episcopi: *Sine*
*Ad Trallen.* *Episcopo nihil operari.* Presbyteris morem geri tanquam Apostolis: *Subjici Presbytero, ut Apostolis Christi.* Sed illud memorandum additur, Diaconos ministros esse sacræ mensæ, in qua Christi corpus immolatur: *Diaconos ministros existentes mysteriorum Jesu Christi, secundum omnem modum omnibus placere. Non enim ciborum & potuum sunt ministri, sed Ecclesiæ Dei.* In quo argumenti satis est, ut quanquam in Actis Apostolorum videatur instituendi Diaconos occasio nata ex mensa communi; nihilo tamen minus arbitremur primarium hujus institutionis consilium ad sacrificium spectasse, & ad sacram mensam, quæ tum à civili non divellebatur. Ad id usque temporis Apostoli munia impleverant Diaconorum, periode ut Presbyterorum. Ut servirent Ecclesiæ necessitatibus variis, hos postea ordines, hæc ordinum officia sejungere necesse habuerunt. Nec inusitatum videri debet, si ea Diaconorum functio, quæ minus habebat dignitatis, plus habuit necessitatis; ideoque acceleranda fuit. Si ad retundendam quorundam sui temporis Diaconorum insolentiam Hieronymus hanc illis circumstantiam objecit: *Quis patiatur ut mensarum & viduarum minister, supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur?* Crediderim ego virum doctissimum non rationes quæ Apostolos moverint, omnes exequi, sed ejus institutionis occasionem solam perstringere voluisse. Enimvero Stephanum Diaconorum primum & principem, ejus sanctitatis, ejus zeli & scientiæ Apostolorum Acta perhibent, ut difficillimè mihi persuadeam virum ejusmodi soli adhibitum esse ministerio mensæ communis. Adde quod facilè creditur ei ab Apostolis delegatum fuisse Eucharistiæ ministerium, cui prædicandi verbi munus delegarant. Neque enim digniores mensa sacra, quàm verbum Dei Ministros postulat: nec minus honoris à nobis exigit veritas Christi, quàm caro. Immo ministerium verbi, primum omnium semper & maximè Apostolicum habitum est in Ecclesia. Unde illud Pauli, affirmantis missum se esse, non ut baptizaret: idem poterat peræquè de aliis sacramentis dicere, sed ut Evangelium annuntiaret. Eucharistia ex Justino,
*Apolog. 2.* *Absentibus per Diaconos mittitur.* Erant ergo Diaconi Altaris ministri & sacrificii.

V. Idem docet quisquis is est Apostolicarum
*L. 8. c. 28.* Constitutionum author: *Non baptizat Diaconus, non offert; oblatione verò ab Episcopo aut Presbytero facta, ipse Diaconus dat populo, non tanquam Sacerdos, sed tanquam qui ministrat Presbyteris. Nulli ex reliquis Clericis licet facere opus Diaconi.* Istud ergo erat Diaconi munus, Eucharistiam impertiri. Tribuit & illis mox idem Scriptor jus & potestatem abjiciendi & summovendi à communione omnes inferiores Clericos, si graviter ab eis peccatum aliquid sit: quanquam hac excommunicandi potestate nullus inferiorum Clericorum, ac ne Subdiaconus quidem in inferiores instructus sit. Unde intelliges solum Diaconum
*Canon. Apost. 5. 6. 7. 37.* Hierarchiæ accenseri. Canones Apostolici tres plerumque superiores Ordines, & sibi mutuò consociant, & Ecclesiæ administrationi præficiunt, & iisdem sanctimoniæ legibus astringunt.

VI. Trium illorum tantummodo meminit Clemens Alexandrinus. *In sanctis libris scripta sunt hæc quidem præcepta Presbyteris, alia Episcopis, alia Diaconis, alia viduis.* *Pædag. l. 3. c. ult.* Alibi verò nostram hanc Hierarchiam tradit accuratam esse cælestis Hierarchiæ imaginem, *Strom. l. 6.* ubi tot Angelorum Beatorumque gradus & ordines, ineffabili quadam consonantia & dissonantia pares & dispares, in unitatis divinæ apicem concurrunt tandem, ubi est Deus omnia in omnibus. *Nam hic quoque in Ecclesia progressiones Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum sunt, ut arbitror, imitationes gloriæ Angelicæ, & illius œconomiæ ac dispensationis, quam dicunt Scripturæ illos expectare, qui insistentes vestigiis Apostolorum, vixerunt in perfectione justitiæ, convenienter Evangelio.*

VII. Retulit Eusebius Epistolam synodalem, *Hist. l. 7. c. 30.* quam *Episcopi, Presbyteri & Diaconi* Concilii Antiocheni adversùs Paulum Samosatenum scripsere ad Dionysium Papam, & ad Occidentales, cujus hæc erat inscriptio, *Episcopis, Presbyteris, Diaconis & Ecclesiæ toti Catholicæ.* Quæ omnia trium illorum Ordinum in Ecclesiastica Hierarchia arctissimam conjunctionem probant. Est & alia apud eundem Euse- *De Vita Constantini L. 2. c. 46.* bium Constantini Magni Epistola, qua urget Episcopos, Presbyteros & Diaconos, qui præsunt Ecclesiis, ut in earum reparationem incumbant. *In singulis locis præsidentes Episcopos, Presbyteros & Diaconos admone, ut in opera Ecclesiarum omni studio incumbant.*

VIII. In eandem sententiam hæc habet Origenes: *Putasne qui sacerdotio funguntur, agunt omnia* *In Num. hom. 2.* *quæ illo Ordine digna sunt? Et unde est, quod sæpè audimus blasphemare homines & dicere; Ecce qualis Episcopus, aut qualis Presbyter, aut qualis Diaconus.* Horum trium Ordinum ministris curam & officium commendat corripiendæ & erudiendæ plebis. *Om-* *In Psal. 35.* *nes Episcopi atque omnes Presbyteri, vel Diaconi erudiunt nos, & adhibent correptiones.* Rursus alibi per obscuras allegoriarum ambages sacrorum illorum Ordinum dignitatem ostendit non obscurè. *Propriè* *In Matth. Tract. 33.* *enim Episcopus Domini Jesus est. Et Presbyteri Abraham, Isaac & Jacob; Diaconi verò septem Archangeli sunt Dei, ad quorum mysteria septem Diaconi in Actibus sunt ordinati.* Hos denique non sejungit in supremæ jurisdictionis exercitio: *Ecclesiarum Rectori-* *In Epist. ad Rom. c. 2. l. 2.* *bus & Principibus loquitur Apostolus, his videlicet qui judicant eos qui intus sunt, id est, Episcopis, vel Presbyteris, & Diaconibus.*

IX. Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus tres tantùm illos agnoscit in Clero Ordines: *Perspice* *Catech. 16.* *cujuslibet Nationis Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Monachos, Virgines & reliquos laicos.* Gregorius quo- *Orat. 4. & 32.* que Nazianzenus solos appellat Episcopos, Presbyteros & Diaconos. Meminit & alicubi Lectorum. At ubi Diaconos commemorat, tum eos docet ad Presbyterorum dignitatem proximè accedere.

X. Chrysostomus hæc Pauli ad Philippenses verba exponens, *Coëpiscopis & Diaconis*, docet tria illa nomina Episcopi, Presbyteri & Diaconi tribus hisce Ordinibus tunc temporis communia fuisse, & promiscuè usurpata, tametsi communia non essent, nec eadem omnibus officia. Idque perspicuè atque invictè ex eo probat, quod Philippis Episcopus *In Epist. ad Philipp. Hom. 1.* non posset esse nisi unus. Erant ergo Presbyteri tantùm, qui hic Coëpiscopi nominantur. 2. Quòd Episcopi ipsi Diaconorum appellarentur nomine, unde illud Pauli ad Timotheum Episcopum, commendantis, ut Diaconatum, seu Ministerium suum fideliter impleret. 3. Quòd Presbyterium, cujus manuum impositione Timotheus Episcopus consecratus est, Episcopis sine controversia constaret. Ne-

que enim poterat à Presbyteris Episcopus ordinari. 4. Quòd cùm jussisset Paulus à Tito constitui Presbyteros per Civitates, eosdem paulò pòst Episcopos appellet. 5. Denique quòd antiquissimæ hujus consuetudinis & mysticæ nominum communionis ad suam usque ætatem superessent aliqua vestigia. Episcopos enim cùm Presbyteris aut Diaconis scriberent, iisdem nominibus uti solere. *Quocirca vel hodie multi Episcopi scribunt Compresbytero & Condiacono.*

Jam verò minimè opus est, ut pluribus ostendam hos esse primos & proprios Ecclesiasticæ Hierarchiæ Ordines, quos & Christus ipse gesserit, & Apostolis tradiderit. Quos Apostoli simul omnes sine ullo discrimine gesserint: quippe qui ab illo plenissimum accepissent Sacerdotium, in quo erat non aliunde accepta, sed ipsa in suo fonte scaturiens Sacerdotii plenitudo. Quos denique per partes, & cum apta hominum aliorum ad alios subjectione, alios aliis dispensavere Apostoli: Ita tamen, ut in ipsa sui separatione, multa servent primævæ unionis vestigia, nec nisi concordi atque uno omnium animo possint exerceri.

*In Epist. 1. ad Corinth. hom. 38*
*Basil. Epist. 31. & 342.*
*Theodoret. In Epist. 1. ad Corinth. c. 15.*

Observat idem alibi Chrysostomus, clarissimum illud Apostolorum nomen Discipulis septuaginta à Paulo tribui. Qui Discipuli, ut illis plurimum tribuas, Episcopi tantum fuere. Basilius de Diacono ita loquitur, *Fratrem nostrum Syndiaconum Dorotheum.* Observat & Theodoretus Paulum nomen Apostoli commune eis fecisse, qui eandem manuum impositionem, aut Ordinationem, *χειροτονίαν*, recepissent.

XI. Qui Constantinopoli ad Concilium convenere Episcopi Græci, ut nomine V. & VI. Synodi Canones ederent: ii statuerunt septem illos, de quibus in Actis Apostolorum, Diaconos, nullo modo ministros sacris altaribus allectos fuisse, sed eleemosynarum & Ecclesiæ redituum dispensatores creatos. Verùm Præsules hi, ut in aliis quibusdam, ita & in hac re à veteri majorum doctrina ac disciplina deviarunt. Enimvero si hæc non est veri Diaconatûs origo, ubinam illam reperias? Quis facilè credat in Scripturis Oeconomorum rei temporariæ consignatam esse institutionem, Ministrorum vero Altaris esse silentio oppressam? An de Diaconis aliis loquitur Lucas, quàm de quibus tam crebrò Paulus, quos denique cum Presbyteris & Episcopis ipsis, propter indivulsam in obeundis Officiis sacris societatem nonnunquam confundit? Nonne optima Scripturæ interpres est totius Ecclesiæ disciplina communis? Annon ergo dilucidum est Diaconos, de quibus in Actis Apostolorum sermo est, & Altaris Ministros esse, & bonorum Ecclesiæ dispensatores? Maximè cum in Ecclesia munus utrumque, ut suo loco dicetur, tam multis sæculis iidem ipsi obierint.

*Hom. 4. In Acta.*

Chrysostomus verò cujus authoritate Canonem suum munire gestiebat Trullana Synodus, nonne suprà docuit, Diaconi nomen & splendorem tantum esse, ut promiscuè Paulus nomen Diaconi Episcopis Presbyterisque adscripserit? Nonne iterum advertit Chrysostomus in Actis Apostolicis, Diaconis ordinandis Apostolos cum oratione manus imposuisse? *Ordinati sunt per preces, hoc enim est manuum impositio. Manus ab homine imponitur, totum autem Deus operatur.* An clarioribus, an aliis unquam verbis significata sacra ordinatio est?

XII. Non ergo Chrysostomi ea mens fuit, ut Diaconos eos, de quibus Lucas, ab ordinatione sacra ministerioque Altaris ablegaret. Verùm ut ostenderet rei temporariæ administrationem, quam tum acceperant, Diaconis ita propriam non esse, ut non alii illam possent gerere: cùm ejus ætate res illa penes Presbyteros esset, qui dicebantur Oeconomi. *Qualem acceperint ordinationem? Numquid eam quæ est Diaconorum? Et profectò hoc in Ecclesiis non est, sed Presbyterorum est œconomia. Et quidem nullus adhuc erat Episcopus, sed Apostoli solum, unde neque Presbyterorum, neque Diaconorum nomen opinor esse clarum & manifestum.* Ex quibus liquet hoc sibi proposuisse Chrysostomum, ut bonorum Ecclesiæ temporalium dispensationem, quæ tum erat consuetudo, Presbyteris assereret, adversùs Diaconorum importunitatem, qui eam sibi deberi ex illa Apostolorum institutione contendebant. Diaconorum ergo consilium ut refelleret, aut præveniret Chrysostomus, profitetur primis illis temporibus Episcopos nondum fuisse, qui alii essent ab Apostolis: Presbyterorum vero ac Diaconorum nomina & ipsorum etiam Episcoporum, indiscriminatim esse usurpata. Quare Diaconos ex eo Lucæ loco œconomiam hanc quam Presbyteri obtinerent, vendicare sibi nullo pacto posse.

XIII. Ut ut ea se res habeat, major esset Concilii Neocæsariensis Patribus habenda fides, quàm Trullanis. Sunt illi & viciniores origini, & traditionis Apostolicæ peritiores. Quod autem à Neocæsariensi Synodo decretum est, tam apertè id pugnat cum Trullanorum Patrum sententia, ut hi palam præ se ferant & profiteantur, corrigi à se Neocæsariensem Canonem & emendari. Opinatur quidem Balsamon Trullanæ Synodi Episcopos non intellexisse, nec vidisse satis, quæ Neocæsariensis Synodi & Canonis esset sententia; quippe hujus quoque vim ad solos temporalium rerum dispensatores pertinere, cum statuitur, in maximis quibusque urbibus, ne plures quàm septem ordinentur Diaconi. Sed argumento utitur Balsamon parum firmo, cum subjicit, Edicto Justiniani Diaconos Constantinopolitana in Ecclesia fuisse supra centum: à quo statuendo utique abstinuisset, si eo Neocæsariensem Canonem sensisset violari. Nec enim ea fuit Justiniani in observandis priscis Canonibus religio, qualem fuisse simulat Balsamon. Deinde erat hoc etiam rationi prorsus consentaneum, ut urbis Regiæ Ecclesia plures haberet Ministros, quàm quævis alia, cùm plura haberet & implenda Officia. In gratiam ergo solius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Constitutionem Justinianus edidit, de amplificando Ministrorum sacrorum numero. Propiùs ergo abest à vero, Trullanos Episcopos Neocæsariensis Canonis sensum probe assecutos esse, sed improbasse; at à Chrysostomi aberrasse sensu; cumque Chrysostomum minus intellexissent, Canonem etiam Neocæsariensem præposterè emendasse.

---

## CAPUT LII. *P. 1, l. 1, c. 16.*

### De Trium Ordinum Hierarchicorum, primorumque Beneficiorum, Episcopatûs, Presbyteratûs, & Diaconatûs præcellentia & antiquitate. Ex Patribus Latinis.

*I. Triplicis hujusce Ordinis preeminentia ex Tertulliano. Irregulares hæreticorum Clerici.*
*II. Clericorum summa à Laicis differentia.*

*III. Ex Cypriano instituti divinitus Diaconi.*
*IV. Ex Paciano.*
*V. Ex Optato.*
*VI. Fuse explicatur Hieronymi sententia de Episcoporum supra Presbyteros ex divino jure eminentia, & Diaconorum institutione divina.*
*VII. Ejusdem rei confirmatio.*
*VIII. Diluitur eorum objectio, qui Alexandriæ Episcopos sola installatione factos fuisse opinantur.*
*IX. Nova ex Hieronymo argumenta.*
*X. Item ex eodem alia super divina triplicis hujusce Ordinis institutione.*
*XI. Colligitur tandem quid senserit Hieronymus.*

I. CApite superiori in eo totus fui, ut ex Patribus Græcis ostenderem, à Christo & Apostolis Regale Sacerdotium Episcopis, Presbyteris & Diaconis initio demandatum fuisse. Trium autem horum Ordinum, quibus compacta consurgit Hierarchia; quò eorum inter se in primario sui fonte significaretur conjunctio, communia fuisse olim nomina, non munera. Hæc enim diversa semper fuere, & ejusmodi, quæ alia aliis subjicerentur. Nunc eadem de re quid Latini Patres senserint, expediendum nobis est.

Primus omnium Tertullianus, quid de triplicis hujus Ordinis origine, excellentia, potestate & concordia sentiret olim Ecclesia, egregiè docet his verbis : *Dandi quidem Baptismi jus habet summus Sacerdos, qui est Episcopus : dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi authoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est. Alioquin etiam laicis jus est, &c. Sed quanto magis laicis disciplina verecundiæ & modestiæ incumbit : cùm ea majoribus competat, ne sibi assumant dicatum Episcopis officium Episcopatûs. Æmulatio schismatum mater est.* (Tertull. De Bapt. c. 17.) In quibus aperta est Clericorum & Laicorum distinctio, Sacerdotii in Episcopo plenitudo; summa ejus in dando baptismo sacramentisque cæteris, quæ tamen Presbyteri, & Diaconi conferre solent, authoritas; trium denique Ordinum præcellentia singularis, & mira eorum inter se concordia, aliorum in alios imperio, vel subjectioni, minimè inimica.

Docet idem alibi hoc præcellere hæreticis Ecclesias Catholicorum, quòd hæ Apostolicæ ab origine sint omnes, ab ipsis Apostolis, aut Apostolicis viris fundatæ. *Cæterùm siquæ audent interserere se ætati Apostolicæ, edant ergo origines Ecclesiarum suarum; evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris habuerit authorem, vel antecessorem.* (De præscrip. c. 32.) Unde intelligis quanti intersit ad Ecclesiarum omnium amplitudinem, ut Episcopos agnoscant verissimos esse Apostolorum successores. Hujus enim successionis hæreditate præclarissima, cum nobilitatem eximiam, & antiquitatem, tum constantem doctrinæ veritatem sibi vendicant. Testatur contrà Tertullianus idem, hoc esse hæreticæ novitatis argumentum certissimum, quòd in Clero ibi perturbata sint omnia : cùm eum in honorem non protrudant nisi Catholicæ plerumque Ecclesiæ desertores : ibi denique in dies plurima & inaudita quædam innoventur præter antiquas regulas. *Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes, nunc Neophytos conlocant, nunc sæculo obstrictos, nunc Apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quàm in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius : hodie Diaconus, qui cras Lector : hodie Presbyter, qui cras laicus : nam & laicis Sacerdotalia munera injungunt.* (Ibid. c. 41.) Mira profectò verba, & quæ contra hodiernos hæreticos scripta videantur. Scilicet hoc habent omnes hæreses, ut iisdem omnes vitiis scateant. In iisdem verbis observare est Clericos à laicis secretos esse, hisque illorum muneris permitti nihil posse. Item jam tunc Lectores fuisse, sed qui in sacrorum numero Ordinum minimè essent. Non posse quemquam à superioribus ad inferiores pro arbitrio removeri ordines : ad laicos multò minùs. Presbyteros & Diaconos posse alios aliis sufficì; & ab Ecclesia in Ecclesiam aliam transferri. Episcopum verò, scilicet verum Ecclesiæ sponsum, nec tam facilè sponsam dimittere, nec ad aliam posse transire. Id porro tum observatione dignum est, tum ex verbis Tertulliani perspicuum. Nam etsi minimè permittit pro arbitrio multitudinis imperitæ, Presbyteros & Diaconos proprio exturbari Ordine & loco : aut ad inferiorem redigi, aut in laicorum sortem revolvi : non præcipit tamen ut ejusdem semper Ecclesiæ gubernaculo defixi hæreant. Hæc propria ratio & laus est Episcopi, propter spiritale ejus & indissolubile cum Ecclesia sua connubium. Unde illud ejus rursus adversùs hæreticos : *Itaque alius hodie Episcopus, alius cras.* Quod apud eos & adulterum Episcopum & adulterinam Ecclesiam manifestissimè probat.

II. Non æquè illimis semper, & synceta fluxit Tertulliani doctrina. Cùm enim vellet æquè laicis ac Clericis secundas nuptias interdici : id se faciliùs assequuturum speravit, si eam tolleret penitus differentiam, quæ Clericos disjungit à laicis, aut certè elevaret. Inde hæc ejus verba. *Differentiam inter Ordinem & Plebem constituit Ecclesiæ authoritas.* (De Exhort. Castit. c. 7. De Monog. c. 12.) Proderit Tertulliani error ipse, si contra quàm ipse allucinatus est, ita colligamus : Ergo jure divino Cleri & plebis constituta differentia est; quoniam si hanc ex Tertulliano homines constituissent, Clero non esset imposita in Scripturis majoris perfectionis lex, quàm plebi. Quin & eodem ex Scriptore, tametsi Christiana plebs nunnunquam de levissima quadam Sacerdotii umbra & imagine sibi blandiretur; non nesciebat tamen quanto plebs à Clero distaret intervallo, & quàm non posset non illi subjici. *Sed cum extollimur & inflamur adversùs Clerum, tunc unum omnes sumus, tunc omnes Sacerdotes, quia Sacerdotes nos Deo & Patri fecit : cùm ad peræquationem disciplinæ Sacerdotalis provocamur, deponimus infulas, & impares sumus.* Temeraria ergo illa & insulsa erat jactantia, cùm se plebs vendirabat Clero exæquatam Scripturarum & divini juris authoritate.

III. Eadem & diligentiùs edisseruit Cyprianus & castigatiùs. Scribens enim ad Cornelium Papam, ita de Presbyteris loquitur, tanquam de communibus illi sibique fratribus : *Cùm ad me talia adversùm te, & Compresbyteros tecum consfidentes scripta venissent.* (L. 2. Ep. 10.) Ubi cum consfidentes Episcopo Presbyteros facit, unum ex eis cum illo conflari Collegium, corpus unum ostendit : eminet tamen præestque singulariter Episcopus, ut Apostolorum successor : *Unitatem à Domino & per Apostolos nobis successoribus traditam, quantum possumus, obtinere curemus.* (Ibidem.) Loquitur & ibidem Cyprianus de Acolythis & Subdiaconis, quos adeo non assidere jubet Episcopo, ut Epistolarum deferendarum munus eis deleget.

Agit alibi Cyprianus de Diaconis, palamque facit, proprio illos ex officio suo Altaribus hærere & inservire, tanquam cooperatores Episcopi,

L. 3. Ep. 9 & tremendi sacrificii ministros: *Meminisse Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est, Episcopos & Præpositos Dominus elegit; Diaconos autem post ascensum Domini in cælos, Apostoli sibi constituerunt, Episcopatûs sui & Ecclesiæ ministros.* Hæc sanctus Pater ad Episcopum, quem contumeliis affecerat Diaconus. Ubi non dicit Diaconos ab ipso Christo institutos non esse: solus enim eorum author Christus, qui unà eos cum Presbyteris, instituto Episcopatu, vel Apostolatu, tanquam in fonte Sacerdotii totius instituit. Sed acutè simul & sapienter observat, Christum idcirco ipsum per se ordinasse Apostolos, aut Episcopos, Diaconos verò Episcoporum ministerio: denique Ordines cæteros in Episcopatu, tanquam in pleníssimo fonte, unde derivantur omnes, instituisse: ut doceret pro infinita illa qua pollet sapientia, quàm dicto audientes, quàm obnoxios subditosque Episcopo suo Clericos omnes esse oporteret. Sic Deus primum hominem condidit, à quo uno hominum genus omne voluit exoriri: ut omnes ad perfectissimam inter se concordiam adduceret, & ad omnimodam erga eos, à quibus id ipsum accepere, quod sunt, observantiam & subjectionem.

Eadem alibi privilegia cælo hausta confirmat Cy-
L. 4. Ep. 9. prianus Episcopatui. *Tu qui te Episcopum Episcopi, & Judicem Judicis ad tempus à Deo dati constituis, &c. Cùm te Judicem Dei constituas & Christi, qui dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes Præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt.* Denique non injuriâ Cypriano tribuemus verba unius eorum Episcoporum, qui Concilio Carthaginensi ejus interfuere. Is erat Clarus de Muscula, cujus in hanc rem ista sunt verba: *Manifesta est sententia Domini nostri Jesu Christi, Apostolos suos mittentis, & ipsis solis potestatem à Patre sibi datam permittentis, quibus nos succedimus, eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes.* Digna sanè verba quæ observentur, quippe quæ optimè eam plenitudinem potestatis exuberantem exprimant, quam Christus accepit à Patre, quamque in Apostolos transfudit, transfundendam & in Episcopos, qui proinde Ecclesiam eadem cum potestatis exuberantia administrant, qua Apostoli Christi, qua Christus ipse, qua Pater: *Eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes.*

IV. Nec minùs splendidè his suffragatur Pacianus Barcinonensis Episcopus, ut ad Episcopos quasi hæreditaria successione pervenerit authoritas, potestas & nomen ipsum Christi, Apostolorumque
Epist. 1. ejus. *Totum ad nos ex Apostolorum forma & potestate deductum est, &c. Denique & Episcopi Apostoli nominantur, sicut de Epaphrodito Paulus edisserit, &c. Quod etsi nos ob peccata nostra temerariè vindicamus, Deus tamen illud, ut sanctis & Apostolorum cathedram tenentibus non negabit, qui Episcopis etiam unici sui nomen indulsit.* Loquitur Pacianus de ea quæ in Episcopis est potestate dandi baptismi, dimittendi peccata, conficiendi Corporis Christi, quam omnem probat ab Apostolis ad Episcopos manasse. *Totum id ex Apostolico jure defluxit.* Ut ne quis unquam dubitet, quin quorum Sacramentorum Presbyteris concessa est administratio ordinaria, eorum suprema & exors quædam authoritas integra Episcopis servata sit, tanquam specialiter Christi vice & Apostolica successione decoratis; ut nihil alienius à veri etiam similitudine sit, quàm si quis comminiscatur, Episcopatum meram esse Presbyteratûs, eamque moralem extensionem. Considerabant scilicet prisci illi Antistites istiusmodi dignitates in ipsa sui origine: ac propterea splendidiorem animo, & ab earum magnitudine minus dissonantem imaginem informabant. Rursus Pacianus alibi brevius, *Nos* Epist. 3.
*Episcopi Apostolorum nomen accepimus, quia Christi* Parænesis ad
*appellatione signamur.* Loquitur etiam de Presbyte- Pœnit.
ris, ad quorum pedes pœnitentes procidebant: *Presbyteris advolvi.*

V. Aperit Optatus Milevitanus in Africa Episcopus, qua ratione explicuerit sese Sacerdotium in tres illos Ordines, quibus constat Ecclesiæ Senatus:
*Quid commemorem laicos, quid plurimos Ministros,* Opta. L. 1.
*quid Diaconos in tertio, quid Presbyteros in secundo Sacerdotio constitutos? Ipsi apices & Principes omnium Episcopi, &c.* Ubi vides non laicos solùm, sed inferiores etiam Clericos ministrosque Ecclesiæ secerni à tribus illis sacris Ordinibus, qui totidem constituunt Sacerdotii gradus. Nullus ergo superest dubitandi locus, quin & sacerdotale sit Diaconi munus, & quin rerum omnium in Ecclesia supremam habeant Episcopi potestatem: *Principes omnium.* Nec obscuriora sunt aut minùs diserta, quæ
mox subdit: *Ut eum sint, sicut supra dixi, quatuor* L. 2.
*genera capitum in Ecclesia, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & fidelium.* Ubi apertissimè intra tres istos ordines Clerum omnem complectitur, sive inferiores Ministros laicis permisceat, sive cum Diaconis comprehendat. Subjicit & hæc adversùs Donatistas: *Invenistis Diaconos, Presbyteros, Episcopos: fecistis laicos.* Quæ mihi probabiliorem eorum sententiam faciunt, qui putant superioribus Optati verbis Ministros inferiores in laicorum numero esse comprehensos.

VI. Nec minùs honorificè Hieronymus sentit, aut sentire nos jubet de Clero, quem in his etiam tribus locat Ordinibus. Effunditur ille maximè in admirationem & laudes Presbyterorum, qui Christi corpus conficiunt, qui indignos ab ejus communione summovent, qui suo etiam modo Apostolo-
rum sunt successores. *Absit ut de Clericis quidquam* Hieron. Ep.
*sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes,* ad Helio.
*Christi Corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus; qui claves Regni Cœlorum habentes, quodammodo ante diem judicii judicant, &c. Mihi ante Presbyterum sedere non licet; illi si peccavero, licet tradere me satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit.* Agit deinde de Episcopis & Diaconis. Prætermittendum verò non est, quid hoc loco dicat de Clericorum jure vivendi de Altari, quaque id ratione facerent fecissentque Clerici ad suam usque ætatem. Juvat enim rerum earum, quæ prolixiùs deinde explicabuntur, hîc aliqua veluti jactare semina; & observare ab eodem Hieronymo comprehensa esse ea duo, in quibus sita est omnino Beneficiorum natura: spiritalem scilicet functionem: & quod ex illa emanat, & cum illa conjunctum est, legitimum canonicumque jus vivendi de Altari. Accipe nunc ipsa Hieronymi verba: *Clerici pascunt oves: Ego pascor. Illi de altari vivunt, mihi securis ponitur ad radicem, quasi infructuosæ arbori, si munus ad altare non defero.* Jam verò vide quo in gradu superiores Ecclesiæ Ordines locet: *Non est facile stare loco Pauli, tenere locum Petri, jam cum Christo regnantium.* Is erat tunc temporis honos; ea laicorum & Monachorum erga Presbyteros & Episcopos propensissima reverentia, ut eos pro successoribus Petri, pro successoribus Pauli & Apostolorum omnium haberent: ad quos jura sacerdotii omnia, tum spiritalia, tum temporalia tamquam ad hæredes venissent.

Nullibi

Nullibi tamen suam ea de re sententiam apertiorem fecit, quàm in ea quæ est ad Evagrium Epistola. Hanc scripsit tunc ille, ut temerarios Diaconorum quorundam ausus reprimeret, qui se & Presbyteris prætulissent, & superiore ante eos sedissent loco. Ut ergo intolerabilem illam audaciam frangeret, Presbyteros Hieronymus supra modum extulit; Diaconos autem ita dejecit, ut nisi diligentius ejus verba & maturius expenderis, ultra modum progressus videri possit. Nam & Presbyteros penè confundit cum Episcopis, & Diaconos solius communis pauperum mensæ ferè Ministros facit. Verùm hæc horum institutionis, ut supradictum est, occasio fuit, non causa. Quod quidem solum idcirco attigit Hieronymus, quòd id maximè faceret ad reprimendum Diaconorum supercilium. Quod ad Presbyteros verò pertinet, diximus & Pauli verbis illud ostendi solum, eidem plerumque homini post Presbyteratum conferri solitum esse statim Episcopatum, inter illa quidem nascentis Ecclesiæ exordia. Erat quippe tunc maximè opus non Presbyteris tantum, sed Episcopis, ubi & prædicandum Evangelium, & formandæ fingendæque Ecclesiæ, & urbes antè fidei subjiciendæ jugo & insuefaciendæ, quàm iretur ad oppidula & vicos. In his plus satis erat argumenti & rationum, ad deprimendum Diaconorum fastum, si semel ostenderetur plurima esse Presbyteris communia cum Episcopis privilegia: & Presbyterorum munia perdiu Episcopos & Apostolos solos obiisse. Hi enim quod erat Diaconorum, statim delegavere aliis: quod verò Presbyterorum erat muneris, diutius retinuere. Quin & abstinuit Scriptura à commemorandâ Presbyteratûs ab Episcopatu sejunctione, aut leviter eam obscuréque insinuavit: ut persuasum altissiméque infixum omnium animis esset, propè abesse ab Episcopatu Presbyteratum: immo & ab Apostolatu.

Tom. 2. Epist. ad Evagrium.

VII. Nunc ipsis Hieronymi verbis declarandum est quàm bene assecuti simus ejus sententiam. Hæc ergo habet ille in suprà laudata Epistola, ubi vult eo in Ecclesia loco graduque esse nunc Episcopos, Presbyteros & Diaconos, quo erant in Testamento veteri summus Pontifex Aaron, Aaronis filii & Levitæ. *Ut sciamus traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod Aaron & filii ejus atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vendicent in Ecclesia.* Licebit ergo nobis per Hieronymum, ex adumbrata illa figura & aptissima comparatione colligere, 1. Tres illos Ordines institutionis esse divinæ, & horum tum inter se discrimen, tum à plebe separationem juris esse divini. Item ut Levitas, ita & Diaconos sacrificiis & Altaribus dicatos ab origine esse ministros. Denique Presbyteros ex institutione divina & propria ordinatione infra Episcopos tantum esse, quantum erant in veteri Lege Sacerdotes infra summum Pontificem, cujus erat eximia quædam consecratio & singularis. 2. Presbyteratum Diaconatu, etsi minorem lucris, majorem tamen omnino esse, ex eo jure colligit Hieronymus, quòd nonnisi nova ordinatione Diaconus in Presbyterum promoveatur. Ergo à pari cùm ordinatione nova Presbyterum oporteat in Episcopum consecrari, tantò erit supra Presbyterarum Episcopatus, quantò Presbyteratus est supra Diaconatum. *Si ex Diacono ordinatur Presbyter, noverit se lucris minorem Sacerdotio esse majorem.* 3. Fatetur Hieronymus id Episcopum posse, quod non possit Presbyter. *Quid facit excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Habemus ergo in quo maximè uterque Ordo differat. Necessaria enim singularis quædam Episcopo consecratio est, qua ei divina illa vis & ineffabilis conferatur fœcunditas, quæ Patres Ecclesiæ & Presbyteros pariat. Denique si solo differant nomine Presbyter & Episcopus, idemque prorsus est utriusque character, quid est quod Presbyter Presbyterum, immo Episcopum ordinare non potest? Quæris quo distet, quo præstet Episcopus Presbytero? Respondeo tantum interesse discriminis, quantum inter esse Presbyterum & creare Presbyteros; sacerdotium habere, & dare posse aliis, ut habeant.

VIII. Perhibet, fateor, Hieronymus in Ecclesia Alexandrina à temporibus Marci usque ad Heraclam & Dionysium ejus urbis Episcopos, moris id fuisse, ut defuncto Episcopo, Presbyteri unum ex suo collegio eligerent, in celsiori Sede collocarent, & Episcopum deinceps nominarent; ac si exercitus Imperatorem sibi deligerent; aut Diaconi unum aliquem suo ex ordine sibi in Archidiaconum cooptarent. *Alexandriæ à Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant: quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se, quem industrium noverint, & Archidiaconum vocent.* Non est quod istud quidquid est exempli, negotium nobis facessat. Etenim qui hic Episcopus in Marci throno sublimis sedebat, habebat utique potestatem ordinandi Diaconos, Presbyteros, immo & Episcopos. At hanc à nuda illa electione & exteriori promotione, aut installatione consequi certè non poterat. Alioqui possent & Presbyteri & Diaconi allegi tantùm & deputari, & extrinseca hac honoris pompa, nulla præcipua & sacra ordinatione adhibita, sacerdotalem omnem adipisci potestatem. At contrà tutum est. Contrà nititur Scriptura Veteris Novique Testamenti, quæ solemni inauguratione, quæ mystica manuum impositione, quæ plurima ad Deum oratione Sacerdotium confert. Dimittendi peccata & conficiendæ Eucharistiæ potestas nonnisi singulari sacramento & divina ordinatione habetur. Dubium ergo nemini etiam esse potest, quin & sua sit ordinatio, suum sacramentum ei conferendæ potestati, unde Presbyterorum, sive offerendi sacrificii, sive remittendorum peccatorum potestas dimanat. Nam si omnino supra vires, supra captum est hominis mira consecrandæ Eucharistiæ potestas, quantò magis hæc quæ est in Episcopis vis, ejus potestatis dandæ & in posteras ætates propagandæ? Quantacumque sit potestas aliqua, parum est eam obtinere: longè plurimum est eam dare posse. Parcè enim obtinere potes: dare non potes, nisi plenissimè & exuberanter summaque cum authoritate obtineas. Aut ergo jura sua Presbyteris omnia deputatio tribuere poterit exterior: aut Episcopo juris nihil unquam poterit conferre.

Quod si dixeris, Presbyteris fuisse potestatem ordinandi; non tamen antè ordinasse, quàm ad Episcopatum essent provecti: non certissimæ solùm tot ab hinc sæculis & consuetudini, & disciplinæ, & totius Ecclesiæ doctrinæ; sed & ipsi de quo nunc agitur, contradixeris Hieronymo. Quippe qui paulò post ea verba, quæ explanamus, apertè fateatur, penes Episcopum solum esse ordinandi potestatem. Non ait Presbyterum hac & ipsum pollere potestate, sed ea non uti. Ait ex Diacono ordinari Presbyterum: ex quo & præcellentiam

arguit Presbyteri supra Diaconos. Non ait autem à Presbytero ordinari posse Diaconos, etsi appositissimum id fuisset frangendæ Diaconorum superbiæ, & ostentandæ supra eos Presbyterorum amplitudini. Denique cum morem Hieronymus intra Alexandrinam Ecclesiam coërcet; & intra ea tempora, quæ à Marco ad Dionysium fluxere, hoc est, intra sæculum unum & alterum. Atque adeo fatetur in Ecclesiis aliis omnibus, & in ipsa à Dionysii temporibus Alexandrina, Presbyteros nova & solemni ordinatione in Episcopos consecratos esse. Quamquam aliunde certum est, privatam unius Ecclesiæ, eamque non diuturnam consuetudinem, adversùs inconcussam tot jam sæcula universæ Ecclesiæ disciplinam valere non posse. De eadem hac re dicemus & inferiùs suo loco, & defendendæ Alexandrinæ Ecclesiæ nonnihil operæ impendemus; quando obviam se nobis dabit Author Quæstionum Veteris & Novi Testamenti, cujus allucinationes capite sequenti diluemus. Hujus Capitis quod reliquum est, totum Hieronymo tribuetur.

IX. Addit Hieronymus in eadem Epistola, si Episcopus in Ecclesia supra Presbyteros cæteros evectus præstitutusque sit, id eò factum, ut schisma anteverteretur, adsignato uno unicuique Ecclesiæ Capite & vertice unitatis. *Quod autem postea unus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet.* Quæ verba non modò non obsunt, sed mirum in modum juvant, ut ostendatur Episcopatus ipse, & ejus supra Presbyteros potestas eximia, juris esse divini. In unitate enim formata à Christo Ecclesia est. Hanc ille solus ut veram, ut sanctam, ut universalem, manifestam, æternam, ita & unam fecit: ipse Ecclesiæ suæ & sponsus & opifex: à quo hæc, tum ea quæ micant in vultu divinæ pulcritudinis lineamenta habet omnia, tum illud in primis omnium longè pulcherrimum & maximè necessarium, unitatem. Posuerat Deus in veteri Lege Sacerdotem summum, ut Synagoga in tuto unitatem haberet. Nec minùs Ecclesiæ suæ consultum esse voluit. Fatetur Hieronymus à Christo Petrum constitutum esse Caput, ut obviam iret scismati: *Propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto schismatis occasio tolleretur.* Ergo à Christi ipsius institutione, & Episcopi cujusque in sua, & Petri ejusque successorum in universali Ecclesia Primatum derivat Hieronymus, utrobique Capite adversùs schismata objecto.

*L. 1. contra Jovin.*

X. Neque verò omiserim quæ in rem nostram ibidem habet idem sanctus Pater: Ecclesiam quantalibet laicorum abundet multitudine, sine Clero esse non posse: & Hierarchiam, etsi ministros inferiores alios habeat, superioribus tamen tribus hisce Ordinibus constare. *Ecclesia non est, quæ non habet Sacerdotem.* Ideo & Luciferianos concerpit, apud quos laici Episcopatum gerebant: *Ipsi sibi & laici sunt & Episcopi.* Cùm enim illi haberent authorem Hilarium, qui Diaconus tantummodo erat, non poterat ille Clericos ordinare: ita ejus non diuturnior esse potuit secta, quàm vita. *Cum homine pariter interiit & secta: quia post se nullum Clericum Diaconus potuit ordinare.* Solis ergo Episcopis, & eorum ordinandi potestati æternitatem suam debet Ecclesia: jugi & continua Clericorum, in quibus tota ejus quasi vita est, propagatione. Quo posito, quis credat id quo æterna Ecclesia est, quia inde ejus existit unitas & continua Sacerdotum successio, id, inquam, meram esse & jejunam characteris præcedentis extensionem moralem, ne dicam imaginariam? Porro non erat nescius Hieronymus eorum nominum, quibus inferiores Ministri appellarentur: sed intra tres superiores inclusit omnes: *Ecclesia multis gradibus consistens, ad extremum Diaconis, Presbyteris, Episcopisque finitur.* Et alibi: *Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post sacerdotium in æternum pudici.* Quo loco Sacerdotali Ordini includit Diaconos, perinde ut legi cælibatùs arctissimè cum eo copulari. Et ibidem: *Non mihi irascantur mariti, sed Scripturis sanctis, immo Episcopis, Presbyteris & Diaconis, & universo choro Sacerdotali & Levitico, qui se noverunt hostias offerre non posse, si operi serviant conjugali.* Ex quibus manifestum est, Diaconos ministros esse sacrificii, atque adeo teneri lege continentiæ. Idque maximè consentaneum esse Scripturis. Et alibi: *Episcopus, Presbyter & Diaconus non sunt meritorum nomina, sed officiorum.* Meminit alibi nominatim minorum Ordinum: *Si Lector, si Acolythus, si Psaltes te sequitur, non ornetur veste, sed moribus.* Sed & in recensendis minoribus his ministris aliquos silet qui supersunt, aliquos nominat qui jam nulli sunt; non semper simul omnes copulat, nulla eos Sacerdotii parte donat, & hinc illos à trium superiorum Ordinum amplitudine longè summovet. Ideo & in his tantùm tribus supremis Magistratibus splendere Hierarchiam profitetur, quòd unus sit Episcopus, unus Archipresbyter, unus Archidiaconus in unaquaque Ecclesia. Unitas enim dominatur. In inferioribus autem Clericorum gradibus nulla sunt ejusmodi cognomina, quæ potestatem & imperium præ se ferant. *Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis Ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur.* Reprehendit alibi earum Ecclesiarum consuetudinem, in quibus vetabatur Presbyter concionem habere Episcopo præsente. At vel hinc intelligis, quid esset ab Ecclesia inter utrumque Ordinem positum discriminis. *Pessima consuetudinis est, in quibusdam Ecclesiis tacere Presbyteros, & præsentibus Episcopis non loqui.* Bona Hieronymi venia, dici potest verbi prædicationem & Paulo & toti Ecclesiæ semper habitam fuisse pro munere Apostolorum & Episcoporum maximè proprio. At Episcopos Presbyteris superiores esse, vel eo ipso loco agnoscit Hieronymus: *Quod Aaron & filios ejus, hoc est, Episcopum & Presbyteros esse noverimus.* Alibi regiam quandam in Episcopis præcellentiam admiratur: *Ut Regi, sic Episcopo.* Et alibi rursus: *Aderant Episcopi, & Sacerdotum inferiores gradus, & Levitarum innumerabilis numerus.*

*Apolo. adv. Jovin.*

*Epist. ad Nepot.*

*Epist. ad Rustic.*

*Epist. ad Nepot.*

*Epitaph. Nepot.*

*Epitaph. Paulæ.*

X. Pluribus non opus est, ut persuasum habeas hæc duo, quæ ad Ecclesiasticam Hierarchiam maximè spectant, Hieronymo comperta & explorata fuisse. Unum est, Episcoporum à Presbyteris differentiam, ac supra Presbyteros eminentiam juris esse divini, & ab ipso Christo institutam. Alterum, has esse præcipuas Diaconorum partes, ut Altari deserviant, & tremendi sacrificii oblationi. Verba verò Hieronymi, quæ huic doctrinæ adeo infesta videbantur, argumento sunt, quàm ratum illud & inconcussum esse debeat, non semper verborum sono hærendum esse, sed authoris potiùs propositum & mentem attendi debere: tum maximè cum est illius & in sentiendo vis major, & in loquendo vehementior. Solent enim, quorum ea indoles, ea scribendi ratio est, si quem errorem oppugnare adgrediantur, in contrarium vitium sin minus delabi, certè nonnihil deflectere, ut purgari mox ipsi

& apologias sibi texere necesse habeant. Nemo nescit quàm fuerit in scribendo vehemens Hieronymus; adeo ut illum in defendendæ veritate ultra veri æquique limites prætervectum esse multi nonnunquam suspicati sint. Falsa quidem illa, sed non sine specie, non sine similitudine aliqua veri suspicio. Hoc certè debemus viris ejuscemodi primariis, ut nonnisi ex operibus illorum omnibus, & collatis diligenter inter se eadem de re contextibus omnibus, eorum sententiam exculpamus. Hæc intelligendis Scripturis, quarum sanctissimi Patres interpretes sunt, lex est omnino necessaria. Quippe si Augustino visum est, Sapientiam sempiternam Christum, inter conversandum cum hominibus, quantumvis imperfectis, humanis tamen uti voluisse sermonibus: ut quod est in natura infirmum, id consecraret, ac divinum quodammodo faceret. Quidni dixerimus, Scripturam sacram, quæ Veritatis æternæ quædam quasi corporatio est, accommodasse se nobis, & ei loquendi consuetudini, qua non omnia semper simul & semel dicimus, sed nunc hæc, nunc illa, ut & hæc & illa mutuam sibi postea lucem affundant refundantque?

---

## CAPUT LIII. *P. 1. l. 1. c. 17.*

### De eadem superiorum Ordinum excellentia, ac tribus primis Beneficiis, ex Latinis & Græcis Patribus.

*I. Ostenditur ex Augustino trium illorum Ordinum distinctio, excellentia & institutio divina.*
*II. Ex Leone, Sidonio Apollinari, Fulgentio, Theodosio Imperatore.*
*III. Refellitur Author Quæstionum Veteris & Novi Testamenti.*
*IV. De Ordinatione Episcopi Alexandrini.*
*V. Factam illam esse, ut in Ecclesiis aliis.*
*VI Singularis quædam cæremonia ex Liberato.*
*VII. Quæ tamen canonicam manuum impositionem non excluderet.*

*De moribus Eccles. Cathol. L. 1. c. 32.*

I. AGens Augustinus de viris virtute & sanctimonia præstantissimis, quorum consuetudine usus erat, Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum meminit. *Quam multos Episcopos optimos viros sanctissimosque cognovi, quam multos Presbyteros, quam multos Diaconos, & hujusmodi Ministros divinorum Sacramentorum?* Alibi verò de eorundem Ordinum dignitate loquens, quàm splendida apud homines, tam periculosa apud Deum: & quantum hinc gloriæ & præmiorum, tantum inde dedecoris & pœnarum ostendente, prout piè aut nefariè geritur: hæc habet: *Cogitet prudentia tua nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri aut Diaconi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur: sed nihil apud Deum miserius, & tristius & damnabilius. Item nihil esse in hac vita & maximè hoc tempore difficilius, periculosius, laboriosius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet.* In quibus verbis habes, non solum quæ fuerint illorum Ordinum officia; sed & qualia cum officiis, quod etiamnunc in Episcopatu cernimus, beneficia essent conjuncta. Quid enim aliud carnalium hominum, aut perstringere oculos, aut movere cupiditatem ita potuit, ut dicerent, *nihil lætius, nihil acceptabilius*, nisi temporaria bona, nisi honor? Cùm verò ita scribit Augustinus, *Dilectissimis fratribus Conclericis, & universæ plebi*, verisimilè est tres illos tantùm ordines Conclericorum nomine comprehendisse. Unde alibi eosdem nomine *Coëpiscoporum, Compresbyterorum, Condiaconorum* appellat. Nec tamen hinc suspiceris illum singulari Episcoporum præcellentiæ subinfensum esse: cùm alibi eos agnoscat Apostolorum successores, qua successione, sua Ecclesiæ & conservetur unitas, & perpetuitas conferatur. *Christiana societas, quæ per sedes Apostolorum & successiones Episcoporum certa per orbem propagatione diffunditur.* Omitto innumeros locos, ubi cum Episcopis agens, Apostolatûs nomine utitur; quo eodem nomine ipsum compellarunt sanctissimi Monachi. *Omnes filios Apostolatûs tui Dominos nostros Clericos digneris nostro officio salutare, &c. Apostolatum tuum conservet nobis Deus in Ecclesia, &c.* Denique quantò suprà clericos alios evehit Presbyteros Diaconosque, tantò Episcopum attollit supra hos ipsos. *Neque enim de Presbyteris aut Diaconis, aut inferioris ordinis Clericis, sed de Collegis agebatur, &c.*

*Epist. 148.* *Epist. 138.* *Epist. 69.* *Epist. 42. 166. &c.* *Epist. 256.* *Epist. 162.*

II. Quæ dicta sunt penè omnia confirmat Leo paucis his verbis: *Non summos tantum Antistites, aut secundi Ordinis Sacerdotes, nec solos Sacramentorum Ministros, sed omne corpus Ecclesiæ oportet esse purgatum.* Sidonius Apollinaris de Claudiano, fratre sancti Mamerci Episcopi Viennensis loquens, in secundo illum locat ordine Sacerdotii: cumque ait fratri vicarias operas præstitisse: *Antistes fuit Ordine in secundo, fratrem fasce levans Episcopali.* Theodosius & Valentinianus Imperatores testati jam fuerant, quanto ubique terrarum afficerentur honore tres illi superiores Ordines: *Audemus quidem sermonem facere solito plus timore capti, de sanctis & venerabilibus Sacerdotibus, & secundis Sacerdotibus, vel etiam Levitis, & eos cum omni timore nominare, quibus omnis terra Caput inclinat.* Fulgentius Ruspensis Episcopus ad Ferrandum Diaconum scribens, Condiaconum vocat: *Condiacono Ferrando.*

*Serm. 10. de Quadrag.* *L. 4. Ep. 11.* *Appen. Cod. Theod. c. 20.* *Epist. de Bapt. Æthiopis.*

III. Ex his perspicuè intelligis quantum aberrarit à vero Author Quæstionum utriusque Testamenti, quas Augustino perperam aliqui tribuunt. Ut enim parem esse & ejusdem Ordinis dignitatem Episcopi atque Presbyteri demonstret, id ille inde colligit, quòd Episcopi, cum aut loquuntur, aut scribunt Presbyteris, se in eodem cum illis ordine collocent: quod tamen cum Diaconis minimè faciunt. *Denique non aliter quàm Compresbyteros vocat, & Consacerdotes suos Episcopus. Nunquid & Ministros Condiaconos suos dicit Episcopus? Nequaquam quia multò inferiores sunt.* Non poterat hic scriptor sententiæ suæ absurditatem, stoliditatemque eorum qui Episcopis Presbyteros exæquant, apertius prodere, quàm futilibus hujusmodi & à vero tam apertè dissonantibus argumentis. Certum est enim plerosque tum Græcos, tum Latinos Patres, cùm Episcopali eminerent dignitate, Condiaconos tamen vocasse Diaconos, perinde ut Presbyteros Compresbyteros. Neque tamen suæ supra Presbyteros Diaconosque dignitatis erant nescii; sed hoc persuasissimum habebant, maximam esse utrique huic ordini cum Episcopatu conjunctionem, & sacram quandam cognationem. Ejusdem enim Hierarchiæ intimas quasi partes has esse, ejusdem membra Sacerdotii, ejusdem tanquam portiones Apostolatûs. Non ergo Scriptori huic convenit cum Hieronymo. Hoc enim ipso, quo Episcopo soli Hieronymus vendicat potestatem ordinandi, Episcopalem à Presbyterali Ordinem & characterem

*Quæstiones ex utroque mixtim. C. 101.*

genuina & propria differentia ac nota secernit. Quia vel ex eo solo licet colligere summam illam, quæ divinitus instituta est authoritatem. Hinc Chrysostomus dum quærit, cur Paulus ab Episcopis ad Diaconos statim transeat, omissis Presbyteris, id unum affert, eo id factum quòd non magna sit intercapedo, quòd sola Ordinandi potestate antecellat Episcopus: *Quia scilicet inter Episcopum & Presbyterum interest ferme nihil. Quippe & Presbyteris Ecclesiæ cura permissa est, & quæ de Episcopis dixit, ea & Presbyteris congruunt: sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum plusquam Presbyteri habere videntur.*

*In Epist. 5. ad Tim. hom. 11.*

IV. Ex his apertissimè proditur eorum error, qui opinantur à Presbyteris Alexandrinis sola unius ex sese electione, quem excelsiore locassent in Sede, creari solitum fuisse Episcopum, minimè accitis Episcopis aliis, qui manus illi imponerent. Quem enim in suas partes trahunt, Hieronymus palam profitetur, potestatem ordinandi solius esse Episcopi. Opus ergo erat Episcopis, qui Alexandrinum electum Præsulem ordinarent. Alioqui unde habuisset collocatus iste in sede Alexandrina Presbyter potestatem ordinandi ministros Altaris? Non poterant certè eam illi conferre Presbyteri, cujus erant ipsi inanes & vacui. Non Clericos ergo, non Presbyteros, nedum Episcopos ordinare potuisset commentitius iste Alexandriæ Episcopus. Atque ita brevi non Alexandriæ tantùm, sed & Ægypti totius Ecclesia & Presbyteris caruisset & Episcopis. Nisi fortè dicas, omnes ibi ordinationes sola constitisse opinione hominum, & mera deputatione extrinseca, præter receptissimam universalis Ecclesiæ consuetudinem, & omnium omnino fidelium opinionem.

V. Nec minùs absurdum est quod opinatur Joannes Seldenus, institutos fuisse à beato Marco in Ecclesia Alexandrina duodecim Presbyteros, qui Patriarchæ adessent & successorem illi è Collegio suo eligerent, electo manus imponerent ipsi, totumque Patriarchatum soli sine Episcopis administrarent. Ita ut tribus primis sæculis & Patriarchatum Alexandrinum soli gubernaverint Presbyteri, & iidem Patriarcham sibi ordinarint. Hæc Seldenus ex fragmento Chronici Arabici Eutychii Patriarchæ Alexandrini. Verùm hæc commenta ita confutavit Morinus noster, ut hoc me onere liberatum meritò putem. Ut autem contrarium omnino statuas, vel unus satis sit Hieronymus. Quid illi enim opportunius, quid validius occurrere potuisset, ad dejiciendum Diaconorum supercilium? quid vehementius ad commendandam eam, quæ Presbyteris debebatur observantiam? Non tacuisset ergo ille sæculis pluribus, à Presbyteris solis, qui Episcoporum locum implerent, & ordinatos Patriarchas, & Diœcesin Alexandrinam esse administratam. Aut certè rem penitus contrariam disertis verbis non edixisset, solum esse scilicet Episcopum, qui ordinare possit, & Ecclesiæ Episcopos, Presbyteros, & Diaconos dare.

*Morin. De Sacr. Ord. part. 3. Exerc. 7. c. 7.*

Nec dissimulabo apud Authorem Quæstionum ex utroque Testamento ista haberi: *In Alexandria & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consecrat Presbyter.* Verùm hominis imperitiam & manifestos errores jam patefecimus. Aliud apertè docet Hieronymus, cui indubitatissimè adhibenda potiùs fides est. Neque magis illi concinit Chronicum Seldeno laudatum, ubi statuitur ab Heraclæ & Alexandri Episcoporum Alexandrinorum temporibus, hoc est, ab anno Christi ferè trecentesimo, sublatis illis privatis consuetudinibus, communem Ecclesiæ disciplinam per totam Ægyptum obtinuisse. Adde quod verbum *consecrat*, de alio possit Sacramento quàm de ordinatione intelligi, & ibi verisimillimum sit pro significanda confirmatione usurpari. Ita enim loquitur Author Commentariorum in Paulum, qui nonnunquam, sed falsò citatur nomine Ambrosii. *Denique apud Ægyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus.* Est autem Pauli ille interpres, ex illis unus, qui Episcopos in eodem cum Presbyteris ordine collocandos somniarunt. Ea de re quod in universum statuit, defendi non potest; potest tamen, quod de data scribit à Presbyteris in Ægypto Confirmatione. Solam enim & Hieronymus & Chrysostomus ordinationem Episcopis vendicant, ubi eandem versant quæstionem.

VI. Refert aliam Liberatus, quæ sua ipsius ætate in ordinando Patriarcha Alexandrino observabatur, consuetudinem. *Consuetudo est Alexandriæ, illum qui defuncto succedit, excubias super defuncti corpus agere, manumque dexteram ejus capiti suo imponere, & sepulto manibus suis, accipere collo suo beati Marci pallium, & tunc legitimè sedere.* Non est autem quod credas, hanc esse ordinationem ipsissimam Episcopi Alexandrini. Sunt hæ omnino ceremoniæ singulares ordinationis, ab ipsa non minùs distinctæ, quàm Patriarchalis dignitas ab Episcopali: ita tamen ut in rebus hujusmodi quæ diversa omnino erant, non tamen unquam sejungerentur. Qui enim fieri potest, ut cùm alii per Ægyptum eo ritu consecrarentur, quo cæteri per totum orbem Episcopi, hoc est, cum manuum impositione, cum orationibus, & longa illa ac solemni pompa, quæ sacrosanctam regalis Sacerdotii majestatem cohiberet, eique venerationem conciliaret omnium: sola inthronizatione, & obscurioribus illis vacuisque & jejunis ceremoniis, quas describit Liberatus, Patriarcha ordinaretur Alexandrinus? Quis credat Diaconum nullum, nullum Presbyterum aut Episcopum toto orbe esse, qui non impositione manuum & oratione solemni, juxta sacras utriusque Testamenti leges & consuetudines, legitimaque pompa & ordinatione, Spiritum sanctum & gratiam suo Ordini convenientem acceperit; eum autem qui post Romanum Præsulem omnium maximus est, tam jejuno & futili ritu, tam præter regulas & leges omnes ordinatum fuisse? Denique cùm Episcopi Alexandrini non Diaconos tantùm & Presbyteros, sed & Episcopos ordinarent quamplurimos, ut fidem facit sextus Canon Nicænus, & Athanasii historia, adde & Concilia tam multa ab illo habita: quis putet eos de sua ipsorum ordinatione cogitasse nunquam, ut ne tali pompa, tam solemni ritu, iisque gratiæ frustraretur beneficiis, quæ aliis Episcopis ipsi eos ordinando conferrent: & ea maximè impositione manuum & oratione, quæ tam apertum, tam solidum in utrinsque Testamenti paginis fundamentum habet. Quanquam si privati hujusce ritûs causa in Alexandrina Ecclesia fuisset illa, quam obtrudunt, commentitia Presbyterorum & Episcoporum æqualitas: idem certè obtinuisset & apud cæteros ejusdem Patriarchatûs Episcopos, quippe quos omnes ordinaret Episcopus Alexandrinus. Quo enim ritu ipse ordinatus esset, eo ordinasset & alios, aut jejuniore etiam & obscuriore. Constat autem eos qui de singulari illo Alexandrinæ Ecclesiæ ritu scripsere, hunc cæteris sub illo Patriarchatu Ecclesiis communem non fecisse, sed proprium solius

*Liberati Breviarii c. 20.*

Alexandrinæ. Alioqui cùm frequentes inflammarentur lites & contentiones inter Ægyptios & cæteras Orientis Ecclesias, habuissent Orientales Episcopi, quo jure Ægyptios aspernarentur & pudore suffunderent, quos ita promotos in Presbyterorum ordine reliquisset. Qui potuit Romæ & in Occidente tamdiu commoratus Athanasius: qui cæteri Episcopi Alexandrini, quibus arctissima semper eum Occidentalibus & conjunctio & amicitia fuit: qui, inquam, potuere illi ignorare ritus & leges, quæ unanimi omnium consensu per totum Occidentem, per orbem totum in consecrandis Episcopis observarentur? Aut si nesciebant ipsi, qui fieri potuit, ut de iis observandis nemo admoneret?

VII. Propiùs ergo à vero abest quod Liberatus, quod Hieronymus, quod alii dicunt, ea ita constare, ut non de ipsa ordinatione, sed de accessionibus quibusdam ad ordinationem Episcopalem factis in Ecclesia Alexandrina capiantur, ideoque ei Ecclesiæ peculiaribus: cùm ordinatio ipsa & ibi & alibi eadem prorsus esset, facillimèque observaretur in Canonibus Apostolicis & Nicænis, ubi tam Episcoporum, quàm Presbyterorum ordinatio, χειροτονία, *manus impositio*, vel ipso nomine suo manifestatur. Hæc nescire in Ægypto non potuere. Causam errori præbuere, qui dum ista legerent apud ejusmodi Authores, adducti sunt, ut crederent, ab iis non solùm dici quæ fierent: sed & ea fieri solùm, quæ dicerentur. Atqui scriptorum scopus erat, non omnia quæ tum in Ægypto, tum alibi passim fierent, narrare; sed quæ uni Ægypto propria erant & peculiaria.

Quod autem refert Liberatus, electi fortè Patriarchæ confirmatio, inthronizatio, & Sedis ipsius possessio est; non consecratio, quæ suo deinde ubi videretur, tempore fieret. Aut fortè propter eam quam ibidem attingit causam Liberatus, ne qua oriretur contentio, ne ambiendi daretur locus, Clerici Alexandrini non expectato Episcoporum Provinciali Conventu, ad eligendum Episcopum statim conveniebant, & à beato Marco, utcumque fieri poterat, confirmari electum curabant, cùm ea confirmatio ab Episcopis inferioribus expectari non posset. Id verò unum satis Hieronymo fuit, ut ad Presbyterorum observantiam Diaconos adigeret: nec in eam rem necesse ei fuit exsequi, quo deinde ritu Episcopus Alexandriæ consecraretur.

## CAPUT LIV. *P. 1. l. 1. c. 14.*

### De erectione novorum Episcopatuum prioribus quinque Ecclesiæ sæculis.

*I. Sedes Episcopales prima omnium ab Apostolis, virisque Apostolicis sunt instituta.*

*II. In eam potestatem successere sedium Apostolicarum Antistites.*

*III. Qui soli in Nationes barbaras & mittere & ordinare Episcopos poterant.*

*IV. Erexere & Episcopatus aliquos Metropolitani, quippe qui & ipsi sedem Apostolicam obtinerent.*

*V. Poterat Episcopus facere, ut in Parochiarum suarum aliqua Episcopus alter ordinaretur.*

*VI. Vetat id fieri Synodus Laodicena, quòd ea jam abuterentur aliqui potestate.*

*VII. Fiebant ista sine authoritate Regia.*

*VIII. Ab Oriente venitur ad Occidentem, ubi Episcopi in Nationes integras ordinabantur.*

*IX. Vetat Sardicensis Synodus ne ordinentur Episcopi in vicis.*

*X. Id cùm in Africa fieret, damnat Leo.*

*XI. Fiebat in Oriente non rarò.*

*XII. Item & in Africa.*

*XIII. Si modò accederet Carthaginensis Episcopi authoritas.*

*XIV. Primatis, Concilii Provincialis, & ejus Episcopi, necessarius erat consensus, è cujus Diœcesi Episcopatus dicorporabatur.*

*XV. Dabat plerumque Episcopos Papa Nationibus iis, quæ recens ad fidem venerant. Imperatores nullam hactenus in creandis Episcopatibus partem habuerant. Ejusque causa.*

I. NUllus est dubitandi locus, quin Apostoli & temporum Apostolicorum Episcopi, qui sibi urbes totius Imperii principes, ac Provinciæ cujusque Metropoles sumpsere Christo debellandas subjiciendasque: Episcopatus quoque novos, ceu totidem Christiani Imperii arces, in iis urbibus, ubi nova erat collecta Ecclesia, & ipsi fundaverint, & successoribus reliquerint fundandi potestatem. Cùm enim omnes, ut supra dictum est, & Apostoli essent, & abundantiorem potestatis Apostolicæ copiam futuris Metropoleon Episcopis facerent; jus profectò eis tradebant, & Ecclesiæ novæ, & novi constituendi Episcopatûs. Id apertè docet Eusebius, ubi de viris Apostolicis loquitur: *Munus obibant Evangelistarum, &c. Hi postquam in* L. 3. c. 37. *remotis ac barbaris regionibus fidei fundamenta jecerant, aliosque Pastores constituerant, ad alias gentes properabant.*

II. Verùm cùm ab Apostolis ad Apostolicas sedes quasi hæreditate venisset potestas amplior: ab his idcirco frequentissimè postulatum est, ut novæ Coloniæ conderentur. Narrant Ruffinus & Socrates Socrat. ab Athanasio ordinatum esse Frumentium Episco- L. 1. c. 15. pum, missumque in Indiam, ut quæ jam ibi feliciter pro fide auspicatus erat, ea auspicatius etiam perficeret. Appellabantur autem jamdudum, communi Indiarum nomine, remotiores ab Imperii finibus Provinciæ, eæ maximè, quæ versus Orientem erant & Meridiem porrectæ. *Frumentius Alexandriam adventans Athanasio omnem rem narrans &c. Indos Religionem Christianam recepturos ostendit, &c. Athanasius ipsum Frumentium Episcopum designat, &c.* Cùm verò Valente imperante negavit Sarracenorum Regina, se pacem antè Romanis daturam, quàm accepisset Episcopum, qui suos ad Christianam fidem necessariis elementis instrueret: electus ei rei Moyses Anachoreta Alexandriam perductus est, ut ibi ordinaretur. *Alexandriam, ut illic* Idem l. 4. *Sacerdotii dignitatem capesseret, deductus.* Verùm cùm c. 29. Alexandriæ Episcopum offendisset Arianæ vesaniæ signiferum, ad Episcopos Orthodoxos pro fide exulantes profectus est, ut Episcopus consecraretur.

III. Ordinabantur non Civitati uni ejusmodi Episcopi, sed universæ Nationi, propterea quod persæpe ne nota quidem erant Civitatum nomina. Adde quod viris Apostolicis, perinde ut Apostolis ipsis, obsequendum erat Spiritui, cujus impetu rapiebantur, nec remorandus Evangelicæ victoriæ cursus velocissimus. Talem, ut Theodoretus refert, L. 1. c. 24. novæ Iberorum Ecclesiæ Pastorem misit Constantinus. Cùm autem unus erat in una aliqua gente Episcopus, non poterat is alios ordinare. Unde L. 7. c. 19. Sozomenus refert, esse in Scythia urbes complures maximas, quæ unum omnes Episcopum solum haberent. Quare necesse erat, ut novi semper mitterentur Episcopi: id quod solæ poterant majores, & urbes, & Ecclesiæ. Eam fortè ob causam statuit Can. 28. Concilium Calchedonense, ut quæ antè tribus Exarchis minoribus suberant Nationes barbaræ, iis ordinaret Episcopos Episcopus Constantinopolitanus: cùm hoc solum antè sanxisset Concilium Can. 2.

Constantinopolitanum I. ut juxta morem veterem Episcopi ibi ordinarentur. Gotthis virum eximium Vuilam Chrysostomus Episcopum ordinaverat. Post ejus obitum rogatus à Rege, ut alium mitteret, egit quamvis exul ab Ecclesia propria, ut alius mitteretur. Sic enim ipse ad Olympiadem scribit: *Eximium illum virum Vuilam, quem non ita pridem Episcopum creavi, atque in Gotthiam misi, &c.*

Chrysost. Epist. 123. Baron. an. 404. n. 11.

IV. Exiguam Sasimorum urbem sanctus Basilius Cæsariensis in Cappadocia Archiepiscopus in Episcopatum erexit, eoque oneravit Gregorium Nazianzenum quantumvis reluctantem. Hoc scilicet se præsidio muniebat Basilius adversùs audacissimam Anthymi Tyanensis Episcopi ambitionem, qui id à Valente Imperatore expugnaverat, ut Cappadocia in duas Provincias scinderetur, & ita jam Cappadociæ II. Tyana caput esset & Metropolis. Ut ea res diuturnioribus inter Basilium & Gregorium arctissima alioqui amicitia conjunctissimos querimoniis locum dedit; ita certissimum præbet ejus potestatis argumentum, quam in erigendis intra Provinciam suam Episcopatibus novis habebant tunc Metropolitani.

Baron. an. 371. n. 90. 91. &c.

Actio. 13. V. Lectæ sunt in Concilio Calchedonensi Nicomediensis Metropolis de Nicæna querimoniæ; de Episcopo nimirum Nicæno, qui Basilinopoli Episcopatum instituerat, & Episcopum ordinaverat, cùm is antea vicus fuisset, quem deinde Imperator in Urbium ordinem adscripsisset. Simile veri est tum eum datus Basilinopoli Episcopus est à Nicæno, hunc merum adhuc Episcopum tunc fuisse, necdum relata inter Metropoles Nicæa. Non dissimilis his exempla suppeditabit mox Ecclesia Occidentalis. Habes sub finem Concilii Ephesini libellum supplicem, quem obtulere Europæ in Thracia exiguæ admodum Provinciæ Episcopi duo. Singulis eis suberant Civitates duæ, ejus magnitudinis, ut earum unicuique suus seorsim posset esse Episcopus. Postulabant ergo à Synodo, ut sua sibi vetustissima, & ultra hominum memoriam possessio conservaretur. Vereri enim se, ne Metropolita Heracleensis, qui ad Nestorianorum partes tunc concesserat, in utraque hac etiam civitate Episcopum ordinaret. Obsecuta est eorum votis Synodus. *Nihil innovandum in Europa Civitatibus, sed juxta veterem consuetudinem gubernentur.* Ex quibus illud colligas licet, pauciores fuisse in iis Provinciis Episcopatus, quæ posteriores excultæ sunt. In Provinciis verò aliis eam fuisse consuetudinem, ut quemadmodum suum ipsæ haberent singulæ Metropolitanum, ita & earum urbes singulæ suo gauderent Episcopo. Denique potuisse Metropolitas in sua quemque Provincia Episcopales creare Sedes, saltem consentiente Provinciali Concilio.

VI. Vetuit Laodicenæ Synodi Canon, ne in vicis deinceps ordinarentur Episcopi, sed Chorëpiscopi tantum; ea cautione, ut qui hactenus ordinati fuerant in vicis Episcopi, ii nequid auderent, nisi annuente, & probante Episcopo civitatis. *Non oportet in villulis, vel agris Episcopos constitui, sed Visitatores. Verùm tamen jampridem constituti, nihil faciant præter conscientiam Episcopi civitatis.* Consecrabant ergo plerumque Episcopi ante hujus Concilii tempora, aut consecrari curabant Episcopos novos in sui territorii oppidulis, adeoque novos erigebant Episcopatus, quibus regionis alicujus, & earum quæ circa erant Parœciarum cura committeretur. Unde statuit Synodus, ne posthac ibi, nisi Chorëpiscopi ordinarentur.

Can. 57.

VII. Hactenus in Episcopatuum institutione ne vestigium quidem ullum regiæ authoritatis deprehensum est. Nam etsi Basilinopolis à Juliano, seu ab alio quovis Imperatore in album urbium relata, Episcopali mox sede decorata est: id certè non Imperatoris, sed Nicæni Episcopi authoritate consecuta est, cujus è Diœcesi abscindebatur. In Rescripto regio nulla prorsus mentio Episcopatûs. Alioqui Juliani id esse assensus esset nemo. Rem æstimavit Nicænus Episcopus è communi consuetudine, urbem sine Episcopo esse non debere. Scitè observat Sozomenus, in Palæstina Gazam & Majumam, quæ olim fuerant civitates duæ, duo Episcopatus, in unam quidem ab Imperatoribus civitatem coonjunctas fuisse, sed in una civitate remansisse Episcopatus duos. *Utraque seorsum suum habet Episcopum, suum Clerum.* Mortuo Majumæ Episcopo, Episcopatûs utriusque unionem tentavit Gazæ Episcopus; sed *Concilium Gentis illam causam cognovit, aliumque creavit Episcopum.* Lib. 4. 5.

VIII. Si te ab Oriente ad Occidentem convertas, idem facilè intelliges; ab Apostolica maximè Sede & à majoribus Metropolitanis Episcopatus esse institutos: Episcopos operam dedisse, ut in ditiones suæ locis majoribus Episcopi ordinarentur alii: ejusmodi mutationes approbatas esse à Conciliis Provincialibus: nec intra quingentos à Christo nato annos, authoritati regiæ in hujusmodi rebus locum ullum fuisse. Refert in Bibliotheca Photius Caium doctissimum clarissimumque Romanæ Ecclesiæ Presbyterum, Pontificibus Victore & Zephirino, Gentium Episcopum ordinatum esse, χειροτονηθῆναι ἐθνῶν ἐπίσκοπον: & veluti Regem inunctum & coronatum esse ei regno, quod vi & consilio esset adepturus. Eo ferè modo Pontifices Romani consecravere Episcoporum partem longè maximam, quos deinde immitterent ad debellandas, fideique jugo subjiciendas Occidentis Provincias illas, quas in Epistola sua enumerat Innocentius I. Cod. 48.

IX. Innovavit in Occidente Sardicensis Synodus Canonem Laodicenum, de Episcopis non instituendis nisi in urbibus frequentioribus, ne vilescat Episcoporum majestas, si Sedem habeat in oppidulis. *Licentia danda non est ordinandi Episcopum aut in vico aliquo, aut in modica civitate, cui sufficit unus Presbyter: quia non est necesse ibi Episcopum fieri, ne vilescat nomen Episcopi & authoritas.* Nemo sobrius existimarit à Conciliis Provincialibus Episcopatus vicis villulisve aliquos designatos esse. Ea potiùs fuerat Episcoporum aut sollicitudo aut ambitio, qui quærebant in quos sarcinæ Pastoralis aliquam partem deponerent; aut obnoxios habere sibi Episcopos, quos territorii sui regiuncula donassent, atque ita obligassent sibi. Eo tandem res erupit, ut eam potestatem ad se traherent Concilia Provincialia, ut liquet ex editione Græca ejusdem Concilii Sardicensis: *Provinciæ Episcopi debent in iis urbibus Episcopos constituere, ubi etiam priùs Episcopi fuerunt. Si autem inveniatur urbs aliqua tam populosa, ut ipsa Episcopatu digna judicetur, accipiat.* Can. 6.

Can. 6.

X. In ea lege observanda Episcopi Africani minùs fortasse religiosi fuere. Quare datis ad eos litteris jostat vehementissimè Leo, & consentaneum censet munusculos hujusmodi omnes supprimi Episcopatus, cum primum quæque vacaverit Sedes, ut & ab Africano quodam postulatum erat Episcopo. *Illud sanè inter omnia volumus statuta Canonum custodiri, ut non in quibuslibet locis, nec in quibuslibet castellis, & ubi antè non fuerunt, Episcopi consecrentur. Cùm ubi* Epist. 87. c. 2.

*minores sunt plebes, minoresque Conventus. Presbyterorum cura sufficiat. Episcopalia autem gubernacula nonnisi majoribus populis & frequentioribus civitatibus oporteat præsidere. Ne quod sanctorum Patrum divinitus inspirata decreta vetuere, viculis & possessionibus, vel obscuris & solitariis municipiis tribuatur Sacerdotale fastigium, & honor cui debeat excellentiora committi, ipsi sui numerositate vilescat.* Alludit haud dubie ad Sardicensem Canonem paulò suprà laudatum, ejusque statuti duplicem hanc rationem offert, 1. Quòd cùm Episcopatus summus sit regalis Sacerdotii veluti apex, ejus obscuratur splendor, si thronum ejus ibi colloces, ubi propter solitudinem, aut minorem hominum frequentiam, nec divina obire munera, nec spiritalem effundere possit opulentiam. 2. Quòd Episcopatuum nimia tandem multitudo viliores eos faciat & despicabiliores. Verùm nec sibi Leo Papa, nec Romanæ Sedi vendicat uni potestatem instituendorum Episcopatuum, sed hoc liberum & integrum facit Conciliis Provincialibus ac Metropolitis, modò leges observent, quas antiquitas consecravit.

XI. Istud ergo & Orientis & Occidentis commune fuerat vitium, ut in viculis Episcopos constituerent. Nam etsi Canonem VI. edidit in Occidente Sardicensis Synodus, contra Orientales tamen edidit, & ea maximè de causa, ut damnaret Concilii Tyrii Episcopos, qui nuperrimè ordinaverant Ischyram. Nam cùm pagi Presbyter esset, & fortassis ne Presbyter quidem, ejus tamen pagi Episcopus creatus ab illis est, ubi ne Chorepiscopus quidem antè fuerat, teste Athanasio. *Ager est* Athanas. Apol. 2. *Alexandriæ, in quo loco nunquam Episcopus fuit, immo ne Chorepiscopus quidem, &c. Nihilo tamen minus hominem, qui ne Presbyter quidem erat, hujus pagi præter Majorum traditionem, Episcopum scilicet appellaverunt.* Hoc mercedis Ariani refundere voluerunt, insigni illi quem subornaverant Athanasii calumniatori. Confirmat idem sanctissimus Pater hanc Episcoporum creationem in vicis adversari traditioni Patrum. Dictum est suprà, in civitatibus quibusque maximis, ubi insolentissimè dominabatur mendacium, ibi defixas esse ab Apostolis splendidissimas Veritatis Cathedras.

XII. In Occidentem & in Africam vestigia retorqueamus, ubi cùm Carthagine Catholicos inter & Donatistas haberetur Collatio, & ambæ hinc illincque partes suam Episcoporum ostentarent multitudinem; jussit id observari Alypius, è Donatistis plurimos esse, quibus aut villæ tantùm, aut agri subessent. *Scriptum sit omnes istos in fundis, vel* Collat. 1. an 181. 182. *in villis esse Episcopos ordinatos, non in aliquibus civitatibus.* Regessit hoc ipsum in Catholicos Petilianus Donatista: *Sic etiam tu multos habes per omnes agros dispersos.* Depellendo ab Africa huic malo operam dedere Concilia Concilium Carthaginense II. constituit, ut vici ne haberent Episcopos, qui necdum ullos habuissent. At si civium numerus ita augeretur, ut jam civitatibus æquari possent, possent ibi ordinari Episcopi, cum eorum consensione, quorum eæ fuissent antè Parochiæ. Innuit prorsus hæc Synodus, à Metropolitano, aut à Concilio Provinciali donatum iri Episcopum Episcopali huic Cathedræ novæ. Can. 5. *Ut Diœceses quæ nunquam habuerunt Episcopos, non habeant. Et illa Diœcesis quæ aliquando habuit, habeat proprium, &c. Et si accedente tempore, crescente fide, populus Dei multiplicatus desideraverit proprium habere Rectorem, ejus videlicet voluntate, in cujus potestate est Diœcesis constituta, habeat Episcopum.* Necessariæ conditiones diligenter percensentur, ut ne minor sit civitas, ut Episcopum ipsa petat, ut antiquior consentiat Episcopus, ut ordinatio per Primatem & Concilium fiat; nulla vel Imperatoris vel Papæ facta mentione.

XIII. Verisimillimum tamen est in ejusmodi Episcopatibus creandis sæpiùs adhibitam fuisse Carthaginensis Episcopi authoritatem, ut qui esset Exarchus, & Primatum Primas, hoc est, Metropolitanorum in Africa Metropolitanus. Conquestus est in Concilio III. Carthaginensi Epigonius Episcopus, quòd ambitionis œstro perciti Presbyteri quidam, conviviis & turpi largitione studia plebium emercarentur, & ita apud illas agerent, ut postularentur ad Episcopatum loci: si renitereiur improbæ eorum cupiditati proprius Episcopus, Carthaginensem Archiepiscopum adirent. Aurelius qui Concilio aderat Carthaginensis Episcopus, palam profitetur, se petitiones istiusmodi & rejecisse Can. 42. 46. hactenus, & posthac rejecturum, nec novos concessurum Episcopos, nisi suffragante Episcopo loci priore. *Hoc me & fecisse & facturum esse profiteor, circa eos sanè qui fuerint concordes, non solum circa Ecclesiam Carthaginensem, sed circa omne sacerdotale consortium.* Hoc denique pollicitus est, daturum se operam, ne quid sibi vicinarum Parochiarum vindicaret, qui novus esset creatus Episcopus loci antiquiori Episcopo subducti. *Non dubito omnibus placere eum qui in Diœcesi, concedente Episcopo, qui matricem tenuit, solam eandem retinere plebem, in qua fuit ordinatus.*

XIV. Constat quidem Canone Concilii Africani non attingi, non disertè exigi nisi consensum Concilii Provincialis & Primaris, sileri omnino consensum Carthaginensis Archiepiscopi, ad novi Episcopatûs creationem. *Placuit ut plebes quæ nunquam habuerant proprios Episcopos, nisi ex Concilio ple-* Can. 65. *nario uniuscujusque Provinciæ, & Primatis, atque consensu ejus, ad cujus Diœcesim eadem Ecclesia pertinebat, decretum fuerit, minimè accipiant.* Adde quòd cùm statuisset Augustinus Episcopatum excitare in Castro suæ Diœceseos Fussala, propterea quod quadraginta passuum millibus ab Hipponensi civitate distaret, nec posset eò se cura Episcopalis & vigilantia porrigere tanta, quantam impendere satagebat. *Quod ab Hippone memoratum castellum millibus quadraginta sejungitur, &c. Cùm me viderem latius quàm oportebat extendi, nec adhibenda sufficerem diligentiæ, quam certissima ratione adhiberi debere cernebam, Episcopum ibi ordinandum constituendumque curavi.* Nec Carthaginensis Pontificis authoritatem interpositam commemorat Augustinus, nec Romani, quamvis ad Cælestinum Papam data sit Epistola, è qua hoc excerpsi: sed Primaris duntaxat Aug. Epist. Numidiæ, cui ut Metropolitano suberat, à quo & 261. ordinari curavit novum Episcopum. *Propter quem* Baron. an. *ordinandum, sanctum senem, qui tunc Primatum Nu-* 424. n. 4. *midiæ gerebat, de longinquo ut veniret rogans, litteris impetravi.* Silet quidem sanctus Doctor consensum Concilii Provincialis; at is contineri videtur consensione Primaris, qui vix quidquam majoris rei, nisi de Concilii sententia moliebatur. Denique Canones ipsi expressis verbis Conciliis Provincialibus hæc probari præcipiunt. Superest ergo ut dicamus, in erigendis Episcopatibus novis ut requireretur consensus Carthaginensis Episcopi, consentaneum vel maximè fuisse, minimè verò necessarium.

XV. Dicam igitur, ut finis imponatur huic Capiti, in eo maximè emicuisse, cum zelum, tum

potestatem Apostolicæ sedis, ut recens conversis, vel convertendis ad fidem Gentibus Episcopos daret. Sic teste Prospero Cælestinus primùm Scotis, id est, Hibernis Episcopum ordinavit Palladium: *Ordinato Scotis Episcopo, dum Romanam insulam studet servare Catholicam, fecit etiam Barbaram Christianam.* Hoc est, Pelagianos ex Anglia, Idololatras ex Scotia expulit. Fecit autem, ut de nova Episcopatuum institutione hactenus essent minùs solliciti Imperatores, tum ipsa amplitudo latissimè patentis Imperii: tum antiquitas ipsa Episcopatuum jam antè maxima ex parte creatorum, quàm Christiana fide imbuerentur Imperatores, tum denique quòd Episcopos tum nisi rarò ad secretiora non admitterent consilia; nec tantam illis in civitates potestatem darent, quantam illi à Regibus postea accepere, qui ex collapsi emersere ruderibus Imperii.

*Prosp. adv. Collat.*

---

## CAPUT LV. *P.2.l.1.c.11.*

### De Episcopatibus & Episcopis novis, in iis præsertim populis, qui recens ad fidem venerant, VI. VII. & VIII. sæculo.

*I. II. Constituebatur novus Episcopatus, de Metropolitani, Concilii Provincialis, Regis & summi Pontificis consensu. Tentatur aliquid pro Episcopatu Melodunensi.*

*III. Tentatur & pro Castelloduensi, pluribusque aliis in Gallia.*

*IV. V. Constituuntur in Germania plurimi, à Pontificis Romani Legato Bonifacio, cui & Galliæ principes sua suffragantur authoritate.*

*VI. Inde conjicitur quomodo primi olim fuerint Episcopatus constituti.*

*VII. VIII. Idem iterum ostenditur in Hibernia & Anglia, quò Pontifices Romani viros Apostolicos prædicandi Evangelii causa emisere.*

*IX. Item & in Frisia.*

*X. Episcopalium sedium translationes.*

*XI. XII. Episcopi nonnulli à Metropolitani jure immunes.*

*XIII. Poterant Episcopi pro jure suo, finitimis sibi infidelibus, & fidem annunciare, & Episcopos dare, & novos creare Episcopatus.*

*XIV. XV. Quomodo ea tandem potestas ad summum Pontificem redierit.*

*Anno 539.* I. NOvi nulli temporibus his mediæ ætatis, sæculo VI. VII. & VIII. creabantur Episcopatus, nisi de Metropolitani, Synodi Provincialis, Principis & Papæ consensu. Scripsit Leoni Senonensium Archiepiscopo Rex Childebertus, ut creando Meloduni Episcopo novo assensum præberet; rescripsit magni animi Pontifex *gloriosissimo domno & in Christo filio Childeberto Regi Leo Episcopus*, id à se fieri non posse injussu Theodeberti Regis, in cujus ditione ipse erat, *Sine jussu gloriosissimi domni Principis nostri Theodeberti Regis:* non posse se, cum nullius culpæ, vel negligentiæ affinis esset, crediti sibi à Deo Episcopatûs parte mulctari: *ut Diœcesin nostram à Deo nobis commissam, & usque nunc Pontificali ordine Deo propitio custoditam, tanquam negligentes ac desides ad alterius permittamus potestatem transire.* Eas esse Principis partes, ut Canones Legesque Ecclesiæ observari curet, per quas nefas est accommodare aures plebi adversùs Pastorem legitimum rebellanti, aliumque sibi dari pastorem flagitanti: *Custodite quæso statuta Patrum & Canonum severitate constricti, non patiamini ad petitionem ejus plebis, superstite proprio Sacerdote, alterum Episcopum ordinari.* Denique interminatus est vir intrepidus, si vis fiat sibi, & præter sententiam suam ordinetur Meloduni Episcopus, sua se communione abstenturum, tum eos qui ordinaverint, tum eum qui præter Canones ordinatus fuerit: donec res tota ad Romanum Præsulem, vel ad Concilium referatur. *Nam gloria vestra optime debet & credere & scire, quia si contra statuta Canonum quicumque Episcoporum sine consensu nostro Mecledone Episcopum voluerit ordinare, usque ad Papæ notitiam, vel Synodalem audientiam tam hi qui ordinaverint, quàm qui ordinatus fuerit, à nostra erunt communione disjuncti.* Vetabant Canones Africani, ne novus conderetur Episcopatus, sine consensu ejus Episcopi, cujus ditio secabatur. Vetabant & Niceni, Antiochenique, nequid majoris momenti in Provincia novaretur, inscio Metropolitano. Denique non concesserant Africana Concilia, vicos, villasque, aut oppidula unius Episcopi territorio adimi, alterius adjici, nisi ubi in revocandis ad fidem Catholicam hæreticis, supinius se agerent Episcopi. Hi sunt Canones quibus ad causæ suæ Patrocinium Senonensis Episcopus utebatur.

*Conc. Gall. Tom.1. pag. 258.*

II. Post aliquot annos Pappolus Carnotensis Episcopus, & jure & acerbissimè dolens, quod Promotus Ecclesiæ suæ Presbyter, Castelloduni sine assensu suo ordinatus esset Episcopus, datis ea de re litteris conquestus est apud Patres Concilii Parisiensis. Metropolitani & Episcopi ejus Concilii ad Egidium Archiepiscopum Remensem, qui Promotum ordinaverat, rescripsere, ausum ea illum esse, extra & Diœcesis & Provinciæ suæ terminos, ex quibus acerbissima illi indicenda esset pœna: sed velle se tamen plus indulgere charitati, quàm juri: dummodo Promotum revocet, qui jamnunc irrevocabili anathemate à se innodabatur; si quid usquam Episcopalis officii attingeret, qua se demum cumque authoritate obumbrari posse speraret. *Propria contumacia, aut cujuscumque potestatis assentatione.* Scripsere & ad Sigebertum Regem, ut siqua obreptione his novitatibus assensus esset, absisteret in posterum, & expiare potiùs quàm defendere satageret, quod sine novo & graviore piaculo defendi non posset. *Quam rem licet vix credere possumus cum consensu gloriæ vestræ fieri potuisse; tamen si cujuscumque prava suggestione praeventi, in hac tam obscœna & universæ Ecclesiæ contraria consensistis, ab hujusmodi scandali defensione, sinceritatis vestræ conscientiam expietis.* Culpam pertinaciâ duplicavit Sigebertus; at eo tandem mortuo redintegratus est Carnotensis Episcopus pristinæ ditioni suæ. Conatus quidem est Promotus in ejus animum Regis irrepere, qui Sigeberto successit; at ille regno, non consiliis & voluntatibus parum regiis successerat. Subscripsit ergo sententiæ & judicio Concilii Parisiensis. En verba Gregorii Turonensis: *Diœcesis mea est Castrum Dunense, dicente Pappolo, & ostendente præsertim judicia Episcoporum.*

*Ann. 573.*

*Greg. Turon. Hist. L. 7. c. 17.*

Narrat Cointius noster anno 497. cum beatus Solennus Episcopus Carnotensis electus fugisset in solitudinem, subrogatum ei fuisse Aventinum & consecratum Episcopum. Egressum postea latebris suis Solennum, & à plebe correptum, quòd prior electus fuisset, ordinatum esse. Hic Aventini dejectionem impatientius ferens, evicit ut Castelloduni Episcopus consecraretur. Eodem anno juxta eundem Annalium Franciæ Ecclesiasticorum conditorem, sanctus Remigius Remensis Episcopus Episcopatus Laudunensis prima jecit fundamenta, Episcopumque ordinavit Genebaudum, qui cùm neptim ejus uxorem antè duxisset, cœlibem tunc & solitariam

solitariam vitam agitabat. Anno 523. cum Visigotthi Ruthenorum civitatem regionisque partem maximam invasissent, Theodoricus Rex Clodovæi Magni filius, Atisitæ Episcopatum jussit institui: & relictam sibi Rutheni agri partem et subjecit: non passus ditionis suæ Parochias ei subesse Episcopo, qui Visigotthis pareret. Stetit Episcopatus Arisitensis, etiam post receptos à Gotthis Ruthenos, annos ampliùs centum. Fecit tamen aliquando tandem Ruthenensis Episcopus, ut quod ereptum sibi fuerat, restitueretur, sublata & eversa funditus nova ea sede.

*Cointius ad an. 569.*

Anno 531. Medardus Veromanduorum Episcopus, post dirutam ab Infidelibus urbem, alias etiam veritus irruptiones, sedem suam, ut scribit vitæ illius author, Noviodunum transtulit, Anno 532. idem Medardus post Eleutheri obitum Episcopus eligitur Tornacensis: quo ex tempore per annos amplius quàm sexcentos Ecclesiæ utriusque quamvis unus tantùm Episcopus fuerit, neutra tamen Sedes in juribus & privilegiis suis quidquam passa est detrimenti. Et hæc quidem Episcopatuum duorum sine confusione conjunctio, juxta eundem authorem facta est *Pontificali, Metropolitani & Comprovincialium authoritate, Regis & Procerum assensu, plebis acclamatione.* Jure ergo crediderís eodem prorsus modo, tametsi non sint aliquando qui hæc omnia singillatim observent, & translatum Noviodunum Veromanduorum Episcopatum, & novas de quibus antè diximus erectas esse Episcopales sedes. In his tamen Romani Pontificis nulla mentio. Partem certè in his sibi maximam potestatis vendicabant Reges, iis adducti rationibus, quæ ad regni pacem & stabilitatem pertinerent. Parebat Theodeberto Regi Senonensis Metropolitanus, Childeberto ejus patruo sorte obvenerat Melodunum. Hinc ejus petitio, ut Meloduni institueretur Episcopus. Chilperico suberat Carontum, Castellodunum Sigeberto. Hinc hujus pro erigendo Episcopatu Dunensi cura & diligentia. Cùm ad unum Clotarium II. tota venisset ditio Francorum, statuit Concilium Parisiense anni 614. ut ne varia regni divisio in Episcopatuum aut Metropoleon distributione quidquam immutaret. Quo decreto nihil æquius, nihil ad Ecclesiæ Regnique pacem accommodatius. Eadem quippe stirps regia, eadem Francorum natio erat. Meminit Gregorius Turonensis etiam Episcopatûs Ternodorensis à Sigeberto Rege erecti. Meminit & Sellensis in castro agri Pictaviensis. Sed citò corruerunt, quæ sine Episcoporum authoritate tentata fuerant. Concilio Cabillonensi anni 650. subscripsit Betto Episcopus Juliobonensis in Caletibus. At ejus Episcopatûs tam nescimr finis, quàm initium.

*Surius die 8. Junii.* *Cointius ad ann 614. n. 18 Can. 9.* *L. 5. c. 5. L. 4. c. 18.*

III. Bonifacium Germaniæ Episcopum ordinavit Gregorius II. Papa, ut Infideles circà Gentes fidei Christianæ luce perfunderet; scripsitque ea de re ad Carolum Majorem Palatii Regum Francorum, qui & ipse confestim per litteras ad Episcopos: *Apostolicos in Christo Episcopos:* ad Duces Comitesque datas, certiores eos fecit, sua se tuitione Bonifacium monitisse. *Apostolicus vir, in Christo Pater Bonifacius Episcopus, ad nos venit, & nobis suggessit quòd sub nostro Mundeburdio vel defensione eum recipere deberemus.* Ea tuitio regia Bonifacio cum primis necessaria erat propter priscum earundem regionum Episcopum, qui cùm sua incuria eas passus esset tandiu situ & squallore torpere, nunc novo Apostolo Bonifacio novæ victoriæ gloriæque partem præripere gestiebat. Vide quid ea de re ad Bonifacium scripserit ipse Pontifex: *Pro Episcopo illo qui nunc usque desidia quadam in eadem gente prædicationis verbum disseminare neglexerat, & nunc sibi partem, quasi in Parochiam defendit, Carolo excellentissimo filio nostro Patricio scripsimus, & credimus quòd hoc vitari præcipiat.*

*Greg. II. Epist. 1. 2.* *An. 723. Conc. Gall. Tom. 1.* *Greg. II. Epist. 3 & seqq.*

IV. Accepit à Gregorio III. Bonifacius Pallium, nomen Archiepiscopi, potestatemque constituendi Episcopos, in majoribus certè locis, ne sordescat dignitas, qua nulla amplior: *Præcepimus ut juxta Canonum statuta, ubi multitudo excrevit fidelium, ex vigore Apostolicæ sedis debeas ordinare Episcopos, pia tamen contemplatione, ut non vilescat dignitas Episcopatûs.* Scripsit & ad Germaniæ populos Proceresque Pontifex, ut his honorem dependerent Episcopis, tanquam Apostolica authoritate constituris: *Episcopos vel Presbyteros quos ipse ordinaverit, per Apostolicam sibi datam authoritatem, in Ecclesia ministerio recipiatis.* Profectus denique in Bavariam Bonifacius, cùm unum ibi tantùm ordinatum à Papa Episcopum invenisset, addidit & alios tres, totâ Provinciâ in quatuor Episcopatus divisâ, cum Ducis Procerumque consensu, quod & Pontifex ratum habuit. *Cum consensu Otilonis Ducis eorundem Bajoariorum, seu Optimatum Provinciæ illius tres alios ordinasses Episcopos, & in quatuor Parochias Provinciam illam divisisses, ut unusquisque Episcopus suam habeat Parochiam, bene & prudenter peregisti.* Quatuor Episcopatus Bajoariæ, seu Bavariæ hi fuere, Salisburgensis, Frisingensis, Ratisponensis, Pataviensis.

*Anno 738.* *Epist. 1. 3.* *Epist. 6.* *Baron. an. 739. n. 1. 3.*

V. Postquam Gregorio III. successit Zacharias, ab eo confirmari flagitavit Bonifacius tres Episcopatus novos, quos in Germania erexerat, Herbipolensem, Buraburgensem; & Erphesfurtensem. *Hæc tria loca propria authoritate & charta Apostolatûs vestri roborari & confirmari postulamus, ut per authoritatem & præceptum sancti Petri, jussionibus Apostolicis fundata & stabilita sint tres in Germania Episcopales Sedes.* Rescripto suo confirmavit Pontifex ille quidem tres istos Episcopatus, at Bonifacium interim commonefecit, vetare Canones ne dehonestetur Episcopalis ordinis amplitudo obscuritate locorum, in quibus Sedes illi eriguntur. *Sacris Canonibus præcipimur observare, ut minimè in villulas, vel in modicas civitates Episcopos ordinemus, ne vilescat nomen Episcopi.* Id sanè in causa fuit, cur rariores & aliæ ab aliis remotiores Episcopales Cathedræ fuerint in regionibus, quæ posteriores ad Ecclesiam Christi se contulerunt. Non idololatriæ tantùm, sed & barbariæ immersæ erant eæ Gentes, cum ad eas ventitarunt præcones Evangelici. Urbes rarissimæ, cæque perexiguæ erant. Itaque vix erant ullæ, in quibus satis consentaneè Episcopales sedes defigerentur. Scripsit denique idem Pontifex ad sanctum Burchardum Herbipolensem Episcopum, ut ejus confirmaret Episcopalem sedem, statueretque, ut ne quos alios in ea successores habere posset, quàm quos Apostolicæ sedis in Germania Legatus ordinasset. *Et nullus audeat ordinare Episcopum, nisi is qui Apostolicæ nostræ sedis in illis partibus præsentaverit vicem.* Idem Bonifacius Aistetensi in urbe Episcopum consecraverat sanctum Villibaldum. Et de his fortè Episcopatibus intelligenda illa Carlomanni Principis verba in Concilio anni 743. *Ordinavimus per Civitates Episcopos, & super eos constituimus Archiepiscopum Bonifacium.*

*Anno 741.* *Conc. Gall. Tom. 1.* *Le Cointe an. 742. n. 12.*

Refert Mariana in Concilio Generali Hispaniæ, urgente Vamba Rege, in suburbio Toletanæ urbis erectum esse Episcopatum novum: sed non multò

*L. 6. c. 14.*

pòst à Concilio Toletano XII. sublatum illum fuisse, propterea quod nec in minoribus locis Episcopum esse vellent Canones, nec in una civitate Episcopos duos.

VI. Istas porro Episcopatuum creationes aliquantò diligentiùs fusiùsque retulimus, ut magis magisque elucesceret, quàm necessarius fuisset assensus Principum, Metropolitanorum, Synodorum Provincialium, Episcoporum quorum intererat, Pontificum denique Romanorum. Quæ verò media hac ætate fecere sancti Bonifacius, Villibrordus, Augustinus, Corbinianus, aliique tot & tanti Apostolici viri, Apostolicæ delegatione Sedis, genuinam tibi primorum temporum imaginem exhibent, & ipsa veluti subjectionis ejus fundamenta aperiunt, in qua erga Romanam Ecclesiam, tanquam matrem omnium & fontem, fuere omnes per Occidentem Episcopi & Metropolitani. Fieri ergo potest, ut omnes unum in locum coëgerit Gregorius *L. 1. hist. c. 3.* Turonensis, quos in Galliam summi Pontifices diverso misère tempore: ubi asserit ex gestis B. Saturnini Martyris missum esse Gratianum Turonum, Trophimum Arelatem, Narbonem Paulum, Saturninum Tolosam, Parisios Dionysium, Stremonium in Arverniam, & Martialem Lemovicum. *Per sanctum Stremonium, qui & ipse à Romanis Episcopis cum Gratiano Episcopo, & reliquis quos memoravimus, est directus.* *De Gloria Confess. c. 30.* Hoc rursum erga fidem & Ecclesiam Romanam primo, secundo, tertioque sæculo factum in Gallia & Hispania, quod sexto septimoque in Germania & Anglia. Neque aberraveris forsan à vero, si putes ita primis sæculis constitutos fuisse Episcopatus, uti fuere, quos instituère missus à Papa Bonifacius, Villibrordus, Augustinus, Corbinianus, qui omnes ab Ecclesia Romana originem & authoritatem hauserint suam, & singularem cum ea conjunctionem semper & concordiam servaverint.

VII. Perhibet in Chronico Prosper à Cælestino Papa missum Palladium Episcopum, ad Scotos, seu Hibernos Christiana fide imbuendos. *Ad Scotos in Christum credentes ordinatus à Papa Celestino Palladius Episcopus mittitur.* Missum quoque ab eodem Papa testatur Germanum Episcopum Altisiodorensem in Brittanniam, ut fidei Catholicæ à Pelagianis oppugnatæ ferret suppetias, Apostolica Legatione munitus. *Papa Calestinus Germanum Autisiodorensem vice sua mittit, & deturbatis hæreticis Britannos ad Catholicam fidem redigit.* Idem refert de Palladii delegatione Ado Viennensis. A quo & Theodorus commemoratur Archiepiscopus Cantuariensis, à Vitaliano similiter Papa missus: itemque Villibrordus in Frisiam à Sergio Papa ablegatus, ubi & Ultrajectensem fundavit Episcopatum, Romanæ sedi immediatè subjectum. Non ita erant à Frisiis & Germanis remoti Galli, aut ab Hibernia Britanni Episcopi, ut eò proferre Christi fidem & imperium non possent. At eorum in hoc negotio ita tepescebat zelus; aut ubi eruperat, tam parum processerat; aut in excolendis suis singuli Diœcesibus usque adeo toti fuere distenti, ut novarum Coloniarum & propagati Imperii Christi gloria longè maxima ex parte Romanis Pontificibus cesserit. Quamvis ergo ab Ecclesiis Orientis lucis aliquid affulserit Provinciis Occidentis: verisimillimum tamen est Solem justitiæ eis non aliunde magis illuxisse, quàm à successoribus Petri & Pauli, qui splendidissimum Christianæ veritatis lumen Romanæ urbis Ecclesiæ inseruerunt, ut regnaret veritas, ubi tamdiu Imperii sui sedem habuerat Princeps tenebrarum.

VIII. Neque verò minùs id persuasum Anglis fuit, fidei se & Episcopatûs primordia à Romana habere Ecclesia. *Lucius Britannorum Rex misit ad* *Beda l. 1. c. 4.* *Eleutherium Papam Epistolam, obsecrans ut per ejus mandatum Christianus efficeretur.* Verba ea sunt Bedæ. Jecerant fortasse prima aliqua fidei semina Mercatores aliique simpliciores Christiani. At ubi fingenda formandaque erat Ecclesia ad Evangelii normam, ubi Episcopus instituendus, tum vero illum adibant Episcopum, ut in Africa modò, Hibernia, Frisia, Germania, Bavariaque visum est, qui maximam, qui notissimam, qui clarissimam Ecclesiam obtineret. Bertham quidem è regio Francorum sanguine Rex Cantiorum ea lege duxerat, ut cum *Ibid. c. 25.* Episcopo, quem secum habebat, suo more & ritu sacro vivere permitteretur: idque eo ipso tempore, quo in Angliam appulit Augustinus. Verùm etsi tum is versaretur in Anglia Gallicæ gentis Episcopus, etsi superessent aliqui Brittannorum veterum Christianæ fidei tenaciores; fuere tamen Gregorius & Gregorii Legatus Augustinus Anglicæ Apostoli & Patres Ecclesiæ, unde tanquam ex fonte Episcopatus in eam omnis emanavit. Hinc illud Bedæ de veteribus Brittannis: *Cùm usque ad hodie moris sit* *L. 2. c. 20.* *Brittonum, fidem religionemque Anglorum pro nihilo ha-* *L. 2. c. 4.* *bere, neque in aliquo magis eis communicare, quàm Paganis.* Subjicit deinde Augustinum, dum viveret, successorem sibi designasse Laurentium, *ne se defun-* *L. 2. c. 8.* *cto status Ecclesiæ tam rudis, vel ad horam Pastore destitutus, vacillare inciperet.* Laurentium Mellitus, Mellitum excepit Justus, *data sibi ordinandi Episcopos authoritate à Pontifice Bonifacio*: hoc est, novos ut ex Bonifacii litteris liquet, Episcopatus instituendi. Nam quod jusserat Gregorius, ut Augustinus in unaquaque Metropoli Episcopatus crearet duodecim, id certè non statim executioni mandatum est, sed lentè & tempestivè, cum novi ad Ecclesiam populi adducebantur. Ita Justus Archiepiscopus Paulinum ordinavit Episcopum, eundemque comitem addidit pastoremque filiæ Edelberti Regis Cantiorum, quæ proficiscebatur ad Eduinum Nortumbriæ Regem, ei nuptura, & novæ ibi Ecclesiæ fundamenta positura. Eduinus Rex & ipse tandem fidei Chri- *Ibid. c. 9.* stianæ nomen dedit, Eboracique sacro fonte tinctus est à Paulino, cui & eam donavit urbem Episcopali cathedra consecrandam. *In qua etiam Civita-* *Ibid. c. 14.* *te ipsi Doctori atque Antistiti suo Paulino sedem Episcopatûs donavit.* Nec cessabant Romani Præsules, quin novos subinde præcones Evangelicæ doctrinæ in Angliam mittitarent. Misit Byrinum Episcopum Honorius Papa, ut in remotissimas quasque & densissimis obsitas tenebris regiones hactenusque impervias Christianæ veritatis lumen inferret. Ideo & ipsi Angliæ Reges Romam subinde confugiebant, *L. 3. c. 7. 29.* ut purioris inde disciplinæ rivulos velut à fonte peterent. Nam cùm Britannorum pars heterodoxorum more etiam nunc Pascha celebraret, Egbertus Cantii & Osuvi Northumbriæ Reges, persuasissimi Romanam Ecclesiam Catholicæ fidei & unitatis cardinem esse: *Quia Romana esset Catholica & Apostolica Ecclesia:* unum è Presbyteris suis Romam pergere compulerunt, ut à Papa ipso ordinatus Archiepiscopus, moxque in Angliam redux, Episcopos Catholico ritu Ecclesiis omnibus ordinaret, imbueretque: *Presbyterum Vighardum Romam miserunt, Antistitem ordinandum, quatenus accepto gradu Archiepiscopatûs, Catholicis per omnem Britanniam Ecclesiis*

*Anglorum ordinare posset Antistites.* Tunc Roma in Angliam missus Archiepiscopus Theodorus. Hic, L. 4. c. 2. teste Beda, Anglicanæ Ecclesiæ aureum veluti sæculum revexit, Episcopis ubique ordinatis. *Universa perlustrans, ordinabat locis opportunis Episcopos.* Canonicam is quoque Romanæ Ecclesiæ disciplinam L. 4. c. 5. in Anglia propagavit: *Ego Theodorus ab Apostolica Sede delegatus Dorovernensis Ecclesia Episcopus, &c. protuli librum Canonum, &c.* Creberrimas in Anglia Episcopalium sedium mutationes percensere supersedeo. Quæ hactenus dicta sunt, satis superque sunt, ut persuasum habeas, 1. Novas illas Catholici Episcopatûs colonias à Romana originem duxisse Ecclesia. 2. Ab eadem nova subinde accepisse virium opumque spiritalium incrementa. 3. Incredibili cum ea consensione omnia peregisse, longo plurium sæculorum lapsu. Denique Reges, Pontifices, Legatos, Metropolitanos mirum in modum conspirasse ad Ecclesias condendas, ad fundandos Episcopatus, ad disciplinæ purioris confirmationem: quippe qui omnes, illi pro Regia sua, hi pro sacerdotali dignitate deberent, supremi omnium Regis & Sacerdotis imperium constabilire.

Beda hist. 5. c. 12. IX. Confirmari rursus possunt ex Beda, quæ jam semel & iterum dicta sunt de Pipino Principe Villebrordum Romam mittente, ut delegatione Sergii Papæ investiretur, Archiepiscopusque consecraretur, profecturus inde ad Frisonas Christo adjungendos; qua de causa Ultrajectum ei Pipinus concesserat, ut Cathedram ibi Episcopatûs statueret: Ann. 696. Beda hist. L. 5. c. 7. *Postquam per annos aliquot in Frisia docuerunt, misit Pipinus favente omnium consensu Villebrordum Romam, postulans ut eidem Frisonum genti Archiepiscopus ordinaretur. Quod ita ut petierat, impletum est. Donavit ei Pipinus locum Cathedra Episcopalis in Castello Vuiltorum, quod lingua Gallica Trajectum vocatur.*

X. Observari possunt & alia quæpiam non contemnenda. L. 2. Ep. 11. Uni Ecclesiæ utilitati serviens Gregorius Papa alios univit, alios in alias sedes transtulit Episcopatus. Beatus Medardus pauló pòst quàm electus fuerat apud Veromanduos San-Qointini Turon. de gl. Episcopus, eversa penè ab irrumpentibus Paganis Conf. urbe, sedem Episcopalem de Regis & Episcoporum consensu Noviodunum transtulit.

XI. Innovavit idem Gregorius, quod prædecessor statuerat, ut Adrianus Thebarum Episcopus à potestate Episcopi Larissæ Metropolitani sui liber esset & immunis. L. 2. Ep. 7. At illud privilegium hominis fuit, non sedis. Justissima hac pœna mulctabatur, qui Suffraganeo suo contumeliosus fuerat Metropolitanus. Nolim ego certò affirmare, quod habet Manuscriptum à Garsia Loaïsa editum post Concilium Lucense: immunitatem scilicet Legionensis Episcopi regnante Vamba à Pontifice concessam. Sic habet M. S. Codex. *Legio quam condiderunt Romana Legiones, qua antiquitus fuit flos vocata & per Romanum Papam gaudet perpetua libertate. & extat sedes Regia, atque alicui Metropoli nunquam fuit subdita.* L. 11. Ep. 56. Fictitia utebatur hypothesi Gregorius Magnus, cum scribebat, si quis esset in Hispania Episcopus, qui nec Metropolitano, nec Patriarchæ subesset ulli, Romanæ sedis judicio servandum illum fuisse. *Si dictum fuerit, quia nec Metropolitam habuit, nec Patriarcham, dicendum est, quia à sede Apostolica, qua omnium Ecclesiarum caput est, causa hec audienda & dirimenda fuerat, sicut & prædictus Episcopus petiisse dignoscitur.*

XII. Compertissimum est ejusmodi immunitatem Episcópo nunquam concessurum fuisse Gregorium: cùm vel Nicæna Synodus singulari cum primis privilegio Episcopum Hierosolymitanum donans, & sedere jubens pòst tres summos & principes totius Christiani orbis Episcopos, non subduxerit tamen illum à potestate Metropolitani. Et cùm Gregorius ipsemet bene mereri cupiens non tam de Augustodunensi Episcopo, quem Reges Galliæ enixissimè ei commendaverant, quàm de ipsis Regibus: eique ideo concedens Pallium, quod tunc temporis ne omnibus quidem Metropolitanis permittebatur: non absolverit tamen illum ab imperio & jure Metropolitani: sed primam tantùm illi sedem inter Episcopos Provinciæ adsignarit, sessuris post illum omnibus pro ordinationis suæ tempore. *Ut cum usu pallii aliqua simul largiri* L. 7. Ep. 113. *privilegia debeamus, &c. Hoc perspeximus concedendum, ut Metropolita suo per omnia loco & honore servato, Ecclesia Augustana post Lugdunensem Ecclesiam esse debeat, & hunc sibi locum & ordinem ex nostra authoritatis indulgentia vindicare.* Nec excidit quod pauló antè dixi ex Epistola sancti Bonifacii, Ultrajectensem Episcopatum Coloniensi Metropoli subductum fuisse, ut immediatè Romanæ pateret Sedi. Sed nec illud quoque memoria excidit, quod confirmavit Beda, interpellatum à Pipino Principe Papam, Ultrajectino Archiepiscopatu Villibrordum donasse. Ea tum quidem ratio fuit exemptionis.

XIII. Quod spectat ad novas Christianorum Conc. Afri. Can. 86. 88. Colonias novosque Episcopatus, statuerant Africana Concilia, ut is esset Ecclesiæ plebisve cujuslibet Episcopus, qui eam unitati lucratus esset Catholicæ, & triennium pacificè obtinuisset. Milev. 2. c. 24. Concesserant etiam Episcopis quibuslibet ea Ecclesiæ suæ recolligere & consociare loca, quæ à propriis Episcopis, ante sex menses monitis, negligerentur. Ex quibus facilè intelligis, longè potiori jure eos, qui in Ecclesiæ & Gentilium confinio sunt, Episcopos, Diœceses suas & Metropoles augere & amplificare posse, subjugatis sibi Christoque Barbaris. Hinc illud Gregorii Papæ ad Theodoricum & Theodebertum Francorum Reges, se propterea in Angliam misisse Concionatores Evangelicos, quòd Galli Episcopi tam opulentam & tam vicinam messem negligerent. *Pervenit ad nos Anglorum gen-* L. 5. Ep. 58. 59. *tem ad fidem Christianam Deo miserante desideranter velle converti, sed Sacerdotes vestros è vic no negligere, & desideria eorum cessare sua adhortatione succendere.* Et in Epistola ad Brunechildem Reginam: *Indicamus ad nos pervenisse Anglorum gentem velle fieri Christianam, sed sacerdotes qui in vicino sunt, pastoralem erga ens sollicitudinem non habere.*

XIV. Diximus jam suprà Frumentium in In- Can. 2. Can. 28. diam ab Athanasio missum, Vuillam à Chrysostomo ad Gotthos; à Constantinopolitano & Calchedonensi Conciliis Constantinopolitanis Episcopis subjectas fuisse Barbaras gentes, ut ad eas Episcopos instruerent necessariis præsidiis & mitterent. Juvenalis Hierosolymorum Episcopus Episcopum Baron. an. 523. n. 27. Sarracenis primus ordinavit, teste Cyrillo, in vita Magni Euthymii. Misit Alexandrinus Patriarcha Episcopum ad Homeritas Arabiæ populos, qui fidem Christianam amplexati fuerant cum Rege suo Elesbaan. Quæ quamvis ita sint, longa tamen temporum serie rerumque vicissitudine factum est, ut constituendi Episcopatûs novi potestas penes solum Romanum Pontificem esset. Non quòd id sibi juris ipse reservaverit, ut imminuta Episcoporum jurisdictione, augeret suam: sed quod aut negligentiores

essent Episcopi alii in proferendis Christianæ Reipublicæ finibus, aut quòd id honoris primæ Sedi haberent, aut quòd Pontifici Principes confiderent magis, aut quòd Petri sedem frequentius populi adirent; aut quòd zelo fidei magis arderet Pontifex. Nisi ita mavis, quòd divino ita consilio provisum sit, ita hæc omnia dispensante Spiritu illo ipso Christi, qui Ecclesiam formans fingensque, & Caput illi præstituens, Capitique virtutem indens, legemque addens confirmandi cætera & illustrissima quæque Corporis sui membra; jam inde ab incunabulis Ecclesiæ prælusit, præmonstravitque quid illi augurandum esset de futuris per Capitis maximè sui vim & charitatem incrementis, quando Petri una & altera concione tam numerosa plebium multitudo Christianæ se causæ & religioni adjunxit. His causis fieri potuit, ut ad Petri successores tota hæc rediret potestas, non antè eis legis ullius imperio reservata, quàm usus & consuetudo plurium sæculorum propriam illis fecisset. Exploratum omnino est, nec Gregorium Magnum, nec ejusdem nominis II. & III. nec Sergium, nec Zachariam id potestatis & juris sibi servari integrum usquam sanxisse: & tamen ferè penes illos solos id tunc fuit. Ita cum rebus humanis comparatum est, ut jus quodlibet ad eum tandem devolvatur eique adhærescat, cui cæteri illud permittunt, curandum defungendumque diutissimè. Si pares enim in pares præscribunt, quid superior in inferiores? Hæc innoxia est & sincera ratio, qua devoluta præscriptaque sunt pleraque jura, nec Pontificibus, nec Episcopis animum ad hæc advertentibus, sed sensim sine sensu, ita invalescente usu & res ita confirmante, ut infirmari deinde neutiquam possint. In utraque hominum politia, ita multa fiunt, inexpectata, inopina; nemine ferè dum fiunt advertente: nemine cum facta sunt, infecta jam reddere pollente.

XV. Diximus jam suprà, simillima hæc esse fluminum, quæ post decursa terrarum ingentia spatia, in mare redeunt, unde exiere. Agapetus Papa scriptis ad Episcopum Hierosolymitanum litteris, de Mena Patriarcha, quem Constantinopoli ordi-
Conc. Constant. sub Mena, Act. 1. naverat, ita loquitur: *Ut illis ipse similis esse videatur, quos ex his quandoque partibus ipsius Apostolorum primi electio ordinavit.* Insinuatur satis apertè his verbis, à Petro Romæ sedente ordinatos missosque in Orientem Episcopos, qui Ecclesiarum fundamenta ubivis terrarum jacerent. Gregorius non alio magis quàm incredibilis humilitatis merito Magni nomen adeptus, Dominico Carthaginensi Episcopo rescribens, testatur gestire se lætitia quadam ineffabili, quòd ad Sedem Petri recurrens, ad ipsum fontem Sacerdotii pervenerit, è quo religio
L. 7. Ep. 32. sacra in Africam omnem exuberavit. *Scientes unde in Africanis partibus sumpserit ordinatio sacerdotalis exordium, laudabiliter agitis, quod sedem Apostolicam diligendo, ad officii vestri originem prudenti recordatione recurritis, & probabili in ejus affectum constan-*
Epist. 1. *tia permanetis.* Idem antè Innocentius I. ad Episcopum Italum scripserat.



## CAPUT LVI. *P. 3. l. 1. c. 9.*

### De Episcopis & de novorum Episcopatuum institutione, Imperante Carolo Magno Caroliqué prosapia.

*I. Consentiunt Græci Latinique plenissima clavium potestate dotatos esse Episcopos, ut qui Apostolorum, & quodam suo modo ipsius Petri, in Episcopatu quisque suo successores sint*

*II. De eodem rursus. Excommunicandi potestas maximè propria Episcoporum.*

*III. Dignitates omnes & potestates Ecclesiæ unus complectitur Episcopatus.*

*IV. Potuere olim Episcopi Episcopatus erigere.*

*V. Hodierna consuetudo interpellandæ in eam rem sedis Apostolicæ, orta est ex parte saltem, è Metropolitanis & Episcopalibus sedibus, quæ in recens conversis ad Christum regionibus excitandæ fuere.*

*VI. Græcorum ignavia & assentatio potestatem hanc omnem ad Imperatores transtulit; sicut & jus transferendi Sedes ipsas Metropolitanas Episcopalesque ex uno loco in alium. Cur in exequenda Græcorum Disciplina rerum gestarum tempus crebrò præveniamus.*

*VII. Exempla varia Apostolicarum Missionum in Infidelium regiones, auspiciis & authoritate Pontificum. Ex quo fiebat, ut ab eorum Legatis Episcopatus erigerentur.*

*VIII. De Episcopatibus & Metropolibus, Hamburgensi, Bremensi, aliisque in Dania & Suecia. In creatione Episcopatuum Ecclesiæ authoritas semper dominata est.*

*IX. Jus idem erat penes Patriarchas Orientales, non idem zelus.*

I. GRæcis Latinisque conveniebat prorsus, summam rerum sacrarum potestatem penes Episcopos esse, ut qui primarii sacerdotii fontes sint. Tradit Balsamon Episcopos Apostolis successisse, qui à Christo perceperant plenitudinem Spiritus sancti, & infinitam quandam remittendorum peccatorum facultatem. *In figura discipulorum* In Can. 14.
*Domini, duodecim scilicet Apostolorum, qui etiam Spi-* Conc. Neocæs.
*ritus gratiam acceperunt, ut ligarent & solverent, promoti sunt uniuscujusque regionis Episcopi.* Hinc illud ab eo exprimitur, nec Septuaginta discipulos, nec Chorepiscopos, qui illorum vices implent, propriam sibi habere eam potestatem remittendi peccata, uti nec Ordines sacros conferendi: quòd illa Spiritus sancti exuberantia, quæ propria dos est Episcopatus, eis concessa non sit. *Non habebant potestatem dimittendi peccata, ut qui neque Spiritus gratiam accepissent, &c. Quamobrem nec possunt quidem Presbyteros vel Diaconos ordinare, sed nec peccata dimittere, quemadmodum nec Septuaginta.* Ex quibus potiori etiam jure idem ipse argumentatur, si Chorepiscopi utique Presbyteris superiores, per sese dimittere peccata non possunt: cum Neocæsariensis Synodus illis ista duntaxat munia deleget, ut sacrificium offerant, & pauperum curam agant: multò minùs Presbyteros ad condonandorum peccatorum authoritatem aspirare posse, nec injussu Episcoporum stupendæ hujus potestatis quidquam delibare. *Nota ex præsenti Canone, quod Sacerdotes non possunt peccatorum Confessiones excipere, & peccata remittere, nisi ea ab Episcopo illis concessa fuerint, quandoquidem nec hoc possunt Chorepiscopi, qui plura habent privilegia quàm Sacerdotes.*

II. Confitetur etiam Zonaras unis hanc propriè tributam Episcopis potestatem ligandi vel solvendi, id est anathema vibrandi, aut vibratum revocandi, nec in ejus consortium venire posse sive Diaconos, sive Presbyteros; nisi quantum & quo modulo Episcopis libitum est. Porro Presbyteri de quibus hic sermo est, & quorum functionibus hi

limites per Canonicas leges præscribebantur, Parochi ipsi Rectoresque sunt Ecclesiarum Parochialium. Liquet id quidem ex Chorepiscopis, quibus illos Balsamon consociavit. Erant quippe illi ipsi, qui Decani postea dicti sunt Rurales. Nec minus
In Can. 38. perspicua sunt ipsa Zonaræ verba. *Presbyteris & Diaconis, qui sub Episcopis per singulas regiones dant operam sacris, à se ipsis quid agere non est concessum; veluti mulctare, & ab Ecclesia repellere, quos volunt, statimque vel sententiam dictam laxare, vel minuere, vel intendere. Pontificalis enim sunt ista potestatis. Ac nisi de gratia & per indulgentiam acceperint ab Episcopo, tale quid facere non est eis permissum.* Denique tota vetus hoc vociferatur Ecclesiæ disciplina, ubi integra hæc ubique ferè servabatur Episcopis potestas. Nec obscurum superest in eo vestigium ejus rei, quòd ne nunc quidem Parochi excommunicationi quenquam vel subjicere possint, vel eximere.

Ei sanè Petro, ut totum repræsentanti in Capitis dignitate, & totum circumgestanti quodammodo Episcopale Collegium, dedit Christus Claves, dedit totam rerum sacrarum potestatem. *Oratio fie-*
Anno 866. Conc. Gall. To. 2. pag. 293. *bat sine intermissione ad Deum pro Petro, id est, pro omni Episcoporum choro.* Verba ea sunt unius coetus Episcoporum, qui Concilio Suessionensi III. interfuerunt. Ita statuebat Carolus Magnus ipsa Imperii fundamenta labefactari, si quid ejus honoris & observantiæ decerperetur, quæ debebatur Episcopis, qui pro suo quisque modo successere omnes Petro in easdem cum illo potestates spiritales adoptati; etsi non omnes in eandem earundem plenitudinem, atque Pontifices Romani, ut inculcatum à nobis jam sæpius est. *Præcipimus atque jubemus,*
Capitular. Car. Mag. L. 5. c. 163. *ne forte, quod absit, aliquis circa Episcopos leviter aut graviter agat. Quod ad periculum totius Imperii nostri pertinet. Et ut omnes cognoscant nomen, potestatem, vigorem & dignitatem Sacerdotalem. Quod ex verbis Domini facilè intelligi potest, quibus beato Petro, cujus vicem Episcopi gerunt, ait, Quodcumque ligaveris, &c. Et alibi discipulis generaliter, Accipite Spiritum*
In Conventu Tusiacensi. Ann. 869. *sanctum, &c.* Certò fidebant Petri se successione & potestate fretos esse Episcopi Concilii Pistensis, cum hæc dicebant: *Secundùm authoritatem, quam in beato Petro accepimus, dicente Domino, Quodcumque liga-*
Ionas. De Institut. regia. c. 2. *veris.* Quibus succinit Jonas Episcopus Aurelianensis: *Qualis sit potestas & authoritas Sacerdotalis, ex verbis Domini facilè animadvertitur, quibus beato Petro, cujus vicem indignè gerimus, ait, Quodcumque ligaveris super terram, &c.* Et Archiepiscopus Re-
Hincmar. To. 1. pag. 738. mensis Hincmarus: *Beatus Petrus Apostolus, cujus vice in Ecclesia funguntur Episcopi.* Non hærebat vir doctissimus, quin Petri Vicarii, hæredesque Sacerdotalis ejus imperii dici possent Episcopi, qui essent
Idem. To. 2. pag. 196. ipsius Christi Vicarii. *Et nos licèt peccatores, in terra Episcopi, & Christi Vicarii, atque Apostolorum successores in terra, ejus virtute & ministerio divino prosequimur, &c.*

III. Ex hac exuberante authoritatis spiritalis plenitudine, quæ propria Episcopatûs dos est, arguebat Hincmarus ordines omnes, gradusque varios & dignitates quascumque Sacerdotalis Imperii con contineri Episcopatu. *In Episcopis enim, ut beatus Ambrosius dicit, omnes ordines sunt, quia primus Sacerdos est, hoc est, Princeps Sacerdotum, & Propheta, & Evangelista, & cæterorum ministrorum in se officia continens, ad implenda ea in ministerio fidelium.*

IV. Itaque ad erectionem novorum Episcopatuum existimabat Hincmarus sola olim Episcoporum authoritate opus fuisse, utpote qui Apostolorum, & Petri ipsius successores essent. Narrat enim à beato Remigio conditum esse Laudunensem Episcopatum, attributa ei Remensis Archiepiscopatûs particula. *Ibidem ordinavit Episcopum, & rebus Ec-* To. 2. pag. 431.
*clesiasticis idem Episcopium sufficienter ditavit.* Subjicit eodem modo conditos olim à beato Petro fuisse Episcopatus Alexandriæ & Antiochiæ. Non addubitabat Francofordiensis Synodus, quin fruerentur adhuc eodem jure tum Episcopi, tum Synodi Provinciarum, cum prohibuit Episcopos, id est Episcopatus in villis, vel oppidulis creari. *Quod* Can. 22.
*non oporteat in vicis vel in villis Episcopos ordinari.* Baluz. Nota in Capitul. p. 823.
Si Nomenojus Armoricæ Dux ex quatuor Provinciæ suæ Episcopatibus septem creavit, manifestissima ea fuit tum Canonum transgressio, tum injuria Regi Episcopisque multa, quorum ne consensum quidem expectavit. Et necessaria tamen indulgentia, ita enim credere par est, cum Nicolaus I. ad successorem ejus Salomonem scripsit, Regio etiam il- Du Chesne. Hist. Franc. Tom. 2. pag. 407.
lum nomine cohonestans, quod Carolus Calvus Rex jam illud idem indulsisset: hortatus quidem est, ut quos ejecerat Episcopos, in sedes suas revocaret, utque suos Episcopos omnes in Turonensis obsequium inflecteret Archiepiscopi: sed de erectis præter fas Episcopatibus novis ne verbum quidem fecit ullum. Ita & Regum & Pontificum Conc. Gall. Tom. 3. pag. 275. 276.
tacito consensu steterunt, & stant etiamnunc ii Episcopatus, quorum tam vana & perdiu nutantia fuerant fundamenta.

V. In Chronico Hildesheimensi refertur Imperatorem Ottonem I. septem erexisse Episcopatus in regni Bohemici Synodo: & Metropolitanum eis Pragæ Episcopum adsignasse, annuente Romano Pontifice: *Coadunata Synodo Episcopia septem disposuit, & Gaudentium in principali urbe Slavorum Praga ordinari fecit Archiepiscopum, licentia Romani Pontificis.* Totidem verbis res memoratur in vita sancti Meinverci Episcopi Paterbonensis: desunt tamen hæc verba, *licentia Romani Pontificis*, quanquam alioqui plus satis constet in istiusmodi negotiis principatum semper authoritatis penes Ecclesiam fuisse. Du Chesne. To. 3. pag. 517. Surius die 5. Iunii.

Quin immo his ipsis temporibus convalescere cœpit consuetudo interpellandæ semper primæ Sedis ad novas Sedes erigendas. Ita testatum facit Concilium Romanum sub Gregorio Papa V. & Ottone III. Quippe ibi Merseburgensis Episcopatus, qui erectus olim fuerat ab Ottone I. & à Pontifice in Concilio Generali: exinde autem sublatus ab Ottone Spicil. to. 9. pag. 58.
II. & à Pontifice, sine Concilii assensu: excitatus & redintegratus rursum est ab Ottone III. & à Gregorio Papa V. suffragante Concilio Romano.

Bremensis Episcopatûs exordia memorat Crantzius ex Pontificis authoritate. Sed ad Barbararum gentium conversionem res ea magis spectat; eò ergo à nobis nunc rejicietur. Ad Græcos delabemur mox, ubi primum id observatum fuerit, hac maximè necessitate accersendi aliquid opis & præsidii à Romano Pontifice ad novas Gentes Ecclesiæ adgregandas: initia & incrementa accepisse eam, quæ postea longo usu corroborata prorsus est, consuetudinem, ut non sine primæ Sedis authoritate Sedes ullæ novæ crearentur Episcopales. Accessit & illud, quod nono decimoque sæculo tam mira vis tempestatum in Ecclesiam, perinde ut & in Imperium incubuerit, ut contra majestatis & libertatis Ecclesiasticæ adversarios insolentissimos unicum suppeteret præsidium, Apostolicæ Sedis authoritas. Ejus reverentiam nondum omnem animis suis ex-

cusserant, qui acerbissimè & Ecclesias & Episcopos Archiepiscoposque opulentissimos quosque insectabantur. Itaque ad eam tum maximè quique Præsules confugiebant, privilegiaque impetrabant, ceu certissima tum sacræ, tum civilis ditionis suæ munimenta. Ergo si hinc petebatur authoritas & vis, qua antiquissimæ Episcopatuum Sedes confirmarentur: petebatur certissimè & qua excitarentur & constarent novæ.

Sed illud maximè ratum altissiméque in animis infigendum, in Metropoleon & Episcopatuum creationa præisse semper aut tempore, aut certè potestata Episcopos, Pontificesque, tametsi consensio quoque & opitulatio temporalium Principum postea accesserit. Author est Vuillelmus Malmesburiensis non sine gravissimis comminationibus increpitum fuisse à Formoso Papa Eduardum Angliæ Regem: quòd jam septennium esset quòd Provinciæ aliquæ omnibus prorsus Episcopis destitutæ essent. Episcopos Proceresque regni sui tum convocavit Rex, & septem Episcopos ordinari præcepit, duos Episcopatus antiquos in quinque scindens novos, quod & à Pontifice confirmari voluit, ne retractari deinceps posset. *Hoc totum Papa firmavit, ut damnaretur in perpetuum, qui hoc infirmaret decretum.* Paulò uberiùs infrà dicemus de hac Episcopatuum creatione.

L. 2. De Reg. Angl.

Infrà Cap. 58. n. 1.

VI. Minimè mirum esset, si Græci novos condidissent Episcopatus; inconsulta ea Sede ex qua manavit origo ipsius Episcopatûs jam inde ab exordio. At illud vehementer stupendum, quod tota Episcopatus & Metropoles erigendi facultate ita investierint Imperatores, ut ea non Episcopos solùm, sed & Concilia exuerint. Ita apertissimè Zonaras, succinens Canoni Synodi Trullanæ: *Ut seu novæ urbi Episcopatûs appellationem, seu Metropolitani fastigii honorem Imperator indulserit, eodem prorsus ordine ac jure Ecclesiasticis quoque legibus habenda esse censeatur.* Minùs probabat forsan Balsamon tantam assentatorum inertiam; sed cum tamen de ea re sermonem facit, parum in adulatores ejusmodi stomachatur, nec satis exertè prodit animi sui alienationem. *Adjiciunt quod Imperator nec Canonibus nec legibus teneatur, & ideo est in ejus potestate Episcopatus in Metropoles erigere, & à suis Metropolitanis alienare, & de novo Episcopos & Metropolitanos constituere, & jubere Episcopis in alienis Diœcesibus absque ullo præjudicio sacrificare, præter sententiam Episcoporum illius regionis, & alia ejusmodi Episcopalia jura exercere.* Apta nexaque erant hæc omnia quæ Imperatori adscribebantur jura, Episcopatus & Metropoles erigendi, subducendi Episcopos Metropolitanorum jurisdictioni, Episcopales Sedes Metropolitico jure augendi, denique donandæ Episcopis potestatis, ut in Episcopatibus aliis, inconsulto Episcopo proprio, Pontificalia exercerent munia. Religata hinc pendebant ista omnia, quòd Imperator ex Græcorum sententia supra Canones esset.

In Can. 38. Conc. Trul.

In Can. 16. Carthag.

Nec eò hæc pertinent, ut non aliquæ in his adhuc quandoque essent & Episcoporum partes & Conciliorum: sed quòd generalia ipsa apud eos Concilia, jus sibi quodammodo abrogassent, quidquam istiusmodi moliendi sine Imperatoria authoritate. *Fieri Episcopos de novo in Parochiis sine regio mandato non permittitur, etiam si millies consenserit, qui eam habet Episcopus. Synodicè enim constitutum est, ut nec ipsa magna Synodus sine jussu regio possit novare Episcopos.*

In Can. 60. Carthag.

Postremò idem Balsamon ubi Canonem commentatur Carthaginensem, quo vetantur Episcopi Cathedram suam transferre à principali & antiqua Ecclesia in Parochiam aliquam sui territorii: geminam ibi versat hanc quæstionem. An Metropolitanus, cujus Barbari vastarunt dirueruntque civitatem, possit sedem suam transferre in Ecclesiam aliquam suæ Provinciæ Cathedralem, tum Episcopo orbatam. Et an Episcopus pari calamitate exturbatus possit Cathedram Episcopalem in suæ Diœceseos Parochiam traducere. Censebant nonnulli cum idoneam, tum legitimam ad hæc Episcopis suppetere potestatem. Alii ad has Sedium translationes Conciliorum requirebant assensum. Erant denique quibus & ipsius assensus Imperatoris videretur necessarius. Censet Balsamon tam Concilii quàm Imperatoris assensu opus esse, ut Metropolitanus eo quo dictum est casu Sedem suam transferat. Profert & exempla Metropolitanorum Neocæsareæ & Antiochiæ Pisidiæ, qui eversa Metropoli sua, non migraverant in Episcopalem Provinciæ suæ Ecclesiam, nisi Imperatore & Concilio Provinciæ suffragante. Quod ad Episcopum autem attinet, sic ille existimat, ut nec primum aliquo loco constitui, ita nec alium in locum transferri posse Episcopalem Cathedram, nisi interposita Concilii authoritate. Si percunctetur autem quis, an possit illæsa Episcopali sua urbe & Ecclesia, sedem suam transferre Episcopus in aliam urbem Diœceseos suæ, populi multitudine & opulentia spectabiliorem; respondet Balsamon non posse ejusmodi quidquam tentari sine Imperatoris & Concilii voluntate; ejusque rei repulsam passos esse Episcopos jam complurimos: *Mandato Imperatoris & synodali conditione Episcopo utrumque concedetur, aliàs autem nullo modo.* Quibus ille subdit eorum exempla, quorum vota & postulata irrita ceciderant.

In Can. 74. Carthag.

Cæterùm si mediæ huic ætati, quæ ultra annum Christi millesimum protendi non debet, intersero frequentiùs Balsamonem, qui scripsit paulò ante annum ducentesimum supra millesimum: iis id feci rationibus adductus, quas hîc perstrinxisse non pœnitebit. Postrema hæc ætas quæ fluxit ab anno Christi millesimo, cum annorum numero, tum rerum copia cæteras exuperans, tam prolixè à nobis pertractatur, ut dimidiam operosæ hujus lucubrationis partem impleat. Igitur ne ulteriùs ultra modum excresceret, in superiores ætates retuli, quæ subducere illi potui. Detrahi autem illi & anticipari Græcorum disciplina tantò faciliùs potuit, quòd cum Imperium, tum Ecclesia corruerit tandem Græcorum ante trecentos admodum annos, nec potuerit ultimæ hujus ætatis disciplina Græca ita à nobis delineari, ut superiorum temporum. Ergo in mediam ferè ejus ætatem conjecimus, quæ ad postremam pertinebant, pauca admodum & jejuna: quòd pleraque rerum monumenta interceperit temporum barbaries, bellorumque incendium. Adde quod persæpe Balsamon Zonaram sequatur & exscribat, qui circa annum centesimum supra millesimum scribebat: nec poterat consignara nobis nisi leges morasque Græcorum suæ & paulò superioris ætatis, hoc est, mediæ. Denique passim Balsamon Nomocanone nititur Photii, qui media Ecclesiæ ætate scriptis mandatus est.

VII. Paucis nunc de novarum Gentium ad Ecclesiam Christianam aggregatione; ut hinc promantur documenta & exempla relatæ ad primam Sedem ejus potestatis, qua Concilia particularia priùs utebantur, erigendorum Episcopatuum. Scripsit Petrus

Damiani vitam beati Romualdi, attigitque cursim missionem sancti Bonifacii Martyris & Apostoli Russiæ. Romam petiit vir hic Apostolicus, accepturus à Petri successore authoritatem & consecrationem, cæteraque præsidia, ad infidelium pertinaciam expugnandam sibi necessaria. *Cùm post diuturnam Eremiticæ conversationis vitam, ad prædicandum jam ire disponeret, Romam primùm pergere studuit, & ab Apostolica sede consecrationem Archiepiscopatûs accepit.* Postquam Bonifacius fidei doctrinam à se promulgatam suo etiam consignavit sanguine, aliquos ex discipulis suis misit Romualdus, qui cruentis, sed tanto illustrioribus insisterent ejus vestigiis. Illi septennium totum impenderunt perdiscendæ Slavonicæ linguæ. Tum eorum unus Romam pertexit, ut prædicandi verbi potestatem à Pontifice impetraret. *Septimo anno cùm jam loquelam terræ plenè agnoscerent, unum ad Romanam urbem Monachum mittunt, & per eum à summæ Sedis Antistite prædicandi licentiam petunt.* Denique Romualdum ipsum incessit mira cupiditas, pœnitentiæ martyrium, quod jam exhauserat, novo sanguinis martyrio cumulandi. Oravit ergo & exoravit à Pontifice licentiam divini verbi in Hungaria Slavoniaque disseminandi, cùm antè ex suis duos Archiepiscopali ordine evehi munitique obtinuisset ad novi hujus Apostolatûs munia obeunda. *Deinde licentia ab Apostolica Sede suscepta, & duobus è suis discipulis in Archiepiscopos consecratis, cum viginti quatuor fratribus iter arripuit.*

Cap. 18. Cap. 32. Cap. 45.

VIII. Ebbo Remensis Archiepiscopus, Eginardo teste, mandato & authoritate Pontificis, ad fidem Danis annuntiandam olim profectus erat. *Qui consilio Imperatoris & Romani Pontificis authoritate, prædicandi gratiâ ad terminos Danorum accesserat, & æstate præterita multos ex eis ad fidem venientes baptizaverat.* Expeditio tantùm temporaria ea fuit, & brevis. At Ludovicus Pius Imperator ab Episcoporum Synodo, cujus consilio & authoritate hic regebatur, consecrari jussit sanctum Anscharium Archiepiscopum Hamburgensem, cui illico Septentrionalium omnium Ecclesiarum cura commendaretur & regimen Papæ, delegatione. Drogo ipse, de quo multa superiùs, in frequentissimo Episcoporum conventu illum ordinavit. At mox Romam properare jussus est, ut quæ gesta fuerant, rata haberet Gregorius IV. Ab hoc ille decoratus est, uti Pallio, ita Legatione Pontificia perpetua, qua antè ad breve tempus Ebbo functus fuerat. *Et ut hæc omnia perpetuum suæ stabilitatis retinerent vigorem, eum honorabiliter ad Sedem direxit Apostolicam, & omnem hanc rationem sanctissimo Papæ Gregorio intimari fecit confirmandam. Quod etiam ipse tam Decreti sui authoritate, quàm Pallii datione, more prædecessorum suorum roboravit, atque ipsum in præsentia constitutum, Legatum in omnibus Aquilonis partibus, unà cum Ebbone Remensi Archiepiscopo, qui ipsam Legationem antè susceperat, delegavit, &c. Porro ut præmisimus eadem Legatio authoritate Paschalis Papæ, Ebboni Remensi Archiepiscopo priùs delegata fuerat.*

Eginard. An. 823. Vita sancti Anscharii. Apud Duchesne. To. 3. pag. 399.

Duæ hîc observandæ veniunt causæ, quæ interpositionem Pontificis Romani redderent necessariam. Prima ea erat, ut inconcussa & irretractabilis firmitas his decretis adderetur. Nihil enim vel Principes poterant vel Episcopi edicere, quod non ab eorum successoribus revocari posset. Infirmabant nonnunquam posteriores Synodi priorum decreta Synodorum. At quod prima Ecclesiæ Sedes sanxisset, id retractari infirmarique non poterat ab iis qui inferiores Sedes obtinebant. Altera jam hæc erat causa, quòd Episcopi cujusque, cujusque etiam Metropolitani potestas arctata esset & circumscripta finibus suæ ditionis. Ut ergo ultra Christiani hactenus Imperii fines hæc nova tentarentur bella, nova ut Ecclesiæ adjungerentur regna, consentaneum erat eam interpellari authoritatem, cui fines præfiniti sunt nulli, & cujus vigilantiam jussit Christus pro universa Ecclesia excubare.

Ebbo jure potuisset, forsan & ex officio, quà vicinus, debuisset pene confinibus Septentrionalibus Nationibus inferre sementem Evangelicæ prædicationis. Nec tamen accinxit se ad sacram illam expeditionem, nisi postquam Legatione ac Missione Pontificia armatum se sensit. Usque adeo persuasissimum omnibus erat, ex primigenia Missionum Apostolicarum Romana scaturigine exuberantiùs fluere Evangelicæ prædicationis rivulos.

Iterum illud iterumque & ad nauseam usque inculcandum est, non tamen unquam sine novis probationibus & exemplis; quantumvis Episcopatuum & Metropoleon erectiones priscæ historiæ & varia Chronica subinde Imperatoribus & Regibus adscripserint; indubitatissimum tamen esse, vel ex his ipsissimis antiquis Scriptoribus, primarium semper & principem authoritatis locum obtinuisse Pontifices, Episcoposque. Præerant Pontifices & Episcopi authoritate sacra, cujus in istiusmodi rebus non possunt esse nisi primæ partes. Aderant temporali potestate & beneficentia sæpissimè pernecessaria, Principes ad propulsandos obices, ad dotandas Ecclesias. Scripsit Adamus Bremensis Canonicus Septentrionalium Ecclesiarum historiam, eamque dicavit Liemaro Bremensi Archiepiscopo & Apostolicæ Sedis ad Boreales populos Evangelica prædicatione illuminandos Legato. *A te qui hæreditariam prædicandi Legationem possides in totam Septentrionis latitudinem.* His verbis edocemur, si his barbaricis Gentibus Ecclesiæ Christianæ conglutinandis & doctrinæ necessarii fuere Pontificii Concionatores & Legati: eadem saltem authoritate opus fuisse ad Episcopales illis & Metropolitanos thronos adsignandos. Affirmat Adamus prima Episcopatus Hamburgensis erigendi consilia inisse Carolum Magnum. Etiam de constituenda ibi Metropoli cogitasse. *Slavorum Danorumque Metropolin.* At incurrisse inexpugnabiles tunc obices. Ludovicus Pius in vestigia Patris ingressus, Corbeiensem Abbatiam in Germania à fundamentis extruxit, eò destinatis Monachis Corbiensis in Gallia Monasterii. Ansgarius ibi monasticam vitam professus, Daniam aliasque ad Boream regiones peragravit, Evangelica luce gentes illas omnes perfundens. Cùm res ea mirifice procederet, Ludovicus Pius Hamburgensem Metropolin erexit, non tam author ipse & dux, quàm Executor decreti Concilii generalis, anni 833. *Habito Sacerdotum generali Concilio.* Ansgarium Archiepiscopum inaugurari fecit, cumulumque Pontificiæ authoritatis & confirmationis pro more accedere voluit. *Roborante id Papa Gregorio IV. Apostolica authoritate & Pallii datione.* A Drogone Archiepiscopo Metensi & Archicapellano Palatii, præsentibus & Archiepiscopis aliis inauguratus est Anscharius: *Per manus Drogonis Metensis & summæ sacræ Palatinæ dignitatis Præsulis, astantibus Archiepiscopis Remensi, Trevirensi, Moguntino.* Cùm nulli adhuc Metropoli huic subessent Episcopi, ejus consecrationem Pontifex delegavit Regiæ Capellæ Præsulibus. *Consecrationem verò succedentium Sacerdotum, donec consecrantium numerus ex gentibus augeatur, sacra Pala-*

L. 1. c. 11. L. 1. c. 12. 14. Privilegia Ecclesiæ Hambur.

*tina providentiæ interim committimus.* Plurima hic emicat necessitas adsciscendæ Pontificiæ authoritatis. Sed expressiora supersunt ejusdem argumenta.

Adamus. Ibidem.

Ebbo ut Ansgario præiverat, ita & pòst affuit in Evangelio evulgando: cùmque ab illis ordinatus esset Episcopus nepos Ebbonis Guibertus, in Sueciam ab eisdem verbi præco futurus ablegatus est. Hanc illis vim & facultatem conciliabat Legatio sedis Apostolicæ, qua ad Boreales populos Christo lucrandos delegati fuerant ambo. Normanni urbem Ecclesiamque Hamburgensem incenderunt, diruerunteque. Ludovicus II. Lotharii Patris, qui Pio successerat, successor in Imperio, Ansgario concessit Bremensem Ecclesiam, ut ibi sedem collocaret suam. Ægrè acquiescebat Ansgarii pietas huic translationi. Cessit tandem Nicolao I. Papæ eam confirmanti. *Multum temporis fluxit ex quo Ansgarius Bremensem Episcopatum suscepit, antequam hoc à Papa Nicolao firmaretur.* Intercedebat translationi Coloniensis Archiepiscopus, quòd ei obnoxia esset Bremensis Ecclesia: & facilè intelligebat, si eò Hamburgensis Archiepiscopus, Ecclesia & civitate propria diruta, transferretur, fore ut Brema non abdicaretur tantùm sibi, sed & in Metropolin novam erigeretur. *Cæsar Ludovicus compositis hinc inde contradicentium voluntatibus, præcipuè Guntharii Coloniensis Archiepiscopi, cujus suffraganea prius erat Brema, super his Romam Nuntios ad Nicolaum Papam direxit. Ille vero quod necessitas Ecclesiastica persuasit, & quod Patrum Conciliis fieri posse comprobatum est, facilè consensit. Ergo Bremensem ac Hamburgensem Episcopatum Apostolica authoritate copulari, & pro uno haberi sanxit.* Ansgario suffectus Rimbertus, Rimberto Adalgarius, quem rursus impetivit Coloniensis Episcopus, Bremam rursus Ecclesiæ suæ vindicans. Concilii Triburiensis, Formosi Papæ decreto, & Arnulphi Regis suffragatione, pristina illi sua redintegrata sunt jura, ejusque ditioni subesse jussus Bremensis Episcopus. Sed posteriora hæc decreta Sergius mox irritavit Papa, primævumque vigorem reddidit statutis Gregorii IV. & Nicolai I. Sed tandem Otto I. Imperator perducto in Christianæ Ecclesiæ castra fideinque Daniæ Rege, tres ibi Episcopatus in Provincia Jutia erexit, in urbibus nempe Slesvicensi, Ripensi, & Arhusensi. Verùm hæc novarum Sedium creatio authorem habuit Papam, qui Adalgago Hamburgensi & Bremensi Archiepiscopo concessit, ut Episcopos ordinaret vice Apostolica. *Cui etiam vice sua jus ordinandi Episcopos, tam in Daniam, quàm in Septentrionis populos Apostolica authoritate concessit.* Sponte id sua quodammodo jus nascebatur ex Apostolica delegatione, ut quos in Christianæ fidei partes populos perduxissent, his Episcopos dare permitterentur. Id subinnuunt illæ voces, *vice sua.* Ansam inde arripuit Bruno Coloniensis Archiepiscopus repetendæ Bremæ. Frater is erat Imperatoris Ottonis. Cæterùm ea fuerunt duo hi germani fratres animi magnitudine, ut causa cadere maluerint, abstinoerintque deinceps negotium facessere Hamburgensibus Archiepiscopis: quòd iniquum esset, ut qui nova Christiano nomini regna, nova Imperia Christo subigebant, ii de propria ditione & Ecclesia periclitarentur.

Idem. L. 1. c. 17. 20.

L. 1. c. 41. 42.

Cap. 55.

Adalgagus Hamburgensis Archiepiscopus plurimos Daniæ Episcopos ordinavit. Negat Adamus resciri potuisse, quibus in urbibus sedem habuerint. Non recedit à verisimilitudine nullas habuisse certas sedes, urbes nullas, ut persæpe usuveniebat exorientibus primùm Ecclesiis, ut Episcopos haberent non urbis unius, sed totius gentis. Adalgago successit Libentius, quem sui primum ordinaverunt suffraganei. *Adalgagus plures ordinavit Episcopos in Daniam: qui ad quas sedes specialiter inthronizati sint, non facilè potuimus invenire. Æstimo quod pro rara Christianitate nulli Episcoporum adhuc certa sedes designata fuerit.*

Cap. 69.

Prolixiore hoc exemplorum contextu satis liquet superque, 1. in Episcopatuum & Metropoleon erectionibus principatum authoritatis fuisse semper penes Episcopos, Concilia, Pontifices Romanos: tametsi Historici rerum executioni plerumque soli animum calamumque advertentes, persæpe ad Imperatores omnia referant, propterea quod eorum maximè potestas liberalitasque enitescebat in extruendis locupletandisque novis Ecclesiis. 2. Adsciscenda necessariò erat gratia & authoritas Pontificum, quòd hæ Gentium ad Ecclesiam adgregationes opera & præsidio fierent Legationum Apostolicarum primæ Sedis, quarum potestatem necesse erat non unius aut Diœceseos aut Provinciæ finibus cohiberi. Adde quod plerumque cùm sua vel Episcopis vel Episcopatibus novis assignanda erant propria territoria, eæ emergebant lites, eæ juris conflictationes inter Archiepiscopos & Episcopos, quas solus satis commodè dirimere poterat Pontifex. Denique in Ecclesiarum prima constitutione multo indulgentiæ, multo dispensationis plerumque temperamento opus est. Porro singularis & summa est primæ Sedis potestas in relaxandis canonicis legibus ad Ecclesiæ salutem & necessitatem. In hac ipsa specie quam illustramus, truncanda fuit Coloniensis Metropolis: abscindendos ab ea Bremensis Episcopatus, uniendа Bremensis Ecclesia Hamburgensi, transferenda Metropolitana Sedes Hamburgo Bremam; ordinator extraordinarius Hamburgensi Archiepiscopo assignandus fuit, quandiu illi nulli fuere Suffraganei: denique iis fundamentis statuendi fulciendique fuere Episcopatus novi, quæ ab Episcopis Archiepiscopisque circumjacentibus, & sua plerumque minus jura quiritantibus labefactari non possent. Nemo non videt ad hæc omnia, quæ permagni omnino momenti sunt, expetendam necessariò fuisse primæ summæque Sedis potestatem & tuitionem. 3. Nec minùs dilucidum est, cùm in orbe Christiano veteri rarissimæ fierent Episcopatuum aut Metropoleon creationes novæ, quòd antiquæ sufficerent: fierent autem frequentissimè in Germania, Dania, Suecis, Norvegia, Hungaria & Polonia, quæ ultimæ Provinciæ imperio Christi & Ecclesiæ versus Occidentem accrevere: paulatim inolevisse valuisseque consuetudinem, ut omnino non fierent hæ novarum Sedium institutiones, nisi interpellata Apostolica Sede.

Joannes XIII. Romanus Pontifex Legatum in Poloniam destinavit, qui & Evangelicam verbi sementem ibi sereret, & Episcopales erigeret Cathedras, juxta ejus gentis vota & postulata. Exemplo suo posteris præluxerat Carolus Magnus, ut Sedis Apostolicæ opem implorarent ad erigendos Episcopatus novos: Tunc nimirum cum professus est ipsemet in condendo Episcopatu Bremensi & instituendo ibi Episcopo Villehado, obsecutum se authoritati & decreto Adriani Papæ, adeoque & consiliis Archiepiscopi Moguntini, & aliorum Episcoporum. *Summi Pontificis & universalis Papæ Adriani præcepto, necnon & Moguntiacensis Episcopi Lulloni, omniumque qui affuere Pontificum consilio, Bremen-*

Baron. an. 965.

Baluz. Capitul. to. 1. pag. 247.

sem

Epist. 194. 195. Joan. Papæ *sam Ecclesiam Vikebado commisimus.* Beatus Methodius Moraviæ Provinciæ Apostolus eò delegatus fuerat ab Hadriano II. Papa; denique invidorum calumniis lacessitus, ad Joannem VIII. Papam perrexit purgandi sui causâ. Cromerus L. 3. Cum ad Ecclesiæ fidem accedebant Reges, sua quasi sponte ad illum se Pontificem conferebant, quem plurimum in ea posse, & præ cæteris splendere perspiciebant. Eò forsan pertinet quod ex Cromero jam diximus, missum in Poloniam à Papa Legatum, qui novos crearet Episcopatus.

Baron. an. 958. IX. Narrat Curopalates Christianæ fidei sacramenta amplexatum esse quendam Turcicæ gentis Principem, & lustrali fonte Constantinopoli expiatum fuisse; tunc ab ejus urbis Episcopo ordinatum fuisse Episcopum, qui nascentis apud Turcos Ecclesiæ exordia excoleret & foveret. Utcumque ergo & Patriarchæ cæteri operam dabant propagandis Ecclesiis novis, & Episcopatibus erigendis. Sed procul erant illi semper à successorum Petri flagrantissima charitate & sollicitudine.

---

## CAPUT. LVII. *P. 4. l. 1. c. 19.*

### De Institutione novorum Episcopatuum in Gallia, eorumdemque unione, divisione & translatione, per ultimam hanc Ecclesiæ ætatem, ab anno Christi millesimo.

*I. Quæ super hac re sint antiqui novique juris regulæ.*
*II. Astruuntur hæ regulæ seu leges, ex Bernardo & Ivone Carnotensi. Præsertim de necessaria Principum consensione.*
*III. Erigitur, aut restituitur Episcopatus Tornacensis.*
*IV. De Attrebatensi Episcopatu.*
*V. De Episcopatibus Bononiensi, Sant-Audomarensi, & Iprensi, post æquatam solo Teroannam.*
*VI. De tredecim novis Belgii Episcopatibus.*
*VII. Frustra tentata erectio Episcopatûs Mosomensis, Nanciensis, & Burgensis in Bressia.*
*VIII. De conjunctis & disjunctis Episcopatibus Antipolitano, Grassensi & Venciensi.*
*IX. De Valentino & Diensi.*
*X. De Magalonensi & Mon-Pessulano.*
*XI. De Apamiensi.*
*XII. De Episcopatu Tolosano, in plures secto. Alii etiam Episcopatus à Joanne XXII. Papa excitati.*

I. Quæ in Metropolibus, eædem prorsus dominantur & regnant leges in Episcopatibus novis extruendis. Hæ nimirum. 1. Primas authoritatis penes Ecclesiam esse. 2. Hac ultima ætate eam uni summæ Sedi maximè tributam fuisse, eique servatam integram. 3. Hanc juris reservationem non ambitiosa quapiam affectatione factam esse, sed ipsis rerum eventis, & arcana omnipotentis Sapientiæ providentia, quæ rerum omnium momenta, & inclinationes temporum varias & mutabiles moderatur ad Ecclesiæ salutem & amplitudinem. 4. Superstites subinde emicuisse reliquias quasdam & velut scintillas antiquæ Conciliorum Provincialium & Metropolitanorum authoritatis in hoc negotio. 5. Principum temporalium consensionem adhibitam semper fuisse, ut qui sua maximè interesse putent. 6. Iisdem regulis locum esse, ubi plures in unum coalescunt Episcopatus, ubi unus in plures scinditur; aut divelluntur rursus, qui uniti fuerant; & ubi sedes Episcopalis alium in locum transfertur. Hæ sunt solemnes leges, quibus firmandis illustrandisque varia nunc exempla congerenda nobis sunt.

II. Exordium ducam ab Ecclesia Gallicana, cui quondam Bernardus hoc persuasissimum esse insinuavit, ad sedem Apostolicam attinere, ut novos creet Episcopatus, quæ Episcopalis potestatis summam una plenitudinem assecuta est. *Plenitudo siquidem potestatis super universas orbis Ecclesias singulari prærogativa Apostolicæ sedi donata est. Potest si utile judicaverit, novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerunt.* Epist. 131.

Sed juris Ecclesiastici peritissimus Ivo Carnotensis Episcopus aliquandiu antè Paschalem II. monuerat, nunquam ea potestate uti Sedem Apostolicam, nisi consenso & astipulatione Principum, ut Sacerdotii & regni concordiæ consultum sit. Instabat vehementissimè apud hunc Pontificem Clerus Epist. 240. Tornacensis, ut Episcopum sibi dari ab eo exprimeret; cùm id fieri nequaquam posset, nisi convulso truncatoque Noviomensi Episcopatu, cujus in ditione multis jam retro sæculis fuerat Tornacum. Obtestatus est Ivo Pontificem, ne quid sibi subripi sineret, quo Regno Ecclesia committeretur; cùm utrique peræquè & necessaria sit concordia, & conducibilis: *Regni Francorum pax & summi Sacerdotii nulla subreptione dissolvatur*: ne Noviomensem ea fraudaret gloria & ditione Ecclesiam, qua quadringentis jam ab annis gaudebat: ne procella eadem schismatis implicaretur & Gallia, qua Germania jam convulsa avulsaque fuerat ab Apostolicæ Sedis obsequio: *Ut statum Ecclesiarum, qui quadringentis ferme annis duravit, inconcussum manere concedatis, ne hac occasione schisma, quod est in Germanico regno adversùs Sedem Apostolicam, in Galliarum regno suscitetis.* Esse enimvero in potestate summi Pontificis Episcopatuum fines contrahere, aut dilatare: sed eam potestatem regi temperarique debere contemplatione & charitate Ecclesiasticæ utilitatis, ejusque indissolubilis pacis, qua Ecclesiæ Regnum consentire utriusque summopere interest: *Nec in hoc resistimus, quin possit Sedes Apostolica Parochiarum amplitudinem minorare, aut brevitatem dilatare; si utilitas populi Dei ita exigat, & nullum inde schisma contingat.* Denique eam nunc quidem esse miserrimam temporum rerumque sortem, ut vilescat Episcopatûs, nisi aliquantis suffulciatur opibus: ideoque verendum esse, ne unius in duos Episcopatûs sectio utrumque pudendæ immergat inopiæ. *Præterea cùm dignitas Episcopalis paupertatem his diebus honestè ferre non valeat, honestè providendum est, ne ista divisione uterque Episcopus fiat pauper.*

Illud hîc juvat observare, ut Rex juris sui & dignitatis retinentissimus, manum calamumque adhibuerit Episcopi pietate & eruditione clarissimi, non ut palam comminaretur, sed ut metum tamen injiceret animo Pontificis, ejus mali quod omnium maximè reformidandum est, dissipati videlicet inter Reges & Sacerdotes fœderis. *Novit enim paternitas vestra, quia cum regnum & sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret & fructificat Ecclesia. Cum igitur inter se discordant, non tantùm parva res non crescunt, sed etiam magnæ res dilabuntur.* Ibidem. Cùm hoc inconvulso nitantur fundamento quæcumque vel scriptis mandari, vel in usum rerum vocari actitarique debent, quòd nimirum regula & lex una sit potestatis omnis Ecclesiasticæ, utilitas ipsa & charitas, concordiaque Ecclesiæ & Reipublicæ: non pigebit ei rei elucidandæ approbandæque diutius quandoque nos immorari, & ad eandem illustrandam inculcandamque, identidem recurrere.

III. Cessit Pontifex Paschalis II. postulationi

*Spicileg. To 12. p. 466* tam æquæ & tam vehementi. Historia Abbatiæ sancti Martini Tornacensis fidem facit assensum tandem fuisse Regem Ludovicum VI. restaurationi Episcopatûs Tornacensis, sed ret executionem variis artibus & quasi per cuniculos quosdam retardatam fuisse. *Ann. 1146* At aliquanto pòst tempore Eugenius III. Papa Romæ Abbatem sancti Vincentii Lauduoensis, diutius renisum, ordinavit tandem Episcopum Tornacensem, *Iureti Nota in Ivonem. p. 770. 771.* misitque Tornacum cum Epistolis ad Tornacenses datis, quibus restatur relatum ad se fuisse, plerosque Tornaci vita emigrare sacramenti Confirmationis expertes, eorumque Ecclesiam rerum spiritalium damnis patere innumeris ex Episcopi & Episcopatûs inopia. Episcopum ergò eis à se hunc ordinatum, cui obtemperandum deinceps sit, soluto omnium vinculo, quo Noviodunensi antè Ec- *Spicil To. 5. pag. 565.* clesia tenebatur astricta. Scripsit & ad Ludovicum VII. Regem novo hoc Episcopatu accessurum regno Franciæ luminis & gloriæ non modicum: *Quod ad magnum regni tibi à Deo commissi, & corona tua incrementum credimus perventurum.* Nec verò audiendos, si qui obtrectare velint & secus interpretari, quod tot populorum saluti datum est: *Quod pro santa necessitate, & tot millium hominum salute factum est.* Propius vero est acquievisse Regem, cùm nulla sit apud Scriptores mentio obicis ab eo objecti. Confirmat Chronicum Alberici, Bernardum Claravallensem Abbatem certasse apud Eugenium, ut Episcopum Tornacensibus daret. Quod argumento rursus est, Ludovici VII. Regis consensionem accessisse. Id disertis verbis affirmat Historia Abbatiæ sancti Martini Tornacensis: *Rex paucis interpositis diebus petitioni annuit, sicque novum Episcopum* *Spicil to 12. pag. 484.* *recipimus.* Porro proprium Episcopum habere jam tum desierat Ecclesia Tornacensis, ex quo B. Medardus Noviomensis Episcopus, à Tornacensibus Episcopus electus, à Rege Cleroque Galliæ Episcopatus hos duos in unum compingere adactus fuerat.

VI. In graviores incurrit difficultates restauratio Episcopatûs Atrebatensis. Parebat Atrebatensis civitas Comiti Flandriæ, qui & ipse Regi Franciæ subjiciebatur. Ad rem ergo & gloriam Galliæ Regum referebat, ut proprius Atrebatensi Ecclesiæ immineret Episcopus, nec ei amplius Cameracensis Episcopus imperitaret, qui Germanicis Imperatoribus erat ipsemet obnoxius. Flagrabant tunc importuna dissidia inter Henricum Imperatorem & Romanos Pontifices. Communis ergo ratio utriusque sanctæ Romanæ Sedis, & Coronæ Francicæ, Urbanum II. movit, ut pronas Atrebatensium precibus accommodaret aures, & quem elegerant Episcopum confirmaret. Præcepit Pontifex à Rainoldo Remensi Archiepiscopo Atrebatensem electum Episcopum Lambertum ordinari. Consuluit Remensis Soessionensem aliosque Provinciæ suæ Præsules. Horum una fuit sententia, non consecrandum ab eo Lambertum, ne eo exasperatus Cameracensis Episcopus, cujus ditioni jamdiu paruerat Atrebatum, divelleret se à fœdere & obsequio Metropoleos Remensis: sed electum Romam ad Pontificem mitti debere; & spondere Pontifici, ubi ab eo consecratus esset Lambertus, tum verò incunctanter in Provincia tota Remensi, eo loco & honore ac jure futurum, quo cæteros omnes Provinciæ ejusdem *Ann 1093 Spicil. To 5 pag. 123* Episcopos. *Timuerunt & timent ne Cameracenses ex hoc facto accepta occasione, se à Remensi Ecclesia abrumperent; cùm & civitas eorum alterius regni habeatur, & regni, cujus Rex nobis & Ecclesia Romana jam ex longo tempore inimicatur, &c. Ubi eum dignitas vestra consecraverit, consecratum benignè suscipiemus, sicut Episcopum & Suffraganeum.* Lambertus Pontificem enixissimis adiit precibus, ut exoneraretur eo Episcopatu, cujus in gubernacula succedere non poterat, nisi ut gravem in se concitaret tempestatem, & sævitiam Imperatoris à Pontifice excommunicati, denique Cleri plebisque Cameracensis odia. Ad Imperatoris enim ditionem spectabat Cameracum: *Ad cujus Imperium Cameracum hactenus pertinebat.* Ordinavit nihilominus illum Pontifex Episcopum, & ad Remensem Archiepiscopum scripsit, nihil esse quod vereretur, ne ab ejus se Metropôli Cameracensis Episcopus segregaret; quisquis enim posthac ad Episcopatum Cameracensem alterius authoritate & ordinatione quàm Remensis Archiepiscopi grassaretur, eum confestim Romanæ Ecclesiæ fulminibus obruendum esse: nisi si quo Apostolicæ Sedis privilegio Atrebatum sibi subjectum fuisse Cameracenses adprobarent. *Nisi fortè Cameracenses privilegium Romanæ authoritatis ostenderint, quod eis Atrebatensem subdat Ecclesiam.* Remensem Archiepiscopum sciscitatus est Flandriæ Comes, cujus momenti esset hæc ordinatio? Rescripsit Remensis, re deliberata in Concilio Archiepiscoporum, Episcoporum & Procerum, non posse quemquam sine piaculari crimine his Romani Pontificis decretis eluctari, ac proinde confirmatam à se fuisse Lamberti ordinationem, ejusque professionem susceptam. *In Concilio quod Remis cum Chorepiscopis & Episcopis nostris, atque Principibus multis habuimus, juxta domini Papa Urbani præcepta, quibus inobedire nefas est, consilio & assensu Coepiscoporum nostrorum, more Ecclesiastico, illius professionem suscepimus, ejusque consecrationem confirmantes confirmavimus.* Novus interim Cameraci electus fuerat Episcopus, qui obnuntiationes suas statim Romæ significavit, Romanisque se jactavit fretum esse privilegiis: *Se & Ecclesiam suam Romanis privilegiis esse munitam.* Totius causæ judicium distulit Pontifex in Concilium Claromontanum, cui & Lambertus adesse jussus. Non causa tantùm, sed & gradu suo decidit Cameracensis, depositionis sententia perculsus, tanquam Germanico schismati implicatus. Firmavit demque Paschalis II. præcessoris sui Urbani II. decretum de restitutione Atrebatensis Episcopatûs. Hæc excerpta sunt à nobis ex Epistolis ipsis authenticis, quas publici juris fecit in Spicilegio suo vir de re litteraria optimè meritus Lucas Dacherius. *Spicil. To. 5. p. 540. & seqq.*

Nec sileri fas est, quod Urbanus II. memorat *Spicil To. 5. pag. 123.* ipse in Epistola quadam sua: ex Canonum norma subjici debere Metropolitano cuilibet duodecim Episcopos: Belgicæ Secundæ, quæ Remensis ipsamet Provincia est, totidem olim paruisse: eorum è numero fuisse Episcopum Atrebatensem: Vedastum ejus urbis Episcopum manu ipsa divi Remigii inauguratum olim fuisse: irruentibus Barbaris oppressam deinde aliquandiu jacuisse, ut urbem, ita Ecclesiam: & proprio diu viduatam Episcopo luxisse, sub Cameracensi dominatione; cùm modò autem ea civitas pristinum receperit splendorem, æquum esse ut & Episcopalis sedis apicem pristinum recipiat, & populosior jam facta & opulentior Cameraco; id verò consentaneum esse tum Sardicensi Synodo, quæ Episcopos ex vicis transfert in urbes frequentiores: tum Decreto Concilii II. Africani, quo jubetur, ut oppida quæ suos quondam habuere Episcopos, suos iterum habere incipiant, ubi post aliquanti temporis vastationem refloreścere

cœperint. *Ut Diœcesis, quæ aliquando habuit Episcopum, si accedente tempore populus multiplicatus, desideraverit habere proprium Rectorem, ejus videlicet voluntate in cujus potestate est Diœcesis constituta, habeat proprium Episcopum.* Promit denique Urbanus exemplum Gregorii Magni, qui eversum quondam vastatumque in Sardinia Episcopatum redintegravit.

Citra assensum Cameracensis Episcopi ab ejus jugo absolvit Urbanus Attrebatensem Ecclesiam, nec tamen Africano Canoni injuriosum, aut infestum aliquid fecisse videri debet. Vacabat enim tunc Cameracensis Episcopatus: sed quod ponderis multò majoris est, tunc Ecclesia illa Germanici schismatis contagione laborabat; denique Canonum Patrocinio uti non poterat Cameracensis Episcopus, quibus ipse tum vel maximè adversabatur, cum privatis commodis publicam Ecclesiæ utilitatem postbabebat. Denique Concilii Claromontani judicio vicit Ecclesia Attrebatensis.

*An. 1185. Scriptores Normannæ pag. 996.*

V. Venio ad rem penè similem, cujus tamen exitus minimè similis fuit. Morinorum seu Teroannæ Episcopus cum vivere desisset, electus in ejus sedem est Archidiaconus ejusdem Ecclesiæ. Manus illi jamjam erat impositurus Samson Archiepiscopus Remensis, cum Bononiæ civitatis Clerus ad Pontificem appellavit, contestatus suum sibi proprium olim fuisse Episcopum, nec consecrari jam posse electum, nisi sub Ecclesiæ Tervannensis nomine, minimè autem Bononiensis. *Clerici Bononiæ qui diu sub Episcopo Tarvannensi fuerant, volentes amodo suum proprium Episcopum habere, sicut antiquitus habuerant, prohibuerunt Archiepiscopum sub appellatione Apostolica, ne eum sacraret, nisi tantummodo ad Ecclesiam Tarvannensem.* Tanto Ecclesiæ suæ dispendio offensus Teroanensis electus, dimidiatæque ordinationis impatiens Romam petiit, ubi prisco more Episcopus ordinatus est. Feliciùs, quàm æquius tum vicit Teroanna; cujus victoriæ gravissimas, quanquam tardas postea pœnas dedit, cum excisa à Carolo V. Imperatore ea civitas est, & Episcopatus ejus Bononiam translatus est ex aliqua saltem parte. Hujus translationis author Pius V. narrat ipsemet in diplomate super ea re edito, Regibus Franciæ Henrico II. & Hispaniæ Philippo II. convenisse, ut ne Teroanna unquam revivisceret, sed Ecclesiæ illius ditio dispensaretur ad Pontificis Romani beneplacitum. Itaque à Pio IV. partem eam quæ Hispaniæ Regi obvenerat, in Sant-Audomarensem & Iprensem Episcopatus collatam distributamque fuisse: eam vero quæ Christianissimo obtigerat Regi, à se in Bononiensem Episcopatum *precibus Christianissimi regis*, conferri, Abbatia Canonicorum Regularium sanctæ Mariæ Bononiensis in Episcopalem sedem erecta, & potestate facta Regi Christianissimo nominandi Episcopi, sicut & prius Teroanensem nominabat. Harum rerum monumenta authentica suppeditat Gallia Christiana Sammarthanorum Fratrum, ex quorum opulento penu multa sæpissimè deprompsimus.

*Sponde an. 1553. n. 2. Gal Christ. Tom. 2. pag. 428.*

VI. Nihil attinet dicere de tredecim Belgii Episcopatibus, à Pio IV. institutis. Ea tunc & elucebat utilitas, & urgebat necessitas Ecclesiæ, his locis adversùs quotidiana pestiferæ hæreseos incrementa muniendæ, quæ tacitum saltem consensum extorserit à Principibus, Episcopisque, quorum causa agebatur; ut publicas Ecclesiæ rationes privatis suis anteponerent. De his quod satis esset diximus, ubi de Metropolibus suprà tractavimus.

*Spondeianum. 1559. n. 4.*

VII. Vuillelmus Remensis Archiepiscopus à Cælestino III. Papa potestatem impetraverat Episcopatûs novi erigendi in Castro Moçomensi, ea tamen lege addita, ut cum consensu fieret Regis Galliæ, & consilio Episcoporum Attrebatensis & Ambianensis. *De assensu Francorum Regis, de consilio fratrum nostrorum Attrebatensis & Ambianensis Episcoporum.* Firmaverat & Innocentius III. hoc decretum Cælestini, concesseratque Remensi Præsuli, ut dum superstes ipse esset, Episcopum ipse præficeret cum consensu Diœcesanorum. Nondum comperi quid rei obstiterit quominus executioni id mandaretur.

*Innoc. III. l. 1. Ep. 152. 153.*

Nihilo auspicatiùs tentatum est nuper aliquid ejusmodi. Intercessit Cardinalis Ossatus, ne Nanciensis Civitas Episcopali infula decoraretur. Omni virium contentione in id connitebatur Lotharingus Dux. At vicit Ossatus, vicit Tullensis Ecclesiæ ratio, quæ cum Franciccæ ditionis esset, non poterat sine gravi dispendio ea territorii sui parte mulctari, quæ Nancio ascriberetur.

*Ossat. To. 2. Let. 1. 3. 121.*

Sabaudiæ Dux Maximiliani Imperatoris gratia & authoritate fretus, à Leone X. anno 1515. id elicuerat, ut Burgum Bressiæ civitas insignis Episcopali sede augeretur. Jam Pontificium diploma exierat, at anno vertente revocatum est ab ipso eodem Pontifice, quòd nec Galliæ Rex assensus esset, nec Archiepiscopus Lugdunensis, cui subducebatur quidquid novo addicebatur Episcopatui. Anno rursus 1521. eundem Episcopatum idem restituit Pontifex: at verò quoniam id præter Regis voluntatem peractum fuerat, cùm paucis pòst annis idem Rex Bressiam omnem suæ potestati subjecisset, non ægrè à Paulo III. illum rursus Episcopatum extingui obtinuit.

*Histoire de Bresse. Part. 1. p. 90. 91. Preuves de l'histoire de Bresse. pag. 78. &c.*

VIII. Antipolitanæ Ecclesiæ sedem Innocentius IV. Grassensem in civitatem transtulerat, tum ob cœli intemperiem, tum ob frequentes Piratarum incursiones; ita tamen ut Antipolitana Ecclesia Grassensi Concathedralis esset. Eo postea tempore, quo gravi schismate scissa alternabat Ecclesia inter duos Pontifices, alterum Romæ, Avenione alterum sedentem, Clemens VII. is qui Avenione sedem fixerat suam, Grassensi perinfensus Episcopo, quòd Urbani VI. Romanam civitatem occupantis partes sectaretur, spoliavit eum successoresque ejus Antipolitana ditione, quæ Episcopalis mensæ portio erat non modica, eamque oppigneravit Grimaldis Genuensibus, à quibus mutuam acceperat ingentem pecuniam: quam restituere, & ita ditionem Antipolitanam recuperare fas esset Episcopis posthac Grassensibus. Basileensis Concilii decreto in integrum restitutus est Grassensis Episcopus. At Eugenius IV. adeo non huic decreto cessit, ut Antipoli Vicarium Apostolicum instituerit, investieritque tota Episcopali jurisdictione; servata nihilo secius potestate Grassensi Episcopo, recipiendæ tum sacræ, tum civilis ditionis hujus, post numeratam Grimaldis eandem pecuniam. Ludovicus XIII. Vicariatûs hujus Apostolici nominationem Grassensibus Episcopis reddi pervicit, ut eorum ditioni Antipolis aliquando tandem restitueretur. At recusarunt Antipolitani eis subesse, atque ita res in irritum cecidit.

*Hist. Eccles. de l'Ev. de Vence. l. 2. pag. 156.*

*Gal. Christ. Tom. 2. pag. 602.*

Anno 1592. Episcopatus duos Grassensem & Venciensem Clemens VIII. Papa univerat. Cùm Regius consensus defuisset, sejuncti rursus ii sunt anno 1601. Assensum tandem Regium præstitit Ludovicus XIII. ut unirentur, conferrenturque Antonio Godeau,

*Godeau To. 2. L. 2. p. 255.*

quo non alius pluribus pietatis & eruditionis sacræ monumentis Ecclesiam illustravit. Diplomate tunc Pontificio Innocentii X. utrique Ecclesiæ sui honores & tituli, sua jura & privilegia constare jussa sunt: Sed cùm Clerus & populus Venciensis ab hac unione abhorreret semper plurimum, eam rescindi curavit hic ipse tam multis clarus virtutibus Præsul, Grassensique abdicavit se Episcopatu.

IX. Gregorius X. Valentinum & Diensem in Delphinatu univit, sola Ecclesiasticæ utilitatis contemplatione excitatus, ut suis ipse verbis testatum voluit: *Propter urgentem necessitatem, & evidentem utilitatem ipsarum.* Porro Episcopi electio alternatim celebranda erat ab utriusque Ecclesiæ Capitulis, initio ducto ab Ecclesia Valentina. In Rescripto sanè Pontificio nulla mentio consensus à temporali Principe flagitati. In causa fuit, vel quod res gererentur in terris, ut vernaculo idiomate vocant, Imperii, in quibus Ecclesia ampliori semper utebatur libertate, ut infrà suo à nobis loco observabitur: unde & ibi Episcopi Principes Imperii, non ad gloriam nominis tantum dicebantur, sed ob eximia quædam insignia potestatis. Vel quia non semper summi Pontifices tantundem honoris & indulgentiæ minoribus Principibus, quàm Regibus dependendum censuerunt. Nonnulla emicant adhuc vestigia ejus potestatis, qua tanquam Princeps Imperii pollebat Episcopus Valentinus & Diensis, in ea transactione, quam fecit Ludovicus XI. tum Delphinus, postea Franciæ Rex, cum Episcopo.

Rainal. an. 1273. n. 35.

Memoires du Clergé. To. 2. Pa. 4. pag. 81.

Uno tantùm verbo stringam translationem Episcopatus Albæ Helviorum in civitatem Vivariensem. In illa eam tempora conjiciunt Historici, quibus Vandali Galliam incursantes Albam diruerunt. Paschalis II. duo duarum civitatum nomina in unum conflavit, *Alba, quæ & Vivarium dicitur.* Forsan & ipsum Albæ nomen unà cum Episcopatu Vivariensi urbi transcriptum fuerat.

Du Chesne. Nota in Bibl. Clun. pag. 125.

X. Celeberrimam olim urbem Magalonam dirui jusserat Carolus Martellus, quòd eò frequenter excenderent Saraceni, & inde circumjacentes popularentur regiones: nondum extructa Mompellusana civitate. Secesserunt Episcopi Magalonenses in Castrum Sustansionense, sedemque ibi trecentis admodum annis habuere, donec Arnaldus Episcopus à Pontifice Joanne XX. ab Archiepiscopis similiter & Episcopis circumpositis amplissimas expressit Indulgentias, licentiamque, ut pœnitentes ingressu Ecclesiæ non ampliùs arcerentur, quin & rebus sacris in commune fruerentur, excepta Eucharistia, dummodo stipis aliquid conferrent in Ecclesiæ Magalonensis restaurationem; atque ita Ecclesiam Magalonensem restauravit, dedicavitque. Canonicis Regularibus successor ejus Clerum ejus totum constare voluit. Reges ipsi certatim in eam opes & prædia contulere, in quibus fuit & Monspessulus, altero lapide à Castro Sustansione, seu Melgotio. Jam inde sub Ludovico VII. Rege Monspessulus in ditione erat Episcopi Magalonensis, qui ea de causa fidem hominiumque Regi præstabat. Anno 1536. Paulus III. Magalonensem Episcopatum in civitatem jam opulentam Mompessulanam transtulit, postulante Rege, ut fidem faciunt ipsa Pontificis diplomata.

Bibl. MSS. Labb. To. 1. pag. 796.

Ibid. To. 4. pag. 800.

Marca de Concor. l. 2. c. 3. n. 2. 3. & l. 4. c. 13. n. 5.

XI. Apamiensem Episcopatum erexit Bonifacius VIII. Papa in Abbatia Canonicorum Regularium sancti Antonini ejusdem loci, cujus temporale dominium erat penes Abbatem, qui & ipse Episcopus ibi primus inauguratus est. Credere par est, non alio id Pontificem adgressum esse consilio, quàm ut Episcopali splendore & culmine retunderet Fuxiensium Comitum truculentiam in urbem Apamiensem, postquam Philippus Pulcher Rex regiæ illam tuitionis præsidio nudaverat, quo eam hactenus munierant Reges, Romanorum Pontificum hortatu. Sed cum assensum Regis Bonifacius impetrare minus curasset, ad hujus Episcopatus erectionem: eam contumeliam Rex impatientissimè tulit, ut liquet ex historia Nicolai Gillii, & ex litteris Pontificis ipsius, Regem interpellantis, ne Ministri ejus Rescripti sui executioni intercederent, quam Archiepiscopo Narbonensi demandaverat. Cùm mortuo Bonifacio Petri sedem impleret Benedictus XI. multa Rex idem acerbissimè conquestus est de violentis Bonifacii conatibus, & de eo maximè, quòd à prædecessorum suorum vestigiis & exemplis deflexisset Bonifacius, cùm illi nihil ejusmodi novassent unquam, nisi re maturius deliberata, & impetrata Regum consensione. *Temporibus sanctorum Patrum fiebant divisiones Episcopatuum perrara, & cum causa cognitione plenaria, & cum aliqua complacentia Regum, Patronorum & populi, ad tollendum scandalum. Temporibus autem Bonifacii non sic, sed prorsus aliter.*

Rainal. an. 1295. n. 52. 53. anno 1299. n. 25.

Marca de Concor. l. 4. c. 13. n. ult.

Ann. 1297.

Histoire du Different, &c. p. 212.

Superioribus jam Capitibus abunde patuit, non indulgentia tantum quadam, & libera observantia factum fuisse, ut Principum in his consensus expectaretur, sed certa & gravi necessitate. Vel ipsa observantiæ & officii cessatio inter summos Principes periculosæ plenum opus aleæ est. Itaque Philippus Pulcher non potuit imperare sibi, ut æquo animo pateretur, ut Bernardus Saissetus, quem Apamiensi Episcopatu Papa donaverat, ejus capesseret administrationem. Ludovicus Regiæ Princeps prosapiæ, & sanctitate tamen quam sanguine illustrior, Tolosano Episcopatu nuper auctus, investitus est & Apamiensi, atque utramque illam administravit Ecclesiam, pari Papæ Regisque consensione. Eo mortuo non ægrè passus est Rex, ut Bernardus ei sedi redderetur. Porro Pontificio suo diplomate Bonifacius id affirmat, Tolosani Episcopatus, uti latissima ditione, ita & opulentia necessariò adductum se fuisse, ut in plures illum scinderet Episcopales sedes, perficeretque quod jam pridem meditatus fuerat Clemens IV.

Nicole Gil. les. Chron. Nangi. ann. 1296. 1298.

XII. Nulli non exploratum est, calamitates quantas invexerit ea, quam irrogatam sibi Philippus Pulcher existimavit, contumelia, erecta sine assensu suo Apamiensi sede Episcopali. In eo ipso argumenti satis est, assensum priùs Regium à Joanne XXII. elicitum fuisse, quàm Tolosanus Episcopatus ab eo rursus in plures secaretur: etsi nulla ejus mentio fiat in ejus Bulla. Sunt autem hi Episcopatus novi, Montalbanensis, Sancti Papuli, Lombensis & Riejensis. Idem sentiendum de Lavaurensi, Vabrensi, Alectensi, Sancti Pontii Tomeriarum, Castrensi, Agennensi, Condomiensi, Tutelensi, Sarlatensi, San-Florensi, Malleacensi, Lucionensi, quos idem Pontifex erexit omnes. Jure meritoque hîc admirari lubet Regum Gallorum moderationem animi, qui ne curarunt quidem ut in Bullis erectionis horum Episcopatuum consensionis à se præstitæ mentio aliqua fieret, quanquam summa tum eorum esset cum Pontificibus Avenione sedentibus conjunctio & familiaritas, summa apud eos gratia. Sequentibus sæculis circumspectiùs actum est, ut mentio semper expressa fieret Regii consensûs, quo fi-

Extravag. Comm. l. 3. T. 2. c. 5. 6. 7.

Rainal. an. 1317. n. 12.

bræ futurarum contentionum omnes præsecarentur. Leges si voles in Actis Cleri Gallicani, in plura volumina pulcherrimè distributis, Bullas Urbani VIII. ann. 1631. pro transferendo in statum sæcularis Cleri Monasterio Malleaceosi, & pro erigendo Collegio sæcularium Canonicorum apud Fontenaeum-Comitis, quò tunc transferre Capitulum Malleacense meditabantur. Lege & Bullam Innocentii X. pro transferendo Rupellam Capitulo Malleacensi; placuit enim tandem eo potius honoris culmine ornari Rupellam, quàm Footenacum. At occurrit expressissima consensio, immo & postulatio Christianissimorum Regum Ludovici XIII. & Ludovici XIV.

*Tom 1. c. 2.*

---

## CAPUT LVIII. *P. 4. l. 1. c. 20.*

### De Episcopatuum novorum erectione extra Gallias post annum Christi millesimum.

*I. Quæ in Gallia, eadem & in Anglia observata sunt regulæ in erectione novorum Episcopatuum, & in veterum translatione. Exempla primùm Lanfranci.*
*II. Exempla Anselmi.*
*III. Exempla Episcopatuum ab Henrico VIII. Rege institutorum.*
*IV. Exempla Ecclesiæ Hibernicæ.*
*V. Exempla in Suecia.*
*VI. Et in Germania.*
*VII. In Livonia & Dania.*
*VIII. Alia rursus exempla in Germania.*
*IX. Et in Hungaria, ubi Rex Episcopatus erigit novos, tanquam Legatus Apostolicæ sedis.*
*X. Exempla in Italia.*
*XI. Duæ Cathedrales Ecclesiæ sub uno Episcopo.*
*XII. In Hispania.*
*XIII. In Africa.*
*XIV. Translatio Leodiensis Capituli, non translato Episcopatu*
*XV. Erigitur in Palæstina Episcopatus Bethlehemiticus.*

I. TRajicientibus nobis ex Gallia in Angliam, eædem leges, eadem canonicæ doctrinæ occurrent documenta, non eadem religio, aut observantia in sedem Apostolicam. Diximus jam in provincia Vuessexensi cùm toto septennio nulli fuissent Episcopi, multumque ea de re expostularet Formosus Papa, ab Eduardo Rege coactum fuisse Concilium Nationale, seu mavis Comitia Regni generalia, *Synodum Senatorum gentis Anglorum*: Jussu ejus præfuisse Cantuariensem Archiepiscopum, electosque tum ab eo, tum ab Episcopis Episcopos quinque: aut potius creatos Episcopatus quinque, cum duo tantum antè fuissent, denique additos adhuc alios duos, & hoc totum à Romano Pontifice confirmatum fuisse, ne humana ulla deinceps potestate concuti, aut revocari posset. *Rex & Episcopi elegerunt, & constituerunt singulos Episcopos, & quod olim duo habuerunt, in quinque diviserunt, &c. Sed & aliis Provinciis constituit duos Episcopos, &c. Hoc totum Papa firmavit, ut damnaretur in perpetuum, qui hoc infirmaret decretum.*

*Anno 904. Guillelm. Malmesbur. pag. 47.*

Perspicuum est partes suas hic tunc demum interseruisse Pontificem, ad creandos Episcopatus novos, quod Metropolitani, Concilia Provincialia, & Reges cessarent, nec pro officio consulerent Ecclesiæ necessitatibus. 2. Et vel tunc tamen moniti à Pontifice, excitatique Reges, & Synodi Episcopales novas sedes instituerunt. 3. Ut inconcussa firmitas novis accederet institutionibus, expetita est Papæ confirmatio. Ita recidebat in manus Pontificis Romani creatio novarum Sedium, quòd is solus Archiepiscoporum negligentiæ mederetur, & decreta conderet, quæ à futuris Archiscopis, vel Provincialibus Synodis irritari non possent.

In Nationali etiam Concilio B. Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus transtulit Sedes tres Episcopales ex ignobilibus oppidis in celebriores urbes Cestrensem, Cicestrensem, & Salisberiensem, suffragatione Regia Synodalique. *Concessum est Regia munificentia & Synodi authoritate.* Cùm superessent & aliæ id genus Sedium creationes aut translationes faciendæ, nec satis exprompsisset Rex quid sibi esset consilii, reditum ejus ex Gallia opperiendum esse statutum est. *De quibusdam, qui in villis seu vicis adhuc degebant, dilatum est usque ad Regis audientiam.*

*Ann. 1075. Vita Lanfranci. c. 12.*

II. Lanfranco successit Anselmus ad Cantuariensem Archiepiscopatum, qui cùm Lincolniensem Episcopatum in duos divisisset, aut dividere statuisset, hanc à Paschali II. Papa confirmari divisionem expetiit. Ea de re hæc habet Eadmerus: *Anselmus sciens præter Regium consensum & Romani Pontificis authoritatem, novum Episcopatum nusquam ritè institui posse, scribit & sic.* In hac Epistola Anselmus, 1. submonet Pontificem tam latè patere hunc Episcopatum, ut unius Episcopi sollicitudo & vigilantia quantavis impar ei sit. 2. Annuos reditus pingues esse satis ad duorum Episcoporum sustentationem. 3. Assentiri Lincolniensem Episcopum. 4. Satis commodè posse Eliensem Abbatiam Episcopali ornari Cathedra. 5. Ita & Regi, & Episcopis, & Magnatibus, & omnibus denique Anglis in votis esse hanc Episcopatûs Lincolniensis divisionem, ut Ecclesiæ perutilem ferè augurentur. *Rex & Episcopi, Principes, & alii rationabiles & religiosi viri regni Anglorum, &c. Ad utilitatem Ecclesiæ consilium est, &c.* 6. Necessariò à Pontifice confirmari debere, ne quid posterior ætas demutare eorum possit, quæ tam providè, & tantæ authoritatis pondere confirmata fuerint. *Ut cùm Apostolico assensu fuerint confirmatæ dispositiones, nulla præsumptione à posteris, quæ salubriter statuta sunt, queant violari; sed rata permaneant in perpetuum, &c. Quod pro utilitate Ecclesiæ sic dispositum est, vestra authoritate in perpetuum roboretur: ut à posteris ulla præsumptione, quod bene statutum fuerit, violetur.* Acta ipsa Eliensis Episcopatûs fundationis prolixiùs intexit Joannes Seldenus suis in Eadmerum Notis. Porro hic advertere est Pontifices Romanos non obvios ipsos occurrere, vel inserere se suamque negotiis quibuslibet authoritatem; sed invocari & interpellari, ut inconvulsa stabilitas concilietur Metropolitanorum Synodorumque decretis. Ex quo contigit, ut aliquando inolesceret mos ipsos statim & sine anfractu interpellandi, ut Episcopatus novos erigerent & confirmarent: quòd brevius & expeditius id esset, quàm ut ab aliis erectos ipsi confirmarent. Hinc etiam conjicies, quem in sensum rapiendum sit quod aiunt Matthæus Paris & Matthæus Vuestmonasteriensis, ab Henrico Rege Abbatiam Eliensem Episcopali Sede auctam fuisse: *Rex Henricus Abbatiam Eliensem in Episcopalem Sedem commutavit.* Contextus isti Historicorum, quibus Regiæ tribuitur potestati, quidquid cum pompa & strepitu geritur, non eum sensum habent, ut Episcoporum Pontificisque authoritas abdicetur. In eandem ergo sententiam interpretando mollitam debet trahi quod alibi narrat idem Matthæus Vuestmonasteriensis ab Henrico Rege II. erectum fuisse Episcopatum Carleolensem, eoque donatum tunc Episcopatu eum qui erat illi à Confessionibus, Priorem

*Hist. Nov. c. 4.*

*Conc. Tom. 10. p. 708.*

*An. 1019.*

*Anno 1132.*

antè sancti Osuvaldi: Et quod scribit Matthæus Paris, Episcopum Theodfordiensem Roma rediisse, ubi Episcopatum simoniacè partum in manus Pontificis resignarat, atque rursus Apostolicæ Sedis gratia receperat; & Sedem suam Norvicum transtulisse, unde Norvicensis deinceps emersit Episcopatus.

*Ann. 1094.*

III. Superiori sæculo Henricus VIII. Angliæ Rex pestiferæ ab Ecclesia Catholica secessionis signifer, id sibi nihilo secius sumpsit, ut sex erigeret Episcopatus novos. Henrico successit filius & impietatis hæres Eduardus, Eduardo Maria soror, Catholicæ fidei retinentissima, qua regnante Cardinalis Polus Apostolicæ Sedis Legatus, Roma missus, ut Angliam Ecclesiæ unitati & Pontifici recolligeret, prudentissima dispensatione usus, irritam sua sponte Episcopatuum sex erectionem, ratam esse sanxit, firmarique fecit à Paulo IV. Pontifice, assentiente præ cæteris Regina.

*Spondan. ann. 1554. n. 4.*

IV. In Hibernia Rex, germanus Regis frater, & Episcopi, cùm decrevissent non debere proprio diutius frustrari Episcopo Vatersordiam, opibus juxta & populo frequentem jam civitatem; Episcopum elegerunt ipsi, & ad Anselmum pergere jusserunt, tanquam ad Primatem & Apostolicæ Sedis Legatum, à quo confirmaretur, uti Episcopatus novus, ita & electus Episcopus. *Rex cum Episcopis & quinque Nobiles cum Clero & populo, miserunt ad Anselmum, petentes, quatenus Primatûs, quem super eos gerebat, potestate, & qua fungebatur vicis Apostolica authoritate, necessaria plebium utilitati subveniret, &c.* Subscripsere Epistolæ Rex, Episcopi, aliique complures. Annuit Anselmus postulatis, & electum ordinavit Episcopum. Henricus postea III. dolens de inopia & egestate Episcopatûs Vatersordiensis, itemque Lismoriensis, uniri eos in unum assensus est, si sua Pontifex authoritate eam unionem roboraret.

*Eadmerus Hist. Nov. l. 2. Conc. Angl. To. 2. p. 10.*

*Constit. Antiqu. Reg. Angl. p. 80.*

V. Olaphus Sueciæ Rex idem Apostolusque, Episcopatum instituit Scarensem, sed interposita Archiepiscopi Hamburgensis authoritate Uvani, Apostolicæ Sedis Legati, à quo eo petente ordinatus ibi est Episcopus. *Petente Rege ordinatus est.* Nec aliter in contumeliam fieri Canonum passus esset Uvanus, qui cùm Canutus Daniæ Rex debellata Anglia, Anglos Episcopos in Daniam abduxisset, eisque regni sui Provincias demandasset, victori & Ecclesiæ Christianæ propagatori ità congratulatus est; ut ipsum tamen objurgaret, verbisque castigaret, quòd canonicis obstreperet legibus, Episcopatus condendo novos, in eosque transferendo Episcopos aliarum civitatum. Victoriæ ipsius splendorem armorumque gloriam obscuravit, vel novo potius lumine decoravit Rex summa animi remissione & propensa humanitate, in amantem sui, sed paulò intempestivum censorem. Quippe conjunctissimum deinceps & consiliorum administrum hunc ipsum habere voluit, quem audacem habuerat monitorem. *Congratulatus est ei de rebus bene gestis in Anglia, sed corripuit eum de præsumptione Episcoporum, quos transtulit ex Anglia. Quod Rex gratanter accipiens, ita postmodum conjunctus est Archiepiscopo, ut ex sententia ejus omnia deinceps facere maluerit.* Compertum habebat Uvanus Legationis suæ vi ac jure posse à se Episcopatus Episcoposque institui. Unum itaque ex Episcopis illis Anglis corripuit, nec dimisit, nisi expressa ab eo fidelitatis & obedientiæ professione in Hamburgensem Ecclesiam. Quo peracto, quem velut captivum detinuerat, amicissimum sibi fidissimumque deinceps retinuit. *Fidelitatem Hamburgensi Cathedræ cum subjectione debitam spondens, familiarissimus deinceps Archiepiscopo factus est.*

*Baron. an. 1028. n. 8.*

*Adam. l. 2. c. 41.*

*Baron. an. 1016. n. 3.*

*Adam. l. 2. c. 38.*

VI. Adalbertus Hamburgensis & ipse Archiepiscopus ac Legatus, pari saltem vigore explicuit Legationem suam, qua Septentrionales omnes gentes complectebatur. Ordinavit itaque Episcopos in Dania novem, in Suecia sex, duos in Norvegia, unum in Orcadibus, unum in Islandia. Quatuor aut quinque semper & ubique cingebatur Episcopis, quos indivulsos habebat comites; frequens illud in ore habens, Duobus se dominis tantùm obnoxium esse, Papæ & Imperatori. Itaque fidentiùs quandoque Episcopales excitavit Cathedras, Regibus haudquaquam assentientibus: quando exploratum videlicet habebat, eorum dissensum perinde adversari ipsorum saluti, atque publicis Ecclesiæ utilitatibus. *Adeo ut per totum Aquilonem, in quibus locis opportunum videbatur sæpè invitis Regibus Episcopatus constitueret, ordinaretque Episcopos, ex Capella sua quos vellet electos.* Ea sanè tempestate omnes illi ad Boream Reges Imperatorum potestati obnoxii quodammodo erant. Addit Helmodus Adalbertum authoritate & gratia fretum, tum Imperatoris, tum Papæ, id meditatum esse, ut duodecim Episcopatus erigeret, quibus ipse Patriarchæ nomine & potestate immineret; solitum eum adjungere sibi Clericos omnes meritis suis spectabiles, eosque oblata opportunitate ordinare Episcopos Nationum variarum, aliis assignata certa Sede, aliis vaga & incerta: *Quosdam locans certis Sedibus, quosdam incertis.*

*Baron. an. 1067. n. 17.*

*Adam. l. 4. c. 46.*

*Helmoldus L. 1. c. 22.*

Erat Helmodus à quo ista carpsimus, Presbyter, sive Parochus in Provincia Holsatiæ, scribebatque circa annum 1140. Chronicum Slavorum, rogatu Geroldi Aldeburgensium Episcoporum postremi, ut qui ipse unà cum Sede Episcopali sua Aldemburgo Lubecam translatus sit. Narrat porro Helmodus, cùm jam decem præfuissent Aldemburgo Episcopi, ab Adalberto demum Archiepiscopo Hamburgensi eum Episcopatum in tres dissectum fuisse, erecta duplici Sede nova, altera Ratzemburgi, Mekeleburgi altera. Cùm parum sincera, adeoque instabilis fuisset Slavorum conversio ad fidem, eis deficientibus, Sedes istæ Episcopis orbatæ fuere annis octoginta quatuor, auspicandis ab anno 1066. Postea verò cùm se primo vigori reddidissent, multùmque diffudissent Boreales Ecclesiæ, Harvicus Archiepiscopus Hamburgensis, multùm quidem ille, sed incassum apud Papam & Imperatorem laboravit, ut Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ Episcopales sedes subjicerentur Hamburgensi Metropoli: cùm hæc illis & origo & primæva fuisset institutio: *Cùm obsequiis & variis largitionibus nihil profecisset apud Papam & Cæsarem.* Id tandem ille cepit consilii, quo Suffraganeos sibi daret, hanc inventam & expeditissimam esse rationem, ut reviviscerent Episcopatus, qui olim extiterant. Ordinavit ergo Episcopos Aldemburgi, Ratzemburgi & Mekeleburgi. Aldeburgensis in Holsatia Episcopus creatus est Vicelinus. At cùm nec Ducis nec Comitis consensio accessisset: *Facta sunt hæc inconsulto Duce & Comite nostro*: hinc jurgiorum & dissensionum seges. Comes invasit decimas, Dux gratia & tuitione sua expunxit Vicelinum Episcopum, nisi Episcopatûs investituram ab eo acciperet. Vicelinus multùm ab ea re abhorrebat. Consuluit Hamburgensem Archiepiscopum, qui ab ea voluntate magis magisque illum alienavit. Sed eò necessitatis & angustiarum adactus tandem est cum Ecclesia ipsa sua, ut investituræ tandem

*Idem l. 1. c. 69.*

*Ibid. c. 70.* ejusmodi acquiesceret, etsi optatum statutumque illi priùs fuerat, nonnisi ab Imperatore eam accipere. *Ibid. c. 89.* Hoc obsequio placati Dux Comesque, quidquid erat rerum juriumque ejus Ecclesiæ, maxima ex parte ei restituerunt. Geroldus Vicelini successor Sedem suam Aldemburgo Lubecam transtulit, sola *Arnold. Lubec. l. 4. c. 24.* Ducis authoritate, ne interpellato quidem Imperatore, propterea quòd Duces regionem illam omnem expugnatis Infidelibus Christi Imperio adjecerant, & prima jecerant Episcopatuum fundamenta. Mexeleburgensis sedes Suerinum translata est in urbem, scilicet à Slavorum incursationibus tutiorem. Berno primus Suerinensis Episcopus obiit anno 1195. Duces Saxoniæ eadem potestate usi sunt in Ecclesia Suerinensi, atque priùs in Mexeleburgensi.

*Baron. an. 1186. n. 20.* VII. Idem rursus Archiepiscopus, sive Hamburgensis, sive Bremensis Hartvicus, missione & Episcopali consecratione ornavit primum Livoniæ Episcopum, qui Rigæ postea sedem habuit, unde & nomen duxit. Qui delegatus eò fuerat ab Apostolica sede Meynardus, Episcopali donatus est ea sede. Sed cùm Septentrionalis orbis Reges tractu temporis dignitatis suæ curiosiores tenacioresque evasissent, *Arnold. Lubec. l. 7. c. 8. 9.* nec jam vellent sui regni Ecclesias ab Hamburgensi pendere Primatia, quæ ditionis erat Imperatorum Germanicorum: compellatus est Innocentius III. duos ut crearet Episcopatus in Dania novos, in urbibus quæ non ita pridem Christi fidem amplexatæ fuerant: *Nostro fuit Apostolatui supplicatum, ut per Episcopalis dignitatis insignia, &c.* *Regest. 16. Epist. 120.* Delegatus est ab Innocentio Lundensis Archiepiscopus, ut necessitatem excuteret hujus Episcopatuum erectionis: *Si qualitas locorum poposcerit, ac facultates sufficiant, & expedire videritis:* & his perpensis ut Episcopatus ipsos institueret vicaria Pontificis Romani potestate: *Authoritate nostra.*

VIII. Idem ipse Pontifex instante Archiepiscopo Salisburgensi, ut novum conderet in Insula Chiemensi Episcopatum, eòque conferret res reditusque duarum ejusdem Insulæ Abbatiarum: duos *Regest. 16. Epist. 66.* similiter delegavit examinatores, qui perspicerent, sibique renuntiarent, an tam latè se porrigeret Episcopatus Salisburgensis, ut altera Sede, & ea sectione opus esset: an Salisburgense Canonicorum collegium assentiretur; an harum Abbatiarum altera tam perditis esset moribus & tam malæ frugis, quàm ferebatur: an alterius Canonici Regulares non illibenter in Cathedralem hanc novam migraturi essent; denique an novi Episcopatûs facultates essent, & ii territorii assignati fines, quibus Episcopalis dignitas non dehonestaretur.

Jam diximus suprà, ut Henricus Imperator Episcopatum Bambergensem erigi curarit in Concilio Francofordiensi, spretis obnuntiationibus iniquissimis Episcopi Vuirburgensis, cujus hæc vastissimi *Baron. an 1006. n. 1. 1019. n. 2. Conc. Tom. 9. p. 784.* Episcopatûs portio decerpebatur. Curavit Imperator, ut Apostolica accederet confirmatio Joannis XVII.

Postremis his exemplis duobus manifestum fit, undecimo demum sæculo pristinum usum immutatum fuisse: cœpisseque Archiepiscopos & Concilia non confirmationem modò, sed institutionem ipsam novorum Episcopatuum ab Apostolica Sede flagitare. Nec enim sibi quisquam persuadere debet ab Archiepiscopo primùm Salsburgensi Innocentium III. ad id interpellatum fuisse. *Baron. an. 1070. n. ul. L. 11. Ep. 77.* Prædecessorum ejus unus Alexandrum II. Papam eadem de causa precibus suis convenerat, ejusque delegatione Episcopatum Carinthiæ erexerat, vix tandem expugnato assensu Henrici Regis. Objurgavit hunc ipsum Gregorius VII. Archiepiscopum, quòd nulla decimarum parte novum hunc Episcopum donasset. Ex quo nova emergit ratio interponendæ authoritatis summorum Pontificum. Innocentium III. oravit Austriæ Dux, novum ut conderet Episcopatum Viennæ, decurtato Pataviensi, cujus fines in immensum effundebantur. Scripsit Pontifex ad Episcopum Pataviensem, qui illud ipsum in votis habebat. *Regest. 10. Epist. 52.* Hac Innocentii Epistola testatum fit Viennam urbem jam tum elegantem & opulentam fuisse, Episcopali eam quondam sede floruisse, quæ inde Laureacum, Laureaco Patavium translata sit.

IX. Ex Germania in Hungariam deflectenda oratio, ubi cum Stephanus Rex Episcopatus decem, & Archiepiscopatum Strigoniensem erigere meditaretur, eorum confirmationem ab Apostolica sede expetiit. Pontifex summa pietate fideique zelo inclytum Regem, meritoque suo Apostolum Hungariæ dictum, Apostolicæ sedis Legatione decoravit, ut delegata hac authoritate perficeret, quod moliebatur. *Baron. ann. 1002. n. 9. 10.* *Provinciam in decem Episcopatus distribuit, quorum Metropolim & Magistram esse voluit Ecclesiam Strigoniensem, &c. Misit à Petri Apostolorum Principis successore petiturum, ut Strigoniensem Ecclesiam sua authoritate Metropolin constitueret, reliquos Episcopatus sua benedictione muniret, &c.* *Surius die 20. August. c. 7. 8.* *Pontifex precibus annuit, Crucemque ante Regem, ceu Apostolatûs insigne, gestandam adjunxit. Ego, inquiens, sum Apostolicus, at ille merito Christi Apostolus dici potest, cujus opera tantum populum sibi Christus acquisivit. Atque eâ causâ quemadmodum divina gratia ipsum docebit, Ecclesias Dei unà cum populis nostra vice ei ordinandas relinquimus.* Ea sunt verba Caruvici Episcopi, in ea quam scripsit hujus Regis vita.

Instituit ergo Stephanus Rex & Episcopatus plures, & Metropolin, sed non Regis sanè, verùm Apostolici Legati nomine & authoritate, ut *Rainal. an. 1231. n. 24. 25.* disertè testatur ipsemet in privilegio Apostolico, quo Ecclesiam quandam dotavit, quodque prolatum fuit longo post tempore sub Gregorio Papa *Rainal. an. 1233. n. 51.* IX. & ab eodem confirmatum. Id quoque animadversum est ab Andrea Hungariæ postea Rege, in Epistolis ad eundem Gregorium IX. datis, cùm ne corona quidem regia cingi caput suum, nisi ex Apostolicæ sedis authoritate voluisset Stephanus: ab ipsa veri specie procul esse, qui suspicantur illum propria authoritate Episcopos instituisse. *Sed & authoritate summi Pontificis, qui ipsum vocavit Regem & Apostolum Gentis nostræ, Provincias per Episcopatus distinxit.* Paucis pòst annis Bela Rex bellum Bulgaris illaturus, quos infestissimos Ecclesia Latina experiebatur hostes, eadem se Apostolica Legatione muniri postulavit à Pontifice, parique novos creandi Episcopatus potestate, qua olim Stephanus Rex insignitus fuerat. Consultius duxit *Rainal. an. 1238. n. 11. & seqq.* Pontifex, ut ex suis vel Episcopis, vel Archiepiscopis aliquem Rex deligeret, cui Apostolicæ hæ vices cum Legatione mandarentur.

Denique docet nos idem Gregorius IX. in Epistola Decretali, à Colocensi in Hungaria Archiepiscopo novum erectum fuisse Episcopatum in Ecclesia quadam Parochiali, cui qui præerat Archidiaconus, in ejus Ecclesiæ Præpositum, non jam Presbyterum, sed Episcopum, pristinum jus suum retinere se, & exercere posse sperabat. *C. Cum inferior De majorit. & obedient.* Quam ejus effrænem confidentiam damnavit Pontifex. Et hinc liquet, & ab exemplis bene multis suprà relatis, vocari vix posse in dubium, quin authoritate sedis

Apostolicæ fretus esser Colocensis, cùm illum creavit Episcopatum. *Rainal. an. 1460. n. 92.* Thomas Bosniæ Rex à Pio II. oravit, nec exoravit tamen potestatem creandi Episcopales sedes novas, quòd Matthias Hungariæ Rex, cui obnoxia erat Bosnia, intercederet.

*Anno 1157.* X. Suprà commemoratum est à nobis, qua Hadrianus IV. Papa Gradensem Patriarcham accinxerit potestate, ad Episcopales sedes Venetis creandas in omnibus Imperii Constantinopolitani regionibus, urbibusque, ubi eo essent numero Veneti, qui Episcopali dignitati concinerer, & ubi plures essent eorum Ecclesiæ. *Concil. to. 10. p. 1173* Relatum quoque à nobis est Innocentii III. & Lateranensis IV. Concilii decretum, quo potestas fit Latinis Episcopis, qui in sua Diœcesi plebes numerosas habent diversâ lingua utentes, ut alium illis ordinent Episcopum eorum *C. Quoniã De Offic. judic. Ordin.* gentis & linguæ, cui præsint ipsi, ut Vicario generali suo, & tanquam Suffraganeo.

Quanquam summa summi Pontificis authoritas in Italia splendidius dominetur, quàm usquam gentium : hoc tamen exemplo patebit potestatem ibi Imperatorum Episcoporumque obnubilatam prorsus non fuisse. *Baron. an. 1014. n. 4.* Narrat Ditmarus Bobiensem Episcopatum ab Imperatore Henrico I. excitatum fuisse, cum suffragio Episcoporum, quos Ecclesiæ necessitas charitasque instigabat : ea forsan etiam contemplatione, quod eo loco quiesceret corpus beati Columbani : *Communi consilio & licentia Comprovincialium Episcoporum, quia summa necessitas, & quæ præcellit Christi charitas ad hoc instigavit.* *Baron. an. 1176. n. 12.* Alexandriæ civitatis Episcopatum Alexander III. Papa condidit, petentibus Mediolanensis Provinciæ Archiepiscopo & Episcopis, immo & Magistratibus. *Ad postulationem Mediolanensis Archiepiscopi, & Comprovincialium Episcoporum, atque Rectorum civitatum Lombardiæ Episcopatum instituit.* Conducibilius paulò pòst duxit Pontifex, Aquensem Episcopatum Alexandriam transferre, unumque ex duobus Episcopatibus condere. *Ann. 1188 n 3.* Itaque id quidquid erat curæ, Mediolanensi Archiepiscopo, ceu Metropolitano mandavit, cujus hæc sunt verba in Epistola ad Alexandrinos scripta : *Sanè cum à Domino Papa acceperimus in mandatis, ut Aquensem Episcopum una cum sede sua in civitatem vestram transferremus, id curavimus effectui mancipare.* Exarsere non multò pòst rixæ litesque inter duas Ecclesias Cathedrales, & inter duo Capitula, quibus uni Episcopo parendum erat. Rem ita composuit Innocentius III. ut Episcopus alternatim resideret, celebrioresque perageret dies in utraque Ecclesia : negotia alterutrius & Ecclesiæ & Civitatis tractaret cum ejusdem Canonicis & Magistratibus : uteretur nomine Episcopi ejus dumtaxat urbis, cujus tum negotia expediret : *Rainal. an. 1206 n. 39. 40.* ad electionem Episcopi concurrerent suffragia utriusque Capituli in unum locum congregati. Potest ex his Lectori non utilitas tantum aliqua, sed & voluptas creari, cùm tot ubique occurrant exempla Capitulorum unitorum. Episcopatum Lavellaonensem Paschalis II. extinxit in regno Neapolitano, aut Melphensi potius univit, ne ignobilitate *Conc. to. 10. pag 695. 1045.* vicoli obscuraretur dignitas Episcopalis. *Magnum enim est Ecclesiæ detrimentum, cum Episcoporum nomen ac dignitas infrequentia inopiaque vilescit.* Facilè crediderim eadem hac ratione excitatum Eugenium III. Velitrensem Episcopatum univisse Ostiensi & sanctæ Ruffinæ.

Si cui mirum videatur, unum Episcopum in duas urbes duasque Cathedrales Ecclesias partiri curam, charitatem, semet denique ipsum quodammodo; non minùs forsan accidet mirum, in una & eadem Civitate duas esse posse Cathedrales Ecclesias, quarum unaquæque Archiepiscopum sibi vendicet, vel quæ in unam veluti Cathedralem, unumque conflentur Capitulum. Ejusmodi est Ecclesia Visontionensis, jam inde ab anno 1254. quando has illi conditiones præscripsit Innocentius IV. Papa, ut ex historia liquet Abbatiæ Trenorchiensis. Usque adeo certum est inexpectatis & stupendis *Pag. 170. &c. & par. 1. pag. 342. &c.* quibusdam temporum vicibus, rerumque commissuris extorqueri vel sapientissimo cuique consilia & decreta inusitata & aliàs inaudita. Hoc numero haberi potest, quod refert de Joanne Papa Leo Ostiensis. Cùm enim circumvenissent eum Capuani cives, extorsissentque ab eo ordinationem Neophyti, quem elegerant sibi Episcopum, postquam canonicè electum nullo non contumeliarum genere incessissent ejecissentque : sive errori, sive obreptioni medicinam fecit, alia forsan medicina eluendam; Capuam, Capuanumque Episcopatum totum in duos hos dividens Episcopos.

XII. Jamdiu ad Hispaniam propero, ubi Concilium Jaccense, cui Rex cum Optimatibus aderat, Oscensem Episcopatum Jaccensem ipsam in urbem transtulit; ea scilicet de causa, quod Osca tunc potirentur Mauri : qui profligari cum primum potuissent, & ex eorum potestate Osca recipi, jam *Anno 1060. Conc. To. 9. pag. 1122. 1173.* tum decretum est, pristinam ei dignitatem restituendam. Hæc Concilii Jaccensis decreta roboravit Gregorius VII. teste Surita, qui addit Jaccenses tum Episcopos dici cœptos, qui antè Aragonii dicebantur. Simile veri est utroque nomine illos esse, cum Hieronymus Blanca, de Concilio agens post biennium habito, Aragonenses illos nominet adhuc Episcopos.

Majoricensis Episcopatus institutio habet, quod singulari admiratione dignum ducamus. Balearides insulas, Sarracenus Princeps qui eas in ditione sua habebat, Episcopo & Capitulo Barcinonensi dono dederat. Eam donationem confirmaverat sedes Apostolica. Insula & urbs Majorica ad eam tandem ex- *Hisp. Illust. t. 3. pag. 76.* crevit tum magnitudinem, tum opulentiam, populique frequentiam, ut Episcopum ibi creari non invitaret tantum utilitas, sed & necessitas urgere videretur. Id sibi juris vendicabat Barcinonensis Episcopus, ut Episcopatum novum ibi constitueret. Magnam opum vim fundandæ novæ Cathedræ Rex repræsentabat, si ea sibi gloria concederetur. Denique unanimi consensione statutum est, ut Rex quidem primum præsentaret Episcopum : at eo mortuo Episcopus & Capitulum Barcinonensis Ecclesiæ successores illi eligerent.

Castellæ & Legionis Rex Ferdinandus cum Hispaniæ urbes alias aliasque subinde ejectis Mauris suæ adjiceret ditioni : Gregorius IX. ad Archiepis- *Rainal. an. 1234. n. 50.* copum Toletanum rescripsit, ut antiquos Episcopatus in his civitatibus omnibus redintegraret, idque peragerer Apostolicæ sedis vice, *nostra authoritate.* At ducentis ampliùs & quinquaginta pòst annis, cum Ferdinandus Rex cognomento Catholicus urbem regnumque Granatæ recepisset debellatis ejectisque Mauris; delegatus est ab Alexandro VI. Abulensis Episcopus, ut Granatam quidem Archiepiscopali sede, Malacam, Guadix, & Almeriam Episcopalibus Cathedris exornaret, juxta Regis & Reginæ vota. *Motu proprio non ad alicujus* *Rainal. an. 1493 n 24.* *nobis super iis oblata petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, per Apostolica scripta mandamus, & committimus, &c. Limitatam*

*mitatam Diœcesin juxta consilium & ordinationem Regis & Reginæ assignes, &c.*

XIII. Usque in America tandem desinamus, author est Petrus Martyr in Epistola ad Leonem X. petente Rege ab Apostolica sede institutos ibi esse Raynal. an. 1515. n. 110. Episcopatus quinque: *Episcopos jam quinque supplicatu regio sua sedes Apostolica novos erexit.* Ex his de cæteris conjicies, complures nimirum & Metropoles & Episcopatus ab Apostolica sede petentibus Regibus institutos fuisse.

XIV. Hactenus de sola Episcopalium Sedium erectione, suppressione, unione aut divisione disceptatum est. Non translata Episcopali sede Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Leodiensis in urbem Huiensem transferri à se posse sperabat Archiepiscopus & Elector Coloniensis, cui commendata unà erat Leodiensis infula. Eò illum instigabat contumelia ipsi à Leodiensibus civibus irrogata, qui adventanti ei portas orbis occluserant. Assensi jam Pagnan. in 2. Part. l. 5. Decret. pag. 54. erant Canonici sexdecim. Accedebat & Apostolici Nuntii authoritas. Sed cùm tredecim alii Canonici cum Decano ad Sedem Apostolicam appellassent, causa Romæ excussa anno 1649. post congregationum iteratas consultationes, tandem Innocentius X. translationem ratam esse sanxit.

XV. In Oriente cùm Balduinus Godofredi Builionii frater primus Hierosolymæ Rex inunctus fuisset in Ecclesia Bethleemiticæ civitatis, consilium iniit collocandæ Cathedralis sedis in ea urbe, quam suis Christus quondam cunabulis consecraverat. Prioratûs enim tantùm nomine antè fruebatur, L. 11. c. 12. teste Vuillelmo Tyrio: *Usque ad illum diem Prioratus tantùm fuerat.* Misit ergo Romam Arnulphum Hierosolymitanæ Ecclesiæ Archidiaconum, ut Paschalis II. authoritate res ad exitum perduceretur. Legatione Palæstinæ ornaverat Paschalis Gibelinum Arelatensem Archiepiscopum. Huic ergo tunc quoque mandavit Episcopalis hujus sedis erectionem, quam & peregit summo cum Regis, Cleri & Optimatum consensu anno Christi 1110. En verba ipsa L. 17. c. ult. Edicti Regii: *Pro præcepto Paschalis Papæ & mea bona voluntate, & assensu Hierosolymitani Capituli, ac totius favore consilii omnia dispensans, in Bethleemitica Ecclesia Episcopalem Primatum decrevit.*

Anno 1154. recepta ex infidelium potestate Ascalone urbe, Episcopalem ibi Cathedram erexit Patriarcha Hierosolymitanus; at appellante ad Romanum Pontificem Bethleemitico Episcopo, rescissa est illa Episcopatûs novi institutio, & Ecclesia Ascalonitica Episcopo Bethleemitico parere jussa.

---

## CAPUT LIX. *P. 4. l. 1. c. 21.*

## De Missionibus Apostolicis ad Infideles Christi jugo subjiciendos, extrema hac ætate, post annum Christi millesimum.

*I. Pastoris Universalis nomine & officio arctiùs cæteris obligatur Papa, ut Infidelium conversioni incumbat. Veniunt tamen & Episcopi alii in aliquam hujus sollicitudinis partem.*

*II. Repetitum ex Beda Gregorii Papæ exemplum.*

*III. Argumentum aliud ex Bernardo & ab exemplo sancti Malachiæ Archiepiscopi Hiberniæ. Quàm necessariò concinere & conspirare cum Papa Episcopi debeant alii, ut res procedat ex animi sententia.*

*IV. Exempla conversionis gentium ad Boream projectarum.*

*V. Exempla alia gentium in ultimos Europæ fines subductarum, & perductarum tamen aliquando tandem ad Christianam fidem.*

*VI. Indorum conversio.*

*VII. Nonnulla rursus animadvertuntur in erectione novorum Episcopatuum.*

I. IN elucidanda Episcopalium novarum sedium creatione, ad barbararum Gentium conversiones subinde defleximus, quas novi Episcopi, aut in Christo primum genuerunt, aut Christianis jam imbutos rudimentis excoluerunt. Eandem hic teremus orbitam, idque unum maximè conabimur, ut elucescat, quantum in his novarum Gentium in Christianæ fidei castra adgregationibus, eminuerit semper Apostolicæ sedis authoritas, & extremis his maximè sæculis præcelluerit: nonnullas tamen nec indecoras fuisse Episcoporum partes, ut & ipsi nonnihil hujus gloriæ sibi demererentur. Hæ sunt enim constantissimæ regulæ duæ, quibus disciplina regitur Ecclesiæ in hujus generis rebus: 1. Romanum Pontificem ut Ecclesiæ totius Pastorem Universalem, ejus Imperio propagando incumbere debere, nec charitati, aut vigori modum fuemquam ponere ullum, cum nec Christus ullum posuerit, vel Pontificiæ potestati, vel Ecclesiæ amplitudini: 2. Episcopos similiter, quà successores & ipsi Apostolorum sunt, Apostolica, hoc est incircumscripta charitate inflammati, agique debere; ut siqui in eorum confinio langueant adhuc infideles populi, in eos Christo lucrandos infatigato studio ferveant. Nulla rixa, nihil æmulationis exoriri poterit inter duas potestates, tanta sanctitate scatentes, & antiquissima pace, alterius in alteram subjectione & observantia devinctas.

II. Profitetur Beda ipse Sedis Apostolicæ, quà princeps, quà universalis est, hanc esse potestatem, hoc etiam officium, cui satisfacere se non posse sensit Gregorius Magnus, nisi Apostolicos Concionatores ad Anglorum conversionem in Angliam transmitteret: *Cùm primum in toto orbe gereret Pontificatum, & conversis jamdudum ad fidem veritatis esset Prælatus Ecclesiis, nostram gentem eatenus Idolis mancipatam Christi fecit Ecclesiam.* L. 2. c. 1. Diximus suprà ut ad Reges Episcoposque Francorum scripserit, missos à se in Angliam divini verbi Præcones, quòd Galli torperent Antistites, nec petentibus Anglis suas illuminari tenebras, ipsi è proximo lumen Evangelicæ veritatis inferrent.

III. Cùm Eugenium III. Bernardus admoneret eorum quæ erant ejus officii, præclarè hanc ejus oculis subjecit infinitam quodammodo charitatem, in omnes ubique gentium Infideles, opis & lucis aliquid effundere gestientem. *Recordare vocis illius,* L. 3. de Consid. *Sapientibus & insipientibus debitor sum. At nullum genus insipientia infidelitate insipientius. Ergo & infidelibus debitor es, Judæis, Græcis & Gentibus.* Quid autem præclarius, quid vehementius his ejosdem mox verbis, in eorum desidiam, quorum torpore lentescit cursus Evangelicæ prædicationis: *Quis primus inhibuit hunc salutarem cursum? Qua fiducia, qua conscientia Christum non vel offerimus iis, qui non habent?*

At idem alibi Bernardus luculentè declarat, exemploque Malachiæ Armachani in Hibernia Archiepiscopi approbat, ita secum statuisse, ita expertos esse Præsoles quoscumque Apostolico vigore & ardore ferventes, tum authoritati suæ cedere & subesse omnia, facillimèque obices omnes complanari, cum auxiliatrix adest præestque Apostolicæ Sedis authoritas. Cùm Malachias jamdiu impetu quodam Apostolici spiritûs raperetur, nec ullis sisteretur finibus variarum Diœceseon: advertit tandem sensitque multò consultius tutiusque fore, si

universalis & summæ Sedis delegatione & potestate muniretur: *Ipse interdum ibat & exibat seminare semen suum, disponens & decernens de rebus Ecclesiasticis tota authoritate, tanquam Apostolus unus. Et nemo illi dicebat, In qua potestate hæc facis? Videntibus cunctis signa & prodigia quæ faciebat. Et quia ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Visum tamen sibi non tutè satis actitari ista absque Sedis Apostolicæ authoritate.* Non locorum proximitas, non miracula, non aeli æstus incredibilis Malachiæ satisfacere potuerunt, nisi & Apostolicæ Sedis authoritate fulcirentur suæ in Barbaras gentes expeditiones, quòd ei nimirum Sedi totius ovilis per orbem universum sparsi curam mandarit Christus. In eadem erat sententia & Petrus Cellensis Abbas, cùm flagitaret ab Alexandro Papa, Apostolica tuitione ut frueretur Episcopus, qui suas in Infidelium conversionem operas & conciones, non aliter satis convalescere posse sperabat. *Non à vobis hoc exigitur, ut virtus miraculorum tribuatur, sed authoritas vestra cum ipso & in ipso operans, ut faciliùs ei ab incredulis credatur.* Tres ergo hæ fuerunt causæ certissimæ, ut Apostolica Sedes curam, sollicitudinem, authoritatemque maximè suam interponeret toto orbe ad Infidelium gentium conversionem: aut Principatus & universalitas Apostolatûs à Petri Apostolorum Principis successione manans; aut inertia Episcoporum ignem illum excitare pigritantium, quem Christus accendit, & quo totum orbem incendi voluit: aut Apostolicorum hominum Præsulumque voluntas ipsa & certissima persuasio, verbi divini prædicationem plus ponderis & virium habituram, si quo Præcones ipsi Apostolicæ benevolentiæ & authoritatis radio illustrarentur.

Bernard. in vita sancti Malach.

L. 6. Ep. 6.

IV. Innumeris hæc omnia exemplis muniri possent. Pauca seligemus, nonnulla etiam jam superiùs delibata inculcabimus, scilicet novæ cum lucis novarumque probationum accessione. Suprà jam narravimus Ebbonem Archiepiscopum Remensem jussu Imperatoris Ludovici Pii & Concilii Nationalis Galliarum Romam profectum esse, ut à Paschali I. Papa delegationem Apostolicam in Septentrionalium gentium conversionem impetraret. *Cum consensu Lodovici Imperatoris, ac penè totius regni ejus Synodi congregata Romam adiit, ibique à Paschali Papa publicam Evangelizandi licentiam in partibus Aquilonis accepit.* Ipsissima sunt verba Epistulæ sancti Anscharii, quem Ebboni adjunxit Ludovicus Pius, Hamburgensi Archiepiscopatu eum donari, & Pontificia cumulari Legatione curans in omnes Boreales plagas. Accipe jam ipsius Pontificis Gregorii IV. verba: *Sanctum studium magnorum Imperatorum tam præsenti authoritate, quàm etiam Pallii datione more prædecessorum nostrorum roborare decrevimus, &c. Anscharium Legatum in omnibus circumquaque Gentibus Sueorum sive Danorum, necnon etiam Slavorum, unà cum Ebbone Remensi Archiepiscopo, statuentes ante corpus & confessionem sancti Petri, publicam Evangelizandi tribuimus authoritatem, ipsam Sedem Hammaburg Archiepiscopalem deinceps esse decernimus.* Plurium Imperatorum meminit hîc Pontifex: quia eadem priùs à Carolo Magno jam dixerat fuisse agitata consilia, ut tot palmas de victis Saxonibus à se relatas, insigni hoc suæ in Deum pietatis & grati animi monumento consecraret. Etenim si Imperatorum victoriis pomæria Ecclesiæ proferebantur: Ecclesia vicissim Imperatoribus & aggerabat victorias, & victoriarum præmia afferebat. Regibus quoque persuasissimum erat, Episcopos suos non minore gloria, sed longè majore facilitate superaturos Barbararum Gentium infideliumque pervicaciam, si eam non privata tantùm sua, sed tota universæ Ecclesiæ in unum corpus cum suo capite revinctæ potestate oppugnarent.

Bolland. mense Febr. Tom. 1 pag. 404 & seq.

Francorum ergo tum pietati Regum, tum Episcoporum zelo & sollicitudini, suppetias ferente Apostolica Sede, accepta referri debet Septentrionalium omnium regnorum ad Christianam fidem conversio. Pluribus enim jam suprà declaratum est, Hamburgenses hos Archiepiscopos à Regibus Gallis, deinde & ab Apostolica Sede delegatos, Evangelicam fidem in omnes illas plagas disseminasse, & viginti admodum Episcopos creasse Episcopatusque in Dania, Norvegia, Suecia, Orcadibus, & Islandia. Lundensem Archiepiscopum Innocentius III. Legatione induit Apostolica, ut efficaciùs in adducendis ad fidem Gentilibus laboraret; jussis eodem tempore Sueciæ Daniæque Episcopis, ipsoque etiam Archiepiscopo Upsalensi, ut omnes unà in hoc ipsum pro virili quisque portione sua contenderent: *Hoc ut pleniùs & efficaciùs exequaris, nos tibi vices nostras duximus committendas.*

Regest. 15. Epist. 14.

V. Author est Petrus Damiani, cum primum beatissimus Martyr Bonifacius exarsit in conversionem Infidelium Provinciæ Russiæ, statim eum Romam profectum, à Pontifice delegatum eò fuisse, investituumque Archiepiscopatu Russiorum. *Romam pergere studuit, & ab Apostolica Sede consecrationem Archiepiscopatus accepit.* Prima Monasticæ Bonifacius pietatis rudimenta posuerat sub Romualdo, cúmque quam cupidè ambierat, tam feliciter adeptus esset lauream martyrii, pia æmulatione incensus est Romualdus, ut & ipse in Hungaria consimiles palmas sibi pararet. Licentiam à Pontifice petiit & impetravit, à quo & duo ex discipulis ejus Archiepiscopali ordine & potestate instructi sunt. *Licentia ab Apostolica Sede suscepta, & duobus e discipulis suis in Archiepiscopos consecratis, cum viginti quatuor fratribus iter arripuit.* Sanctus Bruno Prussiæ Apostolus Romualdo felicior fuit in aucupanda martyrii laurea; Delegationem Papæ impetraverat, ejusque & Imperatoris mandato Episcopus consecratus fuerat. Ita enim perhibet Ditmarus: *Benedictionem cum licentia domini Papæ Episcopalem ab eo petiit.* Innocentius III. Gnesnensis Archiepiscopi curæ commendavit Monachos, qui Evangelica semente Prussiam cœperant serere, permissione habita Apostolicæ Sedis, *de nostra licentia.* Quin & ipsi mandavit Episcopalia exercere munia in Ecclesia illa exoriente, donec ad eas adolesceret vires, quibus meritò Episcopalis sedes donaretur: *Curam officii Pastoralis impendas, donec proprium possint Episcopum obtinere.*

Baron. an. 1008.

In vita sancti Romual. c. 27. 39.

Baron. an. 1008.

Accepit Livonia, ut jam à nobis dictum suprà est, primos divini verbi satores primumque Episcopum suum ab Archiepiscopo Bremensi, seu Hamburgensi, atque adeo ab Apostolica Sede, cujus ille delegatus erat. Episcopus Rigensis, qui primus in Livonia ordinatus fuerat, Estoniæ Provinciæ alium ordinavit, subsidio fultus quorundam Germaniæ Episcoporum. Hunc authoritate sua confirmavit Innocentius III. & à Metropolitanorum potestate exemit, quod tantò æquius proniusque erat, quòd ei nunquam paruerat. Honorius III. certior factus ab Episcopis novellarum harum Coloniarum messem ampliorem esse, quàm ut tam paucis operariis posset excoli & curari: Cisterciensis Ordinis aliorumque Regularium Abbates Superioresque excivit, ut auxiliares copias suo ex cœtu sacram in hanc

Baron. an. 1156 n. 20.

Regest. 16. Epist. 127. 129.

Raynal. an. 1220. n. 38.

An. 1224. n. 38. militiam immitterent. Concessit & his Episcopis, ut ex Cœnobiis eligerent ipsi cum assensu Superiorum, quos Apostolico huic muneri instructiores paratioresque judicarent. Paucis pòst annis misit & Mutinensem Episcopum, qui tot Apostolicis operariis solatio esset & præsidio. Repressit denique Bremensis Archiepiscopi jactantiam, qui Præsules omnes novellæ hujus Ecclesiæ jurisdictioni suæ vendicatum ibat, cùm nullo se argumento posset, aut beneficio ejus satorem esse, ac parentem demonstrare.

Ex Livonia in Lithuaniam serpsit fidei prædicatio. Hujus Magnus Dux Mindanus ditionem suam tuitioni subjecit sedis Apostolicæ. Annuit ejus votis Innocentius IV. Papa, mandavitque Culmensi Episcopo, Regiis ut insignibus ornaret Mindanum, nomine & vice sancti Petri, utque Episcopum Lithuaniæ daret, qui Romano [...] obnoxius esset Rainal. an. 1251 n. 45. an 1254. n. 27. Pontifici. Denique Livoniæ Episcopos per litteras hortatus est, ut Evangelico lumine, quo collustrati ipsi jam erant, circumpositas gentes aspergerent. Livoniæ Archiepiscopus præceperat Episcopum Lithuaniæ sibi subjicere, & obedientiæ sacramento sibi obligare. At cùm Magnus Dux Ecclesias suas percuperet immediatè ab Apostolica Sede pendere, solvit hunc Episcopum Papa à sacramenti & obedientiæ vinculo, quo constrictus fuerat, jussitque ut in unius Romani Pontificis jure & potestate esset. Sanctus Otto Bambergensis Episcopus, ut Apostolus Pomeraniæ aliquando diceretur, ab Apostolica primum sede Missionis suæ & Apostolatûs privilegium impetravit. Ita enim Abbas Urspergensis: Baron an. 1124 n. 4. Conc Tom. 10. p. 1719. *Prædicti Apostolici authoritate & assensu roboratus.* Idem testatum fecit in Epistola quadam sua Clemens III. *In gente Pomeranica, ad quam ab Apostolica sede fuit transmissus.*

VI. Innumera circumferuntur & omnis generis monumenta historiæ Indiarum, tum Orientalium, tum Occidentalium, in quas altius penetratum est in dies annis ab hinc ducentis trecentisque: & in his omnibus passim Ecclesiarum, passim Episcopalium sedium novæ & necessariæ creationes. At ubique mira semper resplendet concordia & conspiratio sedis Apostolicæ cum Episcopis quorumcumque regnorum ad Ecclesias & Sedes novas excitandas. Quamvis id animo præcepissent Episcopi, divina ab origine eam in se transfusam esse potestatem: quamvis id quoque præsumptum esset Regibus id posse suo & nativo jure Episcopos suos: experimento tamen compertum est, hos illosque peræque statuisse, inauspicatum & inconsultum fore, quidquid ipsi inconsulto Apostolica sede ad fundandas novas Ecclesias tentassent. Itaque anticipata quodammodo omnibus fuit illa Bernardi & Malachiæ sententia, sine auspiciis & delegatione sedis Apostolicæ non procedere, non feliciter succedere Apostolicas in orbem novum, vel in Provincias novas missiones. *Visum sibi non tutè satis ablitari ista, absque sedis Apostolicæ authoritate.*

VII. Cùm creari necesse fuerit in Orbe hoc novo Episcopales & Metropolitanas Cathedras, immo & Primatiales: cùm necesse etiam fuerit ipsas partiri novi Orbis vastissimas Provincias, ne Christiani Principes alii aliis inviderent, officerent, & adversarentur: nullo ab alio Præsule, nisi ab Apostolica sede & à Christi Vicario per omnem orbem, hoc subsidii & beneficii genus expectari, nullo ab alio præstari potuit.

Universim porro ex hoc rursus Capite emicat, 1. Creationem novorum Episcopatuum in Provinciis, ubi tum primum Christiana fides illucescebat, plerumque Petri Sedi servatam integram esse, ab ipsis temporalibus Principibus, qui id sibi vel in gloriæ cumulum, vel in pietatis & religionis documentum cessurum esse arbitrati sunt, ut eorum Ecclesiæ ab una immediatè penderent prima & principe Ecclesia Romana. 2. Incertas primò liberasque, & veluti desultorias fuisse plerasque Episcopales Sedes in tota Provincia, quæ Evangelico primùm semine conspergebatur. 3. Non paucas Provincias, sine Metropolitanis, ab Episcopis interim solis ad ovile Ecclesiæ perductas fuisse, ab iisdemque aliquandiu ita administratas; quòd Ecclesiæ nimirum disciplina gradatim perpolita fuerit. 4. Primæva olim Christiani nominis & Imperii ætate, æquum est credi eodem ferè modo fundatas propagatasque paulatim esse Ecclesias Ecclesiarumque Sedes; Quòd videlicet ea demum sit natura, ea conditio Imperiorum omnium Statuumque, sive sacrorum, sive civilium, cum primùm excitantur.



## CAPUT LX. *P. 4. l. 1. c. 22.*

### De Episcopis & eorum jure & potestate multiplici, qua Delegati sunt Apostolicæ sedis. De eo usu, quo se scribunt Episcopos gratia Dei, & Apostolicæ sedis.

*I. Delegatio hæc antiqui juris & novæ accumulatio est, vel novum tantum juris incrementum.*

*II. Exempla hujus delegationis jam tum ab exordio quinti sæculi.*

*III. Exempla sæculi XI.*

*IV. Exempla sæculi XII. & XIII.*

*V. Concilia ipsis mox illa approbatur ante Tridentinam Synodum.*

*VI. Episcopi ita ab Apostolica sede delegati, suo arbitrio secùs subjiciuntur Metropolitanis: ad quos & appellari potest.*

*VII. An possint hoc genere potestatis uti Episcopi per Vicarios suos Generales.*

*VIII. Enumerantur causæ, in quibus Tridentina Synodus Episcopos delegatione sedis Apostolicæ auxit.*

*IX. Quando cœperint Episcopi Episcopos se inscribere gratia sedis Apostolicæ.*

*X. Multa in illam rem observantur.*

I. DElegatio hæc Apostolicæ Sedis nec nova nec Episcopis Metropolitanisve contumeliosa est, qua illos Tridentina Synodus ad varias causas armavit. Quin immo & ornamento illis ea est & emolumento, cùm vel authoritate eos augeat, qua priùs carebant, vel eam qua non carebant, firmitate & luce nova cumulet. Cæterùm non hæc arbitraria est delegatio, quæ à Pontificis voluntate proficiscatur; Tridentina ipsa quin immo Synodus, & jus stabile & constans Ecclesiæ universæ, hæc illis potestatis insignia confert & confirmat, non sine Apostolicæ authoritatis splendore quodam novo.

II. Præluxit in Epistola Zosimi Papæ ad Salonensem Episcopum specimen antiquissimum hujus rei. Quippe ibi Pontifex supplet impletque de sua plenitudine quidquid potestatis illi Episcopo minus adesse poterat in eo negotio, ubi plenior sanè & efficacior exerenda erat. *Igitur si quid authoritati tuæ quod nos non opinamur, æstimas defuisse, supplemus. Vos obsistite talibus ordinationibus, superbia & arrogantia venienti. Tecum faciunt præcepta Patrum, tecum Apostolicæ Sedis authoritas.*

Nec minùs præclarum ejusdem rei specimen in

Bonifac. in Decret. c. 4.

Decreto Bonifacii I. ad Archiepiscopum Narbonensem, cui Pontificia tuitio necessaria erat adversùs Metropolitanum alium, qui præter fas Luteva Episcopum ordinaverat, præter conscientiam Metropolitani proprii, præter voluntatem civium. Fatetur Pontifex non imparem esse Narbonensis Metropolitani authoritatem ulciscendæ ei contumeliæ, quæ tum canonicis legibus, tum Metropoliticæ injusta fuerat dignitati. At cùm res ei esset cum alio Metropolitano, apud quem nihil momenti habitura erat ejus authoritas, Apostolica illum communit & corroborat delegatione, qua frangi necesse sit cujuscumque Metropolitani contumaciam. *Nostra authoritate communitus, quod quidem facere sponte deberes, &c. Metropolitani jure munitus, & nostris præceptionibus fretus, ad locum accede, &c.*

Missa facio exempla tum Cælestini Papæ, qui Cyrillum Alexandrinum Episcopum delegavit, ut præesset suo nomine Synodo generali Ephesinæ; tum Leonis & Gelasii, qui delegarunt Anatolium & Acacium Archiepiscopos Constantinopolitanos, ad eas causas quæ eorum jam viderentur ordinaria jurisdictione contineri. Anatolio ipsi displicuit ejusmodi Legatio, ut Leo ipse in Epistola quadam sua testatum facit. Possent hæc exempla videri quibusdam nonnihil abludere ab iis delegationibus, de quibus hìc nunc agitur: non committam ergo ut tam operosæ & tam infructuosæ discussioni immorer diutius.

Epist. 77.

III. Satius est ergo à quinto ad undecimum sæculum progredi. Occurrit quippe statim Nicolaus II. Papa, qui Remensem Archiepiscopum Apostolica induit authoritate ad profligandam causam istiusmodi, cui par utique fuisset Metropolitica potestas, si qua tunc Canonum reverentia cordi fuisset; at cùm de crimine verteretur quæstio, quod ab insolentissimo Canonum contemptu profectum erat, verendum erat, ne peræquè flagitii authoribus contemptui esset Metropolitæ authoritas. Bellovacensem Episcopum ordinaverat Sylvanectensis injussu Metropolitani. Simoniæ præterea reus agebatur uterque Episcopus. Præcepit Pontifex utrumque à Metropolitano suspendi, usque ad Concilium Romanum, quo eos jubet accedere. *Accingimini igitur, & fultus hac nostra authoritate, omne Episcopale officium sibi interdicite, &c. usque ad Synodum: ubi nobis & tibi dignè satisfaciat.*

Du Chesn Tom 4. pag. 199.

Si cui videatur his exemplis significati tantùm cumulus quidam authoritatis, quo corroboretur ordinaria Episcoporum potestas: promenda nunc sunt aliqua, ubi nova delegetur authoritas, qua alias carerent Episcopi. Lucius III. in Comitiis Generalibus, ubi aderant unà Imperator, Patriarchæ quidam & Archiepiscopi, cùm multa asperiùs statuisset contra Hæreticos, Episcoporum jurisdictionem ampliavit, ut delegatorum Apostolicæ Sedis, in eos etiam posthac sævituram, qui uni subde-tant Sedi Apostolicæ. *Si qui fuerint, qui à lege Diœcesanæ jurisdictionis exempti, soli subjaceant Sedis Apostolicæ potestati; nihilominus in his quæ sunt contra hæreticos instituta, Episcoporum subeant judicium, & eis in hac parte, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, non obstantibus libertatis suæ privilegiis obsequantur.*

C. Ad abolendam. De Hæreticis.

IV. In Concilio Lateranensi IV. ab Innocentio III. sancitum est, ut si absque justa & notoria causa Ecclesiam Canonici interdicto subjicerent, celebraret nihilominus in ea Episcopus, & *ad querelam ipsius* Metropolitanus de causa cognosceret, tanquam delegatus Apostolicæ Sedis. Metropolitanus juxta Canones judex non sedet nisi in causis appellationum. Solus Pontifex & Legati ejus jure Decretalium causas disceptant etiam eas, quæ ad eos per querelas referuntur. Hìc ergo necesse erat à Papa delegari Metropolitanum.

C. Irrefragabili. De Offic. Iudic. ordin.

Anno 1243. Petrus Rotomagensis Archiepiscopus interpellavit Apostolicæ Sedis patrocinium, quo repagula multa aut amolliretur aut perfringeret, quæ sibi Provinciam visitanti objiciebantur. Innocentius IV. speciali Rescripto Apostolicæ authoritate Sedis illum investivit. *Sive authoritate tua, sive nostra, quam tibi committimus.*

Synodicum Rotomag. pag. 250.

Bonifacius VIII. Episcopos delegavit ad omnia judicia quæ spectant ad Monasteriorum exemptorum clausuram: *In Monasteriis Monialium sibi ordinario jure subjectis, sua: in iis verò quæ ad Romanam immediatè spectant Ecclesiam, Apostolicæ Sedis authoritate.*

In. 6. C Periculoso De statu Regul.

V. Nemo ergo inficias ierit, quin ante Concilii Tridentini tempora, istiusmodi Episcoporum delegationes & probaverint Pontifices Synodique, & usurpaverint. Concilium Rotomagense anni 1581. id perspicuè docet: *In his Episcopus censetur saltem Sedis Apostolicæ authoritate & delegatione defungi, sicut à Generalibus Conciliis, & præsertim Tridentino statuitur.*

Conc. Gen. Tom. 15. pag. 841.

VI. Ne Metropolitani quidem habent quòd molestè ferant, Episcopos sibi obnoxios ita delegari, cùm nihilominus appellari ad Metropolitam semper possit, quando Episcopi eas dijudicant causas, ut Apostolicæ Sedis delegati, quas ordinario jure dijudicare potuissent. Ita declaravit Concilium Mediolanense V. sub Carolo Borromæo, anno 1579.

Ibidem, pag. 689.

VII. Quæritur porro an possit Vicarius Generalis Episcopi de istiusmodi causis judicare. Et primò quidem si id genus causæ sint, de quibus ordinario jure suo cognoscat Episcopus, potest & de iis Vicarius Generalis cognoscere. Ejusmodi autem esse causæ conjiciuntur, cum Tridentina Synodus utitur voce *etiam*, innuens judicium agitari ab Episcopo, non ordinaria tantùm & propria potestate, sed ea *etiam* quæ ex nova delegatione accedit. 2. Ubi ea vox abest, mera delegatio est, nec ordinario posset jure Episcopus agere. Potest autem in his quoque subdelegare, cùm eo fruantur privilegio Delegati Principis. Sed mandato speciali tum opus est. Denique est ubi verba ipsa Canonici Juris sic habent, *solus*, *tantùm*: & tunc Episcopus subdelegare potest neminem, quòd ejus tunc personæ vel dignitas vel industria propria electa sit ad id muneris.

VIII. Pernumerandæ sunt jam causæ, ad quas Tridentina Synodus Episcopos Apostolicæ Sedis delegatione munivit. Iterum enim illud iterumque moneo, ab ipsa Synodo Tridentina habere hanc Episcopos, sive pristini juris confirmationem, sive concessionem novi. Nonnulla hìc incurrent, Galliæ nostræ usui receptisque moribus dissonantia, eoque ibi inusitata. At toto hoc opere multa conglomeravimus, quæ aliis aliisque Regnis propria & peculiaria sunt. Denique juvat Concilii Oecumenici statuta non nescire. 1. Ergo possunt Episcopi Abbates cessantes & inertes cogere, suis ut in Monasteriis lectionem sacræ Scripturæ haberi curent. 2. Possunt jure agere in Exemptos qui hæreses serunt. 3. Possunt Vicarios sufficere Parochiis Regularium, quorum Parochi à lege Residentiæ dispensationem Sedis Apostolicæ consecuti sunt. 4. Possunt animadvertere in Regulares & Exem-

Sess. 5. c. 1. Sess. 5. c. 2. Sess. 6. c. 2. Sess. 6. c. 3.

ptos, qui criminis aliquid perpetrant extra sua
Sess. 13 c. 5 Claustra. 5. Possunt cognoscere an subreptitia Rescripta Apostolicæ Sedis impetrata sint, ad levandas aut remittendas scelerum pœnas, quas ipsi indixerant. *Per seipsum, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, summariè cognoscat.* His vocibus *per seipsum* insinuatur non posse hîc delegare Episcopos, ut in
Sess. 14. c. 4. quatuor superioribus poterant speciebus. 6. Possunt in Clericos delinquentes animadvertere, quantisvis fretos se venditent privilegiis, etiam extra
Sess. 21 c. 3. tempus quo Parochias visitant. 7. Possunt mannalium distributionum usum instituere in Capitulis,
& Sess. 22. c. 3. quamlibet exemptis. 8. Possunt Parochos com-
Sess. 21. c. 4. pellere, ut tot habeant subsidiarios Presbyteros, quot regendæ Parochiæ necessarii sunt. Aut si Parochia quæpiam vastior est, quàm ut ab uno regi possit, possunt invitis Parochis eas in plures secare, novasque creare Parochias, Canonicis dero-
Sess. 21. c. 8 gationibus in contrarium nihil obstantibus. 9. Possunt quotannis visitare Abbatias omnes, Prioratus, Præposituras que in Commendam datas, & ubi non servatur regularis observantia; perinde ut & alia quævis Beneficia, cum Cura, & sine Cura,
Sess. 22. exempta & non exempta. 10. Possunt quæcumque ad Eucharistiæ Sacrificium pertinent, modetari; abusus si qui irrepserint, expungere; in Exemptorum etiam Ecclesiis, nihil hîc profuturis exemp-
Sess. 22. c. 5. tionibus. 11. Possunt, immo debent exequere dispensationes omnes à sancta Sede impetratas, & decernere an Pontifici obreptum subreptumque sit. *Summariè & extra judicialiter cognoscatur expressas preces subreptionis vel obreptionis vitio non subjacere.*
Sess. 22 c. 8. *re.* 12. Possunt Xenodochia, Confraternitates & dicata pietati loca visitare, quantumvis exempta, quantumvis à laïcis administrari solita, dum ne
Sess. 22. c. 10. sub Regum immediata protectione sint. 13. Possunt Notarios, etiamsi Apostolica, Imperiali, aut Regia authoritate creati fuerint, examinare, eorum sententiam scrutari, illisque non idoneis repertis, aut quomodocumque in officio delinquentibus, officii ejus in negotiis causisque Ecclesiasticis ac spiritualibus exercendis usum perpetuò aut
Sess 7. c. 8. ad tempus prohibere. 14. Debent visitare Eccle-
& Sess. 24 c. 9. 10. sias omnes exemptas, aut nullius Diœcesis, si proximiores eis sint. Si verò ex Diœcesanis aliqui exemptiones quaspiam impetrarint, & hos etiam visitabunt ad solam morum emendationem. Censuit Congregatio Concilii id conceptis verbis declarari ab Episcopo debere, has à se visitari Eccle-
Sess. 25. c. 5 9. De Monial. sias vi Apostolicæ delegationis. 15. Ad Clausuræ Religiosæ leges observandas possunt exemptas quoque Sanctimoniales cogere, in iis etiam Monasteriis quæ Apostolicæ Sedi immediatè subsunt: quòd ea Tridentinum Concilium subjecerit omnino ju-
Sess. 25. c. 9. risdictioni & regimini Episcoporum. 16. Possunt cognoscere de unionibus Ecclesiarum liberarum cum Ecclesiis iis quæ obnoxiæ Patronis erant, etiamsi uniones ex executioni mandatæ jam fuissent. 17.
Sess 25. c. 14 Possunt suspendere, aut Beneficiis omnino spoliare Clericos concubinarios, qua se cumque tegant
Sess. 25. c. 8. exemptione. 18. Suæ debent jurisdictioni subji-
De Regul. cere Monasteria omnia quæ in unum non coalescunt Congregationis corpus, intra id tempus, quod à Concilio Tridentino præfinitum est.

Conc. Gen. Tom. 15. pag. 1153. Concilium Provinciale Aquis-Sextiis congregatum anno 1585. in unum locum coëgit articulos istos omnes delegationis Apostolicæ Episcoporum.
Fagnan. in l. 1 Decret. Part. 2. Potest & Prosper Fagnanus consuli, à quo & nos hæc carpsimus.

IX. Superiori quæstioni finitima est & hæc alia, pag. 400. & seqq.
quo tempore & qua data occasione cœperint Episcopi complures inscribere se Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopos. Jam tum sanè à tempore Gregorii VII. Papæ Robertus utriusque Siciliæ Princeps clientelari jure Romano Pontifici obnoxius, hoc titulo utebatur: *Ego Robertus Dei gratiâ & sancti Petri, Appuliæ, Calabriæ & Siciliæ Dux.* At ea Baron. an 1081. n. 36.
erat temporalis ditio, quam fidei & obsequii vinculo astricti à Romano Pontifice Duces obtinebant; Cùm ex adverso Episcopi Principes sint Ecclesiarum, & à Christo immediatè divina origine manantem consecuri sint dignitatem. Quos primos memini legisse me hoc titulo singularis in Sedem Romanam vel clientelæ suæ, vel observantiæ vel conjunctionis insignitos, ii fuere Episcopi Latini Insulæ Cypri. Eo enim nomine usus est Archiepiscopus Nicosiensis in Constitutionibus à se editis jam inde ab anno 1251. Alius ejusdem Sedis Pontifex eodem titulo venditavit se, *Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus:* in Concilio ubi præerat, non Latinis modò Episcopis ejusdem Insulæ, sed & Græcis, Maronitis, Armenis, spiritualibusque Rectoribus Nestorianorum & Jacobitarum. Conc. Gen. Tom. 11. Part. 2 pag. 2400. 2432.

X. Poterat hinc quoque originem traxisse ea consuetudo, quòd Archiepiscopus Cypri Latinus hanc præcellentem authoritatem suam in Episcopos Græcos, Maronitas & Armenos adeptus esset institutione & beneficio Apostolicæ Sedis. Nec multo pòst Conc. Gen.
tempore Episcopi Italiæ eodem titulo gloriaban- Tom. 11.
tur. Archiepiscopi Ravennates eo se induerunt jam Part. 2. pag.
inde ab annis 1310. 1314. 1317. in Epistolis & in iis 1533. 1604.
quibus præfuerunt Conciliis. Hos proximè imita- 1659 1675.
ti sunt Archiepiscopi Narbonenses. Anno quippe 1618. 1921.
1351. hoc titulo in Epistolis, in Conciliis usi sunt. 1948.
Proximus accessit Archiepiscopus Turonensis, nempe anno 1365. Salisburgensis in Germania Episcopus anno 1417. Supersedeo à recensendis Archiepiscopis aliis, qui vel hoc, vel superiore sæculo, suam in Apostolicæ Sedis obsequium pietatem hoc documento testatam esse voluere. Eorum numerus omnino permagnus est in Italia, Gallia, America. Conc. Tom. 12. p. 308. 110. Conc. Tom. 15. p. 147. 242. 337. 1117. 1120. 1188. 1199. 1435 1472. 1574.

Satius est hîc obiter animadvertere, 1. Archiepiscopos, aut solos, aut quàm sæpissimè hoc titulo delectatos esse, ut liquidum fit, & ex antedictis, & ex locis ad marginem laudatis, quibus adjici & alia complura potuissent. 2. In Oriente primùm exortam hanc esse consuetudinem, inde in Italiam, Galliam, Germaniam, aliasque serpsisse partes Occidentis. 3. Nequaquam hujus consuetudinis initium ductum esse, ex eo tempore, quo Archiepiscopi Episcopique vocantur & eliguntur ad sacras infulas à Romano Pontifice ad Regum Præsentationem: aut ex eo quo Romani Pontifices complurium Episcopatuum collationem per varias Reservationes, de quibus alibi, sibi vendicaverant. Quæ enim suprà delibavimus exempla, aliquantò anteriora sunt. 4. Consentaneum magis fuisse eum morem Archiepiscopis quàm Episcopis, cùm eorum potestas quædam sit vel imitatio vel participatio privilegii, quo Petrum Christus supra Apostolos Episcoposque evexit: horum verò authoritas immediatè à Christo instituta sit. 5. Non dissidet à vero, complures Episcopos parum certos ejus rationis, quæ Metropolitanos hoc induerat titulo, & hanc interpretatos esse tesseram peculiaris in Apostolicam Sedem reverentiæ & pietatis, eorum exemplo se accommodasse, ex eo maximè tempore, quo eos à Regibus nominatos eligit præficitque Ecclesiis summus Pon-

tifex. 6. Prisca Ecclesiarum historia habet non pauca, quæ plus admirationis habeant: ut cum Cyrus Alexandrinus Patriarcha mandato & jussu Imperatorum Patriarcham se vel Papam Alexandriæ ascribit: *Satisfactio facta à Cyro misericordiâ Dei Episcopo, per divinam sanctionem benignissimorum atque triumphantium dominorum nostrorum locum obtinente Apostolicæ Sedis hujus Alexandrinæ civitatis.* Concilium ipsum Oecumenicum Ephesinum convenisse se dicit sæpissimè gratiâ Dei & jussu Imperatorum. *Sancta Synodus congregata Ephesi juxta decretum piissimorum Imperatorum.* Quod nil vetat, quin Synodus Christi nomine & authoritate prorsus divina convenisset. Synodi 6. Act. 13.

Aptissimè hîc illigabitur Cisterciensis Ordinis illa Constitutio, qua agitur de Episcopis ab illius Ordinis tyrocinio ad Episcopatum vocatis. Eorum classes ibi duæ memorantur: ut alii Episcopi sint gratia Sedis Apostolicæ, alii canonica & unanimi electione: *Illis autem quibus per Sedis Apostolicæ gratiam, seu per electionem concordem Canonicorum alicujus vacantis Ecclesiæ fuerit provisum, vel providebitur in futurum, de Episcopatûs officio est.* Conjectura hinc duci posset, Episcopos eos, quorum electio controversa, & ad examen Sedis Apostolicæ vocata fuerat, cujus vel judicio tandem vel dispensatione in Episcopali Sede firmati fuerant: eos, inquam, Apostolicæ Sedis gratia vocatos quandoque fuisse Episcopos; non autem eos quorum unanimis fuerat electio. Monast. Cist. p. 639.





# PARTIS PRIMÆ LIBER SECUNDUS,

IN QUO AGITUR,

De Ordine Cleri ſecundo, & Beneficiorum.

*SCILICET,*

De Chorepiſcopis, Archipreſbyteris, Vicariis Generalibus, Pœnitentiariis, Officialibus, Theologis, Archidiaconis, Parochis, Diaconis, Clericiſque Minoribus.

De Tonſura & Habitu Cleri, de Officiis Divinis & Cælibatu.

De Syncellis, Notariis, Cancellariis, Apocriſiariis, Magnis Eleemoſynariis, Archicapellanis, Cardinalibus & Legatis.



*De Chorepiſcopis & Archipreſbyteris.*

## CAPUT PRIMUM. *P. 1. l. 1. c. 18.*

De Chorepiſcopis per octo Priora Eccleſiæ ſæcula.

*I. In Chorepiſcopos copioſiùs quàm in quoſvis alios exundavit Epiſcopalis gratia & dignitas. Quæritur an Epiſcopi & ipſi fuerint.*

*II. Non habebant, ut eſſent Epiſcopi, ex eo quòd Chorepiſcopi eſſent: ſed aliunde id habere poterant. Probatur ex Concilio Neocæſarienſi.*

*III. Ex Laodiceno.*

*IV. Ex Nicano.*

*V. Conſentit id & cum Canone Concilii Antiocheni.*

*VI. Super eo Canone multa obſervantur.*

*VII. Exponitur Canon Concilii Calchedonenſis, ubi videtur Chorepiſcopatus pro novo ſtatui ordine.*

*VIII. Expenditur ea difficultas.*

*IX. Quo ſenſu intelligendus ſit Canon. Spiritalis tantum ibi ſpectatur juriſdictio, eaque Chorepiſcopis delegata.*

*X. Multis argumentis demonſtratur Chorepiſcopos Epiſcopos non fuiſſe.*

*XI. Ancyranus Canon explicatur, quo videtur permitti Chorepiſcopis ordinatio Preſbyterorum.*

*XII. Quin immo reſtringitur à Baſilio indulta eis prius facultas Clericos minores ordinandi.*

*XIII. Quo tempore ſuos Occidentalis Eccleſia habuerit Chorepiſcopos.*

*XIV. Illorum quæ vel cauſa, vel occaſio.*

*XV. Jurium Chorepiſcopalium breve compendium.*

*XVI. De Chorepiſcopis ætate Eccleſiæ ſecunda.*

I.  Res Primarios Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Ordines univerſim ſpectavimus ſuprà, & de eo qui inter illos Principatum tenet, ſeu de Ordine Epiſcopali copioſè ſatis ut arbitror diſſeruimus. Patriarcharum, Primatum, Metropolitanorum etiam jura ſpecialia & officia utcumque executi ſumus. Quæ ea de re dicenda ſupererant, in Secundam hujus operis Partem conjiciemus, quam totam potiſſimum elucidando Beneficiariorum, maximè autem Epiſcoporum officio dicavimus. Promovendus ergo nunc nobis gradus eſt ad ſecundum Cleri ac Beneficiariorum ordinem, & à Chorepiſcopis exordiendum, qui primariam poſt Epiſ-

copos olim potestatem dignitatemque consequebantur, & tam exuberantem Episcopalis plenitudinis abundantiam, ut hoc primo de illis quæri loco oporteat, an non reipsa Episcopi essent.

II. Quia enim, ut suprà dictum est, Episcopi in Diœcesis suæ majoribus locis novus subinde creabant Episcopos: de Chorepiscopis ita statuere nonnulli, hos verè Episcopos fuisse, quos civitatis Episcopus, aut in majoribus vicis oppidisve, aut in certis Diœcesis suæ regionibus, sui, ut ita dicam,
Can. 13.14. ministerii vicarios constituisset. Concilium Neocæsariense, cum vetuisset, ne Presbyteri rurales, ubi adest Episcopus, aut præsentibus Urbicis quibus cedere debent Presbyteris, in Ecclesia Cathedrali sacrificium offerrent; non modicum deinde discrimen inter hos & Chorepiscopos ponit. Statuit enim, ut offerat Chorepiscopus, atque adeo ut non solum rurali, sed & ipsius Cathedralis Ecclesiæ Presbytero præferatur. *Chorepiscopi autem sunt quidem in figura Septuaginta, ut Comministri autem propter studium in pauperes, offerunt honorati.* Antiqua versio Latina hujus Canonis his verbis incipit: *Vicarii Episcoporum, quos Græci Chorepiscopos vocant.* Interpretatio potius ea est quàm versio. Constat enim ejusmodi Chorepiscopos Episcoporum quasi forenses fuisse Vicarios.

III. Haudquaquam tamen erant Episcopi, nisi forte quis contra Canones ordinatus in vico Episcopus, ea lege toleraretur, ut non minùs subesset Episcopo civitatis, quam si primò Chorepiscopus tantum fuisset ordinatus. Id colligere est ex Cano-
Can. 57. ne Concilii Laodiceni: *Quod non oportet in villulis, vel in agris constituere Episcopos, sed visitatores, ☧ευτὰς. Hos autem qui antè hac ordinati sunt, nihil agere sine conscientia Episcopi civitatis.* Quibus ex verbis duo exprimuntur. 1. Ideo Chorepiscopos ex Collegio Episcoporum expungendos esse, quòd non possent Episcopi in villis, non possent Chorepiscopi nisi in villis & ignobilibus locis ordinari. 2. Eorum tamen nonnullos Episcopali ordinatione auctos antè fuisse, sed qui canonico judicio extrusi essent in inferiorem, hoc est in Chorepiscoporum ordinem.

Can. 8. IV. Est & aliud in Concilii Nicæni Canonibus Episcoporum genus, qui in Chorepiscoporum statum & ordinem dejiciuntur. Si Novatianæ sectæ Episcopus Ecclesiæ se Catholicæ recolligeret, in arbitrio & potestate situm erat Catholici ejusdem civitatis Episcopi, collegæ huic novo nomen ut titulumque permitteret Episcopi: aut inter Presbyteros suos collocaret: aut aliqua donaret Parochiali Ecclesia, aut denique Chorepiscopi munere fungi sineret. *Nisi fortè placuerit Episcopo, nominis honore eum censeri. Si verò hoc ei minimè placuerit, providebit ei, aut Chorepiscopatus, aut Presbyterii locum; ut in Clero prorsus esse videatur, nec in una civitate duo Episcopi probentur existere.* Quo certè Canone evincitur rursus Episcopis non potuisse annumerari Chorepiscopos, cum hic prohibeatur ne duo sint una in civitate Episcopi; quanquam casu aliquo contingeret, ut qui Episcopus jam erat, in Chorepiscopum regradaretur: ut verbis ipsis utar Canonum.

V. Ita capiendus Antiochenus Canon, quo jubetur, ut Chorepiscopi, quamvis ordinationem Episcopalem perceperint, & in Episcopos fuerint inaugurati: intra illum tamen se modum gyrumque contineant, quem Chorepiscopis Canones assignarunt: ubi urgebit necessitas, Clericos inferiores ordinent; sed ne id sibi sument, ut Presbyteros Diaconosve ordinent: propterea quòd eam Canones solis Episcopis contulerint potestatem. *Si qui* Can. 10.
*sunt in vicis, vel pagis, qui dicuntur Chorepiscopi, etiamsi Episcopi ordinationem manuumve impositionem acceperint, visum est, ut suum modum sciant, & sibi subjectas Ecclesias administrent, earumque cura & sollicitudine contenti sint. Constituant autem Lectores, Hypodiaconos & Exorcistas; & eorum promotione contenti sint. Nec Presbyterum, nec Diaconum ordinare audeant, absque urbis Episcopo, cui subjicitur ipse, & regio.* Poterant hi Chorepiscopi Episcopalem antè obtinuisse inaugurationem, vel eo duplici qui suprà expositus est modo, vel hoc etiam tertio, si ad civitatem aliquam ordinati Episcopi, ne in ejus Ecclesiam & sedem admitterentur, objectus fuisset obex aliquis ineluctabilis, & imperassent ipsi sibi servire necessitati, & in inferiore Chorepiscoporum gradu Ecclesiæ inservire.

VI. Sunt & alia porro multa, quæ in hunc Antiochenum Canonem observentur. 1. Manuum illam Episcopalium impositionem, χειροθεσίαν ἐπισκόπων, de ea intelligi posse, qua solus in instituendo Chorepiscopo Episcopus uteretur; non autem de illa, qua Metropolitanus & alii qui aderant Episcopi Episcopum ordinabant. Quo sensu non facit cum iis Canon, qui Chorepiscopos fuisse Episcopos volunt. 2. Confertur, aut potius confirmatur Chorepiscopis hoc Canone potestas ordinandi minores Clericos, ipsosque adeo Subdiaconos. Nec tamen hinc efficies, ut Episcopi fuerint. Indubium quippe est, minores Ordines collatos sæpe fuisse ab iis qui Presbyteri tantum essent, aut Abbates, hanc illis indulgentibus facultatem, seu Episcopis, seu Conciliis. Ejus rei documenta inferius prodentur. Pandemus quoque in hac ipsa II. Parte, quæ institutio, & quæ vis sit Minorum Ordinum, ex eoque rursus apertè colligitur eorum collationem, non solis Episcopis condonatam fuisse. 3. Denique non eò flectenda sunt hujus Canonis verba, quasi ita vetentur ipsi Presbyteros Diaconosque ordinare, ut annuente tamen Episcopo id possint: sed ut ne id possint nisi ordinante Episcopo ipso, cui Can. 2.
qui præsto sunt tunc Presbyteri, unà manus imponunt Presbyteris qui ordinantur. 4. Superiore Canone hujus ipsius Concilii Chorepiscopis concessum fuerat, ut litteras formatas, seu pacificas darent, quod Parochiarum Presbyteris passim non licebat.

VII. Etsi in speciem apertior videatur Canon Concilii Calchedonensis, ubi tamen penitius introspicitur, non paucioribus septus & ipse est difficultatibus. Eo proscribuntur Simoniacæ ordina- Can. 2.
tiones, & inter Ordines atque Officia plurimum discriminis ponitur. Amborum nundinatio damnatur, sed antè Ordinum, quàm Officiorum, quòd ea sit magis detestanda. Sed & Officia eadem lege constringuntur. Ordines primum sceri ita recensentur: *Si quis ordinaverit per pecunias Episcopum, aut Chorepiscopum, aut Presbyterum, aut Diaconum.* Deinde generatim perstringuntur minores Ordines: *Vel quemlibet ex his, qui connumerantur in Clero:* denique ad Officia venitur: *Aut promoverit per pecunias Oeconomum, vel Defensorem, vel Mansionarium, vel quenquam qui est subjectus regulæ.* Annumeratur ergo sacros inter Ordines Chorepiscopatus, Episcopum inter & Presbyterum medius, illo inferior, hoc superior. Chorepiscopus ergo neque Episcopus est, neque Presbyter, quippe qui privata

&

& propria ordinatione de Presbytero crescat in Chorepiscopum. *Si quis ordinaverit*, χειροτονῶν, *Episcopum, Chorepiscopum, &c.* Denique non est merum Officium Chorepiscopatus. Neque enim cum Oeconomo, aut Defensore recensetur, quorum est non ordinatio, sed promotio : προβάλλεσθαι. Jungitur autem Episcopo & Presbytero Chorepiscopus. Hæc ex eo Canone sponte sua nascerentur, aut certè facilè deduci possent, eóque inclinaret animus, nisi aliunde gravia rationum momenta assensum sustinere cogerent.

VIII. Erit enim, si his stare volumus, Chorepiscopatus unus è sacris Ordinibus, atque adeo divinæ institutionis. At hoc cum ejus novitate, aut ævi brevitate consistere minimè potest. Nam Chorepiscopos tria priora sæcula habuere nullos, nullos postrema. Quæ vero esset hujus novi Ordinis potestas? Quidquid illi possunt ex superioribus Canonibus, quidquid posse ex sequentibus ostendentur, hoc ipsum potest sine controversia Presbyter. Deinde quæ tribus supra capitibus dicta sunt de triplici Ordine sacro, quo tota constat Ecclesiastica Hierarchia, ea manifestissimè probant, hanc esse constantissimam Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ Patrum traditionem, ut nulli sint alii præter Episcopatum, Presbyteratum & Diaconatum Ordines sacri, & superiores. Quamobrem locum in Hierarchia Chorepiscopus habere nullum poterit, nisi aut Episcopis, aut quod propius vero est, Presbyteris permisceatur.

IX. Quo posito ita statuendum est, à Concilio Calchedonensi locatos esse Chorepiscopos, non cum Officiis illis quorum exterior & temporalis erat tantum jurisdictio, sed cum Episcopis, Presbyteris & Diaconis, quorum spiritalia sunt munia, sive Ordinis, sive jurisdictionis. Chorepiscoporum curæ committebantur in agris & Parochiæ multæ, & multi etiam Parochi, in quos delegatam ab Episcopo jurisdictionem exercerent. Sine gravi autem scelere tam nec animarum cura, nec spiritalis jurisdictio pretio vendi potest, quàm nec Ordines sacri. Peccasset ergo sine dubio gravius, qui Chorepiscopatum pretio æstimasset, quàm qui Oeconomi, aut Defensoris, aut ejusmodi aliud quodvis munus. Illod ergo verè dixeris, Chorepiscopos manuum impositione illa qua creabantur, non accepisse quidem novum Ordinem, sed spiritalem Jurisdictionem; ea qua fruuntur Episcopi, inferiorem : ea qua Presbyteri, superiorem : quæ nec emi à quoquam, nec vendi posset, quin eo se commacularet crimine, quo sordescunt, non qui Officia Ecclesiastica, sed qui sacros Ordines vendunt.

X. Visitator, περιοδευτὴς, appellatur Chorepiscopus in Concilio Laodiceno : eoque nomine pulcherrimè spiritalis hæc jurisdictio declaratur. Cùm enim Vicarii Foranei Episcoporum essent, & ii prorsus qui postea dicti sunt Decani rurales, in visitando maximè eo tractu, qui eorum fidei & administrationi creditus fuerat, spiritale suum imperium, jurisdictione & charitate temperatum, explicabant. Ex hoc ipso Visitatoris vocabulo nova emergit ratio, ut ne Episcopos fuisse putemus. Episcopatûs enim majestas majus angustiusque nomen desiderasset.

Adde quòd cum statuerit Concilium Antiochenum, ut *Chorepiscopum ordinet Civitatis Episcopus, cui*
*Can. 10.* *subjectus est* : defendi jam nulla ratione possit Chorepiscopum Episcopum fuisse; cum & Niceni & Antiocheni Canones velint, ordinando Episcopo *Can. 19.*
Comprovinciales omnes aut adesse præsentes, aut per litteras suffragari. Denique Antiochenus Canon *Can. 10.*
Chorepiscopum ab Episcopo civitatis non ordinari dicit, sed fieri, γίνεσθαι. Cùm supra admonuit nos Neocæsariensis Synodus, instar esse & imagi- *Can. 14.*
nem præferre Chorepiscopos Septuaginta discipulorum, novo nos in eandem sententiam impulit argumento, ut Chorepiscopi Presbyterorum collegio concludantur. Ea est enim usitatissima antiquis Synodis Patribusque loquendi ratio, ut Apostolis Episcopi, Discipulis verò Parochi, aut Presbyteri successisse dicantur.

XI. Unus superest, qui negotium facessere possit Ancyranus Canon, ubi Chorepiscopis & Presbyteris Civitatis facta videtur potestas Presbyteros ordinandi, permittente sanè Episcopo. *Chorepisco-* *Can. 13.*
*pis non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare. Sed neque Presbyteris civitatis, nisi eis permittatur ab Episcopo per litteras in aliena Parochia.* Græcum hujus Canonis textum, ut nunc quidem habet, vitiatum esse, invictissimè demonstrat Petrus de Marca. Per- *De Conc. L. 2. c. 14.*
absurda quippe sunt multa in ea quam modo retulimus interpretatione Latina, quæ Græco tamen textui adprimè concinit. Qui enim Presbyteris Presbyteros ordinandi data esset potestas, quæ Episcoporum maximè propria est, & in cujus consortium vocari nullus præterea potest? Qui porro nisi alienissimus horum verborum sensus, *in aliena Parochia*. Nam in aliena Diœcesi, nec alteri permittere, nec ipsi quidquam facere possunt Episcopi. Græcus ergo textus hodiernus ex antiquis versionibus Latinis emendandus est; & pro his verbis, ἐν ἑτέρᾳ παροικίᾳ, *in aliena Parochia*, legendum ἐν ἑκάστῃ παροικίᾳ, *in unaquaque Parochia*. Tum verò addenda hæc verba, quæ detracta sunt, μηδὲν πράττειν, *aliquid agere*. Castigationis hujus nostræ partem habet Dionysii Exigui versio. *Chorepiscopis non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare : sed nec Presbyteris civitatis sine præcepto Episcopi, vel litteris in unaquaque Parochia.* Sed emendatio tota & plena elucescit in Epitome Canonum Adriani I. Papæ. *Ut Chorepiscopi Presbyterum, vel Diaconum non ordinent; nec Presbyter aliquid agat in Parochia sine præcepto Episcopi.* Capitulare Aquisgranense Caroli Magni & Collectio Isidori rem apertiorem adhuc faciunt, & ante hos omnes Ferrandus Diaconus in Breviario Canonum : *Ut Chorepiscopi, id est Vicarii Epis-* *C. 79. 92.*
*coporum, nec Presbyteros, nec Diaconos ordinent, nisi tantum Subdiaconos. Ut Presbyteri civitatis sine jussu Episcopi nihil jubeant, nec in unaquaque Parochia aliquid agant.*

XII. Sanctus Basilius Cæsariensis in Cappado- *In Epistola*
cia Episcopus potestatem fecit Chorepiscopis or- *ad Chorep.*
dinandi sive instituendi Clericos inferiores : hac *isc.*
cautione adjecta, ut de eo priùs ad se perscriberent, nec injussu suo quidquam agerent. Perantiqua erat ea lex, sed eam illi relaxaverant, perinde ut eam quæ jubebat ut accuratissimè examinarent ipsi, examinandosque Presbyteris & Diaconis subjicerent eos omnes, quos sacro ministerio allegebant. *De integro fiat à nobis examinatio, & si sint quidem digni nostro suffragio, suscipiantur.* Prisca illa fuerat consuetudo : *Presbyteri & Diaconi examinabant, referebant autem ad Chorepiscopos; qui à verè testificantibus susceptis suffragiis, & eorum admonitis Episcopis, ita in Ministrorum Sacerdotalium numerum cooptabant.* Meminit & alibi Basilius Chorepisco- *Basil. Epist.*
porum. Meminit & Athanasius. Quam scripsit ad *181. 312.*

Athanas. Apol. 2. Theodoret. Epist. 113. 116.

Leonem Theodoretus Epistolam, misit per Presbyteros duos, quos & Chorepiscopos appellat. Visum est quandoque viris doctissimis, si quando minores ordines contulere Parochi, id eos habuisse ex communicatis sibi Chorepiscoporum privilegiis, qui & ipsi Parochi fuissent.

XIII. Ex his facilè intelliges, Chorepiscopos in Oriente nonnisi quarto sæculo floruisse. At in Occidente certum est ante quintum eorum mentionem fuisse nullam. Nam illa quæ circumfertur de Chorepiscopis ad Episcopos Africæ Damasi Papæ Epistola, omnino supposititia est, cùm in Africa, ut ex habitis ibidem Conciliis probari potest, nulli fuerint unquam Chorepiscopi. Eorum in Occidente prima fuit mentio anno 439. in Gallia, in Concilio Regiensi, ubi Armentarius, quem sine Metropolitani consensu duo tantùm ordinaverant Episcopi, ita Episcopatu abdicatus est: ut tamen posset esse Chorepiscopus, si quis illum ex Episcopis hoc vellet solari munere. Quemadmodum olim Concilium Nicænum Episcopis Novatianis ad Ecclesiam se recipientibus, si Episcopalem retinere Cathedram non possent, quòd Catholicus jam in eadem civitate esset Episcopus: concesserat ut Chorepiscopali munere ornarentur. *Liceat ei in una Parochiarum suarum Ecclesiam concedere, in qua Chorepiscopi nomine, ut idem Canon Nicænus loquitur, aut peregrina communione foveatur.*

XIV. A Concilio igitur Nicæno didicerunt Majores nostri in Ecclesia Gallicana quis ordo esset Chorepiscoporum, & in hoc primùm Regiensi Concilio aliquam sibi ejus imaginem adumbrarunt. Nam in Armentario umbra tantùm Chorepiscopatûs prælusit: cui assignata à Concilio cura tantùm ruralis Parochiæ est, vel minusculorum Clericorum ordinatione interdictâ. Angustior ergo erat & brevior ejus jurisdictio, quàm Chorepiscoporum Orientis. Permissa tamen illi facultas est neophytos confirmandi, de quo silent Canones Græci, qui de Chorepiscopis agunt. Porro Leonis Papæ de Chorepiscopis Epistola ad Episcopos Galliæ & Germaniæ spuria est, doctissimorum hominum judicio. Chorepiscoporum ergo in Occidente nulla, aut certè rarissima ante exactum quingentesimum annum fuit mentio. Verùm hæc tenuissima & obscura vestigia quæ observavimus, majora in dies & clariora evasere: ac demum regnante Carolo Magno ea fuit Chorepiscoporum multitudo ac potentia, ut ipsis jam essent Episcopis metuendi.

XV. Ex dictis facilè colligas quæ fuerint eorum & jura & officia. Curabant agrorum & Presbyteros & Ecclesias, quas & in credita sibi regione visitabant. Providebant pauperibus. In Ecclesiis suis accepto Presbyterorum & Diaconorum testimonio, & Episcopi consensu, minores Clericos ordinabant. Sine Episcopo majoris momenti agebant nihil. Implebant denique Vicarii partes, qui levaret Episcopum cura & sollicitudine Parochiarum ruralium, magna saltem ex parte. Nam quod habet in sua ad Chorepiscopos Epistola Basilius, & quod Athanasius alicubi à nobis laudandus ait, in Maræotide Ægypti regiuncula nec Parochum ullum nec Chorepiscopum fuisse; satis persuadet in una eademque Diœcesi & sub uno Episcopo Chorepiscopos fuisse plures. Sunt apud Basilium Chorepiscopi, quibus data erat pauperum & Prochodochiorum cura. Et in eo quod de sua ipsius vita scripsit Poëmate Gregorius Nazianzenus, testatur Basilium Cæsareæ Archiepiscopum obnoxios sibi habuisse Chorepiscopos quinquaginta.

Epist. 418.

XVI. Ne crimini detur nobis, quòd in secunda Ecclesiæ ætate, ab anno quingentesimo ad annum ultra septingentesimum, nullum fecerimus verbum de Chorepiscopis, qui nequedum tamen extincti penitus erant: hoc saltem dicemus, cum Archipresbyteris ruralibus magnam illis affinitatem intercessisse, si horum fidei plures essent mandatæ subjectæque Parochiæ. Tradit Isidorus Hispalensis Chorepiscopos esse Vicarios rurales Episcoporum, eorumque curam imminere Ecclesiis Parochiisque tractûs eis attributi, ubi & minores Clericos, immo & Subdiaconos ordinare possunt, non Presbyteros, non Diaconos. *Chorepiscopi, id est, Vicarii Episcoporum, ad exemplum LXX. Seniorum: tanquam Sacerdotes, propter sollicitudinem pauperum. Hi in villis & vicis instituti, gubernant sibi commissas Ecclesias, habentes licentiam constituere Lectores, Subdiaconos, &c.*

De Offic. Eccles. L. 2. c. 6.

---

## CAPUT II. *P. 3. l. 1. c. 10.*

### De Chorepiscopis sub Imperio Caroli Magni, Regiæque ejus prosapiæ, & deinceps.

*I. Duæ attinguntur rationes, quæ Romanos Pontifices & Gallicana Concilia adduxerunt, ut Chorepiscopos è Collegio Episcopali ejicerent, nec quidquam eorum quæ propria sunt Episcopis, gerere illos posse declararent.*

*II. Imperitia Canonum, & iners otii amor Episcopos impulerat, ut Episcopalem sarcinam in Chorepiscopos rejicerent.*

*III. Cur Chorepiscopis permitteretur facilius ordinatio Subdiaconorum, quàm Virginum consecratio.*

*IV. Etsi Imperatorum, Papæ & Conciliorum Galliæ decretis oblitteratus fuisset Chorepiscoporum ordo, usus tamen suis eorum aliquis aliquandiu, arctata eorum potestate.*

*V. Subdititia Nicolai Papæ Epistola, quæ Episcopis annumerantur.*

*VI. VII. Nova argumenta hujus Epistolæ ineptiarum, quodque adulterina sit, ex Concilio Meldensi & Hincmaro.*

*VIII. Nova occasio creandorum Chorepiscoporum, qui vacantes regerent Episcopatus.*

*IX. In Oriente extincti tandem prorsus Chorepiscopi. Varia ejus rei testimonia.*

*X. Ab annis ducentis Alexandrinus Patriarcha ditionem suam omnem regere fertur, solo Chorepiscoporum, sine Episcopis, ministerio sublevatus. Si ita se res habeat, æquius est credere, hos Chorepiscopos quidem dici, sed verè Episcopos esse.*

*XI. Diluuntur objectiones aliquæ.*

I. Efferbuit sub Caroli Magni Imperio gravissima contentio inter Presbyteros, Diaconos, Subdiaconosque eos, qui hinc quidem ab Episcopis, inde à Chorepiscopis fuerant ordinati. Visum est Carolo eam esse ejus quæstionis difficultatem, quæ merito referenda esset ad summi examen Pontificis, ad quem ea de causa Arnonem Salisburgensem Archiepiscopum delegavit. Sententia Pontificis, cui accessit consensio Gallicanorum Episcoporum Concilii Ratisponensis, ea fuit, Chorepiscopos nec esse, nec fuisse Episcopos, propterea quod nec ad sedem Episcopalem implendam, nec à tribus Episcopis ordinati fuissent: *Quia nec ad quandam Episcopalem sedem civitatis titulati erant, nec canonicè à tribus Episcopis ordinati*: Ex quo id erat consequens, ut ordinationes ab eis factæ irritæ habendæ essent, atque iterandæ; denique siquos è Neophytis confirmaverant, si quas consecraverant, seu Virgines, seu Ecclesias, seu Aras, in irritum duci hæc omnia, quòd nec Episcopi fuissent unquam, nec esse possent, adeoque nec Episcopalium quidquam munerum ritè implere. *Ut hi qui à Chorepiscopis Presbyteri, vel Diaconi, vel Subdiaconi*

Conc. Gall. Tom. 2. pag. 239. &c.

*sunt ordinati, nullatenus in Presbyteratus, aut Diaconatus, aut Subdiaconatus officio ministrare præsumant. Similiter homines, qui imperitis videntur ab eis esse confirmati, vel Virgines, seu Ecclesia sacrata, aut chrisma confectum, seu altaria dedicata, pro confirmatis, seu sacratis, vel dedicatis haud habeantur; quia quæ illi non habuerunt, dare non potuerunt; quoniam ex his eis quidquam agere non licet; quæ omnia summis Pontificibus debentur, & non Chorepiscopis, qui nec summi Pontifices, vel Episcopi fuerunt, nec deinceps usquam fieri possunt.*

II. Addit porro Synodus nullum septuaginta Discipulorum, quorum Chorepiscopi & Presbyteri locum implent & ordinem, vices obeunt & munia, quidquam horum vel primoribus attigisse digitis, quæ propria sunt Episcoporum. *Agenda non sunt à Presbyteris, vel Chorepiscopis, qui minus forma esse videntur.* Deinque vetat hæc Synodus ullos posthac creari Chorepiscopos, contestata non aliud à se quàm iterari innovarique leges ea de re à priscis Pontificibus Patribusque promulgatas; adeoque qui Chorepiscopos ordinarant, eos aut Canonum inscitia crassissima laborasse, aut dolenda ignavia: perspicuum inde quippe fieri, non aliud illis magis curæ, & cordi esse, quàm ut Episcopalis sollicitudinis pondus in alios refundant, ipsi interim ignobili otio, vanissimaque dignitatis specie & pompa, ceu fumo pascantur. *Placuit ne Chorepiscopi à quibusdam deinceps fiant, quoniam hactenus à nescientibus sanctorum Patrum, & maximè Apostolicorum decreta, suisque quietibus ac delectationibus inhærentibus facti sunt. Idcirco & olim persæpe & nostro à sancta Apostolica sede tempore sunt prohibiti, &c.*

*Capitular. Car. Magn. L. 8. c. 287.*

*Capitular. L. 6. c. 110. 124. L. 7. c. 320. 318. 328. 329. ibid p. 242.*

III. Dicam obiter mirum esse illud, cur permittantur hic Chorepiscopi minores conferre Ordines, excepto Subdiaconatu, irritæ autem decernantur, si quas peregerint, virginum consecrationes. Nec minus forsan admirationis illud habet, quòd cùm io Chorepiscopos ordinarentur Presbyteri, & manuum impositione ordinarentur, eâ ipsâ, aut ejus simillimâ, qua Presbyterorum ordinatio, & quæcumque demum sacri Ordinis collatio fiebat: illa tamen Chorepiscopi ordinatio, & manûs impositio, qua fiebat, mera & jejuna habeatur ceremonia, immane quantum distans ab illa manuum impositione, qua sacri Ordines conferuntur. Lucis forsan aliquid aspergetur rei obscuræ, si dicamus hanc manuum impositionem, qua creabantur Chorepiscopi, illius potiùs affinem fuisse, qua percepta Paulus & Silas in Actis Apostolicis ad Evangelium promulgandum missi sunt. Nec enim hac impositione manuum ordinabantur Paulus, Silasque, jam pridem Apostoli, Apostolicique Præcones. A quo exemplo non recedit ordinatio Diaconissarum, quæ cùm in speciem parum distaret à consecratione Diaconorum, reapse mirum & immane quantum ab ea differebat. Itaque Basilius Synodique alibi referendæ, Chorepiscopis ordinationem minorum Clericorum annuebant, virginum interdicebant, quam religiosissimè Canones Episcopis integram servari sanxissent. Adde quod solemnis illa consecrationis virginum pompa Episcopali apici & dignitati Capitis consentanea in primis esset, nec facilè aliis communicanda, ne ansam quis hinc captaret alterius Capitis in eadem Ecclesia excitandi. Denique Clericorum minorum turba Parochis & Chorepiscopis opus erat, ut minùs mirum sit, eorum illis si quando permitteretur ordinatio. At quorsum ad eos attinebat virginum consecratio? Poterat hæc semper ad adventum Episcopi procrastinari: cùm vel maximè nonnisi solennibus Festis ea peragi soleret, quibus potissimum Episcopi suis abesse Ecclesiis vetabantur.



IV. Sed quantacumque detonuisset Pontificis, Imperatoris & Concilii Gallicani authoritas, quæ Chorepiscopos fieri posthac vetuerat; non pauci nihilominus superfuere, nec indecores; quanquam simile veri sit attentiores fuisse Episcopos, ut ne quid ab iis Episcopalis proprii ministerii attrectaretur. In Concilio quippe Noviomensi ante Abbates nominantur Chorepiscopi, ante Presbyteros omnes, immediatè post Episcopos. Ludovicus Pius Imperator Missos suos Dominicos per Provincias spargens, invigilare jussit in Episcopos, & in eos qui ministerii Episcopalis administri & cooperatores sunt, id est, Chorepiscopos, Archipresbyteros, aliosque: *Deinde quales sint adjutores ministerii eorum, id est, Chorepiscopi, Archipresbyteri, Archidiaconi, & Vicedomini, & Presbyteri per Parochias eorum.* Concilium VI. Parisiense effrænatæ audaciæ reos agit Chorepiscopos, qui manus imponebant, ut darent Spiritum sanctum, hoc est, qui Confirmationis sacramento fideles perficiebant; *Ut donum Spiritûs sancti per impositionem manuum tradant:* quanquam Actibus Apostolicis proditum sit, eam esse propriam Apostolorum, id est, Episcoporum potestatem, quam ne delibare quidem ausi sint unquam Septuaginta Discipuli, quorum personam repræsentant Chorepiscopi.

*Conc. Gall. To. 2. pag. 814. Ann. 828.*

*Ann. 829. c. 27.*

Hinc satis probabiliter emergit Decretum de non ordinandis amplius Chorepiscopis, usu receptum minimè fuisse, sed eorum audaciæ modum aliquem positum, hactenus nempe, ut Confirmationis quidem sacramentum forsan darent, ab Ordinibus sacris conferendis abstinerent. Quod & confirmat ejusdem Canonis contextus, ubi non improbatur Chorepiscoporum ordinatio, dummodo eis certi limites ad normam Canonum delineentur. *Ordinatio porro Chorepiscoporum qualiter fieri debeat, & qualiter qualesve ipsi ordinationes jubentibus Episcopis suis facere debeant, jura Canonum liquidò decernunt.* Quo sanè asseritur potestas, cujus usu nunquam exciderant, minores Ordines Subdiaconatu inferiores conferendi.

*Ibidem.*

Concilium II. Aquisgranense Episcopis stimulos addidit, sordidæ ut occurrerent avaritiæ Chorepiscoporum, Archipresbyterorum & Archidiaconorum, quorum opera & ministerio commissam sibi à Deo plebem regebant. Meldense Concilium Chorepiscopis prohibuit, ne Chrisma benedicerent, ne confirmarent, ne dedicarent Ecclesias, ne eos conferrent Ordines qui manuum impositione conferuntur, ne denique nisi permittente Episcopo vel minores conferrent Ordines, vel pœnitentes reconciliarent. *Neque Ordines Ecclesiasticos qui per impositionem manûs tribuuntur, hoc est, nonnisi usque ad Subdiaconatum, & hoc jubente Episcopo.* Cœperant ergo rursus Chorepiscopi invadere in functiones Episcoporum, pari horum illorumque dedecore & flagitio, cum tam multa præter leges illi usurparent, hi paterentur. Ideo canone hoc ipso graves Episcopis intentantur pœnæ, si diutius fieri sinant, quod fieri nefas est.

*Ann. 836. Can. 4.*

*An. 845. c. 44.*

V. Hinc cogimur falsi insimulare priorem saltem partem Epistolæ Nicolai I. Papæ ad Rodolphum Archiepiscopum Bituricensem. Qui potuisset enim Pontifex scribere, Septuaginta Discipulos indubitatissimè Episcopos fuisse, ideoque posse

*Anno 864.*

Chorepiscopos eorum successores in Episcopales quoque functiones succedere? Cùm ea doctrina capitaliter pugnet cum ea, quam suprà alii Pontifices & Galliarum Episcopi synodaliter etiam congregati sanxerunt: qui potuisset eam Gallicano Archiepiscopo propinare Pontifex antiqui Canonici Juris callentissimus, Canonumque & avitæ traditionis acerrimus vindex?

*Anno 888.* VI. Concilium Metense paucis pòst annis congregatum nihil inaudierat de hac Nicolai Papæ Epistola, aut eam potiùs esse insinuabat supposititiam, cum dedicari rursus jubebat Ecclesias à Chorepiscopis dedicatas, propterea quod summi Pontifices, Damasus, Innocentius & Leo resciderunt quidquid Pontificalium munerum usurpaverint Chorepiscopi. *Can. 8.* *Ut Basilicæ à Chorepiscopis consecratæ ab Episcopis consecrentur, roboratum est: quia juxta decreta Damasi Papæ, Innocentii & Leonis, vacuum est atque inane, quidquid in summi Sacerdotii Episcopi egerunt ministerio: & quòd ipsi iidem sint, qui & Presbyteri, sufficienter invenitur.* Quidquid suprà ex Caroli Magni Capitularibus laudatum est, id totum dilucidè contestatur, Gallicanæ Ecclesiæ persuasissimum fuisse, non id esse, & posse Chorepiscopos, quod eos & esse & posse affirmat spuria hæc Nicolai Epistola. De Chorepiscopis agit non rarò Hincmarus, & de Chorepiscopo ipso Remensi, à quo ait ordinatum fuisse Presbyterum, sed præter Canones: *Quique à Remorum Chorepiscopo, qui tunc erat, contra regulas Presbyter ordinatus, &c.* *Hincmar. Tom. 2. pag. 163.*

VII. Verùm ex eodem Hincmaro suppetit & aliud invictius argumentum, quo adulterina prodatur illa Nicolai Epistola. Piè enim juxtà & vehementer ille stomachatur in sui ævi Episcopos, qui Chorepiscopos ordinabant, eisque sanctissima quæque & intima ministerii Episcopalis delegabant munia, otio & ignavia torpentes ipsi, quo[…] nihil à genio Episcopatûs. Porro non alio magis præsidio nititur in hac causa, quàm Romanorum Pontificum authoritate, qui Chorepiscoporum ordinem *Ibid. p. 756.* omnino sustulerunt. *Sicut & quidam Episcopi etiam à longo precedentibus temporibus, scandalum pro sua quiete & voluptatibus in Ecclesiam intromiserunt, ordinantes Chorepiscopos, & eis quæ summis Pontificibus conveniunt agere permittentes. Quos Apostolica Sedes sæpiùs reprobavit, & Apostolico mucrone recidit, sicut in Decretalibus eorum, qui voluerit recensere, inveniet.*

VIII. Author est Flodoardus ab eodem Hincmaro datas esse litteras ad Leonem IV. Papam adversùs Chorepiscopos, qui hanc sibi facultatem arrogabant, ut Ordines & Confirmationem conferrent. Sed eadem Epistola retegebat Hincmarus Pontifici corruptelam gliscentem, ex qua etiam fiebat, ut novi in dies crearentur Chorepiscopi, quamvis ejusmodi ordinationem toties jam Synodi Pontificesque proscripsissent. Ut primùm enim obierat Episcopus aliquis, vacantem ejus Ecclesiam Princeps Chorepiscopo administrandam commendabat, quò impune res ejus reditusque laïcis fruendos ad- *Flodoard. l. 3. Histor. Rem. c. 10.* signaret. *Et quòd terrena potestas hac materia sæpè offenderet, ut videlicet Episcopo quolibet defuncto, per Chorepiscopum solis Pontificibus debitum ministerium perageretur, & res ac facultates Ecclesiæ sæcularium usibus expenderentur, sicut & in nostra Ecclesia jam secundò actum fuisset.*

IX. In Oriente minùs sævitum est in Chorepiscopos, propterea quod concessam sibi potestatem modestiùs explicabant. Nicæno II. Concilio confirmatum illis jus pristinum fuit, creandi Lectores, permittente Episcopo: *Secundùm antiquam consuetudinem Chorepiscopos præceptione Episcopi oportet promovere Lectores.* *Can. 14.* At cùm Balsamon in Commentario ejus Canonis verbum non faciat ullum de Chorepiscopis: hinc utcumque conjicitur extinctos ejus ævo eos prorsus fuisse. Quod rursus probari potest ex interpretatione Canonis Laodiceni, ubi ait Periodeutas, seu Visitatores, de quibus in eo Canone, Exarchos esse illos, quos Episcopi mittunt, ad explorandos roborandosque Fideles. *Sunt autem* *Can. 57.* *Periodeutæ, qui hodie ab Episcopis promoventur Exarchi. Hi enim circumcursant, & delicta animæ observant, & Fideles perficiunt.* Chorepiscopis ergo suffecti fuerant hi Exarchi, mittebanturque à Patriarchis, Metropolitanis, Episcopisque ad obambulandas visitandasque Diœceses, monendosque Episcopos, quibus morbis medendum quamprimum esset. Accipe Harmenopuli Notam in Jus Orientale: *Chorepiscopi sunt, qui nunc vocantur Exarchi, sive Patriarchæ sint, sive Metropolitani.* *Harmen. in Epit. Canon. sect. 1. tit. 9.*

Porro si Harmenopulus idem, si Aristænus, Balsamon & Zonaras annuere videantur Chorepiscopis potestatem ordinandorum Presbyterorum & Diaconorum, permittente Episcopo; id refundendum est in priscorum Canonum Conciliorumque *In Can. 14. Synodi Nicæn. II. In Can. 13. Ancyran.* tempora, quibus suas illi interpretationes accommodent, non in sui ævi mores, qui diversi prorsus erant. Ante septimum enim sæculum detrudebantur in Chorepiscoporum aliquando collegium Episcopi, iis causis quas suprà perstrinximus: & ab his poterant ordinari utique Presbyteri, copiam faciente Episcopo. At eo ævo, quo Scriptores isti claruerunt, exoleverant toto Oriente Chorepiscopi, teste & authore Balsamone ipso, ubi Ancyranum Canonem XIII. commentatur: *Chorepiscoporum gradus omnino exolevit.*

Collectio Canonum Arabica prolixissimè executa est creationem & jura omnia Chorepiscoporum, *Can. 54. usque ad 56.* quæ universim ejusdem generis erant, ac Vicariorum Generalium, in interiori exteriorique administratione laïcorum, Clericorum & Regularium. Sed nec ab his Chorepiscopis conferri poterant Ordines sacri, & ne hoc quidem argumento effici potest, ut post annum Christi millesimum ulli in Oriente fuerint Chorepiscopi.

X. Eximendus hinc esset Patriarchatus Alexandrinus, si constet ab annis jam ducentis nullos ibi ordinari Episcopos, sed ministerio Chorepiscoporum totum Patriarchatum administrari, ut refert Petrus de Marca ex litteris Patriarchæ Cyrilli: *In* *Marca l. 2. de Concord. c. 14.* *Patriarchatu Alexandrino, deletis Episcopis, soli Chorepiscopi curam Patriarchæ in administratione Ecclesiarum levant: quod ducentis ab hinc annis inductum fuisse testatur Cyrillus Alexandriæ Patriarcha iis litteris quas in Valachia scripsit, anno 1612.*

At si certa veritate nitatur hæc narratio, non abhorret à vero, hos omnes Chorepiscopos similes eorum esse, qui pauci quondam ordine & potestate Episcopali dotati erant. Fieri enim vix aut ne vix quidem potest, ut suæ ditionis omnes Patriarcha vel Presbyteros & Diaconos ordinet, vel confirmet laïcos fideles. In harum functionem vocet necesse est Chorepiscopos suos. Eo concesso, jam mera nominis mutatio est. Qui enim in ea gente Chorepiscopi nominantur, utique Episcopi sunt, cùm utraque polleant & ordinandi & confirmandi potestate.

XI. Nec me fallit, viros esse doctissimos, qui vocent in dubium damnationem & rescissionem

Chorepiscoporum à Leone III. Papa, & ab Episcopis Gallicanis factam. At quæ à nobis hîc congesta sunt ex Conciliis & Capitularibus Episcoporum Regumque nostrorum, hinc tam perspicua, inde tam certa & inconcussa sunt, ut ne nubecula quidem dubitationis in animo meo ulla residere potuerit, quin verè aboliti fuerint Chorepiscopi, veréque pronuntiatum, nunquam eos Episcopos fuisse. Si contrà nitatur, nobisque adversetur Rabanus, adversatur illi ipsi Hincmarus, tot Episcopis Synodisque succinctus, suprà conglobatis. Video non attinere ad ipsam ordinationis substantiam duas illas rationes; quibus impugnatus est ordo Chorepiscoporum, quòd nec ad Sedem Episcopalem, nec à tribus Episcopis ordinati essent. Sed illæ tamen ipsæ rationes abundè probant, non eam fuisse Ecclesiæ voluntatem, ut extraordinariam fieri sineret Episcoporum ordinationem, cum Chorepiscopi ordinabantur. Si hoc enim illi fuisset consilii, ut veri ordinarentur Episcopi, utique à tribus Episcopis & ad Episcopalem civitatem aliquam ordinari præcepisset. Non aliàs quàm cùm gravissima urget necessitas, extraordinariè delegat vel Pontifex summus, vel Ecclesia, ut possit vel Episcopus unus ordinare Episcopum, vel Presbyter neophytum confirmare: nec sine extraordinaria hac delegatione ratum esset horum quidquam ex probatissimorum Theologorum consensu. Cum Chorepiscopi ab uno Episcopo ordinabantur, nulla ibi extraordinaria delegatio, nulla delegationis ejusmodi necessitas; & si qua ea fuisset necessitas, par erat facilitas trium Episcoporum adsciscendorum. Cæterùm hac comparatione ordinandi ab uno Episcopo Episcopi, & confirmandi à Presbytero laïci, ut extraordinariæ delegationis, utitur Hallerius, consentaneumque sibi Bellarminum laudat, cum pluribus Theologis aliis. *Hallier. de sacr. Elect. 591. 593.*

---

## CAPUT III. *P. 2. l. 1. c. 20.*

## De Archipresbyteris, per prima quinque Ecclesiæ sæcula.

*I. Cur Archipresbyter à Græcis Protopresbyter tantum appellaretur.*

*II. Dabat id ordinationis antiquitas, cujus & ordo inter Presbyteros alter servabatur.*

*III. Excipe tamen Gregorium Nazianzenum, & si quos alios.*

*IV. In solenni Synaxi maximè conspicuus erat is honos, ubi assidebant Episcopo Presbyteri.*

*V. Archipresbyteri tamen dignitas quandoque personæ & meritis concessa: tumque erat Archipresbyter Episcopi Vicarius Generalis & plerumque successor.*

*VI. Suum habebat apud Latinos Archipresbyterum Ecclesia Cathedralis.*

*VII. Eumque Presbyterorum antiquissimum. Probatur ex Leone Papa. Pœna eorum, qui loca sua cesserunt.*

*VIII. Potest quis aliquando etiam pietatis instinctu, immo & tenetur quandoque suum sibi locum & ordinem tueri.*

*IX. Profertur exemplum aliud è vita beati Felicis Martyris, Presbyteri Nolani. Episcopo sæpe sæpius succedebat Archipresbyter.*

*X. Aliunde probatur antiquitatis ordinem servari debere.*

*XI. Scilicet in publicis sessionibus ac processionibus & ceremoniis. Nam aliàs, quò quisque major, eò & humilior esse erat.*

*XII. Penes Archipresbyterum erat cura viduarum, pupillorum, ac peregrinorum.*

*XIII. Absente verò aut ægrotante, aut aliis in rebus occupato Episcopo, hoc totum gerebat Episcopalis Officii, quod à Presbytero, & nonnisi à Presbytero geri potest.*

I. TAmetsi Græcum est nomen Archipresbyter, & splendori nominum maximè studuerint Græci; constat tamen, quem Archipresbyterum Latini dixerunt, à Græcis πρωτοπρεσβύτερον tantum, hoc est primum Presbyterorum appellari. Itaque etsi vocibus Græcis contextum sit hoc nomen, à Latinis tamen compactum illud & fabricatum est. In Concilio coacto adversùs Chrysostomum Arsacius, qui postea ei successor datus est, πρωτοπρεσβύτερος nominatur. Idem titulos legimus in Concilio Calchedonensi. Hoc solum, quia simplicius erat, Metropolitano tribuerant Apostolici Canones, ut primus Episcopus diceretur: in hoc sacras Litteras secuti, ubi Petrus primus Apostolorum appellatur. Quare verisimillimum est iis temporibus, primum Episcopum, primum Presbyterum, & primum Diaconum illum dictum esse, qui aut honore, aut ætate major esset, vel inter ejusdem Provinciæ Episcopos, vel inter Presbyteros Diaconosque ejusdem Ecclesiæ. Archiepiscopi voce primi usi sunt Græci: sed Exarchis tum eam & Patriarchis tantum tribuerunt; quod & ipsi, quanquam tardius fecere Latini. Hi nomen Archipresbyteri primi usurparunt. At Archidiaconi utrisque commune fuit. Non tulere Afri eam vocis gloriam, quæ in Archiepiscopi nomine fulgere & affectari eis videbatur. At erga voces Archipresbyteri & Archidiaconi æquiores fuere. Credo, quod ordinis mediocritas suspicionem fastûs expungeret. *Bibl. Phot. Cod. 59. Juris Orient. L. 5. p. 557. Conc. Calched. Act. 10.*

II. Simillimum veri est Archipresbyterum è Presbyteris illum fuisse, qui ordinationis tempore cæteros anteiret. Cùm provectæ enim ætatis debeat esse Presbyter, unde & ejus ducitur nomen: debuit certè is qui erat inter Presbyteros primus, etiam ætate provectior esse, ita tamen, ut ætatem cujusque ab ordinationis die desumas, qui pro solenni natalitioque die ab illis & ab Episcopis habebatur. Ordinatis à schismatico Meletio Presbyteris suum servavit ordinem & locum Nicæna Synodus, sed ea conditione, ut inferiores semper essent Presbyteris, ab Alexandro Alexandriæ Episcopo ordinatis. *Inferiores tamen esse omnibus Presbyteris, quos Alexander ordinavit in quacumque Parœcia & Ecclesia.* δεύτερος τῶν πάντων. Erat ergo usu recepta & communis ea lex, ut inter Presbyteros antiquioris Ordinationis ratio servaretur. *Socrat. L. 1. c. 8.*

III. Suas tamen exceptiones patiebatur ea lex. Quamobrem & illud dixi, Archipresbyterum vulgo fuisse antiquissimum quemque. Narrat enim de seipso Gregorius Nazianzenus, cum ad Basilium invisendum venisset, nuper ad Episcopatûs culmen provectum, volenti ei primum sibi inter Presbyteros locum assignare, non acquievisse. Quod Basilio non displicuit, quia Clerus ejus totus mirificè delectatus est hoc modestiæ exemplo. *Cùm ad eum venissem, & Cathedræ honorem, insignioremque honoris locum inter Presbyteros, τὴν τῆς πρεσβυτέρων προεδρίαν, recusassem, non modò hoc meum factum non incusavit, sed ut debuit, comprobavit.* Unde illud docemur virum ejus meriti & famæ, cujus erat Gregorius, potuisse contra receptam legem insigniori aliquo & honore & loco ornari; & ejus tamen ad laudem nihil magis conferre, quàm si staturæ malit se subesse legi. *Orat. 20.*

IV. Admonent autem Gregorii verba, hunc antiquiorum supra juniores Presbyteros honorem, prope Altare, & in ipso maximè Sacrario observari potuisse. Ibi enim circa eminentiorem & ornatiorem Episcopi thronum, Presbyterorum erant sedes aliæ, unde & *Presbyterium* est appellatum. Concilium Ancyranum Presbyteris iis, qui cum antè idolis sacrificassent, scelus hoc suum iterato *Can. 1. 60*

deinde certamine & insigniori victoria absterserant, interdixit quidem prædicationem Evangelii, sacrificii oblationem, aliasque functiones sacerdotii, sed honorem Cathedræ servavit : τῆς τιμῆς τῆς τε καθέδρας μετέχειν; hoc est jus sedendi inter Presbyteros, atque adeo percipiendæ sportulæ, seu distributionis, in qua tum erant reditus omnes Beneficii. Id enim significat vox, τιμῆς. Spoliabantur ergo non Beneficio, sed officio Presbyterali, atque adeo & dignitate Archipresbyteri, tametsi forte ordinatione essent antiquiores. Erat enim primi hoc Presbyteri, absente, aut decumbente Episcopo, sacratissimo Altaris ministerio defungi. Prohibet Concilium Laodicenum, ne præveniant Episcopum Presbyteri, & ne priores sacrarium ingrediantur, sedeantque in loco eminentiori, qui propterea βῆμα, seu Tribunal, est appellatus. βῆμα, καθέζεσθαι ἐν τῷ βήματι.

V. Author est Liberatus abdicato Dioscoro in Concilio Calchedonensi, electum in locum ejus fuisse Proterium, propterea quod illum Dioscorus Archipresbyterum creaverat, præfecturamque ei mandaverat Ecclesiæ Alexandrinæ, cum ad Concilium proficisceretur. Cap. 14. *In Proterium universorum sententia declinavit : utique cui & Dioscorus commendavit Ecclesiam, qui & eum Archipresbyterum fecerat.* Hic sanè Liberatus rem gestam in Ecclesia Græca Latinis vocibus interpretatus est. Quod enim apud Latinos in Cathedralibus Ecclesiis erat Archipresbyter, hoc ipsum erat in Ecclesiis Græcis primus Presbyter. Sed alia sunt paulò majoris momenti, quæ hîc advertamus. Docet enim, 1. Liberatus, etsi usitatissimum esset, ut ætati daretur dignitas Archipresbyteri, datam illam tamen & meritis ab Episcopo nonnunquam fuisse. Nam si ætatis privilegio tantum & jure ordinationis eò venisset Proterius, non diceretur Archipresbyter à Dioscoro esse constitutus. 2. Creatum illum fuisse à Dioscoro sui Vicarium quandiu abesset. *Cui & Ecclesiam commendavit.* Convenit autem et mirum in modum Vicarii functio, quem & spectata virtus, & rerum experientia Archipresbyterum effecere. 3. Proterium ex Vicario & Archipresbytero in Dioscori Patriarchæ Alexandrini locum successisse. Nihil enim æquius, nihil rationi magis consentaneum, quàm ut eam dignitatem obtineas, cui te parem probasti, muniis ejus omnibus antè obeundis.

VI. Suum in singulis Cathedralibus Latinis Ecclesiis Archipresbyterum fuisse, affirmare videtur Hieronymus. Epist. ad Rusticum. *Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi; & omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nititur.* Quibus verbis admonet sanctus Pater, ut unus tantum est in Ecclesia una Episcopus, & Archidiaconus, ita & Archipresbyterum unum esse oportere. Cùm enim sit Presbyteralis Collegii Caput & Princeps Archipresbyter, Diaconorum verò Archidiaconus, manifestissimum est, ne sint unius corporis capita duo, solum illum unicúmque esse oportere. Ubi verò postea incredibilem in modum crevit Ecclesiæ multitudo, excrescente & sollicitudine, atque ingravescente sarcina, plures quoque ministros, plures & Archidiaconos & Archipresbyteros constitui necesse fuit.

VII. In Occidente longè certius est ad Archipresbyteratum pervenisse neminem, nisi ævo ordinis & ætatis contemplatione. Fuere enim Latini, quàm Græci religiosiores in observanda ea lege, quæ tam sanctè, tam justè à junioribus seniores in societate qualibet & collegio coli jubet & honori haberi. Cùm audisset Leo Papa à Doro Episcopo Beneventi primum ante alios honoris locum in Ecclesia attributum esse Presbytero recens ordinato, & ei consensisse è Presbyteris antiquissimos duos, illum his verbis graviter objurgavit : exprobrans quòd Canonicum Cleri ordinem intervertisset; suf- Epist. 57. 58.
fragatus ambitioso alieni juris usurpatori, ejusque honoris & loci, qui non deberetur nisi iis, quos ætatis prærogativa, quos rerum experientia, quos diutina obsequia, & perseverans pietas spectabiles & venerabiles cæteris fecissent. *Cognovimus apud te novo ambitu fœdoque colluvio Presbyterii ordinem fuisse turbatum, ita ut unius festina & immatura provectio, quædam eorum dejectio facta sit, quos ætas commendabat, & nulla culpa minuebat.* Declarat Leo non potuisse seniores Presbyteros locum suum cedere, immo prodere, & hac sui injuria jus deprimere eorum qui juniores eisqua proximiores erant : *si verò primi secundique Presbyteri circa Epicarpium sibi præponendum tanta assentatio fuit, &c. Deformis & ignava subjectio, bene sibi conscii & non irritam facientibus gratiam Dei præjudicare non potuit : ut Primatus suos quocumque commercio in alterum transferentes, subsequentium suorum minuerent dignitatem.* Denique ut horum Primatûs sui proditorum ignaviam plectat, jubet Pontifex in extremum eos descendere & retro agi locum inter Presbyteros Ecclesiæ ejus; eis etiam posthaberi, quorum ambitiosis conatibus obsecundarunt; cæteros verò omnes suum quemque ex ordinationis ævo locum constantissimè tueri. *Cæteris omnibus Presbyteris in eo ordine permanentibus, quem unicuique ordinationis suæ tempus ascripsit.* Nec committendum, ut illud nobis excidat, quod pluscùlum etiam stuporis injicere possit, sanctissimo doctissimoque Pontifici visum esse, tantum inesse flagitii in hac duorum Presbyterorum seu ignavia sive adulatione, ut deponendos eos fuisse dicat, nisi ex indulgentia remissum esset aliquid de juris rigore. *Licèt privari etiam Sacerdotio mererentur.*

VIII. Juverit sanè hîc observare ex hoc exemplo cum primis memorando, suggeri nobis rationem, & sterni viam, qua non innoxiè tantùm, sed piè & cum laude locum & ordinem nostrum tueamur; nec inerti & fucata humilitate cedamus, sed laudabili vigore & animi magnitudine obluctemur iis, qui aperta vi, aut per cuniculos, qui arte & fraudulentia grassantur, nec dejicere nos loco possunt, quin orbem perturbent Cleri, Canones conculcent, legesque labefactent, quibus ordo, pax, pulcritudo & concordia Ecclesiæ constabilitur. Nec nos hic extimulare debet, aut accendere, honoris privati cupiditas, sed ordinis, pacisque & legum flagrantissimus amor, quin immo & officii ratio ac necessitas, ut dignitatem qua induti sumus, juribus honoribusque suis non sinamus exui; & qualem quantamque accepimus, transmittamus successoribus. Castissimo illo zelo ardebat Leo; eodem postea arsit & Gregorii Papæ lingua stylusque, cum tam fortiter invictéque ab eo decertatum est adversùs Episcopos Constantinopolitanos, ne ab iis priscus Apostolicarum Sedium trium ordo turbaretur, & ne secundum in locum irrumperet Constantinopolitana Ecclesia, quem ab exordio & perdiu obtinuerat Alexandrina. Si tanti duxit Leo eniti ut ne quid novaretur in Presbyterorum seu Canonicorum unius Cathedralis Ecclesiæ ordine antiquitus servato : quid de ordine Sedium in Christiano orbe universo maximarum?

IX. E diverticulo in viam redeo, subjicioque exemplum aliud, in quo sunt quæ non minùs stupeamus. Vacante Sede Nolana, Felicem Presbyterum sibi dari Episcopum populus omnis percupiebat. Sanctissimi Confessoris meritum quidem erat maximum, at humilitas & sui despicientia non minor. Ergo Quintum Compresbyterum suum jure sibi præferendum contendere cœpit, utpote majorem natu, hoc est, ordinatione. Scilicet hebdomada omnino una ante Felicem Quintus fuerat ordinatus. Quæ tamen quantulacunque temporis distantia fecit, ut optata consequeretur, & Quintus eligeretur Episcopus. Ætati ergo sacerdotii cessere & viri merita & populi vota. Unde colligere est Presbyteri primi ætatem, quæ tantum valuit, ut in eligendo Episcopo plerumque aliis præponeretur, in constituendo Archipresbytero citra dubium longè plus valuisse. Simile sanè veri est Quintum Archipresbyterum Nolanum fuisse. Quod enim nec Leo, nec Paulinus, qui Felicis vitam versibus scripsit, Archipresbyteri voce usus est, eam id fortè causam habuit, quòd apud eorum Ecclesias nondum ea esset in usu. Sed ut ut se res habeat de nomine, jam erat summo in honore iis temporibus primi Presbyteri supra cæteros dignitas & eminentia. Unde hæc Paulinus:

Natali V. s. Felicis. *Felicis nomen totum balabat ovile, &c. Velut indignus, non audet honore crescere, testaturque seni mage debita Quinto, quòd prior ille gradum socii meruisset honoris Presbyter, hac septem distabat summa diebus. Ergo sub hoc etiam Felix Antistite vixit Presbyter.*

X. Antiquissimam illam seu legem, seu consuetudinem de servando inter Presbyteros & Diaconos ordine juxta ordinationis tempus, innovavit Gelasius Papa:

Epist. 9. *Nec cujuslibet utilitatis causa, seu Presbyterum, seu Diaconum his præferre, qui ante ipsos fuerint ordinati.*

Can. 78. Conc. Milev. II. c. 23. 24 Idem statuit inter Episcopos Concilium Milevitanum II. *Ut nullus Episcopus prioribus suis se audeat anteponere.* Ita refertur à Ferrando Diacono. Hoc eodem Concilio statutum est, ut ab eodem Ordinatore suo litteras accipiat Episcopus, quibus inscribatur annus & dies ordinationis, ut venturæ præfocentur lites: *Litteras accipiant ab Ordinatoribus suis, manu eorum subscriptas, continentes Consulem & diem, ut nulla altercatio de posterioribus vel anterioribus oriatur.*

XI. Verùm hæc omnis de consessibus ac ceremoniis publicis intelligenda sunt, ubi dignitati magis quàm personæ honos habetur. Nam & senectus pro dignitate non sine causa reputari posse videbitur, si consideres & quæ supra ætates alias bona habeat, & quantum concilier reverentiæ. At in privatis consessibus, quò quisque major inter Episcopos sanctiorque fuit, eò locum ambiit humiliorem: tum enim non dignitatis ratio habetur, sed personæ solius. Hinc luculentè Sidonius Apollinaris de Lupo Trecensi Episcopo observat, id illi cordi semper fuisse, ut plus referret semper honoris & obsequii, quàm reciperet: & dum se infimis quibusque subjiceret, ea colligeret merita, quorum contemplatione ei ultro subderentur majores:

Sidon. l. 7. Epist. 25. *Officia multiplicat propria, vitat aliena. Cùmque ipsi vicissim debeat occurri, gratius habet, si sibi mutuus honor debeatur mage, quàm rependatur. In convivio, itinere, consessu, inferioribus cedit, quo fit, ut se illi voluptuosiùs turba postponat superiorum.* Et hæc quidem de privatis intelligenda sunt colloquiis, ubi quam quis in publico personam & dignitatem gerit, fas est deponere, ut mos geratur Apostolo præcipienti, *Honore invicem prævenientes.* Hunc consessum domesticum & publicum apertè distinguit Concilium Carthaginense IV. cùm Episcopis præcipit, ne cum ipsi sedent, stare Presbyteros sinant: utque in Ecclesia ipsi semper sublimiores sedeant: Can. 34. 35. *Ut Episcopus quolibet loco sedens, stare Presbyterum non patiatur: ut Episcopus in Ecclesia & in consessu Presbyterorum sublimior sedeat.* Submonet denique illos, ut privatim semper Presbyteros tanquam compresbyteri ipsi colant: *Intra domum verò Collegam se Presbyterorum esse cognoscat.*

XII. Quod ad officia jam pertinet Archipresbyterorum, idem Concilium Carthaginense IV. Can. 17. decernit, ut Episcopus Provinciam eis & curam mandet viduarum, pupillorum & peregrinorum: *Ut Episcopus gubernationem viduarum & pupillorum & peregrinorum, non per se ipsum, sed per Archipresbyterum aut per Archidiaconum agat.* Operosa jam tum res erat hæc miserabilium & egenorum cura. Habemus autem ex illo Canone id manifestissimum, Archipresbyteros & Archidiaconos Episcoporum in rebus divinis omnibus cooperatores & ministros fuisse. Inde est quod de Archipresbyterorum muneribus, tam pauca habeant Canones. Nam quibus proprium nihil attribuitur, iis hoc relinquitur, ut ad Episcopalia ministeria omnia quæ à Presbytero exerceri queunt, ab Episcopo suo, ubi ei videbitur, possint delegari.

XIII. Atque ut huic tandem Capiti finem ponam, si Ecclesiæ Cathedrali ordinatione sua addicebantur Presbyteri, non ut quotidianum offerrent sacrificium, aut in decantandis horis Canonicis Cantoribus cæteris præessent: hæc enim nondum erat consuetudo: sed ut ab Episcopo tanquam Vicarii adhiberentur ad opus quodlibet; erat profectò Archipresbyter Episcopi quasi Vicarius Generalis, & velut proprius ejusdem Cathedralis Ecclesiæ Parochus, quæ sola sæculis aliquot in Episcopali civitate fuit Ecclesia. Hoc tamen est nostros inter & ejusmodi Vicarios Generales discriminis, quòd hi nihil nisi absente, aut ægrotante, aut alibi occupato Episcopo agerent: & hoc solum facerent, quod juberentur: nostri verò nunc omnia impleant munia, præter ea quæ sibi propria voluit esse Episcopus. Sentio non eo tunc numero, nec tanta multitudine fuisse Fideles, qua nunc sunt; sed nihilo forsitan minus oneris aut sollicitudinis Archipresbyteris incumbebat: propterea quod operosius non paulò est augere Fidelium multitudinem, quàm gubernare.

---

## CAPUT IV. *P. 2. l. 1. c. 12.*

### De Archipresbyteris sæculo sexto & septimo.

*I. Argumenta complura jurisdictionis tum Ecclesiasticæ, tum civilis Archipresbyterorum.*

*II. III. In agris plerumque erant, sive ii essent Parochi, qui Presbyteris multis, sive Decani Rurales, qui Parochis pluribus præessent.*

*IV. De Cathedralium Ecclesiarum Archipresbyteris.*

*V. VI. De eorum jurisdictione & officio.*

I. AD Episcopos videntur proximè accedere Archipresbyteri, ita ut inter eos medium nihil possit esse. Sacram hanc dignitatem cadente primum Clodovei stirpe usurpaverant laici: cui malo ut mederetur Concilium Remense statuit: *ut* Anno 630. c. 19. *in Parochiis nullus laicorum Archipresbyter præponatur, sed qui senior in ipsis esse debet, Clericus ordinetur.* Erat

fortè ei dignitati adjuncta maxima in re civili potestas, quod innuere possent illa Canonis verba, *Qui senior in ipsis esse debet.* Vox enim illa *senior* jam tum *dominum* significabat, ut etiamnunc vernacula Francorum, Italorum, Hispanorumque lingua. Quod argumento est ætate media hanc fuisse illius Romanæ vocis significationem. Ab hac quippe origine prodierunt hæc istarum gentium idiomata. Hinc ergo & Laici Archipresbyteratum ambibant. Vetuit Cabiloneose Concilium, ne quod cœperant seculares Judices, ut rurales visitarent Parochias & Monasteria, id facere pergerent, nisi invitante Archipresbytero, aut Abbate. *Si potestate qua pollent, excepta invitatione Abbatis vel Archipresbyteri in ipsa Monasteria vel Parochias aliquid fortasse præsumpserint, à communione omnium Sacerdotum eos convenit sequestrari.* Penes Archipresbyterum erat, non vocatis Judicibus laicis, debita pœna plectere Presbyteros, Diaconos Clericosque alios, si qui in crimine essent. Adeo ut statuerit Concilium Turonense II. ut Archipresbyteri in Monasterio pœnitentiam agant, nisi strenuam navent operam, ut Presbyteri, Diaconi, Subdiaconique cum uxoribus castè vivant, acerbissiméque in delinquentes animadvertant. *Illi verò Archipresbyteri, qui talem cautelam super juniores suos habere noluerint, & non eos habuerint studio distringendi, ab Episcopo suo in civitate retrudantur in cellam, ibique mense integro panem cum aqua manducent.* Altisiodorensis Synodus annuam infligit pœnitentiam ei Archipresbytero, qui Episcopum non monet, vel Archidiaconum, si quando carnalibus inquinamentis sese deturpent Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi. *Si Archipresbyter hoc Episcopo vel Archidiacono non innotuerit.* Altisiodori ea tantùm erat Archipresbyteri functio, ut Episcopum vel Archidiaconum commonefaceret de plectendis sceleribus; in Provincia verò Turonensi hæ quoque erant ejus partes, ea potestas, ut pro jure suo in reos animadverteret. Statuit præterea Synodus Altisiodorensis, ut qui laicus Archipresbyteri monitis non paruerit, is communione privetur; pœnamque præterea eam subeat, quam Rex ejusmodi contumaciæ indixerat: *Insuper & mulctam quam gloriosissimus dominus Rex instituit, sustineat.* Denique excommunicantur ab ea Synodo Judices laici, qui contumeliæ aliquid Clericis intulerint, aut injuria eos affecerint quacumque, nisi Episcopo, Archidiacono, vel Archipresbytero petente: *Absque voluntate Episcopi, aut Archidiaconi, vel Archipresbyteri injuriam inferre præsumpserit.*

An. 650. n. 11. — Ann. 567. c. 19. — Anno 578. c. 20. — Can. 44. — Can. 43.

II. Erant ergo in agris, ut his ex Canonibus liquet, Archipresbyteri, magna potestate freti in Parochos Clericosque alios suæ ditionis. Ubi verò semel erant instituti, ejici ab Episcopo sine Presbyterorum suorum consilio non poterant. Denique flagitiosissimæ simoniæ labes ea fuisset, si hanc dignitatem Episcopus non meritis, sed pecuniæ favorique donasset. Ita sanè Concilium Turonense II. *Ut Episcopus nec Abbatem nec Archipresbyterum sine omnium suorum Compresbyterorum & Abbatum consilio de loco suo præsumat ejicere, neque per præmia alium ordinare, nisi facto concilio tam Abbatum, quàm Presbyterorum suorum, quem culpa aut negligentia ejicit, cum omnium Presbyterorum consilio refutetur.*

Can. 7.

III. Apud Gregorium etiam Turonensem in agris constituuntur Archipresbyteri. *Archipresbyter Parochiæ Nemausensis, &c. Archipresbyter qui tunc locum illum regebat, &c. Cùm Archipresbyter loci Eubalus Clericos convivio invitasset. Edatius verò alius Presbyter viduis ac pauperibus reliquis edulium præpararet, &c. Archipresbyter Mertensis vici, &c.* Qui omnes loci innuere videntur ruri fuisse Archypresbyteros, ubi præter peculiarem Parochiæ suæ, cæterarum etiam quæ viciniores essent generalem quandam & communem curam haberent. Nisi fortè malis, quod & iisdem locis insinuatur, Archipresbyterum dici primum principemque cujuslibet Parochiæ Presbyterum, qui excubias quasi ageret ad aliorum Presbyterorum Clericorumque mores explorandos.

Mirac. l. 1. c. 78. — L. 2. c. 22. — De Glor. Confess. c. 5. — Vit. Pat. c. 9.

IV. Neque enim ambigere quisquam potest, quin Cathedralibus Ecclesiis, Capitulisque sui singulis essent Archipresbyteri, qui Presbyteris aliis, & ordinis ævo, & dignitate atque honore antestarent. Id apertè liquet ex Epistola, quam post electionem quidem suam, sed ante inaugurationem scripsit Joannes IV. Papa ad Abbates & Doctores Scotiæ, sive Hiberniæ. Eam historiæ suæ Beda intexuit. Ibi porro videre est Archipresbyterum Ecclesiæ Romanæ antè nominari, quàm Papam electum, qui tunc Diaconus tantummodo erat. *Hilarius Archipresbyter, & servans locum sanctæ sedis Apostolicæ, Joannes Diaconus, & in nomine Dei Electus, Joannes Primicerius, & servans locum sanctæ sedis Apostolicæ, & Joannes servus Dei, Consiliarius ejusdem Apostolicæ sedis.* Hi sunt qui Epistolæ subscripsere ad muniendam in Hibernia fidem sanctioremque disciplinam conscriptæ. Hos ergo constat velut Capita & columina fuisse Cleri Romani: hoc est primum Presbyterorum, qui Papæ electo præponitur; primum Diaconorum, primum Clericorum inferiorum, primum denique Ministrorum cæterorum, qui Consiliarii nomine signabatur, qua de re inferius. Idem patet ex Concilio Emeritensi, ubi statuitur, ut si Concilio Provinciali adesse non possit Episcopus, mittat Archipresbyterum, aut quem habet inter Presbyteros suos peritissimum. *Ad suam personam non aliter, nisi aut Archipresbyterum suum diriget: aut si Archipresbytero impossibilitas fuerit, Presbyterum utilem, cujus dignitas cum prudentia pateat.* Sed mirè consentit ejusdem Concilii Canon alius, cum Epistola Cleri Romani, quam ex Beda protulimus. Eo quippe jubetur, ut in unaquaque Episcopali Ecclesia proprius sit Archipresbyter, Archidiaconus, & Archiclerus. *Ut omnes Episcopi infra nostram Provinciam constituti in Cathedralibus Ecclesiis, singuli Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primiclerum habere debeamus.*

Beda l. 2. c. 19. — Can 5. — Can. 10.

V. Isidorus Episcopus Hispalensis de Cathedralibus citra dubium Archipresbyteris loquitur, cum ait præesse illos Presbyteris cæteris, Episcopi Vicarios esse in sacro Sacerdotii Sacramentorumque ministerio: Archidiacono tamen subesse, utpote qui quoad jurisdictionem omnem Episcopi esset Vicarius Generalis. *Archipresbyter verò se esse sub Archidiacono, ejusque præceptis sicut Episcopi sui sciat obedire: & quod specialiter ad ejus ministerium pertinet, super omnes Presbyteros in ordine positos curam agere, & assiduè in Ecclesia stare: & quando Episcopi sui absentia contigerit, ipse ejus Missarum solemnia celebret, & collectas dicat, vel cui ipse injunxerit.*

Epist. ad Ludifredum Episc. Cordub. p. 316.

VI. Neque forsan in sacro tantùm Altaris ministerio Archipresbyter absentis aut decumbentis Episcopi vicem fungebatur. Nam cùm audisset Gregorius Magnus Januarium Episcopum Calaritanum seu negligentia seu infirmitate de Xenodochiis non satis sollicitum, eam illius Oeconomo & Archypresbytero curam demandavit: *Oeconomum ejus Ecclesiæ*

a

L. 2. Ep. 59. *sic atque Epiphanium Archipresbyterum commone, ut eadem Xenodochia sine periculo suo sollicitè ac utiliter studeant ordinare.* Non nesciebat Canonum peritissimus & observantissimus Pontifex, Canones Carthaginenses eam sollicitudinem ipsissimis Archipresbyteris & Archidiaconis commendasse.

---

## CAPUT V. *P. 3. l. 1, c. 11.*

## De Archipresbyteris sub Imperio Caroli Magni.

*I. Affinitas & distantia Chorepiscoporum & Archipresbyterorum. Invigilabant illi in omnes unius Diœceseos Parochos, hi in paucos & unius tantum regiunculæ.*

*II. Archipresbyterorum varia munia.*

*III. Imminebat Archidiaconus Decanis, sive Archipresbyteris.*

*IV. Probatur aliquando saltem Decanos Rurales Archipresbyteros fuisse.*

*V. Episcopatus unus in plures scindebatur Decanatus, & cujuslibet Decanatûs Parochi ad menstruas Collationes conveniebant, ut de variis Officii sui partibus consilia disceptarent.*

*VI. Erant & Decani Laici, quasi Publici Monitores ad emendationem criminum.*

*VII. In Pœnitentes publicos maximè porrigebat se sollicitudo Archipresbyterorum.*

*VIII. Quàm necesse esset Archipresbyteros nominari.*

*IX. Franguntur primi eorum conatus, ad invadendos Deportus, seu fructus primos vacantium Parochiarum, quarum interim administratio penes ipsos erat.*

*X. Præter rurales Archipresbyteros, erant & Archipresbyteri alii in Capitulis Canonicorum.*

*XI. De Archipresbyteris Græcorum.*

I. PRoximo post Chorepiscopos loco erant Archipresbyteri, quo factum est, ut ubi sublatum est illorum Collegium, in maximam partem potestatis & ministerii eorum adoptari hi fuerint, parte reliqua in Archidiaconos refusa, de quibus inferiùs. In Capitulari Ludovici Pii vocantur *Adjutores ministerii* Episcoporum. In Concilio Aquisgranensi II. proscribuntur exactiones Chorepiscoporum. Archipresbyterorum, & Archidiaconorum in Parochos & in plebes eis creditas; *Comperimus quorundam Episcoporum Ministros, id est Chorepiscopos, Archipresbyteros & Archidiaconos, non solum in Presbyteris, sed etiam in plebibus, Parochiæ suæ avaritiam potius exercere, quàm utilitati Ecclesiasticæ dignitatis inservire, populique saluti consulere.* Hinc probabili conjectura auguramur Chorepiscopo paruisse Parochias penitus omnes agrorum, unde & *Villanus Episcopus* dicebatur: at Archipresbyteros singulos præfuisse uni alicui tractui & Parochiis in eo sitis, ita ut tractus isti Decaniæ dicerentur, ob eam causam, quæ suo infrà loco aperietur, cum de Decanis erit sermo. Et sanè nusquam ferè nisi unus in uno Episcopatu erat Chorepiscopus; cum ex adverso Caroli Calvi Capitulare addoceat nos unius Episcopi Diœcesin in plures Decanias sectam fuisse. *Statuant Episcopi loca convenientia. Per Decanias, sicut constituti sunt Archipresbyteri.* Sed hoc loco non agitur nisi de Parochis, qui ultra quintum ab urbe lapidem summoti sunt.

An. 828. c. 5. — An. 836. c. 4. — Capitul. Tolosa. Anno 843 c. 3.

II. Jubet Nannetense Concilium, ordinandos Clericos Episcopo ab Archipresbytero præsentari. At cum de his tantum agat, qui ruri agunt, hinc rursus patet ruralium maximè Parochiarum curæ affixos fuisse Archipresbyteros. *Evocandi sunt ad civitatem, unà cum Archipresbyteris, qui eos præsentare debent.* Capitulare anni 805. in maleficos animadverti jubet ab Archipresbyteris, ea tamen moderatione, ut ne morte afficiantur. *Videat Archipresbyter Diœcesis illius, ut diligentissima examinatione constringantur; sed tali moderatione fiat districtio, ne vitam perdant.* Capitulare Regis Carolomanni anno 883. præcipiebat Episcopis è Diœcesi sua migrantibus, ut vices interim suas delegarent Presbyteris, ea qua par erat scientia & experientia instructis, qui in Presbyteros juniores pervigili cura imminerent, & incidentes difficultatum nodos solverent. *Constituat Episcopus Presbyteros, qui vice sua superius statuta perficiant, & ad quos alii Presbyteri juniores, & minus cauti suam causam referant.* Id porro quid aliud est, quàm more nunc usuque nostro loquendi & agendi, Vicarios constituere generales, qui absentium Episcoporum vices & munia impleant.

Can. 15. — Can. 25. — Cap. 7.



III. Excubabat, ut puto, & Archidiaconi vigilantia in Decanos Rurales, seu Archipresbyteros. Ejus rei argumentum suppeditat Hincmarus, cujus extat ad Archidiaconos Commonitorium, quo leges eis servandas functionesque obeundas præscribit. Ultimo autem capite jubet alium eligi & subrogari Decanum, si is qui ea cura indutus fuerat, aut minus officio fungeretur, aut excessisset è vita; at multa prudentia librare hanc electionem. *Si Decanus in ministerio vestro aut negligens, aut inutilis, & incorrigibilis fuerit, vel aliquis eorum obierit, non inconsideratè Decanum eligite.*

Hincmar. To. 1. pag. 741.

IV. Quod autem Decani hi, non alii essent, quam Archipresbyteri, id perspicuum facit antiqua Constitutio, quam vulgò tribuunt Agathensi Concilio, & quæ refertur à Reginone, Burchardo, Gratiano. Ea Constitutio concinit prorsus huic quod nunc illuminare satagimus ævo; temporibus autem Concilii Agathensis, & receptæ tunc disciplinæ passim adversatur. Ibi autem edicitur ut ineunte Quadragesima sistant se pœnitentes ad Ecclesiæ januam, ubi & Decani astent, seu Archipresbyteri Parochiarum, unàque Presbyteri ii, qui qua strenuitate pœnitentiæ laboribus defuncti sint, testificari possint. *Ubi adesse debent Decani, id est, Archipresbyteri Parochiarum, cum testibus, id est, Presbyteris pœnitentium, qui eorum conversationem diligenter inspicere debent.*

Regino l. 1. pag. 291. Burchard. L. 19. c. 26. Grat. d. 50. c. 64.

V. Quælibet ergo Episcopalis Diœcesis in plures distribuebatur Decanatus, seu Archipresbyteratus; & Episcopi quique purioris tuendæ disciplinæ zelo inflammati, unum in locum convenire jubebant Parochos omnes unius Decanatus mense quolibet, & de ministerii sui legibus, & extricandis quæ quandoque exoriebantur difficultatibus mutuò conferre, doceri & docere. Accipe quid Riculphus Suessionensis Episcopus in Constitutione sua promulgarit. *Rationi quoque proximum esse sancimus, ut in unoquoque mense, statuta die, id est, in Calendis uniuscujusque mensis per singulas Decanias Presbyteri simul conveniant, & de his quæ in eorum Parochiis accidunt, sermonem habeant.*

Cap. 20.

VI. Quanquam autem erant Decani ex ordine Presbyterorum asciti, immo & Archipresbyteri ipsi: erant tamen & Decani laïci ac sæculares. In exemplis suprà memoratis Presbyterali utique fulgebant ordine Decani. Nec minùs id apertum ex hoc apud Reginonem capite: *Quando convenerint Presbyteri ad convivium, Decanus, aut aliquis Prior illorum, versum ante mensam incipiat, &c.* Sed suggeritur alibi aliud ab eodem Reginone decretum, ubi nil dubii residet, quin Decani dicantur laïci, ear-

L. 1. c. 225. — L. 2. c. 69.

mia pietate conspicui, quibus ea incumbebat cura, ut fideles laïcos monerent officii quemque sui, & pigritantibus calcaria subderent, denique Parochos commonefacerent, si quid flagitii aut facinoris in Parochia perpetraretur. Episcopi partes erant, dum Diœcesin circumlustraret, operam dare, ut nulla non in Parochia essent publici hoc genus monitorea, quos & Testes Synodales vocitabant: *Si in unaquaque Parochia Decani sunt per villas constitui, viri veraces & Deum timentes, qui cæteros admoneant, ut ad Ecclesiam pergant ad Matutinas, Missam & Vesperas, & nihil operis in diebus Festis faciant. Et si horum quispiam transgressus fuerit, Presbytero adnuntient; similiter & de luxuria, & omni opere pravo.*

VII. Recepimi canamus, conveniamusque rursum Archipresbyteros, quorum quanta necessitas & quæ munia essent, luculenter executa est Ticinensis Synodus. Eorum erat publicorum criminum infamia notatos ad publicam excitare pœnitentiam: Presbyterosque seu Parochos deligere ad audiendas occultorum criminum confessiones: *Oportet ut plebium Archipresbyteri unumquemque conveniant, quatenus tam ipsi, quàm omnes in eorum domibus commorantes, qui publicè crimina perpetrarunt, publicè pœniteant; qui verò occultè deliquerunt, illis confiteantur, quos Episcopi & plebium Archipresbyteri idoneos ad secretiora vulnera mentium medicos elegerint.*

*An. 850. c. 5.*

VIII. Hic certè eo *Plebis* vocabulo Ecclesia intelligitur, celebrando potissimum Baptismo dicata. Nec in civitatibus enim, nec ruri administrabatur Baptismus, nisi quibusdam certis in Ecclesiis ad eum usum selectis, ut infrà ostendemus. Atqui his maximè baptismalibus Ecclesiis, quæ aliarum velut matres erant, præficiebantur Archipresbyteri, & hinc curam atque strenuitatem suam in plebes Parochosque sui Decanatûs omnes explicabant. Hinc vehementer instat eadem Synodus, ut Episcopi Archipresbyteros eligant, qui levamento & solatio eis sint, & Episcopalis sarcinæ partem aliquam ipsi gerant, laïcis fidelibus necessaria imbuendis doctrina, Parochisque in officio retinendis. *Propter assiduam erga populum Dei curam, singulis plebibus Archypresbyteros praesse volumus, qui non solùm imperiti vulgi sollicitudinem gerant, verùm etiam eorum Presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumspectione custodiant; & qua unusquisque industria divinum opus exerceat, Episcopo suo renuntient. Nec obtendat Episcopus non egere plebem Archipresbyteris, quòd ipse eam per se gubernare valeat. Quia etsi valde idoneus est, decet tamen ut partiatur onera sua. & sicut ipse matrici praeest, ita Archipresbyteri præsint plebibus, ut in nullo titubet Ecclesiastica sollicitudo. Cuncta tamen ad Episcopum referant, nec aliquid contra ejus decretum ordinare præsumant.* Liquidum est in hoc Canone distare *plebem*, quæ Archipresbyteri Ecclesia est, & *minores titulos*, quæ Parochiæ jam sunt, juri & potestati Archipresbyterorum obnoxiæ.

*Can 13.*

IX. Ticinensis Synodus paucis pòst annis habita, acriter invehitur in effrænem laicorum quorundam audaciam, qui contumaciùs insurgebant in Archipresbyteros suos, hinc insolescendi ansam arripientes, quòd electioni eorum suffragati essent. Tum in Archipresbyteros ipsos stomachantur Synodi ejusdem Episcopi, quod infanda cupiditate abrepti, vacantium Ecclesiarum & interim suæ fidei commendatarum res reditusque usurpabrent. *Tollenda est enim prava omnino consuetudo, quæ in nonnullis locis oriri cœpit: quia nonnulli Archypresbyteri, vel aliorum titulorum custodes, fruges, vel aliarum Ecclesiarum reditus ad proprias domos abducunt.* Hæc si fors exordia prima sunt eorum Deportuum, seu Annatarum, de quibus infrà suo loco prolixiùs: cum Archipresbyteri vel Archidiaconi, vacantium Ecclesiarum custodiæ præfecti, earum fructus suam ipsorum in domum curabant deportari, unde fortasse Gallis nostris Deportuum vocabulum. *Fruges aliarum Ecclesiarum ad proprias domos abducunt.* Itaque expilatores jam eos magis quàm custodes videri posse innuit non obscurè eadem Synodus: *Hujus expilationis, tanquam furti reos.*

*Ann. 855. Can. 5.*

X. Erant denique Archipresbyteri velut Administri generales Episcoporum in regimine laicorum spiritali, quin & Parochorum Canonicorumque. Id à Crodogango observatum est in Regula, id & Valafridus Strabo disertè testatur: *Sunt etiam Archipresbyteri in Episcopiis Canonicorum curam gerentes.* Attigimus jam non semel distantiam Archipresbyterorum qui civitatis Clero, Capitulisque & Canonicis præerant, & eorum qui ruri imperium suum explicabant.

*Cap. 8. L. de rebus Eccles. c. ult.*

XI. Græcis quoque suus hoc ævo erat Archipresbyter, πρωτοπρεσβύτερος, qui & Protopapas ab illis dicebatur. Primi Presbyteri mentio fit in Concilio generali VIII. Protopapæ verò apud Codinum. Neuter eorum tamen satis cum nostro consentiebat Archipresbytero. Nec enim apud Græcos Protopresbyter, aut Protopapas alius erat, quàm qui primus esset inter plures Presbyteros, unius Ecclesiæ ministerio mancipatos, cujusmodi apud Latinos dicebantur Presbyteri Cardinales. Cùm Archipresbyter Latinos pluribus Parochis pervigil immineret, & eorum mores causasque ad Episcopum referret. Protopapas Palatii, cujus tam frequens mentio apud Codinum, Zonaram, Cedrenum, & in Notitiis Imperii, primus erat Palatini Cleri Presbyter, cujus erat sacris operari, & Ecclesiasticis præesse Officiis in Capella Palatii Imperatoris.

*Act. 2.*

---

## CAPUT VI. *P. 4. L. 1. c. 24.*

### De Archipresbyteris civitatis & ruris. De Decanis Ruralibus, de Vicariis Foraneis. Ex novo jure Decretalium post annum Christi millesimum.

*I. Novi Decretalium juris concentus cum antiquo, circa Dignitates.*

*II. Statuta varia Conciliorum ultimo hoc ævo edita, circa officia & jura harum Dignitatum.*

*III. Statuta sancti Caroli Borromæi & Conciliorum ejus, de eadem re. De Vicariis Foraneis ab eo institutis.*

*IV. Statuta Conciliorum Galliæ, in Caroli Borromæi vestigia ingressorum.*

*V. Ex Conciliis Hispaniæ.*

*VI. Quàm latè pateret olim jurisdictio Archipresbyterorum & Decanorum Ruralium.*

*VII. De eorum Officialibus. Rationes imminuendæ hujus jurisdictionis.*

*VIII. Fagnani observationes circa Archipresbyteri potestatem post Concilium Tridentinum.*

I. QUi novo jure constant adhuc Archipresbyteri, ad antiquos proximè accedunt, & iidem ipsi prorsus sunt. Subjiciuntur enim adhuc Archidiaconis, & perinde eorum jussis obtemperant, ut Episcopi, cujus illi vices gerunt. *Ut Archipresbyter sciat se subesse Archidiacono, & ejus præceptis, sicut sui Episcopi obedire.* Jurisdictionem ipsi suam exerunt in Parochos, & in omnes Pres-

*Decretal. Gregor. l. 1. Tit. 24. De Officio Archipresb.*

byteros, & ab Ecclesia rarò recedunt, in qua absente Episcopo, ipsorum est divina celebrare officia, aut Presbyterum aliquem suo loco subrogare. Eorum est permittente Episcopo ægrotantes pœnitentes reconciliare, & Presbyteris imponere pœnitentias. *Pœnitentem infirmum consulto Episcopo reconciliare, pœnitentiam cunctis aliis Sacerdotibus injungere.* Id ad Civitatis Archipresbyterum spectat, seu Ecclesiæ Cathedralis. *Archipresbyteri de urbe.*

At in eodem Decretalium Titulo, *De Officio Archipresbyteri*, venitur deinde ad Archipresbyteros, seu Decanos Rurales; *Singulæ Plebes, Archipresbyterum habeant*: Ubi vox *Plebes*, uti jam diximus, plurium Parochiarum tractum designat, quibus constat unus Decanatus. Quot plebes, totidem debent esse Archipresbyteri, qui sollicitudinem gerant, non laicorum tantùm fidelium, sed Parochorum. *Sicut Episcopus matrici præest Ecclesiæ, ita Archipresbyteri præsint plebibus.* Denique de rebus omnibus majoris paulo momenti consulendus est ab Archipresbyteris Episcopus: *Cuncta tamen referant ad Episcopum.*

*Ibidem.*

Quod ad eorum vel institutionem attinet, vel destitutionem; declarat Innocentius III. eam fieri debere ab Episcopo, simul & Archidiacono, cum utriusque potestati & vigilantiæ obnoxii sint. *Quæsivisti utrùm Decani rurales, qui pro tempore statuuntur, ad mandatum suum solum, vel Archidiaconi, vel etiam utriusque institui debeant, vel destitui, si fuerint amovendi. Ad hoc breviter respondemus, quod cum ab omnibus, quod omnes tangit, approbari debeat, & commune eorum Decanus officium exerceat, communiter est eligendus.*

*C. Ad hæc de Officio Archidiac.*

Arnulphi Lexoviensis Episcopi Epistola XXVII. disertis verbis exprimit, Archidiaconi esse, ut Archipresbyterum Episcopo præsentet, qui rejicere illum potest, si indignum judicet tanto munere; sed invito eo alium Archipresbyterum instituere non potest, ne adversarium ei Archidiaconum alium excitare videatur. *Cùm ei in Archidiaconatu suo alius quodammodo Archidiaconus annascatur.* Concilio Ravennate anni 1014. vetiti sunt Archipresbyteri, intentata etiam depositionis pœna, solemnem populo benedictionem infundens, confirmare, & sacrum chrisma conficere. *Nullus Archipresbyter benedictionem super populum det, non confirmationem chrismatis faciat, neque illud conficiat.*

*Can. 3.*

II. Provinciæ Turonensis Concilium in Castro Gunthetii habitum, anno 1231. à Patronis Laicis Clericisque præsentati jussit Archidiacono, vel Decano rurali eos, quos ad Parochias vacantes nominarent, ab his coram Episcopo, vel Vicario ejus Generali sistendos. Id verò adprimè consentaneum est Concilio Nannetensi, edicenti, ut Archipresbyteri eos offerant Episcopo, qui Ecclesiasticis ordinibus sunt initiandi. Ratio ejus rei est, quòd Archipresbyter regiunculæ suæ laicos Clericosque singulos de proximo noscat, moresque eorum habeat exploratiores, compertiora quoque studia literarum.

*D. 24. C. Quando Episcopus.*

At Salmuriense ejusdem Provinciæ Concilium anni 1253. eisdem hoc inculcavit Archipresbyteris, ut observarent qua munditie, & quàm religiosa cura servarentur deferrenturve, seu Eucharisticus Panis, seu Chrisma; ut Corporalia, seu Christi corpori obvolvendo destinata lintea ablui curarent à Diacono, vel Presbytero indoto lineis sacris vestibus; denique linteamina ut omnia sacris Altaribus sacrata, non eluerentur, nisi à pia virgine, aut honestissimis moribus matrona. Statuit denique hæc Synodus, ut intra primum saltem promotionis suæ annum Presbyterali ordine decorarentur hi Decani, alioqui sacra hac dignitate abdicandi.

*Can. 3. 5.*

Pont-Audomarense Concilium anni 1270. jubet ut in Calendis maximè suis Archipresbyteri caveant ut omnes ditionis suæ Clerici eo sint habitu, eaque tonsura, quæ Clericos decet. *Can. 21.* Santonensis Synodus anni 1280. Presbyteros seu Parochos urget, præcipitque, ut Decanos Rurales commonefaciant, si quid gravioris publicique sceleris patretur, ut à Decanis certiores fiant Archidiaconi vel Episcopi ipsi: *Peccata notoria de quibus scandalum in populo generatur, significent Sacerdotes Decano, & Decanus Archidiacono, vel Episcopo; nisi fortè per eos sint sopita.* *Can. 15.* Si non possint enim Parochi vel Decani huic scelerum publicorum licentiæ mederi, & ab aliis antè quàm ab ipsis eorum admoneatur Episcopus, pœnis Canonicis ipsi subjicientur: *Timentes ne pœnam incurrant, si per alios scandalum deferatur.* *Can. 51.* Excestrensis in Anglia Synodus anni 1287. Archipresbyteros ea oneravit cura, ut Parochiarum vacantium agri excolerentur, expensas quas fecissent ex eorum fructibus recepturi. Hic quoque non obscuris Deportuum vestigia. Petrus Archiepiscopus Narbonensis Archipresbyteris commendavit suis, ne Abbates ad Concilium Provinciale proficisci sinerent cum equis pluribus quàm quinque, & mulo oneribus vehendis. *Conc. Tom. 11. p. 1921.*

In illis reformandi Cleri statutis, quæ Cardinalis Campegius Sedis Apostolicæ Legatus à Latere in Germania sanxit anno 1524. Archidiaconis & Decanis Ruralibus id oneris impactum est, ut in Beneficiarios vigilarent, compellerentque substractione etiam temporalium, ad necessarias domorum fundorumque reparationes: *Per Archidiaconos & Decanos Rurales, ac alios ad quos de jure & consuetudine spectat, ubi negligentes fuerint, per substractionem proventuum, authoritate nostra arctiùs compellantur.* *Cap. 12.*

In Augustana Synodo anni 1536. constitutum est, ut in gemina illa Synodo quæ quotannis habebatur, quæcumque ad firmandam perpoliendamque disciplinam conducere poterant, ea cum Archidiaconis pertractarentur, & cum Decanis Ruralibus, quos in partem sollicitudinis ab Episcopis vocari jus fasque est. *Et quos vocamus Decanos Rurales, qui vocati sunt in partem sollicitudinis Episcopalis. Et quæ ex illorum judicio reformatione opus habere comperientur, communi consilio emendentur.* *Cap. 18. 19.* Statim his Decanis præcipitur, ut statuta tum Synodi Episcopalis, tum Provincialis Concilii in Diœcesi tota promulgent. Alia in Synodo Augustana anni 1548. jubentur Decani in *Capitulo*, hoc est, in menstruis Parochorum suorum conventibus, bis quotannis legere statuta Synodalia. *Cap. 2.* Hæc porro eadem Synodus, id præfata, qui olim apud Græcos Chorepiscopi vocabantur, eosdem cum iis esse, qui nunc Archidiaconi & Archipresbyteri dicuntur: quamvis in Augustana Diœcesi Archidiaconorum nomine non insignirentur, nisi qui proximas Augustanæ civitatis Ecclesias regebant, reliquis Decanorum Ruralium nomine gaudentibus: *Can. 7.* jubet postea ut *Capitula sua ruralia, sicut hactenus consuetum fuit, congregent*; dent operam, ut Parochi Parochianos suos necessaria & salubri fidei morumque doctrina imbuant: ne in difficilioribus causis percontentur nisi viros admodum peritos; ne illicitis exactionibus subditos fatigent, bis anno unoquoque Parochias omnes suæ ditionis obambulent, & quas morum corruptelas abstergere ipsi nequiverint, ad Synodum referant; aut si quid periculi ex ea mora possit emer-

gere, Episcopum admoneant; quem etiam incunctanter certiorem facere debent, siquem in quodvis se Beneficium intrusisse intellexerint; aut dispensationem absolutionemque dolo malo surripuisse, illos denique hortatur etiam atque etiam, has omnes officii sui partes ut impleant, ea diligentia & fide, cujus sacramentum Episcopis suis præstiterunt. *Quas fides juramento nobis præstita super hoc admonemus.* Id rursus præcipitur, ne patiantur publicæ fidelium venerationi proponi imagines statuasve quascumque, nisi prius Episcopo, vel Vicario ejus generale approbatas; venentur & conquirant libros omnes hæresibus refertos, aut certè jure suspectos, eosque ad Episcopum perferri curent.

*Can. 13.* Concilium Treverense II. anni 1549. statuit, ut quo primùm anno Parochi possessionem inirent suæ Ecclesiæ, sacramentum Decano Rurali præstarent, tum in ejus fraternitatem admitterentur, Comitiis generalibus Parochorum semel anno quolibet interessent, & præterea quoties Decanus Capitulum ad necessarias consultationes indixisset. *Præstet juramentum Decano, quo præstito in fratrem recipiatur: & tenebitur in Capitulis generalibus & annalibus, & similiter quando necessitate occurrente Decanus Capitulum indicit sub pœnis consuetis comparere.*

*Art 3. c. 6.* Concilium Cameracense anni 1565. Decanis Christianitatum præcepit, ut sexto quoque mense, aut quolibet saltem anno visitarent Scholas omnes vicorum oppidorumque, & de earum statu Episcopum commonefacerent. Non mihi tempero, quin hîc obiter dicam, probabiliter satis conjici, hos Christianitatum Decanos nominari, propterea quod iis præficerentur Ecclesiis, quas suprà semel & iterum advertimus *Plebes* esse dictas; quódque in iis baptismus celebraretur eorum omnium, qui toto Decanatu illo nati erant parvulorum, baptismales Ecclesias. Id certè sonat gallico etiamnunc idiomate vox illa Christianitatis. Ei rei confirmandæ conducet non mediocriter, quod mox ex Carolo Borromæo observabimus.

*Acta Eccl. Medial. pag. 153. 172. 250. 311.* III. Concilia quippe Mediolanensia sub Carolo habita has esse voluntpartes Archipresbyterorum; ut Presbyteri Assistentis munus obeant, quando Episcopus solemniter sacris operatur; ut cum Ecclesiam aliquam visitaturus est Episcopus, præcurrant ipsi, animosque plebium præparent; Eucharistia impertiant, tum Parochos urbanos, quando pestilenti lue afflati jacent; tum Episcopum ipsum gravi ægritudine decumbentem. Cùm vero prohibuit Carolus, ne Archipresbyteri, sive in Civitate, sive ruri celebrarent solennem baptismum parvulorum, in lucem exorientium ea hebdomada quæ præit Paschali festivitati, aut diei sacræ Pentecostes, quòd ea pompa uni Archiepiscopo reservata sit, nec debeant eo nati tempore sacrô fonte tingi, nisi in Ecclesia Metropolitana: eo ipso sanè satis declaratur, alio quovis tempore id juris fuisse penes Archipresbyterum, cui suberant baptismales Ecclesiæ, quæ Plebes dicebantur. *Ibidem. pag. 498.*

Jam quod ad rurales Archipresbyteros, eadem Concilia Mediolanensia edicunt, ut Parochos ægrotantes invisant: *Plebanus vel Archipresbyter, vel præpositus; in cujus Plebania, aut Archipresbyteratus, præpositurave finibus ægrotus habitat.* In Provincia Mediolanensi distabant Archipresbyteratus à Præposituris: & totus Episcopatus in plures dissecabatur Præpositutas, ita ut omnes prorsus urbis & ruris Parochiæ his Præposituris accenseri deberent, illæ etiam quæ ab Archipresbyteris regebantur; ut *Acta Eccl. Med pag. 67. 337. 338.* ex Actis Mediolanensis Ecclesiæ pluribus locis constat.

Hinc elucet Archipresbyteros hujus Provinciæ nonnihil discrepare ab iis de quibus hactenus diximus; & hos forsan Præpositos à nostris Decanis Ruralibus propius abesse. Idque in causa fortassis fuit, quamobrem Carolus Vicarios Foraneos instituerit in Concilio primo suo Provinciali, eisque omnem illam demandaret provinciam, quæ Archipresbyteris & Decanis Ruralibus olim assignabatur: nempe ut Capitula mense quolibet sua cogerent, ut ibi cum Parochis suis in commune consulerent de officiis suis impigre explendis, nec non & de causis implicatioribus; ut explorandæ Parochorum vitæ incumberent, Parochiarumque administrationi, quàm Canonicæ sanctimoniæ ea concineret; denique sanxit hoc Mediolanense Concilium, ut ad nutum posset Episcopus Vicarios hos Foraneos revocare. *Hi autem Vicarii voluntate Episcopi ab officio amoveri semper possint, ac si malè administraverint, pœnas dent ejusdem Episcopi judicio.* *Conc. I. Mediol. c. 29.*

Quanquam cuperent hujus Concilii Patres, Archipresbyteris maximè, vel Archidiaconis, aut Præpositis mandari hæc munera Vicariorum Foraneorum: constat eam tum meram fuisse Episcopi delegationem, quam quoties collibitum esset, revocaret. Ita secum statuebat Carolus, hinc illorum acui vigilantiam, strenuitatemque, ut omnes implerent officii sui numeros, si semper revocari se posse intelligerent. Idque tanto erat similius veri, quod eadem prorsus quondam munera Archipresbyteris in Italia incumbebant; at ea illi paulatim aut neglexerant, aut excusserant, quod non arbitrariam & ad beneplacitum Præsulis, sed perpetuam eam dignitatem obtinerent. Archipresbyteris ergo incuriosis & ignavis subrogati sunt Vicarii Foranei, quorum delegatio ipsis quandoque postea Archipresbyteris concredita est; sicut & infrà declarabitur Archidiaconorum priscæ authoritatis longè maximam partem Vicariis Generalibus & Officialibus postea delegatam fuisse: tumque hac ipsa quandoque delegatione non rarò investitos fuisse Archidiaconos ipsos.

Parco operæ & tempori, ne enumerem sigillatim omnia munia, quibus Vicarios suos Foraneos sanctus Carolus defungi voluit, circa Collationes Parochorum, Scholas, Parochos, Regulares, Clericos omnes, criminum reos publicorum & infamia notatos. Crescit in immensum hoc opus. Satius est monere Lectores, ut acta ipsa consulant Ecclesiæ Mediolanensis, quo non aliud usquam opulentius penu, ad totam Ecclesiæ disciplinam illustrandam. Unum id obiter dicam, in iis locis, ubi Decani Rurales non certi alicujus Parochiæ Rectores sunt, sed eam dignitatem confert Episcopus alicui Parochorum pro arbitrio suo, & quanto tempore sibi visum fuerit ex re Ecclesiæ; hos tum Archipresbyteros minimum differre à Caroli Vicariis Foraneis. Unum id operæ pretium est, ut ab iis infatigatam eandem sollicitudinem & vigilantiam insomnem impendi curet Episcopus, qui ad rationes reddendas anno quolibet vocare sæpius debet, quoscumque in partem vocat sollicitudinis.

IV. Decretum similiter fuit in Conciliis Mechliniensibus anni 1570. & 1607. ut Archipresbyteri constituerentur arbitrio Episcopi, qui non plures illis Ecclesias subjiceret, quàm quot commodè regere possent, eosque vel revocaret, vel aliò transferret, cùm visum esset. Jubent etiam hæc Concilia,

*Conc. Gen. Tom. 15. p. 506. 825. 1560.*

ut Episcopus Procurationes moderetur Decanorum Christianitatis, dum Parochias visitant, si ea vigeat consuetudo, ut eas visitent. Capitula sua anno quolibet congregare debent.

*Ibid. 913. 914.*

In Concilio Remensi anni 1583. jussi sunt Decani Rurales Capitula seu Congregationes Parochorum, quæ vernaculè Calendæ dicuntur, non sæpiùs quàm bis anno quolibet celebrare, ne Clerum expensis suis graveut; lites & dissentiunculas inter Clericos ortas ibi componere, pacis studio privatis compendiis antehabito; ut visitent Parochias sui quisque territorii; denique Diœcesana in Synodo ad Episcopum referant Acta Calendarum & Visitationum suarum.

*Ibid. p. 1181. 1182.*

Concilium Aquense anni 1585. vestigia pressiùs legens Caroli Borromæi & Conciliorum ejus ipsa penè verba exscribens, Vicarios instituit Foraneos, singulisque decem subjecit Parochias, denique eadem illis & jura & officia adsignavit, quæ in Actis Ecclesiæ Mediolanensis prolixiùs referuntur.

*Ibi. p. 1389.*

Tolosanum Concilium anni 1590. judicio & voluntati permisit Episcoporum, perpendere an sufficiendi essent Vicarii Foranei penuriæ aut negligentiæ Archipresbyterorum & Archidiaconorum. *Vicarii quos Foraneos vocant, non minimo Episcopis esse consueverunt levamento. Videbunt igitur Episcopi, an Archidiaconorum & Archipresbyterum aut penuria aut defectus Vicariorum ejusmodi operam requirat.*

*Conc. noviss. Gall. p. 113.*

Comitia Melodunensia Cleri Gallicani anni 1579. edixere, ut *Archipresbyteri aut Vicarii* Foranei *tertio quolibet mense rationem reddere teneantur* Episcopo.

*Conc. Gen. Tom 15. pag. 1519.*

Concilium Aquileiense anni 1596. imaginem quandam delineavit ejus mirandæ disciplinæ, quam Carolus in Provincia Mediolanensi constituerat, Vicariosque Foraneos instituit instruxitque iisdem prorsus juribus & mandatis.

*Ibid. p. 782.*

V. Denique Concilium Toletanum anni 1566. docet nos Hispaniæ etiam Ecclesias Episcopales singulas in plures distribui seu Archipresbyteratus, seu Archidiaconatus. Archipresbyteri spiritalem eam ibi jurisdictionem expromebant, qua eos Canonicæ leges communiunt. Ideo & Concilium Ilerdense anni 1229. prohibuerat has dignitates ad tempus concedi tantùm, & annuis pensionibus onerari: *Cùm Archipresbyteratus spiritualem jurisdictionem habeat, districtè prohibemus, ne Archipresbyteratus sub aliqua pensione ad terminum alicui concedatur.* Mentio fit & in his Tarraconensibus Conciliis, quibus hæc Ilerdensis Synodus inserta est, Decanorum Foraneorum, quos Presbyteratûs ordine necesse erat gaudere, quòd eos Episcopus causis Ecclesiasticis dijudicandis præficeret: *Quia non decet causas Ecclesiasticas per personas laicas pertractari, ne de cætero sint Decani foranei, nisi Presbyteri vel, &c.*

*Constitut. Conc. Tarracon. pag. 21. 24.*

VI. Cæterùm si extremis his sæculis, & ex eo maximè tempore, quo refingendæ & in primigeniam pulcritudinem suam restituendæ disciplinæ sacræ longè pulcherrimum specimen sanctus Carolus Mediolanensis Archiepiscopus exhibuit: si ex eo, inquam, tempore magna accessio facta est jurisdictioni voluntariæ Archipresbyterorum, Decanorum Ruralium & Decanorum Foraneorum: non paulò minùs decessit etiam de temporali eorundem jurisdictione. Concilium Provinciæ Turonensis habitum Lavalli, seu ad Vallem Guidonis, anno 1242. ipsis ut & Archidiaconis interdixit judiciis causarum Matrimonialium, simoniæ, & earum omnium, in quibus vertitur de depositione, degradatione seu amissione Beneficiorum, nisi speciali mandato Episcopi fulti essent: *Nisi de speciali mandato sui Pontificis nullatenus cognoscere vel definire præsumant de causis Matrimonialibus, simonia, vel aliis quæ degradationem vel amissionem Beneficii, vel depositionem exigant.* Inhibuit etiam hæc Synodus, ne Officiales haberent.

*Cap. 4.*

Prohibita jam hæc eadem fuerant in Concilio apud Castrum Gunthierii anno 1231. iteromque prohibita fuere in Concilio Salmuriensi anno 1253. ubi judicia agitare & jurisdictionem exercere extra civitatem, nisi per sese ipsi vetiti sunt, non per Officiales: *Ne Archidiaconi, Archipresbyteri, seu Decani Rurales, & alii minores, jurisdictionem Ecclesiasticam habentes, extra civitatem Officiales, seu Allocatos habeant. sed extra civitatem in propriis personis suum diligenter expleant officium.* Idem rursus Decretum promulgavit Concilium ejusdem Provinciæ Turonensis apud Langeacum, anno 1278. vetitis Archipresbyteris & Archidiaconis, ne Officiales haberent. Quæ tam frequens ejusdem Decreti iteratio, argumento est, vix obtemperatum, aut ne vix quidem ei fuisse.

*Can. 8.*

Statuta Synodalia Andegavensis Diœcesis anni 1282. tribus Archidiaconis, tribus Archipresbyteris, & quatuor Decanis Ruralibus, in quos distributæ erant variæ Episcopatûs portiones, assignarunt binas ternasve singulis urbeculas, *ubi causas & placita audirent.* Certum quoque numerum Apparitorum definierunt.

*Can. 2. Spicileg. To. 11. p. 229.*

Pictaviensis Synodus anni 1280. causam aperit hujus Archipresbyterorum contumaciæ, tot Conciliis, totque Decretis frustra impetitæ: ea erat lucri & pecuniæ turpis cupiditas, qua concitati plura in ditionis suæ tractu Tribunalia erigebant, pluresque sibi asciscebant Vicarios Generales & Officiales, qui lites instruerent, examinarent contractus & testamenta, qui denique ipsis absentibus causas dirimerent: *Archipresbyteri lucrum quærentes proprium, non commodum subjectorum, &c.* Uno contentos esse jubet hæc Synodus Tribunali, aut ad summum altero, si inolita esset ea consuetudo, ut plures haberent: *In uno loco tantummodo sit contentus, nisi sunt tales, qui vel quorum prædecessores consueverunt ab antiquo in duabus villis vel pluribus audientiam exercere. Et illi duorum locorum ad hoc antiquitus assuetorum numerum non excedant.* Denique illis hæc Synodus interdicit causis majoribus, matrimonialibus, simoniæ, usuræ, & hujusmodi aliis, quod ipsum jam decretum fuerat illis in Provinciæ Turonensis Conciliis, quæ paulò antè laudata sunt.

*Con. To. 11. Part. 1. pag. 1238.*

Concilium Salmuriense anni 1294. animadvertit, proscripsitque flagitiosæ Archipresbyterorum avaritiæ caput aliud non minùs tetrum: quippe non canonicas, sed pecuniarias pœnas indicebant adulteris, incestuosis, fornicariis, aliorumque affinibus scelerum, quæ remittere ipsi non poterant, & has pecunias in suum marsupium congerebant. *Pro adulterio, fornicatione, incestu, & aliis excessibus, in quibus dispensare non possunt, à Clericis & laicis pœnam pecuniariam contra Canonum prohibitionem exigunt & extorquent.*

*Con. To. 11. Part. 2. pag. 1396.*

VII. Percellit hæc eadem Synodus Archipresbyteros qui Officiales habebant, per quos, dum abessent ipsi, & Contractus examinarent, & sigillum iis apponerent: *Ne Clericos cursores & quasi exploratores ad audiendas Confessiones contrahentium de cætero teneant, nec ad relationem eorum litteras sigillent, acsi in eorum præsentia facta fuissent.*

*Ibid. c. 4.*

Bajocensis Synodus anni 1300. causas omnes matrimoniales Judicibus omnino inferioribus interdicit; ut quæ integræ Episcopi judicio sint ser-

*Ibid. p. 1464.*

*Can. 9. Cap. 13. Ibid. pag. 1666.*

vandæ. Denique in Concilio Ravennate anni 1317. gravi damnationis cauterio inusti sunt Archipresbyteri, & inferiores omnes Judices, quicumque id sibi arrogarent, ut de Parochis aliisque Beneficiariis judicium instituerent, ac demum convictos depositionis sententia ferirent; quod contestatur Synodus Canonicis regulis vehementer adversari, per quas soli fas est Episcopo Clericos quoscumque deponere & exauthorare.

Patefacta jam satis ex his est vasta illa Archipresbyterorum quondam jurisdictio contentiosa: nec latere jam possunt causæ justissimæ, quæ ad eam cohibendam intra arctiorem gyrum Episcopos adduxerunt. Aut verum, aut simillimum vero est, amplissimam hanc illis primùm aliquandiu ab Episcopis delegatam fuisse potestatem: temporis diuturnitate & consuetudine eam delegationem ita roboratam fuisse, ut in jus commune & ordinarium convalesceret, & ex arbitrario vicariatu officium certum & perpetuum crearetur: donec gliscente corruptela fieret, ut illa potestatis amplificatio penè justiùs etiam quàm concessa fuerat, revocaretur.

*Conc. Tom. 11. Part. 1 pag. 1047. Can. 16. Synodicum Rotom. pag. 243 253. 254. 219. p. 215. 216.*

Concilium ad Pontem Audomari habitum anno 1279. suspendendi & excommunicandi potestate Archipresbyteros uti concessit, dum id scriptis fieret: *Decani Rurales exercentes jurisdictionem, non suspendant nec excommunicent nisi in scriptis.* Superiùs delibata Concilia hac eos non nudaverant potestate, quæ sola eis depositionis sententia interdixerant. Legere est in nuper edita Compilatione Conciliorum & Synodorum Rotomagensium, qui limites alii alibi præscripti sint Decanorum Ruralium jurisdictioni.

*In l. 1. Decr. Part 2. pag. 219. 221.*

VIII. Observat autem Fagnanus, 1. Rurales Decanatus non posse numerari inter Dignitates, uti neque Præposituras, neque Prioratus, quòd ejusdem hæc sint generis, easdem habeant functiones, nec ulla eis jurisdictio adhærescat: *Non habent Dignitatem, cùm non habeant prærogativam supra alios, vel jurisdictionem.* 2. In Dignitatum numero ex eodem censentur Archipresbyteri; sed cùm plerumque curam non habeant animarum, etsi ante Côcilium Tridentinum jure Decretalium necesse esset, ut Presbyteri jam essent, vel quamprimum ordinarentur, qui ea donandi erant dignitate: post Tridentinum desideratur tantùm ut annum ætatis agant vigesimum secundum, nec ulla incumbit necessitas, ut Presbyteri sint.

*Sess. 24. c. 12.*

*Fagna. ibid pag. 374. 375. &c.*

3. Archidiaconus Vicarius quodammodo est Episcopalis jurisdictionis, at Archipresbyter Episcopi Vicarius est ad Sacramentorum celebrationem, ad Officia Ecclesiastica, ad Ceremonias sacras, ad Benedictiones populo infundendas. 4. Archipresbyter subjicitur jurisdictioni Archidiaconi, in quibus rebus id jure sancitum est vel consuetudine: aliàs mirificè supra illum eminet. 5. Nec tamen id prohibet, quin Archidiaconus jure possit uti & visitationis & correptionis in Archipresbyterum, & in ipsas Archipresbyterales ejus functiones. 6. Quanquam Archipresbyteri & Archidiaconi Vicarii tantummodo sint Episcoporum: nituntur tamen certo & perpetuo officii & dignitatis titulo, nec ab illis revocari possunt. De Cathedralibus Archipresbyteris agit hîc Fagnanus. 7. Cùm sint Archipresbyteratus saltem aliqui, quibus annexa est animarum cura, necesse est, ut quibus illi conferuntur, ii ex Tridentini eodem decreto attigerint annum ætatis quintum supra vigesimum. Dicemus infrà, ut Archipresbyteri & Decani Rurales sua omni jurisdictione excussi sint, nec aliud jam in potestate habeant, quàm ut extra figuram judicii corripiant delinquentes: & ad Episcopi judicium omnia referant. 8. Addam denique ex Barbosa à Congregatione Concilii adjudicatas Archipresbyteris Cathedralium Ecclesiarum fuisse oblationes, quæ ibi fiunt, cùm penes illos sit & animarum cura & administratio Sacramentorum. *Barbosa de Paroc. c. 15. n. 27. 29.*

## De Vicariis Generalibus, Officialibus, Pœnitentiariis, Theologis.

---

### CAPUT. VII. *P. 1. l. 1. c. 19.*

### De Vicariis Generalibus Episcoporum, & de Pœnitentiariis, per priora Ecclesiæ sæcula.

*I. Chorepiscopi ipsi erant Episcoporum Vicarii Generales ad Parochias agrorum.*

*II. Exempla quædam Vicariorum Generalium. Eorum imago clarissima in Gregorio Nazianzeno & Basilio, dum Presbyteri tantum essent.*

*III. Noluit Gregorius Basilio ad Episcopatum provecto Vicariatum generalem gerere.*

*IV. Pulcherrima & in Chrysostomo effigies Vicarii Generalis.*

*V. In Ecclesia Latina Ambrosio Mediolanensi Episcopo Simplicianus Vicarias operas præstitit.*

*VI. Augustinus similiter Valerio Episcopo Hipponensi.*

*VII. Hi Vicarii Generales, eadem opera erant & Officiales, & Pœnitentiarii, & Theologi, & Ecclesiæ Cathedralis Parochi.*

*VIII. Hæc eadem munia ipsi tum utplurimum obibant Episcopi.*

*IX. Vicarii hi Generales plerumque & Coadjutores erant, & Successores Episcoporum.*

*X. Eò collimabant Canones, cum jubebant Episcopos eligi ex ejusdem Ecclesiæ Presbyterorum, vel Diaconorum collegio.*

*XI. Forma absoluta omnibus numeris Vicarii Generalis in Claudiano, fratre D. Mamerti Episcopi Viennensis.*

*XII. Probatur illum simul obiisse alia omnia munia Dignitatum supra laudatarum.*

*XIII. De Presbyteris Pœnitentiariis. Eorum creatio & extinctio in Oriente, ex historia Socratis.*

*XIV. Quid eadem de re Sozomenus scripserit.*

*XV. An essent aliqui in Occidente.*

AB iis primum sermo de Presbyteris ordiendus fuit, qui primum eo in Ordine locum tenuere. Quales sunt profectò Vicarii Generales, qui & depositam apud se Episcoporum authoritatem haberent, & universales essent sacræ jurisdictionis administri. Chorepiscopi de quibus suprà, in ruralibus Parochiis Generalem Episcopi Vicariatum exercebant. Unde Ferrandi illud & Cresconii: *Chorepiscopi, id est, Vicarii Episcoporum.* Hinc & Isidori Collectio in explanando Ancyrano Canone, *Vicarii Episcoporum, quos Græci Chorepiscopos dicunt.*

II. In urbe verò hanc generalem Episcopi delegationem obire non poterant, nisi Presbyteri vel Diaconi, Archipresbyteri vel Archidiaconi. De Archipresbyteris jam diximus, de Archidiaconis mox dicemus. Nunc agendum nobis est de Vicariis illis arbitrariis, quos de grege Presbyterorum seligebant quandoque Episcopi, ut in eos Episcopalis sarcinæ partem aliquam rejicerent. Ejusmodi fuit Gregorius Nazianzenus, quem pater cognominis Episcopus Nazianzi, jure patrio, vi facta, eremo abduxit, & reluctantem adegit, ut regendæ Ecclesiæ sibi coadjutor accederet. Testatur insignis ille Theologus, Episcopum se Nazianzi nunquam fuisse, sed pa- *Baron. an. 366. n. 10. 16.*

rentis solùm veluti Vicarium & cooperatorem. *Nunc quidem cum præclaro parente curam hanc suscipere non recuso, velut magna Aquila, & altissimè volanti pullus non incommodus è propinquo advolans.* Gregorium non multò pòst secutus est Basilius. Episcopo enim Cæsariensi Eusebio conciliatus, præstantissimi statim Vicarii specimen exhibuit. Expinxit ejus imaginem admodum luculentam Gregorius Nazianzenus, cujus hæc sunt verba: *Adesse, docere, dicto audientem esse, monere, quidvis denique illi esse, consultor bonus, opitulator optimus, divinorum oraculorum explicator, rerum agendarum præmonstrator, senectutis subsidium, fidei adminiculum, domesticorum fidelissimus, externorum ad res gerendas aptissimus; ut uno verbo dicam tantam ejus benevolentiam obtinens, quantò priùs apud eum odio flagrare videbatur. Ex quo hoc assecutus est, ut etiamsi illi Cathedra honore secundus esset, Ecclesia tamen imperio potiretur. Etenim pro benevolentia quam conferebat, authoritatem vicissim accipiebat; ac mirus quidam erat inter eos concentus utriusque potestatis. Ille plebem ducebat, hic ductorem.*

Orat. ad patrem.

Orat. 2. in laudem Basilii.

III. Hæc effigies præstantissimi Vicarii, & Basilii virtutibus par, & Gregorii ingenio calamoque non impar. Magna erat inter utrumque, hunc Cæsareæ, illum Nazianzi Generalem Vicarium affinitas, magna virtutum cognatio. Cùm enim esset uterque tum voluntariæ, tum contentiosæ administer, jurisdictionis Episcopalem curam & laborem in se suscipiebat omnem, honorem Episcopo reservabat. Factus deinde Episcopus Cæsareæ Basilius ipse, cùm ad eum Gregorius venisset, insigniore illum inter Presbyteros sede donare, vices suas illi delegare, & eo illum reponere loco constituit, quem ipsemet paulò antè impleverat. Iisdem enim verbis describit Gregorius locum, tum quem Basilius sub Eusebio occuparat, tum quem ipsi factus Episcopus implendum ingerebat: *Postea cùm ad eum venissem atque eadem de causa Cathedræ honorem insignioremque inter Presbyteros sedem repudiassem, &c.* Recusavit Gregorius oblatum honorem, nec ea repulsa alienatus ab eo est Basilii verè Magni & magnanimi animus. Postea autem ordinatus à Basilio Gregorius Sasimorum Episcopus, cùm inde ob tristitiam loci discessisset, vim iterum ab optimo parente Nazianzi Episcopo passus est, ut vicarium illi ministerium præstaret. Vicarius ergo Episcopi, non Episcopus Nazianzi fuit Gregorius Theologus, etsi id jam tum fama per orbem mendax sparserat. Locupletissimus ipse author & testis ita confirmat, eò se hospitem venisse, & vices gessisse Episcopi tantùm, non Episcopum fuisse: *Ad breve tempus præfecturam quasi hospites accepimus.*

Baron. an. 369. n. 39

Nazian. in laud. Basil.

Baron. an. 371. n. 101. 106. 107

IV. Presbyteri cum erant Gregorius & Basilius, cum ad Vicarii Generalis munus accessere. At Chrysostomus cùm Diaconus tantummodo adhuc esset, prædicandi verbi divini munus cum primis Episcopale implebat Antiochiæ, acsi esset ei illius Ecclesiæ cura concredita, absente Episcopo Flaviano. *Quid hoc sit, fratres charissimi? Pastor abest, & tamen oves suum cum diligentia servantes ordinem video. Profectò boni illius Pastoris id quoque officium est, ut non modò illo præsente, verùm etiam absente, ovili studium omne adhibeat.* At ubi Presbyterii ordine auctus est Chrysostomus, longè majore cum fructu, & flagrantiore zelo Episcopalibus obeundis vicibus Episcopum levare cœpit. Dicam alibi tunc Diaconis nondum licuisse ad populum concionari. Itaque singulari privilegio & speciali delegatione tum concionandi munus, cum Diaconus adhuc erat, usurpabat, Episcopi vices agens Chrysostomus. Sunt tamen qui Cardinalis Baronii Chronologiam labefactare conati sint, ut Presbyter jam tum fuerit Chrysostomus, cum concionari cœpit. Sed ne Presbyteros quidem tum moris erat sermocinari ad plebem, ut infrà patefiet. Itaque etiam tum opus fuisset Episcopali quadam delegatione & vicariatu, ut publicum prædicandi docendique munus vel Presbyter Chrysostomus expleret.

Baron. an. 382. n. 48 386. n. 43

Baron. an. 375. n. 23.

V. Nemo inficias ibit, quin Vicariorum Generalium in Oriente tria hæc fuerint exempla numeris omnibus absolutissima. Nunc ex Ecclesia Latina totidem promemus. Primus est B. Simplicianus, Ambrosii Mediolanensis deinde successor, cujus antea fuerat Vicarius. Is Romæ cùm esset Presbyter, à Damaso Papa Mediolanum missus est, ut inter prima Episcopatûs exordia adesset Ambrosio. Illum Ambrosius ipse perillustri hoc testimonio prosecutus est, quòd cùm orbem terrarum perlustrasset, ad omnes disciplinas perdiscendas, sibi tamen prima Episcopatûs rudimenta tentanti dubias quæstiones proponeret, et percontando doceret. En ipsa Ambrosii verba in Epistola secunda ad Simplicianum: *Sed quid est quod ipse dubites, aut à nobis requiras, cùm fidei & acquirendæ divinæ cognitionis gratia totum orbem peragraveris: & quotidianæ lectioni nocturnis ac diurnis vicibus omne vitæ hujus tempus deputaveris, acri præsertim ingenio, etiam intelligibilia complectens?*

VI. Augustinum Valerius Hipponensis Episcopus, Presbyterum eo tantùm consilio ordinavit, ut haberet in quem vices suas & sollicitudinis magnam partem conferret. Id apertè insinuat Possidius, cùm ait, Valerium Ecclesiæ suæ præsenti necessitate cruciatum, cum plebe sua egisse & consultasse de eligendo ordinandoque Presbytero: diutinis jam precibus eum enisum fuisse, ut Presbyterum à Deo impetraret, qui vice sua prædicandi munus impleret: cùm enim genere Græcus esset, non eam assecutus erat Latinæ linguæ facultatem, quæ suis votis, quæ muneri concionandi par esset. Denique cum primum Augustinus ordinatus ab eo Presbyter fuit, illico concionandi illi Provinciam mandavit, qua Presbyterorum hactenus nemo in Africa defunctus fuerat: Apostolicum illud privilegium solis Episcopis sibi tunc vindicantibus. *Cùm flagitante Ecclesiastica necessitate de providendo & ordinando Presbytero Civitatis plebem Dei alloqueretur, &c. Gratias agebat Deo, suas exauditas fuisse preces, quas se frequentissimè fudisse narrabat, ut sibi divinitus homo concederetur talis, qui posset Verbo Dei & doctrina salubri Ecclesiam Dei ædificare: cui se rei homo natura Græcus, minusque Latina lingua & litteris instructus, minus utilem pervidebat. Et eidem Presbytero potestatem dedit coram se in Ecclesia Evangelium prædicandi, ac frequentissimè tractandi, contra usum quidem & consuetudinem Africanarum Ecclesiarum. Unde etiam ei nonnulli Episcopi detrahebant.* Hæc omnia consentiunt mirificè cùm Vicarii Generalis potestate, unde & Augustinus ipse probè intellexit, grandi illo & sollicitudinum plenissimo semnnere instructum fuisse. In ea enim quam ad Valerium Episcopum paulò pòst scripsit Epistola, ut inducias saltem aliquas ad Paschalem usque festivitatem impetraret, quas legendis Scripturis, & addiscendis iis, quæ deinde doceret populum, conferret: hæc habet, quibus testatur tam periculosi muneris pondere gravari se vehementer, cum secundus sibi tradatur gubernaculi post Episcopum locus; itaque nisi vis sibi allata fuisset, consensurum se fuisse nunquam. *Vis*

Possid. in vita August. c. 4. 5. Baron. an. 391 n. 22.

Epist. 148 *mihi facta est merito peccatorum meorum. Nam quid aliud existimem, nescio, ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram.*

VII. Si Vicario Generali non malè convenit *secundus locus gubernaculorum*: Parocho certè convenit non minus bene, quod Augustinus à Possidio dicitur *Presbyter* Civitatis. Nam ut in agris Chorepiscopus, ita Vicarius erat Civitatis Presbyter. Urbes enim ferè, nisi majores essent, qualis Roma, Alexandria, Antiochia, Constantinopolis, Ecclesias habebant singulæ singulas, Episcopales Cathedralem. Cathedralis ergo Ecclesiæ Parochus, sive Presbyter, in iis quæ sunt Presbyteralis Ordinis, & jurisdictionis Episcopalis, primam post Episcopum obtinebat potestatem. In minoribus urbibus erat plerumque cum Episcopo Presbyter unus, qualis fortè eo tempore fuit Hippo Regius. Cùm in Concilio Carthaginensi III. actum est de ea Episcopi Carthaginensis potestate, qua Presbyterum unius Ecclesiæ postulantibus Ecclesiis aliis Episcopum posset ordinare: proposita est illa difficultas de Episcopis, qui unum haberent Presbyterum, quibus adeo illum auferri, cum durum, tum subiniquum videretur: *Qui unum habuerit, nunquid debet illi ipse unus Presbyter auferri?* Et quia Episcopi longè major utilitas, necessitasque, quàm Presbyteri; & communi totius Ecclesiæ bono privatum
Can. 45. oportet cedere: ita decretum est: *Si necessarium Episcopatui quis habet Presbyterum, & unum habuerit: etiam & ipsum dare debebit.* Tum ergo ille unus Presbyter, & Vicarius, & Officialis, & Pœnitentiarius, & Theologus, & Parochus erat Civitatis. Posset & dici Coadjutor Episcopi; successor denique ejus, non certò quidem, sed verisimillimè futurus.

VIII. Ubi verò plures erant in Ecclesia Cathedrali cum Episcopo Presbyteri, is qui erat primus omnium, etsi dignitatum earum necdum nomina gestaret omnia, quòd nequedum etiam omnes illæ in usu essent: singularum tamen officia & numeros implebat omnes, quòd ea sint propria Presbyterorum munia, dum nihil nisi jussu Episcopi faciant, & ejus in omnibus obnoxii sint potestati. Dicam infrà solitos fuisse iis temporibus Episcopos ipsos per sese Sacerdotali omni ministerio defungi: & Parochi, Officialis, Pœnitentiarii & Theologi simul munus obire. Baptismum dare, reconciliare pœnitentes, solennes Missas facere, habere conciones, Clericorum inter se & plerumque etiam Laicorum lites finire. Presbyteri iis tunc tantum adhibebantur ministeriis, cum aut abessent, aut ægrotarent Episcopi, aut negotiorum multitudine & pondere obruerentur. Non mirum ergo si diximus, & Parochos, & Officiales, & Theologos & Pœnitentiarios Episcoporum simul Vicarios eosdem fuisse; cum hæc simul omnia ipsi obirent Episcopi, nec nisi necessitate coacti aliqua Presbyteris demandarent: illud enim omnino observandum, si quæ vulgò Episcopus ipse gerebat per sese, ea quandoque aliis gerenda committeret; hos verè, seu Generales ad Episcopale omne ministerium, sive Particulares ad partem ministerii difficillimi Vicarios dici potuisse.

IX. Quod autem dixi, Coadjutores Episcoporum, & successores plerumque fuisse eos, qui generales eorum fuerant Vicarii: rem cum aliorum complurium, tum ipsius Augustini exemplo testatam dixi. Parenti in Episcopatu Nazianzeno ideo non successit Gregorius Theologus, quia invictissimè restitit. Sed ad alium & eminentiorem cœlitus Episcopatum vocatus est Constantinopolitana sede honestatus, ne de Sasimis loquar. Vicarii generales fuerant Basilius & Chrysostomus, cum ad Episcopatum venere. Scilicet Antiochenam Cathedram non insedit Chrysostomus, quia Antiochiæ vota, & Imperator & Regiæ urbis Ecclesia prævenere. Habuit tamen ab ipso Antiochiæ Vicariatu, & nomen, famamque & merita ipsa, quorum Episcopalis infula merces fructusque fuit. Ambrosium in Episcopatu excepit Simplicianus, Valerium Augustinus: qui ipse de se ita loquitur: *Apprehensus, Presbyter*, id est, Vicarius, *factus sum, & per hunc gradum ad Episcopatum perveni.* An potest enim quisquam institui, fingique melius ad Episcopatum, quam qui Vices Episcopi fungi cogitur longo temporis intervallo? Ea res tam est aperta, ut obscurari dicendo magis possit, quam illustrari. De Diversis sermone 49.

X. Illud observare satius fuerit, Conciliorum Canones antiquos, & Pontificum Decretales Epistolas, quibus jubentur de ejusdem Ecclesiæ gremio Presbyteri, aut Diaconi in Episcopos eligi, non idcirco tantum id præcepisse, ut eximio utrique illi Ordini haberent & haberi curarent honorem, & quasi gradus ad summas Ecclesiæ dignitates viamque sternerent: sed ut ii maximè Ecclesiæ præficerentur, qui Episcoporum nossent officia, functiones explessent, & ei non succumberent oneri, quod cum superioribus Episcopis multo antè portare insuevissent. Quod si de Presbyteris & Diaconis is eligebatur, ut ferebant Canones, qui erat in rebus tantis versatus magis, ac ministerio tam sancto magis idoneus: rationi valde consentaneum est, ut credamus, eum multo sæpius eligi solitum esse, quem Generalem sibi Vicarium Episcopus elegisset, præmonstrasseque, quem Episcopali gestandæ, sive secum, sive post se sarcinæ magis idoneum judicaret. Credi enim par est ab Episcopo peritissimum quemque sumptum esse de Presbyteris & Diaconis, apud quem partem deponeret aliquam oneris sui. Adhibebantur iis temporibus omnes & Presbyteri & Diaconi, non decantandis, quibus tamen interea ant, divinis Officiis: ea quippe tum erat aliorum Clericorum cura: sed juvando sublevandoque Episcopo, aut conferendis Sacramentis, aut habendis concionibus, aut finiendis Clericorum ac fidelium inter se litibus, aut obeundis Curialibus, aut Episcopalibus muniis. Episcopi ergo cujusque Clerus, sed ipsum præsertim Presbyterorum ejus ac Diaconorum Collegium, futurorum erat Episcoporum seminarium. Ita ut inter eos qui præ cæteris adhiberetur rebus gerendis, & haberetur pro Vicario Generali, is esset dignitati maturior Episcopali.

XI. Facilè mihi equidem persuaserim, Eraclium Presbyterum, quem sibi Coadjutorem & successorem adscivit Augustinus paulò ante obitum, ejusdem Generalem fuisse Vicarium, quando ab Ecclesia illum sua abducebat, tum propriæ Ecclesiæ, tum universæ necessitas. Principem enim illi secundùm se auctoritatis locum dabat indubitanter Augustinus, & hac illum rerum experientia imbuebat, perpoliebatque, ut Episcopum fingeret & informaret. Nec dubitari etiam potest, quin Mamertus Viennensis Episcopus Claudianum fratrem in Vicarii Generalis ministerium sibi adsciverit. Sidonius enim Apollinaris, ubi de Claudiano loquitur, eam tibi Vicarii Generalis tabellam depingit, qua vix ullam queas desiderare perfectiorem. *Episcopum fratrem majorem*

*natu*

*Ann. Christi 490. Sidon. l. 4 Epist. 15.* *natu religiosissimè observans, quem diligebat ut filium, cùm tanquam patrem veneraretur. Sed & ille suscipiebat hunc granditer, habens in eo Consiliarium in judiciis, Vicarium in Ecclesiis, Procuratorem in negotiis, villicum in Prædiis, Tabularium in Tributis, in lectionibus comitem, in expositionibus Interpretem, in itineribus contubernalem.* Idem sonant non minùs eleganter hæc Sidonii de eodem Carmina: *Antistes fuit ordine in secundo, fratrem fasce levans Episcopali. Nam de Pontificis honore summi ille insignia sumpsit, hic laborem.*

XII. Verùm ut hæc est sine controversia Generalis absolutissima descriptio Vicarii: ita perspicuum prorsus est hunc verè Generalem esse Vicarium, qui Episcopo suo nulla in ministerii sui parte deesset. Erat enim illi Officialis, *Consiliarius in judiciis.* Erat Oeconomus, *Procurator in negotiis.* Vicedominus, aut domûs dispensator, *Villicus in prædiis.* Thesaurarius & Ærarii præfectus, *Tabularius in tributis.* Theologus, *in expositionibus interpres.* Pœnitentiarius, & in offerendis sacrificiis, conferendisque Sacramentis Vicarius, *Vicarius in Ecclesiis.* Syncellus denique & secretiorum ejus operum testis, *in itineribus contubernalis.* Quin etiam & Præcentor, eorumque qui in Ecclesiasticis occupantur officiis moderator: *Psalmorum hic moderator & phonascus ante Altaria, fratre gratulante, instructas docuit sonare classes.* Idem earum officii divini partium lector, quæ singulis anni temporibus recitarentur: *Hic solemnibus annuis paravit,*
*Gennad. De viris illust. Io Salviano.* *quæ quo tempore lecta convenirent.* Claudianum existimavit Gennadius Viennæ fuisse Episcopum. At esse omnino non potuit, ut qui ante fratrem vivere desierit. Petrus de Marca hunc esse errorem Antiquarii, seu Librarii auguratus est, qui Episcopum pro Chorepiscopo scripserit. Verùm hæc quæ cum Sidonio
*Marca de Concor. l. 2. c. 14.* Apollinari dicta sunt, consentiunt magis cum Vicario Generali, quàm cum Chorepiscopo. Nam quæ suprà explicatæ sunt Claudiani functiones, non patiebantur illum ab Episcopo, ab Ecclesia Cathedrali, ab urbe recedere: quæ Chorepiscopi autem sunt, hæc illum in agros plerumque ablegant. Quanquam haud scio, an passim ubique in Gallia tunc temporis fuerint Chorepiscopi. Fit enim eorum mentio nonnisi rara. Et jam antè adnotatum est, eorum strictim, & quasi ex occasione meminisse Concilium Regiense; nullum autem, qui verè esset Chorepiscopus, instituisse.

XIII. Non dabit se forsan aliàs tempestivior occasio disserendi de Pœnitentiario, qui Vicarius & ipse erat Episcopi Generalis in administranda pœnitentia. Neque id mihi propositum est, ut habito de Vicariis Generalibus sermoni sermonem adjungam alium de privatis & ad partem tantùm aliquam ministerii assumptis Vicariis. Verùm de Pœnitentiario hic silere non potui, quòd id proprium sit munus Presbyterorum; cùm cætera quæ aliis mandantur Vicariis, & Diaconis & minoribus Clericis possint ab Episcopo committi.

Sæviente, quæ dirissima fuit, Decii persecutio-
*L. 5. c. 19.* ne, ut Socrates refert, *Ecclesiarum Episcopi Canoni adjunxerunt, ut in singulis Ecclesiis Presbyter quidam Pœnitentiæ præesset, quo qui post Baptismum lapsi fuissent, coram Presbytero ad eam rem designato peccata sua confiterentur.* Solius hactenus fuerat, & ut infrà dicetur, solius etiam postea fuit Episcopi publica Pœnitentium reconciliatio. Nam & illius erat pœnitentiæ leges ponere, condere Canones, publicam decernere pœnitentiam, explorare per sese aut per alios, quo studio pœnitentes operi incumberent: ut pro cujusque vel negligentia vel diligentia pœnitentiæ tempus vel protraheretur longiùs, vel contraheretur. Eadem viguit disciplina etiam post institutum Pœnitentiarium, ut fidem faciunt sanctissimi Patres, Canones Conciliorum, & summorum Pontificum Decreta. Ex quibus illud efficitur, eas tantùm fuisse Pœnitentiarii partes, ut si qui primam Baptismi commaculassent innocentiam, eorum secretas audiret Confessiones, secretasque indiceret pœnitentias: si quis autem ejusmodi patrasset aliquid, quod sola elui posset pœnitentia publica, eum propter crimen capitale ad Episcopi Tribunal, & ad difficillimos pœnitentiæ publicæ remitteret labores. Accidit autem Constantinopoli, Nectario ejus Ecclesiæ clavum tegente, ut fœmina post factam Pœnitentiario Presbytero Confessionem, palam & publicè confessa sit se à Diacono vitiatam fuisse. Id verò quod non poterat non grave scandalum concitare, sine dubio illa fecit præter Presbyteri consilium. Nam ea tempestate etsi peccatorum, etiam occultorum publica esset pœnitentia, erat tamen semper secreta Confessio. Immo secretò etiam peragebatur pœnitentia, quando offendiculo eam fore præsagiebatur, si publica fieret; aut suspicionibus, odiis vindictæque locum daturam. Denique ita temperabantur omnia, ut ne fœminæ, quæ res esset plena periculi, in ullam unquam suspicionem obliquiorem venirent.

XIV. His omnino rationibus adducimur, ut Pœnitentiarium culpæ prorsus eximamus; & in culpa non fuerit nisi mulier, quæ ultra positos sibi ab eo limites imprudentiùs progressa, gravissimum quidem, sed occultum crimen gravi omnium scandalo publicè confessa est. Abstulit tamen & Presbyterum Pœnitentiarium Nectarius, & ipsam de peccatis occultis publicam pœnitentiam, facta omnibus potestate, ut ad Communionem Eucharisticam accederent, & ei soli, cui collibitum esset, conscientiæ suæ redderent rationem.

Ita intelligendus est Socrates, qui mox asserit idem secutas esse cæteras Orientis Ecclesias, quod Constantinopolitana fecisset, Presbyterumque Pœnitentiarium sustulisse. Ab his sanè temporibus Græcorum Ecclesiæ Scriptores omnes, & hodierni rerum Orientalium Historici testantur, apud Græcos viguisse semper, & etiamnum hodie vigere pœnitentiales Canones: ex eorum norma olim, & hactenus præscribi pœnitentias: solam autem occultorum criminum pœnitentiam publicam in usu esse desiisse post Nectarii Decretum, hoc est, ab sæculo quinto ineunte, uti nec in usu est jam inde ab sæculo desinente duodecimo in Occidente. Eo enim tempore in Occidente cœpit rarissima esse pœnitentia publica, cùm quod ad occulta attinet crimina, jam publica esse desiisset septimo admodum sæculo.

Hinc colliges ita conjunctam fuisse hujus Pœnitentiarii Presbyteri & pœnitentiæ publicæ rationem, ut hac sublata, tolli & illum oporteret. 1. Alioqui è tot Orientis Ecclesiis aliqua saltem Pœnitentiarium retinuisset. 2. Deciana persecutio, & creberrimi in ea lapsus, ad pœnitentiam tantùm publicam pertinent. 3. Offendiculo fuit mulier confessa publicè crimen occultum; id spectabat etiam ad pœnitentiam publicam, cujus illa leges prætergressa erat, & per quas non licebat scelera palam efferre, quæ utiliùs laterent. *Ulteriùs progressa,* ait Socrates. 4. Publicatio occultorum criminum arbitraria erat, & ea absolvebantur mulieres, si cunde periculi aliquid immineret. Potuit ergo pœnitentia publica, & is penes quem erat ejus dispen-

satio, Presbyter tolli. Non ita privata peccatorum & Confessio & Pœnitentia. Cùm enim hæc sit ad absolutionem aut annuendam, aut renuendam, aut suspendendam penitus necessaria, aut eam non sustulisset Nectarius, aut si privato suo consilio fecisset, aliquos expertus esset supra modum repugnantes; non saltem habuisset consentaneas omnes Orientis Ecclesias, in tam præpropera innovatione, tantique ad æternam salutem momenti.

XV. Præter ea quæ sunt apud Socratem, hæc habet Sozomenus non contemnenda. Eligi solitum Presbyterum Pœnitentiarium, qui vitæ purus & integer, secreti tenacissimus esset. *Presbyterum vita integritate spectabilem, secretorum tenacem, & sapientem huic muneri præficerunt.* Pœnitentiarios id genus Presbyteros in Occidente adhuc & Romæ potissimum, pristinam retinere potestatem: *Sollicitè in Occidentalibus Ecclesiis, & maximè in Romana servatur.* Eam mulierem confessam esse, illo se contaminaram fuisse flagitio, eo tempore quo moras trahebat in Ecclesia, ut pœnitentiæ sibi præscriptæ faceret satis. Illam Nectarius ansam arripuit extinguendæ pœnitentiæ publicæ, quæ prolixiores in Ecclesia preces, & prostrationes plures habebat.

L. 7. c. 16.

XVI. Quod autem de Ecclesia Occidentali dictum est à Sozomeno, ne ita intelligas, ut putes in Ecclesia Cathedrali Presbyterum fuisse pœnitentiarium, cujus propriæ hæ partes essent, confessiones audire, indicere pœnitentias, pœnitentes absolvere. Dicemus enim infrà, extrema demum hac Ecclesiæ ætate post annum Christi millesimum institutum fuisse ejusmodi ad rem pœnitentiariam Vicarium Episcopi generalem. Prioribus autem quinque sexve sæculis penes Episcopum solum erat pœnitentiæ publicæ administratio: penes Presbyterum verò delegatum, nonn si Episcopo absente, aut ægrotante. Aperta est authoritas Concilii III. Carthaginensis, cui consonabat Occidentalis totius Ecclesiæ disciplina. *Vt pœnitentibus secundum peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio, pœnitentiæ tempora decernantur. Vt Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo, & necessitate cogente.* Molestè tulerat olim Cyprianus, quòd Presbyteri pœnitentes injussu suo reconciliassent: *Quod nec periculum metuere debemus de offensa Domini, cum aliqui de Presbyteris, nec Evangelii, nec loci sui memores, quod nunquam sub antecessoribus factum est, cum contumelia & contemptu præpositi totum sibi vendicent.* Eliberina Synodus à Presbyteris reconciliari pœnitentes non patitur, nisi cum urget extremum morbi discrimen. *Apud Presbyterum si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere, sed potius apud Episcopum. Cogente tamen infirmitate, necesse est Presbyterum communionem præstare debere, & Diaconum, si ei jusserit Sacerdos.* Quod ad Diaconos pertinet, non poterat illis aliud præcipi, quàm ut Eucharistiam dispensarent, quod proprii erat & antiquissimi eorum muneris, nec aliud sonant, vel Cypriani, vel hujus Canonis verba.

Can. 31. 32.

L. 3. Ep. 14.

## CAPUT VIII. *P. 4. l. 1. c. 26.*

### De Vicariis Generalibus & de Officialibus in genere; de Vicariis Generalibus in particulari, ex disciplina recentiore post annum Christi millesimum.

*I. In antiquis novi Juris Decretalibus, nulla vestigia adhuc Vicariorum Generalium, aut Officialium.*

*II. In Concilio Lateranensi sub Innocentio III. jacta quodammodo sunt hujus utriusque Dignitatis fundamenta.*

*III. Erant jam tamen in aliquibus Ecclesiis: erant & in Regularibus.*

*IV. Passim & universim instituti sunt sæculo decimo tertio, ut ex Sexto liquet.*

*V. Meræ primò delegationes fuere.*

*VI. Jam tum tempore Concilii Viennensis, Officialis munus erat constans & perpetuum.*

*VII. Varia Conciliorum statuta de Vicariis Generalibus & Officialibus.*

*VIII. De Vicariis Generalibus Capitulorum Sede vacante.*

*IX. Regum Francorum Constitutiones de Vicariis Generalibus.*

*X. De Vicariatu Pontisarensi.*

*XI. Statuta varia Concilii Tridentini, & Congregationis Concilii Declarationes eadem de re.*

I. NEc in Gratiani Decreto, nec in Gregorianis, seu antiquis Decretalibus, ullum deprehendi potest vestigium Vicariorum Generalium, aut Officialium istiusmodi, qui tanto nunc sunt Episcopis levamento. In Decretalibus quidem tituli certi sunt *de Officio Archipresbyteri*, itemque *de Officio Archidiaconi*: sed de Vicario Generali, aut Officiali nulli sunt prorsus. Innocentius III. disertis verbis testatum facit, Vicarium Episcopi Generalem esse Archidiaconum ipsum: *Et ipsius Episcopi Vicarius reperitur; omnem sollicitudinem & curam tam in Clericis, quam in Ecclesiis eorum impendendo.* Titulus qui inscribitur *de Officio Vicarii*, non agit, nisi de iis Vicariis, sive perpetuis, sive temporariis, quos Parochi, aliique Beneficiarii inferiores suis in Ecclesiis instituere possunt. In Capite tamen *Sua nobis*, de Vicario agitur, quem Romanus Pontifex Romæ creabat, cum ab ea aliquandiu absuturus erat: quem & spirituali jurisdictione induebat in Urbem universam: *Quoniam jurisdictio Vicarii quem Romanus Pontifex in urbe reliquit, non extenditur extra illam, nisi ei sit specialiter concessum.* At verò id ad solum attinet Romanum Præsulem, & eo tantum tempore, quo Roma abest.

C. Ad hæc. De offic. Archid.

II. In Concilio sanè Lateranensi sub Innocentio III. statutum fuit, ut si qua in urbe, vel Diœcesi essent populi plures, non una lingua, diversis moribus, aliis & aliis Ecclesiasticis ritibus, totidem ab Episcopo constituerentur Vicarii Generales, qui singulis adminicula salutis necessaria omnia suppeditare possent. *Pontifices hujusmodi civitatum sive Diœcesum provideant viros idoneos, qui secundum diversitates rituum & linguarum, divina illis officia celebrent, & Ecclesiastica sacramenta ministrent: instruendo eos verbo pariter & exemplo.* Sed ea singularis erat species, ex qua inferri etiam licet, aliàs in more positum non fuisse, ut Vicarios Generales Episcopi sibi quique suos deligerent. Illo etiam sæculo, quod illustravit Innocentius III. nostræ in Oriente de Christiani nominis hostibus reportatæ victoriæ huic originem dedere plurium Christianarum gentium una aliqua in urbe, vel Provincia

C. Quoniam. De officio judicis Ordin.

commorationi; Latinorum nempe Græcorumque. Denique Innocentius idem III. eodem in Decreto copiam facit Episcopo istiusmodi, alium ut sibi subjungat Episcopum, tanquam Vicarium Generalem, qui diversi sermonis ritusque populum regat. *Catholicum Præsulem constituat sibi Vicarium.* Rara & hæc ac singularis omnino species est.

Nec dissimulare tamen debemus, ejusdem Lateranensis Synodi Patres hortatos esse, ut siquando non possent Episcopi numeros omnes implere sui muneris, adjutores sibi accerserent, & cooperarios, Prædicatores, Pœnitentiariosque, à quibus ad pietatem instruantur, regantur, visitentur Diœcesani, eorum nomine & vice: *Vice ipsorum, cum per se iidem nequiverint.* Sed & hinc rursus liquet, nequedum usitatum id fuisse, cum ad id hortandi fuerint Episcopi.

*Cap. Inter cætera. Ibidem.*

Porro tot rationibus & argumentis urgebat hæc Synodus Episcopos, ut Vicarios sibi Generales adjungerent, ut probabile cum primis sit tam luculento & tam necessario instituto illos brevi obsecutos esse. Occupationum gravitas & multitudo, corporeæ ægritudines, hostium incursiones, Diœceseon vastissimi limites, denique ipsa Canonicæ disciplinæ imperitia ansam præbuere Lateranensibus Patribus edendæ generalis hujus Constitutionis: *Generali Constitutione sancimus.*

III. Jam tum erant tamen nonnullis in Diœcesibus Vicarii Episcoporum Generales. Etenim Gilduinus Abbas sancti Victoris apud Parisios, Vicarius cùm esset & Pœnitentiarius Episcopi Parisiensis interdicto subjecit Archidiaconatum omnem Stephani de Garlanda Archidiaconi Parisiensis. Ea de re conquestus est Henricus Senonensis Archiepiscopus apud Episcopum Parisiensem, qui intrepidè nihilominus præclaro Vicarii Generalis sui facinori patrocinatus est. En ipsa Archiepiscopi Senonensis verba, cui Archidiaconus carnis & sanguinis proximitate conjunctus erat. *Quod licèt Abbati sancti Victoris Vicario vestro rectitudinem offerret, & per eum justitiam exequi paratus esset, idem Abbas super terram ejus interdicti sententiam posuit.* Refert Scriptor Historiæ Episcoporum Virdunensium, Alberonem ejus urbis Episcopum Canonicos Regulares Præmonstratenses subrogasse Monachis malæ frugis in Monasterio quodam suo, factumque suum approbasse Innocentio II. Papæ, ex eo quòd ejus Monasterii Abbas antiquo usu Vicarius esset Episcopi, quo munere aptiùs Clerici quàm Monachi fungerentur. *Insuper accedit ad hoc, quod Abbas loci illius Vicarius est Episcopi, quod officium magis convenit ordini Clericorum, quàm Monachorum.* Sed ea tum parum frequentia erant exempla; & perquàm veri simile est, increbrescentes Episcopos inter & Archidiaconos dissensiones eo visas esse pacandas remedio, ut Vicarii Generales ab Episcopis crearentur, qui paulatim supra Archidiaconos assurgerent, eorumque in se transferrent jurisdictionem: eam videlicet, quam cum vice & delegatione arbitraria Episcoporum olim obtinuissent, constanti deinde titulo & officio explicuissent, tanquam sibi propriam & agnatam.

*Ann. 1132. Hist. Univ. Paris. To. 2. pag. 132. Spicil. to. 12. pag. 313.*

IV. Seu rationis, seu authoritatis hujus momenta tanta fuere, ut Titulus *de officio Vicarii in Sexto* totus omnino sit in illustrandis Episcoporum Generalibus Vicariis, eorumque muneribus. Ergo sæculo demum XIII. universim ii invaluere & viguere deinceps in omnibus Episcopatibus. Agit ibi Innocentius IV. de Officiali Episcopi Provinciæ Remensis, cui erant Vicarii, aut vices ejus gerentes, & qui ab Archiepiscopo Remensi excommunicationis vinculo innexus fuerat. Definit ibi Bonifacius VIII. non posse Officialem aut Vicarium Generalem, *Officialis, aut Vicarius Generalis Episcopi*, Beneficia conferre, vel crimine aliquo deturpatis auferre; sine speciali mandato Episcopi, quanquam ei universim authoritas & jurisdictio Episcopi delegata sit. *Licèt in Officialem Episcopi, per commissionem officii generaliter sibi factam, causarum cognitio transferatur.*

V. Juvabit hîc animadvertere, 1. eundem unum fuisse & Officialem & Generalem Vicarium, quòd necdum tunc forsan tam accuratè discernerent jurisdictionem contentiosam à voluntaria. 2. Illum ipsum sæpissimè fuisse Pœnitentiarium. Quippe Abbas sancti Victoris de quo suprà, cùm Vicarius esset Episcopi Parisiensis; idemque ejus Officialis, ut palam fit ex Interdicto, quo totum Stephani Archidiaconatum perculit: idem ipse Pœnitentiarius erat, ut patet ex eo quod prohibitus est eos absolvere, qui cruentas manus injecerant in Thomam Priorem sancti Victoris. 3. Arbitrariæ erant hæ tunc tantùm delegationes, ut ex antèdictis manifestum est, utque ex hodiernis Vicariis Generalibus confirmari potest. Nam impræsentiarum cum Officiales, tum Pœnitentiarii stabili perpetuoque gaudent officio tituloque.

*Hist. Univ. Par. Tom. 2. pag. 123.*

In Concilio Lugdunensi Innocentius IV. intra certos cancellos coërcuit Officiales Archiepiscoporum. Vetuit enim ne interdicto, suspensione, vel excommunicatione percellerent Episcopos Provinciæ, eo temporis spatio, quo Archiepiscopus ipse in Provincia est, vel prope abest. *Quandiu in sua Provincia, vel circa illam extitit.* Ea quippe reverentia habenda est Episcopatûs majestati: *ob reverentiam Pontificalis officii.* Vetuit porro ne Archiepiscopi in Suffraganeorum Diœcesibus Officiales haberent sibi proprios, nisi peculiaris consuetudo ei usui patrocinaretur. *Nisi aliud Remensis Ecclesia circa talium Officialium constitutionem de consuetudine obtineat speciali.* Anno 1248. Episcopus Altisiodorensis id perpendens, quòd necdum ullus sustinuisset nomen & personam Vicarii se absente: *nec hactenus fuit aliquis qui ex officio suo vices absentis Pontificis agere teneatur*: eam Provinciam mandavit Scholastico suo, ut sua vice in choro Officiis adesset, Confessiones audiret, Pœnitentes publicos reconciliaret: denique tum ipsum, tum successores ejus, homagio sibi astrinxit ligio, ut vocant, tanquam Ecclesiæ suæ Capellanos. *Scholasticus verò & Capellanus erit homo ligius Episcopi, & ei fidelitatem faciet, salva tamen fidelitate quam debet Capitulo, tanquam Canonicus.*

*C. Romana. in Sexto. De Offic. ordin.*

*Gal. Christ. to. 2. p. 303.*

V. Denique Clemens V. in Concilio Viennensi innuere videtur, eo jam tempore Officialis constantem & perpetuum fuisse titulum, non jam precarium, & ex voluntate Episcopi revocabilem. Nimirum cum docet & diffinit Officialem Episcopi principalem à Papa delegari posse, non posse autem Vicarium Foraneum. *Principalis Officialis Episcopi, &c. Officialis Foraneus, &c.*

*C. Et si. De Rescriptis. in Clement.*

Anno 1314. Concilium Ravennas concessit Vicario Generali, absente ut posset Episcopo Litteras Ordinandis dimissorias conferre. In Concilio Avenionensi anni 1326. Vicarii Generales Episcoporum quorundam, eorum absentium loca impleverunt: & Archiepiscopus ipse Arelatensis affuit, ut Vicarius Generalis Episcopatûs Avenionensis in temporalibus & spiritalibus. *Consentiente Arelatensi Episcopo.* *Can. 2.*

*& Episcopatûs Avenionensis in spiritalibus & temporalibus Generali Vicario.* Certum haberi hîc videtur, suos jam singulis Episcopis, & Vicarios Generales esse & Can. 40. 44 Officiales. *Singuli Episcopi & eorum Officiales, Vicarii, locum tenentes, & vicem gerentes ipsorum.* Idem Can. 15. patet ex Concilio Londoniensi anni 1342. Anno 1368. Archiepiscopus Narbonensis, cùm Provinciale convocaret Concilium, litteras indictionis inscripsit Suffraganeis suis; aut si abessent, Vicariis eorum Generalibus.

Jam nullus ergo superest ambigendi locus, quin post Lateranense Concilium IV. sub Innocentio III. plerisque in Ecclesiis constitui cœperint ab Episcopis Vicarii Generales; & denique post Bonifacii VIII. tempora ea fuerit consuetudo receptissima in omnibus Ecclesiis.

Can. 25. VII. In Concilio Salisburgensi anni 1420. edicitur non posse Parochiales Ecclesias conferri, nisi ab Episcopo, aut Archidiacono, aut Vicario. Concilio Provinciali Hafniensi in Dania affuit *Vicarius perpetuus* Episcopi Slesvicensis, vice Episcopi tum ægritudine & gravi senio confecti. In Concilio Dertusano in Hispania anno 1419. statutum est, ut Vicarii Generales & Officiales Episcoporum non alii esse possent, quàm qui sacris Ordinibus jam initiati essent, alioqui irrita forent eorum Acta. Can. 10. *Perpetuo ordinamus edicto, Vicarios Generales aut principales Officiales Diœcesanorum, vel ordinariorum Ecclesiasticorum, esse debere in sacris Ordinibus.* Concilium Mediolanense V. anni 1579. consultum fore duxit, 1. Ut Vicarii Generales alicujus Diœceseos ex iis ne eligerentur, qui originem & natales in ea sortiti essent, ut inaccessi magis essent precibus & cupiditatibus, quibus plerumque ab æqui semita Act. Eccl. Med. p. 514 Cap. 16. homines deflectunt. 2. Ne quid Beneficii haberent, cui residentiæ lex immineret: ut ab aliis curis omnibus expediti, toti essent in munere suo implendo. 3. Denique ut Episcopo antè sacramento obligarentur. Concilium Mediolanense VI. præcepit ut Subdiaconatûs saltem ordine dotatus esset Vicarius Generalis, juxta Decretum Concilii Parisiensis: *Saltem Subdiaconus sit.* Concilium Burdigalense anni 1583. statuit, ut Vicarii Generales posthac nonnisi ex Presbyteris adoptarentur: qui autem jam vocati fuerant ad id munus, eo quamprimum ordi- Cap. 16. ne initiarentur. Concilium Turonense ejusdem anni 1583. declaravit Abbatum Procuratores, qui perpetam Vicarii Generales dicebantur, non posse deinceps locum honoris alium obtinere, quàm qui sibi ex professionis suæ tempore obtingeret.

VIII. Concilium Tridentinum præscripsit Capitulis Cathedralibus, ut intra octo à morte Episcopi dies, Vicarium Generalem, aut Officialem eligant, in Canonici Juris Palæstra versatum, Doctorem, aut Licentiatum, qui saltem ea sit rerum scientia & experientia, quam id munus desiderat; alioqui ea potestas devolvitur ad Metropolitanum: aut ad seniorem inter Suffraganeos, si de Ecclesia Me- Sess. 24. c. 16. tropolitana agatur. Episcopus cum primum inibit Ecclesiæ possessionem & regimen, Vicarios aut Officiales Capituli ad reddendas sibi regiminis rationes compellet: quamvis ejusdem rationes apud L. 1. Tit. 8. §. 8. Capitulum retulissent. Concilium Mexicanum anni 1585. inde auguratum est, à Concilio Tridentino jussos esse Episcopos, & eâ lege constrictos, quæ Canonico Juri communi prorsus concinit, ut Generales Vicarios, aut Officiales, eos sibi adsciscant, qui Doctoratûs vel Licentiæ lauream consecuti sint. Ibidem. *Quoniam Episcopi, jure & expresso Concilii Tridentini decreto tenentur Officialem Vicarium generalem constituere, qui Doctor sit, vel &c.*

IX. Regio in Comitiis Blesensibus edicto sanci- Art. 45. tum est, ne quem possit Episcopus vel Archiepiscopus creare Vicarium Generalem, vel Officialem, nisi qui Gradibus fulgeat, & in ordine Presbyterali constitutus sit. Neu possit Vicarius Episcopi, vel Officialis, sive sigilli, sive quampiam aliam firmam ab Episcopo obtinere. Vetat etiam ne Officiales & Art. 112. Ministri Regii, Vicariatus Episcoporum aut Prælatorum quorumvis accipiant, sive ad temporalia quælibet, sive ad spiritalia jura, sive ad collationem denique Beneficiorum, in eorum Episcopatibus, Abbatiis & Prioratibus sitorum. Cùm Gratianopolitanus Episcopus anno 1632. duos ex Ordine Dominicano Regulares, Gradibus instructos elegisset in Vicarios Generales, eis exauthoratis ejusdem urbis Senatus ex Canonicis subrogavit eum, qui primum inter eosdem antiquitate locum tenebat, donèc Episcopus ipse alios delegisset. Interpellavit ille Regium Consilium, quo muneri suo restituti sunt duo Dominicani. Edicto Henrici II. Regis anno 1554. veriti sunt Episcopi, ne Vicarios sibi Generales adsciscerent, nisi in Gallia natos. Consule, si vacat, Memoires du Clergé. To. 2. Pa. 3. pag. 10. 12. Acta Cleri Gallicani, in quibus prolixiùs multa decernuntur de officio & functionibus Vicariorum Generalium, & Officialium.

Fevret. l. 3. c. 4. n. 9. 12. X. Habet Vicariatus in Gallia Pontisarensis multa, quæ propria ei & peculiaria cum sint, hic ea obiter adnotari non abs re erit. Si fides enim adhibeas Renato Chopino, cum Parisiensis, Bellovacensis & Sylvanectensis Episcopi tractum illum, qui Vilcassinus Gallicus ager dicitur & cujus caput Pontisara est, sibi quisque vendicarent: Romanæ sedis temporario interim diplomate cautum fuit, ut tractus ille in manus Archiepiscopi Rotomagensis deponeretur. Itaque ubi Archiepiscopus Rotomagensis Vicarium hîc Generalem instituit, nihil sibi in illum juris retinet, nullum dominium: quin immo Vicarius pleno jure confert Beneficia Fevret. l. 3. c. 4. n. 25. omnia suo in tractu vacantia, instituit destituitque ministros omnes sibi obnoxios: Ordinaria potestate utitur in temporalibus & spiritualibus: ab eo ad summum Pontificem immediatè provocatur, causæque ejusmodi à Judicibus delegatis *in partibus* judicantur: denique perpetuum obtinet jus, nec Vicariatus ejus expirat obeunte Rotomagensi Archiepiscopo, à quo nec destitui potest.

Hæc Renatus Chopinus mandavit litteris, ma- Chopin. Polit. l. 2. Tit. 4. n. 26. gnam à nobis certè initurus gratiam, si horum documenta aliqua, aut probationes prompsisset. Affirmat enim Rogerius anno 1196. Vilcassinum Francicum Rotomagensis Diœcesis finibus comprehensum fuisse, & Philippum Augustum Franciæ Regem postulasse, ut Rotomagensis Archiepiscopus, qui alioqui Anglicanæ tunc ditionis erat, pro ea regiuncula fidei sacramentum sibi præstaret. *Rex Franciæ postulavit sibi fieri fidelitatem à Valtero Rotomagensi Archiepiscopo, de illa parte Archiepiscopatus, quæ est in regno Franciæ, scilicet de Vegesin le François.* Commentitia est ergo illa Chopini sequestratio. Gal. Christ. To. 1. p. 588. Quin & Sam-Marthani fratres evulgarunt Chartam Odonis Archiepiscopi Rotomagensis anni 1255. quâ declarat ipsemet Archidiaconatum Pontisarensem, ad Regum Francorum Collationem spectasse; *Cujus Archidiaconatus cum suis pertinentiis ad eundem Regem collatio pertinebat:* cumque in manus sancti Ludovici Regis resignatus fuisset, eo se ab hoc ipso Rege investitum fuisse, ut à se & succes-

foribus suis cum jurisdictione & ditione sua omni retineretur. *Archidiaconatum Pontisarensem ex resignatione Magistri Haymonis vacantem, contulit, à nobis nostrisque successoribus in perpetuum liberè ac pacificè possidendum, nosque investivit de eodem, omnia Archidiaconatûs jura & jurisdictionem cæteraque omnia ad ipsum Archidiaconatum pertinentia in nos & Rotomagensem Ecclesiam totaliter transferendo.* Recepit in se spopondítque eodem tempore Archiepiscopus, constitutum à se iri Vicarium, qui Pontisaræ sedem figeret in Parochia beatæ Mariæ, vel D. Martini, prout visum esset Archiepiscopis Rotomagensibus: dirimeretque lites omnes Pontisarensium Civium, præter causas hæreseos & falsi, cum potestate appellandi ad Archiepiscopum Rotomagensem, vel ad ejus Officialem. *Cognoscet de omnibus causis Burgensium ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, &c. Ad nos, & Officialem Rotomagensem licitè poterunt appellare.* Capitulum Rotomagense consensionem suam scripto exhibuit, quod illa ipsa charta continetur. Ita extinctus est Archidiaconatus Pontisarensis, unitusque Ecclesiæ & Archiepiscopatui Rotomagensi; constituto Officiali, seu Vicario Generali in ejus locum, à quo ad Archiepiscopum, vel Officialem Rotomagensem provocare fas est.

Plura possent huc constipari exempla suppressionis Archidiaconatuum, Præpositurarum, aliarumque Dignitatum, earumque unionis cum Ecclesia Cathedrali. Præposituræ longè pluribus in Ecclesiis esse desierunt, propter Præpositorum facinorosam vitam, tyrannicasque deprædationes. Invaserant & aliquando laici ipsos Archidiaconatus, eoque moveri forsan potuit sanctissimus Rex Ludovicus, ut extinctioni Pontisarensis Archidiaconatus assentiretur. Videbatur etiam Vilcassinum Francicum proprium sibi Officialem, seu Generalem flagitare Vicarium, quod à Ducato Neustriæ reliquoque Rotomagensi Archiepiscopatu, ditionis quondam & perduellis Anglicanæ, plurimum discreparet. Denique postquàm Curiæ Senatorum Regiæ, quæ Parlamenta dicimus, in eam devenere formam, qua nunc sunt; præsertim ab Edicto Francisci I. quo Archiepiscopis Episcopisque præcipitur, ut in iis Diœceseos suæ tractibus, qui aliis & aliis Parlamentis obnoxii sunt, alios & alios habeant Officiales Generalesque Vicarios: arctior incubuit necessitas, ut Archiepiscopus Rotomagensis specialem haberet Pontisaræ Vicarium & Officialem: quòd nimirum Vilcassinus Franciæ tractus in jure & finibus sit Parlamenti Parisiensis. Hæc antiqua, hæc nova hujus Vicariatus forma, à qua immaniter discrepat & aberrat Chopinus. Edita non ita pridem est compilatio Synodorum & Conciliorum Rotomagensium. *Synodico. Rotomag. pag. 456.* Ibi habetur Formula & veluti summa jurium & privilegiorum Vicarii Pontisarensis, ab Archiepiscopo Rotomagensi anno 1633. probata, cui & ipse tum Pontisarensis Vicarius subscripsit.

XI. Venio ad Vicarios Generales Capitulorum. Et quidem jure communi Decretalium possunt Capitula exercere Episcopalem jurisdictionem, viduata sede, cujus tunc illi depositam penes se sibique interim commendatam authoritatem gerunt. At *Conc. Trid. Sess. 24. c. 16* Tridentinæ Synodi decreto non possunt eam exercere, nisi per Vicarium Generalem, quem nominare necesse habent intra octo à morte Episcopi dies; alioqui ejus nominandi potestas devolvitur ad Metropolitanum, aut si Metropolitana ipsa vacet Ecclesia, ad seniorem Provinciæ Episcopum. Ipsa quidem Tridentinæ Synodi verba, unum tantùm] nominari sinunt. At Congregatio Concilii & Pontifex ipse ad varias ea de re consultationes constanter responderunt, ubi ante hominum memoria consuetudo viguit, ut duo nominentur, retineri eam & posthac posse. Eadem Congregatio intactam servavit Capitulis facultatem Vicarios suos revocandi, dum alios sublegant intra dies octo. Declaravit non posse Capitulum quidquam jurisdictionis exercere, nisi per Vicarium: quanquam possit ipsum per sese causas dignoscere justissimarum suspicionum adversus Vicarium. Declaravit denique quidquid à Tridentinis Patribus sancitum est de Vicariis Generalibus, id totum ad sola spectare Capitula Ecclesiarum Episcopalium, vel Metropolitanarum: non ad Collegiatarum, in quibus ex Jure Communi regi & dispensari debent omnia.

---

## CAPUT IX. *P. 4. l. 1. c. 27.*

### De Officialibus.

*I. Cantuariensis Archiepiscopus Officialem Londini habebat, quæ Episcopalis erat urbs illius Provinciæ.*

*II. Coloniæ Officialis erat Metropoleos, vel Appellationum.*

*III. An Officiales in Ordinibus sacris constituti esse debeant: extranei, an indigenæ.*

*IV. Comitiorum Generalium Cleri Gallicani varia Statuta circa Officiales. Potest Episcopus ipse Judex sedere & lites dirimere. Officialis dignitatem non potest pretio distrahere, potest Officiales semel institutos destituere.*

*V. Varia Regum & Curiarum Regiarum statuta de Officialibus, præsertim de eorum destitutione.*

*VI. De legitima Episcoporum potestate ad judicia per sese agitanda, & disceptandas causas.*

*VII. Archidiaconi & Officiales nunquam fuere absolutissimè Judices Ordinarii & irrevocabiles.*

*VIII. Solus fit objectionum petita ex repugnantia, quæ non aliud est, quam Disciplina versatilis varietas, variis seu locis, seu temporibus accommodata.*

I. Superiori Capite primævam originem aperuimus Officialium Episcopalium, tempusque illud quo potissimum illi eam ad se derivarunt jurisdictionem contentiosam, quæ ut plurimum antè erat penes Archidiaconos. Multa etiam ibi disseruimus de potestate propria Vicariorum Generalium. Par ergo fuit ut hoc demum Capite propria Officialium jura & privilegia investigaremus.

Concilium Cantuariense anni 1295. decrevit, ut ne ab urbe Londinensi discederet nisi rarò, & gravi necessitate adactus Officialis Cantuariensis; quòd ejus absentia non posset non permagno esse detrimento, propter testamentorum causas, & matrimoniorum, & alimentorum, & eorum denique Beneficiorum, quæ in controversiam adducta, vel conferri, vel auferri oporteret, vel vacantia declarari. *Officialis Cantuariensis, cujus damnosa sæpius reputatur absentia, longè à civitate Londoniensi ne divertat, &c.* *Can. 4.* Hîc non solum advertenda latissimè patens Officialis jurisdictio: quæ materies copiosior est quàm ut et manus admoveamus stylumque, quem tot alia ad se rapiunt argumenta. Sed illa maximè animadvertenda peculiaris consuetudo est, cujus vi suum Londini Officialem habebat Archiepiscopus Cantuariensis, præter commune jus quidem, sed ita tamen ut jus consuetudini ejusmodi non derogaret, sicut capite superiori comprobatum est. Porro ex collatione Beneficiorum huic Officiali permissa, intelligis eum Generalem quoque Vicarium unà fuisse. Quod aliquanto etiam mirabilius est, esse suum Archiepiscopo Vicarium Generalem in Episcopali civitate suæ Provinciæ.

II. In Concilio Coloniensi anni 1423. secerni videtur Officialis, ad solas appellationes dijudicandas designatus. *Can. 3.* *Officialis noster Coloniensis, qui fuerit pro tempore in causis appellationum, quæ ad Curiam nostram ab audientia Suffraganeorum nostrorum seu eorum Officialium devolventur.* Id saltem patet contentiosam solum jurisdictionem huic incubuisse Officiali. Jubet hoc Concilium servari ab eo in Judiciis decreta omnia Innocentii IV. in Sexto, sub pœna suspensionis.

III. Jam diximus suprà Dertusani in Hispania Concilii Decreto anno 1429. cautum fuisse, ut Officiales ad Ordines sacros antè provecti sint, alioqui irrita sint eorum Acta. Tarraconense paulò antè Concilium idem decreverat, anno videlicet 1414. *Constitut. Prov. Tarracon. pag. 24.* *Vicarios vel Officiales Principales, nisi in sacris fuerint Ordinibus constituti, &c.* Concilium Tarraconense anni 1357. excanduit vehementissimè in Vicarios quosdam Hispaniæ Generales, *Ibid. 21. 22.* & in Officiales alibi terrarum natos, qui infanda pravitate & inexsaturata avaritia, impunitatem criminum pretio vendiderant, legata pia in privatos suos usus converterant, fundos ipsos Beneficiorum & fidelium pietatis dissipaverant monumenta. Constitutum ergo ibi est: *Nisi extranei constituti Vicarii vel Officiales principales essent Canonici realiter præbendati, vel de Capitulo Ecclesiarum Cathedralium principatus & regnorum prædictorum, & Officiales foranei essent beneficiati in eisdem.* Porro non prorsus infestum est statutum hoc ei decreto, quod ex Mediolanensibus Conciliis capite superiori protulimus. Potest enim Officialis vicina ex Provincia oriundus esse, atque ita declinabuntur difficultatum scopuli, qui hinc & hinc exitium minantur. Mexicanum Concilium anni 1585. causas matrimoniales ab Episcopo solo judicari vult: si cui eas alteri examinandas delegat, decisionem saltem ut ipse sibi retineat. *Conc. Gen. Tom. 15. pag. 1255.* *De iis Episcopos tantum cognoscere posse, hæc Synodus statuit ac censet. Sin in aliquo casu videatur, Officialibus committat, decisione causæ sibi retenta.*

IV. Conventus Melodunensis Cleri Gallicani, anni 1579. Officialium jura officiaque suis quæque finibus dispescens, remque altiori ab origine repetens: scitissimè declaravit, omnes olim prorsus lites dirimi solitas fuisse in Provinciali Concilio, quod bis annis singulis cogebatur. Exinde verò cùm & scelera & jurgia litesque increbrescerent, ut promptius tantis malis remedium adhiberetur, civiles criminalesque causas cujusque Diœceseos propriis Episcopis esse demandatas. Episcopos ne hoc onere ita gravarentur, ut reliquo ministerio suo fungi non possent, Officiales sibi adhibuisse, quorum unum est cum Episcopo auditorium, & quorum vitæ studiisque infatigato zelo invigilare debet Episcopus, non pro suis tantùm, sed & pro eorum commissis æterno Judici rationes redditurus. *Conc. novis. Gall. pag. 107. 108. &c.* *Ne tunc planè se suo functum munere existimet Episcopus, cùm Officialem deputarit, nisi ipsum itidem videat suo etiam fungi officio. Utriusque enim & suæ & Officialis à se deputati, probitatis & vigilantiæ rationem redditurus est Episcopus æterno Judici.* 2. Gratis conferre debet Episcopus suum Officialibus munus, eosque stipendio tam pingui donare, ut ne ulla eis ansa sit nundinandi justitiam, & impunitatem peccandi promercalem habendi. *Suas interim partes perpendat Episcopus, ut Officialis justè non possit conqueri, quòd suum sibi damnosum sentiat officium. Ita enim de judicandi munere gratuito loquitur Episcopis Innocentius III. Ad hoc sunt vobis reditus constituti, ut ex ipsis vos & alii Clerici honestè vivatis.* 3. Debet Episcopus ipse per sese criminales decidere causas & matrimoniales, aut principali tantùm Officiali suo eas delegare, qui in civitate resider, aut si quem habet alium alia in urbe Officialem, propter Parlamentorum diversitatem: utcumque res habeat, hanc utique non delegabit Provinciam, nisi viris & spectatæ probitatis, & eximia quadam prudentia atque rerum scientia præditis. *Causas graviores, utputa matrimoniales & criminales, secundùm constitutionem Alexandri III. suo examini reservet Episcopus, aut ad summum per Officialem suum, in majori sede sui fori constitutum, tractari jubeat.*

Liquet ergo ex Decretis augustissimi hujus Conventûs, quem quamplurimi Concilii nomine honestarunt, tria hæc disciplinæ cum primis necessariæ capita stabiliri. 1. Non posse nisi gratis & absque pretio Officiales constitui. 2. Ideoque ad arbitrium Episcopi posse eos revocari. 3. Posse, immo & debere Episcopum per sese incumbere judicandis causis majoribus, utpute de matrimoniis, & criminalibus, & vix eas Officialibus delegare. Itaque procul sunt à vero, qui censent non posse Episcopos per sese, sed per Officiales tantùm suos causis audiendis & dirimendis vacare.

Concilium Rotomagense anni 1581. pulcherrimis Officiales instruxit præceptionibus. *Ibidem. pag. 205. 206. 369.* Concilium Turonense anni 1585. edixit, ut Officiales nonnisi ex Presbyteris eligerentur: & ni accuratè Concilii hujus ipsius præceptis obsequerentur, suspensione primùm mulctarentur, inde ab officio, ac gradu moverentur. Denique vendicantur in hoc Concilio juxta regulas Juris causæ matrimoniales Episcopo, vel ejus Officialibus. Hinc rursus clarum est, & ipsum per sese litibus judicandis vacare potuisse Episcopum, & ab eo Officiales revocari potuisse.

Rursus Comitia Cleri Gallicani generalia anni 1606. formulas concinnarunt judiciorum, quibus sese omnia Officialium tribunalia deinceps accommodarent; *Conc. novis. Gall. pag. 365.* id quoque cautum ibi est, ut nonnisi Presbyter Officialis munia obiret.

Concilium Narbonense anni 1609. decrevit, ut si per negotiorum tumultuosas molestias non liceret Episcopo causas ipsum per sese audire atque judicare, Officiales saltem deligeret, quorum & probitas & scientia ea esset, quæ tanti muneris amplitudini responderet. *Si per se ipsos Episcopi, pluribus detenti negotiis, causas omnes audire, & jus dicere non possint, Officiales eligant principales, aut foraneos, ubi vel esse tales soliti, vel ut instituantur, viderint necessarium.* *Cap. 42. 43.* Præjudicatum id ergo erat hujus Synodi Patribus, 1. Posse, immo & debere Episcopum, si per alias occupationes liceat, jurisdictionem suam contentiosam ipsum per semet exercere. 2. Fuisse Officiales Foraneos in diversis Episcopalis ditionis tractibus, præter illum qui in ipsa civitate Episcopali sedem defixam habebat; quin & novos constitui debere ab Episcopo, ubi eorum industria usui futura prospicitur. 3. Ne Officiali constituto exoneratum se prorsus existimet Episcopus, cùm curæ illi Officialis suus ipse esse debeat, gesta ejus ut exploret, & de majoribus causis sæpiùs cum eo conferat, ut qui à summo judice de his ipsis judiciis in judicium adducendus sit. *Officiales verò pro quibus rationem redditurі sunt Episcopi, ut Officio fungantur, hortentur sæpiùs; & cum illis agant de rebus civilibus & criminalibus, quæ in Curiis ventilantur: ut quà fieri poterit, meliori & expeditiori ratione provideatur.* 4. Officiales Foranei causas difficiliores re-

ferre debent ad civitatis Officialem. Foraneis annumerantur Officialibus, quos Episcopus constituit in urbe, alterius Parlamenti jurisdictioni obnoxia; quod existimant priscis Canonibus consentaneum, jubentibus ut in Provinciis & in locis ipsis causæ dijudicentur.

Leges si vacuum est, in Monumentis Cleri Gallicani Decretum Consilii Privati Regii anni 1637. in causa Episcopi Claromontani. Eo rescindebatur Senatusconsultum, quo prohibebatur Episcopus ipse per semet Officialis munus & jurisdictionem exercere suam. 2. Leges & diploma Regium Ludovici XIII. datum die 13. Octobris anni 1637. quo Episcopis priscum adseritur jus suum instituendi & destituendi Officialis; eo certè præstituto, ut ne titulo, ut loquitur, oneroso, hoc est, ne pecunia numerata creentur Officiales, cùm id & Decretis & Constitutionibus Canonicis adversum sit. Id certè semel monuisse operæ pretium est, laudari nonnunquam hîc à me regia diplomata annis 1637. 1657. 1666. data, & nonnulla forsan alia, quanquam ea hactenus in Regesta Parlamenti non sint relata. Ideo autem ea promuntur à me, quòd non solùm Cleri Gallicani vota & decreta, & postulata ea sint, sed & quòd cum Consilii Regii Ministris disceptata probataque fuerint, & spes non parva supersit fore ut adnitentibus Cleri Agentibus, in Parlamenti quoque Regesta referantur. 3. Leges & judicia Consilii Regii & Parlamenti, quibus confirmatur destitutio Officialium ab Episcopis facta, quamvis diutissimè eo munere perfuncti essent, eoque in reliquum vitæ tempus donati fuissent. 4. Leges & Senatusconsultum anni 1638. quo confirmabatur Officialis à Cenomanensi Capitulo nominatus, dum vacaret Episcopalis sedes. 5. Senatusconsultum Parisiense anni 1619. in gratiam Officialis Parisiensis adversùs Archidiaconos & eorum Officiales, quibus minores tantùm causæ dijudicandæ permittuntur, seu civiles, seu Ecclesiasticæ, etiam in ipso Visitationis decursu. 6. Judicium Consilii Privati, quo potestas fit Archiepiscopis & Episcopis abdicandi Officiales suos, quamvis titulo oneroso, & propter servitia exhibita provecti fuissent, nulla lege addita Episcopis, ut pecuniam refundant. 7. Nec desunt vel exempla, vel Arresta Officialibus propitia, quos incassum tentaverunt Episcopi gradu dejicere. At hæc Arresta illis anteriora sunt, quæ suprà laudavimus, eòque infirmiora. Si liber autem antiquitati honorem habere, ad ipsam rei originem sursum progrediendum erit & ad fontes ipsos Juris Canonici, cui Officiales non erant, nisi Vicarii Episcoporum, & perinde abdicari poterant, ut Vicarii Generales. Et certè Italia tota eosdem habet Officiales & Generales Episcoporum Vicarios. Vicario Generali suo sanctus Carolus Mediolanensis Archiepiscopus Collegas addidit duos, alterum criminalium, alium civilium causarum judicem Vicarium. Hæc ille munera gratis dispensabat; quos iis donaverat, eos & habebat domesticos, & iis cumulabat stipendiis, quibus id certissimè præstabatur, ne venalem haberent, quam potestatem emptitiam non habebant. 8. Sileri non debet exceptio à Carolo Molinæo animadversa. Quanquam destitui ad Episcopi nutum possint Vicarii Generales & Officiales: provocare tamen eos posse, si cùm innoxii prorsus essent, eorum revocationi infamia quædam adhæresceret. *Duces, Episcopi, Abbates & similes locorum Domini possunt ad nutum revocare Officiales suos, si simpliciter revocant. Secus si ex causa infamante. Quia tunc potest appellari: cùm hujusmodi privatio fieri non possit, nisi ex causa vera & probata.*

Tom. 2. Par. 3. pag. 12. 13.

Ibid. p. 56. 58.

Act. Eccl. Mediol. Constano L. 2. c. 4.

In Regulas Cancella. De Infirm. Resignan. n. 390.

V. Roboris aliquid iis quæ dicta sunt, accedet ex Decretali Bonifacii VIII. circa potestatem Episcoporum ad jus dicendum per sese, & non solo semper Officialium ministerio. Vetat quippe Bonifacius appellari ab Officiali ad Episcopum, propterea quòd non aliud id quidem esset, quàm ab eodem ad eundem appellare; cùm Episcopi & Officialis tribunal unum sit. *Non putamus illam consuetudinem quantocumque tempore de facto servatam, consonam rationi, quod ab Officiali Episcopi ad eundem Episcopum valeat appellari. Ne ab eodem ad se ipsum, cum sit idem auditorium utriusque, appellatio interposita videatur.* Ab Episcopi judicio ad Metropolitanum provocatur, quòd ea duo sint diversa tribunalia. At cùm vice Episcopi, ejusque delegatione judicet Officialis, unum tribunal, unum judicium est: à quo proinde appellari non potest nisi ad Metropolitanum. At idem non esset tribunal, si non posset & sedere & judicare ipse per sese Episcopus.

C. Non putamus. in Sexto.

VI. Ex his porro quæ hoc utroque Capite dicta sunt, emicat perspicuè, nec Archidiaconos, nec Officiales absolutissimè unquam & universaliter Ordinarios Judices fuisse, & ex officio certo & perpetuo, etsi & ea perfuncti sint munia, & nominis etiam gloriam obtinuerint. Ratio prompta & expedita est. Cùm ab exordio enim delegatio ea fuerit, non officium perpetuum, ut Episcopali jurisdictione fruerentur: quamvis ex temporis diuturnitate, & sibi & aliis imposuerint, aut aliqua etiam peculiari alicubi consuetudine id obtinuerint, ut ordinarii & perpetui essent; nunquam tamen eos Episcopi pacifica possessione præscribere passi sunt; majores causas ipsi per sese frequenter judicarunt, eas sibi frequentissimè in Conciliis compluribus reservarunt judicandas, novos subinde Delegatos alios aliis subrogavere, Archidiaconis Officiales suffecere, ad nutum amovère Officiales, denique id abundè, id omnino perfecere, ut sibi integram intactamque servaverint summam illam & immediatam authoritatem exercendæ jurisdictionis suæ. Contendebat olim Senonensis Archidiaconus suum esse causas omnes primo judicio dirimere, nec posse nisi appellando ad Officialem Episcopi recurri. Spe illum sua exturbavit Honorius III. Papa hac Decretali: *Adserens illos priùs debere conveniri sub ipso: quàm coram Officiali Senonensis Archiepiscopi, &c. Perpetuum ei silentium imponatis.*

C. Dilecti. De Officio Archid.

VII. Id observari necesse profectò fuit, ut sedaretur conflictatio, quæ incurrebat in oculos, cum identidem suprà diceremus, nunc Archidiaconos primum, & postea Officiales, Ordinarios fuisse & perpetuo titulo nixos; nunc Vicarios, &c. delegatione Episcopi arbitraria, quandiu illi, & ad quanta libuerit instructos. In his non à nobis ipsi dissensimus, sed omnino consensimus Juri ipsi, Decretis, Canonibus, Edictisque Regiis, in quibus aliàs aliter de ea re disseritur, citra erroris, aut conflictus suspicionem; quia diversis, tum locis, tum temporibus alio alioque modo se res habuit. Sanè ut nihil Archidiaconi reliquerint intentatum, atque Officiales, quo se Ordinarios & irrevocabiles & dici & esse debere, sibi aliisque persuaderent; etsi ejus in juris possessionem venerint, aut venisse visi sint aliquandiu: conatus tantum illi fuere, auspicati, vel inauspicati: nunquam constans stabilisque fuit illa juris ordinarii & per-

petui possessio; cum & Episcopi semper potestatem retinuerint aliquam, & per sese causas judicandi, & Vicarios suos revocandi, cum consultum & conducibile sibi visum fuisset. Denique quanquam in ipso Juris contextu Archidiaconi, quibus successere Officiales, ad judicia causarum majorum sæpius Ordinarii appellentur; ibidem tamen legea cum primis memorandum istud Alexandri III. Decretum, quo vetantur injussu Episcopi quenquam excommunicare. *Archidiacono non videtur de Ecclesiastica institutione licere, nisi authoritas Episcoporum accesserit, in aliquos sententiam promulgare.*

*C. Archidiacono. De officio Archidiaconi.*

## CAPUT X. *P. 4. l. 1. c. 69.*

### De Theologo & Pœnitentiario, post annum Christi millesimum.

*I. Instituitur Magister Grammaticæ & Theologus in Conciliis Lateranensibus III. & IV.*

*II. Concilii Tridentini Decreta super eadem re.*

*III. Decreta Concilii Basileensis, & Lateranensis V. Pragmatica Sanctionis & Concordati Gallicani, iis consentanea, quæ post in Tridentino firmata fuere.*

*IV. Decreta Conciliorum Mediolanensium & ipsius beati Caroli.*

*V. Pœnitentiarius constituitur in Concilio IV Lateranensi.*

*VI. De Confessoribus Generalibus, quos Episcopi in sua quisque Diœcesi creabant, in quolibet Decanatu, ad Confessiones excipiendas Presbyterorum, Clericorum, Monialium In Anglia.*

*VII. Et in Gallia. Quis sit* proprius Sacerdos.

*VIII. Tridentini Concilii & sancti Caroli Decreta ad Pœnitentiarios spectantia.*

*IX Ut Confessiones frequentiores evaserint, & flagitari cœperint privilegia, ad eligendum proprium Confessorem.*

*X XI. De Confessoribus in omnem Diœcesim approbatis. De Episcoporum præcellentissima potestate in administrando pœnitentiæ sacramento.*

*XII. Ut Ecclesia sua alibi detrimenta, cum fœnore alibi reparet. De Confessionibus & Communionibus frequentioribus. De minusculis pœnitentiis*

*XIII Græcorum mores, praxesque.*

I. SEjunctim binas has Dignitates, paulò diligentiùs ut pertractari possent, seposui. Incipiam à Theologo. Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. ann. 1179. habitum, id constituit, ut in Cathedralibus Ecclesiis omnibus addiceretur aliquod Beneficium Præceptori, qui in communi & gratis Clericos omnes & pauperiores quosvis litterarum scientia imbueret; cæteris verò in Ecclesiis & Monasteriis, si qui fuissent pii olim hujusmodi Ludi-magistri, ii restituerentur. *Per unamquamque Ecclesiam Cathedralem, Magistro, qui Clericos ejusdem Ecclesiæ & scholares pauperes gratis doceat, competens aliquod Beneficium assignetur.*

*Can. 18.*

*Can. 11.*

Parum religiosè tam salubri Decreto obtemperatum est. Itaq; non multò pòst adgressus est Innocentius III. non modò innovare illud & confirmare, sed multis etiam & magni momenti legibus accumulare novisin Concilio Lateranensi IV. anni 1215. Statuit enim, 1. Concilium, ut Episcopus cum suo Capitulo in unaquaque Cathedrali ad erudiendos Clericos Grammatices Magistrum eligeret. 2. Ecclesiis quoque in aliis eligeretur, ubi reditus ad hoc suppeditarent. 3. In Ecclesia Metropolitana ut eligeretur Theologus, qui Scripturas sacras interpretaretur, & ea edoceret omnia, quæ ad animarum salutem conducunt: *Sanè Metropolitana Ecclesia Theologum nihilominus habeat, qui Sacerdotes & alios in sacra pagina doceat, & in his præsertim informet, quæ ad curam animarum spectare noscuntur.* 4. Præbendæ unius reditus, cum Præceptori grammaticæ, tum Theologo assignentur. 5. Non eo quidem consilio, ut in Canonicorum collegium illi adoptentur: sed ut quandiu docendi partes implebunt, hoc se sustentent annuo reditu. *Non quòd propter hoc efficiatur Canonicus, sed tandiu reditus ipsius percipiat, quandiu perstiterit in docendo.* Hinc nonnihil lucis aspergitur tenebricosæ illi quæstioni, cur jure communi dignitatibus non paucis aditus Capituli præcludatur. Qua de re suo infrà loco opportunius. 6. Si Metropolitana Ecclesia supra vires prægravari videatur hac duarum ex suis Præbendarum sequestratione, æquum erit eam ex parte aliqua relevari, & ubi ipsa Theologo Præbendam unam addixerit, altera Grammatico suppeditanda erit ab Ecclesia qualibet alia, vel urbis, vel Diœceseos. Honorius III. ut viam magis magisque complanaret Decreto huic in executionem mittendo, seu ut faciliùs Metropolitana quævis Ecclesia Theologum sibi compararet: edixit ut Capitula juniores Canonicos ad Universitates frequentandas mitterent: veniamque ipse fecit residentiæ, tum Clericis studentibus, tum Magistris Theologiam profitentibus.

*C. Quoniam. De Magistr.*

*C. Quia nonnulli.*

*Cap. Super specul. De Magistris.*

II. Denique Tridentina Synodus his Conciliorum Decretis novum robur addidit, non sine additamentis saluberrimis. Nam, 1. cùm Innocentius III. nonnisi Clericos gratis doceri præcepisset à Præceptore Grammatices, Tridentini Patres eandem illi legem præscribunt in gratiam pauperum quorumcumque studentium, juxta decretum Concilii Lateranensis III. 2. Innocentius III. Theologum solis in Metropolitanis Ecclesiis constituerat; at Tridentini Patres suum cuilibet Ecclesiæ Cathedrali, immo & Collegiali esse Theologum voluere, adsignata etiam illi Præbenda, nisi tanta esset vel Cleri inopia, vel urbis tenuitas & infrequentia, ut Theologus haberi non posset. Tum enim jubet Concilium, ut Ludi-magister saltem publicus instituatur, qui Clericos & pauperes quoscumque gratis doceat. 3. De Grammaticæ Præceptore in Ecclesia Metropolitana verbum facit nullum Tridentina Synodus, sed nemo cordatus crediderit sublatas ab ea fuisse lectiones, quæ jure communi nixæ & passim receptæ jam fuerant. 4. Jure antiquo Præbenda Grammaticæ magistro assignata fuerat: Tridentina Synodus integrum facit Episcopo, quo volet cumque modo, ei suppeditare, unde victitet, sive Beneficii simplicis reditibus, seu justo salario. 5. Præcipit Tridentina Synodus, ut lectio de Scriptura fiat in Monasteriis, ubi commodè fieri poterit, jussis etiam Episcopis, ut tanquam Apostolicæ Sedis delegati, ad id Monasteriorum præfectos compellant. 6. In Conventibus Regularium & in Universitatibus præcipit Synodus easdem Scripturas publicè interpretando legi, addita Episcopis potestate examinandi & approbandi hos Scripturæ Interpretes, seu Theologiæ Professores, præterquam in Monasteriis. 7. Jure Canonico unius Præbendæ reditus Theologo adscribebantur, quandiu doceret: ita ut tamen albo ille Canonicorum non inscriberetur. At Tridentina Synodus Theologo addicit, quæ prima vacaverit Præbenda, dum aliàs quàm per resignationem vacet: adeo ut Lector Theologiæ jam inde locum, titulumque inter Canonicos habeat. Potest tamen ea Præbenda spoliari, si probè non fungatur officio: *Præbenda primò vacatura ad eum usum ipso facto perpetuo constituta & deputata intelligatur.*

*Sess. 5. c. 1.*

His addit Fagnanus complusculas Congregationis Concilii responsiones, quibus declaratur, Episcopi

*Fagnan. in 1. Part. l. 5.*

Decret. pag. 204.

copi esse, ut Theologum eligat. Collationem Præbendæ Theologalis penes eum esse, qui Collator ejus erat ante Concilium. Theologiam Scholasticam haberi posse tutò, pro ea Scripturæ lectione, quam præscripsit Synodus Tridentina. Denique si copia non detur Theologi, posse Canonistam ejus loco substitui; sed omnem lapidem movendum, ut habeatur Theologus. Referuntur & alia ejusdem Congregationis Concilii responsa. Nimirum Canonicos aliosque Presbyteros Cathedralis Ecclesiæ lectionibus Theologicis interesse teneri. Posse eos ad id cogi pœnis pecuniariis inflictis ab Episcopo; sicut & ad audiendas casuum conscientiæ lectiones. Posse ab eodem & Theologum ipsum cogi ad publicas lectiones istas, & Præbenda ipsa sua mulctari, si pertinaciùs reluctetur. Posse denique ab eo, si diutiùs ex ægritudine decumbat Theologus, alium substitui.

Barbosa De Dignitat. c. 27.

III. Ante Concilium Tridentinum, cœperat jam Leo X. in Concilio Lateranensi V. anni 1516. constituere, ut in Galliæ & Delphinatus Ecclesiis omnibus Cathedralibus & Metropolitanis addiceretur Præbenda Theologalis Doctori, Licentiato, vel Baccalaureo formato in Theologia, ut bis saltem hebdomada qualibet Scripturas prælegeret; eò compellendus distributionum privatione; ac vicissim quandiu doceret, habendus pro præsenti, nec ulla interim earum parte fraudandus, etsi Officiis non adesset. Cœptum est ergò in hoc Lateranensi Concilio, & in Gallicanis Concordatis illud constitui, ut suum necessariò Cathedralis quævis Ecclesia sibi pararet Theologum, qui verus jam esset Canonicus, cùm antè non fuisset nisi stipendiarius, & velut conductitius Theologus. Sed ut ad ipsum usque rei fontem conscendamus, istud Concordatorum Caput acceptum referendum est Pragmaticæ Sanctioni, *Titulo de Collationibus*, & proinde Concilio Basileensi. Accipe verba ipsa & Basileensis Synodi, & Sanctionis Pragmaticæ & Concordatorum, & Concilii denique Lateranensis V. *Cùm per Generalis Concilii Statuta ordinatum existat, quod qualibet Ecclesia Metropolitana unum debeat habere Theologum: ordinat hæc sancta Synodus, quòd extendatur hujusmodi ordinatio ad Ecclesias Cathedrales.* Ita gradatim progressa est hæc Ecclesiasticæ disciplinæ forma, lentis, sed pulcherrimis incrementis, à Concilio Lateranensi III. ad IV. inde ad Basileense; tum ad Lateranense V. denique ad Tridentinum.

Conc. Basil. Sess. 31. c. 3.

Acta Eccl. Med. p. 208. 415.

IV. Concilium Mediolanense V. præcipit, ut Theologus Episcopi mandatum & voluntatem sequatur, in prælectionibus suis, & in seligendis ad eas certis diebus. Legere debet in Seminario, aut in aliis Ecclesiasticis Conventibus, si jubeat Episcopus. Publicè Scripturas interpretari debet in Ecclesia Cathedrali, quolibet festo die. Denique ejus muneris est nodos omnes perplexarum difficultatum exolvere, quas vel Episcopus, vel alius quicumque objecerit. In Diœcesanis suis Synodis præcepit sanctus Carolus, ut ter saltem in hebdomada legeret; aliquando etiam è suggestu concionaretur. Hinc & supra Canonicos omnes alios sedere & procedere illum jussit, & solis cedere Dignitatibus.

Synod. 11.

Giussano. l. 2. c. 9.

Præter Theologi Præbendam idem Carolus aliam instituit, adsignavitque et quem vocari voluit Doctorem Canonum, quem & Canones prælegere ac interpretari publicè jussit, saltem bis hebdomada qualibet, in aula Archiepiscopali.

Conc. Gen. 1615. p. 23.

Missa facio complura Conciliorum Provincialium decreta post Tridentinum de Officio Theologi. Eò fere redeunt omnia, ut quæ suprà attigimus, ea validius confirmentur. Edicta Regia, Aurelianense, & Blesense instabant vehementer, ut Præceptor Theologusque institueretur in Cathedrali qualibet Ecclesia, ubi plures essent, quam decem Præbendæ, præter primariam Dignitatem: utque Theologus Dominicis festisque diebus concionaretur, ac singulis præterea hebdomadis ter publicè prælegeret scripturas, Canonicis ni interessent sua distributionum portione frustrandis.

666. 778. 815. 1026. 1100. 1161. 1163. 1179. 1442. 1474. 1779. 1660.

Edict. Aurel. Ar. 89.

Edict. Blesen. Ar. 33. 34.

V. Ad Pœnitentiarium nunc pergamus. Synodus Lateranensis IV. anni 1215. Episcopos adhortata est, ut Vicarios & veluti coadjutores sibi accerserent, in quos refunderent partem aliquam oneris sui, prædicationes, visitationes, confessiones, pœnitentiarum designationes. *Vnde præcipimus tam in Cathedralibus Ecclesiis viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint coadjutores & cooperatores habere, non solum in prædicationis officio, verùm etiam in audiendis confessionibus & pœnitentiis injungendis.* Hæc certissimè est institutio Pœnitentiarii, ut qui Generalis futurus sit Episcopi Vicarius ad pœnitentiæ tribunal regendum. Qui præerat huic Concilio Innocentius III. meminit Pœnitentiarii Lemovicensis in una Epistolarum suarum. Sed si retro flectamus vestigia in superiores ætates, obvius nobis prodibit Confessor Generalis cujusque Diœcescos, cui eatundem functio[illegible]sarcina incumbebat. Etenim Eboracense Co[illegible]m anno 1194. statuerat, ut si perjurii reus quis, ideoque excommunicationis telo confixus ad pœnitentiæ medicamentum adprope[illegible]aret, canonica ei vel ab Episcopo imponeretur pœnitentia, vel si is abesset, à Confessore Diœcesano Genera[illegible] *Ad Episcopum, vel eo absente ad generalem Diœcesis Confessorem transmittantur, ab eo pœnitentiam suscepturi.* Si qui autem repentino casu ea corriperentur ægritudine, ex qua mox animam efflaturi crederentur, eis non imponeretur pœnitentia, sed insinuaretur, præcipiendo, ut siquando convalescerent, ad Episcopum recurrerent, vel eo absente ad Confessorem Generalem, qui legitimam indiceret pœnitentiam. *In extremis laborantibus insinuanda, non imponenda est pœnitentia: eisque firmiter injungatur, ut si vixerint, Episcopum vel generalem Diœcesis Confessorem absente Episcopo adeant, ut eis pœnitentia competens injungatur.*

Can. 18. C. Inter cætera. De majoritate & obed. Regest. 13. Epist. 201.

Can. 11.

Anno 1218. tres in Capitulo suo novas Dignitates instituit Episcopus Ambianensis, propriasque eis functiones delineavit. In iis Pœnitentiarius fuit, cui suas vices delegavit Episcopus ad audiendas totius Diœcescos Confessiones, servatis sibi Parochorum tantum, & Optimatum Baronumque Confessionibus: illum consuli jussit, sicubi difficilius quidpiam in pœnitentiali foro incideret: permutandi vel mitigandi pœnitentias ab aliis Confessoribus inflictas copiam ei fecit; denique Xenodochii præfecturam ei mandavit. *Pœnitentiarius loco nostri Confessiones audiet de quacumque parte Diœcesis ad ipsum referantur; exceptis Confessionibus Curatorum nostrorum, & Magnatum, & Baronum, quas nobis reservamus. Ad illum etiam, tanquam ad illum quem post nos in hoc officio proximum esse volumus, dubitationes, si quæ emergent in foro pœnitentiali, jubemus reportari. Pœnitentias injunctas ab aliis Confessoribus relaxare poteris, aut mutare, prout secundum Deum viderit expedire. Provisionem etiam & Curam domus Hospitalariæ Ambianensis loco nostri habebit.*

Spicil. Tom. 12. p. 166.

Erant Romanis Pontificibus sui Pœnitentiarii ante Innocentium III. & ante Concilii Lateranensis

IV. tempora. Itaque non discrepat à veri similitudine, decretum de Pœnitentiariis ubique terrarum statuendis ad formam Romanæ Ecclesiæ conditum temperatumque fuisse. Berthodus Presbyter Constantiensis narrat ipsemet in Chronico suo, aut in continuatione Chronici Hermanni, anno 1084. se à summo Pontifice ordinatum fuisse Presbyterum, & Pœnitentiarium Romanæ Ecclesiæ eodem tempore constitutum. *Presbyterum promovit, & potestatem ad suscipiendos pœnitentes ex Apostolica authoritate concessit.*

VI. Constitutiones cujusdam Angliæ Episcopi anno 1217. id præcipiebant, ut Episcopus in Capitulo quolibet duos designaret Confessores, apud quos Clerici & Beneficiarii omnes peccatorum suorum sarcinam deponerent; ut ad Pœnitentiarium recurreretur, siqua emergeret implicatior difficultas; aut si quis Presbyterorum detrectaret alterutri horum Confessorum vulnera nudare conscientiæ suæ; denique si quis arcana animi sui vel Pœnitentiario ipsi aperire refugeret, is ad Episcopum confugeret, vel ad alium quempiam ab eo delegandum. *Siqua vero dubia fuerint quæ per eos expediri nequeant: vel si quis Sacerdotum eis ob aliquam causam confiteri noluerit, ad Pœnitentiarium Episcopi principalem retrahatur; si vero neutri eorum voluerit revelare peccatum, Episcopo confiteatur, vel alicui authoritate ejus.* Erant ergo sui Clericis proprii Confessores. 2. Erantque ii veluti subpœnitentiarii, quorum tamen jurisdictio immediatè ab Episcopo ipso derivabatur. 3. Ad Pœnitentiarium recurrendum erat, duabus saltem causis illis, quas indigitavimus. 4. Episcopus ipse nonnunquam Confessiones excipiebat. Ad id muneris eos invitabat Concilium Oxfordiense anni 1222. *In personis propriis Confessionibus audiendis interdum intersint, & pœnitentiis injungendis.*

Conc. Angl. Tom 2. pag. 145. 182. 184.

Can. 18. Innovatum est in hoc eodem Oxfordiensi Concilio priscum statutum, ut quandoquidem Decani Rurales, aliique Beneficiarii poterant abhorrere à peccatis suis in Episcopi aures exonerandis, Episcopus Confessores peculiares in quibuslibet designaret Archidiaconatibus: in Capitulis verò Cathedralibus, Canonici, si sæculares essent, confiterentur Episcopo, vel Decano, vel Confessoribus electis ab Episcopo, à Decano, Capituloque: *Quia erubescunt forte suo confiteri Prælato, &c. In Cathedralibus Ecclesiis, ubi sunt Canonici sæculares, confiteantur ipsi Canonici Episcopo, vel Decano, vel certis personis ad hoc per Episcopum, Decanum & Capitulum constitutis.* Denique decrevit hæc eadem Synodus, peculiares ut ab Episcopo Monialibus Confessores seligerentur. *Confiteantur Moniales Sacerdotibus ab Episcopo deputatis.*

Cap. 46.

In Episcopatu Lincolniensi in multa inquirere jubebatur Archidiaconus Parochias perlustrans: præ cæteris autem, an essent Pœnitentiarii ab Episcopis designati. *An in singulis Archidiaconatibus sint sufficientes Pœnitentiarii Episcopi.* Constitutiones Episcopi Coventrensis anno 1237. & Episcopi Vorcestrensis anno 1240. peculiares Clericis Confessores in unoquoque Decanatu designant. Vorcestrenses præterea Constitutiones jubent in Synodo eligi hos Confessores, prohibentque, ne Magnatum Capellani, vel ipsorum, vel familiæ ipsorum Confessiones excipiant, injussu Episcopi. Si qui se subductos contendant Episcopi jurisdictioni, Chartas libertatis exhibeant. Constitutiones Episcopi Dunelmensis hos Confessores Pœnitentiariorum nomine cohonestant, anno 1252. At quæ Sarum Episcopi nomen præferunt, eæ Presbyteros hortantur, ut Confessoribus Clericorum confiteantur tempore quadragesimæ, & aliàs quoties indigebunt. *Debent confiteri in quadragesima, vel alio tempore, si necesse fuerit.* In Concilio Lambethensi anni 1281. expostulatum gravissimè est, de saluberrimi hujus statuti contemptu passim inulto; imperatum expressissimè, ut religiosius posthac observaretur; facta tamen Clericis potestate alios adeundi Pœnitentiarios. *Possint si voluerint, ad alios Pœnitentiarios convolare.*

Conc. Angl. Tom. 2. pag. 193. 210. 246. 295. 304. 332. 356. 405. 498. 721.

Synodus Excestrensis anni 1287. voluit, ut Clericorum cujusque Decanatus Confessores Pœnitentiarium, vel ipsum etiam Episcopum percontarentur, quoties gravioris difficultatis nodus aliquis occurrisset. *Pœnitentiarii nostri generalis authoritate in omnibus salva; ad cujus arbitrium in dubiis & gravioribus recurratur, nisi forte talis emergat articulus, qui nobis inconsultis nequeat expediri.* Edixit eadem Synodus, ut Clerici, qui suspensione pœnas darent alicujus criminis, Pœnitentiarii præterea se sisterent tribunali, ut salubri pœnitentiæ medicamento crimen eluerent. Episcopi Cicestrensis Constitutiones anni 1289. integrum esse volunt Capitulo, vel Parochorum unius Decanatus Conventui, ut duos eligat Presbyteros, qui Decanatus totius Clericorum Confessiones excipiant. Post annum Christi 1328. Simon Mepham Cantuariensis Archiepiscopus novo decreto munivit totam Pœnitentiariorum cujusque Decanatus authoritatem. Denique Synodales Episcopi Eliensis Constitutiones anni 1528. testatum faciunt assignatos esse Pœnitentiarios singulis Decanatibus Comitatûs Cambridgiensis, cum potestate remittendi crimina Episcopo reservata. *Pœnitentiarii in singulis Decanatibus, quibus concedi posset facultas absolvendi in casibus Episcopo reservatis per litteras speciales domini Episcopi.* Erat enimvero singulare Pœnitentiarii privilegium, casus ut Episcopo reservatos absolveret. Præter illas enim leges suprà memoratas, quæ Parochos & Subpœnitentiarios jubebant in dubiis & perplexis rebus ad Pœnitentiarium percontandum confugere; erant & enormia, & publica, & quæ publicæ pœnitentiæ laboribus expianda erant crimina: porro eorum omnium absolvendorum potestas penes solum erat Episcopum ejusque Pœnitentiarium. Id apertè exprimunt Constitutiones Episcopi Cicestrensis anni 1289. *Enormia delicta nobis, vel Pœnitentiario nostro ad hoc specialiter deputato, præterquam in articulo mortis reservamus.* Idem inculcat Synodus Excestrensis, anni 1287. *Majora & notoria Pœnitentiario nostro reservet Sacerdos, & Pœnitentem sibi transmittat, cum litteris causam delicti, & circumstantias ipsius continentibus. Pœnitentes iterum cum litteris Pœnitentiarii, absolutionis & Pœnitentiæ modum continentibus ad suum redeant Sacerdotem.* Ergo Pœnitentiarius ad Parochum proprium pœnitentes remittebat, cum litteris quibus & modum pœnitentiæ infligendæ significabat, & absolvendi addebat potestatem. Æquum enim erat, eo ipso in loco spectari pœnitentiam publicam, ubi scelus admissum fuerat. Denique potestatem faciebat Episcopus Pœnitentiario, adsciscendi sibi Vicarios initio Quadragesimæ, si major esset pœnitentium multitudo, quàm ut eos unus ipse posset Altaribus publicè reconciliare. *Pœnitentiario indulgemus, ut si in Capite jejunii ad suscipiendum, & audiendos publicè Pœnitentes se solum sufficere non crediderit, socium unum, vel plures juxta pœnitentium numerum sibi adjungat.*

Conc. Angl. To. 2. Ibid. pag. 305. 356.

Exciderat mihi penè Concilium Londoniense anni 1237. Refertur à Matthæo Paris, & à Rainaldo, cui tamen imposuit vox illa *persona*, qua non populus, sed Beneficiarius designatur, is videlicet qui titulo gaudet, nec Vicarii tantùm partes agit. Argumento sunt vel hæc hujus ipsius Concilii verba: *Nunquam in plures personatus, vel Vicarias una Ecclesia dividatur.* Jubet autem hoc Concilium, ut plebs Parocho confiteatur, at Beneficiarii Confessoribus ab Episcopo electis, & ei quasi substitutis; denique ad Cathedrales designabantur Confessores Generales. *In Ecclesiis Cathedralibus Confessores institui præcipimus Generales.* Quamquam præesset huic Concilio Legatus Pontificius; simile tamen vero est affuisse Cantuariensem Archiepiscopum B. Edmundum, qui eodem ipso tempore, circa annum 1236. publicavit Constitutiones Synodales suas, quibus jubetur, ut graviora crimina, præsertim notoria, Superiorum judicio serventur: *Semper majora, præcipuè notoria, Majoribus reserventur.* Enu-
Con. Angl. t. 2. pag. 103. meramur ibidem reservata hæc facinora: *Sunt autem ista majora, homicidia, sacrilegia, peccata contra naturam, incestus, stupra virginum & Monialium, & injectiones manuum in Clientes, necnon & in Clericos, vota fracta, & hujusmodi.* Addit esse facinora, quorum absolutio soli summo Pontifici vendicetur, vel Legato ejus: nisi immineat mortis præpropera discrimen: tum enim misellos his utique absolvendos vinculis, ea cautione, ut si se pristinasque vires recuperent, Pontificem summum adeant: & dum id possint, Episcopo, vel Pœnitentiario sistantur. *Sunt autem casus in quibus Papa solus potest absolvere, vel ejus Legatus. Absolutio tamen talium in articulo mortis nulli deneganda est, saltem conditionalis, videlicet, quod si convalescant, Apostolico conspectui se præsentent, nihilominus tamen talium rei mittendi sunt ad Episcopum, vel ejus Pœnitentiarium.*

Can. 5. 52. Tom. 3. c. 7. VII. Discedamus ab Anglis, & ad alias divertamus Ecclesias. Cautum est Concilio Parisiensi anni 1212. ne Clerici cuiquam peccata sua confiterentur, nisi Prælatis suis, aut aliis quibusvis non sine eorum licentia. Præceptum est Episcopis, ut Monialibus Confessores seligerent, ea qua par esset sapientia & probitate præditos; damnata temeritate Abbatissarum & Capellanorum, qui ægrè ferebant Moniales, aliis quàm ipsis conscientiæ suæ arcana
Ibid. 4. c. 6. & peccata pandere. *Abbatissæ & Capellani earum prohibent Monialibus, ne aliis quàm ipsis confiteantur.* Denique Episcopos ipsos adhortata est hæc Synodus, ut frequenter per sese ipsi & audirent confessiones, & partes implerent Pœnitentiarii. *Et in propria persona frequenter intersint Confessionibus audiendis, & pœnitentiis injungendis.*

Constitutiones Synodales Rotomagensis Ecclesiæ circa annum 1236. jubent ut Presbyteri semel saltem anno quolibet Archiepiscopo, vel Pœnitentiario ejus confiteantur; facta licentia ut aliis deinde Presbyteris quoties libuerit confessiones iterent. Cleri-
Synod. Rot. pag. 130. ci qui quam primum Ordinibus initiandi sunt, jubentur etiam antè Archiepiscopo confiteri, vel perito Pœnitentiario: ne per alterius Confessoris imperitiam fiat, ut irregularitate aliqua irretiti, ad Ordines suscipiendos accedant.

Synod. Paris. pag. 27. Statuta antiqua Parisiensis Ecclesiæ Synodalia præceperant, ut Parochi Adventus & Quadragesimæ tempore peccatorum onera deponerent apud Confessores, in quolibet Decanatu designatos.

Concilium Lateranense IV. anno 1215. præcepit, ut fideles omnes anno quolibet semel saltem confiterentur *proprio Sacerdoti*, aut ejus concessione alii cuicunque. Congeries hæc tota testimoniorum, sive jam depromptorum, sive adhuc promendorum, eò conspirat, ut proprii sacerdotis nomine hic intelligatur, vel Parochus, vel Pœnitentiarius, vel Episcopus loci, vel Papa, vel eorum delegati.

Innocentius IV. Pontifex disciplinam & jura condens Ecclesiarum Græcarum in insula Cypro, sanxit ut Presbyteri Græci, Parochiarum curam sustinentes, quamquam uxorati, subditorum confessiones exciperent; quanquam posset & Episcopus alios delegare Confessores in omnibus Parochiis, & eos veluti suum ipsius in locum substituere, citra detrimentum propriæ Parochorum potestatis. *Liberum sit Episcopis viros alios idoneos Coadjutores & Cooperatores habere in audiendis confessionibus & pœnitentiis injungendis, ipsisque per eorum Diœceses absque Sacerdotum ipsorum præjudicio committere vices suas: cum propter occupationes multiplices & occasiones varias possit contingere, quod nequeant per easdem Diœceses officium suum exequi per se ipsos.* Itaque ut Episcopus verè proprius est Sacerdos in omnibus sui Episcopatus Parochiis, ita quos ipse in sui vicem subrogat ad audiendas Confessiones, & ipsi induuntur eodem nomine ac jure, eademque potestate. Can. 21. Epist. 10. c. 16. 17.

Synodus Pictaviensis anni 1280. sanxit, ut Abbates & Abbatissæ, cum Monachis & Monialibus suis, immo & Beneficiarii omnes, non apud alios confiterentur, quàm apud ipsum Episcopum, aut Pœnitentiarios ejus, aut quoscumque adsignaret eis Confessores Episcopus: vetitis quibuscumque aliis absolutionis Beneficium illis impertiri, nisi hanc illis potestatem vel Papa concessisset, vel Legatus ejus, vel Episcopus. *Inhibemus ne aliquis eos absolvat, nisi super hoc à sede Apostolica, vel Legatis ejusdem, vel à nobis habueris potestatem.* Eadem lege tenentur Canonici omnes, seu Regulares, seu Sæculares. Denique tum Abbatibus, tum iis omnibus interdicitur, quibus concredita est animarum cura, ne à casibus in jure reservatis absolvant quenquam, sed horum facinorum reos ad Episcopum, vel ad ejus Pœnitentiarios ablegent. Cap. 4.

Synodus Nemausensis anni 1284. liberam fecit potestatem Parochis Presbyterisque omnibus, ut Confessores sibi eligere possent quoscumque libuisset ex Parochis Presbyterisque ejusdem tractûs, maximè verò Archidiaconos, Archipresbyteros, Franciscanos & Dominicanos: data his viris Religiosis copia audiendi Confessiones Clericorum & laicorum in iis oppidis vicisque, ubi prædicandi munus obeunt; ea conditione, ut Parochis nomina eorum edant, quorum Confessiones audierint: ut cum illis consulteor de aptissimis spiritalibus medicamentis eorum à quibus vocantur ægrorum; ut denique ne quid adgrediantur præter eorum assensum, quem nunquam non lubentes Parochi ad audiendarum Confessionum facultatem præstabunt. Enumerat hæc eadem Synodus longè plurima & enormia scelera, quæ ad Episcopi Tribunal rejici debeant: & quæ tamen à Parocho relaxari possint, si qui ea confessus est ad Episcopum recurrere detrectet; dummodo ea non sint publica scelera. Si publica enim sunt; nisi ab Episcopo dimitti non possunt, præterquam si commissa ea sint senum, ægrotantium, aut extremas ad vitæ angustias adductorum.

Synodus Bajocensis anno 1300. indixit Parochis, Capellanis & Vicariis perpetuis, ut semel anno saltem quolibet confiterentur Episcopo, vel Pœniten- Can. 108.

tiario: id quidem permittens, ut cum necesse est, peritis aliis confiteantur Presbyteris; sed eadem semper eos necessitate constringens, ut quotannis Episcopo ipsi, vel Pœnitentiario se sistant.

Can. 81. Concilium Vaurense, cui affuerunt trium Provinciarum Episcopi, Narbonensis, Tolosanæ & Ausciensis, anno 1368. concessit Presbyteris, ut antequam Missam celebrarent, Presbytero cuicumque, spectatæ tamen eruditionis confiterentur. *Possit cuilibet Presbytero idoneo sua peccata confiteri, ut Missæ cum puritate conscientiæ celebrentur.*

Ita antiquioris disciplinæ austeritas, quæ Clericorum Confessiones uni Episcopo vel Pœnitentiario servari integras jubebat, paulatim mollita & relaxata est. Indultum est primo, ut alios sibi Confessores deligerent, dum semel quotannis intimos conscientiæ suæ recessus vitæque rationem omnem Episcopi vel Pœnitentiarii examini subjicerent; postea id quoque vinculum solutum est, concessa facultate, ut cuicumque liberet Presbytero confiterentur. Sed hoc quod ultimum prolatum est, testimonio manifestum est, abundè aliàs compensatum esse, quidquid dispensatio hæc relaxabat. Cœpit enim multò frequentiùs adiri Sacramentum Pœnitentiæ, cœpit & cura impensior adhiberi emaculandæ à nævis prorsus omnibus conscientiæ, priusquam se quis ad terribilis sanctissimæque hostiæ immolationem accingeret. Quo enim tempore Decanatûs unius omnibus Parochis non erat nisi unus Confessor, vix ejus habere copiam poterant, quoties in votis, quoties ex usu fuisset.

Cap. 12. Constitutiones Synodales Archiepiscopi Nicosiensis anni 1313. commendant Presbyteris, ut proprium sibi quisque Confessorem habeat cum licentia Episcopi. Sed illud nimirum vetant, ne qui Presbyteri confessionem excepit, illi ipsi statim confiteatur ipse.

Can. 28. Concilium Narbonense anni 1374. concessit Presbyteris omnibus, ut Missam celebraturi, cuicumque vellent aut possent Presbytero confiterentur, etiam non Parocho, nec ulla animarum cura onerato.

Cap 6. Inde conjectura duci potest de tempore Constitutionum Synodalium Parisiensium, quæ Vuillelmo Episcopo tribuuntur. Quippe cùm ibi statuatur, ut Parochi bis saltem anno quovis confiteantur, nempe Adventûs & Quadragesimæ tempore, iis Confessoribus, qui Decanatibus singulis fuerant attributi: ea consuetudo mirificè consentit ævo Vuillelmi Claromontani, Episcopi Parisiensis circa annum Christi 1230. non autem aliorum ejusdem nominis, qui eandem rexere Ecclesiam.

Cent. Gen. Tom. 13. pag. 525. Non erat tum sanè tanta Confessorum multitudo, quanta postea tempore Concilii Florentini, quando Latinos percontati sunt Græci, ecquid rei esset, quòd Latini Episcopi Presbyterique non semper prævia Confessione animam mundarent, quoties sacris operaturi erant.

Can 24. Synodus Frisingensis anni 1440. Abbates, Decanos, Præpositos, Archidiaconosque non exemptos uno edicto complexa est, ut confiterentur Episcopo, vel ejus Vicario: Monachi verò Abbati, Parochi Decano: nisi si quis ab Episcopo peculiari aliquo privilegio donatus esset.

Conf. C nc. Tarrac. l. 5 T. 17. Concilio Tarraconensi anni 1329. Presbyteris omnibus indulgetur, ut alii aliis confiteantur, quando Missam celebraturi sunt, abest autem Confessor eorum proprius. *Indulgemus, quòd quilibet Presbyter volens Missam celebrare, si non habet copiam proprii Confessoris, possit cuilibet Presbytero idoneo sua peccata confiteri & absolutionis beneficium recipere.* Concilio Tarraconensi posteriori anni 1391. indultum plusculum aliquid est, ut sacram rem facturi aliis alii confiteri possent, quamvis Confessor ipsorum proprius non abesset. *Indultum ampliantes, &c. Etiam ubi proprius affuerit Sacerdos, quoties Presbyter Missam celebrandi propositum habuerit, confitendi & de confessis invicem absolvendi plenariam concedimus facultatem.* Ita dum libertati consulitur Confessionibus maximè accommodandæ, & conscientiæ puritati ad terrificum illud sacrificium adhibendæ, ad eam ventum erat consuetudinem, ut impunè Presbyteri alii aliis quibusvis confiterentur.

VIII. Tridentina verò Synodus illum qui jam inoleverat, revocavit usum abolevitque, sanciens Sess. 23. c. 15. ut ne deinceps Presbyteri, ab Episcopo non approbati, Presbyterorum audirent Confessiones. Sed non illa tamen id jussit, ut ad Episcopum, aut ad Pœnitentiarium, aut ad Confessorem generalem commearent, ab Episcopo delegatum ad Presbyterorum Confessiones audiendas, quod antè perdiu factitatum fuisse demonstravimus: unum id visum abundè esse, ut ne nisi approbatis ab Episcopo loci Presbyteris confiterentur.

Hac in parte igitur Tridentini Patres Pœnitentiarii jurisdictionem contraxere; sed id damni cumulatissimè resarsere, Pœnitentiarii munere in perpetui Beneficii & Dignitatis gradum evecto, statutoque ut in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, ubi commodè posset, prima vacatura Præbenda Pœnitentiario addiceretur, qui non alius eligi posset, nisi Doctor vel Licentiatus in Theologia vel Jure, Sess. 24. c. 8. & annos natus quadraginta, & is denique cujus tanti ponderis ministerio & pietas & eruditio responderet: qui denique quandiu audiendis Confessionibus vacaret, Choro & Officiis præsens censeretur.

Hæc duo Concilii Tridentini Decreta Provincialibus Galliæ Conciliis confirmata sunt, Burdigalensi anni 1583. & Turonensi ejusdem anni. In hoc Cap. 12. Cap. 13. postremo id adnotatur, nonnullis jam in Ecclesiis Pœnitentiarios Beneficii perpetui titulo potitos esse; jam verò inter Dignitates etiam locum habere jubetur, sed extremum, nisi sicubi jam honoratiori gauderet. His adde Bituricense anni 1584. Cap. 21. Aquense anni 1585. Rotomagense anni 1581. ubi declaratur non posse Pœnitentiarium Parochiali simul Tit. De Casibus. Ecclesia onerari, quòd is foret frequentissimus obex, Tit. de Episc. & Cap. ne in propria Ecclesia residere, & munere suo assiduè fungi posset. Denique Burdigalense anni 1624. c. 26. p. 5. n. 20.

Curavit & sanctus Carolus Borromæus, ut & sua Act. Eccl. Provincialia Concilia in eam incumberent curam Mediol p. 21. instituendorum ubivis Pœnitentiariorum. Strenuam 268. 273. in id navarunt operam Mediolanense I. & V. Sed 791. ubique agens se Carolus Ecclesiasticæ disciplinæ restauratorem, Pœnitentiariis quidem suis Casuum reservatorum & pœnitentiarum publicarum sollicitudinem demandavit: at quod ad Confessiones Clericorum pertinet, speciales ipse Confessores designabat. Audi quid decretum ab eo sit in Synodo IV. Diœcesana. *De Sacerdotibus Confessariis, quos probatos & in urbe & in Diœcesi Clero nostro constituerimus, hoc decernimus, ut quos scilicet quotannis ad Cleri Confessiones audiendas à nobis delectos & in tabella notatos ei significaverimus, ejusdem Cleri confessiones audiendi facultas illis sit, quoad alia hujusmodi significatio anno sequenti per nos fiat.* Itaque Confessarios alios aliis quotannis subrogabat, aut novo decreto eosdem

in alterum annum prorogabat. Refert vitæ ejus Scriptor, ut quatuor instituerit Subpœnitentiarios ad casus reservatos, ut propria stipendia assignarit, neque hebdomadis singulis Congregationem, Pœnitentiariæ dictam, cogi jusserit, extricandis casibus conscientiæ difficilioribus.

*Gesta ejus l. 2. c. 9*

Quanquam omnes Ecclesiæ hactenus graviter elaborarint in retinenda aut provehenda in melius puriore disciplina: singulari tamen & proprio encomio exornanda videtur præ cæteris Ecclesia Gallicana, quæ Concilium ipsum Tridentinum prævenit: 1. dum Pœnitentiariatum inter Beneficiarios & Dignitates omnium prima collocavit, ut paulò antè docuit nos Turonense Concilium. 2. Dum Theologos in omnibus Ecclesiis Cathedralibus instituit, cùm jure communi priùs in solis Metropolitanis Ecclesiis creati fuissent. Pœnitentiarios sanè jam inde ab anno 1252. Facultas Theologiæ Parisiensis decreverat posse, non consentientibus, immò & renitentibus Parochis, confessiones audire, & Parochianos eorum absolvere, sive ii Papæ, sive Episcopi Pœnitentiarii sint: uti id possunt & Papa & Episcopus, quorum illi delegatione nituntur.

IX. Ne facessat autem cuiquam negotium quod vel narratum vel insinuatum est de infrequenti Presbyterorum confessione: illud observari æquum est, nunquàm frequenter etiam, quàm nunc fit, rem sacram fecisse. Quod ad eos verò attinet, qui frequentiùs offerebant cælestem & incruentam victimam, ex hac ipsa flagrantiore eorum pietate facilè conjicimus, crebriùs illos quoque ad Pœnitentiæ Sacramentum accessisse; quò non crebriùs tantùm, sed & puriùs offerrent. Statuta Hugonis V. Abbatis Cluniacensis anno 1200. jubent ut peccatorum confessio singulis hebdomadis iteretur. Constitutiones Archiepiscopi Cantuariensis anno 1328. injungere Presbyteris, ut antè confiterentur, quàm celebrarent, si quo se piaculo obstrinxissent; censoria nota iis inusta, qui confessione illa generali, quæ fit inter ipsa Missæ exordia, censebant elui posse peccata mortifera. Concilio I. Mediolanensi sub Carolo statutum est, ut Presbyteri semel hebdomada qualibet confiterentur At Carolus ipse constituit, ut Confessores à se designati ad audiendas Confessiones Clericorum, tertio quoque mense Vicarios Foraneos certiores facerent, de auditis à se hebdomada qualibet singulorum Presbyterorum Confessionibus. Idem sancitum à Concilio Burdigalensi anno 1583. ut qualibet hebdomada Presbyteri omnes sacra confessione mentis suæ maculas abstergerent. Bituricense denique Concilium invitavit eos, ut quotidie ante celebrationem, aut saltem singulis hebdomadis confiterentur.

*Bibl. Clun. pag. 1461.*
*Conc. Angl. To. 2. p. 498*
*Act. Eccl. Med. pag. 9. 793.*
*Cap. 5. tit. de Missa c. 16.*

Constitutiones Synodales Trecensis Diœcesis, ut à Bochello referuntur, jubent ut Presbyteri annua saltem confessione Episcopo suo recessus mentis suæ aperiant, aut ejus Pœnitentiario, aut iis certè quos Episcopus in id muneris delegarit: neu credant generali illa confessione, quæ fit ad aras in ipso sacrificii exordio ablui posse lethales maculas: ideo nec ullas specialiter tunc declarari: ne denique ea spe sibi blandiantur, quasi sibi ad nutum Confessores possint adsciscere: id enim proprium & eximium jus esse Episcoporum & Prælatorum Exemptorum: *Ne credant Sacerdotes, quod nisi de licentia sui Episcopi, possint pro voluntate sua sibi eligere Confessorem, qui suarum curam habeat animarum. Hoc enim solis Episcopis, & quibusdam aliis exemptis est concessum. Et qui petunt ab Episcopo Confessores, debent petere providos & honestos.*

*Decr. Eccl. Gal. pag. pag. 243.*

Hinc planum fit non carnali æmulatione, aut vitiosa tuendæ propriæ potestatis ac jurisdictionis cupiditate incensos fuisse Episcopos, ut sacram retinerent tamque servarent tam verè Apostolici muneris authoritatem, peculiares & proprios designandi Confessores, conscientiæque rectores omnibus spirituali suæ ditioni obnoxiis. Ejus disciplinæ tanto Synodorum Canonumque & Decretorum præsidio munitæ, unus hic erat finis, unus scopus; animarum à Christo Episcopis ipsis creditarum salus, quarum curam non quibuslibet & temerè, sed magno delectu à se delegandam sentiebant, cùm & de ovibus & de ascititiis his Pastoribus Pastores ipsi summi rationem essent reddituri.

Quod autem ex Trecensis Diœceseos Constitutionibus nunc retulimus, id consentaneum prorsus est Decretis Gregorii IX. qui Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, minoribusque etiam Prælatis Exemptis facultatem concessit eligendi sibi proprios Confessores. *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Episcopis & aliis Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, ut etiam præter sui Superioris licentiam, providum & discretum sibi possint eligere Confessorem.* Idem ipse Gregorius IX. Abbatibus Præmonstratensis Ordinis edixit, ne suo sibi marte Confessores deligerent, neu præter sententiam & consensum Abbatis Generalis, & Visitatorum: ne imperitos inopinè eligerent, vel timidiores, qui quidquid errassent, fidenter objurgare non auderent. Urbanus IV. istud ipsum privilegium Abbati Præmonstratensi confirmavit. Ita prisca juris austeritas in hac parte penes solos Regulares viguit. Bonifacius VIII. rursum contestatus palam est, non potuisse nisi ad animarum perniciem consuetudinem illam invehi, qua proprium sibi quisque Confessorem deligit. *Nulla quippe potest consuetudine introduci, quod aliquis præter sui Superioris licentiam possit sibi eligere Confessorem, qui eum solvere valeat, vel ligare.* Eodem Bonifacii decreto innuitur, speciali hoc aliquos ab Episcopo donatos fuisse privilegio, ut Confessorem sibi deligerent. At spectatæ pietatis hominibus id privilegii fuisse indultum credere æquum est.

*C. Ne pro. De pœnitent.*
*Bib. Præm. p. 655. 686.*
*C. Si Episcopus. In 6. De pœnit.*

X. Ex hac profectò testimoniorum observationumque congerie id manifestum fit, non fuisse olim in more positum, ut Episcopus generaliter approbaret Presbyteros, qui tota quà latissimè pateret Diœcesi ejus, exciperent Confessiones; nisi Pœnitentiarios. Cæteri enim omnes ea hujus curæ & potestatis parte, ea approbatione & jurisdictione fruebantur, quam ipse eis pro arbitrio, & pro Ecclesiæ suæ utilitate admensus esset. Ita nemo poterat suo sibi jure Confessorem eligere, sed ab Episcopo reposcebat; cum ejus sit sagacitas & potestas ea, qui pastor animarum à Christo ipso constitutus est, ut duces & magistros spiritalis vitæ consentaneos tam diversis hominum generibus deligat, & divinitus sibi uni creditæ authoritatis dispensatores alios & quasi collegas asciscat.

Non erit ergo posthac quod quisquam stupeat, si per leges Canonicas, 1. Nec Parochis fas est, aliorum quàm Parochianorum suorum, vel Confessiones audire, vel scelerum vincula dissolvere; 2. Nec Presbyteris aliis sæcularibus, nullam Parochialem Ecclesiam regentibus, fas est, vel confitentes audire in ea in qua approbati sunt Diœcesi, vel à peccatis absolvere, alienæ Diœceseos fideles: 3. Nec Regularibus ipsis, quanquam possint una in Diœcesi absolvere alterius Diœceseos cives: quia

ab Episcopo approbationem tantùm, à Papâ vero jurisdictionem obtinent. Si nec Regularibus, inquam, ipsis licet alienæ Diœceseos cives ad se venitantes vel audire, vel absolvere, quando in fraudem veniunt, & affectata malitia, ut proprii Episcopi censuram declinent: 4. Ita nec eis licet à peccatis solvere subditos ejus Episcopi à quo approbati sunt, in alterius Episcopi Diœcesi, in qua approbati non sunt: quamvis Parochi oves sibi creditas extra limites suæ Parochiæ, immo & in aliena Diœcesi solvere possint, quòd in eas ordinaria jurisdictione communiti sint.

Harum omnium conclusionum veritas ab uno illo capite religata est, quòd Episcopus solus Pastor sit primus & Princeps ovilis tota Diœcesi sparsi, & à Deo sibi commendati. Ejus ideo unius est Pastores subsidiarios accersere, & alios aliis sui gregis partibus præficere; sive Parochos instituat, sive Pœnitentiarios creet, sive Confessarios deleget.

Scripsere nuperi juris Canonici Commentatores, ex jure communi decere, ut Episcopi Metropolitano, hic Primati, vel Patriarchæ, & hi Papæ confiterentur: & sola locorum intercapedine nimia fultum esse Privilegium, quo eos donavit Gregorius IX. eligendi sibi Confessarii. Non parum admirabilitatis habet hæc doctrina, habet immo quod in speciem offensioni esse possit; habet denique quod vix, ac ne vix quidem unquam in usum vocari possit, aut verò retro actis sæculis potuerit. Qui possent enim summi isti Antistites suis singuli Ecclesiis sedibusque affixi ex officio, alii aliis arcana cordis nudare, & confiteri? Adde quod ne vel tenuissimum quidem ejus rei vestigium, vel moris, vel legis sit in tota, quanta quanta est Ecclesiastica antiquitate.

*Fagnan. in l. 5 Decret. p. 140. & seqq.*

At si aliunde seriò pensitet quis, quàm certò constet eo animo fuisse Episcopos in suum quemque Metropolitanum, quo in Parentem, atque adeò in Magistrum: idque vel maximè ipsis cordi fuisse, ut ratio ei constaret totius suæ administrationis: si seriò perpendat, quàm vel sapientissimis quibusque compendiosum tutumque sit, ne suo se consilio soli regant, ne se dumtaxat audiant, se sequantur: sed illos sciscitentur, illis incumbant, quos illis Deus duces & superiores præfecit: denique quàm finitimum vero sit, eos qui primi Episcopi constituti fuere olim ab Apostolis, Apostolis semper paratos cupidosque fuisse ut Magistris & ducibus uti; vel iis Apostolicis viris, à quibus Episcopalem manuum impositionem accepissent: si seriò, inquam, hæc expendantur omnia, non multum à vero aberrasse Canonistas compertum erit.

XI. Philippo Audaci Galliæ Regi id privilegii concessit Gregorius X. ut pro arbitrio Confessorem sibi adsisceret, & semel adscito alium cum libuisset subrogaret, sive Regularem, sive Sæcularem. Eandem gratiam concessit & Nicolaus III. Martinus IV. ejusdem modi privilegio donavit Regem Sueciæ, nomine Magnum, addita Confessario potestate permutandi vota, dempto tamen tum Hierosolymitanæ peregrinationis, tum perpetuæ voto castitatis. Eadem potestas à Bonifacio VIII. concessa est Eduardo Angliæ Regi, cum hoc notabili additamento, ut possent ejus domestici, seu laici, seu Clerici, Capellano ejus confiteri, *Quando non possent habere copiam proprii Sacerdotis*. In his privilegiis omnibus secludebantur casus reservati. Joannes XXII. hanc exceptionem expunxit in gratiam Regis Armeniæ, & Joannæ Siciliæ Reginæ; quin

*Raimal. an. 1272. n. 59.*
*An. 1278. n. 37.*
*Anno 1281. n. 23.*
*Anno 1301. n. 23.*
*Ann. 1318. n. 17.*

& plenissimam addidit indulgentiam, eo temporis puncto, quo animam essent efflaturi. Ximenius Cardinalis Presbyteris licere voluit, ut quem vellent ad Confessorem se conferrent, cui & addebatur tunc facultas absolvendi à casibus Episcopo reservatis. Gomecius ait id cum primis necessarium tunc fuisse, quod sanctæ Sedis in eam rem privilegia rariuscula tunc adhuc essent.

*Gomecius in vita ejus. L. 1.*
*Hisp. Illust. To. 1. pag. 930.*

Nec abhorret à vero, istiusmodi frequentiora privilegia, sive à Romano Pontifice, sive ab Episcopis concessa, ad eligendos suo arbitrio Confessores, in causa demum fuisse, ut Episcopi generatim Confessores in omnem Diœcesin suam approbarent, nec eos ad unam Ecclesiam, aut ad unum hominum genus coarctarent. Non enim antè nisi præfinitis hoc genus limitibus approbabantur. Hinc consentaneum etiam est, ita generatim approbandos & tam effusa jurisdictione induendos Confessarios, majori ab Episcopis cura, & strictiori examine præmisso delectos fuisse. Hinc etiam serpsit consuetudo, & laicorum, ut crebrius ad Pœnitentiæ remedium confugiant, & Confessariorum in una Diœcesi approbatorum, ut Confessiones excipiant non ejusdem tantum Diœcesis fidelium, sed peregrinorum etiam, illac iter habentium, & hac licentia abscissa magnum in salutis discrimen conjiciendorum. Hæc consuetudo usu roborata, rigori priscorum Canonum derogavit: idque jam palam est Ecclesiæ consensione ratum haberi, quàm certum est ad animarum nunc quidem salutem conducere.

XII. Ad eum modum, illo providente & gubernante Spiritu sancto, qui ineffabili sapientia & charitate totum Ecclesiæ corpus vegetat, perspicuum est, ubi laxatur aliquid in prisca disciplinæ sacræ sanctimonia, id eodem ipso, aut non multo post tempore novis pietatis adminiculis resarciri. Obrepsit fidelibus licentia major tantoque periculosior suos sibi duces & Confessores diligendi: at Episcopi malo inde emersuro obviarunt, non approbando, nec in Confessorum catalogum allegendo, nisi qui tutò à fidelibus consuli & adhiberi possint. Hæc agendi ratio nihilo tutior est, quàm illa prior, ubi crebris seu Papæ, seu Episcoporum privilegiis, eligebant sibi complures Laici Confessores, quos necdum ab Episcopo approbari tunc moris erat; ut multis probari posset documentis, & Theologorum testimoniis. Itaque pro incredibili sapientia sua Tridentini Patres privilegia hoc genus omnia revocarunt.

*Fagnan. in l. 5. Decret. part. 2. pag. 145.*
*Conc. Trid. Sess. 23 c. 15.*

Nec multum dispar ratio pænitentiæ ipsius, quæ sæculo duodecimo vergente, vergere & pessum ire ipsa quoque cœpit. Et eodem ipso tamen illa tempore mira novi vigoris incrementa fecit per Congregationes Monasticas penè innumeras, & in dies non numero magis, quàm sanctitate & austeritate vitæ augescentes, in quibus denique certatim & innocentia vitæ, & pænitentiæ asperitate omnis generis & sexus homines coronas immarcessibiles sibi texunt. His adde & laicos, & Clericos, incredibili & multitudine & religione, à quibus frequentatur Pænitentiæ sacramentum, ea mentis castitate & cordis, quæ nihil primævæ Ecclesiæ moribus decedat.

Narrat Petrus Damiani sanctissimum Anachoretam Dominicum conscientiæ suæ sinus intimos aperuisse Abbati suo in Natalis Christi pervigilio. Abbas rudis adhuc & harum rerum inexpertus, non unum recitandum præscripsit Psalmum, ut par erat,

*L. 1. Ep. 19.*

in pœnitentiæ vicem: sed totos triginta Psalteria. *Cùm sibi sufficeret unum Psalmum vel perexiguum quid imponere, præcepit ut pro his quæ confessus fuerat, triginta Psalteria decantaret.* Agit alibi de piissimo vitæ solitariæ sectatore, cui cùm appetente morte tres quatuorve Psalmi in pœnitentiam recitandi indicerentur: annorum decem pœnitentiam ipse flagitavit, quam in alios instituti sui imitatores & collegas dispensavit, ut in ea implenda ab iis juvaretur. Paruerunt illi, & antequam is hac vita decederet, exhausta est illa quamlibet diuturna pœnitentia, eo nempe compensationum ingenio quod tunc temporis usitatissimum erat, ubi Psalmis recitandis & voluntariis per flagella corporis macerationibus, canonicæ pœnitentiæ spatia in plures annos protracta redimebantur, nullo pœnarum lenimento, magno temporis compendio.

L.3.Ep.10.

Non multò pòst Petrus de Honestis à Paschali II. suam Canonicorum Regularium Regulam confirmari pervicit. Is confessionem illis generalem & absolutionem communem præscripsit in Capitulo ante majores festos dies; addiditque, si quis secretò confiteri vellet, Priori, vel delegatis ab eo Presbyteris confiteretur: *Si quis aliquid privatè confiteri voluerit, confiteatur Priori, vel Presbyteris per Priorem ad hoc officium deputatis.* Hortatur denique illos, ut ex animo dimittant, si quid in eos commissum à quoquam fuerit; addit denique optatissimum fore, ut his pietatis muniis fungantur in festorum dierum pervigiliis, & in diebus Sabbati.

Regula l. 3. c. 16.

Statuta Cartusiensium anno 1259. compilata, id præcipiebant, ut die semper Sabbati Priori aut ejus Delegato confiterentur. Qui apud eos Donati & Præbendarii dicebantur, prima cujusque mensis Dominica die confiteri jubebantur; Eucharistico autem pane vesci Natali Domini, die Paschæ & Pentecostes: *Prima quaque die Dominica cujuslibet mensis confiteantur; & in Natali Domini, Pascha, & Pentecoste Corpus Domini suscipiant reverenter.*

Statut. antiqua Part. 2. c. 1. & Par. 3. c. 3.

Constitutiones Cistercienses Abbatibus, Monachis & Conversis Abbatiarum eam legem indicebant, ut semel saltem hebdomada quavis confiterentur. *Abbates & Monachi semel ad minus in hebdomada confiteantur, si copiam habeant confitendi; Conversi verò qui in Abbatiis morantur, idem faciant.* Conversi qui semel septimana quavis sarcinam peccatorum exponebant, septies tantùm anno quolibet ad Corporis Christi communionem accedebant: poterat tamen Abbas sacro illos hoc epulo, vel sæpiùs vel rariùs recreare. *Septies communicabunt in anno Conversi, nisi quem crebriùs aut rariùs certa de causa Abbas accedere judicaverit.* Apud Cistercienses Abbati, apud Carthusianos Priori confitebantur ut plurimum. Cistercienses saltem semel anno quolibet arcanos animi sinus Abbati pandere tenebantur. Qui beatæ Idæ Cisterciensis Monachæ vitam scripsit, id adnotavit, juxta Ordinis hujus Regulas, qui annuum primò ponebant tyrocinium ante Professionem, ter tantùm ad Communionem accedere solitos toto illo anno.

Nomastic. Cister. p 34. 324.

Ibid p. 357.

Bolland. To. 2 Aprilis. pag. 182.

Vuillelmus Malmesburiensis Anglicanæ meminit Abbatiæ, cujus Monachi nocte qualibet antequam lecto se componerent, confessione expiabant, si quid à se commissum in quemquam esset gravius. *Vt nullus rebellionis contra Priorem, vel in se gravis criminis conscius, pernoctare audeat, delicti sine confessione reus.* Guibertus Abbas parentem optimam, piissimam fœminam, justo prosecutus encomio, illud non silet, crebrò Presbyteris confiteri solitam fuisse. Hermannus Monachus historiam texens miraculorum quæ fiebant in æde celeberrima B. Mariæ Laudunensis, affirmat non alios cælestibus his & stupendis curationum beneficiis gavisos fuisse, quàm qui Presbyteris antè confessi essent: cæterùm pro parvulis vixdum primos rationis radios delibantibus, parentes eorum vice solitos confiteri. *Nemo curabatur nisi priùs peccata sua Presbytero suo confiteretur, si tamen ætatis esset idoneæ. Quod si infantulus erat, admonebantur parentes, vice puerorum facere confessionem.*

Pag. 278.

L. 1. de vita sua c. 13.

L. 2. c. 6. 7. post opera Guiberti.

Ordinis sui Novitios S. Bonaventura ad Monasticam instruens vitæ sanctimoniam, edicit ut ter saltem, aut sæpiùs etiam Superiori vel Magistro confiteantur: *Tribus vicibus in qualibet hebdomada, vel pluries confiteantur, secundùm quod necesse habuerint.* Primæ Præmonstratensium Constitutiones imperabant, ut Professi omnes ter saltem anno quolibet confiterentur *propriis Abbatibus*, arcendi alioqui ab ingressu Ecclesiæ, dum superstites essent; etiam sepultura post mortem. Dies autem illi erant Natalitius Christi, Paschæ & Pentecostes. Addebatur posse Abbates subrogare sibi alios Confessarios, sibi autem ipsis reservare majorum criminum confessiones; denique irritas fore & inanes confessiones, si qui fraudulentè affectarent, aliis quàm Abbati, Abbatisve delegatis confiteri. Ecquid causæ fuerit, ut tres illos maximè solennes dies secernerent Præmonstratenses, alibi à nobis patefactum est. Ea enim nequedum oblitterata erat antiquior disciplina, ut tribus his diebus, & non festo tantùm Paschæ die Fideles omnes confiterentur. Denique hoc Statuto non agitur nisi de confessionibus omnino necessariis, non de aliis libero voluntatis arbitrio permissis.

Specul. Discip. Part. 1. c. 9.

Bibl. Premon. p. 788.

In Concilio Tolosano anni 1228. illud priscum inculcatum est rursus mandatum, ut ter anno quolibet Fideles omnes & confessionis frequentarent sacramentum & sacro epulo reficerentur. *Omnes confessionem peccatorum faciant ter in anno Sacerdoti proprio, vel alii de mandato ipsius, & ter in anno sacramentum Eucharistiæ cum omni reverentia suscepturi.*

Albigensium hæresis & contagio ea infuderat venena Fidelium moribus, quibus medicari studebat hæc Synodus majori Sacramentorum frequentatione, quàm Innocentius III. præcepisset.

In sua ad Paracliti Moniales Regula Abaelardus edixerat ut universa Congregatio ter saltem anno unoquoque Corporis Christi particeps fieret, in Natali, Pascha, & Pentecoste, *sicut à Patribus constitutum est, de sæcularibus etiam hominibus.* Jusserat ut & triduo confessio Communioni præiret. Ægrotantes octavo quoque die confiteri, & sacra mensa refici debere definierat.

Epist. 8. pag. 164.

Multò plura coaceruari hîc possent & Statuta istiusmodi & exempla. Sed hæc copia satis superque sufficit, ut intelligas, 1. lapsu temporum singulos in dies frequentiorem evasisse confessionem, inter eos etiam quos & innocentia & morum censura major commendaret. 2. Pauculorum Psalmorum recitationem præscriptam fuisse eluendis eorum maculis, quorum vita prorsus innoxia voluntariæ pœnitentiæ laboribus magis magisque expiabatur. 3. Publicæ pœnitentiæ relaxationem cum fœnore compensatam fuisse tot voluntariorum pœnitentium cætibus in dies excrescentibus. 4. Denique cum aliorum tepor & ignavia fecit, ut annuæ tantùm Communionis & confessionis vinculo vulgò constringerentur: alios tum laïcos, tum Religiosos innumera-

biles vehementissimè exarsisse, non tantùm ut frequentissimè cælesti Eucharistiæ pabulo fruerentur, sed ut ea id facerent morum vitæque castimonia & puritate, quæ cum anteriorum ab ipsa usque origine sæculorum sanctimonia certare videretur.

pag. 109. 670. XIII. Monuit nos in Euchologio suo Goarius, quanquam rarior sit forsan inter Græcos Confessio, quàm inter Latinos; eorum tamen sapientissimos quosque & charitatis æstu majore ferventes, stimulos subinde addere Episcopis, Presbyteris & Religiosis, ut crebra confessione emaculent conscientiam. Quanquam autem à temporibus Nectarii desierit apud eos pœnitentia publica: non exolevit tamen mos suspendendæ & procrastinandæ diutius communionis Eucharisticæ, post concessam peccatorum absolutionem. Quo temporis intersticio, fideles istiusmodi ex parte tantum reconciliati, Eulogiarum pane loco Eucharistiæ impartiuntur festis diebus & aqua lustrali. Joannes Antiochenus Patriarcha, qui eam sedem implebat sæculo XII. testatum facit, eo ævo Confessionum audiendarum & administrandæ pœnitentiæ ministerium ad solos ferè Monachos devolutum fuisse, tanta erat eorum vitæ suaveolentia. *Adeo à fidelibus cultus honoratusque fuit Monachorum ordo, ut confessiones, ac enunciationes peccatorum, consequentesque censura & absolutiones ad Monachos translata sint, quemadmodum in præsentiarum quoque fieri videmus.* Cotelor. Monum. Eccl. Græ. To. 1. pag. 169.

## De Ministris & Regulis Pœnitentiæ Sacramenti: de Casibus reservatis, de Pœnitentia publica, de Indulgentiis.

### CAPUT XI. *P.3.l.1.c.14.*

### De administratione Sacramenti Pœnitentiæ per Parochos sub Imperio Caroli Magni.

*I. Quæ ad substantiam pertinent sacramenti pœnitentiæ, eadem semper fuere, quæ sunt etiamnunc: Confessio secreta in sinum & in aures Presbyteri, quorumcumque scelerum enumeratio specialis, pœna seu pœnitentia indictio, absolutio. Probationes ex Capitulari Theodulphi.*

*II. Pœnitentia de publicis, aut occultis peccatis, publicè vel occultè fiebat, servato utrobique rigore Canonum.*

*III. Nova argumenta ex Conciliis.*

*IV. Pœnitentiales libri, si qui à norma Canonum discederent, igni addicuntur.*

*V. Parochi ministri erant occultæ de occultis peccatis pœnitentiæ: in eaque re cogebantur servire legibus Canonicis, & consuetudini Ecclesiæ, quæ tunc accuratè Canonibus consentiebat.*

*VI. Nova ex Herardo Turonensi Archiepiscopo argumenta.*

*VII. Et ex Hincmaro Remensi. Delineatio publicæ pœnitentiæ.*

*VIII. Statuta Hincmari, pro illis, qui in eadem rursum delapsi erant crimina, quæ jam semel ab eis publicæ pœnitentiæ lamentis expiata erant; quam tum iterare nefas erat.*

*IX. De Confessionibus & Absolutionibus generalibus.*

*X. Probationes novæ ex Reginone.*

*XI. Et ex Capitularibus.*

*XII. Item ex Jona Episcopo Aurelianensi.*

*XIII. De reciprocis inter se fidelium laicorum confessionibus leviorum culparum.*

*XIV. An inde serpserit mos venialia delicta privatim Presbyteris confitendi.*

I. SEcundùm Pœnitentiarios pars longè major potestatis & curæ administrandæ pœnitentiæ penes Parochos semper fuit, penes quos & antè sæculis retroactis fuerat. Non pigebit ergo in superiores retro flecti Ecclesiæ ætates, ut vestigemus veluti radices & leges primarias eorum, quæ circa pœnitentiæ sacramentum etiamnunc observantur.

Et substantia quidem rei prorsus eadem fuit quæ est etiamnunc, maximè si VIII. IX. & X. sæculum spectemus. Tenebantur fideles omnes ea lege, ut Presbytero confiterentur, & aperirent commissa sua omnia, etiam occulta, commemoratis circumstantiis, quæ alicujus essent momenti, monitis ejus auscultarent, salubres pœnas ab eo inflictas subirent; ita scelerum absolutionem peterent & promererentur. Hæc omnia sigillatim declaravit Theodulphus Aurelianensis Episcopus, in suo ad Presbyteros Capitulari: *Confessio quam Sacerdotibus facimus, hoc nobis adminiculum affert, quia accepto ab eis salutari consilio, saluberrimis pœnitentiæ observationibus, sive mutuis orationibus peccatorum maculas diluimus. Confessio verò quam Deo facimus in hoc juvat, &c. Confessiones dandæ sunt de omnibus peccatis, quæ sive in opere, sive in cogitatione perpetrantur, &c. Quando ergo quis ad confessionem venit, diligenter debet inquiri, quando, aut qua occasione peccatum perpetraverit, &c. Debet ei persuaderi, ut & de perversis cogitationibus faciat confessionem, &c. Nominatim ei debet Sacerdos unumquodque vitium dicere, & suam de eo confessionem accipere, &c. Juxta modum facti debet ei pœnitentia indicari.* Edendis Confessionibus opportunissimum erat tempus, ea quæ Quadragesimam præcurrit hebdomada, ut dignis pœnitentiæ fructibus toto se pœnitentiæ curriculo macerare & emaculare possent, quo puriores Paschalibus festis ad cælestis & immortalis Agni vescendas carnes accederent. *Hebdomada una ante initium quadragesimæ, Confessiones Sacerdotibus dandæ sunt, pœnitentia accipienda, discordantes reconciliandi, & omnia jurgia sedanda, &c. Et sic ingredientes in beata Quadragesimæ tempus, mundis & purificatis mentibus ad sanctum Pascha accedant.* Cap 30. 31. Conc. Gall. Tom. 2. ad an. 797. Ibid. c. 36.

II. Non quæ ipse commentus erat, sed Superiorum Ecclesiæ ætatum leges moresque receptissimos Capitulari suo complexus est Theodulphus.

Parochi ut pœnitentias librarent, & pro modo criminum admetirentur labores, jejunia & macerationes carnis, consulebant antiquos Ecclesiæ Canones, Librosque Pœnitentiales, in quos ipsa Canonum disciplina digesta erat. Itaque Carolus Magnus Parochos submonebat, ut Canones & Pœnitentiales libros lectitarent, animoque infigerent. *Ut de Canonibus doctus sit & suum pœnitentiale bene sciat.* Idem præcipitur in Concilio Remensi II. *Quomodo Confessiones recipere, & pœnitentiam secundum Canonicam institutionem pœnitentibus deberent indicare.* Vigebat ergo tunc maximè antiquorum Canonum observantia; ut eo maximè argumento liqueat, quàm consonent leges moresque omnium Ecclesiæ sæculorum in iis quæ ad substantiam pertinent sacramenti Pœnitentiæ, cùm & media primis, & postrema mediis vehementer consentiant sæculis, omnia omnibus. Ibid. p. 233. Ibidem. Ann. 813. Can. 12. 16.

Nec obstrepit illud huic concentui, quòd in præsentiarum rigor Canonum minus observetur. Et hoc enim fieri potuit eo dispensationis temperamento, quo nihil antiquis Canonibus Conciliisque antiquius commendatiusque fuit: scilicet ut Pastorum sapientiæ & charitati dispensandæ moderandæque leges omnes permitterentur ad Ecclesiarum pacem, ad animarum salutem, atque ad ægrorum

rum patientiam medicamenta temperarentur. Id Can. 16. elucescit ex hoc ipso Remensi Concilio: *Ut Episcopi & Presbyteri examinent, qualiter confitentibus peccata dijudicent, & tempus pœnitentiæ constituant.* Spiritalis medici sapientiæ specimen sui in eo potissimum dabat, ut discerneret ægritudines, quæ publica, vel quæ privata pœnitentia essent curandæ. Idque Cap. 31. eodem ipso in Concilio rursum significatur. *Ut discretio servanda sit inter pœnitentes, qui publicè, & qui absconsè pœnitere debent.*

An. 813. Can. 32. III. Concilio quoque Cabilonensi II. declarata est necessitas edendæ confessionis plenæ, ut ne occultissima quidem flagitia reticerentur. *Solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit confessio, scilicet ut ea confiteantur, quæ per corpus gesta sunt, & ea quibus in sola cogitatione delinquitur.* Si scrupulosa hæc singulorum delictorum enumeratio minùs necessaria fuisset, non tam instanter urgeret hæc Synodus, ut pœnitentiæ ex priscorum Canonum rigore infligerentur, nec adjiceretur fides libris quibusdam Pœnitentialibus, qui circumferebantur ad animarum perniciem, nempe earum morbis lethiferis blanditi magis quàm Can. 38. mederi idonei. *Modus pœnitentiæ peccata sua confitentibus aut per antiquorum Canonum institutionem, aut per sacrarum Scripturarum authoritatem, aut per Ecclesiasticam consuetudinem imponi debet: repudiatis ac penitus eliminatis libellis, quos Pœnitentiales vocant, quorum sunt certi errores, incerti authores, de quibus rectè dici potest. Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivebant. Qui dum pro peccatis gravibus leves quosdam & inusitatos imponunt pœnitentiæ modos, consuunt pulvillos sub omni cubito manus, &c.* Inhumanæ & exitiali huic indulgentiæ ut obviam iret hæc Synodus, eos qui audiendis Confessionibus vacabant Presbyteros excitabat, ad Conciliorum Canonumque libros nocturna diurnaque manu versandos, animoque prorsus incolcandos, sed eos potissimum, qui de iis tractant medicamentis, quibus animarum vulnera persanantur. Can. 37. *Cùm igitur omnia Concilia Canonum quæ recipiuntur, sint à Sacerdotibus legenda & intelligenda, & per ea sit eis vivendum & prædicandum; necessarium duximus, ut ea quæ ad fidem pertinent, & ubi de extirpandis vitiis & plantandis virtutibus scribitur, hæc ab eis crebrò legantur, & bene intelligantur, & in populo prædicentur.*

IV. Concilium Parisiense VI. Episcopos jussit cura pervigili in id incumbere, ut undique perquirerentur Libri illi Pœnitentiales, qui pestifera dulcedine aureoque poculo animas Pœnitentium enecarent; ut tradendos igni curarent, utque Presbyteris ipsi salubrem instillarent doctrinam Canonicarum Regularum, in dispensando Pœnitentiæ Sa- An. 825. cramento observandarum. *Utentes quibusdam codi-* Can. 32. 34. *cillis contra Canonicam authoritatem scriptis, quos Pœnitentiales vocant, & ob id non vulnera peccatorum curant, sed potiùs foventes palpant, &c. Unusquisque Episcoporum in sua Parochia eosdem erroneos Codices diligenter perquirat, & inventos igni tradat, &c. Presbyteri etiam imperiti solerti studio ab Episcopis suis instruendi sunt qualiter & pœnitentium peccata discretè inquirere, eisque congruum modum secundùm Canonicam authoritatem pœnitentiæ noverint imponere. Quoniam hactenus eorum incuria & ignorantia multorum flagitia remanserunt impunita, & hoc ad animarum ruinam pertinere dubium non est.* Inde est quod hoc Concilio innovatur Canon Synodi quondam Ancyritani, quo annorum quindecim pœnitentia indicitur obscœnissimo flagitio.

V. Id infrà elucidabimus firmabimusque, quod permagni erat momenti, immo omnium maximi, videlicet pœnitentias publicas, quibus in publicè peccantes animadvertebatur, Episcoporum examini & curæ reservatas fuisse. De occultis ergo tantùm peccatis Presbyteri judices sedebant, cúmque illis vehementissimè instent Concilia, ut à Canonum rigore nec transversum unguem deflectant in designandis pœnitentiis: hinc certè efficitur perspicuum, occulta etiam peccata Canonicæ pœnitentiæ obnoxia fuisse. Ecquid enim commendaretur Parochis Canonum Pœnitentialium observatio religiosa, si eorum nullus erat usus ad occulta purganda delicta, in quæ dumtaxat eorum se potestas & cura explicabat? His adde, si mediæ hujus ætatis Concilia occultis etiam sceleribus medicinam venantur ab antiquorum Canonum salubri asperitate: id eis indubitatissimè persuadendum fuisse, eandem artem medendi in usu fuisse primævo illo tempore, cùm hi Canones conderentur: & jam tum occulta scelera canonicis publicisque pœnis expiata fuisse. Jubetur hîc enim observari, non augeri, vel duplicari rigorem priscorum Canonum.

His observationibus hæc addenda est non minoris ponderis. Nimirum apud omnes admodum tunc Ecclesias suum canonicis Pœnitentiarium legibus constitisse robur, etsi pauci aliqui ignavia & remissione sibi aliisque exitiali alerent impœnitentiam, & impunitatem criminum humanitatis fucata specie, & accommodatæ ad infirmitates hominum clementiæ velo palliarent. Atque in his rerum temporumque vicibus inconcussa viget immanetque lex retinendæ purioris disciplinæ adversùs nova & exitialia quæ aliunde gliscunt blandimenta. Id apertum est in laudato jam Canone Concilii Cabilonensis II. ubi sancti Patres præcipiunt, iudici pœnitentias juxta normam Canonum & consuetudinem Ecclesiæ, non ex assentatorum nuperorum pestiferis delinimentis. *Modus pœnitentiæ* Can. 38. *quæ per antiquorum Canonum institutionem, aut per Ecclesiasticam consuetudinem imponi debet.* Nondum agitur præscripserat longa morum corruptela, adversùs priscorum Canonum necessariam observantiam. Nec dissimulabimus tamen blandas has præstigias molliendæque pœnitentiæ licentiam invaluisse magis magisque in dies, & quæsitum illi fuisse patrocinium ex his regulis, quarum authoritas ab ipsis manaret Conciliis; nempe vim meritumque pœnitentiæ à fervore animi & charitatis æstu proficisci, potiùs quàm ex pœnarum sive acerbitate, sive diuturnitate: denique Presbyteros ipsos qui confessionibus audiendis præficiuntur, in potestate habere, ut pœnis & laboribus Pœnitentium moderentur: *Pœnitentia verò non in multitudine annorum,* Conc. Parif. *sed potiùs in contritione cordis & corporis est æstimanda.* VI. c. 46.

VI. Ejusmodi sunt animadversiones istæ, ut mihi nec prætermitti posse visæ sint, nec sejungi. Quod attinet autem ad publica scelera vel occulta, quorum illa Episcoporum judicio vendicantur, hæc Presbyteris examinanda permittuntur, plectenda eluendaque, accipe quod Herardus Turonensis Archiepiscopus decreverit: *Ut incesta omnia juxta mo-* Capit. Her. *dum culpæ, absque acceptione personæ à Presbyteris ju-* c. 14. *dicentur. Et ut tempore opportuno publica crimina ad no-* Conc. Gall. *titiam Episcopi deducantur, maximéque in die magno* Tom. 3. *Cœnæ reconciliandi, vel adhuc suspendendi per proprium* pag. 112. *Presbyterum ad præsentiam Episcopi deferantur.* Et paulò post: *Presbyteri de occultis jussione Episcopi Pœni-* Cap. 59. *tentes reconcilient, & infirmantes absolvant & commu-*

*nicent.* Quibus postremis verbis illud videtur innui, cùm abrupta vis inopini morbi non patiebatur recurri ad Episcopum, tunc potuisse Parochos peccata remittere etiam publica, ideoque Episcopo reservata. Ubi tamen ea cautio necessariò adhibebatur, ut si pristinæ sanitati restituerentur Pœnitentes, omnes obirent pœnitentiæ stationes.

Conc Gall. Tom.3 pag. 635. VII. Nemo luculentiùs Hincmaro Remensi Archiepiscopo hæc omnia complexus est accuratissimæ pœnitentiæ documenta, in suis ad Parochos Præceptionibus; ubi & quædam hactenus intacta suggerit. Debet Parochus admonere homicidas, adulteros, perjuros publicos, denique publicorum scelerum infamia contaminatos omnes, ut conferant se ad Decanum, seu Archipresbyterum loci, ut coram eo & Parochis totius Decanatus, scelera confiteantur sua: ut post dies quindecim Episcopo sistantur, accepturi ab eo, tum impositionem manuum, tum Canonicam pœnitentiam. Cum primo cujusque mensis die conveniunt in sua Capitula Parochi, conferre & consulere in commune debent de pœnitentium suorum seu tepore, seu fervore pietatis, & Episcopum certiorem facere, ut possit ipse tempus & labores pœnitentiæ pro fervoris modo producere vel contrahere. Siquis scelere se obstrinxit, quod offendiculo gravi & scandalo fuerit, nolitque postquam ab Parocho suo, & postea ab Archipresbytero reliquisque Parochis commonitus fuerit, intra quindecim dies Episcopo se sistere, excommunicationis gladio ab Ecclesiæ corpore resecandus est, donec pœnitentiæ jugo superbam cervicem inflectat. Si antè ab alio quopiam certior fiat Episcopus de facinore gravissimo publicoque Parochiani cujuspiam, quàm à proprio Parocho, Parochus ipse suspensione multatur, & tot diebus jejunare jubetur, ita ut pane solo & aqua victitet, quot per ignaviam suam cessavit à commonendo Episcopo. Denique in extremo vitæ fugientis discrimine, nemini pœnitentia, nemini Eucharistiæ sacrum viaticum subtrahi debet: at ubi vires receperint, pœnitentialium Canonum rigori facere satis cogendi sunt, atque ita demum publicè & solenniter Altaribus reconciliari. *Vt unusquisque Sacerdos maximam providentiam habeat, quatenus si fortè in Parochia sua publicum homicidium, aut adulterium, sive perjurium, vel quodcumque criminale peccatum publicè perpetratum fuerit, statim hortetur eum quatenus ad pœnitentiam veniat coram Decano & Compresbyteris suis & quidquid ipsi inde invenerint, vel egerint, hoc comministris nostris, Magistris suis, qui in civitate degunt, innotescat: ut intra quindecim dies ad nostram præsentiam publicus peccator veniat & juxta traditionem canonicam, publicam pœnitentiam cum manûs impositione accipiat, &c. Et semper de Calendis in Calendis mensium, quando Presbyteri de Decaniis simul conveniunt, conlationem de pœnitentibus suis habeant, qualiter unusquisque pœnitentiam suam faciat, &c. Si fortè quis ad pœnitentiam infra quindecim dies venire noluerit, decernatur, qualiter à cœtu Ecclesiæ, donec ad pœnitentiam redeat, segregetur. Et sciat quisque Presbyter, quia si per alium nobis cognitum fuerit, quod in sua Parochia admittatur, & tardius ad nostram notitiam perlatum fuerit, tantos dies à ministerio suspensus in pane & aqua excommunicatus morabitur, &c. Hoc tamen omnimodis caveatur, ut nemo pœnitens & cum devotione petens, ultima pœnitentia, vel ultimo viatico defraudetur, ea convenientiâ, ut si convaluerit, secundùm Ecclesiasticas regulas pœnitentiam agat, & reconciliationem, quantum Deus sibi concesserit, in ordine pœnitentiam expetat & expectet.* Cùm antiquissima lex expiandorum pœnitentia publica publicorum criminum à Tridentino Concilio innovata fuerit, operæ pretium fore duxi, si exequerer paucis, quo ea ritu peragi soleret, ætate media, nostrisque temporibus propiori. Nemo satis mirari potest sedulitatem illam de spiritali hac animarum medicina tractandi toties, sive in Capitulis Decanorum ruralium, sive in Archidiaconorum synodis, sive denique in Civitatensium conventu Presbyterorum, ad quos referebant omnia Decani Rurales, eisque ut *Magistris* assurgebant: denique in ipso Episcopi consilio.

Vetuit expressissimè idem Hincmarus, ne criminosorum, & pœnitentium publicorum munera illa Parochi acciperent: ne inde emollescerent indulgentiusque eos haberent, vel non monito de eorum flagitiis Episcopo, vel tardius monito, vel minus vigilando ut laboribus & macerationibus omnibus per Canones pœnitentiales præscriptis, ab illis satis fieret.

VIII. Confitetur alibi idem Hincmarus, difficillimè extricari hunc nodum, qua medendi arte erga eos abutendum sit, qui de publicis peccatis pœnitentia publica peracta, & altaribus reconciliati, in ea rursus impingunt, cùm tam inusitatum sit publicam iterari pœnitentiam, quàm baptismum. *Sicut unum est Baptisma, ita & una debet esse pœnitentia, quæ tamen publicè agitur.* Eò tandem redire res videtur ex Hincmaro, ut istiusmodi scelerosis, quandiu superstites essent, interdiceretur sacrum Eucharistiæ epulum, cùm eo frueretur nemo, nisi à peccatis absolutus & reconciliatus: sed urgente tandem mortis discrimine impertirentur Corporis Christi viatico; quanquam ne tum quidem satis liqueret quomodo Eucharistico pane abstergerentur gravia commissa, cum si convaluissent ex illo morbo, absolvi nunquam nisi per pœnitentiæ publicæ lamenta potuissent. *Et sunt in nostris Parochiis plurimi, qui post pœnitentiam & reconciliationem per manus impositionem, & post Communionem iterum labuntur, non solum semel, sed & secundò, & tertiò. Quomodo nobis de his faciendum sit, cùm sicut præmisimus, sine pœnitentia communionem non accipient; vel quomodo qui accipiunt Eucharistiam & sic moriuntur, absoluti erunt, qui non essent absoluti sine manus impositione, si superviverent.* Ergo rerum etiam sacrarum expertissimis Episcopis inextricabilis illa difficultas negotium facessebat, eaque forsan de causa adducti tandem sunt illi, ut publicas etiam pœnitentias iterari paterentur, præter eas quæ solennius agebantur, eoque Solennes etiam dictæ sunt, à publicis aliis pœnitentiis diversæ, & quæ solæ tandem id habuere proprium, ut iterari non possent. Tom.2.pag. 713. 730, 731. To 1 pag. 479.

IX. Verùm ad manum est alius Hincmari contextus, qui nos multa alia non minus egregia adoceat de pœnitentiæ publicæ disciplina. Hildeboldus Suessionensis Episcopus appetente mortis die, Confessionem suam generalem ad Episcopos complures misit litteris mandatam, expetiitque, ut & generalem sibi absolutionem scripto largirentur. Hincmarus eorum Episcoporum unus erat. Perdiu antè Alcuinus generalem peccatorum suorum absolutionem scripto sibi dari ab Adriano I. Papa postularat. *Presbyterum tuum ad me mittens breviculum confessionis tuæ mihi remisisti, petens ut absolutorias litteras sibi transmittam.* Verba sunt Epistolæ Adriani ad Alcuinum. Redeo ad Hincmarum, qui Hildeboldi Episcopi votis obsecutus, misit ad eum per Epist. 63.

eundem ipsum Presbyterum oleôm solenni ritu benedictum, ut eo ungeretur, omnque de omnibus erratis suis absolveretur, juxta antiquum Ecclesiarum ritum. Tit. 2. pag. 186. *Mutons manu mea, secutus majorum exempla in manu istius Presbyteri, oleum sanctificatum, ut etiam obsequio meo per ejus mentionem, Spiritus sancti gratia, qui est remissio omnium peccatorum, indulgentiam percipias omnium delictorum: consortium sanctorum Episcoporum.* Sed illud serió animadverti hic opus est, id consilii pio huic Episcopo ab Hincmaro insusurratum fuisse, ne generali hac confessione contentus esset, sed Deo Presbyteroque sigillatim confiteretur commissa omnia anteactæ vitæ suæ à teneris usque unguiculis: *Bonam tuam devotionem commoneo, ut præter istam generalem confessionem, quaque ab ineunte ætate, usque ad hanc, in qua nunc degis, te commisisse cognoscis, specialiter ac sigillatim Deo & Sacerdoti satagas confiteri.* Erant tunc ergò usu recepta duo Confessionum & absolutionum genera: erant enim aliæ generales confessiones, generalibus verbis expressæ, quæ minimè sufficiebant absque aliis, quæ particulares dicebantur, quòd singulorum flagitiorum enumeratione constarent. Porro istius generis videntur esse generales illæ confessiones & absolutiones, quarum usus multis adhuc in Ecclesiis compluribus residuus est, extrema Quadragesimæ hebdomada sacra.

X. Consignatus nobis est à Reginone libellus eorum, quæ Episcopus dum Ecclesias circumlustrat inquirere debet; An Parochi muneribus deliniti cessarint à commonefaciendo Episcopo, aut Vicario ejus aliquo de peccatoribus publicis, maximè de incestuosis. An pœnitentibus gratificati sint præter æquum, humaniori apud Episcopum de iis testimonio, ut mitiori pœnitentiæ subjicerentur; quò eos inclinare potuerit vel affinitas carnis, vel munerum contemplatio, vel amicitia, favorque. An Regino l. 3. c. 37. 38. 57. 291. quarta feria ante Quadragesimam Parochianos hortati sint ad confessionem peccatorum: & an pœnitentias illis præscripserint ex Canonum norma. *Non ex corde suo, sed sicut in Pœnitentiali scriptum est.* Refertur alibi ab eodem Reginone, eos qui pœnitentiæ stadium ingressi jam erant, aut ingredi meditabantur, offerre se Episcopo debuisse ad januas Ecclesiæ, sacco indutos, astantibus Decanis, vel Archipresbyteris, Parochisque, ut ab eo legem ordinemque acciperent peragendæ sibi pœnitentiæ. *Vbi adesse debent Decani, id est, Archipresbyteri Parochiarum, cum testibus, id est, Presbyteris pœnitentium, &c.* Denique docet nos Regino fideles omnes ea lege obligatos fuisse jam tum, ut semel saltem anno quolibet ineunte Quadragesima confiterentur. L. 2. c. 65. *Si aliquis ad confessionem non veniat, vel una vice in anno, id est in capite Quadragesima, & pœnitentiam pro peccatis suis suscipiat.* Erant ergo præter publicas pœnitentias occultæ tum confessiones, tum pœnitentiæ, quibus fideles omnes semel anno quovis ineunte Quadragesima astringebantur, ut confessione, jejunio, & oratione plurima conscientiæ sordes everterent, & Paschali se Communioni aptarent.

Capitular. Car. Mag. L. 5. c. 52. 54. XI. Hæc omnia disciplinæ capita rutilant non minùs splendidè in Caroli Magni Capitularibus: videlicet confessiones & pœnitentiæ, tum publicæ, tum occultæ; absolutiones similiter nunc occultæ, nunc publicæ; observatio religiosa Canonum Pœnitentialium; exigendæ impendæque pœnitentiæ necessitas: quæ illis etiam incumbebat, qui mortali ex aliqua ægritudine convaluerant, quanquam sacro Viatico jam pasti fuissent. *Pœnitentes qui in infirmitate Viaticum pœnitentia acceperint, non se credant absolutos sine manûs impositione, si supervixerint.* Necessitas certissima, ut ab Episcopo, vel illo annuente, à Presbytero manûs impositio fieret super capita Pœnitentium publicorum. Absolutio eorum Cap. 82. 60. 67. qui à fide Ecclesiæ descivverint, Episcopo reservata. Absolutiones solennes feria quinta Cœnæ Dominicæ: *Quinta feria ante Pascha eis remittendum Romana* L. 7. c. 143. *Ecclesia consuetudo demonstrat.* Necessaria indulgentia, ut occultis Pœnitentibus de occultis criminibus statim post confessionem absolutio concedatur; quod etiamnunc in usu est præter casus paucissimos, ubi indulgentia adeo non necessaria, ut magno potiùs detrimento foret. *Quia varia necessitate præpedimur,* L. 6. c. 203. *Canonum Statuta de reconciliandis Pœnitentibus pleniter observare, propterea non dimittatur omnino, ut unusquisque Presbyter jussione Episcopi de occultis tantum, quia de manifestis Episcopis semper convenit, judicet, & statim post acceptam confessionis pœnitentiam, singuli data oratione reconcilientur.* Accurata discussio scelerum omnium, earumque quibus ipsa gravantur scelera circumstantiarum: *Qualiter primo peccatum per-* L. 7. c. 294. *petratum sit, aut si postea iteratum, aut frequenter actum sit, si sponte, si coactè, aut per ebrietatem, aut per quodlibet ingenium factum sit, &c.* Cura salutis fratrum, necessitasque eorum crimina Episcopo vel Parocho detegendi, qui pœnitentiam refugiunt, ut convicti adigantur ad hanc subeundam, quamlibet amaram, at saluberrimam medicinam: *Omnibus Fi-* C. 302. *delibus notum fore desideramus, quod quorundam alienorum peccatorum conscii, nisi ea emendationis & salutis causa prodiderint, delinquant.* Sed illud præ cæteris subinde inculcant Capitularia, ut ex præscripto Canonum pœnitentiæ definiantur. Eo stimulati sunt nonnulli ejus ævi Episcopi, castioris disciplinæ amantiores, ut vel suo ipsi studio contexerent, vel à viris doctis passque contexi curarent & elimari compilationem Canonum ac Decretorum sanctorum Patrum, qua ceu regula regerentur, qui confessionibus audiendis, vel pœnitentiis injungendis operam suam dicabant: ne in devia agerentur periculosa multitudine librorum pœnitentialium, quorum incerti authores, certi errores, ad alendam sub pœnitentiæ obtentu impœnitentiam. Paucissima hæc verba referam ex Epistola Ebbonis Archiepiscopi Remensis, ad excitandum Halitgarium Episcopum Cameracensem, ut sex libros elucubraret illos, qui hac de re ejus nomine evulgati sunt, *De remediis peccatorum, & ordine vel judiciis pœnitentiæ.* Verba ejus Epistolæ ita habent: *Et hoc est quod in* Flodoar. Hist. Rem. L. 2. c. 17. *hac re valde me sollicitat, quoniam ita confusa sunt judicia Pœnitentium in Presbyterorum nostrorum opusculis, atque diversa, & inter se discrepantia, & nullius authoritate suffulta, ut vix propter dissonantiam possint dissolvi.*

XII. Tumultuaria illa congeries Librorum Pœ- De Instit. Laical. L. 1. c. 10. nitentialium, cui accedebat mira in Parochis sacrarum rerum imperitia, publicæ pœnitentiæ obfuit mirum in modum, eique vel extinguendæ, vel obscurandæ, vel magna ex parte truncandæ viam munivit. Amarulentè expostulabat Jonas Episcopus Aurelianensis, rarissimos jam esse pœnitentes publicos; jam non cogi eos, ut vanitatibus & dignitatibus sæcularibus nuntium remitterent; jam non abigi eos à fidelium contubernio & congressu: non cilicia, non cineres jam illis familiares esse: homicidas ipsos humano sanguine adhuc madentes inserere se passim fidelium innocuo gregi; denique

stupere & vehementer perturbari Ecclesiam, quòd jam impunè à plerisque excuteretur inconcussa illa lex expiandæ publica pœnitentia & satisfactione, infamiæ publicæ gravissimorum flagitiorum. *Perrari sunt hodie qui talem agant pœnitentiam, qualem antiquorum pœnitentium exempla & authoritas Canonica sancit. Quis cingulum militiæ deponit, & à liminibus Ecclesiæ arcetur? Quis in cinere & cilicio, &c. Nunc in cœtu Christiano idcirco vix Pœnitens agnoscitur, &c. Idcirco à multis diversa flagitia perpetrantur audacter, &c.* Cùm hæc scripserit Jonas de publicis sceleribus, non potest quisquam inficiari, quin publica flagitia publica etiam resipiscentia elui debeant. *Hæc non de occultis, sed de manifestis criminibus dicta sunt, quæ dum publicè admittuntur, publica pœnitentia satisfactione diluantur necesse est.* Et infrà: *Liquet quia de capitalibus manifestisque peccatis publica sit irretractabiliter agenda pœnitentia.* Denique dolet Jonas vehementer eorum vicem, qui stupenda cæcitate, cum gravissimis mortiferisque animarum suarum vulneribus medicos quærerent, imperitissimos quosque & ignavissimos quærebant, eos nimirum Confessarios, qui fucum facerent, non medicinam, lenibusque, sed inutilibus medicamentis, vulnera tegerent, non sanarent. *Quidam imperitos animarum suarum medicos expetunt, ut sibi ad votum suum pœnitentiæ tempora imponant; & peritos idcirco declinant, ne austerius pœnitentiæ eos addicant.*

XIII. Non abs re erit & illud quoque ex eodem Jona adjicere, non tantùm Presbytero aperienda esse commissa, de quibus per pœnitentiam ab eo definitam Deo satisfiat: sed leviores quoque culpas visum esse perdiu mutua confessione inter fideles laïcos nudandas & cum mœrore animi excusandas, ut faciliùs condonarentur. Quanquam enim hæc humilis & voluntaria culparum confessio ferè usitata non esset jam tum tempore Jonæ, uti ne nunc quidem omnino est nisi inter Monachos Clericosque, arctiori pietatis & religionis legi astrictos: longè usitatissima tamen olim erat inter fideles quoscumque etiam laicos, eamque videntur sacræ ipsæ litteræ omnibus prorsus & promiscuè commendare. *Moris est Ecclesiæ de gravioribus peccatis Sacerdotibus, per quos homines Deo reconciliantur, confessionem facere: de quotidianis verò & levibus quibusque perrari sunt, qui invicem confessionem faciant, exceptis Monachis, qui id quotidie faciunt. Quòd verò de levibus & quotidianis peccatis confessio mutua fieri debeat, sequentia manifestant. Jacobus Apostolus ait, Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini. Hunc locum Beda Venerabilis Presbyter ita exponit. In hac sententia illa debet esse discretio, ut quotidiana leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteantur, eorumque quotidiana credamus oratione salvari. Porro gravioris lepræ immunditiam juxta legem Sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium qualiter & quanto tempore jusserit, purificare curemus.* (Ibid. c. 16.) Hîc accumulat Jonas complura sanctorum Patrum suffragia, ex quibus illud quoque exprimit, Ut quotidianæ sunt leviusculæ istiusmodi offensæ, ita & quotidianas adhiberi debere earum per confessionem medicinas. *His documentis colligi potest, quod sicut quotidie in multis offendimus, ita quotidie de admissis confessionem alterutrum facere, & orationibus, eleemosynis, humilitate, & contritione mentis & corporis ea debemus purgare.*

Hinc emergit, 1. Antiquitate etiam sua commendari illas, ut vocant, humiliationes, prostrationesque, quæ à Monachis aliisque religiosis viris frequentantur: cùm inter ipsa Ecclesiæ cunabula usitatæ fuerint. 2. Usitatas etiam inter laicos fideles fuisse. 3. Immo inter fideles laïcos priùs, quàm inter Monachos, quibus id laudi sanè est, aurei Ecclesiæ sæculi fidelium pietatem imitari & retinere, ne penitus ex orbe Christiano exulet & oblitteretur. 4. Perantiquum etiam usum esse frequentium illarum confessionum, quibus viri sanctitatis & innocentiæ laude clarissimi, leviusculas etiam culpas suas Presbytero retegunt. Confessionum *frequentium* usum hujusmodi perantiquum dixi, nam confessiones ejusdem generis jam inde ab exordio Ecclesiæ, quanquam rariores erant, erant tamen. Jonas enim & Beda apertissimè dicunt, gravia quidem peccata Presbyteri auribus committenda esse, sed leviores culpas fidelibus omnibus coram profitendas ex præcepto Jacobi Apostoli; utque quotidianæ incursionis sunt hæc errata, ita & quotidianis confessionibus istiusmodi esse eluenda. Non abhorret ergo à veri similitudine, has quotidianas seu frequentissimas confessiones apud Presbyteros fieri tunc cœpisse, quando refrigescens fidelium pietas, his inter ipsos humilitatis documentis offendi magis poterat, quàm ædificari.

XIV. Ejus rei probationem non levem ex Crodogango Metensi Episcopo eliciemus. Ea quippe Regula, quam ille Canonicis temperavit, jubet ut occultissimas quasque tentationes suggestionesque diaboli Episcopo denudent, aut Priori suo: cùm ita confiteri invicem præceperit Jacobus Apostolus. *Confitemini alterutrum peccata vestra, &c. Deinceps cùm aliqua cogitatio mala in cor, suadente diabolo, venerit, cito Episcopo, vel Priori confiteatur, ut per veram confessionem & pœnitentiam regnum Dei habere mereatur.* (Cap. 31.)

Hæc pia disciplinæ novitas duplex commodum invehebat. 1. Operosum est non rarò lethalia commissa à venialibus secernere: tutissimum autem est & religiosissimum in re tam lubrica, non proprio quemque, sed Pastoris sui lumine & judicio regi. 2. Preces Sacerdotum incomparabiliter plus habent virium ad abstergendos id genus nævos, quàm laïcorum. Accedebat & absolutio, quæ ab ore Presbyteri ubi proficiscebatur, efficacior utique erat, quàm illa, quæ à laïcis simpliciùs quàm efficaciùs fundebatur. His rationum momentis adducti sunt laïci, maximè pii & exortes scelerum, frequentissimè ut Presbyteris confiterentur; ignaviores, uter anno saltem confiterentur: Regulares denique ut qualibet semel hebdomada. Accipe verba ipsa Crodogangi: *Hæc est ratio pœnitentiæ & confessionis nostræ, quæ coram Deo & Sacerdotibus ejus à nobis pariter agendæ sunt, id est, in unoquoque anno tribus vicibus, id est, in tribus quadragesimis suam confessionem suo Sacerdoti faciat, & qui plus fecerit, melius facit. Monachi in unoquoque Sabbato confessionem faciant, cum bona voluntate, Episcopo aut Priori suo.* (Cap. 32.)

Denique quantumvis in sui temporis mores & in pœnitentiæ canonicæ interpolatores invehatur Jonas; emersit Capitulare Attonis Vercellensis Episcopi, quo subjiciuntur Pœnitentes antiquissimis & austerissimis Pœnitentium legibus, ut ne negotio cuicumque se implicent, quamcumque innoxio in speciem; ne militiæ, ne sæculi dignitatibus inscribantur, ne lites agitent, nisi coram Judice Ecclesiastico, ad cujus Tribunal non tam litigatur, quàm pax & concordia resarcitur. (Cap. 93. Spicil. To. 8. p. 34.)

## CAPUT. XII. *P. 3. l. 1. c. 15.*

### Continuatur idem argumentum. De Ministris Sacramenti Pœnitentiæ, maximè de Regularibus, sub Imperio Caroli Magni, & Regiæ ejus prosapiæ.

*I. Constitutiones Synodales variæ, quibus Parochi coarctantur ad pœnitentiam dispensandam occultorum tantùm criminum: publicarum administratio Episcopis reservatur.*

*II. Conciliorum statuta varia in eandem rem, de Ministris pœnitentiæ publicæ & occultæ.*

*III. Exordia rixarum Episcopos inter & Monachos super administratione pœnitentiæ.*

*IV. Flagrantia laïcorum studia, imò & Clericorum, ut Monachis potius confiterentur. Clementia Monachorum & indulgentia major in pœnitentes.*

*V. Rationes aliæ, quæ ad Monachos potiùs pœnitentium turbas allicerent. Monachorum vita longè sanctior. Necessitas ut semel, vel ter laïci singuli quotannis confiterentur.*

*VI. Suum sibi quisque Confessorem tunc quidem habebat, omnque ex Monachis, etiam inter Græcos.*

*VII. Cognata Disciplina Græcâ cum Latina.*

*VIII. Potestas Episcoporum, ad mitigandum rigorem Canonum.*

*IX. Apud Græcos nonnunquam confessiones excipiebant Abbates & Monachi, etiam aliquando qui Presbyteratu initiati non erant. Id tandem proscriptum.*

*X. Monachi ad Presbyteratum evecti, non poterant tamen nisi permittente Episcopo Confessiones audire.*

*XI. In Oriente cum Presbyteri plerique vinculis conjugii implicati essent, penè necesse erat, ut Confessiones apud Monachos fierent.*

*XII. Religio & vigor Græcorum in pœnitentiis ad amussim Canonum exigendis.*

*XIII. Episcopi Monachis præscribebant regulas in dispensatione pœnitentiarum observandas.*

*XIV. Dispensandi non temeritas, sed sapientia, charitati & Canonibus obsequebatur.*

*XV. Novis argumentis ostenditur in Oriente Monachos ordinarios fuisse Ministros pœnitentiæ. Quin & Abbatissæ nonnunquam invadebant in aliquas hujus muneris functiones.*

*XVI. Debita Monachis Orientalis Ecclesiæ Canonum pœnitentialium observantiam, eadèmque, apud eos intemeratam.*

*XVII. Animadvertuntur aliqua in illegitimam Abbatissarum licentiam, quæ Monialium confessiones audiebant.*

I. Superiori Capite id nobis propositum fuit, ut ea seligeremus ex infinita quadam antiquioris aut mediæ disciplinæ opulentia, quæ nostro etiam hoc ævo usui esse possent, ad trutinandas regendasque pœnitentias & confessiones. Supersunt aliqua ejusdem ætatis mediæ observanda capita perutilia circa Ministros hujus Sacramenti, Episcopos, Parochos, Monachosque. Idem ipse Vercellensis Episcopus Atto, de quo pauló antè, confirmat rursus Parochorum id fuisse muneris, ut peccatores, qui publicis sceleribus se contaminaverant, explorarent, ad pœnitentiam publicam hortarentur, totum Episcopo significarent; nec ipsi quidquam per sese tentarent, nisi mortis extremo discrimine conflictaretur reus, & ne tunc quidem nisi permittente Episcopo, vel si Episcopus abesset,
Cap. 90. Capitulo. *Quòd si defuerit, Cardinalibus primæ Sedis interim suggeratur.*

Capitulare Ahyton. c. 18. Ahyto Episcopus Basileensis Diœcesanis suis Romanum ad iter sacramque peregrinationem se accingentibus, præcipiebat, ut antè proprio confiterentur Parocho; quòd solvi vel ligari eos æquum est à Pastore proprio, sive Episcopo, sive Parocho
Spicil. To. 6. pag. 696. proprio, non ab extraneo: *Et hoc omnibus fidelibus denuntiandum, ut qui causâ orationis ad limina beatorum Apostolorum pergere cupiunt, domi confiteantur peccata sua, & sic proficiscantur. Quia à proprio Episcopo suo aut Sacerdote ligandi aut absolvendi sunt, non ab extraneo.*

Ratherius Episcopus Veronensis Parochos suos Spicil. To. 2. commonebat, eorum vim ac potestatem ad occulta Pag. 265. crimina dijudicanda esse circumscriptam publicorum causam & veniam Episcopo servandam integram esse. *De occultis peccatis pœnitentiam vos dare posse* Cap. 36. *scitote, de publicis ad nos referendum agnoscite.* Liber de Officiis Divinis, qui Alcuino adscribitur, potestatem absolvendi à peccatis ideo non recenset inter illa quorum jus habent Presbyteri, quia de publica tantùm pœnitentia verba facit; at Episcopo uni addicit absolutionem illam solemnem & publicam, quæ fit in die Cœnæ Dominicæ: *Episcopi ha-* L. 1. c. 295. *bent potestatem ligandi, atque solvendi. Per ipsos quo-* 296. *que publica populi absolutio in die Cœnæ Domini solemni more peragitur.* At contrà Regino absolvendi potestatem Episcopis Presbyterisque promiscuè communicat, quia de peccatis indiscriminatim agit. Vult etiam ut per eorum absentiam Diaconus, qui absolvere non potest quenquam, impertiat Eucharistiæ viatico eos, qui in extremo versantur vitæ discrimine. *Si autem necessitas evenerit, & Presbyter non fuerit præsens, Diaconus suscipiat pœnitentem ad sanctam Communionem.* Ita interpretandi sunt Patres Canonesque, qui pœnitentium animam agentium reconciliationem demandant Diaconis, si Episcopi Presbyterique absint.

II. Concilium Ticinense anni 850. potestatem dimittendi peccata etiam secreta vendicare videtur iis unis, quos Episcopi Archipresbyterique censuerint tanto muneri pares. Cum enim mandasset Archipresbyteris, ut omnes invitarent ad publicam pœnitentiam, qui publici sceleris conscientia gravarentur, accedit postea ad occulta peccata. *Qui verò occultè deliquerunt, illis confiteantur, quos Episcopi & plebium Archipresbyteri idoneos ad secretiora vulnera mentium medicos elegerint.* Addit hæc Synodus, siquam in difficultatem incurrant Presbyteri, qua expedire se non possint, adeundum ipsis esse Episcopum: qui ipse si hæreat in eo dubio, percontabitur duos tresve alios Episcopos, vel Metropolitanum, vel Synodum denique Provincialem, in causis perplexioribus, eorum maximè criminum, quæ gravissimo fuerint scandalo. *Siquidem diffamatum certa persona scelus est, Metropolitani & Provincialis Synodi palam sententia requiratur.*

Prohibet hæc eadem Synodus, ne Parochi pœnitentes publicos reconcilient, nisi dum in extremis agunt; quia plenitudo Spiritus sancti & summa potestas clavium Apostolis primùm à Christo concessa est, hoc est Episcopis: *Sicut nec chrisma-* Can. 7. *tis confectio, vel puellarum consecratio, ita nec pœnitentium reconciliatio ullatenus à Presbyteris fieri debuit, quia solis Episcopis Apostolorum vicem tenentibus, per manus impositionem specialiter in Ecclesia conceditur, quod tunc Apostolis ad ipsos Domino dicente concessum est, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Aquisgranense Concilium anni 816. Presbyteris An. 816. adire in Monasteria Monialium non permittit, nisi Can. 27. brevi illo tempore, quo opus est ad celebrandam Missam: si confiteri enim velint, in Ecclesia id fieri debere: *Si, quæ igitur peccata sua Sacerdoti confiteri voluerit, id in Ecclesia faciat, ut ab aliis videatur, sicut in dictis sanctorum Patrum continetur, exceptis infirmis, quibus in domibus id facere necesse est.*

Concilium Parisiense VI. anni [illegible]9. vetat, ne An. 819.

Ti

c. 29. Episcopi Parochos suis Ecclesiis adesse jubeant, ne interim Parochianorum aliquis Confessionis aut Baptismi expers è vita migret. *Ne homines sine Confessione, & infantes sine baptismatis regeneratione moriantur.*

Can. 32. Hæc eadem Synodus proscriptis Pœnitentialibus libris, qui à Canonum sanctimonia & rigore deflectebant: *Codicillis contra Canonicam authoritatem scriptis, quos Pœnitentiales vocant:* Episcopis ipsis id imponit oneris, ut Presbyteris illam instillent Canonum doctrinam castissimam, quam in definiendis pœnitentiis tutò sequantur. *Presbyteri etiam imperiti solerti studio ab Episcopis suis instruendi sunt, qualiter & confitentium peccata discretè inquirere, eisque congruum modum secundùm canonicam authoritatem pœnitentiæ noverint imponere.*

Anno 845. Denique Meldense Concilium anni 845. Chore-
Can. 44. piscopos ipsos prohibet in administrando Pœnitentiæ Sacramento prætergredi eos limites, qui ab Episcopis fuerint ipsis circumscripti. *Impositioni autem pœnitentiæ aut pœnitentium reconciliationi per Parochiam, secundùm mandatum Episcopi sui inserviat.*

Ex hac Canonum coacervatione liquet. 1. Presbyteros fuisse Ministros Pœnitentiæ Sacramenti ordinarios, ad occulta crimina eluenda. 2. Criminum publicorum curationem per pœnitentiæ publicæ labores, Episcopos sibi servasse, ut ministerii sui propriam. 3. Hanc reservationem & criminum & pœnitentiarum non ita interpretandam, quasi arctiores in angustias redacta tum fuisset potestas Presbyterorum priùs effusior: sed quòd statim in ipsa eorum creatione vel delegatione communicata eis non fuerit, nisi pars aliqua, ceu rivulus ejus plenitudinis atque ubertatis Spiritûs sancti, qua soli primùm donati fuerant Apostoli, ab ipsis in Episcopos transfundenda. Prioribus enim Ecclesiæ nascentis vel pubescentis sæculis nihilo largior, immo & aliquantò forsan angustior fuerat Presbyteris libertas concessa: cùm nihil tunc discriminis esset publica inter & occulta peccata, & utrisque perinde publica infligeretur pœnitentia, ordinario jure ab Episcopis administranda. Ea verissima ratio est tuendæ in reservatione casuum Ecclesiasticæ disciplinæ. 4. Urgente morbi imminentisque mortis necessitate, Presbyteri Pœnitentes publicos reconciliabant, & à casibus reservatis absolvebant: sed ea indicebatur conditio, ut si pristinas vires recepissent, ad Episcopos remitterentur. 5. Id vero argumento est, quanquam Episcopi potestatem Presbyterorum in remittendis peccatis coarctent, sive ad certa crimina, sive ad certas personas: eam coarctationem esse exercitii & usûs magis quàm potestatis, quæ ipsi quodammodo adnata est Presbyterorum ordinationi. 6. Sed & id liquet rursus, quanquam remittendorum peccatorum potestas inserta & adnata quodammodo sit ordinationi Presbyterorum: disciplinæ tamen vi ac rigore ita eam ab ipsis usque exordiis Ecclesiæ intra certos cancellos cohibitam fuisse, ut expatiari ultra non potuerit, & irrita fuerit absolutio seu criminum Episcopo reservatorum, seu personarum ab Episcopo Presbyteris non subditarum. Quod qui suspicantur posterioribus Ecclesiæ sæculis innovatum fuisse, næ illi allucinantur vehementer, & hospites se ac peregrinos omnino produnt in antiquorum Conciliorum Canonumque disciplina.

III. Cœperant Monachi confessiones excipere Monialium, adeoque & laïcorum. Hunc abusum confixit eadem Synodus Parisiensis VI. nec indulsit Monachis, nisi sui Monasterii gregalium confessiones. Clerici tamen ipsi non raró Monachis malebant conscientiam suam & nudare & committere; ab eis pœnitentias accipere & absolvi. Quod cùm ita compertum esset, jam non poterant non & laici turmatim ad pedes Monachorum advolvi, & peccata confiteri, salutisque consilia flagitare. Displicuere hæc omnia Parisiensis hujus Concilii Patribus, qui exertè pronuntiarunt, non posse à Monachis absolvi, nisi proprii Monasterii Mona- Ann. 829.
chos. *Si Sacerdotibus Sanctimoniales peccata sua confi-* c. 46. *teri voluerint, id nonnisi in Ecclesia coram sancto altari, astantibus haud procul testibus faciant. Nullo modo quippe videtur nobis convenire, ut Monachus relicto Monasterio suo, idcirco Sanctimonialium Monasteria adeat, ut confitentibus peccata sua modum pœnitentiæ imponat. Nec etiam illud videtur nobis congruum, ut Clerici & laici Episcoporum & Presbyterorum Canonicorum judicia declinantes; Monasteria Monachorum expetant, ut ibi Sacerdotibus Monachis confessionem peccatorum suorum faciant; præsertim cùm eisdem Sacerdotibus Monachis id facere fas non sit, exceptis his duntaxat, qui sub Monastico Ordine secum in Monasteriis degunt. Illis namque est confessio peccatorum facienda, à quibus subinde & modus pœnitentiæ, & consilium salutis capiatur, & à quibus post tempora pœnitentiæ peracta, secundùm canonicam institutionem, si Episcopus jusserit, reconciliatio mereatur.*

Hinc initium duxere diuturna illa posthac jurgia Episcopos seu Parochos inter & Monachos. Nullus autem residuus dubitandi locus, quin potuerint Episcopi irritas decernere Monachorum absolutiones, factasque apud eos confessiones: cùm pauló antè declaratum sit à nobis eadem potestate armatos fuisse Episcopos in omnes prorsus Presbyteros: ut illis quas liberet, immo quas ex usu esset Ecclesiæ lineas designarent, ultra quas irrita caderent eorum conamina.

IV. Illud hoc Concilio innititur, ad Presbyteros Ordinis Monastici non raró declinasse Clericos, laïcosque nonnullos; ad Canonum censuram vitandam, quàm austeriùs exercebant Episcopi Parochique. *Episcoporum aut Presbyterorum Canonicorum judicia declinantes.* Non abludit à vero, Monachos majore fuisse in Pœnitentes clementia, cùm Joannes de Paris in suo Memoriali Historiarum referat sanctum Odilonem Abbatem V. Cluniacensem obtrectantibus quibusdam damnantibusque nimiam ejus indulgentiam, respondisse, malle se clementiæ nimiæ, quàm sævitiæ insimulari. *Ipseque cùm reprehenderetur ex eo, quòd in Pœnitentes misericordior justo esse videretur, respondit, Si damnandus sim, malo damnari de misericordia, quàm de duritia vel crudelitate.*

Juvit hoc exemplum viri sanctissimi hîc retulisse, ut addocerem, non semper vel ex imperitia Canonum, vel ex socordia & mollitie profectum esse, vel ex cupiditate eorum qui Confessiones audiebant, si indulgentia nimia peccare visi sint aliis disciplinæ tenacioribus. Odilonis quippe vita & fama supra invidiam, supra calumnias obtrectantium, & vel suspicionibus istis inaccessa est. Sed quacumque demum ex causa proficiscerentur hæc Monachorum Presbyterorum effusior indulgentia, numerosas ea pœnitentium catervas ad eorum pedes adgregabat. Quod magis mirere, scripsit vitam ejusdem Odilonis Petrus Damiani, & hanc ejus indulgentiam non tacuit; nec id tamen sibi sumpsit, eam ut vel levissimè carperet: quanquam ipse inflexibili quadam austeritate fuerit in pœnitentiis juxta Canones, vel forsan

etiam aliquando ultra Canones intendendis. Ex quo illud & egregium & cum primis utile documentum eliciendum nobis est, amatores austerioris disciplinæ modum sibi quendam & ipsos ponere debere, nec in eos semper invehi, quorum administratio etsi mitior, non supina tamen est: nec blanditur impœnitentibus, etsi pœnitentibus clementiùs consulat. Hæc sunt porro Petri Damiani verba: *In promulgandis porro judiciis ac modis pœnitentiæ præfigendis, tam pius erat, & tanta mœrentibus humanitate compatiens, ut nequaquam districtum Patris imperium, sed maternum potius exhiberet affectum. Unde se reprehendentibus, hujusmodi verbis, solebat eleganter alludere. Etiamsi damnandus sim, inquit, malo tamen de misericordia, quàm ex duritia vel crudelitate damnari.*

V. Sed præter hæc indulgentiæ lenocinia, erant aliæ causæ duæ, quæ fideles incitarent, ut in Monasteriis maximè medicos spiritales sibi venarentur. Prima est perillustris Monachorum quorundam sanctitas. Altera est laudatissima jam tum consuetudo, ut suum quisque sibi proprium haberet Confessorem patremque spiritualem. Nec enim fieri poterat, ut unusquisque fidelium proprium sibi deligeret vitæ spiritalis ducem in paucissimis illis Parochiarum Presbyteris. Non satis mihi liquet, an de Confessoribus istis capi debeat, quod legitur in vita sanctissimi martyris Cordubensis Eulogii; nempe persecutores insectatos esse *Confessores, Sacerdotes, Devotos.* Sed illud indubium est, cùm tenerentur fideles omnes ter anno quolibet confiteri, juxta Crodogangum: aut semel saltem juxta Reginonem, ineunte scilicet Quadragesima: *Si aliquis ad Confessionem non venit, vel una vice in anno, id est in capite Quadragesimæ, & pœnitentiam pro peccatis suis suscipiat;* fieri neutiquam potuisse, ut Parochi, vel Presbyteri sæculares tam pauci tantæ fidelium multitudinis confessiones exciperent. Itaque ad Monachos tum divertere penè necesse erat.

Surius die 11 Martii c. 15.

L. 2. c. 65.

Rursus autem suum cuique Confessorem fuisse prodit Hincmarus Remensis Archiepiscopus, ubi loquentem inducens in una Epistolarum suarum Stephanum illum, cujus conjugium tot jurgiorum litiumque seminarium fuit, adhibitum ab eo 10 consilium commemorat Confessorem suum. *In me reversus, & sciens quid fecerim, ad Confessorem meum perrexi, & consilium ejus quæsivi, &c. Qui ostendit mihi librum, quem ut spero Canones appellavit, & legit coram me,. quoniam. &c.* Bertoldus eodem referente Hincmaro, morbi vi oppressus, ocissimè statim Confessorem suum expetiit. *Ut quantocius currerent, & Confessorem suum velociter ad se venire rogarent.*

Tom 2. pag. 643.

Ibid pag. 809.

VI. Nec minùs altas apud Græcos radices egerat hæc consuetudo, ut suum sibi quisque deligeret spiritalem Medicum & Confessorem, & ex monastico potius ordine, quàm ex Clero deligeret. Octavæ Synodi Actione ix. Theodorus Protospatharius palam profitetur, perjurio se peccasse adversus Ignatium Patriarcham, sed illud se confessum esse Monacho sanctissimo, qui annos quadraginta transegerat in Columna, ab omni hominum contubernio segregatus; haud sibi compertum esse, an Presbyterii ordinationem assecutus esset; sed Abbatem certè fuisse, & ab eo impositam sibi sceleris pœnitentiam. *Chartularius erat, & tonsus est, & fecit in columna quadraginta annos; si Sacerdos erat, nescio, sed Abbas erat, & habebam fidem in hominem.* Indubitatissimum est, si Monachus iste quantavis floreret sanctitate, Presbyter non erat, non potuisse ob eo absolvi pœnitentem.

Extant apud Balsamonem Responsa Synodi cujusdam Constantinopolitanæ sub Patriarcha Nicolao, & sub Imperatore Alexio Comneno habitæ, ad interrogationes quorundam Monachorum, quas inter hæc ad rem nostram facit: An observari deberet Collectio Canonum à Patriarcha Joanne Jejunatore concinnata, ad Pœnitentiarum definitiones: *An oporteat ut vult Canonicum Jejunatoris Canonicè se gerere?* Responsum autem à Synodo libelli hujus Pœnitentialis mollitiem & remissionem multis exitio fuisse. *Hoc jus Canonicum Jejunatoris, nimia indulgentia usum multos perdidit.* Quibus Balsamon hæc subtexit suo ex ingenio: *Videmus ergo quod permulti ex Monachis, qui hominum peccatorum confessiones audiunt, cum eo jure canonico se canonicè gerunt.*

VII. Hinc porro multa eliciuntur. 1. Orientales Monachos audiendis Confessionibus deditissimos fuisse. 2. Eos in rebus dubiis percontari solitos Ecclesiasticæ veritatis oracula, Synodos, Episcoposque. 3. Fuisse in Oriente, perinde ut in Occidente libellos pœnitentiales ad indulgentiam nimiam & ad mollitiem, ideoque ad animarum perniciem compositos. 4. Ex Monachis non paucos his se libellis accommodasse: at non paucos ex adverso maluisse ab Episcopis addiscere certissimas operosissimæ hujus animarum curæ regulas. 5. Auctores laxioris hujus doctrinæ mollioris que disciplinæ duces eos esse nonnunquam, qui austerioris ipsimet sanctimoniæ, & asperioris pœnitentiæ sectatores sunt, qualis hic Joannes Jejunator.

VIII. Constat tamen aliunde apud eundem Balsamonem, Concilia eam Episcopis facultatem concessisse, ut rigori Canonum & pœnitentiarum moderarentur, mitiusque ipsi aliquid consulerent: non in eos tantùm, qui charitatis æstu & invicta laborum patientia id consequebantur, ut tempus pœnitentiæ contraheretur: sed in eos etiam, qui ignavia & torpore animi impatientes erant austerioris illius disciplinæ, resilissentque nisi de canonicis pœnitentiis indultum sibi aliquid esset. Hinc ille argumentatur, peritos esse debere Confessarios, non solùm Canonum, sed etiam Consuetudinum, quibus Canones quandoque mitigantur: & his uti temperamentis erga eos, qui rigore efferarentur magis quàm frangerentur, aut resipiscerent. En verba ipsa Canonis ultimi Trullanæ Synodi. *Nos enim utraque scire oportet; & quæ sunt summi juris, & quæ sunt consuetudinis: τὰ τῆς ἀκριβείας, καὶ τὰ τῆς συνηθείας. In iis autem qui extrema non admittunt, sequi formam traditam, quemadmodum sanctus nos docet Basilius.* Non abs re autem observatum est à Balsamone, legisse nonnullos τὰ τῆς συμπαθείας: horum verborum loco τὰ τῆς συνηθείας. Quòd hæ consuetudines mitiores semper sint, & ad hominum infirmitatem & patientiam accommodatæ.

In Can. 102. C. in Trullo.

IX. Cæterùm quod ad Abbates spectat, observat idem Balsamon, eos concessione Episcoporum, à quibus ordinati erant Presbyteri, confessionibus audiendis vacasse, non Monachorum dumtaxat, sed sæcularium etiam: qua potestate fungi non poterant, nisi Presbyteri antè ordinati fuissent: etsi nonnulli sacræ hujus ordinationis expertes, in has inaccessi sibi ministerii functiones invaderent. *Nota quod qui sine Episcopali permissione hominum confessiones excipiunt sacrati Monachi, malè faciunt, multò autem magis non sacrati. Ii enim nec cum permissu*

In Can. 7. Synodi 7.

In Can. 6. Synodi Carthag. *sione Episcopi possunt tale quidquam exercere.* Itaque synodicè aliquando declaratum est ex Balsamone, non posse nisi Presbyterum ejus Abbatem eligi Monasterii, cujus Constitutiones id sanciunt, ut Abbas suorum excipiat Confessiones. Erant enim complura Monasteria, quorum Abbates ad Presbyterii ordinationem nunquam accederent: & his pariter que ut Monasteriorum Superioribus interdictum erat munus audiendarum confessionum ex eodem ipso Balsamone.

X. Illud quoque ibidem suggerit idem Balsamon, si per Carthaginenses Canones non licet Presbytero reconciliare pœnitentem gravi ex morbo decumbentem, nisi permittente Episcopo; multò minus poterit quisquam audire confessiones valentium, injussu Episcopi: *Non potest Sacerdos eum reconciliare, sed debet interrogare Episcopum, qui obtinet locum Apostoli, & accepit à Deo potestatem ligandi & solvendi, & cum ejus permissione facere reconciliationem, &c. Si ergo nec extremam quidem reconciliationem dat Sacerdos absque Episcopali permissione, ut qui non habeat facultatem ligandi & solvendi, multò magis nec sani confessionem accipiet.* Addit denique Balsamon à Patriarcha Michaele constitutum esse, ut qui injussu Episcopi Confessiones audirent Presbyteri, facto ministerio exauthorarentur.

Supplem. pag. 1123. Itaque tùm omnes promiscuè Presbyteri Episcoporum permissione & authoritate muniendi essent, ut confessiones audirent; ea facultas nunquam Monachis Presbyteris denegabatur, cùm idem Balsamon affirmet, ad solos Monastici Ordinis Presbyteros convolasse turmatim laicos Orientales, ut confessione conscientiam mundarent. Ita permolesto onere levabantur Episcopi Presbyterique Ecclesiarum; at eo non sine fastidio, saltem non sine periculo Monasteria sola gravabantur. Quod verò ait Balsamon ad hanc sanctimoniæ famam fucata diu & personata pietate Monachos pertigisse, id facilè crediderim vel intemperantia zeli, vel carnali quodam affectu ab eo dictum fuisse, *Hominum autem confessiones non suscipere Sacerdotes, sed solos Monachos Sacerdotes, iniquum est. Puto autem quod ex hypocrisi hoc ab eis usurpatum sit. Et propterea tardè omnino, nolo enim dicere nullo modo, quis Episcopo vel Sacerdoti, qui non sit Monachus, suam confessionem credit, quod quidem Sacerdotibus & Episcopis est beatissimum, Monachis autem periculosissimum.* Non poterat non explorata fuisse Balsamoni hujus vitii antidotus, cùm addat ibidem dignioribus delegandas esse potestatis claves. Hinc enim illud efficitur, ad Parochos reliquosque Cleri Presbyteros convolaturam brevi multitudinem plebis, ubi primum hanc illi, eandem qua Monachi florent, vitæ innocentiam æmulabuntur.

XI. Fieri enim vix aut nec vix poterat in Oriente, ut Presbyteri sæculares, sive ut castiùs loquar cum Petro Damiani suprà laudato, Presbyteri Canonici, conjugii nexibus impliciti, familiæque distenti regimine cùm essent, ita plebibus & admirationi essent & amori, ut proni & lubentes animi sua arcana eis omnia, & gravia quæque commissa aperirent. Itaque Zonaras in Patrum spiritualium numero non recenset, nisi Patriarcham, Episcopos, Monachosque; quando eos remissionis & indulgentiæ nimiæ insimulat erga laicos prolixioris capillitii

In Can. Trullan. 96. cura inanissima ineptientes. *Non Patriarcha, non alii Præsules, non Monachi demum, quos Parentum spiritualium loco, tam insigniter inverecundi homines habere se profitentur, non quisquam omnino est, qui hac prohibeat.*

XII. Narrat Harmenopulus in Epitome Canonum, mulierem voluntarii homicidii reum, leviore pœnitentia perfunctum, & brevi, ita ab Episcopo suo absolutum fuisse quidem illum: at mox habita Synodo sub Patriarcha Luca remissum fuisse ad canonicarum pœnitentiarum curriculum: Episcopum autem ab officio suspensum fuisse, diligenter admonitum, etsi Canones potestatem faciant Episcopo temperandi aliquid demendique ex rigore pœnarum provida & modesta indulgentia: non tamen per eos fas esse assentatoriis delinimentis emollire vim atque enervare prorsus vigorem disciplinæ. *Non tamen ut citra explorationem, & nimia commiseratione utrentur.* Testatum etiam facit à Patriarcha Nicolao censoria hac nota inustum fuisse libellum Canonicum Joannis Jejunatoris, ut qui pestifera lenitate multis perniciem creasset. *Scriptum illud Canonum Jejunatoris, quòd nimiam lenitatem adhibeat, multos perdidit.* Et sanè si ubi privatæ etiam expenduntur causæ & personæ, nefas est nimio plus emollescere disciplinam, & aranearum telis vincire eos, qui rudentibus constringendi sunt, ut in eadem ipsa, de qua paulò antè, Synodo Patriarchæ Lucæ nefas est: *Antistitibus quidem licet Canonicas pœnas augere, vel minuere: araneorum autem filis ligare, qua debent tribus rudentibus alligari, non concessum est:* multò exitialius est leges regulasque generales publicare, quibus illa mollities & juris prisci corruptela, quasi in arcem authoritatis evehitur.

Lib. 4. Tit. 3. / Ind. Tit. 4. / Iuris Orient. To. 1. p. 225.

Balsamon porro ipse, quanquam Canonum Legumque observantiæ addictus præ cæteris visus esset, nonnullis tamen displicuit quandoque indulgentiora & remissa ejus responsa incusantibus. Ita de eo sensit Joannes Episcopus Citri, in suis ad Cabasilam responsionibus. νῦν δὲ τοῖς ἀναιδέσιν ἔχθιμα. Hinc intelliges inter ipsos rigidioris disciplinæ sectatores authoresque nonnihil semper esse dissonantiæ: nec aliud cordato homini antiquius esse debere, quàm ut ne is vel clam obtrectet, vel palam convicietur, quos à doctrina & regiminis ratione sua dissentire viderit. Ibid. p. 333.

XIII. Quod ad Regulares verò attinet, tutissimum ipsis erat Episcopi sui in vestigia ingredi, ab eoque ut potestatem, ita & regulam expectare Confessionum excipiendarum. Ideo & piissimus Monachus Theodosius cùm Cartophylacem Nicephorum de multis consuluisset quæstionibus dubiis, hanc ab eo luculentam & necessariam responsionem accepit: *Æquum est & justum, ut Præsulem tuum Corinthiæ Ecclesiæ Pontificem interroges, & ab eo discas, nihilque sine ejus sententia circa salutem animarum facias: sed nec Confessiones suscipias, aut gratiam concilies Pœnitentibus, nisi accepta ab eo venia. Hoc enim vult Apostolica, & Canonica Patrum institutio.* Illud præ se fert & profitetur Carthophylax, sua ad propositas quæstiones responsa omnia ex sacro Canonum penu deprompturum iri; sed nihil magis adversum esse Canonibus, quàm ut laicorum crimina disceptent absolvantque Monachi, Presbyterali ordinatione non initiati. Quippe quantumvis latè se effudisset hæc licentiosa consuetudo, ea non posse tamen tantam Canonum Jurisque perturbationem excusari. *Monachi autem non Sacerdotes, qui aliquorum Confessiones suscipiunt, ligantes atque solventes, sciant se contra Canones id facere. Sancti Patres enim nec Sacerdotes volunt sine jussu Antistitis regionis conciliare Pœnitentibus gratiam, ut & Canon Synodi Carthaginensis declarat. Nunc verò nescio quomodo ea spernitur constitutio.* Ibid. p. 342. / Ibid p. 342.

XIV.

XIV. Hortatus autem vehementer hunc Monachum Chartophylax, ut in lectionem meditationemque Canonum incumberet, & in dubiis Metropolitanum suum consuleret: accedit deinde ad libellum Canonicum Joannis Jejunatoris, quem ipse quidem censet eo clementiæ & suavitatis melle conditum fuisse, quod tanti faciebat Basilius, & quod tantopere Canones ipsi commendant. Propterea quod semper legum etiam Canonicarum austeritas mitiganda temperandaque sit consuetudinis blandimentis
*Ibid. p. 343, 344.* *Quod attinet ad edita à Joanne Jejunatore, consuetudinem recepimus, adeo ut juxta uniuscujusque vires pœnitentias dispensemus. Cùm enim Basilius, &c. Non mirum si Joannes Jejunator ex Canonis hujus persuasione, juxta datam sibi spiritalem gratiam quidpiam innovarit, ad utilitatem prorsus divinam.*

At quanquam in causis quibusdam peculiaribus & inusitatis indulgentia & humanitate uti consultum est, juxta præscripta Joannis Jejunatoris: universim tamen retinenda mordicùs est religiosa Canonum censura: *Adhærendum ergo est iis quæ synodicè promulgata & confirmata sunt; deinde etiam ex personarum & temporum morumque qualitate dispensatio facienda, magno Basilio permittente.* Et hæc sanè mollissima est concordia inter eos qui Joannis Jejunatoris librum Canonicum explodunt, & eos qui eundem commendant: nec non & inter eos qui hinc humaniori, hinc austeriori suffragantur disciplinæ & curæ animarum: cùm utrisque cordi & amori sit antiquorum Canonum lectio, meditatio & observantia. In causis particularibus alternant quandoque sententiæ, in Canonum generali strenuaque custodia omnes consentiunt. Ideo & orationi suæ hanc denique clausulam attexit Carthophylax: Nihil alienius esse à Monasticæ vitæ professorum & à Confessariorum instituto, quàm causari, impræsentiarum tam delicatas esse hominum aures, ut Canonum ne nomen quidem ipsum
*Ibidem.* patienter ferre possint: *Cæterùm tua virtute illud indignum est, quod dicis: Homines ne auditu quidem Canonica præcepta ferre. Qui enim ea non admittunt, nullo modo sunt Christianarum partium.*

XV. Usquè adeò invaluerat in Oriente usus ille, ad administrandum Pœnitentiæ Sacramentum solos accersendi, solos adeundi Monachos; ut Alexandrinus Patriarcha inter complura alia dubitationum suarum capita, de hoc quoque Balsamonem percontatus sit, an Presbyteri Monasticam Professionem nunquam amplexati, possent permittente
*Ibid. p. 372. Interrog. 19.* Episcopo Confessiones audire. Præstantissimè autem respondit Balsamon, Divinos Canones, qui Presbyteris sub beneplacito Episcopi hanc facultatem concedunt, statu ipso Monastico antiquiores esse, & ea facultate ab illis donari Sacerdotes sæculares, [illegible], nulla Monachorum mentione facta. Hinc claret desuevisse omnino Presbyteros sæculares ab audiendis Confessionibus, cùm vocaretur in dubium an possent eas audire: & cùm ad jus istud illis vendicandum authoritas repetenda esset ab antiquissimis Canonibus.

Accipe & hanc aliam ejusdem Patriarchæ Marci interrogationem, quæ plusculum etiam injiciat stu-
*Interrog. 34.* poris. Sciscitatur enim, an cum Abbatissæ petunt ab Episcopo potestatem audiendi Confessiones Monialium, concedenda illis ea sit. Respondet Balsa-
*Ibid. p. 382.* mon, Ne Abbatibus quidem id concedi, qui ad Presbyteratum necdum evecti sunt: nedum Abbatissis. Ne in mentem quidem venisset id sciscitari, nisi ejusmodi aliqua tentassent aliquando Abatissæ, & eo illectæ forsan fuissent Abbatum Monachorumque imperitorum exemplo, qui nulla Sacerdotii parte decorati, ejus sacratissimas functiones usurpabant. Aliquid non absimile mox proferemus ex Capitularibus de Abbatissis.

In eodem ipso Corpore Juris Orientalis, unde mendicata hæc sunt, obvia adhuc est Formula usitata, qua Episcopi & copiam faciebant audiendi Confessiones, & monita suggerebant salubetrima iis, quibus id munus defungendum mandabant, ad servandos religiosissimè Canones, adhibita tamen ea dispensandi sapientia & charitate, quæ ita eos urgente necessitate aliquantum relaxet, ut cessante necessitate pristinus vigor revocetur. Atqui hæc Formula solis destinatur Monachis. Ex quo rursum *Ibid. p. 437.*
conjicias apud eos plerumque celebratas fuisse confessiones.

Quàm frequentes autem in Oriente essent con- *Ibid. p. 386.*
fessiones, hinc rursum colligas, quòd cùm plerique alii arbitrarentur parvulis utriusque sexûs jam inde ab anno duodecimo & decimo-quarto præcipiendum esse ut confiteantur: Balsamon contestatur propria se experientia, & ex Synodalibus Constitutionibus comperisse, præmaturandam esse confessionem, & jam inde ab anno ætatis septimo præcipiendam. Profert autem Concilium Constantinopolitanum, in quo bigamus & irregularis habitus est Clericus, qui ducta puella septenni, ea extincta aliam superduxerat. Visum est enim Synodi hujus Patribus puellam septennem nubilem esse potuisse, multò magis peccandi libidini obnoxiam.

XVI. Adjiciam & illud de Græcorum moribus, non minùs mirum. Quantamcumque in invidiam incurrerint Orientales Monachi, quòd ad eos tota confessionum potestas & pœnitentiarum administratio devoluta esset: debere tamen eis plurimum Ecclesiam universam eo nomine, quòd apud eos & eorum studio atque industria vigeant etiamnunc in Oriente Canones Pœnitentiales, tum ad privatas, tum ad publicas pœnitentias, sive de manifestis, sive de occultis criminibus; cùm toto Occidente tota illa sanctimoniæ disciplina labefactata sit. Quanquam enim etiam in Ecclesia Latina Monachi confessionibus audiendis quandoque præfecti fuerint: ut patet ex sancto Romualdo, qui Ottoni ipsi Imperatori hoc inflixit pœnitentiæ loco canonicæ, ut pedes ad Montem Garganum proficis- *Petr. Dam.*
ceretur, pòst Monasticum amplexaretur institu- *in vita S.*
tum: indubitatissimum tamen est, & ex antedictis *Romuald.*
satis superque emicuit, ministros ordinarios Sacramenti Pœnitentiæ in Occidente, ipsos fuisse maximè Episcopos, Parochos, Presbyterosque sæculares.

XVII. Quod perstrinxi de Monialium Confessionibus apud Abbatissas, id ex Capitularibus Caroli Magni demonstratur, ubi interdicuntur Abbatissæ illis Sacerdotii muniis, quæ usurpaverant, inopinæ ut reor, & ex inscitia magis, quàm improbitate; ne benedictiones infundant posthac, ne manuum impositione signum Crucis imprimant ipsis virorum capitibus; ne denique sacris Virginibus velum imponant. Istæ enim benedictiones & manuum impositiones eæ verisimiliter erant, quæ ad Sacramentum pœnitentiæ adhibentur. Porro si hac Mo- *Capitul. l. 5. c. 76.*
nialium Præfectæ licentia in sæculares etiam viros abutebantur, vix dubii quidquam est, quin idem sibi sumerent, & amplius quid etiam in Moniales suas. *Auditum est aliquas Abbatissas contra morem sanctæ Dei Ecclesiæ benedictiones, & manus impositiones, &*

*signacula sanctæ Crucis super capita virorum dare, necnon & velare virgines cum benedictione sacerdotali, quod omnino à vobis, sanctissimi Patres, in vestris Parochiis illis interdicendum esse scitote.* Successerant Abbatissæ in locum Diaconissarum: at hæ nihil istiusmodi ausæ unquam fuerant, cùm ne Diaconi quidem remittendorum peccatorum potestatem assecuti unquam fuissent. Id sibi quandoque arrogaverant Abbates, etiam qui Presbyteratu initiati non erant, ut exciperent confessiones. At eo exemplo abuti non debuerant Abbatissæ, cùm & illa Abbatum licentia proscripta semper fuisset. Duce & auspice Jacobo Apostolo sancti Patres hortabantur laicos fideles, ut confiterentur invicem peccata sua, ut alii pro aliis orarent, sibi invicem condonarent. Piissime id etiamnunc frequentatur in Monachorum Monialiumque claustris. Hinc fortassis nata olim occasio Abbatibus & Abbatissis, ut Confessiones istiusmodi audirent, confitentibus salubria insusurrarent monita, denique preces pro iis funderent, qui his humilitatis exercitiis leviores & quotidianas culpas abstergere satagebant. Inculpatum id prorsus fuisset, si nihil hæc ad sacramentum Pœnitentiæ pertinere persuasum fuisset.

---

## CAPUT XIII. *P. 4. l. 2. c. 70.*

### De Casibus reservatis, quorum absolutio Pœnitentiariis delegabatur. De iis primùm, qui Papæ sunt reservati, post annum Christi millesimum.

*I. Graviora quæque crimina absolvenda Episcopis servabantur: Episcopi ipsi gravissima quædam servarunt Papæ. Ejus rei exempla varia.*

*II. Proferuntur Concilia, ubi Episcopi, ut majorem incuterent quorundam scelerum horrorem, eorum reos ad Papam absolvendos ablegarunt.*

*III. Hac criminum reservatione insulsum est si quis sibi fingat authoritatis & imperii incrementum quæsitum esse.*

*IV. Qui Casus reservati fuit.*

*V. Remiserunt ipsi Romani Pontifices aliquid de rigore harum reservationum.*

*VI. Pœnitentes verò Romanum iter emetiebantur, & is labor pœnitentiæ imputabatur.*

*VII. Novis probationibus roborantur antedicta.*

*VIII. Novis argumentis evincitur, Episcopos ipsos suo marte hæc Pontifici reservasse crimina, & pœnitentes sacra peregrinatione ad limina Apostolorum perfungi solitos.*

*IX. Criminibus Papæ reservatis illaqueati qui erant, iis primò ad Episcopum proprium veniendum erat.*

*X. Nova in dies scelera Papæ reservantur.*

*XI. Quando desitum sit ad absolutionem impetrandam Romam proficisci.*

*XII. Objectioni respondetur.*

I. INter ea munia, quæ Pœnitentiariis delegata sunt, tria superiùs recensuimus, quorum uni tantùm elucidando hactenus insudavimus: nempe audiendi confessionem Beneficiariorum alicujus tractûs, si de Subpœnitentiariis ageretur: vel omnium prorsus fidelium Diœceseos, Episcopi vice, vel absentis, vel aliis occupationibus distenti, si de Pœnitentiario ipso sermo esset. Supersunt ergo illustranda duo reliqua ejus munia, videlicet, ut Casibus reservatis illaqueatos absolvat, utque pœnitentias publicas infligat & moderetur.

A reservatis ordiemur casibus, & illud primò etiam atque etiam commendabimus, nihil antè discriminis positum fuisse inter eos qui Episcopis & qui Papæ reservati erant: quando Episcopi ipsi cœperunt ad Pontificem referre, vel diffiniendas quæstiones intricatiores, vel absolvenda atrociora quæque facinora: quorum proinde disceptatio hactenus Episcopis vendicata fuisset. Inter Epistolas Alexandri II. Papæ permultæ sunt, ex quibus liquet, gravioribus flagitiis vel facinoribus contaminatos, præsertim homicidas, ad Pontificem ab Episcopis remissos fuisse, vel sponte ipsos sua ad illum profectos esse, ut ab illo potissimum & pœnitentiæ & absolutionis beneficium consequerentur. Lemovicense Concilium anni 1034. multa congerit homicidarum aliorumque scelerosorum exempla, quos Episcopi ad Papam solvendos ablegarunt, ut mox prolixiùs dicemus.

Ivo Carnotensis Episcopus, cujus eximia pietas animi magnitudinem exaggerabat potiùs quàm mi- *Ivo Ep. 29. 30. 31. 33.*
nuebat; molestissimè tulit, quòd Nobilem quen- *36.*
dam virum communione Ecclesiæ summotum, velut adulterii publici convictum, Cardinalis nescio quis absolvere meditaretur, & quidem impœnitentem. At postquam militis hujus uxor fato suo functa fuit, isque vehementiùs instare cœpit ut absolveretur, quanquam concubinam suam non amandaret: illum Ivo ad Papam proficisci jussit, cum Epistolis, in quibus causa ejus explanabatur, totumque judicio committebatur Sedis Apostolicæ: *Dedi ei litteras, seriem causæ ejus continentes ad Domi- Epist. 98.*
*num Papam, ut cognita veritate, quod inde vellet, & ordinaret, & mihi remandaret. Hoc responsum expecto, nec aliter mutabo sententiam, nisi aut ex ore ejus audiam, aut ex litteris intelligam.* Quanquam autem moris esset, ut à Pontifice reus ad Episcopum remitteretur, cum rescripto, quo pœnitentiæ illi infligendæ series & ordo præscriberetur: idque tunc ita fore Ivo ipse auguraretur: *Quod vellet, ordinaret, & mihi remandaret*: certissimè tamen Pontifici horum scelerum absolutio reservabatur, cùm eam nisi ex ejus præscripto & voluntate non largirentur vel suspenderent Episcopi.

Suppetit & aliud ex eodem Ivone exemplum, ubi reum ille ad Paschalem II. Papam remisit, aliqua parte pœnitentiæ sibi impactæ exonerandum, prò summi Pontificis judicio & sapientia Canonum moderatrice. Bonæ-Vallensis Abbatiæ Monachum Presbyterum miles inaudito facinore absciderat. Pœnitentiam annorum quatuordecim illi indixit Ivo, interdicta, ut moris erat, militia. Paruit ille, at aliquanto pòst tempore urgere cœpit, ut armorum usus sibi concederetur adversùs insidiantes sibi inimicos. Commisit illum Ivo judicio summi Pontificis, ut Romanæ peregrinationis tædia & labores aliqua jam ex parte facinus expiarent, pollicerentque Pontificem, ut indulgentiæ aliquid impartiret. *Reservantes itaque hanc indulgentiam Apostolico mode- Epist. 160.*
*rationi, ad Apostolorum limina eum direximus: quatenus & fatigatione itineris hujus peccatum suum diluat, & apud pietatis vestræ viscera, misericordiam quam Deus vobis inspiraverit, inveniat.*

II. In Concilio Remensi anni 1131. prohibuit Innocentius II. ne Episcopi vincula laxarent anathematis, quo constringuntur Clericorum Monachorumque percussores, donec rei ipsi Papæ se conspectui obtulissent, mandatumque ab eo essent Episcopis, qua se ratione erga eos gerere deberent. *Nul- Can. 13*
*lus Episcoporum illum præsumat absolvere, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.*

Sed jam diximus, dicemusque infrà prolixiùs, id ipsos Episcopos iniisse consilii, cùm reprimi à se non possent Clericorum sacrilegi percussores, eos

ut communi consensione ad Pontificem absolvendos amandarent. Ita & Vuillelmus Neubrigensis ait anno 1142. Angliæ Episcopos in consimile decretum conspirasse, cum non alia ratione possent truculentam hanc immanitatem coërcere. Porro Canon iste Concilii Remensis novo robore firmatus fuit in Concilio Lateranensi II. anni 1139. sub eodem Pontifice: sicut & ille alius, quo prohibetur, ne incendiarii ab Episcopis, vel Archiepiscopis absolvantur, donec eo facinore inquinati qui essent, ad bellum sacrum profecti essent & militassent anno saltem uno, sive Hierosolymæ, sive in Hispania. *Pœnitentia detur, ut Hierosolymis, aut in Hispania in servitio Dei per integrum annum permaneat. Si quis autem Archiepiscopus vel Episcopus hoc relaxaverit, damnum restituat, & per annum ab Episcopali officio abstineat.*

L. 1. c. 10. Guill. Neub. chron. Normann. anno 1141. Paris. anno 1142.

Conc. Rom. c. 17. Concil. Lat. II. c. 19. 20.

Sed prætermittenda non est hujus Canonis clausula, qua Pontifex & Episcopi utriusque Concilii Remensis & Lateranensis declarant, non eo se prohibere, quin Reges & Principes cum consilio Episcoporum ex legum tenore animadvertant in hujusmodi incendiarios. *Sanè Regibus & Principibus faciendæ justitiæ facultatem consultis Archiepiscopis & Episcopis non negamus.* Quo innuitur sæculares Regiosque judices manus abstinuisse ab iis, quos Ecclesia pœnitentiæ publicæ subjecisset, quodam veluti præventionis jure, quod fulciret pietas Christianorum & clementia Principum; fulciret & usus jam inde ab ævo Caroli Magni ejusque maximè beneficio pervagatus, de quo aliàs. Quanquam autem incendiariorum criminis enormitas cogeret eos vindictæ Principum sæcularium subjici, incruentæ tamen fore pœnæ non injuria præsumebantur, cùm judicio interessent Episcopi.

Eodem referendum est, quod Vuillelmus Neubrigensis narrat, à Rege Henrico II. missos ad Pontificis judicium esse detestabiles sicarios, qui illustrem Christi martyrem Thomam Cantuariensem Episcopum neci dediderant; ut ab Apostolica Sede indiceretur eis publica pœnitentia: quod & perfectum est, illis in Palæstinam ad bellum sacrum properare jussis. *Parendum eis duxit, & tam famæ suæ, quàm illorum saluti prospiciens, sedi eos Apostolicæ ad suscipiendam solemnem pœnitentiam præsentari præcepit. Quod & factum est. Nam stimulante conscientia Romam profecti, ad agendam pœnitentiam à summo Pontifice Jerosolymam sunt profecti, &c.*

L. 4. c. 25.

Tanti Pontificis cædes ejusmodi erat facinus, cujus judicium & absolutio summo Pontifici reservabatur: id Rex credidit, aut credere se simulavit, ne nobilium cruor virorum funderetur. Edocet nos Lemovicense Concilium B. Odilonem ipsum sciscitatum esse summi Pontificis oraculum, ecquid decernendum esset in Monachum, qui Cluniacensi se Ordini & Monasterio devovisset, ut impiatas immanissima Episcopi cæde manus, lacrymis sudoribusque pœnitentiæ elueret. Rescripsit Pontifex adeo non copiam illi sacrorum Ordinum faciendam esse, ut ne Eucharistica quidem communione impartiendus esset, nisi in extremo vitæ discrimine.

Bibl. Clun. pag. 338.

III. His ex documentis duo quædam existunt, quæ magno sint usui, ad rei quam excutimus elucidationem. Primum est, non eò collimatum esse in hoc criminum vel Papæ vel Episcopis reservatorum delectu, ut eorum jurisdictio tantò magis amplificaretur, dejectâ infra Pontificem Episcoporum, infra Episcopos Presbyterorum potestate, adempto his graviorum flagitiorum judicio. Eo tantùm consilio totum fiebat, ut invictissimi obices objicerentur criminum impunitati, & pœnitentiæ, satisfactionesque responderent enormitati facinorum admissorum. Recolantur exempla suprà memorata, addantur & inferius memoranda, certissimè constabit Pœnitentes Romam facessere jussos, ut Pontifex illis pœnitentiam indiceret publicam, ut pœnas aggeraret, ut levaret quandoque, seu Apostolicæ mansuetudinis rore infuso, seu contemplatione laborum in ea peregrinatione exhaustorum; denique utplurimum Pontifex pœnitentes ab Episcopo proprio absolvi remeantes jubebat. Itaque si quæ fuere Episcoporum querelæ, de facilitate nimia Romanorum in absolvendis, quos ipsi ligaverant: ad eos id pertinebat, qui arte vel importunitate obrepsissent, extudissentque surreptitiam absolutionem, quam reduces in patriam impœnitentia sua ipsimet infamarent.

IV. Alterum est, jam patere cœpisse, quæ criminum species Papæ judicio servari integræ cœperint. Etenim Episcopi ita ipsi statuerunt, non posse in tuto satis à se collocari debitam Clericis omnibus reverentiam, nisi reservata Pontifici summo absolutione eorum, qui violentas ipsis manus intulissent. Audi quæ scripserit Matthæus Paris de Concilio Londoniensi anni 1142. *Nullus honor vel reverentia ferebatur Dei Ecclesiæ, vel ejus ordinatis à prædonibus sceleratis; sed æquè Clerici & Laici capiebantur, redimebantur, & in vinculis tenebantur. Sancitum est ergo ibi, & generaliter constitutum, ne ab alio quàm à Papa possit absolvi, qui, &c.* Hoc decreto promulgato respirare aliquantulum cœpisse Clericos testatur Robertus de Monte: *Unde Clericis aliquantulum serenitatis vix illuxit.* Consentiunt enim omnes prorsus historiæ Anglorum scriptores, frequentissimas fuisse Clericorum cædes, propterea quod per leges Angliæ inultæ essent. Cujus rei rationem infrà pandemus.

Nec minus frequentia erant Ecclesiarum incendia, quàm Clericorum cædes. Itaque & hæc Pontifici reservari visum est. Ita sancitur Capite, *Qui Ecclesiam violaverit:* & jam antè in Palæstinam Innocentius II. incendiarios summoverat, ibi militaturos, & pœnitentiæ stadia decursuros. Bella inter privatos homines tunc creberrima, & cum primis exitialia, his incendiis viam pandebant. His bellis extinguendis & incendiis prohibendis adlaboratum est à Pontificibus, à Conciliis, acerbitate pœnarum in incendiarios sævitum est.

Magnopere intererat ad Christianæ Reipublicæ salutem, ut infideles, qui Palæstinæ & Hispaniæ tunc incubabant, ut opimæ prædæ, inde abigerentur. Illam ergo militiam Pontifex in pœnitentiæ vicem sæpè infligebat. Ideo & ad illum redibat jus dispensandi, vel absolvendi. Canones Remensis & Lateranensis II. Concilii in Remensi innovati fuere sub Eugenio III. anno 1148. Referemus inferiùs suo loco ut simonia quoque Pontifici reservata fuerit. Id contigit ea occasione, eoque tempore, quo Clericorum simoniacorum & incontinentium turba innumerabilis penè fuit, nec alio potuit opportuniore remedio ad pristinam integritatem revocari. Infrà liquebit utique huic pesti grassanti Romanos maximè Pontifices opprimendæ incubuisse.

V. At Alexander III. Pontifex ad consulta respondens Seguntini in Hispania Episcopi, temperamenti aliquid attulit reservationi huic absolutionum: licentia facta Episcopis absolvendi, non

ægrotos tantùm, quibus tamen Romana peregrinatio subeunda erat, si convaluissent: sed etiam mulieres, parvulos, senesque. *Statui vero faminee, & pueris, ac senibus super hoc satis te credimus posse libere dispensare.*

Appen. III. Conc. Lateran. part. ult. c. ult.

VI. Hoc decreto illud aperitur diligenter observandum: quicumque à Casibus Romano Pontifici reservatis absolvi cuperent, iis Romanum iter emetiendum fuisse, idque iis temporibus, quibus itinera non adeò vel tuta erant, vel expedita, ac postea fuere. Perspicua res est, cum permittat Papa absolvi ab Episcopis eos, qui sexu, ætate, vel ægritudine iter capessere prohibebantur. Et erat certè iter ipsum instar pœnitentiæ & macerationis non mediocris, qua indulgentiæ aliquid à Pontifice eliceretur. Hoc ipso tempore B. Laurentius Dublinensis in Hibernia Episcupus centum & quinquaginta ex suis Presbyteris incontinentiæ flagitio conspurcatos Romam ramisit, quanquam in ejus potestate esset, ut eos absolveret. Ita enim testatum facit vitæ ejus scriptur: *Licèt tanquam Archiepiscopus posset, tamen nolebat absolvere, sed ad Romanam Ecclesiam absolvendos destinabat, &c.*

Baron. an. 1179. n. 34.

VII. Robotia & lucis aliquid his omnibus accedet ex Canone Concilii Avenionensis anni 1209. in quod convenerant cum Legatis Pontificiis Episcopi quatuor Provinciarum, Viennensis, Arelatensis, Ebrodunensis, & Aquensis. Statutum enim in eo est, invictius repagulum aliquod objiciendum esse perjuriis increbrescentibus, & contemptui censurarum Ecclesiasticarum: ideoque posthac qui perjurii convicti fuissent, aut qui sex mensibus postquam excommunicationis telo confixi fuissent, ab absolutione expetenda cessarent, non absolvendos amplius esse nisi à Papa, cogendosque Romano se ipsos itineri committere: denique si Beneficio gaudeant Ecclesiastico, eo spoliatum iri, ita ut nisi à Pontifice, vel ab ejus Legatis restitui omnino non possint. *Contra publicè perjuros, seu convictos de perjurio, & eos qui pertinaciter in excommunicatione per sex menses permanserint, pro eo quod faciles sunt homines ad perjuria & ad censuram Ecclesiasticam contemnendam, specialem & novum Canonem promulgamus, scilicet ut nulli Episcoporum liceat hujusmodi anathematizatos absolvere, sed ad Sedem Apostolicam, sicut sacrilegi & incendiarii, absolvendi mittantur. Perjuris verò præter aliam satisfactionem, dictam sedem in præsentia visitare injungatur. Si fortè Clerici fuerint, in utroque casu ab officio & Beneficio Ecclesiastico repellantur: ad quorum neutrum restitui valeant, nisi per summum Pontificem, vel ipsius Legatum.* Indubium ergo est harum reservationum ad Papam opifices fuisse Episcopos ipsos, ipsosmetque decrevisse, ut absolvendi Romam commearent.

Can. 13.

Hildebertus Cenomanensis Episcopus percontanti Episcopo, an & qua ratione gradui suo restituendus esset Presbyter, qui latronem in se irruentem lapide percusserat, occideratque, eaque de causa jam ab annis septem suspensus fuerat: respondit non sibi videri hunc Presbyterum sacerdotalibus unquam functionibus restitui posse; at si suæ ditionis Presbyter aliquid istiusmodi perpetrasset, cum se remissurum fuisse ad Romanum Pontificem, ut audiret & acciperet ab Apostolica Sede opportunum tanto malo remedium. *Si simile aliquid in commissa mihi Parochia contigisset, reum ad Apostolicam misissem audientiam, quatenus ex consilio illius, & ego instruerer, & peccator de reformatione sententiam susciperet certiorem.*

Epist. 60.

Vuillelmus in Altisiodorensem Episcopatum electus anno 1206. in ordinem redegit rebellantes aliquus Nobiles, tum pœnitentia publica, tum pecuniariis pœnis, tum Romana indicta peregrinatione, ut absolvi à Pontifice possent. Hac austeritate reliquos perterrefecit cohibuitque: *Ejus & infantum edomuit superbiam, quos taliter publicam subire pœnitentiam, cum pecuniarum emendatione coegit, hoc addito quod ipsi Sedem Apostolicam pro absolutione sua nihilominus adirent, quo non immerito cæteri terreri potuerunt, ne similia contra eum attentarent.* BB MM. To. 1. pag. 486. 487.

VIII. Episcopi ergo ipsi Romam pergere compulerunt Pœnitentes, ut ipsius ab ore Pontificis, vel confirmaretur, vel augeretur, vel mitigaretur pœnitentia, quam eis ipsi præfixerant, aut enormium scelerum absolutionem impetrarent. Id nos mirificè edocet Concilium Lemovicense II. anni 1032. ubi approbatum est consilium Papæ, qui Comitem quidem ab Episcopo suo excommunicatum absolverat, sed per duas Epistolas postea ad eundem Episcopum conquestus fuerat, quòd se non fecisset certiorem hujus fulminis à se in Comitem evibrati: mox revocaverat absolutionem sibi surreptam. Hinc professi sunt Episcopi hujus Synodi in culpa se esse, qui non moneant Pontificem, quando non deceat Pœnitentes absolvi; cæterùm id universim constare, si suos Episcopi Pœnitentes Romam ablegent, in potestate jam esse Pontificis, ut definitas eis pœnas vel augeat, vel minuat: quòd primaria & summa judiciorum Ecclesiasticorum authoritas penes Apostolicam Sedem resideat. Si autem ingentium reos criminum Episcopi Romam amandent, quòd non satis ipsi videant, quibus pœnis opportunum sit tam profunda & tam periculosa vulnera curari: tum verò in Pontificis arbitrio positum esse, quæ tanto malo adhibeat medicamenta, pro sua & potestate summa, & non dispari sapientia. Denique fraudulentè expressas absolutiones, inutiles & vanas esse: nec fas esse unquam Diœcesanis Romam convolare præter conscientiam sui Episcopi, sive ad pœnitentias, sive ad absolutiones impetrandas. *Apostolicus absque culpa est, & potiùs nos culpabiles sumus, nisi litteris nostris ei notum faciamus, de quibus nolumus ut absolvantur. Cùm ergo tales deceperint Apostolicum, ut fraudulenter absolvantur ab eo, irrita est illa absolutio, ideoque nec ab eo, nec à nobis confirmanda, &c. Hoc ab ipsis Apostolicis Romanis & cæteris Patribus cautum tenemus, ut Parochiano suo Episcopus si pœnitentiam imponit, eumque Papa dirigit, ut judicet utrum sit, an non pœnitentia digna pro tali reatu, potest eam confirmare authoritas Papæ, aut levigare, aut super adjicere. Judicium enim totius Ecclesiæ maximè in Apostolica Romana Sede constat. Item si Episcopus Parochianum suum cum testibus vel litteris Apostolico ad pœnitentiam accipiendam direxerit, ut multoties pro gravissimis fieri solet reatibus, in quibus Episcopi ad dignam hæsitant pœnitentiam imponendam: hic talis licenter à Papa remedium sumere potest. Nam inconsulto Episcopo suo ab Apostolico pœnitentiam & absolutionem nemini accipere licet.*

Concilium Salingestadiense anni 1022. vetuit ne Pœnitentes in Romanum se iter darent, nisi permittente Episcopo: præcepitque, ut scelerum primò pœnitentiam peragerent in Ecclesia propria, tum Episcopi sui litteris ad Romanam peregrinationem munirentur. *Decrevit Synodus, ut nullus Romam eat, nisi cum licentia sui Episcopi, vel ejus Vicarii, &c. Multi tanta falluntur stultitia, ut pœnitentiam à Sacerdotibus suis accipere nolint, in hoc maximè confisi,*

*ut Romam euntibus Apostolicus omnia sibi dimittat peccata. Sancto visum est Concilio, ut talis indulgentia illis non prosit: sed prius juxta modum delicti pœnitentiam sibi datam à suis Sacerdotibus adimpleant, & tunc Romam ire si velint, ab Episcopo licentiam & litteras accipiant.*

Fieri non poterat, ut frequentiùs Episcopi Romanum ad Pontificem insigniores mitterent Pœnitentes, *ut multoties fieri solet*, ait Lemovicensis Synodus; quin ejus rei consuetudo aliquando invalesceret, & ut fieri solet; ex consuetudine vetusta jam lex & necessitas existeret. Ex alia parte Conciliorum Canones suprà audivimus, qui Pontifici integras intactasque servarent criminum quorundam absolutiones. Hæc duo certè sunt capita totius casuum ad Romanos Pontifices reservationis. Videlicet vel consensio diutina Episcoporum suis ex Ecclesiis Pœnitentes aliquos toties Romam mittentium, ut consuetudo gigneretur, & ex consuetudine lex ac necessitas emergeret. Vel eorundem Episcoporum in Concilio adunatorum decreta, quibus immedicabilia sibi quædam mala statuebant ad Romanæ Ecclesiæ Pontificem referenda ejusque curæ permittenda esse.

Cæteroqui penes Episcopos potestas est quorumlibet criminum & retinendorum & dimittendorum. Eo etiam fundamento nititur illa Canonistarum distinctio, quando docent eò differre dispensationes ab absolutionibus, quòd dispensare non possint Episcopi, nisi ubi illa expressè in jure potestas conceditur; at absolvere à quibuscumque possint criminibus, nisi ubi expressè Pontifici summo reservata sunt. Quippe Ordo Episcopalis plenissimam complectitur potestatem remittendorum peccatorum, non relaxandarum legum.

Fagnan. In l. 1. Decret. part 2. pag. 198.

Nec dissimulandum tamen est, à Concilio Tridentino agnitam esse in summo Pontifice facultatem reservandi sibi gravissimorum scelerum absolutiones, pro ea summa qua in Ecclesia universali utitur potestate. *Meritò Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare.*

Sess. 14. c. 7.

Certum est etiam nonnullos eorum Casuum qui Sedi Apostolicæ reservantur in Extravaganti Pauli II. ipsos sibi suo arbitrio Pontifices reservasse. Sed si quis eos pressiùs & sigillatim inspiciat, certò liquebit, non suæ ipsos authoritati, sed Ecclesiæ universalis & Episcoporum utilitati servisse in ea reservatione: cujusmodi sunt flagitia violatæ libertatis & immunitatis Ecclesiasticæ; aut ineluctabili impulsos fuisse necessitate tuendi Romanæ Ecclesiæ patrimonii, cujus deprædatores ab alio quàm à Romano Pontifice absolvi periniquum fuisset.

Extravag. Comm. l. 5. Tit. 9. c. 3.

Accessit & his persæpè Episcoporum consensio. Etenim crimen hæreseos in hac Extravaganti reservatis Papæ criminibus annumeratur. Atqui Concilium Turonense anni 1583. postulavit à Papa, ut Episcopis restitueret facultatem absolvendi ab hæresi, & reconciliandi hæreticos. Comitia Cleri Gallicani anno 1585. statuerunt hoc ipsum a Pontifice flagitari, ut idoneus affirmat Author du Taix. Concilium Rotomagense anni 1581. idem flagitaverat, sanctissimè affirmans id prorsus necessarium esse ad hæreticos in Gallias Ecclesiæ recolligendos. Responsum est à Pontifice eam licentiam concedi pro necessitate cujusque Provinciæ, uni Comprovincialium, quem omnes judicassent maximè idoneum. Absolvunt tamen ab hæresi Episcopi Galliarum, non contradicente, adeoque ut ex regulis juris ipsi interpretantur, consentiente Pontifice. Usque adeò certum est charitatem, concordiam & indivulsam consensionem vinculum esse, & veluti legem primariam & principem legum omnium Ecclesiasticarum. Inde est quod statuta superiùs laudata jubeant Pœnitentes ob reservatos casus Romam mittendos, à Presbyteris priùs suis ad loci Episcopum remitti.

In præmio.

Du Taix. pag. 83.

IX. Inde est, inquam, quòd Concilium Arelatense anni 1275. facta recensione atrocissimorum complurium criminum, jubet ut qui eorum se reos Presbytero confessi fuerint, ad Episcopum ab eo mittantur, qui illos solvet, si per jus licet: aut ad Pontificem solvendos ablegabit, scriptis ad eum de causa tota litteris: *Transmittantur absolvendi per ipsos Episcopos, si id eis de jure competit: alioquin cum eorum litteris ad Sedem Apostolicam transmittantur.* Canone sequenti pernumerantur & alia gravia admodum crimina, quorum absolutio Episcopis solis vendicatur. Ecquid, oro, causæ est quamobrem prior horum Canonum dubitanter loquitur; nec satis liquidò secernit casus, hos Papæ, hos Episcopo reservandus? nisi quòd nonnulla erat ea in re sententiarum discrepantia: & solvebantur quandoque ab Episcopis nonnullis, quæ alii ad primam Sedem referenda existimabant. Exemplo esse posset hæresis. Primo enim ea loco ibi recensetur. At ex hoc Canone Episcopus immediatus erat judex arbiterque, qui Romam mittendi essent.

Can. 12.

Bajocensis Synodus anni 1300. pernumeravit species criminum plurimas, Pontifici reservatas, & quorum tamen absolutio ab Episcopis dari potest iis, quos excusat ignorantia, pueritia, sexus, Monastica Professio, senectus. In Constitutionibus Synodicis Parisiensis Ecclesiæ sæpiùs inculcatur, reservatorum Papæ criminum reos, ad Episcopum primò mitti debere. Quin & à Pontifice ipso Episcopus arbiter constituebatur, inspectorque & exactor pœnitentiæ ab Apostolica Sede præfinitæ, ut graviter & religiosè impleri eam curaret. Ita Joannes XXII. cùm Episcopi interfectorem immanissimum ab excommunicationis tandem compede solvisset, & pœnitentia mulctasset, ad Episcopum Arianensem illum remisit.

Rainal. an. 1319. n. 13.

X. Anno 1394. qui summo Pontifici casus essent reservati, necdum ita usquequaque exploratum erat, ut non aliqua superessent vestigia antiquioris disciplinæ, & impeditiores quæque causæ ad eum referrentur. Refert enim eo anno Joannes Juvenalis des Ursins in vita Caroli VI. Francorum Regis, falsos testes, qui adversùs urbis Parisiensis Præfectum conspiraverant, facinus suum Parocho confessos esse: ab hoc ad Pœnitentiarium remissos, ab eoque rursus ad Episcopum, qui ne ipse quidem eos absolvit, sed ad Cardinalem Legatum qui tunc Parisiis agebat, remisit.

Procul ab ea erat in Sedem Apostolicam reverentia Archiepiscopus Cantuariensis, is qui anno 1423. plenissimæ indulgentiæ diploma promulgavit, ejus simillimum quo Romanæ Jubilæi Indulgentiæ publicantur, omnes ad Cathedralem Ecclesiam suam invitans: designansque Pœnitentiarios, potestate ea munitos à se, qua nulla non delicta remitterent. Martinus V. Pontifex per Nuntium in Anglia suum Episcopum Tergestinum gravissimè illum objurgavit, temeritatis non ferendæ reum: *Temeritate consimili instituisse Pœnitentiarios, qui confluentes ad eos generaliter ab omnibus peccatis absolverent.*

Rainal. an. 1423. n. 21.

XI. Cuperem equidem certo aliquid definire de tempore quo desitum est Romam ire ad reservatorum casuum absolutiones promerendas. Dicam id unum, in votis fuisse Joanni Gersonio, viro cumprimis pio, ut faciliùs impetrari possent absolutiones istiusmodi, designatis per Provincias Pœnitentiariis, vel Confessariis, quos Pontifex ea potestate instruxisset. *Saltem det facultatem Papa ab solvendi transgressores Superioribus Monasteriorum & Ecclesiarum, ut quando dederit Dominus spiritum compunctionis, inveniant promptum remedium, & non in desperationis præcipitium ruant, pro difficultate Papam vel Curiam suam adeundi.* Gerson. To. 2. p. 409.

Diximus jam magna ex parte Pontifices his occurrisse molestiis, data copia Confessariis ordinariis absolvendi mulieres, senes, pueros, ægros in extremis positos. Decursu temporis factum est satis Gersonii voto, designatique in omnibus orbis Ecclesiis Presbyteri, quibus ex absolvendi facultas delegata sit. Sed ut bona ex malis, mala ex bonis plerumque nascuntur, perfecto eo quod pietatis studio percupiebat Gersonius, factaque Presbyteris ubique compluscculis potestate absolvendi à criminibus Papæ reservatis, quidquid supererat antiquioris Pœnitentium publicæ disciplinæ, funditus eversum est, dissipatumque frænum, quo à gravissimis sceleribus cohibebantur nefarii homines, denique labefactatum est fundamentum ipsum, cui reservationes omnes causarum criminumque erant superstructæ.

XII. Ad manum sunt Acta Ecclesiæ Mediolanensis in iisque accuratissimè enumerati Casus summo Pontifici reservati. In iis complures sunt, quorum reservationis nulla habetur ratio in Gallia. Idque rursus argumento est has reservationes unanimi summorum Pontificum, Episcoporumque consensione, & sanctitas primùm esse, & postea convaluisse. Hæc porro inviolata pax & concordia Pontificis summi & Episcoporum nihil obstrepit ei potestati, quam Tridentina Synodus primæ Sedi vendicavit ad casuum reservationem. Sess. 14. c. 7. Quin immo eò stabilior invictiorque ea potestas est, quòd ei & Episcopi vehementer suffragantur. Adversus eam Apostolicæ sedis authoritatem nec verbum diximus ullum toto hoc Capite. Sed illud enixi sumus, ut eluceret, qui ea potestas seorsim explicuerit sese, & in usum exercitiumque venerit, plaudentibus & adgaudentibus Episcopis, cum ita fieri utilitas & necessitas Ecclesiæ flagitavit.

---

## CAPUT XIV. *P. 4. l. 1. c. 71.*

### De Casibus Episcopo reservatis.

*I. Notabile discrimen casuum, vel Papæ, vel Episcopo reservatorum. Episcopi prioribus Ecclesiæ sæculis soli Pœnitentiam administrarunt, publicam saltem.*

*II. Initio non reservarunt sibi Episcopi, nisi notoria & enormia crimina.*

*III. Reservatio criminis peculiaris, quod gravissimo fuerit offendiculo.*

*IV. Progressio reservationis casuum ad sæculum usque decimum-quintum.*

*V. Ad Episcopum, vel ad Pœnitentiarium remittebantur rei quorumcumque criminum reservatorum, ut secernerentur ab illis, quæ Pontifici reservanda jure erant.*

*VI. Litteris instruebantur pœnitentes & à Parocho ad Episcopum, & ab Episcopo ad Papam.*

*VII. Reservatio casuum inter Abbates & Canonicos.*

*VIII. Nulla occulta crimina reservari debere censet Gersonius. Alia aliorum ea de re sententia; alii & alii usus. Statuta Tridentinæ Synodi; & Conciliorum Mediolanensium sub sancto Carolo.*

I. Quanquam eodem capite eisdemque penè verbis Tridentini Patres, & Papæ, & Episcoporum potestatem attigerint ad Casuum reservationem: plurimum tamen certissimè interest discriminis. Sess. 14. c. 7. Ut enim Christus ligandi solvendique potestatem iisdem admodum verbis contulerat Apostolis, atque Petro: ita Episcopi in vicem & munia Apostolorum succedentes, ea potestate usi sunt plenissimè plurium sæculorum tractu, nullo circumscripta limite intra suas quisque Diœceses, nulladum ad superius Tribunal casuum facta reservatione. Erant majores causæ, quas ad primam Sedem referri necessum erat, saltem ut ultimo & decretorio judicio finirentur: at eæ nihil ad forum pœnitentiæ attinebant. Multis demum pòst sæculis occuparunt Episcopi ipsi, & usui sibi fore duxerunt, gravissimorum facinorum convictos Romam amandare absolvendos: tum iis rationibus ducti, quas superiori capite perstrinximus; tum ut venerarentur privilegium Petri, cui cælestes Christus contulerat claves, non eum Apostolis tantùm aliis adgregato, sed & privilegio seorsim egregio, ut eas singulari & ampliori supra alios Apostolos potestate dispensaret, ut conducibile & consultum foret, pro variis temporum vicibus, pro emergentibus Ecclesiæ necessitatibus.

Episcopos autem constat, non solùm potestate summa munitos, usosque fuisse per priora sæcula, & jure nullis arctato terminis, nullis ad Papam reservationibus circumscripto: sed etiam ipsos unos fuisse ordinarios Sacramenti Pœnitentiæ ministros, Presbyteris ejusmodi functiones ne attingentibus quidem, nisi dum vel abessent Episcopi, vel mandarent. Nemo sanè inficias ibit, quin publica eia Pœnitentium reconciliatio vendicata semper fuerit, sicut & consecratio Virginum, & Altarium dedicatio: cùm & Conciliorum Canones, & Decreta Pontificum pene ad nauseam usque id inculcarint. Cùm ergo ingravescentibus eorum occupationibus aliis, & crebrescente in dies Fidelium pœnitentiam ambientium multitudine, compulsi fuere hujus sacramenti administrationem in Presbyteros transferre: si qua illi sibi crimina & per pœnitentiam retinenda, & per absolutionem remittenda servaverunt: non aliud profectò quàm partem aliquam sibi retinuere ejus potestatis, quam totam diu & obtinuerant soli & exercuerant. Itaque casuum reservatio ad Papam fieri non potuit, nisi accisa imminutaque prisca Episcoporum potestate. At reservatione casuum ab Episcopis solvendorum non decerptum aliquid est de priori Presbyterorum potestate: sed ex adverso in ipsos transfusum est totum ferè Pœnitentiæ ministerium, quo priùs Episcopi fungebantur, paucis quibusdam velut reliquiis subductis, quæ Episcopis servarentur.

II. Cùm autem pœnitentiam publicam non administraverint prioribus sæculis, nec administrent adhuc nisi Episcopi; cúmque publica non infligeretur pœnitentia, nisi propter gravia crimina: immo mediis sæculis propter publica tantùm crimina: inde factum ut ab annis ferè sexcentis graviora hæc &, publica crimina Episcoporum clavibus servarentur. Audi ut loquantur Episcopi Synodi Lemovicensis anni 1031. *Presbyteri de ignotis causis, Episcopi de notis excommunicare est, ne Episcopi vilescat potestas.* Eadem ipsa penè sunt verba Epistolæ synodicæ Ratherii Episcopi Veronensis ad Parochos

suos: *De occultis peccatis pœnitentiam vos dare posse scitote, de publicis ad nos referendum esse agnoscite.* Concilium Londinense anni 1102. reservavit Episcopis absolutionem detestandæ ejus sæcularium impudicitiæ, quæ naturæ ipsi injuriosa est. Stephanus Parisiensis Episcopus ad jus suum revocavit mandato speciali judicium & pœnitentiam ejus, qui illustris Martyris Christi Thomæ, Priori sancti Victoris, cruentas manus intulerat. Hæc sunt ejus ad Archipresbyteros verba, ut mandatum promulgarent: *Mandamus vobis, quatenus unusquisque vestrûm in suo Archipresbyteratu prohibeat, ut nullus omnino Presbyter, nec de sæculo, nec de Religione, nec Abbas, nec Canonicus, nec Monachus inclusus, nec Eremita, nec etiam Abbas sancti Victoris hujus excommunicationis reum ad se pro confessione venientem suscipiat, neque absolutionem hujus culpæ tribuat, aut pœnitentiam injungat. Quia ego de toto reatu mihi soli absolutionem & pœnitentiam reservavi. Hoc quoque præcipimus, ut Presbyteri, quando excommunicant, hanc nostram prohibitionem omnibus dicant.*

*Can. 18. Malmesbur. pag. 229.*

*Conc. Tom. 10. p. 274. Steph. Paris. pag. 8. 32. 176. 179. 180. & seqq. Adde Synodicum Rotomag. p. 144. 298. 301. 302.*

III. Non abs re erit aliqua hîc animadvertere, quæ non passim obvia sunt. 1. Servat sibi Stephanus absolutionem criminis, postquam perpetratum fuit. Cùm autem civitas tota hujus facinoris immanitate commota fuisset, ejus judicium & absolutionem ipsi ei Canones antiqui vindicabant. Itaque mandato ejus non aliud quam Canones antiqui innovabantur & promulgabantur. 2. Hanc excommunicationem peculiarem sejungit Stephanus ab excommunicationibus illis generalibus, quas in Præconiis suis Parochi promulgabant. Itaque jam tum Parochorum potestas excommunicandi ad has cohibita erat generales in suis ad plebem concionibus excommunicationes: cùm Episcopus peculiares vibret, & in privatam personam excommunicationes. Quo sanè sensu donanda sunt forsan illa jam relata Lemovicensis Concilii verba: *Presbyteri de ignotis causis, Episcopi de notis excommunicare est.* 3. Non dubitare videtur Stephanus Episcopus, quin Abbates, Monachi, Eremitæ & Inclusi quandoque confessiones exciperent, & pœnitentias injungerent. Non aliàs enim illos eo interdixisset. Tacito saltem Episcoporum assensu id fiebat, eratque id veluti residuum aliquod vestigium moris antiqui, cùm venitabant complures ad Abbates Monachosque consulendos, si quos audierant pietate clarescere, ut à dubiis expedirentur suis, & eorum dirigentibus monitis canonicam scelerosæ vitæ peragerent pœnitentiam. 4. At eorum cautissimi quique ad Episcopos referebant, quidquid sibi spinosius incidisset. Ad Episcopum misit Bernardus eum insignem reum, qui missus ad se fuerat, ut ad fontem quendam uberrimum Ecclesiasticæ eruditionis; Is videlicet monasticam antè vitam professus, carnalibus postea nuptiis publicè se implicuerat.

*Epist. 78.*

IV. Presbyterorum quoque is erat potestatis & sapientiæ modus, ut Episcopo excutienda solvendaque servarent, non publica tantùm crimina, quod ipso jure tantum erat: sed ex occultis etiam gravissima quæque. Ita sanxit Odo de Sully Parisiensis Episcopus circa annum 1200. *Sacerdotes majora reservent majoribus, in Confessionibus, sicut homicidia, sacrilegia, peccata contra naturam, incestus, & stupra virginum, injectiones manuum in parentes, vota fracta & hujusmodi, &c.* Pleraque horum criminum non ferè nisi occulta sunt. Jam monui his ipsis statutis Synodalibus id decerni, ut qui reservata Papæ crimina perpetrarunt, ad Episcopum primò se conferant.

*Synod. Paris.*

Id jam decreverat Concilium Eboracense anni 1194. ut quolibet Dominico die Parochi è suggestu excommunicarent, seu excommunicatos denuntiarent perjuros; & ter anno quolibet illud adderent, quod ad terrorem incutiendum pertinet, tympanorum strepitum, & cereorum extinctionem; denique si ad pœnitentiam resipiscerent, eos ut ad Pœnitentiarium, vel ad Episcopum ablegarent. *Et singulis diebus Dominicis excommunicatos denunciet, &c. Ad Episcopum, vel generalem Diœcesis Confessorem transmittantur, &c.*

Concilium Londinense anni 1200. reservatorum casuum numerum auxit, & ejus rei causam non siluit, grassanti nimirum licentiæ scelerum & impunitati medendi necessitatem: *Ad reprimendam multorum malitiam hic duximus adnectendum, ut singulis annis in genere solemniter excommunicentur sortiarii, perjuri supra sacramenta, incendiarii, fures atrociores, raptores. Ita ut qui scienter in dispendium cujuslibet pejeraverint, non absolvantur, nec eis pœnitentia injungatur, nisi ab Episcopo Diœcesano, vel ejus authoritate, præterquam in articulo mortis, & tunc eis injungatur, quòd ex quo convaluerint, Episcopum adeant, ab eo, vel ejus authoritate pœnitentiam suscepturi.*

*Roger. pag. 756. 808.*

Verùm longe major harum reservationum numerus in Synodo Santonensi legitur anni 1280. ut & in Nemausensi anni 1284. Concilium Lambethense in Anglia anno 1281. reservat Episcopo homicidia voluntaria, sive publica, sive occulta. *Absolutionem ab homicidio voluntario, tam publico, quam occulto, solis Episcopis extra necessitatis articulum reservamus.* Subditur quod reservationibus ad Papam pertinentibus præsidio sit, *Per quod minorum intendimus refrenare audaciam, & non majorum reverentiæ in aliquo derogare.* Sed hoc Decreto cùm subjiciantur publicæ pœnitentiæ ea omnia crimina, quæ scandalo gravissimo sunt, Episcopo utique reservantur, qui solus publicas & solemnes pœnitentias administrat. *Cùm juxta sacros Canones peccata graviora, ut incestus, & similia, quæ vulgatissima suo scandalo totam commovent civitatem, sint solemni pœnitentia castiganda, &c.*

*Can. 14.* *Can. 8.*

Concilio Ravennatensi anni 1286. longa series texitur Casuum Episcopo reservatorum; qui tamen omnes demum ad hæc duo capita religantur: eorum quæ jus vel consuetudo generalis, & eorum quæ peculiaris locorum usus reservavit. *In quibus de consuetudine generali, vel speciali Episcopis reservatur confessio.* Quibus non video, quæ aptior firmiorque interpretatio adhiberi possit, quàm si dicatur, crimina publica Episcopis reservata fuisse generali consuetudine, antiquis innixa Canonibus, quòd publica nempe pœnitentia eluenda sint: occulta vero crimina Episcopis quandoque reservari peculiari consuetudine, vel ipsius mandato Episcopi, propter eorum enormitatem. Non satis enim simile veri est, occulta hæc flagitia Episcopo reservari quandoque ex quibusdam quasi reliquiis antiquæ disciplinæ, quæ publicam eis pœnitentiam indicebat, tametsi occultis. Etenim à VII. vel VIII. sæculo exolevit is usus, ad occulta etiam crimina exporrigendæ publicæ pœnitentiæ. Illæ ipsæ duæ species reservatorum Episcopis criminum, videntur & his perstringi verbis Synodi Excestrensis anni 1287. *Majora & notoria nostro Pœnitentiario reservent.*

*Can. 8.* *Can. 3.*

V. In hac Synodo autem, ut & in plerisque aliis, & in Conciliis compluribus promiscuè plerumque referuntur casus sive Papæ, sive Episcopo reservati;

quòd nimirum, ut equidem suspicor, eorum dis-
crimen Episcopi examini permitteretur. *Hi mit-
tendi sunt ad Episcopum, ut ipse quos absolvere poterit,
absolvat, quos verò absolvere non poterit, ad Papam*
Can. 12. *mittat absolvendos.* Episcopus Cicestrensis in Syno-
do anni 1289. reservavit suo judicio graviora quæ-
que crimina. *Enormia delicta nobis, vel Pœnitentia-
rio nostro reservamus.* Concilium Avenionense anni
1326. plurimos casus Episcopo declarat fuisse reser-
vatos, *Jure, consuetudine, vel statuto Provinciali,
vel Synodali.* Concilium Vaurense anni 1368. sanxit,
ut Episcopi facultatem absolvendi à reservatis, tot
largirentur Presbyteris, quot conduceret ad ple-
bium sibi creditarum salutem.

Can. 16. Concilium Arelatense quod in annum 1260. con-
jecerunt Conciliorum Compilatores, illud edocet
nos baud aspernandum, solitos fuisse Episcopos
Quadragesimæ tempore Pœnitentiarios suos mitte-
re ad Parochias ruris, qui mulieres & ægrotantes
à reservatis absolverent. At ibidem damnatur frau-
dulenta eorum nequitia, qui bis Pœnitentiariis ita
cumulatè confitebantur, omnemque peccatorum
sarcinam in eorum aures ita conjiciebant, ut Paro-
cho, *proprio Sacerdoti* confiteri refugerent. Ideo &
vetantur ibidem Pœnitentiarii integras audire con-
fessiones, nisi speciali Episcopi mandato, Parochi-
que assensu freti essent. *Nisi de mandato Prælati, &
licentia Curati.* Concilium Arelatense anni 1275.
jam relatum superiori capite, casuum reservato-
rum prolixa enumeratione præmissa, jubet ut ho-
rum conscientia onerati, ad Episcopos pergant,
Can. 12. vel ab eis ad Pontificem remittantur: *Transmittan-
tur absolvendi per ipsos Episcopos, si id eis de jure com-
petit: alioqui cum eorum litteris ad sedem Apostolicam
transmittantur.* Inde venitur ad complura crimina
Episcopi auribus & clavibus reservata, non eo
quòd publica, sed eo quòd gravia sint, sive illa sint
publica, sive occulta; sicut & in Concilio Nico-
siensi anni 1298. *Majora Episcopis peccata reserventur.*

VI. Concilium Salisburgense anni 1420. prohi-
buit, ne Parochi ad Sacramenta eos admitterent,
quos ipsi ad Episcopum propter reservata crimina
remisissent, nisi ab eo retulissent Epistolas, quæ fi-
dem facerent de impartita eis absolutione, & de
pœnitentia eis injuncta, cujus partem saltem ali-
quam implevissent antè, quàm ad sacrum Christi
Corpus accedere sinerentur. Ad Episcopum ergo
deferebat Pœnitens litteras Confessarii, quibus
flagitiorum species continebantur & circumstantiæ,
ut suprà dictum est; ab Episcopo referebat ad Con-
fessarium, quibus impacta sibi pœnitentia signifi-
Can. 15. caretur, ut hic liquet. Utrumque hoc litterarum
genus multis suprà laudatis Canonibus insinuatum
Can. 17. est. Concilio Dertusano anni 1429. prohibitum
est Presbyteris sæcularibus, ne Confessiones audi-
rent, nisi licentia sibi concessa, vel ab Episcopo,
vel à Vicariis Generalibus, vel à Parocho: sed ne
vel ipsi, vel Monachi absolverent à casibus Epis-
copo reservatis, nisi scripto facta sibi copia, &
expressis casibus, quorum reos possent absolvere.
Episcopus enim quandoque non omnium, sed ali-
quorum duntaxat absolvendorum criminum pote-
statem faciebat, eorum quos sibi reservasset.

Bibl. Clun. VII. Statuta Cluniacensis Ordinis sub Abbate
pag. 1544. Henrico compilata, qui electus est anno 1308. Ab-
1575. 1598. bati & Provincialibus reservant atrociora aliqua
1559. scelera, sicut & potestatem designandi Confessores
& Pœnitentiarios, quibus Monachi confiteantur.
Abbas ipse Cluniacensis integram sibi uni servari
vult absolutionem eorum, qui injussu suo Romam
pertexerint. Alexander III. Papa potestatem con- Bibl. Præ-
cessit Abbatibus Ordinis Præmonstratensis remit- monst. pag.
tendi delicta omnia eorum qui sibi subjicerentur, 532. 634.
atrocioribus tantùm Metropolitano, aut Papæ re-
servatis, cùm publica fuerint. *Majoribus & diffi-
cilibus criminibus, quæ manifesta fuerint, Metropolita-
no, vel Romano Pontifici reservatis.* Innocentius III. C. Cùm o-
definiit, potuisse ab Abbate contra Episcopum lim. De
præscribi potestatem remittendi minora crimina. præscript.
Quod argumento est, non potuisse præscribi ab eo- Fa n. a.
dem potestatem remittendi majora crimina & re- Ibid.
servata, nisi jurisdictionem haberet, quasi Episco-
palem, & quasi nullius esset Diœceseos, ut à Con-
gregatione Regularium declaratum est.

In libro antiquarum Definitionum Cisterciensis Dist. 6. c. 4.
Ordinis, jubentur Regulares confiteri semel heb-
domada qualibet ordinariis Confessariis, Abbati
verò semel quotannis; ac præterea toties Abbati,
quoties in reservatos casus impegerint.

Virgam quasi censoriam stringens Joannes Ger-
sonius in illud Carthusiensium statutum, quo Su-
perioribus reservatur absolutio omnium crimina-
lium, *culpa gravis*: illud non dissimulat, minimè
sibi probari, quòd reserventur crimina omnia,
multò minùs quòd occulta, nisi perrarò, quòd
hæc reservatio publicare quodammodo videatur,
quæ latebant. *Confessis Sacerdotalis de occultis, rarò,* Ioan. Ger-
*& cautissimè debet remitti ad Superiores.* Missa facio son. To. 2.
alia ejusdem Gersonii monita complura, quæ le- pag. 318.
gisse non pigebit circa casuum reservationem. Illud 318. 332.
potissimum urget, ut Parochis liberum sit de occul- 334. 851.
tis omnibus peccatis absolvere.

VIII. In hanc ejus sententiam non descende- Can. 14.
runt Episcopi. Frisingense enim Concilium anni
1440. reservat Episcopis crimina omnia extraordi-
naria. *Quorumquam enormibus criminibus irretitum.* Con-
cilium Suessionense anni 1456. hortabatur Episco-
pos, ne reservatorum absolutionem Regularibus
concederent, nisi paucis & eximiis, & vel illis
etiam non omnium, sed nonnullorum dumtaxat
criminum. At Cardinalis Campegius Legatum
agens à Latere in Germania, & Ecclesiarum refor-
mationi strenuam navans operam, illud in hanc
rem constituit; ut parceretur impensis, & famæ
consuleretur pœnitentium, concederetur postbac
Confessariis omnibus facultas absolvendi laicos à
quibuslibet occultis criminibus, quamvis ea ipsi si-
bi reservassent Episcopi; exceptis hæreticis, ho-
micidis, excommunicatis, qui ad Episcopum re-
mittendi essent: Clericis verò eo postmodum loco
futuris, quo priùs erant. *Constituimus ut deinceps* Can. 9.
*quilibet Confessor absolvere possit Laicos contritos &
confessos, à quibuscumque peccatis occultis quantumcum-
que gravibus & enormibus, quæ ordinarii suæ autho-
ritati reservaverant, exceptis duntaxat homicidis, hæ-
reticis & excommunicatis, ad Episcopum, vel ejus Vi-
carium mittendis. Quod autem ad Clericos, nihil quoad
hoc statutum, intelligatur innovatum.* In Concilio Co- Part. 7.
loniensi anni 1536. Archiepiscopus perpenso quan- c. 37.
tum imminet et periculi & molestiarum à criminum
occultorum reservatione; eorum remittendorum
facultatem omnibus indulsit Parochis. Synodus Can. 19.
Augustana anni 1548. innovavit confirmavitque sta-
tutum Campegii Cardinalis. Concilium Colonien- C. 36.
se anni 1549. Pœnitentiariorum nomen & Provin-
ciam attribuit compluribus Beneficiariis & Regula-
ribus, quibus Archiepiscopus Coloniensis jus & au-
thoritatem impartiit reservata crimina dimittendi.

Denique

Denique Tridentina Synodus novis præsidiis muniens authoritatem, tum Pontificis Romani, tum Episcoporum ad reservandos casus; non eam potestatem revocat ad publica reservanda, sed ad *Seff.14. c.7.* *atrociora quædam & graviora crimina*. Itaque Gersonii monita, quamvis prudentiæ non modicum præ se ferrent, quamvis essent etiam Conciliis quibusdam approbata, nequaquam tamen ejusmodi visa sunt Tridentinis Patribus, quæ Ecclesiæ universæ vel necessaria, vel conducibilia essent.

Concilium I. Mediolanense sub sancto Carolo, recensuit crimina, quæ sibi Episcopi reservarent solvenda, *ad eorum licentiam rescecandam*. nulla habita ratione an publica essent. Concilium III. Mediolanense prohibuit, ne à reservatis hujusmodi criminibus absolverent Regulares; ipsummet enim summum Pontificem declarasse, id eis per Apostolica privilegia non licere. *Act. Eccl. Mediol p.31. 91 765.* *Quemadmodum à sancta sede Apostolica declaratum est, id eis non licere*. Docet ipse Carolus in suis Monitis, id à Gregorio XIII. *Rainal. an. 1462. n.40.* declaratum fuisse juxta sententiam Congregationis Concilii. Concesserat olim Pius II. Congregationi cuidam Lusitanæ, quæ se procurandæ Captivorum redemptioni dicaverat, facultatem absolvendi ab iis, quæ Episcopis reservata essent. At hoc genus facultates à nuperis Pontificibus revocatæ sunt.

Hinc porro elucet quantumvis ad sapientiæ regulas temperata quædam consilia, non omnibus tamen consentire temporum, locorumque varietatibus. Optatum illud fuit Gersonio, fuit & Conciliis quibusdam, ut publica tantùm crimina reservarentur, atque pluribus Presbyteris copia absolvendorum eorum fieret. At nec sancto Carolo, nec Conciliis Mediolanensibus, nec Tridentinæ ipsi Synodo visum est id nostris his temporibus expe- *Cap. 10.* ditum, aut conducibile esse posse. Censuit etiam Concilium V. Mediolanense, mutanda quandoque esse, quæ reserventur crimina, & alia aliàs reservanda: ideo & Episcopi jussi ea desinente qualibet Synodo, designare, quæ reservarent. Quod ad causas porro & excommunicationes attinet, quas jus Canonicum & Decretalium libri, vel *Acta Eccl. Med. p.938 &c.* Papæ, vel Episcopis reservant, eas in unum congestas leges, si voles, ad calcem Actorum Ecclesiæ Mediolanensis. Non pauca ibi sunt ab usu Gallicanæ Ecclesiæ aliena. Sed jam non semel patuit, non ad ea restringi nostram hanc lucubrationem, quæ usu recepta sint apud Gallos nostros.

## CAPUT XV. *P.4. l.1. c.72.*

### De Indulgentiis.

*I. Exempla antiquiora Indulgentiarum, à Papa concessarum, ab Episcopis, à Parochis, communi consensu.*

*II. Episcopi sibi mutuò copiam alii aliis faciebant, relaxandorum ex parte aliqua laborum pœnitentiæ.*

*III. IV. Cùm ea potestate jam non pauci abuterentur, eam Concilium Lateranense IV. ad dies quadraginta coarctavit. Ne Romani quidem Pontifices tunc plures plerumque indulgebant. Qua die dedicabatur Ecclesia, annus remittebatur ex Indulgentia. Cur & quomodo.*

*V. Revocant etiam Episcopi concessas à se facultates largiendarum Indulgentiarum.*

*VI. Progressio Indulgentiarum usque ad Concilium Constantiense.*

*VII. Virorum præstantissimorum sententia & votum, ut modus ponatur Indulgentiis. Antiquissimus earum usus hanc flagitat moderationem.*

*VIII. Quæ prima concessa sunt Indulgentia plenissima, ea non pœnas tantum hic luendas, sed & post mortem subeundas in igne purgatorio exolvebant.*

*IX. Jamdiu est quod Concilia & Pontifices conspirant & connituntur ad Indulgentias moderandas.*

I. Latior locupletiorque est Indulgentiarum materia, quàm ut hîc eam pertractare totam adgrediar. Unam delibare quæstionem animus est, circa jus seu Pontificis, seu Episcoporum ad eas sibi reservandas. Statim incurrit in oculos, quàm arctè cohæreat ea quæstio cum iis, quæ superioribus capitibus disceptata sunt. Ad Alexandrum II. Papam ablegatus fuerat ab Episcopo Italiæ Presbyter, qui Presbyterum alium de medio sustulerat, ut ab ipso maximè Pontifice tam infando facinori justa pœna decerneretur. Annos pœnitentiæ indixit *Epist. 59.* Pontifex quatuordecim, qui numerus dimidio minor erat eo, quem Canones definierant. Denique præcepit Pontifex Episcopo, ut pœnitentem ejusmodi in Monasterium aliquod contruderet, ubi exploraretur, quo ille fervore animi stadium pœnitentiæ decurreret. facta etiam tum Episcopo, tum Abbati potestate minuendi & temporis & rigoris, post triennium certè, si tantulo saltem tempore nihil ille remisisset de æstu & studio expiandi sceleris. *Et si tibi, vel Abbati videtur sibi remittere, si hunc observasse pœnitentiam videris, post tres annos liceat.*

Hoc exemplo dilucescit illud studiosè observandum, quo tempore certabant Episcopi, ut Papæ judicio reservarent atrocium scelerum reos, ut eorum pœnitentiæ labores ipse definiret, unde casuum reservatio, tum cœpisse quoque Indulgentias increbrescere. In hoc ipso enim exemplo Pontifex quidem ipse primus remisit dimidium pœnitentiæ tempus; annosque duodetriginta, quos Canonica præscripserant, in quatuordecim contraxit. Concessit etiam Episcopo, immo & Abbati Pœnitentia custodi & exploratori, ut de dimidiata jam pœnitentia vel decurtarent aliquid temporis, vel laboris mitigarent. Ita potestas Episcoporum ad concedendas Indulgentias arctiori gyro concludebatur quàm priùs: ejusque rei authores ipsi erant. Cùm enim insignium horum facinorum pœnitentiam Papæ semel commisissent, sua se ipsi authoritate abdicaverant; nec de pœnis deinceps à Papa præfinitis quidquam ipsis nisi eo permittente poterant detrahere.

Presbyter quo de agimus, Romam transmissus fuerat, *ad judicium canonicæ pœnitentiæ suscipiendum.* Sed suggeritur exemplum aliud misselli hominis, qui inopinus fratris sui morti occasionem præbuerat. Pœnitentiam ei canonicam inflixere Episcopi Petracoricensis & Tolosanus, cum Hugone Abbate, *Cui licet condignam religio vestra injunxerit & laudabilem pœnitentiam.* At cùm reus Romam profectus esset, Alexander idem II. aliam, eamque, ut credere æquum est, mitiorem ei pœnitentiam injunxit, *Circa eum pœnitentiæ viscera exhibentes*, faculta- *Epist. 33.* temque eis Episcopis indulsit, ut clementiæ & lenimenti adhuc aliquid adjicerent, si Pœnitentis vel vires vel animum labascere viderent. *Hæc omnia illi ita injunximus, ut si infirmitatem ejus hæc minimè ferre posse providentia vestra præsenserit, licentiam habeat miserendi, prout placuerit.*

Est quod vehementiùs miremur in eo parente, qui filio præter mentem, præter voluntatem suam mortem intulerat. Hujus enim cùm definisset Pon- *Epist. 17.* tifex idem totius pœnitentiæ curriculum, laboresque ejus omnes præfixisset & macerationes; earum minuendarum potestatem non Episcopo tantùm

concessit, sed & Presbytero cuicumque cordato & probo. *Si quis autem Episcopus, vel Religiosus Presbyter causa pietatis aliquid sibi relaxare voluerit, hoc ei Apostolica authoritate concedimus.* Hinc palam fit, non Episcopis tantùm, sed & Abbatibus Parochisque & Presbyteris communicatam esse potestatem indulgendi & remittendi aliquid de pœnitentiis canonicis, & iis ipsis quas suo ipsius ore Pontifex indixisset.

II. Eadem vigebat inter Episcopos mutua charitas humanitasque. Cùm enim Sagiensis Episcopus modum pœnitendi præscripsisset infando sicario, qui peregrinos tres interfecerat, ad sancti Michaëlis Templum voti causa proficiscentes: litteras confestim dedit, quibus Episcopis prorsus omnibus potestatem faciebat, ut aliquid ex ejus pœnitentia decerperent. Deprumptum est hoc exemplum ex Epistola Lanfranci Archiepiscopi Cantuariensis, ad Thomam Archiepiscopum Eboracensem, quem ea de re commonefaciendum esse duxerat.
Epist. 9. *Cui ex more pœnitentia injuncta, commonitorias litteras sibi tradidit: ut si quis Episcopus pietate motus, misericordiam ei vellet impendere, potestatem haberet, quantum vellet, ipsi ignoscere.*

Gregorius VII. nihil aliud quàm Archiepiscopum Salisburgensem oravit, ut veniæ aliquid faceret, contemplatione Romanæ peregrinationis. *Pro*
L.5. Ep. 30. *amore sancti Petri, cujus limina præsentium portitor requisivit, studeat Religio tua viscera pietatis sibi aperire in quantum cum salute animæ suæ videtur tibi posse fragilitati suæ condescendere, quatenus non pœniteat eum tanti itineris laborem subiisse, &c.* Cùm Archiepisco-
Synod Roto. pag. 149. pus Rutomagensis, aliique Episcopi Tuoicam Christi Servatoris apud Argentolium veneratì fuissent, anno 1156. criminum graviorum reis annum relaxarunt unum de injunctis pœnitentiis; levioribus culpis dimidiam remisere pœnitentiam: denique totam remisere iis, quorum negligentia quadam pueros intra septennium mori contigisset; solo inflicto Feriæ sextæ jejunio, cujus etiam concessere Presbyteris, ut veniam facere possent Pœnitentibus, qui orandi gratia ad Ecclesiam procederent. Alexan-
Baron. an. 1177. der III. qui Ecclesiam inviserent, quam ipsemet dedicaverat, illis *annum unum de criminalibus, septimam partem venialium relaxavit.* Hæc ex Baronio.

III. Erat indubitatissimè tunc permagna Episcoporum parcitas in dispensandis Indulgentiis; cùm & Pontifex eis annueret, & ipsi invicem sibi concederent potestatem levandi contrahendique præscriptis Pœnitentibus pœnas. At ab illa certè moderatione descitum erat tum, cum Lateranense Concilium IV. sub Innocentio III. Anno 1215. querebatur effusiore licentia indulgendi in contemptum venisse claves Ecclesiæ, solutamque esse fibulam dis-
Can. 62. ciplinæ canonicæ. *Quia per indiscretas & superfluas Indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non reverentur, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur.* Ergo sanxit hæc Synodos, ne possent posthac Episcopi amplius quàm anni unius Indulgentiam facere eo ipso primùm die, quo Ecclesiam dedicarent: non amplius autem quàm dierum quadraginta anniversario quoque die: *Quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat:* denique ne quacumque occasione alia ultra quadraginta dies remitterent, *cùm Romanus Pontifex, qui plenitudinem habet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare.*

IV. Id decretum tunc fuit, idque postea in jus commune receptum est, nempe in Decretalium libros relatum; id denique à Bonifacio VIII. innovatum est: *Indulgentiæ, quæ ab uno vel pluribus Episcopis in Ecclesiarum dedicationibus, vel aliis quibuscumque casibus conceduntur, vires non obtinent, si statutum excesserint Concilii generalis.* Vix ambigi potest, quin quadraginta dierum numerus, ut antè pœnitentiis, ita postea Indulgentiis dicatus fuerit. Unius vel plurium Quadragesimarum jejunia uno vel pluribus annis infligebantur. Quadraginta dierum indulgentia unius erat jejuniorum Quadragesimæ remissio. At verò unius anni Indulgentia ad dedicationem Ecclesiæ eò spectabat, ut Pœnitentes ad diem ipsum & ad anniversarium deinceps diem dedicationis confluerent. Ejus rei argumentum elicitur ex Mandato Pontii Arelatensis Archiepiscopi, anno Christi 1000. ubi annuæ remissionis ordo dispensatioque ipsa describitur pœnarum canonicarum. Concessio autem illa facta est in Dedicatione Ecclesiæ Monasterii Montis-majoris: *Si talis est qui per indictam sibi pœnitentiam non introeat in Ecclesiam, nec communionem Corporis Christi, nec osculum pacis accipiat, nec capillos sibi tondeat, aut radat, nec linum vestiat, nec feria secunda, aut quarta, aut sexta aliquid gustet præter panem & aquam: hic si ad dictam Ecclesiam venerit in die Dedicationis, aut semel in anno, & adjutorium dederit ad opera Ecclesiæ, ex parte Domini nostri Jesu Christi & ex nostra sit absolutus de tertia parte majorum peccatorum unde pœnitentiam habet susceptam, usque ad ipsum diem revertentis anni, & habeat licentiam intrandi in totas Ecclesias per totum ipsum annum, communicandi, & pacem accipiendi, & tondendi, & radendi, & lini vestiendi, excepto quadragesimali tempore, & jejuniis de quatuor temporibus. Et si tres dies de septimana sunt ei vetati per pœnitentiam, unum reddimus ei, ut comedat & bibat quod ei Deus dederit, duos alios jejunet; & si duo, unum reddimus ei; & si unus, illum reddimus ei, tali tenore, ut pascat tres pauperes. Denique illos qui de minoribus peccatis sunt confessi & habent pœnitentiam acceptam, si venerint ad Dedicationem Ecclesiæ, aut semel in anno, cum adjutorio ad opera Ecclesiæ, absolvimus de una medietate acceptæ pœnitentiæ, usque ad unum annum. Omni anno absolutio quæ facta fuit in Dedicatione, celebrabitur annua recursione, si venerint pœnitentes.* Planum hic est majorum minorumque criminum pœnitentias distingui; annum pœnitentiæ relaxari unum, ut vertente anno invitarentur Pœnitentes ad ventitandum ad anniversarium Dedicationis diem, Indulgentiæ adhuc aliquid ibi tum consecuturi; denique plenas seu plenarias, ut loquuntur, non fuisse has Indulgentias; non tantùm propterea quòd ultra annum non procedebantur, sed etiam quòd eo ipso Indulgentiæ & remissionis anno portio aliqua canonicarum pœnarum subeunda erat.

C. Cum ex eo. De pœnit. C. Indulgentiæ. In Sexto De Remissionibus.

Spicil. To. 6. p. 427. 441. 442.

V. Hoc nimirum in Concilio Lateranensi IV. contracta est Episcoporum potestas largiendi Indulgentias; sed ita necesse fuit, ut angustos ipsi sibimet circumscriberent limites, quò viam præcluderent effusioribus quorundam hactenus largitionibus. Ea scilicet non clementia erat, sed exitialis inclementia, iis ipsis quibus indulgebat infesta, ex qua & vigor Canonum pœnitentialium, & pœnitentia ipsa enervabatur.

In se ipsos austeri, nihilo mitiores fuere Episcopi in alios: revocata potestate, quæ multis antè concessa fuerat, & qua multi abusi fuerant, leniendi pœnas canonicas. Id quidem manifestum facit Concilium Salisburgense anni 1274. ubi revocatæ sunt Can. 6.
facultates, quibus antè Archiepiscopi Episcopique

Monachos instruxerant, ad leniendam canonicarum pœnitentiarum authoritatem: *Remissionibus & Indulgentiis faciendis*. Idque factum, quòd ea licentia licentiosiùs aliqui uterentur: *Fratrum aliqui potestate sibi tradita sunt abusi*. In hoc eodem Concilio suspensæ sunt Indulgentiæ hactenus à præcedentibus Episcopis concessæ, donec eas examinasset Episcopus & confirmasset.

Can. 20. In Concilio Ravennate anni 1314. eadem revocatio facta est omnium Indulgentiarum, quas Prædicatores publicarant permittente Episcopo vel Papa; & ultra fines tamen Episcopis præscriptos, quod in ipsius Episcopatûs contemptum redundabat. Extundebantur autem Episcopis hæ facultates juri Canonico inimicæ, à viris magnatibus. *Quia propter potentium importunitatem, nos & alii Provinciales Episcopi nonnullis personis religiosis concessimus, ut Indulgentias, quando prædicarent, vel alias, possent annuntiare, &c.*

Can. 11. VI. In Concilio Ravennate anni 1317. concessi sunt quadraginta Indulgentiæ dies, omnibus qui ad Concilium convenerant, aut qui ejus convocationi & celebrationi operam navarant, quadraginta, inquam, dies pro diebus singulis quibus pio huic negotio operam navarant. Concilium Avenio-
Can. 4. nense anni 1326. decem Indulgentiæ dies iis concessit omnibus, qui ad nomen Jesu ab aliquo pronuntiatum caput inclinarent. Totidem ad idem in-
Can. 1. dulsit & Concilium Biterrense anni 1351. Quo utroque in Concilio testificabantur Episcopi obsecundare se velle Decreto Gregorii X. qui ad hoc Christianæ pietatis documentum, maximè inter Missarum solemnia, Fideles omnes excitarat. Concilium
Can. 87. Vaurense anni 1368. Narbonense 1394. & Colo-
Can. 27. Can. 10. niense 1423. plurium dierum veniam fecerant, pro consimilibus aliis Christianæ pietatis officiis. Con-
Sess. 23. cilium Pisanum anni 1409. plenaria Indulgentia cumulavit eos omnes, qui vel affuerant, vel gratia & suffragio suo faverent huic Concilio. *Indulgentiam plenariam à pœna & culpa semel in vita.* Pontifex eandem indulsit plenissimam veniam in extremo vitæ discrimine. Martinus V. Pontifex fautores omnes Concilii Constantiensis eodem gratiæ ve-
Sess. 45. niæque cumulo donavit. Itaque plenariæ Indulgentiæ largitores sunt vel Romani Pontifices, vel Synodi generales; Episcopi Synodique Provinciales non sibi sumunt, ut plusquam dierum quadraginta concedant. Cùm anno 1423. Cantuariensis Archiepiscopus plenariam despondisset Indulgentiam omnibus Cathedralem suam Ecclesiam visitaturis, ejus similem quæ in Romano Jubilæo promulgatur, fra-
Rainal. an. 1423. n. 21. terna illum correptione Martinus V. Papa objurgavit.

VII. Cùm Legatum ageret in Germania Cardinalis Cusanus, in Concilio Magdeburgensi anni 1450. declaravit, Sedem Apostolicam in concedendis Indulgentiis nunquam his uti verbis, *à pœna & à culpa*: sed his potiùs, *omnium peccatorum remissionem*: cùm Canones autem criminum pœnitentiam in septem annos protrahant; immo & in quatuor-
Rainal. an. 1460. n. 10. decim, si enormia sint: compendiosissimum esse hanc canonicarum pœnarum acerbitatem redimere, & Purgatorii ignis cruciatus illis admetiendos
Rainal. an. 1517. n. 76. 79. & anno 1518. n. 118. beneficio Indulgentiarum. Anno 1517. Cardinalis Cajetanus Tractatum edidit de Indulgentiis, ubi vim Indulgentiarum ad leniendas canonicas pœnas revocare videbatur. *Est igitur Ecclesiastica Indulgentia absolutio à pœnitentia injuncta in foro pœnitentiali.* Non dissimulavit etiam nec ab ipso Pontifice

concedi posse Indulgentias, nisi justis de causis, sobriéque & cum modo, servataque proportione meritorum; cæterùm præsumendum semper esse in favorem Judicis, nisi apertissima pateret injustitia. *Præsumitur de jure pro judice semper, nisi manifestè appareat error, supponens non ex causa legitima datam tantam Indulgentiam.* Denique refellebatur eo libello Novatorum allucinatio, qui pœnas canonicas, adeoque & Indulgentias opinabantur, publicis tantùm criminibus indictas aptatasque fuisse; contrà ipse autem ostendebat, occultis etiam criminibus inflictas fuisse canonicas pœnitentias, quæ occultè & privatim exercerentur.

Jure ergo Concilium Mediolanense I. pœnas illas quas sacri Canones adversùs crimina quælibet decreverunt, voluit confitentibus à Presbytero ob oculos poni, tum ut criminum atrocitas aperiretur, tum ut pœnitentiarum canonicarum spontaneus forsan amor aliquis insereretur eorum animis. Est autem perutilis ea Canonum pœnitentialium inculcatio, non solùm ut ne eorum memoria obsolescat; sed etiam ut Indulgentiarum, quæ sit origo, quæ natura & vis intelligatur. Acta Eccl. Med. ol. pag. 11.

Conducit illa etiam canonicarum pœnitentiarum memoria, ut planum fiat, quando ab Episcopis, immo & à Presbyteris conferri potuerint Indulgentiæ; quòd potuerint scilicet illi de pœnis per Canones definitis aliquid condonare pro modulo fervoris & pietatis, quam præ se ferebant pœnitentes. Verùm ut Presbyteri pœnitentias maximè publicas non administrarunt, nisi ex delegatione Episcoporum, qui pastores sunt primarii & principes super Diœceses quaslibet à Christo instituti: ita & ad Episcopos spectavit ministerium & dispensatio Indulgentiarum. Denique Episcopis licebat per Canones levare & lenire labores ac pœnas canonicis decretis constitutas, non omnino tollere: inde est quod nec plenarias unquam ab eis promulgari Indulgentias jus fasve fuit.

VIII. Pontifices ipsi Romani plenarias non antè Indulgentias concessere ullas, quàm cùm ad sacras in Orientem expeditiones classicum ipsi cecinere, & ad Orientalis Ecclesiæ recuperationem innumerabiles pœnitentium turmas coëgere. Qui pœnitentes enim, iidem milites belli sacri fuere, non injuriâ: cùm militiæ hujus labor & asperitas facilè superaret omnes pœnitentium ærumnas & labores, certè exæquaret. Itaque si æqua lance rem pensites, nusquam minus remissum est laborum & pœnitentiarum, quàm in hac, quæ plenariarum Indulgentiarum prima censetur esse, remissione. Hoc sensu Gerson. To. 2. pag. 327.
forsan Gersonius ita habet: *Unde plena Indulgentia vix solebat dari passagio Terræ sanctæ.* Author est Baronius ipse ante bella Palæstinæ sacra, Pontifices Baron. an. 1177. n. 49.
nunquam veniam fecisse ampliorem, quàm unius anni Indulgentiæ.

Idem censeri debet de Indulgentiis, quæ tum despondebantur iis, qui Romam proficiscebantur, Christum adoraturi ad monumenta sacra Principum Apostolorum. Etenim defatigatio, labores, sudores, impensæque tanti itineris, jejunia, preces, eleemosynæ, aliaque pietatis opera, quibus sacra peregrinatio veluti condiebatur: id nimirum efficiebant, ut ipsa Jubilæi Indulgentia quantumvis plena, non expungeret tamen nisi partem aliquam pœnarum canonicarum, cùm pars altera illis qui præcucurrerant laboribus esset exhausta. Ita enim quondam Episcopi juxta Canones de canonicis pœnitentiis quod residuum erat condonabant,

cum id erat pœnitentium studium, ea sedulitas, is charitatis æstus, cui merito id donaretur. Narrat Abbas Uspergensis anno 1116. à Paschali II. quadraginta dierum Indulgentiam concessam esse visitantibus venerantibusque limina Apostolorum. Itaque ne hæc quidem Indulgentia initio nisi parcissima fuit, nedum plenaria.

Baron. an. 1116. n. 6.

Jure ergo Innocentius III. Episcopales Indulgentias intra dies quadraginta coërcens, profitebatur eodem se gyro continere Romanos Præsules in Ecclesiarum dedicationibus, ubi & frequentiùs & copiosiùs Indulgentiæ effundebantur. Jure etiam Gersonius contestabatur Indulgentiis modum adhibendum esse, spectata æquitate, utilitate Ecclesiæ, ædificatione fidelium, & laborum meritorumque: habita ratione.

Ubi suprà.

IX. Ideo & Sixtus IV. in Extravagantibus Communibus ultra modum effusas Indulgentiarum largitiones justum in modum revocare satagebat. Clemens VIII. pressit ejus vestigia. Tridentinis Patribus in votis fuit, ut abusiones omnes expurgarentur, eademque earum parcimonia nunc vigeret, quam primoribus Ecclesiæ sæculis viguisse compertum est. *Moderationem juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit.*

Extravag. Comm. l. 1. tit. 9. c. 5. Baron. an. 847.

Conc. Trid. Sess. 25.

---

## CAPUT. XVI. *P. 4. l. 1. c. 73.*

## De Pœnitentia publica, post annum Christi millesimum.

*I. Illustrissimorum Principum exempla pœnitentiæ publicæ ante mortem, in Gallia, Anglia & Hispania.*

*II. Exempla varia Pœnitentiæ publicæ ab Innocentio III. inflictæ, qui veluti parens authorque est juris Canonici novi.*

*III. In hæc exempla multa observantur, ex quibus liquet, nec extremis his sæculis aboleri omnino potuisse pœnitentiam publicam.*

*IV. Pœnitentiæ publicæ exempla indicta ab Innocentii III. successoribus.*

*V. Ad occulta crimina pertinet, quod aliqui senserunt, arbitrarias esse pœnitentias. Probationes ex libris Decretalium, ubi publicis criminibus Pontifices publicas semper pœnitentias indicunt.*

*VI. Episcopi & Synodi Particulares publicis quoque semper pœnitentiis mulctabant publicè peccantes. Probationes usque ad Concilium Tridentinum.*

*VII. Jubet Tridentinum Concilium publica pœnitentia expiari publica scelera, concessa tamen Episcopis dispensandi potestate. Quod Tridentinum Decretum firmarunt Concilia, Mediolani sub Carolo, & in Galliis habita.*

*VIII. Post Concilium Tridentinum possunt Presbyteri publicas indicere pœnitentias.*

*IX. Christiani Principes ipsi revocari usum pœnitentiæ publicæ flagitaverant.*

*X. Consensus Ecclesiæ Græcæ cum Latina.*

I. CUm Pœnitentiario potissimum incubuerit munus regendæ pœnitentiæ publicæ, de ea disserendi proprius hic locus est. Publicis certè ex parte saltem annumerare possumus pœnitentiis, quas magni persæpè Principes subibant appetente jam morte. Narrat Sugerius Abbas, ut Ludovicus Crassus Galliæ Rex, cum è vita jamjam migraturus esset, in Episcoporum conventu, Abbatum, Presbyterorumque commissa sua publicè confessus sit, atque ita Eucharistiæ viatico recreatus fuerit. *Convocat Episcopos & Abbates, & multos Ecclesiæ sacerdotes; quærit rejecto pudore omni coram devotissimè confiteri.* Ex illa quidem tunc ægritudine convaluit Ludovicus, at non multo pòst rursum gravissimo correptus morbo, confessus est rursum Episcopo Parisiensi & Abbati sancti Victoris, *cui familiarius confitebatur:* denique in cineres demitti, & ita animam exhalare voluit.

Du Chesne. To. 4. pag. 320. Baron. an. 1136.

Pœnitentiis publicis accenseri potuisset illa regni abdicatio, secessioque in Monasterium Cluniacense, quam meditatus diu fuerat Philippus I. Franciæ Rex, calcaria addente Hugone Cluniacensi Abbate sanctissimo: si quàm piè Philippus id consilii capessiverat, tam fortiter executus esset. Affirmabat Hugo Abbas in ea quam ad Philippum scripsit Epistola, Monasterium Cluniacense olim vocitatum fuisse asylum pœnitentium. *Quam Patres nostri asylum pœnitentium nominaverunt.* Addebat & illud, percontatum aliquando fuisse Philippum Regem, an ullus aliquando Rex Monastico se ordini mancipasset. *O magnè amice, recordamini, quia me aliquando interrogastis, An aliquis unquam de Regibus factus fuerit Monachus.* Se vero respondisse, Gunteramnum Regem sæculi pompæ & vanitati aliquando tandem remisisse nuntium, monasticam vitam amplexatum: nec posse ipsum certiori ac sinceriori pœnitentia anteactæ vitæ commissa eluere, quàm si in claustrum monasticum secederet, ubi inter Monachos regio tamen cultu frueretur, ubi terreni honoris & regni contemptu sterneret sibi viam ad immortalem gloriam, & ad æterni splendorem regni. *Mutate vitam, corrigite mores, appropinquate Deo per veram pœnitentiam & conversionem perfectam. Quam videlicet pœnitentiam vel conversionem, nec faciliori ut credimus, nec certiori via potestis apprehendere, quàm quod multum volumus & optamus, monachica professione. Et nos parati sumus, vos ut Regem habere, ut Regem tractare, ut Regi servire; & pro vobis Regi Regum devotius supplicare, ut vos propter se ex Rege Monachum, ex Monacho in Regem per se restituat.*

Spicil. to. 11. pag. 401.

Anno 1092. Alfonsus Hispaniæ Rex ita vitam instituerat, referente ad eum annum Bertoldo Presbytero, ut videri posset, *in conversatione Abbatis Cluniacensis obedientiarius*; denique abiturum regno fuisse, & Monasticæ vitæ normam sectaturum, & habitu Cluniacensium induendum, nisi Abbas Cluniacensis ipse censuisset, Reipublicæ Christianæ conducibilius esse, ut ea sanctitate & religione conspicuus Rex, regno præesset, & exemplis suis illud informaret, quàm ut sibi viveret & in claustro lateret. *Qui etiam jamdudum se ibidem Monachum fecisset, si dominus Abbas ad tempus eum sub sæculari habitu retinere non satius judicaret.*

Commemoratum est & à Matthæo Paris, ut Angliæ Episcopus Cicestrensis scelera omnia palam ante obitum confessus sit astantibus Abbatibus & Prioribus Neustriæ, quoscumque convocare potuerat, & in pœnitentiam infligi sibi poposcerit pœnas Purgatorii usque ad extremum judicii diem; interim autem indui voluerit habitu ipso Monachorum, quos acerbissimè insectatus fuerat. Non multum ab his abludit mors Henrici I. Regis Angliæ, ut à Vuillelmo Malmesburiensi narratur. Publicè enim confessus est astantibus Episcopis omnibus, & triduo ter ab illis absolutionis beneficium consecutus est. *Tertiò eum & per triduum absolvimus.* At Henricus Rex Angliæ superstite Henrico II. Rege & patre inunctus, publicè facinora sua omnia confessus, funemque collo circumligans, eo trahi se voluit è lecto in quo decumbebat, in locum cineribus conspersum: *Convocatis Episcopis & viris religiosis qui aderant, primùm secretò, deinde coram omnibus sua confessus peccata, pœnitentiam & suorum recepit absolutionem peccatorum, &c. Ligato fune in collo*

An. 1198.

Hist. Nov. L. 1. pag. 178.

*suo, dixit Episcopus, Trahite me, &c. Et fecerunt sicut*
Rogerius pag. 620. 654. *præcepit.* Ita Rogerius, qui postea de Henrico ipso II. qui filio Regi superstes fuit, hæc habet: *Fecit se deferri in Ecclesiam ante Altare, & ibi communionem Corporis & sanguinis Domini devotè suscepit, confitens peccata sua, & ab Episcopis & Clero absolutus obiit.* Ita tum moris erat, ut Episcopi, Reges, aliique natalium aut dignitatis splendore spectabiles viri, non tantùm cilicio & cineribus immorerentur, sed & in Ecclesiam deferri se juberent, ibique absolvi à pluribus Episcopis, qui publicæ eorum pœnitentiæ mortique præsentes aderant. Solemnes istiusmodi absolutiones post mortem iterabantur, mortuis etiam suffragaturæ, si eo loco essent, ubi juvari viventium precibus vel possent, vel egerent. Hæ verò postremæ ab Episcopis aut Presbyteris compluribus absolutiones exequiales necdum exoleverunt.

Idem præterea Rogerius ad Richardum Angliæ Regem delapsus, Henrici II. filium, & peractam ab eo narrans publicam pœnitentiam coram Episcopis, anno 1190. dum optima valetudine uteretur; hoc primum nobis approbat, idque magni profectò ponderis, eas videlicet quæ ad mortis ipsius adventantis primos quasi afflatus in usu erant pœnitentias publicas, easdem ipsas esse, quæ extra mortis discrimen usitatæ semper fuerant, & ne tum quidem exolevisse dici poterant. *Convocatis in unum universis*
ibid. pag. 682. 756. *Archiepiscopis & Episcopis suis, nudus procidens ad pedes eorum, vitæ suæ fœditatem coram illis Deo confiteri non erubuit. Vepres enim libidinum excesserunt capitis illius, &c. A prædictis Episcopis pœnitentiam recepit, & ab illa hora deinceps factus est vir timens Deum, &c.*

Denique idem alibi Rogerius Decretum profert Concilii Eboracensis anni 1195. quo sanciebatur, ut rei perjuriorum, tum quidem tam frequentium, quàm exitialium, pœnitentiam acciperent ab Episcopo, vel à Confessore generali Diœceseos, seu à Pœnitentiario; siqua autem lethalis eos ægritudo invaderet, insinuaretur tum quidem eis pœnitentia tantùm: at illud interim juberentur, ut si vires aliquando reciperent, ad Episcopum vel ad Pœnitentiarium properarent, pœnitentiam subituri canonicam. *In extremis laborantibus insinuanda, non imponenda pœnitentia est, eisque firmiter injungatur, ut si vixerint, Episcopum vel generalem Diœcesis Confessorem adeant, ut eis pœnitentia competens imponatur.*

Saxo Grammat. l. 10. His Angliæ Regum exemplis addi potuisset illud Suenonis Daniæ Regis non minùs stupendum, quod à Saxone Grammatico litteris mandatum est. Iræ æstu efferbuerat, & immaniter sævierat Rex in aliquot Nobiles, quorum cruorem fuderat. Roskildensis Episcopus Vuillelmus ea ipsa fretus animi magnitudine, qua quondam Ambrosius, nec Theodosium sibi deforet auguratus, Regi Ecclesiæ januas occludi jussit. Nec spe tam præclara frustratus ille est. Rex enim publica perfunctus est pœnitentia, eo animi fervore, ea sui dejectione, ut professi sint Historici ex hac ipsa humilitatis laude supremum accessisse cumulum gloriæ Suenonis, alioqui jam splendidissimæ. Baronius Regis hujus mortem conjicit in annum Christi 1067. Ericus verò Daniæ Rex cùm experiri incautiùs voluisset lyricinis peritiam stupendam, qui quoscumque libuisset, in furorem verteba chordarum suarum pulsu & concentu terrifico; cùmque eo furore correptus multos interemisset, tantum facinus luit peregrinatione Hierosolymitana. Ita perhibet idem
L. 12. Saxo Grammaticus.

Ejusmodi pietatis documenta edidere & Hispaniæ Reges. Memorat Rodericus Archiepiscopus Toletanus, ut Ramirus Rex publicè coram Episcopis confessus & Abbatibus, Eucharistia impartitus sit, regno se abdicarit, & mox efflarit animam. *Facta confessione Episcopis & Abbatibus, qui secum* Rodericus
*aderant.* Ferdinandus Rex in eadem ingressus est L. 5. c. 8.
vestigia: *Vocatis Episcopis & Abbatibus, & viris re-* L. 6. c. 14.
*ligiosis, unà cum eis fecit ad Ecclesiam se deferri, &c.* Mariana.
*Exutus Regalibus ornamentis, pro venia exorabat, &* L. 9. c. 5.
*recepta ab Episcopis pœnitentia & gratia ultimæ unctionis, indutus cilicio & conspersus cinere, duobus diebus in pœnitentia atque lacrymis supervixit.*

Non deesset sylva uberior exemplorum etiam recentiorum, si necesse esset plura coacervari. Eo tandem res rediit, ut habitus in extremo vitæ discrimine indueretur Religiosi alicujus Ordinis, fama sanctitatis florentissimi, ut hoc ultimo saltem defungerentur pietatis pronæque venerationis testimonio in publicam pœnitentiam, cui immori percuperent, & cujus se pretiosissimis exuviis indui & quodammodo ante mortem consecrari vellent.

II. Venio ad expressiora publicæ pœnitentiæ documenta, cujus usus nunquam omnino ad publica certè peccata oblitteratus fuit. Posterioribus etiam his sæculis exempla ejus edita sunt cum primis illustria; denique ei in usum vocandæ aut revocandæ insudarunt hactenus Synodi legesque Ecclesiasticæ. Henrici II. Regis Angliæ pœnitentiam publicè gestam exequitur Matthæus Paris, cùm temerè & inconsideratè verba ei aliqua excidissent, ex Paris. anno 1174.
quibus ansam arripuissent nefarii parricidæ, necemque immanissimam intulissent B. Martyri Thomæ Cantuariensium Archiepiscopo. *Ab Episcopis qui tunc præsentes erant, absolutionem petiit, carnemque suam nudam disciplinæ virgarum supponens, à singulis viris religiosis, quorum multitudo magna convenerat, ictus ternos aut quinos excepit.*

Innocentius III. pœnitentiam incussit publicam Rainal. an.
ei Scoto, qui Episcopo linguam absciderat, præci- 1202 n. 10.
piens, ut præter satisfactionem & virgas ad Eccle- 11.
siæ januam, præter plura jejunia, triennio in Palæstina militaret, *arma de cætero contra Christianos minimè assumpturus*: denique copia data Episcopis, ut demere aliquid possent de jejuniis præscriptis: *Nisi fortè per indulgentiam alicujus discreti Pontificis, vel propter debilitatem corporis, vel propter fervorem ætatis hæc abstinentia temperetur.* Hunc Pœnitentem Orcadensis Episcopus ad Pontificem miserat, à quo & ad illum remissus est cum breviculo pœnitentiæ ab eo exigendæ: *Injunctam sibi pœnitentiam eum facias observare.* Non multùm dissimilem eo ipso anno pœnitentiam injunxerat idem Pontifex ei qui natam conjugemque propriam interemerat, eo quodammodo adactus à Sarracenis, dum sæviret fames. Sed tum hæc additamenta prorsus observanda adjecit Pontifex, ne uxorem ducere unquam posset, nec publicis interesse spectaculis, centies ut die qualibet iteraret orationem dominicam, centiesque genu flecteret. *Sine spe conjugii perpetuò perseveret, & publicis ludis nunquam intersit; orationem Dominicam centum vicibus dicat in die, ac toties genuflectat.* Denique hoc eodem anno mandatum est ab eodem Pontifice Archiepiscopo Lugdunensi, ut in Monasterium compingeret Clericos, ejus criminis conscios, quod publica pœnitentia eluendum esset.

Anno proximo pœnas legesque etiam austeriores adjecit idem Pontifex iis, qui Episcopi Virisburgensis detestanda cæde manus cruentaverant sacri-

legas. Edixit quippe, ne arma gestarent unquam, nisi in Sarracenos, vel ad mortem à se propulsandam: *Nunquam de cætero nisi contra Sarracenos, vel ad defensionem vitæ suæ arma portantur.* Ne publicis astarent spectaculis, neu defunctis conjugibus suis ad alias unquam nuptias convolare possent: *Ad publica spectacula non accedant, & conjugati non contrahant post mortem uxorum.* Ut tres quotannis Quadragesimas jejunarent, ante Natale Christi, ante Pascha, & post Pentecosten; denique Eucharistia tandiu abstinerent, donec extrema vitæ fugientis necessitas cogeret Viaticum impertiri: *Corpus Domini nisi in ultimo mortis articulo recipere non præsumant.*

Rainal. an. 1203. n. 45. 46.

III. Cùm non immeritò audiat Innocentius III. parens Juris Canonici novi, cùmque Decretalium libri maxima ex parte ex ejus luculentissimis responsis contexti sint; hinc illud emergit profectò, non potuisse pœnitentiam publicam his etiam extremis sæculis expungi ex moribus, aut saltem ex Legibus Ecclesiæ. Quæ enim modò promptissimus hujus Pontificis responsa, istiusmodi sunt, ut iis austerissimæ quæque leges roborentur, aut innoventur vetustissimæ Pœnitentium disciplinæ. 1. Non posse militiæ se inserere. 2. Non posse spectaculis interesse, conviviis, voluptatibusque publicis. 3. Continentiæ perpetuæ fibula constringi. Et hinc illà emersere matrimonii impedimenta, quæ prohibent contrahi, contractum illud non dirimunt. Erant enim ea enormia quædam crimina, quibus qui contaminati fuerant, præmortuis conjugibus, alias ducere non sinebantur. 4. Pluribus anno quolibet Quadragesimis jejunia iterare. Hi quadraginta illi erant pœnitentiæ dies, qui pœnitentiam agentibus indicebantur, qui Episcoporum Pontificumque Indulgentiis quandoque condonabantur. Ubi illud obiter advertas velim, quanta cum sobrietate & parcimonia vel Episcopi vel Romani Pontifices Indulgentias dispensarent, cùm plurium quàm quadraginta dierum illi numquam, isti raró largirentur: idque eo tempore, quo septennii pœna canonica cuilibet adsignabatur criminali culpæ. 5. Monasteriis includi Pœnitentes, ubi plures adessent exploratores. 6. Flagella & virgæ ab illa proficiscebantur pœnarum canonicarum commutatione, quæ ævo Petri Damiani & Dominici Loricati facta est. 7. Orationes dominicæ centies die quolibet iterandæ, os obturare & inverecundiam cohibere eorum possunt, qui minùs religiosè sentiunt aut loquuntur de Rosariis & Coronis precariis, quarum exinde usus tam frequens esse cœpit, & tam pius inter Fideles, immo & tam necessarius iis qui Psalmos lectitare vel recitare non possunt. 8. Remittens Innocentius Pœnitentes ad eosdem Episcopos, à quibus ablegati ad ipsum primò fuerant, partem aliquam pœnarum à se designatarum remittere permittebat. Hæc inter Pontificem & Episcopos observantiæ & amoris reciprocatio, vinculum est indivulsum concordiæ & unanimitatis Episcopalis. Nil mirum, si Indulgentiæ Pontificiæ toto orbe promulgarentur, cùm Pontifex ipse tantum ubique Episcopis concederet.

IV. Successor datus Innocentio III. Honorius III. qui iisdem insistens vestigiis, simillimam impegit pœnitentiam impiissimis Episcopi Aniciensis interfectoribus anno Christi 1220. addita hac una nova & memoranda circumstantia, ut si post trium quadragesimarum jejunia, post contextas jejuniis macerationes & prostrationes, in Carthusiensium, vel Cisterciensium Ordinem adscribi vellent, à reliquo pœnitentiæ curriculo absolverentur. *Si post tres quadragesimas prædicto modo peractas ad Carthusiensem, vel Cisterciensem ordinem transierit, erit à supradicta pœnitentia excusatus.* Anno 1225. idem Pontifex iisdem eos subjecit pœnis, qui Cardinalibus injuriosi forent. Gregorius IX. à quo promulgati sunt quinque Libri Decretalium, quibus constat jus Ecclesiæ novum, pœnitentiam earum simillimam, quas Innocentius III. irrogabat, inflixit Principi Regiæ Lusitanorum prosapiæ, anno 1239. Addidit & abstinentiam à carnibus die Sabbati, nisi in diem Sabbati incideret dies Natalitius Christi.

Rainal. an. 1220. n. 30.
Rainal. an. 1225 n. 53.
Anno 1226. n. 48
1228. n. 25.
1234. n. 19.
Rainal. an. 1239. n. 61.
1240 n. 36. 37.

Annalibus Ecclesiasticis consignatæ non sunt, nisi gravissimorum criminum causæ pœnitentiæque, quæ ideo à Romanis Pontificibus plerumque regebantur, quòd Romam ultro convolarent istiusmodi rei, vel quod ab Episcopis eò destinarentur, vel quòd Pontifices ipsi hæc sibi judicia reservarent majorum causarum. Anno 1240. Lanceiæ Dux in Silesia Scholasticum Uratislaviensem, laqueo eùm perimi fecisset, ab Archiepiscopo Gnesnensi publica mulctatus est pœnitentia; denique absolutionem consecutus est, ea cautione, ut eam à Romano Pontifice confirmari curaret. Anno 1252. Innocentius IV. Apostolica authoritate tota donavit Avenionensem Episcopum, ut à Casibus Papæ reservatis absolveret, vota commutaret, præterquam profitendæ Religionis Monasticæ; addita tamen hac restrictione, qua graviores excessus publica, immo solenni pœnitentia eluendi, sedi adhuc Romanæ reservabantur. Id enim ni fallor his verbis insinuatur. *Illos quorum fuerit gravis & enormis excessus, mittas ad sedem Apostolicam absolvendos.* Non hos sibi Papa casus reservaverat, sed ipsa ei enormitas reservabat: & hoc ipsum erat veluti quoddam solennis pœnitentiæ genus, Romam petendæ causa veniæ proficisci.

Rainal. an. 1240. n. 36. 37.
Rainal an. 1252 n. 26.

Simon Monfortius, ille decantatissimæ strenuitatis vir, extorsit demum absolutionem Pontificiam, cùm se ultro durissimo carcere includendum obtulisset. Absolvit & Clemens V. Vuillelmum de Nugaret, manuum in Bonifacium VIII. contumeliosissimè injectarum infamia conspersum, illum inquam absolvit, jussum pœnitentiæ ergò sacras peregrinationes obire beatæ Mariæ, sive ut vulgatius loquuntur Dominæ nostræ de Valle Viridi, de Rupe Amatoria, Aniciensis, Bononiæ in Morinis, Carnutensis, item sancti Ægidii, Monasterii Majoris apud Arelate, & sancti Jacobi: & tum demum ad bella ultramarina proficisci. Hæ tum peregrinationes subrogabantur aliis pœnitentiis, quas prisca ætas salubriores non immerito censuerat, sed quarum jam patientes non erant extremæ hujus ætatis homines: ut propensiores, ita & idonei magis ad peregrinationes & bella, quàm ad jejunia & macerationes. Joannes XXII. anno 1319. pœnitentiam præscribens infando parricidæ, qui Episcopo vitam abstulerat, præter usitatas ad januas Ecclesiarum flagellationes, posteros ejus ad quartam usque generationem Ecclesiasticorum Beneficiorum exortes & irregulares declaravit; edixit ut Romanam peregrinationem ter perficeret, semel Compostellanam; ferias sextas jejunaret, pane & aqua contentus: ferias quartas abstinentia carnium celebraret, Episcopum proprium denique commonuit, alias ut ei pœnas aliquas infligeret.

Rainal. an. 1273. n. 42. 43. 1311. n. 10. 1319. n. 33.
Anno 1330. n. 52.
1339. n. 68.
1345. n. 13.
1391. n. 4.

Hæc sunt ferè pœnitentiarum genera, enormioribus facinoribus infligi solita post annum Christi

millesimum & trecentesimum; loca citasse apud Rainaldum in Annalibus sacris contenti, à contextibus & verbis ipsis supersedebimus. Unum id advertemus, ne verbum quidem ampliùs ibi fieri, nec de probibito in posterum conjugio, nec de fugiendis spectaculis, pompisve publicis; nec de abjicienda prorsus militia præterquam contra infideles; nec de secessione in Monasteria, nec de abstinentia cælestis pabuli, Corporis Christi, ad extremum tantum discrimen mortis participandi.

Morin. De Pœnit. l. 10. c. 26., 32.

V. Summa & cui nihil addi possit diligentia, summus vir Morinus demonstravit plerosque sæculi XIII. Doctores & Pœnitentiarios ipsos persuasos fuisse, arbitrarias esse pœnitentias, prudentiæque Confessoris concreditas; cujus illud esset munus Canones pœnitentiales pœnitentium oculis subjicere, at nemini vim adferre, nisi sponte Canonibus obsequi velit. Sed eum viro præstantissimo adnotasse non pœnitebit. 1. Summos Pontifices semper pœnitentias definisse ex canonicis regulis, quoties vel consulerentur, vel pœnitentes Romam peterent, eorumque pedibus advolverentur. *Summi Pontifices interrogati de pœnitentia variis criminibus imponenda, secundum antiquos Canones respondere adhuc solebant.* 2. Eos Doctores, quorum ex sententia pœnitentiæ arbitrio Confessoris permittebantur, ita secum tamen statuisse, ut hoc ad occulta, non ad publica pertineret crimina. *Insignes & celebres Doctores, illas pœnitentiarum relaxationes de criminibus occultis esse interpretandas, non de publicis prædicabant & scribebant.*

Duobus his monitis Morini nostri suffragantur Gregoriani Decretalium libri quinque, qui in publicum exierunt circa annum 1230. ut ex iis velut certissimis regulis deinceps regerentur judicia Ecclesiastica, sive ad Pœnitentiarii, sive ad Officialis forum spectantia. In illis Decretalium libris Clemens III. percontanti, de Presbyteris Græcis & conjugatis, an publica illis pœnitentia decernenda esset, *Utrum pœnitentia publica sit imponenda*, propter parvulos in lecto suffocatos; respondit, si ex eorum incuria id contigisset, graviorem quidem infligi debere, quàm laicis, non tamen publicam pœnitentiam, nisi publicum esset & crimen. *Gravior quàm laicis, non tamen publica, nisi id in publicum veniat, pœnitentia debet imponi.* At verò, *si ex incuria ipsorum mortui inveniantur in cunis, & illud fuerit occultum, eis pœnitentia pro arbitrio Pœnitentiarii imponitur.* En perspicuè pœnitentiam publicam & canonicam pro publicis criminibus; arbitrariam verò & ex præscripto Pœnitentiarii pro occultis.

Decret. l. 5. Tit. 38. c. 7.

Alibi rursus in illis ipsis Decretalium libris, calumniatori, juxta Decretum Burchardi, si quem in mortis discrimen adduxit, septennii indicitur pœnitentia; si non mortis, sed membrorum truncationis author fuit, tres jejunandæ Quadragesimæ infliguntur. *Septem sequentibus annis pœniteat, &c. Per tres debet Quadragesimas pœnitere.* Alibi ei qui Latronem interfecerat designatur pœnitentia, ex Pœnitentiali Romano, quod constat ea ætate compilatum fuisse, quo canonicæ vigebant pœnitentiæ. Blasphemi à Gregorio IX. pœnitentiæ substernuntur publicæ ad fores Ecclesiæ. Qui Presbyterum occiderit, ei annorum duodecim Pœnitentia præfinitur, qua etiam expleta, nec ad conjugium unquam, nec ad militiam admitti possit. *Qui Presbyterum occiderit, duodecim annorum pœnitentia ei secundùm Canones imponatur, &c. Omnibus usque ad ultimum tempus vitæ suæ militia cingulo careat & absque spe conjugii maneat.*

L. 5. Tit. 1. c. 8. Tit. 12. c. 2. Tit. 26. c. 2. Tit. 38. c. 2. 8.

Ea est priscorum temporum austeritas, in omne residuum vitæ tempus militia & conjugio arceri. Illud etiam ibi universim pronunciatur, non posse publicam criminis infamiam occultis dispungi pœnitentiis. *Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda.* Denique siqui Presbyteri arcanum confessionis sigillum, & inviolatum silentium non observent, abdicati contruduntur in Monasteria, reliquum vitæ tempus ut lachrymis & pœnitentiæ donent. *Ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum.* Gregorius VII. non immerito videri potest, aut primus, aut inter primos id relaxasse juris antiqui, quo militia pœnitentes interdicebantur. Passus est enim eos militare, duplici cautione adhibita, ut in ea re uterentur consilio Episcoporum: ut ad justitiæ tantùm tuitionem arma ferrent. Ita ab eo sancitum in Concilio Romano anno 1078. *Arma deponat, ulteriusque non ferat, nisi consilio Episcoporum, pro defendenda justitia.* Eæ tunc erant temporum difficultates & angustiæ, quæ illum eò adigerent. Exinde autem crebrescentibus sacris in Orientem expeditionibus, militia ipsa, qua pœnitentes olim arcebantur, pœnitentiæ instar & vim habebat, ad atrociora quæque crimina expianda. Adeo interest non tam quid, quàm quo quid animo & quo fine geratur. Adeò quæ cupiditati serviunt, eoque damnantur; possunt & charitati obsequi, & in laude esse.

L. 5. Tit. 38. c. 1. 12.

VI. Simillimum veri est Episcopos sedis Apostolicæ Pontificum, & præcepta sectatos esse, & exempla. Præter ea quæ suprà retulimus, ubi Pontifex Romanus Episcopos plerumque delegabat, ut invigilarent præessentque exequendis pœnitentiis publicis à sede Apostolica indictis: supersunt & quædam alia quæ sileri non debeant. Innocentius III. Absaloni Archiepiscopo Lundensi in Dania rescripsit, ut intemerata servaretur consuetudo, qua fiebat, ut Episcoporum Vicarii Generales Diœcesin perlustrantes, Capitula cogebant Parochorum unius regiunculæ, citabant diffamatos quosque de quocumque crimine, eisque pœnitentiam publicam imponebant. Ita anno 1198. At anno 1225. Archiepiscopus & Episcopi provinciæ Cantuariensis hoc edidere Decretum, ut quæ convinceretur se vitiatam à Presbytero, nec illubentem, pœnitentiæ publicæ subjiceretur, ut duplicati adulterii rea. *Publicam agat pœnitentiam & solennem, tanquam pro duplici adulterio puniatur.* Coventrensis in Anglia Episcopus Parochos ipsos subegit pœnis publicorum criminum, quæ inulta tolerassent. *Si Sacerdotes sustineant in Parochiis suis, publicos fornicatores vel usurarios, vel aliquod mortale peccatum manifestum, puniantur tanquam pro propriis peccatis.* Archidiaconis potissimum ex officio id incumbebat, ut in crimina publica inquirerent, quæ vetiti sunt Constitutionibus Othonis Legati pœnis pecuniariis tantum ulcisci. *Ne pro mortali & notorio crimine, vel de quo scandalum generatur, pecuniam à delinquente recipiant.* Doluit Patribus Concilii Lambethani anno 1281. suorum temporum mollitia, & incuriis disciplinæ; quòd crimina publica nullis jam publicis pœnitentiis luerentur. *Cùm juxta sacros Canones peccata graviora, quæ vulgatissima suo scandalo totam commovent civitatem, sint solenni pœnitentia castiganda, quorundam tamen negligentia id agente, hujusmodi pœnitentia videtur quasi in oblivionem tradita, & crevisse per consequens audacia hujusmodi horrenda facinora & flagitia perpetrandi. Quocirca præ-*

Rainal. an. 1198. n. 74.

Matthæus Paris.

Conc. Angl. Tom. 2. pag. 212. 193. 270.

Conc. Angl. To. 2. pag. 332. 376. 456.

*cipimus, ut hujusmodi pœnitentia solemnis de cætero imponatur secundum Canonicas sanctiones.* Excestrensis Synodus anni 1287. vetuit pœnis pecuniariis pœnitentiam publicam redimi, nisi vitandi scandali necessitas aliter juberet. *Si laicus convictus fuerit super crimine propter quod sit ei publica pœnitentia injungenda, illam non in pecuniariam commutet, nisi scandalum vel alia honesta causa exegerit aliter ordinare.* Synodus Vintoniensis anni 1380. publicas solennesque jubet laicis pœnitentias infligi ob crimina publica; Clericos suspendi, si eorundem rei sint: utrosque ablegari ad Pœnitentiarium, qui ipsos remittet ad Parochum, cum libello, quo tota injunctæ pœnitentiæ series contineatur, ut possit Parochus explorare, & Pœnitentiarium certiorem facere, an omnia religiosè observata sint. *Statuimus, ut si aliquis laicus de enormi convictus crimine, propter quod ei de jure pœna publica indici debeat, aut solemnis, pœna ipsa nullatenus commutetur, nisi forte propter majorem pœnitentiæ fructum, vel considerata delinquentis persona, is qui jurisdictioni præest, aliter viderit dispensandum: Clericos quoque de similibus convictos criminibus, vel confessos suspendi volumus, & ipsam suspensionem absque nostra conscientia minimè relaxari; & tam Clericos, quàm laicos hujusmodi ad nostros Pœnitentiarios mitti volumus pro recipienda condigna pœnitentia de commissis, & cum ipsorum pœnitentiariorum litteris injunctam eis pœnitentiam continentibus, ad suum reverti Presbyterum, ut eis de peracta pœnitentia possit opportunis temporibus testimonium perhibere.*

Vetuit Concilium Coloniense anni 1310. convenienter antiquis Canonibus, ne publica pœnitentia Clericis injungeretur; laicis enim eam decerni cùm ex re esset, indubium erat. *Ne pœnitentia publica Clericis imponatur, cùm ex talibus infames reddantur.* Referuntur Concilia Provincialia Senonensia annorum 1432. & 1460. ubi publicis publicæ pœnitentiæ criminibus indici jubentur. Synodus Lingonensis anni 1404. prohibuit, ne Parochi eorumque Vicarii publicas decernerent pœnitentias, aut solemnes, id enim proprium esse jus Episcopi, aut ejus Pœnitentiarii; reliquas verò pœnitentias, etsi ex canonicis regulis librari debeant, arbitrarias tamen esse. *Caveant Curati, aut eorum Vicarii, ne imponant pœnitentias solemnes aut publicas, licèt pro quolibet peccato mortali esset regulariter septennis pœnitentia injungenda, tamen hodie omnes pœnitentiæ Sacerdotis arbitrio sunt taxandæ.* Constitutiones Synodales Lingonenses anni 1421. pœnitentias publicas injungi non sinunt nisi ab Episcopo & Pœnitentiario; jubent ut Pœnitentes publici ad fores Ecclesiæ sistant se die sacra Cinerum, denique Parochis id imponunt muneris, ut explorent, an, ut par est, Pœnitentes partes suas impleant. *Cùm sint nonnulli quibus est pœnitentia solemnis per Episcopum, seu ejus Vicarium, in sua Lingonensi Ecclesia injungenda, sicut pro infantibus oppressis, aut aliàs perditis, culpa parentum, dummodo notorium sit, &c.*

Bochel. Decret. Eccles. Gallic. pag. 228. 234.

Constitutiones Synodales Stephani Poncherii, qui ad infulas Parisiensis Ecclesiæ vocatus est anno 1503. & ad Archiepiscopatum Senonensem translatus anno 1519. vetabant ne Parochi vel Presbyteri ulli pœnitentias publicas indicerent Clericis, vel conjugatis, nisi consulto priùs Episcopo, vel generali ejus Vicario: ne hinc Clericis infamia illineretur, inter conjuges autem suspiciones iræque & dissensiones exorirentur. *Presbyteris prohibemus publicam pœnitentiam injungere viris Ecclesiasticis, & etiam uxoratis, absque nostro, aut Vicariorum nostrorum consilio, ne ordo Clericalis vilescat, & matrimonia scandalizentur. Immo alia secreta imponantur pœnitentia salutares.* Poterant ergo quibusdam in Ecclesiis Presbyteri pœnitentias decernere publicas, dum ne vel Clericis vel conjugatis eas infligerent. Subditur porro ibidem privatis correptionibus non satis purgari quod publicè peccatum est. *Scientes quod manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda.* Pugna nescio quæ hic esse videtur, & non satis video, quî concordia restitui possit, nisi dicas quod posteriùs dictum est, hanc esse legem universalem; quod autem præmissum erat, ad exceptiones pertinere. Aut distat correctio publica à publica pœnitentia. Quibus enim venia fit publicæ pœnitentiæ justis de causis, & ex ipsis Canonum præceptis, resipiscunt tamen, & vitam ad meliorem frugem revocant, emendatioresque publicè spectantur: hæc ergo vitæ morumque castigatio, privatis & occultis pœnitentiis perfecta, ubi Fidelium jam conspectus repræsentatur, instar habet publicæ pœnitentiæ, & scandalum prorsus abstergit, ubi necessaria dispensatione id conducibilius esse Pastoribus Ecclesiæ visum est. Publica enim tunc fit non pœnitentia, sed vitæ emendatio. Observatum illud est ab ipsomet Thoma Aquinate, ubi potestas pœnitentiarum publicarum Presbyteris permissa est: statim solemnem pœnitentiam à publica sejungi cœpisse, & Episcopis vindicari: eam autem decerni solitam propter atrocissima tantùm facinora, quæ maximo fuerant Fidelibus offendiculo.

Synod. Parisien. pag. 279. 282.

In l. 4 Sent. d. 14. q. 1.

Cùm vix ac ne vix quidem ambigi possit, quin cæterarum Synodales Ecclesiarum Constitutiones, his consentaneæ fuerint; æquum jam est aliqua hîc adnotari disciplinæ capita, quæ inde emergunt. 1. Pœnitentiam publicam pro publicis criminibus, & legibus Ecclesiæ sancitam fuisse ad sæculum usque decimum-quintum, & moribus usque receptam; etsi aliàs frequentior, aliàs infrequentior fuerit hic usus. Itaque Tridentina Synodus decimosexto habita sæculo non aliud quàm priscas innovavit & perpetuas Ecclesiæ leges, & usum confirmavit, quem tot sæculorum vicissitudines, etsi obscurassent aliquando, oblitterare non potuerant. 2. Libri Rituales Diœceseon non memoriam tantùm, sed & legem vigentem adhuc & necessitatem pœnitentiæ publicæ semper retinuerunt. Unum hîc profero Rituale Romanum, quòd plurium instar habeat: *Pro peccatis occultis, quamvis gravibus, manifestam pœnitentiam non imponant, &c. Videat Sacerdos ne eos absolvat qui publicum scandalum dederunt, nisi publicè satisfaciant & scandalum tollant.* 3. Usus ille de quo paulò antè Synodi Lingonenses, & qui plerisque in Ecclesiis illibatus adhuc viget, ut die Cinerum pœnitentiæ subdantur infælices mulierculæ, quæ inopinæ filiolos oppresserunt, & in Cœna Domini reconcilientur; & absolutiones ipsæ generales per hebdomadam sanctam ante Pascha; satis superque demonstrant tempore Concilii Tridentini nondum expuncta fuisse omnia pœnitentiæ publicæ vestigia. 4. Quamvis aliquo distare visa sit solemnis pœnitentia à publica: quòd solemnis majori cum pompa gereretur, & inusitatorum tantùm criminum enormitati indiceretur: manifestum tamen fuit in relatis suprà testimoniis eas in unam tandem conflatas fuisse; & solennem pœnitentiam tum sacramentalem habitam esse. Ita perspicuè elucet in Synodo Excestrensi anni 1287. *Solemnis pœnitentia, quæ sacramentalis est, in aliam nullatenus commutetur.* 5. Quanquam ultima hac ætate plerisque persua-

Tit. De Sacram. Pœnit.

Conc. Angl. To. 2. pag. 376.

sum

sum esset, pro occultis delictis arbitrarias esse pœnitentias; criminibus tamen gravioribus, quorum veniam soli faciebant Episcopi, & publicis flagitiis, constabat adhuc adnectendas esse pœnitentias ex norma Canonum. Hoc non siluit Abbas Ursbergensis inter ea disciplinæ capita, quæ sanctissimus Pomeraniæ Apostolus Otto Bambergensis Episcopus promulgavit in novello hoc grege suo anno 1124. nempe ut fideles, sani ægrique, Parocho confiterentur; sed majorum criminum eam pœnitentiam subirent, quam sacri Canones præmierunt. *Injunxit ut dum sani sunt, veniant ad Sacerdotes, & confiteantur peccata sua, &c. Injunxit etiam ut de perjuriis, de adulteriis, de homicidiis & de cæteris criminalibus, secundum Canonum instituta pœnitentiam agant.* Concilium Coloniense anni 1536. idem præcipit

Part. 7. c. 38. paucioribus verbis: *In publicis verò criminibus, quemadmodum necesse est, ita jubemus ad Canones antiquos publicæ pœnitentiæ regredi.* 6. Observari potuere decreta varia, per quæ Episcopis licet, ad prævertendum scandalum, aliisque justis de causis condonare publicas pœnitentias, & in earum locum privatas subrogare. Id innovatum quoque est à Tridentinis Patribus, ut mox dicemus.

VII. Præcipit enim Tridentinum Concilium, ut publicæ indicantur pœnitentiæ expiandis sceleribus publicis, nisi judicet Episcopus ædificationi fidelium conducibiliorem fore pœnitentiam occultam. *Episcopus tamen publicè hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.* (Sess. 24. c. 8.) His subjicitur à Concilio institutio Pœnitentiarii in Ecclesiis Cathedralibus, ut innuatur Episcopos pœnitentiarum publicarum administrationem, sicut & absolutiones criminum reservatorum in Pœnitentiarios suos conferre solere.

Acta Eccl. Med. pag. 5. 11. 42. 93. 525. 718. 774. Hoc Tridentinum Decretum promulgavit sanctus Carolus in Provincialibus Conciliis suis, ubi & ab iis qui Confessiones audirent, jussit pœnitentias publicas publicè peccantibus injungi, nec hujus legis cuiquam veniam fieri, nisi eam dispensandi potestatem ipsis Episcopus concessisset. Et sanè Tridentino Decreto non reservatur Episcopis injunctio pœnitentiæ publicæ, sed hujus legis dispensatio. Concilium Mediolanense III. & Synodus Diœcesana XI. Caroli, in id collimarunt, ut antiquum renovarent usum, quo Parochi pœnitentia publica feriendos ad Episcopum remittebant, ut ineunte Quadragesima pœnitentiæ subjicerentur, in Cæna autem Dominica reconciliarentur. Placita rursus hæc omnia inculcavit Carolus in suis ad Confessarios præstantissimis monitis.

Conc. Gen. To. 15. pag. 265. 383. 514. 590. 724. 725. 793. 956. 1089. 1218. In Gallia Conventus Melodunensis anni 1579. Concilia Remensia annorum 1581. & 1583. Turonense & Burdigalense anni 1583. Bituricense anni 1584. Aquense anni 1585. firmarunt publicaruntque hoc idem Concilii Tridentini Decretum. Hoc idem fecit Concilium Mechliniense anni 1570. Comitia Cleri Gallicani anni 1655. typis mandari, publicarique præcepere Monita saluberrima illa sancti Caroli Borrhomæi ad Confessores. Illustrissimus Parisiensium Archiepiscopus publicari rursum curavit anno 1672. mandavitque iis quos ad refovendas imbuendasque novo charitatis igne ruris Parochias mittebat, ut his sese consiliaque sua accommodarent.

Fagnan. in l. 5. Decret. 2. Part. pag. 102. Censet Fagnanus cum pluribus aliis ab eo laudatis Scriptoribus, præsertim cum Bellarmino & Suaresio, posse, atque adeo debere pœnitentias decerni publicas à Confessoribus in eos qui publicis criminibus conscientiam famamque suam inquinarunt. Addit & Congregationem Concilii aliquando hanc sibi ventilandam quæstionem proposuisse, aut propositam ventilasse: & quanquam plerique Cardinalium existimarent posse Presbyteros, ac præsertim Pœnitentiarios juxta jus commune, immo & debere pœnitentiis publicis mulctare crimina: hæsitasse tamen an Concilium Tridentinum id præcepisset, & nihil definisse, ne tum Confessarios, tum Pœnitentes novo aliquo scrupulo cruciarent.

VIII. Constat ergo, quanquam Jus Decretalium, quo nunc Ecclesia utitur, reservasset Episcopis & eorum Pœnitentiariis potestatem imponendi pœnitentias publicas; à Tridentino tamen Concilio Confessariis omnibus earum administrationem permissam fuisse. (Decret. Gregor. l. 1. Tit. 31. c. 16. L. 1. Tit. 26. c. 18. L. 5. Tit. 31. c. 12.) Id verò tantò plus admirationis creare potest, quòd & Pœnitentes ipsi qui enormi quodam facinore sauciatam gerebant conscientiam, Episcopis confiteri, & medicinale ferrum ab illis sibi adhiberi satagebant: ut tot antè exemplis est declaratum, totque aliis omni ex historia congestis declarari luculentiùs posset: quin & suæ ipsos frequenter instinctus pietatis urgebat, ut ad Sedem Apostolicam recurrerent: quod tam multis rursum suprà exemplis confirmatum est. (Paris anno 1152. Roger. pag. 124. 178. 457. 620. 654. 681. 756. Hispan. Ill. To. 2. p. 85. 101. 138. 464.)

Idque in causa fortassis fuit, ut siquæ residua superarent vestigia publicæ pœnitentiæ, ea magis magisque exoleverint. Nimirum nec Parochis, nec Presbyteris aliis, in quos post Tridentinum Concilium eam sarcinam transtulerunt Episcopi, ea fuit aut animi constantia, aut authoritas eminens, quæ Episcoporum penè propria dos est, & qua tum vel maximè opus est; cum viri natalibus, viribus, opibus, dignitatibus florentes, humilitate pœnitentiæ dejiciendi sunt & conterendi, eique subjiciendi ignominiæ, quæ incorruptibili illos aliquando vestiat gloria.

Sed mirari desines hujus potestatis copiam à Tridentino Concilio Presbyteris factam esse, si seriò pensites quod docuit Morinus; ab annis quadringentis, aut etiam quingentis, Scholasticos Doctores passim in ea fuisse sententia, ut Episcopis reservata esset pœnitentia, non publica, sed solemnis, quæ inusitatissimis tantùm & atrocissimis facinoribus infligebatur. Hæc autem Scholæ Doctorum sententia non poterat multùm abludere ab usu ipso Ecclesiarum, qui obversabatur eorum oculis, & cui illi ferè doctrinam suam attemperabant. Porro nonnulli Episcopi ægrè ferentes eam quæ hinc manaverat remissionem veteris disciplinæ, reservarunt ipsi sibi specialiter impositionem publicarum pœnitentiarum.

IX. Paucis antè annis quàm Concilium Tridentinum indiceretur, in Gallia Germaniaque vehementissima flagrabant vota conservandæ aut restituendæ pœnitentiæ publicæ. Inter centum Gravamina, quæ in Comitiis Imperii ad Nurembergam anno 1522. proposita sunt, admirationi fuere pœnitentiæ publicæ, quæ infligebantur adhuc majoribus iis sceleribus, quæ sibi Episcopi reservabant: at dedecori visæ sunt esse pœnæ pecuniariæ, quæ instinctu avaritiæ in dies gliscebant. (Gold. ast. Const. Imp. To. 1. p. 474. Cap. 56.) *Hactenus servata est consuetudo, quòd homicidii similiumque facinorum, quos casus Episcopis reservatos vocant, rei, peracta in aurem confessione, publicam pœnitentiam subire coguntur. Quæ quidem pœnitentiæ forma non usquequaque improbanda foret, utpote quæ ad primitivæ Ecclesiæ instituta quàm proximè accederet: si malè officiosi Officiales pecuniæ summam non extorquerent.* Oratores Galliæ Regis Caro-

*Memoires du Clergé, pag. 373.*

li IX. & Imperatoris vires consociarunt in Concilio Tridentino, ut pondus adderent complusculis capitibus, ad censuram morum conducentibus; to quibus & istud erat: *In Ecclesia propter graves & publicas offensas publica pœnitentia restituatur.* Denique

*Goldast Const. Imp. To. 3. p. 571.*

libri Rituales complurium Ecclesiarum, sicut Synodales Constitutiones complurium Episcoporum publicis pœnitentiis publica crimina configi jubent post Tridentinam Synodum. Idem facilè conjicitur de Constitutionibus Synodalibus, & de Decretis Conciliorum Italiæ, Germaniæ & Hispaniæ post Tridentinam Synodum.

X. Perstringendum nunc aliquid nobis est de Ecclesia Græca, ut ejus consensus cum Latina in rebus quibusque capitalibus intelligatur. Simeon Archiepiscopus Thessalonicensis illud declarat, 1. potestatem audiendi Confessiones, & absolvendi, propriam esse dotem & vim Episcopatûs, nec Presbyteris illam communicari exercendam, nisi per eorum absentiam, eorum concessione, & cogente necessitate. *Adeò sacratissimum est, ut solis Episcopis conveniat, non autem Presbyteris, quemadmodum Canones loquuntur. Eo autem officio funguntur Presbyteri urgente necessitate, cum licentia Episcopi, illoque absente, non præsente, &c. Si Presbyterorum hoc esset proprium, non daretur illis licentia & mandatum ad excipiendas Confessiones.* 2. Episcopis semper reservari, & absolvenda, quæ graviora sunt crimina; & exolvenda quæ intricatiora sunt. *Crimina tamen majora veluti sunt fidei abnegatio, homicidium & personarum sacratarum lapsus, ad Episcopum referre oportet, & alia quæcumque fugiunt & excedunt cognitionem suscipientis Confessionem; Omnia quoque agere cum Episcopi consilio.*

*L. De Ordinationibus. Apud Morinum. De Ordin. sacr.*

3. Graviter expostulat Simeon cum Monachis, nec injuria, quòd cùm nullo Ordine sacro initiati essent, & Rectorum, seu Directorum tamen & Confessorum partes agerent. Hîc diutiùs non immorabor. Prolixioris enim res esset indaginis, si ad superiora retro sæcula gressum flecteremus, ut Eremi incolas sanctissimos vestigaremus, qui cùm non Ordinum tantùm sacrorum, sed & litterarum prorsus expertes essent; sed in divinarum rerum scientia, & cælesti sapientia versatissimi, evadebant persæpè in Rectores & Pastores, Patresque spirituales; hoc est juxta Græcorum idioma, Confessores virorum sæcularium, qui eorum latebras rimabantur, ut aperirent illis arcana animi sui, eorumque & monitis & precibus juvarentur. Hæc certè quantamcumque haberent speciem Confessionum, Confessiones tamen haudquaquam erant ejusmodi, quæ ad sacramentum Pœnitentiæ pertinerent.

Operosius est vestigia aliqua olfacere publicæ pœnitentiæ in Oriente, postquam à Nectario sublata est: nisi pœnitentiæ publicæ monumenta interpreteris Monasteria illa, quæ extrui curabat Michaël Imperator, ut pœnam lueret interfecti prædecessoris sui Romani Imperatoris. Verùm Glycas, è quo id hausimus, testis est ipsemet idoneus, infructuosum fuisse quidquid hoc fuit pœnitentiæ, cùm nec Imperium quod usurpaverat, abdicarit, nec avulserit se à Zoë Imperatrice Romani conjuge, quæ & illecebra ei fuerat & merces Imperatoriæ cædis. Eadem habet de Michaële Cedrenus, qui & alibi agit de eo qui Imperio, quod per vim invaserat, abdicavit sese ille quidem: sed cùm id tunc demum exuerit, cùm adventaret mors, quæ vel invitum spoliaret, jure addubitatur, an satis tuta fuerit hæc pœnitentia. Alexis Comnenus, qui anno 1080. exturbato Nicephoro Botoniate in Imperium

*Ann. 1034. Glycas Part. 4. pag. 315.*

*Cedr. To. 2. p. 638. 805.*

involavit, pœnitentia perfunctus est multò laudabiliore, & quæ singularem ipsi etiam inter publicas pœnitentias quascumque admirationem jure conciliet. Patriarcham, Episcopos complures, religiosissimosque Monachos convenire jussit: eis se objecit cum sociis & consortibus criminis, eo habitu, quo reos decet; crimen confessus est, cujus nec circumstantiam ullam reticuit; indixerunt illis Pontifices jejunia, humi cubationes, cilicia, laboresque alios Pœnitentibus familiares; eorum conjuges in doloris & pœnarum societatem venire voluerunt, etsi nec suspicio criminis ad eas pertineret ulla. Aula regia luctui & lacrymis dicata toto eo tempore fuit. Sub purpura cilicio induebatur Imperator, qui & quadraginta diebus humi decumbens somnum cœpit, lapide capiti substrato.

*Anno 1080. Alexiados. L. 3. p. 81. 82.*

Proximè accedunt hæc omnia ad ea quæ interim in Ecclesia Latina gerebantur, ut ex suprà relatis exemplis liquet. Quòd autem piissimæ fœminæ conjugum suorum pœnitentiæ partem in se transtulerint, quarum nullæ partes fuerant in scelere perpetrando; id quidem valde consentit cum moribus primigeniæ Ecclesiæ, ubi innoxii quique nocentibus condolebant, collacrymabantur, noxæ mulctam ipsi ex parte aliqua subibant. At eo refricatur nobis memoria illustrissimi Ecclesiæ defensoris Simonis Comitis Crespiacensis, qui Romam perrexit pœnitentiam canonicam à Gregorio VII. Papa petiturus. Canonibus concinentem imposuit illi Pontifex pœnitentiam, at ejus confestim partem in seipsum retorsit, partem reliquam præstantissimis Monachis implendam dispensavit, atque ita exoneratum, armis quibus eum discinxerat, denuò cinxit, & ad Ecclesiæ rursus tuitionem necessariam ablegavit, cùm ab infestissimis undique adversariis impeteretur.

## De Archidiaconis.

---

### CAPUT XVII. *P. 1. l. 2. c. 24.*

### De Archidiaconis per quinque priora Ecclesiæ sæcula.

*I. Quanta antiquitas sit in Occidente Archidiaconorum.*

*II. Archidiaconatûs dignitas non ætati, non antiquitati, sed merito, & strenuitati dabatur.*

*III. Industria, sedulitas, & eruditio plurima tam vasto ministerio erat pernecessaria.*

*IV. Suum sibi Episcopus Archidiaconum deligebat.*

*V. Non tamen ad nutum dejicere & abdicare illum poterat.*

*VI. Fuit aliquando temporarium illud officium.*

*VII. Incumbebat Archidiacono onus edocendorum & regendorum in pietate & litterarum curriculo juniorum Clericorum.*

*VIII. Censurarum & bonorum Ecclesiæ temporalium defensor & administrator erat.*

*IX. Quàm mira ejus potestas in ordinatione minorum Clericorum, quàm nulla & in Presbyterorum.*

*X. Curam gerebat viduarum & pauperum.*

*XI. Respondetur objectioni: Archidiaconi an eligerentur à Clero & populo, an à solo nominarentur Episcopo.*

*XII. An Constantinopoli Diaconus ævo vel ætatis, vel ordinationis primus esset Archidiaconus. An Ætius Archidiaconus fraudulentò Presbyter factus, ut Archidiaconatu ejiceretur, eò restitutus sit.*

*XIII. Quo honoris & potestatis fastigio essent Archidiaconi in Oriente.*

*XIV. Erant & in Oriente Archidiaconi, veluti Administri, & Vicarii Generales Episcoporum.*

*XV. Magna videm erant & in Ordinationibus authoritate.*

I. Statim ab Episcopis ad Archidiaconos veniendum fuisset, cum illorum hi imperium & jurisdictionem administrarent, exercerentque in Presbyteros, in Parochos, & in Archipresbyteros ipsos. Verùm satius nobis fuit, ut omnes Episcopatûs gradus dignitatesque Pontificias uno contextu explanaveramus, ita omnia Beneficia dignitatumque nomina, quæ Presbyterorum propria sunt, unà contexere. Antiquissima proculdubio in Ecclesia Archidiaconorum dignitas. Ut singulis in Episcopalibus Ecclesiis erant Diaconi, initio ducto ab illis septem, qui ab Apostolis ipsis in Ecclesia Hierosolymitana ordinati sunt: ita necesse erat, unus ut inter eos primus esset, sicut Stephanus. At qui primus inter Diaconos, hic Archidiaconus erat. Tria Capita videtur Hieronymus constituere, alia aliis obnoxia, Episcopus enim totius gregis Clerique sui Caput est, Archipresbyter Presbyterorum, Archidiaconus Diaconorum, & totius inferioris
Epist. ad Rusticum. Cleri: *Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi. Et omnis ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur.* Docet Optatus Milevitanus Episcopus ab Archidiacono Cæciliano graviter meritóque correptam fuisse Lucillam Matronam, cujus ira fœminea impotensque calamitosis-
L. 1. simum Donatistarum schisma conflavit. *Cùm Lucilla correptionem Archidiaconi Cæciliani ferre non posset.*
Dialog. 2. Meminit Severus Sulpitius Archidiaconi Turonensis, cui beatus Martinus præcepit, ut necessaria veste pauperem donaret, quod cùm ille facere cessaret, sua se Martinus ipsum veste exuit, induitque Christum in paupere latitantem.

II. Cæterùm non ætas, non antiquitas cuiquam viam sternebat ad splendidissimam hanc dignitatem. Nomen ipsum Presbyteris id adfert, ut Seniores Senatoresque Ecclesiæ habeantur. Ita æquum est, ut ætatis privilegio fiant Archipresbyteri. At cum similiter vox ipsa Diaconatus Græcè ministerium sonet, ad eam dignitatem strenuitas sedulitasque
Epist. ad Evagrium. aditum pandunt. Scitissimè id ab Hieronymo animadversum est, cum ait in Ecclesia Alexandrina Presbyteros è suo collegio unum eligere solitos, qui Episcopus constitueretur: tanquam si Diaconi suo ex ordine eum in Archidiaconum evehant, qui strenuitate & industria cæteris præstet. *Quomodo si exercitus faciat Imperatorem; aut Diaconi eligant de se, quem industrium noverint, & Archidiaconum vocent.* Sidonius Apollinaris de Joanne Archidiacono verba faciens, qui ad Cabilonensem postea vocatus est Episcopatum, illum tradit diutius in Archidiaconatu moras traxisse, nec tandiu Presbyterali ordine augeri potuisse, quòd non facilè occurreret
L. 4. Ep. 25. alius, cujus industria tanto muneri par esset. *In quo Archidiaconi seu gradu, seu ministerio, multum retentus propter industriam, diu dignitate non potuit augeri, ne potestate posset absolvi.* Visum est tamen nonnullis, Joannem hunc Presbyteratu initiatum antè fuisse, quàm Episcopus eligeretur: propterea quòd vocet illum Sidonius *Secundi Ordinis Sacerdotem.* Quippe Diaconi, ut suprà jam docuit nos Optatus, in tertio erant ordine Sacerdotii. Sed fieri poterat, ut jam tum ex Presbyteris & Diaconis unus conflatus esset Ordo Cleri secundus, quod à nobis impræsentiarum usitatissimum est.

III. Necessaria tunc prorsus erat major hæc in Archidiacono peritia, quippe qui Episcopi oculus esset & manus, ejusque in contentiosa jurisdictione, & regenda re temporaria Minister & Vicarius Generalis. Hoc paulò antè de Joanne Archidiacono Cabilonensi aiebat Sidonius: *Diu dignitate non potuit augeri, ne potestate posset absolvi.* Videlicet ne aucta dignitate, ut Presbyter fieret, potestas minueretur abdicato Archidiaconatu. Anatolius Constantinopolitanus Episcopus, Ætium Archidiaconum, intrepidum illum Flaviani Patriarchæ defensorem, & ob infractam animi constantiam sibi invisum, ut à se removeret, Presbyteratu initiavit. Gravatè tulit Leo Papa hanc fraudem, nec de ea siluit in datis ad Imperatorem & ad Anatolium ipsum litteris: ubi declarat, quàm improbum & præposterum sit, optimè meritum de Ecclesia virum augere, ut minuas: extollere, ut deprimas.
*Non invenions in eo, quod argueret in fide, quod improbaret in moribus: Dejectionem innocentis per speciem provectionis implevit.* Ep. 57. 58. Ex verbis Leonis authoritas Archidiaconi hinc existebat, quòd Ecclesiasticis negotiis præficeretur. *Quem quia Ecclesiasticis negotiis præposuit.* Nemo nescit beatum Laurentium Sixti Papæ Diaconum, vel Archidiaconum Thesauros Ecclesiæ, quorum ipsi credita erat dispensatio, in pauperes effudisse. Sed ea de re alibi opportuniùs.

IV. Hujus illustrissimi Martyris Acta apud beatum Ambrosium aliud nobis suggerunt, quod diligenter hîc observari necesse sit: Nimirum penes Episcopum fuisse, ut suum sibi deligeret ipse Archidiaconum. Argumento sunt Laurentii verba ad Sixtum Papam, cùm illum enixissimè oraret, ut collegam martyrii ascisceret, quem accersisset incruenti priùs sacrificii ministrum: & quem fecisset Dominici sanguinis dispensatorem, faceret nunc in fundendo proprio sanguine martyrii consortem, judiciumque prius suum confirmaret: *Experire,* Baron. an.
*utrum idoneum Ministrum elegeris, cui commisisti Do-* 261. n. 7.
*minici Sanguinis dispensationem, &c. Offer, quem* Ambro. l. 1.
*eruisti, ut securus judicii tui, comitatu nobili pervenias* Offic. c. 41.
*ad coronam, &c. Vide ne periclitetur judicium tuum.* Sozom. l. 8. c. 9.
Cùm Archidiaconus Episcopi Vicarius & Minister esset, Episcopi utique erat, suo sibi eum nutu cooptare. Itaque cùm suprà Hieronymus Presbyteros Alexandrinos aiebat suo ex cœtu Episcopum eligere, quomodo si Diaconi de se eligant Archidiaconum, non affirmat, sed fingit & supponit rem, quam ad comparationem profert. Narrat Sozomenus Serapionem à beato Chrysostomo Archidiaconum constitutum fuisse.

V. Archidiaconum Episcopus instituere solus poterat, destituere & exauthorare solus non poterat, sine causa & sine figura judicii. Id liquet ex Archidiacono Ætio. Egit enim Leo apud Imperatorem & Imperatricem, ut Anatolius Patriarcha, qui in Ætio quid argueret, invenerat nihil, & hominem innocentem per speciem provectionis dejecerat; jure ut illum suo officioque redintegraret. Paruit Anatolius Leoni, & recentiorem Archidiaconum Andream, tanquam Eutychianorum fautorem gradu movit. Scripsit præterea Leo ut qui Eutychetis condemna- Epist. 72.
tioni sincerè & ex animo subscriberent, ii suum in ordinem restituerentur; sed ne primarias dignitates conferret, nisi his, qui inconcussi in fide semper stetissent. *His tantùm ad Officiorum primatum admissis, quos ab omni errore liberos fuisse constiteris.* In Archidiaconia enim ut in Beneficiis aliis communem Ecclesiæ legem locum habere oportebat, ut eos non libido, non cupiditas eveheret, aut dejiceret; sed ratio & æquitas: sed meritum." At gravissima illa quæstio copiosissimè suo infrà loco pertractabitur.

VI. Fatendum tamen legem Ecclesiasticam fuisse

nullam, quæ Archidiaconum cogeret ministerio huic suo insenescere & immori. Quid enim apertius exemplo Joannis Archidiaconi Cabilonensis de quo suprà diximus, in ministerio diu detentum fuisse, quòd excepto Episcopatu, nulla alia poterat evehi dignitate, qua non decresceret. Non id argumenti à Sidonio prolatum esset, si perpetua fuisset Ecclesiæ lex & consuetudo generalis, ut Archidiaconi dignitate non aliter, non antè abirent, quàm vita. Nec id Leo crimini vertebat Anatolio, quòd Ætium ea spoliasset dignitate, qua dejici, qua abire non posset, dum esset superstes: sed quòd affectata id fecisset malitia, & fraudulentè, ut strenuum antiquæ fidei vindicem amoliretur, eique subrogaret hominem Eutychianis haud sanè infensum futurum. Occurrent infrà & alia inferius exempla, quibus pateat Archidiaconatum ejusmodi administrationem fuisse, qua posset quis abdicare se, qua posset & abdicari, etiam sine crimine, sed non sine justis causis, minimè autem conculcatis justitiæ & rationis legibus.

VII. Reflecto nunc gradum ad officia Archidiaconi & jura. Clericorum minorum dux erat ille, & rector, & magister, ejusque domum illi, ut Scholam eruditionis & pietatis sanctissimam frequentabant. Majorinum qui Cæciliani Carthaginensis Archiepiscopi adversarius postea fuit infensissimus, discipulum ejusdem olim fuisse affirmat Optatus; dum Archidiaconus esset Cæcilianus, Majorinus Lector: *Majorinus qui Lector in Diaconio Caeciliani fuerat*. Paulinus ille ipse, qui vitam scripsit Ambrosii, cùm inter minores Clericos versaretur adhuc, & Notarium ageret Ambrosii, sub disciplina Casti Diaconi degebat, ut ipsemet testatum facit: *Ego visum retuli Casto Diacono, sub cujus cura degebam*. Concilium Carthaginense IV. eam Archidiacono sarcinam injecit, ut minores Clericos imbueret ea peritia, quæ illis ad implendas vices suas opus est. *Ostiarius postquam ab Archidiacono fuerit instructus, qualiter in domo Dei debeat conversari, &c.*

VIII. Quando scribit Leo Papa Anatolium Archidiacono suo concredidisse *dispensationem totius causæ & curæ Ecclesiasticæ*: ita mihi quidem interpretandus videtur, ut Archidiaconum faciat totius administrum jurisdictionis in causis Ecclesiasticis: *causæ*: & dispensatorem rerum redituumque temporalium: *curæ Ecclesiasticæ*. Et quando Theodoretus Episcopus Cyri, inimicorum vi ac potentia oppressus, post imploratam Leonis Papæ opem, addit & litteras ad Archidiaconum Romanæ Ecclesiæ, quibus rogat, ut summum Pontificem adducere velit ad defensionem fidei, & eorum qui in Oriente ejusdem fidei causam strenuè propugnarent: annon bis satis ostendit, quid & quantum in rebus Ecclesiæ maximis Archidiaconi possent? Ubi verò Concilium Toletanum I. post edita Decreta multa de moribus & disciplina Ecclesiæ, Archidiaconis præcipit, ut ea Episcopis præsentibus absentibusque inculcare satagant, ut religiosè cum ipsi observent ea, tum à Parochis observari jubeant: hæc sanè documenta sunt authoritatis Archidiaconorum latissimè patentis. *Hujusmodi constitutionem semper meminerit Archidiaconus, vel præsentibus, vel absentibus Episcopis suggerendam, ut eam Episcopi custodiant, & Presbyteri non relinquant.*

IX. Habes in Concilio Carthaginensi IV. explicata Archidiaconi officia; in ordinandis ab Episcopo Minoribus Clericis, initio à Subdiaconis sumpto. Ejus est porrigere instrumenta sacra, suæ cujusque signa ordinationis. Addit & aliquid majus Hieronymus, Romæ Presbyteros ad testimonium Archidiaconi ordinari. *Sed dicis, Quomodo Romæ ad testimonium Diaconi Presbyter ordinatur?* Id Hieronymo minus probatur. Hinc enim fortè Diaconi ansam arripuerant efferendi se supra Presbyteros. Porro res tota in eo versabatur, quod Archidiaconi erat inquirere in vitam & mores eorum, quos ordinandos Episcopo sistere debebat: quippe qui oculus esset & manus Episcopi, ejusque jurisdictionis administer. Dicebant enim de ordinandis testimonium laïci omnes, Clericique minores apud Archidiaconum, quibus ille auditis, proponebat Episcopo, quibus testimonia publica suffragarentur. Est etiamnum ea lex in Pontificali Romano, ut quos diligentius examen non indignos ordinatione approbarit, eos Episcopo offerat Archidiaconus. Si prætermissum est autem examen illud, ne invidiam faciamus Pontificali libro, sed Episcopo, qui quod jus præcipiebat, insuper habuit: nec Paulo morem gessit alenti, *Nemini citò manus imposueris.*

X. Statuit idem Concilium Carthaginense IV. ut apud Archipresbyterum, aut Archidiaconum Episcopus Viduarum, Pupillorum, & Peregrinorum curam omnem deponat. Verba Canonis suprà relata sunt, ubi de Archipresbyteris. Hanc Diaconis curam & provinciam ipsi statim mandavere Apostoli, ut per eos hac parte oneris & sollicitudinis pastoralis levarentur. Cupidè id arripuit Hieronimus, ut Diaconorum supercilium deprimeret. *Quis patiatur, mensarum & viduarum minister ut supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur.*

XI. Unum restat, ut solvamus, quod objicitur adversùs ea quæ de electione Archidiaconi dicta sunt. Nam in iis litteris quas in Collectione sua Romana Holstenius edidit, quibus Anatolius Leoni respondet, videtur Andreas Ætio antiquitatis potiùs jure & ordinis substitutus fuisse, quàm Anatolii voluntate. *Andreas qui non provectus à nobis, sed gradu faciente, Archidiaconi dignitate fuerat honoratus, ab Ecclesia separatus est, &c.* Ex adverso Leo Anatolio rescribens asserere videtur Archidiaconum communi electione fieri: *Electo primitus & probato, qui Archidiaconi officium possit implere.* Verùm ista facilè dissolvuntur nubila. Leo enim Anatolium solum alloquitur, ubi jubet, ut Archidiaconum primitus eligat, qui eas partes possit implere. Nam sæculo quinto jam nullius electionis meminere Canones, nisi Episcoporum: & inter Ecclesiæ Cathedralis Beneficiarios, Oeconomorum, ut inferiùs observabitur, cum de Oeconomis sermo instituetur. Nec obscurum est ex Epistolis Leonis, id ei persuasissimum fuisse, à solo Anatolio Andream institutum esse Archidiaconum. Hæc enim communis erat omnium saltem in Occidente consuetudo. Quippe cùm ex Episcopi delegatione suam habeat Archidiaconus jurisdictionem: vix, aut nec vix ab alio poterat, quàm ab Episcopo ea dignitate, sive delegatione donari.

XII. Quod autem ab Anatolio responsum est, si non est culpæ qualiscumque excusatio, & ad facti sui levandam invidiam quæsita defensio: dici posset, in Oriente, quia de solo suprà Occidente agebamus, aut certè Constantinopoli in more id fuisse, ut qui esset in ordine Diaconorum prior, is in Archidiaconatûs gradu collocaretur. Potuit hæc privata consuetudo Leonem latere: & tamen jure

L. 1.

Epist. 57.

Epist. 117. 118.

Can. 10.

Can. 5. 6. 9.

Epist. ad Evag.

Can. 29.

Epist. ad Evagr.

Collec. Rom. pag. 134.

Epist. 72.

reprehendi Anatolius, quòd hæreticorum & errore & communione infamatum Diaconum ad tantæ dignitatis culmen extolli perpessus esset. Hoc autem in ea responsione singulare est: affirmat Leoni Anatolius, dejectum à se esse Andream, restiturumque pristinæ dignitati Ætium, qui jam Presbyter erat: *Et reverendus quidem sacrosancta nostra Ecclesia Presbyter Ætius in priore loco atque honore Ecclesiastico nobis est restitutus: omne quod Episcopii nostri est, modestè faciens ipse responsum.* Quo patet Ætium, quamvis Presbyteratu auctum, Archidiaconi gradui & authoritati redditum fuisse. Insolens usque adeo est & inauditum in antiqua Ecclesiæ disciplina, ut qui Presbyter est, idem Archidiaconum agat, aut qui Archidiaconus est, idem Presbyteri & ordinationem assecutus sit & munia impleat: ut quanquam dilucidè id sonare videantur hæc verba, vix tamen adduci possim ut credam. Sed præter ipsam verborum evidentiam, post depositum Andream & restiturum Ætium, nullum alium Anatolius elegisse se dicit. Id ei ergo consilii videtur Leo dedisse, ut Ætius, quamvis Presbyter, Archidiaconatum potiùs gereret, quàm ut ea dignitas homini crederetur, novellæ hæreseos suffragatori. Corruptissimus textus est, nec melior videtur posse ullus elici sensus; eique præterea favet Anatolii studium tunc propensum ad voluntatem Papæ implendam. *Nam apud Catholicum Episcopum etiamsi erat utcumque decus sacerdotale, Sacerdoti Archidiaconus propter fidei reverentiam debuit præmitti, potiùs quàm locum Catholici nequissimus hæreticus obtineret.* Denique hæc ipsa Anatolii verba primarium Archidiaconi munus complectuntur, ut quæ contentiosæ jurisdictionis Episcopalis erant, ipse expediret. *Omne quod Episcopii nostri est, modestè faciens ipse responsum.*

XIII. De Archidiaconis in Oriente ut pergam dicere, Chrysostomus postquam gradu dejectus est, in suis ad Innocentium Papam litteris de Theophilo Alexandrino Archiepiscopo ita conqueritur, quòd cùm Archidiaconum suum in se concitasset, reliquum exinde facilè Clerum abduxisset: *Vocato Archidiacono meo, quasi Ecclesia jam viduata esset, ac Episcopum non haberet, Clerum omnem per illum sibi adjunxit.* Ex quibus intelligas, quanta esset, maximè vacante Sede, Archidiaconi potestas. Concilium Calchedonense deposito Dioscoro, quas ad Clerum Alexandrinum scripsit Epistolas, ita inscripsit, *Charmosyno Presbytero & Oeconomo, Euthalio Archidiacono, & Clericis aliis.* Scilicet viduata Ecclesia, rerum Oeconomus temporalium, spiritualium Archidiaconus administratores erant præcipui. Lecta sunt in eodem Concilio Acta Synodi Berythensis paulò antè habitæ super Iba Episcopo Edesseno: *Act. 10.* in quibus dicitur Maras Diaconus Edessæ, propter illatam Presbytero contumeliam ab Archidiacono suo Communione esse privatus. Lecta est & Synodus Antiochena sub Domno, ubi Isaac Archidiaconi mentio fit. Sed malè. Error est enim Latinæ versionis, quæ pro Primicerio Lectorum Ἀρχαναγνώστῃ, quod Græca semel & iterum habent, Archidiaconum posuit. In Sessionibus denique omnibus ejusdem Concilii Calchedonensis, Ætium Archidiaconum quasi Concilii Promotorem videas; & ex sexcentis & triginta Episcopis plerosque Archidiaconos Episcopi quemque sui locum tenuisse, & ejus nomine subscripsisse.

XIV. Erant in Oriente Archidiaconi, quemadmodum in Occidente, Episcoporum Vicarii, & Ministri generales. Scribens Hieronymus adversùs errores Joannis Hierosolymitani Episcopi, ait immissum ab eo esse Archidiaconum suum, qui sancto Epiphanio sermonem in Ecclesia S. Sepulcri contra Origenistas habenti, silentium imponeret. Citatus à tribus Episcopis ad Concilium Ephesinum Joannes Episcopus Antiochenus, per Archidiaconum respondit, negavitque se esse venturum. Isidorus Pelusiota ad Pelusii Archidiaconum ita scribit: *Si venerandi Altaris Diaconi Episcopi oculi sunt, cùm* *L. 1 Ep. 29.* *tu Dei permissu ipsis præsis, totus oculus,* ὅλος ὀφθαλμός, *esse debes, quemadmodum animalia illa plurimis oculis prædita.*

XV. Fortè non sine causa Archidiaconum hortatur Isidorus, ut omni virium contentione obsistat ordinationibus simoniacis. Nam in ordinationibus tantum fortassis in Oriente poterat Archidiaconus, quantum in Occidente potuisse demonstravimus. Crimini datum est Ibæ Episcopo Edesseno, quòd *Conc. Calched. Act. 10.* ad Episcopatum voluisset hominem prorsus indignum protrudere: prohibitus autem esset ab Archidiacono suo. *Tentavit eum ordinare Episcopum, & prohibitus ab eo qui tunc Archidiaconus erat, indignatus est.* De Archidiacono verisimillimè intelligenda est illa Joannis Comitis ad Theodosium juniorem Epistola, ubi meminit primi Diaconi Ephesini, πρωτοδιακόνου.

---

## CAPUT XVIII. *P. 2. l. 2. c. 13.*

### De Archidiaconis sæculo VI. VII. & VIII.

*I. Erat Archidiaconus Vicarius Generalis Episcopi, ejusque jurisdictionem, tum voluntariam, quàm contentiosam administrabat. Probationes.*

*II. III. Probationes aliæ. Oeconomi quoque & Cantoris munia exercebat.*

*IV. V. VI. Propria ejus jurisdictio in causis Clericorum minorum.*

*VII. Domum ejus tanquam in Scholam totius Ecclesiasticæ eruditionis confluebant minores Clerici.*

*VIII. Peritia & industria ingens Archidiacono necessaria.*

*IX. Ejus jurisdictio in Parochos & in Archipresbyteros ipsos.*

*X. XI. Unus erat in Cathedralibus Ecclesiis Archidiaconus. Synodi Autissiodorensis Canon his adversus.*

I. Secunda hac ætate Ecclesiæ fuere Archidiaconi veluti Vicarii Generales & Officiales Episcoporum, in depromenda eorum jurisdictione omni, sive voluntaria, sive contentiosa. Id apertissimè tradit Author vitæ sancti Leodegarii Episcopi Augustodunensis, sed antè Archidiaconi Pictaviensis; quem ideo ille locupletat Juris Civilis Canonicique mira peritia, cui accedebat & eloquentia, & ea sanctitas integritasque, quæ splendidissimam dignitatem illustraret. *Infra viginti annos* *Du Chesne Hist. Franc. To. 1. pag. 618.* *ad officium electus est Diaconatûs, atque ab ipso Pontifice consecratus. Deinde non multo exacto tempore Archidiaconus effectus, omnibus ejus Diœcesis Ecclesiis ab eodem Pontifice præfectus atque prælatus est. Erat enim egregiè facundus, prudentia providus, Dei Zelo & amore fervidus, Scriptura divina, tum etiam Pontificii Juris & Civilis agnitione, penè omnes ejus Parochiæ quam administrandam susceperat, habitatores antecedebat. Et brevi quidem temporis spatio sub illo Antistite magnam pacem Pictaviensi solo regiminis sui providentia conciliavit.*

II. Præstantissimæ huic Archidiaconi tabellæ alludit descriptio virtutum ei cum primis necessariarum, & eximiæ illius potestatis quam exercet, apud *Epist. ad Laudfred. Brisc. pag. 315.* Isidorum Hispalensem Episcopum: *Archidiaconus imperat Subdiaconis & Levitis. Quis Levitarum Apo-*

*stolum & Evangelium legat, quis preces dicat, seu responsoria in Dominicis diebus, aut Solemnitatibus decantet. Sollicitudo quoque Paræciarum, & ordinatio, & jurgia ad ejusdem pertinent curam. Pro reparandis diœcesanis Basilicis ipse suggerit Sacerdoti: ipse inquirit Paræcias cum jussione Episcopi, & ornamenta, vel res Basilicarum, & Paræciarum gesta, & libertatum Ecclesiasticarum Episcopo idem refert. Collectam pecuniam de Communione ipse accipit, & Episcopo defert, & Clericis partes proprias idem distribuit. Ab Archidiacono nuntiantur Episcopo excessus Diaconorum. Ipse denuntiat Sacerdoti in sucrario jejuniorum dies, atque Solemnitatum, & ab ipso publicè in Ecclesia prædicantur. Quando verò Archidiaconus absens est, vicem ejus Diaconus sequens adimplet.* Ubi Archidiaconum perspicis, non Vicarii tantùm Generalis & Officialis, sed & Oeconomi, & Cantoris, ex parte saltem munia fungentem. At nihil magis in eo eminet, quàm jurisdictio utraque ei delegata, inspectio in Parochias ruris, & earum perlustratio.

III. Venantius Fortunatus delegatam ab Episcopo Archidiaconis potestatem nullo claudit limite. *Det tibi larga Deus, qui curam mente fideli de grege Pontificis Magne Minister habes.* (Poëmat. l. 3.) Totius ergo imperii Episcopalis administer erat Archidiaconus. Hinc Episcopus Galliæ non existimavit, perendum sibi esse à Gregorio Magno Dalmaticarum usum, quin & Archidiacono suo eundem peteret. Romanæ Ecclesiæ ea erat sacra vestis, paucis tunc adhuc concessa aliis. Utrique concessit Pontifex: *Petita concedimus, atque te & Archidiaconum tuum Dalmaticarum usu decorandos esse concedimus, easdemque Dalmaticas transmisimus.* (Greg. Mag. L. 7. Ep. 112.) Episcopo Antiocheno Meletio, quod capite superiori nobis excidit, Catholicam fidem è suggestu profitenti Archidiaconus Ariano contagio imbutus, os obthurare nulla non arte, nulla non vi tentavit. Et hinc rursum paret qua potestate essent apud Episcopos Archidiaconi. Qua autem cura in Clericos minores vigilarent, & immorigeros contumacesque ad Episcopum ut deferrent, docet nos Scriptor vitæ Alexandrini Archiepiscopi sanctissimi Joannis, cui stupeoda in pauperes largitas nomen fecit. Cùm enim ad aras sacris operaretur sanctissimus Patriarcha, indicari sibi jussit ab Archidiacono Diaconum jamdiu contumacissimè recusantem redire in gratiam cum inimico quodam suo; eumque palam & publicè eadem ipsa hora, antequam Corporis Christi pacifica hostia reficeretur, cum inimico reconciliari coëgit; fecitque Episcopus quod Archidiaconus frustra tentaverat. (In vita ejus c. 16.)

IV. Verùm hæc Archidiaconi in Clericos alios omnimoda potestas, iis quæ dicturus sum, longè planior fiet. Sicut Clerico cum sæculari res erat, ad judicium à Judice publico adhibebatur Archidiaconus. Ita enim habet Synodus Autisiodorensis: *Quæcumque causatia quoties inter sæcularem & Clericum vertitur, ubsque Presbytero aut Archidiacono, vel si quis esse Præpositus Ecclesiæ dignoscitur, Judex publicus audire negotium non præsumat.* (Autisiod. c. 43. Aurel. IV. c. 20.) At Clerici Parochique Ecclesiarum, quæ in Magnatum domibus sitæ erant, nisi dicto audientes essent Archidiacono, ab eo corripiebantur pro modo culpæ: *Ab Archidiacono civitatis admoniti, corrigantur secundum Ecclesiasticam disciplinam.* (Ibid. c. 26.) Ita Aurelianensis IV. Synodus. Rursus autem ex Autisiodorensi: si Archipresbyter sæva indulgentia Episcopum vel Archidiaconum non moneret, si quos Presbyteros castè non vivere comperisset, vel majores Clericos alios, per annum à Communione arcebatur: *Et Archipresbyter hoc Episcopo aut Archidiacono non innotuerit, si scit.* (Autisiodor. c. 20. 23.) Acerbissimas etiam dant pœnas Abbates, qui Monachos suos graviter delinquentes non coërcebunt, aut Episcopum vel Archidiaconum non monebunt. *Aut Episcopo aut Archidiacono non innotuerit, &c.* Denique Cabilonense Concilium anni 650. anathemate percellit earum villarum, ubi suæ sunt Parochiæ, dominos, si Parochos Clericosque alios ab Archidiacono coërceri non sinant. *Et jam nec ipsos Clericos, qui ad ipsa Oratoria deserviunt, ab Archidiacono coerceri permittant, &c. quod si quis contradixerit, Communione privetur.* (Can. 14.)

V. Non patitur Concilium Matisconense I. ut Clerici inter se litigantes ad aliud conveniant Tribunal, quàm Episcopi, Presbyterorum, aut Archidiaconi. *Omne negotium Clericorum, aut in Episcopi sui, aut in Presbyterorum, vel Archidiaconi præsentia finiatur.* (Can. 8.) At cùm Episcopalis jurisdictio miseros & calamitosos omnes complecteretur, vetuit Concilium Matisconense II. ut publici Judices causas disceptarent viduarum & pupillorum, nisi unà assiderent vel Episcopi, vel Archidiaconi, vel aliqui ex Presbyteris. *Decernimus, ut judices non priùs viduas aut pupillos conveniant, quàm Episcopo nuntiarint, cujus sub velamine degunt. Quòd si Episcopus præsens non fuerit; Archidiacono, vel Presbytero cuidam ejus, ut pariter sedentes, communi deliberatione causis eorum terminos figant, ita justè ac rectè, ut deinceps de talibus antedicta persona non conquassentur.* (Can. 12.)

Statuit Concilium Aurelianense V. ut Archidiaconus vel Præpositus Ecclesiæ Dominico quoque die carceres & incarceratos inviseret, ut ne qua re necessaria eos defici, fraudarique sineret Episcopus: *Ab Archidiacono, seu Præposito Ecclesiæ singulis diebus Dominicis requirantur.* (Can. 20.) Qui hîc Præpositus dicitur, is mihi quidem non alius quàm Archipresbyter videtur esse; ejusque rei conjectura duci potest ex Canone XX. Concilii IV. Aurelianensis, collato cum Canone XLIII. Synodo Autisiodorensis. Hoc enim ultimo Canone Archipresbyter nominatur, qui alio dicebatur Præpositus. At interim exoriebatur in Ecclesia dignitas Præpositorum, de quibus suo infrà loco.

VI. In Clericos certè, præsertim inferiores, sacrum imperium suum exerebat Archidiaconus, quòd illi velut decerptam obtinerent partem aliquam Diaconatûs, seu ministerii Ecclesiastici, quod totum & ex asse Diaconis creditum esset. Concilium Agathense Archidiaconos excitat, ut Clericos qui comam nutriunt, & ineptia hujusmodi munditiis Clericatum dehonestant, vel invitos detondeant: *Clerici qui comam nutriunt, ub Archidiacono, etiamsi noluerint, inviti detondeantur.* (Can. 20.)

VII. Nec subjectos tantùm habebant Archidiaconi Clericos inferiores, sed & discipulos. Nam cùm ad id muneris peritissimi quique adoptarentur, in eorum ædes tanquam in scholam sacræ eruditionis confluebant Clerici juniores. Habebant ergo Clerici in Archidiacono non præceptorem tantùm, sed & Clericalis sanctimoniæ specimen absolutum, in quo esset scientia rerum cum morum probitate conjuncta. *Scias me emissum ab Archidiacono & Præceptore, &c.* ait Gregorius Turonensis. (Greg. Turo. Hist lib. 6. c. 36.) Qui rursus alibi ita habet: *Erat Archidiaconus, Joannes nomine, valde religiosus, & in Archidiaconatu suo studium docendi parvulos habens.* (Mirac. l. 1. c. 78.) Alio verò loco de Archidiacono Bituricensi ita loquitur, tanquam de Rectore & Præfecto ejus sodalitii, in quo Diaconi (Vita Patr. c. 9.)

simul & alii Clerici communem agebant vitam, simulque vescebantur. Ubi eo teste molestè ferebat Archidiaconus unius sodalium macerationes carnis inusitatas, hac singulari, etsi pia novitate, ratus convelli leges sodalitatis & vitæ communis.

Docet & Beda eam fuisse Bonifacii Archidiaconi Romani sapientiam, tantamque eruditionis sacræ ubertatem, ut inde larga non solùm in Romanos Clericos fluenta derivaretur, sed & in advenas, qui undecumque Romam, tanquam in ipsius disciplinæ Ecclesiasticæ & scientiæ patriam & fontem confluerent. *Veniens Romam Vuilfridus, & orationibus ac meditationi rerum Ecclesiasticarum quotidiana mancipatus instantia, pervenit ad amicitiam viri sanctissimi ac doctissimi, Bonifacii videlicet Archidiaconi, qui etiam Consiliarius erat Apostolici Papæ, cujus Magisterio quatuor Evangeliorum libros ex ordine didicit, computum Paschæ rationabilem, & alia multa, quæ in patria nequiverat, Ecclesiasticis accommoda, eodem Magistro tradente percepit.* Beda lib. 5. c. 20.

VIII. Illa, illa profectò incredibilis copia sacræ eruditionis Diaconos plerumque & Archidiaconos ad summum Pontificatum provexit. Utputa Leonem Magnum, Gregorium Magnum, Bonifacium, aliosque. Hæc eadem illos Generalium Provincialiumque Conciliorum Promotores fecit, ut ex Calchedonensi Concilio suprà patuit, atque ex Canone IV. liquet Concilii Toletani IV. Hinc illud Concilii Agathensis decretum, si ea non sit Archidiaconus rerum experientia & dexteritate, eaque pervigili sedulitate fretus, quam munus ei demandatum desiderat, nomine & honore illum sinat Episcopus gaudere, at rerum administrationi & gubernaculo admoveat alium peritiorem. *Sanè si Officium Archidiaconatûs propter simpliciorem naturam implere, aut expedire nequiverit, ille loci sui nomen teneat; & ordinationi Ecclesiæ, quem elegerit Episcopus, præponatur.* Can. 15.

IX. Hæc eadem peritia dexteritasque Archidiaconos tum Episcopali jurisdictione vestivit, tum evexit eos supra Presbyteros, Parochosque maximè ruris. Trullana Synodus Diaconos supra Presbyteros sedere non patitur, nisi cum personam & vicem sustinent Patriarchæ, aut Metropolitani, qui eos in negotium aliquod grave delegavit. *Statuimus ut Diaconus etiam si in dignitate, id est in quovis sit officio Ecclesiastico, ἐν ἀξιώματι τῷ ἔσιν ὀφφικίῳ, ante Presbyterum ne sedeat, præterquam si proprii Patriarchæ, vel Metropolitani vicem gerens, adsit in alia Civitate, super aliquo Capite; tunc enim ut locum illius implens honorabitur.* Can. 7. De his Officiis postea agemus, nam & ipsam Officiorum latinam vocem Græci linguæ suæ consuetudini donaverant. Sed non hic nobis sermo est de sedendi prærogativa, aut progrediendi; sed de jurisdictione ipsa, quam Archidiaconi depromebant in Presbyteros & in ipsum Archipresbyterum, propterea quod Episcopi vices gerebant. Ita enim conceptis verbis tradit Isidorus: *Archipresbyter verò se esse sub Archidiacono, ejusque præceptis, sicut Episcopi sui, sciat obedire.* Epist. ad Ludfrid. Epist. 516.

X. Observari id hactenus potuit, unum fuisse Archidiaconum, eumque in Ecclesia Cathedrali. Rem ita expressit Concilium Emeritense, ut contra non possit omnino dici. Unus tantummodo poterat esse primus, sive inter Diaconos, & is Archidiaconus: sive inter Presbyteros, & is Archipresbyter dicebatur. Unus esse ponitur ab Agathensi Concilio, cum in ejus locum qui muneri impar sit, non Archidiaconus alter, sed quem Episcopus elegerit, Diaconus sufficitur. Can. 10. Nec fuisset cur Leo & Gregorius de fraudulenta Archidiaconi ad Presbyteratum promotione conquererentur apud Episcopum, si licuisset Episcopo plures sibi Archidiaconos asciscere.

XI. Hinc scrupuli & dubitationis nonnihil exoritur adversùs Canonem Synodi Antisiodorensis, Can. 6. ubi mentio fit Archidiaconi Ecclesiæ Parochialis, immo & Archisubdiaconi. Hoc inauditum, illud præter morem. Nisi fortè propria hæc fuerit & singularis consuetudo Ecclesiæ Antisiodorensis, ut honorificis his nominibus ornarent primum ex Diaconis, & primum ex Subdiaconis, etiam in Ecclesiis Parochialibus. Si ita res haberet, authoritatis aliquid accersi posset ab usu Monasteriorum Orientalium, ubi sanctus Joannes Climachus persæpe Archidiaconum nominat eum, qui inter Diaconos Monasterii primus erat. Scal. Gradu 4.

---

## CAPUT XIX. *P. 3. l. 1. c. 12.*

### De Archidiaconis sub Imperio Caroli Magni.

*I. Multiplex potestas Archidiaconorum in Parochos. De Visitatione. De Synodo.*

*II. Eorum crebrò damnata avaritia in pecuniariis exactionibus.*

*III. Cur Archidiaconatus invaserint quandoque laici.*

*IV. Luculenta Hincmari Remensis monita, maximè dum Parochias, aut soli, aut cum Episcopo obambulant Archidiaconi.*

*V. Vetatur nequid exigant.*

*VI. Non agrestia Beneficia vel jungant, vel sejungant.*

*VII. Non se fascinari muneribus sinant, quo scelera dissimulent pœnitentium, Clericorum, Parochorum.*

*VIII. An Hincmarus Presbyterorum nomine designarit Archidiaconos.*

*IX. Suberant Archidiacono Archipresbyteri ipsi.*

*X. Archidiaconi Promotores Conciliorum. Archidiaconi inter Monachos.*

*XI. Nulla erat Græcorum Archidiaconorum in Presbyteros jurisdictio.*

*XII. Delegatio Episcopalis jurisdictionis sæpius iterata, & diu protracta, tandem evasit legitima & ordinaria.*

I. Ante Presbyteros, seu ante Parochos locantur Archidiaconi, quòd in eos exerceant Jurisdictionem, tametsi delegatam. Archidiaconi erat, ut Parochos aliosque Clericos convocaret, Comitemque ipsum, hoc est Regium regionis Præsidem, ut Episcopali Synodo interessent. *De Presbyteris & Clericis sic ordinamus, ut Archidiaconus Episcopi eos ad Synodum commoneat, unà cum Comite.* Conc. Gall. Tom. 2. pag. 5. In Capitulari Ludovici Pii Coadjutores vocantur ministerii Episcopalis, sicut & Chorepiscopi & Archipresbyteri. Ex Concilio Cabilonensi II. perspicuum est, delegatos plerumque eos fuisse ad visitandas ruris Parochias. Ibid. pag. 466. *Quod eis ab Episcopis injungitur hoc per Parochias suas exercere studeant, nihil per cupiditatem & avaritiam præsumentes.* Anno 813. c. 15. Hæc verò potestas, qua armabant Episcopi Archidiaconos, in tyrannicam quandoque sævitiam, & ad gravissimas convertebatur exactiones: quas ita idem mox Concilium proscribit. *Dictum est etiam, quod in plerisque locis Archidiaconi super Presbyteros Parochianos quandam exerceant dominationem, & ab eis census exigant; quod magis ad tyrannidem, quàm ad rectitudinis ordinem pertinet.*

II. Sævit & Concilium Parisiense VI. edictis suis adversùs istiusmodi intolerandas exactiones in Parochos, Parochiasque. *Comperimus quorumdam*

*Ann 829. Can. 25.* *Episcoporum ministros non solum in Presbyteris, sed etiam in plebibus Parochiæ suæ avaritiam potius exercere, quàm utilitati Ecclesiasticæ dignitatis inservire, &c. Statuimus ut unusquisque Episcoporum super Archidiaconis suis deinceps vigilantiorem curam adhibeat, quoniam propter eorum avaritiam & morum improbitatem multi scandalizantur & ministerium. Sacerdotale vituperatur.* *Ann. 836. Can. 4.* Iisdem penè verbis idem confixit scelus Concilium II. Aquisgranense, eodem telo & Chorepiscoporum, & Archipresbyterorum, perinde ut Archidiaconorum sordidissimam avaritiam confodiens.

*Capitulare Car. Mag. L. 1. c. 116. Conc. Gall. Tom 2. Can 15.* III. Non caret similitudine veri, hac illecebra inescatos quandoque fuisse laicos, ut Archidiaconatus invaderent, quò rapinis consimilibus grassati in Parochias agrestes, & ditescere possent. Hanc insolentissimam audaciam damnant Capitularia Caroli Magni: *Ut laici non sint Præpositi Monasteriorum infra Monasteria, nec Archidiaconi sint laici.*

IV. Ex his porro illud emicat nihildum certi definitum fuisse de impensis & de procurationibus Archidiaconorum. Monita oppidò pulcherrima leges, si vacat, apud Hincmarum Remensem Archiepiscopum, quibus duos ille instruebat Archidiaconos suos, ne oneri essent Presbyteris Parochiarum, cùm eas vel soli visitarent, vel cum Episcopo; ne numeroso nimis peditum equitumque comitatu cincti Parochias obambularent; ne diutius in eadem Parochia moras traherent; aut siqua esset necessitas immorandi, vicinas Parochias cogerent ad aliquam impensarum partem, ne studio avaritiæ Ecclesias visitarent, ut reditibus interim suis parcerent; sed unum id curæ haberent, latissimè ut disseminarent verbum Dei, & vita moribusque eandem quam Evangelica prædicatione sanctimoniam omnium animis inspirarent. *Conc. Gall. To. 3. pag. 642.* *Quando rusticanas Parochias vobis commissas, vel mecum, vel per vos circuitis, sicut & ego, non graves sitis Presbyteris in paratis quærendis; neque ducatis superfluè vobiscum homines, vel vestros proprios, vel propinquos vestros, per quos illos gravetis, in cibo, & potu, & fodro ad caballos. Nec diu in mansionibus ipsorum Presbyterorum immoremini; & si necessitas evenerit, ut in aliquo loco immorari debeatis, sic disponite victualia vestra per circummaneates Presbyteros, ut nemini graves sitis, & non otiosi & infructuosi stipendia Ecclesiastica infumatis, sicut nec ego gravis sum Presbyteris, per quos Parochias circumeo, &c. Ut non occasione victûs Parochias circumeatis, quatenus aliorum stipendiis viventes, vestra stipendia conservetis, sed verbo & exemplo instruatis non solùm Presbyteros, sed & laicos.*

V. Expressissimè deinde prohibet, nequid muneris exigant à Parochis, seu pecunias, seu quascumque res alias, ne vano quidem prætextu Eulogiarum; non tantùm quando obambulabunt Parochias, sed etiam tempore Synodi, aut cum variæ causæ Parochos compellunt ad Episcopum accedere. Nec vetat tamen, ne spontaneas oblationes accipiant. *Ne ad quamcumque rem denarios apud Presbyteros postuletis, neque quando ad Synodum venerint, eulogias exigatis.*

VI. Ea rursum mox prohibentur, ex quibus mirum in modum elucescit, quàm se latè exporrigeret Archidiaconorum authoritas. Jam non amplius enim illos sinit, duas Parochias in unam jungere, nec sejungere Capellas, vel Succursales, aut subsidiarias Ecclesias à Parochiali cui adhærescebant; nec copiam facere habendi Oratoria domestica. Quin ex adverso jubet, ut breviculum ad se referant Parochialium Ecclesiarum, quibus aliæ quæpiam fuerant annexæ, & Oratoriorum intra privatas laicorum ædes hactenus constructorum.

VII. Monet illos deinde, atque adeo Parochos omnes, ne muneribus deliniti se sinant, ut indulgentiores sint erga criminosos vel Pœnitentes, sive ante, sive post reconciliationem. Utque certiorem illum faciant de eorum lapsu lacrymabili, qui per pœnitentiam publicam reconciliati Altaribus, in eadem rursus flagitia præcipites ierant, ut præscribat ipse quæ eis posthac facienda sit medicina. Inculcat illud etiam, ut nihilo indulgentiores sint in Clericos, quos ordinandos Episcopo offerrent, de quorum vita & moribus rationes ipsi reddituri sunt nunc Episcopo, pòst Christo. Denique renuntiari sibi ab eis jubet, qua fide & diligentia observent Parochi statuta Synodalia & Episcopalia; præsertim verò in ea redituum Ecclesiasticorum portione, quæ pauperibus juvandis dicata est. Denique ut sufficiant Decanos alios in locum eorum, qui sæpiùs moniti de excessibus variis, non resipuerunt; aut qui vita migrarunt. Novos verò Decanos à se institutum iri, si prope sit: si procul autem absit, eligi debere, quos ipse confirmet.

VIII. Hæc sunt longè præclarissima Hincmari monita ad Archidiaconos suos, ex quibus quæ essent eorum & jura & officia, quæ potestas, quæ pietas edocemur. Unum est quod in eis desideremus, quòd non aperuerit nobis, cur Archidiaconos suos Presbyteros vocet. *Gombario & Adhelardo Archidiaconibus Presbyteris.* Nec enim suspicati possumus legendum esse, *& Presbyteris*, cùm nusquam ibi nisi ad Archidiaconos verba faciat. Multò minùs venire poterit in mentem Archidiaconos illos Presbyteratus ordine initiatos fuisse. Id quippe ab universalis Ecclesiæ consuetudine mirum in modum tunc abhorrebat.

IX. Suberant Archidiaconi jurisdictioni Parochi & Archipresbyteri omnes, quamvis non alia ille quàm Diaconi ordinatione insignitus esset. Id satis superque liquebat ex iis quæ paulò antè docebat Hincmarus: maximè verò ex authoritate qua Archidiaconos muniebat, ut Archipresbyteros & Diaconos gradu suo exturbarent, qui frequentiùs correpti, ad meliorem se frugem non reciperent. *Si Decanus in ministerio vestro aut negligens, aut inutilis, aut incorrigibilis fuerit, non inconsideratè Decanum eligite.* *Can. 13.* Idque rursus patet ex Capitulari Valteri Episcopi Aurelianensis. *Ut per Archidiaconos vita, intellectus & doctrina Cardinalium Presbyterorum investigetur.*

X. Concilium Suessionense II. & Forojuliense sub Patriarcha Paulino Archidiaconos rursus nobis exhibent, quasi revocata prisca consuetudine, Conciliorum Promotores & Agentes. In Suessionensi Vicarius Archidiaconi locum & munia ejus implet: *Locum servans Archidiaconi.* Extant litteræ Lupi Ferrariensis Episcopi ad Usuardum Abbatem & Archidiaconum. Quo patet id muneris quandoque obiisse Regulares. Quod manifestiùs patet etiam ex octava *Act. 9.* generali Synodo, ubi legitur declaratio Josephi Monachi, Archidiaconi & Vicarii Generalis Patriarchæ Alesandrini. *Joseph Monachus, Archidiaconus, & Vicarius Patriarchæ, &c.* Regula Canonicorum à Crodogango Metensi Episcopo digesta, in unum miscere videtur Archidiaconum cum Præposito & Primicerio Monasteriorum, ubi Clerici communem in vitam consociari erant.

XI. Fuere & sui Ecclesiæ Græcæ Archidiaconi,

ut

ut ex laudata VIII. Synodo generali patet. At non tanta ibi erat illorum in Presbyteros Parochosque authoritas. In Officiis tantùm divinis & inter solemnia sacra suam explicabant Archidiaconi præcellentiam supra Carthophylacem ipsum & Exocatacœlos, de quibus infrà dicemus. Alibi totam jurisdictionem obtinebat exercebatque Carthophylax. Itaque inter Græcos Archidiaconatus, non ἀρχοντικὸν est, sed ὀφφίκιον, hoc est, expers jurisdictionis munus. Hinc verò Joannes Episcopus Citri aliud exprimit discrimen hujus utriusque dignitatis, in suis ad Cabasilan responsionibus. Cùm Archidiaconatus officium sit inane & vacuum jurisdictionis, eo donandus est, qui inter Diaconos antiquitate cæteris præstat. At si ejusmodi esset ea dignitas, cui jurisdictionis aliquid adhæresceret, tum Episcopus, cui collibitum sibi esset, conferret; quòd æquissimum sit ab Episcopo deligi, quem in partem & in societatem vocet sacerdotalis imperii, & in jurisdictionis suæ vices gerendas.

Jur. Orient. l. 3. p. 329

XII. Ex his porro satis apertè colligitur, potestatem & jurisdictionem Archidiaconi, præsertim in Presbyteros & Archipresbyteros, ordinariam & propriam non evasisse, nisi ex eo quòd diutissimè & sine ullo limite ab Episcopis delegata fuerat. Lustrabat Archidiaconus primò Parochias cum Episcopo; solus postea eas absente Episcopo, vel aliis distento occupationibus lustravit. Mandata Episcopi exequebatur, & jus ejus nomine dicebat in Presbyteros Archipresbyterosque eo delegante; eo absente cœpit ut necesse erat, eadem munia implere. Denique vacante etiam Sede jurisdictionem Episcopalem exercuit, quia delegatio cùm jam perpetua & ordinaria evasisset, exinde potestas quoque fuit & jurisdictio ordinaria.

---

## CAPUT XX. *P. 4. l. 1. c. 25.*

### De Archidiaconis ultima Ecclesiæ ætate post annum Christi millesimum.

*I. Jure novissimo Decretalium Archidiaconi sunt adhuc oculi & manus Episcoporum.*

*II. Prærogativa honoris & præcellentia Archidiaconorum supra dignitates alias omnes Episcopatu inferiores.*

*III. Cur esse desierint Archidiaconi in Clero Romano, & Constantinopolitano.*

*IV. Quàm necesse esset, ut Diaconatûs ordine initiarentur.*

*V. Quomodo ad Presbyteratum provecti sint, & unde hæc mutatio.*

*VI. De contentiosa eorum jurisdictione.*

*VII. Delegata, an propria esset hæc jurisdictio? Juri, an consuetudini innixa?*

*VIII. Quàm latè ea pateret.*

*IX. Cùm vastâ hac potestate abuti Archidiaconi cœpissent, Vicarios Generales & Officiales sibi creavere Episcopi.*

*X. Revocata & coarctata Archidiaconorum jura, ut ad Vicarios Generales amovibiles transferrentur, & ad Officiales, quorum delegatio in Officium tandem perpetuum evasit. Restitti Archidiaconorum Officiales.*

*XI. Statuta Concilii Tridentini, Comitiorum Cleri Gallicani, & Parlamentorum Galliæ in hoc negotio.*

*XII. Summa antedictorum.*

*XIII. Specimen Archidiaconi, muneris sui omnibus absoluti.*

I. JUre novo nihil detritum de prisca Archidiaconorum gloria & potestate, cùm in Decretalibus Gregorianis dicantur adhuc Vicarii Generales Episcoporum, vel quod eodem redit, nullo addito limite Vicarii. *Archidiaconus post Episcopum sciat se Vicarium esse ejus in omnibus.* Innocentius ipse III. hoc illis nomen & elogium asserit: *Secundùm Romani ordinis constitutionem, major post Episcopum & ipsius Episcopi Vicarius reperitur.* Nec verborum hæc magnificentia est, aut titulorum: tota illis subest jurisdictio, & quantam ea dignitas omnibus retro sæculis obtinuit. *Omnem curam in Clero, tam in urbe positorum, quàm eorum qui per Parochias habitare noscuntur, ad se pertinere sciat, sive de eorum conversatione, sive de honore & restauratione Ecclesiarum, sive doctrina, &c. & delinquentium rationem coram Deo redditurus est.*

Decretal. Gregor. l. 1. Tit. 23. c. 1. 7.

Perinde ut olim, sunt etiamnunc, & manus & oculi Episcoporum, quibus fidei sacramento quondam astringebantur, uti docet nos sanctus Fulbertus Carnotensis Episcopus: *Lisiardus Archidiaconus cùm esse deberet oculus Episcopi sui, dispensator pauperum, catechizator insipientium, &c. Factus est quasi clavus in oculum, &c. Quid dicemus de juramento fidelitatis quod ita contaminat, ut Episcopo suo, non corde, nec verbo, nec opere fidelis existat.* Non audebat Hildebertus Cenomanensis Episcopus Arvernensi Episcopo eum commendare, quem ipse Archidiaconum creando, veluti oculum Ecclesiæ suæ corpori inseruerat. *Quem fecistis ultro non quodlibet membrum corporis Ecclesiæ, sed oculum.* Tridentina Synodus suffragatrix accedit, *Archidiaconi, qui oculi dicuntur Episcopi.*

Epist. 34. Epist. 55. Conc. Trid. Sess. 24. c. 12.

Ut erant desinente ætate media, vel ineunte hac novissima plures non rarò Archidiaconi una in Episcopali Ecclesia, Magni Archidiaconi nomine insigniri solebat, qui in urbe Episcopali degebat, cum Archidiaconi alii Episcopale territorium inter se partirentur. Quanquam autem suprà memorata honoris & potestatis insignia specialius Archidiacono civitatis competerent, erant tamen cæteris quoque communia, nec unquam Archidiaconi alii aliis imperitasse leguntur.

Sirmundus Ind. 2. Epist. 8. Goffridi Vindoc.

II. Archidiaconus Cantuariensis ante Abbates omnes subscripsit Concilio Londinensi anni 1075. *Hoc sancitum est coram duobus Archiepiscopis, & tredecim Episcopis, & Aschenillo Archidiacono, & viginti-uno Abbatibus.* In Vintoniensi Concilio anni 1024. Abbates primas honoris partes obtinuerant. *Legatus sevocavit Episcopos, mox Abbates, postremò Archidiaconi vocati.* In electione Episcopi Cabilonensis anno 1080. Archidiaconi ante Archipresbyteros subscripsere. Publicatæ sunt à Miræo chartæ innumeræ, ubi Archidiaconi ante Decanos, ante Præpositos, ante Cantores subscribunt. Clemens V. in eo diplomate, quo Concilium Viennense indixit anno 1309. Abbates, Priores, Decanos, Præpositos, Archipresbyterosque nominat ante Archidiaconos. Archiepiscopus Cantuariensis ei diplomati obsecundans eodem illos ordine nominavit. Eidem ordini eodem tempore Archiepiscopus Ravennas se accommodavit. Nihilo tamen secius Concilia Mediolanensia sub sancto Carolo Archidiaconos commendavere, ut primam & principem assecutos post Episcopum dignitatem. *Archidiaconus cujusque Cathedralis Ecclesiæ, si ea Ecclesia Archidiaconum habeat; sin minus, is qui proximum post Episcopum in ea Ecclesia dignitatis gradum habet, &c.* A quibus non discessit Concilium Aquileiense anni 1596. *Dignitas quæ principalis est post Episcopalem.* Quod ad Græcam attinet Ecclesiam tempore Concilii Lugdunensis II. seu anno 1274. nominatur Archidiaconus ante Clerum omnem, ante Oeconomos & Defensores, ante eminentissimas dignitates.

Conc. Tom. 10. p. 348. 350. 395. 1024. Hallier. De Eccles. Hier. l. 4. c. 3. art. 5. Con. To. 11. Part 2 pag. 1501. 1512. 1533. Conc. Gen. Tom. 15. pag. 255. 1497. Conc. Gen. 10. 11. Labb. p. 959. 973.

An hæ fuerint & temporum vices, & Archidia-

conatûs alternantes vicissitudines; an potiùs tunc tantùm decrescere videretur ea dignitas, cùm de Conciliis ageretur, quòd ejus amplitudo intra suam Ecclesiam aut Diœcesin limitata esset; aliorum esto judicium. Constat certè tamen Archidiaconorum jurisdictionem necdum imminutam magnopere fuisse: eosque canonicam exeruisse adhuc potestatem in eos, quibus loco cedere cœperant. De amplitudine ejus dignitatis vel hinc conjecturam facies, si voles, quod Stephanus de Garlanda Major Palatii seu magnus Magister Aulæ Regiæ, & magnus Senescallus Franciæ, quæ tunc erat omnium eminentissima in Galliæ regno dignitas, honori sibi verteret, quòd Archidiaconus Parisiensis Ecclesiæ simul haberetur. Flagrantissimo justissimoque zelo incensus Bernardus insectabatur hanc penè monstrosam dignitatum tantopere dissentientium copulationem: sed iis interim utebatur verbis, quibus Archidiaconatûs dignitas eximia celsissimaque commendetur.
Epist. 78. *Sic sublimatum honoribus Ecclesiasticis, ut nec Episcopis inferior videatur: sic implicatum militaribus officiis, ut præferatur & Ducibus.* Philippus Ludovici VII. Francorum Regis frater, Archidiaconus & ipse Parisiensis Ecclesiæ fuit; nec regiæ stirpis claritatem obscurari putavit Archidiaconatûs ordine & officio.

Conc. Gen. Tom. 10. pag. 1158. III. At cùm ea florentissima dignitas sit, meritò quæritur, cur jamdiu nulli sint amplius in Ecclesia Romana Archidiaconi. Refert Ciaconius Gregorium VII. antequam Petri Sedem obtineret, Archidiaconum Romanum fuisse, & ea Joannem quendam ornasse, qui postea in Antipapæ Clementis III. partes defecit, dignitatemque qua claruerat, ita obscuravit perfidia sua, ut deinceps extincta penitus ea fuerit. *Post quem nullum præterea in Romana Ecclesia Archidiaconum esse observavi.* Ea sunt Ciaconii verba, quibus non facilè assentieris, si expendas quod narrat Vuillelmus Malmesburiensis: in Concilio postea Bariensi sedisse Anselmum Archiepiscopum Cantuariensem juxta Archidiaconum Romanum ante suggestum in quo sedebat Pontifex. *Sedere jussus juxta Romanum Archidiaconum.* Certè posthac rara ejus dignitatis Romæ memoria. Suffectus est primus Diaconus, sicut Vicecancellarius in locum successit Cancellarii, cujus jam nulla mentio in Ecclesiæ Romanæ dignitatibus. Viderint doctiores, an Diaconi Cardinales, postquam in illud provecti sunt amplitudinis fastigium, quemquam sibi imminere Archidiaconum iniquo tulerint animo.

Pauco pòst tempore Ecclesia quoque Constantinopolitana nullos amplius Archidiaconos habere cœpit. Subesse poterat ea ratio, quòd eorum munia Carthophylax impleret omnia, honores obtineret omnes, omnia sibi vendicaret jura, cùm Diaconus duntaxat esset. In subscriptionibus Concilii
Conc. Tom. 13. p. 523. Florentini idem magnus erat Carthophylax & Archidiaconus. An illa potiùs erat causa, quòd Imperatorii Palatii Clero suus erat Archidiaconus, qui eum jurgia & lites intercessissent, si æmulum habuisset Constantinopolitana Ecclesia Archidiaconum.
Codin. c. 17. n. 38. 39. *Olim quidem Ecclesia suum habebat Archidiaconum, nunc verò nequaquam. Sed habet illum Clerus Imperatoris.*
Conc. Tom. 11. p. 96. Ita Codinus. Duplex hic Clerus, alter Imperatorii Palatii, alter Patriarchalis Ecclesiæ distinguuntur in Epistola Ecclesiæ Græcæ ad Gregorium X. scripta anno 1274. nec ibi Archidiaconus memoratur, nisi Palatini Cleri, quanquam in Epistola Pontificis duo memorentur Archidiaconi. Conjicere posset quis, Amanuensem Pontificis minùs peritum fuisse moris hujus singularis Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Notat idem Codinus nec *Protopsalten* fuisse ullum Clero ejusdem Ecclesiæ; quanquam suum Clerus haberet Palatinus; & nonnunquam unum & eundem duas obtinuisse cognomines dignitates, alteram in Palatino, alteram in Patriarchali Clero. Denique ut ne quid excidat eorum, quæ elevandæ huic difficultati prodesse possunt, observat idem alibi Codinus, Imperatores Cap. 9. n. 6.
semper elegisse Archidiaconum suum ex collegio Exocatacœlorum, qui eo erant apud Patriarcham Constantinopolitanum loco, quo apud Papam Cardinales. Ideo eodem authore Codino, Archidiaconus eadem vestitur casula sacra, qua Presbyteri inter sacra, quando solenni adoratione Christi crucem Ecclesia veneratur. Fuerant primùm Exocatacœli Presbyteri Parochique Ecclesiæ quisque sibi propriæ, & ejusdem Cleri curam gerentes. Molestè autem ferens Patriarcha, quòd majoribus Festis sibi non adessent sacris operanti, ne suis ab Ecclesiis discedere cogerentur, in eorum locum Diaconos subrogavit, quibus & usum permisit casulæ Sacerdotalis, qua utebantur antè Exocatacœli, qui utique Presbyteri fuerant. Ex istiusmodi ergo Exocatacœlis Imperator sibi Archidiaconum adsciscebat, ideoque forsan nullus alius in Clero Patriarchali Archidiaconus creabatur, propterea quod quem Clero suo Imperator designasset, is Clero Patriarchali accenseretur semper, ex quo assumptus fuerat.

In Occidentalibus Ecclesiis Episcopatus seu Diœceses quandoque in plures secabantur Archidiaconatus. Henricus Hutingdonensis Archidiaconus Spicil. To. 8. pag. 178.
Lincolniensis refert, Henricum qui cum Vuillelmo Notho in Angliam trajecit, & Dorcestrensis creatus est Episcopus: cùm Sedem suam transferri curasset Lincolniam, Capitulum ibi suum sibi constituisse; cúmque regiunculas septem ea complecteretur Diœcesis, totidem ibi institutos fuisse Archidiaconos, qui singuli singulis præessent. *Septem Archidiaconos septem Provinciis, quibus præerat, imposuit.* Primus Lincolniensis dicebatur, reliqui ab urbe nomen habebant, quæ in suo cujusque tractu princeps erat.

IV. Archidiaconatûs dignitas tametsi tam perspicua præcellensque, usque adeo tamen aliquando viluerat, ut ne Diaconos quidem ordinari se satagerent, qui ea potiebantur. Damnatum id flagitium in Concilio Bituricensi anni 1031. quo cautum Can. 4.
est, *ut Archidiaconatum nullus habeat, nisi Diaconus efficiatur.* Id firmatum deinde est in Concilio Cla- Can. 3.
romontano anni 1096. sub Urbano II. & in Late- Can. 2.
ranensi sub Callisto II. anno 1122. Idem statutum innovavit Concilium Londinense anni 1127. jussis Episcopis eos exauthorare Archidiaconos, qui Diaconi ordinari refugerent, *Nullus in Decanum, nisi Presbyter, nullus in Archidiaconum, nisi Diaconus constituatur. Quod si quis ad hos honores infra prædictos Ordines jam designatus est, moneatur ab Episcopo ad Ordines accedere. Quòd si refugerit, eadem ad quam designatus fuerit, careat dignitate.* Quod novo robore confirmatum est in Concilio Lateranensi II. sub Can. 10.
Innocentio II. anno 1139. & in Remensi sub Euge- Can. 5.
nio III. anno 1148. Concilio Salmuriensi anni 1253. Can. 9.
eadem decreta innovata erga Archidiaconos, Archipresbyteros & Decanos Rurales, concessis unius anni induciis, intra quem propriis sibi ordinibus initiarentur. *Ad prædictos Ordines infra annum suscipiendos per subtractionem fructuum compellantur.* Erat ergo rata stataque lex Ecclesiæ, ut Archipresbyteri

ex Presbyteris, ex Diaconis Archidiaconi deligerentur. Dispensatione autem indultum est, ut deligi antè possent, quàm his Ordinibus sacris vel initiati essent, vel defuncti; ea conditione addita, ut incunctanter ordinarentur. Indulgentiæ extremus gradus, ut anni spatium donaretur, intra quod ordinari se curarent. In Concillo Lateranensi III. anni 1177. statuit Alexander III. ut Decani & Archidiaconi, quibus incumbit cura animarum, non ante vigesimum quintum ætatis annum eligantur, concessaque spolientur dignitate, nisi intra præscriptum à Canonibus tempus ordinentur. *Præfixo à Canonibus tempore.* Simile ergo veri est jam antè à Canonibus præfinitum fuisse illud annuum spatium.

V. Certum est etiam cogi non potuisse Archidiaconos ut Presbyteri essent, quanquam Presbyteris præessent. Quod ad priores ætates attinet, jam ejus rei exempla deprompta sunt. Extremæ hujus ætatis unum adferam non minùs luculentum. Petrus Blesensis Archidiaconatu Londinensi auctus, urgente Episcopo, ut Presbyteratu augeri se quoque acquiesceret, constanter recusavit: eaque de re ut Episcopum deliniret, Epistolam scripsit mira eruditionis vi, & suavitate pietatis refertam. Non illum effugêre exempla Leonis I. & Gregorii Magni, qui fregerunt tandem eorum Episcoporum contumaciam, qui Archidiaconis suis, ut Presbyteri fierent, vim attulisse, aut allaturi videbantur. Nec illa eum latuit ratio, quam duo isti premebant Pontifices: insidioso hoc incremento decrescere Archidiaconos, cùm eam ad Sacerdotii dignitatem extollerentur, cui priùs, etsi non ordine, at jurisdi-
Epist. 123. ctione imminebant. *Porro dignitatis turbato ordine Archidiaconi hodie Presbyteris præeminent, & in eos vim & potestatem suæ jurisdictionis exercent. Eapropter Archidiaconum in Presbyterum promoveri, non est honorem ejus augeri, sed minui.* Sed illud longè pulcherrimum, quòd non retinendæ authoritatis cupidine stimularetur pius hic Archidiaconus; sed infucatæ humilitatis sensu, & fastidio sui, quo à sacerdotalis sanctitudinis ministerio deterrebatur: & accendebatur ad eorum potiùs æmulationem, qui consenuissent in Diaconatu, & ipsius maximè Cælestini Papæ, qui in ministerio Diaconatûs exercendo meruerat annis sexaginta quinque, antequam Apostolicam in Sedem promoveretur. *Vidimus quamplures in Ecclesia Romana in ordine Diaconatûs usque ad ætatem decrepitam & exhalationem extremi spiritûs ministrasse. Certè Dominus Cælestinus, qui hodie sedet, sicut ex ipsius ore frequenter accepi, in officio Levitæ sexaginta quinque annos expleverat, antequam ipsum Dominus in summi Pontificatûs apicem sublimasset.* Excidit hîc Petro Blesensi, sicut & nobis suprà capite VII. egregium
In Ezech. c. 18. Hieronymi testimonium de Archidiaconis Presbyteratum fugitantibus, tanquam sui apicis injuriosam dejectionem: *Certè qui primus fuerit Ministrorum, quia per singula concionatur in populos, & à Pontificis latere non recedit, injuriam putat, si Presbyter ordinatur.*

Epist. 139. Ex alia tamen ejusdem Petri Blesensis Epistola liquidum fit, expugnatum tandem illum, seu Præsulis authoritate, seu precibus amicorum fuisse, ut Presbyteratu ornari se pateretur. Itaque & ex hortatibus Episcopi Londinensis, & ex Petri Blesensis consensione tandem expressâ, palam fit, jam potuisse per mores Ecclesiæ Archidiaconatum cum Presbyteratu sociari. Non jam abnuo, si quis contendat exemplo suo præisse Hincmarum Remensem in hanc penè necessariam innovationem extremis his temporibus, cùm in multò plures spargi cœpit quàm priùs ordo Presbyterarûs. Ergo *Archidiaconibus Presbyteris* scribebat Hincmarus, quos ipse Presbyteros inauguraverat, quo convenientiùs jus dicerent Presbyteris. Et sanè hos ipsos Archipresbyteros vocat Flodoardus, ad quos Hincmarus hæc monita digerebat.

Ea verò rerum mutatio ex eo manare potuit, quòd longa Episcopalis delegationis præscriptione jam ordinarii quodammodò Archidiaconi evasisse viderentur, nec jam pro Vicariis tantùm haberentur Episcoporum. Mirum non erat Diacono delegari provinciam & executionem jurisdictionis Episcopalis in Presbyteros. At insolens non immeritò videbatur, ut Diaconus Rector & Judex ordinarius eorum esset, quos Sacerdotium ei incomparabiliter præponi cogebat. Cœptum est ergo concedi Diaconis sacerdotium volentibus; deinde instari ut vellent; denique impetium & vis adferri, ne tam præposterum quid ampliùs valeret, ut ordinaria potestate Archidiaconi Presbyteris, inferiores superioribus præessent. Cùm enim jam non delegatio, sed dignitas sit Archidiaconatûs, & dignitatum maxima post Episcopatum, ut Canonistæ etiam recentiores consentiunt: *Archidiaconalem dignitatem de jure communi post Episcopalem esse majorem dignitatem quacumque alia in Ecclesia Dei, & per consequens majorem Abbatiali:* qui ea donantur, intra annum Presbyteri ordinari compelluntur: alioqui vacabit Archidiaconatus: *In litteris collationis ex stylo consuevit apponi clausula, ut provisus teneatur infra annum in Presbyterum ordinari; alioquin Archidiaconatus eo ipso vacare censeatur.* Ita Fagnanus, qui rem probat exemplo Archidiaconatûs novi in Episcopatu novo, quem Urbanus VIII. instituit. Bellamar. & Fagnan. in l. 1. Decret. part. 2. pag. 218. 219.

Id verò ad Archidiaconos restringitur, quibus cura animarum incumbit, quos necesse est non minores esse annis viginti quinque ex Concilio Tridentino; & qui ex eodem quantum fieri potest, debent aut Doctorum in Theologia, aut Licentiatorum in jure Canonico lauream obtinuisse. At cum sint Archidiaconatus, quibus nulla imminet animarum cura, quos ex eodem Concilio consequi possunt, qui viginti & duorum annorum ætatem attigere; perspicuum est hos conferri iis posse, qui nec Presbyteri sint, aut futuri sunt, nec Doctores, aut Licentiati: quòd & in aliis ejusdem generis dignitatibus locum habet, nulla alienæ salutis sollicitudine oneratis. Ita declaravit Congregatio Tridentini Concilii. Hujus ferè generis sunt omnes Hispaniæ Archidiaconatus. Sunt in Italia Ecclesiæ, ubi Archidiaconis præeunt Archipresbyteri, nec ægrè persuaderi nos sinemus, eam alicubi convalescere potuisse consuetudinem, quæ derogat juri, ut jus superius invehat, ordinemque perturbat usitatum, ut eum restituat, qui usitatissimus alioqui, & naturæ rerum maximè consentaneus est. Sess. 24. c. 12. Barbosa de Dignit. c. 5. n. 8. 9. 40.

VI. Ad Archidiaconorum jurisdictionem venio. Non potuit Ausciense Concilium anni 1068 immunitatis privilegium concedere Ecclesiis sancti Orientii, nisi concessa earum Rectori illa ipsa potestate, qua Archidiaconi utebantur, in Ecclesias, in Clericos & scelerosos: *Vices Archidiaconi super Ecclesias & Clericos teneat, & ipse, si lapsi fuerint, justitiam faciat.* Scribens Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis Archidiacono suo, præcipiebat, ut velut executor proprius & universalis Canonum in sua Diœcesi, juxta decreta nuperi Concilii, pœnitentias pœnitentibus imponeret, quæ eorum respon- Con. To. 9. pag. 1195.

derent sceleri, ætati, conditioni, fervori. *Pœnitentiam secundum vestram discretionem dabitis, considerantes ætatem, peccati diuturnitatem, & utrum habeant uxores an non: & secundum quod videatis eos pœnitere, & deinceps integram correptionem promittere.* Ne Presbyteros quidem huic jurisdictioni subducit. Et certè cùm incidisset Archidiaconus in Presbyteros aliquos contumacius affixos muliercularum contubernio, & eos anathemate perculisset: *Convocatis secum pluribus religiosis & obedientibus Sacerdotibus, gladio excommunicationis eos percussit.* Confirmata est ab Anselmo excommunicatio. Anno 1108. Concilium Londinense Archidiaconos deposuit, à quibus impunitatem lasciviendi Presbyteri pretio redimebant. Callistus II. Capitulo Vesontionensi id privilegii concessit, ut non possent Archipresbyteri Archidiaconique interdicto Ecclesiam eorum subjicere, vel Presbyteros Clericosque, nisi Episcopi Capitulique consensio accederet. *Præter Archiepiscopi & totius Capituli nostri consilium.* Eugenius III. Papa delegavit Abbati Sugerio causam Parochi, quem Archidiaconus Ecclesia sua abdicarat. Concilium Turonense anni 1163. canonem vertit Episcopis Archidiaconisque, qui suam juris dicendi potestatem delegabant Decanis Ruralibus, Archipresbyterisque annuo pretio conductis: *Quoniam in quibusdam Episcopatibus Decani quidam, vel Archipresbyteri ad agendas vices Episcoporum, seu Archidiaconorum, & terminandas causas Ecclesiasticas, constituuntur sub annuo pretio, &c.* Jam suam & ordinariam exercere censebantur Archidiaconi potestatem, cùm eam cui liberet delegarent. Denique jubentur hoc Concilio rurales Decani, Episcopum, vel Archidiaconum commonefacere de criminibus Clericorum, qui nullam suæ emendationis spem residuam faciunt.

Conc. Tom 10 p. 731. 783. — Anse. l. 3 Epist. 62. 112. — Conc Tom. 10. p. 835. 1066. 1420. — Can. 7 10.

Non omnes tamen forsan Archidiaconi tam latè fusam adepti erant jurisdictionem, immo nec animarum curam ac sollicitudinem quidam gerebant. Hinc enim Ambianensis Archidiaconus sperabat nulla se animarum salutis procuratione oneratum esse, qua Honorius III. Papa illum spe dejecit, idque certissimis his argumentis, quòd consuetudine venisset in possessionem suspendendi, excommunicandi, absolvendique Presbyteros, interdicendi Ecclesias, visitandi, & interea procurationes accipiendi. *Sed cum in jure confessus fuerit, quod Archidiaconus Ambianensis de consuetudine suspendit, excommunicat, & absolvit Presbyteros & Priores, & Parochiales Ecclesias interdicit, nec non Archidiaconatum visitat, & inquirit, quæ viderit inquirenda, & procurationes ratione visitationis recipit, evidenter apparet, quòd curam habet animarum adnexam.*

C. Dudum. De electione.

VII. Non omnes ergo eandem jurisdictionem Archidiaconi sortiebantur: nec ullam nactus erat Ambianensis nisi *ex consuetudine.* Præscripta enim pluribus jam sæculis consuetudo ex delegata authoritate ordinariam fecerat, & ex Vicariatu Personatum ac dignitatem. Nec ubique id obtinebat. Rescripsit enim Alexander III. Episcopo Vorcestrensi in Anglia non posse in quenquam excommunicationis jacula torquere Archidiaconum, nisi ex speciali Episcopi mandato. *Archidiacono non videtur de Ecclesiastica institutione licere, nisi authoritas Episcoporum accesserit, in aliquos sententiam promulgare.* Quod Rubrica his verbis exprimit: *Archidiaconus de jure communi non potest excommunicare. Consuetudo* ergo in quibusdam Ecclesiis Ordinarios fecerat judices, qui *jure communi* non erant nisi Delegati, & Vicarii Episcopi. Honorius III. Archidiacono Senonensi tantum concessit juris in Monasteria, quantum ei consuetudo peperisset. *De pacifica sic obtenta consuetudine.* Erant indubitanter loca, ubi consuetudo firmaverat jurisdictionem Archidiaconi in Monasteria, cùm interpellanda fuerit sedis Apostolicæ authoritas, ad retundendam Archidiaconi audaciam, qui Monasterio, cui prius imperitabat, in Episcopatum erecto, ipsum quoque Episcopum jurisdictioni suæ subesse debere contendebat.

C. Archid. De Officio Archid. — C. Cùm inferior. De major. & obed.

Synodus Excestrensis in Anglia anno 1287. subscripsisse videtur ordinariæ Archidiaconorum jurisdictioni: *Singulis Archidiaconis, eorum Officialibus, ac cæteris jurisdictionem habentibus ordinariam, districtè præcipimus, &c.* Anno 1304. mortuo Episcopo Archidiaconi jurisdictionem vacante Sede ad se, non ad Capitulum spectare contenderunt. Joannes Salisberiensis Archidiaconi meminit Eboracensis, qui suspensione mulctavit Presbyterum, propterea quod sedes Episcopalis tunc vacaret. *Eo quòd sedes Eboracensis tunc vacabat.* Ergo ibi forsan regimen vacantis Ecclesiæ penes Archidiaconos erat, saltem quoad contentiosam jurisdictionem. Curia sua & Tribunal erat suum Archidiacono, sicut & Episcopo. Hæc enim habes in Reformatione Cleri Leodiensis anno 1446. *Si citatus ex officio ad Curiam nostram, vel alicujus Archidiaconorum, &c.*

Conc. to. 11. part. 2. pag. 1294. — Hist. Univ. Paris. To. 4. pag. 71. Ioan Salisb. — Conc. to. 13. pag. 1315.

VIII. Archidiaconorum jurisdictio & correptio adversùs publica maximè crimina sese explicabat. Sola infamia sine certis documentis locum dabat correptioni, & purgationi Canonicæ. Suspensione plectebantur Archidiaconi, vel eorum Officiales, qui has muneris sui partes non implebant; ut patet ex Constitutionibus sancti Edmundi Archiepiscopi Cantuariensis anno 1236. Alexander Episcopus Conventrensis in Anglia illud Archidiaconis suis inculcabat, culpam & pœnam eos incurrere aliorum flagitiorum, in quæ ipsi non animadvertissent. *Ego vobis dico, quod si possim in aliqua Parochia invenire aliquem hujusmodi publicè peccantem, puniam, tanquam peccatum, vel Archidiaconi, vel personæ, vel Sacerdotis.* Coloniense Concilium anni 1536. cùm Decanos Capitulorum excitasset ad castigandos asperrimè eos qui publicis inquinabantur criminibus, *Percussores, Aleatores, scorta foventes, aut aliis publicis criminibus irretitos*; testatum tamen facit, non id sibi mentis esse, ut derogatum velit quarundam Ecclesiarum consuetudini, ubi horum scelerum animadversio Archidiaconis vendicatur, dummodo hi suo strenuè munere fungantur, sollicitantibus Decanis. *Consuetudini quæ in aliquibus Ecclesiis est, ut causæ disciplinæ per Diaconos judicentur, nihil præjudicamus, modò tamen Diaconi ad requisitionem Decani suo officio graviter & strenuè incumbant ac satisfaciant.*

Conc. Tom. 11. Part. 1. pag. 109. 515. — Conc. to. 14. pag. 514. 555.

Peculiare illud edocet nos hoc idem Concilium, antiqui fuisse moris, ut quarto quoque anno, hoc est quolibet anno bissextili, Archidiaconi totam sibi subjectam regionem obambularent, visitarentque Ecclesias, ad crimina publica pœnis canonicis subjicienda, receptis testimoniis testium juratorum, qui canonicè ab Episcopo instituebantur, ut in singulas Parochias insomni cura imminerent. *Ex vetustissima quadam inquirendorum criminum formula relictum est, ut Archidiaconi anno bissextili circumeant, & peccata enormia emendent.* Laudabilis cum primis hæc consuetudo in propudiosam defeciverat negotiationem, & correptio criminum jam non alia magis erat, quàm exactio emendarum, seu pœnarum pecuniariarum.

IX. Hæ potiſſimum Archidiaconorum avaritiæ ſordes Epiſcopos adduxere, ut creditam eis revocarent juriſdictionem ſuam, eamque transferrent in Officiales & Vicarios recens creatos, mera delegatione exercendam, & eo protius modo, quo eam Archidiaconi ipſi ab exordio exercuerant. Contulit eò etiam Archidiaconorum quandoque procacitas adversùs Epiſcopos ipſos inſurgentium. Theobaldus Pariſienſis Archidiaconus ditionis ſuæ Eccleſias interdicto ſubjecit, cœpitque excommunicationum tela vibrare in eos qui Canonicum quendam ſpoliaverant: nec conſulere, nec monere dignatus Epiſcopum Stephanum, quamvis tunc in ipſius Archidiaconatûs tractu præſentem. Interdictum

*An. 1231. Miſt. Vnov. Paris. to. 2. pag. 121. &c. 132 &c.*

ſolvit Epiſcopus, Archidiaconus ad Innocentium II. Papam appellavit; nec multo pòſt tempore vir ſanctiſſimus Thomas Prior ſancti Victoris, Vicarius & Pœnitentiarius Epiſcopi Stephani contrucidatus eſt ab amicis & cognatis Archidiaconi, in quem tam execrandi facinoris infamia redundavit. Nihilo obſequentiorem expertus eſt idem Epiſcopus alium Ar-

*Anno 1132.*

chidiaconum ſuum Stephanum de Garlanda, cujus Archidiaconatum omnem ſacris interdixerat Vicarius Epiſcopi Gilduinus Abbas ſancti Victoris. Jamdiu erat quod Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus ſcribens ad Clerum Pariſienſem, Liſiardi Archidiaconi adversùs Epiſcopum ſuum inſolentiſſimam contumaciam deteſtatus fuerat.

*Fulbertus Epiſt. 34.*

*Cùm deberet eſſe oculus Epiſcopi, factus eſt Epiſcopo ſuo clavus in oculum, prædo pauperibus, &c.*

X. His contumeliis exulcerati Epiſcopi, non tantùm novos & Vicarios & Officiales ſibi adſcivere, ſed & Archidiaconos vetuere, ne quam juriſdictionis partem exercerent, iis in locis, ubi Epiſcopus præſens eſſet. Ita decernis Concilium Salmurienſe anni 1253.

*Can. 7.*

*Prohibemus ne quis Archidiaconus, Archipresbyter, aut alii minores Prælati juriſdictionem Eccleſiaſticam habentes, cauſas audiant, ſeu placita teneant, præſentibus Epiſcopis ſuis, ſed longè ab ipſis faciant ſuper his, quod viderint expedire.*

Vetuerunt etiam, ne ulli eſſent Archidiaconis Officiales extra civitatem Epiſcopalem, utque ne ruri jus dicere poſſent, niſi ore proprio & præſentes. Ita ſtatutum eſt in Concilio apud Caſtrum Guntherii anno 1231. in Concilio Turonenſi anno 1239. In Concilio ad Vallem Guidonis, ſive Lavallenſi anno 1242.

*Can. 12. Can. 8. Can. 4.*

*Nec Officiales habere, excepto civitatis Archidiacono, cui permittimus Officiales in civitate ſolummodo, & non extra, &c. Ne extra civitatem Officiales ſeu Allocatos habeant, ſed extra civitatem in propriis perſonis ſuis diligenter expleant officium.* Reſciſſum eſt & caſſatum quidquid poſthac juridicè agere ſe poſſe ſperarent hi Officiales. Verè ergo ut ſuprà aliquoties dictum eſt, ordinaria aliquando tandem evaſerat Archidiaconorum juriſdictio, cùm delegaſſent, & cùm Canones hi ipſi, haud ſanè iis propitii, ruri tantùm, non in urbe autem delegare vetent. Denique Concilium Bituricenſe anni 1286.

*Can. 4.*

innovavit decretum Conciliorum Provinciæ Turonenſis, hoc limite tamen addito, ut poſſent etiam in poſterum propsii eſſe ruri Archidiaconis Officiales, ubi hæc præſcripta fuerat conſuetudo. *Niſi de antiqua, præſcripta & approbata conſuetudine fuerit obtentum.*

Quæ ad Cleri Leodienſis reformationem edita ſunt Statuta anno 1446. vetuere ne Archidiaconi & Decani Rurales definitivam litis cujuſcumque ſententiam aliis delegare poſſent, etſi poſſent quæ litium veluti præludia ſunt committere. Idem prohibitum eſt Officiali Epiſcoporum. Concilium Colonienſe anni 1536. ſupponit ruri jus dici ab Offi-

*Conc. to 13. pag. 1318. Conc. to. 14. pag. 497. 516 564.*

cialibus Archidiaconorum, in eoſque id ſibi juris vendicat Archiepiſcopus, ut ſimoniacas illorum ulciſcatur exactiones, ſe cum Archidiaconis ipſis communicata: *Archiepiſcopali authoritate, communicato tamen cum Archidiaconis noſtris, ut par eſt, conſilio, quoad ejus fieri poterit, corrigere.* De his veriſimiliter Officialibus agitur eo ejuſdem Concilii Decreto, quo prohibentur in Eccleſia & Tribunalia ſibi excitare & exercere judicia. Denique Archidiaconos hortantur hujus Concilii Patres, *ne ullos inidoneos Officiales aut Decanos rurales deligant aut admittant.* Conqueſtus eſt Petrus Bleſenſis dum in Anglia Bathenſi Archidiaconatu fungeretur, quòd Vicarium ſuum, quem Vice-Archidiaconum vocat, indicta cauſa Epiſcopus ſuſpendiſſet.

*Epiſt. 58.*

*Vice-Archidiaconum meum, cùm omni ſatisfactioni & juſtitiæ ſe offerret, in mei nominis contumeliam ſuſpendiſtis.* Id verò ille demonſtrat vehementer adverſari Concilii Lateranenſis Decretis, quæ non ſinunt ab Epiſcopis ſuſpendi, vel excommunicari, tum Archidiaconos, tum Officiales eorum, niſi ſervatis juris legibus & formis judiciorum ſolemnibus. Ex quo iterum patet Archidiaconos ordinaria poteſtate fretos fuiſſe. Sed à vero non abhorret, hos Archidiaconorum Officiales in Anglia quoque, perinde ut in Francia ſublatos tandem fuiſſe. Quod ad Germaniam autem pertinet, nemo non ſibi facilè perſuadebit, delectatos fuiſſe Epiſcopos Clericorum miniſtrorumque & Vicariorum multitudine, in quos Epiſcopalem ſarcinam maxima ex parte rejicerent.

Cæterùm non Vicariorum dumtaxat & Officialium creatione ſuam ad ſe Epiſcopi juriſdictionem ſevocavere: non caſſatione rurſus dumtaxat Officialium, quos ſibi ſubjunxerant Archidiaconi: ſed eo potiſſimum decreto, quo vetuere, ne graviores, majoreſque cauſæ, præſertim matrimoniales, alibi deinceps quàm in Epiſcopali foro diffinirentur, cùm antè de iis Archidiaconi judicarent. Reſpondit Innocentius III. ad Conſultationem Archidiaconi Bituricenſis de quæſtione ad matrimonium pertinente, cujus ipſe abſente Epiſcopo judex erat. *Cùm matrimonialis cauſa in tua præſentia tractaretur, Archiepiſcopo in remotis agente.*

*C. Litteras. De reſtitut. ſpoliat.*

At Concilium Londinenſe anni 1237. non tantùm inſinuat cum Innocentio, abſente tantùm Epiſcopo Matrimoniales cauſas coram Archidiacono agitatas fuiſſe: ſed illud etiam addit, conſuetudine tantùm, aut privilegio id poteſtatis Archidiaconis acceſſiſſe: prohibetque ne poſthac cauſas ejuſmodi graves definiant, niſi Epiſcoporum antè ſententiam ſciſcitentur.

*Can. 23.*

*Si qui Abbates, Archidiaconi, vel Decani, habent ex privilegio, vel conſuetudine approbata, quod de matrimonialibus cauſis cognoſcant, &c. ad definitivam ſententiam non procedant, niſi habita priùs deliberatione cum Diœceſano Epiſcopo diligenti, ipſiuſque requiſito conſilio & obtento.* Concilium ad Vallem Guidonis, ſeu Lavallenſe anni 1242. medicinale ferrum altius immerſit, amputavitque omnem illam Archidiaconorum poteſtatem, qua antè judicaverant de cauſis matrimonialibus, de ſimonia, & de compluſculis aliis, quibus vel depoſitionis pœna decernebatur, vel privationis beneficiorum.

*Can. 4.*

*Archidiaconi de cauſis matrimonialibus, ſimonia, & aliis quæ degradationem, vel amiſſionem Beneficii, vel depoſitionem exigant, niſi de ſpeciali mandato ſui Pontificis, nullatenus cognoſcere, vel diffinire præſumant.* Innuit quin immo videtur

hoc Canone, non legitima, sed usurpata potestate hactenus Archidiaconos usos esse in ejusmodi causis gravioribus dijudicandis. *Falcem suam in alienam messem mittentes.* Verùm id eò flecti potest, quod jamdiu inculcamus de delegatione primæva diutinaque, quæ dum perpetuatur, inopinis omnibus in ordinariam invalescit potestatem. Concilium Salmuriense anni 1253. hoc idem Decretum iisdem verbis confirmavit.

Concilio Budensi in Hungaria anno 1279. constitutum est, ut Archidiaconi Hungariæ & Poloniæ deinceps asciscerentur ex peritissimis quibusque Juris Canonici; aut qui ei saltem operam gnaviter dedissent toto triennio, ut eam pararent sibi doctrinæ sacræ copiam, qua terminare fideliter possent causas matrimoniorum, aliasque permagni ponderis, quarum eis cognitionem, vel jus, vel con-
*Can. 38.* suetudo plurium Ecclesiarum vindicasset. *Cùm tam de jure, quàm de generali consuetudine, multarum Ecclesiarum Archidiaconi, jurisdictionem habeant causas matrimoniales & plerasque alias audiendi, examinandi, atque decidendi, statuimus, quod in Regno Hungariæ & Provincia Polonia, &c.* Recentes erant tunc Hungaricæ Polonicæque Ecclesiæ, & necdum eruperat Archidiaconorum licentia, ut Episcopos exasperaret, & indultam potestatem vel coarctare, vel revocare omnino cogeret. Sic ergo illæ adhuc statuebant, jure & consuetudine generali niti hanc Archidiaconorum authoritatem, quod nempe prisco jure instituti essent Vicarii Episcoporum, consuetudine autem *multarum Ecclesiarum* ea delegatio in ordinariam potestatem excrevisset.

*Can. 4.* XI. In Concilio Provinciæ Auscienfis anno 1326.
*Can. 25. Lavaur.* & Vaurensi anno 1368. rescissæ sunt sententiæ, quascumque Archidiaconi pronuntiassent in causis matrimoniorum aut sponsalium, sine speciali Episcopi delegatione. Vaurense eos excepit Archidiaconos, quibus vel privilegium aliquod suffragabatur, vel præscripta consuetudo. *Nisi præscripta legitima consuetudine, aut privilegio aliud sit obtentum.* Sed Concilii tandem Tridentini Patres eò propendentes quò Ecclesia Gallicana universalem Ecclesiarum disciplinam inclinaverat, Archidiaconis & Decanis interdixit cognitione causarum omnium matrimonialium & criminalium, in ipso etiam visitationis decursu, easque integras Episcopis & intactas servari
*Sess. 24. c. 20. De reform.* voluere. *Causæ matrimoniales & criminales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantùm examini & jurisdictioni relinquantur.* Concilio Mechliniensi anno 1570. & Mexicano anno 1585. innovatum est hoc decre-
*Conc. to. 15. pag. 809. & 1255.* tum. Quin & illud addidit Mexicanum, ne possit Episcopus Officialibus suis delegare definitiones causarum, ubi agitur de divortio & separatione thori.

In Conventu Melodunensi Cleri Gallicani anni 1579. ita statutum est, causas matrimoniales & criminales ab Episcopo solo examinari ac judicari posse, cùm ita olim sanxerit Alexander Papa III. Ad summum eas ab eo posse Officiali suo civitatensi
*Conc. Novissima Gallic. p. 108. 109.* delegari. *Causas matrimoniales & criminales, non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantùm examini & jurisdictioni relinquantur.* Si Archidiaconus autem, vel alius quispiam Judex inferior *id sibi suo jure licere contendat*, aut propter regiarum Curiarum diversitatem, aut quacumque de causa alia, operam dabit Episcopus, ut ea sint rerum peritia & experientia hi Judices, ut causas istiusmodi plerumque impeditissimas expedire & enodare possint.

Itaque quanquam jam diu in eo laboraretur, ne contentiosa labefactaretur Archidiaconorum jurisdictio; fieri tamen ne in Gallia quidem ipsa potuit, quin residua ejus superessent documenta, & quidem perillustria. Sanctissimè affirmavit Cardi- *Conc. to. 15. p. 910. 912.*
nalis Lotharingus in suo Remensi Concilio anni 1564. sibi se uni reservasse in ditione omni sua excommunicandi potestatem. In Concilio Remensi anni 1583. jussi sunt Archidiaconi & Decani Rurales tertio quoque mense inquirere in crimina enormia, & juridicas probationes ad Promotorem transmittere, qui canonicis pœnis in ea animadverti curabit, *nec tamen Archidiaconorum jurisdictioni præjudicium ullum afferet.* Regii Consilii decreto anni 1615. die 30. Martii, prohibiti sunt Archidiaconi Trecoricenses, ne amplius cognoscerent de causis matrimoniorum, eorumve quæ ad ea spectarent; ne monitiones, excommunicationes, vel earum absolutiones ullas expedirent, nisi expressa consensione Episcopi, denique & obambularent Parochias, & per sese, non per Vicarios eo munere fungerentur, ne pœnis subessent in Jure expressis. Senatusconsulto temporario Parlamenti Pa- *Memoires du Clergé. Tom. 2. part. 3. pag. 49.*
risiensis anni 1618. die 17. Maii, vetitus interim est Archidiaconus Bituricensis, dum Parochias obambular, de causis judicare ollis, nisi levioribus. Senatusconsulto Parisiensi anni 1619. die 19. Januarii prohibiti sunt Archidiaconi Parisienses, eorumque Officiales, ne cognoscerent de causis matrimonialibus, aliisve utcumque ad matrimonia pertinentibus; ne monitiones vel absolutiones ullas decernerent, nisi permittente Parisiensi Episcopo; ne de causis gravioribus vel criminalibus cognoscerent, etiam in perlustrandis Parochiis: sed de levioribus tantùm; denique ut visitationis suæ gesta ad Officialem Parisiensem transmitterent.

In his certè leviuscula tantùm & subobscura priscæ jurisdictionis Archidiaconorum vestigia habes. Accipe nunc ubi paulò clariora & expressiora emineant. Anno 1633. die 18. Julii, Magni Consilii judicio confirmata est transactio inita inter Episcopum & Archidiaconos Carnotenses: statutumque *Ibid. p. 51.*
proinde, ut ex Archidiaconis duo alternatim assisterent Episcopo Pontificali pompa sacris operanti, & ad horas Officii sacri Canonicas; biennio quolibet omnes ditionis suæ Ecclesias lustrarent ipsimet per sese, & bimestri pòst spatio visitationum acta, tum suarum, tum Decanorum Ruralium ad Tabularia Episcopi transmitterent; ut Major Archidiaconus duas sedes haberet, ubi suam explicaret jurisdictionem, duosque dumtaxat Officiales; Archidiaconus Blesensis unum Blesis Officialem haberet: Archidiaconi & eorum Officiales jurisdictione uterentur in dijudicandis causis civilibus Ecclesiasticis omnibus, præterquam matrimoniorum jam contractorum; ne possent de matrimoniorum publicationibus, quas Bannos vulgò appellitant, dispensare, nisi urgente ineluctabili necessitate, ubi cœpta jam matrimonia procrastinari sine gravi discrimine non possint; de causis criminalibus sui Archidiaconatûs cognoscerent, nisi eos Episcopi Officialis prævenerit, judiciumque occuparit: hæreseos & sortilegii causas tamen non attingerent; de sententiis omnibus Archidiaconorum & Officialium eorum provocari posset ad Episcopum & ad ejus Officialem; semel anno quolibet Episcopus in visitandis Parochiis exhiberi sibi juberet ab Archidiaconis Regesta & Chartas eorum jurisdictionis or-

dinariæ, civilis & criminalis: necnon & sigilla; servare ea etiam penes se posset per dies quinque, eoque temporis intervallo, vel ipse per semet, vel per Vicarius suos exercere jurisdictionem Archidiaconi omnem, civilem, criminalemque.

Illustria sunt hæc monumenta pristcæ Archidiaconorum jurisdictionis, nonnullis in Ecclesiis, quàm in aliis vivacioris. His adde Senatusconsultum Divionense anni 1639. die 22. Augusti, quo sua Belnensi Archidiacono servatur incolumis jurisdictio Ecclesiastica contentiosa, tum ad causas matrimoniales, tum ad petitorias decimarum, aliasque, in quibus laïci & sæculares possent coram Ecclesiastico Judice conveniri, tum denique ad criminales Clericorum causas; postremò ita statuitur, posse Officiales sibi suos adjungere Archidiaconum, jurisdictionem per eos suam exercere, & monitoria decernere, jure tamen præventionis fruituro Officiali Augustodunensi. Idem præventionis jus Officiali Parisiensi adversùs Archidiaconos testis est Chopinus assertum fuisse. Hæc porro non infructuosè, ut spero, excerpta sunt ex judiciis Curiarum sæcularium, ut liqueat quantæ potestatis jus penes Archidiaconos esset & possessio, tot eis confirmata Conciliorum Pontificumque Decretis, quorum tumultuariam farraginem in hoc caput congessimus.

*Fevret de l'Abus l. 4. c. 3. n. 22.*

*L. 1. De Polit. Eccles. T. 8. n. 2.*

XII. Summarim ergo illud constat, Archidiaconum, quem inter ordinarios Judices recensuit Innocentius III. per plura sæcula extremæ etiam hujus ætatis, spectatum fuisse, ut Vicarium generalem Episcopi, sed Vicarium perpetuum, *Vicarium non ab Episcopo assumptum, sed à jure datum*, ut loquuntur Canonistæ. Eo porro nomine penes eum erat depositum onus contentiosæ totius Episcopalis jurisdictionis: sicut nomine & jure primi Diaconi in Officiis Ecclesiasticis plurimom poterat. Cùm post annum Christi millesimum cœpissent Episcopi accersere sibi Vicarios Generales, quos ad nutum possent exauthorare, & Officiales: Archidiaconi quoque paulatim spoliari cœpere antiqua latissimaque authoritate illa; quo factum est, ut præeuntibus Conciliorum placitis eos ad has angustias adegerint, *ut modicam pœnam possint imponere, vel ad modicum tempus suspendere*: ita certè tamen, ut nondum potuerit tantæ dignitatis splendor omnino obsolescere. Per Tridentinam Synodum non licet Archidiaconum esse, qui non idem Doctor aut Licentiatus sit, sive in Theologia, sive in Jure Canonico. Sermo alibi instituetur de visitationibus Archidiaconorum, de institutione Beneficiariorum per eos facienda, de Procurationibus, de Synodis, de prædicandi officio.

*Regest. 14. Epist. 45*

*Fagnan. in l. 2 Decret. Par. 2. p. 377. 378.*

*Sess. 24. c. 12*

Nec sileri debet, à Carolo ipso Molinæo illud idem observatum esse, quod nos suprà ad nauseam penè usque & inculcavimus, & variis astruximus probationibus; nempe Archidiaconatus meras olim fuisse administrationes, quæ in Officia perpetua tandem assurrexerint. *Hoc verum, quando erant administrationes; sed postquam conversa sunt in titulos, quisque jus suum ad fallum & lucrum traxit, & administrationem neglexit.* Hinc illa incredibilis varietas inter diversarum Ecclesiarum Archidiaconos, qui ea jura obtinent, quæ illis olim ab Episcopis concredita sunt, & consuetudinis postea adminiculo roborata: at cùm alii alia & senserint & voluerint Episcopi, alia quoque aliorum jura Archidiaconorum fuere; adeò ut fuerint aliqui totius animarum curæ & jurisdictionis expertes. Caput *Gravem*, *de Excessibus Prælatorum*, fidem facit Archidiaconos Episcopis suis fidei sacramento & hominio obligatos fuisse. Hinc illud viri doctissimi A Costa, Episcopos instar fuisse dominorum feudalium, qui pro arbitrio quisque suo hominum suorum jura & potestatem circumscribunt. *Nam ut Beneficiis secularibus, quæ vulgo feuda dicuntur, vassallus nil habet, quod non acceperit à Domino, sic.* &c.

*In C. 7. Titulo De offic. Archidiac.*

*In Titu'. 13. De Offic. Archid.*

XIII. Aptius claudi non potest hæc de Archidiaconis dissertatio, quàm objecto exemplo luculentissimo Mauritii Trecensis Archidiaconi, cujus hoc extat encomium apud Cantipratensem. Parochias pedes obambulabat, vicis villisque omnibus verbum Dei disseminabat, & Archidiaconi munus Apostolicarum Missionum laboribus & vigiliis consecrabat. Archidiaconatu tandem abdicavit sese, ut Monialium Abbatiæ rurensi operam industriamque suam conferret, & omnia circum oppida concionibus suis & pastorali penè sollicitudine juvaret. *Circuibat Diœcesin pedes, & eam in solo baculo prædicationis officio visitabat*, &c. Ab his Apostolicis functionibus ad Cenomanensem Episcopatum vocatus est, Præposito & Decano ejus Ecclesiæ, in quos divisa fuerant suffragia, suffragationem suam omnem in eum transferentibus. Dictum est suprà migrantibus hinc Episcopis in eorum locum subrogatos persæpè fuisse Archidiaconos. Si eorum vita & sanctimonia ab hac Mauritii forma non recedebat, ea erat & ipsorum pietatis justissima merces, & Ecclesiarum gloria sanctitatisque custodia certissima.

*L. 2. c. 1. n. 4.*

## De Parochis eorumque Vicariis.
## De Parochiis.

---

### CAPUT. XXI. *P. 1. l. 1. c. 21.*

### De Parochis per priora Ecclesiæ sæcula: & primùm de origine Parochiarum.

*I. Scriptura novi Testamenti non agunt nisi de Ecclesiis Civitatum, & urbium. Veteris Testamenti disciplina id magis continebat.*

*II. Probatur non fuisse tribus prioribus sæculis ullas ruri Ecclesias, ac ne in urbibus quidem præter Cathedralem. Ex sancto Ignatio.*

*III. IV. Ex Justino & Canonibus Apostolicis.*

*V. Ex Eusebio.*

*VI. Ex Innocentio I. sub quo nondum sacrificium celebrabatur in Parochiis urbanis. Ejus res ratio. De Fermento sacro, quod ad eas mittebat Pontifex.*

*VII. Cur una tantum communis celebraretur Missa, cui omnes interessent Presbyteri.*

*VIII. Sacerdotalia ferè omnia Episcopus ipse per se gerebat.*

*IX. De Fermento consecrato quod dictum est, probatur aliunde.*

*X. Iterum probatur res eadem.*

*XI. Quàm antiqui in urbe Roma Tituli, sive Parochiæ.*

*XII. Solvitur objectio sumpta e vita Damasi Papæ. Quo tempore cœptum est Romæ sacrificium offerri in Parochiis urbis.*

I. De Presbyteris Diaconisque, quæ hactenus dicta sunt, de iis solùm dicta esse videntur, qui cum Episcopo in Diœcesis, aut Provinciæ civitate principe residerent. Nihil hactenus ad privatas agrorum urbisque Parochias pertinuit, toto trium certè priorum Ecclesiæ sæculorum decursu. Quamobrem proximè accedit ad verum, prioribus his sæculis tribus, Parochias in Agris & urbe nullas, aut nonnisi paucissimas fuisse.

In Actis Apostolorum, in Epistolia Pauli, in

Apocalypsi, de clariorum urbium Ecclesiis, Episcopis, aut Presbyteris frequens sermo est: de Parochialibus verò ruri Ecclesiis Presbyterisque nullus omnino. Paulus ad Titum scribit, reliquisse se eum Cretæ, *ut constituat per civitates Presbyteros*: Non ergo extra civitates. Hæc fuit fortasse causa, cur cum in urbibus solis Presbyteri constituerentur, nec nisi unus in qualibet civitate ferè constitueretur, quem oporteret idcirco ordinari Episcopum; Episcopi & Presbyteri tunc nomen promiscuè & indiscriminatim pro eodem usurparetur. Constat enim in illa primorum temporum penuria, suum singulis civitatibus Episcopum, aut Presbyterum vix potuisse tribui: villulis verò per agros singulis nullo pacto potuisse. Operarii inter initia semper pauci, sed eorum charitas multa, multa vis animi & peritia. Itaque dispersis illis per urbes, brevi ad vicina quæque loca eorum doctrina pervadebat. His etiam exordiis suis Synagogam imitata rebus in multis Ecclesia est. Nam nec dispersi olim per vicos Levitæ ac Sacerdotes. Horum enim jubente Deo Moyses per clarissimas quasque urbes maximam partem distribuerat; cæteros verò numero longè plures, quo summo adessent Pontifici, in principe totius imperii Israëlitici civitate adgregaverat. Non mirum ergo si Apostoli Apostolicique viri, primi hujusce & alterius sæculi, hæc eadem sacræ disciplinæ vestigia sectati sunt.

*Ad. Tit. 1. v. 5.*

II. Scripsit omnes Epistolas suas Ignatius ad maximarum urbium Ecclesias. De Episcopis, Presbyteris & Diaconis ita loquitur, ut hos à se separet nunquam, nusquam dispergat per agros. Nulla apud eum mentio, aut Presbyterorum in agris, aut Ecclesiæ alterius in urbe præter Episcopalem. Idem observari licet in Cypriani litteris, in quibus cum multæ sint ad Presbyteros Diaconosque Carthaginis, nulla tamen est ad Presbyteros agrorum, vel quæ eorum meminerit. Sunt & aliæ multæ ad Presbyteros alios, Diaconosque, sed earum semper urbium, quæ Episcopum haberent. Quod autem est ex iis una ad Presbyteros, Diaconos, populumque Furnensem; ubi siletur Episcopus: id eò forsan factum est, quòd obiisset Episcopus, aut tum abesset, nam veri simile non est, in villula Diaconos Presbyterosque fuisse plures.

*L. 1. Ep. 9.*

III. Perspicuè Justinus asserit die Solis, qui nobis à Christo Domino Sole justitiæ, Dominicus est, qui in urbe, & qui ruri degebant, unum in locum omnes convenisse, ubi sacrificium offerebatur Eucharisticum, sacra Corporis Christi Communione præsentes reficiebantur omnes, quam ad absentes Diaconi deferebant. *Solis die omnium qui in urbibus vel in agris degunt, in eundem locum conventus fit, &c. Præpositus preces & Eucharistias facit, &c. Distributio fit cuique præsenti, absentibus per Diaconos mittitur.* Hic mos mittendæ ad absentes Eucharistiæ, facem præferet iis quæ paulò pòst dicentur. Vides hîc interim non plures in Ecclesias, sed unum in locum congregari, tum qui ruri, tum qui in urbe sedem habebant Fideles.

*Apolog. 2.*

IV. Nihil habent Canones Apostolici, unde conjicias, Parochias ullas fuisse, vel in agris, vel etiam in urbibus, præterquam in Ecclesia Cathedrali, ubi Episcopus resideret. Ab illo Presbyteri & Diaconi nusquam separantur. Episcopo *Domini populus commissus est*. Pastor hic est, *qui pro animabus eorum rationem redditurus est*. Presbyteri Diaconique injussu ejus nihil rei agere debent. *Sine sententia Episcopi nihil agere pertentent.* Episcopo curæ esse debeat omnia, *quæ propria Parochiæ competunt, & villis, quæ sub ea sunt.* τὴν παροικίαν, καὶ τὰς χώρας. Vox porro illa παροικία, totam designat Episcopi Diœcesin, unà cum Civitate primaria, à qua pendent villæ vicique. Id ipsum intelligas Canone alio, ubi prohibetur Presbyteris & Clericis aliis, ne de Parochia, hoc est, Diœcesi sua ad aliam sine Episcopi consensu transeant. Sed rei quæ proposita nunc nobis est illustrandæ opportunissimus omnium est Canon ille alius, quo discinguntur exauthoranturque Presbyteri, Clericique alii, qui Conventus alios indixerint, adierintque, quàm quibus præsidet Episcopus, aut Altare aliud æmulumque excitarint contra Altare quod ille frequentat, & detestandum schisma conflaverint. *Si quis Presbyter contemnens Episcopum suum, seorsum congregationem fecerit, & alterum altare fecerit, deponatur quasi Principatûs amator existens, similiter & reliqui Clerici.* His verbis perspicuè insinuatur, in Diœcesi una unam fuisse Ecclesiam, ad quam convenirent omnes cum Episcopo, & in qua esset Altare unum, ubi Episcopus unus, aut eo absente, vel jubente, Presbyter offerret. Nam si in urbe, vel ruri plures fuissent Ecclesiæ Parochiæque, ad quas coiret populus, & in quibus Presbyter sacra celebraret, illis certè verbis ad significandum schisma usi non essent Majores nostri. Nec illi dicerentur ferocire in Episcopum, & rebellare velle, Ecclesiamque conscindere, qui alibi conventum facerent, quàm ubi esset Episcopus, aut qui erigerent Altare aliud, ab eo diversum, ubi Episcopus celebraret.

*Canon Apost. 40. Can. 15.*

*Can. 32.*

V. Multa suppeditat Eusebius non minùs probabilia ejusdem rei argumenta. Dionysius Episcopus Corinthi in ea quam scribit ad Soterem Papam Epistola, de collatis in pauperes eleemosynis gratias plurimas agens, testatur hunc Ecclesiæ Romanæ morem fuisse, ut Ecclesiis omnibus, quæ in quibuscumque essent urbibus, opitularetur: ἐκκλησίαις τὰς πολλαῖς, ταῖς κατὰ πᾶσαν πόλιν. Erant ergo in urbibus solùm Ecclesiæ. Alioqui in eas potiùs quæ oneri fuissent, ut egentiores, largitas ea derivanda fuisset. Narrat Cornelius Papa in ea quæ est ad Fabium Episcopum Antiochenum Epistola, Romæ esse Presbyteros quadraginta, Diaconos septem, totidem Subdiaconos, ministros alios inferiores, viduas & ægrotos; quos omnes suis sumptibus aleret Ecclesia. Si qui præter urbanos fuissent in agris Presbyteri, eos quoque commemorasset Pontifex, ut qui eorum etiam alendorum tegendorumque curam sustineret. Docet Dionysius Alexandrinus Archiepiscopus eum morem eamque viguisse Ecclesiarum legem, ut Pœnitentium reconciliatio Episcopo reservaretur, nec nisi illo absente Presbyteris permitteretur, aut cùm in extremo vitæ discrimine jam penè animam agerent Pœnitentes. Unde colligere est, in ea solùm urbe, ubi esset Episcopus, solitam agi pœnitentiam; quod moris inde originem traxit, quòd antiquissimis temporibus non essent Ecclesiæ, non Presbyteri, nisi in urbibus & cum Episcopo. Hinc Eusebius, ex quo hæc depromsimus, ait post obitum Principum, qui Ecclesias nostras omnes edictis suis everterant, omnibus in urbibus restaurari eas cœpisse. *Optatissimum spectaculum præbebat; Dedicationum scilicet festivitas per singulas urbes, & Oratoriorum recens constructorum consecrationes.* ἐγκαινίων ἑορταὶ κατὰ πόλεις. Idem Eusebius oculis subjiciens magnificum illud Tyriæ urbis Templum, unum in ea Altare statuit. *Post hæc Sanctum Sanctorum, Altare videlicet in medio constituit.*

*L. 4. Hist. c. 23.*

*L. 6. c. 43.*

*L. 6. c. 44.*

*L. 10. c. 3. 4.*

*tuit.* Quæ omnia unitatem Sacerdotii in unaquaque Diœcesi commendant. Ut enim Episcopus unus, ita & Ecclesia una, & Altare unum, ubi sacra facienti Episcopo adessent omnes Presbyteri, & Eucharistiam acciperent, ut oblationis consortes, & hostiæ participes: offerrent autem ipsi nunquam, nisi absente Episcopo, aut jubente.

VI. Innocentius I. Epistola ad Decentium Episcopum Eugubinum, observat sua ipsius ætate, hoc est, ineunte sæculo quinto, nullas adhuc sibi fuisse in agris Ecclesias. Has enim quas Titulos appellat, intra civitatem constitutas esse, in quibus velut in Cœmeteriis essent Presbyteri; cum hoc tamen discrimine, quòd Cœmeteriorum Presbyteri conficiendorum sacramentorum jus & licentiam haberent, non Presbyteri Ecclesiarum. Ac propterea ad hos Sacramentum, quod Fermentum appellat, mitteret Episcopus, ut intelligerent ab Episcopi communione se non esse alienos. Sic ergo ille: *De*
Innoc. I. Epist. I. *Fermento verò quod die Dominica per titulos mittimus, superfluè nos consulere voluisti, cùm omnes Ecclesiæ nostra intra civitatem sint constituta. Quarum Presbyteri quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco Fermentum à nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se à nostra communione maximè illa die non judicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longè portanda sunt Sacramenta, nec nos per Cœmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus, & Presbyteri eorum conficiendorum jus habeant atque licentiam.* Non facilè mihi persuaserim Fermentum istud sacrum ejus generis panem benedictum fuisse, cujus nunc in Ecclesia usus vulgatissimus est. Quid enim prohibere posset, quominus panis hujusmodi ab urbe ad agrestes Parochias deferretur. Testatur Paulinus in suis ad Augustinum & Alypium litteris, mittere sese ab Italia in Africam panes Eulogiarum, velut mutuæ signa pignoraque communionis. Adde quod Ecclesiæ Latinæ prioribus octo sæculis inauditus fuit panis ejusmodi benedictus, nec ullum prorsus ejus tamdiu vestigium.

Propiùs ergo à vero abest, fermentum istud non aliud quàm Eucharistiam fuisse, quam solus conficeret Episcopus, & iis deinde Presbyteris civitatis mitteret, qui nec adesse sacro poterant, nec cum Presbyteris aliis ab ipsomet Episcopo sacra hac
L. 5. c. 24. communione impartiri. Tradit Eusebius priscos Pontifices Romanos secundi sæculi solitos esse Eucharistiam mittere in signum fibulamque communionis, ad remotissimarum Provinciarum Episco-
Can. 14. pos. Vetat Concilium Laodicenum ne è Diœcesi una ad aliam, Eulogiarum instar, Eucharistia mittatur. Lucianus Martyr, cujus Acta referuntur apud Baronium anno 311. post celebratum sacrificium & acceptam Communionem, eandem absentibus misit. Justinus Martyr id ipsum suprà testificatus est, oblato sacrificio, sacro epulo vesci præsentes, sive ex urbe, sive ex agris venissent, absentibus Eucharistiam per Diaconos deferri solitam.

Nec mirum, si Eucharistia Fermentum appelletur. Non enim à similitudine veri alienum est, iis temporibus Ecclesiam Latinam in offerendo Sacrificio usam esse pane fermentato. Multa dici in eam rem possent. Sed ut à difficiliori quæstione abstineam, unum dico, Eucharistiam propterea fermentum dici potuisse, quia mysticum quoddam & divinum fermenti genus est, quo commiscemur omnes & incorporamur Christo, & secundùm Paulum,
1. Corin. 10. v. 17. *Unus panis, unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus.*

VII. Nec est quòd stupeat aut resiliat quis, ubi dicimus unam tantùm eo ævo celebratam uno die fuisse Missam, ubi & adessent Episcopo sacris operanti Presbyteri alii, & Communionem perciperent, quæ deinde aliarum urbanarum Parochiarum Presbyteris mitteretur, qui adesse non potuissent. Constat enim primis illis sæculis & unam in qualibet urbe fuisse Ecclesiam, & in qualibet Ecclesia unum excitatum fuisse Altare, & ad Altare quodlibet unam non amplius Missam celebratam die quolibet fuisse, non plures. Postquam autem cœpera in urbe Roma plures constitui Parochiales Ecclesiæ, Presbyteri penes quos cura earum erat, ab Episcopo quidem semper uti antea Communionem accepere, sed quæ ad eos per Acolythos deferretur. Faciebat ea consuetudo, ut Episcopo Presbyteri & devinctiores essent & obsequentiores; nec facilè Altare contra Altare erigerent, aut fœdo schismate Ecclesiam lacerarent. Ejusmodi nihil metuendum à Cœmeteriorum Presbyteris, quibus nec subjecta plebs ulla, nec loco addicta erat. Quare & illis sacrificii oblatio permissa est, non aliis.

VIII. Primis illis initiis solus vulgò baptizabat Episcopus, solus Altaribus Pœnitentes reconciliabat, solus offerebat, nisi quem ex Presbyteris suum substitueret in locum, & offerre juberet. Quare & in maximis quibusque urbibus una erat tantùm Ecclesia, fons unus Baptismalis: quem usum baptizandi retinet adhuc Italia. Hinc & unum in quo offerretur, Altare.

IX. Faciunt apertè ad explicationem illam Epistolæ Innocentii I. verba libri Pontificalis in vita Melchiadis Papæ. Perspicuè enim ibi traditur oblationes ab Episcopo consecratas, ab eo transmissas fuisse ad alias Ecclesias, idque vocari Fermentum. *Hic fecit ut oblationes consecrata per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* Quo nihil expressius, nihil clarius. Vix enim quidquam aliud nisi Eucharistiam intelligas clarissimis illis verbis, *Oblationes consecrata ex consecratu Episcopi.*

X. Porro nemo certè inficias ibit, quin Pontificibus Melchiade & Innocentio, hoc est, sæculo quarto toto, Romæ Parochiæ omnes intra urbem essent, extra urbem verò in agris nullæ. Habebat certè Decentius Episcopus Eugubinus ruri aliquas. Quæris enim ab Innocentio, an eò essent singulis diebus Dominicis mittenda sacramenta. Ego verò facilè crediderim, recens in eo Episcopatu institutas eas fuisse, quæ nullæ adhuc in Romano essent: ideo & addubitasse Decentium, an esset earum Presbyteris permittenda potestas offerendi, id quod permittendum consuluit Innocentius, quemadmodum & Cœmeteriorum juxta urbem Presbyteris concessum fuerat *conficere Sacramenta*, quæ verba Eucharistiæ propria sunt, non autem Eulogiarum panis. Quare nec illud fermentum, aut fermentatum panem vocat Melchiades, sed *quod declaratur fermentum*; quasi diceret, Panem hunc, quem Presbyteris pro vinculo communionis mittit Episcopus, ita haberi, quasi fermentum necessarium ad Panem illum cælestem, qui est Corpus Christi.

XI. Neque verò longè mihi videtur quæsita conjectatio, si dicam sæculo quarto recentissimas adhuc fuisse in urbe Roma Parochias, quippe quæ ruri necdum essent ullæ. Obstat tamen idem, qui Damaso inscribitur, Liber Pontificalis. Hæc enim ibi de Evaristo Papa sæculo secundo. *Hic Titulos in urbe Roma divisit Presbyteris.* Erant autem sine con-

troversia Tituli Ecclesiæ quo sensu etiamnunc hodie ea voce usurpatur. Nam & id apertè testatur Pius Papa in Epistola ad Justum Episcopum Viennensem. *Antequam Roma exiisses, soror nostra Euprepia Titulum domus suæ pauperibus assignavit, ubi nunc cum pauperibus nostris commorantes, Missas agimus.*
Baron. an. 312. n. 4. 5. 6. Ostendit Baronius ex verbis Ambrosii, Augustini, Gregorii, & Juris etiam Civilis; possis addere & Cassiodorum, domos aut agros appenso velo, aut vexillo, in quo esset imago Principis, fisco solere addici. Jussit Theodosius Imperator Infidelium templa Fidelibus attribui, *collocato in eis venerando Christianæ Religionis signo.* Nemo tamen facilè adducetur, ut credat, eò venisse secundo sæculo fideles, ut erecta supra domos Cruce exasperarent persecutorum iras, & in se provocarent. Itaque pluris facienda esset illa altera Baronii ratio, Ecclesias propterea Titulos dici, quòd Presbyteros, penes quos earum cura erat, Titulum inde ducerent & nomen. Quanquam posset & illud dici, Ecclesiis quidem signa religionis quædam esse appensa, sed quæ tametsi notissima essent fidelibus, infidelibus tamen nullam rei suspicionem moverent. Nam & Grammaticos constat & artium liberalium professores, ejusque modi homines alios, habuisse pro foribus Titulos, & signa aliqua, quæ eorum, & sedem, & artem indicarent. Denique liber idem Pontificalis in vita Dionysii Papæ, verbis conceptis hæc habet: *Hic Presbyteris Ecclesias divisit, & Cæmeteria, Parochiasque & Diœceses constituit.* Non absimile vero est, fugatis persecutione sæviente Presbyteris, eversisque Ecclesiis, novam deinde à Dionysio factam esse Parochiarum in Urbe divisionem. Harum porro Parochiarum numerus in vita Marcelli Papæ designatur apud eundem Scriptorem his verbis: *Hic viginti quinque Titulos in urbe Roma constituit, quasi Diœceses propter Baptismum, & Pœnitentiam multorum, qui convertebantur ex Paganis & propter sepulturas Martyrum. Hic ordinavit viginti quinque Presbyteros in urbe Roma, Episcopos per diversa loca viginti unum.* Quibus ea verbis manifestissimum est, Titulos, Ecclesias, Parochias, Presbyteros in agro Romanò nullos, sed intra Urbem omnes fuisse. Et in his Ecclesiis baptizari, sepeliri, agi pœnitentiam, non autem offerri moris fuisse. Id verò observandum in compendiosissimis illis apud Damasum veterum Pontificum Vitis, Presbyteros ordinari perpaucos, Episcopos verò nonnunquam plures. Cujus rei ratio in promptu est. Soli enim urbi Presbyteros Romani Pontifices, Episcopos verò Provinciis compluribus ordinabant. Adde quod jam inde à prioribus illis sæculis in minoribus quibusque Italiæ & Orientis urbibus essent Episcopi, ut faciliùs ruralibus Parochiis carere potuerint.

XII. Unum restat, ut dicam de eo quod apud Authorem legitur eundem in vita Siricii Papæ. *Hic constituit, ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet, declaratum quod nominatur fermentum.* Jam enim negari via potest, quin Parochiales Presbyteri Missas ipsimet celebrarent. Hoc scilicet sibi juris pepererant eo temporis intervallo, quòd à Melchiade ad Siricium usque fluxerat. Quæ sæculi quarti pars erat maxima. Cùm ergo in Parochiis offerrent suis, arbitrati sunt sibi jam opus non esse eo consecrato Pane, quem Episcopus solitus erat mittere. Itaque ut hoc Presbyterorum observantiæ, & suæ cum Episcopo communionis documentum permaneret, statuit Pontifex, ut eum Panem deinceps consecratum susciperent, *declaratum quod nominatur fermentum.* Quoniam ex ipso textu Evangelico, & interpretatione Chrysostomi, ac Origenis, veritas Evangelica instar est divini cujusdam fermenti, quod animabus nostris commisceatur, easque cœlesti vi ac sanctimonia sua imbuat. Versatus est luculentissimè in hoc argumento Sirmundus, ubi de hujusmodi pane ac fermento mystico demonstravit illud non aliud esse, quàm Eucharistiam. Posset quidem Siricii Epistola Decretalis de solis intelligi in urbe Roma Cœmeteriis: melius tamen intelligeretur de Parochialibus Ecclesiis aliorum Episcopatuum, earumque Presbyteris. Id his verbis videtur innui: *Episcopi loci designati.* Innocentius qui Anastasio successit successori Siricii, docuit nos supra Parochiales Romæ Presbyteros privatas & sejunctim ab Episcopo Missas nondum solitos celebrare. Sirm. De Azymo. c. 5.

---

## CAPUT XXII. *P. 1. l. 1. c. 22.*

### Rursus de Parochiarum origine & antiquitate.

*I. Alexandriæ erant Parochiæ plures, & in singulis plures Presbyteri, quorum primus erat Parochus.*

*II. Episcopus Alexandrinus à Parochis cogebat Synodum, ubi cum Episcopis, qui tunc in urbe erant, errores novos confligebat. Quanti intersit demonstrare antiquissimam Presbyterorum erga Episcopos subjectionem.*

*III. Sunt apud Athanasium in agro Alexandrino & Parochiæ & Parochi.*

*IV. Missas in Parochiis Alexandrinæ urbis celebratas fuisse nullas, ex eodem probatur Athanasio.*

*V. Probatur & ex Leone Papa, qui solemnioribus festis diebus Missas celebrari jussit duas.*

*VI. Extat adhuc in Ecclesia Græca vestigium aliquod ejus consuetudinis, unam tantum celebrandæ Missæ.*

*VII. Non erat olim ea fidelium multitudo, quæ est hodie.*

*VIII. Superioribus opponuntur multa.*

*IX. Eadem solvuntur.*

*X. Res tota concluditur. Judæis unum erat templum, unum sacrificium. Nec erant Gentilibus in vicolis singulis templa.*

I. Ecclesia Alexandrina Romanæ omnium matris tanquam major natu Filia, eoque primæ post eam, id est, secundæ Sedis culmine decorata est. Ergo in multis ut puto filia cum matre consentiet. Ideo & Epiphanius refert ineunte quarto sæculo in urbe Alexandrina plures fuisse Ecclesias, quæ omnes Archiepiscopi ditioni subessent; & quibus singulis sui præficiebantur Presbyteri. *Etenim quotquot Alexandriæ Catholicæ communionis Ecclesiæ sunt, uni Archiepiscopo subjectæ, suus cuique Præpositus est, qui Ecclesiastica munera iis administret.* Vici urbis eorumque ædes, Ecclesiæ cuique proximiores, ideoque subjectæ, *Lauræ* dicebantur: [illegible]. Hæres. 69. n. 1. & Hæres. 68. n. 4. Unde nomen duxere ea Monasteria, quorum Cellulæ ejusmodi vicis separabantur. Erant in Ecclesiis singulis multi Presbyteri, [illegible]. Eorum unus præerat cæteris: [illegible]. Ecclesiarum istiusmodi nomina cùm edidisset Epiphanius septem vel octo, subjicit alias fuisse complures: Arium autem unius ea Ecclesiis hujusmodi Rectorem fuisse Parochumque, alterius Collutbum, Carponam item & Sarmatam; hos Presbyteros erroris sui venena sparsisse, cùm diebus Synaxeos concionem haberent ad populum, quem & varias distraxere in partes & suos sibi singulos de suo nomine fecere sectatores: unde Colluthiani alii, alii Ariani. Addit Epiphanius adduxisse Arium in suas partes Presbyteros septem, Diaconos duo-

decim, Virgines septingentas. Denique Alexandrum Archiepiscopum coactis Presbyteris suis & Episcopis aliquot, qui tum Alexandriæ inventi sunt, συγκαλῆται δ' πρεσβυτέριον, ϗ ἄλλους τινὰς ἐπισκόπους: re maturiùs considerata, communione privasse Arium, & urbe expulisse; quo factum est ut asseclæ ejus omnes ab Ecclesia secederent.

II. Ex iis quæ refert Epiphanius multa edocemur, 1. Divina quadam sapientia Ecclesiam id unum maximopere enixam esse, ut muniretur diligentissimè authoritas Episcoporum adversùs Presbyterorum erupturam quandoque audaciam: utque hi illorum ditioni & imperio essent omnino obnoxii: cùm prima omnium & pestilentissima, & qua diutissimè exagitata est Ecclesia, hæresis Ariana, à Presbytero cupidissimo honoris, & subjectionis impatientissimo ortum habuerit. 2. Alexandriam urbem post Romam omnium certissimè maximam, cùm plures fortè quàm Roma Fideles haberet, quia priùs in Oriente fides illuxerat, & quia minùs ibi quàm Romæ sævierant Imperatores Ethnici: plures etiam habuisse Parochias intra mœnia, & in singulis Presbyteros plures: cùm Romæ singulis Parochiis singuli præessent Presbyteri. 3. Ex his Parochialibus Alexandriæ Presbyteris unum fuisse, penes quem esset præcipua authoritas, ut Arium & Colluthum. 4. Parochiarum quæ essent in agro Alexandrino mentionem hîc fieri nullam; omnesque adeò tum Parochias, tum Presbyteros, ut Romæ, ita & Alexandriæ intra urbem fuisse. 5. Alexandrum Alexandrinum Episcopum, ut Arii hæresin, Ariumque damnaret ipsum, Presbyterorum convocasse collegium, πρεσβυτέριον, cum Episcopis iis, qui tum Alexandriæ reperti sunt, & ab ea Synodo primum in Arianos emissum esse fulmen anathematis. Nec abhorret à vero, illo Presbyterali, seu Sacerdotali Collegio comprehensos esse Diaconos, quòd hi quoque in Oriente peræquè ut & in Occidente Synodis interesse solerent. Id sanè jam observatum suprà est, & Ecclesiæ ipsius Romanæ exemplo probari potest, ubi istiusmodi Concilium, cui Diaconi intererant, *Presbyterium* appellatur. Siric. Ep. 2. Verum quidquid sit de Diaconis, hoc ex eo loco certissimum est, Episcopum cum Presbyteris eam hîc conflasse Synodum, quæ de causis majoribus ageret, quæ damnaret hæreses, & hæreseon authores communione ejiceret. Quòd si moræ impatiens Alexander ad hæc suæ ditionis sacræ Episcopos non convocavit, eo fortè propterea usus est consilio, ut remedium quod serpenti malo adhibebat, quò promptius, eò efficacius esset; & quòd in Alexandrina Ecclesia id moris inolevisset, ut comprovinciales non expectarentur Episcopi, ne tum quidem cum novus Alexandriæ Episcopus deligendus erat. Id eodem Ibid. n. 11. quo suprà loco observat Epiphanius. *Cùm hæc sit consuetudo Alexandriæ, ut post Episcopi mortem successor non diutiùs differatur, sed subinde pacis tuendæ gratia subrogetur, ne aliis hunc, aliis illum amplectentibus, jurgia in vulgus & contentiones existant.* Et hoc ipsum est, quod Hieronymus voluit, ubi dixit, ab Alexandrinis Presbyteris unum è gremio suo statim in Sedem vacantem evehi; non expectatis quidem Provinciæ Episcopis, sed adhibitis tamen ad electi consecrationem Episcopis aliis, quorum erat semper in maxima & opulentissima urbe multitudo non parva, ut liquet ex iis, quos tum ad Arii damnationem Alexander convocavit. 6. Eo loco apud Epiphanium non Parochiæ vocem adhiberi, non Parochi: sed quod nobis est Parochia, id ab eo Ecclesiam dici, vel Lauram: & quod nobis est Parochus vel Rector, ab eo Presbyterum ex antiquissimo & pervagatissimo usu appellari. Lauræ meminit Athanasius in Epistola ad Solitarios.

III. Ostendit autem idem Athanasius in agro Alexandrino, pagisque ejus majoribus, & Ecclesias fuisse suas & Presbyteros. *Mareotes ager*, χώρα, *est Alexandriæ, quo in loco Episcopus nunquam fuit: immo ne Chorepiscopus quidem, sed universæ ejus loci Ecclesiæ Episcopo Alexandrino subjacent, ita tamen ut singuli Pagi*, κῶμαι, *suos Presbyteros habeant. Sunt autem Pagi isti maximi decem numero, aut aliquanto plures. Pagus autem in quo Ischyras habitat, minimus est, & paucissimorum hominum, adeo ut non ibi, sed in proximo Pago Ecclesia sit constituta.* Apolog. 2. Erant ergo Parochiæ Parochique in majoribus vicis, μεγίσαις κώμαις, ex quibus pendebant vici villæque minores. Illud autem nosse operæ pretium esset, an rurales illæ Parochiæ Constantini Magni Imperio antiquiores fuerint. Ea de re certi quidquam definiri non posse existimem. Dicemus inferiùs suo loco nonnulla, quibus aspergatur ei rei aliquid lucis, non quibus certa veritas eruatur.

IV. Ut illud minùs molestè feras, accedemus ad aliud quidpiam, quod minoris non sit momenti, & quod ex Athanasio ipso illustretur. Calumniati sunt Athanasium Sycophantæ quidam apud Imperatorem, quòd conventus sacros habuisset, & rem divinam fecisset in Ecclesia, quam idem Imperator Constantinus construi Alexandriæ jusserat, idque eum antè fecisse, quàm vel dedicaretur Ecclesia, vel suis partibus omnibus esset absoluta. Factum non negat Athanasius in Apologia ad Imperatorem, sed vim excusat, aut potius præfervidam pietatem infinitæ cujusdam hominum multitudinis. Cùm enim aliæ urbis Ecclesiæ minores essent, quàm ut Fideles omnes caperent: atque adeò in solennitate Paschali sacro simul omnes adesse non possent: Archiepiscopum in ista, quæ jam erat cæteris capacior, offerre coëgerunt. *Cùm Ecclesiæ paucæ parvæque essent, magnoque tumultu posceretur, ut in magna Ecclesia Conventus celebrarentur.* Apol. ad Constant. Petitioni eorum antequam assentiretur Athanasius, contestabatur, orabatque enixiùs, ut *etiam cum compressione & afflictione in aliis Ecclesiis cœtus agerent.* At plebs Episcopum non audiit, comminata festum se diem mediis in agris potius celebraturam; quoniam superiore Festo Pentecostes, & mulieres, & infantes non pauci præ turba penè essent extincti.

Ex quibus illud profectò conficitur, Alexandriæ diebus solemnioribus solitam esse unam tantùm in majore Ecclesia Missam celebrari: cæteros verò Presbyteros seu Parochos, ut antè de urbe Roma observatum est, in privatis Ecclesiis nequaquam obtulisse. Qua de re si quod superest dubium, id omnino evanescet auditis illis Athanasii verbis, ubi docet persuasissimum hoc omnes eo tempore habuisse, totam fidelium multitudinem uni sacrificio interesse, in unam simul omnes cum Christo hostiam debere conflari, non locis divisam, non varias per Ecclesias dispersam: *Quid ergo rectius putas, particulatim & divisè unà cum periculo elisionis populum synaxes facere, an potius ut in locum omnium bene capacem conveniat, & unam eandemque sine dissonantia vocem reddat? Certè id rectius est, cùm id concordiam unanimis multitudinis ostendat, & Deum ad exaudiendum promptiorem habeat. Nam si pro ipsius Salvatoris pacto in consensu duorum quodcumque petierint, fiet: quid igitur futurum, ubi ex tot tantisque populis in unum*

*congregatis una vox respondeatur, acclamantium, Amen? Quis non inter felicia prædicet, cùm videat tantam multitudinem in unum locum convenire? Quid gaudii ibi ex mutuo invicem conspectu, antea solitis in diversa loca dispertiri?*

V. Id Baronius conjicit in annum 350. Si res ita se haberent, eo tempore quo Imperatores Christiani Christianam Ecclesiam omni ope & gratia fovebant: quid cùm sævirent Imperatores? Fatendum tamen non tam metu persecutionis unam una die in singulis urbibus fuisse Missam de more celebratam: quàm Ecclesiæ unitatis conservandæ desiderio, & ejus asserendæ observantiæ, quam Presbyterorum erga Episcopum suum summam esse oportebat. Id ex eo manifestiùs adhuc ostenditur, quod scribit Leo Papa ad Dioscorum Episcopum Alexandrinum: ubi sancit alteram celebrari Missam eodem die in eadem Basilica Festis solemnioribus, cùm plurima supererit populorum multitudo, quæ primæ non potuerit adesse: quod æquum non sit omnis sacrificii offerendi consuetudinem servari, tantæ publicæ fidelium pietatis cum detrimento tunc sanè conjunctam.
Epist. 81. *Illud volumus custodiri, ut cùm solemnior Festivitas conventum populi numerosioris indixerit, & ad eam tanta multitudo convenerit, quam recipere Basilica simul una non possit, sacrificii oblatio indubitanter iteretur, ne his tantùm admissis ad hanc devotionem qui primi advenerint, videantur hi, qui postmodum confluxerint, non recepti. Cùm plenum pietatis atque rationis sit, ut quoties Basilicam, in qua agitur, præsentia nova plebis impleverit, toties sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem, ut quædam pars populi sua devotione privetur, si unius tantùm Missæ more servato, sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte convenerint.*

VI. Ostendunt hæc Leonis verba, *unius sacrificii more servato*, vetustissimam hanc Patriarchatûs Alexandrini fuisse consuetudinem, ut semel tantùm in die, in majoribus etiam urbibus & Festis solemnioribus offerretur. Morem hunc servat etiamnunc Græca Ecclesia. Una enim uno die in Ecclesiis Ædibusque sacris singulis Missa celebratur. Sed ædicularum sacrarum apud eos multitudo longè maxima est. Unde non sine causa dubites, an ad hoc Leonis responsum accommodaverit se Ecclesia Alexandrina: an hoc maluerit, quod etiamnum hodie faciunt Græci, plures quidem, sed in singulis singulas Ecclesiis ædiculisque sacris celebrari.

VII. Id verò minùs tibi mirum videbitur, si perpendas, 1. Pauciores tunc adhuc Infideles in Christianæ fidei castra confugisse; nec eam quæ nunc est, fidelium multitudinem fuisse. 2. Adventante jam vitæ fine, aut certè majori jam ætate Christianos plerosque sacro fonte tingi solitos fuisse; quocirca Fidelium propriæ Missæ interesse non poterant. 3. Pœnitentes à fidelibus avulsos, ne ipsos quidem Missæ fidelium adesse potuisse.

VIII. Nec dissimulanda sunt tamen, aut obruenda silentio argumenta ea, quibus effici videtur, non in urbibus tantùm, sed in agris etiam, & Ecclesias & Presbyteros jam tum fuisse Parochiales.
Can. Apost. 36. Vetat enim Canon Apostolicus, nequis extra Diœcesin suam per urbes, aut pagos, πόλεις, ἢ χώρας, ordinationem faciat. Ordinabant ergo Episcopi in subjectis sibi pagis & urbibus. Id verò idem est stylo veteri, ac Parochiam alicui, aut Beneficium Ecclesiasticum ruri conferre.

Can. 58. In Concilio Eliberitano, Ecclesia Cathedralis, *locus in quo prima Cathedra constituta est Episcopatus*, secernitur ab aliis, quæ communicatorias etiam dant litteras. Est & ibi mentio Diaconi, qui Ecclesiam regat. *Si quis Diaconus regens plebem.* Can. 77. Asserit denique Gascias in vetustissimis MMSS. aliquot sub finem hujus Concilii subscriptiones reperiri Presbyterorum triginta sex, cum adjuncto Pagi cujusque nomine, cui præessent. Verùm earum subscriptionum mihi omnino suspecta fides est. Quid ni enim potius Episcoporum inventæ subscriptiones sunt? Præterquam quod nusquam alibi ferè reperias cum addito propriæ suæ Ecclesiæ nomine Presbyteros subscripsisse.

IX. Cæteros Diœcesis Clericos à *Clericis urbicis* L. 1. Ep. 8.
secernit Cyprianus, quibus alio in loco adscribit L. 4. Ep. 10.
Numidicum Presbyterum gloriosa Confessione Christi illustratum. *Ut Numidicus Presbyter adscribatur Presbyterorum Carthaginensium numero, & nobiscum sedeat in Clero, luce clarissima Confessionis illustris.* Hæc etsi sua probabilitate non carent, non tamen extorquent assensum; nec talia sunt, quæ cum oppositis, aut numero, aut pondere certare possint. Eusebius in ea quam habuit concione in Hist. l. 10.
Dedicatione Ecclesiæ Tyri magnificentissimæ, testatur eo c. 4.
Christi gloriam & invictam potestatem elucere maximè, quod innumera cernerentur templa per urbes & agros, innumeræ Basilicæ, ἐν χώραις, ἐν πόλεσιν. Verùm id ad ea spectat tempora, quæ Constantini postea & Imperium secuta sunt, & conversionem. Carthaginem Cyprianus quasi alteram exhibet æmulamque in Africa Romam, & Carthaginenses Clericos supra alios ea proportione extollit. Qui est Concilii Eliberitani Canon supra laudatus, de Metropolitano explicandus est. Is enim verissimè est *primæ Cathedræ Episcopus*. In altero verò ejusdem Concilii Canone sermo est fortè de Diacono, qui aut absente Presbytero & Episcopo, aut sede vacante Ecclesiam gubernaret. Ex Concilio Sardi- Can. 6.
censi, *non est danda licentia ordinandi Episcopum in vico aliquo, vel modica civitate, cui sufficit unus Presbyter.* Presbyter hic vel urbeculæ, vel Pagi Parochus erat. Verùm tempore Concilii Sardicensis jam dudum per totum Imperium fides convaluerat. Nullius porrò ferè rei tempus constitui potest ex Apostolicis Canonibus, cùm ne ipsorum quidem tempus exploratum sit. Quippe unum id aut scitur, aut sciri putatur, prioribus quatuor Ecclesiæ sæculis eam & Canonum Apostolicorum, & Apostolicarum Constitutionum compilationem concinnatam, auctamque in dies fuisse; quo autem tempore quisque Canon, aut qua ex Ecclesia inter Orientales prodierit, penitus incompertum est. Idem non inscitè augurantur aliqui de Eliberitanis Canonibus: eam fuisse Hispaniensium Canonum collectionem ineunte quarto sæculo factam, aut non multùm adulto. Sed è diverticulo in viam redeundum nobis est.

X. Ex antedictis ergo illud collige, rurales Parochias quarto tantùm sæculo, nec ubique eodem tempore initium habuisse. Urbicas ruralibus antiquiores esse, easque in majoribus tantùm urbibus; in iisque Ecclesiis initio incrementum Ecclesiæ sacrificium non offerri solitum. Porro in veteri Testamento unum erat Templum ad totum Israëlitici Imperii cultum religiosum, unus sacrificiis omnibus locus. Cùm primùm autem templa alia, vel ab Jeroboamo, vel à Samaritis extrui cœpere, scissa est & profanata religio. Apud Gentiles autem nequaquam verisimile est, nec probari certis ullis argumentis potest, & templa fuisse in singulis vicis,

& Sacerdotes. Quare nec mirum debet cuiquam accidere, siquid ejusmodi secuta initio Ecclesia est, in constituenda exteriori disciplina sua.

## CAPUT XXIII. *P. 1. l. 1. c. 23.*

### De Parochorum jure & officio per octo priora sæcula.

*I. Presbyterorum Urbicorum collegium, quasi Senatus erat Episcopi. Ibi de causis agebatur majoribus, & intererant sæpe Episcopi alii.*

*II. Pœnitentiam administrabat Episcopus, eo absente, vel ægrotante Presbyter.*

*III. Plerumque baptizabat Episcopus.*

*IV. Pœnitentias secretas imponebant Presbyteri. Ejus rei argumenta sumpta è vita beati Ambrosii.*

*V. Argumenta alia ex Conciliis Africanis.*

*VI. Imponebant nonnunquam & publicam.*

*VII. In Ecclesia Romana Presbyteri non confirmabant.*

*VIII. Etsi fortè confirmarent alibi.*

*IX. Quòd confirmandi potestatem Presbyteris communicari ab Episcopis, in majorem Episcopatus gloriam cedat, quam si eam sibi solis semper retinuissent.*

*X. Potuerunt aliquando Presbyteri excommunicare, id est, Parochi.*

*XI. An Minores Ordines potuerint aliquando conferre.*

*XII. Acceditur ad Ecclesiam Græcam. Quàm propè Parochorum ordo ad Episcopalem accedat.*

*XIII. His licebat excommunicare.*

*XIV. Episcopo ubi aderat, baptismus solemnior reservabatur.*

*XV. Pluribus ostenditur communicata esse Presbyteris, aut Parochis confirmandi potestas.*

*XVI. Item prædicandi, & dimittendi peccata.*

*XVII. XVIII. XIX. XX. Jura & officia Parochorum ac Presbyterorum sæculo V. VII. & VIII. Ubi nonnulla etiam de Diaconis.*

I. QUæ superiori utroque Capite dicta sunt, ea jam satis fortasse declarant, quæ sint & jura, & officia Parochorum. Nec de Vicariis Generalibus, aut Archipresbyteris agere licuit, & de Chorepiscopis, quin simul & de his diceretur. Quoniam Officia isthæc omnia unus idem gerebat. Augustinus ex Possidio antè Presbyter Hipponensis, id est Parochus, quàm Episcopus fuit. Idem de Simpliciano dixeris & de Claudiano, de Basilio & de Gregorio Nazianzeno. Erant enim hi Civitatis Parochi, Episcopi Consilium, & Clerus Ecclesiæ Cathedralis: quales sunt etiamnum hodie, Titulorum, hoc est Parochiarum, quæ in urbe Roma sunt, Presbyteri, ac Diaconi Cardinales, ex quibus conflatum est sacrum illud Collegium, Augustissimumque Romæ Consistorium, ac Consilium Papæ. E Parochis convocatis ab Episcopo suo, & ex Episcopis aliis, qui tum fortè aderant, multi autem in majoribus urbibus ferè semper aderant: ex iis, inquam, fiebant Synodi, quæ de fide & disciplina decernerent, & Ecclesiæ cuique privatæ ponerent leges. Vidimus paulò antè Alexandrum Episcopum Alexandrinum, suum Alexandriæ coëgisse Presbyterium, id est Synodum. Convenere scilicet Civitatis Parochi, & qui fortè ibi fuere aliquot Episcopi: & hæresin Arrii damnavere. Jovinianum hæresiarcham ita proscripsit Siricius Papa: *Facto Presbyterio constitit doctrinæ nostræ esse contraria. Omnium nostrum, tam Presbyterorum, & Diaconorum, quàm etiam totius Cleri una suscitata fuit sententia.* (Epist. 2.) Testantur Pontificiæ Epistolæ pleræque, & omnia omnium temporum Romana Concilia, perpetuam hanc & constantem ejus Ecclesiæ disciplinam fuisse: quæ cùm esset omnium antiquissima, nobilissima, & aliarum omnium mater, omnium etiam erat & forma. Quare & argumentum ex ea sumi potest, quid de aliis Ecclesiis sit sentiendum: quam in rem præiere nobis Niceni Concilii Patres famoso suo illo Canone sexto.

II. Faciunt Eliberitani Canones, conferuntque plurimum ad privatam Sacramentorum administrationem perdiscendam, qua in re maximè & occupantur Parochi, & eorum officium omnino versatur. Statuitur ergo eo in Concilio, Episcopi esse, ut & Pœnitentiæ & Eucharistiæ ac Communionis dispensator ipsemet sit, nec à Presbyteris Diaconisve quidquam horum administretur Sacramentorum, nisi eo jubente, & urgente necessitate quapiam. *Apud Presbyterum, si quis gravi lapsu in ruinam mortis ceciderit, placuit agere pœnitentiam non debere, sed potiùs apud Episcopum. Cogente tamen infirmitate, necesse est Presbyterum Communionem præstare debere, & Diaconum, si ei jusserit Sacerdos.* (Can. 32.) Quæ ad ea revocari debent & loca & tempora, ubi præter Cathedralem Parochialis alia Ecclesia non erat. Idem est Concilii Arelatensis sensus: *Ut Presbyteri sine conscientia Episcoporum nihil faciant.* (Can. 19.)

Postquam autem in agris erectæ Parochiæ sunt, jam in his & Missam celebravere Parochi, & Sacramenta alia administrarunt. Postquam autem eædem in urbe constitutæ sunt, Baptismum Parochi & Pœnitentiam solam dedere. Id probatum est Capite superiori, ubi ostensus est Marcellus Papa Romæ constituisse Titulos viginti quinque, *propter Baptismum & Pœnitentiam multorum qui convertebantur ex Paganis, & propter sepulturas Martyrum.* De ea credibile est pœnitentia Marcellum loqui, quæ adultorum Baptismo conjuncta erat, easque Parochorum in Baptismo fuisse partes, ut Catechumenos eos qui Baptismo præparabantur, Competentesque dicebantur, & erudirent, & probarent, & jejuniis, & humicubationibus, cilicio & cinere probando purgarent. Cùm enim solo Paschatis & Pentecostes die, aut potiùs pervigilio daretur Baptismus, & ab ipso tantùm daretur Episcopo, ritu valdè solemni, nemo crediderit Parochorum hanc curam jam tum fuisse. Hoc solum certè eorum esse poterat, urgente necessitate, & inopinis improvisisque temporibus Baptismum & Pœnitentiam dare.

III. Quoniam autem primis Ecclesiæ sæculis Sacramenta tria hæc, Baptismus, Confirmatio & Eucharistia simul omnia ferè conferebantur, & erat Confirmationis solus de more minister Episcopus, erat & ipsius utplurimum Baptismi. Quod ut persuasissimum habeas, fuerit satis legisse ea, quæ de Ambrosio Episcopo Mediolanensi scripsit Paulinus in ejus vita: *In rebus divinis implendis fortissimus in tantum, ut quod implere solitus erat circa baptizandos, quinque postea Episcopi, à tempore quo decessit, vix implerent.* (Surius die 4. April. c. 29.) Laboriosum ergo baptizandi munus soli vulgo implebant Episcopi. Neque verò putes, eos in solo baptizandi ritu, & in cæremonia sola occupari solitos esse. Alioqui hoc potuissent dicere, vel fortè debuissent, quod Paulus: Apostolatum se aut Episcopatum non accepisse, ut baptizarent, sed ut prædicarent Evangelium. Enimvero cùm Baptismum peterent adulti plerique, sapientes hujus sæculi, Gentiles aut Hæretici, eo viro opus erat, qui ejusmodi homines erudiret, qui persuaderet, qui convinceret: qui orationibus, jejuniis, macerationibusque purgaret, probaretque diutius. At his omnibus sola ferè par esse poterat Episcopi dignitas & doctrina. Verùm alio quandoque avocabatur Ambrosius, ut Ecclesiæ vel Imperii necessitati-

bus variis serviret. Quare & adhibendi tum erant Presbyteri Parochive plures, qui absentis & locum & munus implerent.

IV. De sacramento verò Pœnitentiæ idem de eodem Ambrosio Paulinus hæc habet: ut occultas criminum confessiones exciperet summa & inviolata silentii fide, quo exemplum condebat, cui se Episcopi alii aptarent. *Causas criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli apud quem intercedebat, loquebatur: bonum relinquens exemplum posteris Sacerdotibus, ut intercessores apud Deum sint magis, quàm accusatores apud homines.* Occultæ Confessiones istiusmodi ad publicam profectò etiam referebantur pœnitentiam: *Siquidem quotiescumque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut & illum flere compelleret.* Qui ad Confessiones has arcanas accedebant, non omnes sia vitam criminibus inquinaverant, quæ publica pœnitentia elui oportebat. His igitur privatæ tantùm satisfactionis opera aliqua pia præfiniebantur. Unde dici illud potest, Parochos ac Presbyteros, tum cum nullum erat canonicum crimen, excepisse privatas Confessiones, peccata dimisisse, ac privatam inflixisse satisfactionem; si quod verò esset, rem ad Episcopum remisisse. Qua de re haud video quo jure ambigere, aut assensum suspendere quisquam possit. Nec enim noverant laïci quæ demum crimina publicæ pœnitentiæ laboribus essent expianda. Diversa enim erant & genere & numero, pro voluntate Episcoporum, & alia aliis temporibus locisque. Neque verò id laborabant, ut eam diversitatem nossent laïci, modò id Episcopi Presbyterique probè callerent, ut ne quem eorum qui peccata omnia confessuri accederent, nisi juxta Canones solverent aut ligarent.

Ibid. c. 10

V. Verùm ejus rei argumentum habes invictissimum in Concilio Carthaginensi II. ubi Episcoporum unus affirmat; in Concilio prius habito vetitos fuisse Presbyteros, ne confirmare Neophytos, ne Pœnitentes reconciliare, aut Virgines consecrare auderent. *Memini præterito Concilio fuisse statutum, ut Chrisma, vel reconciliatio Pœnitentium, necnon & puellarum consecratio à Presbyteris non fiant.* Huic statuto assensum & modum tamen aliqui adhibuere tum Episcopi alii: *Chrismatis confectio & puellarum consecratio à Presbyteris non fiant. Vel reconciliare quemquam in publica Missa Presbytero non licere, hoc omnibus placet.*

Con. 3. 4.

Apposita tamen hæc exceptio, ut si quo gravissimo ex morbo decumberet Pœnitens absente Episcopo, & permittente tamen, petentem Presbyter absolveret: *Si quisquam in periculo constitutus, se reconciliari divinis Altaribus petierit, si Episcopus absens fuerit, debet utique Presbyter consulere Episcopum, & sic periclitantem ejus præcepto reconciliare.* Ergo & ægros reconciliabat Episcopus; Presbyter autem sive Parochus nonnisi illo absente, & antè consulto, & permittente. Quæ tamen de eo intelligenda sunt, qui publicam ob capitale crimen pœnitentiam ageret, & esset solemni cum ritu in Ecclesia reconciliandus, & eo tempore, quo etsi abesset Episcopus, non multùm tamen abesset. Nam cum erat aut tranandum mare, aut emetiendum longissimum iter, ut ad Concilium Universale convenirent, necesse omnino fuit, ut Presbytero, aut Archipresbytero, aut Parocho omnis delegaretur ab Episcopo potestas, qua rebus in extremis saltem, aut admodum urgentibus Pœnitentes solverent, & excommunicatos redderent communioni.

VI. De superiori lege remisit aliquid Concilium Carthaginense III. Concessit enim Presbyteris, ut constrictos necessitate aliqua Pœnitentes absolverent, non expectata absentis tum Episcopi permissione: *Ut Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet Pœnitentem, nisi absente Episcopo & necessitate cogente.* Episcopis quoque id indulsit hæc Synodus, ut copiam facere possent Presbyteris Virgines consecrandi, non autem conficiendi chrismatis. *Ut Presbyter inconsulto Episcopo Virgines non consecret. Chrisma verò nunquam conficiat.* Necessaria ergo erat ad consecrandas Virgines expressa Episcopi licentia: ad reconciliandos autem Pœnitentes Episcopo absente, vel necessitate urgente, non necessaria. Quid ita? prompta & expedita ratio est. Major enim absolutionis Pœnitentium necessitas, quàm Virginum consecrationis. Can. 35. 36.

Porro juxta Canonem hunc aliosque Chrisma conficere nusquam Presbytero licet. Non interdicitur hîc ille à Confirmatione conferenda, sed à consecrando Chrismate. Qua ex re id fortassis possis conjicere, Afros in hoc esse Græcorum mores & sententiam secutos, quibus Chrisma ipsum quasi sacramentum videretur esse, quod possent dispensare Presbyteri, non consecrare, ut Eucharistiam Diaconi. Eadem erat apud Hispanos loquendi ratio & eadem fortè consuetudo. Ad manum est enim Concilii Toletani I. Canon, cui quid contra possit dici non video, & ne suspicari quidem ferè possum. *Quamvis penè ubique custodiatur, ut absque Episcopo Chrisma nemo conficiat; tamen quia in aliquibus locis vel Provinciis Presbyteri dicuntur Chrisma conficere, placuit ex hoc die nullum alium nisi Episcopum Chrisma facere, & per Diœcesim destinare. Statutum est Diaconum non chrismare, sed Presbyterum absente Episcopo; præsente verò, si ab ipso fuerit præceptum.* Can. 20.

VII. Innocentius I. in Epistola ad Episcopum Eugubinum apertè habet à Presbyteris baptismum dari, & baptizatorum verticem inungi Chrismate, non frontem; frontis enim chrismationem, quæ ipsum est Confirmationis sacramentum, Episcopo soli reservari. Quæ sententia per Occidentem totum tandem convaluit. Presbyteros deinde Extremæ-Unctionis ministros ordinarios ponit idem Pontifex. *Quia Episcopi aliis occupationibus impediti, ad omnes languidos ire non possunt.* Cæteri postmodum Romani Pontifices unum omnes Episcopum Confirmationis ministrum esse declaravere. Epist. 1. c. 3.

VIII. Haud scio tamen, an Occidentis Provinciæ omnes & regna huic statim mori & legi adhæserint. Nam Armentario Concilium Regense confirmandi potestatem fecit anno 439. tametsi antè statuisset, illum ex sua Canonibus inimica ordinatione, inter Episcopos locum habere non posse. Verùm quod nemo nescit, primis illis sæculis de distinctione invalidæ & illicitæ ordinationis parum laborabant, functione sui cuique ordinis æternùm & irrevocabiliter interdixisse contenti. Visum est hominibus doctrina præstantibus Concilium Arausicanum confirmandi potestatem concessisse Presbyteris, si annueret Episcopus. At eorum Canonum Arausicanorum sensus ita commisit doctissimos viros inter se: & ex eorum dissidiis ea emersit, non quæ sperabatur lux, sed caligo, ut id mihi totum prætermittendum existimaverim; hoc præsertim loco & tempore, quo res istæ raptim perstringuntur, non ex professo tractantur. Martinus Braccharensis Episcopus, quem plerumque Gratianus in Decreto Papam Martinum, veteri forsan Can. 1. 2.

stylo magis quàm errore vocat, in sua Canonum Collectione, Presbyteris permittit confirmandi potestatem. *Presbyter præsente Episcopo infantes non signet, nisi fortè ab Episcopo fuerit illi præceptum.*

Can. 32.

Idem Barcinonensi Concilio innuitur:

Can. 2.

*Cùm Chrisma Presbyteris Diœcesanis pro Neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur.* Ista verò dubitans dico. Non me latet enim viros longè plurimos & eruditissimos in alia omnino esse sententia.

IX. An putes de Episcopali dignitate detraxisse te aliquid, si ita persuasum habeas, Episcopos quam sibi propriam habent potestatem, posse cum Presbyteris communicare? Quod si plerique sentiunt, eam à Papa potestatem confirmandi conferri posse Presbyteris: tu certè de Episcoporum authoritate nihil ut puto imminueris, si dicas eos olim in danda Confirmatione, pro sua potestate, vicario Presbyterorum ministerio quandoque usos esse. Hujusmodi enim de rebus quisque sentire debet ea quæ publicis & probatis Ecclesiarum moribus usibusque consentiant. Quod si Scholæ Optimates putant à Gregorio Papa factam esse Presbyteris Sardiniæ Insulæ potestatem confirmandi: cur non putes & tu à Provincialibus Synodis idem Parochis esse concessum? Prioribus sex septemve sæculis pauca sunt, in quibus si dispensaret Papa, non dispensarent & Provinciarum Concilia. Illustrissimi Præsules Petrus de Marca & Antonius Godeau ita censent, potuisse Parochos redeuntibus ex Hæreticorum castris sub finem vitæ Confirmationem dare, qua Ecclesiæ & Communioni restituerentur: id enim tum moris multis in Ecclesiis fuisse. Eam in rem proferunt Canonem II. Concilii Arausicani, & Epaonensis XVI. ubi hæc illis potestas datur. Hi verò Antistites duo non ii erant, qui Episcopatum dejici aut dedecorari vellent.

X. Pluribus supersedeo, quòd ea quæstio mei non sit hîc instituti. Unum dico, si quibus in rebus major est hodie Presbyterorum potestas, quàm olim fuit, multis in aliis eam olim latiùs se expot-rexisse Anthoce enim & idoneo teste Hieronymo, excommunicare poterant:

Epist. ad Heliod.

*Mihi ante Presbyterum sedere non licet; illi, si peccavero, licet tradere me Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit.* Idem tribuit Augustinus Clero, & iis qui sunt in potestate positi.

Cont. Parm. L. 3. c. 2. Epist. 255.

*De ipsa congregatione laicorum, sive ab Episcopo, sive à Clero, sive à quocumque Præposito, cui est potestas, eximitur.* Meminit alibi Presbyteri, qui Diaconum & Subdiaconum suum Communione abstinuerat. *Propter reprobos ac perversos mores à Presbytero suo excommunicatus.* Parochus sine dubio fuit, qui ea severitate usus est. Quanquam venire possit in mentem, eam illi potestatem ab Episcopo delegatam fuisse. Verùm omisso rei diligentiori examine, verisimile semper fuerit, hanc potestatis delegationem fuisse frequentissimam.

XI. Parochorum nonnullis in rebus audaciam ut repressit in Epistolis suis Gelasius Papa, ita & eorum jura expressit. Subdiaconos ab eis aut Lectores ordinari non posse sine Episcopo declarat: *Nec sibi meminerint ulla ratione concedi, sine summo Pontifice Subdiaconum aut Acolytum jus habere faciendi.*

Epist. 9.

Data est à Concilio Carthaginensi IV. ea potestas Parochis, ut Psalmistas vel Cantores creent:

Cap. 10.

*Psalmista, id est, Cantor potest absque scientia Episcopi, sola jussione Presbyteri, officium suscipere cantandi; dicente sibi Presbytero, Vide, ut quod ore cantas, corde credas, &c.* Et tamen non in Oriente solùm, sed & in Africa in Clericorum inferiorum ordine erant Cantores, ut testatur Concilium III. Carthaginense:

Can. 21.

*Clericorum nomen etiam Lectores, & Psalmistæ, & Ostiarii retinent.* Idem pronuntiat Gregorius Magnus:

L. 11. Ep. 54

*Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Cantores, Lectores Clericos appellamus.* Concilium Emeritense anni

Can. 18.

666. concessit id juris Parochis, ut numerum Clericorum Ecclesiæ suæ augerent, pro ejus necessitate & reditibus. *Vt omnes Parochiani Presbyteri, juxta ut in rebus sibi à Deo creditis sentiunt habere virtutem, de Ecclesia sua familia Clericos sibi faciant.* Quæ fortè Gelasio causa fuit, cur supra id tantùm prohibuerit Presbyteris, ne sine Episcopo Subdiaconum aut Acolytum crearent. Negari non potest, quin Chorepiscopi minores Ordines contulerint. At hi Presbyteri tantùm fuere. Abbatibus à Concilio VII. Generali consimile privilegium concessum est, de quo uberiùs suo infrà loco.

XII. In Ecclesia verò Græca ex Canonibus Apostolicis Baptismi ministri erant Presbyteri, ita tamen ut potestati Episcopi obnoxios se esse præ se ferrent.

Can. 49. 50

Prohibentur enim illis Canonibus Presbyteri, ne quid rei moliantur præter Episcopi sui sententiam. *Presbyteri & Diaconi præter Episcopum nihil agere pertentent.* Damnat Concilium Gangrense Conventus omnes quos habuerint laici, nullo sibi præsidente Presbytero, Episcopi authoritate sibi præposito.

Can. 40.

*Non conveniente Presbytero de Episcopi sententia.* Synodus Nicæna admissis in eo, quo apud suos fuerant & loco & ordine Novatianis;

Can. 6.

ita statuit, ut si qua in urbe esset Catholicus Episcopus, is Episcopo Novatiano, aut Chorepiscopi, aut Presbyteri, id est Parochi locum provideret: *Providebit ei, aut Chorepiscopatus, aut Presbyteris locum;* aut Episcopi nomen illi & honorem servaret.

Can. 8.

Sin autem nullus esset in urbe Catholicus Episcopus, is qui antè Novatianus fuerat, post ejeratum schisma, Episcopus maneret. Ex quibus id liquet, Episcopos nonnunquam, citra ullam sui, citra ullam Episcopatûs injuriam, tum in Chorepiscoporum, tum etiam Parochorum ordinem esse redactos. Quid enim hoc, nisi collocari secundo in loco eum, qui in primo sedere jussus esset, nisi eum jam prior quispiam occupasset? Quam in rem meminisse juverit, in Concilio Calchedonensi declaratum esse, si reus pœnas dare debeat Episcopus, non posse eum in Presbyterorum ordinem rejici: quòd eum in Ordinem redigi, nunquam dejectio, semper dignitas & honoris gradus sit.

Con. Calch. Act. 4. & Can. 29.

Cœlestinus Papa de Presbytero, cui vices suas in Concilio Ephesino delegaverat, ita loquitur, *Compresbyterum meum Philippum.* Eundem habet Presbyteris honorem Ephesina Synodus; datis enim ad Clerum Constantinopolitanum litteris, *Compresbyteris* scribit.

Conc. Ephes. Act. 2. 3.

XIII. Etsi Parochorum dignitati Synodus Nicæna plurimum tribuit, jus tamen excommunicandi, aut contentiosæ jurisdictionis potestatem minimè illis confirmat.

Con. Nicæn. Can. 5.

Solam enim ab Episcopo ejaculatam excommunicationis sententiam ratam esse vult, & valere apud alios, donec fuerit à Concilio Provinciali revocata. Eam legem secuta sunt Concilia alia. Quamobrem quæ ferebatur à Parocho excommunicationis sententia, nisi ab Episcopo confirmaretur, nec vim, nec robur habebat Episcopalis sententiæ.

Conc. Antioch. c. 6.

Probabile tamen est vulgò confirmationem accessisse Episcopi, & ad eam rem fortè fuisse satis, ut sileret. Timotheus Episcopus Alexandrinus Lectoris cujusdam meminit, quem propter turpe flagitium Presbyteri deposuerant. Laudat idem Timotheus in Epistola ad Menam Episcopum,

In Commonit. apud Balsam. c. 3.

viculi cujusdam Presbyteros, quòd disciplinæ zelo incensi, nobilem fœminam communione ejecissent, quæ gravia commissa sua nec pœnitentia expiare, nec reparare vellet.

XIV. Uti in Occidente, ita & in Oriente Episcopo reservabatur solennior baptismi administratio. Unde in his quæ ad Ibam Edessenum Episcopum pertinebant, & in Concilio Calchedonensi lecta sunt, observatum est, postulasse ejus Clericos, ut ei ad Ecclesiam suam redire liceret festis Paschalibus, ut Catechumenos usitatis concionibus erudiret, informaretque necessariis fidei rudimentis, eisque ipsemet demum baptismum administraret: *Cùm nullus sit, qui Ecclesiæ adesse prævaleat, & maximè festivitate salutifera imminente, in qua & propter catechismos, & propter eos qui digni sunt sancto baptismate, opus est ejus præsentia.* Verùm etsi eo adhuc tempore baptismi solennioris, qui pro diverso diversarum Ecclesiarum usu, in vigilia Paschæ, aut Pentecostes, aut Epiphaniæ dabatur, ordinarius minister esset Episcopus: necesse tamen fuit, ut id facerent & Presbyteri, vel eo absente in Cathedrali, vel in aliis ubi adesse ipse non poterat Diœceseos locis, & ubicunque aut inopinus casus, aut improvisa necessitas urgeret.

XV. De Confirmatione hoc unum reservasse Episcopo videntur Græci, ut Chrisma consecraret; cui inesse persuasum habebant vim quandam divinam & stupendam facultatem communicandi & aspirandi Spiritus sancti, Episcopali consecratione illi infusam. Ita nimirum testificatur Dionysius, quamvis & sacro fonte tingat Presbyter, & liniat Chrismate, & Eucharistiam consecret, Principatum tamen authoritatis & gloriam penes Episcopum semper esse, qui & Presbyterum ordinavit, & consecravit Chrisma, & Altaria Ecclesiasque dedicavit in quibus sacramenta conficiuntur. Ita hic Scriptor nihil proprium & peculiare Episcopo vendicat, nisi Ordinationem Clericorum majorum, & Consecrationem Chrismatis, & Dedicationem Al-
Hierarch. Eccl. c. 5. tarium & Ecclesiarum. *Licèt enim à Sacerdotibus veneranda quædam sacramenta conficiantur; nunquam tamen Sacerdos divinam illam regenerationem sine divinissimo illo unguento consummabit; neque divina communionis mysteria consecrabit, nisi communionis Sacramenta divinissimo altari fuerint imposita: quia ne Sacerdos quidem erit, nisi Pontificiis initiationibus ad sortem istam fuerit promotus. Quapropter lex divina Hierarchicorum Ordinum sanctificationem, & unguenti divini consecrationem, sacramque altaris benedictionem, perficientibus divinorum Pontificum virtutibus singulariter attribuit.* Non potuit Dionysius Ecclesiæ Græcæ consuetudines nescire, quæ suo ævo vigerent, & omnium obversarentur oculis, & tam magni in Ecclesiastica essent disciplina momenti. Dionysii interpres Maximus ita loquitur, ut ejus sententiam hanc ipsam confirmet & hæc tantum tria reservet
Hom. 18. in Act. Episcopo. Negat quidem Chrysostomus Samaritanis Spiritum sanctum dare potuisse Philippum, quia Diaconum: & *donum hoc solorum erat Apostolorum.* Verùm non Episcoporum tantùm, sed & Presbyterorum personam exhibebant Apostoli: quorum Apostolatûs in partem etsi minorem, quàm Episcopi: certè longè majorem quàm Diaconi Presbyteri successere. Asserit idem Chrysostomus alibi Presbyteros à Paulo Apostolorum plerumque nomine com-
Hom. 11. in Epist. 1. ad Timoth. prehendi. *Non enim multùm distant. Nam & Presbyteris Ecclesiæ cura permissa est, & magisterium. Et quæ de Episcopis dixit, etiam Presbyteris congruunt. Sola quippe ordinatione superiores illi sunt.* Epiphanius in confutanda Aerii hæresi, quæ Presbyteros Episcopis volebat pares esse; atque adeo in ea rerum necessitate constitutus, ut quæ propria habent supra Presbyteros Episcopi, ea & conquireret, & quanta maxima poterat vi urgeret: hos ab illis sola ordinandi potestate secernit. Citata antè fusiùs fuere ejus verba: *Episcoporum ordo ad gignendos Patres præcipuè pertinet.*

Quæ duo alia addit Dionysius, Episcoporum quidem illa sunt, sed quæ Presbyteris possint communicari. Potestas verò ordinandi Diaconos, Presbyteros & Episcopos, Episcoporum ita propria est, ut aliis conferri nullo pacto possit. Idem jam suprà alicubi professus Hieronymus est, Presbyterum ab Episcopo sola ordinandi potestate distingui, quo loco de Ecclesiæ utriusque consensu ita loquebatur. Alio verò loco confirmandi potestatem solis quidem tribuere videtur Episcopis, at ea in re magis spectasse ad morem Romanæ Ecclesiæ. Quamobrem ibidem subjicit ita factitatum esse, *non ad legis necessitatem*, sed ad Episcopatûs honorem. Innuunt L. 3. c. 16.
quidem Constitutiones Apostolicæ Episcopum confirmare solitum esse, quippe qui soleret & baptizare. At ubi de Baptismatis & Confirmationis cere- L. 7. c. 26.
moniis sermo ibidem est, uterque simul, Episcopus & Presbyter, compellatur.

XVI. Docebat nos paulo antè Chrysostomus concreditam Presbyteris etiam docendi curam fuisse, *διδασκαλίαν*. Quæ verò Parochis excommunicandi potestas fuisse observata est, ea ostendit penes illos partem quoque aliquam fuisse dispensationis Clavium, & pœnitentiæ administrandæ. Quod si ad Novatum usque Episcopi soli, aut penè soli hanc clavium gessere potestatem, certè à Novato deinceps curam hanc aliqua ex parte apud Presbyteros Pœnitentiarios deposuere. Porro si sublatis à Nectario Pœnitentiariis, sublata & publica pœnitentia est, jam non potuit ea Episcopis reservari.

XVII. De Presbyterorum nunc sæculo sexto septimoque functionibus dicendum est aliquid. Vigebat hactenus maximam partem vetus illa disciplina, qua præsenti Episcopo sacerdotalia omnia munia reservabantur: de qua tamen paulatim in dies remittebatur, non tam Episcoporum negligentia, quàm innumerabili eorum multitudine, qui Ecclesiæ in dies singulos accedebant, ita ut jam Episcopi omnia ipsi per sese agere nullatenus possent. Crebriùs jam quàm antè celebrabant Presbyteri, at non ad idem quo Episcopus altare. *Non licet in altario, ubi Episcopus Missas dixerit, ut Presbyter in illa die Missas dicat.* Ita Autisiodorensis Sy- Can. 10.
nodus anno 578. Licebat ergo post Presbyterum in eodem altari Episcopo utique, non Presbytero post Episcopum, quod etiamnunc servatur, ut nonnisi petita ab Episcopo licentia, in eodem post illum altari celebretur. At eodem Canone de Presbyteris ita universim sancitur: *Non licet super uno altari eodem die in una die duas Missas dicere.* Qui usus viget adhuc apud Græcos. Vel certè ista para Canonis, *Non licet super uno altario in una die duas Missas dicere*: ad unum eundem Presbyterum restringenda est, qui eodem die possit quandoque bis offerre, at in diversis Ecclesiis, quod hodieque à Parochis servatur. Severinum Presbyterum diebus Dominicis singulis, in Ecclesiis duabus, quæ viginti milliaribus distarent inter se Missas celebrasse asserit Gregorius Turonensis. Videtur illa mea Ca- De Gloria Confess. c. 56.
nonis Autisiodorensis interpretatio non aliena à

sensu

sensu nativo, quanquam possit & alia adhiberi, ut ex inferiùs dicendis liquebit. (Can. 5.) In Concilio Regensi anno 439. narratur cœptum esse Presbyteris concedi, ut per privatas domos benedictiones funderent, & rurii: *Visum est omni Presbytero per familias, per agros, per privatas domos, pro desiderio fidelium, facultatem benedictionis aperire, quod nonnullas jam Provincias habere succurrit.* Necdum ergo id poterant in Ecclesiis, sicut nec Pœnitentes admittere, quod palam fit ex Concilio Agathensi anno 506. (Can. 44.) *Benedictionem super plebem in Ecclesia fundere, aut pœnitentem in Ecclesia benedicere Presbytero penitus non licebit.* (Can. 2.) Concesserat Concilium Arausicanum I. anno 441. ut absente Episcopo hæreticos appetente morte resipiscentes chrismate & benedictione confirmarent: quod Confirmationis sacramentum fuisse viri docti suprà interpretati sunt. *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderant, si desit Episcopus, à Presbyteris cum Chrismate & benedictione consignari placuit.* Antiquissimi Canones absente Episcopu Presbyteris permiserant Pœnitentium reconciliationem, ubi vitæ discrimen immineret. (Can. 26.) Concilium Aurelianense I. offerendi copiam faciebat Presbyteris absente Episcopo, non tamen solemnem illam super populum fundendi benedictionem.

XVIII. Brevi autem factum est, ut Presbyteri quibusdam certè in locis publicæ essent ordinarii pœnitentiæ ministri. Unde ea forsan emersit mali labes, quam sarcire studuit Concilium Toletanum III. anni 589. Nam Presbyteri severioris disciplinæ minùs tenaces quàm Episcopi, quotiescumque postulabantur, pœnitentiam & reconciliationem dabant. (Can. 11. 12.) *Ut quotiescumque peccare libuerit, toties à Presbyteris se reconciliari expostulent.* Quæ frequentiùs iterata reconciliatio, pœnitentiam nullam omnino esse demonstrabat. Statutum est ergo, ut antiqui austerioris pœnitentiæ Canones servarentur. *Quicumque ab Episcopo vel Presbytero sanus, vel infirmus pœnitentiam postulat, &c.* Simile veri est id tum primùm cœpisse mutari, cùm Paschali tempore major baptizandorum aut reconciliandorum numerus Episcopos eò adigebat, ut quod hactenus sibi servaverant, permitterent aliis; ut liquet ex Canonibus Romanis missis in Galliam, quos in Conciliis Gallicanis Sirmundus edidit: (Conc. Gall. To. I. pag. 589.) *Pascha tempore Presbyter & Diaconus per Parochias dare remissionem peccatorum & ministerium implere consueverunt, etiam præsente Episcopo. In fontem quoque illi descendunt, illi in officio sunt. Reliquis verò temporibus, ubi ægritudinis necessitas compellit, specialiter Presbytero licentia est, per salutaris aquæ gratiam indulgentiam dare peccatorum.*

XIX. Cœpere eodem tempore in Concilia admitti soli Presbyteri, exclusi Diaconi, qui antè semper affuerant. Stabant enim post Episcoporum sedilia, & Presbyterorum. Concilio Agathensi post Episcopos subscribunt missi ab Episcopis Presbyteri & Diaconi. (Greg. Mag. l. 4. Ep. 44.) Concilio Romano sub Gregorio Magno affuere quidem Diaconi, at soli Episcopi & Presbyteri subscripsere. Antiquioribus tamen Romanis Conciliis subscribebant & Diaconi. Vetuit Concilium Emeritense, ne qui adesse Episcopi non poterant, Diaconos amplius delegarent. (Emer. Conc. c. 2.) *Diaconus enim quia Presbyteris junior esse videtur, sedere cum Episcopis in Concilio nulla ratione permittitur.* Presbyterum ergo mitti oportuit. Dicam infrà Emeritensem hunc Canonem nequaquam observatum fuisse, missosque etiam posthac fuisse Diaconos in Concilia.

XX. Non potest non & de Diaconis interseri aliquid ubi de Presbyteris agitur. Observat Baronius Adeodatum primum omnium è Subdiacono contra leges Ecclesiæ creatum fuisse Papam. (Ann. 614. n. 1.) Episcopos enim ex Presbyterorum & Diaconorum gremio eligi oportere. Dicam suo loco, quo tempore Subdiaconatus relatus sit inter sacros Ordines, atque adeo licuerit è Subdiaconorum numero Episcopos eligi. Neque enim Adeodati exemplum sequutus quisquam postea est. Synodalem Epistolam pro veteri more scripsit Martinus Papa cum Concilio Romano ad Ecclesiæ totius Episcopos, Presbyteros, Diaconos & Abbates. (Baron. an. 649. n. 15. 60.) Joannem Archiepiscopum Philadelphiæ idem Pontifex Apostolicum per totum Orientem Vicarium instituit, jussitque ita omnibus Ecclesiis, quas in Antiocheno & Hierosolymitano Patriarchatu, aut Sarracenorum furor viduaverat pastore, aut Monotheletæ sibi subjugare conabantur Episcopi, Episcopos, Presbyteros ac Diaconos ordinare. In Epitome vitæ Pontificum, qui liber Anastasii Bibliothecarii nomine laudari solet, nunquam prætermittuntur Ordinationes ab illis celebratæ. At ibi soli ordinantur Episcopi, Presbyteri & Diaconi: inferiores Clerici nunquam. (Baron. an. 674. n. 1. 705. n. 1. 731. n. 1.) In ordinando Patriarcha Constantinupolitano Germano, anno 714. ita agunt Presbyteri & Diaconi, ut à cæteris Clericis omnino distinguantur. Annales sacri Ecclesiarum ita propagatam fuisse in Germania fidem docent anno 738. & 739. ut spiritalem hunc agrum sererent, meterentque Episcopi. (Baron. an. 655. n. 7.) Beda verò his in Anglia cooperatores adhibet Diaconos, ubi dicit, virum Apostolicum Cedum, ubi primùm Episcopus inauguratus fuit, Presbyteros ordinasse & Diaconos, apud quos partem oneris simul & muneris Apostolici deponeret.

(Baron. an. 742. n. 7. 25. 27.) Zacharias Romanus Pontifex anno 742. dum de reformanda Ecclesia Gallicana agit, hoc in primis Bonifacio Legato præcipit, ut iis purget Ecclesiam Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, qui eo se crimine conspurcaverint, quo fiant irregulares. Quæ ea de re in Concilio Liptinensi, & Suessionensi à Bonifacio statuta sunt, ea maximè ad Presbyteros & Diaconos spectant. Notanda illa Zachariæ ad Gallicanam Ecclesiam inscriptio: (Idem anno 743. n. 11. 18. 19.) *Universis Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Ducibus, Comitibus, omnibusque Deum timentibus per Gallias.* Ubi vides Clerum universum præmitti Nobilibus, eumque solis constare Episcopis, Presbyteris & Diaconis, nulla Clericorum inferiorum facta mentione. Continentiam Majorum viduis Clericorum cum injungit idem Pontifex, solam *Presbyteram & Diaconam* appellat. Ex quibus illud edocemur, legem continentiæ ab iis tantum strictè observatam fuisse, iis impositam, qui Episcopi, Presbyteri, ac Diaconi essent; quin & horum uxoribus, post eorum quoque obitum fuisse præscriptam. Misit & anno 744. ad Clerum, & Principes Galliæ idem Zacharias Capitulare Reformationis, seu regularum variarum Compendium desumptum ex Canonibus, in quibus ea solummodò sunt, quæ ad Episcoporum, Presbyterorum, ac Diaconorum pertinent mores. Ubi verò anno 748. ad Bonifacium Legatum scribit, hanc nobis Ecclesiæ Gallicanæ imaginem informat. (Baron. an. 747. n. 2. 748. n. 7.) *Conferta orthodoxos Episcopos, Sacerdotes atque Levitas, cæterosque Clericos, religiosos Abbates & Monachos pariterque religiosissimos Duces.* Ejusdem eodem anno litteræ Episcopis, Presbyteris & Diaconis inscribuntur.

## CAPUT XXIV. *P. 3. L. 1. c. 13.*

### De Parochis sub Imperio Caroli Magni.

*I. Parochi septuaginta Discipulorum vicem implent; item filiorum Aaron, Aarone ipso Episcoporum personam prægestante.*
*II. Quibus occuparentur Parochi, lectio, oratio, opus manuum, prædicatio, familiaris fidelium institutio ad doctrinam fidei.*
*III. Confessiones.*
*IV. Summa eorum juris totius & officii, præsertim in administratione Sacramentorum.*
*V. Cur alii alterum Parochianos admittere vetentur. Oblationes. Decimæ. Excommunicandi potestas.*
*VI. Hincmari monita ad Parochos. Missio septuaginta Discipulorum, quibus Parochi successere, à Christo immediatè profecta est. At potestas peccata remittendi à Christo immediatè concessa non est, nisi Apostolis. Post Christi resurrectionem hos vel illos Discipulos mittendi potestas penes Episcopos fuit.*
*VII. Cur Hincmarus Remensis Laudunensem Episcopum Hincmarum tantùm non in Chorepiscoporum ordinem depromeret.*
*VIII. De potestate Confirmandi.*
*IX. Doctrina Græcorum.*

I. PRimo post Episcopos loco sunt Parochi, si veritati consentit, quod scripsit Theodulphus Aurelianensis Episcopus: Ut in Apostolorum Episcopos, ita in septuaginta Discipulorum locum suffectos fuisse Parochos; & sicut Aaron Episcopi personam præludens prægestavit, ita filios Aaronis nostrorum nunc Parochorum. Ita ergo doctissimos Præsul in suo ad Parochos Capitulari, sive Com-
Cap. 1. monitorio: *Scitote vestrum gradum nostro gradui secundum & penè conjunctum esse. Sicut enim Episcopi Apostolorum in Ecclesia, ita nimirum Presbyteri cæterorum Discipulorum Domini vicem tenent: & illi tenent gradum summi Pontificis Aaron, isti verò filiorum ejus.*

II. Monet mox illos, ne dignitatis qua ornati sunt sanctitatem, oleique quo inunctæ sunt eorum manus, contaminent puritatem: *Memores sacræ quam in manibus accepistis unctionis*; idque ut assequantur, non nocte, non die à sacrorum lectione librorum, & ab oratione cessandum: *Oportet & vos assiduita-*
Cap 2. 3. *tem habere legendi, & instantiam orandi:* si quando vel lectio eos vel oratio fatigaverit, æquum esse ut labore manuum animum corpusque recreent; quo & otium vitent, & carnis delectationes vincant. *Sed & si quando à lectione cessatur, debet manuum operatio subsequi.* Nulla tergiversatione posse ab illis declinari onus docendæ & erudiendæ plebis fidelium, seu Concionibus operosè & meditatò lucubratis, seu familiaribus colloquiis passque, seu correptionibus fraternæ charitatis lenocinio temperatis. *Hortamur vos paratos esse ad docendas plebes. Qui Scrip-*
Can. 28. *turas scit, Scripturas prædicet. Qui nescit, saltem hoc quod notissimum est, plebibus dicat, ut declinent à malo & faciant bonum. Nullus ergo se excusare poterit, quòd non habeat linguam, unde possit aliquem ædificare. Mox enim ut quemlibet errantem viderit, prout potest & valet, aut arguendo, aut obsecrando, aut increpando ab errore retrahat.*

III. Confessiones peccatorum crebriores tunc cœpere esse, eædemque in Parochorum occupationibus frequentiores. Etenim cùm Theodulphus non novas condere leges hîc instituisset, sed vetustas inculcare suis Parochis, & ad earum observationem eos inflammare: sancit ut unusquisque dum confitetur, pandat non facinora tantùm ipsa, flagitiaque, siqua admisit, sed cogitationes arcanas cupiditatesque in animæ recessu delitescentes: utque interrogent Parochi ipsi, excutiantque Pœnitentes de occultissimis mentis cogitationibus ac voluntatibus, & de qualicumque demum legis transgressione divinæ, ac prolapsione in octo peccata capitalia. *Confessiones dandæ sunt de omnibus pec-* Cap 31.
*catis, quæ sive in opere, sive in cogitatione perpetrantur. Quando ergo quis ad confessionem venit, debet diligenter inquiri, quomodo aut qua occasione peccatum perpetraverit, quod peregisse se confitetur, & juxta modum facti debet ei pœnitentia indicari. Debet ei persuadere, ut de perversis cogitationibus faciat confessionem. Debet ei etiam injungi, ut de octo principalibus vitiis faciat suam confessionem. & nominatim debet ei Sacerdos unumquodque vitium dicere, & suam de eo confessionem accipere.*

IV. In Concilio II. Aquisgranensi anni 836. com- Can 5.
pendiosissimè, & diligentissimè tamen expressa habes Parochorum jura & officia; ut cùm pauca dicantur, nihil tamen effugiat. Etenim verè Prælati & Præsides sunt Ecclesiarum: *Qui præsunt Ecclesiæ Christi.* Adjutores & cooperatores sunt Episcoporum: *Cooperatores operis nostri esse noscuntur.* Participes sunt Sacerdotii, quo immortalis Agnus immolatur: *In divini Corporis & Sanguinis confectione consortes cum Episcopis sunt.* Penes ipsos cura est Fidelium salutis, ex quo primùm illi auras vitales spirant, dum terræ omnium parentis sinu rursus condantur, toto eo tempore cælesti eos doctrina irrigare debent: *Presbyterorum ministerium esse videtur, ut in doctrina præsint populis, & in doctrina prædicandi.* Ipsi eos sacro fonte tingere & regenerare, confirmandos necessariis imbuere præceptis, & ita Episcopo offerre, tum deinde orationem Dominicam & Symbolum addocere. *Post acceptum sacrum Baptisma sine manûs impositione Episcopi non remaneat, ac deinde imbuatur scire orationem Dominicam atque Symbolum.*

Ex quo intelliges familiare etiam tum fuisse, ut Confirmatio parvulis adhuc rudibus conferretur, antè etiam quàm vel orationem Dominicam perdiscere vel Symbolum potuissent. Parochorum est denique Fideles delinquentes corripere, ægrotantes reconciliare, Extrema-Unctione & Eucharistiæ Viatico eos communire, denique Ecclesiastica eos condere sepultura. *Postea verò qualiter vivere debeat, doceatur. Si fortè vitiosus vel criminosus apparuerit, qualiter corrigatur, provideat. Si autem infirmitate depressus fuerit, ne confessione atque oratione Sacerdotali, necnon unctione sacrificati olei, per ejus negligentiam careat. Denique si finem urgentem perspexerit, commendet animam Christianam Domino Deo suo, more sacerdotali, cum acceptione sacræ Communionis, corpusque sepulturæ, non ut mos est Gentilium, sed sicut Christianorum.* Cursim hîc observabis, non expectari extremum vitæ discrimen, dum quis agat animam, ut Extrema-Unctio administretur: ea administrata superesse extremum Eucharistiæ Viaticum, tanquam Christianæ vitæ complementum & exordium jam aliquod vitæ beatæ: denique uno semper eodemque sanctitatis spiritu vegetari Ecclesiam, ejusque tot jam sæculis disciplinam regi. Pluribus enim jam retro sæculis servabantur hi ritus moresque quos commendat Theodulphus, iidemque post tot rursum sæcula religiosissimè adhuc servantur toto qua patet orbis terrarum spatio.

V. Eadem prorsus observari possent & in Capitularia Hetardi Turonensis Archiepiscopi, quæ sy- Can. 29.
nodales sunt ejus Constitutiones. Paucula, sed eximia seligemus. Vetantur Parochi alienos Parœcianos admittere, nisi iter faciant, aut apud Judices causas suas acturi venerint. *Ut nullus Presbyter alterius Parœcianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi*

*habuerit, absque licentia sui Presbyteri ad Missam recipiat, vel sollicitare præsumat.* Conc. Gall. Tom. 3. pag. 111. Curæ olim erat, ne unius Diœcesis Fideles in aliam commigrarent præter conscientiam Episcopi. Nunc eadem disciplinæ lex in Parochias ipsas porrigitur, ut ne ab una quidem Parochia ejusdem Diœceseos in aliam ejusdem Diœcesens migrare possint, aut ad participanda Sacramenta divertere. Non huc collimabant litteræ formatæ veterum. At nunc lege Decimarum & oblationum magis magisque in dies invalescente, iniquum fuisset, ut non idem Parochus & subditis sibi Fidelibus Sacramenta impartiret, & ab illis Decimas, oblationes, aliasque religiosæ pietatis vices acciperet.

Suberat & alia ratio. Ut ne videlicet quos proprius Parochus Sacris interdixerat, aut ad tempus abstinuerat, a Parocho ab alio fraudulentè & impunè admitterentur ad Synaxin & ad Communionem. Cap. 121. Ita sanè cavit Herardus in Capitulari: *De his quos Presbyter excommunicaverit, ut alius eos non recipiat.* Arcebantur enim ab incruenti conspectu sacrificii Pœnitentes publici. At in sua quisque eorum Parochia internosci poterat, non in alia. Monebatur etiam ab Episcopo Parochus, ne insignes quosdam facinorosos adesse Sacro sineret, vel fores intre Ecclesiæ; item qui internecinis inimicitiis dissidebant, aut eas simultates exercerent, quæ offendiculo essent Fidelibus. Ita enim rursum Herardus: Cap. 120. *Discordes pellantur ab Ecclesia, donec ad pacem redeant.* Capitul. l. 7. c. 162. Prolixiùs infrà de potestate Parochorum ad intentandas excommunicationes, vel ad pœnitentias indicandas. Abundè hæc sunt, ut intelligas quàm non deberent vel ad punctum temporis abesse ab Ecclesiis suis Parochi, & quàm providè prohibeant Capitularium leges, ne Episcopi vel Domini temporales ab Ecclesiis suis Parochos abducant, & negotiis eos distendant ab eorum instituto alienissimis. *Ne indiscretè per diversa mittantur loca Presbyteri, nec ab Episcopis, nec ab aliis Prælatis, nec etiam à laïcis.*

VI. In suis ad Parochos præceptionibus illud inprimis commendat Hincmarus, ut studiosè addiscant Homilias quadraginta sancti Gregorii in Evangelia, eam præ cæteris, in qua agitur de delegatione septuaginta Discipulorum, in quorum ipsi locum subrogati sunt. Hincmar. Tom. 2. pag. 712. *Ut cognoscat se ad formam septuaginta-duorum Discipulorum in ministerio Ecclesiastico esse promotum.* Quibus illud placuit, ut divino jure nitatur Parochorum authoritas, his Patrum sententiis doctrinam suam astruere potuerunt. Ab ipsomet enim Christo & tota potestate sui ordinis sacra instructi, & ad prædicandum missi sunt Discipuli. At non tam perspicuè demonstrari potest, & administrationem Sacramentorum, & clavium potestatem eis à Christo immediatè traditam fuisse, quàm prædicandi provinciam. Evidentissimè textus ipse Evangelicus edocet non esse delegatam à Christo ipso potestatem clavium, nisi Petro & Apostolis. Ab ipsis ergo & missi, & necessariis mandatis instructi postea fuere Discipuli, quò huc illucque per orbem sparsi fundarent Ecclesias, & gubernarent.

Alio autem loco contendens Hincmarus non eligi debere Episcopos, nisi ex cœtu Presbyterorum, qui proximum Pontificali apici culmen obtinent: hoc non ineleganti utitur argumento, quòd Apostoli ipsi in vacuam Apostolatûs Sedem post Judæ perfidiam, non alium à se suffici posse existimarunt, quàm ex Collegio Discipulorum. Tom. 2. pag. 202. *Oportet ex his viris qui nobiscum congregati sunt omni tempore, quo intravit, & exivit inter nos Dominus Jesus, testem resurrectionis nobiscum fieri unum ex istis.* Ex quo argumentatur Hincmarus, Episcopo subrogari semper debere eum, *Quicumque Sacerdotum optimus pareretur.*

Hæc porro vox *Sacerdotes* jam passim Presbyteris aptabatur tempore Hincmari, à quo vocantur *secundi ordinis Sacerdotes.* Fatetur prioribus sæculis Presbyterorum & Episcoporum aliquandiu fuisse promiscua nomina, quanquam discreta vehementer essent eorum munia. Ratio autem ea est, quòd cùm eorum nominum ducatur alterum ab ætate & à quadam sapientiæ maturitate, alterum ab insomni boni Pastoris vigilantia: cùm ea duo ornamenta Episcopis communia & Presbyteris essent, quamvis non eodem omnibus gradu; erant & communia diutissimè nomina, & uno saltem opus fuit sæculo, ut horum Ordinum utrique vendicaretur nomen, quod maximè illi consentiebat, & quo meliùs vis & natura ejus intelligi poterat. *Tametsi primis Ecclesiæ temporibus utrique Presbyteri, utrique vocabantur Episcopi; quorum uni sapientiæ maturitatem, alteri industriam curæ Pastoralis significant: quorum licèt in quibusdam sint discreta officia dignitatum, uno nomine sacra regula comprehendunt. Nulli, inquiunt, Sacerdoti suos liceat Canones ignorare.* Ibid. p. 218.

Ideo & fidem facit idem Hincmarus in usu adhuc fuisse tritissimo, ut Episcopi Presbyteros Compresbyteros appellarent. Audi quid scribat ipse ad Episcopum Laudunensem: *Frater Clarentius communis Compresbyter noster.* Ibid. p. 339. Docet idem alibi, in solemni formula Ordinationis Presbyterorum, comparari eos cum septuaginta Senioribus, qui divino perfusi fuere Spiritu, ut Moysen levarent in Hebraicæ Reipublicæ gubernatione: cum filiis Aaron Eleazaro & Ithamaro, in quos sollicitudinis suæ sarcinam ex parte non minima Aaron rejiciebat; denique cum septuaginta Discipulis, quos ablegavere Apostoli ad fidem disseminandam toto orbe terrarum, ut Christus ipse imperaverat: *Hac providentia, Domine, Apostolis Filii tui Doctoribus fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis Prædicatoribus impleverunt.* Ibid. p. 416.

His antiqui Pontificalis vocibus inest mirifica quædam vis & diligentia accuratissima, ut aptius & appositius nil possit ad rerum istarum naturam explanandum vel cogitari vel dici. Instituit Christus ipse Ordinem Presbyterorum seu Parochorum, eosque Apostolis ut fidissimos cooperatores addidit. At Apostoli tamen ipsi misere in orbem Discipulos, quo illud præformabatur, debere ab Episcopis Parochos mitti, & ministerio quemque suo Ecclesiæque addici. Hunc quoque in sensum flecti debet, quod alio in loco habet idem Hincmarus, datam à Christo Apostolis omnibus, id est, Episcopis, ligandi atque solvendi potestatem, postquam eam Petro dedisset: & à divina hac institutione proficisci sacram illam potestatem, quæ exinde per tot sæculorum lapsus in Episcopos Presbyterosque manavit, manatque etiamnunc, & ad sæculi exitum usque manatura est. *Solvendi ac ligandi potestas, quamvis soli Petro data videatur à Domino, tamen & cæteris absque dubitatione Apostolis datur, quibus post resurrectionis triumphum insufflavit, & dixit omnibus, Accipite Spiritum sanctum, &c. Necnon etiam nunc in Episcopis ac Presbyteris omni Ecclesiæ officium idem committitur.* Pag. 460. Non dicit Hincmarus, nec per Scripturas licebat ut diceret, à Christo immediatè datam septuaginta Discipulis potestatem clavium, quam aliqui authoritatem excommunicandi definiunt: sed

cautiùs & ſapientiùs dici, Claves conceſſas eſſe à Chriſto immediatè Petro, immediatè Apoſtolis, hoc eſt, Epiſcopis: ac per Epiſcopos traditas eſſe Presbyteris, quos ſuo quodammodo in ſinu gerebant & complectebantur Epiſcopi.

VII. Non tam facilè extricari poteſt, quid ſibi voluerit Hincmarus idem, cùm Laudunenſi Epiſcopo Hincmaro nepoti ſuo exprobraret, quòd cùm Laudunum non fuiſſet niſi Parochia quædam Epiſcopatûs Remenſis, inter Chorepiſcopos penè magis annumerandus eſſet: niſi illud intereſſet diſcriminis, quòd ipſe à tribus Epiſcopis ordinatus fuiſſet, cùm Chorepiſcopi ab uno dumtaxat ordinarentur:
Ibid. p. 602. *Eo excepto quod à pluribus Epiſcopis es ordinatus, penè Vicarium Epiſcopum, quem Græci Chorepiſcopum vocant, debueras te cognoſcere.*

Satis oſtenſum ſuprà, perſuaſiſſimum Hincmarum fuiſſe, nihil amplius Chorepiſcopos quàm Presbyteros fuiſſe. Nihil aliud ergo quàm hæc affectata verborum exaggeratio eſt, ut Laudunenſis Hincmari hinc retundat ſupercilium, & infra alios dejiciat Epiſcopos, ex eo quòd non urbis aut civitatis alicujus ordinatus eſſet Epiſcopus, ut ſacri Canones præcipiunt, eoque tantùm non in ſortem deprimeretur Parochorum, Chorepiſcoporum, vel Archipresbyterorum.

VIII. Ratramnus Corbienſis Monachus Græcorum diluens objectiones advertit Eccleſiam Latinam, ubi ad eorum querelas delabitur de interdicta Presbyteris Latinis ſacramenti Confirmationis adminiſtratione, argumentatione ejuſmodi uti-tur, quæ meritò admirationem moveat. Arguit enim non poſſe à Presbyteris dari Spiritum ſanctum, ex eo quòd poteſtas condonandorum peccatorum non fuerit conceſſa niſi Apoſtolis. *Ergo ſi re-*
Advers. Oppoſita Græcor. l. 4. c. 7. *miſſio peccatorum per Spiritum ſanctum contribuitur, & hoc munus Apoſtolis ſpecialiter conſtat eſſe donatum, quibus inſufflavit & dixit, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c. jure ſolis Epiſcopis hac gratia reſervatur, quos in Eccleſia conſtat Apoſtolorum ſucceſſionem & miniſterium ſortitos.* Simillimum quidem veri eſt, cùm Spiritus ſanctus Apoſtolis tunc copioſiùs fit infuſus, cum revectus ab Inferis Chriſtus *inſufflavit, dixitque, Accipite Spiritum ſanctum:* hinc manaſſe, ut Apoſtolis integra ſervaretur, id eſt Epiſcopis, poteſtas impartiendi Spiritûs ſancti. At non minorem veri ſpeciem præ ſe fert hæc argumentatio, Cùm ſive Apoſtoli, ſive Epiſcopi immediatè Spiritum ſanctum à Chriſto perceperint, unàque poteſtatem remittendi peccata; cúmque nihilo ſecius hac poteſtate remittendi peccata Presbyteros donaverint, quando eis miniſterium diſpenſandæ pœnitentiæ delegarunt: cur non potuerint ſimiliter cum eis communicare poteſtatem dandi Spiritûs ſancti & adminiſtrandæ Confirmationis? Ab hac ratiocinatione non abhorruiſſet, opinor, Ratramnus, utpote cui propoſitum non erat Græcos oppugnare, ſed Latinos tueri Epiſcopos, vel Romanos Pontifices, qui ea poteſtate donare Presbyteros etſi potuiſſent, abſtinebant tamen, altiùs conſulentes Eccleſiarum paci.

IX. Scribit Zonaras celſas Presbyteris in Eccleſia ſedes adſignatas eſſe, eoſque juxta Epiſcopum ſedere juſſos, *Simul cum Epiſcopo ſedere juſſi:* ut eo teſtatum fieret, comminiſtros eorum ipſos eſſe, & collaboratores, unàque inſpectores in plebem fidelem.
ὥσπερ ὑπ-ωπούς. *Ut per eam ſic in alto ſitam Cathedram, ipſi pariter inducantur. Populum cum providentia inſpicere populique mores componere, tanquam dati collaboratores Epiſcopo.* Iſta certè ſedes eminentior, & communicata Presbyteris Græcis confirmandi poteſtas, non levia ſunt amplitudinis eorum toto Oriente argumenta. Addi poteſt quod prælibatum jam eſt, quodque firmavit ſuo ſuffragio Balſamon, eos qui Epiſcopa- Balſam. pag 382-781.
tu propter grave aliquod flagitium exauthorabantur, potuiſſe quidem dejici in ordinem & miniſterium Diaconorum: nequaquam verò in Presbyterorum, quorum & ea eſt dignitas, ut ad eam Clerici quivis ſurgere poſſint, non dejici: & ea ſanctitas, quæ ad Epiſcopalem accedat proximè. Et in hac re Latini Græcos æmulabantur. Unde authore Luitprando, cum Benedictus V. ſummo Pontificatu dejectus eſt, non Epiſcopatu tantùm, ſed & Presbyteratu exturbatus eſt in ordinem Diaconorum.

---

## CAPUT XXV. *P. 3. l. 1. c. 46.*

## De Parochis eorumque Jure & Officio ſub Imperio Caroli Magni Regiæque ejus ſtirpis.

*I. De præcepto, ut Parochi Miſſæ & Prædicationi interſint fideles.*
*II. Quando poſſet extra Eccleſia ſeptum offerri.*
*III. De Ara portatili.*
*IV. De tentoriis benedictione Epiſcopali conſecratis, ut in illis offeratur.*
*V. De Confraternitatibus & earum Regulis.*
*VI. De Eulogiis.*
*VII. De Pane Benedicto.*
*VIII. De Parochiis, quibus Monachi præerant.*
*IX. De Parochis Primitivis.*
*X. De Parochiarum diviſione & unione.*
*XI. De Infidelibus Nationibus Chriſtiana fide imbutis per Presbyteros, qui illarum curam egerunt.*

I. Pauca ſuperſunt de Parochis hîc ſtrictim adnotanda, quæ mediæ huic ætati propria fuere, & poſteriorum ſæculorum diſciplinæ ortum dedêre. In Concilio Ticinenſi anno 855. ſtomachati ſunt Præſules adverſus divitum & potentum quorundam incuriam, religioniſque faſtidium: qui cùm ædes Eccleſiis vicinas incolerent, *juxta domos ſuas Baſilicas habent*, non tamen ad publicos in Eccleſia Conventus veniebant, ut Concionem audirent, quæ ad eos maximè habita eſſet, ſi affuiſſent, ut deterrerentur à pauperum contumeliis & expilatione: confluebant autem pauperes dumtaxat, ubi & adversùs divitum impotentiam Chriſtianæ conſtantiæ clypeo muniebantur. *Et dum ſoli afflicti & pau-* Ann. 855.
*peres veniunt, quid aliud quàm ut mala patienter ferant, illis prædicandum eſt. Si autem divites qui pau-* Can 4.
*peribus injuriam facere ſoliti ſunt, venire non renuerent, admoneri utique poſſent, &c.*

Multa monet in hanc rem perutilia Theodulfus in Capitularibus ſuis. 1. Nequis cibum ſumat diebus Feſtis & Dominicis, antequam peractum ſit ſacrum & publicum Officium. *Admonendus eſt populus, ut ante publicum peractum officium, ad cibum non accedat.* 2. Ut qui privatim Miſſas celebrabunt Presbyteri in Eccleſiis, vel in Oratoriis, eas tam cautè, tam occultè, tam maturè celebrent, ut ne populus à publicis Miſſarum ſolemnitatibus abducatur. *Ut Miſſæ quæ per dies Dominicos peculiares à* Cap. 45. 46.
*Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas populus à publicis Miſſarum ſolemnitatibus, quæ hora tertia canonicè fiunt, abſtrahatur.* Et infrà: *Sacerdotes per Oratoria nequaquam Miſſas, niſi tam cautè ante ſecundam horam celebrent, ut populus à publicis ſolemnitatibus non abſtrahatur.* 3. Exitialem eam eſſe

consuetudinem, *pessimus usus est*, Festis & Dominicis diebus uni duntaxat privatæ interesse Missæ, aut ei etiam Missæ, qua Defunctorum memoriæ commendantur. Omnes urbis Presbyteros, immo & ruri degentes, si non multùm absint, accurrere debere, & solemni sacro interesse cum plebe universa, Monialibus solis hac lege absolutis. *Sed sive Sacerdotes, qui in circuitu urbis, aut in eadem urbe sunt, sive populus, in unum ad publicam Missarum celebrationem conveniant.* Ea certè Theodulphi præcepta non parum fidei & authoritatis conciliant iis, quæ suprà diximus de origine Parochiarum, & de Liturgia, quæ tum ibi celebrabatur.

Capitular. Car. Mag. L.1. c.147. 148. L.5. c.49. 50. Vetuere Capitularia Caroli Magni, ne ad Missam admitteret Parochus quisquam Parochianos Parochiæ alienæ. Ea de re jam suprà. Mox ibidem prohibetur, ne in Parochia aliena celebrent sacrum, nisi dum iter agunt, neu decimas accipiant, quæ Parochis aliis pendi debent. *Nullus Presbyter in alterius Parochia Missam cantare præsumat, nisi in itinere fuerit, nec decimam ad alterum pertinentem recipere præsumat.* Idem alibi Canon habetur, cum nova tamen clausula, nec omittenda. *Ut nullus Presbyter in alterius Presbyteri Parochia, eo inconsulto Missam cantare præsumat, nisi in itinere fuerit.* Quo innui videretur minùs necessariam fuisse proprii Parochi licentiam, ut Presbyter iter peragens in Ecclesiam ejus diverteret sacrumque faceret. Sed diligenter hîc advertes, eum esse Canonum istorum scopum, ut ne Parochi alii aliorum decimas intercipiant, vel eorum subditos ad sua Missarum solemnia admittendo, vel ea ipsi celebrando in eorum Ecclesiis. Idem rursus apertius insinuatur hoc Capitul. l.5. c.115. alio Canone: *Ut nullus Presbyter alterius Parochianum, nisi in itinere fuerit, nec decimam ad alterum pertinentem audeat recipere.* Ideo & Herardus vetabat, ne Parochi alii aliorum subditos ad hujusmo-Can. 29. di defectionem sollicitarent. *Ut nullus Presbyter alterius Parochianum ad Missam recipiat, vel sollicitare præsumat.* Concilium Cabilonense II. anni 813. necessitatem aperuit, legemque innovavit, ut fide-Can. 19. les *Decimas dent, ubi per totum anni circulum Mis-*Can. 2. *sas audiunt.* Concilio Nannetensi idem rursus cautum est.

Sed illud præterea idem Concilium spectavit, quanta charitate, quamque arcta copula Parochus quisque suis conglutinare se deberent fideles omnes, ut Pastoribus, ut Patribus. Sancitum est ibi ergo, ut antequam Missam auspicaretur Parochus, interrogaret, nullus ne præsentium aliena ex Parochia irrepsisset, alienatum gerens à proprio Parocho animum: & siquis ejusmodi convinceretur, ad Can. 1. proprium incunctanter remitteretur Pastorem. *Ut Dominicis & Festis diebus Presbyteri, antequam Missas celebrent, interrogent, si alterius Parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero, ibi Missam audire velit. Quem si invenerit, statim ab Ecclesia ejiciant, & ad suam Parochiam redire compellant.*

Poterat & alia ratio animum movere, & ad hæc consilia impellere. Nempe quòd ad Eucharistiæ participationem nemo nisi à proprio Parocho deberet recipi, qui oves ab hædis, puros ab impuris posset secernere, fideles à Pœnitentibus, pios L.6. c.456. Addit. 4. c.37. ab impiis. Ita quippe in Capitularibus: *Statutum est, ut unusquisque Clericus, vel laicus non communicet in aliena plebe sine litteris Episcopi sui.* Decerptum illud est, ex Concilio Carthaginensi, residuumque antiquioris disciplinæ vestigium est, cum arcebantur à Missa fidelium pœnitentes: & vel sacrificio interesse, Communionis degustatio erat non inanis, non inutilis.

II. Concilium Parisiense anni 829. acerbissimè invehebatur in Presbyteros, qui abduci se patiebantur ad conficiendum sacrum *in hortis, vel domibus, vel certè ædiculis.* Nec tamen hîc vetabantur, qui itineri se commiserant, multùmque aberant ab Ecclesiis quibuslibet, quin sub dio celebrarent, in ara minuscula, quam Episcopus consecrasset. *Excepto quando in itinere pergitur, & locus Basilicæ procul est, & id in altaribus ab Episcopis consecratis, fieri necessitas compellit, ne populus Dei sine Missarum celebratione, & corporis & sanguinis Dominici perceptione maneat.* An. 829. c. 47.

III. Ergo portatiles hæ aræ minusculæ, seu tabulæ marmoreæ ab Episcopo consecratæ, in usu frequenti jam tum erant. Docet Hincmarus has marmoreas fuisse aras, vel ex nigro, litioque lapide, quas consecrabat Episcopus; & quarum maximè usus erat in Capellis, quæ nunquam dedicabantur, vel in Ecclesiis ipsis, quæ nondum dedicari poterant: *Si necessitas poposcerit, donec Ecclesia, vel altaria consecrentur, vel in Capellis etiam quæ consecrationem non merentur, tabulam quisque Presbyter, cui necessarium fuerit, de marmore, vel nigra Petra, aut litio, honestissimo secundùm suam possibilitatem honeste affectatam habeat, & nobis ad consecrandum afferat, quam secum, cum expedierit deferat, in qua sacra mysteria secundùm ritum Ecclesiasticum agere valeat.* Conc. Gall. To. 3. pag. 636. Hincmar. To. 2. pag. 732.

Non recedit à vero, his duabus ex causis ductum esse initium eorum Lapidum sacrorum, ab Episcopo consecratorum, qui Altaris loco sunt, & facilè quocumque transferuntur. Primùm ut ne pietas fraudaretur mysteriorum participatione optatissima, dùm longa itinera fideles emetiuntur. Secundò ut celebrari possent mysteria, vel in Oratoriis domesticis, vel in Capellis Ædiculisque, quæ minores sunt, quàm ut Dedicationum solemnitatem augustissimam capiant. *Capellæ quæ consecrationem non merentur.*

Poterat & alia ratio Episcopos eò invitasse. Nimirum non poterant Episcopi sese conferre in hæc Oratoria omnia, vel Capellas, ut Dedicationis ritum implerent: ea re Presbyteri abutebantur quandoque, ut offerrent in locis ab Episcopo non dedicatis. Obviatum est huic Episcopatûs injuriæ per tabulas has Episcopali benedictione perfusas, & quocumque opus esset translatas. Vide quid de his Capitularia Caroli Magni statuerint. *Placuit ut in locis non consecratis Missarum celebrationes fieri non debeant, nisi causa longinqui itineris, vel hostilitatis; & id in altaribus ab Episcopo consecratis fieri necessitas compellat.* Capitular. Car. Mag. L.6. c.205. L.7. c.99. 312. 334.

IV. Nec illud quoque nos præteribit, ut sacerdotali Episcoporum imperio, plenitudinique sacræ potestatis, qua pollent Episcopi, impensior haberetur honor: non modò sancitum est, ut ne Presbyteri nisi ad Altaria ab Episcopo consecrata offerrent; sed etiam ut tentoria ipsa, in quibus sacrum fiebat ruri, dum huc illucque commearent, ab Episcopis priùs consecrarentur, non aliter quàm vestes sacræ, & sacra vasa: *Sunt etiam ab Episcopis consecranda & benedicenda corporales, pallæ, ac alia vestimenta sacerdotalia, &c. Sacrificia offerre nullo modo licet, nisi in locis Deo ab Episcopo dicatis, nisi causa hostilitatis aut summa necessitatis; & hoc non in mansionibus, aut in domibus non sacratis, sed in tabernaculis dedicatis ab Episcopis.* Capitular. Car. Mag. L.7. c.334.

Concilio tamen Moguntino anni 888. concessum

*An. 888. c. 9.* est, ut in tentoriis minimè consecratis sacra fierent in itinere: *In itinere positis si Ecclesia defuerit, sub divo, seu in tentoriis, &c.* Illud præterea nos edocet hoc Concilium, vastatis incensisque Ecclesiis penè innumeris Normannorum diutinis populationibus, necessum fuisse, ut in Capellis interim offerrent, dum Ecclesiæ restaurarentur. *In Capellis Missas interim celebrare liceat, donec ipsa Ecclesia restaurari queant.* Proclivis est conjectura, temporis diuturnitate non paucas istiusmodi Capellas, quæ subsidiariæ & annexæ fuerant, evasisse in Parochias.

*Hincmar. To. 1. pag. 715.* V. Redeo ad Parochiales Ecclesias, in quibus docet Hincmarus jam Confratrias institutas fuisse. *Vt de Collectis, quas Gildonias, vel Confratrias vulgò vocant.* Regulas illis delineavit Hincmarus, quæ pietatem redoleant eximiam: non confœderari, nec confœderationem factam fovere, nisi religiosis institutis, oblationibus ad aram frequentissimis, eleemosynis, precibus, sacrificiis ad defunctorum levamen. Præcepit etiam nequid ad altare offerrent, nisi panem & vinum, quibus hostia sacra conficitur: si panis & vini copiam majorem offerre gestirent, quàm quæ sacrificio esset impendenda, privatim offerrent, ad alendos Altaris ministros, vel ad pauperes recreandos: *In omni obsequio religionis conjungantur, videlicet in oblatione, in luminaribus, in oblationibus mutuis, in exequiis defunctorum, in eleemosynis & cæteris pietatis officiis. Ita ut qui candelam offerre voluerit, sive specialiter, sive generaliter, aut ante Missam, aut inter Missam, antequam Evangelium legatur, ad altare deferantur. Oblationem autem, unam tantummodo oblatam & offertorium pro se suisque omnibus conjunctis & familiaribus offerat. Si plus de vino voluerit in bulticula, vel canna, aut plures oblatas, aut ante Missam, aut post Missam Presbytero vel Ministro illius tribuat, unde populus in eleemosyna & benedictione illius eulogias accipiat, vel Presbyter supplementum aliquod habeat.* Epulis prorsus omnibus interdicit & voluptatibus, quòd hinc crapulæ, hinc cædes ad animarum corporumque perniciem proficiscerentur. Siquando ingruat necessitas, quæ Confratres omnes colligi cogat, verbi gratia, ut in gratiam redeat filius cum patre: *Conventus autem talium confratrum, si necesse fuerit, ut simul conveniant*: ne conveniant, nisi præsente Parocho, qui pio illos colloquio ad religionis & charitatis studium accendat, eulogiis impertiat, pane reficiat solo, & semel potos dimittat. *Qui voluerint, Eulogias à Presbytero accipiant, & panem tantùm frangentes, singuli singulos biberes accipiant.*

VI. Quod hic obiter perstringitur de Eulogiis, non pigebit paulò uberiùs explanasse. Monebat Hincmarus ad Altare offerri non debere à Fidelibus, nisi panes minutissimos, studioque religioso paratos ad Sacrificium, quas ideo *Oblatas* appellitabant, quæ vox in vernaculo usu Gallorum hæret etiamnum, etsi ad profanos panes deflexa. Monebat & offerri tantillum vini, quantum ad sacrificium sufficeret. Majorem tamen privatim offerri panum copiam non abnuebat, *Vnde populus in eleemosyna, & benedictione illius Eulogias accipiat.* Erat ergo Eulogia pia largitas in plebem, ejus nimirum panis & vini, quæ Fideles Presbytero privatim obtulissent. Docuit & Hincmarus, ubi Confratres cogi necesse erat, Eulogiis illos à Presbytero donari potuisse, ut pane vinoque permodico refecti, suas in ædes regrederentur. Id verò à religiosa illa non abhorret largitate reliquiarum panis & vini oblati.

VII. Concilium Nannetense, incertum quo anno, sed paulò post mortem Hincmari habitum, plusculum lucis affundit his Eulogiis, religiosisque ritibus, qui in eo dispensando servabantur. Istiusmodi enim instituta in dies perpoliuntur. Parochi erat servare quidquid residuum fuerat panum, à plebe ad aras oblatorum, nec adhibitorum ad Sacrificium; vel propriis suis ex panibus tantumdem sumere, & in fragmenta sectum benedicere, iisque impartiri eos qui sacræ Communionis participes non fierent diebus quibusque Festis & Dominicis. *Vt de oblationibus quæ offeruntur à populo, & consecrationi supersunt, vel de panibus quos offerunt Fideles ad Ecclesiam, vel certè de suis Presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido, ut post Missarum solemnia, qui communicare non fuerint parati, Eulogias omni die Dominico & in diebus Festis exinde accipiant.* *Can. 9.* Attexitur huic ipsi Canoni Collecta, qua Presbyter hujusmodi Eulogias benedicebat, orabatque, ut qui ejus participes fierent, adversùs corporeas ægritudines pravasque animi cupiditates roborarentur, ejus potestate summa, qui panis est vitæ.

Intexta sunt huic Concilio instituta Hincmari *Can. 35.* ea omnia, quæ superiùs attigimus, iis relectis, quæ ad Eulogias spectabant. Nempe eo temporis intervallo mutatum erat aliquid. Enimvero Concilium Nannetense Eulogiis impertit Fideles omnes, qui non communicant Festis diebus & Dominicis omnibus, eòque impendi vult panes ipsos, qui ad Altare à populo oblati fuerant: de vino nec verbum facit. His in omnibus Decretum Concilii Nannetensis, & usus ei superstractus, præceptis Hincmari adversantur. Dici tamen potest Panis benedicti authorem primum auspicemque fuisse Hincmarum, sed annorum lapsu rudimentis illis addita fuisse multa, quibus res ad majorem veniret perfectionem. Porro Capitularibus quæ Hincmaro *Conc. Gall. To. 3. pag. 619.* tribuuntur, insertus est Canon iste Nannetensis Concilii. Itaque si verè Hincmari ea essent, jam inde ejus ævo viguisset tota ista panis benedicendi & distribuendi consuetudo. At apertè conflictantur inter se Canon Nannetensis & quæ suprà ex Hincmaro de Confratriis deprompsimus.

Vox quidem ipsa Eulogiarum Hincmari ævo longè antiquior erat, sed significatio prorsus diversa. Id nomen plerumque erat muneribus, quibus superiores ab inferioribus colebantur. Horta- *An. 845. Can. 45.* tur Meldense Concilium anni 845. Parochos omnes ut munusculo Episcopos aliquo, sive Eulogiis prosequantur. *Decet Presbyteros cum voluntariis eulogiis tempore congruo visitare & colere suos Episcopos.* Epistola quæ Leoni IV. Papæ tribuitur ad Episcopos Aremoricæ Provinciæ, liberum esse vult Parochis, an venientes ad Synodum hujusmodi donis spontaneis Episcopos suos venerentur. *De Eulogiis ad sacra Concilia deferendis nihil invenimus à Majoribus terminatum, sed sicut unicuique Presbytero placuerit.* *Conc. Gall. Tom. 3. pag. 642.* Vetat Hincmarus, ne quid muneris exigant Archidiaconi à Parochis. Narrat Flodoardus à sancto Rigoberto Remensi Archiepiscopo mittitari solitas Eulogias: *Cui Eulogias pro benedictione crebrò solebat mittere.* *Flodoard. L. 2. c. 12. L. 3. c. 5.* Narrat etiam à Formoso Papa missum esse Carolo Regi benedictum panem, ut votis ejus obsecundaret. *Quem petierat, ei Panem benedictum pro pignore mittens.* Habes hic *Panem benedictum*, sed ab eo qui usitatus jam est, longè diversum.

VIII. Operæ pretium jam est ab his quasi diverticulis ad Parochos redire, & illud potissimum advertere, fuisse Parochias, quibus Monachi præ-

essent. Dicemus infrà, à Gregorio Papa III. institutam fuisse Congregationem Monachorum Romæ in Ecclesia sancti Petri, ut divinæ psalmodiæ noctes diesque impenderent; cùm Missæ ipsæ à Presbyteris hebdomadariis celebrarentur: *Vt à Monachis vigiliæ celebrarentur, & à Presbyteris hebdomadariis Missarum solemnia.* Hoc habet in bujus Pontificis vita Anastasius Bibliothecarius. Inde liquet certè nequedum tunc temporis credi solitam Monachis Parochiarum administrationem. At interim insuescebant Monachi functionibus Clericorum, ex quo progressa tandem res eò est, ut & Parochiæ illis commendarentur, ea cautione, ut & ab Episcopo instituerentur, & administrationis suæ rationes ei redderent, Synodoque adessent Diœcesanæ. Ita decrevit Concilium Moguntiacum sub Archiepiscopo Rabano, anno 847. *Nullus Monachorum Parochias Ecclesiarum accipere præsumat, sine consensu Episcopi. De ipsis verò titulis in quibus constituti fuerint, rationem Episcopo vel ejus Vicario reddant; & convocati ad Synodum veniant.* Valde infrequentia erant eo ævo istiusmodi exempla. Hoc tamen Canone innuitur non rara ea fuisse in Diœcesi Moguntina. Inter Monachos meruerat Rabanus, & tum illis à Clero authoritatem, tum Clero ab illis sanctimoniam fortasse aucupabatur. Quin & altiùs forsan hujus disciplinæ origo repetenda est, cùm videatur Bonifacius ipse ejus fundamenta jecisse, ille Pontificius sub Pipino Rege Legatus & Archiepiscopus Moguntinus. Et ipse enim Monasticis Institutis informatus fuerat, præparatusque ad Apostolatum Germaniæ obeundum, in quo & sanctissimos complures habuerat commilitones. Si Augustinus, aliique Anglorum Episcopi ex Monachorum cœtu diutissimè delecti fuere, ecquid erit causæ, ut non & ad Parochorum munia aliquando asciti sint? Altius repeti posset exemplum ab Hieronymo ipso, qui Bethlehemiticæ Ecclesiæ, utique Parochialis, Presbyter sive Parochus erat. Si contendat quis non Parochiam, sed Monasterium illud fuisse, at non tamen ierit inficias, quin Parochiales ibi functiones exercerentur. Audi quid ea de re scribat Severus Sulpitius: *Inde digressus Bethlehem oppidum petii, Ecclesiam loci illius Hieronymus Presbyter regit. Nam Parochia est Episcopi, qui Hierosolymam tenet.* At cùm Hieronymus quantumvis Presbyteratûs ordine initiatus, à sacrificio offerendo manus semper abstinuerit, qui potuit Parochus esse? Aptius ergo fuerit Eusebii Vercellensis Episcopi exemplum, qui cùm Clerum suum omnem ex Monachis conflaverit, non temerè creditur eos Parochiis quoque suis præfecisse. Negare saltem nemo jure potest, quin ubi Augustinus Hipponensis Episcopus sui ex Seminarii Clericis majoribus Parochos deligebat, ii sic minùs Monasticis, certè regularibus institutis essent informati: & pro Monachis ferè haberi possent, qui patrimonio & quacumque terrena possessione sese abdicaverant. Verùm singularia hæc fuere exempla, quæ admiratores plurimos, imitatores diutissimè habuere nullos.»

Anno 847. Can. 24.

Dial. 1. c. 3.

IX. Aliquantò frequentiora sunt exempla, sive Monachorum, sive Abbatum, qui primitivi Curati fuere, nisi enim mollienda sunt nobis hæc verba, quæ jus novum Ecclesiæ consecravit; dicuntur autem Curati, sive Parochi primitivi, qui in potestate sua, sibique obnoxios habent Parochos proprios. S. Meinvercus Paterbornensis Episcopus novam in civitate sua excitavit Parochiam, eoque ipso in fundo, quem Monasterio concesserat. Ergo & ipsam Parochiam eidem contulit Monasterio. *Eidem Monasterio proprietario jure possidendam eam delegavit.*

Surius die 5 Jun. c. 48.

Antè tamen quàm Monachi vel essent, vel dicerentur Parochi primitivi & principes, fuerant inter ipsos sæculares Parochos alii primitivi, alii eis subditi & obnoxii. Concilium II. Aquisgranense anni 836. edixit, ut unicuique Ecclesiæ proprius esset Parochus, tametsi necesse esset aliquando ut alterius Ecclesiæ Parocho subesset. *Vnicuique Ecclesiæ suus provideatur ab Episcopis Presbyter, ut per se eam tenere possit, aut etiam priori Presbytero subjugatus, ministerium sacerdotale perficere possit.*

Ann. 836. Can. 16.

Alio loco operosiùs expendemus, an Presbyter seu Curatus primitivus, qui *Prior* hic dicitur, ita publicè & propriè vocaretur Prior, ut ea sit origo Prioratuum, inter Beneficia Ecclesiastica exinde non extremo loco numerandorum. Hic unum spectasse illud sufficiat, cùm is esset Parochus, qui sua in potestate haberet Parochum alium inferiorem, meritò illum dici posse Parochum primitivum, sive primarium. Neque enim dici potest, Presbyterum hunc Parocho superiori obnoxium, Capellanum dumtaxat fuisse, cujusmodi complures erant non alio munere gravati, quàm ut in aliqua Capella offerrent incruentam hostiam. Huic enim effugio viam obsepsit idem Concilium hoc eodem Canone, quando ait, etsi posset unus Presbyter pluribus in Ecclesiis sacrum facere, non posse tamen & baptismum dispensare, & Confirmationem & Eucharistiam Fidelibus tot in remota loca sparsis, & in summo nonnunquam positis discrimine, ubi exitialis sit mora. Ideo necesse esse hic concluditur, ut unicuique Ecclesiæ suus sit proprius Parochus, qui has omnes impleat Parochorum partes. *Quanquam Missarum celebrationes per omnes Ecclesias sibi commissas agere possent; perspeximus cætera officia, quæ ad divinum cultum pertinent, propter impossibilitatem & multitudinem Ecclesiarum, quodammodo neglectu elapsa. Similiter & providentia in baptismate infirmorum, & in confessione quærentium, & in communione periclitantium, perplura remansisse. Ideoque congruentius omnibus videtur, cuique congruere Ecclesiæ, proprium habere Presbyterum.*

Hæc sanè pulcherrima & appositissima species ac declaratio Parochorum eorum, qui primitivi nunc, olim Priores dicebantur: quando Ecclesia quæ annexa primùm fuerat, aut Capella Ecclesiæ Parochiali obnoxia, cui fortassis etiam nunquam proprius fuerat Presbyter, nisi Parochus ipse, qui ad eam quandoque sacris operaturus accedebat; quando, inquam, istiusmodi Ecclesia, vel Capella surgebat in Ecclesiam Parochialem, in quam tamen, ut & in ejus Parochum prior Parochia uti matrix pristini sui juris & ditionis aliquid retinebat. Æquissimum enim erat priori Parocho aliqua servari primævæ dominationis suæ monumenta.

Possent & in classem primitivorum Parochorum ascribi Parochi illi, quibus Episcopus alias subjiciebat Parochias antiquas, in morem Capellarum. At cùm potestate sua tum abuterentur Episcopi, & hæc privatis affectibus præter Canones indulgerent, non novi hæc poterat videri juris institutio, sed usurpatio alieni. Accipe quæ Hincmarus præciperet Episcopis, quoscumque ordinabat: *Principales Ecclesias aliis Ecclesiis loco Capellarum non subjiciat, quia secundùm sacros Canones non licet Episcopis Parochiam antiquitus constitutam inconsultè confundere atque dividere.*

Con. Gall. Tom. 2 pag. 660.

Quin & verisimile non est, tributa fuisse jura primitivorum Parochorum iis omnibus, quorum Parochia scindebatur in duas. Concilium Tolosanum anni 843. multa sancit, quæ diligentissimè observanda sint in hac unios Parochiæ in duas sectione ab Episcopis: at nihil prorsus vindicat priori Parocho in novum: illum tantùm exonerat parte aliqua impensarum annuarum, quas in novum Parochum rejicit. *De dispensa quoque debita ab illo minus accipiant, & alteri, qui quod dividitur à Parochia, suscipit, sub hac eadem mensura imponant.*

Ann. 843. c. 7.

Nannetensis ex adverso Concilii Patribus non displicuit, si Parochus unus principalior plures in Parochias alias jus & imperium exerceret istiusmodi, ut eis Presbyteros singulis præficeret, qui in eis & Officia decantarent Ecclesiastica, & incruentum offerrent sacrificium. Erant tamen forsan hæ superiori Parocho obnoxiæ Ecclesiæ, Ecclesiæ magis quàm Parochiæ: utpote Officiis tantùm divinis & sacrificiis celebrandis destinatæ, perinde ut Capellæ, non sacramentorum erogationi. *Nullus Presbyter plures præsumat habere Ecclesias, nisi fortè alios Presbyteros sub se in unaquaque habeat, qui nocturnum atque diurnum officium solemniter adimpleant, & Missarum celebrationes quotidianas expleant ceremoniis.*

Can. 8.

Erat & illud jus legitimum Parocho quæsitum, ut Parochiam quamvis aliam in potestate & ditione sua haberet, Parochumque ejus, si funditus eversam reparasset, & permittente Episcopo altare in ea erexisset. Id innuere videtur Hincmarus: *Quidam Presbyteri præter Ecclesiam in qua titulati sunt, etiam Capellas habent, & quidam etiam veteres Ecclesias restaurant, aut Altaria nova construunt propter loci convenientiam.*

Conc. Gall. To.3 p.636.

His nimirum causis emerserunt Parochi principes & primitivi, Parochis aliis superiores, cùm Capella, vel Annexa alicui Parochiæ Ecclesia, in Parochiam ipsa crescebat; aut cum Parochiæ vastioris partem aliquam truncabat Episcopus, & alteri commendabat Presbytero, quem & priori Parocho parere jubebat; aut cum Parochus suis impendiis restaurabat vicinas sibi Parochias, quæ desolatæ jacerent. Paucissima supersunt de Parochiarum divisione, aut unione dicenda.

Anno 843. c. 7.

X. Concilii Tolosani anni 843. decreto confirmatur Episcoporum potestas tum ad novas Parochias creandas, tum ad antiquas dividendas, dum id ne faciant, nisi consilio Canonicorum. *Maturè consilio canonico tractent*; & ne quid irrepat privatæ cupiditatis, & avaritiæ: *sine intentione lucri*: In his enim non serviendum est populorum utilitati & necessitati: *si necessitas populi exegerit*: quando scilicet ea est, vel locorum distantia, vel itinerum asperitas, ut nec fœminæ, nec parvuli ad Ecclesiam concurrere possint: *Si longitudo itineris, aut periculum aquæ, &c. Et si mulierum, vel infantium, aut debilium imbecillitas ad Ecclesiam principalem non possit occurrere.*

Anno 845. Can 54.

Concilium Meldense anni 845. illud Episcopis præcipit, ut ne quid temeraria levitate innovent in Parochiis civitatis suæ, ejusque suburbiorum: *Ut titulos Cardinales in urbibus vel suburbiis constitutos, Episcopi canonicè & honestè, sine retractatione ordinent & disponant.* Cardinales dicuntur hic Presbyteri, qui singulis in Parochiis primas tenent, præsuntque Presbyteris aliis, seu Vicariis, in eadem Ecclesia sub uno capite collaborantibus.

Easdem Hincmarus leges Archidiaconis suis præscribebat, ut ne se vel fascinari muneribus, vel precibus excantari finerent, ad Parochias alias aliis vel uniendas, vel abscindendas, vel subjiciendas, aut denique ad deterendum aliquid de antiqua & primæva earum libertate. *Expressè vobis in nomine Christi præcipio, ut rusticanas Parochias pro alicujus amicitia, vel petitione, aut pro aliquo pretio, non præsumatis confundere, nec dividere. Neque Ecclesias illas quæ ex antiquo habere Presbyteros solitæ fuerunt, aliis Ecclesiis quasi loco Capellarum subjiciatis.*

Conc. Gall. Tom.3 pag. 643. Hincmar. To. 1 pag. 740.

Hac Hincmari præceptione illud insinuari videtur, eo jure tunc uti Archidiaconos potuisse, ut Parochias vel plures in unam compingerent, vel ex una efficerent plures: cùm id unum commendet, ne quid istiusmodi moliantur stimulante sola carnali cupiditate. Concilium Meldense non alia lege Episcopos ligaverat, quàm ut ne temerè antiquum Parochiarum statum perturbarent. Fieri potuit, ut quarundam hic fuerit mos Provinciarum, ut ejus rei copiam Episcopi facerent Archidiaconis. Sed rarissimus, ut mea fert opinio, hic erat usus. Concilium Tolosanum paulò suprà uni id juris Episcopo proprium fecit, quem & ipsum voluit parcissimè & circumspectissimè ea potestate uti.

X I. Illud autem minimè prætereundum fuit, quo Presbyterorum, & Parochorum maximè surgit gloria: quod nempe non alii fuerint aliquando novarum apud Aquilonares, aliasque Barbaras Gentes Ecclesiarum fundatores, & Christiani propagatores Imperii, quandiu necdum Episcopalis sedes apud eas utpote titubantes adhuc erigebatur. Villehadus, qui postea Bremensis fuit Episcopus, idem ipse prius in eadem gente adhuc barbara Parochorum functiones omnes perdiu obierat, ut eam paulatim mansuefaceret, inflecteretque ad ea obsequia, quæ Episcopali debentur majestati. Audi vitæ ejus Scriptorem: *Primus in ea Diœcesi sedem obtinuit Pontificalem; quod tamen jamdiu prolongatum fuerat, quia gens credulitati divinæ resistens, cùm Presbyteros aliquoties secum manere vix compulsa fuerit, Episcopali authoritate minimè regi patiebatur. Hac itaque de causa septem annis prius in eadem Presbyter est demoratus Parochia, vocatus tamen Episcopus, & secundum quod poterat, cuncta præsidentis potestate ordinans.* Adverte quæso, ut hic Presbyter tantùm cùm esset, honorificentiori tamen Episcopi nomine donaretur; quippe & compluribus aliis idem obtigit, ut Episcopi dicerentur, etsi nunquam fuissent; sed ea nominis gloria non immeritò iis affingebatur, qui Apostolica munia in Gentium conversione obibant. Adami Bremensis Canonici Ecclesiastica Historia illud de Ansgario Corbiensi Monacho restatum facit, missionibus & prædicationibus Apostolicis eum vehementer & diu claruisse, cùm Presbyter esset adhuc, nondum ad Hamburgensis Ecclesiæ infulas provectus. Idem testificatur Adamus idem de Rimberto Ansgarii commilitone, & in Hamburgensi solio successore; idem denique de Adalgario successore Rimberti. Archiepiscopi hi omnes, cùm maturum nondum erat ad aliquam gentem ordinari Episcopum, Presbyteros Parochosque ea Provincia onerabant. Ita perspicuè Adamus his verbis: *Sedit difficili tempore barbaricæ vastationis, nec tamen Legationis suæ ad gentes studium omisit. Verùm sicut decessores sui Presbyteros ad hoc opus constitutos & ipse habere curavit.*

Saculum Benedict. To. 3. part. 2. pag. 409.

CAPUT

## CAPUT XXVI. *P. 4. l. 2. c. 28.*

### De Parochis, de divina eorum origine, & antiqua Jurisdictione, post annum Christi millesimum ad hæc usque tempora.

*I. Jure divino niti Parochorum authoritatem censent Parisienses Theologi. Gersonii doctrina & verba.*
*II. Censura Facultatis Theologicæ Parisiensis.*
*III. Quæ hujus doctrinæ in Scripturis fundamenta.*
*IV. Doctrina Almaini, & Majoris.*
*V. Doctrina Petri Aurelii: divinam Parochorum originem includi quodam modo in origine divina Episcoporum. Argumenta ex Scripturis hausta.*
*VI. De vetusta Parochorum potestate excommunicandi, ex Theologis, ex jure novo Decretalibus, ex Conciliis.*
*VII. Elucidatur Alexandri III decretum. Ut Parochi inopinâ hac potestate exciderint.*
*VIII. Ut ea penes Cardinales Presbyteros superstes fit.*
*IX. De Parochiis primitivis.*
*X. Eorum jura & officia. Ut ne Vicarios habeant, nisi perpetuos.*
*XI. De novarum erectione Parochiarum, atque Episcopi sufficienti hos eas muniri reditibus curent.*
*XII. Necessaria Parochiarum divisio, Regionumque & familiarum in una eademque urbe.*

I. NOn poterat Parochorum dignitas altiori attolli fastigio, quàm quo eam provexere Parisienses Theologi, cùm hanc evulgarunt doctrinam, Septuaginta Discipulis eos successores datos esse, in ordine minorum Prælatorum eos stare, & ab ipso immediatè Christo eos obtinere potestatem functiones hierarchicas exercendi, expiandi correptionibus, prædicationibus illuminandi, perficiendi denique Sacramentorum administratione. *Qui dicuntur successores septuaginta duorum Discipulorum & dicuntur Prelati secundi ordinis, dignitatis, vel honoris, quales sunt Curati, quibus ex statu & ordinario jure conveniunt tres actus hierarchici, primariè, essentialiter, & immediatè à Christo: qui sunt purgare per correctionem, illuminare per doctrinam & prædicationem, perficere per Sacramentorum ministrationem.* Ea sunt Joannis Gersonii verba, qui hujus doctrinæ fundamenta ab ipsis repetit divinis Evangelicisque literis, ubi Christus Claves concredidit, non Apostolis solùm, sed & Septuaginta Discipulis, ut qui ex aliquorum Patrum calculo; Apostoli & ipsi dicerentur. Unde Origenes, *Septuaginta & ipsi Apostoli nominati sunt.* Et Chrysostomus: *Erant & alii Apostoli, ut Septuaginta.*

*Gerson. To. 1. pag. 335.*

*Origen. in Ep. ad Rom. c. 16. Chrysost. in 1. Corint. hom. 38.*

II. Subjicit eodem loco Gersonius Censuram Facultatis Theologicæ Parisiensis, anno 1408. editam, adversùs falsas & temerarias quasdam propositiones Joannis Gorel Franciscani, qui his subscribere coactus fuit duabus propositionibus, quæ ita concinnatæ fuerant, ut antidoti loco esse possent adversùs ejus errores. *Domini Curati sunt in Ecclesia minores Prelati, & Hierarchæ ex primaria institutione Christi, quibus competit ex statu jus prædicandi, jus Confessiones audiendi, jus Sacramenta Ecclesiastica ministrandi, jus sepulturas dandi, jus insuper Decimas & alia jura Parochialia recipiendi. Item jus prædicandi & confessandi competunt Prelatis & Curatis principaliter & essentialiter: & mendicantibus de per accidens, ex privilegio, &c.* Huic Censuræ subnecti potest & alia non dispar anni 1429. adversùs Joannem Sarrasinum, Ordinis Dominicani, qui similiter his Propositionibus subscribere jussus est: *Omnes potestates jurisdictionis Ecclesiæ, aliæ à Papali potestate, sunt ab ipso Christo, quantùm ad institutionem, & collationem primariam: à Papa autem & ab Ecclesia quantum ad limitationem & dispensationem ministerialem. Hujusmodi potestates sunt de jure divino, & immediatè instituta à Deo. Ex textu Evangelii & doctrina Apostolorum habetur expressè, Apostolis & discipulis à Christo missis authoritatem jurisdictionis fuisse collatam. Dicere inferiorum Prælatorum potestatem jurisdictionis, sive sint Episcopi, sive sint Curati, esse immediatè à Deo, Evangelicæ & Apostolicæ consonat veritati.*

III. Ea ergo erat sententia Theologorum Sodalitii omnium toto orbe celeberrimi, statum & authoritatem Parochorum jure fulciri divino, & institutione Christi ipsius: eorum jurisdictionem immediatè à Christo manare, qui tam immediata missione, quàm electione sua Discipulos septuaginta decoravit, missosque participes fecit divinæ jurisdictionis suæ. Jam diximus, Conciliorum Patrumque non paucorum eam fuisse sententiam, Parochos ita Discipulis, ut Episcopos Apostolis successisse.

Non fefellit hæc argumentatio Gersonium, ubi nec ista ejusdem ponderis, & iisdem ex Patrum fontibus derivata; Parochos hoc esse in novo, quod Levitas, seu potiùs filios Aaron & Sacerdotes in veteri Testamento. At horum divina & origo tum erat & institutio. *Status Curatorum succedit statui septuaginta duorum Discipulorum Christi, quoad legem novam, & figuratus est in antiqua lege per Levitas. Ac proinde status Curatorum est de institutione Christi & Apostolorum suorum, à principio fundationis Ecclesiæ.* Addam obiter quod ibidem ad decus Parochorum addit Gersonius, statum Parochorum stationem esse perfectionis, & quidem cumulatissimæ, ut quæ exundare debeat in tot Fidelium animas eis creditas. *Status Curatorum est status perfectionis, non tantùm acquirenda, sed etiam exercenda, cùm sibi competat tam obligatio, quàm authoritas reducendi animas ad Deum, secundùm hierarchicos actus, qui purgare, illuminare, perficere nominantur.*

*Gerson. To. 2. pag. 291.*

IV. Almainus Gersonii vestigia propiùs legebat, cupiebatque, ut sicut Discipuli adsciti sunt ad Concilium Apostolorum, ita & nunc Parochi in Episcoporum generales Synodos vocarentur, unàque de rebus omnibus deliberarent. *Multitudinem discipulorum convocarunt. Actuum 6. ex quo sequitur, quòd non solùm de statu Episcoporum, qui Apostolis succedunt, sunt vocandi ad Concilium, ad habendam vocem deliberativam, sed etiam de statu Curatorum, qui succedunt Discipulis.* Eadem Majoris sententia, sed expressior his verbis: *Tam Episcopi, quàm Curati sunt de jure divino, quemadmodum Romanus Pontifex: nec aliquis prorsus homo potest illud jus, & illas potestates tollere de Ecclesia, plusquam summum Pontificatum, licèt Petrus Paludanus & Joannes de Turrecremata teneant oppositum. Sed hoc quod ipsi tenent, censuit in fide hæresin Facultas nostra.* Ubi doctissimus vir Petrus Aurelius adnotavit; hæreticum id esse à sacra Theologiæ Facultate judicatum, si quis insaniens dicat, Episcopatum omnem tolli & aboleri in Ecclesia posse.

*Gerson. To. 1. pag. 700.*

*Major in 4. d. 24. q. 3.*

*Petr. Aurel. Tom 1. pag. 155.*

V. Sed quod ad Parochorum Collegium attinet, idem prorsus præstantissimè Petrus Aurelius optatissimum videtur nobis temperamentum excogitasse, quo fiat ut delicatas hominum aures non offendamus, nec obstrepamus vel Episcoporum majestati, vel amplissimæ dignitati Parochorum; neo incurramus in offensionem celeberrimæ & facilè principis

Theologorum Facultatis. Consultissimus enim hic Theologus Apologiam texens Censuræ cujusdam Theologorum Parisiensium circa quæstiones has ipsas: cùm præfatus esset, simillimum esse veri, Parochos divina ex institutione proficisci, *Si Parochorum munus divina institutionis est, quod certè probabilissimum est;* subjicit id saltem constare, Parochorum officium divinæ in tantum originis & institutionis esse, in quantum in Episcopatu includitur, ut in fonte & plenitudine Sacerdotii, ex qua manant Parochi, ut à fonte rivuli, cujus decursus latissimè & sine detrimento sui effunditur. Non aliter quàm Spiritûs sancti exuberavit plenitudo in septuaginta Seniores, quos in subsidium Moysi Deus adoptabat, nihil damni perpetiente Moyse, ex quo tanta Spiritûs copia in alios dispensabatur. Ut scaturiginis autem & rivulorum eadem natura est, ita eadem Episcoporum authoritas est & Parochorum, divinaque prorsus, quia ipsamet eadem est quæ Christi. *Parochorum officium si minus institutionis divina in se est, at est in Episcopo; quia in Episcopo inclusum à Christo est, ut in fonte ac plenitudine Ecclesiastica & Hierarchica potestatis, cujus Parochialis potestas est decidua pars, ab Episcopo in Parochum, ut à fonte in rivum transfusa, sine detrimento tamen aut imminutione, eo modo quo res spirituales transfunduntur & communicantur, ut è septuaginta Senioribus Moysis spiritu imbutis, illibata Moysis plenitudine, facilè intelligitur, &c. De potestate jurisdictionis agimus, &c. Ministrorum potestas sic ab Episcopo fluens, divina est, non humana institutionis, quia eadem rivi est, qua fontis natura, eadem vis causa principalis & instrumenti, eadem ministrorum regiorum & Regis potestas, qua comparatio est sancti Thoma.*

Idem To. 2. pag. 225.

Huic sententiæ, ex qua tantum splendoris accedit Parochorum muneri, patrocinium accersit Aurelius divi Thomæ, qui eos reveretur, ut secundi ordinis Principes Ecclesiæ, utque suffectos septuaginta illis Discipulis, quos Christus eadem qua Apostolos & missione & jurisdictione illustravit. *Ideo baptizare pertinet ad minores Principes Ecclesia, id est, ad Presbyteros, qui tenent locum septuaginta duorum Discipulorum Christi, ut dicit Glossa Luca 10.*

S. Thomas. 3. p. q. 67. Ar. 2. ad 2. Et 2. 2. q. 318. ar. 4.

Cæterùm alterum illud exemplum septuaginta Seniorum, in quos refudit Deus partem ejus Spiritûs & potestatis cælestis, qua Moysen repleverat: præmonstrasse videtur Fulbertus Episcopus Carnutensis: *Moyses dux populi secundis adjutoribus septuaginta viris de eodem populo sustentabatur, per quos forma Presbyterorum exprimitur, qui nunc in Ecclesia novissima Pontificale onus in se suscipientes, regendis populis invigilant. Porro sumens de spiritu Moysis illis septuaginta Senioribus dedit, per quos populum sibi commissum per quadraginta annos judicavit, quia Dux noster Dominus Jesus Christus Discipulis quos ad prædicationis officium missurus erat in mundum, spiritalium dona charismatum infudit.* Addit piissimus Pontifex Fulbertus eam esse, tùm Ecclesiæ suæ, tum complurium circùm aliarum consuetudinem, ut Episcopus Presbyteris quos ordinabat singulis daret hostiam Eucharistiæ Christi Corporis consecratam, ut ejus particulam delibarent unoquoque die per dies proximos quadraginta, ut hac participata Communione Corporis Christi significaretur communio Spiritûs Christi, qua eos ordinator Episcopus impartierat. *Cibum Dominicum Pontifex novis Ecclesia cultoribus distribuit, quos sua pastoralis cura Vicarios adjutores ad erudiendam plebem sibi commissam constituit, &c.*

Epist. 2.

VI. Gradum facio ad potestatem excommunicandi, qua vel maximè arguitur Parochorum jurisdictio, per plura sæcula eis vendicata. Thomas ipse Aquinas profitetur hoc etiamnum aliquando eos posse, non delegatione tantùm speciali Episcopi, sed suo jure proprio & ordinario, & non deesse Theologos, qui hoc eis adserant sine limite. *Episcopi propria authoritate & majores Prelati, secundum communiorem opinionem, possunt excommunicare. Sed Presbyteri Parochiales nonnisi ex commissione eis facta, vel in certis casibus, sicut in furto, & rapina, & hujusmodi, in quibus est eis à jure concessum, quòd excommunicare possint. Alii autem dixerunt, quod etiam Sacerdotes possunt excommunicare. Sed prædicta opinio est rationabilior.*

S. Thomas Supplem. q. 22. art. 1.

Si ulteriùs progrediamur, occurrent nobis argumenta longè efficiora Parochorum ad excommunicandos non solùm laïcos, sed & Clericos suos jurisdictionis. Rescripsit Alexander III. ad Episcopum Florentinum, ut servari curaret interdicta & excommunicationum tela, quæ justis canonicisque de causis Parochi vibrassent. *Mandamus, quatenus si quando plebanus sancti Petri in Clericos vel laicos Parocianos suos interdicti vel excommunicationis sententiam rationabiliter tulerit, ipsam facias inviolabiliter observari; & eam sine congrua satisfactione, & absque ejusdem Plebani conscientia non relaxes.* Ægrè ferebat, ut suspicor, hic Episcopus Censuras à Parochis intentatas servari. At Pontifex non novum jus condit, sed quod in usu erat, confirmat, labantemque firmat Parochorum authoritatem.

C. Cum ad Eccles. De Offic. ordin.

Honorius III. Presbyteros Clericosque omnes Capellarum Parochiæ alicui obnoxiarum, jubet obtemperare sententiis excommunicationis, & interdicti, & suspensionis, quas in eos eorumve Ecclesias depromet Presbyter Cardinalis Parochialis Ecclesiæ. *Correctionem ipsius Cardinalis recipientes humiliter, & excommunicationis, interdicti, vel suspensionis sententias, quas tulerit in eos, & Ecclesias eorundem, inviolabiliter observantes.*

C. Hic qua. De Majorit. & obedient.

Micant etiamnunc hæ Decretales Pontificum Epistolæ in corpore Juris Canonici novi. Jam olim autem Lemovicense Concilium anni 1031. eidem suffragabatur Parochorum potestati; sed ita tamen, ut eorum excommunicationes restringeret ad occulta crimina, iis quæ publica sunt, Episcopali judicio servatis. Id verò non aliud erat, quàm ad forum interius & ad Pœnitentiæ Tribunal Parochorum jurisdictionem revocare. *Presbyteri de ignotis causis, Episcopi de notis excommunicare est.* Idem habet Ratherius Veronensis Episcopus in Epistola synodali. Et sanè ordinario antiquoque jure pœnitentias publicas soli dispensabant Episcopi.

Conc. tom. 9. pag. 902. Ib. p. 1274.

Hinc mirari succurrit, ecquo tandem modo excommunicandi potestas, quæ ad sola videtur spectare publica crimina, ad Parochos devenisset. Ea enim utebantur in Gallia, ut liquidum fit ex Epistola Alexandri III. cui ansam præbuit excommunicatio inconsideratè & temerè intorta à Parocho suburbani Remensis in studentes, qui ipsum pia libertate objurgaverant, nefariè & non sine scandalo lascivientem. *Absque conscientia Remensis Archiepiscopi & Officialium suorum, in ipsos non citatos nec confessos, excommunicationis sententiam promulgavit, quam idem Archiepiscopus fecit, prout debuit, relaxari.*

Conc. to. 10. pag. 1285.

Ut probationibus non destituebantur, qui Parochorum jurisdictionem defensitabant; ita qui eam oppugnabant, aut intra certum saltem gyrum coarctabant, sententiam suam validis & authoritatis &

rationis præsidiis muniebant. Concilio Turonensi anno 1239. prohibiti sunt Presbyteri Parochiales, nisi speciali Episcopi mandato freti essent, excommunicationis gladio quemquam ferire. *Can. 5.* *Interdicimus universis Presbyteris Ecclesiarum Parochialium, ne pro jure suo vel Ecclesia sua in spirituali, Parochianos suos authoritate propria excommunicare præsumant. Quod si fecerint, sententiam decernimus esse nullam.* Eo quidem Canone non tenentur nisi Presbyteri, qui Parochis vicarias aut subsidiarias operas præstant; at eo qui nos sequitur, exarmantur Parochi ipsi, ne in quemquam spirituali hoc gladio sæviant. *Can. 6.* *Quod Rectores seu Curati Parochialium Ecclesiarum Parochianos suos authoritate propria excommunicare non possunt pro jure suo.*

Trahi tamen possunt hi Canones in eum sensum, ut non universim vetentur Parochi excommunicare, sed ne propriæ utilitatis gratia, sive temporalis, sive spiritualis id moliantur. *Pro jure suo, vel Ecclesia sua in spirituali.* Metuendum utique erat, ne fucata zeli specie falleret cupiditas privata & vitiosa. Inde ergo hoc potius exprimeretur, extra lubricas istiusmodi rerum commissutas, potuisse Parochos authoritate propria excommunicationum fulmina jaculari. At si ea Parochis annuitur potestas, an etiam Presbyteris ea aliis indulgebitur, qui comites & cooperatores eis adsunt? Atqui de iis sermo est in priori horum Canonum. Nec dubitasse videtur Nemausensis Synodus anni 1264. quin Parochus, & subsidiarii ejus Presbyteri aditu Ecclesiæ interdicere possint, nec petita Episcopi licentia: *Con. To. 11. Part 2 pag. 1214.* *Quia diximus, quod Sacerdotes & Rectores Ecclesiarum possunt proferre sententiam interdicti, attendant, quod sive mandato nostro, sive authoritate propria sententiam interdicti proferre voluerint, ipsam in scriptis proferant in hunc modum; Cum ego Rector vel Capellanus talis Ecclesiæ, &c.* Synodus Excestrensis anni 1287. concessit id juris, non Parochis tantùm, sed & eorum Vicariis omnibus, ut non interdicere tantùm, sed & excommunicatione innodare possent eos omnes, qui interciperent, vel decimas, vel oblationes, vel ea demum omnia, quorum penes Ecclesiam erat legitima & notoriè præscripta possessio. *Conc. Angl. Tom. 2 pag. 384.* *Licebit Ecclesiarum Rectoribus, Vicariis & Parochiarum Capellanis, pro mortuariis, decimis, oblationibus, & instauro Ecclesiæ, & aliis juribus Ecclesiæ suæ injustè detentis, in quorum possessione notoriùm est suas Ecclesias extitisse, per semetipsos, trina tamen monitione præmissa, nominatim suspendere & excommunicare detentores, cùm in hoc casu non injuriam suam, nec sibi debitum, sed Ecclesiæ suæ potius prosequi videantur.*

VII. Recentiores Canonici Juris Interpretes ita constituunt, Parochum illum, de quo suprà Alexander III. *in C. Cum ab Ecclesiarum*, non alio nomine contentiosam habuisse jurisdictionem, quàm vel privilegio vel consuetudine. *Fagnan. in l. 1. Decret. 2. Part. pag. 435.* Sed quàm facile est divinare, tam pronum est quæ quis divinando dixerit repellere. Multò expeditius est, sinceriusque, fateri & aliquandiu eos contentiosam jurisdictionem obtinuisse, & ab ea demum excidisse; quo tamen factum est, ut in primævam suam conditionem revocarentur, dum prima florerent Ecclesiæ secula. Illud enim invictissimis præsidiis confirmavimus suprà, administrationem pœnitentiæ publicæ & jurisdictionem exteriorem penes Episcopos fuisse: ita ut & Canones omnes antiquiores & Decreta prisca Pontificum tam propriam faciant Episcoporum pœnitentiam publicam, quàm Altarium, Virginumque consecrationem, & ordinationem Clericorum.

Non recedit à veri similitudine eo ipso tempore, quo Archidiaconi Decanique Rurales, & plures alii Prælati minores ordinariam sibi sumpsere jurisdictionem, cùm nonnisi delegatam hactenus sortirentur: quo denique suos sibi & in urbe & ruri Officiales creavere: tum quoque Parochos idem sibi sumpsisse juris, eodem videlicet nixos fundamento, oscitantia Episcoporum, vel si mavis, tacita eorum consensione. Si enim per silentium & tolerantiam Episcoporum circa annum Christi millesimum data est Archidiaconis & eorum Officialibus & Ruralibus Decanis potestas discerpendæ jurisdictionis Episcopalis, & portiunculæ ejus sibi vendicandæ: cur non idem & licere sibi voluerint, & ausi sint Parochi? Inde contigit, ut eo quoque tempore, quo Episcopi creatis sibi Vicariis Generalibus novis & Officialibus, licentiosam illam multiplicationem Prælatorum subalternorum, & eorum Officialium dissipavere, & in sese, hoc est, in fontem suum revocavere istos omnes extrinsecæ jurisdictionis rivulos: contigit, inquam, ut eo ipso tempore evanesceret jurisdictio contentiosa Parochorum, cujus rarissima superfuere vestigia post annum Christi millesimum & trecentesimum.

Propiùs abesset à vero, qui diceret Parochum, de quo Alexander III. *in C. Ab Ecclesiarum*, Archipresbyterum fuisse, plures in potestate sua Presbyteros habentem, unde & Plebanus vocatur. Istiusmodi erant qui Presbyteri Cardinales vocabantur, ut qui Presbyterorum uni Ecclesiæ affixorum Collegio præessent, in quos nonnihil imperii exercebant, à quibus denique vel sacramentum obedientiæ, vel promissionem saltem exigebant. Arnaldus de Brixia Romanæ ipsi civitati intulerat schismaticam contumaciam, & hoc genus Presbyteros omnes infanda rebellione in suos Archipresbyteros concitaverat. Eugenius III. ad Clerum tunc Romanum scripsit, & ad Archipresbyterum sancti Marci, ut pristinæ unitati redderet Ecclesias istas omnes particulares, Capellanosque omnes cogeret obedientiam profiteri ac spondere Presbytero Cardinali, prisco more. *Hoc effecit humani generis inimicus per Arnaldum schismaticum quasi per membrum proprium, ut quidam Capellani unitatem Ecclesiæ dividentes, Cardinalibus atque Archipresbyteris suis obedientiam & reverentiam promittere & exhibere debitam contradicant, &c.* *Epist. 4. 5. Conc. Tom. 5. p. 1049.* *Mandamus ut secundùm antiquam & rationabilem consuetudinem vestræ Ecclesiæ obedientiam promittere nullatenus contradicant, &c.*

Ex his Epistolis manifestum est, non inferiores tantùm ejusdem Ecclesiæ Presbyteros Presbytero Cardinali, vel Archipresbytero obedientiam polliceri debuisse, sed etiam Presbyteros Capellarum Ecclesiæ Parochiali obnoxiarum. Si abnuerent, excommunicationis jaculo feriri ab eo potuisse. Itaque Archipresbyteri isti contentiosam exercebant jurisdictionem. *Si vestris monitis super hoc obedire contempserit, sententiam quam in ipsum & præfatam Ecclesiam de Pinea justè tuleritis, nos authore Deo ratam habebimus.* Honorius III. Papa, comperto parum religiosè obtemperatum esse Eugenii mandatis, iterum sansit, ut Presbyteri Clericique Capellarum Presbytero Cardinali sancti Laurentii subditarum, eidem dicto audientes essent, & sicubi à jugo obedientiæ resilirent, canonicis ab eo pœnis subjicerentur: interdictis, suspensionibus, & excommunicationibus evibratis. *Manualem obedientiam,*

C. His quæ. De Majoritate & obedientia. *reverentiam & honorificentiam omnem exhibeant, & correctionem ipsius humiliter recipientes, excommunicationis, interdicti, vel suspensionis sententias, quas tulerit in eos, & Ecclesias eorumdem, inviolabiliter observantes.* Servat sibi Pontifex integram potestatem decernendarum istiusmodi pœnarum, cùm vacua fuerit sancti Laurentii Ecclesia.

Hi nimirum Parochi contentiosam explicabant jurisdictionem. Idem existimari posset de iis, de quibus agit Bonifacius VIII. quibus subeant Capellani plures: C. Statutum. In sexto. Ne Clerici. vel Monachi. *Nisi eadem Ecclesiæ fuerint plebaniæ sub se Capellas habentes, in quibus instituantur Clerici perpetui, nequeuntes ab ipsis absque rationabili causa amoveri.* Cùm hos Capellanos non posset Parochus primarius ad nutum suum amovere, poterat in illos jus dicere, & canonico judicio eos loco movere.

VIII. Sed revocanda nunc oratio est ad Presbyteros Cardinales Romanæ urbis, qui cùm Primitivi sint Parochi Titulorum suorum, sive Parochiarum, ante hominum memoriam præscripta utuntur jurisdictione Episcopali, in Titulis suis, & in Capellis subjectis. Id juris nititur Capite *His quæ* supra laudato. Accessit confirmatio Congregationis Concilii. Fagnan. In l. 1. Decret. Par. 2. pag. 504. Sixtus V. anno 1587. eadem jurisdictione quasi Episcopali cohonestavit Diaconos Cardinales; adeoque potestate visitandi, interdicendi, & excommunicandi. Juris hujus origo non ab illa repetenda est eminentissima Cardinalium, seu purpuratorum Ecclesiæ Principum dignitate: sed ab officio Parochi, & Parochi primitivi, in Presbyteros plures, plures etiam Capellanos excubantis. At juris hujus in Cardinales Diaconos effusio, non absurdè ab ipso Cardinalatûs fastigio ortum duxisse censebitur; cùm ex re visum esset, ut omnibus sacri augustissimique Collegii consortibus privilegia eadem omnia communicarentur. Non aliena tamen foret ea conjectura, siquis hoc vellet residuum superesse vestigium antiquissimæ Diaconorum, sive Archidiaconorum jurisdictionis. In eum modum hæc esset Cardinalium singularis prærogativa, quòd constantissimè retinuissent possessionem ejus jurisdictionis, qua per aliquot sæcula gavisi sunt Parochi, & qua cæteri Parochi spoliati tandem fuere. Episcopalem autem hanc, vel quasi Episcopalem jurisdictionem ideo appellitant Canonistæ recentiores, quòd cùm ea abdicati sint Parochi, cæterique penè omnes, eaque soli jamdiu fruantur Episcopi, non sine specie & umbra quadam veri visum est, hoc totum quidquid est privilegii ab Episcopis ad Cardinales dimanasse. Cæteroqui indubitatissimum est, jurisdictionem qualemcumque, & dici posse, & esse verè Episcopalem, aut quasi Episcopalem, cùm plenitudo jurisdictionis ipsi affixa sit Episcopatui, ab eaque fluxerit illa priscorum Parochorum jurisdictio, cujus Romani Parochi Presbyterique Cardinales retinentissimi fuere.

IX. Diximus suprà de primitivis Parochis. Frequentissimi illi fuere in Canonicorum Capitulis & Monasteriis, ut infrà liquebit, postquam eis Episcopi, vel in dotem primò, vel in dotis postea incrementum Parochiales Ecclesias addixere. De his infrà copiosiùs disseremus. Hîc alios indicabimus ejus generis Parochos cum primis memorandos; ex Decretali Alexandri III. *Ad audientiam. De ædificandis Ecclesiis.* Cùm videlicet latissimè protenduntur fines alicujus Parochiæ, longiúsque ab Ecclesia Parochiali distant rusticorum mappalia aliqua: potest Episcopus alteram ibi construere Ecclesiam, & novum ibi constituere Parochum, quem prior Parochus præsentaverit: *Ad præsentationem Rectoris Ecclesiæ Majoris*: assentientibus Fundatoribus: *Cum canonico Fundatoris assensu*: portionem redituum adsignabit Episcopus novo Parocho de proventibus Parochiæ: *obventiones Ecclesiasticas percepturum*: Jura honorifica priori Parocho reservabit: *Providens tamen, ut competens in ea honor pro facultate loci Ecclesiæ matrici servetur.* Denique prior si Parochus assentiri cunctetur, aut contumaciter respuat, suæ quàm Ecclesiasticæ utilitatis cupidior, propria authoritate rem nihilo secius perficiet Episcopus. *Tu nihilominus facias idem opus ad perfectionem deduci.* Dicetur & infrà aliquid de primariis rursum his Parochis, ubi de Vicariis sermonem instituemus.

X. Sed minimè effugere nos debet Christianissimi Regis Ludovici XIII. Declaratio anni 1629. qua edicitur, ut Parochiæ Abbatiis, Prioratibus, Ecclesiisque, seu Cathedralibus, seu Collegiatis unitæ, sejunctim posthac regantur à Vicariis perpetuis, nec matrices Ecclesiæ in eas quidquam sibi vendicare possint præter honorificentiæ jura usitata. Memoires du Clergé. To. 1. pag. 201. Anno verò 1659. promulgata est Declaratio alia invictissimi Regis Ludovici XIV. cujus atticulo XXIX. sancitur, ut Archiepiscopi Episcopique compellant Abbates, Priores, Capitula, aliosque Clericos, qui Curati primitivi habentur, nec habuere hactenus nisi Parochos temporarios, ut præsentent sibi posthac Presbyteros idoneos, qui perpetui à se instituantur Vicarii. Hæc edicta consentanea prorsus sunt suprà relatis Pontificum Decretis, Cleroque flagitanti à Christianissimis Regibus indulta sunt. Cleri ejusdem Gallicani Comitia annis 1625. 1635. 1645. de honorificis Parochorum primitivorum juribus decreta edidere aliqua, eosque vetuere aut concionari, aut confessiones excipere, aut administrare Sacramenta, aut publicare bannos, nisi ab Episcopo, vel à Vicario ejus Generali antè approbati essent.

XI. Concilii Tridentini Patres Alexandri III. Sess. 21. c. 4. 5. Decreto *Ad Audientiam* sese accommodantes, Episcopis priscam adseruere potestatem, novas erigendi Parochias, ubi necessarias existimassent, etiam Sess. 24. c. 13. citra consensum Parochorum; & certos eis idoneosque reditus adsignandi, vel antiquos Parochiæ reditus bipertiendo; vel Parochianos compellendo, ut de suo decerpant & conferant aliquid: sive alias minusculas Parochias, & alia Beneficia uniendo. Cælestinus III. Papa in Capite *Sicut, De excessibus Prælatorum*, apertè tradit, & Romani esse Pontificis Episcopatus, & Episcoporum Parochias unire: *Sicut unire Episcopatus, atque potestati alienæ subjicere ad summum Pontificem pertinere dignoscitur, ita Episcopi & Ecclesiarum suæ Diœcesis unio & subjectio earumdem.* Hæc rursum confirmatur Episcoporum potestas Regio Edicto Aurelianensi articulo 16. Blesensi art. 22. 23. & Melodunensi art. 27. Edicto rursum anni 1606. art. 18. & anni 1629. art. 11. Quibus postremis Edictis ne Regularia quidem Beneficia excepta sunt, præter Officia Claustralia.

XII. Statutum est in eadem Tridentina Synodo, ut illis in urbibus, ubi nullæ sunt, Parochiæ instituantur: & ubi plures quidem illæ sunt, sed promiscuæ & indiscretæ, adeo ut possint Parochi singuli omnibus flagitantibus erogare Sacramenta: Episcopus Parochias suis singulas finibus circumscribat, certamque gregis partem singulis adscribat Parochis, à quibus Sacramenta administrentur propriis ovibus, non alienis. *Mandat sancta Synodus* Sess. 24. c. 13.

*Episcopis, pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas distinctasque Parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & à quo solo licitè Sacramenta suscipiant: aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant.*

Congregatio Concilii in causa Episcopi Aquilani in Italia declaravit, Decretis Tridentinis nihil convelli de prisca civitatis suæ disciplina, ubi Parochiæ certis non regiunculis aut vicis, sed familiis definiebantur; abundè enim esse, ut unaquæque familia proprium habeat Parochum.

*Barbosa de Officio Paroec. part. I. c. I. n. 24.*

---

## CAPUT. XXVII. *P. 4. l. 1. c. 29.*

## De Vicariis perpetuis & temporariis post annum Christi millesimum.

*I. Eorum fraudulentia, qui unam Parochiam, ut Titulares, aliam ut Vicarii obtinebant.*
*II. Proscribitur ea fraus à Conciliis Angliæ.*
*III. Vicarii residere jussi.*
*IV. Episcopi & Capitula Regularium Vicariis commendabant Parochias Mensæ suæ unitas.*
*V. In Gallia plerique erant temporarii Vicarii; qui usus periculi plenus damnatur à pluribus Conciliis, maximè ab Avenionensi & Arelatensi, quòd frequentior is esset illis in locis.*
*VI. Magni ponderis aliqua in hos Canones adnotantur.*
*VII. Pervaserat & Germaniam hæc corruptela.*
*VIII. Alia Vicariorum genera.*
*IX. Quòd Parochi quidam ad nutum Præsulis amoveri possent, id ortum fuerat ex Parochiis, quæ Collegiis Clericorum Monachorumque concessæ fuerant. His enim facilè obrepsit, ut sicut Officiorum Claustralium, ita & harum Parochiarum revocabile esset regimen.*
*X. Jubet Tridentinum Concilium, ut per Vicarios perpetuos, non temporarios regantur Ecclesiæ.*
*XI. Eòdem conspiravit Congregatio Concilii.*
*XII. Idem voluère, & edictis suis sanxere Reges Christianissimi.*

I. IMproba Beneficiorum ingluvies duas commenta est fraudes, ut alia aliis addere & coacervare impunè posset, & Canonicis Decretis contrà nitentibus fucum facere. Earum prima hæc fuit, ut qui titulo unius Parochiæ fruebatur, alterius Vicariatum impetraret, atque ita duplicem gereret animarum curam, duplicique præesset Pastor unus gregi, adeoque neutri. Sociari non poterant duorum hujusmodi Beneficiorum Tituli: at unius Titulum cum alterius Vicariatu conjungi posse facile sibi persuadebant, quos insatiata incesserat avaritia. Fraus altera erat ejusmodi, ut unius Beneficii & Tituli compos alterius firmam expeteret, seu locari sibi curaret, pensionem annuam, sed permodicam soluturus ei, qui Titulum retineret. Sinuosos flexus & obliquas ambages fraudulentiæ hujus geminæ retegere hîc uno & altero Capite conabimur; nec silebimus, qua sapientia grassanti malo occurreret Præsulum insomnis vigilantia.

II. Londinense Concilium anni 1237. statuit ne Vicarius institueretur, nisi qui jam Presbyter esset, aut Diaconus saltem, ut proximis Quatuor-Temporibus Presbyter ordinari posset; nisi Beneficia cætera omnia abdicaret, quibus animarum cura incumberet: & nisi denique in Ecclesia ea residere sponderet jugiter, cui Vicarii nomine præficiebatur. *Qui renuntians Beneficiis aliis, si qua habet curam animarum habentia, juret residentiam ibi facere, ac eam faciat continuè corporalem.* Ita qui Vicarius constituebatur perpetuus, Titulo quodammodo Ecclesiæ donabatur, cùm ad id astringeretur, ut perpetuò resideret, & nulli prætcrea Beneficio cuicumque animarum cura onerato sese implicaret. At Canonis hujus conditores Episcopi causam non tacuerunt, quæ his cautionibus uti cogeret. Nempe unius Ecclesiæ Parochi, alterius Parochi cùm esse simul non possent, erant Vicarii; ita duas retinebant Parochias, & secundæ hujus Parochiæ proventuum partem permodicam titulari Parocho pendentes, reliquum sibi vendicabant. *Sic eluditur ille dolus, quo sæpè assignato alicui, nomine personatûs, modico, simulatè dabatur alii Ecclesia, sub ficto nomine Vicariæ, qui timens alia Beneficia perdere, metuebat eam recipere, ut persona.*

*Can. 10.*

Ergo qui Titulum Beneficii obtinet, *Persona* hic vocatur, eoque à *Vicario* secernitur. Londinensis ergo iste Canon Vicarium jubens esse perpetuum, nec sinens ut alio possit Beneficio cum animarum cura onerari, perinde ferme est, acsi sub Vicarii nomine Titulum Beneficii crearet. Sancitur denique hoc eodem Canone, ut qui hactenus cùm Presbyteri nondum essent, Vicarii creati sunt, nisi intra annum Presbyteratu initientur, Vicariatu spolientur suo. *Infra annum ordinentur.* Ratio statim promitur, quòd ipso Vicariatûs nomine moneantur, & Parocho, & Ecclesiæ gnaviter operam navare. *Cùm Vicarii teneantur personis & Ecclesiis deservire.*

Ea certè Decreta consentiunt adprimè cum Decretis Alexandri III. quæ congesta sunt in Titulum *De Officio Vicarii*, & quæ ad Episcopos Angliæ destinantur. Etenim Pontifex Vicariatu spoliat eum qui Parochiam impetravit: neminem patitur plures obtinere Vicariatus: denique ita statuit, siquis Parochus Vicarium sibi accersivit, congruamque illi assignavit portionem de sententia Episcopi: ejus in eadem Parochia successor, nec Vicarium amovere possit, nec portionem minuere.

III. Damnavit eadem Synodus artes alias non minùs iniquas, aut exitiales. Qui Parochiali Beneficio altero, cogebatur semet exuere, ejus quod abdicabat Vicariatum retinebat adhuc: quæ mera erat ludificatio. *Cedit quis aliquando personatui, & ab instituto inibi recipit postmodum Vicariam. Quod fieri non præsumitur sine fraude.* En alias artes: Eadem Parochia multis conferebatur, quòd plures essent Patroni; quo portentosa quædam multitudo capitum uni corpori inferebatur: *Non uni tantùm datur Ecclesia, sed pluribus prætextu plurium Patronorum; ut sint plura capita in eodem corpore, quasi monstrum* Parochi temporarios asciscebant sibi Vicarios, eoque absolutos se ea lege & necessitate venditabant, ut nec residere, nec stato tempore Presbyteratu initiari, nec denique habitu indui clericali cogerentur. *Ecclesia sæpe manet, dum nec persona, nec saltem Vicarius invenitur perpetuus, sed aliquis fortè simplex Sacerdos, qui nec jus habet, nec etiam juris imaginem in eadem. Et si moram forsitan ibi trahat, non est Sacerdos, nec habitu Clericus, sed miles.* Perversitates istiusmodi omnes configuntur ab hac Synodo, prohibeturque, nequa Ecclesia in plures, vel Parochos, vel Vicarios dividatur. *Ut nunquam deinceps in plures Personatus, vel Vicarias una Ecclesia dividatur.* Nisi tamen contraria præscripta sit consuetudo, & vel tunc curæ erit Episcopo, ita & proventus & regiunculas partiri Ecclesiæ, ut propemodum tam duæ sint Parochiæ, quàm duo Parochi. *Nisi forsitan sic institutum fuerit ab antiquo, ubi est per loci Episcopum providendum, quod tam reditus, quàm Parochia congruis inter eos portionibus*

*Can. 11.*

*& regionibus.* Suppleri debere videtur ea vox *dividatur.*

Synodus Vorcestrensis anno 1240. tam Vicarios, Can. 38. quam Parochos residentiæ lege constrinxit. *Vicarii in Ecclesiis suis omnino resideant, omni occasione cessante. Rectores etiam Ecclesiarum sine licentia Episcopi nullatenus se absentent.* Hoc ergo his illisque intererat discrimen. Possunt justis de causis abesse Parochi, quas Episcopus probaverit: Vicarii ne justæ quidem possunt esse causæ, ut absit. Jubet eadem Synodus, ut Regulares præsentent Episcopo Vica- Can. 41. rios ad Ecclesias, quas habent ad suos usus: *Ecclesiis quas habent in proprios usus*: id est, ut earum reditibus alantur. Addit Synodus, ut & sufficientes eis reditus adsignent.

IV. Concilium Londinense anni 1268. illud primùm nos edocet, parum religiosè servata fuisse decreta superioris Concilii Londinensis anni 1237. de quo paulò suprà. Ideo & illa innovat omnia, addita privationis pœna in Vicarios istiusmodi, & jussis Archidiaconis strenuam navare operam in ex- Can. 9. stirpandis iis Vicariis. Ad Regulares videtur pertinere illa Concilii ejusdem querela, de Ecclesiis, quæ Vicariis destituuntur, vel quarum Vicariis tam tenuia assignantur stipendia, ut oneribus Ecclesiæ Can. 23. sustinendis impares sint. *Aut si Vicarium instituant, ita modicam ibidem relinquunt fructuum portionem, quòd non possint sibi sufficere, & Archidiaconorum, & alia incumbentia sibi onera supportare.* Denique si officio non fungantur in hac parte Monachi, intra semestre spatium aget Episcopus pro potestate sua.

Non Monachi autem soli, sed Episcopi Parochiales habebant Ecclesias, quarum proventus percipiebant, congrua portione Parochis, vel Vicariis assignata. Jubet hoc Concilium ædes eas reparent, quæ hospitibus dicatæ sunt excipiendis: *Ut Episcopi qui Ecclesias in proprios usus habent, &c.* Itaque Episcopi in his Ecclesiis Vicarios instituebant, sed eos perpetuos, cùm Ecclesiæ & Conciliorum ea tum esset propensio.

V. Gliscebant & in Ecclesia Gallicana corruptelæ istiusmodi, sed & non minore studio quàm in Anglia ab Episcopis & Conciliis resecabantur. Concilium Abrincatense anni 1172. eos gravi cauterio inussit, qui conductitiis, annuisque Vicariis Eccle- Cognac. sias commendarent. *Ecclesiæ Vicariis annuis committantur.* Concilium Provinciæ Burdigalensis ad Campiniacum, anno 1238. excanduit adversùs eos, qui unius Ecclesiæ Parochialis Titulum, alterius Vicariam administrationem copulari posse confiderent: Can. 5. *De Capellanis Ecclesiarum Parochialium, qui aliam accipient Vicariam, censemus, ut si monitione præmissa noluerint ad intitulatam redire, sine remedio illis auferatur.* Si statutum hoc non de Parochis, sed de Capellanis interpreteris, qui eo fine instituti sunt, ut in Ecclesia Parochiali subsidiarias operas conferant, tum major fuerit ejus, & diligentia, & vigor. At de Parochis æquius est illud capi; ut ex ea voce li- Can. 4. cet conjicere, *Intitulatam.* Per hoc idem Concilium non licet Archipresbyteris, Decanis, vel Archidiaconis, sibi ipsis Vicarios subrogare cum absunt, nisi justis & Episcopo probatis absint causis. *Nisi ex justa causa absentes fuerint, quo casu poterunt cum consensu Episcopi Vicarios ordinare.*

Hi postremi Vicarii temporarii proculdubio erant, nempe quandiu abessent Archipresbyteri vel Archidiaconi. Poterant & eadem ratione creari in Parochialibus Ecclesiis, vel dum ipsæ Pastore viduatæ essent. Ita sumendus Canon Concilii Pont-Audomarensis anno 1279. *Ut Capellani, quibus Ecclesiæ* An. 1279. *committuntur ad tempus, super litteratura, conversatio-* Can. 19. *ne atque ordinatione sua diligenter examinentur.* Synodus Bajocensis anni 1300. jussit, ut cùm Vicarius perpetuus diem suum obiret, ne quis subrogaretur alius: sed Parochus ipsemet suo munere fungeretur: *Vicario perpetuo cedente, Vicaria personatui ac-* Cap. 102. *crescat, & ex tunc persona illius Ecclesiæ non per Vicarium, sed per se ipsum ibi deserviat.* Concilium Avenionense anni 1232. statuit, ut in Ecclesiis quas Monachi adgubernabant, Priores Episcopo ante sex menses Vicarios offerrent perpetuos; alioqui ipsimet Episcopi perpetuos eligerent & instituerent, certaque proventuum parte dotarent. *In singulis* Can. 29. *Ecclesiis per Monachos solitis gubernari, infra sex menses, Priores earum suis Diœcesanis ad curam animarum perpetuos Presbyteros repræsentent.* Sed aliquantò luculentiùs ex Concilio Arelatensi anni 1260. declaratur, quæ illis in regionibus & Parochorum esset conditio & Vicariorum. Parochias plerasque omnes Monachi regebant ipsi per semet, & administrationis suæ rationem Episcopo referebant. At cùm postea cœpissent ipsi minùs residere, temporarios substituerunt sibi Vicarios, nonnunquam ne substituerunt quidem ullos: statutum est in hoc Concilio, ut vel Regulares ipsi residerent, vel Vicarios sufficerent sibi perpetuos, cum stipendiis idoneis; alioqui Episcopi ipsi perpetuos ibi instituerent Vicarios. *Quia major pars Ecclesiarum Parochia-* Can. 3. *lium hujus Provinciæ ad Monachorum vel Conventuum Regularium pertinet Prioratus, de quorum Collegiis aliqui consueverant in ipsis Ecclesiis continuè residere, & de ipsis rationem reddere Prælatis; Nunc autem, &c. Vicario perpetuo per Prælatum instituto, &c.*

VI. Ex hoc Canone elucescit, 1. Jam tum Vicarios non alios probatos fuisse, quàm perpetuos; & *Mercenariorum* nota inustos fuisse, qui ad tempus quasi conductitias operas locabant. Hoc enim illis elogium appingitur in Concilio Arelatensi. *Nullo Sacerdote relicto, alicubi mercenario.* 2. Si temporarii nonnunquam & mercenarii admitterentur Vicarii, id gravis extorquebat necessitas, tumque magna adhibebatur circumspectio, & ad tempus breve admittebantur, dum perpetuus institueretur, ut liquet ex ejusdem Canonis clausula. *Nec ultrà mercenariis, nisi bonis & expertis, & hoc ad tempus, & ex causa dominicarum ovium, regimina committantur.* 3. Si quæ sint Provinciæ, ubi non Parochi vel Curati, sed Vicarii vulgò regunt Ecclesias: id eo factum, quòd ex Parochiæ quondam Monachis concessæ fuissent, qui Parochorum primitivorum nomen & insignia retinentes, Vicarios ibi constituebant perpetuos. Idque in hoc eodem Canone perspicuum est. 4. Monachi ipsi per sese, vel Canonici Regulares has administraverant aliquando Parochias, & omnes Parochorum impleverant partes; nec Canone isto potestas ejusmodi eis abrogatur. 5. Liquet hinc etiam, qui fuerint Prioratûs Curati. Parochiæ enim istæ à Prioribus Monachis administrabantur. *Major pars Parochialium Ecclesiarum hujus Provinciæ ad Monachorum vel Conventuum Regularium pertinet Prioratus.*

Et hæc quidem in unum eum Canonem observata sint. In priores autem Canones non pauciora sunt, quæ animo commendari par sit. 6. Vicarias istos verè Titulos dici potuisse Beneficiorum, ut quæ simul obtineri retinerive non possent cum Vicariatu alio, vel Parochia. 7. Non creabantur perpetui Vicarii loco Parochorum, nisi id inexora-

bilis expugnaret necessitas; & deinde quamprimùm fieri poterat Vicarius perpetuus, rursus in Parochum resingebatur. 8. Erant ergo duplicis generis Vicarii perpetui, alii ut Parochis adjumento essent, alii ut illorum locum implerent. 9. Non omnibus ubique indulgebatur id Monachis, ut Parochorum personam sustinerent & implerent munia: ut liquet ex Concilio Arelatensi, quo id vetatur: ex Avenionensi, quo permittitur. 10. Non omnes Vicarii perpetui profecti sunt ex Monachis quibus credebantur Parochiæ. Et ab ipsis enim quidam instituebantur Episcopis in Parochiis illis quæ eorum Episcopali mensæ erant adscriptæ. Præter Canonem suprà ea de re laudatum, accipe & aliud hoc documentum. Cùm anno 1248. Cardinalis Legatus Odo Ecclesiis Cypri pulcherrima sanctioris disciplinæ capita commendaret sanciretque, Episcopis præcepit, ut Capellanos perpetuos in omnibus in-

Conc. Tom. 11. Part. 2. pag. 2402. stituerent urbis rurisque Parochiis. *In aliis Parochiis, tam civitatum, quàm Diœceseon idonei & perpetui instituantur Presbyteri.* Et paulò antè: *Præcipimus tam Archiepiscopo, quàm Episcopis, ut in suis Ecclesiis Magistros Capellanos, qui curam teneantur agere animarum, instituant, quos perpetuò volumus in suis remanere officiis.* Non erant ergò nisi Vicarii perpetui, sive in Ecclesiis Cathedralibus, sive in Parochiis aliis. 11. Nec ea sola erat nominis discrepantia, erat res ipsa longè diversa. Portione enim congrua contenti esse jubebantur Vicarii perpetui; at Parochi Decimas proventusque prorsus omnes percipiebant. Hinc & Legatus Odo, de quo paulò antè, ubi de Vicariis perpetuis, ibidem mox de portione congrua, quam & augeri jubet. Et in superioribus Conciliis portiones, seu pensiones congruæ Vicariis perpetuis semper adsignabantur. 12. Nihil attinet hic dicere de Vicariis, quos statutis suis

Ibid. p. 1536. habere jubebantur Canonici Lugdunenses, jam inde ab anno 1251. seu Presbyteri essent, aut Diaconi, aut Subdiaconi, qui eorum absentium loco divinis Officiis inservirent.

VII. Tempestivum jam est ab Anglia Galliaque in Germaniam gradum moliri. Concilium Salisbur-

Can. 8. 9. 10. gense anni 1274. gravissimè objurgavit Parochos, qui Ecclesias regerent per Vicarios ad nutum revocabiles: residere ipsos sanxit; utque in Beneficiis quorum cura Vicariis demandari soleret, Vicarii ipsi Episcopo offerrentur, qui eam ipsis perpetuam curam delegaret, congruamque redituum Ecclesiæ portionem assignaret. *Episcopo præsententur, qui ipsos in hujusmodi Vicariis perpetuet, & sufficientem de Ecclesiarum reditibus eis constituat portionem.* Præcepit

Can. 16. 17. Vuirtburgense Concilium anni 1187. ut Parochi, quibus subessent Capellæ Parochiis ipsis obnoxiæ, Vicarios ibi alerent, qui residerent, administrarentque Sacramenta Parochianis: at verò Abbates, Prioresque, qui mense uno Parochias sui juris Vicariis vacare sinerent, suspendit ab Officio, Episcopo tum vendicans jus deligendi Vicarii.

Can. 7. Concilium Coloniense anni 1310. non probavit quibusdam in Capitulis permitti Vicariis, ut sua singuli hebdomada Sacrum ad Altare majus celebrarent, aliisque Canonicis horis interessent; at eosdem prohiberi, ne ad matutina Officia vel lectiones recitarent, vel decantarent versiculos, quo fiebat, ut rari essent qui his interessent Officiis. *Præcipimus Decanis, ut Vicariis injungant deinceps versus cantare & lectiones legere, &c. Absurdum est quòd majora & solemniora permittantur, & minora denegentur.* Planum est de Vicariis Capitulorum illud intelligi. Concilium Budense anni 1279. prohibuit ne Can. 10.
Archidiaconi Parochive Vicarios sibi adoptarent ex laïcis vel Clericis conjugatis. Concilium Salis- Can. 5. 6.
burgense anni 1420. Vicarios ad nutum revocabiles penitus abolevit. *Nullus admittatur, ordinandus vel promovendus ad Ordinem super Vicaria, nisi sit perpetua Vicaria, à qua non possit ad inordinatum placitum amoveri.* Vicariatus perpetui erant, ex isto Canone ita conceptis verbis pronuntiante, instar Beneficiorum & Titulorum, qualibus opus erat, ut quis ritè ordinaretur. Hoc eodem ex Concilio exauthorandi sunt Parochi, nisi Vicariis congruam assignent portionem redituum Ecclesiæ. Synodus Coloniensis an- Cap. 7.
ni 1423. vetuit, ne Parochi Vicariique perpetui in Vicarios sibi accerserent vel Capellanos ex Monachis mendicantibus, vel non mendicantibus, quandiu non deesset aliorum copia. Mandati hujus transgressoribus excommunicatio intentabatur.

VIII. Vicariis arbitrariis accenseri possent Presbyteri forsan illi, qui quanquam nullo dotati Beneficio Ecclesiastico, cogebantur tamen ab Episcopis sub pœna suspensionis sacra munia in Parochiis obire omnia, ad quæ essent idonei, salario modico munerandi. Multa hoc genus statuta occurrunt in Conciliis Ecclesiæ Anglicanæ. *Capellani quicunque* Conc. Gen. Tom. 11. Par. 2. pag. 1935.
*non beneficiati, præsertim idonei, curis animarum & Ecclesiis, seu Parochialibus Capellis, moderatis sibi constitutis salariis, ante omnia officiari & intendere teneantur, &c. sub pœna suspensionis ab officio, &c.*

Quod ad Vicarios autem pertinet, vel Coadjutores Canonicorum, Concilium Coloniense anni 1536. fluctuari vel dubitare nos non sinit, quin verè Titulares & Beneficiarii essent; cùm hoc Concilio decernente priventur distributionibus & fructibus ipsis annuis, nisi intersint Officiis, superpelliciis induti, cum vel absunt vel decumbunt Canonici, quorum Coadjutores dicuntur. *Cujus vicei gerent,* Par. 3. c. 11.
*nisi Canonicis adjutores accedant? horum nimirum vice, qui vel adversa valetudine detenti, vel negotiis necessariis avocati, interesse non possunt.* Sunt & in Gallia Ecclesiæ, ubi Vicarii hi ipsi perpetui & irrevocabiles sunt. Sunt & ubi Canonicorum Vicarii ad nutum destitui possunt, etsi & fructus percipiant Beneficii, & distributionibus non fraudentur.

IX. Ex his porro planissimum est, id semper in votis, id curæ fuisse Ecclesiæ, ut Parochias non administrarent & Ecclesias quascumque, nisi vel perpetui Vicarii, vel Parochi irrevocabiles. Jure novo Decretalium Urbanus III. jubet, ut Monachorum Ecclesiæ gubernentur à Parochis, vel Capellanis, vel Vicariis, quos Monachi Episcopo offerent instituendos, sed quos destituere ipsi postea non poterunt, ea potestate Episcopo servata, qui ne ipse quidem id poterit, nisi canonico judicio. *In Ecclesiis ubi Monachi habitant, populus per Monachum* Extra. De
*non regatur; sed Capellanus qui populum regat, ab Epis-* statu Mo-
*copo per consilium Monachorum instituatur; ita ut ex so-* nachor. c. 1.
*lius Episcopi arbitrio, tam ordinatio ejus, quàm depositio, & totius vitæ pendeat conversatio.* Jam diximus fieri potuisse ut hæc amovendi destituendique, seu Parochos, seu Vicarios Parochiarum consuetudo initium duxerit ab illis Parochialibus Ecclesiis, quæ Caroli Magni & sequentibus sæculis donari Monachis & Canonicis cœpere, ad eorum sustentationem. Horum sacrorum Conventuum Rectores exinde has ita Parochias habuere, velut Claustralium Officiorum administrationes, quas temporarias & revocabiles esse consultius & conducibilius visum est Juris Canonici novi interpretibus & condito-

ribus ipsis. Ita Parochi Vicariique ab Abbatibus instituti, sive Canonici, sive Monachi, Abbatum arbitrio revocabantur; ex quo factum est, ut & cum præscripsere Concilia, ne nisi sæculares vel Parochi, vel Vicarii Ecclesias adgobernarent, sæculares quoque Parochos Vicariosque sibi adsciverint Abbates, & ad arbitrium revocabiles: donec tandem postremis his temporibus Pontifices & Concilia pervicère, ut nonnisi perpetui, seu Parochi, seu Vicarii Ecclesiis præficerentur. In iis quæ suprà hoc ipso capite disceptata sunt, alias quoque adnotavimus hujus rei rationes, sed hæc postrema omnium videtur fuisse frequentissima. Qui toto orbe Christiano supersunt Vicarii Parochive revocabiles, hujus generis sunt. Ad hos maximè pertinent Concilii Tridentini Decreta, Edictaque Christianissimorum Regum, de quibus mox acturi sumus. Denique conducebat utique ad Monasteriorum disciplinam, ut Claustralia Officia revocari semper possent; at quod ad Beneficia spectat, aliud semper sensit, aliud experta est Ecclesia.

X. Postremò denique ita præcipit Tridentina Synodus, ut Episcopi perpetuos ubique instituant Vicarios, nisi utilitas alicujus Ecclesiæ diversum aliquid eis persuadeat, in Parochiis illis omnibus, quæ Capitulis, vel Monasteriis, vel Conventibus unitæ sunt; utque congruentem eis adsignari jubeant
*Sess. 7. c. 7.* pensionem. *Beneficia Curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis vel Monasteriis, Beneficiis, seu Collegiis, aut piis locis perpetuò unita & annexa re-*
*Sess. 21. c. 6.* *periuntur, &c. per idoneos Vicarios etiam perpetuos, nisi Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, animarum cura exerceatur, &c.* Alibi tamen Tridentini Patres copiam fecere Episcopis temporarios adjungendi Vicarios Parochis iis, qui cùm pietate abundent, scientia necessaria destituuntur.
*Sess. 24. c. 13.* *Coadjutores aut Vicarios pro tempore deputare.* Sed horum temporaria cùm esset causa, & ipsos quoque temporarios esse par erat. Utcumque perpetui dici poterant, qui à Parocho removeri non poterant, quandiu eodem vitio laboraret. Sanxere iidem Patres, ut Episcopi Parochias alias ab aliis distermimarent, ubi promiscuæ erant, & suum cuique gregem addicerent, nec Parochos esse ibi sinerent nisi perpetuos. *Distincto populo in certas propriasque Parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent.* Prohibuit denique Tridentina Synodus converti in beneficia simplicia Parochias, creato Vicario perpetuo, qui portio congrua
*Sess. 25. c. 16.* dnietur: *Beneficia quæ curam animarum ex primæva eorum institutione, aut aliter quomodocumque retinent, illa deinceps in simplex Beneficium, etiam assignata Vicario perpetuo congrua portione, non convertantur.* Quod ad Vicarias autem perpetuas, quæ hactenus institutæ sunt ex hujusmodi Parochiarum iniqua destitutione, omni virium contentione enitentur Episcopi, ut idonea & larga fructuum portio illis decidatur.

XI. A Congregatione verò Concilii multæ effulserunt Declarationes, quas operæ pretium fuerit hîc adscribi. Nimirum Vicarios perpetuos in
*Fagnan. in L. 1. Decr. part. 2. pag. 386.* Parochialibus ædibus residere debere. Ita refert Fagnanus, qui mox hanc ventilat quæstionem, An Capitula Ecclesiarum Cathedralium & Collegialium, teneantur perpetuos constituere Vicarios, quibus curam animarum delegent. Et respondet quidem ille, 1. teneri ad Parochias, quæ Capitulis unitæ sunt; cùm Canonici, qui Parochias habent Dignitati vel Præbendæ suæ unitas, astringantur Vicarios eas perpetuis commendare, *Capite, Extirpanda, §. Qui verò. Perpetuum & idoneum habeat Vicarium.* Et cum Bonifacius VIII. cogat Monachos, ut ne nisi perpetuos instituant Vicarios in Parochiis sui juris. *Cum sint perpetui, & nisi per Episcopos, & ex causa rationabili, nequeant amoveri.* Quod *In Sexto De Capellis Mona. c. 1.*
& à Concilio Tridentino jam diximus confirmatum fuisse. 2. Si Parochiæ intra eandem sint Ecclesiam; *Sess. 7. c. 7.*
Capitula, quibus imminet animarum Cura, posse Vicarios revocabiles accersere, eisque eam sarcinam imponere: sed gratissimum fore, ut Papa constitueret, ne nisi perpetui Vicarii statuerentur; ut Parochia quælibet proprium haberet Pastorem, sponsumque unicum & perpetuum, qui sincera charitate ei adglutinaretur, consuleretque; cùm ex adverso Vicarii revocabiles, instar mercenariorum sint, charitatis expertes, instabiles, parum chari gregi, parum venerandi, ideóque parum utiles. Denique nullo non loco Tridentinum Vicariorum perpetuitati suffragatur.

XII. Hæc Tridentina Decreta Regio Edicto *Art. 12.*
confirmavit Ludovicus XIII. anno 1629. edicens, ut Parochiæ Abbatiis, Prioratibus, Ecclesiisque Cathedralibus, Collegialibusque unitæ, Vicario deinceps perpetuo adgubernandæ delegentur. Nec *Art. 29.*
minùs aperta sunt verba Declarationis Regiæ anno *Memoires du Clergé. To. 1. pag.*
1657. qua edicitur, ut Archiepiscopi, Episcopi *202.*
præcipiant Abbatibus, Prioribus, Capitulis, aliisve Ecclesiasticis, qui primitivorum Parochorum jura in Parochiis consecuti sunt, ne deinceps eas per Vicarios revocabiles regant, sed idoneos Episcopis præsentent Presbyteros, qui ab illis Vicarii constituantur perpetui: nisi præfixo autem tempore præsententur istiusmodi Presbyteri, deligant Episcopi ipsi, quos perpetuos statuant Vicarios. Quæ Regia declaratio petenti Clero concessa est. Cæterùm laudatur à me nonnunquam Edictum anni 1629. quod verè in Superiori Senatus Parisiensis promulgatum, registratumque fuerit, dum Rex ipse præsens ea majestate & pompa adesset, qua solet vernaculè dici Lectum Justitiæ tenere; quódque ea multa contineantur luculenta cum primis Disciplinæ Capita: quanquam nisi me fallat, nequaquam ei deinceps summam illam constitisse authoritatem, nisi iis in rebus, quæ postea Parlamenti vel Majoris Consilii Senatus consultis corroboratæ sunt, ut legum deinceps instar habeant.

---

## CAPUT. XXVIII. *P. 4. l. 2. c. 30.*

### De Beneficiis quæ Clericis aliis locabantur, vel ad Firmam dabantur.

*I. Ut illuderent legi Ecclesiasticæ, plura simul haberi vetanti Beneficia, quæ curæ, vel residentiæ essent obnoxia, unum Titulo, alterum ad Firmam retinebant.*

*II. Laici de obtinendo Beneficiorum Titulo desperantes, Firmam ambiebant. Hæc avaritia ludibria à Conciliis damnata.*

*III. Firmæ istiusmodi quæ spiritualia erant Beneficiorum complectebantur.*

*IV. Justæ erant tamen causæ Ecclesias locandi.*

*V. Firmæ, quibus Laici interdicebantur, temporales Beneficiorum fundos & proventus comprehendebant.*

*VI. Rigor ille Canonum mitescere cœpit in laicos.*

*VII. Exolaverant ab Italia hæ corruptelæ in Gallia solvari cœpere Laici ad Firmas illas anhelantes, quando desinum est timeri, ne ut olim Firmarii in usurpatores evaderent.*

*VIII. Antiquior in his Ecclesiæ usus.*

I. IN Concilio Londinensi anni 1237. eorum fraudulentia confixa est, qui opulentarum Ecclesiarum

Eccleſiarum non Titulum, ſed Firmas, ſeu locationes perpetuas aucupabantur: ne ſi earum conſequerentur titulos, aliis prorſus Beneficiis exuerentur; interim verò Firmæ obtentu reditus Eccleſiæ omnes corradebant, penſione permodica Titulari conceſſa. Præpoſtera omnino hæc erat rerum perturbatio, qua Titularis qui dicebatur, penſione ſolùm gaudebat: & qui Firmarius erat in ſpeciem,
Can. 9. re Beneficiatus erat. *Audivimus quod vacante pingui Eccleſia, quam quidam optabat habere, nec tamen audebat eam recipere, ut perſona, ne alius ipſo jure Beneficiis privaretur; callidè procuravit, ut Eccleſia illa ſibi ad Firmam perpetuò traderetur: ita quod modicum quid inde ſolveret alii nomine perſonatûs, ſibique totum retineret.*

II. Quin & laïci cùm Beneficiorum Titulo arcerentur, Firmas extorquebant, & eo fuco proventus Eccleſiæ invadebant omnes. Ut huic malo obviam poſthac iretur, ſtatuit hoc Londinenſe Concilium, ut ne ad firmas Beneficiorum laïci unquam admitterentur: *Cùm laicis dari Eccleſias ad firmas, ſit penitus inhoneſtum, &c.* utque ne Clerici quidem eas obtinerent, niſi ad quinquennium, quo elapſo eas rurſum impetrare non poſſent, niſi alius
Can. 8. quiſpiam interim eas adminiſtraſſet. *Nec laicis unquam, nec perſonis etiam Eccleſiaſticis ultra quinquennium Eccleſiæ ad firmam concedantur, nec finito quinquennio renoventur eiſdem, niſi priùs ipſas habuerint alii mediatè.* Denique ſtatutum eſt, ne locationes iſtiuſmodi fierent, niſi Epiſcopo & Archidiacono conſentiente. Quod idem Decretum ſuo calculo munivit Synodus Vorceſtrenſis anni 1240.

Prohibuit Concilium Burdigalenſis provinciæ apud Campiniacum anno 1260. ne unius Eccleſiæ Parochus alterius firmam ambiret, addita pœna privationis Beneficiorum: niſi ſi hanc eis ſarcinam
Can. 13. Epiſcopus ingeſſiſſet. *Rectores Parochialium Eccleſiarum alias ad firmam non præſumant recipere, vel tenere ſub pœna proprii Beneficii amiſſionis, niſi hoc procederet de noſtra licentia ſpeciali.*

III. In mentem ſtatim venit, has Eccleſiæ leges non tam ad terras, ſundos, ſeudoſque Eccleſiæ trahi debere, quàm ad Eccleſias ipſas, ad oblationes, primitias, decimas, & quod ſermone vernaculo Caſuale dicimus Eccleſiæ. De ſolis enim hîc agitur Parochiis, quarum proventus his maximè ſubſidiis conſtant. His meritò laïci Firmis interdicuntur. At fundorum agrorumque Firmæ laïcis magis quàm Clericis congruere pleriſque videntur. Permittuntur hîc Clerici has obire Firmas per quinquennium. At ſubit animum, vix debuiſſe eos tanto ſpatio temporis his agrorum avocamentis abduci, & alienari à ſpiritalis miniſterii ſui deliciis.

Londinenſe ipſum Concilium anni 1268. aſtipulari videtur huic ſententiæ, cum locari & ad firmam dari vetat Dignitates, Officia, Decanatus, & juriſdictionis Eccleſiaſticæ reditus, Pœnitentiariæ, ob-
Cap. 21. lationum & ſacramentorum. *Ne dignitates, vel officia, putà Decanatus, vel proventus ex Eccleſiaſtica vel ſpiritualis juriſdictionis exercitio, ſeu ex pœnitentia, vel Altari, vel Sacramentis aliis quibuſlibet venientes nullo modo concedantur ad firmam.* Novæ in hoc Concilio decretæ in eos ſunt pœnæ, qui laïcis Eccleſias locarent, vel ultra quinquennium Clericis, vel Eccleſiarum ipſarum Patronis, à quibus majus imminet periculum, ne ſuæ eas ſubjiciant ditioni. Sed illud præ cæteris prohibitum, ne Monachi condu-
Can. 44. cerent Eccleſias, earúmve domos aut ſundos: *Manerium, Eccleſiam, poſſeſſiones, vel alia qualibet bona.*

Eo enim præter profeſſionis ſuæ regulas implicarentur Monachi negotiationi: *Ad firmam quæ mercationis inſtar habet.* In hoc Canone patet ſecerni Eccleſias à domibus, terris, fundiſque. Concilio Budenſi anni 1279. Canonici Regulares eadem lege & prohibitione conſtricti fuere. *Ne Monachi,* Can. 55.
*vel Canonici Regulares, Eccleſias ad firmam recipiant, vel conducant.*

IV. Erant tamen cauſæ juſtiſſimæ, ut Eccleſiæ conducerentur. In Concilio Cantuarienſis Provinciæ ad Lamberbum anno 1281. prohibitæ ſunt firmæ, niſi eas approbaſſet Epiſcopus, neceſſariis cauſis adductus: *Niſi ex cauſis neceſſariis, per ſuos Epiſcopos approbatis.* Ne tum quidem locari poſſunt Eccleſiæ, niſi Clericis virtute præditis, & juriſdictioni Epiſcopi obnoxiis; proſcriptis colluſionibus iis, ubi laïci Clericorum nomine abutuntur. Denique in iſtiuſmodi contractibus pars aliqua pinguior redituum Eccleſiæ pauperibus ab Epiſcopo adjudicanda eſt. *Pinguis portio, juri conſona, ſecundùm ar-* Can. 13.
*bitrium Epiſcopi aſſignetur, ſub teſtimonio quatuor fidelium Parochianorum eiſdem fideliter eroganda pauperibus.* In Concilio Redonenſi anni 1273. idem ſtatutum fuerat, Firmariiſque commendata fuerat hoſ-
pitalitas. *Nulla Parochialis Eccleſia concedatur ad fir-* Can. 2.
*mam, niſi juxta Diœceſani arbitrium firmario tanta portio relinquatur, quòd Chriſti pauperibus valeat condecens hoſpitalitas exhiberi.* Concilium in Caſtro Guntherii habitum anno 1271. portionem congruentem
Capellano tantùm ſervaverat: *Si aliqua neceſſitate* Can. 5.
*contingat, quòd aliqua Eccleſia alicui tradatur ad firmam, talis portio fructuum Eccleſiæ reſervetur Capellano, quòd ex eo valeat ſuſtentari.* Langeacenſe apud Turonas Concilium anni 1278. voluit ut Epiſcopus ipſe ſummam Affirmationis ſeu conductionis definiret, quando illam conſenſu ſuo approbaſſet. *Ne*
*tunc ad arbitrium Rectoris Eccleſiæ taxabitur firma,* Can. 8.
*ſed ad judicium Diœceſani.* Statuta Synodalia Rotomagenſia anni 1245. fibulam diſciplinæ hujus laxarunt, conceſſa Capellanis Parochiſque licentia, ut præter Parochiam Capellamque propriam, alterius Eccleſiæ, ſed unius tantùm firmam adminiſtrarent, quando & neceſſaria ſubeſſet cauſa, & Epiſcopi
conſenſio non deeſſet: *Ne pluſquam unam habeat* Synod. Rotom. p. 254.
*ad firmam, &c. ex cauſa neceſſaria, de noſtra licentia ſpeciali.*

Nemauſenſis Synodus anni 1284. cauſas iſtas enucleat locandi futuros Eccleſiæ reditus; nimirùm ſi Prior vel Rector ad Theologica ſtudia proficiſcatur. At ne tum quidem firmam Eccleſiæ adminiſtrare poſſunt vel Regulares, vel laïci, nec ſine
Epiſcopi conſenſu quiſquam alius. *Niſi Prior, ſeu* Cap. 31.
*Rector illius Eccleſiæ ad ſtudium Theologiæ ire voluerit.* Synodus Exceſtrenſis anni 128–, poſt interdictam locationem juriſdictionis Eccleſiaſticæ, Dignitatum, Officiorum, Sacramentorumque: non alias ſubſcribere videtur juſtis locandi cauſis, quàm diutinæ Beneficiariorum abſentiæ propter rationes Canonibus conſonantes. *Longa peregrinationis forſitan, vel ſtudii cauſa.* Synodus Ciceſtrenſis anni 1289. non omnes damnat omnino locationes, ſed eas dumtaxat, quæ Monachis fiunt, aut Patronis, aut denique laïcis. Santonenſis Synodus eos excommunicat, qui injuſſu Epiſcopi Eccleſias dant ad Firmam. Synodus Bajocenſis anni 1300. firmas omnes damnavit, quas fieri contigiſſet ſine ſpeciali Epiſcopi mandato: nec permiſit, ut unius Eccleſiæ Parochus alterius Firmam in ſe reciperet, niſi Vicarium perpetuum ſua ipſe in Eccleſia haberet. Inter-

Cap. 48. 49. 50. 98. dixit denique, ne Diaconi Decanatus Rurales annuo pretio locarent, quod eò Jurisdictionem Ecclesiæ nundinarentur; quanquam is vigeret usus, ut Decani isti pœnas infligerent pecuniarias, ejusque pecuniæ rationes redderent Archidiaconis. *Ita tamen quod de emendis jurati superioribus respondebunt.*

V. Nec dissimulamus, his prohibitionibus innecti domos, fundos, agros, decimas, bonaque alia Parochialium Ecclesiarum, quæ locari nunquam poterant laïcis, nec nisi ad quinquennium Clericis, nec denique nisi Episcopus annueret. Synodus Excestrensis anni 1287. graviter expostulat, quòd laïci, Ballivorum nomine palliati, conducerent, incolerentque domos Ecclesiæ, cum uxoribus & liberis, quod Ecclesiis & offendiculo erat & detrimento. Cap. 25. *Ecclesias laicis concedi ad Firmam, sub nomine Ballivorum, in quarum domibus præsumunt cum uxoribus & familia habitare, in grave scandalum & dispendium Ecclesiarum.* Id ipsum mox vetatur de ipsis Decimis, de terris Ecclesiarum liberis, & de aliis quibuscunque Ecclesiarum patrimoniis. *Interdicentes, ut terra libera Ecclesiarum, decima, vel quaque alia ad Ecclesias pertinentia, propter pericula, quæ de facili exinde possunt contingere, sub annuo censu ad Firmam laicorum non concedantur.*

Can. 4. Concilium Compendiense anni 1329. id ipsum prohibuit Prioribus Regularibusque: *Ne jura, redditus, aut possessiones Ecclesiæ, alicui ad vitam seu aliquod non modicum tempus, pecunia exinde recepta, quovis modo concedat sine consensu Diœcesani.* Item Concilium Lambethense Provinciæ Cantuariensis anno Can. 8. 1330. *Nullus Clericus aliquod Beneficium Ecclesiasticum alicui laico tradat ad Firmam, nec etiam fructus decimarum, ante separationem earumdem, eis vendere præsumat.* Clericus, quem sibi Beneficiarius quispiam *Procuratorem Generalem* substituit in administratione Beneficii sui per absentiam suam, offerri antè debet Archidiacono & Decanorum Ruralium cœtui: *Archidiacono & Capitulo præsentetur.* Anno 1339. Benedictus Papa XII. vetuit, ne Canonici Regulares sancti Augustini agros locarent suos, sine necessaria, vel utili causa, multisque servatis & formulis & cautionibus: *Sine causa necessaria, vel utili loca sua administrationi commissa vel proventus locorum ipsorum ad Firmam tradere, vel locare non* Can. 3. *præsumant, &c.* Concilium Londinense anni 1342. damnavit eorum ludificatorias artes, qui in contractibus firmarum Clerici laïcique nomina adscribebant, ut laïcus unus Firmam obtineret, Clerici nomine obumbratus, domosque Ecclesiæ cum familia sua incoleret, non sine scandalo Parochianorum. *In Ecclesiarum mansis & domibus cum uxoribus morantur, &c. unde scandala pullulant, &c.*

VI. Concilium Narbonense anni 1374. tolerare visum est has firmas, sive Ballivias, dummodo ne ad vitam, nec ad certum etiam tempus conceden-Can. 7. rentur, sed revocabiles semper essent: *Nullus nostrum, nec Prælatus, Capitulum, vel singularis Persona, Ballivias, Scribanias, seu alia officia, ad nos seu Dignitates vel Beneficia nostra spectantia possit de cætero alicui concedere ad vitam ejus, sed ad beneplacitum duntaxat concedentis.* In Constantiensi Concilio decretum est, ut Cardinales, qui Abbatias Prioratusque Conventuales commendatos haberent, ubi duodecim essent Monachi: Vicarium sibi Generalem in spiritualibus & temporalibus deligerent; in aliis verò ubi minor esset numerus Monachorum, Vicarium haberent in spiritualibus, temporalia verò administrarent per Clericos, quantum fieri posset: *Quantum poterunt, per Ecclesiasticas personas hoc faciant;* denique ne Beneficia sua laicis locare, aut ad Firmam dare possent: *Nulli autem laico monasteria, aut Beneficia hujusmodi, locent, aut ad Firmam, & arrendamentum dent.* Conc. Gen. Tom. 12. pag. 1455.

Ita paulatim mitescebat austerior olim adversùs laïcorum firmas disciplina. Accipe & has alias ejusdem mitigationes. Constitutiones Synodales Archiepiscopi Dublinensis anno 1518. minùs improbare videntur locationes Beneficiorum Clericis simul & laïcis factas. *Concessio vel firma facta laicis de bonis quibuscumque Ecclesiasticis sine assistentia Clericorum, est ipso jure nulla.* Conc. Tom. 14. p. 389. 428. Concilium Bituricense anni 1528. prohibet hoc tantùm: *Emendæ imposterum non dentur ad firmam; nec etiam jus sigilli dominorum Prælatorum.* Concilium II. Coloniense anni 1549. non damnavit eas, nisi eos qui Jurisdictionem certo locarent pretio; aut certa pecunia distraherent eorum Officia, qui juri dicendo præficiuntur: *Ne quis Prælatus, cujuscumque sit dignitatis, suam Jurisdictionem & munera ulli Commissario seu Collectori, licèt Ecclesiastico, plus offerenti, pro pecunia, aut pro certo annuo censu, committat vel vendat sub pœna excommunicationis.* Ibid. pag. 641. 645. Apertissimè in hoc Concilio concessum est, ut agricolis laïcis agri Ecclesiarum locarentur: *Possunt colonis sæcularibus Ecclesiarum prædia sub annuo censu locari.* Concessum est & Capitulis Monasteriisque, fundos proventusque omnes Parochiæ, ut Parocho permittere possint *pro moderato censu*, dum Parocho superesset, quo convenienter sustentari posset: *ut ei supersit honestus & sufficiens victus & vestitus.* Quæ ideo huc retuli, quòd hæc videri posset locatio facta à Parochis primitivis Parocho titulari omnium Ecclesiæ Parochialis redituum, sub annuo censu, vel pensione.

Denique dum anno 1556. Cardinalis Polus in reformationem incumberet Cleri Anglicani: innovavit ille quidem pristinas Constitutiones Conciliorum Angliæ, *ut Dignitates, vel Officia, Decanatus, Archidiaconatus, sive proventus ex jurisdictionis spiritualis exercitio provenientes nullo modo locentur, seu dentur ad Firmam.* Ibid. pag. 1733. Itemque ne Beneficia amplius ultra annum locarentur, nisi consensus accederet Episcopi: *Reliqua Beneficia ultra anni spatium, sine ulla innovationis spe, ad locationem, seu Firmam concedere nemini liceat, præter Ordinarii consensum.* Sed generali interdicto laïcos à firmis bonorum Ecclesiasticorum arcere abstinuit. Admisit ergo & illos, sed modo & limite certo ac definito. Quo liquet paulatim hanc in Ecclesiæ disciplina mutationem sensim & lentissimè factam esse.

At postremò tandem Narbonense Concilium anni 1607. ne improbavit quidem locata laïcis Beneficiorum prædia, dum ne laïcus Ecclesiæ conductor in se reciperet curam officiorum & sacrorum munerum in Ecclesia defungendorum; sed ut Beneficiarius partem proventuum seponeret, adsignaretque Presbytero, quem antè Episcopo obtulisset. Can. 32. *Beneficiarii fructus Beneficii laicis, aut aliis quibuscumque arrentando, non apponant clausulam, quod Rentarii Ecclesiæ servitium facere per se ipsos, aut per alios teneantur, sed pensionem ab Episcopo pro deservientibus Ecclesiæ designandam reservabunt; & Presbyteros pro servitio faciendo per Episcopum approbandos præsentabunt, &c.* Ubi manifestum est admitti indiscriminatim laïcos, Clericosque, ut eis Beneficia locentur, dum Episcopus ipse definiat quantam redituum portionem percepturus sit Presbyter, qui absentis Beneficiarii vices & officia implebit.

Quo priùs studio firmæ & locationes laïcorum, eodem postea prohibitæ sunt Emphyteoses, quæ plures in annos quàm finerent Canones producebantur, & quidem sine consensu Episcopi. Non tacuit Concilium Burdigalense anni 1590. quàm adversæ canonicis essent institutis Emphyteoticæ bonorum Ecclesiæ locationes. *Beneficiorum Ecclesiasticarumque rerum locationes, in emphyteosin concessiones, &c. sanctissimis Canonum Constitutionibus contrariæ, damnosum successoribus præjudicium, & certum Ecclesiæ detrimentum non rarò afferre consueverunt.* Itaque prohibentur in posterum hæ in longinquum Emphyteoses, nisi eas Ecclesiæ utiles fore compertum habeat Episcopus: *Nemo Beneficiorum bona in emphyteosin concedat, vel ad longum tempus locet, ni evidens Ecclesiæ utilitas Episcopi judicio aliud postularit.* Paulus II. Papa resciderat locationes omnes ultra triennium productas. Rescidit & Tridentina Synodus factas in longius tempus.

*Cap. 3.* *Extrav. Ambitiosæ.* *Sess. 25. c. 11.*

VII. Mirum accidere nemini debet, si nihil hactenus de Italia dixerimus. In promptu ratio est, quòd nullis ei cautionibus istiusmodi opus esset, cùm integrum ibi cuique esset Decimas & quælibet bona Ecclesiæ locare & conducere. Rescripsit Innocentius III. in causa Abbatiæ cujusdam in Anglia, posse pro antiquo more locari Decimas, dummodo ne in feudum darentur, vel alienarentur, tametsi in Concilio Angliæ secus statutum esset aliquid. *Ita tamen quòd hujusmodi locatio ad feudum vel alienationem non videatur extendi.* Etsi dissentiret Pontifex à Conciliis tum non Angliæ tantùm, sed & Galliæ Germaniæque: sua tamen illi ratio constabat judicii, constabat & Conciliis istis. Quod enim in Italia intentatum & pene inauditum fuerat, id in Gallia, Anglia, Germaniaque usitatissimum simul & luctuosissimum experti erant Episcopi, laïcos ex conductoribus proprietarios, feudatarios, usurpatoresque factos esse, Decimarumque partem maximam involasse, quas infeodatas appellabant, quòd eas instar feudorum patrimonio suo adjunxissent. Quocirca & huic Pontificis decreto parendum sibi non esse censuerunt Episcopi nostrates, nec vel tantillum tunc quidem refrixerunt à locationibus istis proscribendis: haud ignari probari Pontifici ipsi remedia nova, & Provinciis quibusdam peculiaria, ubi novi & peculiares grassabantur morbi, quibus ne afflata quidem unquam esset Italia.

*Cap. Vestra. De locato & conducto.*

Non ergo antè his se cautionibus munivit Ecclesia adversùs laïcorum grassationes, quàm occidente Caroli Magni stirpe Imperatoria illi passim & diu & impune in res Ecclesiæ omnes manus injecerunt. His malis nec Italia patuit, nec Hispania; quocirca nec eadem illic circumspectio fuit adhibita. Postremò denique ubi diutina illa laïcorum ab Ecclesiæ rebus vel administrandis, vel locandis, & vel utcumque attingendis, abstinentia, & sejunctio, pristinorum latrociniorum memoriam abolevit; tunc denique & in Gallia, & in Anglia, & in Germania, perinde ut alibi, & ut quondam ad locationes agrorum Ecclesiæ admissi sunt laïci.

VIII. Juvabit tamen observasse, ne Augustino quidem ipsi, quo nemo inter Ecclesiæ Christi Præsules à temporalium rerum cura alienior, vel Veritatis sempiternæ contemplationi addictior: ne ei quidem, inquam, placuisse, ut nisi Clericis rerum Ecclesiæ administratio crederetur. *Domûs Ecclesiæ curam, omnemque substantiam ad vices valentioribus Clericis delegabat & credebat.* Ita Possidius in ejus vita. Eadem Gregorii Magni mens, eadem providentia, ut constantissimè laïci à curando Ecclesiæ patrimonio summoverentur, & armis agrisque tantùm vacare sinerentur. *Nemo laïcorum quodlibet Palatii ministerium, vel Ecclesiasticum patrimonium procurabat, sed omnia Ecclesiastici juris munia Ecclesiastici viri subibant, nimirum laïcis ad armorum solam militiam, vel agrorum curam continuam deputatis.* Si constanter ea ratio servata fuisset, nec inter Clericos tanta ex otio supinitas, nec inter laïcos tanta bonorum Ecclesiæ deprædatio fuisset. Et tamen refertur infrà suo loco Chrysostomus, cui in votis erat, ut Ecclesiæ fundos omnes reciperent laïci, & onus in se reciperent alendi Cleri, cui tunc non alia cura, non ulla voluptas alia cordi esset, quàm cœlestium contemplatio & procuratio salutis Fidelium. Sunt ergo hinc & hinc commoda, sunt & incommoda, ideo & in his pro temporum varietate alternat Ecclesiarum disciplina.

*Cap. 24.* *Joan. Diac. in vita Gregor. Mag. L. 2. c. 15.*

## De Diaconis, Subdiaconis, aliisque minoribus Ordinibus.

## CAPUT XXIX. *P. 1. l. 1. c. 25.*

### De Diaconis per quinque priora Ecclesiæ sæcula.

*I. Efferebant sese supra Presbyteros Diaconi sua paucitate inflati. Illos deprimebat Hieronymus, objecta occasione eorum institutionis, ministerio viduarum.*
*II. Idem tamen alibi extollit Diaconos, ut propter sacrificii ministerium institutos.*
*III. Probatur ministerium viduarum instituendis Diaconis occasionem præbuisse, non causam.*
*IV. Habent ex Hieronymo dandi baptismi potestatem.*
*V. De septenario Diaconorum numero in urbe Roma.*
*VI. Eorum superbia causa hæc fuit altera, quòd apud Episcopum plurimum possent.*
*VII. De potestate dandi baptismatis.*
*VIII. Immo & reconciliationis per Eucharistiam urgente necessitate.*
*IX. Probatur pœnitentes in extremis agentes, absentibus Presbyteris, per Eucharistiam solam reconciliatos fuisse.*
*X. Prohibetur Diaconis, ne Missam amplius celebrent.*
*XI. Eorum in multis & restringitur, & deprimitur potestas.*
*XII. Prioribus quinque sæculis jus in Presbyteros nullum Diaconi unquam obtinuere, nec Archidiaconi.*
*XIII. Diaconorum ea erant partes, imminente persecutione animare fideles, & armare ad martyrium.*
*XIV. Ecclesia Græca statuta de Diaconorum Officiis.*
*XV. Jus Diaconorum sub Episcopo, æmulum imperii Christi sub Patre.*
*XVI. De potestate prædicandi & legendi Evangelii.*

I. Cum efferrent se & insolescerent Diaconi adversùs Presbyteros, procacem hanc audaciam repressit Hieronymus, revocata & subjecta eorum oculis primæva utriusque ordinis origine. Diaconus hoc habet à prima sui institutione, ut sit *mensarum & viduarum minister.* At verò Presbyteri, Episcopi & Apostoli nomina promiscuè habentur ferè in novi Testamenti sacris paginis. Eo se nomine induit Joannes in Epistolis: *Presbyter Electæ dominæ. Presbyter Cajo carissimo.* Paulus verò Ecclesiæ alicujus Presbyteros alloquens, Episcopos nominat: *Attendite vobis, & cuncto gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus Episcopos.* Compresbyterum se Petrus ipse & Collegam Presbyterorum scribit: *Presbyteros in vobis precor, Compresbyter & testis passionum Christi.* Aperit deinde Hieronymus, unde orta sit tam aliena à ratione arrogantia Dia-

*Epist. ad Evag.* *Actor. 20.*

conorum. Nimirum ab ipsorum paucitate, quæ in pretio solet esse: cùm Presbyteros multitudo sua penè despicabiles fecerit. *Quid paucitatem, de qua ortum est supercilium in leges Ecclesiæ, vendicas? Omne quod rarum est, plus appetitur. Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemptibiles facit.*

II. Diaconorum tamen ordinem magno in pretio se habere palam professus est sanctus Pater. In tertio eos sacerdotii locat gradu: *In tertio gradu.* Episcopis semper illos Presbyterisque consociat, ut qui cum eis in illum primævum concrescant Clerum, quem Christus instituit. Clero enim illi quem supra laïcos Christus evexit, Diaconos, Presbyteros, Episcoposque vendicat. *Si tollis ordinem Tabernaculi, Templi, Ecclesiæ, nequiquam Episcopi, frustra Presbyteri, sine causa Diaconi.* Eadem illos, qua Presbyteros, & Episcopos continentiæ fibula constringit, ut ejusdem nimirum consortes Sacerdotii. *Non mihi irascantur, sed Scripturis sanctis, immo Episcopis, & Presbyteris, & Diaconis, & universo choro Sacerdotali & Levitico, qui se noverunt hostias offerre non posse, si operi serviant conjugali.* Profitetur ergo institutos primo fuisse Diaconos ad altaris & sacrificii ministerium: cùm ea de causa legem castitatis intaminatæ eis indicat, componatque eos cum Mosaïcis Levitis, quorum institutio, & à Deo ipso proficiscebatur, & ad sacrificia pertinebat. Ita enim rursus ad Evagrium: *Et ut sciamus traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod Aaron, & filii ejus, atque Levitæ fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vendicent in Ecclesia.* Profectò Levitis multo inferiores essent Diaconi, si soli mensarum & viduarum ministerio dicarentur. Non ita certè sapit Hieronymus, cùm in summo illos Ecclesiasticarum dignitatum collocet culmine, unà cum Presbyteris & Episcopis: *Ecclesia multis gradibus consistens, ad ultimum Diaconis, Presbyteris, Episcopis finitur.*

*Epist. ad Heliod.* — *L. 2. adv. Iovin.* — *In Apolog. adv. Iovin.* — *Epist. ad Evag.* — *Adv. Lucif.*

III. Doctissimum ergo Patrem conciliabis sibi, si dicas, viduarum ministerium institutionis Diaconorum occasionem fuisse, non finem; id verò illis propterea objici, ut eorum fastus detumesceret. Fatendum est enim, viduarum mensis cùm vacare jam nullo pacto possent Apostoli, & esset ea cura aliis mandanda, inde sumptam Diaconos eligendi ansam. At cum cura pauperum mandatæ sunt illis & partes sacri Altaris ministerii & prædicandi Verbi divini. Tum enim necdum sejuncta erat mensa communis à sacra. Unde & primus Diaconorum tum creatorum Stephanus tanto statim exarsit æstu promulgandi Evangelii, ut primam sibi martyrii lauream pararet. Apostoli ergo ipsi utrumque munus, utrumque ministerium Altaris & verbi in Diaconos à se transfudere. Verùm ut necessitati ei servirent, quæ magis urgebat, utque in prædicatione verbi toti esse possent, rerum temporalium & alendorum pauperum cura absolvi se voluere & in hanc primò Diaconos vocaverunt.

IV. Ideo ex eodem Hieronymo Baptismi ministrandi potestatem habet Diaconus, si modò ab Episcopo licentiam acceperit, & Chrisma. Rem probat exemplo Philippi Diaconi, qui Samaritanos Baptismo initiaverat, unàque eos Spiritu sancto impartierat. *Inde venit, ut sine Chrismate & Episcopi jussione, neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant baptizandi.* Primis autem illis sæculis baptisma sine fidei doctrina, qua instruerentur Catechumeni ad regenerationis sacramentum, administrari non poterat. Unde & Philippus Samaritanos antè ad fidem adduxerat, quàm baptizaret.

*Adv. Lucif.*

V. Depulsa ea calumnia & ab Hieronymo & à Diaconis, venio ad aliud caput, quod ab eodem perstrictum suprà est, ad paucitatem, inquam, Diaconorum, & Presbyterorum multitudinem. Certè Romæ ita res habebant, Diaconi plures quàm septem non erant, Presbyterorum verò nullus certus numerus. Testatur apud Eusebium Cornelius Papa in Epistola illa, quam scripsit decurrente medio ferè tertio sæculo, Romæ tum fuisse Presbyteros quadraginta-quatuor, Diaconos septem, ac totidem Subdiaconos: Clericorum verò inferioris ordinis multitudinem quàm maximam. Qua in re Apostolos haud dubio secuta est Romana Ecclesia, qui Diaconis tantùm septem manus imposuere. Cæteræ Ecclesiæ in eo tenendo numero minùs fuere constantes. Nam Edessena quade mentio est in Concilio Calchedonensi, Presbyteros habebat quindecim, Diaconos octo & triginta. Justinianus Imperator in Constantinopolitana Ecclesia ad centum voluit esse. Ideo & de Romana solùm queritur Hieronymus, quòd in ea conati essent supra Presbyteros assurgere Diaconi. *Cæterùm etiam in Ecclesia Romæ Presbyteri sedent & stant Diaconi.* Extra Ecclesiam ergo tantùm, ut ex his verbis colligitur, & absente Episcopo Diaconi in Presbyteros contumeliosiùs se agebant: præsentia enim Episcopi & authoritatem Presbyteris conciliabat, & in officio retinebat Diaconos. Ita quippe Hieronymus in Epistola ad Evagrium: *Licèt paulatim increbrescentibus vitiis inter Presbyteros, absente Episcopo, sedere Diaconum viderim, & in domesticis conviviis benedictiones Presbyteris dare.* Concilium quoque Arelatense hanc retudit Diaconorum audaciam: *De Diaconibus urbicis, ut non aliquid per se præsumant, sed honor Presbyteris reservetur.*

*Euseb. l. 6. c. 43.* — *Act. 10.* — *Can. 18.*

VI. Ejus audaciæ causam aliam venabimur ab authore Quæstionum utriusque Testamenti, quæ Augustino etsi perperam vulgò tribui solent. Scilicet apud Episcopum Diaconi & gratia, & officio, & consuetudine plurimùm poterant. Hinc omnium ad illos neglectis Presbyteris concursus: Romæ potissimum, propter rerum, quæ ad summum referebantur Pontificem, & multitudinem & gravitatem. *Immemores electione mentis, & quòd videant Romanæ Ecclesiæ se esse Ministros, non considerant quid illis à Deo decretum sit, & quid debeant custodire. Sed tollunt hæc de memoria assiduæ stationes domesticæ, & officialitas, quæ per suggestiones malas, seu bonas, nunc plurimum potest. Aut timetur ne malè suggerant, aut emuntur, ut præstent. Hi sunt qui faciunt eos ordinis sui non considerare rationem; quippe cùm videant non sic deferri Sacerdotibus, ac per hoc anteferri se putant.*

*Quæst. 101.*

VII. Ad munera nunc & officia defluimus Diaconorum. In alium enim locum tertia rejicienda est causa superciliosæ hujus Diaconorum jactantiæ, videlicet administratio rerum Ecclesiæ temporalium, quæ plerumque delegabatur Diaconis. Officia porro Diaconorum aliqua jam perstrinxit Hieronymus. Nimirum lustrali unda Catechumenos tingebat Diaconus, permittente Episcopo. Idem demonstratur ex Concilio Elliberitano, ubi & Parochiæ quædam videntur creditæ fuisse Diaconis. *Si quis Diaconus regens Plebem sine Episcopo vel Presbytero aliquos baptizaverit, eos per benedictionem Episcopus perficere debebit.* Verùm de eo suprà uberiùs, ubi germaniorem hujus Canonis sensum deprompsimus, quo ea Parochiarum illis cura abjudicatur. Hoc Concilio videtur confirmata Presbyteris potestas confirmandi, cùm ab eo non remittantur ad

*Can. 77.*

Episcopum confirmandi, nisi quos Diaconus baptizasset, At Hieronymus neutri, sed Episcopo soli eam potestatem adserebat: *Non abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem sancti Spiritûs manum impositurus excurrat*, Possunt aliis aliisque temporibus & locis diversæ consuetudines valuisse. Cæterùm idem Hieronymus adversùs Luciferianos scribens, ait Hilarium Diaconum ejus Sectæ signiferum, ne baptismum quidem dare potuisse, cùm sine Eucharistia non detur, quam conficere soli possunt Episcopi & Presbyteri, cujus modi nullos haberet in suis partibus Hilarius, nec conficere Diaconus posset, nec conficiendi potestatem dare, Presbyteros Episcoposque ordinando, qui eam conficiant. *Hilarius cum Diaconus de Ecclesia recesserit, neque Eucharistiam potest conficere, Episcopos & Presbyteros non habens, neque Baptisma sine Eucharistia tradere.*

Adv. Lucif.

Incurrit in oculos aliqua conflictatio, quæ tota facilè sedabitur, si dicas agere Hieronymum de Baptismo solemni, cujus dandi potestas penes Diaconos utique non erat, propterea quòd non daretur nisi inter Missarum solemnia: vel de Baptismo suis omnibus numeris, & nativis ornamentis absoluto, utpote Confirmatione & Eucharistia, quæ tunc simul administrabantur, tametsi ubi urgebat necessitas, sejunctim daretur Baptismus.

VIII. Erit profectò quod magis obstupescas, si audias pœnitentes olim Episcopo & Presbytero absente à Diacono esse reconciliatos. Verùm aufugiet aliqua ex parte stupor, ubi audieris, id eos perfecisse porrecta solum Eucharistia, cujus erant, & ex ordine suo, & ex priorum sæculorum consuetudine dispensatores. Concilii Eliberitani verba tam aperta sunt, ut dubitandi nullus sit locus. *Cogente necessitate necesse est Presbyterum Communionem præstare debere, & Diaconum, si ei jusserit Sacerdos.* De illis ibi sermo est, quibus Episcopus pœnitentiam imposuit, qui repentino postea & gravi aliquo oppressi morbo, extremum illud Viaticum accipere ab eo non possunt. Episcopus ergo ejus pœnitentiæ præcipuus fuerat minister; & jam pro exoranda à Deo venia peccatorum, de quibus pœnitentia agebatur, orare cœperat. Adde & illud, quod ex antiquis Pœnitentialibus libris ostendit Morinus noster, orationes quibus imponebatur pœnitentia, eodem aut verborum tenore, aut sensu constare solitas, atque eas quibus ea exacta pœnitens absolvebatur. Denique tam Presbyter, quàm Diaconus de sola Episcopi licentia poterat urgente necessitate pœnitentem reconciliare. De his etiam solis loquitur Cyprianus, quos Episcopus ad pœnitentiam admiserat, cùm ait eos, *si urgere exitus cœperit, apud Diaconum exomologesin facere delicti sui possint, ut manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis desideraverunt.* Concilium Toletanum I. in ordinem Subdiaconorum Diaconos rejicit, si fortè post peractam pœnitentiam publicam, ordinati subreptitiè fuerint: *ita ut manus non imponant amplius, nec vasa sacra contrectent.* Non erat hæc Diaconorum manûs impositio ejusdem generis, roborisve, cujus ea qua Episcopus aut Presbyter in conferendo Pœnitentiæ sacramento utitur; sed ejusmodi cæremonia & oratio, quæ ad eundem spectaret finem, & Pœnitentes ad suscipiendam Eucharistiam præpararet.

Can. 32. Cyprian. Epist. 13. Can. 2.

IX. Sunt è Theologis, qui Presbyteros gravi aliquo flagitio sauciatos sinant tamen urgente gravissima necessitate Sacra operari, & offerre incorruptibiles Agni immaculati carnes, dum omni ope prius enitantur doloris amorisque vi crimen eluere. Non est ergo quod magnopere mireris, si Diaconis olim indultum est, Pœnitenti in extremis agenti, ubi Presbyteri copia non erat, Eucharistiam impartiri. Decantatissima illa est apud Eusebium narratio de Serapione sene, qui idololatriæ crimine cùm nondum esset solutus, & jam vicinæ mortis afflatu urgeretur, misit qui Presbyterum accerseret. At hic cùm & ipse lecto affixus ex ægritudine decumberet, puerum misit qui Eucharistiam Serapioni deferret; qua ille sumpta, cum pace Ecclesiæ spiritum emisit. Addit Eusebius, hoc narrasse Dionysium Episcopum Alexandrinum, ingenti tum gaudio delibutum, & rei gestæ applaudentem, quòd nimirum ipse ejusmodi promulgasset decretum, ut nemini unquam morienti reconciliatio negaretur.

Euseb. l. 6. c. 44.

Vix ambigi potest, quin frequentia valde fuerint ejusdem rei exempla, ubi cùm non possent Presbyteri ad eos ipsi se conferre, qui animam exhalaturi mox erant, Eucharistiam ad eos per Clericos, & maximè per Diaconos missitabant. Ea omninò sententia est duplicis hujus Canonis Concilii Carthaginensis IV. qui inopino morbo occupatis Pœnitentibus Viaticum deferri jubent; sed ea lege, ut si recreati ex eo morbo fuerint, compellantur ad subeundam manuum impositionem, & ad decurrendum laboriosæ pœnitentiæ stadium. *Pœnitentes qui in infirmitate sunt, Viaticum accipiant. Pœnitentes qui in infirmitate Viaticum Eucharistiæ acceperint; non se credant absolutos sine manûs impositione, si supervixerint.* Ubi planum est Viaticum dici Eucharistiam; neminem in vitæ discrimine ea frustrari; dari solitam illis etiam, qui à peccatis ob inopiam Presbyteri, absoluti non fuissent, & labores pœnitentiæ omnes exhauriendos adhuc haberent, si pristinas vires recuperassent. Ita enim intelligenda sunt ea verba. *Qui in infirmitate Viaticum pœnitentia acceperint, non se credant absolutos, sine manûs impositione, si supervixerint.* Eòdem referendus est & Canon ille qui proximè sequitur, & quo jubetur, ut ad Communionem etiam post mortem admittantur ii Pœnitentes, quos improvisa mors intercepit, ne viventes possent reconciliari: *Si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.* Superstitibus utique denegata non fuisset Communio, quæ vel mortuis concedebatur.

Can. 77. 78. Can. 79.

X. Non dicam hoc loco oblatum olim fuisse à Diaconis Sacrificium. Is enim non usus fuit, sed abusus intolerabilis, & à Conciliis statim proscriptus. Concilium Arelatense I. in primis eum confixit: *De Diaconibus quos cognovimus multis locis offerre, placuit minimè fieri debere.* Concilium Carthaginense IV. admonuit, Diacono dum ordinatur, non imponi manus nisi ab uno Episcopo; cùm Presbytero qui ordinabatur, imponerent manus cum Episcopo Presbyteri omnes qui aderant, *quia Diaconus non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.* Quanquam autem non potuisset non sacrilega videri, & detestanda ea Diaconorum usurpatio, erat illa tamen manifestissima testificatio maximæ illorum potestatis. Cùm enim in longè plurimis rebus sacris absentis Episcopi & Presbyteri supplerent locum, & Missæ partem maximam ipsi ex officio suo proferrent, facilè adducti sunt, ut &

Can. 15. Can. 4.

absente Sacerdote offerre se posse sperarent.

XI. Fregit & in nonnullis aliis Diaconorum audacissimos conatus idem Concilium Carthaginense IV. Dictitabant se Episcoporum, non Presbyterorum ministros esse. Quare illud statutum: *Diaconus ita se Presbyteri, ut Episcopi ministrum noverit.* Vetiti sunt & Eucharistiam erogare populo, si præsens adesset Presbyter, nisi ab eo juberentur: *Ut* Can. 37. 38. 39. 40. *Diaconus præsente Presbytero Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.* Vetiti sunt coram Presbytero sedere, nisi eo jubente, non in Ecclesia solùm, sed & quocumque alio loco: *Ut Diaconus quolibet loco jubente Presbytero sedeat.* Denique loqui vetantur, nisi interrogati, in consessu Presbyterorum: *Diaconus in conventu Presbyterorum interrogatus loquatur.* Diaconis longè plura detraxit Epist. 9. Gelasius Papa. Non solùm ea vetuit, quæ *primis Ordinibus*, Episcopis & Presbyteris propriè decrevit Antiquitas, sed & baptizare, nisi cogeret necessitas, & abesset Presbyter: sedere in Presbyterio, dum Sacra celebrantur, aut res tractantur Ecclesiasticæ; denique Eucharistiam dispensare, nisi per absentiam Presbyteri & Episcopi.

XII. Differre jam nefas est eam observationem quæ superioribus capitibus magis congruebat, ubi quidem ubi de Archidiaconis erat sermo; sed in istud tamen necessariò rejecta est, quòd hîc jam suppetant rationum præsidia, quibus illa innititur. Nimirum cùm tot Canones, tot Decreta coacervaverimus de Diaconis & Archidiaconis, nullum omnino deprehendi potuisse vestigium jurisdictionis Diaconorum, immo nec Archidiaconorum in Presbyteros: immo nec prærogativæ sedendi, aut procedendi. Excanduisset longè vehementiùs Hieronymus, si Diaconos vidisset vel Archidiaconos, qui Presbyteris anteirent, præsiderent, dominarentur, anathema intorquerent. Exprobrasset hoc utique ille Archidiaconis, quòd eorum in Presbyteros potestas juris dicendi hanc Diaconorum in eos audaciam concitasset. Hoc solum queritur Author Quæstionum utriusque Testamenti, quòd Diaconi apud Pontificem fama & gratia floreant & potestate, quódque propterea colantur magis & observentur, quàm Presbyteri. At quantò æquiores fuissent ejus querelæ, si quis Archidiaconus, cùm Diaconus tantùm esset, sententiam tulisset in Presbyterum, & excommunicationis in illum fulmen evibrasset? Concilium quoque Carthaginense IV. & Gelasius Papa perstrinxissent saltem hanc novitatem imperitantium & jus dicentium in Presbyteros Archidiaconorum. Propiùs ergo à vero abest, Archidiaconos prioribus sæculis quinque ante Presbyteros sedisse nunquam, nisi dum in Conciliis personam & vices Episcopi sustinerent; jurisdictionem illis fuisse ordinariam in Diaconos, Subdiaconos & Clericos minores: in Presbyteros non fuisse, nisi rarò, & ex delegatione speciali Episcopi. Alioqui excipiendi fuerant Archidiaconi, ubi generatim prohibebatur, ne Diaconus usquam sedeat, nisi jubente Presbytero: ne in Presbyterio sedeat, dum coram Episcopis & Presbyteris sedentibus res Ecclesiasticæ tractantur.

XIII. Diaconorum non postremum illud erat officium, ut & imperitos erudirent & infirmos roborarent ad fidei & salutis negotium. Ita testatum facit Cyprianus, eas semper Diaconorum fuisse partes, ut carceres perlustrarent, captivisque & Martyribus ipsis lumen roburque infunderent. *In præteritum semper sub antecessoribus nostris factum est, ut Diaconi ad carceres commeantes, Martyrum desideria consiliis suis & Scripturarum præceptis gubernarent.* Flamma quadam cælesti Abibus Diaconus flagrante Licinii persecutione Edessenos Martyres succendit, & adversùs tortorum minas & carnificinas invictos præstitit. *Abibo universum imminebat periculum. Is* Baron. an. 316. n. 48. 51. 52. *enim obibat civitatem, & divinas cunctos docens Scripturas, & magno animo confirmans ad pietatem.* Denique igni damnatus ipse, aperto ore flammam hausit, spiritumque Deo reddidit, flamma alia nobiliore & voraciore correptum. *In ignem injicitur, & cùm aperto ore flammam accepisset, apud eum qui dederat, spiritum deposuit.* Hæc Baronius ex Abibi Actis, quibus & ipse hoc addit, id à Luciano scriptum fuisse, ignis supplicium omnium esse brevissimum; hausta quippe hiante ore flamma, statim animam exhalari. Eadem Licinii persecutione insignem martyrii palmam consecutus est & Ammon Diaconus cum quadraginta Virginibus, quas discipulas habuerat, instituerátque ad hæc Christo ponenda & suo sanguine illustranda tyrocinia. Contigit id porro Adrianopoli in Macedonia. *Hæ Christum secutæ sub institutione Ammonis Diaconi earum Magistri.* Inter Palæstinos Martyres Eusebius recensuit Valentem Diaconum Hierosolymitanum, jam grandævum, qui Scripturas divinas ita memoriæ commendaverat, ut omnes prorsus teneret, possetque quod quisque vellet, ita promptè & expeditè recitare, atque si ex scripto legeret. *Tantam Scripturarum memoriam in pectus suum incluserat, ut si quando* Baron. an. 308. *aliquem locum citare vellet, perinde expeditè illud posset absque scripto efficere, atque ex scripto legere.*

XIV. Pene inopini ad Ecclesiam Græcam delapsi, paucis expediemus quæ supersunt dicenda. Ita visum est Neocæsariensis Concilii Patribus, Can. 15. quantacumque esset civitas aliqua, Diaconos plures esse non debere quàm septem, quòd is numerus consignatus sit in Actibus Apostolicis, & Apostolorum exemplo quodammodo consecratus. Vetuit Laodicenum Concilium, ne præsente Presby- Can. 20. tero sederent Diaconi, nisi ab eo invitarentur: Subdiaconis & aliis minoribus Clericis Diaconum eadem reverentia prosequi jussis. Nicæni Patres Concilii prohibuere, ne Diaconi Eucharistiam Presby- Can. 18. teris administrarent: ne eam contingerent ante Episcopos, ne ejus participes fierent ante Presbyteros, ne in consessu Presbyterorum sederent. Ancyranum Concilium prohibuit, ne Diaconi exauthorati panem & vinum in synaxi offerrent, ἀναφέρειν: neu prædicarent, κηρύσσειν. Hæc sanè oblatio illa est, quæ Can. 2. inter ipsa initia fit interioris liturgiæ, & ante consecrationem. Porro prædicatio non alia nobis quidem videtur hæc fuisse, quàm recitatio precum, Præfationum, Evangeliorum, hortationum, forsan quarundam ejusmodi, quæ exerta voce fiebat. Id sonat vox Græca, κηρύσσειν. In Constitutionibus Apostolicis accuratissimè definita fuerant officia juraque Diaconorum: *Diaconus non benedicit, neque dat* L. 8. c. 28. *benedictionem, accipit verò à Presbytero. Non baptizat, non offert. Oblatione verò à Presbytero aut Episcopo facta, ipse Diaconus dat populo, non tanquam Sacerdos, sed tanquam qui ministrat Presbyteris, &c. Diaconus excommunicat Hypodiaconum, Lectorem, Cantorem.* Hinc liquet Diaconorum in administrandis Sacramentis potestatem minorem in Oriente fuisse, quàm in Occidente: at in exercenda jurisdictione fortasse non minorem. Nam præterquam quod Subdiaconos & inferiores alios Clericos arcere à Sacris possunt, habent & ex iisdem Constitutionibus potes-

tatem judicandi de minoribus causis, majoribus Episcopo reservatis.

XV. Verba ipsa referre operæ pretium est Constitutionum Apostolicarum, quod aureæ & primævæ Ecclesiarum ætatis sanctitatem redoleant, effigiemque splendidissimam subjiciant oculis Ecclesiasticæ illius & divinæ Hierarchiæ, quam Paulus & Ignatius omnium primi delineaverant, adprimè quâ fieri poterat consentientem cum processionibus, relationibus & reciprocationibus ineffabilibus divinarum trium hypostaseon. Id quippe Diaconus Episcopo, quod sempiternus Filius sempiterno Patri Deo: oculus, manus; ab eo recipit, & in illum refundit omnia; ejus nomine & mandato operatur omnia; operumque omnium & originem
L. 2. c. 44. & laudem in eum reflectit: *Diaconus quidem de re omni ad Episcopum referat, ut Christus ad Patrem. Verùm quæcunque potest, facta ab Episcopo potestate, moderetur per se, sicut Christus potestatem creandi & providendi à Patre accepit. Quæ verò majora sunt, Episcopus judicet. Cæterùm sit Diaconus Episcopi auris & oculus, & item os, cor & anima, ne Episcopus sollicitudine multarum rerum, sed graviorum tantùm urgeatur.* Erat Tribunal juridicum, ubi jus dicebat Episcopus, Presbyteris & Diaconis circumvallatus: *Af-*
Ibid. c. 47. *sistant judicio Diaconi & Presbyteri, qui citra acceptionem personarum, tanquam homines Dei, justè judicent.* At cùm minutioribus causis innumeris implicari nefas esset vel Tribunal istud, vel Episcopum, eæ simul & semel Diaconis delegabantur. Et hoc rursus argumento efficitur, nihildum jurisdictionis Archidiaconos in Presbyteros exercere potuisse. Hoc enim vel maximè Episcopali audientiæ reservandum fuisset.

XVI. Obiter strinximus hortationes in ore Diaconorum frequentissimas, maximè ubi accendendi erant fideles ad martyrii palmas, quarum gloria Diaconis videbatur vendicari potissima, ut liquet exemplis Stephani in Palæstina, in Hispania Vincentii, Laurentii Romæ. Sed quod ad Prædicationes solennes è suggestu pertinet, poterant quidem inter prima Ecclesiæ rudimenta Diaconi vestigia sectari Stephani & concionari: at verò Author Commentariorum in Epistolas Pauli, qui Ambrosio vulgò tribuuntur, cùm Hilarii Diaconi probabilius ab aliis esse dicantur, scitè animadvertit inter Ecclesiæ primordia, omnibus prorsus fidelibus potestatem fuisse prædicandi: at suo ævo
In Epist. ad Ephes. c. 4. ne Diaconos quidem publicè prædicasse. *Hinc ergò est, unde nunc neque Diaconi in populo prædicant: neque Clerici, vel Laïci baptizant.* Ipsa Evangelii per Diaconum recitatio instar erat prædicationis. Ideo forsan Alexandriæ eam sibi vendicabant Archidiaconi, alibi Presbyteri, alibi denique Episcopi, si
L. 7. c. 19. qua Sozomeno fides: *Sacrum codicem Evangeliorum legit Alexandriæ solus Archidiaconus, apud alios verò Diaconi, in multis etiam Ecclesiis soli Sacerdotes, diebus autem solemnibus Episcopi, ut Constantinopoli prima feria Resurrectionis Dominicæ.* Et in Ecclesiis tamen Africæ Lectorum id erat muneris, ut tam Evangelia, quàm cæteras Scripturas recitarent.

## CAPUT XXX. *P. 1. l. 2. c. 26.*

### De Subdiaconis, & aliis Clericis minoribus per sæcula priora quinque.

*I. Canones & Constitutiones Apostolorum solius Subdiaconi & Lectoris meminere. Non ignoti tamen eis omnino Exorcistæ & Cantores.*

*II. Alios addunt Ignatius & Epiphanius, ut Ostiarios, Fossores, Interpretes.*

*III. De his multa statuuntur in Conciliis Laodiceno & Ancyrano.*

*IV. In quorum Canones multa observantur Instituto & usui illorum ordinum, qui quasi decerpti sunt è Diaconatu, ejus sunt quasi delibationes quædam.*

*V. Apud Latinos commemorat Tertullianus Exorcistas & Lectores; quibus Acolythos & Ostiarios adjungit Cornelius Papa.*

*VI. Per Confessionem & præludia quædam martyrii ad Lectorum dignitatem veniebatur.*

*VII. Evangelium publicè legebat Lector in Africa.*

*VIII. De Acolythis & Exorcistis. De promovendis Clericis apud Clerum deliberatur.*

*IX. Quàm antiqui in Ecclesia Romana quatuor minores Ordines.*

*X. Ordinationum omnium formam præscribit Concilium Carthaginense IV.*

*XI. Quantum supra inferiores alios Ordines præstet Ordo Lectorum.*

*XII. Ad minores ejusmodi Ordines, & à minoribus ad majores, martyrio, quasi quodam gradu ascendebant.*

*XIII. Amplum & honorificum sibi ducebant Imperii Magnates, si vel ad inferiores Ordinum gradus cooptarentur, nulla habita redituum Beneficii ratione.*

I. Canones Apostolici discingunt graduque movent Episcopos, Presbyteros & Diaconos, qui alea, vel ebrietate sacrum & augustum ministerium suum deturpaverint: Subdiaconos, Lectores & Cantores ejusdem culpæ affines suspensione mulctant: de aliis specialiter Clericis silent, Can. 43. 68.
etsi inferiores Clericos generatim quandoque memorent. Clerici ergo tum alii præter hos, vel nulli erant, vel pauci. In Constitutionibus Apostolicis L. 8. c. 16.
ritus omnes edisseruntur ordinationis Presbytero- 17. 19. 21.
rum, Diaconorum, Diaconissarum, Subdiacono- 22. 28. 31.
rum & Lectorum. Cantorum meminere, & eorum ordinationem nec verbo attingunt ullo; monent denique nulla ordinatione fieri Confessores & Exorcistas. *Confessor non fit ordinatione, hoc enim voluntatis est & tolerantiæ, &c. Exorcista non fit ordinatione, certare enim pro præmio Exorcistæ, liberæ voluntatis est, ac Dei gratiæ.* Illos tamen additur Diaconos, Presbyteros & Episcopos ordinatum iri, si eorum opera Ecclesiæ necessaria sit. De Ostiariis agitur, ut de Officio, non ut de Ordine. De Acolythis altum silentium. Denique stipendia Ecclesiastica non dispensantur nisi in Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Diaconissas, Subdiaconos, Lectores & Cantores. Itaque ex quatuor Minoribus Ordinibus Latinorum, non commemorantur in Canonibus & Constitutionibus Apostolicis, nisi Lectores: non Exorcistæ ibi, non Janitores usquam, non Acolythi. Non quòd horum functionibus tum carere possent, sed quòd eæ mandarentur Subdiaconis, vel Diaconissis, vel Laïcis. Exorcistarum tamen munus obiisse Presbyteros ipsos, similius veri est, vel Diaconos. Ita Eusebius in libello de Martyribus Palæstinis laudat Romanum Diaconum & Exorcistam Ecclesiæ Cæsariensis in Palæstina.

II. At quoniam certi nihil statui potest de tempore, quo Canones & Constitutiones Apostolicæ primùm illuxerint orbi Christiano; & hoc unum

compertum est, Codicem hunc Canonum & Librum veluti Ritualem, prioribus tribus quatuórve sæculis in Ecclesia Orientali eximiæ fuisse authoritatis; ideo ex his certi nihil colligi potest de horum ordinum apud Orientales antiquitate. In Epistola sua ad Antiochenos Ignatius Martyr ea habet, quæ ad usum Ecclesiæ Latinæ magis accedant, Minores enim Ordines Latinorum commemorat omnes præter Acolythos: at vicissim addit Fossores. *Saluto Hypodiacones, Lectores, Cantores, Janitores, Laborantes, Exorcistas.* Qui hîc *Laborantes*, κοπιῶντες, dicuntur, Fossores procuidubio sunt, effodiendæ terræ & sepeliendis mortuis operam navantes. Ambigere nos vetat eâ quidem de re Epiphanius, qui eos Clericis annumerat. Cùm enim nominasset Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Lectores, & Diaconissas, hæc de aliis habet ordinibus: *Postea sequuntur Exorcistæ, & linguarum Interpretes, tam in Lectionibus, quàm in Concionibus. Sequuntur Laborantes, qui mortuorum corpora curant. Tum Janitores, & omnis series:* ἡ ἡ πᾶσα εὐταξία. Interpretum & Fossorum hujusmodi officium certè magis erat quàm Ordo. Eodem fortasse loco Epiphanius Exorcistas & Ostiarios habebat. Addubitare quis posset, an & Lectores inter Officia deputaret; cùm Lectores creari posse dicat ex Bigamis, addatque neminem moveri eo debere: *Quippe Lector non Sacerdos est, sed Verbi divini Scriba.*

In Expos. fidei Cath. c. 21.

Can. 20. III. In Concilio Laodiceno cùm prohibitum fuisset, ne coram Presbytero Diaconi, nisi jussi sederent: eundem Diaconis honorem Subdiaconi, ὑπηρέται, & Clerici alii habere jubentur. Vetatur & ne Subdiaconi in Secretarium, τὸ διακονικὸν, intrent, & ne sacra vasa contrectent. Secretarium porro διακονικὸν hîc vocatur, quòd ejus cura & præfectura penes Diaconum esset. Non sinuntur Subdiaconi gestare Stolam, ὠράριον, sive Orarium; vetaturque ne à porta Chori, quam custodire debent, vel tantillum recedant. Ita perspicuum est Subdiaconatum in minorum Ordinum classem rejici. Prohibetur hîc etiam, ne Lectores, Cantorésve Stolam induant, dum in Ecclesia, vel legunt illi, vel isti canunt. Interdicitur sacris his ministris omnibus, Exorcistis item & Ostiariis, ne popinas adeant. Denique ne Subdiaconi, vel pacem inter sacra impertiant, vel Calicem offerant, quòd eæ sint partes Diaconorum. Concilium Antiochenum potestatem facit Chorepiscopis ordinandi Lectores, Subdiaconos & Exorcistas. In Concilio Calchedonensi lecta est charta Cleri Edesseni, cui post Diaconos & Presbyteros subscripserant plures Subdiaconi. In Ecclesiastica Hierarchia Dionysius de minoribus quibusdam his Ordinibus meminit.

Can. 21. Can. 22. 43. Can. 23. Can. 24. 25. Act. 10.

IV. Hac præmissa authoritatum & exemplorum strue, jam non immerito ita statueris: 1. Cùm Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum tantùm Scriptura meminerit: quàm certum est ejusmodi Ordines institutionis esse divinæ, tam verisimile est, alios omnino non esse. 2. Unde & Concilia, & Patres de tribus illis ordinibus consentire ad unum videntur omnes, de cæteris penitus dissidere. 3. Ab aliis enim alios apponi, quos posteri non acceperint: & rejici alios, quos ætas posterior probarit. 4. Ostiariorum meminisse aliquos, Exorcistarum & Cantorum plures, plurimos verò Subdiaconorum atque Lectorum. De Acolythis in his omnibus Ecclesiæ Græcæ monumentis nihil omnino esse, immo nec fuisse sequentibus sæculis. Nam quod Eusebius post Presbyteros & Diaconos

Euseb. de

de Acolythis loquitur, qui Episcopos ad Concilium Nicænum proficiscentes secuti sunt; in textu Græco nomen est commune, quod eos omnes indiscriminatim complectitur, qui in Episcopi famulitio sunt & comitatu. Narrat Socrates Alexandriæ ex Catechumenis Lectores fuisse. At quis ei credat? Negari tamen nòn potest, quin pravam illam consuetudinem abrogaverit Laodicena Synodus, qua Laïci Cantorum officio fungerentur. 5. Certum definiri non posse tempus, quo primùm cœperint singuli Ordines hi minores. Nihil autem probabilius, quàm veluti quasdam portiones esse Diaconatûs, aliis aliisque temporibus & necessitatibus ab eo decerptas. Quamobrem aliquo sensu, eoque vero, rectè dixeris, Minores Ordines, in fonte sui, ac origine, id est, in Diaconatu, unde tanquam rivuli scaturierunt, institutionis esse divinæ. Ministerii enim Sacerdotalis partes & segmenta sunt, quod totum & plenissimum est in Diaconatu. 6. Unde & hoc omnes persuasissimum habuisse, Diaconatum ex ipsa sui origine ad sacrificium referri per sese, cùm eò minores Ordines primario & per se referantur. 7. Fuisse in minoribus Ordinibus veluti tyrocinium quoddam, ubi diutius ad sacras litteras & ad pietatem exercitati, ad Diaconatum deinde & ad superiores Ordines pervenirent. 8. Confessoris meritum & nomen Ordinem quidem non esse, sed gradum tamen fuisse ad Diaconatum. 9. Cùm minores Ordines mera essent Officia, nec obeundis Officiis omnes essent idonei, aut necessarii, ideo non eidem omnes Clerico semper conferri solitos fuisse. 10. Immo manifestum esse exemplis non paucis, hominem quandoque laïcum prætermisso minorum Ordinum curriculo, Diaconatu statim initiatum fuisse. Qua de re infrà fusiùs. Nunc de Ecclesia Latina.

vita Const. L. 3. c. 8. Socrates. L. 5. c. 22. Can. 15.

V. Clericorum functionibus illam accenset Tertullianus, *Exorcismos agere.* Meminit alibi Lectorum: *Hodie Diaconus, qui cras Lector.* Hæreticos ibi sugillat, qui quadam disciplinæ perversitate Diaconos inmerentes in Lectorum officium & ordinem exturbabant. Misit ad Cornelium Papam Cyprianus Epistolas per Subdiaconum, & Acolythum. Ad Cyprianum scripsit Clerus Romanus per Subdiaconum. Scripsit & Lucius Papa per Subdiaconum unum & Acolythos tres. Monet Clericos suos Cyprianus id se Confessorum duorum dedisse invictæ constantiæ, ut Lectorem unum, qui jam Paschalibus diebus in Ecclesia legerat; Subdiaconum alterum faceret, quem antè, inquit, *cum Presbyteris, Diaconibus, Lectoribus Doctorem Audientium constituimus.*

De prescrip. c. 41. L. 2. Ep. 10. L. 3. Ep. 5. 7. L. 3. Ep. 22.

VI. In Africa Lector pacem populo annunciabat, & Evangelium legebat in Ecclesia. Quæ Cypriano occasio fuit, ut qui sævitiam persecutorum invicta superassent charitatis vi & fortitudine, eos ad Lectorum ordinem promoveret. Erat enim æquissimum, ut qui Evangelicæ veritati partem jam sui sanguinis & vitæ impendere cœperant, inter sacra & in ipso Corporis & sanguinis Christi sacrificio Evangelium ex suggestu legerent. Audi quæ Cyprianus scripserit de juniori Confessore Aurelio: *Merebatur talis Clerica ordinationis ulteriores gradus, & incrementa majora, non de annis suis, sed de meritis æstimandus. Sed interim placuit, ut ab officio Lectionis incipiat: quia & nihil magis congruit voci, quæ Dominum gloriosa prædicatione confessa est, quàm celebrandis divinis lectionibus personare; post verba sublimia, quæ Christi martyrium prolocuta sunt, Evangelium* L. 2. Ep. 5.

*gelium Christi legere, unde Martyres fiunt, ad pulpitum post Catastam venire, &c. Dominico legit, interim vobis auspicatus est pacem, dum dedicat lectionem.* His gradibus eluctabantur ad inferiores Ordines, qui ipsi nonnisi gradus erant ad superiores. In Constitutionibus Apostolicis Confessor Diaconatûs fastigio statim attollebatur; apud Cyprianum abundè est, ut Lector fiat Confessor Aurelius; quem tamen profitetur Cyprianus, & confessione Christi, & fidei constantia ulteriores mereri gradus & incrementa majora. Simile veri est per ætatem non licuisse, ut tum Aurelius ad superiorem Ordinem attolleretur.

VII. Idem Cyprianus alibi de fortissimo illo Celerino agens, qui & carceres & cruciatus complures per decem & novem dies invicto animo perpessus erat, contestatur talibus enimvero Clericatum & Ecclesiastica ministeria mandari debere [L. 3 Ep. 22.]: *Ut qui sublimiter Christum confessi essent, Clerum postmodum Christi ministeriis Ecclesiasticis adornarent.* Cùm Evangelicæ veritati semet impenderint, ejus Lectores præconesque esse debere: *Legat præcepta Evangelii Domini, quæ fortiter ac fideliter sequitur. Vox Dominum confessa, in his quotidie quæ Dominus locutus est, audiatur.* Cum recitant Evangelicas paginas ii qui vita, moribus & confessione intrepida iis ita consentiunt, audientium animos mirè affici, & ad æmulationem incalescere: *Nihil est in quo magis Confessor fratribus prosit, quàm ut dum Evangelica lectio de ore ejus auditur, Lectoris fidem quisquis audierit, imitetur.* Denique junioribus his ambobus Lectoribus decernit Cyprianus stipendia opima, eademque prorsus quæ Presbyteris tribuebantur. Unde liquidum fit, vera hæc fuisse Beneficia, ad quæ non aliter quàm ad Ordines, probatis moribus, probata pietate veniretur.

VIII. Acolythorum erat deferre Ecclesiasticas Episcoporum ad Episcopos litteras, quibus Ecclesiæ gravissimis de rebus inter se consultabant. Huic muneri necessaria præ cæteris erat fides arcani, silentiique constantia, eo sanè tempore, quo insidiabantur undique Gentiles, Mysteria ut nostra profanarent. [L. 2. Ep. 8. 10.] De Acolythis pluribus in locis agit Cyprianus, & hoc illis tribuit muneris. Constat & illud ex multis ejus litteris [L. 3. Ep. 7. 11. 24.], sicubi ordinandi erant minores Clerici, & consultum ab eo fuisse Clerum, & periculum in obeundis quibusdam propriis functionibus antè factum esse, quàm promoverentur. Sic enim ille ad Presbyteros & Diaconos scribit: [L. 3. Ep. 22] *Fecisse me sciatis Lectorem Saturum: & Hypodiaconum Optatum Confessorem, quos jam pridem communi consilio Clero proximo feceramus, quando aut Saturo die Paschæ semel atque iterum lectionem dedimus, aut Optato, cum Presbyteris, Doctoribus, Lectoribus, Doctorem Audientium constituimus, examinantes, an congruerent illis omnia, quæ esse deberent in his qui ad Clerum parabantur.* Minores Ordines alii apud Cyprianum non apparent. Ideo non abhorret à vero Ostiariorum munus tunc quidem obiisse laïcos, præsertim cùm jubente Cypriano legerent in Ecclesia, qui necdum ordinati erant Lectores, sed in id tantùm destinabantur, cùm peritiæ eorum factum esset periculum. Exorcismi verò Clericis fortè aliis etiam superiorum Ordinum committi potuere.

IX. His Cypriani temporibus scripta est egregia illa Cornelii Papæ Epistola, quam incolumem [L. 6 c. 43] ad nos transmisit Eusebius, & qua affirmat Pontifex, ut jam diximus, fuisse in Ecclesia Romana præter superiores Ordines, Subdiaconos septem, quadraginta-duos Acolythos, Exorcistas autem, Lectores & Ostiarios quinquaginta-duos. Iidem certè illi sunt, qui tum erant in Ecclesia Romana, & etiamnum hodie in Occidente sunt totô minores Ordines, tantoque majore sunt in honore, quanto sua illis indubitatissima constat antiquitas. Cùm enim hæc scribat Cornelius medio ferè tertio sæculo, & hæc scribat de Ecclesia sua, qualis tunc erat, omnis ab Apostolicis temporibus innovationis insolens, hinc manifestissimum est, minores istos Ordines quatuor in prima omnium Ecclesia jam olim & ab ipsa usque origine floruisse.

X. In Concilio Eliberitano post Episcopos, Presbyteros & Diaconos Subdiaconi & alii generatim Clerici nominantur. In Concilio verò Carthaginensi IV. [Can. 5 6. 7. 8. 9 10.] conceptis verbis designati sunt singuli, tum superiores, tum inferiores Ordines, singularumque ordinationum ritus proprii. Conferuntur superiores Ordines tres impositione manuum; Subdiaconi sine impositione manuum ordinantur, ac propterea patena illis & vacuus calix porrigitur. Sequuntur Ordines minores quatuor iidem prorsus, qui ex Cornelio in Ecclesia radiabant. Hi conferuntur omnes in manus datis instrumentis quibusdam, suo cujusque ministerio propriis. His tamen & Cantores additi, ut Ecclesiæ Africanæ illineretur aliquid Græcorum disciplinæ. Verùm inconsulto etiam Episcopo Cantores creare Presbyteris permittitur. Unde & officium magis videri possit, quàm Ordo, cùm præsertim appelletur *Officium cantandi.* Tales fortasse initio fuere minores omnes Ordines. Negari tamen non potest, quin & Clerici fuerint Cantores, & de Cleri corpore seu sodalitio. Nam ex Concilio Carthaginensi III. *Clericorum nomen etiam Lectores & Psalmistæ & Ostiarii retinent.* [Can. 21.] Exorcistarum meminit Augustinus, quando agens de Actis authenticis, quibus purgabatur Cæcilianus, & de Donatistis, qui ab eorum recitatione vehementer abhorrebant, hæc habet: *Quando enim dæmon sic Exorcistam timeret, quomodo timuerunt Donatistæ, ne illa legerentur.* [Contra Donatistas post Collat. c. 26.] Eodem fortassis etiam Augustino authore, illud decretum est in Concilio Carthaginensi IV. *Omni die Exorcistæ Energumenis manus imponant. Energumenis in domo Dei assidentibus, victus quotidianus per Exorcistas opportuno tempore ministretur.* [Can. 90. 92.]

XI. Capiti huic finem imponent tria illa non aspernenda. 1. Ex quatuor minoribus Ordinibus, Lectorum & majorem fuisse gloriam, & utilitatem uberiorem. In Ecclesiæ Orientalis monumentis persæpè soli appellantur Lectores, & eo nomine comprehenduntur inferiores Clerici omnes. Itaque contra Nestorium palam obtestatur Clerus Constantinopolitanus his verbis: *Obtestor, ut hanc schedam Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Lectoribus, necnon & laicis ostendant.* [Con. Ephes. Part. 1. c. 13.] Orti de regia Constantini stirpe Gallus & Julianus, cùm Ecclesiæ sese devoverent, statim Lectores ordinati sunt. Erat quibusdam in Ecclesiis Archilector, ἀρχιαναγνώστης, ut constat ex Actis Concilii cujusdam Antiocheni, quæ in Concilio Calchedonensi lecta sunt. [Sess. 14.] Unde videri possit conflatum fuisse quoddam è Lectoribus veluti corpus, & suum illi proprium fuisse caput, cui inferiores cæteri Clerici omnes subjicerentur. Illud quoque Lectorum non contemnendum erat decus, quòd sacros Codices apud se depositos, suæque fidei & custodiæ creditos haberent. Testantur id Acta persecutionis Africanæ [Baron. an. 303 n. 7. 12 13.], ubi interrogati à Tyrannorum ministris plerique Episcopi, ut Scripturarum

divinarum Codices traderent, igni tradendos, responderunt, *Scripturas Lectores habent.*

XII. Hinc frequantiora, quod secundum observu, Lectoribus imminebant martyrii pericula. At eorum & ordo & ministerium quædam erat meditatio martyrii ac præparatio. Ad Clericatum enim veniebant laici; persecutionum tolerantia, & martyrii quibusdam jam experimentis, iisdemque gradibus Clerici ad superiores Ordines enitebantur. Præter illa enim quæ ex Cypriano suprà relata sunt, quæ singularia facta videri possent, & privati zeli insignia, unde in leges Ecclesiæ nihil derivatum esset: communem habes apud Tertullianum legem positam, quam tota universim ejus ætatis teneret Ecclesia. Et quidem erat jam ille Montani erroribus & ineptiis occupatus, cùm negaret fas esse inter persecutiones fuga salutem quærere. Verùm quibus utitur in astruenda erroris sui insanis, ea rem nobis hîc propositam omnino demonstrant. Ita enim ille censet, servis Dei de fuga ne cogitandum quidem esse, qui nonnisi reportata de persecutoribus victoria aliqua ad gradum superiorem possunt conscendere. *Hoc sentire & facere omnem servum Dei oportet, etiam minoris loci, ut majoris fieri possit, si quem gradum in persecutionis tolerantia ascenderit. Sed cùm ipsi Authores, id est, ipsi Domini, & Presbyteri, & Episcopi fugiunt, quomodo laïcus intelligere poterit, qua ratione dictum, De civitate fugite in civitatem.* His tum gradibus & laïci ad Clericatum, & Clerici minores ad superiores Ordines attollebantur. *Si quem gradum in persecutionis tolerantia ascenderit.* Enimvero si juxta Cyprianum consentaneum est, ut is in Ecclesia Evangelium legat, qui pro Evangelii defensione sanguinis aliquid fudit: non poterat non videri congruum, ut tum publica Evangelii lectio, tum munera inferiorum Ordinum omnia, quæ utcumque ad cælestis Agni sacrificium referuntur, quædam essent ad martyrium invitamenta: & Clericis omnibus id imponerent oneris, ut pro sacrorum doctrinæ Codicum defensione, & pro ejus Agni honore, qui pro nobis quotidie offertur, vitam ipsi impenderent. Narrat Eusebius nonnunquam carceres in sanctissima & augustissima Templa commutatos: *Quippe cùm carceres olim homicidis deputati, tunc Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Lectoribus atque Exorcistis complerentur, &c.* Innovavit hanc legem Concilium Carthaginense IV. quando statuit, *Clericum inter tentationes officio suo incubantem, gradibus sublimandum.* Gradus suos habet posterior hæc ætas, de quibus infrà, quibus & pro modo suo laus tribuenda sua est; hi primigeniæ & aureæ ætatis Gradus erant.

*De fuga in persec. c. 9.*

*Can. 42.*

XIII. Nascebatur secunda hæc observatio à prima. Quod idem & de tertia nunc liquebit. Ita enim persuasum habuere duo illi è regia Constantini familia oriundi Principes, amplum & perhonorificum sibi esse Clericatum, Lectorisque officium. Neque verò ii tum erant horum Beneficiorum reditus, is ex auro splendor, qui præstringeret oculos Principum, & ad suscipiendos Ordines allicere. Hos sola Sacerdotii sanctitas & majestas, & qui inde in alios minores Ordines splendor effundebatur, summis quibusque Principibus optabiles & honorificentissimos efficiebat. Ita Sozomenus, qui & illud subjicit, hos antequam in Clerum adscriberentur, Scripturæ sacræ diligentissimè incubuisse. Testatum facit Gregorius Nazianzenus, duobus his Principibus Clericatum ordinemque Lectorum visum esse splendidius aliquid optatiusque ipsa Imperii purpura. *Quin etiam in Cleri ordinem seipsos cooptarunt, adeo ut divinos quoque libros plebi lectitarent, non minùs id sibi amplum & honorificum esse existimantes, quàm aliud quidvis, immo omnium ornamentorum maximum præstantissimumque, pietatem esse existimantes.* Tam præclaris initiis cætera non responderunt, quæ secuta sunt: at hinc præjudicii nihil antedictis inferri potest.

*L. 5. c. 5.*

*Orat. 1. in Julian.*

---

## CAPUT XXXI. *P. 2. L. 1. c. 14.*

### De Subdiaconis Lectoribus, aliisque minoribus Clericis sæculo VI. VII. & VIII.

*I. Animarum procuranda saluti operam dabant minores etiam Clerici, atque ita ad superiores Ordines veniebant.*

*II. Vasa sacra tangebant Subdiaconi. Diacono oblationes deferebant. Ideo illos Gregorius continentiæ lege alligarat.*

*III. Illos tamen à Diaconis secernebat, quòd hi Sacerdotii participes sint.*

*IV. V. Isidori leges de Cantorum Lectorumque abstinentia & jejuniis, scientia & pietate.*

*VI. VII. Ecclesia Romana cantum intulere in Angliam Episcopi sanctissimi duo, & Ecclesia Romana Archicantor.*

*VIII. Probatur rursum sanctissimis eruditissimisque Episcopis placuisse, ut cantus & frequentaretur in Ecclesia & perpoliretur, quòd mentibus ad Deum alliciendis concentus ille multùm conduceret.*

*IX. Doctor Ecclesiastici Cantûs fuit ipse Gregorius Papa. Cantûs Ecclesiastici libros in compendium redegit, Cantores in Occidentem omnem emisit.*

*X. Nec minor erat in Galliis Cantorum peritia, dignitas, pietasque.*

*XI. Cantorum Schola. Eorum numerus in Ecclesia Constantinopolitana.*

I. ANimarum conversioni vacabant & ipsi Subdiaconi, Acolythi, Lectores, & cæteri minores Clerici, atque ita viam sibi sternebant ad ordines superiores. Id de Acolytho testatum facit Gregorius Papa: *Latorem præsentium Acolythum fecimus, quem ad obsequia vestra transmisimus, ut si in lucrandis animabus amplius servierit, proficere amplius possit.* Isidorus verò Hispalensis Cantores Lectoresque non aliter habet, quàm ut Verbi divini præcones, qui & doctrinam saluberrimam mentibus legendo instillant, & cœlesti quadam suavitate eas canendo ad cœlestia allectant. *Lectores à legendo & Psalmistæ à psalmis canendis vocati: illi enim prædicant populis, quid sequantur; isti canunt ut excitent ad compunctionem animos audientium.* His addit Isidorus pauca de Præcentore & Succentore, cujusmodi supersunt in majoribus Ecclesiis. *Præcentor, qui vocem præmittit in cantu. Succentor, qui subsequenter canendo respondet.*

*L. 7. Ep. 8.*

*Orig. l. 7. c. 12.*

II. Non hîc ego omnia, quæ cuique adsignat Ordini munia Isidorus, exigam, quippe quæ ab hodiernis non distent. Subdiaconi *Oblationes in templo Dei à fidelibus ipsi suscipiunt, & Levitis superponendas altaribus deferunt.* Hinc fortè Subdiaconatus in majorum Ordinum classem dignitatemque provectus tandem est, & perpetua lege continentiæ à Gregorio Papa constrictus, ut dicam infrà, ubi de Cœlibatu. Sic certè tradit Isidorus: *Isti vasa quoque Corporis & Sanguinis Christi Diaconibus ad altare offerunt. De quibus quidem placuit Patribus, ut quia sacra mysteria contrectant, casti sint & continentes ab uxoribus; juxta illud, Mundamini qui fertis vasa Domini.*

*Ibidem.*

*De Ecclesi. Offic. l. 2. c. 10.*

III. Gregorio tamen ipsi semper maximum visum est interesse discrimen inter Subdiaconatum & sacros Ordines, qui manuum impositione confe-

runtur. Observat enim in ejus vita Joannes Diaconus, castigatum ab eo eadem pœna Subdiaconum, qua solent laici, in quem sola depositione si fuisset Diaconus, animadvertisset. *Quia Subdiaconus impositionem manus qua carere potuisset, non habuit, non Sacerdotio, sed officio caruit, & tanquam revera infamis meruit verberibus castigari. Quod enim esset Diacono gradum amittere, hoc fuit Subdiacono fama plenitudine caruisse.* Ubi Diaconatum portionem quandam facit Sacerdotii, Subdiaconatum verò inter officia collocat.

(L. 1. c. 31.)

IV. Isidoro eidem Lectores Prædicatores sunt quidam Verbi divini, qui legendi varietate, sapientia, suavitate & vi blandissima, audientium mentes & luce Evangelicæ veritatis, & amore perfundant. *Sunt enim Lectores, qui verbum Dei prædicant, &c. Qui promovetur ad hunc gradum, erit doctrina & libris imbutus, sensuumque ac verborum scientia perornatus, &c. Ut ad intellectum omnium mentes sensusque promoveat, discernendo genera pronuntiationis, atque exprimendo omnium sententiarum proprios affectus, modò indicantis voce, modò dolentis, modò increpantis, modò exhortantis.* Suas ita partes juxta Isidori votum non facilè poterant implere Lectores, nisi & Scripturarum peritia saltem mediocri, non mediocri autem pietate imbuti essent, & amore proximorum salutis.

(De Eccles. Offic. lib. 2. c. 11.)

V. Corde magis quàm ore canere Psalmistam decet, ut per aures in mentes trajiciatur veræ pietatis & compunctionis sensus. *Vox ejus Christianam simplicitatem demonstret, in ipsa modulatione quæ non musica vel theatrali arte redoleat, sed quæ compunctionem magis audientibus faciat.* Hinc illa olim Cantorum abstinentia, jejunia, & solus plerumque esus leguminum, quorum esu vox ipsa convalescere existimabatur: *Antiqui enim pridie quàm cantandum erat, cibis abstinebant; psallentes tamen legumine in causa vocis assiduè utebantur. Unde & Cantores apud Gentiles Fabarii dicti sunt.*

(Ibid. c. 12.)

VI. Hæc docet nos Beda in historia gentis Anglorum, Eboracensem Ecclesiam absente Episcopo diu administratam fuisse à Jacobo Diacono, qui doctrina, pietate, zelo & prædicatione opimam abduxit prædam ex Gentilium castris, multosque dum sæviret persecutio, sacro fonte abluit. Reddita mox Ecclesiis pace, ut inter præstantissimos ille Cantores non postremus erat, ita canto cœpit Fideles mulcere, & ad æternorum charitatem accendere: *Reliquerat Paulinus in Ecclesia sua Eboraci Jacobum Diaconum, virum utique Ecclesiasticum & sanctum, qui multo ex hinc tempore in Ecclesia manens, magnas antiquo hosti prædas docendo & baptizando eripuit. Qui quoniam cantandi in Ecclesia erat peritissimus, recuperata postmodum pace, in Provincia crescente numero Fidelium, etiam Magister Ecclesiasticæ cantionis, juxta morem Romanorum, seu Cantuariorum, multis cœpit existere.* Theodorus ille fama notissimus Cantuariensis Archiepiscopus Angliam omnem & doctrina & Psalmodia Romana locupletavit, auctore eodem Beda: *Et quicumque lectionibus sacris cuperent erudiri, haberent in promptu Magistros qui docerent: & sonos cantandi in Ecclesia, quos eatenus in Cantia tantùm noverant, ab hoc tempore per omnes Anglorum Ecclesias.* Ante cæteros autem omnes ille ipse Vilfridus Episcopus fidei & Catholicæ disciplinæ zelo de Ecclesia Anglicana optime meritus, Romano & Cantuariensi cantui, rituique strenuè etiam operam dedit, ut per Angliam omnem propagaretur: *Qui primus inter Episcopos, qui de Anglorum gente essent, Catholicum vivendi morem Ecclesiis Anglorum tradere didicit.*

(L. 2. c. ult.) (L. 4. c. 2.)

VII. Synodum habuit idem Theodorus Cantiæ Archiepiscopus, de qua hæc prolixè narrat idem Beda: *Intererat huic Synodo, pariterque Catholicæ fidei decreta firmabat vir venerabilis Joannes, Archicantor Ecclesiæ sancti Petri, & Abbas Monasterii B. Martini, qui nuper venerat à Roma, duce reverendissimo Abbate Episcopo, quatenus in Monasterio suo cursum canendi annuum, sicut ad sanctum Petrum Romæ agebatur, edoceret. Egitque Abbas Joannes, ut jussionem acceperat Pontificis, & ordinem videlicet ritumque canendi & legendi, viva voce præfati Monasterii Cantores edocendo, & ea quæ totius anni circulus in celebratione dierum Festorum poscebat, etiam litteris mandando: quæ hactenus in eodem Monasterio servata, & à multis jam sunt circumquaque transcripta. Non solum autem idem Joannes ipsius Monasterii fratres docebat, verùm de omnibus pene ejusdem Provinciæ Monasteriis, ad audiendum eum, qui cantandi erant periti, confluebant.*

(L. 4. c. 18.)

In eum Bedæ locum hæc juvabit animadvertisse. 1. Versatur hîc ob oculos Archicantor Ecclesiæ sancti Petri Romæ, eodemque tempore Abbas Monasterii sancti Martini in urbe. Ex quo intelligis quanto in honore esset ea dignitas, cùm vel maximè eidem Archicantoris ea Provincia mandata sit, ut statum & fidem Ecclesiæ Anglicanæ exploraret, & de ea ad Papam referret. *Non solùm autem idem Joannes ipsius Monasterii fratres docebat, &c. Excepto cantandi vel legendi munere, in mandatis acceperat ab Apostolico Papa, ut cujus esset fidei Anglorum Ecclesia diligenter edisceret, Romamque rediens referret.* Ea de causa habitum est in Anglia Concilium, cui affuit ipse, ejusque Acta Romam secum detulit. Eo argumento magis magisque confirmatur, quod jam præceptum erat animo, Cantores Lectoresque eo ævo complures in Scripturis Disciplinisque Ecclesiasticis versatissimos fuisse. 2. Non abludit à vero Cantoris & Archicantoris dignitates eodem tempore in aliis Ecclesiis exortas esse, ad exemplum Romanæ sese accommodantibus. 3. Abbas Monasterii idem Cantor erat Capituli Ecclesiæ sancti Petri in Urbe. 4. Cantus, Ordo Officiorum, Ritusque Romanæ Ecclesiæ in Anglicanam transfusi tunc sunt, è suis quasi cineribus reviviscentem tunc primùm, ut per tempus nondum licuisset ei hæc sibi ornamenta conquirere omnia, & ita expolire se, atque ad eam effingere pulcherrimam formam, quæ in Ecclesia omnium prima & antiquissima splendebat.

VIII. Meminit alibi idem Beda Monachi Angli, qui cœlesti quodam afflatu extemporanea fundebat carmina de rebus ad religionem spectantibus, eaque ipsemet modulabatur tanto pietatis sensu, ut eo deliniti non pauci & extra se rapti, sæculo nuntium remitterent, & ad Christi castra convolarent. *Cujus carminibus multorum sæpe animi ad contemptum sæculi, & ad appetitum sunt vitæ cœlestis accensi.* Non aberrabant ergo, qui cantum excoli Ecclesiasticum præcipiebant, eo uno consilio, ut hac arte animi ad cœlestium amorem raperentur. Ideo & Bedâ eodem teste Voilfridus Monachus adhuc florente juventa, Romam profectus est, ut ibi perdisceret puriores leges pietatis, fidei, & cantûs. *In Monasterio cùm aliquot annos Deo serviret, animadvertit adolescens animi sagacis, minimè perfectam esse virtutis viam, quæ tradebatur à Scotis: proposuitque animo venire Romam, & qui ad sedem Apostolicam Ritus Ecclesiastici, sive Monasteriales servarentur, videre.* Qui in Episcopatu Vuilfrido successit nihilo incuriosior fuit cantûs, ut qui æquè persuasum haberet, permagni referre, ut cantu occupentur sacro, oblec-

(L. 4. c. 24.) (L. 5. c. 20.)

tenenturque Clerici omnes, non ut fallant tempus, non ut inani voluptate pascant aures, sed ut cœlestes jam hinc degustare delicias, & Beatorum functiones fungi incipiant. Acca ille fuit, cui Cantoris officio non dedecorari Episcopatum visum est, aut quantamcumque hominis vel eruditionis copiam, vel flagrantiam pietatis. *Nam & ipse Episco-*
Cap. 21. *pus Acca Cantor erat peritissimus, quemodo etiam in litteris sanctis doctissimus, in Ecclesiasticæ quoque institutionis regulis fortissimus, &c.* Romam petierat ipse quoque cum Vuilfrido, dum ferveret juventus: *Romam veniens, multa illic, quæ in patria nequiverat, Ecclesiæ sanctæ institutionis utilia didicit.* Sed postea suam ipse in Ecclesiam accersivit, aluitque per annos duodecim Cantorem longè peritissimum, qui discipulorum Gregorii Magni discipulus ipse fuerat Cantuariæ: *Cantorem quoque egregium, qui à successoribus discipulorum beati Papæ Gregorii in Cantia fuerat cantandi sonos edoctus, ad se suosque instituendos accersiit, ac per annos duodecim tenuit.*

IX. Indubitatissimum ergo est, eosdem Gregorii Magni discipulus, qui Apostoli fuerunt Angliæ, cantûs etiam Ecclesiastici in Anglia primos fuisse institutores & magistros; & quos edocuerant fidem Christi, ejusdem Christi laudes decantandas edocuisse. Gregorius ipse quo Romanos etiam inter Pontifices nemo iam altè se in Theologicorum dogmatum penetralia æternorumque contemplationem demersit, ita secum statuebat, haud evilescere summæ in terris sanctissimæque dignitatis majestatem regnumque ipsum Sacerdotii, si pueris cantum Ec-
Joan. Diac. in ejus vita. L. 2. c. 6. clesiasticum edocendis ipsemet incumberet: *Propter Musicæ compunctionem dulcedinis Antiphonarium centonem. Cantorum studiosissimus, nimis utiliter compilavit: Scholam quoque Cantorum, quæ hactenus eisdem institutionibus in sancta Romana Ecclesia modulatur, constituit, &c. usque hodie lectus ejus, in quo recubans modulabatur, & flagellum ipsius, quo pueris minabatur, veneratione congrua, cum authentico Antiphonario reservatur.* Hæc Joannes Diaconus in Gregorii vita, qui mox subdit, Francos Germanosque Romani cantûs æmulatos fuisse suavitatem, sed attingere ad ejus perfectionem haud potuisse, tum propter addiramenta quædam sua, tum etiam quòd nativam quandam vocis suæ asperitatem mollire non ita po-
Ibid. c. 7. 8 tuerint, ut desiderabatur. *Hujus modulationis dulcedinem inter alias Europæ Gentes Germani seu Galli discere, crebròque rediscere insigniter potuerunt: incorruptam verò, tam levitate animi, quia nonnulla de proprio Gregorianis cantibus miscuerunt, quàm feritate quoque naturali, servare minimè potuerunt.* Non potest hoc nisi ad ævum Joannis Diaconi, aut aliquantò superiùs pertinere. De postera enim ætate nihil rescire ille potuit. Addit autem ibidem ea Augustini in Angliam Missi occasione refusam esse à Gregorio in Occidentales omnes Provincias Romani cantûs suavitatem: *Hujus Gregorii tempore cum Augustino tunc Britannias adeunte, per Occidentem quoque Romanæ institutionis Cantores dispersi, barbaros insigniter docuerunt.*

Mirac. l. 1. c. 33. X. Nihilo minore, vel eruditione, vel pietate suos instruit Cantores Gregorius Turonensis. *Unus ex Clericis meis Armentarius nomine, bene eruditus in spiritualibus Scripturis, cui tam facile erat sonorum modulationes appendere, ut eum non putares hoc meditari, sed scribere, in servitio valde strenuus, & in commisso fidelis.* Demonstrat idem alibi, quod præmonstratum jam à nobis est, non fuisse tunc temporis Cantores, quod olim fuerant, tenellos pueros, aut juniores Clericos: sed Presbyteros, Abbates, Episcopos, pene dixerim in Gregorium intuens, Pontifices Romanos; qui laudi sibi & honori ducebant, si canerent ipsi, & canere docerent in terris beatissima illa Cantica, quæ in cœlis decantant Immortales: *Valentinus igitur Cantor, qui tunc Presby-* Vitæ Patr. c. 6.
*ter habebatur, &c.*

XI. Sed præter has Cantorum, & Archicantorum, Præcentorum & Succentorum dignitates, quæ Officiorum magis quàm Ordinum numero habebantur: erat semper copia ingens juniorum Clericorum, quorum alii Cantores, alii Lectores, alii Subdiaconi erant, alii Ostiarii. Novella quadam sua prohibuit Justinianus Imperator, ne essent in Ecclesia majore Constantinopolitana plures quàm Subdiaconi nonaginta, centum & decem Lectores, Cantores viginti quinque, Ostiarii centum. Eorundem numerum & in aliis etiam idem præfinit Ecclesiis pro singularum modulo.

---

## CAPUT XXXII. *P. 3. l. 2. c. 16.*

## De Subdiaconis aliisque minoribus Clericis sub Imperio Caroli Magni, ejusque stirpis.

*I. Damnat VII. Synodus Generalis Clericos, qui tantùm tonsi tantùm, legerent in Ecclesia, etsi Lectorum ordine non essent initiati.*

*II. Nec Monastica Tonsura sufficiebat, ut Lectores essent. Sed Abbates solemniter inaugurati, poterant Monachos suos ordinare Lectores.*

*III. Qui necdum ordinati Lectores in Ecclesia legebant, ii forsan erant, qui nigra veste à parentibus induti, & detonsi fuerant.*

*IV. In Armenia Cantores Lectoresque fuerant laici intonsi.*

*V. Balsamonis tempore Cantores & Ostiarii laici erant.*

*VI. Quæ omnium esset observantia in Clericos Minores Ecclesiæ Latinæ. Caroli Magni leges in eam rem.*

*VII. Sejunctim adhuc conferebantur minores Ordines.*

*VIII. De Lectoribus & de Subdiaconis Oblationariis.*

*IX. De Domesticis, & Ostiariis.*

I. Gliscentem hanc in Ecclesia Græca corruptelam damnavit VII. Synodus Oecumenica, cùm Clerici privatim tonsi, nulla ab Episcopo accepta manus impositione in Ecclesia libros sacros publicè legerent. Blandiebantur quoque sibi Monastici instituti homines, quasi Tonsura Monastica id valeret, ut jam hinc Lectores censerentur. Et id quoque sacra Synodus proscripsit, concesso tamen eo Abbatibus privilegio, qui & Presbyteri ordinati sunt & Episcopali benedictione consecrati, ut Monachis suis manus imponendo Lectores eos crearent: non aliter quàm prisci Canones eam Chorepiscopis potestatem indulserant, ut Episcopo annuente Lectores ordinarent. *Et quoniam vide-* Can. 14.
*mus sine manûs impositione à parvula ætate tonsuram Cleri quosdam accipientes, nondum ab Episcopo manûs impositione percepta, super ambonem irregulariter in collecta legentes: præcipimus amodò id minimè fieri. Idipsum quoque conservandum est inter Monachos. Lectoris autem manûs impositionem licentia est unicuique Abbati in proprio Monasterio solummodo faciendi: si duntaxat Abbati manûs impositio facta noscatur ab Episcopo secundùm morem præficiendorum Abbatum, dum constet illum esse Presbyterum. Simili modo secundùm antiquam consuetudinem Chorepiscopos præceptione Episcopi oportet promovere Lectores.*

II. Fas ergo fuerat olim Chorepiscopis, qui Presbyteri tantùm erant: & hîc conceditur Abbatibus Presbyteris & inauguratis, ut Lectores ordinent, dum ne hi nisi ex suis Monachis ordinent.

Prohibentur autem Lectorum partes agere, qui detonsi tantùm fuerint, nec præterea ab Episcopo ordinati. Est autem veri omnino simile contrarium errorem ex eo scaturiisse, quòd per plura sæcula nemo Clericus fuisset, qui non aliquo donatus esset inferiorum Ordinum, quorum primus ferè semper conferebatur cum Tonsura, Lectorum ordo. Cùm ergo primum cœpit Tonsura, vel Clericatus sejungi à minoribus Ordinibus, tonsi semel Clerici facilè sibi persuaserunt posse se officio Lectorum fungi. Quod ad Monachos attinet, videbatur & illis Tonsura Monastica Clericali æquari, vel ab ea non differre, denique abundè sufficere, ad minorum Ordinum obeunda munia. Et certè copiosè inferiùs suo loco ostendetur tyrocinium monasticum pari saltem pretio visum fuisse, atque illud quod minorum Ordinum longo constabat decursu, & ab utroque gradum fuisse ad Diaconatum, & ad Sacerdotium. Erat ergo tunc Abbatum juris, hæc minorum Ordinum ministeria illis delegare potissimum, qui suos inter Monachos sanctitate præcellerent; id primùm nutu & imperio fiebat, postea cum pompa ab ordinationibus Episcopalibus non dissimili factum est.

Confitetur Balsamon Monachos à Photio in Nomocanone inter Clericos reponi, authoritatemque ei rei accersi à Concilio Laodiceno. *Nota, Patriarcha quidem qui hoc Nomocanonum composuit, docturus quinam sint Clerici, transmisit statim ad Canonem vigesimum-quartum Synodi Laodicenæ, qui etiam Monachos Clericis connumerat.* Sed alienum se ipse ab hac Photii doctrina profitetur, eamque hoc argumento oppugnat, Si tonsura Monastica Lectores constituit, fiet ergo Monachus Lector; etsi detondeat eum Monachus alius Presbyter, non Abbas, nec ab Episcopo ea potestate donatus. Id verò omnino adversatur septimæ Synodi Canoni superiùs laudato. Quid Moniales? Nonne & ipsæ Monastica gaudent tonsura? An ergo & ipsæ in Lectorum choro? *Si datum fuerit ex sola tonsura Monachos esse Lectores, Monachi indistinctè Lectoris munia omnino exercebunt, etiamsi à Monachis Sacerdotibus tonsi fuerint, qui nec sunt Antistites Monasteriorum, nec ab Episcopis facultatem acceperunt. Quod absurdum est. Porro autem Monachis quoque feminis hoc concedetur propter tonsuram. Quod est absurdissimum.*

Zonaras in Nomocan. — In Nomocan. Phot. Tit. 1. c. 31.

Quæstionem hanc aliam attingit idem alibi Balsamon, in qua aliud alii Canonum interpretes sentiebant: An Abbates præter ordinationem suam & benedictionem Episcopi, ejus etiam permissione indigeant, ut in Monasteriis suis Lectores ordinent. Aliis necessaria videbatur ea Episcopi licentia, propterea quod ordinandi potestas Episcoporum propria est, & quòd nec cum licentia Episcopi possint Presbyteri alii Lectores ordinare: *Cùm nullus Sacerdos possit Lectorem ordinare, etiamsi ei ab Antistite hoc permissum fuerit.* Ita singularis semper Abbatum prærogativa illa est, quòd cum Episcopi licentia id possint. Existimat tamen minimè necessarium esse, ut novam hanc ab Episcopo licentiam impetret Abbas, cùm ea ipsi ejus vel ordinationi, vel benedictioni implicata fuerit. Unde & Canone XIV. ejusdem VII. Synodi ea potestas omnibus in commune Abbatibus conceditur. *Ego verò intelligo hoc Monasteriorum Præfectis indistinctè à Canone concessum esse.*

In Can. 14. Syn. Trull.

III. Subjicit ibidem Balsamon, ea id de causa Abbatibus indultum esse, quòd nec ipsis, nec eorum Monachis facile sit, ex locis remotissimis, obi plerumque sita sunt Monasteria, ad urbes vehitare & ad Episcopos accedere. Balsamoni ferè consonat Zonaras in iis quæ de ordinatione Lectorum per Abbates dicta sunt. Sed illud multò pluris refert observari, juniores illos Lectores, qui hoc VII. Synodi Canone percelluntur, non ejusmodi fuisse, quos totondisset Episcopus nulla impositione manuum facta; propterea quod non alia erat impositio manûs Episcopalis in creandis Lectoribus, quàm qua eorum capitis crines attondebat Episcopus in formam crucis. Unum ergo idemque erat attonsio & manuum impositio. Verùm de quibus hîc agitur, ii erant omnino parvuli, quos parentes ipsi nigris induebant vestibus, Deoque tonsis eorum crinibus dicabant. Hujusmodi pueros, nec attonsos ab Episcopo, nec ordinatos Lectores, legere deinceps in Ecclesia hoc Canone vetatur. *Quoniam videmus nonnullos à pueris nigris vestibus indutos, tanquam Deo consecratos, tonsuraque suscepta, non per sui Episcopi manuum impositionem, audentes, postquam ad ætatem pervenerint, divinas Scripturas in suggestu legere, non canonicè, &c.*

Zonaras in Can. 14. Synod VII.

IV. Damnaverat jam Trullana Synodus Armenorum Ecclesiæ quandam rusticitatem, ubi qui ab Episcopo nunquam detonsi fuerant, adeoque penitus laïci, Cantorum Lectorumque vices omnino implebant. *Scripturas nulli liceat in suggestu recitare, nisi is sacerdotali tonsura usus fuerit, & benedictionem à suo Pastore canonicè susceperit.* Ex quo illud quoque apertum fit, creari solitos ab Episcopo Lectores, capillitii detonsione, quæ nec sine manuum impositione fiebat, nec sine benedictione in speciem crucis. Dum hunc ipsum Canonem commentatur Balsamon, apertè testatur, eam fuisse non paucorum sententiam, quanquam ab ea non parum abhorreret ipse, Monastica tonsura suppleri Clericalem, acquirique facultatem Scripturas in Ecclesia legendi: *Sed & Monachos qui non habent Episcopales coronas, sed Monasticam tonsuram, dicunt quidam posse in suggestu legere Apostolum & reliqua; quemadmodum & Clerici, tanquam Monachalis tonsura utique sufficiat pro tonsura Clericali.* Horum doctrina priorum Ecclesiæ sæculorum moribus erat magis fortasse consentanea: at sententia Balsamonis consuetudini sui ævi, & Episcoporum recentiorum, qui in ejusmodi rebus plurimùm possunt, magis consentiebat voluntati.

Can. 33.

V. Balsamoni alii sunt Cantores, Lectores alii; porro Cantores ejus ævo non ferè nisi ex Eunuchis erant, quod à priorum sæculorum puriore disciplina immaniter abhorrebat. *Nota quod olim Cantorum ordo non ex Eunuchis solùm, ut hodie fit, constituebatur, sed ex iis qui non erant ejusmodi.* Addit id moris fuisse, ut Lectores *in Ambone divinas Scripturas legerent post finitum Matutinum.* Alibi Exorcistas & Ostiarios in Clericorum collegio recenset, eosque iisdem privilegiis gaudere docet: at sua ætate alios fuisse Ostiarios merè laicos. Itaque istiusmodi officia laicis communicata jam fuerant.

In Can. 4. Syn. Trull. — Nomocan. Tit. 1. c. 31. — In Can. 14. Synod. VII.

VI. Quod ad Latinam Ecclesiam, pauca supersunt, quæ superiùs dictis addenda sint. Qui honos haberetur adhuc minoribus Clericis, mirum in modum elucescit in Epistola Adriani Papæ. Verba faciens enim Pontifex de quatuor Missis Caroli Magni ad sedem Apostolicam, *religiosum* vocat Abbatem, eodem honore afficit duos Diaconos: at *Ostiarium magnificum* vocat. Concilium Remense II. Clericos omnes monet, professos illos esse *Deo militare.* Specialiter autem admonet Subdiaconi esse

Conc. Gall. Tom. 2 pag. 122. 123. — Ann. 813. Can. 3. 4. 5.

Epistolas Pauli legere ad Altare, sicut Diaconi est legere Evangelium. In Capitularibus suis edixit Carolus Magnus, ut sæculares viri, quantacumque potestate eminerent, vel minoribus Clericis assurgerent, & morem gererent, veluti Deo, cujus Vicarii sunt: contestatus sibi persuasissimum esse, non posse eos terreno Principi fidem & obsequium diu præstare, qui Deo infidi sint, & contemptim habeant eos, qui regalis Christi Sacerdotii insignibus circumfulgent. *Volumus atque præcipimus, ut omnes suis Sacerdotibus, tam majoris ordinis, quàm & inferioris, à minimo usque ad maximum, ut summo Deo, cujus vice in Ecclesia legatione funguntur, obedientes existant. Nam nullo pacto agnoscere possumus qualiter nobis fideles existere possunt, qui Deo infideles & suis Sacerdotibus inobedientes extiterint; aut qualiter nobis obedientes nostrisque ministris ac Legatis obtemperantes erunt; qui illis in Dei causis & Ecclesiarum utilitatibus non obtemperant.* Ne proprios quidem filios hac lege absolvebat piissimus Princeps, quin & his quoque comminabatur, perinde ut Magnatibus aliis, Aula conspectuque suo interdictum iri, nisi eximia quadam in Dei Ministros observantia, gratiam à se quoque mirent. *Qui autem in his, quod absit, aut negligentes, aut inobedientes fuerint inventi, sciant se nec in nostro Imperio honores retinere, licèt etiam filii nostri fuerint, nec in Palatio locum, neque nobiscum, aut cum nostris societatem aut communionem ullam habere, sed magis sub magna districtione & ariditate pœnas luere.*

Capitul. l. 7. c. 306.

VII. Facilè illud observari potuit, pristinum hactenus viguisse usum, minores Ordines sejunctim singulos conferendi, nec omnes uni semper inserendi; cùm exerceri omnes ab omnibus non possent; non conferrentur autem nisi ut exercerentur. Ostiarii ostiis affixi ita erant, ut aliorum Ordinum ministeria obire non possent. Lectoribus non vacabat alia defungi munia, unde nec iis onerabantur. Uno aliquo minorum Ordinum idoneus struebatur gradus, quo ad superiores Ordines, & ita ad ipsum tandem Episcopatum perveniretur. Bernardus sanctitatis nomine celeberrimus, qui Hildesheimensi tandem Episcopatu provectus fuit, non aliud primùm quàm Exorcistæ munus consecutus, prorsus ut quondam Martinus.

Surius die 20. Novem.

VIII. Ordo Lectorum multò frequentiùs aliis conferebatur, quòd eo defungi facillimè possent tenelli adhuc pueri, qui Ecclesiasticam à teneris unguiculis militiam amplexabantur. Inter minores Ordines summus & eminentissimus erat Subdiaconatus, & inter complures Subdiaconos primas honoris partes obtinebat is, qui oblationes ad Altare deferebat. Gregorius III. Papa Presbyterum delegabat, qui rem sacram in Cœmeteriis faceret Festis solemnioribus; oblationesque eò comportari jubebat à Subdiacono, cui hinc Oblationarii nomen factum est. *Et oblationes de Patriarchio per Oblationarium deportarentur ad celebrandas Missas.* Ita Anastasius Bibliothecarius in hujus Pontificis vita, qui & alibi advertit, primum Subdiaconorum, quem appellitabant Græci Domesticum Subdiaconorum, à Latinis vocatum fuisse Oblationarium. *Primum Subdiaconorum Græci Domesticum vocant, quem Romani Oblationarium.* Dicitur & Oblationarius Diaconus in Concilio Romano, ubi beatorum Cœlitum albo inscriptus fuit S. Udalricus. *Joannes Diaconus & Oblationarius.*

Anast. Bibl. in ejus vita.

Act. 2. Synodi VIII.

An. 993.

IX. Domestici nomine designabant Græci Caput & Præsidem Collegii alicujus. Curopalates & alii Græci frequenter meminere *Domestici Scholarum*, quod ad sæcularem spectabat militiam. Magnificus ille Ostiarius, de quo suprà, potuerat & ipse inter Officiales Palatii locum habere. Supersunt Epistolæ duæ Frotarii Episcopi Tullensis ad Ostiarium Palatii scriptæ: *Illustrissimo viro, & toto affectu colendo ac desiderando Gerungo, summo sacri Palatii Ostiario, Frotarius Episcopus, &c.* Ita elogium magnifici, de quo antè, Ostiario forsan Palatii Regii, aut Ostiario Cleri Palatini tributum fuisse suspicari quis posset.

Du Chesne. Hist. Fran. To. 2. pag. 712. 715.

---

## CAPUT XXXIII. *P. 4. l. 1. c. 31.*

### De Diaconis & Subdiaconis, & aliis Ordinibus minoribus, extrema hac Ecclesiæ ætate post annum Christi millesimum.

*I. His Ordinibus etiamnunc omnibus sua constat dignitas, & prisca veneratio, ac ratio Beneficii.*

*II. Antiqua prærogativa sua incolumi gaudet adhuc Diaconatus. Cœpit Subdiaconatus sub Urbano II. propius accedere ad sacros Ordines.*

*III. Summam manum Innocentius IIII. imposuit, ut in sacros Ordines referretur.*

*IV. Ita censuerant Theologi, minores Ordines ab Ecclesia institutos fuisse.*

*V. D. Bonaventura illos omnes uno in Diaconatu concludit.*

*VI. Nec aliter interpretandum est Concilium Tridentinum.*

*VII. Diaconi aliquandiu obiere functiones Sacerdotales aliquas.*

*VIII. Ecclesiarum regimini Diaconi quandoque præfecti sunt.*

*IX. Non pauci viri sanctissimi longævam ætatem vitamque totam in Diaconatu contrivere.*

*X. Varia discrimina Græcos inter & Latinos in minoribus Ordinibus.*

*XI. Laxata Latinorum Disciplina, minores Ordines uni collati, nulla eos exercendi inflicta necessitate. Huic malo Tridentinum Concilium medetur.*

*XII. Idem Tridentinum ad id connititur, ut rursus, quot Ordines, tot Officia, tot Beneficia sint.*

*XIII. De Universitatibus & Seminariis.*

*XIV. Alia Officia infra minores Ordines.*

*XV. De Matricularis.*

*XVI. De Beneficio Aquæ Benedictæ.*

*XVII. Minora his etiam Officia, Clericis mandata.*

I. Quanquam longa sæculorum series, & inevitabiles rerum humanarum vices aliquam subinde Ecclesiasticæ disciplinæ mutationem & diversitatem invexerint: duo sunt tamen in re quam versamus, quæ inconcussa stetere, & stant etiamnunc: nimirum & Diaconos semper eximio quodam dignitatis fastigio cum Episcopis & Presbyteris supra Clericos omnes alios floruisse: & omnes omnino Ordines, cum majores, tum minores, in Beneficiorum numero semper fuisse. Hæc duo sunt, ad quæ hic illustranda accingimur.

II. Quod ad primum spectat, Diaconos videlicet sacerdotalis Imperii & hierarchiæ divinitus institutæ consortes semper habitos esse, probatur adhuc ex Concilio Lemovicensi anni 1031. cui affuere Episcopi, Presbyteri & Diaconi. *Convenerunt omnes simul Episcopi, cum Presbyteris & Diaconibus.* Concilium Beneventanum anni 1031. vetuit Episcopos eligi, nisi ex iis qui sacris Ordinibus initiati jam essent, id est, ex Presbyteris & Diaconibus, qui primævæ Ecclesiæ Ordines sunt. Si ingruat tamen necessitas, dispenseturque vel Papa vel Metropolitanus, permittitur in hac Synodo, ut ex Subdiaconis eligantur. Truncum legitur hoc Decretum in Editionibus Conciliorum, at integrum illæsumque habetur in Decreto Ivonis Carnotensis sub nomine

Concilii Beneventani: & in Decreto Gratiani, sub nomine Urbani Papæ, hoc est, Urbani II. qui ei Concilio præfuit. Hæc ejus verba sunt: *Nullus in Episcopatum eligatur, nisi in sacris Ordinibus religiosè vivens fuerit inventus. Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia. Subdiaconos verò quia & ipsi Altaribus ministrant, opportunitate exigente concedimus, si tamen spectata sint religionis & scientia. Quod ipsum non sine Romani Pontificis vel Metropolitani licentia fieri concedimus.*

*Jun. Decr. part. 3. c. 7. Gratian. d. 60. c. 4.*

*C. A multis. De ætat. & qual. Præfic.*

Decretalibus suis hoc Decretum intexuit Innocentius III. illudque ascribit Urbano I. qui Amanuensium perspicuus error est. Beneventano enim Concilio præfuit Urbanus II. non I. Deinde cum ait Innocentius III. *Urbanus ad statum primitivæ Ecclesiæ se referens*, perspicuè declarat de Urbano II. se verba facere. Quippe nihil opus erat ut ad primitivæ Ecclesiæ splendidiora tempora se referret Urbanus I. cùm esset eorum ipse sidus eximium.

Cæterùm in hac sua Decretali in eo laborat Innocentius, ut suadeat Subdiaconatum ab Urbano II. in sacros Ordines relatum fuisse: quod & ex ejus verbis probare nititur: *Cùm hodie Subdiaconatus inter sacros Ordines computetur, sicut Urbanus Papa II. sub his verbis expressit, Qui in sacris Ordinibus, Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu sunt positi.* Et tamen disertis verbis contrà videntur dicere, & aliud significare, cum Urbanus II. tum Beneventanum Concilium: *Sacros Ordines, Presbyteratum dicimus & Diaconatum. Hos siquidem solos primitiva Ecclesia legitur habuisse.* Denique cùm non permittatur, nisi ex indulgentia, ut ex Subdiaconis Episcopi eligantur, dilucidum est eos in minoribus adhuc Ordinibus numeratos fuisse: si in sacris enim jam tum Ordinibus Subdiaconatus fuisset locatus, nihil opus fuisset dispensatione, ut ex Subdiacono Episcopus quis eligeretur.

III. Non alius ergo verè quàm Innocentius III. ipse Subdiaconatum in Ordines sacros & majores retulit, quando ibidem sanxit, ut ne posthac ulla Canonum venia & dispensatione opus esset, quò Episcopi ex Subdiaconis deligerentur. *Statuimus, ut Subdiaconus in Episcopum valeat liberè eligi, sicut Diaconus, vel Sacerdos.* Constante enim & intacta prisca lege, ut ne Episcopi nisi ex Ordinibus sacris eligerentur, jubente autem Innocentio III. ut tam liberè ex Subdiaconis eligerentur, quàm ex Diaconis & Presbyteris: illud nimirum hinc existit, Subdiaconatum in classem referri majorum Ordinum. Aucupatur autem Innocentius fundamenta aliqua suæ huic Constitutioni ex Urbano II. & ex antiquis moribus, quia hi mores sunt Ecclesiæ, antiquitati adhærescere, & non aliud quàm eam vel sequi omnino, vel sequendo perpolire. Præluserat enim Urbanus Innocentio, dum ex venia fieri sineret, quod nec ex venia antè fiebat, quodque liberè fieri postmodum passus est Innocentius.

In alia quoque Decretali Subdiaconis communicat idem Innocentius III. illam Diaconorum prærogativam, qua concessum erat ut etiam sine dominorum consensu ordinati Diaconi, in servitutem revocari ac retrudi non possent. Non gaudebant antè Subdiaconi eo privilegio, gaudere posthac voluit Innocentius. *De subdiaconali Ordine, quia de eo non sit mentio in Patrum statutis expressè, videtur nobis quod & is cum Diaconali gradu, privilegio gaudet eodem.* Scitissimè addit idem Pontifex ibidem, tametsi in sacris Ordinibus non numeraretur Subdiaconatus inter primæva florentis Ecclesiæ sæcula: numeratum tamen in iis fuisse Constitutionibus Gregorii & Urbani Pontificum Romanorum: *Nam licèt sacer Ordo non reputaretur in Ecclesia primitiva, tamen à Constitutione Gregorii atque Urbani secundum moderna tempora sacer gradus esse minimè dubitatur.* Gregorius hic Magnus est, qui vigere & executioni mandari jussit Decretum anterius Leonis Magni de Subdiaconorum cælibatu. At non eò in sacrorum Ordinum culmen assurrexit Subdiaconatus. Urbanum II. & Beneventanum Concilium non præterisset illa Subdiaconatûs in sacros Ordines ante quingentos annos facta provectio. Non vetitum ab iis esset Episcopum ex Subdiaconis assumi, nisi gravi ex necessitate, & facta Canonum venia. Mentem ergo & consilium verbaque Innocentii III. ita necessariò interpretamur, ut dicat, nihil à se novi constitutum esse, nihil quo moveri quisquam debeat, ubi concessit & ex Subdiaconis *liberè* Episcopos eligi, & Diaconorum privilegio adversùs servitutes muniri etiam Subdiaconos: cùm harum Constitutionum suarum fundamenta jam olim posuissent, tum Gregorius Magnus, Subdiaconis eidem continentiæ vinculo innexis cum Presbyteris Diaconisque: tum Urbanus II concesso ut ex indulgentia Subdiaconi in Episcopos deligi possent, perinde ut Diaconi Presbyterique jure communi poterant.

*C. Miramur. De servis non ordinandis.*

IV. Subdiaconos ab Ecclesia institutos fuisse fidenter pronunciat Petrus Lombardus, Magister Sententiarum. *Levitas ab Apostolis ordinatos legimus. Subdiaconos verò & Acolythos procedente tempore Ecclesia sibi constituit.* Luculenter etiam sanctus Thomas Aquinas docet primigeniæ Ecclesiæ tres duntaxat fuisse Ordines, Episcopos, Presbyteros & Ministros, seu Diaconos, quo nomine Clerici inferiores omnes continentur. *In primitiva enim Ecclesia solum erant tres Ordines, ut dicit Dionysius, scilicet Episcoporum, Presbyterorum, & Ministrorum, & non dividebantur per diversos gradus, sed omnia erant in uno Ordine, propter paucitatem Ministrorum, & propter novitatem Ecclesiæ.* Hugo Victorinus qui inter Urbani II. & Innocentii III. tempora vixit, scripsitque, Urbani II. Decreto inhæsit, cujus & exscripsit verba, ideoque Subdiaconatum ex sacrorum Ordinum albo expungit. *Sacros Ordines Diaconatus & Presbyteratus tantùm appellandos censent; quia hos solos primitiva legitur Ecclesia habuisse.* Idem sentit Philippus Abbas Bonæ-Spei: *Presbyter & Diaconus sacris Ordinibus dicuntur insigniti, &c. Sunt præter istos alii, &c. Non tamen eorum sacri Ordines appellantur.*

*L. 4. d. 24.*

*In c. 3. Epist. 1. ad Timot.*

*De Sacram. L. 2. part 3. c. 13.*

*De Continentia. c. 107.*

V. Præstantissimè Bonaventura Subdiaconatum, aliosque minores Ordines, & antiquitatis laude, & institutionis etiam divinæ gloria radiare putat, in quantum Diaconatui implicantur, eoque explicante se exortos esse, non alio quàm Christo ipso per sæculorum lapsus evolvente & explicante ea futuræ pulcritudinis & sanctitatis semina, quæ ipsemet Ecclesiæ suæ fundamentis olim asperserat. *Fuerunt & alii Ordines, sed implicitè dabantur in impositione manuum, quoniam manus est organum organorum. Ratio autem quare non distinguebantur, erat propter paucitatem ministrantium & propter paucitatem fidelium. Ideo oportebat, quod omnia officia darentur uni.* Quæ eadem est Thomæ Aquinatis sententia. *In primitiva Ecclesia propter paucitatem Ministrorum omnia inferiora ministeria Diaconis committebantur, ut patet per Dionysium, &c. Nihilominus erant omnes*

*In 4. d. 24. art. 2. q. 1.*

*Ibid. q. 2. art. 1.*

*prædicta potestates, sed implicitè in una Diaconi potestate; sed postea ampliatus est cultus divinus, & Ecclesia quod implicitè habebat in uno Ordine, explicitè tradidit diversis.*

VI. Huc non invita flectuntur verba Concilii Tridentini, declarantis esse in Ecclesia cœlestem Hierarchiam, ex Episcopis, Presbyteris & Ministris constitutam. *Hierarchiam divina Ordinatione institutam, quæ constet ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris.* Hi quippe Ministri Diaconi sanè sunt, ut complexi eam portionem plenissimam Sacerdotii, quæ in inferiores Ministros omnes exuberat. (Sess. 23. Can. 6.)

VII. Tametsi erroris & vitii aliquid irreperet subinde, erat tamen luculentum Diaconorum dignitatis & venerationis in eo argumentum, quòd tandiu permissi sint administrare ea parte saltem aliqua pœnitentiam, Confessiones excipere, & absentibus Episcopis Presbyterisque Pœnitentes reconciliare. Cursim hîc ea stringam quæ post annum Christi millesimum gesta sunt. Anno 1195. hanc illis adhuc facultatem permittebat Concilium Eboracense, sicubi urgeret necessitas: *Ut nonnisi summa urgente necessitate Diaconus baptizet, vel Corpus Christi cuiquam eroget, vel pœnitentiam confitenti imponat.* (Can 4.) Itemque Londinense Concilium anno 1200. *Non liceat Diaconibus baptizare vel pœnitentias dare, nisi duplici necessitate, videlicet, quia Sacerdos non potest, vel absens est, vel stultè non vult, & mors imminet puero, vel agro.* (Can. 3.) Id ipsum innovatum est anno 1236. in Constitutionibus sancti Edmundi Archiepiscopi Cantuariensis. Synodus Vorcestreosis anno 1240. statuit, ut eo essent ubique numero Presbyteri, ut ne à Diaconis percipi necesse esset, quæ ab eis dari nefas est. *Diaconi quandoque confessiones audiunt, & alia tractant Sacramenta, quæ solis Sacerdotibus sunt commissa. Quod ne de cætero fiat.* (Cap. 12.) Synodus Excestrensis anno 1287. idem statuit. (C. 21.)

Nec is usus in Gallis minus erat frequens. Constitutiones Odonis de Soliaco Episcopi Parisiensis, vetant ne Confessiones excipiat Diaconus, nisi gravissima urgeat necessitas, cùm absolvere neminem à peccatis possit. *Ne Diaconi ullo modo audiant confessiones, nisi in arctissima necessitate, claves enim non habent, nec possunt absolvere.* (Can. 56 Spicil. To. 2. pag. 220.) Constitutiones Synodales Andegavensis Ecclesiæ Parochos objurgant, qui sacerdotalia munia non pauca sinebant à Diaconis invadi. *Qui sine necessitatis articulo confessiones audiunt, & absolvunt indifferenter, corpusque Dominicum infirmis deferunt & ministrant, quæ facere non possunt, nisi in necessitatis articulo.* Synodus Pictaviensis anno 1280. irritas declarat absolutiones criminum à Diaconis effusas, *Abusum erroneum eradicari volentes, & inhibemus ne Diaconi confessiones audiant, & ne in foro Pœnitentiali absolvant, cùm certum sit, ipsos absolvere non posse, cùm claves non habeant, &c.* (Can. 5.) Nemausensis Synodus anno 1284. id indulgebat minoribus quoque Clericis, ut in extremo vitæ discrimine excommunicatos absolverent, præsidio quocunque alio destitutos. *In mortis articulo quilibet excommunicatus absolvi potest, etiam à simplici Sacerdote, vel Clerico.* Si his adjicias, quæ diximus suprà de reconciliationibus Pœnitentium, quæ à Diaconis fiebant jam inde à temporibus Cypriani: perspicuum fiet per annos amplius mille ducentos complurima Sacerdotii munera per Diaconos impleta fuisse, damnabili quandoque usurpatione, assentientibus, aut conniventibus quandoque Conciliis & Synodis, ita jubente inexorabili tum necessitate: ita sanè, ut ne tum quidem cùm expugnaret extrema necessitas istas Diaconorum absolutiones, constare illis posset ea sacramenti vis & efficacia, quam Sacerdotales obtinuissent. Etenim ut jam tum exploratissimum habebatur, Diaconi *claves non habent, nec possunt absolvere.*

VIII. His præstructis, minùs mirabimur, si regendæ Diaconis commendarentur Ecclesiæ. Adrianus Papa IV. anno 1159. Friderico I. Imperatori per litteras significavit, ejus potissimum commendationi & precibus id se condonasse, ut Subdiaconum Ecclesiæ Romanæ cùm ordinasset Guidonem Guidonis Comitis Blanderatensis filium, ei ac si Diaconus esset, Titulum & Ecclesiam conferret: *Tanquam si in Diaconum jam fuerat ordinatus, Ecclesiam ei specialiter assignavimus, &c. Cùm à Sede Apostolica in Subdiaconum sit promotus, & ei tanquam si jam Diaconus esset, à nobis sit Ecclesia specialiter assignata* (Baroni' an. 1159. n. 3.) Tituli Cardinalium Diaconorum Romæ præclarissima & antiquissimæ disciplinæ perpetua sunt monumenta, ut jam ab exordio Diaconis gubernandæ crederentur Ecclesiæ. Hujusmodi Tituli, sive Ecclesiæ, ideo *Diaconia* dicebantur, quòd pauperibus necessaria vitæ subsidia ibi ministrarentur.

IX. Nec levis inde quoque conjectura ducitur amplitudinis Diaconatûs & præcellentiæ, quòd Clerici complures & virtute & aliàs nobilissimi, votorum suorum summam in eo collocarent, in eo consenescerent, in eo vitæ totius stadium decurrerent. Narrat Petrus Blesensis Cælestinum Papam sexaginta quinque annos in Diaconatu contrivisse, & ita demum vocatum fuisse ad summum Apostolicæ dignitatis Sedisque fastigium. Addit & frequentia esse id genus exempla Romæ Diaconorum veneranda canitie & moderatione hac sua singulari, omnium sibi admirationem & reverentiam conciliantium. *Vidimus complures in Ecclesia Romana in Ordine Diaconatûs usque ad decrepitam ætatem & exhalationem extremi spiritûs ministrasse. Certè Dominus Cælestinus qui hodie sedet, sicut ex ipsius ore frequenter accepi, in officio Levitæ sexaginta quinque annos expleverat, antequam ipsum Dominus in summi Pontificatûs apicem sublimasset.* (Petrus Blesen. Ep 123.)

Nemo deinceps ambiget, quin Diaconatus, ut Ordo, ita & Beneficium haberetur, cùm hîc Diaconis reservarentur Tituli, Ecclesiæque Parochiales; cùmque Diaconi hi olim, ut ne ab Ecclesia una in aliam migrarent, vel transferrentur, in Diaconatûs ministeriis ævum omne suum absumerent. Denique eò pertinebat etiam illa Ecclesiæ quondam lex, ut ex Diaconis & Presbyteris Episcopi asciscerentur, quòd etiam in Diaconatu votorum vitæque metam complures pietate & meritis clarissimi defigebant. Postquam in sacros Ordines relatus est Subdiaconatus, & ex eo quoque Ordine liberum fuit dignissimos quosque ad Episcopatum accersere: credibile est in ea quoque statione nonnullos voluisse consenescere; nec facilè pati, ut ulteriùs promoverentur.

X. Venio ad alios inferiores Ordines cum eodem Petro Blesensi, qui docet hos longa sæculorum serie adornatos esse gradus, quibus scandant Clerici lentiùs & præparentur diligentiùs ad Diaconatum. *Productior est ascensus ad Diaconatûs gradum nunc, quàm in primitiva Ecclesia. In qua qui tantùm fidelis erat, Diaconus fiebat, vel Sacerdos. Introducti sunt postea quidem minorum Ordinum gradus, per quos tanquam per cantica graduum, ascenditur ad Sacerdotium.* (Serm. 47.)

Nec in his minoribus, uti in majoribus Ordinibus

Epist. 10. Raynal. an 1254. n. 9 nibus Ecclesia Græca cum Romana consensit. Cùm Græcos Innocentius IV. strictiori vinculo Latinis coaptare enixus est, edixit ut in posterum tres minores conferrent Clericis suis Ordines, quos hactenus prætererant. *Præcipimus quod Episcopi Græci septem Ordines secundùm morem Ecclesiæ Romanæ de cætero conferant, cùm hucusque tres de minoribus circa Ordinandos neglexisse, vel prætermisisse dicantur.* At cum prohibeat hic Pontifex, ne suppleantur, conferanturque hi Ordines, iis qui in antecessum illis initiati non fuerant: hinc satis prodit, quo loco eos & pretio habeat. Nec enim ita statuisset de majoribus Ordinibus. Nihil autem erat optatius, quàm ut Græci, & ii maximè qui Cyprum insulam incolebant, & quibus promulgabatur hoc Decretum, accommodarent se ad ritus Ecclesiæ Romanæ & Latinorum, inter quos degebant. Quanquam enim sociari optimè possit & fidei unitas, & charitatis constantia cum ea rituum morumque diversitate: certum est tamen ex ea sæpissimè homines carnales & insano consuetudinum suarum amore occupatos, arripuisse ansam ad exitialia quædam dissidia. Celebratio Paschalis Festivitatis & Panum Azymorum consecratio argumenta sunt ejus rei manifestissima, & quæ nulla delere possit oblivio.

Censet Arcudius tres istos Ordines Acolythorum, Exorcistarum & Ostiariorum, à Græcis non tam prætertos fuisse, quàm Ordinibus aliis insertos; & huic Pontifici aliam potiùs sententiam arrisuram fuisse, si exploratiorem habuisset sententiam Græcorum. Demonstrat hic Scriptor inter complures Ecclesiæ Græcæ Officiales, eos qui *Deputati*, *δεπυτᾶτοι*, vocantur, eosdem prorsus esse, & eadem obire munera cum Acolythis nostris. Id oneris Lectoribus imponit Simeon Thessalonicensis; qui & officia omnia Ordinum nostrorum minorum Subdiaconis & Lectoribus videtur dispertiri.

Arcudius. De sacris Ordin. l. 6. c. 9.

XI. Et Latini quidem minorum Ordinum discrimina observarunt, at de eorum splendore non minimum detraxerunt, dum eos cœperunt in unum & eundem simul omnes conferre Clericum, quo videri possint & in unum Ordinem conflari. Concilium Lambethense in Anglia anno 1281. Episcopis præcepit, ne amplius uni & eidem eodem die conferrent Minores quatuor cum Ordine sacro uno; quin potius ex Minoribus duos tantùm simul conferrent, & ad earum potius sese Ecclesiarum exemplum componerent, ubi Minores adhuc separatim conferebantur singuli: *Pro sacramenti reverentia dentur aliquoties combinati, &c. In nonnullis aliis Provinciis quatuor minores Ordines non simul faciliter conceduntur.* Cœperant ergo quatuor minores Ordines conjunctim conferri ante annum Christi millesimum trecentesimum. Convaluit non multò pòst illaudabilior consuetudo, non tantùm simul omnes conferendi, sed & absolvi Clericos ab eorum functionibus, quæ laïcis mandarentur. Hinc ille Coloniensis Concilii I. querelæ anno 1536. *Ut præter nomen nihil in Ecclesia retinuerint, illorumque loco tenuet aliquot homines laici, &c.* Consultissimè Tridentina Synodus præcepit, ut Episcopi Ordines minores sejunctim conferant, & per justa dispensent interstitia, ut interim possit quisque accepti Ordinis defungi ministerio. *Per temporum interstitia conferantur, ut eò accuratiùs, quantum sit hujus disciplinæ pondus possint edoceri, ac in unoquoque munere juxta præscriptum Episcopi se exerceant.* Verùm cùm copiam fecerit Episcopis Tridentina Synodus dispensandi de his interstitiis, ea dispensandi facilitate

Can. 5.

Part. 3. c. 31

Conc. Trid. sess. 23. c. 11.

in irritum penè cecidit pulcherrimæ hujus pars non minima Disciplinæ.

XII. Verùm non paulò plus & sapientiæ & zeli deprompsere Tridentini Patres in librando Decreto hoc alio, quo minores Ordines in Titulum quodammodo Beneficii eriguntur, scilicet quo iis donati Ecclesiæ alicui affiguntur, quo reditus eis certi procurantur aliqui, quo demum sacris functionibus arctissimè astringuntur. *Exerceant se in ea, cui ascripti erunt Ecclesia, &c. Curent Prælati in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis & Parochialibus hujusmodi functiones restituendas, & ex aliqua parte redituum aliquorum simplicium Beneficiorum, vel fabricæ Ecclesiæ si proventus suppetant, aut utriusque illorum, eas functiones exercentibus assignent. Quibus si negligentes fuerint, Ordinarii judicio aut ex parte mulctari, aut in totum privari possint.* Sess. 23. c. 11. 17.

Promulgata roborataque sunt hæc Statuta in Concilio Remensi anni 1564. Mediolanensi I. anni 1565. & IV. anni 1576. ubi proventus, qui hactenus laïcis ea munia implentibus adsignari fuerant, vendicati sunt Clericis, qui ea posthac obituri erant. Concilium Mediolanense V. Clericorum oculis objecit exemplum tot olim Ecclesiæ primævæ & florentissimæ Clericorum, qui in unius horum Ordinum quatuor Minorum ministerio longævam & sanctissimam vitam degebant, ne tantilla quidem superioris gradûs cupiditate afflati. Can. 20 51. Cap. 8. Cap. 5.

XIII. Nec dissimulare tamen possumus abundè & cum fœnore pene compensatum esse damnum, quod ex inertia minorum Clericorum emerserat, tot Universitatum & Studiorum Generalium ab annis amplius quingentis fundatione. Verùm ut huic medicamento sua vis constaret, illud desiderabatur, ut hæc essent semper non tam litterarum, quàm pietatis gymnasia, quòd & fuerant inter initia, novo semper fervore insignia. Nulla fuit disciplinæ labes, quam non resarcire studuerint Tridentini Patres, hinc functionibus minorum Ordinum restitutis, inde jussis & vehementissimè incitatis Episcopis, ut Seminaria erigant. Cùm enim intepuisset pietatis fervor in antiquioribus Seminariis, hoc est, in Universitatibus & Generalibus Studiis, instituenda necessariò fuere Seminaria alia, ubi impensè litteris, impensiùs pietati daretur opera: sicut in Universitatibus impensè pietati, multò impensiùs litteris incumbebant.

XIV. Fuerunt porro & Officia alia, quibus etsi non id decus accesserit, ut inter Ordines numerarentur: functiones tamen obtigerunt non multùm absimiles. Synodus Coloniensis anni 1300. edixit in hæc verba: *Campanarii nisi litterati non assumantur, qui in defectu respondentis ad Altare cum camisiis lineis assistant.* Concilium Coloniense anni 1310. idem statutum confirmavit. Coloniense aliud anni 1536. jubet ut habitu Clericali induantur & superpellicio, cum cereos accendent, & Altari ministrabunt. Concilium Coloniense anni 1549. *Custodes, Campanarios, quos alii Matricularios vocant*, pro iisdem habet: vetatque ne barbam alant, aut sine superpelliciis in Ecclesia stent, cùm suo funguntur ministerio. Eodem donantur & nomine & munere à Concilio Cameracensi anni 1565. *Matricularii & custodes Ecclesiarum.* In Gregorianis Decretalibus duo sunt Tituli seorsim, ubi agitur *de Officio Sacristæ*, *de Officio Custodis*. Curæ illis sunt vestes & lampades Ecclesiarum, Custos tintinnabula pulsat, uterque subest jurisdictioni Archidiaconi. Hæc Officia, eorumque proventus ac emolumenta nuperis

Can. 17. Can. 16. Part. 3. c. 31. c. 13. Part 7. c. 50.

Synodis visa sunt Clericis minorum Ordinum affectanda, & in classem Beneficiorum promovenda.

XV. Eo verò nihil novi statuitur, sed suæ res origini & naturæ restituuntur. Initio enim hæc officia non commendabantur nisi Clericis, & Beneficiorum in numero erant, quæ lapsu temporis permissa sunt & laïcis ob redituum tenuitatem. Promo ejus rei exemplum & documentum valde opportunum ex historia Episcoporum Autisiodorensium, ubi Matricularii qui destinantur pulsandis tintinnabulis, & ejusmodi functionibus aliis; partim laïci sunt, partim Clerici, utrique Beneficiarii; at laïcorum Beneficia tam exigua & tenuia sunt, ut pretia potiùs impensæ operæ videri possint. *Sacrista providere tenetur & exhibere Clericum unum Matricularium, & alios qui campanas pulsare valeant, &c. Episcopus praeter illos instituit tres Matricularios, unum videlicet Clericum, quem attitulavit Altari sanctæ Crucis in eadem Ecclesia, ut ibi serviret in Officio Sacerdotis, medietatem Beneficii ejusdem Altaris illi Matricularia perpetuo jure annectens, cum centum solidis, &c. & duos laicos, quibus singulis decem libras in reditibus assignavit.* Bibl. MSS. Labb. To. 1. pag. 487.

Unus ergo horum Matriculariorum Presbyter erat, reliqui minores Clerici, erant & laïci quidam; eò res tandem erupit, ut omnes essent laïci, qui tamen lineis quandoque tunicis, seu superpelliciis induebantur, ut suprà patuit. Mirum est tam obscura ab origine potuisse Matricularios ad eam potestatem pertingere, qua nunc in urbibus Ecclesiisque celeberrimis pollere cernuntur. Nisi æquius sit adgratulari nobis, Deoque laudem dicere, quòd nunc qui plurimum opibus, nobilitate & Dignitatum splendore nitent, ii non dedignantur Officiis hujusmodi in Ecclesia minimis vilissimisque inservire Christo. Cumulus & nostri gaudii & eorum pietatis erit, si beoe perpensa horum Officiorum origine & natura, ut Christo, ita & Christi Vicariis Episcopis Parochisque in eorum administrationem subesse in animum inducant. Feveri de l'Abus. l. 4. c. 7.

XVI. Eluxit enim paulò antè, hæc Matriculariorum sive Officia, sive Beneficia collationis fuisse Episcoporum, Parochorum, aliorumque Clericorum, sicut & quod in Anglia vocabatur *Beneficium Aqua benedictæ*; quod inopi Clerico conferebant Parochi, vel eorum Vicarii, ut eo toleraret vitam, & studiorum impensas faceret. Hæc enim leges, si voles, in Constitutionibus Synodalibus Episcopi Angliæ anno 1256. *Persona vel Vicarii dabunt Beneficium Aqua benedicta, Clerico pauperi scholari, ita quod veniat omnibus solemnibus diebus ad Ecclesiam serviendum, de qua habet dictum Beneficium.* Contendebant tamen laïci, suæ collationis esse debere istiusmodi Beneficium, cujus reditus non alii erant, quàm voluntariæ stipes, quas ipsimet erogabant, cum ad eos singulos lustratis aqua deferebatur. At Synodus Excestrensis anni 1287. id quidem juris Parochis firmavit, Vicariisque: compelli autem voluit laïcos ad pias justasque eleemosynas: *Moneantur, & si necesse fuerit, compellantur*: in urbanis etiam Parochiis id genus Beneficia institui præcepit, quorum uberes erant olim proventus, cùm Majorum pietas charitasque hæc Beneficia excogitasset: *A nostris Majoribus sæpè audivimus recitari, Beneficia aquæ benedictæ intuitu charitatis fuisse ab initio instituta, ut ex eorum proventibus pauperes Clerici exhiberentur in scholis: ibidem taliter proficerent, ut aptiores fierent ad majora.* Ejusdem generis Beneficia instituerat in Constitutionibus suis Synodalibus Episcopus Coventrensis anno 1237. *Quia plerique scholares carent necessariis, quorum scientia multi per gratiam Dei poterunt ædificari; volumus ut scholares ferant aquam benedictam per villas rurales, si sunt qui postulent & indigeant.* Vuillelmus de Curtiniaco Archiepiscopus Cantuariensis anno 1393. ne interdictis quidem & excommunicationibus abstinuit, ut ne convelli sineret in Anglia avitam hanc, priamque juxtà & ubique receptam consuetudinem. *De consuetudine laudabili legitimè præscripta, quasi ubique per totum regnum Angliæ, per Clericos Aquæ bajulos, ex donatione Rectorum & Vicariorum, Parochianorum sumptibus sustentandos, deferri consuevit.* Conc. Angl. Tom. 2. p. 275. 304. Ibid pag. 109. 645.

XVII. Justior superest admirationis, adeoque stuporis causa in obscurissimorum Officialium Clericatu, cujusmodi sunt Stapedarii, & Parafrædis curandis præfecti. In Concilio enim Lateranensi V. sub Leone X. anno 1514. mentio fit Parafrænariorum, quibus conceditur tunicis uti brevioribus, tametsi Clerici sint, dum ne Presbyteri sint, idque propterea quod in officio sunt jactationis plurimæ; quod tamen nonprohibet, quin iis esse debeant moribus, qui Ordinibus suis Ecclesiasticis consentiant. *Parafrenarii quia in assiduo sunt motu, ministerioque funguntur laboriosiore, brevioribus ac magis expeditis vestibus uti possunt etiam si fuerint Clerici, dummodo in Presbyteratus Ordine non sint constituti: ita tamen ut ab honestate non discedant, sed ita vivant, ut mores Ecclesiasticis suis Ordinibus non discrepent.* Ne quis ea re offendatur, vel alienetur animo, à maximarum antiquissimarumque Ecclesiarum moribus; ei memoria refricanda est eorum quæ in Annalibus sacris occurrunt, & quæ nos alibi diximus de Gregorio Magno, qui laïcos omnes è Pontificali Palatio suo extrusit, nec quocumque passus est in ministerio suo omni, quàm Clericos. De Augustino item qui agros Ecclesiæ per valentiores Clericos excoli curabat, non per laïcos, teste Possidio. De antiqua denique Ecclesia omni, quæ minores Ordines conjugatis conferebat, adeoque opificibus, artificibusque quibuscumque, etiam vilissimis, sed à peccati labe puris, adeoque nec jam vilibus: cùm ut Dei, ita servorum Dei oculis vile nihil meritò sit, nisi quod peccato sordidatum est. Minùs abhorrebit animus ab iis quæ de sancto Carolo Borromæo narrat Giossanus, laïcos ab eo ejectos è Cantorum ac Musicorum Ecclesiæ suæ grege; jussosque Cantores omnes in Ecclesia superpelliciis indui, & ita fungi suo munere. Diximus jam priscæ Ecclesiæ Cantores Clericos fuisse. Sess. 9. L. 8. c. 4.

---

## CAPUT. XXXIV. *P. 1. l. 1. c. 27.*

### An essent Clerici quidam, sine Ordine ullo, sine munere, sola Tonsura insignes per priora quinque sæcula.

*I. Proponuntur de re præsenti quæstiones aliquot.*

*II. Clerici Ordinis officiique omnino expertes fuere nulli. Omnes in Officio saltem aliquo constitutos fuisse probatur ex Clemente, Ignatio, & Epiphanio.*

*III. Probatur iterum ex Concilio Nicæno & Basilio. Clericorum duo genera. Cleri & Canonis discrimen.*

*IV. Probatur ex aliis Græcorum Conciliis.*

*V. Distinguit Concilium Calchedonense Clericos ab iis, qui in Officio sunt: hos enim promoveri, illos ordinari.*

*VI. VII. Nec aliter se res habebat in Ecclesia Latina. Probatur ex Cypriano. Sola ordinatione & Altaris ministerio in Clerum cooptantur, Clerique fruuntur immunitatibus.*

*VIII. Probatur ex Pontificum litteris. Cornelium Papa, etc*

*tantum inter Clericos & Beneficiarios numerabat: qui Ordinem aliquem confecuti erant.*

*IX. Neminem in Clerum admittebat Siricius Papa, nisi collatione minoris alicujus Ordinis.*

*X. Instituti ideireo minores Ordines, ut his Clerici ad majora præpararentur.*

*XI. Hinc est quod irregularitas, & ab Ordinibus arcet, & à Clericatu, quia utrumque unum & idem erat.*

*XII. Erant apud Latinos sacra quædam Officia, quæ minoribus Ordinibus quodammodo æquarentur, & in Clerum adscriberent. Probatur ex Gelasio & Conciliis Carthaginensibus.*

*XIII. Probatur iterum ex Conciliis Carthaginensibus.*

I. ILlud statim hîc præfandum, illud monendum puto, tria esse, eaque gravissima, quæ de Ordinibus minoribus, & de Beneficiis quæ illis indivulsè cohærent, explicanda sint. 1. An primis sæculis quinque sine ullo suscepto Ordine Clerici fuerint aliqui. 2. An minores Ordines simul omnes eadem conferrentur, vel per intervalla quidem, sed uni tamen omnes, antequam is ad sacros Ordines promoveretur. 3. An semper gradibus quibusdam ad sacros perveniretur Ordines, & quæ interstitia servarentur.

II. Harum quæstionum primam hoc capite excutiendam adgrediar, idque primò evincam, etsi Clericus sine Ordine fuerit aliquis, sine officio tamen fuisse neminem; atque adeo nec quodammodo sine Ordine, quòd nec ab Officiis secernerentur minores Ordines, & ipsi sæpè pro Officiis haberentur, quæ instituta essent ad levandos Diaconos, tanto futuros utique impares oneri, si tota ministerii Ecclesiastici sarcina illis imponeretur. Ignatius in Epistolis, in Constitutionibus Apostolicis Clemens, in Expositione fidei Epiphanius, Officialium quorundam meminere, qui nullo prorsus quidem Ordine initiati essent, constituti tamen erant in Officiis Ecclesiasticis, & Ecclesiæ Clero sociati. Ejusmodi erant *Laborantes*, *qui mortuorum corpora curabant*, *Custodes sacrorum Vestibulorum*, *Linguarum interpretes*. Erant hæc Officia quædam, sine ulla ordinatione, adscripta tamen in Clerum.

III. Statuit Nicænum Concilium, ut si quis Clericus turpe lucrum & usuras sectetur, ejiciatur à Clero, & alienus existat à Regula, hoc est à *Canone*, Matricula & Catalogo Beneficiariorum, qui Ecclesiæ sumptibus aluntur, τοῦ κλήρου, ἢ τοῦ κανόνος. Can. 17.
Qui Ordinem aliquem susceperant, hi erant in Clero: qui verò Officium tantùm, in Canone. Basilius pœnas quæ contra Clericos in communi à Canonibus latæ sunt, eas pronuntiat ad hos omnes pertinere Ep. ad Amphiloch. c. 51.
Clericos, qui vulgò in Ecclesia sunt: sive illi in dignitate sint, ἀξιώματι: sive in *ministerio quod sine manûs impositione datur*, ἐν ὑπουργίᾳ ἀχειροτονήτῳ: hoc est, in Officio. Hunc Basilii Canonem Balsamon ita explicat, ut à nobis explicatus est, scilicet Episcopos, Presbyteros & Diaconos idcirco in primo esse Ordine, quia per manuum impositionem ordinati sunt: in secundo verò *Lectores*, *Cantores*, *Janitores*, *& horum similes*, quòd sine manuum impositione, sola benedictione fiant. In secundo Ordine & Ordines minores & Officia simul & promiscuè Basilius posuit, quia Ordines minores pro Officiis habuit, longéque summovit ab illo authoritatis culmine, in quo ex institutione divina sedent Episcopi, Presbyteri, Diaconique. In his tamen omnibus sine Ordine aut Officio Clericum videas neminem. Cùm enim appellatis Basilius iis qui in Officio sunt, subjicit, *& similes*, de aliis solùm Officiis intelligi potest.

IV. Ubi vetat Clericis & Monachis Concilium Laodicenum, ne ingrediantur tabernas, post appellatos Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Lectores, Cantores, Exorcistas, Ostiarios, Monachos statim subjicit, atque adeo significat Clericos alios non esse, quàm qui antè nominati sunt. Irritavit Concilium Constantinopolitanum I. ordinationes omnes Maximi, qui Sedem Regiæ urbis invaserat. Videtur autem Ordinationis nomine, aut manûs impositione Clericos comprehendisse omnes, tametsi inferiores nullam impositionem manûs haberent. Est in Actis Concilii Ephesini I. libellus Cleri Constantinopolitani adversùs errores Nestorii, ubi in Claro ponuntur Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Lectores, & deinde statim laici. Inter Lectores ergo & laicos nulli alii medii erant Clerici. Can. 24. Can. 4. Conc. Ephes. Par. 1. c. 13.

V. Concilium Calchedonense ubi de Simonia è Clero prorsus eliminanda agit: ut Clericos indicet, utitur voce *manûs impositionis* χειροτονίας; ut verò eos qui sunt in Officio, voce utitur Promotionis, *προβολῆς*. In primo Ordine Episcopos, Chorepiscopos, Presbyteros, Diaconos, & alios qui inter Clericos numerantur collocat, ἢ ὅλως τινὰ τῶν ἐν κλήρῳ κατηριθμημένων. In secundo verò Oeconomos, Defensores, Mansionarios, & universim eos qui sunt in Canone, ἢ ὅλως τινὰ τοῦ κανόνος. Clericos ergo Concilium secernit ab iis qui sunt in Canone, hoc est, ab Officiis, qui Beneficiarii fuere; quippe qui cum aliis qui Ecclesiæ proventibus alerentur, in Matricula essent conscripti. Erant ergo omnes Clerici Beneficiarii, at non omnes Beneficiarii vicissim erant Clerici: si modò ita Clericum sumas, ut in Concilio Calchedonensi, pro eo tantùm qui Ordine aliquo initiatus fuerit. Verùm & Clerici & Beneficiarii suo omnes alligabantur Officio: & inauditum erat Ordinis Officiique prorsus expertem otiosum inertemque fuisse Clericum. Nec abnuerim Officia hujusmodi plerumque data fuisse Clericis. Erant enim Oeconomi ferè omnes ex Presbyterorum cœtu delecti. Idem dico de Defensoribus. At non ità semper. Fuere enim & laïci Oeconomi. Fuere & Defensores, Notarii, Sacristæ, seu Martyriorum custodes sine ullo Ordine, in Clerum tamen adscripti, qui iisdem quibus Beneficiarii privilegiis gauderent, ut infrà ostendetur.

VI. Res non minùs certa aut perspicua fuit in Ecclesia Latina. In iis enim omnibus quæ de ea hactenus dicta sunt, ne umbra quidem ejus apparet usquam qui sine Officio & Ordine Clericus esset. At præterea conceptis verbis tradit Cyprianus Clericos omnes ministerio suo & Altaribus affixos fuisse. *Cuncti in Clericali ministerio constituti, nonnisi Altaribus & Sacrificiis deservire, & precibus atque orationibus vacare debent.* Quo ex jugi circum Altaria ministerio repetit Cyprianus ea quibus Clerici fruuntur privilegia, ut nec Tutorum, nec alia hujusmodi onera subeant, quibus quasi vinculis homines rebus temporariis alligantur. L. 1. Ep. 9.

VII. Idem Cyprianus ad Clerum plebemque scribens, de provecto in Lectoris gradum Aurelio, qui tam forti Christi nominis confessione inclaruerat, perspicuè demonstrat ordinatione sola aditum patuisse ad Clerum. *In ordinandis Clericis solemus vos antè consulere, &c. Merebatur talis Clericæ ordinationis ulteriores gradus, &c. Interim placuit, ut ab officio Lectionis incipiat.* Convenienter his verbis dices, tum Clericos fieri, cum ordinantur, & primum Clericatûs pandi vestibulum Lectoris ordinatione. Alibi de alio illustrissimo Confessore loquens idem Cyprianus, & de repensa ei Lectoris dignitate, ita L. 2. Ep. 5.

Leo. Ep. 4. habet : *Ut, qui sublimiter Christum confessi essent, Clerum postmodum Christi Ecclesiasticis ministeriis honorarent.* Qui omne simplices dicuntur Clerici, sola Capillitii detonsione notabiles, tam alieni sunt ab Ecclesiastico ministerio, quàm ab ordinatione.

VIII. Verùm in eam rem, allata ab Eusebio Cornelii Papæ Epistola quid manifestius? Ubi omnes numerantur, tum Ecclesiæ Romanæ Clerici, tum cæteri alii, qui ejus abundantissima & charitate & opulentia alerentur? Certum numerum ponit Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolythorum, Exorcistarum, Lectorum, & Ostiariorum : hinc ad viduas statim, ad pauperes, ad ægrotos venit. Erant ergo omnes cum Ordine aliquo, & Officio Clerici. Nam si qui alii fuissent, hi ante viduas, pauperes & ægrotos recensiti fuissent, nec fraudari debuissent stipendiis Ecclesiasticis, quibus hi gaudebant omnes.

IX. Nec obscurior est Siricii Epistola. Ita enim ille præcipit, eos qui se Clericali instituto devoverunt, debere à teneris statim unguiculis baptizari, & ita accedere ad Ordinem Lectorum. Et quanquam postea uxores ducant, ad Acolythorum & Subdiaconorum, Ordinem propelli posse. Epist. 1. c. 9. 10. *Quicumque se Ecclesiæ vovit obsequiis à sua infantia ante pubertatis annos baptizari, & Lectorum debet ministerio sociari.* Qui verò ætate paulò provectiores divinis se mancipare obsequiis percupiunt, jubet illos Siricius cùm primùm sacro fonte abluti & expiati fuerint, Lectorum, aut Exorcistarum Ordine initiari. *Eo quo baptizatur tempore, statim Lectorum, aut Exorcistarum numero societur.* Inusitatum prorsus tunc erat illud nunc tritissimum loquendi genus, Cleri aditum cuiquam pandi sola Tonsura, sine Ordine ullo, sine ullo vinculo quo ministeriis Ecclesiasticis manciparetur. Nihil profectò clarius dici, nihil disertius potuit, ut intelligeres nullum tunc Clericum potuisse fieri sine Ordine aliquo, saltem inferiori.

X. Enimvero non sunt aliam ob causam instituti inferiores Ordines, quàm ut esset hoc velut tyrocinium quoddam ad superiores. Hoc Siricius suprapositis verbis volebat, hoc esse veluti vestibulum, nec aliud esse ullum, ut ne quis à contagione sæculi ad sanctissima quæque & sublimia Ecclesiæ ministeria repente imparatus & profanus prosiliret. Addit ibidem idem Pontifex, ut pœnitentiæ publicæ non subjiciuntur unquam Clerici, ita nec pœnitentia publica perfunctos ad Clericatum adspirare, aut admitti posse : propterea quod semel nefario quopiam crimine contaminati, quantumcumque eas maculas abstergere conati sint pœnitentiæ lamentis, lacrymisque & sudoribus : nunquam tamen ad aras & vasa sacra contingere, aut vel accedere propiùs debeant. Ibid. c. 14. 15. *Quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.* Si supina autem ignavia, aut imperitia Canonum pœnitens quis, aut Bigamus ordinatus sit, ex indulgentia concedit Pontifex, ut *adempta sibi omni spe promotionis, in hoc quo invenietur ordine, perpetua stabilitate permaneat.*

XI. Ita unum idemque erat Clericatus & Ordo; nec arcebant à Clero irregularitates ullæ, nisi quia arcebant ab Ordinatione. In ea re concinit Innocentius I. Siricio prædecessori suo. Declarat Innocentius, Epist. 4. c. 3. 5. quæ sint irregularitates, seu Canonici obices, quibus à Clero & ab Ordinibus indigni summoveantur. *De laicis quos Canones ordinare prohibeant, &c. Nec enim Clerici nasci, sed fieri possunt, &c. Nec citò quilibet Lector, citò Acolythus fiat.* Tradit alibi idem Pontifex *ordinatos ab hæreticis,* Epist. 22. c. 3. non posse in Ecclesia eodem Ordine censeri. Leo Magnus in Epistola ad Rusticum Episcopum Narbonensem, docet Laïcos & Lectores posse conjuges sibi accersere, at Diaconos, Presbyteros, Episcoposque continentiæ compede vinciri. *Cùm essent* Cap. 3. *Laici, sive Lectores, &c.* Palam est Lectorum nomine Clericos hîc omnes inferiores contineri; & hos inter ac laïcos, medios fuisse nullos, sola comæ tonsione insignes. Jubet denique Gelasius Papa, ut si Clericatu donandi sint Monachi, exploretur primùm, an aliqua illos remoretur irregularitas : cujus si immunes sint, statim Lectorum, Notariorum, aut Defensorum Ordine & Officio decorentur, tribus elapsis mensibus Acolythi fiant, & his gradibus eò paulatim promoveantur, quò eos & pietas sua, & Ecclesiæ utilitas vocat. *Continuò Lector, aut Notarius, aut certè Defensor effectus,* Epist. 9. *post tres menses Acolythus existat.*

XII. Habes hîc rei ejus argumenta, quæ in Ecclesia Græca observata jam est : qui Clero adgregarentur, fuisse hos omnes, sin minus Ordine, certè Officio aliquo donatos. De sola Clericatûs initiatione loquitur Pontifex, *Si quis ad Clericale munus accedat.* Et tamen januam Cleri aperiri monstrat, tam Notarii & Defensoris Officio, quàm Lectoris Ordine. Jure ergo confiteri possis, ut in Græca, ita & in Latina fuisse Ecclesia Clericos sine ullo Ordine, at non ullos sine Officio saltem, quo & certæ addicerentur Ecclesiæ, & ejus ministeriis sanctissimè occuparentur. Firmatur id totum ex Concilio Carthaginensi III. quod suprà Clericorum in numero Psalmistas collocavit. Carthaginense etiam IV. demonstravit, potuisse ab Presbyteris Cantores institui Episcopo inconsulto. Ex quo patet Officii magis quàm Ordinis in numero fuisse Cantorum munus, quanquam & inter Clericos locus illis daretur, dicerenturque Clerici etiam Cantores, peræquè ac siquo minori Ordine donati fuissent.

XIII. Sancitum illud est in Concilio Carthaginensi III. ut Episcopi ante ordinationem Episcoporum cæterorumque Clericorum, ordinandis eos prælegant Canones, qui ad Ordines spectant, ut nequid in eorum fiat ordinatione, quo legum Ecclesiasticorum sanctitas violetur. *Placuit ut ordinan-* Can. 3. *dis Episcopis, vel Clericis, prius ab Ordinatoribus suis decreta Conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta Concilii fecisse asserant.* Et alibi : C. 49. *Clerici qui ordinantur.* Quæ verba produnt ad Clerum sola ordinatione aditum patuisse. Docet Con- Can. 2. 3. cilium Carthaginense IV. quæ in Ordinandis Africæ Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Acolythis, Exorcistis, Lectoribus, Ostiariis forma teneretur. Progreditur deinde ad Psalmistas, Deo sacras Virgines, Viduas & Moniales. Dixisset profectò & de aliis siqui fuissent cum sola Tonsura Clerici. Eadem Concilii Toletani I. sententia, ea- Can. 10. dem loquendi consuetudo, ordinatione fieri Clericos; ubi nimirum servi vetantur in Clerum adoptari : *Clericos non ordinandos.*

## CAPUT. XXXV. *P. 1. l. 1, c. 28.*

### An simul omnes, & eidem conferrentur minores Ordines, prioribus quinque sæculis.

*I. Cur hoc præcipuè loco ea de re agatur.*

*II. Seorsim dati minores Ordines singuli, & ex iis omissi plerumque aliqui. Ita dabantur, uti Officia, quæ omnia omnes obire, nec possent, nec necesse esset.*

*III. Habiti deinde sunt pro dignitate & ornamento, ut religionis insignia, ut vincula sanctitatis.*

*IV. Probatur in Ecclesia Græca, nec simul collatos minores Ordines, nec omnes eidem.*

*V. Idem ostenditur, & in Latina. De Decreto Sylvestri Papæ.*

*VI. VII. VIII. De Decretis Siricii, Innocentii, Gelasii. Omittebantur nonnunquam ex illis Ordinibus aliqui: præsertim Ostiariorum.*

*IX. Solvitur objectio sumpta ex Decreto Zosimi.*

*X. Ex Sidonio Apollinari. Non dicebantur per saltum ordinati, qui longa emensi erant interstitia, quamvis minorum aliqui Ordinum essent omissi.*

*XI. Id comprobatur ex Hilario Pictaviensi, & Martino Turonensi.*

*XII. Voluit Ambrosius spectari cujusque ingenium, quis cuique minori Ordini esset aptior.*

*XIII. Eam ob causam omnes nonnunquam omissi.*

*XIV. De beato Ambrosio.*

*XV. Collati illi sunt minores Ordines, nequaquam tamen eo consilio, ut eos exerceret.*

I. POst agitatam superiori Capite Quæstionem, de Tonsura statim & Clericali habitu agendum fortassis fuisse videbitur. Nam si semel esset ostensum, ut subsequentibus Capitibus ostendetur clarissimè, Prioribus quatuor sæculis Clericos à Laicis, nec habitu fuisse, nec Tonsuræ distinctos: inde facilè colligi potuisset, simplici Tonsura Clericos fuisse nullos, utpote qui posterioribus his sæculis Tonsura solùm & Ecclesiastico habitu Clerici constituantur. Verùm quæ tria initio Capitis superioris proposita sunt, ea ita sunt inter se connexa, ut sejungi à se disputando, ac divelli non debuerint. Præterquam quod, si de Tonsura & veste Clericorum fusiùs dictum esset, eò jam nonnisi difficilè revocari posset oratio. Quæ ergo è propositis quæstionibus duæ reliquæ sunt, eas hic pertractabimus, & tum demum accedemus ad Tonsuræ & vestis Clericalis illustrationem.

II. Si retrectes atque in animum revoces ea quæ superiori Capite dicta sunt, id totum quod hîc quæritur, definitum habebis. Si enim ab ipsa sui institutione mera officia sunt minores Ordines, eidem simul & semper omnes frustra essent collati, qui ab uno & eodem omnes nequaquam poterant geri. Quod si in hujusmodi officiis veluti Tyrones quidam & purgabantur & præparabantur, ne de sæculi luto ad superiores statim irrumperent Ordines, poterat certè id fieri, si vel in uno tantùm, vel in uno & altero diutiùs fuissent exercitati. Nec verò omnes habent omnia, quæ quatuor simul gerendis Ordinibus aut congruunt, aut sunt etiam necessaria. Quò lectioni aptiores sunt adolescentuli, eò muneri Acolythorum, Ostiariorum & Exorcistarum minùs idonei. Et contrà qui & ætate & viribus pares sunt laboriosis illis functionibus, ad lectionem plerumque rudes, agrestesque sunt & inepti.

III. Verùm hæc quantumvis manifesta, valent tamen prioribus his tantùm sæculis, quibus minores Ordines verissima erant, & incredibili quadam assiduitate gerenda officia. At posterioribus hisce non ita. Jam enim abiere pene in oblivionem & desuetudinem minorum Ordinum munia; nec Ordines illi ferè jam spectantur, nisi ut dignitates quædam sacræ, ut sanctissima ornamenta, & antiquitatis Ecclesiasticæ veneranda signa: ut vincula quædam, quibus Christi sponsæ & diversis & strictioribus nexibus alligamur; ut professiones quædam sinceræ summæque observantiæ nostræ erga minuscula quæque Ecclesiæ Christi ministeria: denique ut gratiæ & sanctitatis derivationes in eos, qui vel fimbrias, ut ita dicam, attingunt vestium summi cœlorum terrarumque Pontificis. Nam sive à Christo ipso, sive ab Ecclesia, quæ & ipsa Christus est, minores Ordines, aut simul cum Diaconatu, aut seorsim instituti sint: radii profectò quidam sunt, & derivatæ ab æterni illius Pontificis Sacerdotio portiones: unde gratia & sanctitas in eos non solùm manat, qui & suscipiunt, & gerunt; sed & in illos etiam, quamvis non tanta, qui suscipiunt tantùm: dummodo id ea cum veneratione faciant, quæ illi debetur, qui summa ipsamet magnitudo & majestas, qui ex Tertulliano ipsum *Summum Magnum* est; cujus ideo vel participationes minusculæ quodam magnitudinis fastigio supra nos eminent. Renovata denique nuper sunt à Concilio Tridentino Ordinum illorum munia, quare & ibidem seorsim jussi sunt conferri. Infrà suo loco dicam primis quoque sæculis hos quandoque simul omnes uni alicui collatos fuisse, nulla spe, nulla certa voluntate, ut qui susceperant, exercerent; nec tamen dubitatum esse, quin iis quibus conferrentur, alique & honoris accessio fieret, & potestatis.

IV. Progrediendum nunc nobis ad ea est, quæ ex Historiis, ex Conciliorum Canonibus, & Pontificum Decretis accersi poterunt præsidia. Permittunt Constitutiones Apostolicæ ad Diaconatum & superiores Ordines evehi Confessorem & Exorcistam, tametsi declarent non Ordine illos aliquo hæc nomina consequutos esse. Quod si nullis susceptis minoribus Ordinibus potuere statim majores suscipi: cui dubium fuerit, quin & potuerint prætermitti, non omnes, sed aliqui, & ita alii aliis omissis suscipi? Cùm verò Græci nec Acolythos nec Janitores in minorum Ordinum numero habuerint, persuasissimum illis certè fuit, & prætermitti posse aliquos, & ordinationi legitimæ omnino non esse necessarios.

V. His obstrepere videri potest Decretum quoddam Sylvestri Papæ in Romano Concilio editum: sed longè aliter res habet. En ejus verba, quibus minorum Ordinum series & successio declaratur. *Si quis desiderat in Ecclesia militare, aut proficere, sit prius Ostiarius, Lector, Exorcista, per tempora quæ Episcopus constituerit. Deinde Acolythus annis quinque, Subdiaconus annis quinque, Custos Martyrum annis quinque, Diaconus annis quinque; Presbyter annis tribus, &c.* Concilii hujus Acta minùs probantur Criticis, nec tamen omnino abrogari eis potest antiquitatis fides, cùm ante nongentos annos citata fuerint. Utut res habeat, non satis expressè jubet hæc Synodus tres inferiores Ordines necessariò superioribus præmittendos; ea forsan res committitur voluntati Episcopi. Ordo Sacristæ, seu Custodis Martyrum supra Subdiaconatum locatur, & inter utrumque quinquennii interstitium præcipitur. Itaque hic Ordo supra Subdiaconatum & supra alios minores tantopere evectus, cùm abolitus tandem sit; immo cùm non multò pòst abolitus

fuerit, ut liquebit mox ex Epistolis Decretalibus aliorum ejusdem ævi Pontificum, hinc invictissimè illud perficitur minores alios Ordines majoris esse non posse necessitatis. Monui jam, ut reor, hos Martyrum Custodes earum fuisse Sacristas sive ÆditUos Ecclesiarum, quæ Martyria dicebantur.

VI. Sed nihil apertius, nihil invictius Decretali Epistola Siricii Papæ, qui edicit, ut qui se à primævæ ætatis fluxe Clero devoverint, statim Lectores ordinentur: *Lectorum debet ministerio sociari:* (Epist. 1. c. 9. 10.) ad ætatis annum trigesimum Acolythi fiant & Subdiaconi: *Ab accessu adolescentiæ usque ad tricesimum ætatis annum Acolythus & Subdiaconus esse debebit.* Postea ad Diaconatum promovebuntur: *Post quæ ad Diaconi gradum accedat.* Ex quatuor Ordinibus minoribus duos prætervolat Siricius. Puerulis non confert nisi Lectoris Ordinem, cui uni fungendo pares erant. Quomodo Acolythos fecisset? qui per ætatem, per corporis vires id muneris implere necdum poterant?

Si verò paulò adultiores cupiant sacræ militiæ nomen dare, jubet Pontifex, ut statim post lustrales undas Lectores fiant, vel Exorcistæ, biennio pòst Acolythi & Subdiaconi, inde post quinquennium ad Diaconatum promovendi: *Statim Lectorum aut Exorcistarum numero societur. Qui dum initiatus fuerit, expleto biennio, per quinquennium aliud Acolythus & Subdiaconus fiat: & sic ad Diaconatum provehatur.* Ut ætate provectiores non semper idonei erant lectitandis aut decantandis in Ecclesia Scripturis, optionem illis dat Pontifex, ut Lectores sint, vel Exorcistæ. Sed manifestum est ex quatuor minoribus duos tantùm adeundos Ordines proponi, quos ne eodem quidem tempore vel suscipiant, vel exerceant.

VII. Ea ergo tunc erat Ecclesiæ Romanæ disciplina & consuetudo, ut rursus patebit ex Innocentio I. ubi statuit quibus gradibus & quàm longo tyrocinio veniendum sit ad Ordines sacros. *Nec citò quilibet Lector, citò Acolythus, citò Diaconus, citò Sacerdos fiat. Quia in minoribus Officiis si diu perdurent, & vita eorum pariter & obsequia comprobantur.* (Epist. 4. c. 5.) Ubi vides ex minoribus Ordinibus duos tantùm imponi, & eosdem prorsus quos suprà, sed ea certè lege, ut in iis diutissimè probentur, qui celsioribus dignitatibus postea ornandi erunt. *In minoribus Officiis si diu perdurent.* De temporis interstitiis nihil decernit Innocentius, quia vigebat adhuc Decretum Siricii, quem ipse non longo sequebatur proximus intervallo. Quanquam alioqui longè satius ac tutius fuit in Officiis Exorcistæ, Acolythi & Subdiaconi per annos septem eos habere, qui adulta jam ætate Diaconi vellent fieri, quod fecit Siricius: quàm si breviori spatio hos omnes & alios præterea duos Ordines celerrimè percurrissent. Ne te ergo moveat, quòd in his qui ab infantia Lectores fiunt, duo prætermittuntur minores Ordines; cùm eorum ad tricesimum usque annum, quo demum Diaconi ordinabantur, diligens & longa satis esset probatio.

VIII. Jam suprà, ni fallor, ita sanxit Gelasius, ut si ordinandus sit Monachus, criminis purus integerque vitæ, *continuò Lector, vel Notarius, vel certè Defensor effectus, post tres menses existat Acolythus, mense sexto Subdiaconus, &c.* (Epist. 9.) Ubi perspicis præteriri Ordinem Exorcistarum & Ostiariorum. Perspicis & optionem dari, ut suscipiat quis officium sive Ordinem Lectorum, Notariorum, vel Defensorum. Nec Siricius, nec Innocentius, nec Gelasius Acolythorum Ordinem prætereunt: officium Ostiariorum omnes prætereunt. Conjicies inde, si voles, ad munus jam tum laicis cœpisse delegari.

IX. Videtur quidem id velle Zosimus, ut ad unum omnes suscipiantur minores Ordines: *Adsuescat in Domini Castris, in Lectorum primitus gradu divini rudimenta servitii: nec illi vile sit Exorcistam, Acolythum, Subdiaconum, Diaconum per ordinem fieri.* (Epist. 1.) Sed præterquam quod & hic Pontifex Ostiariorum Ordinem præterit, ne absolutè quidem præcipit, ut singuli Ordines cæteri decurrantur; unum decernit, ut Episcopi imperio omnes obsequantur, & antiquis Ecclesiæ regulis, à quibus rem omnem statuit pendere. *Nec hoc saltu, sed statutis Majorum ordinatione temporibus.* Atqui quæ hactenus laudata sunt à nobis Pontificum Decreta, illum præcipitem damnant *saltum*, qui fit non omissione inferioris alicujus Ordinis, sed non decursis longis illis temporum intervallis, quæ præscripsere Canones, ut expiandis roborandisque animis necessaria, sive interim unum quis, sive duos, sive plures suscipiat exerceatque tamdiu minores Ordines.

X. Non est ergo, quòd quis reprehendat celeberrimum illum Archidiaconum, de quo Sidonius Apollinaris, qui solo Lectoris rudimento ad Archidiaconatum pervenerat, ex quo & ad Cabilonensem Episcopatum tandem conscendit. Inter Lectorem enim & Archidiaconum longa intercessit, etsi non Ordinum fortassis, at certè temporum, laborumque, & virtutum series. En verba Sidonii: *Lector hic primùm, sic minister Altaris, idque ab infantia. Pòst laborum temporumque processu Archidiaconus.* (L. 4. Ep. 25.) Istud est certè non insilire, non ferri impetu, sed lentè, sed moderatè, sed sapienter & religiosè ad majora progredi. Tum dici cœpta est ordinatio per saltum fieri ex omissione alicujus Ordinis, cùm ejusmodi Ordines non jam officia quædam vera ac diuturna, sed meri fuere, ac sine ulla functione honores. Si quis diutissimè & per complures annos Lector aut Acolythus fuerat, non illi crimini vertebatur, quòd prætermisso Exorcistæ vel Ostiarii Ordine ad Subdiaconatum venisset. At postquam minores ita habiti sunt Ordines, ut ceremoniæ quædam sacræ, religioni fuit quemquam eorum prætermitti. Eadem quippe venerationis & observantiæ ratio ex æquo omnes amplectitur. Vix ac ne vix exerceri omnes poterant, ideoque nec omnes ab omnibus suscipiebantur, cum mos erat non suscipi, nisi ut exercerentur. At ubi suscipi jam consuetudo viget, non tam ut exerceantur, quàm ut ea qua decet observantia & religione colantur, neque sanctitatis aliquid inde aspergatur: tum omnes omnino ab omnibus suscipi necessum est, quia communis omnibus ea religio est communisque lex Ecclesiasticæ disciplinæ, quæ quovis ævo, ut Ecclesia ipsa, sancta & Apostolica est.

XI. Narrat Severus Sulpitius B. Hilarium Pictaviensem Episcopum voluisse statim B. Martino, qui Turonensis postea fuit Archiepiscopus, tum laïcus adhuc erat, Diaconatum conferre: at cùm ejus à tantæ dignitatis culmine alienationem vincere non potuisset, Exorcistam illum ordinasse: nec enim ambigebat assensurum Martinum ei ordinationi, quæ injuriosa videri potuisset, & quæ deprimebat illum, specie extollendi. *Tentavit Hilarius imposito Diaconi officio, sibi eum arctiùs implicare, & ministerio vincire divino. Sed cùm sæpissimè restitisset, indignum se esse vociferans, intellexit vir altioris ingenii, hoc eum* (L. de vita B. Martini.)

*modo constringi, si id ei officii imponeret, in quo quidam locus injuria videretur. Itaque Exorcistam eum esse præcepit. Quam ille ordinationem ne despexisse tanquam humiliorem videretur, non repudiavit.* Vel hoc uno exemplo invictissimè demonstratur, si per Martinum licuisset, B. Hilarium ei statim Diaconatum collaturum fuisse, præteritis Ordinibus omnibus prælusoriis: nec juris tum canonici, & consuetudinum Ecclesiæ receptissimarum vel imperitum esse potuisse Hilarium, vel incuriosum. Denique unum Exorcistæ Ordinem suscepit ex minoribus Ordinibus Martinus, & ita ad majores gradum sibi struxit. Quod autem quendam locum injuriæ auguratur in eo Severus fuisse, quòd Exorcista creatus sit Martinus, id eò pertinere arbitror, quòd usitatum esset, si qui viri accederent meritis & pietate quadam singulari spectabiles, ut illis omissis inferioribus gradibus accelerata ordinatione statim Diaconatus conferretur. Ita rem habere manifestum est, & ex verbis ipsis Severi, & ex facto, saltem ex conatu Hilarii. Neque enim quod præter Canones & præter usum esset, vel tentasset, vel conatus esset Hilarius.

XII. Quæ toto hoc Capite dicta sunt, & scriptis passim & exemplo ipse suo docebit Ambrosius. Rem egregiè & pro summa sua suavissimaque eloquentia pertractavit libro primo de Officiis, ubi declarat non omnes æquè idoneos & à natura instructos esse ad obeunda omnia minorum Ordinum ministeria; non esse singulos nisi iis muneribus Ordinibusque onerandos, quibus pares sunt; cùm non hi tantùm honores sint, quibus illustrentur, sed offi- L. 1. c. 44. cia, quibus graviter fungi debeant: *Alius distinguenda lectioni aptior, alius Psalmo gratior, alius exorcizandis qui malo laborant spiritu, sollicitior: alius sacrario opportunior habetur. Hæc omnia spectet Sacerdos, & quid cuique congruat, id officii deputet. Quo etenim unumquemque suum ducit ingenium, aut quod officium decet, id majore implet gratia.*

XIII. Ab exemplis allatis duo collige, præcepto Ambrosii maximè consentanea. 1. Pro ejus qui gesturus erat natura & ingenio hunc, vel illum è minoribus Ordinum esse collatum. Ita Martinum Exorcistam facit Hilarius, quem jam propter ætatem lectioni minùs aptum putabat. 2. Id ipsos statuisse secum Episcopos, quosdam esse tanta interdum jam & sapientia, & virtute tam spectata, ut ad sacros statim Ordines illos propelli expediat. Hinc Diaconum ordinare statim percupiebat Hilarius Martinum, etsi laïcum adhuc. Id omnibus in eundem modum persuasissimum erat; & hæc una Martino fuit causa, non repudiandi Exorcistatum Ordinis, quòd, ut erat tunc hominum opinio, eo dejici videretur potiùs quàm honestari.

XIV. Finem faciet Ambrosius ipse, de quo Paulinus in ejus vita narrat, Octo dierum spatio eum & baptismo tinctum fuisse, & Ordinibus omnibus initiatum. *Baptizatus itaque fertur omnia Ecclesiastica Officia implesse, atque octava die Episcopus ordinatus est.* Divinandum superest, quo nos onere levare potuisset Paulinus, quos Ordines acceperit Ambrosius intra sex dies qui intra baptismum & consecrationem Episcopalem ejus effluxerunt. Illud omnium certissimum est, Diaconatu & Presbyteratu eum tunc initiatum fuisse. Cùm enim & primarii, & omnium maximè necessarii sint Ordines hi duo, nisi eos & suscepisset & exercuisset Ambrosius, non esset dictum à Paulino, *omnia illum Officia Ecclesiastica implesse.* Quod ad alios autem spectat Ordines, quæ hîc prolatæ sunt Epistolæ Romanorum Pontificum Decretales, eæ testatum faciunt moris fuisse, ut à Lectorum Ordine initium duceretur, Lectores ad Exorcistatum, hos deinde ad Acolythorum munera venisse, & ita sterni solitum iter ad Subdiaconatum. At hæc omnia & hoc ordine implevisse Ambrosium si dicas, profectò divinas.

XV. Quod autem in sanctissimo viro, & Ecclesiæ Episcopo maximè singulare est, minores quidem aliquos suscepit ille Ordines, non suscepit tamen ut exerceret. Neque enim id exerceri dixeris, quod semel & iterum exercetur. Religiosè quidem, at perfunctoriè tamen exercentur, cùm semel & iterum tantùm exercentur: sicut religiosum, sed penè perfunctorium est recepisse, si non receperis, ut exerceas. Constantissima olim ea erat Ecclesiæ sententia & voluntas, ut diutius obirentur, & interim à terrenis fæcibus & affectibus emacularetur anima, antequam cœlestis & immaculati Agni sacrificio quisquam admoveretur. Quanquam autem à veri non recedat similitudine susceptos fuisse ab Ambrosio intra octo dies illos minores etiam Ordines, semper ipse tamen & tunc & postea Neophytis annumeratus est. Unde rursus colliges, non tam susceptione, quàm diutina Ordinum exercitatione opus fuisse tunc, ut ne quis per saltum promotus, & ne Neophytus censeretur. Certè prætermissi minorum Ordinum exercitii exemplum & antiquum & nobile in Ambrosio spectatur: utinam nec spectatum esset unquam, vel usurpatum, nisi in ejusmodi, qui Ambrosii simillimi essent.

---

## CAPUT XXXVI. *P. 1. l. 2. c. 29.*

### De Interstitiis & Majorum nonnullorum Ordinum omissione per quinque priora Ecclesiæ sæcula.

*I. Rerum istarum inter se connexio.*
*II. Statuit Concilium Sardicense servanda necessariò interstitia, & è majoribus Ordinibus nullum prætermittendum.*
*III. Quàm longa interstitia.*
*IV. A Siricio certa præfiniuntur adolescentioribus.*
*V. Certa & his, qui majoris essent ætatis.*
*VI. Certa Monachis, quæ tamen breviora.*
*VII. Interstitia eadem confirmat Zosimus.*
*VIII. Veniam facere nonnunquam tunc Pontifices, è minoribus Ordinibus aliquos prætervolare, de interstitiis nihil remisere.*
*IX. Primus remisit aliquid Gelasius, ita exterquente temporum difficultate, & multa tamen adhibita cautione.*
*X. Quid & quantum remiserit.*
*XI. Servata in Oriente interstitia. An collatus sit aliquando sine Diaconatu Presbyteratus, an sine Presbyteratu Episcopatus.*
*XII. Damnatur Ischyras quòd antequam esset Presbyter, Episcopus esset ordinatus.*
*XIII. Sanctus Basilius ante Diaconus ordinatus, quàm Presbyter.*
*XIV. Afferuntur exempla varia eorum, quos sine suscepto Diaconatu factos esse Presbyteros male suspicantur.*
*XV. Probatur exemplis, ante ab iis fuisse susceptum Diaconatum.*
*XVI. De ordinatione Gregorii Thaumaturgi absentis.*
*XVII. Respondetur allatis Episcoporum aliorum exemplis, non præmisso Presbyteratu ordinatorum.*
*XVIII. An omnes Ordines Christus ipse gesserit.*
*XIX. In Ecclesia Latina nonnisi Diacono Presbyteratus, Presbytero Episcopatus collatus est. Diluuntur objecta.*
*XX. Argumenta nova ex Photio.*

I. Tanta est superiorem inter & istam Quæstionem connexio, ut expediri illa non potuerit, quin & hæc saltem delibaretur, quam ter-

tio loco propoſueram, & ab ea velut conſectaneam pendere dixeram, quæ ad ſimplicis Tonſuræ Clericos pertineret. Duo ſunt autem nobis hic nunc expendenda. 1. Quæ ſtatuta fuerint Canonicis regulis inter Ordines, ſive Majores, ſive Minores interſtitia. 2. An prætermiſſi aliquando ſint majorum Ordinum aliqui, ordinatis vel ſine Diaconatu Presbyteris, vel Epiſcopis ſine Presbyteratu.

II. Rem definiſſe Sardicenſis videtur Synodus, ubi conſtituit, ut ne Epiſcopus inauguretur quis, niſi antè Lectoris, & Diaconi, Presbyterique perfunctus Officio, lentiſque & modeſtis incrementis
Can. 13. viam ſibi ſtruxerit ad ſummum hunc apicem. *Ut non prius ordinetur Epiſcopus, niſi antè & Lectoris munere, & officio Diaconi, aut Presbyteri fuerit perfunctus; & ita per ſingulos gradus, ſi dignus fuerit, aſcendat ad culmen Epiſcopatûs.* Mihi certè viſa eſt illa particula *aut*, idem valere ac conjunctio *&*, qui creberrimus fuit quondam temporum uſus.
Can. 20. Id manifeſtum eſt ex textu Græco ejuſdem Canonis, ubi quæ particula conjunctiva ϗ Lectori ſubjunxerat Diaconum, Diacono Presbyterum ſubjunxit. ϗ ἀναγνώστου, ϗ διακόνου, ϗ πρεσβυτέρου. Ridiculum enim fuerit, quo Canone ſtatuitur, ut per gradus ad Epiſcopatum aſcendas, eo præcipuum & maximè neceſſarium gradum auferri, vel concuti, Presbyteratum. Si verò adversùs Iſchyram, quem Ariani, etſi Presbyter non eſſet, Epiſcopum fecerant, Canon iſte conditus eſt, ut non temerè plerique augurantur; neceſſe prorſus fuit illud disertè exprimi, non poſſe niſi ex Presbytero Epiſcopum creari.

III. Conſtat ergo eo Canone decidi propoſitæ hîc quæſtionis capita duo. Nam & religioſè obſervari interſtitia ſtatuit, & Presbyteratum nonniſi à Diacono, Epiſcopatum à Presbytero ſuſcipi oportere. Non definitur hîc quidem interſtitiorum tempus, ſed nonniſi prolixum eſſe debere innuitur, ut cujuſque diu probetur fides, modeſtia, virtus denique omnis Epiſcopo conſentanea. *Poteſt enim per has promotiones, quæ habebunt utique longum tempus, probari quæ fide ſit, quave modeſtia, qua gravitate & verecundia.* In majoribus præſertim Ordinibus neceſſaria ſunt interſtitia, quòd ab his maximè Neophytos arceat Apoſtolus. *Conveniens non eſt, nec ratio vel diſciplina patitur, ut temerè & leviter ordinetur, aut Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui Neophytus eſt.* At nonniſi prolixioribus rudimentis in minoribus antè Ordinibus, vitatur Neophytorum reprehenſio. *Hi quorum per longum tempus examinata ſit vita, & merita fuerint comprobata.*

IV. Siricius Papa paulò accuratiùs præfinit tempora interſtitiorum, etſi nonniſi quæ tunc viguerit conſuetudo declarat, quam ut pervagatam & exploratam omnibus Concilium Sardicenſe ſuppoſuit. Vult porro Siricius, ut tenelli pueri & à baptiſmo recentes, incunctanter Lectores fiant: *Quicumque ſe Eccleſiæ vovit obſequiis, ab infantia, ante pubertatis annos baptizari, & Lectorum debet miniſterio ſociari.* A pubertate ad trigeſimum ætatis annum, ſeu ducant uxores Clerici, ſeu cœlibes perſtare malint, jubet eos Acolythorum & Subdia-
Epiſt. 1. c. 9. conorum Ordinibus, & initiari, & fungi: *Qui ab acceſſu adoleſcentiæ uſque ad triceſimum ætatis annum, una uxore contentus, &c. Acolythus & Subdiaconus eſſe debebit.* Ex Imperio Siricii obeundus eſt Lectorum Ordo ab infantia ad pubertatem, Acolythorum verò & Subdiaconorum à pubertate ad annum ætatis trigeſimum. Qui viginti admodum ſunt anni, tyrocinio ante Diaconatum obeundo dicati. Inter Diaconatum verò & Presbyteratum interſtitii quinquennium eſt. *Poſt quæ ad Diaconi gradum accedat, ubi ſi ultra quinque annos laudabiliter miniſtrarit, congruè Presbyterium conſequetur.* Annorum viginti quinque rudimenta, Presbyteratui prælusa, non ſatis ad Epiſcopatum præparaſſent aptaſſentque unquam, niſi & decennii adhuc interſtitium indiceretur, ut Presbyter ejuſmodi ad Epiſcopatum promoveretur. *Exinde poſt decennium Epiſcopalem Cathedram poterit adipiſci; ſi tamen per hæc tempora integritas fidei ac vitæ ejus fuerit approbata.*

V. Tam diuturno expoliebantur tyrocinio, qui ſe à primæva ætate Cleru mancipaſſent. Qui verò Cap. 10.
adulta jam ætate ad Clerum ſe conferebant, non ab iis poterant vel expectari triginta quinque annorum rudimenta. Itaque multo indulgentiùs cum illis agit Pontifex, contentus, ut biennio inter Lectores, vel Exorciſtas ſtipendia faciant: *Qui verò jam ætate grandævus, &c. Eo quo baptizatur tempore, ſtatim Lectorum, aut Exorciſtarum numero ſocietur.* Quinquennium poſtea impendere jubentur explendis Acolythorum & Subdiaconorum curriculis: *Expleto biennio, per quinquennium aliud Acolythus & Subdiaconus fiat, & ſic ad Diaconatum provehatur.* Septennium ergo ab adultis expleri antè jubebatur in hoc ſacræ militiæ tyrocinio, quàm Diaconorum albo inſcriberentur. Et id totum ex indulgentia temperatum erat.

VI. Scilicet id etiàm promerebatur probata in Monaſterio ſanctitas, ut mitigaretur Canonum auſteritas, & interſtitiorum tempora minuerentur.
Nec tamen multùm indulget Siricius. Statuit enim Cap. 13.
ut Monachis inferiores Ordines diſpenſentur ante trigeſimum ætatis annum. Tunc Diaconatum eis conſerri, poſtea & Presbyteratum: at inter Diaconatum & Presbyteratum quinque, inter Presbyteratum & Epiſcopatum decem annorum interſtitia inexorabiliter ſervari mandat. *Ita ut qui intra triceſimum ætatis annum ſunt digni, in minoribus per gradus ſingulos, creſcente tempore, promoveantur Ordinibus, & ſic ad Diaconatûs, vel Presbyterii inſignia, maturæ ætatis conſecratione perveniant. Nec ſtatim ſaltu ad Epiſcopatûs culmen aſcendant, niſi in his eadem, quæ ſingulis dignitatibus ſuperiùs præfiximus, tempora fuerint cuſtodita.* His certè, & his maximè verbis, *maturæ ætatis conſecratione*, illud, opinor, inſinuatur, connexa hæc eſſe cùm annalibus Eccleſiæ legibus, ſeu cum Canonibus, qui qua ætate ad quemque admitti poſſent Ordinem præfigebant. At non fiebant Diaconi, niſi qui annum ætatis trigeſimum attigiſſent; non Presbyteri, niſi qui trigeſimum quintum; non Epiſcopi, niſi qui quadrageſimum quintum. Porro hinc exiſtit aliud documentum ejus rei, quæ inculcata jam ſæpiùs eſt, tum *per ſaltum* dici ſolitas Ordinationes eas, quæ fierent, non emenſis longis omnibus his ſingulorum Ordinum interſtitiis.

VII. Neque verò minùs vehementer Zoſimus jubet, viam hanc uſque adeo lubricam & periculoſam lentè & modeſtè decurri. Hæret ille prædeceſſorum ſuorum Decretis, & ita diſpenſari jubet omnia, ut ad Presbyteratum non accedant, niſi jam adventante ſenectute, cùm vel nomen ipſum Presbyterorum illud conteſtetur, hos eſſe Seniores,
hos Senatores, hunc Senatum Eccleſiæ. *Nec vile ſit* Epiſt. 1.
*Exorciſtam, Acolythum, Subdiaconum, Diaconum per Ordinem fieri; nec hoc ſaltu, ſed ſtatutis Majorum ordinatione temporibus. Jam verò ad Presbyterii faſtigium talis accedat,*

*accedat, ut & nomen ætas impleat.* Idem ibidem testificatur Pontifex, omnium caput & causam majorum in hujusmodi rebus in Episcoporum ambitionem refundi debere. Augendi Cleri quisque sui immoderata cupiditate, & amplificandæ Diœceseos, Ordines obviis quibusque conferebat, ea facilitate quæ & accipientibus exitio & dantibus ex æquo esset. Nusquam enim Disciplinæ vigor magis necessarius; nulla re quàm superflua multitudine, & Clericorum vilescit dignitas & Presbyterorum. Rarum sit necesse est, quod in pretio voles esse. *Facit hoc nimia remissio Consacerdotum nostrorum, qui pompam multitudinis quærunt, & putant ex hac turba aliquid sibi dignitatis acquiri, &c. Parochias extendi cupiunt. Quibus aliud præstare non possunt, divinos honores largiuntur; quod oportet districtis semper esse judicii. Rarum est enim, omne quod magnum est.* Sanctissimis his placitis regebantur Ecclesiæ Ordinationes. Austeritas & rigor cordi esse debet, ut interstitiis nihil decerpatur. *Oportet districti semper esse judicii.* Infigendum animo ante omnia illud est, dum augetur numerus, pretium decrescere Clericorum, & reverentiam: *Rarum, omne quod magnum est.* Illa tum multorum Ordinum, aliorum aliis succedentium percurrenda series, & stata inter singulorum susceptionem intervalla temporum, apertè indicant id Ecclesiam voluisse, ut ad eos & difficilis esset aditus, & lentus tardusque progressus. Ideo & ita sancit hic Pontifex: ubi se quis rudis adhuc & infans Ecclesiæ addixerit, Lectoris obeat munus usque ad annum ætatis vigesimum; si paulò adultior, statim à baptismo quinquennium terat in Lectoris, vel Exorcistæ stadio; quadriennium inter Acolythos & Subdiaconos militet: tum Diaconi Ordinem assecutus, & eo per quinquennium perfunctus, ita demum Presbyteratui, vel Episcopatui idoneus censebitur. *Si ab infantia Ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter Lectores usque ad vicesimum ætatis annum continuata observatione perduret; Si major jam & grandævus accesserit, ita tamen ut post Baptismum statim se divina militia desideret mancipari, sive inter Lectores, sive inter Exorcistas quinquennio teneatur. Exinde Acolythus vel Subdiaconus quatuor annis, & sic ad benedictionem Diaconatûs accedat, in quo Ordine quinque annis hærere debebit.*

VIII. Videntur hi sanè Pontifices minores Ordines digerere in duas classes, in quarum prima Lectores sint & Exorcistæ, Acolythi autem & Subdiaconi in secunda, ne facta quidem mentione Ostiariorum, at Subdiaconatu semper inter minores Ordines recensito. Adeo non minores volunt simul conferri omnes, ut ne ad secundam quidem eorum classem aditum patefaciant, nisi diu probatis in prima. Denique optionem ferè faciunt, ut alterum tantùm quisque suscipiat Ordinem cujusque classis; propterea quòd non qui horum Ordinum aliquem prætermiserit, ille quopiam se obstrinxerit piaculo, & irregularitati innexuerit: sed qui interstitia vel omiserit, vel decurtaverit, in hunc & Canones & Pontifices excandescunt. Hi tunc erant mores, hæ leges. In promptu est ratio. Nec enim magni interest ad animi exuenda vitia, parandasque virtutes, ut singulis in Ordinibus minoribus singula decurrantur interstitia: sed illud permagni refert, ut ne quid minuatur de toto temporis illo intervallo, quod huic tyrocinio Canones dicaverunt, sive in unius, sive in plurium Ordinum exercendo ministerio conteratur. Et sanè jam Ostiariorum statio & munus expuncta fuerant. Exorcistarum functiones erant, ut facilè conjicitur, rariores.

IX. Scripsit Cælestinus Papa ad Episcopos Galliarum Epistolas vehementes & aculeatas de Interstitiorum observatione. De tanta severitate primus omnium remisit aliquid Gelasius Papa, sed incumbente inexorabili necessitate, & cum ea cautione, ut & mens Canonum, & antecessorum ejus austeritas in ipsa ejus indulgentia radiare videatur. Testitur enim non detrahi aliquid canonicis interstitiis, nisi ut serviatur necessitati complurium Ecclesiarum, quæ sacris Ministris erant prorsus destitutæ. *Ecclesias quæ cunctis sunt privatæ Ministris, vel sufficientibus usque adeo despoliatæ servitiis, ut plebibus ad se pertinentibus divina munera supplere non valeant.* Revocatum iri declarat, quod extorsit necessitas consulendi desolatis Ecclesiis, statim atque Ecclesiæ illæ ita recreatæ respirare cœperint: Canonesque suo vigori statim restituendos: *Priscis pro sui reverentiâ manentibus constitutis, quæ ubi nulla vel rerum vel temporum perurget angustia, regulariter convenit custodiri.* Denique ita affirmat, non novas à se leges condi, aut antiquas antiquari, sed veniam earum semel ea necessitate fieri, reliquis Ecclesiis à Canonum rigore nec tantillum deflexuris: & his ipsis optimùm necessitas hæc imminens effluxerit, in pristinæ disciplinæ formam rediturіs. *Quæ catenus indulgenda credidimus, ut illis Ecclesiis quæ infestatione bellorum, vel nulla penitus, vel exigua remanserunt ministeria, renoventur. Quatenus his Deo propitio restitutis, in Ecclesiasticis gradibus subrogandis Canonum paternorum vetus forma servetur: nec contra eos ulla ratione prævaleat, quod pro accidentis defectûs remedio providetur, non adversus scita Majorum nova lege proponitur: cæteris Ecclesiis ab hac occasione cessantibus; quas non simili clade vastatas, pristinam faciendis Ordinationibus convenit tenere sententiam.* Epist. 1. 1. 3.

X. His sapientissimis cautionibus præmissis, annuit Pontifex, ut cum Monachis de interstitiorum parte maxima dispensetur, dum trimestre stadium decurrant in Lectoris, vel Notarii, vel Defensoris officio; trimestre aliud in Acolythi, tantundem in Subdiaconi, tantundem denique in Diaconi, ita ut vertente anno Presbyteri ordinentur. *Nono mense Diaconus, completoque anno fit Presbyter.* Præter urgentem Ecclesiarum Ministris orbatarum necessitatem, illud ponderabat Gelasius, Monastici instituti labores diuturnos instar habere posse canonicorum inter Ordines interstitiorum. *Cui tamen quod annorum interstitia fuerant collatura, sancti propositi sponte suscepta doceatur præstitisse devotio.* Quasi diceret arreptis ad Ordines sacros nonnisi pietate præstantioribus Monachis, luculentam ab eis suppeditari compensationem interstitiorum, quæ provida hæc dispensatio relaxabat. Inde est quod ad laïcos eandem indulgentiam exporrigens Pontifex, requirit, ut spectatæ tantùm sapientiæ & virtutis deligantur, qui eam jam adepti sint vitæ morumque sanctitatem, ad quam per interstitia anhelatur. *Tantò magis quod sacris aptum possit esse servitiis, in eorum quærendum est institutis, quantum de tempore, quo fuerant hæc assequenda, decerpitur: ut morum habere doceatur hoc probitas, quod prolixior consuetudo non contulit.* Requirit denuo, ut non annuo tantùm spatio, sicut Monachi: sed semestri etiam ultra annum probentur laïci antequam Presbyteratu initientur, cùm discriminis aliquid interponi debeat laïcis sæcularem vitam hactenus agitantibus, & Monachis qui sæculi delicias jamdiu repudiarint. *Quorum promotionibus super anni metas sex menses nihilominus subro-* Epist. 9.

*gamus : quoniam distare convenit inter personam divino cultui deditam, & de laicorum conversatione venientem.*

XI. Idonea documenta suppetunt, ut hanc interstitiorum legem in Oriente etiam credamus valuisse. Theodorus quippe Diaconus Alexandrinus in eo libello supplici, quem Calchedonensi Concilio obtulit, ita contestabatur : se postquam in Alexandrina Ecclesia Clericatum assecutus esset, annis quindecim in eadem militasse, hac videlicet spe fretum, ut ad superiorem gradum aliquem vocaretur. *Quindecim annos in eodem Clero permansi, sperans & majorem honorem mereri.* Asserit Gregorius Nazianzenus Athanasium nonnisi susceptis antè Ordinibus omnibus, his velut gradibus quibusdam ad Episcopatum venisse. Notum est Basilium Lectorem fuisse, Chrysostomum verò Lectorem antè & Diaconum, quàm Episcopum. Quoniam autem opinati sunt quidam Basilium non suscepto Diaconatu factum esse confestim Presbyterum : paulò diligentiùs ea quæstio excutienda est in præsentiarum, cùm & alia obtrudantur exempla, non Diaconatûs tantùm ante Presbyteratum prætermissi, sed & Presbyteratûs ante Episcopalem inaugurationem. Cùm ejusmodi sint Ecclesiæ Græcæ exempla, quæ plus facessant negotii, & incautis imponant faciliùs ; ab horum elucidatione initium ducemus.

*Conc. Calchedon. Act. 3.*

*Naz. Orat in laudem Athan.*

XII. Ecclesiæ Græcæ & Orientali imputari posset Concilium Sardicense, cùm Orientem denique omnem Canones ejus pervaserint, & versione maximè Græca ejus Canonum patuerit nobis suprà ineluctabilis necessitas, non aliter ad Episcopatum quàm per Diaconatûs & Presbyteratûs sacram militiam progrediendi. Editus est hic potissimum Canon adversùs Ischyram, illum infamia calumniarum Athanasio ingestarum tantopere nobilitatum, cui & ingesto Episcopatu, etsi Presbyter non fuisset, Ariani authoritatem conciliare se posse speraverunt. Professus est Athanasius id eos præter leges omnes Ecclesiæ sanctissimas molitos esse : & ludificatoria ordinatione in fumos dissipata, tam non esse Episcopum Ischyram, quàm nec Presbyterum. *Hominem, qui ne Presbyter quidem erat, præter Majorum traditionem, Episcopum scilicet appellaverunt ; non quidem ignari, ne quidem ipsi, quàm hoc absurdum esset, sed promissis redempta calumnia adacti, etiam illud sustinendum putaverunt, &c. Inane ille nomen Episcopi detinet, &c.*

*Athanas. Apol. 2. Theodoret L. 2. c. 8 Socrat. l. 1. c. 20.*

Epistola Synodalis Concilii Sardicensis, quam Historiæ suæ intexuit Theodoretus, idem contestatur de irrita inauguratione ejus Episcopi, qui Presbyter nunquam fuisset. Nec negari potest impium illum Timotheum, qui immanissimè contrucidato B. Proterio Sedis Alexandrinæ Pontifice, illam invasit Ecclesiam, Episcopum ordinatum fuisse, cùm Presbyteratu donatus nunquam fuisset. At ea cum primis in medium prolata est ratio ab Episcopis Concilii in Ægypto celebrati, à quibus exauthoratus fuit. *Episcopus sine manûs impositione existens, sed neque priorem habens Presbyteratûs ordinem.* Non usque adeo exhorruissent sancti Patres Synodique hanc audaciam, nisi exploratissimum omnibus fuisset, absolutissimè necessarium esse, ut Presbyter antè quis quàm Episcopus ordinetur. Retulit Theodoretus Epistolam synodalem Concilii Illyricani ad Ecclesias Asiæ, ubi expressè definitur non esse eligendos Episcopos nisi ex Presbyteris, nec Presbyteros Diaconosque nisi ex Clericis. Scripsit Hieronymus intaminatam illam viguisse in Ecclesia Alexandrina consuetudinem à Marco usque ad Heraclam & Dionysium, ut Presbyterum unum de suo collegio Episcopum sibi constituerent.

*Con. Calch. Par. 3. c. 22.*

*L. 4. c. 8.*

*Epist. 85.*

XIII. Si non meminit Nazianzenus, nisi de Basilio Lectore, Presbytero & Episcopo, non inde tamen illud assequeris, ut Diaconus nunquam fuerit. Commemorat Socrates ejus in Diaconum ordinationem. Ejus momenti res ista est, ut solo Nazianzeni silentio adversùs statas Ecclesiæ leges nequaquam abuti liceat. Potest Nazianzenus Diaconatum Basilii præteriisse, quòd brevissimo tempore eo perfunctus sit ; vel quòd unà & Diaconatum & Presbyteratum acceperit, sicut de Ambrosio suprà narratum est : intra paucissimos dies, & Episcopatum, & cæteros Ordines ab eo susceptos. Progressus spectabilium quoque virorum & meritis ac virtutibus amplissimorum, is erat, ut ex Lectoribus, seu ex minoribus Ordinibus ad Diaconatum promoverentur. Ita referente Palladio Chrysostomus post lustrales baptismi undas, statim Lector ordinatus, inde sex annos in solitudinis pio recessu emensus, & Antiochiam redux, à Meletio Diaconus ordinatus est. Idem de Constantio quodam perhibet idem Palladius, qui ab infantia Lector, postea Diaconus fuit. Allucinatus quidem est Socrates, cum ait Basilium, quem Meletius Diaconum ordinavit, & qui postea Cæsareæ in Cappadocia Episcopus fuit, illum fuisse Basilium amicitia & consuetudine Chrysostomi notissimum. Sed ejus allucinatio eo in uno versatur, quòd Chrysostomi amicum non secernit ab Episcopo Cæsariensi. Duo certissimè diversique Basilii sunt : at Diaconatus à Meletio collatus utrique congruere & aptari potest, nec ex temporum ratione pressiùs pensitata conflictatio ulla nascetur. Tanti est autem, ut ad Presbyteratum nisi per Diaconatûs functiones venerit Basilius, ut meritò retorquendus eò sit Socrates, si citra vim id patiantur ejus verba. At non semel placuit Socrati suffragari Basilii Diaconatui. De eo expressiùs etiam alibi verba facit, ubi post pugnas victoriasque enarratas Basilii & Nazianzeni in Arianos, hæc denique subjicit : *Ac Basilius quidem primùm à Meletio Antiochenæ urbis Episcopo ad officium Diaconi promotus, inde ad patria sua, Cæsarea scilicet Cappadociæ Episcopatum evectus, Ecclesiarum curam suscepit.* Ad Basilium Magnum hæc verba spectant, nec possunt ad amicum Chrysostomi detorqueri. Itaque Basilius eo ritu Ordines contulit, quo acceperat, & in Monasterium profectus, ut Monachum sanctitatis fama conspicuum raperet ad Presbyteratum, antè illi contulit Diaconi munus.

*Orat. 20.*

*Pall in vita Chrys. c. 5. 15.*

*L. 6. c. 3.*

*L. 4. c. 26.*

*Doroth. Doctrina 1. Coteler. Mon. Eccl. Græca. pag. 402.*

XIV. Theodoreto siqua fides in Historia Religiosa, Flavianus Episcopus Antiochenus, audita Solitarii Macedonii incredibili quadam sanctitate, accersiit eum Antiochiam, tanquam necesse esset, ut accusationes quasdam sibi impactas dilueret. Tum jussit illum sacræ interesse synaxi, in qua dum Mysteria celebrarentur, illum rei totius ignarum, Presbyterum consecravit. Ille re cognita ab iis qui aderant, immenso dolore percitus, suique impotens, conviciis omnes impetit, Episcopum ipsum baculo percutere nititur, & vi doloris obrutus eremum repetit. Cùm Dominica sequenti die urgerent sui, ut divinis adesse vellet Mysteriis, obnixè reluctatus est, interrogans, an rursus vellent ipsum Presbyterum ordinare. Authore eodem ibidem Theodoreto, cùm prædixisset Acepsimas sanctitatis laude & ipse celebertimus, post quinquaginta dies suo se fato obiturum, adproperavit loci illius Episcopus, ut eum Presbyterum ordinaret. Ille constanter ne-

*Hist. Relig. c. 13.*

*τοῖς ἱεροῖς ἐναλινδεῖσθαι.*

*προβάλλεσθαι πρεσβύτερον.*

Ibid. c. 15. 28. gavit se assensurum unquam fuisse, nisi gnarus esset appetere diem, quo tam arduo & tam reformidando munere absolveretur. Presbyteratu initiatus, statim vivere desiit. Ea sunt exempla Ordinum ita collatorum, ut nec spes esset ulla, fore ut eorum aliquando functiones obirentur. Erit quod magis stupeas in Inclusi Monachi Salamanis narratione. Erat illi cellula sine porta, sine fenestra ulla, muro cincta undique, ubi vitam agebat durissimam. Vicinæ urbis Episcopus perfodi murum jussit, & per apertum murum manus illi imponens, Presbyterum ordinavit. Cùm verò deinde verbum ab eo nullum elicere potuisset, occluso muro domum est reversus. Possem & illud addere Abrahami Anachoretæ, quem Vita P. Rosweid. p. 146. *educens de cellula Episcopus, in civitatem introduxit, ibique per impositionem manuum Presbyter ordinatus est*: statim Parochialis Ecclesiæ regimine oneratus. Origenes adhuc laicus, cùm per Palæstinam iter haberet, ab Episcopis Palæstinæ, teste Eusebio, Presbyter ordinatus est. L. 6. c. 23.

XV. Verùm hæc licèt ad suadendum valeant multùm, nihil tamen habent, quod cogat, aut assensum extorqueat. Nam ne in uno quidem horum conceptis verbis omissus esse dicitur Diaconatus. Credibile ergo est, idque tutius, diversa in Missæ parte, quæ ei rei destinata est, Diaconatum primò, deinde Presbyteratum solitum fuisse conferri: solius autem Presbyteratûs Scriptores meminisse, propterea quòd notum esset omnibus nonnisi Diaconatu, tanquam gradu aliquo, eò posse perveniri. Ad hoc facit exemplum Epiphanii, qui Pappo Episcopo professus Clericum se nondum esse, ab eo nihilo secius unius in celebratione Missæ Diaconus simul, & Presbyter, & Episcopus ordinatus est. Vita Epiph. apud Surium Maii 12. c. 34. *Eum itaque ordinat Diaconum, & rursus dat ei pacem, & ipsum ordinat Presbyterum. Rursus fit consequentia, & eum ordinat Episcopum.* Vox illa *consequentia*, ἀκολουθία, Missæ continuationem significat.

Si Epiphanii vitæ Scriptor Criticis minus probatur, suggero ejusdem rei exemplum aliud, in quo quamlibet delicati fastidii homines nihil habeant, quod reprehendant. Narrat Epiphanius ipse unius inter Missæ solennia Diaconatum & Presbyteratum simul Pauliniano beati Hieronymi fratri à se collatum fuisse. Epist. 60. inter Epist. Hieron. *Ignorantem eum, & nullam penitus habentem suspicionem, per multos Diaconos apprehendi jussimus, & teneri os ejus, &c. Et primùm Diaconum ordinavimus, & compellentes eum ministrare, &c. Et cùm ministraret in sanctis Sacrificiis, rursus eum, ingenti difficultate, tento ore ejus, ordinavimus Presbyterum.* Hæc cùm ita habeant, refert Hieronymus Presbyterum ab Epiphanio ordinatum fuisse Paulinianum. Atqui Ephiphanius ipse testificatur eo in Monasterio opus non fuisse nisi Presbytero, in quo ipse Paulinianum primò Diaconum, & confestim Presbyterum ordinavit. Ita ergo statuendum est, id in more & usu fuisse, ut quem Presbyterum ordinari necesse esset, is priùs Diaconatu donaretur: ex quo & illud exprimitur, ut Presbyter primùm ordinaretur, qui Episcopus viduatæ Ecclesiæ necessariò consecrandus erat. Denique si quando Diaconatus, si Presbyteratus prætermissus est, non jura ea sunt, sed facta juri contraria; ideóque nec exempla unquam quæ sequaris. Confitetur Theodoretus ipse in narranda Macedonii ordinatione, eam non omnibus probatum iri.

XVI. Idem ferè dicendum de ejusmodi aliis, quæ quamvis in diverso genere, esto miranda sint, at minimè imitanda. Id in vita Gregorii Thaumaturgi dicere videtur Nyssenus Gregorius, hunc à Phædimo Amaseæ Episcopo Neocæsareæ ordinatum fuisse Episcopum, quanquam ab illo trium dierum spatio esset remotus. Fertur & Daniel Stylita à Gennadio Constantinopolitano Patriarcha eodem ferè modo Presbyter consecratus. Privata facta ista sunt: quæ quod mireris, habent plurimum: nihil quod imiteris. Nunquam non cedent exempla Legibus: nunquam non nutabit vacillabitque eorum authoritas, quæ receptissimo juri usuique adversabuntur. Adde quod Phædimi illa oratio convenientiùs dicatur destinatio tantùm fuisse ad Presbyteratum, quem adhibitis deinde, quæ omissæ fuerant, cæremoniis omnibus, Gregorio ipse contulerit. Is enim eorum verborum sensus est, quæ scripsit Gregorius Nyssenus in vita Thaumaturgi: πάσης τῆς νομίμου ἐν αὐτῷ τελεσθείσης. Iisdem ferè verbis utitur Nyssenus in describenda consecratione Alexandri Carbonarii, quem Episcopum Gregorius Thaumaturgus ordinavit.

XVII. Verùm ex his in quæ diverterat, ad ordinationes eas revocanda oratio est, in quibus contendunt ex Ordinibus Hierarchicis prætermissum fuisse aliquem. Proferuntur simul Barnabas, Silas, Barsabas, Titus, Timotheus, & innumerabiles alii viri Apostolici, quos omnes statim nullo suscepto Diaconatu, ac ne Presbyteratu quidem, volunt Episcopos fuisse ordinatos. At hæc in meris posita sunt conjecturis. Ea enim de re sacræ litteræ apertè nihil, nihil disertè dicunt. Satius ergo, ne aberres, in communem transire sententiam; & hoc habere persuasum, institutionum Apostolicarum optimum interpretem esse, Ecclesiæ usum & consuetudinem. Ostensum est autem apud Græcos suprà & apud Latinos infrà longè clariùs mox ostendetur, nec nisi Diaconis Presbyteratum unquam, nec nisi Presbyteris collatum esse Episcopatum. Si cui minùs arridet hæc responsio, hoc unum ei ad solvendam difficultatem reliquum erit, ut dicat, primis illis Ecclesiæ temporibus, Apostolos nonnunquam Sacerdotium ita dedisse, ut ipsi à Christo acceperant, hoc est plenissimum & totum statim, ita ut Episcopum eum constituerint, qui inferiori Ordine nullo adhuc initiatus fuisset. At id audacius dicitur forsan, quàm verius. Unde nec potest meus quidem animus ab ea responsione non abhorrere plurimum, & priori potius acquiescere.

XVIII. Non mihi tempero, quin hîc proferam, quod ingeniosè excogitatum est à Græco Scriptore, quem Vitis Patrum suis inseruit Rosweydus, olim Latinæ linguæ consuetudine donatum à Joanne Ecclesiæ Romanæ Subdiacono. Ille ergo ut Ordines omnes Christum ipsum exercuisse demonstret, ita rem contexit. *Factus est Lector, Accipiens librum legit in Synagoga. Factus est Subdiaconus, Faciens namque de funie flagellum, omnes ejecit de templo, oves & boves, &c. Factus est Diaconus. Præcingens namque se linteo, lavit pedes discipulorum. Factus est Presbyter. Et resedit in medio Magistrorum docens. Factus est Episcopus. Et accipiens panem benedixit, ac fregit.* Rosweid. Vita Patr. pag. 638. Non ejusmodi ista sunt, quæ ad austerioris censuræ examen revocanda sint: etsi minùs validè fulta, at innoxia & pulcra tamen; eóque iis applaudi æquius est, quàm severius judicium adhiberi. Porrò eo semel admisso, haud ægrè obtinueris, viros omnes Apostolicos, omnibus omnino Ordinibus perfunctos fuisse.

XIX. Finem imponet huic Capiti constans illa Ecclesiæ Latinæ consuetudo, ut ne cui Episcopa-

rum nisi Presbytero, aut Presbyteratum nisi Diacono conferret. Idem prorsus decernunt isto & superiori Capite laudati Pontifices Siricius, Innocentius, Zosimus, Cælestinus, Gelasius. Liberum enim faciunt, ut ex inferioribus Ordinibus, ne excepto quidem Subdiaconatu, unum aut alterum eligas, in quo diutissimè probetis. Nullus omnino est, quem non passi sint prætervolari. At è superioribus tribus nullum omninò posse omitti semper decrevere. Cùm ergo & apertæ sint leges, & manifesta Ambrosii, & Paulini exempla, non est cur tu sola ductus conjectura, eaque quæ sit in rebus ad arbitrium tuum confictis, non est, inquam, cur in contrariam sententiam abduci te sinas. Paulinus post exhibitum tibi B. Felicem primò Lectorem, deinde Exorcistam, illum statim ad *Sacerdotium* promovet. Nec novum id, nec mirum videri debet, si Sacerdotii nomine ut suprà dictum est, & Diaconatum voluit, & Presbyteratum significari. Illud longè difficilius, quod ipse de se, Barcinone cùm esset, narrat Paulinus. *Repentina vi multitudinis correptus, & Presbyteratu initiatus sum, fateor invitus: non fastidio loci: quia & ab Æditui nomine & officio optavi sacram incipere servitutem.* Idem ferè refert de Augustino Possidius: *Solebat Laicus ab eis tantùm Ecclesiis, quæ non habebant Episcopos, suam abstinere præsentiam, &c. Eum ergo tenuerunt, Episcopo ordinandum intulerunt, &c. Factus ergo Presbyter, &c.* Perhibet Pontius Cyprianum Presbyteratu & Episcopatu auctum fuisse, de cæteris Ordinibus prorsus silet. *Presbyterium & Sacerdotium simul accepit.* Si Cyprianus simul & semel Presbyteratu & Episcopatu ornatus est: cur Diaconatum simul & Presbyteratum in una & eadem Missa susceptum esse non credas? At si Cyprianus factus Presbyter, statim ibidem nulla interposita mora ordinatus est Episcopus: cur de Cæciliano ejusdem urbis Episcopo idem non credas, etsi Optatus hoc solùm dicat, illum cùm esset Diaconus Episcopum esse consecratum? *Suffragio totius populi Cæcilianus eligitur, & manus imponente Felice Aptungitano Episcopus ordinatur.* Cæcilianus ipse videns Ordinationi ipsi suæ, velut irritæ refragari & obstrepere vehementer Donatistas, invitabat eos, ut se iterum ordinarent, quem Diaconum adhuc esse opinarentur: *Iterum à Cæciliano mandatum est, ut si Felix in se, sicut illi arbitrabantur, nihil contulisset, ipsi tanquam adhuc Diaconum ordinarent Cæcilianum.* At nihil hîc est, quo disertè asseratur Cæcilianus non in eadem sacrificii solemnitate ordinatus fuisse Presbyter, qua Episcopus. Negativa exempla & argumenta hujusmodi non satis habent momenti, cùm in silentio tota vis eorum sit, ut in comparationem veniant cum iis, quæ sumuntur, & è conceptis Canonum Decretorumque verbis, quibus apertissimè prohibetur, nequis ullum unquam è superioribus omittat Ordinem, dum ad majorem promoveatur: & ab exemplis contrariis, in quibus id constanter observatum est, & Diacono si Episcopus electus esset, collatum antè fuisse Presbyteratum: & Laïco, si Presbyter eligeretur, Diaconatum. Sunt qui putent ipsum Hieronymum in iis fuisse, qui sine suscepto Diaconatu Presbyteri ordinati sunt. Verùm id verisimile non est, cùm nullo satis valido astruatur argumento: & cùm ipse de Nepotiano dicat; *Fit Clericus, & per solitos gradus Presbyter ordinatur.*

Carm. 4.

Epist. ad Severum.

L. 1.

Epist. ad Heliod.

XX. Memorat quidem Photius, fuisse in Oriente regiones, ubi liberum esset Episcopatum conferre Presbyteris, an Diaconis, qui Presbyteratu antè non donarentur: *Si quis apud nos Presbyterii consecrationem prætereuns, Episcopi honore Diaconum affecerit, utpote qui maximè deliquerit, condemnatur. Quibusdam verò pari ducitur loco, è Presbytero provehere Episcopum, & è Diacono, medium transilientibus Ordinem, ad Episcopi abripere dignitatem.* Non esset profectò ita locutus vir antiquitatis peritissimus, si ejusmodi præcipites ordinationes, Ecclesiæ utriusque Patribus & probatas esse, & aliquando usurpatas comperisset. Illud autem nonnisi multò pòst Latinis objecere Græci, quòd Episcopos ordinarent, qui Presbyteri antè nunquam fuissent; & Presbyteros, qui non essent Diaconi. Verùm etsi iniqua illa Græcorum reprehensio est, vel ex ea tamen id evincitur, ab ea illos consuetudine alienissimos fuisse, cujus suspicionem Latini à se & accusationem facilè propulsabant.

Baron. an. 861. n. 44.

## De Clericorum Tonsura.

### CAPUT XXXVII. P. 1. l. 2. c. 39.

### De Tonsura Clericali per quinque priora sæcula.

*I. Antedictorum & dicendorum connexio.*

*II. Primis quatuor aut quinque sæculis, id tantùm præcipiebatur Clericis, ut breviores essent capillo. Neque enim sæviente persecutione licebat, aut corona, aut re aliqua alia distingui. Nihil amplius Petrus constituit.*

*III. Nec Paulus, nec Anicetus, quamvis hæc fuerit nonnullis occasio, cur ad hunc Coronæ Clericalis institutionem retulerint.*

*IV. Quid senserit Amalarius, quod & Baronio probatum sit. Qui possit Apostolis, & Ecclesia Romana tribui institutio Tonsuræ & Coronæ Clericalis.*

*V. Probatur ex Optato Coronam nondum fuisse in usu.*

*VI. Probatur ex Hieronymo.*

*VII. Ex Scriptoribus profanis.*

*VIII. Ab exemplis Episcoporum sanctissimorum.*

*IX. Quæ illa, per quam Episcopos adjurabant, Corona?*

*X. Probatur ex Concilio IV. Carthaginensi.*

*XI. Monachi aliqui capillos promittebant.*

*XII. Alii austeriores, ut essent hominibus despicatui, partem crinium tondebant. Hos imitati sunt Clerici.*

*XIII. Cœpit ergo portari Corona sæculo quinto.*

*XIV. Quæ fuerit super ea re Græcorum Disciplina breviter perstringitur.*

I. Ut res illæ, quæ modò elucidatæ sunt, quæstiones moverentur, occasionem præbuerat ea quæ est de Clericis sine officio ullo, sine Ordine, sed cum sola simplicique, ut loquuntur, Tonsura, controversia. Ad eam ergo regredimur, & hinc quæ dicta sunt, validissimè confirmamus, quòd prioribus quatuor, quinquéve sæculis nulla esset nec tonsura nec vestis, qua Clericus à laïco quolibet secerneretur. Qua ex re illud omnino sequitur, nec in mentem cuiquam jure venire posse, Clericos fuisse olim aliquos ejusmodi, qui Tonsura sola, sola Clericali suscepta veste Clerici essent. Et hæc sunt, de quibus modò agendum nobis est. Postquam autem de communi Clericorum veste dixero, erit & aliquid de iis dicendum vestibus, quibus in Ecclesia tantùm uterentur. Hinc ergo auspicabimur tractatum de Officiis Clericorum generalibus, ut qui primùm tenerentur ea lege, ut crinium brevitate, vestiumque modestia à laïcis distinguantur. Ita delabemur ad alia duo Clericorum saltem munera, divinorum Officiorum recitationem, &

cœlibatum. Ubi quatuor hæc Beneficiariorum prorsus omnium communia officia exequuti fuerimus, ad partitionem defluemus Beneficiorum ipsorum, ab officiis, seu muneribus, & Ecclesiis, quibus affixi sunt: cùm hactenus toti fuerimus in ea divisione expendenda, quæ ab Ordinibus derivatur.

II. Dicam ergo cum viro doctissimo Halletio, cujus hîc sententiam sequi me profiteor, longè probabilius illud videri, prioribus quatuor aut quinque sæculis id unum Clericis supra alios Fideles præceptum fuisse, ut ne prolixo nimium essent capillo; de Corona verò, aut de radenda summa capitis parte, sermonem adhuc fuisse nullum. Abhorret enim à veri similitudine, Clericos professionis suæ tam publica, tamque manifesta affectasse eo tempore signa, quo contrà omnino latebras captare necesse erat, ne qua sævissimæ persecutionis, & in ipsos, & in Ecclesiam tempestas excitaretur. Ubi verò dicit Gregorius Turonensis, *Petrus Apostolus ad humilitatem docendam caput desuper tonderi instituit*: non de Clericis id solis, sed de Fidelibus omnibus dicit. Neque id ullo modo ad fingeo iam Coronam, aut radendam capitis partem pertinet, sed ad solam capillitii brevitatem & modestiam.

De gloria Martyr. l. 1. c. 28.

III. Verisimilius penè idem à Paulo institutum dixisset, ita nimirum præcipiente ad Fideles omnes: *Nec ipsa natura docet vos, quòd vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi: mulier verò si comam nutriat, gloria est illi.* Qui Damaso tribuitur Liber Pontificalis, facit hoc Clericorum proprium, decretumque fuisse vult ab Aniceto: *Constituit, ut Clericus comam non nutriat secundum præceptum Apostolicum.* Quod quidem probabilitate non caret. Erat enim eorum temporum Disciplinæ consentaneum, quæ tum uti vidimus, nihil postulabat amplius. Adde quod quæ communia fuere initio Fidelium omnium officia, laïcorum deinde gliscente negligentia, facta sunt propria Clericorum. At illud quod eidem tribuitur Aniceto decretum, ab omni prorsus veri specie alienum est. *Ut juxta Apostolum comam non nutriant, sed desuper caput in modum sphæræ radant: quia sicut discreti esse in conversatione debent, ita & in tonsura & in habitu discreti debent apparere.* Excerptum illud est ex Aniceti Epistola ad Episcopos Galliarum. Verùm quæ Pontificibus ante Siricium ex Isidori compilatione hujusmodi tribuuntur Epistolæ, illas apud eos, qui vel primoribus labris Ecclesiasticam eruditionem degustarunt, in confesso est adulterinas esse. Apparet autem eum qui Aniceti Epistolam consarcinavit, ex iis quæ in ejus vita dicta sunt, *Constituit ut Clericus comam non nutriat*, occasionem sumpsisse hujus additamenti, *ut desuper caput in modum sphæra radat.* Quemadmodum cùm ex Gregorio Turonensi hoc unum instituisset Petrus, *Caput desuper tonderi*, auctor idem esse quibusdam dictus est Coronæ Clericalis.

1 Corin. 14.

IV. Libet hîc intexere, quæ sapientissimè dixit Amalarius, quibus etiam, cùm ea retulisset, calculum suum adjecit Cardinalis Baronius. Accipe ipsa Amalarii verba, ita censentis, non ejus esse eos authoritatis, qui Petrum faciunt Coronæ Clericalis authorem, ut assentiendum eis affirmantibus, nec probantibus necessariò sit; sed alicui successorum ejus, vel ipsi saltem Ecclesiæ Romanæ ejus instituti laudem vindicandam esse. *Interrogatur ab aliquibus, quis primus tonsus sit more nostro? Legi in Epistola cujusdam viri, Petrus. Sed quia non tanta authoritatis est, ut ex illa firmare valeamus nostram sententiam, maluimus eùm silentio præterire. Non tamen abs re est, si dixerimus illam, vel aliquem ejus successorem primò fuisse tonsum more nostro, quoniam ab illa Ecclesia sumptus est talis usus, in qua illi sederunt.* Altioris etiam sapientiæ est quod addit Amalarius, non esse cur magnopere solliciti simus, ecquis Pontificum primus vel Tonsuram vel Coronam Clericis invenerit, suoque firmaverit decreto: cùm tot alia sint in usu Ecclesiæ quotidiano, quorum origo, ut antiquissima, ita & reconditissima: quorum nec initium, nec primus author resciri possit: quorum denique inane est aliud venari principium & fundamentum, quàm inconcussam æternamque Ecclesiæ Christi authoritatem: *Sed quid ad nos, cùm multa agamus ex consuetudine præsentis Ecclesiæ, quorum authores non proferuntur specialiter.* Cæteroqui certum est, in ejusmodi rebus naturæ velut instinctu quodam aucupari nos authoritatem à majoribus Ecclesiis, à quibus ponderis & roboris accedit plurimum illis etiam institutis, quorum non ab illis orta sunt initia.

Baron. an. 58. n. 130.

Amalar. de divin. Offic. c. 35.

V. Nec tamen omnino aberratum est à vero posterioribus sæculis, cum dicti sunt Petrus & Paulus Tonsuram instituisse Clericalem. Namque illi Fidelibus omnibus, atque adeo maximè Clericis præcepere, ut quoad capillos modestia essent singulari: qua in re sola quatuor aut quinque sæculis primis posita fuit Tonsura Clericalis. Qui rasi capitis coronam ab ipsis præceptam fuisse volunt, voces & mores novissimæ hujus ætatis primævæ illi accommodavere. Nam si sæculo quarto Tonsuram gestassent Clerici, non illam quæ in detonsis solùm consistit crinibus, quam Fidelibus omnibus volumus fuisse communem: quia & infidelibus, si qui modestiam profiterentur: sed eam quæ in raso desuper capite sita est, quæ propria est Clericorum Tonsura: si hanc, inquam, Clerici tunc gestassent: non hoc crimini vertisset Optatus Donatistis, non hanc interpretatus esset gravissimam injuriam ab iis irrogatam Presbyteris Episcopisque nostris, quòd eorum capita rasissent. *Dicite ubi vobis mandatum sit, radere capita Sacerdotibus, cùm à contrario tot sint exempla proposita fieri non debere.* Non satis compertum habeo, an eo consilio Donatistæ capita raderent catholicorum Presbyterorum Episcoporumque, qui in eorum manus incidebant, ut eos ludibrio & contemptui vulgi objicerent: an ut illos quasi Pœnitentium habitu deformarent, haud ignari, pœnitentiam & Clericatum sociari unà non posse. Illud certè comperi, Optatum nunquam ita loquuturum fuisse, si jamdiu antè nostri Clerici aliquam capitis sui partem rasam habuissent.

Optat. L. 2.

VI. Videtur autem sanctissimus Pater ad illam legem Moysis alludere, qua vetantur Sacerdotes tam crines promittere, quàm caput radere: *Capus suum non radent, neque comam nutrient sed attondebunt capita sua.* Is verò prioribus sæculis Cleri sui usus. Unde & Hieronymus legis hujus verba in suis in Ezechielem Commentariis ita exponit, ut significet Clericos nostros Synagogæ ritum in hoc negotio tantò libentiùs amplexos esse, quòd ab eo vix possent discedere, quin relaberentur in Gentilium superstitiones. *Perspicuè demonstratur, nec rasis capitibus, sicut sacerdotes cultoresque Isidis atque Serapis, nos esse debere: nec rursus comam demittere, quod propriè luxuriosorum est barbarorumque & militantium: sed ut honestus habitus Sacerdotum facie demonstretur. Dis-*

In cap. 44. Ezechiel.

*cinnos nec calvitium novacula esse faciendum, nec ita ad pressum tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur: sed in tantum capillos esse demittendos, ut opertum sit caput.* Quibus nihil disertius, nihil clarius dici potuit, ut intelligeres eum morem in Ecclesia tunc observatum adhuc fuisse, qui erat in lege præceptus; scilicet ut ne vel raderetur caput, nec ita *ad pressum tonderetur*, ut totum capillo non operiretur.

VII. Refert quidem Ammianus Marcellinus imperante Juliano Apostata morti traditum esse Christianum quendam, Theodorum nomine, *quòd dum ædificandæ præesset Ecclesiæ, cirrhos puerorum licentiùs detondebat, id quoque ad Deorum cultum existimans pertinere.* [*Ammian. Marcell. L. 22.*] Verisimile non est hunc Theodorum Episcopum fuisse. Puerulos forsan ad Clericatum præparabat informabatque, prolixiores resecans capillos; at Coronam, aut rasam capitis partem aliquam, hæc Ammiani verba non sonant. Unum ex nostris Clericis Lucianus in Dialogis suis exhibet [*Dialog. Philopatris.*] brevi coma, nulla tamen corona ornatum. Dicemus paulò pòst cùm primùm Monachi sanctissimi quidam visi sunt in Africa & alibi rasis capitibus, conviciorum plaustra ingesta eis fuisse. Non esset illusum Monachis, quod jam dudum in Clericis perspectum usitatumque fuisset. Nec ludibria istiusmodi ulla leguntur in Actis Martyrum nostrorum, quæ rasi capitis deformitas excitarit, novitasque. Ergo argumento id est, nihil eos nec in capillo, nec in vestibus singulare ac privatum habuisse, quo à cæteris discreparent hominibus, aut ab iis saltem qui modestiæ essent amantiores.

VIII. Quas proprias & peculiares habemus de Episcopis nostris historias, eæ non aliter illos exhibent, quàm habitu & capillo ad modestiam & humilitatem magis composito. Prudentius de Cypriano loquens inter ipsa suæ ad Deum conversionis exordia, ait illum statim promissos & luxuriantes resecasse capillos, postea ad Episcopatum esse provectum. [*De Coronis Hymno 12.*] *Namque figura alia est, quam quæ fuit oris & nitoris. Defluа cæsaries compescitur, ad breves capillos, &c. His igitur meritis dignissimus usque Episcopale provehitur solium Doctor.*

Sidonius Apollinaris de sanctissimo Presbytero verba faciens Claudiano, id solum memorat, quòd *crinem barbamque non pasceret.* [*L. 4. Ep. 11. 24.*] Alibi de viro nobiliore, quem ob eximiæ virtutis nitorem cives sui vi ad suscipiendum Presbyteratum invitum adegerant, id solum habet: *Coma brevis, barba prolixa.* Referente Constantio Presbytero in vita B. Germani Autisiodorensis Episcopi, cùm divinitus didicisset Amator ejus urbis antè Episcopus Germanū sibi successorem in Episcopatu futurum: licentiam à Præfecto Provinciæ petit Germani attondendi: *Licentiam tribuas Germanum tonsurari.* [*Surius die 31. April.*] Qua impetrata, *Germanum apprehendit, & invocato nomine Domini, cæsariem ejus capiti detrahens, habitu religionis, rejectis sæcularibus ornamentis, cum promotionis honore induit.* Attonsus est ab Episcopo Amatore Germanus, at coronæ aut rasi capilli nulla prorsus mentio. Dux facti fuit Episcopus, nimirum audacioris, quàm ut quisquam alius id adgrederetur. At si qua hujusmodi singularia exempla excipias, sibi quisque aliàs aut tondebat ipse, aut ab alio crinem tonderi curabat.

IX. Nec dissimulabo adjuratos olim frequentissimè fuisse per coronam suam Episcopos. Ita confirmat Augustinus, Donatistarum Episcopos alloquens: [*Epist. 147.*] *Per coronam nostram nos adjurant vestri, per coronam vestram vos adjurant nostri.* Et Hieronymus ad Augustinum scribens: [*Epist. 26.*] *Fratres tuos, ut meo nomine salutes, precor coronam tuam.* Et Alipius ad Paulinum: *Ad venerandum socium coronæ tuæ, patrem nostrum Aurelium ita scripsimus.* [*Epist. 35.*] Et Sidonius Apollinaris ad Leontium Episcopum: *Authoritas coronæ tuæ.* [*L. 6. Ep. 3.*] Et Paschasius Episcopus ad Leonem Papam: *Jubere dignata est corona vestra.* [*L. 7. Ep. 8.*] Episcopi Concilii Tarraconensis in Epistola ad Hilarium Papam: *Debita coronæ vestræ obsequia reddentes.* [*Epist. 2.*] Et Concilii Veneti Patres anno 455. statuta sua ad Episcopos destinantes, Regale in illis sacerdotium, & coronatos vertices revereri videntur. *Incolumem regnum & coronam vestram Ecclesiæ suæ Deus protegat.* Quæ profectò corona huic Concilio visa non esset insigne quoddam regiæ summæque majestatis, si illa fuisset, quæ ab annis mille & amplius promiscuè Clericis omnibus communis est, maximè superiorum Ordinum. Nec solis vendicanda erat Episcopis, si Clero prorsus omni communicata esset. Propiùs ergo à vero abest, Regale Christi Sacerdotium, quod in Episcopis singulari præfulget gloria; per coronam illam significari.

X. Concilium Carthaginense IV. non aliud etiam Clericis præcipit, quàm ut nec capitis cæsariem, [*Can. 44.*] nec barbam promittant. *Clericus nec comam nutriat, & barbam radat.* Non tacuisset ea Synodus de ritu Tonsuræ Clericalis, & Coronæ dicere, siqua tunc fuisset in usu: cùm tanta diligentia scripserit de cæremoniis, quæ in Ordinandis non solum superiorum Ordinum Clericis observarentur, sed etiam inferiorum, & ipsorum etiam Psalmistarum. Venio nunc à Clericis ad Monachos, ab his ad illos rediturus postea, ubi erit coronæ quam vestigamus origo inventa.

XI. Eam initio moderationem studiosè sectati sunt Monachi, quæ eorum maximè conveniret instituto. Ridet Hieronymus aniles eorum fabulas, qui dicerent Paulum illum Eremiticæ vitæ authorem & antesignanum, demissos & in terram usque defluentes gestasse capillos: *Crinitum calcaneo tenus hominem.* [*In vita Pauli.*] Commendat idem sanctus Pater Hilarionem, quòd semel anno quolibet detonderet: *Capillum semel in anno die Paschæ tonderet.* [*In vita Hilarionis.*] Excandescit alibi adversùs Monachos quosdam insanos, qui fœminea penè mollitie comam alerent, barbam item promitterent, nudisque ingrederentur pedibus: *Viros fuge, quibus fœminei contra Apostolum crines: hircorum barba, nudi in patientia frigoris pedes.* [*Epist. 22.*] Invehitur & Augustinus adversùs inertiam ineptiasque quorundam Monachorum, qui comam alebant, & hoc insolentissimo ornatu sperabant se hominum æstimationem & reverentiam propensiorem sibi conciliaturos. *Venalem circumferentes hypocrisin, timent ne vilior habeatur tonsa sanctitas quàm comata: videlicet qui eos videt, antiquos illos, quos legimus, cogitet, Samuëlem, & reliquos, qui non tondebantur.* [*De Opere Monachor. c. 31.*] Hæc certè Monachorum sive commendatio, sive reprehensio apertè innuit, illis nullo modo præceptum esse, ut vel coronam gestarent, vel caput raderent: sed ut sæpiùs comam tonderent, ita ut in ea nec munditiem affectarent, nec notabile quidquam, aut singulare.

XII. Ut autem fidelibus offendiculo fuerant longioris capillitii amantiores Monachi: ita mirum in modum contempto ejusmodi fastu, alii placuere. Extitere enim, quibus hæc esset summa voluptas, ut hominibus essent despicabiles. Ea enim deformitate tondebant, aut radebant comam, quæ carnales quidem offenderet, sed spiritalibus humilitatis Christianæ oculis longè venustissima & gra-

tissima videretur. De quibus egregiè Paulinus, nam & ipse in eorum numero fuerat, qui quanto volebant esse contemptui, tanto majori erant in honore; adeo non despicantibus Christianis semirasa capita, ut & impensiùs venerarentur, ceu mundi contemptûs & Christi crucis atque opprobrii fulgentissima quædam monumenta. Audi Paulinum ipsum: *Conservuli & compallidi nostri, horrentibus ciliciis humiles, sagulis palliati, veste succincti, casta informitate capillum ad cutem casi: & inæqualiter semitonsi, & destituta fronte prærasi, & honorabiliter despicabiles.* Alibi cum Paulinus de capillis suis speciem præferentibus peccatorum, hæc habet, hæc optat, ut *non accisione medii tondeantur, sed ad vivum quasi novacula radente premantur*: non sanè ad coronam Clerici alludere potest videri, sed ad capillos, qui medii attondebantur: *accisione medii tondeantur.* Sibilis sannisque Gentilium explosos fuisse hos Monachos, cùm primùm in Africa conspecti sunt inusitato & informi more cæsa rasaque coma, author est Salvianus, qui ex eo etiam ominatur tantas mox calamitatum procellas in Africam incubuisse: *Non sine causa itaque istud fuit, quod inter Africa civitates, & maxime intra Carthaginis muros, palliatum, & pallidum, & recisis fluentium comarum jubis usque ad cutem tonsum videre, tam infelix ille populus, quàm infidelis, sine convitio atque execratione vix poterat.* Si imperantibus Principibus Christianis, & dominante jam ac florente religione, res ea Monachis tot & tanta convitia ac ludibria peperit: quid futurum fuisse putas, quam atrocem commovendam in fideles omnes tempestatem, si sub Imperatoribus infidelibus Clericos ab aliis Tonsura & Corona abrasa discrevisset?

Epist. 7. & 4.

De guberna. Dei. l. 8.

XIII. At contrà, si primis sæculis tribus, modestissimo tantùm capillo fuere Clerici, nulla causa fuit, cur sæculo quarto res ea ullo modo immutaretur. Quamobrem nec innovationis factæ ullum in Conciliis, aut in sanctis Patribus existit vestigium. Ineunte verò sæculo sexto, vel certè quinto exeunte, non antè, jam inducta apertè videtur in Ecclesiam Tonsura Clericalis, ut infrà dicetur. Eo tempore, ut refert Gregorius Turonensis, natus est beatus Nicetius, cum brevi circa caput capillorum corona, instar Tonsuræ Clericalis. Quod faustum omen fuit, desponsæ illi à Deo, & gestandæ aliquando Pontificiæ dignitatis. Cœpit ergo sæculo quinto corona illa Clericalis, qualis nunc in usu Ecclesiæ est. Cui rei nulla res alia videtur eo tempore initium præbuisse & causam, nisi ea qua tum flagrabant Episcopi vehementissima voluntas imitandæ ejus vitæ, quam sanctissimam Monachi, & omni virtutum genere absolutam & profiterentur, & orbe applaudente implerent. Nam ut dicam infrà, adsciscebatur è Monasteriis Episcoporum pars maxima, qui deinde ei rei studuere plurimum, ut & Monachorum retinerent habitum, & mores in Clerum transferrent. Nihil ergo dixeris probabilius, quàm id eo tempore accidisse, quo Clerici sanctissimorum hominum duriorem ac humiliorem vitam imitari magna cum laude cuperent, & inanem vestimentorum pompam ac sæcularem cultum aspernari. Docebunt, quæ sequuntur Capita, ex eodem humilitatis & crucis amore fluxisse, quod Episcopi Monachalium vestium partem accepere.

XIV. Conferamus nos jam ad Ecclesiæ Græcæ mores similiter perscrutandos. Clemens in Constitutionibus Apostolicis hortatur fidelem quemque, ut sit *non capillum nutriens, nec pexus, nec comatus.*

Constitut. Apost. l. 1. c. 3.

Super caput Jacobi Apostoli & Episcopi Hierosolymitani novacula non ascendit, teste Eusebio. *ξυρὸν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ οὐκ ἀνέβη.* Consonat Constitutionibus Apostolicis Clemens Alexandrinus. *Virorum sit rasum caput, nisi fortè pilos crispos habeat; barba autem hirsuta.* Ea enim erat fidelium Græcorum consuetudo, ut breviore capillo essent, barba prolixiore. Hinc Epiphanius adversùs Hæreticos quosdam Monachos, insana quadam singularis cultûs affectatione, contrarium in usum sese componentes: *Hi barbam, formam viri, resecant; capillos autem capitis sæpè nutriunt. Et de barba quidem in Constitutionibus Apostolorum dicit divina scriptura ac doctrina, ne corrumpas, hoc est, ne seces barbæ pilos, neque meretricius cultus assumatur.* Docet Scriptura mœstitiæ luctûsque signum esse, si quis capillos & barbam radat. *Omne caput calvitium, & omnis barba rasa erit.* Ita loquuntur Hieremias, Isaïas, Ezechiel, ubi graviorem calamitatem significatam volunt. Ita certè Hieronymus interpretatur. *Apud antiquos barbæ capitisque rasura luctûs indicium fuit.* Ratio est in promptu. Sejungi enim discernique ab aliis non possunt, qui lugent, nisi insolentem & diversum ab usu vulgatissimo habitum omnem cultumque sibi circumdent. Hinc illud Chrysostomi, observantis alia alibi luctûs esse indicia; ubi enim vulgus hominum crinem barbamque alit, ibi lugentes demetunt: ubi vulgus demetit, lugentes alunt. *Inter nos flentes multi nutriunt comam, Job totondit. Quare? Id nimirum propositum est ei, qui flet, ut contrariam in formam constituat habitum. Ubi enim honoratur coma, signum fletûs est tonderi; ubi verò tondetur, signum fletûs est non tonderi. Ubique enim à flentibus contraria sumitur forma.* Clerici ergo in Oriente initio secuti sunt laïcos, & longiorem tantùm fugere capillos, coma ornati, sed breviore. Refert Damasus Papa Maximum Philosophum Cynicum cùm Episcopalem Constantinopolitanam sedem ambiisset, id solum cum ignominia reportasse, *ut amputatis capillis jacturam capitis sustineret.* Idem habet Gregorius Nazianzenus de eodem Maximo. Rasère deinde caput Monachi, ut luctum & pœnitentiam profiterentur. Hinc Julianus Apostata ementiri Monachum volens, teste Socrate, sibi caput abrasit. Amplum sibi deinde & honorificum duxere Clerici, si Monachos æmularentur. Qui verò inter eos promisere capillum, utrum id fecerint ad delicias minimè omnium sibi consentaneas, an ut ne essent laïcorum similes, qui juxta Chrysostomum brevi capillo essent, haud satis comperi. Hoc unum scio, prolixo semper capillo fuisse sanctissimum Episcopum Scytharum Theotimum, quod e Sozomenus: *Aiunt quod in coma nutrienda perseveraverit, Philosophiæ studium, uti cœperat, prosecutus.* Sanctissimæ Philosophiæ, cujus sectator erat hic Episcopus, studium omne in eo erat, ut aliud semper sequeretur, quàm quod vulgus; alia semper via pergeret, quàm turba. Finem his faciat Dionysius. Scripsit ille de ritu & vestiendi & tondendi Monachi. Coronæ omnino non meminit; cujus tamen si qua tum fuisset, mysteria utique curasset aperire.

Euseb. l. 2. c. 23.

Pædag. l. 3. c. 11.

Hæres. 80.

Hiere. c. 48.

Serm. 3. De Prophetia Job.

Collect. Romana Holsten. p. 40.

Nazianz. Orat. 28.

L. 7. c. 25.

Eccles. Hier. c. 6.



## CAPUT XXXVIII. *P. 2. l. 1. c. 20.*

## De Tonsura & Corona Clericali in Hispania & Anglia, VI. VII. & VIII. sæculo.

*I. Sæculo tantùm ferè VI. constituta perfectè Clericorum à laicis in Tonsura & habitu differentia est.*
*II. Prohibentur longiores capilli, seu grani.*
*III. Clericalis Tonsuræ discrimen à Pœnitentium & Monachorum Tonsura.*
*IV. Oportebat Clericos detonso superiùs toto Capite, inferiùs solam circuli coronam relinquere, capillo oblongiore; hæc fuit eorum Tonsura & Corona.*
*V. Pœnitentiæ & Religionis Tonsuram nemini licebat abjicere.*
*VI. Communis erat Pœnitentibus & Monachis Tonsura, Corona verò Clericis propria.*
*VII. Resecati capilli mystica significatio.*
*VIII. Capitis pars nulla habenus radebatur.*
*IX. De Pauli juxta Anglos, aut Orientalium Tonsura.*
*X. De Petri juxta eosdem, aut Occidentalium Tonsura.*
*XI. Prima omnium fuit Monachalis.*
*XII. Super ea diversitate præclarissimè multa constituuntur.*
*XIII. De Simonis Magi Tonsura.*
*XIV. Coronarum, seu Tonsurarum genera quatuor.*
*XV. Ex iis duo approbantur. Quomodò ea fuerint Apostolis attributa.*
*XVI. XVII. Quo tempore & qua ratione Monachi Tonsuræ suæ Coronam adjunxerint Clericalem.*

I. ILlud ingenuè confitendum est, sexto maximè, septimoque sæculo Clericos à laicis tonsura & habitu cœpisse distingui. Postquam detumuerunt persecutionum fluctus, reddita Ecclesiæ pace, annis opus fuit ducentis, aut certè non multo minùs, ut quorum erat tam diversa tamque discrepans professio, certum illud inter se & firmum constituerent, conspicuumque discrimen. Fuisset profectò periculosissima, dum flagrarent persecutiones, distinctio illa & nota. Pacatis verò omnibus, debuit quidem, at nonnisi magno temporis intervallo potuit res tanta tam latè per universam Ecclesiam immotari. Æquum porro non est, ut in re usque adeo dubia, mutabili & subinde alternante, certissima & dilucida statui, aut responderi tibi postules, vel expectes. Mutata ista sunt diverso tempore, diversis in locis, & ita lentè ac sensim sine sensu mutata, ut sua singulis rebus ad unguem præfigere & assignare mutationis tempora sit difficillimum.

II. Initium facio à tonsura, & ab Hispanis illis Conciliis, quæ ejus meminere. Statuit Barcinonen-
Ann. 540 c. 5. 6. se Concilium anni 540. *ut nullus Clericorum comam nutriat, aut barbam radat.* Jubet autem, ut sint *Pœnitentes viri tonso capite.* Meliusculæ tonsuræ formam expresserat in sua Canonum compilatione Martinus Braccharensis Episcopus: *Non oportet Clericos*
Can. 76 *comam nutrire, ac sic ministrare, sed attonso capite, patentibus auribus, &c.* Ex eo quòd aures patere velit, intelligere est, quàm brevibus oporteret capillis esse. Verùm in his nec coronam adhuc nec partem capitis ullam abrasam habes. Concilium Braccharense anni 563. unum id commendat, ut ne prolixos Clerici capillos gestent: *Placuit ut Lectores in*
Anno 563. c. 11. *Ecclesia habitu sæculari ornati non psallant, neque granos gentili ritu dimittant.* Ea vox *grani* longiorem aut capillum significat aut barbam, ut patet ex Isidoro Hispalensi in Origimbus: *Nonnullæ gentes non solùm*
L. 19 *in vestibus, sed & in corpore aliqua propria sibi quasi insignia vendicant, ut videmus cirrhos Germanorum, granos & cinnabar Gothorum.* Non ergo in vestibus, sed in capillo sit oportet superfluum illud ornamentum, quod in Hispania Gothi *granos*, in Germania *cirrhos* appellabant. Sidonius Apollinaris Gothum hominem describens, promissos illi crines donat. *Aurium legula, sicut mos gentis est, crinium superjacentium flagellis operiuntur.* Sed elegantiùs vo- L. 1. Ep. 2.
cis hujus vim declarat Arnoldus Episcopus Rocestrensis in Anglia, cum exponit, cur Eucharisticus panis Christi sanguine intinctus porrigeretur potiùs quàm calix ipse. *Nos carnem Domini intinguimus in sanguine, &c. Evenit enim frequenter, ut barbati &* Spicil. To. 2. pag. 435.
*prolixos habentes granos, dum poculum inter epulas sumunt, priùs liquore pilos inficiant, quàm ori liquorem infundant. Præterea si imberbes & sine granis & mulieres ad sumendam communionem sanctam conveniant, quis Sacerdotum poterit tam providè ministrare, ut infundens nihil effundat?*

III. Concilio Toletano III. vetitum est, antè viris pœnitentiæ copiam fieri, quàm resecarentur Can. 12.
eorum capilli: *Sive sanus, sive infirmus sit, priùs eum tondeat, & sic pœnitentiam ei tradat:* fœminas autem ea arceri, donec sæculares vestes exuissent: *Non accipiat pœnitentiam, nisi priùs mutaverit habitum.* Qua in re illud potissimum spectabatur, ne frequentiùs Pœnitentes in easdem sordes relaberentur. Nec verò probabile est, Tonsuram Pœnitentium unam eandemque fuisse atque Clericorum, cùm hi illique immenso quodam spatio distarent. Hunc nodum solvit Concilium Toletanum IV. anni 633. ubi addit Conc. Tolet.
Clericalem Tonsuram nomen obtinuisse coronæ, at- Ann. 633.
que adeo à Pœnitentium tonsura longè discrepare. Can. 41.
Tonsus enim seu brevior in superiore capitis parte capillus, oblongioris infrà capilli circulo in modum coronæ cingebatur. *Omnes Clerici vel Lectores, sicut Levitæ & Sacerdotes, detonso superiùs toto capite, inferiùs solam circuli coronam relinquant, non sicut huc usque in Galliciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis ut laici comis, in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispania huc usque hæreticorum fuit. Unde oportet, ut pro amputando Ecclesiæ scandalo hoc signum dedecoris auferatur; & una sit tonsura vel habitus, sicut totius Hispaniæ est usus. Qui autem non custodierit, fidei Catholicæ reus erit.*

IV. Hunc certè Canonem multis præclaris fœtum documentis, paulò operosiùs expendere juvabit. Docet enim, 1. eam fuisse Diaconorum, Presbyterorum & Episcoporum Tonsuram, quæ partem superiorem capitis totam aperiret, *detonso superiùs toto vertice*: idque solum relictum esse crinium, quod esset circuli instar, aut coronæ: *Inferiùs solam circuli coronam relinquant.* Et hæc quidem tonsuræ forma fuit, ac coronæ Clericalis. 2. Clericos omnes à Lectoribus ad Episcopum usque tonsuram eandem atque coronam gestare debuisse. Jam enim *Sacerdotum* nomine Presbyteri, uti & Episcopi comprehendi cœperant, quemadmodum Lectorum voce inferiores omnes Ordines videntur significari. 3. Usos semper esse Episcopos, Presbyteros & Diaconos ejusmodi tonsura & corona, qualis hîc præscribitur; immo ipsos etiam Provinciarum omnium Hispaniæ Clericos inferiores, si Galliciam unam excipias, ubi Lectores, *prolixis ut laici comis, in solo capitis apice modicum circulum tonderent.* 4. Denique, ea re damnata, jussisque inferioribus Clericis eandem gestare tonsuram & coronam, quam gestarent Episcopi & Presbyteri, decretum esse à Synodo, ut pro hæreticis habeantur Clerici, qui in retinendo hæreticorum usu & more fuerint pertinaces.

V. Loquitur paulò inferiùs eadem Synodus de Can. 55.
iis, qui ipsi *accipientes pœnitentiam totonderint se: aut qui detonsi à parentibus fuerint, aut sponte sua amissis*

parentibus

*parentibus se ipsos religioni devoverint.* Jubetque ut si à pœnitentia, aut à religione desciscant, compellat eos Episcopus ad priorem professionem regredi: *Comprehensi à Sacerdote ad cultum religionis revocentur.* Idem Decretum innovatur in Concilio Toletano VI. At Concilium Toletanum XII. vetuit, ne qui ex gravi ægritudine decumbentes, & mente alienati, tonsi pœnitentiæque vinculis innexi fuerant, si quando recreati essent ex eo morbo, possent acceptæ professionis sanctitatem sæculari vita contaminare. *Quatenus à se tonsuræ venerabile signum expellant, & habitum religionis abjiciant.* Prohibetur quidem hoc Canone, ne ei qui in ægritudine positus, pœnitentiæ & religionis habitum ac tonsuram non petit, injungant Presbyteri: at edicitur, ut qui quocunque modo acceperit, abjicere illum & synodali illudere decreto ne permittatur. Hujus enim pœnitentiæ non petentibus impactæ, & baptismi parvulis nescientibus dati eandem esse rationem.

Can. 7.

Can. 2.

VI. Non erit certè inutile, quæ fuerit Pœnitentium ac Monachorum tonsura, aperuisse: ut qua in re à Clericali differat, cognoscatur. Tonsuram enim illi quidem, at non coronam gerunt, quæ Regalis Christi ejusque Ministrorum Sacerdotii insigne est ornamentum. Quòd autem tonsura Clericorum Regiæ & Sacerdotalis dignitatis signum honorificentissimum sit, cùm Pœnitentibus quæ propria est & Monachis, eorum potiùs humilitatem, suique dejectionem & contemptum significet: id apertè declarat Isidorus Hispalensis Episcopus. Quanquam enim fidei oculis nihil celsius appareat hac humilitate, nihil sublimius hac sui spontanea depressione; signa tamen ista sunt non celsitudinis, sed dejectionis; nec aliud hîc quàm signorum vim & significationes expendimus. Isidori autem sententia ita habet, quæ prolixè & planissimè cùm explicata ab eo sit, superfluum duxi meis illam verbis interpretari. *Quod verò detonso capite superiùs, inferiùs circuli corona relinquitur, sacerdotium regnumque Ecclesiæ in eis existimo figurari. Tiara apud veteres constituebatur in capite Sacerdotum. Hæc ex bysso confecta, rotunda erat, quasi sphæra media, & hoc significatur in parte capitis tonsa. Corona autem latitudo aurei est circuli, quæ Regum capita cingit. Vtrumque itaque signum exprimitur in capite Clericorum, ut impleatur etiam quadam corporis similitudine, quod scriptum est, Petro Apostolo docente, Vos estis genus electum, Regale Sacerdotium.*

De Offic. Ecc. L. 2. c. 4.

VII. Et illud tamen etiam constat, hac superflui capillitii detonsione significari indicique Clericis, æquè ac Pœnitentibus & Monachis, sæcularium inaniumque pomparum, honorum, voluptatumque abdicationem. *Est autem in Clericis tonsura signum quoddam, quod in corpore figuratur, sed in animo geritur: scilicet ut hoc signo in religione vitia resecentur, & criminibus carnis nostræ, quasi crinibus exuamur.* At verò quod Pœnitentes faciunt, ut iis careant, quæ fuerant instrumenta libidinis & vitiorum, quia id faciunt, ut præteritas culpas deleant, & caveant futuras: habent unde de se humillimè potiùs sentiant, quàm unde glorientur. Clerici verò propter eam, quacum in sublimem illum ordinem venere, vitæ innocentiam, terrena fortissimè & aspernantur & deserunt, summaque & regia quadam vi ac virtute mentis supra res omnes creatas attollunt animos: ut jam & hîc cum Christo regnent, cujus regnum non est de hoc mundo: tametsi & in hoc mundo Rex Regum & Dominus Dominantium sit.

Ibid. c. 4.



VIII. Hispana Concilia, & qui eorum vocibus usus est Isidorus, solius tonsuræ meminere, nec ullum habent vestigium abrasi Clericorum capitis, aut superioris in capite partis. Ubi observes velim, & easdem esse usurpatas voces, cùm de Pœnitentibus ac de Monachis sermo esset. Nullibi enim novaculæ vox sonat. Quod & in Regula Isidori longè clarius est: *Nullus Monachorum comam nutrire debet, &c. Tondere ergo debet iste, quando & omnes, imò & simul ac pariter omnes.*

Cap. 11.

IX. Asserit denique Isidorus tonsuræ exemplum tunc nobis Paulum præformasse, cum ipse in Actis Apostolorum Nazaræos imitatus est. At vel ex eo elucescit, Paulum id semel tantùm fecisse, nec nisi magnopere urgente necessitate fecisse, non aliàs facturum, ut nec cæteri fecerunt Apostoli. Quod autem videtur eodem loco velle Isidorus, à Petro esse primùm institutam tonsuram Clericalem, id de præcepto brevis & modestioris comæ intellige. Hujus etiam sine dubio modestiæ Petrus, quemadmodum & virtutum aliarum omnium, & eorum quæ cum virtute exteriùs conjuncta sunt, Magister fuit & forma.

De Offi Ecc. L. 2. c. 4.

X. Ea in opinione, quæ tonsuræ Clericalis authores statuit Petrum & Paulum, longè ulteriùs progressi sunt Angli. Cùm enim illi de Festo Paschæ, & de tonsura Clericali, divisi in partes, diu inter se depugnassent, Catholici qui sententiam & morem Romanorum sequebantur, quod ab exemplo & institutione Petri & Pauli aucupari poterant patrocinium, non omisere. Narrat Beda Theodorum illum, natum è Tarso Ciliciæ, virum litteris Græcis & Latinis, sacris & profanis in primis eruditum, relicto suo in Oriente Monasterio Romam venisse, electumque demum à Pontifice esse, ut in Angliam ablegaretur, quam & regeret, Archiepiscopatu Cantuariensi donatus. Is Romæ primùm Subdiaconus ordinatus fuerat, tumque per quatuor menses expectaverat, dum coma cresceret, & ita tonsuram & coronam ritu Romanæ & Occidentalis Ecclesiæ perciperet, cùm hactenus nonnisi tonsuram Pauli accepisset, pro more Orientalium. Tunc verò Vitalianus Papa sacris Ordinibus illum omnibus initiavit. *Qui Subdiaconus ordinatus quatuor expectavit menses, donec illi coma cresceret, quò in coronam tonderi posset. Habuerat enim tonsuram more Occidentalium sancti Pauli Apostoli. Qui ordinatus à Vitaliano Papa, &c.*

Beda Hist. Ang. l. 4. c. 1.

XI. Aut prorsus verum, aut veri simillimum est, coronam hanc *Orientalem*, cui authoritatem venabantur à Paulo, eandem cum Monastica fuisse, raso capite toto, aut pressiùs toto attonso, nullo residuo capillorum circulo, quæ corona erat Clericorum. Id emergit, ni fallor, ex Bedæ verbis. 1. Theodorus Monasticam amplexus erat sectam: at Monachi vel radebant caput, vel pressiùs tondebant, ut suprà sæpiùs ostensum, nullo unquam memorato capillorum circulo, quo coronæ species & imago quædam obumbretur. 2. Quatuor expectatum est menses, dum Theodori coma cresceret, *quò in coronam tonderi posset*, hoc est, Tonsuram circulo capillorum velut corona cinctam gerere. 3. Potuit hæc Tonsura tota non sine causa & videri & dici Tonsura, aut rasura Pauli, qui Caput Hierosolymis Nazaræorum more totondit. At illi capillum sibi nullum faciebant residuum, quò resectum Deo omnem consecrarent. Denique nemo nescit, quàm clarè & cupidè antiqui Monachi profiterentur se, & Nazaræorum imitatores esse,

& Pauli discipulos in abdicatione rerum omnium, in pœnitentia & labore manuum.

L. 4. c. 14. XII. Profert ibidem mox idem Beda, objectam alicui cœlestem divinitus visionem, ubi Petrus & Paulus conspiciebantur, ille quidem in morem Clericorum attonsus, hic cum promissa barba. *Vnus quidem attonsus erat ut Clericus, alius barbam habebat prolixam; dicebantque quod unus eorum Petrus, alius vocaretur Paulus.* Non diffidet à vero puerulum, cui hoc cœlitus demonstratum esse dicitur, aut vidisse, aut videre sibi visum esse Apostolos ea specie, qua in tabulis solerent depingi: aut Apostolos ipsos, ut agnoscerentur, ea forma apparere voluisse, quæ illis à pictoribus vulgò tribuebatur.
L. 4. c. 22 Eo verò tempore Catholicus in Anglia dubitabat nemo, quin eam Tonsuram olim gestasset Petrus, quæ tunc in usu erat Romæ. Ceolfridus enim Abbas in eruditissima illa Epistola, quam hac de re scripsit, & quam Beda historiæ suæ inseruit, nequaquam dubitat, quin Apostoli tonsura usi fuerint inter se diversa: *Et quidem scimus, quia nec Apostoli omnes uno eodemque sunt modo attonsi:* & quin per orbem terrarum inter Ecclesias alia aliis genera sint Tonsurarum: cùm unitas Ecclesiarum propria, & absolutissimè necessaria, nonnisi fidei sit, & charitatis. *Neque nunc Ecclesia Catholica sicut una fide, spe & charitate in Deum consentit, ita etiam una atque indissimili totum per orbem Tonsura sibi forma congruit.* Adjicit ille comam sibi attondisse Jobum, cùm ærumnæ & calamitatis mole obrutus gemuit, idque argumento esse, promisisse illum cæsariem inter prospera. Josephum ex adverso in carcere promissis luxisse crinibus, quos cùm libertati redderetur execuit. Nunquam inter sanctos Patres de capillitio & tonsura decertatum esse: *Cum nunquam Patribus Catholicis, sicut de Pascha vel fidei diversitate conflictus, ita etiam de Tonsura differentia legatur aliqua fuisse controversia:* Rem ergo esse versatilis & liberæ disciplinæ: *Tonsura discrimen non nocet, quibus pura in Deum fides & charitas in proximum sincera est.* Sed his ita constitutis, de quibus ambigi vix à quoquam potest, subdit Ceolfridus, tot inter tondendi capitis rationes, quæ aliæ in aliis orbis Christiani regionibus usitatissimæ sunt, cæteris omnibus & illam facilè anteponendam, quam Petrus aut prævivit, aut sectatus est: & illam postponendam, quam Simon Magus. *Nullam magis sequendam jure dixerim, ea quam in capite suo gestabat Petrus.* Ubi & illud magni in primis fieri debet, quòd Petri Tonsura circulo capillorum circundata, Christi passionis ejusque spineæ coronæ speciem præferat, refricetque memoriam. *Neque ob id tantùm in coronam attondemur, quia Petrus ita attonsus est, sed quia Petrus in memoriam Dominicæ Passionis ita attonsus est, &c. Oportet eos, qui vel Monachi votum vel gradum Clericatùs habent, formam quoque coronæ quam Dominus in passione sua spineam portavit in capite suo, quemque in capite per Tonsuram præferre.* Quin & æterna hæc testificatio est promptissimi ad æmulandam Christi Crucis gloriosam ignominiam sapientissimamque stultitiam animi. *Vt se etiam irrisiones & opprobria pro illo libenter ac prompto animo sufferre, ipso etiam frontispicio doceant.* Denique hæc nunc Clericorum corona, quasi prolusio & prægustatio quædam est illius incorruptibilis gloriæ, cui suspiramus, & ad quam per inanium sæculi opum, ac voluptatum contemptum contendimus. *Vt coronam vitæ æternæ se semper expectare, proque hujus perceptione & adversa se mundi, & prospera contemnere designent.*

XIII. Quod ad coronam cui conviciabantur Angli, ut à Simone Mago profectæ, & Petri coronæ æmulæ, hanc paulò pòst delineat idem Ceolfridus, nempe instar semicirculi, qui anteriorem capitis partem ambiret, deficiente semicirculo alio, quo posterior pars cingenda & ipsa fuerat. *Tonsuram Simonis quis non cum ipsa magia detestetur; quæ aspectu in frontis quidem superficie coronæ videtur speciem præferre; sed ubi ad cervicem considerando perveneris, decurtatam eam, quam te videre putabas, invenies coronam: ut meritò Simoniacis & non Christianis talem habitum convenire cognoscas, qui in præsenti quidem vita, à deceptis hominibus putabantur digni perpetua gloria coronæ, sed in ea quæ hanc sequitur vita, non solùm omni spe coronæ privari, sed æterna insuper sunt pœna damnati.* Non poterat accuratiùs expingi oculisque subjici dimidiati circuli manca corona, qua portendi videbatur Simonis Magi discipulorumque ejus trunca gloria, & inanis spes, quæ præsentium specie falleret, in recessu nil sanum, nil solidum haberet, nec in posterum quidquam sibi ex æternis bonis desponderet. Quippe perfecto circulo vera & beata præsagitur æternitas, à qua spe & expectatione procul est semicircularis corona. *Qui ad coronam te vitæ, quæ terminum nesciat, tendere credis, quid contrario fidei tuæ habitu terminatam in capite coronæ imaginem portas?* An hujusmodi truncatæ coronæ ergo Agrestinus Monachus objurgaverit & reos egerit beati Columbani discipulos, id equidem nec negare ausim, nec affirmare. Gesta res ea est in Concilio Matisconensi anni 627. Inter Epistolas beati Bonifacii Martyris, ea quæ quadragesima quarta est, Athelmi Abbatis Angli est, ex iisdem Ceolfridi rationibus, & Isidori Hispalensis verbis contexta.

XIV. Ex dictis collige, è coronis, Tonsurisve quatuor, probatam unam, toleratam alteram, duas verò reliquas probro datas esse. Nam illa perspicuè satis modò nobis exhibita est corona, quam Angli detestabantur, utpote ritui addicti jam Romano; nec alia eam, ut puto, de causa Simoni Mago imputabant, quàm quod ei quam Petri putabant esse, contraria videretur. Quam verò ab hæreticis Hispanis acceperant Clerici Minores Gallæciæ, & quam damnavit Concilium Toletanum IV. eadem tibi videri possit, atque ea quam gestant Clerici Minores hujus ævi nostri. Verùm hæc ad illam si proximè accedit modico illo detonso circulo in summo capitis apice, ab eadem certè plurimùm discedit modesta capillorum brevitate. Hoc enim potissimum vituperabat nomine Concilium Toletanum Clericos Gallæciæ, quòd essent *prolixus, ut laici Comis.* Nec negaverim illius Concilii Patres voluisse, ut Clerici Minores ejusdem magnitudinis Tonsuram, coronamque gererent, cujus & Episcopi, quod ab hodierno usu omnino alienum est. Verùm recurrere debet animo, quod monebat paulò suprà Ceolfridus, eam Ecclesiæ voluntatem fuisse nunquam, ut in ejusmodi rebus ad unum omnes consentirent: & illud ei probari vel maximè, ut interesset semper aliquid discriminis inter ea, quæ cum ipsa per sese religione non necessariò conjuncta sunt, & quæ ad ipsam ejus naturam omnino pertinent, & rationem.

XV. Præter duas istas tonsuræ coronæque, quæ sunt reprobatæ species, reliquæ duæ sunt, quarum altera Petri & Occidentalium, altera Pauli nomine & Orientalium cohonestata est. Nec ejusmodi attributio aliunde, ut videtur, ortum habuit, quàm

ex illo Hieronymi placito statutoque sapientissimo, ut Ecclesiæ in Traditionum Apostolicarum reponant ordine suos singulæ vetustissimos & inculpatos usus. Cùm enim ea est consuetudinis alicujus vetustas, ut ejus primordia oculos memoriamque effugiant, facilè quoque adducitur vulgus hominum, ut credat ab iis ipsis originem eas habere, à quibus habent & ipsæ Ecclesiæ ubivis singulæ. Facit & Gregorius Turonensis tonsuræ coronæque authorem Petrum.

XVI. Observat denique Ceolfridus, non Clericos solùm, sed & Monachos debere gerere tonsuram, cum illo capillorum circulo, qui eorum quasi corona sit & diadema. Jam ergo invectus erat is usus in Angliam, qui inter Hispanos Monachos certè nondum vigebat. Concilia Toletana coronam tribuêre Clericis; Monachis verò, uti & Pœnitentibus tonsuram solam. Ita conceptis verbis Isidorus in Regula: quod & clariùs asseruit, cum dixit coronam Regalis Ecclesiæ Sacerdotii insigne esse. Solis ergo Clericis coronam dedit.

XVII. Fortè & hinc ortum habuit Capillorum ille in Monachis circulus deinceps usitatissimus, quòd iis temporibus Clericatum magna ex parte susceperint Monachi, Angli præsertim. Qui enim Augustino & ejus Collegis successere, Monachi fuere omnes, quemadmodum Augustinus ipse & ejus socii. Qui ergo Ecclesiæ Anglicanæ Magistri & Patres fuerunt, non sine emolumento maximo Monasticam cum Clericali professionem sanctissimè copulaverunt. Quamobrem mox ostensuri sumus, sæculo VI. VII. & VIII. Monasticam plerumque pro Clericali tonsuram traditam esse. Nimirum cum quis Clero adscribebatur, Monachus fiebat primùm; & Clericorum nomine Monachi appellabantur; satisque erat, ut quis in Ecclesia Lectoris fungeretur officio, si Religionem Monasticam esset professus. Nullam hîc autem pugnam aut conflictationem suspicaberis, si ita statuas, quod magis magisque firmabitur, consuetudinem radendi capitis à Monachis ad Clericos, quemadmodum & illius Capillorum circuli à Clericis ad Monachos transiisse.

---

## CAPUT XXXIX. *P. 2. l. 1. c. 21.*

### De Tonsura & Corona Clericali in Gallia, Italia, urbe Roma & in Oriente VI. VII. & VIII. sæculo.

*I. In hoc erat posita Tonsura Clericorum, quòd capilli essent breviori.*

*II. Tondebantur, qui Monachi fiebant, vel Clerici.*

*III. Quare eadem videtur fuisse Tonsura Clericorum & Monachorum.*

*IV. Juxta eorum temporum morem loquendi, fiebant Clerici suscepta corona Monachali.*

*V. Probatur ex Gregorio Turonensi, præter Tonsuram Clericos etiam coronam gestasse, eandem gestasse & Monachos, postquam Clero adjuncti sunt; non autem Pœnitentes.*

*VI. Probatur & summum caput abrasum fuisse. Et hoc de Gallia.*

*VII. In Italia eadem Tonsura, corona eadem Clerici & Monachi utebantur.*

*VIII. Tondebantur & ii, qui erant in inferioribus Officiis, rerumque temporali Ecclesiæ præfecti.*

*IX. Tonsura, sive corona antiquitas originem fortè habuit ex glorioso illo opprobrio, quo affectus ab inimicis Christus est.*

*X. Probatur rasum non fuisse caput prioribus sæculis.*

*XI. XII. Tonsura apud Orientales eodem erat in honore.*

*XIII. Non tondebantur antè Clerici, quàm illis inferior Ordo aliquis conferretur.*

*XIV. Quo tempore corona meminerint Græci.*

*XV. Eam illi pro traditione Apostolica habuere. Verisimile est eam à Monachis ad Clericos transiisse.*

*XVI. Probatur utrum prioribus quatuor sæculis coronam nullam fuisse.*

I. Ex Anglia in Galliam devehimur, & ea pergimus dicere, quæ ad tonsuram & coronam pertinent Clericalem. Pœnitentibus id præcipit Agathense Concilium, ut & capillum tondeant, & vestem mutent. *Si comam non deposuerint, aut vestimenta non mutaverint, abjiciantur.* Ann. 506. Clericos verò, c. 15. si qui comam alerent, jussit vel invitos ab Archidiaconis tonderi. *Clerici qui comam nutriunt, ab Archidiacono, etiamsi noluerint, inviti detondeantur.* Can. 20. Ea capillitii modestia est, coronæ aut rasuræ nulla adhuc mentio.

II. Refert Gregorius Turonensis Charaticum Regem cum filio detonsum fuisse, sacrisque Ordinibus initiatum, ita jubente Clodovæo Rege: *Vinctos totondit, & Charaticum quidem Presbyterum, filium verò ejus Diaconum ordinari jubet.* L. 2. c. 41. Ad Clotildem matrem misere Childebertus Clotariusque Clodovæi Magni filii, qui sciscitarentur, suos ex Clodomiro filio nepotes interimi mallet, an recisa cæsarie, quæ Regiæ stirpis insigne decus erat, spe regnandi abdicari, vulgique coæquari turbæ. *Utrum incisa cæsarie, ut reliqua plebs habeantur: an certè his interfectis,* L. 3. c. 18. *&c.* Quibus illa doloris impatientia, nec sui compos, ac nihil tale suspicans, quale postea accidit, respondit: *Satius mihi si ad regnum non eriguntur, mortuos eos videre, quàm tonsos.* Nefarii fratres nepotum duorum sanguine manus cruentarunt, unus ex iis elapsus est Clodoaldus nomine, qui accisis sibimet ipse capillis, Clero cooptari voluit, Presbyterque factus splendidiorem & immarcessibilem coronam consecutus est. *Sibi propria manu capillos incidens, Clericus factus est, &c.* L. 4. c. 4. Armorici Comitis frater Clericus & ipse ordinatus, quò ad Episcopatum se protruderet Veneticum: deinde extincto Comite, capillum promittens rursus, & ejectam revocans conjugem, ad Comitatûs successionem palam aspirabat, cùm ab Episcopis excommunicatione innodatus est. *Tonsuratus & Episcopus ordinatus est,* L. 5. c. 5. 14. *&c. Apostatavit, & demissis capillis uxorem quam post Clericatum reliquerat, cum regno fratris simul accepit; sed ab Episcopis excommunicatus est.* Et infrà: *Mundericus tonsuratus, & Episcopus ordinatus est.* Et rursus: *Meroveus tonsuratus est, mutataque veste qua Clericis uti mos est, Presbyter ordinatur.* Et rursus inferiùs: *Ille in eodem loco conversus, tonsurato capite, fidelissi-* L. 8. c. 6 9. *mus Monachus nunc habetur.* Et infrà: *Badechisilus domûs Regiæ Major, tonsuratus, gradus quos Clerici sortiuntur, ascendens, &c.* Et de Principibus agens prosapia Clodovæi ortis: *Ut Regum istorum mos est,* L. 24 c. 28. *crinium flagellis per terga demissis, &c. Clotarius jussit tonderi comam capitis ejus, dicens, hunc ego non generavi.* Et alibi: *Marius Referendarius subito lateris dolore* L. 7 c. 31. *detentus, caput totondit, atque pœnitentiam accipiens, &c.* Et alibi rursum: *Nicetius Comes præceptionem à Chilperico acceperat, ut tonsuratus civitati illi Sacerdos daretur.* Et infrà: *Episcopus suscepto puero, totondit* L. 10. c. 8. *comam capitis ejus, deditque eum Archidiacono Ecclesiæ* 29. *suæ, &c.* Et inferiùs denique: *Cùm jam degeret cum memorato Antistite Aredius, tonsurato jam capite, &c. Ex familia propria tonsuratos instituit Monachos, cœnobiumque fundavit.*

III. Ex congesta illa indiscriminatim de industria testimoniorum multitudine, perspicuum est, confusam etiam & sine discrimine ullo fuisse Cleri-

corum Monachorumque Tonsuram. Iisdem enim Gregorius Turonensis verbis illam semper exprimit. Vix quippe fieri potuit, nulla ut in locis tam multis se objecerit occasio insinuandi discriminis, si quod ibi fuisset. E regia Clodovæi stirpe Principes à cæteris hominibus longa supra modum cæsaries distinguebat. Erant licèt breviori, valde tamen prolixo capillo cæteri laïci. Clerici verò Monachique attonsa & brevi erant coma, eòque pene vociferabantur abjecisse se, quæ sæculi hujus superflua essent ornamenta. Jubet Concilium Agathense longiores tantùm in junioribus Clericis resecari capillos. Quod dixi autem, & dicam rursum inferiùs de Clericorum tonsura & corona, eandem ferè fuisse atque Monachorum, mirum tibi minùs videbitur, si consideres hanc Abbatibus ab Ecclesia potestatem jam tum factam esse potuisse, ut Monachis suis Clericalem tonsuram traderent; quam illis indubium est à posterioribus Conciliis Pontificibusque indultam fuisse aut confirmatam. Verùm cùm id privilegium communicatum non esset omnibus Abbatibus, tonsuram ab Episcopis plerumque Monachi accipiebant. Denique cùm Professi Monachi Monachalem tonsuram omnes, non omnes Clericatum haberent, aliquid discriminis necesse est interponas Clericorum Monachorumque tonsuris, & Monachis inter se ipsis, quorum alii Clerici essent, alii non essent.

Sunt tamen & exempla Abbatum alia, qui tonsuram simul & Clericatum Monachis tradidere. Sic enim loquitur Gregorius Turonensis de Abbate, à quo susceptus in Monasterium est Gallus ille, sanctitate postea celeberrimus. *Tunc Abbas Clericum puerum fecit.* Plura dicam alibi in hanc rem. Unum hîc addo, idque præclarum, quod in B. Mauri vita legitur, cum puerum Florum totondit, tum deinde & à Rege & ab Optimatibus partem illi capillorum recisam fuisse. *Rex primus post eum de coma capitis ejus totondit; deinde quicumque ex Optimatibus ejus voluit.* Est & hoc aliud in Regula Aureliani, singulare cum primis & memorandum: Mitti in capsam aliquam, ubi essent sacræ Reliquiæ, detonsorum crinium partem, sive ut consecrarentur, sive ut ejus rei contemplatione à violanda sanctissimæ professionis lege avocarentur. *Si quis laicus tonsurandus est, de capillis illius in Confessionem mittatur, ut ei in testimonio sit.*

*De vitis Patr. c. 6.*

*Cap. 4.*

IV. Videndum an & in aliis Gregorii ejusdem operibus affulgeant alia ejusdem indistinctæ Clericorum Monachorumque Tonsuræ argumenta. Ubi loquitur de beati Mauritii Monasterio, ait oblatum fuisse à matre filium, ut Clericus fieret, hoc est, ut in Monachum attonderetur. *Mulier filium unicum ad Monasterium adducens, Abbati tradidit erudiendum, videlicet ut factus Clericus, sanctis manciparetur officiis. Verùm cùm jam spiritalibus esset eruditus in litteris, & cum reliquis Clericis in choro psalleret canentium, &c.* Agens alibi de Clerico, qui Capellæ præfectus erat, nunc Clericum illum vocat, nunc Monachum. *Monachus ipsius loci, &c. Festivitate ovans Clericus, &c. Ingressus promptuarium Clericus, &c.* Et alibi: *Puerulum ex familia Ecclesiæ Turonicæ humiliatis Capillis huic Monasterio cessimus.* Et infrà: *Ex consensu pari vir tonsuratus ad Clericatum, puella verò religiosum induit vestimentum.* Alio etiam in Opusculo servos à domino offertur beato Martino deinceps famulaturus, si modò tunc ad ejus tumulum à morbo convalesceret: *In illo die absolutus à mei servitii vinculo, incisis Capillis tuo servitio deligetur, &c. Tonsurato capite, & accepta libertate, ibidem Domini usibus deservivit.* Et alibi de alio quopiam: *Ad Monasterium sibi proximum humiliatis capillis, ac Presbyter ordinatus.* Et verba faciens alibi de sancto Portiano, qui quodam velut miraculo servitutis compede absolutus est à Domino, ut in Monasterium ingrederetur: *Exin beatus Portianus Clericus factus, tanto virtutis cumulo est prælatus, ut decedente Abbate ipse succederet.* Ab ipsomet Monasterii Abbate Clericus factus est, ut ex contextu sermonis liquet, utque exemplo patet beati Galli; de quo disertis verbis testificatur Gregorius idem Turonensis, ab Abbate Clericum factum tum esse, cùm Monasterio adgregaretur. *Tunc Abbas puerum Clericum facit, &c. Quem cùm Quintianus Episcopus ad idem Monasterium veniens cantantem audisset, &c.* Et alibi loquens de Patroclo Abbate: *Accessit ad Biturigiæ urbis Episcopum, petiitque comam capitis tonderi, adsciriqué se in ordinem Clericorum.* Et infrà: *Senoch Pictavi pagi quem Theiphaliam vocant, oriundus fuit, & conversus ad Dominum, Clericusque factus Monasterium sibi instituit.*

*De gloria Mar. l. 5. c. 76.*

*L. 2. c. 35.*

*De Gloria Confess. c. 22. 38.*

*De Mirac. B. Martini L. 2. c. 4. 31.*

*Vita Patr. c. 5.*

*Ibid. c. 6. 9. 15.*

V. Hæc testimoniorum strues, illud forsam persuaderet, necdum in Gallia Coronam Tonsuræ Clericali tunc temporis accessisse: nisi Gregorius idem Turonensis tabellam utriusque nobis accuratissimam delineasset, cùm natalem narrat diem beati Nicetii, qui Trevirensem postea ad Episcopatum vocatus est. Nudum enim primò sine pilis caput ejus fuit, cinctum tamen in modum diadematis tenui capillorum circulo, unde omen & præsagium Clericalis ejus futuræ professionis. *Igitur sanctus Nicetius Episcopus, ab ipso ortûs sui tempore Clericus designatus est. Nam cùm partu fuisset effusus, omne caput ejus, ut est consuetudo nascentium infantium, à capillis nudum cernebatur; in circuitu verò modicorum pilorum ordo apparuit, ut putares ab eisdem coronam Clerici fuisse signatam. Exinde à studiosissimis enutritus parentibus, litteris instituitur, Abbati cuidam in Monasterio commendatur; in quo loco ita se devotum exhibuit, ut migrante Abbate ipse succederet.* Hîc habes certissimum argumentum, sæculo sexto Clericos omnes non Tonsura solùm, sed & corona insignitos fuisse, hoc est, pilorum ordine tenui in inferiore capitis parte, quo totum caput veluti corona cingeretur; qualem modò descripsit Gregorius, & antè in Ecclesiis observavimus Hispanis & Anglicanis. Fatendum etiam est coronam eandem atque Clericorum, cum monastica Tonsura conjunctam fuisse. Apparet enim Nicetium, ubi primùm potuit, monasticæ professioni nomen dedisse, nec tamen derogasse quidquam divino futuri Clericatûs præsagio. His adde congesta superiùs exempla Clericalis tonsuræ & professionis monasticæ permixtæ & promiscuè habitæ cum Clericali.

*Ibid. c. 17.*

Longè aliter res habet in Pœnitentium Tonsura, qui cùm Clericatûs consortes nunquam fieri possent, nulla sibi spe nisi inanissima blandiri poterant de adipiscenda regalis Sacerdotii corona. Denique indiscriminatim de Clericorum Monachorumque corona loquitur idem Gregorius Turonensis, cùm Petro ejus institutionem vendicat his verbis: *Apostolus ad humilitatem docendam caput desuper tonderi instituit.* Tradit alibi Cadurcensem Episcopum excommunicationi & pœnitentiæ substratum, vetitum esse *ne capillum, neque barbam tonderet.* Vigilius quoque Papa dum Constantinopoli gravem ab Imperatrice persecutionem sustineret, comam barbámque promisit; si Legatorum Gallorum

*De gloria Mar. l. 1. c. 28*

*L. 8. hist. n. 20.*

Epistolæ fidem habeamus. Revocatus ab exilio Lupus Senonensis Archiepiscopus à Rege Clotario, stitit ei se *Caput intonsum barbamque minimè rasam habens, ob cumulandum abstinentiæ rigorem.* Baron. an. 631. n. 4. ut habet antiquus Scriptor. Regi ipsi doluit tanta tanti viri dejectio, *jussitque eum honorificè tractari, barbamque & comam tonderi.* Illud ipsum ergo, barbam capillorumque partem cædi, quod quondam ignominiæ fuerat, etsi tum lubentissimè pro Christi nomine perferretur: jam decori erat & ornamento: quo se ipsi spoliarent exules & ærumnosi, quodque rursus ambirent, cùm se pristinumque splendorem recuperaverant.

VI. Beatus Andoënus Rotomagensis Episcopus in vita beati Eligii Episcopi Noviomensis, ab ipsis usque Apostolis repetere videtur originem Tonsuræ Clericalis. Cap. 31. *Sub sæculari habitu, vel sub venerabili & Apostolica tonsione.* Auctor vitæ ipsius beati Audoëni, refert ipsum & Eligium unà Tonsos fuisse. Cap. 10. *Clerici Tonsuram accepit, uno eodemque tempore etiam Eligio comam ponente.* A primæva ætate Cæsarius ab Episcopo tonderi petiit, & monastico instituto Cap. 2. dicari; unde & in Lerone insula professus est: *Petens, ut ablatis sibi capillis, mutatoque habitu, divino ipsum Antistes servitio manciparet.* Corbinianus Frisingensis Episcopus, paulò ante mortem, peracta Cap. 30. prius re divina, *ex more abluens corpus, capillos sibi tonderi fecit, & caput & barbam radi.*

Cui contextui si ea adjungas quæ Gregorius suprà dixit de beato Nicetio materna ex alvo erepente, in hanc te forsan opinionem adducent, ut Clericos summo in vertice rasos fuisse existimes. Quasi enim ad innovandam Tonsuram coronamque suam Corbinianus, sibi jussit *caput radi. capillos tonderi*; quod mollissimè intelligitur fieri, rasa summa capitis parte, & circumtonso, non raso inferiore capillitio. Quod ita si habeat, pressior & diligentior fuerit narratio Gregorii Turonensis, cum Nicetii nascentis caput Clericorum simillima corona cingi dixit: nihil enim crinium habuit Nicetius in summo vertice, ut nec ex utero recentes pueruli: sed habuit pilorum ordinem in circuli & coronæ modum insta verticem, quod parvuli non habent. Sed hæc in conjecturis numeranda sunt.

VII. Reliquum est, ut de Roma dicam & Italia, ut deinde transeam ad Orientem. Descripsit in vita Gregorii Magni Joannes Diaconus, eam quæ Romæ servabatur Pontificis hujus pictam imaginem. Ejus hîc ea tantùm carpam, quæ ad capillum L. 4. c. 83. & barbam spectant. *Barba paterno more subfulva & modica, ita calvaster, ut in media fronte gemellos cincinnos rarusculos habeat, & dextrorsum reflexos: corona rotunda & spatiosa, capillo subnigro & decenter intorto, sub auricula medium propendente.* Ubi vides & media ex parte patentes aures, & Clericalem coronam. In Concilio Romano anni 721. anathemati subjecit Gregorius II. Clericos, qui prolixioribus Anno 721. Can. 17. essent capillis: *Si quis ex Clericis relaxaverit comam, anathema sit.* Zacharias in alio Concilio Romano Anno 743. Can. 8. anni 743. eundem innovavit Canonem. Ab hoc Pontifice tradit Anastasius Bibliothecarius in ejus vita, habitu Monastico Rachisem Longobardorum Regem indutum fuisse, & ita factum Clericum. *Acceptaque à sanctissimo Papa oratione, Clericusque effectus, Monachico indutus est habitu cum uxore & filiis.* Romæ ergo eadem erat tunc Clericalis Monachalisque tonsura. Quod autem antè diximus Theodorum Monachum Græcum, post susceptum à Vitaliano Papa Subdiaconatum, jussum esse expectare menses quatuor, ut tonsuram deinde Occidentalium & coronam accipere posset, id propterea factum est, quòd Theodorus tonsuram sive coronam more Orientalium, & totum fortè abrasum caput haberet.

VIII. Queritur Gregorius Magnus, quòd cor- L. 7. Ep. 112. ruptissimi & perditissimi homines in Gallia, *defunctis Episcopis tonsurantur, & fiunt repente ex laicis Sacerdotes.* Monet etiam alibi Monachos, *ut eos quos* L. 8. Ep. 23. *ad convertendum susceperint, priusquam biennium in conversatione compleant, nullo modo audeant tonsurare.* Virum uxori sine cujus consensu religionem professus erat, *etiamsi tonsuratus esset*, reddi scribit oportere. L. 9. Ep. 44. Hîc tonsurantur indiscriminatim Monachi, Clericique. Non facile est autem expedire, quos alibi dicat L. 9. Ep. 47. in Sicilia *Tonsuratores*. quibus & illud prohibet, ne nomen sibi sumant vel officium Defensoris. Nisi fortè illos intelligas, de quibus ad Petrum Subdiaconum, cui Romanæ patrimonium Ecclesiæ in Sicilia concrediderat, ita scribit: *Si verò de laicis* L. 12. Ep. 30. *Deum timentibus inveneris, ut tonsurari debeant, & Actionarii sub Rectore fieri, omnino patienter fero.* Quem Rectorem hic vocat, is erat potissimum, cui commissum Romanæ Ecclesiæ in Sicilia Patrimonium totum. Romana & hæc erat Ecclesia in Sicilia, Romani Clerici, qui patrimonium illud administrabant, cùm res Ecclesiæ Romanæ tunc per Clericos tantùm regerentur. Ergo & hos tonderi, vel tonsurari opus erat. Nec me fugit visos esse nonnullis Tonsuratores præfici violentis quibusdam exactionibus. Sed ea res à meo hîc instituto aliena prorsus. De ea ergo plura non dicam.

Satius illud est observari, laicorum tonsuram, qui in ministerio & ex familia erant Ecclesiæ, argumentum fuisse majoris in eos dominii, & strictioris eorum erga Ecclesiam subjectionis. Refert Anastasius Bibliothecarius Constantinum Pogonatum ad Benedictum II. Papam misisse duorum ex filiis suis *mallones capillorum*: ut hoc sui erga Romanam Ecclesiam amoris & studii pretiosissimum pignus esset. Ex Paulo etiam Diacono, ubi de Luitprando Longobardorum Rege illi sermo est: *Carolus Princeps Francorum Pipinum filium suum ad Luit-* Baron. an. 684. n. 7. *prandum direxit, ut ejus juxta morem capillum susciperet. Qui ejus cæsariem incidens, ei pater effectus est, multisque eum ditatum regiis muneribus, genitori remisit.* Quod dicit *juxta morem*, significat in more frequenti tunc fuisse, ut incisa cæsarie filios adoptandos darent. Hac ergo forsan ratione in Sicilia laïci per tonsuram addicebantur Ecclesiæ. Cujus inter laïcos fideles consuetudinis origo, alia fortè non fuit, quàm imitatio tonsuræ Clericalis, qua Clerici attondenti eos Episcopo mancipantur. Potuit fortasse etiam manare ex consuetudine aliqua apud Gentiles non multùm dissimili. Cùm Ecclesiæ Romanæ, referente eodem Anastasio Bibliothecario, sub Adriano I. subjecere se Spoletini & Reatini, *omnes more Romanorum tonsurati sunt.* Quod ita Ciaconius interpretatur: *Perpetuam Romanæ Ecclesiæ fidem & obsequium juraverunt, deposito capillo & barba, quod apud eam gentem deditionis vera maximum signum erat.*

IX. Haud scio an exteriorem coronam, tanquam Regni insigne, significatam voluerit Ennodius, cum ad Symmachum ita scribit: *Dum Sedem* L. 5. Ep. 12. *Apostolicam corona vestra cura moderatur, & cælestis Imperii apicem regitis.* Gregorio Turonensi visum est. Petrum Apostolum coronæ Clericalis, ut ipse quidem putat, institutorem ad commendandam

potiùs humilitatem spectasse, quàm ad ostentandum Sacerdotale regnum: [*De gloria Martyr. l. 1. c. 28.*] *Petrus Apostolus ad humilitatem docendam, caput desuper tonderi instituit, qui Romæ Cathedram locavit.* [*Epist. 77*] Advertit Cyprianus persecutores ea pœna velut contumeliosissima sperasse deturpari posse Martyres Christi, si informiter eorum capita tonderent aut raderent: cùm ipsi ex adverso ex hac ipsa contumelia gloriam colligerent: *Caput semitonsum detestabilis & tetra deformitas apud Gentiles.* Hinc illud inter ea quæ stultissimè & maliriosè fecit Caius Imperator: *Pulcros & comatos,* [*Cap. 35.*] *quoties sibi occurrerent, occipitio raso deturpabat.* Domitianus Imperator, referente Philostrato, ut Apollonium Tyanensem ridendum propinaret, barbam illius jussit & capillum tonderi. Porro si ejus antiquitatis corona Clericalis est, cujus eam esse nonnulli volunt, vel similius profectò est ab humiliationis amore duxisse initium, & ab improperii Christi, ut Paulus loquitur, æmulatione, earumque rerum odio sanctissimo, quæ hujus sæculi luxum & superbiam fovent.

X. At ea de re dubitari ferè non potest, quin primis saltem sæculis caput omnino non raserint. [*Cap. 37. n. 6*] Id perspicuè nos suprà docuit Hieronymus in suis ad Ezechielem Commentariis, quem & Gregorius Magnus secutus est in Pastorali, verbis prope iisdem usus: [*Pars. 2. c. 7.*] *Sacerdotes rectè caput prohibentur radere, & comam nutrire. Capilli in capite Sacerdotis & servantur, ut cutem cooperiant, & resecantur, ne oculos claudant.*

XI. In Oriente non minori religione gestabatur Clericalis corona. [*Can. 21.*] Id largitur Trullana Synodus Clericis, quos sua sacro gradu ejecerunt flagitia, ut pergant coronam gerere Clericorum, dummodo resipiscentiæ fervor & pœnitudo sincera id præstet, ut ne hoc sanctitatis & dignitatis eximiæ insigne dedecorent. Alioqui jubet illos laïcorum more capillos promittere, cùm terrenas sordes cælesti [*Can. 21.*] anteponant dignitati. *Siquidem ad conversionem sua sponte respicientes, peccatum deflent, propter quod à gratia exciderant, & ab eo se penitus alienos efficiunt, Clerici habitu tondeantur* τῷ τῆς κλήρου κουρᾶς σχήματι; *sin autem non sua sponte hoc elegerint, comam sicut laïci nutriant, utpote qui mundanam conversationem vitæ cælesti prætulerint.* Unde intelligere est tonsuram Clericalem cum eximia quadam vitæ sanctimonia conjungi oportere. Hæc enim rerum superfluarum amputatio cælestis cujúsdam vitæ professio est: τῆς οὐρανοῦ ζωῆς.

XII. Damnavit hæc eadem Synodus inconditam Armenorum disciplinam, qui Cantorum Lectorumque munera obiri curabant ab iis qui nondum [*Cap. 32.*] detonsi essent: *Etiam non tonsos, sacros Cantores, & divinæ legis Lectores constitui.* Jussit autem deinceps eis primùm Tonsuram conferri, cum benedictione Episcopali: *Nisi sacerdotali tonsura usus fuerit.* ἱερατικῇ κουρᾷ. *& benedictionem à suo Pastore canonicè susceperit.*

XIII. Eutychius ille fama celeberrimus, qui Patriarcha deinde fuit Constantinopolitanus, ordine Lectorum cum demum auctus fuit, cùm detonsus fuisset. Scriptor ejus vitæ illud scitè advertit, munus Lectorum ab ipso Christo consecratum fuisse, cum librum Legis in Synagoga ipse legit. *Pri-* [*Surius die 6. April. c. 10.*] *mum spiritalem Lectoris gratiam accepit, quam Dominus sanctificavit. Accepto enim libro legit, & cùm illum plicuisset, ministro reddidit. Nec illud prætermittendum est, quod primùm capillos in sacra æde deposuit.* Quibus verbis, ut & superiori Canone innui videtur, sine Lectoris, aut quolibet alio inferiori Ordine tonsuram dari non solere. Erat enim curæ sanctissima illa lex, ut ne quis unquam ordinaretur, nisi unà certæ addiceretur Ecclesiæ, aut Monasterio, ubi sacro Ordinum fungeretur officio. Officium autem nullum, nullam sibi Tonsura functionem adjunctam habebat. Porro de necessaria illa Tonsuræ cum Ordine aliquo connexione dubitare nos non sinit Justinianus Imperator, ubi de iis qui Ecclesias aut Beneficia fundarunt, ita censet, adsignatos ab illis fuisse indubitanter agros, redditúsve sufficientes, quibus sustentari queant Presbyteri aliique Ministri sacri, quos omnes enumerat: *Etiam cogitaverunt, ut expensas sufficientes darent, quantos quidem competens esset Presbyteros per unamquamque Ecclesiam, quantos Diaconos, masculos & fœminas, quantos Subdiaconos, & rursus Cantores, atque Lectores, & Ostiarios constitui.* [*Novella 3.*] Qui idem ipse Imperator præfiniens numerum Ministrorum Ecclesiæ Constantinopolitanæ, illos eosdem enumerat omnes, at nullum prorsus Tonsura sola Clericum, nullo præterea Ordine aut officio nobilitatum. Quod rursum liquet ex Authentica Codici addita: *Presbyteros & Diaconos & Subdiaconos, Cantores & Lectores, quos omnes Clericos appellamus, &c.* [*Cod. lib. 1. Leg. 33.*]

XIV. Germanus Constantinopolitanus Patriarcha, cujus insignis & invicta fuit adversùs Iconoclastas Imperatores constantia, ea scriptis consignavit omnia, quæ de tonsura & corona Clericali mediæ hujus ætatis Græci egregiè & Romanis moribus ritibusque convenienter sensere. Hîc enim primùm clarior nobis & expressior fieri incipit mentio, non tonsuræ solùm, verùm etiam & coronæ: quæ ut Regiæ in Sacerdotibus dignitatis signum est: ita perfectæ rerum terrenarum omnium abdicationis, summæque similitudinis cum Christo, cui spinæ, opprobria, contumeliæ, tormenta pro corona fuere. Scio id opus Germano alteri Patriarchæ Constantinopolitano, qui ineunte sæculo XII. florebat, à nonnullis tribui. Verùm ea in re communiorem malui sequi sententiam, cùm nostrâ non ita valde intersit, utro ille vixerit tempore. Quæ hic porro ex Germano proferam, ea mihi non parum convenire videntur cum iis, quæ eodem tempore Beda Scriptoresque alii ejus sæculi vulgò sentiebant. Ut non immerito huic potiùs medio ævo hunc Germanum vendicem. Hæc ergo sunt ejus verba: *Tonsura capitis Sacerdotis, & rotunda ejus pilorum sectio, vice corona est spinea, quam Christus gestavit. Duplex corona circumposita capiti Sacerdotis ex capillorum significatione imaginem refert venerandi capitis Apostoli Petri. Qua cùm missus esset ad prædicationem Domini & Magistri, ei tonsa est ab iis qui ejus sermones non credebant, ut illuderetur ab ipsis: eique Magister Christus benedixit, & infamiam in honorem, illusionem in gloriam convertit, & posuit super caput ejus coronam, non ex lapidibus pretiosis, sed lapide & petra fidei effulgescentem super aurum & lapides pretiosos. Vertex enim, ornatus & corona duodecim lapillorum Apostoli sunt: Petra verò sanctissimus Apostolus est, primus Hierarcharum Christi.* [*In Theoria mystica. Bibl. Patr. Tom. 2. pag. 379.*]

XV. Ubi vides per Occidentem & Orientem unam prorsus eandemque invaluisse doctrinam, eo fultam Hieronymi axiomate longè pulcherrimo: Id omne Apostolicum esse, quod in moribus Ecclesiæ & traditionibus antiquissimis est, quia penes Ecclesiam authoritas Apostolica perpetua & inconcussa semper residet. Quàm exploratum est enim omnibus antiquitatis Ecclesiasticæ peritis, crinium modestam brevitatem jam inde ab Ecclesiæ exortu

commodatissimam fuisse; tam certum illis est, quatuor quinquéve prioribus sæculis nullum fuisse usum Clericalis hujus capillorum coronæ. Dixi sanctissimos Monachos, ut admirationem à se hominum averterent, difformem in modum crines barbamque rasisse, ut ludibrio potiùs haberi possent. At his ipsis quæ ludibrio esse debuerant, rursus admirationem & reverentiam virtus & sanctitatis fama conciliavit. Cùm postea verò sanctissimi illi viri ad summas Ecclesiæ dignitates vocati essent, ita statuerunt, à primis professionis suæ moribus discedendum sibi non esse. Qui erant inter Clericos perfectionis amantiores, ad eorum protinus exemplum sese accommodavere, eorumque certatim & tonsuram accepere & habitum, ut ex contemptu hominum ipsi quoque veræ aliquid gloriæ aucuparentur. Denique Christo & Apostolis se similimos esse concupierunt, qui illusi ab hominibus, in gloriosa hujusmodi ignominia honorem deinceps verissimum & æterna præmia collocarunt. Paulinus suprà adumbravit informem illam Monasticæ tonsuræ formam. Ab ea delineatione non recessit Salvianus: *Monachus recisis comarum fluentium jubis ad cutem tonsus.* (L. 8 de Providentia.) Quam Angli Simoni tribuebant, & fatebantur tamen teste Beda à sanctissimis plerisque in Anglia Monachis Clericisque gestatam esse: ad eam non parum accedit, quam animo informant verba Paulini. Fieri autem potuit, ut quæ corona olim carnalibus indecora & turpis erat oculis, summo apud omnes postea in honore fuerit, quia & ei assuevere homines, & ad fidem penè omnes venere. Hinc facilè sancti Patres animum adduxerunt, ut illam retinerent, æternumque vellent esse monumentum ejus amoris, quo Clerici erga Christi crucem & opprobria affici debent Quo sensu verissima est spineæ Christi coronæ figura, & ejus opprobrii, quod cum aliis & suprà alios Petrus passus est pro Christo. Et hæc quidem satis, ut approbentur, ut suæ reddantur origini, ut & sibi mutuò & ipsi Historicorum fidei concilientur ea, quæ hac de re sexto, septimo & octavo sæculo dicta sunt ab Anglis, Gallis, Hispanis & Græcis.

(Cal. Hierar. c. 5.) XVI. Egit de Tonsura Monachorum Dionysius, & eas mysticas rationes attulit, quæ ad abdicationem attineant cujuslibet qua illa dimur, rei sæcularis. Verùm de illa cum spinea Christi corona, & optabili Petri contumelia conformatione nullum fecit verbum. Quæ certè ab illo prætermissa non essent, si quæ hodie ea de re sentimus vulgò, iis jam temporibus familiaria esse, & apud homines aliquantum valere cœpissent. Nec illius pilorum circuli meminit, quo instar diadematis caput cingitur. Verùm id solum dicit, tonderi in modum crucis capillos ab Episcopo cum invocatione Trinitatis. *Sacerdos cum signo crucis consignans tondet, tres Personas divina Beatitudinis invocando.* De Tonsura sola loquitur, ut facilè conjicias novaculam, quod jam docuit Hieronymus, in usu non fuisse. Cœpere ergo in Occidente paulò serius Monachi capita radere, & Monachorum imitatione Clerici, relicto inferiùs modico circulo capillorum: & ex Occidente serpsit deinde ea consuetudo in Orientem, ubi radi nunquam antea capillos legas, sed sine corona tonderi. Imperatoris Anthemii filius Martinus cùm rebellasset in Zenonem Imperatorem, proditus à suis, tonso capite, κόμην ἀποκείρας, inquit Evagrius Presbyter ordinatus est. (L. 3. c. 26.) De Heraclio Imperatore, ubi illius expingunt formam Glychas & Cedrenus, hæc habent: *Fuit fulvo crine, barba lata atque prolixa. Sed Imperator factus, extemplo comam totondit, ac mentum rasit, qui est Imperatorum habitus.* (Baron. an. 610. n. 5.) Finitimum vero est Imperatores Græcos secutos esse antecessorum exemplum, qui in Occidente Romanorum Imperatores fuerant. Si Græci autem tum Imperatores ejusmodi erant, insulsissima fuit illa Græcorum sequentis ævi in Latinos debacchatio, quòd barbas raderent, ut infrà dicemus. Chronicum Alexandrinum de Justiniano agens, rasa illum barba fuisse confirmat, qui mos erat Romanorum; *Justinianus erat mento rasus, ritu Romanorum.* Constantino Pogonato id fecit nomen, quòd barbam promisisset.

## CAPUT XL. *P. 3. l. 1. c. 21.*

### De Tonsura & Corona Clericorum Imperante Carolo Magno, & Regia ejus prosapia.

*I. Tonsuram gestabant Clerici Monachique, hoc est, brevissima erant coma in orbe Christiano universo.*
*II. Monastica tonsura quandoque Clericalis in loco erat.*
*III. Raserunt etiam quandoque Monachi capita in Oriente, quandoque forsan & Clerici*
*IV. Clerici Latini summum duntaxat verticem radebant, ut species hac esset Tiara Sacerdotalis, & Regii diadematis.*
*V. Cur barbam raderent.*
*VI. De eodem rursum. Praxis Gracorum. Liberi sunt hi ritus.*
*VII Alia & alia Tonsura genera Laicorum, Monachorum, Clericorum*
*VIII. Post Concilium VII. Oecumenicum jam non potuit Monastica Tonsura haberi pro Clericali.*
*IX. Probatur variis argumentis, in Oriente tunc fuisse Clericos sola Tonsura donatos, nullo Ordine.*
*X. Probatur & in Occidente fuisse.*
*XI. Voces Graca elucidantur, quibus designatur Tonsura.*

I. CUm Carisiaci in Gallia ageret Stephanus II. Papa, anathema intorsit in Monachos Clericosque, qui comam promitterent. (Conc. Gall. To. 2. p. 17. Can. 18.) *Ut nullus Clericus, vel Monachus comam laxare præsumat, aut anathema sit* Non aliud ergo Clerici, Monachique, quàm attonsis breviusque erant capillis. Quod patet etiam ex Concilio Moguntino anni 813. (Ann. 813.) *Ut sive in Canonicis sive in Monachico ordine nullus tondeatur, sine legitima ætate.* Clericus quilibet ejus Episcopi Diœcesianus erat, qui ei crinem totonderat, *Nostra in Parœcia instructus & detonsus.* (Can. 23. Conc. Gall. To. 2. pag. 666. 667.)

Eadem Tonsuræ forma in Oriente usitatissima erat. Unde & Nicolaus Papa I. retundens criminationes Græcorum in Latinos, illos vicissim repungit, objurgatque, quòd & ipsi laicum quandoque hominem repente attonderent, & confestim Patriarchali sedi intruderent: *Ex laico subito tonsuratum ac Monachum factum, ad Episcopatùs apicem provehunt.* (Epist. 70.) Hæc verò Tonsura quæ Græcis Monachis Clericisque in usu erat, longè dissidebat ab ea laicorum Tonsura, de qua Adrianus Papa I. ad Carolum Magnum; ubi narrat Arichisem Beneventanum Ducem tuitioni Imperatoris Constantinopolitani se commendasse, ac spopondisse Græcorum mores se vestitumque & capillorum formam secuturum. *Promittens se sub Imperatoris ditione futurum, & Græcorum vestium, atque Tonsura usurum.* (Ibid. p. 202.) Erat & Longobardis eorumque subditis forma peculiaris gestandæ comæ. Unde & cum restituerunt sese ditioni & obsequio Adriani I. tonsuram protinus Romanorum propriam subiere. *In fide Pontificis jurantes, more Romanorum tonsurati sunt, &c. Post præ-*

*stitum Sacramentum omnes more Romanorum tonsurati sunt.* Prolixissimam & sine modo cæsariem alebant Longobardi, Romani non ita prolixam, Clerici denique brevissimam gestabant.

II. Ex his testimoniis illud quoque emergit: Clericorum Monachorumque Tonsuram eandem prorsus fuisse. Unde & cùm quis monasticam vitam amplexabatur, quæ Monachum Tonsura faciebat, eadem & Clericatui congruebat. Carolomannum Principem narrat Anastasius Bibliothecarius Clero ascriptum fuisse Romæ à Zacharia Papa, atque in Monasterium statim secessisse, ubi professus est, dum vita superesset, monasticis inhærere institutis. *Atque in speciali habitu se fore respondens permansurum, Clericatûs jugum à Pontifice suscepit, &c. Professus est in Monasterium, in quo & finire vitam jure professus est jurando.* Rachis Longobardorum Rex ab eodem Pontifice Monasticum unà habitum Clericatumque suscepit: *Accepta à sanctissimo Papa oratione, Clericusque effectus, Monachico indutus est habitu.* Stephanus IV. Papa in ipso juventæ flore Clericus Monachusque eodem tempore factus fuerat Romæ in Monasterio sancti Chrysogoni. *In Monasterio sancti Chrysogoni Clericus atque Monachus est effectus.*

Cùm possent enim Abbates, qui Presbyteratu & Episcopali benedictione donati fuerant, Lectores ordinare in Monasteriis suis: poterant haud dubio Tonsuram Clericalem conferre iis, quos ad monasticam admittebant professionem. At cùm Monachi prorsus omnes monastica donarentur Tonsura, nec tamen omnes Lectoris officio & ordine decorarentur: post Concilium saltem Oecumenicum VII. non possumus non intelligere coronam quandam, sive Tonsuram quandam Clericalem inter Monachos ipsos, à monastica discrepantem.

III. Nec inficiabor eò tandem devenisse Monachos complurimos in Occidente, ut comam perinde raderent, ut barbam. Conventus Generalis Abbatum sub Ludovico Pio, dies præfixit, quibus Monachi raderentur. *Vt in Quadragesima nisi in* Capit. Car. M. Addit. L. 1. c. 6. *Sabbatho sancto non radantur; in alio autem tempore semel per quindecim dies radantur, & in octavis Paschæ.* Istam tamen Monasticam Tonsuram Regino cum Clericali miscet, in unumque conflat: *Clericus quem progenitores tradiderunt Monasterio, & in* In Append. 2. c. 37. *Ecclesia legit, nec uxorem ducere, nec Monasterium deserere poterit. Sed si discesserit, reducatur. Si Tonsuram dimiserit, rursum tondeatur.* Eadem Hincmari Remensis sententia, cùm de Pœnitentia disserit Tom. 2. pag. 831. Pipini Principis. *Reconciliatus Tonsuram Clericalem accipiat, & habitum Monasticum recipiat.*

Posset etiam non immerito videri Clericos Græcos capita sua omnino abrasisse, cùm Latini apicem tantùm raderent, reliquumque sinerent capillis vestiri, ut aperto capite Sacris operari possent, nec cogerentur illud panno operire, quod Græci factitabant, ut rasum caput à frigore tuerentur. Id colligi posse videtur ex Ratramni Monachi responsione ad Objecta Græcorum: L. 4. c. 3. *Hinc igitur considerent Clerici, qui barbas quidem nutrientes, at verò caput penitus capillis omni ex parte nudant, vel vim frigoris vel caloris ferre non valentes, vel potiùs hujusmodi deturpationem habitus, utcumque celare volentes, capita veste cooperiunt, an contra præceptum Apostolicum venire comprobentur. Siquidem negare non possunt, contra sententiam Pauli se facere, dicentis, Omnis vir orans velato capite, deturpat caput suum.*

IV. Latinos verò testificatur idem Ratramnus, barbam quidem rasisse, at capillos decurtasse tantùm, summo vertice raso, reliquâ coma modestè accisa in modum coronæ, ad Regium Christi sacerdotium obumbrandum quo induuntur Clerici, eo capillorum gyro: Tiaram autem Pontificiam exhibendam parte verticis rasa. En ejus verba: *Hunc morem sequentes Clerici Romanorum, sive cunctarum ferè per Occidentem Ecclesiarum, barbas radunt & capita tondent, accipientes formam, tam ab eis qui in veteri Testamento Nazaræi dicebantur, quàm ab eis qui in novo Testamento talia fecisse leguntur. Sed non penitus capillis capita nudant, verùm pro parte, significantes tali schismate, tam regale decus, quàm insigne sacerdotale. Siquidem Regibus decus est proprium coronas capite ferre. Pontifices autem in templo tiaras capite portabant. Et tiara quidem hemisphærii gerit similitudinem, corona verò circuli gerens figuram, caput assolet ambire. Loquitur Petrus, Vos autem genus electum, Regale sacerdotium. Quod significare volentes Clerici Romanorum, sive Latinorum, in verticis nudatione, Tiara similitudinem figurant, per quam sacerdotale decus insinuant. Porro reliqua pars capillorum caput ambiens, neque tamen verticem contingens, speciem coronæ repræsentat, qua regalis dignitas ostentatur. Sic utraque hac specie regale sacerdotium designatur.* Subjungit denique Ratramnus, id historicis constare monumentis, plures ex Apostolis Discipulisque barba fuisse rasa: sed & ipsas ejusdem rei testificatrices esse Petri imagines, ubi barba semper rasa spectatur.

V. Illud verò potissimum in eo scriptore observari par est, quòd secernatur semper summus capitis vertex sine pilis ullis, ad Tiaram Pontificiam designandam, quæ formam habebat sphæræ dimidiæ: & reliquum caput imum, circulo, vel corona capillorum cinctum, quo ita tegebatur caput, ut à frigore tutum esset, & quo diadema Regium designabatur. Id omnino mendicatum est ex Isidoro Hispalensi, qui suprà laudatus à nobis est, & cujus verba ipsa exscripsit Æneas Parisiensis Episcopus, cùm calumnias Græcorum luculentè refelleret. Subdit porro ibidem Æneas, si Clerici Occidentales barbam radant, præter mysticas rationes ab amputatione necessaria superfluarum sæculi delitiarum petitas, dici posse id fieri amore non illaudato decentissimæ munditiei, quæ modestiæ Clericorum comes esse debet. *Ob munditiam utique hoc agunt, quam expressius Ecclesiasticum expetit & deposcit ministerium, &c. Munditia Ministrorum Christi pro radendis barbis, inlicita resecando, debet præstantiùs splendescere in operibus bonis, & omnimodis carere sordibus mentis simul & corporis.* Ineptissimam denique Græcorum accusationem repercutit Æneas, crimenque transfert in adversarios, ex eo quòd Græci cæsariem impunè luxuriari sinant, cui licentiæ refragatur Apostolus. De laïcis, puto, sermo est. Nec enim tum Græcorum Clerici eam sibi licentiam prolixioris comæ usurpaverant.

VI. Diximus jam non recedere à veri similitudine, siquis dixerit Laïcos umbram aliquam æmulatos esse Tonsuræ Clericalis, cum filios impuberes mittebant ad Magnates aliquos, qui eorum capillitii primitias demeterent, fierentque patres eorum spiritales. Paulus Diaconus jam docuit nos, Hist. Long. L. 5. c. 53. missum esse à Carolo Martello filium Pipinum ad Luitprandum Regem Longobardorum, qui cæsa ejus coma filium sibi illum adoptavit, vicissimque Pater illi ipse effectus est. *Vt ejus juxta morem ca-* Du Chesne. To. 2. pag. 223. *pillum susciperet. Qui ejus cæsariem incidens, ei pater effectus est.* Vetus Chronicum expressè tradit Patrem spiritalem Pipini factum esse Luitprandum:

*Vt ei juxta morem ex capillis* [illegible]*, & fieret ei Pater spiritalis. Quod & fecit.* Qui prolixam Carolo Magno barbam appingunt, nequaquam authorem aut ducem habent Eginardum, qui de ea re semper siluit, uti & siluere historici cæteri: & nequidem imagines veteres ejus iconasque metallicas consuluêre, quæ nunquam barbatum exhibent. Sanctus Adalbertus Episcopus & Martyr, ut Barbatos lucrifaceret, & conciliaret sibi ipsa etiam vestium & capillorum imitatione, hortabatur, ut habet Scriptor vitæ ejus: *Vestimenta mutemus, Clericam æqualem pendentibus capillis crescere sinamus, tonsa barba comas prodire non prohibeamus, &c.* Ex adverso Rabanus Maurus de Diacono Apostata agens, barbatum statim illum demonstrat. *Quotidie in Synagogis Satanæ barbatus, & conjugatus.* Author est Paulus Diaconus Longobardorum nomen adscitum esse à barbæ prolixitate enormi, ut quam attonderent nunquam, cæsariem antè promittentes, retro autem incidentes prorsus. Quo spectat & illud jam suprà delibatum, ex Adriani I. Epistola ad Carolum Magnum; Arichisem Longobardorum Regem in studia & partes efficientem Constantinopolitani Imperatoris, spopondisse Græcorum se mores in tonsura & vestibus secuturum: duosque ad eum ab Imperatore missos Legatos, qui Græci usûs vestes ei adtulere, ensem, pectinemque & forcipes.

Surius die 23 April. c. 25

Lib. in de c. 42.

L. 1. c. 7

Epist. 88.

Græcus Scriptor vitæ illustrissimi Martyris Stephani Junioris, ultra æqui limites evectus ipse est, cùm inveheretur in Constantini Copronymi insanam audaciam, qui aulicos suos omnes radi jusserat, in sugillationem Monachorum prolixioris barbæ. In eo contendebat Scriptor iste viri factam fuisse legibus naturæ, & Scripturis sacris injustam contumeliam. Consultiùs utique fecisset, si cum Ratramno professus esset, hujusmodi consuetudinum versatilem & liberum usum; & hujus ipsius mutabilitatis liberæque in utramque partem disciplinæ utilitatem non modicam, ut tantò altiùs infigatur animo rerum indifferentium & arbitrariarum discrepantia ab æternis & immutabilibus fidei virtutumque regulis. En Ratramni verba: *Quid enim refert ad justitiæ non tantùm perfectionem, verùm etiam inchoationem, barbæ detonsio, vel conservatio?*

Surius die 28 Nov. c. 26.

Ratram L. 4. c. 5

VII. Græcorum mores illustrare pergimus, & illum ipsum eorum usum, ut parentes ipsi tenellos liberos suos attonderent, unàque Ecclesiæ dedicarent addicerentque, officiis humilioribus & ætati suæ consentientibus inservituros. Argumentum sumes ab insigni Confessore Niceta: *Cùm illum Pater totondisset, ut Anna Samuëlem, Deo ipse eum dicavit, & omnino adduxit, ut æditui locum interea teneret.* Pluribus in locis Balsamon detestatur eorum consuetudinem, qui exercendo Lectorum Officio admovebant eos, quos Monachalis tantùm Tonsura insigniret; sententiæque suæ præsidium arcessit à Mandato Concilii Constantinopolitani sub Nicolao Patriarcha, convenienter Canoni Trullano, itemque Canoni Synodi VII. Generalis. Fatetur tamen ille nihilo secius multis adhuc in Ecclesiis contrariam & doctrinam valere, & consuetudinem. *Sed & Monachos qui non habent Episcopales coronas*, [Greek] *sed Monachicam tonsuram*, [Greek]*, dicunt nonnulli posse in suggestu legere Apostolum, & reliqua quemadmodum & Clerici, tanquam Monachalis tonsura utique sufficiat pro tonsura Clericali. Mihi autem videtur, &c.* Et alibi: *Nota hæc propter Monachos, qui Episcopalem tonsuram non suscepere, & in suggestu inordinatè legunt, &c.*

Surius die 2. April.

Balsam. pag. 32. 127. 128.

In Can. Trull. 33

In Can. Laodic. 15.

Necdum etiam ab Ecclesia exoleverat mos, ut in Ecclesia Scripturas sacras lectitarent adolescentuli, qui nigras vestes, quæ Clericorum propriæ erant, & tonsionem accéperant illi quidem, sed à parentibus suis tantùm: *Quoniam, inquiunt Patres, videmus nonnullos à pueritia nigris vestibus indutos, tanquam Deo consecratos, tonsuraque accepta, non per sui Episcopi manuum impositionem, audentes postquam ad ætatem pervenerint, divinas Scripturas in suggestu legere, &c.* Hæc de pueris, Monachisque.

In Can 14. Synodi VII.

VIII. Nemo potest ire inficias, quin jure optimo niterentur Episcopi; cùm his Monachorum consiliis renitebantur, aut si velis etiam diuturnæ possessioni: magnumque interponerent discrimen tonsuram inter Clericalem & Monasticam. Quippe magno semper intervallo discrevit Ecclesia tres Ordines istos, sanctitate eximios, dignitate dispares, Sacerdotium, Clericatum & Monasticum institutum: ἱερατικὸς, κληρικὸς, ἀσκητὸς, ut loquitur Trullana Synodus. Hunc Canonem exponens Balsamon ait: Sacerdotes esse qui in Bemate, seu sacrario ministerio suo funguntur, & qui inaugurantur per impositionem manuum Episcopi, cujusmodi sunt Episcopi, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi. Clericos esse qui partes suas agunt in Ecclesia extra Sacrarium, ubi Lectores, Ostiarii & alii. Monachos esse denique, qui tonsuram Monasticam accepere. Qui enim tonsuram ab Episcopo suscepere Monachi, eos Clericos appellari. Verba Balsamonis ita habent: *Canon facit differentiam inter sacris initiatos, Clericos & Ascetas. Sacrati sunt, qui in sacro Tribunali, qui & manuum impositione ordinantur, Episcopi scilicet, Sacerdotes, Diaconi, & Hypodiaconi. Clerici sunt, qui extra sacrum Tribunal in templis deserviunt, ut Lectores, Ostiarii & alii. Asceta autem, Monachi qui Episcopalem caracterem non accepere, sed solùm tonsuram Monachalem. Monachi enim qui Episcopalem tonsuram accepere, dicuntur Clerici.*

In Can. 77.

οἱ τῷ βήματι.

Ita se res habebant ævo medio & deinceps. At IV. & V. sæculo, cum detonsio Clericorum insigne tantùm erat modestiæ, nec ab Episcopis illa semper fiebat: ne vix quidem poterat exigi à Monachis, qui tonsi erant aliquantò pressiùs, breviorique capillo, quàm Monachi, ut Monasticæ tonsuræ adderent Clericalem. Certè tum temporis non sola tonsura pandebatur aditus in Clerum, sed quocumque Ordine minore. Æquitati ergo & rationi consentaneum omnino fuit, ut medio hoc ævo, quo cœpit sola tonsura Clericalis sine ullo minore Ordine patefacere januas Clericatûs, ea Episcopis unis vendicata fuerit, qui eam deinceps soli conferunt, quique in VII. Synodo copiam fecere Abbatibus, ut ea Monachos suos initiarent. Non æquissimum enim tantùm, sed & necessarium quoque est, ut penes Episcopos Christi Vicarios tantùm sit potestas vocandi ad Sacerdotium & ad Sacerdotii initiationes qualescumque, & ab eo rursus expungendi.

XI. Quòd verò medio hoc ævo cœperint Clerici esse sola Tonsura freti, nulloque præterea Ordine minore, suppetunt ingentis, ut spero, ponderis documenta. Sejungit Balsamon Clericatum à Lectorum ordine. *Qui Tonsuræ signaculum acceperunt, & postea in Lectorum ordine constituti sunt, &c.* Et alibi: *Nota quòd simul acceperunt aliqui tonsuræ characterem à manu Antistitis, eos pro Clericis habet Canon. Audivi enim nonnullos dicentes non esse Lectorem, nec dici Clericum, qui non sit in templi Clerum relatus, sed solam habeat tonsuram.* Eadem alibi iisdem verbis

In Can. 62 Apostol.

In Can. 33 Trull.

In Can. 14 Synodi VII. inculcat, additque ex quo tonsuram quis accepit ab Episcopo, legere eum posse Scripturas in Ecclesia. Atque ita dici posset Tonsuram & Lectoratum conferri simul solere: *Apertè ostenditur quod quando* χειροθετεῖσθαι [illegible] *quis tonsura manuum impositionem susceperit ab Antistite, is est protinus Clericus; ut cui etiam in suggestu legere sit permissum.*

At ibidem subjicit Balsamon aliam Clericorum Ordinis expertium classem; eorum nimirum qui Clericali veste ab Episcopo induebantur, nec attondebantur tamen. Contendit enim ea veste semel indutum, à Clericatu resilire deinceps neminem potuisse. Itaque sola vestis istiusmodi demutatione, sine ordine, sine tonsura, contendit ille & Clericos factos esse, & irrevocabili necessitate Ecclesiastico ordini devinctos. Ibidem. *Mihi autem videtur, quod qui etiam nigris simpliciter vestibus fuerit indutus ab Episcopo, ut Clericus fieret, amictum amplius mutare non potest, ut qui Deo consecrari proposuerit, & ideo nec suam Deo pollicitationem rescindere, nec sanctum habitum ludificari.*

Disserit alibi de iis qui Tonsuram quidem percepissent, at in Ecclesia legissent nunquam, quos ea ratione aliqui Clero ejiciendos clamitabant, quòd Lectorum munere functi nunquam, ac ne semel quidem essent. In Can. Cartha. 93. Clementiùs cum illis agit Balsamon, eosque verè accenset Clero; quin & legisse eos etiam confirmat, quantum satis est, quando attonsi fuerunt, lecta Epistola Pauli ad Timotheum, *Fili Timothee, sobrius esto in omnibus, &c.*

Venio ad probationem aliam prorsus ineluctabilem. In Can. 51. Basil. Distinguit idem Balsamon Clericos majores, qui eminentiùs sedebant, ἐν βαθμῷ, *in gradu*, & quibus Episcopus imponebat manus in ipsorum ordinatione, cujusmodi erant Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi: & Clericos inferiores, qui sine manûs impositione ordinabantur, ἐν ἀχειροτονήτῳ ὑπηρεσίᾳ, quippe de manu Episcopi sigillum tantùm crucis impressione ab Episcopo accipiebant, διὰ μόνης σφραγῖδος; quales erant Lectores, Cantores, Ostiarii. Sed præter has duas classes, quibus limina Cleri pandebat manûs impositio, vel sigilli crucis impressio & benedictio Episcopalis; χειροτονία, σφραγίς: Tertiam classem recenset Balsamon eorum qui tondebantur tantùm ab Episcopo vel Abbate; & hos ille vehementer contendit Clericos fuisse, eisdem obnoxios pœnis, eisdem pollentes privilegiis immunitatibusque, ac reliquos Clericos: quamvis eis sæpè controversia fieret de his propter novitatem, sæpè etiam contumeliæ aliquæ inurerentur: *Et hæc quidem de Clericis per ordinationem vel characterem in Ecclesiasticis gradibus constitutis. Si quis autem ab Episcopo vel Monasterii Præfecto tonsuram solam habens in crimen inciderit, is ne aliquo modo punietur? solutio. Et talis quoque est Clericus, & condemnabitur ut reliqui Clerici. Prohibetur enim quodvis opus exercere, cujusmodi exercent qui habent tonsuras; quemadmodum non conscendet in tribunal, non leget in ambone, ad Sacerdotalem gradum non promovebitur, &c. Miror quomodo qui solas habeant tonsuras, & peccantes examinantur, & omnino ut laici puniuntur. Vidi enim hoc per abusum fieri.* Non video quò quis jure tergiversari possit, ne tertiæ hujus classis verè Clericos simplicis tonsuræ fuisse confiteatur. Legibus, pœnis, privilegiis utebantur eisdem & libertatibus. Erant ergo Clerici. Novitas illis sua quandoque objectabatur, nec sine convitio quandoque & damno, sed exolevit novitas, & aliquando vetus esse cœpit quod novum initio fuerat. Porro nihil derogatur legitimo cujusquam juri injuriosa hominum impotentium insultatione. Cum autem ibidem refert Balsamon, eam eis pœnam irrogari ob graviorem aliquam culpam: ut *non legerent in ambone*: hinc elicitur, etsi Lectores non essent, quia erant tamen Clerici, legisse aliquando in Ecclesia, forsitan cum nullus præstò erat Lector. Quo minùs movebitur quisquis ab eodem Balsamone alibi acceperit, in ipsa urbe Constantinopoli, multis in Ecclesiis occupata à laïcis multa fuisse ministeria, quæ propria essent Clericorum, immo & Monasteria ab illis administrata fuisse. *Habent laici & complura etiam Monasteria, & Clericorum officia.* In Can. 33. Trull.

Habes ergo duplicis generis Clericos ex Balsamone, verè Clericos, & sine Ordine tamen vel minusculo; quorum hi de manu Episcopi vestem acceperant Clericalem, alii acceperant præterea & Tonsuram, neutri Ordinem ullum inferiorem, ne Lectorum quidem. Zonaras hæc eadem ante Balsamonem scriptis mandarat, improbaveratque similiter Clericos eos, qui attonsi cùm essent tantùm, nec ullo Ordine initiati, involabant in officia Lectorum; fatetur tamen Zonaras hunc usum, quanquam minùs laudabilem, multis in Ecclesiis invaluisse. *Qui verò nec manuum impositione designatus, nec in Lectorum album relatus sit, qualis illorum est ratio,* In Can. 14 Synodi VII. *qui à teneris Deo sepositi, nihil aliud quàm coronam in capite gestant: ab eo sacram Scripturam de suggestu, in conventu populi pronuntiari, quædam ordinis perturbatio est. Id igitur ne fiat in posterum, decernit Synodus.*

X. Habebat & suos eadem tempestate Clericos Ordinum prorsus expertes Ecclesia Occidentalis. Eò spectare videtur Concilium Meldense anni 845. *Canonicorum autem qui in Parochiis tonsurantur, &* Anno 845. Can. 58. *erudiuntur, interdum etiam & ordinantur sine authoritate, &c.* Hæc quoque simplex erat tonsura Clericalis sine ullo Ordine, quam Zacharias Papa Carlomanno Principi contulit. *Clericatus jugum suscepit à Pontifice*: & Rachisi Longobardorum Regi: *Clericusque effectus Monachico indutus est habitu.* Clericatum hunc sibi Antipapa Constantinus invito extorsit ab Episcopo, teste eodem Anastasio Bibliothecario: Anast. Bibl. *Compulerunt eum, ut orationem Clericatûs eidem Constantino tribueret, &c. Orationem Clericatûs illi tribuit, & ita Clericus effectus, &c.* Adrianus I. eadem tonsura simplici jussu Pauli Papæ initiatus fuerat: Idem in vita Steph. IV. *Eum Clericari jussit, quem Notarium Regionarium in Ecclesia constituens, &c.*

Manifestissimè Hincmarus tradit Carolomannum Principem cùm Deo oblatus fuisset ab infantia à parente suo Carolo Calvo Rege, Clericum factum esse primò, deinde gradatim ad omnes provectum Ordines usque ad Diaconatum. *A patre* Tom. 2. pag. 353. *sacro altari oblatus, & in Clericum tonsus, in Parochia verò Meldensi ab Episcopo ejusdem civitatis per singulos gradus usque ad Ordinem Diaconatûs provectus.* Synodus VIII. Can. 5. Generalis idoneos Episcopatui pronunciat eos demum esse, qui paupertatis & religionis infucata charitate, Clerici facti fuerint, aut Monachi, & exinde per gradus ad omnia ministeria sacra progressi, Ordinum tam inferiorum quàm superiorum munia impleverint. *Fiat Clericus, aut Monachus, & omnem gradum Ecclesiasticum transigens, ita ut in gradu Lectoris annum compleat; in Subdiaconi duos, &c.* Vides ut antequam quis fiat Lector, Clericus fieri debeat, vel Monachus, ut in eo tyrocinium ponat, ut etiam ad Minores postea possit Ordines promoveri. Ea ergo in re rerum Ecclesia Occidentalis Orientali consentiebat.

Clerici porro isti non injuria videbuntur forsan illi ipsi esse coronati, de quibus Hincmarus, vel de quibus potiùs Arcadius Imperator, si qua jam tum esset corona Clericorum, in Lege ab Hincmaro laudata. *Non per coronatos, sed per Advocatos.* Existimat Alcuinus eo crinium circulo designari Clericorum potestatem in administranda re temporali Ecclesiæ, sicut raso vertice ipso capitis significatur inanissimarum sæculi pomparum abnegatio voluntaria. Accipe Alcuini verba, quæ eadem leges apud Amalarium, & alios ejusdem ætatis Authores. *Superiorem capitis partem rasorio renovamus, cùm forti sollicitudine superfluas cogitationes ab animo resecamus. In inferiori parte coronam portamus capillorum, cùm ea quæ secundùm mundum necessariò gubernanda sunt, cum ratione concorditer coæquamus.*

*Hincmari Quaternio ad Carolum Reg. post Concil. Duziac. Collect. pag. 401.*

*De divin. Offi. c. 37.*

XI. Si porro Græcis Tonsura Clericalis dicta est Sigillum, σφραγίς; manuum impositio, χειροθεσία, & character, χαρακτήρ, id ex eo factum est, quòd Episcopus in formam crucis capillos incideret, ut ex Ritualibus Græcis apertum est. Itaque Crux characteris instar tonsione ipsa imprimebatur, quod fieri non poterat, nisi ea manuum impositione, quam χειροθεσίαν appellabant; ut eam ab illa alia manuum impositione sejungerent, quæ χειροτονία dicebatur, & qua Ordines conferebantur superiores. Itaque Sigillum & manus impositio, σφραγίς, καὶ χειροθεσία, duo quædam erant conjunctissima, quæ vix unquam divellerentur, unde & sæpè pro una & eadem habebantur re. Non contemnenda etiam sunt argumenta, quibus id efficitur, priscum benedicendi morem in eo positum fuisse, ut manus elevarentur, vel imponerentur: cui ritui accessit signi Crucis impressio: denique ipsa Crucis impressio elevationi manuum & impositioni implicata est. Hinc validum arripiunt confirmandæ sententiæ argumentum, quibus visum est, retineri etiamnunc priscum morem conferendi per impositionem manuum sacramenti Confirmationis, sed eam manuum impositionem Chrismationi nunc ipsi illigatam esse.

---

## CAPUT XLI. *P. 4. l. 1. c. 33.*

### De Tonsura & Corona Clericorum in Ecclesia Latina post annum Christi millesimum.

*I. Statuta Conciliorum & Pontificum sæculi XI. circa Tonsuram, Coronam, & morem radendæ barbæ.*
*II. Statuta sæculi XII. super iisdem rebus.*
*III. Statuta sæculi XIII.*
*IV. Statuta sæculi XIV. XV. & XVI. stupenda Coronæ diminutio.*
*V. Littera Pastoralis sancti Caroli Borromæi, & Decretum Concilii Mediolanensis V. ut Clerici omnes barba sint rasa.*
*VI. In eandem rem animadversiones Historicæ complures.*

I. O Primus ille nobis hîc sectandus videtur Ordo, qui à tempore petitur, Canones & Decreta ut expendamus cujusque ævi, & ea observemus, quæ rei illustrandæ quam tractamus, magis conducent, cautionesque varias non sileamus, quæ adhibitæ sunt ad disciplinæ labes vel præveniendas, ubi licuit, vel postea sarciendas. Concilium Bituricense anni 1031. præcepit ut omnes Clerici, majores, minorésve, barba essent semper rasa, & tonsa coma; Tonsuræ enim Clericalis id esse insigne. *Tonsuram Ecclesiasticam habeant, hoc est, barbam rasam & coronam in capite.* Concilium Coyacense in Hispania anno 1050. eodem præcepto ligavit Presbyteros, Diaconosque. *Semper coronas apertas habeant, & barbas radant.* Concilium Rotomagense anni 1072. anathema ejaculatur in Clericos, qui coronam non gestant amplius. *Qui coronas benedictas habuerunt, & reliquerunt, usque ad dignam satisfactionem excommunicentur.* Gregorius VII. Papa ita apud se constituebat, ad Tonsuræ Clericalis integritatem pertinere, ut barba raderetur in Occidente, cùm Præfecto Sardiniæ Insulæ caosas aperit, cur Episcopum Calaritanum coëgerit barbam radere, ut Ecclesiæ Occidentalis usibus moribusque antiquissimis sese accommodaret; & Præfectum eundem hortatur, ut Clerum suæ Insulæ universum compellat similiter rasitare barbas, contumaciùs renitentium bona fisco Ecclesiæ addicat. *Coëgimus, ut quemadmodum totius Occidentalis Ecclesiæ Clerus ab ipsis fidei Christianæ primordiis barbam radendi morem tenuit, ita & vester Archiepiscopus raderet, &c. Omnem tuæ potestatis Clerum barbas radere facias, atque compellas, &c. Res quoque renuentium publices, &c.*

*Can. 7.*

*Can. 3.*

*Can. 11.*

*L. 8. Ep. 10.*

Concilium Juliobonense anni 1080. pecuniariis mulctat pœnis Clericos, qui *Coronam suam dimiserint.* Concilium Pictaviense anni 1100. Episcopis solis vendicavit potestatem concedendæ Tonsuræ Clericalis, illæso Abbatum & incolumi privilegio, ut & ipsi Monachos suos corona & clericatu donare possint. *Ut nullus præter Episcopum coronas benedicere præsumat, exceptis Abbatibus, qui illis tantummodo coronas faciant, quos sub Regula beati Benedicti militaturos susceperint.* Ex quo rursum probabiliter conjeceris viguisse adhuc alicubi morem, ut Monasticam gestantibus Tonsuram Clericalis minùs necessaria videretur, nec alia Monachis opus fuisse, ut Clerici fierent. Unde & hoc Canone dicitur hæc corona omnibus Monasticam vitam profitentibus communis fuisse.

*Can. 13.*

*Can. 2.*

II. Concilium Londinense anni 1102. id tantùm edixit, omissa mentione barbæ, *Ut Clerici patentes coronas habeant.* Quod & in compluribus Conciliis aliis observare est. At verò Concilium Tolosanum anni 1119. eadem innodavit excommunicatione Monachos Apostatas, Clericosque, qui barbam crinemque promitterent. *Si quis Ecclesiastica militia titulo insignitus, Monachus, vel Canonicus, aut quilibet Clericus primam fidem irritam faciens, retrorsum abierit, aut tanquam laicus comam barbamque nutrierit, Ecclesiæ communione privetur, donec prævaricationem suam digna satisfactione correxerit.* Concilium Londinense anni 1175 priscum Agathensis Synodi Canonem innovat, ut Clericos juniores, vel invitos & reluctantes attondeant Archidiaconi. *Clerici qui comam nutriunt, ab Archidiacono etiam inviti tondeantur.* Concilium Eboracense anni 1194. Beneficiis spoliari sanxit, qui coronam & tonsuram gestare pertinaciùs posthac abnuerent. *Clerici qui ab Episcopo coronam susceperunt, tonsuram habeant & coronam: quam si habere contempserint, ad hoc Beneficiorum, si qua habeant, privatione cogantur.*

*Can. 12.*

*Can. 10.*

*Can. 4.*

*Can. 6.*

III. Concilium Parisiense anni 1212. illud in votis habuit, ut Clerici à Laïcis differre affectarent in ipsa etiam comæ attonsione; nec prolixiores unam in partem crines quàm in aliam fluere sinerent; sed circumtonso essent semper capite. *Inhibemus, ne Clerici tonsuram habeant similem laicali, sed rotundam & circularem, & irreprehensibilem.* At Concilium Montis-Pessulani anno 1214. effigiem pulcherrimam subjecit oculis coronæ Clericalis, quæ eo nomine dignanda non est, nisi superiùs juxtà & inferiùs raso capite, circulus intermedius capillorum

*Can. 5.*

non discedat multùm à similitudine coronæ. Ejusmodi impræsentiarum ea est quam gestant Canonici Regulares; quò & adductum est hoc Concilium, ut sæculares quoque Clericos ad æmulandam adduceret Regularium Canonicorum Tonsuram. Can. 4 *Vt Clericus Cathedralis, vel conventualis Ecclesiæ, vel alius qui de Beneficio vivit, talem Tonsuram ferat, quæ gradum non habeat, sed dirigatur in gyrum, ita quod capilli, qui propter inferiorem & superiorem rasuram remanent, propter suam rotunditatem meritò possint dici corona.* Denique illud quoque expetiere hujus Concilii Præsules, ut ampliores Canonicis gestarent Monachi coronas, nempe duorum vel Can. 13. trium digitorum. *Vt Canonici regulares, amplas coronas portent. & Monachi amplissimas. Itaque duorum digitorum vel trium amplius sit Monachis circulus capillorum.*

Concilium Oxfordiense anni 1222. non dissimulat, tam lubricas quandoque esse posse temporum locorumque commissuras, ut æquum sit Clericos habitumque & coronam contegere Clericalem. Can. 33. *Honestè tonsi, & coronati incedant, nisi fortè justa causa exegerit habitum transformare.* Gregorius IX. anathemate plectit Clericos, qui comam nutriunt: C. Si quis. *Si quis ex Clericis comam relaxaverit, anathema sit.* De vita & honestate Clericorum. Concilium apud Castrum Gunther ii anni 1232. libidinosos Clericos, & luxuriosos omnino radi præcepit, ne quod in eis superesset Tonsuræ Clericalis Can. 21. vestigium. *Clerici Ribaldi, maximè qui Goliardi nuncupantur, præcipiantur tonderi, ac etiam radi, ita quod non remaneat in eis Clericalis tonsura.* Synodus Vorcestrensis anni 1240. latiorem movet esse debere coronam Clericorum, majoribus in Ordinum Cap. 52. gradibus eminentium. *Ne comam nutriant, sed circulariter & decenter tondeantur, coronam habentes decentis amplitudinis, secundum quod exegerit ordo, quo fuerint insigniti.* Concilium Coloniense anni 1260. summum verticem radi jubet, idque coronam voCan 4. cat. *Habeant & suas coronas competentes, & eas radere non omittant.* Concilium Lambethanum anni 1261. privilegio Clericali excidisse declarat, quicunque de ea erubescunt capillitii corona, quæ ejus imago veneranda est, quam Christus pro nobis gestavit, ut dedecus nostrum sua vestiret gloria. *Non erubescant ipsius portare stigmata, qui pro eis spineam non dedignatus est portare coronam.* Concilium Salisburgense anni 1274. Presbyterorum Tonsuram ejusmodi esse vult, ut pateant aures, nec ab eo schemate multum recedant Clerici alii, præter coronam, quæ summo insidet vertici. Jam tum ergo eò res devenerant ferè, quò nunc experimur esse. Can. 11. *Sacerdotes taliter tondeantur, ut pateant eis aures. Cæteri inferioris ordinis Clerici in tonsura non multùm discrepent ab eisdem, coronam desuper congruentem habeant.*

Can 10. Concilium ad Pontem Audemari anni 1279. jubet, ut trina monitione præmissa, nisi Clerici coronam gestent, qui conjugati non sunt, immunitate bonorum suorum exuantur: qui conjugati verò sunt, præterea dominorum temporalium angariis subjiciantur; neutri in criminalibus sæcularium Judicum subducantur potestati.

Can 1. Concilium Budense anni 1279. Episcopis præcepit, ut Tonsuram circularem & coronam Monachali similem gestarent, tum ut exemplo suo reliquos Clericos non sola authoritate urgeant ad legum obsequium, tum etiam propterea quòd Episcopatus religione excellat supra Monachorum omnium Religiones longè præstantissima. *Prælati coronam & tonsuram patentibus omnino auribus circularem, juxta regularium, seu religiosorum generalem consuetudinem approbatam, cùm nulla religio pontificali religione sit major, de cætero deferant.* Synodus Nemausensis anni 1284. Clericos conjugatos, qui privilegio Clericali gaudere cuperent, sanxit, ut *publicè portent coronam & Tonsuram.* Synodus Excestrensis anni 1287. vetuit coronas contegi infulis, pannis, vel Calypteris quibuscumque. *Clerici patentibus au-* Can. 17. *ribus incedant, coronas habentes sphæricas & decentes, quas infulis cooperire prohibemus, sub pœna statuti Legati Ottoboni.*

IV. Hæc ergo erat quorundam Clericorum improbitas fœdissima, & pudendus pudor, qui coronas suas semper contegerent, quasi de regia Christi corona erubescerent, cujus corona hæc nostra effigies est. Ita censet Concilium Ravennatense anni 1314. *Coronam condecentem portent, per quam designetur* Can. 10. *regalis esse generis, & sperare se assequi debere partem hæreditatis divinæ.* Additur in hoc Concilio Clericos majores, Canonicosque, seu Cathedralium, seu Collegialium Ecclesiarum ampliorem gestare coronam debere, utque *capita cooperiant pileo, vel biretto, vel armutia oblonga ad aures.* Ex quo patet longè aliud esse, operire caput, atque coronam cooperire & dissimulare.

Concilium Avenionense anni 1337. centesima Ecclesiasticorum redituum parte mulctavit Clericos Beneficiarios, reliquos pœnæ pecuniariæ subjecit, qui singulis quibusque mensibus barbam coronamque non raderent. *Quam tonsuram singulis mensibus* Can. 46. *radi facere teneantur.* Concilio etiam Londinensi anni 1342. definitæ sunt pœnæ in Clericos qui barbam alebant, & despicatui habebant coronam, quæ cælestis coronæ augurium est, & omen summæ Sacerdorum sanctimoniæ. *Coronam, quæ regni cælestis &* Can. 10. *perfectionis est indicium, deferre contemnunt, &c. barbis prolixis incedunt.* Concilium Palentinum anni Can. 5. 1388. jussis conjugatis Clericis coronam Clericalem gestare, exuendis alioqui immunitate fori: præcepit ut forma gestandæ coronæ Ecclesiarum majorum foribus appingeretur. Erat autem ejus diameter quatuor circiter digitorum. Concilium Tole- Can. 14. tanum anni 1473. exauthoravit privilegio Clericali Clericos omnes, etiam conjugatos, nisi coronam gestarent, vel *Tonsuram quantitatis unius Regalis.* Quo proditur incredibilis quædam imminutio coronæ Clericalis, eo tempore facta, quod inter duo hæc Concilia medium fluxit. Concilium Late- Seß. 9. ranense anni 1514. sub Leone X. unum videri possit exigere, ut minores Clerici *non barbam, non comam nutriant.* Plura exigit Concilium Senonense anni 1528. *Nec comam relaxent, nec barbam nutriant;* Can. 14. *sed tonsuram, coronam seu rasuram habeant, secundum ordinem suum honestè rasam.* Idem sentiendum de Moguntino anni 1549. *Barbam non nutriant, tonsuram &* Can. 74. *coronam deferentes.* Similiterque de Narbonensi anni 1551. *Barbam radant saltem semel in mense Clerici sa-* Can. 15 45. *cros Ordines consecuti, maximè Canonici.* Concilium Can. 4. V. Mediolanense anni 1579. edixit, ut Presbyterorum corona pollices haberet quatuor in diametro, tres Diaconorum, duos minorum Ordinum, Subdiaconi à Diaconis non multùm recederent. Concilium Mediolanense I. anni 1565. unum id præscripserat, *Comam & barbam ne studiosè nutriant,* Can. 23. *&c. Barba ab super ore labro ita recidatur, ut pili in sacrificio Missæ Christi corpus & sanguinem non impe-*

Synod. Par. *diæm.* Constitutiones Eustachii du Bellay Episcopi
pag. 294. Parisiensis tempore Tridentinæ Synodi, jubent ut
Parochi Synodo adsint, *tonsura & barba rasi.* Idem
decrevit Concilium Remense anni 1583. id quoque
Cap. 13. 16. consulens, ut barba omnino abraderetur: *Barbam
aut omnino non gestent, quod magis probamus; aut saltem, &c.* Turonense anni 1583. *Barbam honestè decurtare.* Quod verò ad Monachos attinet, ita ibi
præcipitur, *Monachi omnes coronam magnam in capite habeant, & barbam rasam.* Et sanè antiquorum
Ordinum Monachi omnes barba sunt abrasa, quod
argumento est eos Cleri sui temporis consuetudinem & ritum amplexos esse. Concilium Aquense
anni 1585. sequutum est statuta Mediolanensis I.
L. 3 Tit. 5. Mexicanum autem, *Comam nutriant, barbam nova-
§ 1. cula radant, vel ita recidant, ut nihil sæculare rema-
Cap. 4. neat, quod populo ludibrio esse possit.* Tolosanum anni
1590. singulorum Ordinum coronas delineavit,
paulò minores iis Conciliorum Mediolanensium.
Cap. 32. Concilium Avenionense anni 1564. coronam renovari sanxit octavo quoque die, de barba Conciliorum Mediolanensium decretis inhæsit. Conci-
Cap. 11. lium Aquileiense anni 1596. iis etiam accessit. Comitia Cleri Gallicani apud Meloduorum anno 1579.
ita decrevere: *Barbam nutrire Canonicos parum honorificum est: imò prorsus indecens est, cùm nec Clericorum ulli liceat.*

V. Obvia est omnibus Pastoralis Epistola sancti Caroli Borromæi Mediolanensis Archiepiscopi ad Clerum scripta, ad Presbyteros Clericosque omnes adducendos, ut barbam raderent juxta statutum Concilii Carthaginensis IV. & Gregorii Papæ VII. & juxta usum totius Ecclesiæ Occidentalis antiquissimum, & hactenus observatum præ-
Acta Eccl. sertim in Ecclesia Mediolanensi, cujus rei fidem
Medio. pag. faciebant tabellæ pictæ antiquissimæ, sicut & Pres-
1061. byteri quidam ætate provectissimi, & antiquitatis
tenaciores. Quinta in Synodo Diœcesana sua statutum edidit Carolus, in quod compendiariè congessit, quæ latiùs sparserat in Epistola Pastorali.
Ibid. p. 382. Pauca ex eo juvabit hic excerpsisse: *Barba radenda institutum à Patribus in Concilio Carthaginensi sancitum, quodque ex summi Pontificis Gregorii VII. litteris longè antiquissimum esse perspeximus, jam olim in omni ferè Ecclesia, & in nostra hac Ambrosiana ad hæc usque tempora, ut nos vidimus à plerisque Sacerdotibus antiquæ sanctioris disciplinæ studiosis conservatum, ac deinceps nostris litteris per nos ad usum consuetudinemque revocatum; ita in perpetuum retineri præcipimus ac mandamus, ut unusquisque Sacerdos & Clericus, quocumque gradu dignitatève præditus, barbam
Surius d. 4 radat.* Episcopus Novarensis, qui Caroli vitam
Novem. scripsit, scitissimè observavit publicatum non fuisse
L. 4. c. 9. à Carolo hoc Mandatum, nisi postquam constantia sua pervicerat, ut ferè ubique observaretur; tum hortamentis suis, tum Pastorali Epistola, tum denique suo ipsemet exemplo; cùm id unum vel maximè cordi haberet, ut ex animis Clericorum funditus extirparet insanam illam libidinem imitandæ laïcorum pompæ & inconstantiæ in aliis aliisque subinde modis & artibus ostentandæ vanitatis. *Jam dudum id se cupere ostenderat, tum ut corruptelam sacrorum hominum tolleret, qui prophanas militaresque Barbarorum formas & eorum frequentes levesque mutationes
L. 4. c. 10 indecorè admodum imitantur, tum ut, &c.* Eadem ferè habet Giossanus in vita Caroli.

VI. Ex Romanis Pontificibus Julius II. primus omnium barbam promisit, idque extremis tantùm vitæ annis; quippe metallicæ icones priorum ejus Pontificatûs annorum, illum adhuc exhibent mento rasum, nihil prorsus discrepantem ab anteriori-
bus Pontificibus. Cardinalis Avenionensis nullum Spondanus.
non lapidem movens, ut à Sede Petri arceret Bes- an. 1503.
sarionem Cardinalem, hoc illum convitio incessi- n. 8.
vit, quòd Neophytus esset, quòd nequedum barbam rasisset. *Nondum barbam rasit Bessarion, & no-* Gobel. l. 1.
*strum caput erit?* Joannes Gersonius varia percen- pag. 24.
sens capita laxatæ & remissioris jam disciplinæ, hoc Gerson. To.
quoque commemorat, quòd Clerici jam nec capil- 1 pag. 206.
los tonderent, nec barbam raderent. *Ubi, Ne Clerici comam barbámve nutriant?* Ex adverso autem Petrus Damiani expostulabat, quòd Clerici à laïcis jam internoscerentur, non morum sanctitate, sed
barbæ rasura. *Ut eos à sæcularibus barbirasium qui-* L. 8. Ep. 15.
*dem dividat, sed actio non discernat.* Et alibi narrans quo fastidio essent Episcopi Presbyterique apud
laïcos: *Presbyterum vel Episcopum abire prospiciunt,* L. 1. Ep. 11.
*barbirasos se videre fatentur.*

Similiter & Bernardus corruptissimos hæreticorum, ipsorumque Cleri mores describens, *Clerici* Serm. 67. in
*ac Sacerdotes, Ecclesiis populisque relictis, intonsi &* Cant.
*barbati apud eos inter textores & textrices plerumque
inventi sunt.* Et Nicetas Choniates agens de Thoma Rainal. an.
Constantinopolitanæ urbis Patriarcha Latino, *Malis* 1206. n. 6.
*ita rasis, ut quemadmodum in impuberi puero nullum pili vestigium cerneretur.* Authore Calchondilo, *Itali & Oc-* Calchon. de
*cidentales pene omnes barbam radunt.* Refert Matthæus Rob. Turc.
Paris Vuillelmi qui Angliam subegit, exercitum tur- Paris in
mam Presbyterorum visum esse exploratoribus ad- Prolog.
versariorum, quòd raso prorsus essent mento: *Omnes exercitûs illius milites Presbyteros videri, eò quòd faciem totam cum utroque labro rasam haberent.* Vuillel-
mi Andegavensis Episcopi Gesta in pervigilio in- Spicil. to. 10.
augurationis ejus fidem faciunt illum barbam coro- pag. 289.
namque rasisse: *Rasa barba & corona, ablutoque capite.* Illud pene stupendum decretum Concilii Provinciæ Bituricensis, quo in regionem integram interdictum vibratum est ejusmodi, ut præter pœnas cæteras, vetiti sint laïci Clericique vel barbas radere, vel crines attondere, nisi antè Ecclesiæ jugo & imperio sese Principes immorigeri restituissent.
*Nemo Clericorum aut laicorum tondeatur neque radatur,* Bib. manuf.
*quousque districti Principes, capita populorum, sancto* Labb To. 2.
*per omnia obediant Concilio.* pag. 792.

## CAPUT. XLII. *P. 4. l. 1. c. 34.*

### De Tonsura & Corona Clericorum in Ecclesia Græca. De Tonsura laïcorum in utraque Ecclesia post annum Christi millesimum.

*I. Duplex Tonsura juniorum Clericorum inter Græcos.*
*II. De Corona Monachorum.*
*III. Qua ratione Clericos Græci ordinent.*
*IV. V. Insana Græcorum debacchationes in Latinos, quòd barbas raderent.*
*VI. Consonantia & dissonantia Græcorum ac Latinorum.*
*VII. Leges Ecclesiasticæ & Conciliorum statuta adversùs Laïcos prolixioris & incursantis comæ amantiores.*
*VIII. Effœminata ea mollities à Septentrionalibus Gentibus, & cum iis infuderat se.*
*IX. De Tonsura Polonorum.*
*X. Invalescentibus Romanis & Christianis legibus illa Borealium gentium consuetudines exoleverunt.*

I. DUo sunt Græcis Tonsuræ genera, altera est quam confert tenellis pueris Presbyter cùm veste nigra, quæ ad Clericatum magis de-

stinatio forsan est, quàm Clericatûs ipsa professio. Unde nec his pueris ita tonsis jam ulla fit accessio novæ potestatis. Altera est, quam confert postea Episcopus, & quæ non divellitur ab Ordine Lectorum. Jam non semel diximus, ut exarserit Nicæna II. Synodus in eos, qui priore tantùm tonsura donati, necdum secundam consecuti, in Ecclesia legendi munus & Lectorum officium temerè usurpaverant. Attulimus & Balsamonis interpretationem; nec præteriit nos, quod idem Balsamon adnotavit non semel, illos quoque qui priore Tonsura tantùm initiati utcumque fuerant, in numero Clericorum recensitos fuisse, & hos fuisse verè simplicis Tonsuræ Clericos, Ordinum etiam minorum prorsus expertes.

II. Ex hoc eodem Canone Nicænæ II. Synodi, ne monachali quidem Tonsura datur potestas legendi Scripturas in Ecclesia. *Hoc ipsum in Monachis servandum censuimus.* Quòd autem hoc Canone permittantur Abbates Presbyteri ordinare Lectores, id Pontificia authoritate confirmavit, & in novum Canonicum jus propagavit Innocentius III. Ea enim de re percontatus eum fuerat Archiepiscopus Rotomagensis: *Cùm laici ad Monasteria convolantes, à suis Abbatibus tonsurentur, requisisti, an Clericatûs Ordo in tonsura hujusmodi conferatur.* Respon-
Syn. Rotom. pag. 201. sum est autem à Pontifice, ea tonsura conferri ab Abbatibus Clericatum, si cautiones à Nicæna II. Synodo præfinitæ servarentur.

Non abs re sanè hîc fuerit observasse, juxta Scriptores aliquos, ita primùm sanctissimo viro Francisco, florentissimi Ordinis Institutori placuis-
Hist. Univ. Paris. To.3. pag. 362. se, ut Pastoritia veste, & promissis capillis gregales sui essent; at Bonaventuram vestes illas abjecisse, & tonsuram cujusmodi nunc gerunt, præscripsisse. At fabellæ huic adversatur Bonaventura ipse, confirmatque ab Innocentio III. post approbatam Francisci Regulam, laïcis ipsis ejus Instituti
Legenda S.Fra.c.3 Fratribus impositam fuisse fateinam promulgandæ pœnitentiæ ad fidelium vulgus, additumque præceptum, ut minusculas gestarent coronas, quibus major ipsis & authoritas & libertas in administratione verbi divini conciliaretur. *Approbavit Regulam, dedit de pœnitentia prædicanda mandatum, & laicis fratribus omnibus, qui servum Dei fuerant comitati, fecit coronas parvulas fieri, ut verbum Dei liberè prædicarent.* Nunc quasi è diverticulo ad Ecclesiam Græcam nos referamus.

De sacr Ordinat. c. 2. III. Simeon Archiepiscopus Thessalonicensis describens ordinationes Græcorum, & initium ducens à Lectoribus, nigram primò vestem ab Episcopo benedici memorat, eaque indui novum Clericum; tum ipsummet ab Episcopo ter benedici signo crucis, & in formam crucis incidi capitis crines: *Tondet Episcopus capillos capitis ejus in figuram*
Ibid. c. 1. *crucis.* Denique postquam manus imposuit, & orationem super nova tonsura effudit, jubet legi ab eo caput Epistolarum Paulinarum, si ordinatus sit Lector; aut Psalmum Davidicum, si Cantor. Tum iste seu Lector, seu Cantor omnes pene minorum Ordinum functiones exercet; præsertim postquam
δεποτάτος, ἢ κηροφόρος sublatum est officium Deputati, vel Acolythi, quo donabantur antè munere, quàm Lectores crearentur.

Supervacaneum autem fuerit hîc expendere scrupulosiùs, tonsura hac Episcopali, an collato Lectoris Ordine constituantur Clerici apud Græcos,
Euchol. Goar. p. 240. cùm ea nunquam à se divellantur. Clericos hîc voco verissimos, non illos quasi prælusorios, qui simplicis tonsuræ dici poterant, & ne tonsuræ quidem Episcopalis. Non minor autem concentus fuit Græcorum Latinorumque in corona, quàm in tonsura. Sub Joanne XXII. anno 1330. auditum est Georgianos inter Christianas Orientis Sectas diversissimas non inglorios, consuetudines coluisse valde miras & singulares, & hanc præ cæteris, quòd *Clerici eorum rotundas haberent coronas, laici verò quadratas.* Ita refert Bzovius. Bzovius an. 1330. n. 57.

IV. Non fuit ergo offensioni Græcis, nisi mos radendæ barbæ apud Latinos pervagatissimus. Jam tetigimus quæ ea de re Photii tempore certamina prælusa sint. Recaluit pugna sæculo XI. & in ipsa maximè efferbuit disputatione inter Humbertum Cardinalem & Græcos Latinæ Ecclesiæ criminatores Constantinopoli habita. Eò eruperat impotens sui Græcorum insania in re usque adeo arbitraria & versatili, immo & pene frivola, ut Latinos sua communione arcerent. *Capillos capitis & barbæ nu-* Baron. an. *trientes ipsi, eos qui comam tondent, & secundùm insti-* 1054. n. 24. *tutionem Romanæ Ecclesiæ barbas radunt, in communione non recipiunt.* Petrus Patriarcha Antiochenus Romanæ Ecclesiæ partes hîc sibi defensandas suscepit, scripsitque vehementissimas litteras ad Michaëlem Cerularium Patriarcham Constantinopolitanum, qui consopitas has lites exsuscitarat, ut eum commonefaceret, si Græci apicem capitis sui raderent, & hanc coronam regio anteferrent diademati, & si meta esset ea effigies ejus, qua Pagani Petrum illusere, illudendumque propinasse se posse spectaverunt; posse pari & Latinos jure barbam radere, quòd ea quoque contumelia Petrum Ethnici affecerint, quæ illi tamen in summum vertit decus. *Nos etenim etiam coronam in capite gestamus, pro vene-* Ibid. n. 41. *ratione proculdubio Principis Apostolorum Petri, super quem Dei Ecclesia est superædificata. Quod enim impii illi ad contumeliam illius Sancti excogitaverunt, hoc nos piè ad gloriam & honorem ipsius facimus. Romani quidem barbam radentes.* Illis ipsis rationibus Petrus In C.1. Iob. Blesensis sacros hos ritus illuminavit.

V. Mirum est Græcos homines cum primis acutos, & magno ingenio præditos, pro re nihili tandiu litigare, & tam pertinaciter altercari potuisse, quo nihil à ratione cogitari potest alienius. Tempore etiam Concilii Florentini erupit rursum hæc dissidii flamma. At Gennadius postea Constantinopolitanus Patriarcha Concilii hujus apologiam texens, exprobravit jure optimo Græcis convitiorum & querelarum ejusmodi inanitatem: quin ex adverso eos admonuit vel apud ipsos in confesso esse, perpurgatissimam & labis expertem prorsus esse Latinorum tam doctrinam, quàm disciplinam, cùm ne ullos quidem suspicari potuerint nævos, nisi in rebus istiusmodi natura sua innoxiis & indifferentibus. *Romanum tantum Pontificem reprehendere vultis.* Gennad. Ex- *Quare? Quia Latinus & barbam radit, atque quarta* pos. pro Con. *feria & parasceve oleum ac pisces comedit.* Et infrà; Florent. c. 5. *Non quia peccator est, refugitis ei obedire, sed quia La-* Sect. 4. c. 13. *tinus est, & barbam tondet.* In Concilio Lateranensi sub Leone X. anno 1514. Gnesnensis Archiepiscopus catalogum exhibuit errorum inter Ruthenos & Moschovitas receptissimorum, & Græcis è fontibus haustorum, quos inter & hæc leguntur: *Di-* Rainal. n. *cunt Christi fideles peccare mortaliter, quòd barbas ra-* 82. *dant & manducant suffocata, &c.*

VI. Gradum faciam ad laïcos utriusque Ecclesiæ, ubi primùm hæc obiter adnotavero pauca Græci Latinique Cleri discrimina. 1. Quanquam Græci distinguant, non tamen separant unquam

tonsuram à primo infimoque minorum Ordinum. Ita non est quisquam inter eos perfectus Clericus, nisi qui Lector saltem vel Cantor sit. Perfectum dixi Clericum, ut ne confligater ipse mecum & cum Balsamone, qui Clericos quasi umbratiles quosdam nobis suprà exhibuit: qui an adhuc in Orientali Ecclesia sint ulli, haud satis exploratum habeo. Erant certè Balsamonis ævo, & eo tempore quod effluxerat à Concilio Nicæno II. 2. Quamvis in usu sint apud Græcos quatuor Ordinum minorum nostrorum ministeria: ea tamen illi omnia promiscuè solent demandare, vel Lectoribus, vel Cantoribus, vel Subdiaconis, ut ex antedictis patet & ex Tractatu Simeonis Archiepiscopi Thessalonicensis. 3. Subdiaconatus Græcis nondum emersit ex minorum Ordinum classe, unde & ex eodem Scriptore ab Episcopis confertur extra Sanctuarium, sicut & Cantorum Lectorumque Ordines, sive officia. 4. Lectoris Cantorisque unus videtur illis Ordo esse, cùm eorum ordinationis discrimen non aliud sit ex eodem Simeone, quàm quòd postquam ordinati sunt, alter Epistolas Pauli legere, alter Psalmum canere jubeatur. Enimvero legere vel decantare laudes divinas unum pene idemque est; & persæpè canit Lector, Cantor legit; quin & lectio ipsa cantus quidam verecundior est, sicut & cantus lectio est audacior. Alexandriæ teste Augustino infrà laudando, ubi de cantu divinarum laudum ex instituto agebat, dubium erat an Lector caneret, vel legeret Cantor, usque adeo remissa erat & modesta canendi ratio. 5. Minùs religiosi fuere aut scrupulosi Græci in tonsuræ coronæque gestatione, quàm Latini. Quanquam enim auspicarentur illi Clericatum à comæ tonsione, minùs tamen solliciti erant postea de illa comæ brevitate retinenda. Nec eorum vel Canones deinceps, vel Scriptores tam anxiè, quàm apud Latinos invigilarunt, ut corona constantissimè gestaretur, etsi id vulgò profiterentur. 6. Sed eo certè Latinis præcelluere Græci, quòd non ita apud eos, uti apud nos Beneficia & dignitates Ecclesiæ impune invasere Clerici minores, vel simplicis etiam tonsuræ Clerici: quanquam lacertos quandoque & ipsa Latinorum Ecclesia exeruerit, ut hoc à se dedecus propulsaret, ut infrà docebimus.

Cap. 10.

VII. Ad Laïcos nunc deflectenda oratio est, in quos aura semper aliqua sanctitatis à Cleri moribus aspersa est: sicut & ex eorum pietate quandoque rubor aliquis pudorque incutitur Clericis disciplinæ sanctioris incuriosis. Concilium Rotomagense anni 1096. vetuit ne vel Laïci ipsi crines ultra modum promitterent, utque alioqui ingressu Ecclesiæ & sepultura Ecclesiastica arcerentur. *Nullus homo comam nutriat, sed sit tonsus, sicut decet Christianum. Alioquin à liminibus sanctæ Matris Ecclesiæ sequestrabitur, nec Sacerdos aliquis divinum ei officium faciet, vel ejus sepulturæ intererit.* Idem de capillorum modo sanxit Concilium Londinense anni 1102. edixitque, ut oculi paterent semper auresque: *Ut criniti sic tondeantur, ut pars aurium appareat, & oculi non tegantur.* Author est Anselmus ipse Cantuariensis Archiepiscopus in hoc Concilio ingressu Ecclesiæ prohibitos esse, qui fluentes crinium jubas resecare abnuerent: *De his qui tonderi nolunt, dictum est, ut Ecclesiam non ingrederentur; non tamen præceptum est, ut si ingrederentur, cessarent Sacerdotes: sed tantùm annunciarent illis, quia contra Deum, & ad damnationem suam ingrediuntur.* Narrat Eadmerus Anselmum diu & vehementissimè detonuisse inter

Can. 6.

Can. 23.

L. 3. Ep. 62.

concionandum in hanc capillitii luxuriem, plures inde pœnitentiæ subjecisse die Cinerum, expiatione scelerum & solemni absolutione suspendisse, qui comam non detondissent. *A cinerum susceptione, & à suæ absolutionis susceptione suspendit.* Et idem tamen scriptor testificatur post Anselmi obitum insanam eam magis magisque percrebruisse licentiam.

Eadm. Hist. Nov. l. 1. & 4.

Quid verò Conciliorum Patres extimularit, ut vehementiùs hanc mollitiem Laïcorum comæ suæ & vestium insania quadam occupatorum insectarentur, aperit Ordericus Vitalis. Narrat enim extincto Gregorio VII. Papa, Vuillelmo item Angliæ Domitore, aliisque nonnullis Principibus qui religione claruerant, hinc demigrantibus, passim fideles delapsos esse in lasciviam quandam vestium criniumque inauditam hactenus, & corruptelæ morum desperatissimæ testem. Ut enim pœnitentes salutarem tristitiam & mœrorem de facinoribus suis promissa coma barbaque testificabantur: ita ex adverso hi ipsis pœnitentiæ instrumentis abutebantur ad probrosissimæ mollissimæque vitæ delicias. *Femineam nunc mollitiem petulans juventus amplectitur, nutriunt comas, ut meretrices. Olim pœnitentes, & capti, & peregrini usualiter intonsi erant, longasque barbas gestabant, indicioque tali pœnitentiam prætendebant. Nunc verò penè universi populares cerriti sunt, & barbatuli, palam manifestantes specimine tali, quod sordibus libidinis gaudent, &c.* Quin & apud eundem scriptorem Episcopus Sagiensis coram ipso Angliæ Rege inflammatissima oratione invehitur in hæc eadem effæminatæ multitudinis vitia. *Omnes fœmineo more criniti estis, quod non decet vos, qui ad similitudinem Dei facti estis, & virili robore perfrui debetis. Paulus ait: Vir si comam nutriat, ignominia est illi, &c. Romani Pontifices, aliique Antistites temerariam usurpationem in Synodis suis ex authoritate divina condemnaverunt, &c. Ecce squallorem pœnitentiæ converterunt in exercitium luxuriæ.* Quod hîc habetur de Pontificibus & Conciliis, verisimile est ad Concilium Claromontanum, eique præsidentem Urbanum II. referri debere, cujus intercidere Canones non pauci, ex quibus tamen antè suos exprompserat Concilium Rotomagense paulò suprà laudatum.

An. 1089. pag. 682. Script. Norman.

An. 1104. pag. 816.

VIII. Hispani quidem Nobiles olim à plebe prolixa cæsarie discernebantur, teste Mariana, cujus hæc sunt verba de temporibus Leuvigildi Regis. *Majorum instituto, atque more nobilitas promissa cæsarie continebatur.* Et alibi sub Rege Vamba: *Rex ponere cæsariem, qua nobilitatis insigne continebatur, & decalvari satis habuit.* Referente Ditmaro cùm Romam solemni pompa iniret Henricus Imperator anno 1014. sex illum circumstabant Senatores, quorum *sex rasi barba, alii prolixa mystace incedebant.* Prolixior illa cæsaries, qua vetusta Visigothorum Nobilium turba insigniebatur, non aliunde manabat, quàm ex antiquissima eorum patriaque consuetudine, antequam ex Borealibus tractibus in mitioris soli Provincias exundarent. Idem prorsus de Francorum antiqua nobilitate sentiendum. Ubi Romani Imperii cœlum moresque paulatim Septentrionales hæ gentes subiere, Romanisque tandem & postremò Christianis insuevere legibus, abjecta illa lascivientis capilli superfluitate, ad instar Cleri, & ad modestiam sin minùs eandem, certè proximam sese accommodavere. Exhibet nobis Radevicus in Friderico Imperatore I. imaginem lucentissimam, non magis fere Romani Imperatoris, quàm Pontificis. Tantùm se modestiæ pudorisque

L. 5. c. 14.

L. 6. c. 13.

Baron. an. 1014. n. 1.

insuderat à Christianis legibus Imperio & Imperatori ipsi, ad cujus se exemplum componebant nobiles viri omnes. *Aures vix superjacentibus crinibus operiuntur, tonsore, pro reverentia imperii, pilos capitis & genarum assidua succisione curtante.*

*Radevicus. l. 2. de gestis Friderici c. 76.*

Illud certè quod Persici Oratores Romæ sub Pio II. visi sunt teste Gobelino, eo pene barbæ & comæ schemate, quo nostrates Monachi, non video unde profectum sit, nisi ex ea levitate & inconstantia, quæ & hominibus & rebus istiusmodi plurima inest. Hæc sunt porro Gobelini verba: *Persici Oratores in more nostrorum Monachorum, servata capillorum parva corona, totum caput tonsum, ejus qui ex Mesopotamia venit, pari modo, sed in vertice summo parvus manipulus visebatur, quemadmodum Gentiles gestasse flamines in pileo ferunt.* Sed quod suprà de Georgianis relatum est, supra omnem admirationem videtur esse: Gestatas nimirum coronas à Clericis rotundas, à Laïcis quadratas in capillitio.

*Gobelinus l. 5. p. 127. Rainal. an. 1460. n. 101.*

*Cap. 5.* Nec plura necesse est hîc acervari, ad abstergendam invidiam à Decreto Concilii Turonensis anni 1583. quo pristinæ authoritati redditus est Canon Trullanæ Synodi adversùs eos, qui ornandæ comæ immoderatiùs studebant, erantque cæteris fidelibus offendiculo. *Ideoque ex Concilii generalis Constantinopolitani in Trullo habiti Decreto, excommunicationi subjacere eos omnes diffinimus, qui capillos ad viventium detrimentum scitè excogitatis nexibus adornant, & componunt, & infirmis animis escam ea ratione objiciunt.*

IX. Ex hac ad Laïcos digressione in propriam nostri instituti materiam revocabit nos memorandum Polonicæ Gentis exemplum, cùm cùm Benedictus IX. Pontifex Regem condonaret Casimirum Principem, Monastici instituti quod apud Cluniacum professus erat, votis vinculisque absolutum, immo & Diaconatûs compedibus: vicissim Polonos ipsos nonnullis Clericatûs insignibus vel subjecit, vel decoravit. Expressit enim ab eis, ut longiores capillos, priscæ barbariei reliquias resecarent; seque attemperarent ad usum & consuetudinem Provinciarum Occidentalium Romani Imperii, videlicet ad usum illum Pauli Apostoli præceptis concinentem, comamque breviorem, quàm ut aures totas contigeret. Audi Longinum in Historia Polonica: *Cæsariem capitis & comam barbaro more non nutrire, sed auribus patentibus, instar religiosorum Latinarum nationum tonsuratum caput gestare.* Dicemus infrà, ut & Stolam deferri ab eis jusserit, festis diebus solemnioribus.

*Vide infrà Cap. 52. n. 9.*

*Baron. an. 1041. n. 11.*

X. Satis hæc sunt superque, ut ne amplius ambigat quis, quin immoderata capillorum prolixitas ortum duxerit à barbaris inconditisque gentibus, quæ ex Septentrione in Italiam, Hispaniam, Gallias, & in Angliam conserto agmine inundarunt; ubi à Romanis excultæ, & Christianis postea ac cœlestibus documentis institutæ, feritatem suam exuerunt, & superfluas crinium ineptias abjecerunt: naturæ jam vocem, & Pauli præcepta naturæ consentanea, audire & sequi edoctæ. Tonsura Clericorum hæc ipsa initio fuit superfluitatis fuga, & comæ modestia fidelibus omnibus communis: cui deinde accessit, seu pressiùs tonsa corona, seu rasa, propter eas rationes quæ superioribus capitibus aspersæ sunt.

## De Clericorum vestibus Civilibus & Sacris.

### CAPUT XLIII. *P. 1. l. 2. c. 31.*

### De veste Civili Clericorum in Occidente per priora sæcula quinque.

*I. Vitio vertit Cælestinus Papa Episcopis Gallicanis, quòd vestes Monachorum assiitarent, & non solis moribus virtutibusque à Laïcis secernerentur.*

*II. Ea vestium mutatio in Episcopos Galliæ invecta fuerat ab Episcopis ex Monastico Ordine cooptatis.*

*III. Proditum est à Salviano Monachos ludibrio fuisse, ob vestium insolentiam, quod Clero minimè congruebat.*

*IV. Epistolæ Pontificum illius ævi Decretales efficaciter inculcant Clericorum virtuta, de veste eorum silent.*

*V. Concilio Carthaginensi IV. sola vestium præcipitur modestia.*

*VI. Argumenta alia ex Hieronymo & Juliano Pomerio. De veste Monastica. In quo tum esset Clericorum in vestibus intemperantia.*

*VII. De Clericorum & Monachorum vestibus.*

*VIII. Pelagianorum ea in re severitas immodica Hieronymo non probatur.*

*IX. Quis ille habitus Religionis, quo indutus est beatus Cermonus, cum factus est Clericus.*

*X. Vestis Monastica. Præsulum Gallicanorum pars magna in tempore propositum Monachi cum Episcopi dignitate jungebat.*

*XI. Quàm æquo, quàm consentanea ratione Cælestini Papæ Constitutio, quamquam illi minus paruerint Episcopi Gallicani.*

*XII. Quàm rectè, quàm prudenter eo tempore non paruerunt.*

*XIII. Quàm necessarium, ut exemplo suo cæteris essent Episcopi, in contemnenda mani gloria sæculi.*

*XIV. Huc accedit, quod communem cum Clero suo vitam plerique agerent.*

*XV. Ejus rei exempla alia. In Fulgentio primùm*

*XVI. XVII. Item in Augustino & Cypriano. Ex quo & Tertulliano res eadem iterum ostenditur.*

*XVIII. Eorum quæ dicta sunt breve compendium.*

I. Efficacissimo hoc jam diximus argumento effici posse, nullos per quinque priora sæcula fuisse Clericos, nullo Ordine, nullo Officio, sola Cleri veste conspicuos: quòd nimirum toto illo sæculorum decursu nulla peculiaris Clericorum & propria civilis esset vestis, eòque non possent sola veste secerni à laïcis. Id nunc invictissimis extundendum est argumentis. Ab eo certè exordiar, à quo nullum sit effugium. Anno 428. scripsit ad Episcopos Viennensis & Narbonensis Provinciæ Cælestinus Papa, ut novum illum qui sensim invalescebat, morem reprehenderet, quo Clerici pro Tunica & Toga Romana, qui communis erat & ipsis & laïcis habitus, pallio ac cingulo utebantur. Docet illos Cælestinus non juxta litteræ corticem sequi eos debere, quod in Evangelio præcipitur de cingendis renibus: distare eos debere à sæcularibus, non veste, sed morum sanctimonia: denique novellis superstitionibus adulterandam non esse disciplinam, quam sanctissimi tot hactenus Episcopi excoluere. *Didicimus quosdam Domini Sacerdotes, superstitioso potiùs cultui inservire, quàm mentis vel fidei puritati. Amicti pallio & lumbis præcincti, credunt se Scripturæ fidem, non per spiritum, sed per litteram completuros. Nam si ad hoc ista præcepta sunt, ut taliter servarentur, cur non fiunt pariter quæ sequuntur, ut lucernæ ardentes in manibus unà cum baculo teneantur.* Addit amorem castitatis insinuari infigique animis per hæc Evangelica præcepta: *Habent*

*Habent suum ista mysterium, &c.* Monet quò sejungendus & internoscendus sit Clerus à populo: *Discernendi à plebe, vel cæteris, sumus, doctrina, non veste: mentis puritate, non cultu.* Quibus verbis palam fit, nec coma, nec veste Clericos à laïcis discretos fuisse. Illam denique consuetudinem detestatur, non tantùm ne superstitionis quidpiam redolentem, sed ut prioribus Episcopis sanctissimisque Patribus contumeliosam. *Unde hic habitus in Ecclesiis Gallicanis, ut tot annorum tantorumque Pontificum in alterum habitum consuetudo vertatur, &c. Nam si incipiamus studere novitati, traditum nobis à Patribus ordinem calcabimus, ut locum supervacuis superstitionibus faciamus.*

II. Id ortum à Monachis habuisse ad Episcopatum assumptis eadem Epistola docet idem Pontifex: *Non mirum si contra Ecclesiasticum morem faciunt, qui in Ecclesia non creverunt: sed alio venientes itinere, secum h[oc] in Ecclesiam, quæ in alia conversatione habuerant, intulerunt.* Addit insuetas has vestes tolerari fortasse posse in Monachis, & in desertis locis; at usurpari ab Episcopis citra sui ac superiorum Pontificum condemnationem non posse. *Habeant tamen istum forsitan cultum, morem potiùs quàm rationem sequentes, qui remotioribus habitant locis, & procul à cæteris degunt. Unde sic habitus in Ecclesiis Gallicanis, &c.* His tandem verbis finem facit: *Non est imponendum oculis, sed mentibus infundenda præcepta sunt.*

III. Dictum est superiùs à Salviano, plebi Monachos exsecrationi primò fuisse, si quando viderentur in urbibus majoribus *palliati, & recisis usque ad cutem comarum jubis.* Qui idem ipse rursus alibi Monachum vitæ remissioris & solo habitu Monachum sic alloquitur: *Licèt religionem vestibus simules, licèt fidem cingulo afferas, licet sanctitatem pallio mentiaris.* Cùm ergo Monachos carnaliorum hominum oculis ea vestium ratio despicabiles faceret, illam profectò sequi non poterant Clerici, quibus propositum est hoc, ut omnium sibi concilient amorem, omnes lucrifaciant. Eodem habitu Monachi nobis à Paulino suprà exhibebantur: *veste succincti, sagulis palliati.* Quin & ipse amabat iode ab hominibus contemni Paulinus: *Hujusmodi hominum & vultus, & habitus, & odor nauseam illis facit, quibus odor mortis est in odorem vitæ.* Gratias agit alibi ob missam sibi professioni Monasticæ congruam vestem: *Pallia camelorum pilis texta.* Remittitque ipse *tunicam de tenero agnorum vellere contextam.* Vide quæ habet Cassianus de cingulis cæterisque vestibus Monachorum. Hunc habitum facilè intelliges ab instituto Cleri, & præsertim Episcoporum mirum quantum abhorrere.

Ad Eccles. Cath. l. 4.

Epist. 7.

Epist. 10.

De habitu Mon. l. 1. c. 1. &c.

IV. Rem propositam aliunde approbo. Observat in Epistola quadam sua Siricius, idque diligentia incredibili, quæ sint officia omnia & qui gradus eorum qui se Clericatui mancipant. Hæc Epistola superiùs à nobis expensa non semel est, omnia ibi observata sunt quæ ad Clericorum munia, virtutesque & officia pertinent; at de eorum tonsura & veste peculiari altum silentium. Et sanè cùm conjugari eos sinat infra Diaconatum, verisimile non est eos in alia tunc fuisse veste, quàm quæ in laïcis esset modestissima. De Virginum habitu alicubi loquitur Leo: *Puellæ quæ virginitatis propositum atque habitum susceperunt.* At de proprio Clericorum habitu nec ipse nec veterum quisquam Pontificum est locutus.

Siric. Ep. 1. c. 9. 10.

Epist. 92. c. 23.

V. De iis quæ pertinerent ad Clericorum officium, Concilium Carthaginense IV. nihil omisit. Hinc & modesto illos esse habitu, modestis uti præcipit calceamentis. Id quod satis est ut persuasum habeas Clericos à laïcis non colore vestium, aut pretio, aut forma distare ulla jussos esse, sed singulari tantùm modestia, quæ alienissima sit à cultu hominum ornatiore, hoc est, inaniore. *Clericus professionem suam & in habitu & in incessu probet: & nec vestibus, nec calceamentis decorem quærat.* In incessu perinde, ut in habitu nihil consectari, nihil studiosiùs exquirere debet Clericus, nisi ut ne quid nisi modestam simplicitatem præ se ferat.

Can. 45.

VI. Describit Julianus Pomerius, quos videtur laudatus Canon reprehendisse: *Taceo de illis qui undante lapsabundi corporis motu, desinentibus in talos vestimentis incedunt, & vagis laterum flexibus quodammodo fluctuantes, &c.* Scilicet id unum in Clericorum habitu reprehendi poterat tum, cùm graves & honestissimi viri quique veste uterentur longiore: nec eorum aliter virtutem elucere fas erat, quàm simplicitate vestium & modestia singulari. Idem docet Hieronymus: *Si Lector, si Acolythus, si Psaltes se sequitur, non ornentur veste, sed moribus, nec calamistro crispent comas, sed pudicitiam habitu polliceantur.* Infrà illud etiam innuit, necdum præceptum fuisse Clericis, ut pulla uterentur veste; quin & ea uti dehortatur, non aliter quàm ea quæ splendore suo conspicua sit. *Vestes pullas æquè devita ut candidas, ornatus ut sordes pari modo fugiendi sunt: quia alterum divitias, alterum gloriam redolet.* Albicans ille vestium splendor hominum erat delicatiorum. At pulla vestis Monachorum & Pœnitentium; ut si quis ea uteretur è junioribus Clericis, nonnisi ex fucata humilitate profectum id videretur. Hortatur Hieronymus ut medium teneant, nec singulare quidquam habeant, nisi auream illam mediocritatem, in qua singulare sit nihil. Ne id quidem probat, ut amictu lineo abstineant, nisi reliqua pietas & Evangelicæ paupertatis amor, & carnalium deliciarum fuga ei proposito respondeat. *Non absque amictu lineo incedere, sed pretium vestium linearum non habere, laudabile est. Alioqui ridiculum & plenum dedecoris est, referto marsupio, quòd sudarium orariumque non habeas, gloriari.* His adde quæ alibi habet: *Quid prodest circa collum ad abstergendos sudores linteolum non habere? quid juvat esse ἀχίτωνας, & præferre habitu paupertatem, cùm marsupium nostrum universa pauperum turba suspiret?* Ecce rursum quibus ille eos tibi depingat coloribus alio loco, qui pretiosis vestibus & intortis capillis perspicuum omnibus faciebant, quid vanitatis in animo gererent, & quàm malè essent affecti: *Omnis his cura de vestibus, si bene oleant, si pes laxa pelle non folleat. Crines calamistri vestigio rotantur, digiti annulis radiant: & ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia. Tales cùm videris, sponsos magis existimato, quàm Clericos.*

De vita Contem. l. 2. c. 4.

In Michæâ, c. 3.

Ad Eustoch. de custodia virgin.

VII. Longè alia ab his fuere in Nepotiano conversionis ipsa primordia. Mutavit enim ille quidem vestem, sed hactenus tantùm ut modestiorem indueret, Provinciæ suæ consuetudini consentaneam, & à munditiis atque à sordibus ex æquo abhorrentem: *Balteo posito mutatoque habitu, quidquid castrensis peculii fuit, in pauperes erogavit. Excepta vili tunica, & operimento pari, quo tecto tantùm corpore frigus excluderet, nihil sibi amplius reservavit. Cultus ipse Provinciæ morem sequens, nec munditiis, nec sordibus notabilis erat.*

In Epitaph. Nepotiani.

Et hæc quidem de Clericis Hieronymus. Mona-

chis autem aptare videtur ille viliorem & paupertati magis concinentem vestem, & quæ tum sæcularium contemptor eos objiciat, tum quanto eis contemptui fastidioque sit sæculum, prodat. *Si Monachus esse vis, sordida vestes candida mentis indicia sunt. Vilis tunica contemptum sæculi probet: ita duntaxat ne animus tumeat; habitus sermoque dissentiant.* Sic ille ad Rusticum Monachum. At ad Marcellam de Asella scribens, *Tunicam fusciorem induta.* Et ad Eustochium: *Vestis nec satis munda, nec sordida, & nulla diversitate notabilis, ut ad te obviam prætereuntium turba consistat, & digito monstreris.* Et ad Marcellam de Blæsilla loquens vidua: *Vestis fuscior, pulla tunica, minùs cùm humi jacuerit sordidatur, soccus vilior, cingulum laneum, &c.* Ad Pammachium autem de obitu Paulinæ agens, abundè declarat quàm optatum esset Monachis, ut vestium vilitate carnalium in se convitia & contumelias excitarent; quod alienum prorsus fuisset à Clericorum instituto, qui exasperare in se eos non debent, quorum tractare ac depellere morbos animi profitentur. *Quis hoc crederet ut Consulum pronepos, inter purpuras Senatorum, furva tunica pullatus incederet, & non erubesceret oculos sodalium, ut deridentes se derideret? Est confusio, qua ducit ad mortem, & est confusio, qua ducit ad vitam. Prima virtus est Monachi contemnere hominum judicia, & semper Apostoli recordari dicentis, Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.*

VIII. Præter æqui rectique modum evecti sunt Pelagiani, & infenso in eos fuit animo Hieronymus, cùm carperetur ab eis ipsa vestium modesta simplicitas, & necessaria munditiæs. Audi quid in illos regerat Hieronymus: *Adjungis gloriam vestium & ornamentorum Deo esse contrariam. Quæ sunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem: si Episcopus Presbyter, & Diaconus & reliquus ordo Ecclesiasticus in administratione sacrificiorum candida veste processerint? Cavete Clerici, cavete Monachi, Viduæ & Virgines, periclitamini, nisi sordidas vos atque pannosas vulgus aspexerit.* Quibus verbis edocemur elegantioris quidem & splendidioris aliquid vestis fuisse Clericis, & quæ unis illis competeret, sed inter sacra tantùm & ad aras: idque singulare decus non aliud magis fuisse, quàm candorem & munditiem, quò Agni immaculati imago quædam adumbrata oculis subjiceretur. Cæterùm nulla prorsus lege astringebantur Monachi, ut vestium informitate & sordibus odia in se & dicteria carnalium concitarent: etsi factitatum sit id à quibusdam vehementiore quodam crucis & contumeliarum amore.

*L. 1 adver. Pelagi.*

IX. Neque verò negaverim apud Constantium Presbyterum in vita sancti Germani Altisiodorensis Episcopi, *habitum religionis* Germano tribui ab Amatore Episcopo, cùm Clericum illum faceret. *Cæsariem ejus capiti detrahens, habitu religionis, rejectis sæcularibus ornamentis, cùm promotionis honore induit.* At habitus ille religionis non aliud est, quàm modestior habitus. Iisdem verbis in eundem sensum usus est Sidonius, ubi nobis Maximum, hominem aulicum, qui Clericatui nomen dederat, exhibet: *Habitus verò, gradus, pudor, color, sermo religiosus.* Quæ omnia nihil nisi singularem modestiam sonant.

*Surius die Iulii 31.*

*L. 4. Ep. 24.*

X. Nec à veri tamen specie & similitudine aberrabis, si dicas hunc Religionis habitum non alium esse, quàm Monachalem. Sumitur enim plerumque Religio pro ipsa Pœnitentium ac Monachorum professione. Eo sensu eam vocem usurpat Salvianus, *Sub specie Religionis vitiis sæcularibus mancipati, &c. Divini cultùs habitum magis quàm actum existimantes, vestem tantummodo exuère, non mentem.* Ipse orationis quæ sequitur contextus declarat loqui de iis Salvianum, qui cùm essent gravissimis criminibus implicati, atque adeo irregulares, & ad omnem Ecclesiasticam dignitatem Ordinemque inepti, falsam tantùm pœnitentiam agerent. Itaque habitu Religionis, id est, Monastico induerat Germanum Amator Episcopus, quia tunc sanctissimi quique Episcopi cum Episcopali sarcina Monasticum etiam subibant jugum. Testatum id facit de beato Martino Severus Sulpitius: *Ubi Martinum in veste hispida, nigro pallio pendulo circumdatum viderunt, &c.* Et alio loco: *Idem constantissimè perseverabat, qui priùs fuerat; eadem in corde ejus humilitas, eadem in vestitu ejus vilitas erat: atque ita plenus authoritatis & gratiæ, implebat Episcopi dignitatem, ut non tamen propositum Monachi virtutemque desereret.* Pallium istud proprium erat Monachorum, quos alibi vocat *Agmina palliata.* Idem affirmat Sidonius de Fausto, qui ex Lerinensi Monasterio ad Episcopatum raptus, Monasticæ prioris vitæ tenorem constantissimè retinuit: *Nihil ab Abbate mutatus per Sacerdotem; quippe cum nova dignitatis obtentu, rigorem veteris disciplinæ non relaxaveris.* Nec Faustus solus tam aliena vitæ instituta inter se mira pietate conjunxit, teste eodem Sidonio: *Legi volumina tua, quæ Riochatus Antistes & Monachus, atque istius mundi bis peregrinus, Britannis tuis pro te reportat.*

*L. 5 De Gubernat. Dei.*

*Dial. 2. De vita beati Martin.*

*L. de vita B. Martini. c. 7.*

*Epist. 3.*

*L. 9. Ep. 3.*

*Ibid. Ep. 9.*

*L. 9. Ep. 9.*

Quin & Germanus ipse tota vitæ suæ serie ei favet explicationi, quam firmare satagimus, Scriptoris ejus vitæ, & habitûs ejus religiosi. Cùm primùm enim factus est Episcopus, Monasticum statim durissimumque victu & vestitu amplexus est institutum. *Ex ea verò die, qua Sacerdotii sumpsit exordium, nunquam panem frumenti, non vinum, non acetum, non oleum, non legumen, vel salem accepit. Indumentum cuculla & tunica indiscretis fuere temporibus. Nam neque hyeme accessit adjectio, neque æstate levamen admissum est. Quod utrumque tandiu usui fuit, nisi fortè donatum est, donec attritione nimia solveretur, cilicio semper interius inhærente.* Quæ apertissima certè est austerioris Monachorum vitæ cum Episcopalibus functionibus confœderatio. Mortuo Germano, ecce quæ fuerit vestium illius inter eos partitio, qui pretiosis ab his exuviis colligere se posse sperabant aliquas sanctitatis eminentissimæ reliquias: *Cucullam cum interiori cilicio Petrus Episcopus usurpavit. Sex verò Antistites, ut aliquid monumenti ex successione sanctitatis acciperent, disrumpere quod super fuerat, maluerunt. Unus Pallium, alter cingulum accepit. Duo tunicam, duo sagulum diviserunt.* Atque ita de sanctissimi Episcopi hæreditate pauperrima, multi sunt Episcopi alii locupletati.

*Surius die Iulii 31.*

XI. Quæ de Martino, de sancto Fausto, de Riochato, de Germano modò dicta sunt, apertè docent plerosque in Gallia Episcopos honori sibi duxisse maximo, si Monachorum austeriorem & habitum & pœnitentiam imitarentur. Tametsi autem ex his quatuor tres sint è Monasterio ad Sacerdotium assumpti, de Germano tamen nihil tale dixeris. In eo enim habes non Episcopum ejusmodi, qui cùm esset in Monachorum & instituto & habitu diu antè versatus, eandem vitæ rationem in præcellentissima dignitate retinuerit: sed hominem nobilissimum, qui ad Episcopatum raptus potiùs quàm evectus, quod habet Religiosa professio

dutius & humilius, statim est amplexatus.

A vero prope abest, adversùs ejusmodi sanctissimos Episcopos, eorumque æmulatores, scriptam esse Cælestini Epistolam eam, qua caput istud exorsi sumus. Eas enim illi gerebant vestes, quæ Cælestino displicebant, *cingulum, pallium*, & istiusmodi alia, quæ sunt propria Monachorum. Et certè ex his, ut Pontifex observat, tres primi erant alienigenæ. Neque tamen propterea aliena habenda est, aut à ratione, aut ab Ecclesiæ legibus Cælestini Epistola. Jam enim dictum est suprà, Monachorum habitum & ludibrio & execrationi fuisse plebi, cujus nondum assueverant oculi tam decoris Christianæ humilitatis insignibus. Constantino vero Imperatore, aut non multò antè initium habuerat Monastica institutio, quo tempore perquam rarò suis illi è latebris prodibant, in invias plerumque refugi & abstrusi solitudines. Episcopi ergo cum trecentis admodum annis ante Monachos orbi illuxissent, non erat cur antiquam vestium formam mutarent, seque à Majoribus & Coëpiscopis ea novitate quodammodo alienarent, novum secuti institutum, novam formam vestium, sanctam illam quidem, sed vulgi oculis ingratam. Rem ergo generatim & universè si spectes, nihil æquius quàm quod præcipit Cælestinus, servari morem antiquum, nihil innovari: iis uti vestibus, quibus usi essent Majores, priscique Episcopi; non eas certè affectare, quæ quos tibi conciliare debeas, abs te abalienent; ea denique non ostentare in urbibus, quæ sunt solitudinis propria, & propter solitudinem inventa.

XII. Quoniam autem plerumque fit, ut quæ generatim constituta sunt, ea privatis & rebus & temporibus cedant: existimarunt sanctissimi Galliarum Præsules commissuros se nihil, quod Episcopali dignitati esset dedecori, si eam pœnitentiæ & humilitatis insignibus exornarent. De Afris tantùm & Carthaginensibus Salvianus loquitur, ubi dicit Monachos à plebe sine execratione videri vix posse: idem profectò dicturus de Gallis, si verè dici potuisset. Tantam sui admirationem Martinus, existimationem tantam, tantum apud Gallos sibi amorem pepererat, ut facilè hinc conjicias, id ab eo maximè perfectum esse, ut & Monachos & Monachorum instituta omnia summo in honore omnes haberent. Erant ex ejus Monasterio assumpti multi, multi ex Lerinensi Episcopi, qui omnes Monasticam pœnitentiam & austeritatem cum Episcopali munere & sanctimonia copulaverant. Tantùm ergo abest, ut Monachorum victu & vestitu arbitrarentur Galli dehonestari Episcopos, ut & Monachos ipsos non possent non summo in pretio & honore habere. Quin & Cresconius Episcopus arbitratus est in Breviario Canonum idcirco tantùm Cælestinum vetuisse, ne Clerici Monastico uterentur habitu, ne inde velut ex insigni quodam gloriæ superbirent. Quare & illud Decretum cum eo Canone Concilii Gangrensis conjunxit, qui est adversùs Monachos ex ipso humilitatis habitu superbientes: *De his qui pallio utuntur, & idcirco superbiunt.* A cujus vel suspicione viris in confesso est alienissimos fuisse Galliarum Episcopos, de quibus hîc agimus.

*Cresconius in Breviar. c. 131.*

XIII. Jam verò si propter inaniorem pompam & luxum laicis non raro offendiculo sunt Clerici Episcopique, nemini dubium est, quin ex adverso eos ad amorem sui & æmulationem provocet singularis pietas & modestia quædam eximia Cleri, cujus pompa in virtutum choro, cujus gloria in contemnenda inani gloria sæculi tota est. Exhibet Hieronymus Episcopum ex illis unum, in conquirendo corporis cultu, quàm in virtute, ex qua vera affluunt ornamenta, occupatiorem: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, opus, non dignitatem: laborem, non delicias: opus per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio, &c. Sunt quidam ignorantes mensuram suam, & tanta stoliditatis ac vecordia, ut in motu & in incessu, & in habitu, & in sermone communi, risum spectantibus præbeant: & quasi intelligentes, quid sit ornatus, comunt se vestibus & munditiis corporis, & lautioris mensæ epulas parant: cum omnis istiusmodi ornatus & cultus sordibus fœdior sit.* Si mollior ille & ornatior cultus jure Fidelium animos offendebat, eosdem è contrario recreabat illorum Episcoporum aspectus, qui Monachorum & habitu & pietate fulgerent. Ejusmodi erat Hilarius Episcopus Arelatensis, de quo Scriptor ejus vitæ apud Surium ita habet: *Cum primùm speculatoris suscepit officium, in se ipso primùm monstravit, quemadmodum Congregatio mundum contemneret, corpus despiceret, unius tegmine tunicæ æstatis ardorem & hyemis rigorem contenta toleraret, &c.*

*Te 2. Epist. ad Ocean.*

*Surius die 5. Maii.*

XIV. Suppeditatur hoc Hilarii exemplo novum argumentum, unde res proposita confirmetur, immo unde ostendatur, necesse pene fuisse Episcopis ut Religionis habitum in Episcopatu retinerent. Neque enim solùm de Claustro ad Thronum venerant, sed & vitam communem agebant cum Clericis. At horum vivendi ratio, ut dicetur infrà, aut omnino nihil à Monastica, aut certè parum aberat. Unde & scitissimè in Hilarii vita observatum est, eum quo primùm die Episcopatum iniit, id præstitisse, ut cujus Congregationis Clericalis caput esset & parens, ejus etiam exemplum & quasi viva lex esset, quam sequeretur. Dicam infrà quæ eorum essent instituta & officia, & in jejuniis, vigiliis, labore manuum quàm propè accederent ad instituta Monachorum.

XV. Talis erat & Fulgentius, ne sola videatur Gallia minùs fuisse religiosa in observanda Constitutione Cælestini Pontificis. Docet enim Ferrandus Diaconus in ejus vita, quàm Ruspensi illi in Africa Episcopo persuasum certumque esset, austeriore Monachorum vita, vel ipsum Episcopatum, quæ omnium maximè illustris dignitas est, illustrari posse. Non siluit Ferrandus ejus rei causam quoad Fulgentium, nempe quòd è Monasterio ad Episcopatum abreptus, etiam in Episcopatu & Monasticam & cum Monachis vitam agere voluerit. Ferrandi verba hæc sunt. *Orario quidem sicut omnes Episcopi, nullatenus utebatur. Pelliceo cingulo tanquam Monachus utebatur. Sic studio humilitatis ambitionem vestium corporalium fugiens, ut nec ipsa calceamenta suscipiens Clericorum, &c. frequenter nudis pedibus ambulabat. Casulam pretiosam vel superbi coloris nec Monachos suos habere permisit, nec ipse habuit. Subtus casulam nigello vel lactinio pallio circumdatus incessit. Quando temperies aeris invitabat, solo pallio intra Monasterium est coopertus. Nec deposito saltem cingulo somnum petivit. In qua tunica dormiebat, in ipsa sacrificabat, &c.*

*Cap. 18. 19.*

*Ferrand. in vita sancti Fulgentii. c. 18. 19.*

XVI. Agebat & Augustinus communem cum Clericis suis vitam, nec ambigere quisquam jure potest, quin quam ipse tenebat in vestibus mediocritatem, eam à suis curaret observari: ratus eos qui verè essent humiles, à omnia in cultu & diligentia & negligentia æquabiliter alienos esse oportere. *Vestis ejus & calceamenta & lectualia ex mode-*

*Possid. in vita Aug. c. 22. 25.* *rato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum: quia his plerumque vel jactare se insolenter homines solent, vel abjicere.* Et inferiùs: *Cum ipso semper Clerici una etiam domo ac mensa, sumptibusque communibus alebantur & vestiebantur.* Ita Præsul sanctissimus, quæ citato antè Canone in Concilio Carthaginensi IV. statui curaverat, & observabat ipse, & à Clericis suis jubebat observari. Nec tamen Possidius, è quo prompta hæc sunt, in eo habitu dicit fuisse cum Clericis suis Augustinum, quo uterentur Monachi. Nec enim unquam ipse quidem Monachus fuerat. Nam etsi Seminarium in quo cum Clericis vitam degebat, Monasterii nomine appellatum sit, & ab ipso, & à Scriptoribus coætaneis: ostendam tamen infrà neminem unquam ibi professum esse vitam Monasticam, tametsi nusquam diligentiùs virtutes Monasticæ excolerentur. Erat autem communis Augustino & Clericis vestis *linea*, & *Byrrhus*. Porro hæc habet Au-

*Vide serm. 217. de Temp. & 45. de Diversis.* gustinus ipse alicubi: *Lana carnale aliquid, linum verò spiritales significat: quia in ordine vestimentorum interiora sunt linea vestimenta, lanea verò exteriora.* Paulò pòst tunicam vocat laneam hanc vestem.

XVII. Proditum est à Pontio Cypriani Diacono, ejusque vitæ Scriptore, quæ essent Præsulis sanctissimi vestes quibus nimirum exuerit se, ut Carnifici cædendam porrigeret cervicem: *Expoliavit se Byrrho, & dedit carnificibus. Dalmaticam verò tradidit Diaconibus, & stetit in lineis expectans spiculatorem.* Quæ si velimus diligentiùs expendere, & in re discutienda diuturniores erimus, & in ea illustranda vix ac ne vix quidem poterimus hominum curiositati facere satis. Omissa ergo diligentiore ac penitiore indagatione rei, dubitandi nullus ferè videtur locus, quin exteriorem vestem, quam primam exuit, communem haberet Cyprianus cum laicis. Nam & illam carnifici tradidit, & ubi de vulgari Romanorum habitu profani Scriptores agunt, hujus omnes meminere. Adde & illud Cypriani, quod sapienter æquè ac piè sentiret & diceret, Christianum oportere professionem sanctissimam testatam facere, non peculiari veste aliqua, sed singulari vitæ disciplina & morum probitate.

*Cypr de bono patient.* *Nos qui Philosophi, non verbis, sed factis sumus: nec vestitu sapientiam, sed veritate praferimus.* Ex Tertulliano, nec habitu, nec aliis hujusmodi distant

*Apolo. c. 42* à Gentilibus Christiani: *Homines nobiscum degentes, ejusdem victûs, habitûs, instructûs.* Clarior est in alia Pontii editione Cypriani moderatio, ejus modestiæ simillima, quam in Augustino mirari sumus. *Nec*

*Surius die 14. Septem.* *cultus fuit dispar à vultu: temperatus, & ipse de medio: non illum superbia sacularis inflaverat; nec tamen prorsus affectata penuria sordidarat: quia & hoc vestitus genus à jactantia minus non est, quàm ostentata taliter ambitiosa frugalitas.*

XVIII. Ut unde initium, inde quoque finem accipiat hoc Caput, quod à nobis Ecclesiæ Latinæ specialius dicatum est, ad Constitutionem redeo Cælestini, quam professus sum meritò habendam pro æquissima & sanctissima lege, quam vulgò Clerici sequerentur. Secerni enim illos à laïcis æquum est, non veste, sed vestis modestia & mediocritate ea, quæ justo nec plus nec minus habeat, & ab extremis hinc & hinc vitiis æquabiliter distet. Qui verò salva & incolumi illa Constitutione, ante Ordinationem in Monasterio versari ac Monasticis regulis imbuti: & qui post Ordinationem statuerant communem cum Clericis vitam agere, ii non modò jure reprehendi non poterant, si propter Episcopatum aut Sacerdotium ad molliorem & remissiorem vitam defluere detrectarent, sed & summis laudibus erant potiùs cumulandi. Quibus enim non contumeliis jure incessendus fuisset ille apud Cassianum Episcopus, si post peractam annos triginta & octo in solitudine vitam, de hac & austeritate & sanctimonia remisisset aliquid, quòd ad summam Ecclesiæ & dignitatem & perfectionem vocaretur? Verùm ab hoc & flagitio & dedecore longissimè ille absuit. Audi Cassianum. *Archebius raptus de Anachoretarum cœtu, & Episcopus Panephisi oppido datus, tanta districtione omni ævo suo propositum solitudinis custodivit, ut nihil de praterita humilitatis tenore laxaverit, aut de adjecto sibi honore blanditus sit.* *Collat. 11. c. 2.*

---

## CAPUT XLIV. *P. 1. l. 1. c. 32.*

### De habitu civili Clericorum in Oriente per priora quinque sæcula.

*I. Idem erat Clericorum in Oriente, qui Laïcorum habitus, modestior tamen. Probatur ex Eusebio.*

*II. Probatur & ex Scriptoribus aliis. Usitatior erat Romanis vestis alba, quàm nigra.*

*III. IV. Idem aliunde ostenditur.*

*V. VI. Ex sanctis Patribus Clericorum privata ac propria vestis civilis nulla erat.*

*VII. Dionysius habitum & Tonsuram Monachorum describit, Clericorum jus sua omittit.*

*VIII. Alia ex Theodoreto ducantur & argumenta & exempla.*

*IX. X. Ex Concilio Gangrensi quid sint vestes, de quibus ibi mentio.*

I. AD Ecclesiam Græcam venio, ubi manifestè videas, prioribus quinque sæculis id studio fuisse Clericis, ut quantùm abesse vellent à laicorum vitiis, tantùm ad illorum habitum accederent & vitam civilem, hoc unum sequuti, ut virtute & modestia disjungerentur. Origenes apud *Euseb. l. 6. c. 19.* Eusebium dicit, Heraclam cùm profanæ Philosophiæ studium cupidissimè esset amplexus, ejus etiam sumpsisse habitum & hactenus gestasse. φιλόσοφον ἀναλαβὼν σχῆμα. Philosophicus autem habitus utique laïcorum erat. Alibi verò idem Eusebius de Constantino Imperatore agens, ait ab eo invitatos ad mensam regiam Episcopos, quòd oculis fidei illuminatis eos intueretur vestitu quidem viles & aspernabiles, sed virtutibus circumfulgentes. *Mensa ipsius adhibebantur homines vestitu quidem & externo habitu despicabiles, εὐτελεῖς τῇ τοῦ σχήματος περιβολῇ, sed quos ille minimè despicabiles judicabat; quippe qui non externam hominum speciem, sed Deum ipsum introspiceret.* *De vita Constant. l. 1. c. 42.* Pallio Philosophorum pro voluntate licebat laicis omnibus uti, quo & usum semper fuisse Edesium Martyrem alio loco narrat Eusebius. *L. De Mart. Palæst. c. 5.* Ex despicabili autem habitu Episcoporum, quos mensæ adhibebat Constantinus, id solùm intellige: summum in illis paupertatis amorem fuisse, quam Philosophi illo suo pallio quodammodo profiterentur.

II. Paulò plus facessit negotii Socrates, cum ait, *Socrates. l. 6. c. 20.* Novatianorum Episcopum Sisinnium pro viro molli ac delicato habitum esse, propterea quòd veste candida uteretur: ἐν ἐσθῆτι λευκῇ; & id tamen quidquid erat criminis eum callidissimè repulisse. Nam interrogatus, cur eam haberet vestem quæ minùs deceret Episcopum? & an alicubi sacri Codices præciperent, uti Episcopi veste essent candi-

de: Respondit, nullibi scriptum esse, nigra uti oportere: porro Christum, Moisen & Eliam visus esse in vestimentis albis: & hoc Salomonis esse consilium: *Sint tibi vestimenta alba.* Quæ si vera sunt, illud intelligas licet, jam tum cœpisse Clericos nigro persæpe uti habitu. At hoc ad colorem habitûs pertinet, non ad formam, quæ alia à communi non erat. Quin & illud ex verbis Socratis elucet, colorem nigrum nondum ab omnibus Clericis susceptum fuisse. Adde & quod narrat Theodorus Lector: Acacium Constantinopolitanum Episcopum, ut testatissimum omnibus faceret Ecclesiæ luctum sæviente Basilisci tyranni persecutione, *Sep sum, & Sedem, & Altare nigris amicivisse.*

Surius die Januar. 20 III. Suppeditat & aliud clarissimum argumentum Cyrillus Monachus in vita sancti Euthymii. Cùm celeberrimus hic Anachoretarum parens, majoris Ecclesiæ Scevophylacem, hoc est, Sacrorum vasorum custodem Anastasium salutaret ita & alloqueretur, acsi putasset illum Patriarcham esse Hierosolymorum: admonitus Patriarcham non esse, propterea quòd *vestes ejus splendida & serica erant, quas quidem non est fas Hierosolymorum Patriarcham induere*: respondit Euthymius illud omen esse futuræ dignitatis. *Hunc vidi candida veste indutum, qualis decet indui Patriarcham.* Hinc liquet nigras vestes nondum fuisse præceptas Clericis, cùm & Patriarchæ ipsi & dignitates Primariæ candido aut splendido quopiam colore uterentur.

IV. Ex Palladio, Chrysostomus paulò ante obitum *vita sua digna candida vestimenta quæsivit, exutusque prioribus, ea sibi induit.* Unde intelligas liberum cuique fuisse, quem vellet colorem adhibere.

V. Gregorius Nazianzenus suam ipsius effigiem expingens in eo poëmate, quod de vita sua scripsit, ait Episcopos quorum erat dissimillimus, in se exarsisse, & ab illis se esse sede Constantinopolitana exturbatum, quod purissimam & frugalissimam vitam cùm ageret, vilissima semper veste uteretur: ἐσθῆμα. At idem in Basilio incredibilem paupertatis amorem prædicans, asserit amplissimo Archiepiscopo unam tantùm fuisse Tunicam,
Orat. 20. & 37. pallium unum: ὃ ἐν χλαῖναν, ἢ τριβώνιον. Advertit & alibi vestium ejus asperitatem; [illegible] Ex quibus appareat, sanctissimos Episcopos iis delectatos esse vestibus, quas & modestia commendaret & simplicitas, immo & nonnunquam vilitas, atque asperitas.

VI. Luculentissimam Athanasius Alexandrinus Episcopus scripsit Epistolam ad Dracontium Monachum, cui cùm eximia virtutum & diuturna documenta viam stravissent ad Episcopatum, is nullatenus adduci poterat, ut electioni suæ assentiretur: veritus nimirum, ut religiosæ vitæ, quam impensissimè amabat sanctitas, cum ea dignitate consistere & habitare simul posset. Commonefaciebat ergo illum Athanasius, posse ab eo in Episcopali officio Monasticæ quoque vitæ retineri sanctitatem, & aliam præterea cumparari longè majorem. Exemplo illi esse sanctissimos plerosque homines, qui cùm è solitudine venissent ad Episcopatum, quæ erant utriusque instituti virtutes propriæ, eas consociassent, mutuoque roborassent subsidio. At in his Athanasius de mutanda veste ne meminit quidem.

VII. Verùm ad Dionysium, qui mira quadam diligentia descripsit consecrationem Monachi, & cum potissimum ritum mysticum, quo deposito habitu sæculari, & novam Religionis indutus vestem, docetur animum deponere sæcularem, & novum induere. *Sacerdos eum signo crucis consignando tondet, tres Personas divina beatitudinis invocando; omnique veste detracta, alia eum induit.* Antequam ad explicandos Monachorum ritus accederet, de Ordinationibus Clericorum fusè dixerat Dionysius. De Tonsura verò, aut proprio Clericorum habitu nec litteram ullam fecerat. Quod autem de Diaconis tantùm, & Presbyteris Episcopisque loquitur, causa in promptu est: Tres hi solum erant divinitus instituti Ordines, tres necessariæ Ecclesiasticæ Hierarchiæ partes. Eccles. Hier. c. 6. Cap. 5. ibidem.

VIII. Dicitur à Theodoreto Jacobus Episcopus Nisibensis, quod sibi imponebatur munus Episcopale, subisse invitus, de vitæ autem Monasticæ asperitate nihil immutasse, ac ne de vestibus quidem quibus inter Monachos in solitudine usus erat. *Montanam illam inhabitationem cùm mutasset, urbanamque non ex animi sententia suscepisset, nec cibum mutavit nec vestitum, sed mutatis locis vita institutio nullam cepit mutationem.* Si quod verò fuisset proprium Clericis aut Episcopis vestimenti genus, in aliquorum quandoque offensionem incurrissent Monachi, qui Episcopali aut Clericali vesti suam præposuissent. Cùm autem omnia Episcopi Clericique communia haberent cum laicis indumenta, cum Romanis, inquam, togatis, vel cum Orientalibus qui oblongis semper delectati sunt vestibus, haud ægrè patiebantur ut Monachi ad Episcopales infulas adsciti, Monasticum servarent & vestitum & reliquum vitæ institutum. Idem & de Aphtonio sanctissimo Eremi incola affirmat idem Theodoretus. *Cùm annos amplius quadraginta choro præfuisset, Sedem ascendit Pontificalem, nec pallium mutans asceticum, nec tunicam caprarum è pilis contextam; cibisque iisdem utens, quibus ante Episcopatum vescebatur.* Scilicet erubuissent præstantissimi viri, cùm Monasticis insenuissent exercitiis, venerandam canitiem quacumque fœdare vestium molliorum aut morum mutatione. Ita factum est, ut in Oriente, æquè ac in Occidente Episcoporum pars magna sensim Monasticæ disciplinæ & professioni se implicuerit; ex eaque Episcopi deinceps omnes multa hauserint, quæ suum in ordinem transferrent. Qui ea solùm conditione suscipiebant Episcopatum, ut aliquando liceret ad solitudinem remigrare, uti fecit Abrahames, ii certè ab habitu aliqua in re aut victu mutando longè aberant. Denique ne Theodoretus quidem ipse hæc exempla protulit, nisi postquam & ipse exemplo aliis fuerat. Ut enim refelleret hominum maledicentiam, eò adactus est, ut & ipse in sui commendationem hæc referret; cùm esset vi facta abreptus è Monasterio, ubi juvenilem ætatem egerat & Episcopali sede evectus, pristinam paupertatem, vestiumque vilitatem se retinuisse, his ipse verbis testatur: *Præter panniculos quibus amictus sum, nihil volui possidere.* Hist. Rel. c. 1. Ibid. c. 5. τῷ ἀσκητικῷ συνόντι. Ibid. c. 17. Epist. 81.

IX. Anathema dicit Concilium Gangrense Monachis iis qui pallio, περιβολαίῳ non contenti impune indui; quasi tota esset in veste pietas: alios stultè aspernabantur qui βήρους, hoc est, byrrhos gererent. Quo ex Canone hoc exculpimus, solis Monachis licuisse, vestem ut haberent propriam, dum ne alios ineptè condemnarent: cæteros autem Fideles omnes, ne ipsis quidem Clericis exceptis, ea uti solitos quæ communis esset, & in usu civili, τῷ ἄλλα κοινῷ, ἢ ἐν συνηθείᾳ ὄντι ἐσθῆτι. Quòd si vestis illa vulgaris, βήρος, idem est ac byrrhus Latinorum, ut suadet & vocum similitudo, & veterum Can. 12.

Interpretum consensus, jure colligam ex verbis Pontii, in ea veste fuisse Cyprianum, cùm capite truncatus est, quæ tum erat populo communis. *Ibi lacerno se byrrho expoliavit, & genua in terram flexit, & cùm se dalmatica expoliasset, in linea remansit. Lacernam & byrrhum* unum & idem esse plerique doctissimi viri consentiunt. Quare & utrumque conjunxit Pontius. Vulgi hæc erat vestis exterior, cùm viri honoratiores togam vulgò gererent. Byrrhum ergo primùm Cyprianus exuit, deinde Dalmaticam: quod genus vestis omnes & profanum fuisse & commune apud Romanos sciunt. His tandem depositis remansit in tunica *linea*, & ita mortem Obiit. Author est Augustinus byrrhos fuisse etiam quosdam magni pretii, quibus Episcopi quandoque uterentur: quibus ipse tamen abstinebat sese, quòd non eo esset splendore natalium, non ea etiam opulentia: *Byrrhum pretiosum fortè decet Episcopum, quamvis non deceat Augustinum: id est, hominem pauperem, de pauperibus natum.* Byrrho ergo ejusmodi utebatur Augustinus, qui esset aliis Clericis communis, ut ibidem ipse observat. Porro byrrhum Clericis omnibus communem fuisse ita docet Severus Sulpitius, ubi cum illis expostulat Clericis, qui molliùs & delicatiùs indui tunc cœperunt, cùm Clero adscripti fuere. *Si quis Clericus fuerit effectus, dilatat continuò fimbrias suas, vestem respuit grossiorem, indumentum molle desiderat. Atque hac charis viduis & familiaribus tributa mandat virginibus, illa ut byrrhum rigentem, hac ut fluentem texat lacernam.* Non objurgat hos Sulpitius Clericos, quasi proprio nollent uti habitu; sed quòd eas jam refugerent, quibus antè induebantur vestes rudiores, quasi fecisset eos Clericatus ipse molliores.

De Divers. serm. 50.

Dial. 2. c. 14.

X. Cùm ergo sancti Patres doceant byrrhum communem fuisse Clericis vestem, laicis vero Concilium Gangrense, hinc colligendum est nullo penitus privato vestimenti genere Clericos à laicis discretos fuisse. Ad illustrandum magis magisque Canonem hunc Gangrensem, unum illud Cassiani adjiciam, ex quo effulgeat quid esset discriminis inter Monachorum vestes, quæ *Pallia* aut *Masortes* dicebantur; & sæcularium, quæ *Planetica* aut *Byrrhi*. Ita ergo habet Cassianus: *Post hæc angusto palliolo, tam amictûs humilitatem, quàm vilitatem pretii, compendiumque spectantes, colla pariter atque humeros tegunt: quæ Masortes tam nostro quàm ipsorum nuncupantur eloquio, & ita Planeticarum atque byrrhorum pretia simul ambitionemque declinant.* Ita ergo discrepabant Monachorum sæculariumque vestes; illæ tum strictiores, tum viles & rudes; hæ majoris pretii, & laxiores.

L. 1. de habitu Monac. c. 7.

## CAPUT XLV. *P. 1. l. 2. c. 33.*

### De sacris vestibus in ministerio Altaris, prioribus quinque sæculis.

*I. Propria semper fuere pro rebus sacris agendis vestes, eæque subinde plures.*
*II. De beati Joannis Lamina & Tiara Pontificali.*
*III. Item de beato Jacobo.*
*IV. V. De veterum Episcoporum mitra.*
*VI. Per eam coronam adjurabantur Episcopi. De corona ea quam Constantinus Sylvestro, & alia quam Cyrillo dedit Cœlestinus Papa.*
*VII. Quæ esset conjuncta cum corona Pontificia.*
*VIII. De Pallio, quo ornatu regio Episcopos donavit Constantinus.*
*IX. An illud idem esset, quo utebantur inter Gentiles summi Pontifices.*
*X. De Græcorum Episcoporum Pallio.*
*XI. De Diaconorum stola.*
*XII. Cur dicatur Orarium.*
*XIII. Principio abstergendæ fronti destinata est, uti & Manipulus.*
*XIV. Decretum Stephani Papæ, de civilis & sacræ vestis distinctione.*
*XV. Probatur ea distinctio ex Hieronymo.*
*XVI. Casulam, Planetam, Dalmaticam promiscuè in usu fuisse, & sacro, & civili.*
*XVII. De Alba, communis illa quidem, sed quæ & eximio candore, & pretiosiore ornatu rei sacræ facta propria est.*
*XVIII. Cur Pallium, cur Stola morum hodie locum est.*

I. Metuendum profectò esset, ne quis ex iis quæ dicta sunt, id colligeret, in rebus sacris & civilibus easdem prorsus vestes in usu fuisse; nisi quàm frustrà & temerè id conjiceretur, hîc apertum perspicuumque à nobis fieret. Rebus ergo omnibus diligentissimè libratis & inter se collatis, dico Ecclesiæ sua semper ornamenta propria, propria vestimenta fuisse, tum in Altaris ministerio, tum in Officiis divinis: etsi ea maxima ex parte communium vestium simillima essent; nec ad eam, qua nunc abundamus, & diversitatem & multitudinem, nisi annis plurimis & sæculis volventibus deventum sit.

Joannes Diaconus ille ipse qui vitam scripsit Gregorii Magni, existimat B. Joannis tunicam quæ Romæ religiosissimè servatur, fuisse vestem sacerdotalem, qua in celebrandis Mysteriis uteretur: *Evangelistam qui per tot annos post passionem Domini Pontificium gerens, Missarum solemnia frequentissimè celebrabat, sine sacerdotalibus esse vestibus nequaquam potuisse.* At ejusmodi ea quidem res est, quæ graviorem etiam authorem desideret. Christum constat in habitu fuisse communi cum sacrificium istud instituit. Constat & in hoc Christum sequutos Apostolos, quandiu saltem sacra mensa cum communi fuit conjuncta. Quæ omnino cum Joannis Diaconi conjectura non consentiunt.

L. 3. c. 59.

II. Narrat Eusebius Joannem hunc ipsum Evangelistam, Pontifex Christi cùm esset, gestasse laminam in fronte. Id mendicatum est ex Epistola Polycratis Episcopi Ephesini, ubi Ecclesiæ suæ traditiones edisserit. ὃ πέταλον πεφορηκώς. Idem habet Hieronymus qui & illud innuit, id quod olim apud Judæos summi Pontificis esset proprium, fecisse Joannem, non ut Legis Pontificem, sed Christi. Pontificis enim Aaronici proprium insigne fuerat ea lamina. *Supra pectus Domini recubuit, & Pontifex ejus fuit; auream laminam in fronte portans.* Nec pluribus opus est, ut intelligas, ab ipsis Evangelii primordiis, & Apostolos, & Apostolorum successores Episcopos in agendis rebus divinis proprias habuisse vestes quasdam, huic uni consecratas ministerio, tametsi & pauciores primò fuerint, & earum nec eadem, nec omnia statim ornamenta, quorum per longam sæculorum seriem ingens accessio facta est.

L. 3. c. 31. L. 5. c. 24.

De Script. Eccl.

III. De Jacobo fratre Domini, & Episcopo Hierosolymitano affirmat Epiphanius, authoritate fretus Eusebii & Clementis Alexandrini, eum quoque laminam Pontificalem fronti appensam gestasse, veluti tesseram Christi Pontificatûs, cujus & ipse consortium nactus erat. Verba Epiphanii ejusmodi sunt: *Sed & Bracteam eidem in capite gestare licuisse, Eusebius, Clemens, & alii idonei Scriptores Commentariis suis testatum reliquerunt. Quocirca Sacerdos, ut diximus, Jesus Christus Dominus noster in*

Epiphanius Hæresi 29.

*æternum fuit, secundùm ordinem Melchisedech, idemque Rex secundùm superiorem ac cælestem ordinem, ut unà cum lege sacerdotium transferret, &c. In Davidis Solio consedet Christus, propterea quod Davidis regnum transtulit, idque ipsum unà cum Pontificatu servis suis indulsit, hoc est, Ecclesiæ Catholicæ Pontificibus.* Gestabat ergo ex Epiphanio auream hanc laminam Apostolus uterque, tanquam insigne Sacerdotii ac Regni spiritalis, quod & ipse Christus gessit in terris, & æternum, quantum quantum est, Apostolis & Ecclesiæ transmisit.

IV. Illud porro observes velim: & Polycrati Ephesino Episcopo, & Presbytero Alexandrino Clementi de Joanne & Jacobo Apostolis ita testificantibus, tantò majorem deberi fidem, quantò propiores erant iis temporibus, quibus hi Apostoli orbi universo illuxere. Cùm enim exeunte secundo Ecclesiæ sæculo, & ineunte tertio vixerint, cum Apostolorum discipulis ipsissimis versari potuere. Cæterùm Apostoli cùm Regalis Christi Sacerdotii, quod sibi traditum esse cernerent, magnam omnino præceptam animo haberent opinionem, intelligerentque in veteri Lege præscriptum esse à Deo, ut Pontifices summi in fungendo munere Prophetici Sacerdotii certis quibusdam ac propriis uterentur vestibus, non potuere, quin & suas Ecclesiæ Sacerdotales attribuerent vestes, unde sacerdotii sanctitas apud Fidelium vulgus majore in honore esset. Nam etsi nostrum hoc Sacerdotium supra veteris umbras & figuras longè excellat, nudam tamen in se & apertam nondum veritatem habet; sed signis adhuc sensibilibus obvelatum est.

V. Hujus fortasse Laminæ seu Coronæ Apostolicæ instar, veteres primorum temporum Episcopi Mitram in capite, seu Coronam inter Mysteriorum solemnia gestavere. Victus à Theodosio in Africa tyrannus Masciael, ut Imperatoris sibi conciliaret gratiam, *Militaria signa, & coronam Sacerdotalem cum cæteris quæ interceperat, nihil cunctatus restituit, ut præceptum est.* (Ammian. Marcel. l. 29. Baron. an. 14 n. 298) Verba hæc ipsa sunt Ammiani Marcellini. Est autem simillimum veri, laminam illam Pontificalem Joannis alicui fuisse vel Mitræ vel Coronæ illigatam. Ennodius in Epigrammate Ambrosium cum Mitra exhibet. *Sacra redimitus gestabat lucida fronte, distincta gemmis.* Eusebius in ea quam habuit oratione ad Episcopos in Dedicatione Ecclesiæ Tyri, ita loquitur: (L. 10. c. 4.) *Amici Dei & Sacerdotes, qui sacra tunica talari induti, & cælesti gloria corona decorati, & Sacerdotali sancti Spiritûs veste amicti estis.* Coronas ergo illis vestesque adsignat sacerdotales. Idem habet & Gregorius Nazianzenus, ubi de sui consecratione loquitur, Coronam Pontificiam vestibus sacerdotalibus adjungens: *Idcirco me Pontificem ungis ac podere cingis, capitique cidarim imponis.*

VI. Est autem credibile admodum, Coronam de qua antè diximus, per quam adjurari solerent Episcopi, eam ipsam fuisse quam testatissimam hic & certissimam videmus. Græci mediæ ætatis opinati sunt Mitram seu Coronam Pontificiam Episcopis Alexandrinis tum esse permissam à Cælestino, cum ipsam Cyrillo concessit, ut Ephesino Concilio vice sua præsideret. Ita sentit & Balsamon, ita tamen ut putet id Beneficium unum ex iis esse, quæ in Constantini donatione continebantur; hunc enim Sylvestro Papæ Regiæ dignitatis contulisse insignia, & maximè coronam. Quæ omnia sanè parùm habent verisimilitudinis. Probabiliora non paulò illa sunt, quæ de corona sacerdotali ante Constantini tempora dicta sunt, quàm quæ de ejus donatione circumferuntur. Hoc tamen è Græcorum fabulis, & præjudicatis eorum qui Constantini donationem fabricavere opinionibus conficitur, in ea omnes fuisse sententia, ut crederent Episcopos à primis usque sæculis Coronam habuisse regiam, quæ postea in eorum gratiam facta sit sacerdotalis. Quid Cælestinus Cyrillo contulerit, ita edisserit Balsamon: *Hujus quoque temporis Patriarcha Alexandrinus jus habet ex hoc Edicto, ut cum Phrygio celebret. Habuit autem hanc facultatem sanctus Cyrillus Alexandrinus à Romano Papa Cælestino, quando coacta est Synodus Ephesina adversùs Nestorium. Cùm non posset Cælestinus adesse Ephesi & judicare Nestorium, visum est ut sancto Cyrillo à Cælestino permitteretur huic Synodo præsidere. Ut itaque constaret eum habere jus & authoritatem Papæ, sedit cum Phrygio, & condemnavit Nestorium.*

VII. Post munitam tot & tantis argumentis coronam Pontificum Christi, nunc ad illa veniendum est quæ cum illa conjuncta sunt ornamenta, & eam solent comitari. Quis enim credat Apostolos Apostolorumque successores de ornando cogitasse capite propter sacrificium Agni Dominatoris terræ, de cætero verò nil pensi habuisse qui habitus pretiosissimam hanc coronam deceret? Hinc est quod Eusebius & Gregorius Nazianzenus coronam & vestes sacerdotales in unum orationis suæ locum conjecere. Hinc in Apocalypsi Christum Filium Dei, si quando cum pompa apparet, vestitum podere videas. Communis & usitatissima erat per totum Imperium Romanum vestis oblonga; verùm ita ut alia esset vulgaris & in usu quotidiano, alia solemnior, & propria cæremoniarum, seu civilium, seu sacrarum. Sacerdotum & Levitarum veteris Legis eædem erant in usu civili vestes quæ populi; at in sacro & religioso prorsus diversæ. Id, & alia non pauca à Synagoga sumpsit Ecclesia. Nisi malis è naturæ ipsius penu depromptum id fuisse, cùm quidquid usquam gentium est, quasi exaudita ipsius naturæ magistræ communis voce, sacras vestes à communibus discreverit.

VIII. In iis quæ Ecclesiæ Constantinus liberalissimè concessit, Pallia, Cappásve pretiosissimas annumeres licet, quæ ab illo accepere Episcopi, ut majore cum pompa diebus solemnioribus celebrarent Mysteria. (Theodoret. L. 2. c. 27.) Data tantùm occasione Theodoretus ejus Stolæ sacræ meminit, quam olim Constantinus Macario Episcopo Hierosolymitano gestandam dederat tum, cùm solemni ritu baptizaret. Eam distraxit postea Cyrillus ejusdem Sedis Episcopus, quam cùm emisset Comœdus & induisset, processit in Theatrum. Nec impunè tamen. Inter agendum enim fabulam suam, collapsus interiit. Re ad Constantium Imperatorem delata, vehementissimè ille in Cyrillum exarsit. *Sacram Stolam,* ἱερὰν στολὴν, *aureis filis contextam, quam Imperator Constantinus Macario dederat, &c.* Dubitare possis, an ejusmodi cappa ex iis esset quas vulgò haberent Episcopi, hoc solo pretiosior, quòd illam donasset Imperator? An esset ipsum Regale Pallium, quo & spiritale Episcoporum regnum ornari pro sua summa pietate voluit; ut & ipsum Imperiale fastigium è summa sacerdotii majestate novi aliquid splendoris acciperet.

IX. Hoc postremum si amplectare, rectè conjicies primam hanc esse Pallii Archiepiscopalis originem. Neque id negari potest, de solo Imperatorum consensu sæculis aliquot ab ipsis etiam summis Pontificibus collatum fuisse. Solius pallii Imperialis

qood Episcopo Hierosolymitano datum est, Theodoretus meminit, quia de ejusmodi aliis, quæ idem Imperator largitus est, occasio dicendi non fuit. Neque hic omitti velim, aut temerè rejici eorum conjecturam, id ipsum Pallium esse, quod Imperarores Romani, aotequam venissent ad fidem, à summis Gentiliom Pontificibus sumpserant: quippe cùm & ipsi unà cum Imperio summum etiam gererent Pontificatum. Observat enim in eo sermone, quem de Theodoro Martyre habuit Gregorius, Imperatores summorum Poutificum officium sibi sumpsisse & habitum, purpuram scilicet minùs splendidam & fusciorem. Porro nemo nescit, Christianos usque ad Gratianum Imperatores omoes summorum etiam Pontificum nomen retinuisse.

X. Verùm nihil admodum interest utram amplectaris sententiam. Sive enim sint à Gentilium Pontificibus vestes, sive ab Imperatoribus sumptæ, sive ipsis Imperatoribus Christianis antiquiores; constat perinde in rebus divinis alias omnino fuisse, quàm in usu communi. Occurrent in Bibliotheca Photii Acta, in quibus dicitur Metrophanes Episcopus Constantinopolitanus præsente Constantino Imperatore, cùm super altare Pallium, seu Cappam ὠμοφόριον deposuisset, jussissetque Alexandro in manum tradi, sibi eum in successorem designasse. Ejusmodi vestem Pontificiam ita describit Isidorus Pelusiota, ut dicat laneam esse, non lineam, quam in celebrandis Mysteriis induat Episcopus, inde dictam, quòd ejus humeros tegat; ea autem exhiberi errantem ovem, quam in ovile Pastor referat.

*Cod. 256.*

*L. 1. Ep. 136.*

*Ibidem.*

XI. Quod ad vestes spectat alias, docet idem Isidorus, eo linteo, in quo Diaconus ministrat sacrificio, illud significari quo præcinctus Dominus pedes lavit discipulorum. Illud observatum jàm erat à Gregorio Nazianzeno, Clerum omnem inter divina Officia albis candicantibusque vestibus resplenduisse. *Ministri in splendidis vestibus astabant, fulgoris Angelici imagines.* Chrysostomus Diaconis præsertim illas vendicat Stolas candidas, & instar alarom Angelicarum pervolitantes: *Recordamini tremendorum Mysteriorum & Ministrorum divini Sacrificii, tenuibus linteis super sinistros humeros impositis Angelorum alas imitantium, & per Ecclesias discurrentium.* Hæc ipsa Stola est, quam ὠράριον appellat Laodicena Synodus, & cujus interdicit usu Subdiaconis, aliisque Ministris inferioribus.

*Hom. de filio prodigo.*

XII. Vocis hujus quæ à Latinis originem ducit explicatio, oon intempestivè nos ab Ecclesia Græca ad Latinam deducet. Orarium dicebant Latini olim illud linteolum, quo narium excipitur pituita. In funebri oratione, quam de Satyro fratre habuit Ambrosius, illum oarrat, io improviso naufragii discrimine præcipitem se io mare dejecisse, illigata orario Eucharistia quam gestabat, colloque circumligata. *Etenim ligari fecit in orario, & orarium involvit in collo, & ita se dejecit in mare.* Narrat idem Ambrosius jactata fuisse oraria super inventa recentissimè sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii corpora: *quanta oraria jactantur.* Porro hæc deinceps oraria sacrorum instar pignorum habebantur. Dicitur à Vopisco Aurelianus Imperator, *donasse etiam populo Romano Tunicas albas manicatas ex diversis Provinciis, & lineas Afras, atque Ægyptias puras; ipsumque primum donasse oraria populo Romano, quibus uteretur ad favorem.*

*Epist. 85.*

XIII. Mirum ergo videri noo debet, si quæ Stolæ apud Chrysostomum albæ, volaticæ, lineæ, Diaconorumqoe ab ipso usque Concilio Nicæno fuere propriæ, hæ initio essent parata detergendo sudori, & pituitæ humorique abundantiori linteola. Cùm in eo omnes consentiant, quem Manipulum nunc io sacris vestibus habemus, eidem usui ab initio præparatum fuisse. Stolæ Diaconorum & Manipuli Subdiacooorum origo eadem, eadem sors omnino fuit. Erant enim principio ei rei, aut propè simili destinata lintea. Fecit autem summa erga Sacrificium reverentia, ut tanta paulatim cura, tanta arte decorarentur, ut jam essent pretiosissima & honoratissima ornamenta, quorum in antiquiorem usum linteola alia substitui oporteret. Ita cum mutatus usus orarii est, mappula pro oratio fuit, seu Manipulus pro linteolo. Et cùm decorata deinde auro & opere Phrygio Mappula io ornamentum sacrum evasit, communia linteola alia ad abstergendum frontem naresque in usu esse cœpere.

XIV. Neque tamen inde inferas, easdem olim sacras fuisse vestes, atque civiles. Cùm è contrario, quæ civiles fuerant, ubi sacris adhiberentur altaribus, jam sacræ & ipsæ fierent, nec ad usum vulgarem amplius possent revocari. Hoc apertè habet Decretum Stephani Papæ, qui anno 260. Martyr obiit. *Hic constituit Sacerdotes & Levitas vestibus sacratis in usu quotidiano non uti, & nisi in Ecclesia tantùm.* Decretum hoc citat è libro Pontificali Valafridus Strabo, & ex eo infert ante Stephani Papæ tempora in veste communi celebratum fuisse: *Vestes sacerdotales per incrementa ad eum qui nunc habetur, aucta sunt ornatum. Nam primis temporibus communi indumento vestiti, Missas agebant, sicut & hactenus quidam Orientalium facere probibentur.* Vereor ne conclusio hæc latiùs pateat, quàm par sit. Nam etsi sequentibus sæculis vestes sacræ pretio, ornatu, & numero creverint; etsi ad vetustiores Romanorum, Græcorum, & Orientalium habitus plurimùm semper accesserint sacræ vestes: quæ tamen in hoc caput congesta hìc à nobis sunt, ejusmodi sunt, quæ persuadeant ante Stephani tempora, & ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio certas quasdam & proprias semper in sacrificio peragendo vestes esse usurpatas.

*Baron. ann. 260. n. 6.*

XV. Hieronymus in Ezechielem habitum sacrum à communi distare apertè demonstrat: *Per quæ discimus non quotidianis & quibuslibet pro usu vitæ communis pollutis vestibus nos ingredi debere in Sancta Sanctorum, sed munda conscientia & mundis vestibus tenere Domini sacramenta, &c. Porro Religio divina alterum habitum habet in ministerio, alterum in usu vitaque communi.* Neque negaverim in eo tantùm videri ponere discrimen, quòd vestes sacræ mundiores essent & splendidiores, quò puritas conscientiæ sacris Ministris commendetur: *Munda conscientia, mundis vestibus tenere Domini sacramenta.* Unde & alibi: *Si Episcopus, si Presbyter, Diaconus & reliquus ordo Ecclesiasticus in administratione Sacrificiorum candida veste processerit.*

*In c. 44. Ezech.*

*Con. Pelag. L. 1.*

XVI. Et certè vix aliud poterat iis temporibus inveniri discrimen, cùm & omnes veste oblongiore uterentur, linea passim & lanea tunica; & ad varietatem atque ornatum luxus & commoditas exquisisset, & adjecisset tam multa, ut quod adderetur reliquum esset nihil. Tum erat profectò difficillimum, habitum quemquam sacris Ministris attribui, qui antè usu civili profanatus non esset. Inde factum est, ut vestium sacrarum eadem essent nomina, eadem forma, quæ civilium. Dabant tamen operam, ut intercesset discriminis aliquid; ut

aut

aut candidiores, aut nitidiores, aut pretiosiores essent, ut patet ex iis quæ dixit Hieronymus, tum de veste candida Clericorum, dum Altari assistunt, tum de pretiosissimo illo pallio, quo Macarium Episcopum Hierosolymitanum donavit Constantinus Imperator. Cassianus ubi vilem Monachorum habitum opponit insano sæcularium habitûs luxui, L. 1. de habit. Monac. c. 7. ita loquitur: *Et ita planeticarum atque byrrhorum pretia simul ambitionemque declinant.* Si planetica in usu erat laïcorum, erat utique & casula ex Ferrando Diacono in vita Fulgentii, ubi hæc habet de Cap. 18. Fulgentio ejusque Monachis: *Casulam pretiosam vel superbi coloris nec ipse habuit, nec Monachos suos habere permisit. Subtus casulam nigello vel lactinio pallio circumdatus incessit. Quando temperies aëris invitabat, solo pallio intra Monasterium est coopertus.* Hæ igitur erant domi vestes, at ad Altare istæ: *In qua tunica dormiebat, in ipsa sacrificabat; & in tempore sacrificii mutanda esse potiùs corda, quàm vestimenta dicebat.* Ex hac propria & singulari Fulgentii consuetudine aliis omnibus usitatissimum colligitur fuisse, ut aliæ omnino, eæque nitidiores vestes in sacro ministerio haberentur. Quòd autem tunicam non mutaret Fulgentius, id à Ferrando propterea observatum est, ut intelligas, ejus castimoniæ fuisse Fulgentium, ut etiam à nocturnis per somnum immunditiis liber esset. Quibus verò id donatum non erat, antequam celebrandis Mysteriis sacerdotales vestes induerent, ipsam etiam tunicam mutabant. Dicam infrà simili ferè de causa certis quibusdam in locis factum esse, ut primùm Albam sine manicis quandam induerent, quæ vestis media esset sacram inter & communem: ut ne communi & minùs puræ quandoque vesti statim sacra imponeretur. Apud Joannem Diaconum in vita Gregorii sermo est de picta quadam Gordiani, patris ejusdem Gregorii Papæ imagine: *Cujus Gordiani habitus castanei coloris Planeta est, sub Planeta Dalmatica.* Unde L. 4. c. 83. Baronius conjicit Gordianum priùs sacros suscepisse Ordines, quàm è vita migraret. Verùm non satis firmis nititur hæc conjectura rationibus. Adde quòd Casula, Planeta, Dalmatica, Penula communi essent in usu laïcorum. Unde & Baronius ipse subdubitans, & tantùm non priorem suam retractans conjecturam, subjicit: *Attentiùs tu considera, quem reddat pictura, Senatorem, vel Diaconum.*

XVII. Ascitæ sunt & Albæ à communi usu ad sacrum. A Vopisco jam accepimus Aurelianum populo donasse *Tunicas albas, manicatas, ex diversis Provinciis, & lineas Afras, atque Ægyptias puras.* Albam Afram habebat sine dubio Cyprianus, quem in obeundo martyrio Pontius dicit, *stetisse in linea.* Talem fortè Tunicam testamento dedit Nepotianus Hiero. Epist. ad Heliod. Hieronymo. *Tunicam qua utebar in ministerio Christi.* Ex his alias fuisse simplices ac sine opere *puras* dicit Vopiscus: alias verò serico, purpura, auro intertextas & decoratas. Dubium autem non est, quin ad res sacras pretiosissima quæque servarentur. Unde cum apud Optatum dicitur Imperator, L. 2. *misisse ornamenta domibus Dei*: ea profectò misit, quæ Regiæ liberalitatis decerent magnificentiam. In Aurelia-no. Docet idem Vopiscus, qua ratione Albæ lineæ ornarentur, appositis scilicet loris aut fimbriis purpureis, aut ejusmodi aliis, duabus, pluribusve, unde earum diversa nomina. *Et quidem aliis monolores, aliis dilores, trilores aliis, & usque ad pentalores, quales hodie linea sunt.* Ita prout pretiosiora hæc lora multiplicabantur, diversa & Tunicæ sortie- Can. 41. bantur nomina. Statuit Concilium Carthaginen-



se IV. *ut Diaconus tempore oblationis tantùm vel lectionis Alba utatur.* Unde conjecturam capere possis Episcopos & Presbyteros etiam alio tempore usos esse, sive in decantandis divinis Officiis in Ecclesia, sive extrà inter agendas res civiles, ut ubique discernerentur à laïcis, & convenientem ubique Sacerdotio sanctitatem præ se ferre admonerentur. Ea res sequentibus sæculis accuratiùs declarabitur. Non est autem hîc omittendum, quod dicitur à Chrysostomo, Diaconos *Tunicam indui candidissimam*, λευκὸν χιτῶνα, ἢ ἀποστίλβοντα. Longè enim aliud est album & candidum. Candidum enim dicitur quod, ut hîc vides, candore eximio fulgurat & pene præstringit oculos. Hom. 83. in Matth.

XVIII. Denique ut finem faciam, juvat id observare, lora illa seu fimbrias pretiosiores, quibus, ut è Vopisco diximus, solemniores vestes ad pompam ornabantur, conferre posse plurimum ad ea elucidanda, quæ ad Diaconorum stolam & ad Archiepiscoporum pallium pertinent. Hoc enim habent commune stola & pallium, quòd cùm utrumque vestis sit integra, qua totum penitus corpus tegeretur; ita enim in sacris Codicibus, ita apud Josephum & profanos Scriptores omnes vox ea sumitur: hodie utrumque nonnisi lorum sit angustius. Cùm ergo in ejusmodi loris ac limbis purpureis, aut acu pictis, vestis pretium & ornatus omnis esset, detracta de communi veste illa sunt, ut & gestarentur faciliùs & commodiùs mitterentur. Id probè viderat author Donationis Constantinianæ, ubi Imperatorem de Sylvestro ita loquentem inducit, *Nos certè ipsius capiti radiantissimum lorum imposuimus*: hoc est, Coronam aut Diadema. Pallium enim ibidem his mox verbis designatur: *Lorum & humerale, quod Imperatoria Majestatis collum cingit.* Idem ferè in manipulo factum est. Qui erat ornamento, relictus limbus est; quod erat lintei, ut in stola, sublatum. Fateor autem assequi me nondum potuisse, cur *orarium & sudarium*, quod erat *ad detergendum oris sudorem*, stolæ nomine sit appellatum.

---

## CAPUT XLVI. *P. 2. l. 1. c. 22.*

### De habitu civili Clericorum in Oriente & Occidente sæculo VI. VII. & VIII.

*I. Sexto septimoque sæculo jam erat in Francia civilis Clericorum habitus alius à Laïcorum.*

*II. III. Modestior & semper oblongus.*

*IV. Episcopi vestis semper erat linea: Presbyteri verò tum, cùm concionarentur, Monachi verò lanea.*

*V. Vestis Imperialis communicata cum Regibus & Episcopis est.*

*VI. VII. In Italia apud Gregorium Clerici semper à Laïcis habitu distinguuntur. Propter Barbaras Gentes involuerat apud laïcos usus vestis brevioris. Retinuit Ecclesia Romana Romanum habitum & sermonem.*

*VIII. Crebra illa Clericalis & secularis habitus mentio, docet minùs antiquam esse utriusque habitus differentiam, quippe quæ quatuor aut quinque sæculis prioribus ignoraretur.*

*IX. X. Idem in Oriente observes licet, ubi Clericalis à laïco habitus sola modestia discrepabat.*

I. SExto jam septimoque sæculo indubitatissimè alius à laïco fuit Clericorum habitus. Id jam animadvertere licuit in nonnullis suprà citatis locis. Concilium Agathense post præscriptam Clericis Tonsuram, ad vestes accedit: *Vestimenta* Can. 20. *vel calceamenta etiam eis, nisi quæ religionem deceant, uti vel habere non liceat.* Matisconense I. habitu sæ- Can. 5. culari Clericis interdicit, præsertim militari, item-

que armorum gestatione, carcere alioqui mulctandis & austeritate jejuniorum: *Vt nullus Clericus sagum, aut vestimenta vel calceamenta sæcularia, nisi quæ religioni deceant, induere præsumat. Quod si post hanc definitionem Clericus aut cum indecenti veste, aut cum armis inventus fuerit, à Seniore ita coërceatur, ut triginta dierum inclusione detentus, aqua tantùm & modico pane diebus singulis sustentetur.* Increbrescebat in dies singulos usus brevioris vestis, quæ nomine *sagi* eo loco videri potest vetita fuisse Clericis, confirmari autem ex adverso Togæ Romanæ usus. (Can. 1.)

II. Synodus Narbonensis anni 589. purpureis uti vestibus Clericos prohibet, ut quæ vel Magistratibus magis consentaneæ sint, vel sæcularibus inani nobilitatis & gloriæ jactantia tumentibus: *Vt nullus Clericorum vestimenta purpurea induat, quæ ad jactantiam pertinent mundialem, non ad religiosam dignitatem. Vt sicut est devotio in mente, ita & ostendatur in corpore. Quia purpura maximè laicorum potestate præditis debetur, non religiosis.* Duo hîc obiter adnotanda. 1. Non ornandæ personæ causâ uti purpura oportere laïcos, sed commendandæ dignitatis, ejusque potestatis quæ à Principe in eos derivatur ad Reipublicæ regimen tutius & religiosius. 2. At qui in dignitate Ecclesiastica sunt, eos modestia potiùs quàm pompa vestium spectabiles & venerabiles fieri oportere; ut quam animo impressam gerunt virtutem, humilitatis & paupertatis studio conjunctam, ea & in corpore elucescat. *Vt sicut est devotio in mente, ita & ostendatur in corpore.*

(Can. 7.) III. Vetuit Concilium Liptinense anni 743. ne breviori veste uterentur Presbyteri & Diaconi. De minoribus Clericis tacuit, quòd ea esset octavo sæculo malorum colluvio, ut omnibus simul occurri non posset. *Vt Presbyteri vel Diaconi non sagis laïcorum more, sed casulis utantur, ritu servorum Dei.* Idem ut puto, sensus est Canonis Concilii Suessionensis altero pòst anno habiti: *Nec laicorum habitum portent omnes Clerici.* Concilium verò à Bonifacio Germaniæ Apostolo habitum tria hæc vestium genera confixit, ut ne iis unquam Clerici uterentur, id est, vel decurtatis, vel militaribus, vel pompam redolentibus: *Interdiximus servis Dei, ne pompatico habitu, vel sagis, vel armis utantur.* (An. 744. c. 3.) (Bonifacius Epist. 105.)

IV. Ad consulta Pipini Majorem Palatii tunc adhuc agentis, Zacharias Papa respondens, præcipit Episcopis, vestibus ut induantur sacræ dignitati consentientibus: Presbyteris autem seu Parochis ut inter concionandum quidem veste ornatiore utantur ad conciliandam sibi verboque divino apud carnales authoritatem & gratiam: at privatim eam exhibeant foris in veste modestiam & parcimoniam, cujus amor in corde latet servetque. *Et nos ab Apostolica authoritate subjungimus, ut Episcopus juxta dignitatem suam indumentis utatur, simili modo & Presbyteri Cardinales, plebi quidem sibi subjectæ præclariori veste induti, debitum prædicationis persolvant: & in secreto propositum servent sui cordis, ut qui videt in abscondito Deus, reddat illis in palam. Non enim eos honor commendat vestium, sed splendor animarum.* (Conc. Gall. Tom. 1. pag. 563.)

Monachis verò juxta eorum Regulam non concedit hic Pontifex, nisi laneas vestes, sive domi, sive in celebrandis Officiis Ecclesiasticis: *Monachi verò lanea indumenta, juxta normam & regulam Monasticæ disciplinæ, atque traditionem sanctorum probabilium Patrum, sine intermissione utantur.* Addit Pontifex Christum ipsum in Apostolis suis virtutum & regularum Monasticarum formam præmonstrasse, ac vetuisse ne duas haberent tunicas: atque adeo tunicas eis concessisse laneas, lineas abstulisse. *Apostolis quippe divinum datum est mandatum, duas tunicas non habendi. Tunicas dixit Christus, utique laneas, non lineas.* Videtur ergo Pontifex Tunicas lineas seu Albas Monachis prorsus auferre, Presbyteris dum concionantur ad plebem concedere, Episcopis non concedere, ut iis unquam exuantur.

V. Author est Gregorius Turonensis Clodovæum Regem in Ecclesia sancti Martini Turonis induisse sibi tunicam purpuream, chlamydemque & Regiam coronam, quam ad eum miserat Anastasius Imperator, cum Codicillis de Consulatu. *Ab Imperatore Anastasio codicillos de Consulatu accepit, & in Basilica B. Martini tunica blattea indutus est & chlamyde, imponens vertici diadema, &c. Tanquam Consul & Augustus.* Regia ergo ornamenta Imperatores Constantinopolitani cum Christianis Regibus communicavére, quemadmodum & cum Episcopis. Nec enim tunc cuiquam concedebatur purpura, nisi qui & Cæsareæ quodammodo fieret consors potestatis. At præter regias & magnificentiores Episcoporum vestes, erant & in communi Clericis omnibus privata indumenta, quibus æquè ut tonsura à laïcis discernerentur: ut ab eodem Scriptore alibi apertissimè significatur. *Meroveus tonsuratus est, mutatàque veste, qua Clericis uti mos est, Presbyter ordinatur.* (L. 2. c. 38.) (L. 5. c. 14.)

VI. Nec minùs evidenter Gregorius veste ipsa Clericos sua & propria à laïcis dispescit: *Paulum Clericum, qui despecto habitu suo, ad laicam reversus vitam, ad Africam fugerat, prævidimus in pœnitentiam dari.* Et alibi: *Dum ad Ecclesiasticum habitum veniunt, &c. Dum in Ecclesiastico habitu, non dissimiliter quàm vixerunt, vivunt, nequaquam studens sæculum fugere, sed mutare.* Ipsæ conjuges Presbyterorum, vel iis præmortuis superstites viduæ, habitu peculiari suo dignoscebantur: *Abbatissa Monachica veste indui noluerat, sed in vestibus, quibus loci illius utuntur Presbyteræ, permanserat.* Complusula corradi ex eodem Gregorio possent, quibus idem perpetuum enitesceret laïcæ & Clericalis vestis discrimen. Ne Episcopi Clericos plectere cessent ob reverentiam habitûs: *Quos apud vos habitûs sui magis officium commendet, quàm excuset.* Et alibi: *Neophytus nunc est, qui repente in religionis habitu plantatus, ad ambiendos sacros honores irrepserit.* Et alibi rursum: *Quidam instinctu inanis gloriæ illecti, ex laïco repente habitu Sacerdotii honorem arripiunt.* Joannes Diaconus in hujus sanctissimi Papæ vita ait illum cùm Monasticum amplecteretur institutum, *relictis sericis, auro gemmisque radiantibus togis*, sæculo renuntiasse. Idem præstitisset, si tum fuisset initiatus Clericatu, ad quem non multò pòst provexit illum Benedictus Papa, collato Diaconatu, ubi castimonia morum propiùs quàm candore vestium ad Angelorum puritatem accessit. *Vt in Ecclesiastica Hierarchiæ ministerio videretur divinis Angelis non solùm nitere habitûs, verùm etiam claritate morum probabilium quodammodo coæquari.* (L. 5. Ep. 14.) (L. 7. Ep. 11.) (L. 7. Epi. 7. 67. III 115.) (L. 1. c. 15.)

VII. Nihil autem præclarius iis, nihil expressius, quæ idem Scriptor de Gregorii familia dicit. Cum eo enim in Palatio Pontificio laïcus nemo, omnes Clerici, togata in veste omnes, omnes linguæ Romanæ periti. A Barbaris enim ut sermonis barbaries, ita & vestis brevior originem habuit. *Nullus Pontifici famulantium à minimo usque ad maximum, barbarum quidlibet in sermone vel habitu præferebat. Sed togata, Quiritum more, seu trabeata Latinitas suum Latium in ipso Latiali Palatio singulariter* (L. 2. c. 13.)

*obtinebat*. Quo nec verius quidquam, nec in eam rem magis appositum dici potuit. Constat enim Ecclesiam Romanam exundantibus invictissimè obstitisse Barbaris, Romanorumque & puriorem linguam, hoc est, Latinam, & vestem longiorem retinuisse; ita ut illam etiamnum jure dixeris, *Gentemque togatam*, cùm Romani Imperii cætera omnia in Barbarorum vestes decurtatas & sermonem inconditum degenerarint.

VIII. Utque nova rursus ex eodem Gregorio corradam argumenta, sic ille pluribus locis aliis pervagatissimam inculcat distinctionem vestis clericalis & laïcæ; cujusmodi nihil in superioris ævi Scriptoribus observari poterat. Sic ergo ille Laïcos
Hom. 4. in Evang. affatur: *Vos quos sæcularis habitus tenet.* Expostulat & cum Clericis, quorum vita vesti non respondet, profana sacræ: *In sancto habitu constituti, dum exteriora sunt quæ exhibent, quasi Sanctuarii lapides foris jacent, &c. Mundi hujus opera peragunt, & tamen de religioso habitu culmen honoris quærunt.* Et ex adverso,
Hom. 17. 36 *Nonnulli & sæcularem habitum gerunt, & sæcularem*
Dial. l. 4. c. 40. *animum non habent.* Et alibi de seipso: *Dum adhuc essem juvenculus, atque in sæculari habitu constitutus.* Quæ loquendi ratio cum superioribus sæculis inusitata prorsus fuisset, sæculis verò VI. VII. & VIII. in usu pene quotidiano fuerit: argumento id est, eo tempore cœpisse Clericos à laïcis discerni, non modestiore tantùm habitu, aut ad Monasticum propiùs accedente, sed oblongiore. Hunc enim retinuere Clerici, postquam decurtatas vestes laïci induêre ex colluvione inundantium Barbarorum. Cùm ergo vicisset tandem sæcularium nequitiam & improbitatem incredibilis quædam Monachorum vitæ sanctitas; jamque ea venerationi esse cœpissent, quæ ut risui & contemptui essent, induerant Monachi: Clerici qui ut laïcis prodesse possent, iis hactenus sese abstinuerant, ad Monachorum tonsuram & habitum propiùs jam in dies singulos accedere cœperunt. Hinc certè Clericalis habitus in Conciliis quandoque dictus est *habitus religionis. Vestimenta quæ religionem deceant.* Teste & auctore Beda, sanctissimus Monachus idemque Episcopus Cutbertus illa in vestibus delectabatur simplicitate, quæ Naturam propiùs observat impensiúsque reveretur, non fucat, non adulterat lanas, sed illo permittit nativo colore radiare, quem
Beda in ejus vita. c. 16. Creator ipse illis appinxit: *Vestimentis utebatur communibus, ita temperanter agens, ut horum neque munditiis, neque sordibus esset notabilis. Unde usque hodie in eodem Monasterio ejus exemplo observatur, ne quis varii aut pretiosi coloris habeat indumentum, sed ea maximè vestium specie sint contenti, quam naturalis*
Cap. 66. *ovium lana ministrat.* Martinus Braccharensis Episcopus in famosa Canonum compilatione Clericos talari veste uti cogit: *Et secundum Aaron talarem vestem induere, ut sint in habitu ordinato.*

IX. Ut & de Oriente perstringatur aliquid, in urbe & ruri propria veste sua uti Clericos sanxit Trullana Synodus, quos & per hebdomadam sacris
Can. 27. suspendit, si in laïca veste visi fuerint. *Nullus eorum qui in Cleri Catalogum relati sunt, vestem sibi non convenientem induat, neque in civitate degens, neque iter ingrediens. Sed utatur vestibus, quæ iis qui in Clerum relati sunt, attributa fuere. Si quis autem tale quid fecerit, una septimana segregetur.*

X. Vetitum est lege Justiniani Monachorum habitu indui laïcos, maximè Comœdos; judicesque & ultores ille voluit esse Episcopos Presbyterosque, si quid usquam in hanc sanctitatis vestem peccatum



esset. Hac lege cohibebat ille laïcos; nam quod ad Nov. 123. c. 44.
Clericos attinet, nihil in Monachos committere illi gravius poterant, cùm jam tum Episcoporum permagna pars ex Monachis adoptarentur, Monasticumque gestarent habitum. Prohibebat id quoque Justinianus, ne hominibus ignotis antè concederetur Religionis habitus, quàm plures per annos probati fuissent eorum mores. Quoniam autem non ita in Orientem Barbari ab Aquilone exundaverunt, idcirco laïci longiorem ibi habitum diutius retinuere; & à laïcis minùs discrepavere Clerici.

---

## CAPUT XLVII. *P. 2. L. 1. c. 23.*

### De Habitu sacro Clericorum sæculo VI. VII. & VIII.

*I. Sacris functionibus dicatæ vestes, ab aliis magis ac magis in dies & sumptu & antiquitate distinctæ sunt.*

*II. Clero Ravennati Gregorius Magnus, quod Ecclesiæ Romanæ proprium fuerat, Mappulas, sive Manipulos uti concessit.*

*III. IV. Concedit & Ecclesiasticos alios, calceis uti pretiosis magnificisque; Albis item & Dalmaticis.*

*V. Casularum genera duo, quarum alia ad ministerium altaris, alia ad usum communem.*

*VI. VII. De Albis. Quæ sacræ vestes Ordini cuique propriæ. Diversus gerendæ stolæ modus.*

*VIII. Discrimen profanas inter & sacras vestes.*

*IX. Quid sacræ vestes mysticè significent.*

*X. Pie observantur aliqua in eum modum, quo beatus Fulgentius & communibus vestimentis usus est & sacris.*

I. QUæ adhibebantur in ministerio Altaris vestes & ornamenta, ea in dies magis ac magis sejuncta sunt ab iis, quæ erant in usu communi. Tametsi enim vulgò id studerent, ut in ministerio altaris singularis aliquid ornatûs haberent; multa tamen è vita civili eò contulerunt ornamenta, quæ initio ab usu accepta communi, postquam antiquam laïci vestium formam mutavere, & antiquitate sua & sumptu facta sunt propria ministris altaris.

II. Ab Imperii & Religionis Capite, urbe Roma, profluxit in Occidentis reliquas partes vestium altaribus dicatarum multiplex usus. Sic usus Manipuli quanquam ægrè, concessus tandem tamen est à Gregorio Magno Diaconis Ecclesiæ Ravennatis, dum Episcopo sacra facienti adessent. Quin & ad Episcopum Ravennatem super ea re scribens Gregorius, contestatus est, invito & renitente Clero Romano illud ei à se concedi, quod hactenus Ecclesiæ Romanæ Clericorum proprium fuisset insigne, & peculiare decus. *Quod pro utendis à Clero* L. 1. Ep. 54. 55.
*nostro Mappulis scripsistis, à nostris est Clericis fortiter obviatum; dicentibus nulli hoc unquam alii cuilibet Ecclesiæ fuisse concessum. Sed nos servantes honorem fraternitatis tuæ, licèt contra voluntatem Cleri nostri, tamen primis Diaconibus vestris, quos nobis quidam testificati sunt etiam antè eis usos fuisse, in obsequio duntaxat tuo Mappulis uti permittimus; alio autem tempore vel alias personas hoc agere, vehementissimè prohibemus.* Rescripsit porro Gregorio Ravennas Episcopus, suos utique posse & Presbyteros & Diaconos eo uti ornamento, quo propter Ecclesiasticas causas Romam profecti, toto spectante Clero Romano usi fuissent, quo etiam minores circa urbem Romam Ecclesiæ uterentur. *Nam cum hoc minoribus* Epist. 55.
*circa urbem Ecclesiis licitum sit, poterit etiam Apostolatus domini mei, si venerabilem Clerum primæ Apostolicæ suæ sedis requirere dignatur, modis omnibus in-*

*venire.* Misit autem primarias simul tabulas, quibus concessa ab Apostolica sede Ravennatibus Episcopis privilegia continebantur. Dicemus infrà Alcuinum, Rabanum, Amalariumque in eo consentire, hoc linteolum, quam Mappulam vocat Gregorius, nos Manipulum, abstergendo sudori, vel pituitæ narium destinatum fecisse: *Mappula, qua pituitam oculorum & narium detergimus. Sudarium, ut eo detergamus sudorem.* Idem confirmat in Dialogis Gregorius, ubi ad Monachum quendam, qui à Monialibus linteola dono acceperat, dicit: *Ab ancillis Dei Mappulas accepisti.*

Hæc si origo, si hic usus Manipulorum fuit, mirum sanè, cur Ecclesia Romana cum Ravennate, Gregorius cum ejus urbis Episcopo de ejusmodi re tam acriter contenderint. Verùm illud ex hoc ipso intelligas oportet, Quæ per sese levissima sunt, ubi accessit religio, jam levia non esse. Actum aliquando est in Conciliis Generalibus, & statuta non pauca de rebus ejusmodi sunt, quæ carnalium hominum oculis non majoris esse viderentur momenti. Hæ sunt vestimentorum vel Christi, vel Ecclesiæ veluti fimbriæ, quæ divinum semper aliquid spirant, quod & admirationi esse debeat & venerationi.

III. Vetuit idem Gregorius, ne Catanæ in Sicilia Diaconi, magnificentioribus & hactenus sibi quidem inusitatis calceis uterentur, quòd ejus ornatûs copiam prædecessores sui non fecissent, nisi
L. 7. c. 28. Messinensibus Diaconis. *Calceatos compagis procedere, &c. Quod solis Diaconis Ecclesiæ Messanensis à prædecessoribus nostris olim non dubitatur esse concessum.* Est apud Historicos Romanos regalis illius calcei mentio, quod *Compagum* Regium vocant. De Maximino loquens Capitolinus, ita habet: *Calceamentum ejus, id est, Compagum Regium constat pede majus fuisse hominis vestigio.* De Galieno verò Trebellius Pollio, *Caligas gemmatas adnexuit, cùm Compagos reticulos appellaret.* Ad Gregorium redeo. Is ad Episcopum Syracusanum scripsit, si Subdiaconi Siculi Tunicis lineis induerentur, id illis privilegii
L. 7. Ep. 64. ab Ecclesia Romana concessum fuisse. *Vnde habent hodie Ecclesiæ vestræ, ut Subdiaconi lineis in Tunicis procedant, nisi quia hoc à matre sua Romana Ecclesia perceperunt?* Concessit idem ipse Aregio Vapincensi in Gallia Episcopo usum Dalmaticarum, quem sibi Archidiacono que suo popòscerat; quin & Dalma-
L. 7. Ep. 112. ticas ipsas Roma misit. *Charitatis tuæ bona revocantes ad animum, hujus authoritatis nostræ serie, petita concedimus, atque te & Archidiaconum tuum Dalmaticarum usu decorandos esse concedimus; easdemque Dalmaticas transmisimus.* Gregorium narrat Joannes Diaconus, cùm in equo sedens processionem sequeretur, & supplicationem faceret, ex eorum turba qui Casulas & Tunicas induti lineas,
L. 2. c. 43. ipsum affectabantur, agnitum fuisse. *Cumque ex Planetatorum Mappulatorumque Processionibus magnum Pontificem cognovissent, &c.* Docet infrà Tunicas fuisse strictioribus manicis, allatamque Pontifici
L. 3. c. 59. unam, quæ diceretur esse Joannis Apostoli: Dalmaticas verò laxioribus, uti clarum erat ex Dalmatica Paschasii Ecclesiæ Romanæ Diaconi. Gordiani quem patrem habuit Gregorius, imaginem nobis idem author calamo pinxit, eo habitu, ut supra
L. 4. c. 83. Dalmaticam casula esset indutus. *Cujus habitus cas-*
84. *tanei coloris planeta est, sub planeta Dalmatica.* Gregorii verò ipsius hujusmodi erat Pontificius habitus: *Planeta super Dalmaticam castanea, Evangelium in sinistra, modus Crucis in dextra, &c. Pallio mediocri.*

IV. Quibus ex testimoniis constat, Tunicam, Dalmaticam, Casulam, communes quidem illas fuisse quondam laïcorum vestes, multòque magis Clericorum civili in usu, ac tandem eò evasisse, ut propriæ Clericorum essent, nec in civili tantùm usu, sed & in sacro; laïcis à patrio majorum habitu ad peregrinas vestes desciscentibus. Constat rursùm ab Ecclesia maximè Romana cæteras identidem varia extorsisse privilegia, ut cum ipsis magnificentiora quædam divini cultus indumenta communicarentur. Antiquissimas enim & pretiosissimas has vestes & frequentiùs usurpaverat, & retinuerat constantiùs urbs Imperii totius regina. Imperatoriæ etiam in veste & ornatu magnificentiæ copia major facta fuerat Ecclesiæ Romanæ. Ab ea ergo effundebantur hi veluti pompæ gloriæque sacerdotalis rivuli in reliquum Christianum orbem. Scriptor vitæ sancti Cæsarii Arelatensis Archiepiscopi, memorat eum Romam petiisse, ibique à Symmacho Papa concessum ei fuisse, ut Dalmaticis uterentur ejus Diaconi, æquè ut Ecclesiæ Romanæ Diaconi. *Diaconos ejus perinde ut Romanæ Ecclesiæ* L. 1. c. 20.
*Diaconos Dalmaticis uti voluit.* Conjici potest & ex 21.
Autissiodorensi Synodo, necdum tunc Diaconos Dalmaticis indui solitos, cùm hìc prohibeantur ipsis Altarium ornamentis vestiri. *Non licet Diacono* Can. 12. 13.
*velo vel palla scapulas involvi.*

V. Idem Cæsarius Roma reversus in Galliam, nec habens quod erogaret pauperi mendicanti, *Casulam qua in processionibus utebatur, & Albam* L. 2. c. 19.
*Paschalem profert, datque egeno, jubetque, ut vendat* Vita ejus.
*uni ex Clero.* Erat hæc fortè Casula sacro Altaris dicata ministerio. Ecce tibi aliam quotidiani usus, qua vulgo per urbem ambulans uteretur: *Ambulans per plateam civitatis, vidit contra in foro hominem, qui à Dæmonio agebatur. In quem cùm attendisset, habens manum sub casula, ut à suis non videretur, crucem contra eum fecit.* Hujus utriusque vestimenti si fuit eadem forma, uti & idem nomen, erat profectò sacra civili & splendidior, & pretiosior. Dubium est autem de qua ex his duabus intelligendus sit Gregorius Turonensis, cùm ab eo referrur Diaconus quidam sanctissimi Episcopi casula insolenter abuti, *hoc habens in lectulo, hoc habens in foro.* Lon- Vita Patr.
giores omnes Clericorum vestes, quibus uti præci- c. 8.
piebantur Clerici, Casulas vocat Concilium Liptinense: *Non sagis, laïcorum more, sed casulis utantur,* Can. 7.
*ritu servorum Dei.* Unde intelligere est, è sacris vestibus aliquas multo etiam post tempore in usu communi fuisse, forma quidem pares, at singulari propter pietatem nitore semper & magnificentia dispares.

VI. Meminit idem Gregorius Martyrum duorum, quorum annulus & orarium in sublime, in aërem miraculo quodam sunt sublata: *Orarium,* De gloria
*&c. Candor lintei, &c. hic sui dat pignus amoris, ut* Martyr.
*ferunt, orarium, &c.* De Vincentio alibi loquens, L. 1. c. 93.
Stolæ meminit candidissimæ: *Levitica Stola candore* 105.
*in Ecclesia micans.* Presbyteros alibi Diaconosque De gloria
albis vestitos repræsentat: *Erat Sacerdotum & Le-* Confess.
*vitarum in albis vestibus non minimus chorus.* Conci- c. 20.
lium Narbonense anni 589. vetuit ne Diaconi, Subdiaconi, Lectoresve albam exuerent, antequam Missa perficeretur. *Nec Diaconus, aut Subdiaconus* Can. 12.
*vel Lector, antequam Missa consummetur, alba se præsumat exuere.* Ergo & inferioribus Ordinibus communicata jam erat Alba in sacro ministerio, saltem in Gallia. Videtur Isidorus Hispalensis Albas non tribuere, nisi Diaconis, dum sacra res fit: *Qui*

De Offic. Eccl. l. 2. c. 8. *propterea albis induti assistunt, ut cœlestem vitam habeant, candidique ad hostias, immaculatique accedant.* Et in Braccharensi tamen Concilio illis quoque permittuntur uti Subdiaconi, cùm præcipitur ne posthac Diaconi stolas sub tunica gerant: propterea quod cum eas in eum modum gestant, à Subdiaconis discerni non possunt. Can. 9. *Quia in aliquantis hujus Provinciæ Ecclesiis, Diacones absconsis infra tunicam utuntur Orariis, ita ut nihil differre à Subdiacono videantur, de cætero superposito, sicut decet, utantur orario.* Quo rursum edocemur, & ex linteo mero fuisse adhuc stolam, & non admodum latam fuisse, cùm tam facilè sub alba abderetur & falleret.

VII. Docet autem longè melius Concilium Toletanum IV. quæ cuique Ordini propriæ essent vestes Sacerdotales. Jubet enim in restituendis quibuslibet Ordini ei, à quo exauthorati per injuriam fuerant, restitui & ornamenta sacra, quibus exuti fuerant: nimirum Episcopo stolam, annulum & pedum; Presbyteris stolam casulamque; stolam albamque Diacono; patenam Calicemque Subdiacono; ac cæteris similiter Clericis ea ornamenta, Can. 28. quibus dum ordinarentur instructi fuerant. *Si Episcopus, recipiat coram altario de manu Episcopi orarium, annulum & baculum; si Presbyter, orarium & planetam; si Diaconus, orarium & albam. Si Subdiaconus, patenam & calicem, &c.*

Itaque tota in regione ea, cui præerant Episcopi hujus Concilii, nec Subdiaconi cæterive inferiores Clerici Albis adhuc utebantur, nec Dalmaticis Diaconi. Stola communis erat tribus Ordinibus superioribus, Casula Altaris ministerio servabatur. Nec Presbytero autem vel Episcopo restituitur Alba, cum redintegrantur: nec aufertur, cum deponuntur, propterea quòd communis & usitata hæc esset eorum vestis etiam extra sacra, domi, in urbe, ruri. At Diaconi, quòd ea in sacro tantùm ministerio uterentur, & cùm deponerentur, ea exuti fuerant; & cùm redderentur priori muneri suo, eam receperunt. Ita perspicuè hoc Canone insinuatur.

Vetantur autem hoc eodem Concilio Diaconi duplici uti stola, cùm Episcopis Presbyterisque Can. 40. una dumtaxat sit in usu. *Orariis duobus nec Episcopo quidem licet, nec Presbytero uti, quantò magis Diacono, qui minister eorum est.* Præcipiuntur iidem Diaconi stolam gestare in humero sinistro, ut obeundis functionibus sacris expeditius sit brachium dextrum. *Unum igitur orarium oportet Levitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est, prædicat. Dextram autem partem oportet habere liberam, ut expeditus ad ministerium Sacerdotale decurrat.* Erat igitur stola tum ampla satis, ut quæ sinistrum obvolveret brachium. Ex his autem verbis suspicari licet, Diaconos Hispaniæ jam tum cœpisse duabus uti stolis, tanquam fasciis, quas in pectore decussarent in modum crucis. Alteram autem illis à Concilio sublatam esse. An quæ nunc stola lata in usu tametsi rarissimo est, hinc fluxerit, nec affirmare ausim, nec rursus negare: fruatur suo quisque judicio.

Denique idem Concilium vetat, ne stolæ vel coloribus, vel auro ornentur. Id ergo factitari jam cœperat, ut lineæ quamvis essent, puræ tamen non essent juxta pristinum usum, sed coloribus inficerentur variis, & auro decorarentur. *Caveat igitur amodo Levita gemino uti orario, sed uno tantùm & puro, nec ullis coloribus aut auro ornato.* Non cuivis promptum est germanum edere sensum horum verborum, *propter quod orat, id est, prædicat.* Nec enim veri satis simile est, jam tum Diaconos cum pompa in Ecclesiis prædicare solitos in Hispanias. Propiùs à vero abest, has prædicationes interpretari nos debere vel de Evangelio, quod exertè Diaconus inter Missarum solemnia recitabat, vel de precationibus hortationibusque complurimis sacrificii ipsius actioni intertextis, quas edita voce pronuntiabat. Inde & Præconii enata vox, quæ in usu & Romano & vernaculo etiamnunc est. Id erat certè prædicandi genus quoddam, quo jus acquirebatur Diacono orarii seu strophioli lintei, quo sudorem oris abstergeret. Istiusmodi erant quæ Gregorius ipse Magnus interdum mittitabat & L. 6. Ep. 27. 37. dono dabat, quæ ipse semper vocat oraria.

VIII. Unum id ex omnibus his Canonibus elicitur, sacras has fuisse, & uni Altaris ministerio dedicatas vestes. Hinc Concilium Braccharense III. gradu & ordine eos ejicit, qui ad vitæ civilis necessitates sacra vel vasa vel ornamenta adhibuerint. *Ab officio deponatur, qui Ecclesiastica ornamenta, vela vel quælibet alia indumenta atque utensilia sciendo in usus suos transtulerit.* Can. 34. Prohibet idem Concilium, ne Episcopus Presbyterve ad tremendi unquam Sacrificii celebrationem aliter accedant, quàm utrumque humerum orario circumsepti. *Non aliter accedat, quàm orario utroque humero circumseptus, sicut & tempore ordinationis suæ dignoscitur consecratus; ita ut de uno eodemque orario cervicem pariter & utrumque humerum premens, signum in suo pectore præferat crucis.*

IX. Quæ postrema verba ostendunt, vestium sacrarum tametsi usus è diversis & discrepantibus causis originem habuerit, formam tamen, dispositionem, colorem ad multa mysticè significanda interpretando rapi potuisse. Ad angelicam enim vitæ puritatem stolæ candor invitat. Ejus super humeros volatica fluctuatio, quàm actuosi Diaconi, quàm ad agendum celeres esse debeant, innuit. Quod supra pectus decussatur, id significat amorem crucis in intimis animæ visceribus esse oportere. Quod utrumque humerum ambit, & æquabiliter utraque ex parte pendet, Sacerdotis denotat imperturbatam in adversis & prosperis virtutem. *Sacerdos orario utroque humero ambiatur, scilicet ut qui* Ibidem. *imperturbatus præcipitur consistere inter prospera & adversa, virtutum semper ornamento utrobique circumseptus.* Novus est & mysticus mundus Ecclesia, cujus longè veriùs quàm hujusce sensibilis mundi partes vel minimæ, tacitè quidem, sed apertè tamen & ad captum omnium, quæ mira & incredibilia æternitatis arcana sunt, eloquuntur.

X. Finem capiti imponet Ferrandus Diaconus narratione longè pulcherrima ejus rationis & modestiæ, quam in vestitu suo sectabatur Fulgentius Ruspensis jam creatus Episcopus. Nihil de Monasticæ rigore disciplinæ Episcopatûs splendor detraxit. *Non ita factus est Episcopus, ut esse desisteret Monachus.* Pretiosa semper abstinuit quacumque veste; unica semper tunica contentus, stolam Episcopalem nunquam induit. Cingulum Monachorum nunquam abjecit. Calceos caligasque Clericorum nunquam adhibuit. Nec sibi, nec Monachis suis id indulsit, ut pretiosa uterentur casula. In ea tunica sacris operatus est, in qua somnum capiens jacuit, ratus cælestis Agni ad sacrificium ut sese quis optimè præparet, mutanda & mundanda potiùs esse corda, quàm indumenta. Audi Ferrandum In ejus vita L. 18. ipsum: *Nunquam pretiosa vestimenta quæsivit, una*

*tantùm vilissima tunica, sive per æstatem, sive per hyemem est patienter indutus. Orario quidem sicut omnes Episcopi nullatenus utebatur. Pellicio cingulo tanquam Monachus utebatur, &c. Nec calceamenta suscipiens Clericorum, &c. Casulam pretiosam vel superbi coloris nec ipse habuit, nec suos Monachos habere permisit, &c. In qua tunica dormiebat, in ipsa sacrificabat: & in tempore sacrificii mutanda esse corda potiùs quàm vestimenta dicebat.*

Intaminatæ amor castitatis anxios habebat Monachos, ut ne Altaria adirent in ea tunica, in qua noctem egerant. Fulgentii mentis puritas in ejus etiam membra & in somnum ejus ipsum exuberabat, tutumque & inaccessum præstabat nocturnis turpibusque nonnunquam somniantium ludibriis. Porro quod ei in ornatu sacro tantopere placuit insignis illa non solùm modestia, sed & paupertas; tametsi religionem venerabilem facit, & imperitorum pietatem excitat sacrarum pompa vestium: esse tamen sentiebat ille in paupertate splendidius multò ac præstantius aliquid, quod perspicaciores puriorum mentium oculos delectet & alliciat magis. Verùm sive magnificentia operum quorum Creator est, colatur Deus: sive iis honoretur Christus, quæ Evangelicam ejus magis spirant paupertatem: hoc tamen providetur semper, & olim provisum est, ut quamvis à communi usu ad sacrum vestimenta multa venerint, esset tamen discriminis aliquid inter ea quæ sumerentur in sacro ministerio, & quæ in communi. Quamobrem jure dixit Joannes Diaconus de Joanne Apostolo: *Per tot annos* L. 3. c. 59. *Pontificium gerens, & Missarum solemnia frequentissimè celebrans, sine sacerdotalibus esse vestibus nequaquam potuit.*

---

## CAPUT XLVIII. *P. 3. l. 1. c. 22.*

### De veste communi Clericorum sub Imperio Caroli Magni.

*I. Statuta Concilii Aquisgranensis, de modestia vestium Clericalium.*
*II. De vestibus, quæ Clericis Monachisque communes essent.*
*III. In usu etiam civili Presbyteri Alba induebantur.*
*IV. De Canonicorum & Monachorum veste.*
*V. Quæ Caroli ipsius Magni, quæ Laïcorum ejus avi vestes.*
*VI. Clericorum vestes in Italia.*
*VII. Item in Ecclesia Græca, ubi Clericis omnibus interdicitur usus aurata & serica vestis.*
*VIII. Vilibus quandoque panniculis palliata latet superbia; nec semper humilitati repugnat aurum sericumque.*

I. Concilium Aquisgranense anni 816. quo temperatæ præscriptæque sunt Canonicis Regulæ, eo consilio, eaque spe, ut à Clericis omnibus observarentur: novum robur addidit duplici illi vetustissimæ legi, & jam olim Clericis omnibus præjudicatæ: 1. explicari & resplendere debere in eorum vestitu incessuque, quin & in equitandi modo eam humilitatem, quam cordibus infixam se gerere profitentur. Ann. 816. Can. 124. *Vt humilitatem quam corde gestant, actu, habitu, incessu, ipsa etiam equitatione religiosissimè demonstrent, plusque velint sanctâ conversatione, eximiisque moribus, quàm ornatu vestium fulgere. Si enim more conjugatorum in se ornandis, nitore vestium, phaleris equorum, cæterisque humanæ vanitatis rebus abusi fuerint, in quo eorum conversatio à laïcorum distare videbitur?* 2. Procul esse ipsos debere à singulari novitate quavis & affectatione, ut ne vel munditiis vel sordibus notabiles usquam sint: *Non enim specialiter præsumi debet ab aliquo, quod non generaliter teneatur ab omnibus, id est, nec plus justo cultior vestis, nec insolita atque deformis. Quia in utroque illorum aut elationis, aut certè simulationis nota patescet.*

Hinc illud elucet nobiles & honoratos quosque viros, oblongis adhuc in vestibus fuisse; ita minimè necesse erat id præcipere Clericis: sed illis satis erat inculcari humilitatem, modestiam, paupertatis studium, quæ verissima sunt Clericalis ordinis insignia. At cùm inciperent Clerici quidam cucullis uti, intercedit gliscenti huic consuetudini idem Concilium, vetatque his indui Clericos, nisi Monastico instituto devovere se cupiant. *Reprehensibi-* Ibid. c. 125. *lem apud plerosque Canonicos inolevisse comperimus usum, eò quod contra morem Ecclesiasticum cucullas, quibus solis Monachis utendum est, induant: cùm utique illorum habitum penitus usurpare non debeant, à quorum proposito quodammodo distant.*

II. Illud quoque hîc edocemur in nigra fuisse veste Moniales. *Quid prodest nigris vestibus indui, & à* Can. 10. *detractione linguam non cohiberi?* Et hinc non injuria conjiceretur, eo quoque fuisse colore vestes Monachorum, adeoque & Canonicorum: cùm Sanctimoniales istæ videantur non immeritò Canonicæ fœminæ fuisse. Conventus Abbatum, qui proximo pòst anno habitus est, nihil decrevit de Monachorum veste, præterquam quod ut eorum Cappæ consutæ anterius essent, exceptis villosis, ut quæ indui vix potuissent, nisi antè apertæ fuissent. *Vt* Ann. 817. *Monachi cappas disconsutas præter villosas non ha-* c. 61. *beant.*

Cappa, sive Casula propria erat Clericorum tunc vestis, perinde ut Monachorum, nec dubium est utrisque antica etiam parte clausam consutamque esse debuisse. Laïci iis uti vetabantur, peræquè ut An. 888. Clerici laïcorum vestimentis, cujusmodi erant *Cotti,* Can. 6. vel *Mantelli.* Audi Concilium Metense anni 888. *Vt nemo Clericorum arma portet, vel indumenta laïcalia induat, id est, cottos, vel mantellos sine cappa non portet; & laïci cappas non portent.* Probabile cum primis est cottos, vel mantellos, ut tunc vocabantur, breviores eas fuisse vestes, quæ ad talos usque non defluerent: quo fiebat, ut iis indui non possent, nisi unà & supernè cappa vestirentur, quæ longior erat vestis. Quanquam autem selectiores viri uterentur adhuc oblongis vestibus, uti & Clerici, intererat tamen his illisque aliquid discriminis: quod etiamnunc valet ferè, ut in oblonga etiam veste internoscantur Clerici Laïcique.

III. Inter Clericos stola Presbyteri insigniebantur, quam ubique & semper, etiam ruri gestabant. Hunc usum jam vetustum authoritate sua muniverat Concilium Moguntinum, ut dignitati Sacerdotum consuleretur. *Presbyteri sine intermissione utantur orariis propter differentiam Sacerdotii dignitatis.* Ann. 813. Can. 28. Capitular. Car. Mag. L. 1. c. 81. Formula Visitationum Episcopalium, quam Collectioni suæ Regino inseruit, jubet inquiri ab Episcopis, an Parochi cum stola semper incedant, etiam tum dum iter faciunt, & an non habeant ad rem sacram faciendam peculiarem Albam, & ab ea distinctam, quæ usûs civilis est. *Si sine stola vel orario* L. 1. c. 62. 66. *in itinere incedat, si absque Alba, aut cum illa Alba, qua in suos usus quotidie utitur, Missam cantare præsumat.* Stola ergo & Alba ejusmodi ornatus erant L. 6. b. 333. habitusque, quos Presbyter nunquam deponeret, ne in publico quidem, aut civili cum hominibus consuetudine. Eundem alibi laudat Regino Cano-

nem sub nomine Concilii Triburiensis, ubi additur contumeliam Presbytero irrogatam tum acerbiori afficiendam pœna, si suam tum ille stolam gestaret. *Ut Presbyteri non vadant, nisi stola vel orario induti. Et ut si in itinere Presbyteri spolientur, vel vulnerantur, aut occiduntur non stola induti, simplici emendatione sua solvantur. Si autem cum stola, tripliciter.* Antiquæ Constitutiones Synodicæ Episcoporum ad Parochos hoc præcipiunt instantiùs, ut *nullus in Alba, qua in usus suos utitur, præsumat cantare Missam.* In Capitularibus alia additur ratio nunquam cauendæ stolæ, quòd in ea signum elucerет castitatis: *Ut Sacerdotes stolam portent, propter signum castitatis, sicut decretum est.* Hinc infertur stola & alba Presbyteros à cæteris Clericis discerni potuisse. Nec enim Diaconi stolam nisi in sacris obeundis functionibus gerebant; juxta Canonem Concilii Carthaginensis IV. *Ut Diaconus tempore oblationis tantum, vel lectionis, alba utatur.* Haud satis comperi, an omnino assentiendum sit Scriptori vitæ beati Mauri, ascoti ab eo circumgestatam esse stolam anno eo toto, quo ordinatus est, quod ea jam consuetudo vigeret. *Stolam juxta morem indesinenter primo ferebat anno.*

*Append. Baluz. ad Regin. 603. 607. 613.*
*L. 5. c. 169.*
*Can. 15.*

IV. Ad habitum Canonicorum, seu Clericorum penitius inspiciendum, accedet aliquid lucis à vestibus Monachorum, quas juxta Caroli Magni Capitularia, Abbas singulis suppeditabat. Sunt porro hujusmodi: *Camisias duas, tunicas duas, cucullas duas, cappas duas unusquisque Monachorum habeat, quibus verò necesse est, addatur & tertia. Et pedules quatuor paria, femoralia duo paria, roccum unum, pelliceas usque ad talos duas, fasciolas duas, wantas in æstate, muffulas in hyeme vervecinas, calceamenta diurna paria duo, subtalares per noctem in æstate duas, in hyeme vero soccos.* Apparet ex his tot vestibus, hoc statutum attemperatum fuisse cœli inclementiæ, & ejusmodi locis, ubi sæviunt frigora. Earumdem vestium magnam partem Crodogangus in Regula sua Canonicis adsignat, quorum parti mediæ, nempè senioribus cappas tunicasque novas quotannis distribui jubet, ut junioribus cedant veteres, & jam usu detritæ. *Illa dimidia pars Cleri qui seniores fuerint, annis singulis accipient cappas novas, & vestes laneas novas: & alia pars dimidia Cleri, illas cappas & vestes veteres, quas illis seniores sui singulis annis reddunt, accipient.* Missas facio cæteras interiores vestes, de quibus infrà ibidem sermo est. Decreta alia Crodogangi ad modestiam vestium commendandam pertinentia, & ab eo mutua sumpsit Concilium Aquisgranense, & à nobis suprà relata sunt, hujus Concilii authoritate astructa.

*Addit. l. 2. c. 22.*
*Cap. 41.*

Ex his porro universim colligi potest, ex monasticis vestibus unum cucullum Canonicis prohiberi; cappam Monachis, Canonicis, Parochis, Clericisque usitatissimam & communem fuisse; quibus generatim etiam Mantellis interdicebatur, ut & cottis, ut quæ propria essent militum indumenta. Capparum forma quæ fuerit, intelligi potest ex ea, quam sancti Benedicti grex celeberrimus etiamnunc circumgestat. Sequentibus sæculis Clerici videntur cappas abjecisse quondam suas, & ad Laïcorum mantella descivisse: immo & ad cottas militares, cùm breviores turi vestes circumferunt. Nec abhorret à vero etiam tum colorum pannorumque mediocritate commendasse Clericos professionis suæ sanctimoniam; quando sæcularium, aut militarium aliquid vestium sumpsere. Ita præcipiebat Pontificale Romanum: *Nullus vestrum rubeis, aut viridibus, aut laïcalibus vestibus utatur.* Author vitæ sancti Odonis Abbatis Cluniacensis, narrat eo tempore, quo Monachi extrusi effugatique sunt è Monasteriis suis, furore Normannorum undique incursantium exagitati, in proximorum quoque suorum ædes se recepisse, & postquam detritæ fuere vestes priores Monasticæ, alias induisse cærulei coloris: *Fracta vestimenta cum quibus de Monasterio exierant, denuo non induebantur similia, sed colorata, quæ nos vulgò dicimus blava.* Forsan à Clero tum Monachi, vel Clerici Monachique pariter à laicis cæruleum hunc colorem sumpsere.

*Baluz. Append. ad Regin. pag. 613.*
*Bibl. Clun. pag. 42. 43.*

Lineas interiùs, pelliceasque superiùs vestes Clericis laïcisque usitatas communesque fuisse, ita docet idem Odo Cluniacensis Abbas, in vita sanctissimi Comitis Geraldi. *Vestimentis autem pelliceis super vestibus lineis utebatur, quia genus istud indumenti solent Clerici vicissim & laici in usum habere.* Et si in veste convenirent Clerici laïcique quandoque, in pretio & colore discrimen erat. Narrat enim idem alibi Odo, gravissimè increpitum fuisse Monachum, cui cucullus erat cærulei coloris, seu blavi; laïcisque ipsis offendiculo fuisse Monachos & Religioni deditos viros, si in veste colores amarent splendidiores. *Eis igitur qui in humilitatis habitu jactantiam coloris quærunt, illud propheticum congruit, Frons mulieris meretricis facta est tibi.*

*Ibid. p.*
*Pag. 235.*

V. Edisserit Eginardus in vita Caroli Magni, quæ tunc usitatissimæ essent laïcorum vestes in Gallia, & ex his expiscabimur forsan aliquid, quod ad Clericalium vestimentorum elucidationem conferat. En ipsa ejus verba: *Vestitu Patrio, id est, Francico utebatur; ad corpus camisiam lineam, & feminalibus lineis induebatur, deinde tunicam quæ limbo serico ambiebatur, & tibialia. Tum fasciolis crura, & pedes calceamentis constringebat, & ex pellibus lutrinis thorace confecto, humeros ac pectus hyeme muniebat. Sago veneto amictus & gladio semper accinctus, &c. Peregrina indumenta quamvis pulcherrima respuebat, excepto quod semel Adriano Pontifice petente & iterum Leone supplicante, longa tunica & chlamyde accinctus, calceis quoque Romano more formatis induebatur.* Duas hîc habes tunicas, seu interiores vestes, quas ideo vernaculo sermone Gallico Subtaneas dicimus, quod subtus seu interius gerantur. Altera longior, brevior altera est. Illa Romana, & probabiliter Clericorum propria: hæc laïcorum. 2. Sagum ni fallor venetum, illa ipsa cotta est de qua sæpiculè jam suprà. Ea ut propria militum indumenta, Clericis prohibentur. 3. Feminalia linea, antiquis inusitata, supplentur hic fasciolis cruralibus. Feminalia linea jam tunc in usu erant, ut vides. At periscelidum loco erant illæ ipsæ fasciæ. 4. Pelliceis vestibus aliam superinduebant vestem, quod superpelliciis suis imitati sunt Clerici.

*Du Chesne To. 2. pag. 122.*

San-Gallensis Monachus describit & ipse Caroli Magni vestes, nec ab Eginardo multùm discrepat. Excerpam hic ea tantùm, quæ habet ille de Pallio Regio, cujus formam & cæteri imitabantur Galli: *Ultimum habitus eorum erat Pallium, canum vel saphirinum, quadrangulum, duplex, sic formatum, ut cum imponeretur humeris, ante & retro pedes tangeret, de lateribus verò vix genua contegeret.* Addit porro, ut Franci paulatim mitescentes, & Gallorum se usibus accommodantes, abjicerent Pallium illud venetum, & *Virgata sagula* induerent, tanquam militiam profitentibus aptiora.

*Ibid. pag. 121.*

VI. Cum clementiore utatur & fervidiore cœlo

Italia, Episcopis, Presbyterisque & Diaconis non præscribit Zacharias Papa, sive urbes, sive rura peragrent, nisi Tunicam oblongam, ab ejus gerendæ necessitate tum eos absolvens, cùm longum ipsis aliquod iter emetiendum est. Hæc sunt ejus in Concilio Romano verba & Decreta anno 743 quæ Atto suo inseruit Capitulari : Can. 3. *Ut Episcopus, Presbyter, & Diaconus sæculari indumento minimè utantur, nisi ut condecet, tunica Sacerdotali. Sed nec dum ambulaverit in civitate, aut in via, aut in plateis, sine operimento præsumat ambulare, præter si in itinere longo ambulaverit.*

VII. Adeunda nunc nobis obiter est Ecclesia Græca, ubi Nicæna Synodus II. quæ Oecumenica VII. pompam omnem exquisitumque splendorem proscribit vestium Clericalium, ejusmodi deinceps nugarum amatores anathemati subjiciens, ni resipiscant, at unguento pergant, odoratoque pulvere conspergi. Can. 15. *Omnis jactantia, & ornatura corporalis aliena est à sacrato ordine. Eos ergo Episcopos, vel Clericos qui se fulgidis & claris vestibus ornant, emendari oportet. Quòd si in hoc permanserint, Epitimio tradantur. Similiter eos qui unguentis inunguntur.* Debacchata potissimum erat Iconoclastarum sævitia in nigras vilesque Monachorum vestes. Eo nempe vehementiùs in eos exacerbati fuerant, quòd invictissimi illi fuerant sacrarum imaginum usûs cultusque vindices. Iisdem subjiciuntur hîc pœnis, qui vestes eò sanctiores, quò Christianæ humilitati & paupertati consentientes debito fraudabunt honore; damnatur quidquid immoderatum in vestibus, quidquid ultra necessitatis usum usquam est; majores quippe nostros non splendore, sed modestia vestium clarere voluisse : serico, & coloribus abstinuisse, splendidioribus, quòd sacræ litteræ molles pretiosasque vestes amandent in Regum palatia. *Igitur si inventi fuerint, derideantes eos, qui vilibus & religiosis vestimentis amicti sunt, per Epitimium corrigantur. Priscis enim temporibus omnis sacratus vir cum mediocri ac vili veste conversabatur. Omne quippe quod non propter necessitatem suam, sed propter venustatem accipitur, elationis habet calumniam, quemadmodum Magnus ait Basilius. Sed neque ex sericis textis vestem quis variatam induebat; neque apponebat variorum colorum ornamenta in summitatibus vestimentorum. Audierant autem ex Deifona lingua quia qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.*

Solemnis indubitatissimè hæc est censura & proscriptio sericearum omnium vestium, ornaturumque quorumlibet auro intextorum, immo & colorum elegantiorum in Clericali quacumque veste. Et sanè Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus, ille virtutis & sanctimoniæ fama, quàm dignitate Orbi notior, Clero suo omni excussit subduxitque cingula aurea, serico & purpura nitentes vestes, & his inanibus fucis detractis, majorem ei venerationem apud omnes conciliavit. Audi quid dicat Surius die Febr. 25. c. 14. in eam rem vitæ ejus Scriptor. *Multis ex iis, qui erant relati in numerum Clericorum, qui suos lumbos Zonis cingebant aureis, & ornati erant variis & pretiosis vestibus sericeis, aurum quidem ademit; fecit autem succingere lumbos cingulis contextis ex pilis caprarum. Iis verò qui toti corpori contextas ex iisdem filis purpureas vestes habebant, excogitas tunicas remotas à curiositate nimia & deliciis, ut quæ essent vestitus honesti, & convenirent iis qui Deo servire statuerunt, & profitentur humilitatem.*

Animadvertit Balsamon in hunc Canonem, hac causatione authoritatem ejus infringere quosdam conatos esse, quòd conditus ille esset ad retundendas Iconoclastarum infestationes; quæ cùm jam cessaret necessitas, satius utique etiam esse magnifico vestium ornatu laïcis insinuari majorem in Clericos venerationem, & in sacras res omnes. Verùm ei tergiversationi obviatum esse, ex eo quòd perspicua, latissimè fusa, & inexpugnabilis est hujus Concilii, Canonisque authoritas : ideoque incunctanter & sedulò obsequendum illi esse, hec irritum fore, quidquid contra tentatum fuerit. *Audiverunt se non rectè dicere. Est enim Canon universalis; & quæ in eo scripta sunt, debent in sæcula sæculorum observari; & vim suam obtinere. & qui præter eum vitam instituunt, rectè puniuntur, nisi corrigantur.*

VIII. Alibi tamen luculentissimè monet idem Balsamon, non immeritò illisum esse anathema à Concilio Gangrensi in superstitiosos quosdam Monachos, qui nescio qua insania, vilitate & sordibus suarum vestium delectati, inflatique Clericos damnabant qui sericeas aliquando adhibebant vestes, non fastu inani, non molli mundiriarum amore incitati, sed indeclinabili necessitate accommodandi se & serviendi usui recepto, & Dignitati, cujus pondere gravari se, & in molestissimas revocari servitutes ingemiscebant : *Eos ergo qui propter arrogantiam, & hypocrisia pannos induunt, & eos qui Beros, seu ex serico vestes contextas, propter possessionis honorem, non propter mollitiem vel arrogantiam ferunt, contemnunt, Canon anathemati subjicit.* In Can. 12. Conc. Gang.

---

## CAPUT XLIX. *P. 3. l. 1. c. 23.*

### De sacris vestibus Clericorum sub Imperio Caroli Magni, stirpisque ejus regiæ.

*I. Ne ad civiles usus adhibeantur sacra vestes. Quæ tum sacra vestes in Ecclesia Latina.*
*II. Earum magnificentia & splendor.*
*III. Ante si fuerunt vulgares habitus.*
*IV. De Dalmaticis, & de Casulis, quas plicatas gestant Diaconi certis diebus.*
*V. Rursum de sumptu & pretio sacrarum vestium.*
*VI. Consuetudines Græcorum paulò diversæ.*
*VII. Imperialia indumenta Christiano Sacerdotio indulta, ex Constantini lubrica donatione.*
*VIII. De Sacco. De Phanolio, & de vestibus purpureis.*
*IX. De Ornamentis Patriarchalibus, Episcopalibusque.*
*X. Mystica significationes hujusmodi aliorumque ornamentorum.*
*XI. De Casulis, de Sacris, de Stolis latis & strictis.*
*XII. De Mantello, & de Pallio.*
*XIII. Quædam alia de Pallio Græcorum sacro.*

I. A Civilibus ad sacras venio vestes per ea tempora, quibus Carolus Magnus Regiaque ejus prosapia rerum potiebantur in Occidente. Priscos Canones innovavit Theodulfus Aurelia- Can. 18. nensis Episcopus, ut ne in communes usus prophanarentur vasa sacra, calices, patenæ, & alia id genus; neu quisquam in vestigia ingrederetur Balthasaris Regis, qui ejusmodi contaminationem rerum sacrarum morte luerat. Docuit nos jam Regino Capite superiori nefas fuisse, ut in alba civili vitæ destinata sacrum fieret. *Si absque alba, aut cum* Pag. 27. *illa alba, qua in suos usus quotidie utitur, Missam cantare præsumat.* Idem vetuerat Riculphus Suessionensis Episcopus in Capitulari : *Hoc omnimodis prohibe-* Can. 7. *mus, ut nemo illa alba utatur in sacris mysteriis, qua in quotidiano vel exteriori usu induetur.* Antiquæ Instructiones Synodicæ Episcoporum ad Parochos idem rursum frequentissimè prohibent, cæterosque pernumerant

Append. Balus. ad Reym. pag 605. 607.

pernumerat sacerdotales habitus: *Nullus cantet sine amictu, alba, stola, fanone, casula: & hæc vestimenta nitida sint, & ad nullos usus alios sint. Nullus in alba qua in suos usus utitur, præsumat cantare Missam.* Et in Pontificali quopiam Romano: *Missam jejuni tantum, & non in vestibus communibus, sed sacris, amictu, alba, cingulo, manipulo, stola & casula, vestimentis nitidis, quæ ad alios usus non serviant.*

Non prohiberentur Sacerdotales hæ vestes ad usus civiles adhiberi, nisi antè aliquando adhibitæ fuissent, & adhiberentur tunc etiam ab aliquibus minùs religiosis. Ut vulgo autem subducerentur magis magisque, & Altaribus vendicarentur, auro & opere phrygio intexebantur, ut liquet ex testamento Riculphi Elnensis Episcopi: *Amictos cum auro quatuor, Albas quinque, tres claras & planas duas, rogitos quatuor, unum purpureum cum auro; Zonas quinque, unam cum auro & gemmis pretiosis, & alias quatuor cum auro, una ex illis cum tintinnabulis, & manipulos sex, unum ex iis cum tintinnabulis: casulas Episcopales optimas tres, annulum aureum, unum cum gemmis pretiosis; & wantos paria unum.*

Ibid p 526.

II. Reginæ ipsæ manus suas sceptro posito gestiebant pro hoc opere consecrari, ut ex Epistola patet Reginæ Ermentrudis, uxoris Caroli Calvi, ad Pardulum Episcopum Laudunensem: *Stola cujus imposuistis laborem, libenter experiri curabimus, & noxium studebimus otium evitare.* Refert Eginardus Carolum Magnum ingentem copiam elargitum esse Ecclesiis vasorum ornamentorumque, ea opulentia, quæ pietati & zelo ejus responderet: ut ne Ostiarios quidem pateretur, qui in extremo gradu sunt, suo fungi munere inter sacra, nisi Clericali veste fulgerent. *Sacrorum vasorum ex auro & argento vestimentorumque sacerdotalium tantam in Ecclesia copiam procuravit, ut in sacrificiis celebrandis ne janitoribus quidem qui ultimi Ecclesiastici ordinis sunt, privato habitu ministrare necesse fuisset.*

Lupus Ferrar. Ep. 29

Du Chesne. To. 2. pag. 105.

III. Abolescebat ergo consuetudo celebrandi sacra in communi veste, ita ut & ad extrema usque ministeria sacri habitus adhiberentur. Quod firmari potest & illustrari San-Gallensis Monachi testimonio, cum narrat Carolum Magnum ad Venationes exisse ovinis pellibus amictum, earum simillimis, quibus induens olim B. Martinus Missam celebrabat. *Carolus habebat pellicium berbicinum, non multum amplioris pretii, quàm erat rocceus ille sancti Martini, quo pectus ambitus, nudis brachiis Deo sacrificium obtulisse, astipulatione divina comprobatur.*

L. 2. c. 29.

Sanè alba, casula, cappa, stola, nomina erant civilium vestium, sicut & dalmaticæ, palliaque, quæ dono dedit Carolus idem Magnus Episcopis plerisque Angliæ, ut Adrianus Papa nuper carnis vinculo absolutus, precibus Deo commendaretur: *Aliquam benignitatem de dalmaticis nostris, vel palliis ad singulas sedes Episcopales direximus, in eleemosynam domni Apostolici Adriani.* Alienbi dalmaticæ in regiis vestibus censebantur, peræque ut pallium, si qua fides Fuldensibus Annalibus, cum Carolum Calvum exhibent, Græcorum Imperatorum indumentis radiantem. *Nam talari Dalmatica indutus, & baltheo desuper accinctus, pendente usque ad pedes, &c.*

Du Chesne Tom. 2. pag 223. 369.

IV. Fidem facit Alcuinus in Colobiorum vicem suffectas esse Dalmaticas Sylvestri Papæ jussu, nullæ autem Colobiis erant manicæ. *Usus Dalmaticarum à B. Sylvestro institutus est. Nam antea colobiis utebantur. Colobium verò est vestis sine manicis. Cum ergo nuditas brachiorum culparetur, à B. Sylvestro Dalmaticarum repertus est usus. Est autem vestimentum in modum crucis.* Hinc lucis aliquid afferri potest iis quæ suprà San-Gallensis scribebat Monachus, sacra Mysteria à B. Martino nudis brachiis celebrata fuisse.

De divin. Offic. c. 39.

Addit porro idem Alcuinus, laxiores esse Dalmaticarum manicas; & quibus diebus Diaconus dalmaticis abstinebat, iis inter sacra corpus cinxisse casula, ut promptior & expeditior esset ad ministeria sua, atque comprobaret suum esse munus, ut jussus ab Episcopo & urgente necessitate ad comitatum Principis pergat. *Diaconus qui non est indutus dalmatica, casula circumcinctus legit, ut expeditè possit ministrare; vel quia ipsius est ire ad comitatum propter instantiam necessitatis.*

Quod Alcuini testimonium non oscitanter aut perfunctoriè legendum est. Ritum enim eum primis singularem in Ecclesia nobis exponit. Diaconus ipso dalmaticæ, qua abstinet omnibus ferè Adventus & Quadragesimæ Dominicis, casula induitur, sed eo modo, quem describit Alcuinus, ea videlicet se circumcingens, ut liberiùs suas obeat functiones. *Casula circumcinctus legit.* Non recedit à vero, eos quibus minùs arrisit hic circumcingendæ casulæ ritus, stolam latiorem adhibuisse in eundem usum. Itaque cùm Dalmatica Imperatores & Principes quoque viri utuntur, visum est non debere Diaconis quotidianum ejus usum concedi; quibus autem diebus ea subducta est, reddita est casula, priscum ornamenti genus.

V. Hujus ipsius ritûs rationes & origines alias alibi aperiam. Remetiendum nunc nobis iter est ad vasa sacra, & indumenta sacerdotalia, quæ sumptu & magnificentia plebis oculos & admirationem ac reverentiam ad se raperent. Non improbat Odo Cluniacensis Abbas, nisi eorum inania studia, qui externa tantùm pompa afficiuntur, nec oculos huic adhibent nisi carnales; cùm interiores potiùs purgandi, & ita admovendi rebus sacris sint oculi, ut sempiterna veritas & pulcritudo hinc fulgurans intelligatur videaturque: *Nonnulli vanitatis studio dediti, auratis & accuratis vestibus & vasis pretiosis metalli ad hoc sanctum Mysterium celebrandum delectantur. Qui bene quidem facerent, si corda sua pariter in divinis oculis ornarent.* Retorquenda ergo sursum ad Deum tota hæc exterior pompa, qua excitatur in nobis & reviviscit incorruptibilis pulchritudinis & sanctitatis memoria: *Qui autem pulcritudini vasorum vel vestium studet, ad solius Dei laudem id faciat.* Perstringit denique Alcuinus Monachos proprietarios, qui opes clam coacervant, quas sacrario dedicent & impendant. Multò autem & antiquius & Deo gratius fuisset, si voluntariæ paupertatis, quam Deo voverunt, opibus & se & sacras ædes suas locupletarent.

Collat. 2. c. 34.

VI. Venio ad Græcos, in quibus Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus in ea se terræ mandari voluit cappa, quæ Jacobi Apostoli fuerat, & quæ Hierosolymis ad ipsum transmissa fuerat: *Venerandum Jacobi fratris Domini superhumerale cum veneratione illi induunt, quod ante aliquot annos Hierosolymis sibi missum, &c.* Episcopus porro Hierosolymitanus id muneris Ignatio miserat, per eos quos ad VIII. Synodum destinabat Legatos. Accipe ipsa ejus Epistolæ verba, quæ prima in sessione habentur illius Synodi. *Poderem & superhumerale cum mitra, Pontificalem stolam sancti Jacobi Apostoli, primi Archiepiscoporum, quam antecessores mei Patriarchæ circumamicti semper in sancta sanctorum ingrediebantur, sacerdotio fungentes, qua & ego ipse indutus sum, transmisi, &c.*

In vita Ignatii.

Scriptor ipse vitæ Ignatii perhibet, Pseudopatriarcham Photium ejus æmulum hostemque infensissimum, ut suis partibus Præsules quoslibet implicaret, casulas stolasque eis dono mittere solitum, quas prius prece & consecratione quadam sua, si non potius execratione persudisset. *Humeralibus & orariis & aliis status sacerdotalis coemptis insignibus, secretò preces super ea quasdam, si tamen preces, & non potius diræ execrationes appellandæ sunt, pronuntiabat, sicque ea singulis loco muneris largitionisque dabat.*

ὠμοφόρια. ὀράρια.

Ignatius autem ipse Sessione II. Synodi VIII. Episcopos gradu ejectos ob schismaticarum Photii partium studium, cùm pristinæ redderet dignitati, superhumeralia illis, seu pallia, seu casulas tradebat. *Sumens Patriarcha superhumeralia, tradidit eis.* At Presbyteri eodem flagitio contaminati per oraria sola restituebantur: *Susceperunt à Patriarcha oraria sua.*

Act. 2. Syn. VIII.

VII. Famosa Constantini Donatio, quam inseruit Balsamon suis in Nomocanonem Photii Commentariis, Imperialia omnia ornamenta Romano Pontifici tribuit, quæ eadem ipsa sunt nunc Regalis Christi Sacerdotii. *Præterea etiam diadema, seu coronam capitis nostri; simul etiam lorum, & superhumerale, quod Imperatorium collum circumdat; & simul etiam purpuream chlamydem, & tunicam coccineam & indumenta regia, &c.* Exundat hæc largitio in Clerum omnem, cui Romanorum Senatorum magnificentissima quæque donantur indumenta. *Clericos sanctæ Romanæ Ecclesiæ ornari decernimus, & illam habere amplitudinem & majestatem, qua ornatus erat magnus noster Senatus, seu Patritii, & Consules, & reliqua dignitates.* Non eo consilio concinnata fuit hæc donatio, ut accessio aliqua ornamentorum vel Pontifici fieret, vel Collegio Cardinalium: sed ut ea quibus jam fruebantur, altiorem & antiquiorem ad originem revocarentur. Unum id nobis videtur studiosè commendandum animo, persuasissimum tunc omnibus fuisse, ab Imperatoribus Christianis manasse pretiosissima illa Sacerdotii indumenta, à quo vicissim refundebatur in imperatoria ipsa ornamenta novi splendoris cumulus, & quidam veluti radius sanctitatis. Commentitiæ quippe Chartæ non insuerentur ea, à quibus communis omnium existimatio abhorreret, & quibus semel lectis res tota protinus exploderetur. Hæc eadem certè ornamenta statim sibi arrogare cœpit Patriarcha Constantinopolitanus, quòd Concilium Constantinopolitanum I. omnes Romani Antistitis prærogativas cum Episcopo novæ Romæ communes esse voluisset. At sua spes illum fefellit, ut notat ibidem Balsamon. Minùs nutabant fundamenta Coronæ, seu Phrygii Alexandrinorum post beatum Cyrillum Episcoporum, quòd nempe hoc Cælestinus decorasset Cyrillum, cùm suas ei vices delegaret in Concilio Ephesino.

In Nomoca. Tit. 8. c. 2

VIII. Quærit in Orientali jure Cabasilas Archiepiscopus Dyrrhachenus, an Stichario, Phænolioque purpureo figuræ fluminum, & cruces acu pictæ addi possint, quæ candidis Episcoporum ornamentis miscentur: & an saccus purpureus esse possit: sacræ vestis id genus est. Respondet autem Demetrius Chomatenus, purpureas vestes sacras, puras semper esse, nullis fluminum, vel crucis adjumentis variegatas. Porro cùm sacco non induatur Pontifex, nisi in die Natali Christi, Paschæ & Pentecostes, purpureum illum esse non posse: propterea quòd in Ecclesia color purpureus dolori luctuique dicatus sit, nec adhibeatur nisi diebus iis, quibus vel jejunia vel Memoriæ mortuorum celebrantur. *An consentaneum sit in purpureis Pontificalibus vestimentis poni, quemadmodum & in albis, in stichario quidem flumina, in phænolio autem cruces: & an purpureus saccus fieri debeat? Resp. Consuetudo Ecclesiæ Pontificalia purpurea indumenta simplia vult esse, & sine prædictorum fluminum crucisque adjectione. Saccum autem purpureum nequaquam novit; quandoquidem saccus in tribus duntaxat anni celebribus dominicis Festis suum usum præbet, nimirum Magno Paschatis Dominico, Pentecoste & Natali Christi. Hoc igitur satis plenam fidem facit, saccus ut sit purpureus, necesse non esse. Cùm etiam sint luctus insigne purpurea hujusmodi vestimenta. In solis enim jejunii diebus & mortuorum memoriis.*

To. 1. pag. 318.

στιχάριον. φαινόλιον.

IX. Est & inter responsa Balsamonis ad Marcum Patriarcham Alexandrinum, quod ad nostrum hoc faciat institutum. Ut quæ propria sunt Patriarcharum, ea non possunt Episcopi sibi sumere ornamenta: ita & à Parochis Abbatibusque nefas est eas usurpari vestes, quæ propriæ & peculiares sunt Episcoporum. *Int. Licitum est, Sacerdotes qui sunt Abbates vel Protopapa, & Pontifices supermanicis & supergenualibus insigniri, an est vetitum? Resp. Supermanicarum, & supergenualium sacratissimus amictus, solis Pontificibus attributus est, velut figuram obtinentibus Domini & Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Indeque peccata etiam hominum remittunt, aliaque majora ad imitationem Christi faciunt, quæ Sacerdotibus data non sunt. Quare nec supermanicarum, nec supergenualium merebuntur amictum. Nam supermanica figura sunt manicarum, quibus erant constricta manus Domini & Dei nostri Jesu Christi, quando ad voluntariam passionem contendebat. Supergenuale autem figura est lintei, quod induit Dominus, cùm discipulorum pedes lavit. Quemadmodum igitur quæ Patriarchis peri indumenta gratia tributa sunt, nulli alii non dantur Episcopo, saccus videlicet & polystaurion; eos enim hisce decorari placuit, utpote quorum nomina referuntur in sacris ad extrema usque orbis habitabilis: sic & Episcopis concessa privilegia Sacerdotibus non dabuntur, ne Ecclesiasticorum privilegiorum fiat confusio, & Creatori dicat creatura, Exæquor tibi.*

Ibid. pag. ...

X. Præter generales illas rationes, quæ cogunt apparatu & pompa solemniore vestium vasorumque sacrorum, ingenerari infigique altiùs vulgi animis rerum sacrarum reverentiam, admirationemque, & cultum propensiorem: erant & mysticæ peculiaresque rationes, quibus singularum istiusmodi vestium usus & decor commendatur. Erant peculiares ornatus, opulentia & arte aliis spectabiliores, iique superioribus Dignitatibus addicebantur. Erant & colores sacrarum vestium, alii aliis diebus, Festis, Officiisque dicati. Et hæc omnia sua jam commendabantur antiquitate, eo ævo, quo Scriptores isti hæc literis mandabant; id est ante sæculum XII.

At Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, qui ineunte sæculo VII. florebat, multò præclariùs explicat horum naturam, formamque & significationes mysticas ornamentorum. Ait stola exhiberi Aaronis stolam ad pedes usque defluentem; rubro autem colore refricari memoriam Humanitatis Christi, proprio sanguine madentis, qua induendi omnes sumus. Per Presbyteros stolis indutos exhiberi Seraphimos, alatos, & in ipsa Deitatis arcana religiosè & verecundè evolantes. Diaconos stolarum ceu alarum volucri pernicitate,

æmulari Angelicas ad Dei nutum discursationes. Tunica alba declarari candorem morum, & innocentiam vitæ Clericorum. Vinculis tunicæ ea innui vincula, quibus Christus Optimus Maximus nostra causa constringi se passus est. Peritrachelium, quo circumdatur collum, & Epitrachelium, quod in humeros defluit utrimque, idonea cum primis esse, ut iis designentur vincula, crux, & arundo passionis Christi. Cingulo demonstrari Imperium, & Deitatem Christi, quæ suo imperio constringit omnia. Casulâ significari togam purpuream, qua indutus fuit Christus. Pallio Archiepiscopali exhiberi stolam Aaronis summi Pontificis. Pallio denique Episcopali errantem demonstrari oviculam; & iis crucibus, quibus interpungitur, inculcari necessitatem, ut unusquisque nostrûm Christo se conglutinet, ad crucem ejus unà cùm ipso portandam.

XI. Quod Græcis φαινόλιον, vel φαιλόνιον est quodque Latinè Penula dicitur, Casula utique Latinorum est, in formam sacci, in medio tantùm aperti, quà exeratur caput, totum porro corpus circumtegens, quales spectantur adhuc vetustiores casulæ, quas necesse est hinc & hinc replicari & attolli, ut exerantur brachia. Presbyterorum casula, vel veneta erat, hoc est, purpurea, ad dies jejuniorum: vel alba in reliquos anni dies; casula Episcoporum crucibus acu pictis interspersa erat. Ita Simeon Thessalonicensis. At Balsamon Patriarchis jam proprium voluit esse polystaurium.

Saccus Imperatorium erat indumentum, cum Patriarchis deinde & Metropolitanis communicatum, in formam sacci, cui nec manicæ erant nec rugæ ullæ, pressiùs corpori hærens. Eo nec Patriarchæ ipsi nisi solemnioribus Festis utebantur. Codino etenim teste solemnioribus tantùm diebus eo induebantur Imperatores. *Quando Imperator fert stemma, aliud indumentum non gestat præter saccum & diadema.* (Codin. de Offic. Au a CP. c. 6.)

Stola Presbyteris Diaconisque communis orarium dicebatur, & à Presbyteris quidem ita gestabatur, ut utrumque tegeret humerum, utrimque fluitaret, nullo denique constringeretur vinculo. Diaconi humero sinistro tantùm eam gestabant. At Presbyteris altera erat stola, eaque illis propria, quam Epitrachelium dicebant, hæc latior erat, & ante pectus stringebatur. At vicissim in stola communiore acu picta erat ter illa vox ἅγιος, *sanctus*; at in Epitrachelio nihil erat ejusmodi. Quod Peritrachelium Germanus Patriarcha dixit, ipsa non immeritò videri queat strictior esse stola Presbyterorum.

XII. Erat & indumentum aliud μανδύας, quod suo mantello expressisse Latini videntur, idque Imperatoribus & Episcopis commune. Frequenter illius meminit Codinus, quod Imperatorum proprium erat: *Imperator induit super saccum & diadema Mandyam aureum.* (Ibid. c. 17.) Nec siluit illud tamen quod gestabant Episcopi: *Episcopi ad honorem Imperatori habendum profecti, venerantur illum, cum mandyis suis fluvios habentibus.* (De Offic. Aul. CP. c. 20.) Amplissima erat cappa, in omnes partes fluitans, vel panno ipso, vel intexto opere undulato; erant & addita quatuor supernè segmenta, circa medium autem tæniæ rubræ candidæque: quibus omnibus significabantur exundantes gratiæ & sapientiæ torrentes, qui ex ejus pectore juxta Evangelicas literas effunduntur, cui infusa est ad sacerdotales functiones Spiritûs sancti plenitudo. Ita res istas commentatur Simeon Thessalonicensis.

Tom. I.

Dabatur Episcopis pallium, cum ordinabantur, stola lata Presbyteris, Diaconis stola stricta, Subdiaconibus sticharium. His iisdem exuebantur, cum movebantur gradu. Adnotavimus jam Ignatium Patriarcham in redintegrandis pristino ordini Episcopis reddidisse pallium, stolam Presbyteris. Cum Leo Papa vel Antipapa Benedictum V. Papam Pontificia ejecit sede, & in classem redegit Diaconorum, casulam ei stolamque abstulit *Omni Pontificatûs & Presbyteratûs honore privamus.* De pallio copiosiùs infrà dicemus. Hic observabimus tantùm, sticharium Græcorum ipsummet fuisse Latinorum albam, Subdiaconisque & superioribus omnibus Ordinibus fuisse communem. Germanus Patriarcha album fuisse sticharium jam edocuit. Idem affirmat Simeon Thessalonicensis. Codinus Archidiaconum Palatii ita nobis expingit: *Gestans consuetum sibi sticharium, & super ipsum phelonem, casulam, non autem Epitrachelium, sed orarium.* Cùm Diaconus tantùm esset, stola lata uti non poterat: sed quòd Palatii Archidiaconus esset, casulam velut ex privilegio quodam gestabat. Sticharia purpurei seu Veneti coloris erant per Quadragesimam, excepto die Annuntiationis, & Dominica Palmarum, & Sabbato sancto, juxta eundem Codinum. (Codin. De Offic. CP. c. 9.)

XIII. Polystaurium similiter ipsummet erat pallium, vel omophorium Episcoporum. Fascia est quatuor circiter pollices lata, quæ cingit collum, & ante pectus defluit supra casulam, pendetque infra genua, denique ut nomen ipsum indicat, multis intexta est crucibus. Græcis omnibus Episcopis datur in ipsa sua ordinatione, authorque est Isidorus Pelusiota, lana linoque texi hoc pallium, eoque ovem erraticam designari, quam bonus Pastor humeris suis impositam revehit. (l. 1 Ep. 136.)

Concilium Generale VIII. graviter objurgavit Episcopos, qui ubique & semper gestabant pallium, *quovis tempore divini sacrificii, aut quacumque Ecclesiastica necessitate*: cùm vetent Canones eo indui, nisi *certis temporibus & locis.* Jam observatum est ab Isidoro Pelusiota, dum inter solemnia Sacra recitaretur Evangelium, quæ vox est ipsa & præsentia Pastoris æterni Christi Domini, tum Episcopum qui vicarius Pastor est, pallio se exuere solitum, & Diaconi in manus illud deponere: addit Simeon Thessalonicensis illud ab eo indui rursus, cum ad Corporis & Sanguinis Christi communionem accessurus est. Pallio induebatur Pontifex, & illud ponebat quandocumque Episcopum ordinabat.

Hæc de pallio seu polystaurio Græcorum. Quibus addi poterat, quod commentatur Zonaras in Canonem Calchedonensem XVII. Episcopos Cæsareæ, Ephesi, Thessalonicæ & Corinthi, postquam inter Exarchos relati sunt, sive Primates: inde id consequutos utique juris esse, ut suis in Ecclesiis polystauria gestarent. *Quibus etiam propterea prærogativa nomine polystauria in suis Ecclesiis gestare permissum est.* (In Can. Calch. 17.) Si quæ in antedictis pugnæ vel contestationes occurrerint, eas sedare conabimur infrà, ubi de Pallio prolixiùs disputabitur.



## CAPUT L. *P. 4. l. 1. c. 35.*

### De veste communi & civili Clericorum ab anno Christi millesimo, usque ad trecentesimum supra millesimum.

*I. Undecimi sæculi Conciliorum statuta de Clericorum vestibus, eorumque colore, forma, panno.*
*II. Statuta Conciliorum sæculi duodecimi.*
*III. Statuta Conciliorum sæculi decimi-tertii super eadem re.*
*IV. Elucidantur Canones Concilii Lateranensis IV. sub Innocentio III.*
*V. Statuta supradicta ab aliis Conciliis confirmantur.*
*VI. Prohibentur Dalmaticæ.*
*VII. Nova Decreta adversus vestes breviores, aut fissas.*
*VIII. Constitutiones variæ Conciliorum Germaniæ.*
*IX. Confirmantur novis præsidiis, quæ decreta hactenus sunt contra vestes, aut breviores, aut longiores; ante, vel à lateribus apertas; ex serico, vel ex pretiosioribus pellibus, viridis aut rubei coloris, cum manicis puris, aut arte phrygia elaboratis.*

I. NE hîc quidem discedam ab orbita, quam trivi: vel methodo & ratione, quam sectatus sum superioribus Capitibus: ut Concilia ex ordine ipso temporum consecter, eorumque decreta variis illustrem observationibus. Quanquam enim in alios & alios Canones iterandæ nonnunquam erunt eædem animadversiunculæ nostræ, erit tamen id & prolixum & tædiosum minùs, quàm si Canones ipsi replicandi sæpiùs iidem fuissent in alias & alias observationes.

Can. 3. Concilium Coyacense in Hispania anno 1050. unum id præcepit Clericis, ut *vestimentum unius coloris & competens habeant*. Hinc liquet nigri coloris nullam adhuc necessitatem, aut universalem consuetudinem viguisse: sed abundè fuisse, ut ne amarent Clerici splendidiores, vel plures simul unius vestis colores. Ita enim potest quis illam vocem *competens* interpretari. Posset & in mentem venire non injuriâ, competens dici hîc indumentum, stolam, ubi de Presbyteris agitur. In synodali quippe sua Epistola Ratherius Veronensis Episcopus Presbyteros vetat sine stola usquam esse; ne in itinere quidem faciendo: *Nullus sine stola in itinere incedat, nullus induatur vestimentis laicalibus.* Concilium Melphitanum in Appulia anno 1086. *Scissis vestibus Clericos abuti ulterius prohibuit, & ne pomposis exuviis induantur.*

Conc. Coll. To. 9. pag. 1272. Can. 13.

Eæ sunt forsan Laïcorum vestes, quibus Clericis Ratherius interdicebat. Oblongæ enim vestes tam frequenti adhuc erant in usu apud laïcos, ut minimè necesse esset eas Clericis præscribi à Conciliis, præsertim in Italia.

II. Sola ergo vestium modestia commendabatur, seu pannos ipsos spectes, seu colores, seu fissuras multiplices. Concilium Londinense anni 1102.

Can. 10. unum id jubet, *Ut vestes Clericorum sint unius coloris, & calceamenta ordinata.* Concilium aliud Londinense anni 1127. Abbatissas uti vetuit pellibus exquisitioribus & magni pretii. *Nulla Abbatissa, vel Sanctimonialis carioribus utatur indumentis, quàm agninis, vel cattinis.*

Can. 12. Regulam Templariis Equitibus temperavit Concilium Trecense anni 1128. eaque indulsit illis uti lineis non concessit, nisi à Paschæ die ad celebritatem Sanctorum omnium: idque ex indulgentia penè necessaria, inter Orientalium Provinciarum æstus: reliquo anni tempore laneis uti

Cap. 69. necesse erat. *Cuique una camisia linea tantùm, non ex debito, sed ex gratia detur, alio tempore laneas habeant camisias.* Concilium Londinense anni 1138. pellibus majoris pretii quibuscumque Monialibus interdixit: *Variis, seu Grisiis, Sabellinis, Marterinis, Hermininis, Beverinis pellibus & annulis aureis uti sanctimoniales prohibemus.* Cap. 15. Inania hæc ipsa & superflua vestium ornamenta Concilium Lateranense II. sub Innocentio II. anno 1139. Clericis omnibus abstulit, uti & vestes omnes scissura aut colore notabiles: *Nec in superfluitate, scissura, aut colore vestium, intuentium offendant aspectum Episcopi & Clerici, &c.* Can. 4. Idem iisdem verbis statutum rursus fuit in Concilio Remensi anni 1148. sub Eugenio III. ubi & jussi sunt Can. 2. Episcopi immorigeros & pertinaces omnes Beneficiis Ecclesiasticis spoliare. Bernardus ipse Eugenium interpellavit, ut in hujus Canonis observationem sedulam Pontificio & acriori zelo invigilaret. *Vide si non æquè ut priùs pellicula discolor sacrum Ordinem decolorat; si non ut priùs scissura enormis penè inguina nudat, &c. Nempe habitu milites, quæstu Clericos, actu neutrum exhibent.* De Consid. L. 3. Concilium Londinense anni 1175. solam inculcavit mediocritatem: *Vestimentis vel calceamentis, nisi quæ honestatem & religionem deceant, uti non liceat.*

At Concilio Eboracensi anni 1194. prohibiti sunt Can. 6. Presbyteri cappis uti manicatis, ut quæ ipsorum Ordini minimè consentirent. *Ut Sacerdotes non in cappis manicatis incedant, sed in vestibus suo Ordini congruis.* Concilium vero Mon-Pessulanum anni 1195. tolerasse videtur manicas, dum amoverentur ab eis aurea quævis vel argentea ornamenta: cæterùm Presbyteros sanxit clausa undique habere indumenta, nisi equitandi necessitas aliud extorqueret. Diaconi, Subdiaconique eadem lege constricti sunt iis in locis, ubi ejusmodi hactenus viguerat consuetudo. *Manicas vestimentorum suorum quotidiano filo non consuant, nec argenti, vel aliùs metalli laminas ipsæ apponant, &c. Illi quoque qui sunt in sacerdotio constituti, clausa semper ferant indumenta, nisi in equitando aliud facere compellantur, &c. Confirmavit Legatus consuetudinem locorum, & ne intermitteretur, sub anathematis interminatione prohibuit, quibus Clerici etiam in minoribus, Subdiaconali & Diaconali Ordinibus constituti, clausa consueverunt hactenus vestimenta deferre.*

Siquis autem malit his hujus Canonis verbis, *Qui sunt in Sacerdotio*, tres superiores Ordines intelligi; qui verò posteà adduntur, Clericos hos esse inferiores: vehementer ipse quoque assentiar. Et olim enim usitatissimum fuit tres superiores Ordines in Sacerdotii gradibus variis constitui: & recentioribus sæculis nihil familiarius Conciliis, quàm ut Clericos prorsus omnes jubeant clausis undique uti tunicis, & oblongis quibuscunque vestibus. Has nimirum scissuras fissurasque, ut melioribus & antiquioribus sæculis inauditas proscripsere laudatæ & laudandæ rursus Synodi.

Hinc facilè colligitur, non inferiores tantùm tunicas, quas subtanas vernacula lingua appellitat, sed & superiores vestes, seu cappas, quæ tum induebantur, cùm per urbes incederent, clausas undique fuisse. Idem dicendum de superpelliceis & mantellis. Nec enim ea communi huic legi subducuntur. Accipe quid ferant Eudonis Parisiensis Episcopi Constitutiones: *Prohibetur universis Sacerdotibus, sine amictu scilicet, cappa, vel pallio, vel superpelliceo, & comite Clerico, vel Laico intrare domos alienas, aut discurrere per vicos & plateas, & ne habeant cappas alatas, & vestes inordinatas.* Hujusmodi *cappæ alatæ* non improbabiliter eædem dicentur fuisse quæ manicatæ, maximè ubi alarum instar hinc & hinc pendebant manicæ. Cappæ ergo urbanæ

perinde carebant manicis, ut ex quæ inter sacra adhibentur: sed utræque tum undique clausæ, non aliter quàm casulæ etiamnunc, quæ & ipsæ cappæ sunt undique clausæ, ut videre est in Ecclesiasticarum vestium promptuariis antiquissimis. Idem rursum infrà Parisiensis Episcopus Parochos eorumque
Art. 13. 14. Vicarios cappis manicatis uti prohibet: *Prohibetur Sacerdotibus ne habeant Capellanos habentes cappas manicatas, sicut nec ipsa Persona debent habere.*

Constitutiones Gallonis, qui Parisiensis Episcopus aliquandiu visus est, sed qui postea deprehensus est ille ipse Gallo esse, Legatione qui functus est Innocentii III. Papæ, in Gallia, cujus meminit Rigordus ad annum 1208. Hæ, inquam, Constitutiones exertissimè damnant tum cappas manicatas, tum pretiosis pellibus insignes; tum vestes virides, rubeasque: ne exceptis quidem Archidiaconis, Præpositis, Archipresbyteris & Decanis, quos simillimum veri est hæc tum affectasse ornamenta, ut à promiscua Cleri reliqui turba discernerentur.
Can. 3 4. *Prohibemus ne Sacerdotes de cætero cappis manicatis utantur, & ne constituti in sacris Ordinibus manicas consutitias, sotulares rostratos, vestesque rubri coloris habeant, &c. Decanis quoque, Archipresbyteris, & Archidiaconibus, ne vestes rubri coloris, vel virides habere præsumant, &c. Ne cappas foratas habeant manicatas.*

Can. 18. III. Concilio Avenionensi, quod in annum 1209. contulerunt, prohibentur Canonici Regulares serico uti, vel colore conspicuo, vel manicata Cappa; at Clericis sæcularibus abstinendum est dumtaxat à sericea, rubra, viridique veste, & antica in parte scissa. Ubi vides ut de antiquo disciplinæ rigore decidant semper aliquid & decerpant anni diesque singuli. Antè enim omnino vetabantur cappæ manicatæ & conspicui colores omnes: at hîc soli Regulares Canonici cappis manicatis interdicuntur; colore tantùm rubro viridique Clerici omnes: denique pannis non aliis quàm sericeis.

Concilium Mon-Pessulanum anni 1214. Episcoporum vestes hac lege descripsit & circumscripsit:
Can. 1.3. *Episcopus talaribus vestimentis & camisia linea super alios pannos, extra domum suam si pedes vadat, semper utatur. Et idem observet in domo, cum Curiam publicè cum extraneis tenet. Chlamydem quoque talarem habeat super scapulas, consutam more Romano, vel cum laqueis constrictam super pectus. Ita ut laquei ante pectus palmi longitudinem non excedant.* Cæteri verò Clerici uti prohibentur calceis vestibusque rubris, viridibusque, item manicis consutitiis, pileis pretiosa quapiam pelle munitis: annulo, cappa manicata: maximè id verò urgetur, ut superior vestis & talaris sit & undique clausa. *Nullus Clericus indumentis vel caligis rubeis, vel viridis coloris, vel manicis consutitiis, vel capellis forratis, vel annulo, vel cappa utatur manicata. Archidiaconi verò, Decani, Cantores, & alii qui in Ecclesiis Cathedralibus vel Conventualibus obtinent personatus, superiorem vestem sive lanea, sive linea, clausam habeant & talarem. Quod & observari volumus à Clericis curam habentibus animarum.*

Observari porro in hos Canones complurima possunt. 1. Colore viridi, rubeo, & conspicuo quolibet alio uti prohibentur, non Episcopi, sed quilibet alii Clerici, quacumque illi demum præfulgeant dignitate. Necdum rubeus color Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus vendicatus fuerat, eoque utebantur Episcopi, ut & viridi ad nostra usque tempora. 2. Illud jam incipit significari disertis verbis, talares esse debere Clericorum vestes, quod argumento est, sæculares etiam honoratiores jam cœpisse breviori uti veste; quo exemplo illiciebantur & Clerici, ut togam & ipsi abjicerent Romanam, quæ toto Occidente, quod latissimè patebat Romanum Imperium, pervagatissima fuerat. 3. Vestis hæc superior antè clausa, & vel lanea, vel linea, illud nimirum indicat, Cappas de quibus tam frequens hic sermo est, ejusdem fuisse formæ ac superpellicia, ad imos usque pedes defluxisse, & undique clausas fuisse, æquè ut superpellicia. 4. Nec tantùm superpellicia, cappas, superioresque vestes omnes claudi undique debuisse; sed etiam Tunicas, sive Subtanas, saltem apud Canonicos Regulares, quando & in hac parte relaxari aliquid cœperat erga Clericos alios. Decretum de Canonicis Regularibus istiusmodi editum est in hoc Concilio: *Tunicas non habeant curtas, vel apertas ab anteriori vel posteriori parte, sed longas & clausas.*

IV. Allucebit aliquid luminis ex Decretis Concilii Lateranensis IV. sub Innocentio III. anno 1215. quo supradicta illustrentur. Præcipitur similiter, ut superiores vestes nec oblongiores ultra modum sint, nec breviores; nec viridi, nec rubeo colore; nec denique ulla ex parte scissæ vel apertæ. *Clausa* Can. 16.
*deferant desuper indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda. Pannis rubeis aut viridibus non utantur, Cappas manicatas ad divinum officium intra Ecclesiam non gerant, sed nec alibi qui sunt in sacerdotio vel personatibus constituti, nisi justa causa timoris exegerit habitum transformari.* Hæc ad Clericos spectabant tantùm. Fas ergo erat Episcopis, veste in rubea ut essent, vel viridi. Manicatæ cappæ non prohibentur nisi in Ecclesia & inter sacra ministeria, quod & religiosè adhuc servatur. Id temperamento novo mitigatum ita fuerat. Antè enim proscriptæ undique omnino fuerunt. Certè quidem prohibentur etiam Presbyteris, & quascumque in Ecclesia sustinentibus dignitates: sed iis uti tamen sinuntur, quando ab imminente aliquo ut tuti sint periculo, mutari vestes necesse est, & manicata vestiri cappa, sæcularium hominum more. Hinc liquet cappas de quibus hic agitur, ejusdem fuisse formæ, tam in civili, quàm in sacro usu. Unde cujusmodi essent sæculares cappæ, ex Ecclesiasticis quæ supersunt, conjicere datur. Illud erat discriminis inter sæcularium & Clericorum cappas, quòd Clericales & sine manicis esse deberent, & undique clausæ.

De Episcopis mox agitur in eodem Canone, qui jubentur in linea semper esse superiori veste, tum in Ecclesia, tum in urbe, nisi Monachi fuerint: Monastica enim tunc veste eos uti necesse est. *Pontifices in publico & in Ecclesia superindumentis lineis omnes utantur, nisi Monachi fuerint, quos oportet deferre habitum Monachalem.* Linea hæc vestis superior, quam Episcopi Canonicique Regulares retinuere, Clericis olim omnibus sacrorum saltem Ordinum communis erat. Lanea in lineæ vicem postea successit: denique à Clericis omnibus aliis in totum abjecta est extra Ecclesiam. Ita liquidum est ex suprà explanatis Canonibus. Denique vetitur ad pallia civilis usûs Episcoporum, quæ aperta & sine fibulis geri, ut nunc mos est, omnino prohibetur. *Palliis diffibulatis non utantur in publico, sed vel post collum, vel ante pectus hinc inde connexis.*

V. Cæterùm Decretum istud complura deinceps Concilia innovarunt particularibus in Ecclesiæ Provinciis, & illud potissimum caput, quod spectat ad cappas undique clausas, quales gestari necesse erat

à Clericis omnibus, dignitate quavis sublimibus.
Can. 32. Ita Oxfordiensia duo Concilia anno 1222 & 1223.
Can. 14. *Cappis clausis utantur in sacris Ordinibus constituti, ma-
ximè in Ecclesia, & coram Prælatis suis, & in conventi-
bus Clericorum, & ubique in Parochiis suis, qui cum
animarum cura Ecclesias susceperunt.* Ex quibus no-
vum robur accersi potest superioribus observatiun-
culis nostris. Concilium Turonense anni 1239. op-
tionem fecit vel cappæ clausæ, vel mantelli, quod
omni ex parte clausum erat, quodque ab Episcopis
Can. 3. ad Presbyteros derivari incipiebat. *Ne Sacerdotes in
publico procedant, nisi in cappis clausis vel mantellis.*
Additur & de veste quæ tunicæ superinducbatur,
ut & ipsa clausa esset omni ex parte: *Clausa etiam
habeant supertunicalia.* Trahendum id videtur ad il-
lud togæ genus, quod manicatum cùm sit, domi
ita defertur, ut in publico mantellum vel cappa
clausa sine manicis, ut fidem facit vel hic ipse Ca-
non. Quod autem supertunicali huic vesti suæ es-
sent manicæ, perspicuum facit Canon Concilii apud
Can. 25. Campiniacum habiti anno 1238. *Ne supertunicale de-
ferant Regulares, nisi clausum & etiam manicatum.* Sy-
nodus Vorcestrensis hæc statuta promulgavit, unà
cum illis quæ pannos damnant sericeos, colorisque
viridis & rubei. Frequentiùs in dies prohibebantur
serica, quia & frequentior in dies fiebat eorum
usus ex vilitate scilicet pretii: cùm olim & magno
starent, auri scilicet pretio non disparia: & rarior
proinde etiam inter laïcos fuisset eorum usus.

Molestissimè tulit Albigense Concilium anni 1254.
à Judæis cappas deferri rotundas, earumque simil-
Can. 64. limas, quæ à Clericis nostris gestabantur. *Clerici
cappis rotundis ex more utuntur.* Sanxit ergo hæc Sy-
nodus, ut Judæis cappæ essent, cum manicis quæ
cappas ipsas longitudine æquarent, quæque rugis
omnino carerent. *Cappas portent deinceps Judæi ma-
nicatas, ita quòd manicæ longæ sint adeo sicut cappa,
nec in eisdem manicis plicatura sit aliqua atque ruga.*
Can. 8. Concilium Arelatense eodem anno 1260. Judæis
interdixit cappis rotundis clausisque, ut quæ no-
strorum propriæ essent Presbyterorum. Coloniense
Can. 4. Concilium anno 1260. vestes à latere scissas & aper-
tas damnavit. Nova illa excogitata erat ratio illu-
dendi legibus Conciliorum: *Apertura vestium à la-
tere.*

Cognac. VI. Presbyteris Dignitatibusque Cleri Campi-
niacense Concilium dalmaticas abstulit, solasque
reliquit cappas, & supertunicalia, quæ ipsa jussit
omni ex parte claudi, nisi justa necessitas indul-
Can. 8. gentiæ & dispensationi locum daret. *Presbyteri &
cæteræ dignitates, personatus, administrationem habentes,
dalmaticis non utantur, sed cappis clausis: & supertu-
nicalia clausa portent, nisi in parte ista probabilitas vel
necessitas ipsos reddiderit excusatos.* Dalmaticas istas
interpretari libet cappas manicatas aliis breviores,
à latere scissas utroque, quales Diaconi Subdiaco-
nique induuntur quandoque inter Sacra, Presby-
teri nunquam. Statuta Synodalia Andegavensis Ec-
clesiæ anni 1264. interdixere Archidiaconis, Archi-
presbyteris & Decanis cappis manicatis, quas ver-
naculo sermone Tabarda vocitabant, nisi dum plu-
vium esset cœlum. *Cappas manicatas, vel Tabarda
non deferant, nisi sit tempus pluviale.* Erant ergo Ta-
barda aptata ad pluvium tempus indumenta. Hinc
pluvialia etiam num in sacro usu, sed ab his longè
diversa, quibus suæ erant tunc manicæ.

VII. Anno 1268. Londinense Concilium pris-
cam illam legem, & ad nauseam usque inculcatam,
renovandam censuit, Ne Clerici majores, & qui
maximè dignitate aliqua eminerent, cappis uteren-
tur non clausis, nisi itineri se dedissent, vel legi-
tima quæpiam aliqua intercederet dispensandi cau-
sa. *Nisi fortè causa itineris, vel alia justa causa hone-* Can. 5
*stam aliam vestem gerant.* Cæterùm à laicis distarent
semper Clerici, vestibus ad medias saltem usque
tibias pendentibus. *Clerici universi vestes gerant, sal-
tem ultra tibiarum medietatem attingentes.* Beneficiis
privantur, statutis his qui minùs paruerint. Con-
cilium ad Castrum Guntherii habitum anno eodem Can. 6.
1268. vetuit Archidiaconos, Archipresbyteros &
Decanos toto jurisdictionis tractu conspici usquam
sine cappa clausa. Ita paulatim molliebantur & eva-
nescebant leges, cùm videas hic jam necessitatem
gerendæ cappæ clausæ ad solas dignitates, & ad
loca suæ cujusque jurisdictionis coarctari.

VIII. In Concilio Salisburgensi anni 1274.
vetita sunt cingula auro argentoque radiantia;
itemque vestes à lateribus scissæ: *Vestes non defe-
rant nisi clausas, quas omnino prohibemus à latere ape-
riri.* Vetitum est & superiorem vestem seu supertu-
nicalem cingulo circumcingi: *Nec procedant in pu-
blicum circumcincti veste suprema.* Concilio Salmu- Can. 11.
riensi anni 1276. prohibiti sunt Monachi Canonici-
que Regulares pellibus ornari pretiosis, variis,
Armeois, Grisis, & hujusmodi aliis. Sed multa
nobis paulò intricatiora expediet Budense Conci- Can. 4.
lium anni 1279. cui Legatus præerat Pontificius,
& pondus addet conjecturis compluscutis, quas
penè divinando magis quàm probando suprà con-
gessimus. Ibi ergo constituitur, ut Episcopi in pu-
blicum procedentes, sive equo vehantur, sive pe-
dibus, cappas rotundas ferant supra lineam vestem
albam; mantelloque sint semper, quod cappæ lo-
co est, connexo & infibulato, sive ponè, sive ante
pectus. *Prælati cum equitant, vel etiam in publico* Can. 2.
*pedestres incedunt, habeant & deferant camisias albas,
sive rosetas; quas semper sub cappis sive mantellis, ante
pectus, vel post collum hinc inde connexis deferant, in
publico, &c.* Camisia ista non aliud quàm Alba erat,
humum verrens, ut verbis ipsis exprimitur. Pote-
rat illa non solùm alba, sed & roseta, sive ut lo-
quitur non semel Anastasius Bibliothecarius, rosa-
ta geri, hoc est, rosei coloris. Sed illud quoque
elucet, mantellum cappæ clausæ paulatim jam sub-
stitui cœpisse, ea quidem cautione, ut fibulis ita
connecteretur, ut undique quodammodo clausum
esset.

Indultum est illud etiam, ut mantellis uterentur
brevioribus in peragrandis ex necessitate regioni-
bus, sive ad Palatium Principis, sive ad exercitum
pergendum esset; usque cucullos adhibere possent
ad arcendam pluviam, non consutos, sed separa-
tos, & cum opportunum erat induendos. *Permit-
timus autem quod possint habere mantellos rotundos, sive
tabarda longitudinis moderatæ, eosque deferre cum ca-
putiis separatis ab eis, tempore pluvioso, nivoso, seu
pruinoso. & cum ad exercitus, seu Curiationes, aut ex-
peditiones ex certis & necessariis causis, à sacris Cano-
nibus minimè reprobatis eos contigerit proficisci.*

Prohibentur mox hoc eodem Canone Canonici
pellibus pannisque uti illis, quibus raritas sua pre-
tium facit, *sub mantellis vel cappis.* Canone proxi-
mo vetantur Dignitates, Canonici, Parochi, Pres-
byteri manicas habere consutas, & togas, sive su-
pertunicales quascumque vestes apertas. *Manicas
ne deferant consutitias, nec togas, sive guarnachias, seu
supertunicalia, aut quæcumque alia vestimenta desuper
portent aperta, sed ipsa superiora indumenta circum-*

*circa usque ad fimbrias deferant clausa.* Hæ sunt ergo *toga* & *supertunicalia*, hoc est, vestes extimæ & supremæ, quibus aliæ conteguntur omnes; eæque jubentur sine manicis esse, etiam consutis, & hinc inde pendentibus; enixissimè autem contenditur, ut undique clausæ sint. De collaribus ita statuitur: *Nulla collaria, nisi fortè in tabardis vel mantellis ad equitandum, circum circa omnino rotunda.* Equitantibus enim & iter facientibus, adversùs aëris inclementiam, vel imbrium vim, poterant usui esse collaria hæc, maximè si rotunda essent. Mox de fibulis: *Bottones, sive fibulas aureas vel argenteas.*

Postremò denique hoc Concilium edicit, ut Canonici Regulares ab aliis Clericis dignoscantur, superpelliciis, quæ nunquam non gestent, sive tunicis lineis, sive cappis clausis; sicut Monachi nusquam esse debent nisi in cappa clausa, nimirum lanea.
Can. 62 *Canonici Regulares sine superpelliciis, vel tunicis lineis, seu cappis clausis non incedant.* Ubi perspicis quid essent cappæ clausæ sive laneæ Monachorum, sive lineæ Clericorum, quæ nimirum ita undique consutæ clausæque erant, ut sunt etiamnunc superpellicia. Quanquam & his longa dies labem attulerit etiam non mediocrem. Si fibula enim illis sua constat, si nulla scissura illusit, at damnum ingens tanta decurtatione illatum est. Non ita pridem enim ex antiquo more terram verrebant.

IX. Synodus Coloniensis anni 1280. vestes damnavit, tam prolixiores, quàm breviores; viridis, rubeique coloris; calceis, manicisque consutitiis
Can. 1. 5. abstineri jussit. *Pannis rubeis, aut viridibus, manicis, aut calceis consutitiis non utantur.* Cappæ manicatæ Monachis interdicuntur, multóque magis Sanctimonialibus. Penè exciderat, quod Concilium Londinense anni 1268. prohibuit, ne Clerici, nisi dum iter agunt, insulas gererent, quas coïfas
Can. 5. vocabant. *Nec nisi in itinere constituti, infulas, quas vulgò coïfas vocant, portare præsumant.* In Concilio Lambethano anni 1281. idem hoc ipsum innovatum est decretum, quòd his infulis, seu tæniis degeneres Clerici coronas suas contegerent, suamque dissimularent professionem, quasi suppuderet illos præclarissimorum Christi Sacerdotii regalis in-
Can. 22. signium. *Tenia coronas abscondunt, quasi cœlestes radios repellant, &c. Legatus contra portantes infulas, aut tenas, statuit, ut &c.* Excestrensis Synodus an-
Cap. 17. ni 1287. id rursum prohibuit: *Coronas deferant sphæricas, quas infulis cooperire prohibemus, sub pœna Ottoboni Legati, &c.* Galericulis nunc operiuntur impunè coronæ, nec tamen harum quidquam pœnarum reformidatur. Nimirum non ea nunc mens est, ut de suo quisquam Clericatu suffundatur. Quin & subinde amovetur hoc galericulum, & nulli non persuasissimum est hoc arcendo frigori adhiberi, non ejurando, aut vel dissimulando sacerdotio. Præcepit hæc eadem Synodus, ut *induerent se Clerici vestibus unius coloris, & non varii, nec permixti.* Item ut Presbyteri uterentur, *Cappis & supertunicis clausis.* Cúmque tam tenuis fortunæ substantiæque Clerici essent aliqui, ut non possent vel cappas, vel mantella comparare, quæ tunicis superinduerentur: jussi sunt illi saltem indumentum superius gestare undique clausum, ut aliquid inter ipsos & laicos esset discriminis. *Superindumentis saltem utantur clausis, ut à laicis discernantur.*

Quamvis in dies singulos crebresceret usus vestis brevioris: quamplurimi tamen etiam tum supererant inter laicos, Romani habitus oblongiorumque vestium retinentiores. Sed quamvis oblongæ horum Laicorum, æquè ac Clericorum essent vestes, supererat tamen inter utrasque non parum discriminis. Inanium sæculi ludibriorum amantiores aliqui semper Clerici, omni ope enitebantur, ut hæc auferrent discrimina, & laicis tam essent veste similes, quàm animo conjuncti. At contrà nitebantur Concilia Episcopalia: Longior laicorum vestis scissa undique & aperta erat, id nequam Clerici affectabant etiam, id Ecclesia crebris fulminibus percellebat. Non quòd magni esset momenti vestem scindi, an consui: sed quod referret magni, ne suæ sortis Clericos puderet; ne Laicorum turbæ misceri se mallent, quàm ministrorum Christi: ne sæcularem animum proderent sæcularis vestis studio intempestiviore.

Eadem erat ratio prohibendi cappas manicatas, quarum ex usu sæculares agnoscebantur jamdiu. Ideo & has rursum proscripsit Synodus Cicestrensis anno 1289. ut lasciviæ levitatisque illices indicesque. Non quòd ex vestibus lascivia emergat, sed quòd jam lasciviat, & levitatis vento fluctuetur Clericus, cùm sui ipsum pudet, mavultque in laïcum degenerare. *Ne cappis manicatis, vel aliis indumentis levitatis & lascivia notam prætendentibus utantur publicè.* Cap. 9. Hæc lasciviæ & levitatis nota si cappatum manicis jure illinitur, multò vehementiùs affricabitur coloribus elegantioribus, rubro, viridique: apertis & diffutis indumentis quibuscunque; consutitiis manicis, calceisque, & aliis non Can. 1. minùs inanibus. Eadem mens Synodi Santonensis, Can. 31. & 113. anni 1298. damnantis *sotulares* consutitios, & manicas. Ex historia Abbatiæ sancti Martini Tornacensis colligitur, nigris universim Monachos, albis Clericos usos esse vestibus: *Cùm Monachorum niger sit habitus, Clericorum verò candidus.* Spicil Tom. 12. pag. 395 Cui rei ut satis tuiò adhibeatur fides, ad ea tempora revocandus est animus, ubi Monachorum ordo in Occidente unus erat, ferè sub divi Benedicti nomine, ante ipsos etiam Cistercienses, qui Monachi albi dicti sunt, orbemque cœnobiis suis frequentarunt. Clericos etiam de quibus hîc agitur, suspicor non alios intelligi quàm Canonicos Regulares.

---

## CAPUT LI. *P. 4. l. 1. c. 36.*

### Ejusdem argumenti continuatio, de veste civili Clericorum ab anno Christi millesimo trecentesimo ad hæc usque tempora.

*I. Decreta Conciliorum sæculi decimi-quarti de talari veste Clericorum, unius, non varii coloris, undequaque clausa: de vestibus humum verrentibus, de Galericulis, de Almutiis.*

*II. De eadem re. De indumentis itineri faciendo aptis, de togis fibulatis, de oblongioribus mantellis, de brevioribus tunicis.*

*III. Conciliorum sæculi decimi-quinti decreta. Temperamenta invecta in vestes fissas, & in manicas pendulas. De vestibus Episcoporum.*

*IV. Statuta Conciliorum sæculi decimi-sexti. Decreta sancti Caroli Borromæi circa vestes sericeas, breviores tunicas, mantellum, mantelletum, cucullam, nigrum vestium colorem.*

*V. De vario capitis indumento.*

*VI. De collaribus. De manicis. De colore nigro. De birreto rotundo & quadrato.*

*VII. Reges, Magnates, Nobiles oblonga olim veste semper usi, seu Romana, quæ eadem ipsa erat, atque Clericorum. Probationes.*

*VIII. Probationes aliæ.*

*IX. Animadversiones in ea quæ dicta sunt omnia.*

*X. In hac tam multiplici varietate vestium & consuetudinum, quæ regnaverit summa lex constantia & unitatis.*

I. Vix quidquam occurrit capite superiore, quod à Conciliis, vel Episcopis Italiæ

decretum sit ad regendas in Clericorum vestibus sive leges sive consuetudines pias. Non diffidet à vero priscos usus ibi intaminatos servatos esse, velut in patria quadam sua, & in ipsa sede Monarchiæ Ecclesiæque Romanæ. Inde est quòd & Legati Roma missi in Angliam, Galliam, Germaniamque ventitarint, ut consuetudinem pristinam vestemque restituerent, quæ gravitatem Romanæ togatæque gentis & Clericalis modestiæ redolerent. Deinque ad statutum illud unum Concilii Lateranensis IV. sub Innocentio III. accommodaverunt sese deinceps omnia per Occidentem Concilia & Conciliorum de vestibus statuta.

Auspicandum porro nobis est hoc caput ab Italia & à Concilio Ravennate anni 1314. ubi ad secernendos à laicis Clericos, præcipitur ut horum vestis sit talaris, undique clausa, & ejus coloris,
Can. 10 qui Canones non habeat infestos. *Nec vestimenta alterius coloris, quàm jure permissi, quæ desuper clausa sint, atque talaria.* Præcipitur ibidem, ut Clerici *capita cooperiant pileo, vel birreto, vel armutia oblonga ad aures.* Dignitates, Canonici, Parochi, Presbyteri prodire in publicum vetantur sine cappa, aut chlamyde, vel mantello, *Cappas vel chlamydes portent.* Ruri talarea quidem vestes, sed manicatæ, aut pluvio, permittuntur. *Saltem tabardos talares portent.* In Ecclesia *utantur cappis nigris, vel saltem cottis albis:* Ex quo elucet quæ forma esset capparum civilis usûs. Eadem hæc ipsa rursus constituuntur in
Can. 4. Concilio Ravennate anni 1327. ita tamen ut tabardis in ipsa urbe uti sinat. Colvenerius in suis ad Thomam Cantipratensem Notis observat tabardum vocem esse Belgici idiomatis propriam, eaque designari talarem vestem. Ex Cangii Glossario liquet vocem illam Italis Hispanisque etiam usitatam fuisse.

Can. 4. In Concilio Senonensi anni 1320. prohibiti sunt calcei rubei, virides, albique, itemque armutiæ ex
Can. 6. serico velluto. Concilium Palentinum in Hispania anno 1322. hæc de Episcopis sancit: *Succas lineas in publico, & cum eos equitare contigerit, nullatenus tabardos, sed cappas deferant & capellos suæ dignitati congruentes.*

Can. 2. Concilium Toletanum anni 1324. vestes damnavit quæ superfluo syrmate humum verrerent: *Nullus Clericus supertunicale vel tabardum deferat ita longum, quod si ad pedes contingat, nullatenus tamen per terram trahatur, cùm hæc non honestas, sed superfluitas sit & indecentia.* Clericorum item mantella notavit, immoderata prolixitate notabilia: *Clerici ne mantellos seu chlamydes nimia longitudine notandos, &c.* Concilium Tarraconense anni 1338. leges edidit ad luctum moderandum pro personarum temporumque ratione: *Ne Clericus in sacris Ordinibus induat se de*
Constitut. Tarrac. l. 3. Tit. 1. *nigro, seu de vestibus lugubribus per mortem alicujus, nisi fuerit pater vel mater, frater aut soror, aut dominus, quas etiam ultra duos menses portare non possit.* Concilium Viennense vetuit ne gererent Clerici
In Clem. l. 3. Tit. 1. c. 2. *virgatam vel partitam vestem.* Concessit tamen uti *epitogio seu tabardo foderato usque ad oram, & ita brevi, quod vestis inferior notabiliter videatur.*

In Regula ea quam Benedictus XII. Papa libravit edixitque Canonicis Regularibus sancti Augustini, anno 1339. perspicuum est cappas & mantella non distare jam ab iis vestibus, quæ à forma dicebantur *rotunda* & *clochia*, quæ omni ex parte clausæ erant, atque ad terram usque defluebant, cùm tabarda & breviora essent & manicata. *Ne ex-*
Cap. 19. *tra septa portent alias vestes super habitum, quàm cappas seu mantellos honestos vel rotundellos, sed clochias talares, &c. Vestis superior habitui proxima, sit rotunda per circuitum, & non fissa, &c. Abusum manicarum, tabardorum notabilem habentium brevitatem prohibentes, &c.* In Ecclesia, Capitulo & Refectorio armutia pro caputio indui debent; porro & armutiæ & caputii idem debet esse color, qui rotundæ; immo & pannus idem, si rotunda lanea sit.

II. Concilium Avenionense anni 1337. Canonicis, maximè qui Dignitatibus fulgerent, Parochis, Capellanisque illud inculcavit, ut superiores vestes undique clausas haberent, moderatè oblongas, cum manicis rotundis, & cum modo demissis: caputia denique nec aperta, nec magna ultra modum. *Vestes* Can. 42.
*superiores clausas, non nimia brevitate notandas, cum manicis decenter longis, pariter & rotundis; ac caputia seu capsatus vulgariter appellatus, notabiliter non apertus, aut magnus.* Ubi perspicis superiores seu supertanas vestes ab interioribus seu *subtanis* distingui. Manicæ verò incipiunt minimè prohiberi, quod nihil jam opus esset eo secerni Clericos à laicis, cùm hi ferè jam ad decurtatas vestes descivissent. Illud quoque notandum, non jam ad Clericos omnes, sed ad Presbyteros & Parochos, ad Canonicos & Dignitates pertinere, quod præcipitur, ut clausas undique vestes gerant, tum in Ecclesia, tum in locis illis, in quibus aliqua pollent jurisdictione.

Has consuetudinum vices & mutationes manifestiùs deprehendes in Concilio Londinensi anni 1342. ubi Clericis prohibentur habitus militares, nempe strictiores, cum manicis latioribus, & pendulis. *Habitu superiori stricto notabiliter, cum excessivè longis,* Can. 2.
*vel latis manicis, cubitos non tangentibus, sed pendulis, &c. Epitogiis ac clochiis furratis, &c.* Dum his autem abstineant, conceduntur illis supertunicalia aperta & manicata, immo & breviores vestes, cum itineri se committunt: *Nolumus prohibere, quin Clerici apertis & patentibus supertunicis, aliter tensibus nuncupatis, cum manicis competentibus, &c. Dum per patriam iter faciunt, breves & strictas vestes, &c.*

Concilium Parisiense anni 1346. Clericis interdicit sotularibus rubeis & viridibus, Armutias illis aufert sericas de veluto, vestes rugatas & omnis apertas, promissas nimiùm manicas, fibulas calceorum argenteas: *Vestibus fronssatis, nimium fissis,* Can. 2.
*sotularibus ad boucletas argenteas, sive longis manicis vel cornetis, &c.*

Concilium Andegavense anni 1365. vanissimæ novitati quæ tum gliscebat, obviam ivit: pro cappis clausis, uti incipiebant ea in Provincia, fibulatis, seu ut vernaculum fert idioma, botonatis. *Cùm* Can. 12. 13.
*fuerit ordinatum in Concilio Turonensi ne Presbyteri procedant in publicum sine cappis vel mantellis clausis, & quòd etiam portent clausa supertunicalia, &c. Nos prohibemus, ne vestes breves aut botonatas ante pectus in publico deferant.* Adde & has tum proscriptas in capitum integumentis novitates: *Nec caputia cum longa corneta, sed brevi & honesta, & botonibus in caputiis non utantur.* Denique vel minusculis Clericis pœnæ pecuniariæ indictæ sunt, qui fibulata caputia gererent, aut vestes longas, quæ non saltem genua tegerent. *Vestes longas ad minus usque ad genua propendentes.*

Concilium Vaurense anni 1368. hæc rursum decrevit: *Vestes superiores clausas deferant, nisi contingeret equitare, nec caputia deferant botonata, nec* Can. 47
*beccas longas; & strictas manicas supertunicales tales deferant, quòd non possint de inhonestate notari.* Haud

satis

fatis scio an his vocibus *beccas longas* intelligi debeat pileus rostratus, qui vernaculis Historicis dicitur *Chapel à bec*, quòd acuminatum ex aliqua parte produceretur ad inumbrandum vultum. Hinc & *Umbella* dicebatur: Græcis, quibus & usitatissimus erat, σκιάδιον. Ejus sanè usus ad nos ex Italia & Græcia manasse videbatur.

Can. 6. Concilium Salisburgense anni 1386. prohibet *ne sine caputio capitis, birete, capelle, vel pileo cooperto præsumant in Ecclesia seu in publico incedere; cùm hoc honestatem non deceat Clericalem*. Non facilè divinare possum, an varia hæc nomina unum idemque significent, sed perspicuum est in more fuisse, ut eodem uterentur pileo seu birrato, tum in Ecclesia, tum in publico per urbem. Damnatus est in

Can. 7. Eboracensi Concilio, qui inserpebat usus gestandi breviores tunicas seu subtanas in urbe: *Vestes publicè deferre præsumpserunt deformiter decurtatas, medium tibiarum suarum, seu genua nullatenus attingentes.*

III. In Concilio Constantiensi Martinus V. anno 1418. damnavit *manicas ad cubitum pendentes, & longas cum sumptuosa superfluitate vestes, etiam fissas retro, & in lateribus, cum foderaturis ultra oram excedentibus, etiam in fissuris, &c.* Huc evaserat consuetudo & usus Occidentalium omnium Ecclesiarum, tot relaxatis temperatisque legibus, quæ confertim superioribus capitibus recensitæ sunt. Nulla jam ferè capparum mentio, nulla manicarum prohibitio; nulla jam sollicitudo, ut proximè ad capparum formam accedant mantella; curæ jam non est, ut togis seu supertunicalibus, mantellis, & cappis intersit aliquid: unum cordi, unum in votis est, ut vestes sint oblongæ, clausæ, & ad parcitatem modestiamque compositæ.

Concilium Salisburgense anni 1420. clementius etiam aliquid sanait, concessitque ut vestes anterius aliquantum aperirentur, ut commodior in urbe esset incessus: utque anterius posteriusque etiam aperiri possent, quæ usui erant ad iter faciendum

Can. 6. equo. *Aperturas à latere omnino non habentes nec retro: ab anteriori tamen parte, propter majorem ambulandi commoditatem, ad altitudinem unius palmæ cum media vestes non prohibemus aperiro. Vestes etiam ad equitandum deputatas ante & retro poterunt honestè tamen aperiro.* Illud autem ibidem est præceptum, ut Clerici vestes gererent *non strictas, & corpori benè adjacentes, sed benè amplas, & aliquantum plicatas.*

Statutum Concilii Constantiensis suprà relatum, innovatum firmatumque est in Concilio Hafniensi anno 1425. Concilium Parisiense anni 1429. præce-

Can. 9. pit ut Episcopi *utantur in Ecclesia vestibus lineis, seu rochetis, non nimia brevitate, seu longitudine notandis.* Pileo etiam Pontificio eos uti sanxit, dum per urbem equitant, qui Ecclesiæ Romanæ mos est. Denique vetuit, ne Clericorum tunicæ interiores, seu subtanæ vel rubei coloris essent, vel viridis; ne humum verrerent; ne apertæ denique vel anteriori ex parte, vel posteriori, nisi ad genua usque.

Can. 11. *Nec scissas à parte posteriori, seu anteriori, nisi usque ad genua.*

Eadem penè statuta in Concilio Dertusensi in Hispania an. 1429. cum hoc additamento, ut ne quis pellibus uteretur pretiosis & raritate sua commendatis, præter eos quos eo insigni internosci & commendari

Can. 1. æquum erat. *Et quod Prælatis, Doctoribus, Magistris, Licentiatis, & Nobilibus, & Cathedralium Ecclesiarum Canonicis, dignitatemque vel personatum obtinentibus dumtaxat exceptis, nullus audeat in vestibus aut caputiis foderaturam portare de variis, vel grisis, &c.* Append. 2.

Concilio Basileensi eadem statuta placuere, ne color viridis, aut rubeus adhiberetur; ne manicæ ad cubitum pendulæ; ne antè vel retro fissæ vestes, nec ad latera; ne fimbriæ & oræ vestium molliusculis & pretiosis pellibus ornarentur. Concilium Frisingense anni 1440. colore tursum rubro & viridi interdixit; superiori veste voluit contegi omnino interiores; undique etiam claudi; denique *Birretum capiti superpositum, cum caputio humeris imposito portare, ipsis in publico deambulantibus.* Concilium Rotomagense anni 1445. ita etiam edixit: *Ne longas & amplas cornetas in suis caputiis deferant, sed breves & decentes.* (Conc. Basil. c. 4. — C. 4. — Cap. 32.)

Concilium Toletanum anni 1473. sanxit, ut Episcopi *veste linea superiori in publico semper utantur.* Sericeis eos vestibus uti prohibuit. Clericis Ordinum sacrorum vel Beneficiariis, tibialia & calceamenta abstulit rubei coloris, viridisque, vel albi; sed gravium pœnarum addita interminatione illos vetuit vestibus indui ad luctum destinari solitis. *Ulterius luctuosas vestes induere Clerici, in sacris Ordinibus constituti, vel Beneficiati non audeant.* Universim autem privilegio Clericali excidisse declaravit, si qui veste versicolore uterentur, & quæ ad medias saltem usque tibias non deflueret: *Vestem superiorem non virgatam, neque partitam, ad medietatem tibiæ, vel ferè declinantem deferant, &c.* (Can. 5. 6. 8.)

Constitutiones Synodales Parisiensis Ecclesiæ anni 1495. prohibent ne Parochi pileo caput tegant, cùm Eucharistiam ad ægrotos perferunt; sed capitio tantùm, vel Armutia. Stephanus Poncher, qui Parisiensem regere cœpit Ecclesiam anno 1503. pileo seu capello Clericos omnes uti vetuit, etiam per urbem. Prohibuit & colores elegantiæ, & pompæ, quàm modestiæ propiores; itemque vestes, vel brevitate, vel prolixitate notabiles. Eustachius du Bellay Parisiensis & ipse Episcopus pileis per urbem tegi Clericos vetuit rursum, jussitque vestes ut deferrent *nigri coloris, aut ad nigrum proximè accedentis.* Concilium Lateranense anni 1514. sub Leone X. vetuit, ne Cardinales in familia sua haberent ullos vel Beneficiarios, vel Majores Clericos, qui veste essent varii coloris; vel Presbyteros, quorum indumentum non ad humum usque demitteretur. (Synod. Paris. p. 68. 69. 77. 80. 81. 295. 297.)

IV. Concilium Senonense anni 1528. edixit, ut *vestitus Clericorum non sit expectoratus, sed à colle desuper undique clausus, à manicis, lateribus, & retro.* Duces unos, Principesque jure posse serica veste indui. Ne Clerici autem indumentum sit ullum, viridis, rubeive coloris, ne rugosum, ne virgatum, sed ad terram usque demissum. Concilium Moguntinum anni 1549. constituit, *Ne vestes varii coloris, velut virgatas, aut fimbriatas, aut discissas deferant Clerici, sed talaribus utantur.* Tridentina Synodus non indixit Clericis nisi parcitatem & modestiam in veste, fugamque constantem laicorum habitûs & consuetudinis. In Concilio Narbonensi anni 1551. vetitæ sunt sericeæ vestes, præterquam Episcopis, Abbatibus, & summas quasque dignitates obtinentibus: vetitæ sunt & manicæ apertæ, & tunicæ breviores, seu subtanæ, præterquam ruri; rugata item indusia, & colorum niror insolens: Jussi sunt maximè Parochi in publicum non prodire sine *pileo rotundo, ephestri, sive capitio.* (Cap. 13. 14. — Cap. 74. — Sess. 14. c. 6. — Can. 15.)

Sanctus Carolus Mediolanensibus in Conciliis suis serico prorsus Episcopos abstinere sanxit, pannisque pretiosis; vetuit & ne in publicum sese (Concil. I. Mediol. An. 1565. c. 27. 25.)

darent unquam sine rochetto, vel privatim usquam essent sine mozetta. Solo nigro colore contentos jussit esse Clericos omnes, nisi in ea essent dignitate, quæ splendidiorem desideraret. *In omni vestium color tantùm niger adhibeatur, nisi fortasse alium colorem requirat dignitatis gradus.* Item: *Reticulum aut subbiretum, ut vocant, ne ferant, nisi valetudinis causa, & sine redimiculis.* Ne camisias habeant, vel rugatas, vel ad collum & manus acu pictas & arte elaboratas. Vestes ut essent talares; nullæ breviores tunicæ, nisi ruri; ne breviora pallia, nisi ad tempus pluvium, utque ea super tunicas induantur. Mantelletum tunica brevius solis permittitur Prælatis, Abbatibus, & Protonotariis. Pallium seu mantellum ejusdem longitudinis ac tunica Canonicis Doctoribusque conceditur. Iis qui necdum ab Episcopo initiati sunt Clericali tonsura, prohibetur, ne injussu Episcopi clericales sibi vestes induant; utque tunc voluntatem suam Episcopus scripto consignet. *Ne cuiquam, antequam prima tonsura is initietur, Clericalem habitum sumere liceat, sine Episcopi concessu, eoque scripto dato.* Parochi urbium & Burgorum capitium humero gestent, dum in publicum procedunt, ut à cæteris dignoscantur Clericis. Episcopi Rochetum lineumque superindumentum etiam ruri deferant, quandiu in sua sunt Diœcesi, quamvis tunc breviore & tunica, & pallio utantur; in veste nigra sint diebus jejunio sacris, diebus aliis in violacea. Lugubri veste interdicuntur omnes omnino Clerici, etiam in parentum funere. *Ne parentum quidem obitu lugubres vestes more laicorum induat.* Episcopus in propria etiam Diœcesi, ne Cardinali cuiquam, ne Legato, ne Visitatori Apostolico, ne Metropolitano se sistat, nisi mantelleto vestitus, quo rochetum contegatur. *Ne rochetum detectum ferat, sed superiori veste contegat.* Sixtus IV. Legato quem in Gallias mittebat, id mandaverat, ut mantelleti usum legemque supradictam Episcopis approbaret, approbarique & executioni mandari curaret. *Non incedendo cum rochetis discoopertis in præsentia Superiorum suorum & Cardinalium.* At alienos expertus est Legatus animos Episcoporum Galliæ, & vehementer abhorrentes ab ea consuetudine, tanquam nova inter Francos.

Conc. Mediol. II. c. 31. Ann. 1569.

An. 1573. Conc. Mediol. III. c. 10.

Conc. Mediol. IV. part. 2. c. 25. par. 3. c. 1.

Conc. Mediol. V. c. 4.

Ibid. c. 11. Raynal. an. 1483. n. 36.

Hæc ferè prima sunt Concilia, ubi nigri coloris vestes Clericis præscribantur, violaceæ Episcopis reserventur; ubi Clericali veste uti ante tonsuram prohibeatur, galericulo nudetur caput, capitium Parochis indicatur. Lugubri veste jam abstinere jussi fuerant Clerici. Usus mantelleti in Gallia nullus, aut rarissimus semper fuit.

In Concilio Mechliniensi anni 1570. jubentur Clerici majorum Ordinum, ut in publico *Pileum Sacerdotalem, & vestem gestent talarem.* Remensi Concilio anni 1583. placuit, ut sub Mantello, vel Pallio, seu oblongo, seu brevi, Clerici omnes tunicam gerant talarem, quæ in terram usque fluat; ne rugatas gerant camisias; ne Galerum, quod vernaculè dicimus capellum, non solùm in Ecclesia, sed in urbe etiam, nisi ubi jure muniendum est caput contra aëris intemperiem. *Galero nunquam quidem in templis, in plateis verò & viis publicis, nisi propter aëris intemperiem non utantur.*

V. Ubi tamdiu & tàm constanter prohiberi video camisias, quæ proxima cuti indusia sunt, rugatas vel, ut suprà audisti, fronsatas: non aliud suspicari possum, quàm quòd prohibeantur illæ ad collum & ad manus rugæ, ubi extrema camisiarum ora se prodit, & ubi olim replicabatur. Separatis nunc utimur & ad collum collaribus, & ad manus manicis minoribus. At non ita pridem illa solùm usui erant collaria, illæ minusculæ manicæ, quæ camisiæ ipsi assutæ erant, & quæ in ipsas laneæ lineæve vestis oras quondam replicabantur, ut inde sudores sordesve abstergerent. Hæ nimirum rugæ, hæ plicæ hîc vetantur, quæ & etiam nunc vitantur à Clericis non paucis, antiquioris disciplinæ tenacioribus; & ineunte hoc ipso sæculo, ad cujus exitum nunc vergimus, à longè pluribus vitabantur. Est enimvero in his rugis plicisque aliquid, quod ad sæculares munditias propiùs accedat, adeoque quod meritò vitent, qui inanem sæculi fucum studiosiùs effugere profitentur.

Occurrit & in his Mediolanensibus primùm Conciliis distinctio galeri & birreti, atque capitii: quæ Gallis nostratibus sunt, *le chappeau, le bonnet, le chaperon.* Capitia Clericis laïcisque communia fuerant capitum integumenta in usu civili. Caput tegebant & pendebant usque in humeros. Paulatim sejungi cœpit hæc appendix panni, quæ fluebat in humeros; cúmque eam jam rariùs laici Clericive alii adhiberent, sola contenti parte ea, qua tegebatur caput, hinc insigne quoddam concionatorum est dignitatis, & Parochis Doctoribusve attributum. Galerum laici ipsis in urbibus gestare cùm cœpissent, quamvis id jamdiu munimentum fuisset capitis quo uterentur ruri tantùm adversùs aëris vim & crebras cœli injurias: tunc enimvero ut avocarentur Clerici ab hac sæcularium levitate atque innovatione, jussi sunt in urbe biretto uti, ut priùs, non galero. Ea elucidatione egere visa sunt nobis statuta illa Concilii Mechliniensis & Remensis.

VI. Decreta Conciliorum quibus præfuerat Carolus, in viciniores Italiæ Provincias statim perlata, omniumque summa congratulatione excepta sunt. Concilium Burdegalense anni 1583. non prohibuit tantùm serica, camisiasque ad collum & ad manus rugatas, vel arte elaboratas: *Indusia ad collum & ad manus crispata, & in multiplices sinus contracta, aut arte elaborata ne deferant:* sed & colores omnes præter nigrum, quo uti jussi omnes Clerici, nisi si qui dignitate quapiam eminerent. *Alterius quàm nigri coloris, nisi causa dignitatis id eis liceat.* Cap. 21.

De veste oblonga frequens in his sermo: propterea quod cùm circa annum Christi millesimum trecentesimum vulgus hominum laïcorum longas abjecerit, & brevioribus impensiùs delectari cœperit vestibus, in hoc excubuit vigilantia Episcoporum, ut Clericos compesceret à laïcorum imitatione, & ad vestes eligendas adduceret, consentaneas potiùs dignitati suæ, quàm corporeæ discursationi accommodatas. 2. Post Synodos Tridentinam & Mediolanenses, rara prohibitio rubei coloris, viridisque; quòd absolutissimè jam & præciperetur nigra vestis, & in mores induceretur. 3. Non tenuiores manicæ, non collaria prohibentur è linteo; sed in eis rugæ, plicæ & inanes prorsus deliciæ sugillantur, etiam tum, cùm indusiorum eæ essent oræ & quasi attextæ appendices, quas exinde separare libuit. 4. Collaribus & manicis his linteolis puris simplicissimisque plus inesse modestiæ, minus artis, minus superfluitatis visum est, ut quæ tergendo sudori aptiores sint, qui earum finis & usus est. 5. Breviores tunicæ interiores nonnullis in Conciliis suprà laudatis haud improbatæ sunt. Usus est & Carolus ipse Mediolanensis Archiepiscopus, dum peregrinaretur, ut L. 6. c. 6.
restis idoneus est Giussanus.

Eadem hæc ipsa observabis, si voles, in Conci- Can. 13.14. lio Turonensi anni 1583. *Camisiis in collo & pugnis rugosis uti non licet. Togis talaribus, non tamen sericeis: nec non birretis, non verò galeris, præsertim in Ecclesia utantur.* Cum usus galeri interdicitur, præsertim in Ecclesia; videtur ille quodammodo in urbe relaxari. Concilium Bituricense anni 1584. damnat adhuc manicas pendulas & fissas, vestesque tum sericas, tum cujuscumque alterius præter nigrum coloris; indusia denique ad collum manusque crispata & acu picta: *Indusiis ad collum vel manus crispatis, aut exquisitè elaboratis non utantur.* Denique galeri usus ad solas aëris arcendas injurias; alioqui pileus quadratus, tum in Ecclesia, tum ex- Tit. 15. c. 2. §. 4. 5. tra: *Pileum quadratum, sive birretum semper gerant in Ecclesia, & extra Ecclesiam, nisi quoties cœli injuria urgebit.* Habes hîc pileum quadratum, quem ex rotundo quadratum fieri cœpisse paulò ante sua tempora narrat vir rerum istiusmodi valde peritus Pasquerius. Molinetus in X. Reflexione in Canonicos illud observavit, in Aulæis seu stromatibus sanctæ Genovefæ Parisiis anno 1554. Novitios & juniores omnes rotundis esse birretis, seniores quadratis. Nemo nescit idem etiam nunc reperiri in sacro sodalitio, quod eo ipso tempore institu- L. 6. c. 3. tum est. Qui sancti Caroli vitam scripsit Giussanus, tempus designavit, quo sanctissimus Præsul Clero Veneto persuasit, ut dimissis rotundis, quadratis deinceps birretis uterentur.

Hæc ipsa porro decreta Conciliorum Mediola- Tit. de hon. & vita Cler. nensium sub Carolo, confirmata promulgataque magna ex parte fuere in Concilio Aquensi anni 1585. Tit. de Paroch. c. 3. 4. Illud ibi expetitur, ut Episcopi supra birretum Pontificale gerant galerum, quod moris utique fuerat, cùm rotundis uterentur birretis. Expetitur item ut Episcopus honorificum aliquod insigne constituat, quo Parochi à cæteris Presbyteris secernantur. In eam rem assignatum Parochis est in Concilio Tolosano anni 1590. capitium in publicis conventibus. Illud quoque innovatum ibi decretum, ut *nusquam aut in Ecclesia, aut per urbem absque quadrato birreto Clerici conspiciantur, nisi aut duriori frigore, aut ferventiori æstu, aut nimboso aere, &c.* Cleri Gallicani Comitia apud Melodunum similiter decrevere: *Pileos, & non galeros militum aut sæcularium more gestare haud dedignentur.* A militibus ergo exortus usus galeri, eadem, ut reor, nominis origine ac galea ipsa, à felium videlicet pellibus, quæ Græcè ita dicuntur. Ad injurias cœli arcendas eo primi & majori urgente necessitate usi milites, æmulos & imitatores postea habuere laïcos omnes, maximè ruri agentes. Clericos prutitus semper illa exagitavit imitandorum laïcorum. Itaque galero & ipsi uti cœpere, sed primùm ruri tantùm: inde & in urbe, quanquam renitentibus Conciliis, ne ad militaria aliquando & indumenta & studia Clerus omnino descisceret.

Concilium Mexicanum anni 1585. id condonavit, L. 3. Tit. 5. c. 6. ut lugubres bimestri spatio induerent vestes, ubi parens alteruter vita excessisset, dum distaret semper Clericus à laïco, in ipso etiam luctu. Avenio- Can. 32. nense autem Concilium anni 1594. Clericos sacrorum Ordinum & Beneficiarios jussit breviori saltem Can. 31. tunica uti, & talari insuper indui veste. Concilium Aquileiense anni 1596. collaria crispata cursim C. 41. damnavit: *Collaria camisiarum quocumque modo crispata seu lactucata damnamus.* Colores quoque proscripsit à Clero quoscumque alios præter nigrum: *Colores alios quoscumque prohibemus.* Idem præcipit Concilium Narbonense anni 1607. *Vestium omnium color sit niger.* Nonnisi post Concilium Tridentinum & post Caroli Borromæi Concilia Mediolanensia proscripti sunt universim à Clero colores alii omnes, unusque ex eis niger residuus factus est. Dignitates tamen semper aliquæ ab hac lege absolutæ fuere. Serica frequentiùs etiam vetari cœpere postremo hoc ævo, quòd & eorum usus crebrior etiam fuerit apud laïcos; idque propterea quod pretium ipsum ejus vilius in dies, & copia passim major. Prælatis quandoque condonatum vidimus, ut sericea induerentur veste: at ab ea indulgentia procul omnino fuere tum Carolus ipse, tum Concilia ejus Mediolanensia, tum Gallicanæ quoque Synodi complures, quæ Mediolanensium placita religiosissimè amplexatæ sunt. Concilium Burdigalense anni 1624. sericeis vestibus Clericis omnibus interdixit, nulla prorsus exceptione approbata: *Cujuscumque dignitatis, status & conditionis existans.* Can. 13.

VII. Ita decursa perlustrataque cursim sæculorum serie, adnotatisque usibus illis, qui subinde aut antiquati sunt, aut innovati: non abs re jam erit animadversiunculas nostras omnes, quæ alicujus videri possunt momenti, novis hîc communire præsidiis. Quod diximus circa annum 1300. laïcos, etiam nobiles catervatim abjecisse togas, & oblongiora quædam indumenta: ex quo factum est, ut & Concilia Episcopalia frequentiùs instantiúsque egerint, decreverintque plurima, ad retinendas Cleri vestes oblongas, prætermissis paulatimque silentio oppressis usibus aliis, quibus à laïcis Clerus secernebatur: id nimirum longè maximi ponderis est, novisque hîc meritò rationibus & documentis astruendum.

A Joanne XXII. Romano Pontifice luculentum ejus rei argumentum suppeditatur, ea videlicet Epistola, quam ad Philippum Francorum Regem dedit anno 1317. paterna charitate commonefaciens, ut oblongas vestes, quas summi Principes Regesque Majores ejus semper in usu habuerant, ne abjiceret, aut abjectas ut revocaret. *Pulchrum crederemus* Rainal. an. 1317. n. 42. *aut congruum, si ad excellentia Regalis ornatum, epitogium longum ex nunc indueres, ut te tuis in hoc progenitoribus conformares.* Non abhorret à fide his monitis acquievisse tunc Regem, cùm quinquaginta pòst annis Carolo VI. Regi vitio adhuc verteretur, quòd tantopere oblongas aversaretur vestes. Ita de ea re verba facit Monachus San-Dionysianus, qui ejus vitam scriptis mandavit, quæ cùm non prodierit nisi Gallico sermoni donata à viro doctissimo le Laboureur: hinc scilicet hoc rursum nos frustulum latinè reddemus. *Culpa datur etiam, quòd à* L. 8. c. 11. *Majorum suorum gravitate desciverit, qui in publicum* Ann. 1388. *prodibant nunquam nisi cum veste regia: quòd agrè ac molestè tulerit, cum pallia longiora & tunicas longo syrmate verrentes humum indui necesse erat: & Regia Majestatis insignibus anteposuerit varietatem quandam inconstantem & volaticam vestium sericearum, qua aulicorum turba & usibus illum permiscebat, & versatili eorum in vestibus levitati illum quoque mancipabat.* Sed ingenuè fatendum est non hîc agi nisi de temporibus & vestibus, quæ ad augustiores cæremonias spectabant, & ubi Reges nonnisi in veste oblonga prodibant adhuc in publicum. Sed perinde hinc liquet Nobiles Aulicos jam tum in usu communi & quotidiano oblongis abstinuisse vestibus.

Sed est unde accuratiùs venemur tempus, quo hæc vestium mutatio facta est. Chronici Nangii Continuator ad annum 1340. affirmat eo ipso tem-

pore Francos, maximè Nobiles & opulentiores quosque cives cœpisse prolixiores gestare barbas, & breviores vestes, atque ita pressas strictasque, ut pudori res esset, & ludibrio apud hominum vulgus. *In temporibus istis inceperunt homines, & specialiter Nobiles, utpote Nobiles scutiferi, & eorum sequaces, sicut aliqui Burgenses, & quasi omnes servientes, seipsos in robis & habitu deformare. Nam gestare cœperunt robas curtas & ita breves, quod quasi eorum nates & pudenda confusibiliter apparerent. Quæ fuit res in populo satis mirabilis, quia antea honestiùs incesserant. Barbas longas omnes viri ut in pluribus nutrire cœperunt. Illum autem modum quasi omnes: exceptis illis qui erant de sanguine regio in Francis receperunt: qui quidem modus derisionem in communi plebe non modicam generavit.* Tunc temporis ergo illud in veste laicorum innovatum maximè est. Jam aliquanto antè homines de trivio cœperant brevioribus indumentis uti; tunc demum cœperunt Nobiles, non sine vulgi derdiculo, quod tam breves, tamque pressæ ad corpus vestes adhiberentur. Principes regii sanguinis non statim in hanc novitatem consenserunt; sed non diuturna fuit hæc eorum constantia, priscorum tenax morum: cùm sub Rege Carolo VI. jam ad solemnes tantùm cæremonias seponerentur talares vestes.

Quòd autem oblonga vestis ad celebriores cæremonias jam esset seposita, id facilè intelligitur ex eadem Sandionysiani Monachi historia Caroli VI. & ex congressu, seu Colloquio ejusdem Regis
*L. 26. c. 7.* cum Rege Angliæ. Primùm enim deliberatum est *qua in veste* congrederentur. Cúmque existimasset Angliæ Rex nihil opus esse *superfluis indumentis* in ea congressione, quæ alendæ tantùm amicitiæ serviret; Carolus quidem *vestem induit breviorem, quæ ultra genua non penderet*: at Angliæ Rex *talari usus est indumento*. Anno 1403. Rex idem Carolus superbom Parisiis Deiparæ Templum adiit, gratias relaturus
*L. 23. c. 1.* de recuperata corporis sanitate: *sed lætitia uberior & congratulatio impensior fuisset omnium, si in regia veste conspiciendum se exhibuisset, cùm Majestatem deceat Regiam, ut conspicuum intersit discrimen Reges inter & Regum Aulicos.* Liquidum hinc fit ergo talares vestes non quotidiani usûs, sed solemnioris fuisse pompæ, maximè apud Reges; nobiles autem divitesque ipsos jam tunc à Romana toga defecisse iterum ad antiquissimas Gallorum ante Romanum Imperium vestes, ex quibus dicta fuerat Gallia Braccharta pars oppidò magna ejus regni, quod Gallorum Francorumve nunc est. Etenim *Braccha* brevis est vestis, qua penè ad genua usque corpus tegitur,
*Catel. Hist. du Langue. pag. 7.* quod Martialis hoc carmine expressit, *Dimidiasque nates Gallica Braccha tegit.* Immo & Suetonius, cùm de Gallis agit, quos Julius Cæsar Senatui adscripsit, *In Curia Galli Bracchas deposuerunt, latum clavum sumpserunt.* Carolus Magnus hac plerumque induebatur breviore tunica, Franciæ more Gen-
*Du Chesne To. 2. pag. 102.* tis, ita testante Eginhardo; *Vestitu patrio, id est Francico utebatur, ad corpus camisiam lineam, & feminalibus lineis induebatur. Deinde tunicam, quæ limbo serico ambiebatur, &c.* Hanc breviorem dixi tunicam, propterea quòd idem Eginhardus mox narrat, bis tantùm, utque duobus Romanis Pontificibus gratiam faceret, Carolum Magnum Romæ cùm esset, Romano indutum esse more, tunica longiore, longiore & supra tunicam toga. *Peregrina indumenta, quamvis pulcherrima respuebat, nec unquam eis indui patiebatur; excepto quod Romæ semel Adriano Pontifice petente, & iterum Leone successore ejus supplicante, longa tunica & clamyde accinctus induebatur.* Difficile est Eginhardo non assentiri; & difficile non minùs est illum conciliare San-Gallensi Monacho, qui schema exhibens Caroli Magni indumentorum, longius pallium pedesque ipsos contingens illi tribuit his verbis: *Vltimum habitus eorum erat pallium canum, vel sapphirinum quadrangulum duplex, sic formatum, ut cum imponeretur humeris, ante & retro pedes tangeret, de lateribus verò vix genua contegeret.* Non is ego sum, qui nodos istiusmodi expedire aggrediar: Nisi si Eginardo tunica id ipsum sit quadratum Sangallensis Monachi pallium. Certè probabile prorsus est Caroli Magni ævo necdum Francos satis dedoceri potuisse patrias consuetudines, & Romanas, sive Gallicanas edoceri. Itaque omnibus semper liberum esse voluit Carolus Magnus, Romana lege ut viverent, an Salica, id est, Francica. Exinde sensim ad Romanos mores paulatim inclinata, & mansuefacta est Francica Gens, idque ex contubernio maximè & familiari consuetudine cum Ecclesia Romana, quando jam funditus excisum fuerat in Occidente Romanum Imperium. Itaque Francorum etiam Nobiles, & honorati quique longas usurpavere tandem vestes; usque adeo ut intolerabili quadam de earum prolixitate conquestus sit Ordericus Monachus: *Humum pulverulentam interularum, & pallio-* *Hist. Normann. l. 8. pag. 682.* *rum superfluo syrmate verrunt.*

VIII. Calamum refero ad Francorum Reges, & illud primùm observo, Carolum VII. perlato ad se nuntio extincti suo fato Caroli VI. parentis, crastina die interfuisse mysteriorum celebrationi, *vestitum longiore indumento, & pallio purpureo rubro, Armeniorum murium pellibus intus & circa oras munito, cujusmodi Senatores Regii Parlamenti Parisiensis uti solebant.* Ita patria lingua narrat Monstreletus ad annum 1422. cujus ex verbis illud elucescit, priscam Regum nostrorum in Gallia vestem, eam fuisse, quæ deinceps fuit, & etiamnunc est, Senatorum, vel Præsidum Parlamenti, vel Cancellariorum Franciæ. Ubi Philippus Pulcher Palatio suo Regio cessit Curiæ amplissimæ Parlamenti, quam volebat in posterum statariam & perpetuam esse, non binis ut antè anno quolibet Conventibus interpolatam: jam tum & purpuram & alia Regiæ amplitudinis ornamenta in Senatores contulit & Senatus Principes, quos vice regia & authoritate induebat, ut jus dicerent justitiamque dispensarent. Diximus jam eodem ipso tempore in breviori plerumque veste esse cœpisse Reges. Cùm idem Carolus VII. Rex, apud Alanum Charterium, urbem iniret Rotomagensem, in vestimento Regio erat Cancellarius. *Ante Regem proximè procedebat Vuillelmus Juvenalis des Vrsins, Cancellarius Franciæ, indumentis Regiis effulgens, Toga Capitioque Arminiis pellibus circumdato, pallioque purpureo coccineoque.* Quibus etiam verbis usus est Matthæus Cuciacensis Historicus, eadem ipsa de re agens: *Cancellarius induerat Togam, Pallium, Capitiumque coccineum, cum foderaturis solitis, ita ut Regium statum omnia addecerent.*

Ita planè Romanæ oblongæque vestes, quæ & ipsæ Clericorum erant, eò tandem evaserunt, ut Regum essent propriæ in solemnioribus pompis: cùm antè eorum fuissent propriæ etiam in usu quotidiano, etiam postquam sæculares ad brevia defecerant vestimenta. Ita rursus oblongæ eædem Romanæque vestes à Regibus ipsis & cum Regalibus ornamentis complusculis manarunt ad Senatores, & ad Magistratus, quorum in Collegio fuere, fuot-

quę etiamnunc maximè in Parlamentis complusculi Senatores ex Clero, quorum & olim idem fuit numerus, qui laïcorum. Compertum est Archiepiscopos Episcoposque Pares Franciæ gestare adhuc Pallium Regium ex purpura hyacinthina, & Armeniis foderaturis munitum. Ita Andreas Favinus Gallicus scriptor, quem nos ita Latinè edimus: *Quod ad Pares Ecclesiasticos, qui Parlamento intererant, ex modestiæ & decoris lege pallia & capitia gerebant ex purpura violacea, Armeniis foderaturis ornata, qua veste donati fuerant à Regibus Gallis Rectores Universitatis.* Hinc non injuria suspicabitur quis, Foderaturas istiusmodi, quando usu molliendum est vocabulum hoc, tot Conciliis, Historicisque jam usurpatum: Foderaturas, inquam, istiusmodi à Regibus quoque nostris Universitati concessas fuisse; ad illustrandum sapientiæ reique litterariæ imperium. In Bibliotheca Præmonstratensi illud si voles, leges: Pileo rubro olim donari solitos Doctores omnes Facultatis Theologicæ Parisiensis: nigro Doctores Decreti: rubrum autem Birretum à cæteris dimissum, solis jam usitatum esse Doctoribus Theologis Ordinis Præmonstratensis.

Boulé. Hist. Univ. Paris To. 1. pag. 400.

Bibl. Pramonst. pag. 993.

IX. Opinabantur tamen alii forsan has coloris rubri & foderaturæ reliquias, postquam in eas tot Concilia detonuerunt, superstites adhuc esse: ex eo quod nunquam ita exolescunt priscæ consuetudines, ut non earum aliqua supersint vestigia; vel quia justas visum est esse causas harum exceptionum & prærogativarum, quibus præcellentiores aliqui viri decorentur. Quod ad colorem nigrum spectat, etsi de eo expressæ & universim receptæ leges nusquam occurrerint, nisi post Tridentinam Synodum, constat tamen perdiu antè ejus usum percrebruisse apud omnes, qui modestiæ & accuratioris Clericorum disciplinę studium prę se ferrent. Testis locupletissimus erit Ordo ipse universus Theatinorum, qui Clericorum Regularium nomine & laude ab exordio sui floruerunt, professi nimirum vitæ Clericalis austerissimas leges & vestitum simplicissimum: *Sub solito & communi habitu Clericorum.* Nec collaria ibi ulla, nec breviusculæ ullæ ad manus manicæ, quòd vetarent Canones rugosas ad collum & ad manus camisias. Philippus Nerius non multò pòst Oratorii Romani Presbyterorum cœtum instituens, accommodavit se ad usum piissimorum sui ævi Clericorum qui ut Decretis Conciliorum morem gererent, brevissimum adhibebant collare, sed sine rugis, sine plicis, laneæ vesti adpressum. Ejusdem generis manicæ minusculæ postea accesserunt, quibus tamen abstinendum sibi suisque censuit Berullius, Oratorii Gallicani Congregationis Conditor, ad Cardinalitiam deinde purpuram evectus. Ideo autem his abstinendum censuit, quòd Clerici complusculi sanctiores in Gallia, sicut & Philippus cum sodalitio suo in Italia, his hactenus abstinuissent. Denique cùm linteorum hujusmodi ad collum & ad manus luxum & superfluam ostentationem sæculares ad insaniam usque amassent: Clerici non pauci sibi visi sunt ab illis satis superque distare, si ea & ad manus & ad collum parcissimè rugata plicataque gestarent.

Spondan. an. 1524. n. 13.

X. In hac tanta vicissitudine & fluctuatione consuetudinum vestiumque omnis generis, observare tamen & admirari libet constantem quandam & sui simillimam Ecclesiæ legum ac consuetudinum stabilitatem. Tam stupenda enim varietas & pene infinita in pannis, in formis & in coloribus vestium: in earundem rerum nunc prohibitione, nunc impunita licentia: vel earum alicubi licentia, quæ eodem simul tempore alibi prohibebantur: vel in earum eodem tempore eodemque loco, his licentia data, his prohibitione facta: tam stupenda, inquam, varietas nihil obstrepit constantissimæ legum Ecclesiæ firmitati, & ejus sapientiæ, quæ sui semper simillima est, & in unum idem semper conspirat sanctitatis & unitatis vinculum. 1. Semper enim alienissimò fuit ab illis Clericis animo, qui toto impetu ad sæcularium mores habitusque propendebant; non quò de vestibus magnopere laboraret, sed quòd jure meritò ipse sæcularis pompæ & inanitatis amor summopere displiceret. 2. Semper superfluitas damnata est vestium, colorum, formarum, pannorum: parcitas & modestiæ humilitatisque professio commendata. 3. Res exteriores ab interiori & pertinaci cupiditate, qua eis adglutinatur animus, Deo soli & virtutibus affigendus, magnopere semper discrevere Concilia. Itaque citra ullam inconstantiæ notam, quæ damnata aliquandiu fuerant, desitre damnari, propterea quòd ab eis rebus desissent laïci pro sua levitate, desissentque ideo in eas insanire Clerici, in quas laïcorum præpostera imitatione cùm priùs exarsissent, nunc ad eas frigebant. Hinc approbatum est non res, non rerum usum damnari unquam, sed abusum & libidinem. Omnia enim munda sibi sunt, quæ omnipotens Author condidit; omnia munda charitati, moderatè omnibus utenti; omnia denique immunda cupiditati, rebus ad utendum datis, frui volenti; & amorem ad hæc infima detorquenti, qui ad summa, ad æterna, ad Deum unum reflectendus est, & totus, quantus quantus est, recolligendus.

---

## CAPUT LII. *P. 4. l. 1. c. 37.*

### De veste Clericorum in Ecclesia ab anno millesimo ad hæc tempora.



I. Leo IX. Pontifex Romanus datis ad Patriarcham Constantinopolitanum litteris circa annum Christi 1050. fragmentum inseruit Donationis Constantini, quæ totum tunc temporis personabat orbem, nec Græcorum minùs in se, quàm Latinorum oculos studiaque converterat. Ibi magna ex parte ornatus Imperatorius in Pontificem Clerumque Romanum transcribitur: nec potuit, ut jam diximus, Commentitio scripto famam & authoritatem, fidemque tam celerem addere, immo nec authori audaciam; nisi usus & experientia rerum præsens, qua constabat hujusmodi jamdiu vestes & Papæ & Clero Romano usitatissimas esse: & vulgatissima quædam persuasio, qua imbuti erant hominum animi, hæc Imperatorum olim ornamenta ab Imperatoribus esse Sacerdotio communicata, vel ut sacerdotio majestatis aliquid, vel potiùs ut Imperio ipsi aliquid accederet sanctitatis.

II. Pontifices ipsi Romani sacerdotalium infularum & ornamentorum aliquid terrenis etiam Principibus condonarunt. Alexander II. anno 1068. Uratislao Duci Bohemiæ expetitam ab eo Mitram

misit, utendamque concessit, hactenus & inusitatam laïcis, & inconcessam. Ita testificatur Gregorius VII. in Epistola ad eundem Ducem. *Ad signum intimæ dilectionis, quod laica persona tribui non consuevit, mitram quam postulasti, direxi.* Minus erit quod stupeas mitræ Episcopalis usum Duci laïco concedi, si revoces in mentem quæ suprà dicta sunt de capitis integumento vario, quod & Laïcis Clericisque plerumque commune fuerat, & à civili usu traductum fuerat ad sacrum. Alexander III. Papa suæ in Rempublicam pietatis Venetam multiplex specimen edidit; tum illud in primis, quòd Duci Veneto concessit *Umbellam, galero Pontificio persimile ornamentum*, ut ait Baronius. Hæc Umbella, græcè σκιάδιον, Constantinopoli Imperatorum Caput regebat, & tuebatur vultum adversùs Solis radios, unde illi nomen. Fuit & in usu Carolo V. Galliæ Regi pileus rostratus, Umbellæ utique simillimus. Ubi similiter vides, ornatum vestitumque Principibus & Sacerdotibus Clericis & laïcis communem, translatumque ab usu communi ad sacrum.

*L. 1. Ep. 38.* — *Baron. an. 1177. n. 5.* — Chapel à bec.

III. Gestabat & Pallium Tunicamque & Calyptram super caput lineam Patriarcha Constantinopolitanus. Ita enim Nicetas de Patriarcha Cosma. *Ut aliquando Pallium, & tunicam, & lineam Calyptram capitis pauperibus distribueret.* Scriptores Historiæ Byzantinæ fidem faciunt Imperatores Constantinopolitanos eodem usos tegumento capitis, quod appellabant σκιάδιον, καμελαύκιον; quod ei consimile erat quo proceres utebantur, purpura tamen, & auro, gemmisque circumfulgens.

*Du Cange, Dis. 24. in Hist. sancti Ludovici.*

Otto III. Imperator ad Altare obtulit pallium Imperatorium, quo indutus erat, & ubi auro acuque inscripta appictaque erant arcana omnia Apocalypseos sacramenta. *Mantum quo tegebatur coronatus, in quo omnis Apocalypsis phrygio erat auro insignita.* Hoc, quæso te, pallium seu mantum, Imperatorium erat, an Pontificium, quo gestabantur omnia Christi summi Pontificis & Ecclesiæ mysteria? Et cùm ejusmodi pallio Imperator Pontifices donabat, utrum erat verius, Pontificium pallium priùs usurpasse Imperatores: an Imperatorium posthac usurpaturos Pontifices? Hoc idem, puto, mantum est purpureum, de quo tam crebra mentio in vita Pontificum, & quo induebantur statim atque electi fuerant. De hoc purpureo manto sive cappa agit Petrus Damiani ad Cadaloum Antipapam scribens: *Habes nunc forsitan Mitram, habes juxta morem Romani Pontificis rubeam Cappam. Cave, &c.* Petrus Diaconus in Chronico Montis Cassini missum memorat ab Alexi Imperatore Constantinopolitano, Monasterioque sancti Benedicti oblatum purpureum pallium, *Pallium purpureum optimum, de quo Abbas pluviale faciens, &c.*

*Baron. an. 1001. n. 19.* — *Baron. an. 1061. n. 14.* — *L. 4. c. 29.*

Nec illud præteribit nos, retinuisse Germanos Imperatores pium illum usum, ut indumentis utantur Imperatoriis, quæ eadem ipsa sunt, atque Diaconorum: atque ita intersint pervigilio & nocturnis Officiis Natalis Christi, septimamque in vicem Diaconi decantent lectionem. Ejus rei exempla inferiùs proferemus, ubi & liquebit nemini dubium fuisse, quin Imperatoriæ vestes eædem essent atque sacerdotales, & quin in usu olim communi fuerint ea quæ nunc Altaribus dicata sunt indumenta.

*Sponde an. 1377. n. 15.*

IV. Alba vestis erat sacra, & Clericis omnibus majorum Ordinum communis; etsi illam soli retinuerint Episcopi & Canonici Regulares prisci moris tenaciores. Id Ratherius Episcopus Veronensis manifestè indicat, cùm Presbyteris suis omnibus præcipit, *ut nullus cum alba qua in suos usus utitur, præsumat Missam cantare.* Cùm longè plurimi tunc adhuc laïci longioribus uterentur vestibus, æquum erat hujus albæ usu secerni ab eis Clericos. At cùm postea laïci alias aliasque subinde sibi vestes concinnaverint vestiumque formas diversissimas, quibus à Clericis facillimè dignoscantur; consentaneum magis cœpit videri decori & honestati Clericatûs, ut ne extra Ecclesiam gestentur superpellicia, quæ in locum albarum suffecta sunt, & ipsissimæ albæ videri possunt, sed decurtatæ. Hinc illud statutum Concilii Remensis anno 1583. *Ut sine superpellicio & almutio in Ecclesia comparere planè irreligiosum est, sic illa ad loca publica rerum venalium deferre, prorsus indecorum ac sordidum esse, nemo est qui non videat.*

*Inter observationes ad Ratherium Pallium. pag. 403.* — *Can. 3 5.*

Concilium Rotomagense anni 1072. præcepit Decanis Ruralibus & Parochis, ut albis induti sacrum oleum dispensarent, baptizarentque. In ejusmodi rebus, perspicuum est in albæ locum assumpta esse superpellicea. Idem rursus patet ex Officiis divinis, quibus qui intersunt Clerici, nunc induuntur superpelliceis, olim Albis. Et sanè nihil admodum discriminis esset, si tam prolixa gestarentur etiamnunc superpellicea, quàm non ita pridem ea gestari moris erat. Accipe ejus rei argumentum perspicuum. Cùm Nicolaus III. Papa anno 1278. officia vestimentaque sacra Canonicorum sancti Petri in urbe Roma novis moderaretur edictis, priscam eorum confirmavit consuetudinem, ut à Pascha ad solemnitatem Sanctorum omnium, *lineis togis superpelliceis sive cottis absque cappis utantur, quod hactenus, ut accepimus, fieri consuevit.* A die autem Festo Sanctorum omnium usque ad Pascha, ut *super superpelliceas lineas deferant cappas nigras de sergia simplices.* Porro hæ voces quibus hîc superpellicea designantur, *Toga, Cotta, Lima*, albas talares significant.

*Rainal an. 1278. n. 79.*

Minimè recens ergo videri debet hæc vestium in Ecclesia hibernarum æstivarumque diversitas, ut ex hac clarum est Nicolai III. Epistola, ex qua rursus elicitur discrimen non mediocre inter cappas quæ Canonicis & quæ inferioribus Beneficiariis Clericisve propriæ erant. Nam Canonicorum cappas concedit Pontifex esse *foderatas, à cingulo vel circà, ex parte anteriori fissas inferiùs & apertas.* At inferiores Beneficiarii Cantoresque, *Ipsi super clausa vestimenta clausas cappas habeant, non apertas, modica dumtaxat in sinu cappa & ante pectus apertura dimissa, per quam brachium possit extrahi juxta morem.*

Qui beati Bennonis Misnensis Episcopi vitam scripsit, is videtur in Bennonem refundere causam & originem hujus distinctionis in cappis choralibus Canonicorum: *Primus pallio nigro lima vesto superinjecto illos uti docuit.* Sed diebus tantùm jejuniorum cappæ istæ nigræ deferebantur, *præcipuè esurialibus Quadragesimæ diebus.*

*Surius die 16. Junii.*

Concilium Ravennas anni 1317. ad eam videtur alludere capparum albarumque alio & alio tempore adhibendarum vicissitudinem: *In Ecclesiis utantur Cappis, vel Cottis Albis.* Concilium Vaurense anni 1368. jubet ut Abbates, Priores, Præpositi, Decani, Archidiaconi Canonicique cappas nigras à Festo Sanctorum omnium ad diem usque Paschæ deferant, exceptis diebus, quibus mos erat sericas indui: *Deferant cappas nigras, exceptis diebus, quibus cappis sericis uti solent.* Basileense Concilium definivit modum superpelliceorum quæ contrahi jam cœperant, & quæ tamen adhuc ultra medias tibias

*Can. 4.* — *Can. 46.* — *Sess. 21. Can. 3.*

Can. 18.

pendebant: *Horas Canonicas dicturi, cum tunica talari ac superpelliceis mundis, ultra medias tibias longis, vel cappis, juxta temporum ac regionum diversitatem, Ecclesias ingrediantur.* Cujusmodi statutum innovatum est in Concilio Suessionensi anni 1456. & Senonensi anni 1528.

In dubium revocari posset, an priscis illis superpelliceis suæ essent manicæ; erant enim capparum instar linearum, at nullæ cappis manicæ. Adde & illud decretum Concilii Narbonensis anni 1551.

Can. 40.

*Presbyteri omnes suppare, aut linea non manicata veste, sive Roqueto indui assistant.* Nec tamen de Italia dubitare fas est, quin manicata ibi essent superpellicia, & quidem ita ut manicis suis latioribus à Rochetis distarent, quorum erant angustiores. En verba ipsa Concilii Mediolanensis I.

Can. 50.

*Superpellicia latis sint manicis, non angustis instar Roqueti.*

Can. 13.

V. Concilium Turonense anni 1583. ultrà medias tibias defluere jubet superpellicea: *Superpelliciis ultra medias tibias propendentibus, vel cappis, cujusque loci servato more.* At Concilio Aquensi anno 1585. prohibentur omnino superpellicea sine manicis, ex quo id evincitur, manicis aliquando olim, alicubi saltem caruisse, ut quæ lineæ essent cappæ. *Superpellicea etiam manicas habeant. Illa autem quæ manicis carent, & quæ non superpelliciorum, sed mantilium potius nomine digna sunt, prohibemus.* Jubentur & hîc Canonici, quando cappas deferunt, Rochetis sub cappis indui. Damnat denique Mexicanum Concilium soperpellicea acu picta, atque ita brevia, ut infra genu non propendeant:

L. 3. Tit. 5. §. 7.

*Superpellicea reticè aliove elegant artificio elaborata, aut adeo contracta, ut infra genu non dimittantur, ne induant.*

Superest scrupulus aliquis in Epistola illa Nicolai III. qua Canonicorum vestes apud sanctum Petrum in urbe præfinivit. Namque in Ecclesia extra horas Officiorum divinorum, jubet ut *saltem succas habeant, & super eas chlamydes, ante pectus, vel post collum annexas.* Videtur aliquis *saccos* legi æquius sit, an *succas*. Saltem id constat, ea voce significari superpellicium illud manicis truncatum, alicubi etiam nunc usitatum; etsi illud paulò antè à Concilio Aquensi damnatum diximus. Damnasset & sanctus Carolus Borromæus, cùm illud quoque velit suis munitum esse manicis, quo ante albam induuntur Presbyteri ad Missam celebrandam. Sed horum tamen usus aliquibus in Ecclesiis servatur adhuc, maximè ad superinduendas cappas. Quin & antiquissima superpellicia sine manicis fuisse non ineptè suspicaberis, si ea intelliges lineas fuisse cappas. Simeon Thessalonicensis non aliter ea exhibet, quàm ut primum Clericatûs indumentum, utque lineam camisiam:

Acta Eccl. Med. pag. 740.

De sacris Ordin. c. 2.

*Propriam Ordinis sui vestem habet Lector, quæ camision vocatur, habetque Phenolii parvi, vel sticharii ex lino figuram.* Compertum est Latina voce camisiæ significari albam, qua certè & Lectores ipsi quandoque induuntur. Superpellicium autem illud, quo voluit sanctus Carolus indui Presbyteros ante albam, videri mihi solet illa ipsa fuisse alba communis, quæ olim gestanda erat vel Clericis omnibus, vel Presbyteris saltem etiam in usu civili. Idem præcipiebat suprà Ratherius, ubi celebrari Sacrificium sanciebat in albis longè alia ab ea, quæ in civiles usus quodammodo profanaretur. Idem porro Simeon Thessalonicensis de magno Presbyterorum Phenolio loquens, manicis illud carere declarat, & speciem sacci præferre. Vox autem illa Latina Cotta in Gallico sermone hæsit. Dicitur enim Cotta militaris, *une cotte d'armes*: quo etiam ad talos usque fluxisse cottas Clericales, seu superpellicia proditur.

Haud scio an ante Stephanum Tornacensem meminerit aliquis superpellicii. Ab illo autem ita describitur: *Superpelliceum novum, candidum, talare.*

Epist. 123.

Parum distabat ab alba, si talos tegeret. Honorio Augustodunensi superpellicia dicuntur esse *vestes albæ, laxæ, talares.*

Gemma animæ. L. 1. c. 232.

Addit id genus vestes Senatoribus usitatas fuisse, & inde in Ecclesiam illapsas. *Hujusmodi vestibus etiam Senatores usi sunt, ex quibus in Ecclesiasticum usum transierunt.* Doctissimo Hallerio visum est, cùm scribit Pontius in vita Cypriani in *linea* eum stetisse: lineam hanc non sacram fuisse vestem, sed vulgare indusium, cum grassantibus identidem in Ecclesiam persecutoribus, periculosæ res plena fuisset aleæ, vestibus discerni. Nihil ergo periculi erit, si fateatur quis vestas has omnes, tunicas, camisias, albas, & superpellicea linea, ejusdem penè & materiæ fuisse & formæ non multùm dissimilis, quanquam ad usus paulò diversos destinarentur.

De sacris elect. pag. 1076.

VI. Ad Pileum & Almutiam venio. Edixit Concilium Ravennas anno 1317. ut Clerici uterentur *Pileo, vel biretto, vel armutia oblonga ad aures.*

Cap. 4.

Verùm id ad usus civiles spectat, non ad Ecclesiasticos. Itaque tegumentum capitis idem prorsus erat Clericis in urbe, & in Ecclesia; immo idem Clericis Laïcisque. Non abhorret à specie quadam veri, initio idem unumque fuisse capitium & armutiam; ut capitium diceretur ex eo quòd caput tegeret: armutiam autem, quòd in armos etiam penderet, eosqoe tegeret. At discriminis postea aliquid invectum est, cùm vetuerit Basileense Concilium, ne Clerici divinis Officiis interessent cum capitio, sed almutiis, vel birettis potiùs uterentur: *Non caputia, sed almutias, vel biretta tenentes in capite.*

Sess. 21. c. 3.

Chronicum Flandriæ de Imperatore Carolo IV. agens, quando Parisios venit, obviumque ei se dedit Carolus V. Franciæ Rex: ait Imperatorem nudasse caput amovendo almutiam & caputium, Regem autem amovisse dumtaxat pileum. *L'Empereur osta aumusse & chaperon tout jus, & le Roy osta son chapel sans seulement.* At ex Continuatore Nangii, *l'Empereur osta sa barrette & son chaperon, & le Roy aussi.*

Cap. 105.

Hinc manifestum est, idem unumque fuisse birretum, & armutiam; sicut & caputium pileumque. Caputium seu pileum impositum fuisse armutiæ, qua caput jam tegebatur. Sæculares viros, ipsosque Reges armutiis caput operuisse. Atque adeo promiscuum fuisse Laïcis Clericisque armutiæ usum.

Can. 18.

Anno 1528. Concilium Senonense, hoc statutum edidit, *Caputia, almutias, vel birreta tenentes in capite.*

Can. 8.

At Concilium Coloniense anni 1536. *Sit vestis talaris, sint pilei, qui birreta vocantur, sint camisiæ.*

Tit. De Canonic. c. 14.

Concilium quoque Remense ita decrevit anno 1583. *Sine superpellicio, almutio, & aliis Canonicorum insignibus in Ecclesia comparere, omnino irreligiosum est.* Ubi vides voces istas omnes non eundem semper retinere sensum, permisceri quandoque, & armutias tandem Canonicis vendicari, ut propria eorum insignia, quæ nuperi hujus sæculi, vel superioris innovatio est. Id ex eo verisimiliter profectum est, quòd Laïci ferè jam penè omnes abjectis integumentis aliis ad caput tegendum jam sola adhiberent capuria, *les chapeaux*: & quæ olim ruri degentium, vel peregrinantium propria fuerant, ea in urbes, & in quotidianos usus intulissent.

Concilium Turonense ejusdem anni 1583. ita sanxit: *Birreta tenentes in capite, vel caputia, juxta tem-*

Can. 13.

*porum & regionum diversitatem.* Diffidebant ergo inter se Ecclesiarum in nonnullis consuetudines, & alio forsan alioque tempore caputio, vel armutia tegebantur. Parochos hoc idem Concilium in Ecclesia jussit esse *cum birretis, non verò galeris.* Hæc ergo vox *Birreta* jam designabat quadratos pileos. Quod confirmare fas est ex Concilio Bituricensi anni 1584. *Horas Canonicas dicturi cum tunica talari superpelliceis mundis, almutiis, pileis quadratis, vel cappis nigris pro temporum & regionum diversitate utantur.*

*C. 24.*

*Tit. 12. c. 3.*

VII. Hæc sanè Ecclesiastica capitis integumenta altiorem in originem refundere haud potuimus, quòd nulla eorum originis antiquiora sint vestigia. Anno quippe 1243. Monachi Cathedrales Ecclesiæ Cantuariensis ab Innocentio IV. id privilegii extorsiunt, ne in decantandis divinis Officiis capite essent operto in posterum: quippe hactenus cùm aperto semper fuissent capite, inde sibi creatas ægritudines, tum frequentes, tum graves. En verba ipsa Pontificii Rescripti: *Vestris supplicationibus inclinati, vobis utendi pileis, vestro ordini congruentibus, cùm divinis interfueritis Officiis, concedimus liberam facultatem. Ita tamen quod in lectione Evangelica, & elevatione corporis Domini Jesu Christi, & in aliis debita reverentia observetur.* Ubi perspicis excipi aliquod temporis spatium, quo nefas semper sit recto esse capite dum celebrantur Mysteria, nempè dum recitatur Evangelium, dum elevatur adorandum Corpus Christi. Declaratæ sunt & exceptiones instiusmodi in Constitutionibus Pontificii in insula Cypro Legati anno 1313. Ita enim ibi de Presbyteris omnibus, dum sacra faciunt: *Post ablutionem manuum nihil omnino teneant in capite propter frigus, vel aliud: nam facerent magnam irreverentiam, atque intolerabilem sacramento.* Ubi indulgentior aliquantò est Pontifex, quàm Pontificius Legatus; eam puto ob causam quòd ille consuleret Clericis cœlo subiniquo & frigido urentibus; hic ex adverso Cypri insulæ incolis, ubi aëris nulla, aut rarissima inclementia.

*Rainal. an. 1243. n. 41.*

*Cap. 19.*

VIII. Nec Episcoporum mitra inter sacros ornatus habitusque ab initio numerari potuit; ut antè ostensum est. Sed nec ubi Clero vendicata est, ad Officia tantùm sacra adhibebatur. Cùm benevolas aures Beato Malachiæ Hiberniæ Archiepiscopo accommodasset Innocentius II. Papa, *Tollens mitram de capite suo imposuit capiti ejus.* Quæ sancti Bernardi verba in vita sancti Malachiæ cùm retulisset Baronius, hæc habet: *Mos namque erat, nonnisi mitratos Romanos Pontifices ad audientiam admittere petentes audiri.* Quin & sæcularibus quandoque Principibus mitræ usus à Papa concedebatur. Præter exemplum ejus rei suprà relatum, suppetit & hoc aliud, petitum ex Epistola ab Arnaldistis Roma data ad Conradum Regem Romanorum, quem certiorem faciunt, Pontificem inisse pacem cum Principe Siculo, concessis illi ornamentis compluribus, quæ Sacerdotio magis concinere videbantur. *Concordiam inter Siculum & Papam hujusmodi esse accepimus. Papa concessit Siculo virgam & annulum, & dalmaticam & mitram atque sandalia.*

*Baron. ann 1137. n. 35.*

*Ann. 1144. Otto Frising. De gestis Frideric. L. 1. c. 28*

IX Dixi jam, ni fallor, Polonos à Benedicto IX. Papa Casimirum Principem eorum à Religionis & Diaconatûs vinculo relaxante, non tam donatos esse hoc privilegio, quàm constrictos fuisse hac lege, ut certis diebus *panno linteo albo in stolæ modum dependente cervicem exornarent.* Ita Longinus in Historia Polonorum; qui & addit jussos unà esse Polonos, ut capillos attonderent & ipsi more Latinorum. Id sanè multò similius veri est, quàm quod habet Chronicum Cluniacense, hanc fuisse tonsuram Cluniacensium Monachorum, & Diaconorum stolam: *Perpetuò portarent tonsuram ad modum Cluniacensium, & in signum Diaconi stolam ad modum Diaconi deferrent.* Qua utraque lege soluti sunt postea Poloni Cluniacensium Ordinis constructo Monasterio.

*Baron. an. 1041. n. 11.*

*Bibl. Clun. pag. 1616.*

*Vide suprà. C. 42. n. 9.*

X. Stola administrandis potiùs sacramentis inservisse visa est, quàm prodendæ jurisdictioni. Concilium Rotomagense anni 1072. vetuit, ne quem baptizaret Parochus, nisi *indutus alba & stola.* Constitutiones Synodales Rotomagensis Diœceseos Parochos omnes Synodo interesse jubent cum stola. Sanè quidem Ratherii Veronensis Episcopi Synodica jubet eos semper stolatos incedere: *Nullus sine stola in itinere incedat.* Sed à similitudine veri non dissidet, stolæ nomine hîc Clericalia innui vestimenta. Unde mox subditur, *Nullus induatur vestimentis laicalibus.* Saltem id habebimus hinc, stolam Parochorum insigne fuisse, at non jurisdictionis indicium, cùm gerenda ets sit etiam *in itinere.* Constitutiones Synodales Odonis Episcopi Parisiensis, compluriumque ejus successorum, in Synodum admittunt Parochos cum alba & stola tempore verno, at per autumnum cum superpelliceo & stola. Concilium Budense anni 1279. stolatos etiam in Synodum ducit. Synodus Coloniensis anni 1280. stolatos Synodo adesse testatur Abbates, Priores, Archipresbyteros, & Decanos solos. Synodus Nemausensis anni 1284. Parochos & ipsa Synodo sistit sine stola. Concilium Mediolanense anni 1565. vetat sacramenta administrari, nisi in stola & superpellicio. *Sacerdotes in Sacramentorum ordinatione semper superpellicium & stolam adhibeant.* Concilium V. Mediolanense anni 1579. Regularibus præscripsit, ut ne Confessiones exciperent, nisi superpelliciis & stolis induti. Concilium Rotomagense anni 1581. cum superpellicio & stola jubet Parochos interesse Synodis. Remense anni 1583. idem sanxit. Aquense anni 1585. confirmavit decretum Concilii Mediolanensis V. Alii aliarum sunt usus moresque Ecclesiarum. Esse possunt aliquæ, ubi insigne jurisdictionis sit stola, & ubi qui sub cujuspiam jurisdictione est, non possit ei se stolatum sistere. At quæ hîc cursim & tumultuariè congesta sunt, satis superque produnt eas numero magno non esse, certè non esse majori.

*Can. 5.*

*Synod. Rotom. pag. 224. 430.*

*Con. To. 9. pag. 1272.*

*Conc. to. 11. pag. 1841.*

*Synod. Paris. pag. 3. 156. 294.*

*Can. 19.*

*Cap. 1.*

*Cap. 22.*

*Can. 32.*

## De Pallio & Cruce Archiepiscoporum, & de quibusdam aliis eorum Ornamentis.

---

### CAPUT LIII. *P. 2. l. 1. c. 24.*

### De Pallio Orientalium ætate media.

*I. II. Descriptio Pallii. Ea erat quasi investitura Patriarcharum, & Metropolitanorum. Specialis consuetudo Ecclesiæ Alexandrinæ.*

*III. IV. Exuebantur Pallio Metropolitani, cùm exauthorabantur.*

*V. VI. VII. Dubium est, an Episcopi omnes Græci Pallio uterentur, & an illud ad omnia divina Officia adhiberent.*

*VIII. Patriarcha Pallio donabat Metropolitanos, hi Episcopos.*

*IX Non dabatur, saltem per aliquot sæcula, nisi ex assensu Imperatorum.*

*X. Ne Patriarchæ quidem Pontificalia exercebant sine Pallio.*

*XI. Inde forsan profecta posterioris hujus ævi consuetudo. Refelluntur, qui commenti sunt Pallio id astutè egisse Romanos Pontifices,*

*Pontifices, ut Metropolitanos ſibi arctius aſtringerent ſubjicerentque.*

I. DE Pallio Archiepiſcoporum delibata obiter aliqua ſunt capite XLV. Superſunt memoranda non pauca, quæ in hoc caput congeramus, ad mediam ætatem pertinentia. His addentur & aliqua de nonnullis aliis Eccleſiæ Græcæ ſplendidioribus ornamentis. In Eccleſia enim Græca Pallii & antiquitas videtur major fuiſſe, & uſus vulgatior, quàm in Latina. Effigiem ejus exhibuit luculentiſſimam Iſidorus Peluſiota, cui viſum illud eſt non lino, ſed lana contexi, ut oculis intuentium objiciat imaginem, memoriamque refricet æterni animarum noſtrarum Paſtoris, qui exerrantem ovem quæſivit, impoſitamque humeris ſuis revexit.

L. 1. Ep. 136.

*Epiſcopi Pallium, ὠμοφόριον, ex lana, non ex lino contextum, ovis illius quam Dominus aberrantem quæſivit, inventamque humeris ſuis ſuſtulit, pellem ſignificat. Epiſcopus enim qui Chriſti typum gerit, ipſius munere fungitur, atque etiam ipſo habitu illud omnibus oſtendit, ſe boni illius ac magni Paſtoris imitatorem eſſe, qui gregis infirmitates ſibi ferendas propoſuit.*

Cod. 256.

Acta Metrophanis & Alexandri in Bibliotheca Photii fidem faciunt, Metrophanem Byzantinum Epiſcopum deſignaſſe ſucceſſorem ſibi ſubrogandum Alexandrum tunc abſentem, præſente & adhortante Conſtantino Imperatore; tum Pallium ſuum depoſuiſſe, oraſſeque ut ad Alexandrum deferretur: *Pallium, ὠμοφόριον, ſacra menſa deponit, præcipiens illud ſucceſſori ſervari.*

II. Refert Liberatus antiquiſſimum illum Alexandriæ viguiſſe morem, ut qui Epiſcopo demortuo ſucceſſurus erat, ſuper ejus corpus excubias noctis ageret, dexteram demortui imponeret ſuo capiti, eoque demum terræ mandato, Pallio beati Marci indueretur, atque ita conſcenderet in Thronum Marci.

Brev. c. 20.

*Conſuetudo eſt Alexandriæ, illum qui defuncto ſuccedit, excubias ſuper defuncti corpus agere, manumque dextram ejus capiti ſuo imponere, & ſepulto manibus ſuis, accipere collo ſuo beati Marci Pallium, & tunc legitimè ſedere.* Sed & illud Liberatus idem perhibet, Poſtquam Felix Romanus Pontifex Acacium Conſtantinopolitanum Patriarcham depoſitionis ſententia perculit, unum fuiſſe Conſtantinopoli Monachum ex Acœmetarum celeberrimo Sodalitio, qui incredibili animi & intrepido vigore illam ipſi ejus pallio auſus ſit affigere, cùm ſacra Myſteria celebraturus procederet.

Cap. 18.

*Chartam damnationis, dum ingrederetur ad celebranda Sacra, ſuſpenderat in ejus Pallio & diſcedere.*

Cap. 23.

Denique Scriptor hic ipſe narrat Pelagium, qui Papæ apud Imperatorem Conſtantinopoli Apocriſiarium tunc agebat, Imperatoris juſſu Gazam veniſſe, & Paulum Alexandrinum Epiſcopum Pallio exuiſſe, atque ita exauthoraſſe. *Et auferentes Paulo Pallium depoſuerunt eum, & ordinaverunt pro illo Zoilum.* Sunt & nonnulla alia id genus exempla apud eundem Liberatum in Breviario.

III. Evectus ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum à Juſtiniano Imperatore Eutychius, accepto Pallio ordinatus eſt, unàque indutus ipſam Chriſti perſonam, erraticum & fugitivum gregem ſuum geſtantis, pacemque gregi toti impartientis.

[illegible] 6. April. c. 19. 26.

*Ovis errantis typum ſuper humeros tollit, in Sedem ſublimem aſcendit, in ſolio ſedet, atque Paſtorum Principem Chriſtum in cælos revertentem imitatur, dicens, Pax omnibus.* Aliquanto pòſt tempore Eutychius, pridie ejus diei, qua Sede ſua ejectus & in exilium extruſus eſt, conſtitit ante Altare, ſolitiſque veſtibus & ſuperhumerali indutus, *quod ſemper ſecum habebat, uſque ad veſperam precationibus incubuit.* His verbis, *quod ſemper ſecum habebat*, innui videtur, nullo non tempore ſanctiſſimum Pontificio Pallio ſuo indutum fuiſſe: ſicut caſula ſua veſtitum ſuprà vidimus Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum ſuæ vicos urbis perluſtrare ſolitum. Quin & Concilium Liptinenſe Preſbyteros caſula, tanquam quotidiana induit veſte.

IV. Sic enim tibi fingendum animo Pallium, homophorium, caſula, tanquam veſtis ſit quædam, quæ corpus totum à collo ad talos uſque involveret, ſine manicis, ſine ſciſſuris ullis, hac tantùm patens, qua poſſet caput inſeri exerique; quales ſunt antiquiſſimæ etiamnunc caſulæ, poſt centum vel ducentos & amplius annos ſuperſtites; qualis eſſet denique etiamnum cappa, ſi quæ antrorſum nunc aperta eſt, undique clauderetur. Inter communem & ſacram caſulam, inter Epiſcopi & Preſbyteri Pallium hoc erat diſcriminis, quod hæc è medio ſumpta & ſimplicia, illa magnificentiora. Cùm Romam veniſſet tempore Vitaliani Papæ Conſtans Imperator, ornamentum auro textile obtulit, in quo celebratæ ſunt Miſſæ, & quod Pallium vocat is qui Pontificis hujus vitam ſcripſit. *Obtulit ſuper Altare Pallium, auro textile, & celebrata ſunt Miſſa.* In vita Agathonis Papæ illud refertur: Synodum VI. deturbato Sede ſua Macario Antiocheno Patriarcha, qui Monothelitarum hæreſeos ſignifer fuerat, juſſiſſe ut auferretur ei orarium: *Orarium auferri præcepit. Orarium ei abſtulit.* Sed Actis potiùs Synodi ipſius adjicienda fides eſt, ubi non orario, ſed Pallio exutum fuiſſe fertur. *Nudetur circumpoſito ei Pallio.* γυμνοῦται τῷ περικειμένῳ αὐτῷ ὠμοφορίῳ.

Act. 8.

V. Inter ſacerdotalia ornamenta alia, deſcripſit & Pallium Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus: *Humerale, ὠμοφόριον, eſt Pontificis, ad exemplum ſtolæ Aaron, quam geſtabant legales Pontifices, ſudariis longis lævo humero circumponentes, ad ſignificandum jugum mandatorum Chriſti. Humerale autem quo Epiſcopus circumdatur, ſignificat ovis pellem, quam errantem cùm Dominus inveniſſet, ſuper humeris ſuis aſſumpſit, &c. Habet autem & cruces, quia Chriſtus ſuper humero ipſo quoque geſtavit crucem.* Hæc poſtrema verba docent, jam multis ſparſim crucibus à Græcis diſtinctum fuiſſe Pallium, ut jure deinceps Polyſtaurium diceretur.

In Theoria rerum Eccl.

VI. Illud autem in his verbis præcipuè obſervandum eſt, Pallium in Græcia nec Patriarchas, ut veriſimile eſt, nec Metropolitanos, ſive Archiepiſcopos ſervaſſe proprium ſibi, ſed cum Epiſcopis omnibus communicaſſe. Germanus & Iſidorus ſuprà univerſim ita pronuntiabant, Pallium inter Epiſcopalia ornamenta eſſe maximè inſigne; Epiſcoporum hoc eſſe decus ſplendidiſſimum, quòd ſupra cætera apponatur ornamenta; quo Epiſcopi à Clericis quibuſlibet & gradibus aliis diſtinguantur; quo Epiſcopi induantur quodammodo ipſo Chriſto, qui æternus & ſummus Paſtor & Pontifex unus eſt. Nec à ſimilitudine veri recedit, Græcos Epiſcopos in Officiis divinis omnibus Pallio uſos fuiſſe. Latinos verò qui illud & ſeriùs & beneficio Papæ conſecuti ſunt, certis, quas modò dicam, conditionibus accepiſſe; quibus adjuncta fuiſſe & commoda & emolumenta maxima, eadem opera demonſtrabo.

VII. Nec diſſimulabo tamen non injuria ambi-

gi posse, an omnibus in Officiis Ecclesiasticis Pallio uterentur Episcopi Græci. Ita enim confirmat Isidorus Pelusiota, vel in ipsa Mysteriorum celebratione Episcopos Pallium deposuisse, dum legeretur Evangelium, quasi honoris id tunc haberent præsenti tunc Pastori summo, & verbo suo ovium
L. 1. Ep. 136. suarum aures personanti: *Dum ipse verus Pastor per adorandorum Evangeliorum apertionem accedit, tum assurgit Episcopus, & imitationis habitum deponit. Dominum ipsum Pastoralis artis ducem & Deum, & herum adesse significans.* Adde quod Gregorius Magnus Papa, cùm vetuisset ne Ravennas Episcopus Pallio uteretur, aliis diebus vel Officiis, quàm quibus liceret per leges Ecclesiæ: ut lenimenti aliquid exulcerato forsan Ravennatis Præsulis animo infunderet, ad suum Constantinopoli Apocrisiarium scripsit, ut inquireret, seque certiorem faceret, an Orientis Metropolitæ, illi etiam quibus triginta vel quadraginta subessent Episcopi, semper & ubique Pallium gererent, an in Litaniis inter pro-
L. 4. e. 15. cedendum decantandis illud gestarent. *Sicubi iste usus est, ut in Letaniis cum Pallio ambulent. Absit ut per me Ravennatis honor Ecclesiæ in aliquo imminui videatur.*

Gregorio qui & ipse antè Apocrisiarius fuerat, persuasissimum erat, illos Pallii gerendi certis temporibus locisque definitos limites, æquè in Oriente, atque in Occidente receptissimos esse, nec aliud ipse observare potuerat, dum Constantinopoli versaretur. Quid rescripserit Apocrisiarius incompertum nobis est. Cùm tamen ea utendi Pallii restrictio & parcimonia manserit, hinc facilè intelligi datur, non abhorruisse hac in re Orientis Ecclesias ab Occidentalibus; maximè cùm præ se ferret Gregorius, nolle se fraudare Ravennatem ulla parte eorum privilegiorum, quibus Ecclesiæ Orientis fruerentur. Multò certiùs clariùsque res hæc tota elucescet inferiùs ex Concilio VIII. Oecumenico.

VIII. Dubitare etiam possis, an Orientis Patriarchæ Metropolitanis Pallia mitterent, sicut à Metropolitis in ipsa sui consecratione accipiebant
L. 4. Ep. 7. Episcopi. Misit Pallium Gregorius Episcopis Pri-
8. 55. 56. mæ Justinianæ, Corinthi & Nicopolis, quæ Metropoles erant earum in Oriente Provinciarum, quæ Patriarchæ Occidentali suberant, & ubi ea vigebat disciplina, quæ ab Orientali propiùs abesset. Idem ipse Gregorius definire volens, quo jure in utendo Pallio utendum esset Episcopo Ravennati, rescire voluit ab Apocrisiario suo Constantinopoli agente, qui esset usus in Patriarchatu Constantinopolitano; id animo præsumptum habens, Metropolitas ibi à Patriarcha Pallium non aliter accipere, quàm à Romano Antistite Ravennatem. Dicam infrà Photium Constantinopolitanum Pallium misisse Episcopis suarum partium, ut eos sibi strictiùs astringeret & devinciret.

IX. Hoc autem pene indubitatum est, aliquot saltem sæculis non sine voluntate Imperatoris in Oriente Pallium, sicut & in Occidente concessum fuisse. Cùm enim vestimenti id genus initio regium fuisset, eoque voluissent Imperatores, quæ eximia eorum erat & singularis pietas, regale Christi decorare Sacerdotium: hanc vicissim illis per aliquot sæcula pietatem gratitudinemque rependit Ecclesia, ut illo præter eorum assensum indueretur nemo.
Breviar. c. 21. Author est Liberatus, Anthymum Patriarcham Constantinopolitanum, simul atque ab Agapeto Papa extrusus est ab ea Sede quam invaserat, Pallium Imperatori reddidisse, ac recessisse; *Anthimus videns se sede pulsum, Pallium quod habuit Imperatoribus reddidit, & discessit.* Gregorius Magnus interpellavit ipsemet Imperatorem pro Anastasio Patriarcha Antiocheno, ut liberum ei esset Romam concedere, & usum Pallii retinere ad Pontificales functiones obeundas. *Suggestionem apud piissimos do-* L. 1. Ep. 27.
*minos summis precibus plenam feci, ut virum beatissimum Anastasium Patriarcham, concesso usu Pallii, ad beati Petri Apostolorum Principis limina mecum celebraturum Missarum solemnia, transmittere debuissent; quatenus si ei ad sedem suam minimè reverti liceret, saltem mecum in honore suo viveret.*

X. Illud quoque animadvertendum in postrema hæc Gregorii verba: egisse illum apud Imperatorem, ut Episcopo Antiocheno exulanti, usum Pallii retinere liceret, quo posset *Missarum solemnia celebrare, & in honore suo vivere, &c.* seu cætera Pontificalia munera exercere. Igitur nec Patriarchis in Oriente fas erat, nec Metropolitis Pontificalia exercere sine Pallio, nec Pallium à quoquam sine Principis concessione gestari. Ut casula Presbyteri, ita & Pontificis proprium insigne est Pallium. Hinc si quis aut Metropolita aliquando aut Patriarcha deponeretur, ei auferebatur Pallium. Denique confirmabatur Metropolita vel Exarchus misso à Patriarcha Pallio. Unde Gregorius Magnus de Episcopo primæ Justinianæ ita habet: *Ratam nos ejus* L. 4. Ep. 7.
*consecrationem habere, dirigentes Pallium indicamus.* 8.
Quod ergo Metropolitano mittebatur à Patriarcha Pallium, ejus & electionis & consecrationis quasi sigillum & munimen erat. Eo ejus electio & ordinatio confirmabatur. Hinc apparet unde orta sit ea lex & consuetudo, ut Archiepiscopo ante acceptum Pallium Pontificalia exercere nulla unquam liceret munia, Episcopo verò liceat statim atque consecratus est. Qua de re infrà ubertiùs. Advocasse hîc unum id juvat, eum usum antiquiorem esse, quàm ut calumniæ patere posset, vel eorum maledicentiæ, qui has juris novi tendiculas fuisse calumniantur, ad deprimendam strictiùsque subjiciendam Romano Pontifici Metropolitarum amplitudinem.

XI. Inane prorsus istud commentum est, nulloque nixum fundamento, hoc jugum Metropolitis imposuisse Pontifices callida & abstrusa dominandi libidine, ut eos subjectiores suæ Sedi haberent, quasi plenitudo potestatis non eis nisi simul cum Pallio traderetur, & ab eo ipso traderetur, à quo Pallium ipsum accipitur. At contrà jam ostensum est, 1. Vel ipsis Gregorii Magni temporibus, ne quidem Patriarchæ Antiocheno licuisse sine Pallio Pontificalia exercere. 2. Et ipsa Imperatoris cura ad hoc se porrigebat, quæ utique sub jugum aliquod ejusmodi novum mittendis Imperii Orientalis Episcopis famulata non esset. 3. Quoniam in sola Metropolitani ordinatione vel confirmatione dabatur Pallium, minimè mirum est, si ea sensim inducta consuetudo sit, ut ne quis Pontificali ullo ante consecrationem aut confirmationem munere fungeretur; & semel inducta, etiam tum obtinuerit, cum jam non amplius missum est Pallium, nisi post consecrationem aut confirmationem. 4. Pallium proprium est Pontificis ornamentum: cætera cum inferioribus Clericis sunt ei communia. Nec novum autem, nec mirum videri debet, si ei qui ordinatus est, sine proprio suscepti Ordinis habitu, Ordinem deinceps exercere non liceat. 5. Cur ei quem deponis, Patriarchæ vel Metropolitano

Pallium aufers? aut in quo verum ab exauthorato Metropolitam discernis, si ei sine Pallio, id quod suæ dignitatis munus est proprium, obire licet? 6. Nonne & æquius est & Sacerdotio honorificentius, hæc Episcopis divinæ dignitatis insignia à Christi Vicario, quàm ut antea solebant, ab ipso Imperatore accipere, aut de ejus consensu gerere? Si Metropolitani olim tamdiu abstinuere à Pontificali munere, donec ab Imperatore accepissent Pallium, mirabaris quòd eadem consuetudo retenta sit, postquam regia illa Sacerdotii Christi insignia cœpere tribui à Petri successore? 7. In Occidente nec Imperator cuiquam unquam, nec Pontifex, ut mox liquebit, nisi petentibus & sollicitè instantibus Regibus & Episcopis Pallium dedit. Non ergo illud fuit Pontificis consilium, ut Episcopis novum jugum imponeret, sed ut voluntati Principum, Episcoporumque cupiditati faceret satis, regalisque Sacerdotii undequaque in Episcopos decora spargeret & ornamenta. 8. Longè probabilius est, cupidos Pallii Episcopos, antequam illud accepissent, Pontificali ipsos fungi munere noluisse. Nam alioqui facilè poterant ipsi carere Pallio, & eam retinere veterum Metropolitanorum consuetudinem, qui in Oriente Romanum Pallium quatuor aut quinque prioribus, aut pluribus etiam sæculis nullum habuere. 9. Nam paulò pòst ostensuri sumus initio à Pontificibus Pallium Metropolitanis datum non esse, nisi paucissimis, quorum eo munere minimè insidioso, sed longè pulcherrimo non modò non imminuta potestas est, sed & ultra modum aucta, ubi Legatorum Vicariorumque Sedis Apostolicæ nomine & potestate cumulati sunt. Demonstratum à nobis suprà est hanc Delegationem im Pallio personæ plerumque fuisse, nec nisi Regum precibus concessam. Quòd si deinde qui hujusmodi successere Metropolitanis, & instantia sua : Principum gratia id consecuti sunt, ut perpetua æc essent deinceps privilegia: si Metropolitani Occidentis alii decus hoc ornatûs regii, quo à cæteris discernerentur Episcopis, diu exambierint, & multis pòst sæculis adepti sint : sibi solis imputent, siqua cum Regiis illis insignibus jam olim conjuncta erant, quæ servitutis speciem & umbram habere aliquam sibi viderentur. Sua est & Regum majestati conjuncta agnataque servitus; suæ diademati, quamvis aureæ, catenæ tamen. Inducta à Metropolitanis ipsis consuetudo est, quæ deinde paulatim in legem evasit, ut à Pontificali omni se abstineant functione, donec Pallium acceperint.

---

## CAPUT LIV. *P. 2. l. 1. c. 25.*

### De Pallio Latinorum per octo priora Ecclesiæ sæcula.

*I. II. Cæsarius Arelatensis Episcopus primus omnium à Papa Pallium obtinuit. Idem ejus deinde Successores postulavere & impetravere. Et rei necessario fuit & Regis petitio, & assensio Imperatoris.*

*III. Refellitur recentioris Scriptoris opinio, qui inde colligit Regnum Francicum etiam tum Romano subjectum fuisse Imperio.*

*IV. V. VI. Cur Imperatoris assensum Pontifices non semper postularint.*

*VII. VIII. Cohærebat plerumque cum Pallio sedis Apostolicæ Vicariatus & Legatio.*

*IX. Ita conferebatur Pallium, ut à Pontificali munere nullus suspenderetur Metropolita, antequam illud recepisset.*

*X. Exponitur Concilium Matisconense, è quo apposita est conditio illa vetitaque juris. De Pallio Francico.*

I. AB Orientali Pallio sensim ad Occidentale delapsi sumus. Metropolitæ Gallo Cæsario Arelatensi pallium primus omnium concessisse videtur Symmachus Papa; & quoniam concessionis non extant litteræ, simillimum est ea tum Symmachum ratione concessisse, qua postea ejus insistens vestigiis Vigilius Auxanio successori Cæsarii illud contulit. Symmachi enim in vestigia ingredi se Vigilius ita testatur: *Ut agenti vices nostras pallii non desit ornatus, usum tibi ejus, sicut prædecessori tuo prædecessor noster sanctæ recordationis Symmachus legitur contulisse, beati Petri sancta authoritate concedimus.* Non dicit concedi à se Auxanio pallium, uti antecessores sui antecessoribus Cæsarii, sed uti Cæsario Symmachus contulerat. Idem habet, qui scripsit vitam Cæsarii. Epist. 2. L. 1. c. 16.

II. Atqui Auxanium Vigilius pallio non donavit, nisi tum ipsius, tum Childeberti Regis precibus fatigatus, & quidem cum Imperatoris assensu. Ita enim ipse testatum facit scripta ad Auxanium Epistola. *De his quæ charitas vestra, tam de usu pallii, quàm de aliis sibi à nobis petiit debere concedi, libenti hoc animo etiam in præsenti facere sine dilatione potuimus, nisi cum Christianissimi Domini filii nostri Imperatoris, hoc sicut ratio postulat, voluissemus perficere notitia. Ut & vobis gratior præstitorum causa reddatur; dum quæ postulastis, cum consensu Christianissimi Principis referuntur, & nos honorem fidei ejus servasse cum competenti reverentia judicemur.* Et rursus ad eundem, postquam Belisarii interventu consensionem Cæsaris elicuisset: *Oportet fraternitatem vestram Deo preces effundere, ut clementissimos Principes Justinianum atque Theodoram sua semper protectione custodiat, qui pro his vestra charitati mandandis, suggerente Patricio Belisario, pro quo item vos convenit exorare, pia præbuerunt devotione consensum.* Quod ad preces Childeberti Regis, ita habet: *Sicut nos pro tuæ charitatis affectu, & pro gloriosi filii nostri Childeberti Regis mandatis, vices nostras libentissima voluntate contulimus, &c.* Verùm utcumque aut decorum fuerit, aut necessarium, Imperatoris ac Regis explorari antè voluntatem & assensum, non alia tamen magis, quàm Apostolica authoritate pallium concedebatur. *Beati Petri sancta authoritate concedimus.* Epist. 1. Epist. 2.

III. Contendit è recentioribus Scriptor quidam, Francorum primæ stirpis Reges obnoxios tum fuisse Imperatoribus Constantinopolitanis, idque colligit ex necessario hoc assensu Cæsarum, ut Galliæ Metropolitani pallio donarentur. Unde & Gregorius, inquit ille, pallio ornavit Leandrum Hispalensem, nulla facta mentione consensus Cæsarei; quia Hispaniarum Gothi nulla in re suberant Imperatori. Contrà verò fecit Vigilius, ut Imperator mittendo ad Galliarum Episcopos pallio assentiretur. Poterat Scriptor iste nimio sanè, aut in Hispaniam studio, aut in Gallos odio occupatus, hoc errore liberari, si laudatam modò Epistolam attentiùs considerasset. Auxanium enim hortatur Papa, ut Principis utriusque, Imperatoris & Regis concordiam & pacem foveat, moniatque: *Hortamur ut Sacerdotali opera inter gloriosissimum virum Childebertum Regem, & antedictum clementissimum Principem, concepta gratia documenta paterna adhortatione serveris.* Idem scripsit & ad Aurelianum Auxanii in Arelatensi sede successorem: *Inter clementissimum Principem & gloriosissimum Childebertum Regem gratia intacta fœdera custodire.* Neque enim Epist. 3.

inter Principes, & subditos Principum custodiuntur pacis fœdera, sed inter æquales, aut eos certè Principes, quorum neuter subest alteri.

Propiùs ab æquo abfuisset ille scriptor & à vero, si dixisset, Pontificem Romanum, quoniam adhuc & ipse, & urbs Roma, & quæ circa Romam Provinciæ Imperatori suberant, hunc ei honorem habuisse, ut gravioribus in rebus, nec sine consilio ejus quidquam faceret; nec sine consensu daret cuiquam pallium, quod & Beneficium jam olim Imperatoris fuerat, & regiæ Majestatis atque gloriæ splendor erat quidam; deinde ut ne ipse solus veniam faceret Legum imperatoriarum, quibus purpureæ regiæque vestis usus privatis interdicebatur, pœnis ingentibus intentatis. Denique ut ne inconsulto Imperatore Episcopos & Principes, ei forsan minùs studentes, forsan infensos, collato ejusmodi maximo Beneficio, quasi novo quodam vinculo sibi devinciret.

Minùs à veri recessisset similitudine, si dixisset habitam esse Imperatoris rationem, in disponenda re Ecclesiastica eorum locorum, quæ ejus ditioni erepta nuper fuerant: & in nova illa potestate instituenda, cui parere oportebat, non constitutos modò sub Childeberti regno Episcopos, verùm etiam alios, quos ordinare soleret Arelatensis Metropolita, qui fortè tamen nec Childeberto adhuc subjecti essent, nec ab Imperatoris ditione alieni. Quam enim dedit de Vicariatu Arelatensi Epistolam Vigilius, ea ad utriusque hujus generis Episcopos scribebatur:
Epist. 3. *Universis Episcopis, qui sub regno Childeberti Regis constituti sunt; sed & his qui ex antiqua consuetudine ab Arelatensi consecrati sunt, vel consecrantur Antistite.*

Aut denique cùm non posset Pontifex pallium, aut Vicariatum Apostolicum cuiquam conferre, quin ei in Generali Concilio ante Metropolitanos alios, quos propterea removeret; & post Patriarchas majores, cum Patriarchis minoribus, Thessalonicensi, Justinianæo aliisque, locum assignaret & ordinem: decuisse certè, ut ne res tanta inconsultis Imperatoribus, qui in tam multis sponte Ecclesiæ concedunt, & commodant, in generali Ecclesiæ dispositione innovaretur. Argumenta perinsulsa scriptoris ejus hoc ipso capite mox diluam.

IV. Aureliano successori Auxanii Vicariatum simul concessit Apostolicum, & pallium misit idem Pontifex: jubens ut Imperatorem inter & Childebertum pacis conciliator fautorque esset; gratiasque per Epistolas ageret Belisario, qui certiorem se consensûs fecisset Cæsarei, & ipsum mittendi
Epist. 3. ea de causa Constantinopolin Nuntii labore & cura levasset. *Qui homini vestro laborem ad clementissimum Principem abstulit transeundi, sed mox ut responsum recepit, nobis suis litteris indicavit.*

V. Concessit Sapaudo Arelatensi Episcopo Pelagius I. Vicariatum Apostolicum cum pallio. Sed non antequam id Childebertus atque Sapaudus petiissent ipsi per litteras, & homines misissent, qui peterent: *Litteras nostras, Consacerdoti Sapaudo secundùm petitionem vestram direximus, usum pallii pariter concedentes.* Ita Pontifex ad Regem. Qui rursus in Epistola ad Sapaudum: *Pariter tibi Pallium dirigentes, ut in tanti loci fastigio constitutus, præclaro quoque habitu decoreris.* Et certè ita constituebatur ille veluti primus & Princeps Episcoporum Regni,
Epist. 6. 7. veluti Papæ vicem gerens. *Ut Sedis nostræ Vicarius institutus, ad instar nostrum, in Galliarum partibus primi Sacerdotis locum obtineas.*

VI. Imperatoris Pelagius nihil meminit, sive quòd jam eadem non esset illius cum Childeberto concordia; sive quòd non semel præbitum assensum, & suis & Arelatensis Episcopi prædecessoribus, satis esse crederet: sive quòd qui per Legationem illam Arelatensi subjiciebantur Episcopo, ditione Childeberti Regis circumscriberentur omnes.

Misit & Gregorius Magnus pallium Virgilio Arelatensi Episcopo, non ab ipso tantùm, sed & à Childeberto Rege multùm interpellatus. Hæc sunt ejus ad Virgilium Epistolæ verba: *Quod juxta antiquum morem usum pallii ac vices sedis Apostolicæ postulasti,* L.4.Ep.50. 53. *absit ut aut transitoriæ potestatis culmen, aut exterioris cultûs ornamentum in vicibus nostris ac pallio quæsisse te suspicer, &c. Libenti animo postulata concedimus, ne aut quidquam vobis de debito honore subtrahere, aut præcellentissimi filii nostri Childeberti petitionem contempsisse videamur.* Et in Epistola ad Regem: *Virgilio vices nostras juxta antiquum morem, & excellentiæ vestræ desiderium commisimus.* Ne hîc quidem mentio ulla consensûs Imperatorii. At cùm Siagrio Augustodunensi Episcopo, cujus antecessores pallio decorati nunquam fuerant, id beneficii conferret Gregorius: tum verò Brunechildem Reginam per Epistolas certiorem fecit, assensum esse vehementer Imperatorem. *Propter quod & serenissimi* L. 7. Ep. 5. *domni Imperatoris, quantum nobis Diaconus noster qui apud eum responsa Ecclesiæ faciebat; innotuit, prona voluntas est, & concedi hoc omnino desiderat.* Ea ergo non improbabilis ratio depromi potest, cùr in Episcopo Augustodunensi Imperatorum consensum desideraverit, in Arelatensi non desideraverit sanctissimus Pontifex, quod hujus prædecessoribus, & ejus quodammodo Ecclesiæ id concessum jam olim fuisset, quod de Augustodunensi dici non poterat.

Hinc & illud præterea collige, quod Leandro Hispalensi Episcopo, cum Legatione & Vicariatu Apostolicæ Sedis, nec petito quidem Imperatoris Constantinopolitani consensu, collatum à Gregorio pallium sit, id non novum fuisse beneficium, sed perveteris gratiæ continuationem, aut certè confirmationem. Nam ante Gregorium Simplicius Papa Legationem eandem Episcopo Hispalensi concesserat, itemque Hormisda Sallustio ejusdem urbis Episcopo. Ex quo non temerè suspicamur Pontifices alios aliis Episcopis Hispalensibus idipsum non negasse. Nam etsi videatur id personæ collatum fuisse beneficium, quod Episcopi enixissimis precibus consequebantur: profitebatur tamen in pallii collatione Pontifex, hanc veteris tantùm honoris, quo ejus antecessores usi fuerant, fuisse confirmationem. Quod & antè observari potuit, & ipse te- L.10 Ep.56 statur Gregorius in Formula solemni concessionis pallii. Denique ubi idem Leandro mittit pallium, L.7.Ep.27. id præfatur ipse se *antiqua parere consuetudini.*

Quibus ex omnibus clarum est quantum Belgæ istius Doctoris conjecturæ deviarint à vero, in his quæ in mittendis ad Gallias & Hispanias palliis, Gregorius diversè fecit. Nam si inconsulto Imperatore, Leandro Hispalensi pallium misit, idem fecit & Archiepiscopo Arelatensi. Eandem ergo in utroque regno secutus est Pontifex rationem; nec ex ea validè quidquam inferri potest ad alterum regnum Imperatoriæ subdendum ditioni, alterum eximendum. Consensum Imperatoris, ut Episcopo Augustodunensi pallium daret, expetivit Pontifex: ut Arelatensi daret, non expetivit: at hi Episcopi æquè vel suberant vel non suberant Imperatori,

qui suberant utique Childeberto. Quærenda ergo causa alia, cur in eadem re idem non fecerit. Est autem ea quam hic proferimus veri simillima. Adde quod Episcopo Viennensi enixissimè postulanti
L. 7 Ep. 116 pallium, responderit Gregorius in Tabulario Romano invenisse se nusquam, quòd antecessoribus ejus collatum usquam fuerit pallium; si quid in Viennensi Chartulario repetisset ipse, certiorem se faceret.

VII. Quod porro vehementissimè postulandum esset Pallium, præter ea quæ jam in eam rem dicta sunt, liquet id ex iis quæ ad Brunechildem Reginam scripsit Gregorius: *Maximè quia & prisca consuetudo obtinuit, ut honor pallii nisi exigentibus causarum meritis, & fortiter postulanti dari non debeat.* Quare voluit ut & Siagrius Augustodunensis, ipse sibi pal-
L. 7 Ep. 50 lium, & alii pro eo Episcopi postularent. *Facta cum aliquantis Episcopis sua petitione.* Quasi antè providisset animo & eorum prævertere voluisset calumniam, qui posterioribus his sæculis dixere, Pallium novum quoddam esse servitutis vinculum, quod astutè excogitatum sit ad subjugandos Romano Pontifici Metropolitanos. Cùm contrà solis Principum vehementioribus precibus, & Episcoporum votis ac diligentiæ illud ab eo fuerit semper concessum.

Quòd si Siagrium Augustodunensem excipias, & Episcopum Ostiensem, cui referente Anastasio Bibliothecario, in consecrando Papa pallio uti concessit Marcus Romanus Pontifex: & Aiglibertum Cenomanensem Episcopum, Regi Theodorico III. carissimum & Archicapellanum, quem probat Cointius noster anno 685. accepisse pallium cum honore Archiepiscopi, hoc est, Protothroni inter Episcopos Provinciæ Turonensis: uti & Siaggrio cum pallio accesserat prærogativa sedendi supra alios Provinciæ suæ Episcopos: tres, inquam, hos si excipias, solis Papæ Legatis & Vicariis datum est pallium, hoc est, in unoquoque Regno Metropolitæ uni; cujus tantùm abest, ut propterea restringeretur potestas, fieretque obnoxia magis alteri, ut contrà novum honoris & potestatis cumulum sibi is videret accrescere, utpote qui Primas evaderet, & Regni totius quasi Patriarcha.

VIII. Nam unà cum Pallio Archiepiscopis Arelatensi, Hispalensi, Cantuariensi & Moguntino Vicariatum sive Legationem Apostolicam, quæ Patriarchalis Papæ in Metropolitanos potestatis delibatio & portio quædam est, Pontifices contulere. Honorem Pallii Metropolitæ ipsi summo studio ambiere, neque tamen dignitas ea nisi tertio quartóve pòst sæculo Archiepiscopis omnibus cómunis fuit. De Primatiis & Vicariatibus apostolicis in variis Occidétis Regnis dicta sunt superiùs bene multa, ostensumque est solis his Metropolitanis pallium missum esse. Missa sunt quidem à Gregorio ejusque successoribus duo in Angliam Pallia, Cantuariensi unum, alterum Eboracensi. At hi ex Gregorii instituto certa in sese mutuò jura & quasi alternam potestatem habere debebant. Superstes enim alteri qui præmortuo erat, is ei curabat eligi ordinarique suc-
Epist. 4 cessorem. Est in Epistola Zachariæ Papæ ad sanctum Bonifacium exemplum aliud, quo Grimoni, Abeli & Arberto, qui meri Metropolitani essent, pallium largitur. Quanquam possit & dici concreditam illis simul fuisse Missionum Apostolicarum provinciam, & Gentilium ad fidem adducendorum.
An. 744. Fatendum est tamen non antè, sed tunc demum tantùm meros Metropolitanos pallio donari cœpisse.

IX. Non dicam hîc de concessis à Pontifice unà cum Pallio & Apostolico Vicariatu juribus extraordinariis. Jam enim ea de re dicta sunt satis multa in eo tractatu qui est de Archiepiscopis & Primatibus, sive Exarchis. Potes Epistolas à me laudatas consulere, ex quibus intelliges fuisse illam Patriarchalis potestatis participationem quandam uberiorem. Non ergo hinc vel Papæ augescebat, vel decrescebat Metropolitanorum potestas: sed Papæ authoritas in Metropolitanos effundebatur, qui cum Primatu id consequebantur, ut causas ipsi jam dirimerent in partibus plurimas, propter quas alioqui adeunda fuisset Apostolica Sedes. Hinc ergo multum roboris & incrementi accedebat libertati singularum Ecclesiarum, quarum causæ in ipsismet locis finiebantur. Apage ergo inanes illas invectæ servitutis suspiciones. Nam etsi jam Metropolitani cogerentur antè Exarchi, quàm Papæ subire judicium, non ea erat Metropolitanorum servitus nova, cùm Provincialis Concilii judicio & ipsi ab Ecclesiæ exordio obnoxii fuissent; sed Provincialis & Diœcesani erat ea potiùs libertas eximia, & antiquissimæ innovatio potestatis.

Redeo ad Pontificum Epistolas, in quibus nullum prorsus usquam vestigium imminutæ per pallium, vel ad majores angustias redactæ Metropolitanorum potestatis. Hoc sibi ipsi Episcopi præscripsere, ut donec pallium acciperent, ab omni se Metropoliticæ potestatis exercitio abstinerent. Sic enim Concilium I. Matisconense anno 581. sancit, *ut Archiepiscopus sine pallio Missas dicere non præsumat.* Solus tunc Metropolita Arelatensis Pallium & Archiepiscopi nomen obtinebat. Hinc singulari nomine Canon, & Archiepiscopi voce utitur, non Metropolitani.

X. Sunt qui velint eo Canone comprehendi Marca Concord. l. 6.
Metropolitas omnes, ibique non agi nisi de pallio c. 7.
quodam, quod Metropolitanis Galliæ omnibus communa esset & proprium, à Romano prorsus diversum. Id verò probant, quòd eo uti præcipiat Concilium in Missis singulis, cùm certis quibusdam tantùm, iisque solemnioribus diebus Romano liceret uti. At eos proferre oportebat alia quæpiam argumenta, quibus Gallicum illud pallium à Romano discrepans posset comprobari. Nullum enim alibi ejus vestigium extat. Eorum profectò erat ostendere vetitum illud fuisse Episcopis aliis, solis Metropolitanis proprium fuisse; eo accepto ordinatos, eo adempto exauthoratos fuisse Metropolitanos: ambitum denique aliquando, fuisse à meris Episcopis hoc Metropoliticum Galliæ pallium, aliquando usurpatum. Hæc quippe omnia de Romano & Græco pallio constant, testimoniis suprà relatis & exemplis compluribus. At de Gallicano pallio nihil usquam istiusmodi. Cur tam cupidus pallii Romani Siagrius, ut à cæteris distingueretur Episcopis, qui id à Gallico posset habere? Qui verò fieri potuit ut cæteri Galliæ Episcopi pallium Gallicum nec postulaverint unquam, nec extorserint? Eccur Archiepiscopi nomine utitur Canon, quo necdum gaudebant Metropolitani? Quod autem ad certorum dierum, eorumque solemnium designationem spectat, id certè non reperias in litteris Pontificum, Symmachi, Vigilii & Pelagii, qui Archiepiscopo Arelatensi pallium concessere. Unde is fortè fuerit sensus, ea mens Concilii Matisconensis, ut ei præscriberet in Missa celebranda pallio semper uti, comperto aliis ejus utendi certos quosdam præscriptos esse dies solemniores. Ubi

Arelatensi pallium confert Gregorius, rem ita restringit, ut eo tantùm in Missa & in Ecclesia uti fas sit. Verùm id ille fecit annis aliquot post Concilium Matisconense. Denique etsi constarent quæ sumuntur hic magis quàm probantur, non esset certè quod miraremur, si deinde Romani pallii cupidiores Metropolitani Galli, & tandem aliquando facti ejus compotes, ea illud conditione habuere, quam ipsi Gallico apposuerant, ut sine eo Pontificalia non exercerent. Meminit quidem Fortunatus pallii Turonensis Episcopi, quod eruditus integrè textum esset: *Pallia nam meruit, sunt* *qua cruce textile picta*: at id Metropolitanorum proprium fuisse non dicit.

L. 1. c. 3.

## CAPUT. LV. *P. 2. l. 1. c. 26.*

### De eadem re, hoc est, de Pallio Latinorum per octo priora sæcula.

*I. Qua ratione conducibilis omnino esset Ecclesia Gallicana Vicariatus Apostolicus cum Pallio collatus Episcopo Arelatensi. Eadem ille, atque regia Clodovei familia labes, eadem clades incubuit. Restaurat in Gallia Episcopatum Bonifacius, collato Metropolitanis omnibus Pallio, quos aliquo sensu fecit Primates.*

*II. Quàm prepostere quidam interpretentur eam Disciplina mutationem.*

*III. Refelluntur ex circumstantiis rei omnibus, quibus proditur nullam à Pallio novam Episcoporum servitutem erga Pontifices exortam esse.*

*IV. Quàm necessaria fuerit Ecclesia Gallicana ea Disciplina, quantumque illam expetierint Episcopi Gallicani.*

*V. Quàm è re fuerit tum Metropolitarum Gallia, ut neque Archiepiscopum, sive Primatem, Papam ulter & ipsos medium esse jam paterentur.*

*VI. Expenditur promissa Papa obedientia, quam ab Episcopis Francia Bonifacius exigit.*

*VII. Novum servitutis jugum non esse, quod in ipsa Pallii susceptione Metropolitani promittant, Pontifici se juxta Canones obedituros.*

*VIII. Suscipiens Pallium Arelatensis Archiepiscopus eandem Canonum observantiam pollicebatur.*

*IX. Defenditur id jusjurandum, quod deinde multò post ceptum est exigi à Metropolitis.*

*X. Testatum id semper esse Gregorium Papam, genium illum esse Pallii, diligentissimam Canonum observationem: quare & eas se exegisse promissiones, qua prope accederant ad jusjurandum.*

*XI. Forma Pallii.*

I. PRo comperto est Metropolitanos Galliæ anno 742. pallium tandem à Zacharia Papa omnes impetrasse. Hinc illud Concilii Decretum, cui Bonifacius interfuit, ut à Pontifice id postularetur, eique protinus desponderetur promptissima & expeditissima obedientia, quæ demum cunque sedes Apostolica præcepisset. Hæc sunt ea de re verba

Epist. 105. Epistolæ Bonifacii in Angliam datæ. *Decrevimus in nostro Synodali conventu, &c. Sancto Petro & Vicario ejus velle subjici. Synodum per omnes annos congregare, Metropolitanos pallia ab illa sede quærere, & per omnia, precepta Petri canonicè sequi desiderare.* Et paulò post: *Vnusquisque Episcopus siquid in sua Diœcesi emendare nequiverit, itidem in Synodo coram Archiepiscopo & palam omnibus ad corrigendum insinuet, &c. Omnes Episcopi debent Metropolitano, & ipse Romano Pontifici, si quid de corrigendis populis apud eos impossibile est, notum facere, & sic alieni fient à sanguine animarum perditarum.* Hinc dilucidum est nomen Archiepiscopi cum pallio Metropolitanis omnibus fuisse communicatum. Nec tamen existimaveris collatum esse, qui cum pallio hactenus conjunctus fuerat, Vicariatum Apostolicæ sedis; sed Primatialis tantùm potestatis partem aliquam, quatenus Vicario Apostolico subducti sunt, & summo Pontifici sine medio subjecti.

Vidimus enim per sæculum integrum & ampliùs penes Arelatenses Archiepiscopos, in Regni ferè totius Franciæ Metropolitanos omnes jus potestatemque fuisse. Grata erat & perutilis Regibus novæ hujusce Dignitatis institutio, quòd ita causæ plurimæ in Regno retinerentur, quas Romam oportuisset deferri; quodque suus Galliæ quasi Patriarcha tribueretur, Conciliumque Nationale, cujus non poterat non esse summa vis & authoritas. Verùm uti res erat, & Regibus accepta, & Archiepiscopis Arelatensibus, unde & illam, ut suprà patuit, vehementissimè expetiere: ita simillimum veri est, minimè gratam fuisse Metropolitanis aliis, qui collegis & æqualibus subjicerentur. Extincto verò per longiora illa & cruentissima bella, quæ cadente Chlodovæi stirpe sæviere, non solùm Vicariatu Apostolico, sive Exarchatu Arelatensi, sed ipso etiam per Galliam penè omnem Episcopatu sublato: Bonifacius in Franciam missus ut collapsam restitueret Disciplinam, novam Episcopatui formam attulit. Fecit enim liberos omnes ab ejusmodi Vicariis Apostolicis sive Primatibus Metropolitanos omnes, eosque singulos eo verissimo sensu Primates constituit, quòd ut suprà diximus, Primati nulli alteri subessent.

II. Et hæc quidem ratio, hoc consilium certissimè fuit, cur immutata tum Ecclesiæ Gallicanæ Disciplina sit, communicatumque Metropolitanis omnibus cum pallio Archiepiscopi nomen. Quare audaciùs quàm solidiùs dixeris, à Bonifacio Metropolitas Galliæ eò adactos, ut Francicum Pallium deponerent, peterentque Romanum, qua veloti nova compede, novæ Pontificum servituti illigarentur, quibus cœperant in susceptione pallii novo cum sacramento obedientiam polliceri. Hinc Francos, cùm statuissent petere à Zacharia Metropolitanis tribus Rotomagensi, Remensi & Senonensi pallia tria, quasi præsagirent animo, quibus se induerent laqueis, petitionem distulisse. Id molestè tulisse Pontificem, nec habuisse Bonifacium quo apud eum has moras excusaret. *De eo quod jam preterito tempore de Archiepiscopis & de Palliis à Romana sede petendis juxta promissa Francorum, sanctitati vestra notum feci, indulgentiam sedis Apostolica flagito: quia quod promiserunt, tardantes non impleverunt, & ventilatur, & quid inde perficere velint, ignoratur.*

III. Mera hæc sunt animi figmenta, mera insomnia. Ut quid enim posset Bonifacius solus, qui in Episcopos Galliæ potestatem à Pontifice nullam acceperat, eosdem tamen ad ea cogere, ex quibus tantum in eos redundaret detrimenti? Qui posset Bonifacius solus vim adhibere, vel fraudem facere Concilio Nationali, quò regni Optimates & Principes eodem simul tempore, eadem in urbe cum Episcopis convenissent? *Decrevimus in nostro* Epist. 105.
*Synodali Conventu.* Qui posset Galliarum & Reges & Proceres invitos cogere, ut novo illi Episcoporum suorum jugo assentirentur? Qui poterant tam ignari rerum suarum esse, tam cæci, & ut ita dicam fascinati Principes, ut Bonifacio & preces offerrent, & suppetias ferrent, ut Ditioni suæ id dedecoris, hanc inureret notam? *Synodum congre-* Conc. Lept.
*gandam & hortandam, jussu Pontificis Romani & ro-* c. 1.
*gatu Principum Francorum & Gallorum sub spe restaurandæ legis Christi suscepi.* Ut quid Francorum Dux atque Princeps Carolomannus omnibus Germaniæ

Episcopis Bonifacium Archiepiscopum præfecisset? *Ordinavimus per civitates Episcopos, & constituimus super eos Archiepiscopum Bonifacium, qui est Missus sancti Petri.* Ut quid rogasset idem Bonifacium Carolomannus, veniret ad se, Synodum celebraturus in Gallia, ubi jus ei nullum erat, quòd ei sola à Pontifice Germania esset concredita? Assensus roganti Zacharias est, permisitque Bonifacio Synodum habere in Gallia; quam in rem illum eo mittere ne cogitarat quidem. Sic enim ille in Epistola Ep. 1. ad Bonifacium scripta: *De eo quod nobis intimasti, quod te Carolomannus filius noster ad se rogavit accedere, ut in urbe regni Francorum, in sua ditione constituta Synodum celebrare debeas, & hoc libenter concedimus & fieri præcipimus.* Præscribit deinde Pontifex Bonifacio, quibus sit de rebus in ea Synodo tractandum. At in his omnibus nec callidi hujus consilii vestigium est ullum, nec augendæ dominationis ullam usquam olfacies cupiditatem.

IV. Juvat autem ex ea quæ est ad Zachariam Bonifacii Epistola ediscere, quàm fuerint eo tempore profligatæ res Ecclesiæ Gallicanæ, ut intelligas quæ verissimæ fuerint justissimæque causæ, cur vir sanctissimus ea instituerit quæ nonnulli carpere & malitiosè vertere conantur. Affirmat enim ab annis sexaginta aut septuaginta conculcatam jacere disciplinam in Galliarum Ecclesiis omnibus: nullam Synodum ab annis amplius octoginta habitam fuisse, nec Archiepiscopum fuisse ullum; Episcopatus laïcis datos fuisse, vel Clericis contaminatissimis, & sæculari prorsus vita Clericalem habitum dehonestantibus. *Carolomannus Dux Francorum Synodum me rogavit congregare, & promisit se de Ecclesiastica Religione, quæ jam longo tempore, id est, non minùs quàm per sexaginta vel septuaginta annos calcata & dissipata fuit, aliquid corrigere & emendare velle. Franci enim, ut seniores dicunt, plusquam per tempus octoginta annorum Synodum non fecerunt, nec Archiepiscopum habuerunt, nec Ecclesiæ canonica jura alicubi fundabant vel renovabant. Modò autem maxima ex parte per civitates Episcopales sedes traditæ sunt laïcis ad possidendum, vel adulteratis Clericis, scortatoribus & publicanis sæculariter ad perfruendum.* Hæc fuit eo tempore horrenda facies, hic miserrimus Ecclesiæ Gallicanæ status. His malis mederi volens Carlomannus, auxilium poposcit à Bonifacio, & re cum illo communicata, existimavit initium melioris spei ducendum esse à restituendis Conciliis & Archiepiscopis, sive Metropolitanis. Quod autem dicit Bonifacius Francos per annos amplius octoginta Archiepiscopum non habuisse, non temerè credideris eum spectare ad extinctum Arelatensem Vicariatum Apostolicum: is erat enim tum unus in Gallia Archiepiscopus, quia unus Apostolicæ Sedis Vicarius & Legatus. Ut ergo in pristinum decus restitueretur Ecclesia, quoniam cum ruina Primatûs Arelatensis corruerat & funditus Ecclesiæ disciplina, necesse fuit, aut peteretur Archiepiscopus novus, Legatus & Vicarius Pontificis: aut antiqua illa renovaretur consuetudo, qua summo Pontifici Metropolitani singuli immediatè subjicerentur. Videntur Franci, saltem post obitum Legati Bonifacii ad disciplinam illam veterem redire maluisse, qua Pontificem inter summum & Metropolitanos medius nullus alius constitueretur.

Ita Metropolita quisque suo quodam modo fiebat Primas, utpote qui nulli alii Primati subesset, solique Papæ subjiceretur. Novæ hujus, quæ Primatus utcumque dici poterat, libertatis & immunitatis signum aptissimum Pallium fuit. Et hæc quidem causa Concilii Episcopos adduxit, ut Metropolitanis omnibus à Pontifice Pallia postularent. Fortè tribus tantùm initio postulaverant; deinde verò satius existimavere, æquatis omnibus *Metropolitanis Pallia ab illa Sede quærere.* Qua forsan ea voluntaria mutatione orta illa mora est, quæ anxios habuit Bonifacium & Papam. Concesso Metropolitanis omnibus pallio, lege etiam communi illa omnes tenebantur, ut quæ corrigere ipsi non poterant, id Papæ significarent. Id quippe unum erat è privatis Episcopi olim Arelatensis officiis, ut suprà dicebat Bonifacius: *Omnes Episcopi debent Metropolitano, & ipse Romano Pontifici, si quid de corrigendis populis apud eos impossibile est, notum facere.* Epist. 105.

V. Quòd autem eo tempore Gallicarum Episcopi ac Metropolitani præ cæteris privilegiis & libertatibus suis illud cupidissimè amplecterentur, ut ne quem Papam inter & Metropolitas quoslibet Primatem vel Metropolitam paterentur esse: id prorsus hujus operis serie tota vel evicimus jam, vel evincemus. Quotiescumque enim à Pontificibus & Regibus id tentatum est, ut Primates de novo aliqui Vicariique crearentur Apostolici, tentatum est autem non semel: toties ab illis constantissimè & plerumque invictissimè repugnatum est. Poterat & Episcopis Galliæ tum venire in mentem Anglicanæ exemplum Ecclesiæ, ubi duo tantùm erant Metropolitæ aut Archiepiscopi, cum æquali ambo honore & potestate; æqualiter ambo decorati pallio, æquabiliter & alter alteri subjecti & non subjecti, si obtinuerat Gregorii Magni cõstitutio. Poterat & in mentem venire consuetudo Gregorii Magni, qui quos vulgò consectabat Metropolitanos, Ravennatem, Mediolanensem, Salonitanum, Panormitanum, Syracusanum, Calaritanumque; quanquam Metropolitæ tantùm sine Primatu ullo essent, Vicariatuque Apostolico, Pallio tamen donabat. Denique referente Anastasio Bibliothecario, Vdicarium Episcopum Viennensem Zachariæ præcessor Gregorius III. *Pallio dato Archiepiscopum constituit:* mansit tamen ille, quod antè fuerat, merus Metropolita.

VI. Quod autem voluit Bonifacius Apostolicæ Sedi subjectionem promitti, frustrà sunt qui inde mali aliquid suspicantur. Hoc enim non soli fecerunt Metropolitæ, sed omnes Episcopi, Concilium omne: *In nostro Synodali conventu confessi sumus fidem Catholicam, & unitatem & subjectionem Romanæ Ecclesiæ fine tenus servare, sancto Petro & Vicario ejus velle subjici.* Id quod omni loco, omni tempore laïcis omnibus, omnibus Clericis & Episcopis commune est. Neque quidquam ibi est, quod privatim ad Metropolitanos, aut ad pallia referatur, aut ad nova quæ à pallio proficiscantur onera. Quæ verò Ecclesia, quis usquam Archiepiscopus, aut Metropolita, qui se Pontifici, tanquam Christi Vicario subjectum non profiteatur? Ne ipsi quidem Orientis Patriarchæ ab ea se potestate immunes aut tum esse volebant, aut aliquando velle potuerunt; nisi si qua se membra in sui ipsorum perniciem à capite abscindant suo.

VII. Quod autem his subjicitur, *Metropolitanis Pallia ab illa Sede quærere:* non novum Metropolitis hîc servitutis jugum additur: sed nova libertas, nova immunitas, privilegium novum. Concessum enim simul omnibus est, quod intra centum aut ducentos annos uni tantùm Archiepiscopo Arelatensi, & Augustodunensi Siagrio potuerant Reges

obtinere: datumque ut ab ea essent subjectione liberi, qua eorum Majores subierant Archiepiscopo Arelatensi. Quod autem dicuntur postea *præcepta sancti Petri canonicè sequi*: fateor id consequi ex pallio. Verùm hæc an nova quædam servitus, & non magis innata nascenti Ecclesiæ lex, ut inferior superiori parere debeat, & constitutis à Deo potestatibus homines omnes subesse? Porro tametsi satis id per se intelligatur, præcepta superiorum legibus & æquitati consentanea fore: nihilo tamen minus, ne quid dubii aut suspicionis in animis hominum resideret, disertis verbis illud pronuntiatur, hanc Episcoporum obedientiam ad mandata Pontificis, legibus canonicis regi. *Præcepta sancti Petri canonicè sequi.* Quin & Zacharias Papa id præ se ferebat, Decreta Sedis Apostolicæ Canonibus consentire. Epist. 1. ad Bonifac. *Nec enim ab hac Apostolica Sede illa diriguntur, quæ contraria esse Patrum sive Canonum statutis inveniantur.* An novæ servitutis genus est, Canonibus Pontificumque Decretis obsequi, idque profiteri? Nonne potius verissimæ libertatis inconcussum hoc munimentum est, totiusque ejus quæ sanctissima & pene divina in Ecclesia floret, disciplinæ? An tristis illa servitus est, quòd Pastoribus laïci, Clerici Episcopis, suo Episcopi Metropolitæ pareant? Hæc una, hæc vera libertas est, parere legibus, & iis qui juxta leges præsint? Quæ si sacra vincula abruperis, confusis ac perturbatis omnibus in miserrimam præceps ibis servitutem.

VIII. Non poterat Metropolitanis omnibus conferri pallium, quin strictiore observandorum Canonum Decretorumque lege illigarentur. Id enim Arelatensibus semper Archiepiscopis Pontifices imposuerant oneris, & aliis quibus pallium concessere. Evolve omnes Pontificum ad Metropolitanos omnes Epistolas, quibus cum Legatione & Vicariatu Apostolicæ Sedis adjunxere pallium, nullam invenies, quo non diligentior inculcetur Canonum custodia, majorque cum Pontifice concordia & societas, ut eum faciant eorum malorum certiorem, quibus ipsi mederi non potuerint. Neque tamen id unquam impedimento fuit, quominus Metropolitani, Reges, & ipsi etiam Imperatores pallium, & quæ erat cum pallio conjuncta, Legationem postularent.

IX. Quod si velis novam eo impingi servitutem, quòd à Metropolitanis deinceps in ipsa pallii susceptione cœpit exigi jusjurandum, fatebor equidem novum esse hoc sacramentum: at quam juras legibus, canonibus, & superiori a Deo constitutæ potestati obedientiam, uti sanctissimam & inviolabilem, ita & antiquissimam eam esse, tu confiteare necesse est. Nonne novis in dies exorientibus morbis nova cogimur remedia adhibere? Quæ usquam autem potest vel fingi Ecclesiæ ægritudo, quàm si ab annis octoginta omnis in ea interierit disciplina, si nulla Concilia, si Episcopalibus sedibus laïci, aut Laïcis profaniores & scortatores Clerici incubent? An ista nec nova satis, nec satis exitiosa erat ægritudo, ut novo remedio curaretur? Quod aptius autem poterat esse, tot & tantis Ecclesiasticæ Disciplinæ vulneribus remedium, quàm ut novis vinculis constringerentur, & ad diligentiorem custodiam Canonum, & ad majorem cum Pontifice, qui eorum vindex, & Ecclesiasticæ Disciplinæ tutor ac defensor est, conjunctionem?

X. Memineris enim oportet, non profanum quoddam esse ornamentum pallium, quod præstringendis oculis, aut palpandæ ambitiosi Præsulis cupiditati sit institutum. Splendida quidem vestis est, sed quæ & moneat, & jubeat, ut supra alios Antistites longè majori excellas & pietate, & fortitudine, ac magnitudine animi, in defendendis sanctissimis Ecclesiæ legibus & institutis. Minabatur jacturam pallii Episcopo Salonitano Gregorius, L. 3. Ep. 14. 15. ut labem sarciret, & quod à se peccatum fuerat, expiaret, excommunicatione etiam præterea intentata. Ravennati Episcopo qui pallium extra Missarum solemnia contumaciùs gestabat, atque adeo per urbis vicos, scribebat idem ipse, humilitate magis ornari Episcopos, quàm ascititio quolibet ornamento: *Decorari pallio volumus, forsitan moribus indecori, dum nihil in Episcopali cervice splendidius fulget, quàm humilitas.* L. 2. Ep. 54. Monebat Mediolanensem Episcopum, pallii genium esse humilitatem & obedientiam: *Peto ut dum hoc pallium suscipitis, ejus honorem ac genium ex humilitate vindicemus.* L. 3. Ep. 1. L. 4. Ep. 5. Episcopo Justinianæ I. pallium mittens, Episcopalium virtutum summam quandam pulcherrimam contexebat. Objurgabat Ravennatem Episcopum, quod Epist. 15. fulgore sacrarum vestium non inflammaretur ad amorem virtutum: *Invenio quia honor Episcopatûs vestri totus foris in ostensione est, non in mente.* Epist. 50. 52. 53. Ad Virgilium Arelatensem Episcopum scribebat, ornatum pallii ipsum ornari ab eo debere insomni vigilantia, pietate singulari, Apostolico animatum salutis zelo. *Sed jam nunc studio majori res indiget: ut cùm honor crescit, etiam sollicitudo proficiat: & erga cæterorum custodiam etiam vigilantia excrescat, vita quoque merita subjectis in exemplum veniant, & nunquam sua per suscepti honoris gratiam, sed lucra cœlestis patriæ, vestra fraternitas exquirat.* Cùm Archiepiscopo & Regi, qui hoc petierat, pallium mitteret, per Epistolas suas illos excitabat, constringebatque, ut iis malis quæ in regno grassabantur, & de quibus commonefieri se curabat, mederentur. Ejusdem rationis Epistolas cum pallio ad Episcopum Corinthi misit. Epist. 55. Concesserat Mariniano Ravennati Episcopo pallii usum ad Missæ solennia, & quater anno quolibet ad processiones per urbem publicas, ea addita lege, ut hic illum stimulus acueret ad Episcopalium virtutum flagrantius studium. *Ut sicut à nobis hujusmodi decoris usum ad Sacerdotalis officii honorem largiente Domino percepisti; ita etiam morum atque actuum probitate ad Christi gloriam susceptum adornare contendas officium.* Epist. 54. L. 5. Ep. 18. Ita etiam ille ad Episcopum Syracusanum. L. 7. Ep. 5. Cùm autem Brunechildis Reginæ precibus adductus est, ut Siagrio Augustodunensi pallium concederet, eandem illi disciplinæ puritatem revocandam inculcavit. L. 7. Ep. 113. Ita enim ille ad Siagrium: *Pallii te usu prævidimus honorandum, quod tamen ita tibi dandum esse decrevimus, si priùs per Synodi definitionem emendari promiseris, quæ corrigenda mandavimus.* Ubi non sacramentum quidem, sed ejusdem rei promissionem exigi perspicis à Gregorio. Quòd si promissione non contentus, exegisset sacramentum, quis de zelo tanto, tam justo, tam laudabili jure conqueri posset? Involabant in Episcopales sedes Laici, promercalis erat sanctissima quæque Ecclesiæ dignitas, an malum erat, tanti mali emendationem vel certa promissione, vel etiam jure jurando exigi? Cum Zacharias & Bonifacius obedientiam Decretis Pontificum præstandam jure jurando firmare contendebant, non aliam quàm hujusmodi exigebant obedientiam. Cùm rursum Gregorius Leandro Hispalensi Episcopo pallium mitteret, scribebat eodem tempore L. 7. Ep. 556 ideo de Episcopalibus virtutibus & officiis nihil à

se

se ad eum perscribi, quòd Officiorum & virtutum numeros omnes jam Leander implesset. *Transmisso pallio valde debui qualiter vobis esset vivendum admonere, sed locutionem supprimo, quia verba moribus anteitis.* Ad Salonitanum Episcopum de pallio scri- Epist. 130. bens, ita aiebat: *Hujus indumenti honor, humilitas atque justitia est.* Panormitanum Episcopum pallio donavit, & unà id oneris imposuit, ut & Capiti Ecclesiæ universalis reverentiam dependi curaret, & Canones religiosissimè observari: quæ summa erat omnium Bonifacii & consiliorum & labo- L. 11. Ep. 44. rum. *Illud autem admonemus, ut Apostolicæ sedis reverentia nullius præsumptione turbetur. Tunc enim status membrorum integer manet, si Caput fidei nulla pulset injuria, & Canonum manet incolumis atque intemerata semper authoritas.*

XI. Apparet autem ex Joanne Diacono in vita Gregorii, pallium ab eo jam tempore cœpisse ad L. 4. c. 80. 84. eam formam accedere, in qua modò est. *Pallium ejus bysso candente contextum, nullis acubus perforatum, sic ipsum circa scapulas devolutum, non autem confixum, sicut vetustissimis musivis, vel picturis ostenditur.* Alcuinus Alcuin. l. de div. Offic. id confirmat, ubi pallium componit cum Rationali Grat. d. 100. c. 1. Aaronis, *Pro Rationali nunc.* In refellenda verò Pelagii Papæ Decretali illa, quam profert Gratianus, quamque Damaso tribuunt Burchardus & Anselmus, Epistola immorari nolui. Satis enim superque duobus hisce capitibus ea refellitur & supposititia demonstratur.

---

## CAPUT LVI. *P. 3. L. 1. c. 24.*

## De Pallio Latinorum & Græcorum sub Imperio Caroli Magni.

*I. In Oriente penes omnes Episcopos non fuisse jus utendi Pallii, argumenta ex VIII. Synodo Oecumenica.*

*II. Nova ex eo argumenta, quod Imperatorii genus ornamenti fuisset Pallium, Papa primò, inde & Patriarchis communicatum.*

*III. IV. Probationes aliæ ex Luitprando & Gregorio Papa.*

*V. Aliqua observantur ad concilianda ea, quæ conflictari in speciem videntur.*

*VI. Postquam capta est à Latinis Constantinopolis, statutum est, ut Patriarchæ Pallium à Papa acciperent.*

*VII. Cùm sacra dignitatis ea esset investitura, æquius erat & religiosius ea à Pontifice, quàm ab Imperatore donari.*

*VIII. Confutatur eorum opinio, qui in VIII. Synodo novum Metropolitis jugum impactum fuisse suspicantur, lege lata ut Pallium peterent, & sacramento se Romano Pontifici obligarent.*

*IX. X. Novis argumentis exploditur ea suspicio. Quàm solliciti essent Imperatores, Reges, Metropolitani, Episcopi, ut à Pontifice Pallium impetrarent.*

*XI. Episcopi ipsi nihil non tentarunt, ut Pallii honorem consequerentur, quæ in re infestos experti sunt Metropolitanos.*

*XII. Forma Pallii, & quibus privilegiis muniretur.*

I. Diximus capite superiori viros doctissimos eam amplexatos esse sententiam, Græcis Episcopis omnibus prorsus communicatum fuisse pallium, eoque donari solitos fuisse illos illo ipso tempore quo ordinabantur. Suis ea doctrina fulcitur munimentis, sed & validis nihilominus machinis oppugnatur à viris doctrina præstantissimis. Jubet enim VIII. Generalis Synodus, ut sarta tectaque serventur Patriarchis potestas antiquissima, qua pollent hactenus, convocandi ad Concilia sua Metropolitanos omnes quos ordinant, vel quo- Can. 17. rum ordinationem misso pallio confirmant. *Hæc Synodus tam in seniori & nova Roma, quàm in Sede Antiochia & Hierosolymorum priscam consuetudinem decernit in omnibus conservari, ita ut earum Præsules universorum Metropolitanorum qui ab ipsis promoventur, & sive per manus impositionem, sive per pallii dationem Episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant potestatem ad convocandum eos ad Synodalem conventum.* Ex his Synodi verbis inferri posse videtur, æquè in Ecclesia Græca atque in Latina jus utendi pallii ad solos manasse Metropolitas, qui eo à Patriarchis vel præsentibus dato, vel misso absentibus, sacra dignitate sua quodammodo investiebantur. An veri enim simile est, Patriarcham non alio investisse Metropolitanos suæ ditionis, quàm eo insigni, quod Episcopos inter omnes commune & promiscuum esset?

Idem evincitur ex alio ejusdem Concilii Cano- Can. 27. ne, quo prohibentur Episcopi, qui pallio donati sunt, eo uti extra illa vel loca vel tempora, quibus circumscriptus est usus ejus. *Ita ut Episcopi, quibus concessum est Palliis uti certis temporibus, in eisdem temporibus & locis iis induantur.* Non ergo Episcopis omnibus fas erat uti pallio. Siquibus autem minùs firma videatur hæc argumentatio: at ii saltem facilè nobis assentientur, si Episcopis omnibus in commune licuisset uti pallio, velut indumento suæ dignitatis proprio, quo in ipsa sui consecratione ornati fuissent: nunquam ejus usum ad certos dies & certa Liturgiæ tempora revocandum fuisse. Nec Presbyteri ulla, nec Diaconi ligantur lege temporum vel locorum, nullis arctantur ejusmodi angustiis in usu concessæ sibi casulæ dum ordinantur, vel stolæ. Eccur Episcoporum privilegia strictiori gyro conclusa fuissent?

II. Si Pallium ab ipsa sui origine Imperatorius ornatus est, quo decorati à Principibus primò sunt Patriarchæ, qui & ab iisdem Cæsaribus eo donari Metropolitanos primùm insigniores, deinde omnes impetravere, ut suprà ostensum est: indubium liquidumque est, in eo privilegio cum Metropolitanis communicando, potuisse aliquos præscribi dierum locorumque limites, cùm in ejus usu omnis limitis impatientes sint Patriarchæ. Nec enim arctatur usquam usus ejus ornamenti, quod cujusque dignitati quasi adnatum propriumque est.

Cùm Metropolitani, de quibus agitur in hoc Canone, à Provinciæ suæ Episcopis ordinarentur, quæro an pallio tunc donati fuissent in ipsa sui ordinatione? Si dicas donatos fuisse, urgebo, ecquid ergo attinebat alio donari pallio à Patriarcha, dum ab eo confirmarentur? Aut qui confirmarentur eo insigni collato vel misso, quod non Metropolitanis tantùm, sed & Episcopis esset commune? At verò si Metropolitani cùm à suæ Provinciæ Episcopis ordinabantur, nullo donabantur pallio: qui fieri potuit, ut in sui consecratione pallio donarentur Episcopi, non donarentur Metropolitani?

III. Fides saltem adjicietur Luitprando, viro cum primis docto, & oculato eorum testi, quæ in Græcia gerebantur, quò Legatus missus est. At refert ille Theophylactum Patriarcham Constantinopolitanum sibi suisque successoribus impetrasse à Papa facultatem utendi pallii, non expectata Romani Pontificis licentia, ex quo manavit illud novum, ut omnes Orientis Episcopi palliis uterentur: *Tum ipse, tum successores ejus absque Paparum* An. 935. apud Baronium. *permissu palliis uterentur. Ex quo turpi commercio mos inolevit, ut non solùm Patriarchæ, sed etiam Episcopi totius Græciæ palliis uterentur.* Non ergo ante id tempus Græci omnes Episcopi pallium usurpaverant.

IV. Fregit Gregorius Magnus insolentiores conatus Episcopi Ravennatis, qui præter morem receptissimum, etiam extra Ecclesiam publicis Litaniarum Processionibus pallium suum circumferebat: eique velut repagulum objecit consuetudinem Ecclesiæ Orientalis, ubi ne ii quidem Metropolitæ, quibus triginta vel quadraginta parerent Episcopi, [L. 4. Ep. 15.] ea potestate tam latè abutebantur. *Qui sub se etiam tricenos & quadragenos Episcopos habent.* Solos in exemplum objicit Gregorius Metropolitanos, nec in usu pallii Græcorum exemplo uti refugit, gnarus utrobique, in Oriente & Occidente eosdem [L. 4. Ep. 55. 56.] mores, easdem leges vigere. Idem ipse Pontifex [L. 5. Ep. 7.] pallium misit Metropolitanis Græciæ, Patriarchali suæ ditioni obnoxiis, ut Metropolitano primæ Justinianæ, Corinthi, Nicopolis eadem prorsus ratione, qua Metropolis Latinis. Nisi Metropolitæ & Episcopi Orientales eisdem legibus constricti fuissent, non tam facilè eis obtemperassent, quicumque Græco Imperio & Romano tamen suberant Patriarchatui. An verò Episcopi Græci Romano Patriarchæ obnoxii, facilè tandiu passi essent eo se fraudari ornamento, quo cæteri omnes Græci & Orientales gauderent Episcopi? Qui verò tam parci fuissent & difficiles Romani Pontifices in usu pallii concedendo, & solis concedendo Metropolitis & multis Regum precibus exorati, si id erat promiscuum Episcoporum omnium Græcorum decus? An Pontifices quò suos in Occidente Legatos & Vicarios Apostolicos insignirent veste aliqua sacra, eximia, inusitata, inconcessa, eam ad id elegissent, quæ Græcis Episcopis omnibus usitatissima esset? An denique favore & suffragio Imperatorum ipso opus fuisset, ut insignibus quibusdam Metropolitis nostris is ornatus concederetur, quo nullus non uteretur apud Græcos Episcopus?

V. Propè ergo à vero abest, 1. Episcopis Græcis ab exordio fuisse pallium, seu cappam casulamque Episcopalem, qua à Presbyteris Diaconisque discernerentur, ejus nempe vel forma, vel nitore & sumptu. De eo autem vulgari pallio Episcoporum interpretanda esse loca, quæ suprà objiciebantur: illud esse *ὠμοφόριον*, *superhumerale* id Balsamonem diligenter distinguere à *polystaurio*, *φαινόλιον τῶν πολυσταυρίων*; & utrique suas privatim orationes, significationesque mysticas ab eo adsignari, alias ab aliis longè diversas; ita ut polystaurio gloria & triumphos crucis demonstretur. 2. Ab illo vulgari Episcoporum longè aliud fuisse polystaurium, nempe quod solis constaret loris, colloque circumdaretur instar torquis, & pallio priori seu Episcopali casulæ superponeretur, instar habens earum fasciarum quæ *lora & segmenta* dicebantur, quibus & ipsi ornabantur Imperatores, & quorum participem facit Constantinus Romanum Pontificem in decantata illa Donatione. Posterius porro istud pallium, soli primùm Papæ usitatum fuit & Patriarchis, lapsu temporis effusum est & in præcellentiores quosdam Metropolitas, quibus Papa vices suas delegaret, non in Occidente tantùm, sed & in Oriente: eo tamen discrimine interposito, quòd eo Pontifex & Patriarchæ nullis loci temporisque limitibus arctati uterentur, cùm ejus usus Metropolitanis angustis valde terminis circumscriberetur. Quin & illud [Iuris Orien. To. 1. p. 447] contendit Balsamon, Patriarchas dignitatis suæ insignia prorsus omnia circumgestare ubique locorum posse, etiam extra Patriarchatûs sui fines, etiam Constantinopoli, ut qui omnes in unum Ecclesiæ caput coalescant. 3. Postquam autem polystaurium, seu crucibus variegatum pallium Metropolitanis omnibus in Occidente concessum fuit: immo & indultum Episcopis quibusdam, & tantumnon ab omnibus illis invadendum, nisi strenuè restitissent summi Pontifices, ut infrà dicetur: tum Episcopi quoque Græci omnes pallium usurparunt, impetrata vel extorta, aut saltem simulata Papæ consensione. Hac distinctione rerum temporumque & locorum adhibita, pax, ut spero, & concordia non ægrè constabit antedictis omnibus, quæ alicubi in speciem collidebantur. His posterioribus argumentis plus inesse videtur ponderis, quàm quæ superiùs pro contraria sententia congesta fuerant. Id elaboravi in totius hujus operis Præfatione, ut Lectori approbarem hanc quandoque fluctuationem meam, ubi alternant & res ipsæ, nec certi satis quidquam vel inconcussi occurrit. Tutius consultiusque non rarò est suspendi quàm præcipitari sententiam.

VI. Postquam sub Innocentio III. Latini Constantinopolitanam urbem & Orientale Imperium suæ subjecere potestati, statutum est in Concilio Lateranensi IV. sub eodem Pontifice anno 1215. ut deinceps Patriarchæ Orientales pallio donarentur à Pontifice, eoque deinceps ipsi obnoxios sibi Suffraganeos impertirent. *Postquam à Romano Pontifice receperint pallium, licenter & ipsi suis Suffraganeis largiantur.* Itaque victores Latini non magis Imperio quàm legibus suis Orientales subjecere, & iis potissimum legibus, quibus connexio membrorum Ecclesiæ cum Capite cœlitus instituto constabiliebatur. Antè enim Patriarchas Græcos pallio ornabat vel consecrator ipsorum Episcopus, vel Imperator. Ex Liberato id jam depromsimus, novum Alexandriæ Patriarcham post celebratas prædecessoris sui exequias, pallium beati Marci capiti suo superposuisse, aut circumdedisse collo, & tum in Marci sedem conscendisse: *Accipere collo suo beati Marci Pallium; & sic sedere.* Itemque Anthimum Constantinopolitanum Patriarcham ab Agapeto Papa exauthoratum, pallium reddidisse Imperatori, & ita discessisse. *Videns se sede pulsum, Pallium Imperatoribus reddidit, & discessit.* [Cap. 21.] Simile veri est, ei *reddidisse*, à quo acceperat. Per litteras Imperatorem interpellavit Gregorius Magnus, ut Anastasium Patriarcham Antiochenum, quem Antiochiæ consistere vetabat, Romæ sedere pateretur *concesso usu pallii.* [L. 1. Ep. 17.] In Imperatoris ergo potestate & arbitrio erat, quandiu & ubi Patriarchæ ipsi pallio uterentur. Quod minùs absonum erat, si eo ab ipso Imperatore donabantur. Non replicabo tot documenta alia, quibus comprobatum jam est, tum pallium à Papa quammultis fuisse collatum in Occidente, cùm assensus esset Imperator. Ergo in Oriente id Imperatorum magis quàm Pontificum donum fuerat.

VII. In confesso tamen est, si pallium ab Imperatoribus susceptum est eo tempore, quo complures sacræ Sacerdotalesque vestes à laïcis & civilibus nondum satis secernebantur: [An. 780. Can. 17.] multò magis consentaneum, adeoque & necessarium fuisse, ut postquam eæ vestes prorsus sacræ fuerunt, usuique civili subductæ sunt, tunc demum eæ à Pontifice potiùs, vel à Patriarchis, quàm ab Imperatore distributæ fuerint. Si illud autem ita ut par est animo suo infixerint Præsules, tum Pontifices in rebus sacris, tum Reges & Imperatores in civilibus, summi Imperatoris Dei, summique Pontificis Christi in terris esse Vicarios: non minùs honorificum &

magis decorum existimabunt, hæc Pontificatûs insignia à summis Pontificibus, quàm à terrenis Principibus accepisse.

VIII. Visum quibusdam est in VIII. demum hac Synodo conflatum esse illud ferreum necessitatis vinculum, quo tenentur Metropolitæ à Papa petere & expectare pallium, obedientiamque profiteri, quod prioribus sæculis inauditum inusitatumq;
Ann. 870. fuerat. At non satis firma sunt hujus opinationis ar-
Can. 17. gumenta. 1. Nec enim hoc Canone præcipitur Metropolitanis, ut pallium postulent: sed tantùm ut Patriarchæ Concilio se sistant Metropolitæ, à quo vel ordinati sunt non sine largitione pallii, vel misso pallio confirmati. Ergo nihil hîc novi juris conditur, sed receptæ consuetudini novum robur accedit. 2. Id ipsum conceptis verbis profitetur Synodus, inolitam jamdiu consuetudinem à se confirmari, tantùm i *antiquam consuetudinem jubet servari*. 3. Hoc canone eadem Patriarchis aliis confertur aut adseritur potestas in ditionis suæ Me-
Ann. 742. tropolitas, quæ Papæ in suos. Ecquid ergo invidiosum hîc est? *Tam in Seniori & Nova Roma, quam in sede Antiochia.* 4. Qui hinc invidiam faciunt octavæ Synodo, illi ipsi non inficiantur hanc eandem obedientiæ professionem à Legato Bonifacio centum antè & viginti annis invectam constitutamque fuisse in Concilio Gallicano. Quod à centum ampliùs annis in Gallicana receptum erat Ecclesia, quorsum in Constantinopolitano hoc Concilio rursum statui curassent? An Latinis proniores fuissent Græci ad hæc nova potestatis incrementa Apostolicæ Romanæ sedi concedenda? 5. Hæc obedientia ad Canones revincta erat: *Per omnia, præcepta Petri canonicè sequi.* Et Bonifacii ipsius Legati professio obedientiæ Pontificibus præstandæ ad Canones religata fuerat: *Sicut prædecessorum vestrorum pro authoritate sancti Petri servi devoti, & subditi, obedientes & subditi sub jure Canonico.* Atqui nec nova servitus, nec servitus omnino est, Canonibus obsequi. Nova erat professio, sed necessaria medicina temperata ei malo procurando, quo Clodovæi Magni Prosapia, unàque sanctissima Ecclesiæ disciplina profligata fuerat. 6. Non paucis, nec illaudatis visum est Gallicanam libertatem eo maximè contineri, ut priscis Canonibus obtemperetur. An indidem oritur nunc libertas, aliàs servitus? 7. Non ita morigeros se Galli præstiterant Synodi VII. statutis, ut Romani Præsules hinc augurari possent, VIII. Synodi authoritate eos expugnatum & oppressum iri. Et sanè nec Decretum VII. Synodi de sacrarum Imaginum cultu, in VIII. Synodo confirmatum: nec cætera omnia VIII. Synodi Decreta publicari & convalescere in Gallia potuere, nisi multo pòst tempore. Minimè ergo huic VIII. Synodo affingi debuit hæc nova obedientiæ professionis institutio.

IX. Aspergetur aliquid novæ lucis iis omnibus, quæ disputata sunt hactenus de pallio, si animo revolvamus ea quæ sparsim de eo relata sint in Conciliis, & in Actis Ecclesiæ Gallicanæ. Misit Adrianus Papa I. pallium Tilpino Remensi Archiepisco-
Ann. 772. po, interpellatus ab ipso Carolo Magno: ut om-
Flodoar. l. 2. c. 17. nia illi rata faceret Metropoleos suæ jura. *Ad petitionem Regis Caroli, pallium secundùm consuetudinem tibi transmisimus, cum privilegio ut Metropolis Ecclesia Remensis in suo statu maneret, &c. Neque aliquis suas Parochias aut Ecclesias vel civitates subtrahere audeat.* Metropoliticæ ergo dignitatis quasi cumulus, aut sigillum erat pallium, cui conjunctum & id erat, ut ne posset quis decretorio percelli judicio & damnari, nisi interposita Romani Pontificis authoritate. *Et te aut futuris temporibus Remensem Episcopum & Primatem illius Diœcesis non præsumat, neque valeat aliquis unquam de Episcopatu dejicere sine canonico judicio, & neque ullo judicio, sine consensu Romani Pontificis, si ad hanc sanctam Sedem Romanam, quæ caput esse dignoscitur orbis terræ, appellaverit in ipso judicio; sed in sola subjectione Romani Pontificis permanens, Diœcesin & Parochiam Remensem nostra atque B. Petri fultus in ista sancta Sede authoritate, secundùm sanctos Canones & hujus sanctæ Sedis præceptiones ita studeas gubernare, &c.* Hæc ergo Romano Pontifici præstanda obedientia & subjectio adeo non servitus erat, ut privilegii potiùs loco esset, quod ambirent cum pallio Metropolitani; hæc Metropoliticæ authoritatis munimentum erat, Apostolicæ ipsi Petræ innixum; hæc immunitas erat à quacumque alia spiritali ditione, quàm Papæ: hæc prærogativa, qua unius Papæ summo quis subesset judicio; hæc denique summa quædam potestatis exaggeratio erat, ut posset Metropolita secundùm canonicas leges Provinciam suam administrare. Porro eodem tempore idem Pontifex Tilpino id oneris imposuit, ut in vitam & mores inquireret Lulli Moguntini Archiepiscopi, ut ei quoque post editam fidei Catholicæ confessionem pallium mitteretur. *Ut si aptus fuerit, manu sua subscriptam Catholicam & orthodoxam fidem per Missos suos, cum litteris ac testimonio tuo, seu aliorum Episcoporum, quos tecum esse mandavimus, ad nos dirigat, ut Pallium illi secundùm consuetudinem transmittamus.* Non ergo aliud tum Pontifex à pallio donandis exigebat, quàm fidei confessionem, præmissa tamen vitæ & morum inquisitione, per circumpositos Episcopos ad id delegatos facienda.

Nec aliam rationem secutus est idem Pontifex, cùm Ermenberto Bituricensi Archiepiscopo pallium largitus est anno 786. 1. Precibus obsecutus est Ca- Conc. Gall.
roli Magni: *Pro nimio vestro regali ex intimo cordis* To. 2 pag.
*amore.* 2. Illam Ecclesiam uni Romanæ subjecit: *Sub* 73. 75. 115.
*jure S. Romanæ Ecclesiæ degenti.* 3. Ut ea Ecclesia convenienter canonicis institutis regeretur. *Ut ministerium sibi commissum dignè valeat & canonicè dispensare.*

Egiloni Senonensi Archiepiscopo pallium concessit Nicolaus I. interpellante Rege Carolo Calvo, quem obtestatus est Pontifex, ut Bituricensi aliisque Ecclesiis regni omnibus redintegrarentur, quæ expilata avectaque fuerant, dum diutina furerent
bella. *Unde & Pallium secundùm consuetudinem uten-* Conc. Gall.
*dum ei secundùm postulationem vestram direximus.* Su- Tom. 3. pag.
per eadem ipsa re ad Egilonem Archiepiscopum 273. 274.
scribens, unam vehementissimè inculcat Canonum observantiam accuratissimam.

Concilium Trecense, cui aderant sex Archiepiscopi, Episcopique complures Præside Hincmaro Remensi, apud eundem Pontificem preces suas interposuit, quibus & suas ipse Carolus Rex adjunxit, pro Vulfado Bituricensi Archiepiscopo, ut pallio donaretur. *Ut fidelissimum servum vestrum Vulfadum Pallio Apostolicæ authoritatis exornando decoretis, & decorando confirmetis.* Adrianus II. qui Nicolao
interim successerat, pallium ipse concessit: *Postu-* Ibid. c. 365.
*lantibus vobis, ut Vulfadus pallii usu more decessorum* 367. 369.
*suorum, nostræ authoritatis largitione decorari potuisset,* 370.
*merito condescensionis aures accommodavimus.*

Idem ipse autem Adrianus II. desolatæ & funditus eversæ à Normannis Ecclesiæ Nannetensis certior factus, ad Regem & Episcopos scripsit

Concilii Suessionensis, ut alia donaretur Episcopalis vel Metropolitica Sedes, siqua vacaret, Actardo Nannetensi Episcopo, ad quem & pallium deferendum misit, justissimam tot exiliorum totque carcerum mercedem & vinculorum, quæ pro Ecclesiæ fide pertulerat; monens tamen hoc pallii decus personæ ejus, non Ecclesiæ, quam demumcumque assecutus esset, adhæsurum. *Quod non aliter illi, nec cuilibet absque Metropolitis concederemus, nisi multoties hunc exilia, mare, vincula passum, etiam ad capitalem sententiam frequenter tractum fuisse comperissemus, &c. Vt pro exilio & catena, pallii ornamenta, non ad Ecclesiæ, cui incardinandus est, perpetuum institutum, sed ad suum specialem certique temporis usum.* Huic pallio illud idem quod & cæteris conjunctum erat privilegium, ne ullius nisi summi Pontificis subjiceretur judicio, qui eo decorabatur. *Vt nullus Metropolitanorum Antistitum, seu cæterorum Episcoporum, in controversia criminis, si sedem appellaveris Apostolicam, vel ejus speciali expetieris audiri, vel discuti fortassis examine, præsumat de te proferre, non nostro præmisso decreto judicium, sed Apostolicæ sedis tantùm reserveris examinandus incunctanter arbitrio; cujus videlicet decreto vel largitate vacanti Ecclesiæ incardinatus, vel palliatus esse dignosceris.*

*Ibid. pag. 434.* X. Adalgarium Episcopum Augustodunensem pallio imperrivit Joannes VIII. Caroli Calvi Regiis precibus id donans: *Quem vestri amoris causa, ipsiusque morum probitate moti, palliatum ad vos remittimus.* Facilè adducor, ut credam Metropolitani potestati subductum tunc non fuisse Augustodunensem, uti nec Siagrium olim à Gregorio Magno, cùm pallio & ipse donatus est. Itaque peculiaris & eximia illa fuit in Actardum indulgentia, cùm à Metropolitani authoritate absolutus est. *Ann. 883. Ibid. pag. 520.* Villiberto Archiepiscopo Coloniensi tandiu pallium mittere distulit Joannes idem VIII. donec ab eo fidei confessionem recepisset, ubi & mentio haberetur Conciliorum universalium, & Decretorum Romanæ sedis Pontificum: donec *Decretalium Pontificum Romanorum secundùm morem feceris mentionem.*

Cùm obliquis rumoribus sparsum esset de Hincmaro, quòd aliis diebus gestaret pallium, quàm quibus jure fas erat: hanc ut abstergeret calumniam, ad Nicolaum I. scripsit, vix alio quoquam die illud à se gestari, quàm Natalis Christi & Paschæ, quòd aliis temporibus quibus eo uti fas est, Ecclesiæ & Regni negotia ipsum ab Ecclesiæ suæ sinu divellerent; postulatum à se pallium, ut genium Metropoliticæ dignitatis, non ut superbiendi ansam: *Non enim usum pallii esse mea dignitatis puto, sed genii sedis Metropolis esse cognosco.* Si autem pallio emineret supra reliquos Provinciæ Episcopos, se sibi tamen esse conscium, non eo aut alio ejusmodi, sed virtutum & sanctimoniæ apice eminere, id verò luculentum, id magni, id plurimi faciendum esse. *Vt si excellentiorem cæteris Remorum Provinciæ sedibus Metropolim sedem pallii usus demonstrat in oculis hominum; non tamen majorem me facit in oculis Domini.*

Posset tamen suspiciosus aliquis parum fidei habere huic Hincmari responsioni. Author quippe idoneus est Flodoardus, interpositam aliàs ab eo fuisse Lotharii Imperatoris authoritatem, ut à Leone IV. facultatem extunderet utendi singulis diebus pallii; id verò à Pontifice concessum ita esse, ut contestaretur, nihil istiusmodi quemquam hactenus impetravisse, nec posthac impetraturum. *Flodoard. L. 3. c. 10.* *Per interventionem Imperatoris pallium ad quotidianum suscepit usum à Leone IV. Papa, à quo jam aliud perceperat in designatis sibi solemnitatibus debitè fruendum. Quem quotidianum pallii usum nulli unquam Archiepiscopo se concessisse, vel deinceps concessurum esse idem Papa in Epistola tunc ad eum directa testatur.* Hujus forsan pallii ad singulos dies collationem Nicolaus I. vel improbabat, vel in dubium vocabat.

XI. Si anhelaverat Metropolita Hincmarus ad Patriarchalem prærogativam utendi quotidie pallii, aspirarunt & aliquando Episcopi ad Metropolitanorum honores, ex pallii impartitione. Molestè id tulit Fulco Remensis Archiepiscopus, qui & ad Formosum Papam per Epistolas conquestus est de Episcoporum ambitiosis molitionibus, qui Metropoliticæ jurisdictionis jugum excutere conabantur, quo non poterat non extrema pernicies Ecclesiasticæ importari disciplinæ. Illud denique etiam atque etiam orabat Fulco Pontificem, ut ne quid novi, nequid inusitati Episcopis concederet, nisi consultis & consentientibus Metropolitanis, qui tam justis causis in hanc rem studia sua omnia contulerunt. *Subnectit de quibusdam Episcopis Galliarum, qui sibi pallium indebitè à Romana poscebant sede, Metropolitanos suos tali spernentes tenore; asserens quod res eadem, nisi prudenti præcauta foret sollicitudine, confusionem non mediocrem generaret Ecclesiæ, magnumque charitati dispendium valeret inferre, unde tam se quàm omnem precari dicit Ecclesiam, ne citò alicujus irrationabili petitioni sine generali assensu & litteris consentiat. Ne per hoc Ecclesiasticæ dignitatis honor vilescere incipiat, si res indebita, quæ temerè affectatur, inconsultè tradatur.* *Flodoard. L. 3. c. 2.*

Porro Fulco hic ipse Caroli Crassi Imperatoris gratia & authoritate apud Pontificem egit, ut pallio ab eo impertiretur, cùm confirmatione privilegiorum juriumque omnium Remensis Metropolis. *Scripsit & ad eundem Imperatorem pro percipiendo à sede Romana pallio, roborandisque datis olim à Romanis Pontificibus Ecclesiæ Remensi privilegiis.* *L. 3. c. 5.* Carlomanus Rex Ludovici filius, Germaniæ Regis, Archiepiscopo Theomaro pallium impetravit à Joanne VIII. Papa: *Pallium vestra petitione inclinati, consuetudinaliter dirigentes Theomaro Archiepiscopo.* *Ioan. VIII. Epist. 63.* Facilè conjicitur Otthonem Imperatorem partes suas apud Pontificem interposuisse, ut pallium concederetur Archiepiscopo Coloniensi, cui & in hæc verba hilariùs jocosiúsque rescribebat: *Ottho Imperator Augustus, Hereberto Archilogotheta gratiam & Coloniam, & pallii cubitum unum.* *Surius in vita sancti Heriberti Mart. die 16. c. 7.* Quibus verbis allusit Cæsar ad Archicancellariatum, Coloniensi sedi illigatum, & ad pallii formam. Sanctus Bruno Coloniensis Archiepiscopus pallium & ipse impetravit, ea singulari & penè inconcessa cum prærogativa, ut eo toties uteretur, quoties ex re esse ipse existimaret. Certè ita affirmat ejus vitæ Scriptor: *Legatus Roma rediit, portans sacrum habitum, ab universali Pontifice missum, prætendentem jugum Domini suave, & onus ejus leve, & ipsum quod sub eo dispensatur, humile ministerium, quod verba Domini testantur, dicentis, Qui major est vestrûm, erit minister vester, & privilegium Apostolicæ sublimitatis authoritate traditum; quo & eodem pallio præter consuetudinem Sacerdos Domini, quoties vellet, indui permissus, &c.* *Apud Sur. die 11. Oct. c. 23.* Denique Dunstanus Cantuariensis Episcopus Romam perrexit, pallium petiturus ipse, quod & accepit, effusa simul in ipsum Apostolicæ authoritatis derivatione quadam; Legatione quippe sedis Apostolicæ in Angliam universam decoratus est. Unde & *Stola Apostolatûs* dicitur pallium non inscitè à Scriptore ejus vitæ.

Apud Sur. die 19 Maii n. 29. *Stola Apostolatûs pro qua venerat, decentissime illum decoravit. Sicque delegata ei Legatione Apostolicæ sedis, &c.*

Theodulphus Aurelianensis Episcopus Ludovici Pii Imperatoris jussu, Stephano Papæ in Gallias advenienti obvius prodiit cum Archiepiscopis Coloniensi & Arelatensi. Ibi satis probabiliter creditur à Pontifice pallium ei collatum fuisse, sicut his ille versibus testatum fecit: *Solius illud opus Romani Præsulis extat, cujus ego accepi pallia sancta manu.* Hinc non paucis Imperatoris Pii chartis Theodulphus Archiepiscopus appellatur. Jam suprà monuimus, dum de Metropolitanis dissereremus, Galonem Metensem Episcopum pallii honore & ipsum donatum fuisse, cùm ante ipsum quatuor jam Metenses Episcopi hoc ipsum idem decus consecuti essent ab Apostolica sede. Primus fuerat Urbicius, Crodegangus Pipini Regis ex sorore nepos secundus, Aogilramnus tertius, quartus denique Drogo Caroli Magni filius. Hinc Metenses Episcopi Archiepiscoporum nomen persæpè usurparunt. Exarsit in Galonem Bertolfus Treverensis Archiepiscopus, nec deferbuit ejus indignatio, nisi postquam pallium abdicavit Galo. Quo Bertolphi facto audaci facilè suademur, prædecessores quoque ejus ne excandescerent in suffraganeos suos pallium ambientes, una deterritos fuisse Principum Regumque authoritate.

L. 4. Car. 3. | Le Cointe. Anno 818. n. 20. | Spicil. Tom. 12. pag. 215.

Ex his autem exemplis illud rursus emergit, à veri similitudine prorsus abhorrere, ut prima omnium Synodus Oecumenica VIII. necessitatem Metropolitis inflixerit, & postulandi pallii, & profitendæ Pontifici subjectionis. Nam 1. si Imperatores ipsi & Reges jamdiu certabant ut à Pontifice pallium quibusdam impetrarent: ecquid opus erat ut VIII. Synodus præciperet illud à Metropolitanis omnibus flagitari? 2. Si post VIII. Synodi tempora similiter Imperatores & Reges omni vitium contentione enixi sunt, ut pallia suis Præsulibus impetrarent, ut modò ostensum est, non erat ergo cur Generalis Syondus Decretis suis urgeret Præsules ad pallii postulationem. 3. Metropolitani ipsi, ut qui gratia florerent apud summos Principes, eorum precibus & authoritate eblandiebantur, vel extorquebant pallia à Pontifice. Minimè ergo opus fuerat præcepti & necessitatis vinculo ad petendum pallium eos constringi. 4. Ecquid autem tam morosos & difficiles se præbebant Pontifices, ut Regum preces interponendæ essent, si id ipsimet per VIII. Synodum præcipi curaverant, ut pallium à Metropolitis postularetur? 5. An summi Principes tantis ambiissent precibus ornatum, vel potiùs vinculum, quo regni sui Antistites servitute quadam nova summo Pontifici astringerentur? 6. Nec pallio tantùm clarescere affectabant Metropolitæ, sed & frequentiori, quàm alii, immo pallii quotidiano usu. Qui ita comparati erant, non necesse erat eos impelli præcepto synodico ad flagitandum pallium. 7. Captabant & ipsi Episcopi ansas aliquas, quibus ad pallii decus venire possent. Non alieni ergo, ac ne tepidi quidem erant Metropolitæ in pallii prosecutione, cujus cupiditate etiam Episcopi flagrabant. 8. Rara, aut nulla superiùs exempla obvia habuimus hujus professionis, cùm tot à Pontificibus pallia, vel præsentibus data sint, vel absentibus missa. 9. Postremò non fefellisset Hincmarum hæc nova, si qua usquam fuisset, servitus, non siluisset ille, non acquievisset. Non denique altiùs se ipse in ea vincula induere concupisset, postulato usu pallii quotidiano. Quis enim Hincmarum, novæ servitutis patronum, novique sub Pontifice jugi vel authorem, vel fautorem esse potuisse suspicabitur?

XII. Duæ supersunt non aspernandæ observationes. Altera est de forma pallii, quam his verbis suprà Otto Imperator insinuabat, *Pallii cubitum unum.* Nec enim pallium Imperatorium integrum mittebatur, sed segmentum ejus tantùm, lora & cruces, quæ proprio particularium Ecclesiarum & Episcoporum pallio seu casulæ elegantiori adaptabantur. Id firmatur ex iis quæ jam Alcuinus de pallio dixit, *Pallium Archiepiscoporum super omnia indumenta est, ut lamina in fronte Pontificis.* Instar laminæ ergo aptabatur casulæ pallium. Rursus ex eodem instar torquis collo circumdabatur: *Pallium significat torquem, quem solebant legitimè certantes accipere.* L. de Divin. Offic.

Altera observatio istiusmodi est. Cùm pallium primùm Romanus tantùm Pontifex & Patriarchæ cæteri induerint, argumento id esse, eo eminentissimam quandam authoritatem & præcellentiam supra alios Episcopos designari, tanquam in eis dumtaxat Pontificiæ amplitudinis resideat plenitudo. Cùm cœpere Pontifices Patriarchalis suæ potestatis radios spargere aliquos, in Vicarios nimirum Apostolicos variis in regnis constitutos, quos Metropolitis pluribus vice sua præficiebant; pallio Vicarios istiusmodi Apostolicos exornabant, tanquam insigni potestatis hujus eximiæ in alios quospiam Metropolitanos. Donabant & pallio Metropolitas quosdam alios nulli obnoxios Apostolico Vicario. Ex quo & illud tandem profectum est, ut extinctis his Apostolicis Vicariatibus, pallio tunc ornarentur omnes prorsus Metropolitæ, velut insigni immunitatis ejus, qua nulli suberant præter Pontificem Primati. Hinc flagrans illa Metropolitanorum consequendi pallii cupiditas, ut quo scirent cumulum sacerdotalis & Metropoliticæ potestatis contineri. Hinc & æstuatio Episcoporum quandoque, ut impetrato pallio soli subessent summo Pontifici. Hinc Archiepiscoporum conatus illi inauspicati, eòque rati, ut in usu libero & quotidiano pallii propiùs abessent à Patriarchis. Prorsus ergo à fide historiarum omnium alienum est illud figmentum, cogendos fuisse Metropolitanos, & armandam in eos Generalem Synodum, ut adigerentur ad pallii postulationem. Quanta quanta est historia Annalium & Conciliorum Ecclesiæ contrà nititur contestaturque ex adverso, difficiles, nec facilè exorabiles fuisse Pontifices in concessione pallii; Metropolitas autem ejus cupidissimos, ut & Regum & Imperatorum authoritatem interposuerint, pro ea re quæ tanti sibi esset, & ad authoritatem suam in Episcopos stabiliendam, & ad quamcumque superiorem præterquam Romani Pontificis potestatem à capite suo amoliendam. Has duas observationes Rabanus uno complexus est, eoque brevi contextu: *Super hæc omnia summo Pontifici propter Apostolicam vicem, Pallii honor decernitur; quod genus indumenti crucis signaculum purpureo colore exprimit, ut ipso indutus Pontifex, à tergo & pectore crucem habeat.* L. de Ordine Antiph.



## CAPUT. LVII. *P. 4. l. 1. c. 38.*

### De Pallio post annum Christi millesimum ad hæc usque tempora.

*I. Summa fastigia eorum, quæ hoc elucidanda sunt capite. Negatum Pallium Metropolitæ minùs digno.*

*II. Imperatoriæ vestes Sacerdotio indultæ.*

*III. In ipsa Donatione Constantini fasciæ Pallii à Cappa distinctæ.*

*IV. Quàm vetusta vigeret consuetudo, ut Romam ipsi peterent, Pallium flagitaturi Metropolitani, intra tres menses, saltem intra annum.*

*V. Variæ causæ relaxandi vinculi hujus, vel consuetudinis, vel legis.*

*VI. VII. VIII. Quàm vetusta consuetudine militum sit, ut Metropolitæ abstineant se à Pontificalibus functionibus, donec Pallium acceperint. Id sibi imperarunt Metropolitæ ipsi, Pallii cupiditate flagrantes.*

*IX. Illustratur Epistola Decretalis Innocentii III. in rem istam.*

*X. An Græci omnes Episcopi Pallio uterentur. Decretum ejusdem Innocentii III.*

*XI. Adnotantur rursus aliqua in VIII. Synodum, & in Luitprandum.*

I. NOn pœnitebit & aliqua antedictis elucidamentis accersere ex ultima hac Ecclesiæ senescentis ætate. Retractabitur aliquid de ejus origine. Inde expendetur necessitas Romani itineris ad petendum pallium. Tum recurremus ad necessariam functionum Pontificalium abstinentiam, donec recipiatur Romanum pallium. Ad pallium denique Græcorum revertemur, illud antè contestati, summæ authoritatis, nec disparis & sapientiæ & virtutis in pallio symbolum semper radiasse. Hinc Vuillelmus Malmesburiensis in Gestis Vuillelmi Angliæ debellatoris fidem facit, Malgero Rotomagensi Archiepiscopo constantissimè negatum fuisse à Pontifice pallium, quòd venationi esset addictus, inanibusque expensis aliis res Ecclesiæ dissiparet: *Tota vita pallii usu caruit, quòd negaret sedes Apostolica hujus honoris privilegium homini, qui sacratum negligebat officium.*

An. 1053. II. Leo IX. datæ ad Michaëlem Patriarcham Constantinopolitanum Epistolæ anno 1053. Donationis Constantini famosissimæ fragmentum intexuit, ubi enumerantur vestes Regiæ Regali Christi Sacerdotio concessæ. Iterum verba ipsa hîc intexam: *Deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque phrygium, necnon & superhumerale, videlicet lorum, quod imperiale circumdare assolet collum, verùm etiam & chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam, & omnia Imperialia indumenta conferentes, &c.* Probabili saltem fabulæ, ut doctioribus videtur, fidem astruxit, quæ erat recepta jamdiu consuetudo, ut ornatu hoc regio inter sacra Pontifices uterentur. De mitra jam diximus, idque Regium primò fuisse indumentum ex eo adprobavimus, quòd & Regibus quibusdam à Pontifice concessum sit. Aliquando etiam à Laïcis antè sumpserant & Pontifices eam vestem. Audi ut Rogerius Richardum Angliæ Regem anno 1189. dum inauguraretur, scribat tunica primùm, Dalmaticaque ceu Regiis vestibus indutum fuisse. *Induerunt eum vestimentis Regalibus, primò tunica, deinde Dalmatica.* Fuit ergo harum magnificentiorum quædam reciprocatio vestium inter Pontifices & summos Principes.

III. Sed illud nostra valde interest hîc adverti in præmissis Donationis verbis; diligenter ibi discerni fascias, seu tænias, vel lora, quæ pallii nomine nunc significari usus invaluit: *Lorum quod Imperiale circumdare solet collum*: & cappam, cui aptantur hæc lora, ne umbram quidem pallii alioqui habitura: *& chlamydem purpuream.* Jam olim ergo ante tempora Leonis IX. duæ partes hæ pallii sejungebantur, nec nisi lora ad eos mittebantur Metropolitas, qui dicebantur pallio donari.

IV. Cùm ambitiosorum hominum factionibus scinderetur jamdiu Lugdunensis Ecclesia, indolescens Pontifex ejus ærumnis, referente Glabro, Archiepiscopum ei præfecit D. Odilonem Cluniacensem Abbatem, misso ad eum pallio annuloque. *Mittens pallium simul & annulum, imperavit eundem prædictæ civitati fore Archiepiscopum.* Imparem se tanto oneri professus Odilo, *palliumque & annulum suscipiens, futuro reservavit Pontifici.* Missum est à Pontifice pallium, ut Ecclesiæ laboranti & divexatæ promptiùs opitularetur: illud enim moris erat Romæ dari, totum iter illud emensis. Cùm Lanfrancus in Cantuariensem sedem electus esset, scripsit ad eum Hildebrandus Archidiaconus Romanæ Ecclesiæ, protinus pallium ad eum missum iri, si ullo res ea tunc approbari aut excusari potuisset exemplo: *Si alicui Archiepiscoporum vestris temporibus hoc concessum fuisse vidissemus.* Porro illa eadem Epistola Hildebrandi ad Lanfrancum hoc edocemur, eo consilio institutum fuisse, ut Metropolitæ pallio ornandi Romam se conferrent: quò cum illis inirentur consilia de publicis Ecclesiæ negotiis, & de ipsis maximè Metropolitarum officiis strenuè defungendis. *Unde necessarium nobis videtur, vos Apostolorum limina visitare, quatenus de hoc & cæteris unà nobiscum efficaciùs, quod oportuerit, consulere valeamus, atque statuere.* Romæ à Pontifice Lanfrancus accepit pallium usitatum Archiepiscoporum: sed singulari privilegio Pontifex, Alexander II. is erat, suomet illum induit pallio, in quo solemnia Mysteria celebrabat. Sed multo ante Lanfrancum tempore B. Elphegus Archiepiscopus Cantuariensis Romam petierat pallium petiturus. Ita enim Osbertus in ejus vita: *Cùm iter versùs Romam pro pallio habendo arripere, &c. Accepto à Papa pallio, &c.* Gregorius VII. Episcopum Veronensem monuit, hanc esse antecessorum suorum legem: *Antecessorum nostrorum decrevit authoritas, nisi præsenti personæ pallium non esse concedendum.* Cunctationes Episcopi Rotomagensis & petendi pallii procrastinationes multùm damnavit idem Pontifex: *Non credimus te ignorare quàm districtè Patrum censura in eos judicandum statuerit, qui post consecrationem suam per tres continuos menses Pallium obtinere neglexerint.* Lanfranco suspensionis sententiam intentavit, ni properè Romam pallii causa peteret. Fulbertus Carnutensis Episcopus Archiepiscopum Turonensem hortatus est, ut à ministerii sui functionibus cessaret, si cessaverat ex incuria à petendo pallio.

Petrus Damiani apud Imperatricem Agnetem Henrici II. Imperatoris conjugem, ægrè ferentem quòd Coloniensi Archiepiscopo absenti negaretur pallium, præsenti desponderetur, excusavit perantiquam Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, ut Archiepiscopi Romam pergerent, tanquam ad fontem & originem summæ ejus potestatis sacræ, cujus perfectionem & absolutionem assequi cuperent. *Pontifices ex antiqua traditionis usu ad Apostolorum debent limina properare, & hoc sine quo Metropolitani esse non possunt, signum consummandæ suæ dignitatis accipere.* Nec ambigere tamen quisquam potest, quin

Marginal notes: Ann. 1034. Glaber. L. 5. c. 4. — Epist. 6. inter Epist. Lanfran. — An. 1071. Eadmer. Novor. Vita Lanfr. c. 12. — Ann. 1006. Surius die 19. April. — Greg. VII. L. 1. Ep. 24. L. 9. Ep. 1. 10. — Epist. 48. — L. 7. Ep. 4.

sæpiùs pallium in Provincias Roma missum sit. At respondet eruditissimus idem Cardinalis, id tum fieri potuisse, cum erat in Provincia Legatus Apostolicus, qui non antè pallio Metropolitanos indueret, quàm diligentissimo eos examini subjecisset, accepissetque ab eis professionem indivulsæ suæ ad Sedem Apostolicam unionis. *Legati vice Papæ eos examinabant.* Ita Siagrius Episcopus Augustonensis Apocrisiariu Candidi examen antè subierat, quàm pallium acciperet. *Nisi Candidum qui Apocrisarii fungebatur officio, adiret, sicque accipiens pallium, dignam in Legato suo Romano Pontifici reverentiam exhiberet.* Denique laudat Petrus Damiani Epistolam Damasi Papæ, qui Archiepiscopatûs dignitate Metropolitanos spoliavit, siqui ultra tres menses post ordinationem suam moras necterent, nec professione fidei facta, nec petito palliò: *Papa Damasus hoc decrevit, ut quisquis Metropolitanorum ultra tres menses post ordinationem suam Romano Pontifici fidem suam exponere & Pallium flagitare distulerit, commissa careat dignitate.*

V. Exemplo ipse suo docebit nos Anselmus in Cantuariensi sede Lanfranci successor, quàm necessarius is esset tunc usus ad unitatem Ecclesiæ

Ann. 1094.

tuendam. Cùm enim Angliæ Rex in schismaticas defecisset partes Guiberti Antipapæ adversùs Urbanum II. & molestissimè ferret studere impensissimè Anselmum Urbano, nequaquam adduci poterat, ut illum Romam petendi pallii ergò proficisci

Baron. an. 1095. n. 37.

sineret. *Pro stola sui Archiepiscopatûs eundi Romam ad Papam Urbanum licentiam humiliter petiit.* Rex ipse Romam misit, qui suo nomine pallium peterent: obsecutus est ejus votis Urbanus, ejus demerendi cupidissimus: nudis pedibus, & indumentis fulgens Pontificalibus, illud excepit Anselmus:

Eadm. Novor. L. 2.

*Venienti & sacrum insigne in vase argenteo deferenti, ab Archiepiscopo nudipede, sed sacerdotalibus vestimentis induto occursum.* Ita Eadmerus in Anselmi vita. Qui narrat alibi, cum induisse sibi pallium, non è manibus Regis, sed ab Altari accepium. Eadem ferè omnia colligere est ex Epistolis Anselmi, qui alicubi confitetur, si primo toto Episcopatûs sui anno cessasset & à Romana profectione & à petendo pal-

Ansel. l. 3. Epist. 24. L. 4. Ep. 2.

lio, abdicandum se sacra dignitate fuisse. *Si Metropolitanus sacratus Episcopus per totum primum annum, nec Papam viventem, nec Pallium requiro, justè ab illo honore removendus sum.* Alia autem quadam Epistola sua enixè urget Pontificem, pallium ut mittat Eboracensi Archiepiscopo, qui Romam commeare percuperet, & ibi eo ornari: sed Regis & Principum intercessione prohibebatur.

Avecto ad cœlitum sedes Anselmo, toto quinquennio vacare eam sedem passus est Rex, ut regium in fiscum opulentissimæ Ecclesiæ vacantia reditus inferret. Electus est tandem Radulphus Roffensis seu Rochestrensis Episcopus in Cantuariensem sedem. Ejus Ecclesiæ Clerus ad Paschalem II. Papam litteras dedit officii & pietatis plenissimas, ut confirmaretur à Sede Petri hæc translatio, neque pallium Radulpho mitteretur, cùm tam aperta & inexorabilis necessitas Ecclesiæ immineret, nec Radulpho per invaletudinem liceret in illud iter se

Post Epist. 204. Paschalis II.

conjicere. *Ipsemet tanta corporis imbecillitate gravatur, ut non sine magno periculo sui, & detrimento omnium nostrûm valeat hoc tempore vestigiis vestris se præsentare.* Scripsit & Ivo Carnutensis Episcopus ad eundem Pontificem, illud sanctissime affirmans, statuisse Radulphum itineri se committere, & juxta Canones Apostolorum sacra invisere limina: sed præclaram illam spem amputatam prorsus esse, tum ipsius ingravescente corporis infirmitate, tum Ecclesiæ Anglicanæ miserrima sorte: denique vix posse fingi justiores usquam alias dispensandi causas. *Hic in propria persona Sedem Apostolicam visitare, secundum Majorum instituta deliberavit, sed eum partim corporis debilitas impedivit, partim, &c. Cum aliqua dispensatione subveniatis languenti Ecclesiæ, & propter necessitatem, &c.*

Ann. 1114. Ivo Ep. 150.

Quanquam frequens incurreret dispensandi necessitas, itabant tandem Romam, ubi nulla ejusmodi ingruebat necessitas ad flagitandum pallium. Theobaldus Beccensis Abbas ad Archiepiscopatum Cantuariensem electus anno 1130. Romam ipse profectus est pro pallio. Illud ipsum fuit tempus, quo beatus Malachias Romam commigravit, ut sibi & novæ propterea Metropoli pallium obtineret. *Maximè quod Metropoliticæ sedi deerat adhuc, & defuerat ab initio Pallii usus, quod est plenitudo honoris.* Ita Bernardus in ejus vita. Quin eodem anno Vuillelmus Tyrius fidem facit Archiepiscopos Tyrios venitare ipsosmet Romam solitos ad flagitandum pallium. *More prædecessorum suorum.* Thomas qui perillustri martyrio Cantuariensem Ecclesiam nobilitavit, non is erat qui pallium petiturus proficisceretur, cùm tota animi contentione Episcopales infulas aversaretur & prorsus abnueret. E Monte-Pessulano, ubi tunc versabatur Alexander III. pallium ad eum misit, ita perhibente Joanne Salisberiensi. Ejusdem Alexandri III. Legati pallium in Daniam detulere Archiepiscopo Lundensi, Roschildensi antè Episcopo; attulere & gravissimas minas, & fulmen excommunicationis intentavere, ni unanimi electioni acquiesceret. *O novam & inauditam Curiæ munificentiam! Recusanti Pallium ingestum est, insigneque quod petentibus ægrè præstari potest, repugnanti violenter imprimitur.* Ita Saxo Grammaticus.

Matt. Paris. 1138.

Baron. an. 1162. n. 21.

Baron. an. 1127. n. 91.

Saxo Gram. L. 14.

Ex quibus intelligitur tot objectos hinc inde obices, ne Romam proficisci liceret: tot dispensandi justas causas incurrisse, ut Ecclesiastica illa lex pene exoleverit illis ipsis duobus sæculis, quibus maximè laboratum est ut religiosè observaretur. Certè legis hujus vel consuetudinis origo repetebatur ab Epistola Decretali, quam in Decretum suum Gratianus & Ivo contulerunt, & quam Burchardus & Anselmus Damaso Papæ tribuunt, sicut & Panormia. Romani Correctores Decreti Gratiani hanc annotavere discrepantiam, ut facilè inde conjiciatur hanc potiùs Isidori mercatoris subdititiam esse Chartam. Inde est quod Titulo toto *De usu & authoritate Pallii* in Decretalibus Gregorianis, nec ullo usquam verbulo innuitur necessitas emetiendi Romani itineris ad impetrandum pallium: quanquam ibi expressè doceatur, à Metropolitano non posse mutuo dari vel accipi pallium, suum, vel alterius, nec successori delegari, sed eodem contumulari sepulcro. Perhibet Rogerius Stigandum Metropolitanum Cantuariensem, cùm gradu ejectus est, eo præ cæteris infamatum fuisse, quòd pallium sibi induisset Archiepiscopi Roberti, cujus sedem usurpaverat.

Grat. d. 100.

An. 1070.

VI. Venio ad tertiam partem hujus capitis, quæ molliori pollice tractanda est, nempe ad impositam necessitatem, nec consecrandi Episcopos ante receptum pallium, nec Concilia celebrandi. In responsione ad Bulgaros affirmat Nicolaus Papa, receptissimum eum toto fuisse orbe Christiano morem. *Archiepiscopum Episcopi simul congregati constituant: sanè interim in Throno non sedentem, & præter*

Cap. 73.

*Corpus Christi non consecrantem, priusquam Pallium à sede Romana recipiat: sicut Galliarum omnes & Germania & aliarum regionum Archiepiscopi agere comprobantur.* Insulsissimè diceretur conditam hanc fuisse ab eo Pontifice legem. Quod enim jam olim toto orbe observaretur, enarrat ille, non edicit, non sancit quid observari deberet. Simillimum ergo vero est, Metropolitanos ipsos pallium contemplatos velut insigne plenitudinis & summi apicis potestatis ejus, quæ Metropolitanis propria est, ideoque illud tam flagranti studio prosecutos, ut tandem omnes consecuti sint: sponte abstinuisse Pontificalibus muniis, donec illud recepissent; atque ita ex inolita consuetudine legem sibi ipsos condidisse.

VII. Nec absurdè opinaretur quis, eam consuetudinem ab Oriente in Occidentem influxisse; cùm Oecumenicæ Synodi VIII. verbis innuatur, Metropolitanos omnino omnes suæ dignitatis cumulatissimam plenitudinem jam accepisse, aut ab ipsomet nempe ordinatos Patriarcha, aut pallio ab eo accepto. Can. 17. *Tam in seniore & nova Roma, quàm in Sede Antiochia & Hierosolymorum priscam consuetudinem decernit in omnibus conservari, ita ut earum Præsules Metropolitanorum universorum qui ab ipsis promoventur, & sive per manus impositionem, sive per Pallii dationem, Episcopalis dignitatis accipiunt firmitatem, habeant potestatem, &c.* Cùm Metropolitanos consecrare ita Patriarchæ juris esset, sicut Episcopos Metropolitani: innuitur hoc Canone, Patriarchas Græcos jam satis sibi conscios, quàm non possent omnes suæ ditionis Metropolitas ordinare, pallium ad eos misisse, quos non ordinarent ipsi, velut tesseram & potestatis ejus qui mittebat pallium, & subjectionis ejus qui recipiebat. In Occidente Papa nunquam sibi vendicaverat ordinationem omnium suæ ditionis Metropolitanorum. Pallio circa annum quingentesimum paucissimos Metropolitas donare cœperat, quos & Apostolico Vicariatu augebat. Circa tempora Oecumenicæ VIII. Synodi Metropolitani Occidentis omnes illud adepti jam erant, & convenienter huic Canoni ipsimet hanc sibi, sive legem, sive consuetudinem astruxere, ne qua Pontificali functione receptionem pallii antevenirent.

VIII. Enimvero si pallium insigne est plenitudinis Pontificiæ potestatis, hinc illud pene necessariò sequitur, ut ejus potestatis nulla obeas antè munia, quàm ejus insigne & quasi investituram accipias. Alioqui cùm teste Gregorio Magno pervetustus is mos esset, ut multis precibus pene extorqueretur pallium à Pontifice; cùm Metropolitani in ejus cupidinem ita exarsere, ut omnes tandem eo exornati sint: alienum fuisset tam multis fatigare precibus Pontificem, ut ejus potestatis insigne ab eo exprimerent, quam sæpiùs jamdiu exercuissent.

His nitebatur fundamentis Leo IX. cùm scriberet, à solo Carthaginensi Episcopo ordinationes Episcoporum in Africa celebrari, quòd solus ibidem à Romano Pontifice pallio donaretur: Epist. 4. *Solus Pallium in Africa ab Apostolica Sede habere solet, unde & Episcopos consecrandi principale & antiquum jus retinet.* Necessitatem quoque gerendi pallii in ordinandis Clericis & in Ecclesiis dedicandis, declaravit his verbis Alexander II. Ibidem. *Quoties ordinationem vel consecrationem Ecclesiarum celebramus.* Prohibitus est à Gregorio VII Rotomagensis Archiepiscopus, ne vel Episcopos vel Presbyteros ordinaret, vel Ecclesias antea dedicaret, quàm pallium accepisset: graviter enim ab eo peccatum esse, quòd tandiu ab eo petendo cessasset præter antiqua Ecclesiæ statuta: *Quia sanctorum Patrum statuta parvipendisti, nullum deinceps Episcopum vel Sacerdotem ordinare, seu Ecclesias præsumas consecrare, donec honoris tui supplementum, Pallii videlicet usum ab hac Sede impetraveris.* L. 9. Ep. 1. Summi cujusdam rigoris speciem præ se fert hæc sententia, quæ reipsa tamen indulgentiæ plurimum habuisse censebitur, si mentem referas ad Damasi vel Pelagii Decretum, quod tum pro certo & rato habebatur, & quo Metropolitica orbabatur dignitate, qui ultra tres menses cessaret à postulando pallio. Laudat hoc Decretum Gregorius VII. tacito authoris nomine. Paschalis II. Polonorum Archiepiscopo rescripsit, more universalis Ecclesiæ antiquo, non concedi Archiepiscopis, ut Episcopos ordinent, vel Concilia antè celebrent, quàm hoc eximiæ potestatis insigne assecuti sint. *In pallio plenitudo conceditur Pontificalis officii, quia juxta sedis Apostolicæ & totius Ecclesiæ consuetudinem, ante acceptum Pallium Metropolitanis minimè licet aut Episcopos consecrare aut Synodos celebrare.* Baron. an. 1102. n. 8. 9. Scripserat hic ipse Pontifex ad Archiepiscopum Panormitanum, legem illam sumendi pallii à corpore beatissimi Apostoli Petri, non ad aliud collimare, quàm ad reviviscenda in unum corpus illustrissima quæque Ecclesiæ membra, sub uno summo Capite Christo, Christique in terris Vicario; quæ unitatis & charitatis professio nusquam aptius fit, quàm inter sacrorum solemnia. *Cùm à sede Apostolica vestra insignia dignitatis exigitis, quæ à beati tantùm Petri corpore assumuntur; justum est ut vos quoque sedi Apostolicæ subjectionis debita signa solvatis, quæ vos cum beato Petro tanquam membra de membro hærere, & Catholici capitis unitatem servare declarent.* Spectant ea verba ad sacramentum de quo inferius.

IX. Nihil est ergo, quod vel novum dicere possis, vel mirum, in Decretis Innocentii III. ubi Pontificalibus functionibus Metropolitanis interdicit ante receptum pallium; Extra. De elect. c. 28. quando non aliud ibi, quàm prædecessorum statuta ab annis trecentis edita confirmantur, universalique Ecclesiæ consuetudini innixa. Sed juvabit hic expendere, quomodo implicatissimum illum nodum explicet Innocentius, Cur non possit Archiepiscopus sine pallio ea perficere, quæ perficiunt Episcopi, pallio nec donati unquam, nec donandi; & quæ ante inflictam pallii necessitatem summa omnes cum libertate perficiebant. Respondet autem Innocentius, quanquam Archiepiscopo communia sint quædam cum Episcopis officia: ea tamen ab illo cum eximia quadam & singulari prærogativa geri. *Cùm id non tanquam simplex Episcopus, sed tanquam Archiepiscopus facere videatur.* Quasi dicat non posse unquam Archiepiscopos non ea resplendere gloria & majestate, quæ eorum ordini adnata est, & quæ ipsos mirificè evehit supra Episcopos cæteros, etiam tum dum Episcopalibus funguntur muneribus: sicut & Presbyterorum functiones non exercent Episcopi, nisi cum iis prærogativis, quæ eorum supra Presbyteros eminentiam prodant. Si quibus non satisfacit hæc ratio, acquiescent, ut spero, ei quæ suprà explanata est: nimirum vel Patriarchas maximè per Orientem voluisse suam in Metropolitanos potestatem hoc stabilire præsidio, ut ab ipsis vel ordinationem acciperent Metropolitani, vel pallium: vel Metropolitanos hoc quidquid est consuetudinis, sponte sua invexisse eo tempore & corroborasse,

rasse, quo tanto fervebant pallii desiderio. Denique si quod pietas credere hortatur, Metropolitani eo religionis & sanctitatis instinctu pallium postulabant, quem suprà Gregorius Magnus explanavit: & quo certum est à beato Lanfranco, ab Anselmo, ab Elphego, à Malachia, & Carolo Borromæo, aliisque sanctitate conspicuis Præsulibus flagitatum esse; haud sanè mirum est, si tanti muneris gratiæque expectatione fatigari non sunt, & tamdiu lubentes abstinuerunt se ab omni ministerio Pontificali. Hodiernus usus est, ut Metropolitani pallium postulent per Procuratorem speciali mandato instructum.

X. Conferamus jam nos ad Ecclesiam Græcam, ubi non satis liquet, an Metropolitis reservatum fuerit pallium. Nec ambiguitatem hanc discussit Innocentius III. in ea Decretali, ubi Orientalium Patriarcharum jura libravit definitque, in Concilio Lateranensi IV. anno 1215. Jubet enim ut Patriarchæ acceptis à Pontifice Romano palliis, jam Suffraganeos ipsi suos pallio donent. *Et ipsi suis Suffraganeis pallium largiantur.* Vox illa *Suffraganeorum* frequentissimè Episcopos designat Metropolitani potestati obnoxios. At abhorret à veri specie, solis Patriarcharum Suffraganeis concessum esse à Concilio & à Pontifice usum pallii, non aliis quibuscumque. Æquum est ergo, ut ea voce contineantur Metropolitæ. Sed perplexa quæstio est, an contineantur & Episcopi. Qui enim potuisset immensæ eruditionis Pontifex non includere Episcopos ea voce, quæ ipsorum propria est, & quæ ad eos jure tantùm pertinet? Ex adverso autem, quis facilè credat Innocentium III. disciplinæ Romanæ Latinæque retinentissimum, ejusque apud Orientales propagandæ cupidissimum, à seipso in hac re defecisse, & pallium Episcopis Græcis omnibus tam facilè condonasse, cùm tamdiu olim certasset Romana Ecclesia, ut ne tum Metropolitanis quidem omnibus Occidentis concederetur. Posset forsan in mentem alicui venire de industria affectatas ab Innocentio ambages ambiguasque fuisse voces, ne vel Latinos improbasse videretur, qui solis Metropolitanis pallium induunt: vel Græcorum morem palam approbaret, qui eo Episcopos omnes donant, ex virorum doctissimorum sententia.

Extra. C. Antiqua de Purgat. Canonica.

XI. Qui suprà expensus est Canon Synodi VIII. is sanè solos attingit Metropolitanos, qui à Patriarcha vel ordinantur præsentes, vel absentes misso donantur pallio. At XXVII. ejusdem Synodi Canon disertè Episcoporum meminit pallia gestantium, quos & prohibet iis uti extra loca & tempora legibus canonicis præfixa. *Ita ut quibus concessum est palliis uti, temporibus certis, in iisdem temporibus & locis iis induantur, & tanto ac tali non abutantur amictu propter typhum, &c.* Extat & in Editione Græca Canon iste. Itaque ne dubitari quidem potest, quin apud Græcos, æquè ut apud Latinos usus pallii restrictus esset in certos dies, & cæremonias solemniores. Sed & voces istæ τοὺς ἱεράρχας ὠμοφόριον φοροῦντας, *designates ad superhumeralia gestanda Episcopos*, insinuare videntur, non omnes Episcopos honore pallii affici solitos. Illud à Demetrio Chomateno confirmatur, gestanda non esse pallia, nisi die Paschæ, Pentecostes, & Natali Christi. Hæc de pallii ad certas personas, certos dies, certasque cæremonias restrictione.

Can. 24.

Jam verò perhibet quidem Luitprandus, Patriarcham Constantinopolitanum pallio uti nequiisse ad sua usque tempora, nisi ex concessione Romani Pontificis: *Scimus, immo videmus, Constantinopolitanum Episcopum pallio non uti, nisi sancti Patris nostri permissu.* At Romanum Cæsarem Theophylacto filio in Patriarchalem illam sedem intruso, à Joanne XII. impetrasse privilegium, quo sinebantur posthac injussu Romani Pontificis pallio uti Episcopi Constantinopolitani. *Effecit ut Papa nomine Theophylacto littera mitterentur, quarum authoritate tum ipse, tum successores absque Paparum permissu Palliis uterentur.* Hinc Luitprandus ait id emersisse, ut sicut Patriarcha pristinum excutiebat quodammodo jugum, ita Episcopi pallium extunderent, idque gestantes Metropolitis suis coæquarentur. *Ex quo turpi commercio vituperandus mos inolevit, ut non solum Patriarcha, sed etiam Episcopi totius Græciæ palliis utantur. Quod quam absurdum sit, censere opus non est.* Hæc Luitprandus Cremonensis Episcopus, qui decem aut duodecim pòst annis Legatum Constantinopoli egit, quò & aliquantò pòst rursum Legatus ire jussus est. Nec imperitiæ sobrius quisquam, nec malæ fidei Luitprandum insimularit. Hinc conjici posset ad ea usque tempora in Oriente solis Metropolitanis paucissimisque Episcopis concessum fuisse pallii usum, at deinceps eum in omnes Episcopos dimanasse. Ita forsan pax coalesceret inter viros doctos hinc inde certantes.

Baron. an. 914.

An. 946.
An. 968.

Quo autem cumque donati fuissent privilegio Patriarchæ Constantinopolitani, illud indubitatissimum est, Latinos omnes Orientis Patriarchas pallia semper flagitasse à Romanis Præsulibus. Id jam suprà ex Innocentio III. approbatum est, & aliquantò antè sub Innocentio II. anno 1136. Rodulphus Patriarcha Antiochenus Romam profectus, ibi pallio se exuit, quod privata induerat authoritate, alioque donatus & indutus est à Pontifice. Ita apud Baronium ad eum annum Vuillelmus Tyrius.

---

## CAPUT LVIII. *P. 3. l. 1. c. 25.*

### De Cruce, de Annulo, de Pedo, de ornatu reliquo Episcoporum, Metropolitanorum, & Patriarcharum proprio per mediæ ætatis sæcula.

*I. De pedo & annulo Episcoporum.*

*II. Origo pedi, seu Baculi Pastoralis: in eo sumptus & paupertas.*

*III. De Annulo.*

*IV. De Cruce pectorali.*

*V. Quàm ea inter Latinos etiam promiscui usûs esset.*

*VI. De Cruce qua Metropolitanus præfertur. Olim ea erat Papæ & Legatorum ejus propria.*

*VII. VIII. In Oriente accensæ lampades Patriarchis præferebantur; vel religioso cultu, vel imitatione & concessione Imperatorum.*

*IX. Alia Patriarcharum insignia, ab Imperatoribus derivata.*

*X. In ipsos quoque Imperatores ab Ecclesia aliqua ejusmodi redundabant ornamenta.*

*XI. De Mitra, seu Corona Episcopali. Erant & olim Mitræ simplices, erant & pretiosæ.*

*XII. Nova in id conjectura.*

I. MOllissima progressio est, à pallio crucibus insignito ad ipsam Archiepiscoporum crucem, ad virgas Pastorales, ad annulos, reliquumque Pontificiæ proprium majestatis ornatum. Tricassina Synodus anni 867. affirmat Episcopos, qui in Provincia Remensi ordinati fuerant absente Ebbone Archiepiscopo, postquam se is

sedemque suam recuperavit, accepisse ab eo annulos. baculos, litterasque confirmationis. *Omnesque Suffraganei qui eo absente ordinati fuerant, annulos & baculos & sua confirmationis scripta, more Gallicanarum Ecclesiarum ab eo acceperunt.* In Concilio Nemausensi. ubi discinctus dejectusque est Pseudo-Episcopus Narbonensis, nomine Selva, scissa fuere ejus indumenta, avulsus aunulus, anno 885. & illius ejus capiti, coufractusque baculus est. *Sciffit Episcopalibus indumentis, baculis eorum super eorum capita confractit, annulus cum dedecore à digitis avulsis.*

Conc. Gall. To. 3. pag. 361.

Ibid. pag. 512.

II. Delegatus à Carolo Magno ad Reginæ custodiam Episcopus, dum ille Hunnicis bellis distineretur, vehementi exatsit cupidine ejus sceptri, nempè in locum Pastoralis pedi, ut eo uiteretur. Hanc Episcopi procaciorem à Regina postulationem cùm redux accepisset Carolus, indignanter tulit, quod Impctarotio sceptro manus admovere voluisset, cui pastoritius baculus in sui ordinatione donatus fuisset. Ita perhibet Sangallensis Monachus: *Episcopi contemptores hujus mundi esse debuerunt, & alios exemplo suo ad petenda cœlestia provocare. Nunc verò præ cæteris mortalibus tanta ambitione corrupti sunt, ut quidam ex eis non contentus Episcopatu quem in prima Germania sede retinet, sceptrum nostrum, quod pro significatione regiminis nostri, aureum ferre solemus, pro pastorali baculo nobis ignorantibus sibi vendicare voluisset.* Aurea erat hæc Caroli Magni virga, ejusque statutæ aptata; eodem teste: *Virgam auream quam ad statum suum fieri jussit.* Staturam Caroli septem pedum fuisse affirmat Eginhardus his verbis: *Corpore fuit amplo atque robusto, statura eminenti, quæ tamen justam non excederet; nam septem suorum pedum proceritatem, ejus constat habuisse figuram.* Regium porro sceptrum non aliud ab origine erat, quàm pastoralis baculus, eorum nempè olim insigne, qui & gregum pastores unà erant, & populorum Reges. Ejusmodi enim prima fuere regna, ut ex litteris sacris, & ex Homero liquet. Ita non magnopere distabat ab Episcopali baculo Regius, nisi vel ipsa primigeniæ simplicitatis vestigia turbasset, oblitterassetque ambitio posterorum, autoque pretium fecisset, quod per aurea ipsa & beata sæcula minimo in pretio fuit.

L. 1. c. 19.

Meminit Isidorus virgæ quæ in manus dabatur Episcopis, dum ordinarentur: *Huic dum consecratur, datur baculus, ut ejus indicio subditam plebem vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat.* Author vitæ sancti Cæsarii Arelatensis Episcopi miracula narrat baculi ejus contactu patrata, atque Clerici è Notariorum ordine munus fuisse hunc prægestare: *Clericus cui cura erat baculum illius portare, quod Notariorum officium erat.* Ligneus erat sancti Burchardi baculus, etsi Virsburgensis Ecclesia, cui præerat, longè opulentissima erat; unde Scriptor ejus vitæ ansam arripit commendandæ ejus modestiæ, & exagitandæ quorundam Episcoporum intemperantiæ, qui ab ipsa sæculorum magnificentia inanissimam gloriam aucupantur: *Virga sambucea semper nobis ad memoriam reducit humilitatis ejus exempla. Unde constat quantò pretiosior sit coram illo qui humilia respicit & alta à longè cognoscit, Pastor Burchardus, cum sua pastorali virga, modernis Pastoribus, qui pascentes semetipsos, vix in ipsis baculis suis aliqua carent pompa.*

De Eccl. Offic. L. 2. c. 5.

Surius die Octob. 19. L. 2. c. 2.

Vita ejus apud Surium Octob. die 19. L. 2. c. 16.

Ad Græcos progredior, quos inter Balsamon solis Patriarchis videtur baculos permittere. Hæc quippe ille recenset Patriarchalia ornamenta. *Quoniam verò baculus, & saccus, & polystaurium, & sticharium cum litteris gamma, Patriarchalem sanctitatem solùm nobilitant, &c.* Addit ex baculo illam exhiberi arundinem, quæ gestanda Christo data est, paulò pòst passuro, ut ea veluti consignaret confirmaretque salutis nostræ fœdera: *Baculi significant arundinem illam, quæ salutem humani generis egregiè depinxit, testis in cælo fidelis.*

Juris Orient. To. 1. pag. 446. 447.

Hinc prona est conjectura, ejusmodi baculos, seu Regum, seu Episcoporum manu gestarentur, verè baculos illos ipsos fuisse, quibus gradum fulciebant, ubi longum emetiendum erat iter; ideoque nec materiæ ejus pretium, nec formæ artem curæ magnopere fuisse: post varias temporum vices mysticas eis additas fuisse significationes; ita & opulentiam eis accessisse, quæ insignia jam essent summæ potestatis, sive Regiæ, sive Sacerdotalis. Neminem fugit aureum illud Apostolici quondam Præsulis dictum, aureos olim Episcopos ligneis baculis uti solitos fuisse, nunc aureis uti baculis Episcopos ligneos.

Nec ille, quem circumgestabat sanctus Severinus Coloniensis Episcopus, alius erat, quàm usitatus baculus, quo fulciret nutantem gressum. Unquam eo deinceps insigni & Archidiaconi alicubi, & alii Capitulorum dignitatibus radiantes ornati se ab aliisque Canonicis secerni voluerint. Consule, si vacat, Gregorium Turouensem.

Greg. Turon. L. 1 de Mirac. sancti Mart. c. 4.

Stitit se Photius VIII. Synodo, baculum manu gestans, velut ad fumandum gressum, alioqui vacillantem. Sed ab eo is ablatus est, ne impius veterator jactaret aliquando, hanc tunc fuisse Pontificatûs notam. *Tollite baculum de manu ejus, signum est enim dignitatis Pastoralis, quod hic habere nullatenus debet. quia lupus est, & non Pastor.*

III. Quod ad annulum attinet, illum Latinis tantùm tribuit Jus Orientale, faceturque idoneum cum primis id esse symbolum, quo Episcopi se Ecclesiarum sponsos esse palam profiteantur. *Quemadmodum enim Christus Ecclesiæ, mundarumque & virginearum Ecclesiarum sponsus est: sic qui ubique sunt sanctarum Ecclesiarum Præsules, sponsi appellantur, accepto Spiritûs sigillo, ut annulo.* Ita enim Latinis verbis vertenda sunt Græca, non autem, *annulo accepto, ut Spiritûs sigillo.* Non ergo Græci Episcopi dum ordinarentur, alio muniebantur annulo, quàm Spiritu sancto. Videtur autem Optatus Milevitanus his verbis alludere ad Episcopalem annulum: *Ut hæretici omnes nec claves habeant, quas solus Petrus accepit, nec annulum, quo legitur fons esse signatus.* Et infrà ibidem: *Bene revocasti claves ad Petrum, bene subduxisti annulum iis, quibus aperire non licet ad fontem.* Ubi Episcopatus tesseras hæreticis aufert. Annuli quoque Episcopalis mentio apud Isidorum, qui & mysticas ejus indigitat significationes: *Datur & annulus propter signum Pontificalis honoris, vel signaculum secretorum, ne indignis Sacramenta Dei aperiantur.* Ordo Romanus, & consimiles deinceps Scriptores ejusdem meminere.

Juris Orien. Tom. 1. pag. 321.

Optat. l. 2.

De Eccl. Offic. L. 2. c. 5.

IV. Nec illud mihi satis exploratum sit, an prisco in usu olim fuerit Episcopis crux pectori appensa. Patriarcharum Orientalium Legati Constantinopolim appulsi, ut VIII. interessent Synodo, testificati sunt quidem, ut primùm ad Imperatorem admissi sunt, illum crucem quæ ex pectore ejus pendebat, ipsorum collo imposuisse, qua eos obtestaretur non alias persequi, non alias promovere quàm Ecclesiæ utilitates: *Imposuit super colla nostra encolpion suum & dixit, Ecce judi-*

Sess. 6.

*cium Ecclesia exigat Deus à cervicibus vestris in die judicii.* In quæ verba Synodi VIII. animadvertit Anastasius Bibliothecarius, Græcos sinu semper crucem circumferre, cui insertum semper aliquid est veræ & vivificæ Crucis, vel sacrarum alioqui Reliquiarum: idque à Græcis *Encolpion* vocari. *Encolpion, ἐγκόλπιον est, quod in sinu portatur. Colpos enim Græce, sinus Latinè dicitur. Moris enim Græcorum est, crucem cum pretioso ligno, vel cum Reliquiis Sanctorum ante pectus portare, suspensam ad collum.*

Sed non inde satis validè infertur Episcopos ipsos etiam crucem aliquam pectori appendisse. Invictius forsan argumentum inde exprimeretur, quod Rothaldus Episcopus Suessionensis in suo Appellationis libello ad Nicolaum Papam, testatum facit, jussum se ut se Regi & Concilio sisteret, paruisse & stetisse se, Evangelium & crucem circa pectus gerentem. *Post Epist. 37. Nicol. I.* *Ad locum transivi, sacerdotalibus vestitus indumentis, sanctum Evangelium & lignum sanctæ crucis circa mea pectora gerens.* Verùm non immeritò forsan reponeret aliquis, cùm discrimen non parvum aditurus tunc esset Rothaldus, armasse ipsum sese extraordinario hoc munimento Evangelici Codicis & Crucis.

At in dubium vocari non potest, quin pectoralem crucem Papa saltem prægestaret. Luculentum ejus rei testimonium suppeditat Joannes Diaconus, dum sacras pernumerat vestes, quibus indutus fuerat Gregorius Magnus, dum tumulo inveheretur. *L. 4. de vita ejus. c. 8.* *Pallium ejus & phylacteria, sed & baltheum ejus consuetudinaliter osculantur.* Eodem ipso capite demonstrat hic Scriptor, ea voce, *phylacteria*, designari sacram Reliquiarum thecam, collo appensam. *Quod autem Reliquiarum phylacteria tenui argento fabricata, vilique pallio de collo suspensa fuisse videntur, habitus ejus mediocritas demonstratur.* Sed Gregorius ipsemet eandem vocem interpretatur de cruce sacris fœta pignoribus, maximè autem verissimæ Christi Crucis frustulo: *L. 12. Epi. 7.* *Excellentissimo Regi transmittere curavi phylacteria, id est, crucem cum ligno sanctæ Crucis Domini, & lectionem sancti Evangelii theca Persica inclusam.* Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus ad Leonem III. Papam misit crucem ejusmodi pectoralem, sacratissimo eodem ligno munitam. *Symbolum mediatricis inter nos dilectionis misimus fraternæ vestræ beatitudini encolpion aureum, &c. Et intus habet alterum encolpium, in figura crucis positum.*

Non abs re tamen dixerit aliquis, hunc specialem fuisse Romani Præsulis ornatum. Satis apertè eò vergit Innocentius III. cùm singulas Papæ vestes ad altare explanans, post laminam illam auream quam solus Pontifex summus gestabat in fronte, subjicit & crucem à collo catenulis suspensam, ut quæ & ipsa summi Pontificis propria esset. *L. 1 Myster. Missæ. c. 53.* *Romanus Pontifex post albam & cingulum, &c. Et quia signo crucis auri lamina cessit, pro lamina quam Pontifex ille gerebat in fronte, Pontifex iste crucem gerit in pectore. Ideoque Romanus Pontifex crucem quandam insertam catenulis à collo suspensam, sibi ostatuit ante pectus, ut sacramentum quod ille tunc præferebat in fronte, hic recondat in pectore.* Cùm verò nec Germanus Patriarcha, nec Alcuinus, nec alius quisquam eorum qui ornatus sacros ad altare adhiberi solitos pertractarunt, tam in Oriente, quàm in Occidente, ad earum significationes mysticas enucleandas; cùm nemo horum, inquam, pectoralem attigerit crucem, argumento id est, nulla tunc eam lege vel consuetudine generali usurpatam fuisse.

V. Cæteroqui enim libero & peculiari instinctu id genus cruces vel appensas pectori, vel appressas gestavere semper plerique, non Pontifices tantùm, sed & Clerici Laicique. Chrysostomus facessere jussis superstitionibus quibuscumque ad puerorum ægritudines depellendas adhiberi tum sæpè solitis hortabatur Fideles, ut ad crucem potiùs recurrerent, eamque ad infantium custodiam adhiberent. *In Epist. 1. ad Corinth. Hom. 12.* *Cùm infanti nihil sit aliud adhibendum, quàm crux ad custodiam* ἢ ἀπὸ τῶ σαυρῶ φυλακήν. Et hæc utique origo est vocis hujus, *phylacteria*, quæ postea in hanc defecivit, *philateria, filateria*, quòd hæ Reliquiarum thecæ ad custodiam & tutamen eas gestantium conferre non parum existimarentur.

Leontius Episcopus Neapolitanus in Insula Cypro, docet Zachariam Joannis Eleemosynarii vestigiis insistentem, ut qui sub eo tyrocinium posuisset, cùm nihil superesset quod egeno daret, exuisse crucem argenteam quam gerebat appensam, eamque pauperi donasse. *Vide Gretserum de Cruce l. 2. c. 14. de encolpio Episcopor.* *Abstulit à se cruciculam argenteam quam gerebat, & dat ei.*

Epiphanius ipse agnovit per phylacteria sæpè intelligi *Amuleta* antiquorum illa, quibus morbi propulsabantur. *Hæresi 15.* Consentiunt & Glossæ veteres, atque Isidori. Advertit Possinus in notis ad Michaëlem Palæologum Pachymeris, jurare solitos Græcos per cruces ad pectus pendentes, quas φυλάγματα ἐγκόλπια vocabant. *Pag. 378.* Narrat ibidem Pachymeres ipse Sultanum, ut infucatam suam & sinceram in Christum fidem Imperatori testatam faceret, unum ex iis phylacteriis ab eo postulasse, atque ita significasse à se sacras etiam imagines religiosè coli. *L. 4. c. 6.* Illud quoque memorat Nicephorus Gregoras, Andronicum seniorem Imperatorem, cùm animam jamjam esset exhalaturus, nec haberet à quo Eucharistia porrigeretur, *L. 9. c. ult.* *Dei Genitricis imaginem, quam in sinu gestabat, loco divinorum Mysteriorum in os inseruisse.* Si tam religiosè cruces Reliquiarumque sacrarum thecas laici & sinu gestabant & appendebant collo, & venerabantur: an Clericorum Episcoporumque pietas ea in re cessabat omnino? nemo sanus ita censebit. Et hæc quidem de Græcis.

Jam de Latinis ut dicam: eandem phylacteriorum vocis originem suo suffragio confirmat Hieronymus, cum ait eo nomine indigitari in Evangelio vestium fimbrias & extremas oras, quibus inscribebantur monita aliqua pia ex Scripturis decerpta, quòd ita esset omnibus persuasum, certissima hæc esse munimenta adversùs dæmonum assultus. *In Matth. c. 23.* *Pittaciola illa Decalogi Phylacteria vocabant, quòd quicumque habuisset ea, quasi ob custodiam & munimentum sui haberet.* Sanctus Germanus Altisiodorensis Episcopus appensas semper ad collum gestabat Reliquiarum capsas. *Surius die 31. Iulii. L. 1. c. 10.* *Redimitus loro semper, & capsula Sanctorum Reliquias continente.* Is ipse Genovefam Virginum sacrarum incomparabile decus ærea effigie donavit, cui insculptum erat crucis signum, vetuitque ne unquam collo deponeret. *Ibid. c. 21.* *Æreum nummum impressione crucis exculptum muneris loco Genovefæ tradidit, atque semper collo suspensum ob sui memoriam ferre præcepit.* Cùm denique sanctissimum virum in Italia iter facientem mors intercepisset, Placidia Imperatrix ambiit & tandem impetravit hanc ejus sacrorum pignorum capsam. *L. 2. c. 21.* *Solius benedictionis hæres, capsulam cum sanctis Reliquiis Regina suscepit.* Bedà verò author est Germanum eundem in majorem Britanniam profectum puellæ oculos visumque restituisse, imposita oculis Reliquiarum capsula. *L. 1. Hist. Angl. c. 18.* *Adhærentem lateri suo capsulam cum Sanctorum Reliquiis collo avulsam, manibus comprehendit, eamque in con-*

*spectu omnium oculis puella applicuit.* Gregorius Episcopus Turonensis, is ipse qui historiam scripsit, ingruentem sedavit tempestatem, fulmina procellasque compescuit, objecta tantùm Reliquiarum

Surius de 27. Novem. c. 8.

theca, quam in sinu semper gerebat. *Reliquias, has enim indesinenter collo ferebat, de sinu protrahit, & minacibus constanter nubibus opponit.* Sanctus Perpetuus Turonensis Episcopus in testamento suo legavit thecam argenteam Reliquiarum, & *crucem parvam auream ex emblasmate, in qua sunt de Reliquiis Domini*, id est, ubi Crucis dominicæ fragminula inclusa erant. Ad consulta Bulgarorum rescribens Nicolaus I. Papa, vehementer commendat religiosam eorum pietatem, qui crucem aliquam circumgestabant semper, ut & memoriam refricarent sibi & amorem illum crucis alerent, quo præposteræ cupiditates debellantur. *Cùm corpore gestatur, ut & mente gestari debeat, faciliùs admonetur.*

Respons. ad Cons. Bulg. c. 7.

Ex his omnibus, quibus attexi possent & complura alia ejusdem generis, illud certè elicitur, gerendæ crucis & sacris pignoribus gravidæ thecæ consuetudinem inter laicos fideles pervagatissimam primò fuisse, Episcopos cæteris frequentiùs in hoc edendo pietatis documento inclaruisse: Romanos Pontifices quod liberæ pietatis antè fuerat, primos ad Altaris & sacrificii ritos ornatusque transtulisse, crucemque superposuisse Pontificalibus aliis omnibus indumentis, ut ab exemplo manifestatum est Gregorii Magni, & ex Innocentii III. scriptis: denique Episcopos omnes alios in primæ Sedis æmulationem exarsisse, & cruce ipsos quoque inter sacra sese communiisse.

VI. Verùm hæc pectori appensa crux inter mysteria, longè alia est à cruce quæ Archiepiscopis præfertur, cujus usûs jam nobis origo indaganda est. Usus iste circumferendæ in publico crucis, ortum duxisse videtur à Processionibus publicis, ubi

L. 6. c. 8. & jussu Chrysostomi olim circumgestatæ sunt, ita
L. 8. c. 8. perhibente post Socratem Sozomeno. Porphyrius
Vita Porph. c. 41. Gazæ Episcopus, in ea profectione quam litteris diligentissimè mandavit vitæ ejus Scriptor Marcus, non paucis in urbibus exceptus est à civibus Clericisque, cruces præferentibus & pro Psalmorum concentu personantibus. *Occurrerunt nobis habentes signum veneranda crucis, & ipsi psallentes.* Prohibuit

Novel. 123. Justinianus in Novellis, nequa processio fieret, nisi prælata cruce, quæ iter panderet & figuraret sequaci fidelium pietati. Ut moris erat prodire in occursum hominum meritis & dignitate eminentium, ita & præferri cruces in usu erat. Ea ratione excepti fuere quibusdam in Græciæ urbibus Legati Hormisdæ Papæ, ut ipsimet ad eum perscripsere.

Ann. 519. post Epist 34 Hormisda. *Episcopus cum suo Clero vel plebe in occursum nobis egressus est, &c. Propè omnes cum cereis, viri cum mulieribus, milites cum crucibus in civitate nos susceperunt.*

Adde quod & hominum religione præcellentium itinera ipsa, ut eam quæ ipsos addeceret, redolerent sanctimoniam, in morem Ecclesiasticarum processionum fiebant. Itaque etiam cruces præferebantur. Id genus fuit ingressus Augustini & sociorum ejus in Angliam. Ubi in conspectum venere Regis, crux præibat argentea cum imagine Christi. *Veniebant crucem pro vexillo ferentes argenteam, & imagi-*

Beda. l. 1. c. 25.

*nem Domini Salvatoris in tabula depictam; letaniasque canentes, Domino supplicabant.*

Exarchi Patritiique Romæ excipiebantur simili pompa, prælata cruce, procedente in occursum populo Cleroque; quo eodem honore Carolum Magnum prosecutus est Adrianus I. quamvis eo tempore Romana Civitas in ditione esset Imperatoris Constantinopolitani. *Laudum vocibus Francorum susceperunt Regem, obviam illi ejus Sanctitas dirigens, venerandas cruces, id est signa, sicut mos est ad Exarchum, aut Patritium suscipiendum; eum cum ingenti honore suscipi fecit.* Ita Anastasius Bibliothecarius in vita Adriani I. qui & ipse refert in vita Leonis IV. id in more fuisse, ut Subdiaconi huic Pontifici ejusque successoribus, cùm urbe equo vecti egrediebantur, eam prægestarent crucem auream, quæ Leoni III. dono data fuerat à Carolo Magno.

Hæc antiquissima mihi quidem visa sunt exempla ejus crucis, quæ exinde Patriarchis, Primatibusque & Archiepiscopis præferri cœpit. Sed si propiùs rem inspicias, nonnisi obscura illa erant hodierni moris rudimenta. Unum enim si Augustini exemplum excipias, qui nec ipse adhuc Episcopus ordinatus erat, cruces reliquæ omnes, de quibus diximus, ab aliis præmittebantur, non ab his præferebantur, quibus habebatur honos. Inter privilegia Hamburgensis Ecclesiæ occurrit & illud quo munitus est Anscharius, Legatione Apostolica donatus, utque ante illum crux deferretur. *Ornari quoque caput tuum Mitra, portari ante te Crucem.* Humbertus Cardinalis anno 1050. Legatum agens Apostolicæ Sedis Constantinopoli, crucem sibi præferri curavit. Is ergo jam usus erat, ut Legatis Apostolicis præferrentur cruces. A Legatis ad Archiepiscopos manavit privilegium, ut infrà demonstrabitur. Unum hîc addam Henricum Hungariæ Regem, cui Romanus Pontifex diadema nomenque Regium, atque unà Legationem Sedis Apostolicæ contulit, jusque crucis præferendæ. *Iis auditis mirè* Surius die 20 August. c. 8.
*exhilaratus Pontifex, precibus libenter annuit, crucemque ante Regem seu Apostolatûs Insigne, gestandam adjunxit. Ego, inquiens, sum Apostolicus; at ille meritò Christi Apostolus dici potest, cujus operâ tantum populum sibi Christus acquisivit. Atque ea causa quemadmodum divina gratia ipsum decebit, Ecclesias Dei unà cum populis nostra vice ei ordinandas relinquimus.* Anno circiter Christi millesimo cùm concessum fuerit hoc privilegium, simile veri est, eo Legatos Pontificios aliquantò antè potitos fuisse.

Ex his non temerè concluditur, 1. Prælatas fuisse cruces Pontificibus primùm Romanis, inde Legatis Pontificiis, ac deniqne Archiepiscopis, quòd nemini non persuasissimum esset, nusquam eos procedere, nusquam progredi, nisi ad Christi crucem Imperiumque aut constabiliendum aut propagandum. 2. Initium ductum esse à Romanis Pontificibus, qui Legatos eodem suos honore decorarunt, à quibus tandem serpsit mos in Metropolitanos.

De cruce Vuillibrordi Ultrajectensis Archiepiscopi, viri sanctissimi, quam iter faciens deferebat, & qua, ut narrat Alcuinus in ejus vita, à Diacono furtivè spoliatus est: *Crucem auream quam vir sanctus secum in itinere portare solebat:* de ea, inquam, Pag. 1446.
nihil hîc dixi, quòd pectoralis videatur fuisse & privatæ pietatis, non publicæ pompæ. Uno authore Sigonio diditus rumor est, ab Anastasio III. Baron. an.
Papa copiam factam esse Ticiensi Episcopo, cru- 910.
cis sibi præferendæ, quoties itineri se committeret.

VII. In Oriente Patriarchis solis præferebantur, & accensæ lampades & Thymiamata. Memorat Cedrenus Nicephoro Constantinopolitano Patriarchæ in exilium proficiscenti, pro fidei & Ecclesiæ de-

fensione, Theophanem Abbatem cœlitus monitum de ejus transitu, honorem habuisse absentem absenti, *suffituque & cereis prosecutum eum esse*: θυμιάμασι, καὶ κηροῖς προέπεμψε... Cyrillus Alexandrinus Episcopus scripsit ipse Epheso ad Clerum & populum Alexandrinum, cùm post deturbatum sede Nestorium Episcopi Sessione I. suas se in ædes singuli reciperent, accurrisse Fideles, & cum cereis ac suffimentis eos deduxisse. *Ut primùm ex Ecclesia egressi fuimus, & cum facibus & tædis usque ad diversorium nos deduxerunt. erat enim vespera. Multa etiam luminaria accensa, ita ut nonnullæ quoque mulieres thuribula gestantes antecederent nos.* In libellis accusationum adversùs Ibam Edessenum Episcopum in Calchedonensi Concilio perlectis, memoratur & illud, quantis insectatus esset contumeliis hominem probum, cujus comperta tandem innocentia est, summoque omnium applausu carcere & vinculis absolutus ipse est, & cum cereis suffitibusque exceptus. *Universa civitas è custodia eum cum cereis & lampadibus excepit.* Non in urbem rediisse Athanasius visus est, sed triumphans Alexandriam iniisse inter faces, suffitus, plausus obviantium sibi civium. Ita enim Gregorius Nazianzenus: *Nam quid publicos plausus commemorem, & unguentorum profusiones, & totam urbem lumine coruscantem?* Perhibet & illud Victor Vitensis in Africa Episcopus, Fideles Martyribus occurrisse, manibus faculas prægestantes: *Manibus cereos gestantes, suosque infantulos vestigiis Martyrum projicientes.* Eodem ritu exceptus est Carolus Magnus in celeberrima Italiæ Abbatia sancti Vincentii ad Vulturnum, obviam effusis Monachis cum lampadibus, cereis, suffimentisque, & oblata cruce, quam veneraretur. *Sanctissimi Patres cum collegio Monachorum eunt obviam cum cereis, lampadibus & universis Thymiamatibus, &c. Mox Imperator ante crucem prostratus.*

Cedrenus. pag. 489.

Conc. Ephes. Act. I.

Con. Calch. Act. 10.

Orat. 21.

L. 2. de persecut. Vand.

Du Chesne Hist. Franc. To. 3. pag. 673.

Non dissidet igitur à vero, vel à veri specie, ut præcellentibus primò sive Præsulibus, sive Optimatibus honoris causâ obviam prælatæ sint cruces, quas deinde sibi præferri summi quidam Præsules voluere: ita cùm primò eminentioribus viris obviatum esset cum cereis facibusque accensis, & cum suffitibus: hinc emersisse illud institutum, ut Patriarchis faces & suffimenta præferrentur. Huic origini suffragari videntur exempla hactenus delibata.

VIII. Visum est tamen aliis exemplo id factitatum esse Imperatorum, & veluti communicato cum Patriarchis imperii privilegio, ut etiam ipsis ignis prægestaretur. Censet Balsamon docendæ plebis provinciam Imperatoribus & Patriarchis esse demandatam, eóque factum esse, ut lampas ejus rei symbolum utrisque præluceret. Non tamen ea verissimè ratione Imperatoribus præferri ignem, cùm Imperatricibus quoque præferatur, quæ non nesciæ utique sunt jussas esse à Paulo mulieres quascumque in Ecclesia obmutescere; & cùm nec Episcopis præferatur, immo nec Metropolitanis, si paucissimos excipias, qui nulli Primati vel Patriarchæ obnoxii sunt, cujusmodi sunt Bulgariæ, & Cypri, Metropolitanique alii paucissimi, ab Imperatore singulare hoc privilegium consecuti. Addit Balsamon, ministerii Imperatorii lumen beneficentissimum aspergi non sine quodam gratiarum rore animabus corporibusque civium, cùm Pontificum jubar solas recreet animas, Augustæ verò corpora. Itaque par fuisse, ut quæ prælucet Imperatori lampas, duplici splendeat corona, Patriarcharum autem & Augustarum una. *Quia verò Imperatorum auxilium ad illuminationem & stabilimentum sese tam animi, quàm corporis porrigit. amplitudine Patriarcharum ad animi duntaxat utilitatem constricta, & consimiliter Imperatricis cura duntaxat ad vita temporalis prosperitatem extenditur. Idcirco faces Imperatorum geminis aureis cinguntur corollis, cùm quæ Imperatricis & Patriarcharum sunt, uno quasi sepimento circumdentur.* Subdit denique Balsamon, auro argentoque Patriarcharum lampadea ideo radiare, ut propensiores sint omnes ad colendum reverendumque sacerdotium, quòd Imperatorio culmini ita quodammodo exæquetur: *Dum magnam illam & augustam pompam solis Imperatoribus & Patriarchis exhiberi vident.*

Iuris Orient. L. 7 p. 444. λαμπάδες.

Arsenius Patriarcha Constantinopolitanus sponte sua secedens in Monasterium Niceæ urbis, Pontificium lituum, candelabrumque suum auferri passus est ab iis quos Michaël Palæologus Imperator & Synodus miserant, eo testificatus se non illiberalem sede Patriarchali & dignitate abire, cujus insignia tam facilè auferri pateretur. Ita Pachymeres in Michaële: *Si missis ad eum certis, qui Pontificium ab eo lituum & candelabrum*, τὸ βακτήριον, καὶ τὸ κανδήλαχον, *ab eo poscerent, utrumque præberet: hanc restare viam explorandæ ejus circa cessionem sententiæ. Successu res non caruit.* Quod animadversum est à quibusdam de candelabris Episcopalibus in Apocalypsi Joannis, abludere & dissonare prorsus videtur ab instituto hîc nostro.

L. 2. c. 15.

Vide & Pachym. in Andron. p. 461.

IX. Nec enim inficias jam ire quisquam potest, ignem illum Patriarchis præferri solitum, ab illis ortum esse effusioribus publicisque gaudiis, quibus incitabantur Fideles, ut cum facibus occursarent viris dignitate vel sanctitate præstantissimis; vel ex antiquissima Cæsarea inter & Pontifices ornamentorum reciprocatione. Inde quippe est etiam quod Patriarchæ purpureos Imperatorum calceos induerunt, Encausto eodem subscripsere, acu pictas divorum Imagines integumentis capitum olim albis & simplicioribus assuerunt. In flagrantissima Alexis Comneni Imperatoris gratia ausus est Patriarcha, quæ narrat Curopalates: *Aggressus est etiam cocco tincta induere calceamenta antiqui sacerdotii morem hunc asserens, & oportere his uti Archiepiscopum. Nam inter Sacerdotium & Regnum nihil interesse, vel admodum parum; & in rebus pretiosioribus, amplius fortasse & magis colendum sacerdotium.*

Curopalates initio Hist. Glycas.

Illud etiam à Balsamone animadversum est, id quoque licere sibi voluisse Imperatores, ut quasdam veluti conciones haberent ad populum, ut thus adolerent more Sacerdotum, & cum cera duplici obsignarent. Id quippe habebant, quo sibi blandirentur, sacro oleo inunctos se fuisse, eoque in consortium aliquod ascitos sacerdotalium quarundam functionum: *Audiant tam ad amplitudinem Imperatoriam, quàm Patriarchalem officia docendi pertinere, propter unctionis sacræ vim atque potestatem. Hinc enim usu venit, ut fideles Principes & Imperatores catechetico more cum Christiano populo colloquantur, aut suffitum faciant, more Sacerdotum, & cum cera duplici obsignent.* κατηχητικῶς ὁμιλεῖν, ἢ θυμιῶσιν, ὡς ἱερεῖς, ἢ μετὰ διπλοῦ σφραγίζειν.

Iuris Orient. pag. 444.

X. Verùm cum subjicit Balsamon, ornatus proprios Patriarcharum fuisse lituum sacrum, saccum, polystaurium, tunicamque litteris Gamma conspersam: eo satis innuit, & saccum Patriarchas ab Imperatoribus, & polystaurium Imperatores à Patriarchis sumpsisse. Ecquis enim dubitet, primos

Episcopos cruces sacris vestibus plures intexuisse:
Ibid p. 446 447. *Quoniam verò baculus, & saccus, & polystaurium, plenaque tunica figuris, literam gamma repræsentantibus, Patriarchalem sanctitatem solam nobilitant, &c.* Unde & Balsamon ibidem addit sacco exhiberi pallium purpureum, quo Rex summus Christus per derisiculum indutus est: polystaurio autem crucis ipsius triumphum splendidissimum. *Sacci pallium illud contumeliæ atque opprobrii. Polystauriorum phenolia venerandæ crucis universalem gloriam atque potestatem.*

XI. Unum restat, ut paucis dicamus de Mitra, sive Tyara Pontificia. Eusebius eo veluti regio diademate Episcoporum capita cingit,
L. 10. c. 4. *Sacerdotes Dei qui sacra tunica talari induti, & cælesti gloria corona decorati*, τ̃ ἱερέων τ̃ δόξης στέφανον. Adde & illud Gregorii Nazianzeni:
Orat. 5. *Idcirco me Pontificem ungis, ac podere cingis, capitique cidarim imponis.* Author est Ammianus Marcellinus Mascizellum Africæ Tyrannum, ut Imperatoris favorem aucuparetur Theodosii, sacerdotales illi omnes infulas reddidisse, ac coronas cum militaribus insignibus quæ interceperat.
L. 29. *Militaria insignia & coronam sacerdotalem, cum cæteris quæ interceperat, nihil cunctatus restituit, ut præceptum est.*

Patriarcha Constantinopolitanus Joannes perhibente Cantacuzeno, cùm Joannem Andronici filium Imperatorio diademate cinxisset,
L. 3. c. 36. *habitu angustiorem se fecit* ipse; nec tantùm *cæruleo colore usus est in subscriptionibus*: sed & auro cœpit Mitram ornare, qua simpliciore alboque linteo vestita utebantur ejus antecessores, nisi Monachi essent: *Flammeumque seu tegmen capitis, quod antea Patriarchis, si de Monachis non essent, album ferre mos erat.* ὃ ἐπὶ τ̃ κεφαλῆς κάλυμμα. Ὃ ἔτη ... *ipse auro illustravit, Servatoris nostri & Deiparæ & Joannis Baptistæ depictis in eo iconibus.* Docet & Glycas lineam tantùm olim fuisse Patriarcharum Mitram, quando de Methodio Patriarcha disserit; cujus genas Theophilus Imperator, innovata persecutionis adversùs sacras Imagines sævitia, tot colaphis cædi jusserat, ut eas jam flaccidas pendulasque lineis Mitræ redimiculis sustentare ac constringere cogeretur.
Part 4. ἐνδιμένας ἔχειν Οἰόνας. *Vt malas tenui quadam fascia linea obligaret. Vnde mea quidem sententia mos inolevit, hodieque durant, ut Pontifices ab anteriore parte lineas fascias alligatas habeant.* Non aliud hæc redimicula linea Mitræ, quàm illæ ipsæ Isidori Hispalensis alibi vittæ.

XII. Pulcherrimè Chrysostomus adnotavit, ideo Mosaïcum Pontificem operto semper Tyara capite fuisse, ut profiteretur, si subjectos haberet ipse populos, sempiternæ & indeclinabili Dei potestati se subjici. At in Ecclesia Episcopi qui ordinatur caput Evangelio contegi, ut addiscat hoc demum esse longè pulcherrimum capitis sui ornamentorum: & multò plus subesse se Evangelicæ legi, quàm ipsi plebem.
Tom. 6. p. 10 Serm. de nuovo Legislat. *Idcirco cum ordinantur Sacerdotes, Evangelium Christi capiti imponitur, ut discat is qui ordinatur, veram se recipere Tiaram, atque ut discat, quamvis sit omnium caput, se tamen legibus istis subjici: & eum qui omnibus imperet, legis imperio subesse: eumque qui omnibus dat mandata, à legibus mandatum accipere.* Inde illud quoque non ineptè colligeret quis, simplicissima tunc fuisse adhuc Pontificum capitis indumenta, ideoque nec immorari voluisse Chrysostomum in exculpendis inde mysticis quibusdam significationibus.

Accedit ad has conjecturas confirmandas, quod alibi jam retulimus ex Germani Patriarchæ Theoria rerum Ecclesiasticarum. Persequitur enim Germanus sacros ornatus omnes Pontificum, perscrutaturque mysteria omnia in eis delitescentia. At capitis non commemorat, non mysticis significationibus illustrat, nisi coronam duplicem solis ex capillis contextam, quorum alii abrasi sunt in sphæræ formam: eaque jam altera corona est: alii circulari figura caput cingunt, eaque altera non immeritò videtur esse. Has ille contendit gloriæ coronas fide & innocentia splendidiùs multò radiare, quàm si auro rutilarent & gemmis: *Posuit super caput ejus coronam, non ex lapidibus pretiosis, sed lapide & petra fidei.* Nihildum ergo auri, nihil gemmarum erat in Mitris Pontificiis; lineæ illæ tunc tantùm erant.

## CAPUT LIX. *P. 4. l. 1. c. 39.*

## De Cruce Archiepiscoporum post annum Christi millesimum.

*I. Crucis & Pallii connexio exemplis illustratur.*
*II. Crucis usus primùm penes Romanos Pontifices.*
*III. IV. Legatis primò Pontificiis, inde & Patriarchis communicatum est jus Crucis præferendæ.*
*V. Non possunt eam sibi præferri jubere Cardinales, sed nec ubi illi adsunt, præferri aliis potest.*
*VI. Id privilegium Crucis præferendæ ad Primates manat.*
*VII. VIII. Inde ad Archiepiscopos. Denique ad Archiepiscopos universos.*
*IX. An illata sit Archiepiscoporum Primatumve Crux coram Principibus summis, & in Curias amplissimas Comitiorum Regni, vel Parlamentorum.*
*X. In Oriente ea crux ad Imperatores magis quàm ad Præsules spectabat.*

I. DE Tonsura & de veste Clericali postquam verba fecerainus, ad Officiorum divinorum sive cantum, sive recitationem pergendum acrutum fuerat, cùm ea sint connexa sibi mutuò Beneficiatiorum officia. At tractatus de vestibus Clericorum suis numeris perfectus non fuisset, nisi & de pallio ageretur, ac rursum vix potest ac ne vix quidem avelli pallium à cruce.

Singulari pallii crucisque privilegio fruebatur Ticinensis in Italia Episcopus, eoque orbatus est ab Alexandro III. quòd contumacior fuisset in propugnandis partibus Octaviani Antipapæ. *Papiensem Episcopum crucis & pallii dignitate privavit*: ut Baron. an. 1175. n. 12. habent Gesta hujus Pontificis. Non ergo Sigonii, de quo suprà, fides tam incerta forsan est, quàm vel nos ipsi suspicabamur. Non abnuebat Gregorius VII. quin pallio frueretur Episcopus Dolensis, in ea concordia quam inter ipsum & Turonensem Archiepiscopum iniri vehementissimè cupiebat, ita sanè ut Turonensi Dolensis posthac subesset: at de cruce nulla mentio: *Reservato Dolensi Episcopo* Reg. l. 7.
*Pallii usu.* Non quòd pallio semper usi essent Episcopi Dolenses, cùm iniquis eorum votis semper Epist. 15.
ferè refragarentur Romani Pontifices: adeoque pallium abnuerent. Unde & Leo IX. Papa argumentabatur Dolenses Episcopos non posse albo inscribi Metropolitarum, cùm pallio careant. *Præsertim cùm Archiepiscopus sine sede civitatis, sine Pallio* Epist. 22.
*Archiepiscopali nequeat haberi.* Corripuit Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis Dublinensem in Hibernia Episcopum, quòd crucem sibi præferri juberet, id juris affirmans ad eos tantùm spectare Archiepiscopos qui pallio Roma misso confirmati sunt. *Mando tibi, ne hoc ampliùs facias, quia non per-* L. 3 Ep. 72.
*tinet nisi ad Archiepiscopum à Romano Pontifice Pallio* L. 4. Ep. 27.
*confirmatum.* Non ergo sejungi facilè poterat pallium à cruce, atque adeo forsan & Gregorius VII. pallium Dolensi factâ concordiâ si concessisset,

concessisset etiam aliquando forsan & pallium. Scissus est in partes olim Clerus Londinensis super hac quæstione, an ordinatus semel Cantuariensis Archiepiscopus prægestandæ crucis jure frueretur, an opperiendum illi esset, dum Roma deferretur pallium. *Quidam dicebant crucem posse portari, ex quo electus erat & in Episcopum consecratus. Alii dicebant crucem non ferendam antequam pallium susciperetur. Illi leges, isti decreta'es sententias proferebant.* Diremit tum quidem litem Monachi cujusdam fides, qui sanctissimè confirmavit, eum esse insolitum morem, ut inauguratus Cantuariensis Pontifex illico crucem sibi faciat anteferri: nisi si electus esset alterius Ecclesiæ Episcopus, quem transferri Cantuariam authoritate & dispensatione Apostolica opus esset.

*Anno 1193. Script. Antiqui hist. Angl. pag. 1585.*

II. Hæc satis & forsan nimis multa ad pallii crucisque elucidandam connexionem. Jam ut de cruce dicam, unde aptiùs ordiar, quàm ex illo ipso Monachi Cantuariensis indicio vel judicio, cujus tum sententia impetu magis & repentino æstu valuit, quàm certa ratione? Facilè enim retundi ille potuisset, demonstrato non minùs crucem quàm pallium à summo Pontifice ad cæteros Episcopos fluxisse, ab iisque expectandam esse ejus utendæ cum pallio conjunctam licentiam. Benedictus VIII. Romanus Pontifex Roma depulsus à competitore schismatico, ad Henricum Regem Germaniæ se recepit, qui *Crucem ejus in suam suscepit custodiam*, ut loquitur Ditmarus. Desiderius Cassinensis Abbas in Romanæ Sedis Pontificem electus, & Victor III. appellatus, nihil residuum sibi, nihil intentatum reliquit, ut eam sarcinam suis ab humeris excuteret, dimittens pallium & crucem, quæ propria erant summi Pontificatûs insignia: *Crucem & chlamydem, & cætera summi Pontificatûs insignia dimisit.* Altero pòst anno, cùm electioni tandem suæ assensus esset, *Crucem & Pallium resumendo confirmavit electionem.* Loquens Petrus Damiani de duobus Pontificiæ Cathedræ incubatoribus, ita habet: *Adeo ut crucem argenteam ante se gestandam imperaret.* Denique Bertoldo Constantiensi illud observatum est, in Concilio Claromantano crucem Pontificalem uni prægestatam fuisse Urbano II. specimen summæ & universalis jurisdictionis.

*Baron. an. 1012. n. 6*

*Idem anno 1085. n. 5. 1087.*

*L. I. Epi. ult.*

III. Legatis Pontificiis illud primum facilè conjicitur communicatum fuisse privilegium, ut quibus summa Pontificis jurisdictio de proximo delegaretur. Sanctissimus Hungariæ Rex Stephanus, simul & Legatione Apostolicæ Sedis & jure prægestandæ crucis donatus est. Audi Chartuitium Episcopum in ejus vita: *Crucem ante Regem, ceu Apostolatûs insigne, gestandam adjunxit Pontifex.* Michaël Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus in Epistola ad Petrum Antiochenum, testatur Legatum Papæ Constantinopoli anno 1054. *Cum cruce & sceptris regium ingredi Palatium.* Sceptrum hîc non injuriâ ex iis quæ suprà dicta sunt, baculum Pastoralem, sive Episcopale pedum interpretaberis. Episcopus Eliensis ille Legatus à Latere in Anglia famosissimus, insatiabili avaritia locum dedit mordacissimo dicterio, quod à Rogerio relatum est, Ab ejus cruce non redemptam, sed redimendam fuisse Angliam omnem. *Omnes enim Ecclesias Angliæ crux illa redemit, id est, ad redemptionem coëgit*: denique communem illam fuisse crucem, ac cruciatum Regni: *Nec fuit aliquis immunis, qui crucis illius stigmata non sentiret.* Cùm verò Lateranensis IV. Synodus ne Patriarchis quidem suas præferri sinat cruces, ubi Pontificius affuerit Legatus, satis eo prodit, Legatos, ut personam ipsius Papæ circumgestantes, & ejus plenissimæ authoritatis vicariatum, longè potiori & antiquiori jure præferendæ crucis frui, quàm Patriarchas. *Dominica crucis vexillum ante se faciant ubique deferri, nisi in urbe Romana, & ubicumque summus Pontifex præsens extiterit, aut ejus Legatus, utens insigniis Apostolicæ dignitatis.*

*Surius die 20. August.*

*Baron. an. 1093. n. 16. C. Antiqua. Extra. de priv. Canon.*

IV. Patriarchis ergo post Pontificem & Pontificios Legatos competit hoc sive jus sive privilegium. Sed non hoc illis contulit primum Lateranensis IV. hæc Synodus. Liquebit enim mox tum temporis ea prærogativa gavisos fuisse Primates omnes & complurimos Metropolitanos. Non ergo hinc quærebatur decus & splendor Patriarchis, quo Primatibus & Metropolitanis æquabantur. Sed Canonis hujus Lateranensis scopus is est, ea mens, ut Patriarchalis præcellentia eò resplendeat, quòd illis solis præferatur crux non tantùm Patriarchatûs sui amplissima ditione, sed toto Christiano orbe, excepta urbe Roma, & locis iis, ubi vel Pontifex versabitur, vel Pontificis Legatus: *Ubique, nisi in &c.* Non poterat Patriarcharum gloria vel radiare splendidiùs vel latiùs propagari, quàm si majestatis suæ radios in omnes dispergerent orbis Ecclesias, quasi in hæreditatem & successionem adsciti essent Patriarchæ immensæ illius potestatis, quam commisit Christus Apostolis, ac præsertim Petro, qui Ecclesiarum omnium Patriarchalium conditor non immeritò audit. Non quò Patriarchæ quidquam possint jurisdictionis exercere, extra Patriarchatûs sui limites. Certis enim finibus partiri necesse fuit indivisam Christi hæreditatem inter Pastores, ut ne pax & concordia scinderetur. Sed conducibile fuit ut aliqua superessent vestigia primigeniæ illius institutionis Christi, quæ Apostolorum tam non ullos definiebat limites potestati, quàm nec charitati. Crux Patriarchalis extra eorum territorium jurisdictionem non prodit, cùm nullam ibi unquam exerceant; at tamen eximiam quandam amplitudinem prodit, cùm illam evanescere & aufugere necesse sit, ubi se superior potestas infert, vel Papæ, vel Legati.

V. Ad omnes exporrexit Cardinales Gregorius XI. illud singulare decus Legatorum à Latere, ut eis præsentibus nulla possit vel Patriarcharum, nedum Primatum vel Archiepiscoporum crux explicari. Ejus rei hanc rationem promit Pontifex, quòd Cardinales summi quodammodo personam Pontificis referant, cujus veluti conjunctissima sunt membra, authoritate quadam muniri universali, nec disjuncta ab ipsa summi Pontificis potestate, sed simul emicante, simul erumpente, quod nec ipsis usuvenit Patriarchis. *Propter quod Cardinalium honori, qui personam nostram repræsentant, derogatur. Nos igitur attendentes, quod Cardinales ipsi nobiscumque indefessis laboribus universalia Ecclesiastica onera fortiuntur, &c.* Est sanè quod stupeamus, Cardinalibus, quibus nulla propria præfertur crux, illud tamen juris esse, ut ipsis præsentibus nemini Præsulum sua crux prægestetur. Verùm Gregorius XI. quando id constituit, præ oculis habuisse videtur illam potissimum Cardinalium potestatem summam, qua excubias agunt, invigilantque in omnes Ecclesias, censuramque exercent universalem cum Pontifice summo. Hujusmodi potestati omnibus omnino eminenti dignitatibus & potestatibus aliis, æquum erat insigne aliquod vendicari, quo hæc exuberantia gloriæ testatissima fieret.

VI. Venio ad Primates, quos inter Bituricensis ab Eugenio III. expressit facultatem prægestandæ crucis in utraque Provincia Bituricensi & Burdigalensi, quæ Exarchatui ejus obnoxiæ tum essent. Eugen. 3. Epist. 69. *Porro ad majorem reverentiam per supradictas Provincias vexillum dominicæ crucis ante vos deferri concedimus, sicut etiam antiqua prædecessorum vestrorum consuetudo obtinuit.* Eo ergo confirmabatur tantùm jus priscum Archiepiscoporum Bituricensium. In historia beati Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi crebra mentio crucis ejus, ubi & non possumus non Ann. 1164. summopere mirari constantiam infractam Presbyteri ejus, qui crucem ejus præferebat in pseudosynodo Clarendunensi. Conc. Gen. Tom. 10. pag. 1430. 1435. Ab illo enim vehementer increpitus est Thomas, cùm in libertate Ecclesiæ tuenda teperè & mollescere visus esset. Hinc stimulatus Thomas sibique redditus, crucem ipse suam perferre voluit in Concilio Northamptonensi, ubi tota in eum Anglia efferbuit & insurrexit. Voluit Herfordiensis Episcopus hoc illum crucis onere levare: *Pater, desine, ego vice Capellani crucem deferam ante præsentiam vestram.* At invictissimæ fortitudinis Pontifex Thomas, arctiùs complexus est crucem, tum ut ejus vim & potentiam mundi victricem propiùs experiretur, tum ut palam faceret, cujus gloriæ & charitati certaret, vitamque impenderet, si ex re esset. *Justius est me ipsam deferre, sub cujus protectione tutus maneo, & ejus viso vexillo, non est dubitandum, sub quo Principe milito.*

Si omnes quorum gloria dignitasque ex prælatæ crucis pompa augescit, hoc essent animo, quo Thomas, si eodem essent & agerentur spiritu, si suos sub hoc cælesti vexillo gressus omnes destinarent ad firmandum & dilatandum imperium crucis, ejusque humilitatis, paupertatis, charitatis, aliarumque virtutum, quarum crux & symbolum est & exemplar ac scaturigo: non certè in materiam verteretur fastus & gloriæ inanissimæ atque contentionum ea crux, quæ pacis vinculum, charitatis nodus & magistra humilitatis est.

Richardus Angliæ Rex in Eboracensis Archiepiscopatûs territorio cùm hospitaretur, suis illum querelis interpellavit Archiepiscopus Eboracensis, quòd cùm ipse abstineret à cruce præferenda, suam Archiepiscopus Cantuariensis magnificè explicaret. Cui reposuit Cantuariensis, se primatûs nomine tota Anglia crucem circumferre jure indubitatissimo; dubium autem profectò esse, an posset usquam Eboracensis eam sibi præferri jubere. *Ego crucem per totam Angliam porto, & portare debeo, sicut totius Angliæ Primas. Tu autem crucem tuam non portas, & forsitan portare non debes.* Nec multo pòst tempore cùm statuisset Rex à Cantuariensi Præsule Regia solenniter corona cingi, vetuissetque ne cum cruce sua adesset Eboracensis, ne qua exitialis contentio inter ipsum & Cantuariensem incenderetur, maluit Eboracensis omnino abesse: *Et quia prohibitum erat ei crucem suam portare, noluit coronationi Regis interesse.* Hæc ex Rogerio, qui narraverat antè voluisse Eboracensem apud Vuestmonasterium crucem explicare; at reluctatos esse Episcopos Angliæ omnes: & in Londinensi Concilio anni 1171. Clerum Eboracensem exertè contestatum esse, id esse juris Archiepiscopo Eboracensi, ut crux illi sua prægestaretur etiam in Diœcesi Cantuariensi. Roger. pag. 736. 738. 718. *In quo Concilio Clerici Rogeri Eboracensis Archiepiscopi calumniati fuerunt jus Eboracensis Ecclesiæ de cruce portanda in Diœcesi Cantuariensis Ecclesiæ.* Sedavit tandem hæc jurgia Rex Angliæ, rem totam curans committi Archiepiscopo Rotomagensi, cæterisque Neustriæ Episcopis, qui eam judicio suo dirimerent: *De cruce portanda starent judicio Rotomagensis Archiepiscopi & aliorum vicinorum Episcoporum de Regno Franciæ.*

Id sibi sumebat Eboracensis, ut quasi æquatis & alternis Primatiæ honoribus cum Cantuariensi frueretur, ideoque Alexandrum III. conveniens confirmari ab eo impetravit Chartam à prædecessore ejus concessam, qua priscæ possessioni adserebantur Eboracenses Archiepiscopi, circumgestandæ per totam Angliam crucis. Postea beatus Thomas Cantuariensis Episcopus adversùs eam chartam multùm desudavit, evicitque ab Alexandro eodem III. ut prohiberetur Eboracensis in Provincia Cantuariensi crucem præferre, donec causa diffiniretur. Appen. Con. Later. 11. c. 37. At Eboracensi amarulentiùs tunc expostulante, quòd sine figura judicii spoliasset eum Pontifex eo jure, cujus jamdiu possessionem nactus esset: revocavit prohibitionem ipsam suam Pontifex, concessitque, ut totam quà patet, Angliam explicata cruce sua Eboracensis peragrare posset.

Nec multùm dispar contentio Braccharensem jamdiu & Compostellanum commiserat Episcopos, cùm Primatem se venditaret Braccharensis, eademque se dignitate fretum jactaret Compostellanus. In eam tandem eos adduxit concordiam Innocentius III. ut æquabili jure alter in alterius territorio crucem præferret. *Ut uterque per Provinciam alterius universam, crucem ante se faciat sine contradictione deferri.* Rainal. an. 1197. n. 51. In Collectione Constitutionum Conciliorum Tarraconensium, quæ typis edita est Barcinone anno 1557. plurimæ occurrunt Chartæ Tarraconensium Episcoporum, obtestantium vetantiumque ne Toletanus Archiepiscopus in Tarraconensi Provincia vel crucis, vel pallii jure uteretur, vel concedendarum Indulgentiarum. Provinciale Tarrac. l. 1. Tit. 4. Redintegrato Vicariatu Apostolico Thessalonicensis Archiepiscopi, postquam Constantinopolitanam urbem Franci suæ ditioni subjecerunt, eam contulit Innocentius III. Exarcho potestatem, ut crucem prægestari sibi faceret in Episcopalibus omnibus Ecclesiis sibi subditis. Regest. 15. Epist. 18.

VII. Ad Archiepiscoporum crucem pene inopini defluximus. Qui enim Primates jamdiu dicuntur, sola nominis fruuntur gloria, re non sunt nisi Metropolitani. Est porro illud permirum, quomodo Callistus III. Papa Primatu donans Archiepiscopum Viennensem in plures Provincias, in sola tamen sua Viennensi Provincia crucem ut præferret concessit, cùm hactenus prolata sint tot exempla usûs contrarii. *Per Provinciam suam crucem deferre concedimus, &c. Super septem Provincias Primatum obtineat, &c.* Epist. 3.

Ex hac autem illud elucescit Epistola, needum omnibus omnino Metropolitanis indultum promiscuè fuisse jus anteferendæ crucis, cùm hîc specialibus rescriptis eo jure donentur. Jamdiu tum erat, quod Alexander II. id privilegii confirmaverat Archiepiscopo Slavoniæ Dalmatiæque: *Crux etiam ante, sicut ante prædecessores tuos, per Dalmatiam & Slavoniam ubique geratur.* Epist. 4. Multò antè sub Leone IX. anno 1050. Adamus Historicus de personato agens Archiepiscopo, illum exhibet *Archiepiscopali more crucem præ se ferentem.* Baron. ann. 1050. n. 4. Ita forsan componi posset hoc dissidium, Archiepiscopos Nationum, maximè earum quæ nuper in Ecclesiæ sinum convolassent, quales erant Sueci, de quibus hîc Adamus, plerumque Primates aut Vicarios fuisse Sedis Apostolicæ,

licæ, ut ostensum suprà est, cùm de Primatibus dissereremus. Ea diotissimè significatione sumpta est vox Archiepiscopi. Ita cummunicata illis crux erat, nempe quòd Primates non aliter quàm minores Patriarchæ haberentur. In eum ergo sensum rapi debent Adami ea verba, *Archiepiscopali more crucem præ se ferentem.*

Nec video qui aliter concordare inter se possint tot privilegia Metropolitanis concessa ab aliis & aliis subinde Romanis Pontificibus, ut crucem præferre possent: nisi ut dicamus illud commune priùs fuisse Archiepiscoporum, hoc est, Primarum jus & privilegium, nequaquam autem Metropolitanorum, quibus peculiaribus postea rescriptis illud indultum est alio aliis tempore. Archiepiscopo Coloniensi Eugenius III. & Alexander III. eo jure uti (Epist. 10.) concesserunt, uti Majores sui Majoribus ejus concesserant. At Archiepiscopus Salernitanus novam (Epist. 52.) illam specialemque gratiam elicuit ab Aleaandro III. post rogata Cardinalium vota, ut confirmat Baronius ea Actis bujus Pontificis ad annum 1177. *Ad petitionem ipsius Archiepiscopi, communicato fratrum* (Baron. an. 1177. n. 76.) *suorum concilio, ipsi & successoribus ejus usum & dignitatem portandæ crucis per civitatem & totam suam Parochiam authoritate Apostolica concessit.* Eadem potestate Alexander III. Thessalonicensem Archiepiscopum donavit: *Dominica crucis vexillum deferendi* (L. 3. Epi. 18.) *per totam Diœcesim & Episcopatus tibi subditos, fraternitati tuæ licentiam impertimur.* Iisdem pene verbis idem largitus est Gregorius IX. Ausciensi Archiepiscopo. Nec multis pòst annis eodem beneficio affecit Burdigalensem & Messinensem Archiepiscopos. (Rainal. an. 1228. n. 38. An. 1232. n. 26. Ann. 1238. n. 61.) At diplomate eo, quo jus idem Gnesnensi contulit Archiepiscopo, compleaus est sanctissimus Pontifex, qua mente, quo studio, quo fervore animi incalescere debeant Pontifices, quando crucem sequuntur præviam, ut inimicas cruci cupiditates omnes debellent, utque crucis & Christianæ pietatis causam infracto semper pectore tueantur. *Considerans diligenter, quod in cruce Domini nostri Jesu Christi te oporteat gloriari, piè desideras salutifera crucis vexillum ante te facere de nostra licentia bajulari, qui crucis mortificationem jugiter in tuo corpore debes pro divini nominis amore portare. Nos igitur attendentes, quod non sunt tibi armatura cœlestis insignia deneganda, qui contra persecutores Ecclesiæ certamine incessanter labores, præsentium tibi authoritate concedimus, ut per tuam Provinciam ante te deferri facias crucis signum, nisi cùm Apostolicæ Sedis Legatus in Polonia fueris constitutus.* Tarraconensem Archiepiscopum eodem per Provinciam suam præferendæ crucis privilegio munivit Alexander IV. (Conf. Conc. Tarrac. l. 1. Tit. 4.) *Cùm Legatione pro Christo fungaris.* Quibus verbis illud videtur innui jus antefereendæ crucis à Legatis Apostolicis ad Archiepiscopos derivatum esse, ut qui Legatione & ipsi funguntur pro Christo, eòque prælata egeant cruce; sicut & Legati Apostolici cùm Roma in Provincias proficiscebantur, vexillo crucis prævio & quasi viam præmonstrante utebantur.

Nec abhorret à vero, sub hoc demum Pontifice, vel sub Gregorio IX. crucem Metropolitanis omnibus communem factam fuisse, ut ea deinceps Metropoliticæ dignitati quodammodo coaluerit, nec posthac potuerit unquam divelli. Inde est quod in Decretalibus à Gregorio IX. publicatis de cruce Archiepiscopali nullus extat Titulus, etsi sit de Pallio, cujus jam dudum usum assecuti erant Metropolitæ omnes. Est in Clementinis Decretum, quo crux supponitur Archiepiscopis omnibus in promiscuo usu fuisse. Sed jam antè Alphonsus Castellæ Rex ab Urbano IV. confirmari curaverat jus Hispalensis Archiepiscopi, quo pridem cum cæteris Hispaniæ Archiepiscopis omnibus fruebatur, ut omnes Hispaniarum tractus prælata cruce obambularet. Ita tradit Rainaldus, multo majorem à nobis initurus gratiam, si ipsum Urbani IV. Rescriptum Annalibus suis inseruisset. (Rainal. an. 1264. n. 36.)

Nec enim id facilè conciliari potest cum Martini V. privilegio, anni 1428. quo Toletanum Archiepiscopum concessit totam perlustrare Hispaniam explicata cruce. (Marca de Prim. Lugd. n. 125.) Nec cum narratione Gomecii in vita Cardinalis Ximenii, qui Mendoçam præcessorem suum imitatus, crucem aliam explicatamque per Hispaniæ regna omnes circumferebat. (Gomec. l. 2.) Nisi dicas tempore Martini V. obsolefactum fuisse Urbani IV. privilegium, & pallii crucisque usum intra suas quemque Provincias revocasse Metropolitanos. Pallium cum cruce compleaus sum, quòd jam olim Innocentius III. Archiepiscopis Hispaniæ crimini vertisset, quòd pallium indiscriminatim induerent alii aliorum in Provinciis. *Cùm consuetudo sit in Hispania generalis, quod Archiepiscopi extra suas Provincias pallio indifferenter utantur.* (C. Ex tuarum. De auctoritate & usu Pallii.)

Dixi id pro certo non immeritò habuisse Clementem V. communem jam tum fuisse Archiepiscopis omnibus pallii usum in sua cuique Provincia. Ita liquet ex ejus Decretali *Archiepiscopo*, ubi id eis largitur, ut in exemptis etiam Provinciæ suæ locis eo utantur jure, sicut & benedicendi populis, & Pontificali cum pompa Mysteria celebrandi. *Archiepiscopo per quævis loca exempta suæ Provinciæ facienti transitum, ut crucem ante se liberè portari faciat, benedicat populo, &c. duximus concedendum.* Comitia Cleri Gallicani anno 1635. admisere & confirmavere usum hujus Decretalis.

IX. Quod ad illam autem pertinet quæstionem, an Archiepiscopi crucem præferre debeant in ipsis Senatorum Curiis, in Aula Regum, ante ipsorum ora Regum & Imperatorum: jam Thomam Cantuariensem vidimus suam ipsum gestasse in Parlamento Angliæ: Conventus enim magis ille erat Statuum Regni, quàm Concilium, cui Rex & Optimates aderant. Vidimus & in Regis Angliæ solenni inauguratione prohibitum fuisse Eboracensem, ne cum cruce adesset ipse, quòd eo jure, vel possessione saltem ea solus niteretur Cantuariensis. Hinc ergo illud elucet, Cantuariensem Archiepiscopum constantissimè & hiscente nemine prælata cruce interfuisse omnibus Comitiis, Curiisque & Parlamentis Angliæ, ipsis maximè præsentibus Regibus. Stephano Regi Hungariæ præferebatur ipsimet crux, ut Apostolico Legato. Prohibuit Innocentius III. ne coram Pontifice, vel Pontificiis Legatis crucem explicaret quisquam. Pontifices deinceps alii in concedendo Metropolitanis præferendæ crucis privilegio, vetuere, ne coram Legatis Apostolicis eo abuterentur, ut quorum jurisdictioni ipsimet subsint. Sed nulli hujusmodi limites circumscribuntur contemplatione sæcularium Principum, qui summo & supremo semper jure utuntur in temporalibus, etsi spiritali obnoxii sint Episcoporum jurisdictioni: sicut & Episcopi summa authoritate spiritalibus negotiis præsunt, etsi temporali obnoxii sint Principum Regumque potestati. Inde est, quod clarissimus sanctissimusque vir Bartholomæus à Martyribus, Archiepiscopus Braccharensis, in ea ipsa Lusitaniæ Regni Comitia crucem suam intulit, ubi Philippus II. ejus regni

corona redimitus ab ipso est. Carolus autem Archiepiscopus Mediolanensis, ille sanctitate & innocentia morum spectatissimus, à curru Henrici III. Francorum Regis declinavit, ne si in eo cum Rege sedisset, non posset satis honorificè crux deferri. Cúmque hic idem sanctissimus Pontifex invisurus Ducem Sabaudiæ Taurinum profectus esset, vidissetque Taurinensem Archiepiscopum, cùm Palatium Ducis adiret, abstinere à gestanda cruce, increpuit eum, admonuitque præire suam ei semper debere crucem, & ubique locorum, atque adeo in ipso Ducis triclinio.

*Giossano in vita Caroli. L. 3. c. 5. & L. 8. c. 3*

Nec dissimulabo tamen admissum non esse Cardinalem Legatum à Ludovico XI. anno 1480. nisi hac lege, ut crux ei præferretur ubique, extra præsentiam Regis. Sed nemo nescit hujus Principis vel scrupulosas, singularesque cautiones, vel frivolas non rarò suspiciones. Ergo vel Carolus ipse VIII. Ludovici ejusdem filius & successor excepit honorificentissimè Cardinalem Baluam Legatum, cum cruce, cum ornatu Legatorum toto; & ipsi Regis præsentiæ illata crux est. Quod autem regeritur à Fevreto exemplum de Eboracensi Archiepiscopo, qui authore Matthæo Paris, ex Capella Regia cum cruce sua extrusus est; hoc ejusmodi exemplum est, quo Fevreti doctrina labefactetur. Nec enim Regis, sed Archiepiscopi Cantuariensis cum cruce sua præsentia Eboracensem inde fugavit, ejusque crucem, ne Metropolitica crux coram Primatiali consisteret. Attigit Fevretus & exemplum illud Aquisextiensis Parlamenti, ubi vetitus est Archiepiscopus, ne cum cruce sua adesset. Relata res est ad Consilium Regium, ubi nihil definitum est. Itaque si diversus & antiquitati contrarius mos, vel à Parlamentis, vel à Principibus, vel ab Archiepiscopis ipsis, aut consentientibus, aut conniventibus invectus est: ingenuè confitendum, tum eam illa ad disciplinæ capita spectare, quæ versatilia sunt, in quibus tempori parendum, necessitati serviendum est; ubi denique à justitia non abhorret, quidquid charitati indulgetur, alendæque Principum & Sacerdotum concordiæ.

*Preuves des Liber. de l'Egl. Gall. c. 23. n. 5. 6. 8.*

*Fevret l. 3. c. 2. n. 12.*

X. Exhibentur in Metallicis, vel aliis quibuscunque iconibus & numismatibus Imperatores Constantinopolitani, crucem manu gestantes: & cum Pater filiusque, filius materque, vel duo fratres simul Imperium moderantes eadem ex parte exhibentur, unam quidem, sed duplicem crucem gestant. Sub Sixto V. initio Pontificatûs, dum eruuntur antiqua rudera, ut locus fieret novis fundamentis ad reparationem Ecclesiæ sancti Joannis Lateranensis, effossa sunt complura istiusmodi aurea numismata, in quibus cernere erat icones Theodosii Senioris, Arcadii & Honorii, Theodosii Junioris, Marciani, Justiniani, Heraclii ex una parte, ex altera autem crucis. Principes omnes Christianos his donavit Sixtus V. unáque Bullam misit & publicavit anno 1587. ut illos ad crucis cultum & amorem animaret. Nonnulli suspicati sunt, hanc duplicem crucem imitatos esse persæpe Græcos in construendis Ecclesiis suis in eandem formam; immo & eandem secutos esse Patriarchas Primatesque in cruce, quam sibi præferri faciebant, post expeditiones Latinorum in Palæstinam & in Orientem universum, ubi primùm cruces ejusmodi duplices conspexerunt. Hinc & crucem Lotharingicam vocari conjectant, quòd in eas expeditiones Dux & auspex præiverit Gottofredus Bullionius, de Lotharingorum Ducum stirpe. Nulla certa sunt tamen argumenta, quibus probetur crucem Græcis Metropolitis prælatam fuisse. Quod enim ea de re legitur in Epistola Maronitarum ad Leonem X. factum esse videri potest æmulatione Latinorum.

*Conc. Gen. To. 14. pag. 349.*

## De Cælibatu Clericorum.

### CAPUT LX. *P. 1. l. 1. c. 43.*

### De Cælibatu Clericorum in Ecclesia Orientali, per priora quinque sæcula.

*I. Coæva Ecclesiæ est continentiæ lex, eosque complexa omnes, qui sacerdotii consortes facti sunt, ad immolandum Deo Agnum immortalem.*

*II. Argumentum ex Epiphanio petitum. Non eligebantur in Subdiaconos, aliosque superiores Ordines, nisi virgines, aut Monachi, aut electi statim æterna devovebantur continentiæ.*

*III. IV. Erant & Canones, qui idem sanciriint.*

*V. Antiquissima alicubi serpebat consuetudo contraria: non consuetudo tamen, sed corruptela.*

*VI. Cur penè de hac cælibatûs lege obmutuerint Concilia Orientalia.*

*VII. Argumentum aliud ex Hieronymo, qui declarat non toto prorsus Oriente explosam fuisse legem continentiæ Clericalis.*

*VIII. Legis hujus scaturigo prima Verbi incarnati ipsissima puritas est.*

*IX. Quid de Apostolis sentiendum.*

*X. Cur sæpissimè conjugati ad Episcopales sedes eligerentur.*

*XI. Cur Episcopi, quàm Presbyteri cælibatûs legi fuerint obsequentiores.*

*XII. Erant canonicæ pœnæ in Cælibatûs violatores Clericos.*

*XIII. XIV. Argumenta alia ex Eusebio & Chrysostomo.*

*XV. Quid vero propius in historia Paphnutii, in Concilio Niçano.*

*XVI. Argumenta alia ex Patribus Græcis, ex Clemente Alexandrino, Isidoro Pelusiota, Cyrillo Hierosolymitano, Synesio.*

*XVII. Socrati Synesius opponitur.*

*XVIII. Assentitur Socrates in Thessalia viguisse Cælibatûs legem.*

*XIX. Objectio Presbyteri Paregorii.*

*XX. De Gregorio Nazianzeno.*

*XXI. De Athanasio.*

I. QUanta Ecclesiæ, tanta & continentiæ inter majores Clericos legis antiquitas est. Æternus ille Pontifex, qui de Virgine natus est, & ipse Virgo ac Virginalis hostia, æternum immolari se voluit, ab iis qui tam castitatis suæ, quàm Sacerdotii participes forent, & ipsi Sacerdotes simul & hostiæ, utroque nomine, utroque vinculo continentiæ sempiternæ astringendi. Eo usus consilio Apostolos elegit, aut virgines, aut castimoniæ deinceps devinctos. Ideo & Apostoli Pontificii sui non alios sibi successores asciverе, quàm qui virginitatem hactenus coluissent, aut qui posthac inviolabilem continentiam profiterentur. Hinc est denique quod cœlestis Magistri hujus discipuli sacerdotio prorsus summoverunt, vel eos, qui duplicato conjugio aliquam incontinentiæ speciem præ se tulissent. Cùm enim esset Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum Sacerdotium idcirco institutum, non solùm ut immolarent, sed etiam ut producerent eam victimam, quæ cùm sanctitas ipsa, tum ipsa etiam castitas esset & puritas: minimè mirum est si tanti ministros Sacerdotii ea maximè devincit Lex, ut ipsi aut virgines sint, aut continentes; & aliquo saltem ex intervallo sequantur virginitatem incomprehensam, & Patris qui Verbum æternum gignit, & Matris quæ idem nostra vestitum natura peperit, nec alium in scopum peperit, quàm ut

idem & æternus Pontifex & perpetua hostia à seipso & à sui Sacerdotii castissimis ministris immolaretur.

II. Fuit ea res in Ecclesia Græca magis controversa. Hinc ergo nobis ordiendum est, ut his nostris placitis inde primum argumenta invictissima astruantur. Affirmat conceptis verbis Epiphanius, eos qui Sacerdotio decorantur, florere etiam virginitatis candore debere, aut saltem Monasticæ vitæ, vel incorruptæ continentiæ reliquum vitæ curriculum dicare; necesse porro esse, si conjugati fuerint, semel ut fuerint; docet denique ex Clericis solos Lectores posse maritorum fungi munere, non posse autem omnino vel Subdiaconos, non Diaconos, nedum Presbyteros, Episcoposque.
Expositio fidei Cathol. n. 21. *Sacerdotium ex virginum ordine præcipuè constat, aut si minùs è virginibus, certè ex Monachis; aut si minùs Monachorum ordine, ex his creari Sacerdotes solent, qui à suis se uxoribus continent, aut secundum unas nuptias in viduitate versantur. Secundis verò nuptiis implicitus, in Ecclesia ad Sacerdotium non admittitur, tametsi aut sese ab uxore contineat, aut sit viduus. Ejusmodi inquam ab Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi gradu rejicitur. Secundùm hos gradus Lectorum ordo ex omnibus ordinibus eligi potest, hoc est, è virginibus, Monachis, continentibus, viduis, & iis qui honestis matrimoniis illigantur. Immo si necessitas fuerit, ex bigamis. Quippe Lector non Sacerdos est, sed tanquam divini verbi scriba.*

Hic Epiphanius Subdiaconos ipsos includit Collegio Sacerdotali, & ex solis virginibus, vel continentibus eos eligi docet: ἐκ παρθένων, ἢ τῶν ἐγκρατευομένων τῶν ἰδίων γυναικῶν. Hæc erat Ecclesiæ universæ disciplina, hæ leges, hi mores, maximè Ecclesiæ Græcæ, in cujus ille moribus legibusque erat magis versatus.

III. Docet idem alibi Christum ipsum primum esse Disciplinæ hujus authorem institutoremque, de eaque Apostolos leges condidisse & Canones.
Hæresi. 48. n. 7. *Cùm Sacerdotalia Christus munera & ornamenta, cum iis qui post unas nuptias continentiam servaverint, aut in virginitate perstiterint, communicanda esse velut in quodam exemplari monstraverit; διὰ τῶν μετὰ μονογαμίαν ἐγκρατευσαμένων, καὶ τῶν ἐν παρθενίᾳ διατελούντων. Id quod Apostoli deinde honestè & religiosè decreverunt per Ecclesiasticam Sacerdotii regulam; τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα τῆς ἱερωσύνης.*

IV. Diligentiùs etiam alibi recenset Clericos, quorum Ordinibus indivulsa comes hæret continentia.
Hæresi 59 n. 4. *Quin eum qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi aut Hypodiaconi ordinem admittit Ecclesia. Sed eum duntaxat, qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus; ἀπὸ μιᾶς ἐγκρατευσάμενον, ἢ χηρεύσαντα: quod in illis locis præcipuè fit, ubi Ecclesiastici Canones accuratè servantur.* Quo utroque loco doctissimus vir & Ecclesiæ Pater, non moribus tantùm & consuetudine niti legem continentiæ sacerdotalis declarat: sed Canones esse conditos, qui ita sancirent, & ea compede Subdiaconos quoque implicarent.

V. Fatetur quidem Epiphanius ibidem, Ecclesias esse in quibus à cælibatûs lege resiluissent Subdiaconi, Diaconi, Presbyterique: at contrà statim vociferatur ipse, hanc esse corruptelam quæ contra sacros Canones & Ecclesiasticas leges irrepsisset.
Ibidem. *Respondet non illud ex Canonis authoritate fieri, sed propter hominum ignaviam, quæ certis temporibus negligenter agere solet.*

VI. His ita præstructis etsi fateremur, nec Canonem XXVI. Apostolorum, nec Ancyranum X. nec Neocæsariensem I. nec IV. Gangrensem, nec Calchedonensem XIV. nec III. Nicænum, expressè quidquam statuisse de perpetua & inviolabili Clericorum majorum continentia: immo & affectatione silentii indulsisse quodammodo, aut certè non damnasse consuetudinem cum conjuge antè ordinationem ducta, abscissa omni spe ducendæ deinceps cujuscumque: etsi hæc, inquam, omnia daremus, maneret tamen illud ex Epiphanii testimoniis certissimum, eos quibus impartiretur Ecclesiæ sacerdotium inviolabilis continentiæ lege obligatos fuisse, & ipsius exemplo Christi, & Canonibus iis, quos Apostoli Apostolicique viri in eorum locum suffecti constituissent. Citatorum enim à me Canonum silentium, aut incertæ ex iis quæ eliciuntur conjecturæ, quid habent quod in comparationem venire possit cum expressissimo Epiphanii testimonio? An disertè pronuntiant ii Canones, post ordinationem fas esse priori copulari conjugi? Prohibent ad nuptias usquam post ordinationem convolari. Nihil præterea addunt. Si conjectes tacitè permitti prioris conjugis consuetudinem: id sanè tua conjectura est, non Canonis sententia. Et ut conjecturæ assentirer tuæ, non posses & tu non assentiri Epiphanio, hanc fuisse indulgentiam, quæ id ferret quod corrigi jam non posset; ne medicamine ipso morbus recrudesceret.

VII. Hieronymus qui in Oriente partem vitæ egerat longè maximam, atque adeo Græcæ Ecclesiæ mores legesque apprimè callebat, testimonium dicet, de quo ne contentiosissimus quidem possit contendere. Cùm enim Vigilantius sacerdotali continentiæ bellum indixisset, sic illum sanctus Pater exagitat: *Quid facient Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ? Quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes; aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt.* Adv. Vigilantium. Omnem Ecclesiam Hieronymus in tres partitur ditiones, totidem Exarchis obnoxias, Romano, Alexandrino & Antiocheno. Atque ita docet in Ægypto & in Oriente, sicut & in Occidente toto viguisse legem continentiæ Clericalis. Quanquam ab ea deviare privati aliqui, vel minores etiam Ecclesiæ aliquæ potuissent: nihilo tamen minùs ex longè maxima parte verissimè dicebat Hieronymus, Ecclesias omnes tribus his Exarchis, totum inter se Christianum orbem partitis, obnoxias, vinculo continentiæ constringi. Unde subdit Hieronymus, Episcopos quidem aliquos, sed paucissimos in illam consensisse Vigilantii incontinentiam, nec ordinare voluisse Diaconos, nisi qui priùs conjugali se compedi innexuissent: *Proh nefas! Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes: si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi priùs uxores duxerint.*

VIII. Alibi sanctissimus rursum idem Doctor, altissima ab usque origine repetit causam tantæ Sacerdotum Christi castimoniæ. Nempe de virgine matre nasci voluit Christus, eosque omnes quorum ab ore verboque quasi renascitur toties inter aras immolandus, virgineæ ejusdem castimoniæ voluit esse suo certo modo consortes. Inde Apostoli sacerdotio vel virginitatem conjunxerant, vel perpetuæ castitatis professionem; nec deinceps Diaconi, Presbyterique, vel Episcopi deliguntur, nisi ex iis qui virgines hactenus sint, vel in æternum futuri deinceps sint pudici. *Christus virgo, virgo Maria, utriusque sexûs virginitatem dedicavere. Apostoli* In Apolog. pro libris adversus Iovin.

*vel virgines, vel post nuptias continentes. Episcopi, Presbyteri, Diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post sacerdotium in æternum pudici.*

IX. Non potest ergo posthac ambigi, quin ab Apostolis profecta sit ea lex, quæ continentiæ perpetuæ Clerum superiorem mancipat. Probat Hieronymus Apostolum Paulum in choro virginum numerari debere, idque elicit ex ipsiusmet Pauli verbis: *Volo omnes vos similes mei esse.* Quod perinde est ac si diceret: *Volo omnes homines similes mei esse, ut dum mei similes sunt, similes fiant & Christi, cujus ego similis sum.* Petrus solus constantissimè creditur conjugatus fuisse. De reliquis Apostolis cùm nihil istiusmodi memoret Scriptura, non temerè affirmatur virgineo omnes flore claruisse. *Quanquam excepto Apostolo Petro non sit manifestum relatum de aliis Apostolis, quòd uxores habuerint, & cùm de uno scriptum sit, ac de cæteris tacitum, intelligere debemus sine uxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale Scriptura significet.* Etsi constaret autem ex Apostolis conjugio irretitos fuisse, in Synagoga virgines esse desissent, eamque jacturam resarsisset Ecclesia perpetuo deinceps continentiæ vigore: *Qui ergo erant ex Judæis, virginitatem quam in Judaismo amiserant, in Evangelio habere non poterant.* Quod autem Apostoli, si qui uxores duxerant, ab eis secessionem fecissent, ut Christo uni adhærescerent, id Hieronymus exprimit ex illis Petri ad Christum verbis, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*; & ex his Christi verbis ad Apostolos: *Nemo est qui dimiserit domum, aut fratres, aut uxorem, &c.* Ex quibus ita argumentatur sanctus Pater, *Assumpti in Apostolatum, relinquunt officium conjugale.*

L. 1. adv. Iovin.

X. Fatetur Hieronymus concessum ab Apostolo Paulo esse, ut ad Episcopatum accersantur, qui uno, non amplius, illigati fuerint conjugio. At necessaria tum indulgentia id factum fuisse contestatur, quòd inter ipsa Ecclesiæ cunabula non essent ad manum nisi rudes, & carnalibus implicati vinculis: *Quia rudis ex Gentibus constituebatur Ecclesia, leviora nuper credentibus dat præcepta, ne territi ferre non possent.* Quòd si qui postea in deligendis Episcopis conjugatos virginibus & continentibus prætulerunt, respondet sanctissimus Pater, hunc forsan errorem fuisse eligentis populi, qui sibi suppalpatur in eligendis sui ipsius similibus: vel Episcopi electionem moderantis, qui terrenis plus æquo rationibus affectibusque indulserit.

XI. Cæterùm virginitatis & continentiæ quamlibet infensissimus hostis Jovinianus, fatebatur tamen Episcopos inviolabili ejus lege teneri. Ut enim in his plenitudo est sacerdotii, quod ab illis in Presbyteros Diaconosque dimanat: ita quæ Sacerdotio Christiano quasi concreta consertaque est continentia, multò arctiùs Episcopis amplectenda colendaque est. *Certè confiteris non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat.* Græci qui multis ab hinc sæculis Presbyteris & Diaconis continentiam turpissimè remisere, veteris disciplinæ vigorem illibatum servavere in Episcoporum continentia exigenda. Cui rei occasionem fortassis dederit, quod primis volventibus Ecclesiæ sæculis sacerdotalia munia omnia Episcopi soli obibant. Episcopi soli ferè Baptismum dispensabant, Mysteria celebrabant, reconciliabant Pœnitentes, in eorum tantùm vel absentium, vel alioqui occupatorum locum & vicem hæc administrabant Presbyteri. Ita frænum continentiæ sacro ministerio tam amicæ, tam coalitæ abrumpere Episcopi non facilè potuissent. In

Ibidem.

Ecclesia Latina longè frequentior fuit & popularior incruenti Sacrificii celebratio, quàm in Græca. Ita quotidianæ virginalis hostiæ immolationi mancipati Occidentis Ecclesiæ Presbyteri, Diaconique difficilè poterant à cælibatûs lege deflectere. Luculentè porro Hieronymus declarat, ne laïcos quidem nisi conjugibus antè aliquandiu se abstineant, facilè posse aut orationi vacare, aut Mysteriorum participes fieri: ex eoque id nimirum effici, ministros ipsos Altaris, cùm quotidianas Deo orationum hostias offerre, cùm quotidiano corporis Christi sacrificio ad aras manus admovere debeant, perpetuæ eos continentiæ addicendos necessariò prorsus esse. *Si laïcus & quicumque fidelis orare non potest, nisi careat officio conjugali; Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt Sacrificia, semper orandum est. Si semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio.*

XII. Qui opinati sunt, Clerico majori, qui à prioris uxoris contubernio non abstineret, nullam antè pœnam esse constitutam, quàm Siricius ea de re celeberrimam promulgaret Decretalem; illi non satis adverterunt animum ad ea quæ habet Hieronymus eodem loco, Episcopum ut adulterum habitum iri, si cum priore conjuge consuescere deprehendatur. *Alioqui si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.* Nemo negat statutas in adulteros fuisse pœnas. Idem alibi docet exauthoratos fuisse omnes superiores Sacrorum ministros, siqua se incontinentiæ labe contaminassent: *Immo Episcopi & Presbyteri & Diaconi, & universus chorus Sacerdotalis & Leviticus se noverunt hostias offerre non posse, si operi serviant conjugali.* Ab Epiphanio Hieronymum non sejunxi, quòd consentanea sibi mirificè sint eorum verba inter se collata, quódque ob diuturnam in Oriente commorationem, possit & Hieronymus aptissimè in testimonium de Ecclesiæ Orientalis disciplina vocari.

Ibidem.

In Apolog. adv. Iovin.

XIII. Nec minùs disertè Eusebius Cæsariensis Episcopus huic continentiæ legi patrocinatur, cum ait Evangelicos Præcones Doctoresque conjugio, conjugalique contubernio valedicere, accensos castiore flamma, & exardescentes in fœcunditatem longè præcellentiorem, qua patres & magistri fient infinitæ cujusdam spiritalium filiorum multitudinis, quos Deo sibique generabunt. *Doctoribus ac Prædicatoribus verbi divini maximè in præsentia, ut melioribus studiis vacent liberiùs, sejunctus à re uxoria victus adamatur: velut iis qui divina & incorporea sobole propaganda occupati teneantur: & non unius, neque duorum liberorum, sed acervatim innumerabilis multitudinis educationem sanctamque disciplinam, ac reliquæ instituendæ vitæ curam susceperint.* Et paulò inferiùs: *Illis qui sacrati sunt* τοῖς ἱερωμένοις, *atque in Dei ministerio cultuque occupati, continere deinceps se ipsos convenit à commercio uxoris.*

Demonstrat. Evang. l. 9. c. 9. ἢ τῆς γα-μικῆς ἀναχώ-ρησις.

XIV. In eandem rem perspicua sunt hæc Chrysostomi: *Si qui uxorem duxit, sollicitus est, quæ sunt mundi, Episcopum autem hujusmodi sollicitudine tangi minimè convenit; quomodo superiùs dixit, unius uxoris virum? Quidam illum qui post uxoris obitum constituetur Episcopus, significasse intelligunt. Alioqui licet eum, qui uxorem habeat, quasi non habentem esse. Tunc nempe ritè istud concessit pro tempore ac pro rei natura, quæ tunc inerat.* Finitima hæc sunt Hieronymi sententiæ, ubi qui conjugatus fuerat, in Episcopalem cathedram evehitur, tametsi tunc continentiam religiosissimè colat, dispensationis tamen fuisse ad Gentilium nuper conversorum rudimenta formanda ne-

In Epist. 1. ad Timot. hom. 10.

cessariæ, ut ad sacros Ordines accerserentur, qui semel conjugii nexibus fuerant illaqueati. Alibi testatur idem Chrysostomus, ea dispensatione olim Paulo approbata jam Ecclesiam non uti, & opus omnino esse, ut qui sacerdotio decorantur, decorentur etiam insigni castimonia. *Δεῖ γὰρ ποικιλῇ ἁγνείᾳ ἐστέφθαι τὸν ἱερέα.*

Hom. 1. De Pœnit. lib.

Socrates. L. 1. c. 11. Sozomenus. L. 1. c. 23.

XV. Si Paphnutium Episcopum illum objicias nobis, qui Nicænis Patribus intercessit, ne Canonem conderent, quo Episcopi, Presbyteri, Diaconi, ac Subdiaconi juberentur abstinere se ab illis quas ante Ordinationem duxerant uxoribus; propterea quod antiqui Canones solas post ordinationem nuptias prohiberent. Dicam Socratis & Sozomeni, quibus authoribus hæc circumferuntur, non tantum esse authoritatis pondus, ut in re tanta, si quid soli dixerint, fidem extorqueant. Vera res fortasse fuerit quæ refertur, & in eo tantùm aberraverit Socrates, quod adjecit de suo. Potuit enim in Ecclesia Orientali ea fuisse tempore Concilii Nicæni incontinentium Presbyterorum, Diaconorumque multitudo, ut sapientissimis Præsulibus satius visum fuerit dissimulare immedicabile malum, quàm resecando asperare. Idem de Conciliis Ancyrano, Neocæsariensi, Gangrensi dixeris; nihil adversùs pestem hanc statuisse, quòd curationis spem abjecissent omnem. Ubi verò Socrates dicit, *antiqua Ecclesiæ traditione* superioribus Clericis solùm prohiberi, ne matrimonium ineant, non autem initi usum interdici: jam ad Eusebium, ad Epiphanium, ad Hieronymum appello, viros veterum Ecclesiæ consuetudinum Socrate longè peritiores. Hoc igitur Socrates loquentem inducit Paphnutium, quod in ore nunquam Paphnutius habuit. Potuit tum cum Concilio Paphnutius, & sequentibus sæculis potuit cum eo Ecclesia Græca tota judicare, tolerandum id malum potiùs, quàm aut Ecclesiam schismatis, aut ejusmodi Clericos periculo objicere incontinentiæ gravioris. Illud tamen ignorari non potuit, pravam hanc fuisse & degenerem consuetudinem, qua prisci violarentur Canones, & Ecclesiæ purior atque sancita ab Apostolis disciplina turparetur.

XVI. Illud præterea observes velim de superiorum cælibatu Ordinum, etsi rem ex professo non attigerint, testimonium tamen dixisse Græcos alios Patres. Fidem facit Clemens Alexandrinus in Comitatu Apostolorum fuisse quandoque & fœminas, sed ut sorores, quo facilior panderetur Evangelio aditus in eas ædes, in quas solæ penetrant fœminæ. *Reliqui Apostoli prædicationi attendentes, non ut uxores, sed ut sorores circumducebant mulieres, quæ una ministraturæ essent apud mulieres, quæ domos custodiebant, per quas etiam in gynæceum absque ulla reprehensione, malave suspicione ingredi posset doctrina Domini.*

Strom. l. 3

In Ep. 1 ad Corin. c. 7. In Epist. ad Phil. c. 4.

Multis locis probat Theodoretus nulli conjugio implicatum unquam fuisse Paulum. Tradit Isidorus Pelusiota castitatem quandam fidelibus omnibus imperari, quòd ad aliquantulam sacerdotii societatem vocentur omnes, ut propria corpora Deo offerant, hostiam viventem & immaculatam: at Presbyteros continentiæ multò arctiori devoveri, ut qui & incomparabiliter puriori hostiæ offerendæ se devoverint: alioqui gradu illo, quem obtinent, dejectum iri. Quanquam non dissimulet Isidorus minùs religiosè hanc legem servari, quàm oporteret.

L. 3. Ep. 75.

*Exhibete corpora vestra hostiam viventem. Non ad Sacerdotes solos scribens, ut existimas, hæc mandabat, sed universæ Ecclesiæ. Unumquemque enim ipsorum hac in parte Sacerdotem esse jussit. Quod si castitas & pudicitia subditos Sacerdotes ordinat, libido procul dubio ac lascivia Sacerdotibus dignitatem abrogat. Atque hæc quidem leges & Ecclesiastica instituta sanciunt: verùm haud admodum tamen istud fit. Quam autem ob causam, non est meum commemorare.*

Alibi verò observat idem Isidorus comites Apostolis hæsisse quandoque fœminas, ut facultatibus suis eos sustentarent. Alioqui minimè ferendum fuisse, ut virginitatis præcones dederent se carnis oblectamentis: *Non quod ii qui virginitatem suadebant, & castitatem prædicabant, ac virginum choros moderabantur, cum mulieribus consuetudinem haberent: quis enim eos virginitatem suadentes tulisset, siquidem ipsimet in voluptatum cœno se se volutantes deprehensi essent.* Hæc postrema ratio æquè complectitur Episcopos, Presbyteros, Diaconosque, qui accendere, atque alere debent in fidelium cordibus, quantum datur, studium amoremque virginitatis, nec possunt nisi per summum dedecus vim verbi divini exemplis suis enervare. L. 3. Ep. 176.

Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus id eleganter confirmat, quod suprà semel & iterum attigimus, Christi matris Virginis, Christique Sacerdotii castimoniam simillimam esse, unoque ex fonte scatere, ex Christi ipsius sanctissimæ hostiæ castitate. Sic enim argumentatur Cyrillus, non potuisse Christum nisi de virgine nasci, qui nisi castis purisque Sacerdotum suorum manibus patitur se contrectari. *Si qui apud Jesum bene fungitur Sacerdotio, abstinet à muliere: ipse Jesus quomodo ex viro & muliere proditurus esset?* Loquitur Cyrillus accuratissimo cum verborum delectu. *Si qui bene fungitur.* Neque enim omnes bene fungebantur; non omnes castè virginalem hostiam offerebant. Idem suprà confessus est Isidorus peccare multos in legem continentiæ. Nec id dissimulat Nazianzenus, cùm eorum sugillat morositates, qui non satis advertebant, quàm certum sit, Christum tingere, Christum animarum sordes abluere, à quocunque demum quis baptizetur: tergiversabantur, procrastinabantque baptismum, ne ab alio illum susciperent, quàm ab Episcopo, vel à Presbytero continentiæ spectatæ. *Ne dicas, Baptizet me Episcopus, &c. aut si Presbyter, saltem qui cælebs sit, qui continentiæ laude, atque angelica vivendi ratione floreat.* Denique cùm Episcopatum refugeret Synesius, & eum à se ea ratione propulsaret, quòd à conjuge sua sejungi nollet: eo satis superque prodebat, quàm indivulsè cohæreret Episcopali ordini continentiæ professio. *Quare hoc omnibus prædico & testor, neque me ab uxore prorsus sejungi velle, neque adulteri instar cum ea clanculum consuescere. Alterum enim nequaquam pium est, alterum illicitum.* Ea Synesii obrestatio remorari Episcopos non potuit, vel deterrere, quin eum ordinarent; quòd omnes satis intelligerent hanc quæsitam esse tergiversationem, ut tantæ dignitatis onus declinaret. Addebat Synesius nec adduci se quidem posse ad fidem resurrectionis. At eum Episcopi profectò nunquam ordinassent, nisi habuissent persuasissimum, hac illum arte & simulatione, ab onerosissimo velle munere liberari. Cæterùm quod ad cælibatum attinet, si non cessit tandem Synesius legi Ecclesiæ communi, si cesserunt Episcopi ejus voluntati, dispensatio hæc tunc fuerit, non legis abrogatio. Non objecisset autem hos obices Ordinatoribus suis Synesius, nisi exploratum habuisset non potuisse ordinari Episcopos, nisi qui & à conjugali deinceps contubernio sece-

Catech. 12.

Orat. 40.

Epist. 105.

derent, & fidei subscriberent resurrectionis.

XVII. Quando dicit autem Synesius pro adulteris haberi solitos Episcopos, qui cum uxore clanculum consuescerent, hinc suppeditatur, quo cælibatus & Ecclesiæ hostes oppugnemus. Abutuntur enim illi authoritate Socratis, qui scripsit Episcopos & Presbyteros in Oriente, nulla vi, nulla lege Ecclesiastica, sed sola voluntate ab uxoribus sibi temperare; ac nosse se plurimos, qui post Episcopatum patres fuissent. Potior sanè fides habenda est Epiphanio, Hieronymo, & Synesio, quàm Socrati, ubi de Orientali Ecclesia omnes æquabiliter testimonium ferunt. — L. 5. c. 22.

XVIII. Socrates etsi omnium infestissimus cælibatus Clericali: fatetur tamen in Thessalia, Macedonia, & Hellade Clericos illos deponi, qui cum uxoribus ante ordinationem ductis consuescere rursum vellent. De Thessalia tantùm loquitur & finitimis quibusdam Provinciis, quia hic Ecclesiæ Græcæ tractus finibus claudebatur Romani Patriarchatûs. Sed tum Socrati abroganda fides non est, cùm ait clarissimos quosque Græcorum sacris Ordinibus initiatorum à propriis abstinere conjugibus. Cùm verò adjicit nulla id lege præcipi, ne Episcopis quidem, id invictissimè refellitur ex totius deinceps Ecclesiæ Græcæ consensione, & ex hodierno ipso usu: quo constat Episcopos à conjugum anteriorum consortio & contubernio prorsus summoveri etiamnunc.

Epist. 198. XIX. Presbytero Paregorio præcipit Basilius, ut quamvis septuagenarius, subintroductam mulierem amoveat domo, & ut Nicæno Canoni pareat, & officio cælibatûs, ἀγαμίᾳ, ne offendiculo sit Clericis aliis. Cùm Paregorius ante ordinationem expers fuisset nuptiarum, aut viduus tunc esset, nec posset jam uxorem ducere post Sacerdotium, cælibatum utique profitebatur juxta Ecclesiæ leges, & ipsum Orientalis Cleri usum. Itaque verissimè Basilius illum lege continentiæ astringi monet, nec ministras habere mulierculas quascumque, quamvis ætate devexa jam esset. Unde & illi Basilius sacris interdicit functionibus, donec paruerit.

XX. Objicitur rursum nobis Gregorius Nazianzeni Gregorii ac Theologi Pater, qui aliquando affirmavit filio, Presbyteratu se initiatum fuisse, antequam ipse in lucem ederetur. *Nondum tot anni vitæ totius tuæ quot in sacris mihi sunt peracti victimis.* — Carmine de vita sua. Sed usitata in hujusmodi rebus exaggeratione uti potuit in his Gregorius. Baronius subducta temporum ratione, demonstravit ante parentis ordinationem natum esse Theologum. Postremò etsi daremus rem ita habere, non tamen ullum hinc nobis præjudicium immineret. Quis enim nescit, quando vitiosæ consuetudines, in iis quæ ad æternam legem non pertinent, longo usu convaluerunt, & perdiu toleratæ sunt, in eas viros etiam optimos quandoque abduci.

XXI. Frustra etiam objicitur nobis & Athanasii ad Dracontium Monachum Epistola; id unum enim ille asseverat, esse Episcopos Monachosque prorsus innuptos, esse & utriusque ordinis, quibus nati sint liberi; nimirum ante sacra vincula, quibus hi illique innodantur. *πολλοὶ τῶν ἐπισκόπων οὐδὲ γεγαμήκασι, μοναχοὶ δὲ πατέρες τέκνων γεγόνασιν, ὥσπερ καὶ ἐπισκόπους πατέρας τέκνων.* Quo unum id pronunciatur, potuisse & Episcopis ante ordinationem, & Monachis ante professionem ex legitimis nuptiis nasci liberos: nec ab hoc Athanasii loco id extorquebis, ut Episcopi post ordinationem liberos susceperint, quin illud quoque exprimas, ut susceperint & Monachi post professionem: quo nihil insulsius, nihil à fide historiæ & antiquitatis conscientia alienius dici potest. Ergo ex hoc Athanasii loco illud emicat, cælibatum tam indivulsè hærere Episcopali ordini, quàm Monastico instituto.

---

## CAPUT. LXI. *P. 1. l. 2. c. 44.*

### De Cælibatu Beneficiariorum in Ecclesia Latina quinque prioribus sæculis.

*I. De Majorum Ordinum & ipsorum etiam Subdiaconorum cælibatu varia Conciliorum & Pontificum constitutiones.*
*II. Græcorum & Latinorum varia disciplina.*
*III. Demonstratur ex Ambrosio cælibatus lex.*
*IV. Et ex Hieronymo.*
*V. Quanta olim esset Sacerdotalis & sanctitatis & puritatis opinio.*
*VI. VII. Idem probatur ex Augustino, Ferrando, Cresconio.*
*VIII. Cautiones necessaria in Clericorum colloquiis cum mulieribus.*
*IX. Vetant Concilia Græca, ne domi habeantur extraneæ mulieres.*
*X. Vetant & Latina.*
*XI. Vetant Patres Græci & Latini.*
*XII. Quàm circumspectus in ea re Augustinus.*
*XIII. Cur non eadem ubique fuerit, nec æquabiliter præcepta Subdiaconorum continentia.*
*XIV. De cælibatu Lectorum.*

I. NUnc ad Ecclesiam Occidentalem venio, non ut sanctorum Patrum & Conciliorum authoritate majorum Ordinum cælibatum astruam; res enim est evidentior quàm ut possit in dubium revocari, nisi ab eo qui meridiana in luce cæcutiat. Sed ut ea illustrem, quæ cùm discrepare & pugnare inter se videantur, negotium facessere possunt.

Cælibatûs lege comprehendi Subdiaconos Epiphanius voluit; Hieronymus solos Diaconos & Ordines superiores; Concilium Ancyranum eos tantùm Diaconos, qui ordinationi suo saltem silentio Can. 10. consenserint; si contradixerint autem, & tamen inviti ab Episcopo fuerint ordinari, si postea matrimonium ineant, à sacro ministerio non amoventur, *propterea quod his Episcopus licentiam dederit.* Si sine hujusmodi Episcopi licentia uxorem duxerint, sola Ordinis sui functione privantur. Non ergo lege continentiæ ibi tenebantur Subdiaconi. Poterat Episcopus Diaconis qui contradixerant nuptias condonare, non poterat Presbyteris. Validum erat post ordinationem contractum etiam à Presbyteris matrimonium, ut liquet ex Concilio Neocæsariensi. Can. 1. In editione quadam Concilii Eliberitani, Subdiaconi Can. 33. in eorum classem referuntur, qui continentiæ lege tenentur. In Decretalibus verò Siricii & Innocentii Episcopi tantùm, Presbyterique & Diaconi. Idem habetur in Conciliis Carthaginensibus II. Can. 2. III. & V. & Toletano I. Concilium Taurinense ab Can. 1. 4. Can. 8. Ordinibus majoribus eos tantùm arcet Clericos, qui ex uxoribus liberos post ordinationem susceperint. Idem in eos qui jam ordinati sunt, statuit Concilium Arausicanum; sed vetat in posterum, ne Can. 22. 23. 24. qui ordinentur Diaconi, nisi continentiam ab uxore promittant: si fidem violaverint, jubet deponi. Concilium Turonense I. anni 461. agnoscit Decretalibus Pontificum litteris constitutum esse, ut communione priventur, qui ab uxore non abstinuerint Can. 1. 2. Presbyteri & Diaconi: videri tamen sibi de pœna remitti aliquid debere, scilicet ut propriis priventur functione Ordinis, & spe superioris. Episco-

pos, Presbyteros & *Ministros Altaris* eadem lege Leo obligat, vetatque ab iis uxores dimitti. *Unde ut de carnali fiat spiritale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, & quasi non habeant, sic habere: quo & salva sit charitas conjugiorum, & cessent opera nuptiarum.*

Epist. 92. c. 3.

Negari ergo non potest, quin Ecclesiæ utriusque Episcopi, Presbyteri & Diaconi, uxores quas ante ordinationem duxerant, domi suæ haberent. Id pro certo ponunt Canones Apostolici, Nicæni Concilii Canon III, & complures alii; qui vix ac ne vix quidem in contrarium sensum possunt detorqueri. At in eadem domo sua singulis & diversa erant conclavia, ut infrà declarabitur. Ea porro erat Sacerdorum integritas, religio, gravitas, ea vis legis Ecclesiasticæ, quæ Clericorum famam & continentiam adversùs calumnias omnes & tentationes munitissimam tutissimamque haberet.

Cæterùm non fortè sine causa Leo *Ministros* Altaris ibi potiùs quàm Diaconos nominavit, cùm & ipse alibi Subdiaconos eodem cælibatûs vinculo constringat. *Nec Subdiaconibus quidem carnale connubium conceditur, ut & qui habent, sint tanquam non habentes; & qui non habent, permaneant singulares. Quod si in hoc ordine, qui à capite quartus est, dignum est custodiri, quantò magis in primo, vel secundo, vel tertio servandum, &c.* Primus hic omnium Pontificum Subdiaconos addixit continentiæ, quos cum appellat *Ministros Altaris*, quod proprium Diaconorum nomen est, id videtur innuere, oportere eos qui Diaconorum & muneris & oneris participes essent, esse & castitatis.

Epist. 84. c. 4.

II. Ex iis quæ hîc promiscuè congesta sunt, intelligere est, non eandem de Clericorum continentia in Ecclesiis variis, nec satis digestam fuisse disciplinam. Neque enim in Oriente tam religiosa erat continentiæ observantia, quàm in Occidente; magis laborabatur, ut ne post ordinationem uxores ducerent, quàm ut ne priùs ductis copularentur: Episcopi arctiori vinculo continentiæ stringebantur quàm cæteri; quibusdam in Provinciis Lectores ipsi & Psalmistæ nuptiis interdicebantur, ut perspicuum est ex Canone Concilii Calchedonensis; denique Subdiaconi alicubi cælibatum colebant, sed rarissimum id erat. At in Occidente non magni pendebant, ante, vel post ordinationem initum fuisset conjugium, perinde uxoribus abstinere majores Clerici cogebantur. Subdiaconi sibi ferè permissi sunt, per hæc priora quinque sæcula; nec in usum recepta est Leonis Papæ de iis Constitutio. Presbyteratûs & Diaconatûs necdum ejusmodi fuerunt impedimenta, quæ conjugium postea contractum dirimerent, etsi id postea temporis diuturnitate præstitum sit. Pœnæ in Presbyteros & Diaconos, conjugii initi, vel incontinentiæ reos, non magnopere graves fuere, nec eædem ubique.

Can. 14.

III. Cùm aures Latinæ Ecclesiæ Pontificibus & Conciliis accommodaverimus, æquum est ut eas & ejusdem Patribus benevolas adhibeamus. Ambrosius negat Sacerdotem sacratissimæ hostiæ, quæ Christus ipse, quæ ipsa castitas est, posse à cælibatûs nexu relaxari, etsi ante sacerdotium conjuges duxissent. Sed non ultra Diaconos ille vel sacerdotium, vel istam sacerdotalis continentiæ necessitatem porrigit; nec ullius meminit pœnæ in delinquentes. *Inoffensum autem exhibendum, & immaculatum ministerium, nec ullo conjugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio conjugali, sacri ministerii gratiam recepistis. Quod eò non præterii, quia in plerisque abditioribus locis, cùm ministerium gererent, vel etiam sacerdotium, filios susceperunt: & id tanquam usu veteri defendunt, quando per intervalla dierum sacrificium deferebatur. Et tamen castificabatur etiam populus per biduum vel per triduum, ut ad sacrificium purus accederet.* Ubi perspicis ineptissimam eorum causationem, qui continentiæ legi illudebant Presbyteri, Diaconique. Hinc saltem accedet aliquid roboris nostræ priùs conjecturæ; indiligentiam Græcorum in servanda & in exigenda majorum Ordinum continentia inde profectam esse, quòd rarius illi aras, sacra & incruentæ hostiæ immolationem frequentarent. Quàm inaniter autem hoc prætexeretur, ex eo demonstrat Ambrosius, quòd populus biduum triduumque impenderet castitati, ut ad sacrificium purus accederet.

Offic. l. 1. c. ult.

Epist. 82.

Observat idem Ambrosius alibi, insinuari à Paulo necessitatem cælibatûs, ubi vult Episcopum ac Presbyterum eligi, *filios habentem subditos*. Quem in locum præclarè Ambrosius, *Habentem dixit Paulus filios, non facientem.* Denique ex Ambrosio, ejusmodi presbyteris ac Diaconis, incontinentiæ exempla siqua venarentur, altiùs necesse fuit à veteri ea usque testamento repetere. Ergo nulla à prioribus Ecclesiæ sæculis suppetebant.

IV. Nec minus vehementer detonuit Hieronymus in eos, qui incontinentiæ suæ patrocinia è veteri Testamento accersebant. *Si laicis imperatur, ut propter orationem abstineant se ab uxorum coitu; quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis, illibatas Deo oblaturus est victimas. Nisi audisset Abimelec, ab heri & nudius tertius vacasse ab opere conjugali, David & pueris ejus nequaquam panes propositionis concessisset. Tantum interest inter panes propositionis & corpus Christi, quantum inter umbram & corpora, &c.* Ex quibus ratiocinatur sanctus Pater, *castitatem sacerdotalem* altioris esse fastigii, puritatisque & sanctimoniæ, quàm aliam quamlibet, ut quæ accedere propiùs debeat ad puritatem sanctitatemque incomprehensam ejus Victimæ cælestis, cui sacerdotium istud dicatum est *Quomodo igitur mansuetudo, patientia, sobrietas, benignitas præcipuè esse debent in Episcopo, & inter cunctos laicos eminentia; sic & castitas propria, & ut ita dixerim, pudicitia sacerdotalis; ut non solùm ab opere se immundo abstineat, sed etiam à jactu oculorum, & cogitationis errore, mens Christi corpus confectura, sit libera, &c. Sit Episcopus abstinens non tantùm à libidine & ab uxoris amplexu, sed ab omnibus animi perturbationibus.*

In Epist. ad Ephes. c. 1.

V. Quæ verba Hieronymi huic nostræ conjecturæ non parum favent, prioribus sæculis pœnas idcirco in prævaricatores continentiæ raro constitutas, quod cùm esset de incredibili immaculati Sacrificii puritate opinio maxima; tum illud omnes haberent persuasissimum, oportere puritati Victimæ Presbyteri puritatem aliquo modo respondere. Tot enim & tanti laïci, hortante Paulo, consilia amplexi Evangelica, aut uxorem ducebant nunquam; aut uxorem habentes, erant tanquam non habentes: ut sacri Ministri non possent non erubescere, si quos laici ut magistros suspicerent, sui saltem imitatores non haberent. Tam crebra in Clericos, tam atrox erat persecutio, ut vel inviti Paulo cogerentur parere, & uti hoc mundo tanquam non uterentur. Nondum è fidelium animo exciderant Apostolorum virorumque Apostolicorum exempla,

quibus quasi vivente & animata lege ad imitationem illorum Presbyteri Diaconique excitarentur. Postquam remisit fervor, Clericorumque vitæ molli & delicatulæ locum & vires dedit Ecclesiæ pax, & quæ subsecuta sunt tranquilliora tempora, tum Pontifices, tum Concilia pœnas decrevere, ut quam hactenus castitatis legem solo charitatis instinctu custodierant, pœnæ saltem jam atque ignominiæ metu servarent.

VI. Confirmari id potest ex iis verbis, quæ habet Augustinus ad eos laicos, qui cùm proprias uxores dimisissent, alias vellent ducere: incontinentiam hoc uno defendentes, quòd essent incontinentes, nec possent castè vivere. Oppugnat illos Augustinus exemplo Clericorum, qui persæpè ad Ecclesiasticas dignitates & ad sacros Ordines pertrahuntur, vim faciente populo. Hi porro etsi inviti & repugnantes sacris Ordinibus initiati sint, nihilo tamen secius cedunt aliquando tandem, serviuntque non illibentes beatæ necessitati, & exercendi sacri Ordinis, & continentiæ servandæ. *Solemus eis proponere etiam continentiam Clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem Domino adjuvante perducunt.*

*De adulter. conjug. l. 2. c. ult.*

Nec audienda hominum libidinosorum ad hæc Augustini verba responsio, *Sed illos inquiunt honor plurimùm consolatur.* Sic enim illi, aut tergiversantes, aut vehementer allucinantes. Sola namque sanctissimi ac præstantissimi sacerdotii, quæ in eorum adhuc vigebat animo existimatio, ne ullum quidem dubitandi locum relinquebat, quin tenerentur vinculo cælibatûs, etiamsi facta vis sibi esset, ut illud subirent oneris. Nam si legem spectassent solam, habuissent certè ex illata sibi violentia, quod aut in speciem aut verissimè afferrent ad consequendam ejusmodi dispensationem aliquam, qualem Diaconis iis quos Episcopos invitos & reluctantes ordinaverat, Synodus Ancyrana concessit. Verùm hæc erat infixa in omnium animis sanctitatis & eminentiæ sacerdotalis opinio, ut nemini tale aliquod dubium talisque defensio veniret in mentem. Tantum autem abest ut hæc rarò contingerent, ut Augustinus dicat, *Plerumque capiuntur inviti.* Quopræterea sermo superiùs confirmatur. Enimvero si ea erat eorum vitæ morumque sanctimonia, ut talea esse existimaret populus, quibus vim adhiberi oporteret: ipsi verò nonnisi coacti ad dignitates Ecclesiasticas possent adduci: dubium esse non potest, quin ea illi quæ antè diximus de sacerdotii sanctitate & amplitudine sentirent. Ea enim tantùm de causa sacerdotium fugitabant, quòd incredibili quadam animi corporisque sanctimonia præditos esse debere illos, qui eo inaugurarentur, exploratissimum haberent. Est autem ejus sanctitatis pars aliqua in continentia posita. Denique alicubi inferiùs declarabimus, eos qui se prioribus his sæculis sacerdotio devoverent, plerumque perfectionis Evangelicæ consilia solitos esse profiteri, ne aliquando erubescerent, cùm ad eadem sectanda consilia fideles quoslibet adhortarentur. Cùm enim illis necesse esset pro ratione suscepti officii ad paupertatem, continentiam, vitamque perfectiorem invitare & inflammare populos, faciliè intelligebant, ea quæ docerent alios, ab iis saltem ex parte aliqua fieri oportere, & doctrinam suam operibus astrui.

*Can. 10.*

*Art. 6. Art. 109.* VII. Ferrandus & Cresconius in suo Canonum Breviario continentiæ fræno solos coërcent Diaconos, Presbyteros & Episcopos. Dicam infrà temporibus & Constitutionibus Justiniani Imperatoris in Oriente, Gregorii Magni in Occidente, cœpisse Subdiaconos eidem cælibatûs statuto subjici. Tunc enim Subdiaconatus ex inferiorum ad superiorum Ordinum classem conptatus est. Nec abhorret à vero, augescente in dies fidelium multitudine, Diaconos sarcinæ suæ jam minùs pares, adscivisse sibi à quibus levarentur Subdiaconos, & aliquam in sui ministerii partem eos sibi subrogasse. Quando autem ad sacra Altarium munia propiùs accedere cœperunt Subdiaconi, tunc & strictiùs ei continentiæ sunt mancipati, quæ Sacrorum Ministros decet.

VIII. Non erit alienum à proposito, si post Presbyterorum Diaconorumque cælibatum, illud Hieronymi præceptum subjiciam, quod ex eo nascitur, ut ne cui nuptias suadeant. Cùm enim non continentiam tantùm sectari se, sed & promulgare, & pro viribus ejus amorem animis hominum instillare profiteantur, non debent privatis sermonibus consiliisque quæ clanculum insusurrant, ea oppugnare atque evertere cælestis sapientiæ placita, quæ palam atque è suggestu publicavere. *Prædicator continentiæ nuptias ne conciliet. Qui Apostolum legit, Superest, ut qui habent uxores, sic sint, quasi non habeant: Cur virginem cogit ut nubat? Qui de monogamia Sacerdos est, quare viduam hortatur, ut digama sit?* *Epist. ad Nepotian.*

Ulteriùs progreditur Hieronymus, cum vetat ne lingua consectandæ virginali bosti ædicata, sermonibus otiosis periculosisque de mulierum pulcritudine sordescat: *Officii tui est non solùm oculos castos servare, sed & linguam. Nunquam de formis mulierum disputes.* *Ibidem.*

IX. Fuit & istud longè majus generaliusque Clericorum officium, ut ne quam domi suspectam mulierem retinerent, hoc est, ut pene nullam haberent: quoniam plerique omnes amant de Clericis malè suspicari. Concilium Antiochenum hoc maximè in Paulo Samosatensi reprehendit atque damnavit, quod pravo suo exemplo in Ecclesia Antiochena confirmaverat, ut Presbyteri & Diaconi suæ tum existimationi, tum saluti exitiosissimas fœminas, quas συνεισάκτους, *subintroductas* vocabant, domi haberent. Eadem voce utitur Concilium Nicænum, cum easdem proscribit è Clericorum contubernio mulierculas: Clericos enim omnes complectitur Nicænus hic Canon, quo & eæ designantur fœminæ, quas retinere conceditur, ut ab omni prorsus suspicione immones. *Nec alicui omnino qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem,* συνείσακτον, *nisi fortè aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantùm personas quæ suspicionem effugiunt.* *Euseb. Hist. l. 7. c. Conc. Nic. c. 3.*

X. Finitimus est Nicæno Canoni Eliberitanus, Clericos enim & ipse omnes complectitur, nec fœminas ullas patitur cum iis easdem incolere ædes, nisi cognatione proximas, & quidem si se Deo illæ casta religione devoverint. *Episcopus vel quilibet Clericus aliùs aut sororem, aut filiam virginem dicatam Deo tantùm secum habeat, extraneam verò nequaquam secum habeat.* Conciliũ Carthaginense I. hac lege ablegandos extraneos omnes suis ab ædibus constrinxit omnes illos illasque penitus, qui corpus suum continentiæ consecrassent: *Nullus igitur, nullaque sanctimonia, & virginitati deserviens, propter blasphemiam Ecclesiæ, si vobis placet, in una domo cum extraneis penitus commorari debeat.* Concilium Carthaginense III. Nicæno Canoni novas vires novumque vigorem addidit, & paulò accuratiùs atque disertiùs expressit quæ essent fœminæ in quas non caderet suspicio, & quæ proinde à Clericorum domo non arcerentur: *Can. 27. Can. 3. 4.*

Vt

Can. 17. *Vt cum omnibus omnino Clericis extranea femina non habitent, sed sola matres, avia, matertera, amita, sorores, & filia fratrum aut sororum, & quacumque ex familia domestica necessitate, etiam antequam ordinarentur, jam cum eis habitabant: vel si filii eorum, jam ordinatis parentibus, uxores acceperint, aut servis non habentibus in domo quas ducant, aliunde ducere necessitas*
Can. 5. 8. *fuerit.* Hoc utroque Concilio prohibiti sunt Clerici virgines viduasque invisere, nisi permittente Episcopo, & alio quopiam Clerico concomitante. Ne Lectores quidem ipsos patitur Concilium To-
Can. 6. letanum I. domi habere fœminas, præterquam soro-
Epist. 2. res. Siricius Papa in Epistola Decretali stari voluit
c. 11. Decreto Concilii Nicæni.

XI. Invecti vehementissimè sunt & Græci & Latini Patres in eas extraneas, quas Agapetas vocabant, quasi spiritali tantùm charitate dilectas. Excommunicationem Presbytero intentavit Basilius Paregorio, tametsi septuagenario, suspendítque ab omni illum officio, donec eam cujus utebatur ministerio, domo ejecisset. Adversùs Agapetas conciones multas habuit Chrysostomus, & tandem è Clericorum domibus omnes exturbavit. Omnium autem acerbissimè ac vehementissimè de prava illa
Epist. 22. ad Eustoch. consuetudine dixit Hieronymus: *Vnde in Ecclesias Agapetarum pestis introiit? Vnde sine nuptiis aliud nomen uxorum? Imò unde novum concubinarum genus? plus referam, unde meretrices univira? Eadem domo, uno cubiculo, sæpè uno tenentur lectulo, & suspiciosos nos vocant, si aliquid extimemus. Frater sororem virginem deserit, calibem spernit germanam, fratrem quarit extraneum. Et cùm in eodem proposito esse se simulent, quarunt alienorum spiritale consortium, ut domi habeant carnale commercium.*

XII. Fuit in ea re cum primis lubrica & periculi plenissima, cautior ac diligentior Augustinus, ipsis etiam Canonum decretis austerior. Ne ingredi quidem unquam passus, nedum inhabitare mulierculas Episcopalem domum suam: ne sororem quidem, etsi Deo sacratam, non cognatas, non neptes. Aiebat enim, si extra suspicionem sint hæ fœminæ, at non idem constare de iis quæ ad eas ventitant, quæ invisunt, quæ famulantur. Nec invisi se passus est unquam à mulieribus, nisi comes sibi testísque hæreret lateri Clericus. Monialium Monasteria nisi summa adactus necessitate non visitavit. Denique tenacissimè illud Ambrosii secutus
Cap. 26. 27 est, ne cuiquam eligendi conjugis author esset. Accipe jam verba ipsa Possidii: *Fœminarum intra domum ejus nulla unquam conversata est, nulla mansit, nec quidem germana soror, qua vidua Deo serviens, multo tempore usque in diem obitûs sui Præposita Ancillarum Dei vixit. Sed neque patrui sui filia, & fratris sui filia, qua pariter Deo serviebant. Quas personas sanctorum Episcoporum Concilia in exceptis posuerunt. Dicebat verò, quia etsi de sorore & neptibus secum commorantibus nulla nasci possit mala suspicio; tamen quoniam illa persona sine aliis secum manentibus feminis esse non possent, & quod ad eas etiam alia de foris intrarent, de iis posse offendiculum aut scandalum infirmioribus nasci, &c. Et si fortè ab aliquibus feminis ut videretur, & salutaretur, rogabatur, nunquam sine Clericis testibus ad eas intrabat, vel solus cum solis nunquam est locutus, nisi secretorum aliquid interesset, &c. Fœminarum Monasteria nonnisi urgentibus necessitatibus visitabat. Servandum quoque referebat, quod in institutis sancta memoria Ambrosii compererat, ut uxorem cuiquam nunquam posceret.*

XIII. Duo supersunt nobis hîc obiter observanda. Primum est de Subdiaconis, qui continentiæ vinculo vel ligati, vel absoluti fuere, prout in aliis aliísque Ecclesiis ad aras & ad vasa sacra propiùs accedebant, aut vetabantur accedere. Præter Epistolas Leonis suprà relatas, quæ id apertum faciunt: habes & hunc Concilii II. Carthaginensis Canonem, qui expressè idem pronunciat: *Vt con-* Can. 2.
*decet sacrosanctos Antistites & Dei Sacerdotes, necnon & Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse: Omnibus placet ut Episcopi, Presbyteri & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitia custodes, etiam ab uxoribus se abstineant.* Ex quo illud emicat, locis temporibusque illis Subdiaconos continere jussos, ubi ministerio altaris aliquo fungebantur; ubi nullas hujusmodi partes sacri ministerii sustinebant, nulla hujusmodi necessitate artatos fuisse. Hinc profecta illa circa Subdiaconos tanta varietas. Siricius & Innocentius liberos illos esse voluere & à continendi & à ministerii sacri vinculo. Leo I. cœpit ea illos arctare lege; sed res successu caruit. Rursum Gregorius Magnus Leonis legem executioni mandare cœpit; sed nec ipsi res ex animi sententia processit: cùm Concilia Romæ habita sub Gregorio II. nulla continentiæ fibula constrictos fuisse Subdiaconos senserint. Concilium Venetum Armorica in Provincia anno 453. Decreto Leonis aut obsequitur, aut præit, Subdiaconosque cælibes esse supponit. Sed jam ostensum suprà est, id minimè reliquis in Galliæ Provinciis obtinuisse. Nec in ea ipsa Provincia diu res viguit. Quippe Concilium Turonense anni 461. Veneto prorsus adversatur.

XIV. Sed est & aliud quod in eodem Concilio observes, quod eam legem intra Subdiaconos non coarctet. *Presbyteri, Diaconi, atque Subdiaconi, vel deinceps quibus ducendi uxores licentia non est.* De Monachis fortè illud, *vel deinceps*, posset intelligi. Can. 11.
Verùm placuit aliis quoque Conciliis non solos ex inferioribus Clericis Subdiaconos cælibatûs lege complecti. Concilium Eliberitanum juxta quandam editionem legem hanc imponit *omnibus Clericis positis in ministerio.* Concilium verò Carthaginense Can. 33.
III. statuit, *Vt Lectores cùm ad annos pubertatis ve-* Can. 19.
*nerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.* Concilio Carthaginensi V. placuit supe- Can. 3.
riores tantùm Ordines cælibatûs lege frænari. *Ceteros autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundùm uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere.* Calchedonense Concilium testificatur & ipsum, non Can. 14.
omnibus in Ecclesiis copiam factam esse minoribus Clericis uxores ducendi. *Quoniam in quibusdam Ecclesiis concessum est Lectoribus & Psalmistis uxores ducere.* Et Generali ergo huic Concilio consultius visum est singulas Ecclesias privatis suis legibus moribusque permittere, quanquam essent summa quædam majoris momenti capita Disciplinæ, in quibus Ecclesiæ prorsus omnes consentirent. Sicut alii aliis temporibus obtinuere mores; & sunt tamen in quibus nullo non tempore fidelibus omnibus convenisse videtur.



## CAPUT LXII. *P. 2. l. 1. c. 27.*

### De Cælibatu Clericorum in Gallia sæculo VI. VII. & VIII.

*I. Regula & cautiones Concilii Agathensis ad continentiam Clericorum muniendam. Partes ædium diversas & semotas à conjugibus incolebant. An Clerici minoribus Ordinibus jam initiati, possent conjugari.*

*II. Eadem regula in aliis Conciliis firmantur. An Subdiaconi continere juberentur. Cur sola depositione mulctarentur Clerici majores, qui ducebant uxores.*

*III. Cautiones novæ Concilii Turonensis II. De cælibatu Subdiaconorum. Munimenta Monastica ipsius continentiæ.*

*IV. Novum de cælibatu Subdiaconorum statutum, cui tamen non omnes morem gessisse per hæc tria sæcula videntur.*

*V. Miræ Gregorii Turonensis narrationes de continentia Episcoporum.*

*VI. Plura illis comparabantur præsidia, & munimenta adversus tentationes & calumnias.*

*VII. Genebaldi casus. Cæsarii Arelatensis circumspectio.*

I. INnovata sunt in Concilio Agathensi statuta Innocentii I. & Siricii Pontificum, adversùs Presbyteros & Diaconos post ordinationem suam, uxoribus suis consuescere cupientes: *Si Diaconi, aut Presbyteri conjugati ad thorum uxorum suarum redire voluerint.* 2. Vetuit hæc eadem Synodus,
Can. 9. 10. 11. ne Clerici omnino ulli mulieres extraneas in suas ædes admitterent, vel eas ipsi frequentarent: *Nullus Clericorum extraneæ mulieri qualibet consolatione, aut familiaritate jungatur, & non solùm in domo illius extranea mulier non accedat, sed nec ipse frequentandi ad extraneam mulierem habeat potestatem.* 3. Non patitur autem demorari in eorum ædibus, nisi matres, sorores, filias, neptes; quòd vel ipsa horum nominum sanctitas, & intus tentationes, & foris calumnias opprimere, vel antevenire posset. *De quibus nominibus nefas est aliud, quàm natura constituit, suspicari.* Voces ipsæ sunt Nicænæ Synodi. 4. Cùm autem nec Clerici, nec eorum proximæ mulieres possint omni carere ministerio, vel servarum, vel libertarum, eas ablegat hæc Synodus in alia ejusdem domûs habitacula, procul semota à Clericorum cellariis, cubilibusque. *Ancillas vel libertas à cellario, vel à secreto ministerio, & ab eadem mansione in qua Clericus manet, placuit removeri.* 5. Necdum ergo ad cælibatum nisi Diaconi, & superiores Ordines adigebantur. Si conjugati autem juvenes offerrent se Episcopo ordinandos, & ad Diaconatum usque promovendos, tum ipsi, tum eorum conjuges continentiæ jam tum voto astringebantur, & ejusdem domûs sepositis cubiculis jubebantur habitare.
Can. 16. *Si conjugati juvenes consenserint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda est, ut sequestrato mansionis cubiculo, religione præmissa, posteaquam conversi fuerint, ordinentur.* 6. Quanquam autem nec Subdiaconi, nec inferiores alii Clerici abstinere juberentur conjugibus ante ordinationem ductis; non poterant tamen uxores ducere post ordinationem, aut non omnes saltem poterant. Id apertè insinuat eadem hæc Synodus, cùm adesse illos vetat nuptiis sæcularium, quòd nec ipsi ad
Ibidem. Can. 39. nuptias convolare possint: *Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, vel deinceps quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia.* Necesse ergo erat, ut minoribus etiam Clericis interdiceretur nuptiis post Ordinationem, more Græcorum, etsi priùs ductis uxoribus abstinere non juberentur: aut convenienter Africanis Canonibus, Clerici minores certa quadam ætate cogerentur, vel conjugari, vel profiteri continentiam. 7. Quam autem promit Synodus rationem hujus præcepti, quo vetantur nuptiis quibuslibet Clerici interesse: ea ad omnia porrigitur quæ suprà dicta sunt: *Ne auditus & obtutus sacris mysteriis deputati, turpium spectaculorum atque verborum contagione polluantur.*

II. Concilio Epaonensi prohibentur Clerici prorsus omnes mulieres invisere horis pomeridianis: quo videtur non ambigi, quin antemeridianæ Ecclesiasticis vel Officiis, vel lectionibus divinis insumptæ fuerint; permittuntur porro eas invisere, quando instabit necessitas, dum comites adhibeant sibi testesque Clericos alios. *Episcopo, Presbytero,* Can. 20.
*Diacono, vel cæteris Clericis, horis præteritis, id est, meridianis vel vespertinis ad fœminas prohibemus accessum. Quæ tamen si causa fuerit, cum Presbyterorum aut Clericorum testimonio videantur.* Aurelianensis II. Can. 8.
Synodus Diaconum gradu ejicit, qui cùm captivus ab hostibus abduceretur, vi adactus uxorem duxit: quin nec communioni redditur, nisi expleta pœnitentia. Concilium Arvernum docet Presbyte- Can. 13. 16.
rum & Diaconum ubi ordinantur, tunc demum sorores habere incipere, quas antè haberent uxores: *Uxoris prius suæ frater illico efficiatur ex conjuge:* nec jam posse nisi incesta conjunctione copulari. *Incesti quodammodo crimine clarum decus Sacerdotii violasse.* Denique innovatur hoc Concilio Nicæni decretum, ne domi suæ Clerici majores habeant fœminas quascunque, nisi quas natura ipsa suspicioni & calumniæ subducit; à cubiculo autem vel cella eorum omnes omnino mulieres summovet: *In cubiculo etiam horum atque Cellario, vel familiari quolibet servitio, neque sanctimonialis ulla, neque extranea mulier, neque ancilla ullo modo admittatur.* Hæc ibi Episcopis, Presbyteris, Diaconisque mandantur. Concilium Aurelianense III. statutis his Ann. 538.
omnibus novum robur addit, ut extraneas mulier- Can. 4.
culas omnes eliminet è domibus Clericorum; & non modò pœnas decernit in Episcopos, qui sanctissimarum harum legum violatores inultos esse permiserint; sed & Metropolitanos armat in Episcopos officii hujus sui incuriosos, Metropolitanorum autem desidiam Synodo Provinciali ulciscendam servat. Sed illud in hoc Concilio peculiare est, quod Subdiaconos fræno continentiæ subjiciat.
*Nullus Clericorum, à Subdiacono & supra, qui uxo-* Can. 2. 7.
*res in proposito suo accipere inhibentur, propria, si fortè jam habeat, misceatur uxori. Quod si fecerit, deponatur.* Si Clerici majores conjugio se implicent, deponuntur in hac Synodo: etiam communione summoventur, si lubentes & nil repugnantes ordinati fuerant. Unde rursus conjicias, quod sola depositione pœnas darent initi conjugii Clerici majores, in causa forsan fuisse, quòd persæpè adhuc invitis & renitentes ordinarentur. Concilium tamen IV. An- Ann. 541. c. 17.
relianense Subdiaconos lege continentiæ non infirmavit; experientia forsan edocuerat, vix, aut nec vix adhuc obtineri id posse; at Presbyteri Diaconique non totis ædibus conjuges excludere jussi sunt, sed lecto & conclavi. *Ut Sacerdotes, sive Diaconi cum conjugibus suis non habeant communem lectum & cellulam, ne propter suspicionem carnalis consortii religio maculetur. Quod qui fecerint, regradentur.* Con- Ann. 549. c. 4.
cilium denique Aurelianense V. Clericos prorsus omnes videtur vinculis continentiæ innectere: *Si quis Clericus, post acceptam benedictionem cujuslibet loci vel ordinis, ad conjugalem thorum jam sibi illicitum denuo redire præsumpserit, deponatur, &c.* Hæc

*Benedictio* manuum forte impositionem sonat; ita complectitur hoc statutum Diaconos, Presbyteros, & Episcopos, & Subdiaconos ad summum, si cœperant Gallicani Præsules, sicut & Hispani, de quibus proximo post capite, Subdiaconis manus imponere.

III. At in Concilio Turonensi II. luculentissima occurrunt disciplinæ hujus elucidamenta. Subdiaconi enim & superiores omnes ibi Clerici prohibentur domi suæ extraneas pati mulieres, & extraneas habere jubentur prorsus omnes, præter matrem, filiam, aut sororem. Quod ad ancillas autem spectat, cùm jubeant eos Canones manibus propriis & artificiolo victum vestitumque quærere, non alia (Ann. 567. Can. 10.) ergo illi parare sibi debent servitia. *Nullus deinceps Clericorum pro occasione necessitatis, aut causa ordinandæ domus, extraneam mulierem in domo sua habere præsumat. Et cum jubeamur victum aut vestitum artificiolo quærere, & propriis manibus laborare, quid opus est in domo serpentem includere. Nullus ergo Clericorum, non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus, non Subdiaconus, quasi sanctimonialem aut viduam, vel ancillam propriam pro conservatione rerum in domo sua stabilire præsumat. quia & ipsa extranea est, dum non est mater, aut soror, aut filia.* Quas verò ante ordinationem conjuges duxerant, remoto cubiculo eas jubebantur seponere; sed ante alios Episcopus prælucere Clericis aliis debebat, tum uxoris quondam suæ sequestratione, tum fido Clericorum plurium contubernio, quorum se oculis subducere vetabatur, ut ne in interiori quidem cubiculo testibus careret; denique si remissior esset Episcopus in hac officii sui parte, potestatem facit Synodus ejus Clericis, ut fœminas omnes Episcopalibus ædibus (Can. 12. 13.) ejiciant. *Episcopus conjugem, ut sororem habeat, &c. Et licet Clericorum suorum testimonio custus vivat, quia cum illo tam in cella, quàm ubicumque fuerit, sui habitent, eumque Presbyteri & Diaconi vel deinceps Clericorum turba juniorum Deo authore conservent; sic tamen tam longe absint mansionis propinquitate divisi, ut nec hi qui ad spem recuperandam Clericorum servitute nutriuntur, famularum propinqua contagione polluantur.* Et paulò pòst: *Episcopum Episcopam non habentem, nulla sequatur turba mulierum, &c. Clerici qui Episcopo serviunt, & eum custodire debent, habeant licentiam extraneas mulieres de frequentia cohabitationis ejicere.* Denique ut eximantur Clerici, & suspicionibus & maledicentiæ laïcorum, qui plerumque aliis ea facillimè affingunt, quorum sibi conscii ipsi sunt: utque licentiùs suæ indulgeant libidini, ab exemplo Clericorum patrocinium sibi venantur: jubet hæc Synodus ne unquam Clerici uno eodemque le-(Can. 14) cto duo accubent. *Ne occasio famam laceret honestatis, quia laici, hoc quod de se sciunt, in aliis suspicantur, &c. Nullus Sacerdotum ac Monachorum collegam alium in lecto suo præsumat.* Jubentur & Monachi uno omnes conclavi lectos habere, nec ullis discludi qualibuscunque muris, aut septis; ubi ibi Abbas, vel Vicarius ejus præsit: utque accensa pernox lampas ardeat, ad quam vicissim duo tresve excubias agant, lectitentque. *Ut dum duo vel tres vicissim legant & excubent, alii consolentur; ut non solum sit custodia corporum, sed & surgat pro lectione assidua profectus animarum.* Subdiaconos hæc Synodus cælibes agere jubet; si verò incontinentiæ se dedant, peræquè ut alii superiores Clerici, & ex-(Can. 19.) communicatione, & depositione plectuntur. *Si inventus fuerit Presbyter cum sua Presbytera, aut Diaconus cum sua Diaconissa, aut Subdiaconus cum sua Subdiaconissa, &c.* Quoniam autem in oppidis & villis commoratio conjugum in iisdem ædibus cum Clericis locum quandoque crimini, ansam semper calumniæ præbebat: plures cautiones adhibuit hæc Synodus, ut malum istud præverteretur. Statutum est ergo ut Archipresbyteri aliquem semper & comitem & custodem individuum ex Clericis suis haberent: Parochi autem Clericique alii majores, in conjugum suarum cubiculo excubitores haberent servos omnes, sibi verò ipsis conclave haberent reconditum, ubi orare & somnum capere soli possent. *Unus Lector Canonicorum suorum, aut certus aliquis de numero Clericorum cum Archipresbytero ambulet, & in cella ubi ille jacet, lectum habeat pro testimonio. Reliqui Presbyteri & Diaconi, & Subdiaconi vicani, hoc studio se custodiant, ut mancipiola sua ibi maneant, ubi uxores suæ: illi tamen segregatim solitarii in cella jaceant, & orent & dormiant.*



IV. Synodus Altisiodorensis in eandem rem ita statuit: *Non licet Presbytero post acceptam benedictionem in uno lecto cum Presbytera sua dormire, nec Diacono, nec Subdiacono.* (Can. 20. 21. 22.) Denique majorum Clericorum viduis iterum nubere prohibet hæc Synodus. Inhibet (Can. 5. 11.) Concilium Matisconense I. ne quando Episcopus in cubiculum suum mulierem admittat, nisi unà adsint Presbyteri vel Diaconi duo. Dubium est autem, an in eo Concilio hæc verba *Episcopi, Presbyteri, vel universi honoratiores Clerici*, Subdiaconos continentiæ subjiciant. Nondum videtur certa tum fuisse, sed instabilis & ambigua valde circa Subdiaconos sive lex, sive consuetudo. Neque enim eos continentiæ subjicit Concilium Lugdunense III. *Si qui-* (Can. 2.) *cumque uxoribus juncti ad Diaconatûs aut Presbyteratûs ordinem, quoquo modo pervenerint, non solùm lecto, sed etiam frequentatione quotidiana debeant de uxoribus suis sequestrari.* Atque haud scio, an quod de Subdiaconorum continentia Gregorius Magnus constituit, turbatis paulò pòst in Gallia & Germania rebus, tum civilibus, tum Ecclesiasticis, id diligentissimè fuerit diuque observatum. Nam Apo-(Zachar. Epist. 2.) stolus Germaniæ Bonifacius suis ad Zachariam litteris, & Zacharias iis quas rescripsit Bonifacio, de sola Diaconorum incontinentia conqueruntur. Non quòd obsequentiores essent ei legi Subdiaconi, sed quia solutiores.

V. Non pigebit verò hîc commemorare quæ narrat Gregorius Turonensis de S. Austremonii Episcopi Arvernensis successore, Senatore antè clarissimo: *Uxorem habens quæ juxta consuetudinem Ecclesiasticam, remota à consortio Sacerdotis, &c. Nova Eva pergit ad domum Ecclesiæ per tenebras noctis, &c. Tandiùs ad se reversus, & de perpetrato scelere condolens, ad luendam pœnitentiam Diœcesis suæ Monasterium expetiit, ibique cum gemitu ac lacrymis quæ commiserat diluens, ad urbem propriam est reversus. Nam filia in religione permansit.* Longè plura quàm præcipiunt Canones, ut sibi caveret ab uxore, adhibuerat Præsul iste, lapsus tamen est, & lapsu edocuit suo, quàm necesse fuerit posterioribus sæculis, eorum qui Sanctis imitarentur, uxores intra Monasteriorum septa concludi. A domo quidem non amoverat sua uxorem Sidonius Apollinaris, Arvernæ civitatis & ipse Episcopus: verùm ea fuit ejus & castitas & castitatis fama, quam nec maledicentissimi arrodere auderent; ea virtus & pietas, quæ omnium in se oculos & admirationem converteret: ea maximè erga pauperes liberalitas, quam his idem Gregorius Turonensis verbis commendavit: *Cùm esset magnæ sicut* (Ibidem. l. 2. c. 22.) *sanctitatis, atque ex Senatoribus primis, plerumque nes-*

*ciente conjuge vasa argentea auferebat à domo, & pauperibus erogabat. Quod illa cùm cognosceret, scandalizabatur tum, sed tamen dato egenis pretio, species domi restituebat.*

Ea sapientia, religione & virtutum constantia qui erant Episcopi, ii jure sibi permittebantur; nec sejungebantur ab uxorum ædibus, quos ab incontinentiæ labe tantò tutiora subducebant præsidia. Rursus idem Gregorius sibi agens de fratre Comitis Britanniæ minoris hæc refert: *Hic apostatavit, & demissis capillis uxorem quam post Clericatum reliquerat, cum regno fratris simul accepit, sed ab Episcopis excommunicatus est.* *L. 4. c. 4.*

Arctissima ergo erat continentiæ Clericalis fibula, cùm qui eam abruperant, Apostatæ haberentur, & subjicerentur excommunicationi. Etherius Episcopus Lexoviensis etsi annorum esset octoginta ex eodem Gregorio, *In strato suo quievit habens circa lectum suum multos lectulos Clericorum*, ut continentiæ suæ & testes haberet & imitatores. Bodegisillus Episcopus Cenomanensis pessimis uxoris consiliis non corpus quidem, sed animum coinquinavit. Ejus enim illum & vis & avaritia ad infanda quædam impulerunt. Simplicius ordinatus Episcopus Augustodunensis uxorem quam ut sororem semper intactam habuerat, ne tum quidem à lecto removit: *Non passa à stratu Pontificis submoveri.* Res offendiculo plebi fuit: in ipsaque nocte Natalis Domini tumultuatum in eos est, donec ardentibus prunis intacta illæsaque veste perlatis Simplicius plebem sedavit, eamque adduxit, ut crederet posse eos in eodem dormire lectulo, nec ardere, quorum potuisset vestis in ardentibus prunis non aduri. Denique eodem referente Episcopus quidam Nannetensis, *cùm ad honorem Sacerdotii accessisset, lectulum juxta ordinem institutionis canonicæ sequestravit.* Id uxor tulit ægerrimè: de viro etiam ipso malè aliquid suspicata; sed viso supra viri dormientis pectus agno candidissimo simul ac pulcherrimo, ab errore tandem suo resipuit. *L. 6. c. 36. L. 8. c. 39. De Gloria Confess. c. 76. Ibid. c. 78.*

VI. Clericos verò alios omnes monebat Gregorius Turonensis, ut remotis à domo mulieribus omnibus extraneis, quæ ex Concilio Nicæno extra suspicionem non erant, leges canonicas observarent. Neque tamen ad ea sigillatim ille descendit, quæ contra continentiam Clericalem ab illis commissa fuerant. Ex quo illud auguramur, evenisse rarissimè, ut contra castitatem gravissimè peccarent Episcopi, ita ut facilè possent exempla hujusmodi apud Historicos numerari. Nam & Episcopatûs sanctitas, in quo est Sacerdotii plenitudo: & Episcoporum, quàm Clericorum aliorum continentiæ strictior firmiorque lex, & jugis præsentia Clericorum ad omnia oculatissimorum, & in addiscendis considerandisque secretioribus Episcoporum rebus ac moribus perspicacior curiosiorque populi solertia intra strictissimas cælibatûs metas Episcopos cohibebat. *L. 8. c. 19.*

VII. Narrat Hincmarus Archiepiscopus Remensis, & post Hincmarum Flodoardus, Genebaldum Episcopum Laudunensem, qui *uxorem frequentiùs se visitare permisit*, suscepisse tandem ex ea filium, quem *Latronem*, & filiam, quam *Vulpeculam* appellavit. Ejus ut culpa maxima, ita & per annos septem pœnitentia non minor, qua peracta abrupta sunt ab Angelo vincula carceris, in quem fuerat à B. Remigio Remensi Metropolitano conjectus. Eam narrationem ne vel approbari à nobis, vel improbari necesse sit, dicemus fidei periculum esse penes Hincmarum. De sancto Cæsario hæc habet apud Surium diligentissimus vitæ ejus Scriptor: *Mulieres intra domum Ecclesiæ, non ad salutandum, non qualibet alia causa, nec religiosæ, nec propinqua, ancilla, nulla omnino fœminarum introeundi habuit licentiam. Et verè sancta, cauta & perfecta consuetudo, ut abscindatur omnis occasio maligna, sive sinistra suspicio.* Cùm fortè servi cujusdam filiam pueri veste indutam osculatos fuisset idem Cæsarius, tametsi ea tenella adhuc esset, vehementissimè indoluit, Deumque interpellavit, ut Episcopali osculo puella æternùm à matrimonio avocaretur. Paucis pòst diebus obiit puella, & ad Virginum Sponsum evolavit. *Vita S. Remig. per Hincmar c. 41. 42. L. 1. c. 32. L. 2. c. 35. Surius die 27. August.*

---

## CAPUT. LXIII. *P. 2. l. 1. c. 28.*

## De Cælibatu Clericorum in Hispania, Italia & Oriente VI. VII. & VIII. sæculo.

*I. Quæ sapienter caverint Hispaniæ Concilia, ut esset Clericorum continentia tutior, & ab eorum domibus mulieres summoverentur.*

*II. Continentiam spondent anno 18. minores Clerici. Lege continentiæ Subdiaconi alligantur.*

*III. Hæreticorum Clerici in servanda continentia minùs diligentes.*

*IV. V. Cœpere ab uxoribus separari majores Clerici, & ad continentiam cogi Subdiaconi, postquam iis & vasa sacra contrectare datum est, & imposita manus.*

*VI. Suscepti ab iis qui sunt in Ordinibus sacris, etiam ex propria uxore liberi, illegitimi declarantur.*

*VII. Removentur è Clericorum domo omnes excepta matre fœmina.*

*VIII. Qui cœpit in Italia Subdiaconos mancipare continentiæ Gregorius Papa, is jubet sponsam à Clerico majore in propria domo retineri. Clericorum majorum viduas iterare nuptias nefas erat.*

*IX. Optat Gregorius, ut Augustini exemplo Episcopi cognatas etiam & consanguineas domo arceant.*

*X. Exemplum Patochi mirum.*

*XI. Justiniani lex adversùs liberos Clericorum.*

*XII. Ex iis legibus non poterant Episcopi fieri, qui in matrimonio erant.*

*XIII. Concilii Trullani Canon de cælibatu, Ecclesiæ Romanæ contrarius.*

I. Hispanicæ Ecclesiæ cordi non minùs fuit summa Clericorum suorum castitas. Jubet Concilium Tarraconense ut Clerici consanguineas, cùm subest *necessitas*, visitent, idque rarò & *celeri salutatione*, & prætereà *testem solatii sui fide & ætate probatum secum adhibeant*. Gerundense verò Concilium satis indicat Subdiaconos, quanquam uxores domi retinerent, cælibatûs tamen teneri & ipsos vinculo, cùm ait: *A Pontifice usque ad Subdiaconatum, siquis ex conjugatis fuerit ordinatus, ut semper alterius fratris utatur auxilio, cujus testimonio vita ejus debeat clarior apparere.* Quibus autem sine ullo antè matrimonio res est domestica, *non per fœminei sexus personam quamcumque eorum substantia gubernetur, sed per amicum, nisi matrem aut sororem in domo habuerint, secundum priorum Canonum statuta.* *Can. 1. Ann. 517. Can. 7.*

II. Concilium Toletanum II. de iis agens qui à teneris unguiculis Clero adscripti sunt, tonsuraque & Lectorum ministerio initiati: *De his quos voluntas parentum à primis infantiæ annis in Clericatus officio posuit, cùm detonsi mox, ut ministerio Lectorum contraditi fuerint.* Cùm annum attigerint ætatis decimum octavum interrogari eos jubet Clero astante & plebe, *Coram totius Cleri, plebisque conspectu:* an velint continentiæ se illibatæ, reliquumque vitæ tempus devovere: si id spondeant lubentes, bien- *Can. 1.*

nio adhuc probari, & tum eos cùm annum agant ætatis vigesimum, Subdiaconos ordinari: *Subdiaconatus ministerium, probatione habita professionis suæ à vigesimo anno suscipiant*: si tum verò nuptias eligant, sibi permittuntur interim, & spes tamen illis ostenditur, si quando illos pertæsum fuerit conjugii, & ad castitatem ætate se maturiore contulerint, fore ut ad sacros Ordines admittantur. *Ita ut cum provectæ ætatis in conjugio positi, renunciaturos se operibus carnis pari consensu spoponderint, ad sacros gradus aspirent.* Quibus extremis verbis Subdiaconatus sacris accensetur Ordinibus, unde & pari cum eis continentiæ compede stringitur; ideo Subdiaconis ibidem, sicut & majoribus Clericis omnibus excommunicatio intentatur, nisi quascumque mulierculas domo abigant.

III. Eximia hæc castitas propria est Ecclesiæ Catholicæ, quæ nisi virgo intemerata æternùm maneret, neutiquam Christi sponsa esse posset. Ideo & Concilium Toletanum III. vicem dolet Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorumque, qui ab hæresi ad Ecclesiæ unitatem cùm se recollegissent, castitati Ministrorum ejus ægrè insuescebant, ut à qua tam alieni fuissent, quàm ab ipsa: *Compertum est à sancto Concilio Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, venientes ex hæresi, carnali adhuc desiderio uxoribus copulari.* Non continere autem dumtaxat præcipiuntur ab uxoribus, sed & ab earum conclavi, immo & ab ipsis earum ædibus secedere: *Non sub uno conclavi maneant, & certè si suffragatur virtus, in aliam domum suam uxorem faciant habitare.* Denique in classem Lectorum deprimuntur majores Clerici, si castitati suis Ordinibus consentaneæ injuriosi fuerint. Quod ad antiquos autem spectat Clericos Ecclesiæ Catholicæ, si quas retineant pertinaciùs mulieres præter normam suprà ex Canonibus depromptam, facultas datur Episcopis eas venumdandi, pretiique in pauperes dispensandi. *Mulieres ipsæ ab Episcopis venumdatæ, pretium pauperibus erogetur.* (Can. 5.)

IV. Concilium Toletanum anni 597. Subdiaconos inter cælibes non coarctat. At Concilium Toletanum IV. jubet ut Presbyteri Diaconique cogantur continentiam profiteri, dum Episcopus illis Parochias administrandas confert: *Quando Presbyteri vel Diacones per Parochias constituuntur, oportet eos professionem Episcopo suo facere, ut castè & purè vivant.* Innovatur & ibi Nicænus Canon de fœminis quæ possunt easdem cum Clericis incolere ædes: itemque Canon Concilii Toletani III. de distrahendis mulieribus aliis, quàm quas patiuntur Canones unà habitare cum Clericis. Concilium VIII. Toletanum Episcopos monet, oculos ipsos esse ejus Capitis Ecclesiæ, quod ipsemet Christus est; eoque dandam operam, ut ea qua decet oculos, puritate & luce effulgescant: *Cùm Caput Ecclesiæ sit Christus, meritò in membris ejus intentio Episcoporum, officia peragere cernitur oculorum.* Si qua autem lascivia Presbyteri Diaconique ministerium suum commaculent, in Monasteria contrudendos esse, & pœnitentia atterendos: *Usque ad exitum vitæ suæ Monasteriis deputati, pœnitentiæ disciplinis maneant omnino subjecti.* Sed probandos explorandosque antè esse, sejunctis ab eorum consortio tum uxoribus propriis, tum mulierculis quibuslibet aliis, & in Monasteria conjectis: *Mulieres separentur, & Monasteriis tradantur.* Postremò denique cùm frivola illa Subdiaconi cavillatione illuderent regulis Ecclesiasticis, quòd dum ordinarentur, nulla Episcopali benedictione consignati essent; præcipit hoc Concilium, ut posthac in ordinatione Subdiaconorum, postquam vasa sacra contrectanda eis data fuerint, tum benedictionem effundat super eos Episcopus: quod consequuti semel Subdiaconi, si ad carnales rursus spurcitias dilabantur, atroci addicentur pœnitentiæ intra Monasterii alicujus claustra peragendæ. *Asserentes hoc sibi licere, quia benedictionem à Pontifice se nesciunt percepisse. Proinde præcipimus, ut cum iidem Subdiacones ordinantur, cum vasis ministerii benedictio eis ab Episcopo detur, sicut in quibusdam Ecclesiis tradit vetustas antiqua, & sacra dignoscitur consuetudo.*

(Can. 1. — Can. 27. 42. 43. — Can. 5. 6. 4.)

V. Animadvertenda sunt autem hîc tria quædam, in quibus disciplina vetus in novam jam paulatim deficiebat. Namque, 1. Presbyteri, Diaconique & Subdiaconi non jam sola depositione feriuntur, vel laïca communione, si suis rursus copulentur uxoribus: immo nec satis pœnarum dare visi sunt, si excommunicarentur: quin præterea traduntur in Monasteria, ubi reliquo vitæ tempore pœnitentiæ lamentis & cruciatibus macerentur. 2. Conjuges ipsæ Clericorum sacrorum compinguntur in Monasteria, si post conjugum ordinationem minùs castè se gerant. 3. Subdiaconi posthac non ordinantur, nisi profiteantur cælibatum, professioque eorum ista confirmetur Episcopali benedictione, quam ego interpretor Episcopalem manûs impositionem. Imponendo enim manus benedictio infundebatur. Ingenuè tamen fatendum rem meræ cæremoniæ fuisse hanc benedictionem, seu manûs impositionem: ut cujus institutio tam tarda fuerit in hac Synodo: & quæ si quibus in Provinciis vetustior erat, erat tamen posterior Concilio Carthaginensi IV. ubi tam perspicuè delineati sunt ritus omnes ordinationum, & ubi conceptis verbis affirmatur Subdiaconis instrumenta tangenda porrigi, quòd nulla manûs impositione ordinentur. Ita in sacrorum assurgebat Ordinum classem Subdiaconatus: dum & vasorum contactu sacrorum quodammodo consecraretur, & impositione manuum firmaretur Episcopalium, & propriæ majorum Clericorum continentiæ, tanquam illis consociatus alligaretur.

VI. Cœpit Concilium Toletanum IX. pœnas decernere in liberos ipsos Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum & Subdiaconorum, si qui post ordinationem nati essent, tametsi ex legitimis antè uxoribus. *Vel ex ancilla, vel ex ingenua detestando connubio si filios procreaverint.* Can. 10. Pœna autem fuit hujusmodi, ut parentum impudicorum successione arcerentur, & Ecclesiæ suæ addicerentur servituti: *Proles tali nata pollutione, non solùm parentum hæreditatem nusquam accipiat, sed etiam in servitutem ejus Ecclesiæ jure perenni manebunt.*

VII. Concilium Braccharense III. ne ipsi quidem Nicæni Canonis austeritati acquievit, & nec sororibus, nec cognatis fœminis aliis satis fidens, matres solas Clericorum ædibus concludi permisit, nisi si quis Clericus Clericos alios sibi adjunctos haberet ad custodiam, & testimonium socios: *absque honesto, & competenti testimonio, excepta sola matre.* Can. 5. Confirmat Isidorus, ideo sanctos Patres à Subdiaconis expressisse continentiæ professionem, *quia sacra Mysteria contrectant.* De Eccles. Offic. l. 2. c. 10.

VIII. Obiter dicendum & de Ecclesia urbis Romæ, ex qua mox in Orientem trajiciamus. Minùs probatum est Gregorio Magno, quòd à præcessore suo propriis ab uxoribus avulsi fuissent Siciliæ Subdiaconi, cùm nihil ejusmodi dum ordinarentur imperatum ipsis fuisset: *Incompetens videtur, ut qui usum continentiæ non invenit, neque castitatem antè pro-* L. 1. Ep. 42. L. 3. Ep. 34.

*misit, compellatur à sua uxore separari.* Necdum consuetudo quoad Subdiaconos ita convaluerat, ut legis vim & robur obtineret; quin immo vix alibi quàm Romæ ubicumque viguerat. Gregorius enim idem ipse idoneus testis est, à prædecessore suo non alio Subdiaconos Siculos exemplo juvatos fuisse, quàm
L. 3. c. 34. Ecclesiæ Romanæ: *More Romanæ Ecclesiæ.* Et alibi: *Ad similitudinem Sedis Apostolicæ.* Itaque ita constituit Gregorius, ut ne in posterum Subdiaconos ordinent Episcopi Siciliæ, nisi cælibatûs professionem
L. 3. Ep. 5. ab eis antè eliceuerint: *nisi qui se victurum castè promiserit:* & ne quem priorum Subdiaconorum Diaconatu augeant, nisi cujus diu probata sibi fuerit
L. 5. Ep. 50 antè castitas. Regiensi Episcopo mandavit, ut Subdiaconos suos eidem subjiceret legi, cui & Siculi fuerant subjugati. Alibi Presbyteros Corsicæ Insulæ prohibet commorari cum alia in eadem domo
L. 3. Ep. 26 fœminis: *Excepta dumtaxat matre, sorore, vel uxore, quæ castè regenda est.* Ex quo id emergit, in Canone Nicæno subintelligi, tacitéque includi hanc propriæ uxoris exceptionem, convenienter Apostolico Canoni. Archidiacono suo Calaritanus Metropolitanus in eadem Insula præceperat, ne quas omnino mulieres domi retineret. Rescripsit ad eum Gregorius, ut Archidiaconum exauthoraret, nisi morem gereret & obsequeretur mandatis adeo sanctis: *Cum mulieribus habitare prohibuisti. &c. Nisi jussioni tuæ paruerit, eum sacro Ordine volumus esse privatum.* Post prohibitionem prædecessoris Gregorii, è Subdiaconis unus in Notariorum ordinem redigi maluerat, quàm divelli à sua conjuge. Post ejus obitum uxor ejus denuo nupsit. Episcopus Cata-
L. 3. Ep. 34. nensis in Monasterium illam conjecit. Gregorius liberam exire jussit, in arbitrio quippe ejus fuisse ut nuberet, cùm Subdiaconatûs se functionibus vir ejus se subduxisset, nec unquam ipsa sese continentiæ devovisset. Ex quo patet sacrorum Clericorum conjuges post eorum obitum cælibes manere debuisse; si quas autem tentarent nuptias, protinus detrusas fuisse in aliquod Monasterium.

IX. Nec has sibi posuit metas sanctissimi Pontificis zelus. Scripsit enim ad Clericos, seu Nuntios octo, quos Ecclesiæ Romanæ regendo patrimonio præfecerat, ut Episcoporum vitam moresque explorarent, neu sinerent in eorum ædibus
L. 7. Ep. 39. mulieres diversari: *In una domo cum mulieribus conversari, exceptis matre, amita, germana, & aliis hujusmodi, de quibus prava non possit esse suspicio.* Denique ut eos hortarentur, ne eas quidem domi haberent, quibus Canones non adversantur: sed obsequerentur potiùs consilio & exemplo Augustini, qui ne sororem quidem suam domi admisit, quòd sororis suæ sodales fœminæ aliæ, sorores suæ non essent: *Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt.* Non constantiæ, sed temeritatis id esse præcipitis, si quis non timeat quod reformidavit Augustinus: denique sanctissimum tutissimumque esse, vel à licitis abstinere, ut ne ad illicita defluamus. *Incautæ præsumptionis est, quod fortis pavet, minùs validum non timere. Sapienter enim illicita superat, qui didicerit etiam non uti concessis.* Postremò voluit Gregorius, ut in has omnes cautionis leges adigerentur ab Episcopis Clerici sacrati omnes, *in sacris Ordinibus constituti:* ne exceptis quidem Subdiaconis: sed hac ubique adhibita clementia & moderatione, ut ne cogantur uxores abigere, quas potiùs ut sorores castè retinere & regere deberent. *Hoc tamen adjecto, ut hi, sicut canonica decrevit authoritas, uxores quas castè debent regere, non relinquant.* Nec Episcopos tamen includit Gregorius hac postrema clausula retinendæ uxoris: quòd legem jam promulgasset Justinianus, Ne qui eligerentur in Episcopatum, quibus propriæ essent superstites uxores.

X. Refert idem sanctissimus Pontifex in Dialogis, ut Presbyter Parochusque sanctitate eximius, ex quo sacros susceperat Ordines, nec accedere ad se deinceps, nec quantulocumque defungi ministerio passus sit priorem conjugem suam, eo nimirum axiomate imbutus, pietatem colentibus, multis abstinendum esse rebus licitis, ne in illicita quandoque ferantur. *Habent quippe sancti viri hoc proprium: nam ut semper longè sint ab illicitis, à se plerumque etiam licita abscindunt.* Denique longa & acerbissima ægritudine exhaustus sanctissimus Presbyter, & jamjam efflaturus animam, cùm sensisset propiùs astare conjugem, ut observaret an spiritum adhuc duceret, quidquid residuum sibi erat virium collegit, ut vitam fugientem immolaret castitati, jubebatque constanter, ut uxor inde facesseret: *Recede à me,* Dialog. l. 4.
*mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle.* Advolare c. 11.
visi sunt Angeli, ut castissimam animam jam tum angelicis suis castris adgregarent. Unum restat ex hoc Pontifice non prætereundum, quo nempe docemur, Clericorum sacrorum conjuges, cùm primùm ipsi ordinabantur, ipsas religiosam vestem induisse: *Religiosam mutasse vestem;* & post conjugum mortem, si qua earum alii nuberet, sejungebantur, nec pœnitentiæ expertes sinebantur esse. *Et eum com-* L. 11 Ep. 62.
*petenti emendatione, qui malè sociati sunt, disjungantur.* Secernebantur tamen à Sanctimonialibus Presbyterorum & Diaconorum uxores, quæ & ipsæ Presbyteræ & Diaconæ appellabantur, sicut & Episcopæ ac Subdiaconæ. Perspicuum illud est in Concilio Romano sub Gregorio II. anno 721. cujus anathema tres Canones intorquent in conjuges Presbyterorum & Diaconorum, atque in Moniales, si terrenis se nuptiis implicuerint. *Si quis Presbyteram &c. si quis Diaconam &c. si quis Monacham, quam ancillam Dei appellamus, in conjugium duxerit, anathema sit.* Eadem pœna irretiendæ fuissent & Subdiaconorum conjuges, vel qui eas duxissent, de quibus tamen altum hic silentium. Non absimile ergo veri est, statutum illud de Subdiaconorum cælibatu, quantumvis in eo stabiliendo laborasset Gregorius Magnus, vacillasse adhuc, & parum constanter observatum fuisse. Suffragatur conjecturæ huic Concilium quoque Romanum sub Zacharia Papa an. 743. ubi multa quidem præcipiuntur, tum de Episcopis, quorũ ædibus interdicuntur absolutissimè mulieres omnes, tum de Presbyteris & Diaconis, quibus illas diversari in eadem domo permittitur, quas Nicæna Synodus extra omnem suspicionis aleam statui voluit: sed de Subdiaconis omnino siletur. Proscriptæ sunt ibi quoque nuptiæ Presbyterarum, Diaconarum, si quas defunctis conjugibus contraxissent; similiter & Monialium: at de nuptiis Subdiaconarum littera est nulla. Statutum ibi denique est, ut *nullus Episcopus, Presbyter aut Diaconus ad celebrandum Missarum solemnia præsumat cum baculo introire, aut velato capite Altario Dei assistere, &c.* Cùm ne hîc quidem de Subdiaconis mentio fiat, probabiliter creditur, necdum eos sacris functionibus admixtos fuisse, ideoque clementiùs cum eis agi in exigendo cælibatu. His adde Capitulare vel Compilationem Canonum, quam ad Gallos destinavit Zacharias Papa anno 744. ubi articulo XI. continentiæ legi non subjiciuntur nisi Episcopi, Presbyteri, Diaconique, juxta Africani

Canonem Concilii, reliquis Clericis arbitrio suo, vel Ecclesiæ suæ consuetudini permissis. *Cæteros autem Clericos ad id non cogi, sed secundùm uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere.* Baron. an. 744. n. 11.

XI. Propero jamdiu ad Ecclesiam Græcam, ubi Justinianus Imperator authoritatem Canonum Legum vigore suffulciens, multa præclarè instituit. Vetabant Canones nequi ex Clericis præter Cantores Lectoresque conjugari possent: ipse non tantùm majores Clericos siqui uxores duxerint, ordine amoveri jubet, graduque & honoribus & functionibus, redditibusque spoliari; sed susceptos etiam ex ea nefaria copula liberos, illegitimos decernit, ac si ex incestuoso conjugio prognati essent. *Quales quos leges ex incestis aut nefariis natos nuptiis definiunt, ita ut neque naturales, aut nothi, seu spurii intelligantur; sed prorsus & undique prohibiti, & successionis genitorum indigni; ac nec donationem ab illis capere possint, neque hi, neque horum matres, ne per interpositas quidem personas; sed omnibus in hos collatis à Patribus Beneficiis, ad sanctam Ecclesiam, ex qua sunt, qui talia deliquerunt revertentibus.* Ita ille canonicas pœnas civilibus cumulans, filios ejusmodi arcet à jure quocunque successionis, donationis, & fidei commissi, atque infra sortem omnium illegitimorum eos deturbat. Novo etiam vigore muniit Justinianus priscas Imperatorum leges, de vetita extranearum mulierum in ædibus Clericorum commoratione, edixitque ut Episcopus sede ejiceretur sua, si quam in Episcopali domo pateretur. *Episcopo nullam mulierem secum habere permittitur, sed si habere probetur, ab Episcopatu dejiciatur, quo se fecit indignum.* L. 1. Cod. De Episc. & Cler. Lt. 44. 19.

XII. Quibus incolumes superessent uxores, eos Justinianus ad Episcopales Cathedras eligi, evehique inhibuit: *Nulli permittentes uxorem habenti talem imponi ordinationem, ne & ipse cadat Sacerdotio, & ordinantem similiter excludi procuret.* Id & alibi rursum prohibuit, ubi & Episcopis præcepit, ne Diaconos posthac vel Subdiaconos ordinarent ullos, quibus nullæ adhuc fuissent conjuges, quin cogerent antè eos id profiteri, se castitatem sectaturos reliquo vitæ tempore, nec uxorem ducturos unquam. *Non valente eo qui ordinat, in tempore ordinationis, permittere Diaconum aut Subdiaconum post ordinationem uxorem accipere.* Denique Nicæno tantùm Canone permissas mulieres, permittit & Justinianus ædes incolere Clericorum, at Episcoporum è domo omnes omnino eliminat. *Episcopum verò nullam penitus mulierem habere, aut cum ea habitare permittimus.* Ex quibus legibus id manifestissimum est, Episcopos etiam in Oriente cælibatûs lege devinctos fuisse perdiu ante hujus Imperatoris tempora. Allucinatur ergo Balsamon, cùm Trullana in Synodo decretum primò id fuisse existimat. Et sanè Sectæ omnes Christiani nominis diversissimæ per Orientem sparsæ universum, illæ etiam quæ ante Justiniani tempora secessionem fecere, in eo omnes consentiunt, quòd Episcopos non habeant nisi cælibes; unde & eos ferè nonnisi ex Monachis eligunt. Novel. 6. Novel. 123. c. 1. 14. 29. Balsamon. In Can. 4. Apost.

XIII. Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos ante ordinationem uxores ducere patitur Trullana Synodus, post ordinationem Cantores tantùm Lectoresque, juxta Apostolicum Canonem; Episcopos Africæ, Libyæ & aliarum quarundam Provinciarum vetat conjuges suas ne domi retineant, cùm ea res offendiculo esset laïcis. Sed ab æqui vtrique orbita vehementer aberravit hæc Synodus, quando Ecclesiæ Latinæ id crimini vertit, quod Presbyteros Diaconosque ab uxorum ante ordinationem ductarum copula summoveret. Sed ita comparatum est, ægri subinde indignantur & effervescunt in eos qui integra valetudine sunt: & ex adverso qui sani sunt, eo maximè vires suas vigoremque ostentant, quòd infirmorum ægritudines & intemperias æquo animo ferunt. Pacatè & clementer ferebant Latini Græcorum altaris ministrorum incontinentiam: Græcis molesta & intoleranda videbatur Latinorum castitas, & castitatis cura ac diligentia. Magnam quin etiam gratiam se inituros speraverunt à Presbyteris Provinciarum Barbaricarum si finerent eos castitatem colere, dum conjuges suas suis ab ædibus semoverent. Quæ quidem in re evidenter repugnabant Canonibus Apostolicis, quorum sectatores se venditabant. Illud certè consultissimè in hac Trullana Synodo decretum est, ut procul summoto ab Episcopalibus ædibus Monasterio includerentur eæ fœminæ, quæ viros suos consensissent Episcopos ordinari: aut certè ut & ipsæ ordinarentur Diaconissæ, si tantæ dignitati eorum hactenus vita & pietas responderet. Porro extremi hi Trullanæ Synodi Canones apertissimè declarant, exolevisse jam tum Justiniani legem, de non assumendis ad Episcopatum iis qui uxorati essent: Sed arcendis malis iis, quibus hac lege occurrebatur, statuta quædam alia non minùs opportuna remedia fuisse. Can. 6. 12. 13. Can. 30. Can. 48.

---

## CAPUT LXIV. *P. 3. L. 1. c. 26.*

### De Cælibatu Beneficiariorum sub Imperio Caroli Magni.

*I. Crebriùs jam vetari incipit commoratio fœminarum in Clericorum ædibus, ultra limites Nicæno Canone præscriptos.*
*II. Incontinentes Clerici degradatione & jactura bonorum plectebantur.*
*III. Cùm difficillima essent juridica horum plerumque occultissimorum criminum probationes, Pontifex & Gallicana Ecclesia Presbyteros decernunt reos agendos esse & abdicandos, propter frequentiorem cum mulieribus consuetudinem.*
*IV. Nova Decreta, ne cum cognatis mulieribus habitandi cuiquam copia fiat.*
*V. Clerici minores statim post pubertatis annos cælibatui mancipabantur speciali professione.*
*VI. Quantum in duos remiserint Græci recentiores, etiam post ordinationem suam. Explicatur Canon Nicænus.*
*VII. Non inficiantur nunc Græci, quin potuerit Ecclesia Episcopos cælibatûs lege constringere. Idem illis profitendum fuerat de Presbyteris & Diaconis.*
*VIII. Nec inficias etiam ibant, quin in regionibus nuper Christiana fide & disciplina imbutis necessaria esset sacrorum Ministrorum continentia. Ex eo quid adversùs illos consequatur.*
*IX. Post Episcopi ordinationem debet uxor ejus Monasterio includi.*
*X. In Balsamone & Zonara multa adnotantur.*

I. Concesserat Nicæna Synodus sacratis Clericis, ut eas domi habere possent mulieres, quas videtur natura ipsa aura famaque quadam sanctitatis afflasse, & suspicionibus subduxisse. At Theodulphus Aurelianensis Episcopus eum Augustino sentiens, cognatarum mulierum occasione alias irrepere posse in Presbyterorum ædes, quæ eorum vel innocentiæ officiant, vel famæ, omnes prorsus fœminas Presbyteralibus ab ædibus ablegavit. *Nulla fœmina cum Presbytero in una domo habitet. Quamvis enim Canones matrem & sororem hujusmodi personas, in quibus nulla sit suspicio, cum illo habitare concedant: hoc nos modis omnibus idcirco amputamus,* Capitulare Theod. c. 12.

*quia in obsequio sive occasione illarum, veniunt aliæ fœminæ, quæ non sunt ei affinitate conjunctæ, & eum ad peccandum illiciunt.* Capitulare Episcoporum anno 802. Can. 13. generatim idem sanxit: *Nec in sua domo in qua habitat Sacerdos, ullam mulierem unquam habitare permittat.* Quin & familiaritate Presbyteris interdixit fœminarum omnium extranearum: *Ut nullus Sacerdos extranearum mulierum habeat familiaritatem.* Can. 12. At Concilium Remense anni 813. id indulsit, quod Can. 21. indulserat Nicænum. Aquisgranense anni 837. eam Can. 26. indulgentiam revocavit. Meldense anni 845. Reges obtestatum est, ut cum ad Episcoporum ædes diverterent, *pro sanctitate ordinis Episcopalis* omnia gererent, non mulieres illuc introducerent: *Habitaculis Episcopalibus reverenter inhabitet, & non diversoria fœminarum magnificentia sua & religio venerabilis ibidem fieri permittant.* Si Clericorum enim omnium ædes occludunt obstruuntque Canones fœminis omnibus, multò magis palatium Episcopale, quod castimoniæ virtutumque domicilium est, nulli patere debet conjugatorum hominum contubernio. *Quia si secundum Leges Canonicas, in mansiones Clericorum introitus fœminarum prohibentur; quantò magis domus Episcopi ab hujusmodi inhabitatione & conversatione, etiam & à legitimo connubio conjugatorum debet immunis esse & aliena.* Denique Nannetensis Synodus Nicæni Concilii indulgentiam minùs tempestivam jam fore rata, ad priscum vigorem omnia revocat: Can. 3. *Sed nec illas fœminas, quas Canones concedunt, Sacerdos in domo sua habeat, matrem, amitam, sororem; quia instigante diabolo etiam in illis scelus frequenter perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis illarum.* Si qua vero Presbyteri cognata vel affinis omnino opis ejus indiget: *habeat in villa, aut in vico domum, longe à Presbyteri conversatione.* L. 7. c. 291. Occurrit hic idem Canon & in Capitularibus Caroli Magni.

II. Cùm incontinentiæ crimina latebris tenebrisque abdantur densissimis, vetuit in ea inquiri Synodus Trosleiensis adversùs Parochos in eorum Parochiis: An. 909. c. 9. *De concubitu Presbyterorum cum fœminis per Parochianos vel vicinos cujuscumque Presbyteri inquirere non laboramus.* Latebras porro captant incontinentes Clerici, non dedecore tantùm & turpitudinis erubescentia, sed pœnæ formidine, scilicet abdicationis ab ordine & beneficio, & jacturæ temporalium bonorum omnium: *Scit se non solum Ecclesiasticum gradum amittere, sed & sua qualibet in sæculo perdere.* Jubet ergo Synodus inquiri dumtaxat in frequentationes famosas & cohabitationes Presbyterorum cum mulieribus; quarum si convincantur, aut si sponte confiteantur ipsi, tum irrevocabili depositione eos percelli sancit. *Tantummodo de accessu & frequentatione ac cohabitatione Presbyterorum contra canonicum interdictum cum feminis per tales homines inquiremus, &c. Et si quicumque Presbyter confessus, vel legali ac regulari judicio fuerit convictus, sine gradus sui restitutione deponetur.*

III. Temporibus Pipini Regis & antecessorum ejus, author cum primis locuples Carolus Magnus testatur eam quæstionem perplexissimam ventilatam sæpius fuisse, de Presbyteris suspectis, vel infamatis, nec tamen unquam convictis: nec verò potuisse eam tum dirimi. Capitular. L. 5. c. 33. 34. *Hoc sæpissimè à nobis & progenitoribus atque antecessoribus nostris sæpè ventilatum est, sed non ad liquidum hactenus definitum.* Missis Romam Oratoribus Leonem Papam consuluit Carolus, eadem & ipse hæsitatione laborans; interim autem in ejus rei elucidationem incumbere præcepit omnes regni sui Episcopos, ut unanimi cum Papa consensione res finiretur. *Vos vicissim tractate attentius, quid ex his vobiscum constituamus, unà cum prædictis sancti Patris institutionibus.* Denique definita res fuit, consultatione & consensione Romani Pontificis, Patriarcharum, & Episcoporum Orientalium, Occidentaliumque, maximè Gallicanorum, Presbyterorum etiam & Diaconorum, denique Optimatum Laicorum, qui Regiis Consiliis interesse consueverant. Quæ non piguit hic referre, ut elucescat, quâ tunc causæ Ecclesiasticæ ratione & expenderentur, & tandem terminarentur. *Consultu Domini & Patris nostri Leonis Apostolici, cæterorumque Romanæ Ecclesiæ Episcoporum, & reliquorum Sacerdotum, sive Orientalium & Græcorum Patriarcharum, & multorum sanctorum Episcoporum & Sacerdotum, necnon & nostrorum Episcoporum, omniumque cæterorum Sacerdotum & Levitarum authoritate & consensu: atque reliquorum fidelium, & cunctorum Consiliariorum nostrorum consultu definitum est, &c.*

Decretum illud est autem, ut si accusatores, testesque qui Presbyteros impeterent, ejus essent meriti, numeri & ponderis, cujus esse par erat, damnarentur Presbyteri: sin autem, purgarent se Presbyteri, tum suo, tum Collegarum trium, vel quinque, vel septem sacramento, aut etiam plurium, si ex re esse judicaret Episcopus, ad abstergendas sequiores omnes plebis suspiciones.

IV. Dubitari non immeritò potest, hoc decreto præclusa sit incontinentiæ, an aperta perjuriis janua. Id in causa nimirum fuit, ut ad illud extremum confugeretur remedium, quod amplexa est Trosleiensis Synodus de qua suprà, & quod verbatim ex Hincmari Capitulari exscriptum est. Unde Hincmar. To. 1. pag. 718. &c. & Trosleiensi Concilio vetustius illud fuisse necessum est Decretum; nec temerè conjicies illud jam inde ab obitu Caroli Magni in usu esse cœpisse. Illud enim ab Hincmaro refertur, velut jamdiu usu receptum; quin addit & Hincmarus illam Theodulphi, & ante Theodulphum Augustini circumspectissimam regulam: *Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt.* Addit & illam Gregorii Magni, Declinanda quandoque licita, ne irrepant vel irrumpant illicita. Quis verò nisi præceps animi & arrogans non extimescat quod tanti viri timendum censuerunt? *Docti ergo viri cautela, magna nobis esse* Gregor. L. 7. Ep. 39. *debet instructio. Nam inhonestæ præsumptionis est, quod fortis pavet, minùs validum non timere. Sapienter enim illicita superabit, qui didicerit etiam non uti concessis.* Hinc vetat Justinianus, ne cælibes Clerici alias patiantur in eadem domo mulieres, nisi quas ne afflare quidem potest obliqua suspicio. *Clericis non habentibus uxores interdicimus secundum divinas Scripturas, &c.* Nov. 123. c. 29. Denique prohibent Africani Canones, ne Presbyteri Episcopique invisant mulieres, vel ab iis invisantur, quæcumque & qualescumque demum illæ sint, nisi *ubi aut Clerici præsentes sint, aut graves aliqui Christiani.* Capitul. L. 7. c. 16. Quæ omnia in Capitularibus Caroli Magni innovantur. De eadem re egit & alibi Hincmarus, To. 2. pag. 820. 821. & in Parochos probrosæ illius cum mulieribus frequentationis convictos excommunicationum fulmina contorsit.

Moguntinum Concilium anni 888. prohibuit Can. 10. omnino, ne Clerici suas incoli ædes sinerent à quibuscumque cognatis fœminis: quòd quas & crimini & suspicioni inaccessas fore inaugurabatur Nicæna Synodus, eæ in lapsum & ruïnam non paucos impulissent. *Ita ut quidam Sacerdotum cum propriis sororibus concumbentes, filios ex iis generassent. Et idcirco*

constituit

*constituit hæc sancta Synodus, ut nullus Presbyter ullam fœminam secum in domo propria permittat, quatenus occasio malæ suspicionis, vel facti iniqui penitus auferatur.*

V. Denique Augustanum Concilium anni 952. sub Ottone I. insistens vestigiis Africanorum Patrum, non majores tantùm Clericos, ipsosque Subdiaconos inviolabili astrinxit continentiæ, sed & minores etiam abjurare nuptias statuit & cælibatum deinceps profiteri, ubi primùm ætatem attigerint
Can. 11. paulò maturiorem. *Episcopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, ut in multis Conciliis statutum est, quia Ministeria divina contrectant, ab uxoribus abstineant. Cæteri autem Clerici, quando ad maturiorem ætatem pervenerint, licèt nolentes ad continentiam cogantur.* Quo planum fit nulla viriorum colluvione retardari potuisse Ecclesiam à vehementissimo studio castimoniæ in ministris suis. De Germanis enim non paulò constantiùs dici poterat, quod de Italis Ratherius dicebat, ille Veronensis Episcopus; si omnium alienissimi à castitate erant inter Ministros sacros, id non aliunde quàm ex eo proficisci, quòd vino & deliciis innutrirentur, quo idoneo cum pri-
Spicil. to. 2. pag. 188. mis fomento libidines exardescerent. *Quærat aliquis cur contemptores canonicæ legis, & vilipensores Clericorum sint magis Italici? Quoniam quidem libidinosiores eos, & pigmentorum venerem nutrientium frequentior usus, & vini continua potatio, & negligentior disciplina facit Doctorum.* Ideo & mox subjicit Clericos istiusmodi, non jam à laïcis discrepare, nisi veste, tonsura crinium, & barbæ radendæ cura: *Vt solummodo barbirasio, & verticis cum aliquanta vestium dissimilitudine nudo, à ritu distare videas eos laïco.*

VI. Ad Græcos venio, quos Ratramnus Corbeiensis Monachus vehementiùs quàm cautiùs impetebat urgebatque Canone III. Concilii Nicæni, ut Clericos omnino omnes ad continentiam coarctaret. Cùm enim eo Nicæno Canone extraneæ fœminæ omnes extrudantur ædibus Clericorum, hinc argumentatur Ratramnus extrusas pariter fuisse & uxores, ut quarum contubernio ex-
Ibid. p. 137. Ratramn. adv. Oppos. Græc. l. 4. c. 6. traneæ quoque conjungerentur. *Nam quisquis uxorem duxerit, non potest & præter uxorem alias etiam mulieres in domo non habere; quibus uxoria necessitas & cura domestica suppleatur. Vbi verò cunctarum interdicitur subintroductio fœminarum, præter omnino personas quæ careant omni suspicione, manifestum est quod interdicatur uxoria etiam copula, quæ nullo modo potest fieri sine reliquarum accessione fœminarum.* Quàm malè sibi constet hæc Ratramni ratiocinatio suprà satis superque declaratum est, ubi & in Oriente & in Occidente plerumque domi retentas fuisse majorum Clericorum conjuges, declaratum est. Sed aliquantò ante Ratramni tempora in Occidente cœperant illæ Monasteriorum septis includi. Hinc illi allucinandi occasio.

Laxata autem jam Græcorum disciplina non immeritò videri posset in Concilio VII. Generali, ubi exulare fœminæ non jubentur, nisi ab Episco-
Can. 17. palibus domibus & à Monasteriis. *Fœminas commorari in Episcopiis, vel etiam Monasteriis, omnis est offensionis materia.* Cujus legis violatoribus pœna indicitur abdicationis.

Sed ulteriùs grassata est apud Græcos corruptela. Cùm enim primùm perpetuam profiteri antè continentiam cogerentur, quàm admitterentur ad sacros Ordines, aut uxores ducere juberentur antequam donarentur sacerdotio: ausu postea novo & perverso, post ipsam ordinationem venia adhuc illis fiebat biennii, intra quod conjugari adhuc possent. *Consuetudo quæ in præsenti obtinet, iis, quibus matrimonio conjungi in animo est, concedit ut antequam uxores duxerint, Sacerdotes fieri possint, & deinde biennium ad perficiendam voluntatem jungi matrimonio volenti præstituit.* Verba ipsissima hæc sunt Leonis Sapientis, qui edita Constitutione licentiam hanc proscripsit novitatem, declaravitque divino semel inauguratos sacerdotio, non posse jam nisi per summum dedecus carnalibus se immergere oblectamentis, sed assurgere ad castiores sanctimoniæ & religionis delicias debere. *Neque enim dignum est, ut qui spirituali ascensu supra corporis abjectionem & sordes evecti sunt, hi rursum ad carnis sordes delabantur. Sed è diverso ut divinum ministerium ex corporis sordibus tanquam in altum aliquem gradum conscendat, convenientius fuerit.* Leo Const. 3. Iuris Orien. To. 1. p. 481. 493.

Hæc sanè Leonis argumentatio nihilo minus habet ponderis ad auferendas sacratis Clericis priores conjuges, quàm ad novas nuptias interdicendas. Sed quanquam ea esset antiquissimorum Canonum norma, ut & à prioribus uxoribus & à novis nuptiis perinde abstineretur; ab ea sanè jamdiu deflexerat consuetudo Græcorum, qui ut à novis nuptiis sacratos Clericos semper absterruerunt, ita ante ordinationem ductis non vetuerunt consuescere uxoribus: & quanquam multùm dissentiat Ratramnus, Nicænus Canon non aliud quàm Agapetas seu spiritales sorores abstulit Clericis innuptis, quibus illæ adhærescere solebant. Qui enim conjugati erant, non poterant eam necessitatem rei domesticæ curandæ prætexere, ut adjutrices & socias ad id haberent, seu virgines, seu mulieres devotionis nomine palliatas. Ideo & Nicæni Patres sæpiùs experti quantum flagitiorum ex his adeo lubricis emersisset contuberniis, indiscriminatim omnibus tam majoribus, quàm minoribus Clericis Agapetas abduxere. Si de statuendo cælibatu res fuisset, in confesso est, non eodem numero habitum iri Clericos omnes majores minoresve. Nostrum in hunc sensum vergebat utique Justinianus, quando in Novella superiùs ab Cap 14.
Hincmaro laudata, & quam in suum Nomocano- Tit. 8. Nomocanonis.
nem Photius retulit, his verbis Canonem Nicænum interpretabatur: *Nullus Clericus qui uxorem non habet, habeat in domo sua introductitiam, præterquàm matrem, & filiam, & sororem, & alias non suspectas.* Et in ὑπεισάκτοι.
alia Novella ibidem à Photio commendata: *Ne habeant Diaconi aliquas secum versantes, loco scilicet sororum, vel cognatarum, vel earum quæ dilectæ vocantur.* ἀγαπηταί.

In eodem Photii Nomocanone radiant & aliæ Codicis leges, quæ Imperatoriam potestatem regulis Ecclesiasticis auxiliatricem adjungunt, & non modo ordine graduque exturbant suo Presbyteros, Diaconos, Subdiaconosque, qui novis se implicant conjugiis; sed & liberos hinc exortos privilegiis liberorum omnibus exuunt, ut paternarum rerum exortes sint prorsus ipsi ipsorumque matres, nec iis hæreditario jure, nec donatione, nec quacumque ratione alia frui possint, sed in eorum jura omnia succedat Ecclesia: *Si Presbyter, vel Diaconus uxorem* T. 9. c. 19.
*duxerit, Canonibus quidem tenetur, qui non minùs valent quàm leges, & à sacerdotio excidit, & qui ex nefario matrimonio nati sunt, nec sunt naturales, nec nothi: & neque per donationem, vel successionem, vel simulatum mutui contractum, vel aliam obligationem à patribus accipiunt, vel matres eorum: sed ea illorum accipit Ecclesia.* Admirationi sibi esse testatur Balsamon, quomodo hæc lex non servaretur.

VII. At idem alibi Balsamon conciliare nititur Apostolicum Canonem V. Canoni XII. Trullano. Nam hic quidem vetat ne Episcopus antè conju-

gatus, uxorem in Episcopali ædc retineat post ordinationem suam. Ille autem non Episcopum tantùm, sed & Presbyteros Diaconosque complexus, vetabat ne domo sua priores ejicerent uxores. Ita autem existimat Balsamon, non eam fuisse sententiam Trullanorum Episcoporum, ut Apostolicum enervarent Canonem; sed ut expolirent Ecclesiæ disciplinam, & castitatem Ecclesiæ ministrorum ad sanctimoniæ cum gradum extollerent, quò eam provehere nequissent Apostoli, qui rudes informabant populos, nec nisi multa cum indulgentia poterant quandam velut infantiam & prima veluti rudimenta instituere Christiani nominis.

In Can. 12. Trull.

*Ne contra Apostolicum V. Canonem facere videantur, qui Episcopis cum suis uxoribus post ordinationem habitare permittit; infertur, quod non divinis Apostolis adversantes hæc decernunt, sed statum Ecclesiasticum in pulcriorem ordinem provehi volentes; propemodum hoc dicentes, quod divini quidem Apostoli cùm fides tantùm inciperet, se in eos qui ad fidem accedebant, ita gerebant, ut ad eorum imbecillitatem se magis demitterent. Cùm autem Evangelii prædicatio sit nuper magis amplificata, oportet & Pontifices ad perfectam continentiam vitam suam dirigere. Si autem Episcopis cum propriis uxoribus habitare non permittitur, sed nec eis cum alienis uxoribus habitare conceditur, ut omne offendiculum amputetur.*

Novel. 123.

*Lege Novellas quæ Episcopos deponendos decernunt, qui cum quacumque muliere cohabitant.*

VIII. Si ante Trullanam Synodum conjugali consuetudine tam non abstinere cogebantur Episcopi, quàm nec Presbyteri, nec Diaconi, ut Balsamon contendit:

In Can. 5. Apost.

ita ut illos hæc primùm Synodus continentiæ fibula constrinxerit: quid causæ erit, quamobrem non patiantur ab Ecclesia Latina eandem perpetuæ continentiæ legem Clericis omnibus majoribus præscribi? Si mera ex indulgentia profectum est, quod inter quædam infantiæ lenocinia permiserunt Apostoli, ut principes Altaris ministri libero conjugio uterentur: ergo non Apostoli tantùm & Apostolici viri, sed & Clerici omnes primigeniæ Ecclesiæ, qui ad perfectionis apicem anhelabant, & nec indulgentia, nec lenociniis opus habebant, ii omnes & conjugio certissimè & conjugibus abstinebant. Sed quid prohibet credi illam indulgentiam in Ecclesia Occidentali usu receptam non fuisse? Ut non omni enim tempori, ita nec locis omnibus, vel opportuna, vel necessaria est indulgentia.

Enimvero & exempla ab ipsomet Balsamone, & argumenta suppeditantur, quibus commentitia hæc ejus indulgentia exsufflctur. Sic enim statuit ille, si Canones eorum Clericorum vituperent inhumanitatem qui uxores domo propellunt, excipiendas esse Barbaricarum regionum Ecclesias.

In Can. 13. Trull.

*Excipe mihi Sacerdotes qui sunt in Ecclesiis Barbaricis.* Certum est ergo vel ex Balsamone ipso, non potuisse poni fundamenta novarum inter Barbaros Ecclesiarum, nisi per Episcopos Ministrosque illos, qui non minùs continentia, quàm virtutibus quibuslibet aliis coruscarent. Atque inde augurandum, nullo tempore tam certam, tam necessariam fuisse Ecclesiastici cælibatûs observantiam, quàm aurea illa trium priorum sæculorum ætate, qua fundatæ per orbem constructæque sunt Ecclesiæ. Itaque cum aiunt Trullani Episcopi, ex dispensatione à se tolerari, ut Clerici majores Barbaricarum Ecclesiarum sejungant sese ab uxoribus, & castè vivant: ridicula prorsus hæc verborum detorsio est in alienam significationem. Ex indulgentia enim tolerari potest incontinentia Clericorum, non autem continentia. Nec enim ex dispensatione continens & castus quis esse permittitur: si quis verò ejusmodi non sit, & sinatur tamen Clero rebusque sacris se interserere, ea verò dispensatio est.

Can. 30.

An dispensationi tribuebant Trullani Præsules, quòd Episcopos castè deinceps vivere juberent? an juris rigori, quòd Presbyteros Diaconosque rei uxoriæ operam dare sinerent? Quanta hæc est & rerum & verborum perversitas? Testatur sanè & ipse Balsamon suo ævo Ecclesias Russiæ inauditam hanc abjecisse dispensationem, & Græcorum Presbyterorum more, ad ... inarum conjugum consuetudinem se retulisse. *Ego varios Episcopos qui ex Russia venerunt, atque adeo ipsum Alaniæ Metropolitanum de ea re sciscitatus, accepi præsentem Canonem in iis regionibus locum non habere, licèt sint barbaricæ: sed quemadmodum nostri, eorum quoque Sacerdotes uxores habere, etiam post ordinationem.*

IX. Decrevit eadem Trullana Synodus, ut Episcopi conjux Monasterio includeretur, ubi & Diaconissa ordinari posset.

Can. 48.

Scitissimè advertit Balsamon, 1. Sine ejus assensu nec eligi conjugem in Episcopum, nec ordinari potuisse. 2. Non ita rem se habere in professione Monastica alterius conjugum. Cùm enim is qui sæculo inhærescere pergit, ad nova possit convolare vota, minimè necessarius visus est ejus assensus, ad alterius professionem. Istiusmodi est, tum Justiniani lex, tum Græcorum jamdiu & hodierna etiam consuetudo. 3. Itaque quæ assensa est, & eligi conjugem suum, & Episcopum ordinari: eâdem ipsâ operâ semetipsa Monasticæ devovit Professioni. In Monasterio enim demorari, nec abscissis capillis, nec habitu sumpto Monastico, id dedecori magis vertit, & pœnæ, quàm honori. *Cum laico enim habitu eas esse in Monasterio, supplicii, non beneficii opus est; quod ad non parvum consecrationis dedecus spectat.* Hinc verè illud elicit Balsamon, non posse sacratorum uxores Clericorum post eorum obitum iterare nuptias, adversùs eos qui illas & Monasticæ eximebant Professioni, & ad novas convolare nuptias permittebant. Sed potuisset & ipse Balsamon errores suos recantare, si pensiculatiùs legisset Novellas Justiniani, quæ Episcopatu summovent eos omnes, quibus vel conjux est, vel liberi: & ex his Novellis, quas ipsemet laudat, id exculpsisset, jam tum, & non Trullanæ tantùm Synodi tempore & decreto, Episcopos lege continentiæ illigatos fuisse. Eam quidem partem Justinianæ Novellæ abrogavit Leo Sapiens; sed hic quæstio vertitur de temporum illorum conditione, quæ Trullanam Synodum præcesserunt.

X. Nec minùs fœda illa est Balsamonis ejusdem allucinatio, cùm ex versione Græca Canonis Carthaginensis, cujus sensum assecutus non est, argumentatur adversùs ejusdem Canonis textum Latinum, qui primigenius tamen & authenticus est, nulli non versioni præponendus; ex eoque infert in Ecclesia Latina abstinuisse quidem se Clericos majores à conjugibus, sed certis diebus, κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους, ut mundarent se & præpararent ad virginalis hostiæ immolationem.

In Can. 4. Carthag.

Contrà enim Latina Canonis verba, *secundùm propria statuta*, apertissimè declarant, græcam vocem ὅρος, hîc sumi pro *statuto* & lege, qua perpetua præcipiatur continentia, non pro *termino* temporis aliquo, quo tantùm servetur.

Nec minùs à vero aberravit Balsamon, cum Carthaginensem illum Canonem, quo jubentur Cle-

Ibidem. Can. 16.

rici cùm ad pubertatis annos adoleverint, vel uxores ducere, vel cælibatum profiteri, negat vel alibi gentium, vel in Africa ipsa servatum unquam fuisse, utpote qui Apostolico Canoni VI. adversetur, minoribus Clericis condonanti, ut ne à suis uxoribus dissocientur. Atqui complures suprà à nobis enumeratæ sunt Ecclesiæ, in quibus id factitabatur; complures Synodi, in quibus ita præcipiebatur, ut, posteres Clerici minores vel uxores ducerent, vel deineeps nuptiis se abstenturos spondeerent. Id verò nihil obstrepere Apostolico Canoni nulli non perspicuum est.

In Supplem. pag. 1122. 1124. Postremò tandem non fallebat Balsamonem in Ecclesia Latina superiores Clericos plerumque diebus singulis Mysteria celebrare solitos, nec dissimular ipse apud Græcos etiam non paucos quotidie sacris operatos fuisse. Et nihilo tamen minùs præposteris quibusdam præjudiciis occupatus, cùm deberet ex necessaria sacrificantium castitate inferre perpetuam Clericorum majorum continentiam: mavult ille ut rariùs sacra fiant, & per vices, ut & continentiæ, atque incontinentiæ alternæ vices sint.

In Can. 3. Apost. Easdem nænias ante Balsamonem Zonaras effuderat, nec videre potuerat quàm pugnarent ipsi secum Græci, qui volebant, ut potuisset Trullana

In Can. 13. Trull. Synodus Episcopos à suis uxoribus abducere, & continentiæ intaminatæ posthac addicere: nec volebant, ut idem potuisset jam ab exordio sui Ecclesia Latina in majores Clericos omnes. Cùm multò facilius sit licentiam istiusmodi anteverter ac præfocare, quàm diu & impunè luxuriare permissam, postea revocare.

Jus Orien. To. 1. p. 175. 176. Leges si vacuum fuerit in Jure Orientali Constitutionem Isaaci Angeli Imperatoris, ubi à Patriarchis & Episcopis interpellatus, consentaneè ad Canonem X L V I I I. Trullanum, jubet Episcopos abdicari, nisi priores eorum conjuges acquiescant tonderi, in Monasterium secedere, monasticaque indui veste; denique id in posterum cavet, ut ne electi antè ordinentur Episcopi, nisi priùs eorum conjuges & secedant in Monasterium, & ibi profiteantur.

Joannes Episcopus Citri illam attingit quæstionem de Presbytero & Diacono, qui Instituto se Monastico illigant, uxoresque in sæculo liberas dimittunt, deinde verò ad Presbyteratum, vel ad Episcopatum rapiuntur; uxoribus tum eorum nulla lege compulsis Monasteril se se septis abdere. Nihil hic insolens ei videtur occurrere, cùm Ca-

Ibid. p. 384. none V I I I. Neocæsariensi definiatur, si cujus uxor Presbyteri infando contaminetur adulterio, Presbyterum ipsum nulla inde conspergi macula, aut infamia, dummodo ab illa se prorsus tum abjungat.

## CAPUT LXV. *P. 4. l. 5. c. 45.*

### De Cælibatu Clericorum post annum Christi millesimum.

*I. Grassanti incontinentia objecta primùm est lex, qua universim Clerici omnes cogebantur continere.*

*II. Inde tentata indulgentia, non minoribus tantum Clericis, sed & Subdiaconis ea lege subductis.*

*III. Revocatum denique in usum est illud temperamentum vetustissimum, ut soli majores Clerici, ipsique adeo Subdiaconi ea lege subderentur.*

*IV. Postquam Beneficio spoliati fuere Presbyteri, qui se vel incontinentia, vel nuptiis etiam implicassent, idem vigor disciplina effudit se & in minores Clericos conjugatos, qui & ipsi spoliati sunt jure ac spe qualiscumque beneficiorum. Ordo sacer tunc cœpit ascribi inter impedimenta quæ matrimonium dirimerent.*

*V. Restituitur cælibatus in Suecia & Anglia. Obtrectarunt Monachi quidam Angli Ecclesiarum austeritati & censura in impudicos Clericos, quasi continentia proposita Monastica dos & laus propria esset.*

*VI. Quàm ea propria & necessaria sit Ordini Sacerdotali.*

*VII. Cum ex adverso soluti fuerint à lege continentiæ complures Ordines Monastici, Ordines videlicet Militares.*

*VIII. Adversùs eos, qui exemplo Græcorum fremebant.*

*IX. Cautiones necessariæ ad continentiæ custodiam.*

I. Cum impudicitiæ torrens veluti quidam infudisset se in Occidentalem Clerum omnem sæculo x. & x I. ut Annales Ecclesiastici fidem faciunt, illi aliquando tandem obviam itum est, objectaque sunt validissima quædam Conciliorum & Canonum repagula. Benedictus V I I I. Pontifex, unàque cum eo Ticinense Concilium anni 1020. Clericos omnes omnino, ne minoribus quidem exceptis, intra continentiæ septa coarctarunt. *Si Sacerdotes Legis Mosaicæ ad tempus abstinebant, qui ad tempus templo serviebant: cur Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & omnibus qui sunt in Clero, jugiter non est abstinendum, quibus juge & verum est sacrificium.* An. 1022. Quin & illis persuasum erat, Epistolas priscorum Pontificum, Leonis, Siricii, & Innocentii, uno & eodem cælibatûs vinculo constrinxisse minores etiam Clericos. Sed excandescit potissimum in eos Clericos hæc Synodus, qui cùm servi essent Ecclesiæ, liberis copulabantur conjugibus; & prognati inde liberi, cùm ingenui liberique essent, juxta effatum tunc receptissimum, *Filii matrem sequuntur*: succedebant in paternas hæreditates, usque fraudabant Ecclesiam, quæ tum gemino afficiebatur dispendio, servorum, rerumque. Eo inflammatus cum Concilio Pontifex, in id connixus est, ut huic servilium conjugiorum consuetudini perniciosæ occurreret, Clericisque etiam minoribus jugum injiceret continentiæ.

Concilium Bituricense anni 1031. Presbyteris, Diaconis, Subdiaconisque præcipit, ut uxores, seu concubinas abjiciant, alioqui gradu suo dejiciendi, & in Lectorum Cantorumque depellendi ordinem; denique minores ipsi Clerici mox ibidem eodem præcepto urgentur: *Similiter nulli de Clero permittimus deinceps uxorem, neque concubinam habere.* Can. 5. Conflictari quidem & pugnare secum in speciem videtur hoc decretum. Ut quid enim majores Clerici, si uxorem retineant, deprimuntur in classem minorum: si ne ipsis quidem minoribus retinendæ uxoris potestas datur? Sed ejusmodi pugna facillimè sedabitur ex ejusdem Canonis fine, conjugibus abstinere præcipiebantur Clerici minores, non omnes, sed ii demum, qui propius ad Altaria accedebant, non ii qui in choro cum Cantoribus stabant, nec subibant unquam in Sanctuarium adytumque penitius, nec propius ad Aras unquam se admovebant. *Supradicti autem in choro tantùm intrent ad legendum & cantandum, ad altaris verò ministerium nullatenus accedant.* Concilium Tolosanum anni 1056. Clericis etiam Subdiaconatu inferioribus fibulam cælibatûs injecit, sed ea tantùm mente, ut ne se præpropero conjugio alienos præstarent ab Ecclesiæ Beneficiis & Dignitatibus. *Placuit Presbyteros, Diaconos & reliquos Clericos, qui Ecclesiasticos tenuerint honores, abstinere omnimodis ab uxoribus, vel reliquis mulieribus. Quod si non fecerint, honore simul & officio priventur, & à propriis Episcopis excommunicentur.* Can. 7.

II. Vehementior quidem, sed minimè diuturna fuit hæc austeritas. Itaque Concilium Romanum anni 1063. ne Subdiaconos quidem coërcuit lege cælibatûs, sed Presbyteros & Diaconos tantùm, qui alioqui & altaris ministerio arcentur & Beneficio. [*Can. 3.*] *Quicumque Sacerdos vel Diaconus, &c. neque partem ab Ecclesia suscipiat.* Concilium Coyacense anni 1050. eidem jam temperamento, vel juris potiùs antiqui remissioni consenserat. [*Can. 3.*] *Presbyteri & Diacones, qui ministerio funguntur Ecclesiæ, mulieres secum in domo non habeant, nisi matrem, aut sororem, aut amitam, aut novercam.* Ab hoc consilio non abhorrebat Lanfrancus Cantuariensis Episcopus, qui percontanti Episcopo, ecquid sibi agendum superesset, qui inconsultè Diaconatum credidisset homini conjugato, & tum abnuenti uxorem abjicere: respondit, auferendum ei Diaconatum, tum Minores eidem Ordines lentè & per intervalla conferendos, non tamen reddendum priùs Diaconatum, quàm votum emitteret continentiæ: [*Epist. 21.*] *Diaconatus verò ordinem nunquam recipiat, nisi de reliquo se caste victurum canonica attestatione promittat.* Facilè adducimur, ut credamus non ultra progressum esse Concilium Romanum anni 1074. cùm ejus Decretum Lambertus in Historia sua his verbis complexus sit: *Presbyteri uxores aut dimittant, aut deponantur. nec quisquam ad Sacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam vitamque cælibem profiteatur.* Sacerdotium propriè non est, nisi Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum. Hoc autem Decretum cùm promulgare statuisset in Concilio Moguntino anni 1075. ejusdem urbis Archiepiscopus, extremum vitæ discrimen adiit, ab incontinentium videlicet Clericorum vesania. Concilium Vintoniense anni 1076. sub Lanfranco Presbyteros tantùm & Diaconos fræno continentiæ coërcuit: *Deinceps caveant Episcopi, ut Sacerdotes vel Diaconos non præsumant ordinare, nisi priùs profiteantur, ut uxores non habeant.*

III. Cùm parum felices exitus haberent hæc Concilia, eò tandem deventum est, ut in usum revocaretur antiquissima & temperatissima consuetudo, imperandæ solis Subdiaconis & superioribus Clericis continentiæ, non inferioribus. [*Can. 35.*] Concilium Rotomagense anni 1071. Juliobonense anni 1080. [*Can. 3.*] Melfense anni 1089. sub Urbano II. mediam hanc [*Can. 12.*] rationem secuta sunt. *Eos qui in Subdiaconatu uxoribus vacare voluerint, ab omni sacro ordine removemus, officio atque beneficio Ecclesiæ carere decernimus.* [*Can. 9*] Idem statutum in Concilio Claromontano anno [*Can. 3.*] 1095. Idem innovatum in Concilio Remensi anni 1148. *Qui in ordine Subdiaconatus & suprà uxores duxerunt, aut concubinas habuerint, officio atque Ecclesiastico beneficio careant.*

IV. Duo quædam magni ponderis in hæc postrema statuta observari necesse est. Primò hîc jacta esse fundamenta ejus disciplinæ, quæ exinde conjugatos omnes à spe dejecit Beneficiorum. Cùm enim majores Clerici sacro interdicerentur ministerio, immo & Beneficio spoliarentur, nisi ab uxoriis amplexibus temperarent: hinc convenienter invalescebat consuetudo, ne minores quidem Clericos conjugatos ullo donandi beneficio, aut datis frui sinendi. Secundò priora Concilia Clericos majores & à functionibus sacris ablegaverant, & à Beneficiis, si uxores duxissent, quas abjicere renuerent. Quo liquidum fit, majores Ordines necdum inter ea impedimenta recensitos tunc fuisse, quibus conjugium dirimeretur. At Concilium Remense anni 1148. cui Eugenius III. Papa præerat, id primum constituit, ut Ordo quilibet sacer in posterum vim haberet impedimenti dirimentis; utque tam majores Clerici, quàm Canonici Regulares & Monachi abstraherentur à conjugibus, quas post ordinationem, & professionem duxissent. *Quia conti-* [*Can. 7.*] *nentia & Deo placens munditia in Ecclesiasticis personis & sanctis Ordinibus dilatanda est, sanctorum Patrum & prædecessoris nostri Papæ Innocentii vestigiis inhærentes, statuimus, quatenus Episcopi, Presbyteri, Subdiaconi, Regulares Canonici, Monachi, atque Conversi professi, qui sacrum transgredientes propositum, uxores sibi copulare præsumpserint, separentur. Hujusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam rationem constat esse contractam, matrimonium non esse censemus. Id ipsum de Sanctimonialibus præcipimus.*

Si hunc Canonem cum iis quæ suprà congesta sunt, conferas, facilè intelliges, vix posse antiquiora inveniri documenta canonici hujus, quo dirimuntur matrimonia, impedimenti. Ideo & hoc Concilium, quod Universale quodammodo habebatur, ita se confitetur priorum Pontificum statutis inhæsurum, ut non dissimulet quibusdam munimentis novis continentiam Clericalem adstructum à se & constabilitum iri. *Continentia in sanctis Ordinibus dilatanda est.* Ideo hîc in eandem navim conjiciuntur Clerici majores cum Monachis Monialibusque & Canonicis Regularibus: ut deinceps tam illorum Ordo, quàm horum professio nunquam sociari possit cum conjugio, quòd in commune omnes continentiæ devoveantur. *Sacrum transgrediuntur propositum.* Si Canones ante hunc deprompti promiscuè habebant Clericos majores, qui conjuges aut qui concubinas duxissent, ut ex eorum verbis liquet: in causa forsan erat, quòd percuperent Synodi, & vixdum auderent Ordinem sacrum inter ea collocare impedimenta, quæ dirimunt irritantque conjugium quodlibet subsequens. Concilium Abrincatense anni 1172. vetat dissolvi conjugia à Clericis minoribus inita, sed Beneficiis eos exui jubet. Non ea autem ejus humanitas est in Clericos superiores. En ejus in ea re verba: *Qui autem* [*Can. 1.*] *à Subdiaconatu vel supra ad matrimonia convolaverint, mulieres etiam invitas & renitentes relinquant.* Quæ [*Append. Conc. Later. Tit. de Cler. Matr. Cap. c. 6.*] eadem verba iteravit Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. anno 1176. cum hoc additamento: *Nec hujusmodi conjunctio matrimonium, sed contubernium est potiùs nuncupandum.*

In hoc maximè Lateranensi Concilio elucet, minores Clericos suis gavisos esse Beneficiis, quibus spoliarentur, si uxores ducerent. Audi quid Alexander III. Papa ad Londinensem scripserit Episcopum: *Accepimus quod plerique in tuo Episcopatu degentes, cùm essent in Acolythatûs officio & infra constituti, uxores duxerunt, & nihilominus Ecclesias, quas priùs habebant, detinere præsumant. Unde quoniam, &c.* In Episcopatu Herefordiensi in Anglia temissio juris & humanitas necessariò adhibenda fuit, ut toleraretur quod toleraverant priùs Romani Pontifices, à minoribus Clericis conjugatis retineri Beneficia, quibus exui non poterant sine cruentis concertationibus & pugnis; sed data est opera, ut in posterum obviam iretur ei malo: *Sanè de Clericis* [*Ibid. c. 35.*] *inferiorum Ordinum, qui in conjugio constituti, diu Ecclesiastica Beneficia ex concessione prædecessorum nostrorum habuere, à quibus sine magno discrimine ac effusione sanguinis non possunt privari: id duximus respondendum, ut quia ibi barbarica gens & multitudo est in causa, eos sub dissimulatione sustineas, Ecclesiastica Benefi-*

*cia tandiu habita possidere, provisurus attentiùs, ne deinceps Clericis conjugatis Ecclesiastica Beneficia conferantur.*

V. Calamum refero ad ea unde paululum deflexerat. In Suecia tam impunè serpebat incontinentiæ labes, ut palam jactarent Presbyteri Parochique, indulta sibi Apostolicæ Sedis licentia, uxores se duxisse. Percontatus est Archiepiscopus Sueciæ Innocentium III. Papam ea de re, qui rescripsit, definiri nihil à se posse, nisi repræsentato privilegio: *Postulasti utrum Sacerdotes Suethiæ in publicis debeas tolerare conjugiis, qui super hoc se asserunt cujusdam summi Pontificis privilegio communitos, &c. De Presbyteris Suethiæ certum non possumus dare responsum, nisi viderimus privilegium quod prætendunt.* Inane profectò & commentitium illud erat privilegium, cùm anno 1248. Concilium Schenìogense in Suecia Presbyteris his omnibus conjuges ejusmodi vel concubinas omnes abduxerit. Vide quid ea de re scripserit Joannes Magnos, Upsalensis Archiepiscopus. *Prima intentio & cura Cardinalis Sabinensis in hoc Concilio erat, revocare Suecos & Gothos à schismate Græcorum, in quo Presbyteri & Sacerdotes ductis publicè uxoribus consensisse videbantur.* Hoc palam fit, ducentis circiter annis desudatum fuisse, ut pristino vigori restitueretur cælibatus Clericalis, & propudiosa hæc conjugia summoverentur ab Ecclesia Latina.

Regest. 16. Epist. 218.

In Anglia Concilium Vintoniense anni 1076. sub Archiepiscopo Lanfranco Presbyteros conjugatos lacessere abstinuit, & prohibuit tantùm, ne in posterum in hæc carnis inquinamenta Parochi defluerent. Anselmus Cantuariensis Episcopus, quo erat infracto animi vigore, Decretis Conciliorum hæc conjugia sustulit: sed Rege auxiliatricem Conciliis dexteram non commodante, præclarissima spes fefellit & evanuit. *Nihil hæc omnia valuere decreta: omnes, pace Regis, uti antea, suis gaudent uxoribus.* Quàm certum, tam stupendum est, Monachos quosdam inconsideratissimè partibus studuisse incontinentium Presbyterorum, & convitia jactasse in Gregorium VII. Papam, qui eos gradu moverat, prohibueratque laicis, ne eorum Missæ interessent. *Uxoratos Sacerdotes à divino removit officio, & laicis eorum Missas audire interdixit, novo exemplo, & ut multis visum est, inconsiderato judicio.* Ita Matthæus Paris Sant-Albanensis Monachus ad annum 1074. nihilo humaniùs aut reverentiùs agit hic Scriptor cum B. Anselmo & Concilio, in quo idem decretum est anno 1102. *Hoc bonum quibusdam visum est, & quibusdam periculosum, ne dum munditias viribus majores expeterent, in immunditias laberentur deteriores.* Henricus Huntindonensis Angliæ Historicus strinxit & ipse mordacem calamum in hoc Anselmi decretum. Thomas Valsinghamensis ejusdem gentis Historiæ Scriptor contumeliosa Matthæi Paris in Gregorium VII. verba exscripsisse non contentus, prolixam attexuit disputationem, ut hujus decreti austeritatem, & quæ consequuta sint mala exaggeraret. *Ex qua re tam grave oritur scandalum, ut nullius hæresis tempore sancta Ecclesia graviori schismate discissa sit, &c.* Matthæus Vuestmonasteriensis eadem Matthæi Paris verba putidissimè inculcavit, adversùs Gregorium VII. ad annum 1074.

Conc. Angl. Tom. 2. pag. 13.36.

Valsing. in Hypodigm. Neust. anno 1074

VI. Rogerius Anglorum & ipse Historicus & moderatione & sapientia longè commendatior, agnovit ab hoc Pontifice non aliud tentatum esse, non aliò collimatum, quàm ut antiquissimæ Petri, Clementis, sanctorumque Patrum Constitutiones, quæ impunè passim conculcabantur, primævæ redderentur authoritati; iis enim æquè conjugia Clericis, sed maximè sacratis interdici. *Ex Decreto sancti Petri Apostoli, & sancti Clementis, aliorumque sanctorum Patrum, interdixit Clericis, maximè divino Mysterio consecratis, uxores habere.* Sic ille ad annum 1074. qui qua erat maturitate judicii, non poterat non præponere præcipiti quorundam Monachorum audaciæ ac maledicentiæ, conspirantem tot Conciliorum, tot Pontificum & Episcoporum sanctitate & doctrina illustrium doctrinam, quos inter Frisingensis Episcopus Otto Gregorii VII. laudes hoc encomio cumulavit: *Clericorum à Subdiaconatu & suprà connubia in toto orbe Romano cohibuit, formaque gregis factus, quod docuit, exemplo demonstravit, ac fortis per omnia athleta murum se pro domo Domini ponere non timuit.*

Otto Frisin. Chron. l. 6. c. 34.

Suppalpabantur sibi Monachi isti, quasi castitas & continentia magis propriæ & peculiares essent Monastici instituti, quàm sacerdotii dotes. At Petrus Damiani non in ea erat sententia, quamvis & ipse Monasticæ Professioni addictus. Unde & vehementissimè exagitavit eos qui dispensatione hîc cum Clericis conjugatis majoribus utendum censebant. Suffragatos esse Petro Damiani longè plures ex Monachis simillimum veri est, eique consensisse, scribenti Christum Dominum in diebus carnis suæ, & inter cunabula ipsa infantiæ, contrectari noluisse nisi castissimis manibus Mariæ & Josephi: & nunc quoque in summo cœlestis gloriæ Throno sedentem, non esse inquinatis cujusque manibus attingendum. *Si Redemptor noster tantoperè dilexit floridi pudoris integritatem, ut non modò de virgineo utero nasceretur, sed etiam à Nutritio virgine tractaretur, & hoc cùm adhuc parvulus vagiret in cunis: à quibus nunc obsecro tractari vult corpus suum, cùm jam immensus regnat in cœlis?* Castitas ergo Sacerdotum ejusdem quodamodo naturæ, necessitatis & dignitatis ejusdem, ac divinæ Christi Parentis: *Nam quia Dominicum Corpus in virginalis uteri Templo coaluit, nunc etiam à Ministris suis continentis pudicitia munditiam quærit.* Ita sanctissimus Monachus doctissimusque Pontifex Petrus iste, ne vocare quidem potest in dubium, quin quantò Sacerdotum dignitas Monastica sanctior & sublimior est, tantò & castitas eorum sit præcellentior, & damnabilior incontinentia, quàm Monachorum. *Nempe quantò major est Presbyter Monacho in dignitatis Ecclesiasticæ privilegio, tantò deterior est in peccato.* Qui se verò Clerici spoliati officio facilè patiebantur & functionibus, dum impunè liceret carnalium voluptatum inquinamentis se immergere: eos contestatur ibidem Petrus, frustra sibi blandiri de impunitate flagitiosæ suæ libidinis, cùm Ordo ille quo fulgebant, in intimo animæ recessu ita insculptus sit, ut deleri nunquam possit, & pœnæ jam ingentis loco sit, quod tam splendidum Ordinis sui insigne turpitudine vitæ dedecorent; quo non possunt non & aliæ accelerari pœnæ. Ex his illud quoque emicat, jam tum Ordinem inter dirimentia matrimonii impedimenta collocandum fuisse, si tutò id per intemperias hominum fieri potuisset. *Cassa se ac frivola pollicitatione decipiunt, si non exequentes officium, officio se exutos esse confidunt. Licèt enim ab executione cesses ordo cujuslibet vel officium, inordinato tamen nihilominus permanet Ordinis sacramentum.*

L. 1. Ep. 6.

L. 2. Ep. 10.

L. 4. Ep. 3.

*Doctissimus vir Petrus Aurelius de hoc negotio luculentissimè disputavit, ut non possim non hîc aurea prorsus ejus verba intexere, ubi sit, castitate sua Monachos proximè imitari Prophetas, Joannem

Baptistam, ad summum Angelos: at castitate sua Sacerdotes æmulari & quà fas est sequi multò præcellentiorem virginitatem Ecclesiæ, Mariæ Deiparæ, Christi, sempiternique ejus Patris, Virgineæ enim fœcunditati, tum sempiterni Patris, tum Mariæ Deiparæ, & Ecclesiæ, consociantur pro modo suo Sacerdotes, dum Christum Christique membra parturiunt. *Regularis castitas formam habet, vel in Prophetis quibusdam antiquis, vel in Baptista Prophetis majore, vel denique in Angelis, Joanne Prophetis majore majoribus, Christo judice. Episcopalis castitas, idemque de sacerdotali judicium est, formam habet in Ecclesia majore Angelis, in Virgine Deipara majore Ecclesia, in Christo majore Virgine, in Deo majore Christo, caput enim Christi Deus. sicut Deus ita simul virgo est, ut generet Filium sine detrimento virginitatis & castitatis; sicut Maria eundem Filium virgo & mater genuit; sicut Christus intemerata fœcunditate videt sibi semen longævum; sicut Ecclesia virgo casta est desponsa Christo, & intacta virginitate sanctam quotidie sobolem Deo parit, & toto diffundit orbe; sic Episcopi, sic Sacerdotes casti & virgines sunt, fœcunda & uberi castitate. quia Ecclesiæ fœcunditatem, qua filios procreat, ipsi habent & sustinent, & cum fœcunditate castitatem.*

*Petr. Aurel. Tom. 2. pag 311. 312. 313. 314.*

Ita necesse est ut sacerdotali continentiæ cedat Monachalis, quòd illa superioris & divini cujusdam Ordinis sit, & ad divina formetur effingaturque exemplaria. *Cedere debent castitati sacerdotali, ut altiori, præstantiori, diviniori, & summis castitatis exemplaribus similiori, & tantò aliam quamlibet castitatem castitate, quantò fœcunditate vincenti. Solis enim Episcopis & Sacerdotibus datum est, ut quemadmodum sola Deipara inter mulieres virgo & mater est, ita ipsi inter viros soli sint virgines & patres, neque tanta castitatis & virginitatis imaginem, nisi in solo Christo & æterno Patre habeant, non in Angelis, non in quibuscumque creatis rebus.* Inde est eodem authore Aurelio, quòd bigamia impedimentum canonicum sit, quod arceat non à Monastica Professione, sed ab ordinatione Clericali, & quidem ejusmodi impedimentum, quod tarissimè perfringi permittatur. Quibus ita præstructis, minùs jam quis mirabitur, si Major continentiæ sacerdotalis votum existimavit esse institutionis divinæ, & nulla dispensatione solubile; quod non similiter ille de Monachali continentia existimavit.

*Innoc. III. Regest. 13. Epist. 12 Rainal. an. 1210. n 6. 7 Ann. 1229. n 34. Idem appen Tom. 15. pag. 1261 Spondan. ann 1233. n 8. Rainal an. 1441 n. 16.*

VII. Saltem inficiabitur nemo, qui Ecclesiæ Annales vel à limine salutarit, quin Militares complusculi Ordines & Monastici verè fuerint, & à continentiæ fræno soluti, permissique honestis & legitimis illigati nuptiis. Confirmavit Innocentius III. prædecessoris sui Alexandri statutum, qui probaverat confirmaveratque Ordinem Equitum sancti Jacobi in Hispania, facta Equitibus potestate conjugii. Commonefacit sanctissimus Pontifex hos Equites, quanquam continentiæ aliqui eorum addicantur, alii non addicantur: omnes tamen in communi teneri religiosa professione obedientiæ, abdicationis temporalium omnium, pœnitentiæ, æternæ à sæculo fugæ; denique æmulandos eis esse primævos Christianos, qui ad pedes Apostolorum omnia conferebant sua. Idem Decretum confirmavit Honorius III. præscribens illis aut conjugalem pudicitiam, aut continentiam volontariam. Jacobus à Virriaco laudibus ornat Hispanos Equites de Spatha, tanquam Monachos duplici devoventes se martyrio, & fidei defensione, & macerationibus vitæ Monasticæ. *Geminam holocausti hostiam ad perfectionis cumulum Domino offerentes, dum spiritali martyrio seipsos abnegantes sub unius Majoris obedientia regulariter vivunt, & nihilominus corporale martyrium pro Christo semper recipere parati sunt.* Regula eorum eadem erat quæ B. Augustini dicitur, media nocte surgebant ad decantandas nocturnas matutinasque Dei laudes: *Regulam sancti Augustini in omnibus pene observant, in communi viventes. proprium non habentes, &c. Ad Matutinas nocte consurgunt divinum Officium & omnes Horas canonicas singulis diebus audiunt.* His addit pissimus Cardinalis, liberam eis fuisse conjugii copiam; & ubi liberos susceperant, in horum potestate fuisse, cum pubertatem attigerant, aut cum parente Ordini inscribi, aut ad sæcularia vota convolare. *Postquam eorum filii ad annos discretionis pervenerint, si consenserint in Ordine cum parentibus remanere, ex tunc voto obligati non possunt recedere. Si autem discedere maluerint, liberam habent egrediendi, & in sæculo commorandi potestatem.* Cùm isti Ordines Equitum & Conventus inter Beneficia Ecclesiastica jure & meritò numerentur, perinde ut Abbatiæ: non extra metas evagata erit hæc oratio nostra, qua demonstratum est eorum munia & functiones religiosas honesto conjugio copulari posse.

*Hist. Occid. c. 38.*

Urbanus IV. anno 1261. confirmavit Ordinem simillimum Equitum, qui dicebantur Virginis Mariæ, & qui ab Italis ob factam conjugii copiam vocabantur *Fratres Gaudentes.* Regulam profitebantur sancti Augustini. Concessit Gregorius IV. Hispanis Equitibus de Calatrava, Ordinis Cisterciensis, in posterum ut conjugari possent, hoc est, *ut Ordinis illius professio non contineret castitatem.* Facillimè id indulsit Pontifex, gnarus nulli Ecclesiastico Ordini hos Equites illigari: *Omnes Laicos, nulli Ordini Ecclesiastico astrictos audiebamus.* Quibus ex verbis palam est, hanc animo Pontificis hujus insedisse sententiam, faciliùs hærere posse conjugium Monastico instituto, quàm Ordini cuicumque sacro. Interpellatus ab Emmanuële Portugalliæ Rege Alexander VI. eandem conjugis licentiam concessit Equitibus Christi & Equitibus Avisiensibus in Lusitania, Ordinis Cisterciensis; cùm nec jam Pontifex, nec Rex sperarent mederi se posse licentiosæ horum Equitum vitæ, & per abrupta libidinis præcipiti, nisi commutato eorum continentiæ voto, *in conjugalis pudicitiæ professionem.* Verè enim religionem Monasticam profitentur hi Equites, & tria solemnia emittunt vota, eo tantùm discrimine, quod voto cælibatûs subrogata est castitas conjugalis. Annales Cistercienses, ubi vacuum erit, evolventi, liquebit quàm verè hi Pontifices dixerint, istos Equitum greges Ordinis Cisterciensis verè fuisse, nempe tanquam Fratres Laicos & Conversos.

*Rainal an. 1499. n. 31. 32 33.*

*Anna. Cist. Tom. 2 pag. 400. 430. 402. To 3. p 156 118.*

*Mariana. L. 26. c. 13.*

Nec me prætetit, Oxorium & Marianam, minùs probasse hanc fibulæ continentiæ religiosæ relaxationem in his Ordinibus Militaribus, idque contestatos esse, ea ipsa conjugii licentia, qua proscribi debuerat incontinentia, irrepsisse unà catervam vitiorum & malorum innumerabilium, denique hinc emollitam esse priscam bellandi virtutem, artemque & disciplinam. Verùm aliena est ea quæstio à nostro proposito; & abunde nobis est, ut hinc ostenderimus, votum cælibatûs non includi intra limites Religiosæ professionis, latissimè sumptæ, ut ipsos etiam amplectatur Ordines militares. Id enimverò ita eleganter & perspicuè expressit Covarruvias. *Esse tria vota de substantia perfectæ Religionis constat. posse autem contingere limitata. patet, ut votum paupertatis intelligatur in particulari,*

*De condit. Matrim. Part 2. c 3. §. 4.*

*non in communi. Item votum continentiæ quandoque intelligatur in castitate conjugali, ut in militibus sancti Jacobi, qui profitentur castitatem conjugalem, & nihilominus religiosi sunt, & tria vota substantialia profitentur, &c.*

Porro si nullorum mentionem fecimus Gallorum Equitum, quibus eadem indulgentia condonandum fuerit matrimonium, id eo factum est, quòd tota Gallia Melitenses dominentur Equites, & pluribus jam sæculis singulari fortitudinis gloria efflorescant. Illi autem professionem continentiæ hactenus constantissimè retinuerunt. Posset tamen superioribus exemplis Equitum conjugatorum adjici Ordo Dominæ nostræ de Monte Carmelo, diplomate Henrici IV. Regis & Romani Pontificis Rescripto, coadunatus Ordini antiquissimo sancti Lazari. Vetuit autem Pontifex, ne Magnus Magister Ordinis, Equitesque tertias ducerent uxores, neu viduam plusquam semel; edixitque ut in professione sua, obedientiæ se & conjugali devoverent castitati.

*Histoire des Carmes De chauffez de Fran. Pref.*

VIII. Si incestuosi autem Sueciæ Presbyteri, de quibus suprà, incontinentiæ suæ patrocinium captabant ab Presbyteris Græcis, quorum Romana Ecclesia conjugium tolerabat: ut palam fit ex Decretalibus Innocentii III. & Clementis III. & si illorum suffragatores atque vindices hoc quoque prætexebant suam adversùs tot Pontifices, totque Synodos maledicentiam: facillimè poterat eorum hinc illincque tum imperitia redargui, tum procacitas. Nam 1. qui inter Græcos semel initiati sunt sacris Ordinibus, ii nunquam deinceps uxores ducere permittuntur: fidejussore idoneo Simeone Thessalonicensi: *Lectoribus & Psaltis licet post susceptum sigillum divinum legitimo matrimonio jungi, Subdiaconis autem non amplius.* Cum quibus hic manus conserimus, non tam arctos hi sibi limites præscribebant. 2. Vix adducor etiam ut credam, censores hos legi assensuros illi, quæ bigamos longè amandat ab Ordinibus. Et tamen lex ista apud Græcos religiosissimè observatur. 3. Rursum Græci Episcoporum continentiam illæsam tuentur, nec vel tantisper maculari sinunt. Hinc ad continentiam superiori Clero vendicandam facilè propendet animus, tum potissimum, cùm venit in mentem eorum, quæ suprà dicta sunt de Episcopis Presbyterisque primæva ab origine ita sibi commixtis coalitisque, ut non facilè discerni possent, quanquam revera & possent & deberent. At ii quos hîc retundimus, nihilo minus Episcopali continentiæ infesti sunt, quàm Presbyterali. Non ergo patrocinium sibi accersere possunt ullum à Græcorum exemplo. 4. Quid insulsius autem, vel quid iniquius, quàm ut novæ corruptelæ authoritas quæratur ab exemplis antiquissimis tolerantiæ pluribus jam sæculis præscriptæ? Nemo nescit hanc esse certissimam & inconcussam morum & disciplinæ legem, omni animorum, omnique virium contentione renitendum esse novis morbis: at inveteratis, & qui obstinatiore cura ægrescerent magis, ita humanitatem & tolerantiam adhibendam, quòd longa assuetudine jam ferè in naturam verterint. Non potest non subinde vulnus aliquod imprimi Disciplinæ, in tam diuturno sæculorum lapsu: at præteritorum vulnerum obtentu nova infligere; idque quasi jure facere, quia exemplo fit: quid hoc aliud est quàm cum ratione insanire?

*C. Ut Clericorum. De vita & hon. Cleric. C. Cum olim De Cler conju. C. Quasi. Il De pænit. & remiss.*

*De sacris Ordin. c. 3*

IX. Nisi jam me tantæ prolixitatis puderet, proferrem hîc non pauca ea Decretalibus præsidia, quibus curarunt Pontifices Clericorum munire continentiam. Ita enim patiuntur Clericum quemquam eas incolere ædes, ubi cognatæ, proximæque habitant mulieres, illæ ipsæ etiam, quas Nicæna Synodus nulla aspergi posse interpretatur obliqua suspicione. His addi posset Concilium Mediolanense primum sub Carolo Borromæo, quo prohibentur in majorum Clericorum domo hospitari proximiores ipsæ fœminæ, prohibentur & ipsi in laicorum domibus habitare. Rursus his accederet Concilium Turonense anni 1583. & Bituricense anni 1584. quibus vetantur ædes Clericorum mulieribus locari. Sunt & Senatusconsulta quæ id edicant in Actis Cleri Gallicani. Ad Episcopum Carnotensem rescribens Urbanus II. Canonicis prohibebat, ne claustri sui ædes laïcis elocarent. De sancto Carolo Borromæo fidem facit vitæ ejus scriptor Giossanus, nunquam eum miscuisse sermones, nec cum proximis quidem fœminis, immo nec cum sororibus, nisi gravis urgeret necessitas, & tum quoque in Ecclesia, & astantibus saltem duobus testibus.

*Extra. De cohabit. Cler. & mulier. c. 1. 9. Acta Eccl. Mediol. pag. 19. 448. 450. 793. Conc. Turon. c. 14. Conc Bitur. Tit. de Canon. c. 5. Spicil. to 13. pag. 312.*

## CAPUT LXVI. *P. 4. l. 1. c. 32.*

### De Clericis conjugatis post annum Christi millesimum.

*I. Beneficiorum januam Clericis conjugatis occludere incipit Alexander III.*
*II. Res & fundi Ecclesiæ per conjugatos Beneficiarios dilapidarentur.*
*III. Incipiunt Clerici conjugati cadere à privilegio Clericali.*
*IV. Prisco juri suo restituuntur certis conditionibus.*
*V. Privilegium ipsis suum firmat Tridentina Synodus, dum Clericali induuntur veste, & certa se addicant Ecclesiæ.*
*VI. Eodem utebantur jure primis Ecclesiæ sæculis.*
*VII. Tria alternationis tempora in Clericorum conjugatorum disciplina.*
*VIII. Cur pueros ante annum ætatis decimum quartum Tridentini Patres Beneficiis quibuslibet interdixerint.*
*IX. Nupera Regum Galliæ Diplomata, quàm consentanea fuerint Concilio Tridentino.*

I. Non poterat opportunior sin dare occasio disceptandi de Clericis conjugatis. Est de iis Titulus in Decretalibus Gregorii IX. authoritate compilatis, promulgatisque. Porro illud ibi statim emicat, ab Alexandro primùm III. Clericos conjugatos non à minoribus quidem Ordinibus, sed à Beneficiis arceri cœpisse. Fatetur Pontifex à prædecessoribus suis toleratos id genus Clericos minorum Ordinum, in conjugii licentia Beneficiis gaudentes Ecclesiasticis: fatetur & his eos tunc eam non posse, quin tempestas quædam concitetur, & non parum etiam fundatur sanguinis: at in posterum prohibet ne quid fiat ejusmodi, utque Beneficiis hactenus suis spolientur, cùm primùm uxores duxerint. *De Clericis inferiorum Ordinum, qui in conjugio constituti diu Ecclesiastica Beneficia ex concessione prædecessorum nostrorum habuerunt, à quibus sine magno discrimine ac effusione sanguinis non possunt privari, id duximus respondendum. Provideas attentius, ne deinceps Clericus conjugatus ad Ecclesiastica Beneficia, vel sacros Ordines, vel administrationes Ecclesiasticas admittatur.*

*Decret. l. 3. Tit. 3.*

*Ibid. c. 2. 3.*

II. Novo robore munitum est id decretum ab Innocentio III. qui & ejus rei rationem subjecit, dissipari ac dilapidari fundos Ecclesiæ per eos, quibus uxores liberique sunt. *Præsertim cùm rerum Ecclesiasticarum substantia per tales soleat deperire.*

*Ibid. c. 5.*

Ejus porro momenti est hæc ratio, ut dubitari vix possit, quin quæ olim Clericis minoribus conjugatis Beneficia fruenda annuebantur, solis constarent sportulis & distributionibus. At postquam agri ipsi, fundique Ecclesiæ in varia secti sunt Beneficia, non potuerunt nisi rarò, & ex causis peculiaribus ac necessariis, illis commendari Clericis, quorum uxor, liberi, res familiaris, eorum dilapidationem, aut etiam alienationem ominari cogebat.

III. Vetat idem Pontifex ne cogantur conjugati Clerici attonso esse capite, si abhorreat à loci consuetudine, ut ad id cogantur: & si uxores eorum iniquo id ferant animo: *Cùm de consuetudine terræ tuæ Clerici conjugati non cogantur inviti portare tonsuram.* Et certè quanquam qui ejusmodi erant, corona tonsuraque Clericali insigniti semper incessissent, nihilo secius privilegio frustrabantur Clericali: *Quoniam etiam tonsuratus non potest privilegio Clericali gaudere.* Honorius III. immunitate etiam Ecclesiastica res & bona illorum non gaudere declaravit. Denique illud ab hoc eodem Pontifice pronunciatum est, eum qui per annos pueritiæ attonsus tantummodo est, & postea militiam professus, non debere compelli, ut in veste sit Clericali, *Non est cogendus deferre habitum Clericalem.* Quo prisca Clericorum in Clericatu stabilitas omnino labefactatur.

Ibid. c. 7.
Ibid. c. 9. 10.
Spicil. Tom. 9 pag. 487

IV. His ex Decretalibus Pontificum Rescriptis manifestum fit, eo demum tempore cœpisse conjugatos Clericos exspoliari Clericalibus omnibus privilegiis. Concilii Viennensis Decretum, quod in Clementinis habetur, has Clericis quibuscumque interdicit artes, *Carnificum, seu Macellariorum, aut Tabernariorum.* Si verò post monitiones canonicas non obtemperent, nec ab his cessent, tum verò si conjugati sint, ipsi ipsorumque res omnes privilegio Clericali destituuntur, *Si moniti ab his non destiterint, conjugati omnino, in rebus & in personis privilegium Clericale amittant.* Non temerè hinc conjicitur hos Clericos antè privilegiis Clericalibus gaudere solitos, tametsi conjugati essent: ex quo colligitur decreta suprà laudatorum Pontificum executioni mandata non fuisse. Bonifacius VIII. statutum innovans Innocentii II. privilegium Fori reddiderat, aut confirmaverat Clericis conjugatis, ne à Magistratu civili possent vel corporeas vel pecuniarias subire pœnas. Verba decreti eadem sunt, quæ Concilii Palentini, mox proferendi.

C. Diocesanis. De vita & honest. Cleric.
In Sexto, De Clericis conjugatis.

Can. 38.

Accessit & huic Clementinæ nova vis à Concilio Avenionensi anni 1337. Synodus Nemausensis anni 1284. Clericos conjugatos monuit, ut Clericali fruerentur privilegio, necesse esse ut in veste & tonsura ea essent, qua Clerici, ne bigami essent, & vilibus abstinerent ministeriis. *Clerici conjugati volentes gaudere privilegio, coronam,* &c. Concilium Palentinum in Hispania anno 1388. privilegio Canonis & Fori Clericos conjugatos frui sinit juxta Decretum Innocentii II. dum ne bigami sint, vesteque utantur Clericorum, & tonsura, coronaque ejus magnitudinis, quam hæc ipsa Synodus delineavit, quæque ad eam videtur proximè accedere, quam nostro hoc sæculo gestant Presbyteri: *Cùm in jure statutum existat, quod Clerici conjugati, qui cum unicis & virginibus contraxerunt, si tonsuram & vestes deferant Clericales, privilegium obtineant Canonis ab Innocentio Papa II. editi, in favorem totius ordinis Clericalis, & pro commissis ab eis excessibus, vel delictis non possint à sæcularibus Judicibus personaliter, aut etiam pecunialiter condemnari.*

Cap. 5

Concilium Bituricense anni 1336. Episcopis edixit, ut coërcerent Clericos uxoratos, qui in fraudem habitum Clericalem & tonsuram deponebant: *Ordinamus de Clericis conjugatis dimittentibus in fraudem habitum & tonsuram, quòd taliter puniantur per suos Ordinarios, quod in posterum talia non committant.* Can. 5.
Concilium ad Pontem Audomari, cùm commonefecisset Clericos conjugatos ut in veste & tonsura Clericali essent, alienarenturque à sordidioribus ministeriis; si minùs posthac morigeri essent, non alia eos affecit pœna, quàm ut temporalibus dominia permitterentur, iisdem ac laïci oneribus subjiciendi, Judicibusque civilibus, pœnis iisdem acsi laici essent, deinceps animadvertendi: *Circa conjugatos æquanimiter tolerabis, quòd domini sæculares ab ipsis justitias debitas velut ab aliis exigant, & servitia consueta, &c. si in apostasia tonsuræ & habitûs permanserint, & contingat quod pro suis excessibus à sæcularibus Judicibus capiantur, non præcipiemus eos per censuram Ecclesiasticam liberari.*

V. Bonifacii VIII. Decretum, de quo suprà, novo donavit vigore Concilium Tridentinum: *In Clericis conjugatis servetur Constitutio Bonifacii VIII.* dummodo conjugati hi Clerici veste & tonsura uterentur Clericali, & alicui se Ecclesiæ jussu Episcopi addicerent: *Modò alicujus Ecclesiæ servitio vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant, vel ministrent, & Clericali habitu & tonsura utantur.* Quæ eadem ipsa relata sunt in Remense Concilium anni 1564. ubi & illud ex Tridentino similiter relatum confirmatumque est, ut si ad minorum Ordinum obeunda munia desint Clerici cælibes, subrogentur in eorum locum uxorati, dum ne sint bigami, gestentque in Ecclesia tam vestem, quàm habitum Clericalem. *Quòd si ministeriis quatuor minorum Ordinum exercendis Clerici cælibes præsto non erunt, suffici possunt etiam conjugati, vita probata, dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei, & qui tonsuram & habitum Clericalem in Ecclesia deferant.*

Sess. 23. c. 6 17.
Statuto 9. 10.

VI. Hæc Concilii Tridentini decreta Clericis conjugatis instaurasse videntur dotes & prærogativas eas omnes, quibus in primæva potiebantur Ecclesiæ ætate. Affiguntur enim certæ Ecclesiæ, certis illigantur functionibus, conceduntur eis minorum Ordinum munia, privilegio Canonis & Fori frui jubentur, habitu & tonsura ornantur Clericali. Beneficiis quidem non permittuntur donari: at cùm mancipentur exercendis ministeriis quibusdam Ecclesiasticis, & ipsis minorum Ordinum functionibus implendis, nec id fiat sine distributionibus quibusdam temporalibus, quibus nec laici fraudarentur; his distributionibus non abs re adscripseris nomen Beneficii Ecclesiastici, juxta primigeniæ Ecclesiæ consuetudinem, & juxta usum etiam hodiernum quarundam Ecclesiarum, ubi Canonicis non alii omnino proventus sunt, quàm sportularum hujusmodi manualium.

In eum ergo sensum detorquendæ sunt suprà laudatæ Decretales, ut uxoratos Clericos reliquis orbent privilegiis, non autem Canonis & Fori. Hærent certè Canonistæ, an eorum Fori privilegium ad res & causas eorum civiles porrigatur, & ubi nihil impendet discriminis ipsorum capiti. Congregatio porro Concilii, teste Fagnano, in hac sententiarum alternatione in partem negantem magis propendere visa est.

Fagnan. in C. Ioannes, De Clericis conjug. Idem in C. Proposuisti. De foro compet.

VII. In Clericis ergo conjugatis tres rerum vices, tria tempora secerni debent. Nam ad extum

usque

usque sæculi XI. omnium Cleri privilegiorum consortium adepti sunt, immo & Beneficiorum, hoc est, distributionum manualium, & agellorum minimi pretii, ut fusiùs suo infrà loco patefiet. Post XI. sæculum cœpere Beneficiis omnibus spoliari, ea ut videtur occasione, quòd magna ex parte Clerici, etiam majorum Ordinum, uxoriis se compedibus innexuissent, improbamque spem hanc alerent, fore ut sua ad filios Beneficia, velut hæreditaria successione trajicerentur. Hanc libidinis & avaritiæ conjurationem represserunt summi Pontifices, demonstrata sacrorum Ordinum, & exaggerata illa sanctimonia, quæ cum conjugali vita coalescere & sociari nequaquam potest. Tunc ergo conjugati quique, & Presbyterorum filii omni spe Beneficiorum, ut inhabiles & irregulares, excussi sunt. Postremò denique cùm redintegrato Clericalis cælibatûs vigore cessaret illa necessitas, cœpit rursus Bonifacius VIII. cœperunt & suffragantia ei posteriora Concilia humaniùs agere cum Clericis conjugatis, & magna saltem ex parte pristinis illos restituere privilegiis.

VIII. Juniores Clericos, quanquam minoribus decoratos Ordinibus, Tridentina Synodus minimè idoneos pronuntiavit, qui Beneficia obtinerent ante annum ætatis decimum-quartum. Hoc decretum manifestissimè adversatur superiorum temporum consuetudini pervagatissimæ, ubi attonsio comæ, seu Ordo & Beneficium, duæ quædam res erant conjunctissimæ. At rursus hoc ipsum Decretum consentit adprimè consiliis moribusque primigeniæ Ecclesiæ. Tunc enimvero sustentabantur inferiores Clerici medioeri stipendio, quod instar habere poterat Beneficii Ecclesiastici: at non congerebantur in illos amplissimæ Dignitates & opima Ecclesiæ Beneficia, cui corruptelæ medicari studuit Tridentinum Concilium. Itaque tunc vel maximè serviunt quandoque Pontifices Synodique priscorum temporum Ecclesiæ sanctitati, cum aliquid statuunt novi, quod in speciem videtur refragari priscis moribus, sed illis in medulla accuratissimè concinit. Simili modo antiquæ Ecclesiæ consiliis obsecundabant, etsi externæ politiæ aliquantulum adversarentur, qui sæculo XII. uxoratos Clericos Cleri privilegiis exuebant.

Sess. 23 c. 6.

IX. In eo Tractatu, quem de *Abusu* inscripsit Fevretus, contendit ille, nec Bonifacii VIII. statutum, nec quo illud confirmatur Concilii Tridentini Decretum, quidquam habere vitium in Gallia, in qua nimirum juxta Carolum Molinæum, & juxta ipsa Regum Edicta, Clerici conjugati nullo Clericorum privilegio fruantur. At verò quod ad Molinæum attinet, hoc tantùm ille habet: *In Regno Franciæ si exerceant mercantias & sæculares status, nullo fori privilegio gaudent, ut constitutio Regia anni* 1539. §. 4. Atqui Edictum Francisci I. anni 1539. non magis ad conjugatos pertinet Clericos, quam ad innuptos: eosque indiscriminatim omnes spoliat privilegio Fori, si se mercimonio dedant, aut professioni cuicumque alii, cui ex ingenio suo illud congruat, ut sæculari obsequatur jurisdictioni. *Sine præjudicio sæcularis temporalisque jurisdictionis adversùs Clericos conjugatos, & non conjugatos, ministeria exercentes, vel mercimonia, quorum contemplatione tenentur & in more habent in sæculari Curia stare; ubi & stare cogentur, tam civilibus, quàm criminalibus in causis, sicut hactenus factitarunt.* In his quæ patrio ex sermone latina feci, tria observari par est. 1. Hoc Edicto promiscuè haberi Clericos uxoratos & non uxoratos;

De l'Abus. L. 4. c. 4. n. 1.

Molin. in sextum. l. 3. T. 2. c. unic.

Art. 4.

nec magis horum, quàm illorum privilegiis derogari. 2. Fori immunitate hic non privari nisi eos qui eas exerceant artes, quæ sponte sua ad Judices sæculares referuntur. Atqui iis artibus possunt & implicare se Clerici innupti, & extricare vel non intricare se conjugati; atque ita & excident illi, & hi potientur privilegio Fori. 3. Nihil hoc Edicto innovari testatum facit ipse Christianissimus Rex. *Sicut hactenus factitarunt.*

Alio certè posteriori Edicto anni 1563. immunitas Fori ad solos revocata est Subdiaconos, aliosque Ordines superiores. *Quacumque in causa, civili, vel criminali, nemini fas erit requirere, ex vi privilegii Clericalis, ut remittatur ad Ecclesiasticos Judices, nisi Subdiaconus saltem sit.* Sed facile tunc fuit circumvenire ætate immaturum Regem Carolum IX. inter ipsa maxime Regni sui exordia, eo denique tempore, quo nondum Concilium Tridentinum finem acceperat. Illud præterea advertendum, eo Edicto nihil privatim in conjugatos, sed omnia indiscriminatim decerni in minores quoscumque Clericos.

Edit de Roussillon. Art. 21.

At altero, vel paulò ampliùs anno post finem Tridentini Concilii, cùm ejus statuta per orbem evulgari cœpissent, idem Christianissimus Rex Edicto alio prioris invidiam abstersit, labemque resarsit Ecclesiæ illatam. En ipsissima ejus verba latinè reddita: *Declarantes articulum Edicti nostri de privilegio Clericali, statuimus, ne quis subditorum nobis civium, Clericali Ordini ascriptorum, privilegio Clericali frui possit, nisi sacris in Ordinibus, vel in Subdiaconatu saltem constitutus, vel Clericus actu residens, inserviensque Officiis, Ministeriis, & Beneficiis Ecclesiasticis.* Ergo hæc est. 1. prioris Edicti declaratio, vel emendatio. 2. Nec ullam ea discrepantiam conjugatis, vel innuptis Clericis interponit. 3. Immunitatem Fori redintegrat Clericis minoribus, dummodo addicant se Ecclesiæ alicui, in eaque sacris fungantur ministeriis aliquibus, pro suo gradu. Atqui ex Tridentino & ex Conciliis aliis in Gallia post Tridentinum habitis, possunt conjugati Clerici in hunc modum alicui se adglutinare Ecclesiæ, & functiones aliquas obire Clericales. 4. Facile est ergo Edicti hujus Regii consensum cum Tridentino Decreto observare. 5. Si in Edicto autem mentio fit Beneficiorum, ibidem tamen par habetur ratio & officiorum functionumque sacrarum quæ in Ecclesia obeuntur. Certè id ad fastidium usque inculcatum, inculcandumque nobis est, veteris Ecclesiæ Beneficia in meris functionibus Clericalibus & distributionibus manualibus ferè sita fuisse. Frustra sunt ergo & Fevretus & Molinæus in hac parte.

L'Edit de Moulins en 1566. art. 140.



## De ætate necessaria ad Ordines, & ad Beneficia.

## CAPUT LXVII. *P. 1. l. 2. c. 45.*

### De ætate necessaria Prioribus quinque Ecclesiæ sæculis.

*I. II. Conferebantur minores Ordines pueris ætate tenellis & à baptismo recentibus. Acolythatus & Subdiaconatus anno ætatis vigesimo, Diaconatus trigesimo, Presbyteratus trigesimo quinto, Episcopatus quadragesimo quinto. Probationes ex Siricio Papa.*

*III. IV. Probationes aliæ ex Zosimo Papa, & Conciliis Carthaginensibus.*

*V. Probationes aliæ minorum Ordinum pueris ætate immaturis collatorum.*

*VI. Probationes aliæ. Venia ætatis fit Epiphanio, sanctissimo postea Ticini Episcopo.*

*VII. Exempla alia.*

*VIII. Ætas Presbyteratus ad trigesimum annum revocata.*

*IX. X. Dispensationes variæ, quæ tamen iis tantum decernebantur, qui sua ipsi sponte & Ordinem fugitabant & dispensationem.*

*XI. Quomodo tunc Beneficia crudis adhuc pueris concederentur.*

I. TAntò facilior olim erat continentiæ apud Latinos Clericos custodia, quantò impensiùs curabatur, ut tenelli adhuc infantes puerique, nullo sæcularis nequitiæ contagio adhuc vitiati, sd Clerum adoptarentur. Ea nos causa impulit, ut post pertractatam Clericorum continentiam, stylum flectamus ad explorandam Clericatûs & cujusque sive Ordinis, sive Beneficii & Dignitatis ætatem. Ordo enim & Beneficium olim, aut una eademque res erat, aut duæ quædam sibi conjunctissimæ, indivulséque cohærentes.

Quòd autem id curæ esset Pastoribus Ecclesiæ, ut innocentia illibata pueri antè inscriberentur Clero, quàm sæculi pestilentia ioquinarentur, id docet nos Siricius Papa: *Quicumque itaque se Ecclesiæ vovit obsequiis, à sua infantia ante pubertatis annos baptizari, & Lectorum debet ministerio sociari.* Liquet Lectoris ordine officioque donari à Pontifice pueros ex lustralibus baptismi undis statim emergentes. Copiam quidem postea illis facit nuptiarum; & quanquam uxorea duxissent, usque ad annum ætatis trigesimum illos retinet in Acolythorum Subdiaconorumque Ordinibus & sacris muniis. At anno demum ætatis trigesimo ad Diaconatum promovebantur, continentiæ tuoc professione constringendi. Quinquennio verò pòst Presbyteratu initiabantur, in quo peracto decennio, si idonea tandin dedissent eruditionis sanctitatisque documenta, tunc demum poterant ad Episcopale culmen attolli. Qui his rudimentis juventutem imbuerant, erant utique illi faciles & expediti ad profitendam anno ætatis suæ trigesimo in susceptione Diaconatûs continentiam. Supererant anni quinque ante Presbyteratum, & rursus anni decem ante Episcopatum exhauriendi, ut nonnisi spectatissimi, probatissimique, & ætate jam præmatura ad Sacerdotium, magnis, sed lentis incrementis venirent. *Usque ad tricesimum ætatis annum Acolythus & Subdiaconus esse debebit. Post quæ ad Diaconii gradum accedat. Ubi si ultra quinque annos ministrarit, Presbyterium consequatur. Exinde post decennium Episcopalem Cathedram poterit adipisci.*

Epist. 1. Cap. 9.

II. Quod ad alios verò, qui ætate jam maturi, Ecclesiasticis se mancipari ministeriis ambirent: eos statuit Pontifex statim à spiritali infantia, id est, à baptismo, Clero initiari, Lectoris, vel Exorcistæ ordine suscepto; biennio post Acolythos, vel Exorcistas fieri; elapso rursus quinquennio Diaconos ordinari, si ea sint pietate & experientia, quæ tanto muneri par sit: denique post majora virtutum, quàm ætatis incrementa facta, unanimi Cleri populique electione ad Presbyterorum, & tandem ad Episcoporum collegium vocari poterunt. Itaque si infantia ætatis idoneos præstabat ut ad Clericatum adsciscerentur, innocentia à baptismo recens & illibata, multò & idonea magis & necessaria erat. *Qui ætate jam grandævus, ex laico ad sacram militiam pervenire festinat, melioris propositi conversatione provocatus, desiderii sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo quo baptizatur tempore, statim Lectorum aut Exorcistarum numero societur.* Nullo interstitio Pontifex baptismum ab ordinatione sejungit, ut ne interim irrepere & illabi possint in animam ludibria sæcularium pomparum & deliciarum, atque cælestem baptismi innocentiam aliqua turpitudinis macula contaminare. Ibid. c. 10.

Rursum & illud observare juvat in hæc Siricii verba: *Qui Ecclesiæ se vovit obsequiis, & qui ex laico ad sacram militiam pervenire festinat:* non sola Pontificum authoritate, aut Cleri populique suffragiis pandi solitas Cleri fores: sed multos eum sibi patefecisse aditum, semet Ecclesiasticis minorum Ordinum ministeriis devovendo, sive ut partam baptismo innocentiam adolescentes tuerentur, sive ut præteritæ vitæ culpas eluerent, si grandiores essent: *Melioris propositi conversatione provocatus.* Quanquam enim isti ad Clericatum accederent, baptismi innocentia candidati, nihilo tamen minùs anteactæ errores vitæ longis vel pœnitentiæ lamentis, vel Clericalis muneris laboribus expiabant. Sed de hac spontanea & pia ad Clericatum adproperatione, infrà agemus prolixiùs, ubi & illud declarabimus, de quo ne ambigere quidem jure quisquam potest, sine voluntate & authoritate Episcopi tentari nihil potuisse. Inutilia enim erant vota & ventosa, nisi ea Episcopus probasset, confirmassetque. Unus quippe tum erat aditus ad Clerum, Ordo aliquis unus ex iis qui minores vocantur. Porro Ordines non conferebat nisi Episcopus. Sed non facilè irritos voti ejiciebat Episcopus eos, qui ad Clericatum ea ætate, ea innocentia, eo consilio suspirabant.

III. Expressiùs hanc necessitatem & vehementiùs inculcat Zosimus Papa, ineundi Clericatûs, & suscipiendorum minorum Ordinum jam inde ab infantia, aut saltem à baptismo, ut ne possit ille innocentiæ candor interim aliquo sæculi pestilentis afflatu inquinari. *Hæc in singulis gradibus observanda sunt tempora: si ab infantia Ecclesiasticis ministeriis nomen dederit: inter Lectores usque ad vicesimum ætatis annum continuata observatione perduret. Si major jam & grandævus accesserit, ita tamen ut post baptismum, statim se divinæ militiæ desideret mancipari, sive inter Lectores, sive inter Exorcistas, quinquennio teneatur: exinde Acolythus vel Subdiaconus quatuor annis: & sic ad benedictionem Diaconatûs si meretur accedat: in quo Ordine quinque annis hærere debebit; exinde Presbyterii sacerdotium poterit promereri.* Hæc interstitia ergo vult observari Pontifex, ut ad Subdiaconatum non perveniatur nisi anno ætatis vigesimo, ad Diaconatum trigesimo, trigesimo-quinto ad Presbytera- Epist. 1. c. 3.

tum. Certè nomen Presbyteri idem sonat, ac Senioris. Æquum erat ut res nomini concineret. *Jam verò ad Presbyterii fastigium talis accedat, ut & nomen ætas impleat, & meritum probitatis stipendia anteacta testentur.*

Can. 4. IV. Concilium Carthaginense III. ordinari Diaconos vetuerat ante ætatis annum vigesimumquintum. Nec illud præterire fas est ejusdem Concilii Decretum, quo jubentur juniores Clerici, ut primùm pubertatem assecuti fuerint, aut conjugari, aut profiteri continentiam. *Placuit ut Lectores* Can. 19. *cùm ad annum pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.*

Ita statuebant magnæ sanctitatis nec disparis experientiæ nomine clari Episcopi, posse castitatis conjugalis septo cohiberi fervidæ ætatis juvenes Clericos, ne criminosæ se dederent incontinentiæ. Sed perpensis omnibus, quanquam hoc conjugio non arcerentur illi ab Ordinis suscepti functionibus, nec à Beneficii sui redditibus, sed à progressione tantùm ad Ordines superiores: longè probabilius tamen est plerosque horum Lectorum ad optimam partem amplectendam animum appulisse, & spem omnem conjugii semel & simul abjecisse.

V. Depromi potest ejus rei argumentum luculentum ex Victore Vitensi Episcopo, qui triumphum descripsit duodecim Lectorum seu Psalmistarum tenellæ adhuc ætatis. *Clericos duodecim infantulos, vocales, strenuos, atque aptos modulis cantilenæ.* L. 5. vel 3. De persecut. Vandalica. Hi invicto animi robore & supra ætatem constantia cruciatus diutinos & acerbos perferentes, de Vandalorum immanitate triumphum egerunt. Unum in sodalitium adunati sunt postea hi duodecim pueruli, quod ipsi soli implebant, ab aliis omnibus sejuncti, & non aliter honori & amori apud omnes habiti fideles, quàm veluti juniores quidam Apostoli. *Quos nunc Carthago miro colit affectu, & quasi duodecim Apostolorum, chorum conspicit puerorum.* Si tam sancta minorum Ordinum tyrocinia hanc ingenerabant animi virtutem invictam & fortitudinem, qua perferrent vincerentque carnificum lanienam: multò magis ut voluptates carnis aspernarentur. Ibidem porro Victor idem fidem facit ingentem in Carthaginensi Clero numerum fuisse Lectorum hujusmodi primævo innocentiæ flore radiantium. *Universus Clerus Ecclesiæ Carthaginis fame inediaque maceratur, ferè quingenti vel amplius. Inter quos quam plurimi erant Lectores infantuli, qui gaudentes in Domino, procul exilio crudeli traduntur.*

VI. Sed cùm ex suprà dictis needum satis liquidò exprimi possit ætas, qua aditus patebat ad Clerum & ad primum quemlibet ex minoribus Ordinibus, id ex Ennodio nobis eruendum est in vita sancti Epiphanii Episcopi Ticinensis. Ita ergo ille commemorat, ut anno ætatis octavo ad Clericatum vocatus sit, ordinatusque Lector. *Sub Crispino Pontifice cælestis militiæ tyrocinium sortitus, annorum ferè octo, Lectoris Ecclesiastici suscipit officium.* Statim edoctus est Notariorum artem, qui notarum compendio & scribendi celeritate quamlibet loquentis pernicitatem æquabant. *Exceptores vocabantur.* Simile veri est eodem tempore in Notariorum quoque album relatum tunc fuisse Epiphanium, cùm is ordo quidam minor esset, pueris admodum immaturis tunc commissus solius. *Notarum in scribendo compendia, & figuras varias verborum multitudinem comprehendentes brevi assequutus, in Exceptorum numero dedicatus enituit.* Anno ætatis duodevigesimo ordinatus est Subdiaconus: *Talis jam ad decimum octavum ætatis suæ annum pervenit. In quo secundo ab Levitis numero dedicatus, senum cætibus puer adgregatus est.* Quæ Ennodii verba illud nimirum insinuant, id præcoci datum esse virtuti, quod ætati negatum fuit, ut ea ætate ad Subdiaconatum proveheretur: pari ætatis venia, & relaxatis ex indulgentia Canonibus, biennio pòst ad Diaconatum adscensus est. *In quo ille Subdiaconi Ordine nihil amplius quàm biennio commoratus, meritorum suorum saltibus evectus exilivit. Brevi pòst ad Diaconii evectus infulas, vicesimum annum ætatis ascendit, facie necdum bene barbata.* Statim illi Episcopus curam pauperũ demandavit, & temporalium Ecclesiæ rerum administrationem: denique non aliter illum sibi adglutinavit, & ad omnia expeditum habuit administrum, quàm ut oculum, ut manus, ut pedes: *Pes illius erat, oculus, dextra.* Hujus tantæ contemplatione sedulitatis in officio Diaconatus diutiùs retinendus fuerat: sed octo tantùm annos eo munere functus, Crispino Episcopo hinc migrante, successor ei in Episcopatu datus est Epiphanius. Potuit tanti viri celerior in virtutum palæstra progressus accelerasse & Ordinum superiorum collationem, sed vix idem quisquam dixerit de Lectorum ordine, quo decoratus est anno ætatis octavo. Non injuria ergo existimaverit quis, cùm ab *infantia* perciperent suprà Romani Pontifices Cleto pueros dedicari, perinde fuisse ac si dicerent ab anno circiter ætatis suæ octavo: tum enim censebantur quò teneriores, & innocentiæ propiores, eò & defungendis minusculis Lectorum muneribus, fruendisque sportulis aptiores.

VII. Ita persuasum erat Sidonio Apollinari; cùm laudes adgressus Joannis, viri sanctissimi, qui recentissimè ad Cabilonensem Episcopatum electus fuerat, exordium hinc duxit, quòd ab infantia ministerio altaris, hoc est Lectorum ordini mancipatus fuerat. *Lector hic primùm, sic Minister altaris, idque ab infantia; pòst laborum temporumque progressu Archidiaconus.* L. 4. Ep. ult. His gradibus ad summas Ecclesiæ dignitates eluctabantur. Scriptor vitæ Euthymii Abbatis, tot Orientalium Monasteriorum conditoris, ait eum à matre oblatum fuisse Episcopo Melitensi, qui *cum eum baptizasset, & pilos qui ex lege tondentur pueris, totondisset, in gradum Lectorum eum cooptat.* Apud Surium die 20. Januar. Frequentissimus hic ergo in Oriente erat & in Occidente usus, ut statim post sacrum lavacrum minores Ordines conferrentur, pueris etiam valde immaturis. Chrysostomum à Meletio Episcopo Antiocheno baptizatum, & incunctanter Ordini Lectorum adgregatum fuisse author est Palladius in ejus vita. *Lavacri regeneratione mundatum, Lectorem ordinavit.* Ei consuetudini suffragari videtur Augustinus, qui nec illud silet, qua cura juvenculi Lectores statim Christianis litteris imbuerentur. *Pueri, qui adhuc pueriliter in gradu Lectorum Christianas litteras norunt.* De Consens. Evang. l. 1. c. 10. Paulinus quoque Felicem, illum postea tam inclytum Martyrem, Lectoribus statim ab infantia adgregatum fuisse narrat. *A puero instituit servire Deo, & primis Lector servivit in annis.* Paul. Car. 4.

VIII. Idoneam profectò Presbyteratui ætatem Neocæsariensis Synodus anno affixit trigesimo, quòd tum baptizatus sit Christus, cœperitque Evangelicæ prædicationis verbum promulgare. *Christus in trigesimo anno baptizatus est, & cœpit prædicare.* Can. 11. Palladius Chrysostomum in Diaconatu quinquennium retinet, duodecim annos in defungendo Presbyteratu. Anno ætatis trigesimo-octavo ad Episcopales infulas promovet. Hinc colliges qua ætate tum Diaconus, tum Presbyter sit creatus.

Non omnia hîc Siricii Zosimique regulis consentiunt, quod ad Diaconatum & Presbyteratum attinet: at ea virtutum supellectile, ea doctrinæ ubertate inclaruerat Chrysostomus, ut quamvis maturatæ fuissent ejus ordinationes, tardè ad eas tamen venisse videri possit. Sanctus Basilius orationem luculentissimam edidit de iis virtutum ornamentis, quibus Presbyteros deceat cumulari; inter eas non ultimo loco numerat eam, quæ ultima omnium comparatur rerum experientia & dexteritas, prudentiaque: quanquam & aliam cœlitus inspirari prudentiam doceat, cui nulla immatura, nulla tarda sit ætas. Eodem ipso tempore Hieronymus apologiam scripsit, tum Pauliniani fratris sui, tum beati Epiphanii, qui anno ætatis trigesimo Presbyteratu ipsum initiaverat, adversùs criminationes Joannis Episcopi Hierosolymitani, cui illa ætas minùs idonea tanto oneri ferendo videbatur. Contrà tendit Hieronymus utriusque Testamenti paginas, & exceptas inde authoritates Pauliniano suffragari. *Occidentalium Sacerdotum commovit aures, dicens eum adolescentulum & pene puerum in Parochia sua Bethlehem Presbyterum constitutum. At ætas ejus beatitudini tuæ non est ignota: & cùm ad triginta annorum spatia jam pervenerit, puto eam in hoc non esse reprehendendam, quæ juxta mysterium assumpti hominis in Christo perfecta est. Recordetur legis antiquæ, & post viginti quinque annos à Levitica Tribu eligi in Sacerdotium pervidebit. Aut si in hoc solo testimonio Hebraicam sequitur veritatem, noverit triginta annorum fieri Sacerdotem. At ne forsitan dicat, Vetera transierunt, & facta sunt omnia nova, audiat cum Timotheo, Adolescentiam tuam nemo contemnat.* Addit postremò Hieronymus minores triginta annis à Joanne ipso Hierosolymitano ordinatos fuisse Presbyteros.

*In cap. 3. Isaia.*

*Epist. ad Theoph. advers. error. Ioan. Hiero.*

IX. Fuere sanè & aliæ præproperæ ante legitimam ætatem ordinationes, quibus tamen personæ sanctitas absterſit invidiam, authoritatem conciliavit. Ejusmodi fuit sanctus Remigius, quem Flodoardus narrat electum fuisse Remensem Archiepiscopum, cùm natus esset annos non amplius quàm viginti duos. Contrà obtestabatur & ipse, quod *Ecclesiastica Regula hanc ætatem ad tantam non admitteret dignitatem.* Sed consultius tunc visum est, virtutes ætate, quàm ætatem virtutibus destitui in eo qui Episcopus deligeretur. Quàm raræ hæ incomparabiles virtutum dotes, tam rara sunt & illa exempla electionum. Universim autem & experientia & authoritas ætate convalescit. Sanctissimè Zosimus edixit in Presbyteris diligendis, *Ut & nomen ætas impleat.* Et ipse non dissimulat Hieronymus, illud inter Episcopi & Presbyteri nomen esse discriminis, quod *illud nomen dignitatis sit, hoc ætatis.*

*Flodoard. Hist. Rem. L. 1. c. 11.*

*Epist. 1.*

*Epist. ad Ocean.*

X. Sed illud præ cæteris animadverti, altiusque mentibus commendari æquum est: quando hæc lumina aureæ Ecclesiarum ætatis, hac Canonum relaxatione & venia annorum facta, ad Ordines dignitatumque gradus summos protrudebantur, nequaquam flagitasse ipsos, ut secum dispensaretur. Quin immo nullum non illi movebant lapidem, ut & Sacerdotium & dispensationem declinarent. Quo magis magisque adducebatur Ecclesia, ut quod illi refugiebant, adproperaret. Tales fuere Remigius & Theodorus Siceota, in fugitando Episcopatu, Paulinianus Hieronymi frater in Presbyteratu, Gaudentius denique in Brixiensis Episcopatûs onere à se amoliendo. Nervos ille omnes contendit & ætatem maximè excusavit, ut Episcopalem à se summoveret sarcinam. At summo imperio Ambrosius, & cæteri Provinciæ Episcopi, intentata etiam excommunicatione, egerunt cum eo, expresseruntque tandem, ut ne constantiam modestiamque contumacia deturparet. Sic ipsemet Gaudentius in Natali Cathedræ suæ sermonem faciens ad populum. *Imperitiæ meæ conscius, & ætatis ipsius immaturæ ad Sacerdotii dignitatem, pudore deterritus, merito silendi licentiam à summis Sacerdotibus postulabam, &c. Onus istud totis viribus conatus sum declinare. Sed beatus Pater Ambrosius, cæterique venerandi Antistites, tales ad me Epistolas miserunt, ut sine damno animæ meæ ultra jam resistere non valerem; cui ab Orientalibus quoque Episcopis nisi meum ad vos reditum pollicerer, salutaris communio negaretur.* Ejusmodi præterea fuere verè mirandi fratres illi, Gregorius Thaumaturgus & Athenodorus, qui in Ponto creati sunt Episcopi in ipso juventæ flore. Ita enim de iis Eusebius: *Tantam & tam admirabilem in divinis eloquiis adepti sunt peritiam, ut ambo adhuc admodum juvenes, Ecclesiarum in Ponto Episcopi fuerint constituti.* Gregorius Nyssenus in vita Gregorii Thaumaturgi non siluit, quo ille studio, & quàm anxiè Episcopatum desugeret. Talis denique Chrysostomus, qui ad Episcopatum vocabatur anno ætatis altero, vel quarto supra vigesimum; sed felicior ipse fuit, declinato tunc quidem tanto onere, & religiosa industria in amicum sibi perspectissimum rejecto.

*L. 6. c. 30.*

XI. Iterum monebo, minimè mirum esse, si puculi & Ordine & Beneficio in tanta tunc Disciplinæ sacræ sanctimonia donarentur. Etenim non alio ornabantur Ordine, quàm quem implebant, diebusque synaxeos singulis exercitabant; Beneficiò item non alio, quàm quo victitarent, onerabantur. Stipes eæ erant, vel sportulæ diurnæ, aut menstruæ, vel in pio aliquo sodalitio mensa & vescis communis. Cùm in Templo & ministrare & vesci cœpit Samuël, ætate maturior non erat. Etiamnunc infantes admodum pulluli aggregantur & sustentantur ad cantum Ecclesiæ. Is erat antiquissimus Ecclesiæ usus: cùm has delicias cantûs puerilis, non puerilis condiret pietas. Nihil hîc est, quod commiscere possis cum ea consuetudine improbanda, qua fit persæpè, ut pinguibus quibusque Beneficiis donentur & onerentur pueri impuberes.

---

## CAPUT LXVIII. *P. 2. l. 1. c. 29.*

### De ætate ad Clericatum & ad quoslibet Ordines necessaria sæculo VI. VII. & VIII.

*I. Variæ Ecclesiæ Gallicanæ Decreta de Clericatus & Ordinis cujusque ætate. Magna varietas. Multis venia fit annalium legum ob virtutis gravitatem. Quando cœperint Presbyteri annorum XXV. ordinari.*

*II. Decreta Hispanica, ubi pueri & infantes Clerici fiunt.*

*III. Item in Italia.*

*IV. In Oriente Justinianus suam cuique ordini præscribit ætatem.*

*V. De Trullanæ Synodi Decreto. Puer annorum quinque in Clericum assumptus. Presbyter annorum duodeviginti ordinatur.*

I. Agathense Concilium Diaconos annorum esse voluit viginti quinque, Episcopos & Presbyteros triginta. Qua in re Presbyter æquatus est Episcopo; forsan ut obsequeretur sanctorum Patrum sententiæ, qui Episcopos à dignitate, Presbyteros ab ætate senili nomen trahere existimarunt. Idem renovat Arelatense IV. *Ne laicus ante præmis-*

*Can. 16. 17.*

*sanè conversionem, vel ante xxx. ætatis annos Episcopatûs vel Presbyterii honorem accipiat.* *Can. 1.* Ubi particula *vel* non disjunctiva, sed conjunctiva est. Rei enim utriusque, conversionis & ætatis necessitatem innuit, ne quis existimaret eum eo in ætate dispensatum esse, qui Religionem profiteretur. Per *conversionem* autem, eam probationem intellige, qua cujusque, antequam ordinaretur Diaconus, continentiam, & in fungendis minoribus Ordinibus diligentiam experiebantur. Ita perspicuè Concilium Aurelianense III. *Can. 6.* *Ne ullus ex laicis ante annualem conversionem, vel ætatem legitimam, id est xxv. annorum Diaconus, & xxx. Presbyter ordinetur.* Id Zacharias Papa Bonifacio concessit, ut urgente gravissima necessitate anno ætatis vigesimo quinto Diaconos ordinaret, adeoque & Presbyteros. *Epist. 13.* *Si provectæ ætatis minimè reperiuntur, & necessitas exposcit, à viginti quinque annis & supra Levitæ & Sacerdotes ordinentur.* *Vita Patr. c. 8.* Ex Gregorio Turonensi erat triginta annorum Nicetius, cum Presbyter ordinatus est, is qui auctus est postea Episcopatu Lugduoensi. Remigius anno ætatis vigesimo secundo Ecclesiæ Remensis Episcopus factus, sed vehementer renitens, & ipse Canones allegans in sui excusationem, ut intolerabili vel ipsis provectæ & ætatis & experientiæ viris onere liberaretur. *Hincmar. in ejus vita. c. 6 7.* Stetit pro Remigio contra Remigium Deus, & confirmata dispensatione, adegit teste Hincmaro, ut sarcinam subiret. Bonifacius, cùm eum Villibrordus Episcopum creare vellet, onus detrectavit, quòd annum ætatis quinquagesimum nondum attigisset. *Surius die 5. Iunii.* *Quoniam quinquagesimi anni juxta canonicæ rectitudinis normam, necdum plenè reciperet ætatem.* Non satis video, unde eam ætatem desiderari probaret Bonifacius. Nam & ante eam ætatem à Pontifice ordinatus est Episcopus, qua virtus quidem animi firmior, at vires corporis infirmiores & effætæ. D. Cæsarius *Surius die 27. August. c. 1. 28* *inter ipsa infantiæ rudimenta* ordinatus est Clericus. Paulò major erat septennio. At cum Cæsarius Arelatensi sedi præfectus fuit, negavit ordinatum ullos à se iri Diaconos, nisi triginta annos nati essent. *Adjecit etiam hoc, ut nunquam in Ecclesia sua Diaconum ordinaret ante trigesimum ætatis ejus annum.* *Surius die 1. Novemb. c. 5.* Fortunatus in vita sancti Germani, Clerici meminit, nati annos decem, qui vocis suavitate omnium aures mulcebat. *Surius die Octob. 2.* Leodegarius Augustodunensis Episcopus anno ætatis vigesimo Diaconatu donatus est.

II. Veniamus ad Hispaniam, ubi per Concilium Toletanum II. parentibus licet filios devovere Clericali militiæ, Episcopis autem eos attondere & *Can. 1.* Lectores facere *à primis infantiæ annis.* Anno deinde duodevigesimo jubentur interrogari, & si continentiam promiserint, anno ætatis vigesimo quinto Subdiaconi ordinari, protracto annis septem continentiæ tyrocinio ante Subdiaconatum. Id ipsum *Can. 20.* pro Diaconis statuit Concilium Toletanum IV. & Levitarum veteris Testamenti exemplo confirmat; Presbyteros autem vult annorum esse triginta. Per *Can. 6.* Toletanum autem X. fas quidem est parentibus Clericatui, vel Religioni filios contradere *in qualibet minori ætate*, sed tamen ad annum tantùm ætatis decimum. *Parentibus sanè filios suos religioni contradere, non ampliùs, quàm usque ad decimum ætatis eorum annum, licentia poterit esse.* Nam post illam ætatem siqui à parentibus, aut Ecclesiæ offeruntur, aut Religioni, nisi consenserint ipsimet, neutram amplecti cogi possunt professionem, in neutra perseverare. Censet Isidorus Hispalensis, ut ad exemplum Christi, quàm proximè fieri potest accedatur, Episcopos anno consecrari trigesimo, *ab ætate qua Christus orsus est prædicare.* *De Eccles. Offic. l. 2. c. 5. 7.* Hæc enim Episcopalium functionum præcipua est. Addit & exemplo Levitarum Diaconos vigesimo quinto ordinari.

III. Vetuit Gregorius Magnus, ne sacris Ordinibus initiarentur *pueri*, sed *provectiores ætate.* *L. 2. Ep. 47. 48.* Illud de Eugenio I. Papa testatum facit Anastasius Bibliothecarius, quòd olim à teneris unguiculis Clero adscriptus fuisset. *Clericus à cunabulis.*

IV. Edixit Justinianus, ut anno ætatis trigesimo quinto crearentur Episcopi, Presbyterique; *Cod. de Episc. & Cler. l. 9. Nov. 123. c. 1. 13. Nov. 137. c. 2.* vigesimo autem quinto Diaconi & Subdiaconi, Lectores denique anno decimo octavo. Videtur alibi acquiescere, ut qui Episcopus electus est, annorum sit triginta.

V. In Concilio V. Generali perlecta sunt Acta *Collat. 5.* Concilii Provincialis Mopsuestiæ habiti, jussu Imperatoris Justiniani, ubi inter accusatores Theodori ejusdem quondam urbis Episcopi, recensetur Thomas Presbyter, qui se professus tunc est annorum esse sexaginta, quorum quinquaginta quinque in Clero exegerat; ex quo id colligitur, annorum non ampliùs quinque eum fuisse, cùm Clero adscriptus est. *Sexaginta annorum sum, habeo verò in Clero, licet peccator sim, quinquaginta quinque annos.* Eadem ratione ibidem colligitur alium Presbyterum, & ipsum nomine Thomam, allectum fuisse Clero anno decimo, Joannem Diaconum decimo similiter, Thomam Diaconum sexto.

Synodus Trullana adhæsit Novellis Justiniani in *Can. 14 15.* definienda Diaconorum ætate, at eisdem minùs obsecundans, Subdiaconos vigesimo, Presbyteros trigesimo ætatis anno ordinari jussit. Author vitæ *Cap. 12. Surius die 6. April.* sancti Eutychii Episcopi Constantinopolitani, ait illum Presbyteratu inauguratum fuisse anno trigesimo ætatis, & aliquantis pòst annis Episcopatu. Joannes Silentiarius anno ætatis trigesimo octavo Episcopus factus est. Theodorus Siceota, qui ad *Surius die Mart. 13.* Anastasiopolitanum postea sublimatus est Episcopatum, Presbyteratum assecutus est anno ætatis duodevigesimo. At Theodorus Episcopus Anastasio- *Surius die April 22.* politanus, qui hanc illi Canonum veniam fecerat, non aliud quàm se in Pauli Apostoli vestigia ingressum esse dixit, qui Timotheum adhuc juvenem Episcopali dignitate auxerat: gnarum conducibilius esse, ut Episcopus virtute, quàm ætate provectus sit, & esse quandam consilii maturitatem morumque canitiem longè potiorem; postremò eo se tuebatur Theodorus Theodori ordinator, quòd tum necesse fuisset obsequi potiùs cœlesti, quàm Canonum oraculo. Cæterùm eo tempore quo Theodorus creatus est Presbyter, summum jam tum fastigium virtutum attigerat, & memoriæ mandato psalterio, ut Angeli cœlos, ita ipse Ecclesias omnes cœlestibus jugibusque Canticis personabat.

---

## CAPUT. LXIX. *P. 3. l. 1. c. 27.*

### De ætate necessaria ad Clericatum, ad Ordines quoslibet, ad Beneficia, sub Imperio Caroli Magni.

*I. Imperiales leges variæ de ætate Lectorum, & Cantorum, qui infantuli admittebantur; Subdiaconi anno ætatis vigesimo; Diaconi vigesimo quinto, Presbyteri trigesimo.*

*II. Canones in hac disciplinæ parte multò religiosiùs in Oriente servabantur.*

*III. In Occidente aliquando contumeliosissimè in eos peccatum est.*

*IV. Prisci tamen Canones in Capitularibus & in Conciliis primævo vigori redditi fuerunt.*

I. DUobus his tribusve regnantis Caroli Magni vel Carolinæ familiæ sæculis, nihil innovatum est in ætate Ordinum ac Beneficiorum quorumlibet. Leo & Constantinus Imperatores, ordinari Lectores Cantoresque concessere, ut primùm legere, vel cantare addidicissent. (*Jus Orient. To. 2. pag. 94.*) *Lector designetur ab eo tempore, quo novit & potest legere. Psaltes designetur ab eo tempore, quo canere noverit.* In Nomocanone affirmat Photius per Novellas Justiniani non licere ordinari Presbyteros, nisi trigesimo, Diaconos vigesimo quinto ætatis anno, Lectores vigesimo, Episcopos autem trigesimo quinto. (*Nomocan. Tit. 1. Can. 28.*) Sed alia Constitutione Justinianum nihil ultra urgere, quàm ut triginta saltem annorum sit Episcopus. Adjicit illud quoque Balsamon Justiniani Novellam annuere, ut annorum octo ordinentur Lectores; sed eandem reformatam in Basilicis, ubi eæ compilatæ fuerant leges quæ usu receptæ essent, vigerentque, annum illis præscribere decimumoctavum. Inde arrepta occasione excandescit idem ipse Balsamon vehementer adversùs sæculi sui mores perditissimos, ubi adeo non annorum duodeviginti ætas expectabatur, ut anno quidam sexto, nonnulli & tertio ætatis anno ordinarentur Lectores: denique otiosam & inutilem censet ille esse eorum causationem, qui dicerent nusquam Canones præcepisse, ut annorum decem & octo Lectores omnes essent: cùm ex adverso indubitatissimum illud sit effatum, ubi silent Canones, audiendam esse legum jussionem. Hoe certè Græcorum effatum tum denique locum habere par erat, cùm leges sanxisset Imperator ad custodiam Canonum muniendam; vel ad interpellationem Episcoporum, maximè autem Patriarcharum Constantinopolitanorum, ut usuveniebat plerumque; vel denique eum usu & assensione Ecclesiæ convaluissent. (*Ibidem*) *Miror quomodo non exerceatur, quod de Lectorum ætate scriptum est. Cùm enim dicat lex octodecim annorum esse debere Lectorem, Clerici Lectores nunc ordinantur sex annos nati, & nonnunquam etiam tres annos tantùm. Lege Canonem XIV. & XV. Synodi VI. qui depositioni subjicit eos qui ordinant Diaconos & Subdiaconos, ante complementum annorum XXV. & XX. vel Sacerdotes ante annorum XXX. Qui autem dicunt nihil obesse eis qui ordinant Lectores ante XVIII. annos eorum completos, quia Canones nullam ejus rei mentionem fecerunt, male dicunt. Ubi enim nihil definitur à Canonibus, debemus sequi leges, & ex similibus similia decidere.*

Annum ætatis vigesimum-quintum Subdiaconatui præfixerat Justinianus. Canon Trullanus annum vigesimum nec amplius quidquam designabat. Leo (*Novel. 123*) Sapiens Novellam Justiniani abrogavit, confirmato Trullano hoc Canone. Sed eam ille rationem decreti sui prompsit, quæ ei imprimis congruat (*Const. 16.*) Principi, qui Sapientis nomen jure assecutus sit, Quòd in sua cuique arte & professione plus haberi debeat fidei & honoris. Ita in rebus Ecclesiasticis Canones legibus antepoui debere. *Verbum vetus, quod de rebus suis dicenti aures esse aperiendas monet, &c. Dignum itaque sacram legem de rebus suis præcipientem audire Imperatoria nostra Majestas rata, &c.*

II. Hic vides Ecclesiæ hujus ævi medii leges non multùm discrepantes ab antiquis, ubi castissima florebat disciplina. Sed quænam religione servatentur, jam insinuavit Balsamon, cùm triennes vel sexennes ordinarentur Lectores. Sed quis satis mirari poterit, quod narrat Cedrenus de Patriarcha Constantinopolitano Theophylacto, quem Imperator parens ejus intrusit Patriarchali Cathedræ annum agentem sextum supra decimum. *Id quod contra leges Ecclesiasticas erat, & Patriarcha sub Pædagogis, proh indignam rem, aliquandiu egit.* Facilè hinc conjicitur non unum id ejusdem insaniæ specimen editum esse eo tempore, quasi solo Imperatoris suffragio addi posset meritum, probitas, ætas, experientia, pietas, cùm contra id vel maximè tum constiterit fieri neutiquam posse; sed posse Patriarchas Episcoposque puerili ætate, inter scholares scholariumque fæces sordescere. Certè Theophylactus hic ipse Episcopus (*Cedrenus. Baron. an. 933. 934.*) consecratus non est nisi anno ætatis vigesimo quinto, vices interim & munia Patriarchæ fungente Tryphone, de quo aliàs.

III. Paucis pòst annis Joannes XII. Romanam invasit Sedem, admodum sanè puer, cùm in Romana Synodo post aliquot annos habita Imperator puerum adhuc illum vocaret. *Puer est, facilè bonorum mutabitur exemplo virorum.* (*An. 955.*) Adde quod Baronius computato tempore quo parens ejus uxorem duxit, concludat eum non potuisse ad summum nisi annos octodecim attigisse.

Nescio quid pene portentosius paulò antè Gallias obstupefecerat, cùm Heribertus Aquitaniæ Comes Hugonem filium quinquennem eligi fecit Archiepiscopum Remensem. Et quod magis stupeas, (*An. 925.*) Abbo Episcopus Suessionensis, Bavo Episcopus Catalaunensis, Clerus populusque Remensis consensione sua firmarunt propudiosam electionem: cui accessit & Rodolphi Regis confirmatio, à quo & Abbo missus est ad Joannem X. Papam, consensum Romanæ Sedis & dispensationem ut impetraret. Negari non debere Pontifex tunc existimavit, quod Rex & Episcopi conducibile & necessarium duxissent. Audiendus hîc Flodoardus: (*L. 4. c. 20.*) *Eligunt Hugonem admodum puerulum, qui nec adhuc quinquennii tempus explesset. Rodulphus Rex hac electione comperta, præfatorum Episcoporum consilio Remensem Episcopatum commisit Heriberto, &c. Joannes Papa interveniente Abbone Præsule, petitioni eorum consensum præbens, Episcopium Remense Abboni Episcopo delegat, &c.* Narrat (*L. 6. c. 7.*) Luitprandus in Historia, Joannem XII. in Romano Concilio impetitum esse gravissima hac accusatione, quòd anno ætatis decimo ordinasset Episcopum: *Et quod annorum decem Episcopum in Tudertina civitate ordinaret.*

IV. Quorsum autem hæc vergunt insolentissima exempla effrænatissimæ ambitionis, nisi ut tantò majori odio & execrationi sint, qui sacratissimas Ecclesiæ leges aspernantur? Vivebant vigebantque antiqui semper Canones puriorisque disciplinæ leges, quibus decus & robur omne primævum redintegrarat Carolus Magnus in suis Capitularibus, & (*Can. 50. Capitul. 1. c. 49.*) maximè in Capitulari Aquisgranensi, anni 789. ubi juxta Canonem Neocæsareensem, quenquam Presbyteratu initiari vetuerat ante annum ætatis trigesimum. Quod non multò pòst à Francofordiensi Concilio firmatum est anno 794. (*Can. 49.*) *De Presbyteris ante annum ætatis XXX. non ordinandis.* Et à Concilio III. (*Can. 12.*) Turonensi, anni 813. ubi illud quoque commendatum est, ut qui Presbyteri ordinandi essent, in Episcopalibus antè ædibus aliquantulum temporis versarentur, ut & doceri possent quæ sui essent muneris, & in iis ipsis probari.

Ita Episcopales ædes instar erant Seminariorum, ubi non solùm Presbyteri ordinandi, sed & Clerici omnes imbuebantur sacris institutis, ad eosque

informabantur Ordines, quibus illos Episcopus addicturus erat. Suo enim ipsius exemplo docet Hincmarus, valde rudes ibi pueros admissos fuisse, ut Disciplinæ sanctiori à teneris insuescerent, tantò procliviùs, quòd maturiùs subducti fuissent exitialibus sæculi voluptatibus & pompis.

---

## CAPUT LXX. *P. 4. L. 1. c. 46.*

### De ætate necessaria ad Clericatum, ad Ordines, ad Beneficia post annum Christi millesimum.

*I. Decreta Conciliorum sæculi XI. de ætate sacrorum Ordinum. Fulberti magnanimitas*

*II. Decreta sæculi XII. Magnifica Bernardi & Hildeberti Cenomanensis Episcopi placita*

*III. Decreta & temperamenta Concilii Lateranensis III. sub Alexandro III.*

*IV. Statuta Pontificum & Conciliorum sæculi XIII.*

*V. Sæculo XIV Viennense Concilium fibulam priorum Disciplina in multis laxat, consuetudini torrenti cedens, eòque adductum, ut ei potiùs, quàm juri se accommodaret.*

*VI. Quorumdam magnanimitas Pontificum in negandis dispensationibus, quas summi Principes ita peterent, ut eas negari adeo non ægre ferrent, ut penè gratularentur.*

*VII. Tridentinum Concilium mediam quandam insistit viam, inter remissionem Concilii Viennensis, & priscorum Canonum austeritatem.*

*VIII. Promulgantur annalia Concilii Tridentini Decreta in Conciliis Galliæ Provincialibus, & in Edictis Regum.*

*IX. Plurima scitissimè observant Canonistæ circa jus Decretalium & Decreta Tridentinæ Synodi.*

*X. Ætas Tonsuræ & Minorum Ordinum magis magisque elucidatur.*

I. Tolosano Concilio anni 1056. constituta est ætas annorum triginta ordinandis Episcopis, Abbatibus & Presbyteris, & viginti quinque Diaconis; nisi singularis & spectata pietas Episcopum, Clerumque compelleret, præfinitum hoc tempus antevenire. (Can. 2.) *Nisi aut studio sanctitatis ac sapientia ornati, providentia Episcopi simul & Cleri promoveantur.* Concilium Rotomagense anni 1074. concessit ordinari Subdiaconos annorum viginti, Diaconos viginti quinque, Presbyteros triginta, aut ut summum viginti quinque & ipsos, sed urgente tantùm necessitate, nec unquam temporius. (Can. 6.) *Nullus ordinetur Presbyter ante XXX. annos nisi summa necessitate. Sed tamen Presbyter nullus ordinetur ante XXV. annos.* Hæ scilicet causæ fuere duæ, quæ legitimas exprimerent dispensationes, rarissima personæ virtus, & Ecclesiæ gravis necessitas. At ubi penes Episcopos fuit dispensandi de his potestas, dispensationum facilitate & frequentia id perfectum est, ut nec dispensatione jam opus esset, & in jus commune res deveniret. Eò igitur erupit res, ut pro lege jam sit, neminem ante annum vigesimum quintum Presbyteratu donari. Sed ea mutatio intra unius sæculi curriculum vix tandem perfici potuit.

(Can. 4.) Concilium Melfense anni 1089. cui præerat Urbanus II. indulsit, ut Subdiaconi anno quarto vel quinto supra decimum ordinarentur. Cæteris in omnibus nihil novavit. Nec id magnopere mirandum in Subdiaconatu, qui vixdum aut needum tunc in sacros Ordines admissus fuerat, ut suprà declaratum est. Probat Petrus Damiani Christum ipsum Sacerdotii summi sui ministeria auspicatum non antè esse, quàm postquam trigesimo ætatis suæ anno baptismum suscepit; id, inquam, probat ex eo quòd ante eam ætatem neminem Ecclesia sacerdotio impertit. *Nisi enim certa fides haberet, cum baptismo Dominum simul & sacerdotium suscepisse, ut quid tantopere canonica prohiberet authoritas, ante illius ætatis tempus quo ipse baptizatus est, quempiam ad sacerdotales infulas aspirare?* (L. Gratissimus. c. 4.) Fulbertus acerbissima quanquam & æquissima correptione objurgavit suum ipsius Metropolitanum, Leuthericum nempe Archiepiscopum Senonensem, quòd Episcopum ordinasset ante præscriptam à Canonibus ætatem, & ministerii sui tam imperitum, ut suus in eum grex insurgeret, nec adduci posset, ut illum reciperet. (Epist. 28.) Episcopalis constantiæ specimen aliud perillustre exhibuit idem Fulbertus, quando Subdecani dignitatem Episcopo Sylvanectensi negavit, quam ille vel fratri vel ipsi sibi habendam expetebat. Contrà verò præstantissimè Fulbertus declaravit, hoc quidquid erat, nec ipsi dari posse, qui jam esset Episcopus; nec fratri ejus, qui ætate immatura erat. (Epist. 48.) *Respondimus, non convenire sibi, eo quod Episcopus esset, neque fratri, ætate adhuc & moribus immaturo.*

Sed cùm toto eo undecimo sæculo plurima fuerint, quibus hominum animi, oculique & aures vehementer offenderentur; nihil insolentius tamen aut detestabilius visum est, quàm decennis aut duodecennis pueri intrusio in Sedem Apostolicam, tyrannica grassatione Alberici Comitis Tuscanellæ, qui Cardinalium Episcoporum sibi obluctantium molimina omnia fregit & conculcavit. Pontificis hujusmodi initiis concinuit vita exitusque. Benedictus is fuit IX. (Baron. an. 1033. Glaber. l. 4. c. 5.)

II. Felicius sæculi XII. auspicium erit à venia ætatis longè laudatissima, cùm Malachias Hiberniæ aliquando futurus Archiepiscopus ante annum ætatis vigesimum-quintum Diaconus, ante trigesimum Presbyter creatus est. Audi ut Bernardus rem narret in ejus vita, admirationi potiùs quàm imitationi iis meritò futuram, qui nec Malachiæ virtutibus pollebunt, qui tunc ordinabatur; nec sapientia & pietate Præsulis à quo ordinabatur. *Erat autem cum Sacerdos ordinatus est, annos natus quasi viginti quinque. In qua ejus utraque ordinatione, si quid præter Canonum formam processisse videtur, siquidem infra vigesimum quintum annum Leviticum ministerium, infra tricesimum adeptus est sacerdotii dignitatem: donandum sanè tum zelo ordinatoris, tum meritis ordinati. Ego verò istud nec in sancto redarguendum, nec usurpandum consulo ei qui sanctus non fuerit.* Hugo qui Lincolnensem postea Episcopatum obtinuit, Diaconus ordinatus est anno ætatis decimo-nono. Verùm id datum instantissimis precibus sodalium suorum Canonicorum Regularium, quos inter jam inde ab octavo ætatis anno enutritus fuerat. (Surius die 19. Nov. c. 2.) *Cùm Hugo nonum decimum ætatis annum attigisset, petentibus instanter fratribus Levita ordinatus est. In quo gradu cùm mirabiliter cunctis placeret, statim ad altiora coactus scandit. Injungitur ei cujusdam Parochiæ administratio, &c.* Quibus verbis non obscurè innuitur, Presbyteratum quoque acceleratum ei ante ætatem fuisse, verùm id non aliter factum, quàm vi adhibita ejus modestiæ & pudori, publicaque testificatione de virtutibus ejus tanto apici non imparibus.

Ex adverso autem Hildebertus Cenomanensis Episcopus non solùm non interfuit ordinationi Episcopi Andegavensis, ante legitimam ætatem electi: sed & gravissimas ad eum litteras dedit, quibus moneret, juventam in Episcopo despicatui plerumque esse, ideoque non mediocri detrimento, quod cum in ipsum, tum in Ecclesiam ipsam emer- (Epist. 9. 11.)

geret. *In summis Sacerdotibus ætas integra postulatur, unde nec periculum religio metuat, nec reverentiam dignitas amittat.* Ezechielem exordium fecisse suæ Prophetiæ, à significatione ætatis quæ tantum ministerium non dedecoraret: *Ezechieli in trigesimo anno cœli aperiuntur, & priùs ætas Propheta describitur, ut quibus annis prædicatio committi debeat, ostendatur.* Longè plura Christum edidisse documenta suæ in Joannem, quàm in Petrum dilectionis & suavitatis; sed suæ tamen principatum Ecclesiæ non Joanni commendasse, sed Petro, id est, non juventæ, sed senio; qua in re sancitum esset exemplo perillustri, ne juniores senioribus præponantur: *Christus Joannem supra Petrum dilexit; Petro tamen, non Joanni concessa est potestas ligandi atque solvendi. Qui enim per Esaiam dixerat, Auferte offendicula de via populi mei; coram discipulis offendiculum ponere noluit, nec majoribus anteponere juvenem, quamvis eum prærogativa castitatis sibi præ cæteris fecerat familiarem. Detulit igitur ætati, non meritis, nec prætulit conjugatum virgini, sed provectiorem juniori.* Postremò Christum anno ætatis duodecimo Doctores legis audiisse, anno trigesimo novam ipsum legem promulgasse. *Donec annorum defuit integritas, Doctor omnium fines discipuli non excessit: ubi verò pleni dies accesserunt, factus est Magister pro debito, qui fuerat discipulus pro exemplo.*

Est luculentissima D. Bernardi Epistola ad Henricum Senonensem Archiepiscopum, ex eaque palam fit, quàm exitiale, tam crebrum id tunc fuisse, ut ambitiosuli juvenes è litterario ludo & necdum excusso scholarum pulvere, ad eminentissimas Ecclesiæ sedes protruderentur: lætiores penè quòd jam nullus sibi plagosus immineret ludi magister, quàm quòd ipsi magisterii cathedram adepti populis eminerent.
Epist. 42. *Scholares pueri & impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promoventur ad Ecclesiasticas dignitates, & de sub ferula transferuntur ad principandum Presbyteris; lætiores interim quod virgas evaserint, quàm quòd meruerint principari: nec tam illis blanditur adeptum, quàm ademptum imperium.* Impavidi vir animi Bernardus idem alibi Jordanem Cardinalem per litteras hortatur, ut Pontificem moneat de Legati perversitate, qui Ecclesiis præfecerat pueros ætate prorsus immaturos:
Epist. 290. *Formosulos pueros in Ecclesiasticis honoribus promovisse, ubi potuit: ubi non potuit, voluisse.*
Epist. 271. Surdis ergo canebat auribus Theobaldus Campaniæ Comes, quando Bernardum interpellabat, ut aliquid alicunde Beneficiorum filiolo suo Theobaldo puerulo impetraret. Rescripsit Bernardus, pari gravitate & humanitate responsum suum condiens: 1. Beneficia dignioribus deberi. 2. Ne eos quidem, quibus & ætas suffragaretur & doctrina, plura uno obtinere posse. Est omnino quod contremiscamus, cùm his humanorum seu blandimentorum seu officiorum laqueis vix extricare se, vix evadere posse eos ipsos audimus, qui animi
Epist. 274. magnitudine & sanctitate pollent. Id eò pertinet, quod alibi Bernardus suam vicem dolet, quòd ex incauta & improvida indulgentia subreptum sibi aliquando fuisset, ut præter solemnem sibi morem suas preces interponeret pro juvene aliquo, qui Præpositu ram ambiebat.

Vuillelmo Neubrigensi id debemus, quòd originem ex parte saltem aperuerit hujus corruptelæ. Nempe Episcopos juvabat, non tantùm gratiam inire ab Optimatibus, impuberibus eorum filiis Beneficia conferendo: sed & fisco suo inferre reditus horum Beneficiorum omnes, dum ætate minores essent, eorumque ipsi sibi quasi Tutores, Nobilis custodiæ jure fruerentur. *Pro personis spectabilibus, quibus tanquam quibusdam monilibus, Eboracensis olim refulsit Ecclesia, titulavit imberbes, & quosdam etiam agentes sub ferula, aptos magis pro ætate ædificare, & plostello adjungere mures, ludere par impar, equitare in arundine longa, quàm personas gerere in Ecclesia Magnatum: ut scilicet usque ad annos viriles curam agens Titulatorum, universa perciperet commoda titulorum.* De Rebus Angl. l. 3. c. 5.

Quod Concilia sæculi XII. Londinense anni 1125. antiquos innovat Canones, ut ne dari possint Decanatus & Prioratus, nisi Presbyteris; uti nec Archidiaconatus, nisi Diaconis. Ex quo colligitur ætas his Beneficiis necessaria obtinendis. Claromontanum sub Urbano II. idem præceperat, Decanis Archipresbyteros permiscens. Londinense anni 1127. humanius aliquid indulsit, ut qui ante ordinationem his dignitatibus præmittendam, iis ornatus fuisset, ab Episcopo moneretur, quamprimum ut ad Ordines accederet, alioqui de jactura Beneficii periculum aditurus. *Nullus in Decanum, nisi Presbyter, nullus in Archidiaconum nisi Diaconus constituatur. Quod si quis ad hos honores infra prædictos Ordines jam designatus est, moneatur ab Episcopo ad Ordines accedere. Quod si juxta monitionem Episcopi refugerit, eadem ad quam designatus fuerat, careat dignitate.* Can. 7. Can. 3. Can. 4.

Concilium Remense anni 1131. cui Innocentius II. præerat, idem statutum confirmavit, Præpositos Decanis adjungens; addensque his Beneficiis eos duntaxat donandos, qui sacris jam essent initiati Ordinibus, eaque & pietate spectabiles & eruditione, quæ has dignitates æquaret. *Probibemus, ne adolescentibus vel infra sacros Ordines constitutis, sed qui prudentia & merito vitæ clarescant, prædicti concedantur honores.* Quod totidem verbis sancitum rursus est in Concilio Lateranensi II. anni 1139. sub eodem Pontifice, & in Remensi anni 1148. sub Eugenio III. Can. 8. Can. 10.

III. Rursus Lateranensi III. in Concilio sub Alexandro III. anno 1177. nova roboris accessio facta est statutis his omnibus, ne eligerentur Episcopi, nisi expleto anno ætatis trigesimo; ne Decani, Archidiaconi, Parochi, aliique animarum cura onerati, nisi ætatis attigerint annum vigesimum quintum; utque cogantur intra tempus à Canonibus præfixum, Ordinem suis Beneficiis competentem suscipere, Archidiaconi Diaconatum, cæteri Presbyteratum, suis alioqui Beneficiis expoliandi. Tempus istud quod defixere Canones, *præfixo à Canonibus tempore*, indubitatissimè ille ipse primus annus est, quo Beneficio investiti sunt suo. Sed non eluxit hactenus, quo demum in Concilio id constitutum fuerit. Laudati enim hactenus Canones id unum urgebant, ut ad Ordinum susceptionem adigerentur, à Beneficiis aliàs abdicandi. Ergo medio illo tempore, quod à Concilio Remensi sub Eugenio III. usque ad Concilium Lateranense sub Alexandro III. effluxit, hoc est, ab anno 1148. ad 1177. hæc definitio facta est: vel ab hoc eodem Concilio, ejusque Præside Alexandro III. illa profecta est juris interpretatio, ut tempus præfinitum à Canonibus, primus esset initi Beneficii annus. Can. 3.

Sed observandum illud quoque venit, si vigor retineatur, vel intendatur etiam in hoc Concilio, illa coarctatione induciarum ad unum annum: multa vicissim ab eo condonari indulgentiùs quàm antè moris esset. 1. Non omnes Diaconi, ut ferebat

olim

olim lex usúsque, sed Archidiaconi tantùm jubentur annum ætatis vigesimum quintum attigisse.
2. Ætate quoque Presbyterorum non jam ad triginta, ut priùs, sed ad viginti quinque annos revocata. Nam si ea ætas Dignitatibus sufficiat sacerdotalibus, sufficiet hauddubio & Presbyteris omnibus. Sed ea indulgentia erat cum primis illo tempore necessaria, quo Episcopi id sibi sumpserant, ut beneficia pueris annorum decem, aut duodecim largirentur. Idem porro Alexander Papa Epistolas dedit mordacissimas ad Archiepiscopum Cantuariensem, qui pateretur ab Episcopo Conventrensi plures Ecclesias commendatas esse pueris vix annorum decem, quas interim per laicos administraret.

C. Ex ratione Extra de atate & qualit. præfic. Jubet Pontifex ut hæ Ecclesiæ Vicariis concredantur Clericis; ejusmodi in posterum provisiones irritas fore; nec dari posse ulla deinceps Beneficia, præterquam iis, qui decimum quartum saltem attigerint ætatis annum. *Nemini infrà* XIV. *annum constituto personatum alicujus Ecclesia concedere præsumatis*: & impetrabilia posthac fore Beneficia, si præter nuperi Lateranensis Concilii Decreta, minores annis quatuordecim ea asseouti sint; denique quanquam per Canones non licuerit nisi jam Subdiaconis Parochias dari: posse tamen ex dispensatione eis dari, qui pauco pòst tempore Subdiaconi fient, ut qui in minoribus jam Ordinibus sint. Append. Cons. Lat. III. part. 3.

Du Chesne To. 4. pag. 668. Altissimas & in Gallia hæc pestis radices egerat. Abbas sancti Memmii apud Catalaunum scripsit ad Regem Ludovicum Juniorem, qui septenni nepotulo præbendam Cathedralis Ecclesiæ Catalaunensis concesserat, non posse Canonicos de ætate conqueri nepotis sui, cùm nescire non possint, in omnibus Gallicani regni Ecclesiis Præbendas dari puerulis, necdum septennibus. Addit & oculatum se affuisse testem, cùm ab Episcopo & Capitulo Catalaunensi Præbenda donaretur puerulus, quinque, aut ad summum sex annos natus.

De Sacram. L. 2 part. 3. c. 21. Hugo Victorinus sua adhuc ætate testabatur, Subdiaconatum non dari ante annum ætatis decimum quartum, Diaconatum ante vigesimum quintum, at verò Presbyteratum ante trigesimum. Ii erant antiqui mores, cùm necdum satis Subdiaconatus à minorum ordinum classe emersisset.

IV. Sæculum XIII. exordiar ab Epistola Innocentii IV. qua exauthoratur Melphensis in Italia Episcopus, tum aliorum conscius facinorum, tum quod pinguioribus Ecclesiæ suæ Præbendis donasset nepotes suos, à cunabulis adhuc recentes, & non aliud quàm balbutientes. *Nepotibus suis vagientibus in cunabulis, licèt ad plus vix valentibus balbutire, ne dum quod in Ecclesia legerent, vel cantarent, majores Præbendas tribuit, & Beneficia meliora, portantibus aliis pondus diei & æstus, & istis ubi non seminaverunt, metentibus plena manu.* Regest. 15. Epist. 233.

Hæret animi dubius alibi idem Pontifex, in confirmanda electione Episcopi, quòd is non satis sibi ostenderetur trigesimum implesse annum. Constanter negavit confirmatum à se iri electionem Præpositi Pabemburgensis in Archiepiscopum Colocensem, tametsi soror illi esset Regina Hungariæ; Regique Hungariæ significavit ita necessariò à se factum fuisse, quòd Præpositus viginti tantummodo annorum esset, & necdum vel Theologicis institutis, vel jure Canonico imbui se curasset: affirmans si is peritia saltem mediocri fuisset, & à trigesimo ætatis anno propè abfuisset, facilè se dispensationi fuisse assensurum: at ejusmodi rem nunc esse, ut non dispensatio, sed dissipatio Canonum C. Cum nobis. Extra De electione.



futura sit. *Si secus fiat, non dispensatio, sed dissipatio dicenda est.* Gregorius IX. pueros declaravit, tam non posse Beneficia, quàm nec Beneficiorum munia suscipere. *Cùm illi sint in Ecclesiis idonei reputandi, qui servire possunt & volunt in ipsis; & pueri & beneficiati qui non possunt in eadem Ecclesia deservire, in ea non debent idonei reputari.* Extra. De Præbendis. c. 35.

Concilium Londinense anni 1237. vetat in Ecclesiis eos constitui Vicarios, qui non possint proximis quatuor temporibus ordinari Presbyteri: eos verò qui jam constituti fuerant, jubet ut intra annum ordinentur. Concilium Salmuriense anni 1253. Archipresbyteris, Archidiaconisque edixit, ut Ordinem sacrum, suæ cujusque dignitati congruentem, primo susciperent promotionis suæ anno: alioqui gradu & Beneficio summoverentur. Concilium Burdigalense anni 1255. voluit ut Beneficiarii per singula quatuor tempora adproperarent legitimam ordinationem suam, Beneficiis, ni parerent, exuendi. *Præcipitur omnibus Clericis habentibus Ecclesias, ut continuam faciant residentiam in eisdem, & ad singula tempora ordinum se offerant ordinandos, alioqui nulla alia monitione præmissa, suis Beneficiis noverint se privatos.* Simile veri est hunc Canonem de minoribus Clericis intelligendum, quibus sacerdotalia conferuntur Beneficia, & quos ideo necesse est intra annum Ordinibus sacris omnibus, & ipso donari Presbyteratu. Concilium Mom-Pessulanum anno 1258. cavendum sibi & Ecclesiæ duxit à discrimine longè diverso, ætatis quàm necesse sit provectioris. Itaque commonendos censuit Episcopos, ut si quando majores annis viginti Clericatum prehensarent, diligenter eos explorarent, sinceræ pietatis stimulo, an terrena potiùs cupiditate quapiam agerentur. *Illos qui sunt in ætate viginti annorum & suprà. Cautelam habeat Ordinator, ut adscribat militia Clericali, qui ex devotione, non per fraudem adscribi cupiat ordini Clericali.* Gregorius X. in Concilio Lugdunensi II. anni 1274. in usum revocavit Decretum Alexandri III. in Concilio Lateranensi, & Beneficia Curata vacare, impetratique posse declaravit, nisi intra annum Presbyteratum adipiscantur, quibus illa fuerant collata. En verba ipsa, ubi hoc unius anni tempus præfiniatur in Concilio Generali: *Infra annum à sibi commissi regiminis tempore numerandum, se faciat ad Sacerdotium promoveri. Quòd si infra idem tempus promotus non fuerit, Ecclesia sibi commissa, nulla etiam præmissa monitione, sit præsentis Constitutionis authoritate privatus.* Ex adverso autem Synodus Excestrensis anni 1287. vetuit ne Parochi recens ordinati, primo ordinationis suæ anno Parochiam administrarent, nisi priùs et implicati fuissent: ut eo saltem primo tyrocinii sui anno edíscerent, artem artium, ut divinam prorsus, ita summè periculosam, procurandæ salutis animarum.

Can. 10. Can. 5. Can. 2. Can. 1. Can. 13. Can. 36.

Denique Ausciense Concilium anni 1300. contestatur, si qui Parochiam sibi collatam acceperint, eo consilio, non ut Presbyteri ordinarentur, & Ecclesiæ illius se addicerent obsequiis; sed ut primi anni fructus reditusque lucrarentur, & tum ea cederent: teneri ad restitutionem collectorum fructuum, Patronum quoque à quo nominati fuerant, teneri indemnem præstare Ecclesiam, perinde autem utrique inustum esse ingens, & non sine gravi flagitio dedecus. *Observari præcipimus quod nullus Parochialem recipiat Ecclesiam, non intendens ad Sacerdotium promoveri, ut fructus ex ea percipiat per annum, &c. Ad restitutionem eorumdem tenebitur.* Et Can. 10.

*nihilominus conferens, qui ipsum non credebat ad Sacerdotium promovendum, præter divinam, quam inde incurrit offensam, remaneat ad servandum indemnem Ecclesiam obligatus.* Denique prohibet hoc Concilium Tonsuram dari *infanti, vel conjugato, nisi Religionem intrantibus.* Agit, ut suspicor, de pueris, quos parentes vitæ Monasticæ dedicabant.

Can. 12.

Simeon Thessalonicensis Archiepiscopus illud animadvertit in libello *De Ordinationibus*, ab Episcopis Diaconatum Monachis conferri non rarò, qui necdum ea sunt ætate, quam in Diaconis desiderant Canones: propterea quòd Religiosa professione, & spontanea observantia jussionum Abbatis ducisque sapientissimi, abundè compensetur, quidquid gravitatis & sapientiæ maturior ætas adjicere potuisset. *Si autem nonnulli divini Episcopi discretione quadam istos annos in Monachis sibi subditis breviant & contrahunt, hoc ideo fit, quod Monachis voluntatem suam facere non licet, sed aliorum.*

Cap. 4.

Nec una ea est dispensandi materia, in qua sibi aliquid licere voluerint Episcopi. Concilium idem Ausciense, prohibet, ne in posterum cuicumque necdum ad annum vigesimum quintum progresso, vel Parochias conferant, vel Prioratus, vel quæcumque demum Beneficia, quibus illigata sit animarum cura. Honorius III. canonicis pœnis addixit Episcopum in Hispania Ovetensem, quòd tredecim annorum puerum ordinasset. Hæ vero improvidæ, dispensationes, quarum hîc tam multa, & tam pernicialia congesta sunt in hoc caput exempla, id tandem effecerunt, ut exciderior Episcopi dispensandi jure in hujusmodi causis, nec jam venia fieri possit ætatis, nisi à Romano Pontifice, sive de Ordinibus, sive de Beneficiis agatur. Sanctus Ludovicus Regiæ Francorum prosapiæ Princeps à Bonifacio VIII. Papa, Tolosano donatus Episcopatu, ætatis veniam & dispensationem ab eodem unà accepit. Nec enim amplius quàm duos supra vigiori annos natus erat: sed virtutum lumina, & Religionis Franciscanæ professio, quod minus erat annorum, cum fœnore compensabant.

Can. 13.
Rainal. an. 1217. n. 85.
Hist. Univ. Paris. to. 3. pag. 517.

V. Accedendum nunc nobis est ad sæculum XIV. & ad Concilium Viennense, anno 1311. habitum, ubi quàm liberas & justas, tam observantiæ & amoris plenas congregati Episcopi querelas effudere, de dispensationibus frequentioribus, quas ipsi Pontifices darent, etiam pueris, ad obtinenda, & ad plura simul obtinenda Beneficia. *Utrum tales tantam Beneficiorum pluralitatem habentes, periculum damnationis evadere valeant, non determino: sed à sapientissimis & perfectissimis Theologis, quorum opinio celebrior non ignoratur à pluribus, requiratur.* Inter Doctores quos tunc ea famosissima quæstio commiserat, potuit loco non extremo esse Henricus Gandavensis; prolixè enim ab illo pertractata est, an tuta possit quis conscientia plura Beneficia retinere. Durandus Mimatensis Episcopus omni ope connixus est in eodem Concilio, ut antiquis restitueretur suus vigor Decretis, & Canonibus de ætate ad Beneficia & ad Ordines necessaria. Sed oleum ille & operam perdidit; Pontifice & Concilio ipso obsequendum censente generali Consuetudini, quæ multùm desciverat à priscorum Canonum norma, & quæ Subdiaconos admittebat anno ætatis decimo octavo, Diaconos vigesimo, Presbyteros vigesimo quinto. Id enim habet Concilii Decretum. *Generalem Ecclesiæ observantiam volentes antiquis juribus in hac parte præferri, decernimus, ut alio nonobstante impedimento canonico, possit quis liberè in decimo octavo ad Subdiaconatus, in vigesimo ad Diaconatus, & in vigesimo quinto ætatis suæ anno ad Presbyteratus ordines promoveri.*

Rainald. n. 62.
Quodlib. 9. q. 30.
In Clement. L. 1 Tit. 6. c. 3.

Concilium II. Ravennas ejusdem anni 1311. annum ætatis decimum quintum indixit Canonicis Ecclesiarum Cathedralium, duodecimum autem Canonicis Collegialium. Concilium Viennense suffragio tantùm carere jussit in Capitulis, eos qui Subdiaconi saltem non essent. *Nullus de cætero in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis vocem habeat in Capitulo, etiam si hoc sibi ab aliis liberè concedatur, nisi saltem in Subdiaconatus ordine fuerit constitutus.* Concilium III. Ravennas anno 1514. idem decrevit, addiditque, nequis ordinaretur Diaconus ante annum ætatis vigesimum, Subdiaconus ante decimum sextum, Presbyter ante vigesimum quintum. Antiquissima hæc Ecclesia priscorum suorum usuum retinentior forsan erat, quàm ut statim cederet decretis Viennensis Concilii, maximè quantum ad Subdiaconos. Concilium Andegavense anni 1365. collationes Beneficiorum quascumque irritavit, si ea non essent ætate, quibus ea conferebantur, qua possent accedere ad Ordinem sacrum, collato Beneficio affixum. *Quæ de fundatione, consuetudine, vel statuto sacros Ordines requirant.*

Can. 16.
In Clement. L. 1. Tit. 6. c. 2.
Can. 1. 2. 12.
Can. 1

VI. Ad sæculum XV. propero, ubi nullius rei vel memoria suavior, vel commendatio major, quàm repulsæ, quam Carolus Galliarum Rex invictissimus, ejus nominis VII. passus est à Pio II. Pontifice, denegato Episcopatu Castrensi Comiti Marchiæ, Regii sanguinis Principi. Consultissimè Pontifex verè summus Regi maximo veréque Christianissimo in memoriam revocavit, quòd cùm antè à Nicolao V. impetrasset Episcopatum ei qui defectum ætatis patiebatur, improbaverat ipsemet tantam facilitatem concedendæ ejus rei, quam nec ipse petisset, nisi præsumpta spe ejus non impetrandæ. *Quanquam ego intercesserim, nunquam putavi tamen hoc illum esse facturum.* Ista sunt aurea summi Regis verba. Accipe nunc quæ ex his sanctissimus Pontifex inferat: Non posse non aliquando Reges suam suffragationem & intercessionem annuere importunis Aulicorum postulatis: sed sibi ipsos in medulla animi & Pontifici gratulari, qui minùs audierit preces istas vi expressas; itaque æquum esse, & Regibus ipsis optatissimum, ut studeat Pontifex satisfacere æquitati, Regumque secretiori voluntati potiùs quàm verbis. *Ostendens videlicet quæ sua esset rogandi necessitas, & quod esse deberet Apostolicæ Sedis officium.*

Rainal. an. 1459. n. 37.

Utique plus adjiciendum est fidei huic Pii II. Epistolæ, quàm Jacobo Papiensi Cardinali, qui rem paulò aliter narrat. Ait enim ab Eugenio IV. Carolum eundem VII. Galliæ Regem Metropolitanæ Ecclesiæ regimen, non solùm præter spem, sed etiam præter voluntatem suam impetrasse juveni cuidam Nobili. Verùm utcumque se res habeat, idem prorsus inde elicit documentum Papiensis, nempe in istiusmodi rerum commissitis, id persæpè Reges Pontificem orare, quod omnino nolint exorasse: *Accidit sæpè, ut illa maximè rogent, quæ minimùm cupiant:* ex quo & illud emergit, indulgentias & dispensationes Pontificum ad solam justitiæ & æquitatis normam librandas, & vel annuendas vel renuendas esse: *Quærendum ergo semper quod rectum; & conscientia gratiæ præferenda.*

Epist. 280.

Inter Cardinalis ejusdem Papiensis Epistolas extat & illa Sixti IV. Papæ ad Aragoniæ Regem, qui Archiepiscopatum Cæsaraugustanum filio suo spu-

Epist. 312.

rio & sexenni tantùm à Pontifice ceperierat. Contestatur Pontifex, nec sibi, nec sacro Cardinalium Collegio persuaderi potuisse, ut illud concederent, quo concesso, & concedentibus & postulantibus æternum & incapiabile imprimeretur dedecus, cum offensa Dei, & animæ damnatione conjunctum. *Pati omnia possumus, sed jacturam animæ facere nec debemus, nec possumus; nec ut eam faciamus, tuam piam intentionem credimus velle.* Rex parum acquiescens justissimæ quamvis responsioni, perdiu vacare passus est illam Ecclesiam. Eam tandem Pontifex contulit Cardinali, quem statim Rex tot contumeliis probrisque insectatus est, ut Sixtus à semetipso deficiens, primævique vigoris gloriam nova quadam animi ignavia, fœdaque indulgentia deturpans, infantulo eandem regio concesserit perpetuam illius Ecclesiæ administrationem. Primum id specimen fuit, si Spondanum audiamus, fœdissimæ hujus dispensationis, quæ dissipatio veriùs dicatur legum Canonumque, qua Pontifices Regesque uno eodemque gravissimo salutis discrimine implicantur. Pius II. antea id Carolo VII Galliæ Regi gratificari voluerat, ut Administratutem Ecclesiæ Castrensi delegaret, donec adolesceret Comes Marchiæ, & ad ætatis annum vigesimum quintum pertingeret. Minùs gravatè id ferendum fuisset.

*Spond. an. 1473. n. 14.*

VII. Venio ad sæculum XVI. ubi Concilium Coloniense anni 1536. optabile sibi esse insinuat, ut ea ætate & Ordines & Beneficia conferrentur, quam antiqui Canones desiderabant, non quam Viennense Concilium ex humanitate nescio qua indulsisset. Sed nihilo tamen minus Coloniensis hujus Synodi Patres rem totam commiserunt futuro Concilio. Illud porro vehementer urgent, ut doctrina & pietas respondeant, non ætati, sed juxta Concilium ipsum Viennense, gravitati, dignitatique, sive Ordinum, sive Beneficiorum.

*Can. 18.*

Concilium denique Tridentinum tacitè derogans Viennensi, & ex parte non modica Coloniensi satisfaciens, Subdiaconis defixit annum ætatis vigesimum secundum, Diaconis vigesimum tertium, Presbyteris vigesimum quintum, etiam Regularibus. Prohibuit ne qui obtinerent Beneficia, nisi annos quatuordecim nati: nec dignitates animarum curam exercentes, nisi viginti quinque annorum essent; quanquam dignitates nulla istiusmodi animarum salutis sarcina gravatas, sive in Cathedralibus, sive in Collegialibus Ecclesiis, annos nati viginti duos impetrare possent.

*Sess. 23. c. 12. 6.* *Sess. 24. c. 12.*

VIII. Concilium Rotomagense anni 1581. Gregorium XIII. Papam commonuit, multos & Presbyteratu initiatos fuisse, & Parochialibus Ecclesiis præfectos ante ætatem à Tridentina Synodo statutam: idque jure factum videri, *propter raritatem ac defectum Sacerdotum in nostra Provincia*: plures etiamnum Parochias Pastoribus destitutas esse, & multò plures in posterum fore, nisi potestatem faceret Pontifex Episcopis, & dispensandi cum iis qui jam ante legitimam ætatem ordinati fuerant, & alios rursus ordinandi anno ætatis secundo vel tertio supra vigesimum, ubi urgeret necessitas, & ubi ætatis penuriam sarciret doctrinæ & pietatis copia uberior. Rescripsit Pontifex concessum illis iri petitam dispensationem, qui Ordines ante ætatem jam suscepissent: at in futurum antè ineundam esse rationem necessitatis & utilitatis Ecclesiæ, quàm singulæ quæque dispensationes annuerentur. *Indulgebitur facultas dispensandi cum hactenus promotis. De cætero intellecta necessitate, seu utilitate Ecclesiarum, singulatim dispensabitur.* Ibi habes sanctissimas juxtà & antiquissimas duas dispensandi regulas. 1. Admissas potius condonare culpas, quàm permittere committendas. 2. Dispensationes utilitati & necessitati Ecclesiarum dare, non singulorum cupiditati. Verùm hinc obiter colligas, præter decreta Viennensis Concilii vendicasse tunc sibi Episcopos potestatem in rebus hujusmodi dispensandi.

In Concilio Remensi anni 1583. promulgatum est Decretum Concilii Tridentini, ne quis quocumque potiretur Beneficio ante annum ætatis decimumquartum. Concilium Turonense anni 1583. Tridentino subscripsit quoad dignitates animarum regimen gerentes, quibus necessaria est ætas annorum viginti quinque. Hoc ipso in Concilio Canonici Cathedralium prohibentur esse, nisi qui annos viginti duos sint nati: & qui id ætatis sunt, jubentur eodem anno Subdiaconi ordinari, aut Beneficiorum spoliari fructibus. Intercessit Senatus Parisiensis executioni hujus statuti. Non tam disertè id statuerat Concilium Tridentinum, at ea decreverat, ex quibus id nasceretur. Nimirum cum Canonicatibus singulis sanxit affigi sacrum Ordinem quempiam, nec posthac Canonicum admitti quemquam, quin eodem anno saltem Subdiaconus ordinetur.

*Can. 13.* *Sess. 24. c. 12.* *Le Prestre. Cent. 1. c. 74.*

Prohibuit Mexicanum Concilium anni 1585. ne Tonsura conferretur, nisi qui quartum supra decimum attigissent annum. Excipiuntur ii qui in veste Clericali & superpellicio ministrarint per biennium in Ecclesia, & quorum seu parentes seu Tutores spondeant atque in se recipiant, addito etiam sacramento, operam se daturos pro virili, ut in proposito maneant. *Illi verò ante quartum decimum annum poterunt prima tonsura initiari, qui in Cathedrali Ecclesia Clericali toga & superpellicio induti, per duos saltem annos divino cultui inservierunt: si prius eorum parentes vel Tutores propositum sibi esse juraverint, in Ecclesiæ ministerio conservandi.* Concilium Burdigalense anni 1624. vetuit sacra tonsura donari pueros ante annum duodecimum: *Statuimus nullum deinceps admitti debere ad primam tonsuram, quin duodecimum ætatis suæ annum attigerit.*

*L. 1. Tit. 4. c. 2.* *Cap. 6 § 2.*

Aurelianensia Galliarum Regni Comitia Episcoporum ordinationem anno ætatis trigesimo illigarunt, Blesensia vigesimo septimo, juxta Concordatum: & quod ad alios spectat Ordines, vetuit Aurelianense Edictum Presbyteros ante trigesimum annum ordinari; cui statuto derogatum est in Edicto Blesensi, his verbis: *Ordines sacri suscipientur ea ætate quam Constitutiones Canonicæ singulis præstituunt, nempe anno ætatis vigesimo secundo Subdiaconatus, Diaconatus vigesimo tertio, Presbyteratus vigesimo quinto, non obstante Aurelianensi Edicto.* Eodem Blesensi Edicto præcipiuntur Abbates & Priores Conventuales eodem promotionis suæ anno Presbyteri ordinari, si ea ætate sint; sin minùs intra biennium; alioqui vacaturis & à quolibet impetrandis eorum Beneficiis, quorum proventus si quos perceperint, restituere teneantur. Concordato revocata fuerat ætas Abbatum, & Priorum eligendorum confirmandorumque ad annum ætatis vigesimum tertium ineuntem. Congregatione X. Concilii Remensis anni 1564. dictum est illo capite Aurelianensium Comitiorum, quo ætas ordinandorum Presbyterorum rejiciebatur ad trigesimum vel quadragesimum annum, id collimatum videri posse, ut nusquam ulli jam essent Presbyteri. *Eæ leges non aliud spectabant, quàm ne amplius ordinarentur Presbyteri.*

*Ordonn. d'Orl. art. 1. 12. Ordonn. de Blois. art. 2. 29.* *Art. 9.*

Ex Concilii Lateranensis III. sub Alexandro III.

Canone eo qui refertur in Capite *Cum in cunctis. De Electione*, memorandum hoc Canonistæ expresserunt axioma: in aliis Ordinibus annum à Conciliis designatum intelligi ineuntem, in Episcopatu verò desinentem. Verba ipsa Canonis non obscurè id significant: *Nullus in Episcopum eligatur, nisi qui jam trigesimum annum exegerit ætatis.* Et inferiùs: *Inferiora ministeria, quæ curam animarum habent adnexam nullus suscipiat, nisi qui jam vigesimum quintum annum ætatis attigerit.* Id ipsum de Episcopatu declaratum est à Gregorio XIV. in Bulla *Onus Apostolicæ servitutis*, anno 1591.

*Fagnan in l. 1 Decret. Par. 2. pag. 37.*

Visum est Canonistis nonnullis jure Decretalium nullam certam ætatem definitam fuisse Dignitatibus, nec Regularibus, nec salutis animarum regimen obtinentibus. Alii annum ætatis vigesimumquintum eliciebant ex illa in Sexto Decretali, qua Episcopis annuitur, ut ea indulgentia ad eas admittant annum vigesimum ætatis prætergressus. Litem composuit Synodus Tridentina, annum vigesimum secundum completum præstituens. De anno enim completo id intelligi debere declaravit sacra Congregatio. Si tamen his Dignitatibus vel fundatione, vel consuetudine, vel peculiari statuto, Presbyteratus Ordo adhæresceret, cujusmodi sunt hodie Abbatiæ, Decanatus, Præpositurææ & Archipresbyteratus, quibus animarum cura incumbit nulla, tunc sanè necessaria esset annorum viginti quinque ætas. Non ita autem res haberet, si jure tantùm communi iis Presbyteratus esset affixus. Ratio prompta & expedita est; quòd Tridentina Synodus juri communi apertissimè derogarit: at fundationi, consuetudini, vel statutis particularibus cùm expressè non derogarit, ne derogavit quidem omnino. Ita etiam declaratum est à Congregatione sacra Concilii: cujus doctrina summatim eò redit, Non posse à Concilii Patribus nesciri quid jus commune ferat; ita illi semper, tacitè saltem derogant, ubi contrarium aliquid constituunt: at cùm exploratas non habeant locorum fundationes particularium, consuetudines ac statuta, eis nihil præjudicare aut derogare censentur, nisi generalibus saltem verbis hanc voluntatem suam exprimant.

*In Sexto. De ætat. & qual. c. uni.*

*Sess. 24. c. 12.*

*Fagn. ibid. pag. 39. 40.*

Ætas jure Decretalium communi, ad Præbendas & Canonicatus Cathedralium necessaria, inter Canonistas magnopere controversabatur: aliis septimum tantùm desiderantibus annum, aliis probabiliùs decimum quartum, nisi ad ejusmodi fundata esset Præbenda ministerium, quo aptiùs puerulus fungeretur, utputa ad circumferendos cereos. Regula XVII. Cancellariæ, quæ in Galliis usu recepta est, atque ab Innocentio VIII. authore profecta, annum decimum quartum indicit Canonicis Cathedralium Ecclesiarum, at decimum tantùm Collegialium. Post Tridentinum omnino necessaria est annorum quatuordecim ætas; & id quoque ætatis minimè sufficit ad eas Præbendas, quibus illigavit Ordinem sacrum vel fundatio, vel consuetudo, vel statutum aliquod. Tunc enim necesse est, ut quibus collatæ sunt id genus Præbendæ, ea sint ætate, ut primo provectionis suæ anno possint ad sacrum illum Ordinem promoveri, juxta Viennensis & Tridentini Concilii placita. Post Viennense enim ita semper interpretanda est Ordinis cujusvis cum Beneficio conglutinatio, ut Ordo antè suscipiatur, quàm primus promotionis annus effluxerit. Nisi hæc conditio disertis verbis expressa fuisset, ut jam ordinato Presbytero Præbenda vel Beneficium quodlibet conferretur. Edixit quidem Tridentina Synodus, ut ab Episcopis Capitulisque sacer Ordo aliquis Præbendis omnibus annecteretur; at ubi ea distributio affectatioque Præbendarum in sacros Ordines necdum executioni mandata est, à Congregatione Concilii declaratum est posse Canonicatus obtineri ab iis qui annum decimum quartum complevissent: sed urgendum vehementiùs esse Episcopum, ut Concilii decreto quamprimum obsequerentur. Illud quoque ibidem observarunt, sicubi in fundatione convenisset, ut à minore quatuordecim annis posset Præbenda obtineri: ei quoque conditioni standum esse. Cùm denique statuerit Tridentina Synodus, ut in Cathedralibus Ecclesiis constituatur Pœnitentiarius, qui Doctor vel Licentiatus sit, annorumque quadraginta, aut alioqui tanto muneri idoneus, *Annorum quadraginta, seu alioqui aptior pro loci qualitate reperiatur*: decrevit sacra Congregatio, defectu ætatis non irritam fieri provisionem, si alioqui is electus sit, qui omnium erat dignissimus, & præclaris ad hoc munus dotibus instructissimus.

*C. Ut ii. in Clemen. De æta. & qual. Conc. Trid. Sess. 22. c. 4.*

*Fagn. ibid. pag. 43 44. 45.*

*Sess. 24. c. 8.*

Quod ad Canonicatus & Præbendas Collegialium, convenit Canonistis jure communi septem annorum pueros iis donari potuisse: sed ante Tridentinum cœpisse jam exigi decimum quartum annum saltem inceptum, ex vi Regulæ Cancellariæ. Id ipsum amplexa est Tridentina Synodus, ampliavitque eam legem ad omnia Beneficia. & ad illos etiam Canonicatus, ubi viget consuetudo, quæ novos Canonicos fructibus omnibus prorsus biennio toto defraudet. Hæ sunt Congregationis Concilii Declarationes.

*Fagn. ibid. pag. 45 46.*

Capellas & reliqua quæ simplicia dicuntur Beneficia, in confesso erat apud omnes pene Canonistas, annos non amplius ætatis septem natis conferri potuisse. Sed Tridentina Synodus annos desiderat quatuordecim, utque quatuor antè minoribus Ordinibus initiatus quis sit. Porro cœptum esse quartum decimum annum nec perfectum exigi, declaravit Congregatio Concilii. Et vicissim si ante annos quatuordecim collatum sit Beneficium, irrita erit collatio, ex ejusdem Congregationis decreto, etsi postea ad eam ætatem is attigerit, cui collatio facta fuerat. Si aliter haberet fundatio, ei obsequendum esset. In Gallia fertur Senatus Parisiensis quatuordecim annos completos desiderare, ad Prioratus simplices & ad Canonicatus Cathedralium.

*Fagn. ibid. & pag. 55.*

Pensionibus idonei erant jure communi immaturi quique pueri, si instar eæ essent eleemosynæ, ad eorum sustentationem: vel ut functioni alicui in Ecclesia manciparentur pro viribus ejus ætatis: vel ad parentis eorum de Ecclesia benemeriti obsequia utcumque remuneranda. At Bullæ Pii V. *Sacrosancta*, & *Ex proximo*, itemque Sixti V. *Cum sacrosanctam* prætetitam illam consuetudinem abrogarunt, & pensiones bonorum Ecclesiasticorum reservarunt Clericis, qui in veste & tonsura sint Clericali, alioqui *ipso facto* spoliandis eo jure; adde quod & Horas Canonicas B Mariæ recitare teneantur. Itaque annos saltem nati sint septem necesse est; nec assignatur eis pensio, nisi propter Officium, non aliter quàm si non tam pensio esset, quàm Beneficium. Nec tamen verè Beneficium id est; ideo enim & Congregatio Concilii declaravit non requiri ætatem annorum quatuordecim, quam Beneficium quodcumque requirit. Nihilo tamen secius Gregorius XIII. eique consentiens Congregatio Concilii, privilegium fori ad hos Clericos pensionibus gaudentes ampliavit, perinde acsi Be-

*Fagn. ibid. pag. 45 46. 47.*

neficio gauderent : propterea nimirum quòd ex receptissimo axiomate favores sint ampliandi.

Ad Dignitates Regulares jure communi annus vigesimus quartus, saltem incœptus desiderabatur, si quidem animarum salus curanda eis immineret, vel cœnobii administratio ; cujusmodi sunt Abbatiæ & Prioratus Conventuales. Quod à Tridentino Concilio confirmatum est. Si ejusmodi autem essent Dignitates, quibus cura incumberet animarum, non tamen Regulares : aut à Vicario exercebatur animarum cura, & tunc Prior poterat vigesimum tantùm annum agere : aut à Priore ipso ea exercebatur, tunc necesse erat ut vigesimum quintum annum saltem exorsus esset. Deniqùe nulla si (Idem. ibid. 47. 48.) immineret cura animarum, sufficiebat juri communi annus vigesimus : Tridentini Patres viginti duos desiderant, cùm annuli suo Decreto Regulares quoque Dignitates complexi sint, ita interpretante sacra Congregatione.

Anni verò de quibus hactenus diximus, à nativitate, non à baptismate ordiendi sunt ; ut ab eadem declaratum est Congregatione in Clerico, qui Sacerdotali donatus Præbenda, poterat intra annum Presbyter ordinari, si à natali die : non poterat, si à baptismo initium sumeretur. Denique in (Ibid. p. 50) invidiosis, seu odiosis rebus, dies completus desideratur, ut in præscriptionibus : at in regulis Beneficiorum, abundè est, ut incœptus sit.

Gradum refero ad illustranda, quæ dicta sunt de Parochiis & Dignitatibus (salutis) animarum cura gravatis ; ut in iis temporum diversitas & mira quædam vicissitudo observetur. 1. Si quibus eæ collatæ sunt, intra annum Presbyteri non ordinentur, non *ipso facto* beneficiis privantur, sed debent iis privari, juxta Lateranense Concilium, *C. Cùm in cunctis de electione.* 2. Parochi iis privati sunt *ipso facto* in Concilio Lugdunensi, quod Lateranensi posterius fuit, *C. Licet Canon: De electione in sexto.* Dignitates verò privari debent. 3. In hac postrema classe locavit Bonifacius VIII. Parochias Ecclesiis Collegialibus unitas, *C. Statutum. De electione in sexto.* 4. Concilium Constantiense uno im- (Conc Const. sess. 43.) plicuit Decreto Beneficiarios omnes, *ipsoque facto* excidisse declaravit à Beneficio, quicunque intra annum sacros Ordines ei annexos non suscepissent. (Sess. 21. c. 4.) 5. Tridentinum denique Concilium Parochias & alia Beneficia, permittens statutis regi Concilii Constantiensis, pœnas mitigavit in gratiam Dignitatum, Canonicatuum, aliorum in Ecclesiis Cathedralibus & Collegialibus Beneficiorum ; & in iis edixit eas tantùm vigere pœnas, quæ Clementina *Ut ii* continentur : nempe suffragii privationem, & jacturam dimidiæ partis distributionum ; ex quibus ipsis liquet sua illis salva & integra constare (Fagn. ibid. pag. 53. 54. 55. 56.) Beneficia. Atque ita fert etiam sacræ Congregationis Declaratio.

X. Paucissima diximus de ætate Tonsuræ, & Minorum Ordinum, quòd ipsimet sacræ Congregationi visum sit, ea de re nil decrevisse Tridentinos Patres, ideoque antiquo juri parendum. Aliàs autem declaravit eadem Congregatio ad Tonsuram & (Fagnan. In l. 3. Decret. Part 1. pag. 187. 189. 190.) Clericatum, requiri annum ætatis septimum completum. Quod ad Minores Ordines, tanta est varietas & penè conflictatio, tum inter Canones ipsos, tum inter Canonum interpretes, ut certi nihil constare possit, hærendumque necessariò sit consuetudini universali Ecclesiæ, quæ fida & germana est interpres Canonum, & per quam fas est post septem ætatis annos iis initiari. Consentit autem & Pontificale Romanum : *Prima Tonsura & Minores Ordines ante septimum annum completum dari non debent.* Blastares affirmat Lectores ordinari pueros, cùm primùm possunt legere. *Lector ordinatur, quàm primùm poterit legere.* (Blastares Litera X. c. 21.)

Si oculos tantisper sursum retorqueas ad ea quæ superiùs dicta sunt de minoribus Ordinibus, sine quorum aliquo non Clericatus, non Tonsura olim dabatur : statim patebit ratio, cur non potuerint Canonistæ ætatem minorum Ordinum ab ætate Tonsuræ sejungere. Si rursum pensites, quod suprà ostensum, infantibus Clericis sua fuisse Beneficia, beneficiis aliis ejus temporis simillima : causam quoque perspicies, cur etiam lata lege ut non conferantur Beneficia nisi natis annos saltem quatuordecim : non potuerint tamen non aliqua superesse, quæ puerulis quadrent. Denique cùm optatissimum fuerit Tridentinæ Synodo, ut non simul omnes conferantur minores Ordines : nemo non intelligit posse eos dispensari inter septimum ætatis annum & ætatem Subdiaconatui idoneam. Verùm id Episcoporum providentiæ permissum est.

## De Cantu & Recitatione Officiorum divinorum.

### CAPUT LXXI. *P. 1. l. 1. c. 34.*

### De Cantu & Recitatione divinorum Officiorum in Ecclesia Græca prioribus quinque sæculis.

*I. Officia eadem, eadem hora Canonica ab ipsa nascente Ecclesia in usu fuere. Probatur ex Constitutionibus Apostolicis.*

*II. Commune erat Clericis Laïcisque hoc quotidianum divinæ psalmodiæ pensum. Qui in Ecclesia minùs poterat, domi privatim recitabat.*

*III. IV. Multis probatur decantatum primò fuisse Canonicum hoc Officium : ita ut Psalmi canerentur, vel ab uno cæteris silentibus, vel à pluribus, quorum unus alterum exciperet. In Ecclesia Alexandrina, legenti propior erat, quàm canenti, qui Psalmos modulabatur.*

*V. Varia Concilii Laodiceni de Horis Canonicis Constitutiones.*

*VI. VII. Quæ fuerint Monachorum officia : sumpta ea fuisse ab Ecclesia : sed aucta, elimata ab illis, & perpolita, & ita Ecclesiæ vicissim communicata, & hactenus retenta. De Psalmis Officii Nocturni. De Lectionibus & Collectis.*

*VIII. Aliqua sumpta è Monasteriis, & in Ecclesia retenta, ut alternatim stare & sedere.*

*IX. De recitandis privatim horis diurnis. De Hora Prima, de Laudibus.*

*X. De Vigilia Sabbathi ante Dominicum diem.*

*XI. Probantur Laïci, Clerici, Monachi, quas horas Canonicas in Ecclesia non poterant, privatim recitasse.*

I. De rebus tribus, quæ cùm essent gravissimæ, tum ad omnes universè Beneficiarios pertinebant, vel ad omnes saltem majorum Ordinum Clericos, Tonsura, Habitu, & Cælibatu diximus : nunc accedimus ad divinorum Officiorum sive Cantum, sive Recitationem, quòd & ad omnes quoque Beneficiarios pertineat quotidianum hoc divinæ psalmodiæ pensum. Ab Orientali auspicabimur Ecclesia, ex qua & in Occidentem psalmodia propagata est.

Ita fidelibus præcipiunt Constitutiones Apostolicæ : *Precationes facite Mane, Tertia, Sexta, Nona, Vespere atque ad galli cantum.* Mane, ut Patri lu- (L. 8. c. 34.) minum de ortu dici agantur gratiæ. Tertia, quia

ea hora Sol justitiæ Christus morti addictus est. Sexta quia circa meridiem affixus cruci & splendidissimè à terra exaltatus est. Nona, quia tum immortalis vitæ parens mortali vita excessit. Vespere, ut ei gratiæ agantur, qui eo tempore tumulatus, veræ quietis auspex nobis factus est. Ad galli cantum, quia Christo resurgente, rediviva immortalis lux, filios lucis ad laborem, & ad opus æternæ salutis vocat. His horis congregabantur fideles ad Ecclesiam; id si per infideles minùs liceret, conveniebant in domo aliqua. *Si ad Ecclesiam prodire non licuerit, propter infideles, congregabis, Episcope, in domo aliqua.* At si nec in Ecclesia omnes, nec in domo aliqua convenire daretur, privatim quisque, vel duo, tresve simul hoc pietatis munere fungebantur. *Quod si neque in domo, neque in Ecclesia congregari poterunt, psallat sibi unusquisque, legat, oret; vel duo simul, aut tres. Ubi enim fuerint, inquit Dominus, duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

II. Paucissimis his verbis ea omnia continentur, quæ duobus tribusve sequentibus Capitibus edisserere aggredimur. Ostendemus enim 1. ab ipso exorientis Ecclesiæ primordio divinum Officium in usu fuisse, iisdem propè horis, Psalmis iisdem quibus nunc ac Lectionibus contextum. 2. Decantatum illum, aut recitatum publicè in Ecclesia, aut Oratoriis privatis, quandiu ibi Conventus agere licuit. 3. Ea lege obligatos potissimum fuisse Clericos, quippe qui cum Episcopo conventui & orationi publicæ præesse deberent. 4. Quin & Laïcos eadem lege comprehensos fuisse, cùm ad omnes verba faciat indiscriminatim Apostolica Constitutio. 5. Si convenire nec in Ecclesia liceret, nec in domo aliqua privatim, ab unoquoque fieri idem secretò oportuisse. Hæc sunt quibus illustrandis præcipuam dabimus operam, dum perpetuam sanctorum Patrum, Conciliorum & Historicorum in idem conspirantium traditionem contexemus.

L. 2. c. 17. III. Eusebius Cæsariensis Episcopus, ut suam de Esseois opinionem constabiliret, dum multa in eorum moribus diligentissimè conquirit, quæ essent Christianorum rituum quàm simillima, psalmodiam eorum cum primis memoravit, valde cognatam & concinentem ei, quam Orientales Christiani sectabantur: *Cùm unus quispiam modulatè ac decenter Psalmum canere exorsus fuerit, cæteri cum silentio auscultantes, extremas duntaxat hymnorum partes concinunt.*
L. 6. c. 8. Author est Socrates sancto Ignatio, tertio post Petrum Antiocheno Episcopo, visendos se exhibuisse Angelos, qui adorandæ Trinitatis laudes alternis choris concinerent; hunc deinceps canendi ritum tenuisse Antiochenam Ecclesiam, quam cæteræ deinceps omnes æmulatæ sint. Viri docti & emunctioris quàm Socrates fuerit naris, non acquieverunt huic Socratis, ne dicam vulgi imperiti narratiunculæ, maluerùntque Augustino assentiri, qui ab Apostolis & ab ipso Christo initium & exemplum repetit, & legem: & ad id testimonio utitur sacrarum Litterarum. En verba
Epist. 119. c. 18. Augustini, *Maximè illud quod de scripturis defendi potest, sicut de Hymnis & Psalmis canendis, cùm & ipsius Domini, & Apostolorum habeamus documenta, & exempla, & præcepta.* Cùm ergo Psalmos & Hymnos cum Apostolis Christus decantaverit, & de spiritali Psalmorum cantu crebra sit apud Paulum mentio & commendatio frequens; simillius veri est hæc Ecclesiasticæ psalmodiæ primordia fuisse, primùm in Ecclesia Palæstinæ, ex Salomonis templo, ejusque concentibus, & tum deinde in Orientalibus Ecclesiis universis. Quàm erat illud Socratis lubricum & incertum, tam solidum istud est & inconcussum Ecclesiastici cantûs fundamentum.

Idem porro alibi Augustinus affirmat concini quidem solitos in Ecclesia Alexandrina Psalmos, sed tam modico flexu vocis, ut Lector idem esset qui Cantor; & etiam tum cum caneret, legenti propior esset, quàm canenti. *Quod de Alexandrino* Confess. L. 10. c. 33.
*Episcopo Athanasio sæpi mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat sonare Lectorem Psalmi, ut pronuncianti vicinior esset, quàm canenti.*

IV. Constat ergo ab initio in morem Hierosolymitani Templi, Psalmos in Ecclesia cani familiare prorsus fuisse. At unum tantùm fuisse qui caneret; Clericos verò alios pariter cum Laicis cecinisse spiritu, cecinisse mente, donec gravissimis de causis, quæ infrà explanabuntur, & Clero & Plebi copia facta est una canendi. Tunc alternantibus choris cani cœptum est; utque religiosissimæ cæremoniæ authoritas accederet, antiquitatem quoque aliqui, & cœlestem originem accersere ei voluerunt, ab illa quam narrat Socrates angelici cantûs visione. In Templo Salomonis præter Cantores, quos ei rei David instituerat, aut eorum successores, canebat nemo. Ita nec Christiana Plebs in Ecclesia. Adde quod primis illis temporibus, ne Clerus quidem, nedum plebs poterat psalterium edidicisse, ut omnes concinerent. Eusebius, quod Euseb. L. 7. c. 30.
de Essenorum conventu dixit, Canente uno auscultare cæteros, id de Christianis dictum esse voluit. Unum volebat tantùm Athanasius Cantorem, qui seu caneret, seu legeret. In Epistola Synodali Concilii Antiocheni, ubi damnatur Paulus Samosatensis est, legimus impurissimum illum atque audacissimum hominem, sublatis qui antè in Ecclesia canebantur Psalmis, Hymnos cani jussisse in sui ipsius commendationem exaratos. Id facillimè obtineri poterat, si vel unus Cantoris officio in Ecclesia fungeretur, vel plures quidem, sed quorum unus alterum exciperet. Et hæc est quæ restituta cum cæteris ornamentis Ecclesiæ psalmodia est, ut vult Eusebius, postquam est à Constantino libertate donata.

V. Justinus quidem Martyr de psalmodia Ecclesiastica horarum Canonicarum siluit in Apologia secunda, ubi dominicam synaxin descripsit, eamque quæ tunc celebrabatur Missam, in qua & legi solitas Scripturas ait, & multas preces Deo fundi. Quanquam posset contendere non immeritò quis, & in his precibus & in illis Scripturarum lectionibus Psalmos comprehendi, qui recitarentur, aut etiam levissimo vocis flexu canerentur. Id si minùs arrideat, at non negabit nequaquam in brevissima illa Apologia locum esse potuisse toti explicandæ Ecclesiarum disciplinæ. Canones Apostolici meminere Cantorum, quare & fuerit tum necesse est divini Officii decantatio, qualem suprà ex Constitutionibus Apostolicis accepisti. Vetat Concilium Antiochenum ne quis in Ecclesia cantet, nisi legitimi constituti Cantores: κανονικοὶ ψάλται. Ergo nondum Can. 15.
canebat in Ecclesia populus, immo ne cæteri qui- 16. 17.
dem Clerici, etsi vel maximè adessent. Statuit eadem Synodus, ut cum libris aliis sacris legatur Evangelium die Sabbati. Scilicet is erat in Orientis Ecclesiis festus dies, sicut & dies Dominicus. Quem morem hactenus retinuimus. Solis enim Festis diebus & Dominicis Evangelia leguntur ferialibus non leguntur. Statuit præterea eadem Synodus, ne perpetua sit Psalmorum decantatio; sed

post singulos Psalmos fiat lectio, ut rerum varietas attentionem acuat. Ut Lectorum tantùm erat legere, ita & cantare Cantorum, reliquo tum populo, tum Clero silente, auscultante, adorante. Mansit perstatque hactenus in universa Ecclesia & in Canonicis horis Psalmorum cantus, non perpetuus, sed Scripturarum lectione etiamnunc suavissimè in-
Can 59. terpunctus. Statuit denique eadem Laodicena Synodus, ut ne Psalmi alii cantentur, neu legantur libri alii in Ecclesia, nisi Veteris ac Novi Testamenti. Nondum ergo Hymni, nondum Sanctorum vitæ aut gesta, nondum sanctorum Patrum homiliæ in Officio divino erant. Quam autem dicit Syno-
Can 18 19. dus Liturgiam Nonæ, Liturgiam Vesperæ, Missam ego crediderim, quæ hora nona nunc, ut in Stationibus, seu semi-jejuniis, nunc hora vespertina, ut jejuniorum diebus celebraretur; si necdum usu receptum ibi erat, quod postea fuit, ut nullis jejuniorum diebus Missa celebraretur.

VI. Monachorum disciplina sanctissima lucem non modicam aspergit iis quæ de Ecclesiasticis Officiis huc congeremus. Quod enim à matre acceperant, non sine fœnore filii reddidere. Discipuli quidem illi primùm fuere Ecclesiæ, sed ii quos ipsa deinde compendiosum sibi atque honorificum sequi duxit & imitari. Refert in vita Pachomii, quam latinam fecit Dionysius Exiguus, sanctissimum virum objecta sibi cælesti visione didicisse, Monachis suis præscribi oportere, ut per diem orarent duodecies, duodecies vespere, & nocte similiter. Cúmque is precum numerus minor Pachomio videretur, respondisse Angelum, Infirmiorum rationem haberi oportere: qui firmiores enim ac perfectiores essent, eos sine intermissione orare, ac pace plenissima, suavissimaque contemplatione sine ullo tumultu frui. So-
L. 3. c. 13. zomenus ubi agit de Pachomii discipulis mille & trecentis, & Monachis aliis usque ad septem millia, asserit eos nocte Psalmos duodecim, mane totidem, totidemque vespere decantasse. Habet hodie feriale Officium eundem Psalmorum numerum ad nocturnam Psalmodiam; eundem habent minores Horæ quatuor diurnæ, nec multùm dissimilem Vesperæ cum Completorio.

Sed audiendus hîc Cassianus, qui rem totam enucleatissimè persequitur. Cùm enim dissentirent inter se Thebaïdos & Ægypti Monachi de numero Psalmorum qui essent singulis canonicis horis assignandi, visendum se eorum oculis objecit Angelus cœlo allapsus, eorumque veste indutus. Is eo tempore quo auspicanda erant divina Officia, undecim Psalmos cecinit, quorum singulis subjiciebatur brevis illa & cælesti igne tota deflagrans oratiuncula, quam Collectam vocant: his addidit & duodecimi Psalmi cantum, quo expleto adjectoque Alleluia, in cœlos rursus evolavit. Non poterat illud dissidium aptius efficaciusque componi. Ipsa jam Cassiani verba promo, ex quibus multa alia
Cassian. De can. noctur. orat. l. 2. c. 5. 6. scintillabunt nec inutilia, nec injucunda. *Unus in medium Psalmos Domino cantaturus exurgit. Cúmque sedentibus cunctis, ut est moris nunc usque in Ægypti partibus, & in psallentis verba omni cordis intentione defixis, undecim Psalmos orationum interjectione distinctos contiguis versibus parili pronuntiatione cantasset, duodecimum sub Alleluia responsione consummans, quæstioni pariter & ceremoniis finem imposuit.* Addit Cassianus exinde inolevisse morem duodecim Psalmos cantandi, tum ad nocturna Officia, tum ad vespertina: *Tam in vespertinis, quàm in nocturnis conventibus.* In gratiam porro eorum, quibus cordi erant Scripturæ sacræ, additæ postea sunt Lectiones duæ, una Veteris, altera novi Testamenti, sed utraque libera & pro voluntate recitanda. Die tamen Sabbati utraque è Novo Testamento sumebatur, altera è Pauli Epistolis, aut Apostolorum Actibus, altera ex Evangeliis: quod etiamnunc servatur à Pascha ad Pentecostem; quia qui interlabuntur dies, pro Festis habebantur.

VII. In verbis Cassiani illud sedulò observa, ejus enim diligentiam in investigandis Monachorum Ægypti Orientisque moribus nihil effugerat: observa, inquam, eam apud illos fuisse consuetudinem, ut ex iis unus Psalmos caneret, cæteri verò silentio & attentione maxima orarent. Cùm autem Monastico instituto antiquior esset Ecclesia annis admodum trecentis, ut infrà demonstrabitur: perspicuum est id ab Ecclesia sumpsisse Monachos; in qua cùm unus psalleret, Clerici reliqui cum plebe non aliud quàm taciti orabant, & tum omnes succinebant concinebantque simul solemnem illam doxologiam, *Gloria Patri.* In Monasteriis verò sub finem singulorum Psalmorum, is qui erat Præpositus, Collectam recitabat. Hoc enim docet Cassianus, expleto quolibet Psalmo, omnes unà surrexisse, spiritu paulisper orasse, tum rursum omnes in genua simul procidisse, ut adorarent Deum, surrexisse omnes denuo, & tum à Præposito Collectam recitatam. *Antequam flectant genua, paulisper orant* ibid. c. 7.
*stantes, post hac puncto brevissimo procidentes humi, velut adorantes tantùm divinam clementiam, summa velocitate consurgunt, ac rursus erecti expansis manibus, &c. Cùm is qui orationem collecturus est, è terra surrexit, omnes pariter eriguntur.* Hinc Collectæ nomen. Breviores fuisse mentales hujusmodi orationes notat Cassianus, ut esset & ferventior oratio, nec in diversa facilè distraheretur. Addit & his brevissimis orationibus interrumpi solitos Psalmos, qui longiores essent. Si quis verò è Cantoribus junior adhuc, continuos versus paulò plures caneret, signo facto ab eo qui præerat, consurrexisse simul omnes, & spiritu orasse. Denique Psalmorum duodecim jam inter Monachos partitionem fuisse, ut unus caneret sex, totidem alter: aut canerent quatuor singuli tres, aut tres singuli quatuor; ut canerent semper nec pauciores quàm duo, nec plures quàm quatuor. *Quantalibet multitudo convenerit, nunquam amplius psallant in synaxi, quàm quatuor Fratres.*

VIII. Horum maxima pars viget etiamnunc. Nam Officium nocturnum feriale duodecim Psalmorum est. In Officio nunc sedemus, nunc stamus; vel alternatim stantibus aliis alii sedent. Diebus Festis aut Dominicis sumuntur Lectiones è Novo Testamento. Psalmodiam & lectionem brevi prece mentali, aut genu flexo, aut oratione, sive Collecta finimus & intercidimus. Denique Psalmos longiores interrupto cantu secamus in plures. Suspicari libet in locum orationis mentalis, cui fortasse minùs idonea fæx vulgi esse videbatur, subrogatam esse alicubi orationem Dominicam, quæ & ipsa plerumque silentio dicitur, vel doxologiam, hoc est, Trinitatis gloriam.

Neque verò illud prætereundum, quod ait Cassianus, Monachos Ægypti, stante illo qui psalleret, idcirco *humillimis sedibus insidentes* fuisse, quia post diurnum opus ac laborem aliquantulùm quiescere necesse esset; post completa denique Officia, in suas singulos se recepisse cellulas, & ad exortum usque diei orasse, quo orationi labor manuum suc-

*Ibid. c. 12.* cederet. *Idem rursus orationum officium, velut peculiare sacrificium studiosius celebrant, donec nocturno operi ac meditationi operatio diurna succedat.* Porro somnus quantuluscumque ille fuit, ante Officium nocturnum capiebatur.

IX. Ex eodem Cassiano Monachi Ægyptii nocturno tantùm & vespertino tempore ad divinam psalmodiam in Ecclesia conveniebant, exceptis Sabbatis Dominicisque diebus, quibus hora præterea tertia ad Missam & Communionem congregabantur. Diebus cæteris nulla erat horarum distinctio. Diem totum vacabant operi manuum, & inter operandum Psalmis, lectioni, meditationique Scripturæ operam dabant. Contrà in Palæstina, in Mesopotamia, & in Oriente universo Horarum erat partitio in Tertiam, Sextam & Nonam, quibus singulis tres adsignabantur Psalmi, ut alternis labori manuum oratio, & orationi labor succederet. *Supradictarum horarum solemnitates trinis Psalmis quotidie finiuntur, ita ut necessaria operationis officia spiritalibus obsequiis nullatenus valeant impediri.* Quod ad horam Primam attinet, author est Cassianus, suo illam ævo in Monasteriis Galliæ superadditam fuisse, adsignatis suis illi Psalmis tribus & Collectis: *Tribus Psalmis & orationibus celebratus.* Quæ nunc nobis Prima, illi *Matutina canonica functio dicitur.* Unde conjiceret quis has esse potiùs matutinas Laudes, quæ manè nobis canuntur: unde & ille ait eam celebratam fuisse ante ortum Solis: *Usque ad Solis ortum, quo jam sine offensione vel lectio parari, vel opus manuum possit assumi.* His ille addit ea esse septem orandi tempora, quæ Regius Vates, divinorumque conditor Psalmorum his verbis indigitavit, *Septies in die laudem dixi tibi.* Non tamen facilè constabit septenarius hic numerus, nisi vespertinum Officium facias bipartitum, ut aliud sit Lucernarium, ut illi quidem appellitabant, aliud Vespertinum ipsum Officium, cui Lucernarium præibat, ut infrà docebimus.

*De canonico diurn. orat. & Psalmorum modo L. 3. c. 2. 3. 4.*

X. Attingendæ nunc nobis strictim sunt Vigiliæ, quæ semel hebdomadis singulis celebrabantur, ea nocte quæ Sabbatum inter & Dominicam fluit. Docet Cassianus hyeme, quo tempore noctes sunt longiores, Vigilias ad quartum usque galli cantum produci; tum Fratres horis duabus somnum capere, ut alacriores in iisdem pietatis officiis totum Dominicum diem possint exigere. Porro ut excitaretur animi attentio, nocturnum Officium in tres partes secari solitum: tres Psalmos à stantibus & alternantibus choris decantatos fuisse: tum sedisse omnes, ut tres Psalmos alios à tondem Monachis cantandos auscultarent; his successisse tres Lectiones. *Eas Vigilias tripartitis distinguunt Officiis, &c. Nam cum stantes Antiphonas tres concinuerunt, humi post hac, vel humillimis sedibus insidentes, tres Psalmos uno modulante respondent: & his sub eadem quiete residentibus, ternas adjiciunt Lectiones.* Quæ proximè accedunt ad nocturnum nunc Dominicæ Officium. Dividitur enim in Nocturna tria, Psalmos octodecim, & novem Lectiones. Matutinum appellamus, ex quo tempore matutinæ Laudes uno cum iis tenore canuntur. Observat Cassianus in Monasteriis Orientis sub finem nocturni Officii eosdem ferè solitos recitari Psalmos, quibus Laudes hodie constant matutinæ. Quamobrem non immeritò dixeris, eam quoque Officii divini partem, cui nomen fecimus Laudes, jam tum usitatam fuisse Monachis, & nocturnis Officiis, quæ pene ad diluculum protrahebantur, adjungi cœpisse. Observat denique manè

*Ibid. c. 8.*

Dominico die semel conveniri, quòd Tertia & Sexta simul cum Missa jungerentur, uti etiamnunc mos habet.

XI. Quantacumque autem rerum rituumque diversitas observari posset, erat tamen inter Ægypti, Thebaïdis, Orientis & Palæstinæ Monasteria, mira quædam consensio & consonantia incredibilis, quæ utique aliunde proficisci non poterat, quàm ex eo quòd Monachi id in solitudine facerent, quod in Ecclesiis antè fieri ipsi vidissent. 2. Quòd autem è Monachis non ii tantùm Officium Psalmosque decantarent, qui in sacris erant Ordinibus; sed & ad unum omnes, ne iis quidem exceptis, qui illiterati prorsus erant, & haberi poterant pro laicis: id ex eo factum est, quòd in Ecclesia ipsa prioribus sæculis laïci fideles eo etiam fungerentur, vel publicè, vel privatim munere decantandi vel recitandi horas canonicas. Nam recitandi Officii lege nulla speciali tenebantur, sive Monachi, sive Moniales, nec tale quidquam profitebantur; sed ad id quotidianum pensum eos adigebat vetustissima & generalis fidelium consuetudo, quæ etsi apud laicos forsan aliquos intepuisset, eam necesse erat in Monasteriis renovari ac recalescere. 3. Quas horas canonicas in Ecclesiam convenientes non canebant, eas privatim singuli suis in cellulis recitabant. Quod argumento est, idem inter fideles, maximè verò inter Clericos viguisse, ut privatim psallerent illas canonici pensi horas, quas in Ecclesiæ conventu per occupationes quaslibet persolvere non licuisset. 4. Ideo & author est Ruffinus, cum Monachi fratres in solitudine invisebant, diurnas nocturnasque horas eo ferè tempore persolvere solitos, quo ipsa Monasteria. *Facto vespere orationes & Psalmos secundùm consuetudinem compleverunt; similiter etiam & nocte fecerunt, &c. Vespere ad luminaria addidit super consuetudinem alios Psalmos, & post completas orationes dixit eis, &c. Non possumus propter vos omnem Canonem psallere, ideoque repausate modicum, quia de itinere fatigati estis.* Hic sanè perspicis quo ex fonte manet vox illa Horarum *Canonicarum*, nempe ex Canone, sive regula & numero Psalmorum, cuique seorsim Officio præfixorum, quo penso fungebantur etiam qui perlustrabant in Eremo vastissima cellulas Fratrum, solatii spiritalis aliquid vel petituri, vel vicissim impertituri. Hi, perinde ut & alii complures Monachorum mores, ab eorum vel Clericorum vel laicorum fidelium imitatione descenderant, qui prima anteaque Ecclesiæ sæcula illustrabant.

*Ruffin. De Vitis Patr. L. 3. c. 5.*

---

## CAPUT LXXII. *P. 1. l. 2. c. 35.*

### De eodem, quæ fuerit in Oriente divini Officii origo? An etiam privatim illud singuli recitare tenerentur.

*I. Testimonia Epiphanii & Clementis Alexandrini.*

*II. III. IV. Testimonia Basilii. Quàm essent studiosi divinorum Officiorum laici. Ex Gregorio Nysseno, recitasse, aut cecinisse Canonicas horas ipsos etiam viatores. Testimonia Chrysostomi.*

*V. In privatis Oratoriis recitatum esse à Ministris Officium.*

*VI. Theodoreti testimonium. Diodorus & Flavianus laici id instituunt, ut duplici & alterno choro populus Psalmos canat.*

*VII. Jam inde à pueris Psalmos addiscebant.*

*VIII. Etiam privatim horas Canonicas esse recitatas. Ejus rei exempla.*

*IX. Ejusdem rei argumenta alia.*

*X. Eum morem in Clerum invexissent Monachi Episcopolibus*

*bus sedibus præfecti, si non invenissent a Clero jam prid. in usurpatum.*

*XI. Clericus ipsa Ordinatio unius Ecclesiæ ministerio addicebat. Præcipuum autem ministerium in oratione est, vocali, non mentali: & in ipsa psalmodia. Ejus rei exemplum. Restituere tenetur Beneficiarius, qui horas Canonicas non recitavit.*

I. EPiphanius circumspectè orationem à psalmodia secernens, docet in Ecclesia celebrari solere Officia Matutinæ & Vespertinæ psalmodiæ; at Monachos se totos impendere psalmodiæ, orationi, Scripturis lectitandis, & memoriæ commendandis. Exposit. fid. Cath. c. 23 *Matutina Laudes in Ecclesia Catholica, matutinæque preces assiduè celebrantur: Lucernales item Psalmi & Orationes, &c. Magna verò ex parte Monachi in decantandis Psalmis ac perpetuis orationibus, & sacrarum Litterarum lectionibus, & iisdem memoriter pronunciandis exercent.* Dixerat antè Clemens Alexandrinus, plerosque certas sibi orandi præfixisse horas, certa tempora, uti horam Tertiam, Sextam, Nonam: Strom. l. 7. Gnosticum verò, & qui verè sit Contemplator, cum sine intermissione orare, & sumendo cibo præmittere lectionem Scripturarum.

II. Dixit verò tam copiosè Basilius in laudem psalmodiæ, ut non facilè adjicere quidquam possis. Vel plebem enim affirmat ita Psalmorum cantu delinitam fuisse, ut domi, forisque & inter ipsa urbium compita psallerent. In Psal. 1. *Psalmorum eloquia, & domi cantillant, & medio in foro secum circumferunt.* Agit alibi de horis septem, quæ Psalmis canendis in Monasteriis sunt dicatæ: Tom. 2. serm. De Instit. Monast. Et in Reg. fusius disput. c. 37 Nocte media, Mane, hora Tertia, Sexta, Nona, Vespere; eamque orationem quæ meridiana est, in duas dividi observat, unam quæ cibum præcedat, alteram quæ sequatur; ut septenarius efficiatur horarum numerus. Multa multi deblatterarunt in Basilium, quasi in instituendis Monasteriis multa novasset, & psalmodiam priscam adulterasset. Ille autem in Epistola ad Clerum Neocæsariensem, has nænias diluens, ostendit non aliud se quàm insistere in vestigia antiquissimorum Ægypti, Palæstinæque & Mesopotamiæ Monasteriorum; eorum se instituta sin minùs assequi, certè sequi: in iis enim omnibus psalmodiam religiosissimè & sui ubique simillimam observari. Epist. 63. *Quòd propter psalmodias accusamur, qui jam obtinuerunt ritus omnibus Ecclesiis Dei concordes sunt & consoni.* Ait autem Basilius populos in Ecclesias ante diei exortum confluere, ibi primùm genu flexo orare, tum surgere ad psalmodiam; Psalmos quandoque alternantibus decantari choris, quandoque unum canere, cæteros omnes succinere: ita per vices psalmodiam & orationem ad diem usque produci: denique ad ortum lucis, Psalmorum rursus resumi cantum; idque in tota factitari Ægypto, Libya, Thebaïde, Palæstina, Arabia, Syria. *De nocte populus consurgens domum precationis petit, &c. Tandem ab oratione surgentes, ad psalmodiam traducuntur. Et nunc quidem in duas partes divisi, alternis succinentes, psallunt, nunc uni ex ipsis hoc munere dato, ut quod canendum est prior ordiatur, reliqui succinunt, &c. Ita psalmodia varietate, precibusque interjectis noctem superant. Illucescente verò jam die, omnes pariter Psalmum confessionis offerunt Deo.* Ergo si ex Basilio fideles, si Monachi in divino Officio tam assidui fuere, quantò magis Clerici, quorum erat illis propositum ad imitandum exemplum? Gregorius Nazianzenus Basilii encomium adornans, inter virtutes cæteras non omisit illius Orat. 21. *in jejuniis & orationibus assiduitatem, insuperabilem in vigiliis & psalmodiis vigorem.* Sed committendum non est, ut Regul. c. 107 excidat nobis quod in Regula Monachis præcipit Basilius, ut privatim horas Canonicas recitent, siquando non licuerit eas cum fratribus in choro decantare. *Si enim corporaliter adesse cum cæteris non occurrat ad orationis locum, in quocumque loco inventus fuerit, quod devotionis est, expleat.*

III. Si Gregorium Nyssenum audis in vita beatæ Macrinæ sororis suæ, erat in Monasteriis sacrarum Deo Virginum *perpetuum precandi studium, & assidua Psalmorum decantatio, quæ nec die, nec nocte intermittebatur.* Neque dubium ullum esse potest, quin ibi observarentur horæ canonicæ. Meminit enim infrà Vespertini officii, vel Missæ illius quæ in Vespertino officio celebrabatur. περὶ τῆς ἑσπερινῆς ὑμνῳδίας ἐσχόλαζον. Docet & noctes integras psallendo exactas in solemnitatibus Martyrum. Quid autem pulchrius, quid disertius, quàm quod habet Gregorius Nyssenus de suo in Arabiam itinere? Currus illi in Monasterium versus erat, quod jejunio & psalmodiæ consecrarat, cum reliquis piæ peregrinationis comitibus. *Vehiculum nobis pro Ecclesia & Monasterio erat omnibus per totam viam simul psallentibus & jejunantibus.* Habes hic horas Canonicas, vel decantatas, vel recitatas saltem privatim, etiam dum iter facerent. Quis enim dubitet eos in Ecclesia illa gestatoria eandem exercuisse psalmodiam, quæ notissima, quæ familiaris omnibus erat, & in Ecclesiasticis synaxibus à puero instillata animis?

IV. Chrysostomus non contentus id pervicisse, ut Clerici nocturnis Officiis adessent omnes; laïcos ipsos sæcularibusque implicatos occupationibus urgebat, ut si diem terrena sibi negotia interciperent, Deo saltem noctes, divinisque laudibus vendicarent. *Fideles quoque laicos exhortabatur, vigiliis nocturnis in Ecclesia insistere: uxores autem eorum domi manere, interdum orantes: ideo quòd viris die otium non esset.* Pallad. in vita Chrysost. *Hac omnia quosque negligentiores de Clero contristabant, totis noctibus dormire consuetos.* Quo expressius dici nihil, nihil efficacius potest, ut intelligas, eam fuisse legem Clericis omnibus positam, ut diurnis & nocturnis in Ecclesia officiis adessent; cùm sanctissimum Episcopum videas in id nervos omnes contendere, ut primævam fidelium pietatem excitet, & horis Canonicis omnes, diurnis fœminas, viros nocturnis assiduè velit interesse. Ad id quoque alibi idem Chrysostomus allicit, ut In Psal. 41. orationi psalmodiam, & vicissim contexant; utque Prophetarum Lectioni præcipuè incumbant. Exponit & alicubi, cur in Ecclesia legantur Actus Tom. 5. Apostolorum post Pascha, quòd etiamnunc in usu serm. 63. est.

V. Instat idem vehementissimè, ut quibus abundant opes, ii in villis Ecclesias sibi, vel Oratoria construant, Presbyterumque ibi & Diaconum habeant; qui dominico quoque die incruentam victimam immolent, at diebus singulis laudes concinant divinas. *Educa Diaconum & Sacerdotalem or-* Hom. 18. in Acta. *dinem. Preces illic perpetua propter te. Laudes & Synaxes propter te; oblatio per singulos dies Dominicos, &c. Quanta res est, matutinis & vespertinis esse hymnis præsentem, &c. Parum est pro villa quotidie preces ad Deum fieri?* Quæ satis superque demonstrant, ab ejusmodi Ecclesiarum ministris, tametsi ex cæteris Ecclesiis longè inferiores essent, diebus tamen singulis Psalmos decantari solitos fuisse. Hinc licet æstimes, quæ fuerit Clericorum aliorum ad orandum & ad psallendum lex, quæ obligatio,

cùm in ordinatione ipsa sua, personandæ divinis laudibus Ecclesiæ sacrisque quibuslibet ministeriis excolendæ addicti essent omnes.

*Chrysost. Tom. 5. Serm 52. In eos qui Pascha jejunant. In Ep. 1. ad Tim. ho. 6* Quod autem alibi dicit Chrysostomus Missam in Oriente ter, aut quater tantùm singulis celebrari hebdomadis: argumento est certas fuisse & præscriptas preces alias, quas diebus cæteris privatim recitarent Clerici; quemadmodum & pleraque frequentabant Monasteria, ubi die Sabbati tantùm & Dominico, aut ipso solo Dominico Synaxis & sacrificium agebatur; cùm per singulos omnino dies ibidem stata celebraretur psalmodia.

Denique si alibi sanctus Pater Monasteriis adscribit psalmodiam quotidianam, Nocturni temporis, Matutini, Tertiæ, Sextæ, Nonæ & Vesperarum: conjici quidem potest non in omnibus certè Ecclesiis eas omnes horas à Clericis decantatas fuisse: cùm nec omnes in omnibus Monasteriis decantarentur, ut suprà dictum est. Sed ita existimari par est, ut à Monachis, ita & à Clericis privatim recitatas fuisse eas canonicas horas, quæ in Ecclesiis publicè non canerentur. Addit enimvero Chrysostomus virtutes simillimas in Clero, atque in Monasteriis efflorescere. *In Ecclesiis ejusmodi quid invenias. Neque enim quoniam illorum exposuimus vitam, eorum qui intra Ecclesiam sunt, instituta despicimus. Plurimi sæpè hujusmodi & in mediis Ecclesiis sunt, sed delitescunt. Non enim quia circumeunt domos & forum, despiciendi sunt. Et hoc Deus imperavit. Judicate, inquit, pupillo, & justificate viduam.* Hæc extrema verba iis aptantur Clericis, qui Orphanorum, Viduarumque defensioni imminebant. *Cap. 9. 10.* Sed Palladius aliquantò disertiùs in Chrysostomi vita, cùm ait quadraginta illos Episcopos in ejus defensionem conjuratos, cùm Ecclesiarum fores eis occluderentur, Paschæ vigilias, & Officia suis in diversoriis celebrasse. *Reversi Episcopi vigilias intra sua diversoria celebrarunt.* Tunc Carceres ipsi pro Ecclesiis fuere. Adeo novum non erat, & Synaxin & Psalmodiam, quacunque occasione in Ecclesia non posset, intra privatas tunc domos celebrari. *Carceres in Ecclesiæ faciem transiere: Hymni & oblationes mysteriorum in Carceribus agebantur.*

VI. Ad Theodoretum festino, ut à quo multa & singularia, & mira edocendi simus. Quorum primum illud esto, quod habet de ea apud Antiochiam institutione, ut Clero in duos choros partito, alternis Psalmi canerentur. Cùm enim Ariani nihil non molirentur, ut ejus Ecclesiæ quæ prima Christiani nominis parens fuit, fidei integritatem labefactarent: laici duo, Diodorus & Flavianus, hic Antiochenus postea, ille Tarsensis Episcopus creatus, pietate ambo insignes, perditissimorum hominum conatibus fortissimè & vigilantissimè restitêre; utque plebem in priscæ fidei constantia roborarent pietatis officio quopiam, quo etiam abstergeretur tristitia quædam ex adversariorum importunitate collecta, Psalmos alternis choris ab ipsa plebe cani debere persuaserunt: *Theodoret. Hist. l. 2. c. 24.* *Hi duo quanquam annumerati laicis, tamen noctu & interdiu ad pietatis studium omnes sedulo excitarunt. Hi psallentium choro in duas partes diviso, Hymnos Davidicos alternis canendos tradiderunt.* Addit Theodoretus eam inde consuetudinem irrepsisse, ac convolasse in alias omnes Ecclesias, etiam remotissimas: *Quæ res primùm incœpta Antiochiæ, ubique pervasit, & ad ultimas orbis terræ partes pervagata est.* Hæc omnino veri sunt similiora, quàm quæ refert Socrates de visione Ignatii. Constat enim donec istud Antiochiæ immutatum est, eos psallere tantùm in Ecclesia solitos, qui erant ex officio Cantores: Clericos autem cæteros non concinnisse nisi ad finiendos Psalmos doxologia, *Gloria Patri, Amen, Alleluia*, vel alia hujusmodi quapiam sacri concentûs clausula. At præeunte Antiochenæ Ecclesiæ exemplo receptum ubique illud est, ut populi ipsi Psalmus concinnerent.

*Sozom. l. 8. c. 8.* Narrat Soxomenus Arianos Constantinopoli Ecclesiis omnibus ejectos, noctu in Porticibus publicis convenisse, divisoque choro in partes duas cecinisse Psalmos, & inter psallendum cantilenas quasdam, quæ hæreseos suæ summa continerent capita interseruisse. Quo rescito Chrysostomus, ut Catholicæ plebis alacritatem acueret, alternis choris canere Psalmos addocuit: *Populum suum ad similem canendi modum excitavit.* Et infrà: *Catholici ex hac causa in hunc modum canere exorsi, in hunc usque diem ita perseverarunt.* Dicemus proximo capite, ut Ambrosius Mediolani non multùm absimili occasione eundem morem invexerit, unde is tandem in Occidentem omnem permanavit.

VII. Ad Theodoretum redeo, qui cani solitam alibi tradit doxologiam, *Gloria Patri*, in Liturgia matutina, in vespertina, & tribus diei horis Canonicis, τὸ τριτημόριον; hoc est, hora Tertia, Sexta, Nona; atque tum ad insonandam Trinitatis gloriam Clerum populumque una voce concinuisse. *Epist. 14. Hist. l. 2. c. 24.* Denique id usu esse receptum, ut pueri primùm in Scholis Psalmos addiscerent, & luculentiora aliqua Scripturæ loca, ex quibus nimirum totum Canonicarum horarum Breviarium contexitur. Ita sanè pius Protogenes: *Hist. l. 4. c. 16.* *Ludum aperuit, & pueros non modo ad celeri manu scribendum exercuit, sed sacra Dei eloquia edocuit. Nam Hymnos Davidis tanquam dictata illis proposuit, & eas Apostolicæ doctrinæ sententias, quas eorum ingeniis accommodatas putabat, ediscendas tradidit.* Ita promptum semper erat omnibus & expeditum, Psalmos decantare. Inde est quod cùm Valens fideles ab Ecclesiis ejecisset, illi ad declivia convenêre montis, & usitatissimos Officiorum divinorum Hymnos concinuêre.

VIII. Ex eodem Theodoreto Monachis suis præscripserat celeberrimus ille inter Solitarios Julianus, ut post decantatum ab omnibus simul nocturnum Officium, manè bini omnes discederent, & in oratione diem totum ita exigerent, ut dum genu flexo Deum alter adorat, stans alter Psalmos caneret quindecim: & vicissim illo psallente hic adoraret, idque alternis diem totum facerent: *Hist. Relig. c. 2.* serò autem convenirent, & post aliquantulam quietem Officium vespertinum exolverent. Privatim ergo & secretò & canebantur Psalmi & recitabantur. Liquet id præterea ex sanctissimo Avito. *Ibid. c. 3.* Marcionem enim cùm inviseret, post habita inter se de pietate colloquia aliquot, Nonam ambo simul recitarunt: καὶ τὴν τῆς ἐννάτης [illegible]; ac deinde cibum sumpsere. Publius à psalmodia non cessabat, nisi ut oraret mente, vel lectitaret Scripturas: *Ibid. c. 5.* *Psalmodiam oratio, orationem Psalmodia, & utramque divinorum lectio excipiebat.* Instituit ille duo Monasteria, Græcorum unum, alterum Syrorum, unamque utrisque communem Ecclesiam, ad quam omnes convenirent mane & vespere, divisoque choro laudes divinas illi Græcè, hi Syriacè celebrarent. Testatur Theodoretus sua etiam ætate hanc eos psalmodiam retinuisse.

IX. Hæc ergo erant ex iis Monasteriis, de quibus suprà diximus, ubi Horæ diurnæ, seu minores, privatim tantùm recitarentur. Porrò si Mona-

steria ipsa, quæ canonicæ horæ publicè non canebantur, eas privatim exsolverent: an potest dubium esse, quin privati quoque, si quando in Ecclesiam convenire non poterant, Officium publicum secretò recitarent? Quin Eremi incolæ tam multi, qui vitam totam, aut vitæ partem maximam soli, vel cum socio uno in remotissimis quibusque locis agebant; quin hi, inquam, horas Canonicas privatim omnes vel canerent, vel recitarent? Sed horum, ut & peregrinorum & hospitum exempla jam protulimus. Cùm autem virtutes omnes Monasticas imitati sint Clerici, ut infrà demonstrabitur; tum hanc maximè psallendi infatigatam assiduitatem.

In Ecclesiæ, uti in Reipublicæ nascentis exordio, consuetudo primùm pro lege fuit; quo tempore interiori lege charitatis instigante longè plura fiebant, quàm quæ potuisset lex ulla extorquere. Fuit hæc statim Ecclesiæ consuetudo, ut horæ Canonicæ, Matutina, Tertia, Sexta, Nona & Vespertina publicè recitarentur, vel psallerentur, quibus adessent laici, Clerici multò magis. Deferbuit laicorum pietas, Clerici de fervore pristino nil remisere. Tum verò exorti Monachi, pro summo æstu pietatis, non modò Clericos secuti sunt, sed & in multis prægressi, multa de suo adjecere. Tametsi ergo vi consuetudinis astrictos se non putassent Clerici, Monachorum tamen exemplo ad recitationem Officii adacti fuissent; cùm nemo neget Clericos è Monachorum moribus sumpsisse multa, quæ imitarentur. At non ita comparatum fuit cum Clericis, ut ab exemplo Monachorum hanc sibi ipsi legem derivarint sanxerintque recitandi canonici cursûs. Quin Monachis longè anteriores Clerici, hanc eis postea exortis & viam præmonstraverunt, & præstruxerunt seu legem, seu consuetudinem. Illud certè & Clericorum Canones & Regulæ Monachorum commune habent, quòd usum illum quo vel recitantur vel concinuntur horæ Canonicæ, non tam instituunt, quàm institutum illustrant exornantque.

X. Dictum est jam suprà, & infrà dicetur fusiùs, ad Episcopatum adsumptos fuisse ex Monachis complures, qui si divini apud Clericos Officii consuetudinem non invenissent jam constitutam, ipsi profectò constituissent. Juxta Theodoretum demonstrabat in Episcopatu Abrahames, quam in solitudine vitæ rationem tenuisset, & orandi. Singulis enim noctibus Psalmos quadraginta psallebat, solitas autem intertexi orationes conduplicabat.
Ibid. c. 17. *Quadraginta noctu alternas hymnodias explebat, interjectarum precum mensuram congeminans.* Scilicet id sanctissimus Antistes canebat cum Clericis, quod antè cum Monachis canere solitus erat. Per hos ergo Episcopos invaluisset certè posteriùs in Clero psalmodia, etsi ejus usus anterior daretur nullus fuisse. Hoc præterea pro certo alibi ponit idem
Epist. 145. Theodoretus, matutinum & serotinum Officium in Ecclesia recitari publicè, non autem Horas Tertiam, Sextam, Nonamque. Ergo & has ipsas Horas privatim recitari supponit.

XI. Eo denique argumento tota hæc de horis Canonicis ex certa lege recitandis oratio concludenda est, quod strictim delibatum jam est, & quo non possit assensus non expugnari. Cùm enim omnes ex ipsa sui ordinatione Ecclesiæ alicujus ministerio addicti essent Clerici: & hoc præcipuum Ecclesiæ esset Officium, orare; manifestè hinc efficitur, ut ex eadem ipsa sua ordinatione Clerici omnes ad Canonicas horas recitandas teneantur. Nam oratio mentalis præterquam quod rarior erat, brevissima etiam fuit; ita ut usitatissima & jugis oratio Ecclesiæ, psalmodia ipsissima esset. Quoniam autem Ordinationi soli conjuncta erat res temporalis, quasi præstiti consectaria quædam ministerii; inde factum est ut siqui minùs residerent, aut in exsolvendo officio minùs essent assidui, ii quotidianis mulctarentur distributionibus, in quibus tunc temporis omnes omnino erant reditus Beneficiorum. Posterorum memoriæ commendavit Sozomenus incomparabilem virum, Zenonem Episcopum Majumæ, qui centenario major, omnibus præstò semper erat matutinis vespertinisque Officiis, nisi ex ægritudine aliqua gravi decumberet. *Natum plus minùs an-* L. 7. c. 27.
*nos centum, nunquam vel matutinos, vel vespertinos hymnos neglexisse, nisi forte morbus ipsum impediret.* Græco ex textu habetur nulli eum Canonico abfuisse Officio, nec tamen satis exprimitur, privatim, an in Ecclesia totum hoc Officii pensum expleretur. Sed illud certè longè plus habet admirabilitatis, quòd homo id ætatis, & Episcopus, manibus operaretur, ut suis pauperumque necessitatibus consuleret. Hujusmodi tum erant Beneficiarii: hujusmodi erant, in quorum locum venêre, qui nunc gravatè ferunt quòd cogantur ad Canonicas horas persolvendas; quòd crimini vertatur, siquando à tam pio & tam necessario religionis officio cessarint; quodque restituere jubeantur, quidquid redituum sacrorum ita cessantes perceperint. Horum inertiæ patronorum antecessores Canonicum pensum integrum recitabant, vel psallebant, seu privatim, seu in Ecclesia; eam illi partem mediocrem interpretabantur esse ejus ministerii, quod Ecclesiæ devoverant, dum ordinarentur: ex Ecclesiæ reditibus tantum delibabant, quantum necesse erat, ut cibo & vestitu necessario non carerent; persæpè ne id quidem delibabant, sed suis se sustentabant manibus. Hæc exempla olim castioribus Ecclesiæ sæculis condebantur, quibus informarentur in posterum Beneficiariorum mores.

---

## CAPUT. LXXIII. *P. 1. l. 1. c. 36.*

### De divini Officii origine & recitatione necessaria saltem privatim in Occidente, per quinque priora sæcula.

*I. Horas Canonicas traditionis esse Apostolicæ vult Tertullianus.*

*II. Cyprianus in hos partem ejus præcepti ponit, quo jubemur semper orare.*

*III. Ex ipsa Religionis natura, hoc ipso quo fideles, & multò magis, quo Clerici sumus, tenemur orare. Hinc lex illa recitandi Officii.*

*IV. Psalmorum Hymnorumque cantum instituit Ambrosius, ita ut diviso choro in partes duas alternis ipsa etiam plebs canat.*

*V. Quid ille instituerit? an ut plebs caneret, an ut alternis caneret?*

*VI. Clericorum ex eo manifestior obligatio, quòd plebs ipsa psalleret.*

*VII. Quid senserit Augustinus de Psalmorum in Ecclesia concentu.*

*VIII. In eum ferè ordinem, quo nunc est, erat jam tum digestum Officium.*

*IX. Quàm utilem plebi psalmodiam putet Augustinus.*

*X. Horas enim Canonicas accommodatissimas esse excitandæ identidem Orationi illi, quæ tota in desiderio & amore est, quam continuam Apostolus præcipit esse.*

*XI. Ex Hieronymo Monachi, Moniales in privatis domibus suis, Deo sacræ Virgines, Viduæ, puellæ, quæ Monasteriis præparabantur, Canonicum exsolvebant Officium.*

*XII. Orandi major necessitas in Clericis. Observatiunculæ complures.*
*XIII. De eodem ex Paulino & Sidonio Apollinari.*
*XIV. Ex Victore Episcopo Africano.*
*XV. XVI XVII. Ex Africanis & Hispanis Conciliis.*
*XVIII. Ex Gallicanis.*
*XIX. Proferuntur sanctissimorum quorundam Episcoporum exempla.*

I. EX Actibus Apostolorum observat Tertullianus moneri nos, ut Horas has, Tertiam, Sextam, Nonam celebremus; allapsus est enim hora tertia Spiritus Sanctus, Petrus orabat hora sexta, & is ipse *ascendebat ad Templum* hora orationis nona. *Tamen tres istas horas ut insigniores in rebus humanis, quæ diem distribuunt, quæ negotia distinguunt, quæ publicè resonant: ita & solemniores fuisse in orationibus divinis.* Has Canonicas Horas donat ille *Officii* nomine: *Sexta dici hora finiri Officio huic possit.* Vocare quoque videtur *Officia Dei.* Quanquam hic quidem ea voce complectatur & jejunia, & nostra omnia in Deum pietatis obsequia. *Apostolicas* quoque has Horas appellat, ut Apostolica authoritate legitimæ orationi dicatæ jam tum in Ecclesia fuerint. *Horarum insigniorum exinde Apostolicarum, Tertiæ, Sextæ, Nonæ.* Ubi Tertullianus de fidelibus generatim loquitur, de privata Clericorum lege aliqua omnino nihil, quæ tamen vel hinc maximè colligi potest; quòd fieri manifestissimè queat, ut quemvis hominem laïcum diutiùs orare solummodo deceat; idem tamen facere ei necesse sit, qui Altaris se ministerio manciparit.

L. de jejun. c. 10.

Ibid. c. 11.

II. Cyprianus verò postquam docuisset tres illas Horas, Tertiam, Sextam, Nonamque solemnes olim statis sanctissimorum hominum orationibus fuisse in Veteri Testamento: in Novo autem, Tertia descendisse Spiritum Sanctum, Sexta affixum cruci Christum, & Nona expirasse: hæc ille præfatus, continuò addit, fideles vehementer obligari ut sæpiùs orent: *Sed nobis præter horas antiquitus observatas orandi, nunc & spatia & sacramenta creverunt.* Itaque orandum nobis esse manè, quòd tum Sol justitiæ Christus è tumulo redivivus orbi illuxerit: item vespere, quòd idem Sol justitiæ fidelibus alluceat semper, nunquam occidat; denique nunquam ab oratione cessandum, & nec noctes diesque secerni debere, cùm fidelibus una & æterna dies sit Christus, eosque tum luce, tum flamma sua sine ullo temporum horarumque discrimine vegetet foveatque. *Quod si in Scripturis sanctis sol verus & dies verus est Christus, hora nulla à Christianis excipitur, quominus frequenter ac semper Deus debeat adorari, &c. Quia filiis lucis, & nocte dies est.* Et ibidem: *Nam & mane orandum est, ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur, &c. Recedente item sole ac die cessante, necessariò rursum orandum est. Nam quia Christus Sol verus & dies verus est, Sole ac die sæculi recedente, quando oramus & petimus, ut super nos lux denuo veniat, Christi precamur adventum, lucis æternæ gratiam prabiturum.*

Cypr. De Orat. Dom.

III. Antequam perpetuam Traditionis ex aliorum Patrum testimoniis seriem contexam, juvat pauca hîc observare, 1. Orandi has horas quinque à sanctis Patribus non Clero proponi, sed populo. 2. Sæviente persecutione horas Canonicas privatim tantùm peragi potuisse. 3. Ita has orandi vices proponi, ut faciliùs & commodiùs ei pareamus, tum Christi præcepto, tum Apostoli, quo & orare, & sine intermissione orare jubemur. Sunt enim horæ Canonicæ jugis Ecclesiæ orationis veluti fructus ac publicum monumentum. 4. Legem hanc orandi vel jugiter, vel per certa intervalla temporis, non oriri, ut est perspicuum, ex eo quòd jus habeas percipiendi aut Beneficii reditus, aut distributiones; sed ex eo quòd fideles omnes, & omnium maximè Clerici orare teneantur. 5. Quòd si Clericis subministrantur ab Ecclesia necessarii sumptus, ut liberiores rebus divinis, & maximè orationi vacare possint: hinc multò manifestiùs fieri, legem hanc orandi à percipiendis Beneficii fructibus nullo modo proficisci: sed ex adverso perceptionem fructuum ideo constitutam, ut orandi officium majori & assiduitate & reverentia implerent. Nam oratio cum homini cuique convenientissima est, tum Christiano multò convenientior, Clerico verò & Sacerdoti omnino necessaria. 6. Atque adeo nihil æquius esse, quàm ut ii Beneficiorum fructu careant, qui Officio defuere. Non quòd ea pœna affecti jam à culpa immunes sint. Flagitium enim illud est omnino, quod eam legem violant, quæ & eorum instituto propria est, & fidelium saluti pernecessaria: quippe qui spem salutis suæ magnam in Clericorum pietate & apud Deum intercessione collocatam habeant. Sed quòd injustitiæ esset illud maximæ, si cùm non orarent Clerici, ea nihilominus reci perent emolumenta, quæ propterea tantùm constituta sunt, ut faciliùs & liberiùs orarent.

IV. Hæc summatim sunt, quæ in afferendis etiam infrà Patrum testimoniis observari poterunt. Primus instituit in Ecclesia Mediolanensi Ambrosius, ut Psalmos alternis caneret. Testis oculatus, qui tum Mediolani versabatur Augustinus, qui modulato hoc cælestique concentu testatur sæpè sibi elicitas fluxisse lacrymas. *Quantum flevi in Hymnis & Canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter.* Institutionis occasionem dedit Justina Augusta Valentiniani Junioris mater, ab Arianis fascinata, & in Ambrosium sæviens. Noctes diesque in Ecclesia plebs tota exigebat, excubias agens, ne suus sibi vel raperetur Pastor, vel damni quidpiam & contumeliæ pateretur. Tum certè ne tædio & mœstitia animi plebs deficeret, cœptum est Psalmos cani, & à plebe cani. Non fefellit Augustinum, ea in re Ecclesias Orientales secutum esse Ambrosium; in Ambrosii autem imitationem exarsisse reliquas Occidentis Ecclesias: *Non longè cœperat Mediolanensis Ecclesia genus hoc consolationis & exhortationis celebrare, magno studio fratrum concinentium vocibus & cordibus. Nimirum annus erat, aut non multò amplius, cum Justina Valentiniani Regis pueri mater, hominem tuum Ambrosium persequeretur, hæresis suæ causa, qua fuerat seducta ab Arianis. Excubabat pia plebs in Ecclesia, mori parata cum Episcopo suo, servo tuo. Tunc Hymni & Psalmi ut canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum est; & ex illa in hodiernum retentum, multis jam ac pene omnibus gregibus tuis, ac per cætera orbis imitantibus.*

Confess. l. 9. c. 7.

V. Dubitari hîc potest, an illud instituerit tum Ambrosius, ut qui Psalmos antè tantùm recitabant, canere jam inciperent? an ut alternis canerentur, & ab ipso canerentur populo: cùm antè unus cecinisset Cantor, auscultantibus cæteris & orantibus: vel plures cecinissent Cantores, non simul, sed per vices? Augustini verba id magis suadere videntur, institutum tunc primò fuisse cantum ipsum: *Institutum, ut canerentur Hymni & Psalmi.* Vix tamen adduci possum, ut credam in Ecclesia Latina annis pene quadringentis, Psalmorum meram fuisse recitationem, cantum nullum, cùm Psalmi ipsi Can-

rica sint: cùm psallere canere sit: cùm cantûs & psallendi toties meminerit Paulus. Quod autem ait Augustinus, Ambrosium id instituisse secundùm morem Ecclesiarum Orientalium, de alterno ipsius populi cantu dicere videtur, quem paulò ante Diodorus & Flavianus Antiochiæ instituerant. Neque enim tam multi anni interfluxere, ut eo temporis intervallo in ea re non potuerit Ecclesia Mediolanensis ab Antiochena discrepare. Credibile autem nullo modo fuerit, totis quadringentis annis, quos Psalmos Orientalis Ecclesiæ caneret, ab Occidentali esse duntaxat recitatos. Paulinus Ambrosij vitæ scriptor, disertè id institutum docet ab Ambrosio, ut alternis caneretur. Hoc enim solum vox
*Opusc. De Spir. sanct.* Antiphona & Græcis tunc, & Latinis sonabat, ad quos è Græcis defluxit. Immo indicat Paulinus eum morem ab Oriente profectum. Ita enim ille: *Hoc*
*Et Epist. 32.* *in tempore primo Antiphonæ, Hymni, ac Vigiliæ in Ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt.* Ubi verò fatetur Ambrosius scripsisse se hymnos, quos edisceret populus, & pro spiritalibus armis adversùs Arianos haberet, annon apertè indicat, à plebe non solùm Psalmos, sed & hymnos & spiritales cantiunculas cantitari solere? *Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum populum ferunt. Planè nec hoc abnuo. Grande carmen istud est, & quo nihil potentius. Quid enim potentius, quàm confessio Trinitatis. Facti sunt igitur omnes Magistri, qui vix poterant esse discipuli.* Et alio in loco, ut uno ore omnes decantarent, & quaquaversum Psalmis omnia persona-
*Hexam. l. 3. c. 5.* rent: *Bene mari plerumque comparatur Ecclesia, &c. Responsoriis Psalmorum, cantu virorum, mulierum, virginum, parvulorum consonans undarum fragor resultat.* Video Responsoria intelligi posse illas Psalmorum clausulas in quas omnes concinebant simul. At veri nequaquam simile est, commisisse Ambrosium, ut Hymni quos ipse pangebat, canerentur à populo, Psalmi non canerentur.

VI. Illud autem perspicuè hinc liquet, divini formam Officii, in unius gratiam populi, cùm Mediolani, tum Antiochiæ esse institutam. Porro quis credat sanctissimos Episcopos in excitandis ad orationem & psalmodiam continuam Clericis fuisse minùs diligentes? Declarat perspicuè Ambrosius, quàm velit assiduè orationi & horis Canonicis vacare sacras Virgines, atque eos omnes, qui pro
*De Virgin. L. 3.* statu suo singularem sunt pietatem professi. *Certè solemnes orationes cum gratiarum actione sunt deferendæ, cùm è somno surgimus, cùm prodimus, cùm cibum paramus sumere, cùm sumpserimus, & hora incensi, cùm denique cubitum pergimus. Sed etiam in ipso cubili, volo Psalmos cum oratione Dominica frequenti contexas vice, vel cùm evigilaveris, vel antequam corpus sopor irriget.*

VII. Hic ille est quem instillabat Virginibus, & pius & facilis sine intermissione orandi modus; qualem certè proponebat & Clericis; neque enim ad id quod minùs perfectum esset, calcaria illis addebat. Porro Psalmorum illa cum oratione Dominica contextio Officium divinum & horarum Canonicarum pensum maxima ex parte facit. Locem his adferet paulò majorem Hieronymus, postquam ex Augustino paucula correximus adhuc, quæ iis quæ suprà ab eo decerpta sunt, adjiciantur. Magna sanctus Pater pietatis suavitate ac teneritudine in Confessionibus suis edisserit, hinc quantè & quàm cœlesti dulcedine perfunderet suum animum Psalmorum in Ecclesia concentus; inde autem quàm plena periculi sibi videretur ea suavitas, sensum carnis titillans, & plusculum fortassis aurem, quàm mentem demulcens. Hinc quandoque eo adducebatur, ut magis assentiretur Athanasio, qui incredibili sapientia, ac pietati satisfaceret, nec sub pietatis obumbratione viam aperiret sensuum voluptati, tam levi flexu vocis Psalmos cani jusserat, ut propior ferè legenti cantor esset, quàm canenti. Sed diu librata sententia, id tandem secum constituit sanctus Pater, concentûs suavitate illabi in animum gustum quendam & amorem veritatis sanctiorisque vitæ, idque penè necessarium illis esse subsidium, qui carnalibus hactenus affixi deliciis, ad cœlestia & æterna obdurruerunt, nec possent ad ea erigi, nisi iis innitantur in quæ ceciderunt. Sed à præstigiis sensuum cavere sibi quemque vehementer debere, quæ & hîc, & per omnia ferè incautis illudunt. *Magis adducor, non quidem irretractabilem sententiam proferens, cantandi consuetudinem approbare* *Confess. l. 10. c. 33.*
*in Ecclesia, ut per oblectamenta aurium infirmus animus in affectum pietatis assurgat.* Placuit Ecclesiæ, quod Augustino placuerat, ut moderatus & castus Psalmorum cantus retineretur; siqua erant molliuscula, removerentur. Quæ & Athanasii ferè sententia fuit. Ejusmodi enim ferè est tota Gregorianæ, ut vocant, psalmodiæ ratio. Levi flexu vocis totum peragitur, & penè recitat modulatè, qui canit. Eadem fuit Ecclesiarum Africanarum consuetudo, maxima saltem ex parte, quarum psalmodiæ gravitas sobrietasque ludibrio erat Donatistis. *Varia consue-* *Epist. 119. c. 18.*
*tudo est, & pleraque in Africa Ecclesiæ membra pigriora sunt; ita ut Donatistæ nos reprehendant, quòd sobriè psallimus in Ecclesia divina cantica Prophetarum.* Addit ibidem sanctus Pater in Conventibus Ecclesiasticis, Psalmorum cantum cessare non debere, nisi cum aures advertendæ sunt Lectoribus Scripturarum libros alios recitantibus, vel Concionatoribus, vel solemnioribus inter Mysteria Sacerdotum & Diaconorum precationibus. *Quando autem non est tempus, cùm in Ecclesia fratres congregantur, sancta cantandi, nisi cum legitur, aut disputatur, aut Antistites clara voce deprecantur, aut communis oratio voce Diaconi indicitur?*

VIII. Inter Augustini sermones circumfertur & ille, quo populus invitetur, ut frequentior quadragesimæ tempore divinis intersit Officiis: *Ad* *Serm. 55. De Tempor.*
*vigilias maturius surgite, ad Tertiam, ad Sextam, ad Nonam ante omnia convenite. Nullus se à sancto opere subtrahat, nisi quem infirmitas, aut publica utilitas, aut fortè certa & grandis necessitas tenuerit occupatum.* Qui hæc postulat à Laicis, Clericis profectò nunquam concederet, ut in Officiis divinis minùs sint assidui. Refrixerat tamen non minimum primævæ Christianæ populi pietas, nec jam horis omnibus Canonicis quotidie per annum aderat, sed tempore saltem quadragesimali ad id invitabatur.

Observat & alibi Augustinus, à legendis Pauli Epistolis cœptum esse Officium, Missam credideri; deinde cantatum ab omnibus Psalmum nonagesimum quartum, *Venite exultemus:* Lectum postea *De Verbis*
Evangelium: ubi vides ipsam Missæ seriem; porro *Apost.*
daturum se operam, ut tribus hisce rebus sermonem *Serm. 10.*
accommodet suum. Affirmat & alibi singulis annis *Tract. 6. in*
post Pascha in Ecclesia legi Acta Apostolorum; quòd *Ioan.*
& nunc servatur in divinis Officiis. Meminit & ali- *Præfat. in*
bi eorum Librorum sacrorum, quos certos certis *Epist. Ioan.*
diebus legi oporteret.

IX. Apud populum Hipponensem gratuleos publicè est, & vehementer exhilaratus Augustinus, *Append. Sirm. serm. 5.*
quòd tandem amplexus esset *psallendi consuetudinem, quomodo in aliis civitatibus psallebatur.* Docet & ali-

bi sanctus Pater non multum utilitatis in rudiores quosque effluere ex Scripturis aliis, sed cantu Psalmorum tanta eos perfundi rerum divinarum voluptate, ut non possint non subinde eosdem Psalmos & domi decantare & ruri: *Psalmorum verò responsa, & intra domum, interdum etiam in populo publicè cantant.* Cæterùm hoc vocum populi concentu fieri, vel confirmari nescio quo modo, & cordium consensum cum ipsis etiam priùs inimicis: *Quis enim ultra inimicum dicat eum, cum quo unam ad Deum Psalmi emiserit vocem?* Confirmat & illud alibi, puram esse sanctamque plebis ad Deum precem, etsi minùs illa intelligat quid canat; quòd nimirum non nescia sit hæc esse spiritalia Cantica à Spiritu Sancto dictata, & cælestibus Spiritibus æternùm decantanda. *Cantat populus credens, nec putat se malè optare, quod dicitur à divina lectione, & si parum intelligit, credit aliquid boni esse quod cantat.*

*Præfat. in Psalm.*

*Tract. 12. in Joan.*

X. Docuit & Augustinus quæ ad Monachorum Monialiumque psalmodiam, necnon & Clericorum pertinerent. Moniales hortatus est, ut regulas legesque cantûs religiosè observarent; sed illud præ cæteris inculcavit, ut corde magis quàm ore canant. *In Oratorio nemo aliud agat, nisi id ad quod factum est, unde & nomen accepit. Psalmis & Hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in voce: & nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum: quod autem non ita scriptum est, ut cantetur, non cantetur.* Episcopos verò, Clericosque, & omnes omnino perfectionis studiosos Christianos, monet illam demum orationem abrumpi & cessare nunquam debere, quæ in desideria æternorum, in gemitus cordis arcanos, in spei, fidei, & charitatis æstuationes occultas erumpit: & tamen temporibus, horisque certis ad vocales preces recurri, ut novas in nobis exsuscitemus charitatis & mutuæ invicem & summæ in Deum flammas. *In ipsa ergo fide, & spe, & charitate, continuato desiderio semper oramus. Sed ideo per certa intervalla horarum & temporum etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum signis nos ipsos admoneamus & acriùs excitemus, &c. Ideo ab aliis curis atque negotiis, quibus ipsum desiderium quodammodo tepescit, certis horis ad negotium orandi mentem revocamus, ne quod tepescere cœperat, omnino frigescat, & penitus extinguatur, nisi crebriùs inflammetur.* Hæc Augustinus ad Christianam viduam: sed ab illa se lege ipse cum Clericis cæteris adeo non alienum putabat, ut tantò devinctiorem se profiteretur, quantò & Clericalis & Sacerdotalis officii eæ sunt partes, ut pro se & pro populo orent. Apostoli, quorum sunt Clerici successores, rerum aliarum curam deposuere, ut orationi soli & ministerio verbi vacarent. Certa illa horarum intervalla, de quibus Augustinus, perspicuum est horas Canonicas esse.

*Epist. 109.*

*Epist. 121.*

XI. Venio ad Hieronymum, qui perfectum omni ex parte Monachum delineat in Epistola ad Rusticum. Illum itaque his primò præceptis informat, ut Psalterium memoriter ediscat, & totus in sacrorum librorum lectione sit. *Nunquam de manu & oculis tuis recedat liber; discatur Psalterium ad verbum, &c. Dicas Psalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur.* Alluditur his postremis verbis ad eum psalmodiæ morem tunc usitatissimum, ut uno psallente silerent & orarent alii. Demetriadi nobilissimæ virgini, ubi virginitatem professa est, præcepit idem Hieronymus, ut sex horas Canonicas nocturnas diurnasque quotidie recitaret, & memoriæ commendaret sacras Scripturas. Porro Scripturæ mandabantur memoriæ, ut cum Psalterio recitarentur, & ita canonicum pensum ex psalmodia & Scripturarum lectione contexeretur. Ita enim disertis verbis Hieronymus de Hilarione: *Scripturas sanctas memoriter tenens, post orationes & Psalmos, quasi Deo præsente, recitabat.* Refert deinde Hilarionem cùm ruri esset die Dominico, passum non esse cibum antè à quoquam sumi, quàm *officium*, sic enim vocat, esset recitatum. *Oremus, psallamus, reddamus Domino officium, & sic ad cœnam properabitis.* Atque hæc quidem ruri, & extra Ecclesiam. Quippe semper Hieronymus cum de Officio Canonico agit, quod in Ecclesia peragitur, tria distinguit, Orationem, Psalmos & Scripturarum lectionem. Ruri vero non commemorat nisi Orationem & Psalmos, propterea quod necdum ea erant quorumcumque librorum volumina, quæ commode circumferri possent.

Idem rursum Hieronymus ad Lætam scribens de educatione filiæ quam Religioni devoverat, omnes pernumerat ab ea evolvendas Canonici Officii partes, quibus maximè Monasteria quælibet occupabantur. *Assuescat ad orationes & Psalmos nocte consurgere, mane Hymnos canere, Tertia, Sexta, Nona hora stare in acie, quasi bellatricem Christi, accensaque lucerna reddere sacrificium vespertinum. Orationi lectio, lectioni succedat oratio.* Cum vero Monasterium describit idem ipse Hieronymus, & turmas virginum, quarum parens & magistra erat Paula, easdem ipsis inculcat Canonicas horas sex, eandem Scripturæ creberrimam lectionem. *Mane, hora Tertia, Sexta, Nona; Vespere, noctis medio, per ordinem Psalterium cantabant: nec licebat cuiquam sororum ignorare Psalmos, & non de Scripturis sanctis quotidie aliquid discere. Die tantùm Dominico ad Ecclesiam procedebant, ex cujus habitabant latere.* Nullæ adhuc Ecclesiæ in ista Virginum Monasteriis: Dominico die ad communem pergebant cum laicis Ecclesiam. Quod idem de compluribus Monachis æquè constat. Denique fidem facit Hieronymus, Monachos diem Dominicum totum orationi, psalmodiæ, lectionique Scripturarum dicasse, reliquorum quin etiam dierum quidquid labori manuum supererat temporis. *Dominicis diebus orationi tantùm & lectionibus vacant; quod quidem & omni tempore completis opusculis faciunt.*

*In Epitaph. Paulæ.*

*Ad Eustoch. de cust. virg.*

XII. Jam verò si Monachi, si Moniales, si in domibus suis Deo sacræ Virgines, si viduæ pietatis cupidiores, si quæ ab infantia Monasterio præparabantur puellæ; horas Canonicas, diurnas nocturnasque canebant, vel recitabant omnes: unde lex illa aut consuetudo tot sanctorum Patrum confirmata testimoniis oriri potuit, nisi à primæva pietate fidelium omnium? Cùm enim intelligerent præcipi sibi in Scriptura, ut sine intermissione orarent: res sanctissimæ primis illis Ecclesiæ sæculis tantum impendêre temporis, quantum per res suas easque necessarias liceret. Qua ex re illud efficiebatur, 1. ut qui essent à negotiis sæcularibus liberi, nobilissimæ illi & suavissimæ servituti lubentes colla subjicerent, qua jugiter orare continuato saltem beatæ æternitatis desiderio tenebantur, & illud desiderium statis orationum vocalium temporibus identidem renovare. 2. Ut non ex distributionibus aut qualibuscumque Beneficii reditibus lex illa recitandi Officii oriretur, quam impositam accepere nobilissimæ & clarissimæ fœminæ, Demetrias, Eustochium, Lætæ filia junior, dotatæ à Paula Virgines, & innumeri Monachi, qui opere manuum victitabant. 3. Ut appareat eandem prorsus esse & Clericorum orationem.

Cùm enim sit illorum sors, ut participes sint Christi Sacerdotii, atque adeo Mediatores quidam hominum & Dei: ad eos multò magis pertinet orandi, & jugiter orandi obligatio; ergo & horas Canonicas, nulla temporalium proventuum ratione habita, recitandi. Quanquam & illud pro summa sua æquitate & sapientia ad disciplinam suam pertinere judicaverit Ecclesia, cum suppeditare necessaria Clericis, ut liberiores vacarent Dei ministerio: tum eadem subtrahere, cùm Officio defuissent, ut ne otiosis & nomine solo Clericis pauperum patrimonia abligurienda conferrentur. 4. Quod autem ad eos de quibus suprà diximus, sanctissimi Patres de horis Canonicis recitandis frequentiùs sermonem habuere, quàm ad Clericos, illud in causa fuit, quòd ab illis privatim, aut in secretis Oratoriis recitari oporteret, aut cani: quare & edocendi erant, quo ritu id fieret: quippe eo primùm sæculo Monasticæ institutiones ortum habuerant. Officium verò divinum in Ecclesia solenni ritu canebatur, eisque per annos jam quadringentos insueverant Clerici adesse. Quare nec erant de novo ad eas res instruendi, in quibus essent jamdiu exercitatissimi. 5. Quis credat ab illis recitatas esse privatim horas Canonicas, qui lege ea minùs tenerentur; à Clericis verò, quos lex ea strictiùs obligat, siquando aut ægritudine, aut rerum necessitate adesse non poterant, privatim non esse recitatas? 6. Hinc illa Officii divini forma ad eam jam olim pene perfectionem adducta, quam modò habet. Eædem horæ Canonicæ, cum eo solùm discrimine, quòd nec Completorium adhuc institutum esset, nec Laudes à Prima Hora separatæ. Jam erat in usu *Ordinis* & *Officii* nomen. Psalmis interserebatur cum lectione Scripturæ mentalis oratio. Quin & ipsi Libri sacri suis singuli temporibus erant attributi.

XIII. Paulinus Nolanus Episcopus in Epistola ad Victricium Rotomagensem Episcopum, & fideles omnes in Ecclesia, & Monachos in Oratoriis suis privatis divinæ psalmodiæ strenuè incubuisse, in hunc modum testatur: *Vbi quotidiano sapienter psallentium per frequentes Ecclesias, & Monasteria secreta concentu, castissimis ovium tuarum & cordibus delectantibus & vocibus.* Sidonius Apollinaris Arvernensis Episcopus encomium pangens Claudiani, qui germanus erat & in regimine Ecclesiæ Vicarius B. Mamerci Viennensis Episcopi, Cantoris officio quoque functum illum fuisse testatur, ut Psalmos præcineret, Lectiones dispensaret, & suo quasque
L. 4. Ep. 11. aptaret tempori. *Psalmorum hic modulator & Phonascus ante Altaria, fratre gratulante, instructas docuit sonare classes. Hic solemnibus annuis paravit, quæ quo tempore lecta convenirent.* Idem Apollinaris alibi ob oculos exhibet Chorum ex Clericis Monachisque, quasi geminatum & Psalmos concinentem: *Cultu*
L. 5. Ep. 17. *peracto vigiliarum, quas alternante mulcedine Monachi Clericique Psalmicines concelebraverant, quisque in diversa successimus, præsto ad Tertiam futuri, cum Sacerdotibus res divina facienda.* Non recedit à similitudine veri, quod Ecclesiæ Cathedrales cœperint turmas habere Clericorum Cantorumque, qui Psalmos alternatim canerent, id eas imitatione fecisse Monasteriorum. Ideo & Apollinaris idem Fausto ex Abbate priùs Lerinensi, tum Regiensi Episcopo summopere gratulatur, quòd Officium & cantum Lerinensis Monasterii in suam nunc Regiensem traduxisset Ec-
L. 9. Ep 3. clesiam: *Precum peritus insulanarum, quas de palæstra Congregationis Eremitidis, & de Senatu Lirinensium Cellulanorum, in urbem quoque, cujus Ecclesiæ sacra super inspicis, transtulisti, nihil ab Abbate mutatus in Sacerdotem.* His sanè ex Epistolis Sidonii demonstratur, 1. Quam psalmodiam ab Ecclesia initio mendicaverant Monachi, fecisse postea longè perfectiorem; ita ut Episcopi ipsi, maximè qui ante Episcopatum in Monasteriis aliquandiu egerant, id sibi laudi verterent, si Monasticam psallendi formam in Ecclesias transferrent suas. 2. Ac propterea jam tum cœpisse ejusmodi Præsules congregationes instituere Clericorum, qui in hoc toti essent, ut Monachorum instar divinum in Ecclesia Officium diebus singulis sanctissimè decantarent. Jam enim è plebe, præter Festos & Dominicos dies, & rari adesse cœperant, & rarò. 3. Legem ergo seu consuetudinem qua Clerici ac Beneficiarii tenentur, recitandi sive privatim, sive publicè Officii, si esse antiquissimam & ipsi Ecclesiæ coævam nolis, quod tamen longè probabilius est; ab iis saltem Episcopis eo tempore constitutam esse non negabis, & è Monasteriis traductam ad Clerum.

XIV. Refert Victor Vitensis Episcopus in libris de Persecutione Vandalica, juniores Lectores duodecim crudelissima quæque à barbaris ea animi constantia perpessos esse, ut apud Carthaginensea deinceps singulari semper in honore fuerint. De his ita ille: *Vna degunt, simul vescuntur, pariter psal-* L. 3. *lunt, simul in Domino gloriantur.* Declarat illa Confessorum duodecim simul privatim psallentium societas, jam tum cœpisse coire in unam societatem Clericos, hanc illis curam fuisse antiquissimam dulcissimamque, ut Psalmos cantarent. Psallebat es eodem Victore plebs ipsa in Ecclesia. *Jam ob celebri-* L. 2. *tatem festivitatis hymni nocturni per totam Ecclesiam canente populo concrepabant.* Nam etsi tum essent aliqua Cantorum Collegia, rudimenta tantùm ea & tentamenta quædam erant Capitulorum nostratium. Extremis porro his verbis Victor videtur ad illa Hieronymi allusisse: *Tota Ecclesia nocturnis vigiliis* Epist. ad Sabinianum. *Christum Dominum personabat.*

XV. A Patribus ad Concilia pergo. Carthaginense IV. ubi summa diligentia tradit, quæ sit Clericorum omnium, tum superiorum, tum inferiorum ordinatio, quod cujusque Officium, de Psalmistis non tacet. Ad hos enim cum imponit Presbyter *Officium cantandi*, his utitur verbis. *Vide, ut quod ore cantas, corde credas: & quod corde credis, operibus comprobes.* Hæ ergo tum solius Psalmistæ partes, Officium cantare: sive quòd solus ipse caneret, ut fiebat apud aliquos Monachos; sive quòd Psalmos inciperet & præiret cæteris, populique & Cleri cantum moderaretur. Statuit idem Conci- lium, ut *Clericus qui absque corpusculi sui inæqualita-* Can 49. *te vigiliis deest, stipendiis privetur.* Quo ex Canone clarè liquet: 1. Non solùm Psalmistas, sed & Clericos omnes alios divinis Officiis affuisse. 2. Abfuisse quandoque aliquos, sed nocturnis Officiis: non enim diurnis quisquam. 3. Absentibus sine causa legitima pœnam decerni, ut sportulis stipendiisque quibuslibet priventur. 4. Si pœnam hanc autem luerent, qui nocturno: quid qui diurno desunt officio? Majore enim multò sunt in vitio.

XVI. De Presbytero, Diacono, Subdiacono, & quolibet Clerico alio, qui in urbe, vico, vel castello, ubi Ecclesia est, commoratur, ita statuit Concilium Toletanum I. anno 400. *Si ad Ecclesiam, ad sacrificium quotidianum non accesserit, Clericus non habeatur.* Quæ pœna depositionis videtur multò gravior, nisi fortè eo sensu capienda ista sunt, *Cle-* Can 5.

*ricus non habeatur*, quo illud Concilii Carthaginensis IV. *stipendiis privetur*. Illud ipsum est, quod posterioribus sæculis sancitum fuit, ubi Beneficiarii restitutionis pœna obligantur. Ubi enim semel hoc definivit Ecclesia, indignos illos & ineptos esse, qui Beneficii fructus percipiant, si qui Officio desunt, eos apertè constat à jure percipiendorum fructuum alienos esse, nec eos retinere posse, etiam non repetente Ecclesia.

Psallebant domi virgines & viduæ cum Clerico. *Can. 9.* Vetat id fieri in posterum idem Concilium, ni adsit Presbyter, vel Episcopus. Cur autem *Confessor* diceretur ille Clericus, non est hujus loci aperire. Quod autem attinet ad Vespertinum Officium, quod *Lucernarium* appellitabant, quòd desinente die, & accensis lampadibus decantaretur, jubet hoc idem Concilium, ne id celebretur, nisi in majore Civitatis Ecclesia: si in Oppidis autem id fiat, non fiat saltem, nisi Episcopo, vel Presbytero, vel Diacono præsente. *Nulla professa, vel vidua absente Episcopo, vel Presbytero in domo sua Antiphonas cum Confessore, vel servo faciat; Lucernarium verò nisi in Ecclesia non legatur, aut si legatur in villa, præsente Episcopo, vel Presbytero, vel Diacono legatur.* Non privata & domestica horarum Canonicarum recitatio hîc interdicitur: sed ea quæ solemni pompa, & alternis choris peragebatur. Eæ enim demum dicebantur Antiphonæ, alternis choris celebratæ psalmodiæ. Edicit Concilium, ut superiorum Clericorum unus semper præsit. Qui & hodiernus etiamnunc est usus. Porro si Deo sacræ virgines in exsolvendo Officio Canonico tam frequentes, tam assiduæ fuere: ita tamen ut vespertinum Officium quod solennius semper habitum est, sine præsente Clerico majore aliquo domi celebrare non permitterentur: si tam assiduæ, inquam, fuere Virgines, quid est de Clericorum in eodem Officio assiduitate existimandum?

*Ferrand. c. 219. 220. 228. 229.* XVII. Ferrandus Diaconus in Breviario Canonum Africana citat Concilia, quæ statuêre, ut oratio solemnior ad Patrem Deum dirigeretur. Qui mos hactenus in venerabili Missæ sacrificio, & in plerisque aliis Ecclesiæ precibus observatur. Statutum præterea est, *Con. Carth. 3. c. 47.* *ut una sit in Sacramentis per omnem Byzacium disciplina.* Idem de Provinciis aliis senseris. Item in iisdem Africanis Conciliis decretum est, ut ne legerentur in Ecclesia, nisi Scripturæ Canonicæ; & ut possent tamen legi Acta Martyrum in eorum Festis. *Cresconius c. 167. 168. 169. 170. 193.* Laudat etiam Cresconius Canones Ecclesiæ Græcæ, & Concilia superiùs prolata. Unde inferri posset suos à Græcis Cantores accepisse Ecclesiam Africanam; quanquam non potuerit nisi post Cypriani mortem accepisse, cùm Cantorum nusquam hic meminerit, apud quem tam frequens & tam clara Clericorum aliorum omnium memoria.

*Can. 15.* XVIII. Concilium Veneticum in provincia Armorica Galliæ unam Officii formam in provincia Turonensi statuere conabatur, anno 465. *Unam Officiorum regulam teneamus.* Ex quibus rursum apparet, ei rei jam factum esse proprium nomen Officii. *Intra Provinciam nostram sacrorum ordo, & psallendi una sit consuetudo.* Erat autem id eo tempore pernecessarium. Qui enim per alienas Diœceses iter faciebant Clerici, prolatis Canonicis seu formatis Litteris, ad Clerum, ad Chorum, ad Altare, pro suo singuli ordine admittebantur. Intererat ergo magnopere, ut intra eandem Provinciam, in qua frequentiùs Clerici cujuslibet Diœcesis discursabant, officia eadem, vel sui simillima ubique essent.

Septem dierum suspensione plectit eadem Synodus Clericum, qui cùm in urbe esset, nec ægrotaret, abfuisset *matutinis Hymnis*. Ratio depromitur, quòd Ministris Altaris piaculare sit, citra necessitatem tam pio se subduxisse officio. *Quia Ministrum sacrorum, eo tempore quo non potest ab officio suo ulla honesta necessitas occupare, fas non est à salubri devotione cessare.* *Can. 14.* *Matutini Hymni* dicuntur hic forsan, quæ Carthaginensi Concilio *Vigiliæ*, seu nocturnum Officium. Nam quæ olim Vigiliæ & erant & dicebantur, idcirco Matutinæ dici cœpere, quòd paulatim à media nocte ad matutinum tempus prorepserint. Pœna verò illa suspensionis, *septem diebus à communione habeatur extraneus*, fructuum etiam privationem fortasse complectebatur. Omitto Epistolam Lupi Trecensis & Euphronii Æduensis Episcopi ad Thalassium Episcopum Andegavensem, qua ratione celebrari oporteat Vigilias Nativitatis & Resurrectionis Domini.

XIX. Id frequentissimè urgebant Concilia, ut ne nocturnis Officiis abessent Clerici. Hinc ad ea Episcoporum assiduitas major. Testatur Ennodius sanctum Epiphanium Ticinensem Episcopum divinis Officiis solitum semper adesse, prævenire Lectores, etiam in Vigiliis, stantem semper in eodem loco, nec exire antequam omnia essent peracta. Hungariæ Apostolus Severinus cùm Apostolatûs sui occupationibus premeretur, *à discipulorum suorum cellula non longiùs habitabat, cum quibus matutinas orationes & propriam noctis principio psalmodiam solemniter adimplebat. Reliqua verò orationum tempora in parvo complebat Oratorio, quo manebat.* *Surius die 8. Januarii c. 39.*

---

## CAPUT LXXIV. *P. 1. l. 1. c. 37.*

Quàm assidui fuerint nocturnis ac diurnis Officiis in Ecclesia frequentandis aut iisdem domi recitandis Laïci. Ut hinc de Clericis conjicias, per sæcula priora quinque.

*I. Nulla lex generalior, nulla strictior, quàm orationis.*
*II. Hoc primum est omnium, & Clericalis Ordinis proprium Officium.*
*III. IV. Id inde probatur, quod legem orandi, & semper orandi laicis imposuerint sancti Patres, Tertullianus, Hieronymus, Cassianus, Augustinus, Ambrosius. Hoc volunt Patres, ut laici orent sæpius, nocte etiam, Psalmos recitent, publicis adsint Officiis.*
*V. Laicos hortatur Chrysostomus, ad Scripturæ & novi præsertim Testamenti lectionem.*
*VI. Ad diurnum etiam & nocturnum Psalmorum cantum. Item Basilius, Epiphanius.*
*VII. Exemplum Theodosii junioris, & totius ejus Curiæ exemplum.*
*VIII. Item Macrina.*

I. Cum in Officiis Christianorum omnium illud sit maximum, cùm maximum sit & præceptum, Deum orare, Deum adorare, Deum amare: quis credat, nulla Christi, nulla Apostolorum, nulla Ecclesiæ lege orationem Clericis præceptam esse? An non Apostolis Christus, annon Discipulis fidelibusque omnibus orandi, & sine intermissione orandi præceptum dedit? An non ipse orandi exemplum præbuit? Hortatus est fideles Paulus, ut semper orent. In ipso carcere, teste Luca, nocte media psallebat Paulus. Rerum temporalium deposuere curam Apostoli, ut orationi, & ministerio verbi vacarent. Quid Stephanus, ex iis Diaconis unus, qui Apostolos temporalium rerum

sarcina levaverunt, annon in oratione exercitatissimus erat; qui ad eum, ut in Actis habetur Apostolicis, orationis gradum eluctatus est, ut Christus ei se in cœlestis gloriæ solio visendum exhiberet? Israëlitarum in Templo & aliis locis oratio ex Psalmis Davidicis tota constabat; quem sanctissimum morem sine dubio tenuit, quæ in Judæa primùm coaluit Ecclesia. Primis ergo sæculis nullo Canone præceptum esse Clericis Officium, probabile cum primis est. Scilicet vigebat adhuc in fidelibus primæva pietas, orationis amor non mediocris, & orandi necessitas, immo voluptas omnibus longè maxima. Tunc solùm ad authoritatem, ad leges, ad Canones ventum est, cùm primus ille remisit fervor. Nemo enim nescit, postquam exorta sunt mala, tunc demum ferri leges, quæ iis medeantur, & quas omnes Justus in corde semper ita gerit, ut minimè necesse sit eas foris personare.

II. Perridiculè autem feceris, si dicas sua Clericis fuisse pro suo cujusque Ordine munia propria, quæ illis Canonicæ regulæ commendent? de Psalmis verò aut recitandis, aut concinendis nullam fieri mentionem. Tantum enim abest, ut curis aliis etiam sanctissimis gravissimisque cedere debeat oratio: ut alias omnes Apostoli à se abjecerint sollicitudines & occupationes, ut uni incumberent seque totos dederent orationi & prædicationi: &
Act. c. 6. v. 4. orationi antè, quàm prædicationi. *Orationi & ministerio verbi instantes erimus.* Ab hoc exemplo summa illi documento accessit authoritas, in quod Patres, & quique pietate conspicui viri semper consensere, principem locum deberi Orationi inter Apostolicas & Sacerdotales quasque functiones; hanc cæteris anteponi omnibus, hanc præire debere, hanc illis præsidem comitemque semper adhibendam, ut eas regat, illustretque, & novo cœlestique semper vigore vegetet. Quanquam enim ingruant quandoque rerum discrimina & necessitates, quæ cogant orationem, aut contrahere, aut differre: nihil id tamen vetat, quin indubitatissimum semper & inconcussum illud sit, quo regi debeant Clericorum omnium mores, Orationem jugem aut certè frequentissimam principatum tenere semper & dignitatis & necessitatis inter eorum sanctissimas seu occupationes, seu delicias.

III. Quod autem primis Ecclesiæ temporibus flagraret vehementissimus Orationis amor in omnium animis: & eam ob rem nulli sint in Conciliis editi Canones, qui Clericis orationem disertè præcipiant: facilè demonstrabitur, si sanctissimos Patres audias, ubi de laïcorum vita & moribus testimonium dicent. Ita primùm Lucas in Actis:
Act. 2. 42. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & Orationibus.* Docet Tertullianus viros, & ipsas etiam uxores ad oran-
Ad uxor. l. 2. dum surgere solitas. *Cùm per noctem exurgis oratum.* Et infrà: *Unde sufficiam ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii; quod Ecclesia conciliat, &c. simul orant, &c. Sonant inter duos Psalmi & Hymni, & mutuo provocant, quis meliùs Deo suo canet. Talia Christus videns & audiens gaudet. Ubi duo, ibi & ipse.* Hæc si Laïci, quid de Laïcorum magistris censeas? Si conjugati laïci, si uxores Hymnos Psalmosque noctu interdiuque concinebant, si sua quibusque domus Ecclesia erat: quid Clerici hujus magistri authoresque vitæ? An exemplo diruebant, quæ verbo ædificarant? Si ita degebant conjugati Clerici, quid innupti? quid Diaconi, Presbyteri, Episcopique, qui cum conjugio terrena omnia quodammodo abdicarant? Ex eodem alibi Tertulliano, ab oratione fideles sumendi cibi initium faciunt & finem: inter vescendum, aut de Scripturis sermo illis est, aut Hymni Deo canuntur; denique *ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse.*

Scribit Hieronymus ad Virginem Eustochium: Ad Eustoch. De Custod. Virgin.
*Noctibus bis terque surgendum, & revolvenda, quæ de Scripturis memoriter retinemus.* Ad Marcellam verò scribens, invitansque illam ut Bethlehem commigret, rusticos ipsos affirmat ibi non loqui, non meditari, non canere nisi Psalmos, quocumque loco, quocumque tempore: *In Christi verò villula tota rusticitas, & extra Psalmos silentium est.* Ad Marcell. ut commigret Bethlehem.
*Quocumque te verteris, arator stivam tenens alleluya decantat. Sudans Messor Psalmis se avocat, & curva attondens falce vitem vinitor, aliquid Davidicum canit. Hæc sunt in hac Provincia carmina, hæ, ut vulgò dicitur, amatoriæ cantiones.* Si vinitores, si aratores psalmodiæ ita periti, ita studiosi fuere, ut inde labores solarentur suos: jam puto tibi non ægrè patieris persuaderi, Clericos, & qui è Clericis minoribus exercerent artem aliquam, in eodem orationis studio, eadem fuisse assiduitate. Idem alibi sanctissimus Pater, *Quis ignorat psallendum esse fœminis in cubiculis suis, & absque virorum frequentia & congregatione turbarum?* L. 1 adv. Pelag.

A Cassiano jam antè accepimus. Monachos Ægyptios in Ecclesiam non convenisse ad diurnas horas decantandas, sed inter laborandum per diem totum Psalmos cecinisse. Refert idem alibi rusticum fuisse incredibili sanctitate, qui quotidie, & cùm exiret ad opus, & cum rediret ab opere, Ecclesiam ad orandum semper adiret, ut operi suo bene esset à Deo. L. 3. c. 2. Collat. 14. c. 7.

Observat Augustinus eam fuisse in laïcis Scripturarum peritiam, ut se aliquando inter concionandum Scripturas allegantem, leni murmure prævenirent, eadem & ipsi insusurrantes. *Jam respondetis, & audio murmur bene tenentium Scripturas. Deus qui hoc scripsit in cordibus vestris, confirmet & in factis vestris.* In Psal. 85.

Psalmum idem scripsit, ex eorum genere, quos Abecedarios vocant, nimirum ordine Alphabetico, versibus singulis per singulas litteras exordientibus: nimirum ut adversùs Donatistas, quorum versabantur in medio, hoc veluti præsidio munirentur. Id factitarunt & Græci Patres adversùs Arianos, ut jam diximus. Ipsa quippe experientia & Latinos & Græcos docuerat Patres, nulla aptiùs ratione & doceri plebem, & animari ad quidvis ac roborari, quàm Psalmorum & carminum concentu. Narrat denique Augustinus matrem suam pientissimam fœminam quotidie Ecclesiam *mane & vespere* solitam adire, ut divina audiret eloquia, ut orando Deum ipsa alloqueretur: *ut te audiret in sermonibus tuis, & tu illam in orationibus suis.* Confess. L. 5. c. 9.

IV. Ita statuit Ambrosius à natura ipsum sua degenerare hominem, si diem vel ordiatur, vel claudat, non decantatis Psalmis; cùm eo tempore aviculæ ipsæ suo concentu Creatori omnium suoque laudem dicant, suo nos informent exemplo. *Quis enim sensum hominis gerens non erubescat, sine Psalmorum celebritate diem claudere: cùm etiam minutissimæ aves solemni devotione & dulci carmine ortus dierum ac noctium prosequantur?* Hexam. l. 5. c. 12. Alio loco fideles omnes exemplo Davidis instimulat, ut & ipsi cum eo aliquam noctis partem seponant orationi & studio Scripturarum: *Surgebat noctis medio David, ut De-* In Psal. 118 Octon. 7.

*mino confiteretur, in totam noctem sopori existimas deputandam? Tunc magis tibi orandus est Dominus, &c. Non dormiamus ergo totis noctibus, sed maximam partem earum lectioni & orationibus deputemus.* Molestissimè fert uxorem duci alterius sectæ, quacum non possint noctu surgere ad preces. *Simul ad orationem*

De Abraham. l. 1. c. ult.

*nocte nobis surgendum est, & conjunctis precibus obsecrandus Deus.* Docet alibi non dies tantùm, sed & noctes orandum esse, hasque ita dispensandas, ut & orationi locus sit & quieti; maximè autem media nocte orandum esse, denique suo nos Christum exemplo ad has pias pernoctationes excitasse. *Non*

In Psal. 118. Octon. 8.

*satis est dies ad deprecandum. surgendum est & nocte, & media nocte. Ipse Dominus pernoctavit in oratione, ut te proprio ad deprecandum invitaret exemplo.* Si hos stimulos Ambrosius, si has regulas morum subjiciebat fidelibus laïcis: quid ipse sibi, quid Clericis suis? Nec minùs urgens, minúsque clara sunt quæ habet

Ibid. Octon. 19.

alibi: *Qui rogat itaque, semper roget, & si non precatur, paratum semper habeat precantis affectum. Pernoctabat in oratione Jesus, statuens tibi imitationis exemplum, &c. Et tu surge vel media nocte, si non potes tota semper nocte vigilare, ut dum oras nocte, veri Solis pectori tuo splendor irradiet. Quia omnis anima quæ Christum cogitat, in lumine semper est.* Et infrà: *Præveni orientem Solem, &c. An nescis homo quod primitias tui cordis ac vocis quotidie Deo debeas?* Alibi autem fideles hortatur ad precem matutinam, ad gratias referendas ei qui somnum capientes exomni providentia sua tuetur: & suo quasi excipit sinu fovetque, ut dulci perfundat quiete, mortalitatisque

Serm. in Malac.

ærumnas tantisper interim consopiat: *Ut ego securus dormiam, ille pervigilat; Ipse enim nos Deus ituros cubitum quodam gremio quietis suscipit, & thesauro pacis reconditos servat.* Juber postes diem ipsum Psalterii recitatione concludi, quasi Epinicio quodam, devictis adversariis nostræ salutis: *Sed & cùm vespera diem claudis, ipsi debemus per Psalterium laudem dicere, & gloriam ejus modulata suavitate concinere: qua operum nostrorum consummato certamine, veluti victores requiem mereamur, & laboris quadam palma sit soporis oblivio.* Denique ulterius etiam aliquid molitur Ambrosii pia sollicitudo, instatque ut dies noctesque orationi dedicent fideles, earum imitatione religiosa aviculorum, quæ noctes ipsas exsomnes ducunt in magnificentissimi Creatoris laudibus cantillandis. *Imitare minutissimas aves, mane & vespere Creatori gratias referendo. Et si es devotior, imitare lusciniam, cui quoniam ad dicendas laudes dies sola non sufficit, nocturna spatia pervigili cantilena decurrit. Et tu igitur laudibus tuis diem vincens, operi tuo adde nocturna curricula, & insomnem suscepti laboris industriam Psalterii serie consolare.*

Qua fronte hæc ille tanta vi, tanta instantia ad laïcos, si tale nihil Clerici, nihil Diaconi, Presbyterique, vel Episcopi facerent? Denique in sua ad Psalmos Præfatione ita demonstrat Ambrosius in Psalmis decantandis omnes ubique delectari solitos, domi forisque, diu noctuque. *Psalmus nocturni pavoris solatium, diurni laboris requies, institutio incipientium, perfectorum confirmatio, &c. Domi Psalmus canitur, foris recensetur.*

V. Eodem agebantur spiritu Ecclesiæ Græcæ Patres, ut laïcis ad lectitandas Scripturas & ad recitandos Psalmos calcaria subjicerent. Chrysostomus præ cæteris hæc Pauli verba exponens, *Commonentes vos ipsos in Psalmis, Hymnis & Canticis spiritualibus:* inde argumentatur laïcos omnes summo quodam amore & indefesso studio Scripturarum conflagrare debere: *Audite quicumque estis mundani, & uxori præestis & liberis, quomodo vobis quoque maximè mandet legere Scripturas: & non leviter, nec temerè, sed magno studio ac diligentia.* Debent saltem laïci ad manum & familiares habere Novi Testamenti libros, ut hæc sibi cælestia sint medicamenta, spiritalibus morbis omnibus abstergendis comparata: aut veluti spiritalia quædam jacula, quibus inimicas potestates propulsent, saluti suæ insidiantes; denique non aliunde gravior morum pernicies, quàm incuria sacrorum Codicum perlegendorum. *Si nullos alios vultis, novum quidem certè Testamentum vobis parate. Apostolorum Actus, Evangelia, Magistros perpetuos. Si dolor acciderit, tanquam in medicamentorum apothecam aspice, illinc mali accipe consolationem. Hoc est omnium malorum causa, nescire Scripturas. Absque armis imus ad bellum, & quomodo oportet esse salvos?* Advertit alibi idem Chrysostomus, bis terve hebdomada qualibet recitatas fuisse populo in Ecclesia Scripturas sacras. Innumeris locis aliis idem præstantissimus Doctor nervos omnes eloquentiæ suæ verè aureæ contendit, ut laïcos, adeoque & ipsos illiberalium artium magistros ad lectionem Scripturarum impelleret.

In Epist. ad Colossen. 9.

In Epist. ad Roman...

VI. Quoniam sacræ Scripturæ sacra lectio pars tantùm est Officii divini, quod in oratione maximè & psalmodia consistit: videndum ex Chrysostomo qua ratione laïci ei rei vacare debeant. Ne nocte quidem ab ea illos cessare permittit: *Non ideo facta est nox, ut per totam dormiamus, & otiosi simus. Testantur hoc & opifices, nautæ, negotiatores. Ecclesia Dei mediis surgit noctibus. Surge & tu, & vide astrorum choream, obstupesce admirabilem Dei dispensationem. Ad viros & ad mulieres mihi sermo est; flecte genua, ingemisce, ora, &c. Sit Ecclesia domus ex viris mulieribusque constituta, &c. Si tibi filii sunt, excita & filios, & fiat modis omnibus domus noctu Ecclesia. Si autem teneri sunt & vigiliam ferre nequeunt, unam & alteram orationem faciant, & iterum finito quiescere.* Ita sanctissimus Doctor rectè fieri à fidelibus domi præcipit, quæ jugiter & solemniter in Ecclesia per noctes fiunt. Non maritos, non uxores, non tenellos puerulos ab hoc noctu precandi relaxat officio. Alibi autem jubet, ut & omnibus diei horis orent: *Imo verò singulis horis precatio est ad Deum adhibenda: & in ea diei cursus conficiendus. Hiberno verò tempore plurimam noctis partem in precibus traducamus, & magno cum timore genua flectentes, precationi operam demus.*

In Acta. Hom. 26.

Chrys. To. 1. hom. 67 Tom. 1. De Anna hom. 4. Tom. 3. in Psal. 41. Basil. To. 1. homil. in mart. Iulittam. Epipha. de Exposit. fid. Cath.

VII. Theodosius Junior, referente Socrate, quasi non Imperatorium Palatium, sed Monasterium incoleret, ita ab ipso usque diluculo Psalmos alternis decantabat cum sororibus suis, memoriter ediscebat sacras Litteras, de iis cum Episcopis disceptabat, major imperio, eruditione non dispar; denique opulentissimam instruxit Bibliothecam, in eamque Libros sacros eorumque Interpretes congessit omnes, diligentia certans cum Ptolomæo Philadelpho Ægypti quondam Rege, at religione & pietate longè superior. Porro divinis Officiis famulari videbatur hæc Bibliotheca, cùm & illa constent Psalmis, Libris sacris, eorumque interpretibus germanis, sanctis Ecclesiæ Patribus. *Ejus Regia non dissimilis fuit Monasterio. Nam primo diluculo ipsemet cum sororibus suis Hymnos alternatim decantavit. Quin etiam sacras litteras memoriter pronuntiavit. Cum Episcopis perinde ac si Sacerdos jam olim fuisset designatus, de eisdem disseruit. Libros tum qui sacra Dei eloquia complectebantur, tum qui ab eorundem Interpretibus conscripti erant, multò diligentiùs quàm olim Pto-*

L. 7. c. 22

*lomaus Philadelphus in unum colligendos curavit.*

VIII. Vitam litteris mandans Gregorius Nyssenus sororis suæ Macrinæ, docet eam à teneris unguiculis addidicisse Sapientiam Salomonis & Psalterium; Psalmos recitasse statis horis, immo omnibus horis; sive surgeret è somno, sive ad somnum pergeret, ante cibum & post cibum, legere sive inciperet, sive desineret. *Erat Psalmorum haudquaquam ignara, præfinitamque eorum partem statutis temporibus percurrebat, &c.* Macrina Petrum fratrem suum iisdem præceptis studiisque imbuens, quibus imbuta & ipsa fuerat, Episcopum futurum pio psalmodiæ amore accendere festinavit.

---

## CAPUT. LXXV. *P. 2. l. 1. c. 15.*

### Canonici in Gallia Officii origo, quod teneantur Clerici saltem privatim recitare, sæculo VI. VII. & VIII.

*I. Ex Concilio Agathensi, Aurelianensi, Epaonensi tenentur Clerici singuli Officio interesse.*

*II. III. Cur eum quem Metropolitana teneret Officiorum ordinem, cæteræ ejus Provinciæ Ecclesiæ servare tenerentur. Diversæ Officii partes eadem, quæ hodierna.*

*IV. V. Statuit sapientissimè Concilium Turonense II. quis debeat esse pro diversa anni tempestate in horis Matutinis, Vespertinis & Sexta numerus Psalmorum.*

*VI. Multa ex eo Concilio argumenta ducuntur, quibus probatur recitandi privatim Officii obligatio.*

*VII. VIII. Idem iterum ex Conciliis aliis ostenditur.*

*IX. Item ex Gregorio Turonensi, qui & noctu, & in itinere horas Canonicas recitaret. Prohibetur ne quisquam privata in domo Vigilias agat; aut post mediam noctem quidquam manducet.*

*X. XI. Varia observantur super Officio divino.*

*XII. XIII. Nova è Gregorio Turonensi argumenta de recitandi Officii obligatione, quod privatim, etiam noctu, horis propriis recitaretur.*

*XIV. Ejusdem res nova & exempla & argumenta; cum multis aliis observationibus de horis Canonicis.*

*XV. Quantum fuerit in recitando Officio studium, quanta diligentia beati Germani Episcopi Parisiensis.*

I. HOc instituit, aut institutum invenit Concilium Agathense, ut in Ecclesiis omnibus æquabilis servetur ordo Officii, & Psalmi alternis, seu Choro duplici decantentur, adsintque Clerici omnes; denique psalmodiam omnem concludat Collecta, seu oratio. *Quia convenit ordinem* (Can. 30.) *Ecclesiæ æqualiter ab omnibus custodiri, studendum est, ut sicut ubique fit, & post Antiphonas collectiones per ordinem ab Episcopis vel Presbyteris dicantur.* Illud quoque jubet hæc Synodus, ut præter Psalmos Hymni adjiciantur ad matutinas Laudes & ad Vesperas, singulis hebdomadæ diebus proprii accommodatique. *Et Hymni matutini vel vespertini omnino decantentur.* Post Hymnos Capitella Versusque addantur, & Responsoria, ex Psalmis ipsis decerpta. *Et in conclusione matutinarum vel vespertinarum Missarum post Hymnos capitella de Psalmis dicantur.* Denique ut expleto vespertino Officio populus ab Episcopo benedicatur, Episcopi enim propria tum adhuc erat solemnis ea benedictio in Ecclesia. *Et plebs collecta oratione ad vesperam ab Episcopo cum benedictione dimittatur.*

Hanc eandem benedicendi solemniter populi prærogativam propriam & intactam Episcopo servat Concilium Aurelianense I. (Can. 26.) *Cum ad celebrandas Missas convenitur, &c. Ubi Episcopus fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis.* At in eodem hoc ipso Concilio collaudatâ Rogationum celebratione, facultas datur Episcopis præcipiendi Clericis ut iis intersint, & contumaces coërcendi: quod ad omnia Ecclesiastica exporrigi debere officia, non abhorret à veri similitudine. *Clerici verò qui ad hoc opus* (Can. 28.) *sanctum adesse contempserint, secundum arbitrium Episcopi Ecclesiæ suscipiant disciplinam.* Verùm hanc Clericorum legem, ut divinis adsint jugiter Officiis, multò præclariùs commonstravit Concilium Epaonense: *Sanctorum Reliquiæ in Oratoriis villaribus non* (Can. 25.) *ponantur, nisi forsitan Clericos cujuscumque Parochiæ vicinos esse contingat, qui sacris cineribus psallendi frequentia famulentur.* Cùm ergo dedicari nec Ecclesiæ possent, nec Altaria, nisi insertis sanctorum Martyrum Reliquiis; nec Ecclesia poterat ulla esse vel ara, cui non sui essent Clerici, sua Officia, quæ à Clericis his necessariò celebrarentur: *psallendi frequentia.*

II. Sancitur in eodem Concilio, ut omnes unius provinciæ Ecclesiæ, unum amplectantur ordinem Officiorum, illum scilicet, qui in Metropolitana viget. *Ad celebranda divina Officia ordinem, quem* (Can. 27.) *Metropolitani tenent, Provinciales observare debebunt.* Cùm enim Officia juxta Canones Africanos in Provinciali Synodo expendi, quæ tum semel & iterum quotannis habebatur, ac de his conveniri oportere: cumque Episcopi Metropolitanum frequenter adire, cum eo consultare, atque eo tempore adesse Officiis tenerentur: his de causis penè necesse erat, ut unus esset & æquabilis in Provincia una ordo Officiorum.

Docet tamen Concilium Vasionense II. singulis (Can. 3. 4. 5.) Provinciis id laudabile, id optatissimum visum esse, ut quod in alieno Provinciæ alterius Officio esset optimum, illud acciperent & adjicerent suo. Statuit enim, ut exemplo Romæ, Italiæ & Orientis, piè & suaviter inter canendum repetatur *Kyrie eleison, ad Matutinum, ad Missas, & ad Vesperas.* Ut dicatur *Sanctus* ad Missas matutinas, vespertinasque, seu Quadragesimæ, sive Mortuorum. *In omnibus Missis; seu in Matutinis, seu in Quadragesimalibus, sive in illis quæ pro Defunctorum commemoratione fiunt.* Utque in Missa Papæ nomen recitetur: & post *Gloria Patri* addatur *Sicut erat*, &c. Uti solebat fieri Romæ, in Italia, Africa, & Oriente.

Ubi vides etsi non eadem omnino, quæ Romani, haberent cæteri Officia, ad illa tamen propiùs in dies accedere conatos esse. Quæ enim penè cogebant in una Provincia, eædem protsus rationes invitabant, ut & in Occidente toto unus esset, quantùm fieri posset, Officiorum ritus ordoque.

III. In eo Concilio incipit à Missa Officium distingui, & sacrificio nomen id propriè attribui, quod erat Ecclesiastico cuilibet Officio commune. Eadem est & in Concilio Aurelianensi III. distinctio, ubi statuitur, ut in Festo solemniore Missa (Can. 14.) hora tertia celebretur, ut commodiùs deinde posset Episcopus Vesperis interesse.

IV. Concilii verò Turonensis II. anno 567. de numero Psalmorum singulis quibusque Canonicis horis adsignando, longè utilior Constitutio est. Edicitur enim, ut in Ecclesia sancti Martini, & in cæteris omnibus, *Tam in ipsa sancta Basilica, quàm in Ecclesiis nostris*, diebus festis omnibus ad Matutinum Officium Psalmi duodecim cum sex Antiphonis canerentur: *Sex Antiphonæ binis Psalmis*: id toto Augusti mense observandum, quòd nullus non dies eo mense festivus sit: *Toto Augusto Manicationes fiant, quia festivitates sunt, & Missæ Sanctorum.* (Can. 18.) Mensibus sequentibus prolixiora noctis fore Officia, prout noctes ipsæ magis magisque produce-

rentur. Itaque Septembri mense septem Antiphonas concinendas, binis singulas Psalmis: *Septem Antiphonæ explicentur binis Psalmis.* Octobri octo Antiphonas, ternis singulas Psalmis: *Octobri octo tribus Psalmis.* Novembri novem, Decembri decem Antiphonas, ternis & ipsas singulas Psalmis: *Novembri novem ternis Psalmis, Decembri decem ternis Psalmis.* Totidem Januario & Februario mense, adeoque ad Pascha usque. Itaque per totam Quadragesimam, immo & per totam hyemem Matutina seu Nocturna Officia triginta constabant Psalmis, Antiphonis decem. Licebat ei numero, vel addere aliquid, vel auferre, modò prudenter id quisque & piè faceret; non ex desidia quadam, aut levitate. *Sed ut possibilitas habet, qui facit amplius pro se, & qui minus, ut potuerit.* Illud verò eadem Synodus ferre non potest, ut in mensibus cæteris Matutinum Officium Psalmos pauciores habeat, quàm duodecim. Eum enim numerum, ut suprà diximus, ab Angelo Solitarios addidicisse. Præterea Vesperas Psalmis constare duodecim: quod Officium duodecima, atque adeo postrema diei hora fit: unde & *Duodecima* dicebatur. *Superest ut vel duodecim Psalmi expediantur ad Matutinum, quia Patrum statuta preceperunt, ut ad Sextam sex Psalmi dicantur cum Alleluya, & ad duodecimam duodecim, itemque cum Alleluya, quod etiam Angelo ostendente didicerunt. Si ad duodecimam duodecim Psalmi, cur ad Matutinum non itemque vel duodecim explicentur?*

V. Observa in eo Canone pauca hæc, quæ in rem sint. 1. Matutinum jam tum suoptum esse, uti & hodie usitatum est, pro Officio Nocturno, quod nondum illucescente die celebrabatur. 2. Aliud fuisse Psalmos, aliud Antiphonas; quibus interjectis, quasi cantiunculis quibusdam in binos, vel ternos Psalmi distinguebantur, ut etiamnunc in Officio Dominicæ diei nocturno observamus. Longè alia autem priùs erat ejus vocis significatio, cum Antiphonas canere dicebantur, qui vel unum, vel plures Psalmos alternante choro concinebant. 3. Mansisse eam etiamnunc in toto feriali Officio consuetudinem, ut Matutinæ feriales Psalmorum sint duodecim, qui sex Antiphonis bini interpungantur. 4. Quod autem de Laudibus, de Prima, Tertia, Nonaque nihil habet Concilium, id propterea factum esse, quòd aut in Ecclesia Turonensi, quod difficillimè crediderim, institutæ nondum essent horæ hujusmodi: aut quòd publicè non recitarentur. Nam minores diurnasque horas privatim recitabant nonnulla Monasteria. Aut certè Concilium eorum tantùm Officiorum meminerit, in quibus immutari aliquid volebat. Unde data tantùm occasione de Sexta Vespertinaque loquitur, ut inde ostendat, quid sit decernendum de Matutinis.

V I. Sed illud hìc præ cæteris jure mirandum est, quo studio & qua sedulitate affectent Episcopi in his Monasteriorum ritus imitari. Quamobrem cùm nullus sit dubitandi locus, quin privatim Monachi recitarent Officium, quod in choro urgente necessitate quapiam persolvere non potuissent, idem & de Clericis colligas oportet. Mentem suam satis apertè declarat Concilium, cùm præcipit eum, qui minus quid quàm Psalmos duodecim ad Matutinum recitaverit, ut eo die solo pane & aqua vescatur. *Quicumque minùs quàm duodecim Psalmos ad Matutinum dixerit, jejunet usque ad vesperam, panem cum aqua manducet, & non sit illi altera in illa die ulla refectio.* Singula hìc verba id significant, de uno privatoque aliquo sermonem esse. Neque enim usuvenire potest, ut Chorus integer Psalmorum aliquando numerum decurtet, communique & simili pœna plectatur. Idem & ex verbis sequentibus perspicuè demonstratur. *Et qui hoc facere contempserit, una hebdomada panem cum aqua manducet.* Simile quoque veri est privatorum tantùm vel fervori, vel supinitati hæc aptanda fuisse verba: *ut possibilitas habet, qui facit amplius, pro se, & qui minus, ut potuerit.* Quippe vix potest id aliter liberum permitti, quàm singulis, idque clam & secretò. Quis verò credat tam gravi subjici pœnæ eos, qui decerpserint aliquid de numero Psalmorum, & impunè esse iis, qui nec adessent Officio publico, nec privatim ipsi ulla parte ejus Officii & orationis fungerentur? Erat fateor magna frequentia, ingens numerus Clericorum, qui adessent Officiis publicis: ut vel his declarari potest Concilii ejusdem verbis, quæ totam illam Ecclesiæ partem, quæ à Cancellis ad altare protenditur, choris psallentium Clericorum vendicant: *Pars illa quæ à Cancellis versus altare dividitur, Choris tantùm psallentium pateat Clericorum.* Sed fieri vix poterat, quin ex ingenti illa multitudine essent, quos aut occupationum necessitas, aut ægritudo quæpiam corporis ab Officio publico sevocaret: quos tamen nemo cordatus facilè credet ab orandi inviolabili lege immunes tum fuisse. Eo enim consilio publica Ecclesiæ constituta officia sunt, ut inviterentur ad orandum laïci: adeoque multo magis, ut & Clerici excitentur. Pompæ illud simile, & inanis tantùm gloriæ captandæ causa factum videri posset, si positis de publica oratione legibus quamplurimis, de privata & secreta singulorum oratione nemo verbum faceret, nemo curaret. Can. 4.

V I I. Posset in eam rem conferri Canon iste Concilii II. Aurelianensis: *Clerici qui officium suum implere despiciunt, aut vice sua ad Ecclesiam venire detrectant, loci sui dignitate priventur.* Quippe vocabulum illud *Officii* horis Canonicis jam proprium factum erat, ut dictum jam non semel, dicendumque forsan adhuc erit. Illud verò certissimum est, ideo Concilium Vasionense II. imminere & inculcare Parochis, ut domi suæ Lectores, quantos poterunt, habeant, instituantque, Psalterium edoceant, Scripturarumque frequentem lectionem, & divinarum meditationem legum: ut his illi præsidiis ad suam primò ipsorum, & ad proximorum postea salutem procurandam munirentur. *Juniores Lectores quantoscumque sine uxore habuerint, secum in domo recipiant, & eos, quomodo boni patres, spiritaliter nutrientes, Psalmos parare, divinis lectionibus insistere, & in lege Domini erudire contendant, ut & sibi dignos successores provideant, &c.* Can. 14. Can. 1.

V I I I. Concilium Turonense II. idem de quo suprà, deposito propter violatam cum propria uxore continentiam Clerico majori, permittit, ut *inter Lectores in Psallentium choro colligatur.* Ea porro verba *in Psallentium choro*, ut superiùs allata *choris Psallentium Clericorum*, ostendunt divinum Officium à Lectoribus, Psalmistis, aliisque inferioribus Clericis ad hæc usque tempora solitum fuisse cantari. Quis verò adduci poterit, ut existimet sanctissimam illam psallendi legem inferioribus solùm & junioribus Clericis positam fuisse? Ita ergo statuendum est nobis, si quid sapimus, proprium quidem illud fuisse munus inferiorum Clericorum, ut ab aliis occupationibus omnino liberi, publicè statis horis canerent: Choro tamen, si alibi Ecclesiasticis necessitatibus non distinerentur, affuisse Clericos Can. 19.

majores: aut privatim finito negotio eadem persolvisse officia, quippe qui orandi lege cæteris arctiùs constringerentur.

IX. In Historia Concilii Parisiensis anno 577. habiti, hæc refert, qui præsens aderat Gregorius Turonensis, nocte quadam invisum se fuisse domi ab iis, quos eò miserat Fredegundis Regina, cùm jam nocturnum persolvisset Deo officii sui pensum:

L. 5. Hist. c. 19.

*Ea verò nocte decantatis nocturnalibus hymnis, ostium mansionis nostræ gravibus audio verberibus cogi, missoque puero nuncios Fredegundis Reginæ adstare cognosco.* Habes hic ergo Episcopum Turonensem, qui cùm Lutetiæ versaretur, privatim vel recitabat, vel canebat domi suæ horas Canonicas, etiam noctu. Id factitatum esse à Clericis usque adeo certum est, ut & laïci sumpta inde occasione festorum dierum pervigilia domi aliquando celebrarent, hoc est, noctem totam psalmodia & orationibus exigerent. Id deinceps vetuit fieri Synodus Altisiodorensis, propter

Can. 3. 5.

eam quæ irrepserat licentiam. *Non licet compensos in domibus propriis, nec pervigilia in festivitatibus Sanctorum facere.* Sicut & cibum potumque sumi vetuerat post festorum in Ecclesia dierum expletas vigilias, quæ ultra noctem mediam protrahebantur. *In illa nocte non licet post mediam noctem bibere.* Ad

Can. 1.

Gregorium Turonensem me referam, ubi quæ mihi ex Conciliis supersunt dicenda absolvero.

Can. 2.

X. Psalmos prolixiores Concilii Narbonensis anni 589. decreto intercidebant, intertexto *Gloria*

Can. 12.

*Patri*, &c. Vetitum est in eodem Concilio, *Ne Diaconus, Subdiaconus, Lector, antequam Missa consummetur, alba se præsumat exuere.* De Presbyteris tacet Concilium, quòd essent omnes in casula. At de recitando à Presbyteris Diaconisque Officio satis apertè

Can. 11.

loquitur, cùm ait, *Qui verò Diaconus aut Presbyter fuerit litteris ineruditus, & desidiosè legere vel implere officium distulerit, & in Ecclesia ad omnia utilis non fuerit, ab stipendio rejiciendum & inclinandum, quoad usque curvatus impleat, & defendat, quod esse cognoscitur. Ad quid erit in Ecclesia Dei, si non fuerit ad legendum exercitatus?* Hæc certè verba, *legere & implere officium* canonicarum horarum recitationi non improbabiliter aptantur.

XI. Sugillati sunt in Concilio Matisconensi, qui vitio verterant sancto Columbano, quòd plures in Missa Collectas recitaret, quàm quæ ritu usitatissimo præcipiebantur. Laudi potiùs & ornamento visum est Patribus Concilii esse, prolixiùs & impensiùs Deum orare. *Missæ* autem nomen optimè explicuit, & quàm aptum appositumque esset commonstravit Avitus Episcopus Viennensis, quod olim significandis Ecclesiasticis omnibus Officiis, & non soli sacrificio adhibebatur. Erat enim apud Romanos usitatissimum id vocabulum, cum à potentum Palatiis & conventu dimittebantur homines: unde & pro ipso conventu denique usurpatum est. Dicebatur autem Missa, pro Missio; sicut remissa, pro remissio; offensa, pro offensio: & id genus sexcenta alia. Accipe jam verba ipsa Aviti:

Epist. 1.

*In Ecclesiis Palatiisque, sive Prætoriis Missa fieri pronuntiatur, cum populus ab observatione dimittitur. Nam genus hoc nominis etiam in sæcularibus authoribus invenietis.*

XII. Nunc tempus est ut revertamur ad Gregorium Turonensem, & ab eo ediscamus id quod præcipuè nobis hîc propositum est, quibus innitatur ea doctrina fundamentis, eaque lex, quæ inexorabili Clericos Beneficiarios subjicit necessitati recitandi, vel concinendi Officii divini. De prima ille Ecclesiæ Bituricensis fundatione loquens, ait Clericos statim divina psalmodia esse imbutos. *Ex his ergo*

Hist. l. 1. c. 31.

*pauci admodum credentes, Clerici ordinati, ritum psallendi susciperunt.* Narrat alibi Sidonium Apollinarem aliquando divinum memoriter perfecisse Officium, quòd malitiosè tum quis librum subduxisset: *Ab-*

L. 2. c. 22.

*lato sibi nequiter libello, per quem sacrosancta solemnia agere consueverat, ita paratus à tempore cantum festivitatis opus explicuit, ut ab omnibus miraretur.* Ab eodem Sidonio tradit concinnatum fuisse librum de

L. 5. c. 5.

Officiis, *De Missis ab eo compositis.* Agit alibi de Monasterio sancti Mauricii, quod autè vocabant Agaunum; & de psalmodia ibi nocturna, diurnaque perpetua: *Psallentium ibi assiduum instituens.* Su-

L. 4. c. 6.

perciliosus apud eum Presbyter, dum sua in majus venditat omnia, de jugi sua à teneris unguiculis psalmodia non tacet. *Nosti me ab initio ætatis meæ semper religiosè vixisse, vacasse jejuniis, eleemosynis delectatum fuisse, continuatas sæpiùs exercuisse vigilias, psallentio verò jugi crebra perstitisse statione nocturna.* Porro ne optare quidē possis clarius quidquam, quàm quæ ille scripsit de Episcopis duobus. Revocati illi ab exilio indulgentiùs quàm æquius: malæ frugis enim omnino fuerant, vitam duxere aliquandiu in acerbissimo doloris sensu & labore pœnitentiæ; Psalterium nocturna versantes manu, versantes diurna.

L. 5. c. 10.

*In tantam compuncti sunt, ut viderentur nunquam à psallentio cessare, celebrare jejunia, eleemosynas exercere, librum Davidici carminis explere per diem, noctesque in hymnis & lectionibus meditando deducere.* In pristinas illis tamen postea revolutis sordes, ne in mentem quidem veniebat recitatio Psalmorum, ita ut divinorum prorsus immemores esse viderentur.

L. 5. c. 21.

*Nulla prorsus de Deo erat mentio, nullus omnino Cursus memoria habebatur, &c. Clericis in Ecclesia Matutinas celebrantibus, hi pocula miscebant, &c.*

Exploratissimum est hac voce *cursus* divina Officia tunc significari solita. *Officium* tamen plerumque id dicitur à Gregorio. Agens alicubi de Ecclesia humana cæde cruentata, ideoque interdicta Sacris, *locus Officium perdidit.* Cùm Gregorius idem ip-

L. 9. c. 6.

se Parisiis ageret, ædesque habitaret non procul dissitas ab Ecclesia sancti Juliani, omni nocte & circa noctis medium ad eam se recipiebat Ecclesiam, nocturnum Deo officium ut exolveret. *Nos media surgentes nocte ad reddendas Domino gratias, &c. Ingressi sumus explere cursum, &c. nobis psallentibus.* Quo patet Clericos peregrè agentes, procul à suis Ecclesiis, non tamen absolutos sibi se visos esse à decantandis horis Canonicis. Docet idem alibi, Injuriosum, qui quintus-decimus fuit Episcopus Turonensis, præcepisse ut in posterum Horæ Tertia & Sexta in Ecclesia canerentur; quod argumento est eas priùs recitatas privatim fuisse, ut non paucis in Monasteriis fiebat. *Hic instituit Tertiam &*

L. 10.

*Sextam in Ecclesia dici, quod modò in Dei nomine perseverat.* Plura rescissemus, nisi per temporum invidiam intercepti essent libri, quos idem pissimus Scriptor lucubraverat in Psalterium, & de Ecclesiasticis Officiis: *In Psalterii Tractatum librum unum*

De Gloria Martyr. l. 1. c. 1. 75. 86.

*commentatus sum, de Cursibus Ecclesiasticis librum unum condidi.*

XIII. Idem Gregorius in variis operibus suis, de Miraculis B. Martini, de gloria Martyrum, de gloria Confessorum, de vitis Patrum, meminit plerumque Vigiliarum, & qui in Vigiliis canerentur Psalmorum, Hymnorumque: Cursûs, Cantûs in Ecclesia jugis, Lectionum, Passionis Martyrum: de decantata aut de recitata Officii divini parte

ante Missam : *Lecta igitur passione, cum reliquis lectionibus, quas Canon sacerdotalis invexit, tempus ad sacrificium offerendum advenit* : De Missis matutinis,
Cap. 90. quas præiverant nocturnæ Vigiliæ : *Renovant solemnia & tota nocte in vigiliis excubant, mane autem facto dum Missarum solemnia celebrarentur* : De psalmodia nusquam desinente Clericorum, etsi illi quandoque
Cap. 101. non magno essent numero : *Cùm portitores Reliquiarum sancti Gregorii ad locum quendam Lemovicini termini advenissent, ubi jam pauci Clerici conserto ligneis tabulis Oratorio, Dominum assiduè precabantur, mansionem postulant : susceptique benignè, noctem cum cæteris fratribus psallendo deducunt.* Ubi modicum vides Oratorium, in quo pauci Clerici Dominum assiduè precantur, & ad singulas diei noctisque horas Officium recitant.

Nec excidet nobis ille apud eundem Presbyter, qui cùm periculum submersionis evasisset, dicitur alligatum habuisse, & pendentem è collo Evangeliorum Codicem & Missalem, cum calice & patena, nulla facta Breviarii aut Psalterii mentione: *Sa-*
De Gloria *cerdos pelago operitur, habens ad collum cum Evange-*
Confess. l. 22 *geliorum libro ministerium quotidianum, id est, patenulam parvam cum calice.* Verùm quî potuit ille sacrificium, ut verba illa indicant, singulis offerre diebus, consuetâ antè psalmodiâ non absolutâ? Fatendum ergo debuisse Clericos Psalterium tenere memoriter, non tam propter Officia quæ publicè in Ecclesiis canebantur, ubi parati & ad manum erant Codices, quàm ad eorum privatam recitationem, maximè inter peregrinandum, illo maximè tempore, quo nulli erant ejusmodi facilè parabiles, faciles & gestari codices, quales nunc sunt.

Quòd verò qui iter faciebant Clerici, eadem constringerentur lege recitandi horas Canonicas, præter libata jam exempla, promam & hoc aliud
Ibid. c. 31. ex eodem Gregorio : *Quidam Presbyter solitarius iter carpens, ad hospitiolum cujusdam Pauperis Limanici mansionem expetiit : qua accepta, juxta morem Sacerdotum nocte ab stratu suo consurgens, orationi adstitit.* Non oscitanter prætereunda sunt hæc verba, *juxta morem Sacerdotum.* Palam enim ex iis fit, id in more fuisse, ut etiam dum longinquum iter emetirentur, noctu consurgerent ad nocturnas Officii preces persolvendas. Quantò constantiùs ergo affirmabimus, promptiores etiam illos diligentioresque fuisse in recitandis in urbe, domique suæ horis Canonicis diurnis, qui in Ecclesia præstò esse non po-
Cap. 38. 47. tuissent? Multa prætereo lubens, quibus antedicta
71. 106. illustrari possent; quòd ea tantùm carpere & huc promiscuè congerere adgressus sim, quæ ad astruendam Canonici cursûs recitandi legem conferre possunt.

XIV. Nolim hîc prætermitti quod habet Gregorius idem de Ambrosio, qui Lectiones incipi ve-
De Mirac. tuerat, ante signum à se datum. *Cui celebranti Festa*
B. Mart. l. 1. *Dominica diei erat ista consuetudo, ut veniens Lector*
c. 5. *cum libro, non antè legere præsumat, quàm sanctus nutu jussisset.* Post lectionem Prophetarum, antequam Apostolus legeretur, accidit aliquando ut obdormisceret Ambrosius. Excitatus est his verbis, *Jubeat dominus Lectori lectionem legere.* Ubi vides & veniam seu jussionem legendi, quam Lector postulat, & quam accipit benedictionem.

Cap. 33. Distinguit idem alibi Vigilias à Matutinis, seu nocturnas Horas à Laudibus, quæ manè dicuntur :
L. 2. c. 1. 49 *Vigilias implevimus, mane autem facto, signo ad Matutinas commoto, reversi sumus dormitum.*

Verùm ne longiùs à re proposita digrediar, narrat idem Gregorius virum sanctissimum Portianum, cùm Clericus primò, dein Abbas esset constitutus, venisse aliquando ad Aulam Theodorici Regis per Arvernos tunc iter agentis, ut ab eo pauperibus levamenti aliquid obtineret. Rogatum autem ab Optimate aliquo, ut mane pauxillum vini degustaret, excusatione usum esse, *Quod nec Regi dignum præ-* Vita Patr.
*buisset occursum, & quod his omnibus potius erat, nec-* c. 5.
*dum adhuc Domino Psalmorum decantationem debitam exolvisset.*

Gallus Episcopus sanctissimus animam mox exhalaturus, percontatus est quid in Ecclesia caneretur, quo rescito Matutinum Officium recitavit solus, & illo expleto cùm valedixisset omnibus, in cœlum devolavit, quas hic cœperat divinas laudes æternùm Deo persoluturus : *At ille Psalmo quinqua-* Ibid. c. 6.
*gesimo & benedictione cantata, & Alleluyatico* : id est, *Miserere mei Deus*, & *Benedicite omnia opera Domini Domino*, & Psalmis tribus subsequentibus, quibus David ipse *Alleluya* præfixit, quibus ex omnibus Psalmis laudes constabant; *Cum Capitello expleto:* quod ex Scriptura Capitulum, seu lectio brevis subjici solet supradictis Psalmis: *Consummavit Officium totum temporis matutini, quo jam extremo perfunctus officio, spiritum emisit.* Perspicis quàm non cessarent à recitando privatim Officio Canonico, qui & gravissima valetudine decumbentes, & morte ipsa appetente, ne tum quidem de eo more & orandi fervore quidquam relaxabant.

Divus Gregorius Episcopus Lingonensis cùm Divione prope Baptisterium vulgò habitaret, *Nocte de* Ibid. c. 7.
*strato suo nullo sentiente consurgens, ad orationem Deo tantùm teste pergebat, ostio divinitus reserato, attentè psallebat, &c. Psallentium per trium fere horarum spatium audiebatur, &c. Impleto cursu reversus ad lectulum, &c.* Et alibi de juniore Monacho loquens, Cap. 12.
*Cum eodem sene duos vel tres annos faciens, Psalterium memoriæ commendavit.* Et alibi de B. Nicetio Epis-
copo Trevirensi : *Lectis Lectionibus quas Canon sanxit* Cap. 17.
*antiquus, oblatis muneribus super Altare Dei, ait Sacerdos, Non hic hodie Missarum solemnia consummabuntur, nisi communione privati priùs abscedant.* Denique nihil apertius ad ediscendi Psalterii necessitatem inculcandam, iis quæ habet ille de B. Leobardo : *Cum* Cap. 20.
*reliquis pueris ad scholam missus, quempiam de Psalmis memoriæ commendavit, & nesciens se Clericum esse futurum, jam ad Dominicum parabatur innocens ministerium.* Hactenus ex Gregorio Turonensi.

XV. Non possum non hîc referre, quæ referuntur de sancto Germano Parisiensi Episcopo, quem nec itinera à recitando Canonico cursu remorabantur, non hyemes, non imbres, non nives, quin nudo capite recitaret. *Qui equitans in iti-* Surius die
*nere, semper de Deo aliquid aut verbum contulit, aut* 28. Maii.
*cantavit. Cursum nudo Capite dicens, etiam si nix,* c. 78. 79. 82.
*aut imber urgeret.* In privato Oratorio suo Nocturnas horas recitabat unà cum suis Clericis, quos longa psalmodia ipse antevenire solitus erat, & tum eos excitare, quantumcumque sævirent hiberna frigora. *Quantam vigiliarum curam semper impenderit, quis enarret, aut quis toleratos algores ardore fidei prædicet, &c. Qui celebrata vigilia remeans ad lectulum, quasi nihil egerit, tunc primùm reliquos excitabat.* Summo mane ingressus Ecclesiam, non discedebat, ante exhaustum totum Officii decursum. *Tertia noctis hora ingrediens, non est egressus ulteriùs psallentium ab ordine, donec clarescente jam die decantatus solemniter cursus universus consummaretur ex Canone.* Singulæ hîc voces antiquitatem redo-

lent, & de historiæ veritate fidem faciunt. Non video qui possint deinceps, nisi præsumptis opinionibus pertinacissimè adhærescant, sibi fingere liberam olim & arbitrariam fuisse Psalmorum Officiorumque recitationem Clericis Beneficiariis, cujusmodi tum erant Clerici omnes.

---

## CAPUT LXXVI. *P. 2. l. 1. c. 16.*

### Canonici Officii in Hispania & Africa origo, ejusque saltem privatim recitandi lex sæculo VI. VII. & VIII.

*I. In partes Officii variæ varia observantur, & ejus recitandi lex ex Isidoro Hispalensi comprobatur.*

*II. III. Observationes aliæ, & alia argumenta ex Conciliis Hispaniæ. De Officiorum convenientia, & Monachalis ac Romani Officii imitatione.*

*IV. Statuit Concilium Toletanum IV. idem ubique in Hispania Officium esse oportere; id quod propter Nationalis unitatem Concilii necessarium erat.*

*V. Quos Hymnos Officio divino abstulerat Concilium Bracchavense, idem Toletanum IV. restituit.*

*VI. VII. Sentire non nisi honorificè debemus de Officii canonici Rubricis ac Caremoniis, quippe quæ à Conciliis Nationalibus & Oecumenicis, aliqua saltem ex parte sunt instituta.*

*VIII. IX. Probatur iterum ex eodem Concilio Officii recitandi obligatio.*

*X. Ex Concilio Toletano VIII.*

*XI. Discrimen inter* Lucernarium, Sonum *& Vesperas.*

*XII. Juniorum in Parochiis Cantorum seminaria.*

*XIII. Officiorum in singulis agrestium Parochiis convenientia.*

*XIV. XV. De Ecclesia Africana. De publica in Choro, & privata domi Officii recitatione.*

I. ET hæc quidem de Gallia satis. Ad Hispaniam venio, ubi in eadem insistens via, divini investigabo originem Officii, & ejus maximè, si qua sunt, vestigia obligationis qua tenentur horas Canonicas Clerici, aut in Ecclesia publicè, aut domi privatim recitare. Erit autem nec injucunda, nec inutilis, permixta de re utraque & confusa tractatio, faciliúsque induceris, ut credas obligatum te ejus recitatione Officii, cujus partes omnes videris, tam sanctam apud Patres & Concilia, tam antiquam, & augustam ac religiosam habere originem & institutionem. Patet ex Isidori Capite toto, quod est *de Officiis*, officii nomen jam ejus temporibus eidem rei significandæ attributum esse, cui attribuitur hodie: sic enim orditur. *Officiorum plurima sunt genera, sed præcipuum illud quod in sacris divinisque rebus habetur.* Ac statim ad Officium *Vespertinum* & *Matutinum* progreditur, tum verò ad *Missam*, quippe quæ semper alterutrius longioris hujus ac solemnioris psalmodiæ alteram subsequeretur. Quibus ista de Choro, Antiphonis & Responsoriis subjicit. *Chorus, quòd initio in modum coronæ circa aras starent, & ita psallerent, Antiphonas Choris alternatim psallentibus. Responsorios Itali tradiderunt, ubi alio desinente alter respondet. Inter responsorios autem & Antiphonas hoc differt, quòd in responsoriis unus versum dicit, in Antiphonis autem versibus alternant Chori.* De horis deinde Canonicis loquitur, ac tantùm abest ut ab earum recitatione liberos putet, qui adesse Choro non queant, ut jugiter & sine intermissione orari à Clericis privatim velit: *Dictum est, Sine intermissione orate. Sed hoc in singularibus. Nam est observatio quarumdam horarum communium, quæ diei interspatia signant, Tertia, Sexta & Nona. Similiter & noctis. Sed ideo orandi hæ horæ divisæ sunt, ut si fortè aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat, &c. Exceptis utique & aliis legitimis orationibus, quæ sine ulla admonitione debentur in ingressu lucis, ac noctis, sive vigiliarum.* Quæ cum alibi omnia confirmat, tum illud addit, primum omnium Ambrosium in Occidente, Orientalium Antiphonas, id est, alternum cum Choro duplici cantum, qua in re & ipsi Seraphimos Orientales secuti erant, imitatum esse. Postea verò, *Primitiva*, inquit, *Ecclesia ita psallebat ut modico flexu vocis faceret psallentem resonare, ita ut pronuntianti vicinior esset quàm canenti. Propter carnales autem in Ecclesia, non propter spiritales consuetudo est instituta canendi; ut qui verbis non compunguntur; suavitate modulaminis moveantur.* Quod de Alexandrina dixit Augustinus, hoc de primitiva Ecclesia tota Isidorus intelligit; atque id ita fuisse, mihi probabile est. Dicit deinde de hora Tertia, Sexta, Nona, de Vesperis, Completorio, Vigiliis seu Nocturnis, de Matutinis seu Laudibus, quas suo tantùm tempore Cassianus in Monasterio Bethlemitico putat institutas. De B. Leandro Episcopo Hispalensi, alio in loco hæc habet. *In toto psalterio duplici editione orationes conscripsit, in sacrificiis quoque, Laudibus, & Psalmis multa dulcisona composuit.* Monachis Regulam scripsit Isidorus, ubi minutissima quæque de horis Canonicis præscribit. Nec omisit vir sanctissimus, quod præcipuum erat, jugem Clericorum seu in Choro seu alibi psalmodiam & Dei laudem; cùm enim communem illis & generalem scriberet regulam, *Postremò*, inquit, *in doctrina, in Lectionibus, Psalmis, Hymnis, Canticis, exercitio jugi incumbant.* Quæ jugis oratio non à Choro propriè pendet aut ei annexa est, sed cum ipso Clericatutæ genio & naturâ conjuncta.

Orig. l. 6. c. 19.

De Offic. Eccles. l. 1. c. 5. 7. 8.

L. 10 Conf. c. 33. de Offic. Eccl. l. 1. c. 19 &c.

De Script. Eccl. c. 57.

De Offic. Eccl. l. 2. c. 2.

II. Ad Hispaniæ Concilia accedo, ubi primum obvium se dat Concilium Tarraconense anni 517. quo jubetur, ut in agrestibus Parochiis alternis hebdomadis Presbyter & Diaconus divina celebrent Officia, ea tamen adjecta lege, ut Clerus universus coëat ad vespertinas Sabbati horas, totumque diem Dominicum: utque diebus singulis decantentur Vespertina & Matutina officia. *De Diœcesanis Ecclesiis vel Clero id placuit definiri, ut Presbyteri, vel Diaconi, qui in ibi constituti sunt, cum Clericis septimanas observent, id est, ut Presbyter unam faciat hebdomadam, qua expleta, succedat ei Diaconus similiter, ea scilicet conditione servata, ut omnis Clerus die Sabbati ad Vesperam sit paratus, quo faciliùs die Dominico solemnitas cum omnium præsentia celebretur, ita tamen ut omnibus diebus Vesperas & Matutinas celebrent.* Ubi vides in omnibus quæ ruri erant Parochiis, fuisse Presbyterum Diaconumque, qui præsiderent; fuisse & numerosum agmen Clericorum minorum, quod bipartitum alternis hebdomadis sufficeret ad celebranda Officia; maximè autem ad Matutinas Vespertinasque horas; denique parum probabile esse, ut sacra Mysteria quotidie celebrarentur, cùm alternis hebdomadis præesset officiis Diaconus. Quod autem permittitur Officiis abesse alternatim Presbyter & Diaconus, id eo fiebat, quod Parochorum muneris erat, non soli Ecclesiasticæ publicæ vacare psalmodiæ, sed & subsidiis aliis compluribus creditas sibi oves fovere.

Can. 7.

III. Illud quoque usu receptissimum esse insinuat Gerundense Concilium, ut quotidie matutinæ vespertinæque Psalmodiæ in Ecclesia exsolvantur Officia, ubi præcipit iis adjici Orationem Dominicam à Sacerdote alta voce proferendam, prout Monachis edixit Regula sancti Benedicti: *Placuit ob-* Can. 10.

*servari, ut omnibus diebus post Matutinas & Vesperas oratio Dominica à Sacerdote proferatur.* Statutum ibidem est, ut eo ritu eaque forma celebrarentur Officia Ecclesiastica in Tarraconensi Provincia universa, atque in Ecclesia Metropolitana. Can. 1. Synodus Ilerdensis Clericos propter grave quodpiam crimen ita deponit, ut liberos tamen & immunes ab Officii divini recitatione non faciat; quin jubet, ut cùm primùm communioni restituti fuerint, in Can. 2. Choro psallentium Clericorum assidui fint. *Attamen in choro psallentium à tempore recepta communionis intersint.*

Concilium Braccharense eandem indixit Officiorum consonantiam omnibus Ecclesiis Provinciæ Braccharensis, nec ex Monasticis ritibus aliquid in Can. 1. 1. ea patitur derivari. *Placuit omnibus communi consensu ut unus atque idem psallendi ordo in matutinis vel vespertinis Officiis teneatur, & non diversa ac privata, neque Monasteriorum consuetudines cum Ecclesiastica regula sint permixtæ.* Liquet hinc ergo multa ex Monasticis institutis in Ecclesias & in Clericorum officia in- Can. 3. fluxisse: sed improbari ab hoc Concilio nimiam quandam quæ inde in bæc irrepserat dissonantiam. Statutum præterea, ut Episcopus Presbyterque populum inter sacra salutarent illis verbis ex Scriptura depromptis, *Dominus sit vobiscum*: uique responderet populus, *Et cum spiritu tuo*: Quòd ea esset Apostolorum traditio, & Orientalis consensio Ecclesiæ, quibus æquius esset sese ut accommodarent, quàm Can. 4. 5. profanis Priscillianistarum innovationibus. *Sicut & ab ipsis Apostolis traditum omnis retinet Oriens, & non sicut Priscilliana pravitas permutavit.* Atque ut constantior firmiorque posthac esset ea Officiorum forma una ubique, constitutum est ubique ut servaretur ordo atque ritus is quem Profuturus Archiepiscopus Braccharensis ab Apostolica Sede accepisset. *Ut eodem ordine Missa celebrentur ab omnibus, quem Profuturus quondam hujus Metropolitanæ Ecclesiæ Episcopus ab ipsa Apostolica Sedis authoritate suscepit scrip-* Can. 11. 12. *tum.* Denique prohibuit hæc Synodus, *ut Lectores in Ecclesia in sæculari habitu ornati, non psallant*: diximus jam suprà albis induendos fuisse inter divina ministeria. Et ne cantica vel carmina Officiis Ecclesiasticis permiscerent, cùm non sinant Canones ea nisi utriusque Testamenti Scripturis constare. *Ut ultra Psalmos, vel canonicarum Scripturarum veteris & novi Testamenti, nihil poeticè compositum in Ecclesia psallatur, sicut & sancti præcipiunt Canones.* Id ejus Ecclesiæ proprium fuit. Nam in Gallia, Italia, aliisque locis qui erant ab Ambrosio, Hilario, aliisque compositi Hymni publicè canebantur.

IV. Jam verò Cooncilium Toletanum IV. quod Nationale erat, omnesque complectebatur Hispaniæ Provincias, itemque eas Galliarum partes quæ tum Gotthis parebant: per omnes etiam hujusmodi Provincias, totamque Gotthicam dominationem, hanc eandem vigere voluit Officiorum consonan- Can. 2. tiam ubique sui similem. *Unus ordo orandi atque psallendi nobis per omnem Hispaniam atque Galliam observetur, unus modus in Missarum solemnitatibus, unus in vespertinis matutinisque Officiis; nec diversa sit ulla in nobis Ecclesiastica consuetudo, qui in una fide continemur & regno. Hoc enim & antiqui Canones decreverunt, ut unaquaque Provincia & psallendi & ministrandi parem consuetudinem contineat.*

Prisci certè Canones id decreverant tantùm de Ecclesiis unius Provinciæ, & uni obnoxiis Metropoli, ut unam Officiorum formam omnes tenerent. Et eorum tamen authoritate consultissimè hujus Concilii Patres oriuntur, ut idem in regni unius Provinciis & Metropolibus compluribus decernant. Cùm enim Episcopi & Metropolitani jam omnes in unum veluti corpus concrescant, omnesque in eadem universalia conveniant Concilia, eadem opera videntur omnes unius regni Provinciæ in unam Provinciam coaluisse. Quòd si vel ipsum solum Concilium Nationale spectes, ubi Metropolitanos & Episcopos universos necesse est eisdem interesse Officiis, eadem celebrare solemnia, eidem omnes solemniori adesse Sacrificio; hæc omnia certè fieri nequaquam possunt, si suum quisque celebrandi vel canendi ritum habeat. Fecit hujus incommodi ratio, quæ vel ipsa per se oculos ferit, ut Provincialia Concilia observandum in Provincia illum Officiorum ordinem præscriberent, quem Ecclesia Metropolitana servaret. Videtur & hæc eadem effecisse ratio, ut Nationale Concilium idem in Regni unius Provinciis omnibus vellet observari. Id autem quàm necessarium sit faciliùs intelliges, si fingas tale aliquid hodie constitui, ut omnes qui in eadem fortè sunt urbe Clerici, divinis intersint cum urbis Clero Officiis, & communem suo quisque loco & ordine Missam celebrent, aut sacra careant Communione. Fecit eadem aliquando ratio, ut inferiùs dicetur, ut & de instituendo in Ecclesia tota Romano & officio & ordine deliberatum sit; quæ res jam obtinuisset in Hispania, si uti Bracharæ, ita & Toleti Romani ordo Officii fuisset susceptus.

V. Sunt & alia multa Concilii hujus Toletani Can. 9.
IV. decreta non contemnenda: quale est de benedicendo in Galliis, hoc est, in Gallicanis Provinciis Imperio Gothico subjectis, cereo Paschali in Vigilia Paschæ, sicut in Hispania usitatum erat, ut unitati consuleretur: *Dignum est ut propter unitatem pacis in Gallicanis Ecclesiis conservetur.* Ut non per Can. 11.
hebdomadam tantùm sanctam, sed & per Quadragesimam totam Alleluya conticesceret: ut non Psalmi tantùm, sed & Hymni usu recepti in Ecclesia concinerentur, quod & Christi & Apostolorum exemplo confirmatur, Ambrosiique item & Hilarii authoritate, qui & ipsi Hymnos pepigere; denique ex eo quòd *Gloria Patri* & *Gloria in Excelsis* lætissimo concentu in Ecclesiis omnibus personaret. Hinc porro manifestum est, hujus Concilii Patres eò conspirasse, ut Concilii Braccharensis statuta ea everterent & abolerent, quæ sub Imperio Regum Suevorum fuerant promulgata. Interea enim Gothi Reges totam sibi subjecerant Suevorum dominationem; & per Ecclesiarum consonantiam ipsius etiam Imperii sui jam latissimè fusi molem confirmare & constabilire conabantur. In hoc denique Concilio Can. 16.
observatur, in Responsoriis non inseri *Gloria Patri*, nisi diebus iis qui spiritali quadam lætitia perfusi sunt: cæteris diebus initium Responsorii repeti. *Hæc est discretio, ut in lætis sequatur gloria, in tristio-* Can. 17.
*ribus repetatur principium.* Denique ut quotannis legatur Apocalypsis post Pascha, ut quam Pootifices & Concilia à Joanne Apostolo conscriptam fuisse consentiant.

VI. Duo hîc vel tria nobis obiter pensiculanda antè sunt, quàm ad alia Hispaniæ Concilia progrediamur. 1. Ut ne putes in rebus minutioribus ac contemnendis occupari viros clarissimos, qui in Concilio Nationali ea decernant, quæ ad divini Rubricas Officii & ad Cæremonias spectent. Immo hinc argue, nec minutias istas videri debere, vel despicabiles, in quibus disceptandis Concilium

Nicænum

Nicænum aliquando operam posuerit. Nam & Apostolorum Concilium de quo Lucas in Actis de Cæremoniis decretum edidit: & in Concilio Nicæno statutum id est, quod meræ est cæremoniæ, ut certa Paschalis festivitatis dies in omnibus Ecclesiis præscriberetur; itemque ne fideles die Dominico, & à Pascha ad Pentecosten, genu flexo orarent. Luculentissima hæc aliis præposita est forma Conciliis, quam sequeremur.

VII. 2. Etsi omnium Rubricarum, seu sacrarum cæremoniarum origines pervestigare & aperire, immensæ res fuerit operæ, & supra vires nostras: etsi nec ea congesserim hic omnia, quæ præ manibus erant, ne fortè longioris sermonis fastidium opus hoc nostrum prorsus inutile faceret; ex paucis tamen iis quæ hic à nobis quasi carptim delibata sunt, satis constare, quàm imperitiæ plerumque sit nostræ, quod ejusmodi res non magni facimus, ne dicam, contemptui habemus. Quod enim in his persæpè nobis aut arbitrarium esse, aut fortuitum videtur, aut insolens, quia quæ fuerit rei cujusque origo & causa, non disquirimus: magna plerumque cum sapientia & pietate, maximis in Conciliis, quibus spiritus sapientiæ & pietatis tanquam anima corpori præerat, pertractatum est atque definitum.

VIII. 3. Nec illud in Concilio hoc Toletano IV. prætermissum esse, in quod totus hic maximè labor noster collimat. Cùm enim magnis rationum momentis constituisset inseri divinis Officiis Orationem Dominicam, abdicationis pœna percellit denique eos, qui illam, vel publicè, vel privatim
Can. 10. in recitando curso canonico prætermiserint. *Quisquis ergo Sacerdotum, vel subjacentium Clericorum, hanc orationem Dominicam quotidie aut in publico, aut in privato Officio præterierit, propter superbiam judicatus, ordinis sui officio mulctetur.* Disertius nihil optari potuerat. Istud enim *privatum officium*, quod à publico hic secernitur, non potest aliud fingi, quàm privata recitatio horarum Canonicarum; cui frequens oratio intertexitur Dominica. De celebratione Missæ nemo sobrius id intellexerit, tum quòd non quotidie ea à quolibet recitaretur, saltem ex officio; tum quòd hac pœna implicantur, sicut & hoc statuto non soli Presbyteri, sed & Clerici prorsus omnes: *Vel subjacentium Clericorum.*

IX. Si abdicantur autem gradu & dignitate, quicumque deinceps prætererint orationem Dominicam in privata recitatione officii, quid si totum ipsum officium præterierint? Si possunt enim impunè in totum supersedere ab officii recitatione, possunt & abstinere à recitanda oratione Dominica.

X. Nec levior, vel obscurior est in eandem officii recitandi legem authoritas Concilii Toletani X. ubi & sanctissimè & vehementissimè invehitur in eos ex Clero, qui ignorarent ea quæ quotidiani erant usûs in Ecclesia, nempè Psalterium. Cantica
Can. 8. & Hymnos. *Vt nec in illis probentur instructi competenter ordinibus qui quotidianos versantur in usus. Proinde sollicitè decernitur, ut nullus cujuscumque dignitatis Ecclesiastica deinceps percipiat gradum, qui non totum Psalterium, vel Canticorum usualium & Hymnorum, sive baptizandi perfectè noverit supplementum.*

Can. 2. XI. Officii Vespertini partes tres explicat Concilium Emeritense; *Lucernarium*, *Sonum*, & quod est inter utrumque, officium *Vespertinum*. *Vespertino tempore post lumen oblatum, prius dicitur Vespertinum, quàm Sonus in diebus festis.* Solemni quodam ritu accendebatur lumen, ut usitatum etiamnunc nobis est in Sabbato Paschæ, adhibita ejusdem modi oratione aliqua, qua Deo pro allapso nobis cœlitus vero lumine Christo gratiæ agerentur. Deinde recitabantur Vesperæ. Tum verò diebus Festis & Paschali tempore alta voce recitabatur Sonus; Qui ut ostendit ex Mozarabico Missali Garsias, unicus Psalmus erat, *Venite exultemus.*

XII. Parochiarum agrestium Pastoribus id man- Can. 18 datum ab Emeritensi Concilio, ut quot possent juniores alerent Clericos, pro modo facultatum suæ Ecclesiæ, & eos ex mancipiis Ecclesiæ seligerent, ut eorum opera & ministerio Officia divina celebrarentur. *Parochiani Presbyteri, juxta ut in rebus sibi à Deo creditis sentiunt habere virtutem, de Ecclesia sua familia Clericos sibi faciant, quos per bonam voluntatem ita nutriant, ut & Officium sanctum peragant, & ad servitium suum aptos eos habeant. Hi etiam victum & vestitum dispensatione Presbyteri merebuntur, & domino ac Presbytero suo, atque utilitati Ecclesiæ fideles esse debebunt.*

XIII. In Concilio Toletano XI. innovatur an- Can. 3. tiquum statutum de una Officiorum forma, ea nimirum quam Metropolitica teneret Sedes, per totam Provinciam retinenda. Quod argumento est executioni mandari non potuisse, quod decreverat Toletana IV. Synodus, ut qua se cumque latissimè funderet Gothica dominatio per Gallias & Hispanias, unus ordo esset, unusque ritus Officiorum. Ea autem hic ratio subjicitur: quod ut à Metropolitano propagatum est in suffraganeos omnes Sacerdotium, ita & ab eodem fonte in eos derivari debet quidquid est sacerdotalis officii. *Sic enim justum est, ut inde unusquisque sumat regulas magisterii, unde honoris consecrationem accepit. Vt juxta Majorum decreta, sedes quæ unicuique sacerdotalis mater est dignitatis, sit & Ecclesiastica magistra rationis.* Eadem prorsus ratione, & verbis penè iisdem antiquissimi Pontifices Romani invitabant olim quandoque omnes orbis Ecclesias ad Romanæ Ecclesiæ Officia complectenda, quòd Petrus caput & origo prima fuisset sacerdotii.

Hæc eadem denique Toletana Synodus, præter Officia privata & propria, quæ concesserit Episcopus Abbatibus, eorumque Monasteriis: jubet ut Officia celebrent publica, Vesperas, Matutinum, Missasque, eodem ritu, quo in Ecclesia Cathedrali celebrantur. *Abbatibus sanè indultis officiis, quæ juxta voluntatem sui Episcopi regulariter illis implenda sunt, cætera officia publica, id est, Vesperam, Matutinum, sive Missam aliter quàm in principali Ecclesia, celebrare non liceat.* Erant ergo in Monasteriis Officia duplicis generis, alia privata, alia publica: publica, quæ Metropolitanæ vel Cathedralis Ecclesiæ ritibus consentirent: privata, quæ Episcopus approbasset. Vides hic & recitationem aliquam privatam Officiorum. Sed sobluceet & hic nova ratio, ejus Officiorum consonantiæ, quam tot jam Concilia desiderabant: nimirum populi frequentiam, qui Officiis intererat, & canentibus concinebat Clericis. Itaque non poterat non Officiorum diversitas aliquid importare molestiæ & perturbationis.

XIV. Invitat locorum vicinitas, ut Hispanicæ Ecclesiæ Africanam subjungam. A Ferrando Diacono in vita beati Fulgentii Ruspensis Episcopi, Episcopum hunc sanctissimum accepimus, non semper affuisse nocturnis Officiis cum reliquo Clero, sed plerumque antevenisse, & privatim semper cele-

Cap. 18. brasse, Oratione, Meditatione, Lectione. *Antequam vigiliæ nunciarentur à fratribus, ipse semper corde & corpore vigilans, aut orabat, aut legebat, aut dictabat, aut cuicumque spiritali meditationi solus vacabat, quia se per diem filiorum Ecclesiæ necessitatibus occupari jugiter sciebat. Ad agendas cum servis Dei vigilias interdum descendebat, sed privatas apud se vigilias, studiis quibus dixi multo laudabilius exercebat.* Hinc facile est justas rimari causas, quibus possit Episcopus abesse quandoque à publicis officiis, cùm gravissimis Ecclesiæ negotiis & occupationibus, populique necessitatibus ita distinetur, ut non diei, non noctis pars ei ulla vacua & libera sit. Sed si justæ sunt causæ, ut publicis se subducat; non sunt ullæ penitus, ut privatis non satisfaciat orationis officiis. Denique ex his Ferrandi verbis, facilè auguror eandem Fulgentii, quæ Caroli Borrhomæi animo insedisse sententiam: quód vulgò jactant, ad tuendam valetudinem horas saltem septem somno indulgendas esse, id certè ad Episcopos nil pertinere.

Ibid. c. 29. XV. Nec minor erat Fulgentio cura, ut Clerici prorsus omnes psalmodiæ & orationi plurimùm vacarent. Ea illos de causa à sæcularibus curis dehortabatur, juxta Ecclesiam ædes illis habitandas procurabat; hortum colere, Psalmos concinere, lectioni operam dare insuefaciebat; jubebat denique ut Matutinis laudibus, Vespertinis officiis, & Vigiliis seu Nocturnis horis nunquam se subtraherent. *Summam quoque diligentiam præbuit, nequis Clericus negotiis sæcularibus occupatus, ab officio Ecclesiastico diutius vacaret; jubens omnes non longè ab Ecclesia domos habere, manibus propriis hortum colere, psallendique suaviter aut pronuntiandi curam maximam gerere, &c. Quotidianis Vigiliis, Matutinis & Vespertinis orationibus adesse præcipiens omnes.*

---

## CAPUT LXXVII. *P. 2. l. 1. c. 17.*

### De origine Officii divini in Anglia & Italia, ejusque recitandi obligatione, sæculo VI. VII. VIII.

*I. Incredibilis Anglorum, tum Episcoporum, tum Clericorum diligentia in decantandis, recitandisque Officiis Divinis.*

*II. Hanc Officii legem à Monachis accepissent Clerici, si nequam ipsi antè habuissent.*

*III. Ab Officio Episcopi quoque sanctissimi nec propter res urgentissimas volebant abesse.*

*IV. Anglicana Officia à Romanis emanaverant.*

*V. Sine ulla tamen lege Pontificia, sine ullo præcepto.*

*VI. Cur in Italia Gregorius Magnus vetuerit, ne Diaconi, sed Subdiaconi ad Cantorum munus defungendum assumantur.*

*VII. Tenebantur Psalterium ediscere, ut Officium recitarent.*

*VIII. De Martyrologio & Officii divini partibus aliis.*

*IX. Quæ ipse scripserat, ea in Ecclesia legi noluit Gregorius.*

*X. Lecta tamen multò post ejus obitum ejus vita.*

*XI. Alia ex aliis Pontificibus sumuntur argumenta, quæ Officii recitatione Clericos tunc obligatos fuisse confirment.*

I. EX Africa in Italiam veniemus, ubi pauca antè dixerimus de Ecclesia Angliæ, quæ ad imaginem & formam Romanæ & ipsa prorsus delineata erat. Didicit Anglorum Apostolus Augustinus ex iis quæ ad ejus consulta respondit Gregorius, quanta sibi cura incumbendum in id esset, ut psalmodiæ omnes invigilarent Clerici: *De Clericorum stipendio cogitandum est, & sub Ecclesiastica regula sunt tenendi, ut bonis moribus vivant, & canendis Psalmis invigilent.* Episcopus Angliæ sanctissimus Aidanus, psalmodiæ & lectioni, quæ duæ Officii Ecclesiastici præcipuæ partes sunt, non Clericos solùm, sed & familiæ suæ laicos omnes vacare volebat, in hoc totos esse, quolibet loco, quolibet tempore, clam & publicè. Invitabatur quandoque ab ipso Rege, ut cum illo cibum sumeret: quod quanquam valde refugeret, veniebat tamen quandoque, sed nonnisi adjunctis sibi Clericis duobus, aut uno saltem, & medias inter epulas secedebat, aut canonico Officio, aut piæ lectioni operam daturus: *In tantum autem vita illius à nostri temporis segnitia distabat, ut omnes qui cum eo incedebant, sive attonsi, sive laici, meditari deberent: id est, aut legendis Scripturis, aut Psalmis discendis operam dare. Hoc erat quotidianum opus illius, & omnium qui cum eo erant fratrum, ubicumque locorum devenissent. Et si fortè evenisset, quod tamen rarò evenit, ut ad Regis convivium vocaretur, intrabat cum uno Clerico, aut duobus, & ubi paululum reficiebatur, accelerabat ocyus ad legendum cum suis, sive ad orandum exivit.*

Beda Hist. Angl. l. 1. c. 27.

L. 3. c. 5.

II. Nec elevari potest authoritas & exemplum Aidani, quód à Claustro ad Episcopatûs culmen venisset. Namque ubi primum asserta est Ecclesiæ libertas, Episcopales thronos turmatim conscendêre sanctissimi Monachi, & primas Ecclesiarum Dignitates obtinuere. Quæ vel una me ratio, si deessent aliæ, convinceret, invectam ab eis fuisse aut confirmatam eam consuetudinem, ut diebus singulis aut canonicum publicè caneretur Officium, aut privatim recitaretur. Idem porro Beda, ex quo hæc sumpta sunt omnia, refert alibi, Egbertum Monachum Anglum sanctitatis fama illustrem, ultro exulare patria voluisse, ac voto se astrinxisse, ut nunquam in eam regrederetur, utque quotidie totum Psalterium præter Horas canonicas recitaret. *Quod* L. 3. c. 27. *præter solemnem canonici temporis psalmodiam, si non valetudo corporis obsisteret, quotidie Psalterium totum in memoriam divinæ laudis decantaret.* Villibrordus, & quos sibi adjunxerat Apostolicæ missionis comites, permagnam temporis partem insumebant in divina psalmodia, Agnique cælestis liturgia celebranda. *Qui enim cogniti essent à Barbaris, quod alterius essent* L. 5. c. 11. *religionis, nam Hymnis & Psalmis semper & orationibus vacabant, & quotidie sacrificium Deo Victimæ salutaris offerebant, habentes secum vascula sacra, & tabulam Altaris vice dedicatam.*

III. Quo in loco non tam Altare portatile, aut offerendi quotidie in ipso suo per ignotas barbarasque gentes itinere & cursu, sacrificii studium ardentissimum observari velim: quàm accuratissimam illam, tum cùm maximè Apostolicis aut Episcopalibus occuparentur negotiis, decantandi, aut recitandi Officii diligentiam. Fungebantur enim Apostolico munere Villibrordus & Aidanus, qui Christum iis annuntiarent, qui de Redemptore Christo nihil unquam antè audissent. Diem totum, ut modó dictum est, Fulgentius finiendis populi controversiis, aut sanandis animi ejus vulneribus impendebat. Veruntamen cùm intelligerent viri illi Apostolici, hoc præ se tulisse, hoc professos esse Apostolos, teste Luca in Actis, ut quod potissimum didicerant à Magistro Christo, totos se orationi partim, partim prædicationi verbi impenderent: nequaquam judicabant dimitti à se posse propter alias Episcopatûs urgentissimas occupationes, orationem, & juge precandi studium: cùm ea prima omnium in Episcopo, & maximè necessaria functio, eademque sanctissima sit.

IV. Finem faciet iis quæ de Ecclesia Anglicana

ejusque Officiis dicenda nobis fuerunt, id quod habet idem Beda, hæc omnia ab Eclesia Romana, ad quam modò nobis trajiciendum est, desumpta esse. Anglus enim quidam Abbas cùm Romam venisset, obtinuit ab Agathone Papa, ut in Angliam Joannem B. Petri Archicantorem mitteret; *quatenus in* L. 4. c. 18. *Monasterio suo cursum canendi annuum, sicut ad sanctum Petrum Romæ agebatur, edoceret, &c. Ordinem ritumque canendi, &c. Et ea quæ totius anni circulus in celebratione dierum Festorum poscebat.* Perinde ferè est ac si dixisset, delatum esse in Angliam Romanum Missale & Breviarium, quo deinde Anglicana Monasteria uterentur. Subjicitur enim paulò pòst, venisse è Monasteriis cæteris Angliæ omnibus, qui Romanum Archicantorem audirent.

V. Inopini ferè in Italiam delapsi sumus. Ne tamen tam citò ab iis recedamus, qui ab Ecclesia Romana in Anglicanam rivuli dimanarunt, hoc unum velim superioribus adjici; non præscriptum ab Agathone Papa, sed expetitum exoratumque ab Anglis fuisse Ecclesiæ Romanæ ordinem ritumque. Et certè id consilii dederat Anglorum Apostolo Augustino Gregorius, ut optima quæque, undecumque posset, corraderet, & in Ecclesiam suam transfunderet Anglicanam; neu solis se Romanis ritibus addiceret, sed ex Gallicanis decerperet, quod in rem suam esse judicasset. *Novit fraternitas tua Romanæ* Gregor. Reg. L. 12. Ep. 31. Beda. l. 1. c. 27. *Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit enutritum. Sed mihi placet, ut sive in sancta Romana, sive in Galliarum, sive in qualibet Ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicitè eligas, & in Anglorum Ecclesia infundas. Non enim pro locis res, sed pro rebus bonis loca nobis amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque Ecclesiis quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, elige, & hæc quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinem depone.*

VI. Vetuit idem Gregorius, ne Diaconi Cantorum munere fungerentur. Tunc enim Subdiaconorum erat aut minorum Clericorum canere, & ei melodiæ operam dare, quæ fidelium animos ad pietatem alliceret. Diaconorum verò erat verbum Evangelicum prædicare, aut opitulari pauperibus. Ergo hoc Gregorii decretum de solo cantûs studio, & accurata vocis modulatione, quam privatim meditarentur, ut publicè populi aures delinirent: non de publica in Choro aut privata Officii recitatione intelligendum est. L. 4. Ep. 44 *In Romana Ecclesia dudum est consuetudo valde reprehensibilis exorta, ut quidam sacri Altaris ministri Cantores eligantur, & in Diaconatûs ordine constituti, modulationi vocis inserviant, quos ad prædicationis officium, eleemosynarumque studium vacare congruebat. Unde fit plerumque ut ad sacrum ministerium dum blanda vox quæritur, quæri congrua vita negligatur: & Cantor minister Deum moribus stimulet, cum populum vocibus delectat.*

Officium illud utriusque Ministri, id est Diaconi & Cantoris simul consistere salvâ decoris & modestiæ lege non poterat. Neque enim pueros aut Clericos juniores dedecet, ut Dei laudes in Ecclesia cum suavi modulatione concinant. At illud minimè omnium decet, Diaconum & ætate & dignitate provectum videri in eo curam operamque omnem ponere, ut suavissimè canat. *Quæ in re præsenti decreto constituo, ut in hac sede sacri Altaris ministri cantare non debeant, solumque Evangelicæ lectionis officium inter Missarum solemnia exsolvant. Psalmos verò ac reliquas lectiones censeo per Subdiaconos, vel si necessitas fuerit, per minores ordines exhiberi.* Ex quibus liquet Romæ psallendi munus Subdiaconis à Gregorio servatum esse, ita ut tum solùm, cùm ii deessent, minores Clerici alii ad id muneris adhiberentur: cùm contrà in Oriente singularis esset quidam Cantorum, vel Psalmistarum ordo, & Lectores vulgò Cantorum munus obirent; in Africa verò compluribusque locis aliis Occidentis instituerentur Psalmistæ, & Psalmistis Lectores inferioresque Clerici alii adjungerentur. Ubi & illud adnotari par est, crevisse in dies dignitatem Cantoris, & eo demum venisse, ut primaria hæc esset in Capitulis Cathedralis Ecclesiæ functio, divinorum decantatio, vel recitatio Officiorum. Pro Lectoribus enim & Psalmistis qui infra Lectores ipsos olim fuerant, non admisit Gregorius nisi Subdiaconos, ordinario jure; Diaconos autem in idem canendi officium aspirantes coërcuit. Usque adeo jam tum via sternebatur posteriori Capitulorum disciplinæ in Ecclesiis Cathedralibus.

VII. Episcopalibus infulia ornare Joannem Presbyterum recusavit idem Gregorius, quòd Psalterium non didicisset, eoque suam in pietatis tyrocinio socordiam proderet. Si Diaconis autem nefas erat Cantorum obire munia in Ecclesia, multò minùs id poterant Presbyteri. Cur ergo Gregorius inexorabili censura urget, ut Episcopi Presbyterique Psalterium memoriter teneant, nisi ut divina Officia vel recitent, vel decantent, sive in Ecclesia, sive domi. *Sed nec Joannem Presbyterum Psalmo-* L. 4. Ep 45. *rum nescium præsumpsimus ordinare, quia hæc eum res minus sui profectò habere studium demonstrabat.* Balneoregienses Joannem Diaconum in Episcopum sibi delegerant. At manus illi imponere tandiu detrectavit Gregorius, donec rescisset quo ille studio preces frequentaret, quo Psalterium perdidicisset. *Et si nihil est quod ei canonicè possit obsistere, requirendum* L. 8. Ep. 14. *quoque est, si in opere Dei studium habuit, vel Psalmos* L. 9. Ep. 15. *novit. Et si talis fuerit, eum ad nos cum testificationis Epistola dirigat, &c.* Cùm Episcopo diu caruisset Samnium, ordinandum ibi Opportunum censuit idem sanctissimus Pontifex, propter eximium quendam pietatis, orationis & Ecclesiasticæ psalmodiæ fervorem. *Sed quia Opportunus mihi in moribus suis, in psalmodia studio, in amore orationis valde laudatur, & religiosam vitam omnino agere dicitur, hunc volumus ut, &c.* Denique cùm jam viduata diutiùs fuisset Anconensis Ecclesia, idem Gregorius electum abjecit Archidiaconum, quia quanquam eum constaret *Scripturæ sacræ scientiam habere*, ejus ætas jam de- L. 15. Ep. 6. vexa Episcopatûs oneri ferendo non esset. In Rustico Diacono animi dubius hæsit, quòd quamvis vigilantiæ nomine laudaretur, Psalterium tamen non teneret. *Rusticus autem Diaconus ejusdem Ecclesiæ, qui similiter fuerat electus, vigilans quidem homo dicitur, sed quantum asseritur, Psalmos ignorat.* In ejusmodi hæsitatione edoceri se voluit Gregorius, quantos Psalmos minùs teneret Rusticus; *Sed etiam de Rustico Diacono, quantos Psalmos minùs teneat, perscrutandum est.*

VIII. Et hæc quidem, ut puto, satis, ut probem Beneficiarios divini constringi lege Officii, quod eximiè Gregorius *Opus Dei* appellat. Quantùm autem ea res illi cordi esset, quanto apud illum in pretio, declarat ejus Sacramentarium, & summa in erudiendis ad cantum junioribus Clericis assiduitas. Docet idem Pontifex Romæ legi solitum esse Martyrologium, ubi nomina Martyrum, temporaque & loca passionis adnotantur, Acta verò ipsa nequaquam. Itaque necdum Romæ vitæ Sanctorum & Gesta in Officiis divinis lectitaban-

L. 7. c. 29 tur. *Non tamen in eodem volumine quis qualiter sit passus indicatur; sed tantummodo nomen, locus, & dies passionis ponitur.* Tradit alibi canendi *Alleluya* usum extra Paschæ quinquagesimam ab Ecclesia Hierosolymitana Romam fuisse perlatum ex B. Hieronymo, L. 7. Ep. 64 sub Damaso Papa. *Ut Alleluia hic diceretur, de Hierosolymorum Ecclesia ex B. Hieronymi traditione tempore beatæ memoriæ Damasi Papæ traditur tractum.* Se quidem, cum instituit Subdiaconos esse in *Tunicis lineis*, nihil aliud quàm intermortuam consuetudinem veterem exsuscitasse. In Ecclesia Græca à fidelibus simul omnibus concini *Kyrie eleison:* cùm Romæ id canerent Clerici, succineret autem plebs; toties denique interfereretur *Christe eleison*. Denique ferialibus in Officiis productiore cantu dici *Kyrie eleyson*, at cum *Gloria in Excelsis* omnino non decantari. Orationem Dominicam cani in Missa, quòd una ea oratione constaret Missa, quam celebrabant Apostoli, & Corporis Christi consecratione. Cæterùm Romæ à Sacerdote solo, in Oriente ab omni plebe orationem Dominicam cantari. Contestatur denique Gregorius in eo potissimum esse à se desudatum, ut antiquas redintegraret consuetudines; si quas autem invexisset novas, summæ illas sibi visas esse utilitatis; & præstò se semper esse, ad imitandum Romæ, si quid opportunius aliæ orbis Ecclesiæ frequentarint. *Si quid boni vel Constantinopolitana, vel alia Ecclesia habet, ego & minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum.*

IX. Quæ fuit Gregorii humilitas ac modestia, ægrè tulit ille, nec diutius pati voluit, quod Ravennas Episcopus Marinianus ad Vigilias, seu ad Nocturna officia, legendos curaverat ejus in librum Job Commentarios. Aptius autem duxit, ut Commentarii in Psalmos tum perlegerentur, ut luculentis ad religionem præceptionibus plebs in- L. 9. Ep. 12. strueretur. *Quia frater, & Coëpiscopus meus Marinianus legi commenta beati Job publicè ad Vigilias faciat, non gratè suscepi, quia non est illud opus populare, & rudibus auditoribus impedimentum magis, quam provectum generat. Sed dic ei, ut commenta Psalmorum legi ad Vigilias faciat, quæ mentes secularium præcipuè ad mores informant.* Huic rationi aliam subjicit, qua magis movebatur, quod nollet superstite se tantopere evulgari opuscula sua. *Neque enim volo, dum in hac carne sum, si qua dixisse me contigit, ea facilè hominibus innotesci.* Ea ipsa de causa expostulat, quod Pastoralis liber à se conscriptus in manus venisset Imperatoris Constantinopolitani, & linguæ Græcæ consuetudini donatus esset ab Anastasio Episcopo Antiocheno. *Et sicut mihi scriptum est, ei valde placuit, sed mihi valde displicuit, ut qui meliora habent, in minimis occupentur.* Cùm denique intellexisset, à Claudio Abbate, quæ egregiè ab ipso audierat in Proverbia, in Cantica Canticorum, Prophetas, libros Regum, & Heptateuchum, eo consilio collecta esse, & scriptis tradita, ut aliquando ea illi legeret, & ab eo curaret emendari. Legi hæc sibi fecit, & cùm doctrinam suam in multis interpolatam sensisset, omnia diligentissimè conquiri jussit exemplaria & ad se comportari. *Quæ cum mihi legisset, inveni dictorum meorum sensum valde inutiliter in multis fuisse permutatum. Unde, &c.*

X. Joannes Diaconus scribendæ Gregorii vitæ mandatum se accepisse à Papa Joanne testatur in pervigilio diei, quo ejus festum celebrabatur. Cùm enim perlecta ibi fuisset beati Paulini Episcopi Nolani vita, quam Gregorius in Dialogis scripserat, ægrè tulit Joannes Papa ejus sanctissimi Pontificis vitam à nemine mandatam fuisse litteris, qui aliorum præclarè gesta ipse litterarum monumentis consignasset: cùm vel maximè didicisset, haberi ejus vitam à Saxonibus & Longobardis, tametsi compendiosè scriptam. Primum ergo Gregorii vitæ librum eo ipso anno absolvit Joannes, quo scribere jussus est. *Tam imperiosis authoritatibus tandem compulsus, vix primum librum Gregorianæ vitæ compleveram, quando hunc in ejusdem vigiliis annua vertigine revoluta tua probavit pariter ac publicavit authoritas.* Ita Sanctorum vitæ legebantur & opera; & in Ecclesia jucundissimè justà & religiosissimè pernoctabatur, interpuncta suavissimis his lectionibus psalmodia Ecclesiastica; quod & etiamnunc fit in vigiliis nocturnisque Officiis. Præfat. vitæ Greg.

XI. Si Pontificum aliorum & vitæ, & lucubrationes, maximè autem si Epistolæ nobis suppeterent, ex iis rei de qua agimus, magna utique lucis accessio fieret. Dedit operam Hormisda Papa, ut Clerici Psalterium memoriæ commendarent. *Hic composuit Clerum, & Psalmis erudivit.* Monasteria Liber Pontif. quæque disciplinæ antiquioris tenacissima, idem vehementer curant etiamnunc. Nimirum una contemplatione divinorum Officiorum. Gregorius II. concionatoribus Apostolicis quos in Bavariam ablegabat, cum multa mandavit, tum illud in primis, quod est de Cantu & Officio Romano. *Ministris* Capitulare Greg. II *quorum Canonicam adprobaveritis promotionem, sacrificandi & ministrandi, sive etiam psallendi ex figura & traditione Apostolica & Romana sedis ordine tradetis potestatem, &c. Qualiter unusquisque Sacerdos, seu Minister sacra Missarum solemnia, sive cætera diurnarum & nocturnarum horarum Officia, sive etiam Lectionum sacrarum novi atque veteris Testamenti ordinabilia prædicamenta studeat observare, secundum traditum Apostolicæ sedis antiquitus ordinem disponetis.* Gregorius III. in Pontificali libro hoc encomio ornatur, quòd in Scripturis versatus esset, Græcè & Latinè peritus, in arcanos sensus Psalterii penitissimè ingressus, quòd denique Psalmos omnes memoriter teneret. *In divinis Scripturis sufficienter instructus,* Baron. an. *Græca Latinaque lingua eruditus, Psalmos omnes me-* 741. n. 7. *moriter per ordinem retinens, & in eorum sensibus subtilissimâ exercitatione limatus.* Quo ex loco non erat quod Valafridus Strabo conjiceret, Psalterium ea tempestate tenuisse paucos. Id enim propterea observat Anastasius, quòd ea res ad suscipiendos sacros Ordines postularetur. Ex aliis siqui minùs tenerent Psalterium, libris utebantur.

---

## CAPUT LXXVIII. *P. 2. L. 1. c. 18.*

### Origo divini Officii, ejusque recitandi obligatio in Oriente & Occidente, ex Monachorum Regulis, edictisque Imperialibus comprobatur, sæculo VI. VII. & VIII.

*I. II. Officii totius Ecclesiastici descriptio juxta Regulam beati Benedicti.*

*III. Totum singulis hebdomadis Psalterium recitabatur.*

*IV. Tenentur viatores & alii, qui absunt à Choro, Officium privatim, & suis unumquodque horis recitare*

*V. Idem probatur ex variis aliorum Monachorum Regulis.*

*VI. Manasset ea lex à Monachis ad Clericos, si non ante à Clericis ad Monachos esset derivata*

*VII. Vigebat eadem lex & in Monasteriis Orientis.*

*VIII. De eadem re lex admodum egregia à Justiniano lata.*

*IX. Multa in eam legem animadvertuntur, quæ Beneficiarios, adeoque & Clericos complectebatur omnes.*

*X Cur Concilia vetustissima expresse non meminerint privatæ Officii recitationis.*
*XI De Concilio Trullano.*
*XII De Regula sancti Pachomii.*

I. Nisi vererer esse longior, hic ego longè plurima & præclara in primis conferrem, ex Regula sancti Benedicti: ex quibus mira quædam proderetur Officiorum nunc nostrorum consensio, cum iis quæ præscripsit sanctissimus Pater. Hoc apud illum Officii exordium est, *Deus in adjutorium*. Inde Psalmus, *Venite exultemus*, al-
Reg. c. 9. ternis canendus, *cum antiphona*: vel ab uno. Succedit Hymnus, quem vocat *Ambrosianum*, ab Authoris nomine. Inde sex Psalmi alternis canendi choris, versus & benedictio Abbatis. Tum sedetur, leguntur que Lectiones tres, intertextis totidem Responsoriis, quorum ultimo tantùm adjicitur *Gloria Patri*. Lectiones erant ex utriusque Testamenti litteris, vel ex Commentariis sanctorum Patrum. Sex rursus decantantur Psalmi, tumque
Cap. 10. *Lectio Apostoli sequitur ex corde recitanda*. Finem faciebat Versus & *Kyrie eleison*. Ita se habebant nocturnæ per hyemem horæ. Æstate cum breviores essent noctes, una tantùm Lectio ex veteri Testamento, cum suo Responsorio recitabatur. In cæteris nil mutabatur: nec unquam de Psalmis duodecim minuebatur quidquam. Nocturnæ verò psalmodiæ seu Vigiliæ Sabbati ante Dominicum diem, multò prolixiores erant. Post Psalmos enim sex decantatos priores, legebantur Lectiones quatuor, totidemque post sex alios Psalmos, cum Responsoriis suis, & *Gloria Patri* in ultimo. His addebantur tria Cantica veteris Testamenti, & post versiculum & benedictionem Abbatis, tres aliæ Lectiones novi Testamenti, cum Responsoriis, & *Te Deum laudamus*. tum legebat Abbas lectionem ex Evangelio stantibus omnibus: *Cum honore & tremore stantibus omnibus*. Deinde Hymnus, quo expleto, incipiebat Matutinum cani, hoc est Laudes, ipso
Cap. 8. canendæ diluculo. *Mox Matutini, qui incipiente luce agendi sunt.*

II. Laudes diei Dominicæ eædem penè, quæ supersunt nobis tempore quadragesimæ. Psalmus *Deus misereatur nostri* in directum recitabatur, *sine antiphona in directum*. Inde canebantur Psalmi *Miserere*, *Confitemini*, *Deus Deus meus ad te de luce vigilo*, *Benedicite*, & tres Psalmi sequentes, quibus hic nomen est *Benedictiones & Laudes*; inde Capitulum memoriter recitandum, Responsorium, Hymnus,
Cap. 12. Versiculus, *Benedictus*, & *Kyrie eleison*. *Lectio una de Apocalypsi ex corde*, & *Responsorium*, & *Ambrosianum*, *Versus*, *Canticum de Evangelio*, *Litania*, & *Completum est*. Prior ad finem Vesperarum & Laudum exerta voce Orationem Dominicam pronunciare debet, ad inculcandam omnibus, & impetrandam cælitus charitatem, & mutuam offensarum condonationem. *Planè agenda Matutina vel vespertina non transeat aliquando, nisi in ultimo ordine Oratio Dominica omnibus audientibus dicatur à Priore, propter scandalorum spinas, quæ oriri solent in Monasterio, ut conventi per ipsius orationis sponsionem, qua dicunt, dimitte nobis, &c. sicut & nos, &c. purgent se ab hujusmodi vitio.* Septem horæ Diurnæ Canonici officii sunt Matutinum, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, Completorium. Nocturna celebrabantur circa noctem mediam. Quatuor horæ Diurnæ similiter contextæ erant, *Deus in adjutorium*, *Ambrosianum*, *tres Psalmi*, *Lectio una*, *Versus & Ky-*
Cap. 16. 17. *rie eleison*, & *Missa sunt*. Una eademque res est *Missa sunt*, & *Completum est*. Nec minor Vesperarum & Completorii similitudo, cum usu etiamnunc nostro.

III. Nihil antiquius fuisse, nihil optatius videtur sanctissimo Regulæ hujus conditori, quàm ut Psalterium omne, & quidquid Canticorum est, singulis hebdomadis persolveretur, cùm vetustissimi Monasticæ vitæ institutores quotidie id recitarent. *Si cui fortè hæc distributio Psalmorum displi-* Cap. 18.
*cuerit, ordinet, si melius aliter judicaverit: dum omnimodis id attendatur, ut omni hebdomada Psalterium ex integro numero centum quinquaginta Psalmorum psallatur. Cùm legamus sanctos Patres nostros uno die hoc strenuè implevisse, quod nos tepidi utinam septimana integra persolvamus.* Ubi minusculus fuerit fratrum numerus, id indulgetur, ut quatuor minores horæ diurnæ non psallantur, sed recitentur tantùm. *Si major congregatio fuerit, cum Antiphonis: si* Cap. 19.
*verò minor, in directum psallantur.* Tum diurnis occupationibus, tum labore manuum cogebantur plerique fratres huc illucque excurrere & abesse choro: ut adesse constanter non possent nisi Vespertinis officiis, Nocturnis & Matutinis; unde & hæ horæ solemniores erant, & antiphonatim semper, sive gemino & alternante choro canebantur.

IV. Quod verò operæ pretium est sæpiùs inculcari, altiusque infigi animo, illa ipsa est necessitas recitandi privatim officii, siqui cum fratribus adesse publicæ psalmodiæ non potuerant, sive illos labor manuum distineret, sive peregrè aliquò abiissent. Opere Dei opus manuum relevandum erat, & itinere defatigatos recreare debebat cœlestis psalmodia. Accipe Regulæ verba. *Fratres qui omnino longè* Cap. 50.
*sunt in labore, & non possunt occurrere hora competenti ad Oratorium, & Abbas hoc perpendit, quia ita est, agant ibidem opus Dei, ubi operantur, cum tremore divino flectentes genua. Similiter qui in itinere directi sunt, non eos prætereant horæ constitutæ, sed ut possunt, agant ibi, & servitutis pensum non negligant reddere.* Quemadmodum quæ in Monasteriis erant Officia, ad eorum formam expressa sunt, quæ in Ecclesia celebrabantur: ita verisimillimum est eam legem, qua Monachi cum absunt, tenentur privatim hora unumquodque sua Officium recitare, ex communi priùs omnibus Clericis lege desumptum esse. Et hæc fortè præcipua causa est, cur utrosque Psalterium memoriter tenere oporteret. Poterant enim in Ecclesia libri usui & auxilio longè facilius esse, quàm ruri, aut in itinere.

V. Possem ex Cæsarii, Aureliani, Ferreoli, *Le Cointe*
Magistri, aliorum complurium Regulis excerpere *ad an. 516.*
complura, eaque admodum præclara: nisi vererer *n. 62. 148.*
ex nimia jam prolixitate fastidium. Vult Cæsarius *n. 39.*
Moniales manibus operari suis, ne nocturnis in Officiis obdormiscant; exceptis diebus Festis & Dominicis: eo enim tempore supersedendum est opere manuum, & si quæ dormituriunt, ut natura somnolentiores, eas stare oportet. Meminit Regu- *Regul. Co-*
la sancti Columbani Monasteriorum quorundam, *lumb. c. 7.*
ubi horis diversis ac separatis quatuor Nocturnum Officium peragebatur, scilicet Nocturna tria, & Laudes Matutinæ. Mirè confirmat Ferreolus, quæ superiùs dicta sunt de Psalterio memoriter addiscendo. *Omnis qui nomen vult Monachi vendicare, litteras* *Regul. Fer-*
*ei ignorare non liceat. Quin etiam Psalmos totos memo-* *reoli c. 11.*
*ria teneat, neque se quacumque excusatione defendat, quominus sancto hoc studio capiatur. Similiter etiam hi qui Pastores pecorum, ut moris est, de congregatione mittentur, cura erit vacare Psalmis, ut cæteri.*

Cap. 56. Præscribit diligentissimè Regula Magistri, quem Monachi in via ordinem tenere debeant, ut preces Canonicas statutis horis persolvant. Patitur illa quidem, ut eas contrahant aliquantùm & decurrent, quando non aliter possunt vitare, quin ab eorum comitatu longiùs discedant, quos necessarios habent itineris socios. Sed illa semper inconcussa stat generalis regula, non posse quenquam ab hoc canonico & salutari penso relaxari. *In nubilo verò die, cùm radios suos Sol mundo absconderit, sive in Monasterio, sive in via, sive in agro, perpensatione horarum transacta, fratres æstiment, & quævis hora sit, consuetum tamen compleatur officium. Et sive antè, sive retro à certa hora dictum sit consuetum horæ opus, tamen non prætereat, sed agatur.*

VI. Tametsi autem sanctissimam ejusmodi legem, recitandi etiam in itinere faciendo Officii, à Clericis non accepissent priùs Monachi, Clericis profectò ipsi tradidissent. Docet enim exemplo suo Cæsarius, innumerabilem illam Presbyterorum multitudinem è Monasterio ad Clerum accersitorum, eadem factitasse apud Clericos, quæ apud Monachos priùs didicerant. Sic enim vitæ illius author suprà docuit. Id quoque quod idem addit, solitum illum cum Diacono stata hora noctibus singulis Nocturna recitare, præcepisseque in posterum à Clericis Tertiam, Sextam, Nonam publicè cani: id quoque ex Monasticis institutis haustum videri potest.

VII. In confesso ferè est, Instituti Monastici primos fontes in Oriente scaturisse. In Monasteriis autem Orientalibus ea duo observabantur diligentissimè, ut addisceretur Psalterium; & Horæ, quocumque demum essent loco, à singulis canonicæ recitarentur. Sic enim legimus de Saba illo, fama super æthera noto, fuisse illi Cœnobium minus, ubi primis recentes Monachos imbueret rudimentis, Psalteriumque addisceret memoriter curaret. *Parvo*
Cap. 36. Surius die 5. Decemb. c. 98. *cœnobio extructo cùm ei præfecisset viros industrios, hoc habitandum tradidit eis qui è mundo recens ventitabant, donec ipsum Psalterium didicissent, & se exercuissent in alia Monachorum vitæ institutione.* Cùm oblatus ei à parentibus Cyrillus tunc impuber fuisset, is qui ejus vitam litteris mandavit: hoc illi primum commendavit Sabas, Psalterium ut edisceret: *Hic ex hinc est meus discipulus, doceatur ergo Psalterium. Eo enim opus habeo.* Liquet autem ex ejus in recitandis Officiis diligentia in sua ad Imperatorem Justinianum profectione, & in ipso Imperatoris Palatio, qualem ipse exigeret à Monachis in consimilibus locorum temporumque commissuris. Necessariæ magnique momenti causæ illum in Aulam Regiam proficisci compulerant. Facillimos apud Principem aditus & pronissimas aures nactus erat. Eo ipso tempore quo Sabam Imperator accersierat, & de negotio ejus cum ipso tractabat, subduxit se hora tertia Sabas, ut ejus horæ pensum canonicum ex-
Cap. 96. solveret. *Cùm jam venisset hora tertia, relicto Imperatore, Deo seorsum reddebat preces solitas, vacans sacris divini David Psalmis.* Cùm submonuisset illum ex discipulis ejus unus, non recedendum à conspectu Principis fuisse eo tempore, quo ille tanta cum humanitate expediendæ ejus causæ incumberet: pari animi magnitudine, & sapientia illa sua cœlitus hausta, respondit, officio suo defungi Imperatorem, & exemplo suo commonstrasse, ut & ipse officium suum persolveret. *Non est hoc alienum, inquit, ô fili. Nam & ipse facit quod ei convenit, & nos omnino id quod debemus.*

VIII. Quando in Justinianum incidimus, extat longè præclarissima ejus Constitutio, quæ astrinxit Clericos omnes, vel ut uni alicui mancipatos Ecclesiæ, ut in ea decantarent Officia, nocturna, matutina, vespertina; cùm iis persæpè & ipsi interessent laïci, non alio adducti, quàm salutis suæ promovendæ stimulo; cùm qui Ecclesias fundaverant dotaverantque, æternas ibi Dei laudes personaturas sperassent; denique cùm Clerici non ex sola ditescendi de bonis Ecclesiæ cupiditate Clerici existimari ac censeri debeant. *Sancimus ut omnes Clerici* Cod. l. 1. Leg. 41.
*per singulas Ecclesias constituti, per se ipsos psallant Nocturna, & Matutina & Vespertina, ne ex sola Ecclesiasticarum rerum consumptione Clerici appareant; nomen quidem habentes Clericorum, rem autem non implentes Clerici, circa liturgiam Domini Dei. Si enim multi laïcorum, ut suæ animæ consulant, ad Ecclesias confluentes, studiosi circa psalmodiam ostenduntur, quomodo non fuerit indecens, Clericos ad id ordinatos, non implere suum munus? Quapropter omnino Clericos psallere jubemus, & ipsos inquiri à Deo amantissimis pro tempore Episcopis, & duobus primis Presbyteris cujusque Ecclesiæ, & ab eo qui vocatur Archon vel Exarchus, & ab Ecdico sive Defensore cujusque Ecclesiæ: & eos qui inventi non fuerint inculpatè in liturgiis perseverantes, extra Clerum constitui. Nam qui constituerunt vel fundarunt sanctissimas Ecclesias, pro sua salute & communis Reipublicæ, reliquerunt illis substantias, ut per eas debeant sacra liturgia fieri, & ut in illis à ministrantibus piis Clericis Deus colatur.*

IX. Quanquam paulò prolixiorem, totam tamen eam Constitutionem hîc intexi necesse fuit, ut nonnulla observarentur magni profectò ad illustrandam Ecclesiæ disciplinam momenti. 1. Ea comprehenduntur Clerici, seu Beneficiarii omnes, quòd eos omnes sua cuidam certæ Ecclesiæ addiceret ordinatio. Celebrabantur autem hæc tria saltem in singulis quotidie Ecclesiis Officia, vespertinum, nocturnum & matutinum. Id & conceptis verbis habet Constitutio, & est alibi jam abundè probatum. 2. Tametsi eorum non meminit Constitutio, qui aut propter ægritudinem, aut propter Ecclesiæ ipsius negotia publicis Officiis interesse non queunt, intelligi tamen ex rationibus quas affert, facilè potest, quid sit de iis existimandum. Cùm enim ejusmodi Clerici sumptibus Ecclesiæ vivant & foveantur, æquissimum est ut conentur orando voluntatem implere Fundatorum, qui id multò potiùs spectavere, ut pro se & Ecclesia secretò flerent, gemerent, orarent boni Clerici, quibus rebus bona nobis è cœlo multa procurantur, quàm ut palam & publicè in Ecclesia cum splendore & pompa divinum Officium celebraretur. 3. Ea quidem lege si non obligantur ad restitutionem qui ab Officio abfuere Beneficiarii, id propterea factum est, quòd Ecclesiastici reditus omnes in distributionibus consisterent, atque adeo statim absumerentur. Manifestum autem est ex eo quòd illos suo privet Beneficio, retineri sine injuria ab eo Ecclesiæ reditus non posse, qui omnium maximè necessario orandi munere non perfungatur. 4. Ibi expressè simul & egregiè dici, Clerici rationem & ipsam quasi vitam esse preces & Horas canonicas: quas qui neglexerit, Clerici tantùm habeat nomen. *Nomen quidem habentes Clericorum, rem autem non implentes Clerici, circa liturgiam Domini Dei.* 5. Liquet ex eorum numero quos ei rei jubet invigilare, quàm ei cordi fuerit, ut Clerici Officio interfint. Statuit enim ut Episcopus aut Presbyteri duo, πρώτοπρεσβύτεροι

*sum*, Ecclesiæ cujusque Decanus, qui *Archon* aut *Exarchus* dicitur, & Defensor id curent. Denique & verbis quibus enunciatur Constitutio, & rationibus quibus munitur, comprehendi Clericos omnes atque Beneficiarios, nullo excepto, ac divini lege Officii illigari. Quamobrem dico ego, legem hanc nec generaliorem unquam, nec strictiorem fuisse, quàm eo tempore, quo plerique hujusce ætatis homines audacia majore quàm scientia, temerè magis quàm sapienter sibi persuasere, vix ac ne vix quidem eam posse reperiri. Clericos enim lex omnes comprehendit, quia eo tempore omnes Beneficiarii erant: & si Officio defuerint, jubet eos deponi. Quòd si dicas, de canendis tantùm publicè Officiis sermonem esse; & hoc ipsum aliud severioris postea disciplinæ caput est, ut non Officii tantùm Clerici, sed & ipsius publicè in Ecclesia nocturni ac diurni lege teneantur. Certum enim est & ex contextu legis, & ex iis quæ jam in hoc opere nostro sparsim diximus, & suo tempore deinde dicemus, nullam tum extrui solitam Ecclesiam esse sine ea dote, quæ Clericis ad celebrandum Officium necessariis sufficeret, nec ordinari Clericum, qui certæ cuidam Ecclesiæ, certoque Officio non illigaretur.

X. Et hæc verissima causa est, cur prioribus illis sæculis de privata Officii recitatione rarissima fuerit mentio & Canones pauci. Cùm enim ipsa sui ordinatione residere tenerentur Clerici singuli, & Ecclesiæ Officiis adesse; curæ non erat definire quo cuique tempore, qua causa liceret non adesse, quid facto opus tum cùm aliqui adesse non potuissent. Postquam autem Clericorum pars maxima liberam sese ab Ecclesiastica residentia credidit, & fundatæ Ecclesiæ multæ sunt sine canonico Officio quotidiano: Tum verò necesse fuit clariùs jam & apertiùs edoceri teneri Beneficiarios, privatis saltem & secretis precibus satisfacere & Beneficiorum oneri, & Fundatorum voluntati.

Can. 63. XI. Prohibet Concilium *in Trullo*, ne falsa Martyrum acta legantur in Ecclesia, atque adeo innuit
Can. 75. probata legi solere. Jubet cantus sit moderatior, & ne quod Ecclesiæ non conveniat, quidquam le-
Can. 81. gatur. Vetat denique, ne exemplo Petri Fullonis, à quo novatum id fuerat, hæc verba subjiciantur Trisagio, *Qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis.*

Cap. 142. XII. Ita Monacho præcipit Regula Pachomii: *Etsi in navi fuerit, vel in Monasterio, & in agro, & in itinere, & in quolibet ministerio, orandi & psallendi tempora non prætermittet.* Idem habet Regula Basilii:
Cap. 107. *Si quis circa cellarium vel coquinam, vel alia hujusmodi opera occupatus est, & non occurrat adesse ordini psallentium, vel ad orationem, &c. si corporaliter non occurrerit adesse cum cæteris ad devotionis locum, in quocumque loco fuerit, quod devotionis est, expleat.*

---

## CAPUT LXXIX. *P. 2. l. 1. c. 19.*

### Quàm assidui in Officio divino Laïci. Unde colligi etiam potest assiduitas Clericorum, sæculo VI. VII. & VIII.

*I. Intererant diurnis ac nocturnis Officiis Laïci.*

*II. Chorum non ingrediebantur, nisi communicaturi, nec Imperator ipse, nisi munera oblaturus.*

*III. Cur Ambrosium Basilius non sit imitatus.*

*IV. V. Varia argumenta è Gregorio Turonensi quibus ostenditur populum diurnis & nocturnis Officiis assuisse.*

*VI. VII. Instant vehementissime Eligius & Cæsarius, ut idem fiat.*

*VIII. Item ut Laïci legendis libris sacris invigilent.*

*IX. Jubet Cæsarius Tertiam, Sextam ac Nonam in populi gratiam publice in Ecclesia recitari.*

*X. XI. XII. XIII. Idem iterum ex Scriptoribus aliis comprobatur.*

*XIV. XV. In Oriente eadem fuit Laïcorum assiduitas. Cur serius in Ecclesia institutum, ut canerentur Tertia, Sexta & Nona, quibus adesse Laïci non facilè poterant.*

I. EA fuit in Officiis divinis laïcorum assiduitas, ut quales in ea re Clerici fuerint, inde etiam magis intelligere possis. Ut conversos ad fidem Hunnos cæterasque barbaras gentes Hieronymus significet, ita loquitur: *Hunni Psalterium* Epist. 7.
*discunt.* Tenebatur ergo Deo psalmodiæ cultum exhibere, Deum psallendo colere, hoc ipso, quo quis erat fidelis. Aderant profectò & vigiliis nocturnis, & Officiis Laïci, quando statuit Concilium Turonense II. ne in eo loco sint, ubi Clerici & Cantores: *Ut Laïci secus Altare, quo sacra Mysteria cele-* Can. 4.
*brantur, inter Clericos tam ad Vigilias, quàm ad Missas stare penitus non præsumant. Sed pars illa quæ à cancellis versus Altare dividitur, Choris tantùm psallentium pateat Clericorum. Ad orandum verò & communicandum Laïcis & fœminis, sicut mos est, pateant Sancta Sanctorum.* Tametsi verò accederent ad Altare communicaturi Laïci, hos tamen inter & Clericos magnum erat discrimen, magnum in ipsa communione intervallum. Neque enim tam propè accedebant quàm Clerici; nec Sanctuarium ingrediebantur, ubi Presbyteri ac Diaconi; nec ipsum etiam locum, ubi vel infimi Clerici communicarent. Id quod testatur Concilium Braccharense: *Placuit ut* Can. 13.
*intra Sanctuarium Altaris ingredi ad communicandum non liceat Laïcis, viris vel mulieribus, nisi tantùm Clericis, sicut & antiquis Canonibus statutum est.* Communionem fieri statuit Concilium Toletanum IV. *Eo* Can. 17.
*videlicet ordine, ut Sacerdos & Levita ante Altare communicent, in Choro Clerus, extra Chorum populus.* In Concilio verò Trullano ita legimus: *Nulli li-* Can. 69.
*ceat, qui quidem sit in Laïcorum numero, intra septa sacri Altaris ingredi; nequaquam tamen ab eo prohibita potestate & authoritate Imperiali, quandoquidem voluerit Creatori dona offerre, ex antiquissima traditione.*

II. Nemo nescit, quàm Episcopali authoritate Theodosium Imperatorem Ambrosius choro, ut decederet, adduxerit, postquam munus suum obtulisset; cùm verò Constantinopoli Theodosius idem verè Regiæ modestiæ specimen edere vellet, & Choro decedere, instanti Nectario Episcopo Constantinopolitano, ut ne decederet, respondisse: Addidicisse se ab Ambrosio quid discriminis inter- Theodoret.
sit inter Imperatorem & Episcopum: unumque sibi l. 5 c. 17.
videri Ambrosium verè Episcopum. Ita Theodoretus, cui consonat & Sozomenus, sed paulò expli- catiùs. Nimirum Ambrosium ita secum statuisse, quod adulatio, ordinisque perturbatio invexisset, id sibi emendandum esse, pristinoque ordini restituendum, ut ne Imperator quidem inter Clericos sederet; itaque sedem ab eo Imperatoribus esse locatam ante cancellos, ut honorificentiùs & propiùs ad Altare sederent, quàm Laïci; inferiùs tamen remotiùsque quàm Clerus; hanc Ambrosii institutionem à Theodosio probatam confirmatamque, successoribus, ita ut suo etiam tempore observaretur. Sozom. l. 7.
*Moris erat, ut Imperatores, dum sacris interessent, in sa-* c. 25.
*crario sederent, Majestatis ergo à populi consortio separati. Ambrosius autem considerans eam consuetudinem vel ex assentatione, vel ex ordinis perturbatione esse natam, Imperatori in Ecclesia locum assignavit ante Sacrarii cancellos, ita ut populum Imperator, Imperatorem Sacer-*

*dotes ordine sedis antecederent. Hanc autem optimam Constitutionem Theodosius Imperator approbavit, & successores ejus corroboraverunt, ac nos eam ex eo usque tempore conservatam cernimus.* Enimvero Theodosius Junior in ea Lege, quam post Ephesinum Concilium promulgavit, nimirum de asylis, contestatur ipsemet non adire se unquam ad ipsa Altaria, nisi ad oblationem, & statim abscedere. *Ad sacra Altaria munerum tantummodo offerendorum causâ accedimus, & cum circumscriptum sacrorum aditum ingressi sumus, statim egredimur, nec quidquam ex propinqua divinitate nobis arrogamus.* Quin & Trullanus ipse Canon, quode hîc agimus, non sinit Imperatorem remorari in Sanctuario, sed ad oblationes tantùm faciendas adire, & confestim exire.

III. Si Basilius autem Valentem Imperatorem in choro Clericorum retinuit, postquam munera sua Deo obtulerat, id eidem nimirum imputandum est indulgentiæ, jurisque relaxationi, ex qua & illud proficiscebatur, quòd immanissimi Ecclesiæ Catholicæque fidei adversarii munera admitterentur.

*Theodoret. L. 4. c. 17.*

*Valens rectà ad Templum se confert, & consueta dona Altari offert. Basilius autem eum intra sacra aulaa, ubi ipse sedebat, venire jubet, &c.* Tam non valet juri præjudicare hæc Imperatoris inter Clericos sessio, quàm nec admissa hæretici Principis oblatio.

IV. Non injucundo, ut reor, nec inutili è diverticulo, recurrendum nobis est ad id unde digressi eramus, demonstrandumque ex Gregorio Turonensi, quàm frequens convolaret populus, ut Horis canonicis noctu & interdiu interesset. *Venientibus ad Hymnos matutinos populis.*

*L. 2. c. 7.*
*L. 3. c. 15.*
*L. 6. c. 25.*

Et alibi: *Signum ad Matutinas motum est. Erat enim Dominica dies.* Et rursus alibi: *Pridie Calendas Februarias, cùm die Dominico ad urbem Turonicam ad Matutinas signum commotum fuisset, & populus surgens ad Ecclesiam conveniret.* Et alio quopiam opere:

*De Gloria Mart. l. 2. c. 9.*

*Noctem Dominicam dum sacrosanctis vigiliis populi fides devota concelebrat, increpita est mulier, Cur reliquis nocturnas excubias Deo exhibentibus, illa deesset?* Et infrà:

*Cap 11.*

*Ad beati Martyris Basilicam vigilias fideliter celebravit.* Et rursus infrà:

*Cap. 21*

*Ad festivitatem beati Martyris devotus pauper advenerat, ac vigiliis immobilis instans, noctem cum cateris orando deduxit. Inlucescente verò cœlo ad metatum digressus.* Et inferiùs:

*Cap. 35.*

*Exacta cum sacris Hymnis, modulisque cælestibus nocte, celebratis etiam Missarum solemniis.* Et alio in Opusculo:

*De Gloria Confess. c. 5.*

*Celebratis in ejus honorem vigiliis, cùm Archipresbyter loci Eulalius Clericos convivio invitasset.* Epulæ instruebantur diebus Festis, maximè post vigilias, ut postrema hæc loca produnt. Usuvenit nonnunquam, ut miraculis Deus quibusdam hæc illustraret & quodammodo consecraret convivia, quæ non alio magis condiebantur sapore, quàm sobrietate, modestia & pietate.

V. Idem ipse Scriptor, de Regina verba faciens, quæ ad beati Martini opem implorandam confugerat;

*De Mirac. B. Mart. l. 1. c. 12.*

*Deducta in vigiliis nocte, & orationibus ac profusis lachrimis, mane oblatis muneribus multis, in honorem beati Confessoris Missas expetiit celebrari.* Et infrà:

*L. 3. c. 11*

*Mulier clauda, ad beati Martini pedes deposita, nocte tota cereum manu pro voto detinuit, nobis in Basilica vigilantibus, mane autem facto, moto Matutinis signo, &c.* Et rursus infrà:

*Cap. 32.*

*Nox erat illa vigiliæ transitus Confessoris, media noctis tempore transacto, stupente populo, &c.* Et alibi:

*Cap. 45.*

*Veniens ad Cellulam Condatensem, in qua lectus beati viri habetur, dum ibidem nocte Dominica vigilia celebrarentur, subito orante populo, sensit, &c.*

*L. 3 c. 13.*

Et alio rursum loco: *In una Dominicarum nocte, &c. Interea Beati signum movetur horis Matutinis, adgregatur & populus, vigiliisque celebratis, virtus sancti clarifica perpatuit.* Hinc palam fit noctes vigiliatum ante Festos Dominicosque dies, insomnes duci solitas ab populo Cleroque indiscriminatim in Ecclesia; privatos quosque pernoctasse sæpissimè in locis publica devotione insignitis, ad nuncupanda exsolvendaque vota sua; sub ipsum diluculum signa ad Matutinam psalmudiam sulita concrepare, & plebem ipsam impigram advolasse, hiberno etiam tempore.

VI. In eo quem ad populum & ad pœnitentes habuit sermone Eligius Noviodunensis Episcopus, hortatur provocatque fideles omnes ad jugem illam orationem, ad quam ab Apostolo invitati sunt omnes; utque ad id pertingant, monet non aliud opportunius esse adminiculum, quàm ut iis præstò sint semper horis Canonicis omnibus, quibus dies noctesque singulæ intertexuntur. *Cui ergo dicendum est, oportet semper orare & non deficere, nisi ei, qui Canonicis horis quotidie juxta ritum Ecclesiastica traditionis, psalmodiis precibusque consuetis Dominum laudare & rogare non desistit? Et hoc est quod Psalmista dicebat, Benedicam dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.*

*Hom. 11.*

VII. Cæsarius Arelatensis Episcopus illud frequens inculcabat plebi, prolixiores Ecclesiæ preces non tædio, non fastidio esse debere: quin recreandis fovendisque eas animis institutas esse. Itaque non ante consecrationem corporis & sanguinis Christi, non ante orationem Dominicam, non ante benedictionem à Celebrante impertitam, à sacro abeundum esse. *Qui vult Missas ad integrum cum lucro sua anima celebrare, usquequo oratio dicatur, & benedictio populo detur, humiliato corpore & compuncto corde se debet in Ecclesia continere.*

*Homil. 12.*

Subdit Cæsarius peccare eos, qui non totum Dominicum diem impendunt, vel lectioni, qua Deum exaudiant, saluberrima præcepta instillantem: vel orationi, qua ipsos cœlestis gratiæ dona flagitantes ut præceptis pareant divinis, exaudiat Deus: non ergo gravatè ferre quenquam debere, si una & altera hora rei sacræ dependenda sit. *Ad extremum si toto die Dominico lectioni insistere & Deo supplicare negligimus, non leviter in Deum peccamus. quantum mali est, si vel unius, vel duarum horarum spatio, cum divina mysteria celebrantur, in Ecclesia standi patientiam non habemus?* Perspicuum inde fit, in gravium jam tum piaculorum numero fuisse, si quis die Dominico Missa abfuisset, quanquam ad unam & alteram ea horam protraheretur, quòd pompa solemnior adhiberetur, nec tam frequenter quàm nunc iteraretur. Sed præter mysteriorum celebrationem, affirmat Cæsarius non leviter peccari, *non leviter in Deum peccamus*, si quis in die Dominico subducat se horis Canonicis, quæ in Ecclesia decantantur, nec diem sanctimoniæ dicatum piè & religiosè totum exigat. Porro non difficile erat fidelibus diem totum piè transigere, cùm libros pios, ipsasque sacras Litteras præ manibus haberent, domique lectitarent. *Nam lectiones sive Propheticas, sive Apostolicas, sive Evangelicas etiam in domibus vestris, aut ipsi legere, aut alios legentes audire potestis.*

VIII. Sed longè vehementioribus idem sanctus Pater & verbis intonat alibi, & argumentis, ut Laicos omnes accendat ad Scripturarum lectionem, & ad nocturnam diurnamque psalmodiam: ita ut ne rudiores quidem possint ulla tergiversatione hanc pietatis legem declinare. Quo vinculo

constringebat

constringebat Clericos, qui nec laïcos, nec ipsos relaxabat turicolas? Qui litteras sciunt, ait ille, lectitent ipsi libros sacros. Qui nesciunt, accersant qui sibi eos legat, & impensæ aliquid faciant, ad immortale hoc sibi veritatis & æternæ vitæ viaticum comparandum: cùm nullis parcant sumptibus, ut viros conducant litteratos, qui suas sibi causas legant, litesque extricent, ad paranda vel tuenda sibi perituræ vitæ fugientia commoda. Cum longissimæ sunt noctes, nemo non potest duas, immo & tres horas lectioni dedicare. Nec rusticus ullus, nec rustica est tam rudis & excors, quæ non ediscere possit, & frequentissimè recitare Symbolum, Orationem Dominicam, Psalmum quinquagesimum, nonagesimum; nec enim difficiliùs mandantur memoriæ sacra istiusmodi Cantica, nec minùs oblectant animos, quàm turpia illa plerumque carmina, quibus ora fideles sua auresque incestant.

Hom. 10. *Lectionem divinam etiamsi aliquis nesciens litteras non potest legere, potest tamen legentem libenter audire. Qui verò litteras novit, numquid potest fieri, quod non inveniat libros, quibus possit Scripturam divinam legere. Tollamus à nobis fabulas vanas, mordaces jocos, sermones otiosos ac luxuriosos, & videamus si nobis non remanet tempus, in quo lectioni divinæ vacare possimus. &c. Quando noctes longiores sunt, quis erit qui tantùm possit dormire, ut lectionem divinam vel tribus horis non possit, aut ipse legere, aut alios legentes audire. &c. Novimus aliquos negotiatores, qui cùm litteras non noverint, requirunt sibi mercenarios litteratos, & cùm ipsi litteras nesciant, aliis scribentibus ratione sua ingentia lucra conquirunt. Quare ergo non cum pretio & mercede rogas, qui tibi debeat Scripturas divinas relegere, ut ex illis possis præmia æterna conquirere? Vos ergo fratres rogo & admoneo, ut quicumque litteras scitis, Scripturarum divinam frequentiùs relegatis: qui verò non scitis, quando alii legunt, intentis auribus audiatis. Lumen enim animæ & cibus æternus, non est aliud, nisi verbum Dei, sine quo anima nec videre potest, nec vivere, &c. Quàm multi rustici, & quàm multæ mulieres rusticanæ cantica diabolica & turpia & amatoria decantant? Ista possunt tenere, atque parare, quæ diabolus docet, & non possunt tenere quod Christus ostendit? quantò celeriùs & meliùs quicumque rusticus, vel quæcumque mulier rusticana, quantò utiliùs poterit & symbolum discere, & orationem Dominicam, & aliquas Antiphonas & Psalmum quinquagesimum, vel nonagesimum, & parare, & tenere, & frequentiùs dicere, unde animam suam & Deo conjungere, & à diabolo liberare possit?*

Hom. 33. 34 Possunt & aliæ sanctissimi viri homiliæ evolvi, ubi fideles provocat, ut ante exortum lucis in Ecclesias confluant, genuque flexo Deum adorent, quoties inclamat Diaconus, *Flectamus genua*: & Hom. 20. capita inclinent ad has rursum ejus voces, *Inclinate capita vestra Deo.* Sed illud maximè commendandum, quod idem Præsul sanctissimus imperitissimi vulgi ipsam fæcem declarat posse jugi penè orationi & piis cum Deo colloquiis vacare, dum quod pronissimum est, ediscant memoriter Symbolum, orationem Dominicam, & Psalmum pœnitentiæ *Miserere*: atque hæc ad divinas aures iterum iterumque per dies singulos ingeminent. Ita habet usus posterioris hujus ætatis apud plebem frequentissimus, cui Cæsarius initium, aut magna certè dedisse incrementa non immeritò videri potest.

IX. Jam dixi cum Scriptore vitæ Cæsarii, institutum ab eo, ut Tertia, Sexta, Nona publicè canerentur in Ecclesia, ut possent & pœnitentes &

laïci fideles quotidie interesse. *Ut si quis forte sæcularium, vel pœnitentium sanctum opus exercere cuperet, absque excusatione aliqua quotidiano posset officio interesse.* Nec eo contentus Cæsarius, laïcos unà cum Clericis divinas in Ecclesia laudes persolvere volebat, ut Psalmos, Hymnos, Prosasque Latinè & Græcè concinerent, & cœlestem Angelorum psalmodiam vitamque jam hinc meditarentur. *Voluit verò atque etiam compulit laicos & sæculares homines, Psalmos & Hymnos promere, altaque & modulata voce, instar Clericorum, alios Græcè, alios Latinè Prosas & Antiphonas decantare, ne illis spatium suppeteret, ad fabulas in Ecclesia effutiendas.* Denique ægrotantium ædes ita composuit, ut Officia canonica, quæ in majore Basilica concinebantur, exaudire possent, unàque saltem corde accinere. *Ægrotis verò mirè consuluit, amplissimis eis assignatis ædibus in quibus sine ullo strepitu divina Officia, quæ in Basilica peragebantur, auscultare possent.* Cap. 6. Cap. 8.

X. Exarserat non minore studio sanctus Germanus Parisiorum Episcopus, ut Laïci divinæ psalmodiæ consortes & ipsi essent. Tabellam elegantissimam exhibuit Venantius Fortunatus Chori sub eo Parisiensis, ejusque Officiorum, etiam Nocturnorum, & frequentissimæ populorum turmæ, quæ unà cum Clero divinas concinebat laudes. *Flagranti studio populum domus irrigat omnis, certatimque monente, quis prior ire valet. Pontificis monitis Clerus, plebs psallit, & infans, &c. Sub duce Germano felix exercitus hic est, &c.* Poemat. l. 3.

XI. Alibi verò idem ipse Fortunatus, in ea quam mandavit scriptis vita sanctissimæ Reginæ Radegundis, non minorem ejus, quàm cujusvis posset esse piissimi Clerici, sedulitatem & diligentiam exhibet in horis Canonicis, eo ipso tempore, quo in Regio adhuc versabatur Palatio. Sive noctu enim, sive interdiu, à conspectu & à mensa Regis abscedebat, ut hora quasque sua canonici pensi horas Deo exolveret. *Decursum verò decantando, etsi sederet in prandio, excusans se Regi aliquo casu, ut Deo redderet debitum, se subducebat convivio, quo egressa Domino Psalleret, &c. Itidem nocturno tempore cùm recl[in]aret cum Principe, rogans se pro humana necessitate velle consurgere, & levans, egressa cubiculo, tandiu secretim orationi incumbebat, &c.* Vix ambigere quisquam potest, quin ubi Laïci, plebeii, nobiles, proceres, Matronæ, ipsæque adeo Reginæ, statis horis Canonicas celebrabant horas, id privatim imitarentur, quod publicè videbant & admirabantur à Clero factitari. Apud Surium. Augusti die 13. L. 1. c. 2.

XII. Exiit in lucem Tractatus de Vigiliis, nomine sancti Niceti Trevirensis Episcopi honestatus, ubi apparet passim laïcos iis stantes affuisse, infirmioribus tamen indultum fuisse ut sederent, denique binas singulis septimanis vigilias celebratas, ante Sabbatum, & ante Dominicam. *Vigilare itaque debent sedentes, si stare non prævalent. &c. Nec onerosum vel difficile videri debet, etiam delicatis & infirmis corporibus, in septimana duarum noctium, id est, Sabbati atque Dominicæ portionem aliquam Dei Ministerio deputare, &c.* Scriptor anonymus vitæ sancti Leodegarii Augustodunensis Episcopi narrat interemptum Ebroinum mane Dominicæ diei, eo tempore, quo juxta morem ad matutinum Officium pergere meditabatur. *Dies agebatur Dominica, ideoque processurus erat ad Matutinarum solemnia.* Spicil. to. 3. pag. 1. 3. &c. Sæc. Bened. Tom. 2. pag. 694.

XIII. Scripsit in Dialogis suis sanctus Gregorius Papa vitam sanctissimi viri Servuli, in qua expressit & delineavit luculentissimè ea omnia sive

præcepta, sive consilia, quibus paulò antè sanctus Cæsarius laïcos quantumcumque rudes & illiteratos instruebat ad Scripturas perdiscendas, & ad jugem quandam orationem Deo adolendam. Litteratum penitus rudis & ignarus erat Servulus, sed ingenii largitrix charitas, innocua arte & pia fraude illum grassari docuit, ut Scripturarum scientiam venaretur: nempe hospitio excipiebar, quos ipse mortali, & qui immortali vicissim ipsum alerent cibo Scripturarum, quas ei lectitabant. *Nequaquam litteras noverat, sed Scripturæ sacræ sibimet Codices emerat, & religiosos quosque in hospitalitatem suscipiens, hos coram se studiosè legere faciebat. Factumque est ut juxta modum suum plenè Scripturam sacram disceret, cùm sicut dixi, litteras funditus ignoraret. Studebat semper in dolore gratias agere, Hymnis Deo & laudibus diebus ac noctibus vacare, &c. Cùm jam se morti proximum agnovisset, peregrinos viros, atque in hospitalitatem receptos admonuit, ut surgerent, & cum eo Psalmos decantarent.*

Dialog. l. 4. c. 14. Hom. 15. in Evang.

XIV. Ecclesiæ Græcæ consuetudines uno perstringam verbo. Totam Paschæ hebdomadam, quæ nonnisi festis diebus constabat, jubent Trullani Canones totos impendi precibus, psalmodiæ, & piorum lectioni librorum. Idem ergo de diebus per totum annum Dominicis Festisve sentiendum. *A sancta Christi Dei nostri resurrectionis die usque ad novam Dominicam diem, tota septimana in Ecclesiis vacare fideles jugiter oportet Psalmis & Hymnis & spiritalibus Canticis, divinarum Scripturarum lectioni mentem adhibentes, & sanctis Mysteriis jucundè fruentes.* Superiori capite prolatum est Justiniani Imperatoris Edictum, quo ad sedulò defungendum Canonicis Officiis Clericos extimulabat exemplo Laïcorum, qui frequentes semper adessent. Hoc ipsum ergo est argumentum, quod hîc stringimus; non tam vehementes futuros esse Episcopos in provocandis Laïcis ad Officia divina, si ne Clerici quidem ipsi se ea lege constringi existimassent.

Can. 66.

XV. Qui vitam scripsit B. Porphyrii Gazensis Episcopi, insitata quadam de causa aliquando indictas fuisse ab eo vigilias tradit, eaque nocte tricies oratum esse, tricies flexa fuisse genua, præter solemnes & usitatissimas alias vigiliarum orationes. Sed nusquam pulcriùs elucescet quàm assidui & exsomnes essent fideles in Vigiliis sacris, quàm in vita sancti Joannis Eleemosynarii Archiepiscopi Alexandrini. Juxta duo Alexandrinæ urbis Oratoria duo ipse construxit Monasteriola, ut vespertina & nocturna ibi Monachi decantarent Officia in unam sui ipsius ceu conditoris mercedem & utilitatem, reliquis horis canentium in rem & salutem Monachorum ipsorum cessuris. Eo exemplo usque adeo excitata est Alexandrina civitas tota, ut tota unius instar esse Monasterii videretur, ubi divina undique noctu concreparent Officia. *Vespertina & nocturna vigilia mihi apud Deum imputetur. Quidquid verò in cellulis vestris officii feceritis, pro vestris sit animabus. Hoc autem fecit, volens sollicitiores efficere Dei amicos Monachos. Unde & permansit Deo talis grata constitutio ordinum, & ad similitudinem Monasterii ex his civitas penè vivit, in diversis locis pervigiles hymnodias Deo referens.* Contigit aliquando, ut sanctissimus Pontifex ab Altari & ab incœpta recederet liturgia, ut & discedentem sequeretur gregem, aut potiùs ut revocaret, quod & fecit, contestatus posse se aliquantò commodiùs in sacello Episcopali sacris defungi ministeriis, sed ideo illa publicè à se celebrari, ut ad ipsos nimirum præsentes & unà comprecantes redundaret utilitas. *Ego propter vos descendo in sanctam Ecclesiam, nam poteram facere mihimet Missas in Episcopio.*

Cap. 44.

Cap. 41.

Ex his porro locis intelligere est & privatas celebratas fuisse Missas, & privatas Officiorum recitationes ab Episcopis, à Clericis, Monachisque, præter illa quæ publicè & cum pompa celebrabantur Ecclesiarum Officia, ad populorum turbas invitandas. Quia enim homines sæcularibus curis & negotiis distenti, faciliùs possunt ad Ecclesias concedere vespere, noctu, maneque, quàm diurnis horis: ideo celeberrima illa tria & semper publica fuere Officia, vespertina, nocturna & matutina. Diurnarum autem horarum Officia perdiu privatim tantùm & alicubi semper recitata fuere, quòd tardiùs potuerint adduci Laïci, ut ad ea convenirent.

---

## CAPUT. LXXX. *P. 3. l. 1. c. 17.*

### De Cantoribus, & Cantu divinorum Officiorum sub Imperio Caroli Magni.

*I. Mira Crodogangi & Concilii Aquisgranensis leges de Cantu divinorum Officiorum.*

*II. Romana Ecclesiæ Cantus in Gallias à Pipino Rege invectus.*

*III. Carolus Magnus idem institutum promovit, ut Cantus & Officiorum unitas unitatem quoque fidei roboraret.*

*IV. Eadem Cantûs & Officiorum consonantia in plerasque Occidentis partes à Carolo Magno propagata.*

*V. Multa circumstantia hujus innovationis.*

*VI. Pontificum & Imperatorum Præstantissimi Gregorius & Carolus Magnus plurimum studii operæque posuerunt in Cantu & Officiis divinis perpoliendis. Ipse Carolus Magnus Moderator erat Chori.*

*VII. Capella Palatii Regii omnium Regni Ecclesiarum facilè Princeps erat in Cantûs & Officiorum elimatissima peritia.*

*VIII. Sacramentarium Gregorii in Gallias allatum.*

*IX. Non potuit tamen expugnari & oblitterari prisca tota in his inter Ecclesias diversitas.*

*X. Officia Lugdunensis Ecclesiæ, ut ex solis decerpta Scripturis, tuetur Agobardus; si Antiphonarium demas, cujus & ipse tamen expurgandi curam in se recepit.*

*XI. Quanti intersit ex eodem Agobardo, ut attentior sit mens, & cor magis affixum sempiternæ veritati, quàm regulis Cantûs.*

I. IN sua ad Canonicos Regula Crodogangus Metensis Episcopus multa præclarissimè præcepit de Cantu & de Cantoribus divinorum Officiorum. 1. Illud sanè in primis commendavit, ut cantûs delinimentis studeant Cantores non tam aures mulcere, quàm mentes ad cælestium deliciarum amorem accendere. 2. Ideo enim in decantandis Psalmis, quàm in cæteris divinorum Officiorum partibus minùs contendebatur vox, modestiaque & simplicitas quædam major affectabatur. Non ergo clamosus, non exaggeratus erat Psalmorum cantus, sed lenis & recitationi propior, qualem Alexandriæ & in Africa tota viguisse, qualem & in hodierna etiamnunc psalmodia Romanæ Ecclesiæ superesse monuimus. 3. Cantoribus habenda est ratio, & numeri Clericorum, & qualitatis Officiorum, & temporis vel longioris vel brevioris, quod sibi liberum est, ut cantum vel contrahant, vel producant. Ex quo patet Officia quædam alia aliis solenniùs decantari solita; solenniùs autem semper in iis Ecclesiis, quarum erat numerosior Clerus; denique Clerum prorsus omnem in unum convenisse, moderantibus omnia Cantoribus. 4. Erat denique Cantorum schola, ubi juniores Clerici à

peritioribus diutissimè addiscerent, quæ canerent ipsi, & quæ diutissimè exercitati alios addocerent aliquando. Porro non tantopere laboraret sanctissimus Pontifex in commendanda Cantoribus humilitate, animique demissione, nisi magno in pretio, & admirationi fuisset cantus, ut inde non immeritò metus esset, ne qua superbiendi ansa Cantoribus præberetur. Verba Crudogangi ita habent:

Regula Canon. c. 50. 51.

*Cantores itaque non propter donum sibi collatum se cæteris superbiendo præferant, sed humiliter socios exhibeant. Et providendum est illis, quando temperatè, quando submissè divinum agatur Officium: scilicet ut secundum numerum Clericorum, & Officii qualitatem, & temporis prolixitatem, tantùm protendant & moderentur voces cæterorum. Sonum etiam vocalium litterarum bene & ornatè proferant. Hi verò qui hujus artis minùs capaces sunt, donec erudiantur, meliùs convenit, ut sileant, quàm cantare volendo quod nesciunt, aliorum voces dissonare compellant. Psalmi namque in Ecclesia non cursim, aut in excelsis, atque inordinatis seu intemperatis vocibus, sed planè & lucidè cum compunctione cordis recitentur, ut & recitantium mens illorum dulcedine pascatur, & audientium aures illorum pronuntiatione demulceantur. Quoniam quamvis camilena sonus in aliis Officiis excelsa soleat fieri voce, in recitandis tamen Psalmis hujusmodi vitanda est vox, &c. Si verò Cantores superbi exstiterint, & artem quam divinitus adjuti didicerunt, aliis insinuare renuerint, graviter ac severè judicentur, &c. Plus velint in lectione & cantu populi ædificationem, quàm popularem vanissimam adulationem.*

Ann. 816. Can. 137.

Luculentissimas præceptiones istas Concilium Aquisgranense anni 816. sub Ludovico Pio promulgavit, eas, ut credere par est, mutuo accipiens à Crodogango Episcopo Metensi sub Pipino Rege, sub quo & vivere desiit, authore idoneo Paulo Diacono in Historia Episcoporum Metensium. Refert autem Paulus idem à Pipino Romam missum fuisse Crodogangum, ut Stephanum Papam in Gallias invitaret, deduceretque, quòd à Gallis vehementissimè id expeteretur. Reducem Crodogangum Clerum suum omnem adduxisse, ut communem uno in Claustro vitam omnes agerent, perdiscerentque cantum & ritus Romanæ Ecclesiæ, cujusmodi hactenus nihil in Ecclesia Remensi usurpatum fuerat. *Ipsumque Clerum abundanter lege divina Romanaque imbutum cantilena, morem atque ordinem servare præcepit.*

Du Chesne Hist. Franc. Tom. 2. pag. 204.

II. Extra dubium est, à Stephano Papa concessos fuisse flagitanti Pipino Regi Romanos Cantores, à quibus in Ecclesias Gallicanas omnes Romana Psalmodia propagaretur. Ita quam propriam laudem videtur facere Paulus Diaconus Crodogangi Metensis, qui dux forsan & auspex ejus fuit, ea ad omnes pene Galliarum Ecclesias se exporrexit. Constantissimè id affirmat, cui fides derogari non possit, Carolus Magnus in Capitularibus. *Monachi ut cantum Romanum pleniter & ordinabiliter per nocturnale vel gradale Officium peragant, secundùm quod beatæ memoriæ genitor noster Pipinus Rex decertavit ut fieret, quando Gallicanum cantum tulit, ob unanimitatem Apostolicæ Sedis & sanctæ Dei Ecclesiæ pacificam concordiam.*

Capit. Car. Mag. l. 1. c. 80. Cap. Aquisgran. anni 789. c. 80.

Carolo Magno San-Gallensis Monachus tribuit, quod Pipino patri tribuendum fuerat, duodecim Cantores Romanos à Stephano Papa ei concessos fuisse. *Adhuc omnes Provincias, imò regiones, vel civitates in laudibus divinis, hoc est, in cantilena modulationibus ab invicem dissonare perdolens, à Stephano Papa, qui deposito & decalvato ignavissimo Francorum Rege Childerico, se ad regni gubernacula antiquorum patrum more perunxit, aliquos carminum divinorum peritissimos Clericos impetrare curavit. Qui bonæ illius voluntati & studiis divinitus inspiratis assensum præbens, secundùm numerum duodecim Apostolorum, de Sede Apostolica duodecim Clericos doctissimos cantilenæ ad eum in Franciam direxit.*

L. 1. c. 10.

III. Non abs re profectò fuerit eas hîc indigitare rationes, quæ Pipinum & Carolum impulerunt, ut hanc tantam in Ecclesiarum suarum Officia sacra mutationem importarent. Ea erat cantûs discordia, Officiorumque & sacrorum rituum discrepantia, non tantùm Gallicanas inter Provincias, sed & inter ejusdem Provinciæ civitates, ut non posset ea non aliquando offendiculo esse, & nonnunquam etiam detrimento Ecclesiis tam propinquis, earumque Ministris, qui non facilè poterant mutua ope & societate non indigere. Poterat & Officiorum diversitas aliquando ipsam fidei unitatem convellere & labefactare, cùm implicata adeo sit Officiis Ecclesiasticis fides orthodoxa. Non injuria ergo potentissimi Reges & Catholicæ fidei amantissimi tantopere exarserunt ad eam cantûs sacri & Officiorum consonantiam inter Ecclesias regni sui omnes & cum Romana stabiliendam, cujus fides illimis semper & intaminata ipsa sibi fuit, & in alias fluxit Ecclesias. Accipe verba ipsa Caroli Magni. *A cujus Romanæ Ecclesiæ sancta & veneranda communione multis recedentibus, nostra tamen partis nunquam recessit Ecclesia, sed ea Apostolica traditione instruente, & eo à quo est omne donum optimum, tribuente, semper suscepit reverenda charismata. Quæ dum à primis fidei temporibus cùm ea perstaret in religionis sacra unione, & ab ea paulò distaret, quod tamen contra fidem non est, in Officiorum celebratione, veneranda memoria genitoris nostri illustrissimi Pipini Regis cura & industria, sive adventu in Gallias sanctissimi viri Stephani Romanæ urbis Antistitis, est ei etiam in psallendi ordine copulata; ut non esset dispar ordo psallendi, quibus erat compar ardor credendi: & quæ unita erant unius sanctæ legis sacra lectione, essent etiam unita unius modulationis veneranda traditione, nec sejungeret Officiorum varia celebratio, quos conjunxerat unica fidei pia devotio.*

L. 1. contra Synodum Græcorum de imag.

Quibus illud edocemur, non cantûs tantùm & Officiorum, sed & fidei cum Romana Ecclesia concentui prospectum voluisse maximos Reges, & unitati. Et tum sanè Græci divellere se à fide Romana incipiebant, de Processione Spiritûs Sancti à Filio à nobis dissentientes, quem non credere tantùm, sed & profiteri cœperamus à Filio quoque, non à Patre solo procedere: facto etiam ad antiquissimum symbolum additamento, quo id contineretur. Ex quo factum est, ut abhorrescere cœperint Orientales non minùs ab hocce novo additamento, quàm ab ipsa fide processionis ab utroque. Ea ex re facilè augurabantur prudentissimi Reges, quantum immineret periculi in fidei ipsam substantiam ex Officiorum discrepantia.

IV. Nec in Gallia tantùm provexit Carolus Magnus, ad optatumque perduxit finem, Ordinis & Cantus Romani institutionem, à Pipino Rege cœptam: sed & in Italiam quæ hactenus reluctata fuerat, & in Germaniam Saxoniamque, & reliquos Septentrionales tractus eandè intulit, & constabilivit rerum sacrarum consensionem. Id ipsemet libro jam citato testificatur: *Quod quidem & nos, collato nobis à Deo regno Italiæ fecimus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ*

Ibidem.

*fastigium sublimare cupientes, reverendissimi Papa Adriani salutaribus exhortationibus parere nitentes; scilicet ut plures illius partis Ecclesiæ, quæ quondam Apostolicæ sedis traditionem in psallendo suscipere recusabant, nunc eam cum omni diligentia amplectantur; & cui adhæserant fidei munere, adhæreant quoque psallendi ordine. Quod non solùm omnium Galliarum Provinciæ, & Germania, sive Italia, sed etiam Saxones, & quædam Aquilonaris plagæ gentes, per nos Deo annuente ad fidei rudimenta conversa, facere noscuntur.*

V. Aliquantò copiosiùs de ea re Chronicum Inculismense ad annum 787. Nimirum impetrasse Carolum Magnum ab Adriano I. Papa duos Cantores Romanos, in ipsa Gregorii Magni Papæ Schola enutritos, à quibus avecta sunt in Gallias Antiphonaria duo, notis Romanis ab ipso Gregorio Magno notata; eorum alteri Mediomatrici, alteri apud Augustam Suessionum sedem defixam fuisse, ut ab omnibus Gallicanis Ecclesiis consuli possent, tum Cantores, tum Antiphonaria hæc Romanæ Ecclesiæ. *Mox petiit domnus Rex Carolus ab Adriano Papa Cantores, qui Franciam corrigerent de Cantu. At ille dedit ei Theodorum & Benedictum, Romanæ Ecclesiæ doctissimos Cantores, qui à sancto Gregorio eruditi fuerant; tribuitque Antiphonarios sancti Gregorii quos ipse notaverat nota Romana. Dominus verò Carolus revertens in Franciam, misit unum Cantorem in Metis civitate, alium in Suessionis civitate, præcipiens de omnibus civitatibus Franciæ Magistros Scholæ, Antiphonarios eis ad corrigendum tradere, & ab eis discere Cantare. Correcti sunt ergo Antiphonarii Francorum quos unusquisque pro arbitrio suo vitiaverat, vel addens, vel minuens, & omnes Franciæ Cantores didicerunt notam Romanam, quam nunc vocant notam Franciscam.* Refertur autem ab eodem Scriptore, diu antè & acerbissimè concertatum fuisse Cantores inter Romanos, & eos quos secum eò Carolus è Gallia duxerat: at à Carolo tandem ipso compositam fuisse eam litem, Gallis suis demonstrante, nusquam puriores manare aquas, quàm in ipsa sui scaturigine, & non alibi posse cantum Gregorianum quàm ipsa in Gregorii Romana Schola defæcatiorem ac limpidiorem fluere. *Quis purior est & quis melior, aut fons vivus, aut rivuli ejus longè decurrentes?* &c. *Revertimini vos ad fontem sancti Gregorii, quia manifestò corrupistis Cantilenam Ecclesiasticam.* Addit idem denique Metensem Ecclesiam Gregoriani cantûs gloria præ cæteris omnibus claruisse, & quantum ipsam Romanæ, tantum ei cæteras Ecclesias concessisse. *Majus Magisterium cantandi in Metis civitate remansit, quantùmque Magisterium Romanum superat Metense in arte cantilenæ, tantò superat Metensis cantilena cæteras Scholas Gallorum.* Vocum modulationi accedebant organa, quæ & ipsa Romanæ Ecclesiæ accepta referebamus: *Similiter erudierunt Romani Cantores Francorum supradicti in arte organandi.*

Du Chesne Hist. Fran. Tom. 2. pag. 75.

VI. Non mediocre inde Clericis & Beneficiariis decus additur, quòd cùm inter eos infima subsellia occupent Lectores & Cantores: horum ministeria expolire, & ad summam quandam perfectionem provehere tantopere curaverint, non dicam Pontifex & Imperator, sed Maximus Imperatorum & Pontificum Optimus, Carolus & Gregorius verè Magni. Quis Ecclesiastici cantûs Officio & cura dehonestari se suspicabitur, qua honestari se sensere Gregorios & Carolus? Diximus jam Gregorium Chori & Scholæ Cantorum moderatorem se egisse. Carolus Magnus versatissimus & ipse erat in Cantorum Lectorumque ministerio, atque cum fidelibus in Ecclesia psallebat & ipse, authore Eginardo. *Legendi atque psallendi disciplinam diligentissimè emendavit. Erat enim utriusque admodum eruditus; quanquam ipse nec publicè legeret, nec nisi summissim & in commune cantaret.* At San-Gallensis Monachus Carolum ipsum exhibet ut ducem & moderatorem cantûs Ecclesiastici, Lectionumque & Officiorum, quæ celebrabantur in Capella Palatii Regii; in qua nec ullum adscribi sinebat Clericum, nisi qui bellè & litteras sciret, & cantum. *Nullus alienus, nullus etiam notus nisi legere sciens & cantare, chorum ejus ausus est introire.* Quas quisque recitaturus esset Lectiones, designabat ipse, & inopinos quandoque legere jubebat, ut præstò semper essent & legere, & emendatè legere. Denique vel digito, vel virga, vel voce signabat, qui inciperent, & quando desinerent legere. *Ut quando de inopinato legere juberentur, irreprehensibiles apud eum invenirentur. Digito autem vel baculo protento, vel ex latere suo ad procul sedentes aliquo directo demonstravit, quem legere oporteret, vel voluisset. Finem verò lectionis sono gutturis designavit,* &c. Meminit idem Scriptor Organi longè præclarissimi, quod æmulatione Græcorum fabricari jusserat Carolus, etsi post ejus mortem ex hominum incuria interciderit machina, quæ eorum tamdiu oculos aurésque demulserat. Denique idem ipse fidem facit, nec in conspectum Caroli Magni admissos fuisse Clericos, nisi & legerent peritè, & canerent. *Nullus Clericus, nisi legere doctus, aut canere, non solùm cum eo manere, sed nec in conspectum ejus venire præsumpsit.*

Du Chesne, To. 2. pag. 103 110.
L. 1. c. 7.
L. 1. c. 12.
L. 1. c. 16.

VII. Ad exemplum Capellæ Regiæ composuerunt sese reliquæ omnes Ecclesiæ Galliarum, institutæque sunt in omnibus tum Episcopatibus, tum Monasteriis Scholæ, in quibus opera daretur cantui, ritibusque & officiis Ecclesiasticis docendis edíscendísque. Ablegaverat quondam Pepinus Rex Romam Monachos Gallos, qui cantûs disciplina imbuerentur à *Simeone Scholæ Cantorum Priore*, quòd ab eo dum in Gallia esset, utcumque excolti, perpoliri non potuissent. Romanæ ergo hujus Scholæ simillimas complures Carolus Magnus in Galliis erexit. *Et ut Scholæ legentium puerorum fiant, Psalmos, notas, cantus, computum, grammaticam per singula Monasteria vel Episcopia discant.*

Conc. Gall. To. 2. pag. 58.
An. 789. Capitular. Aquisgr. Can. 72.

Præter ea quæ superiùs perstricta sunt argumenta, sunt & alia validiora, quibus id evincatur, Palatii Regii Ecclesiam omnium toto Regno absolutissimam suis omnibus numeris fuisse, ut ad eam effingerent se cæteræ omnes, ejusque pietatem, assiduitatem, cantûsque peritiam æmularentur, atque velut parentem venerarentur ac magistram. Ubi Leo III. Papa Apocrisiarios Ecclesiæ Gallicanæ adhortatus tandem est post diutinam disceptationem, ut additamentum illud *Filioque* expongerent a Symbolo, quod in Ecclesiis concinebatur; diffidentibus verentibusque ut id sine tumultuatione fieri posset; illud ipse consilii impertiit, ut in Ecclesia primùm Palatina illud quidquid erat additamenti, abraderetur; tum enim indubitatissimè reliquas omnes Ecclesias ejus exemplo inservituras. *Ita mihi videtur posse utrumque fieri, ut paulatim in Palatio, quia in sancta nostra Ecclesia non cantatur, cantandi consuetudo ejusdem Symboli intermittatur, sicque fiat, ut si dimittatur à vobis, dimittatur ab omnibus,*

Conc. Gall. To. 3. pag. 260.

VIII. Ut autem omnibus obviam iretur erroribus & corruptelis in doctrinam fidei, vel in morum Disciplinam emersuris ex diversitate, non

tantùm cantûs, sed & textûs divinorum Officiorum, flagitavit Carolus Magnus Gregorii Magni Sacramentarium ab Adriano Papa; qui illud per
De Chesne To. 3. pag. 738 Joannem Abbatem Ravennatem transmisit: *De Sacramentario verò, à sancto prædecessore nostro Deifluo Gregorio Papa disposito, jam pridem Paulus Grammaticus à nobis eum pro vobis petiit. & secundùm sanctæ nostræ Ecclesiæ traditionem per Joannem Abbatem excellentiæ vestræ emisimus.* Prolatum jam est à nobis Capitulare ejusdem Caroli, quo præcipiebat, ut Monasteria regni omnia in Nocturnis diurnisque Officiis ad Romanum se morem accommodarent. *Per Nocturnale & Gradale Officium peragant.* Concilium Moguntinum anni 813. jussit, ut in administrando Baptismo juxta Imperatorum Rescriptum Romanum Sacramentarium omnes sectarentur:
Can. 4. *Sacramenta itaque Baptismatis volumus, ut sicut sancta vestra fuit admonitio, ita concorditer atque uniformiter in singulis Parochiis, secundùm Romanum Ordinem inter nos celebrentur.* In Capitularibus idem præscribitur cum Ecclesia Romana consensus quoad Missam:
L. 5. c. 219. *Vt unusquisque Presbyter Missam Ordine Romano cum Sandaliis celebret.* Carolus Calvus Imperator idem testimonium dicit in sua ad Clerum Ravennatem Epistola. *Nam & usque ad tempora abavi nostri Pipini, Gallicana Ecclesia aliter quàm Romana vel Mediolanensis Ecclesia, divina Officia celebrabant. Sicut vidimus & audivimus ab eis, qui ex partibus Toletanæ Ecclesiæ ad nos venientes, secundùm morem ipsius Ecclesiæ coram nobis sacra Officia celebrarunt, celebrata sunt etiam coram nobis sacra Missarum Officia more Hierosolymitano, authore Jacobo Apostolo, & more Constantinopolitano authore Basilio. Sed nos sequendam ducimus Romanam Ecclesiam in Missarum celebratione.*

IX. Habes hîc pernumeratas celeberrimas quasque Liturgias, quas celebrari viderat hic Imperator, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam, Mediolanensem, Toletanam: quæ omnes inter se non mediocriter dissidebant. Habebat & suam Ecclesia Gallicana, quæ hoc tandem tempore regnantis Carolinæ stirpis Romanam amplexata est, & in eandem consensionem reliquas omnes pertraxit secum Occidentales Ecclesias: quanquam superfuerint & non pauca antiquissimæ discordiæ vestigia. Scitissimè Valafridus Strabo censuit, hanc consensionem tot & tantarum Ecclesiarum tum inter sese, tum verò maximè cum ea quæ cæterarum dux est & magistra: posterioribus his temporibus necessariam potissimum fuisse, ut in ea esset inexpugnabile velut munimentum adversùs tantam Sectarum colluviem, quæ vel integritatem fidei, vel disciplinæ
De rebus Ecclesiast. c. 25. castitatem labefactassent. *Plenarius Officiorum ordo, qui nunc per Romanum orbem servatur, post antiquitatem multis temporibus evolutam est institutus, & ad omnem eminentiam sanctæ religionis est dilatatus. Crescente enim fidelium numero, & hæreseon pestilentia multiplicius pacem maculante Catholicam, necesse erat augeri cultum veræ observationis, ut & clarior religio accedentium ad fidem animos invitaret, & auctior cultus veritatis constantiam Catholicorum adversùs inimicos ostenderet, &c. Privilegio Romanæ Sedis observato, factum est ut in omnibus penè Latinorum Ecclesiis consuetudo & magisterium ejusdem Sedis prævaleret, quia non est alia traditio æquè sequenda, vel in fidei regula, vel in observationum doctrina.* Affirmat tamen idem Strabo, fuisse adhuc qui residua quædam vestigia dignoscerent priscorum Officiorum & cantûs Ecclesiæ Gallicanæ, quamvis jam esset diu, quod promulgata in Galliis fuerant Romana Officia. *Et quia Gallicana Ecclesia viris non minùs peritissimis instructa, sacrorum Officiorum instrumenta habebat non minima, ex eis aliqua Romanorum Officiis immixta dicuntur, quæ plerique, & verbis & sono se à cæteris cantibus discernere posse fateantur.* Vel uno Lupi Ferrariensis Abbatis Epist. 103. exemplo comprobari posset, privata quandoque Monasteria, ex suis Romam Monachis aliquos delegasse, qui in ipso fonte plenissimam ebiberent Romani cantûs, ordinis, Officiique disciplinam.

X. Finem faciet huic capiti Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus, ubi edito luculento Tractatu insulsam fregit audaciam Censoris ineptissimi, qui cum Ecclesiæ Lugdunensis morem concerpebat, qui summis illi afficiendus fuerat laudibus, si quid sapuisset. Quod nimirum canonicis suis Officiis nihil interseri passa esset, quod non è divinis Scripturis esset mendicatum; hanc persuasissima longè tutissimam esse rationem arcendorum errorum quorumcumque, quibus utique inaccessi sunt hi purissimi veritatis fontes. *Vnde summopere necesse est,* De correctione Antiphon. in Eccles. *ut si verè absque offendiculo vel hæsitatione divinas laudes cupimus celebrare, totos nos divinis sermonibus, in quibus nullus est error, nulla ambiguitas, coaptemus.* Insolentissimi critici eò eruperat procacitas, ut anathemate feriret aliquos Officiorum Romanorum contextus. *Non est veritus in ipsa Romana Ecclesia quædam in sacris Officiis & ministeriis reprehensibilia, etiam sub anathematis damnatione resecare.*

Opusculum aliud Agobardus idem lucubravit ad Ecclesiæ suæ Lugdunensis Cantores, ut sive errores, sive allucinationes ipsis aliquas retegeret in Antiphonario ejus Ecclesiæ; quibus ideo abstergendis ipse gnaviter operam dederat. *Hac de causa & Antiphonarium pro viribus nostris magna ex parte correximus, amputatis his quæ vel superflua, vel levia, vel mendacia, aut blasphema videbantur.* Percenset & errores quos emendasset, & identidem illud eis inculcat, admirationi, quin immo & indignationi fore Augustino, Gregorio, cæterisque Patribus, si qui eorum reviviscerent, quòd in Cantica Ecclesiæ irrepsissent aliqua, non ex ipsis veris fontibus, hoc est, non ex Scripturis derivata. *Cæterùm si in diebus suis audisset aliquos non de divinis eloquiis, sed de humanis adinventionibus cantantes, numquid non mortuum & sine vita talem cantum putaret?*

Inde Agobardus optatius nihil esse infert, quàm ut habeatur *Officialis liber*, vel Antiphonarius, tam emendatus, & ex solis sacrarum paginarum verbis ipsissimis contextus, quàm qui habetur jam *Liber Lectionum*, solis ex Scripturis compilatus: & *Mysteriorum liber*, sive ut ego interpretor, Missalis, Regulæ fidei adprimè consentaneus. *Omni studio pietatis instandum atque observandum est, ut sicut ad celebranda Missarum solemnia habet Ecclesia librum Mysteriorum, fide purissima & concinna brevitate digestum: habet & librum lectionum ex divinis libris congrua ratione collectum; ita etiam & hunc tertium Officialem libellum, id est, Antiphonarium habeamus, omnibus humanis figmentis & mendaciis expurgatum, & per totum anni circulum ex purissimis sanctæ Scripturæ verbis sufficientissimè ordinatum: quatenus in sacris Officiis peragendis, juxta probatissimam fidei regulam, & paternæ authoritatis venerabilem disciplinam, una à nobis atque eadem custodiatur forma orationum.*

Ultra æqui rectique metas aliquantulùm exspatiatus est Agobardus, cum ex Officialibus, Lectionumque, atque adeo ex Mysteriorum libris proscripsit, quæcumque non essent ex ipsis sacrorum librorum verbis contexta. Laudi dandum erat Ec-

clesiæ Lugdunensi, quòd hic ejus antiquissimus esset usus; nec vitio tamen aliis vertendum erat Ecclesiis, si aliud sequerentur. Pepigerat Hymnos Ambrosius, quibus authoritas accesserat à posterioribus Conciliis, & ab ipsa B. Benedicti Regula, complusculârumque usu Ecclesiarum. Jam inde ab exordio legebantur in Ecclesiis Acta Martyrum, Apostolicorum hominum Epistolæ, sanctorum Patrum Tractatus varii. Concinnata sunt Ecclesiastica Officia, partim ex precationibus, seu Psalmis & Canticis, partim ex lectionibus piis. Alloquitur nos Deus per lectiones, alloquimur nos Deum per precationes. Alloquitur autem nos Deus, tum per Scripturas divinitus inspiratas, tum per sanctos Patres Scripturam interpretantes, tum per gesta Sanctorum, qui quam Scripturæ Scripturarumque interpretes auribus nostris infuderunt religionem, pietatem, charitatem fortitudinemque invictam, hanc moribus & exemplis approbant, oculisque ipsis subjiciunt.

XI. Illud postremò ex eodem Agobardo subjiciendum hîc nobis est necessarium tunc omnino temperamentum, ut modus poneretur ei fervori, quo æstuabant omnes ad cantûs studia sub imperio Caroli Magni. Præter cantum sunt & alia graviora quædam studia, quibus juniores Clerici longè diligentiùs operosiúsque debeant incumbere. *Forma orationum, forma lectionum & forma Ecclesiasticarum modulationum à boni ingenii adolescentibus quàm celerrimè imbibita, eos & divinis laudibus concinendis, sufficienter & graviter idoneos reddat, & à potioribus ac spiritalibus studiis non impediat.*

Hinc efficitur ut nemo non debeat eorum sortem & ignaviam dolere Cantorum, qui à teneris unguiculis ætatem omnem terunt insenescuntque voci acuendæ, modulandæ, frangendæ, expoliendæque; nulla interim cura lectitandæ Scripturæ, meditandæque clauso cubiculo legis divinæ; cùm toti in eo sint, non ut mentem pabulo veritatis satient, sed ut aures suas alienasque inani modulatæ vocis voluptate titillent. *Ex quibus quamplurimi ab ineunte pueritia usque ad senectutis canitiem, omnes dies vitæ suæ in parando & confirmando cantu expendunt, & totum tempus utilium & spiritalium studiorum, legendi videlicet, & divina eloquia perscrutandi, in istiusmodi occupatione consumunt. Quodque animabus eorum proculdubio valde est noxium, ignari fidei suæ, inscii Scripturarum sacrarum, & divinæ intelligentiæ inanes & vacui, hoc solum sibi sufficere putant; & ob hoc etiam ventosi & inflati incedunt, &c.*

---

## CAPUT LXXXI. *P. 3. l. 1. c. 18.*

### De lege & obligatione Beneficiariorum, ut Horas Canonicas vel canant, vel recitent, sub Imperio Caroli Magni.

*I. Clericorum prima tyrocinia erant in perdiscendo memoriter psalterio.*

*II. Parochos Theodulphus jubet orationi maximè & lectioni vacare. Oratio omnium frequentissima fuit psalmodia.*

*III. Probationes ex Conciliis ad hanc recitandi Breviarii legem.*

*IV. Probationes aliæ ex Capitularibus.*

*V. Parochos Hincmarus astringit privatæ Horarum Canonicarum recitationi.*

*VI. Varia ex Alcuino probationes, qui Officia publica secernit à privatis.*

*VII. Probationes ex Reginone, & ex Inquisitionibus ab Episcopo faciendis, dum Ecclesias perlustraret.*

*VIII. Argumenta alia & exempla Ecclesiæ Græcæ & Latinæ.*

*IX. Mitum beati Udalrici exemplum Episcopi Augustani. De Officiis beatæ Mariæ & Mortuorum.*

*X. Regula Crodogangi, si quod non potuerit publicè, privatim saltem recitari Officium.*

*XI. Necessitas tenendi memoriter Psalterii.*

I. EX Responsione Stephani Papæ in Gallias profecti, ad consultationes quasdam anno 754. constat depositum fuisse Presbyterum, qui *nec Symbolum, nec Orationem Dominicam, nec Psalmos teneret.* *Ann. 754 c. 13.* Capitulari Aquisgranensi Caroli Magni anno 789. sanciebatur, ut in Episcopatibus & Monasteriis singulis excitarentur Scholæ, in quibus instituerentur juniores Clerici in Nota, Psalterio, Computo, Calendario & Grammatica. *An. 789. c. 72.* *Psalmos, Notas, Cantus, Computum, Grammaticam per singula Monasteria, vel Episcopia discant.* *An. 791.* Prima ergo Clericorum rudimenta erant Psalmi Davidici. Edixit idem Carolus Magnus, ut ad gratias Deo agendas pro insigni victoria reportata, *Clerici qui Psalmos sciebant, quinquaginta unusquisque cantasset.*

II. Theodulphus Aurelianensis Episcopus Parochos submonet, ne ignavo indormiscant otio, sed quasdam orandi legendique vices alternas faciant, & eas labore condiant manuum. *Oportet vos, & assiduitatem habere legendi, & instantiam orandi, &c.* *Cap. Theod. c. 2.* *Hæc sunt arma, lectio & oratio quibus diabolus expugnatur, his armis vitia comprimuntur, his alimentis virtutes nutriuntur.* Orationem hic ego lubenter interpretor psalmodiam, gnarus eam usitatissimam priscis sæculis orationem fuisse. Capitulare Episcoporum, quod unà & ad Pastores omnes destinatum est, conceptis verbis hanc legem promulgat, horas Canonicas suis quasque propriis temporibus recitandi. *Ut omnes Sacerdotes horis competentibus diei & noctis, suarum sonent signa Ecclesiarum, & sacrata Deo celebrent officia, & populos erudiant, quomodo & quibus Deus adorandus est horis.* *Ann. 801. c. 3. 8. Conc. Gall. To. 2. pag. 249.* Erat & strictior lex quædam eas decantandi horas diurnas nocturnasque in iis locis, ubi in spem beatæ & immortalis Angelorum psalmodiæ quiescebant Martyrum corpora: *Ut unusquisque Sacerdos Ecclesiam suam cum omni diligentia ædificet, & reliquias Sanctorum cum summo studio vigiliarum noctis & divinis officiis conservet.* *Ibid. pag. 253.* Ideo volebat Carolus Magnus, ut quisque Parochus *totum Psalterium memoriter teneret.*

III. Edisseruit Concilium Cabilonense II. anni 813. quæ sigillarim essent divina Officia in Monasteriis, *An. 813. Can 59.* ex quo facili conjectura assequimur, quæ essent à Parochis Clericisque aliis horæ Canonicæ celebrandæ. Nam eæ erant Matutinum, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ & Completorium. *Sanctimoniales in Monasterio constitutæ habeant studium in legendo & in cantando in Psalmorum celebratione, sive oratione; & horas Canonicas, Matutinam scilicet, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vespertinam, Completorium pariter celebrent.* Easdem horas Canonicas Concilium Aquisgranense anni 816. Canonicis præscribit, id est Clericis omnibus, qui tunc ad vitam redacti sunt communem, & Canonicorum nomen inde sortiri, ut infrà dicemus. Hæ porro horæ fuere, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, Completorium, Vigiliæ & Matutinum. *An 816. c. 126. & seqq.* Ab his non dissonabit Concilium Cabilonense II. modò laudatum, si quod ibi Matutinum dicitur, Vigilias etiam, seu Nocturna, non Matutinas tantùm Laudes complectatur, qui noster etiamnunc usus est. Concilium idem Aquisgranense jubet, ut Canonici stantes intersint divinis Officiis, & ne ba-

culo innitantur; nisi infirmitate quapiam gravati. Can. 131. *Nec cum baculis in choro, exceptis debilibus, sed religiosissimè illis standum & psallendum est.* Qui his Officiis absuerint, graviter animadvertendi sunt. *Qui has horas frequentare, & in his ut dignum est, cæleste neglexerit officium persolvere, digna invectione corripiatur; ut & ipse emendetur, & cæteri timorem habentes hujuscemodi negligentiam caveant.* Vix ambigi potest, quin correptiones istæ acerbiores absentium, vel negligentium, conjunctam semper habuerint præceptionem privatim recitandi, quod in choro recitatum non fuerat. Ecqua enim alia justior pœna infligi poterat?

Et inde id quoque exprimitur, Presbyteris gradu suo dejectis relaxatam nequaquam fuisse recitandi officii Canonici necessitatem. Etsi enim Concilium Cabilonense II. illos in Monasterium contrudat ad agendam pœnitentiam, pœnitentiæ pars erat non modica, oratio & psalmodia lectioque productior. Can. 40. *Dictum est nobis Presbyteros propter suam negligentiam canonicè degradatos, sæculariter gradu amisso vivere, & pœnitentia agendæ bonum negligere. Unde statuimus, ut gradu amisso agendæ pœnitentiæ gratia in Monasterio aut canonico, aut regulari mittantur.*

IV. Inexorabilis illa lex Horas canonicas suo quasque tempore concinendi non paulò expressior L. 6. c. 168. est in Capitularibus Caroli Magni. *Ut Sacerdotes signa tangant horis canonicis, & illorum officium agant, sive diurnale, sive nocturnale, quia scriptum est, Sine intermissione orate; & idcirco non dimittant horas canonicas.* Innovantur & antiqui hic Canones, ut omnes omnino Clerici convolent ad Ecclesiasticas psal- L. 7. c. 161. 167. modias: *Ad quotidianum psallendi officium matutinis vel vespertinis horis.* Pœna longè gravissima in contumaces, depositio: *deponatur à Clero.* Id non paulò acerbius sane est, quàm si easdem privatim horas canonicas recitare juberentur. Alio Canone alia promulgatur pœna, Beneficii privatio, aut saltem sus- Ibid. c. 353. pensio. *Ita ut cùm eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula gradum suum dignitatemque recipiant.* Denique, ut ibidem habetur, toti esse debent Clerici, ex sacris Canonibus, in prece, psalmodia, lectione, interdiu, noctuque: *Postremò in doctrina, in lectionibus, Psalmis, Hymnis, Canticis spiritualibus, exercitio jugi incumbant.*

V. Si morosus quis sit, & disertioribus adhuc verbis sibi velit declarari, aliam publicam in choro communi, aliam privatim singulorum recitationem, vel decantationem divinorum Officiorum: eam apertissimam faciet Hincmarus Remensis Archiepiscopus, in suis ad Parochos Capitularibus. Conceptis enim verbis præcipit, ut Parochi post decantatas sub diluculum matutinas laudes, privatim canant quatuor Horas diurnas, quò Parochialibus deinde functionibus vacare queant: ita tamen ut quatuor illæ Canonicæ postea Horæ publicè propriis quæque horis concinantur, vel ab ipsis Paro- Hincmar. Tom. 1. pag. 712. c. 9. chis, si vacuum fuerit, vel à Clericis aliis. *Mane matutinali Officio expleto, pensum servitutis suæ canendo Primam, Tertiam, Sextam, Nonamque persolvat; ita tamen ut postea horis competentibus juxta possibilitatem, aut à se, aut à Scholasticis publicè compleatur. Deinde peractis Missarum solemniis, &c.*

VI. Scriptor perantiquus vitæ Alcuini Missas similiter alias publicas, alias privatas facit; docetque sanctissimum hunc Diaconum Dominicis singulis Missam privatim celebrasse cum suo Presbytero usque ad Tertiam, quo tempore ad Missam advolabat solemnem. At diebus aliis hebdomadæ Missas quidem illis singulis cum suo Presbytero eum celebrasse, at non ea solennitate, qua Dominico. *Celebrabat omni die Missarum solemnia, &c. Dominica porro die nullo unquam tempore, postquam lux inchoasset apparere, se tradebat sopori, sed velociter Leviticè se præparans, suo cum Sigulpho Presbytero Missarum celebrabat solemnia specialium, usque horam tertiam. Et tunc nimia cum reverentia publicam intrabat Missam.*

His duobus exemplis manifesta est distinctio, tum Missæ, tum psalmodiæ publicæ & privatæ in Officiis canonicis: etiam tum cum & hæc & illa ab iisdem celebrabatur uno & eodem die. Sed nulla potest tergiversatione declinari id quod ex Hincmaro ostensum est. Si enim Parochi ipsi tenebantur privatim Horas diurnas recitare, quamvis easdem in Ecclesia Clerici minores in Choro essent decantaturi, quanquam & ipsi forsan Parochi huic quoque secundæ earundem Horarum decantationi interfuturi essent: quid de cæteris Beneficiariis æstimandum nobis erit?

Nec minùs dilucidè Alcuinus ipse exprimit eandem publicam & privatam Officii canonici recitationem, in Epistola illa, quæ veluti Præfatio est libelli ab eo scripti de vita sancti Vedasti ab ipso scripta. Sedulò enim Radoni commendat Abbati, ne Monachos unquam suos abesse sinat à psalmodia publica Chori: *Nullus horis canonicis se divinis substrahat laudibus, ne propter aliquam negligentiam cujuslibet locus in conspectu Dei vacuus inveniatur.* At nihilo tamen minus postea contestatur teneri ipsummet, quocumque pergat, divinum Officium cum suis Clericis celebrare. *Et quocumque vadis,* Epist. 32. 50.
*Clerici servitium Dei pleniter peragant. Tecum eant sobrietate ornati.* Et fieri sane vix aut nec vix poterat, ut cùm Clerici, & Canonici maximè, qui communem agebant vitam, teneri se scirent adesse publicis Ecclesiæ Officiis, sicut idem author est Alcuinus: *Nec aliquis se à canonicis horis, à communione sanctæ orationis, sua negligens salutis separet:* non etiam probè intelligerent, astringi se saltem privatæ Horarum canonicarum recitationi, quando à publica abfuissent.

VII. Nec minùs ista perspicua sunt in Reginone & in iis capitibus, in quæ inquirere debebant Episcopi, eorumque ministri in Parochiis visitandis: *Si Clericum habeat Presbyter, qui cum eo Psalmos can-* L. 1. De Eccles. Discip. c. 26. 27. 28. 33.
*tet. Si nocturnis horis ad matutinas Laudes persolvendas omni nocte surgat. Si Primam, Tertiam, Sextam, Nonam certo tempore signo Ecclesiæ denuntiet, & cursum debitum cantet. Si tempore statuto, id est, circa horam tertiam diei Missam celebret; & post hæc usque ad medium diem jejunet, ut hospitibus atque peregre venientibus, si necesse fuerit, possit Missam cantare.*

Nun hîc ego moras traham, ut observem duas hîc uno die celebrari Missas ab uno eodemque Presbytero, alteram solemnem post Tertiam, alteram quasi privatam, ubi inopini superveniebant hospites. Sed illud multò satius est observari, 1. quòd in unaquaque Parochia, sive urbana, sive agresti, canonicum Officium decantaretur totum, etsi unus ibi degeret Presbyter cum suo Clerico. 2. Quòd nocturnum etiam ab eis caneretur Officium. 3. Officia canonica noctis *Matutinas* Laudes jam vocari cœpisse: *Si nocturnis horis ad Matutinas Laudes persolvendas omni nocte consurgat.* Facilè intelligis id eo factum, quòd noctu quidem surgerent, at ea ratione ut Laudes Nocturnis subjunctæ in exortum lucis desinerent. In antiquissimis etiam Formulis præceptionum, quas Episcopi per singulas Synodos

*Baluz. in Append. ad Regio pag. 603. 607. 611.*

inculcabant, hoc ipsum habetur. *Omni nocte ad Nocturnas surgite, Cursum vestrum horis certis decantate, &c.*

VIII. Qui B. Odonis Cluniacensis Abbatis vitam litteris mandavit, is de laxata Monastici instituti disciplina in Monasterio sancti Martini Turonensis expostulans, hoc inter cætera notat, quod

*Bibl. Clun. pag. 42.*

*ad Laudes nocturnas, ne aliquo modo pedem offenderent, cum luce diei surgebant.* Verùm Odo ipse vir sanctissimus in ea quam scripsit B. Geraldi Oriliacensis Comitis vita, præclarè edocuit quid sentire de Clericis debeamus, cùm Comes ipse Geraldus, quòd Dominica quadam die non potuisset sacris Mysteriis cum in Ecclesia celebrarentur interesse, advocatis Clericis omnibus, quos in comitatu frequentes semper habebat, Psalterium totum cum illis recitaverit, insueveritque deinceps ut Psalterium omni die legeret. Usque adeo id altissimè insidebat animis, ubi non potuit quis publicis Officiis interesse, hoc grave dispendium aliis orationibus complurimis sarciri debere.

*Ibid. p. 93*

*Est quod ad laudem Dei faciamus, ne diem sanctam inaniter expendisse videamur. Dixerat hac, & Psalterium à capite, nihil mortale sonans, cum eisdem percucurrit. Ex hoc jam sibi consuetudinem statuit, ut Psalterium penè quotidie recitaret.*

*Surius de Febru 25. n. 46.*

Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus etsi ultimo eo conflictaretur morbo, quo mortalia vitæ clausit curriculum, quotidie tamen sacra celebrabat Mysteria, æstu quodam charitatis abreptus, ut tum corporis ægritudinem aut vinceret, aut non sentiret. Ita Ignatius Monachus in ejus vita apud Surium. Iteratis jussionibus & nunciis vocatus ad aulam Imperatoris beatus Ludgerus Monasteriensis Episcopus, non antè se commisit itineri, quàm Canonicum pensum quod jam cœperat, exolvisset: nec timuit ne non satis persuaderet Principi, divinum honorem servitiumque humano anteponendum esse.

*Surius die 26. Martii. c. 32.*

*Antistites dum consuetudinariis ex more Psalmis & orationibus instaret, dixit se peracto Officio divino secuturum, &c. Omnipotentis servitium intermittere, inconveniens judicavi.* Et recitabatur ergo & psallebatur privatim officium Canonicum, etiam à peregrè proficiscentibus, ut ibidem mox ab eodem scriptore vitæ beati Ludgeri memoratur: *Dum in itinere esset noctu stans, dum matutinas laudes cum Clericis caneret, &c.* Clarissimus Confessor Nicetas apud Græcos Psalterium à puero didicerat memoriter, & postea Tonsuram accepit:

*Surius die 2. April. c. 5. 13.*

*Psalterium memoria mandavit, cùmque illum in Ecclesia Pater totondisset, &c.* Eo etiam postea maximè & occupabatur, & deliciabatur, postquam in Monasterio professus est, quod & postea rexit, ut Psalterium quotidie recitaret, vel ex parte caneret. *Totum Psalterium quotidie pronunciabant, quo expleto ad eorundem Psalmorum vicissim canendorum ordinem se parabant, ita ut nunquam omnino à Dei gloria celebranda ipsi vacarent.* Beatissimus Martyr & Apostolus Russorum Bonifacius Provinciam peragrabat, concinens Psalmos; & quia ab institutis Monasticis ad Episcopalem sedem accitus fuerat, tum Monasticum, tum Clericalem cursum quotidie recitabat.

*Petrus Damianus in vita sanct. Romualdi. c. 28.*

*Pedester ibat, jugiter psallens, & cæteros longè pracedens, &c. Postquam consecratus est Archiepiscopus, quotidie observabat & Monasticum pariter & Canonicum in celebrandis horarum officiis ordinem.*

IX. Etsi permirum illud est ab Archiepiscopo Apostolicis functionibus implicato duplex quotidie Officiorum genus recitari potuisse: minùs tamen id forsan mirabimur, ubi audierimus beatum Udalricum Augustanum Episcopum, ut memorat Scriptor ejus vitæ, quotidie præter officium Canonicum, diurnum, nocturnumque, recitasse etiam horas Canonicas beatæ Mariæ, itemque sanctissimæ Crucis, immo & Sanctorum omnium, Psalmos præterea complures, atque binas ternasve singulis diebus Missas.

*Surius die 4. Julii. c. 3. 4. 5.*

*Cursus quotidianus cum Matricularius in choro ejusdem Matricula cautè ab eo observabatur, quandocumque ei domi manendum alia occupationes consenserunt. Insuper autem unum cursum in honorem sancta Maria genitricis Dei, & alterum de sancta Cruce, tertium de omnibus Sanctis, & alios Psalmos plurimos totumque Psalterium omni die explere solitus erat, nisi eum impediret aliqua inevitabilis necessitas. Missas autem tres, vel duas, aut unam, secundum spatium temporis cantare quotidie non desiit, si infirmitas corporis, aut aliquod studium bonum ei non subtraxit.* Nocturno tempore non modica horum Officiorum parte fungebatur: *In nocte primum sonante signo surrexit, & predictos cursus maxima cautela complevit.* Per Quadragesimæ tempus Officium quoque Mortuorum adjungebat: *usque dum signum ad Vigilias Mortuorum sonaret.* Cùm Diœcesin suam obambularet, Parochiasque visitaret, curru plerumque cum Capellano vehebatur, ut divelleret se à laïcorum frequentia, totumque liberiùs diem sacræ psalmodiæ dedicaret. Clericos verò secum abducebat semper eo numero, qui sufficere posset, ut cum iis canonica decentiùs celebraret Officia. *Sedebat in solio super carpentum composito, de humerulis plaustri in ferro pendente, & cum eo unus Clericus de Capellanis ejus qui cum eo tota die Psalmos decantasset. Non ideo quando in primis tali modo pergere cœpit, quòd non adhuc caballicare potuisset, sed ut à populis sequestraretur, ne à cantatione Psalmorum eorum colloquiis ineptis impediretur. Comitari verò semper eum illo aliquos suos Presbyteros prudentissimos & de Capellanis tantùm, ut quotidie servitium Dei devotè perficere potuisset, pracepit.* Unus superest dicendus nobis beatus Bernardus Hildesheimensis Episcopus, qui diurnis nocturnis horis divina cum Canonicis suis celebrabat officia, infatigatæ & constantissimæ assiduitatis specimen seipsum exhibens.

*Surius die 20. Nov. c. 5.*

*Furtiva orationi, donec Clerici ad matutinos Hymnos consurgerent, vacabat. Hymnis expletis multoties psalmodiam in diurnum usque crepusculum extendebat. Deinde aliquantulum pausans, corpusculum recreabat, donec iterum diluculo Canonicum cursum prima hora persolvebat, &c.*

X. Regula Crodogangi Canonicis seu Clericis præscripta, postquam partes horasque Canonici Officii pernumeravit omnes: tum subjungit ineluctabilem necessitatem eorumdem privatim recitandorum, suis statisque horis, ubi per alios obices non licuit choro interesse.

*Cap. 24.*

*Si longè ab Ecclesia aliquis fuerit, ut ad opus Dei per horas Canonicas occurrere non possit, agat opus Dei, cum tremore divino, ubi tunc fuerit.* Et paulò inferiùs:

*Cap. 27*

*Quicumque ex Clero in itinere cum Episcopo vel cum alio proficiscuntur; ordinem suum inquantum iter vel ratio permiserit, non dimittant. Et non eos debent praterire hora constituta, tam de Officiis divinis, quàm aliunde.* Capitulare Ahytonis Basileensis Episcopi Parochis præcipit quotidianam decantationem nocturnorum diurnorumque Officiorum, juxta ritum Ecclesiæ Romanæ.

*[illegible] pag. 695*

*Ut horas Canonicas, tam nocturnas quàm diurnas nullatenus pratermittat. Quia sicut Romana Ecclesia psallit, ita omnibus ejusdem propositi vitam tenentibus faciendum est.*

XI. Ut porro eò desinat, unde cœptum est hoc

Caput,

Caput, illud iterum inculcabo, ne ipsis quidem Episcopis cantûs peritiam, & Psalterii memoriæ diligenter mandati, aspernandam visam esse; quin & hanc eis & ornamento fuisse, & præsidio. Herveum Archiepiscopum Remensem Flodoardus
L. 4. c. 11. hoc nomine extollit : *Ecclesiasticis adprime cantilenis eruditus, ac psalmodia præcipuus, & hujus exercitatione limatus, &c.* Gregorius III. eandem consequutus est laudem. *Psalmos omnes memoriter per ordinem retinens, & in eorum sensibus subtilissima exercitatione limatus.* Concilium II. Nicænum vetuit Episcopos eligi, qui Psalterium memoriter nescirent.
Can. 2. *Definimus omnem qui ad Episcopatûs provehendus est gradum, modis omnibus Psalterium nosse, ut ex hoc etiam omnis Clericus, qui sub eo fuerit, ita moneatur & imbuatur.* Ei legi subjiciebantur Episcopi, ut eadem & ipsi Clericos omnes constringerent. Leo III. Papa eam sibi comparaverat peritiam, dum juventa floreret : *Omnem Ecclesiasticam disciplinam spiritaliter eruditus, tam in Psalterio, quam in sacris divinis Scripturis pollens, Subdiaconus factus, &c.* Denique jam nemo vocabit in dubium, quin hæc tam anxia sollicitudo Pontificum & Conciliorum circa Psalterii peritiam eò pertineret, ut horas Canonicas quotidie seu publicè, seu privatim recitarent; cùm audierit Joanni XII. Papæ, cùm in Concilio Romano sub Otthone I. abdicaretur, crimini inter alia datum esse, quòd Canonici pensi horas non recitasset.
Ann. 963. *Matutinas & Canonicas horas eum non celebrasse, nec signo crucis se munisse professi sunt.*

---

## CAPUT LXXXII. *P. 3. l. 1. c. 19.*

### Origines variæ divinorum Officiorum sub Imperio Caroli Magni.

*I. Slavonica lingua concedit Joannes VIII. celebrari divina Mysteria Officiaque.*

*II. Scriptura sacra, & divina primùm Officia lingua vernacula conscribi cœpere. Lapsu temporis populi gentesque, alias & alias usurpavere linguas, nec ampliùs eam capere potuerunt, quæ sibi fuerat antè patria & vernacula. Versionum novarum commoda & incommoda.*

*III. Unitas linguæ & sermonis in Officiis divinis confert non modicum ad unitatem fidei.*

*IV. Singularia aliqua de Vigiliis, de Festis duplicibus, de Missa Præsanctificatorum.*

*V. De prælusoriis ante horas Canonicas precibus.*

*VI. Protrahebantur longioribus noctibus nocturna Officia.*

*XII. De ritu adscribendi in album Beatorum, Sanctorumque.*

*VIII. De iis quæ canebat in liturgia sacra Presbyter, Clerus, Populus.*

*IX. De Missa Jacobi, & Marci.*

*X. De varietate linguarum in divinis Officiis per Ecclesias Orientales.*

I. ORigines indigitare aliquas divinorum Officiorum suprà spopondimus. Liberanda nunc nostra fides est. Vastissimus hic est campus, & cui me imparem lubens profitear. Ideo & pauca tantùm stringam summatim & tumultuariè. Id indulsit Joannes VIII. Papa Principi Slavorum, qui nuper Christo cum sua gente nomen dederat, ut & sacra Mysteria, & quidquid nobis sacrorum Librorum est, Slavonica lingua donaretur, & Evangelia quoque ipsa : cùm æquissimum sit linguas omnes, quarum author Deus, in ejus laudes explicari. Jussit tamen Pontifex, ut Latinè priùs in synaxi legeretur Evangelium, & tum ejus Slavonica interpretatio subjiceretur. Principi denique ipsi & Optimatibus id concessit, ut si quando allubesceret, Missa ipsis Latino sermone celebraretur. *Nec sanè* Epist. 247.
*fidei vel doctrinæ aliquid obstat, sive Missas in eadem Slavonica lingua canere, sive sacrum Evangelium, vel lectiones divinas novi & veteris Testamenti benè translatas & interpretatas legere, aut alia horarum Officia omnia psallere. Quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebræam scilicet, Græcam & Latinam, ipse creavit & alias omnes ad laudem & gloriam suam. Jubemus tamen ut in omnibus Ecclesiis terræ vestræ propter majorem honorificentiam Evangelium Latinè legatur, & postmodum Slavonica lingua translatum, in auribus populi Latina verba non intelligentis, adnuntietur, sicut in quibusdam Ecclesiis fieri videtur. Et si tibi & Judicibus tuis placet, Missas Latina lingua magis audire, præcipimus, ut Latinè Missarum tibi solemnia celebrentur.*

II. Quin & illud constat, ea primùm lingua conscriptas fuisse & Scripturas omnes divinas, & Liturgias, & Psalmodias, quæ vernacula & popularis esset, ab omnibusque caperetur. Sed longa sæculorum series ipsas adulteravit immutavitque gentium linguas, ut jam posteri non caperent, quæ Majores olim sui vel loquerentur, vel scriptitarent. Ea certè ratione factum est, ut jam vel Scriptura, vel Missa, vel Psalmodia Ecclesiastica omnis à vernaculo sermone plurimùm recederet, quanquam popularis & vernacula olim fuerit, perstiteritque immutata : patriam nimirum & priscam linguam dediscentibus populis, vel Barbarorum colluvie inundante, quorum ut arma, ita & linguæ tandem dominantur : sive ea mutatione quæ longo sæculorum lapsu paulatim irrepit inopinis, nec omnino sentitur cum fit, etsi postquam facta est nemo non sentiat. Verùm id locum non habet nisi in regionibus iis, ubi tunc sata fides est, cùm popularis esset lingua, qua consignatæ fuerant sacræ Litteræ, cujusmodi fuere Palæstina & Græcia : aut in iis quibus vernaculo sermone donatæ sunt Scripturæ, eo ipso tempore quo Christiana ibi fides disseminabatur : cujusmodi fuere Occidentales Plagæ, ubi Romana & ditio & lingua cæteras oppresserat, regnabatque sola. Itaque ubi populosissima aliqua Natio incipit Christo initiari, cùm necesse sit Prædicatores Evangelicos ipsa ejus lingua concionari, quam capiat : ita quodammodo dici potest, ipsa ejus lingua tunc pervulgari Evangelia, Scripturas, Liturgiam & Ecclesiastica Officia. Ita liquet in fundatione Ecclesiæ Judaicæ, Græcæ & Latinæ, quibus & Slavonicam Joannes VIII. addidit. Quòd novam linguam brevi temporis spatio addiscere nulla Natio possit, possit autem in ejus linguam verti Scriptura & Ecclesiastica psalmodia. Cùm tamen versiones istæ plurimis implicatæ sint & spinosissimis difficultatibus, nunquam hæc Ecclesia se necessitate constrinxit, ut toties novas ederet versiones approbaretve, quoties obsolesceret prior popularis lingua, & in novam tandem degeneraret. Istæ enim prisci sermonis corruptelæ & sensim sine sensu fiunt, & in his vel illis antè Provinciis Regnisque, quàm in aliis, priùsque in vulgi fæce, quàm inter litteratos & nobiles. Itaque non arduum est dumtaxat novas has versiones moliri : sed & loca atque tempora definire, quibus elaborandæ & promulgandæ essent. Denique tanto temporis intervallo opus est, ut & novæ elaborentur interpretationes, & authoritas eis concilietur, ut nova interim pene subierit lingua, quæ novos jam desideret interpretes. Quando ergo jamdiu viget floretque alicubi religio, tolerabilius est Scripturas Psalmodiasque sacras primigeniæ suæ linguæ permitti, etsi plebeiis

& mulierculis parum exploratæ: sed cum in novas Gentes ea propagatur, non reformidanda semper sunt discrimina novarum versionum. Ideo forsan
Epist. 195. & hic idem Joannes Papa vetuit ne Archiepiscopus Pannoniæ Slavonicè posthac Missas celebraret, quòd jam forsan Pannonia in Christianorum partes tota defecisset.

III. Nec dissimulabimus ea quoque ratione obstructam esse januam, qua dissidia & schismata ex linguarum varietate irrumpere potuissent. Et sanè cùm unius linguæ vinculo aleretur hominum concordia, & hac illi concordia insolescerent, & ad immortale superbiæ suæ monumentum excitandum properarent: divisa Deus eorum lingua totam illam & concordiam & immanem superbiæ molem dissipavit. Ideo & Joannes Papa præcipiebat, ut in ipsa Slavorum Missa Evangelium Latinè prius legeretur. Ideo & quod testificatur Nicolaus Papa I. etiam Constantinopoli Epistola & Evangelium in Synaxi Latinè prius, & tum demum Græcè decan-
Epist. 8. tabantur. *Ecce quotidie, immo verò in præcipuis Festivitatibus inter Græcam linguam, velut quiddam pretiosum, hanc Romanam linguam miscentes, &c. Constantinopolitana Ecclesia lectionem Apostolicam & Evangelicam istius dictione linguæ in stationibus fertur primitus recitare, sicque demum propter Græcos Græco sermone utique ipsas lectiones pronuntiare.* Idem obtinebat & Romæ, ut priùs Græcè, & tum Latinè recitarentur Evangelium & Epistola solennioribus Festis, ut geminæ unitas Ecclesiæ ostenderetur; ne Monasteriis immorer Romanæ urbis, in quibus Græci Monachi Græcam psalmodiam omnem decantabant. Id genus fuit Monasterium sanctæ Praxedis à Paschali I. extructum, & Græcorum Monachorum Congregationi concessum. *Quæ diu noctuque Græca modulationis psalmodia laudes omnipotenti Deo persolveret.*

Observa demum in tanta & sæculorum serie, & Nationum quæ Christo accesserunt multitudine, singularem omnino fuisse hanc Joannis VIII. concessionem, ut qui neminem imitatus, nemini imitandus visus sit. Hinc elucet, nihil unquam istiusmodi sibi arrogare vel exigere posse gentes recens conversas: etsi in potestate semper sit Ecclesiæ, ubi ex re visum fuerit, ea humanitate uti. Sed si prisca ex historia fas est ea quæ in posterum prosint exculpere documenta: cùm inter innumeras Gentes suo quasque tempore conversas ad fidem, unis id Slavis indultum sit, hinc facilè augurabere quàm paucis posthac id indulgendum erit, ut patria lingua psalmodias & synaxes Ecclesiasticas personent.

IV. Ut ad alia flectatur oratio, Leo IV. Vigilias solemnes & Octavam Assumptioni B. Mariæ assignavit ex Anastasio Bibliothecario: *Vigilias sacris Matutinisque cum omni Clero pernoctans laudibus*
De divin. Offic. c. 1. *in Basilica ejusdem Dominæ nostræ.* Alcuinus, qua ratione sacra Natalis Domini pervigilia peragerentur, descripsit. In Vigilia Nativitatis, hora nona celebrabatur Missa, tum decantabantur Vesperæ, atque ita ad cibum sumendum pergebant. Exordio noctis Papa in Templum sanctæ Mariæ subibat, Vigilias decantabat & Matutinas, id est, Laudes, & tum celebrabatur Missa nocturna. Tum ad ædes pergebat sanctæ Anastasiæ, alteram de nocte Missam ibi celebraturus. Hinc rursum conferebat se ad sanctum Petrum, ubi jam Canonici sancti Petri nocturnam psalmodiam hora solita cœperant concinere prævio Invitatorio, cùm Pontifex ipse ad sanctæ Mariæ concinuisset & Vigilias & nocturna Officia sine Invitatorio. Addit Alcuinus ideo duplicia tum Officia in Antiphonariis adnotari. *Unde etiam duplicia Officia in Romanorum Antiphonariis hac nocte describuntur.*

Hæc ergo duplicium Festorum & Officiorum origo antiquissima, cum bis eodem die duabus in Ecclesiis ab eodem Præsule celebrabantur. Antiquissimam dixi, quòd veteres ritus hic videatur Alcuinus Ecclesiæ Romanæ delineare. Jam olim Prudentius in describenda *Passione Apostolorum Petri & Pauli*, & tota eorum Festi celebritate, duplex & ipse Festum illud celebrari insinuaverat, quod priùs Peri Stephanon.
ad sanctum Petrum, tum ad Basilicam Pauli pergeret Pontifex, & utrobique solenniter sacris operaretur uno eodemque die. Jam audiendus Prudentius: *Transtiberina priùs solvit sacra pervigil Sacerdos, mox huc recurrit, duplicatque vota. Hæc didicisse sat est Romæ tibi: tu domum reversus, diem bifestum, si colas, memento.* Quem nos *duplicem* Festum, ille *bifestum* diem appellat.

Redeo ad Alcuinum, qui refert in Parasceve Cap. 18.
hebdomadæ majoris Romæ extingui solitas lampades facesque omnes hora sexta, & rursus accendi hora nona, ut exhiberetur Eclipsis Solis patiente Christo. Sed non immeritò dubitari possit, genuinum & ab eo scriptum, an additum sit quod ibidem habetur de Missa præsanctificatorum in eadem die Parasceves, ubi priore diei Eucharistiam & vinum non consecratum sumit Sacerdos inter sacra. Apertissima est ratio dubitandi, ex disputatione Humberti Cardinalis Constantinopoli habita adversùs Græcos anno 1050. in qua Missam hanc præsanctificatorum apud Græcos usitatam iis exagitavit & verbis, & argumentis, quibus æquè impetatur eadem Latinorum Liturgia. Non commisisset autem Humbertus, ut oppugnando Græcos, labefactaret & Latinos ritus. Unum video responderi posse, explosam esse ab Humberto Liturgiam, seu Missam, ita enim videbatur Græcis, ubi non consecraretur Corpus Christi: non autem meram cæremoniam communionis generalis, qualis à Latinis existimabatur, & ubi Pontifex, Clerus, fidelesque omnes communicabant. Huic conjecturæ favet Alcuinus, ubi magnæ Parasceves ritum ita describit: *Sanctificatur vinum non consecratum per sanctificatum panem. Tunc communicant omnes cum silentio, & expleta sunt universa.*

V. Canonicis præcipit Regula Crodogangi, dum expergiscuntur, eas fundere preces, quæ publicè fiunt nunc initio Vigiliarum, seu Nocturnorum. Unde conjicitur non improbabiliter hoc factum esse canonico huic Officio additamentum, ut publicè & ab omnibus simul fieret, quod antè fiebat à
singulis privatim. *Nocturnis horis cùm ad opus divi-* Cap. 14.
*num de nocte surrexerit Clerus, primum signum sibi sanctæ crucis imprimat, per invocationem sanctæ Trinitatis. deinde dicat versum, Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam: deinde Psalmum, Deus in adjutorium meum intende, totum cum Gloria. Et tunc provideat sibi corpoream necessitatem naturæ, & sic ad Oratorium festinet, psallendo Psalmum, Ad te Domine levavi animam, &c.*

VI. Juxta eam Regulam hiberno tempore non surgebant nisi altera post mediam noctem hora:
*A Kalendis Novembribus usque in Pascha octava hora* Cap. 15.
*noctis surgendum est, ut modicè ampliùs de media nocte pausetur, & jam digesti ad vigilias surgant.* Producebatur, aut contrahebatur nocturnus cantus usque ad exortum lucis juxta diversum anni tempus, pro arbitrio Episcopi aut Prioris. *Ut quadraginta aut*

*quinquaginta Psalmos possint cantare, secundùm quod visum fuerit, & hora permiserit.*

VII. Vetuit Concilium Francofordiense novos coli Sanctos in Ecclesiis particularibus, ea tempestate, qua facilè illudere poterat error, cùm necdum vel lex aliqua vel consuetudo eam potestatem novos Fastis sacris inserібendi Divos Romano Pontifici vindicasset. Can. 42. *Ut nulli novi Sancti colantur, aut invocentur, nec memoriæ eorum per vias erigantur: sed hi soli in Ecclesia venerandi sunt, qui ex authoritate passionum & vitæ merito electi sunt.* Manifestum est ex hoc Canone publico cultu honestatos tunc fuisse, non Martyres tantùm, *ex authoritate passionum*, sed illustriores etiam Confessores plures, *vitæ merito*. Non multæ indaginis causa Martyrum erat, quos una passio cœlo vindicabat, qualiscumque demum vita præisset. At multa inquiri necesse erat, multas fraudes technasque declinari in Confessorum vitæ toto excutiendo stadio; & quia in eo illudebantur quandoque, vel illudebant populi, falsi fallentesque: hinc excitata est Ecclesia, ut eam rem totam sapientiæ committeret ejus, qui sibi à Christo præfectus est Caput. Photius Patriarcha Constantinopolitanus aliquid ejusmodi semel tentavit, prophana assentatione in Sanctorum album referens Constantini Imperatoris primogenitum: Templaque illi & Monasteria dedicans: qua audacia unum id consecutus est, ut Christiano orbi constaret, tam sanctimoniam & religionem tanto muneri parem ei deesse, quàm potestatem. Qui Ignatii Patriarchæ vitam scripsit Nicetas, insolentissimam hanc impudentiam Photii his verbis detestatur: ὁι ἡ ἄχω χαρηρεῦ. *Quem Photius audacissimus in gratiam Imperatoris per se in Sanctorum censum relatum, Templis cœnobiisque ad aucupandam hominum gratiam colere nihil veritus est.*

VIII. Conventus Generalis Abbatum Galliæ sub Ludovico Pio habitus anno 817. jussit ut in Officio Mortuorum nec Invitatorium diceretur, nec Gloria. Can. 68. 69. 74. *Ut Psalmus invitatorius & Gloria pro Defunctis non dicatur.* Ut legeretur in Capitulo Martyrologium post Primam, deinde ex Regula aliquid, vel ex homilis Patrum. *Ut ad Capitulum primitus Martyrologium legatur, & dicatur versus, deinde Regula, aut homilia qualibet legatur: deinde, Tu autem Domine, dicatur.* Vides hinc unde accesserit horæ primæ additamentum illud prolixius, quo Martyrologium, quo versus, quo lectio brevis continetur: nempe ad totum ex eo accitum & assutum est, quod in Capitulo privatim fiebat: & hæ omnino & orationes erant & lectiones piæ, à privato penso, ad publicam Horarum contextionem translatæ. Genus ipsum attigisse sufficiet, ut intelligas quomodo in hanc molem excreverint divina Officia, novis additamentis in dies factis, & decrescente quandoque Psalmorum numero. Rursus in eodem Abbatum Conventu sancitum, ut ad Missam *Sanctus* stantes canerent, at orationem Dominicam genu flexo.

Illud observatum est ab Herardo in suo ad Parochos Capitulari, non incipiendam esse à Presbytero celebrante Canonis in Missa secretam recitationem, nisi priùs ipse cum populo totum illud Angelicum perfecerit Canticum *Sanctus*. Cap. 16. Quippe concinebat populus *Kyrie, Sanctus, Pater & Symbolum*, cùm Psalmi nonnisi à Cantoribus canerentur, Clericisque. *De Oratione Dominica & Symbolo ut memoriter omnes teneant, & Gloria Patri, ac Sanctus, atque credulitas, & Kyrie eleison à cunctis reverenter canatur. Psalmi similiter distinctè à Clericis. & ut secreta Presbyteri non inchoent, antequam Sanctus finiatur, sed cum Populo Sanctus cantent.* Valafridus Strabo in ea est sententia, tunc cani cœptum esse Symbolum, & ea occasione, cùm damnata est Elipandi Episcopi Toletani hæresis, & Felicis Episcopi Urgelitani: antehabitum verò fuisse Nicæno Symbolum Constantinopolitanum, quòd cantus modulationi magis consentiens visum sit. Cap. 22. Potuit & illud movere ejus instituti authores, quod aliquanto fusius explicatiusque sit Constantinopolitanum. Narrat idem Scriptor Leoni Papæ in more fuisse positum, ut Cap. 21. uno quandoque die septies, immo octies, noviesque mysteria celebraret. Hic ipse Pontifex est, qui veniam fecit, ut caneretur Symbolum, ubi more receptum erat, ut caneretur; quanquam Romæ non caneretur, sed recitaretur tantùm; ut fatetur ipse Pontifex in Collatione cum Episcopis duobus, quos ea de causa Carolus Magnus Romam miserat.

IX. Scitum est quod narrat Author vitæ sancti Odonis Abbatis Cluniacensis de mutatis Officiis Ecclesiæ sancti Martini Turonensis Episcopi. Ita decurtatæ erant Antiphonæ, ut Officium integrum non æquaret hyemis noctes. Sperarunt medicari se posse huic malo, si Antiphonas ad singulos Psalmi versus iterarent. Verùm hæc Antiphonarum ingeminatio, & laboris, & tædii plurimum creabat. *Officii Antiphonæ breves sunt, & ejus temporis longiores noctes; volentes efficium ad lucem usque protendere, unamquamque antiphonam per singulos Psalmorum versus repetendo canebant. Fiebat nempe eis labor improbus.* Surius die 18. Novem. c. 5. Denique quantumvis renitentem compulerunt B. Odonem, ut prolixiores ipsis concinnaret Antiphonas, integrumque Officium, quod longiores æquaret noctes.

Trullanus Canon XXXII. meminit Liturgiæ beati Jacobi Apostoli, primique Hierosolymorum Episcopi & fratris Domini. Addit ibidem Balsamon servari in Alexandrina Ecclesia Liturgiam aliam, quam beati Marci esse velint. Sed illud subjungit non immerito idem interpres Canonum, mirum esse in primis, cur duæ illæ Ecclesiæ, Hierosolymitana & Alexandrina secessionem quodammodo fecerint, nec consenserint cum aliis Ecclesiis in Liturgiam Basilii, vel Chrysostomi; ideo & ea de re compellatam à se fuisse tum Synodi, tum Imperatoris authoritatem, eo tempore, quo Patriarcha Alexandrinus Constantinopolim profectus, facta se ibi mysteria celebraturum præ se ferebat, eo ritu & ordine, quo soleret Alexandriæ. At irriti ceciderunt conatus ejus, quo spondere compulsus est, nihil unquam ejusmodi à se tentatum iri. Porro ex Canone Apostolico LXXXV. & Laodiceno LIX. Balsamon in Suplem. pag. 1115. alibi argumentatur idem Balsamon, nec illam à Jacobo Liturgiam, nec istam à Marco profectam esse, cùm neutro hoc Canone inter Apostolorum opuscula, vel inter Scripturas Canonicas recensitæ sint. Iuris Orien. To. 1. p. 362. 363. Inde infert ille Ecclesias cæteras omnes inhærere debere vestigiis & exemplis Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quæ Nova Roma est, & Missas Basilii Chrysostomique complecti; cùm legibus cautum sit, ut in rebus quæ nulla certa lege diffinitæ sunt, mos Regiæ urbis pro lege habeatur. *Quamobrem omnes Ecclesiæ Dei sequi debent morem novæ Romæ, nimirum Constantinopolis. Ait enim Caput Basilicon, De quibus scripta lex non est, morem quo Roma utitur, servari oportet.*

X. Paulò humanior est Balsamon, circa linguam, qua conscribendæ sunt, aut recitandæ liturgiæ. Non improbat enim, quominus Syri & Armeni patrio & vernaculo sermone suo divina celebrent

Officia; quandoquidem juxta Apostolum, & linguæ & nationes orbis omnes ad laudandum Deum invitantur: dum Græcæ Liturgiæ sinceras & inoffensas habeant interpretationes. *Propria dialecto sacra conficient, exemplaria consuetarum sanctarum precum habentes non evariantia, ut desumpta ex Contaciis, Græcanicis litteris eleganter descriptis.* (Ibidem. pag. 365.) Sed hic modus tandem finisque ponendus est sermoni de linguis & dialectis, qui uberrimus alioqui, immensusque & alendæ curiositati, quàm ædificandæ charitati Clericorum magis opportunus esset.

---

## CAPUT LXXXIII. *P. 3. l. 1. c. 20.*

### Quàm ferverent laïcorum studia ad frequentanda Officia, Mysteriaque, ad Communiones, ad jejunia, ad continentiam, sub Imperio Caroli Magni.

*I. Quanta laïcorum assiduitas ad Officia Canonica, ex Capitularibus & Conciliis.*
*II. Ex Concilio VII.*
*III. Maximè diebus Festis, Dominicisque, & Quadragesimalibus.*
*IV. Imperatorum Regumque assiduitas.*
*V. Et Magnatum aliorum.*
*VI. De frequenti laïcorum communione.*
*VII. De eodem. Variæ vices ferveris & remissionis.*
*VIII. Eucharistia non jam manibus, sed ori fidelium ipsi committitur. Ea infantes etiam impartiuntur.*
*IX. Græcorum in his mores*
*X. XI. Quam tenerentur laïci continentiam colere diebus Dominicis, Festis, Jejuniorum, Communionis.*
*XII. De jejuniis. Præcepta varia, variæ Quadragesimæ in Ecclesia Latina.*
*XIII. Variæ consuetudines Ecclesiæ Latinæ in jejuniis feriæ IV. VI. Sabbati, Vigiliarum. Jejunia & semijejunia.*
*XIV. Mira Græcorum in jejuniis austeritas.*
*XV. De prolixioribus jejuniis ante Natale Domini, Assumptionem Mariæ, & diem festum Apostolorum. Humaniter usus.*

I. Magis magisque concerpi atque elidi posse speravimus temerariam eorum opinationem, qui suspicati sunt non eandem semper atque nunc viguisse legem ac necessitatem in Clericis Beneficiariisque, ut horas quotidie Canonicas, vel in choro publicè psallerent, vel privatim domi recitarent: si oculis objiceretur ipsorum in eandem rem fervor & diligentia laïcorum. Præcepit Carolus Magnus, ut pueris omnibus litterarum peritia aliqua imbuendis excitarentur scholæ in Episcopalibus Ecclesiis omnibus, & in Monasteriis, utque legendi prima rudimenta ex ipsa Psalmorum recitatione ducerentur, quod etiamnunc servatur. *Ut scholæ legentium puerorum fiant; Psalmos, notas, cantus, compotum discant.* (Capitul. Aquisgr. anni 789. c. 72.)

Theodulfus Aurelianensis Episcopus fidelibus omnibus præcipiebat, ut bis saltem qualibet die orarent, manè & vespere, idque in Ecclesia, si ea propè abesset. *Hæc faciant quibus Basilica locus propè est, in Basilica: qui verò in itinere aut in agris, &c.* (Capit. Theodor. c. 23. 24.) 2. Ut Dominicum diem totum impenderent frequentandis mysteriis precibusque, & nequid ex horis Deo sacris decerperent, nisi ad necessariam vitæ sustentationem. *Ut præter orationes & Missarum solemnia, & ea quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat.* 3. Ut nihil harum precationum omitterent, tametsi terra marique peregrinarentur: *Nam etsi necessitas fuerit, navigandi sive itinerandi licentia datur, ita duntaxat, ut hac occasione Missæ & orationes non prætermittantur.* 4. Ut in Ecclesiam ventitarent primò ad Vesperas Sabbati, rursus autem ad vigilias, sive ad Matutinum, ac denique ad Missarum solemnia. *Conveniendum est Sabbato die cum luminaribus cuilibet Christiano ad Ecclesiam, conveniendum est ad vigilias, sive ad Matutinum officium: concurrendum est etiam cum oblationibus ad Missarum solemnia.* 5. Ad Ecclesias ut convolarent diebus jejuniorum omnibus ante cibum, Vesperarum & Missarum officio affuturi. *Concurrendum est ad Missas, & auditis Missarum solemnibus, sive Vespertinis officiis, largitis eleemosynis ad cibum accedendum est.* (Cap. 39.)

Anno 802. Episcopi Galliarum Capitulare ediderunt, quo jubebantur Parochi omnes horas omnes concinere Canonici Officii, & ad singulas signa concrepare, ut populi commonerentur eas Deo preces privatim tunc effundere. *Ut omnes Sacerdotes horis competentibus diei & noctis, suarum sonent signa Ecclesiarum, & sacrata Deo celebrent officia, & populos erudiant, quomodo aut quibus Deus adorandus est horis.* (Can. 8.) Eminent hîc aliqua primigeniæ fidelium pietatis vestigia, cùm illa temporum horarumque certa distinctio in horis Canonicis celebrandis, ad populum æquè, atque ad Clerum pertinebat.

Hinc graves & amarulentæ Concilii Parisiensis VI. querelæ de eorum ignavia fidelium, qui occalluerunt ad res divinas, & in Ecclesias non pergunt, nisi Dominicis diebus. Ideo & his intonant hujus Synodi Patres illud Origenis adversùs inertissimos irreligiosissimosque sui ævi laïcos; qui non Christiano, sed Judaïco penè ritu & animo, non omnes, sed paucos tantùm dies divino cultui dedicarent. *Dicite mihi vos qui tantummodo Festis diebus ad Ecclesiam convenitis, cæteri dies non sunt Festi? Non sunt dies Domini; Judæorum est, dies certos & raros observare solemnes, &c.* (Can. 11.)

II. Fidelibus omnibus Synodus VII. Generalis inculcat legem eam, qua tenentur, & memoriæ mandare, & recitare frequenter Psalmos, quanquam ea lege obligentur aliquantò strictiùs Clerici, maximéque Episcopi. *Quoniam psallentes Deo repromittimus, in justificationibus tuis meditabor, non obliviscar eloquiorum tuorum; omnes quidem Christianos hoc salutare servare oportet; eos autem præcipuè qui Sacerdotalem dignitatem obtinent. Quamobrem decernimus, quemlibet quidem, qui ad Episcopalem gradum est provehendus, Psalterium omnino nosse, ut ex eo omnem quoque suum Clerum ita institui moneat.* (Can. 2.) Percontatur Balsamon, ecquid causæ sit, cur hoc Canone urgeantur Episcopi soli Psalmorum peritiæ strenuam operam dare; cùm res tot aliæ eis sint perdiscendæ, ut sibi plebique sibi creditæ ubique præluceant. Sed obvia est responsio. Ecqui enim dubium esse potest, quin Clerici Episcopique simul atque initiati sunt, teneantur ante omnia se totos dedere functioni primariæ suæ, maximéque necessariæ, orationi inquam & psalmodiæ, quæ nec procrastinari unquam, nec cessare debet. Eadem imminebat Monachis & orandi jugiter & psalterii ediscendi necessitas. Unde & in jure Orientali commonentur Abbates, ut id curent, quo Monachi nulli antè, nulli magis rei studium operamque suam dedicent, quàm Psalterio ediscendo. *Faciendum maximo tibi studio, ne qui tondentur, in alia quavis Monasterii functione prius versentur, quàm rectè Psalterium edidicerint.* (Iuris Orien. To. 1. p. 438.)

III. Concilium Forojuliense anni 791. sub Paulino Patriarcha cohortabatur fideles omnes, ut Dominico die toto uni vacarent orationi: ejus exordium ducentes à Vesperis Sabbati; utque ea qua par est libertate animi cordisque munditie id perfi- (Can. 13.)

cerent, etiam atque etiam obtestabatur, ut à conjugibus se abstinerent. *Abstinere primum omnium ab omni peccato, & ab omni opere carnali, etiam à propriis conjugibus, & ab omni opere terreno, & nihil aliud vacare, nisi ad orationem.* Idem ad Bulgaros rescripserat Nicolaus Papa, addideratque, nisi orationi toti dependantur Dominici dies Festique: satius fore, ut ruri colendo, quàm inani otio & voluptatum sor-
Cap. 12. dibus exigerentur. *Idcirco diebus Festis ab opere mundano cessandum est, ut liberiùs ad Ecclesiam ire, Psalmis & Hymnis & Canticis spiritalibus insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus. Quæ omnia si quis negligens orationi tantùm vacare noluerit, &c. Melius illi fuerat laborare manibus suis, &c.* Concilii autem Tributiensia Patres non Dominicos tantùm Festosque dies totos orationi & psalmodiæ devo-
Can. 33. vent, *Tantummodo Deo vacandum*, sed & Quadragesimæ tempus; expressissimè prohibentes, ne quid jurgiorum aut litium moveatur toto eo tempore, quo Deum nobis conciliamus. *Diebus Quadragesimæ & jejuniorum devotissimè jejunandum, & omni intentione est orandum, atque unicuique pro facultatibus suis eleemosyna tribuenda, & nullæ lites vel contentiones habendæ.* Eos quippe Propheta gravi censura inurit, qui non jejunant nisi ad lites: *Ecce ad lites & contentiones jejunatis.*

Tritum illud est, Ferias Clericis esse omnes hebdomadæ dies, quæ terrenis occupationibus inquinandæ non sint. Docuit suprà Origenes, cùm remisissent fideles à jugi illa oratione, tunc dies certos selectos fuisse, quibus saltem in primævum illum fervorem recalescerent. Carolus Magnus illud rursus inculcabit, ad singulas Officii canonici horas personare debere tympana, ut commoneatur plebs jugiter orandum, aut bis saltem temporum
Capitular. intervallis orandum esse. *Ut Sacerdotes signa tangant*
Car. Mag. *horis canonicis, & illorum officium agant, sive diurna-*
L. 6. c. 168. *le, sive nocturnale, quia scriptum est: Sine intermissione orate; & idcirco non dimittant horas canonicas.* Non Clericis, sed fidelibus omnibus vellicabat autem Apostolus, cum sine intermissione orari præcipiebat. Nocturnis ergo diurnisque Ecclesiæ psalmodiæ horis concrepant tympana, ut laïcis memoria refricetur hujus jugis & nunquam interrumpendæ orationis. Hinc & illud est, quòd & laïcis suæ partes, sua aliqua jura essent in Ecclesiastica divinorum Officiorum psalmodia; non tantùm ut Psal-
Ibidem. mos, sed & complura alia decantarent. *Laicus non*
L. 5. c. 49. *debet in Ecclesia lectionem recitare, nec alleluya dicere, sed Psalmum tantùm, aut responsoria, sine alleluya.* Docet & Regino invaluisse quondam eum usum, ut Dominicis Festisque diebus cogerentur laïci Matutinis Laudibus, Missæque adesse, & Vespertinis.
L. 1. c. 37. *Etsi ad Matutinas, & ad Missam, & ad Vesperas his diebus imprætermissè omnes occurrant.*

IV. Summi quique Principes & Reges non majestate magis quàm pietate præibant fidelibus, exemploque suo præerant, ut ad Horas canonicas in Ecclesiam confluerent. Jam Eginhardus & San-Gallensis Monachus Carolum Magnum exhibuerunt nobis, ut tota Lectorum Cantorumque peritia pollentem, Psalmosque in Ecclesia summissa voce decantantem. Jam ostendimus Ecclesiam Palatinam supra omnes alias præcelluisse cantûs peritia, divinorumque Officiorum celebratione pia juxtà & magnifica, ut eam cæteræ Regni Ecclesiæ imitari contenderent. Hinc autem illud emergit, celebrationi divinæ psalmodiæ in hac Capella Regia solitos adesse Reges. Eginardus Carolo Magno hoc testimonium dicit: *Ecclesiam mane & vespere, item nocturnis horis & sacrificii tempore, quoad eum valetudo permiserat, impigrè frequentabat.* San-Gallensis Monachus Carolum Magnum ob oculos ponit psallenti Choro moderantem in Capella Regia. Quin & illud confirmat Clericorum neminem in conspectum ejus prodiisse, nisi legendi canendique peritum. Denique docuit nos idem ipse quibus ille se muniret vestibus adversùs frigus aliasque temporis injurias, cùm nocturnis interesset Officiis, & quanta circa ipsum esset Clericorum frequentia, seu nocturnis, seu diurnis Officiis, Mysteriisve adesset. *Gloriosissimus Carolus ad nocturnas Laudes pendu-* De Eccles.
*lo & profundissimo pallio, cujus jam usus & nomen re-* cura Caroli
*cessit, utebatur. Expletis verò Hymnis matutinalibus,* Magni.
*ad caminatam revertebatur. Imperialibus vestimentis pro* L. 1. c. 33.
*tempore ornabatur. Cuncti verò Clerici ita parati ad antelucana veniebant Officia, ut vel in Ecclesia vel in porticu, quæ tunc curticula dicebatur, Imperatorem ad Missarum solemnia processurum vigilantes expectarent.*

In reprehensiones hominum incurrit Ludovicus Pius ex ea re, quæ illi & laudi vertere debebat & gloriæ sempiternæ; ex jugi videlicet psalmodia & studio Scripturarum. Græcè sciebat & Latinè loquebatur, teste Thegano, tam belle, quàm qui optimè. Scripturæ sensus omnes studiosissimè perscrutatus fuerat. Denique si nimio plus indulsit fœdissimis eorum consiliis, qui ejus facilitate & indulgentia abutebantur, id ex eo profectum est, quòd in lectione Scripturarum totus esset. *Lingua Græca* Cap. 19.
*& Latina valde eruditus, sed Græcam magis intelligere* 20.
*poterat, quàm loqui: Latinam verò sicut naturalem æqualiter loqui poterat. Sensum verò in omnibus Scripturis spiritalem ac moralem, necnon & anagogen optimè noverat. Omnia prudenter & cautè agens, nisi quod Consiliariis suis magis credidit quàm opus esset, quod ei fecit psalmodiæ occupatio & lectionum assiduitas.*

Alius ejusdem Scriptor historiæ indefessam ejus Du Chesne.
exhibet vigilantiam diligentiamque, ut divinis om- t. 2. pag.
nibus interesset Officiis per quadragesimale tempus; 318.
ut eo dierum numero pœnitentiæ & carnis macerationi sacrorum, ne semel quidem aut bis illud sibi licere vellet, ut equo veheretur, tantisper recreando animo corporique, quanquam diu expertus id tuendæ valetudini suæ necessarium esse: *Et qui solitus erat hoc tempus Psalmorum decantatione, orationum instantia, Missarum celebratione, eleemosynarum liberalitate, cum summa devotione totum solemne reddere, ita ut vix uno aut duobus diebus propter exercitationem equitationi indulgeret, &c.* Minùs tempestiva Thegani censura religiosissimi Principis obscuraret forsan pietatem, & quod inde utilitatis carpi poterat, præcerperet & irritaret: nisi retunderetur objecta ex adverso authoritate & doctrina Archiepiscopi Lugdunensis Agobardi. Dux ille & antesignanus fuit eorum quodammodo qui in perniciem & in abdicationem Ludovici Pii impiè & nefariè conjuraverant. Et nihilo tamen minus cùm ad Pium Agobardus scriberet de multis quæ Imperium ejus fœdarent, non potuit non justis laudibus afficere studium & assiduitatem ejus infatigatam, ad Psalmos, ad cantum, ad Cantica Ecclesiæ frequentanda. *Re-* De divis.
*cordamur namque ardentissimæ religionis vestræ, quam* imp. Gall.
*cognovimus semper in assiduitate orationum & in Psal-* inter hæred.
*mis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus, cantantem* Lud. Imp.
*& psallentem Deo in corde puro, &c.*

Luitprandum Longobardorum Regem hoc Pau-

lus Diaconus ornavit preconio, quòd primus Regum omnium Capellam Regiam construxisset in suo Palatio, constituissetque ibidem Collegium Clericorum & Presbyterorum, qui Regibus divina Offi-
L. 6. c. 17. cia decantarent. *Intra suum quoque Palatium oratorium Domini Salvatoris ædificavit. Et quod nulli alii Reges habuerant. Sacerdotes & Clericos instituit, qui ei quotidie divina Officia decantarent.* Observatum est ab Ditmaro Otthonem I. Imperatorem solemni pompa processisse cum Episcopis & Clero, præeuntibus Crucibus, Reliquiis, Thuribulisque, ad Officia divina, Vesperas, Matutinum, Missam, quibus ita aderat, ut nisi expletis omnibus non abiret. Denique solemnibus diebus omnibus idem pietatis munus Principem obiisse. *Solebat in solemnitatibus universis ad Vesperam & ad Matutinum atque ad Missam cum processione Episcoporum venerabili, deindeque cæterorum ordine Clericorum, cum Crucibus Sanctorumque Reliquiis ac thuribulis ad Ecclesiam usque deduci, ibique stare aut sedere, usque dum finita sunt universa.*

Author est Vuillelmus Neubrigensis, Alfredum Angliæ Regem, qui anno 872. regnare cœpit, horas diei cujuslibet ita tripartiri solitum, ut lectioni & orationi octo dicaret solidas, totidem regni disponendis negotiis, totidem denique necessitati-
De gestis Reg. Angl. L. 2. p. 41. bus corporis sedandis. *Viginti quatuor horas, quæ inter diem ac noctem jugiter rotantur, ita dividebat, ut octo horas in scribendo & legendo & orando, octo in cura corporis, octo in expediendo Regni negotia transigeret.* Erat in ejus Capella cereus, qui noctu arderet interdiuque, & horas demonstrabat singulas, quod ei ipsum Capellani commonebant. Denique sinu semper suo gestabat libtum Officiorum Ecclesiæ, ut quoties vel tantillum esset otii & laxamenti, esset & quò illud conferret. *Illud insolitum & inauditum, quod semper sinu gestabat libellum, in quo diurni cursus Psalmi continebantur, ut si quando vacaret, arriperet, & vigilanti oculo percurreret.*

V. Nec à Regum pietate procul erant Magnates. Scripsit Odo Cluniacensis Abbas vitam jam sæpè nobis hîc laudatam, laudandamque Geraldi Comitis Orilacensis, qui quotidie matutinis vesper-
L. 1. c. 11. tinisque Officiis omnibus aderat & Mysteriis: *Post nocturnas laudes, si quolibet proficiscendum erat, Missarum subsequebatur solemnitas.* Dixi jam, ut ob non auditam die Dominico semel Missam, quod citra culpam tamen ejus contigerat, id in reliquum vitæ tempus sibi ipse præscripserit, *Ut Psalterium pene quotidie recitaret.* Erat quod mirarentur, erat & quod gratularentur omnes, quòd cùm negotiorum moli angeri non sese subduceret, tantum temporis tamen impenderet orationi psalmodiæque, tum pri-
L. 2. c. 9. vatæ, tum publicæ. *Tantopere lectionibus audiendis, & vicissim orationibus, nunc cum aliis, nunc semotim erat intentus, ut mirum sit, quomodo vel tantum studium in his habere potuerit, vel tantam Psalmorum summam semper explere valuerit. Præsertim cùm alias occupationes interdum expediisset. Non enim erat obstinatus ut causis necessariis se nimium absentaret: sed his pro opportunitate paululum intentus, mox ad degustatam psalmodia dulcedinem sese concitus recolligebat.* Solemnem aliquando Festum diem exegit in Solemniacensi Abbatia; affectata est tum prolixitas Officiorum: *Fratres solemnizare cœperunt Officium, ut moris est, in longum protelantes*: beata hæc illi fugere momenta visa sunt. Quocumque pergeret, turbam Clericorum comitem semper habebat, quibuscum diei noctisque conce-
L. 2. c. 16. lebraret Officia: *Copia Clericorum semper eum comitabatur, cum quibus in divino opere jugiter insudabat. Nocturno tempore cunctos in Oratorio diutius prævenire solebat: quo expleto solus remanere solitus erat.* Cùm iter agenti Dominicus dies incurrisset, non passus est ut quisquam suorum antè se itineri committeret, quàm transacta esset hora nona. *Retinuit eos dicens, quod ob reverentiam Dominici diei saltem usque ad Nonam demorarentur.* Cùm equitaret, deflectebat sæpissimè nonnihil à comitum turba, ut liberiùs Psalmos recitaret. *Porro mos erat illi, ut cooperto capite solus equitaret, quo psalmodia liberiùs vacaret.* Ne extremæ quidem ægritudinis & adventantis mortis languor de fervore ejus quidquam detraxit. Ad nocturna pergebat in Ecclesiam Officia, Missis intererat duabus, quarum altera diei, altera Mortuorum erat propria; cùm denique vires ejus omnes exhausisset jam propior quædam mortis aura, in ipso conclavi suo Officium à Capellanis suis decantari curabat, quibus & ipse utcumque poterat concine-
bat. *Per omne verò sui languoris tempus, infatiscentes* L. 3. c. 7.
*ad divinum obsequium impellebat artus, ut nec unum quidem nocturnale Officium nisi in Ecclesia pateretur celebrare. Missam verò unam diei competentem, & alteram coram Altari positus audiret, &c. Ingravescere se sentiens, jussit ut nocturnale coram se Capellani peregissent, Episcopo cum suis in Ecclesia illud celebrante; cum psallentibus autem & ipse psallebat, donec post matutinale Officium omnes etiam horas diei compleret.*

VI. Non in sola autem psalmodia priscæ fidelium pietatis summa erat, nec in eo tantùm primigenius laïcorum vigor relaxatus est. Sunt & alia capita complura, quorum nonnulla hîc obiter perstringere non pœnitebit, ut tantò certiùs constet, non Officia tantùm canonica, sed & complura alia Clericalis ac Monasticæ pietatis insignia laicos olim quamplurimos diutissimè æmulatos esse. Raró olim Mysteria celebrabant Presbyteri, quin & laici communicarent. Finitimum istud est canonicis Officiis Officium pietatis. Sed ut communionis, ita & Officiorum canonicorum frequentia plurimum remiserat jam temporibus Caroli Magni. Ut nunc semel saltem quolibet anno ad Pascha, ita tempore Caroli Magni ter saltem fidelibus omnibus communicandum erat. Innovatum est id præceptum in
Concilio Turonensi III. anno 813. *Ut si non frequen-* Can. 50.
*tiùs, vel ter laici homines in anno communicent, nisi* Capit. l. 2.
*fortè quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur.* c. 45.
Hæc Pœnitentium exceptio supponenda semper est, cui & ipsi exceptio alia subjicienda est. Pœnitentes enim hoc Caroli ævo Eucharistia impertiebantur omnes in die Cœnæ Dominicæ, nisi si qui eorum gravissima quapiam impietate sese constrinxissent.
Ita apertè Concilium Cabilonense II. anni 813. *In* Can. 47.
*Cœna Domini à quibusdam perceptio Eucharistiæ negli-* Addit. l. 3.
*gitur, quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus,* c. 18.
*exceptis his, quibus pro gravibus criminibus inhibitum est, percipienda sit, Ecclesiasticus usus demonstrat: cùm etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & sanguinis Dominici sacramenta reconciliat.*

Si Pœnitentes ipsi cælesti hoc epulo semel quotannis vescebantur, nemini dubium est, quin eo fideles fruerentur aliquantò frequentiùs. Generalem fidelibus omnibus communionem indicit Theodulphus diebus omnibus Dominicis Quadragesimæ, die Cœnæ Dominicæ, & Parasceves, & Sabbati
sancti, & Paschæ. *Singulis diebus dominicis in Qua-* Capitul.
*dragesima, præter hos qui excommunicati sunt, sacra-* Theodulp.
*menta corporis & sanguinis Christi sumenda sunt, & in* c. 41.
*Cœna Domini, & in Parasceve, & in vigilia Paschæ & in die Resurrectionis Domini penitus ab omnibus commu-*

*nicandum; & ipsi dies Paschalis hebdomadæ omnes æquali Religione colendi sunt.* Subdit Theodulphus accedere non debere ad sacram hanc mensam, nisi multùm diuque purgatos; sed nec ab ea recedere diutiùs debere, qui quam ex ea assecuti fuerint animi munditiam, brevi sordescere solent. *Sicut periculosum est, impurum quemque ad tantum sacramentum accedere; ita periculosum est ab hoc prolixo tempore abstinere.* Itaque fidelibus media quædam via terenda est, inter excommunicatos, quibus sacri epuli participes fieri certis tantùm diebus datur: & conspicuos virtute morumque innocentia viros, quibus

Cap. 44. quotidianum ferè hoc epulum est. *Salva ratione eorum, qui excommunicati, non quando eis libet, sed certis temporibus communicant, & religiosis quibuscumque sanctè viventibus, qui pene omni die id faciunt.*

In votis illud fuerat Carolo Magno, ut Dominicis singulis Festisque solemnibus ad communionem Corporis Christi fideles accederent omnes.

Capit. l. 5. c. 182. L. 6. c. 157. *Ut omnes per dies Dominicos & festivitates præclaras, sacra Eucharistia communicent, nisi quibus abstinere præceptum est.* Et infrà: *Placuit ut fideles, &c. si fieri potest, omni Dominica die communicent, nisi criminali peccato & manifesto impediantur, quia aliter salvi esse non possunt, quoniam Dominus dixit, Qui manducat meam carnem, &c.* Vix quisquam ambigat tantum Principem, & ea religionis fama, quas pietatis promulgabat leges, exemplis suis astruxisse. Ludovicum Pium Concilii VI. Parisiensis Præsules anno 829. commonuerunt, ut Proceres Aulicosque suos exemplo & ipse suo ad frequentiorem Eocha-

Can. 20. ristiæ participationem provocaret. *De perceptione verò sacri Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi nihilominus monemus, ut quod Christiana Religioni expedit, & sicut vobis à Patribus nostris admonitum est in aliis Conventibus, quando possibile fuerit, faciatis, & vestro exemplo, vobis famulantes, ut hoc faciant, instruatis.* Heraldus Turonensis Archiepiscopus ita statuebat, fidelibus prorsus omnibus adeundam esse sacram mensam, tertio aut quarto quoque Domini-

Ann. 858. c. 53. Capit. Hera. co die, hoc est, semel quolibet mense. *Ut populus prædicetur, ut oblationes Deo offerant, & ut tertia Dominica vel quarta communicent, abstinentes se à luxuria propriisque uxoribus, & reliquis illicitis, nisi fortè criminalibus culpis sint implicitii.*

VII. Jonas Episcopus Aurelianensis in luculento Tractatu de institutione laica, eorum alienatam à religione & pietate vitam insectatur, qui tribus tantùm solemnioribus anni festivitatibus Christi corpore vescebantur; nec pensitabant ipsi secum, cibi penuria vitam extingui, inferrique mortem posse non corpori tantùm, sed & animæ; Synaxes verò Ecclesiasticas eo fine institutas esse, ut debitus Deo cultus deferatur, eique conglutinentur fidelium animæ, dum Christo per corporis ejus com-

De instit. laica. l. 2. c. 18. munionem coagmentantur. *Sunt item plerique, quod valde periculosum & congrua emendatione dignum est, qui ab hoc sacramento partim incuria, partim desidia adeo se subtrahunt, ut vix in anno, nisi sub tribus tantùm Festis præclaris, potiùs quàm ex devotione faciant: nescientes, aut scire nolentes, quod sicut corpus sine cibo & potu, ita & anima sine spiritali cibo moritur.* Nec multò pòst: *Cum igitur conventus Christianorum ad Ecclesiam ideo præcipuè institutus sit, ut inter Hymnorum & laudum solemnia, participatio corporis & sanguinis Domini celebretur, &c.*

In Epistola quadam sua Amalarius affirmat fideles olim, quicumque in sacra subibant Ecclesiæ limina, compulsos fuisse, aut Christi corpori communicare: aut justas promere causas, quamobrem id non facerent: aliqui excommunicatione perculsos fuisse. Addit autem id quidem placuisse Gennadio, ut Dominico quoque die fideles communicarent: at id ex eo fortan esse, quòd ne ipse quidem diebus singulis sacra Mysteria celebraret. Denique satius esse tutiusque Augustino assentiri, quàm Gennadio, & cum se præstare, qui diebus singulis communicare possis. Non expendam hoc loco, an Augustini, an Gennadii mentem omnino assecutus sit Amalarius, & an ejus judicio ac definitioni standum hoc loco sit. Satis est, ut hoc loco indigitaverim, quæ eo sæculo essent Doctorum sententiæ, qui fidelium mores. *Præcipitur in Canonibus, ut om-* Spicil. To. 2.

*nes ingredientes Ecclesiam communicent: quòd si non* pag. 272.

*communicaverint, dicant causam quare non communicent: & si rationabilis extiterit, indulgeatur illis; sin autem excommunicentur. Comperi te anchoram mentis tuæ fixisse in pelago, & non in portu: fixisti illam in Gennadio Massiliensi Episcopo. Hortor ut potiùs figas illam in portu tutissimo, Augustino scilicet, testificato per universas Ecclesias. Hortatus est te Gennadius, ut præcipuè per dies Dominicos communices. Fortè non erat consuetudo illius, ut per singulos dies Missam celebraret. Si enim esset, non hortaretur per solos Dominicos dies potissimum communicare, &c. Quapropter non ritè communicamus per singulos dies Dominicos, & potest fieri, ut Deo placeamus per singulos dies unius heb domada, in quibus gustare & videre fas est, quàm dulcis sit Dominus.*

Constat ergo ex his Imperatores, Episcopos & viros eruditione ac pietate præstantes, in id esse connixos, ut tuerentur, aut ut innovarent primævæ ætatis in Ecclesia fervorem frequentissimè communicandi; atque ut fideles perdocerent ad eam vitæ morum inculpatam castimoniam, qua dignè possent deificæ Cœnæ participes fieri, singulis diebus, aut saltem singulis Dominicis Festisque: aut si ne id quidem possent, singulis mensibus: nemini autem impunè fuisse, si tribus solemnioribus Festis, Natalis, Resurrectionis & Pentecostes non communicarent; annua enim Cœnæ Dominicæ communio jam ferè pœnitentium propria erat. Id verò præ- Regino l. 1. c. 58.

ter jam congestas probationes, firmari præterea posset, tum ex Reginone, tum ex Formulis præceptionum Synodalium Episcopi ad Parochos cujusque suos. Appen. Baluz. ad Regin. p. 605. 615.

VIII. Tunc sanè increbescente sacræ communionis usu, id quoque innovatum est, ut non jam in manus daretur Eucharistia, sed in os communicantium mitteretur. Ita Canon antiquioris præcipui Concilii, à Reginone relatus, quo jubentur Parochi sacrum cibum sua mano in ora ipsa inferre fidelium laicorum. Itaque non discrepat à veri specie & similitudine, etiam tum Diaconos, Subdiaconos, Clericosque minores, necdum exutos fuisse priore privilegio, & ex usu priore Eucharistiam manu excepisse. *Nulli Laico aut fœminæ Eucharistiam* Regino l. 1.

*in manibus ponat, sed tantùm in ore, cum his verbis,* c. 199.

*Corpus & Sanguis Domini prosit tibi ad remissionem peccatorum & ad vitam æternam.*

Aliquantò serius, nempe temporibus Paschalis II. desinente sæculo XI. volunt oblitteratam fuisse consuetudinem illam aliam infantes communicandi. Eam enim sub Imperio Caroli Magni superstitem adhuc & intemeratam viguisse, fidem faciunt libri ipsi Capitularium: *Ut Presbyter semper Eucharistiam* Capit. Car. Mag. l. 1.

*habeat paratam, ut quando quis infirmaverit, aut parvulus infirmus fuerit, statim eum communicet, ne sine* c. 162.

*communione moriatur.*

IX. Quod ad Ecclesiam verò Græcam, redintegraverat quidem Trullana Synodus priscum morem excipiendæ manu Eucharistiæ, damnata quorundam divitum inani ostentatione, qui ut se à pauperibus sejungerent, aureis eam poculis excipiebant. At Balsamonis ætate, sive exeunte ferè duodecimo sæculo, illa etiam videtur jam invecta fuisse consuetudo, non manu, sed ore eam excipiendi. Id ipsemet insinuat in Canonem Trullanum: *Ne mireris, nec causam rogaveris propter quam in quibusdam Ecclesiis datur laicis sanctum Christi corpus, nec eis in manu datur, ut hoc Canone continetur. Recta enim fides & Dei timor & ab omni suspicione aliena pietas hoc tradidit, non laicorum indignitas.* Ubi perspicis solos desiisse Laicos manu excipere, & quidem nonnullis tantùm in Ecclesiis ita exolevisse priscum usum. Inter ipsos etiam forsan Latinos paucæ primùm Ecclesiæ a prisca consuetudine recesserunt. Unde & Balsamon ait, laicos Latinos & Eucharistiam aliquos gestasse in sinu, & mutuò sibi alios aliis impertiisse *Latini autem azyma assiduè in sinu ferentes, etiamsi sint laïci, ea non solum sibi, ut Sacramenta impertiunt, sed etiam aliis.*

*Can. 101.*

*In Can. 58. Trull.*

X. Strigam & aliquid de continentia, qua Eucharistiæ præparari conjugatos moris erat. Religiosè quoque servanda illa erat diebus Dominicis, Festis & Jejuniorum. Refert Balsamon inter Græcos id obtinuisse, ut si triginta annos natus quispiam & bis conjugatus, atque ex alterutra conjnge liberos habens, tertiam postea duceret: per quadriennium communione privaretur; & reconciliatus postea sacris altaribus, non posset sacro epulo frui nisi ter anno qualibet, in Natali Domini, in Pascha, & in Dormitione, seu Assumptione beatæ Mariæ. Approbat idem scriptor hanc servandæ continentiæ necessitatem, ex Apostolo, qui dies Orationi sacros dicat & continentiæ, & ex ipsis Sacrificii verbis, *Sancta sanctis.* Addit & Synodalem Patriarchæ Lucæ Constitutionem, qui tridui continentiam ante Communionem præscripsit, decrevitque pœnas in eos, qui quo die nuptias contraherent, etiam consummarent. *Patriarcha Lucas synodaliter pronunciavit, debere tribus antè diebus à corporali congressu sejungi conjuges, qui sunt divinorum Sacramentorum futuri participes. Sed & sponsos, qui ipso die matrimonii ad rem veneream coeunt, pœnis subjecit.* Subdit denique Canonicam definitionem Timothei Patriarchæ Alexandrini, qui *decernit debere fideles à mutuo congressu abstinere Sabbato & Dominico.* Et exemplo & præcepto ita sanxerant Moïses & David, ut continentia preci & sacrificio conjungeretur. Probat denique Balsamon ex eadem Scripturarum authoritate, ex consuetudine Ecclesiæ, & ex Timothei Patriarchæ statuto, non tantùm præire debere continentiam communioni Eucharisticæ, sed etiam subsequi: Ideoque diei quoque nuptiarum eundem deferri pudorem, quòd Corporis Christi participes fiant, qui conjugantur. Non dissimulat tamen abolescere paulatim pium hunc priscæ Disciplinæ usum, omnique ope enitendum esse, ut vigor illi suus restituatur. *Et optamus corrigi, quod præter divina instituta præcepta circa sponsæ deductionem malè fit. Nam postquam sacra precatione initiati sunt, & divinas sanctificationes promeruerunt, ad carnalem festinant unionem, in nuptiarum deliciis lascivientes, sacræ benedictionis vim non considerantes, & sanctificationum contemptum. Conjuges ergo quo die divinas participaturi sunt sanctificationes, non tantùm ante earum assumptionem, sed & post eam citra excusationem continenter se gerere debent. Quod si non faciant, gravioribus subjiciuntur pœnis.*

*In Can. 14 Basilii.*

*In Supplem. Can. 1113.*

*Ad Can. 4 Carthag.*

*Jur. Orient. L. 7. p. 327. 368*

Si in unum jam conglobentur hæc omnia laicorum fidelium pietatis officia, orandi sine intermissione; sæpissimè panis cœlestis degustandi, qui & idem quotidianus panis dicitur; continentiæ cum Oratione, cum Sacramentorum participatione, cum jejuniis conjungendæ; facilè intelliges, nec novi quidquam à nobis, nec inusitati tentatum esse, si legem qua tenentur Clerici ad horas Canonicas, illustravimus exemplo & usu laicorum, qui eodem tamdiu officio perfuncti sunt. Si enim laicis ad jugem orandi assiduitatem, juxta Apostolum, si ad frequentissimam Sacramentorum participationem enitendum est, si continentia ad id præparandi purgandique sunt; si juxta Canones publicè concrepant signa ad horas Canonicas celebrandas, eo fine, ut sui muneris admoneantur fideles; si Festi, Dominici & jejuniorum dies Orationi & mysteriorum participationi dicati, dicandique sunt: hinc illud certè efficitur, & ad aliquantulum Sacerdotii Sacerdotaliumque munerum consortium vocatos esse fideles omnes; & multò strictiorem Clericis quàm laicis incumbere obligationem & orandi jugiter, & canonica decantandi certis suis horis Officia.

XI. Non prætereunda continentiæ cura apud Latinos, qui ejus colendæ studio Græcis multò semper præcelluere. Ut continentia & oratione plurium dierum præparandus quisque sit ad Eucharistiam, ita edocet Theodulfus: *Aliquandiu ab opere conjugali abstineat, eleemosynis & orationibus insistat, & sic ad tantum Sacramentum accedat.* Eadem penè verba leges in Capitularibus Caroli Magni, in quibus & exemplo Davidis is usus astruitur, qui sacros panes plurium dierum continentia expiatus comedit: *Ut videlicet abstinens aliquot diebus ab operibus carnis preparet se, ad percipiendum tantum Sacramentum, exemplo David, qui nisi se confessus fuisset abstinuisse ab opere conjugali ab heri & nudius tertius: nequaquam panes propositionis à Sacerdote accepisset.* Eodem jure post celebratum conjugium aliquot dierum continentia in usu erat, tum propter ejus ipsius Sacramenti venerationem: tum quod plerumque oblatione & communione consignaretur: *Et biduo vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant, ut bona soboles generentur.* Idem Herardus præcipit in Capitulari. Dum Parochias suas perlustrarent Episcopi, inquirere debebant, an Parochi plebes & conjugatorum turbas admonerent, quibus diebus conjugio abstinendum esset: *Si illud etiam admoneat, quibus temporibus conjugati se abstinere debent à propriis uxoribus.* Pœnitentiales libri viginti dierum pœnitentia eos plectebant, qui non una hebdomada ante communionem conjugibus abstinuissent. *Communicasti de sacrificio Domini, & non priùs abstinuisti ab uxoris amplexu, quinque aut septem diebus, dies viginti pœniteas.*

*Capitul. Theod. c. 44.*

*Capit. Car. Mag. l. 2. c. 40.*

*L. 7. c. 463.*

*Cap. 89.*

*Regin. l. 2. c. 59*

*Ibid. l. 2. c. 300*

*pag. 146.*

XII. Sunt & arcani nexus, quibus oratio & continentia Festis & jejuniorum diebus cohærescant. Negat Theodulphus jejunari utiliter quadragesimam, nisi abdicentur carnis sensuumque voluptates, nisi lites componantur, sopiantur simultates, & orationi, vigiliis, eleemosynisque eo maximè tempore opera detur. *In his jejuniorum diebus nullæ lites, nulla contentiones esse debent. Abstinendum in his est à conjugibus, & castè & piè vivendum, quia nihil penè valet jejunium, quod conjugali opere polluitur, & quod orationes, vigiliæ, & eleemosynæ non commendant.*

*Capitulare Theod. c. 42. 43.*

Ut

Utque ne quis sibi fingat, necdum jejuniorum tunc dicta ad eum excrevisse numerum, quo nunc sunt: unum hic attexam ex Capitularibus Caroli Magni locum, ubi tres anno quolibet quadragesimas præscribit, præter jejunia feriæ sextæ cujusque,
L. 6. c. 184 & alicubi etiam Sabbati. *Item admoneant Sacerdotes, ut jejunia tria legitima in anno agantur, id est, quadraginta dies ante Nativitatem Domini, & quadraginta ante Pascha, ubi decimas anni solvimus, & post Pentecosten quadraginta dies. Quanquam enim nonnulla ex his canonica priventur authoritate, nobis tamen omnibus simul propter consuetudinem plebis & parentum nostrorum, morem hunc observare convenit. Præter hæc autem legitima tempora jejuniorum, omni sexta feria propter passionem Domini jejunetur. Sed & Sabbati dies à plerisque, propter quod in eo Christus jacuit in sepulchro, jejunio consecratus habetur.* Nec dissimulat Carolus Magnus, nec nos detrectamus, quin quadraginta illi ante Natale Domini, & post Pentecosten dies jejuniorum antiquis Conciliis incomperti fuerint: sed nihilo tamen minus testificatur idem ipse Carolus tanta gentium consensione & longo sæculorum usu id perfectum, & confirmatum esse, ut consuetudo in legem exurgeret. Tres similiter has quadragesimas sancit Regula Crodogangi, sed ita ut una earum in sola carnium abstinentia posita
Cap. 35. sit. *A Pentecoste verò usque ad Nativitatem sancti Joannis Baptistæ similiter bis in die reficiant, & carne abstineant. A Nativitate verò sancti Joannis usque ad transitum sancti Martini, sicut antea bis in die reficiant, quarta & sexta feria à carne abstineant.* Ubi illud observabis, in meram quoque à carnibus abstinentiam jam tum emollita fuisse antiquissima quartæ & sextæ feriarum semijejunia. Aliquantò strictiùs jejunabatur illa quadragesima, quam familiariùs Adventum dicimus; ad Nonam enim usque jejunium producebatur: *Ab ipso transitu sancti Martini usque ad Natalem Domini carne omnes abstineant, & usque ad Nonam jejunent.* A Natali Domini usque ad quadragesimam jejunabatur etiam feria secunda, quarta & sexta ad horam usque nonam; quarta feria sextaque carnibus abstinebatur: *Et post Natalem Domini usque ad caput quadragesimæ secunda & quarta & sexta feria in refectorio ad nonam reficiant: reliquis diebus duabus vicibus in refectorio reficiant. A carne verò quarta & sexta feria his temporibus abstineant.* Hæc ex Regula Canonicorum, ubi si qua incideret festivitas in dies eos, qui abstinentiæ carnium addicti erant, id juris erat Priori, ut esum carnium indulgeret. *Et si dies festus in his diebus feriis talis evenerit, si permiserit Prior, carnem manducent pro infirmitate.* Ipsissimæ verò quadragesimæ tempore nonnisi post celebratas Vesperas solvebatur jejunium. A Pascha ad Pentecostem per quartas sextasque ferias à carnium esu abstinebatur. *A Pascha usque ad Pentecosten, bis in die Canonici reficiant, & carnem manducandi licentiam habeant, nisi pœnitentes, præter tantùm quartam sextamque feriam.*

Paucula hic verò obiter animadverti operæ pretium est. 1. Strictiùs Monachos Canonicosque tribus his Quadragesimis obligatos fuisse, quàm laïcos; adeoque non valde tricandum aut contendendum esse, si quis earum duas velit arbitrariæ fidelium pietati concreditas fuisse. 2. Solam carnium abstinentiam feriis quarta sextaque à Pascha usque ad Pentecosten, & in quadragesima post Pentecosten, in numero fuisse leviorum & molliusculorum jejuniorum. 3. Jejunia Adventûs ad nonam usque horam, sicut & esurialium hiemis dierum, hoc est, secundæ, quartæ, sextæque feriarum, speciem quandam præ se tulisse antiquissimorum in stationibus semijejuniorum. 4. Si constet, secunda quoque feria à Natali ad Quadragesimam, continuatum esse jejunium usque ad Nonam, nec temperatum tamen esse à carnibus, novam hanc & pene singularem fore jejunandi rationem. Et id tamen verba ipsa videntur sonare, si nihil irrepsit mendi. 5. Solemnioribus festivitatibus in hæc semijejunia incurrentibus, id est, in quartam sextamque feriam & in Adventum, copiam factam esse vescendi carnibus. 6. Id quoque tamen indulgentiæ imputatum fuisse, ut probabile prorsus sit ea relaxatione usos non esse jam tum, qui se rigidiori Canonum observationi devoverant.

XIII. In suis ad objecta Græcorum responsionibus refert Ratramnus in utraque Ecclesia, Orientali & Occidentali per quartas sextasque ferias jejunasse alios, alios non jejunasse, ita ut nullis se hinc inde jurgiis, nulla censura mutuò impeterent: Constantinopoli nulla lege, nulla etiam consuetudine initi ea jejunia; Alexandrinos ex adverso & Orientali obnoxios Ecclesiæ religiosissimè hebdomadis singulis ea jejunia coluisse. *Alexandrini quarta* L. 4. c. 3.
*sextaque feria jejunant, & reliqui per Orientem Christiani: cùm constet Constantinopolitanos quarta sive sexta Sabbati ut jejunent, nulla lege vel consuetudine constringi.* In magna Britannia jejunari solitas ferias quasque sextas, nec crimini tamen datum quod alibi ne eo quidem die jejunaretur. *In Insula Britannica omni sexta Sabbati jejunatur, nec tamen excommunicantur ab eis, qui per Occidentem illo die non habent consuetudinem jejunandi.* Hujus varietatis primordia facilè comperies, si recolas per tria priora sæcula stationum semijejunia, quartæ sextæque feriæ, liberæ per Occidentem, necessariæ autem per Orientem fuisse observationis. Constantinopolis cùm in meditullio sita esset, accommodare se Occidentalibus maluit, quàm Orientalibus. In Occidente, quæ libera diu & arbitraria fuerant jejunia, diuturna & religiosa observatione quibusdam in regionibus legis vim consecuta sunt: saltem sexta feria: alibi temperatius aliquid inolevit, & longo usu in legem convaluit, ut abstinentia carnium sexta feria & Sabbato jejunio subrogaretur.

Retegit Ratherius Viennensis Episcopus alia nescio quæ semijejuniorum genera, retardatâ tribus horis Pœnitentium comestione post refectionem aliorum fidelium, id est, vel ad Meridiem, vel ad Nonam, vel ad Vesperas, cùm cæteri vescerentur hora tertia, vel sexta, seu meridie, vel nona. *Ita ut si cæteri* Spicil To. 2.
*fideles reficiantur tertia hora, nos sexta: si illi sexta, nos* pag. 141.
*nona: si illi nona, nos usque ad vesperam jejunemus.* Agitur ibi verisimiliter de regionibus, ubi ad præveniendum mediæ diei æstum maturiùs prandetur. Sed pulcherrima quæpiam alia nobis suppeditat
idem Scriptor de jejuniis & de continentia. *In Ad-* Pag. 164.
*ventu Domini, nisi festivitas intercedat, quatuor hebdomadibus à carne noveritis abstinendum & coitu. In Natale Domini viginti diebus ac noctibus à coitu etiam licito omnino cessandum. Similiter in Octavis Paschæ & Pentecostes, Letaniarum & omnium festivitatum vigiliis, sextis etiam feriis, præcipuè autem omnibus diebus vel noctibus Dominicis.* Vides ut conjugatis continendum esset jejuniorum Festisque diebus, quin & pluribus aliis, temporibus majorum solennitatum. Denique monet Ratherius fideles, ut diebus singulis majoris Hebdomadæ ad nonam usque jejunent, immo & protrahant Sabbati sancti jejunium,

donec celebrata sint Mysteria, quæ incipi nefas, nisi una post Nonam hora. Addit & illud, si Festa B. Mariæ, aut Apostolorum, aut Patronorum Ecclesiæ cujuspiam in Quadragesimam inciderint, vel in quatuor Tempora, tunc solvi jejunium. *Si festivitas, quæ non sit sancta Dei Genitricis Maria, aut Apostolorum, evenerit in Quadragesima, vel quatuor Temporum jejuniis, magis jejunium tenendum, quàm festivitatem celebrandam scitote, nisi fortè illius sancti celebritas, qui in eadem Parochia jacet.* Denique id sibi licere voluit Ratherius, ut Græcos sugillaret, qui Quadragesimæ diebus omnibus jejunium non

*Ibidem. pag. 283.* solverent, nisi sub initium noctis. *Vituperamus & illorum ridiculosam nimium stultitiam, qui contra concessum nona hora diei omnibus sumendi quidlibet licentiam, usque ad noctem quotidie jejunium eligunt protelare, ut nocte quasi cum licentia ventrem valeant ingurgitare.* Hinc patet Ratherii ævo, hoc est, ante annum Christi millesimum jejunia Quadragesimæ in Italia solvi cœpisse jam post meridiem, ante nonam: cùm in majore hebdomade hoc esset specimen singularis abstinentiæ, ut non vescerentur nisi post nonam. Ex hisquoque locis omnibus illud ultro videtur emicare, non jejunari solitum Pentecostes pervigilium. Et alicubi tamen jejunabatur utique, cùm id præcipiant Caroli Magni Capitu-

*Capitulare L. 6. c. 187* laria. *Ut adnuncient Presbyteri eodem modo sicut vesperascente Sabbato sanctum Pascha celebratur, & ipsum diem Pentecostes similiter celeberrimum habeant, ut sanctum Pascha, & jejunium, & Missam, & Baptismum.*

Eodem tempore quo Ratherius, florebat & Atto Vercellensis Episcopus, qui Clericis suis præceperat, ut ante Pascha septem plenas hebdomadas jejunarent, ut ultra metas laicorum pietatis aliquantulùm progrederentur. *Septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha omnes Clerici in sortem Domini vocati à carne jejunent.* Sex dumtaxat hebdomadas jejunio quadragesimali addicebant laïci; ad summum quatuor adjiciebant dies à feria quarta Cinerum; at Clericis auspicanda erat quadragesi-

*An. 950. Capitul. Attonis. c. 64. 70.* ma à feria secunda ejusdem hebdomadæ. Videtur Atto feriam quintam eximere jejunii legi, quod in nonnullis jam olim Ecclesiis usitatum fuit; at austeritate quadam singulari exasperari vult jejunia quartæ sextæque feriæ, & Sabbati, nisi festivitas quædam solemnis incussat. *Quarta verò, & sexta, & septima feria præ cæteris jejunandum est, &c. Qui istis tribus diebus in crapula vel epulis absque magna interveniente festivitate vel necessitate fuerit, videtur*

*Epist. 4.* *Dominum crucifigere, &c.* Denique idem Atto commendat alibi non minùs sexta quaque feria recoli debere Christi crucem, & jejunari, quàm Dominicum quemque diem memoria suavissima condiri Resurrectionis ejus, & exhilarari. Hæc vel initia sunt vel incrementa complurium quæ nostra hac ætate vigent consuetudinum.

Geraldus Comes Oriliacensis, referente in ejus vita Odone Cluniacensi Abbate, hospitibus quidem suis mensam mane instruebat, at ipse nisi post Tertiam non vescebatur, diebus verò jejuniorum

*Vita sanct. Geral. l. 2 c. 13. 15.* post Nonam. *Cùm hospites reficere nonnunquam mane fecisset, ipse tamen non ante horam diei tertiam, vel in jejunio ante nonam reficiebat.* Tribus hebdomadaquaque diebus abstinebat à carnibus; at si in eos dies festivitas quæpiam incideret, in alium diem abstinentia transferebatur. Si in Dominicam incideret jejunium, Sabbato jejunabat. Nondum ergo inoleverat omnino ea vel consuetudo, vel lex, ut jejunia, quæ in Dominicam inciderent, Sabbato antè occupaarentur. Id ex eo forsan fiebat, quòd Romani Romanorumque imitatores dies prorsus omnes Sabbati jejunio dicassent: eoque nihil esset opus in eos conferri jejunia Dominicæ diei. *Tribus feriis in hebdomada, & omni tempore quod abstinentia dicatum est, à carnibus abstinebat. Si tamen in eisdem feriis festivitas annualis evenisset, abstinentiam ita solvebat, ut in qualibet absoluta feria, ad vicem illius quam solverat, itidem abstineret. Si verò jejunium die Dominica evenisset, præcedenti Sabbato solemnitatem jejunii persolvebat.*

XIV. Jejuniorum asperitate Latinos Græci vicere, Oriens Occidentem. Declaratum à Luca Patriarcha Constantinopolitano perhibet Balsamon, jejunia mensis Augusti & Adventûs religiosissimè servanda esse, vi consuetudinis non scriptæ; itaque jejunandum esse à prima die Augusti usque ad Assumptionem, & à decima quarta die Novembris usque ad Natale Domini; deinque ubi infirmitas cogit decidi aliquid ex hoc dierum numero, in potestate esse Episcopi humanitate uti. *Patriarcha dixit, quod cùm hi jejunii dies non declarentur ab ulla scriptura, cogimur sequi non scriptam Ecclesiasticam traditionem, & debemus jejunare à primo die Augusti, & à quarta decima mensis Novembris. Sin autem propter corporalem imbecillitatem id solvere cogamur, Episcopali permissione dies declarati in angustum redigentur: nam id quoque placuit ex non scripta Ecclesiastica traditione.* *In Interrog. quorundam Monachor.*

Alibi tamen à Balsamone innuitur, hæc Traditionis non scriptæ jejunia, liberæ potiùs devotionis, quàm necessitatis fuisse. Cùm enim præmonuisset xerophagiis, id est, cibis siccioribus jejunandam esse tum Quadragesimam, tum quartam quamque sextamque feriam: ægrotantes piscibus vesci posse diebus jejuniorum, non unquam carnibus, etsi de vita periclitentur, nisi quartis sextisque feriis, inter Pascha & Pentecosten, Sabbatisque & Dominicis Quadragesimæ: addit postremò cùm nullo Canone Apostolico mentio habeatur jejuniorum aliorum, sive Apostolorum, sive Assumptionis, sive Natalis Domini: hæc jejunia nullo adhuc legis vinculo servari, & piè tamen servari. *Si quis fidelis* *In Can. Apost. 69.* *non jejunat in Quadragesima, & omni quarto die & Parasceve: nam & in iis, similiter ut in Quadragesima aridis vesci jussi sumus, si est quidem Clericus, deponatur; si verò laicus, segregetur. Excipe mihi eos qui ægrotant. Hi enim si per pisces jejunium servant, eis venia datur. Per carnem autem non solvet quis quemcumque quartum diem & Parasceven, exceptis Paschalibus & aliis concessis, etiamsi extremum spiritum agat, &c.* Et paulò pòst: *Sed & si in aliis jejunii diebus, scilicet sanctorum Apostolorum, dormitationis Deiparæ, & Natalis Christi jejunaverimus, pudore non afficiemur.* Id ipsum exculpit ex alio Canone, nimirum Trullano, quo celebrari prohibetur Missa in Quadragesima jejuniorum diebus; itaque celebrari non patitur, nisi Sabbatis Dominicisque. Nam Præsanctificatorum Missa, sacrificium non est, sed prioris sacrificii iterata oblatio. *Præsanctificatorum ministerium* *In Can. Trullano 52.* *incruentum sacrificium non dicimus, sed oblationem prius oblati & perfecti sacrificii.* Eo præcepto implicatæ fuissent & aliæ Quadragesimæ, si de jure plures unà fuissent, quas necesse esset jejunari. *Nota ex hoc quod propriè una est Quadragesima: si enim alia fuisset, cautum esset, ne in illa fieret perfectum sacrificium, sed per præsanctificata.*

XV. Fatendum est ergo, numerosa ea jejunia, quæ Festos dies Natalis, Assumptionis & Apostolorum præcurrebant, arbitraria adhuc fuisse tem-

pote Balsamonis; exinde autem adminiculante consuetudine in authoritatem legis evasisse. Aiebat paulò antè Balsamon jejunia Quadragesimæ omnia Xerophagiis sacra fuisse: quas alii ad solam Majorem Hebdomadam contrahebant. At non ita sentiebat Balsamon, qui Xerophagiis non subducit, nisi Sabbatha & Dominicas. Objecta difficultate de Vigilia Theophaniæ, quæ in Dominicam incidebat, qua jejunari vetant Canones; Respondit Theophilus Patriarcha, aliquid dactylorum esitari posse usque ad Officia vespertina, atque ita & jejunio pariter & Dominicæ honorem haberi. Exemetant & jejunio Græci quartam sextamque ferias, tum quæ Quadragesimam præcedunt, tum quæ succedunt immediatè post Pascha: tametsi ne iis quidem carnes degustare possent, quantumcumque vitæ discrimen immineret, sicut nec in Quadragesima. Quin & affirmat Balsamon id genus dispensationes, & à nonnullis postulatas esse, & à plerisque Synodis denegatas. *Non permittitur cuiquam etiam si extremum agat spiritum in magna Quadragesima carnibus vesci, vidimus enim hoc diversis temporibus synodicè petitum esse, & non esse concessum.* Etiam quartis sextisque feriis Xerophagiæ servabantur, quanquam cœpissent aliqui, tunc & oleo uti, & ostreis vesci, alii pisciculis in cochlea septis, quo legi derogari censet Balsamon. Itaque jam rum illabebatur ea remissio, quæ convaluit postea, & etiamnunc locum habet in Ecclesia Orientali: *Aridis vesci debemus omni quarta & sexta feria. Qui ergo sine morbo cum oleo & testaceis piscibus jejunant, faciunt contra legem; multo autem magis qui in quartis feriis pisces comedunt.* Hæc fuere initia indulgentiotis disciplinæ Græcorum postrema hac ætate. Ab ostreis cœptum, aliisque ejusmodi piscibus exanguibus, & vilioribus; inde ad pisces ventum, sed feria tantùm quarta, ut quæ laxiùs servaretur; itum est denique ad alios dies omnes, piscesque omnes exangues. Nonnulli diebus Xerophagiarum unius aquæ annuebant potum, quibus renitebatur Balsamon, quòd ea de re muti essent Canones. Narrat denique Balsamon nobilem quendam vovisse, tertiæ cujusque feriæ jejunium: cùm eo die evenisset Natalis Christi nativitas, ne tum quidem jejunium, aut votum solvere voluisse. Recurri jussit Imperator ad Synodum super ea dubitatione, responsumque est à Synodo sub Patriarcha Luca, Natalem Christi Domini diem, perinde ut Dominicum diem jejunari non debere; ideoque irritandum esse votum, ut sacris regulis adversum.

*In responsis Timo. pag. 1064. In Can. 50. Laodicen. — Balsamon. pag. 1067. In Can. Apost. 66. — Supplem. pag. 1120. — Balsamon. Supplem. pag. 1115.*

Responsiones denique Balsamonis, quas jus Orientale complectitur, illud habent quod hic taceri non debeat: Græcos carnes comedere solitos, aut saltem degustare, quartis sextisve feriis hebdomadarum carnis privii, casei & duodecim dierum: idque ita in mores invectum, ut superstitionibus quibusdam iretur obviam & erroribus hæreticorum: multò licentiùs autem id factitasse quarta & sexta feria hebdomadæ Paschæ, cujus dies singuli tantùm non pro Dominico die habentur. Denique quod ad alia jejunia, tradit ibidem Balsamon, septem tantùm dies præcipi jejunandos ante festum Apostolorum, Natalis Domini, Transfigurationis & Assumptionis: Posse his accessisse additamenta aliqua regionum peculiari & laudabili consuetudine: at nihil usquam pœnarum decerni nisi contra eos, qui non totos illos septem jejunio exegerint dies.

## CAPUT LXXXIV. *P. 4. l. 1. c. 40.*

### De obligatione recitandi Officii divini. Argumenta ab exemplis ducta postrema hac Ecclesiæ ætate post annum Christi millesimum.

*I. Series & contextus rerum hic dicendarum.*
*II. Insigne exemplum sancti Tagmonis Archiepiscopi Magdeburgensis.*
*III. Exemplum sancti Severini Episcopi Coloniensis, à Petro Damiani relatum, probationes ab hoc exemplo ducta.*
*IV. Probatio alia ex Petro Damiani.*
*V. Exemplum Ivonis Episcopi Carnotensis.*
*VI. Exemplum sancti Vulstani Episcopi Vorcestrensis.*
*VII. Exemplum sancti Thomæ Cantuariensis Episcopi.*
*VIII. Exemplum sancti Leonis Papæ IX.*
*IX. Exemplum sancti Hugonis Episcopi Lincolniensis.*
*X. Sancti Dominici.*
*XI. De primis & Apostolicis Concionatoribus Ordinis Franciscanorum.*
*XII. Illorum authoritate & exemplo manavit usus deinceps vulgatissimus Breviarii ejus, quod in Capella Papæ usitatum erat.*
*XIII. Quid ex superioribus inferri possit, ad evincendam necessitatem recitandi Officii Canonici.*
*XIV. Exemplum beati Francisci Xaverii.*
*XV. De Alberto Magno, de Cardinali sanctissimo, de sancto Carolo Borromæo.*

I. Ut rei jam manifestissimæ nova ad cumulum lux affundatur, ex postrema etiam Ecclesiæ ætate post annum Christi millesimum; ostendam 1. eam legem & necessitatem recitandi salutem privatim officii, multò antiquiorem esse, quàm plerique sibi fingant, exemplis complurium magni nominis virorum; & iteratis plurium Conciliorum statutis. 2. Accedam & ad solennitatem Officiorum in Cathedralibus & Collegialibus Ecclesiis, aut etiam Parochialibus. 3. Dicendum erit & de Officio beatæ Mariæ, ac Mortuorum. 4. Dicemus denique, ut provisum fuerit illiteratis & religiosis tamen viris, quibus pro Psalterio & Canonicis horis, præfinitus est certus numerus orationum Dominicarum & Angelicarum salutationum.

II. Ordiamur ergo ab inexorabili lege recitandi privatim, aut publicè psallendi Officii Canonici, eamque primò astruamus exemplis. Ditmarus Merseburgensis Episcopus, dum gesta exequitur viri suo ævo præstantissimi, Tagmonis Archiepiscopi Magdeburgensis, affirmat ab eo quotidie recitatum fuisse Psalterium, celebratamque Missam, nisi difficillimo quopiam conflictaretur morbo. *Nisi infirmitas obsisteret, omni die Missam & Psalterium cantavit.* Meminit Petrus Damiani Angeli speciem peregrini præ se ferentis, qui Monachum corripuit, quòd priori die fatigatus ex itinere, in lectulo jacens Completorium recitasset. *Jacendo horas Canonicas compleverat.* Verba autem correptionis Angelicæ hæc fuerunt: *Completorium in lecto nec salus est, nec profectus.*

III. Refert & alibi idem Petrus Damiani, quod magis stupeas de sancto Severino Episcopo Coloniensi, qui visendum se objecit Clerico Ecclesiæ suæ, flumen tranandi, affirmavitque se purgatoriis cruciari flammis, quòd Horas canonicas olim mane omnes simul recitasset, cùm in Palatio degens Imperatorio, reliquum diem omnem negotiis publicis impendere cogebatur. *Quia dum in Aula Regia constitutus, Imperialibus me consiliis vehementer ap-*

*Baron. an. 1011. n. 2. — Baron. an. 1062. n. 82. — Baron ibid. n. 83.*

*plicui, canonicæ synaxis officia per distincta horarum spatia non persolvi. Mane quippe omnia coacervans simul, tota die negotiis ingruentibus secura libertate vacabam. Ob hanc itaque negligentiam horarum, ardoris hujus fero supplicium.* Observandum hic porro est, 1. Beatum hunc Pontificem sarcina gravatum rerum quæ in Regio Consilio pertractabantur, facilè supersedere potuisse à recitandis Horis canonicis, si nulla ad id lege obligari se existimasset. 2. Si merè arbitraria erat tota illa canonicæ psalmodiæ recitatio, tanti non erat Horas singulas non suo tempore recitasse, ut tanto cruciatu luendum esset. Et ex adverso, si tanti erat suis singulas temporibus horas recitare, multò arctioris erat necessitatis omnino recitare. 3. Non ejusdem erat necessitatis in choro psallere, atque secretò saltem recitare Horas canonicas. Unde negotiorum publicorum mole distentus Severinus, tutò poterat abesse choro, tutò non poterat cessare à privata recitatione. 4. Esto, vocatur in dubium hæc historia; at indubitatum est, non minimi esse ponderis Petri Damiani sententiam & authoritatem. Ne ergo hic magni pendamus narratiunculam Damiani, sed sententiam, sed doctrinam, quam promulgabat desinente undecimo sæculo vir & pietate & eruditione præstantissimus, eòque ad summas Ecclesiæ dignitates provectus. Insistamus ergo jam sin minus Severini exemplo, certè Damiani doctrinæ, affirmantis, teneri certissima lege ad recitandas privatim Horas canonicas occupatissimos etiam Præsules Regumque administros, si Beneficia Ecclesiastica obtineant; immo & suis horis, quà fieri potest, teneri eas recitare: *Distinguenda sunt ergo per momenta temporum Ecclesiasticæ institutionis Officia, & sub magna divini timoris ac reverentiæ dicenda sunt disciplina.* 5. Illa verò alia quam idem refert historia de Monacho Exorcista, cui Energumenus hoc exprobravit: *Tune ille es, qui sub Cotto quotidie Completorium insusurras?* hæc, inquam, narratio ad illud idem roborandum confert, ne iis quidem corporeis infirmitatibus, quibus à publica psalmodia dispensabantur Monachi Clericive, à privata ejus recitatione relaxatos fuisse.

Damian. L. 2. Ep. 15.

IV. Est & opusculum aliud ejusdem Petri Damiani, quod inscribitur, *Dominus vobiscum*, ubi demonstrat vir doctissimus nec præteriri eas voces posse, nec immutari in Officio privatim recitando: quòd vel tunc Ecclesiam universam spiritu sibi præsentissimam habeant conjunctissimamque: Opusculum, inquam, hoc aureolum, privatæ huic vulgatissimæque recitationi divinorum Officiorum penitus suffragatur. Præsertim ubi exemplo se fulciri testatur summi Pontificis, Episcoporumque omnium & Presbyterorum, qui easdem adhibent voces: *Certum est enim, quod neque beatissimus Apostolicæ Sedis Antistes, cùm videlicet obsequente ministro privata Deo reddit obsequia, neque quisquam omnino Pontificum, vel Catholicorum aliquis Sacerdotum, his verbis ad alterum singulariter utitur.*

Cap. 13.

V. Expediet nos forsan Ivo Carnotensis ab illis laqueis, in quos conjecisse nos videtur Damiani narratio de sancto Severino Coloniensi Episcopo: addocebitque nos certas aliquas regulas deligendi temporis ad recitandas Horas canonicas, ubi ineluctabili gravamur publicorum Officiorum mole. Dolet enim Ivo mirum in modum suam aliorumque sui ævi Episcoporum vicem, qui tempestate nescio qua occupationum terrenarum ita obruti demersique jacebant, ut vix respirare possent, aut obiter degustare suavitatem orationis; preces autem canonicas suis quasque horis persolvere omnino non possent. *Nos enim publicorum negotiorum tumultibus occupari, cùm ipsis compescendis tota die laborando sufficere non possimus, internæ quietis suavitatem vix aliquando admittimus. Rarò & canonicum pensum determinatis horis solvere prævalemus.* Persæpè sanctissimus Præsul hoc pietatis penso fungebatur alieno tempore, at non semper, nec cedebat nisi indeclinabili negotiorum necessitati. At B. Severinus hanc ordinis temporumque perturbationem videbatur sibi statam ordinariamque fecisse, & ex abusu usum. Sed quantacumque vel gravitate vel tumultuatione occupationum, Ivo coævique illi Episcopi fatigarentur, legi illi quidem temporis & horarum minùs serviebant: at cessare ab Officiis ipsis recitandis nunquam se tuta conscientia posse duxerunt. Quin & his Ivonis verbis, *Canonicum pensum*, illa obligatio clarissimè declaratur.

Epist. 93. Baron. an. 1095.

VI. Bedam, cui eximia quædam & eruditionis copia & sanctimoniæ venerationis nomen addidit, à recitandis Horis canonicis nullo unquam cessasse die, ac ne illo quidem tempore, quo extrema ægritudine fractus è vivis tandem ereptus est, author est Vuillelmus Malmesburiensis. *Totis diebus præter debitum psalmodiæ pensum, assiduis lectionibus gravedinem valetudinis decipere nitebatur.* Author est idem Vuillelmus sanctum Vulstanum Episcopnm Vorcestrensem ad Concilium, sive ad Consilium cùm evocaretur, ubi exauthorationem ejus machinabantur, qui plurimum apud Regem poterant; quod temporis supererat, ut causæ suæ præsidia conquireret aliqua, id recitandæ Horæ sextæ impendisse, quod id tum proprium esset tempus, *Nondum cantavimus horam Sextam, cantemus ergo. Prius faciamus Dei servitium, & post agitabimus hominum litigium.* Itaque Deo commendata, tametsi omnibus aliis præsidiis destituta ejus innocentia, de adversariorum machinationibus triumphavit. Diebus singulis piissimus Præsul tum sacra celebrabat Mysteria, tum Psalterium integrum & Officia Sanctorum pro tempore recitabat: *Quotidie Missam cantans addebat Psalterium, omniumque Sanctorum memorias, quorum toto anno singula solemnia succedunt, singulis in septem divisis, per septem non omittebat horas.* Quo videtur innui, non solùm recitatas ab eo fuisse seorsim diebus singulis horas Canonicas, sed & Psalterium prætereà. *Ut qui quotidie Psalterium cum orationibus non minoris numeri evolveret post Missam.* Vide ut in peragrandis regionibus suavissimè tempus fallebat Psalterio infatigabiliter decantando. *Ergo quocumque vadens Psalterium frequentabat, orationales versus qui occurrebant, ad fastidium concanantis crebro repetens.* Quæ omnia sigillatim à Vuillelmo animadversa sunt, quòd singulare aliquid complectantur ultra necessarias recitandi Officii partes.

De Gestis Reg. Angl. L. 1. pag. 11. L. 3. p. 118. Ann. 1071. De Gestis Pontif. Angl. L. 4 p. 280.

VII. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus nocturnum diurnumque Officium omne antè celebravit, quàm in Conventum se daret Northamptonensem, ubi non sine manifesto vitæ periculo pro libertatibus Ecclesiæ decertaturus erat. *Nocturnis vigiliis cum summa devotione peractis, &c. Totumque Officium cum ad id pertinentibus complevit, &c.* Quæ ultima verba de celebratione Missæ capi possunt, cui Tertiæ & Sextæ recitatio cohæresit, ut patet ex historia Concilii Lugdunensis II. quò antequam ingrederetur Papa, Tertiam Sextamque celebravit, quòd jejunii ea dies esset: *Dixit Tertiam & Sextam, quia dies erat jejunii.* Abdicatus est in eo

Ann. 1164. Ann. 1274. Conc. Tom. 11. Part. 1. p. 951. 952.

Concilio Henricus Leodiensis Episcopus à Gregorio X. Papa, qui in Epistola ad eum scripta tum alias memorat depositionis causas justissimas, tum eam maximè, quòd horas Canonicas Deo non exsolveret. *Quid plus? Horas Canonicas, maximè cum eas nescias, & illiteratus existas, in anima tua periculum prætermittens, &c.* Non poterat ergo sine crimine prætermitti recitatio canonici Officii: & minimè idonei erant dignitatibus Ecclesiasticis & Beneficiis administrandis, qui litteras nesciebant, & qui memoriæ Psalterium non commendaverant. Unde & Concilium Coyacense in Hispania anno 1050. mandatum illud vetustissimum refricavit, ut Clerici omnes Psalterium memoriter tenerent. *Ut Archidiaconi sales Clericos constitutis quatuor temporibus ad Ordines ducant, qui perfectè totum Psalterium, Hymnos & Cantica, Epistolas, Evangelia, & orationes sciant.* In Concilio Constantiensi Joannis XXIII. Papæ ingesta sunt flagitia pene innumera, inter quæ & illud occurrit, quòd nec Mysteria sacra, nec Officia canonica persolvisset. *Missis & Vesperis Papalibus interesse non curavit, Horas canonicas dicere sprevit.*

*An. 1050. Can. 5.*

*Sess. 11.*

VIII. Ex adverso autem, qui vitam Leonis IX. Papæ mandavit litteris, illam pene eandem ei tribuit, quam suprà sancto Vulstano adscriptam vidimus, indefessam divinorum Officiorum decantationem. *Nocturnis horis paululum somni sumebat, reliquum noctis spatium cum integri decantatione Psalterii ac innumera genuum inflexione excurrebat. Idem quoque Psalterium per singulos repetens dies, cum oblatione divini sacrificii, cursum multiplicium orationum indefessè transigebat.* Itaque beatissimus Pontifex bis Psalterium quolibet die perlegebat, præter complurimas precationes alias. B. Antoninus Archiepiscopus Florentinus septem horas Canonicas quotidie recitabat, & bis hebdomada qualibet Officium Mortuorum, Officium Deiparæ, & Psalmos septem Pœnitentiales quotidie ubi vacuum erat.

*Surius die 19 April. c. 14.*

*Surius die 2. Mai. c. 14.*

IX. Non legimus de Hugone clarissimo illo Lincolniæ Episcopo, quòd voluntariis Psalterii recitationibus studuerit, sed quòd canonici Officii psalmodiam ita nocturnis, ita diurnis horis proprio quæcumque tempore celebraverit, ea assiduitate, pietate & promptitudine, cui accedere nihil posset. Cùm semel etiam longum emetiretur iter cum aliis Episcopis, & hi consilium inissent mane itineri sese maturiùs committere, ut latrunculos illa itinera infestantes declinarent, ipse pro more Matutinum antè ea qua solebat pietate & gravitate decantavit, & tum solus iter ingressus, solus eas declinavit insidias, in quas alios sua præfestina cautio præcipites egit. *Preces canonicas statuto persolvebat tempore, nec induci poterat, ut aut præveniret illud, aut differret. Contigit aliquando cum Prælatis quibusdam & Clericis infesta loca equitare, &c. Omnium una fuit sententia, ut ante lucem surgerent, & iter suspectum in tenebris conficerent, &c. Quibus ille, Et quo ibimus, inquit, matutinis precibus nondum absolutis, &c. Qui capit, capiat; & qui timet, timeat: ego hinc non exibo, donec solito more preces matutinas persolvero. Mira res. Solus Episcopus postquam laudes Deo tractim admodum obtulit, licet cum suis per eandem viam equitaret, nihil mali passus est, alii in periculum, quod cavere moliebantur, inciderunt.*

*Surius die 17. Novem. c. 22.*

Thomas Cantipratensis Tornacensis Episcopatûs Episcopus suffraganeus alicubi meminit Conradi Hildesheimensis Episcopi religione & pietate præstantissimi, qui intempesta nocte surgebat, ut Matutinum decantaret, & tum conciones meditaretur, quas eo die ad populum habiturus erat. *Ad Matutinas intempesta noctis silentio surrexerat, illisque dictis resedit ad studium, facturus in die sermonem.*

*Cantiprat. L. 1. c. 5. n. 3.*

X. Nec minor erat B. Dominici religio ac diligentia in observandis interdiu noctuque horis recitandi Cursûs sacri, etiam tum dum peregre proficisceretur: *Quando extra Monasterium erat, audito primo signo nocturnarum precum, surgebat, & fratres excitans cum multa devotione totum divinum Officium absolvebat horis & temporibus suis, tum nocturnis, tum diurnis, nihil penitus omittens. Persoluto Completorio, etiam in itinere positus cum sociis, silentium non minus servabat, quàm si esset in Monasterio.*

*Surius die 5. August. L. 4. c. 3.*

XI. Hæc verò exemplorum copia apertissimè ostendit, id Episcopis, id Clericis, id persuasissimum fuisse Monachis, non posse sine gravi piaculo præteriri hæc pietatis Officia, quantumvis illos vel longa distraherent itinera, vel negotiorum tumultus vallaret. Id non improbabiliter acceptio fertur Dominicanis Franciscanisque, qui sæculo decimo tertio ineunte tanquam nova quædam sidera orbi Christiano illucescere cœperunt, quòd evulgarint per omnes Ecclesiæ Provincias illa Officiorum divinorum Breviaria, quorum deinceps usus & tam vulgatus fuit & tam conducibilis. Cùm enim hi Missionibus Apostolicis in omnes orbis partes fungerentur, eo maximè indigere videbantur precum adminiculo. Anno 1305. Franciscanus Concionator missa ad Generalem sui Sodalitii Præpositum compendiaria historia suæ in Sinas profectionis, mitti ad se flagitavit libros cantûs Ecclesiastici & divinorum Officiorum, quòd non pertulisset ipse nisi Breviarium, ubi decurtatæ erant lectiones, & libellum Missalem: *Quia non habeo nisi Breviarium portatile cum lectionibus brevibus, & parvum Missale.*

*Rainal an. 1305. n. 20.*

XII. Sunt & qui opinentur Breviarii vocabulum inde manasse, quòd eo divina Officia contineantur illa quidem, sed in compendium missa, propter Franciscanos, Missionibus tunc Apostolicis defungentes, & mirabili celeritate orbem peragrantes. In ea est sententia Radulphus Tungrensis Decanus, illud ipsum fuisse Canonicum Officium, quod Romæ in Capella Papæ decantabatur ad sanctum Joannem Lateranensem, quod sæpius contrahi necessum erat, propter causarum & negotiorum gravissimam molem, qua & Pontifex, & Cardinales penè obruerentur. In aliis verò Romanæ Civitatis Ecclesiis, multò prolixiora esse Canonica Officia. *Clerici Capellares, sive de mandato Papæ, sive ex se Officium Romanum semper breviabant, & sæpè alterabant, prout Domino Papæ & Cardinalibus congruebat observandum. Et istud Officium breviatum secuti sunt fratres Minores. Inde est quod Breviaria eorum & libros Officii intitulant secundùm consuetudinem Romanæ Curiæ.* Postremò Nicolaus III. Pontifex edixit, ut in omnibus urbis Romæ Ecclesiis in posterum eadem celebrarentur Officia, & iidem adhiberentur libri, qui à Franciscanis usurpabantur: proscriptis antiquioribus libris omnibus Cantûs & Officiorum. *Sciendum quod Nicolaus Papa III. de genere Ursinorum, qui cœpit anno Domini 1277 fecit in Ecclesiis Urbis amoveri Antiphonarios, Gradualia, Missalia, & alios libros Officii antiquos quinquaginta, & mandavit, ut de cætero Ecclesiæ urbis uterentur libris & Breviariis fratrum Minorum, quorum Regulam etiam confirmavit. Unde hodie in Roma omnes libri sunt novi, & Franciscani.*

*De Canonum observ. c. 22.*

XIII. Ex his Radulphi verbis eliciuntur non

pauca, illostrandæ rei quade agimus admodum opportuna. 1. Non Pontifex, non Cardinales, non alii Romanæ Clerici Curiæ, subducebant se unquam divinis Officiis, quæ in Pontificia Capella concinebantur; quamlibet graves negotiorum turbæ incurrerent; sed Officia ipsa nonnihil contrahebantur. Contrahebantur, inquam, publica authoritate Officia, non unquam penitus omittebantur. 2. Qui totum per orbem discursabant Concionatores Apostolici & ab Apostolica sede delegati, ne ipsi quidem ab hac recitandi Officii necessitate absolvebantur. 3. Clericorum & Monachorum par erat ratio, par necessitas canonici pensi exolvendi. 4. Officium Canonicum, seu Breviarium Franciscanorum, à Capella primùm Papæ sumptum fuit. At ubi postea à Nicolao III. approbatum est, tunc demum Ecclesiæ Romanæ universè communicatum fuit. 5. Licentia illa ipsa decurtandi, contrahendique horas Canonicas, non semel usurpata, argumento fuit, non liberum, non arbitrarium, sed necessarium id esse pietatis pensum, quantumvis ingravescat onus ingruentium occupationum.

XIV. Nec fraudandus hîc est justissimo encomio Franciscus Xaverius, quo non alius extrema hac Ecclesiæ tempestate Missiones Apostolicas majore obiit aut diligentia, aut sanctimonia. Quanquam ei enim copia facta esset à Pontifice recitandi Breviarii ejus, quod Cardinalis Quignonius concinnaverat, evulgaveratque, non paulò brevius, quàm de quo suprà Franciscanorum, & tunc Romanum: nunquam Xaverius ea indulgentia uti voluit, quanquam tot animarum millia momentis suis omnibus, vel Ecclesiæ adglutinaret, vel inferret

*Turselinus* cœlo. *Nuper novum ternarum lectionum Breviarium,*
*Vita Xaver.* *sanctæ Crucis dicebatur, occupatorum hominum levamen,*
*L. ult. c. 5.* *editum erat; ejusque usus Francisco propter occupationes ab initio concessus. Ille tamen quamvis ingentibus curis, negotiisque distentus nunquam permissa uti voluit licentia, veterisque Breviarium novenarum lectionum haud paulò longius, perpetuo recitavit; utqui jucundissimè cum Deo ageret, cùm eodem quam diutissimè colloqueretur.* Hæc in Xaverii vita Turselinus.

XV. Altissimè immersus erat Albertus Magnus in occupationum & studiorum veluti pelagus quoddam, ita tamen, ut singulis pene diebus totum Psalterium legeret, præter horas bene multas, quas rerum divinarum contemplationi donabat. Ita testi-

*Cantipras* ficatur Cantipratensis: *Multis annis fere quotidie, cùm*
*L. 2. c. 57* *tamen in cathedra Theologia regeret, tantum de die ac nocte orationibus incumbebat, ut Psalterium Davidicum legeret, & interdum dictis horis, contemplationi divinæ insudaret.* Meminit Gobelinus piissimi Cardinalis, qui sex horas quotidie in recitationem Breviarii in-

*Bamal. an.* sumebat. *Preces horarias non absorbebat, ut facimus*
*1463. n. 12.* *plerique omnes. Testor hoc sacratissimum in quo sumus templum singulis diebus sex illum horas solitum consumere in Officio exolvendo.*

Editum est à Jacobo Cardinali Papiensi elogium Cardinalis sancti Petri, qui ea decumbens ægritudine, qua tandem extinctus est, non antè destitit à recitandis horis Canonicis, quàm exhalaret ani-

*Epist. 136.* mam. *Horas Canonicas non antè dimisit, quàm à voce est ipse dimissus.* Sanctus Carolus Borromæus Mediolanensis Archiepiscopus matutino semper tempore cum Clericis suis privatim Matutinum & Primam recitabat, cùm ante dimidiæ horæ dimidium mentali, ut vocant, orationi vacasset; reliquas deinde Canonicas horas opportuno singulas tempore exolvebat. Clerici ejus alii, qui Canonici Officii lege non tenebantur, mane simul omnes Officium recitabant B. Mariæ usque ad Vesperas, quas postea suo tempore exolvebant unà cum Completorio. Illud constanter retinuit semper Carolus, ut pen- *Giussanus*
sum canonicum ex libro legeret, nunquam memo- *L. 2. c. 5.*
riter recitaret; nec ullo die quidquam ex eo præte- *L. 8. 1. 2.*
riit, nisi quem ultimum in terris egit, quo ipse recitari sibi curavit ab uno ex Camerariis suis juxta lectulum in quo decumbebat. Ita Giussanus.

## CAPUT. LXXXV. *P. 4. l. 1. c. 41.*

### De lege Officii divini saltem privatim persolvendi, ex Decretis Ecclesiasticis, ab anno Christi millesimo ad hæc tempora.

*I. Complures Conciliorum Canones, qui hanc necessitatem vel astruunt, vel astructam confirmant usque ad annum millesimum trecentesimum.*

*II. Canones alii usque ad Concilium Basileense. Quando desitum est Parisiis Matutinum media nocte decantari.*

*III. Canones novi Conciliorum à Basileensis Concilii tempore usque ad Mediolanensia sub Carolo Borromæo.*

*IV. Statuta Conciliorum Mediolanensium, & Gallicanorum posteriorum.*

*V. De iis quorum tenuissimi sunt Beneficiorum reditus.*

*VI. De ægrotantibus & peregrinantibus.*

*VII. De canonicis precibus per alias precationes compensatis.*

*VIII. Quando primum in iis exprimi cœperit Salutatio Angelica.*

*IX. Quæ Hora ante Missam exolvenda.*

*X. Quo jure nitatur obligatio Canonici Officii.*

I. AB exemplis ad Leges Canonesque venio, quibus accuratiùs pressiúsque hæc canonici pensi necessitas exponetur. Concilium Londinense anni 1200. non præcipit recitari Horas canonicas, actum enim ageret, cùm ab exordio nascentis Ecclesiæ, & præceptum id & usitatissimum fuerit; sed piè & distinctè recitari jubet. *Similiter &* *Can. 1.*
*omnes Horæ & omnia Officia apertè & distinctè dicantur, ita quod ex festinatione nimia non syncopentur, vel præcidantur.* Concilium Parisiense anni 1212. vetuit, ne Prælati in lectis jacentes Matutinas psalmodias audirent, quandiu per valetudinem surgere possent, & unà cum choro astare & psallere. *Statuimus ne* *Can. 1.*
*dum fuerint sani, & incolumes, in lectis jacentes, audiant Matutinas, & ne dum coram eis Officia divina celebrantur, sæcularibus negotiis, vel confabulationibus occupentur.* Concilium Lateranense IV. anni 1215. profanam eorum damnat seu Prælatorum, seu Clericorum quorumcumque incuriam, & alienationem à religioso Dei cultu, qui nocte aut somno, aut vanissimis voluptatibus impensa, vix ad avicularum cantum surgunt, nocturnasque & matutinas simul laudes conglomerant: *Circa comessationes & confabu-* *Can. 17.*
*lationes illicitas ferè medietatem noctis expendunt, & somno residuum relinquentes, vix ad diurnum concentum avium excitantur, transcurrendo undique continuata syncopa Matutinum.* Edicit mox eadem Synodus, ut nocturna diurnaque suo quæque tempore decantentur Officia, ea qua decet gravitate. *Ut divinum Officium diurnum pariter & nocturnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent & devotè.* Manifestissimè 1. hoc Canone supponitur antiquissima & inexorabilis lex Canonici Officii persolvendi. 2. Nec ambigi videtur quin toto adhuc orbe Officia noctis noctu celebrarentur. 3. Culpæ datur illa præpostera ratio recitandi nocturnas psalmodias exoriente mane luce. 4. Culpæ datur, quòd uno & eodem tempore conjunctim Nocturna Officia & Matutina

laudes, forsan & hora Prima concinerentur. 5. Jubetur denique, ut Nocturna Officia noctu; diurna interdiu solennibus horis recitentur. Hic, ut, reor eorum verborum sensus est.

Delegavit Innocentius III. Papa, qui inquirerent in Episcopum Neopatrensem, in quem complura congerebantur crimina, & inter cætera, quòd Canonicas horas nec recitaret ipse, nec haberet qui coram ipso recitarent. *Nec ut tenetur,* Regest. 14. Epist. 98. *per se ipsum horas Canonicas Deo reddit, nec coram eo ipsas facit per Ministros Ecclesiæ decantari.* Idem verò Pontifex approbavit pium Laicorum Sodalitium, qui solo voluntariæ pietatis nexu copulari, statuebant Consiliis Evangelicis obsequi, & pro septem horis Canonicis, toties orationem Dominicam, itemque Symbolum quindecies recitare, addito etiam Psalmo quinquagesimo *Miserere*, si legere possent; cùm eorum jam verò quidam Clericatu initiati essent, iis utique horæ Canonicæ erant recitandæ. Regest. 15. Epist. 80. *Septies orantes in die, quindecies Pater noster, & Credo in Deum, ac Miserere mei Deus, qui litterati fuerint, decantabunt; & Clerici prout eos convenit, Canonicas horas Domino Deo solvent.* Quæ postrema verba, *Clerici prout eos convenit, Canonicas horas solvent*: evidentissimè produnt, proprium id fuisse Clericorum munus, ut Canonicas quotidie horas Deo persolverent.

Can. 6. Istud verò Lateranensis IV. Concilii Decretum, multorum postea particularium Conciliorum assensione confirmatum est. Can. 19. Præcipuè Concilii Oxfordiensis anni 1222. Synodique Bajocensis anni 1300. Constitutiones Abbatum Provinciæ Narbonensis anno 1226. præcipiebant Monachis in sacro Ordine aliquo constitutis, ut quandocumque itineri se committerent, vel Breviarium, vel Psalterium gestarent. Spicil. to. 6. pag. 33. *Monachi in sacris Ordinibus constituti, in longo itinere profecturi, sine Breviario vel Psalterio non mittantur.* Inde palam fit, recitandi saltem privatim Breviarii obligationem annexam fuisse Ordinibus sacris; Psalteriumque eo superioribus sæculis loco fuisse, quo posterioribus Breviarium. Concilium Lateranense, de quo suprà, conceptis verbis huic mancipaverat necessitati, Episcopos Clericósque, sed non expresserat solos sacrorum Ordinum Clericos, aut Beneficiatos ea lege vinciri. Synodus Coloniensis anni 1280. hoc discrimen expressit inter Clericos majores, aut Beneficiatos, & minores Beneficiorumque inanes Clericos: non hos quidem omnino solvens ab ea lege recitandi Officii, sed ea arctiùs devinciens sacratos Clericos & Beneficiatos. *Nullus horas Canonicas & horas de Domina nostra ulla unquam die distinctè & discretè dicere prætermittat, maximè qui est in sacris Ordinibus vel Beneficiis constitutus.* Nemausensis Synodus anno 1284. vel ipsos communione exturbatos Clericos eidem subjecit necessitati privatim recitandi horas Canonicas, si sacros Ordines erant assecuti. *Debent extra Ecclesiam nihilominus dicere Officium sub silentio Clerici excommunicati majori excommunicatione, si sint in sacris Ordinibus constituti.*

Parochorum munia necessaria pertexens Jacobus à Vitriaco pensum hoc Canonicum non postremo Hist. Occid. c. 34. recenset loco: *Horas Canonicas tanquam juge sacrificium in odorem suavitatis cum humilitate & devotione offerre.* Jubet ut Parochi noctu nocturnis fungantur Officii psalmodiis: *Procuret in quantum commissi sibi gregis permittit frequens ministerium, ut nocturnum Officium noctu peragatur.* Utque diurna Officia horis diurnis, sibique propriis celebrentur, neu noctes diebus, dies noctibus permisceantur. *Diurnum autem certis & determinatis horis de die perficiatur. Non enim debet divinum Officium confundere, neque noctem in diem convertere.* Illud tamen indulget Parochis celeberrimus in Ecclesiæ Annalibus hic Cardinalis, ut urgente necessitate antevenire possint quandoque horas divini Officii, non autem retardare. *Conceditur tamen eis ratione frequentis administrationis, ad cautelam tempus determinatum quandoque prævenire, non autem absque magna & urgente necessitate præterire.* Et inferiùs: *Tempus determinatum prævenire quandoque conceditur, non autem absque magna necessitate præterire.* Præteriri in gravissima necessitate patitur, non precem, non horam quamlibet Canonicam, sed *tempus ei determinatum*, quod fit retardata recitatione vel psalmodia. Itaque ratum illud fuit fixumque Scriptori huic, usuventre nunquam posse, ut Parochi, vel quivis alii, tam multis & tam gravibus occupationibus distringantur, ut non vacet eis divinam opem multa prece interpellare: cùm in eo sit potissimum eorum & occupationis sanctæ condimentum, & levamentum laboris.

II. Constitutiones Synodales Andegavensis Ecclesiæ anni 1314. instituta Octava Festi omnium Sanctorum ex consensu Synodi & Capituli, Lectiones designant ex capite III. Sapientiæ: iique quibus ad manum non est liber Scripturarum sacrarum, lectiones desumant ex Communi. *Qui autem Bibliam non habent, faciant lecturam de Communi Martyrum.* Quæ postrema clausula ad eos duntaxat pertinere potest, qui privatim psalmodiæ pensum exolvunt. Istæ eædem Constitutiones anno 1262. præceperant Parochis ut summo mane matutinum Officium, & conjunctim Canonicas diurnas horas recitarent, ut turbam præcurrerent irruentium quandoque occupationum. Concilium Palentinum anni 1322. dilucidè distinguit & privatam horarum diurnarum recitationem ab Episcopo cum Clericis suis faciendam: *Horas Canonicas cum Clericis attentè recitent*: & Spicil. to. 11. publicam Officiorum celebrationem in Choro: *Et* pag. 265. *in Ecclesiis suis Cathedralibus divina Officia solenniter* Can. 6. *celebrent, nisi legitimè fuerint impediti.* Sed Concilium Provinciæ Ausciensis anno 1326. disertissimè declarat, qui sint qui teneantur arctissima lege canonici Officii defungendi, nempe Beneficiarii, Clerici sacri, & Monachi. *Statuimus quod omnes Clerici* Concilium *in sacris Ordinibus constituti, & Beneficium Ecclesiasti-* Marciacense. *cum, maximè cum cura obtinentes, & omnes Religiosi* Can. 13 *Clerici ad omnes septem horas Canonicas omni die dicendas, sunt ex debito obligati, nisi eos infirmitatis gravitas excusarit. & quam frequentius ad eas dicendas, ad Ecclesias conveniant, horis & temporibus consuetis.*

Ad fastidium usque inculcatum jam illud à nobis est Clericos olim omnes Beneficiarios dici potuisse, ut quibus singulis obveniret dimensum aliquod & portio, vel sportularum, vel qualiumcumque demum redituum Ecclesiasticorum, qui tum in communi habebantur. Itaque generali ea lege tenentur nunc horis Canonicis Beneficiarii omnes, qua omnes olim Clerici iisdem tenebantur. Sed postquam Clericatus & Ordines Minores sine titulo Ecclesiæ, id est sine Beneficio dari cœpere; non eadem in illos censura sæviit Beneficii expertes, quæ in alios, ut penso Canonico fungerentur; ex quo id emersit, ut illud tandem vinculum relaxaretur: solis Majoribus Clericis etiam sine Beneficio eidem necessitati servire jussis, quòd Sacerdotii compotes pro suo modo sint, & Sacerdotii potissimum munus sit oratio. Nec multum dispar est ratio publicorum Eccle-

siæ Officiorum. Primæva illa fuit Clericorum omnium lex, ut illis interessent. Cùm inevitabilis premeret quandoque subducendi se necessitas, indultum est, ut privatim recitarentur. Exinde eadem indulgentia manavit ad eos, quibus Beneficii sors non eam inferret necessitatem, ut choro præstò essent. Qui modò laudatus est à nobis Canon, eò collineat, ut in primigeniam integritatem omnia restituantur. At Concilium Dertusanum in Hispania anni 1429. multò dilucidiùs rem tractat. *Can. 4.* *Ne divinæ servitutis Census, quem de fructu labiorum suorum offerre tenetur quilibet Clericus, Ecclesiasticum Beneficium possidens, vel in sacris Ordinibus constitutus, dum per occupationes alias conventui Ecclesiæ interesse non valet, ex defectu Breviarii omittatur, providè ducimus statuendum, ut per locorum Ordinarios ad habendum propria Breviaria cogantur, nullusque de cætero in Diaconum ordinetur, qui Breviarium non habeat.* Simile veri est, legendum *in Subdiaconum*; cùm nemo jure possit ambigere, quin ab aliquot sæculis Subdiaconatus in sacros Ordines esset adscriptus.

Cæterùm cùm Disciplina vetus Ecclesiarum Clericos omnes alicui adscriberet Ecclesiæ, minimè mirandum est, si omnes prorsus ibidem horis Canonicis juberentur interesse: & si per Canones liceat complurimis ei legi satisfacere, privata recitatione psalmodiæ canonicæ, propterea quod eæ sunt plurimorum Ecclesiasticæ occupationes, quæ hanc extorqueant dispensationem. Multùm ergo aberrarunt à scopo, qui suspicati sunt totam canonici Officii obligationem ad solam spectare celebrationem publicam in Choro. Ea quidem publica psalmodia, & primùm præscripta, & generaliter ab exordio observata fuit ab omnibus Clericis: nec nisi ex indulgentia plerisque concessum est, ut huic Officio suo privata satisfacerent recitatione: utque Minores Clerici, nullis dotati Beneficiis, hac quoque privata recitatione relaxarentur. At usque adeo istiusmodi placitis non concutitur obligatio persolvendi horas Canonicas totumque Canonicum pensum, ut ex illis invictissima ad illam confirmandam argumenta depromantur. Perspicuum est enim 1. ab origine constrictos fuisse omnes Clericos ea lege, cùm omnes Beneficiarii & haberentur & essent. 2. Constrictos etiam fuisse omnes ut publicæ Officiorum celebrationi interessent. 3. Constrictos fuisse omnes multis aliis ministeriis, Ecclesiæ cui alligati fuerant dependendis. Cùm ergo impræsentiarum tota illa Clericorum seu sacrorum, seu Beneficiariorum obligatio restringitur ad solam privatim recitandi Officii Canonici necessitatem, verè restrictio & limitatio hæc est, non exaggeratio obligationum priscarum; & quantò majores in angustias hæc pietatis exercitatio redigitur, tantò impensiùs ei serviendum est.

Antequam pergam ad Concilium Basileense, observasse juvabit cum Naugii Continuatore anno 1358. desiisse Lutetiæ Parisiorum collegia Canonicorum nocte media surgere ad decantanda Officia Nocturna. Clade Pictaviensi & carcere Joannis Franciæ Regis, qui in Anglorum manus inciderat, tantum toto regno excitatum est turbarum, ut Carolus Joannis filius Regni Regens, præceperit Lutetiæ, ne tympana concreparent, à vespertinis horis ad Matutinum tempus; ne eorum sonitu turbarentur vigilum & custodum excubiæ. Hac data occasione Canonici post Vesperas decantavere Completorium, & mox Nocturnas psalmodias: sola Cathedrali Ecclesia prisci moris retinentissima, pro omnibus excubante, quòd & etiamnunc retinetur. *Tunc Canonici post Completorium suas cantabant celeriter Matutinas, quas antea consueverant hora noctis mediæ signis solemniter pulsatis devotius perorare.*

III. Concilium Basileense anno 1435. verba fecit de hoc divinarum laudum tributo singulis diebus solvendo, sed non aliter prorsus quàm prisca Concilia: rem certissimam supponens, & moris & juris esse antiquissimi, ut horæ Canonicæ seu privatim, seu publicè celebrarentur; sed illud edicens, ut à Majoribus Clericis & Beneficiariis piè & modestè recitarentur. *Quoscumque Beneficiatos seu in sacris constitutos cùm ad horas Canonicas teneantur, admonet hæc Synodus, ut sive soli, sive associati, diurnum nocturnumque Officium reverenter verbisque distinctis peragant.* *Sess. 21. Can. 5.* Vel hinc proditur eximia quædam antiquitas hujus Obligationis necessariæ Beneficiariorum, quòd nullis legatur instituta in Conciliis, in omnibus elucescat ut jam olim instituta.

Concilium Lateranense anni 1514. Beneficiarios omnes, qui sex mensibus postquam suis fuerint Beneficiis instructi, Canonicas horas non persolverint, fructus restituere jubet. *Sess. 9.* Inter illa Reformationis capita, quæ per Germaniam Cardinalis Legatus Campegius promulgavit anno 1524. leges & *Art. 27.* illud quo jubentur Prælati per Archidiaconos & Decanos Rurales excubare, atque explorare, an sint aliqui, qui pio hoc penso non defungantur, eosque ad sacrorum proventuum restitutionem adigere: quin & exauthorare Beneficiis, nisi ab ignavia hac sua & divinorum incuria resipiscant. Ratio statim subjicitur: *Cum Beneficia propter Officia juxta Patrum sanctiones dari consueverint, &c.*

Anno 1528. in Concilio Senonensi innovatus est Canon Concilii Basileensis, prohibitumque omnibus qui publicæ in choro psalmodiæ intersunt, privatim interim sibi obmurmurare Psalmos: sed unà cum aliis psallere, non obstrepere psallentibus. *Can. 18. 19.* *Nemo ibidem cum horæ in communi cantantur, legat, vel dicat privatim Officium. Nam non solum Officium, quo obnoxius est, choro subtrahit, sed & alios psallentes perturbat.* Concilium Coloniense anni 1536. qua attentione, & quo mentis fervore cœlestibus Canticis incumbendum sit, ita declaravit: *Part. 2. c. 8.* *Non sufficeret preces istas horarias utcumque premurmurasse, sed ut Conciliari constitutione cautum est, Presbyter ex intimo affectu, elevataque mente in Deum solum, nocturnum hoc diurnumque suæ servitutis pensum exolvat.* Iterata ibidem est & illa Basileensis Concilii prohibitio, ne privatim in choro recitent, quos Psalmos chorus decantat: exceptis tamen iis, quos ministerii sui gravis aliqua necessitas maturare cogit: *Part. 3. c. 5.* *Quem tamen aliud Officium Ecclesiasticum, aut publicum aliò statim rapiet, ut nisi legens preces horarias, tempestivè absolvere haud possit, hac lege teneri noluimus.*

IV. In Concilio Mediolanensi I. anni 1565. illud additum est Decreto Concilii Lateranensis sub Leone X. illos videri horas Canonicas non recitasse, & suis proinde abdicandos esse Beneficiis, qui intra dies quindecim illas bis prætermiserint. *Can. 2.* *Officium omittere, ut Beneficio privari possit, is jure dicatur qui quindecim dierum spatio bis illud omiserit.* Quin & illos qui nullo dotati Beneficio, ex solo Ordine sacro tenebantur pio hoc precandi munere fungi, si muneri suo deessent, præter crimen quo se Deo constringebant, inquirendos hîc etiam esse, & Ecclesiasticis pœnis subigendos. *Præter grave peccatum quod committitur, graviter etiam ab Episcopis in eos animadvertatur.* Concilium Mediolanense *Can. 10.*

III.

III. anni 1573. hæc eadem Decreta promulgavit rursum, allegata etiam Pii V. Bulla, cujus vi & authoritate præceptum est Episcopis, iisdem ut pœnis eos constringerent, qui cùm pensionibus gauderent Ecclesiasticis, Officium B. Mariæ non pari sedulitate recitarent. *Ad cujus etiam constitutionis præscriptum, eum item mulctes, qui pensionem habens, Canonicarum horarum Officium de B. Maria Virgine dicere omiserit.* In Concilio verò Mediolanensi IV. anni 1576. illud declaratum est, leviusculas ægritudines, aut vel febriculas, non justas esse posse causas, ut quis cessaret ab horarum Canonicarum recitatione, vel à restitutione fructuum. *Meminerit se febri morbove aliquo, vel adversa valetudine leviter aliquando laborantem, non istam propterea excusationem habere, &c.* Præscripsit denique hoc Concilium, ut quicumque stipendiis aluntur Ecclesiasticis, Officia B. Mariæ saltem recitarent: vel si prorsus illiterati essent, ejus Coronam.

Can. 2.

Can. 12.

De cultu divino in genere.

Concilium Rotomagense anni 1581. monitos voluit eos, qui lege constringuntur solvendi Canonici hujus pensi, Breviarium Cardinalis Quignonii, seu sanctæ Crucis à Pontifice interdictum fuisse. Concilium Burdegalense anni 1583. plerasque innovavit ex iis pœnis quas Concilia Mediolanensia decreverant, potissimum adversùs eos qui intra quindecim dies bis prætermisissent horas Canonicas, adeoque Beneficiis spoliandi essent; itemque adversùs eos qui pensionibus dotati, Horas B. Mariæ non recitarent. Concilium Mexicanum anni 1585. præscripsit Episcopis, unam ut saltem horam cujuslibet diei orationi mentali impenderent. Avenionense anni 1594. Clericis pensione quapiam gaudentibus Ecclesiastica, injunxit ut juxta Pii V. Bullam Officium B. Mariæ quotidie persolverent. Aquileiense anni 1596. graviter ab Episcopo animadverti voluit Clericos sacratos, quanquam nihil Beneficii consecutos, si horas Canonicas recitare negligant. *Omnino intelligant, omittendo horas Canonicas se mortaliter peccare, nec prætextu Beneficii non adepti excusare posse.* Ex eodem Concilio, qui pensionibus fruuntur, nec Officio defunguntur B. Mariæ, ii & lethali crimine conscientiam suam commaculant, & fructus restituere tenentur: *Pensionarios serio monitos esse volumus, eos ad Officium B. Mariæ Virginis quotidie recitandum teneri; præter peccatum mortale quod committunt, si omiserint, restitutionis onere obstrictos declaramus.* Denique Concilium Narbonense anni 1609. Episcopos voluit una hora die quolibet orationis mentalis delicias degustare sacras.

L. 3. T. 1. §. 5.

Can. 34.

Can. 5.

Can. 12.

V. Observandum est hic porro, eos quos hactenus deprompsimus Canones, nihil discriminis interponere Clericis Beneficiariis, seu pingues, seu tenues sint Beneficiorum reditus. Ita etiam consentiunt doctissimi quique Canonistæ, indiscriminatim omnes teneri Officio Canonico, idque illi colligunt ex capite *Conquerente. De Clericis non residentibus.* Ejus author Alexander III. Clericos promiscuè omnes, quantulicumque sint proventus Beneficiorum, residere jubet in Ecclesiis propriis. Porro hinc ita argumentatur Fagnanus: *Sicut non excusatur à residentia, ex eo quòd ex Beneficio vita necessaria non percipiat, ita nec excusatur ab horis dicendis. Imputet sibi si Beneficium non sit competens, quia nihilominus tenebitur ad Horas, ex quo se fecit ad hoc intitulari.*

In l. 2 Decret. Part. 1 pag. 39.

VI. Diximus nec leviusculas ægritudines, nec itinera ipsa ejusmodi esse causas, quæ quemquam relaxent ab hoc religioso Officio. En alia quæpiam ejus rei argumenta. Scriptor vitæ sanctæ Lutgardis narrat, ut suis illa Sanctimonialibus prædixerit pœnas illis impendentes, propterea quod solutiùs & oscitantiùs horas Canonicas in valetudinario recitarent. *Sæpè reprehenderat Moniales in valetudinario manentes, quòd parum attentè persolverent horas Canonicas divinitus institutas, &c. Cum se infirmæ sorores in valetudinario manentes in dicendis precibus canonicis correxissent, pestis illa penitus sopita est.* Cantiprat. L. 3. c. 10. circa ann. 1206.

Hinc liquet Moniales ægrotantes conjunctim omnes recitasse Officia canonica in loco honesto & ad id destinato. Idque firmari potest Constitutione Benedicti XII. qui pulcherrimam formam delineavit, ad quam se omnia fingerent deinceps Benedictini Ordinis Monasteria; ubi & in primis illud sanxit, ut qui adesse non possent publicis in choro Officiis: sive concionibus, sive studiis, sive quibusvis aliis distinerentur negotiis, ii alium in aliquem coïrent locum, ubi certis temporibus Horas canonicas recitarent. *Cæterùm qui ad chorum, vel ad Ecclesiam accedere nequiverint, prædicationi, lectioni, studio, seu administrationibus, vel officiis suis, aut piis, sive licitis operibus, de licentia illius, ad quem eam dare pertinuerit, occupati; in loco aliquo congruo & honesto, debitis horis, juxta possibilitatem plures simul conveniant, & debitè dicant divinum Officium, & quotidianum pensum exolvant debitæ servitutis.*

Tom. I.

Statuta ejusdem Ordinis sancti Benedicti ad usum Provinciæ Narbonensis concinnata, & à Gregorio IX. summo Pontifice approbata anno 1226. jubent ut Monachis omnibus qui longiori se committunt itineri, vel Breviarium detur, vel Psalterium, ut suprà jam diximus: *Ut Monachis in sacris Ordinibus constitutis, in longo itinere profecturis, sine Breviario vel Psalterio non mittantur.* Huc rediit res, ubi cessatum est ab urgendis Clericis ad Psalterium addiscendum. Suffecta sunt Psalterio Breviaria. Et opportunius quidem aliquid habent Breviaria. Sed nec præsidii parum erat, nec incitamenti parum ad pietatem in Psalterio diligentissimè memoriæ commendato, & inde ad animi penetralia defluenti. Spicil. to. 6. pag. 33.

VII. Cæterùm si Monachi tantùm statuto hoc continerentur, qui sacris sint in Ordinibus, jam causam attigimus; quòd nempe in regularibus cœtibus omnibus horarum Canonicarum recitationi subrogata esset oratio Dominica atque Angelica Salutatio aliquoties iteranda, in usum eorum qui litteris imbuti non fuissent. Templariorum Regula in Concilio Tricassino anno 1127. condita, horis primùm illos Canonicis subjecit; at illis mox substituit certum & definitum numerum Orationum Dominicarum, cùm abessent, vel bellicis negotiis implicarentur. Valdensium Regulam confirmavit Innocentius III. postquam prisci ab illis ejurati sunt errores. Regulæ autem articulum hîc unum attexam. *Orationi juxta horas Canonicas septies insistentes dicendo quindecies Pater noster, insuper Credo in Deum, & Miserere mei Deus; & Orationes alias; cùm autem ex magna parte Clerici simus, & pene omnes litterati, lectioni & exhortationi, doctrinæ & disputationi contra omnes errorum sectas decrevimus desudare, &c.* Stupendum meritò esset, quòd cùm Clerici essent, & litteris ita instructi, ut manus conferere cum hæreticis possent, hæc orationum permutatio illis velut illiteratis permitteretur; nisi aliunde constaret, non Monachos illos vel Regulares fuisse, sed sæculares Clericos, aut etiam Laïcos, in unum conscriptos Sodalitium, & qui se consiliis Evangelicis devovissent. Sed etsi Monachi verè fuissent, ea non multò post rescissa est indulgentia. Alia enim Innoc. III. Regest. 13. Epist. 78.

posterior ejusdem Pontificis Epistola illud prius statutum ad eos restrinxit, qui Clerici non essent, Clericos Horis Canonicis devinxit: *Et Clerici, prout eos convenit, Canonicas horas Domino Deo solvent.* Incomparabilis viri B. Francisci discipulos priores excusavit necessitas librorumque inopia, ut mentali oratione compensarent silentium chori, & Canonicarum Horarum cessationem. *Pro eo quòd nondum Ecclesiasticos libros habebant, in quibus possent horas Canonicas decantare.* Ita Bonaventura in Francisci vita, qui ipse idem habet in Regula, ubi & numerum adjicit orationum Dominicarum, cuilibet horæ Canonicæ sigillatim subrogandum. *Clerici faciant divinum Officium secundùm ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, excepto Psalterio, ex quo habere poterunt Breviaria. Laici verò dicant viginti-quatuor Pater noster pro Matutino, pro Laudibus quinque, pro Prima, Tertia, Sexta, & Nona, pro qualibet istarum horarum septem, pro Vesperis autem duodecim, pro Completorio septem; & orent pro defunctis, &c.*

Regest. 15. Epist. 80. — Cap. 4. — Cap. 3.

Hic certè cursim observari fas est, ex hoc Franciscanæ Regulæ capite liquere, abstinere forsan potuisse Radulphum Tungrensem Decanum à sugillandis Franciscanis, quòd delegissent sibi, disseminassentque per orbem Christianum Breviarium Romanum Apostolicæ Capellæ, quod utique brevius erat & contractius. Ex adverso enim B. Bonaventura hunc explanans Regulæ locum, inquirit, Eccur Franciscus, qui suos meditationi Litterarum sacrarum & prædicationi Evangelicæ devoverat, Officium illis canonicum impegerit, usque adeo prolixum, videlicet Ecclesiæ Romanæ. *Quare sanctus Franciscus, ex quo fratres suos volebat in prædicatione & studio per consequens exerceri, tam oneroso, tam prolixo Officio oneravit?* Respondet autem ea gravitate & sapientia, quæ & Regulæ, & Francisco, & Bonaventuræ consentanea sit: Si Romana Ecclesia, cui incumbit sollicitudo omnium Ecclesiarum, Officium Canonicum longè prolixissimum sibi delegit, quòd se præ cæteris etiam omnibus multo indigere sentiret & precum præsidio, & opis divinæ incremento: inde id emergere, & singulos quosque, & Congregationes ipsas hominum piorum, quantò gravioribus & molestioribus gravantur occupationibus, tantò prolixiùs orare impensiúsque debere, ut & tantò sibi certiora cœlitus præsidia concilient.

Statuta Hugonis V. Cluniacensis Abbatiæ præcipiunt iis qui procul sunt à Monasterio, ut proprio quasque tempore horas recitent Canonicas, & si memoriter Psalmos non teneant, certo numero orationes Dominicas iterent. *Universi ubicumque constituti, suæ servitutis pensum non negligant reddere, maximè horarum Regularium. Nescientes Psalmos, pro singulis horis orationem Dominicam septies dicant, pro Matutinis septies septem, pro Vesperis ter septem.* Idipsum compensationis genus Præmonstratensibus quoque Conversis indultum fuerat.

Bibl. Clun. pag. 1462. — Bib. Præmo. An. 325.

VIII. Mentio habetur postremo hoc loco Salutationis Angelicæ, nec tamen ferè usquam illigatur illis, quibus illiterati Clerici vel Conversi tenebantur precibus. Eadem pia Salutatio crebriùs commendatur in Compilatione Conciliorum Anglicanorum, statim post annum 1206. & in Constitutionibus Odonis Episcopi Parisiensis. Julius II. Pontifex approbans Regulam Equitum Christi in Lusitania, recitandum illis injunxit Officium beatæ Mariæ; illis autem qui litterarum legendique rudes essent, sexaginta orationes Dominicas totidemque Angelicas Salutationes, in horas tot dispensandas, & si fieri posset in eadem ipsa tempora, in quæ Officium Canonicum. Verùm cùm id factum sit anno 1505. poterunt ejusdem rei antiquiora forsan exempla occurrere in Bullario Pontificum.

Con. Spelm. Tom. 2. pag. 138. 160. 210. — Raynal. an. 1505. n. 6. — Bullar. Tom. 1. pag. 453. 421. 422. Tom. 2. pag. 305.

IX. Paucissima supersunt de horis Canonicis, quæ sacrorum Mysteriorum celebrationi necessariò præcurrere, animumque præparare debeant. Odo Parisiorum Episcopus Matutinum & Primam præmitti antè jubet. *Nullus antequam Matutinas dixerit Canonicas & Primam, præsumat aliqua necessitate celebrare Missam.* Idem sanxit Innocentius IV. in insula Cypro servandum, Prima tamen non comprehensa: *Sacerdotes dicant horas Canonicas more suo, sed Missam celebrare priusquam Officium matutinale compleverint, non præsumant.* Cùm hoc Decreto comprehenderentur Græci perinde ut Latini, hinc planum est illos iisdem obnoxios fuisse legibus recitandorum Officiorum. Synodicum insulæ Cypri unà cum Conciliis editum, Primam quoque ante Missam recitari jubet. Synodus Nemausensis anno 1284. de Prima silet. Concilium Vallis-Oletanum anni 1322. nec verbum de ea facit. Synodus Bajocensis anni 1300. eadem ipsa usurpat Odonis Parisiensis verba, & unà Primam cum Matutinis recitari vult ante Missæ celebrationem. Ea verò omnia ad privatam Horarum recitationem spectant. Concilium enim Lambethanum Provinciæ Cantuariensis anni 1330. Missam Parochialem celebrari vetat, nisi post Tertiam decantatam. *Nullus Sacerdos Parochialis præsumat Missam celebrare antequam matutinale persolverit Officium, id est, Primam ac Tertiam.*

Cap. 3. n. 20. — An. 1254. Epist. 10. — Conc. Tom. 11. Part. 2. pag. 1530. Raynal. an. 1322. n. 18.

X. Invaluisse tandem visa est consuetudo, solius Matutini Officii necessariò recitandi ante celebrationem Mysteriorum. Sed vel hinc rursus patet, quantæ necessitatis fuerit horas Canonicas privatim quandocumque recitari. Qui Gregorianos consarcinavit Decretalium Libros, ad Agathense usque Concilium retro progreditur, ex quo decerptum est Caput *Presbyter. De celebratione Missarum.* Fagnanus hoc Caput commentariis suis illustrans, juris divini positivi hanc esse existimat obligationem recitandi Officii Canonici quoad sacratos Clericos: *Ratione sacri Ordinis Clerici tenentur ad Horas dicendas, de jure divino positivo:* Jure autem naturali, quoad Beneficiarios: *Viventes de Patrimonio Crucifixi ad hoc tenentur de Jure naturali divino.* Profert & Canonistas, qui ne à Pontifice quidem id putent vinculum relaxari posse. Alios profert, qui eidem necessitati subjiciunt Clericos Minores omnes, antiquioribus fulti Canonibus, in quibus nulla istiusmodi distinctio quoad horas Canonicas, quæ ab inferioribus sæpiùs Clericis psallebantur, ut qui & suæ ipsi devincti essent Ecclesiæ, nec ullo præterea ministerio quotidiano ei inservire ferè possent, alias ab occupationibus Ecclesiasticis prorsus liberi: quod non tam facilè de sacratis Clericis dici potest. Certum est tamen contrariam quoad Clericos Minores Beneficiorum inanes præscriptam jam diu esse consuetudinem: sed & illud indubium est, excogitandam illis esse rationem aliam quampiam, quâ juri humano, divinoque faciant satis; cùm utroque Clerici, sicut & ipsa sua professione, devoveantur orationi, & pietati. In hanc sententiam omnium evidentissimè S. Thomas: *Clericus ex hoc ipso quod est Clericus, & præcipuè in sacris Ordinibus constitutus, tenetur dicere horas Canonicas. Videntur enim tales specialiter esse assumpti ad laudem divinam. Sed in quantum est Clericus beneficiatus in hac Ecclesia, tenetur dicere Officium secundùm modum illius Ecclesiæ.* Illud ex-

Quodlib. 6. q. 5. art. 1. q. 1. q. 7. a. 1. & q. 1. q. 13. a. 2. & q. 5. q. 14. a. 2.

go ratum sit nobis & inconcussum, divinis Officiis multò obligatiores olim fuisse Clericos, quàm nunc sint.

---

## CAPUT LXXXVI. *P. 4. l. 1. c. 42.*

### De obligatione recitandi Officii in Choro. De Officio beatæ Mariæ. De Officio Mortuorum.

*I. Primæva lex & obligatio fuit, Officia omnia in commune recitari.*

*II. Quotidie celebrabantur omnia in agrestibus etiam Parochiis.*

*III. Saltem horæ Canonicæ in iis recitabantur.*

*IV. Nocturna Officia circa mediam noctem celebrabantur. Probationes.*

*V. Non ter surgebant ad tria Nocturna.*

*VI. Cùm tandiu Ecclesias Cathedrales impleverint Monachi & Regulares, tunc saltem mos inolevisset noctu ad Nocturna surgendi.*

*VII. Memoriter decantabatur Officium.*

*VIII. De Officio beatæ Mariæ.*

*IX. De Officio Mortuorum. Cujus juris & necessitatis sint hæc Officia duo.*

*X. Statuta accommodatiora postrema hujus ætatis, quoad tempora divinorum Officiorum.*

I. AMbigit nemo, quin primævus Ecclesiæ usus is fuerit, ut ab omni Clero conjunctim in Choro horæ Canonicæ celebrarentur; nec ab hoc publicæ pietatis Officio absolverentur, nisi qui ad alias interim sacerdotales functiones vocabantur. Ordinabantur Clerici omnes ad unius Ecclesiæ Titulum, cui & addicebantur, ut & residerent in ea, & publicæ psalmodiæ interessent. Perspicuè id affirmat Bernardus, Beneficiarium alloquens: *Beneficia Ecclesiæ tua sunt. Rectè, quia surgis ad Vigilias, vadis ad Missas, horis chorum nocturnis diurnisque frequentas, benefacis. Sic Ecclesiæ Prebendam gratis non accipis.* (Epist. 2.) Nec in Cathedralibus tantùm, vel Collegialibus, sed & in Parochialibus: nec Canonici tantùm, sed cujusque Parochiæ Clerici coïre tenebantur statis horis ad Officia publica decantanda. Synodus Vorcestrensis anni 1240. hanc legem manifestè demonstrat omnes cujusque Parochiæ Presbyteros amplexatam esse: (Can. 12.) *Præcipimus ut omnes Capellani, qui in una Parochia commorantur, simul intersint & conveniant Matutinis & Vesperis, & aliis horis Canonicis, in Ecclesiis celebrandis, & Missis, & maximè de die, nisi causa rationabili fuerint impediti: nec aliquis celebret, nisi quousque Prima fuerit canonicè completa.*

II. Voluit Concilium Biterrense anni 1246. omnibus ut in Parochiis Officium celebraretur Canonicum. (Can. 30.) *De ruralibus Ecclesiis hoc mandamus inviolabiliter observari, ut in eis divinum Officium frequentetur, ne fraudentur animæ defunctorum.* Concilium Budense anni 1279. expressiùs adhuc loquitur; si autem acquiescere videatur, ut ne obligentur omnes interesse nisi Matutinis, Missæ & Vespertinis horis: nemo nescit Capitula, Cœnobiave fuisse celeberrima, ubi quatuor diurnæ minores Horæ privatim tantùm recitarentur. (Can. 45.) *Duximus statuendum, quòd Præpositi, Canonici, Plebani, & alii Ecclesiarum Rectores, & Clerici universi, in Præposituris, Canonicis, & Plebanatibus, Rectoriis & aliis Ecclesiis in quibus Beneficiati existunt, vel à quibus Ecclesiastica recipiunt stipendia, residentiam facientes, horis Canonicis, ad minus Matutinis, Missæ, vel Vesperis intersint, cùm ad hoc sint in eis Ecclesiastica Beneficia deputata, ut de ipsis honestè debeant vivere, ac Deo & dictis Ecclesiis in ipsis divinis Officiis cum reverentia deservire.* Constitutiones Synodales Petri Archiepiscopi Rotomagensis anno 1236. non minùs perspicuæ in eandem rem sunt. *Præcipimus quod quilibet Sacerdos in Parochia sua, seu Capellanus in Capella sua dicat Matutinas de nocte, & omnes horas horis competentibus Et psallat horis debitis ad quamlibet horam. Et præcipimus, quod dicant cum nota, &c.* (Synod. Rotom. p. 242.)

III. Synodus Excestrensis anno 1287. nubeculas omnes dubitationum diluet, si quæ possent adhuc nobis objici. Conceptis enim verbis contestatur, non posse quidem eadem pompa & magnificentia in Parochialibus Ecclesiis celebrari Officia, atque in Cathedralibus; nec iisdem temporum aptis interstitiis: sed recitari tamen debere feriis omnibus, cani omnibus diebus festis, Missam autem nonnisi post Matutinum & Primam decantari. (Can. 11.) *Et quia Canonicæ horæ secundùm temporum interstitia, in Ecclesiis Parochialibus, sicut in Cathedralibus & Collegiatis nequeunt decantari: Præcipimus, ut Presbyteri Parochiales ab Ecclesiis suis recedere non præsumant, donec festis diebus ante Missam, vel post, Canonicas horas decantaverint, vel saltem legerint absque cantu, cùm dies fuerit feriandus. Proviso, quod Missam Sacerdos priùs non celebret, donec Matutinas & Primam solverit Creatori.* Duplex ergo approbatur indulgentia erga Parochiales Ecclesias; ut ne accuratè servari jubeantur interstitia canonica Officiorum: utque ferialibus diebus recitentur duntaxat divina Officia, nec canantur nisi Dominicis & Festis.

IV. Quin etiam simile veri est in majoribus & numerosis Parochiis observata fuisse accuratissimè tempora ipsa horarum Canonicarum. Agens Vincentius Bellovacensis de beato Edmundo, qui Professor primùm in Academia Parisiensi, postea Cantuariensis creatus est Archiepiscopus: refert illum cùm ab Artium Schola ad Theologicam concessit, diebus singulis bis accessisse ad Ecclesiam sancti Mederici, nempe ad Officium Nocturnum, quod media nocte celebrabatur, & ad Vesperas. *Et qui priùs dum in artibus regeret, in mane Missas audire consueverat, nunc ad religionis augmentum media nocte Matutinas in Ecclesia sancti Mederici Parisius audiebat. Et sicut orandi gratia Ecclesiam adiit media nocte, sic ipsam adire ob causam consimilem hora studuit Vespertina.* (Hist. Univ. Paris. to. 3. pag. 101.)

Ne subeat autem animo, hanc singularem fuisse Ecclesiæ, vel Parochiæ sancti Mederici laudem, quòd nocturna ibi, diurnaque quotidie psallerentur Officia: aut omnes enim, aut longè maxima ex parte Parochiæ eum usum habebant. In Synodica ad Parochos suos Epistola id jam, ni fallor, adnotavit Ratherius Veronensis Episcopus. (Observat in Rob. pull. pag. 403.) *Omni nocte ad nocturnos surgite, cursum vestrum certis horis decantate.* Concilium Ravennas anni 1286. Nocturna nocte decantari Officia supponit: (Can. 5.) *Campana horarum in nocte & die tantùm pulsentur, quòd omnes confratres se possint parare ad intrandum Ecclesiam.* Beatus Antoninus Archiepiscopus Florentinus, qui anno 1459. vivere desiit, noctu semper surgebat ad recitandum cum suis Clericis Matutinum, & ea sanè diligentia, ut persæpè tympana anteveniret Cathedralis Ecclesiæ. *Surgebat noctu semper, adeoque sollicitè, ut signum matutini Officii Cathedralis Ecclesiæ præveniret, cùmque divinum Officium cum suis Clericis magna cum attentione & mentis devotione persolvisset, &c.* (Rainal. an. 1459 n. 33.)

Inopini penè à Parochialibus ad Cathedrales reflexi sumus Ecclesias. Commentator famosus Prag-

maticæ Sanctionis, Guimierius Præses, seu quivis alius, differens in eum titulum, *Qualiter hora Canonica fiat dicenda extra chorum*, ait in more positum olim fuisse, ut ter surgerent nocte qualiber ad tria concinenda sejunctim Nocturna: sed tandem ad id ventum esse, ut simul & semel omnia decantarentur: & quidem media nocte, idque etiamnunc servari in Ecclesia Parisiensi, multisque Cœnobiis: *Consultum est, ut media nocte saltem omnes surgerent, & totum noctis Officium decantaretur, quod adhuc multi Religiosi observant, & Ecclesia Parisiensis.* Loquitur certissimè de Cathedrali, nunc Metropolitana Ecclesia Lutetiæ, quæ jam tum una remanserat hujus antiquæ disciplinæ tenacissima. Addit Probus anno 1541. jactata esse quædam verba de revocanda ad exortum lucis matutini Officii celebratione, sed plerosque & graviores ex Canonicis strenuè decertasse pro tuenda prisca disciplina, utque unum id statueretur, ne posthac unquam res istiusmodi mitterentur in deliberationem. *Votum illorum per majorem & saniorem Capituli partem sanctè & laudabiliter fuit repulsam passum. & conclusum, ne deinceps fiat verbum in contrarium.*

V. Non possum suspicari unde in mentem venerit viro erudito, ter olim surgere solitos, ut separatim tria decantarentur Nocturna. Quippe Officium feriale, quod antiquissimum est, & maximæ authoritatis unum habet Nocturnum ad singulos hebdomadis dies, excepto Dominico. Adde Cœnobia antiquarum consuetudinum suarum retinentissima, nunquam nisi semel surrexisse, unaque psalmodia nocturnum omne Officium exolvisse. B. Benedicti Regulam consule, & quæ ex ea suprà excerpsimus. Nocturna tria Officia adnotavimus, sed ea uno tenore nulloque intervallo facto recitari, apertissimum ibi est. Chartusiensium Officia Petrus Venerabilis in unam Epistolam, velut in tabellam quandam pulcherrimam conjecit. Illos enim ait signo dato in suis singulos cellulis recitare Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, & Completorium; non convenire in Ecclesiam nisi ad Matutinas & Vespertinas horas, exceptis Festis diebus, cum Horas omnes in choro concinunt, Missamque celebrant, sicut & Dominica die. Sanctus Thomas Aquinas idem sensit quod Guimierius; Baronius dubitanter loquitur, & certè Patrum testimonia quæ ad id ille congerit, nihil ejusmodi evincunt: verba autem Basilii quæ expressiora videri poterant, certissimè capienda sunt de Vesperis, de Completorio, de Officio mediæ noctis, & de Laudibus mane decantandis. Denique Petrus Damiani aptare cupiens quatuor nocturnas Canoniales horas diurnis, quatuor, illas easdem quatuor recenset, quas modò retuli, nec de tribus Nocturnis meminit.

*Petrus Cluniac. De Mirac. l. 2. c. 28.*

*S. Thom. in 1. ad Cor. c. 14. Lect. 6.*

*Baron. ann. 58. n. 69.*

*Damian. L. De Horis Canon. c. 6.*

Vir planè doctissimus Camuzatius in Promptuario Antiquitatum Tricassinarum advertit anno 1082. Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Trecensis è Regulari factum esse sæculare, Decimas cum Episcopo partitum esse, utque superesset vestigium aliquod priscæ Regularitatis & communis vitæ, pepigisse, ut Episcopus quatuor anni Festis solennioribus epulum Canonicis omnibus exhiberet, quod deinde pecunia redemptum est. At aliud longè expressius vestigium regularis vitæ non exolevit nisi post annum 1364. videlicet ut media nocte nocturna Officia decantarentur. Eo quippe anno hoc Capituli deliberatione confirmatum est. En ipsa verba: *Ordinatum quod de cætero Matutinæ, prout hactenus fuit consuetum, media in nocte cantabantur.*

Clarum inde fit, cùm Capitula Cathedralium maxima ex parte occupaverint Regulares, seu Canonici, seu Monachi, sæculo XI. XII. & XIII. usum decantandi nocte media nocturna Officii inter eos aut institutum aut servatum fuisse. Superiùs autem laudata exempla fidem faciunt, ne tum quidem convelli potuisse consuetudinem, quæ tam altas radices egerat, cum in Regularium locum revocati sunt sæculares Clerici.

Obiter hìc adnotabo, quod in antiquis consuetudinibus legitur Monasterii Cluniacensis, cum longiores erant noctes, tum lectiones etiam fuisse prolixissimas ex sanctis Patribus & Scripturis. Alicubi sex noctibus absolvebatur lectio Isaiæ in Adventu: tum addebantur Epistolæ sancti Leonis Papæ de Incarnatione, item B. Augustini aliorumque Patrum Homiliæ. *Me audiente aliquando sex privatis noctibus perlegebatur Isaias.* Intra duas noctes feriales tota Pauli Epistola ad Romanos recitabatur. Scripturarum quidam libri non legebantur nisi in Refectorio. Inde est quod etiamnunc quorundam in Officio sacrorum Librorum initia tantùm delibantur. Id tum fieri cœpit, cum ad matutinum tempus rejecta sunt Officia nocturna, & Matutinum dictum factumque est, quod antè fuerat nocturnum Officium.

*Spicil. to. 4. pag.*

Nec illud nobis excidet ab Abbate Fucarmontio observatum, in Capitulo Generali Cisterciensi anni 1429. sublatas esse horas inæquales, quibus Regula D. Benedicti illigaverat Horas Canonicas Officii diurni nocturnique, & quibus hactenus se Cisterciensis Ordo accommodaverat; institutis autem horis æqualibus, decretum fuisse, ut matutina Psalmodia ferialibus diebus fieret hora secunda, Dominicis verò hora prima post mediam noctem; quod maturius fieri jubeat Regula, Festis, quàm profestis diebus.

VII. Haud satis comperi equidem, sed suspicor tamen, ex laudatissimo antiquitatis usu residuum illud quibusdam in illustrioribus Ecclesiis superesse, ut ne habeantur libri, sed memoriter decantentur omnia. Concilium Narbonense anni 1551. prohibuit Canonicis, ne quem librum manu gererent, dum publica personat psalmodia, ac ne Breviaria quidem. *In Choro nullum librum, etiam precum, imo ne ipsum quidem Breviarium teneant & legant.* Cùm Monachi omnium studiosissimi fuerint observatores ejus Conciliorum statuti, quo præcipiebatur ut omnes Psalterium memoriter perdiscerent; potuerunt illi olim hunc invexisse morem memoriter recitandi.

*Cap. 45.*

VIII. Venio ad Officia B. Mariæ propria. Qui B. Brunonis Carthusianorum authoris & parentis vitam scripsit, ab Urbano II. in Concilio Claromontano Clericos omnes ejus recitandi Officii lege constrictus fuisse affirmat. *Urbanus II. in Concilio Claromontensi beatissimæ Matris Dei preces horarias à toto Clero dicendas instituit.* Baronius ita existimat, ad exorandam divinam opem Urbanum id instituisse, cùm bellum sacrum meditaretur. At Petrus Damiani author est perdiu antè multis in Cœnobiis Italiæ Horas B. Mariæ recitari solitas fuisse. *Ut cum Horis Canonicis quotidie B. Mariæ semper Virginis Officia dicerentur.* Confirmat Cardinalis Bona Romæ servari Commentarium manu scriptum Petri Damiani in Regulam sancti Benedicti, quo fertur Zacharias Papa præcepisse Benedictinis Monachis, ut Horas B. Mariæ Horis Canonicis diei adjungerent; primumque hujus Officii institutorem fuisse

*Surius die 6. Oct. c. 2.*

*Baron. an. 1095. n. 30.*

*Baron. an. 1056. n. 9.*

*Damian. Ep. l. 6. Ep. 29. 32. & l. De Horis Canonica. c. 11.*

*Bona de divina Psal. c. 12.*

Gregorium II. Papam. Ita referenda essent exordia hujus Officii ad annum circiter 720.

Jacobus de Vitriaco invitat, non cogit Monachos ad recitationem Horarum B. Mariæ; ad Officia verò pro mortuis vehementiùs urget, ut hoc precum suffragio vicissim opitulentur eis, qui pia largitate sua Ecclesias dotarant: *Sufficis autem Sacerdoti, Canonicis horis B. Mariæ Virginis horas supererogandæ causa devotionis addere. Officium insuper pro Defunctis non debet omittere. Non minus enim quantum ad hoc obligatur mortuis, quorum eleemosynas recepit, quàm vivis, quorum curam in animam suam suscepit.* De Officio Mortuorum infrà dicemus.

*Hist. Occid. c. 34.*

*Cap. 5 n. 11.*

Constitutiones Synodicæ Odonis Episcopi Parisiensis non instituunt, sed institutam firmant recitationem Horarum B. Mariæ. Synodus Vorcestrensis anni 1240. meminit Capellanorum institutorum ad Horas B. Mariæ recitandas. Synodus Coloniensis anno 1280. capite superiori laudata, Clericos omnes, præsertim sacrorum Ordinum eidem legi subjecit. Longior essem, si perlustrandas aggrederer Ecclesias omnes, seu Congregationes, tam Regulares, quam sæculares, quæ pio hoc beatissimam Deiparam obsequio demereri satagunt. Unum illud observasse sufficiet, eam Officii Deiparæ recitationem usque adeo usu receptam & pervagatissimam fuisse, ut Canonistæ in duas secti sint partes, aliis nulla lege ad eam teneri Clericos opinantibus, aliis ex adverso ea teneri censentibus, quicumque ad Officia canonica constringuntur. Horum certè sententia nitebatur authoritate Concilii Claromontani, & Urbani II. Papæ, atque consuetudinis receptissimæ, quæ legis vim persæpè obtinet. Postremò tandem Pius V. litem diremit, declarans nullo constringi crimine, qui illa recitatione Officii supersederent, nisi si lege ad eam se aliqua Regulares Congregationes obligassent. Hic idem Pontifex, ut jam diximus, Clericos omnes Ecclesiasticis gaudentes pensionibus eo pietatis officio fungi præcepit, alioqui restituturos quidquid fructuum percepissent.

*Cap. 12.*

*Fagnan. In l. 3. Decret. Part. 2 pag. 297. 298.*

IX. Author cum primis idoneus Cardinalis Bona, in Monasterio Cryptæ Ferratæ servari confirmat manuscriptos Codices Græcos sancti Joannis Damasceni, ubi Officia Deiparæ exarata, & in omnes anni menses digesta sunt. Quo roboratur historia Vincentii Bellovacensis, qui à Damasceno quotidie persolutas perhibet fuisse horas Canonicas beatissimæ Deiparæ. Si res ita habeat, eodem propè tempore Græci Latinique hoc Horarum Officio B. Deiparam colere cœperunt. Abraham Ecchellensis Officium pro Mortuis in Ecclesia Maronitarum perantiquum fuisse refert. Idem perhibet de Melchitis, Cophtis, aliisque Christianis in Oriente Gentibus, quæ hoc ab ipsa Apostolica traditione hausisse se ipsæ quidem persuasissimæ sunt.

*De div. Psal. c. 12. 13.*

*Specul. Hist. L. 17 c. 103*

*In Notis ad libr. Hebed Iesu de script. Chaldaic. pag. 165.*

Inter Latinos Amalarius de Officio Mortuorum disserit, quin & quibusdam visus est ejus fuisse concinnator conditorque, quòd ordine commodiori illud digesserit. Quæ diximus, Amalarii ævo istud quidquid est Officii, antiquius esse, abundè probant. Petrus Damiani Monachum nescio quem commemorat, qui Officium Mortuorum quotidie decantabat, omisso Canonico, vel de tempore, vel de Sanctis. *Frater quidam non quotidiano, non certè solemni Sanctorum, sed solo utebatur Officio Defunctorum.* Condonavit Deus culpam præposteræ, sed minimè malitiosæ pietatis. Alibi autem videtur idem Scriptor innuere, Solitarios præter Canoni-

*Amal. l. 4. De Eccles. Offic. c. 42. Et lib. De Ordine Antiph. c. 65. 66. 79*

*Petr. Dam. l. 5. Ep. 10. l. 6. Ep. 30.*

cum Officium, Psalterium etiam pro Mortuis addidisse. *Juxta morem Eremi Psalterium pro Defunctis exolvit.* Sed alibi idem ipse testatur Eremi incolas præter canonici Officii pensum Psalterium pro Mortuis exolvisse, cum Lectionibus novem, quarum tres post Psalmos quinquaginta interserebantur. *Psalterium pro Defunctis cum novem Lectionibus dicitur, tribus nimirum per quinquagenos Psalmos.*

*De ordine Eremit.*

*Opusc. 14. & Opusc. 15. c. 18. To. 3.*

Synodus Vorcestrensis anni 1240. quotidiano Officii canonici penso adjici jubet Officium Mortuorum diebus ferialibus, Festis simplicibus & semiduplicibus, cum novem Psalmis & tribus Lectionibus, excepto Paschali tempore, quo tres tantùm recitabuntur Psalmi. Synodus Excestrensis anni 1287. Parochis injungit Officium Mortuorum, excepto quolibet novem lectionum Festo, & Paschali tempore. Porro quamlibet diffinierit B. Thomas Aquinas, nullo præcepto nisi Officium Mortuorum, nisi legibus & statutis peculiaribus quibusdam ita provisum sit; in controversiam tamen id vocarunt Canonistæ: quo satis proditur, vulgatissimam hanc olim fuisse recitationem.

*Quodlib. 6. q. 5. art. 2.*

Quod de Deiparæ & de Mortuorum Officiis stringimus, ad id etiam conducet, ut novo hoc præsidio muniatur necessitas canonici Officii recitandi. Ea quippe tam explorata & tam comperta fuit obligatio, ut ne in mentem quidem venerit Canonistis eam vocare in dubium; quin & eorum aliqui latiùs effuderint eam ad alia quoque Officia necessitatem.

*Guimier in Pragm. Tit. Quomodo Offic. div. sit celebr.*

X. Extremam manum adjiciam huic capiti relatâ Constitutione humaniori Stephani Poncherii, qui anno 1503. in Parisiensis Ecclesiæ Episcopum inauguratus est. Edocebit ea nos quid tunc de Episcoporum licentia actitaretur. Concessit eis qui Regulares non essent, Matutinum recitare hora quarta quintave matutina: Nonam, Vesperas & Completorium, secunda vel tertia hora post meridiem. *Vos qui Religiosi non estis, non omittatis loco media noctis de mane circa quartam aut quintam nocturnum persolvere Officium.* Quin & iis qui occupationibus dediti sunt, Ecclesiæ & animarum saluti conducibilibus, ut vespera prioris diei matutina exolvant Officia, vel matutino tempore omnia conglomerent usque ad Vesperas, quas cum Completorio in vespertinum tempus differant. *Permittimus necessitatis causa, ut Matutinas diei sequentis possitis dicere sero precedente: aut mane totum Officium successivè dicere usque ad Vesperas; & sero Vesperas cum Completorio, si utilibus negotiis occupati estis, ut studio, aut processionibus, vel peregrinationibus; sed si ex somnolentia aut deliciis facitis, sine peccato facere non potestis.* In historico Tractatu hanc Constitutionem præterire nec debui, nec potui. Si quibus minùs arridet hæc tanta Juris antiqui morisque remissio; ii secum ipsi reputent, occupationes usque adeo in bonum publicum utiles, usque adeo necessarias esse posse, ut hinc abundè compensetur illa relaxatio, qua si quis alioqui utatur, is à Præsule isto adeo non absolvitur, ut potiùs gravi censura inuratur.

*Synod. Paris. pag. 155.*



## CAPUT. LXXXVII. *P. 4. l. 1. c. 43.*

### Laïcis etiam frequens & familiaris pietas, ut Choro horisque Canonicis interessent, in Gallia & Anglia, post annum Christi millesimum; utque eas privatim recitarent.

*I. Roberti Galliæ Regis temporum exemplum.*
*II. Et sancti Ludovici Regis. Intererat horis singulis, filios interesse jubebat. Horas privatim recitabat. Sancta Capella ad id instituta.*
*III. Isabellæ Sororis ejus exemplum.*
*IV. Conciliorum aliquot statuta.*
*V. Exempla Simonis Monfortii, & Gotofredi Bullionei.*
*VI. Defensio sancti Ludovici.*
*VII. Exemplum Geraldi Comitis Ortliacensis sanctissimi.*
*VIII. Elzearii Comitis Provinciæ.*
*IX. Aliquorum Regii Sanguinis Principum.*
*X. Guillelmi, qui Angliam subegit.*
*XI. Richardi Angliæ Regis.*

I. USque adeo in controversiam duci non potest, an Majores Clerici plurima prece & Breviarii recitatione quotidiana Deum demereri teneantur; ut laïcos etiam constet eo pietatis Officio perfunctos fuisse, si qui pietati paulò impensiùs studerent. Ut inter Christiani orbis Provincias præcelluit Gallia nostra pietate & religione non minùs quàm ornamentis aliis quibusque, ab ea quoque initium hîc fiet hujus laïcorum pietatis propalandæ. Agens Glaber de temporibus Roberti Regis, morem viguisse demonstrat, ut antelucano tempore plebs in Ecclesiam ad Matutina properaret
L. 2. c. 5. Officia. *Cùm unâ noctium custodes majoris Ecclesiæ ex more exurrexissent, atque ipsius Ecclesiæ portas quibusque ad Matutinales laudes properantibus aperuissent, &c.*

II. Sanctitatis laude clarissimus Galliæ Rex Ludovicus IX. facta à Pontifice venia Eucharistiam secum eadem devehebat navi, cùm ad bellum sacrum proficisceretur, ubi & Officia Canonica decantari, & Missam ipsam excepto Canone celebrari curabat à Presbyteris & Ministris, cum solemni
Du Chesne To. 5. pag. 360. 367. vestium sacrarum apparatu. *Ubi quotidie divinum Officium solemniter audiebat, videlicet omnes horas Canonicas, & præter Canonem, quæ pertinebant ad Missam, Sacerdote & Ministris sacris vestibus indutis, secundùm quod congruebat diei.* Regios ille Principes liberos suos jam inde à puero volebat Canonicis secum horis interesse omnibus, maximè Completorio post cœnam, ubi & suavissimo modulamini concinebatur Antiphona illa beatæ Mariæ, quæ exinde in omnes Ecclesias propagata est, initio ducto à Capella Regia; quibus expletis aqua lustrali omnes conspergebantur. Illo quoque pietatis obsequio defungi quotidie volebat liberos suos, ut privatim Officium recitarent beatæ Mariæ. Audiendus de his Nangius. *Volebat etiam quòd pueri, jam adultæ ætati propinqui, quotidie non solùm Missam, sed & Matutinas ac horas Canonicas cum Cantu audirent, & quod ad audiendum sermones secum adessent. Volebat etiam quod singuli litteras addiscerent, & horas beatæ Virginis decantarent, ac ut essent semper cum ipso ad Completorium, quod post cœnam suam quotidie solemniter decantari faciebat. In fine cujus specialis Antiphona beatæ Mariæ alta voce cantabatur. Dicto verò completorio cum pueris in Camera revertebatur, & aqua benedicta à Sacerdote circa lectum suum & per Cameram aspersa, residebant pueri circa ipsum, &c.*

Cursim attigimus suprà aliquid de Theodosii Junioris Imperatoriis ædibus, quæ vix pietatis palmam ipsis concedebant Monachorum cœnobiis; & quæ Regio tamen Ludovici IX. Palatio cederent non ægrè, si adjiciamus quod narrare pergit idem Guillelmus Nangius; nempe diebus singulis toti Canonico Officio dum publicè concineretur affuisse Regem sanctissimum, quin & Officio beatæ Mariæ, vel illud secretò cum Capellano suo recitasse, sicut & Officium Mortuorum, præter binas ternasve quotidie Missas. *Omnes horas Canonicas, etiam de* Ibid. p. 369.
*beata Virgine, cum Cantu quotidie audire volebat: etiamsi eas in itinere equitando audire contingeret, nihilominus eas inter se & Capellanum suum tam de die, quàm de beata Virgine submissè dicebat. Insuper Officium Mortuorum quotidie cum novem lectionibus, etiam in Festis quantumcumque solemnibus dicebat cum Capellano suo. Rarò accidebat, quin quotidie duas Missas audiret, & frequenter tres, vel quatuor.*

Additur & illud ab alio San Dionysiano Monacho, dum iter obiter, Provinciasque peragraret, solitum semper horas Canonicas suis singulas propriis persolvere temporibus; dum æger autem decumberet, Officium diei Canonicum, & præterea in auctarium Horarias beatæ Mariæ preces juxta ejus lectum à Monachis duobus recitatas fuisse; ubi alternis suum & ipse recitabat versum; vel Clericum accersebat, qui vicariam sibi eam præstaret operam, si vis morbi vocem intercluderet: denique dum valeret, statim sublucente diluculo Matutinum sibi psalli præcepisse, ubi & ipse ante alios præstò erat. *Quantumcumque infirmus aliquando, ho-* Ib. d. p. 400.
*ras solemniter cantari faciens, in Capella habebat duos Religiosos, vel alios, qui horas juxta lectum suum de die & de beata Maria dicebant, dicens cum eis versus sibi contingentes, &c.*

Cùm Nangius, tum Monachus iste San-Dionysianus in his verba penè ipsa exscripserunt Gotofredi de Bello Loco, Dominicani, qui Ludovico à Confessionibus erat. Ex quibus dilucet litteras didicisse puerulos in pervolutandis Horis beatæ Mariæ, nec ferè addidicisse, nisi ut pio hoc obsequio in Beatissimam Deiparam fungerentur. Eo enim sensu donanda sunt hujus Scriptoris verba. Liquet etiam summorum Principum, ipsorumque Regum filios tenella adhuc ætate Canonicarum horarum celebrationi interfuisse, & privatim Officium beatissimæ Virginis persolvisse. Id quoque idem author Ibidem.
adjicit, aliquandiu assuevisse Regem piissimum, pag. 448.
media nocte surgere, in Capella sua cum Capellanis & 456.
Matutinum decantare, & reliquum temporis orationi impendere, donec eadem Officia in Cathedrali Ecclesia perficerentur. *Aliquanto tempore in consuetudinem duxit, circa mediam noctem surgere ad Matutinas à Capellanis suis & Clericis in Capella cantandas, ut post Matutinas rediens, &c. tandiu in oratione permanere volebat, quantum duraverant in Ecclesia Matutinæ.* Sed cùm postea maturiùs lecto surgeret Ludovicus, ut Regni negotiis vacaret: *Sed cùm ipsum nihilominus oporteret propter instantia negotia ad Primam surgere satis mane, &c.* his vigiliis ita debilitatæ fractæque sunt vires ejus, ut receptui canere cogeretur, & eorum acquiescere consilio, qui persuaserunt, ita ad Matutinum surgere, ut paulò post illud expletum, jam Primæ, jam Missæ, jam reliquæ canonicæ psalmodiæ tempus esset opportunum. *Discretorum consilio & precibus adquievit, videlicet quod ad Matutinas surgeret tali hora, quod*

*post modicum spatium Primam & Missas & Horas caeteras continuè posset audire.*

Hinc perdiscimus, 1. quo fine & quo consilio extructæ sint in Regum Principumque Palatiis sanctæ Capellæ: nimirum ut Canonica ibi Officia exolverentur, quibus Principes ipsi cum familia sua plerumque adessent. 2. In iis etiam tum sancti Luduvici tempore Nocturna Officia noctu concini solita fuisse. 3. Autè ibi tamen ea, quàm in Cathedralibus Ecclesiis completa fuisse. 4. Nec abludit à vero diurnas Horas decantatas ibi fuisse eo maximè tempore, cui se suaque negotia Principes accommodare possent.

Guillelmus Carnotensis Dominicani & ipse Ordinis, Capellanus Ludovici ejusdem Regis, & vitæ Scriptor, fidem facit, difficillimis etiam illis temporibus, quibus in potestatem inimicorum Christiani nominis venerat, & in carcerem conjectus fuerat Ludovicus, quotidie illum toto de-
*Ibid p 468.* functum fuisse Officio Canonico juxta ritum Parisiensis Ecclesiæ, ac præterea horariis precibus beatæ Mariæ, servatis temporibus propriis, præter Missam, quam dempto Canone recitabat, adjuncto sibi Presbytero Ordinis Dominicani & Clerico,
*An. 1250.* qui hic ipse Scriptor erat. *Quantumcumque in illo gravis ergastulo carceris arctaretur, divinum tamen Officium secundum morem Parisiensis Ecclesia. Matutinas scilicet & horas Canonicas tam de die, quàm de beata Virgine, & totum Officium Missa, absque sacramenti consecratione, exolvebat horis competentibus.*

III. Isabella Ludovici Regis soror ponè legebat sanctissimi fratris vestigia. *Maturius ante lucem surgebat ad Matutinum, nec repetebat lectum, Orationes suas usque ad meridiem producens. Quandiu Horas recitabat canonicas, neminem alloquebatur, arctoque semper silentio premebat linguam post Completorium vespere, ad Primam usque mane recitatam.* Hæc ipsissima sunt verba Latinè reddita ex vita ejus scripta vernaculo sermone à nobili ejus comite, quæ & exinde tertia fuit Præposita Abbatiæ Longi Campi ab ea fundatæ. Juvabit & hæc rursos inde delibasse:
*Du Cange post vitam sancti Ludovici.* *Ad Nonam usque incumbebat in studia & meditationem Scripturarum utriusque Testamenti; pervolutabat & vitas Sanctorum. Callebat enim apprimè Latinas litteras; unde & si quas mittitabat Epistolas, Latino eas sermone conscribi volebat, emendabatque ipsa, siquid Capellani sui in verbis peccassent.*

IV. Hæc, ut opinor, vulgatissima tunc adhuc Latinæ linguæ peritia, faciebat, ut turba laïcorum horis adesset Canonicis quotidie, vel eas domi recitaret. Ideo & Concilium Tolosanum anni 1229. medicari cupiens malis non paucis erroribusque, quibus hæretici ejus ævi irretierant complusculos fideles, inconsiderata ac licentiosa lectione Scripturarum, & recentissimarum versionum, quas publicabant, eas versiones proscripsit, & ex Scripturarum libris non permisit laïcis, nisi Psalte-
*Can. 14.* rium, Breviarium, & Horas beatæ Mariæ. *Probibemus, ne libros veteris Testamenti, aut novi, laici permittantur habere, nisi fortè Psalterium vel Breviarium pro divinis Officiis, aut horas beata Maria aliquis ex devotione habere velit. Sed ne præmissos libros habeant in vulgari translatos, arctissime inhibemus.* Jubet hoc idem Concilium, ut præstò sint fideles omnes horis omnibus Canonicis, diebus Dominicis, Festis-
*Can. 25.* que, quin & Vesperis Sabbathi: *Ex integro Prædicationem, & divinum Officium audiant.*

V. Pius juxtà & invictissimus Christianæ militiæ Dux Simon Monfortius, victoriis de Albigensibus hæreticis reportatis valde conspicuus, quotidie intererat celebrationi Mysteriorum, horisque Canonicis omnibus, his nimirum orationis præsidiis certus victorias sibi parari. Ita enim Rigordus ad annum 1213. *Cùm esset in bellis strenuissimus, omni tamen die Missam & horas Canonicas omnes audiebat, semper sub armis, semper in periculo.* Nec minùs claro prosequitur encomio Gottofredum Bullionæum Vuillelmus Tyrius, cùm ait eum hinc in Orientem abduxisse secum sanctissimorum turmam Monachorum, qui ei diurnas decantarent horas, nocturnasque: *De claustris bene disciplinatis Monachos insignes adduxerat, qui toto itinere horis diurnis & nocturnis Ecclesiastico more divina illi ministrabant Officia.* *Ann 1213. Rigord in Philippo Augusto.* *Vuill. Tyr. L. 9. c. 9.*

VI. In iis quæ pro sui defensione texuit opusculis Vuillelmus de sancto Amore, elucet Clericos, adeoque Doctores nonnullos inconsideratissimè & ineptissimè locutos esse de sanctissimi Regis Ludovici assiduitate incredibili ad Officia canonica, etiam ferialibus diebus: *Melius est Regibus & Principibus facere judicium & justitiam ad quæ tenentur, etiam amissis solemnitatibus divinorum Officiorum in diebus profestis, quæ ipsos à prædictis impediunt, &c.* Sed invictissimus Rex tam supra invidiam, quàm supra obtrectationem evectus, declarabat nihil se occupationibus, Regnique negotiis, sed ludo & voluptatibus detrahere, quod orationi & pietati daret. Inde est quòd ipse vicissim doleret, quòd dolerent aliqui ab ipso ea tempora precibus & placando Numini impendi, quod conduplicatum si donasset venationi capiendisque feris, gratulari essent. *Si in duplo tempore poneret in ludendo ad aleas & currendo per sylvas, pro venationibus & aucupiis, nemo super his loqueretur.* *Vuillelm. de sancto Amore. pag. 96.*

VII. Dictum est jam non semel de pietate Geraldi Oriliacensis Comitis, qui Odone Cloniacensi Abbate teste cum primis idoneo, aptissimè negotia oratione & precibus interpungebat; quotidie Matutinis & Mysteriis intererat, quotidie ferè Psalterium recitabat. *Post nocturnas Laudes si quolibet proficiscendum erat, Missarum subsequebatur solemnitas. Consuetudinem statuit, ut Psalterium pene quotidie recitaret.* *Bibl. Clun. pag. 73. 95. 98, 106.*

VIII. Provinciæ Comes Elzearius horas Canonicas & ipse quotidie recitabat Breviarii Romani, ut habet Scriptor vitæ ejus apud Surium. *Quotidie preces canonicas pro Romana Ecclesia ritu & consuetudine persolvit.* Optimæ parenti suæ hoc dixit Guibertus Abbas testimonium, vix unquam eam nocturnis abfuisse Ecclesiæ Officiis, semper adfuisse diurnis, & in divinis Canticis concelebrandis totam fuisse cum Capellanis suis. *Nocturnis Officiis vix aut nunquam deerat, cùm diurnis temporibus communia Dei populo frequentaret. Sic equidem ut Capellanorum studium indesinens nunquam pene apud ipsam à Dei laudis celebritate vacaret.* *Surius die 27. Sept., c. 20.* *Guib. Abb. de vita sua. L. 1. c. 12.*

XI. Ut divinis quotidie præsens adesset Officiis Philippus Burgundiæ Dux, sacram construxit Capellam, Musicos ibi alens eo numero, iisque impendiis, ut Reges æquaret: erant quippe Capellani viginti & unus, qui singulis diebus eadem concelebrabant Officia, quæ in Ecclesia Cathedrali. Dux Aurelianensis ille ipse, quem neci dedi curavit Dux Burgundus, aderat quotidie sacro: *Romanum etiam quotidie recitabat Breviarium.* Qui ejus Apologiam concinnavit, is eorum retudit maledicentiam, qui totum hoc hypocrisi dabant. Nobis perinde esset, vel ipsa enim affectatio fucatæ pietatis æquè testificaretur, Principes quoque viros, qui religionis *Laboureur in ejus vita.* *Histoire de Charles VI. L. 28. c. 30.*

& pietatis studium præ se ferrent, canonicis Officiis decantandis adesse solitos. Priscum Encomium Caroli VII. Francorum Regis bellicosissimi ab anonymo Scriptore exaratum, testificatur, tribus illum quotidie Missis affuisse, & horas Canonicas diebus singulis recitasse.

*Histoire de Charl. VII. par Godef.*

X. Religiosa hæc & exsomnis Psalmodiæ sacræ diligentia unà cum Vuillelmo Rege ex Gallia in Angliam olim trajecit. Etenim debellator hic Angliæ Missæ quotidie & canonicis omnibus intererat Officiis. *Diebus singulis Missa assistebat, matutinos Hymnos & vespertinos diligenter cum Horis regularibus audiebat.* Vuillelmus Malmesburiensis hoc ipsum testificatur: *Religionem Christianam quantùm sæcularis poterat, ita frequentabat, ut quotidie Missa assisteret, vespertinos & matutinos Hymnos audiret.* Hic porro idem Historiæ Scriptor, dum consectatur varia flagitia, quæ Angliam in varias conjecerant calamitates, & Neustriæ tandem Principum dominationi subjecerant: non præteriit longa oblivia divini cultûs, & desuetudinem canonicorum Officiorum. *Optimates gula & veneri dediti, Ecclesiam more Christiano mane non adibant, sed in cubiculo & inter uxorios amplexus, Matutinarum solemnia & Missarum à festinante Presbytero auribus tantum libabant.*

*An. 1086.*

*Malmesbur. Reg. Angl. l. 3.*

Matthæus Paris idem perhibet, & verba ipsa Malmesburiensis secutus esse videtur. Ea invictissima, ea victricia fuere, quibus Vuillelmus Angliam subegit, arma, armisque subactam legibus perpolivit. Pugnavere conjurati Cœlites pro fideli & religioso Principe adversùs impias & jam subactas fractasque vitiis suis Gentes.

Longè sanctissimus sub hoc eodem Rege Vorcestrensis Episcopus Vulstanus, jugi illa non contentus Psalmodia, cui cor, cui os suum totum dicaverat: in suos etiam domesticos graviter animadvertebat, si vel nocturnis aliquando Officiis se subduxissent; & quidquid erat nobilium & honoratiorum civium hortabatur, ut priscæ insisterent recitandi Breviarii consuetudini, Capellanum sese illis quandoque agens, & Matutinum illis recitans. Audiendus hic idem ille Malmesburiensis. *Si quis Ministrorum vel temulentia, vel somnolentia victus, Matutinis non affuisset, acri ferula ictu in illum ulcisci. Postremò personas honestiores per se excitando, ipse Matutinas eis cantare.* Nullum quoquam ablegabat Ministrorum suorum laïcorum, quem non antè edocuisset septies quaque die orare, ut pensarentur ea ratione Horæ septem canonicæ, quibus jubebat eos adesse, cùm in urbe degerent. *Laicum nullum de suis quoquam misit, cui non preces septies in die dicendas injungeret: hoc afferens, ut sicut Clerici septem horas, ita laici septem orationes Deo libarent.*

*L. 4. de Gestis Pontif. pag. 280.*

*Surius die 9 Ianuarii. c. 10.*

XI. Richardus Angliæ Rex, ille bellicosus & intrepidus, qui nominis sui terrorem in Occidentem, in Orientem omnem sparsit; primus semper omnium surgebat, ut in Ecclesiam pergeret, ex qua non antè recedebat, quin rei sacræ & Officiis omnibus canonicis dum recitarentur, affuisset. Ita enim de eo Rogerius: *Ipse enim mane consurgens quotidie, primùm quærebat regnum Dei, & justitiam ejus, & ab Ecclesia non discedebat, donec more Ecclesiastico omne divinum perageretur Officium. Gloriosum siquidem est in Principe, quotidianos actus suos, & ab eo incipere, & finire in eo, qui est principium sine principio, & judicat fines terræ.*

*Roger. pag. 733.*

Henricus III. Angliæ Rex tribus quotidie solemnibus cum Nota Missis aderat, præter alias quæ sine cantu recitabantur. Incitabat quandoque illum sanctus Ludovicus Galliæ Rex, ut ejus temporis partem aliquam audiendis Concionibus seponeret: cui ille non invenustè reponebat, Malle se diutiùs amici conspectu frui, & beari, quàm audire aliorum de eo sermones.

---

## CAPUT LXXXVIII. *P. 4. l. 1. c. 44.*

### In Italia quoque & aliis Christiani Orbis Provinciis frequens adhuc inter laïcos Horarum Canonicarum vel psalmodia in Choro, vel recitatio privatim.

*I. Laicos omnes fideles invitat Petrus Damiani ad Officii Canonici pensum, tanquam & ipsis impositum.*
*II. Conciliorum Italiæ Decreta, Exempla.*
*III. Exempla Germaniæ Imperatorum & Imperatricum.*
*IV. Erant & privatis hominibus domestica Oratoria, in quibus horæ Canonicæ celebrarentur.*
*V. Exempla Regum & Reginarum Hispaniæ.*
*VI. Exempla Imperatorum & Principum Orientis.*
*VII. Exempla Gentium Orientalium.*
*VIII. Ut continentia orationi cohæresceat.*

I. CUm verba misceret Petrus Damiani in Ædibus Episcopalibus Ravennæ unà cum viro nobili, quem salutaribus monitis ad Christianam pietatem instruebat; illud præ cæteris ei instillare satagebat, ab omnibus fidelibus quotidianum hoc esse Canonicæ psalmodiæ Officium Deo excolvendum. *Tandem ad hoc processit oratio, ut assererem Canonica septem horarum Officia ab omnibus Christianis fidelibus Deo quotidie quasi quoddam servitutis pensum debere persolvi.* Scripsit deinde elegantem Petrus de eadem re, sive *de Horis Canonicis* Tractatum, quem & ad eundem nobilem virum misit, ut in pio eum proposito confirmaret. Hoc enim ibi demonstrat, illud Scripturæ, *Septies in die laudem dixi tibi*: illudque similiter, *Sine intermissione orate*, non ad Clerum duntaxat, sed ad omnes pertinere fideles; & per horarum Canonicarum recitationem eo nos officio defungi. Pergit deinde ad excitandos fideles omnes, ut hoc strenue pietatis Officium persolvant, sive ruri, sive in urbe, vel proprios diei recitando Psalmos, si Psalterium habeant: aut si non habeant, eundem Psalmum sæpiùs ingeminando; denique siqui penitus illitterati sint, oratione Dominica sæpiùs iteranda. *Nimirum si sint Psalmi, numerus impleatur; si unus tantùm, prout Canon postulat, iteretur. Quòd si expers es omni modo litterarum, sola oratione Dominica poteris implere quod optas.* Sed pius juxtà doctusque vir hoc postremum contestatur, non hoc voluntariæ pietatis obsequium esse, verùm inter debita & necessaria Officia numerari debere. *Hæc itaque Christianæ servitutis Officia, non obsequium, sed debitum deputa, & non voluntati, sed necessitati prorsus adscribe.*

*Cap. 7.*

II. Ex his facilè conjicitur, eam & doctrinam & consuetudinem altas in Italia radices egisse, & quæ vix omnino extirpari potuerint. Sancti Caroli Borromæi Mediolanensis Archiepiscopi pater Officium Canonicum quotidie in genua procumbens recitabat. Sed multùm ille pietatis avitæ æstus remiserat in hominum vulgo, cum Carolus ipse in Concilio IV. Mediolanensi anni 1576. non ultra rem urgendam duxit, quàm ut populos commonefaceret, olim ab Aurelianensi Concilio IV. præscriptum fuisse fidelibus omnibus, ut qualibet die sæpiùs orarent: præciperetque Episcopis, ut omni virium contentione adlaborarent ad matutinas vespertinasque

*Giussan. L. 2. c. 1.*

*Conc. Mediol. 4. c. 24.*

que

que preces restituendas, sive in Ecclesia, sive privatim, etiam in itinere faciendo.

III. In Germania Lotharius Imperator tribus quotidie Missis intererat, referente Leone Ostiensi in Chronico Montis-Cassini. *Nempe sub Imperii Clamyde cœlesti militabat Regi. Nam ut ipse testis sum, in expeditione constitutus, summo diluculo Missam pro Defunctis, dehinc pro exercitu, tertiam postremo diei Missam audiebat.* Vix quisquam in dubium vocarit, quin Agnes Imperatrix vel Psalterium, vel Breviarium quotidie pervolutaverit: cùm percontata sit aliquando Petrum Damiani, an piaculi, vel dehonestamenti aliquid in eo sit, si quis de Psalterio meditetur aliquid, dum ad requisita naturæ secedit. *Vtrum liceret homini inter ipsum debiti naturalis egerium, aliquid ruminare Psalmorum.* Inde enim liquet potentissimam Reginam, ne momento quidem temporis respirasse, aut à divinis cessasse laudibus. *Vt ne ad breve quidem punctum à divinis obticescere laudibus acquiescat.* Ita Petrus Damiani. Ita porò legebantur vestigia Ottonis I. Imperatoris, qui authore Vitikindo quotidie omnibus Canonici cursus horis præstò aderat. *Juxta morem diluculo de lecto consurgens, Nocturnis, & Matutinis laudibus intererat, &c. Missarum deinde officiis celebratis, &c. Vespertinis laudibus interfuit.* Eodem Vitikindo authore Matthildis mater, hanc à teneris infanti Ottoni infuderat assuetudinem, ad omnes Canonicas horas convolandi.

Regula certè Ordinis Militaris, sive Equitum, quam profitebantur omnes qui creabantur Equites, unum id imperabat, ut sacris quotidie adessent Mysteriis, ut liquet authentico ex ipso inaugurationis Guillelmi Romanorum Regis, qui primò Equitum Ordini allegendus fuit, anno 1247. *Ista itaque Regula est Militaris Ordinis, in primis cum devota recordatione Dominicæ Passionis Missam quotidie audire.* Sed Concilium Altheimense, ubi affuit & Conradus Germaniæ Rex, & cujus Canon relatus est in libros Decretalium Gregorianarum, fidem facit, plerosque libertate donasse aliquem ex servis, quem statim Presbyterum ordinari sibi facerent, quo horas ipsis Canonicas modularetur aut recitaret. Jubetur hoc Canone exauthorari istiusmodi Presbyteros, nisi piam hanc servitutem serviant iis, à quibus servitute sunt absoluti. *Si quis de servis suis quenquam donaverit libertate, & ipsum in Presbyterum fecerit ordinari: ille autem postea in superbiam elatus, domino suo Canonicas horas psallere noluerit, accusatus apud Episcopum, qui ordinavit eum, degradetur.*

Goldast. Constit. Imper. To. 3. pag. 400. Extra. C. Nullus De servis non ordinandis.

IV. Hinc perspicuum fit, non Reges, non summos tantùm Principes conditores fundatoresque fuisse sanctarum Capellarum in Regiis vel principalibus suis ædibus, & Capitula ibi instituisse, quæ quotidianæ vacarent psalmodiæ. Sed Nobiles etiam quoslibet sua sibi privatim habuisse Oratoria, habuisse & Presbyteros, qui non Missam tantùm, sed & canonicum omne Officium quotidie recitarent. Ejus rei suppetit argumentum aliud non minùs luculentum, ex vita decerptum sanctæ Heduvigis Polonorum Ducissæ: ubi eo commendatur nomine, quòd ad Ecclesiam pergeret, nocturnis diurnisque interfutura Officiis, nec imitaretur Principes Nobilesque viros complures, qui tepidiùs hos Officii sui numeros implebant, canonicaque Officia privatis in Capellis curabant sibi recitari. *Divina Officia, quæ publicè peraguntur, nolebat privatim domi, aut in conclavi suo audire, ut solent nonnunquam Principes & Magnates, sed semper in Ecclesia preces nocturnas, quas Matutinas vocant, itemque vespertinas, & Missam, atque alias Dei Laudes coram se volebat cum cantu solenniter celebrari. Itaque ad signum precum nocturnarum, mox cum juncta sibi familia ad Ecclesiam properabat.*

Surius die 15. Octob.

Docet Cantipratensis necdum illum oblitteratum fuisse morem, ut rudibus statim Psalterium daretur, in quo ipsa litterarum elementa perdiscerent. L. 2. c. 29. n. 3. Puella paupercula à patre cùm Psalterium petiisset, remissa ab eo est ad Nobilium puellarum Magistram, ab ea ut litteras edisceret, ita enim non defore Psalterium. Ita eludebatur petitio. Sed puella pietate & candore animi ac simplicitate eximia, scholam petiit nobilium virginum; ut primùm autem Psalterium in manus accepit, cœlitus & repente edocta, peritissimè legit. Rei tam miræ famâ per orbem sparsâ, certatim accurrebant omnes, ut Psalterio puellam donarent. Hic sanè usus ediscendarum primò litterarum in Psalterio, *Vade ad Magistram, quæ filias divitum Psalterium docet*, non aliunde, ut reor, manavit, quàm ex familiari olim assiduitate laicorum in audiendis vel recitandis horis Canonicis.

V. Ad Hispaniam venio, ubi Concilium Coyacense anni 1050. id unum edixit, ut fideles omnes vespertinis Sabbati adessent Officiis, Dominicæ autem diei Horis prorsus omnibus canonicis præter Missarum solemnia. *Ut omnes Christiani die Sabbati* Can. 6. *advesperascente ad Ecclesiam concurrant, & Dominicâ Matutina, Missas & omnes Horas audiant.* Sed non tam angusto se gyro coarctabat Regum, Principum, Magnatumque pietas. Ferdinandus cognomento Magnus, Legionis & Castellæ Rex omnibus intererat nocturnis diurnisque Officii Horis, concinens & ipse cum Clericis, quin & Præcentoris quandoque partes agens. Non fallebat Principem reportatis de Maurorum gente cruentissimis tot victoriis nobilem, à quo orationum improbitate exorandæ, cui gratiarum actione referendæ essent tot victoriæ. *Ecclesiam vespere & mane, nocturnisque horis, & sacrificii tempore frequentabat, interdum cum Clericis in Dei laudibus modulando, interdum etiam vices Cantoris explebat.* Ita Rodericus ad annum 1065. Joannes Aragonum & Siciliæ Rex, qui regnare cœpit anno 1458. eadem laude floruit, ex Marinæo Siculo. *Quotidie rebus divinis & sacris interfuit.* Sed supra omnem admirationis aleam sunt ea quæ perhibent Historici de incomparabili fœmina Isabella, Castellæ & Aragoniæ Regina. Oblectabatur magnopere diligenti Latini sermonis pronuntiatione, eo etiam tempore, quo latinè nondum sciebat. Sed cùm bellicis quibusdam tumultibus finis tandem esset impositus, Grammaticæ Latinæ operam navare cœpit, nihil deterrita negotiorum incumbentium mole, quin immo tantos progressus fecit, ut intra unius anni spatium Oratores Latinos intelligere & interpretari facilè potuerit. *Quamobrem scientiæ cupidissima, bellis in Hispania jam confectis, etsi multis magnisque negotiis occupata, Grammaticæ tamen lectionibus operam dedit. In quibus per unius anni spatium tantùm profecit, ut non solum Latinos Oratores intelligeret, sed etiam libros interpretari facilè poterat.* Deinceps verò nusquam abfuit Officiis quæ in Regia ejus Capella decantabantur; si quid vitiosè pronuntiaretur, ipsa emendavit: ad Horas canonicas ipsa quotidie diligentissime persolvit: *Semper enim sacris rebus & divinis Officiis aderat. In quibus si quis fortè Sacerdotum suorum, qui sibi rem divinam celebrabant, aut Horas canonicas & Psalmos canebant, errasset in syllaba, per-*

Roderic. l. 6 Dorebus Hispan. c. 13.
Marinæus Sic. l. 21.
Marinæus. l. 21.

*sentiebat, & tanquam Magistra discipulum admonebat. Quæ præter multas extraordinarias & votivas orationes, horarum quoque Sacerdotum more quotidie persolvebat.*

VI. Tempestivum jam est in Orientem trajicere, & commodiùs id quidem fieri nequit, quàm cum Gottofredo Bullionio, qui Palæstinam sanctamque Civitatem precibus magis quàm armis expugnavit. Secum enim religiosissimus Princeps in Orientem abduxit complures pietatis gloria clarissimos Monachos, quibuscum per longinquam illam peregrinationem canonica semper celebravit Officia. Ita sanè Vuillelmus Tyrius. (*Vuill. Tyr l. 9. c. 9.*) *Adduxerat peregrinationem ingressurus, de Claustris bene disciplinatis, Monachos viros religiosos, & sancta conversatione insignes, qui toto itinere horis diurnis & nocturnis, Ecclesiastico more divina illi ministrabant Officia.*

Idem pietatis specimen in Oriente ipso non infrequens erat. Quippe Anna Comnena Aviæ suæ, à qua ortus erat Alexis Imperator, historiam litteris mandans, & virtutes quibus summopere inclaruerat commendans, summam quandam ejus vigilantiam & assiduitatem in diurnis nocturnisque Officiis frequentandis ita adumbravit: (*Alexia l. 3. pag. 88. 89. Pachym. in Andron. l. 2. c. 32.*) *Pleramque noctis partem divinis Hymnis, juxta descriptionem Ecclesiasticam in diurna seso anno pensa dispensatis, integrè reddendis ac celebrandis insumebat. Tum non exiguum spatium somno detractum fundendis privatis ad Deum precibus, & cætera religioni dabat, &c. Solebat avia mea non totum negotiis secularibus diem impendere, sed statis quoque horis sacris operam dare, sacrificioque liturgico juxta usum canonicum interesse.*

Supervacaneum esset plura huc coacervare exempla, cùm liber Codini *de Officiis Constantinopolitanis* nulli non obvius sit, ubi annotare poterit non tantùm dies Festos, quibus Imperator magno cum apparatu ad Ecclesiam progrediebatur, aderatque Horis omnibus canonicis, Matutinis, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperis; sed & dies alios, quibus sine pompa aderat. (*Cap. 6. & seqq.*) *Vigilia Nativitatis, Imperatore ad Matutinum secundum usitatam sibi consuetudinem non egresso, sed &c. In quotidianis Matutini & Vesperarum circumstationibus, postquam &c. At in magnis Festis, &c. Canuntur igitur Horæ, ut moris est, Prima, Tertia, Sexta, Nona, &c.*

VII. Est sanè, est quod nostræ nos pudeat socordiæ, præ Orientalium hac ipsa tempestate Christianorum fervore animi ac diligentia in retinendis pristinæ hujus disciplinæ reliquiis. Inter eorum Laïcos bene multi sunt, qui Canonicum Horologium, ut à Græcis vocatur, seu Breviarium quotidia suis horis recitent. Inde enim nata horologii vox, quòd singula Officia propriis exolvantur horis, etsi hæ horæ aliæ ab aliis minùs distent, quàm apud Latinos. (*Chytræus pag. 12.*) Dominicis diebus Festisque convolat plebs ad Ecclesiam hora secunda post mediam noctem, omnibusque diurnis interest Horis. Iter ad Montem Libanum nuper litteris mandavit Hieronymus Dandini, in eoque hæc habet: (*Cap. 25.*) *Officiis Canonicis adest plebs, perinde ut Presbyteri, qui Ordinis sui lege ad id tenentur. Omnes una voce Horas concinunt. Nocte media permagnus semper advolat laicorum numerus.* Italicæ hujus lucubrationis interpres Gallicus in Notis multa eruditione refertis, hæc addit: *Retinent etiamnunc Maronitæ priscam consuetudinem Officii Canonici in Ecclesiis psallendi: nec quisquam id sibi licere putat, ut unquam absit. Ita enim laicis persuasum est, non minùs teneri ipsos adesse, quàm Clericos.* Ita ego Notam illam Latinis verbis donavi. Nuperrimè Vansleb enius Ordinis Dominicani decus, historiam Ecclesiæ Alexandrinæ publici juris fecit. Is qui usus, qui mos vigeat apud Cophtos ita edisserit: *Recitatio precum, quod appellitamus Officium, necessaria cum primis & justissima apud eos est exercitatio pietatis. Quin & eorum Scriptor quidam confirmat æquè Laïcos Clericosque omnes obligari ea necessitate recitandi Officii Canonici. Alius tamen Scriptor ad tres Horas revocat eam necessitatem: ad vespertinum, ad matutinum Officium, & ad Tertiam;* hoc est, ut equidem interpretor, ad Missam, cui Tertia præcinebatur. (*Par. 2. 16.*) Cùm hæ gentes tot retro antè sæculis avulsæ sint à gremio Ecclesiæ Latinæ, hic earum cum illa consensus perspicuè demonstrat, ante schismatis exortum in hoc omnes prorsus Orbis Ecclesias consensisse.

VIII. Hactenus de psalmodia laïcali Clericalique, cui postquam de cælibatu pertractatum fuerat, opportunus erat sanè locus elucidandæ. Si enim vel laïcos vocabat Paulus ad continentiam, ut divinis laudibus vacarent brevi aliquo temporis intersitio, quid de Clericis augurandum? Ea de re elegantissimè Ivo Carnotensis Episcopus in Epistola ad Galonem Parisiensem Episcopum. (*Epist. 218.*) *Ad hoc enim instituta est Clericalis militia, ut psalmodia & hymnodia quotidianum Deo offerat sacrificium: quod offerre jure non poterit, cui ut plus placeat uxori quàm Deo, lenocinante uxore, & fallente carnis voluptate, operam dare necessarium erit. Cùm enim secundùm Apostolum non concedatur laicis orare, nisi eo tempore quo continent: quantò magis semper debent continere, qui tam pro suis, quàm pro aliorum delictis jubentur orare?*

De Xenodochiis & Beneficiariis qui illis affigebantur.

---

## CAPUT LXXXIX. *P. 2. l. 1. c. 54.*

## De Xenodochiis & Beneficiariis qui illis affigebantur ab exordio Ecclesiæ ad usque tempora Caroli Magni.

*I. Series & contextus rerum, de quibus jam dictum est, & de quibus dicendum hic superest.*

*II. Ut longè maximo fuerint Ecclesiæ & Religioni Christianæ ornamento Xenodochiorum veluti Regia quadam magnificentia. Basilius construxit unum pro cæteris omnibus magnificentissimum.*

*III. Ex eo conflata illi apud Provinciæ Præsidem invidia.*

*IV. Calchedonensis Synodus Xenodochia eorumque Præsides Episcopo subjicit Clericos.*

*V. Opulentissimum construit Chrysostomus.*

*VI. Populum idem Constantinopolitanum interpellat, ut sumptu publico in commune omnes alantur pauperes.*

*VII. Hospitalitas à Paulo Episcopis commendatur. Cur illam & quomodo neglexerit Chrysostomus.*

*VIII. Xenodochia tandem publica ad hospitalitatem exercendam excitata sunt.*

*IX. Erant Xenodochia sub potestate Episcoporum, tum quòd plerumque fundatores essent, tum quòd natura quasi ipsa & primava eorum institutione, dispensatores eorum essent, quæ in pauperes erogabantur.*

*X. Ad Ecclesiam Latinam sermo delabitur, ubi Augustinus hospitalitatem in ade mensaque sua exercet.*

*XI. Cur non idem & tamen pro fecerint Chrysostomus & Augustinus.*

*XII. Fundata sunt & à Laïcis Hospitalia, ut Romæ à Pammachio.*

*XIII. De Hieronymi apud Bethlehemum Xenodochio.*

*XIV. Fabiola Nosocomium.*

*XV. Laïcorum hospitalitas.*

*XVI. In ipsis Laïcorum Hospitalibus Episcopi summa utebantur authoritate.*

*XVII. De iis qui in Hospitalibus à se extructis ministrabant ipsi.*
*XVIII. Xenodochia persæpè conjuncta fuere Cœnobia.*
*XIX. Laici nonnisi Episcoporum consilio Xenodochia fundabant.*
*XX. Ejiciebantur è Xenodochio, qui bonæ frugis non erant.*
*XXI. Multa in unum nonnunquam commiscebantur Xenodochia.*
*XXII. Beneficiarii ab eo cui præerant Xenodochio nomen ducebant.*

I. POstquam verba fecimus de Officiis & generalibus muniis Clericorum atque Beneficiariorum: ad ea nunc nobis sermo convertendus est Beneficia, quæ ab aliis secernuntur, per ea peculiaria munia, quæ singulis præfiniuntur. Principem in his primumque occupabunt locum Xenodochia; à quibus ad alia defluemus particularia, personaliaque Beneficia, antequam ad Collegia, Sodalitia, Capitula, Cœnobiaque veniamus. Quanquam hæc omnia permixta quandoque & promiscua ita sunt, ut vix, aut ne vix quidem possint non aliquantulum confundi. Quin & Xenodochia invenimus Monasteriis adjuncta, & quasi concreta.

II. Ridet Julianum Apostatam Gregorius Nazianzenus, quòd quæ piè & ingeniosè Christianorum charitas instruxerat, ea ipse & diligentissimè imitari, & Infidelibus tradere conaretur: atque omnium maximè Xenodochia, καταγώγια, ξενῶνας.
*Orat. 3.* Qua maximè pollebat idem Gregorius eloquentia, luculentè descripsit Xenodochia quæ D. Basilius extra urbem suam Episcopalem stupenda extruxerat magnificentia; diu & instantissimè ditissimos quosque cohortatus, ut ad ea non superflua
*Orat. 20.* tantùm conferrent, sed & ea quæ sustentandæ familiæ necessaria videri poterant. *Pulchra res est benignitas, & pauperum alendorum studium, atque humanæ infirmitati opem ferre. Paulum extra civitatem prodeas, ac novam civitatem conspice, illud inquam pietatis promptuarium, commune locupletum ærarium, in quod non modo redundantes, ac superfluæ opes, sed jam necessariæ quoque facultates propter illius cohortationes reconduntur.*
*πτωχοτροφεῖα* Amplissimum certè, ac splendidissimum hoc erat pauperum diversorium, cùm illud Gregorius comparet novæ civitati, quæ veteri accreverit. In hac Basilii magnificentissima fabrica partes aliquæ fuerant Nazianzeni, referente hujus vitæ Scriptore, qui nec de accumulatis illi proventibus silet: *Amplissimis ædibus extructis atque annuis proventibus constitutis, quos à divitibus & copiosis hominibus, prudenti oratione ad largitionem impulsis collegerat, ægrotos omnes in unum coëgit, pauperum gymnasia hæc loca appellans. Huic in ea re adjutor operisque particeps fuit Gregorius.* Simillimum veri est varia fuisse uno in loco simul conjuncta domicilia; alia ægris, pauperibus alia, alia peregrinis: fortè & sua erant viris, sua senioribus fœminis, sua viduis, pueris & puellis sua seorsim: ut jure posset nova dici civitas, & cum iis ædificiis à Gregorio conferri, quæ propter operis superbiam ac magnificentiam admirationi fuere omnibus hominibus, ac septem orbis miracula meruere ap-
*Orat. 20.* pellari. Cum his enim verè à Gregorio confertur.

III. Sed audiendus ipse Basilius de operis hujusce stupenda magnitudine, quod illi apud Præfectum Provinciæ, quanquam amicitia sibi conjunctum, invidiam conflavit, ut necesse Basilio fuerit, tam gloriosi ac laudabilis flagitii patrocinium suscipere. *Quid perpetravimus mali, dum receptacula ponimus peregrinis qui huc advenerint? Et præter istos, in eorum usus, quibus opus est curatione propter infirmitates suas; necessarium his solatium procurantes Nosocomos, Medicos, Bajulos, Ductores, & cæteros artifices in promptu habere debent, &c. Quin & ædes præterea alias operibus faciendis requisitas.*

IV. Docet Concilium Calchedonense ejusmodi plura fuisse in Oriente Xenodochia, quibus uti Monasteriis, ab Episcopo Presbyteri & Clerici alii præficerentur. *Clerici qui præficiuntur Ptochodochiis &* *Can. 8.*
*Monasteriis, sub Episcoporum potestate permaneant.* Ex hoc Canone, & ex Basilii exemplo manifestum est, horum Xenodochiorum summam potestatem penes Episcopos fuisse, quorum & ipsi sæpissimè fundatores alioqui & parentes erant.

V. Ne umbra quidem dubitationis supererit ulla, ubi à Palladio audierimus, Chrysostomum primò quidem impensas omnes superfluas ex reditibus Ecclesiæ, maximè autem in ædibus Episcopalibus resecuisse, & ex residua tunc ingenti pecunia construxisse Nosocomia; his duos pari pietate & experientia præstituisse Presbyteros; quin & Medicos, coquos, aliosque ministros addidisse, qui uxorati esse non poterant. *Post hæc dispensatoris Eccle-* *Pallad. in*
*siastici scripta relegens, inutilesque Ecclesiæ sumptus de-* *vita Chrys.*
*prehendens, amputari hos protinus jubet. Accessit & ad* *c. 5.*
*solemnes Episcopi sumptus inspiciendos, inveniensque immodicam profusionem, transferri hanc magnificentiam ad infirmorum solatia præcepit. Et cùm superessent pecunia, nova quoque infirmorum receptacula construit; præficiens his duos ex Sacerdotum numero religionis summæ viros; & Medicos, & coquos, & ministros, qui sine uxoribus essent, eis ad obsequium statuens, &c.* Restauravit ergo Chrysostomus vetusta Hospitalia, nova condidit, his Presbyteros præfecit, qui eorum veluti Beneficiarii essent; denique cùm sacra hæc esset domus, nullos ibi passus est conjugatos Ministros.

VI. Non hîc stetit incredibilis sancti Patris charitas. In publica concione aliquando populum omnem sollicitavit, ut in commune publico sumptu alerentur pauperes omnes. Ponebat eorum Constantinopoli omnino esse millia quinquaginta. Rem tamen facilem æquè ac piam fore ostendit: immo eò faciliorem, quòd longè pauciora sufficerent alendis simul uno in loco pauperibus, quàm singulis separatim. Subjecit deinde fideles inter ipsa Ecclesiæ incunabula paucissimi cùm essent, omnia sustentandis pauperibus necessaria suppeditasse. Ergo nunc cùm & numero creverint & opibus, id illis sine controversia multò expeditius fore. Audet autem, & dicit certam sibi spem ac fiduciam esse rei hujus aliquando implendæ consummandæque: & hoc insigni Christianorum sapientiæ & charitatis monumento perculsos, quicumque supersunt, Paganos omnes, nostræ fidei, nostrisque partibus accessuros. Quæ cum detonuerunt in tantum virum procellæ, tam præclaras spes consiliaque & Episcopo & Chrysostomo dignissima dissiparunt. *Si in hac* *Homil. 11.*
*via progredimur, credo quod & hoc futurum sit. Obtem-* *in Acta.*
*peratis mihi solùm, & per ordinem corrigimus negotia; Et si Deus vitam dederit, credo quod statim in hanc nos recepturi simus vitæ rationem.*

VII. Hospitalitatem Paulus Episcopis commendaverat. Hinc crimen Chrysostomo conflatum, quòd solus vesceretur. Ejus rei causam affert Palladius, quòd præ infirmitate cibum plerumque vesperi tantùm sumeret, quòd illum non latebat hospitibus grave fore. Deinde majores in Episcopo sumptus pati non poterat; quos tamen urbe maxima & amplissima, Constantinopoli, declinare non potuisset. Denique in urbe copiosissima & poten-

issimus minimè necessum fuisse, ut hospitalis esset Episcopus, cùm plerique laïcorum lubentissimè id in se muneris reciperent; conducibilius ergo esse, ut verbi prædicationi totum se dederet Episcopus, nec temporalium rerum sollicitudinibus intricaretur. *Enimvero qui civitatem optimis legibus instructam habitat, cujusmodi Constantinopolis est, in qua omnes ferè hospitales sunt: si Sacerdos est, superflue satis verbi relinquit ministerium, ut opsoniorum computet sumptus, seque imprudens Cauponem pro Doctore arbitratur.* Testatur tamen Chrysostomus in Epistola ad Innocentium Papam scripta, rogasse se Theophilum Episcoposque omnes Ægyptios, ut apud se diversarentur. Hæc ubi refert Palladius, multum expostular de Presbyteris & Diaconis Constantinopolitanis, qui Monachos, quos Theophilus ex Ægypto depulerat, in domum suam noluissent excipere, eamque laudem sanctissimæ cuidam Diaconissæ reliquissent. Erat ergo Constantinopoli non ignota hospitalitas, sed eam aliis curam Chrysostomus permittebat, quo plus otii nancisceretur ipse & libertatis, ad reliqua Episcoporum munera persolvenda. Adde quod & superfluos de re pauperum fugitabat sumptus, & ministrorum latrocinia, illamque detestabatur consuetudinem, qua ad convivium divites potiùs, quàm pauperes solent invitari. Quæ omnia fusè Palladius edisserit.

*Pallad. in vita Chry. c. 12. & 17. 12. 13.*

VIII. Hoc autem ipsum est, quod Episcopos tandem impulit, ut hospitibus Xenodochia & ægrotis extruerent. Cùm enim eorum esset & excipere hospites, & pauperes alere, qua in re Christi & Apostolorum exemplum haberent & præceptum, miramque consensionem fidelium, qui ad pedes Apostolorum vel Clericorum, quas incitante Spiritu sancto erogabant, conferebant eleemosynas: non poterat commodius quidquam, aut utilius excogitari, quàm ut constructis Xenodochiis & Ptochotrophiis, constitutisque idoneis proventibus, tam pium tamque sanctum opus perficeretur. Quo ergo Spiritu Apostoli curam pauperum apud Diaconos deposuère, ut ministerio verbi & orationi instarent liberiùs: eodem Episcopi ædificatis ad eam rem diversoriis, hospitalitatis se sarcinæ subduxere, & alendorum pauperum curandorumque ægrorum ministerio magis, quàm curæ & sollicitudini. Quandiu Imperium penes Gentiles fuit, erat penes Episcopos pauperum, ægrotantium, hospitum, viduarum, virginum, & eorum denique cura, qui in solitudine seorsim degentes, vitæ Monasticæ veluti præludia quædam meditabantur. Hos omnes iisdem in ædibus aggregare, simul habere & alere, per persecutores nunquam licuisset. At ubi per Christianos Imperatores libertas affulsit Ecclesiæ, qui hactenus secretis in latibulis soli degebant, cœpere sibi Monasteria construere. Idem fecere brevi Virgines & Viduæ. Episcopi Clericos ad vitam communem summo studio invitavere. Varia denique iidem, ubi pauperes, ægroti, peregrinique, & majore commodo, & sumptu minore alerentur, Xenodochia fundavere. Placilla Augusta Theodosii Magni conjux dignissima, solebat ipsa sese demittere, referente Theodoreto, ad abjectissima quæque ministeria in pauperes eos, qui in Ecclesiæ Xenodochiis alebantur. *Ecclesiarum hospitia visere, ægrotis in lecto decumbentibus curationem adhibere, tractare ollas, jusculum gustare, patinam illis deferre, frangere panem, offas porrigere, eluere pocula, omnia denique alia munera obire, quæ servi & ancillæ exequi solent.* Digna prorsus loca, in quibus Episcoporum & Imperatorum pietas atque hospitalitas coruscaret.

*Theodoret. l. 5. c. 18.*

IX. Constat ergo piarum ejusmodi domorum curam & potestatem summam penes Episcopos esse: quia apud Apostolos deposita sunt patrimonia pauperum, ut horum essent dispensatores: quia Apostolorum, ut charitati, ita & authoritati Episcopi successere; quia dona sua omnia fideles, decimas, primitias, quæcumque denique largissimè in Ecclesiam & in pauperes contulère, ea semper tradidère Episcopis; quia cùm proventuum Ecclesiæ pars tertia, aut quarta, ut infra dicetur, sustentandis seponeretur pauperibus, ejus cura & dispensatio Episcopo credebatur; quia Episcopis redituum Ecclesiasticorum portio idcirco attributa est major, copiosiorque, quòd sit illis maximè ab Apostolo & à Conciliis hospitalitas demandata: quia antiquissima quæque ac prima Xenodochia, & ab Episcopis fundata ac dotata sunt, & à Presbyteris, quos ad id muneris allegerat Episcopus, gubernata.

X. De Græcis hactenus, ad Latinos nunc accedo Episcopos & Presbyteros. Hospitum, pauperum, ægrorum curam egit Augustinus maximam, hisque è reditibus Ecclesiæ, teste Possidio, liberalissimè contulit. Xenodochium non legitur construxisse. Hospites domi excipiebat; pauperibus autem dispensabat, mittebatque per idoneos ministros quidquid illis opus esse intelligebat. *Mensa usus est frugali & parca, quæ quidem inter olera & legumina etiam carnes aliquando propter hospites vel quosque infirmiores continebat.* Et infrà: *Hospitalitatem semper exhibuit, &c.* Et rursum: *Pauperum verò semper memor erat, eisque inde erogabat, unde & sibi suisque omnibus secum habitantibus erogabatur: hoc est, vel ex reditibus possessionum Ecclesiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium.* Testatum fecit Augustinus ipse hanc ineluctabilem explicandæ hospitalitatis necessitatem, mensæque suæ peregrinos & adventantes adhibendi, in causa fuisse, ut recederet à priore Monasterio, quod statim atque creatus fuerat Presbyter, extruxisset, alterumque construeret Clericis suis in ipsis Episcopalibus ædibus suis. *Perveni ad Episcopatum, vidi necesse habere exhibere humanitatem assiduam quibusque venientibus, sive transeuntibus: quod si non fecissem, Episcopus inhumanus dicerer. Si autem consuetudo ista in Monasterio permissa esset, indecens esset: & ideo volui habere in ista domo Episcopi, meum Monasterium Clericorum.*

*Possid. in ejus vita. c. 22. 23.*

*Serm. 49. De diversis.*

XI. Palladius citato jam loco observat, voluisse Chrysostomum, ut eo quod fundaverat Xenodochio *adventantes hospites* reciperentur. Utrumque ergo Augustinum & Chrysostomum jure fortè dixeris, eodem charitatis spiritu hospitalitatem, sed non eadem ratione exhibuisse. Remansit in Chrysostomo, sicut & in Basilio amor semper aliquis secessûs & solitudinis; hinc maluit ille sepositum habere locum recipiendis hospitibus, quàm turbam hominum mensæ semper suæ adhibere. Augustinus delectatus est magis Apostolorum vita communi: ideo & mensam habere voluit, quæ communis esset, & charitatis schola & frugalitatis. Quæ utraque virtutis unius exercendæ ratio, posteriorum temporum Episcopis omnibus & admirationi fuit & imitationi.

*Cap. 5.*

XII. Nec inficiandum tamen est, fuisse nonnunquam & à Laïcis pietate præstantibus extructa Xenodochia. Scribens ad Pammachiom Hieronymus de obitu Paulinæ conjugis, commendat eum

quòd amplexatus sit statim vitam Monasticam, quòd Xenodochium prope Romam condiderit, & brevi in culmen ipsum pertigerit pietatis, tam mirabili ejus hospitalitatis imitatione, in quam præluxerat Abraham. Denique ipsum præterea ad hoc hortatur, ut Abrahami imitatione pauperibus ipse suis manibus ministret, & postquam sua Christo obtulit, offerat & seipsum: *Audio te Xenodochium in portu fecisse Romano, &c. Initia transgrederis, statim summum tenes, primus inter Monachos, in prima urbe, primum sequeris Patriarcham, &c. Moneo non solùm pecuniam, sed te ipsum Christo offeras, &c.*

XIII. Patritiæ prosapiæ erat Pammachius: *Patricii generis primus inter primos Monachos esse cœpisti.* Quare ut erat copiosissima ejus charitas, ita & copiosissimæ opes. Sed immensos quosdam thesauros suo in ipsius sinu gestare charitatem, præclarè in eadem Epistola commonstrat Hieronymus. Seipsum enim scribit Xenodochium & Monasterium apud Bethlebemum extruxisse, ubi religiosi quique viri ad loca sancta toto ex orbe convolantes exciperentur. Quocirca & Paulinianum fratrem misit, qui patriæ hæreditatis agros divenderet; atque ea pecunia cœptum opus perficeretur: *Nos in ista provincia ædificato Monasterio, & diversorio propter extructo, ne fortè & modò Joseph cum Maria Bethleem veniens non inveniat hospitium, tantis de toto orbe confluentibus turbis obruimur Monachorum, &c.* De eodem fortè Xenodochio loquitur Hieronymus in Epitaphio Pau-

In Epitaph. Paulæ. læ, in quam & ejus extructi laudem refundit. *Donec extrueret cellulas & Monasteria, & diversorum peregrinorum juxta viam conderet mansiones, in qua Maria & Joseph hospitium non invenerant.* Nisi malis doo fuisse Xenndochia, duo Cœnobia, aliud Monachis, Monialibus alterum addictum.

XIV. Si primus in Italia hospitibus Xenodochium extruxit Pammachius, ægris Nosocomium prima excitavit Fabiola, impensis in id locupletissimo censo, & quod longè opulentios erat donum, seipsam eo loco mancipans ad ministrandum paupe-

In Epitaph. Fabiolæ. ribus. *Omnem censum quem habere poterat, erat autem amplissimus, & respondens generi ejus, dilapidavit & vendidit, & in pecuniam congregatum usibus pauperum præparavit, & prima omnium νοσοκομεῖον instituit, in quo ægrotos colligeret de plateis, & consumpta languoribus atque inedia miserorum membra foveat. Quoties morbo regio & pædore confectos humeris suis ipsa portavit? quoties lavit purulentam vulnerum saniem, quam alius aspicere non valebat? præbebat cibos propria manu, & spirans cadaver sorbitiunculis irrigabat.* Sic illa sexûs vincebat mollitiem, & exemplo erat aliis divitibus, qui Christo inserviunt & paoperibus, pecunia, non mano, aut manu aliena potiùs quàm sua: *Clementes pecunia, non manu*, ut ait Hieronymus.

XV. Meminit & alibi Laïcorum complurium, quorum erat hospitalitatis studium tantum, ut Episcoporum nonnunquam & Presbyterorum invidiam in se concitarent. Scitissimè autem monet Hieronymus eam virtutem Clericis Laïcisque in commune esse propositam; sed Episcopos in ea primas partes ferre debere, quòd abundè sit laico, si quos hospites excipiat: turpe sit autem Episcopo, si non excipiat prorsus omnes: *Si omnes illud de Evangelio audire desiderant, Hospes eram, & suscepistis me: quantò magis Episcopus, cujus domus omnium commune debet esse hospitium? Laicus enim unum, aut duos, aut paucos excipiens implebit hospitalitatis officium: Episcopus nisi omnes receperit, inhumanus est.*

XVI. His exemplis Xenodochiorum, non ab Episcopis, non à Clericis extructorum, sed vel à Laïcis, vel à Monachis, si adduceretur aliquis, ut crederet nihil in ea juris Episcopis fuisse, is à vero longè abduceretur. Paulinus hæc enim postquam pietati semel consecrata sunt loca, jam esse Ecclesiæ docet, & sub Episcopi potestate. Venditi patrimonii partem unam distribuerat pauperibus Severus Sulpitius, partem aliam construendo reservarat Xenodochio, in quo pauperibus ipse ministraret. Hinc quæ summa erat ejus humilitas, se procul esse contendit à perfectissima virtute Paulini, qui venditis & distributis omnibus, nihil ipse sibi reliqui fecisset. Contrà Paulinus modestissimè & amantissimè contendebat, cumulatiorem eam fuisse charitatem, aliquid reservasse, non sibi, sed Ecclesiæ; non quòd suos in usus vendicaret, sed quocum se ipse totum deinceps manciparet pauperibus. *Ideo sine animi captivitate possessor, quia quæ reservasti, Ecclesia te serviente possideat, &c. Illud Apostoli comples, ut habens, non habeas, quia non tibi, sed non habentibus habens, domùs tua hospes es, ut sit hospitium domus, &c. Tuorum confamulus vernulorum, temporale habitaculum tui tecti, non ut paterfamilias usurpas, sed ut mercenarius vel inquilinus manes, stipendium quasi precariæ mansionis Domino pensitans, de socia & corporis tui & animi servitute.* Paulin. Epist. ad Sever.

XVII. Rem propè similem refert Palladius. E Hist. Lausi. fratribus enim opulentissimis doobus, alter vendi- c. 15. 16. ta omnia Ecclesiis ac paoperibus largitus est; & artificiolo quod addidicerat deinde victitans, totum se tradidit orationi. Alter Monasterium ac Xenodochium instituit, ubi pauperes ipse omnes exciperet & peregrinos. Dissidentibus Monachis uter eorum anteponendus esset alteri, demonstrat Pambon Abbas sanctissimus, in re usque adeo dispari par esse meritum. Zelo enim Eliæ exarsisse alterum, alterum hospitalitatem Abrahæ æmulatum esse. At generatim ita de his omnibus statuendum est, diversoria ejusmodi omnia, quæ pauperibus parata sunt, jam inde possessionibus Ecclesiæ annumerata fuisse, ut Paulinus docet, dum ad clarissimum fundatorem Pammachium scribit: *Ecclesia te serviente possidet.*

XVIII. Nec alienum erit illud prætetea hîc observare, in allatis hoc capite exemplis Scriptoribusque, cum Xenodochiis conjuncta pleromque fuisse Monasteria. Scilicet erat penes Monachos cura Xenodochii; summa porro in Monachos, atque adeo & in Xenodochia Episcopi potestas. Fuisse posterioribus sæculis ejusmodi pauperum diversoria infrà aperiemus, ubi Monachorum Regula servaretor.

XX. Æqoum est & illud adhoc observari: quæcumque Episcopi extruxere ac dotavere Xenodochia, id eos ferè fecisse Laïcorum munificentia, qui sua illis largissimè contulere. Cùm de suo Basi- Epist. 334. lius verba fecisset πτωχοτροφεῖον, ita postea præcipit, qoi suis se abdicant facultatibus, non ipsos sibi sumere debere, ut eas dispensent, quod qui verè pauperes sint, dignoscere noo possint; sed dispensationem illi permittere, cui demandata est pauperum cura & sollicitudo. τῷ τὰ τῶν πτωχῶν οἰκονομεῖν ἐμπεπιστευμένῳ. Erat ergo *Oeconomus pauperum*, indubitanter ab Episcopo constitutus, apud quem commendabant sua omnia, qui sæculo sæculique rebus omnibus renuntiabant. Rem à prima origine repetit Basilius, cum sectanda proponit vestigia primorum fidelium, qui res suas non ipsi in hos vel illos pauperes dilargiebantur, sed ad pedes congerebant Apostolorum, quibus compertissima erat cujusque egestas necessitasque.

XX. Id autem alicujus profectò est momenti, ut suum rursus Episcopo jus asseras & potestatem. Ecce & aliud non contemnendum ejus rei argumentum. Vult Basilius Xenodochio ejici, si cujus vita
*Regul. brev. q. 155.* nequior scandalo sit. Oportere enim in pauperibus quibus ministratur, Christi ipsius effigiem formamque aliquam inspici. Eo ergo honore excidunt, quorum mores a Christi lege sunt penitus alieni. Jam verò pauperes bonos à malis discernere, propriè non est nisi Clericorum. Illis porro Basilii verbis, *τοῖς ἐν τῷ ξενοδοχείῳ ἀῤῥώστοις*, innui videtur infirmos ægrosque eo in diversorio cum advenis & hospitibus promiscuè exceptos.

XXI. Si Basilium autem dicas, unum advenis simul & infirmis locum apparasse, id Chrysostomo ideo certè non dixeris. Separat enim ille apertè ab
*In Acta Hom. 45.* aliis locum hospitibus constitutum. *Est domicilium commune Ecclesiæ, quam vocamus Hospitalem, ξενῶνα.* Idem habet & alibi, ubi Ecclesiæ Constantinopolitanæ incredibiles percenset impensas, cujus sumptibus quotidie tria millia sustentanda sint pauperum, præter alimenta incarceratorum, hospitum, leprosorum, denique calamitosorum omnium: *Jam*
*In Matth. Hom. 67.* *numerus eorum in catalogo adscriptus, ad tria millia ascendit, & præterea multis qui in carcere habitant, auxiliatur Ecclesia, multis in hospitali, ξενοδοχείῳ laborantibus, multis advenis, multis leprosis, &c.*

XXII. Beneficiarii verò, quibus erat cura commissa Xenodochiorum, suum singuli ab iis, diversum à diversis honorem ducebant, & nomen.
*L. 1.* Refert Theodorus Lector Gennadium Patriarcham Constantinopolitanum factum esse, gratia & opera Acacii Orphanotrophi, hoc est Præfecti Hospitali Orphanorum. Epiphanius verò Eustathium Sebastæ Episcopum Aërio plus æquo indulsisse tradit,
*Hæresi 75.* quòd Presbyterum illum fecisset, & ei Xenodochii, quod in Ponto *Ptochotrophium* vocant, curam attribuisset. Basilius post collaudatum Chorepiscopum è suis unum, addit illum Hospitalis Oeconomum esse. *πτωχοτροφεῖον δὲ παρ' αὐτῷ ἐγκεχειρισμένον.* Refert & Sozomenus voluisse Theophilum, ut loco Chrysostomi ad sedem Constantinopolitanam protruderetur è suis Presbyteris Isidorus, penes quem erat Alexandrinorum Pauperum & Hospitum cura. *Προεστὼς τῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ξένων, ἢ πτωχῶν.* Quæ ad sæculum Ecclesiæ sextum septimumque pertinent, paucis infrà perstringentur, paucissima enim sunt, Capitibus 93. & 94.

---

## CAPUT XC. *P. 3. L. 1. c. 48.*

### De Xenodochiis, & id genus aliis ædibus Deo sacris sub Imperio Caroli Magni.

*I. Monasteriis omnibus Monachorum, Monialium & Canonicarum, sua esse debebant Hospitalia.*

*II. Idem de Episcopali qualibet æde sentiendum.*

*III. Varia genera Hospitalium.*

*IV. Qui valent pauperes, labore manuum tolerare vitam debent.*

*V. Sub tuitione Regum & Episcoporum Xenodochia erant, ut ne res eorum præda forent.*

*VI. Verebantur tamen, ne eorum administrationem Reges laicis & deprædatoribus darent.*

*VII. Trifariam administrabantur Hospitalia, authoritate Episcoporum, Fundatorum sollicitudine, & Cœnobitarum cura.*

*VIII. Dominabatur tamen semper Episcoporum authoritas & tuitio Regum.*

*IX. Laici quandoque administratores erant, sed ea universim lex vigebat, ut nihil sibi de rebus pauperum vendicare possent.*

*X. Probatissima consuetudo & disciplina erat, ut Diaconis commendarentur.*

*XI. Græca Disciplina Latinæ consentanea.*

I. ANno 816. Concilium Aquisgranense Regulam edidit Canonicarum, in qua non *Can. 28.* possumus non admirari mirificentissimam Ecclesiæ in pauperes charitatem. Unum quodque enim Monasterium necesse est ut habeat 1. diversorium, quo adventantes Hospites excipiantur, ad portam Monasterii situm. *Quanquam ad portam Monasterii locus talis sit ritè habendus, in quo adventantes quique suscipiantur.* 2. Diversorium pauperum juxta Ecclesiam, ubi Presbyteri, aliique Ministri sacri Canonicarum obsequiis addicti, Officia divina celebrent. *Juxta Ecclesiam in qua Presbyteri cum Ministris suis divinum explent Officium, sit hospitale pauperum.* 3. Sepositum in ipso Monasterio locum, ubi viduæ & pauperculæ fœminæ alantur. *Sit etiam intra Monasterium receptaculum, ubi viduæ & pauperculæ tantummodo recipiantur, & alantur.* 4. Decimæ terrarum omnium Abbatiæ, seu Monasterii, redituumque ejus omnium, cujuscumque generis sint, item oblationum & munusculorum variorum, Hospitali pauperum addicebantur. *Exceptis decimis, quæ de Ecclesiæ villis ibidem conferuntur, de rebus Ecclesiæ prout facultas suppetit, eidem deputetur Hospitali, unde pauperes ibidem recreentur & foveantur. Sed & de oblationibus, quæ fidelibus sanctimonialibus deferuntur, decimæ dentur ad eorumdem sustentationem pauperum.* Probabile cum primis est, reliqua seu Monialium Monasteria, seu Monachorum, seu Canonicorum Collegia, non minore copia effudisse in pauperes eximiæ charitatis suæ rivulos, cùm in dubium vocari non possit, res Ecclesiæ omnes, cujuscumque sint modi, patrimonia esse pauperum. *Oblationes fidelium, patrimonia pauperum*, ut hoc ipso in Canone habetur. 5. Pauperum diversorium Administratori commendabatur, qui & ab avaritiæ sordibus abhorreret, & è rebus pauperum nihil ad utilitates suas converteret. *Talis præsit qui & avaritiam oderit & hospitalitatem diligat, &c. Is cui hospitale committitur, nequaquam res pauperum in suos usus retorqueat.*

II. Erat & Episcoporum hospitalitas illustrior, quàm Monasteriorum. *Placet ut deinceps in singulis* *An. 836. c. 3.* *civitatibus & Monasteriis juxta modum rerum hospitalitas ordinetur advenientium.* Ita Concilium Aquisgranense II. quod Episcopos perinde ut Monasteria ea charitatis lege constrinxit, ut sua singulis essent Hospitalia. Porro hunc Canonem liquet de advenis & hospitibus capi debere. Quanquam enim primùm mensa domoque sua, tum Episcopi, tum Abbates hospites excepissent, quò commodiùs tamen eos, & decentiùs exciperent, necessarias habuere hospitales sejunctim ædes. De his ædibus hospitalitati *Can. 40.* sacris duo quædam præclarissima Concilium Meldense anni 845. suggerit. 1. Sanctissimos Hiberniæ Insulæ Monachos complures ejusmodi in Galliis extruxisse. 2. In his hospitalibus ædibus sedem habuisse Congregationes aliquas, seu Clericorum, seu Monachorum. Hæc Synodos querelis suis Regiam excitat vigilantiam potestatemque adversùs eos, qui illarum fundos agrosque usurpaverant, extrusis inde Monachis, qui à pueritia ibi fuerant innutriti. *Sed & Hospitalia Scotorum, quæ sancti homines gentis illius in hoc regno construxerunt, & rebus pro sanctitate sua acquisitis ampliaverunt, ab eodem hospitalitatis officio funditus sunt alienata. Et non solum supervenientes in eadem hospitalia non recipiuntur,*

*verùm etiam ipsi qui ab infantia in eisdem locis sub religione Domino militaverunt, & exinde ejiciuntur, & ostiatim mendicare coguntur.* Episcopi Provinciarum Remensis & Rotomagensis Ludovicum Germaniæ Regem interpellarunt, ut adversùs istiusmodi violentos incubatores insurgeret, & earum hospitalium ædium Administratores subjiceret Episcopis, quorum injussu nihil posthac moliri possent. *Sed & Rectoribus Monasteriorum, & Xenodochiorum, id est, Hospitalium præcipite, ut sicut Canonica docet authoritas, & Capitula avi & patris vestri præcipiunt, Episcopis propriis sint subjecti, & Monasteria atque hospitalia sibi commissa ipsorum regant consilio.*

*Conc. Gall. To. 3. pag. 114. c. 10.*

Propè abest à vero hæc Xenodochia, *Hospitalia peregrinorum, sicut sunt Scotorum*, dicata iis præsertim fuisse, qui Romanam peregrinationem sacram adgrediebantur. Frequentia eo ævo magna erat peregrinorum Romam pergentium ad adoranda Apostolorum limina, maximè Scotorum, seu Hibernorum: quo & stimulabantur, ut suæ gentis hominibus diversoria extruerent. Explicabant tamen & ibi suam Episcopi authoritatem. Concilium Tollense regiam opem & adjutricem potentiam imploravit, ut in tuto essent quævis Hospitalia, ut quæ eorum fundatione starent, vel niterentur tuitione. *Hospitalia peregrinorum & aliorum, à piis Imperatoribus præparata, ab omni usu & libitu humanæ temeritatis absoluta restaurentur.*

*An. 859. Can. 14.*

III. In Capitularibus Caroli Magni suis quæque nominibus designantur ea quæ apud Græcos jam olim in usu fuerant, diversissima diversoria hospitum, pauperum, infirmorum, orphanorum, senum, infantium. Quod argumento potest esse fuisse quoque & in Galliis ejusmodi diversissima charitatis diversoria. *Xenodochium, Ptochotrophium, Nosocomium, Orphanotrophium, Gerontocomium, Brephotrophium.*

*Cap. l. 2. c. 29.*

IV. Quanquam autem tanta esset hospitalium ædium copia, si qui tamen valentes corpore essent pauperes, ii vitam tolerare cogebantur opere manuum. Cùm præcepisset enim Carolus Magnus, ut pauperem unum unusquisque pasceret fidelium, nec jam publicè quisquam mendicare sineretur: vetuit illico, ne quis stipem erogaret ei, cui sin minùs opes, certè vires suppeterent ad victum parandum. *De mendicis qui per patrias discurrunt, volumus ut unusquisque fidelium nostrorum suum pauperem de beneficio, aut de propria familia nutriat, & non permittat alibi ire mendicando. Et ubi tales inventi fuerint, qui sibi manibus laborent, nullus eis quidquam tribuere præsumat.*

*Ibidem. L. 1. c. 134.*

V. Nec ubique sejuncta habebantur hæc tam varia pauperum ac miserabilium omnis generis receptacula. In unum aliquando plura colligabantur. Istiusmodi erat forsan, quod pauperibus & peregrinantibus extruxit dotavitque Hincmarus Remensis Archiepiscopus. Canonicorum suorum Collegio illud commendavit, ingentes ei fundos reditusque adsignavit, confirmarique curavit tum à Rege, tum ab Episcopis Provinciæ eam donationem, ne à successoribus suis aut irritari unquam posset, aut imminui, aut exigendo censu aliquo vexari: *Canonicis quoque hujus Remensis Ecclesiæ hospitale constituit, ad susceptionem peregrinorum vel pauperum, congruis ad id rebus deputatis, cum consensu Coepiscoporum Remensis Diœceseos, atque subscriptionibus eorundem, ea conditione, ut nullo unquam tempore quilibet Episcopus, vel qualibet persona easdem res cuiquam in beneficium dare, vel in alios usus quocumque modo abstrahere præsumat, neque aliquem censum, vel redhibitionem exinde accipiat; sed totum quidquid ex ipsis rebus justè acquiri potuerit, in usus pauperum atque Canonicorum secundùm modum descriptum in privilegio, à se & cæteris Episcopis confirmato, expendatur. Super hoc quoque constituto, Regiæ authoritatis præceptum à Carolo Rege fieri atque firmari obtinuit.*

*Flodoard. Hist. Rem. L. 3. c. 10.*

Nec oscitanter prætereundum illud est, quod Xenodochium istud Regum tuitioni committebatur, ne unquam vel à Regibus postea, vel ab Episcopis nobili, vel militi cuipiam velut in feudum vel Beneficium dari posset, vel iniquis exactionibus dilapidari reditus ejus, quos & Fundator & cæteri Provinciæ Episcopi consecraverant sustentationi peregrinorum, pauperum, & eorum qui ejus administrationi præerant Canonicorum. Ita quidem Hincmarus, qui & præmonstraras ab aliis in hujusmodi cautiones sequebatur; & posteris præmonstrabat, quas sequerentur.

VI. Quando à privatis extruebantur Xenodochia, sicut & Monasteria, justaque dote instruebantur, tunc quoque jus mosque erat ea muniri Regum tuitione. Inde ansam arripit Concilium Ticinensa commonendi Reges & Imperatores, si hæc pietatis publicæ privatæque sacra monumenta adeo non tueantur, ut opprimant potiùs ipsi, diruantque, eorum regimen aliis permittendo, quàm qui per sacros Canones designati sunt: supremi Numinis vindictam tantò magis formidolosam eis imminere, quantò non aliam ab hominibus ullam habent reformidandam. *Suggerendum est beatissimis Imperatoribus, quia hi qui Monasteria & Xenodochia sub defensione sacri Palatii posuerunt, ideo fecisse probantur, quòd à nullo melius quàm à summis Potestatibus protegenda crediderint. Etsi ea contra decreta Institutorum, personis quibus non licet dederint, ipsi impugnatores efficiuntur, qui propugnare debuerunt: & cavendum summopere Principibus, ut qui nunc minimè judicantur, ne in futuro judicio ab omnipotenti Deo graviùs judicentur; secundùm Apostolum etenim horrendum est incidere in manus Dei viventis.*

*An. 850. Can. 16.*

VII. Hoc Canone, uti & aliis non paucis insinuatur, solitas dari à Regibus, uti Abbatias, ita & Hospitalium administrationes. Minùs tunc laborabant Ecclesiæ Præsules, Synodique, ab his nominationibus ut Reges deterrerent, quàm ut instantissimè eis inculcarent, ut ne alios quàm pios fidosque dispensatores promoverent & Canonum decretis consentaneos. Ex hoc porro & priore ibidem Canone emergit, tria diversissima fuisse genera administrationis Hospitalium. Alia enim summo jure subjiciebantur Episcopis, quibus ea subesse voluerant Fundatores. Tunc verò Episcopi ipsi Administratores deligebant. Alia tuitioni Ecclesiæ commendata erant, Administratoresque habebant, quos Fundatoris cognati hæredesve elegissent: excubante in horum administrationem & vigilantia & potestate summa Episcopi. Erant denique quæ regerentur à Collegiis Cœtibusque Monachorum, Canonicorum, Canonicarum, Episcopo similiter pervigilem curam potestatemque suam in hæc omnia explicante. Si Fundatoris hæres vel cognatus quispiam id moliretur, quod in perniciem Xenodochii cederet, Episcopi interponebatur authoritas, vel si necesse esset, Regis ipsius, qui custos defensorque generaliter est omnium Regni Ecclesiarum. *De Xenodochiis statuimus, ut quæ in Episcoporum sunt potestate, secundùm dispositionem eorum qui instituerunt, guber-*

*Can. 15.*

*Ibidem. Can. 15.*

*nentur. Quæ autem sub defensione quidem sunt Ecclesiæ, sed juxta institutorum decreta, per hæredes, vel per tenentes, qui religiosam vitam duxerint, regi debent; procuret Episcopus, ut ab eis non negligantur, & si in aliquo malæ tractationis obnoxii reperiuntur, Ecclesiasticæ subjaceant disciplinæ. Quod si hæredes sive Clerici, sive sæculares testatoris institutionem supprimere vel obscurare nitantur, & inter se Xenodochii substantiam dividere, nuntietur sacratissimo Imperatori, ut ejus authoritate hujusmodi transgressorum nequitia coerceatur.*

VIII. Deinceps ergo nefas erat dubitare, quin Xenodochia universim conquiescerent sub authoritate Episcopi, & sub tuitione summorum Principum: in quo tamen ipso gradus erant diversi, prout Fundator ea specialius subesse voluerat, vel hæredibus suis, vel Episcopo, vel Cœnobio cuipiam, vel Regi aut Imperatori.

IX. Nec illud in dubium vocari fas est, quin Laïci persæpè Hospitalia administrarint, vel dono Regum & Imperatorum, vel concessione Episcopi, vel voluntate Fundatoris, qui hæredes successoresque suos ea cura ornaverit & honore. Sed quicumque tandem illi essent Administratores, illi indeclinabili hac lege vinciebantur, quam suprà Concilium Aquisgranense initio hujus Capitis promulgavit, ut *Nequaquam res pauperum in suos usus retorquerent.*

X. Non improbabiliter tamen dici posset, regimen Xenodochiorum maximè consentaneum Canonicis institutis, & antiquissimæ Ecclesiarum disciplinæ illud esse, ut Clericis & maximè Diaconis commendentur. Usitatissima & antiquissima ea fuit consuetudo, ut ad pedes Apostolorum, & in manus Episcoporum deferrentur hæc omnia fidelium charitatis pignora, tumque per Diaconos vel servarentur, vel distribuerentur. Hinc Anastasius Bibliothecarius in vitis Pontificum compluribus, maximè Adriani I. & Leonis III. plurimas Romæ memorat *Diaconias*, seu sacras ædes largissimè dotatas

Phot. Epist. 83. 94. 136. ad alendos fovendosque pauperes. Extant & multæ Photii Epistolæ ad Diaconum *Xenodochum*, *Orphanotrophum*. Sed multò illustrior conspicitur Ecclesiæ Græcæ Latinæque concentus, in Constantino Monomacho Imperatore, qui ut perhibet Cedrenus, Monasterium à fundamentis excitavit, in quo varia erant Xenodochia, ad Senes, ad Hospites, ad Pauperes sustentandos. Ita in eo utrique Ecclesiæ conveniebat, quòd Xenodochiorum cura persæpè penes sacra aliqua Collegia esset, vel Monasteria.

---

## CAPUT XCI. *P. 4. l. 2. c. 75.*

### De Xenodochiis post annum Christi millesimum.

*I. Persæpè Xenodochia non à Monachis tantum administrabantur, sed & pauperes ipsi Monasticam agebant vitam. Argumenta ex Pontificum Decretalibus.*

*II. Argumenta ex Conciliis Franciæ, Angliæ & Italiæ.*

*III. Exempla Cœnobiorum in Xenodochiis Angliæ, Galliæ & Italiæ.*

*IV. Similiter res habebat in Oriente.*

*V. Pontifices & Concilia Episcoporum potestati subjici voluere Xenodochia.*

*VI. Non possunt ea Clerici tanquam Beneficia habere: possunt ea Laici administrare.*

*VII. Statuta Concilii Tridentini, & aliorum deinceps Conciliorum, ad subjicienda Episcopis Xenodochia, quibus & Administratores rationem referant omnium.*

*VIII. Varia Regum Gallorum statuta in eam rem.*

*IX. Multa rursus ex Tridentino Concilio obs...*

I. Minùs dubitabit in Beneficiorum album jure referri Hospitalia, quisquis ea duo, quæ hic statim proferimus, infixerit animo, 1. Communem ibi vitam & ferè Monasticam egisse plerumque omnes, atque horas Canonicas certis suis temporibus celebrasse. 2. In potestate Episcopi ea fuisse, scilicet eorum largitionibus extructa, vel ex rebus certè fundisque Ecclesiæ.

Xenodochium Compendiensis Civitatis Abbatiæ ejusdem loci conjunctum conglutinatumque voluit esse Alexander III. quod habeant ut plurimum Cœnobia Hospitales domos ad pauperes & peregrinos excipiendos. *Nos attendentes quòd Monasteria & alia religiosa loca Hospitales domos ad receptionem pauperum habere solebant, &c.* Concilium Lateranense III. sub hoc eodem Pontifice, anno 1179. statuit ut Leprosi Ecclesiam sibi propriam haberent, Cœmeterium item, Parochumque, ubi multitudo eorum id deposceret. *Ubicumque tot simul sub communi vita fuerint congregati, &c.* Quibus ex verbis liquet communem eos egisse vitam: quare & mox Decimis eximuntur. *Ut de hortis & nutrimentis animalium suorum decimas tribuere non cogantur.* Urbanus III. *Magistrum & fratres Cruciferos* privilegio munivit anno 1187. eorum simillimo, quæ Monasteriis concedebantur. Xenodochium Bononiense ab his administrabatur, communis ab eis agebatur vita; eo privilegio copia dabatur, ut novos adgregarent sibi sodales, suique instituti novas propagarent domos. — Epist. 60. — Can. 23. — Epist. 5.

II. Dilucidiùs adhuc expressit Concilium Parisiense anni 1212. quæ conditio, quæ leges Hospitalium ædium, sive ad Hospites, sive ad Leprosos, sive ad ægros quoslibet; quando sanxit, ut si sufficientibus reditibus essent instructæ, vita ibi communis agitaretur, nemo quidquam possideret proprium; abdicatio omnium, continentia, obedientia, Religiosa vestis servaretur; ne valentium major esse sineretur numerus, quàm ægrotum; conjugati omnes ejicerentur, nisi sese deinceps vesti & professioni religiosæ accommodarent. *De domibus Leprosorum, & Hospitalibus infirmorum & peregrinorum, salubri consilio statuimus, ut si facultates loci patiantur, quod ibidem manentes possint vivere de communi, competens eis Regula statuatur, cujus substantia in tribus articulis maximè continetur, scilicet, ut propriò renuncient, continentiæ votum emittant, & habitu Religioso, non sæculari utantur. Cùm autem pauci sani possint multis infirmis ministrare, indignum est, ut numerus sanorum ibidem manentium excedat numerum infirmorum, aut peregrinorum.* Et damnata quorundam uxoratorum fraudulentia, qui hasce in ædes se abdebant, ut sæcularis jurisdictionis vim declinarent; jubet hoc Concilium, aut religiosam vestem ut induant, aut illinc ocyus discedant. *Statuimus ut in habitu Religionis religiosè vivant, vel de domibus ejiciantur.* — Part. 3. c. 19.

Plurimas anno 1236. Constitutiones promulgavit beatus Edmundus Cantuariensis Episcopus, inter quas & hæc habetur, quæ perspicuè declaret, communem & Religiosam, seu Monasticam vitam actitatam fuisse in istiusmodi Xenodochiis. *Præcipimus, quòd qui volunt domum hospitalem, seu Xenodochium fundare de novo, Regulam & institutionem à nobis accipiant, secundùm quod vivant regulariter & religiosè.* Concilium Ravennas anni 1311. laicos damnavit, — Can. 35.

damnavit, qui Xenodochia invaserant & Nosocomia, declaravitque neminem posse has gerere Administrationes, nisi qui Religionem professus sit, tonsura initiatus, communem agens vitam, continentiæ addictus, residentiæ lege vinctus, & Can. 15. hospitalitatem reapse exercens. *Nec aliqui instituantur in eis, nec ea qui habent, valeant detinere, nisi sint Religiosi & sine uxore, & tales quod profiteantur perpetuò ibidem pauperibus deservire, & tonsuram & hospitalitatem teneant & residentiam faciant in eisdem.*

Pag. 162. III. In Auctario Additamentorum ad Matthæum Paris occurrit Fundatio Xenodochii sancti Juliani, opera & sumptu Abbatum Sant-Albanensium in Anglia: occurrit & Regula tum præscripta Presbyteris, Capellanis, Leprosisque ipsis Xenodochii. Abbatis erat, vel ejus Archidiaconi, novos adgregare fratres; admitti non poterat Leprosus conjugatus, nisi conjux pariter ejus professionem Monasticam amplecteretur, aut tam effæta jam esset ætate, ut ex indulgentia concederetur ei in sæculo remanere, simplex continentiæ votum elicienti. Tunica talari, togaque centum consuta omnes induebantur. Ut minimum quinque Presbyteros esse oportebat; & excrescentibus proventibus, augendus erat & Presbyterorum numerus. Presbyteri Matutinum, Laudes, Primam, Tertiam, Sextam & Missam demissa voce recitabant, summo diluculo. Tum Capellani convocatis leprosis recitabant horas Canonicas, & Missam concinebant. Tum hebdomadarius Missam decantabat; quam sequebatur Nona. Pomeridianis horis Presbyteri & Leprosi Vesperas & Completorium persolvebant. Majoribus Festis totum concinebatur Officium. Poterant Leprosi de tertia rerum suarum parte testari, reliquum Xenodochii erat.

Monast. Angl. to. 1. pag. 390. & seqq. 405. 411. Complura id genus alia exempla subministrat Monasticon Anglicanum. Anno 1346. Episcopus Londinensis pristinum in statum restituit Xenodochium tredecim fratrum leprosorum, quibus nefas erat quidquam habere peculii, aut conjuges retinere. Si conjugati enim jam erant, non antè in Xenodochio admitti poterant, quàm uxor Religionem profiteretur, aut si grandæva jam esset, privato saltem continentiæ voto se obligaret. Matutinis & celebrationi Missæ interesse jubebantur: aut pro Matutinis recitare tredecies orationem Dominicam & Angelicam salutationem; quæ similiter duæ preces septies iterabantur pro singulis sex aliis Horis canonicis. Denique sobesse & morem gerere tenebantur Administratori sæculari, seu Magistro Hospitalis, & Abbatissæ Monasterii, cujus sumptibus extructum fuerat Xenodochium. Verba pro-Ibid. p. 414. fessionis quam emittebant, hæc erant: *Ego N. frater leprosus, promitto Deo, & juro ad hæc sancta Evangelia, quod castus ero, & Abbatissa obediens, nihil proprium possidebo, &c.* Hoc genus Xenodochia erant in quibus essent fratres & sorores, id est, Monachi & Moniales, quibus id præcipuè incumbebat muneris, ut divinis interessent Officiis. *Omnes confratres, sorores, infirmi, in quolibet die primo ingrediantur Ecclesiam, ad audiendum septem Horas Canonicas, & Missam.* Plura hujusmodi missa facio.

Stephanus Noviodunensis Episcopus anno 1215. Xenodochii sui à præcessore suo fundati Monachos vetuit in posterum plures esse, quàm Presbyteros quinque, Clericos duos, quinque Conversos Laïcos, Sorores tredecim; utque nemo de novo adgregaretur, nisi expleto annuo tyrocinio, tribusque Religionis votis emissis. *In utroque sexu in habitu laicali per annum probetur, &c. Tria vota obedientiæ, castitatis, & renuntiationis proprietatis humiliter emittat.* Spicil. to. 13. pag. 534. Regulam idem Præsul conscripsit & præscripsit huic suo Xenodochio, quam & à Pontifice Honorio III. confirmari voluit. Gerardus Episcopus Noviomensis anno 1221. viginti Sorores admitti posse decrevit. Guillelmus Noviomensis Episcopus Presbyteros sex esse voluit. Anno 1233. Ambianensis Episcopus Gottofredus Ordinem Regulamque confirmavit Fratrum & Sororum Hospitalis Ambianensis, qua & annuum similiter tyrocinium, & tria Religionis vota, & divinum Officium, & reliqua id genus Monastica instituta præcipiuntur. Anno 1239. in clarissima civitate Insula à Comite & Comitissa Flandriæ & Hannoniæ conditum est Hospitale Fratrum & Sororum, qui communem ibi agerent vitam, & coram ægrotis divina Officia celebrarent. *Capellani & Clerici Horas & Missas in ipso Hospitali coram infirmis cantabunt.* Anno 1246. Legatus Pontificius Bellovacense iisdem institutis astrinxit, quibus Ambianense Xenodochium.

Anno 1204. extructum est Romæ ab Innocentio III. Papa Hospitale sanctæ Mariæ *in Saxia*, constituto ibi Ordine Regulari Hospitalis Mon-Pessulani, cui nomen à Spiritu sancto. *Statuentes ut Regularis Ordo, qui secundum Deum & institutionem fratrum Hospitalis sancti Spiritûs in eodem loco per nos institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.* Ex his Monachis Pontifex quatuor saltem vult sacris clarere Ordinibus, ut Officiis divinis & administrationi Sacramentorum præsint. *Quatuor ad minus sint Clerici, regulam ejusdem Hospitalis professi, qui divinis vacent Officiis, & intendant Ecclesiasticis Sacramentis.* Bullar. to. 1. p. 73. 150. Ita consociavit hæc duo Pontifex Hospitalia, ut unum in corpus coalescerent, quod ab uno magno Magistro regeretur, qui Romæ eligeretur, si præcessor ejus diem suum ultra montes obiret: apud Montem-Pessulanum autem, si cis montes. Hanc Societatem scidit Honorius IV. at Nicolaus IV. ratam habuit subjectionem spontaneam, qua professi sunt anno 1291. Administratores Mon-Pessulani Hospitalis se Romanis Rectoribus posthac obtemperaturos.

Utque in Gallias nostras me referam, idem Innocentius III. anno 1209. Cadomense confirmavit Hospitale, quod regebatur à Cœnobitis Ordinis sancti Augustini. *Religiosam vitam eligentibus, &c.* Innoc. III. *Ut Ordo Canonicus qui secundum Deum & Regulam B.* Regest. 13. *Augustini in eodem loco institutus esse dignoscitur, ibi-* Epist. 52. *dem perpetuis temporibus observetur.*

Joannes Gersonius concionem habens coram Rege Carolo VI. contestatus aliquando est, in Hospitali Parisiensi esse Fratres, Sorores & ægrotos non pauciores, quàm quingentos sexcentosve, qui nisi Regiæ munificentiæ subsidio sublevarentur aliquo, jam non haberent quò se verterent: porro Presbyteros ibi Fratresque singulari pietate recitandis vacare divinis Officiis, Sorores autem partim activæ vitæ laboribus, partim contemplativæ deliciis vacare. *Omitto loqui de Fratribus, Presbyteris & aliis qui* Gerso To. 4. *tam diligenter faciunt divinum Servitium, non vacando* pag. 954. *principaliter alteri rei. Sorores sunt deditæ post vitam activam vitæ contemplativæ.*

Satis hæc superque ad illud quod primum adgressi eramus illustrandum, in antiquis scilicet Xenodochiis, cujuscumque demum generis essent, vitam regularem communemque viguisse; Horas ca-

nonicas vel decantatas fuisse, vel recitatas: Monasticam denique floruisse professionem. Quod de iis utique capiendum, quæ paulò numerosiora erant, suprà edocuit Alexander III. Itaque minùs credibile est, canonica Officia celebrata fuisse in omnibus Galliæ Leprosorum ædibus, quo tempore ad duo millia excreverant sub Ludovico VIII. patre sancti Ludovici, ut ex ejus testamento liquet. In testamento sancti Ludovici Regis non memorantur Leprosariæ nisi octingentæ.

*Du Chesne To. 5. pag. 325. 438.*

Nec tamen prætereundus nobis est Jacobus de Vitriaco Cardinalis, qui Regularem Professionem & Psalmodiam canonicam divini Officii in omnia Occidentis, sive Leprosorum, sive aliorum quorumcumque Hospitalia disseminat. *Sunt insuper alia, tam virorum, quàm mulierum sæculo renuntiantium & regulariter in domibus leprosorum, vel Hospitalibus pauperum viventium, absque æstimatione & numero certo in omnibus Occidentis regionibus Congregationes, pauperibus & infirmis humiliter & devotè ministrantes. Vivunt autem secundùm sancti Augustini Regulam, absque proprio & in communi, sub unius Majoris obedientia, & habitu Regulari suscepto perpetuam Domino promittunt continentiam, Horas Canonicas quantùm hospitalitatis studium & pauperum Christi ministerium permittunt, diebus & noctibus audire non omittunt.* Subdit verò Jacobus Cœnobia ferè hæc omnia pristino vigore excidisse, nec aditum ferè in ea ulli patere, nisi per simoniam. *Omnes ferè per simoniam recipiunt.* Quæ cùm ita habeant, non erit posthac quod miremur, si Collegia hæc jam dissipata sint propemodum omnia, temporalibus ipsis rebus eorum plerumque etiam prædæ datis profanæ sacrilegæque Laïcorum avaritiæ & rapacitati.

*Hist. Occid. c. 29.*

IV. Jam diximus ejusdem ferè formæ fuisse Xenodochia Orientalia, si de iis censendum sit ex eo quod Alexis Imperator magnificentia verè Regia excitavit. Omnis generis, ætatis, sexûs, quin & milites membris truncati admittebantur, ut pauperum numerus ad decem millia excresceret. Sed & hinc numerosus Clerus, inde Monasterium aderat populosum. *Clerus ascriptus magnus & multus, numerosissimumque insignium virorum Collegium, ritu legitimo Deo ministrantium, &c. Cantorum & Cantatricum cœtus perpetui. &c. Magna adhibita providentia ne Diaconissis deesset aliquid.*

*Baron. an. 1054. n. 57.*

A Constantino Monomacho Xenodochium constructum & Monasterio consociatum, ubi omnis ætatis generisque pauperes alerentur, author est Curopalates. *Monasterium & in ipso constructa Hospitia ad alendos senes, hospites & mendicos, laude digna sunt.* Narrat etiam Vuillelmus Tyrius fuisse Hierosolymis Xenodochium, adjuncto sibi Monasterio, antequam Latini eò victricia inferrent arma, idque fuisse sub potestate Abbatis Monasterii Monachorum Latinorum, sub nomine & auspiciis sancti Joannis Eleemosynarii Patriarchæ Alexandrini. *Xenodochium in honore B. Joannis Eleemosynarii Alexandrini Patriarchæ, ad curam Abbatis Monasterii respiciens.* Nec paucis, nec indoctis visum est, ab hoc Xenodochio sancti Joannis Eleemosynarii originem nomenque traxisse Equites Hospitalarios S. Joannis Hierosolymitani.

*Vuill. Tyr. L. 1. c. 10. L. 17. c. 3.*

V. Ad alteram nunc accedo capitis hujus partem, subjecta nimirum Episcopali authoritati semper fuisse Xenodochia. Ita apertè textus ipse Decretalium: *De Xenodochiis & aliis similibus locis per sollicitudinem Episcoporum, in quorum Diœcesi existunt, ad easdem utilitates, quibus constituta sunt, ordinentur.*

*C. De Xenodoc. Extra. de religiosis domibus.*

Idem habet & Urbanus IV. qui gente Gallus erat. *Si locus ad hospitalitatis usum & pauperum provisionem fuerit, sicut moris est, authoritate Pontificis destinatus, cùm sit religiosus, non debet mundanis usibus deputari.* Quidquid porro ad prioris in hoc capite partis confirmationem coacervatum à nobis est, id omne huc etiam referri potest. Nec enim ab aliis, quàm ab Episcopis excitari potuere vel Capitula, vel sacra Collegia, vel Monasteria in his locis hospitalitati sacris. Unde & Durandus Mimatensis Episcopus Clementi V. & Concilio Viennensi suggerebat restauranda esse diversissima illa Xenodochia, quibus nomen accersebatur ab hospitibus, ab ægrotis, à pauperibus, ab orphanis, à viduis, à senibus; & ab Episcopis maximè restauranda esse. *Dissipata reformentur; & ubi non fuerint, de novo Episcopali providentia constituantur.* Scitè Gurmierius. Xenodochium non interposita Episcopi authoritate fundatum, profanum fore declaravit, nec locorum sacrorum privilegiis uti posse.

*C. Ad hæc. Ibidem.*

*Par. 3 Tit. 39.*

*In Propo. an. Tit. De tabula pendente in Clem.*

VI. Non quòd possint Beneficii loco obtineri à Clericis Xenodochia. Conceptis enim verbis Clemens V. pronuntiavit, ea nec Pontificum nec Legatorum mandatis comprehendi, ut de Beneficio quopiam egentibus Clericis provideatur. Vetuit quin etiam nomine Viennensis Concilii idem Pontifex, ne Hospitalia unquam ulla Clericis sæcularibus in Beneficii titulum concederentur; consuetudinem, si quæ ejusmodi usquam vigeret, damnavit, nisi si fundator ita sanxisset. *Nullus ex ipsis locis, sæcularibus Clericis in Beneficium conferatur, etiamsi de consuetudine, quam reprobamus penitus, hoc fuerit observatum, nisi in illorum fundatione secus constitutum fuerit.*

*C. Perlectum De Præbendis Clem.*

*C. Quia contingit. De Relig. domibus in Clem.*

Non quòd etiam non possint à Laïcis administrari Hospitalia. Quin ex adverso Clementina eadem constitutio Laïcos appellat Administratores; unumque id magnopere efflagitat, ut probitatis & experientiæ spectatæ sint. Quanquam per eam liceat, etiam Clericis eas demandare administrationes. Sed Episcopos Clemens summos Hospitalium Administratores fatetur esse, cum eos jubet omni ope & authoritatis suæ pondere conniti, ut in integrum restituantur, si Collatores & Provisores ignaviùs in id incumbant. Denique hoc eodem Clementis Decreto Superiores omnes Hospitalium, sive penes Ordines Militares ea sint, sive penes Regularia Cœnobia, invitantur in eam curam, ut hospitalitas ibi eâ charitatis abundantiâ exerceatur, qua par est.

Concilium Parisiense anni 1346. præcepit ut *antiquæ Constitutiones & novæ canonicæ, tam in antiquis Decretalibus, quàm in Clementinis*, religiosissimè observarentur. Ad ea ergo usque tempora per Gallias Episcopali jurisdictioni subjecta fuerant Hospitalia. Concilium Arelatense anni 1260. ægrè ferens à Clericis Laïcisque indiscriminatim extorqueri, seu brevis Pontificum seu Regum diplomata, ut administrationes Hospitalium eis crederentur, quorum mox reditus in usus privatos verterent: statuit ut deinceps illa administrarentur à Regularibus Conventibus, religiosam & communem vitam degentibus, qui victu & vestitu contenti, reliquum in alimenta pauperum impenderent, & annuas rationes Episcopo referrent. *Aliquo Religionis habitu assumpto, vitam agant communem, & annis singulis rationem de omnibus reddant.*

*Can. 9.*

*Can. 13.*

VII. In Concilio Coloniensi anni 1536. ita habetur; antiquas leges Canonesque sanxisse, ut Diversoria pauperum omnis ætatis, sexûs, sortisque

diversa construerentur, in ejusque rei executionem impigri ac pervigiles instarent Episcopi, cùm & Evangelicæ litteræ & Epistolæ Paulinæ totam pau-
*Part. 1. c. 1.* perum curam in Episcopos refundant. *Curæ nostræ imminebit, ut ejusmodi loca, ubi constituta sunt, sarta tecta teneantur. ubi verò dissipata sunt, instaurentur, reformenturque: denique ubi necdum constituta sunt, Episcopali nostra providentia ædificentur. Pauperum enim curam nobis Christus præcipuam esse voluit, & horum toties meminit divinissimus Paulus Apostolus.* Nec
*Can. 5.* minùs cordi fuit huic Concilio, ut ne in Xenodochia admitterentur qui valent viribus, quàm ut ne ostiatim mendicare sinerentur. Nequedum erant, ut opinor, ædes illæ, posteriùs à charitate nomen sortitæ, ubi valentes includuntur & aluntur; qui possunt etiam, levi artificiolo laborant; ceterè omnes mendicare prohibentur.

*Sess. 7. c. 15.* Concilium Tridentinum Episcopos invigilare jussit in administratores Hospitalium omnes, innovato Concilii Viennensis Decreto *Quia contigit.* Id quo-
*Sess. 22. c. 9* que constituit, ut sive Laïci, sive Clerici Xenodochiorum Administratores quotannis rationes referrent ad Episcopum, nisi in fundatione ipsa aliter cautum esset; si verò consuetudine, vel privilegio, vel statuto quopiam rationes cum alio quopiam fierent, interponeretur tamen semper Episcopi au-
*Sess. 25. c. 8.* thoritas. Episcoporum denique potestati permisit, ut revocarent quàm consultissimè possent, ad pauperum utilitatem fundos redituśque locorum, ubi hospitalitas exerceri desiisset, si modò ea ad Regulares non pertinerent. Addidit denique, ut ne cuiquam posthac hæ Hospitalium administrationes, nisi ad triennium committantur, nisi secus in fundatione convenisset.

*Con. Med. I. Part 3. c. 2.* Conciliorum Mediolanensium placitis hæc congerendis supersedeo. In Melodunensi Episcoporum Galliæ Conventu anno 1579. innovatum est Decretum Concilii Viennensis, ut operam dent Episcopi ne Hospitalium reditus ad alios detorqueantur usus; ut rationes referantur ad Episcopum; idem
*Tit. de Hosp.* quippe decrevisse Tridentinam Synodum de Fabricis Ecclesiarum; denique prohibitum est, ne ad hæc pauperum stipendia admittantur, quibus satis victum est ad vitam opere manuum tolerandam.

Anno 1581. Concilii Rotomagensis Præsules infœlicitati temporum suorum illachrymati sunt, quibus extorta fuisset Episcopis providentia, cura & potestas primùm quidem Fabricarum, inde & Hospitalium; ut ea in laïcos transferretur, dissipatores
*Tit. de Episc Offic n. 30.* potiùs quàm dispensatores. *Sicut Fabricarum Ecclesiasticarum regimen Episcopis primum fuit ablatum, & ad laicos translatum: ita posterius portio pauperum in leprosarias & Hospitalia diversi generis divisa, de manibus Episcoporum & aliorum Clericorum ad laïcorum administrationem transiit. Sed quanto Ecclesiarum & pauperum bono utraque commutatio contigerit, res ipsa loquitur. A plerisque enim laïcorum dilapidantur possessiones.* Verè enim ut hic insinuatur, cùm ab exordio res Ecclesiarum omnes ab Episcopis & ab Oeconomis utique Clericis dispensarentur: earum illæ portiones duæ, quæ vel reparandis Ecclesiis, vel alendis pauperibus addictæ erant, in Episcoporum & Oeconomorum plenissima potestate erant, & in ea re accuranda nullæ unquam prorsus erant Laïcorum partes. Hortatur nihilominus hæc Synodus Administratores laïcos, ut munere suo probè fungantur, restituant, si quid in utilitates suas derivarint: optat ut hæ administrationes posthac & triennales sint, & rationibus referendis obnoxiæ; deni-

que ut Pontifex Episcopos designet, qui meliorem in formam restituant Hospitalia, ubi Monachi aut Moniales omnia regunt, at ubi ne Regula quidem ipsi sua ac statutis reguntur.

In Concilio Burdigalensi anni 1583. sicut & in *Can. 28.* Bituricensi anni 1584. decreta penè omnia admissa sunt Concilii Tridentini. Utroque jussi sunt ab Hospitalibus ejici, quibus integræ sunt vires ad opus & artificium aliquod. Idem decrevit & Narbonen- *Cap. 38.* se anni 1609. Tolosanum anni 1590. Tridentinis Decretis nonnulla accumulavit ex Mediolanensibus; præmissa publicatione Decreti Concilii Tridentini, quo visitationi Episcopi, ut Apostolicæ sedis De- *Sess. 22. c. 8.* legati, subjiciuntur Hospitalia omnia, quæ sub immediata non sunt Regum protectione.

Non adnotatus est à Bochello annus Synodi Ebroicensis, quæ meritò exsecrata dilapidationem Hospitalium & Fabricarum, quarum Administratio Edictis Regum laïcis mandabatur: Parochos jubet excommunicatos *ipso facto* declarare Administratores *Bochel. Decret. Eccl.* omnes tum Xenodochiorum, tum Fabricarum, *Gall. p. 516.* qui vel alienant, vel aliò detorquent ea, quæ in alimenta pauperum oblata Deo fuerunt; admonere etiam quàm stricto jure restituere teneantur, tum ipsi, tum ipsorum hæredes: denique prohibere Presbyteris, qui audiendis Confessionibus præficiuntur, ne quos nisi ea lege absolvant.

VIII. Mandavit Franciscus I. Galliæ Rex anno *Ibid. p. 880.* 1543. Judicibus Magistratibusque Regiis, ut de Xenodochiorum reditibus inquirerent, & ubi officio suo deessent Administratores, alios ut sufficerent, quos Magnus Eleemosynarius confirmaret investiretque. Anno 1544. Hospitalia & Nosocomia immunitate donavit à Decimarum & doni gratuiti exactionibus, dum ne in Titulum Beneficii assurrexissent. Anno 1545. Administratores jussit Chartas fundationum in manus deponere Judicum Regiorum, à quibus exauthorarentur ii, qui res pauperum intervertissent. Cardinales, Episcopi, & Nobiles plurimi intercesserunt, ne more solito in Regesta Parlamenti reciperentur ea Edicta, quibus Hospitalia & Nosocomia eximebantur Episcoporum potestati, & jurisdictioni subdebantur Regiorum Judicum. Senatus Regius intercessioni non cessit, copiam tamen fecit Episcopis mittendi aliquos suo nomine, qui præsentes adessent cùm Judicibus Regiis rationes redderentur: quanquam nulla freti potestate vetandi quidquam. Ejusdem Francisci Edicto anni 1536. jussi sunt mendicantes validi manibus sibi victum quærere, & ad id pœnis etiam inflictis cogi; invalidi autem per Xenodochia spargi. Anno 1553. Henricus II. novo Edicto Edicta illa omnia confirmavit. Franciscus II. anno 1560. & 1561. non confirmavit tantùm patria avitaque Edicta, quæ Beneficiarios ipsos & Titulares Hospitalium contentos esse jubebant certo & tenui reditu, à Judicibus Regiis designando, ut reliqua cederent in alimenta pauperum: sed & hanc pecuniæ summam ultra centum quadraginta libras crescere vetuit: denique Regulares etiam Monialesque eidem subjecit legi, ut de certa pecunia victitarent ab Administratoribus recipienda, ut haberent quo ali, vestirique possent. Hæc omnia seu Edicta Regum, sive Senatusconsulta inniti jactabantur supra laudato Viennensis Concilii Decreto. At eò quidem planum est agi de Administratoribus laïcis in Hospitalibus; verùm de iis ab Episcopali ad laïcam transferendis jurisdictionem ne verbum quidem fit ullum. Edictum Molinense anni 1566. su- *Art. 73.*

periorum Edictorum executionem inculcavit, præcepitque prætetea, ut urbes singulæ singulaque oppida suos alerent pauperes, publicique Magistratus authoritate sua frangerent immorigeros, nec quenquam finerent usquam vagari ad mendicandum.

*Num. 63.* Edictum Blesense anni 1579. novum robur addidit superioribus, & ab administratione rerum fundorumque ad Hospitalia pertinentium, Nobiles, *Memoires du Clergé. To 3. Tit. 4 Edit. dern. Art. 42.* Clericosque submovit omnes, solis ad id muneris admissis civibus, cæterisque negotiationi, vel agriculturæ deditis. Denique anni 1629. Edictum illud instauratum, ut pauperes validi ad opera manuum ablegarentur, invalidi intra Xenodochiorum alerentur septa.

*L. 4. c. 3.* Meminit Giossanus Ptochotrophii à sancto Carolo excitati, ubi & inclusit & aluit pauperes omnes invalidos, nec corpori tantùm, sed & animæ subsidia necessaria subministravit; prætetquam quòd urbes Ecclesiasque permolesta & sæpè tumultuosa mendicantium turba exoneravit.

IX. Pia fuere Regum consilia in his promulgandis Edictis: nec eò illi collimarunt, ut Ecclesiasticam jurisdictionem immuturum aut debilitatum irent, sed ut supplerent Episcoporum negligentiæ, & Administratorum complurium rapacitati occurrerent. Itaque his potiùs indolescere debemus caussis infractæ jurisdictionis sacræ, quàm ipsi jacturæ jurisdictionis. Concilium Tridentinum nihil obstrepuit Aministratoribus laicis, adeoque nec eatenus his Edictis: at priscæ jurisdictioni toti, aut penè toti Episcopos restituit, facta eis potestate & visitandi Xenodochia quælibet, & rationes ab Administratoribus exigendi. Nec desperandum est fore, ut & huic se usui aliquando jurisprudentia Gallicana accommodet. Si Concilium autem nulla impartiat Episcopos potestate in ea Xenodochia, quæ possunt privati construere, nulla interposita Episcoporum authoritate, & quæ proinde non sacra, sed profana sunt loca; ex alia tamen parte exerunt Episcopi & in hæc quoque potestatem, vi ejusdem *Fagnan. In L. 3. Decr. part 2. pag. 201. &c. 206. &c.* Concilii Tridentini. Etenim satis excedente fundatore, Episcoporum juris officiique est, ut exsomnes excubent pro celeri & fida executione piæ ejus voluntatis; ut Executorum Testamentariorum negligentiam plectant, succedantque ipsi in exequendi facultatem; denique juxta Concilium anno quolibet Administratores cogere possunt, ot rationes *Sess 22. c. 9.* sibi referant, nisi si qua adversa à Fundatore clausula sit apposita.

## De Basilicis, Martyriis & Oratoriis, quæ sunt in Castellis & Magnatum domibus.

## CAPUT XCII. *P. 1. l. 3. c. 55.*

### De Basilicis, Martyriis, & Oratoriis, quæ in Castellis fuerunt, & Magnatum domibus per prima Ecclesiæ sæcula.

*I. Beneficiorum genera quinque, ab eo distincta loco, cui addicti sunt Beneficiarii.*
*II. Quid Romæ Custos Confessionis, aut Sepulcri Martyrum.*
*III. De Capellis, seu memoriis Martyrum in Oriente & Occidente.*
*IV. Horum curam agebant sæpe Presbyteri, immo & ipsi nonnunquam Monachi.*
*V. Probatur ex Concilio Calchedonensi.*
*VI. Cujus decreto subjiciuntur Episcopis.*
*VII. Erant & in Capellis & in vicis Ecclesiæ.*
*VIII. Eò frequentes conveniebant.*
*IX. Divites hortabatur Chrysostomus, ut in villis extruerent Ecclesias, & Presbyteros haberent.*
*X. Ibi celebrabantur Mysteria, & Officium concinebatur.*
*XI. Unum & idem erant Cœmeteria & Memoriæ Martyrum.*
*XII. Pia multorum ambitio, ut in Memoriis Martyrum sepelirentur. Quod Augustino ipsi probatum.*
*XIII. Quanta fuerit ex Hieronymo in Memorias Martyrum reverentia.*
*XIV. Constantini Imperatoris, cùm ad bellicas expeditiones proficisceretur, Oratorium portatile.*
*XV. Solitariis sanctissimis dicata etiam Oratoria, ut Pœnitentia Martyribus.*
*XVI. Idque ab ipsis usque Antonii temporibus.*

I. Concilium Calchedonense Beneficiorum statuit genera quinque, quorum distinctio ex iis petitur Ecclesiis, quibus Ordinatione sua Beneficiarii affigerentur. Vetat quippe *ne quisquam* *Can. 6.* *ordinetur, nisi in Ecclesia Civitatis, aut Pagi, aut in Martyrio, aut in Monasterio.* Paulò pòst verò Episcopo subjiciuntur *Clerici Monasteriorum & Ptocho-* *Can. 8.* *dochiorum.* Ubi habes loca diversa quinque, unde & totidem emergunt genera Beneficiorum. Cùm antè diceretur de Parochiis, dictum est & de Parochiis urbium atque vicorum. Cùm verò de Xenodochiis, dictum est & de Clericis, quibus eorum cura & administratio commissa erat. Agetur paulò pòst de Monasteriis, & de Presbyteris Diaconisque, quibus eorum mandabatur tuitio. Restat ergo nobis hoc solum, ut eorum qui præficiebantur Memoriis Martyrum, Officia, & ipsam Martyriorum naturam originemque investigemus. Quo & perducemur ad tractandum etiam de Oratoriis, quæ ruri in villis sunt, & in privatis domiciliis Magnatum.

II. In Concilio Romano sub Sylvestro I. Papa, cujus compendiaria Acta publici juris facta sunt, non tamen fidei usquequaque inconcussæ, quanquam, nongentos antè annos citata sint: in eo, inquam, Concilio actum est de Custodibus Confessionis, seu Tumuli Martyrum; eorumque dignitas etiam supra Subdiaconos evehitur. *Si quis desiderat in Ecclesia militare, aut proficere, sit priùs Ostiarius, Lector, Exorcista per tempora, quæ Episcopus constituerit. Deinde Acolythus annis quinque, Subdiaconus annis quinque, Custos Martyrum annis quinque, Diaconus annis quinque, Presbyter annis tribus.* Hæc interstitiorum regula, utpote magnopere dissentiens ab iis, quæ suprà ex Siricio aliisque ejus sæculi Pontificibus deprompta sunt, meritò suspecta est, fidemque elevat & Canonis, & Concilii. Sed cùm hoc Decretum sit omnino vetustissimum, totidemque verbis referatur in vita Sylvestri apud Anastasium Bibliothecarium, seu in Libro Pontificali: illud semper verisimillimum est, magno honore & pretio habitum fuisse Beneficium Custodis Tumuli Martyrum. Ex eodem porro Pontificali Libro, Leo I. Papa, *Super sepulcra Apostolorum ex Clero Romano Custodes constituit, qui dicuntur Cubicularii.*

III. Ejicit communione & cœtu fidelium Gan- *Can. 20.* grensis Synodus eos, qui aversantur & contemptui habent Sepulcra Martyrum, & quæ ad ea fieri solent, seu synaxes, seu sacrificia. *συνάξεις, λειτουργίας, μνήμας.* Istud certè Oratorium est ejusmodi, quod pro Beneficio habeas. Sed non prorsus constat, fuisse Presbyteros, aut Clericos alios, ibidem defixos ad divinæ psalmodiæ Officium defungendum. Potuit eò delegare Episcopus, quos sibi collibitum esset. Jussit Concilium Carthaginense V. dejici &

complanari ab Episcopis altaria omnia, & Monu-
Can. 14. menta Martyrum, *Altaria, quæ passim per agros, aut vias, tanquam Memoriæ Martyrum constituuntur: nisi documenta certa sint*, aut sacrorum Martyris cinerum; aut cruentati ejus sanguine & cruciatibus loci. Id tantò magis adduxerit nos, ut nullos speciales arguremur fuisse Clericos, qui his monumentis colendis addicerentur, & qui titulum inde
Epist. 9. Beneficii consequi possent. Damnat etiam Gelasius Papa hæc Pseudo Martyrum Oratoria.

Con. Calch. Act. 1. IV. Sed ex Calchedonensi Concilio id manifestissimè colligitur, in Oriente saltem fuisse Presbyteros, aliosque Clericos venerandis Martyrum Memoriis addictos. Lecta sunt in Calchedonensi Acta Concilii Constantinopolitani sub Flaviano Patriarcha priùs habiti: ubi persæpè memoratur Abramius istiusmodi custos Monumenti, seu Memoriæ alicujus
Act. 4. in Suburbio Constantinopolitano; *Presbyter Martyrii, quod est in septimo.* At in ejusdem Synodi loco alio complouscula id genus accumulantur Beneficiorum nomina. *Elpidius Monumentorum Procepiensium custos est*, μνημοφύλαξ τῶν μαρτυρίων. *Eutychius in Martyrio Celerina est. Theodorus in Memoriis habitat*, μνημείοις ἔσω. *Hypses in monumentis habitat, habens duo vel tria nomina in Xylocirco*; μνημείοις ἔχων δύο ἢ τρία ὀνόματα. *Paulus habitat solitariè in monumento*: μόνος ἔσω εἰς μνημεῖον. *Gaudentius habet quinque nomina in monumentis.* Hi certè Monachi erant, sed erant & Presbyteri, & curam gerebant salutis animarum: eò enim pertinent illa verba *duo nomina, quinque nomina.* Ita ne ambigi quidem potest, quin Beneficiarii fuerint. Unum ab Archimandritis flagitatum est, ne Monachi hi, qui soli degebant, & qui ad Martyrum Memorias sacra fungebantur psalmodia, Abbatis, vel Archimandritæ nomine sese venditarent. *Ut non se dicant Archimandritas, qui in monumentis habitant.*

V. Si qua superest usquam dubitationis nubecu-
Can. 6. la, eam ejusdem Concilii Canones diluent. Vetant enim Calchedonenses Patres ordinari Presbyterum, Diaconum, seu Clericum quemcumque, nisi addicatur ministerio Ecclesiæ alicujus, sive in civitate, sive in vico, sive in Capella Martyrum, sive in Monasterio. ἢ μὴ ἰδικῶς ἐν ἐκκλησίᾳ πόλεως, ἢ κώμης, ἢ μαρτυρίῳ, ἢ μοναστηρίῳ. Erant ergo Presbyteri, Diaconique, & alii Clerici, qui ordinarentur, addicerenturque non urbium dumtaxat & vicorum Ecclesiis, sed & Oratoriis in memoriam Martyrum dicatis, atque in Monasteriis; omnesque promiscuè & residere tenebantur & ministrare in his Ecclesiis, quibus fuerant ipsa sua ordinatione mancipati.

Can. 8. VI. Hoc eodem Concilio subjiciuntur Episcopi potestati Clerici omnes, quibus cura Prochotrophiorum & Monasteriorum mandata est. οἱ κληρικοὶ τῶν πτω-
Can. 10. χείων, καὶ τῶν μοναστηρίων. Denique prohibetur alio ejusdem Concilii Canone, ne Clerici ab una Ecclesia in aliam translati, attingere jam, aut vel delibare aliquid possint de prioris Ecclesiæ rebus aut reditibus, sive Martyriorum, sive Xenodochiorum quæ illis subjiciuntur. Duplicis hîc sunt generis diversoria: alia scilicet pauperum, alia hospitum. πτωχείων. ἢ ξενοδοχείων.

VII. In Hispania similiter Concilium Toletanum I. Presbyteros vituperat, Diaconosque ac Subdiaconos, reliquosque Clericos, qui non affuerint divinis Officiis, quæ celebrantur in Ecclesia urbis, castelli, vici, villæ; si in eo tunc loco sint, aut
Can. 5. non procul absint: *In loco in quo est Ecclesia, aut castello, aut vico, aut villa.*

VIII. Castella verò, ubi permittuntur hic celebrari Mysteria, à populo utique frequentabantur, cùm Concilio Laodiceno prohibitum sit ea celebrari in privatis domibus. *Quod non oportet in domi-* Can. 58.
*bus oblationes celebrari ab Episcopis vel Presbyteris.* Utcumque tamen responderi posset Canonem Laodicenum de domibus intelligendum, quæ in urbe sunt, ubi sunt & Ecclesiæ: non de iis quæ ruri, ubi nullæ Ecclesiæ perdiu fuere.

IX. Nobiles enim divitesque omnes Chrysostomus quibus maximè potuit eloquentiæ viribus stimulisque excitavit, ut Ecclesias seu Capellas ruri in domibus suis extruerent, Presbyterumque & Diaconum, sive alios haberent Clericos, qui Dominicis diebus incruentum ibi Deo offerrent sacrificium, matutina vespertinaque celebrarent Officia, mensæ benedicerent, pueros domesticosque omnes pietatis rudimentis imbuerent, denique ut frequenti oratione cælestium benedictionum rorem provocarent. Nec hortamenta hæc tantùm erant Chrysostomi, sed præcepta: nec sinebat quemquam prætexere, ne id faceret, Ecclesiæ alicujus propinquitatem; denique in hæc religionis monumenta piè existimabat impendi ea, quæ alioqui in pauperes erogarentur. *Oro ac supplico, & gratiam peto, imò & legem* In Acta
*pono, ut nullus qui habet villam, appareat carere Ec-* Hom. 18.
*clesia. Ne mihi dixeris, propè est, in vicinia est, magnus est sumptus, non magnum commodum: si quid habes insumendum in pauperes, illuc insume. Melius illuc, quàm ibi. Educa Magistrum, educa Diaconum & Sacerdotalem Ordinem, &c. Venerabilis erit & Presbyter postea, & ad securitatem agri conducet. Preces illic perpetuæ propter te, laudes & synaxes propter te; oblatio per singulos dies Dominicos. Quale est matutinis vespertinisque Hymnis præsentem esse, & simul prandentem Sacerdotem videre, &c. An parum est in sanctis oblationibus nomen tuum referri, & quotidie pro villa preces ad Deum fieri?* Postremò denique ut tergiversationes omnes sepiat, instat Chrysostomus, ut duo saltem vel tres communi sumptu ædiculam hujusmodi sacram extruant dotentque in villis suis: *Et si quidem tres fuerint domini, in commune conferant: si autem unus, & aliis vicinus suadeat.*

X. Facilè intelligis, ex hoc sive consilio sanctissimi Patris, sive præcepto ortum duxisse complura ruri sacella, Oratoria, Ecclesias, denique Beneficia. Quanquam enim non offerretur ibi nisi diebus Dominicis, diebus tamen singulis cælestia ibi Cantica personabant, vespere saltem & mane, quibus & fideles intererant. De istiusmodi Ecclesiis intelligi possunt suprà laudati, sive Toletani Canones, sive Calchedonenses.

XI. Docet nos alibi idem Chrysostomus, unum idemque fuisse Capellas Martyrum & Cœmeteria. Recondebantur enim ibi corpora Martyrum, somnumque illum justitiæ dormiebant, ex quo in æternam vitam aliquando expergiscerentur. Id sonat vox κοιμητήριον. Adde quod & fideles ipsi percuperent ambirentque complures, ut & sibi obtingeret juxta sacra Martyrum pignora tumulari; ut unà quiescerent, unà plurimis suffragiis & Martyrum & fidelium adjuti, in beatam aliquando vitam revocarentur. *Cujus rei gratia in hoc martyrio congre-* To. 5. serm.
*gamur? Quia hic mortuorum multitudo sita est. Ob id* 32. p. 482.
*etiam ipse locus Cœmeterium appellatur, ut discas mortuos qui hic siti sunt, non mortuos esse, sed somno consopitos esse, & dormire.*

Author est Socrates Alexandrinos fideles com- L. 2. c. 23.
munionem Gregorii Ariani Episcopi sectantes,

synaaes suas & preces in Cœmeterio peregisse.

XII. Scripsit Augustinus ea de re luculentissimum Tractatum, quem & inscripsit *De cura pro mortuis gerenda*: ubi & vehementer probat piam illorum sedulitatem, qui in *Basilicis Martyrum* tumulos sibi aucupabantur; quòd dubio procul coosortes funiri essent participesqoe *precum & sacrificiorum*, quæ ibi fiunt generatim pro defunctis omnibus. Idem alibi Cœmeteria vocat Memorias seu Oratoria Martyrum.

*Cap. 4. 5.* *Epist. 61.*

XIII. Agit & Hieronymus de *Basilicis Martyrum*, & de sacrificiis quæ ibi pro universo terrarum orbe offerebantur. Ita enim ille concerpit Vigilantium, qui adversùs piam hanc Ecclesiæ consuetudinem pari atque olim Eunomius impudentia destomachatus fuerat. *Malè facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli, secundùm nos ossa veneranda, secundùm te vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria? Et non solùm unius urbis, sed totius orbis errant Episcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur Basilicas mortuorum.* Ea veneratione has Basilicas Martyrum prosequebantur pii quique, ut de seipso testatum faciat Hieronymus, ne subire quidem in eas tum se audere, cum vel tenui labecula conscientiam suam maculatam sentiebat: *Quando iratus fuero, & aliquid mali in animo meo cogitavero, & me nocturnum phantasma deluserit, Basilicas Martyrum intrare non audeo. Ita totus & corpore & animo perhorresco.* Itaqoe licèt Optatus libro tertio significet cœptum esse, ut aliqui in his Basilicis sepelirentur: *Cùm aliqui in Basilicis sepeliri cœpissent*: libro tamen sexto insinuare videtur juxta Martyrum Basilicas fuisse Cœmeteria humandis fidelium corporibus sacra. Objurgat enim Donatistas, quòd eo consilio Basilicas usurpatiot, ut Cœmeteria sibi vendicarent omnia. *Ad hoc Basilicas invadere voluistis, ut vobis solis cimiteria vindicetis, non permittentes sepeliri corpora Catholica.* Eo ut religiosa multos verecundia deterreret, ne in Basilicis Martyrum tumularentur.

*Adv. Vigil.*

XIV. Nec sine piaculo præteriti posset Constantini Imperatoris Oratorium portatile: cùm bene multi in eo Clerici sacram celebrarent psalmodiam, & Principem bellicis expeditionibus huc illucque abreptum semper comitarentur. De eo Eusebius, Socrates, Sozomenus & Theodoretus non aliter, quàm ut de trophæo clarissimo scripsere, quo Ecclesiæ Christianæ gloria debellatis hostibus suis toto orbe resplendesceret.

*Socrat. l. 1. c. 14.*

XV. Sed est & aliud Oratoriorum genus pene mirabilius. Marcianus præ cæteris Eremi luminibus præcipua sanctitatis laude radiabat, teste Theodoreto, unde & multa variis locis Oratoria ναοὺς εὐκτηρίους, illi extruxerunt, ut eò illum allicerent. Ille rem subodoratus, sacramento constrinxit tres è fidissimis comitibus, ut statim atque exhalasset animam, corpus suum terræ mandarent, nec locum indicarent cuicumque. Itaque cùm annis quinquaginta latuerit ejus tumulus, Oratoria quæ desponsa ei fuerant, Apostolis quædam, alia Martyribus dicata sunt, quorum illic importatæ sunt Reliquiæ. Minùs ea animi sententia successit res Maroni, qui & ipse ingens Eremi decus, pias ejusdem modi insidias declinabat. Cùm enim diu decertatum esset inter populorum turmas, corpus ejus statim post mortem invadere gestientes; qui proximos incolebant vicos, illud rapuere, magnificumque ei construxere templum, ναὸν μέγιστον, quò frequentes confluebant, ubi ejus & decantandis laudibus se oblectarent, & recrearentur beneficiis. Jacobus summo in montis vertice latebram nactus, in qua nullo non se virtutum exercitio insignivit. In proximo vico Capella ei ingens extructa est, tumulum ei Theodoretus ipse adornavit. Rei totius tandem certior factus Jacobus, pia vi expressit à Theodoreto ut in eodem montis fastigio sepeliretur. Ergo tumulus eò perlatus est Theodoreti ipsius opera, & ne imbribus geluque corrumperetur, superstructa ædicula est. Jacobus ne id sibi veluti Mausolæum adscriberetur, illoc undiqoe congessit Reliquias Prophetarum, Apostolorum & Martyrum, *cum sanctorum populo habitare cupiens, & cum eis resurgere*: ut ait ibidem Theodoretus. Ex quo denique illud accepimus, Zebinam dum in vivis ageret, incredibilibus corporis macerationibus, post mortem verò plurimis inclaruisse miraculis in Templo magnificè sibi constructo. ναὸς μέγιστος.

*Theodoret. Hist. Relig. c. 3.* *Ibid. c. 16* *Ibid. c. 21.* *Cap. 24.*

XVI. Tradit Hieronymus incompertum fuisse locum B. Antonii sepulturæ, prout ipse caverat ante mortem, ne quod sibi defuncto Martyrium excitaretur. *Ne Pergamus qui in illis locis ditissimus erat, sublato ad villam suam Sancti corpore, Martyrium fabricaret.* Sanctissimis Eremi incolis honores Martyrum dependebantur, quòd & ipsi quoddam pœnitentia martyrium sibi comparassent.

*In vita Hilarion.*

---

## CAPUT. XCIII. *P. 2. l. 1. c. 32.*

### Varii Tituli Beneficiorum, Hospitalia, Oratoria, Capellæ, in Italia & in Oriente. Aliqua obiter de Præpositis, Decanis, & Prioribus, sæculo VI. VII. & VIII.

*I. Unde Tituli vocabulum, juxta sanctum Gregorium.*
*II. Diversa Beneficia, Hospitalium, Monasteriorumque in Oriente diversa genera.*
*III. Diversa Oratoriorum.*
*IV. Hospitalia alia ab Administratoribus, ab ordinatis ad id Clericis alia regebantur.*
*V. Nec offerre nec baptizare licebat in privatis Oratoriis, sine licentia Episcopi, quæ rarò concederetur.*
*VI. De Episcopalis, Imperialisque Palatii Oratoriis. Quæ possint pro Beneficiis Oratoria reputari.*
*VII. VIII. De Oratoriis in Italia, in quibus aut proprii aut missi ab Episcopo Presbyteri, aut Monachi propter nobilium fæminarum Episcoporumve commoditatem ministrarent.*
*IX. Nondum e suo gremio Presbyteros habebant Monasteria omnia.*
*X. XI. XII. Alia Oratoria, quæ simplicia quidem essent Beneficia, verùm ad residentiam obligarent, iis egentioribus Presbyteris negata non esse.*
*XIII. Item alia, quæ in Parochias sunt commutata. Hinc Laicorum jus Patronatus. Quid sit Presbyter Cardinalis.*
*XIV. Varia ex Gregorio de Hospitalibus observationes, Administrata illa esse à Clericis, Presbyteris, Diaconibus & Abbatibus.*
*XV. De Presbyteris iis qui virorum aut fæminarum Monasteriis ordinarentur.*
*XVI. Hospitalium administratio pretio vendi magis non poterat, quàm ipsa Beneficia.*
*XVII. De Monasteriorum Præpositis.*
*XVIII. XIX. Hos nominabat Episcopus; Abbates deinde elegêre.*
*XX. De Prioribus ac Decanis.*

I. Occurrère suprà Titulorum & Beneficiorum genera varia, quæ raptim attingi tantùm potuere. Ea nunc paulò accuratiùs elucidanda nobis sunt, antequam ad Monasteria & Abbatias accedamus; quorum strictissima cum Capitulis & Seminariis societas est. Illud verò universè observandum est, jam tum tempore Gregorii Magni

usitatissimam fuisse *Tituli* vocem, ad ea significanda, seu vela, seu pannos, qui domibus, vel agris appenderentur, fisco Principis, vel Ecclesiæ addictis. Cùm audisset Gregorius Notarii *domum à Defensore irrationabiliter titulatam:* jussit ejus viduæ, *deposito Titulo domum restitui.* Idem ille in Concilio Romano, Minores Clericos, qui cùm Ecclesiæ Patrimonii Rectores essent, *Titulos* passim imprimebant, id si amplius *sua sponte* nulla juris servata forma fecerint, anathemate damnat. *Consuetudo nova in Ecclesia hac & valde reprehensibilis erupit, ut cum Rectores ejus patrimonii urbana, vel rustica prædia, juri illius competere posse suspicantur, fiscali more titulos imprimant: atque hoc quod competere pauperibus æstimant, non judicio, sed manibus defendant.*

L. 1. Ep. 63.

L. 4. Ep. 44.

II. Verùm ad speciales Beneficiorum Titulos gradus jam nobis promovendus, initiumque sumendum ab Ecclesia Græca. Edixit Justinianus, ut iisdem regerentur legibus loca omnia ad Ecclesiam spectantia, & ipsa etiam Xenodochia, quotum plures species, supra à nobis perstrictas in unum congerit. *Unam existimamus oportere legislationem imponere omnibus sanctissimarum Ecclesiarum, Xenodochiorum, Nosocomiorum, Ptochotrophiorum, Monasteriorum, Brephotrophiorum, Gerontocomiorum, & totius sacrati Collegii rebus.* Ubi vides Ecclesias, Abbatias & Xenodochia quinque generum, ad usum hospitum, ægrotorum, pauperum, infantium, senum. Horum mox Beneficiarios recenset: *Nec aliquem Xenodochum, aut Ptochotrophum, aut Nosocomum, aut Orphanotrophum, aut Brephotrophum, aut Gerontocomum, aut Monasterii virorum vel mulierum Abbatem vel Abbatissam.* Quinque suprapositis Xenodochiis hic addit *Orphanotrophium*, sicut & mox addit Monasteriis *Asceteria.* Addit & *Oeconomos*, sicut & sæpiùs alibi, sicut & Sacristas, quos vocat Cimeliarchas, χειμηλιάρχας, quos Presbyteris annumerat. Joannes Patriarcha Alexandrinus, ab eleemosynis nomen & immortalem laudem adeptus, diversoria extruxit hospitibus, ægrotantibus, pauperibus. Septem etiam destinavit ædes pauperculis puerperis, & alendis eorum liberis.

Nov. 7.

Nov. 40.

Baron. an. 610. n. 8.

III. Prohibuit alia Constitutione Justinianus idem, Oratoria domestica omnia, ubi celebrabantur sacrificia mysticæ hostiæ; non permittens ibi posthac nisi privatas preces, ipsam verò Mysteriorum celebrationem solis servari jubens Ecclesiis. *Orationis solius gratia, & nullo celebrando penitus eorum, quæ sacri sunt Mysterii, hoc eis permittimus.* Separata tamen non vetat Oratoria, dum impetrentur ab Episcopo proprio, qui rem divinam ibi faciant: *Invidia enim nulla est, si velint citra hæc habere habitacula quædam, & in eis tanquam in sacris orare, aliis autem omnibus abstinere; nisi tamen in eis voluerint aliquos invitare Clericos, hic quidem sanctissimæ majoris Ecclesiæ, & sub ea sanctissimarum domuum, voluntate ac probatione sanctissimi Archiepiscopi ad hoc deputatos: in Provincia verò Deo amabilium Episcoporum.* Ubi advette nolle Principem, ordinari Presbyteros Clericosque ad domestica hæc Oratoria, sed ex iis qui jam ordinati sunt ad Ecclesias publicas, aliquos delegari, qui sacris ibi operentur.

Nov. 58.

Nov. 131. c. 8.

IV. Et alibi tamen ex ejus Novellis id videtur existere: ut erant in Civitate una plures Ecclesiæ, quarum res & facultates regebat Episcopus, aut per sese ipse, aut per Clericos suos: *Vel per seipsum, vel per venerabilem Clerum:* fuisse & Oratoria, quorum agri reditusque à Clero ipsorum proprio administrarentur. *Siquidem venerabilia esse contigerit Oratoria, cum voluntate majoris partis ibidem divina celebrantium Clericorum, vel Oeconomi.* Statuit denique ut temporales Xenodochiorum facultates à propriis regerentur Administratoribus, qui rationes omnium referrent ad Episcopos, à quibus promoti essent, si laïci; aut ordinati, si Clerici forent, aut Presbyteri. *In præsentia Episcopi, à quo præponuntur, aut ordinantur,* προβάλλονται ἢ χειροτονοῦνται.

Nov. 120. c. 6.

V. In sexta Synodo Generali Constantinopoli habita, sistit se *Anastasius Presbyter & Monachus Oratoriorum venerabilis hujus Patriarchii.* Ea erant, ut suspicor, vel Oratoria, vel Monasteria speciali jure Patriarchæ Constantinopolitano obnoxia. Ex Concilio Trullano patet Justinianæam de supprimendis Oratoriis domesticis Constitutionem, aut usu receptam non fuisse, aut in desuetudinem abiisse. Erant enim vel tunc, quæ quamvis Magnatum ædibus includerentur, suos tamen haberent Presbyteros, qui & mysteria ibi, & annuente Episcopo, etiam baptismum celebrarent. *Clericos qui in Oratoriis, quæ sunt intra domos, sacra faciunt, vel baptizant, hoc illius loci Episcopi sententia facere debere decernimus.* Rariùs Episcopi ejus rei copiam faciebant, cùm infrà hæc Synodus omnino vetet quenquam in his Oratoriis baptismo donari. *In æde Oratoria, quæ est intra domum, baptismus nequaquam peragatur.* Hoc decreto impetebantur Semi-Eutychiani, qui clam in his Oratoriis sacramenta celebrabant. Hinc est quod ex eodem Canone sacraro fonte tingendi parvuli, *ad Catholicas Ecclesias* accedere jubentur. In Concilio Constantinopolitano sub Mena conquesti fuerant Archimandritæ, de his Severianorum schismaticis Conventiculis: *In propriis domibus ac suburbiis altaria erigunt & baptisteria, in oppositum veri altaris, & sancti fontis.* In Novella quadam sua repressit Justinianus audaces istas Hæreticorum molitiones.

Act. 8.

Can. 31.

Can. 59. Justin. Nov. 58.

VI. In Oratorio suo domestico frequentissimè rem divinam faciebat Patriarcha Alexandriæ sanctissimus Joannes Eleemosynarius: *In Oratorio cubiculi sui perfectam fecit Synaxin.* Solus ibi cum Ministro mysteria celebrabat, astante Nobili viro, qui capitales & implacatas cum alio quopiam exercebat inimicitias: quando recitatis, ut mos habebat, ab ipsis tribus Orationis Dominicæ quatuor prioribus petitionibus, obticuit ipse, obticescere jussit & Ministrum, ut quintam solus Nobilis pronunciaret, ansamque præberet Patriarchæ, hortandi incitandique ipsum, ut cum inimico reconciliari vellet: quod & fecit. Denique cupiens Patriarcha cohibere populum, ne ante finem Missæ abscederet, contestatus est, posse se in Oratorio domestico offerre: sed in Ecclesiam ad gregem se suum accedere: *Ego propter vos descendo in sanctam Ecclesiam, nam poteram facere mihimet Missas in Episcopio.*

Cap. 25. 38. 41.

Non poterant certè hæc Oratoria in Beneficiorum numero esse, sicut nec ea quæ privatis in ædibus habebantur, sive preces tantùm suas ibi laïci funderent, sive ex aliarum Ministris Ecclesiarum aliquos eò ablegaret Episcopus, ad sacrificium offerendum. Sed ab Beneficiorum classe expungi non poterant Oratoria de quibus Trullana Synodus, cùm ibi proprii defixi essent ad sacra & Officia divina Presbyteri, Clericique, solaque eis Baptismi celebratio interdiceretur. Vix etiam possunt eo jure fraudari Oratoria in Palatio Regum sita. Perhibet enim Theophanes Heraclium cum conjuge corona Imperatoria redimitum fuisse à Sergio Patriar-

cha in Capella Palatii, ubi & nuptiæ celebratæ sunt. [illegible] Erat in Palatio ipso Regio ea Capella, adeoque longè diversa ab Ecclesia sanctæ Deiparæ proxima, quam diruere & aliò transferre meditabatur Heraclius ex eodem Theophane, *Et in ejus solo fontis machinam, & venetæ factionis sedilia extruere.* Verùm cùm urgeret Patriarcham Heraclius, solemnem aliquam precationem pangere, qua vel excusaretur, vel etiam approbaretur illa Ecclesiæ translatio in alium locum: responsum scitissimè ab eo est, esse Ecclesiæ preces ad extruendas & consecrandas, non esse ad diruendas vel profanandas Ecclesias. Deinque Imperatoriam vim & majestatis pondus cùm pervincere non posset, *Dixit Patriarcha, Gloria Deo, qui etiam hæc patitur, jugiter, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.* Quibus dictis diruta est Ecclesia, aliumque in locum translata. Non longè quæsita, sed ultro obvia facta est hæc nobis historia, tam singularis, ut omitti non potuerit, certè non debuerit: etsi enim nostri hîc instituti non omnino est, non est tamen ab eo multùm aliena.

VII. Aperiet Gregorius Magnus Latinos inter & Græcos in fundandis novis Beneficiis consonantiam non minimam. Arimini voluit Matrona nobilis Oratorium extruere, & sanctissimæ Cruci dicare. Scripsit Gregorius ad Ariminensem Episcopum, ut inquireret, an quisquam ibi hactenus esset tumulatus, tum reciperet donationem omnium Matronæ bonorum, quæ bessis tamen usumfructum sibi servabat, Oratorium dedicaret sine Missa solemni; nec Presbyterum ibi intitularet, nisi Presbyterum Matrona postularet, ad celebranda ibi tum Mysteria,
[L. 2. Ep. 9.] tum Officia omnia, præter Baptismum. *Prædictum*
[L. 7. Ep. 72.] *Oratorium absque Missis publicis solemniter consecrabis,*
[85.] *ita ut in eodem loco nec futuris temporibus baptisterium*
[L. 8. Ep. 9.] *construatur, nec Presbyterum constituas Cardinalem. Et*
[L. 10. Ep. 12.]
[L. 9. Ep. 12.] *si Missas fortè maluerit fieri sibi, à dilectione tua Presbyterum noveris postulandum: quatenus nihil aliàs à quolibet Sacerdote alio ullatenus præsumatur.* Habes hîc Capellam sine Clericis, saltem sine Presbytero, nisi si Presbyterum ab Episcopo Fundator postularet. Porro res donatæ à Fundatore ita Capellæ adsignabantur, ut in Episcopi essent potestate, sive eas in Presbyteri, sive in Clericorum, quos subinde eò mittebat, sive in pauperum usus vellet convertere. Extant ejusmodi complures fundationum formulæ apud eundem Gregorium. Loca ad marginem adnotasse sufficiet. Oratoriis quibusdam sui peculiares erant Presbyteri, aliquibus non erant. Formula hæc autem, quam protuli, Oratorii sine Presbytero Titulari, legitur & in Epistolis Pelagii Papæ, qui præcessor fuit Gregorii, in Holstenii Romana Collectione. Meminit autem alibi Gregorius
[Hom. 37. in Evang.] Oratorii domestici Episcopi Narniensis: *In Episcopii Oratorio Missas fecit.*

VIII. Subjicio exemplum paulò diversum, ex quo tamen aliquid lucis affundatur superioribus. Presbyteri quibus credita fuerat Ecclesia sancti Pancratii, non satis gnaviter officio fungebantur, ut ait Gre-
[L. 3. Ep. 18.] gorius: *Ita ut venientes Dominico die populi, Missarum solemnia audituri, non invento Presbytero, murmurantes redirent.* Rem ubi rescivit Gregorius, illam Ecclesiam cum agris, proventibusque & oblationibus suis, Monachis Abbatique dedit: *Ut terras præfata Ecclesia, & quidquid illuc intraverit, seu de reditibus ejus accesserit, Monasterio debeat applicari.* Eo verbo *intraverit*, unde etiam nunc Italis *intrata*, id est, proventus annuus, visum est mihi comprehendi, quidquid pietas fidelium offert Ecclesiæ. Præcepit autem eodem tempore Pontifex, ut Monachi coram sacris pignoribus divina persolverent Officia, Missas autem celebrari curarent per Presbyterum, cui locum in Monasterio & alimenta suppeditarent. *Ut peregrinum illic debeas adhibere Presbyterum, qui sacra Missarum possit solemnia celebrare: quem tamen & in Monasterio tuo habitare, & exinde vitæ subsidia habere necesse est. Sed & hoc præ omnibus cura tua sit, ut ibidem ad sacratissimum corpus beati Pancratii quotidie opus Dei proculdubio peragatur.* Ita Ecclesiæ fundi proventusque in Cœnobium transcribuntur, quo Officia celebrante Missas celebrat conductitius Presbyter.

IX. Hinc patet nondum ex gremio suo Monasteriis omnibus tum proprios fuisse Presbyteros. Ut haberent postea, necessitas compulit. Unde & Gregorius idem ad Panormitanum in Sicilia Episcopum rescripsit, ut ex Monachis Panormitani Monasterii unum aliquem eligi curaret, eumque initiaret Presbyteratu, ut ne ad sacra Mysteria posthac Monachi cogerentur, aut claustro egredi suo, aut Presbyterum foris accersere. *Eum qui ad hoc mini-* [L. 5. Ep. 40.]
*sterium de eadem Congregatione, cujus vita, mores &* [L. 4. Ep. 43.]
*actio tanto possint ministerio convenire, sine mora debeas* [L. 2. Ep. 34.]
*consecrare, quatenus nec ille de Monasterio suo pro hac causa egredi, nec extraneum sibi ad peragendum sacrum opus debeat adducere.* Verùm cùm ea Oratoria soli Monachorum necessitati indulgerentur, vetuit Pontifex, ne publicæ ibi Missæ celebrarentur, hoc est, ubi adesset populus; & ne Baptismus administraretur.

X. Joanni Episcopo Syracusano nescio quid litis erat cum Venantio Patricio. Itaque ejus oblationes ab Altari rejecit, vetuitque ne res divina fieret in ejus domo. Armatos immisit Patricius, à quibus vastata est mirum in modum domus Episcopi. Eo rescito Gregorius jussit utrumque causam suam jure ac legibus, servata pace, illæsa charitate prosequi. Episcopo autem seorsim mandavit, ut oblationes Patricii non tantùm non respueret, Missamque non modò in ejus domo permitteret celebrari, sed & eò ut accederet, geminamque pacis & charitatis hostiam ipse offerret. *Adhortamur, qua-* [L. 5. Ep. 42.
*tenus oblationes ejus omnino in dulcedine & Deo placi-* 43.]
*ta debeatis sinceritate suscipere, & in domo ipsius Missarum peragi Mysteria permittatis, ut sicut scripsimus, si fortè voluerit, per vos debeatis accedere, & celebrando apud eum Missas, priorem gratiam reformare.* Minùs probabile est his Magnatum Oratoriis ullas accessisse dotes. Non id Gregorio excidisset. Scribens [L. 5. Ep. 50.]
enim ad Episcopum Santonensem de ea quam quidam meditabantur Ecclesiæ fundatione in honorem sanctorum Petri, Pauli, Laurentii & Pancratii, ubi erant Altaria tredecim: *atque illic Altaria tredecim procurasse:* præscribit ante omnia, ut dotem procuret, quæ sufficere possit omnibus ibi ministraturis. *Provisuri ante omnia, ut servientibus ibidem non debeant alimoniarum deesse suffragia.* Multa ejusdem generis alia alibi citavimus.

XI. Campana quædam nobilis fœmina Oratorium in Castello habebat, cui Beneficii Titulus videtur affixus fuisse. Cùm enim ejus Presbyter in Episcopum Surrentinum electus fuisset, voluit Gregorius, ut ad se Romam ille transmitteretur examinandus, non tamen sine licentia Matronæ: qua abnuente, transmitteretur tamen, cùm privatæ utilitati publica semper antehabenda sit. *Presbyterum* [L. 8. Ep. 18.]
*Oratorii sancti Severini, quod in castro Luculano situm est.*

*est, elegerunt, &c. Ad nos transmitti debet, &c. Ne gloriosa filia nostra Clementina hoc molestè suscipiat, ad eam tua experientia pergat, & cum ejus voluntate hoc faciat. Sin verò reniti fortasse voluerit, hunc eum sine mora transmitte; quia animi filiorum nostrorum ita pacandi sunt, ut tamen animarum utilitas non debeat præpediri.* Erat utique Presbyter hic Oratorii illius titulo ministerioque illigatus; at non erat ligata Pontificia potestas, quin illum absolveret, & Episcopali sede inserret.

XII. Erant ea tum simplicia Beneficia, ubi nec Parochia, nec plebs erat, nec animarum cura: at qui ea obtinebant, nihilominus & residentiæ & quotidiano Ecclesiæ ministerio astringebantur. Alia promo exempla. Scripsit idem Gregorius ad Candidum Presbyterum, Rectorem patrimonii Romanæ Ecclesiæ per Gallias sparsi, ut ei commendaret Aurelium Gallum Presbyterum, qui Romam se contulerat, ut impetraret à Pontifice unum aliquod ex iis Beneficiis, quæ ille conferre solebat in Galliis, quòd ea essent sita in patrimonio Gallicano Romanæ Ecclesiæ, sive Oratoria ea essent, sive Abbatiæ. Et in Abbatiis enim Monachorum, ut diximus, constituebantur & Presbyteri sæculares. *Aurelius*
L. 9. Ep. 65. *Presbyter è Galliarum partibus veniens, petiit, ut sicubi in possessionibus B. Petri Apostolorum Principis, Oratorium aut locus, qui Presbytero vel Abbate indiget, inveniri potuerit.* Mandavit ergo Pontifex Candido, ut cùm se daret occasio, Aurelio conferret ejusmodi aliquod simplex Beneficium, in quo haberet ille & paupertatis levamentum aliquod suæ, & Pontificiæ largitatis beneficium: *Quatenus & ipse subsidium vitæ præsentis inveniat, & nos inveniamur petitioni illius paruisse.* Nemo gnarus ingenii & morum Gregorii facilè sibi persuaserit, æquè humanum & indulgentem futurum illum fuisse, si de Parochia ageretur, aut de Beneficio, cui animarum sollicitudo immineret, ut eo donaret hominem, qui & peteret, & ad præstandum aliquod paupertati suæ præsidium peteret. At non abnuebat, ut reor, Pontifex sanctissimus, his simplicibus Beneficiis donari posse Presbyteros, qui & temporalibus destituantur subsidiis, & moribus vitaque sacram dignitatem non dehonestent.

XIII. Erat & ille verè Titulus Beneficii simplicis, cum Pontifex idem scripsit ad Episcopum Firmanum, ut Oratorium consecraret in Castello Comitis cujusdam, qui id extruxerat, instruxeratque dote idonea; utque Presbyterum ibi constitueret Cardinalem, id est, Titularem, à quo sacra peragerentur Mysteria pro domino Castri, & pro plebe
L. 9. Indict. 14 Epist 12. quæ advolaret. *Presbyterum quoque te illic constituere volumus Cardinalem, ut quoties præfatus conditor fieri sibi Missas fortasse voluerit, vel fidelium concursus exegerit, nihil sit quod ad Missarum sacra exhibenda solemnia valeat impedire.* 1. Quidem Presbyter hic redditibus fruebatur fundorum Oratorio dotis nomine assignatorum. 2. Interveniebat consensus Pontificis ad has Beneficiorum in Italia fundationes novas. 3. Celebrabat hic Presbyter Mysteria pro fundatore solo, quoties ipsi adesse libebat, etsi reliqua plebs adesset nulla. 4. Aderat forsan rei sacræ plebs in his Oratoriis, ut innuunt suprapositæ Gregorii Epistolæ, quòd nondum satis frequentes essent ruri Parochiæ. 5. Si componatur hæc Epistola, qua constituendus mandatur Presbyter Cardinalis, cum superioribus, ubi constitui vetabatur: non ægrè intelligitur, qui demum sit Presbyter Cardinalis: quod deinde ad Diaconos & ad Episcopos Cardinales exporrigetur. Presbyter enim quem delegabat Episcopus sacra in his Oratoriis peracturum, quoties flagitabat Patronus: nequaquam is erat qui Cardinalis diceretur, quia nec titularis, nec fixus erat, nec usque ibidem residens, nec gaudens ejus redditibus, sed sportulis victitans, quas ut & alii Clerici omnes, ab Episcopo percipiebat. At de quo hic agitur, is Cardinalis eò dicitur Presbyter, quòd illic alligatus sit, ibi resideat, proventus ipse percipiat, præsit aliis Clericis secum ibi commorantibus, Officia denique ibi nocturna diurnaque persolvat. 6. Pronum est conjicere, hæc Oratoria magna ex parte in Parochias abiisse, quòd agricolæ rusticique propiùs se admoverint, ædiculas struxerint, villas vicosque effecerint. Hinc Patronatus laïcus Nobilium Parochos præsentantium, ut infrà dicemus. Itaque non est quod nos pœniteat hujus quæstionis paulò otiosiùs pertractatæ, cùm simplicia hæc tandem Beneficia non desciverint, sed excreverint in Parochias, atque ita quendam assecuta sint perfectionis apicem.

XIV. Danda quoque opera est, ut & de Xenodochiis aliqua addiscamus ex eodem Pontifice. Erant enim & in illis Oratoria sua, quo factum est, ut de illis hîc ista potiùs diceremus, quàm in superiori de Xenodochiis tractatu speciali. Usque adeo sanè implicata sibi innexaque ista sunt, ut vix usquequaque sejungi possint. Erant & in Monasteriis Xenodochia, erant & in Xenodochiis Monasteria, erant denique in utrisque Oratoria. Quæ res ità comparatæ sunt, non possunt non aliquando aliæ in alias incurrere & permisceri.

De Xenodochiis autem illud primò statuit Gregorius, quibus eorum concredita est cura, eos Episcopis rationes suas reddere debere. *Tibi singulis quibusque temporibus rationes suas Xenodochii subtiliter reddant.* Ita ille ad Januarium Calaritanum in Sardinia Metropolitanum. L. 3. Ep. 34. 2 Eas administrationes viris pietate & rerum experientia spectatis committendas esse, sed Clericis; ne si laïcis credantur, eos sæcularis Judex ad Tribunalia sua vocet, ubi ambagibus & tricis litium dissipentur, quæ ad alimenta pauperum pietas fidelium Deo obtulit. *Tales in eis ordinentur, qui vita, moribus atque industria inveniantur esse dignissimi. Religiosi duntaxat, quos vexandi Judices non habeant potestatem. Ne si tales personæ fuerint, quas in suum possint evocare judicium, vastandarum rerum debilium, quæ illic rejacent, præbeatur occasio.* 3. Cùm hic porro Episcopus minùs sollicitus esset de Xenodochiis, excusat quidem Pontifex ingravescentem ejus senectam, at eam curam Oeconomo & Archipresbytero ipse delegat. 4. Diaconis ut plurimùm, vel Subdiaconis eæ Administrationes mandabantur. *Persona Crescentii Diaconi quia nobis* L. 11. Ep. 39.
*ignota est, prima nobis cura fuit requirere quemadmodum Xenodochium, cui præfuerat, gubernasset: ut ex minimis, qualis esse posset in maximo, nosceremus.* 5. Augusto- L. 11. Ep. 4.
dunense tamen Xenodochium curare jussus est Ab- L. 11. Ep. 10.
bas, idemque Presbyter, quòd Xenodochio conjunctum esset Monasterium. Agit & alibi idem Pon- L. 10. Ep. 43.
tifex de Diacono Florentino, Administratore Xe- L. 7. Ep. 17.
nodochii: & de Subdiacono Antonio, qui Xenodochium Romæ administrabat. *Xenodochus, Xenodochii Præfectus.*

XV. Poterant utique Administrationes istæ Xenodochiorum, velut Beneficia haberi, quæ conferret Episcopus, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis; & quanquam ea simplicia meritò dican-

[L. 7. Ep. 15.] [L. 5. Ep. 66.] tur, strictissimæ tamen erant residentiæ. Non satis mihi liquet an eodem loco haberi possint ea Monasteria, quibus Presbyteri præficiebantur, ut jam significatum est à Gregorio, & quorum alibi sæpè meminit. Scripsit enim sanctissimus Pontifex ad Episcopum Neapolitanum, ut Monasterium urbis suæ novum dedicaret, eoque mitteret Presbyteros, mysteria celebraturos, quoties necesse esset; sed statim tum ipsi, tum Presbyteris ejus prohibuit nequid sibi de rebus Monasterii arrogarent. *Et quoties necesse fuerit, à Presbyteris Ecclesiæ tuæ in loco sancto deservientibus celebrentur sacrificia veneranda Missarum, ita ut in eodem Monasterio nec fraternitas tua, nec Presbyteri sibi existiment vendicari, si quid illic pro diversorum devotione commoditatis accesserit, cùm Monachis in eodem loco debeat proficere, quidquid à fidelibus offerri contigerit.* Non poterant hi Presbyteri Beneficiarii dici illorum Monasteriorum, cùm nec oblationum, nec redituum ulla pars ad eos rediret. Idem sentiendum de Monachis, qui Presbyteri ordinabantur in aliquo Monasterio, ea lege, ut vitam ibi continerent, & sacra facerent, ubi opus esset. De hujusmodi enim ita alibi Gregorius: [L. 7. Ep. 93.] *Quem sibi de congregatione duxerint eligendum, debeat Presbyterum ordinare, atque eum nec in Ecclesia, nec in alio loco observare, sed illic jugiter permanere, ex nostra quoque authoritate constituas. Quatenus & ille dum alibi non fuerit occupatus, in officio suo assiduus possit & utilis inveniri; & congregatio quæ sibi eum postulat ordinari, quoties necesse fuerit, ipso sacrificii solemnitatem celebrante, valeat refoveri.* Ubi adverte 1. unum ad summum in his Monasteriis Presbyterum fuisse. 2. Nec quotidie mysteria ibi celebrari solita, sed *quoties necesse fuerit*. 3. Monasteria Occidentalia diutiùs aliena fuisse à Sacerdotalibus functionibus, quàm Orientalia. 4. Monachum hunc Presbyteratu initiatum, ut rem divinam ageret in Monasterio, non ut ullis se præterea sacris functionibus intricaret. Gregorius III. perhibente Anastasio Bibliothecario, instituit, ut in Ecclesia sancti Petri Romæ nocturna à Monachis celebrarentur Officia, Missæ verò à Presbyteris Hebdomadariis; à Pontifice verò mitterentur Presbyteri, qui sacra facerent in Cœmeteriis ad sacra pignora Martyrum diebus eorum festis; missis eodem tempore, & lampadibus ad vigilias, & panibus ad Eucharistiam.

XVI. Antequam ab Oriente & ab Italia ad reliquas Occidentis Provincias calamum reflectamus, pauca aliqua supersunt hîc observanda. Primùm quidem caveri Justiniani lege, ne pretio, sed merito & pietati addicantur Xenodochiorum Administrationes, sicut & aliorum quorumvis Beneficiorum. [Cod. l. 1. De Episc. & Cler. L. 41.] *Ne quis Episcopus, Chorepiscopus, Presbyter, &c. Sed nec Oeconomus, nec Defensor, nec Xenodochus, nec Nosocomus, nec Ptochotrophus, nec Orphanotrophus, nec Brephotrophus, nec quisquam Ptochio præficiendus fiat per largitionem, sed per judicium & probationem illius loci Episcoporum.*

XVII. Advertendum illud quoque est, jam in Monasteriis constitutas fuisse Præposituras, quasi dicas Prioratus. Meræ erant Administrationes, sed nec si rem ab origine repetas, aliud erant Beneficia omnia quàm Administrationes quædam perpetuæ. Præpositi & Priores primas potestatis partes habebant in Monasteriis. Postulavit à Gregorio Papa Joannes Abbas licentiam, ut Bonifacium in Monasterio suo Præpositum sibi creare posset. [L. 2. Ep. 3. ind. 11.] *Petiit dilectio tua, ut frater Bonifacius in Monasterio tuo à te debeat ordinari Præpositus.* [L. 4. Ep. 4.] Præcepit alibi idem Pontifex, ut Abbati socordi & ignavo, Præpositus adderetur pervigil & industrius, qui ejus vices suppleret. Roma Neapolin Monachum misit, ut [L. 7. Ep. 92.] Monasterii Præpositus fieret, & mox Abbas, si ei se dignitati parem interim probasset. In Dialogis [L. 1. c. 1. 7.] autem loquitur Gregorius de quorundam Præpositorum magnanimitate, qui Disciplinæ vigorem, vel obluctantibus ipsis Abbatibus, quos Græco more *Patres Monasteriorum* vocat, infracta animi virtute tuebantur. Isidorus Hispalensis Episcopus Præpositis temporalium maximè curam videtur mandare. *Ad Præpositum pertinet sollicitudo Monachorum, actio causarum, cura possessionum, satio agrorum, plantatio & cultura vinearum, diligentia legum, constructio ædificiorum, opus Carpentariorum, seu fabrorum.* Patebit infrà ex totius hujus operis contextu, in temporalium Monasterii rerum administrationem usque adeo se demersisse Præpositos, ut id muneris aliquando etiam laïci usurparint.

XVIII. Sed revocanda oratio est ad eam Gregorii Epistolam, quæ docet Præpositos, uti & Abbates *ordinari solitos*, & consensum Episcopi interponendum fuisse. Posset id & aliis Gregorii Episto- [L. 6 Ep. 10.] lis confirmari. Sed supervacaneus fuerit is labor, cùm in Regula ipsa id profiteatur sanctus Benedictus, ubi invehitur adversùs insolentiores quosdam Præpositos, qui ferociebant, insurgebantque in Abbates, ut certè in locis ubi moris erat, Abbates & Præpositus ab Episcopo ordinari. *Sæpius contin-* [Cap. 65.] *git ut per ordinationem Præpositi scandala oriantur, dum æstimantes se secundos Abbates, dissensiones faciunt, maximè in illis locis, ubi ab eodem Sacerdote vel ab eisdem Abbatibus, qui Abbatem ordinant, ab ipsis etiam & Præpositus ordinatur.* Cui malo mederi volens sanctus Benedictus, creandis Præpositis supersedere cupit, eorumque loco adoptari Decanos plures, ut in plures secta, minùs formidolosa sit potestas. *Per Decanos ordinetur omnis utilitas Monasterii. Ut dum pluribus committitur, unus non superbiat.* Si non possit autem sine Præposito regi Monasterium, illum saltem eligat Abbas, cum consilio probatiorum fratrum. *Quemcumque elegerit Abbas cum consilio fratrum timentium Deum, ordinet ipse sibi Præpositum.*

XIX. Primùm ergo ita res comparatæ erant, ut & Abbates & Præpositos Monasteriorum Episcopi eligerent. Ut autem Abbatum electio, concessa tandem ipsis Monasteriis est, ejusmodi privilegio, quod pluribus in dies communicatum, tandem in jus commune evasit: Ita & electio Præpositorum lapsu temporis Abbati permissa est & Congregationi. Abbates porro de quibus Benedictus loquitur, & qui Abbates Præpositosque ordinabant, ii probabiliter erant, qui Monasteria plura construxerant, & hoc authoritatis primigeniæ insigne retinuerant.

XX. Ne Priores quidem ignoravit Gregorius in utriusque sexus Monasteriis. *Ut ad Prioratus locum* [L. 4. Ep. 4.] *pertingeret, &c. Ille Prioris obtinet locum, &c.* Præ- [L. 6 Ep. 10.] positorum meminit Concilium II. Turonense; *Abbate, aut Præposito gubernante.* Decanos paulò [Can. 14.] antè commemoravit Benedictus in Regula. Copiosiùs infrà de his Dignitatibus, de Præpositis, de Decanis, de Prioribus, qui & à Monasteriis ad Capitula Canonicorum migravere, tum in Cathedralibus, tum in Collegialibus Ecclesiis. Cassianus & Hieronymus sæpè Decanorum meminere, quibus Abbates decem singulis Monachos regendos commendabant. Meminit eorum & Augustinus,

Aug. De Morib. Eccl. L. 1. c. 31.

ubi ait de Monachis: *Opus suum tradunt eis, quos Decanos vocant, eo quod sint denis Præpositi, &c. Decani cum magna sollicitudine omnia disponentes, &c. Rationem reddunt uni, quem Patrem vocant.* Pater idem Latinè, qui Abbas Syriacè. Hic porro habes paucis verbis constrictam totam rationem Decanorum, & unde id illis nomen, & quæ potestas in temporalia, & cui rationes omnium reddendæ ab ipsis essent.

---

## CAPUT. XCIV. *P. 2. l. 1. c. 33.*

### Varii variorum in Gallia & Hispania Beneficiorum Tituli, Xenodochia, Oratoria, Capellæ, sæculo VI. VII. & VIII.

*I. Erant in Gallia Oratoria, eaque verissima Beneficia, & Ecclesiæ quodammodo Collegiatæ.*

*II. Capitulorum genera tria, quorum unum in Parochiis, alterum in Oratoriis, sive Basilicis, tertium in Cathedralis.*

*III. Cathedralis Ecclesiæ Canonici dabant operam, ut Basilicas obtinerent.*

*IV. Quæ in agris Potentum erant Oratoria, Parochiæ fiunt.*

*V. Ab iis fundata nonnunquam Parochiæ sunt, & Capitula innova.*

*VI. Plures olim in unaquaque Ecclesia postulabantur Clerici.*

*VII. Servata Episcopis sua adversus Laicos Patronos auctoritas.*

*VIII. De Cellulis Congregatiunculisque, quæ cùm Abbati subessent, in simplicia tandem Beneficia transiêre.*

*IX. Erecta a Pontifice & Concilio Aurelianensi V. Xenodochia, cum diro in quoslibet potentes Anathemate, qui eorum jura usurparint.*

*X. Unita Monasteriis Xenodochia.*

*XI. Varia e Gregorio Turonensi locis confirmantur, quæ sumpta sunt e Conciliis.*

*XII. Simulque ostenduntur simplicia fuisse Clericis inferioribus omnibus Beneficia, ita ut residere tenerentur.*

*XIII. Sua singulis ordinibus apud Hispanos simplicia Beneficia.*

I. GEnera prorsus eadem Beneficiorum de quibus suprà, & in Galliis quoque, & in Hispania frequentissima fuere. Concessit Agathense Concilium nobilibus, ut ruri haberent Oratoria, ubi eis celebrarentur mysteria, exceptis diebus festis solemnioribus Paschæ, Natalis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, Nativitatis Præcursoris, aliisque. Tum enim adeundas ipsis esse Ecclesias, aut Parochiales, aut Urbanas.

Agath. Conc. Can. 21. Aurel. I. c. 25.

*Si quis extra Parochias, in quibus legitimus est, ordinariusque conventus, Oratorium in agro habere voluerit, reliquis festivitatibus ut ibi Missas teneat, propter fatigationem familiæ, justa ordinatione permittimus. Pascha verò, &c.* In dubium vocari posset, an Presbyteri, Clericique alii, his Oratoriis addicti, verè Beneficiarii essent, & Titulares. Eam dubitationem amolietur Epaonense Concilium. Docebit enim si his in Capellis reconditæ fuissent sanctorum Martyrum reliquiæ, vel corpora, assignatique annui reditus ad sustentandos Clericos, qui sacra ibi ministeria obirent, tunc certissimè in Beneficiorum numero ea conscribi debuisse.

Can. 25.

*Sacrorum reliquiæ in Oratoriis villaribus non ponantur, nisi forsitan Clericos cujuscumque Parochiæ vicinos esse contingat, qui sacris cineribus psallendi frequentia famulentur. Quod si illi defuerint, non antè proprii ordinentur, quàm eis competens victus, & vestitus substantia deputetur.* Qui expressè ordinabantur Clerici, ut divinæ vacarent psalmodiæ in his agrestibus Oratoriis, alebanturque fructibus agrorum in ipsa fundatione assignatorum: ii verè Beneficiarii erant, & veluti Collegialem quandam regebant Ecclesiam. Illi ipsi nimirum sunt, quos Aurelianensis II. Synodus inter Beneficiarios collocavit, cum Abbatibus Parochisque.

Aurel. II. c. 13.

*Abbates, Martyrarii, Reclusi, Presbyteri, Apostolia dare non præsumant.* Eam quippe potestatem sibi retinendam duxerant Episcopi, ut darent *Apostolia*, id est licentiam ab una Diœcesi in aliam trajiciendi. Qui verò hic dicuntur Martyrarii, ejusmodi erant Canonici, nocturnis diurnisque Officiis addicti decantandis, coram sacris Martyrum cineribus. Canonicos voco hodierno magis ex usu, quòd psalmodiæ sacræ potissimum incumberent. Eo enim ævo Canonici frequentiùs dicebantur, sive Presbyteri, sive Diaconi, qui in Ecclesia Cathedrali, vel in agresti quapiam Parochia sacris inservirent ministeriis. Audi quid Arvernum decreverit eam in rem Concilium, quo & roboretur Decretum superius Concilii Agathensis.

Can. 15.

*Si quis ex Presbyteris, aut Diaconis, qui neque in Civitate neque in Parochiis Canonicus esse dignoscitur, sed in villulis habitans, in Oratoriis officio sancto deservient, &c.*

II. In hoc autem Canone, ut & in aliis suprapositis animadvertere est tria Capitulorum genera, quæ jam tunc exoriebantur, & factis postea ingentibus & numeri & opum incrementis, mirum in modum resplenduêre. Nam præter Capitula Cathedralium, ubi in Parochialibus Ecclesiis is erat Clericorum numerus qui sufficeret decantandis quotidie divinis Officiis, indubium est & decantatas eas fuisse, cùm ex ipsis delegarentur quandoque Clerici ad Oratoria Martyrum: *qui sacris cineribus psallendi frequentia famulentur.* Ergo & ibi surgebant Capitula: sicut & in Oratoriis ipsis exurgebant, quando Clerici ad eorum Titulos & Officia ordinabantur.

III. Pro Oratoriis extruebantur quandoque Basilicæ ad colendas Martyrum Reliquias, sive in urbe, sive ruri: ea profectò magnificentia, & tanta proventuum annuorum ubertate, ut & Canonici ipsi Cathedrales eò transferri ambirent. Ita enim Aurelianense Concilium III.

Aurel. III. Can. 18.

*De his Clericorum personis, quæ de Civitatensis Ecclesiæ officio, Monasteria, Diœceses vel Basilicas, in quibuscumque locis positas, id est, sive in territoriis, sive in ipsis Civitatibus susceperint ordinandas, &c.* Canonici ergo ipsi Ecclesiæ Cathedralis, quasi sui gradûs pertæsi, ad Administrationem anhelabant alicujus Monasterii, vel Parochiæ, vel Basilicæ, vel Oratorii. Sed sive in Oratoria, sive in Basilicas, non poterant admittere Patroni, nisi Clericos, quos Episcopi instituissent.

Aurel. IV. Can. 7.

*Ut in Oratoriis domini prædiorum minimè contra votum Episcopi, ad quem territorii ipsius privilegium noscitur pertinere, peregrinos Clericos intromittant, nisi forsitan quos probatos ibidem districtio Pontificis observare præceperit.* Ea voce *observare* innuitur assiduitas constans & pervigil ad Officia divina, ut & rursum infrà declarabitur.

IV. Ab his Oratoriis non Capitula tantùm, sed & Parochiæ originem duxere multæ. Id liquet ex eodem Aurelianensi IV. Concilio:

Ibid. c. 26.

*Si quæ Parochiæ in potentum domibus constitutæ sunt, ubi observantes Clerici ab Archidiacono civitatis admoniti, &c.* Priùs *Oratoria*, nunc *Parochiæ* in potentum domibus, eædem verisimiliter Ecclesiæ sunt, primùm paucis frequentatæ, & ita Oratoria: deinde longè plurimis, & tum Parochiæ. Porro sive Parochi, sive Clerici istiusmodi sub patrocinio potentum constituti, nihilominus suberant juri & potestati Archidiaconi: in quem si Patroni potestate freti

rebellarent, confestim anathemate pœnas dabant.

V. Nec nescimus tamen Parochiales ab exordio Ecclesias à viris potentibus in suis ædibus extructas fuisse quandoque, vel in agris proximis, à quibus necesse erat & idoneos conferri reditus, ad alimenta Clericorum, qui divina peracturi erant Officia. Ita enim decernit eadem rursus Aurelianensis IV.
Ibidem. Can. 33. Synodus: *Si quis in agro suo aut habet aut postulat habere Diœcesim, primum & terras ei deputet sufficienter, & Clericos qui ibidem sua Officia impleant, ut sacratis locis condigna reverentia tribuatur.* Non vult tantùm Synodus, ut alendo Parocho dos sufficiat, sed ut pluribus Clericis, quia pluribus ad divinam psalmodiam opus est: *Qui officia sua impleant*: & pluribus opus est ad Altaris ministerium: *Ut sacratis locis condigna reverentia tribuatur.*

VI. Si paulò altiùs introspiciamus in hunc Canonem, aliosque superiores, qui plures desiderarunt Clericos ad officia & ministeria quotidiana persolvenda in Oratoriis, in Basilicis, & ubicumque demum sacri Martyrum cineres quiescerent: illud perspicuè patebit, Patribus Ecclesiæ Conciliisque antiquis cordi fuisse, ut multò plures, quàm nunc nobis moris sit, adgregarentur Clerici ad sacras excubias agendas circa Altaria, & circa Martyrum Reliquias, atque ad horas Canonicas ibi exolvendas, sive Parochiæ illa essent, sive Basilicæ, sive Oratoria tantùm. Ubi & vicissim illud reponi potest, cùm indumentis alimentisque tunc Clerici contenti essent, minore impendio magnum eorum numerum sustentari potuisse. Concilii Turonensis II. Patres hanc Clericorum multitudinem pulcherrimè commendarunt, cum sanxere, ut comitem testemque individuum vitæ morumque suorum semper secum habeat Archipresbyter ruralis, unum nimirum ex Subdiaconis vel Lectoribus suis, quos ideo saltem septem habeat necesse est, ut vicissim
Can. 19. has illi singulis hebdomadis agant excubias. *Septem inter Subdiacones vel Lectores habeat, qui vicissim septimanas cum illo facere procurent.* Si desint tamen Clerici, laicos adsciri permittitur.

VII. Gravia nonnunquam emersere jurgia Episcopos inter & Patronos Fundatoresque Parochiarum, Oratoriorum & Basilicarum, quæ ut compescerentur, utque Beneficiarii ab Episcopi & Archidiaconi potestate resilire prohiberentur, plura manarunt decreta Pontificum & Conciliorum. In Con-
An. 650 Can. 14. cilio Cabilonensi innovatum est statutum Concilii Aurelianensis IV. promulgatumque est, non tantùm Beneficiarios Oratoriorum Archidiacono subesse, sed in potestate etiam Episcopi esse tum proventus temporales, tum divina Officia, de quibus convenisset in Capellarum fundatione. Zacharias Papa majus aliquid molitus est. Vetuit enim ne Cardinalis, id est, ne Titularis quis ibi constitueretur Beneficiarius, sed ut eò Episcopus ablegaret Presbyterum, quoties necesse esset, ad peragenda Mysteria: quod à Zacharia expressum est iisdem verbis,
Epist. 9. quibus capite superiori à Gregorio. Appositum id omnino ad restituendam in integrum Episcoporum Galliæ authoritatem: sed simillimum veri est, Decretum istiusmodi successu caruisse.

Cæterùm tantò crebriora olim erant Oratoria, quod uno die unum ad Altare olim duæ Missæ non ferè celebrarentur. Ita apertè Altisiodorensis Synodus: *Non licet super uno altario una in die duas Missas dicere.* Illud maximè cavebatur, ne ubi celebrasset Episcopus, ad idem Altare alius eodem quisquam die sacra faceret: *Nec in altario, ubi Episcopus Missas dixerit, ut Presbyter in illa die Missas dicat.* Nec abhorret a verisimilitudine, unum olim in unaquaque Ecclesia fuisse Altare. Itaque non absurdè monuit Anastasius Bibliothecarius alteram Missam ab Adeodato Papa institutam: *Hic constituit secundam Missam in Clero.* Erant tamen quandoque plura Altaria in unius Ecclesiæ ambitu; Teste idoneo Gregorio Magno, qui ad Palladium Santonensem Episcopum scripsit, cùm Ecclesiam extruxisset, in qua tredecim essent Altaria, nec sacrorum pignorum satis haberet ad eorum consecrationem: idoneam se eorum copiam Roma missurum: *Ecclesiam constru-* L. 5. Ep. 50.
*xisse, atque illic tredecim altaria collocasse.*

VIII. De Monasteriis & Xenodochiis nunc obiter. Vetitum est Concilio Aurelianensi I. ne Monachi à Congregatione discederent, novasque sibi cellulas conderent & sejunctas, injussu Episcopi & Abbatis. *Nullus Monachus Congregatione Monasterii* Can. 21.
*derelicta, ambitionis & vanitatis impulsu, cellulam construere sine Episcopi permissione, vel Abbatis sui voluntate præsumat.* Concilium Agathense & Epaonense Can. 31.
idem prohibuerant: *Cellulas novas, aut congregatiun-* Can. 1.
*culas Monachorum absque notitia Episcopi prohibemus institui.* Monasteriola hæc primùm Cellulæque Regularia fuere Beneficia sub ditione Abbatis & Abbatissæ matricis, ex qua oriunda erant; & ex quibus tandem plerumque facta sunt Beneficia simplicia sæcularium Clericorum. Quòd enim in eam paucitatem Monachorum facilè gliscerent desidia & morum relaxatio; consultius tandem visum est ea loca Clericis sæcularibus commendari, qua de re uberiùs suo infrà loco. Idem Agathense Concilium Can. 27.
vetuit, ne nova Monasteria nisi ex licentia Episcopi instituerentur.

IX. Quod ad Xenodochia, Aurelianensi Concilio V. confirmata est erectio fundatioque Xenodochii Lugdunensis, sumptibus Childeberti Regis & Reginæ conjugis ejus, prohibitis Lugdunensibus Episcopis, ne quid decerperent de iis vel fundis, vel reditibus, vel mancipiis, quæ vel pietas fidelium, vel Regum munificentia contulisset; quin etiam jussis, ut illis servandis augendisque studerent, ut hospites ægrotique lautiùs & studiosiùs exciperentur: denique vibrato anathemate, sive incussa execratione dirissima in eos qui sacrilegis rapinis pau- Cap. 15.
peres necarent, quantacumque demum eorum vel dignitas foret, vel potestas. Paulò prolixiùs edisserui sententiam hujus Canonis, ut possit, qui volet ejus consonantiam perpendere cum Epistola Gregorii Magni, qui pauco pòst tempore confirmavit erectionem Xenodochii Augustodunensis, parique usus est execratione seu anathematis interminatione in quoscumque demum expilatores patrimonii pauperum, quantumvis altissimo in dignitatis fastigio eminerent. Non diffidet à vero, Reges ipsos Lugdunensis Xenodochii fundatores voluisse ut hæc anathematum comminatoria fulmina adderentur, ne Reges posteri, regni magis sui forsan, quàm pietatis hæredes, revocare unquam possent tam piæ in pauperes & tam necessariæ largitatis beneficia. Accipe jam Concilii Aurelianensis verba: *Quod si quis quolibet tempore, cujuslibet potestatis vel ordinis persona, contra hanc constitutionem nostram venire tentaverit, aut aliquid de consuetudine vel facultate Xenodochii ipsius abstulerit, ut Xenodochium, quod avertat Deus, esse desinat: ut necator pauperum irrevocabili anathemate feriatur.*

X. Cæterùm Monasteriis persæpè adjiciebantur aut subjiciebantur Xenodochia, à Monachis vel

Monialibus sub Episcopi authoritate administranda. *Vt Monachi & ancillæ Dei Monasteriales juxta regulam sancti Benedicti, Cœnobia vel Xenodochia sua ordinare, gubernare & vivere studeant.* Ita in Concilio Liptinensi anni 743. subire animum posset, eo Canone non comprehendi nisi ea diversoria, seu conclavia, quæ intra ipsa Monasteria exercendæ
L. 11 Ep. 10. hospitalitati destinantur. At Epistola Gregorii Magni in confirmationem Xenodochii Augustodunensis à Regina Brunechilde & Siagrio Episcopo constructi, manifestè prodit, Xenodochium illud fuisse, ab Abbatia discretum, eique conjunctum, ut ab
*Annis dia 16 Mart.* Abbate administraretur, quem Rex nominasset cum Monachorum consensu.

XI. Author est Gregorius Turonensis, vicum Iciodorum & Basilicam in qua quiescebat corpus B. Austremonii Episcopi Arvernæ urbis, administrata
Issoire. fuisse a Diacono Cautino, qui & ipse postea Arvernæ ejusdem urbis fuit Episcopus: *Cautinus qui Arvernæ urbis Episcopus datus est, in Diaconatu suo Ecclesiam vici illius rexit.* Diximus suprà cùm de divinis
*De gloria Confess. c. 30. De gloria Mart. l. 1. c. 66.* ageremus Officiis, voluisse Cæsarium Arelatensem Episcopum, ut ægroti in Nosocomio decumbentes exaudire possent Clericos ea decantantes. Dumnolus Cenomanensis Episcopus Xenodochium struxit, quod ipsum idem Cœnobium erat, ubi viginti quatuor Monachi pauperibus & hospitibus ministrabant. Patroclo Martyri apud urbem Trecensem unum erat idque permodicum Oratorium, ubi Lector famolaretur. *Erat super eum parvulum Oratorium, in quo unus tantùm Clericus serviebat.* Sed postquam emersisset è latebris historia ejus, tum ei & constructa Basilica est, & dies festus singulis annis dicatus. In Lemovicensi agro Georgii Martyris Reliquiæ in Oratorio ligneo colebantur jugi psalmo-
*Histor. l. 1. c. 101.* dia quorundam Clericorum. *Pauci Clerici conserto ligneis tabulis Oratorio, Dominum assiduè precabantur.*
*L. 2. c. 5.* Dives Matrona cellulam construxit super sepulcrum Juliani Martyris: *Cellula quam super sepulcrum Martyris Matrona construxerat.* Ei Oratorio Cellulæ nomen datum, quòd ibi primùm Monachus ministras-
*Cap. 35.* set. Nec exempla ejus rei deerant. *Monachus ipsius loci, dum de adventu solemnitatis gauderet, & singulos quosque ad Cellariolum Basilicæ promptissimus invitaret, hortans ut omnes in Basilica fideliter vigilarent, &c. festivitate ovans Clericus, &c.* Hic nunc Clericus dicitur, nunc Monachus, certè Beneficiarius erat. *Martyrarius* vocatur, ut cultui Martyris dicatus. Idque muneris quandoque Diacono mandabatur,
*Cap. 46.* qui veluti Ecclesiæ & Sacrarii custos erat. *Post obitum Proserii Martyrarii Vrbanus Diaconus hujus Basilicæ ordinatur æditus.* Dicta est etiam *Cellula Condatensis ubi vir beatus transiit*: id est, ubi B. Martinus vita migravit. Et alibi: *Cellula in qua lectus beati viri habetur.* Romanus Abbas sanctissimus præsagus miraculorum quæ edenda erant post obitum suum, noluit in Ecclesia Monasterii tumulari, ne frequentia & concursatio hominum silentio & quieti Monachorum officerent; in colle inhumari maluit, ubi
*Ibid. c. 35.* statim extructum est Templum ingens: *Super ejus sepulcrum deinceps ingens templum ædificatum est, in quod ingens frequentia populi diebus singulis occurrit.* Beatus Senochius Abbas, Thifaugii in Pictonibus natus, sibi in Turonensi agro Monasteriolum struxit, ubi *collectis tribus Monachis Domino assiduè serviebat.*

XII. Hæc carptim ex Gregorio Turonensi delibata plures variasque species Beneficiorum oculis subjiciunt. Alia Monachis, alia Clericis addicta erant: nullis cura aut sollicitudo animarum incumbebat, eoque simplicia videri poterant; at residentiæ tamen vinculo tenebantur. Alia Lectoribus, alia patebant Diaconis: sed pleraque pietati & largitati fidelium accepto ferenda, ad reverendas Martyrum Reliquias, immo & Confessorum; quibus tardiùs quidem, sed tamen impensus est honor, ut pœnitentiæ merito incruenti martyrii lauream consequutis. In Occidente vel Episcopi, ut Martinus, vel Solitarii, ut Romanus Abbas, piæ huic innovationi aditum patefecerunt, cui & suffragatus est Christus ipse Optimus Maximus, editis ad eorum sepulcra innumeris miraculis.

XIII. Concilium Toletanum anni 597. sub *Can. 2.* Gregorio Magno habitum, statuit ut ne Episcopus quidquam demeteret de reditibus Ecclesiarum, quas privati suis in agris extruxissent; sed iis gauderet Presbyter, qui Officiis ibi divinis præesset; aut si tenuiores essent reditus, quàm ut Presbyter ali posset, certè Diaconus: aut saltem Ostiarius, cui curæ essent luminaria, & munditiæ, nitorque domùs. *Ne quisquam Antistes infra suam Parochiam Dei aulam inquirat; & munificus ille qui sanctam Dei ædificaverit Ecclesiam, quod ibidem pro suo hærede largitus est, eodem loco Presbyter secundùm priorum Canonum instituta deserviens, habeat. Et si Presbyterum ea facultas habere non permittit, vel Diaconus instituatur. Certè si minor est census, Ostiarius à Sacerdote sit electus, qui nitorem infra sinus sanctæ Ecclesiæ faciat, qui & sanctarum Reliquiarum luminaria omni subsequenti nocte accendat.* Emicant hîc Beneficia simplicia, omnibus Ordinibus aptata, majoribus minoribusque pro redituum modo, sed residentiæ lege omnibus omnino imposita.

---

## CAPUT XCV. *P. 3. l. 1. c. 45.*

### Cellæ, Oratoria, Ecclesiæ Monialium, Abbatiolæ, Ecclesiæ Baptismales, Capellæ, Capellæ Domesticæ, Oratoria privata, sub Imperio Caroli Magni & ejus stirpis.

*I. II. De Cellis & Oratoriis Monialium. De Ecclesiis earum.*
*III. De Capitulis monasculis inde exortis.*
*IV. De Abbatiolis.*
*V. De Ecclesiis Baptismalibus.*
*VI. De Capellis domesticis, quas impatientiùs ferebant Concilia.*
*VII. VIII. Diversæ Capellarum species. De Capellanis earum Ministerio addictis.*
*IX. De Annexis, vel Succursalibus Parochiarum.*
*X. Capellæ, quæ Capitulis obnoxiæ erant.*
*XI. De Capellanis Oratoriorum domesticorum. Ab Episcopo instituebantur.*
*XII. Eorum in Gallia contemptus, vilitasque.*

I. Sanctus Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus *Cellas & Titulos* vocat, quæ nos hîc Beneficia. *Per Titulos & Cellas nostras, plusquam* *Epist. 4. ad* *triginta Ecclesias vastaverunt.* Cellæ vocabantur ple- *Steph. II.* tumque Monasteria minora. Erant Monasteriis do- *Papam.* mestica Oratoria juxta Concilium Francofordiense. *De Monasterio, ubi corpora Sanctorum sunt, ut habeat* *Can. 15.* *Oratorium intra claustrum, ubi peculiare Officium, & diuturnum fiat.*

Multò constantius est, Monialibus non fuisse nisi Oratoria in Monasteriis suis, cùm tam crebri *Conc. Gall.* sint Canones, qui prohibeant quenquam, sive Cle- *Tom. 2. pag.* ricum, sive laicum eò subire. Quin & Presbyte- *252.* rum ipsum illico facessere jubent, cùm primùm sa-

cta peregerit. Audiendus Carolus Magnus in Capitularibus : *Ut nullus in Monasterio puellarum, vel ancillarum Dei intrare præsumat, nec Presbyter, nec Diaconus, nec Subdiaconus, vel Clericus, aut Laïcus, nisi tantùm Presbyter ad Missam celebrandam, qui Missa celebrata statim exeat.* Beneficii genus id erat, quo Presbyterum donabat Episcopus, à quo & omnia donabantur alia. *Juxta quod Episcopus ipsius Parochiæ ibidem ordinaverit.* Sed cùm non possent Presbyteri in his sedem figere, aliis alligabantur Ecclesiis, unde ad sacra Monialibus facienda statis temporibus accedebant. Ita enim Concilium Moguntinum anni 813. *Ut Presbyteris per Monasteria puellarum opportuno tempore liceat Missarum solemnia celebrare, & iterum ad proprias Ecclesias redire.*

Ibid c. 5.

Conc. Moguns. Can. 26.

Conc. Turo. 3. Can 29.

II. Sed satius visum est tandem, Ecclesiam domumque dari Presbytero, Diacono, Subdiacono, aliisque Clericis, ministerio Monialium deputatis, ut Officia ibi divina celebrarent, præter sacra Mysteria, quæ in Oratorio earum domestico celebrabant, inter quæ Moniales ipsæ alternis Choris divinas laudes psallebant. Ita Concilium Aquisgranense in Regula Canonicarum. *Presbyteris qui in Monasteriis puellaribus Missarum solemnia celebrare debent, extra Monasterium sit locus & Ecclesia ubi cum Ministris suis habitent, & divinæ servitutis obsequium expleant; & non nisi statuto tempore Monasterium ingrediantur puellarum, & cum eis Diaconus tantùm & Subdiaconus, & non ampliùs ibi immorentur, nisi in Missarum celebrationibus ad sanctimoniales publicè faciendis. Quibus ritè celebratis illico foras egrediantur. Sanctimoniales namque velo anteposito, ut moris est, horas Canonicas, & Missarum solemnia celebrent.* Hinc facilè conjicitur, quòd exinde Sanctimonialium Ecclesiæ publicæ evaserint, id ex eo factum, quòd ex Oratorio earum domestico translata sit & Missa, & Officiorum celebratio, in exteriorem illam Ecclesiam, quæ earum Clero primùm fuerat assignata.

Cap. 27.

III. Nec recedit à vero, ex istiusmodi Clero Monialibus addicto, emersisse aliquando, & Capitula & Parochias aliquas, ut tot in urbibus experimur etiamnunc. Emerserunt & minuscula quædam Capitula ex Cellulis Monachorum, quæ suis obnoxiæ erant Abbatibus. Quanquam enim antiquitus Cellæ non incolerentur, nisi à paucissimis Monachis sub Abbatis in Monasterio majore degentis imperio : erant tamen & aliæ, quas obtinerent Clerici, seu Canonici aliquanti, qui & ipsi Abbati suberant Regulari. Ita perspicuè legitur in Statutis Conventûs Aquisgranensis Abbatum anno 817. *Ut Abbatibus liceat habere Cellas, in quibus aut Monachi sint, aut Canonici : & Abbas provideat ne minus de Monachis ibi habitare permittat, quàm sex.* Non abludit à similitudine veri, eas primùm Monachorum fuisse Cellulas : qui ubi à Regulæ observatione descivêre, tum propter paucitatem suam, tum propter absentiam Abbatis, primò in mores Canonicorum, inde & in nomen delapsi sunt. Sed ne dubitari quidem potest, quin Prioratus complures, aliaque Beneficia simplicia Clericorum, ortum duxerint ex his sive Monachorum Cellis, sive Canonicorum. Quippe Monachis ibi subrogati postea fuere Clerici, quando per proventuum tenuitatem non licuit Monachos sex saltem ali. Qua de re infrà.

Can. 44.

IV. Ex adverso autem hæ quandoque Cellæ in Abbatiarum nomen & gloriam assurrexere, quanquam non recederent à prioris Abbatis obedientia. Unde & Abbatiolæ dicebantur. Ita innuit Concilium Suessionense II. *Ut Missi nostri per singulas Parochias, una cum Episcopo Parochiæ ipsius, requirant de Capellis, & Abbatiolis, & Casis Dei in Beneficium datis, qualis census inde exeat, ut Ecclesia de qua sunt, exinde vestituram habere possit.* Casæ Dei idem videntur hic fuisse, ac Cellæ.

Can. 5.

Originem verò *Obedientiarum* retegit Capitulare Caroli Calvi ad Spernacum anno 846. Firmæ enim, seu domus prædiaque ea erant, quæ à Monachis administrabantur, per vices, ut vicissim etiam possent in Monasterium se recipere, & in primævum pietatis fervorem recalescere. Damnatur autem in hoc Capitulari, quæ recens gliscebat corruptela, protrahendæ in gratiam Monachi alicujus Administrationis. Inde enim fiebat paulatim, ut ex Administratore Titularis fieret. *Nec sub prætextu obedientiæ diutius villicationibus inserviant : sed regulariter obedientiam vicissitudine sua peragentes, secum, ut de sancto Benedicto legitur, in Monasterio habitent, atque se ipsos recolligant.*

His etiam sive Cellis, sive Abbatiolis *Monasterioli* nomen adhæserat. Ita quippe legere est in Capitulari Ludovici Pii. *De Monasteriolis puellarum, in quibus nullus ordo bonæ conversationis tenetur. De Monasteriolis etiam diversis in Missatico Alberici.* Quod alludit omnino huic Caroli Magni Capitulari : *De Monasteriolis minutis, ubi Nonnanes sine Regula sedent.* Erant ergo & Sanctimonialibus Cellæ, seu Monasteriola, ubi quò pauciores erant, eò & Regulæ servandæ incuriosiores. Ut hoc malum præverterent Abbates, Cellas sibi obnoxias identidem visitabant, unde & vetus Chronicum de Hugone Caroli Magni filio, *Cùm secundùm morem, Abbatiæ suæ Cellas causa providentiæ & admonitionis circuiret.*

Conc. Gall. To. 2 pag. 464. 157.

Du Chesne. To. 2. pag. 229.

V. Venio ad Ecclesias Baptismales, quas ab aliis secrevit Vernum Concilium, jussitque ut ab Episcopo designarentur, & quidem paucæ numero. *Ut publicum baptisterium in nulla Parochia esse debeat, nisi ubi Episcopus constituerit.* Obiter juvabit illud animadvertisse, solius Episcopi authoritate designari Ecclesias, in quibus spiritalis fiat regeneratio, quòd ostium Ecclesiæ secundùm Christum ipse sit, & parens communis omnium Diœcesis suæ fidelium. Hæ porro Ecclesiæ *Plebes* vocitabantur, ut ex Concilio Pontigonensi liquet : *Et ut Ecclesias Baptismales, quas Plebes apellant, Ecclesiæ filii instaurent.* Flodoardus *Titulos Baptismales* vocat.

Can. 7.

Ann. 876. Can. 11.

L. 2. c. 19.

VI. Ad Capellas & Oratoria progredior. Fidem faciunt Capitularia Caroli Magni, ne ipsum quidem licere sibi voluisse, ut in Palatio privata haberet Oratoria, nisi annuisset Episcopus. *Placuit nobis, ut sicut ab Episcopis admoniti fuimus, ne Capellæ in nostro Palatio, vel alicubi, sine permissu Episcopi, in cujus est Parochia, fiant.* Id de Oratoriis dicitur, ubi res sacra facienda erat. Cætera enim in cujusque privati arbitrio & potestate sunt, ut & ipse alibi advertit. Alio loco morem indigitat, ritumque novæ exædificandæ Ecclesiæ : Crucem defigebat Episcopus, tum paciscebatur cum fundatoribus de Ecclesiæ dote & reditibus, ad Ministrorum sustentationem. *Nemo Ecclesiam ædificet, antequam civitatis Episcopus veniat, & ibidem crucem figat publicè, & antè præfiniat, qui ædificare vult, quod ad luminaria, & ad custodiam & stipendia custodum sufficiat, & facta donatione, sic domum ædificet.* Quanquam autem consensisset Episcopus, & exædificationi Capellæ, & mysteriorum in ea celebrationi : non patiebatur tamen Imperator, ut ibi Dominicis diebus festisque celebrarentur, quibus necesse erat omnes confluere

Capitular. Car. Mag. L. 1. c. 182. L. 5. c. 230.

L. 5. c. 219.

Conc. Gall. To. 2. pag. 537. c. 9.

ad Ecclesias Parochiales. *Ut in diebus festis vel Dominicis omnes ad Ecclesiam veniant, & non invitent Presbyteros ad domos suas ad Missam faciendam.* Dotari quoque ea Oratoria necesse erat, si sacrificia ibi peragerentur: *Ut qui Oratorium consecratum habet, vel habere voluerit, per consilium Episcopi de suis propriis rebus ibidem largiatur: & propterea illi vici Canonici non sint neglecti.* Quorum extremorum sensus verborum idem est, qui prioris Capitularis, ne in contemptum veniant Parochiales Ecclesiæ, ad quas Dominicis Festisque singulis ventitandum est, ut tremendo sacrificio universi pariter intersint. Possent & de Decimis intelligi, quæ antiquiori semper Ecclesiæ persolvendæ sunt, quanquam constructæ fuerint recentiùs aliquæ, in illis forsan ipsis fundis, unde Decimæ colliguntur; juxta hoc aliud Capitulare. *Quicumque voluerit in sua proprietate Ecclesiam ædificare, unà cum consensu & voluntate Episcopi, in cujus Parochia fuerit, licentiam habeat. Verumtamen omnino providendum est, ut aliæ Ecclesiæ antiquiores propter hanc occasionem nullatenus suam justitiam, aut decimam perdant, sed semper ad antiquiores Ecclesias persolvantur.*

Ibid. p. 646. c. 13.

Ibid. pag. 152. c. 3. Et Capitul. L. 2. c. 36. Et Conc. Mogunt. An. 813. c. 41.

VII. Erant ergo duplicis triplicisve generis Capellæ. Aliæ à privatis in propriis ipsorum fundis extruebantur, & ibi primùm necesse erat Crucem ab Episcopo defigi. Aliæ erant Capellæ domesticæ, quarum duo etiam erant genera. Aliæ nimirum, ubi privata familia preces funderet: & his nec consensio Episcopi, nec dotatio erat necessaria. Aliæ ubi Missæ celebrarentur, & tum interponenda erat Episcopi authoritas, qui de dote illico tractabat. *Qui in domo sua Oratorium habuerit, orare ibi potest. Tamen non potest in eo sacras facere Missas, sine permissu Episcopi.* Ex quo rursum patet initiationem Oratoriorum hujusmodi domesticorum fieri non solitam, nisi celebratione mysteriorum cum consensione Episcopi. Quod ad alias ruris Ecclesias, vel Capellas attinet, earum initiationis ritum observat Herardus Archiepiscopus Turonensis, ut suprà enarratus est: *De ædificationibus Ecclesiarum, ut nullus antea fundamentum jaciat, donec Episcopus veniat, & in medio crucem figat, & sic accepta dote, construendi licentiam tribuat.* Taceo de Capellis, quas suis in Cœmeteriis exædificabant Monachi, ut videre est in vita beati Benedicti Anianæ Abbatis; vel quas ipsi pro Cœmeteriis habebant, ut in iis humarentur; inde quoque & ipsis indebatur nomen, ut legere est in vita Egili Fuldensis Abbatis. His Capellis nullus ministrabat Beneficiarius: ita nihil ad hoc nostrum pertinent institutum; quanquam simulacra quædam & imagines videri poterant antiquissimorum Cœmeteriorum, de quibus suprà.

Capitulare L. 5. c. 230.

Sæculum Bened. 4. pag. 206. 238.

VIII. Erant porro sui Capellis Capellani, qui in eis ministrarent; nimirum Presbyteri. Prohibuit Metense Concilium, ne quis Presbyter plures duas haberet Ecclesias, nisi Capellam jam tum haberet regendam, cùm ei Ecclesia Parochialis concredita est, aut sicubi Ecclesiæ Parochiali illigata esset Capella. *Unusquisque Presbyter unam solummodo habeat Ecclesiam, nisi forte antiquitus habueris Capellam, vel membrum adjacens sibi, quod non expedit separari.* In Concilio Cabilonensi anni 887. memoratur Presbyter Capellæ sancti Marcellini.

Ann. 888. Can. 3.

Fuerant tamen aliqui olim ex Parochialibus Presbyteris, qui ad has Capellas sacra facturi pergebant. Id jam diluxit, ubi dictum est, non oportere Dominicis & Festis diebus invitare Presbyteros, ut Missas in Oratoriis domesticis celebrarent. Aliud ab Hincmaro suggeritur argumentum, quando prohibet, ne Ecclesiæ proprios sibi Sacerdotes habere solitæ, in morem Capellarum aliis uniantur Ecclesiis. *Neque Ecclesias illas, quæ ex antiquo Presbyteros habere solitæ fuerunt, aliis Ecclesiis quasi loco Capellarum subjiciatis.* Ubi perspicuum est distare Capellas ab Ecclesiis, proprios habentibus Sacerdotes; & ubi duæ Ecclesiæ uni commendabantur Presbytero, perinde fuisse, ac si earum altera in Capellarum sortem dejiceretur. Ideo & præceperat Hincmarus, ut Registrum sibi fieret earum Ecclesiarum, seu Titulorum, quibus sui semper fuissent Presbyteri: eæ sanè parochiæ sunt: itemque Capellarum, quæ illis erant obnoxiæ. *Unusquisque vestrum describat omnes Ecclesias & Titulos, quæ antiquitus Presbyteros habuerunt, & Capellas antiquitus illis subjectas, & mihi scripto renunciate.* Voluit & Oratoriorum domesticorum ad se deferri Catalogum. Prohibuit etiam aliàs Hincmarus Parochis suis, ne locorum à dominis peterent, vel acciperent vacantes Parochias suæ vicinas, aut etiam Capellas, injussu suo. *Vicinus Presbyter ne Ecclesiam illam obtineat, quæ titulus per se constans antea extitit, sed neque Capellam, sine consultu nostro.* Et cum Rurales Decanos monet, quibus de rebus admoneri se ab iis velit circa Ecclesias Diœcesanas, ita eas in Parochias & Capellas secernit. *Per singulas matrices Ecclesias & per Capellas Parochiæ nostræ.*

Conc. Gall. To. 3. p. 643. c. 7.

Hincmar. Tom. 1. pag. 715. 718.

IX. Annexæ non immeritò & Succursales dicentur nonnullæ ex his Capellis. Testificatur idem ipse Hincmarus, illam Ecclesiam de qua illi tandiu concertandum fuit cum Laudunensi Episcopo nepote suo, Ecclesiæ Parochiali unitam & cohærentem fuisse. *Ipsa Capella à longo tempore unita fuit Ecclesiæ sita in Juvineaca villa; & Parochia illi subjecta.* Decimæ solvebantur Parocho, qui in his Capellis celebrabat, aut celebrari Mysteria quandoque curabat: ubi agricolæ Parochum Decimis fraudavere, fraudati sunt & ipsi vicissim sacrificio: hinc querelarum multum: ac per hoc interdicti tempus, teste Hincmaro, *Nulli Baptismus vel Communio est denegata.* Ex quo infertur & Baptismum & Eucharistiæ sacramentum in his Capellis administrari solitum. Tantò procliviùs lapsu temporis Capellæ in Parochiarum nomen & Titulum provectæ sunt.

To. 2. pag. 389. 390.

X. Erant & ex his Capellis, quæ in jure essent Capitulorum. Id genus erat in Comitatu Belnensi Capella sancti Martini, quam ad præsentationem Capituli contulit Augustodunensis Episcopus duobus Clericis, jura Synodalia Episcopo per annos singulos persoluturis, Capitulo autem censum quinque solidorum. *Per consensum Canonicorum, duo Clerici teneant, dum advixerint, ea ratione, ut Synodalia persolvant debita, & censum quinque solidorum usibus Canonicorum inferre non negligant.*

Append. ad Regin. Baluz.

XI. Constat tamen longè maximam Capellanorum partem, eorum fuisse, qui non ordinabantur, nisi ut ministerio alligarentur privatorum Oratoriorum, ubi Magnatibus sacra facienda erant. Concilium Ticinense anni 850. eorum pietatem laudibus prosequitur, qui cùm carere non posse sibi viderentur Oratoriis domesticis, non id sibi tamen sumebant, ut Presbyteros ipsi deligerent, sed ab Episcopo expetebant. *Docendi sunt sæculares viri, ut si in domibus suis Mysteria divina jugiter exercere debeant, quod valde laudabile est, ab his tamen tractentur, qui ab Episcopis examinati fuerint, & ab ordinatoribus suis commendatitiis litteris comitati probantur, &c.*

Can. 18.

XII. Vereor ut hac modestiæ laude affici tunc potuerint Galli nostri, qua Synodus hæc Italos ornavit. Agobardi enim Lugdunensis Archiepiscopi calamo exarata superest miserabilis imago seu tabella contumeliarum atque probrorum, quibus regium Christi sacerdotium in his Optimatum Capellanis dedecorabatur. Erant & non magni nominis, quos juvaret, Capellanos habere, eosque vilissimis ministeriis per summum dedecus mancipare. *Quando increbuit consuetudo impia, ut pene nullus inveniatur anhelans, & quantulumcumque proficiens ad honores & gloriam temporalem, qui non domesticum habeat Sacerdotem, non cui obediat, sed à quo incessanter exigat licitam simul atque illicitam obedientiam, non solum in divinis Officiis, verùm etiam in humanis.* Si impietatis erat, tam sancti Sacerdotii ministros in ostentationem vanissimæ hominum superbiæ habere: quid turpissima ab illis extorquere & infanda obsequia? Ita enim mox Agobardus: *Ita ut plerique inveniantur, qui aut ad mensas ministrent, aut vina misceant, aut canes ducant, aut caballos, quibus fœmina sedent, regant, aut agellos provideant.* Cùmque quidquid erat Clericorum pietate & doctrina spectabilium, ab hac obsequiorum turpitudine vehementer abhorresceret, non magnopere vicissim solliciti erant Laïci nobiles de probitate vel eruditione eorum, quos ab Episcopo sibi Capellanos dari flagitabant: servum, mancipium, rusticum quemlibet id muneris implere posse facilè sibi persuadebant. *Quando illos volunt ordinari Presbyteros, rogant nos, aut jubent dicentes, Habeo unum Clericionem, quem mihi nutrivi de servis meis propriis, aut Beneficiariis, aut pagensibus, volo ut ordines eum mihi Presbyterum.* His omnino subnixi præsidiis, minimè necessarium sibi fore existimabant communes adire Ecclesias, ubi & divinis Officiis & verbi prædicatione aleretur. *Ut habeant Presbyteros proprios, quorum occasione deserant Ecclesias, Sermones & Officia publica.*

Agob. Epist. ad Bernar. Corpus. de privileg. & jure Sacerd.

---

## CAPUT XCVI. *P. 3. l. 1. c. 47.*

### Græcorum Disciplina circa Oratoria, & Altaria portatilia tempore Caroli Magni, & ejus stirpis.

*I. Statuta ad extruendas Capellas in Oriente, sive Oratoria.*
*II. Baptismum ibi, & sacra mysteria celebrabantur inconsulto Episcopo.*
*III. Etsi eo contradicente nemo id posset.*
*IV. Græcorum & Latinorum mores legesque ea in re comparantur.*
*V. Non poterat Episcopus celebrare mysteria, nisi in Ecclesiis dedicatis.*
*VI. Paucioribus quàm tribus Monachis non poterat extrui Monasterium.*
*VII. Nec Oratoria, nec Capellæ consecrabantur ab Episcopis, nec Reliquiæ Martyrum ibi recondebantur, quod id totum suppleret Mappa sacra.*
*VIII. Mappæ sacræ Altarium portatilium loco erant. Erant autem fragmenta mappæ Altaris consecratæ.*
*IX. Capellani & Eleemosynarii Imperatorum ruri & mediis in agris sacra faciebant.*
*X. Nova Decreta, ne Oratoriorum multitudine deplerentur Ecclesiæ.*

I. IN hoc conseremus caput leges moresque Ecclesiæ Græcæ in eorum complura, quæ modo pertractata fuere. Observavit Photius in Nomocanone, per Novellas Justiniani non licere vel Oratoria construere, vel Capellas, εὐκτήρια ἢ ἐκκλησίας: nisi priùs conveniretur cum Episcopo de donatione necessaria ad luminaria Ecclesiæ, ad Missarum celebrationem, ad reparationes ædificiorum, ad Ministrorum stipendia. Primùm Episcopus defigebat crucem cum solemni precum formula: si ante absolutum opus vita migraret Fondator, Oeconomi Ecclesiæ jure agebant cum hæredibus, ut perficeretur. Poterat & privatum quisque præterea Oratorium sibi privatim ad fundendas preces adornare: at si Missas ibi celebrari faceret, non impetratis ab Episcopo Ministris, cedebat domus in fiscum Ecclesiæ.

Nomocan. Tit. 3 c. 14.

II. Concesserat Trullana Synodus, ut in Oratoriis his domesticis & tingere liceret & sacra facere, dum id fieret cum consensione Episcopi, qui ad id delegabat Ministros Ecclesiæ Cathedralis. Leo Sapiens Presbyteris quibuscumque indulsit, ut in istiusmodi Oratoriis domesticis possent & Baptismum conferre & rem divinam facere; illud nimirum obtendens, Canone Trullano obvium fuisse vel Laicis qui se Presbyteros, vel hæreticis qui se Catholicos fingerent, ideoque hanc cautelam adhibitam fuisse; at suo nunc ævo extinctas esse omnes hæreses? *Cùm nunc divina gratia omnes perversæ opiniones sint profligatæ:* nec verendum esse jam, ne patresfamilias deludant Laïci, ac se pro Presbyteris venditent: ideo æquum esse ut ea sacra munera quibusvis permittantur Presbyteris, præsertim cùm jam non Optimates tantùm, sed & mediocris sortis homines Oratoria habeant domi, nec omnes tamen possint impensas facere proprii Presbyteri. *Si quidem cùm divina gratia in omnibus non modò potentiorum, verùm etiam tenuiorum domibus sacraria Deo erecta sint; & verò sumptus reliquaque ad rem familiarem necessaria, Sacerdotibus non possint similiter ab omnibus suppeditari.* Ex quo contingere ait ille, ut nec adsint complurimi Mysteriis, nec pro memoria Defunctorum offeratur. *Persæpè divinorum Mysteriorum expertes manent, & sacra delubra sacrificiis defraudantur; quin verisimile etiam est, nonnunquam defunctorum memoria instante, ob defectum Sacerdotis præsentem, memoriæ diem nullo sacrificio facto elabi.*

Can. 31.
Novel. 4. & 15.

III. Post has itaque Leonis Constitutiones jam nil necesse fuit interpellari Episcopum, ad habendos Presbyteros qui his in Oratoriis rem divinam facerent. Scitè tamen monet Balsamon abdicandum fore eum, qui contradicente Episcopo sacris ibi operaretur. Ubi verò non intercedebat Episcopus, tacitam licentiam hanc ejus interpretandam esse, non solo ex silentio, sed ex mappis sacris, id est ab Episcopo consecratis, quibus in Oriente necesse erat Altaria contegi, quæ consecrata non fuissent, ut Mysteria celebrarentur. Ideo enim, ut ait ille, invectus est usus harum mapparum, quæ instar habent Altarium portatilium, quippe quas Episcopus consecrat, ut eo documento constet nusquam celebrari Mysteria, nisi ex ejus consensione. *Sed quamvis hæc sic habeant, si quis à regionis Antistite sacrificare vel baptizare in Oratorio prohibitus fuerit, is verò qui tale quid fecerit, deponetur, nec ei Novellæ proderunt. Is autem qui non est expressè prohibitus, videtur etiam tacitè ex Episcopi sententia hoc facere. Propterea enim, ut est verisimile, excogitata sunt superaltaria ἀντιμίνσια, & fiunt ab Antistibus regionis, ut ponantur supra sanctas mensas Oratoriorum, & sufficiant, ut ostendatur ex Episcopi permissione fieri sacrificium.*

In Can. 31. Trull.

IV. Hæc profectò Orientalis disciplina ab Occidentali magnopere discrepabat. Non multùm laboratur, ut omnes ad majores confluant Ecclesias; non

non pia vis illa infertur, ut Parochialibus intersint Missis: multiplicationi Oratoriorum privatorum suffragantur Episcopi Synodique: Baptismus etiam in eis celebratur: ut Presbyter quilibet ibi celebret, abundè est, ut ne refragetur Episcopus. Si quis volet hæc remissioni imputare Græcorum, per me licebit. Sed si quis seriò pensitet, Græcos constantissimè retinuisse priscam legem usumque receptissimum unius Altaris in una Ecclesia, & unius Missæ quotidie in una Ecclesia & ad unum Altare: facilè advertet difficillimum fuisse, cùm hæc ita se haberent, ut singuli diebus singulis rei divinæ interessent. Itaque quibus affluebant opes, Oratoria domi habebant, & ad ea vel addictos vel invitatos Presbyteros. Latini religiosiores fuere in prohibenda, sive Oratoriorum, sive privatim sacrificiorum infinita quadam multitudine: sed à primigenia unitate & Altaris & sacrificii in Ecclesia qualibet, plurimùm recesserunt. Nec diffiteor hanc sacrificii & Altaris unitatem eo in exordio rerum institutam fuisse, cùm & magna fidelium esset paucitas. Sed & illud quoque Græcis in sui patrocinium in mentem venire poterat, coitionem omnium fidelium in unam Matricem Ecclesiam, sive Cathedralem, sive Parochialem, eorumque assiduitatem ad solemnem & Parochialem Missam, jam non perinde facilem esse, postquam fidelium numerus in immensum quodammodo cumulum excrevisset. In hac morum & sententiarum diversitate fruetur suo quisque judicio; & qui jure tenacissimus erit suæ gentis morum, alterios contrarios usus non ideo forsan cogetur graviori censura perstringere. Græci mordacissimè retinent priscam consuetudinem, innumeras & Ecclesiolas & Capellas habent, unam in singulis una die Missam. Unde & minùs solliciti sunt de cogenda ad Parochiales Ecclesias & Missas universa fidelium multitudine.

V. Memorandum prorsus est, quòd cùm in Oratoria privata tantopere Græci propenderent, non in eis tamen unquam ipsi Episcopi rem divinam faciebant: ne eo majestas vilesceret & obscuraretur

In Can. 57 Synodi VI. Pontificalis apicis. *Caterùm Antistites sacra non faciunt in Oratoriis quæ non sunt dedicata, quoniam Antistitis authoritas dignitasque deprimitur, si non sit templum in quo apostolicè collocatur, &c.* Ita Balsamon. Quin immo abdicandos censebant aliqui Episcopos, si qui eorum sacra Mysteria in his Oratoriis celebrassent. At efferviscentis zeli æstum repressit Lucas Patriarcha, declaravitque mitiori pœna quàm abdicatione expiari posse illud, quidquid erat culpæ in Episcopis dignitatis suæ incuriosis. *Alio modo talem puniendum, sed non per depositionem.*

VI. Docet alibi idem Balsamon, qui extruendum adgrederetur Monasterium, præter expensas Fabricæ, providendos ei sumptus esse, tum ad sui ipsius, tum ad trium saltem Monachorum alimenta; cùm tres saltem Monachi debeant in quodlibet

In Can. 17. Synodi VII. Monasterium adgregari. *Sed quia Monasterium à tribus ad minimum Monachis constituitur, cogetur, &c.* Quod ille confirmat ex Novella Leonis Sapientis. Addit non ita rem se habere in Oratoriorum dota-

Novel. 54. tione, quam ipse præfinit Episcopus. *Cogetur offerre quod satis est ex Episcopi examinatione.* A multis etiam ea construi inconsulto Episcopo. Constantinopoli tantùm id vigere, ut non sinat Carthophylax extrui Ecclesiam extra urbem, nisi assignatis necessariis omnibus proventibus.

VII. Nil mirandum porro ait Balsamon, si ab Episcopo non dedicentur Oratoria, vel Capellæ; nec eò inferantur sacra Martyrum pignora: quòd ea nimirum suppleantur omnia mappis iis quæ ab Episcopo in dedicatione alicujus Ecclesiæ consecratæ sint. Itaque mappæ hujusmodi sacræ instar habent Altarium mobilium & facillimè portatilium. Ideo & Antimensia vocantur, quòd repræsentent sacram illam mensam, in qua cælestis Agnus immolatur. *Propterea enim Antimensia appellata sunt, quòd multas hujusmodi mensas exprimant & referant, quæ sanctam dominicam mensam perficiunt.* Ideo & Synodus VII. de Templis & Ecclesiis agit, non de Oratoriis, cum jubet Martyrum Reliquias in ea inferri, quæ hæretici dedicarant sine his pignoribus; jubetque in posterum exauthorari Episcopos, qui sine Reliquiis Martyrum Ecclesias dicarint. Can. 7.

VIII. In Orientali Jure observatur etiam, 1. Has sacras in usu etiam fuisse mappas in navibus, ubi Oratoria erigebantur, & tum in iis Liturgia & Baptismus celebrabantur. *Vel in domuncula navigii alicujus, Deo dedicata, sacrisque imaginibus ornata.* 2. Definitum fuisse à Patriarcha Nicephoro, posse Iuris Orien. has mappas ab una sive Diœcesi, sive Provincia To. 1. p. 29. transferri in aliam, sicut & sanctum Chrisma. 3. Etsi per incogitantiam abluerentur, nihil deteri, minuique de earum consecratione. 4. Has sacras mappas, sive hæc Antimensia segmenta ejus esse, quo integebatur Altare, dum consecraretur. *Antimensia* Ibid p. 239. *scimus facta, postquam Antistes per se operatus fuerit dedicationem, & ex panno substrato, ac circumvolvente mensam, in frusta dissecto, & picto, Sacerdotibus dari; nec posse sine his sacrificare.* 5. His mappis integebant Altaria quæ consecrata non fuerant, aut de quibus incertum esset, an fuissent. *Antimensia non in omnibus sanctis mensis poni necesse est, sed in iis de quibus incertum est, consecrata sint, necne.* 6. Docet Ibid p. 330. denique Joannes Episcopus Citri in Responsionibus ad Cabasilam, vocem illam *Antimensia*, Græcis usitatam, à Latinis profectam fuisse, nempe à voce *mensa*; eorumque consecrationem hinc ortam, quòd in iis incruenta hostia immolata esset primis septem diebus Ecclesiæ consecrationis. Eo enim tantùm tempore nova comparari poterant.

IX. Hactenus de Græcorum Altaribus mobilibus, & Oratoriis domesticis, de Mappis sacris & Antimensiis; quorum pleraque à Balsamone confirmata sunt, ut quæ suo adhuc tempore essent in usu. Addit autem & ibidem ipsemet, ab Presbyte- Ibid p. 369. ris & Clericis Capellæ Imperatoriæ celebrari divina Mysteria mediis in agris, quocumque opportunum esset loco, sub tentorio quodam sacro. *Sic enim & Clerici qui sunt in Imperatorum comitatu, in campis solitariis sacra ritè facere censentur, sub solo bombycino, quod est Ecclesia destinatum, tentorio.*

X. Quod attinet autem ad plebem quæ à Parochialibus Ecclesiis abstrahebatur, remedii aliquod afferre enixus est Alexis Patriarcha, vetitis Magna- Ibid. p. 459. tibus, quantiscumque demum à Patriarchis vel Episcopis donati essent privilegiis, ad Oratoria sua turbas hominum admittere, aut baptismata ibi celebrare, aut divina Officia, præter sacra Mysteria, quæ Festis ibi diebus Dominicisque peragi possint.



## De Defensoribus.

### CAPUT XCVII. *P. 2. l. 1. c. 56.*

### De Defensoribus per quinque priora Ecclesiæ sæcula.

*I. An in Oriente ex Minorum Clericorum classe deligerentur Defensores?*
*II. Erant plerumque Presbyteri.*
*III. In Occidente Laici primùm fuere, qui & ab Imperatoribus Christianis postulati sunt, ad causas agendas Ecclesiæ & Pauperum.*
*IV. Deligebat eos Episcopus.*
*V. Erant ante in civili politia Civitatum Defensores.*
*VI. Novis argumentis evincitur, ex Laicis primùm delectos fuisse.*
*VII. Postea ad eam dignitatem asciti non sunt, nisi Minores Clerici.*

I. AD eos jam pergendum nobis est Beneficiarios, qui ex Officiis sibi delegatis, nomen dignitatemque sortiti sunt. Agmen ducent Defensores quorum Dignitas in Oriente Presbyteris plerumque mandabatur. At non ita Prioribus
*Hæresi. 72.* sæculis. Profert enim Epiphanius Confessionem fidei, cui Clerus subscripserat Ancyranæ Civitatis, ubi post quatuor Presbyteros, Diaconum, Subdiaconum & Lectorem unum, subscripserat & Defensor. Græca certè vox προστάτης non parum distat ab illa, qua in Conciliis designatur Defensor, ἔκδικος. In Concilio Ephesino memoratur Presbyter Antiochenus Asphalius, qui Ecclesiæ Antiochenæ Defensorem apud Regiam urbem agebat. ἐκδικεῖ δὲ ἐν Κωνσταντίνου πόλει τὰ πράγματα τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας. Curabat
*Act. 5.* enim ille Constantinopoli res causasque tum pauperum, tum Ecclesiæ civitatis Antiochenæ.
*Act. 2.* II. In Concilio Constantinopolitano sub Flaviano, quod & in Calchedonensi perlectum est, idem habes de Joanne Presbytero & Defensore. *Presbyter & Defensor Joannes.* ἔκδικος. Ipsa Calchedonensis Synodus Defensori Ecclesiæ Constantinopolitanæ præcepit, ut urbe abigeret Clericos & Monachos omnes vagantes, erronesque, primùm
*Conc. Calched. Act. 1. Can 23.* præcepto, inde vi quoque adhibita. Hinc quæ partes essent Defensorum, quæ munera, utcumque colligitur.

III. In Occidentali verò Ecclesia præcepit Milevitanum Concilium, ut ab Imperatore postularentur Defensores, in causis agendis versati, ut ante Tribunalia Judicum causas Ecclesiæ actitarent.
*Conc. Milev. Can. 16.* *Placuit ut petatur à gloriosissimis Imperatoribus, ut jubeant judicibus, dari petitos sibi Defensores Scholasticos, qui in actu sint, vel in officio defensionum causarum Ecclesiasticarum, more Sacerdotum Provinciæ, ut iidem ipsi, qui defensionem Ecclesiarum susceperint, habeant facultatem pro negotiis Ecclesiarum, quoties necessitas flagitaverit, vel ad obsistendum callidè decipientibus, vel obrepentibus, vel ad necessaria suggerenda, ingredi judicum secretaria.* Erant hi ergo causarum Ecclesiæ Patroni & Pauperum Advocati. Quod & à Conci-
*Conc. Carthag. 5 c. 9. Conc. African. c. 48. 69.* lio V. Carthaginensi confirmatur. *Ab Imperatoribus visum est postulandum, propter afflictionem pauperum quorum molestiis sine intermissione fatigatur Ecclesia, ut Defensores eis adversùs potentias divitum cum Episcoporum provisione delegentur.*

IV. Simillimum ergo veri est, cùm summopere abhorrescerent Clerici, & à litibus, & Tribunalibus Judicum secularium, etiam tum cùm sua res agebatur, propter eminentissimam quandam Clericatûs sanctimoniam: cúmque pauperes, orphani, viduæ omnibus humanis præsidiis destituerentur ad causas suas, seu civiles, seu criminales defensitandas: Episcopis tandem eam insedisse animo sententiam, ut Defensores & Patronos à Christianis jam Imperatoribus exorarent, ut & adversùs potentum vim, & adversùs partium astutiam fraudulentiamque, cùm Clericis, tum pauperibus adminiculo essent. Utrumque necesse erat, quò res procederet: ut Defensores & sub Imperatoris nutitione essent, & ab Episcopis deligerentur. *Petatur ab Imperatoribus. Cum Episcoporum provisione delegentur.*

V. Horum Ecclesiæ Defensorum forma prælnxerat quædam in Defensoribus Civitatum, de quibus tam crebra mentio in Codice: *De Defensoribus Civitatum.* In minoribus urbibus vicem quodammodo gerebant Tribunorum plebis, ea potestate freti, ut causas, seu civiles, seu criminales, ipsi quidem minusculas dirimerent, majores ad Magistratus referrent.

VI. Constat quidem Defensores istiusmodi in Occidente Laïcos primùm fuisse: cùm & ab Imperatoribus impetrentur, & ut in causis forensibus versati sint desideretur: *Scholasticos, qui in actu sint:* utque *Ingrediantur Judicum Secretaria.* Quod Episcopis, & maximè Africanis non videbatur consentire cum sanctimonia Clericalis professionis. Denique apertissima sunt hæc Zosimi Papæ verba: *Sanè* *Epist. 1.*
*ut etiam Defensores Ecclesiæ, qui ex Laicis fiunt, supradicta observatione teneantur, si meruerint esse in ordine Clericatus.*

VII. At posterioribus sæculis certum est eos ex Clero adscitos fuisse, sicut & in Oriente. Nec enim Calchedonensis Synodus ea potestate laïcum Defensorem munisset, ut Clericos urbe exigeret. Denique vetitum est eadem in Calchedonensi Synodo, ne pretio crearentur, non Episcopi tantùm, & Chorepiscopi, Presbyteri, Diaconique, aliique ex Clero quicumque, τῶν ἐν τῷ κλήρῳ: sed etiam Oeconomi, Defensores, Mansionarii, aliique omnes Canoni, seu Matriculæ adscripti: ἢ ὅλως τινὰ *Can. 2.*
τοῦ κανόνος. Atqui Oeconomi in Oriente non erant nisi ex Clericis. Ergo idem & de Defensoribus sentiendum. Cœpit Gelasius in Occidente minoribus Clericis Defensores accensere. *Continuò Lector vel Notarius, aut certè Defensor effectus, post tres menses existat Acolythus.* Si constet fides Actorum, quibus proditur sanctus Sebastianus Defensor Ecclesiæ creatus esse, ea tum voce aliud nescio quid significabatur.

### CAPUT XCVIII. *P. 2. l. 1. c. 40.*

### De Defensoribus & Vice-Dominis sæculo VI. VII. & VIII.

*I. Defensores verò Beneficiarii erant.*
*II. Præponebat illos Papa tuendo patrimonio Romanæ Ecclesiæ.*
*III. Et innumeris aliis muneribus multo etiam majoris momenti.*
*IV. Sed proprium eorum Officium erat, tueri pauperes.*
*V. Communia illis voluit esse Gregorius Magnus privilegia Collegii Notariorum, vel Subdiaconorum.*
*VI. Idem usus sub proximis Pontificibus.*
*VII. Non multo post ad Clericatum provecti fuere.*
*VIII. De Defensoribus in Oriente.*
*IX. Eorum Officia.*
*X. De Defensoribus Civilibus cujusque Civitatis.*

*XI. Quantum aversarentur Episcopi Tribunalia sæcularia, ac ipsi eis se sisterent.*

*XII XIII XIV. De Vice-Dominis, & Majoribus domûs.*

I. NOn ultimo sedebant loco Defensores inter Ecclesiæ Ministros, nec minima eorum erat, tum gloria, tum potestas. Certè inter Beneficiarios Ecclesiæ recensebantur, cùm Gregorius Magnus certior factus, Fantinum Defensorem à Joanne Monacho hæredem ex semisse institutum esse: passus est quidem ut hæreditatem adiret, at vetuit, ne quid à quoquam in posterum acciperet, L. 1. Ep. 42. sed stipendiis Ecclesiæ contentus esset. *Contestare eum, ut hoc facere ulterius non præsumat. Sed pro labore suo statue quid accipiat, ut ei vacuus suus labor esse non debeat; & hoc meminerit, ut qui Ecclesia stipendiis subsistit, ad lucra propria non anhelet.*

II. Commendabat non raro hic idem Pontifex Defensoribus curam & custodiam Patrimonii Ecclesiæ Romanæ. Unde cùm Defensor urbicus obiisset, magno ære alieno obligatus Ecclesiæ, cui ne totum quidem ejus patrimonium par esset; patrimonium quidem ejus liberis fruendum concessit L. 2. Ep. 21. Gregorius, at nomina debitaque Ecclesiæ omnia oblitteravit, ut nihil hinc negotii creari illis unquam posset.

III. Sed erant & majoris momenti Officia, in quæ Defensores vocarentur. Cùm Abbatiæ cujusdam res ab Abbatissa essent dilapidatæ, delegavit Pontifex Fantinum Defensorem, ut vel ab ea, vel aliunde scrutaretur, in quorum manus res venis- L. 4. Ep. 4. sent Ecclesiæ. Abjecerat Religionis habitum Monacha, ut fallaces sæculi delicias sectaretur: rescripsit ad ejus Episcopum Gregorius & ad Sergium Defensorem, ut eam cogerent & vesti se, & Mona- L. 7. Ep. 9. 10. sterio priori, & Professioni sacræ reddere. Fantino Defensori rursum præcepit, ut matronæ quæ *Ecclesiastica se petierat tuitione defendi*: nulla re, nullo L. 7. Ep. 84. deesset officio adversùs duos potentes viros, à quibus ita opprimebatur, ut nulla parte rerum suarum frui posset: commendans, ut aut ad concordiam illorum animos inflecteret: aut arbitros eligi suaderet: aut quacumque ratione alia posset, eam tue- L. 7. Ep. 106. retur. Cùm Hydruntinus Episcopus Petrus nihil extundere posset à debitore, non ingrato tantùm, sed & insolentiore, mandavit Pontifex Sergio Defensori, ut debitoris contumaciam frangeret, compelleretque aut arbitros eligere, aut satisfacere Ecclesiæ. *Alioquin mora cessante ad electorum te compellente accedat judicium.* Episcopus Siciliæ Ecclesiam sponsam suam, quam debuerat ditare, exspoliaverat, & in privatum peculium detorserat quidquid Ecclesiæ reparationibus fuerat impendendum: præcepit Gregorius *Romano Defensori* Siciliæ, eam ut causam cum Episcopo Syracusano excuteret, & si furti convinci posset mercenarius Pastor, coge- L. 8. Ep. 1. ret eum ad plenissimam restitutionem: *Cum fratre & Coepiscopo Joanne Syracusano residens subtili inquisitione hujus rei veritatem rimamini, &c.* Basilius Episcopus Siciliæ multis se implicabat litibus, non sine gravissimo dignitatis inter Tribunalium laicorum tumultus & probra dispendio. Rescripsit ad eundem Romanum Defensorem Pontifex, ut eum compelleret suæ se reddere Ecclesiæ, utque ne inducias quidem quinque dierum ei concederet, ejusdem no- L. 8. Ep. 11. xæ alioqui affinis futurus ipse. *Perlatum est ad nos Basilium Episcopum velut unum de Laicis in causis sæcularibus occupari, & Prætoriis inutiliter deservire. Quæ res quoniam & ipsum vilem reddit, & reverentiam Episcopalem annihilat, statim ut experientia tua hæc præceptum susceperit, eum ita ad revertendum districta executione compellat, quatenus ei illic te insistente, quinque diebus sub qualibet excusatione immorari non liceat, &c.* Hæc verba *districta executione* apertissimè produnt, hos Apostolicæ Sedis Ministros, quamvis in minoribus tantùm Ordinibus constitutos, amplissima tamen & reformidanda munitos fuisse authoritate: ut executores mandatorum Pontificis, aut velut Administros Pontificis, qui *Executor* ipsa est & conservator Canonum.

Idem rursus emicabit in Epistola Gregorii ad Bo- L. 9. Ep. 74. nifacium Defensorem Insulæ Corsicæ, ubi duriùs illum objurgat, quòd passus esset vacare duas Sedes Episcopales; jubet ut quamprimùm eligi curet Episcopos, electosque Romam mittat: præcipit ut & constanter eorum reprimat audaciam, qui pauperes opprimunt, vel Clericos pertrahunt ad sæcularia judicia; ne quid ejusmodi posthac in Ecclesiæ libertatem peccari sinat: eos compellat, quibus res est cum Clericis, ad Episcopi judicium ut recurrant: aut si suspectum habeant Episcopum, ad eum arbitrum, quem vel Episcopus, vel ipsemet delegerit; cujus judicii ipsemet quoque cum Episcopo executor erit. Causas quoque Clericorum Defensoribus suis Gregorius delegabat, etiam apud Episcopos: eo tamen moderamine; ut nec præter jus quidquam, nec contra Episcoporum authoritatem molirentur. *Apud Episcopum non defensor culpæ,* Baron. an. 598. n. 18. 19. *sed potius intercessor existe. Ut uniuscujusque Episcopi reverentia, & Clericorum disciplina per defensionis tuæ experientiam minime solvatur.*

His delegationibus palam fit quo loco essent Defensores in Romana Ecclesia, ac proinde quo & in pretio ac honore essent in alia Ecclesia. Vehementiùs id etiam fortasse pervincet, quod hîc subjicimus. Episcopum Malacæ exauthoraverant Hispaniæ Episcopi. Querelis ejus excitatus est & ipse Romanus Pontifex. Ablegatus eò est à Gregorio Joannes Defensor, qui restaurato judicio Episcopum destitutum restituit Sedi pristinæ. authores verò abdicationis ejus abdicati ipsimet fuere. Rem paucis complexus est Joannes Diaconus in Gregorii vita. *Joannes Defensor ejus jussu in Hispanias Cognitor desti-* L. 2. c. 21. *natus Januarium Episcopum civitatis Malacitanæ, ab Episcopis suis comparrinis depositum, propriæ Sedi restituit, & depositores ejus cum eo qui in locum ejus obrepserat, pari sententia condemnavit.*

IV. Id genus erant ingentis omnino momenti negotia, quæ Defensoribus mandabantur, & ex quibus conjicere pronum est, quæ peritia, quæ gravitas eorum, quæ probitas esset. Quod autem pertinet ad Officia eorum stata & ordinaria, ea commemorat Gregorius in ea Formula, qua illos hac dignitate investiebat. *Si nulli conditioni vel corpori te-* L. 4. Ep. 25. *neris obnoxius, nec fuisti Clericus alterius civitatis, aut* L. 9. Ep. 33. *in nullo tibi Canonum obviant statuta, officium Eccle-* L. 7. Ep. 17. *siæ Defensorum accipias, ut quidquid pro pauperum commodis tibi à nobis injunctum fuerit, incorruptè & vivaciter exequaris, &c.*

In eum ergo finem instituti primùm fuerant, ut pauperes, & patrimonia tuerentur pauperum: at occasione data Romani Præsules eis delegabant causas alias longè plurimas, eisdem in Provinciis excitatas. Ideo & hic ipse Gregorius alibi profitetur Defensores haberi, tanquam universales Ministros & Executores Pontificiorum manda- L. 7. Ep. 17. torum: *Quia Defensorum officium in causis Ecclesiæ & obsequiis noscitur laborare Pontificum.*

V. Id Gregorium movit, ut cum Defensoribus

communicaret privilegia ea omnia, quibus Antecessores sui Notarios vel Subdiaconos cumulassent. *Ibidem.* *Constituentes, ut sicut in schola Notariorum atque Subdiaconorum per indultam longè retro Pontificum largitatem sunt Regionarii constituti; ita quoque in Defensoribus septem, qui ostensa sua experientia utilitate placuerint, honore regionario decorentur. Quos quolibet per absentiam Pontificis, & sedendi in conventu Clericorum habere licentiam, & honoris sui privilegia in omnibus statuimus obtinere.* Hic obiter adverte Notariorum & Subdiaconorum Romæ unum tunc fuisse Collegium, eadem privilegia. Ex quo illud quoque inferiùs declarabitur, Notarios plerumque Subdiaconos pariter fuisse: Primiceriumque Notariorum primum etiam honoris gradum inter Subdiaconos obtinuisse, adeoque supra Clericos minores omnes præcelluisse.

VI. Præiverat Gregorio Pelagius, & ipse quoque Majorum suorum premens vestigia. Defensores enim ille missitabat, tanquam Executores mandatorum Apostolicæ Sedis, tanquam Custodes immunitatis Clericorum, qui non possent ad alios pertrahi Judices, quàm ad Episcopos: denique tanquam verè Defensores authoritatis Episcoporum, ad inviolabilem Canonum observantiam. Hæc Pelagius ad Episcopos perscribebat, hæc inculcabat Defensoribus. *Collect. Romana Holsten. p. 236. 237.*

VII. Flagrasse Defensorum vota ad Clericatum, jam indicavit Zosimus Papa. Voti compotes non multò pòst facti sunt. Gregorius jam eos non in Clerum tantùm, sed in Subdiaconorum collegium & honores cooptavit. In eorum ordinatione id quoque exigebat, ne canonica ulla irregularitate retardarentur. *Si in nullo tibi obviant Canonum statuta.* Item ne cuiquam Ecclesiæ alteri suo Clericatu alligati fuissent: *Nec fuisti Clericus alterius civitatis.* Utque Clericorum causas cum Episcopis ventilarent, & ne paterentur à Laicis judicari Clericos. Denique contestatur Joannes Diaconus Gregorium à Pontificali Palatio Laicos omnes ablegasse, nec nisi Clericos habere posthac voluisse, qui sibi ministrarent, quos inter nominat & Defensores. Gregorius Turonensis in vita sancti Galli meminit Juliani Presbyteri & Defensoris. *Vita Patr. c. 6.* Retulit Baronius in annum 652. testamentum Hadoindi Episcopi Cenomanensis, in quo de Defensore ejus agitur.

VIII. Nec minùs perspicuum est, & Clericos, & plerumque majorum Ordinum Clericos fuisse in Ecclesia Græca Defensores. Constantinopolitanum Concilium sub Mena duos memorat Presbyteros, *Act. 1.* eosdemque Defensores Ecclesiæ Constantinopolitanæ. In Concilio Mopsuestiæ, cujus Acta relecta *Collat. 5.* sunt in Concilio V. Generali, Defensor occurrit, idemque Diaconus. In Concilio VI. Generali com- *Act. 8 10.* memoratur Diaconus Constantinopolitanæ Ecclesiæ, idemque *Defensor Navium*, πλοιεκδίκος.

IX. Officium Defensoris luculentè proditur ab *Cap. 5.* authore vitæ B. Joannis Eleemosynarii Patriarchæ Alexandrini. Ubi rescivit enim sanctissimus Patriarcha paterna charitate in omnes, maximè autem in pauperes æstuans, nonnullos eorum, quos divites tyrannica quadam potestate exagitabant, non posse adire ad sedem suam propter circumstantem Cancellariorum & Defensorum turbam: *& volentes adire eum, timore Cancellariorum & Ecclesiæ Defensorum, atque ei astantium prohiberentur:* statuit bis hebdomada qualibet obvium publicè præbere se omnibus accedere volentibus, unumque secum esse Defensorem; ut omnium ipse exciperet querelas, & quod ad eorum levamentum decrevisset, id confestim exequerentur Defensores; edita lege, ne antè quis eorum cibi quidquam degustaret, quàm executioni mandasset, quod ad egenos sublevandos imperatum sibi fuisset. *Quibus & confestim quod dignum erat, per Ecclesiæ Defensores faciebat, & præcipiebat, ut nemo eorum gustaret, quoad usque ordinarent Capitulum.*

X. Cùm affinitas non minima intercederet Ecclesiarum inter & Civitatum Defensores, de his præter ea quæ jam perstricta sunt, juvabit aliqua adnotare. Per leges Imperatorum Christianorum *Cod. l. 1. De Epis. aud. Leg. 19* non poterant eligi nisi Catholici; eligebantur autem ab Episcopis, à Clero, à civibus. Quibus in urbibus Judices non erant, Defensores Judicum *Novel. 15. c. 7.* vices obibant: & qui causas suas eis concredere detrectabant, judicium poterant subire Episcopi, *Cod. de Defensor. civit. Leg. 4.* vel Episcopi simul & Defensoris conjunctim. Defensor Civilis veluti pater erat communis pauperum, nullisque eos fatigari contumeliis sinebat. *Ut in primis parentis vicem plebi exhibeas, descriptionibus rusticos, urbanosque non patiaris affligi; Officialium insolentiæ, & Judicum procacitati salva reverentia pudoris occurras; ingrediendi cum voles ad judicem liberam habeas facultatem.* Quæ officia pietatis omnia, ut civilibus, ita & Ecclesiasticis Defensoribus incumbebant, ut liquebit ex Legum & Canonum, maximè Africanorum comparatione.

XI. Restat ut referam quod habet Possidius in vita Augustini. Ex alumnis ejus unus, ad Calamensis Ecclesiæ Episcopatum provectus, cùm Parochias suas visitationis causâ obambularet, irrumpentibus ex improviso in eum Donatistis spoliatus, sauciatusque est. Defensor Ecclesiæ ad Judicem publicum querelas deposuit adversùs Calamensem Episcopum partis Donati. *De qua re ne pax Ecclesiæ am-* *Cap. 12.* *plius impediretur profectus, Defensor Ecclesiæ inter leges non siluit.* Stetit Donatista judicio, negavitque se hæreticum. Tunc Catholicum quoque Episcopum sistere se necesse fuit, ut hæreticum revinceret. *Oborta est necessitas, ut recedente Ecclesiæ Defensore, à Catholico Episcopo resisteretur, & convinceretur quod esse se fuisse negaverat.* Ad hoc ergo imperrari ab Imperatoribus erant Defensores, quod Episcopi refugerent vehementer, ipsi Judices omnium à Christo constituti, sistere se hominum laïcorum Tribunalibus. Nec sanè Calamensis hic Episcopus comparuit, nisi inevitabili actus necessitate, ubi de fide agi cœpit.

XII. Non alibi forsan aptior se dabit locus agendi de Vicedominis, seu de Majoribus domûs. Idem videtur apud Gregorium fuisse *Vicedominus & Major domûs*, cui nimirum delegabatur præfectura Episcopalis ædis, ut in domesticos omnes invigilaret, hospitesque exciperet. Eam provinciam Anthemio *Subdiacono Campaniæ* demandavit Gregorius, ut Paschasium Episcopum cogeret eligere sibi Vicedominum & Majorem domûs: si verò diutiùs tergiversaretur, daret operam, ut eligeretur à Clero. *Volumus, ut memoratus frater noster Pascha-* *L. 9 Ep. 66.* *sius, & Vicedominum sibi eligat, & Majorem domûs, quatenus possit vel hospitibus supervenientibus, vel causis quæ eveniunt, idoneus & paratus existere. Si verò & negligentem eum prospicis, & ea quæ diximus implere differentem, omnis Clerus ejus adhiberi debet, ut communi consilio ipsi eligant, quorum persona ad ea quæ diximus valeant ordinari.* Quibus extremis ver- *L. 1. c. 54.* bis significatur, duo quidem diversa ea fuisse munera, sed conjunctissima. Moleste ferebat Pontifex

ea ab Episcopo ipso exerceri: *Qui per semetipsum sibimet Major domûs & Vicedominus permanebat*: ut habet Joannes Diaconus in Gregorii vita. Ejusmodi enim sunt Episcopi munia, ut totus in iis esse debeat, nec eis suffurari, quod in temporales curas dissipet studii otiique sui. Erat & Papæ suus Vicedominus, testante Anastasio Bibliothecario Vigilium Papam ex Sicilia Romam remisisse *Presbyterum Ampliatum, & Vicedominum suum*. Hic ergo & Presbyter erat & Vicedominus. At inter Epistolas sancti Bonifacii Germaniæ Apostoli una est ad eum scripta ab Episcopo, eodemque sedis Apostolicæ
Epist. 145 Vicedomino. *Benedictus Episcopus & Vicedominus sanctæ sedis Apostolicæ*. Episcopum hujusmodi functioni addictum haud facilè crediderim; sed apertiora sunt ea verba, quàm ut tergiversari liceat. Episcopatu forsan ille abierat. Certè Gregorius non facilè id probasset, qui usque adeo eum improbavit Episcopum, qui Vicedominus sibimet erat; quique rationem illam prompsit ejus rei improbandæ, quæ ubique eandem vim obtineat. Ad Protasium
L. 5. Ep 55. Aquensem Episcopum scripsit idem Gregorius, non posse non eum adprimè gnarum esse omnium quæ spectarent ad Episcopum & Ecclesiam Arelatensem,
Conc. Gall. cùm ibi olim Vicedominum egerit. *Qui in Ecclesia*
To. 1. pag. *ipsa tunc temporis curam Vicedomini gerebatis*. In Con-
509. cilio Rotomagensi in quo sanctus Aosbertus Episcopus Rotomagensis famoso privilegio donavit Monasterium Gemmeticense; post Episcopos &
Du Chesne. Abbates subscribit *Girardus gloriosus Vicedominus*
To. 1. p 683 *antefati magni Pontificis*; tum denique subscribunt tres Archidiaconi.

XIII. Regula Magistri strictim declarat, quid muneris Vicedomino, & Majori domûs incumbe-
Cap. 11. ret. *Sicut in hominis domo, ut securus sit de omnibus*
§. 11. *præparandis. Dominus rei ordinat Majores familiæ, quos Vicedomini Minores timeant, id est, Vicedominum, villicum, salutarium, & Majorem domûs. Sic in domibus divinis, id est, in Ecclesiis, &c.* Certum est ergo 1. multum cognatiorus fuisse inter hæc duo Officia. 2. Illa sæpius Clericos, immo & plerumque Presbyteros obiisse. 3. Officia hæc fuisse Ecclesiastica. Unde & in Gallia nobilissimi supersunt Vicedomini, sed Vicedomini Episcoporum.

XIV. Erat & suus, ut jam dixi, Summo Pontifici Vicedominus; cùmque aliis Episcopis nobilissimi quique Clerici Vicedomini essent, potuit & Papæ Episcopus aliquando aliquis id præstare obsequii. Zacharias Papa ad Luitprandum Longobardorum Regem Benedictum Episcopum Vicedominum suum
Baron. an delegavit, eum ut puto de quo paulò antè. *Benedi-*
743. n. 13. *ctum Episcopum & Vicedominum, atque Ambrosium Primicerium Notariorum*. Ita Anastasius Bibliothecarius. Nostrum non est tanti Pontificis gesta arrodere. Non tamen illi fiet injuria, si dicamus pluribus placere consilium Gregorii Magni, qui ejectis laïcis è Palatio Pontificio, subrogatisque in eorum vicem Clericis, neminem tamen in ministerio voluit habere Episcoporum, ut qui Episcopos non aliter quàm ut fratres veneraretur, utque Apostolicæ successionis cohæredes.

## CAPUT XCIX. *P. 3. L. 1. c. 53.*

### De Defensoribus & aliis Dignitatibus Ecclesiæ Græcæ. De Defensoribus & Vicedominis Ecclesiæ Latinæ, sub Imperio Caroli Magni stirpis.

*I. Quo distaret jurisdictio Chartophylacis & Defensorum.*
*II. Jura Defensorum Laicorum.*
*III. Erant adhuc & Ecclesiastici Defensores.*
*IV. Quæ majores essent Dignitates Ecclesiæ Constantinopolitanæ.*
*V. Iidem illis impensi honores, qui Dignitatibus Imperii*
*VI. Nemo poterat iis nisi judicio Canonico spoliari.*
*VII. Unde hæc cum sacris Ordinibus confusio.*
*VIII. Poterat tamen Episcopus amantiores ignavo otii Clericos cogere, ut hæc Officia obirent*
*IX. Aliter Ordines, aliter Dignitates conferebantur.*
*X. Numerus Dignitatum in Ecclesia Constantinopolitana.*
*XI. De Doctoribus.*
*XII. De Defensoribus Ecclesiæ Latinæ.*
*XIII XIV. XV. De Vicedominis. Eorum Clericatus & officia.*

I. GRavissima Balsamonis ævo exarsit contentio inter primum Defensorem, *πρωτέκδικον*, & Carthophylacem, super causis Clericorum & Monachorum, eorumque peregrinationibus, quarum Judicia ad se Defensor pertrahebat, cùm hactenus ea vindicasset sibi Chartophylax. Tuendas sibi Balsamon sumpsit Chartophylaris partes, ostendit que Defensoris jurisdictionem eos tantùm amplecti posse, quorum libertas periclitabatur, vel qui ad asyla Ecclesiæ confugissent. *Ut iis qui opem Ecclesiasticam libertatis causa implorant, per jurisdictionem suam subveniat, ac reliquorum ad Ecclesias confugientium causas tueatur.* Canonem certè Cal- Jus Orient.
chedonensis Concilii, quo potissimum Defensor To 1 pag.
nitebatur, ad Defensores ille laicos detorsit, cùm 456. &c.
ex Clericis necdum ulli essent, cùmque nec Carthaginenses Canones nisi de Laicis agant Defensoribus, nec aliam eis Provinciam demandent, quàm tuendorum pauperum. Ex antedictis patet quàm in multis hic allucinetur Balsamon.

II. Docet autem idem ipse alibi, Novellis Jus- In Con 78.
tiniani concedi Episcopis, Clericis, & spectabilio- Carthag.
ribus laicis electionem Defensorum ad minores causas dirimendas, seu criminales, seu civiles, ad patrocinandum pauperibus adversùs potentes, & ad retundendos publicorum vectigalium exactores, quando præscriptas sibi prætergrediuntur metas. *Et reprimant publicorum exactores, qui plusquam par est exigunt.* Laici erant hi Defensores, biennio exhausto expirabat eorum potestas, quæ omnino tandem sublata est. Patriarcha tamen Constantinopolitanus non cessavit à creandis Defensoribus & à Magno Defensore eis præficiendo: cùm reliqui Episcopi Magnum tantummodo sibi crearent Defensorem. Quæ rursum omnia privilegia Justiniani Novellis concessa, abolita fuere. *A solo Constantinopolis Episcopo σφραγίζονται, Characterem accipiunt Defensores, & qui primi Defensores dicuntur. A reliquis autem Antistitibus soli primi Defensores.* Tota Magni Defensoris potestas ad causas libertatum coarctata est. *Solus primus Defensor sanctissimæ Dei magnæ Ecclesiæ & qui ei subsunt Defensores, solas libertatum causas judicant.* Jura reliqua omnia, quæ sibi vendicabant Defensores, eo uno nitebantur errore, quòd non satis animadversa esset distinctio Defensorum Laïcorum, de quibus agit in Novella sua

Justinianus, à Clericis, qui ex Clero asciscebantur.

III. Illud forsan in causa est, cur ut laïci Defensores à Clericis secernantur, in Concilio Generali VII. Photinus qui scriptis mandavit vitam Joannis Jejunatoris, dicatur Presbyter & Ecclesiasticus Defensor: ἐκκλησιέκδικος. In VIII. quoque Synodo persæpè Presbyteri iidem sunt & Defensores.

*Act. 4.* *Act. 2.*

IV. Compertum tamen illud est, inter majores Ecclesiæ Constantinopolitanæ Dignitates locum non fuisse Defensori Magno. Quinque erant ejusmodi Dignitates, quas Balsamon comparat quinque sensibus, quibus Ecclesiæ Caput illustratur. Exocatacælos vocabant, & eo loco pretioque ii erant apud Patriarcham Novæ Romæ, quo Cardinales apud Pontificem Romanum. Hoc ordine à Balsamone recensentur: Magnus Oeconomus, Magnus Sacellarius, Magnus Sacrista, Chartophylax, & Sacellarius: ὁ μέγας οἰκονόμος. ὁ μέγας σακελλάριος. ὁ μέγας σκευοφύλαξ. ὁ χαρτοφύλαξ. ὁ σακελλίου. Curabat Magnus Oeconomus terras fundosque Ecclesiæ. Magni Sacellarii curæ commendatum erat regimen Monasteriorum urbis Constantinopolitanæ, & Petæ, quæ Tertia decima erat Urbis regio. Magnus Sacrista, seu Scevophylax curæ suæ credita habet vasa sacra, & Reliquiarum Thecas pretiosissimas. Sacellarius in Ecclesias, & in Emphyteoses invigilabat. De his sigillatim suo postea loco.

*Iuris Orien. pag. 456.*

Vel ipsa vox Magni Scevophylacis argumento est plures fuisse sub hoc Duce & Principe. In Concilio VII. mentio habetur Monachi, qui Diaconus erat, Notarius, & Scevophylax Oratoriorum quæ immediatè suberant Patriarchæ potestati. Inter Epistolas Photii, sunt quæ inscribantur Archiepiscopo Scevophylaci.

*Act. 4.* *Epist. 95. 127. 181. 184. 210.*

V. Porro Ecclesiæ Constantinopolitanæ Dignitates contendit Balsamon iisdem & privilegiis gaudere & honoribus quibus & Imperii Dignitates, cùm Constantinus Romanam Ecclesiam ea decorasset prærogativa. *Statuit licere Papa Romano iisdem dignitatibus suos honorare Clericos, quibus etiam Imperator eos qui sibi subsunt; & esse sacram Synodum, qualem & Senatum Imperatorium.* Addit autem non posse idem juris arrogari Ecclesiis aliis, seu Patriarchalibus, seu Metropolitanis, quòd nonnisi Nova Roma Veteris Privilegia jure sibi vendicet. Labaret hæc doctrina fiduciaque Balsamonis, si sola niteretur Constantini donatione. Sed à vero non abludit, iterum enim iterumque illud inculcari necesse est, Clerum Novæ Veterisque Romæ his privilegiis omnibus gavisum jamdiu antè fuisse, quàm hæc Donatio è tenebris emergeret; unde & tantum illi authoritatis confestim fideique conciliatum est: cùm tanti interesset, & ad sacras & ad civiles Dignitates, non tantum repente mutationis atque innovationis permissum esset Donationi hactenus inauditæ. Sed cùm res jam ita comparatæ essent, & earum origo esset incomperta, facilè adducti sunt homines, ut illud quidquid erat laudis, Constantino imputarent, à quo tam multa scirent ornamenta in Ecclesiam esse profecta. Itaque non commentitia Donatio Clerum his cumulavit honoribus: sed longa Ecclesiarum possessio fictitiæ Donationi speciem aliquam veri fidemque aliquandiu conciliavit.

*In Nomoc. Phot. Tit 2. c. 36. Tit. 8. c. 1.*

VI. Sacræ hæ Dignitates vocabantur à Græcis ὀφφίκια, ἀρχοντικά, ἀξιώματα. Qui iis instructi erant, non Episcopi nutu, sed judicio dumtaxat canonico abdicari poterant. Id commune illis erat cum Ordinibus sacris, quibus ferè hærebant adhuc indivulsè. Nec fas erat Episcopo contumeliam eam illinere ei, qui dudum dignitatis alicujus compos esset, ut alium quemquam ei præponeret juniorem. Non desultorio hominum arbitrio, sed constantissima Canonum, Legum, meritorumque regula, hæc omnia regebantur. Audiendus est de his Balsamon, præclarissimè, quanquam paulo prolixiùs disputans. *Nota quod Episcopis datum est Clericos suos ad majores gradus provehere, non autem ad minores deprimere. Quemadmodum nec ipsos ignominia afficere, in sacrorum graduum confundendis ordinibus, & eum qui fuit heri fortasse Magistratus, supra omnes antiquiores Magistratus collocando, vel eum qui ne fuit quidem omnino Magistratus, per promotionem in majori loco constituendo. Similiter nota quod Ecclesiastica Officia non sunt Episcoporum potestatis, ut dicunt nonnulli, sed Canonum authoritatis & dignitatis, sicut nec reliquorum Ordinum jura, scilicet Diaconorum, Sacerdotum, & reliquorum. Nisi enim ita esset, non cum distinctione, scilicet propter inobedientiam, Clerici suis gradibus exciderent: sed seu bene, seu malè, quando vellent Episcopi hoc fieri. Hoc autem sanctis Patribus minimè visum est. Praterea nota, quod nulla est differentia Clericatûs & Officii. Ex eadem enim causa movetur, qui habet Officium, ex qua Sacerdos & Diaconus.* Cùm porro Cleri nomine Monachos etiam contineri idem Balsamon velit, eadem quoque ipsa omnia ad Monasticas dignitates porrigi debere contendit: *Praterea nota quod quoniam sub Clericorum nomine etiam Monachi continentur, rectè accipietur Canon etiam ad Ministros Monasteriorum.*

*Balsam in Can. 7. Synod. VI In Synod Carthag. Can. 34.*

VII. Arduum non est altissimam vestigare originem hujus tantæ Dignitatum cum Ordinibus consensionis. Ordines singuli singula erant ab exordio Officiorum dignitatumque nomina, ut in Episcopo etiamnunc dilucidum est. Qui enim Episcopus tantùm est, idem eo ipso summa ornatûs dignitate, difficillimo ornatus Officio, jure merito & sibi videtur, & aliis. Ubi novæ necessitates Ecclesiarum nova creari Officia postularunt, nomina eis indita sunt, quæ essent & Ordinum nomina, ut Lectoribus, Acolythis, Cantoribus, forsan & Subdiaconis. Quæ seriùs accesserunt Officia, ob intervallum temporis ab Ordinibus discreta fuere. Sed cùm Ordines ipsi ab origine Officia essent, inde factum, ut & nova Officia iisdem quoque atque Ordines Legibus Canonibusque regi debere censerentur. Itaque in his disciplinæ regulis conveniebat Officiis Ordinibusque, 1. Ut posset quidem Episcopus reluctantem Clericum altiùs promovere, non posset autem immerentem inferiùs dejicere. 2. Nec in eodem vel Ordinum gradu, vel Officiorum juniorem seniori præferre. 3. Nec posset in superiorum Officiorum apicem eos propellere, qui expertes hactenus Officiorum fuissent, posthabitis, qui in inferioribus fuissent exercitati. 4. Idem obtinebat in Monasticis Dignitatibus, quòd Canones plerumque in Clero Monachos etiam complecterentur, hac saltem ætate media, postquam tantæ Monachorum turmæ ad Clerum cooptatæ fuerant. *In Can. 34 Carthag.*

VIII. Existimat autem Balsamon cogi non posse Clericum, ut assentiatur suæ in Episcopum electioni, quòd possit ea cunctatio ac dissensio manare à pudore honestissimo, & laudatissima animi moderatione. Sed cùm desidiæ & avaritiæ stimulis incitari possint aliqui, ne morem gerant Episcopo vocanti ad Ordinem, vel ad Officii gradum quempiam superiorem: per Canones licere Episcopo in hujusmodi commissuris summo jure uti summaque potestate. Itaque si Diaconus recuset fieri Referendarius, vel Doctor, ρεφερενδάριος, διδάσκαλος, quòd

curis & laboribus implicata refertaque sint ea Officia: si primus Defensor, πρωτέκδικος, recuset fieri Sacrista, ἱερομνήμων: quòd reditus sint tenuiores: si Lector honoratiorem detrectet gradum, quòd plus ei inhæreat laboris & sollicitudinis: in his omnibus ulciscenda est inobedientia contumax, ut quæ vel ab avaritia proficiscatur, vel à desidia & torpore. Censet denique Balsamon hac Episcopum uti debere potestate summa, quando urget Ecclesiæ necessitas: si utatur autem, etsi nulla istiusmodi urgeat necessitas, nihilo tamen minus ei obtemperandum esse, quòd in Electionibus sacris nihil ipse tunc aliud, quàm Canonicis institutis obsequatur.

IX. Cæterùm Ordinum illa Officiorumque distinctio, vel in ipso ritu quo conferuntur, perspicuè emicat. Episcopi, Chorepiscopi, Presbyteri & Subdiaconi ordinantur per manûs impositionem, χειροτονοῦνται. (In Can. 2 Calched.) Antiquissimi ii sunt Ordines, ut & antiquissima omnium Cæremoniarum est manûs impositio. Cantores, Lectores, Præsides, οἱ ἄρχοντες, & alii pauci tondentur in formam crucis, σφραγίζονται. Character enim, σφραγὶς est illa in crucem attonsio crinium. Denique Oeconomi, Chartularii, Mansionarii, παραμονάριοι, sine impositione manuum ulla promoventur, προβάλλονται. Etenim tonsora nec ipsa quidem fit sine aliquali manuum impositione. Hæc forsan jam alibi libata, cùm de Ordinibus ageretur: hîc rursum perstringenda raptim fuere, ubi de Dignitatibus.

X. Nec silentio prætereunda est Constitutio Heraclii Imperatoris, qua definitus est numerus Clericorum & Officiorum Ecclesiæ Constantinopolitanæ: nimirum ut essent Syncelli duo, Cancellarii duodecim, decem Defensores, Referendarii duodecim, Scevophylaces duodecim, quorum necesse erat quatuor esse Presbyteros, Diaconos sex, Lectores duos. Ita in Jure Orientali Leunclavii, ubi (Iuris Orien. To. 1. p. 79.) & alio loco numerantur Officia Ecclesiæ Constantinopolitanæ paulò diligentiùs, in sex ordines digesta. (Ibid. p. 104. 305. 327.) Primus complectitur quinque illa primaria Officia, de quibus suprà Balsamon, eisque eodem in gradu subjungitur Magnus Defensor. In secundo ordine sunt *Protonotarius*, *Logotheta*, *Castrensis*, *Referendarius*, *à Commentariis*. In tertio *Hieromnemon*, *Suggestor*, *Doctor Evangelii*, *Doctor Apostoli*, *Doctor Psalterii*. Cæteros missos facio.

At responsa Joannis Episcopi Citri ad Cabasilam Archiepiscopum Dyrrachii plurimum his omnibus affundent luminis. Affirmat enim Oeconomi Dignitatem primam summamque omnium fuisse. Secundam ejus qui Magnus Sacellarius, ὁ τῆς μεγάλης σακέλλης. Tertiam Scevophylacis. Quartam Cartophylacis. Quintam parvi Sacellarii, ὁ τοῦ μικροῦ σακελλίου. Sextam Magni Defensoris, quem ex inferiori in hunc summarum Dignitatum gradum primus provexit Xiphilinus Patriarcha. Illi sex Exocatacæli vocantur. His subjicitur enumeratio inferiorum Dignitatum, inter quas est & secundus Diaconus, ὁ δευτερεύων τῶν διακόνων, nempe Archidiaconi vices gerens. Addit & multum sibi licere voluisse Patriarchas in demutando ordine Dignitatum inferiorum, superiores ne attigisse quidem. Fuisse verò & alia Officia, quæ Presbyteris maximè congruerent, Catechistæ, Orphanotrophi, Periodeutæ, seu Visitatoris.

XI. Veniam ad Latinos, ubi hoc de Doctoribus strinxero, qui inter Dignitates Ecclesiæ Constantinopolitanæ recensiti & ipsi sunt. Episcopi unius proprium hoc jus munusque esse censet Balsamon, ut prædicet doceatque, ideo & Doctores, qui ea munia implent Constantinopoli, delegatione muniendos esse Patriarchæ. Ideo & in Ecclesia eximio consessûs honore pollent, ut qui personam præ se ferant Patriarchæ, præter stipendia quæ tritico & pecunia solvuntur. *Populum docere solis est datum Episcopis, & magna Ecclesia Doctores Patriarcha jure docent, &c. Proximi post Officiales assideant Patriarcha, tanquam ejus personam repræsentantes. Audimus enim eum qui Pontificis locum tenet, maxima gerere semper Officia.* (Ibid. p. 143.) Denique Doctoris nomen officiumque gradus erat, quo ad summas Ecclesiæ Dignitates eluctarentur.

XII. In Ecclesia Romana hoc quoque medio ævo radiavit Defensorum & nomen & industria. Eorum meminit Stephanus Papa III. in Epistola (Epist. 3.) ad Reges Carolum & Carlomannum. Capitularia Caroli Magni Africanum Canonem innovavère, ad (L. 5. c. 31.) postulandos ab Imperatore defensores seu vindices pauperum adversùs divitum potentiam. Supponunt alicubi Parochis ipsis turi suos esse Defensores. Causarum judicia Præsidibus urbium mandantur (Ibid. c. 9. & 214.) aut Defensoribus. Certè possunt ea capi de Defensoribus laïcis, de quibus & Carthaginensis Canon agit. In Gallia enim tunc Defensores è Clericis nulli. Denique ex alio Capitularium contextu manifestum est, Defensores Ecclesiarum non alios fuisse, quàm ipsarum Advocatos, qui à Principe ipso primùm concedebantur, ut eis præsidio essent. *Pro Ecclesiarum causis, ac necessitatibus earum, atque servorum Dei, Executores, vel Advocati, seu Defensores, quoties necessitas ingruerit, à Principe postulentur, & ab eo fideliter ac libenter juxta canonicas sanctiones fidelissimi dentur.* (L. 7. c. 308.)

XIII. De Advocatis nos alibi prolixiùs; hîc pauca obiter de Vicedominis dicemus. Concilium Remense anni 813. statuit, ut in Monasteriis Canonicorum & Regularium, *Præpositi & Vicedomini secundum Regulas vel Canones constituantur.* (Cap. 24.) Idem decrevit & Moguntinum ejusdem anni Concilium, ubi & illud declaravit, quantùm inter se consentiant hæc nomina & officia, *Vicedomini*, *Præpositi*, *Advocati*, *& Defensoris*. Audi jam verba Canonis: (An. 813. Can. 50.) *Omnibus igitur Episcopis, Abbatibus, cunctoque Clero omnino præcipimus, Vicedominos, Præpositos, Advocatos, sive Defensores bonos habere, non malos, &c.* Postremò habebant & suos Abbatissæ Vicedominos, qui in Provinciæ annuis Conventibus aderant cum aliis Vicedominis Ecclesiasticis: quò Missi Dominici convocabant Episcopos, Abbates, Comites, aliosque sui Territorii Officiales, ut in commune conferrent, consulerentque de Ecclesiasticæ civilisque politiæ morbis, & de aptissimis quibusque ad eos persanandos medicamentis. Ita habet Capitulare Ludovici Pii: *Volumus ut medio Maio conveniant Missi, unusquisque in sua Legatione, cum omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus ac Vassis nostris, Advocatis nostris, ac Vicedominis Abbatissarum, necnon & eorum qui propter aliquam inevitabilem necessitatem ipsi venire non possunt ad locum unum. Et in eo conventu primùm Christianæ Religionis & Ecclesiastici Ordinis collatio fiat. Deinde inquirant Missi nostri ab universis, qualiter unusquisque eorum officium sibi commissum administret, &c.* (Conc. Gall. To. 2. p. 438.)

XIV. Video in dubium verti posse, sæculares, an Clerici essent hi Vicedomini. Probabiliùs tamen Clerici videntur fuisse. Universim eò propendebant Concilia & Patres, ut per Clericos potiùs administrarentur res Ecclesiæ. Denique consocian-

tur Vicedomini Archipresbyteris, Archidiaconis & Parochis in alio ejusdem Imperatoris Capitulari: & in partem cum eis veniunt ejus gloriæ, quam Episcoporum sacri ministerii cooperatores adipiscuntur. *Ibid. p. 426.* *Quales sint adjutores ministerii Episcoporum, id est, Chorepiscopi, Archipresbyteri, Archidiaconi & Vicedomini, & Presbyteri per Parochias eorum.*

XV. Vicedomini erat eandem in laicos & vassallos Ecclesiæ exercere potestatem, quam Præpositus in Clericos. *Hincmar. To. 2. p. 317. 708.* Ita clarissimè Hincmarus, qui hanc potestatis diversitatem exemplis probat & illustrat. Vicedominus omnium rerum rationes Episcopo referebat, unde & Carolus Calvus Rex exulceratus quibusdam verbis Epistolæ à Nicolao Papa ad se perscriptæ, rescripsit ad eum, Reges Franciæ non eos esse, non ejus esse vel sortis, vel ingenii, ut pro Vicedominis Episcoporum habeantur. *Reges Francorum, non Episcoporum Vicedomini, sed terræ domini fuimus.* Qui Vicedominus, idem ipse quandoque erat Ecclesiæ Advocatus; & tum necesse erit confiteri, Vicedominos quandoque cœpisse ex Laïcis adsumi. Ejusmodi erat Radulphus Ecclesiæ Remensis Vicedominus & Advocatus, cum quo Ebbo Episcopus Remensis connixus est, ut agricolas jurisdictioni & dominio Ecclesiæ restitueret, cui se subduxerant. *Flodoard. L. 2. 1. 19 Hist. Rem.* *Mancipia, vel Colonos quosdam Ecclesiæ desertores, tam per se ipsum, quàm per Radulphum Vicedominum, & Ecclesiæ Advocatum apud Judices publicos legibus evindicatos & obtentos, Ecclesiastico juri restituit.* Ex adverso autem Theodorus Episcopus & Vicedominus Ecclesiæ Romanæ, quod e agitur in vita Stephani IV. Papæ, pene suadet ut in Italia saltem tunc temporis Vicedominos à Clero ascitos fuisse arbitremur.

## De Syncellis & Consiliariis.

### CAPUT C. *P. 2. l. 1. c. 46.*

### De Syncellis & Consiliariis per octo priora Ecclesiæ sæcula.

*I. De Syncellis per quinque priora sæcula.*
*II. Gregorius Magnus non admittit amplius ad famulitium Palatii Pontificalis, nisi Clericos Monachosque, qui testes sint & imitatores Pontificiæ vitæ morumque. Ita & Romanum decernit Concilium*
*III. Pontifex & alios ad hoc inflammat Episcopos.*
*IV. Laicos Gregorius omnes Pontificia domo exigit.*
*V. Edicto in Italia Regio Clerici omnes Syncellos habere præcipiuntur.*
*VI. Idem præcipiunt, & Hispania Concilia.*
*VII. Concilia item Galliæ.*
*VIII. Exempla ex Gregorio Turonensi.*
*IX. Syncelli in Ecclesia Græca.*
*X. De dignitate Consiliariorum.*
*XI. XII. XIII. Præcipuè in Ecclesia Romana.*
*XIV. Et in Alexandrina.*

I. Syncelli dicebantur, qui in eadem cum Episcopis cellula commorabantur, ut vitæ privatæ actionumque omnium testes essent. Ejusmodi erat Anastasius Presbyter, qui Antiochia Constantinopolim Nestorium secutus erat, de quo ita Socrates: *L. 7 c. 31.* *Erat familiaris Nestorii Anastasius Presbyter, qui unà cum illo profectus erat Antiochia. Hunc Nestorius magno in honore habebat, ejusque consilio in rebus gerendis utebatur.* Sed ejusmodi certissimè erant, quos Ischyrion Diaconus proferebat testes criminum, quæ Dioscoro Alexandrino Episcopo impingebat, in Concilio Calchedonensi. *Per nominatos à me testes, Syncellos ejus constitutos, qui hactenus cum ipse degunt & comitantur.* *Act. 3.* Agorastus unus ex his erat Dioscori Syncellis, ut liquet ex libello supplici, quem Sophronius Laïcus obtulit Calchedonensibus Patribus adversùs eundem Dioscorum, petitque repræsentari, ut eum convinceret tanquam conscium sociumque vitæ contaminatissimæ. *Agorastum unum ex cooperatoribus ejus insaniæ, & Syncellum ejus existentem jubete adduci.* Actione VI. Concilii Constantinopolitani sub Flaviano, Eusebius Dorylæi Episcopus petiit, ut comparere juberetur Narses Presbyter & Syncellus Eutychetis. His exemplis addiscimus, quàm necessarii fuerint, & quàm utiles Syncelli. Cum enim jam olim Abbatibus & Monachis id usitatissimum fuisset, ut Concellaneos haberent Monachos, seu ejusdem secum Cellæ hospites, ut assuescerent, quod privatim agerent, quo in publico suffunderentur: hinc factum est ut ad Episcopatum vocati, eosdem retinerent privatos inspectores, censoresque juges, &, si necesse esset, accusatores. Acacium Berœæ Episcopum narrat Sozomenus admirationi potissimum fuisse, quòd aperto semper esset, & domus ostio, & cubiculi: ut sive cives, sive hospites inopinum illum possent semper opprimere: aut potiùs ut seipsum ita compararet & componeret, ut nec ex improviso obviantes quidquam in eo deprehenderent, quo jure verecundaretur. *Sozom. L. 7. c. 19.*

Pulcherrimo instruxerat consilio Hieronymus Nepotianum: *Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris. Si Lector, si Acolythus, si psaltes te sequitur, non ornentur veste, sed moribus.* Illud porro interest discriminis inter Episcoporum, & maximè Patriarcharum Syncellos, & aliorum quorumvis Clericorum, quòd priores illi inter primarias florerent dignitates, & volventibus sæculis, in summum provecti fuerint culmen honoris ac potestatis, veluti Vicarii, & Administri Episcoporum, & Patriarcharum, nec non & eorum persæpè successores. Cùm Syncelli aliorum uno fruerentur gaudio exempli solariique mutui, quo sese invicem concellanei confovebant.

II. Constituit Gregorius Magnus in Romana Synodo, ut Pontificibus Romanis non ministrarent amplius in privato ministerio nobiles adolescentuli, sed Clerici, aut etiam Monachi, qui & privatæ vitæ testes essent, & sanctimoniæ imitatores. *Verecundum nos torporem indiscretionis involvit, ut hujus sedis Pontificibus ad secreta cubiculi servitia laici pueri, ac sæculares obsequantur; & cum Pastoris vita esse discipulis semper debeat in exemplo, plerumque Clerici, qualis in secreto vita sit sui Pontificis nesciunt, quam tamen, ut dictum est, pueri sciunt sæculares. De qua re præsenti Decreto constituo, ut quidam ex Clericis, vel etiam ex Monachis electi, ministerio cubiculi Pontificalis obsequantur, ut is qui in loco est regiminis, habeat testes tales, qui vitam ejus in secreta conversatione videant, & ex visione sedula exemplum profectus sumant.* *L. 4. Ep. 44.*

Hoc quidem decretum ad solos spectabat Romanos Præsules; sed rationes & leges quibus illud innititur, peræquè omnes complectebantur Episcopos. Pastores enim sunt omnes Episcopi, eorumque proinde vita facis instar prælucere semper debet gregi spiritali, *Cùm Pastoris vita esse discipulis semper debeat in exemplo.* Interest omnium Episcoporum, ut privatæ eorum vitæ testes sint probatissimi, ut horum testimonio, quæ pia privatim

sunt

sunt facta, fiant publica ad fidelium sanctificationem exempla. *Ut is qui in loco est regiminis, habeat testes tales, qui vitam ejus in secreta conversatione videant, & ex visione sedula exemplum profectus sumant.*

III. De his Clericis ab Episcopo individuis intelligendus videtur Gregorius idem in Epistola ad Serenum Episcopum Massiliensem, quem graviter & amanter tamen objurgabat, quòd congressu & familiaritate penitissima dignaretur Presbyterum criminosum & impœnitentem, quo & crimini addebatur authoritas, & impœnitentiæ. (L. 9. Ep. 9. 49.) *Pervenit ad nos, quod dilectio tua malos homines libenter in sua societate recipiat, adeo ut Presbyterum quemdam, qui postquam lapsus est, & in sua adhuc dicitur iniquitatis pollutione versari, familiarem habeat. Quod quidem nos ex toto non credimus; quia qui talem recipit, scelera non corrigit, sed magis aliis talia perpetrandi videtur dare licentiam.* Probamus enim quodammodo crimina, quorum authores non abominamur, non à nostro eliminamus consortio. *Considera quam periculosum sit ante oculos Dei, si per eum à quo plectenda sunt crimina, nutriri vitia videantur.* Idem ipsum jam Gregorius exprobraverat Joanni Jejunatori Patriarchæ Constantinopolitano, ex occasione Syncelli, qui & potestate sua & favore Patriarchæ abutebatur, ut sibi primùm, tum deinde aliis exitio esset, quibus patrocinio adesse debuerat. (L. 5. Ep. 55.) *Credo quod mihi familiaris vester ille juvenculus rescripsit, qui adhuc de Deo nihil didicit, qui viscera charitatis nescit, qui ab omnibus accusatur, qui insidiari quotidie diversorum mortibus dicitur per occulta testamenta, &c. Mihi crede frater, ipsum priùs corrige, ut ex his qui vobis vicini sunt, & ei qui vicini non sunt, exemplo melius emendentur.*

IV. Addocuit nos Joannes Diaconus in Gregorii vita, qua fide & diligentia præstaret ipse, quæ in Romano decerni Concilio curaverat, & quæ ab omnibus præstari Episcopis inexorabilis censor urgebat. Palatio Laïcos omnes abegit suo, nec admovit sibi nisi Clericos Monachosque sanctitate & eruditione præstantes. (L. 2. c. 11. 12.) *Remotis à suo cubiculo secularibus, Clericos sibi prudentissimos consiliarios familiaresque delegit.* Ita de Clericis, quorum cùm nomina recensuisset ex parte, eorum maximè quos spectata postea pietas ad summas evexit Dignitates: accedit postea ad Monachos, quos suo ille inclusit Palatio, Cleroque sociavit. *Monachorum verò sanctissimos sibi familiares elegit, inter quos, &c.* Apostoli Anglorum, pluresque alii sanctissimi Episcopi ex hoc sacratissimo prodiere collegio, ubi omnibus (L. 11. Ep. 14.) prælucebat Gregorius ad summum sapientiæ & virtutis apicem nitentibus, cùm ipse non se illis, sed eos sibi prælucere profiteretur. *Cum quibus Gregorius die noctuque versatus.* Non possum non & illud hìc addere, quòd cùm Datianus Armeniæ Metropolitanus à Gregorio poposcisset Ephebos ætate pares, forma præstantes, quos Imperatori dono daret: adeo non misit Gregorius quod petebatur, ut & Datiano rescripserit, deformes malle se, sibique similes, quàm formulosos. *Mei similes, videlicet deformes quæro.* Hoc ad castimoniam animo imbuta Episcopalis domus, abundè munita est adversùs maledicentiæ tela quæcumque, aut obliquas suspiciones.

V. Legitur apud Ennodium præceptum Regium, quo jubentur Episcopi, Presbyteri, Diaconique, ut Clericum semper habeant alium vitæ totius etiam reconditioris testem, conscimque & comitem individuum: si tam tenui sint re, ut consortes alere non possint, ipsi alterius cujuspiam fiant concellanei. (Opuscul. Cap. 7.) *Nullum ergo Sacerdotum antiquis & modernis legibus obsequentem, nullumque Levitarum sine bene probata volumus in quocumque loco manere persona, vel quem substantia exilitas non permiserit habere consortem, ipse concellaneus fiat alterius.* Intimæ innocentiæ Deus testis: at opus est, ut & hominibus ea approbetur, nec approbabitur nisi hujusmodi testimonio. Si non vel suspiciones criminis à se amoliatur Clericus, id ipsum jam imputatur crimini. Suspicionum & calumniarum, quibus Clerici impetuntur, non infamia tantùm in eos redundat, sed & culpa, nisi pro virili eas antevertere satagant, non tam ut famæ suæ, quàm ut conscientiæ & saluti consulant alienæ. *Multos habeat actuum conscios, qui Deo debet innocentiam. Videant æmuli, quia qui testes habet, vult probari. Certè vel si mens sit recti conscia, vindicta dignus est, qui alii existis causa periculi.* Hoc præceptum cum consensu Apostolicæ Sedis publicavit Princeps: *Apostolica Sedis B. Petri vel Præsulis ejus authoritate Papa subnixi.* Quin & occasione calumniarum Symmacho Papæ ingestarum publicatum id ab eo est: *Cùm Apostolicæ Sedis Præsulem, & omnium pene Ecclesiarum gubernacula tractantem, per proximi tumultus incendium, inimicorum rabies tali ore momordisset.* Hanc Baronius Constitutionem Laurentio tribuit Archiepiscopo Mediolanensi. Is (Baron. an. 502. n. 32. & an. 503. n. 13. 14.) & ab Ennodio & à Baronio cumulatus est laudibus Theodoricus Italiæ Rex, ob reverentiam cum primis & pietatem in Ecclesiam Romanam, ut non immeritò à quibusdam hoc illi imputatum sit luculentissimum præceptum, cui deinde accesserit authoritas Episcopalis. Hæc certè verba magis sapiunt Edictum Principis, quàm Episcopi mandatum: *Præceptum quando jussi sunt omnes Episcopi cellulanos habere.* Sed nostra non magnopere interest operosiùs rimari, uter author fuerit hujus Constitutionis, cùm Titulus Theodorico, Constitutio ipsa Laurentio magis consentiat.

VI. Sed cùm hoc Edicto insinuetur præisse Leges Canonesque, quibus jussa sint hæc eadem munimenta præstrui innocentiæ & famæ Clericorum majorum: duo supersunt Gerundensis in Hispania Concilii Canones, quibus Clericis majoribus omnibus præscribitur, ut custodem testemque innocentiæ secum semper habeant aliquem. Certè hoc statutum primò fuerat, ut eorum qui conjugati ante ordinationem fuerant, vel continentia ipsa, vel continentiæ fama intuto esset adversùs sive tentationes, sive maledicentiam. (Can. 6.) *Placuit à Pontifice usque ad Subdiaconatum, post suscepti honoris officium si quis ex conjugatis fuerit ordinatus, ut semper alterius fratris utatur auxilio, cujus testimonio vita ejus debeat clarior apparere.* Præcepit tamen hæc eadem aliis omnibus Clericis Synodus, quibus esset familia, etsi non esset uxor, ut fido semper teste & socio uterentur. (Can. 7.) *De his qui sine uxoribus ordinantur, & familias domus habent, habito secum pro vita conversatione fratre in testimonium, &c.* Concilium Toletanum IV. tribus Ordinibus superioribus idem præstrui voluit præsidium adversùs obtrectationes. Ac primò de Episcopis: (Can. 22.) *Ut deinceps excludatur omnis nefanda suspicio, aut casus, & ne detur ultrà sæcularibus obtrectandi locus, oportet Episcopos testimonium probabilium personarum in conclavibus habere, ut & Deo placeant per conscientiam puram, & Ecclesiæ per optimam famam.* Quod ad Presbyteros verò aut Diaconos, jubet eos hæc Synodus aut communem cum Episcopo agere vitam, si per ætatem aut per valetudinem

liceat : aut socium habere domi, tanquam invictissimum adversùs obtrectatores propugnaculum: *Non*
Can. 13. *aliter placuit, ut quemadmodum Antistes, ita & Presbyteri atque Levitæ, quos fortè infirmitas aut ætatis gravitas in conclavi Episcopi manere non sinit, ut iidem in cellulis suis testes vitæ habeant, vitamque suam sicut nomine, ita & meritis teneant.* Denique justis hisque iisdem de causis inferiores Clerici omnes ab hac Synodo in Seminarium compinguntur, ubi sub Seniore ac Magistro probatissimo omnes simul degant.
Can. 14. *Omnes in uno conclavi commorentur, deputati probatissimo seniori, quem Magistrum doctrinæ, & testem vitæ habeant.*

VII. Nec minùs impigri Galli nostri ad has pudicitiæ & famæ Clericorum tuendæ cautiones adhibendas. Etenim Concilio Turonensi II. imperatum fuerat ut Episcopi, si conjugati fuissent, vallarentur semper velut cælesti Clericorum agmine, qui inaccessum illum semper & tentationibus carius
Can. 12. præstent, & jaculis maledicorum. *Et licèt Deo propitio, testimonio Clericorum suorum castus vivat, quia cum illo tam in cella, quàm ubicumque fuerit, sui habitent, eumque Presbyteri & Diaconi, vel deinceps Clericorum turba juniorum Deo authore conservent, &c.* Si nulla ei conjux, si innuptus, aut viduus, excubant nihilominus circa illum semper Clerici, & extra-
Can. 23. neas mulieres arcent. *Habeant ministri Ecclesiæ, utique Clerici qui Episcopo serviunt, & eum custodire debent, licentiam extraneas mulieres de frequentia cohabitationis ejicere.* Cæterùm Clerici qui, ut loquitur hoc Concilium, *Episcopo serviunt*, nequaquam vilescunt aut dedecorantur hoc famulatu. Nam si Christi Vicarius, si imago Episcopus est, si regalis Sacerdotii apex in eo maximè fulgurat, qui privatim illi famulantur, Aulæ cujusdam cælestis velut principes habendi sunt, tantòque supra Regum Aulicos eminent, quantò terrenis Regnis Christi Imperium augustius sanctiusque est. Romana Synodus sub Gregorio eadem ferè verba adhibuit : *Ad secreta cubiculi servitia.* Unde & non improbabiliter conjicies ex hoc Turonensi Concilio II. Gallicanos Episcopos ipsum Gregorii Papæ Conciliique Romani decretum antevenisse, nec admisisse nisi Clericos ad interiora Episcoporum servitia. Denique eadem Turonensis Synodus sanxit, ut & Archipresbyteri ruris, sive ruri, sive domi, comites semper sibi testesque conglutinarent aliquos Clericorum mino-
Can. 19. rum. *Seu in vico manserit, seu ambulaverit, unus Lector Canonicorum suorum, aut certus aliquis de numero Clericorum cum illo ambulet, & in cella, ubi ille jacet, lectum habeat, pro testimonio.*

VIII. Non quid decretum, sed quid actitatum fuerit, narrat Gregorius Turonensis. Agens enim de Etherio Lexoviensium Episcopo, solitum illum ait somnum capere in cubiculo, ubi & lectulis qui-
L. 6. c. 36. que suis compositi erant Clerici complures : *In strato suo quievit, habens circa lectum suum multos lectulos Clericorum.* Tunc qui sem Etherius ab insidiis hostium sibi cavebat, sed eo, ut reor, cogebatur tantùm duplicare custodiam. Scriptores vitæ sancti Cæsarii Arelatensis Episcopi, Presbyter, Diaconus, quique tum discipuli ejus, tum Syncelli fuerant, testatum faciunt, se in eodem cum ipso accubantes cubiculo, sæpè ipsum audisse sopore tum mersum, eo tamen fervore quo in Ecclesia solebat, concionantem de futuro Judicio & sempiterna Beatorum
L. 2. c. 23. quiete. *Nos ipsi vel conservi nostri, qui in cella ipsius manserunt, sciunt quæ diximus, &c. Frequenter in sopore positus de futuro judicio vel de æterno præmio prædicabat.* Capite sequenti solus de seipso loquitur Diaconus : *Cum in cella ipsius Diaconus in servitio illius ad judicium delectus essem, curam me intra reliqua de nocturnis Horis jusserat habere.* Erat ergo is usitatus loquendi mos, ut se Presbyteri Diaconique dicerent esse in *servitio* Episcopi : at hoc exemplo patet reapse *discipulos* Episcopi fuisse, quo etiam suprà nomine eos designavit Gregorius.

IX. Ut origo nominis *Cella, κέλλα, Syncellus*, à Græcis profecta est, ita & ea apud eos dignitas & gratia florentior, & major potestate fuit. In Occidente tum Pontifici summo, tum Episcopis singulis Syncelli aderant plures, quorum hæc gratia, hæc potestas erat, ut Præsulis innocentiam & testimonio tuerentur suo, & pia imitatione sectarentur. At Patriarchæ Orientales vel unum omnino, vel si plures, unum eximium & exortem præ cæteris habebant Syncellum, qui & Protosyncellus dicebatur, qui & consiliorum omnium conscius, & potestatis administer tandem fuit. Itaque Syncelli Patriarchis ferè ubique in monumentis Historicis adsunt, & ministri omnium dum in vivis agunt, & plerumque post mortem successores. Unus accusatorum Dioscori Patriarchæ Alexandrini in Concilio Calchedonensi omnia se accusationis capita expressurum spopondit ex ore ipso Syncellorum ipsius. *Per nomina-* Act. 3.
*tos à me testes, Syncellos ejus constituros, qui hactenus cum ipso degunt & comitantur.* Accusator alius Agorastum indicavit, iisdem cum Dioscoro flagitiis implicatum, utpote Syncellum ejus : *Unum ex cooperatoribus ejus insaniæ, Syncellum ejus existentem.* Erant tunc forsan Patriarchæ Alexandrino Syncelli plures ; at cum Dioscorus Diaconus Romanus scripsit Hormisdæ Papæ, Joanne Patriarcha Constantinopolitano mortuo, Epiphanium Presbyterum Syncellum ejus suffectum ei fuisse, unus ibi spectatur Syncellus : *In cujus locum Epiphanius quidam Presby-* Post Epist.
*ter, quondam Syncellus ejus successit.* Similiter & ubi 70 Hormis.
in Synodi Constantinopolitanæ Epistola Synodica ad Papam nominatur Heraclianus Presbyter Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & Epiphanii Patriarchæ Syncellus : *Cohabitator Patriarchæ Epiphanii.* In Collatione tamen Catholicorum cum Severianis anno 532. Heraclianus & Laurentius nominantur Presbyteri & Syncelli Patriarchæ Epiphanii. In Concilio verò Romano sub Martino I. memoratur Stephanus, Presbyter, Syncellus & Chartophylax Patriar- Consul. 4.
chæ Sergii.

Narrat Anastasius Bibliothecarius in Historia sua, ut Leo Isauricus Imperator, dum occasiones aucuparetur exauctorandi Patriarchæ Constantinopolitani Germani, quòd in eo expertus esset invictissimum sacrarum Imaginum defensorem : subornarit Anastasium discipulum & Syncellum ejus, desponso illi proditionis pretium throno ipso Ecclesiæ Constantinopolitanæ. *Habuit in hoc comparticipem discipulum ejus & Syncellum Anastasium, cui spopondit, utpote impietatis suæ consentaneo, throni eum adulterum successorem futurum.* Abiit sacro Magistratu Germanus, successor ei datus Anastasius. Idem Scriptor, sicut & Theophanes antè dixerat de Joanne Cappadoce, qui ex Syncello Patriarcha factus erat, fatis concedente Timotheo : eique ipsi vivis excedenti dixerat successisse Epiphanium Syncellum. Satis, ut opinor, superque hinc elucet Syncellorum quanta fuerit potestas. Eo compulsi sunt Patriarchæ in plures eam curam potestatemque partiri : tumque ita excrevit eorum numerus, ut ejus puduerit tandem Patriarcham Sergium, qui & Constitutione edita, quam

leges si voles in Jore Orientali, decrevit, ut ne plures posthac essent quàm duo. Sed intra eas angustias tam Clericorum ambitio circumscribere se non potuit, quàm nec Patriarcharum seu facilitas, seu levitas. Rursus ebullierunt Syncelli permagno numero, & eorum primus dici cœpit Protosyncellus. At quot Syncelli, tot quandoque insidiatores, & ubi simultates Patriarcha cum Imperatore susceperat, tot aliquando proditores. Ita expertus est Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus sanctissimus, ut memorat qui vitam ejus litteris mandavit.

X. Facilè observari jam potuit, qui Syncelli fuere, fuisse quoque eos Papæ *Consiliarios*, Patriarcharum item, & Episcoporum. De dignitate ergo Consiliariorum non ineptè hic sermo instituetur. Eo nomine & honore ornat Joannes Diaconus Syncellos Gregorii Papæ: *Remotis à cubiculo suo sæcularibus, Clericos sibi prudentissimos Consiliarios familiaresque delegit.* (L. 2. vitæ ejus c. 12. 14.) Sanctissimi ergo hi Clerici, Monachique, Consiliarii erant Gregorii Magni: hi nimirum qui abdicatis mundi fallacibus divitiis, insanisque voluptatibus, cœlesti sapientiæ addictissimi, & Evangelicæ perfectionis sectatores sedoli, ad hanc eandem normam, ad hanc legem austerioris disciplinæ omnia librabant, omnia exigebant consilia, & decreta sua: *Arcessebantur Pontificalibus profundis consiliis prudentes viri, quos perhibui, potius quam potentes; & à paupere Philosophia intrinsecus quid potius aut potissimum in unoquoque negotio sequendum videretur, artificiosis argumentationibus rationabiliter inquirente, dives inertia, quæ modo se de sapientibus pari sorte ulciscitur, præ cubiculi foribus despicabilis remanebat.* Agit ipse Gregorius de Consiliariis suis, & de clarissimis sacra eruditione in Urbe viris, quorum consilia & responsa requirebat in rebus implicatioribus. (L. 7. Ind. 2. Epist. 7.) *Necessarium visum est nobis, tam cum Consiliariis nostris, quàm cum aliis hujus civitatis doctis viris, quid esset agendum, de lege tractare. Qui tractantes responderunt, &c.* Responsum horum doctissimorum Romæ virorum, domesticorumque Pontificis Consiliariorum, Gregorii sententia probatum, prolatum ore, oraculum tunc fuit Apostolicæ sedis. (L. 1. Ep. 36.) Habebant & Optimates Imperii suos Consiliarios.

XI. Sed ut certò constet Officium verè, Dignitatemque hanc fuisse constantem & perpetuam, non brevem gloriæ usuram & nominis: depromendum hîc est exordium ejus Epistolæ, quam Apostolica sedes in Angliam de Pascha scripsit eo tempore, quo Joannes Papa IV. electus tantùm, nondum ordinatus erat. Hæc enim sunt nomina titulique eorum, qui Epistolam scripsere: (Beda. L. 2. c. 19.) *Hilarius Archipresbyter & servans locum sanctæ sedis Apostolicæ: Joannes Diaconus & in nomine Dei electus. Item Joannes Primicerius & servans locum sanctæ sedis Apostolicæ, & Joannes servus Dei Consiliarius ejusdem Apostolicæ sedis.* Qui postremus hîc dicitur *Servus Dei*, non injuria conjicitur Monachus fuisse. Ideo & certiores nos fecit Joannes Diaconus, partim ex Clero, partim ex Monachis cooptatos fuisse Gregorii Consiliarios. Ex his ergo Subscriptionibus illud evincitur, ut Archipresbyteri, Diaconi, & Primicerii dignitates erant certæ & stabiles, ita & Consiliarii fuisse.

XII. Idem ipse Beda qui hanc nobis suppeditavit subscriptionem, loquitur alibi de Bonifacio Archidiacono Romano, qui Consiliarius etiam erat Apostolicæ sedis, & sacræ eruditionis totius penu locupletissimum. Ideo & ingentis famæ vir Vuilfridus, ut primùm Romam venit, ad eum se contulit, Magisterio ejus imbuendus: *Veniens verò Vuilfridus Romam pervenit ad amicitiam viri sanctissimi & doctissimi, Bonifacii videlicet Archidiaconi, qui etiam Consiliarius erat Apostolici Papæ, cujus Magisterio, quatuor Evangeliorum libros ex ordine didicit, Computum Paschæ rationabilem, & alia multa quæ in Patria nequiverat, Ecclesiasticis disciplinis accommoda, eodem Magistro tradente percepit.* (L. 5. c. 20.) Ejusmodi erat sacræ eruditionis copia in his veluti fontibus exuberans, ad quos recurri juberet quandoque & ipse Pontifex. In Actis II. Synodi Nicænæ refertur enixum esse Benedictum II. Papam, ut in sinum Catholicæ matris Ecclesiæ recolligeret Macarium, Hæresiarcham Monotheletam, atque ita illum redderet sedi Antiochenæ. (Baron. an. 685. n. 8.) Ea porro spe misisse ad eum *Consiliarium* suum, virum, ut conjicere est, usquequaque doctissimum. Id enim maximè desiderat Consiliarii dignitas præ cæteris.

XIII. Illud quoque perhibet Anastasius Bibliothecarius in vita Sergii Papæ I. hunc Pontificem invictissima constantia retudisse conatus vehementissimos Justiniani II. Imperatoris, Trullanæ Synodi Canones sibi obtrudentis. Ea repulsa autem exasperatum Principem, curasse, ut Roma Constantinopolin abriperentur Joannes Episcopus Portuensis, & *Bonifacius Consiliarius Apostolicæ sedis*: ut authores hujus infractæ fortitudinis, & consilii, quod inierat Papa. Haud satis comperi, an Abbas ille Joannes, quo de agitur in Epistola Beatissimi Maximi Martyris ad Marinum Presbyterum, & qui ibi vocatur *Symponus*, fuerit aliquando Honorii Papæ Consiliarius: Cùm scilicet dictata ab eo fuisset ea Honorii Papæ Epistola, quam sexta Synodus Oecumenica censurio cauterio inussit; & cùm eam ipse clementiùs interpretatus sit, contestatos, nunquam animo Honorii Papæ eam sedisse sententiam, ut duarum Christi voluntatum dogmati reluctaretur. (Anastas. Biblioth. Collect. pag. 33.)

XIV. Cùm vel in ipso Nicæni Concilii Canone sexto, omnibus Ecclesiis Romana proponatur, ut forma ad quam se effingere debeant: non ægrè persuadebitur nobis, fuisse suos aliis Ecclesiis Consiliarios, sicut & Romanæ. Unum profecto exemplum longè pulcherrimum ex Leontio Insulæ Cypri Episcopo, in vita sancti Joannis Eleemosynarii, Patriarchæ Alexandrini; quam Latino sermoni donavit Anastasius Bibliothecarius, & Nicolao Papæ dicavit. Hæc porro ille de Consiliariis hujus Patriarchæ: (Cap. 31.) *Ad voluntatem ejus, quæ tota in Deo erat, misit ei Deus viros sapientes, & semper memorandos Joannem & Sophronium. Consiliarii enim erant veraciter boni, quibus & tanquam Patribus indiscretè obediebat, & gratias agebat, tanquam constantibus maximè, & viriliter agentibus militibus, pro pietate Religionis. Etenim sancti Spiritûs virtute freti, &c.* Elegantissima hæc est forma Consiliariorum Episcopi cujuslibet.



## CAPUT. CI. *P.3.l.1.c.51.*

### De Syncellis & Consiliariis, ab anno octingentesimo ad millesimum.

*I. Desudatur in Gallia, ut imitatione Gregorii Magni Papa, Episcopi singuli suos habeant Syncellos.*
*II. Desudatur & in Italia.*
*III. Syncelli ex Clericis erant, vel ex Monachis, sed ex Clericis maximè in Occidente.*
*IV. In Oriente plerumque ex Monachis.*
*V. Exploratores non raro insidiosi, quos immitteret Imperator.*
*VI. Syncelli complures, iidem & successores fuere Patriarcharum.*
*VII. Tunc certatim Principes, Episcopi, Archiepiscopi prehensare cœperunt, ut Syncelli fierent.*
*VIII. Hinc audacia & supercilium Syncellorum, ut supra Episcopos sederent.*
*IX. De Consiliariis Principum, quorum in Consistorio de rebus Ecclesiæ tractabatur.*
*X. Caroli Magni in hujusmodi rebus mirabilis sapientia.*
*XI. Hi Consiliarii magna ex parte Clerici erant.*
*XII. Tria Consiliorum genera, ex Hincmaro, ubi & Clerici partes agebant suas.*
*XIII. In uno horum Consiliorum persæpè creabantur Episcopi.*
*XIV. An Imperatoribus, an Carolo Magno fuerint Syncelli.*
*XV. De Consiliariis Papa.*
*XVI. De his qui Deliciosi vocabantur.*

I. SYncellos, ut secretioris vitæ testes individuos Episcopis adhibendi, cùm consuetudo jam pene exolevisset, ad eam revocandam strenuè incubuerunt Concilii VI. Parisiensis Patres, positis ob oculos exemplis Augustini & Ambrosii, Decretisque Concilii Romani sub Gregorio Papa. Dolebat hujus Gallicanæ Synodi Episcopis, quòd Præsules hoc se testimonio fraudarent, fraudarent & Clericos eo fructu, quem inde reportare potuissent, qui potuisset & ab iis in plebem redundare! *Sed quia nonnullos socios Ordinis nostri, sine his personis, quas sua religiosa conversatio testes habere, & quibus exemplum bonum debuit præbere, cubicula secreti sui didicimus incolere, id non sine magna turbidaque indignatione ferre potuimus.* Denique quàm justè, tam vehementer excanduit hoc Concilium in Episcopos, qui colloqui congredique cum sæcularibus viris magis delectarentur, quàm cum Clericis. *Non cum Clericis, sed potiùs seorsum cum laicis & quibusdam familiaribus suis sermonicari & convivari delectantur.*

An. 819. Can. 10. Capit. Car. Mag. l. 5. c. 174.

Ibidem. Can. 11.

II. Hærere ergo lateri Episcopi semper debebant, vel Clerici, vel Monachi, pietate & religione clari, non publicè tantùm, sed privatim, & in penetralibus domûs ipsius, ut illos haberet & testes innocentiæ, & imitatores pietatis. Ita rursus decretum fuit in Concilio Papiensi, anni 850. *Oportet igitur, ut cubiculo Episcopi & Secretioribus quibuslibet obsequiis sinceræ opinionis Sacerdotes & Clerici assistant, qui vigilantem, orantem, sacra eloquia scrutantem, Episcopum suum jugiter attendant, ejusque sanctæ conversationis testes, imitatores, & ad Dei gloriam prædicatores existant.* Quasi diceretur vitam Episcopi rutilare debere pietate, jugi oratione, indefessa vigilantia, perpetua Scripturarum meditatione: ideoque necesse esse, ut testes haberet, qui essent & admiratores, & imitatores, & præcones, ad gloriam omnem cœlesti Patri referendam, & ad populorum promovendam salutem.

Can. 1.

III. Syncellos Episcoporum Gregorius Magnus designaverat promiscuè Clericos, Monachosque. Leo sanè III. Papa in Epistola quadam sua, Augustinum Monachum, Anglorum Apostolatu tam splendidè perfunctum, docet in Choro Syncellorum Gregorii antè meruisse. At quæ modò laudata sunt Concilia, ea ferè persuadent, id proprium fuisse Clericorum munus: *Sacerdotes & Clerici.* Viderit Lector, an qui nunc Episcoporum Capellani & Eleemosynarii dicuntur, ii velut residui quidam Syncelli videri debeant. Teste uti poterit, qui volet, sancto Udalrico, Episcopo Augustano, à quo nunquam divellebatur, ne in curru quidem Clericus, quocum decantaret Psalmos, præter Presbyteros, qui & ipsi individui erant comites, ut cum pompa majore sacra Mysteria celebraret. *Sedebat in solio super carpentum composito, de humerulis plaustri in ferro pendente, & cum eo unus Clericus de Capellanis ejus qui cum eo totos dies Psalmos decantasset. Comitari semper cum illo aliquos suos Presbyteros prudentissimos, & de Capellanis tantùm, ut quotidie servitium Dei decorè perficere potuisset, præcepit.*

Epist. 1.

Surius die Iulii 4. c. 4.

IV. Orientales Patriarchæ hanc plerumque demandabant provinciam Monachis, ut liquet ex Joanne & Thoma, Monachis & Presbyteris, qui Concilio Nicæno II. interfuerunt, ut Legati trium sedium Patriarchalium, Alexandrinæ, Antiochenæ & Hierosolymitanæ, ubi Syncellatu fungebantur. In VIII. quoque Synodo generali Elias Monachus & Syncellus Patriarchæ Hierosolymitani, locum obtinuit inter Concilii Præsides. Cùm Patriarchæ ipsi Orientales, uti & Episcopi, ut plurimùm ex Monachis asciscerentur, minùs mirum est, si & ipsi Syncellos ejusdem sibi instituti adjungerent.

Nicæn. Syn. II. Act. 3. & 4.

Synod. VIII Act. 1.

V. Sed vehementer allucinabere, si hos existimes Syncellos eo animi candore & infucata ea fide munus suum obisse, quàm præ se ferebant & profitebantur. Author vitæ B. Tarasii Patriarchæ narrat ut Imperator ejus ulciscendi & evertendi cupidissimus, Syncellos ei adjunxerit, qui exploratores insidiosissimi essent, ira in eum & felle amarissimo tumentes. *Imperator magnum oppressit Tarasium multis tentationibus, ei adhibens custodes, qui nomine quidem usi sunt Syncellorum, moribus verò longè aberant à pietate. Quos nisi assumpsisset, & nisi per eorum oculos transisset, non licebat cuiquam ad divinum & sapientem Pastorum Principem accedere, & ea quæ videbantur eloqui.*

Surius die 25. Febr. c. 35.

VI. Erant autem graves causæ, cur tantopere sua interesse putarent Imperatores, ut suo ipsi voto Syncellos Patriarchis adderent, & maximè Constantinopolitano. Nimirum qui Protosyncellus erat, erat ut plurimùm successor in sede Patriarchali. Leo Imperator cognomento Philosophus, cùm solio exturbasset Patriarcham Nicolaum, à quo sacris summotus fuerat, in ejus locum subrogavit quo ipse utebatur patre spiritali, ut loquuntur Græci, id est Confessario, sanctissimum Monachum Euthymium, Syncellum Patriarchæ, cui successor dabatur. Idem Leo multo antè tempore Stephanum fratrem suum ex Syncello fecerat Patriarcham. Sicut & priùs Theophilus Imperator Joannem quendam ad Patriarchatum gradatim protrudens, illum primò Syncellum creaverat. Hæc tumultuariè ex Cedreno & Curopalate, qui refert etiam ut Romanus Imperator majoribus natu duobus filiis diademate redimitis, tertium nomine Theophylactum radi fecit, Clericumque & Subdiaconum à Patriarcha ordinari, & denique Syncellum. *Reliquum Theophylactum Patriarcha radit in Clericum, & Subdiaconum, ac Syncellum designat; cùm prius in sanctuarium intrasset, officium Subdiaconi gerens.* Videtur hîc insinuari, non potuisse nisi ex Subdiaconis Syncellos creari.

An. 901.

Sed accurata hic Scriptor utitur verborum diligentia, ut ordinationem Subdiaconi secernat à Syncelli promotione. *χειροτονίας ἠξιώθησαν, προχειρισάμενος σύγκελλον.* Ex his certè Historicis planum est, Syncellatu plerosque Proceres Principesque gradum sibi fecisse ad Patriarchatum. Hic quippe Theophylactus ad Patriarchalem sedem eluctatus tandem pervenit. Supersedeo exemplis aliis ejusdem progressionis, quæ apud eosdem, aliosque Historicos plura reperies.

VII. Postquam autem nati fratresque Imperatorum Syncellatum ambiere, exarsere in eandem spem Episcopi & Metropolitæ, quantumvis dissidere & conflictari viderentur hæ mutuò dignitates. Historici iidem meminere Stephani Syncelli & Episcopi Nicomediæ. Narrant enim, ut ab Argyro Romano Imperatore tres creati sint conjunctim & Syncelli & Metropolitani.

*Cedrenus. pag. 536. 591. 602. 624. 686.*

*Fecit tres Syncellos Metropolitas.* Etsi ad rem minùs faciat, dicam tamen Syncellatu ab eodem ornatum fuisse Joannem, qui Basilio Imperatori quondam fuerat à Secretis, tum verò jam capillos raserat: eique custodiam mandasse sororis Imperatricis conjugia suæ, cujusmodi munere quandoque & in Occidente donatos fuisse Episcopos infrà alicubi dicemus.

VIII. Quibus ita constitutis, minùs jam forsan stupebit, qui audiet Syncellos primatum consessûs & honoris supra Episcopos, adeoque & supra Metropolitanos affectasse. Efferbuit quidem indignatio Præsulum eò vehementior, quò justior: & ei tamen novitati adeo ipsis injuriosæ viam ipsi forsan straverant, cùm suo gradu, qui summus utique est, non contenti, altiùs ut eveherentur, ad Syncellatûs dignitatem sese dejecerant; & Syncellatum cùm jam Episcopi essent prehensando, illum Episcopatu splendidiorem inopini declaraverant.

*Cedren. pag. 725.*

*Die Pentecostes sacro tumultuatum est ob sessionem in sacro Officio. Metropolitis non ferentibus superiore loco ipsis sedere Syncellos.* Surgere speraverant Metropolitani per Syncellatum: hinc non absurdè Syncelli Syncellatum Metropolitica dignitate superiorem esse argumentari erant.

Potuit & Imperatorum gratia, qua præ cæteris florebant Syncelli, Metropolitanos etiam Syncellis subjecisse. Eò enim res tandem evasit, ut Protosyncellus primus esset Minister Imperii. *Orientis*

*Ibidem. pag. 796.*

*Duces se ad primarium Syncellum conferunt, tunc Reipublicæ gubernatorem, eoque apud Imperatorem intercessore utuntur.*

IX. Diximus quàm arctè cohæreat cum Syncellatu Consiliarii Dignitas. Nec mihi mens est, nisi quà ad Ecclesiæ utilitatem pertinet, hoc Consiliarios Principum sermone complecti: ut sancti Dionysii Abbas Fulradus Pipini Regis Consiliarius dicitur in Epistola Stephani Papæ ad eum Regem:

*Epist. 3.*

*Fulradus Presbyter & Abbas Consiliarius vester.* Carolus Magnus in Capitulari Aquisgranensi anni 789. ait se de omnibus egisse cum Episcopis & Consiliariis suis: *Considerans unà cum Sacerdotibus & Consiliariis nostris.* In historia qua narratur ut exceptus sit Leo III. Papa à Carolo Magno, Episcopi secernuntur à Consiliariis Principis, & primum honoris locum obtinent:

*Conc. Gall. To. 2. pag. 20. 150. 227. 238.*

*Ex omni parte Archiepiscopis, Episcopis, & cæteris Sacerdotibus venientibus unà cum Regis Consilio, omnibusque eximiis Francis.* Postquam diu consultatum fuit circa Parochos incontinentiæ vehementer suspectos & difficillimè tamen convincendos, commune tandem emersit decretum ex responsione Episcoporum, Clericorum, & Consiliariorum Regis. *Necnon & Episcoporum nostrorum omnium, cæterorumque Sacerdotum & Levitarum authoritate & consensu, atque reliquorum fidelium, & cunctorum nostrorum Consiliariorum consultu definitum est.* Ex quo liquidum est sepositi & divelli Episcopos à Consilio Regio, non quo excluderentur, sed quòd supra cæteros omnes singulariter eminerent. Et sanè Concilii VI. Parisiensis Præsules enixissimè Ludovicum Pium deprecati sunt, ut Consiliarios & Ministros deligeret, qui tanti muneris gravitati & ponderi pares essent.

*Art. 829. Can. 20.*

*Quatenus Consiliarii & dignitatis vestræ ministri, custodesque animæ vestræ & corporis, qui debent esse intra regnum aliis bonitatis decus & exemplum, charitatem, pacem & concordiam invicem habeant.*

*Ibid. p. 552. 592.*

In Concilio verò Aquisgranensi II. anni 836. monitus est idem Rex, tunc verè partes suas impleturos ejus Consiliarios, si mutua inter se concordia pacem publicam alerent, si sapientia sua Rempublicam tranquillarent.

*An. 836. Can. 12.*

*Tunc enim veri Consiliarii verique adjutores vestri & setius Regni salubriter esse poterunt, si unanimes extiterint.*

X. Sed vix tamen aut nec vix fieri poterat, quin Regiorum Consiliariorum dignitate jam donati essent Clerici, cùm in Consiliis hujusmodi principem jam locum obtinerent. Quod habitum est apud sanctam Macram Concilium sub Regibus Ludovico & Carlomanno anno 881. testatum fecit id moris fuisse Carolo Magno, ut secum haberet semper tres ex primariis Consiliariis suis, alternas per vices illos accersens; illos consulere solitum de singulis quibusque rebus, & de consiliis omnibus, quæ sibi in mentem venirent, & quæ diu noctuque statim exarabat in tabulis cereis, ut ad eos referret; denique in Comitiis generalibus, ubi aderant Consiliarii sui omnes, decernere & statuere tandem solitum, quæ deinceps executioni essent mandanda.

*Can. 8.*

*Carolus Magnus nullo unquam tempore sine tribus de sapientioribus & eminentioribus Consiliariis suis esse patiebatur: sed vicissim per successiones, ut eis possibile foret, secum habebat; & ad capitium lecti sui tabulas cum graphio habebat, & quæ sive in die, sive in nocte de utilitate sanctæ Ecclesiæ, & de profectu ac soliditate Regni meditabatur, in eisdem tabulis adnotabat, & cum eisdem Consiliariis suis quos secum habebat, inde tractabat. Et quando ad Placitum suum veniebat, omnia subtiliter tractata plenitudini Consiliariorum suorum monstrabat, & communi consilio illa ad effectum perducere procurabat.*

*Conc. Gall. To. 3. p. 514.*

XI. Non hîc quidem disertis verbis illud significatur, ex Ministris & Consiliariis Caroli Magni alios Clericos, alios laïcos Optimates fuisse. Sed conjectura duci potest ex annuo conventu omnium Consiliariorum, quos inter primo semper loco sedebant Episcopi & Abbates; nec minore forsan erant numero, quàm laïci Proceres. Aliud ejus rei argumentum elicitur ex monitis his hujus Concilii ad utrumque Regem, ut secum semper haberent Consiliarios, alios ex Clero, alios ex Nobilium delectu, singulis mensibus alios aliosque ex iis vicissim accesserent, ut cum eis tractarent de omnibus ad Ecclesiæ Regnique utilitatem spectantibus. *Quæsumus cum consilio & auxilio fidelium vestrorum, eligite qui vobiscum per singulos menses de utroque ordine Consiliarii maneant, quibus aurem & cordis & corporis libenter accommodetis, quique vos Deum timere, & Ecclesiam ac Rectores ejus doceant honorare.*

Censet Theganus Ludovici Pii infortunia non alio magis ex capite manasse, quàm quòd totum se, & ultra modum suis permitteret Consiliariis: quod-

que exitiali quadam inveterata consuetudine, ex servis Episcopos eligeret: *Nihil indiscretè faciebat, præterquam quod Consiliariis suis magis credidit, quàm opus esset, &c. Quia jamdudum illa pessima consuetudo erat, ut ex vilissimis servis summi Pontifices fierent, &c.* Et infrà: *Summopere cavendum est ne amplius fiat, ut servi sint Consiliarii sui, quia si possunt, hoc maximè construunt, ut Nobiles opprimant.* Hinc apertum fit inter Consiliarios Ludovici Pii primas semper obtinuisse Episcopos, & nescio qua æmulatione in eos æstuasse Nobiles, Proceresque, qui ex ipsa origine & prosapia aucupabantur ansam eos deprimendi.

*Du Chesne Hist. Fran. Tom. 2. pag. 279. 284.*

Scripsit Hincmarus ad Regem Ludovicum Balbum, à quo accersitus fuerat, ut cum eo consilium iniret de Ecclesiæ Regnique regimine: scripsit, inquam, utriusque vel incolumitatem, vel perniciem in Consiliariis maximè positam esse, bonis, malisve, quos sibi Rex allegeret, prout ipse bonus malusve foret. *Legimus quia boni Reges constituti, bonos sibi Consiliarios adhibuerunt, & per bonos Reges & bonos Consiliarios Regnorum populi multa bona habuerunt: & per malos Reges & malos Consiliarios Regnorum populi multa mala sustinuerunt.* Conventus porro illi duo, ad quos Consiliarii Regii vocabantur, generalis alter, alter particularis, perspicuè distinguuntur in Annalibus Bertinianis, ut de Carolo Magno jam animadversum est. *Carolus in Purificatione sanctæ Mariæ cum suis Consiliariis Placitum in Monasterio sancti Dionysii peragens, ibidem Pascha Dominicum celebravit. Generale quoque Placitum Idus Junii tenuit in villa Duciaco, ubi & annua dona sua accepit.*

*Ibidem. pag. 475. Du Chesne To. 3. pag. 246.*

*Ann. 874.*

XII. Sed omnium præstantissimè Hincmarus rem hanc totam eo illustravit Tractatu, quem de Educatione Carlomanni Regis scripsit, & de Ordine Palatii. Statim enim Conventus secernit duos, in quos Cleri & Nobilium Optimates coïbant, Seniores ut consilia librarent; juniores ut audirent & exequerentur. *Consuetudo erat, ut non sæpiùs, sed bis in anno duo Placita tenerentur. Unum quando ordinabatur status totius Regni, &c. In quo Placito generalitas universa majorum, tam Clericorum, quàm Laicorum conveniebat; Seniores propter Consilium ordinandum, juniores propter idem Consilium suscipiendum. Cæterùm propter dona generaliter danda aliud Placitum cum Senioribus tantùm & præcipuis Consiliariis habebatur: in quo jam futuri anni status tractari incipiebatur.* Duos hic habes Conventus annuos ad Regni regimen temperandum. In primum admittebantur Clerici & Barones, quanquam Consiliarii nomine & dignitate à Principe donati non essent. *Generalitas universorum Majorum, tam Clericorum, quàm Laicorum conveniebat.* In secundum non admittebantur nisi Seniores & Consiliarii: *Aliud Placitum cum Senioribus tantùm & præcipuis Consiliariis habebatur.* Seligebantur hi Consiliarii ex Clericorum & Laicorum spectatissimis quibusque sapientia, religione & fide erga Regem Regnumque incorrupta: *Consiliarii autem tam Clerici, quam Laici, tales eligebantur, qui primo Deum timerent, deinde talem fidem haberent, ut excepta vita æterna nihil Regi & Regno præponerent.* Illud porro commendatissimum erat his Consiliariis, ut fide & silentio inviolabili reticerent, premerentque, tum quæ consultabantur, tum quæ decernebantur; *Consiliarii hoc principaliter inter se constitutum habebant, ut nullus prodere debuisset, &c. Seu in annum, seu in perpetuum sub silentio manere necesse fuisset.* Ideo & secreti, quandoque & silentii nomine designatus est hic Conventus. Refert Paulus Diaconus à Leone Isaurico coactum fuisse *Silentium*, hoc est Consilium, adversùs sacras Imagines, quò & Germanum Patriarcham accivit. *Impius Leo silentium contra sanctas & venerabiles celebravit imagines, advocato quoque Germano Patriarcha.* Inde est & illud quod *Silentiarius* idem quandoque dicebatur, qui Consiliarius. Ut in vita sancti Angilberti: *Sibi Carolus eumdem Silentiarium statuit, ut in quo compererat prudentiæ altitudinem, ejus consilio componeret totius Regni utilitatem.* Addit Hincmarus Consiliariorum Conventum istum ad ventilandas Privatorum causas non accessisse, nisi ubi publicis negotiis disceptandis finis erat impositus. *Præfatorum Consiliariorum intentio, quando ad Palatium convocabantur, in hoc præcipuè vigebat, ut non speciales, vel singulares quascumque causas ordinarent, quousque illa, quæ generaliter ad salutem, vel statum Regis & Regni pertinebant, ordinata habuissent.*

*Hincmar. To. 2. pag. 215.*

*L. 21.*

*Du Chesne. To. 2. pag. 557.*

Denique ubi subita & improvisa incurrebant aliqua discrimina, per quæ nec convocari illa majora liceret Regni Comitia, nec Consiliarios solos adgregare, supererat Consilium aliud Ministrorum Palatii, quo aliorum Conventuum vices supplerentur; quòd hi Palatii Ministri in Consiliis Regiis versati diu, & in negotiis publicis expediendis exercitatissimi fuissent. Ita Hincmarus eodem loco, ubi & illud adjicit, in hoc Strictiori Consilio primum ante alios sedisse omnes Archicapellanum, tum Comitem Palatii, & Camerarium. Dixerat paulò antè vidisse se, dum prima vernaret juventa, Adelardum illum sapientiæ laude clarissimum, Corbeiensem Abbatem, principem inter principes Caroli Magni Consiliarios obtinentem locum: *Adalardum Monasterii Corbeiæ Abbatem inter primos Consiliarios primum in Adolescentia mea vidi.*

*Pag. 113. 206.*

XIII. Inferri hinc facilè potest inter Consiliarios Regum primo semper loco sedisse Clericos, sive in Generalibus Regni Comitiis, quæ priùs *Placita* vocabantur, & quæ sub tertia Regum nostrorum prosapia *Parlamenta* dici cœpere: sive in Minoribus Consiliariorum Conventibus, quæ & ipsa Placita vocabantur; sive denique in privato & strictiori Consilio, quod soli Palatii Ministri implebant. De his postremis, ut suspicor, Consiliariis capiendum est, quod persæpè narrant Historici antiqui, voluntate Regum & assensu Consiliariorum ejus dari solitos Episcopatus. Ita ex Annalibus Fuldensibus electus fuit Rabani Archiepiscopi successor anno 856. *Magis ex voluntate Regis, & Consiliariorum ejus, quàm ex consensu & electione Cleri & populi.* Lupus Ferrariensis Abbas ad Lugdunensem Archiepiscopum scripsit, non esse quod cunctaretur illum ordinare Episcopum, cui sacram dignitatem contulisset Rex Carolus Calvus cum assensu Consiliariorum suorum: *In hoc probatissimorum ejus Consiliariorum acquiescit consensus.*

*Epist. 81.*

Excusabit hæc postrema observatio tum nomen & dignitatem, tum functionem ipsam Consiliariorum, qua & Episcopi & illustriores quique Clerici à Regibus decorabantur. Cùm enim & Reges ipsi sacrosancti sint, cùmque eorum Consilium, quocumque spectetur modo, sacrarium, adytumque sit, ubi pertractatur de plerisque Ecclesiæ causis, rebus, legibus, quarum Reges custodes sunt & defensores; in dubium jam verti non potest, quin Consiliarii Regii dignitas consentanea in primis sit tam Episcoporum, quàm Clericorum ordini; quin denique functio ipsa, & conducibilis omnino sit Ecclesiæ, & non rarò necessaria.

XIV. Visum est quandoque viris doctissimis,

Imperatoribus ipsis suos fuisse Syncellos, perinde ut Patriarchis. Consiliarii illi quos semper sibi conjunctissimos habebat Carolus Magnus: & illi rursus quos in ordine tertio locavimus, qui sedem in Palatio ipso habebant: hi certè à Syncellis dissidebant non multùm. Nec enim fieri potest, quin Syncelli in Consiliarios tandem evadant. Ideo & Flodoardus non alio quàm Consiliarii nomine induit Haganonem, qui Caroli Simplicis unus
L. 4. c. 15. summusque minister erat. *Propter Haganonem Consiliarium suum.*

XV. Refero tandem me ad summi Pontificis Consiliarios, unde & usus forsan dignitasque Consiliariorum ad alios manavit Principes Christianos. Erat enim is usus longè antiquissimus in Ecclesia Romana, antequam ad alios Principes serperet, ut ex antedictis patet. In antiquissimo exemplari libri ejus, quem scripsit Gennadius de Scriptoribus Ecclesiasticis, B. Prosper Leoni Papæ Consiliarius additur. *Prosper homo Aquitanica regionis, Consiliarius Papa Leonis.* A Stephano Papa III. perhibet Anastasius Bibliothecarius missum esse in Thusciam ad Desiderium Longobardorum Regem Christophorum *Consiliarium*, cum Abbate Fulrado *Consiliario*
Baluzius in Notis ad Lupum Ferrari pag. 477. Regis Franciæ. Scriptor autem vitæ Stephani IV. Papæ huoc eundem Christophorum Consiliarium & Primicerium exhibet, ut munimentum inexpugnabile Ecclesiæ Romanæ adversùs schisma teceos exortum. Nicolaus I. delegavit in Gallias Arsenium Nuntium, qui Episcopali fulgebat dignitate, au-
Epist. 25. ctum Consiliarii titulo, *Consiliario nostro.* Adrianus
Epist. 16. II. eodem misit Episcopos Paulum & Leonem
18. 19. Consiliarios suos: *Dilectos Consiliarios nostros.* Misit & Presbyterum Cardinalem, cognato valde titulo ornatum: *Presbyterum Cardinis. nostri, dilectumque*
Act. 5. *familiarem nostrum.* Episcopi duo & Diaconus, quos hic idem Papa ad Concilium VIII. Generale delegavit, in Epistola ad Concilii Patres scripta Consiliarii vocati sunt. *Consiliarios nostros.* Joannes VIII. ad Ludovicum Balbum Galliæ Regem scribens, Consiliarium illum suum declaravit, eadem ratione
Epist. 87. qua fuerat ejus parens Carolus Crassus: *Te quoque, carissime fili, ad vicem genitoris vestri domni Caroli perpetui Imperatoris Augusti, à secretis constituo meum*
Epist. 169. *Consiliarium.* Episcopos etiam aliquot idem Pon-
159. 101. tifex eodem honestavit titulo.

XVI. Porro cùm alicubi hic idem Papa *Deliciosos* etiam vocet Consiliarios suos, visum est &
Epist. 201. aliquid hic ea de re perstringere. Legatos suos Pon-
305. 72. tifex his ornat nominibus: *Deliciosis Consiliariis nostris.* Et alibi: *Joanni Duci, Delicioso, Fideli & Misso*
Epist. 19. *nostro.* Et rursus alibi: *Gaudericum & Zachariam Episcopos, Deliciosos, & Consiliarios nostros vobis direximus.* Mittens Nicolaus I. in Gallias duos Episcopos, qui Concilium cogerent, eique præessent, tanquam Apostolicæ sedis Legati, prout Carolus Calvus Rex expetierat eodem illos ornat nomine, *Sanctissimos Episcopos Deliciosos nostros.* Anastasius Bibliothecarius Alcuinum Caroli Magni Deliciosum vocavit: *Albinus Deliciosus ipsius Regis.* Ita ille in vita Adriani I.



## CAPUT CII. *P. 4. l. 1. c. 76.*

### De Syncellis, Monitoribus, Consiliariis, Confessariis. De præcipuis Beneficiariis Ecclesiæ Græcæ post annum Christi millesimum.

*I. Antiquorum Conciliorum decreta de Syncellis, vel Monitoribus occultis & domesticis Episcoporum.*
*II. Super eadem re Decreta Conciliorum Mediolanensium.*
*III. Exempla Caroli Borromæi, & Francisci Ximenii Cardinalium.*
*IV. Non alii aptiores ad strenuè obeundas majores Ecclesiæ dignitates, quàm ii privati Episcoporum Consiliarii.*
*V. De Syncellis, & universim de Dignitatibus Ecclesiæ Græcæ.*
*VI. De eadem re.*
*VII. De Episcopis Clericisque aliis Regum Consiliariis.*
*VIII. De Episcopis, Clericisque aliis, & Regularibus, qui Regibus à Confessionibus fuere.*
*IX. De eadem re iterum.*

I. CONCILIO Londinensi anni 1102. ubi præfuit Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, statutum est ut adessent semper Episcopo comites inculpati, testesque intaminatæ eorum vitæ:
*Et ut semper & ubique honestas personas habeant, testes* Can. 1.
*conversationis suæ.* Concilium Parisiense anni 1212. cui Cardinalis Legatus præerat, pulcherrimam oculis objecit effigiem ministrorum & domesticorum Episcopi: eorum maximè qui indivulsi comites testes-
que omnium sunt. *Statuimus etiam ut Prælati socios* Part. 4. c. 10
*habeant integræ opinionis & famæ habitu compositos, ætate grandævos, fide claros, & competentibus scientiis eruditos, & cubicularios honestos, qui juxta Canones sint testes vitæ ipsorum, & suorum conscii secretorum.* Nec obscuritatibus præditos esse dotibus oportebat, qui contubernio & familiaritate intima Episcoporum dignandi erant. Anno 1248. Cardinalis Legatus Insulæ Cypri, Dignitatibus Capituli præcepit, ut duos semper domi Clericos; Canonicis verò, ut unum saltem semper haberent, quorum testimonio uterentur. *Ut personæ duos Clericos, non Assisios, & Canonicus unum in domo secum teneant, qui eos associent, & ex quibus numerus servientium in Ecclesia augeatur.* Testes hi domestici, nec Canonici esse poterant, nec *Assisii*, quasi Semicanonicos dicas. Joannes Archiepiscopus Nicosiensis hanc Constitutionem innovans anno 1320. hoc maximè caput inculcavit:
*Mandamus quòd Canonici omnes, tam personales, quàm* C. 14.
*alii suos Clericos tenere debeant, sicut fuit aliàs constitutum: dummodo tales teneant, qui aliàs in dicta Ecclesia non sint beneficiati, nec intitulati.* Concilium Basileense sessione XXIII. statuto Gregorii Magni primævum vigorem reddidit; ut Pontifex, ut Cardinales, ut Episcopi in secretiori etiam conclavi haberent semper affixos sibi Clericos vel Monachos, velut testes individuosque comites. *Tam summus Pontifex & Cardinales, quàm cæteri Episcopi Constitutionem beati Gregorii in Concilio generali editam servare studeant, cujus tenor hic est, quam hæc sancta Synodus innovat, Cum Pastoris vita, &c. statuimus ut quidam ex Clericis, vel etiam ex Monachis electi, in ministerio cubiculo Pontificali obsequantur, ut his qui in loco regiminis est, tales habeat testes, qui veram ejus in secreto conversationem videant, & ex sedula visione exemplum profectus sumant.* Hoc eodem rursus in Concilio innovatum est decretum Paschalis Papæ: *Paschalis etiam Papæ verba advertant. Episcopi lectioni & orationi vacent: & semper Presbyteros & Diaconos, aut*

*alios boni testimonii Clericos habeant, ut secundum Apostolum & sanctorum Patrum instituta possint irreprehensibiles inveniri.*

Ottho Cardinalis Augustanus Episcopus Synodum celebrans Diœcesanam anno 1548. omnes qui tum aderant enixissimis precibus interpellavit, ut Monitores sibi eligerent, qui monerent si quid in moderandis Ecclesiæ gubernaculis peccaret. *Urgendo petiit, ut monitores ex se deligerent, qui se de his admonerent, quæ se fortasse circa officii sui, suorumque ministrorum negligentem aut improvidam curam, seu administrationem lateant.*

II. Post Synodum Tridentinam in Concilio suo VI. Mediolanensi sanctus Carolus Borromæus statui curavit, ut Episcopi posthac singuli in civitate Episcopali duos deligerent Presbyteros, pietate, doctrina & zelo insignes, qui ipsos moneant de iis quæ commiserint in Canones, in Concilium maximè Tridentinum, & in Concilia Provincialia Mediolanensia. Denique Episcopos omnes adduxit Carolus, ut ex Episcopis Provinciæ unum deligerent, quocum per litteras tractare possent de negotiis Ecclesiæ suæ, ejusque consiliis tecreari. *Duos sibi Sacerdotes pietatis Zelo flagrantes, spiritalique usu peritos ac prudentes, pro conscientia sua religione secretò in civitate deligat. Quorum Sacerdotum officium in primis sit, Episcopum assiduè omni charitate & humilitate, omnique debita observantia officio privatim sincerè admonere, quidquid in eo vel desiderari, vel opus esse viderint, cum ad omnis disciplinæ, tum verò ad sacri Tridentini nostrorumque Conciliorum Provincialium perfectam atque absolutam executionem. Ob eam etiam causam aliquem Provinciæ Episcopum item deligat, qui aliquando per litteras, Pastoralis administrationis suæ rationes consiliaque ineat, &c.*

Act. Eccl. Medial. pag. 310. 106. Cap. 21.

Cap. 29. Concilium III. Mediolanense anni 1573. Episcopos impulerat, ut non in Episcopali tantùm civitate, sed & per omnes Parochias instituerent Sodalitium piorum virorum, & zelo salutis animarum flagrantium, qui essent veluti Censores publici, & quorum scopus officiumque potissimum esset, fraterna correptio. Concilio Mediolanensi VI. præceptum est Episcopis, ne quoquam peregre irent, sine Diacono & Subdiacono. Rotomagense Concilium anni 1581. sanxit, ut Episcopi Clericos semper aliquos secum haberent, testes & inspectores omnium publicè privatimque. *De ordine Cleri aliquos sibi retineant Episcopi, ad suum ministerium, qui ad eorum mensam libros ad pietatem & ædificationem spectantes legant, atque aliis de eorum conversatione fidele testimonium præbeant.* Denique Concilium Aquense anni 1585. decrevit ut Episcopi quantos possent Clericos domi haberent semper, duosque saltem sacris in Ordinibus constitutos, quorum unus Presbyter esset; ut hi essent Episcopalis, hoc est, Apostolicæ Præsulum vitæ & sanctimoniæ non testes magis quàm imitatores. *Qui omnes vigilantem, orantem, in opera misericordiæ incumbentem, ac divinarum Scripturarum Mysteria scrutantem Episcopum studiosius attendant, ac ejus actionum & sanctæ conversationis quasi testes sint & imitatores.*

Cap. 23. Tit. de Episc. & Cap. n. 12. Tit. de Episc.

III. Exemplo præiverat Carolus Episcopis Conciliisque his suis, teste Giossano, *adscitis Camerariis duodecim, qui ferè omnes Presbyteri erant & Doctores, quos inter effulgebant duo speciali sanctimoniæ gloria, quos testes sibi diurnos nocturnosque ubique volebat esse. Adsciverat & duos sibi occultos monitores; Clerici erant eximia pietate, qui maculas vitæ actionumque qualeslibet oculis auribusque suis ingererent. Id aliquanto post in Concilio Mediolanensi fecit constitui.*

Giossano Vita Caroli L. 2. c. 3

Nusquam proficiscebatur, nullibi moras trahebat Anselmus Cantuariensis Episcopus, nisi comites haberet Clericos Monachosque, authore Eadmero: *Nullo loco vel tempore sine suis Monachis vel Clericis erat.* Idem Bernardus postea insusurravit consilium Episcopo Genevensi: *Bonos in consilio, bonos in obsequio, bonos habeas contubernales, qui vitæ & honestatis tuæ, & custodes sint & testes.*

Eadmer. in vita Ansel. L. 2. Bernardus Epist. 28.

Redeo ad nostra tempora, quibus Franciscus Ximenius ex Franciscano Ordine ad Toletanum Archiepiscopatum vocatus, ex Ordinis sui Fratribus decem retinuit secum in Palatio sedem habituros. Sed speciale illud fuit, quòd Ximenius nihil unquam cum illis de negotiis publicis collocutus sit, nihil in eorum aures infuderit, quo posset religiosa vitæ turbari quies & serenitas obnubilari. Omnes illis, omnes cum illis de spiritalis sanctimoniæ regulis sermones erant; omnibus eadem silentii cura, idem secessûs amor, qui in Claustro; nullum eorum denique, immo nec ullum omnino sui Ordinis, quemlibet meritis clarum quantulacumque dignitate auxit, quamvis in potestate haberet sub Isabella incomparabilis gloriæ Regina, regiæ ejus munificentiæ rivulos, quocumque vellet derivare. Non silet Gomecius in ejus vita, è qua hæc hausimus, intemperias & furores hominum, quorum ille insanas spes fefellit, tam inopina & tam sancta rerum administratione.

L. 1 Hispan. illust. To. 1. pag. 941.

IV. Quàm pia & quàm sancta, tam singularis erat ea Ximenii ratio. Syncellis enim semper ad summas Dignitates aperti & faciles fuere aditus. Diximus dicemusque de Ecclesia Græca. Antè paucis rem demonstrabimus in Ecclesia Latina ex Petro Blesensi. *Clericos Pontificum frequentiùs elegit Dominus in Sacerdotes.* Et quidem quæ usquam schola præstantior ad fingendos formandosque Episcopos, quàm Episcopi domus? si priscæ is disciplinæ tenax sit? Locupletissimus testis idem ipse Petrus Blesensis, cum ait Clericos quibus constabat familia Archiepiscopi Cantuariensis, eruditione juxtà & pietate conspicuos fuisse; quo fiebat ut eorum consiliis & consultatione dirimerentur causæ litesque omnes tota ex Anglia spinosissimæ. *In domo domini mei Cantuariensis Episcopi, viri litteratissimi sunt, apud quos invenitur omnis rectitudo justitiæ, omnis cautela providentiæ, omnis forma doctrinæ. Isti post orationem & ante comestionem in lectione, in disputatione, in causarum decisione jugiter se exercent. Omnes quæstiones regni nodosæ referuntur ad nos.* Hi erant utique Syncelli Cantuariensis Archiepiscopi, ejusque Consiliarii. De Consiliariis rursum infrà, paucis præfati de Syncellis Græcis.

Epist. 6.

V. Anno 1030. Constantinopoli in majori Templo, ipso sacro Pentecostes die, inter Missarum solemnia fœdissima excitata est rixa inter Syncellos & Metropolitanos de honore consessûs, cùm non possent Metropolitani animum adducere, atque id imperare sibi, ut primas honoris concederent Syncellis. Ita sanè Curopalates narrat: *Fuit die Pentecostes perturbatio quædam in sacris celebrandis, quòd non consensissent Metropolitani Episcopi sidere ante se Syncellos in consessu.*

Baron. an. 1030.

Observavit doctissimus vir Janua Acosta apud Zonaram & Cedrenum ita Syncellos Patriarchis succedere, sicut apud Turcos Seriphii Caliphis subrogantur: *Ut Seriphus Calipha defuncto succedit apud Turcas, sic olim Syncellus apud nos Patriarchæ defuncti locum occupabat.* In Epistola Græcorum Episcoporum

Acosta in 1 Tit. 9. L. 2. Decret.

Conc. Gen. II Par. 1. p. 669 & 833. coporum ad Gregorium X. Papam Concilii Lugdunensis II. tempore anno 1274. commemorantur pleræque omnes Ecclesiæ Constantinopolitanæ dignitates. Paulò aliter nominantur in Epistola quam ad eos scribit Pontifex. *Archidiacono & universo Clero, Oeconomo, Sacellario, Protecdico, Logotheta, Castrisio, Referendario, Didascalo, Primicerio, Ipomnisco Ostiariis & Notariis omnibus, necnon Decano, Archidiacono, Diaconis, & Cantoribus, & Lectoribus universis.* Nulla hic mentio Syncellorum, quòd nonnisi comites individui essent Patriarchæ, & in unam quodammodo cum eo dignitatem coalescerent. In Actis Concilii Florentini occurrent tibi Scevophylaces, Chartophylaces, Protosyncellus & Vicarius Conc. Gen. 3. pag. 34. 360. n. Patriarchæ Alexandrini, Monachus idem & πνευματικός, id est, spiritalis Pater, seu Confessarius Patriarchæ.

Has omnes Simeon Thessalonicensis compeodiaria, sed eleganti explicatione illustravit Dignitates. De sacris ordinat. c. 23. Curat enim ex eo Magnus Oeconomus tertas reditusque Ecclesiæ & bonorum dispensationem. Magnus Sacrista, *Sacellarius* curam gerit Monasteriorum, ut disciplina in eis pietasque incorrupta vigeat. Scevophylax Ecclesiæ vasa sacramque curat supellectilem. Chartophylax præest Presbyteris, Ordinationibus, Matrimoniis, jurisdictioni contentiosæ Episcopi, Chartis: *in summa totus est Episcopi dextera.* Sacrista minor, Sacello præpositus, jus habet in omnes urbis Ecclesias, ut decori & disciplinæ Canonicæ nihil obstrepat. Primus Defensor, Protecdicus, curat eos qui ab apostasia resipiscunt, scelerosos plectit, tuitionem præstat innocentibus. Invehitur porro vehementissimè Simeon, nec immeritò in eos qui Patres spiritales, seu Confessarios asciscebant sibi, ejusmodi Monachos qui nondum essent Presbyteri. Cùm enim examen & absolutio criminum ad Episcopum primævo & principali jure pertineat, ejusque vel delegatione, vel absentia ad Presbyteros; quomodo potest Apostolica & divina ea potestas iis communicari Monachis Presbyteratu non initiatis? *Similis ratio est de officio spiritualis Paternitatis. Illud conferendum non est Monachis idiotis, nullam prorsus ordinationem habentibus. Nam adeo sacratissimum hoc est, solis ut Episcopis conveniat &c.*

VI. Quæ nuperrimè habita est Constantinopoli Synodus anno 1642. ubi à Græcis Episcopis proscripta est Calviniana insania, quam Pseudopatriarcha Constantinopolitanus Cyrillus disseminaverat: ea, inquam, Synodus in subscriptionibus Conc. Tom. 5. p. 5721. has habet Dignitates annotatas: *Prædicator Evangelii Magnus Archimandrita magnæ Ecclesiæ. Magnus Protosyngellus magnæ Ecclesiæ. Magnus Logotheta. Magnus Oeconomus. Magnus Sacellarius. Magnus Chartophylax. Magnus Ecclesiarcha. Nomophylax. Minor Sacellarius, ὁ ὀρφανοτρόφος. Protecdicus. Protonotarius. Magnus Primicerius. Dicæophylax. Magnus Interpres. Logotheta. A Commentariis, Protapostolarius. Notarius.* Hæc ibi leguntur Officia Ecclesiæ Constantinopolitanæ. De reliquis Ecclesiis Græcis inde pro cujusque modo conjectura ducenda est. Nec video ullum esse dubitandi locum, quin Protosyncellus ille sit, qui Protosyngelus hic dicitur.

VII. Cùm essent Protosyncelli Consiliarii juges Patriarcharum & Episcoporum, proprius hic locus est agendi de Consiliariis. Anno 1209. narrat Rigordus Episcopum Parisiensem, & *Fratrem Garinum Philippi Regis Consiliarium*, curasse, ut inquisitiones occultæ fierent adversùs sectatores hæresiarchæ insanissimi Amalrici. Anno 1281. cùm scriberet Joannes Archiepiscopus Rotomagensis Eduardo I. Angliæ *Regi, ejus Consiliariis litteratis* pariter & conjunctim scripsit. Consiliarii litterati, ii videntur esse, quos vernacula Galliæ lingua *Consiliarios Clericos* vocamus. Ejus ordinis non erat Petrus de Cuneriis, famosus libertatum Ecclesiæ adversarius; in Actis enim Conventûs habiti anno 1329. sub Philippo Valesio Rege, vocatur *Miles Consiliarius Regis.* Milites à litteratis prorsus diffideor. In Conventu Francofordiensi 1409. Rupertus Romanorum *Rex fuit ibi cum Consiliariis suis.* Nec dubium est, quin bipartita illa fuerit Consiliariorum Curia, Clericorum, Laïcorumque: cùm & ejusmodi hactenus sit Imperium Germanicum, ubi similiter bipertitum est Collegium Electorum, & Principum aliorum. Nec aliter se habebat Hispania, cum in Concilio Constantiensi anno 1417. S. ss. 35. 38. Episcopos Conquensis, & Præfectus Guipuscoæ dicantur Consiliarii Regis Castellæ. Quo nomine & Franciscanus ibidem donatur. In Concilio Dertusensi anni 1429. Doctori juris utriusque id habetur honoris, ut dicatur *Consiliarius Regis Arragoniæ.* Appen. 1. Epist. 22. Scripsit Basileensis Synodus, *Reverendis in Christo Patribus, & illustribus ac magnificis dominis Consiliariis Regis Christianissimi.*

Est omnino simillimum veri Consiliarios hos fuisse Regis Regnique, seu ut loquimur *Status.* Canutus Angliæ Rex ita Ministris Consiliariisque suis scripsit: *Præcipio meis Consiliariis, quibus Regni Consilia* Baron. an. 1027. n. 2. *credidi*. scripsit autem, ut justitiæ legibus religiosissimè obtemperaretur. Longinus agens de Casimiro Poloniæ Rege, tradit Consilium Regni Polonici Episcopis constare & Palatinis. *Pontificibus interim* Idem anno 1041. n. 5. *& Palatinis ex quibus maximè universum Corpus Consilii apud Polonos concinnatur.* Ex Leone Ostiensi erat Episcopus Aistetensis Consiliarius, id est Minister Imperatoris Henrici II. *Gebeardus tunc Episcopus* Idem anno 1093. n. 3. *Aistetensis, gente Noricus, vir singulari prudentia, gerendarumque rerum peritissimus, Regis Consiliarius erat.* Conquestus est sanctus Bernardus de Ludovici VII. Regis commissis quibusdam gravioribus per litteras ad Episcopum Suessionensem, & ad Sugerium Abbatem sancti Dionysii datas, tanquam ad Consiliarios, & ad Consiliorum ejus Administros: *Dignum duxi vobis, qui de Consilio ejus estis, in-* Epist. 222. *sinuandum, &c. Quidquid mali fecerit, meritò non Regi juveni, sed Consiliariis senibus imputatur.* Tam necessario exemplo præiverat Carolus Magnus posteris suis, seu Galliæ Regibus, seu Imperatoribus Germanis. Author quippe vitæ sancti Angilberti hunc à Carolo refert Archicapellanum simul esse creatum & Silentiarium, hoc est, arcanorum Consiliorum conscium atque participem. *Hæc tanta di-* Bollan. Feb. To. 3. p. 98. *lectio ad hoc processit, ut eum Secretorum conscium, & Primatem Capellanorum faceret, sibi quoque tandem Silentiarium statueret. ut in quo compererat prudentiæ altitudinem, ejus Consilio componeret totius regni utilitatem.* Agemus inferiùs de Angilberto.

Jam professus sum hanc Consiliarii dignitatem, tametsi Episcopis & Clericis adscriberetur, sua tamen sponte non eam fuisse, quæ Clericis solis adscribi posset. Ideo nec de ea sermo à nobis institutus est, nisi quia ab Ecclesia ad Palatia Principum manasse ea videtur, & ipsis in Principum Palatiis non aliis magis, aut præcellentiùs attributa fuisse, quàm Episcopis Clericisque aliis, quasi dignitas ab Ecclesia ortum sortita, ad eam innato quodam instinctu revocaretur.

VIII. Cum autem sive Episcopi, sive Abbates, sive denique Monachi, qui inter Consiliarios Regum conscribebantur, à Confessionibus quoque ipsis essent: quis enim à Consiliis magis, quàm qui à Confessionibus? cùmque Protosyncelli in superioribus fuerint iidem non rarò & Patres spirituales, πνευματικοὶ, Patriarcharum: denique cùm Græci suprà in pernumerandis Ecclesiæ suæ Dignitaribus locum esse voluerint his quoque spiritalibus Patribus, seu Confessariis: æquum est & de his raptim aliqua observari. Postquam Aurelianense Concilium anni 1017. anathemate perculerat duos hæresiarchas novos, Constantia quæ ibi affuerat cum Roberto Rege Conjuge suo, in Confessarium suum gravissimè excandescens, *[Conc. To. 5. pag. 842]* quòd his se ipsum erroribus contaminasset, adeoque gradu dejectus & igni adjudicatus fuisset, sceptro suo oculum ei exsculpsit. Erant ergo jam tum Regibus ac Reginis sui peculiares Confessarii, quos illis Episcopus deligebat, si qua fides Canoni, quem vulgò adscribunt Concilio Claromontano anni 1095. *Ut nullus Princeps Capellanum habeat, nisi quem sibi Episcopus suus, aut Archidiaconus Procuratorem animæ delectum constituat.* Ludovicus Crassus Galliæ Rex animam exhalaturus, Episcopum Parisiensem accivit, & Abbatem sancti Victoris, *cui familiarius confitebatur*, ut ait Sugerius. *[Rainal. an. 1219. n. 66.]* Goffridus Dominicanus qui sancti Ludovici vitam scriptis consignavit, testatum fecit, ei se à Confessionibus fuisse annorum viginti spatio, & non semel excepisse se Confessionem ejus quam vocant Generalem. *[Cap. 5 16.]* Cum aberat Confessarius, confitebatur piissimus Rex Capellano suo, quocum Canonicas horas quotidie Deo persolvebat. *[Du Chesne. To. 5. pag. 446. 451.]* Denique affirmat hic idem Scriptor, sancto Ludovico ex Palæstina reduci duos semper fuisse Confessarios, Franciscanum alterum, alterum Dominicanum, quorum alter absente altero fungeretur munere, utque eximiam quandam amoris sui in hosce duos Ordines vim & suavitatem testificaretur. *Postquam de transmarinis partibus est reversus, semper duos voluit Confessores, unum de Ordine Fratrum Minorum, & alium de Ordine Prædicatorum.* Anno 1254. ad reformandam Cisterciensis Ordinis disciplinam, cujus Abbatis minùs conveniebat cum Abbate Claraevallensi, designati sunt à Papa Episcopus Tricassinus, Abbas Majoris Monasterii, & Confessarius Ludovici Regis sanctissimi. Sua ipse sponte, ut opinor, duos illos Ludovicus Rex sibi Confessarios adjunxerat. Et tamen Philippus filius ejus à Romano Pontifice *[Mina. Ang. Tom 2. pag. 701 Rainal. an. 1272 n. 59.]* Rescriptum impetravit, quo copia ei fiebat suo nutu Confessarium eligendi, sive sæcularem, sive Regularem, eoque dimisso, alterum cùm ex re esset accersendi. Postquam grave illud dissidium exarsit inter Bonifacium VIII. Pontificem & Philippum Pulchrum Galliæ Regem, anno 1303. Bonifacius Regium Confessarium Ordinis Dominicani Romam evocavit. *[Histoire du Differend p. 99. 121.]* Hic ipse Dominicanus est, quem cum alio ejusdem Ordinis Angliæ Regis Confessario anno 1305. Clemens V. Papa Cardinalium albo inscripsit, referente Spondano ad eum annum. Magnus *[Rainal. an. 1281. n. 23.]* Sueciæ Rex anno 1281. à Martino IV. expressit potestatem deligendi sibi Confessoris. Anno 1317. *[Rainal an. 1305. n. 14]* Joannes XXII. Papa Eduardum Angliæ tum pluribus aliis cumulavit privilegiis, tum hoc præ cæteris, ut arbitrio suo Confessarium assumeret, qui illa quoque solveret ejus peccatorum vincula, quæ Reservata dicuntur. *[Idem n. 49]* Anno 1318. Rex & Regina Siciliæ idem ab eodem Pontifice privilegium exorarunt, addita & indulgentia plenissima ad illud temporis punctum, quo animam efflaturi essent. Gal- *[Idem n. 17.]* liarum Regibus Dominicano ex Ordine Confessarii fuere usque ad annum 1385. quo Joannes de Montesonio ejusdem Ordinis Theologus, cùm de Conceptione beatissimæ Deiparæ aliqua evulgasset, adeoque & contumaciùs propugnasset, quæ Episcopus Parisiensis, inde & Romanus Pontifex gravi censura confixerant: ingens ei Ordini tempestas incubuit, donec recantatæ sunt, quæ perperam publicatæ fuerant propositiones. Confessarius Regis Dominicanus & ipse Episcopusque Ebroicensis easdem retractare coactus, ab audiendis Regis Confessionibus summotus est, nec ulli deinde à Regibus ad id muneris eo ex Ordine asciti sunt. Author *[Mariana L. 17. Hispan. lib. 20 pag. 916]* est Mariana ad annum 1379. Castellæ Regem Henricum Dominicana veste indui se voluisse, & ita tumulo inferri, & moris id tunc fuisse, ut eo ex Ordine Confessarii Regibus accerserentur. Isabella Castellæ Regina clarissima, Monachum Ordinis sancti Hieronymi habebat à Confessionibus; quem cùm Granatensi Archiepiscopatu auxisset, ejus loco accivit Franciscum Ximenium Minoritam: quem & Archiepiscopatu Toletano donavit. Illud autem Ximenii præclarum, quod Confessarii munus detrectaverit, donec concessum sibi est, ut in Aula esse non juberetur.

IX. Quam sibi olim Episcopi integram servaverant authoritatem, Confessarios, perinde ut & Capellanos Proceribus Nobilibusque designandi: ea conducebat non parum ad sanctioris disciplinæ stabilimentum. Joannes Archiepiscopus Cantuariensis, cùm Beneficiarios omnes jussisset, si plura hactenus incomparibilia retinuissent Beneficia, ultimo contentos cæteris se abdicare omnibus: unà jussit Confessarius omnibus, eos ut monerent, ni morigeros se præstarent, exortes & inanes deinceps futuros dignitatum omnium Ecclesiasticarum: utque illis in pœnitentiam injungerent, restitutionem fructuum: denique vel ipsis anathema interminatus est, si quos absolutionis gratia impartirent, *[Conc Tom. 11 Part 1. pag. 1063.]* qui huic decreto non paruissent.

Parco hic inserere quæ Conestagius scripsit de Societatis Jesu Presbyteris, qui Sebastiano & Henrico Cardinali Portugalliæ Regibus à Confessionibus fuere. Nemo nescit, quantis calumniæ telis pateant Regum Confessarii, sicut & Administri omnes. Sed nemo ambigere potest de responso consilioque longè præstantissimo Oxumensis Episcopi, qui à Confessionibus erat Carolo V. quando Ministros is suos consuluit, qua se ratione gerere deberet cum Francisco I. Galliæ Rege, qui strenuè decertans in manus Hispanorum venerat, fueratque in Hispaniam & in arcem Regiam abductus. Quanquam Oxumensis Episcopi consilium, ut gra- *[Hispan. Ill. To 2. pag 1066. 1067 1109 Rainal. an. 1525. n. Spondanus an. 1525 n. 5.]* tis libertati regnoque suo redderetur Franciscus, æternæ & intemeratæ posthac concordiæ & pacis pignus, nodusque ipsemet futurus: tanto scilicet devinctus beneficio: quanquam hoc consilium, inquam, delusum tunc fuerit Albani Ducis impotentia & furore: author tamen ipse consilii æternum ex eo sibi in memoria & admiratione posterorum gloriæ monumentum excitavit; ut non ad aliam magis formam effingere se debeant, qui eo munere tam lubrico & tam splendido defunguntur. Dicemus infrà rursum alicubi de Regum Confessariis.

## CAPUT CIII. *P. 2. l. 1. c. 48.*

### De Primiceriis, Primicleris, Sacristis, Scevophylacibus, Thesaurariis, Æditus, Mansionariis, Fossoribus, Laborantibus, medio ævo.

*I. II. De Primicerio Notariorum Constantinopoli.*
*III. IV. De eodem in Ecclesia Romana & Gallicana.*
*V. VI. Romæ Primicerius Princeps erat & dux inferioris Cleri, & administrationi sedis Apostolicæ vacantis præerat cum primo Presbyterorum & primo Diaconorum.*
*VII. VIII. In Hispania Primiclerus Caput erat inferioris Cleri.*
*IX. Quando cœperint Clerici ab Officio potiùs & dignitate, quàm ab Ordine designari.*
*X. Cur Clerus inferior Caput habere cœperit, præter Archidiaconum.*
*XI. XII. XIII. XIV. De Sacristis, Thesaurariis, Scevophylacibus.*
*XV. De Mansionariis.*
*XVI. De Hebdomadariis; & de iis, qui mortuos terræ mandabant.*

I. PRimicerios & Secundicerios perstrinximus, ni fallor, alicubi jam: de iis hîc nunc agendum, quibus & Sacristas adjiciemus & Thesaurarios, & Sevophylaces, seu Custodes sacrorum vasorum.

II. Cùm suprà Diaconus, vel Archidiaconus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, eo ipso tempore quo Promotorem agebat Concilii Oecumenici, dictus est *Primicerius Notariorum*, nemo non conjectabat præfuisse illum Collegio Notariorum; unde & Catalogo, seu *Ceræ primus* inscriptus erat, eo ævo quo cereis in tabulis scribebatur. Hinc ergo nomen Primicerii. Ita quibusvis in Officiis vel Dignitatibus, quæ pluribus communicabantur, qui primus
*Act. 5.* erat, is & Primicerius dicebatur. In eodem verò Concilio Constantinopolitano sub Mena in Libellorum Supplicum subscriptionibus, est & Presbyter Primicerius Lauræ sancti Sabæ; & Monachus nullo ordine insignis, Primicerius tamen sui Monasterii.

*L. 2. Ep. 23.* III. Est & in Ecclesia Latina apud Gregorium
*L. 6. Ep. 29.* Magnum *Primicerius Notariorum.* Est & apud eum
*L. 9. Ep. 22. 33.* alibi *Secundicerius.* Paterius ipse eam dignitatem obierat. *Hanc Epistolam Paterio Secundicerio Notario Ecclesiæ nostræ scribendam dictavimus, cui & subscrip-*
*L. 2. c. 11.* *simus.* Idem habet & Joannes Diaconus: *Paterius Notarius, qui ab eo Secundicerius factus*, &c. Ex quo utcumque suspicari quis posset, non ævo, sed merito & dexteritati, Pontificisque judicio id datum esse muneris.

IV. In Ecclesia Gallicana fuere etiam Primicerii, cùm beatus Remigius Remensis Archiepiscopus de Falcone Episcopo expostularet, qui id sibi arrogaverat, ut extra Diœcesin suam Archidiaconos &
*Conc. Gall. To. 1. pag. 205.* Primicerium Lectorum crearet. *Archidiaconos institueris, Primicerium Scholæ clarissimæ, militiaque Lectorum.* Habes ergo Primicerios & Secundicerios in Sodalitio Lectorum, quorum dignitas ab Episcopo conferretur.

V. Sed quo tandem loco nobis erit ille Primicerius, qui in Epistola Joannis IV. in Angliam cum Joanne ipso, & Archipresbytero, & Consiliario ipse nomen suum præfigit ante Consiliarium, & quidem cùm de componendis Angliæ dissidiis agere-
*Baron. an. 639. n. 6. 7.* retur? Constat ab his quatuor administratam tunc temporis fuisse Romanam & universalem Ecclesiam. Id ab ipso Papa Martino confirmatur, cùm ait absente Pontifice gubernacula Romanæ Ecclesiæ regi ab Archidiacono, Archipresbytero, & Primicerio. *Quia in absentia Pontificis, Archidiaconus, & Archi-* *Epist. 15.*
*presbyter & Primicerius locum præsentant Pontificis.*

VI. Cùm non alium in Ecclesia Romana Primicerium observaverimus, quàm Notariorum, & tanti id Officium esset momenti, ut qui id gerebant, in Conciliis etiam Generalibus partes aliquas obirent cum primis honorificas: hinc non absurdè conjicitur, Primicerium Notariorum Romæ totius inferioris Cleri Caput fuisse; unde & per absentiam Pontificis, clavum Ecclesiæ moderabantur vertices ipsi trium Ordinum, quibus illa constabat, id est ab Archipresbytero, ab Archidiacono, & à Primicerio. Diximus Subdiaconos quandoque & Notarios promiscuè habitos, & pro uno Collegio. Quin & Notarii ante Subdiaconos non semel nominati sunt. Anastasius Bibliothecarius in vita Constantini Papæ Secundicerium ipsum, Defensorem, aliosque Officiales præponit Subdiaconis. Ita qui Notariorum, idem inferiorum Clericorum omnium caput & princeps erat. Consiliarius autem sedis Apostolicæ in Epistola Joannis IV. cùm Monachus esset, poterat non inscitè quæri, nempè Monachorum Ordinis caput videri, ut & ipse ad Ecclesiæ clavum pro parte sua admoveretur.

VII. Fiet his forsan aliqua & luminis accessio, & roboris ab Conciliis Hispaniæ. Præcipit Concilium Emeritense, ut Episcopi singuli in Cathedralibus Ecclesiis suis habeant Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primicerium: qui in Hispania Primicletus, non Primicerius nominabatur. En ipsa Concilii verba: *Sancimus ut omnes nos Episcopi* *Can. 10.*
*in Cathedralibus nostris Ecclesiis, singuli nostrum Archipresbyterum, Archidiaconum & Primiclerum habere debeamus.* Et ne perstringeret eorum oculos propriæ dignitatis splendor, protinus admonentur, ut Episcopo, cui eam acceptam referunt, impensissimam exhibeant obedientiam. Nemo dubitat, quin Primiclerus inferioribus Clericis omnibus præemineret. Siquid adhuc dubii resideret, id pro- *Can. 14.*
tinus difflaretur Canone sequenti, quo jubetur ut Ecclesiæ reditus omnes in tres partes distribuantur, quarum prima Episcopo, altera Presbyteris Diaconisque obtinget, tertiam Primiclerus dispensabit in minores Clericos, pro cujusque strenuitate & diligentia. *Tertia Subdiaconibus & Clericis tribuatur; ut à Primiclero juxta quod in officio eos præscit esse intentos, ita singulis dispensetur.* Certum est ergo Primiclerum inferiori præfuisse Clero, ipsisque Subdiaconis, unde & Subdiaconum ipsum fuisse apparet. Nam Primiclerus, Primicerius, & Notarius, Officii nomina erant, non Ordinis; unde & eo Officio honestari poterat Subdiaconus; cùm in Oriente deprehenderimus Diaconos & Archidiaconos etiam Constantinopolitanæ Ecclesiæ, Primicerios dici Notariorum.

VIII. Non temerè ergo Garcias in Subscriptionibus Concilii Toletani VIII. legit *Siculus Primiclerius* non autem *Primicerius*, qui subscripsit post Archipresbyterum Toletanum. Subscripsit etiam Concilio Toletano XV. Primiclerius post Archidiaconum. Meminit & Primicleri Isidorus Hispalensis in Epistola ad Archidiaconum Braulionem; nec à veri specie recedit, legendum etiam Primiclerium, quoties apud eundem legitur Primicerius; Maximè verò cum officia ejus describit & jura in hunc modum. *Ad Primicerium pertinent Acolythi*, *Pag. 616.*

*Exorcistæ, Psalmistæ, atque Lectores, signum quoque dandum pro officio Clericorum, &c.* Hæc ille, cùm priùs de Archipresbytero & de Archidiacono dixisset. Ratum igitur illud fixumque est, Primicerium illum Ecclesiæ Romanæ, qui vel vacante sede, vel absente Pontifice, cum Archipresbytero & Archidiacono gubernacula regebat Ecclesiæ, verticem caputque fuisse inferioris Cleri, cujus quò minor potestas, eò auctior numerus; & pro numero jam potestas permagna: si potissimum Officia magis spectes, quàm Ordines.

IX. Idque hîc non oscitanter perpendendum, à minoribus maximè Clericis morem exortum, ut ab Officiis potiùs quàm ab Ordinibus designarentur; unde tot emerserunt postea Dignitatum nomina & Officiorum, sive Beneficiorum. Nec necesse est hanc innovationem in eorum ambitionem refundi. Hæc illis potiùs ascribebantur ab aliis nomina, quàm ipsi sibi fomebant. Sed cùm longè plura eorum essent Officia, quàm Ordines: atque adeo cùm multò frequentiùs Officia exercerent, quàm Ordinum functiones: inserpsit atque inolevit tandem usus, ut ab Officiis potiùs nomina sortirentur.

X. Adjicienda & hîc est ratio alterius novitatis. Nempe sæpiùs suprà visus est nobis Archidiaconus inferiori Clero omni dominari. Ea jam authoritas videtur in Primicerium vel Primiclerum translata. In causa fuit, ut arbitror, quòd Archidiaconus novam sibi in superiorem etiam Clerum, in Presbyteros, in Parochos, in Parochias authoritatem comparasset; quin & in Archypresbyterum ipsum, & in omnem denique ditionem Episcopi, cujus Vicarius Generalis & Administer universalis erat. Cùm ergo jam superiori Clero præesset Archidiaconus, substituendus ei fuit necessariò Vicarius, à quo Clerus inferior regeretur.

L. 2. c. 23. XI. Quod ad Sacristas spectat, Theodorus Lector Scevophylaces meminit, seu vasorum sacrorum custodis, qui Sacrista ipse est. Macedonius is qui Euphemio Patriarchæ Constantinopolitano successit, Presbyter idemque Sacrista erat Ecclesiæ majoris. Anastasius Imperator, qui Macedonio ad eam dignitatem viam complanaverat, ea digniorem, ejusque jura tueri paratiorem expertus est, quàm speraverat ipsemet. Ejecit ergo eum eo jure, vel pari injuria potiùs ac præcessorem ejus, successoremque ei designavit impium Timotheum Presbyterum & Sacristam ejusdem Ecclesiæ. Cyrillus Monachus in vita B. Euthymii quam scripsit, narrat ut Euthymius vaticinatus sit Anastasio Presbytero, Chorepiscopo & Sacristæ Ecclesiæ Patriarchalis Hierosolymitanæ, fore ut & ipse quandoque Patriarchalis hujus Ecclesiæ culmen conscenderet. His liquet quanti ponderis esset illa Scevophylacis dignitas, utque Presbyteris semper commendaretur.

Joannes Diaconus in vita Gregorii de Sacellario agit. Videri primùm posset hunc fuisse Æedituum Pontificalis Capellæ. Erat enim Episcopis domesticum Oratorium. Anastasius Bibliothecarius in vita Constantini Papæ, inter minores Clericos qui hunc Pontificem Constantinopolim proficiscentem comitati sunt, Sacellarium locat. Sed aptiùs alii Sacellarium, vel potiùs *Saccellarium* interpretantur Thesauri Episcopalis custodem. Nam & ipse Gregorius

L. 1 Ep. 42. *saccum* vocat Thesaurum Ecclesiæ. *Nos sacculum Ecclesiæ lucris turpibus nolumus inquinare.* Joannes ipse

L. 2. c. 23 similiter in vita Gregorii: *Gregorius juxta consuetudinem præcepit Sacellario, ut duodecim peregrinos ad prandium invitaret.* Gregorius ipse Sacellarium se quodammodo fuisse profitetur, ad eas largitiones quibus Romæ demulcendi erant Longobardi, ne Imperatoris jura & ditiones conculcarent. *Sicut in Ravenna partibus dominorum pietas apud primum exercitum Italiæ Sacellarium habet, qui causis supervenientibus quotidianas expensas faciat: ita & in hac urbe in causis talibus eorum Sacellarius ego sum.* Denique huic Sacellarii interpretationi favet Isidorus Hispalensis, ubi ita habet in Originibus: *Fiscus saccus est publicus.* L. 4. Ep. 34.

XII. Quos vocat idem Isidorus Hispalensis *Custodes sacrorum, Custodes sacrarii*, longè alii erant à supradictis. Erant enim Diaconi provecti ætate, pietate provectiores, quorum fidei commendabatur thesaurus sacrorum Ecclesiæ vasorum: *Custodes sacrarii Levitæ sunt. Ipsis enim jussum est custodire tabernaculum, & omnia vasa templi: quique ab anno quinquagesimo eliguntur, &c. ne fidem deserant, &c.* De Eccles. Offic. l. 2. c. 9.

XIII. Agit & alibi Isidorus idem de Thesaurario, cujus longè diversa erant & officia & jura. *Ad Thesaurarium pertinet Ostiarii Basilicarum ordinatio, incensi præparatio, cura chrismatis conficiendi, cura baptisterii ordinandi, præparatio luminariorum in sacrario & in sacrificiis.* Ostiarii de quibus hîc meminit Isidorus, laici fuisse videntur. Erant & ex Laïcorum ordine, quos idem vocat *Basilicanos*, quosque designabat Primiclerus. *Basilicanos ipse constituat, & Matriculam ipse disponat.* Agit & alibi idem Isidorus de Thesaurario, cui incumbebat cura Ornamentorum earum Basilicarum, quarum nulli erant Presbyteri Titulares. Idem pag. 616. 635.

XIV. Redeo ad Scevophylacem, seu Custodem vasorum sacrorum. Mopsuestana Synodus, cujus Acta relecta sunt in Concilio V. Generali, Scevophylaci, vel Cimeliarchæ præcepit, ut Diptycha sacra promeret Ecclesiæ, ut resciretur an obductum fuisset Theodori Episcopi nomen, & an ejus loco inscriptum esset nomen Cyrilli Alexandrini Archiepiscopi. Cimeliarcha de quo hîc agitur, Presbyter erat, sicut & ille de quo sermo fit in Collatione Catholicorum cum Severianis sub Justiniano. An idem autem hic esset Cimeliarcha, qui Scevophylax, inquirent quibus plus erit otii. Unum addo, lapsum videri Anastasium Sinaïtam, cum ait vocem Sacellarii esse Syriacam. Est omnino Latina, ut ex supradictis patet, & ex Latinis ad Græcos cum ipso Romano imperio profecta: quæ eadem sors fuit aliarum vocum complurium. Nisi si ad saccum alludat, quæ vox cùm omnibus orbis gentibus & linguis communicata sit, æquum est, ut si ad primævum fontem revocanda sit, Hebraicæ, seu Syriacæ linguæ ascribatur. Quod enim nos saccum dicimus, eandem prorsus rem eadem voce significant omnes ubique terrarum gentes. Sed non æquè certum est eadem voce gentes quoque alias Thesaurum publicum significare. Act. 5. Via Dux. c. 2.

XV. Meminit sæpè quoque Gregorius Magnus Mansionariorum, ex quibus etiam non ægrè conjicitur, quid muneris hoc esset. Narrat enim Constantium Mansionarium Ecclesiæ sancti Stephani, olei penuria lampadibus infudisse aquam, quæ statim arsit, acsi fuisset oleum. Theodorum *Custodem Ecclesiæ* sancti Petri Romæ surrexisse aliquando maturiùs nocte, ut lampades accuraret; tum ei visendum se præbuisse B. Petrum, & dixisse, *Colliberte, quare tam citiùs surrexisti?* Erat ergo jam usitata vox *Collibertorum*, quo nomine dicti sunt ætate media famuli Clericorum, tanquam servitute absoluti, Dial. l. 1. c. 5. L. 3. c. 24.

*Ibid c. 25.* & Liberti Clientesque effecti. Memorat denique idem Pontifex, cùm puella quædam Paralytica beatissimum Apostolum compellaret, ut sanitati restitueretur: *Ibid c. 29. 30.* ab eo remissam esse ad Abundium *Custodem Ecclesiæ, Mansionarium*, à quo voti compos *Epist. l. 5 Epist. 30.* facta sit. Postremò Custodum Ecclesiæ fuisse docet, ut ejus januas clauderent & aperirent; lampades accenderent extinguerentque. Hinc perspicis *L. 3. c. 58.* quæ essent Mansionariorum officia. De iis agit & Joannes Diaconus in vita Gregorii, eisque eadem tribuit munia. Qui in Concilio Calchedonensi *παραμονάριος* est, idem dictus est ab interprete Dionysio Exiguo *Mansionarius*. Porro Calchedonense Concilium Mansionarium inter ea recenset officia, quæ citra simoniæ piaculum non possint pretio addici. Non semel etiam mentio fit Mansionariorum in Concilio Constantinopolitano sub Mena.

Non abhorret à vero ejusmodi fuisse *Æditum*. *Epist. 6* Paulinus ipse confitetur, si tamdiu & tam enixè reluctatus sit, ne Presbyter crearetur, non id fastidio à se factum, cùm optatissimum sibi fuisset ab infimo Æditui officio sacram auspicari servitutem. *In Epitaph. Nepotiani.* *Ab Æditui nomine & officio optavi sacram incipere servitutem.* Videntur quandoque Presbyteri hoc perfuncti fuisse munere. De Mansionariis Græcorum ne dubitari quidem potest, quin Presbyteri persæpè fuerint. Nepotianum Presbyterum commendat Hieronymus, *quòd Basilicas Ecclesiæ & Martyrum Conciliabula diversis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis adumbrarit: ut quidquid placebat in Ecclesia, tam dispositione, quàm visu, Presbyteri laborem & studium testaretur.* Porro voces ipsæ Æditus, Mansionarius, *παραμονάριος* jugem significat residentiam & assiduitatem in Ecclesia sibi commendata. Sacrista idem dici potuisset Latinis, sed minùs id erat usitatum: ut quibus Sacristæ vel Scevophylacis vicem fungerentur, vel Diaconus, vel Archidiaconus, vel Episcopus ipse. Perhibet enim Optatus *L. 1.* Mensurium ipsum Carthaginensem Episcopum jussum ut se Imperatorio Tribunali sisteret, vasa & ornamenta quæque Ecclesiæ pretiosissima concredidisse fidei senum probatissimorum sibi, ut quidem sperarat, ut ea successori Episcopo redderent, si nullus sibi ad sedem suam reditus pateret. Nun redit, reddita sunt, immo reddi debuere omnia Cæciliano ejus successori.

XVI. Qui beatissimi Patriarchæ Alexandrini Joannis Eleemosynarii vitam litteris mandavit Cyprius Episcopus: de *Hebdomadariis* agit, narratque Patriarcham aliquando intermisso paulisper sacrificio, *Cap. 13.* in *Cimiliarchium* ingressum esse, & viginti misisse Hebdomadarios, qui Clericum inquirerent; cum quo in gratiam redire decreverat. Hos probabile admodum est, laïcos fuisse ministros, qui alternantibus hebdomadis in hujusmodi vilioribus ministeriis operam suam Ecclesiæ commodarent; sicut alternis hebdomadis multa apud Monachos ministrantur.

Inter Officia Ecclesiæ potiùs quàm inter Clericos *Expos. fid. n. 22.* locavit Epiphanius eos qui inhumandis mortuis operam dabant. Vocat illos *κοπιῶντες*, *Laborantes, qui mortuorum corpora curant.* Sed non alio ille Ostiarios loco habet, qui Clerici à nobis habentur. *De muliere septies icta* Hieronymus ipse quoque Clericorum dignatur nomine eos qui tumulandis mortuis vacabant. *Clerici quibus id officii erat, cruentum linteo cadaver obvolvunt, & fossam humum lapidibus construentes, ex more tumulum parant, &c. Recens à Clericis cespes ostenditur, &c.* Hæc ille de muliere septies icta à carnifice, nec tamen occisa, sed funeri suo superstite. Si hæc autem Clerici pietatis munia iis præstabant qui carnificis gladio obtruncabantur, quid de fidelibus censendum? Minùs de his ambiget, qui audierit ab Hieronymo beatissimam fœminam Paulam succollantibus Episcopis ipsis tumulo illatam fuisse. *Translata Episcoporum manibus, & cervicem feretro subjicientibus, cùm alii Pontifices lampadas cereosque præferrent, alii choros psallentium ducerent, in media spelunca Ecclesiæ Salvatoris est posita.* *a Epitaph. Paulæ.* Gregorius Episcopus Nyssenus testatum ipsemet facit, se & Episcopum loci deportasse ex una parte feretrum sanctæ Macrinæ, cùm ex alia parte Clerici duo præstantissimi illud deferrent, etsi non minor esset quàm septem vel octo stadiorum intercapedo ad locum, ubi contumulanda erat, & ubi terræ mandati jam fuerant Majores ejus. Indubitatissimum ergo est, quod Epiphanius & Hieronymus dixere, fuisse Clericos, quibus ex officio incumbebat, ut mortuorum corpora terra conderent. Quod enim ab his Episcopis B. Macrinæ præstitum est, id non ex officio, sed eximia quadam Episcoporum pietate & veneratione in fœminam longè sanctissimam præstitum est.

## De Notariis, Chartulariis, Chartophylacibus, Cancellariis, Bibliothecariis.

### CAPUT CIV. *P. 2. l. 1. c. 47.*

### De Chartulariis, Chartophylacibus, Bibliothecariis, Cancellariis, Notariis, ab Exordio Ecclesiæ ad Imperium usque Caroli Magni.

*I. De Notariis, per quinque priora sæcula.*
*II. Delegabantur Chartularii à Pontificibus ad res & causas gravissimas. Delegabantur & Defensores, & Notarii.*
*III. IV. De Chartophylace Græcorum, ejusque consessu supra Presbyteros.*
*V. Quibus rationibus fulta ea sedendi prærogativa Diaconi supra Presbyteros.*
*VI. Erat & Chartophylax Bibliothecarius.*
*VII. De Notariis ævi medii, quæ eorum peritia, quæ dexteritas, quæ munera Romæ.*
*VIII. Extraordinariæ Notariorum delegationes.*
*IX. Ordinaria eorum munera.*
*X. Rursum de causis, quæ illis delegabantur.*
*XI. Ante Gregorium Magnum jam cœperant Pontifices Romani Notarios similiter delegare.*
*XII. Occasione data, obiter de Lectionibus quæ Romæ fiebant inter Officia divina.*
*XIII. De Notariis in Gallia, & in Oriente*
*XIV. Formula creationis Notariorum, ac si fuissent Secretarii Pontificii status que.*
*XV. De Cancellariis*

I. SUpervacanea foret illa disquisitio, Ordinibus, an Officiis, an Beneficiis annumeranda sit Notariorum statio: cùm tria illa nomina magis sint, quàm res diversæ, his saltem prioribus Ecclesiæ sæculis. Tyrocinium Clericatûs ponebant plerumque pueri, vel adolescentuli, in Notariorum, vel Lectorum officio fungendo. Compendiariis notis exarabant Notarii, vel Acta publica, vel privata Episcoporum mandata. Evodius Episcopus ad Augustinum scribens, hæc habet de pueto, quem adhibuerat Lectorem Notariumque. *Epist. 258.* *Erat strenuus in notis, & in scribendo bene laboriosus*, apud Augu-

*studiosus quoque esse cœperat lectionis, ut ipse meam tarditatem causa legendi nocturnis horis exhortaretur. Nam aliquando tempore noctis mihi ipse legebat, cùm omnia siluissent, &c.* Augustinus ipse cùm Clerum populumque convocasset, ut successorem sibi eligerent Eradium Presbyterum, Notarios adhibuit Ecclesiæ, qui rem litteris mandarent: *A Notariis Ecclesiæ sicut cernitis excipiuntur quæ dicimus, excipiuntur quæ dicitis, Ecclesiastica gesta conficimus, &c.* *Epist. 110.* Ennodius de beato Epiphanio Ticinensi postea Episcopo agens, ait illum Lectorem quidem creatum anno ætatis octavo, atque inde ad decimum sextum Notas edidicisse, & exercuisse: *Annorum ferè octo Lectoris Ecclesiastici suscipit Officium, &c. Notarum in scribendo compendio, & figuras varias membrorum multitudinem comprehendentes brevi assequutus, in Exceptorum numero dedicatus enituit, cœpitque jam talis excipere, qualis possit sine bonorum oblocutione dictare. Igitur processu temporis & laboris ad sextum & decimum ætatis annum divino favore perductus, cana consilia in annis puerilibus meditabatur.* Hæc porro sive publica Notarii Officia, sive privata, cujusmodi vulgò Secretarios dicimus, non gradus tantùm erant, quibus ad superiores Ordines dignitatesque pertingerent; sed & officia, exercitiaque, quibus præpararetur ad eas animus, necessariaque tum eruditione imbueretur, tum sanctimonia. Id liquet in eo de quo Evodius, qui non tam Lector illi, Notariusque, quàm discipulus erat: *Nec volebat præterire lectionem, nisi intellexisset, & tertiò & quartò repetebat, & nec dimittebat, nisi sibi apparuisset, quod quærebat. Cœperam eum non quasi puerum, & Notarium habere, sed amicum quemdam satis necessarium & suavem.* Liquet & ex Epiphanio ipso, qui prudentiam senum hausit inter hæc pueritiæ rudimenta, unde & anno ætatis decimo octavo Subdiaconatu initiatus est. *Cana consilia in annis puerilibus meditabatur.* Usque adeo Episcopales ædes scholæ erant, quibus non aliæ sapientia & pietate magis abundabant.

Constitutum est à Gelasio Papa, ne Monachus posset Presbyteratu initiari, nisi per hæc gradatim inferiora munera eluctatus esset. *Continuo Lector, vel Notarius, aut certè Defensor effectus, post tres menses existat Acolythus.* Testatur Ennodius Monachum Antonium, cujus vitam scripsit, à Constantio Episcopo statim inter Notarios conscriptum fuisse. *Inter Exceptores Ecclesiasticos cœlestem militiam jussit eum ordiri.* Sed Leo Papa primus hujus Officii amplitudinem meliusculè nos edocebit in iis quas scripsit Epistolis de Legatione à se in Orientem missa, ut essent qui suo nomine & Pontificia vice interessent Concilio Ephesino II. summumque sedis Apostolicæ fastigium repræsentarent. Misit enim Episcopum, Presbyterum, Diaconum, Notariumque. *Epist. 10. 13.* *Fratres nostros Julianum Episcopum & Renatum Presbyterum, & filium nostrum Hilarium Diaconum, cùmque his Dulcitium Notarium probatæ nobis fidei misi, qui vice mea sancto conventui vestræ fraternitatis intersint, & communi vobiscum sententia, quæ Domino sunt placitura, constituant.* In ea Pseudosynodo Dioscorus Alexandrinus, aliique longè plurimi Episcopi in eam se præcipites egerunt vel insaniam, vel ignaviam, quæ Annales deturpavit Ecclesiasticos horum temporum, quæque plus satis comperta omnibus est. *Epist. 23.* Tum Leo Pontifex & Romana Synodus Constantinopolim duos ablegarunt Notarios Ecclesiæ Romanæ, qui fidelibus præsidio essent, eorumque constantiam adversùs novellæ hæreseos machinamenta roborarent. Hinc perspicis, quanti hæc minuscula Officia tunc essent ponderis. Cæterùm cum in superioribus eluxerit mira quædam cognatio inter Lectorum & Notariorum Officia, inde refricata nobis memoria Epiphanii, ubi ita habet: *Quippe Lector non est Sacerdos,* ἱερεὺς*: sed tanquam divini Verbi Scriba:* γραμματεύς. *In Expos. fid. Cath. c. 21.* Aëtius Archidiaconus Ecclesiæ Constantinopolitanæ in Concilio Calchedonensi sæpissimè dictus est *Primicerius Notariorum.* Ibidem mentio fit Lectoris, qui Notarius erat. At Actione XIV. perlecta sunt Acta Concilii Antiocheni, cui intererat Diaconus Notarius. Itaque in pretio erant Notarii Græcis, peræquè ut Latinis.

II. Chartulariorum nomen, officium, dignitas ad Notarios accedit proximè. Gregorius Magnus componendis Africæ rebus cum ipsis Africanis Episcopis, unum ex Chartulariis suis delegavit. *L. 1. Ep. 75.* Perscripsit & ad Columbum Numidiæ Episcopum, ut cùm primùm in Africam appulisset Chartularius, Concilium cogeret, abdicaretque Maximianum Episcopum, si convinceretur suffragatus esse electioni Episcopi Donatistæ, denique cum Chartulario hoc suo quidquid erat in Africa jurgiorum causarumque sedaret, ac diffiniret. *Si qua damnatorum quorumdam, vel privatorum negotiorum versatur intentio, hanc tua fraternitas cum prædicto Chartulario nostro privata cognitione perquirat, & inter utramque partem justitia procedente definiat.* *L. 2. Ep. 33.* Erant ergo Chartularii, velut Executores mandatorum Papæ, Assessoresque Episcoporum Provincialium ad quos mittebantur. Id rursus liquet ex Maximo Episcopo Salonensi, qui Gregorio tandem satisfecit Ravennæ, cùm ab ejus ordinatione diu abhorruisset Pontifex. *Reg. l. 9. in Præfat.* Ad id autem Chartularius destinatus est, qui rei totius & promotor, & testis fuit.

Nec Ecclesiæ tantùm suæ Chartularios in omnes Christiani orbis Ecclesias missitabat Gregorius, ut Deificæ Ecclesiarum Disciplinæ labes resarcirentur, utque sarta tecta servarentur Ecclesiæ Romanæ Patrimonia, quæ ipsamet patrimonia essent pauperum, & quæ universum per orbem tunc sparsa erant. Missitabat & Diaconos, Subdiaconos, Defensores, Notarios, ut docet Joannes Diaconus in ejus vita. *L. 2. c. 53.* Sed eos demum his ornabat Delegationibus, qui & virtutibus ornatissimi jam essent, & rerum experientia probati. *Nihilominus per diversas Provincias pro custodia sacræ Religionis, rebusque pauperum strenuè gubernandis, Ecclesiæ suæ viros industrios, rectores patrimoniorum ascivit.*

III. Sed quantavis Romæ esset Chartulariorum potestas, erat multò major splendidiorque Chartophylacis gloria & amplitudo in Oriente. Diximus jam in Concilio Lateranensi sub Martino I. Papa mentionem fieri Stephani Presbyteri, Syncelli & Chartophylacis sub Patriarcha Constantinopolitano Sergio. *Consult. 4.* In Synodo VI. Generali multi nominantur eorum qui à Consiliis, vel à Secretis erant Patriarchæ Constantinopolitano: quos inter princeps eminet Chartophylax. *Quidam ex Secretario* νοτ. τοῦ σεκρέτου, *sanctissimi Patriarchæ Constantinopoleos, id est, Georgius Diaconus, & Chartophylax, Anastasius Diaconus, & Notarius, & Defensor Navium* [illegible]. *Stephanus Diaconus & Cancellarius,* Κ[illegible], *Dionysius Diaconus, & Cancellarius, Anastasius Presbyter & Monachus.* *Act. 8.* Tria ergo hæc Officia Cancellarii, Notarii, & Chartophylacis inter se discrepabant, & Diaconis mandabantur; at cæteris eminet Chartophylax. Iidem enim ipsi cum rursum inferiùs recenseantur, ducem semper *Act. 10.*

habent illum & Caput, primumque post Episcopos. Act. 12. 13. 14. In aliis Actionibus ejusdem Concilii Georgius Chartophylax & Diaconus ex Archivis Ecclesiæ Constantinopolitanæ depromit Epistolas Sergii & Honorii, repræsentatque Concilii Patribus, qui statuerant eas examinare. Denique idem jubetur è Bibliotheca Patriarchali, sive ex Chartophylacio proferre authentica omnia monumenta, quæ desiderari poterant, ad Monothelctarum hæreseos censuram, tum hominibus, tum scriptis, vel abstergendam, vel illuminendam.

IV. Plures hic recensiti sunt Diaconi, tanquam Secretarii & Amanuenses Patriarchæ, sub Chartophylace sui Collegii principe, qui omnes ante Presbyteros nominantur, in iis quæ perleguntur ad Synodum. Argumento id forsan jam est honorifici consessûs supra Presbyteros usurpati, ratione, vel obtentu Officii quod sustinebant. Trullana Synodus non multò post habita huic malo mederi voluit, edito Canone, quo prohibentur Diaconi, quo se cumque jactare possint officio, supra Presbyteros sedere, nisi ad alias civitates à Patriarcha vel à Metropolitano mitterentur, cujus & vicem Can. 7. gererent & personam sustinerent: *Quoniam in nonnullis Ecclesiis Diaconos officia Ecclesiastica ὀφφίκια ἐκκλησιαστικὰ habere didicimus; & ex hoc nonnullos eorum arrogantia & licentia fretos ante Presbyteros sedere; statuimus, ut Diaconus etiamsi in dignitate, ἐν ἀξιώματι, id est, in officio quovis sit Ecclesiastico, ante Presbyterum ne sedeat, præterquam si proprii Patriarchæ vel Metropolitani vices gerens, adsit in alia civitate, super aliquo capite. Tunc enim ut locum illius implens honorabitur.* Pœna autem quæ in immorigeros hîc decernitur, ea est, ut inter ordinis sui collegas ultimum in locum detrudantur. Nec ad solos Diaconos, sed & ad alios inferiores Ordines eadem lex & pœna porrigitur; unde & hos quoque conjicitur non dispari insanisse superbia, & Officiorum gloria tumentes, in superiorum Ordinum Clericos dominari & præesse voluisse.

V. Adeo non autem cesserunt huic statuto Chartophylaces, ut Presbyteros posthac eminentiùs sedere & progredi paterentur: ut ex adverso in ipsos & supra ipsos Episcopos insurgerent, perdiuque tam præpostera potestatis suæ venditatione abuterentur. Itaque Trullanus hic Canon in Cartophylaces intendebatur, qui supra Presbyteros constituti, jam Episcopis ipsis imminebant. Potuit hæc eorum supra Presbyteros insolens provectio manasse multis ex causis. 1. Quòd ipsi aliquoties Presbyteri fuerant, ut suprà exemplis approbatum est. Ita anteire Presbyteris insueverunt, quanquam ævo ordinis forsan juniores, sed splendore dignitatis præstantiores. Præstantiam hanc ergo illi suam dignitati jam, non Presbyteratui tribuentes, ubi Presbyteri esse desiêre, nihilominus illam sibi vendicaverunt. 2. Archidiaconos & Chartophylaces suos cùm Patriarchæ Metropolitanique frequentibus ornarent delegationibus: ita fiebat ut Episcopali vice Presbyteris quasi jure præsiderent: nec jam vel ipsis vel Presbyteris mirum aut novum videretur, quod longa consuetudine esset inolitum. Insuescebant enim utrimque Chartophylaces non ordine, sed dignitate censeri, dignitatis splendore ordinis mediocritatem quasi absorbente. His rationibus infrà dicemus etiam supra Episcopos sedisse Chartophylaces, patrocinante consuetudine, quæ corruptela potiùs erat.

VI. Vel ipsa porro Chartularii & Chartophylacis vox argumento est, ei muneri Bibliothecarii munus vel insertum, vel conjunctissimum fuisse. Id confirmatur ex iis etiam quæ dicta sunt de sexta Synodo generali. Sub Leone Isaurico Bibliothecam à duodecim viris summa & eruditione & pietate conspicuis administratam fuisse author est Constantinus Manasses, ita ut iis inconsultis ne Imperatores quidem quidquam majoris rei molirentur. *Tanta in opinione virtutis erant, ut ne ipsi quidem Imperatores, novi quidquam & inusitati sibi agendum putarent, illis in Consilium non adhibitis.* Viri nimirum hi pii & graves causam Ecclesiæ fideique strenuissimè vitæ etiam impendio defensarunt adversùs ejusdem Leonis Isaurici impietatem, ubi sacras Imagines earumque cultum oppugnare adgressus est.

Ita quidem in Ecclesia Græca. At in Occidente nunquam Chartulariis is honos habitus, qui Chartophylacibus, nunquam ea summa potestas permissa, nunquam Bibliothecarii dignitas addita. Anastasius Bibliothecarius hac postrema dignitate illustratum fuisse ait Gregorium adhuc Subdiaconum, qui postea Romanus Pontifex fuit, ejus nominis secundus.

VII. Cancellariis Orientalibus non immorabor, quos vidimus Chartophylaci obnoxios fuisse Diaconos, & quasi à Secretis. Satius est ad Notarios progredi mediæ ætatis, ut in utraque Ecclesia notissimos. Monuit nos jam suprà Joannes Diaconus à Gregorio Papa Notarios etiam in Provincias longinquas abigi solitòs ad disciplinam Canonum tuendam, aut restituendam. Inter Syncellos hujus L. 5. c. 11. Pontificis censetur à Joanne Diacono Æmilianus Notarius, qui adjutantibus Collegis quadraginta ejus in Evangelia Homilias excepit; id verò proprium erat Notariorum munus *Qui quadraginta Homilias Evangelii cum sociis excepit*: censetur & Paterius Notarius, cujus est pulcherrima Epitome operum Gregorii. Istiusmodi Notarii erant plerumque Subdiaconi & Regionarii, hoc est, aliis & aliis Romanæ urbis Regionibus attributi, sicut & Diaconi Regionarii. Hoc tamen discrimine, quòd Diaconis Regionariis cura pauperum incumbebat; Subdiaconi verò, sive Notarii Regionarii prima ab origine compilandis Martyrum Actis addicti fuerant.

VIII. Sed advertendus jam est animus ad gravissimas causas, & magni prorsus momenti negotia, quibus non impares esse Notarios suos & augurabatur Gregorius Magnus, & experiebatur. Cùm pulsarentur aures ejus vel expostulationibus plurium vel accusationibus adversùs Archiepiscopum Calaritanum in Sardinia: misit ad eum Gregorius Notarium Joannem, *Sedis nostræ Notarium*, qui hæc jurgia pacaret, Archiepiscopumque cogeret, certis documentis innocentiam suam prodere. Crimini dabatur nepoti Episcopi Sipontini, quòd L. 1. Ep. 34. Diaconi filiam constuprasset, Pantaleonem Notarium immisit idem Pontifex, qui causam excuteret: & si reus convinceretur, cogeretur stuptarot puellam ducere, vel flagellis cæsus in Monasterium agendæ pœnitentiæ causâ compingeretur. Sed non L. 1. Ep. 40. 41 omnibus Notariis tam graves causæ credebantur. Subdiaconus Siciliæ non potuit se ipsum frangere, L. 3. Ep. 34. ut continentiæ se addiceret, quæ tum cœperat à Subdiaconis religiosiùs exigi. Abdicavit ergo se Subdiaconatu, & ad Notarii munus spes suas arctavit. *Usque in obitûs sui tempus, Notarii quidem gessit officium, & à Ministerio Subdiaconi cessavit.*

Quod non potest nisi de ordinariis Notariorum functionibus intelligi, quæ istiusmodi ex parte erant, ut pueris immaturis committerentur, qui pernicitate mirabili verba loquentium assequerentur, & calamo quodammodo antevolarent. De his videtur loqui Gregorius: *Irrisiones illas, quas habere Notarii adhuc pueri solent.* (L. 4. Ep. 15.)

IX. Indicat idem Gregorius Notarios ab Epistolis fuisse Episcopis, ipsique sibi: *Hanc Epistolam Paterio Notario Ecclesiæ nostræ subscribendam dictavimus.* (Dial. l. 3. c. 10. L. 4. Ep. 25. L. 5. Ep. 12.) Perscribebant & Acta publica, ut Præcepta libertatum, quibus servi Ecclesiæ quandoque à Pontifice donabantur. *Liberos ex hac die civesque Romanos efficimus, &c. Hanc manumissionis paginam Paterio Notario scribendam dictavimus, & propria manu subscripsimus.*

X. Sed præter hæc minutiora, quibus satisfacere poterant juniores Notarii, scriptitare literas, compendiariis notis assequi torrentem facundiam Episcopi concionantis, Acta publica exscribere: erant quæ paulò majorem desiderarent peritiam experientiamque. Et erant duplicis generis. Aliæ enim erant Delegationes generales in omnem aliquam Provinciam, ne quid inserperet, quo disciplinæ pestis aliqua crearetur, & quod Episcopalem vigilantiam fefellisset: aliæ erant peculiares causæ, quæ curandæ suo loco & tempore erant. Primi generis illa fuit Delegatio, cùm Hadriano *Siciliæ Notario*, id est, universæ Siciliæ Præfecto, mandavit, ut si Monachi Monasterii Montis Æthnæ ad propudiosos excessus delapsi essent, quorum infamia ad se pertigerat, promptissimo & efficacissimo succurreret remedio, & restituta spirituali Monasterii disciplina, rerum etiam ejus temporalium curam ageret. (L. 8. Ep. 22.) *De qua re, quia fratri & Coepiscopo nostro Leoni scripsimus, ut requisita veritate, si ita repererit, districtissima hoc studeat severitate corrigere: necesse quoque est, ut in hac re tua se experientia ad investigandam veritatem, & puniendum tantum scelus, omni modo sollicitam debeat exhibere.* Alterius generis & peculiaris fuit delegatio, cùm misso Pantaleone Notario, ut Mediolanensi in agro Romanæ Ecclesiæ patrimonium curaret, injunxit & illud, ut quamprimùm Mediolanensem Episcopum electum ordinari urgeret: (L. 8. Ep. 65.) *Ut in ordinando eo qui à vobis electus est, nulla possit mora contingere, Pantaleonem Notarium nostrum transmisimus, qui eum, ut moris est, annuente consensûs nostri authoritate, faciat consecrari.*

XI. Nisi quæ Gregorio pepercit, injuria temporum successorum ejus Pontificum Regesta litterarum intercepisset, extarent in eis monumenta ejusdem disciplinæ, quam Gregorius, ut à prædecessoribus hauserat, ita & in successores transfudit. Supersunt paucula, quæ ex illo naufragio enatavevunt, in Collectione Romana Holstenii. Pelagius cùm Presbyterum Ecclesiæ Romanæ in remotiorem amandaret Provinciam, ut quæ depravata erant, corrigeret, recolligeret quæ ab unitate dissiliebant. (Coll. Rom. pag. 239.) *Petrum filium nostrum Presbyterum Apostolicæ Sedis, ad correptionem excessuum:* adjunxit ei Notarium ejusdem Romanæ Ecclesiæ, quocum consilia communicaret: *Huic Projectum Notarium Sedis nostræ adjungendum esse credidimus, ut participato consilio, quæ rationabilia sunt, exequi non morentur.* Notarii hi magna utique erant probitatis & peritiæ fama, ut tantarum rerum ponderi pares essent, & Apostolicæ Sedis gloriam non dererent, quæ sua illos vestiebat authoritate. *Faciliorem omnium causarum futurum esse judicantes exitum, si illum ab Apostolica contigisset publicè Sede transmitti, &c.*

XII. In Gallia persæpè Lectores munere functi sunt Notariorum. Privilegium Abbatiæ Sandionysianæ à Landerico Parisiensi Episcopo concessum, scripsit & subscripsit Lector. *Austrelenus Lector jubente Domno Landerico Episcopo hoc privilegium scripsi & subscripsi.* (De Chesne Hist. Fran. t. 1. p. 613.) Illam à pueritia artem se didicisse profitetur Gregorius Turonensis: *Nihil aliud litterarum præter notas agnovi, in quarum nunc studio constrictus adfliger.* (De Gloria Conf. c. 40.)

Erat & Romæ Schola, sive Collegium Notariorum, quorum primus vel Primicerius curæ suæ demandatas habebat Chartas; non facilè crediderim Bibliothecam. Quanquam cùm Subdiaconus Arator Poëma à se elaboratum Vigilio Papæ obtulisset, illud Vigilius dederit Primicerio Notariorum servandum in scrinio Ecclesiæ *Surgentio viro venerabili, Primicerio Scholæ Notariorum, in scrinio dedit Ecclesiæ collocandum.* Eo Poëmate complexus est Arator libris duobus historiam Apostolicam. Illud autem ipsemet recitavit quatuor conventibus, ubi præter Pontificem aderant doctissimi quique Romani Cleri, Monachique, necnon & ex plebe, in Ecclesia sancti Petri. (Bibl. Patr. To. 8. p. 70.) Inter recitandum erupit in plausus tam crebros astantium favor & admiratio: expetitum est toties, ut relegerentur, quibus vehementer delectati erant Auditores: ut quaque vice dimidius tantùm liber legi potuerit. Longè frequentissimæ fuerant in Geotilitia Roma olim recitationes istiusmodi publicæ Operum præcellentium, si præcellere tamen potest vana profanæ eruditionis & famosa ostentatio. Sed illud juvat animadvertere, quàm crebræ, quàm diutinæ olim essent istiusmodi lectiones piæ in conventibus Ecclesiasticis: qui nunc usus exolevit, non facilè dixerim, an tepore & incuria fidelium, an Latinæ linguæ capiendæ difficultate, postquam in ejus locum obrepsere tot idiomata vernacula. Solatio illud est, quod ut rarescere visæ sunt lectiones hujusmodi, ita & crebrescere Conciones, per quas potest utique illa jactura sarciri. Hæc ex occasione Notariorum paulò longiùs petita videri possunt, non tamen omnino abs re, nec nullius aut utilitatis, aut voluptatis.

XIII. Est & aliud Notariorum munus, saltem in Ecclesia Arelatensi, à Scriptoribus vitæ B. Cæsarii animadversum, ut Episcopi baculum seu pedum præferrent. *Clericus cui cura erat baculum illius portare, quod Notariorum officium erat.* (L. 2. c. 11.) Ex vita beati Magni Confessoris, qui B. Columbani discipulus fuit, illud edíscimus, Abbatibus quoque suam fuisse *Cambutam*, ut vocabant, hoc est, Pastorale pedum. (Sur. die 6 Septemb. c. 12.) Hujus Abbatis pedo post ejus mortem solutus est, quem ille vivens ligaverat. Verùm in minutulis hujusmodi ministeriis qui erant juvenculi, seu Clerici, seu Monachi, ex contubernio & familiaritate, ab exemplis & documentis sanctissimorum virorum eas imbibebant virtutes & sapientiæ regulas, quibus ad maxima deinde quæque munia ornati & parati essent.

In Concilio Constantinopolitano sub Mena, inter Romanæ Ecclesiæ Clericos qui affuere, recensiti sunt duo Diaconi, duo Notarii, & Subdiaconi aliquot. (Act. 1.) Promotor Concilii erat Euphemius Diaconus Constantinopolitanus & Primicerius Notariorum. Mentio quoque ibi fit Theodori Tribuni, Notarii & Referendarii Imperatoris. Legitur ibidem & Menas Lector sedis Apostolicæ, & *Secundicerius Notariorum.* Acacius item & Christodorus (Act. 4.)

Diaconi

Diaconi & Notarii Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Porro Christodorus hic Secretarius quoque dicitur; *ἀσηκρῆτις*. Ex Actis denique hujus Concilii patet in Oriente plerumque Diaconos, in Occidente minores Clericos Notariorum locum & munia implevisse. Collat. 1.2. Promotor quoque Synodi V. Universalis erat Diodorus Archidiaconus Constantinopolitanus, & Primicerius Notariorum. In Concilio VI. Generali legitur Act. 8. 10. 11. Stephanus Diaconus & Notarius: Archidiaconus autem etiam Chartophylax dicitur. Legitur & ibi Lector Notarius.

XIV. Aperiet Cassiodorus quanta esset Notariorum dignitas in Officiis Imperatoriæ domûs, & hinc facilè intelligetur, unde iis in Ecclesia tantum Variar. l. 2. Epist. 4. L. 6. Ep. 16. honoris & potestatis concessum sit. Erant enim Notarii à Secretis Imperatori, & tantùm non omnium conscii. *Notarii honor tunc dabatur egregiis, dum ad Imperiale Secretum tales constet eligi, in quibus reprehensionis vitium nequeat inveniri.* Formula autem qua illi promovebantur, apertè prodet, qua silentii fide, qua prudentia esse deberent. *Non est dubium ornare subjectos Principis, secretum, dum nullis æstimantur necessaria posse committi, nisi qui fuerint fide magna solidati. Regis consilium solos decet scire gravissimos. Imitari debent armaria, quæ continent monumenta Chartarum. Vt quando ab ipsis aliqua instructio quæritur, tunc loquantur, totum autem dissimulare debent, quasi nesciant scientes.*

XV. Nec dum Cancellariis locus erat inter Ministros Ecclesiæ Latinæ. L. 1. Ep. 33. 67. L. 6. Ep. 2. Scripsit Gregorius Papa ad Venantium *Italiæ Cancellarium*; ut in Claustrum à quo abierat regrederetur. Agit alibi de Exprætoris Cancellario. Testatur & alibi ab Exarcho Africæ missum ad se Cancellarium, ut quopiam de negotio ageret. *Suum ad nos pro eadem causa Cancellarium destinaverat.* De eo Officio merè sæculari agit & Cassiodorus, cui nomen erat à Cancellis, intra quos se continebant, ut vel audirent, vel introducerent eos, qui audiri se à Magistratu cupiebant. Variarum L. 2. c. 6. Vopiscus in Carino. *Militiam domesticam Cancellorum decus attribuit, ut consistorii nostri secreta fideli integritate custodias, per te præsentatus accedat.* Ex Historicis & Legibus constat, Notarios primùm hos fuisse, vel Secretarios, quibus lapsu temporis majora in dies commendata sunt negotia, & hinc illis tanta splendoris & authoritatis accessio. In hujusmodi Officia intricare se Clerici non cœperunt, nisi circa tempora Caroli Magni, quando illis ea interdixit Can. 44. Concilium Cabilonense anno 813. *Presbyteros Cancellarios publicos esse decrevimus inhibendum.* Certè cùm soli eo officio arcentur Presbyteri, illud cæteri permittuntur gerere Clerici; quod sæculare tamen erat utique Officium. Cancellarium, seu Referendarium Dagoberti Regis egit sanctus Audoënus, antequam ad Episcopatum promoveretur. *Referendarius dicebatur, ad quem publica conscriptiones referebantur, ut per eum annulo, seu sigillo Regis confirmarentur.* Ita Scriptor ejus vitæ. In contextu hujus operis patebit longè plurimos Principum Christianorum Cancellarios, unà & Episcopos fuisse.





## CAPUT CV. *P. 3. l. 2. c. 52.*

### De Cancellariis, Notariis, Chartophylacibus, Bibliothecariis, à Carolo Magno ad Hugonem Capetum, sive ad annum Christi millesimum.

*I. Quod esset munus Cancellarii, sive Magni Cancellarii, qui & Archicancellarius dictus est.*
*II. Erat plerumque Archicancellarius, vel Episcopus, vel Archiepiscopus.*
*III. De Notariis.*
*IV. De Græcorum Chartophylace. Ejus jura & officia.*
*V. Sedit tandem supra Presbyteros & Episcopos.*
*VI. Trullanus Canon. Quo tempore cœperit ea sedis prærogativa supra Episcopos.*
*VII. Quæ fundamenta tam præpostera prærogativa.*
*VIII. Rursum jura Chartophylacis.*
*IX. Quis his gradibus supra Episcopos eluctabatur.*
*X. Necdum Romani Cardinales supra Episcopos tunc sedebant.*
*XI. XII. De Protonotariis & Bibliothecario.*
*XIII. Quanti momenti ea dignitas.*
*XIV. De Bibliothecario Ecclesiæ Romanæ.*
*XV. Eo munere gaudent Episcopi.*
*XVI. De Bibliothecariis in Oriente.*

I. SUb Imperio Caroli Magni, quo augescere cœpit Cancellariorum dignitas, eorum erat asservare Principum scrinia, leges, præcepta; item statuta Placitorum & Comitiorum regni: horum Exscripta Archiepiscopis & Comitibus subministrare, à quibus ea cum Episcopis, & Abbatibus, & Comitibus communicabantur; denique Principem admonere, qui Episcopi, qui Comites apographa hæc Capitularium Regiorum accepissent. Ita constat ex Capitulari Ludovici Pii anno 823. *Volumus ut Capitula, quæ nunc & alio tempore* Cap. 14. *consultu fidelium nostrorum à nobis constituta sunt, à Cancellario nostro Archiepiscopi & Comites eorum accipiant, & unusquisque per suam Diœcesin cæteris Episcopis, Abbatibus, Comitibus, & aliis fidelibus nostris ea transcribi faciant, ut in suis Comitatibus coram omnibus relegant, ut cunctis nostra ordinatio & voluntas nota fieri possit. Cancellarius tamen noster nomina Episcoporum & Comitum, qui ea accipere curaverint, notet, & ea ad nostram notitiam perferat, ut nullus hoc prætermittere præsumat.* Idem præcipitur in Capitularibus Caroli Calvi. Tit. 12. c. 11. Tit. 31 c. 16.

Illud potissimum, ut opinor, de Archicancellario intelligendum est, qui tunc ex Clericis semper deligebatur. Id liquet ex subscriptionibus Concilii Ann. 876. Pontigonensis, ubi post Episcopos & Abbates subscribit Archicancellarius, qui & ipse idem Abbas Adamus L. 1. c. 9. erat: *Ganstenus Abba & Archicancellarius.* Refertur ab Adamo Diploma Caroli Magni anno 788. quo Bremensis erigitur Episcopatus, & cui subscripsit Archiepiscopus Coloniensis, Capellanus sacri Palatii. *Hildebadus Archiepiscopus Coloniensis, & sacri Palatii Capellanus recognovi.* Affirmat Sirmundus Conc. Gall. To. 3 pag. 644. 689. plures Chartas Ludovici filii Bosonis, qui exinde proclamatus fuit Imperator, datas Viennæ, subscriptasque ab Archiepiscopo Viennensi Archicancellario. Anno 928. Hugoni Regi Italiæ aderat Gerlanus Abbas & Archicancellarius. Spicil. to. 12. p. 349. 353.

Hincmarus certè cùm Palatinum omnem Clerum Archicapellano subjecisset, Magnum Cancellarium affirmat ei velut socium adhæsisse; hunc illum esse qui olim à Secretis dicebatur, cui suberant plures Cancellarii alii & Secretarii, magna ut par erat peritia & prudentia clari, qui Præcepta Principum

exscribebant, dispensabantque, nullis avaritiæ sordibus [Hincmar. To 2. pag. 707 317.] inquinari. *Cui sociabatur summus Cancellarius, qui à Secretis appellabatur, erantque illi subjecti prudentes & intelligentes ac fideles viri, qui præcepta regia absque immoderata cupiditatis venalitate scriberent, & secreta illis fideliter custodirent.* Idem alibi Hincmarus prodidit, cùm exarsisset ira Regis in Episcopum Laudunensem, ejus jussu Cancellarium scripsisse ad Vicedominum & ad Præpositum Ecclesiæ Laudunensis, ut ne quid ex proventibus ejus Ecclesiæ ad Episcopum redire sinerent.

Hinc non injuria conjicitur Sandionysianum Abbatem Ludovicum, quem Lupus Ferrariensis [Epist. 28. 32. 92.] ait, *Epistolare in Palatio gessisse officium:* Cancellarium quoque fuisse. Lupus ipse Ferrariensis ad hunc Abbatem Ludovicum Epistolas dedit, ubi illum *Abbatum summum* nominat, ejusque se gratia & patrocinio apud Regem juvari postulat.

II. Cum aberat Magnus Cancellarius, Cancellariorum vel Notariorum alius quispiam subscribebat. Ita habes in Diplomate Caroli Simplicis: [Baluz. App. ad Lupum. pag. 524.] *Gaulenus Notarius ad vicem Rogeri Archiepiscopi recognovit.* Nec enim dubium est, quin plures fuerint in Palatio Cancellarii; quo etiam factum est, ut qui primas tenebat partes, Magnus & Archicancellarius vocaretur. Est ad manum & antiqui Historici contextus, qui rem firmet: [Du Chesne. To. 13. pag. 417.] *Ego Joseph peccator & Sacerdos, quondam Aquitanorum Regis Cancellarius, nunc inclyti Regis Ludovici liberalium artium Præceptor, atque ejusdem sacri Palatii Cancellariorum munere functus.* Quum primùm B. Herebertus Coloniensis [Surius die 16. Mart. c. 7.] Episcopus electus est, protinus ad eum litteras dedit Otto Imperator tanquam ad Archicancellarium. *Archilogotheta.* Cinnamus Græca in historia clarus, Logothetam & ipse interpretatur Cancellarium Latinorum. *Cancellarius, quem Logothetan Græci vocant.* Ubi absentis Magni Cancellarii, qui Episcopus vel Archiepiscopus plerumque erat, loco subscribebat, quandoque & ipse non Notarium se, sed [Bibl. Clun. p 266. 277. 278. &c.] Cancellarium adscribebat. Angelramus cùm Cancellarii jam munere donatus esset ab Imperatore: [Et in Notis pag 72.] Episcopatu sive Archiepiscopatu Metensi postea auctus est. Post Drogonis enim Principis mortem [Spicil. To 13. pag. 299] aliquandiu Metenses Episcopi Archiepiscopi dicti sunt. Accipe & aliam subscriptionem Cancellarii [Tom. 5 pag. 407.] loco absentis Archicancellarii. *Ambrosius Cancellarius ad vicem Huberti Episcopi & Archicancellarii.*

Non scribebant autem dumtaxat, vel subscribebant, ac distribuebant Cancellarii Regum præcepta ac diplomata; sed & in conventibus populi recitabant. Ita videre est post aliqua Caroli Calvi Capitularia: [Du Chesne. Tom 2 pag. 466.] *Et tunc jussit Gauzlenum Cancellarium, ut hæc sequentia Capitula in populum recitaret.* Quod hîc tumultuariè perstrictum est, uberiùs infrà edissetur.

III. Ad Notarios venio hujus ætatis mediæ. Donationem Caroli Magni Adriano I. Papæ factam author est Anastasius Bibliothecarius à Capellano & Notario ejus fuisse subscriptam. *Carolus Rex adscribi jussit, per Ætherium religiosum ac prudentissimum* [Conc. Gall To 2 p 95.] *Capellanum ac Notarium suum.* Idem Adrianus ad Carolum eundem scribens, Radonis meminit Pro- [Du Chesne To. 3. pag. 496.] tonotarii Regii, & Abbatis. *Radonem dilectissimum Protonotarium vestrum, atque Abbatem.* In vetusto Chronico vocatur Eginhardus *Archicapellanus, Notariusque Imperatoris Caroli.* [Hincmar. Tom. 1. pag. 21.] Profert Hincmarus nomina eorum secundi ordinis Clericorum, qui Concilio affuerant in Palatio Regio Carisiaco, & [Spicil. to 12. pag 115.] præ cæteris Æneam memorat, qui Parisiensis postea Ecclesiæ Infulis claruit, & qui tum erat *Notarius sacri Palatii.* Lotharius Imperator Hilduinum Abbatem Sandionysianum *Archinotarium* vocat. *Hilduinus Abbas nostra Aula Archinotarius.*

IV. In Ecclesia Græca præter *Notarium & Referendarium venerabilis Patriarchici Secreti,* eumque Diaconum in VII. Synodo, ut suprà diximus, fue- [Act. 4.] re & in VIII. Synodo plures Diaconi, iidemque [Act. 9.] Notarii, seu Scriniarii; à quibus in Sessionibus Acta publica legebantur. Memoratur etiam ibi Monachus Columnaris, seu editioris columnæ insessor, qui Cartularius quondam fuerat.

Propero ad Chartophylacem, qui principem ferè locum tenebat inter Ecclesiæ Constantinopolitanæ Dignitates. Ejus jura & privilegia constrinxit Anastasius Bibliothecarius in Annotatiuncula quadam sua ad VIII. Synodum. Affirmat autem eadem illi jura esse in Ecclesia Constantinopolitana, atque Bibliothecario in Romana. Ornatu Diaconi [In Act. 1. Syno. VIII.] eum uti, & sacerdotii partes implere omnes, quæ Presbyterum non desiderent: ab ipso Episcopos, ab ipso quoscumque alios ad Patriarcham introduci, & ad Ecclesiasticos Conventus; ejus unius manu venire in manus Patriarchæ Epistolas quascumque, præterquam aliorum Patriarcharum; neminem Abbatia, vel dignitate quacumque sacra, vel Prælatura initiari posse, nisi ab ipso approbetur, & præsentetur Patriarchæ. *Chartophylax interpretatur Chartarum custos. Fungitur autem officio Chartophylax apud Ecclesiam Constantinopolitanam, quo Bibliothecarius apud Romanos; indutus videlicet insulis Ecclesiasticorum ministrorum, & agens Ecclesiastica prorsus cuncta obsequia, exceptis iis solis quæ ad sacerdotale specialiter ac propriè pertinere probantur officium. Sine illo præterea nullus Præsulum aut Clericorum à foris veniens, in conspectum Patriarchæ intromittitur: nullus Ecclesiastico conventui præsentatur: nullius Epistola Patriarchæ missa recipitur, nisi fortè à cæteris Patriarchis mittatur, nullus ad Præsulatum, vel alterius Ordinis Clericorum, sive ad Præposituram Monasteriorum provehitur, nisi iste hunc approbet & commendet, atque de illo ipsi Patriarchæ suggerat, & ipse præsentet.* Tantò plus fidei adjiciendum hîc est Anastasio, quòd horum oculatus fuerat testis.

Balsamon Chartophylacis dignitate & Nomophylacis antè perfunctus fuerat, quàm Patriarcharum Antiochenum assequeretur, idque in causa fuit, ut ab Imperatore & à Patriarcha compelleretur Commentarios edere in Canones Conciliorum, & in Nomocanonem Photii; atque id potissimum enitit, [in Nomoc. Tit. 8. c. 1.] ut edoceret, qui Canones longa desuetudine antiquari, qui usu adhuc vigerent. Id præfatur ipse in Opus suum. Alibi refert Chartophylacem quotannis adesse Festivitati & Processioni Notariorum, equo Patriarchæ ipsius vectum, veste candida splendidum, & pretiosissima Mitra capite redimitum. Rursum alibi refert peregrinos Presbyteros à Char- [In Can 16. Synod. Nic.] tophylace arceri, ne Mysteria celebrent, nisi Episcopi sui litteris instructi sint.

V. Verùm illud omnium maximè stupendum in Chartophylace, quòd non tantùm supra Presbyteros sederet, cùm Diaconus esset, sed & supra Episcopos in Conventibus omnibus qui extra Sanctuarium, ubi Altare, & extra Concilia fierent. Displicuit aliquando Balsamoni hæc consuetudo, manifestè canonicis regulis inimica; & eam tamen affirmat ipsemet roboratam fuisse Constitutione Alexii Comneni Imperatoris. *Ut autem nonnulli ex Ecclesiasticis Diaconis in Congregationibus quæ sunt extra*

*sacrum Tribunal, ante Sacerdotes sedeant, fieri videmus. Et existimo hoc fieri propter dignitates seu officia. Soli enim ii qui à Patriarcha officiis Ecclesiasticis digni sunt habiti, sedent ante Sacerdotes. Fit autem & hoc præter rationem. At Chartophylax in Congregationibus quæ fiunt extra Synodum, sedet non solum inter Sacerdotes, sed etiam ante Pontifices, ex Constitutione Alexii Comneni.* Hæc Constitutio Episcopos inveteratæ seriùs obluctantes consuetudini retundit, objecta longa ipsorum patientia & desidia, Chartophylacum longa possessione, Episcoporum hactenus consensione tacita; consensisse enim qui siluerunt; denique dandas nunc ipsis esse pœnas neglectæ tandiu Episcopalis dignitatis, & tam diutinæ ab Ecclesiis suis absentiæ, & propodiosæ in urbe & Aula Regia commorationis, ubi id assequuntur, oestro perciti augendæ dignitatis, ut ipsorum dignitas prorsus in contemptum veniat.

Juris Orient. To. 1. pag. 144.

VI. Trullana Synodus pulcberrimum illud temperamentum excogitaverat, ut Chartophylax, & quicumque tandem Diaconus, *ante Presbyterum ne sedeat, præterquam si proprii Patriarchæ, vel Metropolitani vicem gerens adsit in alia Civitate, super aliquo Capite. Tunc enim ut locum illius implens honorabitur.* Sæpè qui mittebantur ad Concilia Oecumenica à Romano Pontifice Legati, tametsi Diaconi quandoque tantùm essent, non tantùm supra Presbyteros, sed supra Episcopos etiam & Patriarchas sedem sibi vendicabant. Itaque Trullano Canone nihil æquius erat. Etsi tunc Presbyteris tantùm consuleretur. Immo nec in VII. nec in VIII. Synodo vestigium extat ullum hujus Diaconorum, vel Chartophylacum usurpationis in Episcopos. Nec id siluisset in sua Chartophylacis tabella Anastasius Bibliothecarius.

Can. 7.

VII. Tradit quidem Balsamon plures fuisse Patriarchæ Constantinopolitano Secretariatus: eum porro cui præerat Chartophylax, addictum fuisse negotiis propriis & causis Episcopatûs Constantinopolitani, ut Episcopatus erat: atque ita Chartophylacis ædem rectè dici posse Episcopalem ædem: *Chartophylacium rectè Episcopatus dicetur.* Ideo & functiones Episcopales omnes à Chartophylace exercebantur, nomine Patriarchæ: Excommunicationes vibrabat, animæ delicta corrigebat, sacros Ordines conferri permittebat: *Omnia Patriarchæ jura exercet, quæ ei conveniunt, ut Episcopo: etenim excommunicat, animæ delicta corrigit, Diaconos & Sacerdotes ordinari permittit.* Cùm posset Patriarcha Constantinopolitanus aliorum Episcoporum Clericos sibi vendicare sine dimissoriis eorum litteris: eo jure utebatur Chartophylax, nomine Patriarchæ; & peregrinis permittebat Presbyteris, ut Constantinopoli celebrarent mysteria. Denique veniam dabat secundarum nuptiarum, ne quis propterea privaretur communione.

In Can. 9. Synod. VII. — Ibidem. — In Can. 10. — Supplem. pag. 1124.

Sed utcumque egregia & magnifica sint ista, non exspatiantur tamen ultra metas eorum, quæ Magno Vicario & Officiali Episcopi possunt competere, cùm eis concreditur Episcopalis jurisdictio. Itaque nihil inde juris emergit, quo Episcopi unius Vicarius Episcopos alios infra se deprimat. In Observatiuncula quadam in libris Juris Orientalis, & in Epitome Harmenopuli, annotatur, hunc honorem consessûs supra Episcopos Chartophylaci tantùm Constantinopolitano permissum fuisse, cùm Synodis interest aliarum Provinciarum, & longo tantùm usu id ei partum fuisse, firmatumque Edicto Michaëlis Imperatoris, *Soli Chartulario concessum est ex longa consuetudine, & ex scripto Michaëlis Imperatoris, ut in cæteris Synodis etiam ante Pontifices sedeat.* Non recedit à vero, Chartophylacem crebriùs ad istiusmodi Synodos à Patriarcha missitatum, & iis honoribus cumulatum, qui vices Patriarchæ gerenti haberentur: ita sensim insuevisse ipsum, insuevisse Episcopos quoque innovationi huic priùs inauditæ; denique facilè adductos esse Episcopos, ut levi hoc honoris dispendio emerent compendia, & incrementa quædam favoris & gratiæ per Chartophylacem apud Patriarcham, & per Patriarcham apud Imperatorem.

Pag. 27.



VIII. Supersunt, quæ his addantur non pauca. Erat quandoque idem Chartophylax, etiam Protosyncellus Patriarchæ, hoc est Primarius Minister. Cancellariatum Patriarchæ exercebat, cujus Bullas omnes ipse primùm, inde & alii subscribebant Diaconi, iidemque Notarii Patriarchæ. Subscriptionem ejus sequebatur *solita plumbea bulla.* Nec poterat eo præsente hæc subscriptio, sive signatura, alii cuiquam demandari. Os erat ipse, & manus Patriarchæ. *Ut os & manus Patriarchæ vocetur.* Quando illum instituebat Patriarcha, sigillum annulumque suum collo ejus appendebat, *Patriarchæ Bulloterium.* Claves illi spirituales committebat, ut ligaret, solveretque, utque excipiendarum Confessionum potestatem Monachis Presbyteris daret: denique publicè ut doceret plebem. Postremò jurisdictio ejus non minùs patebat, quàm Patriarchæ. His ita præstructis, jam argumentatur Balsamon, non tantopere mirandum esse, si qui lingua, qui os, qui manus Patriarchæ est, sedeat supra Episcopos & Metropolitas, non ubique, sed in electionibus Episcoporum, & in Conventibus publicis. *In electionibus Episcoporum ad vacantes Ecclesias, & in iis publicis congressibus, qui extra Patriarchale tribunal fiunt, immo etiam in Festorum publicis ceremoniis ac conventibus, non solum intra partes Ecclesiæ, verùm etiam quovis in loco.*

Juris Orient. pag. 206. 210. 235. 329. — Ibidem ex Balsamone. pag. 457. 458. 459. & seqq.

IX. His se gradibus extulit supra Episcopos Chartophylax. Assensi sunt Trullani Patres ut supra Presbyteros emineret in aliis Provinciis, quoties ei Patriarchales vices delegarentur. Eodem jure jam tum potuisset & supra Episcopos assurgere. Porro quod in Provinciis, id ipsum & Constantinopoli fas erat. Denique cùm Delegatio Patriarchæ, quâ olim rarius, & ad certas tantùm causas muniebatur, ei perpetuò & semper fruenda concessa esset; facillimè sibi persuasit, id sibi jam juris esse, ut perpetuò & semper prærogativam sedis & honoris haberet supra Episcopos, qui ubique jam & semper, atque ordinario jure, & manus evasisset, & os, & lingua Patriarchæ. Unde rursus ibidem Balsamon: *Omnino fateberis horum omnium potestatem ei tributam, propterea quòd existimetur esse os, & labra, & manus quodammodo Patriarchæ.*

Dissensiones excitatæ sunt permolestæ inter Chartophylacem & Episcopos Constantinopolitano Patriarchæ ubnoxios. *Hæc quæstio multa diversis temporibus excitavit scandala.* Jamjam Patriarcha secundùm Episcopos contra Chartophylacem pronuntiaturus erat, juxta Nicænos Canones; *Cùmque cognitio Patriarchalis Pontificibus favens, &c.* Cùm Alexis Comneni Imperatoris Constitutio Chartophylacem dejici vetuit eo honore, quem vetus consuetudo, possessio, præscriptio vendicaret. Addit Balsamon nec Imperatorio Edicto, nec diutina vel consuetudine, vel possessione universim contra Canones præscribi posse; sed Canones ipsos suffragari

Can. 18.

*Can.* 31. huic Chartophylacis juri; seu Canon spectetur Trullanus, de quo suprà, sive usitatissimus mos sedendi in Conciliis, ubi qui personam & vices gestant, vel Papæ, vel Patriarcharum, sedent supra quoscumque Episcopos, unde & Cyrillus Patriarcha Alexandrinus præfuit Synodo Ephesinæ Universali, ut vices gerens Cælestini Papæ, qui tunc illum impertiit *loro aureo*, χρυσῶ λώρῳ, quo Sylvestrum olim Papam ornaverat Constantinus. Ex quo fit ut cùm Sacerdotes alii omnes sacris operentur nudo capite, solus Patriarcha Alexandrinus sacro tunc diademate Caput erogat. *Cúmque omnes alii Capitibus apertis res sacras peragant, solus Alexandrinus Patriarcha rem divinam facit, fascia dicta caput obvolutus.* Censet denique Balsamon purpuratos illos Proceres, seu Cardinales, qui Papæ assident, consortes quoque fieri pro suo modo ejus ornamentorum & prærogativarum, quòd ejus personam repræsentent. *Quin etiam duodecim illos Cardinarios Papæ similiter videmus pileis aureis ornatos, veluti Papæ personam repræsentantes, ejusque jura fulcientes.*

X. Nec tamen hoc loco affirmat Balsamon, Romanos Cardinales supra Episcopos sedere, quo tamen validissimo argumento rem quam habebat præ manibus conficere valuisset, ut Chartophylaci supra Episcopos sedenti patrocinaretur. Sed cum ait Cardinales personam & vices Papæ gerere, originem ipsam retegit ejus prærogativæ consessûs supra Episcopos, qua non multò post cœperunt frui.

*Ibidem.* Illud denique de Chartophylacis amplitudine disserens addit Balsamon, & Officialem illum esse Patriarchæ, dum jurisdictionem ejus omnem contentiosam explicat: & Pœnitentiarium, dum causas omnes administrat ad forum conscientiæ pertinentes. Ad hæc duo munera obeunda duplicis ei generis obnoxii erant ministri. Officiali enim obsequebantur Notarii, vel Chartularii: Pœnitentiario autem, qui dicebantur Episcopiani, Ἐπισκοπιανοί.

XI. Protonotarii in Orientali primùm Imperatoria Curia instituti sunt, inde in Romana quoque *Cedrenus.* floruerunt. Plurimos subinde Cedrenus in Constan- *pag.* 553. tinopolitana Aula commemorat, quos & functioni- 719. 725. bus magni omnino momenti donat. Patriarchæ *Epist.* 83. quoque suos fuisse Protonotarios inde conjicitur, quòd ad Diaconum eundemque Protonotarium scribat Photius.

XII. Restat ut dicamus de Bibliothecario, quod in Oriente Officium gessisse videtur Chartophylax; ut non immeritò dici possit Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarium ipsum fuisse Romæ Chartophylacem, quamvis non omnia Chartophylacis potestatis insignia consecutus esset. Ita colligi posse videtur ex iis quæ suprà Anastasius Bibliothecarius & Balsamon de Chartophylace disseruerunt. Nec est quod quis sibi fingat, singulis Episcopis, vel Ecclesiis suos fuisse Bibliothecarios. Magna tunc erat librorum penuria, magna Bibliothecarum raritas. *Conc. Gall.* Gaudebat Roma suo Bibliothecario, Constantino- *To.* 2. *pag.* polis suo Chartophylace, nihil ejusmodi legitur de 310. 426. aliis Ecclesiis. Episcopi nostri Gallicani ad concar- 559. cinandam tot ex Patrum Conciliorumque testimoniis Regulam tum Canonicorum, tum Canonicarum, quæ in Concilio Aquisgranensi anni 816. promulgata est: testatum ipsimet faciunt in ejus Concilii præfatione, copiam sibi factam esse librorum Bibliothecæ Regiæ Ludovici Pii. *Ejusdem piissimi Principis non modico adjuti juvamine, ejus videlicet liberalissima largitione copiam librorum præ manibus habentes.* Autographum ipsum hujus Regulæ asservari jussum est in eadem ipsa Bibliotheca Regia, ut à mendis pura, & servaretur ibidem, & exscribenda Metropolitanis, ac communicanda permitteretur. Ita Ludovicus idem Imperator testificatus est in Epistola ad Burdigalensem Episcopum data. *Quam Canonicæ institutionis formam idcirco penes palatium nostrum diligenter scribi fecimus, ut nihil in se scriptorum vitio depravationis, aut detruncationis habens, ad te usque incolumis perferretur, &c. Noveris quia ideo illius exemplum apud armarium Palatii nostri detentum est, ut eo probari patenter possit, quis eam injuriosè transcripserit, vel quis aliquam ejus partem detruncarit.* Cùm idem Ludovicus anno 832. Sandionysiano Monasterio pristinum disciplinæ vigorem per Episcopos reformari ac restitui fecit, hujus quoque Decreti exemplaria authentica duo exscribi jussit, alterum in Bibliotheca Regia, alterum apud Monachos ipsos servandum. *Duas inde pari tenore conscriptas firmationes fieri jussimus, ut una Imperialis aulæ reconditorio, Palatinis servetur excubiis; altera ab ipsius Monasterii custodibus.* Ebbo qui exinde Remensis Ecclesiæ infulas adeptus est, cùm primùm Ordinibus sacris initiatus fuit, à Ludovico Aquitaniæ Rege, qui postea Imperator fuit, præfectus est Bibliothecæ Regiæ, ut perhibet testis idoneus ejusdem Ludovici Imperatoris filius Carolus Calvus, in Epistola ad Nicolaum I. data: *Quem ipse servitio strenuum ingenioque agilem compe-* *Conc. Gall.* *riens, non post multum temporis Bibliothecarium consti-* *To.* 3. *p.* 339. *tuit.* Inter subscriptiones Concilii Pontigonensis, 444. occurrit & illa Hildnini Abbatis & *Bibliothecarii.* *Ann.* 876.

XIII. Minùs mirum est autem hanc Bibliothecæ Regiæ, vel Imperatoriæ curam Presbyteris Abbatibusque commendari fidei incorruptæ: cùm ex his veluti publicis orthodoxæ doctrinæ, & intaminatæ disciplinæ monumentis petenda subinde esset causarum gravissimarum definitio; seu fides enubilanda esset, seu morum castissimæ regulæ expendendæ. In Præfatione Operis sui de Prædestinatione Hincmarus refert, Felicem Urgelitanum Episcopum infelicissimæ hæreseos cum Elipando Toletano authorem, convictum fuisse sub Carolo Magno subornati Bibliothecarii junioris Palatii Aquisgranensis, ut ejus conniv, entia textum Hilarii adulteraret. *Corrupto muneribus juniore Bibliothecario Aquensis Palatii, librum B. Hilarii rasit, & ubi scriptum erat, quia in Dei Filio carnis humilitas adoratur, immisit, carnis humilitas adoptatur.* Propè abest à vero hujus Aquisgranensis Bibliothecæ Regiæ primum authorem conditoremque fuisse ipsummet Carolum Magnum. Refert Eginhardus in Annalibus suis anno 813. quinque Concilia in totidem Imperii sui civitatibus celebrari illum jussisse uno non amplius antequam vivere desineret anno, & horum Acta authentica in Bibliothecæ suæ Tabulario servasse. *Quanquam & in Archivo Palatii exemplaria illarum habeantur.* Postquam Ludovici Pii filii Imperium paternum inter se partiti sunt, Franciæ Reges peculiarem sibi Bibliothecam construxere. Præceperat *Ann.* 877. Eleemosynariis suis Carolus Calvus, libri ut sui in- *Du Chesne.* ter duas Abbatias & filium suum dispertirentur. *Et* *To.* 2. *pag.* *libri nostri qui in thesauro nostro sunt, ab illis sicut dispo-* 464. *situm habemus, inter sanctum Dionysium & sanctam Mariam in Compendio, & filium nostrum dispertiantur.*

XIV. Quod ad Ecclesiam Romanam spectat, Gregorius II. Papa ex Anastasio Bibliothecario, antequam ad Apostolicam Sedem promoveretur, Subdiaconus primò fuerat, & Sacrista, tum Bibliothecarius, & denique Diaconus; atque ita demum

Pontifex creatus: *Subdiaconus atque Sacellarius factus, Bibliotheca est illi cura commissa, deinde ad Diaconatûs ordinem provectus est.* Ipsemet verò Anastasius de se ipso testatum facit, postquam Bibliothecæ cura sibi mandata fuit, ut muneri suo satisfaceret, accessisse se ad Latino sermone donanda Acta Græca Synodi VII. Generalis: *Præsertim cùm sacra Bibliotheca vestra, cujus minister vestra dignatione consisto, ex hoc quod desuper mihi datum est, debitor sim ministrare: si tamen æmulatus Apostolum, ministerium meum studeam honorare.* Fertur & alibi, post expletas Sessiones decem Concilii VIII. Generalis, Legatos Sedis Apostolicæ eam Anastasio mandasse provinciam, ut earum exemplaria examinaret, antequam subscriberentur, quòd tunc temporis Constantinopoli ageret, & Legatione Ludovici Imperatoris fungeretur: cúmque pro munere quod gerebat linguas calleret, animadversum ab eo esse, expuncta fuisse à Græcis ex Epistola Adriani Papæ II. encomia omnia, quibus Ludovicum Imperatorem Pontifex exornabat. *Legati Romanæ Ecclesiæ textum Synodi, ne quid Græca levitas falsum in eam conjecerit, Anastasio sanctæ Sedis Apostolicæ Bibliothecario inquirendum, antequam subscribant, committunt. A quo, quia in utrisque linguis eloquentissimus existebat, &c.*

In Præfat. VII. Synod. ad Ioan. 8.

In vita Adriani 2.

Hæc ipsemet refert Anastasius in Præfatione Synodi VIII. ad Adrianum II. ubi & illud addit, Legatos Apostolicæ Sedis Constantinopoli Romam redeuntes, in latrones incidisse, à quibus spoliati sint Actis VIII. Synodi, quæ secum avehebant: sed aliud se Exemplar adeptum esse, & pertulisse Romam, ubi jussus sit à Pontifice illud Latinis verbis interpretari: se quidem primò imperitiam suam excusasse, at postea parto majori interpretandi usu in libellulis aliis Latinè reddendis, ad illud se quod Pontificia jussa exigerent, animum calamumque convertisse. *Ad quod opus ego idoneum me esse denegavi, licèt in interpretandis ex Archivo in Latinum sermonem scripturis præsenti tempore quoddam conamen arripere nitar, & nonnulla jam ad ædificationem interpretatus edidisse dignoscar.* Quæ tamen erat ejus modestia, difficiliores locos peritiori interpreti servaverat. *Rara interpreti doctiori enucleanda servavi.*

XV. Bibliothecarii munus, quo honestati primò fuerant Subdiaconi, Diaconi, Abbates: Abbas enim erat hic Anastasius: tanto demum gloriæ culmine eminere visum est, ut illud & Episcopi ambirent. In vita Stephani VI. Papæ memoratur ex ejus cognatis Zacharias, *Episcopus, consanguineus suus, & Sedis Apostolicæ Bibliothecarius.* In vita Formosi Papæ de Zacharia Anagniæ Episcopo hæc referuntur: *Munere Bibliothecarii Apostolicæ Sedis auctum, Consiliarium suum fecit, eique Legationes plures credidit.* Protoscriniarii munus, quo fulgebat Leo, quem Otto I. Imperator eligi fecit Pontificem pro Joanne XII. affine forsan illud quidem erat Bibliothecario, sed diversum tamen officium.

Act. 10.

XVI. Erant etiam aliquando inter Græcos Bibliothecarii à Chartophylacibus diversi. Post Synodum VIII. scripsit Basilius Imperator ad Adrianum II. Papam, ut veniam faceret Photii sectatoribus quibusdam, ne dignitatibus suis abdicarentur. Eorum alter erat Paulus Bibliothecarius, alter Metropolitanus. In VII. Synodo Stephanus Monachus & Bibliothecarius Patriarchæ, βιβλιοφύλαξ τῷ πατριαρχείῳ: aliqua recitavit antiquorum Scriptorum loca. Canone IX. ejusdem Concilii jubetur, ut in Ædes Episcopi Constantinopolitani deportentur libri omnes adversùs sacras Imagines conscripti, ut ibi cum cætera hæreticorum librorum colluvione delitescant.

Act. 4.

Can. 9.

---

## CAPUT CVI. *P. 4. L. 1. c. 77.*

### De Cancellariis, Notariis & Bibliothecariis post annum Christi millesimum ad hæc tempora.

*I. Valde affinia sunt hæc Officia omnia, & uni alicui persæpè commendata.*

*II. Incredibilis quædam amplitudo potestatis Cancellarii Romanæ Ecclesiæ, & aliorum pro suo modo Cancellariorum.*

*III. A temporibus Caroli Magni Clericis utplurimum credita sunt munera Notarii, Cancellarii, & Archicancellarii.*

*IV. Ad sæculum usque XV. Officia Notarii Regis, Imperatoris & Apostolici, plerumque gessere Clerici, immo & Presbyteri.*

*V. Perinde fere habuit sæculo XVI. Duæ fuere causæ, quæ laicis viam aperuerunt ad hæc Officia.*

*VI. Statuta Concilii Tridentini de Notariis.*

*VII. Statuta Conciliorum Tridentino posteriorum.*

*VIII. Satisfit objectioni.*

*IX. De Nobilitatis privilegio, Notariis Secretariisque Regiis concesso.*

*X. De Bibliothecario Romæ & alibi.*

*XI. De Bibliothecariis Ecclesiæ Græcæ, de Chartophylace, de Protonotariis, de duodecim Doctoribus Constantinopolitanis.*

I. Cancellarii, Notarii, Chartularii, & Bibliothecarii tantum inter se cognationis habent, ut non possit non aliquando qui de iis fit sermo, ad se ipsum recurrere. Burgoliensis Monasterii Charta fundationis subscripta fuit anno 994. à Rogerio *Protocancellario.* In Romana Synodo anni 1015. inter Cardinales subscribit *Diaconus & Cancellarius sacri Palatii.* Bulla Clementis II. qui Pestanum Episcopum transtulit ad Metropolin Salernitanam, subscripta fuit à Petro *Diacono, Bibliothecario, & Cancellario Sedis Apostolicæ.* Eodem modo subscripsit idem Cancellarius pluribus Epistolis Leonis IX. Henricus I. Galliæ Rex Philippum filium Remis inaugurari Regem faciens, Remensem Archiepiscopum Cancellarii dignitate ita investivit, ut ab Antecessoribus suis Antecessores ejus fuerant investiti. *Subscripsit Archiepiscopus, nam ibi constituit eum summum Cancellarium: sicut Antecessores sui Antecessores suos fecerant, & ita consecravit eum in Regem.* Alexander II. Cancellarium dixit Subdiaconum Ecclesiæ Romanæ. Sed alia ejusdem Pontificis Epistola constat, illum Subdiaconum vicarias tantum operas commodasse Annoni Archiepiscopo Coloniensi. *Per manus Petri sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi atque Cancellarii, vice Domni Annonis Coloniensis Archiepiscopi.* Plures ergo erant Cancellarii, & eorum primus dicebatur Magnus, vel Archicancellarius. Eo nomine designabat Sigefridus Archiepiscopus Moguntinus Hildebrandum Archidiaconum & Archicancellarium Sedis Apostolicæ sub eodem Papa. *Sedis Apostolicæ Archidiacono & Archicancellario.*

Conc. To. 9. p. 743. 816. 946. 996. 1108.

Epist. 14.

Du Chesne To. 4. p. 162.

Epist. 12. 40.

Conc. To. 9. pag. 1152.

II. De hac Hildebrandi electione ad munus Archicancellarii agens Baronius, eo circumscriptum fuisse ait regimen universale Romanæ Ecclesiæ. *Penes quod officium universæ Romanæ Ecclesiæ administratio verteretur.* Nec minùs magnificè de ejusdem Officii amplissima potestate Guillelmus Malmesburiensis, dum & ipse Hildebrandi electionem commemorat: *Alexander Cancellis Apostolorum eum præfecerat. Circuibat pro sui contuitu officii Provincias, ut perperam acta corrigeret. Accurrebatur ab omnibus ordinum hominibus, decisiones diversorum negotiorum postu-*

Baron. an. 1061. n. 31.

*lantibus. Cuncta ei submittebatur sæcularis potentia, tum pro sanctitatis, tum pro ministerii ejus reverentia.* Videtur ergo Cancellarius E. R. quasi visitator & censor quidam omnium fuisse Ecclesiarum, ut justitiæ leges intaminatæ vigerent, & quidquid usquam erat flagitii, purgaretur. Bernardo princeps ille est Consiliariorum Papæ: [*Bern. Epist 334.*] *Cui te Consiliarium ordinavit Deus.* Joannes Salisberiensis non originem vocis Cancellarii indigitatam voluit, à Cancellis enim illa indubitatissimè oritur, quibus nimirum porta Auditorii sepiebatur; sed hujus dignitatis amplissimam potestatem ad examinandas Principum leges, & ad incudem ipsis annuentibus revocandas. *Hic* [*Joan. Salisb. in Policrat.*] *est qui Regis leges cancellat iniquas, & mandata pii Principis æqua facit.*

Principum sæcularium Cancellarii eadem potestate, suo modo, suoque in foro potiebantur. Cúmque ut plurimùm ex Clericis illi deligerentur, hinc à me multa de illis quoque sparsim hîc dicuntur. Guillelmus Episcopus Parmensis tunc Cancellarius erat: cúmque Ecclesiam Imperio committeret, Anno Archiepiscopus Coloniensis [*Baron. an. 1062. n. 17.*] simul atque à Principibus Germanis electus est ad tractanda Imperii gubernacula, dum impuber esset Henricus Rex anno 1062. illum protinus gradu dejecit, ejus in locum subrogavit Episcopum Vercellensem.

III. Si superiorum temporum replicemus memoriam, liquebit Clericos plerumque, & Episcopos ipsos sæpissimè in Aula summorum Principum Cancellarii munus obiisse. Testamentum Guillelmi Arverniæ Comitis, quo Cluniacensis Abbatia fundabatur anno 910. scriptum subscriptumque fuit à Diacono, absente Cancellario. [*Bibl. Clun. p. 266. 276. 277. 278.*] *Ego Odo Levita ad vicem Cancellarii scripsi & subscripsi.* Charta Ludovici IV. Regis pro eadem Abbatia anno 939. à Notario subscripta fuit, absente Artaldo Episcopo. *Gerardus Notarius ad vicem Artaldi Episcopi recognovit.* In aliis ejusdem Regis Chartis ita habetur: *Odilo Notarius ad vicem Artaldi Archiepiscopi relegit & subnotavit.* [*Ibid. p. 313. 411.*] Quo patet præter ordinarios Cancellarios fuisse & Episcopum, vel Archiepiscopum, qui Archicancellariatu fungeretur. Quod rursus clarissimum est in diplomate Lotharii Regis anno 960. [*Spicil. To. 13. pag. 271.*] *Gebo humilis Quæstor ad vicem Artaldi Archiepiscopi summique Cancellarii cognovit.* Et in Charta Conradi Regis Burgundiæ anno 992. *Haimo Valentinus Episcopus Archicancellarius.* Et in Charta Rudolphi Regis anno 997. [*Hist. de Tournus pag. 274. 277. 280.*] *Raimundus ad vicem Ansusi Episcopi recognovi.* In Diplomate Caroli Simplicis anno 915. *Gaslinus Regiæ dignitatis Notarius, ad vicem Herivæi Archiepiscopi, summique Cancellarii recognovit & subscripsit.* In Charta Rudolphi Regis anno 924. *Ragenardus Notarius ad vicem Abbonis Episcopi.* In Diplomate Ludovici Transmaritimi anno 941. *Odilo Notarius ad vicem Henrici Episcopi summique Cancellarii recognovit.* Cum primùm Herebertus, qui postea Coloniensis Archiepiscopus factus est, ab Ottone III. ad Cancellariatum evectus est, incunctanter suadente Imperatore ipso, Presbyteratu est initiatus, ita referente Ruperto Abbate in sanctissimi hujus Episcopi vita. [*Surius die 16 Martii c. 5.*] *Ut eum suo lateri sociaret, primumque Cancellarium sibi constitueret. A quo etiam persuasus hic beatus, jugum Domini, scilicet Presbyteris honorem alacriter suscepit.*

Si ad Caroli Magni usque tempora retro progrediamur, [*Histoire de Tournus, pag. 190. & seq.*] patebit exinde Acta & Regesta publica scripta vulgò fuisse & subscripta à Notariis, à Diaconis, aliquando & à Presbyteris. Quod argumento est Notarios illos, de quibus hîc verba facimus, Clericos fuisse minores, quorum officium in rebus gravioribus Diaconi quandoque, immo & Presbyteri peragebant. Sub Carolo Magno, *Ego Audacher* [*Ibid. p. 226.*] *Notarius ad vicem Gesleni recognovi & subscripsi.* Sub Ludovico Pio: *Ego Durandus Diaconus ad vicem Helizachar recognovi & subscripsi.* [*Spicil. To. 6. pag. 414.*] Sub Rege Carolo anno 875. *Ebo Presbyter ad vicem Goslem recognovit & subscripsit.* Sub Carolo Simplice anno 901. *Erlminus Notarius ad vicem Ascherici Episcopi & Archicancellarii.* Erat hic unus ergo Ordinum inferiorum, & Clericale officium, cujus tanti tandem ponderis visæ sunt functiones, ut Diaconi, Presbyteri, adeoque & Episcopi atque Archiepiscopi eas exercere ambierint, ascito hi certè nomine Cancellariorum & Archicancellariorum. Ita demum enim experti sunt, ita persuasissimum habuere Reges & Imperatores, Acta Edictaque sua sanctiori certiorique testimonio sanciri ac roborari non posse, quàm Episcoporum Clericorumque aliorum manu & subscriptione.

Possent & alia complura huc argumenta accumulari, [*Recueil pour l'Histoire de Bourg. p. 22. 24. 46. 54. 186.*] quibus validiùs hoc ipsum astrueretur; jam inde à temporibus Caroli Magni Officium Notarii gradatim surrexisse ad summum quoddam fastigium, exambitumque fuisse primùm à Diaconis, inde à Presbyteris, immo & ab Episcopis, adoptato alio nomine, quod augustius aliquid sonare videretur. Huic se tunc Officio Laïci rariùs ingerebant, tum quòd litterarum penitus essent rudes, tum quòd non tam spectata esset eorum fides atque Clericorum. Ad marginem adnotasse sufficiet loca, quibus constet Notarios fuisse Clericos, & Clericorum privilegia vendicasse sibi, quanquam conjugati essent, usque ad annum 1459. Ideo & Clericos se ipsi dictitabant in Actis propriis. *Ego Clericus Tabellio* [*Ibid. p. 281. 287. 255. 460. 607.*] *Ducis Burgundiæ.* Et alibi: *Clerici & Notarii Jurati Vesontionenses, &c.*

Possent & alia depromi exempla Ducum, Principumque aliorum, qui Episcopos orabant, ut magni momenti Acta ipsi subscriberent, ipsi sigilla apponerent, vel proprio sigillo sigillum Principis confirmarent, quo inconcussa fides & stabilitas suis Decretis adderetur. Quo & illud rursum astruitur, [*Ibid. p. 522. 525. 578. 607.*] eo excitatos fuisse Reges & Imperatores, ut Diaconos, Presbyteros, Episcopos & Archiepiscopos adhiberent, quo Acta & diplomata eorum ad summam quandam fidei & certitudinis arcem evaderent.

Prolixior infrà suo loco instituetur disputatio de Francorum Regum Cancellariis, jam inde à prima eorum dynastia, cujus auspex & parens Clodovæus. Nunc ad Notarios redeo, ut eos à Tabellionibus publicis secernam. Quippe sententiam ab Episcopo Cardinali Ostiensi latam adversùs Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos, qui Tabellionatûs Officium exercebant, confirmavit Innocentius III. *Ut Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos, quos* [*Regest. 14. Epist. 129.*] *ibidem invenit passim Tabellionatûs officium exercentes, excommunicationis vinculo innodares.* Cùm sæcularium tantùm Judicum ministerio addicerentur hi tunc Tabelliones, jam æquum non erat ut eo Clericorum majorum dignitas dehonestaretur. Ergo ad majores tantùm id spectat Clericos, & ad Judices sæculares. Idem Innocentius alibi Protonotarium Aulæ Imperatoriæ inter legitimos recenset Beneficiarios. At rursus alibi Notario Sedis Apostolicæ, *Magistro Moguntino Notario nostro*, ea mandat Constantinopoli peragenda, [*Regest. 15. Epist. 12. 151. & seq.*] quæ summam quandam authoritatem & experientiam rerum desiderarent,

nam & vibrata anathemata revocanda erant, & ad examen vocanda electio Patriarchæ Constantinopolitani. Quo muneris hujus amplitudo mirificè declaratur.

IV. Sæculi X V. Chartis testatum etiam fit, eosdem fuisse adhuc Clericos, Notarios Apostolicos & Imperiales, Presbyteros & Doctores. Anno 1417. Histoire de S. Martin des Champs p 24. 252. *Ego Petrus, Clericus Rotomagensis, authoritate Apostolica & Imperiali Notarius, &c.* Et anno 1457. *Clerico Parisiensi in jure Canonico Licentiato, publico Apostolica & Imperiali authoritate & Curiæ Episcopalis Parisiensis Notario Jurato.* Sess. 1. In Concilio Constantiensi statim creati sunt Protonotarii quatuor ad Acta Concilii scriptis mandanda. Conc. to. 12. p. 14. 412. 481. 491. 1700. &c. In Concilio Derthusensi anni 1429. Doctor in Jure Canonico & Decanus Capituli functionem obiit Notarii Apostolici & Imperialis. Notarios Concilium Basileense in numero habet Clericorum: Sess. 3. *Mandat hæc Synodus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, Clericisque, Notariis & aliis personis Ecclesiasticis, &c.* Sess. 5. Hæc eadem Synodus plures delegit ex variis Diœcesibus Notarios, Clericos omnes, quorum unus etiam Jus Canonicum profitebatur. Hinc facilè colligitur è Clericorum quoque grege fuisse Protonotarios, tum in hoc, tum in Constantiensi Concilio creatos. Append. Con. Const. In eodem Constantiensi Concilio lectæ sunt Procurationes Ecclesiarum Hispaniæ complures, à Notariis Apostolicis scriptæ, qui magna ex parte Presbyteri erant, nonnulli etiam Doctoratûs laurea insignes.

Apostolici hi Notarii erant aliquando Curiæ etiam Episcopalis Notarii, idque quandoque privilegio speciali indulgebant Episcopis summi Pontifices, ut Apostolicos Notarios crearent. Ejus generis est diploma, quo Clemens V. Auscitano concessit Archiepiscopo duos ut crearet Notarios Apostolicos, diligentissimo antè examine excussos, & adactos sacramento, quo se fidelitatis in Romanam Ecclesiam, & muneris sui integritatis tenaces fore pollicerentur. Facilè persuadeor id privilegii pluribus aliis Episcopis communicatum fuisse. Conc. Gen. To. 11 Part. 2 pag 1166 1707. 1866 1932. 2031. Acta Concilii Palentini anno 1322. scriptis mandata fuere à duobus Notariis Apostolicis & Imperatoriis. Avenionense Concilium anni 1337. à Clerico Aginnensi, Notario Apostolico & Imperiali. Toletanum anni 1339. à semi-Canonico ejusdem Ecclesiæ, Notario Archiepiscopi. *Publicus in Civitate & Diœcesi Toletana, Archiepiscopali authoritate Notarius.* Toletanum anni 1355. à Notario Archiepiscopi: *Publicus authoritate Archiepiscopali in Civitate, & Diœcesi, & Provincia Toletana Notarius.* Hinc non immeritò conjicitur ab hujusmodi Notariis id affectatum studiosè fuisse, ut sua sibi officia confirmarentur à Pontificibus Romanis, ab Imperatoribus, & denique ab Archiepiscopis, ut ab hac summa & sacra authoritate sibi quoque plus fidei haberetur in omni quæ eis suberat ditione. Concilium Vaurense scriptum fuit à duobus Notariis *Apostolica, Imperiali & Archiepiscopali authoritate.* Notarii ii erant Archiepiscoporum Narbonensis & Tolosani. Episcopis denique ipsis visum est, sua quoque authoritate muniendos, suo antè examine probandos esse Notarios eos, qui Apostolici & Imperiales dicerentur. Dilucidum id quidem fit ex Canone Concilii Salisburgensis anno 1386. Can. 16. *Placuit nostro sancto Concilio, ut nullus se Notarium publicum asserens, in officio Tabellionatûs aliquatenus admittatur, nec credatur ejus instrumento, nisi coram loci Ordinario, vel ejus Officiali de suo officio faciat plenam fidem, cùm sæpè ex Notariis incognitis & imperitis, grandia pericula soleant provenire.*

Quoad Notarios Imperiales, iis maximè honos habebatur, & id officii ambiebatur iis in regionibus, ubi vestigia necdum omnia oblitterata fuerant priscæ majestatis Romani Imperii. Constat enim sæculo XII. XIII. & XIV. ejus locem, vel umbram aliquam superstitem fuisse compluribus in Provinciis: vel in iis Provinciis, ubi jus Civile Romanum usu receptum erat, & ubi ex ejus formulis Acta publica concinnabantur, ut Avenione, Narbonæ, Tolosæ. Statuta Archiepiscopi Nicosiensis in Insula Cypro subscripta fuere à Notariis Imperii & Archiepiscopi, anno 1320. & 1340. Ibi p. 1428. 1439. 1510. Concilium Narbonense anno 1374. à Notario Apostolico, Imperiali & Archiepiscopali.

V. Eadem ipsa ferè observare est sæculo XVI. In Concilio Lateranensi V. sub Leone X. magni vir Conc Gen. To. 15. pag. 177. 180. 212. 278. 280. nominis Bembus Clericus dicitur Venetus, Secretarius Papæ, Notarius Apostolicus. Est & ibi Presbyter Lexoviensis Notarius Apostolicus. Delphinas ibi Notarius cum hoc elogio, *Publicus authoritatibus Apostolica, Imperiali, & Delphinali Notarius.* Ibi Vicarius Generalis Archiepiscopi Aquensis Notario Apostolico & Regio hoc testimonium dicit, *Esse Regium Secretarium, Notarium publicum, Apostolica & Regia authoritatibus notum.* Est & ibidem Clericus Burgensis in Hispania, Juris Canonici & Civilis Doctor, atque Notarius Apostolicus.

Concilium Coloniense anni 1549. edixit, ut Episcopus dum Diœceses suas perlustraret, adhiberet Notarium, qui Presbyter esset, aut Clericus saltem non conjugatus. Ibid. p. 647. *Adhibeatur Notarius, qui sit Sacerdos, aut saltem Clericus non conjugatus.* Ea duplici ratione id persectum est, ut jam Officium, non Ordo Notariorum spectetur, cùm olim Ordo esset, vel Minoribus Ordinibus aggregarentur, & inter Clericos recenserentur Notarii, etsi ferè nunc laici habeantur. Cùm Presbyteri, Diaconi, aliique spectabiles viri, amplum sibi duxerunt Notariorum exercere munera, paulatim illa inolevit opinio, mera ea esse Officia, quæ indui & exui possent. Cùmque Clerici conjugati in Laïcorum tandem sortem & colluviem ferè demersi sint, Notarii qui ejusmodi erant Clerici, pro laicis & ipsi habiti sunt, & solo nomine Clerici.

VI. At Tridentini Concilii Patres exploratissimum sanè habuere, Notariorum munera ab origine sua ad Clericos spectare; idque manifestè declararunt, cùm ut mederentur iis malis, quæ ex Notariorum imperitia proficiscebantur, decreverunt, ut eos Episcopi ad examen vocarent, suspenderentque, vel etiam exauthorarent, si ea vel peritia, vel probitate destituerentur, quæ necessaria esset ad obeundas sui muneris functiones. Quo in Decreto nihil discriminis inter Notarios Apostolicos, Imperiales & Regios. Denique iis utuntur verbis Tridentini Præsules, quibus constet, ea potestate Episcopos sua sponte jam succinctos fuisse, idque jure communi; quanquam ad hanc eorum potestatem magis magisque roborandam Apostolicæ etiam Sedis delegatione eos induant. Sess. 22. c. 10. *Cum ex Notariorum imperitia, plurima damna, & multarum occasio litium oriatur, possit Episcopus quoscumque Notarios, etiam si Apostolica, Imperiali, aut Regia authoritate creati fuerint, etiam tanquam Delegatus sedis Apostolicæ examinatione adhibita, eorum sufficientiam scrutari, &c.*

VII. Cameracense Concilium anni 1565. ut pro-

mulgaret hoc Decretum, velut exordium ei præfixit, quo ad Notarios arctari videtur, qui Presbyteri, vel Clerici erant. *Quoniam non pauci in hac Provincia reperiuntur Presbyteri & Clerici, seu pro talibus se se gerentes, qui se Notarios publicos scribunt & nominant, quorum imperitia, &c.* Concilium Rotomagense anni 1581. examini Episcopi subjecit Notarios Apostolicos: cúmque nullos jam crearet Papa, cum eo potestatis cumulo, ut & ipsi alios creare possent: decrevere hujus Concilii Patres, ut interpellaretur Pontifex, quo creari sineret ab Episcopis Notarios Apostolicos in privatis Diœcesibus suis. *Quia Notarii Apostolici, aut nulli, aut rari admodum nunc creantur a sede Romana cum potestate alios creandi, cùm jam in nostris Diœcesibus deficiat legitimus numerus, ac periculum sit, ne tandem nulli veri reperiantur, supplicandum SS. D. N. Papæ judicamus; ut Episcopis largiatur facultatem creandi Notarios Apostolicos, tantum pro sua Diœcesi necessarios.* Concilium Aquense anni 1585. Decretum Concilii Tridentini promulgavit, nullo limite arctatum.

*Tit. 14. c. 7.*

*Tit. de Epis. officio.*
*Tit. de his quæ Episc. ut Deleg. Sed. Apost.*

VIII. Vereor ut quæ diximus omnia satis consentiant iis, quæ Canonistæ commentati sunt in Caput *Sicut te. Extra. Ne Clerici, vel Monachi.* Ubi jubet Pontifex Innocentius III. ut Episcopi sacrorum Ordinum Clericis Tabellionatu interdicant, vel Beneficiis privent. Manifestum est hoc Decreto non constringi Clericos Minores, ut jam diximus suprà. Quod ad Ordines verò sacros, liquet ex illa exemplorum sylva, quam suprà congessimus, liquet ex tot Presbyteris iisdemque Notariis suprà laudatis, vel Decreto huic obtemperatum non esse, unde & ex silentio Pontificum in desuetudinem abierit; vel discrimen aliquod interpositum esse Notariis & Tabellionibus: cùm hi haberentur veluti litibus, & negotiis sæcularibus, civilibus, criminalibus mancipati; Notarii verò Ecclesiasticis, vel civilibus certè causis addicti seponantur.

*Fagnan. In l. 3. Decret. Part. 2. pag. 424. & seq.*

Nec enim vocari in dubium potest, quin ad Testamenta & Contractus, adhibiti plerumque sint Notarii Ecclesiastici, ut majoris fidei, quàm cæteri, & peritiæ. Erant certè hæc duo causarum genera non ita pridem Ecclesiastici fori & sacræ jurisdictionis. Carolo VIII. & Francisco I. Regibus id imputatur, quod Notariis Apostolicis & Episcopalibus civiles omnes & temporales causas abstulerint.

*Fevret de l'Abus. L. 4. c. 3. n. 32.*

IX. Missa facio Decreta Concilii Mediolanensis I. & V. Mexicani, & complurium aliorum, *de Notariis, Cancellariis, Scribis*, seu Graphiariis Curiarum Episcopalium. Alius est disserendi locus de Cancellariis Cathedralium & Collegialium Ecclesiarum, quos Concilia Turonense anni 1583. & Bituricense anni 1584. promiscuè habent cum Scholastico. Infrà uberiùs pertractabitur de Archiepiscopis Episcopisque variis per Orbis Christiani regna Cancellariorum munus, vel nomen certè sustinentibus. Unum hîc addo, non esse jam quod quis stupeat, quando primùm cœpere laïci Notariorum Officia implere, nonnisi nobilibus aditum ad ea patuisse. Nec enim controversum est, quin Ordo Cleri supra Ordinem Nobilium emineat. Qui hic ad margines citantur scriptores, illi subodorati sunt eam nobilitatem, qua fruuntur, qui vulgò Secretarii dicuntur Regii, ab hac eadem manasse origine. Unà quippe Notarii erant. Eorum aliqui non frustra jactar, Clericos, Notarios & Secretarios inde sibi blandiri, quòd conspicui viri non pauci ex eorum Collegio prodierint. Alanus Carterius & Budæus in illis recensentur, ferturque horum primus à Rege Carolo VIII. impetrasse toti Collegio suo Chartas nobilitatis; ut cùm antiquitatis memoria paulatim abolesceret, ea Regio diplomate firmaretur.

*Conc. Gen. To. 15. pag. 185. 693. 1317. Ibid. pag. 1027. 1100. Histoire de S. Martin des Champs. pag. 544. 545.*

*Fauchet, de l'Origine des Dignit. c. 7.*

X. Officium verò Bibliothecarii, quod hîc sæpiùs vidimus conjunctum cum Officio Cancellarii, & à Diaconis Romanis gestatum: advertimus jam inde ab undecimo sæculo penes Cardinales Episcopos fuisse. Joannes Episcopus Albanensis subscripsit Epistolis Gregorii V. anno 996. subscripsit, inquam, ut Bibliothecarius, non ut Cancellarius. Promsit Baronius Acta subscripta ab Episcopis Prænestino & Portuensi anno 1012. utroque Bibliothecario Ecclesiæ Romanæ. Exinde sæpiùs eam dignitatem Diaconi obtinuere. Apud eundem Baronium perleges & Acta, si vacuum est, Petri Diaconi Bibliothecarii, Cancellarii sedis Apostolicæ anno 1047. Itaque Episcopi Bibliothecarii tantum fuere, non etiam Cancellarii, quamvis subscriberent perinde ut Cancellarii. Diaconi & Bibliothecarii fuere & Cancellarii, quamvis supra eos esset & Archicancellarius, ut ex privilegio patet Leonis IX. *Per manus Frederici Diaconi, S. R. E. Bibliothecarii, necnon & Cancellarii, Vice domini Hermanni Archicancellarii, & Coloniensis Archiepiscopi.* Id munus devolutum fuerat in Cardinalium Episcoporum manus, quando Humbertus subscripsit Epistolæ Stephani IX. tanquam Bibliothecarius.

*Ibidem. Num. 4. 5.*

*Num. 32.*

*Epist. 19.*

*Epist. 2.*

Hinc existit Officia Cancellarii & Bibliothecarii finitima prorsus & cognata sibi fuisse; Bibliothecarios diu cum Cancellariis subscripsisse Epistolis & Rescriptis Pontificum: & Episcopos ipsos diu Bibliothecarii munere functos esse. Fuit & Cardinalis Diaconus & Bibliothecarius, qui subscripsit Epistolæ Urbani II. anno 1096. sicut & Epistolæ xxxix. Paschalis II. & x. Callisti II. & quamplurimis aliis.

Ita in Ecclesia Romana. At in aliis Concilium Mediolanense IV. anno 1576. docet fuisse verisimiliter Cathedrales Ecclesias, ubi à Capitulo eligeretur Bibliothecarius: cùm jubeat hæc Synodus eum retineri morem: quamquam potestatem faciat Episcopo in aliis Ecclesiis Bibliothecarii nominandi cum consilio Capituli. Missa facio decreta complura, quæ à sancto Carolo Borromæo condita sunt, ut Ecclesiasticis his Bibliothecis, & servandis, & augendis consultum esset. Caroli vestigia legit Concilium Turonense anni 1583. à quo hoc eruditionis & sapientiæ Ecclesiasticæ penu creditum est curæ Decani, Archidiaconi, & Cancellarii, sive Scholastici.

*Cap. 25.*

In Abbatiis Bibliothecarii munus inter Obedientias numerabatur, hoc est, inter Officia Claustralia; nec mandabatur, nisi alicui eorum, qui à teneris unguiculis in Cœnobio enutriti fuerant. Bibliothecam vocabant *Armarium*: Bibliothecarius *Armarius* dicebatur. Audi quæ legantur in antiquis Cluniacensis Monasterii Consuetudinibus. *Armarii nomen obtinuit, eo quod in manu ejus solet esse Bibliotheca, quæ & alio nomine Armarium appellatur. Hæc est Obedientia, quam ex more nullus meretur, nisi nutritus.* Qui à teneris in Monasterio, iidem litteris innutriebantur, atque ita plerumque & peritissimi, & tegendæ Bibliothecæ maximè idonei evadebant. Evanuit hoc claustrale Officium, nec in Beneficium ut cætera descivit, quod & litterarum amor, ac studium evanuisset; qua ex litterarum incuria, tum Disciplina claustralis labefactata prorsus est, tum quæ obedientiæ erant temporariæ, in Beneficia & Titulos perpetuos desciverunt.

*Spicil. to. 4. pag. 185.*

XI.

XI. In Ecclesia Græca diximus jam Bibliothecarii munus Chartophylaci implicatum fuisse, qui & jam Cancellarium agebat. Nec his tamen tot tantisque dignitatibus id concedebant Episcopi, ut post eum sederent, sed Patriarchæ personæ, cujus vices gerebat. Ita Symeon Thessalonicensis Archiepiscopus testatum facit: *Ideo in medio Episcoporum sedet, non ut Chartophylax. Ea enim ratione Cathedram inter Episcopos non habet, vel alius aliquis Clericus; sed ut vices agens Magni Pontificis. Sedet igitur & per ordinem interrogat Episcopos, &c.* Codinus aliique qui de Officiis Aulæ Ecclesiæque Constantinopolitanæ scripsere, Protonotarios referunt primo stare gradu post Exocatacælos, & ab illorum dignitate ad hanc gradum plerosque fecisse. Vel ipso autem vocabulo significatur eorum singulos pluribus præfuisse Notariis.

*De sacris Ordin. c. 4*

Opportunissimus hic locus est ea commemorandi, quæ Anselmus Havelbergensis Episcopus docuit in Dialogis suis de Collegio Doctorum duodecim Constantinopoli, quorum princeps erat suo ævo, id est, medio duodecimo sæculo, Nechites Archiepiscopus Nicomediensis, qui cum Anselmo ipso congressus est in Collationibus illis longè pulcherrimis. Maxima erat omnium existimatio de his Doctoribus, summa eruditionis fama; humanas sacrasque litteras omnes ferebantur ad unguem callere. Itaque quidquid erat quæstionum alicujus momenti, ad illorum examen referebatur: & quod illi scivissent, hoc ratum fixumque habebatur. *Fuit Archiepiscopus Nechites præcipuus inter duodecim didascalos, qui juxta morem sapientum Græcorum & liberalium artium & divinarum Scripturarum studia regunt: & cæteris sapientibus tanquam omnibus præeminentes in doctrina præsunt, & ad quos omnes quæstiones difficillimæ referuntur, & ab eis soluta deinceps sine retractatione, & pro confirmata sententia tenentur & scribuntur.* Non ægrè colligitur ex his, quæ dicta sunt superiùs, hos ipsos fuisse Imperatorii Palatii Bibliothecarios.

*Spicil. to. 13. pag. 89. 90*

## De Apocrisiariis, Capellanis, Archicapellanis, Eleemosynariis, Magnis Eleemosynariis, denique de Clero Palatino.

### CAPUT CVII. *P. 2. l. 1. c. 50.*

### De Apocrisiariis, seu Nuntiis sedis Apostolicæ ante annum octingentesimum.

*I. Prope aberant ab Apostolicis hujus ævi Nunciis hi tunc Papæ aliquibus in Regnis Apocrisiarii*

*II. III. IV. Ut delegarentur ad Patrimonia pauperum curanda, ad Provinciales cogendas Synodos, ad Disciplinam in Provinciis redintegrandam.*

*V. VI. Ad Monasteria etiam pristinæ sanctimoniæ restituenda.*

*VII. Nihil ab Episcopis exigere poterant*

*VIII. IX. X. Miseris nulla re deesse, nocentes pœnis subjicere, pios tueri debebant*

*XI. XII. XIII. Eorum quoque muneris erat, Episcopis patrocinari adversus impotentiam Metropolitanorum, abdicatorum Episcoporum causas ad examen rursum vocare.*

*XIV. Authoritatem & reverentiam Episcopis conciliare: inquinamenta abstergere omnia ab Episcopalibus Ecclesiis*

*XV. XVI. Archiepiscopo Ravennati suus erat penes Papam Apocrisiarius, suus Papa penes Imperatorem.*

*XVII. XVIII. XIX. Hi non aliter, quàm ut pedes, oculique & manus summi Pontificis habebantur.*

*XX. Quàm studeret Gregorius munienda Episcoporum jurisdictioni.*

*XXI. De Apocrisiariorum potestate in Hispania.*

*XXII. XXIII. Infra de Galliis agetur. Observationes generales in Apocrisiarios.*

I. Apocrisiarii olim ab origine Græca dicebantur, qui Latinè Responsales; iidem ferè prioribus sæculis, qui postremis his temporibus Nuntii dicuntur Pontificis, varia in Christiani Orbis regna delegari soliti. Quæ & quanta esset eorum potestas, luculentissimè demonstrabitur ab exemplis, quæ à Gregorio Magno depromemus, quorum simillima & à cæteris post & retro Pontificibus proferrentur, si eorum Regesta æquè ad nos perlata essent.

II. Scripsit Gregorius ad Episcopos Siciliæ universos, se more Majorum vice sua & Apostolicæ Sedis delegatione induisse Petrum Sedis Apostolicæ Subdiaconum, cujus fides probata fuerat patrimonio sancti Petri per totam Siciliam ei concredito; annuas ergo in Sicilia congregandas esse Synodos, ut ibi cum Subdiacono Petro aut instituerent aut confirmarent quæcumque vel ad moderandam Ecclesiæ disciplinam, vel ad agendam pauperum curam necessaria viderentur. *Valde necessarium esse perspeximus, ut sicut prædecessorum nostrorum fuit judicium, ita uni eidemque personæ omnia committamus: ut ubi nos præsentes esse non possumus, nostra per eum cui præcipimus, repræsentetur authoritas. Quamobrem Petro Subdiacono Sedis nostræ, infra Provinciam Siciliam vices nostras Deo auxiliante commisimus. Nec enim de ejus actibus dubitare possumus, cui totum nostræ Ecclesiæ noscimur patrimonium commisisse, &c. Semel per annum Fraternitas vestra conveniat, quatenus quæ ad utilitatem ipsius Provinciæ, Ecclesiarumque pertinent, sive ad necessitatem pauperum oppressorum, cum eodem Petro Subdiacono nostræ Sedis, congrua debeatis moderatione disponere.* Numeris omnibus absoluta hæc est priscorum Nuntiorum effigies. Variis in Provinciis sparsum Ecclesiæ Romanæ patrimonium administrabant; personam Papæ circumgestabant, ejusque authoritatem sibi delegatam exercebant in causis Ecclesiasticis: executores erant tam Decretorum Pontificiorum, quàm Canonum; Synodos Provinciales congregari curabant, & ibi cum Episcopis in commune consulebant de Ecclesiarum utilitatibus. *L. 1 Ep. 1.*

III. Eidem Petro commendavit Pontifex idem, ut Matronam nobilem in Monasterium pœnitentiæ causâ relegatam, nulla re deficere sineret, tam ipsam, quàm servum ejus: Ecclesias omnes vacantes curaret, ut quàm primùm optimis donarentur Pastoribus, qui ab ipsarummet urbium Clero, vel è Cœnobiis deligerentur; ut electi Episcopi propediem Romam mitterentur, cum authenticis anteactæ vitæ testimoniis; denique ut monerent, si quæ essent urbes, ubi nulli essent, quibus satis tutò Episcopalis dignitas committeretur. *De Clero Ecclesiarum, vel de Monasteriis, si qui ad Episcopalem locum possint inveniri, perspicias, & ad nos inquisita primitus morum gravitate transmittas, &c.* *L. 2. Ep. 18.*

IV. Aliàs præcepit ut Monasterii in quod excensionem fecerant Barbari, dissipatos undequaque Monachos recolligeret, sub Abbatis & Episcopi obedientia; se enim Episcopum rei totius fecisse certiorem, ut ne expostulandi justas sibi causas esse suspicaretur, si eo inconsulto res Ecclesiæ suæ disponerentur. *Quam rem venerabili Felici ejus-* *L. 1 Ep 39.*

*dem civitatis Episcopo nos significasse cognosce, ne præter suam notitiam, in Diœcesi sibi concessa, ordinatum quidpiam contristetur.* Hujusmodi sunt autem Pontificiæ Epistolæ verba ad eum Episcopum, nomine Felicem: *Quam rem venerationi tuæ innotescendam prævidimus, ne te omisso aliquid ordinatum in tua Diœcesi contristeris.* Monet Episcopum earum rerum, quas Nuntio exequendas mandasset. (Ibid. Ep. 35)

V. Surrentini Episcopatûs Monachi præter Canones ab uno Monasterio in aliud migrabant, peculium habebant, eo denique eruperant impudentiæ, ut sacrilegis se nuptiis implicarent. Scripsit Pontifex Anthemio Subdiacono, iisdem proculdubio facultatibus & juribus instructo, ut à sinu conjugum hos divelleret Monachos, ad propria revocaret Monasteria; quidquid sibi pepererant peculii, abdicare cogeret: & canonicam stabilitatem in Monasteriis suis servare. Eidem mandavit Anthemio, ut pœnitentiæ vinculis constringeret Diaconum aliosque Clericos Ecclesiæ Venafranæ, qui Judæo vasa sacra distraxerant, utque interpellato Judice publico, Judæum cogeret ad restituendum. (L. 1. Ep. 40. — L. 1. Ep. 66.)

VI. Petro eidem suo in Sicilia Nuntio mandavit, ne Monachos pateretur actitandis causis & litibus persequendis tempus terere, sæcularibus illigari tumultibus, silentii, solitudinis & orationis studium ac fervorem dissipare. *Ne distenta mens per varias causarum curas defluat, & ad celebrandum opus consuetum enervata torpescat.* Ideoque laicum aliquem experientia, qua par erat, præditum conduceret, quem oneraret Monasterii causis, pacemque redimeret & tranquillitatem, quod Monachi bonum nullo satis digno pretio possint compensare. *Ei Monasterii ipsius generaliter debeat constituto salario commendare negotia. Expedit enim parvo incommodo à strepitu causarum servos Dei quietos existere, ut & utilitates cello per negligentiam non pereant, & servorum Dei mentes ad opus Dominicum liberiores existant.* (L. 1. Ep. 67.)

VII. Defensores aliqui, vel Notarii Romanæ Ecclesiæ in Sicilia ultro citroque commeantes, itinerum impensas & procurationes ab Episcopis exigebant. Gregorius cui nihil antiquius, nihil familiarius erat, quàm Romanæ Ecclesiæ patrimonium impendere, ac spargere in pauperes omnium Ecclesiæ Provinciarum, rescripsit Episcopis ne quid amplius largirentur ad horum expensas, nisi literas ad hoc ipsum deferrent, vel à Pontifice, vel à Nuntio, cui patrimonium B. Petri creditum erat. *Quisquis ille est, si revera Sedis nostra fuerit Notarius, vel Defensor, nisi nostra ad vos specialiter, vel Rectoris nostri patrimonii scripta detulerit, nullis per nomen Ecclesia nostra potiatur angariis; nec aliqua vobis ab eo gravamina imponi permittatis, sed suis utilitatibus iter suum propriis, ut novit, disponat expensis. Nec quemquam ab eo in locis istis patiamini molestari.* (L. 1. Ep. 68.)

VIII. Jubebantur à Gregorio Nuntii isti privatis etiam hominibus Ecclesiasticam tuitionem impendere, quam illi implorassent adversùs eos, à quibus opprimebantur. Quibus patrimonii sacri administrationem delegabat, ab eis incorruptæ fidei sacramentum exigebat ante corpus B. Petri Romæ. *Memor quod ante sacratissimum B. Petri Apostoli corpus, potestatem patrimonii ejus acceperis.* (L. 1. Ep. 69. 70.)

IX. Istiusmodi delegatione Monachum quoque Afrum instruxit, ut judicium institui curaret de Episcopo facinorosissimo, & qui Donatistas in suum Clerum intruserat. Ea de causa concessit, ut Synodum cogeret, & incunctanter exequeretur, quæ decreta ibi fuissent. *Quatenus præfatum Episcopum idoneæ satisfactioni committere non omittas, tuaque instantia in locis illis fiat ex more Concilium, omnia subtili indagatione perquirantur, & quæcumque eorum judicio fuerint terminata, te exequente modis omnibus compleantur. Ita ergo te cum omni vivacitate huic causæ volumus præbere instantiam, ut nulla possit subrepti dilatio, &c.* (L. 1. Ep. 82.)

X. Salonitanus Episcopus Archidiaconum suum collato Presbyteratûs fastigio dejecerat, aliumque in ejus locum suffecerat, plus indulgens inveterato in eum odio, quàm jussis Papæ Gregorii præcessoris, à quo vetitus fuerat eum infestare, qui hujus omnis affinis erat culpæ, quòd Episcopo intercederet, ne spoliaret Ecclesiam, ut propinquos locupletaret. Gregorius Subdiaconum Antoninum Salonam misit, ut priorem restitueret suo loco Archidiaconum, intrusum dejiceret, Episcopumque adduceret, ad mittendos Romam Responsales, per quos apud Gregorium se purgaret. *Cùm Responsales vestri advenerint.* (L. 2. Ep. 16. 37.)

XI. Ad Columbum Numidiæ Episcopum rescripsit, ut cùm primùm Hilarius Chartularius Apostolicæ Sedis in Africam appulisset, Concilium Episcopale congregaret; exauthoraret, pœnitentiæque illigaret Maximianum Episcopum, si constaret, quod ei scelus illinebatur, corruptum pecunia, suffragio suo juvisse Episcopi Donatistæ creationem; privatim autem dirimeret & sedaret cum eodem Chartulario causas & querelas omnes Episcoporum Clericorumque. *Si qua autem inter eos extra crimen hoc damnorum quorundam, vel privatorum negotiorum versatur intentio, hanc tua fraternitas, cum prædicto Chartulario nostro, privata cognitione perquirat.* (Ibidem)

XII. Cùm in Adrianum Thebanum Episcopum Larissenus Archiepiscopus acerbiùs consuluisset, quàm pro justæ potestatis moderamine, subduxit illum in posterum Gregorius hujus jurisdictioni ac sævitiæ; constituitque ut si quid posthac inter eos flagrasset dissidii, seu fidei, seu criminis, seu pecuniæ causâ verteretur: id totum permitteretur judicio Apocrisiarii apud Imperatorem Constantinopoli sedentis, vel ipsius Romani Pontificis, si tanti res esset. *Fraternitas tua ab eo Ecclesiaque ejus omnem antehabita sua potestatem jurisdictionis abstineat, & secundùm decessoris nostri scripta, si qua causa vel fidei, vel criminis, vel pecuniaria adversus præfatum Hadrianum Consacerdotem nostrum potuerit evenire, vel per eos qui nostri sunt vel fuerint in urbe Regia Responsales, si mediocris est quæstio, cognoscatur, vel huc ad Apostolicam Sedem, si ardua est, deducatur, quatenus nostra audientia sententia decidatur.* Inter Romanæ Sedis Apocrisiarios eminebat indubitatissimè ille, qui Constantinopoli commorabatur. Eo munere Gregorius ipse functus quondam fuerat, & quanti faceret eam dignitatem, prodidit ipse apertissimè, cùm ejus Apocrisiarii judicio permisit causas omnes, quæ inter Metropolitanum & Episcopum emergere poterant. (L. 2. Ep. 7. Ind. 11.)

XII. Antoninum idem Pontifex delegavit, ut unà cum Episcopo Salonensi in Concilio retractaret causam Episcopi Dyrrachii præter fas gradu ejecti. *Executionem antefacti negotii Antonino Subdiacono nostro ex nostra præceptione mandavimus, quatenus ejus instantia, & quæ sunt Legibus Canonibusque placita decernantur, & decreta juvante Domino mancipentur effectui.* Cùm vita abiisset Salonensis Episcopus, eundem Antonium Apostolici *Patrimonii Rectorem in Dalmatia* delegavit Gregorius, ut eligi curaret novum Episcopum, simoniacas ambitiosorum ho- (L. 2. Ind. 11. Epist. 8. 9. — Epist. 12.)

minum factiones arceret, electum Romam mitteret, ubi ordinandus erat, res Ecclesiæ Salonensis in Acta referret, ne quid inde vacante Sede dila- Epist. 29. 30. pidaretur. Ex adverso autem cùm Mediolanenses novum sibi elegissent Episcopum, eaque de re certiorem fecissent Pontificem, ad quem ejus confirmatio spectabat, missus ab eo est Subdiaconus Joannes, qui civitate in ipsa Mediolanensi inquireret, an unanimis & canonica fuisset electio, utque novum Pontificem ordinari faceret à Provinciæ Episcopis, ut ferebat mos.

XIV. Contemptui & fastidio habebatur Episcopus Campaniæ apud populum Clerumque suum. Epist. 34. Misit eò Gregorius Petrum Subdiaconum, qui dissensiunculas componeret, Episcopo reverentiam & amorem suorum conciliaret. Procrastinantibus Neapolitanis electionem Episcopi sui, eundem Subdia- Epist. 35. conum eò delegavit Pontifex, ut ostensis censurarum jaculis cogeret eos aut Episcopum actutum eligere, aut viros probos Romam mittere, qui eorum nomine ibi Episcopum sibi adsciscerent. *Si fortasse admonitionem tuam quolibet modo differre tentaverint, Ecclesiasticum in eos vigorem exerce.*

XV. Sardiniæ Insulæ Apocrisarios præfecerat L. 2. Ind. 11. Gregorius Subdiaconum & Defensorem, quibus Epist. 36. mandavit, ut secum Romam adducerent Januarium Calaritanum Archiepiscopum, ut eo præsente excuterentur crimina, quæ illi ingerebantur. *Januarium summa huc exhibere instantia non omittas.* Eò perducerent etiam mulierculas impudicas, quarum ex contubernio commaculata fuerat Presbyteri & con- Epist. 38. scientia & fama. *Hæc omnia ita efficaciter curabitis adimplere, ut nulla vos de neglectu culpa respiciat.* Hadrianus Episcopus Provinciæ Corinthi accusatori pridem suo ita reconciliatus fuerat, ut accusatio tota conticesceret. Misit eò Pontifex Diaconum Ecclesiæ suæ, qui rimaretur, Episcopi innocentia, an accusatoris prævaricatio hanc peperisset concordiam.

XVI. Erat & Ravennati Archiepiscopo suus apud Papam Apocrisarius, ut & Papæ suus Constantinopoli apud Imperatorem: & Diaconi uterque Ordine fulgebat. Cùm Sacris operabatur Gregorius Romæ, aderat Ravennas Apocrisarius, loco proprio & honorifico, quem honorificentiorem etiam voluerat esse Gregorius, quàm prædecessores L. 4. Ep. 15. sui. *Recordare in Missarum Romanarum solemnibus, ubi Ravennas Diaconus stabat, & require, ubi hodie stat, & cognosces quia Ecclesiam Ravennatem honorare desidero.* Sed cùm molestè ferret Ravennas ipse Archiepiscopus, tam arcto gyro circumscriptum sibi fuisse à Gregorio Pallii usum: scripsit Pontifex ad suum in Palatio Constantinopolitano Apocrisarium, ut resciret & rescriberet, an Metropolitani Orientales licentiùs sæpiúsque Pallio uterentur. *Tamen hac de re jam Diacono nostro Constantinopolin scripsi, ut inquirere debeat per omnes, &c.*

XVII. Castorio Diacono præcepit, ut diligentissimè inquireret in vitam & mores Pisaurensis Episcopi: & si criminum sibi impactorum convinceretur, Romam perduci curaret cum judicii instrumentis omnibus: denique ut in omnes ejus regionis Episcopos excubaret, perscriberetque sibi, si quid gravioris flagitii vel facinoris comperisset. L. 4. Ep. 24. *Experientiæ tuæ præcipimus, ut de vita & actibus ipsius subtili indagatione studeat perscrutari, & si quid fortasse repererit quod Sacerdotii integritatem valeat maculare, ad nos eum cum scriptis tuis sub competenti cautela transmitte, &c. Non solùm autem de eo, sed & de aliorum quoque Sacerdotum te vita convenit esse sollicitum. Et si de quolibet sinistrum quidpiam sentire potueris, nobis renuntiare festina, ut actuum pravitas salubriter cum Dei solatio debeat emendari.* Erant ergo Nuncii Gregorii velut pervigiles oculi infatigatæ ejus vigilantiæ, inspectoresque universales & censores Episcoporum vitæ & regiminis, excessuum Cleri, Monachorum defectionis à sanctitate regulæ, laïcorum violentiæ: non eo sanè consilio & scopo, ut universalis quædam potestas, & veluti Monarchia Romano Pontifici compararetur: quid enim à Gregorii ingenio, moribus, famaque alienius? sed ut summa potestas & invicta dominatio esset penes Ecclesiæ leges sanctissimas, utque earum transgressoribus impune nunquam esset. Unde & Neapolita- L. 5. Ep. 11. no Episcopo scribebat idem Pontifex, nisi mandatis his suis incunctanter obsequeretur, jussum esse Apocrisarium suum, ut instantissimè urgeret & fatigaret eum, donec res executioni mandaretur. Scripsit & Apocrisariis suis octo uno eodemque L. 7. Ep. 39. tempore, ut constantissimè prohiberent, ne ullas fœminas domi suæ retinerent Episcopi, nisi quas suspicionis exortes sacri Canones censuere. *Si qui Episcoporum, quos commissi tibi patrimonii finis includit, cum mulieribus degunt, hoc omnino compescas, & de cætero eas illic habitare nullo modo patiaris, exceptis eis, quas sacrorum Canonum censura permittit.*

XVIII. Cùm à suis ipse Clericis in crimen vocaretur Reggiensis Episcopus, Sabinum Diaconum delegavit Gregorius, ut cum quinque Episcopis aliis de ea causa cognosceret, reique summam ad se perscriberet. Subdiacono Sabino mandavit, ut stre- L. 7. Ep. 46. nuè inquireret in Presbyterum infamatum, utque 47. in carcerem eum compingeret, donec testimonia L. 8. Ep. 5. 6. Romam misisset; denique ut instaret executioni testamenti in gratiam Ecclesiæ facti, curamque gereret miserabilium personarum. Defensori Siciliæ L. 8. Ep. 11. suo mandavit, ut Episcopum diutiùs litibus suis insistentem revocaret, atque in Ecclesiam suam remitteret, datis non amplius quinque dierum induciis. Subdiacono Campaniæ Anthemio mandatum est, ut tuitionem Ecclesiæ aliquibus impenderet, qui per summam potentum injuriam vexabantur; ab aliis propulsaret contumelias, quas ab ipsis Ecclesiæ ministris sustinebant: denique Neapolitanum L. 9. Ep. 12. Episcopum adduceret, eam Clero & pauperibus sa- 13. 29. crorum redituum partem ut exsolveret, quam prædecessor ejus intercepisset.

XIX. Si summa autem erat Gregorii in tuendis exequendisque sanctimoniæ & pietatis legibus potestas, potestatisque quoquò versum explicatio: nihil ille interim remittebat de vindicandæ dignitatis Episcopalis zelo, & ne quid in Episcopos ab Apostolicæ Sedis ministris peccaretur. Inde est quod L. 9. Ep. 32. ad Romanum Siciliæ Defensorem scripsit, non potuisse ab ipso restitui Clericos, quos pœnitentiæ addixerat Episcopus proprius: ei proinde subjiciendos rursus esse; non potuisse similiter eum arrogare sibi judicium de causis Clericorum, quorum judex est vel Episcopus, vel Episcopi Vicarius, vel si quibus suspectus est Episcopus, ii arbitri, quos ipse deligi faciet à partibus; denique in iis tantùm litibus, ubi Clerici Laïcique cum Episcopo suo colliderentur, posse eum Judicis sibi partes sumere, vel eos adigere hinc & inde, ut Judices eligerent. Nihil enim tam infestum Canonibus, quàm Canonum obtentu jurisdictionem Episcoporum imminutum ire. *Nam si sua unicuique Episcopo jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per nos,*

*per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur?* Contestatur idem ipse alibi non honestari Sedem Apostolicam dehonestamentis Episcoporum: Romani Pontificis honorem eò maximè verti, eò effulgescere, ut honorem haberi curet Episcopis.
L.11.Ep.21. *Nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Tunc verè honoratus sum, cùm singulis quibusque honor debitus non negatur.*

Cum Episcopi in sua invicem jura invadebant, hoc etiam illud erat genus causarum, quod ad se Papa revocabat, vel ad Nuntios suos, à quibus de his commonefaciendus non erat Pontifex, nisi antè pro virili sua operam dedissent apud Episcopos,
L.11.Ep.22. 30. ut ipsi hæc omnia inter se componerent. *Si qua de Episcopis inordinatè acta cognoverit, priùs quidem secretà ac modestâ adhortatione corripiat Chartularius noster: quæ si ita emendata non fuerint, nobis celeriter innotescat.* Cùm Paschasius Episcopus aliud ageret, nec Episcopalibus studiis incumberet, acerbiùs objurgavit Anthemium Gregorius Campaniæ Subdiaconum, quòd non eum, ut æquum erat, ipse objur-
L.11.Ep.31. gasset. *Ut nihil habere Episcopalis vel genii vel reverentiæ judicetur. Quod si ita est, non sine culpa tua esse cognoscis, qui eum objurgare, atque coërcere, ut dignum est, distulisti.*

L.11.Ep.52. XX. Dictum est jam de delegatione Joannis Defensoris in Hispaniam, ut retractaret causam Presbyteri, & Episcopi, qui ordine suo abdicati erant: utque si Synodico examine purgarentur, non solum pristinum ipsi recuperarent gradum; sed & intrusus Episcopus in carcerem retruderetur: & ad semestrem pœnitentiam in Monasteria ablegarentur Episcopi, iniquæ tum abdicationis, tum intrusionis authores. Præfuit reapse Synodo ejusmodi Defensor, atque juxta voluntatem Papæ sententiam dixit, ut sedis Apostolicæ Delegatus. *Dum*
Epist. 55. *ex deputatione, & jussione Apostolici Domni mei Papæ Gregorii, Ego Joannes Defensor Cognitor resedissem, &c.*

XXI. Hæc erant Apocrisiariorum munera, hæc jura, sive ordinaria, sive extraordinaria, in Italia, Sicilia, Sardinia, Africa, Dalmatia, Illyrico & Constantinopoli. In his tamen exemplis tumultuariè hîc conglobatis, discriminis aliquid observare est. Erat enim eorum utique & vigilantia major & cura attentior in Episcopos, Clericosque & Monachos Italiæ, Siciliæ, Sardiniæ, quæ sub Metropoli olim Romana fuerant, quæ maxima ex parte etiam tunc erant, quæ ex Primatia saltem erant ejus; quàm in Africa, Hispania, Illyrico, aliisque Provinciis remotioribus; ubi nihil, aut minus habebat patrimonii sedes Apostolica, & quò Apocrisiarios non delegabat, nisi inusitatæ quæpiam causæ incurrerent.

XXII. De Galliis dicere hîc supersedimus, quòd consultius visum sit de iis separatim agere; quod seposito mox Capite peculiari præstabimus: ubi priùs aliquantò copiosiùs disputatum fuerit de Apocrisiariis Romanæ sedis, qui Constantinopolim ad Palatium Imperatorium delegabantur.

## CAPUT CVIII. *P. 2. l. 1. c. 51.*

### De Apocrisiariis Apostolicæ sedis, qui Constantinopoli in Palatio Imperatoris degebant, ante annum octingentesimum Christi.

*I. Quantum ponderis esset in ea dignitate.*
*II. Cœpit Leo I. Papa Apocrisiarium Constantinopoli habere.*
*III. IV. Cum assensu Imperatoris, & quibus de causis.*
*V. Pulcheria Imperatrix Apostolicæ sedis Legationem ipsa suscitavit.*
*VI. Erant & cæteris Patriarchis Apocrisiarii sui apud Imperatorem.*
*VII. Episcopi ipsi Constantinopolitani erant cæterorum omnium Episcoporum velut Apocrisiarii & Agentes apud Imperatorem.*
*VIII. Apocrisiarios ibi Ordinarios habere non poterant Episcopi, vel Metropolitæ.*
*IX. Inde splendoris & potestatis plurimum accedebat Patriarchæ Constantinopolitano, quod Episcoporum aliorum omnium sequester, & velati mediator esset apud Principem.*
*X. XI. Cur Apocrisiariorum originem repetat Hincmarus jam inde à Constantini temporibus.*
*XII. XIII. Quamdiu fuere Imperatores in Occidente, & toto tempore Schismatis Acaciani, nulli fuere Constantinopoli Apocrisiarii Romanæ sedis. Primum Apocrisiarium ibi instituit Agapetus Papa.*
*XIV. Is exinde & Ordinarius, & Diaconus fuit.*
*XV. VI. Idque convenienter Canoni Sardicensi.*
*XVII. XVIII. XIX. XX. Series & successio Apocrisiariorum, & eorum authoritatis amplificatio.*
*XXI. XXII. Apocrisiarius Constantinopoli fuerat ipse Gregorius, qui postea Pontifex Romanus. Sedem in Palatio Principis habebat.*
*XXIII. XXIV. Jura & officia Apocrisiariorum.*
*XXV. Mitti desinunt, & denuo incipiunt.*
*XXVI. XXVII. Continuatur eorum successio, quorum plerique postea summi Pontificatûs infulas consecuti sunt.*
*XXVIII. XXIX. Iterum desinunt, & rursus incipiunt mitti. Cùm Legati quandoque deposcerentur, Apocrisiarii tantùm mittebantur, sive Nuncii.*

I. AD eum dignitatis potestatisque cumulum pertigerunt Apocrisiarii Papæ, Constantinopolin ad Imperatorem mitti soliti: tantique momenti Ecclesiastica negotia ab illis pertractata sunt, ut jure merito hîc eorum origo altissima operosiùs rimanda nobis & pervestiganda sit. Ætas proxima ostendet Apocrisiarios tanta cum dignitate, & amplitudine potestatis munere suo fungentes apud Carolum Magnum, successoresque ejus, eo ut Officio illustrari se posse speraverint etiam Archiepiscopi. Initia ergo & incrementa operæ pretium est indagare tam splendidæ dignitatis sacræ.

II. Quum primùm Imperatores Romani, summi & immortalis Regis Christi jugum subiere: eosque Ecclesia ut causæ & defensioni suæ implicaret, ad societatem etiam, ac participationem admisit Consiliorum & negotiorum suorum; Pontifices Romani, ut fidem faciunt Annales sacri, crebris Legationibus adire & interpellare Imperatoriam potestatem, necesse habuerunt. Verùm eæ Legationes ad certa quædam tempora, loca, negotia arctabantur. Ordinariam & perpetuam Legationem apud Imperatores primus omnium egit Julianus Coensis Episcopus, quæ insula maris Ægæi est. Illum Leo Magnus seu Nuntium, seu Apocrisiarium creavit in aula festiturum Marciani Imperatoris post Concilium Calchedonense, nec aliam ei injunxit provinciam, quàm ut exsomnes ageret excubias pro fidei integritate adversùs pestilentes Nestorii & Eutychetis errores, quos non eo illu-

dio detestabatur, non eo insectabatur zelo Acacius Constantinopolitanus, quo ad salutem Ecclesiæ interierat. Proferam verba ipsa Leonis Epistolæ ad Julianum, quibus vetat, ne se ingerat causis ad aliorum Episcoporum jurisdictionem spectantibus. Spondet se ad omnes ejus dubitationes in ministerio suo obeundo exorientes responsa daturum: in eo uno ut totus sit, quo Imperatores de suo in Catholicos studio, de pristino in hæreticos odio nihil
Epist. 56. remittant. *Consulente dilectione tua de his in quibus putaveris ambigendum, non deerit relationibus tuis mea responsionis instructio, ut sequestrata earum actione causarum quæ in quibuscumque Ecclesiis Præsulum suorum debent cognitione firmari: hac speciali cura mea vice functus utaris, ne hæresis Nestoriana, vel Eutychiana in aliqua parte revirescat, quia in Episcopo Constantinopolitano Catholicus vigor non est.*

III. Assensus Imperatorum erat in primis necessarius, cùm in eo summa & cardo rei verteretur, ut eorum Catholicis benevolentia conciliaretur in dies major, majus & in hæreticos odium ac-
Epist. 57. cenderetur. *Vicem ipsi meam contra temporis nostri hæreticos delegavi: ut à comitatu vestro non abesset exegi, cujus suggestiones tanquam meas audire dignemini.*

IV. Verùm idem Pontifex ad Imperatricem Pulcheriam datis litteris, aliam subindicat rationem habendi semper Constantinopoli Apocrisiarii: nempè ut officii obsequiique sui & fidei obses apud Im-
Epist. 58. peratorem resideat: *Cum in causa fidei, vicem ipsi meam eatenus delegarim, ut ab ea quæ vobis debetur observantia non recedens, pietati me vestræ præsentari non sinat, exequens in custodia fidei, & in Ecclesiasticis disciplinis per omnia sollicitudinem, & opportunis suggestionibus, quod universali Ecclesiæ prosit insinuans, ut in ipso nec Catholicis vestrum præsidium, nec vobis meum desit obsequium.*

V. Juvat & raptim hîc aliquid perstringere de Legatione, qua idem Pontifex Leo Pulcheriam Imperatricem ipsam ad Theodosium Imperatorem fratrem instruxit, ut ab eo impetraret veri Concilii Congregationem post Pseudosynodum Ephesinam, ubi labefactata Catholica fides fuisse videbatur, unde & summa urgebat necessitas habendi Concilii
Epist. 26. tum plenioris, tum liberioris saniorisque. *Quod ut obtinere mereamur probatissima nobis fides pietas tua, quæ labores Ecclesiæ semper adjuvat, supplicationem nostram apud Clementissimum Principem sibi specialiter à beatissimo Petro Apostolo Legatione commissa, dignetur asserere.* Existent sequentibus infrà sæculis Reges sanctissimi, qui Legatos agant sedis Apostolicæ.

VI. Si Apocrisiarium autem sibi Leo delegerat Julianum Coensem Episcopum, exemplo usus erat Anatolii, cujus ignaviæ & levitati objiciebat hujus delegati sui pervigilem constantiam. Anatolius enim ipsemet antequam ad Patriarchatum regiæ urbis perveniret: Constantinopoli Apocrisiarium egerat Dioscori Patriarchæ Alexandrini, ita referente Li-
Breviar. c. 12. berato. *Ordinatusque pro eo est Anatolius Diaconus, qui fuit Constantinopoli Apocrisiarius Dioscori.* Manifestè colligitur ex Novella Justiniani Patriarcharum & Exarchorum Apocrisiarios ordinarios sedem habuisse Constantinopoli: cùm ea Novella jubeat, ut Episcopi, per hos causas litesque suas Constantinopoli, si quas habent, agitent, nec eò ipsi confluant, cum id vetent Canones ii, qui suis illos
Novel. 6. c. 2. 3. Ecclesiis affigunt. *Præsertim cum liceat si quædam sint forte lites sanctissimis Ecclesiis, propter quas has occasiones afferunt: hoc per eos qui sub ipso sunt, religiosos Clericos, aut Apocrisiarios, aut Oeconomos movere, & petitiones ad Imperium dirigere, impetrare autem sperata. Propterea sancimus, si quando propter Ecclesiasticam occasionem inciderit necessitas, hanc aut per eos qui res agunt sacrarum Ecclesiarum, quos Apocrisiarios vocant, aut per aliquos Clericos huc destinatos, aut Oeconomos suos notam Imperio facere.* Aliquantò etiam apertiùs infrà tradit idem Justinianus, Patriarchas & Exarchos Diœceseon omnes suum habere solitos Constantinopoli Apocrisiarium; jubetque ut per hujusmodi Apocrisiarios, vel per Patriarcham Constantinopolitanum, Episcopi omnes, qui cum assensu Metropolitanorum venerint Constantinopolim, vel Patriarchæ, si Metropolitani ipsi sint, ad Imperatoris conspectum adducantur: *Huc advenientes non præsumant per semetipsos se priùs pronunciare ad Imperium, sed primitùs, aut ad Deo amabilem Patriarcham proficisci, aut ad uniuscujusque Diœceseos ex qua sunt, Apocrisiarios, & cum ipsis conferant causas, propter quas venerint, & ingredi ad imperium ejus, & deinceps imperiali perfrui aspectu.*

VII. Duo hîc quædam non minimi momenti observanda nobis sunt. Primum est, Episcopum Constantinopolitanum ipsummet fuisse omnium prorsus Apocrisiarium ad Imperatorem tum Episcoporum, tum Ecclesiarum, ex quo Christiani Imperatores Regiam sedem Constantinopoli defixerant. Nihil Ecclesiasticæ politiæ accommodatius, nihil antiquius Episcopis Christiani Orbis omnibus, quàm ut in urbe regia haberent ejusdem urbis Episcopum suum ad Imperatorem sequestrem, introductorem, conciliatoremque; nec suimo duntaxat, sed & eorum quos ipsi misissent. Unde fiebat, ut & Principes ipsi causarum omnium, quæ ad se referebantur, judicia Episcopo Constantinopolitano committerent.

VIII. Alterum est non omnibus Episcopis, immo nec Metropolitanis copiam fuisse Apocrisiarii Constantinopolin delegandi. Penes Patriarchas solos, & Exarchos Diœceseon id juris erat, ut ibidem repetit Justinianus: *Per religiosos Apocrisiarios* Nov. 6. c. 3.
*cujusque Diœceseos sanctissimorum Patriarcharum.* Si autem alicubi attinguntur ab eodem Apocrisiarii, quos Episcopi Constantinopolin mittebant; ad eos id Apocrisiarios revocandum est, qui non ad Imperatorem, sed ad Metropolitam, vel Patriarcham proprium mittebantur: quique Constantinopoli non multò pòst in Ecclesias remeabant suas. *Apocrisiarii cujusque Ecclesiæ, qui in Regia civitate degunt, aut ad beatissimos Patriarchas, aut ad Metropolitas à suis Episcopis ordinati & destinati, &c.* Nov. 123. c. 25.
Acta beati Porphyrii Gazensis Episcopi suppeditant, unde his observationibus munimenta astruamus. Primum Porphyrius ad beatissimum Patriarcham Chrysostomum misit Ecclesiæ suæ Diaconum Marcum, ut ejus interventione ab Imperatore Arcadio Templorum idolorumque demolitionem impetraret. *Scriptis litteris ad sanctissimum Episcopum Constantinopolitanum & redditis litteris beato Joanni, &c. Ego non cessabam quotidie eum admonere, &c.* Apud Surium die 26 Feb. 10.
Dirutis Gazæ templis omnibus ex mandato Imperatoris, cùm residuum non esset nisi quod Marnæ dicatum erat, Porphyrius ipse Constantinopolim profectus est, & sanctissimi Monachi Procopii monitis obsecutus, Chrysostomum primò adiit: & per ejus amicos aditum nactus est ad Imperatricem; nam ipse in ejus offensionem jam incurrerat, dum zelo Apostolico obsecundaret. *Primum convenite Episcopum Joannem, ipse enim vobis est consul-* Ibid. c. 27. 28.

*turus ea, quæ ipsi revelavit Dominus. Non potest enim loqui in Palatio, quoniam ei irascitur Imperatrix Eudoxia, &c. Ipse vos commendabit Amantio Cubiculario, qui introducet vos ad Imperatricem.* Nisi occasione illa nescio qua alienatus jam fuisset à Chrysostomo animus Imperatricis: perspicuum est susceptirum fuisse illum in se partes introducendi ad Imperatorem Porphyrii Episcopi: cui ipsi tamen omni ope affuit per amicos. Hoc uno exemplo abundè elucescit, Episcopos omnes, qui ad Aulam Principis ventitarent, eosdem necessariò debuisse prætentare aditus per Episcopum urbis Regiæ. Qua in re ultro citroque gratia commeabat. Si enim Episcopis omnibus præsidio erat Episcopus urbis Regiæ, gratia apud Principem florentissimus: non poterat non & ornamento esse & adjumento Episcopis Constantinopolitanis, tot sibi amicos & parare & arctissimè sibi constringere, quot essent in Imperio Episcopi.

IX. Et hinc emergebat ille Episcoporum favor pronissimus, illa animorum inclinatio in Episcopi Constantinopolitani postulata, ubi novos in dies & dignitatis & potestatis gradus struebat in Concilio Constantinopolitano I. & in Calchedonensi. Etsi enim ferè quantùm ille surgeret cresceretque, tantùm illi decrescerent & deprimerentur: assentiebantur tamen illi libentissimè, ut ea qualicumque dignitatis suæ injuria emerent sibi præpotentem apud Principes Mediatorem.

X. Ea, ni fallor, erat Hincmari mens & sententia, cum Apocrisiariorum primam originem repetebat jam inde à temporibus, quibus Constantinopoli sedem Imperii statuit Constantinus. *Apocrisiarii ministerium ex eo tempore sumpsit exordium, quando Constantinus Magnus sedem suam in civitate sua, quæ antea Byzantium vocabatur, ædificavit. Et sic Responsales tam Romanæ Sedis, quàm & aliarum præcipuarum sedium, in Palatio pro Ecclesiasticis negotiis excubabant. Aliquando per Episcopos, aliquando verò per Diaconos Apostolica Sedes hoc officio fungebatur.* (To. 2. pag. 206) Cursim hæc attigit Hincmarus, ut ostenderet quo ab exordio manassent Apocrisiarii, sive Archicapellani, qui summum quoddam assecuti sunt potestatis culmen sub Carolo Magno, ejusque Imperatoria stirpe. Nec à scopo aberravit Hincmarus. Duplicis enim generis ab eo secernuntur Apocrisiarii. Alii Episcopi, alii Diaconi erant. Episcopi vel extraordinarii Apocrisiarii erant, cujusmodi fuere, quos Annales Ecclesiæ sacri contestantur à Papa ad Imperatores frequentissimè missos esse, diversissimis, & magnis semper de causis: vel ordinarii, & istiusmodi erant Episcopi Constantinopolitani, ut modò diximus. Diaconi erant Apocrisiarii ordinarii, jugiter sedentes Constantinopoli, eòque missi à Patriarchis, & potissimum à Papa.

XI. Fateor non designatum esse ab Hincmaro tempus, quo primùm cœpere Apocrisiarii Romani Constantinopolin ablegari, & ibi residere: sed nec id ille aggressus erat, nec ea res magnopere ad ejus institutum faciebat. Erat enim illi tantùm id propositum, ut aliquo antiquitatis documento authoritatem adderet Archicapellanis vel Apocrisiariis Regum Gallorum, qui non ex Diaconis, sed ex Episcopis cooptabantur.

XII. Quandiu vel umbra aliqua Imperii Romani in Occidente superfuit, immo quandiu Theodoricus & alii Reges Gothi Romæ & in Italia dominati sunt, nihil erat quod Pontifices Romani magnopere satagerent de habendis Constantinopoli Apocrisiariis: cùm multò plura eis essent in Aula sive Imperatoria, sive Regia Occidentis, & Italiæ, quàm Orientis extricanda. Itaque Constantinopolin non alios quàm extraordinarios, ubi opus erat, Legatos mittebant, vel Constantinopolitanum ipsum adhibebant Episcopum. Ut suprà vidimus à Leone Papa tum delegatum fuisse Julianum Coensem Episcopum, cùm Anatolius ignavia sua rem fidei concuti & labare sineret. Non aliter Cælestinus Papa (Conc. Eph. Part. 3. c. 22) Constantinopolitanum Episcopum Maximianum spectabat, quàm ut Nuncium & Responsalem suum apud Principes; cum ad Theodosium juniorem scribebat, Maximianum inter Ecclesiæ Romanæ membra quodammodo numeratum semper fuisse; & cùm illum Ephesina Synodus successorem Nestorio subrogarit, audiri illum ab eo, & adjuvari debere ad Ecclesiæ tuitionem. *Fert illi, ac si sui corporis parti, Romana testimonium, quæ hunc semper inter suos habuit ac numeravit, Ecclesia. Huic taliter electo ad componendum Ecclesiæ statum, & omne virus pravæ hæresis radicitus evellendum, obsecramus & poscimus, ut consuestis, arma præstetis.* Et quando scribit ad populum Constantinopolitanum: *Nostro vobis* (Cap. 23.) *loquitur ore Collega, &c. A nobis datus est, qui est electus ex nostris.*

XIII. Longa exinde dissidia concordiam abrupere Romanæ & Constantinopolitanæ Ecclesiæ, tum vel maximè cùm Episcopi Constantinopolitani Acaciano schismati pertinacissimè suffragati sunt. At ubi Justinianus Imperator rerum potitus est, edomitisque Gotthis Romanam civitatem, & maximam Italiæ partem suæ ditioni subjecit: tum verò Agapetus Papa unum ex Diaconis suis Constantinopolin ablegavit, qui ibi sedem figeret, Apocrisiariumque & Nuntium ageret penes Imperatorem. Ita Liberatus in Breviario: *His peractis constituens* (Cap. 22.) *Papa apud Imperatorem Apocrisiarium Ecclesiæ suæ Pelagium Diaconum suum, dum in Italiam reverti disponit, Constantinopoli obiit.* Dum ageret Constantinopoli Agapetus ipse, expertus erat quantum præsidii & emolumenti cæteris Patriarchis accederet ab Apocrisiariis, quos jugiter in urbe Regia commorantes habebant. Veritus est forsan etiam ne novæ subinde simultates cum Episcopis Constantinopolitanis intercederent. Consultius ergo duxit, suum ut & ipse in Palatio Apocrisiarium haberet, maximè postquam vel ipsa Romana civitas in Imperatorum Romanorum potestatem venisset.

XIV. Ut autem Agapetus non Episcopum, sed Diaconum Constantinopoli Apocrisiarium relinqueret, in causa fuit, vel quòd jam is mos inolevisset apud Patriarchas Orientis, ut liquebat ab exemplo Anatolii, qui Dioscori Alexandrini, & Marci, qui Porphyrii Gazensis Episcopi Apocrisiarius fuerat. Erat enim uterque Diaconus; vel quod diuturna utplurimùm erat ea delegatio, nec æquum erat tandiu Episcopos abesse à suis Ecclesiis; cùm vel maximè eo fine & fructu instituti fuissent Apocrisiarii, ut ne Episcopi ad urbem Regiam crebriùs ventitare cogerentur.

XV. Potuerant & contemplatione Sardicensium Canonum instituti Diaconi Apocrisiarii. Sanxerat enim Sardicensis Synodus, ut Episcopi, quibus negotia essent in Palatio ventilanda, Diaconos potiùs eò mitterent, quàm ipsi irarent. *Per pro-* (Can. 8.) *prium Diaconum mittant. Ministri enim persona non est invidiosa, & quæ concessa fuerint, citiùs perferri poterunt.* Fateor de extraordinariis Apocrisiariis ita statui. Sed eædem tamen rationes æquè, immo mul-

sò plus valebant in ordinariis. Minores facit expensas Diaconus, minùs invidiosa ejus persona est quàm Episcopi, calumniæ & maledicentiæ minùs obvia.

XVI. Sed minimè prætereundus est, qui proximè sequitur ejusdem Concilii Canon, ut validiùs astruatur quod dictum superiùs est de Episcopo Constantinopolitano, generali omnium orbis Episcoporum apud Imperatores Apocrisiario & sequestri. Sancit enim eadem Synodus, ut quibus Episcopis patrocinio Imperatorio opus est, ii per Epistolas interpellent opem Episcopi ejus civitatis, in [Can. 9.] qua Aula tunc Regia diversatur. *Scribens videlicet ad fratres & Coepiscopos nostros, qui scilicet illo tempore in locis vel civitatibus agunt, in quibus piissimus Imperator Rempublicam gubernat.*

XVII. Redeo ad Pelagium, quem Agapetus Papa Apocrisiarium Constantinopoli reliquit. Non subscripsit ipse Concilio Constantinopolitano sub Mena, nisi post Menam Episcopum Constantinopolitanum, & post alios Episcopos Italos, ante Episcopos Græcos. At Vigilius Papa qui illum eadem semper delegatione fungi voluerat, sicut & Sylverius, qui Agapeto immediatè successerat: Vigilius, inquam, illum delegavit, ut de causa cognosceret Pauli Episcopi Alexandrini, quod & præstitit cum Episcopis Antiocheno, Hierosolymitano, Ephesino, quos cum ipso ad id Imperator delegarat. Procopius in Anecdotis fidem facit delegationis Pelagii à Vigilio. *Archidiaconus Romæ Pelagius Vigilii Pontificis personam indutus, &c.* Rem proli-[Cap. 23.] xiùs narrat Liberatus, *Misit Imperator Pelagium Diaconum & Apocrisarium primæ sedis Romæ Antiochiam cum sacris suis, quibus præcepit, ut cum Ephremio ejusdem urbis Episcopo, &c. Venirent Gazam, & Paulo Episcopo Pallium auferrent, & eum deponerent. Pelagius cum memoratis Patriarchis & Episcopis venit Gazam, & auferentes Paulo Pallium, deposuerunt eum.* Pelagius ipse Paulo ad eundem Episcopatum viam struxerat, ejusque ordinationi affuerat cum aliis Pa-[Ibidem.] triarcharum Orientalium Apocrisiariis: *Paulus unus Abbatum Tabennensium Monachorum ad Alexandrinam sedem ordinatur Episcopus, Pelagio interveniente Apocrisario Romano, planè orthodoxus. Ordinatus est à Mena Constantinopoli, præsente eodem Pelagio Responsario Vigilii, & Apocrisariis Ephremii Antiocheni, & Petri Hierosolymorum.*

XVIII. Non poterat splendidiùs enitescere Apocrisiariorum potestas. Unde & cùm Justinianus meditaretur Paulum restituere, affirmat Procopius noluisse Vigilium revocare sententiam ab Apocrisiario suo latam. Præsentia sua Apocrisiarii roborabant tum ordinationes Episcoporum, tum alia majoris momenti negotia, veluti nomine ejus Pontificis, cujus vices gerebant. Sed artes viresque suas tum maximè Pelagius explicuit, cum Justinianum Imperatorem impulit ad proscribenda Origenis placita, non alio magis quàm ejus odii incitamento, quo fervebat adversùs Theodorum Cæsareæ in Cappadocia Episcopum, ejusmodi Origenis deliramentorum acerrimum defensorem. Gratulabatur sibi Imperator, quòd tantum authoritatis ei deferretur in causa ad doctrinam & fidem spectante. *Annuit Imperator facillimè, gaudens se de talibus causis judicium ferre.* Cæsariensis Episcopus Theodorus vindictæ cupidine stimulatus, famosa illa tria Capitula in medium protulit, quorum damnationem non minùs gravate laturos sciebat Pelagium & Occidentales omnes. Et Theodorus & Pelagius eo infeliciores utrimque fuere, quòd fœliciter illis cessit, ut reciproca damnatione ferirentur. *Illud liquere omnibus credo, per Pelagium Diaconum, & Theodorum Episcopum hoc scandalum in Ecclesiam fuisse ingressum.* Utcumque obloquatur Liberatus, bene vertit Deus hæc mala, ut solet, ut potest solus: hominum cupiditates privatim adversas & noxias in commodum Ecclesiæ, in errorum damnationem, & authorum malè de Ecclesiis meritorum, & ad invictissimæ veritatis suæ gloriam inflexit.

XIX. Quem authoritatis cumulum sibi comparaverat Pelagius, dum Apocrisiarium Constantinopoli ageret; is veluti gradus fuit, quo post Vigilii mortem in Apostolicæ sedis culmen provectus est. Nitebatur favore maximè & gratia Justiniani Imperatoris, qui superstite Vigilio ipso optionem fecerat Clero Romano, si mallet jam tum Pontificem habere Pelagium. Clerus Vigilio fidus hæsit, spopondítque Imperatori, non alium Vigilio mortuo à se quam Pelagium sufficiendum esse. Ita enim Anastasius Bibliothecarius in Vigilii vita. *Restitue nobis modò Vigilium, & quando eum voluerit Deus transire de hoc sæculo, tunc vestra præceptione nobis donetur Pelagius Archidiaconus noster.*

XX. Qui sub Pelagio & ejus successoribus Joanne & Benedicto missi fuerint Constantinopolin Apocrisiarii, silet historia: ne illud quidem resciri potest, an semper missi fuerint aliqui. A Pelagio II. missus est is de quo Gregorius Magnus verba facit, cùm ait missum fuisse à præcessore suo Apocrisiarium, pro antiquo more; sed vetitum ab eodem, ne operanti sacris adstaret Joanni Jejunatori Patriarchæ Constantinopolitano, postquam is adrogato sibi Patriarchæ universalis nomine efferri & insolescere cœperat. *Et Archidiaconum, quem juxta* [L. 4. Ep. 38.] *morem ad vestigia dominorum transmiserat, Missarum* [36.] *vobiscum solemnia celebrare prohibuit.* Cùm ait missum esse à Pelagio II. *juxta morem*, innuit proculdubio & ab aliis etiam prædecessoribus suis missos fuisse.

XXI. Gregorius ipse ab eodem Pelagio II. Constantinopolim ablegatus est, ut eo Apocrisiarii munere fungeretur, postquam ordinatus ab eo Diaconus fuerat. Ita enim ipsemet affirmat: *Cùm me in* [Epist. ad Leand. in Præfat. Moral.] *Constantinopolitana civitate sedis Apostolicæ responsa constringerent.* Et alibi: *Tempore quo pro explendis responsis Ecclesiæ ad Principem ipse transmissus sum, &c.* [Dialog.] *Dum jussione Pontificis mei in Constantinopolitana urbis* [L. 3. c. 38.] *Palatio, responsis Ecclesiasticis deservirem.* Quibus ex [36.] Gregorii verbis declaratur, 1. Apocrisiarios Græcè, Responsales Latinè dictos fuisse, quòd pro *Explendis Responsis Ecclesiæ ad Principem transmitterentur.* 2. In ipso Imperatorum Palatio commorari solitos eos fuisse. *Dum in Constantinopolitana urbis Palatio deservirem.* Quod manifestiùs adhuc infrà liquebit.

XXII. Dum moras autem traheret Constantinopoli Gregorius in eo munere fungendo, congressus aliquando est cum Eutychio Constantinopolitano Patriarcha, acerrimèque cum eo colluctatus pro tuenda mortuorum resurrectione, cui ille subinfestus esse ferebatur, nonnulla forsan Origeniani dogmatis tinctus fuligine, quam tamen alii labem ab eo studiosè abstergunt. Tandem eò evasit Gregorii disputatio, ut palinodiam caneret Eutychius, ejuraretque Origenianos de resurrectione errores, ejusque librum Tiberius Imperator horum oculatus & auritus testis, igni traderet. Paucis his verbis complexus est Joannes Diaconus cætera omnia Gregorii Apocrisiarii gesta, jubens prolixiùs ea

expendi perlectis Epistolis, quas ad eum tum Pe- L. 1. Ep. 31. lagius dedit. *Quanta autem authoritate Ministerium sui Apocrisiariatus impleverit, quanta reverentia apud Augustos extiterit, quantaque sollicitudine afflictæ Italiæ succurri sæpius fecerit, si quis plenius nosse desiderat Epistolas Pelagii ad eum percurrat.* Earum Epistolarum unam tantùm profert, ex qua id nimirum intelligimus, non aliud magis Pontifices Romanos suis inculcasse Apocrisiariis, quàm ut levamenti aliquid Romanæ urbi, atque Italiæ, ingentesque militum copias adversùs Longobardos à Principibus impetrarent.

XXIII. Creatus tandem est Gregorius Romanus Pontifex, ejusque electioni facilem assensum præbuit Mauritius Imperator, expertus qualis quantusque esset vir, & quam Pontificali apici par, dum Responsalem ageret. Misit & statim suum Gregorius Constantinopolin Apocrisiarium, quem & prohibuit sacris interesse Mysteriis, dum ea Joannes Patriarcha celebraret, nisi antè superbiam & L. 4. Ep. 38. nomen Patriarchæ Oecumenici abdicaret. *Et ante per alios Responsales meos, & nunc per Sabinianum Diaconum, &c. Eum si emendari nollet, Missarum solemnia cum fraternitate vestra celebrare prohibui.* His ex verbis elucet Responsales istos Diaconos fuisse, & Diaconorum partes obiisse, dum sacra faceret Patriarcha, nisi justæ subessent causæ, quibus id Pontifex prohiberet. Dilucidius id ipsum est in ea Epistola, ubi ait, sibi quidem Mysteria celebranti Romæ adesse Diaconum Joannis Patriarchæ Constantinopolitani, at verum à se suum Constantinopoli Diaconum, ne id ministerii Patriarchæ præs- L. 6. Ep. 30. taret. *Mecum feci eos sacra Missarum solemnia celebrare, quia sicut meus Diaconus ad exhibenda sancta Mysteria illi non debet ministrare, ita, &c.* Habebat ergo etiam suum Romæ Apocrisiarium Patriarcha Constantinopolitanus. Cùm extraordinarium cuperet Ravennas Episcopus Constantinopolin mitte- L. 9. Ep. 2. re, Gregorium oravit, ut eum commendaret per litteras Anatolio Diacono, ejus apud Principes ibidem Responsali.

XXIV. Dictum est jam de causa Hadriani Thebarum Episcopi, & Joannis Archiepiscopi Larissæ, quorum dissidia ut finirentur præfecerat Gregorius suum Constantinopoli Apocrisiarium, nisi tanti res esset, ut meritò ad sedis Apostolicæ Judicium L. 2. Ep. 7. referri deberet. Eandem jam causam Imperator delegaverat Honorato Romano Diacono, & Sebastiano, qui inter Palatii Officia merebat; & audita eorum relatione, secundùm Hadrianum sententiam dixerat.

XXV. Postquam Phocas in Imperii sedem sese intrusit, expostulavit cum Gregorio, quòd nullum ejus in Palatio Apocrisiarium, nactus esset, majorum more. Rescripsit Gregorius in causa fuisse acerbitatem temporum, regnique prioris, quod Romanorum usque adeo Clericorum animos alienasset, L. 11. Ep. 45. ut nemo eorum adduci jam posset, ut Constantinopolin pergeret, ibique permaneret. *Nam quod permanere in Palatio, juxta antiquam consuetudinem Apostolicæ sedis Diaconum vestra serenitas non invenit, non hoc meæ negligentiæ, sed gravissimæ necessitatis fuit. Quia dum Ministri omnes hujus nostræ Ecclesiæ tam contrita asperaque tempora cum formidine declinarent, atque refugerent, nulli eorum poterat imponi, ut ad urbem Regiam in Palatio permansurus accederet.* Spes novi & mitioris regni Gregorium inflexit, ut Defensorem eligeret idoneum, Diaconum crearet, mitteretque Responsalis munia obiturum apud Phocam: *Unde eum authore Deo Diaconum feci, & sub celeritate transmittere studui, qui cuncta, quæ in his partibus aguntur, invento opportuno tempore, valeat clementiæ vestræ suggerere. Propter quod rogo ut serenitas vestra ei pias aures inclinare dignetur. Qualiter enim quotidianis gladiis, & Longobardorum incursionibus, &c.* Baron. an. 603. n. 5.

XXVI. Quibus ex Gregorii verbis exsculpitur, 1. Apocrisiarios hujusmodi Diaconos semper fuisse, qui ea de causa ordinarentur. 2. Eos in ipso Imperatorum Palatio diversatos fuisse. 3. Mauritii Imperatoris obliquioribus consiliis factisque exasperatum Gregorium, cessasse à mittendis Apocrisiariis. 4. Ut Papæ, ut Ecclesiæ Romanæ, ut Italiæ præsidio erant hi Apocrisiarii; ita & Imperatoribus ipsis conducibiles in primis fuisse, tanquam fidei & amicitiæ Pontificum pignora, ex quibus Italiam aliasque Occidentis Provincias in obsequio retineri, vel ad obsequium revocari posse confidebant. 5. Hac delegatione nihil Jurisdictionis tributum fuisse à Pontificibus: nisi ad particulares aliquas causas speciali rescripto ea mandaretur, ut suprà patuit.

XXVII. Gregorio in Pontificatu successit Sabinianus, qui ejus Constantinopoli Apocrisiarius fuerat: Sabiniano Bonifacius III. quem ad Phocam miserat Gregorius Responsalem. Martinus I. ante Pontificatum Apocrisiarium ipse quoque Constantinopoli egerat, ut in ejus vita refert Anastasius Bibliothecarius. Sed missi tandem desiere, postquam & tam immaniter cruciatus est à Constante Imperatore Monothelitarum signifero beatissimus Pontifex Martinus, & tam multis vexati contumeliis quos Theodorus Papa miserat. Restituit in Oriente fidei Catholicæ integritatem Constantinus Pogonatus, convocato Oecumenico Concilio VI. scripsitque ad Leonem II. Papam, pro revocanda pristina consuetudine mittendi Apocrisarii. Misit Pontifex Constantinum Subdiaconum, non plenæ Legationis potestate instructum, ad res quaslibet vice Papæ definiendas, ut in votis habuerat Imperator: sed usitatis cum Apocrisariorum facultatibus, ut Pontificis vota significaret Principi, hujus responsa Pontifici rescriberet, & ab eo rerum definitionem quarumlibet expectaret. En ipsa Imperatoris verba: *Hortamur vestram sanctissimam summitatem, ut quamprimùm mittat designatum ab ea Apocrisarium, ut is in regia nostra urbe degat, & in emergentibus sive dogmaticis, sive Canonicis, ac prorsus in omnibus Ecclesiasticis negotiis, vestræ sanctitatis exprimat ac gerat personam.* Conc. VI. Oecum. Act. 18. En responsum Papæ: *Præsentis suggestionis exiguum portitorem Constantinum Subdiaconum, qui & nuper cum Legatis prædecessoris mei interfuit sanctæ Synodo inibi celebratæ, dignum exceptione censeat vestra regalis magnanimitas, ejusque suggestionibus aurem pietatis accommodet; ut autem Ministrum dignanter suscipiat.* Deposcebat ergo Princeps Legatum à latere, Pontifex pro avito more Apocrisiarium mittebat. Erat quidem Constantinus Subdiaconus tantùm, sed Concilio Oecumenico affuerat cum aliis Papæ Legatis, quod non aliis ferè quàm Diaconis indulgebatur. Quin & Pontifex ipse Principem orabat, ut eum pro Diacono exciperet: *Ut Ministrum, ὡς διάκονον dignè suscipiat.*

XXVIII. In Concilio Trullano patuere rationes certissimæ, quibus incitati fuerant Principes, ut peterent: Pontifices ut ne concederent Legatum pro Apocrisario. Crebriùs enim jam Principes & Patriarchæ Legatorum Romanorum fidei insidiati fuerant, constantiæ illuserant, assensumque eorum

vel

vel extorserant, vel eblanditi fuerant in ejusmodi res, quæ tum Ecclesiæ utilitatibus, tum ipsorum conscientiæ & famæ prorsus adversarentur. Intererant Trullanæ Synodo nescio qua fucata specie Legationis Apostolicæ obumbrati Episcopi, subscripserantque ejus Canonibus. Id certè vult Anastasius Bibliothecarius. Sed cùm non fuissent illi vera certaque legatione, aut Legatorum facultatibus instructi, hinc Romani Præsules sanctissimè constantissiméque affirmarunt, sedem Apostolicam Trullanis Canonibus nec assensisse unquam, nec posthac assensuram esse. Id in causa ergo erat, ut Legati peterentur à Principe, atque ut à Pontifice Apocrisarii tantùm mitterentur.

Baron. an. 743. n. 30 XXIX. Iconoclastarum Principum furor non multò post præclaras illas concordiæ coalescentis spes disjecit; ut nulli posthac mitterentur Apocrisarii, nisi semel sub Constantino Copronymo anno 743. Sed cùm resinruisset Occidentis Imperium aliquando tandem in Carolo Magno, reviviscere visi sunt & Apocrisarii, ùt jam dicemus.

---

## CAPUT CIX. *P. 2. l. 1. c. 54.*

### De Capellanis, & Archicapellanis in Gallia & Constantinopoli, à Clodovæo ad Carolum Magnum.

*I Capella Regum Galliæ ita dicta à Cappa, seu Capsa beati Martini, quæ ibi asservabatur.*

*II. Vna erant & alia Reliquiæ, super quibus juramenta præstabantur.*

*III. In Oratorio Palatii servabantur.*

*IV. V. An ut contendit Hincmarus, Regibus nostris post Clodovæum sui semper fuere Archicapellani.*

*VI Erant Episcopi Regum Consiliarii.*

*VII. Regum Francorum Palatium schola erat toto orbe sanctissima eruditissimaque, ex qua prodibant Episcopi sanctimonia summa clari*

*VIII An Confessarios jam tum suos haberent Reges.*

*IX De Episcopis qui ad portam Palatii judices cum Regiis Optimatibus sedebant.*

*X. De Abbate Oratorii Regii.*

*XI Erat sub prima Regum nostrorum stirpe Oratorium in Palatio Regia cum suo Clero.*

*XII. De Confessariis Regum.*

*XIII. Constantino Imperatori sacrum semper Tabernaculum fuit ad res divinas; affuere & ei in Expeditionibus bellicis Episcopi.*

*XIV. Constantio quoque aderant ubique comites Episcopi.*

*XV. XVI. XVII Argumenta alia validiora, ut Constantinus habuerit in Palatio, & Oratorium, & Clerum proprium.*

*XVIII. XIX. Ejusdem rei argumenta alia ex Sozomeno & Eusebio.*

I. QUæ affinitas sit Capellanorum & Apocrisiariorum abundè patebit inferiùs. Porro nec Gregorius Turonensis, nec Scriptores ulli eo antiquiores, vel Capellæ, vel Capellanorum usquam meminere. Capellæ primus nomen indidit Marculphus Capsæ, seu Thecæ sacræ beati Martini, quæ in Palatio Regio servabatur, & ad quam præstabantur sacramenta, ubi sacramento judicia terminabantur. L. 1. c. 38. *In Palatio nostro super Capellam domni Martini, ubi reliqua sacramenta percurrunt, debeant conjurare.* Scitissimè suo more advertit Bignonius, *Capellam & Cappam* hic sumi pro *Capsella & Capsa*, unde & vernacula Gallicæ linguæ vox manavit. *Capellam pro capsa dici, in qua Martyrum ossa conderentur, vel hic locus evincit.* Sangallensis Monachus, Galliæ Reges testatur in more habuisse, ut in bellicis expeditionibus suis Cappa, id est Capsa Reliquiarum beati Martini præferretur. *Quendam in Capellam suam assumpsit, quo nomine Reges Francorum propter Cappam sancti Martini, quam secum ad sui tuitionem & hostium oppressionem jugiter ad bella portabant, sancta sua appellare solebant.* L. 1. c. 4.

II. Primaria quidem & honoratissima erat beati Martini Cappa, seu Reliquiarum Theca, sed non sola, quæ in Capella Palatii Regii recondita servaretur. Meminit Marculphus in alia Formula Reliquiarum, quas Rex varias in Provincias deportari faciebat, ut ad eas præstarentur sacramenta fidei, quæ sibi filioque deberetur. *Per loca Sanctorum, vel pignora, quæ illuc pro eodem direximus, debeant promittere & conjurare.* L. 1. c. 40.

III. Certum est hæc sacra pignora in Oratorio, seu Capella Palatii Regii servari solita fuisse, ubi ad sacros cineres Clerici divinam psalmodiam & quotidiana Officia decantarent. Testimonio enim Gregorii Magni & Gregorii Turonensis certum est, nusquam eo honore Martyrum Reliquias defraudatas fuisse. Cúmque alioqui compertum sit ex Conciliis Gallicanis, Optimatibus Nobilibusque compluribus sua privatim fuisse in ædibus suis Oratoria: multò id certius utique de Regibus ipsis haberi debet.

IV. Ex quo Clodovæus sacro fonte initiatus Christo fuit, author est Hincmarus Apocrisiarii, vel Archicapellani munus in Regum nostrorum Palatio semper obiisse Episcopum aliquem. *Et in his Cisalpinis regionibus postquam Clodovicus prædicatione beati Remigii ad Christum conversus, & ab ipso baptizatus extitit, per successiones Regum sancti Episcopi ex suis sedibus & tempore competenti Palatium visitantes, vicissim hanc administrationem disposuerunt.* Insinuare videntur hæc Hincmari verba, Episcopos alios aliis successisse in hac administranda Apocrisiarii Provincia, nec ullum fuisse, qui ei muneri totus perpetuò addiceretur, ut Episcoporum Regni omnium quasi Agens & sequester esset apud Principem. Et sanè cum Carolus Magnus maluit unum habere, qui perpetuum hoc munus in Palatio exerceret: dispensationem priùs ab Episcopis Regni, tum à Pontifice exoravit.

V. Nec absurdè tamen persuaserit sibi quis, Hincmarum sui sæculi mores ævo imputasse Clodovæi. Nec enim Gregorius Turonensis rem tanti ponderis intactam prætermisisset. In decurrendis tot L. 7. c. 20. Principum Annalibus aliquid commemorasset de 30. Episcopis illis, qui in Palatio Regum mererent. Et L. 8. c. 29. nusquam tamen attingit, nisi Clericos Regum, aut Reginarum. Gregorius quidem Magnus ad Reginam Brunechildem scribens, & verba faciens de Siagrio Episcopo Augustodunensi, eum significat speciali quodam obsequio nexuque Reginæ devinctum esse. Ideo & Pontifex privilegiis non mediocribus eum decoravit, honorem sedis supra alios Provinciæ illi assignavit Episcopos, pallium concessit, potestatem cogendæ Synodi contulit: *Curam* L. 7. Ep. 114 *Synodi fratri Coepiscopoque nostro Siagrio, quem vestrum proprium novimus, specialiter delegare curavimus.* Sed non aliud inde exprimes, quàm Siagrium gratia & favore penes Reginam, forsan & ministerio claruisse. At nullum inde argumentum elicies, ut vel Confessarium ejus, vel Archicapellanum fuisse declares.

VI. Remigius Clodovæum Regem statim à baptismo recentem monuerat, ut in Consilium Episcopos Clericosque adhiberet. *Consiliarios tibi adhibere debes, qui famam tuam possint ornare. Sacerdotibus tuis*

*honorem debebis deferre, & ad eorum consilia semper recurrere.* Sed ut à Consiliis essent Episcopi Regibus, non inde emergit, ut & Capellani essent. In commune enim id omnibus competebat, ut Consiliarii Regum dicerentur: at hîc quæstio vertitur de uno aliquo qui Capellanus esset. Constat etiam Fulradum, qui Archicapellanus fuit Pipini Regis, Consiliarium quoque ejus dici, tum ab Anastasio Bibliothecario, tum ab aliis hujus ævi Historicis. Sed etsi Archicapellani Consiliarii sint, non inde efficitur, ut & Consiliarii omnes sint Archicapellani.

VII. Perantiquus sanè & eruditus Scriptor Stephanus Leodiensis testatum fecit in vita sancti Modoaldi Episcopi Trevirensis, fuisse tum Galliæ Regum Palatium, nimirum sub Dagoberto II. seholaio toto orbi Christiano tam sanctitate, quàm disciplinis omnibus florentissimam; ex qua prodibant Episcopi numeris omnibus absolutissimi, Arnulphus Metensis Episcopus, Cunibertus Coloniensis, Remaclus Tungrensis, seu Lodiensis, Modoaldus Trevirensis, Episcopique alii præstantissimi, qui & inviti in Aulam Regum, & vi facta inde in Sedes Episcopales pertrahebantur; istiusmodi erant, qui in Palatio Regia administrabant Consilia, & inde ad ipsum Christi Regnum pro sua portione regendum accedebant. Sapientissimi isti Regum Consiliarii, qui inde ad Episcopales infulas rapiebantur, sin minùs Archicapellani, certè Capellani Regum poterant aliquando fuisse. Aurea sunt prorsus hujus Scriptoris verba, nec ea hîc exscripsisse pigebit:

Apud Surium die 12. Maii. l. 2. c. 9. *Considerare nunc libet quale erat illud tempus, quàm acceptabile, quàm serenum, quando Regibus quidem regnantibus, sed Reges cum Regno justis & timoratis viris regentibus, justitia, fides, veritas modestia, cæteraque artes bona tam in bello, quàm in pace custodiebantur. Quale, quàm sanctum erat illud Palatium, ex quo tam claros tamque illustres suscipiebat Ecclesia Sacerdotes. Ex quo procedebant sectatores, non Simonis, sed Petri: non mercenarii, sed veri ministri Christi: & qui Curias Regum non quærerent, sed potiùs à Regibus quærerentur: non ipsi honores per ambitionem appeterent, sed magis oblatos per humilitatem refugerent. Ex quorum numero, erant enim plurimi, fuit Arnulphus Metensis, Cunibertus Coloniensis, Tungrensis Remaclus, Treverensis noster Modoaldus, &c. Isti sunt planè viri sancti, quorum fide & sanctimonia Ecclesia corroborata est.*

Regem regnumque tunc regebat Pipinus senior ex hoc Scriptore: is sanè hos tales tantosque viros ad Aulam Regiam adgregaverat, pertraxeratque: tantò digniores, quibus is honoris & dignitatum Ecclesiasticarum cumulus conferretur, quò ab eo magis ipsi abhorrebant; Aulam Regiam sua sponte fugitantes, nec adeuntes nisi inviti. In Aula quoque enutritus fuerat sanctus Ansbertus, ubi & an-
Du Chesne Tom. 1. pag. 681. 683 nuli Regis cura honestatus fuerat: *Gerulus annuli Regalis, quo Privilegia signabantur.* Lubentissimus ille autem abiit & Palatio & munere quod ibi gerebat, ut Monasticam vitam profiteretur in Monasterio sancti Vandregisilli, ex quo ad sacram Sedem Ecclesiæ Rotomagensis abreptus est. Summa tunc lætitia perfusus fuit Rex Theodoricus, ubi vocanti Deo parere eum jussit, cùm ad Castrum Clypeacense juxta Parisios illum advocasset, eo obtentu, quasi consilium ejus desideraret ad ea negotia, quæ tunc in Comitiis Regni pertractabantur, quòd à Confessionibus sibi is tunc esset.

VIII. Si Angradus Monachus, qui illius vitam litteris mandavit, ex qua & hæc decerpta sunt, priscorum temporum historias non interpolavit, sui ævi moribus eas condiens, quod frequentissimè fit, memorandum illud profectò est, quod jam inde à temporibus Theodorici Regis suus nostris Regibus peculiaris Confessarius esset; quodque in rebus gravissimis illum percontarentur, ejusque uterentur consilio. *Ansbertum ad Aulam Regiam ire compellunt. Rex tunc morabatur in villa Clipiaco, ubi conventum magnum populorum habens, de utilitate ac tutela Regni tractabat, ut ad ejus consultum, veluti agere consueverat, nam Confessor illius erat, de negotiis Regni tractaret.* Utcumque id habeat, finitimum vero est, Ansbertum in Palatio jam tum Ecclesiasticæ Militiæ ascriptum fuisse, cùm minoris annuli curam gereret, maximè ad signaturas gratiæ *Cœpit esse Aulicus Scriba doctus, conditorque Regalium Privilegiorum, & gerulus annuli Regalis, quo eadem Privilegia signabantur.*

IX. Nec immorabor Episcopis, qui Placitis Palatii intererant, sive cum Rege, sive cum Comite Palatii, ut causas trutinarentur & dirimerent, quæ summo huic Tribunali integræ servabantur. Eos apparet fuisse illos ipsos Episcopos, qui Parisiis reperiebantur, ad privatas suas causas persequendas, hoc est, Ecclesiarum suarum. Infrà autem liquebit Tribunal istud Comitis Palatii longè aliud fuisse à Tribunali Archicapellani. Minùs ergo ea ad rem nostram faciunt, quàm quod refert Monachus Inculismensis de Clodovæo Magno, si certa Nota Bignon in Marcul. l. 2. c. 25.
ei constaret veritas; Inculismanum nempe Episcopatum à Clodovæo datum fuisse Aptonio *Capellano suo.* Authot vitæ sancti Audoëni *Apocrisiarium Re-* Surius die
*gis Dagoberti* illum fuisse dixit, hoc est, ut equidem 24. August.
interpretor, Cancellarium, *Auricularium.* Ut tunc certè non ferè nisi à Clericis exercebantur functiones Cancellarii & Notarii, facillimè consociari eæ poterant cum munere Capellani. Unde & non rarò contigit sub secunda Regum nostrorum Dynastia, ut idem Archicapellanus esset, & Cancellarius, sive primus Notarius. Idque manasse poterat à moribus primæ Dynastiæ.

X. Si non vacillet fides Actorum vitæ sancti De- Le Cointe.
siderii Episcopi Cadurcensis, ejus frater præcessor- Annal Eccl.
que Rusticus fuerat Abbas Oratorii Regii, sub Re- Franc ann. 617 n. 7.
gibus Clotario II. & Dagoberto. *Rusticus Abbatiam* Gall. Christ.
*Palatini Oratorii gessit.* Idem nomen & titulus in To. 2. pag.
usu erat sub Carolo Magno. Extat & concessio Re- 460.
gis Theodorici III. facta Aigliberto Episcopo Cenomanensi, ubi Archiepiscopus vocatur, permittiturque illi monetæ cudendæ jus. Vocatur & alibi *Archicapellanus & Princeps Episcoporum*; denique dicitur & à Papa Pallio donatus fuisse. Si verè fuit
Regum Archicapellanus Aiglibertus, hoc ex fonte Le Cointe.
reliqua in eum hæc omnia redundarunt ornamen- Ann. Eccl.
ta, ut & Archiepiscopus diceretur, & Princeps Fran. ann.
Episcoporum: quæ nominum magnificentia non 683 n. 10.
aliud sonat, quàm quod inter Episcopos Provin- 11.
ciæ Turonensis Primas sive Protothronus fuerit. His uberior infrà lux accedet, ubi de Archicapellanis rursum.

XI. Fateor nihil in his omnibus esse, quod assensum expugnet. Sed in tanta temporum intercapedine, scriptorumque penuria, subiniquum fuerit plura exigere, ut credatur jam tum Capellam fuisse in Palatio Regio, cui proprius & peculiaris suus esset Clerus, ex quo deligeretur flos delibatus Episcoporum sapientiæ & sanctitatis laude clarissimorum, quando Regum favor & gratia meritis verissimis, virtuti, pietati, eruditioni suffragabatur.

XII. Paucissima supersunt quæ dicamus de Regum Confessariis. Non distat à veri specie, jam fuisse aliquos qui id obirent specialiter muneris. Præter ea quæ perstricta jam sunt, insuenda hoc
Baron. an. 651. n. 8. loco sunt quæ Baronius excerpsit ex vita sancti Virannis Episcopi Scoti. Episcopatu abiit, secessitque in Gallias, ubi Pipinus senior illum sibi adjunxit, à Confessionibus sibi esse voluit, cum eoque de rebus quibuscumque maximis consilia communicavit. *Dux Pipinus tanta eum veneratione habuit, ut tanquam Præsuli animæ suæ vitæque Patrono, propter eximiam sanctitatem sua illi peccata confiteri solitus sit, nec erubuerit ad faciendam confessionem detractis calceis, eum adire, ejusque oris imperio parere. Sæpiùs etiam volebat eum interesse communibus consultationibus Majorum.*

XIII. A Francis ad Græcos venio. Cùm adversùs Licinium Constantinus Imperator copias educeret, Oratorium seu Tabernaculum sacrum extrui curavit, ubi Christi Crux religiosissimè servabatur, & unde deprumebat arma, longè iis invictiora, quibus milites cingebantur. Ita disertè Eusebius:
Euseb. de vit. Const. l. 2. c. 4. 12. L. 4. c. 56. Socrat. l. 1. c. 14. *Cùm precationibus se tunc maximè indigere intelligeret, Sacerdotes Dei secum duxit; eos veluti optimos animæ custodes adesse coram & secum versari debere existimans, &c. Et Crucis quidem Tabernaculum fixit extra castra, ubi purè & castè degens preces ad Deum fundebat, exemplo veteris illius Prophetæ, quem Tabernaculum extra castra constituisse divina testantur oracula.* Inde irruebat in hostem, tam certus victoriæ, quàm cælestis sibi aspirantis gratiæ. *Exinde velut divino afflatus impulsu, prosilire ex Tabernaculo solebat, & signo dato, &c.* Idem rursus Eusebius, ubi de bello Persico agit: *Tabernaculum in speciem Ecclesiæ ambitioso cultu ad hujus belli usum præparavit, in quo preces ad Deum victoriæ auctorem unà cum Episcopis fundere decreverat.* Socrates horum similia habet. Si habebat autem Constantinus in Castris Oratorium, Episcopum, Clerum, quantò magis in Palatio. Video hanc ratiocinationem non satis solidam visum iri. Nec forsan immeritò. Nam perspicua erat in Castris necessitas, non item in Palatio: eo præsertim tempore, quo vixdum Monachi, vix Moniales Oratoria habebant domestica. Si Constantinus nonnisi appetente jam morte baptismo initiatus est, atque si sacris Mysteriis adeo non participabat, ut ne interesset quidem: ecquid illi in Palatio vel Oratorium & Clerus? Idem sentiendum de ejusdem sæculi Imperatoribus, qui id vel affectarunt, vel potiùs ex sui sæculi tritissimo usu usurparunt, ut paulò ante obitum, non priùs, baptismate initiarentur.

XIV. Nusquam tamen Constantius Imperator sine Episcopis erat; testificatur ipsemet Athanasius, nunquam se cum Imperatore Constante collocutum, nisi & Episcopus loci præsens semper esset.
Apolog. 1. *Neque ille mecum solus unquam verba miscuit, sed semper cum Episcopo ejus loci, ubi agebat.* Hinc aliqui illud colligunt, Episcopos loci cujusque proprios Episcopos esse Curiæ Regiæ ibidem diversantis, & veluti Archicapellanos Imperatorum. Sed dum ageremus suprà de Apocrisiariis, ostensum est Episcopum Constantinopolitanum eas in se partes suscepisse, ut causas Ecclesiasticas, quæ ad Palatium referrentur, ipse terminaret, Episcoposque ad Consistorium Principis deduceret.

XV. Objici nobis potest, quod refert Eusebius, collocatam à Constantino Crucis effigiem in eminentissimo Palatii cubiculo, & in eo signo locatam ab eo spem invictissimi præsidii. *Tantus divini Numinis amor Imperatoris animam occupaverat, ut in totius* De vita Constant. L. 3. c. 49.
*Palatii eminentissimo cubiculo, in maxima tabula, quæ in medio lacunaris inaurati expansa est, signum Dominicæ Passionis ex auro pretiosisque lapidibus elaboratum infixerit. Atque hoc tanquam præsidium ac tutelam Imperii piissimus Princeps statuisse mihi videtur.* Erat hæc quidem Crucis effigies longè pulcherrima, & cubiculum illud, ubi ea resplendebat, non immeritò Oratorium censeri poterit. At ibi nec Altaris meminit Eusebius, nec sacrificii, nec Presbyterorum, nec Episcoporum, nec denique Cleri.

XVI. Narrat quidem ille alibi alio Palatii loco, velut Ecclesiam à Constantino adornatam fuisse, ubi Scripturas lectitabat ipsemet, & interpretabatur, & ubi cum Aulicis suis preces Deo fundebat.
*In Palatio quandam velut Ecclesiam Dei constituit, &c.* L. 4. c. 17.
*Præibat cunctis qui in Ecclesiam illam erant ascripti, & sacros Codices in manus sumens, oracula à Deo edita attento animo meditabatur; post hæc solemnes preces cum Aulicorum cœtu recitabat.* Addit & Constantinum domûs suæ custodiam Diaconis Subdiaconisque commendasse. *Diaconos & Deo consecratos Ministros qui vita gravitate & reliquis virtutibus ornati essent, totius domûs custodes ordinavit.* His tot tamque perspicuis testimoniis expugnari illud videtur, fuisse Constantinopoli in Palatio Imperatorio Oratorium jam inde à Constantini ævo, in quo tamen divina Mysteria non celebrarentur.

XVII. In hoc forsan domestico Palatii Oratorio habuit Eusebius luculentissimas illas conciones, quibus interesse voluit Constantinus, stans ipse cum reliquo Auditorio, quantomvis oraret Eusebius, ut sederet; usque adeo piissimus Princeps Verbi divini radiantem in Evangelii prædicatione majestatem reverebatur. In istiusmodi certè Oratorio Theodosius junior canonicas divini Officii horas cum sororibus persolvebat, Palatio tantùm non in Ecclesiam vel in Oratorium mutato. *Ejus Regia non* L. 7. c. 22.
*dissimilis fuit Monasterio. Nam primo diluculo ille ipse cum sororibus suis Hymnos alternatim recitavit. Quin etiam sacras litteras memoriter recitavit.*

XVIII. Hæc Socrates. At Sozomenus nullum prorsus superesse patitur dubitandi locum, etiam ubi de Constantino agit. Tradit enim ab eo Oratorium proprio in Palatio excitatum fuisse, at in expeditionibus bellicis Tabernaculum Deo sacrum circumgestatum, ubi & oratio frequentaretur, Presbyterique & Diaconi adessent, qui divina Mysteria celebrarent. Id æmulatos esse cohortium Præfectos deinceps, ut & ipsi Tabernaculum consimile extruerent, haberentque Presbyteros ac Diaconos, qui rem divinam facerent. *In Palatio extruxit Ora-* L. 1. c. 8.
*torium & Tabernaculum Ecclesiæ figuram exprimens, cùm contra hostes prælio contenderet, secum circumferre consuevit, ad eum finem, ut neque sibi in solitudine vitam agenti, neque exercitui deesset ædes sacra, in qua quidem deberent Deum laudibus efferre & sacra Mysteria percipere. Nam Sacerdotes & Diaconi, qui secundùm Ecclesiæ institutum ista munera obirent, Tabernaculum assiduè secuti sunt. Ex eo tempore Militares Romanorum Ordines, singuli sibi Tabernaculum separatum construxerunt, habueruntque secum Sacerdotes & Diaconos, ad rem divinam faciendam designatos.* Luculentè prorsus, si nihil Constantini gestis adjecit, & veluti incrustavit Sozomenus eorum, quæ successorum ejus additamenta fuere pietatis: tribuuntur enim non rarò iis qui rem egregiam sunt auspicati, & exemplo præiverunt, quæ posteri plura postea audent.

XIX. Addit Eusebius Constantini liberos optimi parentis extremis mandatis diligentissimè obsecutos esse, ut & religioni totos se dederent, atque in Palatio celebrari ea ipsi curarent divina Officia, quæ in Ecclesiis. *Hi patris exhortationes longè superabant, mentes semper ad pietatem intentas habentes, & Ecclesiæ ritus in ipso Palatio cum suis omnibus observantes. Presbyterum Palatii* commemorat Palladius inter eos qui eadem, qua Chrysostomus, persecutione exagitati fuere.

---

## CAPUT. CX. *P. 3. l. 1. c. 54.*

### De Archicapellanis, seu Magnis Capellanis sub Imperio Caroli Magni.

*I. Archicapellani Presbyteri primùm fuere, & Abbates.*
*II. Inde & Episcopis id muneris mandatum.*
*III. Necessaria in eam rem fuit Papæ & Concilii dispensatio.*
*IV. Dicebantur Archipresbyteri Franciæ, & Archiepiscopi sacri Palatii. Qua de causa.*
*V. Nonnunquam & Apocrisarii fuere sedis Apostolicæ.*
*VI. Quanta Archicapellanorum authoritas, & quibus encomiis ornarentur.*
*VII. Non sola Gallia Regibus Archicapellani fuere.*
*VIII. Post Reges, Regiique sanguinis Principes primum semper dignitatis & potestatis locum obtinuere.*
*IX. X. Hincmarus ejus dignitatis incunabula repetit à Palatio & avo Constantini. Probationes in contrarium.*
*XI. Ejus dignitatis exortus exordium accepta ferendum est regno Imperioque Pipini & Caroli Magni.*
*XII. An eam gesserint Diaconi.*
*XIII. Archicapellanorum jura.*

I. Sancti Dionysii juxta Lutetiam Abbas Fulradus Archicapellani nomen & dignitatem primus omnium in Gallia gestasse videtur. Attigimus superiùs Scriptores, à quibus dictus est Regis Pipini Consiliarius. Adrianus Papa I. Archipresbyterum Franciæ illum vocavit, ejusque testimonio fultum, interpellante Carolo Magno, Tilpinum
*Flodoard L. 2. c. 17.* Archiepiscopum Remensem pallio donavit. *Ad petitionem gloriosi Regis Caroli, præbente tibi bonum testimonium de sanctitate & doctrina, Fulrado amabilissimo Abbate, Franciæ Archipresbytero, Pallium secundùm consuetudinem tibi transmisisse nos memoramus, &c.* Ita Flodoardus. Paulo antè Pipinus à Paulo Papa impetrarat, ut in Palatio Georgium Episcopum & Presbyterum Petrum retinere integrum sibi esset: at simul Pontifex sciscitatus eum erat, quibus cuperet Ecclesias eorum concredi, si ab eis avellerentur.
*Cod. Carol. Epist. 26.* *Præcelsa Christianitas vestra petiit à nobis Georgium Episcopum & Petrum Presbyterum in vestro permanere servitio nos debere concedere. Et quidem præcellentissima vestra benignitas agnoscat nos jamdudum de hoc vestræ obtemperasse voluntati. Pro quo dirigite nobis quid de Episcopatu prædicti Georgii, & de Ecclesia quæ prænominato Petro commissa est, peragere debeamus, ne ampliùs illis amotis in nimiam neglectus incuriam deveniant.*

II. Angilramnum postea Metensem Episcopum ad hoc ipsum munus adscivit sibi Carolus Magnus, cui & successorem dedit Hildeboldum Episcopum Coloniensem, postquam veniam & dispensationem, tum Pontificis, tum regni sui Episcoporum consecutus fuit. Accipe quæ ea de re senserint Patres Concilii Francofordiensis, qui adprimè consentaneam sacris Canonibus eam dispensationem declararunt, quæ utilitati Ecclesiarum verteret, ex Episcopi apud Principem jugi commoratione procul-dubio redundaturæ. *Dixit Dominus Rex in eadem Synodo, se à sede Apostolica, id est, ab Adriano Pontifice licentiam habuisse, ut Angilramnum Archiepiscopum in suo Palatio assiduè haberet, propter utilitates Ecclesiasticas. Deprecatus est eandem Synodum, ut eo modo sicut Angilramnum habuerat, ita etiam Hildeboldum Episcopum habere debuisset: quia & de eodem, sicut de Angilramno, Apostolicam licentiam habeat. Omnis Synodus consensit, & placuit eis, eum in Palatio esse debere, propter utilitates Ecclesiasticas.* *An. 794. Can. 55.*

III. Duplici dispensatione opus erat, ut & Episcopus ab Ecclesia propria impunè abesse sineretur, utque in Palatio sedem permitteretur defigere. 2. Nec eam dispensationem Carolus Magnus à Papa impetrasse contentus, ab Episcoporum suorum Nationali Concilio ratam haberi voluit. 3. Nec indulgentia illa nisi utilitatibus Ecclesiæ concessa est. 4. Nova erat ea dignitas, unde nec certa adhuc erant ejus nomina. Dictus fuerat Fulradus Franciæ *Archipresbyter*. Angilramus dictus est *Archiepiscopus* in Canone Francofordiensi: cùmque Episcopali tantùm fastigio gauderet Metensis Ecclesia, hinc persuasum non paucis fuit ab Archicapellani dignitate eminentissima dictum esse Angilramum Archiepiscopum. At cùm Godegrangus ejus prædecessor in *Alcuin.*
Metensi Episcopatu, vocatus & ipse fuerit Archiepiscopus, quamvis in Archicapellanum nunquam *Epist. 85.* fuerit ascitus; quin etiam Archiepiscopus cùm dictus sit & Urbicius ipse, qui eum antè obtinuit Episcopatum, quàm Metensi civitate Franci potirentur: Hinc perspicuum est Angilramum Archiepiscopi nomine ornatum non fuisse, quòd Archicapellanus esset. Godegrangus proxima affinitate Pipino Regi conjunctus erat. Angilramus benevolentia & gratia Caroli Magni præcellebat. Hinc factum est, ut Archiepiscopi Metenses dicerentur.

IV. Hildeboldus in locum suffectus Angilrami Archicapellani, Episcopus quidem simpliciter vocatur in Epistola quadam Caroli Magni & in Canone Francofordiensi; at Archiepiscopus tamen nominatur & Capellanus in vita Leonis III. Papæ ab Anastasio Bibliothecario scripta; nempe ubi ait illum jussu Caroli obvium prodiisse Leoni Papæ in Gallias advenienti: *Misit in obviam ejus Hildeboldum Archiepiscopum & Capellanum, & Ascheriсum Comitem.* Archiepiscopus dicitur, quòd verè Archiepiscopatum gereret Coloniensem, quamvis accedente Archicapellani dignitate, dictus quandoque sit Archiepiscopus sacri Palatii. Eo nimirum nomine designatur in Concilio Moguntino anni 813. ubi & in Præfatione cæteris omnibus præfertur Archiepiscopis. *Hildeboldus sacri Palatii Archiepiscopus, Richolfus & Arno Archiepiscopi.* Ut Fulradus Presbyter dictus fuerat Archipresbyter Franciæ, ob conjunctam Archicapellani dignitatem; eadem de causa Coloniensis Archiepiscopus dictus est Archiepiscopus sacri Palatii. Sed tandem convaluit iterum usus, qui naturæ reique magis consentiebat, ut Archicapellanus diceretur. Ita habes apud Ademarum cùm anno 816. narrat adventum Stephani Papæ IV. in Galliam, cui obviam missus est Hildeboldus idem à Ludovico Pio, cum aliis Episcopis: *Hildeboldum Archicapellanum sacri Palatii.* Epistola Concilii Carisiacensis ad Ludovicum Germaniæ Regem, *summum Capellanum Regis Pipini* vocat Fulradum. Eodem titulo ornatur ab Hincmaro Remensi Guntharius Archiepiscopus Coloniensis, & *Magnus Capellanus Regis Lotharii.* In Concilio Aquisgranensi vocatus est aliquando Archicapellanus *An. 858. Conc. Gall. To. 3. pag. 157. 189.*

*Spicil. to. 12. pag 122. 123 126. An. 864.* ſacri Palatii. *Guntharius Agrippinenſis Archiepiſcopus & ſacri Palatii Archicapellanus.* In Reſcriptis Caroli Junioris filii Imperatoris Lotharii, anno 861. 862. exhibetur Remigius Archicapellanus ejus, & Archiepiſcopus Lugdunenſis. *Ibidem. pag. 243.* *Remigius Lugdunenſis Eccleſiæ Antiſtes, noſtrique Palatii Capellanus ſummus.*

V. Quam ſcripſit Epiſtolam Carolus Calvus Rex ad Nicolaum Papam, ex ea addiſcimus, quo res hæc tota maximè illuſtretur, nempè Angilramum Metenſem Epiſcopum, uno eodemque tempore fuiſſe, & Caroli Magni Archicapellanum, & Apocriſiatium ſedis Apoſtolicæ in Galliis, ſingulari prorſus privilegio, quo ſtuduerat Pontifex demereri Carolum Magnum; eandem Apoſtolicæ ſedis gratiam obtinuit Ludovicus Pius, & Drogoni Caroli Magni filio Archiepiſcopo Metenſi utramque ſimul contulit dignitatem. *Quæ ſedes Metenſis poſtulatione avi noſtri divæ memoriæ Caroli Imperatoris honorari ab Apoſtolica ſede meruit, & Engilramnus prædeceſſor iſtius, ſummus Capellanus ejus & Apocriſiarius Apoſtolicæ ſedis in iſtis Regionibus aliquandiu fieret. Et poſtea deprecatione ſanctæ recordationis Pii Auguſti domni & genitoris noſtri excellenti genio à ſede Apoſtolica in Præfato Patruo noſtro Drogone venerando Epiſcopo fuerat honorata, ut una cum prædicto Miniſterio & Imperatoris & Apoſtolicæ ſedis, etiam uſu pallii potiretur.* Ambo ergo iſti Epiſcopi Archicapellani fuere Imperatorum, atque una Apocriſiarii, ſeu Legati ſedis Apoſtolicæ in Gallia.

*Du Cheſne. To. 1 pag. 25 28. 70. 281. 319. 364.* VI. In vetuſtis Chronicis *Capellanus* tantùm Regis dicitur Fulradus, aliique aliquot ejuſdem muneris conſortes. At in poſterioribus Archicapellani dicuntur ſacri Palatii Hilduinus ſancti Dionyſii Abbas, Drogo Metenſis Epiſcopus, aliique eodem functi Officio. Archipreſbyteri dici non poterant, qui erant Epiſcopi: Archiepiſcopi vocari nequibant Abbates, qui eas functiones exercebant: ac ne Epiſcopi quidem omnes. Utriſque ergo maximè conſentanea viſa eſt Archicapellani appellatio. Verùm cum Abbates eam gerebant dignitatem, tum hujus eminentia dignitatis, tum Imperatoris gratia longè uberiorem illis laudum & encomiorum copiam conciliabat, vel Epiſcopos penes ipſos, qui ſub eorum patrocinio degere ſe gaudebant. *Ibid. pag. 712 716. 718.* Frotarius Epiſcopus Tullenſis Hilduinum *Patrem & Magiſtrum* vocabat, cùm ejus interpellatione eximi ſe cuperet abſolvique ab oneribus miniſteriiſque quibuſdam circa ſtructuras ædeſque Regias exhibendis: conteſtatus alioqui fore, ut adproperaret ipſe, Principemque oraret, ut ſineret abdicari à ſe Epiſcopatum, quem gerere non poſſet, niſi reſidere ſineretur. *Hæc perpendere dignemini, & à prædicto ſervitio nos liberare ne pigeatis. Alioquin per me ipſum ad præſentiam Domini Imperatoris, & veſtram præſentiam ſuppliciter obſecrabo, ut onus curæ Paſtoralis à me ſubmoveatis.* Capitulum Senonenſe ſuæ ad eundem Hilduinum Epiſtolæ hunc præfixit titulum: *Verè ſanctiſſimo, ſacris negotiis à Deo prælato.* Eò verò pertinebat illa Epiſtola, ut confirmari peterent ſecundam à ſe factam Epiſcopi electionem, cujus copiam faciendæ impetraverant à Principe ejus interventu, poſt primam ab eodem reſciſſam. *Alteram nobis Electionem impetrare ac concedere ſtuduiſtis, &c. Perſona quam dicimus ſufficere ad hoc onus ferendum, dignationis veſtræ judicio, aut ſuſcipiatur, aut reprobetur.* *Du Cheſne. To. 3. pag 496. 599.* Eadem de re ſcripſere & ad Eginhardum, qui in Laureshamenſi Chronico appellatur *Einhardus Archicapellanus, & Notarius Imperatoris Caroli.* Author vitæ ſancti Anſcharii, quo apud homines loco, quo honore haberetur ea dignitas, his de Drogone verbis prodit, *Summæ ſanctæque dignitatis Archicapellanus.* Ex quo liquet ſummam eam principemque fuiſſe inter Palatii dignitates. Ideo forſan quoque Angilbertus vocatur ab Alcuino, *Primicerius Palatii Pipini Regis*: Angilramus *Alcuin. epiſt. 42. 79.* autem Metenſis Epiſcopus, *Archiepiſcopus & ſacræ Capellæ Primicerius.* Aperit & Lupus Ferrarienſis Abbas incredibilem quandam hujus Officii amplitudinem hoc Hilduini titulo, *Nobilitatis, dignitatis,* *Lupus Epiſt. 110. 97.* *& moderationis apice conſpicuo Hilduino, Eccleſiaſticorum Magiſtro.* Quoad aliam enim Epiſtolam, quæ brevem illi & incertam hujus dignitatis uſuram oſtendit, ea non ſpectat, niſi ad incertiſſimam ſemper certiſſimæ mortis horam. Cæteroqui hoc officio deſtitutos Principis nutu & voluntate, aut rariſſimos, aut nullos prodit hiſtoria. Synodi ipſæ *Flodoard. l. 3. c. 24.* Archicapellani opem præſidiumque implorabant, ut patet ex Epiſtola Concilii Cariſiacenſis ad Hilduinum Abbatem, qua Hincmarus cæterique Epiſcopi interpellant eum, ut aſſentiatur electioni à ſe factæ unius ex diſcipulis ejus in Epiſcopum Lingonenſem, utque Regium quoque impetret aſſenſum. *Obſecrantes hujus in hoc Hilduini conſenſum, & deprecationem ipſius pro eo ad Regem.* Agobardus Archiepiſcopus Lugdunenſis ſcribens ad eundem Hilduinum *ſacri Palatii Antiſtitem*, & ad Valam Corbienſem Abbatem, qui aſſidebat perſæpè ei, reſidenti ſemper in Palatio Ludovici Pii, ita affirmat, ambos illos fuiſſe Conſiliarios, Miniſtros & Cooperatores Ludovici Pii ad quæcumque pietatis conſilia, operaque: *Abſque ambiguo vos novi præcipuos, ac penè ſolos in via Dei eſſe adjutores Chriſtianiſſimi Imperatoris; ac propterea in Palatio eſſe unum ſemper, & alterum frequenter, ut in operibus pietatis, quæ abſque omni errore quærenda, invenienda, tenenda ſunt, vos illi veſtris prudentiſſimis ſuggeſtionibus ſitis exhortatores, & ut dixi, adjutores.* Quod eò redit, ut duo Abbates hi fuiſſe dicantur & Conſiliarii & Miniſtri ejus Imperatoris ad omnia Eccleſiarum negotia. Ideo & eos interpellavit Agobardus, ut reſcindi curarent à Principe Edictum, quod ei ſurreptum fuerat, in favorem Judæorum.

VII. Nec Franciæ tantùm, ſed & omnes Reges atque Imperatores à ſtirpè oriundi Caroli Magni ſuos habuere Archicapellanos. Archiepiſcopum jam audivimus Archicapellanum Lotharii Regis Lotharingiæ. In Conciliis Romano & Papienſi *Ann. 853.* mentio fit ſub Leone IV. Joſephi Archicapellani Ludovici Imperatoris, cui Pius erat avus. Hincmarus *Ann. 855.* Remenſis Epiſcopus Ludovico Germaniæ Regi ſaluberrima inculcans monita ad regni clavum piè & religiosè tractandum: illud quoque inſuſurravit Epiſcopum ut in Palatio haberet, in quem refunderet curam cauſarum Eccleſiaſticarum, ſicut Civilium in Comitem Palatii: *Ut ſi Epiſcopus pro* *Hincmar. To. 2. pag. 131.* *quacumque neceſſitate Eccleſiaſtica, ad vos direxerit, ad quem ſuus miſſus veniat, per quem quæ rationabiliter petierit, obtineat, in Palatio veſtro, ſicut Comes Palatii eſt in cauſis Reipublicæ, Miniſterio congruum conſtitutum habete.* Ita Archicapellanus tunc erat apud Principem omnium Regni Præſulum Agens & veluti mediator. Et ideo forſan vocatus eſt aliquando *Spicil. to 7. pag. 175.* Palatii Præſul, Epiſcopus, vel Archiepiſcopus, quando alioqui Epiſcopatum aliquem gerebat. *Archipalatinus Præſul.*

Viſum eſt non injuria Agobardo, gratiam & authoritatem, qua quis pollet apud Principes, unum eſſe ex illis talentis, de quibus ratio exigetur à ſum-

mo Judice, nisi ex iis fœnus ingens redierit ad Dominum. *Quoniam, ut ipsi non ambigitis, tanta familiaritas quam apud dominum Imperatorem obtinere vos Deus fecit, pro magno vobis talento spirituali ab ipso omnipotenti Domino imputabitur.* Non aliter certum est, creditam alicui à Principe rerum causarumque Ecclesiasticarum administrationem, earum certè quæ in Palatio agitantur, tum honorificentissimam fuisse, ut quæ tam latè pateret, quam regnum: tum periculosissimam, ut cujus tantò diligentiùs ratio apud Deum referenda esset. Sed non omnes Archicapellani obtinuerunt, aut non semper obtinuerunt eam amplitudinem potestatis, quam & alii præter eos aliqui obtinuerunt. Hilduinus à Ludovico Pio destitutus est, & in Saxoniam relegatus.

Epist. ad Maifredum Comitem Palatii.

VIII. Ad Hincmarum retorquenda oratio est, qui excerpta quædam ad nos transmisit ejus libri, quem *De Ordine Palatii* scripserat vir sapientiæ laude celebertimus Adelardus, & quo non alius erat ejus rei peritior, ut qui Carolo Magno *inter primos Consiliarios primus* esset. Affirmabat ergo Adelardus regimen universale aliud esse Palatii, aliud Regni. In Palatio secundùm sacram Principis personam, Reginæque & Regiæ prolis, primam supra omnes eminere dignitatem Apocrisiarii vel Archicapellani. *Antepositо ergo Rege & Regina cum nobilissima prole sua, tam in spiritualibus, quàm & in sæcularibus, atque corporalibus rebus per hos ministros omni tempore Regis Palatium gubernabatur, videlicet per Apocrisiarium, id est, Responsalem negotiorum Ecclesiasticorum.*

Hincmar. To 2. pag. 206.

Archicapellanus ergo primarius erat Principis Minister, primariumque sustinebat Palatii Officium, unde fiebat, ut & supra Principes sederet omnes, exceptis iis dumtaxat quos modò diximus. Origo hujus muneris ex Hincmaro ex translatione Imperii in urbem Constantinopolitanam repetenda est: quippe jam tum necesse fuit, ut Episcopi omnes haberent Responsales in Palatio Principis, vel sibi proprios, vel eorum proprios Pontificum superiorum, sub quorum tuitione ipsi conquiescerent. Clodovæo etiam baptizato censet Hincmarus, vel Adelardus Episcopos Galliæ alternis vicibus in ejus Palatio excubias pro Collegis egisse. *Per successiones Regum sancti Episcopi ex suis sedibus & tempore competenti Palatium visitantes, vicissim hanc administrationem disposuerunt.*

IX. Jam diximus cùm de Apocrisiariis ageremus, hæc Adelardi placita à veri forsan specie non abhorrere; sed aberrare mirum quantum à vero, & ab historica rerum fide. Nec enim ex Historiis illud constat, statim sub Constantino ejusque natis suos fuisse Episcopis ullis juges Apocrisiarios in Palatio Constantinopolitano. Quin ex adverso eò ventitabant Episcopi ipsi, & quidem tam frequentes, ut Sardicensi Canone prohibendi fuerint. Verùm cùm Sardicenses Patres malo huic mederi meditarentur, ne venit quidem illis in mentem, ut communem Episcopi Apocrisarium, vel ut singuli singulos haberent, qui in Palatio vel in urbe Regia sedem haberent. Quin potiùs jussere, ut Diaconos suos eò mitterent, ubi ineluctabilis urgeret necessitas, vel ipsi irent, & ea sibi tum munimenta conquirerent, de quibus nos suprà, adversùs ambitionis & avaritiæ lenocinia. Verùm nil moror, fuerint jam tum Episcoporum aliqui Apocrisarii in Palatio Principum; at inter eos & Archicapellanos immane discrimen est. Ab Episcopis enim eligendi, mittendi, revocandique erant hi Apocrisarii. At Archicapellanos deligebat Rex, curam rerum Ecclesiasticarum eis delegabat, eoque perpetuo frui ferè sinebat officio, non temporaria tantùm administratione.

X. Prolata sunt à nobis superiùs decreta Justiniani, ad arcendos Episcopos ab Aula Principum; jussos nonnisi ubi necessitas cogeret eò proficisci, adire priùs Episcopum Constantinopolitanum, & per eum ad conspectum Principis admitti. Jure ergo suprà monuimus, si quis admittendus esset Apocrisarius generalis Episcoporum, eo maximè munere functum fuisse Episcopum Constantinopolitanum. Quanquam tempore quidem Concilii Oecumenici VIII. Patriarcha ipse Constantinopolitanus Referendario alio quopiam uteretur, cui Palatii fores semper paterent. Lubet hìc exscribere quæ adnotavit ea de re Anastasius Bibliothecarius in Actionem VIII. hujus Concilii, in qua se coràm exhibuit Referendarius hic Diaconus: *Patriarcha Constantinopolitanus Referendarium quempiam semper habet, qui ejus Imperatori omnem denuntiat voluntatem, qui aditum in Palatio semper habet ad referendum Imperatori, quæcumque sunt Patriarchæ ac Ecclesiæ necessaria, per quem etiam Imperator quod placet, Patriarchæ transmittit.* Verùm hic quoque Referendarius à Patriarcha, non ab Imperatore creabatur, atque ita à nostro multùm dissidebat Archicapellano.

XI. Statum ergo fixumque jam illud est, Archicapellanorum dignitatis originem in unius Pipini & Caroli Magni pietatem refundi debere; qui eam, ut ibidem subjicit Hincmarus, nunc Episcopis contulit, nunc Presbyteris, quandoque & Diaconis; sed multò frequentiùs Presbyteris aut Diaconis, quàm Episcopis, quos ab Ecclesiarum suarum gremio divelli, aut Palatio se inserere prohibent enixissimè Canones. Audiendus Hincmarus: *A tempore verò Pipini & Caroli interdum per Presbyteros, interdum per Episcopos, Regia voluntate, atque Episcopali consensu: Per Diaconos vel Presbyteros magis quam per Episcopos hoc officium executum extitit. Quia Episcopi continuas vigilias supra gregem suum debent assidue exemplo & verbo vigilare, & non diutiùs secundùm sacros Canones à suis abesse Parochiis. Neque juxta decreta ex sacris Canonibus promulgata B. Gregorii, Prætoria, quæ nunc Regia, & usitatiùs Palatia nominantur, debent inutiliter observare, ne incurrant judicium, ut contra placita Canonum sibi in ordinatione sua tradita facientes, ipsi se honore privent Ecclesiastico.*

XII. Quod perhibet Hincmarus de Diaconis, vix ad alios flecti potest, quàm eos de quibus paulò antè Sardicensis Synodus, vel quos Romani Pontifices Apocrisarios Constantinopolim delegabant. Nec enim facilè invenies Diaconum qui factus sit Archicapellanus. Et sanè sedis & honoris prærogativa supra Episcopos, prima sedes inter Palatii ministros, cura & administratio summa causarum Ecclesiasticarum, mira Episcoporum observantia, ejusmodi res sunt, quæ Diaconos minùs addeceant. Quocirca & mox Hincmarus cùm recenseat priores omnes Archicapellanos, sex tantùm percenset, quorum tres Episcopi, tres Presbyteri fuerant. Contendit quidem Hincmarus non potuisse Episcopos eo honestari officio sine aliqua Canonum contumelia: *de inlicitè usurpatis.* Verùm ut indolescendum erat Episcopis, qui ab Ecclesiis suis non sine suo ipsarumque ingenti dispendio tandiu abessent: ita non medioeris illinebatur injuria Ecclesiæ legibus, cùm tot Episcopis unus anteponebatur Presbyter, & uni Presbytero tot Episcopi quodammodo mancipabantur.

XIII. *Custos Palatii* idem erat qui summus Capellanus, cujus nimirum curæ commendabatur Clerus omnis Palatinus. *Apocrisarius, quem nostrates Capellanum vel Palatii custodem appellant, omnem Clerum Palatii sub cura & dispositione sua regebat.* Causas omnes Ecclesiasticas, quæ ad Principem referrentur, ipse terminabat: nec in consistorium Principis admittebatur quisquam, nisi ex ejus consensione, & ubi ille necessarium æstimasset: *Ut nec prius dominum Regem absque eorum consultu inquietare necesse haberent, quousque illi previderent, si necessitas esset, ut causa ante Regem meritò venire deberet.* Si id genus res essent, quarum conscium fieri Regem unum oporteret, ejus erat aditionem hanc clandestinam procurare. Clericorum Monachorumque lites omnes ei committebantur: *De Canonica vel Monastica Religionis alternatione.* Quidquid finiri per ipsum poterat, de eo ad Principem referri supersedebatur: *Et ea tantummodo de externis Regem adirent, quæ sine illo pleniùs definiri non potuissent.* Rector & parens quidam spiritalis erat omnium qui in Palatio demorabantur, vel eò appellebant. *Omnem consolationem spiritualem, sive consilium totius Palatii quicumque quæreret, apud eum, ut necesse erat, fideliter inveniret.* Denique Consiliis Principis semper aderat, ideoque non promovebantur ad eum apicem nisi ii qui iis dotibus instructi essent, quas tanta dignitas desiderabat. *Apocrisarius, id est, Capellanus, vel Palatii Custos & Camerarius semper intererant; & idcirco cum summo studio tales eligebantur, aut electi instruebantur, qui meritò interesse possent.* Addit Hincmarus Consiliarios, partim laicos, partim Clericos his Consiliis interfuisse; novosque semper substitui solitos in locum decedentium. Præerat ergo Archicapellanus Consilio, in quod asciscebantur Episcopi, Abbates, & Optimates laïci, ad dirimendas maximas quasque Ecclesiæ causas, quæ ad Principem relatæ fuerant, ut constat exemplo electionis Archiepiscopi Senonensis, de qua ad Hilduinum Archicapellanum relatum est.

*Ibid. p. 207. 208.*

---

## CAPUT CXI. *P. 3. l. 1. c. 55.*

### De Clero Palatino, sive de Capella Regia, sub Imperio Caroli Magni.

*I. Clerus Capellæ Regiæ, seu Imperatoriæ, suberat Archicapellano. Quantum illi authoritatis esset.*

*II. Aulicos avocare non debebat, quin Officiis divinis adessent in Ecclesiis Parochialibus.*

*III. Nec aliarum Diœceseon Clericos excipere, citra assensum proprii Episcopi.*

*IV. Perinde se res habebat in Oriente.*

*V. Clerici Capellæ Regiæ in potestate adhuc erant propriorum Episcoporum.*

*VI. Promovebantur crebrò à Principe ad Episcopales, & Abbatiales sedes.*

*VII. Insurgebant quandoque Episcopi in has Nominationes Regias.*

*VIII. E Clero Palatino deligebantur quandoque Episcopi præstantissimi.*

*IX. Coagmentabatur quoque Palatinus Clerus ex præstantissimis Clericis, Monachisque.*

*X. Ex eo ortum duxerat castigatior Clerici & Monastici instituti disciplina.*

*XI. Monachi complures in Clero Palatino.*

*XII. Non refragabantur Præsules Synodique promotioni Clericorum Palatinorum, nisi cùm sacris dignitatibus impares erant, quia vel imperiti, vel maculosi. Quàm perniciosa Cleri Palatini avaritia, vel ambitio.*

*XIII. Exempla varia Regiarum Nominationum ad Prælaturas.*

*XIV. Capella Regia dicta à Cappa, vel Capsa reliquiarum beati Martini.*

*XV. De Eleemosynariis.*

*XVI. Divina Officia in Capella Palatina piè & religiosè persolvebantur.*

*XVII. Capella Imperatorum Constantinopolitanorum.*

I. CLerus Palatinus, qui Archicapellano suberat, de quo ideo suprà Hincmarus *omnem Clerum Palatii regebat*; suo sejunctim hîc capite pertractandus fuit, propter singularia non pauca privilegia quibus pollebat. Amplissima illa erant, & tamen ultra eorum limites hoc sibi aliquando sumpserat, ut sua communione foveret Presbyteros, quos sua ejecerat Episcopus proprius. Ne id deinceps fieret vetuit Concilium Francofordiense: *De Presbyteris qui contumaces fuerint contra Episcopos suos, ut nequaquam communicent cum Clericis qui in Capella Regis habeant, nisi reconciliati fuerint ab Episcopo suo, ne fortè canonica excommunicatio super eos exinde veniat.* At Leo III. Papa quantum momenti & authoritatis in eo Clero esset, abundè significavit, cum Missos Caroli Magni hortatus est, ut darent operam, ne in Capella Regia Symbolum decantaretur, sed recitaretur tantùm, more Romanæ Ecclesiæ: quod ita facilè id consecuturi essent, ut imitatione Cleri Palatini ab eo decantando cæteræ omnes brevi abstinerent Ecclesiæ. Omnibus ergo regni Ecclesiis proposita erat forma Palatini Cleri, ut ad ejus exemplum se lubentissimè effingerent. *Ut paulatim in Palatio, quia in sancta nostra Ecclesia non cantatur, cantandi consuetudo ejusdem Symboli intermittatur, &c. Si dimittatur à vobis, dimittetur ab omnibus, &c.* Can. 38. An. 811.

II. Confluebant ad Capellæ Palatinæ Psalmodiam, & Officia, Mysteriaque, quæ ibi magnificentiùs celebrabantur, non Reges, non Principes tantùm, sed Optimates, Nobilesque complures, ita ut Cathedralibus Parochialibusque in Ecclesiis jam magna esset infrequentia hominum ac solitudo. Intercessit Concilium VI. Parisiense anni 829. ne ea posthac contumelia matrices Ecclesiæ afficerentur. *De Presbyteris & Capellis Palatinis contra canonicam authoritatem & Ecclesiasticam honestatem inconsultè habitis, vestram admonemus solertiam, ut à vestra potestate inhibeantur. Quoniam propter hoc & honor Ecclesiasticus vilior efficitur, & vestri Proceres & Palatini Ministri in diebus solemnibus, sicut decet, vobiscum ad Missarum celebrationes non procedunt.* Diximus alibi de ea Ecclesiastica lege, qua tenebantur Fideles omnes, atque ii etiam quibus essent Oratoria privata domi, ut solemnioribus Festis ad Ecclesias communes accederent, seque Pastori ac Fidelium omnium cœtui adgregarent. Concilio huic visum est, ne in gratiam quidem Principum atque Optimatum eam legem relaxari debere. Can. 19.

III. In Concilio Aquisgranensi anni 836. conquesti sunt Episcopi, quod plurimi Diœceseon Presbyteri in Palatio moras traherent, citra Episcoporum quisque suorum assensum. *De Presbyteris qui in Palatio morantur, ut sine proprii Episcopi consensu ibi locum consistendi non habeant, nec recipiantur, &c.* Addidit hæc Synodus fieri quandoque posse, ut ii essent Presbyteri variis criminibus implicati, aut ne verè quidem initiati Presbyteratu. Erat ergo Capella Palatii Regii, veluti confugium & asylum omnium Regni Clericorum; cui consuetudini non poterant non aliqua affricari vitia, quibus abstergendis insudabant Synodi. Can. 23.

Ideo & Meldense Concilium anni 845. Carolum

Calvum Regem admonitum voluit, ut cùm Capellæ suæ Clero adjungere cuperet Clericum quemlibet in Episcoporum Seminariis, vel in Parochiis detonsum, sacrisque disciplinis imbui cœptum, hunc ab Episcopo suo deposceret, ab eodemque ordinari præciperet, ut authoritati Regiæ, & legum Ecclesiasticarum sanctimoniæ semper & ubique conveniret.

Can. 58.

*Cum quibus Canonicorum ad Regiam venerit Majestatem, & suo se voluerit mancipare servitio, consensu Episcopi, ad cujus Diœcesin pertinere dignoscetur, eum recipiat. Et si in ordine Clericali eum promoveri voluerit, manûs ipsius impositione ad Ecclesiasticum ordinem, si dignus fuerit, consecretur. Quatenus & divina authoritas vigeat, & regalis dignitas obsequatur, & salus ordinantis & ordinati atque jubentis in omnibus observetur.* Vides ut Majestas Regia hoc amplissimum sibi & honorificentissimum interpretaretur, legibus divinis obsequi, ut loquebatur Justinianus, hoc est, canonicis Ecclesiæ Christi sponsæ regulis; nec abnueret, quin Clerici Palatini Episcoporum quisque suorum potestati subjicerentur quoad ordinationem.

IV. Haud satis comperi, an Nicænæ II. Synodi Patres ipsum quoque amplexi sint Imperatorem eo Canone, quo prohibuerunt, ne Presbyteri undequaque ventitantes Constantinopoli demorarentur, seque Magnatum Oratoriis addicerent sine Patriarchæ Constantinopolitani Episcopique sui licentia. *Hos absque proprio Episcopo, & Constantinopolitano Antistite non licet suscipere in qualibet domo vel Ecclesia.* At quacumque demum licentia impetrata, si se sæcularibus negotiis Optimatum administrandis implicarent, protinus dejiciebantur gradu; unumque illis residuum erat quo se oblectarent, nimirum ut pueros, domesticos, servos litterarum & pietatis rudimentis initiarent, divinasque illis explanarent Scripturas: quando eum tandem in scopum collimare debuerunt, cum sacerdotio exornati sunt.

Can. 10.

*Potiùs autem maneat ad Magisterium tam puerorum, quàm famulorum, relegens eis divinas Scripturas; ad hoc enim etiam sacerdotium consecutus est.* In VIII. Synodo Latinas Romani Pontificis litteras Græcè interpretatus est Clericus Regiæ Capellæ, quod interpretandi officium minimè injuriosum videri deber ordini Clericali.

Act. 3.

*Interpretante Damiano, Regio Clerico, & interprete.*

V. Suppeditabitur & aliud ab Hincmaro argumentum, quo liqueat Capellæ Regiæ Clericos nihilominus authoritati Episcoporum obnoxios fuisse. Litteras enim dedit vigorem & zelum Episcopalem prorsus redolentes, ad Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, aliosque Clericos Capellæ Regiæ, ut ne amplius sinerent à suis Ministris & Officialibus in Remensi Diœcesi rapinas vexationesque exerceri: anathema in eos interminatus, qui suæ Parochiæ essent; alios autem pati pœna à suis quosque Episcopis ultum iri.

Hincmar. Tom. 2. p. 140.

*Unde nisi vos correxeritis, quicumque de mea Diœcesi sunt, sine dubio usque ad Synodum ab officio & communione privabo; & qui de mea Diœcesi non sunt, de mea Parochia & Diœcesi eos excommunicabo, & ad suos Episcopos, qui eos corrigant atque dijudicent, divina authoritate redire mandabo.* Profero & ipsam Epistolæ inscriptionem, ut pateat quibus constaret consurgeretque Palatini Cleri Collegium. *Hincmarus Episcopus fratribus nostris, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & cœteris Clericis, in Palatio domno nostro Regi & domna Regina, ac illorum fidelibus Ecclesiastico ministerio consulentibus.*

VI. Hac quoque illecebra ad officium pellicere Clericos Capellæ conatus ibidem est Hincmarus: quòd si monitis his suis tam æquis morem gererent, majori in pretio & gratia penes Regem deinceps forent, qui tantò & ipse propensior futurus esset, ad largiendas illis Episcopales & Abbatiales infulas: se quoque proniorem fore ad consecrandos Ordines: *Domino nostro Regi & amabiliores & venerabiliores eritis, & securiùs vos ille Ecclesiis præficere, quando locus evenerit, & nos vos audaciùs & amabiliùs, nutu Dei, & ipsius Domini nostri favore, ordinare valebimus.* Hinc elucet, dignissimos quosque Cleri ad Ecclesiasticas dignitates à Regibus attolli solitos.

VII. Nec abnuero, quin hic Hincmarus nonnihil suppalpari voluerit Capellanis Regiis, proposita spe earum dignitatum, quæ turpiter semper appetuntur, & ipsa maximè fuga promerendæ sunt. Accommodavit se tunc ille hominum ambitiosorum cupiditati, ut quod volebat, ab eis tunc extorqueret: alia occasione quavis data huic ipsi cupiditati strenuè repugnaturus. Ejusmodi fuit occasio exhibita in electione Episcopi Noviodunensis. Celebrata illa fuerat servato Canonum rigore. Sed assensu illam suo Ludovicus & Carlomannus Reges firmare tergiversabantur, ut eam Ecclesiam conferrent Clerico Palatino. Hincmarus qui electioni præfuerat, scripsit ad Hugonem Abbatem, qui Regio in Concilio dominabatur, pari authoritate & eruditionis fama, libertatumque Ecclesiæ tuitione clarissimus erat.

Flodoard. L. 3. c. 24.

Quin & Archicapellani dignitate eum instructum fuisse non absurdè conjicitur, cùm illum hortetur Hincmarus, ut Regibus Præceptores deligat, tanto muneri non impares; cùm apud illum expostulet, de Consiliario & Ministro Regum, qui ætate immaturus esset, nullaque rerum fretus experientia: denique cum omnium quæ sibi à Regibus delegata, & ab ipso Hugone Abbate commendata fuerant, rationes ad eum referat. *Ut præfatis Regibus necessarios constituat nutritios, quia nimis juvenem habebant Consiliarium, &c. Et quid sibi mandatum ex parte Regum, vel ipsius Hugonis fuerit, &c.* His documentis abundè proditur summa ejus Abbatis potestas, quanta nec Archicapellanus majorem exereret.

Ut verò à diverticulo in viam me referam, contestatur ibidem Hincmarus, si minùs ipse obsecundarit Curiæ & Regiæ voluntati in electionibus Episcoporum Noviodunensis & Tornacensis, id eò à se factum, quòd non potuerit non obsequi iis legibus regulisque, quibus vitam omnem suam regimenque ab annis triginta quinque attemperavit: quodque inservierit canonicis Decretis, quibus edicitur, ut Episcopi eligantur, non ex Aula Regia, sed ex Ecclesiæ ipsius gremio, quæ Pastore suo viduata est: utque iis in electionibus ratio habeatur, non favoris Principum, non Aulicorum propensionis, & precum: sed testimonii tum Cleri, tum plebis, & judicii Metropolitani.

Ibidem.

*Adjungens sacrorum Canonum promulgatas super electione canonica authoritates, & ostendens quod non Episcopi de Palatio præcipiantur eligi, sed de propria qualibet Ecclesia, & quod de ordinando Episcopo, non Regis, vel Palatinorum debet esse commendatio, sed Cleri & Plebis electio & Metropolitani in electione dedicatio, deinde terreni Principis consensio, & sic fieri Episcoporum manûs impositio, &c.*

VIII. Non omnibus Episcopis idem constabat vigor, atque indeflexa constantia. Hinc crebri ex Aula Episcopi ad moderanda Ecclesiarum guberna-

cula

cula prodibant. Inter eos memorandus & ipse successor Hincmari, sapientia & pietate spectatissimus
L. 4. c. 1. Fulco. Unde Flodoardus: *Successit Fulco vir valde nobilis, & Palatinis assuetus officiis.* Aliunde verò indubium est, Clerum Palatinum Ecclesiasticis litteris ac disciplinis, virtutumque insignibus magnopere semper claruisse. Ei Clero adglutinatus fuerat Hincmarus ipse, non solùm cùm simpliciter in Clericali mereret militia: *Sub canonico habitu educatus, indeque eductus, in Palatio domni Ludovici Imperatoris non modico tempore mansi.* Sed & postquam in Sandionysiano Monasterio Monasticum amplexus est institutum: *Exinde assumptus familiaribus obsequiis præfati Imperatoris, ac Episcoporum conventibus, pro sola obedientia mihi injuncta serviens, post aliquot annos Monasterii quietem repetii.*

IX. In causa quoque id erat, quamobrem in Palatinum Clerum Abbates Monachique cooptarentur: quo nimirum in eum conflueret, quidquid inter Clericos Monachosque, vel eruditione præcelleret, vel sanctitate. Occurrerunt jam nobis Fulradus Abbas, Hilduinus Abbas, probabiliter etiam Hugo Abbas, Magni Capellani officio radiantes. Hincmarum, dum Monachum adhuc ageret, eidem Clero modò adgregavimus. Concilio Coloniensi anni 887. sub Carolo Crasso multi affuere Abbates, ac præ cæteris *Folcharius Aquisgrani*
Lupus Epist. 27. 25. *Palatii Abbas.* Ludovicus Abbas sancti Dionysii, referente Lupo Ferrariensi Abbate, Cancellarius erat, vel Secretarius Caroli Calvi Regis: *Epistolare in Palatio gerens Officium.* Qua ille autem potestate fretus esset in Ecclesiasticis negotiis omnibus, plures aliæ ejusdem Lupi Epistolæ testatum faciunt, ubi Clericorum & Religiosorum omnium Patronus & vindex in Palatio fuisse comprobatur. Utebatur eodem jure Angilbertus in Palatio Caroli Magni, si fides adjicitur Epistulæ Adriani Papæ ad
Du Chesne Tom. 2. pag. 351. eundem Carolum: *Angilbertus Abbas & Minister Capellæ qui penè ab ipsis infantiæ rudimentis, in Palatio vestro enutritus est, & in omnibus Consiliis vestris*
Le Cointe. An. 792 794. *receptus est.* Nec me fugit Cointio nostro eam Epistolam expungendi causas fuisse justissimas. Inter Archicapellanos locasset Hincmarus Angilbertum, si verè eo Officio defunctus fuisset. At ambigi nefas, quin magnam vitæ suæ partem in Palatio Caroli Magni Angilbertus contriverit, atque inde in Abbatiam Centulæ migrarit. Quod de Angilberto, idem de aliis nonnullis Clericis Aulæque Regiæ luminibus confitendum est; nec Capellanis, nec Clero Palatino adgregatos eos unquam fuisse, nec paruisse Archicapellano. Anianæ Abbas Benedictus, qui cuncta Galliæ Monasteria pristinæ restituit formæ & disciplinæ, in Palatio Principis diutissimè egit, partesque quodammodo sustinuit Primarii Ministri in causis Ecclesiarum. Ita enim habet Scriptor ejus vitæ: *Quia pro multis causis Imperatori necessarius erat, placuit Imperatori, ut non procul à Palatio provideret locum aptum sibi, &c. Cœpit vir Dei Palatinas terere fores, &c. Omnes qui aliorum passi incommoda, Imperialia petebant suffragia cùm ad eum accederent, alacriter susceptos osculabatur, eorumque querimonias in schedulis impressas, tempore opportuno offerebat Imperatori, &c. Sanctus vir usque ad obitum suum in Palatio Regis pro augmento fidelium, non pro terrenis rebus perseveravit.* Abbates duo Corbeienses, Adelardus & Vala multo etiam tempore in Consiliis & Palatio Ludovici Pii versati sunt.

X. Minùs stupebunt, Episcopos Abbatesque à Palatio quandoque Regum ad regendas Ecclesias profectos esse, idque Episcopos Synodosque persæpè haud molestè tulisse: qui seriò pensitarint, ab Aula Regia Profectos quoque fuisse, qui Ecclesiasticæ Monasticæque pariter disciplinæ ad pristinam sanctimoniam redintegrandæ authores fuerant & administri. Dixi Benedicto Anianæ Abbati acceptam referendam esse Monasteriorum Galliæ omnium reformationem. Eadem laude meritò afficietur & Crodogangus Metensis Episcopus, à quo condita & temperata ea est Canonicorum Regula, quæ primigeniam pietatem Clerum in universum refudit. Et ille tamen è Palatio venerat ad Episcopatum: *Hic in Palatio majoris Caroli, ab ipso enutritus, ejusdemque Referendarius extitit; ac demum Pipini Regis temporibus Pontificale decus promeruit.* Du Chesne. Hist. Fran. To. 2. pag. 204.

XI. Extant inter Gerberti Epistolas, qui exinde ad summum provectus est Pontificatum, quæ ad Monachos Clero Palatino illigatos inscribantur: *Monacho Palatino.* Refert Balsamon in Oriente quoque id usitatum fuisse, ut Clerici Monachique, Epist. 22. Patriarchæ & Episcoporum suorum concessione adhærescerent Optimatum ædibus & familiæ: & eo vel tantillum saucissi Canones negarent, quòd non cupiditati, sed charitati servirent, & obedientiæ, quæ his illos Officiis innodaret. *Quidni fiet ex Canone? Propter hanc enim causam Patriarcha Lucas permisit Monacho & Sacerdoti perpetuo versari cum Logotheta Cursus, & unà cum eo in præsidio versari, & scribæ officio fungi.* Ex quo ille infert posse jure suo Episcopos his ministeriis Clericos astringere Monachosque, ut bonum odorem Christi, & sanctitatis quandam auram quoquo versum effundant; denique multò æquiùs eandem potestatem Regibus vindicari. *Nota ergo quòd suasione & probatione Episcopali, multò autem magis Regia, & Monachi & Clerici sine præjudicio facient quæ eis permissa fuerint, cujusmodi cumque ea sint.* In Synod. Constantin. Can. 4.

XII. Quantumvis autem hæc ad eum modum se haberent, effervescebat tamen nonnunquam Episcoporum indignatio, cùm canonicam electionem in viduata Ecclesia faciendam præcurrebat, vel interturbabat nominatio Regia Palatini alicujus Clerici. Præter illa quæ de Hincmaro dicta sunt, & de indeflexo ejus vigore per annos triginta quinque: accipe ut Concilium Valentinum III. anni 855. vi- Can. 7.
gorem Canonum non infregerit, sed temperaverit aliquantulum, exemploque suo commonstrarit, ut media quædam terenda sit orbita, in hujusmodi negotiis, quibus ita serviendum est potestati Regum, ut sanctitati Canonum consulatur. Jubet ergo ut quamprimum sedes Episcopalis vacarit, licentia eligendi à Rege deposcatur, eligaturque qui dignissimus ea in Ecclesia, vel in proxima quæque occurrerit. Si quem autem ex suis Princeps mittat Clericis, cui ea committatur Ecclesia, districto examine expendant Episcopi, an ejus ea sit & peritia, & religio, pietasque, quæ tantæ dignitati respondeat, & an à nundinatione quacumque pura fuerit nominatio. Si tanto ministerio indecorem indignumque judicent Episcopi: tum ipsi, tum Metropolitanus Clero plebique calestia addent, ut ad Principem pergant: quin & ipsi illuc pergent, ut ab Ecclesia Christi eam amoliantur calamitatem, ex qua plures aliæ jure reformidentur exorituræ. Verba Canonis ipsa inferiùs promentur, cùm de Electionibus sermo instituetur, Parte hujus operis altera. Emicat hinc autem constantissimè certare Ecclesiam Synodosque pro tuendis electionibus, & inflecti tamen ac cedere, si Rex nominet prior,

& eos nominet, qui tantæ & tam sanctæ dignitati non sint impares.

In ea quam scripsit Paschasius Ratbertus vita Valæ Corbiensis Abbatis, luculentissimè exprimuntur arcani gemitus & querelæ Valæ, super ambitione & excessibus nonnullorum ex Capellanis Palatinis. Hæc ipsa Palatii Officia non aucupabantur, nisi honorum, dignitatum, opumque ampliorum cupiditate fascinati. De illis meritò dici poterat, quòd nec Monachi essent, nec Clerici; cùm & Abbatis, & Episcopi jugum prorsus excussissent. Ita nulli Ordini accenseri poterant; unde & eorum mores ab ordine & lege æquitatis alienissimi erant. *Præsertim, & militiam Clericorum in Palatio, quos Capellanos vulgo vocant, quia nullus ordo est Ecclesiasticus, denotabat plurimum. Qui non ob aliud serviunt, nisi ob honores Ecclesiarum, & quæstus sæculi, ac lucri gratiam sine probatione magisterii, atque ambitiones mundi. Quorum itaque vita neque sub Regula est Monachorum, neque sub Episcopo militat canonicè, præsertim cùm nulla alia sint tyrocinia Ecclesiarum quàm sub his duobus ordinibus. Aiebat namque idem, quòd aut Canonicus quisque esse deberet, aut Laicus, aut Monachus. Quòd si neutrum; jam sub nullo monstrantur ordine, quia videntur esse sine capite.* Non hæc officia culpat, aut infamat Paschasius, cùm suis semper Christianis Principibus Capellani, sui semper Clerici fuerint; & sæpissimè ornatissimi fuerint, tum sacris litteris, tum virtutum documentis. Sed eos monet, qui his se implicant, quàm periculosæ res ea plena sit aleæ, & quàm vereri debeant, ne illos eò illiciat etiam inopinos furtiva quædam mundanarum opum & dignitatum quarumcumque libido. Quod autem exprobrat Paschasius excussum abjectumque Episcopalis imperii jugum, hinc docemur, quàm malè observata fuissent, quæ tam sanctè constituta fuisse diximus in Conciliis Episcopalibus: & quàm pro virili niterentur Palatini Clerici absolvi ab Episcoporum ditione, & uni suo subesse Archicapellano.

Sæculum Bened. to. 4. pag. 495.

XIII. In Concilio Tullensi apud Saponarias anno 859. declaravit Carolus Calvus Imperator, Senonensem Archiepiscopatum Ganeloni Capellæ suæ Clerico se contulisse, assentientibus Provinciæ Episcopis. *Juxta consuetudinem prædecessorum meorum Regum Weniloni tum Clerico meo, in Capella mea mihi servienti, qui more liberi Clerici se mihi commendaverat, & fidelitatem sacramento promiserat, consensu sacrorum Episcoporum ipsius Metropolis, ad gubernandum commisi, & apud Episcopos, quantum ex me fuit, ut eum ibidem Archiepiscopum ordinarent, obtinui.* Quibus in verbis sedulò illud adnotandum est, Clericum hunc Capellæ Regiæ, sacramento fidei obligatum fuisse Regi. Hinc enim forsan illa Regum propensio, ut Ecclesias Regni sui illis maximè commendarent, quos tam arcto & tam sancto sibi nexo devinctos habebant.

Simillimum etiam veri est, lubentiores Regiis Clericis suffragatos esse laïcos, tum ut ne electioni suæ quidquam obstreperet, tum ut de Rege ipso benè mererentur. Ita Clerus populusque Catalaunensis elegerunt Villebertum, *quondam sacri Palatii Presbyterum.* Dunstanus qui sanctitate postea floruit, cùm minoribus Ordinibus initiatus fuisset, seque ad Archiepiscopum Cantuariensem contulisset, ab eo Regi ita commendatus est, ut ad Palatii regimen & ad curas publicas admoveretur; qui illi gradus fuit, ut ad Cantuariensem Archiepiscopatum sublimaretur. Sanctus Meinvercus Episcopus Paderburnensis ab ineunte juventa Clericus Capellæ Regiæ fuerat. *Regia stirpe genitus, evocatus ad Palatium, regius Capellanus efficitur, ut Deo ordinante longius innotesceret.* Qui ejus vitam scriptis prodidit, præter ipsum, & sanctum Aribonem Episcopum Moguntinum, complures alios enumerat Episcopos, qui eodem ipso ævo, & Episcopatum regebant convenienter canonicis institutis, & temporum suorum necessitati serviebant, qua non poterant non & aliquas temporalis regni administrationis partes sustinere. *Secundas Imperii partes sanctè & justè administrantes, Sacerdotii rigorem nullatenus relaxantes.* Otthonum Imperatorum Aula, Clericorum pietate & peritia rerum sacrarum illustrium fæcunda parens altrixque erat. Cùm in electionibus Episcoporum plurimùm valeret tunc Imperatoria Majestas, non temerè sibi quis persuaserit, ex Otthonum Palatio prodiisse sanctissimos illos permagna ex parte Episcopos. Petrus Damiani memorat Bonifacium Imperatoriæ familiæ agnatum, dum Clericum Capellæ Regiæ ageret, *Cùm in Capella Regia moraretur*, illum induisse animum, illa iniisse consilia, quibus ipse evasit tandem & Apostolus Russiæ & Ecclesiæ inclytus Martyr. Sanctus Bernardus Episcopus Hildesheimensis affinis & ipse fuerat Palatio Otthonis III. cujus deinde Præceptor fuit, denique ad Ministerium etiam adscitus est post obitum Imperatricis.

Surius die 9. Maii. c. 4. 13. Junii die 5 c. 6.

Cap. 87.

In vita S. Rom. c. 18.

Surius die 20. Nov. c. 3.

Cùm denique Carolus Calvus Rex ad Episcopatus Augustodunensem & Cabilonensem duos nominasset ex Clericis suis Palatinis, Senonensis Archiepiscopi manu & penna vicaria scripsit ad Amulum Archiepiscopum Lugdunensem, ne hos ordinare Episcopos gravaretur, à se nominatos electosque, quasi flores delibatos Cleri sui Palatini: cùm Zacharias Papa & Concilium Franciæ Episcoporum sub Legato Bonifacio, ea quondam potestate donassent Pipinum Regem. *Non esse novitium, aut temerarium, quòd ex Palatio honorabilioribus maximè Ecclesiis Rex procurat Antistites. Nam Pipinus exposita necessitate hujus Regni Zacharia Romano Papa, in Synodo, &c.* Clerici plerumque erant, qui ea Palatio prodibant in Episcopos inaugurandi; Godegrangus aliique pauci Laïci duntaxat fuere.

Inter Epist. Lupi Ep. 81.

XIV. Dixi jam suprà quod in historia Caroli Magni Sangallensis Monachus refert, Capellam dici Regiam, quòd Cappa, hoc est, Capsa Reliquiarum B. Martini ibi & recondita asservaretur, & in expeditiones bellicas circumveheretur. At hîc addo, inde liquere Capellarum omnium primam & principem fuisse hanc ipsam Regum Franciæ, quæ & cæteris nomen fecit omnibus. Quo autem nunc sensu & usu Capella vernaculè dicitur, pro toto ministerio sacro vasorum & ornamentorum, eo ipso usurpata ea vox est in testamento Caroli Magni, qui suam eo sensu Capellam secari ac dividi post obitum suum vetuit. *Capella, id est, Ecclesiasticum ministerium.*

Suprà c. 109 n. 1.

L. 1. c. 4. Du Chesne. To. 2. pag 105. 108. 109.

XV. In Capitularibus Caroli Calvi expressa est Eleemosynariorum ejus mentio, quibus & illud commendat, ut post obitum suum erogent in pauperes quod ipse præceperat. *Si nos in Dei Sanctorumque ipsius servitio mors præoccupaverit, Eleemosynarii nostri, secundùm quod illis commendatum habemus, de eleemosyna nostra decertent.* Ex iisdem Capitularibus manifestum est, Episcoporum quoque & Abbatum, Comitum & Nobilium proprios fuisse Eleemosynarios, & hos non alios fuisse, quàm Testamentarios Executores. Ita nihil illis commune

An. 877. Du Chesne To. 2. pag. 464. Capitular. Baluz. to. 2. pag. 242. 261. 270.

erat cum Capellanis & Archicapellano.

XVI. Indubitatissimum quoque est, canonica omnia Officia persoluta decantataque fuisse in Capellis Regiis, ea sanctitate & majestate, quam mente faciliùs quisque, quàm oratione complectatur. De ea re jam dictum est, & de pia Regum ipsorum assiduitate. Dictum est & quanta esset Capellæ Regiæ authoritas in Ecclesiis aliis omnibus ad suam Officiorum normam pertrahendis. Author est Valafridus Strabo sanctorum Martyrum Reliquias cum Cappa B. Martini circumferri solitas ad deambulatorium illud Oratorium, quod Reges in bellicis expeditionibus suis semper assectabatur. Porro nemo ambigit, quin ut à nobis non semel inculcatum est, sacra psalmodia coram sacris Martyrum pignoribus Clerici semper aliqui defungerentur. Hi ergo Capellani ab hac Capella vel Cappa dicti ea Valafrido. *Quemadmodum sunt in Palatiis* (De rebus Eccl. c. 31.) *Comites Palatii, qui sæcularium causas ventilant; ita sunt & illi, quos summos Capellanos Franci appellant, Clericorum causis prælati. Capellani minores ita sunt, sicut hi quos Vassos dominicos Gallica consuetudine nominamus. Dicti sunt autem primitus Capellani à Cappa B. Martini, quam Reges Francorum ob adjutorium victoriæ in præliis solebant secum habere: quam ferentes & custodientes cum cæteris Sanctorum Reliquiis Clerici Capellani cœperunt vocari.*

XVII. Nec minori gloria aut copia privilegiorum circumfulgebat, ut credere par est, Capella Imperatorum Orientalium Constantinopoli. Sæpiùs memoratur Presbyter Palatii, memorantur & Primicerii. ὁ πρῶτος τοῦ παλατίου, οἱ πριμικήριοι. Clerici Palatii, qui concinendis in eo Psalmis addicti (Cedrenus. pag. 418. 469 494.) erant, ἐν τῷ εὐκτηρίῳ τοῦ παλατίου ψάλλοντες κληρικοί, ex ædibus tertia noctis vigilia in Palatium veniebant. At postquam permiscuere se illis conjurati sicarii, & unà irrumpentes Leonem Armenum Imperatorem obtruncaverunt: Clericis his deinceps omnibus in Palatio ipso ædes designatæ sunt. Princeps hujus Cleri Palatini Protopapas Palatii vocabatur, ὁ πρωτοπαπᾶς τοῦ παλατίου; hoc est, primus Presbyter Palatii. Qui enim nobis Presbyter, is Græcis πάπας; quod ab origine ipsum Patris nomen est. Nam (Ibid. p 611. 642.) ut alibi diximus, & ab Hebraica origine trahi monuimus, Papa patrem sonat; quod deinde ad Presbyteros Parochosque omnes apud Græcos derivatum est; ut & nobis Majoribusque nostris non ita pridem moris erat. In Oratorio quoque Imperatorio Constantinopoli asservabantur Martyrum Reliquiæ cum sanctissimæ Crucis ligno: & non semel contigit, ut Protopapas veniret in exercitum cum hoc venerandæ Crucis ligno, ut juramento milites omnes constringeret, qui Religionem & Imperium sanguinis impendio defensarent, quod & omnes genu flexo præstitere. Impatientissimè tulit Polyeuctus Patriarcha Constantinopolitanus, sanctitate vitæ notissimus, quòd Romanus III. ejus nominis Imperator Apostatam Monachum Clero Palatino ascripsisset, ac tueretur. Quantumvis obtenderet Princeps Monacho vim factam, ut in Claustrum contruderetur, simul atque ille Imperio & vita abiit, Monachus in Monasterii sui latibulum redi-(Pag. 649.)re compulsus est. Idem verò Patriarcha Polyeuctus remittere aliquid coactus est de eo acto, quo communione sua interdixerat Imperatori Nicephoro, quòd commatrem suam spiritalem duxisset: postquam juravit, pejeravitque Stylianus Protopapas Palatii nihil unquam affinitatis inter Impe-(Pag. 717.)ratorem & Imperatricem intercessisse. Post Sergium Patriarcham Eustachius primus Presbyterorum Palatii, πρῶτος ἐν τῶν πρεσβυτέρων, in ejus locum suffectus est.



---

## CAPUT CXII. *P. 4. l. 1. c. 78.*

### De Clero Palatino, de Capellanis, Archicapellanis, Eleemosynariis, & Magnis Eleemosynariis sub Regia Hugonis Capetii stirpe post annum Christi millesimum.

*I. Varia genera Capellanorum; Conciliorumque statuta ad eos in ordinem redigendos & in Episcoporum obsequium.*

*II. Nonnulla in eos Canones animadvertuntur.*

*III. Mira potestas Episcoporum in Capellanos Capellarum Regiarum in Norvegia.*

*IV. Argumenta alia Episcopalis potestatis in hos Capellanos; eorum mancipatio uni alicui Ecclesiæ, eorum residentia.*

*V. De Capellanis Papæ & Imperatorum.*

*VI. De Capellanis Regum Scotiæ, Angliæ, & Hispaniæ.*

*VII. De Capellanis Nobilium, & quibus de causis in contemptum venerint.*

*VIII. De Archicapellanis, & de Clero Palatii Imperatorum.*

*IX. De Magnis Eleemosynariis Franciæ, & de Confessariis Regum.*

I. IN Concilio Turonensi anni 1163. præceptum est, ut Capellani Arcium & Castrorum sacramento se constringerent, prohibituros pro viribus ne Ecclesiæ expilarentur, operam daturos, ut restitueretur quidquid expilatum fuisset; interdictum in eum locum vibraturos, nisi intra dies quadraginta restituerentur quæ asportata fuerant; denique ne his Capellanis alii subrogari possent, nisi conscio Archidiacono, qui idem sacramentum exigeret à successore. Concilium Claromontanum anni 1095. jam antè constituerat, ne possent Optimates, nisi concedente Episcopo, suos sibi Capellanos habere. *Ut nullus Presbyter Capellanus alicujus laici* (Can. 12.) *esse possit, nisi concessione sui Episcopi.* Vel ex alia Editione: *Ut nullus Princeps Capellanum habeat nisi quem sibi Episcopus suus aut Archidiaconus procuratorem animæ delatum constituat.* Concilium Coloniense anni (Can. 10.) 1260. Capellanos Regum, Episcoporum, & Præpositorum secernit; omnesque indiscriminatim jubet propriis in Ecclesiis residere, nisi aliud cogat vel dominorum vel Ecclesiarum necessitas, negotiorumque urgentium molestia. Jubet ut & Episcopis suis præstò sint, quando sacra celebrant; ut in Ordinibus sacris sint; & si Capellani Episcoporum sint, ut jurisdictioni primi eorum Capellani subsint. *Cùm aliquibus in Ecclesiis Capellani Regales, Episcopales, ac etiam Capellani Præpositorum existant, &c. Capellani ejusmodi residentiam in suis Ecclesiis tanquam alii fratres facient, nisi illo tantùm tempore, quando agunt suorum negotia dominorum, atque etiam si negotia Ecclesiæ hoc exposcant. Et nobis in Ecclesia majori, vel alia, si sunt ea vice præsentes, debent adesse in divini celebratione Officii & adstare. Et debent hujusmodi Capellani in sacris esse Ordinibus constituti. Super hujusmodi Capellanos Episcopales erit noster Capellanus, quasi loco judicis & magistri.* Denique vetitum est hoc Concilio, ne Decani, Scholastici, vel Cantores possint unquam Capellanorum munere fungi apud Reges, Episcoposque.

II. Tribus ex his Canonibus hæc emergunt, quæ observasse non pigeat. 1. Hos Regum & Episcoporum Capellanos uni Ecclesiæ affixos fuisse, more Majorum, & pro antiqua Canonum disciplina. 2. Residere in ea debuisse, ex lege universali Be-

neficiariis omnibus imposita. 3. Non potuisse Magnates, nisi quos ab Episcopo acciperent, habere Capellanos. 4. Capellanos omnes in Ordinibus sacris esse debuisse. 5. Primum Episcopi Capellanum fuisse veluti Archicapellanum, cujus jurisdictioni cæteri obnoxii essent. 6. Cùm exorirentur tunc & paulatim fingerentur simplicia Beneficia, eam tamen adhuc viguisse legem, ut & Ecclesiæ alicui manciparentur Clerici omnes, & in ea residere cogerentur. 7. Castrorum Arciumque Capellani custodes agere debuisse & defensores patrimonii circumpositarum Ecclesiarum.

III. Anno Christi 1273. cùm Magnus Norvegiæ Rex & Joannes Nidrosiensis in eodem Regno Archiepiscopus de iis quæ in controversiam venerant, transigerent & pacisceretur, spopondit Rex sartam tectam servaturum se Archiepiscopis & Episcopis eam libertatem, quam Majores sui servassent, instituendi Capellanos in Capellis à Regibus fundatis vel dotatis, non expectata vel consensione vel præsentatione Regum, sive cæterorum Laïcorum:

Raial. an. 1273. n. 10.

*Concessit Rex quod à Prædecessoribus suis est concessum, scilicet ut licitum sit semper Archiepiscopis & Episcopis, in capellis à Regibus fundatis, vel dotatis, sicut & in aliis Capellis suæ Provinciæ instituere idoneas, sine ipsorum & aliorum Laïcorum assensu vel præsentatione personas.* Quod ne Patronorum quidem laïcorum jura in Capellanos suos obtinerent in Norvegia, sive Reges, sive Nobiles, ea quidem erat ejus Regni consuetudo peculiaris: sed ea eo mirum in modum elucescit quàm essent in potestate Episcoporum Clerici omnes Palatini, Magnatumque Capellani: cùm hæc Officia, perinde ut Beneficia Episcopi conferrent. Laïcis Proceribus ne in mentem quidem veniebat, ut Beneficiorum Collatores esse se contenderent, cùm ne Capellarum quidem suarum essent: immo cùm ne ordinario quidem in iis fruerentur jure Patronatûs.

IV. Ea Abbate Guiberto novæ suppetent nobis supradictorum probationes. Narrat enim ille Clericos duos suæ fuisse matri in propriis ædibus suis; alterum Capellanum, alterum sibi Præceptorem. Ecclesiæ ambo inserviebant, quæ juris erat hujus Matronæ, juxta ejus sæculi detestandam pravitatem, quo Ecclesias sibi vendicaverant Laïci. *Evocatis ipsa duobus Clericis, Capellano suo & Magistro meo, sub eorum custodia in Ecclesiam me deferri præcipit. Juxta pravitatem verò veteris nunc Ecclesia illa ad jus ejus pertinebat.* Inde rursus concluditur, uti & ex antecedentibus, Capellanos omnes Laïcorum Ecclesias vel Capellas habuisse aliquas, ad quarum titulum & ministerium ordinarentur, vel ab Episcopo instituerentur. Ita verè Beneficiarii erant. Sed illud quoque rursum liquet nervos omnes contendisse Concilia ipsa, ut authoritati Episcoporum substernerent Capellanos istiusmodi omnes, ab eis instituendos: quòd eas Capellas earumque dotes & agros usurpassent Laïci, perinde ut Ecclesias alias omnes. Qui verò alias quoque usurparant Ecclesias, has Capellas, quæ suæ Majorumque suorum fundationis erant, multò & audaciùs invadebant, & retentabant contumaciùs; & earum non Patronos se tantùm venditabant, sed Collatores, antequam Concilia Episcopalem in iis authoritatem redintegrassent. Ea ergo prima fuere laïcarum Collationum rudimenta, ab Episcopis tunc statim oppressa. Joannes Gersonius, quo non alius eruditionis & pietatis fama clarior, suorum temporum improbitati, & Ecclesiasticæ disciplinæ relaxationi

Guib. Abbas l. 3. de vita sua. c. ult.

ingemiscens, dolebat illud cum primis, quod Episcopi elabi aut extorqueri sibi passi essent illam Capellanorum in ipsis Regum Capellis destituendorum, æquè ut instituendorum potestatem. *Vbi est quod nullus Principum laïcorum Capellanum habeat nisi ab Episcopo datum, in casu ab Episcopo deponendum vel corrigendum?* To. 1. p. 203.

V. Erant & Pontificibus Romanis & Imperatoribus sui Capellani. Petrum Diaconum & Monachum Montis Cassini cùm Innocentius II. Palatio suo adjungere percuperet, pollicebatur Capellanis suis eum se annumeraturum, nec ulla unquam re ei defuturum. *Se illum inter Capellanos suos habiturum, & quæque illi necessaria præbiturum.* Nec multò pòst Lotharius Imperator *Chartularium & Capellanum Romani Imperii eum constituit.* Tum ad Abbatem Montis Cassini litteras dedit, ne eum sibi postularet, Capellanis quoque suis accensens hunc Abbatem, aliisque exornans titulis magnificentioribus. *Guibaldo Cassinensi Hierarcha & Romani Imperii Cancellario, Capellano, & Principi pacis.* Perstrinxit Valsinghamus avaritiam & sordes Cardinalis cujusdam, qui in Anglia pretio distraxit anno 1381. vel Titulos, vel Officia Capellani Papæ & Notarii Apostolici. *Ad Capellanatum domini Papæ tam possessionatos, quàm mendicantes admisit.*

Chron. Cass. l. 4. c. 114. 117. 125.

VI. Cùm ad Capellanum Regis Siciliæ scriberet Petrus Blesensis, monebat ejus esse muneris, ut Regem creberrimè commonefaceret & vehementissimè dehortaretur, ne Episcopales sedes donaret iis qui dedecori futuri essent sanctissimæ dignitati, & ne in thesauros Ecclesiæ involaret: cùm enim Pastor esset Regis, pari cum ove sua periculo periclitaturus, pari exitio periturus erat & ipse. *Ovis tua est, & in periculum tuum ipsius custodiam suscepisti.* Et mox: *Periculosum est tibi, si in tonsoris officium convertas ministerium pastorale.* Epist. 10.

Joannes Seldenus in Notis ad historiam Novellam Eadmeri intexuit privilegium quo Guillelmus Angliæ debellator & Rex donavit Abbatiam sancti Martini de Bello, quam in eodem ipso construxerat loco, in quo victoriam longè splendidissimam reportaverat. Eo privilegio continetur immunitas potestatis temporalis cujuscumque & spiritalis Episcoporum jurisdictionis. Sed quod ad temporalem exemptionem pertinet, ad Capellæ Regiæ exemplum ea effingitur. *Sicut mea Dominica Capella libera sit omnino ab omni ejus exactione.* Quibus ea verbis non obscurè colligi posse videtur, Capellam tum Regiam jurisdictioni spiritali Episcopi subjectam fuisse. Agens Eadmerus ipse de conjugio Henrici I. Regis, quod in Castro Vindsurio celebrandum erat, narrat Salisberiensem Episcopum, qui ejus loci Diœcesanus erat, accinxisse se ad sacrum illud ministerium peragendum: at Archiepiscopum Cantuariensem intercessisse, & eas sibi partes omnino vindicasse, quòd Regis & Reginæ, quocumque demum illi loco degerent, ipse Parochus esset. *Quòd Rex & Regina speciales ac domestici Parochiani sint ipsius.* Narrat & Rogerius, ut anno 1175. cùm contenderent Archiepiscopi Cantuariensis & Eboracensis de Capella sancti Osvualdi apud Glocestriam, inter eos denique convenisse, ut ea Capella eadem gauderet immunitate à jurisdictione Cantuariensis Archiepiscopi, qua Regia Capella fruebatur. *Quietam clamavit & liberam ab omni jurisdictione sua Capellam sancti Osvualdi Glocestriæ, sicut dominicam Capellam Domini Regis.* Erat tunc Capella Regia subducta jurisdictioni Cantuariensis Præsulis, qui ni-

Selden. Not. p. 112. 113. Conc. Angl. Tom. 2. pag. 33. 34. Eadm. Hist. Nov. l. 6.

hilo fecius Parochus erat proprius Regis & Reginæ. De ea verisimiliter immunitate interpretandus est Innocentius III. in Epistola ad Joannem Angliæ Regem scripta. *Super tua non excommunicanda persona, neque tua interdicenda Capella, nisi de mandato sedis Apostolicæ speciali.* Reges ipsi ea ambierant privilegia, ut propulsarent à se seu interdicta, seu tela quæcumque alia, quæ Episcopi in eos ejaculari potuissent. Unde & Pontifex idem Regem hortabatur, ne de spiritalis jurisdictionis capitibus variis cum Episcopis litigaret, sed ad Apostolicam recurreret Sedem. *Illud Regali tuæ prudentiæ consulimus ad cautelam, ut cum Archiepiscopis & Episcopis Regni tui contentiosè non agas, maximè super negotiis spiritalibus, & Ecclesiastico jure, cum ad nos possis habere recursum, per quos multa poteris honestè perficere, quæ honestè non posses perficere per te-ipsum; pro certo confidens, quod nos petitiones & preces tuas, quantum honestas permiserit, intendimus exaudire.* Exemptionis istiusmodi & petitio & concessio poterat apprimè consentire æquitatis & pietatis legibus, atque Ecclesiæ necessitati servire; cùm primus omnium & orasse, & exorasse memoretur hujusmodi libertatem sanctissimus Hungariæ Rex Stephanus, omnium Regni sui Ecclesiarum conditor & dotator. Id nimirum præ cæteris omnibus Ecclesiarum particularium incolumitati & stabilitati conducibile est, ut Regibus conveniat & Pontifici summo, qui centrum est ipse & cardo unitatis omnium Ecclesiarum. Ejus rei invictissimum argumentum ex ipsius Angliæ exemplo in promptu est. Qui qua par est maturitate & sapientia rem hanc perpendent, facilè assentientur, cautiùs diligentiúsque ipsi Angliæ Regno consulere non potuisse Innocentium III. quàm Reges ejus cum Romana & Apostolica sede arctissimè & indivulsè devinciendo.

Regest. 16. L. 4. Ep. 130.

Eduardus II. Angliæ Rex, anno 1316. Cleri sui deliberationibus subscribens, illud magni prorsus momenti addidit, consuetudine vetustissima, & quæ omnem hominum memoriam anteiret, Palatii sui Clericos, quo temporis spatio munere fungebantur, non teneri ut in Ecclesiis suis residerent; nec officere posse libertati Ecclesiasticæ, quod ad Regis Regnique utilitates necessarium esset. *Rex & antecessores sui à tempore, cujus contrarii memoria non existit, usi sunt, quod Clerici suis immorantes obsequiis, dum obsequiis illis intenderent, ad residentiam in suis beneficiis faciendam minimè compellantur. Nec debet dici tendere in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis, quod pro Rege & Republica necessarium invenitur.*

Conc. Gen. To. 11. par. 2. p. 2465.

Inter statuta Cantuariensis Archiepiscopi anno 1417. agitur de Patronis & de Beneficiis Regiæ fundationis quibus inflicta erant onera Pensionum, Clericis Palatinis solvendarum, donec Beneficii aliquid consequerentur. *Clericis Regis in certis annuis pensionibus sunt astricti, quousque aliqua Beneficia competentia eis obtulerint, & ipsa acceptaverint.*

Ante initium Concilii Dertusensis in Hispania, anno 1429. congestæ sunt Epistolæ complures Alphonsi Regis Arragonum, & illa præ cæteris, qua rescindit Brevia omnia extorta à Clericis quibuscumque, ut se Ordinariorum subducerent Episcoporum jurisdictioni, obtentu eo quòd essent qui non erant tamen Clerici Palatini. Ergo tum verè immunes erant, qui verè erant Clerici Capellæ Regiæ. Ex quo facilè infertur, Capellis tunc Regiis omnibus communicatum fuisse privilegium Capellæ Divionensis Ducum Burgundiæ, de quo mentio habetur in Decretalibus Innocentii III. idque in eo situm erat, ut non possent ii Canonici, vel suspendi, vel excommunicari, vel interdici ab Ordinariis. Innovatum est à Tridentino Concilio Caput illud *Cum Capella*, Regiorumque similiter Capellanorum confirmata exemptio. Constitutiones Archiepiscoporum Cantuariensium anno 1464. in commune prohibent Clericis omnibus, ne Caputiis, aliisque quibusdam vestibus insignibus utantur, quòd eæ propriæ sint Graduatorum, Dignitatum, Presbyterorum, & Clericorum Capellæ Regiæ. *Presbyteris & Clericis in servitio domini Regis.*

C. Cum Capella. Extr. De Privilegiis. Sess. 24. c. 11.

VII. Quod ad privatorum autem Nobilium Capellanos spectat, respondens Nicolaus V. anno 1447. ad Consulta Saxonum, penes quos erant Presbyteri, qui in istiusmodi Oratoriis sacra peragerent: respondit posse id fieri cum licentia Episcopi, sed cum decentius, tum tutius esse, ut ne hi Presbyteri easdem cum laicis ædes incolerent. *An liceat laicis servare unum, vel plures Capellanos, propter Deum in domo sua bona visa recommendatos, qui sibi possint legere, vel cantare Missas in aliqua Ecclesia, sive Capella, sine præjudicio Parochialis Ecclesiæ. Dicendum est quod Presbyteri de licentia Episcopi Diœcesani hoc possint facere: est tamen decentius habitare extra muros laicorum, propter multa quæ occurrere possunt ex tali cohabitatione.* Ita deviatum jam erat ab antiquo usu, & cùm priùs Presbyteros laicis assignarent Episcopi, ut in his Oratoriis sacra facerent, & animarum saluti promovendæ incumberent: tum sola Episcopi licentia desiderabatur.

Rainal. n. 18.

Et hinc forsan fastidium illud & contemptus Capellanorum, quos viles, & despicabiles habebant nobiles viri matronæque, quòd suo eos nutu asciscerent abjicerentque, & sordidis ministeriis manciparent. Id jure merito expostulabat Synodus Coloniensis anni 1536. *Magna eorum levitas est, in magnam Cleri ignominiam redundans, qui se laicis, atque adeo delicatis fœminis, ventris causa, in Capellanos, ut appellant, atque antambulones venditant. Qui enim debebant esse gregis duces, rediguntur in caudam, & sordidissimis quibusque negotiis alligantur, proh dolor!*

Part. 2. c. 27.

Animosiùs etiam Moguntina Synodus anni 1549. decertavit pro libertate ac dignitate Capellanorum in Castellis Magnatum. Præceptum est enim, ut ab Episcopo instituerentur, eique, vel Archipresbytero ejus obtemperaturos se promitterent, Synodis Diœcesanis interfuturos, ac Capitulis Decanorum Ruralium, denique Parochialium Ecclesiarum juribus nihil præjudicaturos. *Sacellani nobilium in sacellis castrorum Missas celebrare, aut alia sacramenta conferre, aut etiam prædicare non præsumant, nisi super eo auctoritatem & consensum Ordinariorum obtinuerint, & priùs manualem promissionem Episcopo, seu loci illius Archipresbytero fecerint, se in obedientia Diœcesani mansuros, & ad Synodos & Capitula venturos, & mandatis Ecclesiasticis, secundum justitiam, & quatenus eos attingunt, esse parituros: salvis etiam juribus Parochiarum, ad quas talia castra nobilium pertinere noscuntur.*

Can. 95.

VIII. Nec dictum à nobis quidquam hic est, nec dicendum de Archicapellanis, quòd ea Dignitas extincta prorsus sit & oppressa cum Caroli Magni stirpe. Non quòd Regum & Imperatorum cura tepesceret in deligendis Capellæ suæ Clericis, qui & eruditione præstarent, & sanctimonia, animarumque salutis studio; ut ad manum semper haberent quasi seminarium quoddam Episcoporum. Profero exemplum nobile ex vita sancti Bennonis Episcopi Misnensis sæculo XI. Regiam Capellam Gax-

lariæ Henricus III. Germaniæ Rex à Leone IX. Papa dedicari cùm impetrasset, sedem Imperii eò transferre constituit, eòque accersivit quidquid erat usquam virorum doctrina & probitate præcellentium. *Quam Ecclesiam cùm Imperator Imperii Capellam, & Canonicos ipsius Capellanos Regios haberi & nominari vellet: exactam dedit operam, ut viros tanto honore dignos, & tam litteris, quàm sancta conversationis moribus probatos eidem Ecclesiæ præficeret. Siquidem illic etiam Regni sedem constituerat. Lecti sunt igitur ex omni ferè Germania viri, cum doctissimi, tum religionis observantissimi.* Omnes ibi communem agebant vitam; Benno ipse à Rege & à summo Pontifice suo avulsus est Monasterio, ut novellæ hujus Congregationis administrationem capesseret. Tantus ibi disciplinæ & sanctimoniæ fervor erat, ut eorum plurimi in Cælitum album adscripti sint. Cúmque tunc dandorum Episcopatuum potestatem Imperatores plerumque retinerent, Bennonis vitæ Scriptor non multò pauciorum quàm quinquaginta nomina edidit, qui ad Episcopatus vocati sunt. *Quam laudabilem verò ac sanctam olim vitam deduxerit prima ea Goslariensium Canonicorum congregatio, documento esse potest, non solum id, quod plures ex eis Divorum numero ascripti, plurimi Beatorum appellatione, dum adhuc viverent, dignati sunt: verum illud etiam memoratu dignissimum, quod cum in potestate Imperatorum adhuc esset Episcoporum designatio, pauci aliunde, quàm ex eadem Regia ut dicebatur, Capella, tam sub prædicto Henrico III. quàm filio ipsius IV. & nepote V. æquivoci nominis Regibus, ad quæcunque etiam Episcopia conscenderint.*

*Surius die 16. Iunii. c. 11.*

Ratum ergo fixumque illud est utrumque, quod à me jam sæpiùs inculcatum est, & ex Palatino Clero Episcopos complurimos creatos esse, & in eo plurimum operæ vigilantiæque positum fuisse, ut ne inscriberentur Clero Palatino, nisi viri & pietate & sacrarum disciplinarum peritia conspicui. Non ambiget sanè quisquam, quin quos Princeps ex Capella sua Goslariensi ad Episcopatum extollebat, eo apice dignissimi essent, vel ipsa ejus fuga.

Cùm verò Clerus Regius Capellæ Goslariensis per Præpositos regeretur, perspicuum est, altum silentium tunc fuisse de Archicapellanis sub tribus his Imperatoribus. In vita illustrissimi Martyris Caroli Comitis Flandriæ sæculo XII. mentio fit Archicapellani & Cancellarii ejus: *Archicapellanus & Cancellarius totius Flandrensis Curiæ.* Ubi secunda hujus Operis Parte operosiùs de Cancellariis agemus, aliqui rursus in Germania Archicapellani obvios se dabunt. Sed ut perantiqua sunt hæc exempla & rarissima, unum illud ex iis efficitur, vix unquam vel Dignitates vel consuetudines ita interire posse & abolescere, ut non aliquandiu supersint aliqua earum vestigia.

*Surius die 2. Mart. c. 14.*

*L. 5. p. 61. L. 6. p. 76.* Eodem testimonio Constantinopolitanos Imperatores ornat Nicephorus Gregoras, quòd Palatii sui Clero adgregarent pios quosque & eruditione celebriores Clericos, ut hi quasi gradus essent, unde ad Episcopales & ad Patriarchales ipsas Sedes promoverentur.

*Gall. Chr. To. 1 pag. 227.* IX. Quod ad Galliam pertinet, nulla Archicapellanorum memoria post Hugonem Capetium. Unus illis abundè primùm fuit Capellanus, unus Eleemosynarius. Vir usquequaque doctissimus Cangius edidit Constitutiones sancti Ludovici, Philippi Pulcri, & Philippi Longi, ubi inter eos qui habitabant in Palatio Regio, referuntur *Capellanus & Eleemosynarius.* In Constitutione Philippi Pulcri ita habentur, *Capellani, Confessarii, & Eleemosynarius.* Ita tunc Capellanis postponebatur Eleemosynarius. Sed illa postea dignitas gradatim ad majus fastigium excrevit. Post Carolum VI. qui ea decorati fuere, pleríque Episcopale quoque ad culmen provecti sunt. Joannes Balua inde non solùm Ebroicensis Episcopus, sed & Cardinalis electus est. Sub Carolo VII. Joannes de Rely Episcopus Andegavensis primus dici cœpit *Magnus Eleemosynarius.* *Ibidem.* Nec tamen eo titulo insignitur vel in Epitaphio ejus, quod referunt doctissimi viri San-Marthani Fratres, vel in encomio quod illi contexuit Launoius in historia Collegii Navarræ ad annum 148s. *Gall. Christ. Tom. 2.* Gotrofredus de Pompadour Episcopus Petragoricensis, postea Aniciensis, eandem induit dignitatem, eundem Magni Eleemosynarii Titulum sub Carolo VIII. & Ludovico XII. Ei titulo Tilletius longè majorem affinxit antiquitatem, sed aberravit à vero. Crevit denique Magni Eleemosynarii dignitas in *Officium Coronæ*, ut vocant, quo nomine & honore gaudent paucissimæ, eoque omnium toto Regno amplissimæ Dignitates. Tumque ad eam dignitatem non venere, nisi qui vel meritis longè clarissimi, vel nobilitate, vel Cardinalitia etiam dignitate fulgerent.

Docebit nos porro Idem Tilletius ex ipso Regiarum Chartarum tabulario, quæ potestas esset, quæ munera Magni Eleemosynarii, quæ privilegia. Quæ Gallicè ille scripsit, hic ego verbis pene totidem Latinis reddam. *Ex Commentariis de rebus Philippi III. Philippi Pulcri, & Philippi Longi, Magno Eleemosynario & Confessario Regio erat cubiculum cuique suum in Palatio, vel in Hospitio Regis, ubi quatuor alia tantùm esse debebant, præter cubiculum ipsius Regis. Individuos enim sibi cohærere volebant Reges Christianissimi eos interdiu noctuque, per quos animæ suæ salus procurabatur, ne quo opprimerentur inopino casu. Itaque toto Regno duo hæc Officia maximo in honore habebantur, propter munera illa quæ penes Regem obeunt. Nullo enim ex alio tanta utilitas redundat, si modò strenuè administrentur. Sacramento se obligabat Magnus Eleemosynarius, nihil unquam se à Rege petiturum, quod non & justitiæ & pietati adprimè concineret, & à favore & gratia procul esset. Ita præcipit Constitutio Philippi Pulcri anno 1290. At verò Constitutione Philippi Longi anno 1318. prohibetur ne quisquam ingerat se ad alloquendum Regem, dum sacris interest Mysteriis, præter Confessarium ejus, qui eum potest vel tunc submonere de rebus ad salutem animæ & conscientiam attinentibus; & post peractam rem sacram, antequam Rex Oratorio suo prodeat, alloqui familiter illum potest de Collationibus Beneficiorum, non de quavis re alia. Ita & in Oratorio ipso post peracta sacra Magnus Eleemosynarius compellare Regem potest de eleemosynarum largitionibus. Alia Constitutione Philippi Longi, dum Regni Regens esset anno 1316. potest Confessarius satagere ut Brevia Beneficiorum subscribantur, & sigillo Regio muniantur. Idem juris est Magno Eleemosynario circa Brevia eleemosynarum. Multæ hactenus exarserunt lites & contentiones propter jurisdictionem quam sibi Magnus Eleemosynarius vindicat, quasi Officii sui jus, in Xenodochia & Nosocomia Regni. Fundationis etiam Regiæ, ad ea videlicet regenda visitanda, & meliorem in formam disciplina sicubi opus est revocanda Anno 1455. in Senatu Parisiensi declaratum est, eos qui Titulum Beneficii obtinebant, Episcopali obnoxios esse jurisdictioni. Ubi verò penes Laïcos administratio erat Magno Eleemosynarii potestati ejusmodi loca subesse debere. Quod exinde pluribus Edictis confirmavit Franciscus I. Ha:-*

*Fauchet. Origines des Dignitez de France. c. 7.* renus Tillerius, ex quo perspicuum est Magno Eleemosynario nihil commune fuisse cum priscis Archicapellanis. Inculismensem Episcopum Falcetius perhiber, id sibi sumpsisse, ut Regum Archicapellanus esset, dum in Aquitania versarentur, ex concessione Pipini Regis. At Ludovicum Juniorem in Aquitaniam profectum, hac illum vel prærogativa, vel inani potiùs spe & jactantia, ut equidem reor, dejecisse. Fidei periculum esto penes authorem Chronici Inculismensis, cui ille innititur.

## De Cardinalibus & Legatis.

---

## CAPUT CXIII. *P. 4. L. 1. c. 79.*

### De Cardinalibus ab anno millesimo usque ad trecentesimum supra millesimum.

*I. Quando Episcopi Cardinales assurgere cœperint supra alios Episcopos. Erant Episcopi Cardinales in Ecclesia sancti Joannis Lateranensis Romæ. Cœpit ab illis maximè pendere electio summi Pontificis.*

*II. Hæc Episcoporum Cardinalium provectio necessaria fuit, ut infringeretur Imperatorum audacia, qui Romani Pontificis electionem sibi vindicarant. Nova probationes eorum potestatis in electione Papæ.*

*III. Legationes frequentissimæ, quibus honestabantur Cardinales omnes, & individuæ societas trium Ordinum sacri Collegii, in causa fuere, ut non Episcopi jam tantùm Cardinales, sed & Cardinales omnes supra Episcopos assurgerent & eminentius sederent. Argumenta ejus rei usque ad annum Christi centesimum supra millesimum.*

*IV. Argumenta ab anno millesimo centesimo ad millesimum ducentesimum. Magnifica Cardinalium verba sub Eugenio III. in Concilio Remensi. Collegium Cardinalium Senatus Ecclesiæ.*

*V. Petri Damiani doctrina, Bernardi, & Petri Blesensis de authoritate hujus Senatûs ad Ecclesiæ propagationem, & ad emendationem morum. Quales à Pontifice eligendi sint Cardinales.*

*VI. Rursum de progressu & incrementis Cardinalium dignitatis usque ad annum millesimum ducentesimum. Diutina Imperatorum & Pseudopontificum persecutionis, fuga Pontificum & Cardinalium in Galliam, possunt & aliquid contulisse.*

*VII. Sæculo XIII. purpura Pontificum communicata est cum Cardinalibus, eorum consessio supra Episcopos penitus convaluit.*

*VIII. Quid de Cardinalium purpura sentiendum sit.*

I. CArdinalium Ecclesiæ Romanæ dignitas ad summum jamdiu fastigium quoddam sublimata est supra dignitates cæteras Ecclesiasticas omnes; nec fieri potest, quin & oblectationis habitura sit plurimum & utilitatis disputatio, quæ progressus & incrementa eorum accuratè aperiet. Concilium Romanum sub Joanne XV. anno 993. subscriptum fuit ab Episcopis, à Presbyteris & Diaconis Ecclesiæ Romanæ, at soli ibi Presbyteri
*Conc. To. 9. pag. 742. 835. 992.* Cardinales dicti sunt: *Presbyter & Cardinalis sancti Xysti.* Nec secus res se habuit in Synodo Romana anni 1015. sub Benedicto VIII. ubi plures subscripsere Episcopi alii, non solùm ante Cardinales Presbyteros, sed etiam ante Episcopos ejusdem sacri Collegii, prout vel Archiepiscopi erant, vel Ordinationis ævo seniores.

Quæ gesta sunt Constantinopoli anno 1054. sub Leone IX. inter ejus Apocrisiarios & Michaëlem Regiæ urbis Patriarcham, facilè produnt, quid mutatum jam tum esset in gratiam Cardinalium. Humbertus enim Episcopus Sylvæ Candidæ *Cardinalis Episcopus Ecclesiæ Romanæ* ibi dicitur, sedetque supra Archiepiscopum Amalphitanum. Fridericus Diaconus & Cancellarius nequaquam Cardinalis vocatur. *Humbertus Dei gratia Cardinalis Episcopus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Petrus Amalphitanorum Archiepiscopus, Fridericus Diaconus & Cancellarius, omnibus Ecclesiæ Catholicæ filiis.* Tres ii erant Apocrisiarii, seu Legati Papæ. Cùm Petrus Damiani Cardinalis Episcopus creatus esset, scriberetque ad alios Episcopos Cardinales, Ecclesiæ Lateranensis Cardinales eos appellabat: *Venerabilibus in Christo* *Baron. an. 1057. n. 19. 26.*
*sanctis Episcopis, Lateranensis Ecclesiæ Cardinalibus, Petrus, &c.* Hinc patet non suæ quemque Ecclesiæ Episcopalis contemplatione dictos eos fuisse Episcopos Cardinales, sed Ecclesiæ sancti Joannis Lateranensis Romæ: qua etiam de causa Humbertus Cardinalis inscribebat se Episcopum Cardinalem Ecclesiæ Romanæ.

Docet autem nos idem Petrus Damiani in hac *Petr. Dam. L. 2. Ep. 1.*
ipsa eadem Epistola, Episcopos septem illos, qui Cardinales appellitantur, devotos affixosque fuisse Ecclesiæ Lateranensi in urbe Roma, quæ prima esset & Princeps Ecclesiarum orbis omnium, ad quam pietatis ergò advolabant fideles ex longinquis etiam regionibus, & in qua sacra Mysteria celebrabat nemo, nisi Pontifex & septem illi Episcopi Cardinales. *Lateranensis Ecclesia sicut Salvatoris est insignita vocabulo, qui nimirum omnium Caput est electorum, ita mater & quidam apex ac vertex est omnium per orbem Ecclesiarum. Hæc septem Cardinales habet Episcopos, quibus solis post Apostolicum sacrosanctum illud altare licet accedere, ac divini cultus mysteria celebrare, &c. Porro quia ad Lateranense Palatium à diversis populis de toto terrarum orbe confluitur, &c.* Ex antiquo Rituali libro Ecclesiæ Romanæ, quem citavit Cardinalis Baronius, constat septem hos Episcopos, veluti cooperatores & Collaterales fuisse summi Pontificis, quòd ejus vice Pontificalis exercerent munia hebdomada quisque sua in Ecclesia Lateranensi. *Hæc septem habet Cardinales Episcopos, hosque dictos Episcopos Collaterales, itemque hebdomadarios, eo quòd singulis hebdomadibus per vices expleant munus Pontificis.* Et infrà: *Præter septem Collaterales Episcopos, erant alii Episcopi, qui dicuntur suffraganei Romani Pontificis, &c.* Hinc clarissimum est, cur hi septem Præsules Episcopi vocentur Romanæ Ecclesiæ, & Episcopi Cardinales sancti Joannis Lateranensis. Nec enim ratione Ecclesiæ propriæ Cardinales appellitabantur Episcopi. Cùm enim unius Ecclesiæ non posset nisi unus esse Episcopus, non potest is eo sensu Cardinalis dici, quo dicitur aliquis vel Presbyter vel Diaconus Cardinalis, qui plurium ejusdem Ecclesiæ sive Presbyterorum, sive Diaconorum princeps est & veluti caput. Dicebantur ergo Episcopi Cardinales, ratione unius Ecclesiæ Lateranensis Romæ, cui præerant & Mysteria celebrabant sua quisque redeunte per vices hebdomada, absente Pontifice, sicut Presbyteri Cardinales præerant Presbyteris cæteris Ecclesiæ suæ Parochialis.

II. Eminentissima horum Episcoporum Cardinalium potestas mirificè resplenduit in Concilio Romano sub Nicolao II. anno 1059. ubi constitutum fuit, ut penes eos esset summa authoritas in electione Romanorum Pontificum: ut suffragia ipsi colligerent, & consensum aliorum Cardinalium, Cleri, populique: si tumultuariæ autem turbæ aliquæ ita obstreperent, ut electio Romæ tutò fieri non posset, secederent ipsi quò opportunius visum esset, electionemque cum Clero celebrarent, laïcisque illis, paucis quidem, sed religiosis, qui se illis

conglutinarent; denique cùm Metropolitanus non sit ullus qui electionem Papæ confirmet, ipsi supplerent implerentque vices Metropolitani. *Obeunte Pontifice in primis Cardinales Episcopi diligentissimè simul de electione tractantes, mox ipsi Clericos Cardinales adhibeant, sicque reliquus Clerus & populus ad consensum novæ electionis accedat, &c. Quia verò Sedes Apostolica cunctis in orbe terrarum præfertur Ecclesiis, atque ideo supra se Metropolitanum habere non potest; Cardinales Episcopi proculdubio Metropolitani vice funguntur, qui videlicet electum Episcopum ad Apostolici culminis apicem provehant.* Præter eam Constitutionem editi sunt in eo Concilio Canones, in quibus unus est qui Papæ electionem totam permittit sapientiæ & authoritati Cardinalium Episcoporum: *Statutum est ut electio Romani Pontificis in potestate sit Cardinalium Episcoporum.* In Concilio Beneventano, quod eodem anno habitum est, Hildebrandus cùm Subdiaconus tantùm esset Ecclesiæ Romanæ, Cardinalis dictus est, & Cardinales omnes Archiepiscopis ipsis antepositi fuere.

Baron. an. 1059. n. 25. — Can. 1.

Nec inane hoc erat studium attollendæ Cardinalium authoritatis. Extorquenda enim erat Germanis Imperatoribus ea potestas eligendi suo nutu Romani Pontificis, quam jamdiu usurpare permissi fuerant. Non poterat ergo nimius esse amor ac conatus extollendæ Cardinalium potestatis, quæ Imperatoriæ ipsi potestati objicienda erat. Eo sensu sumenda est Petri Damiani Epistola ad Cadalonm Parmensem Episcopum, quem Imperatoria potestas vel grassatio Romanæ Sedi intrusetat. *Taceamus interim de Senatu, de inferiori ordinis Clero, de populo; Quid tibi de Cardinalibus videtur Episcopis, qui videlicet & Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibusdam aliis prærogativis, non modò quorumlibet Episcoporum, sed & Patriarcharum atque Primatum jura transcendunt.* Et paulò pòst: *Nimirum cùm electio illa per Episcoporum Cardinalium fieri debeat principale judicium, secundo loco jure præbeat Clerus assensum, tertio popularis favor attollat applausum, &c.*

L. 1 Ep. 20

Quæ mihi Petri verba tantò videntur mirabiliora, quòd iis primaria potestas eligendi Romani Præsulis ad solos revocatur Cardinales Episcopos, reliquique Cardinales promiscuè ferè permiscentur cum Clero reliquo, unum iis, velut & populo integrum ut sit, assentiri electioni à Cardinalibus Episcopis factæ. Cùm ita assurrexissent Episcopi Cardinales supra Episcopos alios quosvis, supra Primates etiam & Patriarchas: sedere etiam ante Episcopos omnes cœperunt. Cœpisse dico, quòd ea novatio sensim & lentissimis facta sit incrementis. Tarditatis autem tantæ non immeritò conjicitur causa fuisse, Cardinalium cæterorum cum Episcopis Cardinalibus individua societas. Non enim tantæ molis fuerat Episcopos aliquos supra Episcopos alios sedere jubere, quantæ eodem consessûs honore supra Episcopos quosvis donare etiam Presbyteros Diaconosque. Id enimvero non potuit nisi sensim sine sensu & multo temporis intervallo perfici. Sed cùm tandem ad illam sedendi prærogativam emersissent Cardinales Episcopi, paulatim ad se & alios pertraxere secum Cardinales, quibuscum in unum Senatum, unum Collegium, & unum quodammodo corpus coaluere.

Redeo ad electionem Papæ, quæ canonica esse non potest, si dissentiant Episcopi Cardinales, juxta eundem Petrum Damiani. *Ille Simoniacus est, qui Episcopus Cardinalibus reclamantibus inthronizatus est.* Qui ipse tamen illis Cardinales alios adjungit, ut ejusdem eligendi potestatis consortes, in ea nimirum disputatione quam instituit inter Advocatum Regium & Defensorem Ecclesiæ Romanæ. *Ille præferendus, quem Cardinales Episcopi vocaverunt, quem Clerus eligit, quem populus expetivit.*

Baron. an. 1033. n. 8.

III. Nonnihil etiam contulere crebertimæ Cardinalium Legationes ad eorum sedem & honorificentiam supra Episcopos evehendam. Narrat Leo Ostiensis, ut Desiderius Cassinensis Abbas, Presbyter Cardinalis creatus sit, & quodam veluti Cardinalatûs ornamento, Legatione auctus in Italiæ non paucis Provinciis. *Ut Martii mensis jejunio & Presbyteri gradum & Cardinalis pariter officium sumat, &c. Cardinalis Presbyter ordinatus, sequenti Dominica Abbas quoque consecratus est. Præterea de Cardinalatûs ipsius dignitate, & sancti Patris Benedicti honorificentia, per totam Campaniam & Principatum, Appuliam quoque atque Calabriam vicem suam idem Apostolicus plena authoritate commisit.* Legatio & Vicariatus Papæ videntur quasi insignia quædam fuisse Cardinalatûs propria. Illud saltem indubium est, & frequentissimas tunc fuisse Legationes, & nonnisi Cardinalibus creditas fuisse. Atqui nemo ambigit, quin ante Episcopos sederent & progrederentur Legati. Potest & in hoc contextu, & in compluribus aliis illud observari, spectatum fuisse Cardinalatum, ut dignitatem Ecclesiæ Romanæ, ejusdem Ecclesiæ supra alias omnes principatu quodammodo perfusam. Hinc Cardinales dicebantur Sanctæ Sedis, ut liquet ex ejus Epistola qui præfuit Concilio Turonensi anno 1060. *Stephanus Petri Apostolorum Principis & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis.* Idem observare est in Concilio Ausciensi anni 1068. Si veritati constent subscriptiones Concilii Romani anno 1059. eminent ibi Episcopi, Presbyteri & Diaconi Cardinales supra alios Archiepiscopos & Episcopos omnes. Ne suum Collegium distraheretur, solliciti erant Cardinales. Insueverant jam ferè Præsules cæteri, ut Episcopis Cardinalibus cederent; ita factum est tandem, ut & cæteris concederent. Ne Cardinalibus quidem Episcopis cedebant, ut Episcopis, sed ut Cardinalibus Ecclesiæ Romanæ, quo nomine æquabantur Cardinales omnes, & Cardinalatui ipsi ea adhærescebat sedendi prærogativa, ut perinde Presbyteris & Diaconis Cardinalibus communicaretur. Denique cæteri etiam præter Episcopos tam frequenter Pontificiis Legationibus ornabantur, ut inopini insuescerent Episcopi illis concedere tum etiam, cùm nullam exercerent Legationem.

L. 3. c. 12. — Baron. an. 1059 n 10.

Acta ipsa electionis Gregorii VII. Papæ manifestè demonstrant, ut tres ordines Cardinalium in unum corpus coalescerent individuum. *Nos sanctæ Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ Cardinales*: ii sunt tres ordines Cardinalium. Mox autem ibidem, *Clerici Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri*, Reliquus hic est Clerus Romanus: *Præsentibus Episcopis, Abbatibus, &c.* Ita etiam intelligi æquum est sacramentum quod Princeps Richardus postea præstitit Gregorio Papæ VII. *Secundùm quod monitus fuero à melioribus Cardinalibus, & Clericis Romanis, & Clericis.*

Greg. VII. Regest. l. 1. Ibid. post Epist. 21.

Nec dissimulari tamen debet, primævum gradum consessumque suum supra Cardinales recuperasse aliquando Episcopos, Cardinalibus sese Episcopis adgregando; & Cardinales alios infra se relinquendo. Ita videtur innuisse Leo Ostiensis, cum de creatione Victoris III. verba facit anno 1086. *Episcopi & Cardinales Romanæ Ecclesiæ ex diversis partibus*

Baron. n. 1, 2.

Romam

*Romam confluentes*, &c. *Unà cum Episcopis & Cardinalibus Romanis*, &c. *Congregati Episcopi & Cardinales & Romani omnes*, &c. Fieri tamen posset, ut non alii hi quàm Cardinales essent Episcopi. Etenim idem Scriptor de Concilio Beneventano agens anno 1087. ita Victorem III. Papam loquentem inducit, ut electionem suam tribuat Episcopis, Cardinalibus, Episcopis Provinciarum, & reliquo Cle-
Baron. n. 11. ro, populoque. *Cùm unanimi concordia Episcopi & Cardinales, Provincialesque Antistites, unà cum Romano Clero & populo, parvitatem nostram præfecissent.* Quæ verba Papæ accuratiora sanè sunt, quàm illa Leonis Ostiensis. Atqui Episcopos, id est, Episcopos Cardinales, cæterosque Cardinales locat supra alios orbis Provinciarum Episcopos.

Adeodatus Presbyter Cardinalis anno eodem 1087. suam Juris Canonici Collectionem Papæ Victori III. & *Clero Ecclesiæ Romanæ* dicavit, hoc
Baron. an 1087. n. 22. est, sacro Collegio. Porro in ipso operis sui vestibulo declarat ille, jam inde ab ipsis Cypriani temporibus moris fuisse, ut Clerus Romanus mortuo etiam Pontifice Ecclesiæ universalis clavum capesseret, regeretque, & litteras perscriberet, quibus non illibentes morem gererent Episcopi: Petri & Pauli Apostolorum authoritatem vivacissimam & nunquam intermorituram in Ecclesia Romana semper vivere, semper vigere. Hæc verissima est Cardinalium dignitatis descriptio, hæc natura, ut qui ille ipse primigenius & æternus fit Clerus, in unum cum Papa corpus coalitus, & vacante Sede, totam ejus authoritatem excipiens, circumgestans, exerensque.

IV. Qui Claromontani Concilii Episcoporum anno 1096. Catalogum texuerunt sub Urbano II. hi nomina antè adscribunt Cardinalium, postea Archiepiscoporum, & Episcoporum. Ex adverso autem in Concilio Lateranensi sub Paschali II. anno 1112. Cardinales non dicuntur nisi Presbyteri & Diaconi: Episcopi autem Cardinales cum Archiepiscopis, Episcopisque Provinciarum in unum conglobati, primas honoris supra illos obtinent. *Archiepiscopi & Episcopi quoque, & Presbyteri Cardinales, qui interfuerunt ipsi Concilio, hi sunt*, &c. Pas-
Baron. n. 4. chali II. successor datus Gelasius II. anno 1118. in cujus Electionis narratione observat Pandulphus, Cardinalium, Cleri, populique juris id esse, ut Papam eligant: at Episcoporum Cardinalium esse, ut electionem approbent, improbentve: & siquidem approbent, electo manus imponant. *Approbatur ab omnibus, nec non etiam ab Episcopis, quorum nulla est prorsus alia in electione Præsulis Romani potestas, nisi approbandi, vel contra, & ad communem omnium Cardinalium primùm, & aliorum petitionem, electo manus solummodo imponendi.* Ita tunc Episcopi, quanquam Cardinales, à Cardinalibus cæteris distinguebantur. Quod non minus clarescit in Innocentii II. Rescriptis anno 1140. adversùs Abaëlardi errores; quos confixerat Pontifex in Consistorio Epis-
Baron. n. 10. inter Epist. Bern. Epist. 194. Epist. 9. 10. coporum & Cardinalium. *Communicato fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium consilio.* Soli etiam Presbyteri & Diaconi sub Eugenio III. Cardinales dictitari solebant.

Sed quantumcumque secernerentur Episcopi Cardinales à Cardinalibus aliis, eorum indivulsa societas & conspiratio pulcherrimè enitescit in eo Consistorio, quo damnatus est Abaëlardus ab Innocentio II. & ab Cardinalibus simul omnibus; & luculentiùs adhuc in Concilio Remensi anni 1148. ubi Gilberti Porretani Pictaviensis Episcopi doctrina ad examen vocata est. Cùm enim beatus Bernardus doctrinæ formulam nomine Episcoporum Galliæ Pontifici & Cardinalibus obtulisset; impatientissimè tulere Cardinales, causam à se ventilari cœptam, ab Episcopis Galliæ definitam fuisse, & authoritatem suam quasi ludibrio habitam: Pontificem itaque ipsum interpellarunt, contestatique sunt, Cardinalium Collegium veluti cardinem esse, quo universalis vertatur Ecclesia; inustumque summæ Sedi ingens dedecus fuisse, ubi de fide definitum esset quidquam citra ipsorum consensionem: vel ab ipsis Patriarchis ad se referri solere quæstiones hujusmodi; ulciscendum protinus esse in authores ipsos tam audax facinus, & hactenus inauditum. Porro eam Doctrinæ formulam scripserant, Vita sancti Bernardi. L. 3. c. 5. subscripserantque decem Galliarum Metropolitani, & Episcopi complures. Mitigandæ Cardinalium iræ pro virili studuit Pontifex; Bernardus verò obtestatus est eam fuisse Episcoporum Galliæ sententiam, non definitionem: suffragium, non Judicium. Accipe jam ipsa Cardinalium verba, ut ab Ottone Episcopo Frisingensi referuntur: *Scire de-* De gestis Frider. L. 1. c. 17. *bes, quod à nobis, per quos tanquam per Cardines universalis Ecclesiæ volvitur axis, ad regimen totius Ecclesiæ promotus, à privato universalis Pater effectus, jam deinceps te, non tuum, sed nostrum potius esse oportere. Sed quid fecit Abbas tuus & cum eo Gallicana Ecclesia? qua fronte, quo ausu cervicem contra Romanæ sedis Primatum & apicem erexit? Hæc est enim sola quæ claudit, & nemo aperit; aperit, & nemo claudit. Ipsa sola de fide Catholica discutere habens*, &c. *Certè si in Oriente, utpote Alexandria, vel Antiochia coram omnibus Patriarchis hujusmodi tractaretur negotium, nihil firma stabilitate solidum sine nostra definiri valeret authoritate. Quin immo juxta antiquorum Patrum* Baron. an. 1148. n. 16. *instituta, vel exempla, Romano servaretur examini terminandum. Volumus igitur huic tam temerariæ novitati, celeriter assurgas*, &c. Ita tunc fidentissimè pronunciavit *sacer Cardinalium Senatus*, ut loquitur Otto ipse Frisingensis. Ita enim Cardinalibus omnibus præjudicatum erat, Reipublicæ totius Christianæ se esse veluti Senatum, atque successores illius vetustissimi Cleri Romani, cum Pontifice soliti consulere & definire de rebus longè maximi momenti, tum ad fidem, tum ad disciplinam spectantibus: de quibus possunt Episcopi & Patriarchæ sua quisque in ditione cognoscere & decidere aliquid: at cùm eorum judicia examini & judicio Papæ sacrique Collegii adhuc subsint, non possunt ejusmodi causæ omnino finitæ & terminatæ antè videri, quàm prima Petri sedes aliorum judicia confirmarit. Unde & Cardinales una ea de re expostularunt, quòd Episcopi Galliarum ipsis inconsultis tanquam definitivam protulissent sententiam. *Super Capitulis,* Vita Bernard. L. 2. Epist. 2. *quæ his diebus nobis assidentibus agitata sunt, tanquam finitiva sententia ultimam manum imponendo, nobis inconsultis fidem suam scribere præsumpserunt.*

V. Ex hac eadem Christiani Senatûs amplitudine & dignitate ansam arripiebat Petrus quoque Damiani, ut Cardinales excitaret incenderetque ad spiritalis imperii Christi decus amplificandum, totum ut terrarum orbem Christo substernerent; nec in Christianæ Reipublicæ gloria & sanctimonia promovenda minùs fervērent, quàm Romanus olim Senatus ad propagandum terreni Imperii principatum. *Spiritales universalis Ecclesiæ Senatores.*

Nec de eminentissima Cardinalium potestate ad errores omnes ab Ecclesia resecandos ambigebat Bernardus, cùm hæc ad eos scriberet, justissima indignatione adversùs Abaëlardum inflammandos.

Epist. 188. De Consid. l. 4. *Nulli dubium est quin ad vos specialiter spectet tollere scandala de Regno Dei, surgentes succendere spinas, sedare querelas, &c. Agite pro loco quem tenetis, pro dignitate qua polletis, pro potestate quam accepistis.* Alibi verò Collaterales eos vocat & Coadjutores Papæ. *Veniamus ad Collaterales, & Coadjutores tuos. Hi seduli tibi, hi intimi sunt.* Eugenium III. monet, eligi ab eo non debere, nisi virtutum splendore & rerum experientia spectatissimos; eligi verò debere toto ex orbe, cùm & de toto orbe Judices sessuri sint. *Tuum est undecumque evocare, & asciscere tibi exemplo Moysi, senes non juvenes, sed senes non tam ætate, quàm moribus: quos tu nosti, quia senes populi sunt. Nonne eligendi de toto orbe, orbem judicaturi?* Nec ad tantum columen ab eo accersiri debere, nisi qui illud aversentur & fugiant: *Pro quo rogaris, sit suspectus: qui ipse rogat pro se, jam judicatus est.* Deligendos ab eo esse, tanquam vel ipsius monitores & censores futuros: qui revocent, si aberret: temperent, si effervescat: excitent, si tepescat. *Qui si vellem aliquatenus deviare; non sinerent; frænarent præcipitem, dormitantem excitarent. Quorum me reverentia & libertas extollentem reprimeret, excedentem corrigeret, &c.* Ad Cardinales spectabat Bernardus, cum Pisanos adhortabatur, ut reverentur Princi-
Epist. 150. pes mundi, Judices orbis terrarum: *Honora mundi Principes, qui in se sunt, & Judices terræ.* Eodem illus ornat elogio, Eugenium alloquens: *Clerum illum ornatissimum esse decet, ex quo præcipuè in omnem Ecclesiam Cleri forma processit.*

Petrus verò Blesensis anno 1154. ad Adrianum IV. nomine Angliæ Regis scribens, submonet etiam, ut eos Cardinales eligat, qui Ecclesiæ uni-
Epist. 165. versalis onus cum eo portent. *Tales ordinare curetis cardinales, qui onus vestrum sciant, & velint, & valeant supportare.* Anastasius verò IV. Adriani hujus præcessor, successor Eugenii III. decreverat, ut Episcopi Cardinales, qui in Ecclesia sancti Joannis Lateranensis Pontificalia per vices obeunt, *Qui sunt ad principalis altaris servitium deputati*, semel hebdomada quaque Capitulo cum Canonicis Regularibus interessent, & corruptelas disciplinæ omnes authoritate ipsius Pontificis expurgarent: *vice nostra.* Inde forsan est etiam quod Presbyteri quoque
Epist. 15. & Diaconi Cardinales in Ecclesiis quique suis Episcopalem cœperint jurisdictionem explicare. Nec enim nisi aliquo id genus privilegio potuissent vel Episcopi ipsi Cardinales Episcopalem Romæ exercere jurisdictionem.

An. 1062. VI. Episcopos Cardinalibus semper præfert Alexander III. & in ipsis certè subscriptionibus Presbyteri Diaconique soli Cardinales vocantur. Et hic tamen non injoria Pontifex videtur exæquasse Cardinales omnes, quando in Concilio III. Lateranensi sanxit, ut ad electionem Pontificis, & necessaria esset, & sufficiens suffragatio duarum ex tribus partium, quamvis electiones essent aliæ, ubi pars major suffragiorum sufficeret. Ratio ea promitur in eo Concilio hujus discriminis, quòd aliis in Electionibus superior sit, vel præses aliquis, qui eas excutiat & confirmet; non verò ullus similiter sit in electione Pontificis. *Quod in eis dubium venerit, superioris poterit judicio diffiniri. In Romana verò Ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non potest recursus ad Superiorem haberi.* Non ergo amplius tunc habebantur Episcopi Cardinales, ut arbitri & moderatores electionis Pontificum, denique ut Metropolitani vicem obeuntes.

Ita cùm nihil admodum discriminis superesset inter Episcopos Cardinales & cæteros, peræquè & hi ante Episcopos Primatum honoris & sedis obtinuere. Nec alienum à vero est, Pseudopontificum infestationes ad id contulisse nonnihil. Cùm enim veri Pontifices adversariorum machinationibus compulsi fuerint toto sæculo duodecimo in Gallias confugere cum toto Cardinalium Collegio: certatim tunc omnes etiam incubuere, ut maximis quibusque & honoribus & præsidiis eos sublevarent, erigerent, & solarentur. Cælestes velut hospites Episcopi Regesque ipsi novis & inusitatis obsequiis prosecuti sunt; atque ita Cardinales in unum corpus, in unum semper cuneum cum ipso Pontifice conglomerati, eminentiùs semper quàm Præsules alii sedebant. Causæ omnes, negotia omnia in Consistorio sacro terminabantur; ita Episcopi Judicibus suis facilè primas honoris cedebant. Denique Cardinalitia tunc etiam purpura, ut infrà dicemus, condecorati sunt non pauci ex spectatoribus Galliæ Episcopis, atque ita facilè adducti sunt, ut ejus dignitatis bonorum incremento suffragarentur.

Nec tamen illa sedendi supra Episcopos prærogativa Cardinalium anno 1196. adhuc prorsus certa & firma constabat, cùm eo ævo facta sit Romæ Ecclesiæ dedicatio, cujus inscriptio declarat primò qui affuerint Archiepiscopi, deinde qui Episcopi Cardinales, postea qui Episcopi alii, tum deinde *tota Curia Cardinalium*, hoc est, ut ego interpretor, Presbyteri, Diaconique Cardinales. Baron. an. 1196. n. ult.

VII. Cardinales Legatos sua primùm purpura impertierat Romanus Pontifex. Vide ut illos expingat Græcus Scriptor, de Legato agens Constantinopolim misso anno 1213. *Papæ prærogativas omnes referens, &c. Namque calceos rubros induebat, neque diversi coloris indumentis amiciebatur, quin imò equi sagulum & fræna eodem inficiebantur veneno.* De hoc integumento purpureo intelligendus putatur Innocentius III. in ea Decretali, qua vetat ne Patriarchæ ipsi crucem explicatam circumgestent iis in locis, ubi adest tum Pontifex, vel Pontificius *Legatus, utens insigniis Apostolicæ dignitatis.* Innocentius IV. plures creavit Cardinales, & purpureo galero decoravit anno 1244. censent aliqui in Concilio Lugdunensi IV. id perfectum fuisse, ut invitarentur ad amorem fundendi pro Ecclesia sanguinis, in quam dudum Imperatores, in quam tum vel maximè sæviebat Fridericus Imperator. Videri autem possit hæc Regalis Christi Sacerdotii purpura cumulum adjecisse summæ Cardinalium amplitudini, quæ illos deinceps certissimè supra Episcopos omnes evexit. Ut enim Pontifex Legatos à Latere illa exornans purpura, provexerat eos supra omnes orbis Episcopos: ita cùm eadem honestati sunt cæteri Cardinales omnes, supra Episcopos, Archiepiscopos & Patriarchas assurrexere. Et sanè in hoc eodem Lugdunensi Concilio anno 1245. ad dextram & ad lævam Pontificis sedit sacrum omne Collegium, supra Archiepiscopos & Episcopos omnes. *Ad dexteram & in eminentioribus locis sederunt Episcopi Cardinales, ex altera verò Presbyteri Cardinales, Archiepiscopi & Episcopi post eos.* Permiscebat quodammodo ea vestis Cardinales cum Legatis, & eadem exornabat honoris prærogativa. Ideo & Matthæus Westmonasteriensis ait anno 1265. Cardinalem Legatum Ottobonum venisse in Angliam cum rubris vestibus: *Cum rubeis in Angliam veniens indumentis.* Fieri tamen posset ut Legatorum adhuc propria & peculiaria essent indumenta rubra. In Con-

Raynal. n. 6. — C. Antiqua De privil. — Spondan. an. 1244. n. 4. Aubery Hist. p. 250. — Conc. tom. Pari. 1 . 638 636

cilio enim Logdunensi donati sunt tantùm Cardinales rubris galericulis. Paulus II. donavit eos pileis rubris, ut à cæteris Prælatis secerni possent in Cæremoniis sacris, ubi galeri usus non est ullus. Ita tradit Cardinalis Papiensis, qui particeps & ipse fuit hujus ornamenti sacri. (Comm. l. 2 pag. 370.) *Cardinalibus qui sacris induti vestibus à Prælatis inferiorum ordinum præterquam loco non noscebantur, usum mitræ sericeæ, Damasceni operis, rubraque capitis indulsit, quibus soli Antistites Romani antea utebantur.* Platina, qui in offensionem incurrit hujus Pontificis, tradit ab eo prohibitum fuisse, ne quis præter Cardinales indumento illo purpureo caput tegeret. Ubi suprà de vestibus Clericorum dictum est, satis superque claruit, quàm familiares essent Clericis & rubeus & alii colores splendidiores. (Spondan. an. 1464. n. 17.) Additur & illud ab eodem Platina, permissos esse Cardinales ab eodem Pontifice purpureis etiam ephippiis equos insternere. Memorat & Victorellus in suis ad Ciaconium Additionibus, visas esse à se metallicas icones Pauli II. in quibus essent Cardinales omnes cum Galeris suis. (Le Chapeau.) Ex quo ille infert solitos tum eos in Consistoriis etiam uti galeris illis iisdem, quibus in solemnibus etiamnunc utuntur equitationibus, donec concessit, immo reservavit illis Paulus II. pileum rubrum. (Le Bonnet.) Anno 1591. Gregorius XIV. pileo rubro decoravit Cardinales variorum Ordinum Monasticorum; (Spondan. n. 12.) qui hactenus usi fuerant pileis ejusdem coloris cum veste sua.

VIII. Si quibus non facilis videatur consensio hujus Cardinalium purpuræ, & reliquæ eorum pompæ, cum ea mundi pomparum abdicatione, modestia, humilitate & temperantia, quam Christiana præ se fert & profitetur Religio: legant quæ de sancto Carolo Mediolano scripsit Giossanus in suis de ejus vita Commentariis: Nec enim alio vel oculo, vel animo Carolus purpuram spectabat suam, quàm ut incitamentum quoddam & auctoramentum ad Martyrium. Immo tum Cardinalibus ipse aliis inusitatos illos honores exhibebat, sibique ab aliis exhiberi volebat, qui vulgò eis impenduntur, ab (L. 8. c. 3.) Optimatibus etiam Principibusque non ventoso supercilio, non inanium mundi honorum turpi cupidine: sed ut vel Principes & Reges ipsi Christum Christique Ecclesiam in suis Ministris tantò religiosiùs venerarentur. Qui ea mente hanc purpuram Christique Ministrorum pompam contemplantur, qua Cardinales Baronius, Bellarminus, Berullius, pluresque alii: illis ea non potest non videri longè pulcherrima, sed & sanctissima, utpote Christi summi æternique Pontificis sanguine tincta & delibuta. Auctor est Nangius anno 1252. ab Innocentio IV. donatos esse Cardinales purpureo galero. *Per hoc innuens, quod in persecutione fidei & justitiæ, Romana Ecclesia, quæ caput est omnium Ecclesiarum, præ cæteris debet caput apponere, si necesse fuerit, cruentandum.*

---

## CAPUT CXIV. *P. 4. l. 2. c. 80.*

### De Cardinalibus post annum Christi trecentesimum supra millesimum.

*I. Dissensiones in Anglia ob Cardinalium sedendi privilegium. Epistola Eugenii IV. de eorum prærogativa. Successores Apostolorum eos dicit Eugenius, quà Apostoli circa Christum instar cujusdam præformabant sacri Collegii.*

*II. In eadem fuere sententia Gersonius, Petrus Alliacensis, & Almainus, Cardinales & Episcopos alio & alio sensu successores esse Apostolorum.*

*III. Lites & jurgia in Polonia super præeminentia Sedis Cardinalium.*

*IV. Protonotarii ipsi supra Episcopos procedere & sedere cœperunt. Pius II. Episcopos suo gradui restituit.*

*V. Reges ipsi quandoque Cardinalibus libentissimè concesserunt.*

*VI. Religiosa hæc erat & arbitraria Regum pietas: qui ut collibitum sibi fuit semper in hujusmodi rebus agere permissi sunt.*

*VII. Nec Pontificibus ipsis, nec Cardinalibus alia quàm Religionis & pietatis & Christi gloriæ obversari animo, & amori atque oblectamento esse debuit.*

*VIII. Episcopatûs decora & ornamenta sunt quædam ampliora quàm Cardinalatûs.*

*IX. Qui primi cùm Episcopi, vel Archiepiscopi essent, ad Cardinalium titulos evecti sunt, sive Episcopales, sive Presbyterales.*

*X. An sociari possit Cardinalatus cum aliis Episcopatibus, vel Archiepiscopatibus. Quando Cardinales cœperint Titulos novos prioribus exutis induere.*

*XI. Quando & cur permissi sint Cardinales protectionem Regnorum capessere, causas & utilitates promovere, pensiones & dignitates accipere.*

*XII. Peculiaria quædam observantur in novorum Cardinalium creatione. Super ea re statutum quid fuerit in Conciliis: Constantiensi maximè & Basileensi.*

*XIII. De numero Cardinalium.*

*XIV. De usu mittendi pilei.*

*XV. De residentia Cardinalium: de Episcopatibus qui eis commendantur.*

*XVI. De Exocatacœlis, vel de Cardinalibus Patriarchæ Constantinopolitani, eorumque consessione supra Episcopos.*

I. Redeo ad Cardinalium præsidendi prærogativam. In Concilio Lugdunensi II. anno 1274. (Rainal. n. 3.) sederunt Cardinales non solùm supra Episcopos, Metropolitanos & Primates omnes, sed & supra Patriarchas Latinos, Constantinopolitanum & Antiochenum. Anno 1312. cùm delegaret Clemens V. in Angliam unum ex Presbyteris Cardinalibus (Rainaldus n. 28.) cum Episcopo Pictaviensi, ut Mediatores agerent pacemque resarcirent inter Regem & Barones, in suis ad suos ipsos Legatos mandatis excusavit Pontifex, quòd consuetudini recentiori obsequendum necessariò sibi esset, ut Presbyterum ante Episcopum nominaret, præter mores antiquos. Anno 1440. cùm Cardinalium Collegio adscripsisset Pontifex Archiepiscopum Eboracensem de procedendi (Spondan. n. 31.) & sedendi honore cum eo litigavit Archiepiscopus Cantuariensis. Rescripsit ad Cantuariensem Pontifex permirum sibi accidere, quòd cum Vintoniensi Episcopo cessisset, postquam Cardinalium Collegio cooptatus fuerat: nunc pari honore respuat afficere Eboracensem Archiepiscopum; nec eum causari eum posse, quòd Vintoniensis Regio sanguine prognatus esset, cùm ante Cardinalatum semper primas honoris partes supra illum tametsi Principem obtinuisset: porro non præterire illum posse, Cardinalatum ab ipso beatissimo Petro institutum fuisse. *Officium ipsum à B. Petro ejusque successoribus institutum invenies:* quin immo, quod in Levitico præcipitur, ad summum Pontificem & ad Seniores ei assidentes recurri debere ad enodationem causarum implicatiorum, id de Papa & Cardinalibus interpretandum nunc esse; cùm Pontifex enim Vicarius Christi sit, & effigies ejus verissima, Cardinalium quoque Collegio repræsentari Apostolos Christo circumfusos; sicut & iidem Apostoli per Episcopos repræsentantur, ut per orbem dispersi, ad Evangelii promulgationem. *Ut quemadmodum Christo conversanti in terris assistebant Apostoli, ita etiam Cardinalium cœtus Apostolicum repræsentans, coram Papa assisteret: reliqui verò Episcopi, ubique diffusi, Apostolos repræsentant ad prædicandum per orbem missos.* Addebat & illud Pontifex, Cardinales esse veluti membra Sedis Apostolicæ, quæ à capite suo summo Pontifice nec ab-

scindi possint, nec sejungi: Donatione Constantini declarari Cardinales Senatores, Patricios, Consules; porro vel ab ipsis Imperatoribus Patricios parentum loco haberi & coli; cùm dignitates & prærogativæ omnes Patriarcharum & Archiepiscoporum à Petri sede, ut rivi à fonte scaturiant, utque rami à trunco & radice pullulascant: neminem offendi debere, si rem minimè invidiosam fecit Pontifex, si novo quodam gloriæ radio Cardinales perfudit; neminem jure reniti posse consuetudini vetustissimæ, & quæ ultra hominum memoriam esset: *Consuetudo tam vetusta, ut ejus initii memoria non extet in contrarium*, eam sedendi honorificentiam Cardinales obtinuisse supra Episcopos in Conciliis Generalibus, maximè in Lugdunensi I. & II. sub Innocentio IV. & Gregorio X. eminere quidem certissimè supra Presbyteros Diaconosque ordinem Episcoporum: sed de jurisdictione hic agi, non de ordine; Ex canonicis de jurisdictione legibus Archidiaconos, etsi Diaconi tantummodo sint, de Presbyteris & Archipresbyteris ipsis cognoscere, & sententiam ferre; eadem ute honoris supra Episcopos prærogativa Metropolitanorum Vicarios Generales; denique dignitatem Cardinalium, qui cum Pontifice Ecclesiam administrant universalem, & de causis ipsis Episcoporum judices sedent, eminere indubitatissimè dignitati Patriarcharum & Episcoporum quorumvis, quibus una particularis tantùm Ecclesia regenda crederetur, & à quibus esset provocatio ad Sedem Apostolicam.

Ita compendiariè visum est nobis ob oculos ponere quæ copiosiùs disserit Eugenius IV. in Bulla ad id promulgata. Observandum hîc autem nobis illud in primis est, quòd quamvis antiquissimam illam Pontifex contendat consuetudinem, quæ hîc expenditur: non depromit tamen speciale documentum ullum, Concilio Lugdunensi I. & II. vetustius. Quæ enim præcesserant omnia, tentamenta tantùm & vicissitudines fuerant, atque alternationes; at fixa rataque res fuit in Concilio Lugdunensi I. idque abundè est, ut tempore Eugenii IV. immemorialis ea haberetur consuetudo, immo & Apostolica. Quis enim tam mentis impos, tam ineptus est, qui Pontifices Synodosque velit spinosis criticæ ambagibus sese inserere, ut certas Epochas rerum definiant, & quarumvis Ecclesiæ consuetudinum?

II. Quoad illam autem Eugenii propositionem: Cardinalium dignitatem, & Ecclesiæ coævam, & Apostolicam suo modo esse, quòd circa Christi Vicarium ita illi assideant, ut olim Apostoli circa Christum: utque Pontifex Christi Vicarius, ita illi Apostolorum Vicarii & successores sint; non est quòd quisquam moveatur, aut quasi ad rem novam obstupescat. cùm illa esset eo tempore tritissima Theologicarum Scholarum doctrina. Excors planè fuerit, qui invidiam fecerit Gersonio, tanquam Curiæ Romanæ assentatori. Atqui hæc eadem ejus

Gerson To. 1. p. 188. est doctrina. *Status summi ac sacri Collegii dominorum Cardinalium fundatus est in Ecclesiastica Hierarchia subcælesti, immediatè à Christo, nec humana institutione, seu præsumptione potest destrui.* Simillimum veri est, tum à Gersonio propalatam eandem fuisse doctrinam, quæ communis erat omnium eorum qui Concilio Constantiensi interfuere. Id evidentiùs patefiet ex Tractatu quem Petrus de Alliaco, qui Cardinalis & ipse postea fuit, *de Authoritate Ecclesiæ* scripsit in Concilio Constantiensi anno 1417. Proferam ejus verba ipsissima, quorum magna affinitas est cum Bulla Eugenii IV. superiùs relata.

Ibid. p. 899. 900. 907. 749. *Licet nomina Papatus & Cardinalatus tempore Petri & aliorum Apostolorum non fuerint in Ecclesia usu, tamen Ecclesiastica potestates dictis nominibus designata, ex tunc in Apostolis præfulserunt, videlicet Papalis dignitas in Petro, & in singulis Apostolis Cardinalatus authoritas. Pro cujus declaratione sciendum est quod sicut patet ex decursu historiæ Actuum Apostolorum, Ecclesiasticis historiis ac sanctorum Patrum decretis, ante divisionem Apostolorum, per quam ad diversas mundi partes dispersi sunt, Apostoli Petro tanquam Papale officium gerenti assistebant, tanquam Cardinalatus ministerium exercentes: sicut nunc Papæ assistunt Cardinales, tanquam ejus principales Assessores & Consiliarii, atque Cooperatores in regimen universalis Ecclesiæ. Postquam verò Apostoli à Petro separati, speciales sibi Diœceses sortiti sunt, ex tunc Episcopale officium exercuerunt.* Hinc verò infert Alliacensis, Apostolos priùs obiisse partes Cardinalium, quàm Episcoporum; & antè universalis Ecclesiæ Cardinales fuisse, quàm ulli essent Romanæ: *Ex hoc potest inferri, quod Apostoli priùs Cardinales quàm Episcopi fuerunt, &c. Priùs fuerunt Cardinales orbis, quàm urbis.* Ex quo rursus ita concludit, tum Cardinales, tum Episcopos Apostolorum & successores & hæredes esse, sed alia & alia ratione. *Senatui Apostolorum succedit Collegium sacrum Cardinalium, quantum ad illum statum quo Apostoli coassistebant Petro, antequam fierent particularium Ecclesiarum Episcopi. Statui autem Apostolorum, in quantum fuerunt Episcopi, succedit ordo Episcoporum.* Denique hinc ille infert, in eo præter consuetudinem satis validè superstrui jus Cardinalium sedendi supra Episcopos, etiam Diaconorum: quòd supra Presbyteros Archidiaconi præsideant. Hanc Almainus fatetur esse Alliacensis doctrinam, à qua nec ipse recedit.

Qui manus conseruerunt cum Bohemis in Concilio Basileensi, horum Doctorum consectati sunt vestigia, in iis quæ ad Cardinalatum attinent. Pragensis Academiæ Doctores jam ab anno 1413. hanc propositionem inter alias complures scriptis mandarat, ab omnibus subscribendam, adversùs errores Joannis Hus. *Quod credit sicut Romana Ecclesia,* Conc. Tom.
*cujus Caput est Papa, corpus verò Collegium Cardina-* 12. p. 1332.
*lium, manifesti ac veri successores Petri Principis Apo-* Raynal an.
*stolorum, & Collegii aliorum Apostolorum Christi.* Sed 1413. n. 5.
& multo antè tempore Fridericus Imperator anno ann. 1449.
1239. ad Cardinales scripserat, ut ad successores n. 8.
Apostolorum. Refertur illa Epistola à Matthæo Paris. *Cùm sit Christus Caput Ecclesiæ, & in Petri vocabulo suam fundaverit Ecclesiam supra Petram, vos Apostolorum statuit successores.*

III. Sed ut unde exierat, eò revertatur oratio, ad jurgia & dissidia adversùs hanc Cardinalium dignitatis prærogativam excitata: cùm Eugenius IV. Cardinalitium galerum misisset ad Episcopum Cracoviensem, interpellatus à Rege Poloniæ, Archiepiscopus Gnesnensis Regni Primas & Comitiorum Præses natus cessurum se loco pernegavit. Eam litem Nicolaus V. Pontifex sedavit, præire jusso Cardinali, sed suffragium non dicere, nisi suo, quà Episcopus erat, ordine; porro Gnesnensi integras intactasque permittere prærogativas omnes suas & functiones usitatas in Comitiis Regni generalibus. Præclarissimum id quidem temperamenti genus vi- Statut. Pol.
sum est: sed nihilo tamen minus paulò pòst in Par- pag. 63. 64.
lamento, seu in Comitiis Regni statutum est, ne 421.
quis ambiret vel Cardinalatum, vel Legationem Spond. ann.
Sedis Apostolicæ, nisi permittente Rege & Senatu: 1449. n. 14.

& ne nisi alternatim ad Comitia accederent duo hi Præsules, quando vocarentur à Rege, nec simul interessent unquam. In Actis tamen publicis nominabatur & subscribebat Cardinalis ante Gnesnensem.

IV. Non satis comperi, quando cœpissent in Aula Romana supra Episcopos sedere Protonotarii Apostolici. Illud comperi à Piu II. redditos esse Episcopos honoribus sedibusque suis, idque ab ipsomet referri Pio, verbis de amplitudine Episcopatûs honorificentissimis. Profitetur enim non esse ullum in universali Ecclesia sublimiorem gradum, ordinemque: & ipsum Christi Vicarium amplum illud sibi ducere, ut Episcopus vocetur. *At Pius altitudinem Episcopalis eminentiæ animo volvens, qua nihil est in Ecclesia sublimius, & quod ipse Romanus præsul Jesu Christi Vicarius, Episcopi nomine contentatur, Notarios non consuetudine, sed corruptela Prælatos Episcopis judicavit, idque deinceps prohibuit, edita lege, quam totus fermè orbis collaudavit.* [Comment. Pii II. L. 3. pag. 64.] Quæ eam in rem promulgata est Bulla, insinuare videtur, eam innovationem ex eo profectam esse, quòd Notarii vel Protonotarii Apostolici in Consistoriis publicis propiores assiderent Pontifici, ut eorum quæ statuerentur Acta & Registra commodiùs conderent.

V. Minus mirum est autem, si eo tempore Cardinalibus concederent Episcopi, quo & Reges ipsi lubentissimi eo illos honore afficiebant. Angliæ Rex anno 1235. ad Cardinalem scribens Presbyterum, nomen suum nomini Cardinalis postposuit. [Conc. Tom. 11. pag. 483.] Anno 1293. Rex Siciliæ Carolus ad Perusiam cùm venisset unà cum filio Carolo Martello Rege Hungariæ, & in Consistorium ingressus esset, inter Cardinales Episcopos sedit, filius ejus Rex Hungariæ inter Cardinales Diaconos. [Gobelin. pag. 66.] *Pontificum Patrem medium, mediumque secundum inter Levitas primos:* [Rainald. n. 2.] ut habet ejus ævi Poëta. Anno 1295. ambo hi Reges diademate redimiti ministrarunt Pontifici mensæ accumbenti; accubuerunt postea & ipsi mensæ cum Cardinalibus. [Ibid. n. 6] In Comitiis Germaniæ coram Friderico III. Imperatore, conquesti sunt Germani anno 1455. quòd Cardinalis Vice-Cancellarius Romæ sedisset supra Regem Romanorum: quòd inter extremos Cardinales sedisset Rex Hungariæ, & quòd non eodem gradu quo Cardinales locati fuissent Electores Imperii. [Ibid. n. 1.] Anno 1464. Dux Venetorum admissus non est, nisi inter duos extremos Cardinales Diaconos. [Ibid. n. 30.] Fides utique habenda est Æneæ Sylvio, & Cardinali Papiensi. [Cardin. Papi. Cõment. L. 1 p. 360.] Præstò erat Papiensis anno 1474. cùm Rex Daniæ exceptus fuit Romæ inter duos Priores Cardinales, & nec sedere, nec operire caput voluit, nisi post eos. *Inter duos primos Cardinales sessum receptus, non priùs sedere, non priùs tegi voluit, quàm utrumque ab utroque factum esset.* [Rainal n. 2.] Interpellavit eos etiam, ut liceret sibi non accedere ad adorandæ Crucis Christi venerationem, erat enim dies illa Magnæ Parasceves, nisi post Cardinales omnes, *ut habeatur inquit justus honor summo Senatui.* [Papiensis Epist. 150.] Addit Papiensis potentissimum Regem, cui tria parebant ad Septentrionem Regna, illustrissimo hoc exemplo vel ipsos Italos edocuisse, quanto honore & cultu prosequendum sit Christi in Ministris suis Sacerdotium.

VI. Nec dissimulari tamen debet, suapte sponte, & eximia quadam pietate ac modestia adductos fuisse hos Reges, ut his honorum obsequiis in sacrum Collegium defungerentur. Et ea quidem consuetudo invaluit & roborata est. Sed nihilo tamen minus spectanda res tota est, ut in exordiis suis habuit, hoc est, ut in his honorum gradibus pietas, non necessitas attendatur: eos enim sedium honores admoderatur nunc, & primum olim instituit, non vana amplificandi Cardinalatus cupiditas, non intoleranda deprimendorum Regum machinatio, sed cœlestis quædam sapientia, charitasque, & cupido extollendi & propagandi spiritalis Christi Regni, sacrorumque ejus Ministrorum supra terrena omnia prorsus imperia. Si Principes, si Cardinales, si Lectores aliud animo versant, aliud meditantur, cùm de his agitur, falluntur & fallunt, & malè suspicantur de Ecclesia, quia præpostere de ea judicant; quia secundùm carnales hominum cogitationes de ea judicant, cùm ipsam, ejusque ritus & mores regat animetque cœlestis Spiritus sapientia & charitas. Carolus, Bellarminus, Baronius, Betullius sanissimè & sanctissimè de his sentiebant, quia spiritaliter sentiebant; & ubi carnales homines chimærica quædam ambitionis portenta vident, aut videntur sibi videre: illi Christi crucem purpuratam, illi martyrii purpuram, illi Sacerdotii Christi trophæa, illi spiritale Christi Imperium triumphumque de terrenis omnibus potestatibus intuebantur, & eo uno animus eorum pascebatur & recreabatur intuitu. Inde est, quòd & cùm Regibus aliter visum est, incunctanter eorum sententiæ & voluntati subscriptum est. Anno 1495. Carolus VIII. Galliæ Rex Romæ sedit *Ante Cardinales, seu in medio eorum.* [Rainal. n. 3.] Anno 1515. Francisco I. Galliæ Regi fuit pro lege voluntas Bononiæ; non solùm erga Pontificem, qui professus est cultum eum & honorem omnem Deo deferri: *Omnia hæc in Deum transferens, & Deo omnia attribuens:* [Ibid. n. 29. 30.] sed & erga Cardinales, quos ut Patres fratresque habuit pro cujusque ætate: *Sicut Patrum & fratrum suorum.* Verba hæc ipsamet sunt Præfecti cæremoniæ sacræ.

VII. Itaque cùm Cardinales aiebant Pio II. *Cardinales pares Regibus haberi:* [Comm. Pii II. L. 3. pag. 66.] & cùm idem Pontifex novos diligens Cardinales, aiebat illis: *Vos Senatores urbis & Regum similes eritis:* [L. 4. p. 99.] cùm Cardinalis Papiensis ait, *Collegium quod sacrosanctum in Ecclesia dicimus, Regibus anteferendum putamus:* [Card. Papienf. Epist. 180. 181. 204. 285.] Et cùm alibi dicit, *Cardinalem R. E. membrum Pontificis, cujus dignitas anteferetur Regibus:* & cùm Paulum II. Papam alloquitur, *Si in filios Romani Præsulis, & in membra Vicarii Christi, & in eos quos sanctitas vestra anteferri Regibus asserit:* Hæc & hujusmodi alia religionem sapere debent, si quid sapimus: pietatem redolere debent, ut Christi bonus odor, utque Christi ministri simus; nec gratulemur nobis, vel Ecclesiæ, nisi de voluntaria dejectione Regum, lubentissimè ac religiosissimè ad pedes se dejicientium ejus, & ministrorum ejus, qui pro ipsis Rex Regum cùm esset, æternùmque futurus sit, exinanivit semetipsum. Si quibus hi dependuntur honores, aliquid hinc suffurantur & blandiuntur sibi, nec totum in Christum retorquent, rapina est, sacrilegium est, & profanatio sacrificii quod Deo offertur. Si Cardinalis Turnonius sacri Collegii Decanus, si Cardinales Lotharingus & Gusius adduci non potuere, ut assentirentur Decreto Colloquii Possiacensis, ut Principibus Regii sanguinis cederent, supra quos hactenus sederant: credere æquum est, non tam privatæ gloriolæ amore insulso id eos fecisse, quàm studio tuendæ Ecclesiæ, & sacri Collegii majestatis propugnandæ, cujus ut decus, ita & dedecus in Christum ipsum refundebatur; utque ne Condæo Principi facilè concederent, quem avitæ fidei & religionis perduelles abduxerant in [Spondanus. n. 14.]

abrupta novellæ hæreseos, & cui tunc eum de Cardinalium prærogativa triumphum adornabant. Iterum L. 8. c. 3. L. 3. c. 5. moneo iterumque lectitandam esse vitam Caroli Borromæi, ut intelligatur, ab homine modestissimo, & quo non alius à mundanæ gloriolæ appetitione alienior, distingui vehementer personam à dignitate, & insuper habita persona, dignitati certè ipsi ministri Christi impatientissimè eum tulisse si quid decerperetur honorum eorum qui deberentur.

VIII. At quamvis Cardinales in id fastigium evecti sint, ut jam conspectum effugiant; non semel tamen contigit, ut & Archiepiscopi iis, & Episcopi anteponerentur. Philippum Franciæ Regem certiorem fecit Joannes XXII. Papa, Cardinalatum se quibusdam contulisse, quibus Archie- Rainal. an. 1331. n. 32. piscopatum credere refugisset. *Aliquem nominatum ad Cardinalatum, quantum in nobis fuit admisimus, quem non sic admisimus ad Archiepiscopalis apicem dignitatis.* Nemo nescit inter illas procellas quæ in sanctum Carolum detonuerunt, illud cum præ se tulisse, Cardinalatu se lubentiùs faciliúsque abiturum, quàm Archiepiscopatûs sui administratione. Qui Concilio Lateranensi V. aderant Episcopi sub Idem anno 1514. n. 15. 16. Leone X. ægrè ferentes dignitatem suam vilescere, crebris Cardinalium usurpationibus; statuerunt ali- An. 1515. n. 1. quando, aut Sessionibus abesse in posterum, aut non aliter opinari, quàm abrupto illo verbo, *Displicet*; ut persentiscerent aliquando tandem Cardinales, non tam eorum purpura & splendore, quàm Episcoporum dignitate, multitudine & unanimitate constare Concilium: *Quorum consensus potius quam Cardinalium, ratione numerositatis facit Concilium.* Quo consilio id consecuti sunt quod volebant.

IX. Accedet & aliquid roboris huic doctrinæ ex iis Cardinalibus, qui sacræ purpuræ Episcopales, vel Archiepiscopales alicujus Ecclesiæ infulas Baron. ann. 1057. n. 8. addiderunt. Anno quidem 1057. Fridericus ex Cancellario Romanæ Ecclesiæ Monachus Cassinensis, electus fuerat ejusdem Monasterii Abbas, eodemque tempore ordinatus Presbyter Cardinalis Tituli Ibid. n. 10. sancti Chrysogoni à Victore II. Papa. Nicolaus II. anno 1059. Desiderium Abbatem Cassinensem & Presbyterum Cardinalem ordinavit. Anno 1079. Greg. VII. L. 7. Ep. 8. Gregorius VII. firmavit electionem Richardi Cardinalis in Abbatem Monasterii Massiliensis. Sed nondum Cardinalis ullus Episcopatum vel Archiepiscopatum in Provinciis gesserat, ante tempora Alexandri III. qui ut vicissim gratificaretur Conrado Electo Archiepiscopo Moguntino, qui ab Baron. ann. 1163. n. 16. Antipapa Octaviano & à Friderico Imperatore, cujus regiæ cognationi illigatus erat, absciderat sese, & Ecclesiæ Romanæ reddiderat, Episcopum illum Cardinalem S. Sabinæ creavit, statimque consecravit Archiepiscopum Moguntinum. In eo concordiæ fœdere, quod postea sancitum est inter Pontificem & Imperatorem, subscripsit Conradus inter Cardinales, sed priùs Archiepiscopum Moguntinum, postea & Episcopum Cardinalem sanctæ Sa- Idem anno 1177. n. 21. 73. 74. 75. binæ se scripsit. Sed cùm pollicitus esset recepissetque Pontifici, se cessurum Archiepiscopatu Moguntino, si non aliter pax resarciri posset Imperii & Sacerdotii, cessit reapse, eumque Pontifex eligi curavit in Archiepiscopum Salisburgensem. Scitissimè animadversum est à Ciaconio, primum illum ex Cardinalibus duos obtinuisse Episcopatus, quod hactenus inauditum fuerat. *Primus omnium Cardinalium duas Ecclesias simul obtinuit, novo, nec unquam audito exemplo.* Sed quod inauditum antè fuerat, mox frequentari etiam cœpit. Idem enim Pontifex Alexander III. Guillelmum Archiepiscopum Re- Baron. n. 13. mensem, Cardinalem Episcopum creavit sanctæ Sabinæ: Henricum verò Claravallensem Abbatem Albanensi auxit Episcopatu, qui Episcopi Cardinalis titulus jam tum erat. Ita refert Rogerius, idque Reg. L. 1. in Concilio Romano anni 1179. Erat Guillelmus proxima affinitate Regi Galliæ Ludovico VII. conjunctus, scribebatque ad eum Innocentius III. Papa, sed ita ut priùs illum diceret Archiepiscopum Remensem, quàm Episcopum Cardinalem sanctæ Sabinæ. De eo Rigordus etiam agens Archiepiscopum semper præponit Cardinali. Refert Nicolaus Trivetius in Chronico, anno 1228. obiisse Stephanum, qui ex Professore Theologiæ Parisiis factus fuerat Presbyter Cardinalis Tituli sancti Chrysogoni, deinde Archiepiscopus Cantuariensis.

Obiter hîc interim observandum, quò gradatim res evaserit. 1. Collatus Abbatibus Cardinalatus, vel collatæ Cardinalibus Abbatiæ, vel denique Cardinalibus præceptum non est, ut Abbatias abdicarent. Itaque vel sic duas simul Ecclesias obtinebant. 2. Collatus Episcopis Cardinalatus, sed iis temporum rerumque commissuris, quæ id extorquere viderentur. 3. Episcopis vel Archiepiscopis collati sunt Tituli Episcoporum Cardinalium, ut factum fuerat in Archiepiscopo Moguntino. 4. Episcopis vel Archiepiscopis additi sunt Tituli Presbyterorum Cardinalium, quo præposterum nescio quid in speciem fiebat, cùm Episcopi & in Presbyteros decrescerent, & augescerent in Cardinales, uno eodemque facto. Anno 1186. Henricus de So- Bituricensis Patriarc. c. 67. liaco ex Patriarcha Bituricensi creatus est Cardinalis, sed nobis haud certum est, Episcopus, an Presbyter Cardinalis creatus sit.

X. Anno 1426. Archiepiscopum Rotomagensem Joannem de Rochetaille Martinus V. Cardinalium albo inscripsit, absolvitque ab Ecclesiæ Rotomagensis vinculo. At cùm Episcopi complures Cardinalatum fugitarent, ne Episcopatibus se suis exuere unà cogerentur: novo huic Cardinali indultum est à Pontifice, ut Archiepiscopatum retineret *ad beneplacitum Apostolicæ Sedis.* Marca de Concor. Præfa. n. 14. Nec acquievit Cardinalatui Archiepiscopus, nisi ex consensu Angliæ Regis & Ducis Bethfordiæ Regentis Regni. In Anglorum enim potestatem venerat tunc Lutetia & pleraque Galliæ pars. Assensus est Rex, ut cum Cardinalatu Archiepiscopatum retineret, ea lege, ut novum sibi præstaret sacramentum; sponderetque se Roma rediturum, quoties à Rege revocaretur. Ita Petrus de Marca in Præfatione Concordiæ: ex quo liquet sociari tunc non potuisse Cardinalatum cum Episcopatibus Provinciarum, quòd utraque dignitas residentiæ strictissimè astringeretur: ut utraque autem simul retineretur, tum dispensatione Pontificis, tum consensu Regum opus fuisse.

Illud quoque juvabit observasse ex Ciaconio, Sæculo demum xv. sub Bonifacio IX. & Alexandro V. cœpisse Cardinales Titulos alios aliis permutare. Ex eo verò id contigisse, quòd grassante tum schismate idem persæpè Titulus à duobus adversarum partium Cardinalibus occuparetur. Necesse ergo fuit, cum pax illuxit, ab his ad illos Titulos migrari. Priùs autem ex veteri disciplina, qui Diaconus Cardinalis fuerat, Titulum eum retinebat, donec Presbyter crearetur: similiter & qui Titulum obtinuerat Presbyteri, eo non exuebatur, donec Cardinalis Episcopus ordinaretur. Primus omnium Sixtus IV. anno 1480. cœpit Titulos Diaconorum Presbyteris dare, & Presbyterorum Dia-

conis. Denique eò res erupit, ut & Tituli Diaconorum Clericis simplicibus commendentur.

XI. Verùm illud præ cæteris omnibus observari necesse est, cùm sint Cardinales Consiliarii, Coadjutores, & quasi membra ejus qui Caput est Ecclesiæ universæ: atque adeo cùm debeant pro universæ Ecclesiæ salute & gloria excubias agere, & indefessam exhibere sollicitudinem: hinc visum est non immeritò, nullo præcipuo nexu vel authoramento debere eos ullis terrenis Principibus ad-
Raynald. n. 101. hærescere & mancipari. Simul ac ad Apostolicæ Sedis fastigium provectus est Urbanus VI. anno 1378. expressissimè prohibuit, ne ullis pensionibus Cardinales vel Regi vel Reipublicæ ulli constringerentur, quòd illud hinc semper nascatur, ut utilitas publica privatis posthabeatur rationibus. *Quod suæ intentionis non erat, quod aliqui ex dominis Cardinalibus de cætero haberent pensiones, seu provisiones, vel alia lucra illicita à Principibus, Communitatibus, vel alia quacumque persona, quia propter illa lucra negotia Ecclesiæ malè procedebant & procederent.* Martinus V. vetuit ne Cardinales adgrederentur, vel pergerent exercere protectionem Regnorum, ut affectibus vacui & liberiores Pontificis se Consiliis & causis de-
Ibid. n. 4 dant. *Protectiones Regum, Principum, Comitum, aliarumque personarum sæcularium non assumant, assumptasque non exerceant, ut liberius ipsi sanctissimè in consiliis ac aliis actibus valeant assistere.* Ob protectionem autem Ordinum Religiosorum vetuit quidquam dono vel emolumenti proprii accedere, quamvis sponte offerretur. *Pro Ordinum Religiosorumque, aut personarum particularium protectione nihil pecuniæ percipiant, etiam à sponte offerentibus.*

Concilio autem Basileensi anno 1436. prohibiti sunt Cardinales in studia partium scindi, aut Principibus aliis adversùs alios se devovere; permissi sunt verò gratuitas gerere Principum protectiones, sed & omnium prorsus hominum, maximè calamitosorum, una stimulante ad hæc omnia cha-
Sess. 23. ritate. *Et cùm ei qui communis est omnium Pater, Cardinales assistant, personarum acceptatores fieri, vel advocatos valdè indecens est. Propterea interdixit hæc sancta Synodus, ut tanquam Judices Collaterales partialitatem nullam accipiant, etiamsi de terra partiali originem ducant. Nec sint Principum aut Communitatum, seu aliorum contra quenquam, cum pretio, vel sine, partiales Protectores aut Defensores, sed exuti omnem passionem, in sedandis concordia vel justitia litibus Papæ assistant. Principum autem & quorumcumque, præsertim pauperum ac Religiosorum, gratis & sine ullo quæstu promovere justa negotia, tanquam charitatis opus, persuadet sancta Synodus & commendat.* Protectiones Principum suscipi vetuerat Martinus V. ut quas expertus erat à privatis affectibus studiisque partium divelli non facilè posse. At Basileensis Synodus mitescere visa est, & protectiones indulgere inveteratæ consuetudini, cui obsisti jam non posset, sed eas præscribere regulas, quæ si observentur, non erit quòd quisquam huic indulgentiæ obloquatur. Improbitati temporum indulgere visa est ulterius aliquid Lateranensis Synodus sub Leone X. anno 1514. & patrocinia enim hæc probavit, nec prorsus gratui-
Sess. 9. ta ut essent, expressit. Hujus Decreti & Basileensis suprà relati eadem sententia est, cum hoc dumtaxat additamento, ideo illud hîc ascribere supersedebo.

Card. Papi. Epist. 40. 41. 127. 142. 148. 181. 192. 180. Sæpissimè destomachatus est Jacobus Cardinalis Papiensis in has protectiones molles & assentatorias, partibus & Principum voluntatibus plerumque servientes, magno non tantùm famæ, sed & conscientiæ dispendio. Et tamen accommodatè ille 194. 488. ad sui temporis mores locutus est, non pro anti- 141. quæ disciplinæ inclementia. Nec enim omnino manibus Cardinalium excutit omnes Principum largitates. Ex Epistolis quibusdam Ossati Cardinalis per- Ossat. Epist. spicuè declaratur, quàm vehementer cuperet Cle- 70. 164. mens VIII. non solùm ut nepotes sui, sed ut omnes prorsus abstinerent à quibuscumque Principum pensionibus: quàm hoc impulsu Pontificis abhorrerent Cardinales ab iis accipiendis; denique quàm sedulò caveret Pontifex, ne quem Collegio Cardinalium adjungeret, nisi qui absolutus esset & liber ab obsequiis Principum, nec antiquius quidquam haberet, quàm libertatem Ecclesiæ: quanquam non arceret Clemens à sacra purpura eos qui avito more à Principibus nominarentur.

XII. Non immorabor historiæ creationis Cardinalium, & qui eorum numerus esset. Edidit Rai- Raynald n. naldus excerptum ex Rituali anni 1338 quo refer- n. 83. tur feria quarta quatuor Temporum Consistorium à Papa indici, & subductis Cardinalium suffragiis, ea majori eorum numero, declarare an novos creari Cardinales necesse sit, & quo numero. Sexta feria in alio Consistorio deligi solitos Cardinales novos, Sabbato verò publicari, ordinarique, ducto initio ab eorum absolutione à vinculis aliarum Ecclesiarum, si qui Prælatorum electi sint. Ex his clarescit, quòd non aliud sit Cardinalatus, quàm Ordo sacer & Beneficium. Anno 1431. cùm Eugenius Rayn. n. 6. IV. summum Pontificatum consecutus esset, juramento confirmavit eosdem articulos, quibus se jam cum aliis Cardinalibus astrinxerat. In his articulis ille ante alios memorandus erat, Cardinales à se creatum non iri ullos, nisi servatis regulis Concilii Constantiensis, & cum consensu Cardinalium. Concilium verò Basileense anno 1438. ut essent re, quod nomine sunt Cardinales, cardines & fulcimenta Ecclesiæ, *Qui sicut nomine, ita re ipsa Cardines* Sess. 23. *sint, super quos ostia universalis vertantur & sustententur Ecclesiæ*, edixit, ut ex omnibus Christiani nominis Regnis, quantùm fieri posset, eligerentur; ne eorum numerus supra viginti-quatuor unquam excresceret; ne ejusdem nationis esse ad summum posset nisi tertia pars, nec ejusdem Diœcesis nisi unus: non magis dignitate, quàm pietate & eruditionis sacræ copia eminerent: triginta saltem essent annorum; tertia saltem eorum, vel quarta pars Graduatorum esset: essent aliqui, sed pauci stirpis Regiæ, Principumque; ea dignitate arcerentur nepotes Pontificis vel Cardinalis cujuscumque, dum superstes ipse esset; nominaret eos Papa, non vota Cardinalium seorsim tacitéque scrutatus, sed suffragiis scriptis majoris eorum numeri; denique ut illud animo altissimè infixum haberent Cardinales, hac se purpura ad martyrium pro Ecclesia Christi subeundum authorari, animarique. *Cum recipient sua* Conc. Gen. *dignitatis insignia, quorum significatio est, ut pro bono* To. 13. pag. *universalis Ecclesiæ sanguinem proprium, si opus sit, non* 1450. *vereantur effundere.* Eadem penè verba erant Decreti Raynal. n. 5. Concilii Constantiensis. Anno 1458. ante creationem Pii II. Cardinales in plures quoque jurati sunt articulos, quos inter radiat ille de non creandis Cardinalibus, nisi accommodatè ad statutum Concilii Constantiensis. Idem ipsum peractum est post obitum Pii II. ante electionem Pauli II. anno 1464. Idem n. 32. Utcumque obtrectatum sit huic Pontifici, nihil Comment. pulchrius dici potest, quàm quod ipse dictitabat de Iacobi Card. Cardinalium creatione, Aliis in negotiis humana, Papi. l. 2. in creatione aliorum Præsulum angelica, in Cardi- pag. 378.

nalium verò nominatione divina quadam sapientia & integritate opus esse; qui indignum promoveret Episcopum, ab eo unam Ecclesiam labefactari: qui verò Cardinalatu indignum & nequam ornaret hominem, ab eo in excidium universalis Ecclesiæ conjurari. *Dicebat in rebus aliis hominem esse posse: in Ecclesiarum rectoribus creandis Angelum: in Collegio augendo Deum Pontificem esse oportere. Qui in altero peccet, impium: qui in altero, dæmonem esse existimandum. In illo unam Ecclesiarum prostitui, ac viro alieno compingi, & non suo: in hoc Ecclesias universas periclitari.*

Raynal. an. 1471. n. 63.

Paulo II. successor datus Sixtus IV. quo hinc migrante Cardinales sese, futurumque Pontificem sacramento obligarunt, ne quem crearet Cardinalem, vel exoratus à Regibus terrenis, vel ex eorum prosapia, nisi natum annos triginta, laurea Doctoratûs insignem, & spectatæ eruditionis: duæ saltem ex tribus votorum partibus desiderarentur, & ne suis ex cognatis plures quàm unum sacro Collegio Pontifex sociaret; ne novi sufficerentur ulli, nisi postquam numerus ad viginti-quatuor redactus esset; & deinceps ne unquam ultra eum numerum crearentur ulli: denique eos semper in Consistorio, & apertis, non secretis auricularibusque suffragiis Pontifex deligeret, *nec eos tenebit in secreto.* In annum 1430. Rainaldus de hac agens clancularia nominatione, quæ vernaculè *in petto* dicitur, rationem enucleat, & qua fiat, & quare fiat.

Rainal. n. 5. In petto.

Multò hæc sanè humaniora erant, quàm priora, sed multo major in dies irrepsit humanitas, ut molliter dicam, ea enim erat prisci juris relaxatio. Extat Concilii Lateranensis V. sub Leone X. anno 1514. caput integrum & prolixum de reformandis Cardinalibus: ubi hæc de eorum nominatione jam gravis & tantæ necessitatis capita, ne attinguntur quidem. Denique Concilium Tridentinum anno 1563. luculentè exequitur regulas sanctissimas, quibus optatissimum est, ut obsequatur Papa in Promovendis Episcopis: subjicit non minus & ad ipsius, & ad Ecclesiæ salutem interesse, ut iis etiam se accommodet in creatione Cardinalium, etiam Diaconorum: eligique eos debere à Pontifice ex omnibus Christiani Orbis Provinciis.

Sess. 9. Sess. 24. c. 1.

XIII. Quod ad numerum jam pertinet Cardinalium, præter ea quæ jam dicta sunt; non siluit Rainaldus ad annum 1331. cùm Galliæ Rex Joanni XXII. Pontifici duos præsentasset Gallos, quos vehementissimè cuperet sacra purpura indui, unum duntaxat à Pontifice admissum esse, propterea quòd cùm Cardinales essent non plures quàm viginti, ex iis septemdecim essent Galli: *Quod jam* XX. *Cardinales, de quibus* XVII. *de regno Franciæ originem traxisse noscuntur, existant in Collegio memorato.* Post mortem Clementis VI. anno 1352. statuerunt unanimi consensu Cardinales, ne numero posthac esse possent plusquam viginti. Anno 1378. cum Urbanus VI. Romæ in Pontificiam sedem invectus est, in sacro Collegio non erant nisi viginti tres. Ultra omnem modum excrevit hic numerus ex luctuosi occasione schismatis. Urbanus VI. à suis se proditum Cardinalibus dolens, qui ad Clementem VII. defecerant, uno die viginti octo, ut proditum est, creavit. Theodoricus à Niem, qui præsens aderat, viginti sex tantùm enumerat creatos; illudque advertit, non alio consilio Pontificem una creatione tot effudisse, quàm quòd plures suspicaretur, tantum tunc oneris detrectaturos. *Nec non simul & semel viginti sex Cardinales una die creavit, existimans forte, quòd de tanto numero eorum aliqui hujusmodi Cardinalatus fastigium utique acceptarent; prout, nec ipsum fefellit opinio, factum fuit.* Tunc ergo in incredibilem & immensam quandam multitudinem numerus Cardinalium excrevit, occasione schismatis; cùm unusquisque trium Pontificum suo vallaretur sacro Collegio. Tres ergo ut erant quandoque Pontifices, ita & tria Cardinalium Collegia. Joannes Juvenalis Ursinus Archiepiscopus Remensis, qui Caroli VI. Gallorum Regis Historiam litteris mandavit, ait anno 1381. *cum Clemente Avenione fuisse Cardinales triginta sex.* Concilii Basileensis Patres vestigia prementes Concilii Constantiensis decrevere, ut *Cardinales numerum viginti quatuor non excedant.* Duodeviginti tantum numerati sunt Cardinales in eo Conclavi quo Nicolaus V. electus est anno 1447. In Conclavi quo electus est Callistus III. anno 1455. quindecim tantùm. Duodeviginti in eo quo Pius II. anno 1458. Novemdecim in eo quo Paulus II. anno 1464. Duodeviginti in eo quo Sixtus IV. anno 1471. Viginti quinque in eo quo Innocentius VIII. anno 1484. Viginti quatuor denique in eo, quo Leo X. anno 1513. Itaque extra tempora schismatis, hactenus non multùm deviatum erat à decretis Constantiensium & Basileensium Patrum. Nec enim magno esse poterant numero Cardinales, qui bis aderant Conclavibus. Ægro ferebant animo Cardinales dignitatem suam numero vilescere. *Pontifici dixere, se numerositate ipsa vilescere.* Aliunde autem Pontifices vix, ac nec vix poterant obniti Principibus, qui cognatos & chariores Ministros ea dignitate ornatos peterent. *Pontifex non posse Regum ac Principum Transalpinorum preces se effugere aiebat; nec sui honoris esse nationes externas præterire.* Verba hæc sunt Pii II. in Commentariis suis, cujus ultima verba illud videntur innuere, id machinatos fuisse Italos, ut ea dignitas suæ tantùm gentis hominibus vendicaretur; at Pontificem, qui nullius intra gentis angustias charitatem & familiam contrudi ac coarctari suam pateretur, & se Patrem omnium ubique fidelium profiteretur, omnibus Christiani nominis Regnis satisfacere & gratificari studuisse. Concilii Constantiensis & Basileensis consilium in coarctando Cardinalium numero, eò videtur collimasse, ut impensis parceretur, & ne tot Cardinalium sustentatione gravaretur Christianus Orbis. Mira erat tunc non auri tantùm argentique, ante effossos advectosque nobis Indiæ utriusque thesauros, sed & rerum, mercium, & omnis generis opum penuria. Parco pluribus in eam rem. Parco & ea hîc inserere, quæ refert Rainaldus in annos 1492. & 1503. ex quibus patet, paucitatis suæ curiosissimos semper amantissimosque fuisse Cardinales, & magnopere reformidasse, ne multitudini quantum accederet, tantum & pretio decederet, & dignitati.

Rainal. an. 1378. n. 104. Sess. 2. L. 2. pag. 129. 130. Num. 28. Num. 5.

Leoni ergo X. imputanda est illius Cardinalium numeri retro ferè modesti & verecundi amplificatio. Eò ille adactus est nefaria & detestabili conjuratione in ipsum inita anno 1517. Conjuratorum princeps & author unus erat ex sacro Collegio. Exinde reliquorum fidem suspectam habens Leo, una electione triginta & unum novos creavit. Conclavia posthac multò numerosiora fuere. Quo electus est Clemens VII. anno 1524. triginta novem fuit Cardinalium. Reliqua Conclavia si vacat recensere, Annales Ecclesiæ sacros consule. Bulla Compacti ut vocant, quæ inter Paulum IV. & Cardinales anno 1555. disceptata & concinnata fuit, numerum Cardinalium ad quadraginta revocavit, ita ut non

Raynald. Spondan.

amè

antè ulli crearentur novi, quàm cæteris decedentibus ad eum numerum ventum esset. Exinde rursum crevit in numerus ad septuaginta. Qui nimius fortan non videbitur, si quis serio perpendat hunc esse principem Clerum, hos Diaconos, hos Presbyteros primariæ Orbis Ecclesiæ, & verticis Christianorum omnium ubique gentium: non multò minorem fuisse numerum Cleri Romani inter ipsa sui ferè initia, & grassantibus tum maximè persecutionum procellis, ut suprà ex Eusebio ostensum: Cleri Constantinopolitani multò majorem fuisse numerum, ut ex Novellis Justiniani suprà ostensum: multas esse Ecclesias Cathedrales, ubi major eo sit numerus Canonicorum; si verò perlustrentur animo tot & tanta negotia, tot lites, tot causæ toto ex orbe Romam relatæ, & Romæ in Cardinalium Congregationibus pertractandæ, nemini jure nimium videri posse eum numerum: non ea jam penuria laborare orbem, ut iis expensis gravari possit; Beneficiorum ideo reservationes, quibus tunc fatigabantur Ecclesiæ, desiisse: experientia denique jam comprobatum esse, amplificato numero nihil imminutum esse de pretio & amplitudine summæ dignitatis.

Rainald. n. 29.

XIV. Unum ferè superest paucis perstringendum de consuetudine mittendi pilei ad absentes. Non admodum sanè vetusta dici ea potest, cùm anno 1316. Joannes XXII. interpellatus à Galliæ Rege Philippo, ut recens creato Cardinali Gallo pileum mitteret: recusaverit, excusaveritque priscum morem, per quem id minùs liceret. *Quia nec prædecessores nostri Romani Pontifices consueverunt extra Curiam hujusmodi pileos mittere*: & à temporibus beati Ludovici, Pileum Cardinalitium non esse missum, nisi ad duos Angliæ Nuncios, quorum necesse esset dignitatem exaggerari, ut hinc pondus & authoritas accederet eorum statutis. Clemens VI. cùm sacro adscripsisset Collegio Abbatem sancti Dionysii, pileum misit, concredideritque tribus Episcopis cum Epistola, qua significabat, quamvis inolevisset mos, ut Romam proficiscerentur pileo donandi à Papa: *Licet imitanda servaris antiquitas, ut ad honorem Cardinalatûs evectus, non prius Capello rubeo uteretur, quàm illum de manu Pontificis suscepisset*: Missum tamen à se esse, quem à tribus acciperet Episcopis, quòd certior factus esset, esse gravissima negotia propter quæ non posset tunc à Rege divelli: *Pro negotiis in quibus Rex præsentia tua indigere se dixit, diebus aliquibus in partibus ipsis de nostra licentia remanere.*

XV. Hujus autem disciplinæ totius summa & cardo in eo vertitur, quòd Cardinalatus naturâ & sponte sua Beneficium sit vel Presbyteri, vel Diaconi, vel etiam Episcopi, cui incumbat propria in Ecclesia residendi lex; quod proinde sociari non possit cum Beneficiis aliis consimilem flagitantibus residentiam: quòd denique aliquot Ecclesiis, Titulisque affixum sit in ipsa Urbe Romana, vel juxta Urbem. Cùm verò jam in dignitas mera spectari quandoque cœpit, non potuit nisi magno temporis spatio & plurium decursu sæculorum illis exui dotibus, quæ propriæ & primigeniæ erant ejus naturæ.

Quòd autem à primæva origine Cardinales suis quisque in Titulis residere tenerentur, nec ullum unà possent retinere Beneficium, eodem residentiæ vinculo constrictum: id verò manifestissimum est in Innocentii III. decretali, qua negat assensurum se electioni, vel postulationi Cleri Ravennatis, qui Presbyterum Cardinalem in Archiepiscopum sibi elegerat. Rescribit autem Pontifex ex eo Cardinali uberiores fructus in Ecclesiam redundare universalem, quàm si Archiepiscopus esset, sive is Romæ resideat, sive quandoque Ravennæ ob extraordinaria quædam negotia. *Quod ejusdem Cardinalis præsentia utilior sit, non solùm Romanæ, sed etiam Ecclesiæ generali, tam apud Apostolicam sedem quàm apud Ecclesiam Ravennatem.* Anno 1262. cùm Ludovicus IX. Galliæ Rex sanctissimus multis precibus egisset apud Urbanum IV. summum Pontificem, ut pateretur Archiepiscopos Ebrodunensem & Narbonensem, unius adhuc anni spatio in Gallia demorari ut concordiam sarcirent inter Reginam conjugem suam, & Carolum fratrem suum Andium & Provinciæ Comitem: constanter restitit Pontifex prætexuitque incredibilem quandam Ecclesiasticorum negotiorum molem, quæ nisi horum Archiepiscoporum opera & consilio expediri non possent, quos ea de causa Cardinales Episcopos creavit, Romamque proficisci jussit. Has Pontificis litteras intexuit Rainaldus Annalibus suis. Ritualis liber anni 1338. apud eundem Rainaldum, Pontificem inducit his verbis alloquentem eum, quem Cardinalem Presbyterum creabat: *Committimus tibi Ecclesiam sancti Petri, cum Clero & Populo & Capellis suis.* Eadem est Cardinalium creationis forma, his dumtaxat amputatis verbis, *cum Capellis suis.* Canonistarum unanimis suffragatio est in *Caput ex Gestis*, *De Clericis non residentibus*: residentiæ vinculo teneri Cardinales, tum quod animarum curam gerant, & utramque suis in Titulis jurisdictionem exerceant: tum etiam quòd cùm Consiliarii & Cooperatores sint summi Pontificis, non possint ea defungi provincia, nisi Romæ figant sedem. Excipiendi sunt Episcopi Archiepiscopique Provinciarum: hos enim suis potiùs his in Ecclesiis residere jubet Synodus Tridentina. In Concilio vero Lateranensi V. Leo X. Bullam promulgavit adversùs Cardinales, qui Pontificem fraudant solatiis, consiliis, & obsequiis, quæ præsentia sua præstare possent; quique Roma discedunt citra Pontificis consensum, & nulla justa dispensationis causa. Consimilem publicavit Paulus III. & recentissime Innocentius X. anno 1646. Non abludit à vero, diuturnam illam annorum septuaginta absentiam, quibus Sedes ipsa Apostolica Avenionem translata fuit, longa Cardinales oblivione potasse suorum Titulorum, ac deinceps eam residendi necessitatem non fuisse adstructam, nisi ex consiliis obsequiisque sedi Apostolicæ persolvendis. Itaque cum eos aliò ablegat Papa ad Ecclesiæ universæ commoda promovenda, tunc censendi sunt residere, tanquam administratores Ecclesiæ universalis, sub unius Papæ providentia & moderamine.

Caput Bonæ Memoriæ De Postulat.

Rainal. ann. 1262. n. 45. & Rainal. an. 1338. n. 87.

Fagnan. in 1. Decret. Part. 1 pag. 30.

Sess. 23. c. 1.

Sess. 28.

Cajetano & Panormitano visum est Cardinalem & Episcopum esse posse neminem, & quæ adversa ostenditur consuetudo, non aliud quàm vetustissimam esse corruptelam. Addit Fagnanus consentire huic doctrinæ stylum Romanæ Curiæ, ubi Cardinalibus, ut qui Romæ residere teneantur, Episcopatus non in Titulum, sed in Commendam dantur. Sed addit tamen idem ipse usu hodierno invaluisse, ut Episcopi, ubi ad Cardinalatum promoventur, retineant Episcopatum sine dispensatione; & eam esse sacræ Congregationis Concilii doctrinam, posse à Cardinalibus unam obtineri Episcopalem Ecclesiam, etiam cum Titulo; sed retineri non posse unquam duas, sive in Titulum, sive in Commendam, vel alteram in Titulum, alteram in Commendam.

*Fagnan. in L. 1. Decr. Par. 1. pag. 279.* Itaque Fagnano certum & indubium est ea consuetudine jus legitimum jam contineri; quanquam viro sapientia & experientia rerum maximo in votis sit, ut aliunde possit suppetare Cardinalibus, quo eorum familia & dignitas sustenteiur, ut toti esse possint in promovendis Ecclesiæ universalis rebus, particularibus Ecclesiis singulorum Episcoporum *Idem in l. 3. Par. 1. pag. 59.* fidei & sollicitudini permissis. Anno 1634. evulgata est Urbani VIII. Bulla, qua Cardinales Episcopi, si quas alias obtinuerint Cathedrales Ecclesias, jubentur ad eas regendas se conferre, in iisque residere: quo visus est Pontifex declarasse illos Episcopatus in quibus sunt Tituli Cardinalium, cum aliis Episcopatibus nequaquam incompatibiles esse. Ita mos habet, ut Cardinales, qui Romæ sedent, hos Cardinalitios Episcopatuum titulos, ubi vacaverint, optent, teste eodem Fagnano. Quod rursus argumento est longè diversæ à cæteris naturæ & conditionis eos esse Episcopatus.

XVI. Pauca nunc de Orientalium Ecclesiarum moribus carpenda sunt. Diximus jam de Syncellis & de Chartophylacibus, qui id aliquando expugnarunt, ut supra Episcopos sederent. Idem dicendum *Act. 2.* de Exocatacælis. Adnotatum est ab Anastasio Bibliothecario in Observatiunculis ad VIII. Synodum, ab Ignatio Patriarcha collatam esse Paulo Chartophylacis dignitatem, cùm non posset eum in altiorem protrudere speciem, quòd illud dumtaxat concessisset Nicolaus Papa, *ut alia illum, excepto sacerdotio, quantacumque vellet, dignitate ditaret.* Interpellatus est ab ipso Concilio Pontifex, ut Paulum *In Canon Nicæn. 18.* sineret Episcopatu augeri. Nodum solvit quæstionis de loco sedendi Balsamon, & primum authorem declarat hujus innovationis, cum ait Constitutione primùm Alexis Comneni decretum fuisse, ut in Conventibus non Synodalibus sederent Chartophylaces supra Episcopos. *Qui nunc est Chartophylax, in Congregationibus quæ fiunt extra Synodum, sedet non solùm ante Sacerdotes, sed etiam ante Pontifices, ex Constitutione inclyti Imperatoris Alexii Comneni.* Eam Constitutionem tribuit Harmenopulus Michaëli Ducæ, qui decennio ante Alexin Comnenum Im*In Can. 7. Trull.* perium capessivit, hoc est, anno 1071. *Sciendum soli majoris Ecclesiæ Chartophylaci concessum esse, tum ex longa consuetudine, tum ex Constitutione scripta Imperatoris domini Michaëlis, ut in Conventibus extra altare ante Episcopos sedeat.*

Sed illud scitissimè à Balsamone animadversum est, his Diaconis eam ingeneratam esse fiduciam, ut supra Episcopos sedere vellent, ex Officiis, qui*In Can. 18. Nicæn.* bus dotabantur. *Ut nonnulli ex Ecclesiasticis Diaconis in Congregationibus quæ fiunt extra sacrum Tribunal ante Sacerdotes sedeant, fieri videmus. Et existimo hoc fieri propter dignitates seu Officia. Soli enim qui à Patriarcha Officiis Ecclesiasticis digni sunt habiti, sedent ante Sacerdotes.* Hæc Officia ab exordio meræ erant delegationes extraordinariæ & necessariæ, quæ Diaconos hos induerent authoritate & vicibus Patriarchæ. Longa temporum serie hæ delegationes ex raris frequentes, ex extraordinariis ordinariæ, ex brevibus perpetuæ evasere: eadem prorsus ratione qua Ecclesiæ Latinæ Archidiaconis usuvenit, utque in omni prorsus humana Republica usuvenire necessum est. Ita honoris & sedendi procedendique prærogativa ad Diaconos Patriarchæ Constantinopolitani supra Episcopos, ad Archidiaconos Ecclesiæ Latinæ supra Presbyteros revoluta est; postquam ordinarii & perpetui ex temporariis arbitrariisque evasere. Sensim sine sensu facta est, & antè perfecta est, quàm fieri deprehenderetur hæc utraque innovatio; qua & delegatio in Officium, & sedes Diaconi supra Presbyterorum Cathedras evasit.

Utique Latini Episcopi magna certè ex parte id sibi sumpserant, ut non unum, sed plures jam crearent Archidiaconos, eosque omnes supra Presbyteros locarent: Ita Patriarcha Constantinopolitanus, non unum, sed sex sibi ascivit Diaconos, qui supra Episcopos sederent. Ita perspicuè Codinus, qui & rationem videtur innuere hujus eorum prærogativæ sedendi. *Hi in sacris Concionibus, seu Conventibus, cum Patriarcha sedent.* Indivulsè cohærebant Patriarchæ, in unumque cum eo coaluerant corpus. Ita fiebat ut primas obtinerent supra Episcopos. Non est ergo quòd vel Exocatacælis Patriarchæ Constantinopolitani vel Cardinalibus Romani Pontificis invidiam faciant Episcopi, quo enim jure, qua necessitate ipsi inopini propemodum Archidiaconos suos supra Presbyteros evexere; eo jure, ea necessitate inopini Patriarchæ Primarios Ministros suos eò extulere, ubi Episcopis eminerent. Secreto invidiosius videri posse, si supra Episcopos, quàm si supra Presbyteros sedeant Diaconi. Sed eadem utrumque videri potest extorsisse necessitas. Non potuere non aliquando suas vices suamque authoritatem principalibus Ministris suis, seu Diaconis delegare tam Patriarchæ, quàm Episcopi: immo & tantò æquiùs Patriarchæ, quod majori negotiorum & occupationum mole premerentur. Eas autem delegationes crebrescere, continuari, & delegatos sensim convalescere & perpetuari, tam Patriarchis, quàm Episcopis commune, immo & inevitabile est; adeoque ex delegationibus Officia consurgere. Unum discrimen interest, & illud quoque inevitabile, quod qui Episcoporum personam & vices sustinent Diaconi, supra Presbyteros, non supra Episcopos sedent; at qui Patriarchæ personam & authoritatem circumgestant, ii etiam supra Episcopos sedent. Sed & aliud discrimen interest, quod sexcentis amplius annis antè Episcopi Diaconos suos eximios Presbyteris præposuere, quàm Patriarchæ suos Episcopis vel Exocatacælos, vel Cardinales. Vicarii Generales Episcoporum in eadem prorsus sunt classe. Possunt enim & illi ex Diaconis cooptari. Si ergo illorum quoque delegatio, quæ arbitraria nunc est & temporaria, in perpetuam aliquando & necessariam evaderet, sicut in Archidiaconis contigit: ita rursus fieret, ut Diaconi, qua Episcoporum Vicarii generales, privilegium sedis & honoris supra Presbyteros consequerentur. Nec studio vel evehendi Diaconatûs, vel Presbyteratûs dejiciendi id fieret, sed ut Ecclesiæ utilitati vel necessitati vel sic serviretur. Ex Harmenopulo suprà eliciebatur, ante vel Comneni vel Ducæ Constitutionem eam consuetudinem corroboratam fuisse, ut Chartophylax sederet supra Episcopos: eamque ab Imperatoribus non invectam, sed confirmatam fuisse: similiter habet se res & in Archidiaconis Episcoporum, & in Exocatacælis vel Cardinalibus Patriarcharum, usu primùm & consuetudine illis vendicata est ea prærogativa, & multo pòst tempore Decreta accessêrunt & Edicta. Ejusmodi conditio Reipublicæ cujuscumque humanæ, seu sacræ, seu civilis; ea est naturæ nostræ mutabilitas, ea rerum temporumque vices; ex quibus tamen illa exurgit incomparabilis pulcritudo, quam ii intuentur, admirantur & exosculantur, qui oculos retorquent ad incommutabilem æterni Numinis sapientiam ac providentiam, quæ de temporalibus

æternam, de mutabilibus immutabilem quandam venustatem sibi & amatoribus suis concinnat.

Blastares in Alphabetica Canonum Collectione, suo ævo, hoc est, anno 1335. testatum facit usu receptissimum fuisse, ut Chartophylax Episcopis eminentiùs sederet in Conventibus non Synodalibus, idque tum antiquissimo jure niti, tum Constitutione Emmanuëlis Imperatoris. *Soli Chartophylaci ma-*
Blastares Litt. P. c. 4. *gna Ecclesia datur ex longa consuetudine, & ex scripta Constitutione inclyti Imperatoris Manuëlis, in Congregationibus quæ fiunt extra Synodum, etiam ante Antistites sedere.* Potuit Emmanuël Imperator nova Constitutione Constitutiones priores Comneni & Ducæ confirmasse: ut affectarit Blastares recentissimam potiùs allegare, quàm vetustas leges, quòd in tantis rerum temporumque vicibus, postremis semper legibus plus authoritatis insit & reverentiæ.

Finem faciet huic capiti Lambertus, magni meriti nominis historicus. Narrat quippe ille anno 1062. cùm Henricus IV. Germaniæ Rex solemnem Natalitii Christi Curiam Goslariæ haberet, jurgium incaluisse inter ministros Episcopi Hildesheimensis & Abbatis Fuldensis. Causa dissidii erat, quòd jamdudum moris esset, ut in Comitiis Episcoporum Fuldensis Abbas primus sederet post Archiepiscopum Moguntinum: contrà autem renitebatur Hildesheimensis, sibi ut Diœcesano ejus loci eum honoris primatum deberi, ut proximus Metropolitano suo assideret. *Consuetudo erat in regno per multos retro majores observata, ut semper in Conventu Episcoporum Abbas Fuldensis Archiepiscopo Moguntino proximus assideret. Episcopus causabatur neminem sibi intra Diœcesin suam post Archiepiscopum debere præferri.* Non distat à similitudine veri, eam fuisse primò Episcoporum voluntariam animi demissionem, qui Fuldensi sponte sua Episcopo ita gratificarentur; at temporis decursu, quod voluntatis fuerat, in necessitatem vertisse.

---

## CAPUT CXV. *P. 2. l. 1. c. 53.*

### Origo Cardinalatûs altius repetitur à primis usque sæculis Ecclesiæ.

*I. II. Episcopus, Presbyter, Diaconus Cardinalis, non alius est, quàm Titularis, & veluti Sponsus cujusque Ecclesiæ, ab aliis secretus, qui non eodem ei constringuntur vinculo.*

*III. IV. V. VI. Multis id argumentis evincitur, ex Gregorio Papa depromptis.*

*VII. Ad omnes prorsus Ecclesias id pertinebat, non ad Romanam tantùm Ecclesiam. Exempla Presbyterorum, Diaconorum, immo & Subdiaconorum in Ecclesia Romana.*

*VIII. IX. Idem & in Superiorum Pontificum scriptis observare est.*

*X. Ut nulli antè fuissent, utque cœperint esse in Ecclesia Romana Episcopi Cardinales.*

*XI. XII. Ingens Romæ Cardinalium potestas Presbyterorum & Diaconorum, eorumque cum Episcopis in unum potestatis collegium coalitio.*

*XIII. Summa eorum dignitas, & pietatis charitatisque officia dignitati consentanea.*

I. Retro flectenda vestigia sunt, ut amplissimæ dignitatis originem & antiquissima incrementa vestigemus: quod eò studiosiùs ac diligentiùs fieret, quantò jam ejus existimatio & admiratio major insedit animo, si plura suppeterent antiquitatis monumenta. Verum ita comparatum est, rerum maximarum & antiquissimarum maximè latent origines.

II. Crebrum est in Epistolis Gregorii Magni *Cardinalis* nomen, sed nequaquam Ecclesiæ Romanæ proprium, immo nec ita facile vero certoque aliquo sensu donandum. Illud vero, aut verisimili proximum mihi quidem videri solet, Cardinalem dici olim solitum, vel Episcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, qui Titularis esset & primarius Ecclesiæ cujuscumque Beneficiarius. Ad tempus enim Ecclesia quandoque viduata uni commendabatur Episcopo sedibus suis ejecto, donec ipsi restitueretur; aut donec viduatæ Ecclesiæ eligeretur Episcopus proprius. Tunc certè is cui commendata tantùm fuerat ea Ecclesia, Cardinalis ejus Episcopus dici non poterat, quòd nec Titulum ejus obtineret, sed Commendam. At si ea illi committeretur Ecclesia, ita ut eo superstite alius subrogari Episcopus non posset, tum verò & Cardinalis, seu Titularis ejus erat Episcopus, & ex Gregorii Magni stylo, ei incardinabatur. Erant & persæpè plures unius Ecclesiæ Presbyteri, sed eorum unus tantùm erat Cardinalis, unus Titularis, unus sponsus, unus individuo nexu ei copulatus, & residendi strictissima lege devinctus. Cæteri ejusdem Ecclesiæ Presbyteri ejus veluti Ministri erant, faciliùsque ad alias migrabant Ecclesias. Nec aliter se res habebat in Diaconis. Ex pluribus unius Ecclesiæ Diaconis unus erat Cardinalis & primarius Beneficiarius, ejus Ecclesiæ cura & regimine oneratus; reliquis ad Episcopi jussa alibi exequenda, variaque munia obeunda paratioribus. Erant enim & Diaconi, quos Pontifex Apocrisiarios Constantinopolim mittebat, quibus curam mandabat Xenodochiorum & Monasteriorum, & alii id genus, qui Cardinales utique hinc dici non poterant, ut qui nulli Ecclesiæ in perpetuum tunc affixi fuissent.

III. Consulendus jam nobis Gregorius est, & expiscanda ex ejus Epistolis argumenta, quibus quod dictum est, certò & manifestè astruatur. Vacante Populoniensi Ecclesia, scripsit Pontifex ad Episcopum Rosellanum, ut eam ad Ecclesiam administrandam accederet, Visitator, non Titularis futurus: utque in ea Presbyterum Cardinalem ordinaret & duos Diaconos. *Ut unum Cardinalem illic* L. 1. Ep. 15.
*Presbyterum, & duos debeas Diaconos ordinare.* Non potest Presbyter hic Cardinalis non videri Parochus ipsemet hujus Ecclesiæ, ei tum maximè, cùm vacaret, necessarius. Cùm Aleriensis orbata jamdudum esset Pastore Ecclesia, illam tandem Gregorius Episcopo Insulæ Corsicæ concredidit Leoni, non tamen ut Titulari, nec ut Cardinali, quanquam his ad eum verbis scripserit: *Cunctis rebus* L. 1. Ep. 76.
*suprascripta Ecclesia, ut proprium te volumus uti Ponti-* 77. 78.
*ficem, usque ad secundam nostram Epistolam:* Verùm ut Commendatario, ut liquet ex Epistola sequenti, ubi eam Ecclesiam Commendatario aufert Episcopo, & Cardinali confert, nempe Martino, urbis in eadem Insula penitus dirutæ antè Episcopo. *Quoniam Ecclesia Tamitana, in qua dudum fuerat honore sacerdotali fraternitas tua decorata, ita est hostili feritate diruta, ut illuc ulterius spes remeandi nulla remanserit; in Ecclesia Aleriensi, quæ jamdiu Pontificis auxilio destituta est, Cardinalem te secundùm petitionis tuæ modum hac authoritate constituimus sine dubio Sacerdotem.* Nihil desiderari potuit dilucidius, ut pateret distinctio Episcopi temporarii, seu Commendatarii ejus Ecclesiæ, & Episcopi perpetui, Titularis, Cardinalis. *Necessarium duximus Martinum fratrem & Coepiscopum nostrum ibidem Cardinalem constituere Sacerdotem, Leoni verò fratri & Coepiscopo nostro operam ejus visitationis injungere.*

IV. In suum Clerum asciverat Januarius Archiepiscopus Calaritanus Liberatum Diaconum ab alio Episcopo ordinatum. Inverecundè Liberatus hospes cùm esset, primum ambiit inter ejus Ecclesiæ Diaconos locum. Jussit Gregorius ad reprimendum ejus tumorem, ut ultimo staret loco, nisi Januarii L. 1. Ep. 81. prædecessor *Cardinalem* illum suæ Ecclesiæ Diaconum constituisset: aut post diutina ejus pietatis experimenta, vellet ipsum Januarius incardinare, hoc est, Ecclesiæ suæ æternùm astringere, & ei Principatum supra Diaconos omnes alios adsignare: quod quidem perficere ritè non poterat, nisi ex assensu Episcopi, à quo primùm ordinatus fuerat Liberatus, & à quo alioqui repeti ac revocari semper poterat ad primæ Ecclesiæ suæ & parentis servitutem. *Liberatus, qui Diaconi fungi perhibetur officio, si à Decessore tuo non est factus Cardinalis, ordinatis à te Diaconibus nulla debet ratione preponi, &c. Liberatum ultimum inter Diaconos stare constitue, &c. Cujus tamen si obedientiâ fueris invitatus, & eum post hac Cardinalem facere volueris, nisi Pontificis sui concessionem solemni more meruerit, abstinendum ab omni ejus incardinatione memineris.*

V. Habes hîc ergo Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, eo quo diximus sensu Cardinales. Proferu nonc & multò plures. Optatissimum sibi testatus erat Gregorius fore, quòd Paulus Episcopus à Neapolitanis Civibus postularetur Episcopus Car- L. 2. Ep. 6 9. dinalis. *Quod eum Cardinalem desideratis habere Episcopum, gratulamur.* Scripsit idem Pontifex Episcopo Ariminensi, ut Oratorium consecraret, quod L. 7. Ep. 72. 85. nobilis Matrona extruxerat: sed *Ne Presbyterum constitueret Cardinalem*; quòd Matronæ abundè esse L. 8. Ep. 3. deberet, ut vel interesset rei sacræ cum reliquo fidelium cœtu in Ecclesia: vel ab Episcopo Presbyterum deposceret, quoties sibi privatim Mysteria celebrari cuperet in Oratorio suo. Clarum est Cardinalem hîc Presbyterum dici, qui perpetuus esset & titularis. Cùm funditus eversa fuisset Civitas & Ecclesia Joannis Episcopi, illum Pontifex incardinavit Ecclesiæ Scyllitanæ, ea conditione addita, ut si prior Ecclesia sua restauraretur, in eam remigra- L. 2. Ep. 25. ret. *Propterea te Joannem ab hostibus captivata Lusitana Civitatis Episcopum, in Squillatina Ecclesia Cardinalem necesse duximus constituere Sacerdotem; ita tamen ut si Civitatem illam ab hostibus liberam effici, & ad priorem statum revocari contigerit, ad eam in qua prius incardinatus es, Ecclesiam revertaris. Sin autem prædicta civitas continua calamitate captivitatis premitur, in hac in qua à nobis ordinatus es, incardinatus debeas Ecclesia permanere.*

VI. Cùm orbata Episcopo suo fuisset Terracinensis Ecclesia: Cives ejus Fundensem postulaverunt Episcopum, cujus civitas à Barbaris complanata fuerat, cumque incardinari sibi voluere. Annuit eorum votis Gregorius, utraque Ecclesia in L. 2. Ind. 11. Epist. 13. unum Episcopatum deinceps compaginata. *Defuncto Petro Pontifice suo, te Cardinalem sibi postulant constitui Sacerdotem, &c. Te nostra authoritate in Terracinensi Ecclesia Cardinalem constituimus Sacerdotem, &c. Sic ut Fundensis Ecclesia Pontifex esse non desinas.* Parochus exauthoratus fuerat præter jus, illum Gregorius Ecclesiæ suæ restituit, jusso eo qui successor ei datus fuerat, in alia Ecclesia incardinari, quæ L. 3. Ep. 13. tum vacaret: *In alia quacumque vacante Ecclesia eum volumus cardinari.* Fortunatus Neapolitanus Episcopus à Gregorio postulavit licentiam transferendi in suam Ecclesiam & incardinandi Diaconi Vena- L. 5. Ep. 11. frani. *Ut Gratianum Ecclesia Venafrana Diaconum tua concederemus Ecclesia cardinandum.* Id annuit Pontifex, quòd vacaret tunc Ecclesia Venafrana. *Habituro licentiam Diaconum illum, nostra interveniente authoritate, Ecclesia tua constituere Cardinalem.* Firmano mandavit Episcopo, ut donationibus dotibusque acceptis Oratorium dedicaret, & Presbyterum ibi constitueret Cardinalem. *Presbyterum te quoque illic constituere volumus Cardinalem.* L. 9. Ep. 12. Erant ergo duplicia generis Oratoria; aliis videlicet nullus erat Presbyter Cardinalis, quorum videlicet reditus percipiebat Episcopus, eoque Presbyterum delegabat, quoties necesse esset, sacris operaturum; aliis suus erat Cardinalis Presbyter, seu Titularis. Syracusanus Episcopus Monacho, eidemque Ecclesiæ suæ Cathedralis Subdiacono Presbyteratum contulerat, curamque mandaverat possessionis Ecclesiæ, ubi Parochum ageret. Hinc mœstitia qua- L. 12. Ep. 36. dam incredibili obnubilatus est ejus animus; ut non potuerit Gregorius non scribere ad Episcopum, ut eum ab hac cura absolveret, Presbyterumque Cardinalem in sua constitueret Ecclesia Cathedrali.

VII. Cardinales hactenus hîc observavimus extra Ecclesiam Romanam, eosque Episcopos, vel Presbyteros Diaconosque. Joannes Diaconus indicabit nobis istiusmodi Cardinales in Ecclesia Romana, & quidem Subdiaconos. Refertur enim ab eo Gregorius, ut vacuas sedes dignitatesque aliarum Ecclesiarum impleret, ne Cardinalibus quidem Romanæ Ecclesiæ pepercisse, sicut nec Monachis Monasterii sui. *Et si quando necessitas ordinandi Sa-* L. 3. Ep. 7. *cerdotis obrepsit, neque Cardinales Ecclesia sua, neque Monachos Monasterii sui penitus excusavit, quò minus illis Ecclesiam regendam committeret: qui exemplis & verbis pariter illam ædificare melius potuissent. Nam ut pauca de multis contingam, ex Presbyteris Cardinalibus Ecclesia sua consecravit Episcopos Bonifacium Regii, Habentium Perusii, & Donum Messana Sicilia. Ex Subdiaconibus verò Gloriosum Ostia, Faustum Capua, Petrum Trecis, & Castorium Arimini. Solis Diaconibus Apostolica sedis super hac quodammodo parte parcebat; quorum cùm decem & novem plenitudine redundaret, ipse Bonifacium, Florentinum & Epiphanium consecravit.* Hi erant Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi Cardinales, quibus Ecclesiam suam viduare non gravabatur Gregorius, ne alias diutius pateretur Ecclesias Pastoribus destitui. Addit & idem Scriptor nulli unquam Ecclesiæ suæ Cardinalium, nisi consentienti Episcopalem sarcinam impegisse Gregorium, ne exauthorare eos potiùs, quàm promovere videretur. *Ne sub hujusmodi occasione quemquam eliminando deponere videretur.* Quod probat L. 3. c. 8 10. exemplo Subdiaconi Cardinalis, qui electus ad Episcopatum, constantissimè renuit, nec vim facere, aut contristare eum voluit Gregorius. Probat rursus exemplo jam relato Monachi & Subdiaconi Syracusani, quem à Parochiæ administratione, cui invitus mancipatus fuerat, revocari decrevit, & priori Ecclesiæ suæ incardinari. Unde idem Joannes universim ita pronunciat: *Item Cardinales violenter in Parochiis ordinatos forensibus, in pristinum Cardinem Gregorius revocabat.* Quo liquet ejus ævo solitos non dici Cardinales, nisi Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos urbium Episcopalium. Idem liquet ex Epistola Zachariæ Papæ ad Pipinum: *De* De Conc. Gall. To. 1. pag. 564 *Presbyteris agrorum, quam obedientiam debeant exhibere Episcopis & Presbyteris Cardinalibus.* Ad quod refertur ab eo Canon Neocæsariensis, quo sancitur, qua observantia prosequi debeant agrestes Presbyteri Urbanos. Quod ad Episcopos autem

Cardinales, eos tantùm in nomine videtur donasse Joannes Diaconus, qui suis ejecti desolatis Ecclesiis, in alias vacantes transferebantur & incardi-
L. 3. c. 15. nabantur. *Civitatum desolatarum Pontifices Gregorius vacantibus civitatibus incardinare curabat.*

VIII. Quæ ea Gregorio coacervata hîc sunt, eadem reor omnia ex prædecessoribus ejus corraderentur, si per invidiam temporum æquè intacta eorum Regesta Epistolarum in nostras venire manus potuissent. Gelasius Sabino præcepit Episcopo, ut Diaconum ordinaret in Ecclesia, cujus Visitator
Collec. Rom. Holstenii. pag. 208. 234. erat, non Titularis. *Visitationis Officio, non potestate proprii Sacerdotis.* Præcepit Pelagius Eleutherio Episcopo, ut Oratorium consecraret, dotem adsignatam acciperet, Presbyterum Cardinalem ne crearet, temporarium missurus, cùm ibi celebrari Mysteria necesse fuisset. *Nec Presbyterum constituas Cardinalem.*

IX. Certissimè ergo constat, quæ in Epistolis Gregorii prolixè observata sunt à nobis, ea non fuisse propria Gregorii, sed Ecclesiæ usitatissima eo ævo, immo & jampridem: nec Clero Romano tunc vel antè proprium fuisse, ut vel Presbyteri, vel quicumque alii Clerici Cardinales dicerentur. Sed quanquam communia essent ea omnia aliis quoque Ecclesiis: Joannes tamen paulò antè insinuavit Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos Sedis Apostolicæ Cardinales dici solitos. Id ipsum planum est ex Decreto vetustiore Synodi Romanæ sub Stepha-
Collec. Rom. pag. 263. no IV. *Si quis ex Episcopis, vel Presbyteris, vel Monachis, aut ex Laicis, contra Canonum & sanctorum Patrum statuta prorumpens, in gradum majorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, id est, Presbyterorum Cardinalium, & Diaconorum ire præsumpserit, & hanc Apostolicam sedem invadere quilibet ex supradictis tentaverit, & ad summum Pontificalem honorem ascendere voluerit, ipsi & sibi faventibus perpetuum fiat anathema.* Ubi patet Cardinales affectatè dici Presbyteros, Diaconosque Ecclesiæ Romanæ, non Subdiaconos. Cæterùm Episcopi *Cardinales* dicti sunt hoc eodem sensu in Collatione Carthaginensi inter Catholicos & Donatistas Augustini ævo. Petilianus enim Episcopus cùm crimini verteret Catholicis, quòd eidem Ecclesiæ plures intrusissent Episcopos: *Cardinales atque authenticos Episcopos*, eos dixit, qui veri & verè sponsi Ecclesiæ suæ essent: reliquos autem quasi redundantes, & supernumerarios, *imagines* vocavit.

X. Sed illud præcipuè hîc observari par est, nec ex Gregorio, nec ex Joanne Diacono elici quidquam posse, quo Romæ Cardinales ullos Episcopos adhuc fuisse suspicemur. Quin ea hoc Stephani IV. Decreto perspicuè colligitur, nullos adhuc tunc fuisse. Verùm cùm hoc eodem Decreto prohibentur Episcopi, intentato etiam anathemate, aspirare ad sedes Presbyterorum & Diaconorum Cardinalium Ecclesiæ Romanæ: hinc apertissimè proditur jam tum Episcopos ipsos ambiisse præcellentem illam Presbyterorum & Diaconorum E. R. amplitudinem, potestatemque eligendi summi Pontificis, qui & ipse plerumque ex ipso eorum Collegio sacro eligeretur. Propè ergo à vero abest, percupiisse jam Episcopos adgregari Presbyteris Diaconisque Romanis ad electionem summi Pontificis: idque privilegii reservatum fuisse proximioribus quibusdam Episcopis, qui frequentiùs Romæ essent, & pro Majorum more invitari solerent, ut præstò essent Cleri Romani Conventibus, ubi majoris aliquid rei consultaretur. Proximi enim hi Episcopi jamdiu assueti interesse Synodis & Consultationibus Cleri Romani, paulatim in unum cum eo corpus concrevere, & unà ad majoris momenti negotia, & ad electionem maximè Pontificis suffragia contulere. Quippe ea olim vigebat in Ecclesiis lex, ut ad electionem Metropolitani confluerent & suffragarentur Episcopi omnes ejusdem Provinciæ.

XI. At verò antè etiam quàm vicini Episcopi cum Clero superiore Romano in unum quasi corpus coalescerent: antè etiam quàm Cardinalium nomine decorarentur Presbyteri & Diaconi Sedis Apostolicæ; mira jam & ingens prorsus erat tum authoritas superioris hujus Romani Cleri, tum confœderatio cum Episcopali Collegio. In vita Anastasii II. refertur ab Anastasio Bibliothecario, ab hujus Pontificis communione secessionem fecisse complures Presbyteros, Clericosque, quòd cum Acacii communicatoribus communicasset, inconsultis Episcopis, Presbyteris, Clericisque Ecclesiæ Catholicæ. *Multi Clerici & Presbyteri se à communione ipsius erecerunt, eo quòd communicasset sine consilio Episcoporum, vel Presbyterorum, vel Cleri cunctæ Ecclesiæ Catholicæ, Diacono qui communis erat Acacio.* Redditus est suæ sedi Symmachus Papa ab Episcopis, Presbyteris & Diaconis: *Ab omnibus Episcopis & Presbyteris & Diaconis, & omni Clero vel plebe redintegratur Sedi Apostolicæ.* Conciliis Romanis sub Symmacho subscripsere Episcopi Italiæ complures, sexaginta septem Presbyteri urbis, quorum Tituli seu Ecclesiæ in subscriptionibus designantur: denique Diaconi, qui & ipsi regiones urbis adjiciunt, in quas distributi erant. In Concilio IV. Romano sub eodem Symmacho Presbyteri Cardinales ita describuntur: *Ecclesiarum per omnes Romanæ civitatis Titulos Presbyteri, homines secundi in Ecclesia ordinis.* Quo declaratur nullos tum Titulos Diaconis fuisse assignatos; Regionarios eos fuisse, non Titulares; hoc est, Regionibus urbis, non Ecclesiarum Titulis affixos. Acclamationes hujus Concilii Episcopis & Presbyteris ascribuntur. *Ab universis Episcopis & Presbyteris acclamatum est.* Quo proditur Episcoporum & urbis Presbyterorum confœderatio. Inter Epistolas Hormisdæ, seu quas daret, seu quæ ad eum darentur, plurimæ sunt in quibus primò duo Episcopi, deinde duo Diaconi nominantur, tum denique unus Presbyter. Qui ordo tam frequenter iteratus, Epist. 55.
non casui imputandus est, non amanuensium errori. Simile igitur veri est, Diaconos eos fuisse ex Clero Romano delectos & delegatos: ideoque eos præponi Presbytero alterius Ecclesiæ eis adjuncto. Rursus idem observare est in Conciliis ferè Oecumenicis adgregari Episcopis Presbyteros Diaconosque aliquos Romanæ Ecclesiæ, ut Legatione fungantur Romani Pontificis, & Conciliis præsint. Ita Clero Romanæ Ecclesiæ coaluerunt Episcopi quidam.

XII. Rusticus quidem Diaconus in Titulo Disputationis adversùs Acephalos Cardinalis Diaconus præscribitur. Sed vereor ut ea inscriptio satis certa ac firma sit, & non potiùs eam recentior & imperitior manus adjecerit. Vir doctissimus Rusticus ne ipse quidem in præfatione id nominis sibi arrogat, tametsi totus in eo sit, ut excitet sese ad eam animi fortitudinem & inexpugnabilem constantiam, quæ Diacono consentiat Ecclesiæ summæ totoque orbe Principis. *Memento Christianum te esse atque Diaconum, & hoc summæ totius universalitatis Ecclesiæ. Si importabile onus est ordinis, quare ullo modo adgressus es dignitatem? Semel Diaconus factus, ejus*

*votis obligatus es Deo, alioqui debuisti prius refutare hujusmodi gradum.* Hæc amplitudo, sed & hæc fortitudo Diaconorum Ecclesiæ Romanæ, ut sanguinis impendio Christi Ecclesiam tueantur. A quibus non abhorret Facundus Hermianensis Episcopus: L. 4. c. 3. *Venerabiles Pelagius & Anatolius Romani Diaconi, debitam officio suo & loco sollicitudinem pro Ecclesia Dei gerentes, &c.* Quasi summa Apostolicæ Sedis gloria refunderetur, & exuberaret in primarium ejus Clerum. Ita videtur & innuisse Gregorius Magnus, cùm Paschasium sanctitatis & doctrinæ laude florentissimum, non aliter quàm Diaconum vocat Sedis Dialog. L. 4. c. 40. Apostolicæ: *Paschasius hujus Apostolicæ Sedis Diaconus.*

XIII. Quis enim ambiget, quin Clerus, hoc est, quin Presbyterorum & Diaconorum cœtus, qui jam inde à jactis per B. Petrum Ecclesiæ Romanæ fundamentis, Ecclesiam eandem Romanam, immo & universalem toto orbe sparsam administraverat cum successore Petri, & administrare pergebat; qui administrabat etiam solus vacante Sede, & persæpè diu vacante: qui præerat electionibus summorum Pontificum: qui plerumque eum ex suo gremio deligebat: qui ordinarium erat Papæ Presbyterium, seu Concilium perpetuum & juge, quo maxima quæque explicabantur negotia, seu ad fidem, seu ad mores spectantia: quis inquam ambiget, quin ejusmodi Presbyterorum & Diaconorum Collegium in eandem cooptaretur gloriæ & authoritatis societatem cum Apostolicæ Sedis Præsule; non aliter atque Ecclesiæ cujuscumque, seu Cathedralis, seu Metropolitanæ Clerus pro suo quisque modo cum Pontifice suo?

---

## CAPUT. CXVI. *P. 3. l. 1. c. 56.*

### De Cardinalibus sub Imperio Caroli Magni.

*I. In omnibus Ecclesiis particularibus ii dicebantur Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Cardinales, qui hac Beneficia titulo, non commenda, aut delegatione obtinebant.*

*II. Nondum Episcopi Romæ dicebantur Cardinales: sed Presbyteri & Diaconi. Quando cœperint Episcopi.*

*III. Varia descriptiones trium Ordinum sacri Collegii.*

*IV. Episcopi adhuc omnes sedebant supra Presbyteros, & Diaconos Cardinales.*

*V. De Cardinalibus aliarum Ecclesiarum.*

*VI. Paulo ante annum Christi millesimum Romani dicebantur Episcopi, qui postea dicti sunt Episcopi Cardinales. A temporibus Pipini Regis ita dicebantur.*

*VII. Episcopi Suffraganei & Canonici Ecclesia Metropolitana, Metropolitano à Consiliis sunt, dum superstes est: & eo extincto clavum moderantur ejusdem Ecclesia. Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Cardinales eodem utuntur jure in Ecclesia Romana.*

*VIII. Nondum Presbyteri, Diaconique tam intimè coaluerant cum Episcopis Romana Metropoleos suffraganeis, ut unà cum eis supra Episcopos alios sederent.*

*IX. De Legatis.*

I. IN Gallicanis Ecclesiis nostris *Tituli Cardinales* erant, Parochiæ urbis, ruriſque, in perpetuum erectæ Titulum, quem revocare jam, & invertere, ac dissipare non possent Episcopi. Ita interpretandus Meldensis Concilii Canon anni 845. Can. 54. *Ut Titulos Cardinales in urbibus vel suburbiis constitutos, Episcopi canonicè & honestè, sine retractatione ordinent & disponant.* Ejusdem modi erant Presbyteri & Diaconi Cardinales Romanæ Ecclesiæ, nulli enim tunc ibi Episcopi eo nomine decorabantur. Adrianus II. tres ad Carolum Calvum delegavit Legatos, quorum duo erant Episcopi, tertius Presbyter Cardinalis erat: *Petrum religiosum Presbyterum Cardinis nostri, dilectumque familiarem nostrum.* Epist. 18. 19. Ubi sanè idem Pontifex Actardum Nannetensem Episcopum ad Archiepiscopatum Turonensem transtulit, *Cardinalem illum instituit Metropolitanum: Constituimus Cardinalem Metropolitanum, & Archiepiscopum Turonica Ecclesia.* Sed eo verbo id unum exprimitur, non temporarium, non commendatarium, sed proprium, & titularem, perpetuumque institui Metropolitanum. Eodem vocabulo usus est Joannes VIII. ubi Frotarium Burdegala Bituriges transtulit. Epist. 13. Inde inferri non potest fuisse tunc Episcopos ullos, qui Cardinales Ecclesiæ Romanæ vocarentur, quanquam possent Episcopi singuli suarum Cardinales, id est, Titulares & perpetui dici Episcopi Ecclesiarum.

II. Stephano forsan IV. non immeritò quis id adscripserit, ut ab aliis Metropoleos Romanæ suffraganeis septem propinquiores discreverit, quos Cardinales dixerit, jusseritque, ut Dominicis diebus ad altare beati Petri Mysteria celebrarent, alii que aliis in eo obeundo munere succederent. *Hic statuit ut in omni Dominico die à septem Episcopis Cardinalibus Hebdomadariis, qui in Ecclesia Salvatoris observant, Missarum solemnia super altare beati Petri celebraretur.* Anastas. Bibl.

III. Tunc ergo in commune Cardinales forsan dici cœpere, unumque in Collegium colligati sunt Episcopi septem, Presbyteri & Diaconi Cardinales, quos & *Proceres Cleri* vocarit Author vetustissimus, qui vitas scripsit Pontificum. Leo III. electus est ab his Cleri Proceribus, à Clero, ab Optimatibus, à populo, ex Anastasio Bibliothecario in ejus vita: Idem in vita Leonis III. *A cunctis Sacerdotibus, seu Proceribus, & omni Clero, necnon & Optimatibus, vel cuncto populo Romano.* Hi *Sacerdotes* & *Proceres* aptissimè intelliguntur Episcopi, Presbyteri & Diaconi Cardinales, quos dignitatis suæ splendor à reliquo sejungebat Clero. Idque dilucidius adhuc fit ex iis quæ sequuntur, ubi Leonem Romam reducem effusis gaudiis excipiunt *tam Proceres Clericorum, cum omnibus Clericis, quámque Optimates, & Senatus, & populus.* In electione Valentini I. Episcopi sigillatim exprimuntur: *Collectis in unum Episcopis & gloriosis Romanorum Proceribus.* In electione Sergii II. cæteris permiscentur Cardinalibus: *Cùm Proceres & Romana urbis Optimates, universusque populus pro eligendo Pontifice in unum coissent.*

IV. Sub Leone IV. in Concilio Romano damnatus est Anastasius *Presbyter Cardinalis Tituli sancti Marcelli*, quòd quinquennio abfuisset à sua *Parochia.* Idem. Id honoris impensum est Cardinali Presbytero, ut à tribus Episcopis citaretur: *Per tres vocatus Episcopos.* Nec tamen ille adduci potuit ut adesset. Amplissima ergo jam tum erat ea dignitas, etsi ante Presbyteros & Diaconos Cardinales adhuc & ingrederentur & sederent Episcopi. In hoc ipso quippe Concilio anni 853. sexaginta septem Episcopi & sede & subscriptione primas partes honoris obtinent supra Presbyteros Diaconosque Cardinales.

V. In electione Benedicti III. electores ita describuntur: *Clerus & cuncti Proceres.* Vel *Episcopi cum Clero & populo.* Et in vita Nicolai I. *Episcopi, Presbyteri, Proceres & Optimates.* In Adriani II. vita Rex Bulgarorum *aliquem ex Cardinalibus* postulat, qui Archiepiscopus Bulgariæ creetur. A Joanne VIII. Papa sancitum est, ut ne posthac eligeretur Patriarcha Constantinopolitanus, nisi *de Car-* Epist. 199.

*dinalibus Presbyteris & Diaconibus Constantinopolitanæ Sedis*. Idem ab eodem præscriptum est Mediolanensibus, ut eligeretur, *qui de Cardinalibus Presbyteris aut Diaconibus dignior fuerit repertus*. (Epist. aat.) Valterus Aurelianensis Episcopus præcipit in Capitulari, ut *Per Archidiaconos vita & doctrina Presbyterorum Cardinalium investigetur*. (Cap. 2.) Atto Vercellensis Episcopus in Capitulari Parochis præcipit, ut Episcopum consulant: *quod si defuerit, Cardinalibus primæ Sedis interim suggeratur*.

VI. In aliis ergo Ecclesiis Cardinales dicebantur Presbyteri, Diaconique, cùm necdum in Ecclesia Romana Episcopi eo nomine dicerentur. In Concilio Romano sub Ottone I. anno 963. quo dejectus est sede Joannes XII. sedent supra Cardinales Episcopi omnes, prioresque subscribunt; soli Presbyteri & Diaconi Cardinales appellantur; at Suffraganei Metropoleos Romanæ ab aliis Episcopis honorificentissimè secernuntur, ubi *Romani Episcopi* dicuntur. Audi Acta ipsa Concilii: *Tunc Romani Pontifices, Episcopi scilicet suffraganei, & Cardinales Presbyteri, ac Diaconi, cum universa plebe dixerunt, &c.* Audi ut de illis verba faciat Otto Imperator in Epistola ad Joannem Papam: *Dum filios vestros, Romanos scilicet Episcopos, Cardinales Presbyteros, & Diaconos, & universam plebem de vestra absentia percontaremur, &c.* Tunc ergo qui postea Episcopi Cardinales dicti sunt, dicebantur usitatissimè *Episcopi Romani, Romani Pontifices*. Eodem sensu, ut mea fert opinio, Georgius Episcopus Roma missus sæpiusculè vocatus est *Episcopus Romanus* in
Can. 9. 21. Concilio Compendiensi anni 757. sub Pipino Rege, *Georgius Episcopus Romanus*. Eo etiam sensu Carolus Magnus Leonem III. & alios Episcopos Romanos consuluit, *Consultu Leonis, cæterorumque Romanæ Ecclesiæ Episcoporum*. (Capitul. L. 5. c. 34.) In eodem porro Romano Concilio sub Ottone memoratur & Joannes *Subdiaconus Cardinalis*. Memoratur, quod magis mireris, & *Stephanus Archiacolythus cum omnibus Acolythis*. Sed tarissima semper fuere istiusmodi posteriora exempla. (Luitpr. l. 6. c. 6. 7. 11.)

VII. In iis porro honoribus qui habiti sunt Episcopis Romanis, hoc est, Romæ Suffraganeis, & denique Cardinalibus Episcopis dictis, non est quod quisquam magnopere miretur. Indubium enim, & ex Ecclesiasticis Annalibus priscæque legibus disciplinæ exploratissimum, Episcopos Suffraganeos cum Metropolitano in unum quodammodo coisse Collegium, è quo & superstite Metropolitano, & extincto, Provinciæ res omnes administrarentur, & Metropolitica potestas, quæ utique intermoritur nunquam, repræsentaretur, & ubi opus esset, exereret se.

VIII. Cùm autem sive Romani, sive Cardinales Episcopi, duplici Collegio conserti essent, hinc Episcoporum orbis omnium, inde Cardinalium Romanæ Ecclesiæ, seu Presbyterorum, seu Diaconorum: non ita illi posteriori huic Collegio se totos statim conglutinarunt, ut ab eo nunquam divellerentur, atque ita cum eo supra Episcopos omnes sederent. Post annum demum millesimum ducentesimum id contigit, ut suprà dictum est. Antè enim in Conciliis ne sedebant quidem Diaconi Cardinales, sed stabant pone sedes Episcoporum & Presbyterorum Cardinalium. Tanto utique temporis intervallo opus fuit, ut Episcopi Cardinales gemino illigati Collegio, à priori illo quodammodo sejungerentur, ut huic posteriori se penitiùs conglutinarent, & ita illud secum eveherent supra prius illud.

IX. Extra Urbem, in Gallia & in Oriente Diaconi Cardinales præerant Conciliis, præerantque Episcopis omnibus; sed brevis erat ea honoris usura, dum Legatione Sedis Apostolicæ fungerentur. Concilii Turonensis IV. Episcopi anno 849. Nomenoio Britanniæ Armoricæ Duci gravissimè exprobrarunt, quòd Sedis Apostolicæ litteras & Legatos suscipere renuisset: *Maximum reatum te contraxisse scimus, quod Epistolam Sedis Apostolicæ respuisti, &c. propterea parati sumus, si vis, secundò Legatum Sedis memoratæ cum scriptis toti mundo venerandis dirigere*. A Rege & Episcopis Galliarum postulati fuerant hi Legati. Sicut & Rex Lotharius à Nicolao I. postea flagitavit, ut Legatos mitteret, à quibus in Regno suo Concilium congregaretur. *Regalis excellentia vestra nuper Apostolatui nostro direxit, ut pro perficienda Synodo Missos è latere nostro dirigere dignaremur*. (Epist. 19.) Nec in dubium duci potest, quin Concilio Pontigonensi anno 876. qui præfuerunt Legati, ii à Carolo Calvo Imperatore postulati fuerint; cui & ipse præesse voluit, ut Apostolicæ Sedis Legatus, persuasissimus utique, & ornari à se Legationem, & eam vicissim sibi ornamento esse. *Imperator dixit, quod Domnus Apostolicus ei suas vices commisit in Synodo*.

---

## CAPUT CXVII. *P. 2. l. 2. c. 57.*

## De Legatis per quinque priora Ecclesiæ sæcula.

*I. Delegabantur quandoque Episcopi à Romano Pontifice ad eas ipsas res, quæ sua jam potestatis erant.*
*II. Augustinus à Papa delegatus ad res Ecclesiasticas Mauritaniæ.*
*III. Delegat Leo Papa Episcopum Constantinopolitanum & duos alios, ad tuendam fidei firmam Constantinopoli & in Oriente.*
*IV. V. Delegatur ab eodem est in Africa Episcopus, ut exploraret & ad se perscriberet Ecclesiæ illius calamitosissimum statum ac Disciplinam.*
*VI. Idem rursus delegat Julianum Coinsem Episcopum, ut pro fide in Oriente excubias ageret.*
*VII. Et penes Imperatorem Legato, sive Nuncio, nihil novæ jurisdictionis addebatur.*
*VIII. Olim Liberius plures Legatos in Orientem miserat, qui jurisdictionem quaqua versum ibi exeruerunt.*
*IX. Eorum similes mitti suo tempore flagitavit Basilius.*
*X. Nova aliarum Legationum exempla.*
*XI. Indignantur quandoque Episcopi Afri has Legationes tulere.*
*XII. Cur non semper Legati Papæ sederent supra alios omnes Episcopos.*
*XIII. Legatio Episcopi Asturicensis in Hispania.*

I. CUm Beneficia olim meræ persæpè fuerint administrationes, aut delegationes, non alienum erit ab instituto, hîc de Legatis agere. Sin minùs erat is Beneficii Titulus, erat certè Beneficiarii munus, præsertim Episcoporum, rarius fateor, sed tantò honorificentius. Huc referri non abs re potest ipsorum loci Episcoporum delegatio à Romano Pontifice ad ea quæ ipsorum jam erant, & officii, & potestatis. Accumulatio quædam hæc erat juris & authoritatis, cùm supremus Pontifex suam Episcopo ad cumulum potestatem adjungeret. Ita Anatolium quondam Constantinopolitanum Episcopum delegavit Leo Papa, ut Attici Presbyteri Constantinopolitani sententiam de fide exploraret, scriptoque damnare cogeret expressissimo errores Eutychetis, quorum suspiciones nondum satis diluerat: nondum forsan conscientiam, non-

dum certè famam purgaverat. Molestè tulit eam delegationem Anatolius, at tantò vehementiùs institit Leo, ut & proprio satisfaceret officio, & Superioris mandato. *Neque in aliquo honorem tuum læsi, cui discutienda ea, quæ ad me erant perlata, commisi, ut scilicet Atticus Presbyter, nisi etiam propriæ manus subscriptione damnasset hæreticos, à communionis gratia esset alienus.*

Epist. 77.

II. Aliquantò diversa delegatio fuit Augustini Hipponensis Episcopi à Zosimo Papa, ut in Mauritaniam causas aliquas finiturus proficisceretur. Ita enim Augustinus ipse: *Apud Cæsaream, quò nos injuncta nobis à venerabili Papa Zosimo Apostolicæ Sedis Episcopo, Ecclesiastica necessitas traxerat.* Extra Diœcesin, immo & extra Provinciam res vertebatur. Itaque sola Papæ authoritate fretus rem peregit Augustinus: neque enim Metropolitanum seu Primatem tacuisset, si quæ ejus in eo partes authoritatis fuissent.

Epist. 157.

III. Promo tertiam & æquè diversam delegationis speciem, ubi partim in proprio, partim in alieno territorio res peragitur: nempe quando post Prostibulum Ephesinum, Leo Papa Episcopum & Presbyterum Constantinopolin misit, eisque adjunxit Episcopum Constantinopolitanum Anatolium, ut vice sua tres ii conjunctim collaborarent ad resarciendam labem orthodoxæ fidei, in Ephesina Pseudosynodo tantumnon labefactatæ: & ad dispensandas gratias veniamque Canonum faciendam iis, quos torrente veluti quodam iniquitatis abreptos, pudere jam & pœnitere videbatur flagitii: reservata primæ Sedis providentiæ solius Dioscori persona, si quo unquam pœnitentiæ stimulo pungeretur. Audi quid Leo in eam rem ad Anatolium scripserit: *Congruum fuit fratres meos Luculentium Episcopum & Basilium Presbyterum destinare, quibus dilectio tua societur, ut nihil in his quæ ad universalis Ecclesiæ statum pertinent, aut dubiè agatur, aut segniter; cùm residentibus vobis, quibus executionem nostræ dispositionis injunximus, ea possint agi cuncta moderatione, ut nec benevolentiæ partes, nec justitiæ negligantur.* Permagna negotii pars ad Ecclesiam & Diœcesin Constantinopolitanam spectabat. Illud specialiter commendabat Leo, ut quantumvis vel Dioscorus, vel cæteri tam atrocium authores facinorum resipiscerent, ne sacris tamen Diptychis in Ecclesia Constantinopolitana eorum nomina restituerentur, nisi novo Sedis Apostolicæ mandato. *Neque priùs in Ecclesia, cui te Dominus voluit præsidere, cujusquam talium nomen ad altare recitetur, quàm quid de eis constitui debeat, rerum processus ostendat.*

Epist. 46.

IV. Legati isti vel Delegati omnes Sedis Apostolicæ mandatorum executores erant. Quartam jam profero speciem eorum qui inspectores tantùm fuere, ut mores & disciplinam alicujus Ecclesiæ observarent, de eo certiorem facerent summum Pontificem, qui jam pro potestate, pro charitate, pro sapientia qua summa pollet, aptissima temperaret medicamenta, ut vulnera Ecclesiasticæ disciplinæ inflicta persanarentur. Ejusmodi fuit Potentius Episcopus, quem idem Leo in Africam ablegavit; eoque reduce Epistolam Decretalem misit ad Afros, ex qua pauca hæc inserere hoc loco juvabit: *Cùm de Ordinationibus Sacerdotum quædam apud vos illicitè usurpata, crebrior ad nos commeantium sermo conferret, ratio pietatis exegit, ut pro sollicitudine, quam universæ Ecclesiæ ex divina institutione impendimus, rerum fidem studeremus agnoscere: vicem curæ nostræ proficiscenti à nobis fratri & Consacerdoti nostro Potentio delegantes, qui secundum scripta quæ per ipsum ad vos direximus, de Episcopis, quorum culpabilis ferebatur electio, quid veritas habeat, inquireret, nobisque omnia fideliter indicaret.*

Epist. 87.

V. Contendit Pontifex suarum fuisse partium, suæ denique potestatis & curæ, obliquis ad se rumoribus perlatis, de Ordinationibus præter Canones in Africa celebratis, ut eò Episcopos delegaret, qui de iis inquirerent, & ad se referrent. Vandali Africanas & regiones & Ecclesias ita pessum dederant, ut ea Pontificis vigilantia exsomnis & charitas multò magis necessaria esset. Est & aliud quod hîc observes, nimirum nulla jurisdictione donatum fuisse Potentium, quamvis Episcopus esset. Explorare tantùm omnia & renuntiare Pontifici jubebatur. Superiorum specierum Legati jurisdictionem omnes Pontificiam exercebant, nonnulli præterea suam: at Potentius nec suam, nec alienam.

VI. Aperit se nova species, quam nec ulla muniat jurisdictio, sed quæ speciem saltem ejus aliquam præ se ferat. Gravatè ferens idem Leo, quòd Anatolius Constantinopolitanus Episcopus non eo tuendæ fidei flagraret zelo, quo succendi Episcopos æquum est, & quo maximè illustrissimi Martyris Flaviani successorem exardescere æquum fuisset: Julianum Coensem in Ægeo mari Episcopum delegavit, non ad aliud, quàm ut pervigil instaret, ne qua nova incrementa facerent novellæ hæreses Eutychetis & Nestorii. *Hac speciali cura, vice mea functus utaris, ne hæresis Nestoriana, vel Eutychiana in aliqua parte revirescant; quia in Episcopo Constantinopolitano catholicus vigor non est, &c.* Scripsit & ad Marcianum Imperatorem, ut pateretur Julianum Apocrisiarii munere fungi in ejus Aula: & adversùs pestiferas hæreticorum innovationes, ne latiùs serperent, excubaret. *Vicem ipsi meam contra temporis nostri hæreticos delegavi, atque propter Ecclesiarum pacisque custodiam, ut à vestro comitatu non abesset exegi; cujus suggestiones, pro concordia Catholicæ unitatis, tanquam meas, audire dignemini.* Diximus suprà quæ partes essent hujus vel Legati, vel Apocrisiarii, ut preces, jussiones, Epistolas Pontificis & Imperatoris ultro citroque curaret perferendas; & in eo haberent Constantinopolitani quandam veluti portionem Papæ, ex quo & *Legati à Latere* dicti sunt. *Cùm in te quandam mei Constantinopolitani habeant portionem, dignum pro communi amicitia est, & pro totius Ecclesiæ dilectione, incessabili te vigore prospicere, ne quid possit de statu fidei me latere. Quæ ergo vel ad gloriosissimum Principem, vel ad tuam dilectionem scripsi, ut celerrimè tradantur effectui, opportunis suggestionibus elabora.* Executor ergo & hic erat mandatorum Pontificis in Oriente, sed non aliter quàm sua ad Imperatorem instantia & mediatione.

Epist. 56.76

Epist. 67.

VII. Abs re fuerit ergo, quærere, vel dubitare, an hic sive Legatus, sive Nuncius, consensu Imperatoris missus sit. Cùm enim unum id ei curandum incumberet, ut Imperatorem inflecteret ad mandatorum Pontificis executionem in hæreseos extirpatione: quæ demum spes affulgere poterat, ut præter voluntatem suam Imperator voluntati Pontificis obsecundaret? Accipe & hæc alia ejusdem Pontificis verba, ex quibus magis magisque elucescat, quod esset Legati Officium: *Vicem ipsi meam delegavi, ut ab ea quæ vobis debetur observantia non recedens, pietati me vestræ præsentare non desinat, exequens in custodia fidei, & in Ecclesiasticis disciplinis per omnia sollicitudinem, & opportunis suggestionibus, quod universali Ecclesiæ prosit, insinuans, ut in ipso,*

Epist. 58.

nec

*nec Catholicis vestrum præsidium, quibus volumus subvenire, nec vobis meum desit obsequium.* Et rursus alio *Epist. 59.* loco ad eundem Principem: *Juliano Episcopo noverit vestra clementia hoc me propriè delegasse, ut quidquid illic ad custodiam fidei pertinere probaverit, meo nomine vestræ fiducialiter suggerat pietati, quoniam certus sum vos ad hæc omnia, vel emendanda, vel defendenda, Deo auxiliante sufficere.* Quantacumque ergo esset Pontificis potestas in Patriarchas, & Episcopos Orientis: quantacumque & æquitas & necessitas, ut concussam in latrocinio Ephesino fidem restaurari confirmarique curaret: desperavit tamen Leo procedere quidquam posse, & ad auspicatum exitum perduci, nisi Imperator ipse obsequutorem se sponte & quasi executorem præstaret votis & mandatis Pontificis. *Epist. 71. inter recens editas.* Idem Julianus adjunctus fuit Legatis ejusdem Leonis Papæ in Concilio Calchedonensi. Ita mandarat Leo.

VIII. Duos olim ad Constantium Imperatorem Legatos, vel Oratores miserat Liberius Papa, nempe Vincentium Episcopum Capuanum, & Marcellum Episcopum Campaniæ, pro fide catholica, & pro causa Athanasii tuenda. Cùm his Legatis vim fecisset Constantius, invitosque, vel dementatos coëgisset subscribere damnationi Athanasii, rursus ad eundem misit Liberius Luciferum Calaritanum, & Eusebium Vercellensem Episcopum, qui Concilium ab eo peterent, cui canonica concederetur libertas. Indixit Imperator Concilium Mediolani, ubi cùm constantissimè abnuisset Lucifer & Eusebius damnationi Athanasii subscribere, jussu Constantii in Orientem exulare jussi sunt. Cùm necdum expirasset eorum Legatio, jurisdictionis illi suæ radios in longinquas etiam regiones effuderunt. Lucifer Paulinum Antiochiæ Episcopum ordinavit, Pastoremque adsignavit ejus urbis Catholicis, quibus religio erat cum Episcopo Meletio communicare. *Marca de Concor. l. 5. c. 15. n. 3. 4.* Eusebius Vercellensis veluti collega fuit & cooperator Athanasii in congregando Concilio Alexandrino. Secundas verò tantùm ideo partes post Athanasium sustinebat, quòd non plena Legatorum authoritate munitus fuisset. Sed neuter tamen horum Præsulum sine primæ Sedis delegatione, tantam potuit in Oriente explicare jurisdictionem.

IX. Addita ergo erat his Legatis jurisdictio & authoritas, qualem optavit postea sanctus Basilius Cæsareæ in Cappadocia Archiepiscopus adjici Legatis in omnem Orientem à sede Apostolica mittendis, ad primævam fidei & disciplinæ integritatem restituendam, post Concilii Ariminensis cladem. Ad Athanasium ipsum perscripsit Basilius, quantum utilitatis emersurum speraret ex istiusmodi Legatione. *Epist. 52.* *Visum est mihi consentaneum ut scribatur Episcopo Romæ, ut quæ hic geruntur consideret, & sententiam suam expromat. Et quoniam difficile est, ut communi ac Synodico decreto aliqui illinc mittantur, ipse sua authoritate in ista causa usus, viros eligat ad hoc accommodos, ut mansuetudine & facilitate ingenii eos qui distorti & obliqui apud nos sunt, corrigant, aptè ac dispensatoriè sermonem attemperantes, omniaque secum habentes, quæ in Arimino gesta sunt, ad ea rescindenda, quæ illic per vim gesta sunt.*

X. Manifestum in primis est, quàm latè pateret duabus his exterius Legationis speciebus concessa, vel concedenda authoritas. Sed postrema hæc ab Episcopis expetebatur earum ad quas destinabatur Ecclesiarum; quod nequaquam dici potest de Luciferi & Eusebii Legatione. Concilium Sardicense integrum esse Papæ declaravit, ut Legatos mitteret in Provincias, ubi instaurandum esset judicium Episcopi, qui à sententia appellasset Concilii Provincialis, à quo esset abdicatus. *Ut de Latere suo Presbyterum mittat.* *Can. 6.* Refudit Gelasius Papa in Episcopum Constantinopolitanum Acacium, velut in authorem, quidquid commissum esset flagitiorum facinorumque in Ecclesia Alexandrina & Antiochena, quòd non eam exercuisset vim & potestatem, quam ei sedes Apostolica delegasset, ad ea vel antevertenda, vel procuranda. *Cur tanto tempore cum ista gererentur, vel gerenda cognosceret, non ad sedem Apostolicam, à qua sibi curam illarum regionum noverat delegatam, referre maturavit?* *Epist. 13.* Occupaverat Leo Imperator, cœperatque Legatos à Leone Papa postulare Constantinopolin ablegandos, ut mederentur acerbissimis Ecclesiæ Antiochenæ & Alexandrinæ vulneribus, quæ nova & graviora in dies imprimebant Eutychiani. Morem gessit Pontifex, tam æqua, tam necessaria deposcenti Principi. *Præceptioni vestræ in eo adnitar obedire, ut aliquos de fratribus meis dirigam, &c.* *Epist. 72. 100.* Misitque Domitianum & Geminianum Episcopos. Consultius visum est successoribus Leonis Papæ ad ea Episcopum Constantinopolitanum delegare, donec Anatolii ignavia & in hæreticos conniventia fulminibus Apostolicæ sedis percellenda fuit.

XI. At præ cæteris omnibus Orbis partibus Africani Episcopi molestissimè tulere, Legatos ad se ab Apostolica sede mitti, præter consensum suum. Faustinum Episcopum Potentinum ad eos misit Zosimus Papa, qui Canones Nicænos, vel Sardicenses ad eos deferret, tuereturque jus appellandi ad Apostolicam sedem. Affuit Faustinus Conciliis Africanis, post Aurelium Carthaginensem Episcopum primam implens sedem, seque Legatum Apostolicæ sedis in subscriptionibus adscribens. Incomperta prorsus erat Afris tunc Episcopis Sardicensis Synodus, quanquam ei affuisset Gratus Carthaginensis Episcopus. Itaque non facilè venire poterat illis in mentem Sardicenses Canones à Zosimo pro Nicænis sibi venditari: quod eo factum erat, quòd solerent Canones semper recentiores codici Canonum vetustiorum subjungi, in quo primo loco erant Canones Nicæni; ex quo fiebat, ut & quandoque citarentur omnes nomine Canonum Nicænorum. Ita Gregorius Turonensis Canonem Concilii Gangrensis laudavit alicubi pro Canone Nicæno. Ita dicti sunt Canones Apostolorum, dictæ sunt & Apostolicæ Constitutiones. Ita Nicæni Canones dicuntur, qui in Collectione circumferuntur Arabica: quia posterioribus sæculis Codici Canonum Nicænorum, vel Apostolicorum, adtexti sunt recentiores Synodorum Canones; ita ut tota compilatio primævo semper nomine designaretur Nicænorum, vel Apostolicorum Canonum. Cùm ergo abhorrerent adhuc Afri ab Appellationibus quibuscumque ad sedem Apostolicam, & multò vehementiùs quòd eam appellarent Presbyteri; quanquam non improbabiliter eorum quoque appellationes Nicæno Canoni inniterentur, quo copia illis fiebat, ut ad viciniorem Primatem appellarent: litteras dederunt ad Cælestinum Papam amarulentis refertas querelis. Nulla scilicet Canonum authoritate astrui, quòd Legati à Pontifice in Provincias mitterentur: *Nam ut aliqui tanquam à sanctitatis tuæ latere mittantur, nulla invenimus Patrum Synodo con-* *Conc. Afric. c. …*

*stitutum.* Hanc sibi superesse spem, ut quamprimùm revocaretur ab eo Faustinus Legatus: *Nam de fratre nostro Faustino, securi sumus quod cum probitate ac moderatione tua sanctitatis, salva fraterna charitate, ulterius Africa minimè patietur.* Denique orabant Pontificem, ne ex Clero suo mitteret, qui mandata ejus exequerentur, eo fastu & terrore, qui utcumque terreuis potestatibus, at Ministris Christi nequaquam consentiret. *Executores etiam Clericos vestros, quibusque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumosum typhum sæculi in Ecclesiam Christi videamur inducere.*

XII. Executores hi porro Mandatorum & Decretorum Pontificis, Clerici cùm essent, poterant utique in classe aliqua collocari Delegatorum, seu Nunciorum sedis Apostolicæ, ea munitorum jurisdictione, quæ ad unam aliquam causam esset coërcita. Cæterùm si Faustinus post Aurelium Carthaginensem Episcopum sedit, si Eusebius Vercellensis post Athanasium, id ex eo fieri potuit, quòd eorum non esset plena Legatio, sed ad unam arctata causam. Idem sentiendum de Juliano Episcopo Coënsi, qui post viginti penè Primores Episcopos sedit in Concilio Calchedonensi, quamvis subscribat ut Legatus, iisdem verbis quibus Legati cæteri, qui Synodo præfuerunt. Eccur enim Paschasinus & Lucentius Episcopi, & Bonifacius Presbyter, Pontificii Legati, sedere ante Patriarchas omnes; Julianus autem Legatus & ipse Papæ, post Patriarchas & aliquot Metropolitanos sedit: nisi quia illorum Legatio plena erat & extraordinaria; hujus autem ordinaria & limitata ad rem aliquam unam.

XIII. Non ita res habuit in Turibio Asturicensi Episcopo in Hispania. Rescripsit ad eum Leo, ut Universale Concilium in Hispania congregaret, aut saltem Provinciale in Gallæcia Concilium adversùs Priscillianistas, atque præesset Concilio,
Epist. 93. cum Hydacio & Ceponio Episcopis. *Ergo Concilium Synodi generalis indiximus, &c. Saltem in una Gallicia conveniant Sacerdotes, quibus congregatis Hydacius & Ceponius imminebunt, conjuncta cum eis instantia tua.* Docet nos Braccharense Concilium I. habitam
In Præfat. esse eam Synodum Universalem. In Præfatione legitur Concilii hujus Braccharensis Epistolas suas misisse Leonem ad Synodum Gallæciæ *per Turibium Sedis suæ Notarium.* Nimirum Turibius Romanæ Ecclesiæ Notarius Pontificias litteras detulit ad Turibium Asturicensem Episcopum, qui Diaconum suum ad eum cum Epistolis destinarat. Juxta mandatum Leonis Concilio saltem Provinciali Gallæciæ præesse debuit Turibius Episcopus cum aliis Episcopis duobus.

---

## CAPUT CXVIII. *P. 2. l. 1. c. 52.*

### De Legatis à Chlodovæi temporibus ad Carolum Magnum.

*I. Gregorius Magnus mittendi in Gallias Legati percupidus ad Disciplinæ restaurationem, scripsit ad Reginam, ut Legatum à se posceret, ut unanimi Principum & Episcoporum consensu Legatio fulta, in majorem Ecclesiæ utilitatem cederet.*

*II. Miserat ante Gregorius Apocrisarium quendam.*

*III. Delegavit etiam Augustodunensem Episcopum, qui gratia in Palatio florebat.*

*IV. Bellorum improvisæ tempestates tam præclara dissiparunt consilia.*

*V. Legationis ordinariæ jura Archiepiscopo Arelatensi olim tributa, studiosè tuebatur Gregorius.*

*VI. Is erat quasi perpetuus in Gallia Legatus.*

*VII. VIII. Hujus sapientissima Pontificum providentia exempla alia, ne Legatos mitterent, nisi à Principibus & Episcopis expetitos.*

*IX. Legatos ipsi quandoque poposcerant Imperatores.*

*X. XI. De Legatis in Africam missis, & de Episcoporum ea de causa querelis.*

*XII. De Legatis in Angliam missis.*

*XIII. Martinus Papa Legatum in Oriente instituit, & amplissima munit potestate.*

*XIV. Apocrisariorum & Legatorum Collatio.*

*XV. Duo Legatorum genera in Concilio VI Generali.*

*XVI. De Legatis sub Caroli Magni familia.*

I. NOn tam Apocrisiarii, vel Nuntii, quàm Legati in Gallias mittebantur. Nec optari quidem potest exemplum luculentius, quàm Gregorii Magni, qui Brunechildem Reginam interpellavit, ut postularet à se, & postulati faceret Legatum, qui Concilium cogeret, ubi cum Episcopis Regni medicaretur morbis non paucis, nec levibus, qui in mores Cleri irrepserant. Non nesciebant Galliarum Episcopi, & officii esse sui, & potestatis, ea mala resecare, & disciplinam famamque porgare Ecclesiæ: sed eorum aut frigebat charitas, aut necessariis præsidiis autoritas destituebatur. Summi ergo Pastoris & universalis Canonum vindicis potestas atque vigilantia desiderabatur: sed minùs processura, nec tam uberes fructus habitura res erat, nisi accederet & Episcoporum Regni consensio, & Regum ipsorum suffragatio, qui custodes Canonum sunt & ipsi, atque Ecclesiæ defensores. Gregorius gloriæ Christi amantior, cupidiorque purioris morum disciplinæ, quàm spinosioris indaginis jurium Apostolicæ Sedis, concertationes ejusmodi omnes ablegavit, nec alio constare posse duxit fundamento stabilem accuratamque Canonum & legum sacrarum observantiam, quàm Ecclesiæ & Regni tenacissima concordia, Episcoporumque Gallorum cum Apostolica Sede consensu. Hanc ergo ille rationem init, prudentiæ, justitiæ & charitatis longè pulcherrimis legibus obsecutus.

II. Contestatus antè fuerat idem ipse Reges Episcoposque Galliæ, ut Concilium convocarent, & cum Cyriaco Abbate à se misso conniterentur, ut simoniam è Gallicania abigerent Ecclesiis, & grassationes insolentissimas Laicorum in summas quasque Ecclesiæ dignitates irruentium coërcerent, En ejus verba ad Brunechildem Reginam: *Petimus ne de hujus pravitatis emendatione Deum vobis placabilem faciatis, & ut nulla deinceps valeat occasione committi, Synodum fieri jussio vestra præcipiat, ubi præsente dilectissimo filio nostro Cyriaco Abbate, sub districta anathematis interpositione debeat interdici, &c.* Posset L. 7. Ep. 114 non injuria Cyriacus hic illi accenseri gregi Apocrisiariorum, de quibus tam copiosè superiùs dictum est à nobis, quique ad Cleri mores ad meliorem frugem revocandos sæpiùs mittebantur. Sed parùm ponderis habituram suspicatus Gregorius eam delegationem, adjunxerat ei Episcopum Augustodunensem Siagrium, quem resciverat in Palatio Regum plurimum posse, ut urgerent convocationem Concilii, & eorum quæ constituta fuissent accuratam observantiam. *Curam verò & sollicitudinem ejusdem Synodi, quam fiendam decrevimus, fratri nostro Siagrio, quem vestrum proprium novimus, specialiter delegare curavimus: quem petimus, ut & supplicantem libenter audire, & ope juvare dignemini.* Eadem perscripsit ad Reges Theodoricum & Theodebertum, ad Episcopos Galliæ, & nominatim ad Siagrium Augustodunensem. Epist. 114. 115.

III. Verùm hæc Cyriaci, Siagriique delegatio cassa cecidit. Sed non animum despondit Gregorius, scripsitque ad Reginam, ut Legatum ipsa à se postularet, qui Præsulibus negligentioribus calcaria admoveret, & Regio fretus patrocinio, sanctimoniam morum Canonumque vigorem pristi-
L. 9. Ep. 64. num revocaret. *Quoniam eos, quorum est locus hæc insequi, nec sollicitudo ad requisitionem, nec Zelus excitat ad vindictam, scripta ad nos vestra discurrant, ut personam si præcipitis, cum vestræ authoritatis assensu transmittamus, quæ unà cum aliis Sacerdotibus, hæc & subtiliter quærere, & secundùm Deum debeat emendare.* Paruit Regina votis Gregorii monitisque, & per Optimates regni deposci curavit Legatum, qui purgandæ Ecclesiarum disciplinæ cum Episcopis
L. 11. Ep. 8. Baron. an. 605. n. 16. Regni strenuam navaret operam. *Præfati viri magnifici filii nostri, dato Capitulari, inter cætera petierunt, quod sibi & vestra perhibuere jussione mandatum, ut talis debeat à nobis in Gallias persona transmitti, qua facta Synodo, cuncta quæ contra sacratissimos Canones perpetrantur, omnipotenti Deo authore, possit corrigere. In qua re gloriæ vestræ curam cognovimus, &c.*

IV. Exortæ quidem non multò pòst bellorum procellæ disturbarunt tam præclaras spes, & consilia longè pulcherrima; sed nihilo tamen minus hinc elucescit, quàm non ullos unquam missurus fuisset Gregorius Legatos in Galliam, nisi explorato Regum assensu, quorum in voluntate & potestate fita est quorumcumque executio consiliorum & fælicitas. Nec me fugit ita Cardinali Baronio visum, non adductos esse ad postulandum Legatum Galliæ Proceres, nisi ad ineundam ab optimo Pontifice gratiam, quo illum propitium magis & attentum haberent ad pacem Imperatores inter & Reges conciliandam. Sed non ego ita de artibus Aulicorum & sinuosis recessibus laboro, quàm de sanctissimi Pontificis consiliis & molitionibus. Quanquam non rarò charitatem non ineleganter imitantur etiam Procerum cupiditates, artesque.

V. Poterat & in mentem venire Gregorio, cùm Prædecessores sui Legatum seu Vicarium Apostolicum in Galliis constituissent Archiepiscopum Arelatensem, eumque ipsemet confirmasset: cùm jugem eam in Galliis Legationem Reges ipsi depoposcissent: jam subiniquum fore, si inconsultis Regibus, inconsultis Episcopis, & ipso maximè Arelatensi, novus Legatus Roma mitteretur, vel quomodocumque designaretur. Ita sensisse Gregorium facilis conjectura ducitur ex ejus Epistola ad Augustinum Angliæ Legatum Apostolumque, in qua affirmat nullam se ei jurisdictionis partem concedere potuisse in Gallicanas Ecclesias, quòd eæ Archiepiscopo Arelatensi jam commendatæ essent. *In Gal-*
L. 12. Ep. 31. *liarum Episcopos nullam tibi authoritatem tribuimus, quia ab antiquis prædecessorum meorum temporibus Pallium Arelatensis Episcopus accepit, quem nos privare authoritate percepta minimè debemus. Si igitur contingat ut fraternitas tua ad Galliarum Provincias transeat, cum eodem Arelatensi Episcopo debet agere, qualiter si qua sunt in Episcopis vitia corrigantur.*

VI. Erat ergo Arelatensis Episcopus veluti Nuntius, aut Legatus Papæ perpetuus in Gallia; & quanquam non affixus esset Palatio, vel urbi Regiæ, permagna tamen ejus & cumulatissima ibi vigebat vis & potestas, cùm eam Legationem Pontifices enixissimis Regum placitis annuissent, ut supra ex Epistolis Vigilii & Pelagii approbatum est. Adde quod cura & jurisdictio in omnes Galliæ Episcopos vix aut nec vix exerceri poterat, nisi Regum præsidio aliquo, & frequenti cum eorum Ministris consuetudine. Hæc Legatio Arelatensi Ecclesiæ alligata erat. At contrà, quam Syracusano Episcopo mandarat idem Gregorius, personæ, non Ecclesiæ credita fuerat. *Quas vices non loco, sed personæ tribuimus.*

VII. Amandum Galliæ sanctissimum Episcopum Martinus I. Papa ad Sigebertum Regem ablegavit, ut ab eo Episcopi Galliarum aliqui Romam mitterentur, qui inde Constantinopolin unà cum Legatis Pontificis proficiscerentur, ad fidem adversùs Monotheletas hæreticos propugnandam. *Et Si-* Conc. Gall. To. 1. p. 488.
*gebertum præcellentissimum filium nostrum Regem Francorum, pro sua Christianitatis remedio consultissimè admone atque precare, dirigere nobis, ex corpore fratrum nostrorum, dilectissimos Episcopos, qui Sedis Apostolicæ legatione fungi debeant, & quæ in nostro Concilio peracta sunt, cum Synodalibus apicibus vestris, ad clementissimum Principem nostrum sine dubio asportare.* Non hic agebatur de Legatis in Galliam destinandis, sed de Gallis Episcopis quibusdam unà cum Legatis Italis Constantinopolin ablegandis, communicato consilio eam Legationem perfuncturis. Congruebat ergo in primis, ut precibus Pontifex rem conficeret.

VIII. Nivardus Remensis Episcopus Nannetis Conc. Gall.
Concilium celebraverat, *Romani jussione Pontificis,* To. 1. p. 495.
ut author est Flodoardus. A Gregorio II. & III. Flodoard.
in Germaniam delegatus est Bonifacius: ea porro L. 2. c. 7.
cum Galliæ Regibus suberat. Jussit Gregorius III. ut ad oram Danubii Concilium haberet, eaque illum de causa authoritate Apostolica armavit. *De Conci-* Conc. Gall.
*lio ut juxta ripam Danubii debeas celebrare nostra vice,* To. 1. p. 528.
*præcipimus authoritate Apostolica.* Sed demonstratum alibi à nobis est, percupiisse Reges Gallos, ut ea Legatio mitteretur: ipsiusque Bonifacii testimonio constat, præcurrere solitos Reges Pontificum curæ & sollicitudini, & Legatos invitare, ut ad Concilia congreganda adproperarent, quo malis mederentur inveteratis: *Notum sit Paternitati vestræ, quod* Conc. Gall.
*Carlomannus Dux Francorum me accersitum ad se ro-* To. 1. p. 530.
*gavit in parte Regni Francorum, quæ in sua est potesta-* 533. 552.
*te, Synodum incipere congregare, & promisit se de Ec-* 575.
*clesiastica religione aliquid corrigere & emendare velle.* Postulanti Carlomanno Principi, & Legato Bonifacio assensus est Pontifex: *Hoc libenter concedimus, & fieri præcipimus.* Consentanea his sunt & quæ ad Clerum Optimatesque Galliæ scribebat: *Dum Synodus aggregata esset in Provincia vestra juxta nostram commonitionem, mediantibus Principibus vestris Pipino & Carlomanno, peragente etiam vicem nostram Bonifacio.* Perlecta est in Synodo Romana Epistula Bonifacii ad Zachariam Papam, ubi conceptis verbis perhibet, Galliarum Episcopos ita voluisse & orasse, ut Synodo suæ adesset, præessetque: *Notum sit Paternitati vestræ, quia postquam indigno mihi mandastis in Provincia Francorum, sicut & ipsi rogaverunt Sacerdotes, Concilio Synodali & Conventui præesse, &c.* Postulavit à Zacharia Bonifacius, ut ad congreganda Concilia Legatum in Gallias mitteret, nempe extraordinarium; at quandiu superstes fuit Bonifacius Legatus ordinarius, nullum alium Zacharias extraordinarium delegavit. *Petisti ut Sacerdotes à nobis dirigantur in partibus Franciæ & Galliæ ad Concilia celebranda, sed dum tua Sanctitas superstes existit, qua Sedis Apostolicæ & nostram illis præsentas vicem, alium illic dirigere necessarium non est. Concilia verò ag-*

*gregatis Episcopis Provincialibus, ut tibi, & ubi rectum videtur, celebranda procura.* Erat omnino tunc Ecclesiæ Gallicanæ facies longè fœdissima, ægritudo propemodum desperata: nec tamen vel missi à Pontifice sunt Legati, vel à Legatis congregata Concilia, nec Conciliorum Decreta executioni mandata, nisi Principum Episcoporumque suffragante consensu. Usque adeo persuasissimum omnibus ultro citroque erat, controversias de finibus jurisdictionis Regiæ & sacræ, Pontificiæ & Episcopalis, & infrugiferas esse & inexplicabiles: nec primævam pulcritudinem & sanctimoniam restitui posse Ecclesiis, nisi conspirent Sacerdotii & Regni vires, Pontifices & Episcopi. Denique cum pernegat Pontifex alios huc Legatos mittere, dum in vivis esset Bonifacius: illud nos admonet, potuisse & prædecessores suos Arelatensi Episcopo & Legato ordinario id quoque largiri, ne oc alios facilè Legatos mitterent.

IX. Longum esset, si retractanda hîc aggrederemur Legationum omnium Acta, ut rimaremur, an semper exploratum antè fuisset Imperatorum consilium, impetratus assensus. Unum profiteor, flagitatos persæpè ab Imperatoribus fuisse Legatos, & retro collapsura semper fuisse Legatorum molimina, si adversarium experti essent Principem. Quæ jam protulimus ex Leone Papa verba ad Imperatorem Leonem, ex iis non absurdè conjicitur ita semper, aut frequentissimè rem habuisse, ut Legatos peteret Princeps, mitteret Pontifex: *Præceptioni ve-*
Epist. 78. *stra in eo adnitar obedire, ut aliquos de fratribus meis dirigam, qui apud vos præsentia mea instar exhibeant.*

X. Potentium Episcopum in Africam misit Leo, ut observaret, perscriberetque sibi, quæ vitiorum ibi pestes in electionibus Episcoporum, & in reliqua Ecclesiarum serperent disciplina. Ita enim Leo
Epist. 87. ad Episcopos Mauritaniæ: *Ratio pietatis exegit ut pro sollicitudine quam universæ Ecclesiæ ex divina institutione impendimus, rerum fidem studeremus agnoscere. Vicem cura nostra proficiscenti à nobis fratri & consacerdoti Potentio injungentes, qui secundùm scripta quæ per ipsum ad vos direximus, de Episcopis quorum culpabilis ferebatur electio, quid veritas haberet, inquireret, nobisque omnia fideliter indicaret. Unde quia idem plenissimè notitia nostra cuncta reservavit, &c.* Post reversum in Italiam Potentium, Davidem Episcopum rursus Leo in Africam delegavit, cum Epistola Decretali, quæ addoceret & definiret qua rei clementia habendi essent, dum resipiscerent: qua rigor Canonum indulgentia & prudentia temperandus esset. Et hos quidem Episcopos delegavit Leo in Mauritaniam, nil ejusmodi deposcentibus Episcopis illius Provinciæ: at non alia etiam Pontifex instruxerat eos potestate, quàm ut quæ conditio Ecclesiarum, qui mores essent, rescirent, & Pontifici renuntiarent, & Rescripta Pontificia ad Afros referrent. Ea porro hujus Pontificis apud Imperatores erat & gratia & authoritas, ut de assensu Imperatorum dubitare nefas foret, si ea tunc Africæ pars Romano adhuc Imperio obnoxia fuisset.

XI. Libertatum suarum Africani Episcopi studiosissimi semper fuerant. Epistola Concilii Africani ad Cælestinum Papam, postquam Apiarius Presbyter confessus fuit se eorum conscium fuisse criminum, quæ ingesta ei fuerant: ea, inquam, Epistola tum querelas alias occinit, tum hanc maximè, quæ ad Legatos & Nuntios spectabat. Faustinus eò delegatus fuerat ad perferendos Canones, seu Nicænos, seu potiùs Sardicenses, quibus copia fiebat ad Pontificem appellandi: utque Conciliis adesset, quæ in causa haberentur Apiarii, qui appellaverat. Inimicas canonicis Regulis has Legationes contendebant Afri Episcopi. *Nam ut aliqui tanquam à Sanctitatis tuæ latere mittantur, nulla invenimus Patrum Synodo constitutum.* Itaque revocari Legatum flagitarunt: *Nam de fratre nostro Faustino, amoto jam pro suis infandis nequitiis de Christi Ecclesia dolendo Apiario, securi sumus quod cum probitate ac moderatione tuæ Sanctitatis, salva fraterna charitate, ulteriùs Africa minimè patietur.* Non ex alio fonte manasse quidquid hoc fuit querelarum & jurgiorum compertum est, quàm ex eo quòd Afri de Canonibus Sardicensibus nil penitus inaudissent. Ea enim Synodus declaraverat posse ad Pontificem appellari à Provincialibus Conciliis, posse & à Pontifice Legatos in Provincias ablegari ad instaurandum judicium de abdicatis Episcopis. Frustra sunt ergo Novatores, qui hinc aucupati sunt ansam debacchandi in Romanos Præsules, eosque hac impetendi quasi conspiratione Episcoporum Afrorum. Non enim hæc erat Afrorum Præsulum conspiratio, sed allucinatio & stupenda historiæ Ecclesiasticæ, Conciliorumque & Canonum nescientia, facilè hominibus condonanda ultra maria summotis, & temporum difficultati ac locorum, per quæ tunc non facilè trajici poterant in regiones longinquas monumenta litterarum; non autem venditanda, quasi hinc Romanis Pontificibus molestiæ quidquam creari possit: à quibus probabile est Afros ipsos addidicisse quod nesciebant, & Canones Sardicenses suis addidisse Canonum collectionibus. Quæ supererant ex Gregorio Magno dicenda de Episcopis in Africam Legatis, jam superiùs delibata sunt.

XII. Quod ad Angliam attinet, diximus alibi, quæ spectabant ad Augustini Legationem. Addit Beda ab Agathone Papa eò missum Joannem Archicantorem sancti Petri & Abbatem sancti Martini Romæ, ut cantum Ecclesiasticum & Officiorum ordinem juxta ritum Romanæ Ecclesiæ Anglos doceret, inquireretque in fidem & disciplinam, quod & in Synodo præstitum ab eo est, cui ipsemet affuit. *Ipse excepto cantandi vel legendi munere, & aliud* L. 4. c. 18.
*in mandatis ab Apostolico Papa acceperat, ut cujus esset fidei Anglorum Ecclesia diligenter edisceret, Romamque rediens referret. Quamobrem collecta pro hoc in Britannia Synodo, inventa est in omnibus fides Catholica, datumque illi exemplum ejus Romam perferendum.*

XIII. Quoad Orientem, præter ea quæ prolixiùs suprà de Apocrisiariis Constantinopolin & ad Palatium missis, frequenter missi eò sunt Legati extraordinarii, ut ex Baronianis Annalibus liquet. Commendata etiam non raro est Legatio Apostolicæ Sedis, seu Vicariatus Apostolicus Episcopis Archiepiscopisque Orientalibus cum amplissima potestate. Id genus Legatio fuit, qua insignitus est à Martino I. Papa Stephanus Episcopus Dorylæi, exinde Joannes Archiepiscopus Philadelphiæ: quibus id potestatis concessit, ut Episcopos, Presbyteros & Diaconos ordinarent in Ecclesiis omnibus, quas Sarracenorum barbarica dominatio Pastoribus orbasset, vel Monothelitarum perfidia adulterinis inquinasset Pastoribus. *Ut constituas per omnem civita-* Baron. an.
*tem earum quæ Sedi tum Hierosolymitanæ, tum Antio-* 649. n. 62.
*chenæ subsunt, Episcopos, Presbyteros & Diaconos, hic tibi præcipientibus nobis ex Apostolica authoritate, quæ*

*data est nobis à Domino per Petrum Principem Apostolorum.*

XIV. Si diximus autem Apocrisiarios Papæ quandoque instar Legatorum fuisse Constantinopoli, id certè diximus accommodatè ad sententiam & voluntatem Constantini Pogonati Imperatoris, qui ejusmodi postulavit, qui personam & vices Papæ repræsentaret. *Ut in emergentibus sive dogmaticis, sive Canonicis, ac prorsus in omnibus Ecclesiasticis negotiis, vestra Sanctitatis exprimat ac gerat personam.* (Synod. VI. Act. 18.)

XV. Legatio verò primaria & incredibilis cujusdam supra alias splendoris ac potestatis, ea erat quæ ad Concilia Oecumenica in Oriente congreganda regendaque adornabatur. Et rursus in his ipsis summi ordinis Legationibus principem quodammodo locum tenet ea quæ ad sextam Oecumenicam Synodum destinata est ad conterendos Monotheletas. Cùm Sedes Apostolica hactenus fervidiùs detonuisset, exarsissetque in errores & personas Orientalium Patriarcharum, Constantino Pogonato consultius visum est ut ad hanc Synodum ventitarent non Legati tantùm Papæ, & Romanæ nominatim Ecclesiæ, sed omnium etiam Occidentis Ecclesiarum: ut unanimis eorum conspiratio plus haberet momenti ad recolligendos eos qui ab ejus fide & unitatis sinu deviaverant. Romæ congregavit Agatho Papa omnium Occidentis Episcoporum Synodum: suo ipse nomine delegavit Presbyteros duos & Diaconum unum, & à reliqua Romana Synodo delegari curavit tres Episcopos, qui nomine Occidentalium Episcoporum omnium Concilio Oecumenico interessent. Legati Pontificis in Concilio primi ante alios omnes subscripsere: Legati verò Concilii Occidentalis post Patriarchas & eorum Vicarios, immo & post aliquot Metropolitanos.

XVI. De Legatis sub Carolina Regum Francorum Prosapia pauca cum sim suprà perstrinximus capite CXVI. numero IX. Nec plura hîc acervabo, etsi ad manum sit ingens rerum Canonumque copia. Verùm in tanta tunc Pontificum cum Gallis seu Imperatoribus, seu Regibus concordia, nemini dubium esse potest, quin mutuo consensu gererentur omnia.

---

## CAPUT CXIX. *P. 4. l. 1. c. 81.*

### De Legatis post annum Christi millesimum.

*I. Post annum Christi millesimum necesse fuit Romanas increbrescere Legationes, cum simonia & incontinentia in Clerum tunc omnem effusissima casterium inurendum esset. Probationes historica ejus rei.*

*II. Viri tunc sanctitate & experientia præcellentiores ei necessitati subscripsere: sed & illud quoque in votis habuere, ut aliquorum audaciam Legatorum Canonibus infestam Reges infringerent.*

*III. De Procurationibus necessariis Legatorum, & quàm iis abuterentur nonnulli.*

*IV. Hinc Reges ansam arripiunt obtinendi privilegii, ne mitterentur ulli Roma Legati, nisi petentibus & assentientibus Principibus. Probationes in Anglia.*

*V. Inde mos in alia manavit regna. De Regibus, qui se Legatos agere Apostolicæ sedis, seu Vicarios Apostolicos. De Legatione Siciliæ.*

*VI. Tardius ea consuetudo serpsit in Franciam, ut tolerandi sedi Apostolicæ addictiorem.*

*VII. Serpit in Hispaniam.*

*VIII. Fines Legatorum potestatis.*

*IX. De honoribus qui Legatis habiti sunt.*

*X. Facultates antiquæ Legatorum.*

I. Post annum Christi millesimum & quinquagesimum, multo frequentiores cœperunt esse Romanæ Legationes, quòd nimirum Romani Pontifices Leo IX. Alexander II. & Gregorius VII. Clerum penè omnem Occidentalem nacti fœdissima simonia labutantem, turpissimaque delibutum libidine & incontinentia, tanto & pene desperato malo medicinam facere adgressi sunt, congregatis tum per seipsos Conciliis, tum per Legatos maximè in omnes Provincias disseminatos. Canonico judicio exauthorandi fuere Episcopi & Metropolitani complures, simoniaci; plures abdicandi fuere Beneficiarii inferiores, incontinentiæ gurgite absorpti. Metropolitanorum quorum id Officii erat, vel zelus, vel authoritas languebat, nec tanto oneri par erat. Legatis ergo Apostolicis mandanda fuit ea provincia. Leo IX. Pontificatum auspicatus est suum à damnatione Simoniacorum in Concilio Romano, anno 1049. ubi advertit Petrus Damiani mitigandas ex parte fuisse à Pontifice pœnas Simoniacorum Canonicas, ne Ecclesiæ prorsus viduarentur. Adversùs incontinentes verò Clericos ejusdem Pontificis zelum inflammavit idem Petrus Damiani, quòd ea lues tum maximè & impunè grassaretur. Perrexit Pontifex Moguntiam & Remos, ubi Canonum austeritatem in simoniacos & incontinentes distrinxit. Utriusque, vel alterutrius flagitii affines convictique in Remensi Concilio discincti sunt Episcopi & Abbates aliquot. Leoni successit Victor II. anno 1055. cúmque in Gallias proficisci ipse nequisset, Legatum eò misit, illum tot nominibus celeberrimum Hildebrandum, qui Pontifex postea creatus, Gregorius VII. dictus est. Tunc verò Legatum agens Turonense coëgit Concilium, ubi referentibus nonnullis quadraginta quinque Episcopi simoniacos se, & gradu suo amovendos confessi sunt. Alii sex tantùm abdicatos fuisse volunt. Anno 1059. Nicolaus II. Papa Petrum Damiani & Anselmum Lucensem Episcopum, qui Pontificatum postea assecutus, Alexander II. dictus est, Mediolanum misit, ut Legationem obirent Apostolicam, & in simoniacos atque in incontinentes classicum canerent. Strenuè functi sunt illi officio, & quanquam austeritatem nonnulla condirent humanitate, Archiepiscopum ipsum pœnitentiæ canonicæ mancipatunt. Obstupuerunt, nec satis modestè tulerunt primùm Mediolanenses, quòd supra Archiepiscopum sederet Legatus. At discussit protinus illam æmulationis flammam Petrus Damiani, perdocuitque quàm certa & inconcussa fuisset semper in antiquissimis Conciliis Ecclesiæ generalibus Legatorum Romanorum sedendi supra quoscumque alios prærogativa. Hi duo Legati tum, ubi postea invecti sunt Apostolicæ sedi, Alexander inquam II. & Gregorius VII. experti diu, quantum momenti ac præsidii esset in Legationibus ad eradicandas vitiorum pestes, Legatos ipsi frequentissimos in omnes Orbis Christiani Provincias sparserunt, quandiu sederunt ad Ecclesiæ universalis gubernacula. Inde est quòd cùm Alexander II. Petrum Damiani Episcopum Ostiensem Legatum in Gallias mitteret, ad quinque Metropolitanos scripsit: *cùm totius universalis Ecclesiæ regendus ac disponendus ipsi status incumberet*: nec posset ubique præsens adesse, mitti à se Legatos in universum orbem, qui suas vices repræsentarent, & sauciatæ disciplinæ vulneribus mede- (Epist. 21.)

rentur. Eadem & Gregorius VII. impressit vestigia; si autem Legatis concessit suis potestatem & convocandi Concilia, & Episcopos exauthorandi, antiquissima ea fuerant Legatorum jura; nec tunc poterant concussæ & labefactatæ Ecclesiæ restaurari, nisi simoniacis & incontinentibus Præsulibus Clericisve aliis gradu suo exturbatis.

II. Asseverabantur autem tum Episcopi sanctissimi & doctissimi quique necessarias prorsus esse eas tum Legationes ad recuperandam Ecclesiasticæ Disciplinæ integritatem. Ita testificabatur Ivo Carnutensis Episcopus, cùm ad Paschalem II. scriberet, cùm Disciplinæ vis ac sanctitas collabasceret, nec ullus esset cui has reparare ruinas curæ esset, necesse esse, ut Legatos ipse quoquoversum dimitteret: non Cardinales, qui cursim tantùm regiones perlustrant, nec tam brevi mora possunt inveteratis morbis medicinam facere; sed ipsos regni Præsules, qui propiùs & diutiùs, hoc est diligentiùs, tractent vulnera tam acerba: ad eumque referant,
Epist. 55. siquid eorum artem, industriamque & vires superarit. *Quoniam apud nos videmus quotidie Ecclesiam ruentem, & nullam, aut penè nullam manum erigentem, &c. Scribere decrevimus, ut alicui Transalpino Legationem sedis Apostolicæ injungatis, qui & vicinius subrepentia mala cognoscat, & ea vel per se, vel per relationem ad sedem Apostolicam maturius curare prævaleat.*

Ivonis consilio obsequutus Pontifex ea Legatione decoravit Archiepiscopum Lugdunensem. At cùm hic Legatus Concilium rursus convocasset eo ipso anno, quo jam duo fuerant ab ipso Pontifice congregata: Ivonem super ea re consuluit Rex, ad eumque rescripsit Ivo, cùm id Canonicis adversaretur regulis, Regii esse muneris intercedere, ac vetare, ita sanè ut nihil de observantia Christi Vicario & Ministris debita decerperetur. *Vos habito*
Baron. an. 1100. n. 15. *cum Episcopis communi consilio, injustis oppressionibus pro persona vestra resistite, sicut quæ Dei sunt, Deo reddant; & quæ Cæsaris sunt, Cæsari reddere non omit-*
Epist. 61. 65. *tant.* Nec minùs strenuè idem Ivo in eundem insurrexit Legatum, cùm præsentem sibi antè sisti voluit Episcopum Senonensem, quàm à suæ Provinciæ Episcopis ordinaretur. Id ille demonstravit & usitatissimæ tum consuetudini refragari, & antiquissimis Leonis I. decretis, qui non aliud præcepit, quàm ut Archiepiscopo Thessalonicensi Legato suo, eorum qui recens ordinarentur Episcoporum nomina significarentur. Sed illud postea seriò Legatum commonefecit Ivo, optimis quibusque viris & Ecclesiæ amantissimis optatius nihil esse, quàm ut Legati levioribus his curis abjectis, tota animi viriumque contentione incumberent ad ea exscindenda gravissima flagitia, quibus impunè Christiana Respublica deturpatur. *Vellem cum multis mecum piè sentientibus, ut Romanæ Ecclesiæ Ministri, tanquam probati Medici, majoribus morbis sanandis intenderent, &c. Cùm per totum penè mundum flagitia & facinora videamus publicè perpetrari, nec ea à vobis aliqua justitiæ falce resecari.*

Hinc patet quàm sanctissimi quique Præsules vehementer cuperent, Legatos Apostolicos mittitari, & quàm necessarios illos existimarent, quantamque eorum & sollicitudinem & potestatem ad abusus resecandos intelligerent, in bene multis, ubi Episcopalis authoritas hebescit. Sed nihilo tamen minùs illi ipsi Legatorum vel ambitiosis conatibus, vel à Canonum norma utcunque aberrantibus strenuissimè renitebantur, Regibusque stimulos addebant, ut Canonum se & Regni sui Libertatum Patronos vindicesque esse meminissent. Avaritia & rapacitas quorundam Legatorum acerbioribus querelis, adeoque & gravissimis increpationibus locum dedere. Eam turpitudinem silentio premere non potuit Ivo, non potuit Bernardus, qui ad Eugenium III. Papam scripsit, inauditi prodigii instar habuisse, quod postremò missus Legatus ab omni cupiditate purus & alienus fuisset: *Nonne* Ivo. Ep. 55.
*alterius sæculi res est, rediisse Legatum de terra auri sine* Bernard.
*auro, transisse per terram argenti, & argentum nes-* Epist. 290.
*cisse!* Lacrymis, immo & execrationibus prosequi- Et de Consid. l. 4.
tur Jacobus Cardinalis Papiensis insaniam Legati Epist. 162.
à Pio II. in Angliam missi, qui in legitimum Regem Henricum concitaverat omne Regnum, partibus studens usurpatoris Eduardi, *sine litteris, sine* Epist. 192.
*authoritate Papæ.* Quin & sæpiùs alibi idem Papien- Epist. 417.
sis palam traduxit aliorum cupiditates fœdissimas, 425. 478.
quibus lætissima quædam spes Legationum fructus- 481.
que omnis intercipiebatur.

III. Avaritiæ Legatorum prætexebatur necessitas procurandi Legatos, non aliter quàm Episcopos, impensasque necessarias suppeditandi, dum Ecclesias Provinciasque suæ Legationis circumlustrant. Scripserat olim Gregorius II. ad Galliæ Cle- Epist. 4.
rum Nobilesque, ut Legato sedis Apostolicæ Bonifacio necessaria stipendia deficere ne paterentur. Addit Gregorius VII. hanc clausulam sacramento, quod præstatur à Metropolitis, cùm Pallio induuntur: *Legatum Romanum eundo, & redeundo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo.* Ita fertur in Romano Concilio anni 1079. Alexan- Can. 4.
der III. in Concilio Lateranensi anni 1179. modum præfinivit Procurationum, quæ Archiepiscopis, Cardinalibus & Episcopis deberentur. Procurationes Cardinalium, hoc est, ut ego interpretor, Legatorum, dimidio minores esse voluit quàm Archiepiscoporum, & easdem pene atque Episcoporum. Confirmavit hoc statutum Innocentius III. *Capite, Procurationes, De censibus:* ubi loco Cardinalium, Legatos, Nunciosque subrogat, jubetque duplum restitui ab iis, qui amplius aliquid emunxerint. De ea re alibi nos copiosiùs disputabimus. Monemus in antecessum, si quibus ea nimia fuisse videbuntur impendia, non potuisse Legatos infrà Episcopos dejici.

IV. Si eum tenuissent modum Legati, quem Apostolica sedes præfixerat, non tam crebrò, non tam fervidè Reges intercessissent Legationibus: non denique hanc Regnis suis vendicassent libertatem, ut nisi ipsorum assensu explorato Legati ne mitterentur. Rescripsit Gregorius VII. ad Hugonem Episcopum Diensem & Legatum suum, ut Concilium cogeret, cum consensione Regis Galliæ, si fieri posset. *Cum consensu & consilio Regis Francorum,* L. 4. Ep. 52.
*si fieri potest.* Si autem abnueret Rex, Concilium apud Lingonas convocaret, quòd consensionis Theobaldi Campaniæ Comitis certior factus esset. *Comes Theobaldus per Legatos suos eandem nobis promissionem fecit, ut si Rex Legatos nostros recipere nollet, ipse cum summa devotione reciperet.* Alexander III. Ludovicum VII. Galliæ Regem oravit, ut Thomam Cantuariensem Episcopum per Gallias Legatum creari pateretur, si minùs ex animi sententia procederent, quæ ad Angliæ Regis gratiam et recolligendam tentabantur. *Dummodo Regiæ voluntati* Epist. 50.
*sederet, & beneplacito tuo.* Cælestinus III. Legatum Epist. 7.
dixit Hubertum Cantuariensem Archiepiscopum,

Regia voluntati & Episcoporum suffraganeorum precibus obsecundans. *Supplicante Richardo Anglorum Rege & universis suffraganeis Cantuariensis Ecclesiæ.*

Nec abhorret à veri specie, eo consilio à Rege postulatam eum Legationem, ut Legati alii excluderentur. Memorat enim Vuillelmus Malmesburiensis plures aliquando in Angliam advolasse Legatos, & plus auri demessuisse, quàm pietatis & religionis inseminarent: cumque missos à Rege ad Paschalem II. Papam Legatos, cum Regiis Episcoporumque Epistolis, ut pristinus restitueretur usus jam inde à Gregorii Magni temporibus usurpatus, ut ne alius in Anglia Legatus esset, quàm Episcopus Cantuariensis. *Nolebat Rex in Angliam præter consuetudinem antiquam recipere Legatum, nisi Cantuariensem Archiepiscopum.* Nec multo pòst cùm thronum Apostolicum jam insedisset Callistus II. venissetque Gisortium post Concilium Remense: Henrico Angliæ Regi concessit confirmationem antiquarum consuetudinum, atque illam præ cæteris, ne Legatos nisi eo petente immitteret: *Rex à Papa impetravit, ut omnes consuetudines, quas Pater suus in Anglia & in Normannia habuerat, sibi concederet, & maximè, ut neminem aliquando Legati Officio in Anglia fungi permitteret, si non ipse, aliqua præcipua querela exigente, quæ ab Episcopis regni sui terminari non posset, hoc fieri à Papa postularet.* Ita refert Rogerius. Narrat porro idem ipse alibi, missum ab Alexandro III. Legatum in Angliam & ad Septentrionalium regionum Reges, anno 1176. at misisse Regem, qui Legatum percontarentur, quomodo sine suo consensu Regna sua subiisset: *Cujus authoritate ausus erit intrare in Regnum suum sine licentia ipsius.* Legatus tum *juravit Regi, quòd nihil ageret in Legatione sua contra voluntatem ipsius.* Passus est ergo Rex in Scotiam penetrare. Anno 1189. cùm Legatum Pontifex misisset, qui dissidia inter Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopum & Monachos sedaret, apud Dubrin, sive Doveras Rex eum consistere jussit, ipse interim quidquid illud erat turbinis tranquillavit.

*De Gest. Pont. Angl. L. 1. An. 1117.*

*An. 1119.*

*Rogerius pag. 475. 513. 641. 700 & seq. 718 & seq. 731.*

Neminem fallunt gesta Guillelmi Episcopi Eliensis, Cancellarii & Rectoris, seu Regentis Angliæ, dum Rex Richardus belli sacri ergo abesset, quamvis eodem ipso tempore Legatum ageret Apostolicæ Sedis. Germanus Regis frater, conspirantibus unà Episcopis & Baronibus Regni, in carcerem primò illum contrusit, tum exulare coëgit. Patrocinari se quidem illi Pontifex professus est, at nec ut Legatum deinceps eum, nec ut Cancellarium Episcopi coluerunt. Ablegati eò sunt à Pontifice Legati alii duo anno 1192. ut Eliensis Episcopi & Archiepiscopi Rotomagensis graves pacarent simultates; at ne ipsi quidem id impetrarunt, ut in Neustriam admitterentur. Cùm pertenderet Papa Legatum tueri, quem nonnisi flagitante Rege constituisset, Episcopi Angliæ provocarunt à Legato ad Pontificem, ut ne Legatum posthac agere posset. Tristia hîc non pauca & luctuosa sunt, ex quibus tamen non minimum decerpetur utilitatis, si vel hinc edisramus, quanti nonnunquam periculi res sit, civile regimen Ecclesiastico permiscere; Regni Rectori authoritatem venari à Legatione Sedis Apostolicæ, & reclamantibus omnibus Regni alicujus Episcopis, superiorem illis aliquem Præsulem obstinatiùs velle imponere. Luculentè Neubrigensis hujus utriusque regiminis difficillimam & invidiosam societatem executus est his verbis: *Si quid fortè ex sæculari potentia minus poterat, Apostolica idipsum potestatis censura supplebat, &c. Ipsum in Anglia & plusquam Regem experti sunt Laici, & plusquam summum Pontificem Clerici; utrique verò tyrannum intolerabilem. Quippe duplicis occasione potestatis duplicem indutus tyrannum, &c. Procedebat cum mille equis, & plerumque etiam numerosius. Legationis suæ nomine hospitia à cunctis per Angliam exegit Monasteriis, &c.* Singulari encomio Legatum hunc Petrus Blesensis prosequutus est, sed eo non facilè eluentur tot maculæ ab Episcopis, Scriptoribusque Anglicanis illi inustæ.

*L. 4. c. 14. 16.*

Proceres & Barones Angliæ iniquissimo animo passi sunt, quòd anno 1237. Rex Angliæ Henricus III. flagitasset Legatum, quódque tam demissis eum ipse vilibusque venerarentur obsequiis, ut non tam Regem jam, quàm Pontificiæ clientem agere videretur. Ita perhibet Matthæus Paris, à quo & invidiosè exaggerantur impensæ Legati: *Rex se voluntati Romanorum, præcipuè Legati, quem inconsultius advocaverat, mancipavit adeo ut videretur quasi vestigia sua adorare: affirmans se tam in publico, quàm secreto, sine domini sui Papæ vel Legati consensu, nihil posse de Regno disponere, transmutare, vel alienare: ut non Rex, sed Feudatorius Papæ diceretur. His Rex omnium Nobilium suorum corda cruentavit.*

Anno 1239. Concilium Londinense Procurationes graves & permolestas Legati gravatè tulit, censuitque Regis potiùs esse, qui Legatum flagitaverat, illum ut procuraret. Inserta est historiæ Matthæi Paris Epistola Anglorum ad Innocentium IV. quæ in Concilio Lugdunensi anno 1245. perlecta est, ubi expostulabant quòd plurima redituum Angliæ pars in Italorum marsupia reconderetur, major etiam quàm quæ in ærarium Regium; quódque Martinus Legatus ne indutus quidem insignes unquam Legationis vestes, multa corrasisset, Beneficia contulisset vacantia, & nequedum vacantia, sibi Pontificique reservasset: quo prorsus infringebatur Angliæ privilegium, ubi Pontifices Regi pollicentur, nullos missum iri Legatos, nisi ipso postulante. *Quo privilegio specialiter indulgetur à Sede Apostolica, ut ne quis, &c.*

Tradit porro Matthæus Vuestmonasteriensis anno 1247. missum à Pontifice in Angliam Franciscanum, qui iisdem exactionibus, quibus solebant Legati, Angliam fatigavit: idque ea arte factum, ut Regis privilegio illuderetur, de non mittendis injussu ejus Legatis. *Quia dominus Rex privilegium dignoscitur habere, ut non veniat Legatus in Angliam, nisi vocatus, missi sunt jam tales Legati, sophisticè transformati.* Anno 1265. interclusi sunt Legato omnes in Angliam aditus. Bononiæ citavit Comites & Episcopos Angliæ, & contumaciter fugitantes judicium, communione summovit; at nihilo magis illi censuris ejus, quàm mandatis paruere, tutissimos se rati fore interposita ad Papam & ad Generale Concilium appellatione. Is ipse Legatus, Apostolico postea sessitans Throno, & Clemens IV. dictus, Legatum in Angliam Cardinalem misit Ortobonum, cujus auspicatissima, & tum Regno acceptissima Legatio fuit, tum Regi, cujus adversarios anathemate innodavit. Anno 1427. Henricus Vintoniensis Episcopus & Cardinalis, Legatus in Angliam destinatus à Papa Martino V. cùm esset, Glocestriæ Dux Regni Regens propter impuberem Regis ætatem, per Procuratorem Regium illi significavit, appellatum ab eo iri ad Concilium Genera-

*Vuestmonast. Part 2. pag. 220. 237. 242.*

le, quòd injussu Regis nefas esset Legationem exercere. Responsum autem à Legato est, nec eam sibi fuisse mentem, ut vel utcumque infringeret aliquid de consuetudinibus & Libertatibus Anglicanis: *Non esse sui animi Legationem sine permissu Regio exercere, nec juribus, privilegiis, libertatibus aut consuetudinibus Regis aut Regni in aliquo derogare, sed ea conservare ac defendere.*

Spondanus Ann. 1457. n. 2.

Hinc ergo illud concludi necesse est, si sese Legati egissent minùs ambitiosè, minùs violentè, minùs cupidè, Reges Angliæ non ita cupidè aut ambituros fuisse, aut vindicaturos illud privilegium, arcendi Legatos, quos non ipsi petissent. *Adeo authoritas Romana apud Anglos avaritia & cupiditate Legatorum viluerat*, ut habet Hugo Flaviniacensis.

Bibl. MSS. Labbei. To. 1. pag. 241.

V. Non multò pòst eodem & Scotia privilegio ex parte saltem usa est. Clemens III. anno 1188. indulsit Vuillelmo Scotiæ Regi, ut ne à quoquam in Scotia Apostolica obiri posset Legatio, nisi vel Scotus esset, vel Cardinalis. *Nulli de cætero, qui de regno Scotiæ non fuerit, nisi quem Apostolica Sedes propter hoc de corpore suo specialiter destinaverit, licitum sit in eo Legationis officium exercere.* Cælestinus III. anno 1192. idem confirmavit, ut & Honorius III. anno 1218. At anno 1237. nulla ratione adduci potuit Rex Scotiæ, ut pateretur Legatum in Regnum ingredi, quòd nihil necesse esset. *Nec opus est, omnia se bene habent.* Anno 1239. passus est Rex delibari aliquid ex officio Legati, sed scripto priùs expresso à Legato, ne eo quid derogaretur juri Regio. Certè Legatus insalutato Rege clam postea dilapsus est, & scriptum illud secum abstulit.

Baron. an. 1188. n. 21. Idem ann. 1192. n. 2. Rainald. n. 62. Matthæus Paris.

Non dissimulat Baronius id quoque privilegii Siculis Regibus concessum fuisse à Pontificibus, ut ne nisi illis deposcentibus Legatos mitterent. Sed postea Siciliæ Reges contenderunt perpetuam sibi Legationem à Sede Apostolica indultam esse in Siciliam; miro, immo supra modum stupendo privilegio, nec tamen nullis antè exemplis fulto. Baronius omnes contendit nervos, ut perpetuam illam Regum Siciliæ Legationem labefactet, publicatis maximè transactionibus inter Pontifices & Reges, ubi unum illud in se recipiunt, & præ se ferunt Pontifices, nullum à se mittendum Legatum, nisi ex assensu Regum: quod supervacaneum omnino fuisset, si Reges ipsi Legati fuissent perpetui. Indubium quidem est, B. Stephanum Hungariæ Regem Legationem Apostolicam gessisse, & potestatem ejus explicuisse omnem. *Ecclesias Dei unà cum populis nostra vice ei ordinandas reliquimus.* Ita loquentem inducit Pontificem Chartuitius Episcopus in sanctissimi Regis vita. Bela Rex Hungariæ idem sibi instaurari privilegii poposcit à Gregorio IX. anno 1238. antequam bellum inferret Bulgaris, ut Legati jure & potestate fines præfigere posset Diœcesibus, Parochias erigeret novas, novos conderet Episcopatus in Provinciis bello partis, exemplo & æmulatione sanctissimi Regis & prædecessoris Stephani. Verùm cùm non posset non subvereri Pontifex, ne ita continuaretur Legatio, ut perpetua tandem evaderet, id unum pollicitus est, se ei Legationem concessurum, quem Rex ex suis subditis delegisset. Anno 1418. Martinus V. Papa Regem Poloniæ Ladislaum & Vitoldum Magnum Lithuaniæ Ducem Vicarios Apostolicos in Russia constituit, viciniisque aliis Regionibus, quas fide Christi imbuere, & imperio veritatis subjicere jubebantur. Henricus II. Angliæ Rex à Pontifice olim popos-cerat, impetraveratque titulum & jura Legati Apostolici, improbam spem alens eo telo opprimendæ innocentiæ Cantuariensis Archiepiscopi Thomæ. Sed cùm vidisset ea Pontificis diplomata brevissimo gyro circumscripta esse, nec iis quidquam sibi jussis accedere in Thomam, maluit ea ad Pontificem remittere. Denique nulla harum Legationum perpetua fuit. Unde nec eam potuere sibi Reges Siciliæ perpetuam vindicare, nisi jugi & interminata pugna cum summis Pontificibus, qui eam jugiter oppugnavere.

Baron. an. 1097. n. 23. 1144. n. 7. 1156. n. 5.

…gurius die 20 August. n. 8.

Rainal. an. 1232. n. 25.

Ann. 1218. n. 14. 17.

Idem anno 1418. n. 29. 30.

Script. ann. Ang. p. 1188.

Spond. ann. 1571. n. 5.

Quibus ita constitutis, jam nemini mirum accidet, eodem jam frui usu Galliarum Reges, ut ne ulli unquam huc mittantur Legati, nisi vel petierint ipsi, vel assensi sint Reges. Quin mirum magis est, quòd Philippus Pulcher Rex hoc unum contenderet, recusari à se posse Legatos, jure vel sibi, vel Regno suspectos. Ita enim ille ad querelas reposuit Bonifacii super ea re: *Respondit Rex, quod non impedivit, nec impedire intendit Legatos, vel alias quascumque personas, quominus liberè ingredi valeant regnum suum, nisi sibi & regno sint legitima ratione suspecti, vel aliàs habeat justam causam.* Ex quo evincitur Galliam multò cæteris Provinciis proniorem fuisse ad obsequium Sedis Apostolicæ, nec restitum adhuc apertè fuisse in ea, ut alibi fiebat, huic propositioni Bonifacii VIII. *Quod Romanus Pontifex Legatos de Latere & non de Latere, & Nuncios liberè mittere potest ad quævis Imperia & Regna absque petitione cujuslibet, vel consensu, usu vel consuetudine contrariis nequaquam obstantibus.*

Pithou. Des Libert. Gall. c. 11. 12. 45. 57. 58. 59.

Preuves des Libertez de l'Egl. Gall. pag. 918.

Ramal. an. 1303. n. 34.

Cùm verò quæ prima promuntur documenta hujus Gallicanarum Libertatum articuli non incipiant nisi ab anno 1456. simillimum veri est, diuturnis illis & internecinis diffidiis Pontificum hinc & inde decertantium, id perfectum esse, ut Reges & summæ Senatorum Curiæ Legatos non amplius admitterent ullos, nisi permissi à Regibus essent, & potestates ipsi suas sinerent circumscribi, & accommodari consuetudinibus & libertatibus Regni. Congesta sunt exempla bene multa in Compilatione Probationum Gallicanæ Libertatis.

Preuves des Lib. Gallic. c. 24. pag. 1042. 1050. &c.

Si autem paulò suprà hoc ipso capite dictum est Gregorium VII. & Alexandrum III. antequam Legatos mitterent, Regium explorasse assensum: imputandum illud est laudatissimo concordiæ studio, quo non alia certior pulchriorque ratio tuendæ pacis mutuæ Sacerdotium inter & Regnum. Eo sensu donanda est & Epistola Callisti II. Papæ ad Ludovicum Regem, ad quem Legatum mittebat, *Secundùm antiquam Apostolicæ Sedis consuetudinem, pro corrigendo quæ corrigenda fuerint, &c.* Ita etiam interpretandus Joannes XXII. in ea Extravaganti, qua Principes configit, qui Legatos respui à se posse pertendunt, nisi quos ipsi vel petierint mitti, vel permiserint. Non hîc nos jura ipsa trutinari adgredimur, sed jura ipsa jure suspendi dicimus, cum non possunt exeri & in usum vocari, quin erumpant ejusmodi calamitates, quibus unitas, pax, salus, tam Ecclesiæ, quàm Reipublicæ pessumdetur. Superioribus sæculis idem servabatur, ut ne mitterentur Legati injussu Regum. De restringendis Legatorum facultatibus nulla tunc mentio, sed eadem utrobique viget ratio.

Epist. 14.

VII. Nec minùs impigri fuerunt Hispani, ut aliqua sibi astruerent munimenta adversùs frequentiores Legationes, & facultates Legatorum sine modo effusas. Narrat Rogerius anno 1187. Alfon-

Rogerius pag. 640.

sum

sum Lusitaniæ Regem molestè tulisse, quòd Legatus Pontificius, pluribus Abbatibus sede ejectis, accingeret se ad abdicationem Episcopi Conimbricensis; tumque intercessisse, minas intentasse, coëgisse denique ut Regno abscederet. *Mandavit ut à terra sua decederet, vel pedem suum amputaret.* Covarruvias profert exemplum Franciæ, immo & Belgii, ex quo in Caroli V. potestatem venit, ut conciliet authoritatem Hispaniarum consuetudini, ubi & Facultates Legatorum Nuntiorumque examinantur à Magistratu, qui eos moneat, quibus abstinendum sit, ut ne obstrepant paci Regni; & à quibus sibi cavere debeant obreptionibus technisque, quarum alioqui non possunt non rudes esse & ignari, cùm hospites sint & Regionum & consuetudinum Hispanicarum. *Sicut apud Hispanos potestas Legatorum seu Nuntiorum Apostolicæ Sedis examinatur, ut admoneri possit à summo Regis Prætorio, quibus conveniat dispensationibus & commissionibus, ne quid fiat in Republica dispendium cùm plerumque Nuntii Apostolici exteri sint, nec satis noverint quæ sint omnino præcavenda, ne falsis precibus & suggestionibus decipiantur. Ita & idem fieri solet apud Gallos, teste Carolo Molinæo in Regulis Cancellar. de Infirmis resign. n. 139.*

*De Foro Pætorio c. 35. n. 5.*

*L. 1. de Lib. Cons. p. 285.*

Addit Molinæus eodem loco vidisse se Edictum Caroli V. ubi idem sibi licere vult, quod & in Gallia. Denique laudat Covarruvias Driedonem Theologum Belgii, virum eruditionis & pietatis laude spectatissimum, qui hanc consuetudinem approbat, ut pernecessariam prævertendis abusibus non paucis, & arcendis extraneis à Beneficiis Regni, à quibus citra Beneficiorum ipsorum excidium usurpari retinerique non possent. *Propter abusus tollendos, ne præficiantur extranei, aut indonei, &c.*

VIII. Is porro usus arctandarum Legati Facultatum in Galliis non invaluit nisi temporibus Ludovici XI. Certè Collectores Probationum Gallicanarum Libertatum nihil deprompsere vetustius, nempe desinente Avenionensi schismate, quo sæviente infanda incubuerat necessitas muniendi utcumque se adversùs tot Legatos & tot Epistolas dubiorum Pontificum. Alphonsus Rex Arragoniæ anno 1427. Martini V. Legatum respuebat, quòd nondum tota schismatis flamma deferbuisset, superessetque in Arragonia ipsa Pseudopontifex nescio quis.

*Cap. 23. Pevost de l'Abus. l. 3. c. 2.*

*Spond. ann. 1427. n. 7. & 1429. n. 1. 2.*

Si superiorum verò temporum memoriam revolvere libeat, perspicuum erit, id unum curasse Reges, ut conatus novos & insolentes statim repercuterent, ut suprà patebat ex Ivonis Carnotensis consilio, quo Regem ad retundendas Legati innovationes incitavit. In Concilio Parisiensi anni 1263. Archiepiscopus Tyri, idemque Pontificius Legatus, qui accesserat eo diplomate instructus, quo centesimam exigeret redituum Ecclesiasticorum ad impensas belli sacri, compulsus est in manus Regis resignare diploma, nec eo uti nisi adversùs eos qui huic Concilio obsequi recusarent. Atqui Episcopi Concilii aliam ipsimet pecuniæ pensionem temperavere, contestari, nullam à se rationem habitam facultatum & litterarum Legati. *Ex ipsorum Prælatorum mera gratia, non ex vi littera à domino Papa impetrata.* Illud in primis observare æquum est, sub Ludovico IX. id contigisse, sanctitatis laude celeberrimo, cœlitibus pòst ascripto, & non mediocriter tamen in eam curam arrecto, ut ne Pontifex temporali Regni administrationi interveniret. Ab Acosta post Panormitanum animadversum est, in Decretalibus Titulo *De Officio Legati*, nihil de Legatorum facultatibus diffiniri, & in Bullis Legationum à Pontifice ea illis jura determinari, quæ olim ab Imperatoribus annuebantur Rectoribus Provinciarum, ut patet ex Novella XVII. Justiniani. In Provinciis certè ditionis temporalis Pontificiæ, ipsæ Provinciarum Præfecturæ Legationes dicuntur, & Rectores Legati.

IX. Pauca quædam stringemus hîc de honore & cultu Legatis exhibito. Mussarunt aliqui in Anglia, cùm visi essent duo Legati cum Mitris Crucibusque suis in Ecclesia Cantuariensi supra Archiepiscopum ipsum ejus urbis. Verùm consultatum antè, constitutumque id ita fuerat à Rege ipso Henrico II. & ab Optimatibus Regni, anno 1186. Narrat Rogerius decem antè annis excitatam fuisse gravissimam concertationem inter Archiepiscopos Cantuariensem & Eboracensem, uter eorum ad dexteram Legati sederet. Anno 1237. referente Matthæo Paris Henricus III. Rex obvius processit Legato ad littus maris, eumque veneratus, deduxit in medias usque Regni sui Provincias. *Rex ei usque ad confinia maris occurrit, & inclinato ad genua ejus capite, usque ad interiora Regni deduxit officiosè.*

*Script. anti. hist. Angl. pag. 1486.*

*Raina. n. 21*

*ibid. n. 11.*

In Hispania Alphonsus Arragonum Rex anno 1427. obviam advolavit Legato cum Archiepiscopo Ulyssiponensi, excepit illum nudo capite, inclinavit caput, osculum libavit, dexteram concessit, quamvis id honoris sæpiùs deprecaretur Legatus, tegere caput jussit, aperto ipse semper capite. Anno 1429. Castellæ Rex à dextris quoque sedere & incedere voluit Legatum, aperto ipse semper capite, & loco inferior. Anno 1494. Alphonsus Rex Neapolitanus obvius & ipse Legato prodiit, manum osculari voluit, at constanter abnuente Legato osculatus est genam. Legatus semper ad dexteram sedit incessuque, solus Crucem osculatus, dum subiret Ecclesiam, solus thuris & suffitûs honores excepit, quamvis Regi primas eas honoris partes deberi præfatus. Affirmat Conestagius voluisse Philippum II. Majorum suorum more obviam prodire Legato, ad componendas Lusitaniæ res advenienti.

*ibid. n. 5.*

*Hisp. illust. To. 2. pag. 1136.*

In Hungaria idem mos inoleverat, ut supra Reges sederent Legati; unde & Leo X. conquestus est de Strigoniensi Episcopo Cardinali Legato, qui cùm oriundus esset ex ipso Regno Hungariæ, Capellanum magis & clientem Regis ageret, quàm Legatum, nec supra Regem sederet. *Nam cùm deberet esse tanquam Legatus Apostolicus supra Regem, &c.* In Polonia Casimirus Rex obvius processit cum liberis suis Legato.

*Rainal. an. 1518. n. 37.*

*Ann. 1472. n. 36.*

*Baron. an. 1100. n. 8. 10.*

Nec parciores fuere Galli in cultu Legationum. Gottofredus Bullionius Rex aut Dux Hierosolymorum nec incedebat, nec subscribebat nisi post Legatum. Cum Carolus V. Gallias trajecit anno 1539. eidem mensæ longiori accubuere Imperator Carolus, Franciscus Rex, duo liberi Regii, Legatus, Rex Navarræ, Cardinales Borbonius & Lotharingus, Dux Vindocinus, Lotharingus, aliique Principes. Ita supra & infra Legatum erant Reges. Carlota Tremolia mater Condæi Principis hæresin ejuravit in manus Cardinalis Legati Rotomagi; quod subiniquum visum est Gondio Cardinali, qui sperabat se ut Parisiensem Episcopum, Diœcesanum

*Spond. ann. 1539. n. 50.*

*ibid. anno 1596. n. 19.*

esse Principum Regii sanguinis. Disertè affirmat
*To. 2. p. 10.* Tilletius *id honoris haberi Sedi Apostolicæ, ut ejus Legatis concedant Principes Regiæ stirpis & Pares.*

X. De jure & potestate Legatorum jure novo, non est quod multùm laboremus, pleraque enim eorum quæ in Decretalibus & posterioribus Constitutionibus de iis statuta fuerant, in desuetudinem
*Marca de Concor. L. 6. c. 30* abiere. Poterant enim Legationis suæ Concilia cogere, Metropolitanis præsidebant, suspendebant & deponebant Episcopos & ipsus Metropolitanos: eorum suffragium toti Concilio æquiponderabat, & tunc ad Pontificem referebatur: non tantùm appellationum judicia instituebant, sed etiam primæ instantiæ, & ad privatorum querimonias; multa statuebant in Conciliis, Beneficia conferebant, aliquando etiam vacatura, ut patuit antè ex querelis Anglorum in Concilio Lugdunensi anni 1245. Multa apertissimum est in his esse, quorum ne supersunt quidem vestigia. Ideo raptim perstricta tantùm à nobis sunt.

*Append. Con. Later. 3. Part. 50. c. 55. Raynal. an. 1217. n. 9 1227 n. 30. 1232. n. 2.*





# PARTIS PRIMÆ LIBER TERTIUS,

## IN QUO AGITUR,

## De Capitulis, de Conventibus, de Congregationibus, five Clericalibus, five Monafticis.

### CAPUT PRIMUM. *P. 1. l. 1. c. 38.*

Divifiones Beneficiorum, eorumque inter fe difcrimina, aliunde petita quàm ex Ordinibus.

*I. Prima Beneficiorum illa partitio eft, quam fecit ipfe Chriftus inftituto Epifcopis, Presbyteris & Diaconis.*

*II. Secunda ea eft qua Epifcopatum in varios diffecat gradus, Ordinefque, eam Chriftus ipfe aufpicatus eft, præftituto Apoftolis Capite.*

*III. Tertia eft qua à Diaconatu Minores ordines avulfit.*

*IV. Quarta eft divifio in Chorepifcopos, Archipresbyteros & Archidiaconos.*

*V. Divifiones illæ quatuor ad Ordines fpectant.*

*VI. Quinta & fexta partitio, fumpta eft ab Ecclefiis, quibus affixi funt Clerici: & à muneribus Officiifque quibus funt mancipati.*

*VII. Septima & octava à Collegiis Clericorum, & à Congregationibus, five Ecclefiafticis, five Monafticis.*

*VIII. Hactenus de fex primis partitionibus egimus, fuperfunt extrema duo.*

I.  EMPITERNA Veritas & Sapientia Chriftus Filius Dei, noftram indutus fubftantiam, Sacerdotii fui plenitudinem in Apoftolos five Epifcopos effudit, non ex parte, fed totam. Ejus tamen mandatis obfecuti Apoftoli ad Minifterium Sacerdotii Diaconos inftituêre; atque in Presbyteros diffudêre portionem plenitudinis fuæ facerdotalis, in complurium, & fi non in omnium eos facerdotalium functionum focietatem afcifcentes. Ea primaria eft Beneficiorum partitio, & tempore & dignitate præftantiffima.

II. Altera Beneficiorum partitio tunc inftituta eft, cum Epifcopatus ipfe quodammodo fectus eft, & Epifcopi alii aliis fubeffe juffi funt, vel præeffe, inftitutis fupra Epifcopos Metropolitanis, Exarchis, Patriarchis. Potuiffet hæc divifio à Jure divino derivari, & primum tenere locum, fi folum fpectaffemus Principatum, quem Chriftus Petro fupra Apoftolos contulit, atque adeo fucceffloribus Petri fupra fucceffores aliorum Apoftolorum, nimirum Epifcopos. Unus enim Apoftolatus, unus Epifcopatus eft; fed unum corpus eft, cujus Caput memoris præeft. Principatus Metropolitanorum fupra Epifcopos, fimiliterque Exarchorum & Patriarcharum, imitatio certè, forfan & derivatio atque participatio eft ejus præcellentiæ & Principatûs, quo donatus eft Petrus fupra Apoftolos: non tamen eam vendicare fibi poteft laudem, ut à Chrifto fuerit immediatè inftitutus.

III. Tertia fuit illa Partitio, cùm veluti fectus eft in partes Diaconatus, inftitutis Subdiaconis, Lectoribus, Exorciftis, Acolythis, Oftiariis, Cantoribus. Ea enim erant quafi fegmenta Diaconatûs. Eam divifionem nufquam in facris litteris legimus confignatam, ficut fuperiores. Itaque ejus exordia nulli certo tempori illigari poffunt, & in eo cuique fas eft indulgere genio & proprio abundare fenfu. Non tamen inficias quifquam ierit, quin ifti Ordines inferiores tertio Ecclefiæ fæculo, immo & fecundo jam in Ecclefiafticis monumentis elucefcant, ut fuprà demonftratum eft.

IV. Quarta divifio fuit in Chorepifcopos, Archipresbyteros & Archidiaconos, ubi in Presbyteratu gradus affignantur aliqui, & in Diaconatu, ficut & in Epifcopatu jam fuerant defignati. Plura de his Dignitatibus fuprà; quæ quarto jam fæculo efflorefcebant.

V. In his diftributionibus fola Ordinis ratio valuit. Quanquam enim viri doctiffimi cenfeant minores Ordines ab exordio Officia tantùm fuiffe,

quibus sappetiæ sectentur Diaconis: contemplatione tamen Ordinum utique instituti sunt; atque veluti quidam sunt rivuli à Diaconatu promanantes. Chorepiscopi quoque, Archipresbyteri & Archidiaconi, Officia quædam videri possunt, sed quæ ad Ordines sacros prorsus referantur.

V I. Sed duæ deinceps partitiones additæ sunt, in quibus nulla Ordinum ratio habita. Altera à locis desumpta est, quibus addicebantur Clerici, vel Ordinatione ipsa sua, vel Beneficii collatione. Altera ab Officiis, quæ demandata sunt eis. Loca quibus mancipati sunt, fuere Martyria, Capellæ, Basilicæ, Oratoria, Cœmeteria, Xenodochia, Monasteria. Officia quibus honestati sunt, fuere Oeconomorum, Defensorum, Notariorum, Sacristarum, Mansionariorum, Syncellorum, & ejusmodi complurium. Parochos & Pœnitentiarios his ego non annumero, quòd Presbyterorum ea munia sint. Hæc duo Beneficiorum genera tum increbuere, cùm se libertatemque suam Ecclesia Constantino imperante recuperavit.

V I I. In sex istis partitionibus Beneficiarii spectari sunt singuli & sejuncti ab aliis alii. Possunt verò oculis subjici ut in cœtum & Congregationem aliquam vel Collegium consociati. Immo nec in dubium verti potest, quin qui primi affulserunt orbi Beneficiarii, Apostoli nimirum ipsi, in unum Collegium sub Christo Capite adunati fuerint primùm, sed & postea illo in cælos revecto, inter ipsa nascentis Ecclesiæ incunabula. Duplicis porro generis sunt Congregationes istæ Beneficiariorum. Aliæ sunt enim quæ in unum coalescunt Collegium, quanquam communem non agant vitam, cujusmodi hodie sunt Capitula Cathedralium & Collegialium Ecclesiarum. Aliæ sunt in quibus communis agitatur vita, nempè Monasteria, Abbatiæ, & non pauci Clericorum cœtus.

V I I I. Verba fecimus hactenus de prioribus sex Beneficiorum speciebus: supersunt pertractandæ extremæ nobis duæ. Initium ducemus à Congregationibus Clericorum, quòd Clerus ipse primùm initiatus institutusque fit in Collegio Apostolorum, quæ Congregatio Clericorum & prima, & sanctissima omnium fuit.

## De Congregationibus merè Clericalibus, & de Seminariis.

## CAPUT II. *P. 1. L. 2. c. 39.*

### De Congregationibus merè Ecclesiasticis & de Seminariis. Horum institutorem primò fuisse Augustinum.

*I. Desinente ferè quarto sæculo exorta sunt Congregationes Ecclesiasticæ.*

*II. Quandiu grassabantur persecutiones, nulla usquam esse poterat Congregatio, seu Clericorum, seu Monachorum, seu Virginum sacrarum.*

*III. Quæ fuerit Conventus, qua Congregatio Apostolorum & Primitivorum Christianorum.*

*IV. Argumenta ex Cypriano & Eusebio, quòd tribus prioribus sæculis nulla fuerit Cler[illegible] congregatio, nulla communis vita.*

*V. Argumenta alia ex [illegible] Po[illegible]ficum.*

*VI. Argumenta ex Augustino, qui Congregationes commemorat Monachorum, unam & L[illegible]orum, u[illegible]quam autem Clericorum.*

*VII. Augustinus ipse ante Ordinationem suam, & ordinatus Presbyter, in Congregatione degebat Laicorum. Creatus Episcopus Clericorum Congregationem, sive Seminarium in Ædibus Episcopalibus instituit.*

*VIII. IX. Probationes ex Possidio, qui vitam ejus scripsit.*

*X. Argumenta alia, quòd ille fuerit Cœtus [illegible]icorum, sive Seminarium.*

*XI. Secreti à Possidio Clerici, Monachique.*

I. QUantumvis conniteris ad antiquitatem Clericorum Conventibus aucupandam, nulla eorum fundamenta occurrent nisi exeunte sæculo quarto; sicuti nec nisi ineunte eodem sæculo quarto ulla satis certa vestigia deprehendes Congregationum Monasticarum. Fructus hi fuere pacis Ecclesiarum per Constantini Imperium invectæ. De Monasticis Congregationibus inferiùs, hic à Clericalibus ordiemur.

I I. Nisi finis se præjudiciis excantari sinat quis, facilè assentietur, non potuisse, quandiu immanis & pene perpetua persecutio Ecclesias populabatur, adgregari in unas ædes, in numerosos cœtus & conventus, seu Clericos, seu Monachos, seu Virgines Deo sacras. Non tantum licebat nobis per immanitatem Paganorum, seu Principum, seu populorum. Non usque adeo desipiebant Rectores Ecclesiarum, ut florem delibatum Christianæ Ecclesiæ unum in locum colligerent, objicerentque infidelium grassationi. In ea Monasteria illico desævisset Principum furor; nec tacuisset historia ruinas & clades dissipatarum hujusmodi Congregationum. Cùm Diocletianus à fundamentis dirui jussit omnes Ecclesias & sacras Scripturas igni absumi: tunc utique & in hæc Monasteria, Clericorumve Seminaria sævitum pariter fuisset. At nihil ejusmodi Eusebius, vel alius quisquam rerum nostrarum Scriptor.

I I I. Communem profectò Christus cum Apostolis suis vitam initiavit, duxitque, eadem cum ipsis mensa, domoque, & eodem contubernio usus: & postquam ille in cœlos revolavit, Apostoli quoque & discipuli ejus communis vitæ vinculo copulati, præluxerunt venturis sæculis, Cleroque absolutissimam vitæ formam præmonstraverunt. Sed non usquam alibi quàm in Palæstina effingere se & formare potuit Ecclesia in eam vivendi normam; quòd ibi nimirum exorassent ab Imperatoribus Judæi eximiam quandam libertatem, potestatemque suis se legibus moribusque regendi, Religioni suæ consentaneis; essentque in Essenorum secta Conventus Collegiaque, quæ eandem fermè sectarentur disciplinam, quam postea magnis sanctitatis & gloriæ incrementis Christiani Monachi illustrarunt. Illa vitæ communis professio, de qua Lucas in Actis, non Apostolos solùm & Discipulos, hoc est, non Clerum dumtaxat complectebatur, sed fideles etiam laicos, & conjugatos, & mulierculas puerosque & innuptas puellas. Itaque Clericalis non potest dici ea fuisse Congregatio. Plures alias à Paulo conditas Ecclesias commemoravit in Actis idem Lucas; quas utique non frandasset eodem, quo Hierosolymitanam decoravit elogio, si quid ejusmodi in illis comperisset, & si potuissent Gentiles in fide Christi recentes ad illud idem eluctari perfectionis culmen atque Judæi. Plurimis Paulus Ecclesiarum, quas ipsemet excoluerat, disciplinam & mores consignavit suis Epistolis, nec usquam tamen vel uno verbo communem vitam attigit. Itaque non immeritò Augustinus hanc propriam fuisse Judæorum prærogativam, hunc eximium fructum docet, quem ex Mosaicis institutis collegerant,

ut parati statim fuerint ad eam emti perfectiorem vivendi formam, ad quam Gentiles conversi, nisi post aliquot sæculorum rudimenta pertingere non potuère. Denique prima hæc Apostolorum coadunatio, & Discipulorum & fidelium, non in alio posita erat, quàm in abdicatione rerum temporalium, quam non pauci profitebantur, & in distributionibus quæ ad omnes porrigebantur, prout cuique opus erat; cæterùm ne fieri quidem poterat, ut vel easdem ædes incolerent, vel eidem omnes accumberent mensæ. Non dissimulamus autem eandem rerum temporalium communionem, & erogationes sportularum viguisse in Ecclesia in primis illis exordiis, ubi pro modo necessitatis, ordinis & laboris de fisco Ecclesiæ omnibus providebatur. Verùm argumento id ipsum est non eam verè dici potuisse Cleri Congregationem.

IV. Resuscitanda tantùm memoria est eorum quæ nemo nescit, & quæ nos parte tertia uberiùs prosequemur, de dispensatione, quæ inter Clericos fiebat Oblationum, Primitiarum, Decimarum, aliorumque omnium Cleri proventuum. Si enim Clerici communem agitassent vitam, non
Cyprian eos appellasset *Sportulantes fratres* Cyprianus: non
L. 4. Ep. 5. idem *divisiones mensurnas* commemorasset, hoc est
L. 3. Ep. 24. eas quæ singulis mensibus fiebant distributiones: nec junioribus Clericis, qui specimen aliquod ediderant invictæ in Christi fide constantiæ, attributæ essent æquè uberes ac Presbyteris: *Sportulis iisdem cum Presbyteris honorentur.* Non præciperet Cyprianus de ea quæ sibi obvenerat portione, erogari ali-
L. 5. c. 28. quid pauperibus, *de quantitate mea propria.* Non scriberet Eusebius, Novatianos Natalem Episcopum suis partibus alligasse, centum quinquaginta argenteis in menses singulos ei adsignatis. Constitutionum Apostolicarum author non præscriberet in æquales portiones bonorum Ecclesiæ Clericis quibusque pro suo ordine, merito, & labore ad-
L. 8. c. 31. metiendas. Nihil istiusmodi nunc, nihil præteritis sæculis in Monasteriis, vel Congregationibus, ubi æqua & communia omnibus omnia.

V. Siricius Papa litteris ad Himerium Tarraconensem Episcopum datis, Cleri disciplinam elimatissimam multis capitibus exequitur: de Monachis, de puellis Deo sacris, de Monasteriis non tacet: edisserit ut ab ineunte ætate imbuendi sint, qui Clero destinantur, vel seipsos devovent; nec intactos præterit gradus illos omnes, per quos ad summos dignitatum sacrarum apices promovendi sunt aliqui. Verùm nec ipse in hac Epistola, vel in ulla alia, vel successorum ejus quisquam in tot consimilibus Epistolis aliquod vel levissimum impressere vestigium, ex quo liceat olfacere, aliquos jam tum fuisse Clericorum Conventus in commune degentium.

VI. Sed venio ad argumentum multò etiam invictius. Cùm enim fucatæ personatæque Manichæorum pietati Augustinus opponeret ex adverso solidam pietatem, continentiam, paupertatem, jejunia, aliaque religionis exercitamenta, quibus Catholica Ecclesia resplendebat: plurimus illi & honorificentissimus sermo erat de Monasteriis Ægypti & Orientis, tum virginum, quibus vita, oratio, la-
De Moribus bor communis: *In communem vitam sanctissimam,*
Eccl. Cath. *castissimamque congregati, simul ætatem agunt, viven-*
L. 1. c. 31. *tes in orationibus, in le*[illegible]*ibus, in disputationibus.*
32. *Nemo quidquam possidet proprium, operantur manibus,* &c. Tum ad Clericos orationem [illegible]ctebat, eorumque virtutes tanto majori & ornamento & admiratione esse aiebat, quo pluribus objecti sunt periculis: *Quorum virtus eo mirabiliter mihi videtur, quo difficilius est eam in multiplici hominum genere, & in ista vita turbulentiore servare.* At non solùm Augustinus non verbum facit ullum de Conventibus & latebris Clericorum, sed & eorum virtutes eo nomine prædicat illustri[illegible]res videri debere, quòd de sæcularium congressu, inter quos versantur, non sordescant tamen, nec emulliantur. Sed illud etiam invictius ex eodem Augustino, quòd ad Laicus defluens, eorum multos vidisse se ait, & Romæ & Mediolani, qui unis ædibus simul viverent, simul orarent, simul manibus operarentur, rectore & moderatore Presby-
tero quopiam. *Vidi ego diversorium sanctorum Me-* Ibid. c. 33.
*diolani non paucorum hominum, quibus unus Presbyter præerat vir optimus & doctissimus. Romæ etiam plura cognovi, in quibus singuli cæteris secum habitantibus præerant,* &c. *& ipsi manibus suis se transigunt.* Erant & Conventus istiusmodi fœminarum sæcularium, sub unius earum probatissimæ moderamine: *Neque hoc in viris tantùm, sed etiam in fœminis, quibus item multis viduis, & virginibus, simul habitantibus, & lana ac tela victum quæritantibus, præsunt singula gravissima, probatissimaque,* &c. Si quis tunc Augustino visus, vel auditus fuisset Conventus, vel Congregatio Clericorum, loco tam opportuno, tam necessario, utique ejus nec sine encomio meminisset.

VII. Librum hunc Augustinus lucubravit de moribus Ecclesiæ Catholicæ, needum Presbyteratu initiatus. Ordinatus autem Presbyter, eo statim ipse ornavit auxitque Ecclesiam cœtu Clericali, quo destitui videbatur, & illam connexionem mirandam concinnavit functionum Clericalium cum virtutibus Monachorum. Ita quippe Possidius in ejus
vita: *Factus Presbyter Monasterium intra Ecclesiam* Cap. 5.
*mox instituit, & cum Dei servis vivere cœpit secundùm modum & regulam sub sanctis Apostolis constitutam. Maximè ut nemo quidquam proprium in illa societate haberet, sed ut eis essent omnia communia, & distribueretur unicuique, prout cuique opus erat, quod jam ipse prior fecerat, dum de transmarinis ad* [illegible]*a remeasset.* Neminem præterit, quanta sit opinionum dissensio super hoc Augustini instituto. Existimant nonnulli extructum ab eo fuisse Monasterium, Monachisque adsignatum. Malunt alii Canonicorum Regularium institutionem ei adscribere. Visum est aliis Clericos ab eo in communis vitæ societatem invitatos adductosque fuisse. Denique censuerunt aliqui parentem illum gemini fuisse Collegii, seu Congregationis, Clericorum alterius, alterius Monachorum. Non mihi hîc ego partes assumo judicis aut arbitri. Tanti non est mea vel peritia vel authoritas. Meam tamen præfatus reverentiam & observantiam summam in eos omnes, qui tam pulcra & laudabili cupiditate adoptandi sibi parentis & Patroni Augustini flagrarunt, eòque in partes scissi sunt: dicam quod propius à vero abesse mihi visum est, excussis ventilatisque qua summa potui diligentia Augustini & Possidii scriptis omnibus.

VIII. Monasterium hoc in Ecclesia constructum, hoc est, in hortis Ecclesiæ, vel Episcopatûs, ut capite proximo dicemus: *Monasterium intra Ecclesiam*: de quo Possidius: non aliud fuisse suspicor, quàm cœtum Laïcorum, qui communis vitæ societate, & temporalium omnium abdicatione vincirentur. Id vitæ genus secutos erat Augustinus, teste Possidio, needum Presbyter, ab eo tempore quo se in A[illegible]ricam receperat. Mo[illegible]uerat autem Possidius, Augusti- Cap. 5.

num tres jam annos contrivisse cum amicis in orationibus, in studiis Litterarum sacrarum, in bonis operibus, & ne ullo quidem vocabulo insinuaverat, vestitu vel instituto Monastico illum illigari voluisse. *Fermè triennio alienatis à se curis sæcularibus, cum iis qui eidem adhærebant Deo vivebat, jejuniis, orationibus, bonisque operibus, in lege Domini meditans die ac nocte.* Erat hæc ergo Congregatio Laicorum piè & religiosè degentium, earum persimilis, quæ Romæ & Mediolani Augustino innotuerant, & quarum tabulam expinxerat in libris de Moribus Ecclesiæ Catholicæ. At postquam Presbyteratu auctus est Augustinus, hoc piorum Collegium admovit Ecclesiæ, *Monasterium intra Ecclesiam.* Ita enim & Laicis competebat, qui sæcularibus possessionibus & cupiditatibus nuntium remiserant perinde ut Monachi; & Monachis tunc quidem non congruebat, ut qui necdum urbes incolerent, sed semota quædam loca, & ut summum suburbia, ut infrà dicemus occasione Monasterii sancti Ambrosii & sancti Martini. Contrà autem Monasteria seu Congregationes Laïcorum mediis in urbibus sita erant, ut Mediolani & Romæ. Exemplum etiam primigeniæ Ecclesiæ, quod obversabatur animo Augustini, suadet de Monasterio Laicorum ipsum agere. Laïci enim jam tum ab infantia Ecclesiæ Monasticam dedicabant vitam sub Magisterio Apostolorum.

IX. Addit Possidius, postquam Augustinus ad Episcopalem provectus est sedem, Ordines ab eo iis collatos, quos in hoc suo instituerat Monasterio; & ipsosmet tunc eum in Episcopales ædes transtulisse, ubi Seminarium instituit Clericorum; quod verè Seminarium fuit præstantissimorum pietate, sapientia, & eruditione virorum, quorum complures & aliis donavit Ecclesiis, ut primariis ibi dignitatibus & ipso ornarentur Episcopatu: denique ab his Episcopis deinde consimilia extructa

Cap. 11. fuisse Seminaria. *Proficiente doctrina divina sub sancto & cum sancto Augustino in Monasterio Deo servientes, Ecclesiæ Hipponensi Clerici ordinari cœperunt, &c. Ac deinde innotescente sanctorum servorum Dei proposito, continentia & paupertate profunda, ex Monasterio quod per illum esse & crescere cœperat, accipere Episcopos & Clericos, pax Ecclesia atque unitas & cœpit primò, & postea consecuta est. Nam fermè decem Augustinus Ecclesiis dedit, &c. Et ipsi ex illorum sanctorum proposito venientes, Monasteria instituerunt, & cæteris Ecclesiis promotos fratres ad suscipiendum Sacerdotium præstiterunt.* Monasteria certè à Possidio semper dicuntur hæ Congregationes, sed qui ibi excolebantur, Monachi ab eo dicuntur nunquam. Quin Clerici semper vocantur, nec describuntur nisi ut Clerici, qui ad Ordines sacros, immo & ad Episcopatum effingerentur. Cùm dissimillimæ sint autem Clericorum Monachorumque functiones, perspicuum est vitam Monachorum haud consentaneam futuram fuisse Clericorum Seminario. Unde cum eis versabatur, etsi supra eos emineret Augustinus Episcopus: *Sub sancto & cum sancto Augustino servientes Deo.* Atqui Episcopo magis consentit, ut Collegii Clericorum, quàm ut Cœnobii Monachorum Rectorem Præsidemque agat. Episcopo agnatius & consonantius est, ut Clericos congregatos, quàm ut Monachos erudiat, instituat, fingat, formetque. Quod verò hîc in antecessum sumpsimus, id capite sequenti ipsissimis comprobabimus Augustini verbis de Monasterio, quod in hortis Episcopalibus fuerat, translato in Monasterium Clericorum, quod in ædibus Episcopalibus excitatum erat.

X. Contestatur autem idem infrà Possidius, quod, ut verbis ejus utar, *Vestis ejus, & calceamenta & lectualia ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum.* Addit & illud Cap. 22. insuper: *Cum ipso semper Clerici una etiam domo ac* Cap. 25. *mensa sumptibusque communibus alebantur & vestiebantur.* Quo expressius nihil desiderari potuit, ut intelligeretur Congregatio Clericorum, cum Augustino & sub Augustino degens. Is certe vestitus haud concinebat Monachis. Illud ergo est quod à Possidio Monasterium dicitur. Duo enim fuisse Cœnobia, alterum Clericorum, alterum Monachorum, & utrique Augustinum suas solitum curas, sua partiri studia, id verò ne ullo quidem verbulo innuit Possidius. Multò certius est, nequaquam Augustinum sese Clericis subfurarum, ut totus Monachis vacaret. Nec minùs certum est non potuisse in totum sileri à Possidio Seminarium Clericorum, quod indubitatissimum est ab Augustino fundatum fuisse. At nusquam alibi Possidius ejus meminit, quàm hoc loco. Nonne ex Seminario Clericorum potiùs quàm ex Monachorum Cœnobio prodiere tot præcellentissimi Episcopi, quos manu sua effinxerat perpoliveratque Augustinus? Mirum sanè foret, si cùm Monachos Clericosque simul institueret sanctus Pater, felicior fuisset in Monachis, quàm in Clericis ad Clericatum & ad Episcopatum efformandis.

XI. Denique lato discrimine Possidius Clerum Augustini à Monasteriis disjungit, cùm ait occidisse tandem hunc Occidentalis Ecclesiæ Solem, & *Clerum sufficientissimum, & Monasteria virorum ac* Cap. ult. *fœminarum continentium cum suis Præpositis plena Ecclesia dimisisse.* En Monasteria utriusque sexus huc illucque in Diœcesi sparsa. Sed erat præterea unicum aliquod Monasterium, ad alendum instituendumque Clerum *sufficientissimum*, qui nimirum sufficeret, & numero, & doctrina, ut copia ejus in alias etiam Ecclesias se diffunderet, ad Clericos illis Episcoposque sufficiendos.

---

## CAPUT III. *P. 1. l. 1. c. 40.*

### Ex ipso Augustino ostenditur, laïcum ipsum Presbyterumque versatum fuisse in religiosa Laïcorum congregatione: Episcopatu inauguratum, statim primum omnium condidisse Collegium seu Seminarium Clericorum; ubi voluntariam paupertatem profitebantur omnes.

*I. Ex Epistolis Augustini argumenta promuntur.*

*II. Episcopus creatus, expertus confestim est quàm necessarium sibi esset Seminarium Clericorum.*

*III. An habuerit duo Monasteria, alterum in hortis Episcopalibus, alterum in Episcopalibus ædibus ipsis.*

*IV. Ex quo excitatum Seminarium Clericorum, neminem Ordinibus contulit, nisi iis qui in ejus Congregatione profiterentur. Si inde discederent, abdicabat eos Clericatu. Ante obitum remisisse aliquid de ea rigore.*

*V. Inflexa fuit ejus constantia, ut ne Clericum quemquam suo adgregaret, nisi qui proprio omnia renunciasset.*

*VI. Verissima vota vim habuisse eam abdicationem.*

*VII. Non admittebat ferè in Seminarium suum, nisi Subdiaconos, vel superiorum Ordinum Clericos.*

*VIII. Iisdem ipsemet utebatur vestibus cum Seminarii sui Clericis.*

*IX. Nec Monachus unquam fuit Augustinus, nec M[illegible] [illegible] instituit [illegible] suos eo astrinxit spontanea pau[illegible] [illegible]*

*X. [illegible] & Abdicatio vita obligata erant O[illegible] [illegible] Clericorum omnia in eo Seminario degentium.*

*X I. Ex Seminario Augustini prodiere Episcopi, prodiere & Seminaria per Africam plura, & ipsa Episcopos datura.*

*X I I. Ejusdem rei argumenta alia*

*X I I I. Cathedralium tunc Ecclesiarum Clerus numerosus erat, egebatque Seminariis*

*X I V. In Oriente nulla fuere Clericorum Seminaria, nulla Congregationes; sed Monasteria, ubi præformabantur Episcopi.*

*X V. Monachos Ambrosius congregaverat in Suburbio Mediolanensi.*

*X V I. Clericus ex Seminario Augustini, ad Episcopatum præpropere ex Lectore protrusus, fœdissimo vulnere Ecclesiam illam cruentavit.*

*X V I I. Comparantur Clerici Seminarii Hipponensis cum Canonicis Regularibus.*

*X V I I I. Elucidantur quæ dixit Augustinus, de iis, qui ab ejus Congregatione resilirent.*

*X I X. Componuntur instituta, quæ ipsemet proposuit hinc Clericis suis, inde Monialibus suis.*

I. ÆQuum est nunc ab ipso perdiscere Augustino, quæ prælibata jam sunt ab ejus vitæ Scriptore Possidio. Nimirum quos ipse instituit, fuisse non alios, quàm Clericos laïcosque qui Clero præformarentur, utrosque in commune conferentes & possidentes omnia sine proprio, eandem incolentes domum, eadem vescentes mensa. De eo contubernio, indivulsè sibi cohærente, scribebat
Epist. 59. ipse ad Paulinum. *Resalutant sanctam & sincerissimam benignitatem tuam conservi mei, qui mecum sunt.* Et in
Epist. 64. Epistola ad Aurelium: *Omnis itaque fratrum cœtus, qui apud nos cœpit coalescere.* Et ad Possidium Episco-
Epist. 75. pum: *Domino dilectissimo, &c. Possidio & qui tecum sunt fratribus, Augustinus & qui mecum sunt fratres, in Domino salutem.* In ejusmodi societatem coïre cum Episcopo non facilè potest, nisi ejusdem Episcopi Clerus. Ait alibi, & amplexatum se esse, & perfecisse, ut alii amplexarentur Evangelicam illam
Epist. 69. paupertatem. *Ego perfectionem de qua locutus est Dominus, Vade, vende omnia quæ habes, &c. vehementer adamavi, & sic feci: & adhoc propositum quantis possum viribus alios exhortor, & in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est.*

I I. Sed præ cæteris perspicuum est & expressum, quod aliquando ipsemet ad plebem concionatus est, de Seminarii sui Clericorumque suorum moribus
De Diversis. Serm. 49. & disciplina. Sermo is à Beda & à Concilio laudatus est Aquisgranensi, sub Ludovico Pio. Unde nec ambigere fas est quin germanus is sit Augustini fœtus. Ita ergo ibi: *Vobiscum hic vivimus, & propter vos vivimus.* Id verò insigne decus est, ea gloria Clericorum, ut cum fidelibus versentur, & se totos eis impendant, cùm Monachi ex adverso profiterentur abdere se in latebras suas, fugere hominum sæcularium consortia, sibi ipsis vivere & Deo tantùm: suam, non alienam salutem curare. Pergit sanctus Pater describere communem quam agitabat cum Clericis suis vitam in ædibus Episcopalibus, legemque & necessitatem inexorabilem quam præscripserat, ne quis proprium quid possideret. *Nostis sic nos vivere in ea domo, quæ dicitur domus Episcopi, ut quantum possumus, imitemur eos sanctos, de quibus loquitur liber Actuum Apostolorum, Nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia.* Valerius Episcopus Hipponensis, cùm Presbyteratu eum initiaret, Horto eum donaverat Episcopali, ut Monasterium in eo extrueret. *Dedit mihi Valerius hortum illum, in quo nunc est Monasterium.* Creatus dein Augustinus Episcopus, exercendam sibi hospitalitatem intellexit, ejusque strepitum conscius non satis concinere silentio, quieti, latebrisque Monasterii, Monasterium Clericorum in domo Episcopali constituit: *Perveni ad Episcopatum, vidi necesse habere Episcopum exhibere humanitatem assiduam quibusque venientibus, sive transeuntibus: quod si non fecissem, Episcopus inhumanus diceretur. Si autem consuetudo ista in Monasterio permissa esset, indecens esset. Et ideo volui habere in ista domo Episcopi mecum Monasterium Clericorum.* Habes hîc ergo apertissimè *Monasterium Clericorum*, quo uno & roboris & luminis non parum accedit iis quæ antè à Possidio dicebantur. Quod autem vitæ genus in hoc Clericorum seu *Monasterio*, seu Seminario sequerentur, quod *in domo Episcopi* situm erat, statim prodit sanctus Pater: nefas erat proprium quidquam retinere: *Ecce quomodo vivimus. Nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium.*

I I I. Hinc quidem non improbabiliter argueretur, non antè institutum ab eo fuisse Seminarium Clericorum, quàm ordinatus esset Episcopus, ut in eo hospitalitatis munia impleret, quæ minùs accommodata fuissent Monasterio priori, quod Presbyter factus extruxerat in hortis à Valerio sibi datis. Ita duo extruxit Monasteria, alterum in horto, alterum in æde Episcopi: illud à Presbytero, hoc ab Episcopo jam Augustino fundatum: illud denique secessui & silentio dicatum, hoc magis attemperatum ad mores & ingenium Clericorum, quibus à Paulo ipso indicitur humanitas hospitalitasque. Si rem ita habere velis, nihil moror, quin & vehementer assentior, dum statum illud ratumque sit, Congregationem illam, quam primus omnium condidit Augustinus, cujus parens authorque fuit, in qua vitam ipse degit, saltem post Episcopatum suum, ex qua prognati sunt illi vel Episcopi, vel Cleri Proceres, quos in omnes Africæ Ecclesias disseminavit; illam, inquam, Clericorum fuisse Congregationem, qui ei non inscriberentur, nisi abdicato peculio quocumque.

I V. Ex quo enim jacta sunt hujus Seminarii fundamenta, nulli sacros Ordines contulit Augustinus, nisi qui priùs exuerer se terrenis facultatibus omnibus, easque vel dilargiretur pauperibus, vel Seminario ipsi conferret in commune possidendas. *Noverit charitas vestra dixisse me fratribus meis* Ibidem.
*qui mecum manent, ut quicumque habet aliquid, vendat, & eroget; aut donet & commune illud faciat. Ecclesiam habet, per quam Deus nos pascit.* Et infrà: *Certè ego sum, qui statueram sicut nostis, nullum ordinare Clericum, nisi qui mecum vellet manere: ut si vellet discedere à proposito, rectè illi tollerem Clericatum, quia desereret sanctæ societatis promissum, cœptumque consortium.*

Liquidum hinc fit, neminem deinceps ab Augustino allectum fuisse Clero Hipponensi, qui non antè terrenis renuntiaret possessionibus, professus communem vitam agere in Seminario: exauthoratosque Ordinibus sacris esse, quicumque ab hoc instituto resilissent. Sed cùm exauthorationis infamia multos deterreret, ut hypocritæ, quàm apostatæ mallent esse; & clam res proprias possiderent, quamvis à communi non recederent Seminarii vita: pestiferam simulationem pertæsus Augustinus paulùm à priore sua illa sententia deflexit, statuitque deinceps hæc terrenæ cupiditatis mancipia à Congregatione sua abscindere, Cleri Ordinumque non spoliare privilegio, quo in aliis, si liberet, abuterentur Ecclesiis. *Ecce in conspectu Dei & vestro muto consilium. Qui volunt habere aliquid proprium, quibus non sufficit Deus & Ecclesia sua, maneant ubi volunt, & ubi possunt, non eis aufero Clericatum. Nolo*

*habere hypocritas, &c. Nolo quis habeat necessitatem simulandi. Scio quomodo homines ament Clericatum. Nemini eum tollo, nolenti mecum communiter vivere.*

V. Devexa jam ætate erat Augustinus, cum ad novam hanc regendi Cleri sui rationem mentem appulit. Ita enim ipse testatum facit: *Date veniam loquaci senectuti, &c. Ego sicut videtis, per ætatem jam senui; sed per infirmitatem corporis olim senex fui.* Ita-
Ibidem. que ad extremam usque illam ætatem non tantùm neminem Clero suo allegerat, qui non spontaneam illam abdicationem profiteretur: sed & omnes ab hoc sanctissimo proposito desciscentes, Clero ejecerat, detruseratque in Laicorum classem. Sed utcumque mitiora & humaniora secutus esse videretur consilia senex Augustinus, ne transversum quidem unguem unquam recessit ab illa quam præ se tulit voluntate, neminem ut pateretur suo Clero sociari, qui non antè possessionibus omnibus renuntiasset, vel qui votum istiusmodi semel emissum retractasset. Id constat ex alia ejusdem sanctissimi Patris Concione ad plebem, ubi contestatur, etsi conjurent in se vel Concilia, vel transmarinarum Ecclesiarum sacræ summæque potestates, nunquam id à se tamen expugnatum iri, ut sinat Clericales functiones Hipponensi in Ecclesia sua obiri ab iis qui à proposito professæ paupertatis Evangelicæ
De diversis. Serm. 50. defecissent. *Modò quia placuit illis socialis hæc vita, quisquis cum hypocrisi vixerit, quisquis inventus fuerit habens proprium, non illi permitto ut inde faciat testamentum, sed delebo eum de tabula Clericorum. Interpellet contra me mille Concilia, naviget contra me quò voluerit, sit certè ubi potuerit. Adjuvabit me Deus, ut ubi ego sum, ille Clericus esse non possit.*

VI. Obiter hîc eximendus est hic error, quo delusi fuere qui putarunt hos communis vitæ cum Augustino sectatores, nullo fuisse voti vinculo obligatos. Ipsa enim in contrarium promo ejus verba, adversùs eos qui deviabant à proposito, vel furtim possidentes aliquid in ea societate, vel ejus apertè desertores. Illos enim ita execratur, ut qui voti & professionis sanctitatem violaverint, damnabili se implicuerint perfidiæ, & spem abjecerint
Ibidem. Serm. 49. æternæ salutis. *Malum est cadere à proposito, sed pejus est simulare propositum. Ecce dico, audite: Qui societatem communis vitæ jam susceptam, quæ laudatur in Actibus Apostolorum, deserit, ac voto suo cadit, & à professione sancta deficit, &c. Ego scio quantum mali sit, profiteri sanctum aliquid, nec implere; Vovete, inquit, & reddite Domino Deo vestro. Et, Melius est non vovere, quàm vovere & non reddere.* Et paulò inferiùs: *Professus est sanctitatem, professus est communiter vivendi societatem: si ab hoc proposito ceciderit, & extra manens Clericus fuerit, dimidius & ipse cecidit.* Quot voces, tot argumenta certissima, certissimum illud fuisse votum, quod solvi sine summo piaculo non posset.

VII. Porro quanquam hîc de Clericis universim agere videatur sanctus Pater, omniumque Ordinum Clericos suo Seminario includere: propiùs tamen à vero abest, in illud admissos non fuisse nisi Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos; inferiores autem Clericos minorum Ordinum eliminatos inde omnes, aut propemodum omnes fuisse. Ita Augustinus ipse testificari videtur, ubi pernumerat eos omnes qui in Seminario suo spoliaverant se pro-
Ibidem. Serm. 50. prio quocumque peculio. *Nuntio ergo vobis, unde gaudeatis; quia omnes fratres & Clericos meos, qui mecum habitant, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, & Patritium nepotem meum tales inveni, quales desideravi.* Nihil hîc de Clericis aliis, immo nec in reliquo ejusdem prolixioris Sermonis contextu, ubi plebem instruit de Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis omnibus Seminario inscriptis, tum universim, tum sejunctim de singulis, ut eorum purget famam, tueaturque constantiam in paupertatis proposito, cui se innexuerant: de Lectoribus autem aliisque minoribus Clericis nec verbum facit. Denique cùm minoribus his Clericis per Africanos etiam Canones fas esset uxores ducere, fieri nequaquam poterat ut vel communem vitam, vel paupertatis propositum amplecterentur. Eo compellimur ad Subdiaconos Africæ jam tum continentiæ astringendos; alioqui id profiteri antè cogendi fuissent, quàm in hoc sodalitium admitterentur: quod non potuisset silere Augustinus. Adde quod Lectores tantùm amplexi sunt suprà ii Canones Africani à nobis laudati, qui eis optionem faciunt, ut anno ætatis duodevigesimo vel uxorem ducant, vel continentiam profiteantur.

VIII. Nec minus momenti est in ea Augustini contestatione, qua significat, vestes quibus ipse induitur, nihilo pretiosiores esse, immo easdem prorsus cum iis quibus Presbyteri, Diaconi, Subdiaconique uterentur: si quid verò sibi dono detur elegantius & majoris pretii, illud statim distrahi, & in communes converti Seminarii sumptus. *Nemo det Byrrhum, vel lineam Tunicam, seu aliquid nisi in commune: de communi accipiam mihi ipsi; cùm sciam commune me habere velle, quidquid habeo. Nemo talia offerat, quibus quasi ego solus decentiùs utar. Offeratur mihi, verbi gratia, Byrrhum pretiosum, fortè decet Episcopum, quamvis non deceat Augustinum, id est, hominem pauperem, de pauperibus natum, &c. Qualem vestem potest habere Presbyter, qualem potest habere decenter Diaconus, & Subdiaconus, talem volo accipere, quia in commune accipio. Si quis meliorem dederit, vendo: ut quando non potest esse communis, pretium vestis sit commune.*

His manifestè patet in Seminario Augustini non fuisse nisi Clericos, eosque superiorum Ordinum, inclusis eo gradu Subdiaconis; simillimis vestibus usos omnes, ne excepto quidem Pontifice ipso; vestes autem usitatissimas fuisse Tunicam lineam, & Byrrum, de quo nos suprà; illum Presbyterorum, illum Augustini fuisse habitum, quandiu fuit Presbyter: illum Clericorum omnium habitum, teste Possidio superiori capite, atque nos fusè suprà declaravimus, cùm Clericorum vestes perpenderemus. Atque inde id exprimitur in Monastica veste nunquam fuisse Augustinum.

IX. Nonnihil autem hinc exprimitur elucidamenti adversùs opiniones duas è diametro pugnantes, in quas non pauci impegerunt. Alii enim volunt & institutos ab Augustino Monachos & ipsum Monasticam vitam professum esse. Alii obstinatè vetant, ne qua professione, ne quo voto obligata fuerit ejus Congregatio. Illi quidem priores abundè jam confutati sunt à nobis duobus his capitibus, ubi Augustinus sibi suisque semper Clericorum nomen vendicavit: cùm Monachi qui sacro aliquo ordine ornabantur, Monachi semper dicerentur, ne sanctissimæ professionis fraudarentur gloria. Ad Aurelium rursus scribens Augustinus, submonensque non promovendos esse Monachos supra Clerum, illud orat, ut meminerit, Clericos se ambos esse: *Nimis dolendum, si ad tam ruinosam* Epist. 76
*superbiam Monachos surrigamus, & tam gravi contumelia Clericos dignos putemus, in quorum numero sumus, &c.*

&c. Denique in Confessionibus præ se fert Augustinus, illud sibi aliquando propositum certumque fuisse, ut abstrusam aliquam in solitudinem aufugeret, conscientiæ maculas pœnitentiæ lacrymis abstersurus; sed divinitus admonitum se, ita Deo visum esse, ut sordes everteret peccatorum in subeundis Clericalis vitæ laboribus, propriamque procuraret salutem in salute proximi promovenda. Conf. l. 10 c. ult. *Conterritus peccatis meis agitaveram in corde, meditatusque fueram fugam in solitudinem: sed prohibuisti me, & confortasti me Domine, dicens, Ideo Christus pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* Confitetur quidem alibi, se continentiam amplexatum & ante Ibid. c. 30. Ordinationem: *Factum est & antequam dispensator Sacramenti tui fierem*: id se fecisse verò Monastici instituti professione, nequaquam insinuat. Certissimè enim in laicorum quorundam pio contubernio hoc ille propositum tenuerat, & in eodem cum amicis secessu tenuit, postquam Hippone creatus est Presbyter: ita perhibente Possidio.

X. Quoad illos verò qui Clericos Seminarii Augustiniani opinati sunt nullo voto, nullo vinculo astrictos fuisse; uti nunc cernere est in Presbyteris Oratorii tum Romani, tum Gallicani; poterant ii, nimirum Petrus Aurelius, Miræus, Clemens Renerius, aliique, hoc errore carere, perlectis duabus illis concionibus Augustini, ex quibus hoc Caput contexuimus. Disertis enim verbis sanctus Pater professionem & votum Evangelicæ paupertatis expressit, quo Clericos suos constringebat omnes. Si tacuit autem vota Obedientiæ, Continentiæ & Stabilitatis, in causa fuit, quòd Clerus iste domesticus & Episcopo conjunctissimus, non constaret nisi Presbyteris, Diaconis, Clericisque, qui Ordinibus suis sacris, uti vinculis illigabantur continentiæ, adeoque & obedientiæ quæ Episcopo impendenda erat, ac denique stabilitatis in Ecclesia propria. Suo infrà loco comprobabimus ipsa Ordinatione sua Clericos affixos Ecclesiæ suæ, mancipatos Episcopo suo fuisse; atque adeo nec alio opus fuisse voto, vel Obedientiæ, vel Stabilitatis. Ordinibus Superioribus in Ecclesia Latina Lex inexorabilis continentiæ incumbebat, adeoque & Subdiaconis ipsis in Africa tempore Augustini. Una ergo restabat voluntaria paupertas, quam sancire posset Augustinus in suo Clero, eique singulare hinc decus & ornamentum sanctimoniæ conciliare. Quod & strenuè perfecit.

Aurel. part. 2 pag. 101. Miræus in Notis ad Regul. Canonic.

XI. In Augustini, sanctissimi, & toto orbe celeberrimi Pontificis vestigia non potuere non ingredi certatim Episcopi complures alii, & sibi consimiles Cleroque suo secessus captare. Jam vidimus Possidium cum Clericis suis in communia vitæ societatem devinctum fuisse. Id perspicuè etiam testatur Augustinus in Epistolis suis, ubi & hoc ipsum declarat de Evodio, de Benenato, de Severo, de Novato Episcopis, quos cum Clero quemque suo copulat in Epistolis ad eos suis, ut nec ipse se à suo sejungit. *Novato & qui tecum sunt fratribus, Augustinus, & qui mecum sunt fratres.* Idem de Alipio testatur Paulinus in Epistola ad eum scripta: *Nostris invicem salutentur obsequiis, & in Clero sanctitatis tuæ comites & in Monasteriis fidei & virtutis tuæ æmulatores. Nam etsi in populis ac super populum agas, tamen abdicatione seculi, ac repulsa carnis & sanguinis, desertum tibi ipse fecisti, secretus à multis, vocatus in paucis.* Ubi manifestissima Seminariorum Cleri separatio à Monasteriis. Quæ rursus dilucida est ad calcem ejus Epistolæ: *Benedictos sanctitatis tuæ comites & æmulatores, in Domino fratres nostros, tam in Ecclesiis quàm in Monasteriis, Carthagini, Tagasta, Hippone Regio & totis Parochiis tuis atque omnibus cognitis tibi per Africam locis, multo affectu rogamus.* Hinc, ut & ex Possidii testimonio, apertissimum est, hæc Clericorum Seminaria, seu Monasteria in Africa fuisse deinceps in dies crebriora.

August. Epist. 73. 101. 116. 113. 140. 241. 242.

XII. De his similiter Clericorum sodalitiis intelligendus Julianus Pomerius, cùm ait Paulinum Nolanum, Hilarium Arelatensem, aliosque Episcopos quamplurimos, post divenditos & in pauperes erogatos agros suos, & quidquid illis fuerat patrimonii, potuisse nullo detrimento summæ perfectionis possidere patrimonia & reditus Ecclesiarum, ad cogendas alendasque Congregationes sanctissimas: *Congregandis fratribus alendis, expedit facultates Ecclesiæ possidere, ut uno sollicitudines omnium in sua societate viventium sustinente, omnes qui sub eo sunt, fructuosa vacatione potiantur spiritualiter & quietè.* De vita Contemp. L. 2. c. 8. Author profectò vitæ Hilarii, narrat ut sanctissimus Præsul exemplis maximè suis instruxerit informaritque Clericos suos, ut abdicanda sint terrena omnia, labori manuum insistendum, jejuniisque & orationibus. *Cùm primùm speculatoris suscepit officium, in se ipso primùm monstravit, quemadmodum Congregatio mundum contemneret, manuum operibus continuis vesceretur, sanctis paginis inhæreret, jejuniis, vigiliis, &c.* Surius die 5. Maii.

XIII. Posset quis vocare in dubium, an satis magno numero esset Clerus in omnibus Cathedralibus Ecclesiis, ut Congregationi & Seminario sufficeret. Multò molestior ea quæstio foret, prioribus tribus sæculis tantùm si adjiceretur animus. Unde nec ulla nos tunc suspicamur fuisse Seminaria ulla, vel Congregationum nomina. At ævo Augustini & posterioribus sæculis, indubium est magno semper numero fuisse Clericos in omnibus urbibus paulò majoribus. Aiebat paulò antè Augustinus flagrare hominum desideria ad Clericatum. *Scio quomodo homines ament Clericatum.* Testatum facit Victor Vitensis Episcopus, simul & semel exulare jussos ad quinque pene hominum millia Episcopos, Presbyterosque & Diaconos, & alios Ecclesiæ homines: *Quibus autem prosequar fluminibus lacrymarum, quando Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & alia Ecclesiæ membra, id est, quatuor millia quadringentos sexaginta unum ad exilium eremi destinavit?* L. 2. De persecut. Afric. Videò utcumque ambigi posse, an quos vocat Victor *Membra Ecclesiæ*, Clerici fuerint ii omnes, an fideles tantùm. Sed non est ullus certè ambigendi locus, cùm idem ipse alibi ait, in Clero Carthaginensi fuisse quingentos & amplius. *Universus Clerus Ecclesiæ Carthaginis cæde inediaque maceratur, ferè quingenti, vel amplius.* Ibid. l. 5. Lectum est in Calchedonensi Concilio Authenticum Scriptum, quo Edessenus Episcopus Ibas profitebatur, Ecclesiæ suæ Clerum ducentorum, aut plurium fuisse, ὅτι ὁ κλῆρος ἡμῶν διακοσίων ὀνομάτων μικροῦ πρὸς, ἢ καὶ πλειόνων. Certè in hujus Cleri subscriptionibus legere est nomina Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorumque bene multorum. Act. 10. Conc. Calched.

XIV. Nec eò pertinet quod de Iba retuli, ut Clerum illum ego velim in Seminarium contrudere. Ne toto quidem in Oriente videri mihi solent fuisse hujusmodi Congregationes ullæ. Cùm Presbyteri ferè conjugati essent, multòque magis inferiores Clerici, erant utique paucissimi qui se continentiæ devoverent, quippe cùm impune esset iis

etiam, qui Canones de Cælibatu Clericorum antiquissimos transgrederentur. Monasteriorum certè & Monachorum incredibili multitudine illa Clericorum disciplinæ labes sarciebatur. Eo loco & pretio fuit in Oriente Basilius, quo Augustinus in Occidente; nec tamen ille nisi Monasticas instituere potuit Congregationes. Monachis ille quidem suis instituendos commendabat puerorum greges, adeoque & puellarum seorsim, ut illis rudimenta pietatis Christianæ & doctrinæ inculcarentur, atque hoc tyrocinio imbutis janua aliquando panderetur Monasticæ professionis. Hæc ergo impuberum erant utriusque sexus Seminaria, quibus ipsa aliquando accrescerent Monasteria. Fateri tamen cogimur, Monasteria ipsa in Oriente instar habuisse Seminariorum, ex quibus Episcopi aliquando, præstantissimique Clerici accerserentur. Quin & Athanasium immatura adhuc ætate memorat Socrates ab Alexandro Alexandriæ Episcopo conspectum fuisse, dum unà cum coævis parvulis imitaretur Cleri ordines varios, Ecclesiæque ritus, jussumque deinceps educari informarique Ecclesiasticis institutis, unde & Athanasius postea ætate maturior, ad Diaconatum evectus est. Hinc utcumque elicitur fuisse in Ecclesia saltem Alexandrina, quæ Latinas propiùs sequebatur, aliqua juniorum Clericorum Seminaria.

*Basilius in Reg. fus. disp. c. 15. Et in Reg. brev. c. 292.*

*Socrat. l. 1. c. 11.*

XV. Extruxerat Ambrosius teste Augustino Monasterium in Suburbio Mediolanensi: *Erat Monasterium Mediolani, plenum bonis fratribus, extra urbis mœnia sub Ambrosio nutritore.* Sad vel unus Monasterii situs extra urbem vociferatur, Monachis, non Clericis illud usui fuisse. At Augustinus Clericis suis Monasterium non solùm intra urbam, sed & in ipso Episcopali Palatio condidit. Beatissimus etiam Martinus Monasterium excitavit secundo lapide ab civitate sua Turonensi; sed nec illud nisi Monachis addixerat, qui & plerique in speluncas abstrusiores recondebant se, teste Severo Sulpitio: *Duobus ferè extra civitatem millibus Monasterium sibi statuit, &c. Discipuli erant octoginta, &c. Plerique saxo superjecti montis cavato, receptacula sibi fecerant.* Itaque nec Ambrosii illud vel Martini consilium fuit, vel institutum, ut Clericalem vitam Monasticis institutis copularent; sed cùm Episcopi essent, Monasteriis & Monachis propagandis plurimum operæ studiique impenderunt. Augustini id præcipuum & singulare fuit decus, ut Clericos suos iisdem imbueret virtutibus, iisdem laboribus duraret, quibus Monachi jamdiu inclaruerant. Nec dissimulandum complurimas Ecclesias flagrasse desiderio asciscendi sibi Episcopos, quos alumnos suis in Monasteriis Martinus informasset. *Plures ex his postea Episcopos vidimus. Quæ enim esset civitas, aut Ecclesia, quæ non se de Martini Monasterio cuperet habere Sacerdotes?* Sed ne potest quidem illud in controversiam vocari, quin Augustini Seminarium ad fingendos excolendosque Episcopos Clericosque incomparabiliter accommodatius fuerit, quàm Monasterium, ubi nihil aut perparum sacerdotalium functionum exercetur, & ubi earum plerasque dediscere magis, quàm edocere student.

*Conf. l. 8. c. 6*

*De vita B. Mart. c. 7.*

*Ibidem.*

XVI. Docet nos ipsemet Augustinus, suo ex Seminario profectos fuisse, qui Ecclesias Episcopales administraturi mittebantur. Cùm enim in urbe Fussalensi Donatistas complures ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ revocasset, quòd ejus Diœceseos finibus ea contineretur, consilium iniit & erigendi ibi Episcopatùs & ordinandi Episcopi. In eam rem invitavit Primatem seu Metropolitanum Numidiæ. Presbyter cujus voluntatem inflexisse sibi videbatur, in jugum illud subiret, spem & conatum Augustini *omnino resistendo frustravit.* Re infecta Primatem bominem grandævum remittere erubuit Augustinus, itaque cùm ad manum non haberet nisi Lectorem Monasterii sui nomine Antonium: *In Monasterio à nobis parvula quidem ætate nutritum, sed præter lectionis officium nullis Clericatûs gradibus & laboribus notum:* illum Primati obtulit, & Episcopum ordinari fecit. Primus, quod divinæ præcipiunt Litteræ, accusator sui fuit Augustinus, suam primus ipse damnavit præproperam festinationem. Et hinc sanè illi magna curarum & ærumnarum seges ob præfestinati Episcopi intemperias, quarum culpa in ipsum & infamia non mediocri ex parte retorquebatur. Sed ut instituti mei metas ne prætergrediar, unum illud observabo, ex Seminario suo Episcopos illum, atque adeo & alios majores Clericos accersere solitum fuisse. Si quem autem moveat, quòd tam malà ceciderit Lectoris ordinatio: is rursus advertat animum ad illius Presbyteri animi moderationem, qui tam constanter Episcopatus sarcinam recusavit.

*Epist. 261.*

XVII. Superest paucis perstringenda hujus Seminarii Augustiniani Clericorum dissonantia, vel consonantia cum Canonicis Regularibus extremæ hujus Ecclesiæ ætatis. Et hi enim nomine, & multò magis Augustini virtutum æmulatione gloriantur. Magna est autem in primis consonantia. Ultro enim citroque Clerici sunt, triplici solenniori voto obligati, communem vitam agentes, Clericalibusque functionibus omnibus deditissimi. Sed & dissonantia est nonnulla. Augustini enim Clericos nulla à Clericis aliis vestis specialis disjungebat, nisi communium vestium modestia quædam singularis. Mensæ eorum non inferebantur nisi olera, & si quid carnium ibi adderetur, iis non alii, quàm vel hospites, vel infirmi vescebantur. Vino quidem non penitus abstinebant, & eo discrepabant à Monachis, quibus perpetua tum quidem carnis & vini abstinentia indicebatur. His adde quod Seminarii Augustiniani Clerus, Clerus erat ipse Ecclesiæ Cathedralis, una domo mensaque cum Episcopo utens. Continentiam non vovebant, nisi dum sacro initiabantur Ordine. Obedientiam non profitebantur, nisi Episcopo ipsi, qui Superior Præpositusque eorum ipse erat immediatus; nec eam profitebantur, nisi in ordinatione ipsa sua. Unde & quod ad obedientiam & continentiam pertinet, omnia ipsis cum Clericis quibuslibet aliis majoribus communia erant.

*Possid. c. 22*

XVIII. Evangelicam paupertatem Clerici Augustini tum profitebantur, cùm Ordines sacros susciperent, qui ea demum lege eis conferebantur. Votum erat implicitum, & tacita Professio, ejus persimilis, qua Subdiaconi nunc Latini continentiæ lege vinciuntur, dum initiantur sacro eo Ordine. Id verò fortasse est, quod in fraudem eos egit, qui à Clericali Augustini Monasterio exulasse vota arbitrati sunt. Conceptis verbis aiebat Augustinus, eos qui professi essent singularem hanc perfectionem sanctimoniæ, *Professus est sanctitatem, professus est communiter vivendi societatem:* non posse inde recedere, quin dimidii caderent. Neque enim toti cadunt, quando in aliis stant Cleri officiis: *Si ab hoc proposito ceciderit, & extra manens Clericus fuerit, dimidius & ipse cecidit.* Quemadmodum virgo Deo sacra potest non alligare se Monasterii claustris: as

ubi se lubens aliquando incluserit, non potest inde resilire quin dimidia cadat, quantamcumque gerat
*De Diversis Serm. 49. 50.* curam illibatæ suæ castitatis. *Virgo sacra etsi nunquam fuit in Monasterio, & virgo sacra est, illi nubere non licet: quamvis esse in Monasterio non compellitur. Si autem cœpit esse in Monasterio, & deseruit, & tamen virgo est, dimidia ruit.* Professio stabilitatis harum virginum eo constabat uno, ut Monasterium subirent: *Si cœpit esse in Monasterio*: Deinceps inde recedere non poterant sine gravi vulnere Professionis, quantumvis de virginitatis flore nihil deteri sinerent.

XIX. Est autem appositissima hæc Augustini comparatio; non solo enim virginitatis voto obligabantur hæ puellæ, sed & stabilitatis vitæque communis, ac paupertatis, in eo quod semel inissent Monasterio. Sicut & Clerici Clericatûs omnia professi officia, dum ordinarentur, profitebantur præterea abdicationem temporalium omnium, societatem vitæ communis, & stabilitatem in Seminario, cui semel se dedicassent. Hæ sunt prorsus Moniales, ad quas Augustinus regulam scripsit, una Epi-
*Epist. 109* stola comprehensam, eique simillimam, qua Clericorum Monasterium regebatur, sed nonnullis ad Monialium patientiam & modum temperatis. Etenim præter professionem castitatis, *Vt non solum carnales nuptias contemneretis*, communis vitæ consortium amplectebantur: *Etiam eligeretis in domo societatem unanimi habitandi*: & propria abdicabant omnia: *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.* Ideo & donabant Monasterio quidquid sibi rei antè fuerat; quod & à Clericis plerumque præstabatur, ut dicemus alibi: *Quæ aliquid habebant in sæculo, quando ingressæ sunt Monasterium, libenter velint illud esse commune.* Denique communi cum aliis virginibus veste Sanctimoniales istæ utebantur: *Non sit notabilis habitus vester: nec affectetis vestibus placere, sed moribus.* Non omnium tunc Monialium iidem erant mores, eædem leges. Sed his Augustinus Regulam concinnavit eodem animi temperamento, quo & Clericorum instituta moderatus est.

---

## CAPUT IV. *P. 1. l. 1. c. 41.*

### An Patres alii Græci Latinique Seminaria instituerint aliqua, seu Clericorum Congregationes.

*I. Eusebius Vercellensis Episcopus, Monachos pro Clero habuit, Clericatûs munia omnia Monachis mandavit, nullum instituit Clericorum Seminarium.*
*II. III. Argumenta ad id plura coacervantur.*
*IV. V. Idem sentiendum de Basilio & Epiphanio.*
*VI. Immo & de Athanasio.*
*VII. Probationes novæ ex Hieronymo.*
*VIII. Novis argumentis evincitur, Augustinum Monastica instituta nunquam professum esse*
*IX. De Congregationibus more Clericalibus, ubi patrimonia non abdicabant.*

I. Non alius probabiliùs cum Augustino certaverit de palma consociati instituti Clericalis cum Monasticis regulis, quàm Eusebius Vercellensis Episcopus, in Annalibus sacris longè celeberrimus. Si æqua tamen lance pensitemus, quæ in eam rem scripsit Ambrosius, constabit certissimè illustri Christi Confessori Eusebio nequaquam id fuisse consilii, ut illud idem deligeret temperamentum Clericalis Monasticæque professionis; sed ulterius illum esse progressum, ut non imbueret tantùm Clerum suum aliquo Monasticarum virtutum



sapore, sed ipsis Monasticis indueret vestimentis, illigaretque institutis, nec sacerdotalibus tamen functionibus exoneraret. Itaque Augustinus Clericos suos clericali vitæ & instituto asseruit, unamque addidit communis vitæ societatem & abdicationem temporalium; cùm ex adverso Eusebius in Ecclesiam suam Cathedralem Monasticæ vitæ & austeritatis totius professionem invexerit. Ille Clericos addocuit virtutes imitari Monasticas, quas & Laïci tunc non rarò æmulabantur. Hic Monastica instituta amplecti & deinceps retinere coëgit, etsi functionum Clericalium nihil omnino subduceret.

II. Aures nunc animosque convertamus ad Ambrosium: *In Ecclesia Vercellensi duo pariter exigi vi- Epist. 82.* *dentur ab Episcopo, Monasterii continentia, & disciplina Ecclesiæ. Hæc enim primus in Occidentis partibus diversa inter se Eusebius sanctæ memoriæ conjunxit, ut & in civitate positus instituta Monachorum teneret, & Ecclesiam regeret jejunii sobrietate.* Ecce in Clero Vercellensi instituta Monachorum. Quod idem ille rursus infrà inculcat: *Hæc duo in attentiore Christianorum devotione præstantiora esse quis ambigat, Clericorum officia & instituta Monachorum.* Nec silet Monachorum inediam, jejunia, preces juges; illud etiam affirmat his virtutum laborumque experimentis Eusebium eam consecutum esse animi magnitudinem, fortitudinemque invictissimam, quæ illi splendidissimam de hostibus Ecclesiæ victoriam conciliavit. *Eusebius prior levavit vexillum confessionis. Hæc patientia in sancto Eusebio Monasterii coaluit usu, & durioris observationis consuetudine, hausit laborum tolerantiam.* Nec Augustinus quidquam hujusmodi, nec Possidius de Clero Hipponensi; solam ferè communem vitam & paupertatis professionem commemoravere. De cætero eadem illi erat ac Clericis vulgò aliis, ut vestis, ita & vita. Rursum Ambrosius alibi de Monastico vitæ genere sub Eusebio: *In hac Serm. 69.* *sancta Ecclesia eosdem Monachos instituit, quos Clericos, &c. Vt si videris Monasterii lectulos, instar Orientalis propositi judices.* Ita perspicuè Vercellensis Capitulo Ecclesiæ & professio vendicatur Monachorum, & Monasticæ vitæ asperitas.

III. Cùm autem tradit Ambrosius æmulatum esse Eusebium Orientalia instituta, eaque in Ecclesiam Vercellensem invexisse, manifestissimè de institutis agit Monasticis. Cunabula enim sua habuerat in Oriente Monastica professio, & non mediocria antè ibi fecerat incrementa, quàm in Occidentem propagaretur. Sed ne una quidem toto Oriente erat Ecclesia, ubi Clerici Monasticorum institutorum imagine tantùm aliqua & veluti odore perfunderentur.

IV. Memorat quidem alicubi Basilius Canonicos in Cœnobio degentes: πρὸς τοὺς ἐν κοινοβίῳ κανονικούς. Sed de Cœnobitis illi sermo est, seu de Monachis communem aggregatis ad vitam, cùm cæteri Monachi soli, & alii ab aliis disjuncti agerent. Unde & in *Constitutionibus Monasticis* de his verba *Const. Monast. c. 18.* facit sanctus Pater, ubi & duas has Monachorum *& Epist. 53. 192.* species diligenter secernit, & utrisque præceptiones longè pulcherrimas accommodat. Illos autem vocat κανονικοὺς, tanquam diligentissimos Regulæ discipulos, quæ κανὼν dicitur. κανόνες δὲ κανόνα τοῦ βίου ἀναφωνοῦντες. Illos denique subjicit proprio præter Episcopum Præposito: τῷ καθηγουμένῳ πειθόμενοι. Scripsisset autem paulò aliter, si ii fuissent Clerici Episcopo uni suo obnoxii & morigerantes, ut in Augustini Seminario. Scribit rursus Basilius in Epistola *Epist. 371* quadam sua, constructam à se Cæsareæ fuisse Eccle-

ſiam, juxtaque Domum Epiſcopo ſoli incolendam, atque ædiculas ſervorum Dei : τοῖς ἱερατευθεῖσι τῷ θεῷ. Monachi ii erant, à quibus ipſis ſejuncta erat ædes Epiſcopi, locupletiſſimo teſte Baſilio ipſo. Cùm Presbyter adhuc Vicarium ageret Epiſcopi, ſodalitium quoque Monachorum domi ſecum habebat.

V. Diſciplinam & mores Eccleſiæ Catholicæ ſui ævi elegantiſſimè expreſſit Epiphanius in eo quem edidit, Tractatu de *Expoſitione fidei Catholicæ*. Docet porro Subdiaconarum & quoſlibet ſacros Ordines iis demum conferri ſolitos, qui virginitatem coluiſſent & integritatem carnis, παρθένοις; vel certè
Cap. 21. Monachis, μονάζουσι; vel certè iis qui ſuperſtite conjuge, vel extincta, continentiam obſervarent. Addit Monachos fuiſſe, qui in urbibus ſedem haberent : fuiſſe & qui in Monaſteriis, locíſque remo-
Cap. 23. tioribus. Ex his Epiphanii teſtimoniis colligitur, id in more fuiſſe Orientalibus in Eccleſiis, ut ſanctiſſimi quique Monachi Monaſteriis abducerentur ſuis, & ad Ordines ſacros dignitateſque Cleri attollerentur. 2. Monachos urbium incolas illos veriſimiliter fuiſſe laïcos, qui teſte ſuprà & ſuffragatore Auguſtino, religioſè degebant, communis vitæ devincti ſocietate. Eos enim ſejungit Epiphanius à Monachis qui in Monaſteriis agerent. Necdum enim percrebuerant in urbibus Monaſteria. 3. Si qua fuiſſent Clericorum Collegia ſuo ævo, non ea Epiphanius ſilentio oppreſſiſſet, cùm vix eum quidquam effugerit eorum, quibus poterat Eccleſiæ vehementiùs & Cleri gloria illuſtrari.

Affirmat autem ejuſdem Epiphanii vitæ Scriptor, egiſſe eum in Epiſcopali domicilio cum octo
Cap. 55. ginta Monachis, quibus & ſe ipſe annumerat : *Eramus in Epiſcopatu omnes Monachi octoginta.* Si verè ita res habuit, erat ergo numeroſiſſimum hoc Monachorum ſodalitium in ædibus Epiſcopalibus, forſan etiam Cleri functionibus addictum; atque adeo exemplo id eſſe potuerit Euſebio Vercellenſi, Orientalia inſtituta in Occidentem traducenti : Clericorum autem Collegium nequaquam illud quidem vi-
L. 6. c. 36. deri poterat. Proditum quidem eſt à Sozomeno, in urbe Rhinocorura cùm ex Monachis complures Epiſcopatum geſſiſſent, Clericos quoque in unum coiſſe, una domo, una menſa contentos, nil poſſidentes quod proprium & peculiare cuiquam eſſet : αὐτὸ δὲ τὸ τοὺς αὐτόθι κληρικοὺς συνοικεῖν, καὶ τραπέζης, καὶ τῶν ἄλλων. Verùm hoc exemplum ſingulare & unicum prorſus eſt in Oriente, ut ex ſanctis Patribus liquet & Hiſtoricis aliis.

VI. Scribens B. Athanaſius ad Dracontium Monachum, quo voluntatem ejus magnopere alienatam ab Epiſcopatu, inflecteret ad eam ſarcinam ſubeundam, complures pernumerat eorum qui in Epiſcopatu virtutes, labores, & totum Monaſticæ pietatis fervorem retinuerant : *Neque enim tu ſolus ex Monachis es conſtitutus, neque ſolus Monaſterio præfuiſti. Noſti Serapionem Monachum eſſe, & quot Monachorum Præfectum? Neque à te ignoratur, quot Monachorum Pater fuerit Apollonius. Noſti Agathonem & Ariſtonem. Memor es Ammonii, cum Serapione. Audiſti de Cue, de Paulo, & aliis multis.* Et infrà : *Licebit tibi in Epiſcopatu eſurire, ſitire, vinum non habere, jejunare frequenter, &c. Novimus & Epiſcopos jejunantes, non bibentes vinum, &c.* Denique ſanctiſſimè affirmat Epiſcopali dignitati Monaſticam omnem ſanctimoniam copulari poſſe, exemplo Pauli Apoſtoli, cæterorumque Apoſtolorum, quorum ſucceſſores ſunt Epiſcopi. Ex qua rurſus Athanaſii Epiſtola evincitur, è Monaſteriis quidem vocatos eſſe ad Epiſcopatum longè plurimos : ſed nullam Clericorum in Oriente floruiſſe Congregationem, ubi Epiſcopi cum Clero Monaſticas ſectarentur virtutes & inſtitutiones eas quæ Clericalibus functionibus non repugnarent. Non enim ea de re loco tam opportuno ſilere potuiſſet Athanaſius.

VIII. Utriuſque Eccleſiæ morum & legum peritiſſimus & oculatus teſtis Hieronymus, ubi Clerici effigiem pulcherrimis renidentem coloribus effingit ad Nepotianum, de communis inter Clericos vitæ, aut ſocietatis in eiſdem ædibus, & ad eandem menſam, vel lege, vel conſuetudine, vel decore, nec verbum facit ullum. Quin multa illi inſuſurrat præcepta, quæ ſolitariam potiùs & domi ſeptam Clerici vitam ſupponant, aut deſiderent. Exempli gratia, ut pauperes ſemper menſæ adhibeat, & hoſpites : ne fœminas domi admittat ullas, & alia id genus. In Epitaphio verò Nepotiani teſtatur Hieronymus ea vehementer cupiditate inflammatum illum fuiſſe, dum vernaret juventa, adeundi Monaſteria Ægypti & Meſopotamiæ : at avunculi ſui deſerendi pudore prohibitum fuiſſe, in quo haberet & Pontificatûs apicem reverendum, & imitandas Monachorum virtutes. *Cúmque arderet, aut ad Ægypti Monaſteria pergere, aut Meſopotamia inviſere Choros, vel certè inſularum Dalmatiæ ſolitudines occupare, avunculum Pontificem deſerere non audebat, &c. In uno atque eodem & imitabatur Monachum, & Pontificem venerabatur.* Cùm ab avunculo autem ſuo Presbyter eſſet ordinatus, quamlibet invitus, foris ſacerdotio fungebatur, in domo autem Epiſcopali Monaſticis ſe durabat inſtitutis. *Relicto foris Clerico, poſtquam domum ſe contulerat, duritiæ ſe tradiderat Monachorum, creber in orationibus, vigilans in precando, &c. Menſa avunculi intererat, &c.* Ubi perſpicis nullos adhuc cœtus fuiſſe in Occidente Clericorum, una adgregatorum & domo & vita; & tum demum cœpiſſe Occidentales afflari aura aliquà & fama Monaſticorum ſodalitiorum.

VIII. Diſceptationis hujus de inſtituta primùm ab Auguſtino Clericorum Congregatione, finem faciemus, additis velut ad cumulum argumentis novis, quibus magis magiſque eluceat, nunquam illum Monaſticæ Profeſſioni implicatum fuiſſe, ſive ante, ſive poſt ordinationem, neutro denique in Monaſterio Hipponenſi. Quæ vitæ genera ſectatus eſſet, apertè declaravit Auguſtinus in libris Retractationum, ubi lucubrationes ſuas omnes digerit ſecundùm varias vitæ ipſius ſuæ formas. Ait autem ſcriptos à ſe alios libros, dum eſſet *nondum baptizatus, adhuc Catechumenus.* Alios dum eſſet *baptizatus, adhuc in Italia, &c. in Africa conſtitutus, &c.* Retract. l. 1. & 2.
Alios *apud Hipponem Regium Presbyter.* Alios denique dum eſſet *Epiſcopus.* Suum ſanè illi non excidiſſet omnino Monachi inſtitutum, & quidquid interim librorum ſcripſiſſet, edidiſſetque. Firmatur à Poſſidio hoc argumentum, ubi tradit Auguſtinum extrema illa ſua ex ægritudine decumbentem, retractaſſe opera ſua ipſum omnia, quæcumque ſcripſiſſet laïcus, Presbyter, Epiſcopus. *Recenſuit libros,* Cap. 28.
*quos primo tempore converſionis ſuæ adhuc laicus, ſive quos Presbyter, ſive quos Epiſcopus dictaverat.* Itaque laïcus erat Auguſtinus, non Monachus, cùm Presbyteratu ornatus eſt. Idem ſubjicit anno ætatis ſeptuageſimo ſexto vivere deſiiſſe Auguſtinum, in Clericatu cùm egiſſet vel Epiſcopatu annos quadraginta. *In Clericatu vel Epiſcopatu ferme quadraginta.* Denique laïcum adhuc illum fuiſſe ait, cum ad Presbyteratum vi facta abreptus eſt. *Solebat Dubitari, ut*

*nobis dicebat, ab eis tantùm Ecclesiis quæ non habebant Episcopos suam abstinere præsentiam.*

Dum Presbyter adhuc ageret Augustinus, à Monachis sejungebat se, inserebatque se Clericis, aiens ibidem, vix bonum Clericum ex optimo Monacho emergere: *Nimis dolendum si ad tam ruinosam superbiam Monachos surrigamus, & tam gravi contumelia Clericos dignos putemus, in quorum numero sumus: cùm aliquando etiam bonus Monachus vix bonum Clericum faciat.* Fatebantur ipsi Monachi totam Augustini familiam Clericorum esse: *Omnes filios Apostolatûs tui dominos nostros Clericos digneris officio nostro salutare.* Ita quippe salutabat Monachus Clericos ejus. Non tantum *Compresbyteros & Condiaconos* suos dixit Augustinus, sed & *Conclericos* ad quos scriberet. Nihil ejusmodi unquam ad Monachos scripsit. Nec verò in prolixiore Tractatu *de Opere Monachorum*, gregi Monachorum adscripsit se unquam sanctus Pater, nec ex sanctis Patribus quisquam, vel antiquis Historicis. Quod à nobis non alio urgetur consilio, quàm ut indubitatiùs constet, Congregationem ab Augustino institutam purè puréque Clericalem fuisse.

Epist. 76. — Epist. 157 — Epist. 49. 78. — Epist. 62. 68 138.

IX. In his verò quæ congesta sunt hactenus, nullum existere visum est vestigium Congregationis ullius, nullo penitus voto devinctæ, ne abdicationis quidem temporalium facultatum. Nam ut jam diximus, continentia & obedientia ipsis Ordinibus sacris sua sponte innexæ erant. Erant tamen & hujus postremi generis Congregationes. Apertissimè id proditum est à Juliano Pomerio, cum ait sordidæ avaritiæ stimulo incitatos fuisse videri eos qui in eas irrepsissent Congregationes, & patrimonio quo pollerent, ita parcerent, ut ne pensionem quidem conferrent, qua alerentur: *Propter hoc fortassis in Congregatione viventes, ut aliquos pauperes pascant, ne advenientes suscipiant, aut ne summ censum expensis quotidianis imminuant.* Infrà rursus idem Julianus eorum ex adverso retundit jactantiam, qui de hujusmodi persolvi à se solita ad alimenta sua pensione inflarentur. *Quod si aliquid de fructibus suis Ecclesiæ, velut pro ipsa expensa sua contulerint, non se præferant inani jactantia illis, quos nihil habentes, pascit & vestit Ecclesia, &c.* Quò eodem ex Pomerii sermone patet tribus ex hominum generibus coaluisse eas Congregationes: Aliis enim nihil unquam patrimonii fuerat: alii patrimonio nuntium remiserant; alii denique patrimonium retinebant, & parte ejus aliqua donabant Monasteria, qua ipsi sustentarentur. Nono sæculo reviviscere visæ sunt hujusmodi Congregationes, ut suo infrà loco dicetur.

De vita Contemp. l. 2. c. 10. — Ibidem.

---

## CAPUT V. *P. 2. l. 1. c. 30.*

### De Seminariis secundæ ætatis Ecclesiæ, sæculo VI. & VII.

*I. De Episcopali Seminario juniorum Clericorum in Hispania.*

*II. Horum Seminariorum vita & Disciplina concentus cum Monasticis institutionibus.*

*III. Prolixius describitur hujusmodi Seminarium, ubi Episcopus cum Presbyteris & Diaconis unius domûs & vitæ societate vinciebatur.*

*IV. De hujusmodi Seminariis in Gallia.*

*V. VI. Ex Gregorio Turonensi de Seminariis, ubi Canonici communem adsciabant vitam.*

*VII. VIII. Primus in Anglia Augustinus à Gregorio Papa missus eam vitæ societatem inter Clericos instauravit, ejus exemplo plures postea obsecuti sunt Episcopi.*

*IX. Supra omnem admirationis aleam Seminarium Gregorii Papæ, in Pontificali Romæ Palatio, quod Clericis, Monachisque constabat, fama sanctitatis & doctrinæ spectatissimis.*

*X. Gregorius ipse summus Pontifex hujus Seminarii auspex, dux, Præpositus, & Theologus.*

*XI. Afri Episcopi, etiam dum exularent, sua secum Clericorum Seminaria habuere. B. Fulgentii Seminarium Episcopii constabat, Clericis, Monachisque. Conjugia Clericorum majorum in Oriente foetare cum Seminariis non potuere.*

I. AB ineunte ætate in Seminariis & Congregationibus Ecclesiasticis alebantur & perpoliebantur Clerici, qui ad majores Ordines & dignitates Ecclesiasticas crescebant. Concilio Toletano II. sancitur, ut juvenculi hi semel detonsi & Lectores ordinati, in Seminario instituantur, sub oculis Episcopi, & curæ Præpositi commendati: atque si anno demum ætatis duodevicesimo secum ipsi constituant reliquum vitæ cursum continentiæ dedicare, biennio adhuc probati, tum denique Subdiaconatu initientur. *De his quos voluntas parentum à primis infantiæ annis in Clericatûs officio, vel Monachali posuit, pariter statuimus observandum, ut mox cum detonsi, vel Ministerio Lectorum contraditi fuerint, in domo Ecclesiæ sub Episcopali præsentia à Præposito sibi debeant erudiri. At ubi octavum decimum ætatis suæ annum compleverint, si gratia eis castitatis Deo inspirante placuerit, hi tanquam appetitores arctissimæ vitæ levissimo Domini jugo subdantur; ac primò Subdiaconatus Ministerium, probatione habita professionis suæ à vigesimo anno suscipiant.* Can. 1.

II. Mirus hic sublucet concentus hujus juniorum Clericorum, atque Monachorum professionis. Declaratur enim pueros à parentibus Deo offerri, cùm à teneris unguiculis aut Clericatui dedicantur, aut Monasticis institutis. Clericos hos impuberes in Seminario, ut in Monasterio institui. Si perpetuam deligerent continentiam anno decimo octavo ætatis, tunc in biennium eos probationis ingredi. Eo exhausto tunc denique suscepto Subdiaconatu quasi profiteri vitam deinceps arctiorem. *Tanquam appetitores arctissimæ vitæ levissimo Domini jugo subduntur.*

III. In Concilio autem Toletano IV. quasi duplex aperitur Seminarium; alterum in ipso Episcopali Palatio, unde Episcopus Presbyteris & Diaconis suis cinctus, in eos & cum eis in Diœcesin suam omnem radios spargit sanctimoniæ & pietatis, cui ne perditissimi quidem obtrectatores possint dentem infigere. Alterum in ædibus Ecclesiæ proximis, ubi Clerici juniores omnes sub disciplina degunt sanctissimi senis, cujus oculos nec ad momentum effugiunt, & qui non in vitam & mores tantùm, sed & in res eorum causasque temporales excubat, sicubi opus est. Si qui sint autem, sive Presbyteri, sive Diaconi, quibus per ægritudinem, aut ætatem jam provectam non liceat, communem illam cum Episcopo vitæ societatem inire, aut retinere: conceditur illis ab hoc Concilio, ut privatim vitam instituant, dum unum secum habeant Clericum, velut individuum comitem, qui & virtutum spectator sit, & vitiorum censor: *Ut excludatur deinceps omnis nefandæ suspicionis occasio, & ne detur ultra sæcularibus locus obtrectandi, oportet Episcopos testimonium probabilium personarum conversationis & vitæ in conclavi suo habere, ut & Deo placeant per conversationem bonam, & Ecclesiæ per optimam famam. Similiter placuit, ut quemadmodum Antistites, ita Presbyteri atque Levitæ quos forte infirmitas aut ætatis gravitas in conclavi Episcopi manere non sinit, ut & iidem in cellulis* Can. 22. 22. 23.

*suis testes vitæ habeant, vitamque suam sicut nomine, ita & meritis teneant.* E Presbyteris ergo Diaconisque illi tantùm poterant vitæ communiter cum Episcopo degendæ lege absolvi, quos effœta jam ætas, vel infirmitas excusabat. *Quos forte infirmitas, aut ætatis gravitas, in conclavi Episcopi manere non sinit.* Et tum quoque ipsis necesse erat, ut domi instar quoddam Seminarii sibi effingerent, ubi cum uno, vel pluribus Clericis vitam componerent. Quoad minorum Clericorum Seminarium, hæc præcipit idem Concilium: *Prona est omnis ætas ab adolescentia in malum. Ob hoc constituendum oportuit, ut si qui in Clero puberes, aut adolescentes existunt, omnes in uno Conclavi atrii commorentur, ut lubrica ætatis annos non in luxuria, sed in disciplinis Ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem & Magistrum disciplinæ, & testem vitæ habeant. Quod si qui ex his pupilli existunt, sacerdotali tutela foveantur, ut & vita eorum à criminibus intacta sit, & res ab injuria improborum.* Si ex his junioribus aliqui essent immorigeri & intractabiles, non extrudebantur, non sæcularis iniquitatis torrenti exponebantur, non Clericalis professionis desertores per abrupta rapi vitiorum sinebantur, sed lentiùs edomandi compingebantur in Monasteria. *Qui autem his præceptis resultaverint, Monasteriis deputentur, ut vagantes animi & superbi severiori regula distringantur.*

IV. Nihilo segnior erat Gallicana Ecclesia in excolendis Seminariis suis; sed non satis mihi constat, an duplicis & ipsa generis haberet, ut in Hispania. Concilium enim Turonense II. Presbyteros, Diaconos, Clericosque minores in domum Episcopi adgregat, velut Angelicam quandam cohortem, qui circa eum excubias agant, nec ullas ibi degere fœminas sinant, nequid occurrat, quo cœlestis hujus agminis vel innocentia maculetur, vel deturpetur fama. Can. 12. *Licet Episcopus Deo propitio Clericorum suorum testimonio castus vivat, qui cum illo tam in cella quam ubicumque fuerit, sui habitent, eumque Presbyteri, & Diaconi vel deinceps Clericorum turba juniorum Deo authore conservent: sic tamen propter Zelotem Deum nostrum tam longè absint Episcopus & conjux, mansionis propinquitate divisi, ut nec hi qui ad spem recuperandam Clericorum servitute nutriuntur, famularum propinqua contagione polluantur.* Non satis mihi liquet, an hæc verba, *Hi qui ad spem recuperandam Clericorum servitute nutriuntur*, capienda sint de Clericis ipsis, qui in Seminario excoluntur in spem lætissimam propaginis spiritalis, in omnem Ecclesiam spargendæ: an de servis Clericorum, qui tam piis interim rudimentis imbuebantur, ut persæpè libertate donati, & ordinibus & officiis Ecclesiasticis summa cum laude fungerentur. Can. 13. Utcumque ea res habeat, edicit hæc Synodus, ut non custodes, non Ministros habeat alios Episcopus, quàm Clericos suos: quos & ea potestate donat, ut quascumque mulierculas exturbent, ex ejus suoque ipsorum domicilio. *Habeant Ministri Ecclesiæ, utique Clerici, qui Episcopo serviunt, & eum custodire debent, licentiam extraneas mulieres de frequentia cohabitationis ejicere.*

V. Illud tamen æquum est confiteri, non ita hoc Canone, ut suprà Toletano præcipi, ut omnes prorsus Clerici ad Episcopi Seminarium adgregari studeant. Non satis etiam liquet, an ad Seminarium Cleri, societatemque vitæ communis rapi debeat, quod perhibet Gregorius Turonensis de Baudino prædecessore suo, cui Guntharius, Gunthario Euphronius, Euphronio ipse successerat. De eo enim ita refert. *Hic instituit mensam Canonicorum.* Histor. l. 10. Canonici hîc dicuntur, quos Clericos vocamus promiscuè. Mensa autem communis ipsam sonare videtur vitæ societatem. Facilè adducemur, ut & Vita Patr. c. 9. Clericos hîc dici Canonicos, & eos omnes apud Cæsarodunum Turonum communem egisse vitam assentiamur, si expenderimus, quæ narrantur alibi ab eodem Gregorio de sanctissimo Abbate Patroclo; qui Tonsura ab Arcadio Archiepiscopo Bituricensi accepta, & aliquantò pòst Diaconatûs ordinatione, eam amplexus est abstinentiam; ut cum aliis Clericis nunquam ad refectionem conveniret. Archidiaconus quidem illum ea de causa gravissimè objurgavit, inculcavitque quàm lubrica esset & vitiosa in Congregationibus singularitas. At ille à priore sententia sua non recessit, quòd jam Monachorum vitam meditaretur: *Ita vacabat jejuniis, ut nec ad convivium mensæ Canonicæ cum reliquis accederet Clericis. Quod audiens Archidiaconus, frendens contra eum, ait, Aut cum reliquis fratribus cibum sume, aut certè discede à nobis. Non enim rectum videtur, ut dissimules cum his habere victum, cum quibus Ecclesiasticum implere putaris officium.*

VI. Et in Hispania ergo & in Gallia Congregationes erant & Seminaria Clericorum, ubi Clerus universus civitatis eadem domo cum Episcopo utebatur, eadem vescebatur mensa, & forsan, quod ferè inde nascitur, omnia in commune conferebat, omnia in communi possidebat, nihil quisquam sibi servabat proprium; nec alii erant ulli Ecclesiastici reditus, nullæ in privatos distributiones. Illa enim Gregorii Turonensis *Mensa Canonica, Mensa Canonicorum*, reditibus & expensis Ecclesiæ sustentabatur, cogebanturque Clerici omnes ibi & inde vesci, ut approbavit Archidiaconus paulò suprà Bituricensis. Ita de communi Ecclesiæ patrimonio sustentatis, quorsum portio redituum aliqua privatim adsignaretur, cùm superflua tunc omnia de patrimonio pauperum pauperibus erogarentur?

VII. Si quem minùs moveat hæc argumentatio, plus erit forsan momenti ad persuadendum, in exemplo Ecclesiæ Anglicanæ, cum Augustinus eò à Gregorio Papa missus, novos quodammodo & splendidiores illi natales contulit. Cùm leges enim & formam præscriberet Gregorius, ad quam fingenda venustandaque esset novella hæc Ecclesia: quadripartito dividi proventus Ecclesiæ, quod passim alibi fiebat, dissuasit: sed ut omnes Clericos communis in vitæ contubernium colligeret, quos vel Ordo sacer, vel privata pietas continentiæ perpetuæ devinxisset: atque ita vel Monasterii disciplinam, in quo institutus ipse fuerat, vel nascentis primùm Ecclesiæ mores æmularetur. Cæteros verò Clericos minores, qui à perpetuæ continentiæ professione abhorrerent, solitis impartiret sportulis, conjugari sineret, & nihilo segnius invigilaret, ut piè degerent, regulis Ecclesiasticis obsequerentur, Psalmos decantarent, declinarent vitia sæculi. *Mos* Beda. l. 1. c. 27. *Sedis Apostolicæ est, ordinatis Episcopis præcepta tradere, ut in omni stipendio, quod accedit, quatuor debeant fieri portiones, &c. Sed quia Fraternitas tua Monasterii regulis erudita, seorsum fieri non debet à Clericis suis in Ecclesia Anglorum, hanc debet conversationem instituere, quæ initio nascentis Ecclesiæ fuit Patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his qui possidebant, aliquid suum esse dicebant, sed erant eis omnia communia. Si qui verò sunt Clerici extra sacros Ordines constituti, qui se continere non possunt, sortiri uxores debent, & stipendia sua exteriùs accipere. Quia & de iis-*

*dem Patribus novimus scriptum, quod dividebatur singulis, prout cuique erat opus: de eorum quoque stipendio cogitandum atque providendum est, & sub Ecclesiastica regula sunt tenendi, ut bonis moribus vivant, & canendis Psalmis invigilent, & ab omnibus illicitis & cor, & linguam, & corpus Deo authore conservent. Communi autem vita viventibus jam de faciendis portionibus, vel exhibenda hospitalitate, & adimplenda misericordia, nobis quid erit loquendum, cum omne quod superest in causis piis ac religiosis erogandum est, Domino docente, Quod superest, date eleemosynam.*

VIII. Posthac, ut spero, ambiget nemo, quin vitæ communis instituta societas partitionem arceat bonorum Ecclesiæ, & omnia in commune conferat. Nemo ambiget etiam quin Ecclesia restaurata Anglorum eam sectata sit formam longè pulcherrimam Evangelicæ perfectionis Clericorum, Augustino conditore ejus altero, Monasticarum virtutum lucem in Clerum ejus omnem latissimè spargente. Quis ambigat rursum, quin Theodorus hunc sanctimoniæ tramitem tenuerit, ille qui lacte & melle Orientalium Monasteriorum pietatis ab infantia enutritus, ab Vitaliano Papa Cantuariensi Archie- (Beda. l. 4. c. 3.) piscopatu donatus, sanctissimè Ecclesiæ Anglorum gubernacula administravit? Ab illo Episcopalem in thronum invectus est Ceadda, quem refert Beda, ex quo hæc promuntur, Clericorum sodalitium à se indivulsum semper habuisse. *Fecerat sibi mansionem non longè ab Ecclesia, in qua secretiùs cum paucis, id est, septem sive octo fratribus, quoties à labore & ministerio verbi vacabat, orare ac legere solebat.* Excitus è Monasterio fuerat Ceadda, perinde ut Aidanus, qui sedem Episcopalem Clerumque omnem transtulerat in Monasterium Angliæ celeberrimum, ut unà cum Abbate & Monachis Clerici diversarentur, omnibusque iis paterna suavissimaque providentia consuleret magis quàm immineret Episco- (L. 4. c. 27.) pus. *Siquidem à temporibus antiquis in insula Lindisfarnensium Episcopus cum Clero, & Abbas solebat manere cum Monachis, qui tamen & ipsi ad curam Episcopi familiariter pertinerent. Quia nimirum Aidan, qui primus ejus loci Episcopus fuit, cum Monachis illuc & ipse Monachus adveniens, Monachicam in eo conversationem instituit, quomodo & prius B. Pater Augustinus in Cantia fecisse noscitur, scribente ei reverendissimo Papa Gregorio, quod & suprà posuimus.* Idem alibi refert Beda, aliquantò etiam copiosiùs accuratiúsque: (In vita S. Cuthberti. c. 16.) *Una eademque habitatio utrosque simul tenet, &c. Omnes loci ipsius Antistites usque hodie sic Episcopale exercent officium, ut regente Monasterium Abbate, omnes Presbyteri, Diaconi, Cantores, Lectores, cæterique gradus Ecclesiastici, Monachicam per omnia cum Episcopo regulam servent.*

IX. In Italia finitimum vero est infrequentiora fuisse Seminaria Clericorum. Affirmabat enim paulò antè Gregorius Magnus, ita præcipere solitos Pontifices Romanos Episcopis quos ordinarent, ut reditus Ecclesiarum in quatuor partes distribuerent, quæ partitio vitæ communis proposito obstrepebat. Eusebius quidem Vercellensis Episcopus Clericalem & Monasticum Ordinem confœderaverat: at quæ suprà ex Cælestino Papa decerpta sunt, argumento ea sunt, non magnopere arrisisse Romanis tunc Pontificibus eam consociationem utriusque instituti, hinc & hinc quidem laudatissimi, sed vehementer tamen discrepantis. Gregorius Magnus cùm conversionis suæ exordia illustrasset fundatis Monasteriis sex in Sicilia, & uno prætereа Romæ, ubi & semet ipse Deo totum dicavit: cùm primùm Sedi Apostolicæ præesse cœpit, hanc utriusque instituti confœderationem, non in Anglia tantum, sed & Romæ perfecit in Palatio Apostolico; ubi velut in Monasterio degebat ipse cum Clericis, Monachisque sanctissimis: cui exemplo si se tum cæteri, & postea per orbem accommodassent Pontifices, potuisset primigenia Ecclesiæ pietas & disciplina reflorescere. Laici omnes Palatio seu Monasterio hoc Apostolico extrusi sunt, soli admissi Clerici, Monachique ex Joanne Diacono: *Cæterùm prudentissimus Rector Gregorius remotis à suo cubiculo sæcularibus, Clericos sibi prudentissimos consiliarios familiaresque delegit, inter quos Petrum, &c. Monachorum verò sanctissimos sibi familiares elegit, inter quos, &c.* (L. 2. c. 11.) Recenset idem Joannes nonnullorum nomina ex iis præstantissimis Clericis Seminarii Gregoriani; Petrum Diaconum quem confabulatorem accivit sibi Gregorius in præclarissimis Dialogorum libellis. Æmylianum Notarium, qui eo perorante excepit quadraginta homilias in Evangelia: Paterium Notarium, qui ex eis Operibus Florilegia veluti quædam excerpsit: Joannem Defensorem, qui in Hispaniam profectus Episcopum Malacæ sede ejectum restituit, in authores iniquissimæ dejectionis ejus Episcopos pari pœna animadvertit: Marinianum Monachum, qui exinde Syracusanus fuit Episcopus & Apostolicus Vicarius in Sicilia: Augustinum & Mellitum Angliæ Apostolos, Claudium Abbatem Monasterii Classensis, qui tam multa lucubraverat Opuscula, quæ ex Gregorii sermonibus corraserat, quanquam alicubi ejus mentem non prorsus assequeretur: *Qui de Proverbiis, de Canticis Canticorum, de Prophetis, de libris Regum, deque Heptateucho, Papa disputante, multa, licet non eodem sensu composuit.*

X. Florentissimum istud erat omnino Seminarium, & Schola cui par nulla, & nulla secunda, divinarum Disciplinarum & religiosarum virtutum splendore. Præpositum in ea agebat Gregorius, & Moderatorem, & Theologum. Nihil ibi institutionum Monasticarum desiderabatur, nihil Clericalium functionum. Aliæ aliis & subsidio erant & ornamento. Non iidem erant Clerici, qui Monachi: at nec Monasticis virtutibus destituebantur Clerici, nec à Cleri functionibus Monachi arcebantur. Horum illorumque parens & doctor Gregorius, idem vitæ genus sanctissimum frequentabat Romæ, quod aurea Ecclesiæ ætas in Apostolis Hierosolymæ, & in Marco Marcique discipulis Alexandriæ repræsentaverat. *Cum quibus Gregorius die noctuque versatus, nihil Monasticæ perfectionis in Palatio, nihil Pontificalis institutionis in Ecclesia dereliquit.* (Ibid. c. 15.) *Videbantur passim cum eruditissimis Clericis adhærere Pontifici Religiosissimi Monachi; & in diversis professionibus habebatur vita communis: ita ut talis esset tunc sub Gregorio penes urbem Romanam Ecclesia, qualem hanc fuisse sub Apostolis Lucas, & sub Marco Evangelista penes Alexandriam Philo commemorat.*

XI. In Africanis quoque Ecclesiis ac Seminariis eadem Clericalis Monasticique Ordinis societas effulgebat. Ne cruentissima quidem Vandalorum persecutio prohibere potuerat, quin Africæ Episcopi in ipso confestim deportationis suæ loco, vel Monasteria sibi, vel Seminaria excitarent, & inaccessas solitudines cœlestibus quibusdam frequentarent colonis. Id Ferrandus Diaconus in vita beati Fulgentii de Episcopo Fausto testatum facit. *In eodem* (Cap. 4.) *proinde loco, ubi relegatus tenebatur, Monasterium sibi construxerat, in quo spiritualiter vivens apud Christianos honorabilis habebatur.* Fausti discí

pòst & æmulator fuit Fulgentius, postquam maximè animatus roboratusque fuit exemplo Syracusani Episcopii Eulalii, *qui virtute discretionis super omnia decoratus, Monachorum professionem singulariter diligebat, habens etiam ipse Monasterium proprium, cui semper adhærebat, quoties ab Ecclesiasticis actibus vacabat:* Itemque Rufiniani Episcopi Afri, quem invenit etiam in Sicilia exulantem, & Monachi vitam in exilio agentem: *Vitam Monachi laudabiliter gerens, &c.* Itaque Fulgentius quoque Episcopalem sarcinam ut primùm subiit, Monastica omnia retinuit exercitamenta, Monasteriumque sibi statim extruxit. *Nec ita factus est Episcopus, ut esse desisteret Monachus; sed accepta Pontificis dignitate, professionis præteritæ servavit integritatem; servata verò professionis integritas plus ornavit Pontificis dignitatem. In nullo loco visus est sine Monachis habitare. Propter quod à Civibus Ruspensibus hoc primum Beneficium ordinatus Episcopus postulavit, ut fabricando Monasterio locum congruum darent.* Is erat virtutum ejus nitor, qui persecutores brevi irritaret concitaretque; itaque exulare jussus, exilii comitem habuit geminum Clericorum Monachorumque gregem. *Comitantibus ergo Monachis simul & Clericis, Magister egregius utriusque professionis extitit, &c.* In ipso exilii loco Seminarium exædificavit Episcoporum, Clericorum, Monachorumque, omnes ipse inescans, omnes convertens ad societatem communis vitæ, lectionis, orationisque. *Inter ipsa sanè primordia gloriosi exilii, Monasterium congregare, paucos secum ducens Monachos minimè potuit; sine fraterna tamen congregatione vivere nesciens, Coepiscopos suos Illustrem & Januarium habitare secum persuasit volentes. Quibus unico serviens charitatis affectu, similitudinem magni cujusdam Monasterii, Monachis & Clericis adunatis sapienter effecit. Erat quippe eis communis mensa, commune cellarium, communis oratio, simul & lectio.* Formam hîc habes Seminarii pluribus ex Episcopatibus adgregati, immo & pluribus ex Episcopis, quos sui ibidem Clerici Monachique affectarentur. Conjugiorum quidem licentia apud Orientales Clericos Seminariorum spem omnino præcidebat. Si verò Episcopi Orientis eundem quem Fulgentius tramitem terebant, & cum selectissimis Clericis suis Monasteria incolebant, tanto majori utique erant & amori & venerationi. Redux in Africam Fulgentius, suo se rursus Monasterio, suis se Monachis adgregavit, sed ita ut ejus præsentia Abbatis potestati & ministerio nihil officeret.

Cap. 12. 13.

Cap. 18. 19 20.

---

## CAPUT. VI. *P. 3. l. 1. c. 28.*

### De Seminariis sub Imperio Caroli Magni.

*I. De Seminariis Clericorum in Monasteriis.*
*II. De Seminariis in domo Episcopali.*
*III. De Seminariis in ædibus Parochorum.*
*IV. Mira quædam utilitas Seminarii, Civitatis, vel Domûs Episcopalis, ut in id turmæ vicissim vocarentur Parochorum ruris, & doctrina flammaque pietatis nova subinde imbuerentur.*
*V. Præcepta Seminariis juniorum Clericorum in Monasteriis agentium temperata.*
*VI. Quæ hic Seminaria dicimus, dicebantur & Scholæ.*
*VII. Scholæ Monasteriorum numerosissimæ omnium.*
*VIII. Erat & ingens ibi copia nobilium puerorum.*

I. DUo erant Seminariorum genera, ut ex supradictis jam patuit; alia videlicet in Monasteriis, alia in Episcopalibus ædibus. Cùm ait Hincmarus, jam inde à pueritia innutritum se fuisse in Monasterio, in veste Canonicorum, hoc est Clericorum: inde migrasse se in Palatium Ludovici Pii Imperatoris: sed tandem consilio miro & confirmata voluntate abjiciendi spes omnes sæcularium opum & ineptiarum, concessisse se in Monasterium sancti Dionysii, in quod paulò antè strictioris disciplinæ lex invecta fuerat, eo constanter docetur fuisse in Monasteriis Seminaria Clericorum. *Qui in Monasterio, ubi ab ipsis rudimentis infantiæ sub Canonico habitu educatus, indeque eductus, in Palatio Domini Ludovici Imperatoris non modico tempore mansi. Conversis autem ad regularem vitam & habitum fratribus in Monasterio sancti Dionysii, ubi nutritus fueram, in illud, sæculum fugiens sine spe. vel appetitu Episcopatus, aut alicujus prælationis diutius degui.* Clarissimum hinc fit, rudes adhuc & tenellos pueros, cum Clericali habitu, velut in Seminario, institutos in Monasterio fuisse, seu Clerum aliquando, seu Monasticum ordinem essent amplexaturi.

Hincmar. To. 2. pag 304.

II. Alia verò Seminaria, in domo Episcopali congregata, luculentissimè exhibet Concilium Turonense III. anno 813. cùm jubet eos qui Presbyteratui præparantur, diutius ut antea in Palatio Episcopali instituantur ad omnia Sacerdotum munia obeunda, utque observari exploratique diligentiùs antè possint, quàm in sanctissimæ dignitatis culmen extollantur. *Sed priusquam ad consecrationem Presbyteratus accedat, maneat in Episcopio, discendi gratia officium suum tandiu, donec possint & mores & actus ejus animadverti: & tunc si dignus fuerit, ad Sacerdotium promoveatur.*

Can. 12.

III. Priora illa Seminaria pueris dicata erant; prima Christianæ pietatis & Clericalis ordinis rudimenta ibi posituris. Posteriora Clericis & ætate & virtute atque doctrina paulò provectioribus addicta erant, quibus dignitates functionesque honorificentiores despondebantur. Rursum priori classi accensere possumus ea juniorum Seminaria Clericorum, quos Parochi ipsi domi suæ ruri expoliebant, officiisque Ecclesiasticis suæ Parochiæ Ministros adhibebant. Præcipit Theodulphus in Capitulari, ut ad Synodum Parochi secum adducant duos tresve Clericorum suorum: *Nec non duos, aut tres Clericos, cum quibus Missarum solennia celebratis, vobiscum adducite, ut probetur, quàm diligenter, quàm studiosè Dei servitium peragatis.* Ubi vides Officiis divinis in Parochia peragendis Clericos hosce à Parocho informandos fuisse.

Cap. 4.

IV. Sed eorum jam depromenda superest alia longè maxima utilitas Seminariorum, quæ in civitate, vel in ipsa erant domo Episcopali. In ea subinde vocabantur turmæ Parochorum per vices, non omnes simul, ut superessent interim in Parochiis Ministri, tum ad Sacramentorum erogationem, tum ad celebrationem divinæ Psalmodiæ. Parochos ita Episcopalibus in ædibus adgregatos, aut proprio ipse ore, aut per pios doctosque ministerii sui Vicarios & cooperatores, addocebat Episcopus, quæ ad orthodoxam doctrinam, quæ ad castigatissimam disciplinam Ecclesiæ maximi videbantur esse momenti, ut strenuissimè officii sui numeros implerent omnes, frequentibus collationibus de divinis litteris, de Conciliorum Canonibus, de divinis Officiis, de praxi Sacramentorum, de Concionibus, de vita & de moribus ipsis suis. Ita constitutum fuit in Capitularibus Caroli Magni. *Statutum est, ut omnes Presbyteri Parochiæ ad civitatem per turmas & per hebdomadas ab Episcopo sibi constitutas conveniant discendi gratia: ut aliqua pars in Parochiis Presbyterorum*

Capit. Car. Mag. l. 6, c. 163.

*Presbyterorum remaneat, ne populi & Ecclesia Dei absque officio sint; & aliqua utilia in civitate discant, ut meliores ad Parochias demum & sapientiores atque populis utiliores absoluti revertantur. Et ibi ab Episcopo, id est, in civitate, sive à suis bene doctis Ministris bono animo instruantur de sacris Lectionibus, & divinis cultibus, & sanctis Canonibus, qua prædicare & facere debent, &c.* In his ergo Episcopalium ædium vel civitatum Seminariis, Presbyteri Parochique, & iis primùm instruebantur doctrinæ virtutumque præsidiis, quæ tanto muneri fungendo necessaria videbantur: & postea rursum identidem recreabantur frequentibus his secessibus, & ad novum vigorem roburque refovebantur.

V. Quoad Seminaria verò Monasteriorum, coosarcinavit Crodogangus in sua Canonicorum Regula institutiones eas omnes quæ pertinerent ad eorum regimen omnium, qui Canonicorum Regularium curæ commendabantur. Concilii Aquisgranensis sub Ludovico Pio Patres ipsissima excripserunt hîc Regulæ hujus verba, sicut & alibi non semel. Illud præ cæteris præcipiunt satagendum, ut Præpositus is deligatur, qui juvenes hactenus indomitos præservidosque coërceat; Ecclesiasticis imbuat disciplinis, & in Ministros Ecclesiæ dignos effingat. *Qualiter Ecclesiasticis doctrinis imbuti, & armis spiritualibus induti, Ecclesia utilitatibus decenter parere, & ad gradus Ecclesiasticos quandoque dignè possint promoveri.* Ætas his verbis exprimitur: *Pueri & adolescentes, qui in Congregatione sibi commissa nutriuntur vel erudiuntur.* Ad Clerum dumtaxat formabantur, ut ex iisdem & sequentibus verbis liquet: *Ita jugiter Ecclesiasticis disciplinis constringantur.* Uno omnes in conclavi erant, omnibus præerat probatus senex: quæ omnia ex Concilio Toletano IV. decerpta sunt: *Omnes in uno conclavi atrii commorentur, deputati probatissimo seniori.*

Can. 23.

VI. Erant igitur plurium generum Seminaria Clericorum juniorum, vel in Monasteriis Monachorum, vel in Monasteriis Canonicorum, vel in domibus Episcopalibus, vel in civitatibus, vel in Parochorum domibus ruri; quæ postrema, rudimenta potiùs erant quædam & inchoationes Seminariorum. Porro illud ingenuè confitendum est, has fuisse ipsissimas Clericorum Scholas, ut palam fit ex Capitulari Ludovici Pii, quod cum Episcopis consultatum fuerat. *Inter nos pari consensu decrevimus, ut unusquisque Episcoporum in scholis habendis, & ad utilitatem Ecclesia militibus Christi præparandis & educandis, ab hinc majus studium adhiberet.* Non est ergo quod quisquam dubitet, quin hæ Scholæ informandis junioribus Clericis dedicatæ fuerint, adeoque quin vera hæc fuerint Seminaria; si vel maximè advertatur animus ad Decreti ejusdem clausulam, ubi præcipitur Prælatis ad Provinciale Concilium advolantibus, ut secum adducant, vel Parochos urgeant, ut adducant ipsi aliquos ex his tyronibus suis, qui Ecclesiasticæ aliquando militiæ signiferi ducesque futuri spectantur. *Ut quando ad Provinciale Episcoporum Concilium ventum fuerit, unusquisque Rectorum Scholasticos suos eidem Concilio adesse faciat, quatenus & ceteris Ecclesiis noti sint, & ejus solers studium circa divinum cultum omnibus manifestum fiat.* Concilium Parisiense VI. anni 829. graviter objurgavit Præsules, qui tam necessarium Decretum executioni non mandassent; illud autem innovatum ibi est præceptum, ut ad Concilium Provinciale adducerentur selecti aliqui ex his alumnis Seminariorum.

Capit. Car. Mag. Adnot. l. 2. c. 5

Can. 30.

VII. Sed quantumvis laboratum sit, ut in Episcopali diversorio Scholæ istiusmodi & instituerentur, & excolerentur deinceps; simillimum veri est, eas in Monasteriis & faciliùs institutas primò fuisse, & diutiùs postea conservatas. In fundatione Abbatiæ Centulensis, quæ in tempora incidit Caroli Magni, numerus Monachorum erat saltem trecentorum, præter centum pueros, quibus eadem vestis, eadem mensa, eadem divina Officia, tripartita ea multitudine in tres greges, quorum singulis assignabantur centum Monachi, pueri triginta tres, ut per vices in Ecclesia psallerent, & psalmodiam perpetuam celebrarent, quasi ad cælestium agminum æmulationem. *Trecentos Monachos regulariter victuros constituimus. Centum etiam pueros scholis erudiendos, sub eodem habitu & victu statuimus, qui fratribus per tres choros divisis in auxilium canendi & psallendi intersint, &c.* Chron Centul l. 2. c. 11. Spicil. to 4. pag 459.

VIII. Perspicuè hinc emicat eum unum in scopum in iis Scholis informatos fuisse hos pueros, ut Clero vel Monasteriis aliquando adgregarentur. Scholæ ergo istæ verè Seminaria erant, & ceu Novitiorum tyrocinia. Ideo & sacra jam tum veste quamlibet ætate immaturi induebantur, & iisdem intererant sacræ psalmodiæ Officiis. Objici posset forsan, quod in eodem mox habetur Chronico Centulensi, filios Comitum, Ducum, Regumque in illo Cœnobio educari solitos: *In hoc enim Cœnobio Duces, Comites, filii Ducum, filii Comitum, filii etiam Regum educabantur. Omnis sublimior dignitas quaquaversum per Regnum Francorum posita, in sancti Richarii Monasterio se parentem habere gaudebat:* Sed facilè abstergebitur ille scrupulus, si perpendas ex ipsa Caroli Magni Imperatoria stirpe fuisse, qui Clericatum & Monasticum propositum amplecterentur. Itaque Optimatum quoque filii, quasi bipartito agmine, alii sacram statim profitebantur militiam, alii sæcularem. Saltem indubium est à parentibus ipsis occupari & dicari solitos fuisse ex multiplici prole aliquos, vel Monasticis, vel Clericalibus institutis; quanquam integrum aliquando postea fuerit forsan eis ab his se expedire vinculis, ubi sese ipsi per ætatem, rationisque & libertatis lucem recuperassent. Denique cùm hoc Chronici sancti Richarii loco non memoretur ea nobilissimorum juvenum copia, nisi ex occasione Abbatis, qui Comes ipse erat, & persæpè militaribus cuneis cinctus ad Regios exercitus proficiscebatur: vanissimo hoc sæcularis dignitatis fulgore, & Monachis Abbatibusque minùs consentaneo, inescari utique poterat & inflammescere juvenum nobilissimorum ambitio, ut Monachi fierent, Abbates iidem Comitesque aliquando futuri: *Tali ratione quidam nostratum Abbatum Comites insimul erant & Abbates, & generosa parentilitatis lumine emicabant, & sacra regula servatores, in ipsis etiam exercituum turmis, ante Dei oculos habebantur.* Ubi adverres, non hos sæculares fuisse Comites, qui solo nomine Abbates dicerentur, usurpatis Abbatiæ possessionibus: sed verissimos fuisse Abbates, qui Comitum & dignitatem, & nomen, & functiones gererent. *Abbas ergo Heligandus, simulque Comes, cùm hujus Cœnobii Moderator existeret, &c. si aliquis quærat, cur nostras Rector, Abbas & Comes insimul extiteris, &c.* Quæ de extremæ hujus ætatis Seminariis dicenda supererant post annum Christi millesimum, ea in alium infrà locum seponemus.

Ibid. l. 3. c. 16.

## De Capitulis & Clero Cathedralium Ecclesiarum.

### CAPUT VII. *P. 1. l. 1. c. 42.*

### De Clero & Capitulis Cathedralium Ecclesiarum per priora quinque Ecclesiæ sæcula.

*I. Nec Augustini Hipponensis, nec Eusebii Vercellensis exempla secutæ sunt pleræque orbis Ecclesiæ, nec Clerum suum communi vita adstrinxerunt.*

*II. Coalescebat tamen ex Presbyteris & Diaconis civitatis Episcopalis sacrum quoddam Collegium, à quo sub Episcopo & cum Episcopo regebatur Diœcesis.*

*III. IV. Testimonia Conciliorum & Pontificum.*

*V. Ii Romæ Romanis aderant Conciliis.*

*VI. Immo & Conciliis Universalibus.*

*VII. Is erat Senatus, id Episcopi Consilium in Ecclesia Græca & Latina. Probationes.*

*VIII. Quid distet antiquus ille Clerus ab hodiernis Capitulis.*

*IX. Præcellentia antiqui illius Cleri. Dominabatur Presbyteris rurum, Parochisque. Constabat partim Episcopis. Probationes.*

*X. Probationes novæ.*

*XI. Depositus Episcopus & dejectus ordine suo, in ordine Presbyterorum stare non poterat.*

*XII. Deprimere aliquando Presbyteros visa sunt Concilia, quòd iis ordo Episcopalis finitimus sit, & hinc discrimen.*

*XIII. Viduata Episcopo Ecclesia à Clero regebatur.*

*XIV. Eo quoque absente.*

*XV. Quo loco & honore apud Episcopum esse debeant Presbyteri Diaconique.*

I. PLures nactus est Eusebius admiratores approbatoresque, quàm imitatores apud posteros, in ea quam molitus est Cleri & Monastici ordinis conjunctione. Feliciùs cessit Augustino, qui Clericalem ordinem purum impermixtumque servavit, appictis ei tantùm quibusdam sanctimoniæ Monasticæ luminibus & ornamentis. Ipsemet enim addocuit nos, necnon & Possidius, mirum in modum illa per Africam Seminaria percrebuisse. Sed an alias etiam in Provincias pervaserit idem studium, non satis constat ex historia. Quin immo non possumus non suspicari, adeoque non ingemiscere, quòd Vandalorum statim inundatione & diutina infestatione tam præclara spes intercepta sit propagandæ latiùs diutiùsque purioris Ecclesiarum disciplinæ. Itaque non in Oriente tantùm, sed & in Occidente vitæ communis, Evangelicæ paupertatis, aliorumque perfectionis consiliorum lumen intra Monachorum septa Cœnobia circumscriptum fuit; unde & aliquæ interdum emicuerunt scintillæ in Clerum: non ut ex eo cœtus & conventus perfectionis sectatorum conflarentur, sed ut privati aliqui in ea studia exardescerent. De Monasteriis sancti Martini apud Turonas, & sancti Honorati apud Lerinem, dubitari non potest, quin ex iis uberrimis fontibus illa complurium Galliæ Episcoporum sanctimonia emanarit. Dicemus infrà ut temporibus Caroli Magni flagrare rursus cœperint Collegia Clericorum illa perfectionis cupidine.

II. At quanquam nulla esset communis vitæ societas inter Clericos Cathedralium Ecclesiarum per quinque priora ista sæcula, nec inter se solùm, nec cum Episcopo: coalescebant illi tamen in unum quoddam veluti corpus cum eo, & in partem sollicitudinis, atque in imperii sacri quandam societatem veniebant; inter se devinctissimi, Episcopo obsequentissimi, tantòque paratiores sacram in laicos explicare potestatem suam. Ergo Presbyteri Diaconique Civitatum Episcopalium, qui Clerus erat superior Diœceseos, & quem jam hinc donabimus Capituli nomine, quanquam illud eis posterius tantùm accesserit: Clerus hic, inquam, in unum corpus, in unum Senatum Consiliumque cum Episcopo coibat, cùm eoque principe & capite suo, Clericisque populisque Diœceseos omnibus moderabatur.

III. Concilio Niceno vetantur *Episcopi, Presbyteri & alii Clerici*, ne quas domi habeant fœminas quamlibet propinquas, quarum occasione homines suspiciosi aliquam eis illinant infamiam. Vetantur *Episcopi, Presbyteri, Diaconique* una ex Ecclesia in aliam migrare. Denique cùm cœpissent Diaconi in Presbyteros insolescere, monentur Ordinis sui meminisse, quòd *Ministri sint Episcoporum, & Presbyteris inferiores*, quanquam Clericis præsint aliis laicisque. Superior hic ergo Clerus erat Episcopo conjunctus, subjunctus, reliquo & Clero & populo præeminens, imperitansque; quod nunc quidem & jamdiu Capitulum vocamus. *Con. Nicæn. Can. 3. 15. 18.*

In Concilio Antiocheno tres Ordines isti superiores *præsidentes* vocantur: *Si quis eorum qui præsunt Ecclesiæ, aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, ἢ τῶν προεστώτων.* *Can. 5.* Ibidem vetantur Episcopi constituere Presbyteros & Diaconos in locis ad suam non spectantibus Diœcesin: Quòd Imperatorii sint quodammodo isti ordines, cæteri ut ita dicam administratorii. Unde non hos, sed illos in aliena Diœcesi conferre, id verò erat suo illam imperio subjugare. *Can. 22.*

Prohibet Sardicense Concilium ne statim Neophyti protrudantur ad summas dignitates, ad Episcopatum, Presbyteratum, Diaconatum, hoc est, ad Clerum illum, qui summus, qui princeps, qui regendæ Ecclesiæ aptus natus est. *Can. 13.*

In Concilio Valentino exauthorantur Episcopi, Presbyteri & Diaconi, qui de crimine quopiam convicti fuerint in ordinatione sua, vel inconsulta & temeraria humilitate confessi, conscientiam prodente lingua, & famam ita convulnerante, ut jam quisquis ejusmodi est, non possit in Clero censeri, qui clavum regit Diœceseos cum Episcopo.

In Concilio Oecumenico Ephesino plures extant Cyrilli Alexandrini Episcopi Epistolæ, scriptæ ad *Presbyteros & Diaconos*, id est, ad Clerum, sive Capitulum Alexandrinæ civitatis, *& ad populum*. *Conc. Ephes. Part. 1. c. 31. 34. & Act. 1.* Ipsa Ephesina Synodus scribit *Presbyteris Oeconomis, aliisque Clericis* Constantinopolitanis, ut eos Nestorii depositionis certiores faceret. *Act. 3.* Scribit & *ad Clerum populumque Constantinopolitanum*. Culpat Nestorium Cyrillus, quòd communione summoverit *Clerum Presbyterorum & Diaconorum*, qui ejus insaniarum promulgationi intercedebant. κλῆρον ἄχρι τῶν πρεσβυτέρων, καὶ λευιτῶν. *Epist. Cath. ibid.* Alia Sessione scribit hæc eadem Synodus *Compresbyteris, Condiaconis, omnique Clero & populo* Constantinopolitano. Alio rursus loco *ad Presbyteros & Diaconos Constantinopolitanos*, & ad Episcopos qui ibidem reperientur. Author est Epiphanius Marcionem venisse Romam sub Hygino Papa, conatumque per præstigias nescio quas illaqueare Presbyteros qui eam regebant Ecclesiam, & cum Apostolis versati fuerant. *Hæres. 42. n. 1. 2.* *Seniores adiens, qui ab Apostolorum discipulis edocti supererant adhuc, &c. Sanctissimi illi Dei Ecclesiæ Presbyteri & Doctores, &c.* Huc redeunt hæc omnia, ut Clerum fuisse intelligas quasi

Senatum urbis cujusque Episcopalis, ex Presbyteris Diaconisque, qui cum Episcopo adgubernaret Diœcesin, etiam pro eo, dum is abesset, vel vivere aut præesse desineret: quæ ipsissima est Capituli Cathedralis descriptio.

IV. Confixit Siricius Papa Jovinianum, novellamque ejus hæresin, in Synodo Presbyterorum & *Epist. 2.* Diaconorum, cui Presbyterio nomen erat: *Facto ergo Presbyterio, constitit Christianæ legi esse contraria, &c. Omnium nostrûm, tam Presbyterorum, quàm Diaconorum, quàm etiam totius Cleri una suscitata fuit sententia.* Hoc Papæ Decretum accepit Ambrosius, illudque in Synodo suæ Provinciæ Episcoporum confirmavit, unde & ad eum ita rescripsit: *Quos Sanctitas tua damnavit, scias apud nos quoque secundùm judicium tuum esse damnatos.* Depositionis sententiam contorsit Felix Papa in Pseudopontificem Antiochenum Petrum Cnapheum, eamque promulgavit suo & eorum nomine qui unà secum Apostolicum thronum regerent, hoc est, Presbyterorum & Dia-*Epist. 4.* conorum Ecclesiæ Romanæ. *Firma sit hæc tua depositio à me, & ab his qui unà mecum Apostolicum thronum regunt.* Suffragatur idem alibi Pontifex eminentiæ summæ Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, ut supremo Ecclesiasticarum Dignitatum fas-*Epist. 7.* tigio: *Ut ergo ab Ecclesiæ summitatibus inchoemus, quos Episcopos, Presbyteros vel Diaconos fuisse constiterit, &c.* Ex his splendet Capitulorum antiquitas dignitasque summa, hoc est, Collegii Presbyterorum & Diaconorum Episcopo adunatorum, in tractandis gubernaculis Ecclesiæ Cathedralis, immo & throni Romæ Apostolici. Eorum enim cum Episcopo unus erat Senatus, unum Consilium, unum Ecclesiæ totius regimen, cujus ab imperio Clerus populusque reliquus penderet.

V. Quod de Siricio & Felice attigimus, perspicuè demonstrat, Presbyteros Diaconosque Romanos Romanis Conciliis interesse solitos, cum Episcopis qui fortè tum Romæ reperiebantur, & unà cum Pontifice cognovisse de causis omnibus, quæ ad primariam principemque Ecclesiam toto ex orbe referebantur. Hæc erat & aliarum omnium forma Ecclesiarum, seu Metropolitanarum, seu Cathedralium; causæ omnes ibi, seu temporales, seu spiritales, Cleri superioris conspiratione & judicio terminabantur, hoc est, Presbyterorum & Diaconorum cum Episcopo. In Concilio Romano sub Hilaro Papa, ubi actum est de transferendo Episcopo ab Ecclesia Hispaniæ una ad alteram, præter Papam & Episcopos affuere Presbyteri Diaconique Ecclesiæ Romanæ, Presbyteri sedentes, Diaconi stantes: *Residentibus etiam universis Presbyteris, adstantibus quoque Diaconibus.* Applausus & acclamationes etiam ab Episcopis & Presbyteris fiebant, sive ad confirmandam Papæ sententiam, sive ad prosperam illi longævamque vitam imprecandam. *Ab universis Episcopis & Presbyteris acclamatum est, ut disciplina servetur, ut Canones custodiantur, rogamus. Hilaro vita, &c.* Non hic ejusmodi res tantùm tractabantur, quæ ad Diœcesin, sed etiam quæ ad Metropolin Romanam spectarent: & ad ejus tamen disceptationem ac judicium vocabantur Presbyteri, Diaconique Cleri Romani. Ut intelligas Clerum superiorem Metropolitani, Primatis, Patriarchæ, adeoque summi Pontificis, illum esse Senatum ad quem referantur causæ omnes quæ ad ipsum Præsulem perferuntur, quocumque se exporrigat ejus potestas. Concilio III. Romano sub Felice Papa III. Presbyteri omnes Romani subscribunt, nec siletur astantium Diaconorum præsentia. *Astantibus quoque Diaconibus.* Perinde est de Concilio II. Romano sub Gelasio. Applaudunt & acclamant similiter Presbyteri cum Diaconis. At compluribus in Romanis hisce Conciliis lites dirimebantur, aliis ex Provinciis, immo & à Patriarchatibus aliis ad Papam devolutæ, nec alibi primùm quàm in ejus Senatu seu Consistorio Presbyterorum & Diaconorum disceptandæ, quod olim Romæ *Presbyterium* dicebatur, nunc passim in Occidente Capitulum.

VI. Presbyteri & Diaconi Calchedonensi interfuere Concilio, Episcopi sui nomine & loco suffragium dicentes, & subscribentes. Leo ipse Pontifex vice sua miserat, qui præsiderent, Episcopos duos & Presbyterum Ecclesiæ Romanæ unum. Idem ipse paulò antè ad Concilium Ephesinum II. delegaverat Episcopum unum, Presbyterum unum, & Diaconum Hilarium, qui eo animi vigore & inexpugnabili constantia, quæ primariæ orbis Christiani Ecclesiæ ministrum deceret, intercessit nefariis Dioscori conatibus, unoque verbo, *Contradicitur*, totum frustratus est fregitque impetum Eutychianorum. Besula Concilio Ephesino I. affuerat nomen & vices gerens Episcopi Carthaginensis. Multi etiam Episcopi affuerunt alii, & subscripserunt, per Presbyteros quos miserant, Diaconosque Ecclesiarum suarum. Ibi & Philippus Presbyter unà cum duobus Episcopis vicem & majestatem sustinebat Sedis Apostolicæ, præeratque Concilio. Nemo nescit Concilio Nicæno & Sardicensi affuisse Presbyteros cum Episcopis, ac præfuisse Romani Pontificis nomine.

*Con. Calch. Act. 1. & 4.*
*Ibidem. Act. 5.*
*Act. 2.*

VII. Si Presbyteri autem Diaconique accersebantur ab Episcopis ad res Ecclesiæ gravissimas consultandas in Conciliis Provincialibus, adeoque & in Oecumenicis; quis ambiget eorum consilio & ministerio adgubernata fuisse negotia privatæ cujusque Diœceseos? Ideo & Carthaginensi IV. Concilio præceptum est, ut *Episcopus sine consensu Clericorum suorum Clericos non ordinet.* Item, *ut Episcopus nullius causam audiat absque præsentia Clericorum suorum: alioqui irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum sententia confirmetur.* *Can. 22.* *Can. 23.*

Docet nos Augustinus si posset Episcopus solus Clericos exauctorare, potuisse & Clericos ac Præpositos, seu Presbyteros Laicis fidelibus communione interdicere. *Quàm facilè de gradu Clericorum quisque ab Episcopo, vel de congregatione Laicorum, sive ab Episcopo, sive à Clero, vel quocumque præposito, cui est potestas, eximitur.* illud à Severo Sulpitio adnotatum est, à B. Martino Presbyteris demandatum fuisse examen & judicium causarum quarumcumque, ut posset ipse cælestium rerum contemplationi totum se immergere. *Cùm quidam in alio secretario Presbyteri sederent, vel salutationibus vacantes, vel audiendis negotiis occupati, Martinum verò usque in eam horam, qua solemnia populo agi consuetudo deposceret, sua solitudo cohibebat.* *Con. Parm. L. 3. c. 2.* *Dial. 2.*

Non hîc sonat vox ista *Capitulum*, sed res ipsa vociferatur. Erat enim vere Capitulum Episcopi cujusque & Ecclesiæ Cathedralis, Clerus ille, illi Presbyteri, Diaconique, qui cum Episcopo de rebus quibusque deliberabant, qui unà clavum regebant Ecclesiæ, qui causas & judicia nomine ejus agitabant, qui unà assidebant vel adstabant Synodis, qui ejus nomine & vice Conciliis particularibus aderant præerantque, nonnunquam & Generalibus. Non vocum sonus, sed sensus attendendus hîc est.

*Hieron. in c. 3. Isaiæ.* Rursum Hieronymus Capitulis Cathedralium Ecclesiarum suffragatur apertissimè, ubi ait, *Et nos habemus Senatum nostrum, cœtum Presbyterorum.* Et *Basil. Epist 319.* Basilius, cùm ait, ὃ συνέδριον τὸ πρεσβυτέριον τῶν κατ' ἐμὲ *L. 1. Ep. 18.* ἐστί. Nihil magnæ rei moliebatur Cyprianus in*L. 2. Ep. 7*consulto Capitulo suo, id est, Presbyterorum & *L. 4 Ep. 2* Diaconorum suorum cœtu. Cum Presbyteris, Diaconisque & Episcopis tractari vult causam lapsorum; *Deinde sic collatione consiliorum cum Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Confessoribus pariter astantibus laïcis facta, lapsorum tractare rationem.* Si adhibebantur ad hanc deliberationem Confessores, id erat singulare decus & privilegium, quod suo sibi cruore & victoria pepererant. Ab exordio ipso Episcopatûs sui hoc iniciat consilium Cyprianus, nihil ut adgrederetur rei, nisi Presbyterorum & Diaconorum suorum sententiam percunctatus. *L. 3 Ep. 10.* *Ad id verò quod scripserunt Compresbyteri nostri, solus rescribere nihil potui, cùm à primordio Episcopatûs mei statuerim nihil sine consilio vestro & sine consensu plebis mea privatim sententia gerere.* Ordinationes promotionesque ad eos referebat omnes, ut cum Presbyterum Confessoremque Numidicum in album retulit Presbyterorum, seu Canonicorum Carthaginensium, *L. 4 Ep 20.* sive Ecclesiæ Cathedralis. *Admonitos nos & instructos sciatis dignatione divina, ut Numidicus Presbyter ascribatur Presbyterorum Carthaginensium numero. & nobiscum sedeat in Clero, luce clarissima Confessionis illustris.* Etsi enim magna esset existimatio, magna dignitas Presbyterorum omnium, erat tamen longè major, illustriorque eorum, qui cum Episcopo Cathedrali Ecclesiæ affigebantur, unde tanquam ex specula universæ imminerent Diœcesi. Eo factum est, ut Numidicus Presbyter, forsan alicujus Ecclesiæ Parochus, in cœtum promoveretur Cathedralium Presbyterorum, eaque Confessionis ejus merces non indecora esset. Non injuria ergo Ignatius ad Trallianos scribebat, Presbyteros Consiliarios esse Episcopi, illi assidere, & in Senatûs Apostolici locum successisse. συμβούλους, καὶ συνεδρευτὰς τῷ ἐπισκόπῳ, οἳ τόπον συνεδρίου τῶν ἀποστόλων.

VIII. Ex his manifestè patet, primis his Ecclesiæ adolescentis temporibus, Clerum superiorem cujusque Civitatis in Consilium & quasi Senatum Episcopi coaluisse, & tum spiritalem, tum etiam temporalem administrationem Ecclesiæ capessivisse. Ea tum Capitulorum primigenia natura, ea erant officia. Communi non utebantur domo, nec mensa, uti nec nunc: sed in communi possidebant res omnes Ecclesiæ, quarum partes singulis distribuebantur ejusmodi, quæ cujusque necessitati, ordini, & labori consentirent. Inter se verò devinctissimi erant & Episcopo Clerici majores hi omnes eo nexu, qui necessarius erat, ut de temporali spiritalique administratione eis conveniret.

Præcipua autem antiquissimi illius Cleri, & hodiernorum Capitulorum discrimina erant istiusmodi. 1. Non constabat Clerus ille nisi Presbyteris & Diaconis. 2. Presbyteri & Diaconi hi, Parochi ipsi erant & Pastores omnium Civitatis Ecclesiarum; aut si necdum essent divulsæ à Cathedrali Parochiæ, in ea ipsi Parochorum munia omnia implebant. 3. Ipsa sua ordinatione hunc gradum & hanc dignitatem consequebantur. Nam Presbyteratus & Diaconatus, peræquè ac Episcopatus, Beneficia erant, non Ordines tantùm: & id genus erant Beneficia, quibus incumberet salutis animarum cura, pro suo certè modo. 4. Clerus etiam nunc Romanæ Ecclesiæ formam præ se fert splendidissimam expressissimamque ejus Cleri, qui olim singulis in Cathedralibus Ecclesiis Episcopo copulabatur. Constat enim Romani Pontificis Clerus Presbyteris, Diaconisque Cardinalibus, seu Titularibus Ecclesiarum omnium Romæ Parochialium Parochis, cum Pontifice & sub Pontifice conspirantibus & collaborantibus Romano in Consistorio, de negotiis omnibus, quæ ex Pontificia spiritali ditione, ex universo, inquam, Christiano orbe Romam referuntur.

Author est Socrates post obitum Attici Constantinopolitani Episcopi Presbyteros Philippum & Proclum studiis nobilium subnixos quidem illos fuisse & suffragiis: sed Sisinnium, qui Presbyter erat, seu Parochus Ecclesiæ in Suburbio sitæ, quò populus quotannis pergebat ad Ascensionis Dominicæ celebrationem; populi favore primas tulisse, atque in Episcopale conscendisse fastigium orbis Regiæ. Ex quo patet, Parochos Civitatis Clero Episcopali accensos fuisse, Presbyterisque Cathedralibus suas fuisse Ecclesias in civitate, quarum Parochi essent, tam Constantinopoli, quàm Romæ. *Sisinnius Presbyter non in ulla Ecclesia intra ur-* *Socr. l. 7.* *bem ordinatus, sed in suburbio.* Hilarius in primam *c. 26.* Pauli Epistolam ad Timotheum, in unaquaque Civitate esse debere ait Episcopum, septem Diaconos, & Presbyteros eo numero, ut duo possint ad quamlibet Ecclesiam delegari. *Septem Diaconos, aliquantos Presbyteros, ut bini sint per Ecclesias.* Augustinus Valerii Episcopi Hipponensis unus primò fuit Presbyter. Factus autem Episcopus novem in Clero suo Presbyteros habuit, præter Diaconos.

IX. Hinc elucet Presbyteros, Diaconosque Civitatis Episcopalis eminuisse ac præfuisse Presbyteris Diaconisque ruris, id est, agrestibus Parochiæ. Ideo & Presbyteros agrestes vetat Concilium Neo- *Can. 13.* cæsareense in Cathedrali Ecclesia rem divinam facere, si Episcopus, vel si quis adsit Presbyterorum Urbis: si absint hi omnes, tunc eorum vicem illi supplebunt.

Addam & illud singulare Cleri urbani decus, inscriptos ibi sæpiùs fuisse Episcopos, variis & inopinis eventibus; & verò de ejus Collegii societate gratulatos sibi ipsos esse, ut ex quo & ipsi ad Episcopatum vocati essent, & in quo Episcopalis amplitudinis & potestatis non mediocris portio ad singulos refunderetur. Ancyrana Synodus sanxerat, *Can. 18.* ut Episcopi, qui in eas civitates Ecclesiasque ad quas ordinati fuerant, non potuissent aditum sibi patefacere; in eas Presbyterorum societates, τὸ πρεσβυτέριον, è quibus ad Episcopales infulas accersiti fuerant, regrederentur, Episcopalibusque honoribus fruerentur, & ornamentis, dum ab Episcopi Diœcesani conjunctione & obedientia non recederent. Sanxerat & Nicæna Synodus, ut Episcopi qui ex partibus Novati ad Ecclesiam Catholicam se conferrent, ordine & gradu, ac potestate pristina potirentur, si modò nullus esset ejusdem urbis Catholicus Episcopus: si esset autem, tunc sederent inter Presbyteros illius Ecclesiæ, in potestate autem esset Episcopi Catholici, honores ut eis & insignia Episcopatûs utenda concederet. Sanxe- *Can 8.* rat denique Antiochena Synodus, ut honoris & functionum Episcopatûs, τῆς τιμῆς, καὶ τῆς λειτουργίας *Can. 18* compotes essent, qui insuperabili quopiam obice prohiberentur adire & regere Episcopatus sibi demandatos. Erant igitur in Episcopalis Cleri, seu Capituli Collegio Episcopi non rarò, nec pauci: ut minùs mirum sit, si Metropolitano Clero adgregarent se Episcopi Provinciæ, cùm in urbem Metro-

politanam veniebant, & in idem Presbyterium, seu Consistorium, in easdemque Synodos convenirent.

X. Nec illæ duæ tantùm erant causæ, quæ Episcopos Clero Cathedrali adjungerent: adire non potuisse urbem & Ecclesiam sibi assignatam: & Catholicum alium jam Episcopum ejusdem urbis esse: suppetit & tertia, quæ singularem prorsus redoleat pietatem. Ordinabantur quandoque inviti & repugnantes Episcopi; molliebatur persæpè voluntas eorum, & assentiebantur tandem sarcinæ per vim ingestæ. Erant & qui indeflexo animo perstarent, & indomita quadam animi dejectione & humilitate pervincerent, ne sibi obedientiæ inexorabilis lex incuteretur. Ita nomine & honore Episcopatûs frui permittebantur in Collegio Presbyterorum. Ejusmodi fuit Eustathius Metropolitanus Pamphyliæ, cui Ephesina Synodus ea concessit cum otio ornamenta. Act. 7. *Sed quia adversùs ejus animum à rebus gerendis alienum non admodum decertare oportuit, sed misereri potius senem, &c. justum rectumque definimus, ut nomen retineat Episcopi, & honorem & communionem: τό τε τῆς ἐπισκοπῆς ὄνομα, καὶ τὴν τιμὴν καὶ τὴν κοινωνίαν.* Jam monuimus ea voce τιμῆς designari emolumenta omnia temporalia, quæ tum non aliud quàm largiores erant distributiones. Denique hoc Concilio non prohibetur Eustathius, nisi ordinare & sacram rem facere *propria authoritate: μὴ χειροτονεῖν, μήτε ἱερουργεῖν ἐξ ἰδίας αὐθεντίας.* Assensio quippe & authoritas Episcopi, ut ita dicam, Cardinalis ad hanc geminam functionem desiderabatur.

XI. Non possumus in hanc eos referre classem Episcopos, quos sua dejecerant sede crimina. Nec enim ea videbatur Presbyteratûs sanctitas, ut eo ordine digni censerentur, qui indigni censebantur Episcopali. Itaque cùm Eustathius Berytensis Episcopus in ordinem redegisset Presbyterorum, eos quos gradu Episcopatûs moverat, à Photio Tyri Metropolita antè ordinatos Episcopos; Pontificis Romani Legati cum Concilio Calchedonensi hoc rescidêre judicium, & in leges Ecclesiæ commissum esse pronunciavere; quippe sacrilegum esse, *ἱεροσυλίαν*, Episcopum criminis ergò deponere, & Act. 4. Presbyteratûs functiones ei permittere, quæ à criminosis perfici, aut vel delibari nunquam debeant. Can. 29 Canon hinc ibi ille editus & promulgatus est. *Episcopum in Presbyteri gradum deducere, sacrilegium est.* Non de his Episcopis depositis intelligi debet, quod Ephesinæ Synodi Catholici Episcopi dicebant de pluribus Episcopis partium Nestorianarum, Episcopos esse solo nomine, & sine Episcopatibus. Act. 4. *Ne civitates quidem obtinent, & solo nomine sunt Episcopi.* Apertè enim sejunguntur ab his qui fuerant abdicati. Probabiliùs ergo dicentur ex iis fuisse Episcopis, quos triplici de causa suprà diximus in sortem & locum Presbyterorum revocari.

XII. Iis porro cùm cumularetur Cathedralis Clerus honoribus: cùm ejus ex gremio sæpissimè deligerentur Episcopi; cùm tot in ejus gremium rursus revolarent Episcopi; cúmque ad societatem consiliorum & totius Ecclesiastici regiminis ab Episcopo vocaretur: hinc subrepebat nonnunquam minùs modestis, ut inflarentur, & minùs obsequentes suo se præberent Episcopo. Inde tot Conciliorum Canones, quibus vetantur Presbyteri, nisi consentiente Episcopo tentare quidquam. Hi Canones si æquos nanciscantur interpretes, Presbyteros non deprimunt, sed extollunt. Argumento enim sunt, permultas Episcopalis potestatis functiones Presbyteris quoque congruere potuisse, si modò imperio Episcopi supra Presbyteros consultum esset. Concilium Arelatense ita jubet: *ut Presbyteri sine conscientia Episcoporum nihil faciant.* Can. 19. Innumeri sunt id genus Apost. c. 38. Canones. Laodi c. 57.

XIII. Migrante è terris Episcopo, Diœcesin universam administrabat Clerus Ecclesiæ Cathedralis, tractandis his sacris habenis superstite Episcopo jam edoctus & insuefactus. Abundè patuit quàm Epist. 5. verè Clero Romano incumberet Romanæ Ecclesiæ apud Cypr. regimen vacante Sede, cum ad Clerum Carthaginensem scripsit in hunc modum: *Et cùm incumbat nobis, qui videmur præpositi esse, & vice Patris custodire gregem; si negligentes inveniamur, dicetur nobis, quod & antecessoribus nostris dictum est, qui tam negligentes Præpositi erant, quoniam perditum non requisivimus, & errantem non correximus, &c.* Et alia rursus Epistola: *Omnes enim nos decet pro corpore totius Ec-* Epist. 29. *clesiæ, cujus per varias quasque Provincias membra digesta sunt, excubare.*

Duo hîc animadverti quàm æquum, tam necessarium est: 1. Cùm excedente è vivis Episcopo, vel superstite etiam, sed absente, necesse sit Ecclesiam à Clero administrari: necesse non minùs esse, ut eam artem difficillimam addiscat, Ecclesiamque cum Episcopo superstite regat, & regendo assuescat regere. 2. Id non ad Episcopales tantùm, sed ad Metropolitanas & ad Patriarchales Ecclesias pertinere, atque adeo ad Romanam, cujus sacræ ditioni subest quidquid Christiani nominis usquam est. Clerus enim Romanus hic scribit, ut sarcinam gestans & sollicitudinem omnium Ecclesiarum; nec ab ea sententia recedit Cyprianus in suis ad eum responsis.

Fatendum nihilominus est, viduatæ Ecclesiæ Clerum id moris habuisse, ut majora quæque negotia futuro Episcopo intacta servarentur. Ita Clerus ipse Romanus: *Quanquam nobis differenda hujus rei ma-* Epist. 31. *jor necessitas incumbat, quibus post excessum Fabiani nullus est Episcopus propter rerum & temporum difficultates constitutus.* Et infrà: *Ante constitutionem Episcopi nihil innovandum putavimus, ut interim dum Episcopus dari à Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum causa teneatur, qui moras possunt dilatione sustinere.*

XIV. Discedentes ab Ecclesiis suis Episcopi, nullos potestatis limites Clero suo delineabant. Sed Canones, mores, legesque modestiæ multa Episcopis reservabant. Antiochenis Presbyteris in hæc verba Ignatius scribebat. *Presbyteri pascite eum qui in vobis, gregem; usquequo ostendat Deus eum, qui vobis principabitur.* Cyprianus Presbyteros Diaconosque suos ita compellabat: *Officium meum vestra diligen-* L. 3. Ep 6. *tia præsentet, & faciat omnia quæ fieri oportet circa eos,* 10. *&c.* Et alia Epistola: *Hortor & mando ut vos vice mea fungamini circa ea gerenda quæ administratio religiosa deposcit.* His aliisque Cypriani Epistolis palam est, cùm non raro abesse ab Ecclesia sua Episcopus cogeretur, regimen devolvi solitum fuisse ad Clerum universum, nullo specialiter designato Vicario Episcopi absentis. Epistolæ Cyrilli, immo & totius Ephesini Concilii, scriptæ ad Presbyteros, Oeconomos, aliosque Clericos Ecclesiæ Constantinopolitanæ super depositione Nestorii: Eæ, inquam, Epistolæ hoc ipsum evincunt, non Vicarios, non selectos quospiam, sed ipsum Cleri universi Collegium in curam & regimen totius Ecclesiæ successisse. Cùm autem indubium id sit post obitum Episcopi, possent fortassis rata aliqua exculpi alicunde exempla Vicarii in absentis Episcopi locum subro-

L. 1. Ep. 4. gati. Scripsit Cyprianus Presbytero, qui Legionensem & Asturicensem, itemque Diacono qui Emeritensem regebant Episcopatus per absentiam Episcoporum. Testatur tamen Hilarius, in eo quem Constantio Imperatori obtulit Libello, suam se Ecclesiam, dum exularet, adgubernasse per Presbyteros suos. *Licèt in exilio permanens, & Ecclesiæ adhuc per Presbyteros meos communionem distribuens.*

XV. Ideo & Ambrosius Episcopos admonebat omnes, Clericos ut suos, maximè verò Diaconos, tanti facerent quanti corporis sui membra: & eo illos animo, ea charitate aptissimis quosque ministeriis admoverent. Offic. l. 2. c. 27. *Episcopus ut membris suis utatur Clericis, & maximè ministris, qui sunt verè filii: quem cuique viderit aptum muneri, ei deputet.* Addit & alibi idem sanctissimus Pater, Episcopum Presbyteros, immo & Diaconos ea verecundia spectare & tractare debere, qua parentes; & gratanter ferre, si illi ingentem sui existimationem bonis artibus, jejuniis & virtutum exercitiis excitarint in animis Laïcorum: quòd ea laus ipsa in Ecclesiæ Pastorem Ibid. c. 24. reflectatur. *Sed & Sacerdotem convenit Presbytero vel Ministro deferre, ut parenti, &c. Neque offendi Sacerdotem, si aut Presbyter, aut Minister, aut quisquam de Clero, aut misericordia, aut jejunio, aut integritate, aut doctrina, aut lectione existimationem accumulet suam. Gratia enim Ecclesiæ, laus Doctoris est.* Eo sapientiæ modestiæque gustu scribebat olim Augustinus, Episcoparum præcellere quidem Ordini ipsi Presbyterorum, sed multis tamen nominibus superiorem esse Presbyterum Hieronymum Episcopo Augusti-

Epist. 19. no. *Quanquam secundùm honorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, Episcopatus Presbyterio major sit, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est.* Expressit & ipse Hieronymus luculenter, quibus ultro citroque certare debeant officiis Episcopi Epist. ad Nepot. Clericique inferiores: *Episcopi Sacerdotes se esse noverint, non dominos: honorent Clericos, quasi Clericos, ut & ipsis à Clericis, quasi Episcopis honor deferatur. Scitum illud est Oratoris Domitii. Cur ego te, inquit, habeam ut principem, cùm tu me non habeas ut Senatorem.* Subjicit denique Episcopum & Presbyteros in unam sacerdotalem familiam, in unum coalescere sacerdotium, & mutuis revinctos esse officiis, ut Aaronem & filios ejus. *Quod Aaron & filios ejus, hoc Episcopum & Presbyteros esse noverimus. Unus Dominus, unum Templum, unum sit etiam ministerium.* Pulcherrima hæc est forma Capituli cum vertice suo, seu cum Episcopo in individuam unitatem revincti. Nec minùs venustè illa emicat in Concilio Carthaginensi IV. sicute Cathedram Episcopi in Ecclesia supra cathedras Presbyterorum assurgere; sed domi Presbyteros omnes Collegas haberi debeCan. 35. re ab Episcopo. *Ut Episcopus in Ecclesia & in consessu Presbyterorum sublimior sedeat; intra domum verò Collegam se Presbyterorum esse cognoscat.* Dicetur inferiùs suo loco, quando cœperint Episcopalibus Ecclesiis vacantibus, aliquando Presbyteri, sæpiùs Episcopi intercessores, interventores, seu visitatores dari, dum Episcopus crearetur.



## CAPUT VIII. *P. 2. l. 1. c. 31.*

### De Capitulis Ecclesiarum Cathedralium à Clodovæo ad Carolum Magnum, sive sæculo VI. VII. & VIII.

*I. Seminariorum, Monasteriorumque cum Capitulis affinitas.*

*II. Seminaria complura, de quibus verba fecimus, Capitula ipsa erant Cathedralium Ecclesiarum.*

*III. IV. V. Multa præcipiunt Concilia Gallicana de Capitulis. Parochi & Beneficiarii simplices, quodam societatis nexu inter cohærebant. Unde Canonicorum nomen. Prædia ipsa Ecclesiarum ad usumfructum Canonicis concedebantur.*

*VI. VII. VIII. Parochiæ & Abbatiæ illis committebantur. Quid Matricula, quid Canon. Presbyteri cum Episcopis causas tractabant.*

*IX. In Hispania Presbyteris & Diaconis constant Capitula; quibus etiam id juris est, ut Conciliis intersint.*

*X. Parochi ad Ecclesiam Cathedralem ita transferuntur, ut priores Parochiæ suæ Primitivi sint adhuc Parochi. Cur Canonici Cathedrales Parochi semper extiterant.*

*XI. In Italia similiter Presbyteri, Diaconique constabant Capitula, adorant Concilia, Consilium & Senatus erant Episcopi, ex eorum Collegio plerique Episcopi adsciscebantur.*

*XII. Resplendet in sacro Cardinalium Collegio priscorum Capitulorum forma antiquissima.*

*XIII. De Capitulo majoris Ecclesiæ Constantinopolitanæ, de Canonicorum ibi numero, & cujusque Clericorum Ordinis definito à Justiniano. Hi Canonici vice quisque sua sacra celebrabant in omnibus Urbanis Ecclesiis.*

*XIV. Alia Orientis Capitula. Nonnulli Diaconatui insenescebant.*

*XV. De Diaconorum numero.*

*XVI. Statuta alia de numero Cleri Ecclesiæ Constantinopolitanæ.*

*XVII. Erant Romæ Congregationes Monasticæ, juxta majores Ecclesias, quæ in eis noctu & interdiu divina Officia celebrarent.*

I. CAthedralium Ecclesiarum Capitula usque adeo quondam Seminariis innexa fuere Clericorum, vel Seminaria Capitulis, addi posset, & utrisque Monasteria, ut difficillimè possint ea divelli, ubi paulò diligentiùs pertractantur. Minùs ergo mirum accidet, si quando hæc alia aliis implicemus, quæ suapte sponte implicatissima sunt.

II. Si ablegatis præjudiciis pensitentur quæ de Seminariis suprà disseruimus, liquebit ea tum vera fuisse Capitula, & Collegia ipsa Cleri Cathedralium Ecclesiarum. Ejusmodi erant & Augustini, & Possidii, & aliorum Africanorum Episcoporum Seminaria. Ecquis enim alius in his tum Cathedralibus Ecclesiis Clerus? Cum rursus Concilium Toletanum IV. jubet ut Presbyteri Diaconique communis cum Episcopo vitæ nexu vinciantur, exceptis iis tantummodo, quos ætas ingravescens, vel valetudo vacillans, legitimè hac lege & necessitate absolvet: & cum juniores Clericos omnes una proximiore domo adgregat sub unius Præpositi censura: quid loci superest alii præterea, vel Clero, vel Capitulo? Cum præcipit rursus Concilium Turonense II. ut Episcopus domi suæ habeat conjunctissimos sibi Presbyteros, Diaconos, Clericosque suos omnes, abactis inde fœminis omnibus: nonne hæc & Capituli, & Seminarii & Cleri species pulcherrima est? Quis enim alium præterea sibi Clerum in ea urbe finxerit? Nonne Gregorius Turonensis disertè Canonicos vocat? *Mensa Canonicorum?* Nonne hæc etiam est mensa & vita communis?

Certè nec Decanos ille ibi, nec Præpositos commemorat, nec dignitates alias, sed Presbyteros tantùm, Diaconosque & Clericos. Sed ea erat tunc

Capitulorum forma. Præpositum vidimus, Collegio juniorum Clericorum imperitantem. Archicantorem alibi adverteramus. De Archipresbyteris & Archidiaconis suo diximus suprà loco. Hæ tum Dignitates, sive potiùs Officia & Administrationes erant Capitulorum. Sed quid vel optari potest manifestius illo Augustini Anglorum Apostoli exemplo, qui ex Decreto Gregorii Papæ suum domi suæ torum habuit Clerum, communis secum vitæ sectatorem, quem & Capitulum dicere possis & Seminarium. Eodem quoque spectant quæ de Fulgentio dicta sunt, eadem illi erant & Capitula, & Seminaria, & Monasteria. Ita enim ille Clericos Monachis adunavit in Sardinia, exilio suo illustrior. Sed inde conjici potest de Cleri ejus disciplina, postquam victor in Africam reversus est. Et ne conjecturis utamur, ubi minimè opus est, author ipse vitæ ejus testatur, Hildericum Vandalico primum Imperio potitum post parentis obitum, regni sui initia humanitate & indulgentia illustrasse, exulantes restituisse suis Ecclesiis Episcopos: tumque Fulgentium ita Clerum & Monachos implicuisse, & conseruisse sibi mutuò, ut in Clericorum loca vacua
Cap. 29. Monachos sufficeret. *Clericorum verò si qua defuerunt Ministeria reparans, probatos sibi multos ex fratribus Monachis ad Ecclesiasticam militiam transtulit, ibi quoque charitati consulens, ut dum pene omnes Clericos ex illo Monasterio ordinat, antiqua familiaritatis monente notitia, nulla lis aliquando Monachos & Clericos ventilaret.*

III. Verùm extrinsecus videntur fuisse hæc sive Capitula, sive Seminaria, ubi vita communis institueretur. In Gallia primus omnium sanctus Rigobertus Archiepiscopus Remensis vitam communem Clero suo indixisse fertur. *Primus fertur commune eis instituisse ærarium.* Verba sunt ipsa Scriptoris vitæ ejus apud Bollandum. Sed post annum demum septingentesimum id contigit. Concilium Agathense tum Presbyteros, tum Clericos civitatenses, seu Episcopalis civitatis ab aliis discriminat, qui ruris Ecclesiis addicti essent. Nimirum civitatenses iidem erant qui Canonici & Capitulum Ecclesiæ Cathe-
Can. 22. dralis. *Civitatenses, sive Diœcesani Presbyteri vel Clerici.* Non in Africa enim sola, sed & alibi Diœceses vocabantur agrestes Parochiæ. Unde suspicor & totam Episcopi Diœcesin dictam esse postea, quæ priùs & à Græcis & à Latinis Parochia dicebatur. Eadem distinctione utitur Concilium Vasionense II. civitatensium & rusticanorum Presbyterorum, dum
Can. 5. utrisque potestatem facit concionandi. *Ut non solum in civitatibus, sed etiam in omnibus Parochiis verbum faciendi daremus Presbyteris potestatem.* Eos quoque secernit Concilium Arvernum, Canonicosque eos
Can. 15. omnes nuncupat, sicut & Diaconos: *Si quis ex Presbyteris aut Diaconis qui neque in civitate, neque in Parochiis Canonicus esse dignoscitur, sed in villulis habitans, in Oratoriis officio sancto deservient, &c.* Quo certè Canone Beneficiarii simplices, nempe privatorum Oratoriis addicti, non Parochiis, non Civitatis Ecclesiæ; qui enim his alligantur, Canonici hîc dicuntur: Beneficiarii, inquam, illi simplices præcipiuntur solenniores Festos dies agere cum Episcopo in Ecclesia Cathedrali. *Præcipuas solemnitates nullatenus alibi, nisi cum Episcopo suo in civitate teneas.* Hinc tria quædam eruuntur, 1. Parochos, Presbyteros & Diaconos Parochiarum agrestium Canonicos vocari: *In Parochiis Canonicus.* 2. Ubi essent Parochiæ in civitate, earum Presbyteros à civitatensibus, seu à Canonicis Capituli Episcopalis non distingui, ideoque & Capitulo inseri. 3. Quin & Beneficiarii simplices suo & ipsi quodam modo illigabantur Clero & Capitulo Cathedrali, cùm ei Festis diebus adgregarentur.

IV. Aurelianensi Concilio III. nomine, & honore, & gradu & sportularum jure exuuntur ex *Canonicis* illi, qui vel Episcopo morem gerere, vel Ecclesiæ suæ ministeria desponsa præstare recusarint. *Inter reliquos Canonicos Clericos, ne hac licentia* Can. 11.
*alii vitientur, nullatenus habeantur, neque ex rebus Ecclesiasticis, cum Canonicis stipendia aut munera ulla percipiant.* Itaque Canonici habebantur, qui stipendiorum Ecclesiæ participes erant, ideoque inscribebantur *Canoni*, seu Matriculæ Ecclesiæ. Id verò de iis dici non poterat, qui Oratoriis Magnatum addicebantur, à quibus sustentabantur; & unde nisi festis solennioribus non recedebant, cùm & ipsos, & Magnates ipsos necesse esset eos dies cum Episcopo agere in Ecclesia Cathedrali.

V. Ex eodem autem Concilio perspicuum est, Clericos, seu Canonicos Ecclesiæ Cathedralis Episcopis curæ potissimum fuisse, illos beneficiis cumulari, illos agris & prædiis Ecclesiæ quibusdam singulos donari solitos, quorum usufructu gauderent, ita tamen ut in potestate esset Episcopi, vel agros alios aliis permutare ejusdem pretii; vel omnino eos auferre, si contumaciùs in eum ferocirent. *Si quid à Clericis, de decedentium Sacerdotum* Can. 17.
*munificentiis habetur, vel possidetur, deinceps à successoribus nullatenus auferatur, ita ut qui decessorum largitatibus gaudent, officia Ecclesiæ, obedientiam & affectum Sacerdotibus præbeant, &c. Si Episcopo placuerit commutare, sine accipientis dispendio in locis aliis commutetur.* Hæc prima nimirum jaciebantur Præbendarum fundamenta in Ecclesiis Cathedralibus, arbitraria Episcopi largitate; quæ à successore utique revocari non posset, nisi æqua permutatione, aut canonico judicio in Canonicum contumaciorem. *Si contumacia accipientis extiterit, erit in arbitrio præsidentis, utrum vel qualiter debeat revocari.* At Concilium Aurelianense V. vetuit, ut quandiu vacaret Episcopalis sedes, *Nullus aut in Civitate, aut per Parochias Clericos ordinare præsumat.* Quod perinde est, ac si vetaretur Capitulum ad quod devolvitur administratio vacantis Episcopatus, vel Ordines, vel Beneficia ulla conferre, sed uni rei incumbere ut propediem eligeretur Episcopus, qui hæc sibi propria obiret munera. Ejusmodi viget etiamnunc disciplina, saltem primo, quo orbata luget Ecclesia, anno.

VI. Canonicos plerumque suos donabant Episcopi Parochiis, Abbatiis, & Beneficiis quibuscumque aliis, tum in Urbe, tum ruri; addita etiam facultate fruendi aliqua parte redituum Ecclesiæ Cathedralis, si tenuiores essent proventus Beneficii recens iis collati. Cavesis autem, ne dum Abbatias audis Canonico ab Episcopis collatas, in mentem veniat Abbatum Commendatariorum, exclusis Regularibus. Erat enim Claustralis semper Abbas, vel Abbatissa; sed administratio exterior Monasterii Canonico commendabatur ab Episcopis, & ad eum nonnihil redibat stipendii, tanquam ad Administratorem, vel Vicarium ab Episcopo præstitutum. Quanquam autem mera hæc esset administratio, erat tamen in Titulorum & Beneficiorum numero, quòd qui ea semel essent honestati, non possent citra judicii formam solo Episcopi nutu amoveri, ut infrà declarabitur. *De his verò Clericorum* Ibid. c. 18.
*personis, quæ de Civitatensis Ecclesiæ officio Monaste-*

*ria, Diœceses, vel Basilicas, in quibuscumque locis positas, id est, sive in territoriis sive in ipsis civitatibus, suscipiunt ordinandas: in potestate sit Episcopi, si de eo quod antè de Ecclesiastico munere habebant, aut aliquid, aut nihil exinde habere voluerit. Quia unicuique facultas suscepti Monasterii, Diœcesis, vel Basilica, debet plena ratione sufficere.*

VII. Privilegiis & immunitatibus Cleri omnibus gaudere jubet Concilium Aurelianense IV. Clericos omnes, *Quorum nomina in Matricula Ecclesiæ teneantur inscripta.* (Can. 13.) Expungebantur ex ea Matricula eorum nomina, quorum nulla tum resipiscentiæ spes superesse videretur: & rursus eadem ipsa inscribebantur; si ad meliorem illi se frugem contulissent. Ita enim Agathense Concilium. *Cum eos pœnitentia correxerit, rescripti in Matricula gradum suum dignitatemque recipiant.* (Can. 2.) Eo porro Matriculæ vocabulo, præter album, seu Catalogum Canonicorum, significabatur etiam ipsum ærarium Ecclesiæ, seu fundi & reditus ejus omnes, quorum participes erant omnes, qui ei Catalogo inscribebantur. Ita perspicuè sonat in Synodo Autisiodorensi: *Quicumque votum habuerit, in Ecclesia vigilet, & Matricula ipsum votum, aut pauperibus reddat.* (Can. 3.) In Concilio Turonensi *Canon* appellatur Liber Officiorum Ecclesiæ: sed nemo nescit ita appellari quoque solitum Catalogum Clericorum, qui & Matricula dicebatur. (Can. 23.) Erat autem castrensis ea vox *Canonis*, & Scriptoribus Historiæ Augustæ usitatissima, qua annona militum, & ipse Catalogus designabatur militum, ad quos ejus annonæ justa portio redibat.

VIII. Non sinit Turonense II. Concilium abdicari Archipresbyterum, nisi consilio judicioque cæterorum Presbyterorum. *Sine omnium suorum Compresbyterorum consilio.* (Can. 7.) Hic porro cœtus, seu Consilium Presbyterorum, qui de Principe suo, seu de Archipresbytero judices sessuri sunt cum Episcopo, Capitulum omnino est Ecclesiæ Cathedralis. Æquum non erat, ut de Archipresbytero Diaconi, cæterique inferiores Clerici judicium ferrent. Enucleatus jam à nobis est Canon hujus Concilii, qui Clericos omnes in ædes Episcopi adgregat, communem cum eo mensam, victum, vitamque omnem instituturos, velut in Seminario Clericorum. Canonicorum nomine donantur in hoc eodem Concilio Clerici Minores Lectoresque, qui ruri cum Archipresbytero degebant. *Unus Lector Canonicorum suorum.* (Can. 19.) Perpetuus Episcopus Turonensis testamentum suum inscripsit, *Presbyteris, Diaconibus & Clericis Ecclesiæ* suæ. (Spicil. to. 5. Pag. 125.) Etsi enim ad causas Ecclesiæ tractandas non accerserentur ab Episcopo, nisi Presbyteri, & Diaconi, aliquando Presbyteri soli: unde & ii præsertim Cleri, Capituli & Canonicorum nomine & gloria decorabantur: & Clero tamen & Canonicis suo modo accensebantur etiam Clerici minores, quòd etiam in Matriculam referrentur, Ecclesiæ redditibus pascendi.

Verùm nihil elegantius occurrit, hoc seu Cleri, seu Capituli Parisiensis Encomio, quod à Fortunato Pictaviensi Episcopo lucubratum est: ita enim ille de Episcopo, de Presbyteris, de Diaconis illius Ecclesiæ, qui in unum veluti Capituli splendidissimi corpus compaginati erant. *Celsa Parisiaci Cleri reverentia pollent, Ecclesiæ genius, gloria, munus, honor. Carmine Davidico divina poëmata pangens Cursibus assiduis dulce revolvit opus. Inde Sacerdotes, Leviticus hinc micat ordo, illos canities, hos stola pulchra tegit. In medio Germanus adest Antistes honore, &c.*

IX. In Hispania Concilium Braccharense I. in Ecclesia Metropolitana ejus civitatis confluxit. *Considentibus simul Episcopis, præsentibus quoque Presbyteris, astantibusque Ministris, vel universo Clero.* Vides adesse urbanum Clerum Concilio Provinciali. Sed Concilio tamen Toletano VI. coërcita est multitudo illa Cleri inferioris, quin & selecti tantùm ex Presbyteris Diaconisque affuere, utque posthac adessent Conciliis jussi sunt, quos nimirum eximia quædam vitæ sanctitas ac peritia commendaret. *Post ingressum omnium Episcoporum, atque consessum, vocentur deinde Presbyteri, quos causa probaverit introire. Post hos ingrediantur Diaconi probabiles, quos ordo poposcerit interesse, & corona facta de sedibus Episcoporum, Presbyteri à tergo eorum resideant, Diacones in conspectu Episcoporum stent.* (Can. 4.) In Conciliis splendet repræsentatio quædam Ecclesiæ universalis, ita & in Capitulis particularis cujusque Ecclesiæ repræsentatio inest. Utrobique, nimirum & in universali, & in particulari qualibet Ecclesia, in Conciliis, & in Capitulis præsident & præfulgent Episcopi, Presbyteri, Diaconique. Nec mirum accidere poterat, in Consilium Episcopi, seu in Capitulum, quod Presbyterium olim dicebatur, advocari Diaconos, cùm & in Concilia Generalia admitterentur, ubi leges universæ Ecclesiæ condebantur. Unde non possum non inanditæ imputare novitati, quòd prohibitum est ab Emeritensi Concilio, ne Diaconi delegari possent, ni vice & loco Episcoporum in Conciliis Provincialibus sederent. Non possum adduci, ut huic Canoni obtemperatum fuisse usquam putem. (Can. 5.) Fuerant jam pridem, fueruntque deinceps Diaconi, veluti Vicarii Generales Episcoporum. Citra controversiam ergo potuere eorum vices exercere in Conciliis. Quod verò prohibent Canones, ne in consessu Presbyterorum sedeant Diaconi; ad Diaconos id restringendum est proprio loco & ordine suo sedentes, non ad eos autem, ubi locum tenent Episcopi sui. Quàm alienum enim fuerit à similitudine veri, ut non sederent in Conciliis Oecumenicis Diaconi Ecclesiæ Romanæ, qui ad ea delegabantur cum Episcopis Presbyterisque ejusdem Ecclesiæ, ut non assiderent tantùm, sed & præsiderent?

X. Hoc eodem Emeritensi Concilio permissum est Episcopis, ut Parochos ruris in Ecclesiam suam Cathedralem transferrent, ubi ex re visum esset; utque Primarios, sive, ut loquuntur Primitivos esse sinerent Parochos Ecclesiæ suæ prioris, cujus redituum partem sibi aliquam præcerpendam servarent; reliquam permitterent Presbyteris Diaconisque quos sibi concessione Episcopi subrogabant, & in quos semper nonnullam exercebant authoritatem. *Ut omnes Episcopi Provincia nostra si voluerint, de Parochianis Presbyteris ac Diaconibus Cathedralem sibi in Ecclesia principali facere, maneat per omnia licentia. Et quamvis ab Episcopo suo stipendii causa per bonam obedientiam aliquid accipiant, ab Ecclesiis tamen in quibus consecrati sunt, vel à rebus earum extranei non maneant: sed Pontificali electione, Presbyteri ipsius ordinatione, Presbyter alius instituatur, qui sanctum officium peragat, & discretione Prioris Presbyteri victus & vestitus rationabiliter illi ministretur, ut non egeat.* (Can. 12.) Palam hinc fit, multò pinguiores fuisse reditus Parochiarum ruris, quàm Canonicorum Cathedralium, cùm hîc tantopere tergiversentur Parochi, ne suis ab Ecclesiis in Cathedralem transferantur, nec eos ad id invitos cogere sinantur Episcopi, nisi copia facta, ut priorum redituum

suorum

suorum nun mediocrem partem ecrineaut. Jam suprà perstrinximus id quoque Episcopalis largiratis genus, ubi Episcopus Canonicos aliquos de se, vel de Ecclesia optimè meritos, in agrestes Parochias transferebat. 2. In hoc eodem Canone *Cathedralis* dicitur, qui Canonicus: & *Cathedralem facere* id sonat, Canonicatu Ecclesiæ Episcopalis donate quempiam. 3. Quinquam pluris ad animarum salurem plerumque facieudi videantur Parochi, quàm Canonici: non temerè tamen in boc Concilio potestas sir Episcopis, ut transferre possint Parochos quoscumque præstantiores, & Cathedralia suæ Canonicis annumerare, suffecto in eorum locum Parocho alio, cui congrua eedituum Parochialium pórtio adtribuatur. Nec abstrusa magnopere, sed prompta & expedita rei hujus ratio est. Nimirum Canonici veluti membra sunt, & oculi, manusque & pedes Episcoporum, eum eoque conflantue in Senatum unum, qui Diœceseos universæ moderatur guberuacula. Ne dubitari autem quidèm potest, quin pluris iutersit ad Reipublicæ Christianæ salotem & gloriam promuvendam providentia hæc generalis Ecclesiæ, quàm Parochiæ cujuscumque particularis. Et ea etiam forsan ratione Canonico huic oovo cura semper ineumbit & regimen Parochiæ prioris, quòd verè Canonici eum Episcopo invigilent, excubentque ad regimen ooiversale umuium tereitorii Episcopalis Ecclesiarum. 4 Non agit hæc Synodus nisi de Presbyteris & Diaconis in Ecclesiam Carhedralem traducendis, quód non aliis verè constarent Capitula. 5. Denique id etiam licete vult Episcopis hoc Coucilium, ut agellos possint Canouicis Clericisve couferre, ubi illis grarificari suadet pietas & constans assiduitas in Officiis Ecclesiasticis: ita tameu ut si inertiùs eos excolant, Ecclesiæ tediutegeeutue. Et hæc rutsum exordia sunt Præbendarum, quibus Episcopus industeiam & siugularem quorundam pietatem remuneretur.

XI. Adeunda nuoc nobis Italia, ubi ex Gregorio Magno apertum est, minùs numerosa adhuc fuisse Capitula. Ubi nimirum Episcopo visitatori Ecclesiæ Populonieusis Pastore suo destitutæ, præcipit, ut Presbyterum ibi Cardinalem instituat, & duos Diaconos, ac rursum ad Parochias ruris Pres- [L. 1. Ep. 35. 51.] byteros tres. *Vt unum Cardinalem illic Presbyterum, & duos debeas Diaconos ordinare. In Parochiis verò præfata Ecclesia tres similiter Presbyteros*: Nihil amplius ei Ecclesiæ provideretur, quæ ita omnibus præsidiis destituta erat, ot oe Presbyteros quidem haberet, qui baptismum administrarent. Id genus exempla alia missa facio. Scripsit idem Pontifex *Presbyteris, Diaconis & Clero Mediolanensis Ecclesiæ,* [L. 2. Ep. 29.] ad Episcopi electionem accelerandam. Nihil hic de [L. 4. Ep. 25] Episcopis Provinciæ, ut qui non ubique conturrecrent, vel ad Capitulum, vel ad electionem Episcopi Ecclesiæ Metropulitanæ. Præcipit alibi, ut celebrata electione, quiuque tum ex Presbyteris, tum ex Diaconis ætate maturiotibus Romam per- [L. 5. e. 15.] gant ad electi confirmationem. *Quinque de prioribus Presbyteris, & quinque de præcedentibus Diaconibus.* Libertate cùm donaret Gregorius mancipium Ecclesiæ, chartam libertatis subscribi voluit à quinque prioribus Presbyteris, & à tribus Diaconis Ecclesiæ suæ. *Propria manu cum tribus Presbyteris prioribus, & tribus Diaconibus pro plenissima firmitate subscripsimus.* Ut autem Abbari copiam faceret testandi, tem primò consultari voluit cum Episcopis Romæ repertis, cum Presbyteris, Diacouis, Clericisque Romanis.



rum deinde ab his subscribi: *Considentibus Episcopis, & Presbyteris, &c. Astantibus etiam Diaconis, & Clero, &c. Vt cum fratribus filiisque nostris, quid statuendum sit, deliberare possimus, &c. Quæ nobis cum fratribus filiisque nostris in commune vi a sunt.* [L. 9. Ep. 22.] Cassa alibi & irrita judicat Episcopi Acta, nisi Presbyterorum & Diaconorum subscriptionibus roborentur. *Mandato legaliter facto, tuis ac Presbyterorum seu Diaconorum in testimonium subscriptionibus roborato.* [L. 11. Ep. 15. 60.] Alibi demonstrat non alia fœcundiora Semioaria ad Episcopos expoliendos & præparandos, quàm tenacissima puriuris disciplinæ Capitula; ubi videlicet Episcopum Calaritanum submouet, ne Capitulum suum nimis exhauriat, Episcopis inde ad alias Ecclesias dimissis. *Sic tamen ut non omnes ad Episcopatum de Ecclesia ipsius eligantur. Nam sic eum convenit alias ordinare, ut Ecclesia sua de personis quæ in ea possint proficere, necessitatem non faciat.* [L. 11. Ep. 59.] Denique cùm complura ad Ecclesiæ Romanæ repurgationem editurus esset Decreta, ea uon alibi promulgavit, quàm in Synodo Episcoporum & Presbyterorum sootum, astantibus Diaconis, Clericisque aliis. *Gregorius, cum Episcopis omnibus, & Romana Ecclesia Presbyteris residens, astantibus Diaconibus & cuncto Clero.* [Conc. 1 t. Rom. sub Greger. I.] Soli tamen Episcopi Presbyterique subscripsere. Eam rationem tenuit & Martinus Papa I. cùm Monotheletas Patriarchas proscriberet: *Sedentibus Episcopis & Presbyteris, astantibus Diaconibus & Clero universo.* [Epist. 18.] Hic idem ipse Pontifex ad Ecclesiam Hierosolymitanam scribens, Epistolam inscripsit Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Monachisque; quin & in Epistola Synodica ad universalem Ecclesiam scripta post Synodum Romanam, idem secutus est, *Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Abbatibus, Monachis.* Eadem scevata est forma in Epistolis Gregorii II. sicut & in Coucilii sub eo Romani subscriptionibus, præterquam quod hîc post Presbyteroa subscribunt & Diaconi.

XII. Capitulum Ecclesiæ Romanæ, quod Cardinalium sacrum Collegium dicitur, antiquioris & elimatissimæ io hac quidem re disciplinæ specimen est. Ex antecedentibus enim omnibus jam patuit, ei adscriptos fuisse Peesbyteros Diacouosque Ecclesiæ Romanæ; cum eis consulere solitum Pontificem, non solùm de rebus ad Diœcesin vel Metropolin, sed ad Ecclesiam universalem spectantibus: eò acciti solitos Episcopos, qui tum Romæ variis de causis diversarentur; in Conciliia ipsis Romanis locum fuisse his Presbyteris, Diaconisque. Denique seu Cleri, seu Capituli hujus vigor, constantiaque & authoritas tum splendidissimè effulsit, cùm subveriti sunt Romani ne Eugenius I. Papa remollesceret, aur remitteeet aliquid de iofracta illa Majorum suorum Pontificum Romanoeum fortitudine adversùs Monothelethas Patriarchas. Tum enim obsecundante plebe Clerus Romanus Pontifici, ut credere æquum est, oon illibenti, vim quodammodo attulit, ut ne susciperet quidem Epistolam Synodalem Perti Patriarchæ Coustantinopolitani; & nec Mysteria antè passus est celebrare, quàm sponderet eam Epistolam se abjecturum. Ita commemoratum est ab Anastasio Bibliothecario: *Et accensus populus & Clerus eò quòd talem Synodicam direxisset, minimè est suscepta. sed cum majore strepitu est à sancta Dei Ecclesia projecta: ut etiam nec eundem Papam dimitteret populus & Clerus Missas celebrare in Basilica sanctæ Mariæ ad præsepe, nisi promisisset Pontifex minimè eam aliquando suscipere.* Quos verò Canonicos Clericos vocet Bonifacius Martyr in Epi-

Epiſt. 6. ſtola inſcripta *Corepiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, Canonicis, Clericis, &c.* non facilè intelligo, niſi minores Clericos Eccleſiarum Cathedralium.

XIII. Venio ad Eccleſias Græcas, ubi illud primum edocet Juſtinianus in Novellis, Conſtantinopoli unam primò dumtaxat fuiſſe Eccleſiam; cui poſtquam tres aliæ acceſſerunt, tum prioris illius miniſtros in has per vices miſſitari ſolitos, ut divina ibi munia obirent. *Quoniam quidem non proprios* Novell. 3. & 6. & 16. *Clericos, neque una quidem harum trium habeat Baſilicarum, ſed communes ſunt, & ſanctiſſima majoris Eccleſiæ, & earum, & omnes circumeuntes, ſecundùm quemdam ordinem & circum miniſteria in eis celebrant.* In ea autem Novella præfinit Imperator, quo eſſe debeant numero Clerici cujuſque ordinis in Eccleſia majori, à quibus & in Eccleſiis quoque aliis ſacra impleantur per vices miniſteria. Nimirum Preſbyteri ſexaginta, Diaconi centum, quadraginta Diaconiſſæ, Subdiaconi nonaginta, Lectores centum, Cantores viginti quinque; atque ita Clerici quadringenti & viginti quinque omnino, præter Oſtiarios centum. Porro cùm Clerici aliarum Eccleſiarum, ſive urbis Regiæ, ſive ruris, Optimatum gratiam & patrocinium ambirent, ut in Eccleſiam urbis maximam transferrentur, has ſive avaritiæ ſordes, ſive ambitionis artes ibidem proſcribit Juſtinianus, & palam conteſtatur, non minùs arcto conſtringi Canonum vinculo Clericos, ut in Eccleſia, ad quam ordinati ſunt, perſeverent: quàm Monachos in Monaſterio, in quo profeſſi ſunt. *Nam ſi ſuper venerabilibus Monaſteriis prohibemus, ex alio Monaſterio ad aliud tranſmigrare, multò magis neque reverendiſſimis Clericis hoc permittimus, lucri & negotiationis habere demonſtrationem, hujuſmodi horum deſiderium judicantes.* Tum prohibet Imperator novos in Eccleſiis ordinari Clericos, donec eorum copia exuberans ad eum redigatur numerum, qui definitus eſt; tum verò cùm eò ventum fuerit, nunquam plures ordinari, quàm ſtatuerint Fundatores pro modo proventuum, quos adſignarunt. Addit & illud, ſi cujus Clerici vacua ſedes implenda ſit, ſatius eſſe ex ſupernumerariis & vacantibus aliquem accerſi, quàm novum ordinari.

Quæ ſtatuta permagni utique intereſt ſervare in ejus generis Congregationibus, ubi habentur & poſſidentur omnia in communi. Unde & innovata illa ſunt in Monaſteriis omnibus poſteriorum temporum. quæ exhauſta & labefactata tandem eſſent, ſi ultra redituum, vel oblationum, vel eleemoſynarum modum excreſcere Monachorum multitudo ſine modo permiſſa eſſet. Verùm in his Juſtiniani Novellis nihil eſt quod altiùs memoriæ mandari debeat, quàm illa Cleri cujuſque urbis ſocietas individua unitaſque, omnes functiones Cleri implens, omnes reditus Eccleſiaſticos percipiens & effundens. Et ne fingi quidem poteſt, rem aliter habuiſſe inter initia. Inde certiſſimum quoque manaſſe principatum, & juriſdictionem Capitulorum Cathedralium in omnes alias civitatis Eccleſias conjunctim cum Epiſcopo. Ab origine enim Eccleſiæ omnes aliæ portiones quædam Cleri ſunt decerptæ à Cathedrali Clero, cujus olim erat miniſteria obire in his Eccleſiis omnia, & ſtationes ibi celebrare, alternis ab Epiſcopo delegationibus factis.

XIV. Concilio Conſtantinopolitano ſub Agapeto & Mena affuit Clerus urbis Regiæ: *Præſente venerabili Clero Regiæ civitatis* Concilio Mopſueſtiæ quod relectum eſt in Concilio V. Generali, affuere etiam Preſbyteri, Diaconi, Subdiaconi & Lectores ejuſdem Eccleſiæ. Exceptum ibi eſt teſtimonium Joannis, qui Diaconus erat tantùm, etſi annos jam quadraginta in Clero egiſſet. Thomas Diaconus quadraginta novem, Joannes alter idemque Diaconus quinquaginta jam annos in eodem Clero tranſegerat. Denique teſtimonium dixere undecim Preſbyteri, quinque Diaconi; & facilè aſſentior eum demum fuiſſe ejus Capituli Canonicorum numerum, præter inferiores Clericos. Sed obiter obſervaſſe juvabit, multos fuiſſe, qui in Diaconatu conſeneſcerent, nec ambirent in ſuperiorem gradum promoveri.

XV. Trullana Synodus operæ pretium ſe facturam duxit, ſi novo robore communiret Novellam Juſtiniani, & conſuetudinem non paucarum nec ignobilium Eccleſiarum, ubi plures erant quàm ſeptem Diaconi, etſi Apoſtoli ſeptem tantummodo creaſſent, & edixiſſet Neocæſarienſis Synodus, ne ulla quantumvis populoſa civitas & Eccleſia eum numerum tranſgrederentur, quem Apoſtoli ſuo quodammodo exemplo conſecraſſent. Sed nihilo feliciores habuit exitus iſtud Trullanorum Præſulum ſtatutum, quàm nonnulla alia. Volunt enim Can. 16. Diaconos illos, de quibus in Actis, non ad ſacrificium & ad ſacram menſam, ſed ad temporalis tantùm ſubſtantiæ diſpenſationem creatos eſſe. Eam ſententiam ſuprà ſatis validis ſanctorum Patrum teſtimoniis & argumentis obtrivimus. Compendioſius utique veriuſque dici potuiſſet, tot ab Apoſtolis creatos fuiſſe Diaconos, quot opus eſſe videbantur præſenti Eccleſiæ Hieroſolymitanæ conditioni. Neocæſarienſi quoque Synodo viſum eſſe, non plures eſſe impræſentiarum neceſſarios Eccleſiis ejus Provinciæ. Sed exinde augeſcente fidelium & Cleri totius multitudine, plures & Diaconos ordinari neceſſum fuiſſe.

XVI. Redeo ad Eccleſiarum Orientalium Capitula. Anno 618. interpellante Patriarcha Conſtantinopolitano Sergio Conſtitutionem promulgavit Heraclius Imperator, ut eo veluti clypeo repercuteret & propulſaret Magnatum importunas & ambitioſas preces, qui amicis ſuis depoſcebant gradum aliquem in Clero Regiæ urbis, vel Officia necdum vacantia: quo reditus Eccleſiæ exhauriebantur, excreſcente in immenſum numero eorum, quibus certæ diſtributiones adſignandæ eſſent. *Adeo quidem ut inde Diariorum quantitas quæ ipſis datur, magnopere excreſcat.* Poteſtatem ergo facit Imperator Patriarchæ & Clero, figendi numerum Clericorum, tum majoris Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, tum aliarum duarum, quaſi Collegialium: vetatque ne plures unquam admittantur deinceps, & ne præſcriptus ſemel numerus tranſiliatur. Niſi ſi quis vel ſibi, vel alteri locum & aditum in Clerum captans, prædium aliquod ingens Eccleſiæ conferret: tum enim is ultra numerum ſtatum admitteretur; dummodo ne eo recipiendo peccandum eſſet aliquid contra Canones eos qui in declarandis irregularitatibus verſantur. *Ordinem ſacrorum Canonum nihilo-* Baron. an. *minus obſervando.* 615. n. 4.

XVII. Non attigi toto hoc capite eas Congregationes Monaſticas, quas ipſi Fundatores dicaverant celebrandis Officiis divinis noctu & interdiu in Eccleſiis Cathedralibus & Collegialibus vicinis, quæ in poteſtate erant Clericorum. Non ſemel de iis verba fecit Anaſtaſius Bibliothecarius: præſertim verò in vita Gregorii III. ubi ejuſmodi meminit Collegiorum Monaſticorum, qui nocturna diurnaque Officia celebraturi ventitabant ad Eccleſias

sancti Petri, sancti Pauli, sancti Joannis Lateranensis, sancti Chrysogoni. *Construxit Monasterium circa Titulum sancti Chrysogoni, constituens ibi Abbatem, & Monachorum Congregationem, ad persolvendas Deo laudes in eodem Titulo diurnis nocturnisque temporibus, ad instar officiorum B. Petri Apostoli, segregatum videlicet Monasterium à jure potestatis Presbyteri dicti Tituli.* Haud satis comperi, an eo exemplo usæ sint Ecclesiæ aliæ aliquæ. Simile veri est fuisse aliquas saltem summæ omnium Ecclesiæ imitatrices. Utcumque res habeat, hinc affinitas intelligitur Monasteriorum cum Capitulis.

## CAPUT IX. *P. 3. l. 1. c. 29.*

## De Capitulis, sub Imperio Caroli Magni.

*I. Canonici dicebantur, quibus pro Regula erant Canones Ecclesiæ. Regulares autem, qui Regulam sancti Benedicti profitebantur se sequi.*

*II. Instare cœperunt Pipinus & Carolus Magnus, ut Clerici omnes in Conventibus vitam communem agerent, Regulamque amplecterentur Crodogangi Metensis Episcopi.*

*III. Concilia in id ipsum editis statutis conniteuntur.*

*IV. Tardiùs in bene multis Ecclesiis obtemperatum est, penuria maximè proventuum temporalium.*

*V. Quanta æquatio harum Congregationum Clericalium cum Monasticis Congregationibus.*

*VI. Erumpunt Collegia Clericorum præter Cathedrales Ecclesias, ex Monachorum licentiosa vita, qui secularem vitam agere & Canonicorum more vivere permissi sunt. id est, quibus impune id fuit.*

*VII. Probatur fuisse Congregationes Canonicorum, præter Capitula Cathedralium, & Monachorum Cœnobia.*

*VIII. Novis argumentis astruitur, quod numero VI. dictum est, de Monasteriis ex disciplina corruptela in Collegia Clericorum descisecentibus.*

*IX. Crodogangi Regulam amplexati sunt & Canonici Cathedralium, & Clerici Collegialium Ecclesiarum; maximè postquam authoritas ei longe maxima accessit à Concilio Aquisgranensi sub Ludovico Pio.*

*X. Novæ molitiones, ad communis vitæ societatem omnibus Capitulis invehendam.*

*XI. Ibi cum Canonicis Episcopo una erat domus, una mensa, una omnium rerum societas & communio.*

*XII. Capitula hujusmodi verè Senatus erant Ecclesiæ, & antiquissimi Cleri imagines luculenta.*

*XIII. Nova ad id argumenta congeruntur.*

*XIV. Excitantur Collegiales Ecclesiæ aliæ, præter eas quæ superiùs sunt indicatæ.*

I. Capitula fuere duplicis generis, alia Canonicorum, alia Monachorum. Illa in Monasterio sub imperio Abbatis: hæc vinculo communis vitæ constricta sub Episcopi ditione. In Concilio Verno anno 755. apertissimè sejunguntur istiusmodi Congregationum sacrarum species duæ: *De illis hominibus, qui dicunt quod se propter Deum tonsurassent, & modò res eorum vel pecunias habent, & nec sub manu Episcopi sunt, nec in Monasterio regulariter vivunt: placuit ut in Monasterio sint sub ordine regulari, aut sub manu Episcopi sub ordine Canonico.* Can. 11.

Regulares hic non possunt dici, ii de quibus agitur Canonici, cùm Monachis opponantur, qui propriè vocantur hic Regulares. Monachis enim solis hæc verba aptantur. *Regulariter vivunt, sub Ordine Regulari.* Quod à Regula sancti Benedicti proficiscebatur. Sicut & Canonicis nomen his fecerat professio servandorum instar Regulæ Canonum. Germanus ille & genuinus sensus est eorum verborum, *Sub ordine Regulari, sub ordine Canonico.* Ævo certè Caroli Magni hæc origo, hic usus, hæc significatio nominis Canonicorum. Superiori enim ætate id potiùs nominis tribuebatur iis qui Canoni, seu Matriculæ Ecclesiæ adscripti erant, tanquam Beneficiarii, quibus Canon, seu dimensum dispensabatur. Hic quoque primarius sensus nominis Regularium, quod ad plures deinde effusum est.

Si Monasteria hic autem cum Capitulis permiscui, non incuria ea fuit mea, sed certa rerum fides; Canonicis postquam ejectis, qui à Majorum pietate immaniter desciverant, subrogati sunt in eum locum Monachi, ut infrà elucebit. Adde quod in eodem Concilio Verno Clerici partim subjiciantur Episcopo immediatè, partim Abbati. Hi posteriores non temerè intelliguntur ii esse Monachi, qui defecerant in Clericos, & utcumque Abbatis imperio adhuc regebantur. *Ut Clerici conductores non sint, nisi pro causa Ecclesiarum, ordinante Episcopo suo, vel Abbate.* Can. 16.

II. Idem discriminis observatum est à Carolo Magno Monachos inter & Canonicos, Clericis prorsus omnibus in Canonicos relatis, quòd eis jam blanda quædam vis & felix necessitas adderetur, ut communi se vitæ astringerent. *Canonici observantia ordinis, vel Monachi propositi consecrationis, &c. schola per singula Monasteria vel Episcopia fiant, &c. Qui se voto Monachica vita constrinxerunt, Monachicè & regulariter vivant, &c. similiter qui ad Clericatum accedunt, quod nos nominamus Canonicam vitam, volumus ut illi canonicè secundùm suam Regulam vivant, & Episcopus eorum regat vitam, sicut Abbas Monachorum.* Capitul. Aquisgran. anno 789. Can. 72. 73. Duo hic sunt capita Capitularis Aquisgranensis, quæ serrò commendari animo magni interfit. Primum est, jam pro uno & eodem haberi, Clericorum & Canonicorum vitam amplecti. *Qui ad Clericatum accedunt, quod nos Canonicam vitam nominamus.* Id ex eo proficiscebatur, quòd jam cogerentur Clerici societati vitæ communis semel addicere. Alterum est, quòd Clericis omnibus proponatur à Carolo Magno, ut justa Regulam suam, id est, juxta Canones vitam instituant. *Volumus ut illi canonicè secundùm Regulam suam vivant.* Hinc suspicari posset quis vestigandam originem nominis Canonicorum Regularium. Non tamen facilè assentiar huic origini. Qui enim mox proferendi sunt Canones, ex iis contrarium astruitur. Sed finitimum vero est, alludi à Carolo Magno ad Regulam Crodogangi Metensis Episcopi, quæ Canonicorum Regula dicebatur, Pipini temporibus edita; ejusque accuratam præcipi observantiam Clericis prorsus omnibus.

Ita enim affirmat Paulus Diaconus à Crodogango primùm adgregatos esse Clericos, tum ad vitæ communis societatem, tum ad quædam veluti claustra, Monasteriorum simillima, denique ad ejus Regulæ, quam ipse ex Canonibus concinnaverat, observationem. *Hic Clerum adunavit, & ad instar Cœnobii intra Claustrorum septa conservari fecit, normamque eis instituit, qualiter in Ecclesia militare deberent.* Du Chesne Hist. Fran. To. 2 pag. 204.

Hæ porro animadversiones nostræ alio mox ejusdem Capitularis Canone roborantur, ubi rursum jubet Carolus, ut Clerici omnes vel Clericorum vel Canonicorum vitam degant, non specie, non simulatè, sed re & infucata pietate. *Ut illi Clerici, qui se fingunt habitu vel nomine Monachos esse, & non sunt, omnimodis videntur esse corrigendi, ut vel veri Monachi sint, vel veri Canonici.* Cap. Aquis. c. 77. Concilium Francofordiense Clericos vel Episcopo subjicit, vel Abbati: *De Clericis, ut nullus eos post hæc retinere audeat, postquam Episcopus, aut Abbas suus eos recipere voluerit.* Can. 27. Concilium Arelatense VI. Canonicos à Mona-

chis secernit, ordinemque vivendi canonicum à
Ann. 813. c. 6. regulari: *Providendum Episcopo qualiter Canonici vivere debeant, nec non & Monachi, ut secundum ordinem canonicum vel regularem vivere studeant.*

III. At Concilio Moguntinensi anni 813. Clerici prorsus omnes canonicæ mancipantur vitæ, id est, communiter in claustro degendæ, servandæque
Ann. 813. c. 9. Crodogangi Regulæ. *In omnibus igitur, quantum humana fragilitas permittit, decrevimus, ut Canonici Clerici canonicè vivant, observantes divinæ Scripturæ doctrinam & documenta Patrum, & ut simul manducent & dormiant, ubi his facultas id faciendi suppetit, vel qui de rebus Ecclesiasticis stipendia accipiunt, & in suo claustro maneant, & obedientiam secundùm Canones suis Magistris exhibeant, &c. Discretionem esse volumus inter eos qui dicuntur sæculum reliquisse, & adhuc sæculum sectantur. Placuit igitur sancto Concilio, ut ita discernantur: sicut in Regula Clericorum dictum est.* Habes hic expressissimè *Regulam Clericorum*, quæ & ibidem bis encomiis ornabatur, & quasi splendidioribus paulò
Ibid. c. 10. coloribus delineabatur: *Observantes divinæ Scripturæ doctrinam & documenta sanctorum Patrum, &c. obedientiam secundùm Canones exhibeant.* Est enim verè Crodogangi Regula ex Scripturis contexta, ex Canonibus Conciliorum, ex sanctorum Patrum monumentis, maximè verò ex Regula sancti Benedicti. Nec sanè ullus est dubitandi locus, quin hæc *Clericorum Regula* ipsissima sit Regula Crodogangi, cùm hoc ipso Moguntini Concilii Canone includatur caput LXIV. Regulæ Crodogangi.

IV. Sed nec prætereire nos debet, quem limitem suo huic decreto circumscribat hæc Synodus. Quanquam enim & Caroli Magni, & Conciliorum tunc habitorum decretis, Clerici omnes communi vitæ & Claustris fuissent innectendi; non tamen id executioni statutum potuit mandari, quòd nondum ea suppeteret posset agrorum redituumque ubertas, quæ sustentandis tam numerosis Conventibus par esset. Testatum facit Paulus Diaconus jacta esse vitæ hujus communis inter Canonicos fundamenta à Crodogango, assignatis illico proventibus necessariis. *Quibus annonas vitæque subsidia sufficienter largitus est, ut peritnris vacare negotiis non indigentes, divinis solummodo officiis excubarent.* Non omnium Episcoporum tam uberes fuere facultates, præstare ut hoc ipsum possent: idque omnino insinuatur hac Concilii Moguntini præceptione his limitibus cohibita: *Ubi his facultas id faciendi suppetit, vel qui de rebus Ecclesiasticis stipendia accipiunt.* Non ergo in hæc communis vitæ contubernia & monasticæ conversationis imitamenta compellebantur, nisi quibus suppetebat quo alerentur, vel ex Beneficiorum privatim fructibus, vel ex annuis proventibus ipsius Congregationis.

V. Ex eodem Concilio Moguntino manifestum est, Monasteria jam dicta esse Canonicorum Collegia propter cognationem quandam incredibilem
Can. 20. Canonicorum & Monachorum instituti. Quod ad ipsa retro Augustini tempora referri posset, qui Clericorum suorum Seminarium non semel Monasterium appellavit, quem & Possidius ipse imitatus est. *Perspiciant Missi loca Monasteriorum, Canonicorum pariter & Monachorum: similiterque puellarum.* Claustri eadem utrobique observantis: *Omnia necessaria infra Monasterium exerceantur, ut non sit necessitas Clericis, vel Monachis vagandi foras, &c. Claustrum firmum habeant, in quo salvari possint animæ in eis commorantium sub disciplina Canonica, vel Regulari.* Canonicorum Præpositus Abbas etiam quandoque dicebatur, ut ex Canone sequenti liquet:
*Episcopus sciat, per singula Monasteria, quantos quisque Abbas Canonicos habeat in Monasterio suo; & hoc omnino ambo pariter provideant, ut si Monachi fieri voluerint, regulariter vivant; sin autem, canonicè vivant omnino.* Can. 21. Itaque non nomina tantùm Monasterii, Abbatis & Regulæ in usu promiscuo erant Canonicorum & Monachorum, sed & res ipsæ.

VI. Sed illud rursus operæ pretium est in ejusdem Canonis verba adnotari, ante institutas Congregationes istiusmodi Clericales, Clericos fuisse complurimos, qui eandem sectarentur cum Monachis secessûs, solitudinis, silentii, atque voluntariæ paupertatis rationem; eorumque tam frequentem jam fuisse copiam, ut nomen, tonsura, professio Clericorum & Monachorum promiscuè pro una & eadem re haberentur, ut jam sæpiùs animadversum à nobis est. Quantum autem & utilitatis & laudis hinc primo emerserat, quandiu Clerici hi sacrosancta minia sua Monasticis virtutibus illustrabant: tantumdem postea importatum est & dedecoris & detrimenti, quando cœperunt Monachi eadem abuti indulgentia & laxioris vitæ remissione, quæ crimini non vertebatur Clericis, à quibus illi jam se sejungi non sinebant. Ita Monachi Clericos se videri affectabant, ut molliusculè viverent: & Clerici Monachorum formam & insignia quædam appingebant sibi, ut sanctitatis famam aucuparentur, & jam nec veri & infucati Clerici, Monachive usquam erant. Gliscenti huic malo medicinam facere satagebat Carolus, satagebat hoc Concilium, constituto, & approbato discrimine Monasteriorum Clericalis & Monastici Ordinis. Videsis apud Cointium nostrum, ut anno 820. essent apud Monasterium sancti Martini Turonensis Monachi in Canonicos mutati, & nomine, & re, atque Abbati morem gerentes, qui & ipse Canonicus erat: quanquam apud Cormeriacum essent quinquaginta Monachi, qui Abbatem eligerent sibi, annuente Abbate sancti Martini.

Eodem ex Moguntinensi Concilio carcere multandi erant Clerici errones, qui nec Episcopi, nec Abbatis jugo subesse vellent: *Neque sub Episcopo,* Can. 22. *neque sub Abbate, Clerici vagi, sive Acephali, sine Canonica, vel Regulari vita.* Eo Clericorum nomine, Monachi etiam, & non Clerici tantùm significantur. Quin & generalius tunc fuisse videtur Clericorum vocabulum, ut quod Monachos hinc, inde Canonicos complecteretur: at verò tum Canonici non dicebantur, nisi qui verè Clerici, non Monachi essent. Eodem anno 813. habitum est & Remense Concilium, à quo nova roboris accessio facta est superioribus statutis omnibus. *Lecti sunt Canones, ut quisque Canonicus legem vitamque suam minimè ignoraret. Lecta est Regula sancti Benedicti, ut ad memoriam reduceretur Abbatibus, &c.* Ann. 813. Can. 8. 9.

VII. Nihildum à nobis dictum, quod extorqueat assensum in id quod pronunciatum est suprà, fuisse Capitula Canonicorum duplicis generis, præter Cœnobia Monachorum: alios quippe sub Episcopis egisse in Ecclesiis Cathedralibus, alios sub Abbatibus, ubi & vitæ communi, & Regulæ Canonicorum inservirent. Ejus nunc rei certissimum An. 813. promo documentum ex Concilio Turonensi III. Can. 23. ejusdem anni 813. Ibi enim tres Canones radiant, quibus tria hæc illustrantur Conventuum Religiosorum genera, propriis cujusque notis & insignibus evidentissimè designatis. Initium ducitur à Canonicis Episcopalis Capituli; unam & individuam

cum Episcopo vitam agentibus, eodem cum eo cibum somnumque capientibus loco, eo impensas omnes faciente: *Canonici & Clerici civitatum, qui in Episcopiis conversantur, consideravimus ut in claustris habitantes, simul omnes in uno dormitorio dormiant, simulque in uno reficiantur refectorio, quo faciliùs possint ad horas canonicas celebrandas occurrere, ac de vita & conversatione sua admoneri & doceri: victum ac vestimentum juxta facultatem Episcopi accipiant, ne paupertatis occasione per diversa vagari cogantur, &c.*

Canone sequenti delineantur Canonici, qui sub Abbatis imperio merebant: *Simili modo & Abbates Monasteriorum, in quibus canonica vita antiquitus fuit, vel nunc videtur esse, sollicitè suis provideant Canonicis, ut habeant claustra & dormitoria, in quibus simul dormiant, simulque reficiantur, horas Canonicas custodiant, victum & vestitum juxta quod poterit Abbas habeant, quo faciliùs ad Dei servitium possint constringi: sintque Abbates sibi subditis bene vivendo duces & pravii, &c.* Canone denique proximo describuntur Monachi Regulam sancti Benedicti professi: *Monasteria Monachorum, in quibus olim Regula Patris Benedicti conservabatur, &c.*

Can. 24.

Can. 25.

Vita communis, Claustrum, idem somni, idem cibi capiendi locus, horarum Canonicarum statuta psalmodia, vestimenta, alimenta ex ærario Congregationis publico, communia ea erant utriusque generis Canonicorum commoda. Distabant uno capitali hoc discrimine, quòd alii Episcopo, alii Abbati immediatè subjicerentur: illi Civitatem, vel domum ipsam Episcopalem incolerent: *Canonici & Clerici Civitatum, qui in Episcopiis conversantur, &c.* hi extra Civitates, saltem extra Episcopales ædes domicilia nacti.

VIII. Cùm cuique liberum sit, suæ conjectandi sagacitati nonnihil indulgere; nec quidquam magnopere impendeat periculi, si modò persuasissimus quisque sit, meras eas esse conjecturas, non inconcussas probationes: non gravabor & ipse hîc exponere, quid in mentem mihi venerit sæpenumero cogitanti de horum origine Canonicorum, qui extra Episcopales ædes, extra Civitates, sub Abbatum ditione degebant. Simillimum veri est, ea quondam fuisse Monachorum Cœnobia, sub Regulis sancti Columbani, Cæsarii, Aureliani, Benedicti, aliorumque qui relaxatæ disciplinæ stibula cœperint Clericorum potiùs agere vitam, quàm Monachorum, eo maximè tempore, quo ea nomina indiscriminatim cœpta sunt usurpari: denique cum Pipinus & Carolus Magnus adgressi sunt Ecclesiasticos Conventus omnes sanctiori vendicare formæ & disciplinæ, optionem bis factam esse alterutrius Regulæ sectandæ, vel Crodogangi, vel sancti Benedicti, dum ab ea quam essent complexi, nec vel tantillum deviarent.

Non desunt argumenta, quibus ea sententia muniatur. Idem ipsum Turonense Concilium eodem Canone meminit Monasteriorum, ubi Canonica olim agebatur vita, quam & ibi jubet restitui: *Abbates Monasteriorum, in quibus Canonica vita antiquitus fuit.* Sed multò perspicuior est proximus Canon, ubi dicitur, esse Monasteria, ubi beati Benedicti Regula obsolevit penitus, & obtrita jacet, atque ubi Abbates Canonicè magis degant, quàm Monasticè. *Monasteria in quibus Regula beati Benedicti penitus abolita negligitur, &c. Aliqua sunt in quibus pauci sunt Monachi, qui prædicti Patris regulam suis Abbatibus promissam habeant, quippe cum ipsi Abbates magis Canonicè quàm Monachicè inter suos conversari videntur.* Probabile ergo cùm primis est, ex his Monasteriis, ubi Abbates & Monachi in Clericalis vitæ indulgentiam prorsus degeneraverant, nonnulla fuisse, quæ sensim habita sint pro Monasteriis Clericorum, & præter opinionem in sæcularium Clericorum classem tandem relata sint. Exprobrabat Carolus Magnus Turonensibus Monachis sancti Martini inconstantiam & levitatem animi & morum, eam qua fiebat, ut nunc Canonici, nunc Monachi dici vellent. *Aliquando enim Monachos, aliquando Canonicos, aliquando neutrum vos esse dicebatis.*

Can. 24.

Epist. ad Albinum to. 1. Capitulare Baluz.

In Concilio Verno videtur optio data Monachis his remississimis & degeneris disciplinæ, ut alteri se addicerent professioni vel Canonicorum, vel Monachorum: *Placuit ut in Monasterio sint sub ordine Regulari, aut sub manu Episcopi, sub ordine Canonico.* Eandem illis optionis copiam fecit Carolus Magnus in Aquisgranensi Capitulari: *Illi Clerici qui se fingunt habitu vel nomine Monachos, & non sunt, corrigendi omni modis videntur, ut vel veri Monachi sint, vel veri Canonici.* Præcepit Concilium Moguntinum, ut Episcopi circumlustrarent omnia suæ Diœceseos Monasteria, & cum Abbate singulos percontarentur, ac perscrutarentur Monachos, ut ingenuè profiterentur, utram vellent Canonicorum, an Monachorum Regulam tenere: *Hoc pariter provideant Episcopus & Abbas, ut si Monachi fieri voluerint, regulariter vivant; sin autem, Canonicè vivant omnino.* Perspicuè integrum illis fit, ut in sæculares si velint, desciscant Clericos, qui tunc Canonici vocabantur, dummodo à Clericorum Regula posthac non deflectant. Eadem Conciliorum decreta iterare quandoque cogimur, ut alias inde aliasque res illustremus.

Nec illud oscitanter expendendum est, parum hîc anxios fuisse Imperatores & Conciliorum Præsules, de vera & prima cujusque Monasterii origine retegenda, an ab exordio Monastica ibi viguerint instituta. Ubique assentiri videntur, præstabilius esse, ut boni habeantur Clerici, quàm mali Monachi. Quibus ita præstitutis, nemo stupebit, si ad Clericorum quoque Conventus, & Monasteriorum, & Abbatum vocabula defluxerint.

IX. Extra controversiam est, Cathedralis suæ, immo & totius Diœceseos suæ Cleri Crodogangum scripsisse & concinnasse Regulam. Ex præfatione & contextu toto innumera emicant ejus rei argumenta. Hinc porro illud exstiti, principaliùs etiam contemplatione hujus antiquissimi Cleri, hoc est Capitulorum, intertextam fuisse à Concilio Aquisgranensi sub Ludovico Pio totam Crodogangi Regulam Canonibus à se editis, nulla Crodogangi mentione habita: sicut & ex Regula sancti Benedicti optima & pulcherrima quæque delibaverat Crodogangus, inferseratque eo pio furto Regulam suam, tacito Benedicti nomine. Ann. 816.

Commendat Episcopis ea Regula, ut ne superfluam adgregent sibi Clericorum multitudinem, sed attemperent sese ad reditus & ad vires suas, ne plures sibi adjungant, quàm quantos alere possint & regere. Monet etiam illos, ne solis Ecclesiæ servis aditum in Clerum patere velint, ut illis impotentiùs dominentur: quanquam ne his quidem servis occludenda sit Cleri janua, si merita suffragentur. Porro cùm tam crebro & Crodogangi Regula, & Concilium Aquisgranense Præpositos & Prælatos commemorent, quæ vocabula sunt Episcopis Abbatibusque communia; hinc non injuria illud exsculpitur, eam Regulam peræquè accommodatam

Con. Aquisg. c. 118. 119.

fuisse Canonicis in Cathedrali Ecclesia sub Episcopo, aliisque seorsim sub Abbatis imperio constitutis.

Can. 53. Concilium profectò Meldense sub Carolo Calvo anno 845. duas has Canonicorum Classes manifestè disjungit, aliorum in civitate Episcopali, aliorum in Monasteriis: sed utrisque eandem præstituit Regulam. *Ut Canonici in civitate, vel Monasteriis, sicut constitutum est, in dormitorio dormiant, & in refectorio comedant, & tam sani quàm infirmi canonicè vestiantur, atque in claustris horis congruis degant; & sub custodia canonica lectionibus & cæteris divinæ institutionis insistant officiis.* Ex quo id perficitur Canonicorum Cathedralium vitam & disciplinam perinde regularem, & ad Canones elimatam fuisse, atque eorum, qui in Monasteriis sub Abbate versarentur, quos postea Canonicos Regulares diximus.

X. Nec minùs certum est ex contextu ejus mox Canonis, Episcopos omnes exertè jussos esse, eandem ut vitæ communis & ad Regulam accommodatæ normam suis in Cathedralibus Capitulis observari curarent. Additur enim ibidem, si qui minus id hactenus perfecerint Episcopi, loci, redituumque penuria, ad Regem confugiendum illis esse, juxta Constitutionem Ludovici Pii Imperatoris, ut inopiam Ecclesiarum levet Principis fis-
Capit. Car. Mag. l. 4. c. 30. cus. *Si vicina Episcopio terra de fisco fuerit, Regia liberalitas eandem terram ad servorum Dei habitacula construenda largiri dignetur.*

XI. Ea porro vicinia Episcopalis Palatii, & Monasterii Cathedralium Canonicorum, omnino pernecessaria erat, ut posset Episcopus eandem vivere vitam, & frequentare regularem societatem cum Canonicis suis. Ita suprà constitit, ubi ea sedes & conditio jussa est esse Episcopi in his Clericalibus Congregationibus, atque Abbatum in suis. Sed promo longè expressius & peremptorium Decretum Concilii Pontigonensis anni 876. sub eo-
Can. 8. dem Carolo Calvo. *Ut Episcopi in civitatibus suis proximum Ecclesiæ suæ claustrum instituant, in quo ipsi cum Clero secundum canonicam regulam Deo militent.*

XII. Studium quoque suum insignivit Hincmarus Remensis Archiepiscopus, ut vitæ communi & sociali Clerum Capitulumque suum illigaret: Canonicorum numerum amplificavit, ampliavit & spa-
Flodoard. L. 3. c. 10. tia Claustri, Regia beneficentia. *Preceptum Caroli de via quæ impediebat ad Claustrum Canonicorum sanctæ Remensis Ecclesiæ amplificandum, quoniam & numerum eorundem Canonicorum augmentaverat, idem domnus Hincmarus obtinuit.* Illud verò maximè commendandum est, quod Hincmarus summa & peritia & experientia cùm esset, ubique tamen sententiam percunctaretur Cleri sui, ejusque consiliis uteretur, ut Senatus antiquissimi Ecclesiarum. Exemplum profero. Erant Ecclesiæ Remensi prædia & agri in Thuringia. Ad censum sibi ea concedi flagitabat Abbas. Hincmarus nil decerni passus est nisi in Cano-
Ibid. c. 54. nicorum Consilio. *Abbas sub censu sibi dari petebat. Sed Hincmarus id agere sine Clericorum suorum consilio renuens, mandat ut easdem ad custodiendum interim suscipiat, & descriptionem earundem sibi mittere studeat, & postea quod cum Ecclesiasticorum consilio ministrorum rationabilius consideraverit, ei remandaturus sit.* Communicata & illis volebat ea quoque, quæ ad spiritalem pertinerent disciplinam. Itaque cùm duo se Canonici à cæterorum societate abrupissent, scrip-
Ibid. c. 28. sit Hincmarus Præposito & Canonicis: *Præposito & cæteris fratribus Ecclesiæ Remensis:* qui rursus recolligendi illi & tractandi essent: *Pro receptione Odalardi & Valterii, qui ab ipsa Congregatione irregulariter discesserant, &c.* Scripsit rursus, ut eadem humanitate Adalgaudum Diaconum complecterentur; cujus causâ Rex precatorias direxerat: *Pro quo Rex etiam Lupicinus precatorias ei per eundem direxerat.*

Enimvero non poterat Episcopus cum Archipresbyteris, Archidiaconis, Canonicis, Ministrisque Ecclesiæ aliis communem agere vitam, quin eorum consilio uteretur in administrandis seu temporalibus, seu spiritalibus Ecclesiæ suæ negotiis. Quin & Capitulo potestas erat de causis cognoscere Presbyterorum & Diaconorum sui cœtûs & collegii. Ita ferunt Capitularia Caroli Magni manifestè: *Si quis* L. 7. c. 6.
*Episcopus damnatus à Synodo, vel Presbyter aut Diaconus à suo Capitulo, ausi fuerint de sacro ministerio aliquid contingere, non liceat ei restitutionis spem habere.* Lupus Catalaunensis Episcopus accusatus de Diacono Remensi in Presbyterum ordinato, purgavit se prolato mandato Caroli Regis, ut Episcopalia munia obiret in Ecclesia Remensi, quandiu ea vacaret; & Archidiaconi, cæterorumque Remensium assensione approbata, cùm ab iis præsentati sibi fuissent, quos cuperent ordinari: *Quocirca cùm Epistola Re-* Flodoard.
*gia, ut ipsum Halduinum Presbyterum ordinaret, atque* L. 3. c. 21.
*in Altivillari Monasterio Abbatem sacraret, Archidiaconus Remensis Ecclesiæ, cum aliis comministris, tam Canonicis, quàm Monachis illi obtulerit; quemque ad votum præfati Principis, & efferentium ordinaverit. Unde judicatum est à Synodo eundem Episcopum nihil damnationis de illius ordinatione attigisse.* Quanquam disertè Flodoardus dicat jussum esse Catalaunensem Episcopum, Episcopalia defungi munera in Ecclesia Remensi: *Jussus est Regiis litteris Caroli Regis, ut quia Metropolis Remorum Ecclesia Pastore carebat, in confectione chrismatis, aliisque negotiis Ecclesiasticis pro sui possibilitate consulere procuraret:* Certum est tamen non potuisse illi nisi à Clero vacantis Ecclesiæ novam eam conciliari jurisdictionem legitimam. Quod & tunc præstitum est à Capitulo Remensi, hoc est, à Dignitatibus & Canonicis. *Archidiaconus cum aliis comministris, tam Canonicis, quàm Monachis.* Succedebat ergo Capitulum in jurisdictionem Episcopi morientis: ut nihil jam vetet, quin & eam cum co vivente exercuerit.

XIII. In Regula Crodogangi nominantur *Archidiaconus, Primiciarius & Præpositus* inter dignitates, à quibus Capitulum regitur. Implebant ergo certissimè Capitula eundem locum, idemque præstabant ministerium, quod & antiquissimus ille singularum Ecclesiarum Clerus, quo inconsulto nil gerebatur. Unde & Carthaginensis Concilii Canon à Con. Carth.
Reginone laudatus, ut nil ab Episcopo alienari Can. 33
possit, *ignorante Concilio & Presbyteris.* Ideo & Al- Regin. l. 1.
dricus Senonensis Episcopus mutaturus aliquid in c. 347.
statu pristino suæ Ecclesiæ, sententiam suscitatus Ann. 834.
est Canonicorum, immo & Monachorum, Laico- Spicil. To. 2. pag. 580.
rumque suorum: *Idcirco unà cum consilio fratrum no-* To. 4. pag. 142.
*strorum, Canonicorum videlicet, & Monachorum, necnon & fidelium laicorum, visum est nobis, &c.* Jonas Anno 858.
quoque Augustodunensis Episcopus cùm fundos agrosque designaret ad sustentationem quinquaginta Ecclesiæ suæ Canonicorum, rata omnia esse voluit consilio & assensu Presbyterorum, Diaconorum, totiusque Cleri sui. *De facultatibus Ecclesiæ cui deservio, Canonicorum cœtui mihi commisso aliquod subsidium conferre studui, &c. secundùm canonicam auctoritatem adhibito consensu Presbyterorum, Diaconorum, ac totius sequentis ordinis ejusdem Ecclesiæ, ob divini cultûs amorem superaddere studui eis, &c.*

Altiùs insidebit animo, hæc Canonicorum Ca-

pitula illum ipsum vetustissimum Clerum non repræsentare, sed esse, qui Episcopi Senatus & Concilium erat, tunc etiam Episcopis suis socialis & communis vitæ nodo devinctiorem; si spectentur Epistolarum inscriptiones, illis prorsus consentaneæ, quas suprà retulimus ex Augustino, Alipio, aliisque Africanis Episcopis, qui Coëpiscopis suis scriptitabant, conjunctim cum Congregatione Cleri, quæ cum suo quæque Episcopo in unum quodammodo coaluerat. In medium proferam exemplum Cleri Parisiensis, pluribus aliis Religiosis Congregationibus consociati, scribentis ad Archiepiscopum Senonensem, unàque ad Clerum ei indivulsè cohærentem, ad alios ejusdem Provinciæ Episcopos, & Clerum similiter eis coalitum. *Religiosissimis Patribus & Fratribus, Gueniloni Metropolitano Senonica Sedis Antistiti, & universa Clero ejus, & caeterarum Ecclesiarum Præsulibus, quæ Diœcesis memorata sedis censentur, cunctisque in eis Deo famulantibus, Clerus matris Ecclesiæ Parisiorum, & Fratres Cœnobii sancti Dionysii & sancti Germani, & beatæ Genovefæ, ac Fossatensis, diversorumque Monasteriorum unanimitas.* Interest permagni ad rei hujus elucidationem tria hîc obiter observari. Primum est, Episcopi cujusque Clerum cum eo indivulsa copula revinctum fuisse in unum corpus & in individuam Consiliorum & totius regiminis societatem. Alterum est, Clerum Metropolitanæ Ecclesiæ in his subscriptionibus præferri Episcopis ejusdem Provinciæ, quòd compaginatus quodammodo in unum corpus sit cum suo Episcopo, & vacante Sede Metropolitana totam excipiat in se exerceatque jurisdictionem, in eos ipsos Provinciæ Episcopos, si res postulet. Tertium est, celebriores etiam Abbatias in participationem etiam & societatem quandam Consiliorum & administrationis universæ adoptari ab Episcopo & Clero. Id liquet ex hac Epistola, ubi quæstio vertebatur de eligendo Episcopo Parisiensi. Liquebat & ex Aldrico Archiepiscopo Senonensi, qui contestabatur se agere *Cum consilio Fratrum, Canonicorum videlicet & Monachorum.* Id denique apertius infrà liquebit, ubi in lucem proferemus miras quasdam Monasticorum Conventuum cognationes cum Capitulis Canonicorum.

Epist. 98. inter Epist. Lupi Fe rar.

XIV. Unus superest eximendus hîc scrupulus; An Capitula Canonicorum omnia extra Ecclesias Cathedrales, prognata sint ex iis Monasteriis, ubi luxata antiqua Monachorum disciplina, visum est conducibilius fore, si pro Monachis Canonici substituerentur, Monachis ipsis mira quadam & necessaria tum indulgentia permissis Canonicos sese agere. Diximus ejusmodi fuisse initia sub Carolo Magno restaurandæ canonicæ vitæ extra Cathedrales Ecclesias: nec tamen negavimus aliqua & priùs esse potuisse, & pòst instituta fuisse Collegia istiusmodi Canonicorum extra urbes etiam Episcopales. Si memoria eorum replicetur, quæ vel de Capitulis vel de Seminariis dicta sunt superiùs ante tempora Pipini, non pauca hoc genus occurrent. Tempore autem Pipini & Caroli Magni cùm vehementissimè urgerentur Clerici omnes, quo se in hoc genus communis vitæ Congregationes conferrent; nec possent omnes Cathedralibus conglutinari Ecclesiis: utique non potuere non plura tunc exurgere ejusmodi Collegia. Sed & à Regibus deinceps non pauca perquam similia fundata sunt. In Attiniaco Palatiò duodecim Canonicorum Capitulum condidit dotavitque Carolus Simplex: *Capella in qua duodecim ordinis Ecclesiastici viros statuimus, qui diu noctuque divina horis competentibus frequentent officia, &c. ad usufructuarios mensa Canonicorum, de rebus nostris ibidem contulimus, &c.* Subjecit Rex hoc Capitulum Abbatiæ Compendiensi; ita ut Præpositus & Decanus Abbatiæ Compendiensis Decanum & Thesaurarium instituerent in hac sancta Capella, & Thesaurarius quotannis offerret Abbatiæ cereos duos pondo duodecim. Carolus Calvus Imperator avita & piissima relegens vestigia Caroli Magni Imperatoris, qui Capitulum fundaverat apud Aquisgranum, *In Palatio Aquensi Capellam construxisse, & Clericos ibi constituisse*: extruxit dotavitque & ipse Regalem Abbatiam Compendii, redituque assignavit, quibus facilè alerentur centum Canonici. *Atque Clericos ibi decrevimus numero centum*: quibus & eas largitus est immunitates omnes quæ conducere possent ad tuitionem quietis, otii, silentiique piis his secessibus oppidò necessarii. *Similiter etiam totius silentii & quietudinis canonica ibi morem observandum, &c. eique liberam canonica licentiam tribuimus.* Stephanus Episcopus Arvernus in Lesiniacensi Parochia Capitulum fundavit Canonicorum duodecim, sub ditione & regimine Abbatis & Canonicorum sancti Juliani Brivatensis. *Duodecim constituantur Canonici.*

Baluz. in append. ad Lupum. pag. 323.

Anno 876. Spicil. ta 10. p. 237. &c.

Anno 962. Spicil. T. XII. pag. 290.

---

## CAPUT X. *P. 4. l. 1. c. 47.*

## De Capitulis Cathedralibus post annum Christi millesimum.

*I. In Capitulis prodia non fuere nisi Presbyteri & Diaconi, ex quibus exurgebat Consilium Episcopi.*

*II. Subdiaconis aditus ad ea apertus est, quando & ad sacros Ordines.*

*III. Canonici qui Subdiaconatu saltem initiati non sunt, jure suffragii, & sedis in Capitulo carent.*

*IV. Voluit Concilium Tridentinum, ut Canonicis Præbendis omnibus annecteretur sacer aliquis Ordo.*

*V. Cardinalium in sacro Collegio effigies expressissima antiquissimorum Capitulorum.*

*VI. Novo etiamnunc jure Canonici Cathedrales sunt Consiliarii nati Episcoporum. Quid possint, vel non possint; conjunctim, & separatim, jure Decretalium, vel Concilii Tridentini.*

*VII. Jus & potestas Episcoporum & Capitulorum, ad Canonicorum causas, sumendasque de iis pœnas.*

*VIII. Alia jura Episcoporum & Capitulorum conjunctim & separatim.*

*IX. De præsentia Capitulorum in Provincialibus Conciliis.*

*X. XI. Quæ jura Capituli sede vacante.*

*XII. Quæ jura devolvantur ad Capitulum.*

*XIII. De Vicariis Generalibus Capituli.*

*XIV. De numero Canonicorum.*

*XV. De numeri hujus augmento, & de creatione Canonicorum ultra statum numerum.*

*XVI. De diversis gradibus inter Canonicos.*

*XVII. De Præbendis quæ data sunt Congregationibus Regularibus.*

I. SIcut instituta à Christo sempiterni Dei Filio Hierarchia, non constat nisi Episcopis, Presbyteris & Diaconis: ita Capitula ceu sacri Principatûs effigies luculentissimæ, Presbyteris tantùm constabant olim & Diaconis, in unum cum Episcopo Senatum Consiliumque conscriptis. Ita Paschalis II. Episcopo Compostellano formam delineans componendæ Ecclesiæ suæ, jubebat ut Presbyteros in ea & Diaconos Cardinales institueret, quibus Consiliariis & cooperatoribus uteretur. *Cardinales in Ecclesia tua Presbyteros, seu Diaconos tales constitue, qui dignè valeant commissa sibi Ecclesiastici regiminis onera sustinere.* Epist. 10.

II. Verùm cùm Urbani II. tempore cœpisset

Subdiaconatus in sacros Ordines evehi, ut suo suprà loco demonstratum est : tum quoque cùm Subdiaconis communicari cœpere potissima quæque Canonicorum jura & ornamenta, ut & superiores implerent sedes, & jure suffragii potirentur in Capitulo. Promulgatum est hoc decretum utroque Biterrensi Concilio, anni 1233. & anni 1246. *Inhibemus ne aliqui Canonici sæculares, stallum in choro, vel vocem habeant in Capitulo, nisi fuerint in sacris Ordinibus constituti; nisi ex causa cum eis fuerit ab Episcopo dispensatum.* Eadem hîc quæ superioribus sæculis verba usurpantur, *in sacris Ordinibus constituti* : Sed latiùs tunc quàm pridem eorum significatio patebat, quòd jam iis Subdiaconi continerentur.

Can. 13. Can. 22.

III. In Concilio Valentino anni 1248. innovatæ sunt pœnæ Canonicæ in eos Canonicos, qui tergiversabantur, & moras nectebant, ne Subdiaconi, Diaconi, vel Presbyteri ordinarentur, *quando necessitas hoc requirebat.* Salmuriense Concilium anni 1253. *Sacerdotalibus* exui *Præbendis* jussit, qui Presbyteratu initiari recusarent. Cùm autem humanitate quandoque uti Episcopis permisisse viderentur Biterrensia duo illa Concilia suprà laudata : hac illos veniæ faciendæ potestate exuit Avenionense Concilium anni 1337. Abruptè enim prohibet, ne Capitulorum iis pateat aditus, quocumque demum colore quæsito, qui cùm Subdiaconi non sint, suffragii jus adipisci non possunt, sive in Cathedralibus Ecclesiis, sive in Collegialibus. *Cùm nullus Cathedralis vel Collegialis Ecclesiæ Canonicus, nisi sit Subdiaconus, vocem de jure in Capitulo habeat, &c.*

Can. 31. Can. 48.

Concilium Ravennas anni 1314. tam æquo statuto absolvi quenquam vetuerat, declaraveratque tamen eo non comprehendi Monasticas Congregationes. *Solummodo in sacris Ordinibus constituti, & non alii ad Capitula vocentur, & vocem habeant in Capitulo. Et hæc intelligimus de sæcularium Clericorum Capitulis, non de Conventibus Religiosorum.* Professio Religiosa Ordinis sacri vicem supplere potest, quoad deliberationes capitulares. Sed illud prætermitti nefas, huic Concilio visos esse Canonicos penes Episcopum, ceu Christi Vicarium, locum tenere Apostolorum & Discipulorum. *Apostolorum & Discipulorum vicem hi tenent.*

Can. 2.

Non ut in Gallia, Italiaque, ita & in Germania religiosè ei statuto obtemperatum fuerat. Hinc graves illæ Concilii Moguntini querelæ anno 1549. labem Capitulorum non alio magis ex capite profectam esse, quàm ex eo quòd in Capitula & in suffragii jus admissi essent juniores Canonici, qui *Domicellares* appellitabantur. *Non sine magna ratione Majores nostri, juniores Canonicos, quos Domicellares vocant, non statim ut Beneficia acceperint, ad Capitula admitti, sed ad tempus sub jugo Prælatorum detineri voluerunt, &c.*

Can. 16.

Sicut in Hispania *Infantes* vocantur filii Regum; & eorum patrimonia *Infantiatus* : in Arragonia *Infantiones* vocitati fuerant Nobiles summæ prosapiæ : ita & in Gallia *Vasleti*, seu Vassalleti, & *Damcelli*, seu *Domicelli* vocabantur Optimatum filii, dum juventa florerent, maximè autem minores, aut minimi natu : patrimonia autem illis desponsa *Domicellaria.* Ad eum prorsus modum eadem in Capitulis sortiti sunt nomina, ut Domicelli dicerentur, qui *Juniores* olim, eorum autem Præbendæ *Junioratus.*

Gomez. l. 8. de gestis Ximen. Hist. d'ancs Hispan. illust. To. 3. pag. 727. Obser Cang. i. in Villehardum. pag. 274. Histoire de Tourn pag. 197.

His accessit decretis Concilium Tridentinum, iisque illigati voluit etiam Regulares, nec unquam remitti ex iis quidquam. *Quicumque in Cathedrali vel Collegiata, sæculari aut regulari Ecclesia divinis mancipatus Officiis, in Subdiaconatûs Ordine saltem constitutus non sit, vocem in Capitulo non habeat, etiamsi hoc sibi ab aliis liberè fuerit concessum.*

Sess. 22. c. 4.

IV. Sed non contenti ea mediocritate, ulteriùs evecti sunt Tridentini Patres, & primigeniæ origini atque integritati propiùs admovere Capitula conati sunt, promulgata ea lege, ut Canonicatibus omnibus & Portionibus illigaretur Ordo sacer aliquis, ita ut dimidia saltem pars Presbyterorum esset, nec derogaretur tamen earum consuetudini Ecclesiarum, ubi vel omnes prorsus, vel eorum pars maxima Presbyteri esse præcipiebantur. Hæc autem distributio Titulorum & Ordinum Episcopo & Canonicis perficienda mandatur. *In omnibus Ecclesiis Cathedralibus omnes Canonicatus ac Portiones habeant annexum Ordinem Presbyterii, Diaconatus vel Subdiaconatus. Episcopus autem cum consilio Capituli designet ac distribuat, prout viderit expedire, quibus quisque ordo ex sacris annexus in posterum esse debeat, ita tamen ut dimidia saltem pars Presbyteri sint : cæteri verò Diaconi, aut Subdiaconi. Ubi verò consuetudo laudabilior habet, ut plures, vel omnes sint Presbyteri, omnino observetur.* Ei Decreto Concilii Tridentini subscripsit Toletanum Concilium anno 1566. itemque Burdigalense anni 1583. In Bituricensi anni 1584. id definitum est, ut Canonici cùm primùm ætatem necessariam attigissent, Subdiaconatu initiarentur, primo receptionis suæ anno. Quo supponi videtur non admittendos esse, nisi ea ætate, qua possint intra annum Subdiaconi ordinari.

Sess. 24. c. 12. Can. 6. Can. 17. Tit. 34. c. 2.

Denique Concilium Burdigalense anni 1624. jubet, ut in consessu Ordinum sacrorum potiùs habeatur ratio, quàm receptionis. Ita tamen, ut qui juniores recepti fuere, quando postea Presbyteratum assecuti fuerint, supra eos tunc sedere incipiant, qui Presbyteratu quidem seniores, at Canonicatu juniores sunt. Tradit Fagnanus in Ecclesiis Cathedralibus & in Basilicis Romæ, si consecratus Subdiaconis Canonicatus Presbytero conferatur : fore ut nunquam Missam solenniter celebret, sed functiones obeat Subdiaconi, nec sedeat in choro nisi post Diaconos Canonicos. Sicut & in sacro Cardinalium Collegio, qui Titulis ornantur Diaconorum, non sedent illi unquam nisi post Cardinales Presbyteros, quanquam aliàs ipsi & Presbyteri sint, & Episcopi & Archiepiscopi.

Can. 10. Fagnan. in l. 1. Decret. Part. 2. pag. 377.

V. Ratum porro illud fixumque est, non aliter spectandum esse Romanorum Cardinalium sacrum Collegium, quàm ut absolutissimam imaginem Capitulorum primævæ Ecclesiæ & sanctioris disciplinæ. Non inscribuntur ei nisi Episcopi, Presbyteri, Diaconique, ut qui prisco more possint in Senatum Ecclesiæ universalis & in Consilium summi Pontificis accersiri. Unde cùm medio ævo Ecclesiis Capitulisque allecti fuissent & juniores Clerici complures ad divinam Officiorum sacrorum psalmodiam celebrandam, cui muneri accommodata prorsus erat illa ætas : eò tandem res erupit, ut duæ secernerentur in Capitulis Cathedralibus Canonicorum classes, altera juniorum, qui Ecclesiasticæ psalmodiæ manciparentur : altera eorum qui sacris decorati essent Ordinibus, possentque jam Episcoporum Consiliarii & Administri videri.

Ita non immeritò dicetur Tridentina Synodus, in unum accumulasse, florentissimorum Ecclesiæ exordiorum decora & ornamenta, cùm Presbyteri Diaconique Cathedrales Senatum Synodumque perpetuam Episcopi conflarent : & ætatis mediæ,

ubi

ubi divinæ psalmodiæ Canonici maximè vacabant, ut functioni omnium sanctissimæ, æmulæque cælestium Canonicorum.

*Barbosa. De Paroch. part. 1. c. 6 n. 30.*

Anno 1630. Congregationi Cardinalium declarandis Concilii Tridentini Decretis præpositæ, cùm relata esset causa Capituli Civitatis Sipontinæ in Italia, ubi Parochiæ sunt non aliis creditæ Parochis, quàm Dignitatibus & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, quorum unusquisque Parochiam sortitus est ab aliis omnibus distinctam: excepto Archidiacono, cujus partes sunt Parochias administrare, seu morte, seu absentia Pastorum vacantes. Non censuit sacra Congregatio quidquam immutandum in ea disciplina, quæ tantopere consentiret antiquis moribus institutisque, cùm Parochi Ecclesiarum variarum, iidem ipsi essent & Ecclesiæ majoris Canonici, & Consiliarii Episcoporum: quod ex sacro Cardinalium Collegio manifestissimum est. Illud tantummodo ibi declaratum est, eandem ad hos Canonicatus desiderari ætatem, quæ ad Parochias regendas. Ita refert Barbosa.

VI. Nec ambigi certè potest, quin novo etiam jure Canonici haberi debeant Consiliarii, ut vocant, nati Episcoporum. Concilium Elnense anni 1065. causas rejicit ad judicium Episcopi & Canonicorum: *Emendet ad judicium Episcopi & Canonicorum, &c. Querela ad Episcopum, vel ad ejus Canonicos fiat.*

*Epist. 53.*

Prohibuit Callistus II. ne Archipresbyteri, vel Archidiaconi Clericos interdicerent, injussu Archiepiscopi & Capituli: *Præter Archiepiscopi & totius Capituli vestri commune Consilium.* Alexander III. Papa scitissimè Patriarcham Hierosolymitanum admonebat, cùm unum se in corpus cum suis Canonicis conjunxisset, cujus illi membra, ipse Caput esset: præposterum esse, ut non ipsos præ cæteris omnibus in Consilium adhiberet, & iis inconsultis destitueret, institueretque Abbates, Abbatissas aliosque Beneficiarios quoscumque.

*Append. 3. Conc. Lateran. par. 11. c. 18. C. Novit & C. Quanto De his quæ fiunt à Prælato, sine consensu Capituli.*

*Novit plenius tuæ discretionis prudentia, qualiter tu & fratres tui unum corpus sitis; ita quod tu Caput, & fratres tui membra esse comprobentur. Unde non decet omissis membris, te aliorum consilio in Ecclesia tua negotiis uti: cùm id non sit dubium, & honestati tuæ, & sanctorum Patrum institutionibus contraire. Innotuit autem auribus nostris, quòd tu sine consilio fratrum tuorum, Abbates, Abbatissas, & cæteras personas Ecclesiasticas instituis, & destituis, &c.* Synodus Augustana anno 1548. Statuta Synodalia Episcopi assensione Capituli corroborat:

*Can. 3.*

*Approbante Cathedralis Ecclesiæ nostræ Venerabili Capitulo statuimus & ordinamus.* Cardinalis Polus in Articulis Reformationis Ecclesiæ Anglicanæ, fatetur institutos esse Canonicos, ut Consiliarii sint, & Collaboratores Episcoporum, utque divinis laudibus decantandis indefessi incumbant.

*Decret. 3.*

*Cùm Canonicatus & Præbendas in Ecclesia instituendi ratio & causa hæc fuerit, ut qui ad eos assumuntur, Episcopo assistant, eumque in muneris sui functione, consilio & opera adjuvent, & in divinis officiis celebrandis Ecclesiæ inserviant.*

*Sess. 24. c. 12.*

In Concilio Tridentino, ubi *Senatus Ecclesiæ* vocatur Capitulum, usque adeo reviviscere visa est prisca illa concordia & communio omnium reciproca inter Episcopum & Capitulum: ut sanctus Carolus perpetuus ejus licèt admirator, aliquando tamen sibi cum Concilio suo V. Mediolanensi, intercedendum duxerit iis, qui in optimæ rei studio modum non tenebant, infringebantque eo authoritatem Episcopi, ut semper sententiæ Capituli sui obsequi teneretur. Ita ergo super re declaratum ab eo est, non esse locum ei sententiæ, nisi ubi id expressissimè cautum est à Concilio Tridentino.

*Cap. 15.*

*Ubi Tridentina Synodo, aut Provincialibus Conciliis constitutum est, de Capituli Clerive consilio aliquid agendum esse, non propterea tamen illud sequendi necessitatem sibi impositam esse Episcopus existimet, nisi in iis tantum, de quibus id speciatim nominatimque cautum est.* In Concilio Burdigalensi anni 1581. ita quoque decretum est, cùm Ecclesiæ Cathedrali ab ipsius Episcopi Cathedra nomen obrigerit, iniquum esse summam ejus potestatem Capitulo vendicari, cùm ea potius ab Episcopo repetenda sit, ut qui Caput & vertex ipse sit Canonicorum.

*Tit. De Episc. & Capit. n. 28.*

*Declarat hæc sancta Synodus, præcipuam in ipsis Ecclesiis authoritatem ad Episcopos pertinere. Eosque consilio & opera Capitulorum & dignitatum juvari debere, ut membrorum capiti cohærentium & obsequentium.*

Est omnino quod summopere doleamus, non eo jam res esse loco in longè plurimis Cathedralibus Ecclesiis, ut possint Episcopi Canonicos suos in Consilium suum asciscere, & ipsi vicissim eorum deliberationibus & Capitulis interesse. Hinc est quod Concilium Rotomagense anni 1581. tum complura alia, tum hoc præ cæteris à Pontifice postulavit: cùm privilegia Capitulorum in causa sint quamobrem non possint extirpari vitia quædam & morum flagitia, quæ in Cathedrales Canonicos irrepserunt: sicut à Pontifice indultum fuerat Rotomagensi Archiepiscopo, ut Canonicatum & Præbendam uniret innecteretque Pastorali virgæ suæ, quo posset Capitulo ipse interesse ut Canonicus, immo & præesse: ut eodem beneficio Pontifex omnes Episcopos Provinciæ cumularet, quo possent & ipsi tanquam Canonici præsidere Capitulis, & altissimè irradicatas elidere perversarum consuetudinum fibras. *Nam antea Archiepiscopi nostri impetraverunt à sede Romana Bullas ad uniendum Canonicatum & Præbendam Archiepiscopatui, ut ita Archiepiscopus tanquam Canonicus intraret Capitulum quoties vellet, & in ipso præsideret: quo jure etiam nunc utitur. Supplicant humillimè Episcopi Sanctitati suæ ut dignetur omnibus ejusdem Provinciæ Episcopis Bullam communem conferre, ad uniendum Episcopatui Canonicatum, &c.* Responsum est à Pontifice, ubicumque usus esset, consimili fruituros Episcopos omnes Apostolicæ sedis concessione & gratia.

Juvat hic observare, etsi ut Canonicus Capitulo interesset Archiepiscopus Rotomagensis, solitum tamen fuisse præsidere, eaque consessûs prærogativa ad Capituli emendationem uti. *Ad ingrediendum Capitula, & eis præsidendum, in ipsisque reformandum omnia.* Censent ex adverso Canonistæ, proprio in Capitulo Episcopum nonnisi post Præsidem sedere, cum adest, non ut Episcopus, sed ut Canonicus. Assentiuntur tamen standum esse consuetudini.

*Fagnan. in L. 3. Decr. Par. 1. pag. 231.*

Quis autem dubitet, quin laudabilior sit, sive consuetudo, sive lex, ut cum sedet in Capitulo Episcopus, caput membris præsit, præsideatque? Sanè caput *Postulastis de concessione Præbendæ* meminit duplicis hujus diversissimæque rationis, qua Episcopus interest Capitulo, aut ut Episcopus, aut ut Canonicus: sed non exprimit quæ ab eo sedes occupari debeat. Nisi tamen argumentetur quis, non eum præsidere, quando adest ut Canonicus: ex eo quòd si statuto tempore conferre negligat Capitulum, jus conferendi ad Episcopum devolvatur.

*L. 3. c. 50.*

Specialis verò ille Titulus Decretalium, quo agitur *de iis quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli*: cassas irritasque decernit alienationes, instituto-

nes, destitutionesqoe Abbatum & Abbatissarum, aliorumque Beneficiatiorum confirmationes, concessionesque ab Episcopo sine consilio Capituli factas. *Cum eorum consilio, vel senioris partis eadem peragas & pertractes, & quæ statuenda sunt, statuas, & errata corrigas, & evellenda dissipes & evellas.* Nec constitutiones ergo novas edere, nec magni momenti negotia definire, nec eradicare abusus potest Episcopus, nisi communicato cum Canonicis consilio. Nec Parochiales Ecclesias Monachis dare, quòd eæ sint quasi alienationes. Abbates aliique Collegialium Ecclesiarum Præpositi ad Beneficia sui juris præsentare quenquam Episcopo non possunt, nisi cum consensu Capituli: nisi speciali utantur privilegio, vel antiquissima consuetudine. Denique Procuratores Ecclesiarum Cathedralium in Concilia Provincialia admittuntur, ad deliberandum de iis maximè negotiis & rebus quæ ad eos spectant.

Proximo ibidem Titulo cavetur, ne possint interdicto subjici Ecclesiæ, nisi Episcopi & Capituli authoritate; utque possit Episcopus suffragante majori parte Capituli, quantumvis pauciores alii reluctentur, pecuniæ aliquid exigere ad Ecclesiæ reparationes.

*Innoc. III. Regest. 1. Epist. 231.*

Ad Innocentium III. conquesti sunt Canonici Inculismenses de Episcopo suo, quòd *confirmaret Abbates, & tractaret causas difficiles sine Canonicorum assensu.* Scripsit Pontifex ad Archiepiscopum Bituricensem, ut ea de re inquireret.

*Sess. 5. c. 1. Sess. 24. c. 12. Sess. 23. c. 18. Sess. 24. c. 15.*

Concilium Tridentinum non semel mandavit Episcopis, ut consilio uterentur Capituli, putà ad instituendum Canonicum, ad Ordines sacros cuique Canoniali Præbendæ adsignandos, ad Officia Chori regenda, ad Seminarii reditus ordinandos, ad excogitandas rationes innoxias augendi reditus annuos Canonicatuum tenuiorum.

Sed illud magnopere observari refert, qood velit Synodus Tridentina honorem sedis & prærogativam semper deferri Episcopo etiam in Capitulo: *in Capitulo prima sedes*: utque possit Episcopus quoties ex re visum fuerit, Capitulum convocare, dum ne suæ utilitatis ea res sit, quæ in deliberationem

*Sess. 25. c. 6.*

veniet: *Qui si aliquid Canonicis ad deliberandum proponant, nec de re ad suum, vel suorum commodum spectante agatur, Episcopi ipsi Capitulum convocent, vota exquirant, & juxta ea concludant.* Quandiu abest Episcopus, non Vicarius ejus Generalis, sed Decanus Capituli hæc exercet munia & jura, juxta Concilium. De cætero per Concilium Tridentinum nihil detrahitur de potestate & jurisdictione Capituli, quantacumque illi competere poterat, maximè in administratione rerum temporalium. *Ceteris autem in rebus, Capituli jurisdictio & potestas, si qua eis competit, & bonorum administratio, salva & intacta omnino relinquatur.*

Cùm ergo Cathedralia Capitula ea semper potestate usa fuerint, ut statuta conderent de rebus ad se pertinentibus, tum jure communi, tum ex responsis Congregationis Concilii: quæritur an possint & in transgressores pœnas sancire. Eadem

*Fagnan. L. 1. Decret. Par. 1. p. 129. 130. C. Qualiter & Quando. De accusat.*

certè Congregatio anno 1607. respondit posse, non via jurisdictionis, sed specie quadam conventionis, cui assentiuntur ipsi: dum ejusmodi sint eæ pœnæ, quas sibi possint & privati infligere. Adde quod nec his subjiciantur eorum successores, nisi ea statuta ab Episcopo fuerint confirmata.

VII. Jure Decretalium de causis criminalibus cognoscere Episcopi haud quaquam possunt, nisi cum Canonicis suis. *Coram Ecclesiæ senioribus.* Verùm juris sui aut imperitia aut incuria passi sunt Canonici, ut contra ipsos Episcopi præscriberent, & vi præscriptæ consuetudinis criminales etiam causas judicarent. *Sed hodie fortè propter ignorantiam Canonicorum, communiter Episcopi contra eos præscripserunt, ut ipsi soli absque Capituli consilio de criminibus inquirant, & jurisdictionem exerceant: & valet talis præscriptio, seu consuetudo.* Ea sunt Prosperi Fagnani verba, qui subjicit, ubi exempta sunt Capitula, non posse Episcopum cognoscere de causa criminali Canonici cujuscumque, nisi forma ea servata, quam Tridentina Synodus præfixit, hoc est, conjunctim cum duobus Canonicis, à Capitulo ineunte unoquoque anno eligendis.

*Fagn. ibid. L. 5. p. 123. Sext. l. 1. Tit. 4. c. 3.*

Declaratum est enim à Congregatione Concilii, Tridentinum hoc Decretum de duobus Canonicis Episcopo adjunctis, non spectare nisi ad exempta Capitula.

*Sess. 25. c. 6.*

Si qua verò in Galliis Capitula discrepent ab his Fagnani responsis, & à Declaratione Congregationis Concilii: id eò fit, quòd necdum iis locis promulgata sint aut usu recepta hæc Tridentina Decreta.

*C. Irrefrag. De Offic. Ordinar.*

Ex Decretali Innocentii III. & Concilii Lateranensis, potest consuetudo peperisse Capitulis Cathedralibus jurisdictionem & potestatem corripiendi Canonicos: si officio fungi negligant, etiam moniti, & certo temporis spatio ab Episcopis designato, jus ad Episcopos ipsos devolvitur. *Excessus Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ, qui consueverunt corrigi per Capitulum in illis Ecclesiis, quæ talem consuetudinem hactenus habuerunt, &c.* In confesso est apud Canonistas Episcopalem jurisdictionem præscribi posse à Capitulis, ab Abbatibus, aliisque Prælatis inferioribus. Consentaneum est vero æquoque, ut cum Episcopi in communis vitæ societates adduxerunt Canonicos suos, Rectores & Præpositos eorum munierint authoritate necessaria ad regendos & corripiendos inferiores. Id primò fiebat de plano, & sine figura judicii, ut solent habere se informia rerum primordia: accesserunt postea formulæ judiciorum censuræque, atque ita consuetudine jurisdictionem & censurarum ejaculationem assecuta sunt Capitula. Tot ejus rei exempla, tot documenta ob oculos posita sunt, quot recentes sunt Congregationes. A correctione criminum ibi abstinent se Episcopi, donec diutina peccent Superiores negligentia. Interim decursu temporis præscriptio inducitur, & pœnæ quæ primùm voluntariæ videbantur, necessariæ demum evadunt, & Canonicæ, atque ita Claustralis Superior adversùs Episcopum aliquando tandem præscribit, & ejus jurisdictionis hanc sibi decerpit particulam.

Verùm huic Decretali, quæ judicari plectique non sinebat Canonicos ab Episcopis, nisi ex negligentia Capituli, vehementer derogatum est à Concilio Tridentino. Ab eo enim potestas fit Episcopis

*Sess. 6. c. 4.*

visitandi, & corripiendi Capitula Canonicosque omnes, insuper habitis eorum vel privilegiis, vel consuetudinibus, *quoties opus fuerit*: atque adeo non expectata Capituli negligentia, nec præmissa monitione ulla, seu libeat illi adjunctos sibi aliquos adsciscere, sive nullos: *per se, vel illis, quibus videbitur, adjunctis.*

*Sess. 25. c. 6.*

Extra visitationem autem potest Episcopus per se aut per Vicarium instituere judicium Canonici criminosi, cum consilio & assensu duorum Canonicorum, quos ad id Capitulum anni cujusque exordio designabit; nec remorari illum poterit vel privilegium vel consuetudo qualiscumque, ut à Congregatione Concilii pronuntiatum est.

*Fagnan. In L. 1. Decr. Par. 2. pag. 447.*

Jure Decretalium, si Episcopus Capitulo inte-

ressset, ut Caput & Præses, ex negligentia Capituli in corripiendis Canonicis, ea potestas non devolvebatur ad ipsum, sed ad Metropolitanum. Sed si adesset, ut Canonicus, poterat reus à Capitulo ad eum provocare: & negligente Capitulo judicandi potestas ad eum devolvebatur: tunc enim in eo duæ quodammodo personæ sejungebantur, Canonici & Episcopi. Rursus in hoc ipso casu devolutionis, de Canonicis non judicabat Episcopus, nisi cum consilio Capituli. At post Concilium Tridentinum in omnibus Italiæ Capitulis, utpote Episcopali jurisdictioni obnoxiis, statim judex sedet Episcopus de Canonicorum criminalibus causis, non expectata devolutione ejus juris ex negligentia Capituli. Et in omnibus Hispaniæ Capitulis, utpote exemptis, potest statim Episcopus judicium adgredi ejusmodi Canonici criminosi, cum duobus tribusve adjunctis.

*Sess. 25 c. 6.*

VIII. Porro quantacumque sit Episcopi propria jurisdictio in Capitula & in Canonicos, possunt Capitula levi aliqua pœna afficere leviores Canonicorum culpas, erroresque, si minus revereantur superiores, si minus morigeri sunt; idemque dicendum de Presbyteris inferioris chori, aliisve Ecclesiæ Clericis & Ministris, *non contentiosè, non cognitionaliter, sed correctionaliter*, ut loquuntur Canonistæ. Eam in rem dilucidum & expressissimum est *Caput Cum contingat. De foro Competenti.* Profert Fevretus exempla Ecclesiæ Gallicanæ. Leviores eas esse pœnas necesse est. Itaque nec excommunicationum tela, nec carceres hîc locum habent. Jam monui cum esse usum frequentissimum in nascentibus Congregationibus, quæ non aliter coalescere possent.

Apparet autem ex Decreto Concilii Lateranensis IV. sub Innocentio III. evenisse aliquando, ut Canonici Ecclesiam suam interdicto subjicerent, quode poterat Episcopus ad Metropolitanum conqueri, & nihilominus in Ecclesia celebrare, si notoriè justa & rationabilis non extiterat causa. Occurrunt ejus rei exempla in Sexto, ex Concilio Lugdunensi I. Concilium Lugdunense II. eam consuetudinem multis temperamentis delimivit. Ex Decretali Cælestini III. compertum est, nonnulliquem ex Canonicis quandoque ita frontem perfricuisse, ut interdictum in Ecclesiam Cathedralem intorqueret, injussu Episcopi, & Capituli. Hæ nimirum intemperiæ illud tandem præstitera, ut obliterarentur prorsus hæ consuetudines, quarum non poterant nisi vitiosissimi fuisse natales.

*Can. 7.*
*De sentent. Excom. in Sexto.*
*Can. 17*
*D. Quæsivit. De his quæ fiunt à majori parte Capituli.*

Non ita se res habet in exerenda Episcopi potestate ad judicandos castigandosque laïcos inconsulto Capitulo. Id enim declarat Bonifacius VIII. proficisci posse à consuetudine, & Canonica præscriptione: *Dum tamen sit præscripta canonicè consuetudo.* Cùm enim Episcopi ante Capitula fuerint, habuerintque semper jurisdictionem, ab ordine suo prorsus indivulsam; cùm authores & procuratores quodammodo ipsi fuerint Capitulorum, & in Conciliis ipsi suis consultarint, quantum illis ex sua jurisdictione admetirentur; non ita consideranda est præscriptio, de qua Pontifex hic verba facit, quasi ex præscripta consuetudine accedat Episcopis, quod decedit Capitulis: sed veluti rivulus, qui diu longéque expatiatus in fontem suum denique refluat.

*In Sexto. L. 1. Tit. 4 c. 3.*

Cùm Concilium Provinciale Remense sæpius apud sanctum Quintinum, seu ad Augustam Veromanduorum coisset anno 1232. & interdicto perculisset omnes ejus Provinciæ Diœceses, ut compellerent Rex interponere authoritatem suam, ad resarcienda damna probraque Bellovacensi Episcopo illata; Capitula ejus Provinciæ sollicitante clam Rege intercesserunt huic interdicto, quòd ad ea Concilia convocata non essent, & illud tandem revocari pervicere. Cùm sedes Metropolitana Remis vacaret, anno 1271. Milo Episcopus Suessionensis indixit Concilium Provinciale Augustæ Veromanduorum, pro more ejus Provinciæ. Capitulum Remense obnunciavit, quòd assensus suus requisitus non fuisset, remque protrahi fecit, donec is obex amoveretur. Concilium Provinciale Remense Compendii coactum anno 1277. statuit, ut quot annis Episcopi ejus Provinciæ Lutetiæ Parisiorum convenirent intra quindecim post Pentecosten dies, ut communicato consilio commentarentur inter se, quæ potissimum incundæ sibi essent rationes, dignitatis suæ & authoritatis tuendæ adversùs Capitula Cathedralia, quibus id unum curæ, id oblectamento esse videbatur, ut eos litibus, interdictis, aliisque molestiis fatigarent.

Tom. I.

IX. Hinc patet Capitula non solùm jure communi singulorum Episcoporum, sed & Conciliorum Provincialium Consiliis interesse debuisse; Capitula inquam Cathedralia; quanquam & alia etiam quandoque ad Provinciales Synodos invitata sint. Voluit Innocentius III. ut Concilio Lateranensi IV. adessent & delegati Collegialium Ecclesiarum, quòd tractandum ibi esset de rebus temporalibus, quæ ad eos etiam pertinerent. Qui anno 1279. præfuit Concilio Budensi Legatus Apostolicus, non Cathedralium dumtaxat & Collegialium Ecclesiarum præsentiam & consensionem desideravit; sed Superiores etiam Cisterciensium, Benedictinorum, Præmonstratensium, Augustinianorum, Dominicanorum, Franciscanorum, aliorumque Ordinum, quòd omnium interesset Ecclesias Regni omnes ad castioris disciplinæ formam revocari.

*Conc. Gen. To. 11. pag. 124.*

Sed quantò expeditius fuit Procuratores Capitulorum Cathedralium Concilio Provinciali interesse: tantò fuit etiam consultius, ut elucidari satagerent Episcopi, quibus illis in rebus jus definitivi, vel consultivi tantùm suffragii permittendum esset. Altercatum super ea re fuit in secunda Congregatione Concilii Remensis anno 1583. ac denique pronunciatum est, ex ipsorum assensione Capitulorum, definitivi suffragii copiam eis non fieri, nisi ubi de eorum controvertebatur exemptionibus, jurisdictione, juribus, privilegiis, rebusque temporalibus; Reliquis verò in rebus consultiva tantùm vota eorum esse posse.

X. Ubetiùs ea de re infrà disceptabitur, ubi de Conciliis Provincialibus ex instituto agemus. Progrediendum nunc nobis est ad jura Capitulorum vacante Sede. Illud in Decretalibus à Gregorio IX. declaratum est, confirmandas esse à Capitulo Electiones in Monasteriis celebratas dum vacat Sedes. Definitum & illud est à Bonifacio VIII. si in Paganorum, vel Schismaticorum potestatem venerit Episcopus, spiritalem & temporalem Ecclesiæ administrationem ad Capitulum devolvi, non ad Archiepiscopum, perinde ac si vita functus esset. Ab eodem ipso statutum est non posse ab Archiepiscopo Visitatorem, vel Administratorem Ecclesiæ vacanti dari, nisi eo jure excidat Capitulum supinitate & negligentia sua. Cùm jurisdictione quasi Episcopali uterentur Cardinales in suis quisque Titulis: censuit Honorius III. Capitulis iis mortuis in bene

*Cap. Cum olim. De major. & obed.*
*C. Si Episcopus. De suppl. negl. Prælat. in Sexto.*
*C. Ecclesia. Ibidem.*

eandem succedere debere, excepta tamen potestate corripiendi, excommunicandi, & suspendendi, quam pro bono pacis integram sibi servavit. *Excepto quod de correctione, & excommunicatione, & suspensione ipsorum, pro bono pacis, nostra providentia reservamus.* Ita perspicuum est Capitula quælibet alia succedere in Episcoporum contentiosam jurisdictionem, & in potestatem vibrandarum Censurarum. Quod dilucidius adhuc fit ex Capite, *Episcopali, De majoritate & Obedientia. In Sexto:* ubi dicitur solvi posse à Capitulo, quæcumque solverentur ab Episcopo superstite excommunicationes. In Capite *Ad abolendum, De hæreticis*, dum viduata luget Ecclesia, Capitulum causas & judicia agitat hæreticorum. Non succedunt tamen Capitula in jus conferendi Beneficia, cum pronuntiet Bonifacius VIII. non posse à Visitatore, seu Administratore, vel Vicario per Capitulum designato, conferri ea Beneficia, quæ sunt Episcopalis Collationis. *Beneficia tamen quæ ad collationem pertinent Episcopi conferre non potest, si ab alio quàm à Romano Pontifice fuerit deputatus.*

C. His quæ. De Major. & Obed.

C. Ecclesiæ. Ubi suprà.

Anno 1243. narrat Matthæus Paris, subdubitantibus nonnullis, an vacante Romana sede, Pontificia authoritas deponeretur in manus Cardinalium: scriptam fuisse à Cardinalibus Epistolam, quæ statim hunc scrupulum eximeret: *Nec autem penes quos potestas resider, Apostolica Sede vacante.* Narrat idem ipse hoc eodem anno Cathedrales Monachos Capituli Cantuariensis, Ordinis sancti Benedicti, suspensionis & excommunicationis sententia innodasse Episcopum Lincolniensem cum fautoribus suis, quasi jure communi & speciali privilegio id sibi liceret, Primatiali vacante Sede. Appellavit Lincolniensis ad Pontificem; qui censuras *ad Cautelam* & sine præjudicio revocari mandavit. Cùm vita migrasset Andegavensis Episcopus anno 1290. delegavit Capitulum Andegavense ad Regem & ad Capitulum Turonense, ubi vacabat etiam Sedes, ut licentia sibi fieret Episcopi eligendi. *Tractaverunt de mittendo ad Capitulum Turonense, pro petenda licentia eligendi, prout fuerat consuetum.* Jussi autem erant delegati licentiam à Capitulo Turonensi petere, ea addita clausula, *Si ad hoc Capitulum Andegavense teneretur.* Eam clausulam expunxit Capitulum Turonense. Itaque absolutè petita est licentia & concessa. *Petiis simpliciter & purè licentiam eligendi à Capitulo Turonensi, quamvis mandatum conditionale haberet.* Perfecta electione, rursum ejus confirmatio ab eodem Capitulo Turonensi postulata fuit. Decanus & Capitulum Turonense post accuratum electi & electionis examen, scripto authentico electionem confirmarunt. *Nos de electionis & electi meritis plenius cognito, & discusso, & eis diligenter examinatis, electionem ipsam quam invenimus fore canonicam, & electum prædictum authoritate Metropolitana confirmamus.* Denique Episcopis Provinciæ mandatum est à Turonensi Capitulo, ut Andegavum convenirent Dominica ante Pentecostem, ad electi Episcopi inaugurationem. *Vobis & vestrum cuilibet authoritate Metropolitana mandamus, quatenus Andegavis intersitis Dominica, &c.* In Compilatione vetustiorum Regum Angliæ Constitutionum, anno 1672 Londini publicata, extat Eduardi Regis Constitutio, confirmantis electionem Episcopi, confirmatam ab Officiali Capituli Metropolitani Cassellensis in Hibernia, postquam ab eodem Officiali rescissa fuerat Episcopi electio prior, adversa Canonicis Regulis.

Spicil. to. 10. pag. 252. 254. 255. 262. 266. 268. 269.

In Tridentina Synodo vetita sunt Capitula litteras Dimissorias ad Ordines concedere, quo primùm anno vacat Sedes, ita ut nec privilegia, nec consuetudines quæcumque suffragari possint, nisi si quis sit arctatus necessitate Beneficii ita flagitantis, ut intra annum Ordines suscipiat. Sanxit eadem hæc Synodus, ut à Capitolo vacantis Ecclesiæ Oeconomus eligatur, qui Mensam Episcopalem administret, si ea cura Capitulo incumbat: itemque Vicarius vel Officialis ad spiritalem administrationem gerendam. Capituli negligentiæ supplebit Metropolitanus in hæc munia. Si agatur de Ecclesia Metropolitana, supplebit senior Provinciæ Episcopus; si res sit autem de exempta Ecclesia, Episcopus proximior deliget Oeconomum & Vicarium Generalem, si eo munere non fungatur Capitulum, cui ex officio id incumbit. Denique ubi suæ Ecclesiæ clavum capessiverit novus Episcopus, rationes omnium reposcet ab Oeconomo, à Vicario, & à reliquis omnibus qui partes aliquas sustinuerunt in Ecclesiæ vacantis gubernatione.

Sess. 7. c. 10.

Sess. 24. c. 16.

Itaque nihil à Tridentinis Patribus detritum est de prisca Capitulorum potestate post obitum Episcopi. Quanquam autem collationis Episcoporum propria Beneficia conferre non possint, possunt permutationes eorum admittere, juxta Glossam Clementinæ, *Ne concessione, De rerum permutatione.* Possunt & Resignationes admittere, juxta Extravagantem *Execrabilis de Præbendis. Ordinarios intelligimus Episcopos, vel Ecclesiis Cathedralibus vacantibus Capitula earundem.* Quæ memoranda prorsus verba sunt.

Si possit autem Capitulum Beneficiarios instituere, quos institueret Episcopus; non conferre tamen potest Beneficia, quæ conferret: ut in Sexto disertis verbis habetur: *Etsi Capitulum Sede vacante Beneficia, quæ ad collationem Episcopi pertinent, conferre non posset; præsentatos tamen à Patronis potest admittere si sint idonei, & eos instituere in Beneficiis, &c.* Ideò factum est, quòd æquum fuerit successori servari fructus Episcopatûs vacantis. At collatio Beneficiorum in fructibus est. Quod æquum rursus fuerit Episcopo futuro reservari eorum electionem, quos ministerii sui coadjutores habiturus est. Denique quòd necessum fuerit eam esse Ecclesiæ vacantis conditionem, quæ adproperari cogat electionem novi Episcopi.

C. Etsi Capitulum De Institutionibus.

Metropolitani verò Capituli specialia jura non potuere splendidiùs enitescere, quàm supraposito exemplo electionis Episcopi Andegavensis anno 1290. Potestatem quippe eligendi Episcopi & petiit Andegavense, & concessit Turonense Capitulum vacante Sede: & petendam fuisse expuncta clausula seu conditione firmavit. Electum Episcopum confirmavit Turonense Capitulum, & ab eo visitationis obsequium excepit, qua obligabatur defungi infra tertium à consecratione sua mensem. Mandati sunt à Capitulo Metropolitano Episcopi etiam Provinciæ, ut Andegavum pergerent, Episcopum electum & confirmatum consecraturi. Quæ omnia ab eo facta sunt *authoritate Metropolitana*, quæ penes ipsum esse cœperat, eo ipso puncto temporis quo vacarat Sedes. Cùm electus fuisset Archiepiscopus Turonensis & confirmatus, & moras adhuc traheret Romæ, convocatum est à Capitulo Provinciale Concilium, expresso Pontificis ad Capitulum mandato.

Spicil. to. 10

Sed accedere nihil potest summæ authoritati, quam explicuit Prior Capituli Cantuariensis post

obitum Valteri Archiepiscopi quinquagesimi primi. Is verè triumphus & cumulatissima gloria fuit Capitulorum. Hæc quippe legere fas est in Antiquitatibus Magnæ Britanniæ anno 1317. *Hic paucis mensibus omnem illam intermediam jurisdictionem antè intermissam plenè exercuit atque renovavit. De Clericis ad Ecclesiastica Beneficia præsentatis & Patronorum jure diligenter inquisivit, electiones confirmavit, intestatorum bona administranda commisit, provocantium appellationes recepit, visitavit, procurationes recepit, Synodum celebravit, Clerum ex mandato Regio ad Parlamentum citavit, contumaces & in suam jurisdictionem committentes coërcuit, Beneficia vacantium Sedium contulit, omniaque ad Archiepiscopalem jurisdictionem per singulas species tam exquisitè exercuit, ut nihil fuerit prætermissum præter Episcoporum consecrationem. quam cum sua authoritate peragere non poterat, Episcopo Londinensi mandavit & injunxit, ut Suffraganeis congregatis, Menenensem & Pargorensem Episcopos tum electos & sua authoritate confirmatos consecraret. Quibus sic consecratis, in testimonium & fidem consecrationis, litteras Conventùs sigillo sigillatas dedit; excitata hoc modo & agnita Cantuariensis Conventùs, Sede vacante. potestate.* Non injuriâ ergo approbavit Rota, posse Capitula visitationum munia obire, Procurationes accipere, de criminibus cognoscere, etiam extra tempus visitationis.

*Anno 1317. Hallier de Eccl. Hiera pag. 347.*

*Fagn. in l. 1 Decr. Par. 1 pag. 508.*

Sed prætermitti non potest sine piaculo, quod cùm Eduardus I. Angliæ Rex paulò ante annum 1300. Archidiaconatum Dublinensem vacantem jure Regaliæ contulisset; Prior & Capitulum sanctæ Trinitatis Dublinensis illum contestati sunt, id moris fuisse, vacante Metropolitana Sede, ut repræsentarentur sibi Archidiaconi, & ab eis acciperent administrationem temporalem Diœceseos, quam gerere consuevissent. *Cùm Archidiaconi Dublinenses, qui pro tempore fuerint, consuevissent in dicti Episcopatùs vacationibus præsentari eisdem, & ab ipsis jurisdictionem spiritualitatis civitatis & Diœcesis Dublinensis, quam iidem Archidiaconi sede vacante habere consueverunt, recipere.* Ventilata diligenter ea fuit quæstio, & tandem Prior ac Capitulum sanctæ Trinitatis acquieverunt nominationi Archidiaconi à Rege factæ, jure Regaliæ. Mos porto ille animadversione dignus mihi visus est. Cùm enim jurisdictionem exercerent Archidiaconi vivo Episcopo, cúmque ea jurisdictio antè delegata, ordinaria evaserit: consentaneum videbatur, ut decedente Episcopo, eorum jurisdictioni subjici pergeret Diœcesis universa. Cæteroqui & Clero & Capitulo antiquiotis disciplinæ lex & usus vendicabant jus regendæ Ecclesiæ viduatæ. Erat ergo accommodatissima antiquitati & novissimo etiam juri ea ratio & concordia, ut gemina illa potestas in unum revinciretur, & Vicariatus Capituli deferretur Archidiacono. Si Capitulum autem Trinitatis non ipsissimum erat Metropolitanum Ecclesiæ Dublinensis Capitulum, ea tunc res fuerit nova cum primis & mira, & cui non facilè inveniatur quidquam par aut secundum, nisi quod alibi adnotatur à nobis de Abbate Insulæ Barbaræ apud Lugdunum, cujus olim erat vacantem regere & moderari Diœcesin.

*Const. antiq. Reg. Angl Pag. 184.*

Regaliæ jure multa præter jus commune novata sunt iis in Regnis, ubi illud usu convaluit, ut in Gallia. Cùm hac lucubratione propositum mihi fuerit complecti Ecclesiæ universæ disciplinam: id in causa fuit, ut nec eas Juris Canonici Decretales prætermitterem. nec illa Concilii Tridentini Decreta, quæ ad institutum facerent meum, quamvis in Gallia necdum usu recepta fuerint. Si verò non ubique secerno, quæ necdum sint, & quæ jam sine moribus & usu recepta, id inde profectum est, quòd aliàs alii sint usus moresque nostri, alii alibi, maximè in diversis Parlamentis.

XI. Quanquam autem tot adductis testimoniis satis liqueat, totam Episcopi jurisdictionem eo extincto Cathedrali obvenire Capitulo: non desunt tamen exceptiunculæ quædam, ipso in canonici juris contextu indigitatæ. Quidquid potestatis jure tantùm delegato accedit Episcopo, ejus etiam sede vacante expers & inane est Capitulum. Potestas quæ Episcopo inest propria, & ei ad cumulum etiam delegatur; quod innuitur in Concilio Tridentino ea voce *Etiam*; Episcopo vivis abeunte, trajicitur ad Capitulum, prout à sacra Concilii Congregatione declaratum est. 2. Collationes Beneficiorum quæ juris sunt Episcopalis, Episcopo servantur integræ successori. In Galliæ Parlamentis complutibus ita judices consentiunt, posse vacantes Parochias à Capitulo conferri, quòd eæ sint collationes arctatæ & necessariæ. 3. Alienationes rerum à Capitulis fieri non possunt, juxta Canonem Concilii Ancyrani, quod refertur in capite *Si qua de rebus.* 12. *q.* 2. 4. Nec translationes Clericorum ab una Ecclesia in aliam; quòd eæ quoque sui generis sint alienationes; juxta Caput *Fraternitatem. dist.* 71. 5. Non possunt Canonici dimissorias litteras dare ad Ordines, vel ad Tonsuram, quo primùm anno vacat Episcopatus, nisi arctatis Beneficio, quod jam adepti sunt, vel adepturi jamjam sunt. Ea in re Concilium Tridentinum Decretalem Bonifacii VIII. arctavit, qua fas erat Capitulis Cathedralium vacantium ejusmodi concedere facultates recipiendorum vel conferendorum Ordinum. *Sede vacante Capitulum, seu is ad quem administratio spiritualium noscitur pertinere, dare possunt licentiam ordinandi.* Anno 1588. declaravit Congregatio Concilii, si Episcopus esset notoriè hæreticus, eandem fieri ad Capitulum devolutionem. Si Canonici autem dissipari essent extra locum Ecclesiæ suæ, unius eorum sufficere posse licentiam. Jura enim & facultates Capituli totius vel in uno resident membro. Si autem ad Canonicos nullus pateat aditus, tunc adeundum esse ad impetrandas Litteras dimissorias non Metropolitanum, non Episcopum viciniorem, sed summum Pontificem. In Gallia tamen recurreretur potiùs ad Metropolitanum. 6. Ordinis verò Episcopalis munia nequaquam ad Capitulum devolvuntur, uti nec ad Superiorem: sed Capituli est Episcopos invitare, qui eas Ordinum exerceant functiones. Ita non temerè diceret ea potestas ad Capitulum devolvi. 7. Nec succedit Capitulum in jurisdictionem Episcopi in propriis feudis, ut manifestè habetur in capite *Verum. De foro competenti.* Ratio facilè obvia est, quòd iniquum sit domino vassallos dari quos nolit. Qua eadem ratione & Beneficiorum collatio successori reservatur. 8. Nec succedit Capitulum in jurisdictionem Episcopi criminosi vel incapacis, & ideo excommunicati vel suspensi. Tunc devolutio fit ad Papam solum & immediatè. Is est Ecclesiæ usus, cui jura non adversantur, ideoque & juri censetur concinere. Non ita habet cum notoriè hæreticus est Episcopus. Tunc enim *verè*, & non interpretativè tantùm, ut loquuntur Canonistæ, vacat Episcopatus. Ideoque succedit Capitulum. Vide in eam rem, si vacat, Arrestum memorabile anni 1582. in Compilatione Probationum Libertatum Gallicanarum. 9. Non succedit Capitulum in vo-

*Fagna. ibid.*

*C. Cum nullus De temp. ordin. in Sexto*

*Fagnan. ubi suprà p. 509*

*Fagnan. in l. 3. Decret. Part. 1. pag. 240. 241. 257. 258.*

*Cap. 7. n. 42*

luntariam Episcopi jurisdictionem, sed in necessariam tantùm. Quæ nova ratio censeri potest, ne collatio Beneficiorum in Capituli manus veniat, cùm ea ad Episcopum solum spectat. Per secundam Cancellariæ Regulam Papæ reservantur omnia Beneficia quæ vacant, donec Episcopus novus nactus sit possessionem Ecclesiæ suæ. Eam Regulam non admisit usus Ecclesiæ Gallicanæ. 10. Nec in concedendarum Indulgentiarum potestatem succedunt Episcopo obeunte Capitula.

*Barbosa de Dignit. c. 42.* Illa præterea insedit animo Canonistarum sententia, ex Decretalium verbis colligi, posse Capitula sede vacante admittere resignationes Beneficiorum, itemque permutationes, adprobare uniones: adprobare & Confessarios, ultimasque morientium voluntates commutare, vel curare ut executioni mandentur; de causis matrimonialibus cognoscere, dispensationes concedere quæ ab Episcopo concedi possent, præsentiam accommodare suam conjugio contrahendo, ut validum sit: vel id muneris Presbytero cuicumque mandare; subsidium exigere, quod vulgò vocant *charitativum*, Diœcesin visitare, absolvere à peccatis Episcopo reservatis: ipsummet per sese administrare jurisdictionem Episcopalem octo diebus illis, intra quos jubet Concilium Tridentinum, ut Vicarium eligat; pro Vicario Generali, quem designari jubet Concilium, designare duos aut plures, si ita ferat immemorialis consuetudo. Si in his sint aliqua jurisdictioni voluntariæ affiniora, totidem erunt exceptiones legitimæ quæ derogent Regulæ generali.

XII. Jure communi alia approbabatur species interregni Episcopalis interpretativa, nempe si electus Episcopus ultra tres menses differret confirmationem petere, aut confirmatus consecrationem: aut consecratus Pallium postulare, si Metropolitanus esset. His tribus, vel sex, vel novem mensibus decursis, Capitulum Diœcesis administrationem capessebat, perinde ac si vacasset, jurisque perinde ac & officii sui censebat esse, ut alium eligeret Episcopum. At verò electionibus pene obliteratis per Concordata Sedis Apostolicæ cum Principibus *Sess. 23. c. 2.* Christianis, edixit Tridentina Synodus, ut nisi postquam provisi fuerint Episcopi intra trimestre spatium consecrentur Episcopi, fructus restituere teneantur; si tres alios autem præterea menses cessent, Episcopatu ipso abdicentur: *Ecclesiis ipso jure sint privati.* Edicti Blesensis articulo VIII. idem prorsus sancitur: *Teneantur Episcopi tertio post acceptas provisionis suæ litteras mense consecrari; alioqui fructibus spolientur, nulla alia expectanda significatione. Si verò procrastinent adhuc tres alios menses, spoliandi censeantur Ecclesiis suis.* In Concilio *privati ipso jure*, in hoc Edicto *privabiles* dicuntur: igitur convenienter Edicto, Capituli erit instare monitionibus, aliisque juris adminiculis, ut declaretur juridicè Episcopus excidisse, primum Ecclesiæ proventibus, & denique Ecclesia ipsa. Capitulum Tolosanum cùm declarasset Archiepiscopalem vacare sedem, eaque abdicatum Cardinalem à Valetta, serò pœnituit, quia serò animadvertit has juris formulas à se prætermissas fuisse. Vide Ciroanum in Titulum, *De supplenda negligentia Prælatorum.*

XIII. Cæterùm jure communi nequaquam tenentur Capitula Vicarium Generalem vel Officialem designare, qui jurisdictionem exerceat. Quin immo Capita illa duo, *Si Episcopus.* & , *Ecclesia, in Sexto. De supplenda negligentia Prælatorum*, innuere videntur eam à Capitulo ipso exerci solitam.

At Tridentina Synodus Canonicos constringit, ut intra octo primos vacantis Episcopatûs dies Vicarium Generalem designent vel Officialem, aut priorem confirment: alioquin id jam ad jus pertineat, & ad officium Metropolitani. Si verò vacet Ecclesia Metropolitana, vel exempta, ea devolutio fiat ad seniorem Provinciæ Episcopum, vel ad proximiorem. Designatus autem à Capitulo Vicarius vel Officialis successuro in Episcopatum rationes administrationis suæ exhibebit. *Sess. 24. c. 16.*

Congregatio sacra Concilii semel iterumque declaravit, non esse Capitulis à Concilio concessam, nisi unius Vicarii designationem: cùm eodem ipso capite, ubi approbat *unum vel plures* deligi œconomos, unum permittat asciscì Vicarium. Sed si immemorialis alicubi ea vigeat consuetudo, ut plures eligantur, non existimantur Tridentini Patres ei derogatum voluisse. Declaratum quoque ab eadem est, posse à Capitulo revocari hos Vicarios, dum intra dies octo alios subroget. Declaratum denique ab ea est, cùm penes Vicarium sit exercitium jurisdictionis, ejus esse substitutum sibi sufficere, cùm abest, vel absiturus est, nec id tum juris habere Capitulum: uti nec inconsulto eo Visitatores Diœcesi indicere. Ex eo autem rursus nova conjectura ducitur præter suprapositas probationes, posse à Capitulo vacante sede visitari Diœcesin, etsi de eo controversiam illi nonnulli faciant. In hac parte Capitulis suffragantur Senatusconsulta Parisiensia. *Fagn. l. 1. Part. 2. pag. 509. 510.* *Fevret l. 3. c. 5. n. 38.*

Si præcepit autem Tridentina Synodus, ut à Capitulo Vicarius crearetur, ea fuit potius, mea quidem sententia, receptissimi usûs confirmatio, quàm novi institutio juris. Jam inde ab anno 1347. Concilium Toletanum testatum fecerat usitatissimum id esse. *Episcopi Suffraganei nostri, vel Sede vacante Vicarii per Capitulum deputati.* Assentiuntur & Canonistæ. *Can. 5.* Hinc ferè emergit illud, ut Concilii ea potius mens fuerit, præcipere ut intra dies octo crearetur Vicarius, quàm ut omnino aliquis crearetur. Si enim ubique terrarum sui erant Episcopis Vicarii Generales; tantò arctior utique incumbebat necessitas, ut & suos haberent Capitula, quantò difficilius illis est aliàs tanta & tam varia explicare negotia. Verùm ut dubitatum est à nonnullis, an possent ipsi per sese Episcopi contentiosam exercere jurisdictionem: dubium etiam nonnullis idem subortum est de Capitulis. Utque nihilominus certissimum est id posse Episcopos: ita fieri posset, ut quanquam jubeantur Capitula nominare Vicarios, possint tamen & ipsa immediatè, cùm ex re est, suam jurisdictionem depromere. Hinc est enim, quod designatos semper possunt revocare Vicarios, jurisdictionem tum per sese, paucis quidem diebus, sed tamen jure suo exercere.

XIV. Restat ut de numero Canonicorum dicamus. Ingenti utique numero illi quondam erant, cùm testetur Petrus Blesensis optatissimum id sibi esse, nec desperare se, quin rursum Blesensis Ecclesia sua Collegialis ad priscum reflorescat numerum Canonicorum octoginta. *Numerum Canonicorum usque ad octogenarium crescere.* *Epist. 78.* Amplius etiam aliquid augurandum est de Cathedralibus, quàm de Collegialibus. Adde quod tantò facilius erat ut excresceret numerus eo tempore, quo in communi res Ecclesiæ possidebantur, & quo vitæ communis societas frugalitasque paucis & parabilibus contenta pluribus collegis sufficiebat.

Postea etiam quàm res facultatesque Ecclesiarum in plures sectæ sunt portiones, admittebantur nihilo-

minus complures in Canonicorum collegia, ut nunc in Monasticas Clericalesque Congregationes, nullo certo numero præfixo, quotquot meritorum suffragio nitebantur. Sicubi autem plures essent Canonici quàm Præbendæ, aut bisecabatur una Præbenda in duos, vel alter eorum sustentabatur spe vacaturæ primùm Præbendæ. Istæ verò Expectativæ, vel Præbendarum sectiones, quæ primùm augendo tantùm Canonicorum numero adminiculo fuerant, nec obliquis vel suspicionibus, nedum criminationibus patuerant: incurrerunt decursu temporis in eam & reprehensionem & infamiam ex ambitionis & avaritiæ perversitate, ut Conciliis tandem Episcopalibus provisum, cautumque sit, Ne dividerentur amplius Præbendæ, Ne locus esset ullus amplius expectativis, & Ne incertus, sed fixus certusque esset utique Canonicorum numerus. Accipe Canones Concilii apud Castrum Guntherii habiti
Can. 6. 7. 10. anno 1231. super his tribus: *Statuimus quod ubi non est certus numerus Canonicorum, statuatur: ne fiat Ecclesiarum sectio, vel Præbendarum, sed cum integritate conferantur. Nec aliquis de cætero in Ecclesia Cathedra-*
Can. 10. *li instituatur ad vacaturam Præbendam.* Eadem statuta innovavit Concilium Salmuriense anno 1253.

Id tantùm præceperat Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. ut ne conferrentur antè
Can. 8. Præbendæ, quàm vacarent: utque ne tardiùs quàm sexto postquam vacarent mense conferrentur. Eo non finiebatur Canonicorum numerus. Innocentius III. manifestissimè commonstrat, fuisse suo ævo Ecclesias, in quibus nequedum sectæ aliæ ab aliis erant Præbendæ, nec certus & fixus numerus
C. Ex parte De Concess. Præbendæ. Canonicorum. *Utraque pars confessa est, quod in prædicta Ecclesia non erant distinctæ Præbendæ, nec Canonicorum numerus erat certus.* Unde & in ea qua de hîc agitur Ecclesia, jubet Papa novos recipi Canonicos, *si suppetant Ecclesiæ facultates.* Unde patet tot admitti Canonicos debuisse, quantis reditus sufficiebant. Idem alibi sancivit, cùm in Capitulo Tridentino distinctæ essent Præbendæ, & admissus nuper fuisset novus Canonicus, quamprimum illi
C. Cum super. ibid. aliquam conferri debere Præbendam. *Cùm ex quo receptus es in Canonicum, non debeas carere Præbenda.*

Erant ex eodem Pontifice Capitula, ubi numerus
C. Litteras. Ibidem. ab ipsa fundatione præfinitus fuerat. *Primam ordinationem ejusdem Ecclesiæ fuisse, ut in ea tredecim essent personæ, Præpositus scilicet cum duodecim fratribus.* Unde colligitur fixum fuisse eum numerum, vel ex fundatione, vel ex sectione Præbendarum, vel ex statuto aliquo, quod expressisset necessitas ea declinandi detrimenta, quæ ex nimio Canonicorum & redundanti numero proficiscuntur.

Concilium Ravennas anni 1317. eorum sive ambitionem execratur, sive avaritiam, qui carnalibus affectibus studiisque præposteris ducti, agnatos suos intrudebant Cathedralibus Ecclesiis, Monasteriisque. Quocirca & prohibetur, ne quisquam ibi proximo triennio admittatur, nisi Episcopi, vel Metropolitani licentia, ut interim definiatur
Can. 5. numerus & attemperetur modo facultatum. *Præsente approbante Concilio statuimus, quod de cætero nullus instituatur, vel recipiatur in fratrem & Canonicum alicujus Cathedralis Ecclesiæ, vel Collegiatæ, vel Monachum alicujus Monasterii, vel Canonicum regularem sine licentia speciali Ordinarii loci, ac Metropolitani. Hoc statutum durare volumus usque ad triennium, seu sequens Concilium, infra quod æstimationes bonorum & redituum fient, ita quod eorum facultatibus competens numerus ministrantium poterit taxari & statui, prout jura requirunt.*

Quo in Canone illud observari par est. 1. De admissione agi Canonicorum, perinde ut de Monachorum. 2. Penes utrosque in communi adhuc possessas fuisse res omnes. 3. Tam apud Monachos, quàm apud Canonicos eum præfigi numerum, qui modo facultatum respondeat. 4. Ideo & proximo Canone mox sancitur, si Canonicorum Regularium, seu Collegialium Ecclesiarum fixus sit numerus, multò æquius esse, ut in Cathedralibus figatur, figatur porro & ibi *juxta facultatem Ecclesiarum:* ita Can. 8.
ut augeri deinceps non possit, *nisi justa de causa & de licentia Ordinariorum suorum:* nec imminui, nisi ejusdem providentia, qui eo jure utetur solus, ubi id juris habet, ut solus eo fungatur munere: *Ubi ad eos solos spectat.* Ubi moris erat ab Episcopis institui Canonicos, ibi Ecclesiæ plerumque Canonicorum redundantia gravabantur. Itaque hoc Canone irritantur eæ institutiones, ubi ultra præfixum semel numerum fient; jubenturque Episcopi suis expensis sustentare eos, quos præter hanc legem intruserint.

Id ipsum sancitum est in Concilio Palentino anni 1322. *In Ecclesiis tot secundùm Canones instituendi* Can. 9.
*sunt Clerici, quot possunt de earum reditibus commodè sustentari, &c.* Nicosiense in Insula Cypro Conci- Can. 6.
lium anno 1340. Canonicos supernumerarios suffragio tantùm & almutiæ usu privavit, donec Præbenda aliqua donarentur.

XV. Stata ergo illa & inconcussa fuit lex, ut reditibus Ecclesiæ accommodaretur numerus Canonicorum, augesceret iis excrescentibus, iis decrescentibus decresceret. Ideo & Innocentius III. in confirmando statuto Capituli Ferrariensis, quo præfinitus fuerat numerus Canonicorum: pronuntiavit eo statuto præceptum esse, aut præcipi debuisse, ut & in ejus confirmatione, ut tandiu valeret & statutum, & statuti confirmatio, donec Ecclesiæ proventibus tanta fieret accessio, quanta pluribus alendis sufficeret. *Cùm in Constitutione prædicta &* C. Cum M. Ferrariensis. De Constitut.
*confirmatione Sedis Apostolicæ, vel fuerit, vel esse debuerit, sicut consuevit, expressum, nisi in tantum excrescerent Ecclesiæ facultates, quod pluribus possent sufficere competenter.*

Usque adeo ergo ratum fixumque est, augescentibus Ecclesiæ rebus augendum quoque Canonicorum esse numerum, ut irrita & caduca habeantur tum statuta, tum eorum confirmationis Apostolica etiam decreta, nisi ea generalis & pernecessaria inserta sit clausula: quæ & semper inserenda insertaque supponitur, ita jubente Ecclesiæ lege & consuetudine. Ejus autem disciplinæ ea in promptu est ratio, quòd cùm res Ecclesiæ patrimonia sint pauperum, dispensari eas necesse est prout cuique opus est, & levandæ inopiæ, non alendo luxui, & saginandæ superbiæ. Itaque duæ illæ Canonum species quas attigimus, ut numerus Canonicorum definiatur, utque ne una Præbenda in duos scindatur, in id unum collimant, ut succurratur indigentiæ Canonicorum, utque ne mendicitati ejusmodi fiant obnoxii, qua eorum ordo & dignitas deturparetur. Qui Canones hos accuratè perlegerint, hanc ibi rationem includi facilè intelligent.

Ideo & in plures unam secari Præbendam vetabatur, quòd is fuisset Præbendæ constituendæ modus, ut esset quo aleretur, non quo luxuriaret Canonicus. Ab exordio Præbendæ fuerant panis & vi- Fagn. in
ni, adeoque meræ distributiones & quotidianæ, ut l. 2. part. 2.
vesci possent Canonici, non ditescere. Nec enim pag. 155.
ejusmodi species poterant ultra necessitatis modum

ferè crescere. Ubi postea agri cœpere fundique assignari Canonicis; & his quoque adhæsit Præbendæ nomen, quòd ii Præbendæ locum implerant, nec modum excederent. Convenit quidem Canonistia non creandas necessariò esse Præbendas novas, nisi iia ex proventibus, qui in commune adhuc à Capitulo possideotur, non ex singularnm augmentis Præbendarum, quæ fructus videri possunt, non magia agrorum, quàm Canonicorum industriæ. Sed hæc superfluitas rei, quæ origine & natura sua ipsa patrimoniom est pauperum: non facilè mihi videtur ei doctrinæ conciliari posse. Nisi dicatur, non enim unum superesse modum canonicæ sanctissimæque dispensandi superfluam abundantiam patrimonii pauperum, si novi inde creentur Canonicatus: sed abundè & caoonicis satisfieri regulis & rerum Ecclesiasticarum naturæ, si superflua omnia in pauperes quomodocumque spargantur. Certum est etiam ad hunc sensum revocari debere Concilii Tridentini Decretum, ne plures quàm quaon ali possunt, in Monasteria admittantur: nisi videlicet vel redituum, vel eleemosynarum tanta facta sit accessio, quæ angendo numero sufficiat.

*Fagn. ibid. pag. 158. & in l. 3 Part. 1. p. 158. 127.* Cùm à sacra Congregatione pronuntiatum sit, posse ab Episcopo creari Canonicos ultra nomerum præfinitum: cúmque eo jure Capitolum etiam uti semper potuerit: quæ primò vacatura est Præbenda, supernumerario desponsa haud dubio & addicta est. Non quo promitti ei potuerit, simoniacum anim irritumqoe id fuisset: non quo eam exigere quasi soo ipse jura & arrogare possit: nec enim jos ai ullum vel actio ad id suppetit: sed quia Canones addixerunt primò vacaturas Præbendas, vel communium redituom superflua sopernomerariis Canonicis. Cæterùm id jus Episcopi quasi residuum vestigium & frustulnm est vetustissimæ ejus potestatis, admittendi quoscumque sibi collibitum esset, in suum collegiom & cœtum Clericalem.

Nec ambigi etiam potest, quin necessarius sit assensus Capituli, ut augeri possit ab Episcopo Canooicorum numerus, sive præfinitus fuisset ille, sive non fuisset. Si numerus autem à Sede Apostolica confirmatus fuisset, non posset illum Episcopus amplificare, nisi magnopere exerevissent Ecclesiæ *Ibidem.* reditus juxta Innocentii III. jam memoratam Decretalem. Denique novorum hæc creatio Canonicorum certa ratione niti debet: informandi illi sunt & subjiciendi ministeriis Ecclesiæ; oec ultra priscum numerum longiùs quàm par est, evagari licet.

Quoad jus autem supernumerariorum Canonicorum, sedendi in superioribus sedibus, ferendi suffragii in Capitulo, & fruendarum in commune distributionum, nihil jus canonicum præfiniit, *Ibid. in l. 3 Part 1. pag. 127. 128.* ideoque suis quæque nioribus Ecclesia quælibet delectari potest, vel eorum voluntati obsequi, qui authores sunt novæ creationia hujus.

Cùm Concilium Tridentinum potestatem fecerit Episcopis, varias tentandi artes, ut augeatur reditua Canooicatuum, tam in Cathedralibus, quàm in Collegialibus Ecclesiis, ubi ii etiam adjunctis distributionibus impatea & tenniores sunt: idque *Sess 24. c. 11* fieri decreverit cum consenso Capituli: denique cùm patiatur ot oumerum etiam imminuant, qoo reditus augeantur, manifestè patet eam fuisse Concilii meotem, ut hæc omnia consensu & conspiratione Capituli Episcopique profligarentur. Blesensi *Art. 25.* apud Francos Edicto confirmata ea est Episcoporum potestas, ad amplificandos Canonicatuum proventus, vel minuto eorum numero, vel unione Beneficiorum simplicinm non Regularium, dum is semper supersit Canonicorum numerus, qui celebrandis sufficiat divinis Officiis.

Concilio Mediolanensi V. prohibitom est creari novos & supra numerum Canonicos, nisi gravi necessitata & rarò. *Si quos aliquando ut jure permissum est Canonicos supranumerarios creari contigerit, id justis solùm causis ac penè necessariis, iisdemque comprobatis, & perrarò quidem fieri statuimus.* *Act. Eccl. Medial pag. 269. 270.* Cum Beneficiarii ejusdem Ecclesiæ in supernumerarioa Canonicos provehuntur, ne tum quidem cessare possunt ab officiis & ministeria, quibus antè obligabantur. Si verò ejusmodi sint ea ministeria, quæ Caoonicorum dignitati minùs consentiant, non debuerant illi in eum ordinem protrodi.

XVI. Capellani, Vicarii, Portionarii, Semicanonici, Supernumerarii, Canonicorum veluti Substituti sunt & Coadjutores. In Concilio Beneventano anno 1091. expuncti sunt Capellani, qui excreverant præter statutam Capituli & Episcopi voluntatem. *Capellanos qui contra statutum numerum in Ecclesiis sine consensu sui Episcopi militaverint, interdicimus, &c.* *Can. 3.*

Ioter Constitutiones Ecclesiæ Lugdunensis anno 1251. hæc inter Canonicos discrimina observantur: *Sicut in eadem Ecclesia majores Canonici, & alii minores Prabendarii, & iterum duodecim Capellani, quorum nullus in sua institutione percipit beneficium temporale, praterquam quotidianam Refectorii distributionem.* *Conc. Gen. To. 11. par. 1534.* Concilium II. Coloniense anni 1536. Vicarios contestatur, cùm Canonicorum Vicarii sint, ot choro intersint, cùm illis non licet vel per ægritudines, vel per urgentissimas occupationes: tam necessario officio deesse eos non debere, vel privatum iri, non distributionibus tantùm, sed etiam proventibus ipsis suis: *Incipiant intelligere cur Vicarii dicantur, superpelliceis quoque utantur. Cujus enim vices gerent, nisi Canonicis adjutores accedant, horum nimirum qui vel adversa valetudine detenti, vel negotiis necessariis avocati interesse non possunt, &c. Suspensionis pœna etiam à fructibus, nedum quotidianis illis qui distribuuntur, sed à grossis quoque pro culpa modo animadvertendum in non parentes.* *Can. 12.* Anno 1565. Concilium Cameracense edixit, ot Vicarii decantandis divinis Officiis addicti, *Vicarii qui Canonicas horas in Choro cantant*, vel Presbyteri essent, vel in Ordine sacro quopiam, aut saltem Lectores, & si fieri posset, fibula continentiæ constricti. *Can. 15.* Singularis fortan mos ille fuit Ecclesiæ Parisiensis, nt Clericos haberet nocturnis matutinisque Officiis decantandis dicatos, quoa vocabant *Clericos Matutinales*. Extat Charta Capituli anno 1260, qua eorum stipendia aucta sunt. Ecclesiæ Carnotensi & aliis nonnullis *Clerici Matricularii* erant, præter Canonicos & *Clericos de Choro*. *Gall. Christ. To. 1. pag. 446 447. Analecta Mabil. To. 2. pag. 577.*

Portionarii & Semiportionarii Ecclesiarum Hispaniæ idem persæpè sibi juris arrogare voluerunt, atque Canonicis, in Capitulis Cathedralibus, ubi patet illis aditus in Capitula, ad disceptandas causas ejusmodi, in quibus res eorum agitur. At constantissimè responsum est à sacra Congregatione Concilii, in nullam partem eos venira posse, vel honorum, vel privilegiorum Canonicis communium: nec sumere quidquam sibi eos posse, nisi quod privata illis indulserit cujusque Capituli consuetudo. *Fagnan l. 1 Par. 2 p. 56.*

XVII. De Canonicis Laicis opportuniore alibi loco disputatio instruetur. Sed paucis hîc obiter attingendum

attingendum est aliquid de Præbendis, quæ ab Episcopo & Capitulo conferebantur Religiosis Cœtibus, ut eos sibi quodammodo coagmentarent, & vinculo tam honesto astringerent arctiùs sanctimoniæ vitæ Regularis. Tria ea sunt cum primis memoranda; 1. Reliquis Congregationibus Religiosis assignatas fuisse Præbendas in Ecclesiis Cathedralibus, quarum Collegio his beneficiis conglutinabantur. 2. Eo quasi nexu magis magisque eas illigatas fuisse observantiæ religionis, cùm contemplatione prioris regularitatis collatæ illis essent hæ Præbendæ. 3. Tunc Regularem disciplinam observari solitam fuisse in Capitulis ipsis Cathedralibus, quo indebatur illis ea religiosa proclivitas ad amplexandos implicandosque suo gremio Regulares cœtus omnes. Hæc elucescunt omnia ex litteris Gregorii VII. ad Canonicos datis Ecclesiæ Collegialis Lucensis sancti Martini: ubi eos hortatur, ut referant se ad vitæ communis societatem & regularem observantiam, vel Episcopo Præbendam restituant,

L. 6. Ep. 33. qua donati ab eo sunt. *Moneo ut communem vitam vivatis, & ut omnia bona vestra in communem utilitatem redigantur, & communiter expendantur: aut si id facere recusatis, Ecclesiæ Præbendam in manu Episcopi ad Ecclesiæ utilitatem reddatis.* Alexander III. ad Decanum & Capitulum Parisiensis Ecclesiæ scribens, præcipit, ut juxta eorum postulata, Præbendæ Conventibus Religiosis addictæ, privatis deinceps con-

Conc. to. 10. pag. 1853. ferri nequeant. *Cùm quædam Monasteria & Ecclesiæ Præbendas habeant in Ecclesia vestra, &c.* Prolixiùs nos alibi ea de re.

## CAPUT XI. *P. 4. l. 1. c. 48.*

### De Collegialibus Ecclesiis earumque Capitulis. De Canonicis Regularibus, & de vitæ Communis societate in Cathedralibus & Collegialibus Capitulis, post annum Christi millesimum.

*I. Quo tempore reviviscere cœperit vita communis in cœtibus Ecclesiasticis. Id munimentis instar fuit adversus incontinentiam in Clero grassantem. Decreta in eam rem Conciliorum & Pontificum Nicolai II. & Alexandri II.*

*II. In hæc Decreta animadversiones quædam. Non omnino astringebantur rerum omnium abdicatione.*

*III. Hinc emerserunt duæ species Clericalium Congregationum: aliis privatim renunciantibus duntaxat Ecclesiasticis possessionibus, aliis etiam patrimonio.*

*IV. Manavit & ad laicos hæc Cleri repurgatio morum.*

*V. Ejus rei rudimenta aliqua præsentaverat sanctus Romualdus.*

*VI. Abdicatio Beneficiorum tantò facilior tunc erat, quòd recentissima adhuc esset eorum institutio, vel aliorum ab aliis divisio: quodque plures ea vel redemissent, vel usurpassent.*

*VII. Lentissimus fuit ejus reformationis progressus. In eo promovendo non parum operæ & industriæ posuit Ivo Carnotensis Episcopus, instituta Clericorum Regularium Congregatione.*

*VIII. Quando his Canonicis nomen & Regulam addiderint beati Augustini.*

*IX. Quæ demum fuerit ea Regula.*

*X. Minime diuturna fuit ea communis & regularis vitæ innovatio in Cathedralibus Capitulis, etsi diutius eorum aliqua illam retinuerint.*

*XI. Et illa maximè, quæ Monachis constabant.*

*XII. Eam redintegrare tentarunt aliqui Præsules sanctitate eximii.*

*XIII. Horum Clericalium Collegiorum fundatores authoresque ferè fuere Episcopi. Sola eorum authoritate excitari poterant Ecclesiæ Collegiales.*

*XIV. Erat & cum seipsas ipsæ propagarent.*

*XV. Canonicorum Regularium & Monachorum discors concordia.*

I. DElapsi pedetentim sumus ad Ecclesias Collegiales, & ad communis vitæ observantiam, quæ per plura sæcula in iis viguit. Ordiemur ergo à vita communi, quæ plerisque in Capitulis Cathedralibus Collegialibusque non ita pridem retinebatur adhuc.

Refert Adamus nobilis Historiæ scriptor, Unuanum Archiepiscopum Hamburgensem in Borealibus primùm Ecclesiis instituisse metam Clericorum Congregationem, cùm hactenus cœtus Religiosi omnes indiscriminatim ferè Monachos simul Clericosque complecterentur. *Unuanus primus omnium* Adam l. 3. *Congregationes ad Canonicam regulam traxit, quæ* c. 33. 34. 35. *antè quidem mixta ex Monachis & Canonicis conversatione degebant.* Sed ingenuè confitendum est Baron. an. sub Nicolao demum II. aut Alexandro II. restitu- 1063. n. 7. tas fuisse, multiplicatasque Regulares Clericorum Congregationes, sive in Cathedralibus, sive in Collegiatis Capitulis. Tanta enim in Clerum penè omnem Occidentalem exundaverat incontinentiæ colluvies, ut cohiberi eam desperatum sit, nisi Clerici superiores omnes à sæcularium contubernio abjuncti, in Claustra compingerentur, ubi sanctitatem sacerdotii Religiosæ vitæ exercitiis conjugarent. Evidentissimè id patet ex Canone duorum Romæ Conciliorum sub his duobus Pontificibus anno 1059. & 1063. Ibi enim post verba facta de Presbyteris & Diaconis, quibus solis in hac nova Disciplinæ Ecclesiasticæ restauratione, impacta est inexorabilis lex continentiæ: invitantur mox iidem, & tantumnon jubentur, ut in communis vitæ societatem omnes conveniant, cujusmodi fuit Clericorum vita auten Apostolicorum temporum sæculo. *Et præcipientes statuimus, ut hi prædictorum* Can. 4. *ordinum, qui prædecessoribus nostris obedientes, castitatem servaverint, juxta Ecclesias, quibus ordinati sunt, sicut oportet religiosos Clericos, simul manducent & dormiant, & quidquid eis ab Ecclesia competit, communiter habeant. Et rogantes monemus, ut ad Apostolicam communem vitam summopere pervenire studeant, quatenus perfectionem consecuti, cum his qui centesimo fructu ditantur, in cœlesti patria mereantur adscribi.*

II. Tunc ergo restitui cœpta est in omnibus Capitulis vita communis, quæ præsidio esset adversùs incontinentiam, quæ jamdiu Ecclesias & Clerum omnem populabatur. Id his innuitur verbis: *Ut hi qui obedientes prædecessoribus nostris castitatem servaverint, &c.* 2. Nec ea statuta consilii vim habuerunt, sed præcepti: *Præcipientes statuimus.* 3. Ea lex Occidentem universum complectebatur. Intererant enim his Romanis Conciliis centum amplius Episcopi, & annixi sunt ejus ævi Pontifices omnes, ut universalibus his Conciliis mederentur ei pesti, quæ totam Europam depascebatur. 4. Hoc Canone vita communis indicitur rursum Clericis, non ut sit omnibus domus, una posthac mensa. Quoad abjectionem verò rerum temporalium, ea ad proventus Beneficiorum restringitur, Canonicisque permittitur patrimonio uti fruique privatim. *Et quidquid eis ab Ecclesia competit, communiter habeatur.* Ostensum est suprà eidem temperamento acquievisse Regulam eam Canonicorum, quæ sub Ludovico Pio concinnata est, patrimonii possessione Canonicis permissa. 5. Videntur tamen hoc Canone urgeri Canonici ad regularitatem perfectam, cujus summa est omnium prorsus rerum abdicatio; cùm exemplum objicitur Apostolorum & Apostolici Cleri, etsi tamen disertè non aliud se testificetur,

quàm rogare & monere. *Rogantes monemus, &c.*

III. Hinc, ex his nempe Conciliis manavit longè pulchrior disciplinæ forma in omnia ferè Capitula, aliis unum id amplectentibus, quod imperatum fuerat, & inter vitæ communis otia atque delicias sanctissimas, possidentibus opes fundosque Cathedralium & Collegialium Ecclesiarum: aliis ad perfectionem Consiliorum Evangelicorum grassantibus, & nuntium remittentibus patrimonio terreno, ac peculio cuicumque, ut cœlitum beatorum vitam jam hinc initiarent in Congregationibus Canonicorum Regularium. Duo videlicet tum illuxerunt orbi genera illa Congregationum Clericalium.

IV. Ex hoc charitatis incendio evolarunt & scintillæ in laïcos aliquæ. Author est enim Bertholdus passim per universam Germaniam laïcos magno sanè numero confluxisse in Monasteria Monachorum & Clericorum, ut his ducibus ad arcem properarent pietatis & perfectionis, se suaque omnia

Baron an. 1091. n. 4. 5. 6. Deo dicantes. *His temporibus in Regno Teutonicorum communis vita multis in locis floruit, non solum in Clericis & Monachis religiosissimè commorantibus, verum etiam in laïcis, se suaque ad eandem communem vitam devotissimè offerentibus. Qui etsi habitu nec Clerici, nec Monachi viderentur, nequaquam tamen eis meritis dispares fuisse creduntur, &c. Nempe ipsi abrenunciantes sæculo, se & sua ad Congregationes tam Clericorum, quam Monachorum regulariter viventium devotissimè contulerunt: ut sub eorum obedientia communiter vivere, & eis servire mererentur.* Patrocinio suo tutatus est Urbanus II. ferventissimos hos imitatores primigeniæ Ecclesiæ adversùs invidorum & obtrectatorum calumnias. *Eandem conversationem dignissimam, quòd in primitiva Ecclesia forma impressa est, judicantes, approbamus, confirmamus, &c.* In ipsos vicos & villulas manavit hic fervor, ubi innumera hominum utriusque sexûs & puellarum etiam examina, sæcularis pompæ atque vanissimis opibus renunciarunt, vitam deinceps religiosam sub Presbyterorum regimine ducturi.

V. Sed ad Congregationes reflectenda oratio denuo est, quæ in arctiorem disciplinam innovari jam cœperant, ævo studioque beati Romualdi, teste Petro Damiani in ejus vita: *Constituit itaque vir* Cap. 25. *sanctus plures Canonicos & Clericos qui laicorum more sæculariter habitabant, præpositis obedire, & communiter in Congregatione vivere docuit.*

VI. Tantò pronius tunc erat Canonicos & Beneficiarios adducere, ut assentirentur longè pulcriori, tutiori & expeditiori rationi possidendi reditus & fundos Ecclesiasticos in communi, quantò eorum sectio tunc erat recentissima, poterantque aliqui suspicari, aut subvereri, ne ea esset innovatio periculi plena, aut si fortè usurpatio. Id planum fiet ex Epistola Gregorii Papæ VII. ad Canonicos Lugdunenses, quos adhortatur ad imitandum Decanum Ecclesiæ suæ, qui exuerat se Benefi-

L. 6 Ep. 36 ciis omnibus sine eorum assensu impetratis. *Prudenti ac salubri consilio ductus, obedientias Ecclesiæ cæteraque Beneficia, quæ sine communi consensu fratrum acquisiverat, in manus nostras sponte renunciavit, & se ulterius non intromissurum promisit.* Est id prorsus exemplum primæ divisionis, ne dicam dissipationis fundorum Ecclesiæ inter Canonicos, vi nonnunquam adhibita, & citra Capituli assensum: aliquando assensu pecuniis expugnato, ut ibidem insinuatur: *Tam hi qui furto subduxerunt, quam hi qui obedientias, vel Ecclesiæ dispensationes pretii pactione adepti sunt.* Addit denique Pontifex ad usurpationes hujusmodi prævertendas, fulmina aliquando crepuisse excommunicationum, sed plerumque ad eos terrores obsurduisse homines avaritiæ fascino excantatos.

Nec Simoniæ minor quàm incontinentiæ infamia Clerum omnem dehonestaverat. Ut mala bene vertit Deus, eo dedecore perterriti complures, Beneficiis cesserunt, quæ imprudentibus ipsis emerant, ingesserantque parentes, aut propinqui alii carnales. Ita exonerati tutam se in stationem conferebant Regularium Congregationum. In his fuit ille fama notissimus Matthæus, qui Cardinalis tandem Albanensis creatus est. Is tum salubertimo concussus terrore, Beneficia omnia resignavit in manus Episcopi sui, Ordinique se devovit Cluniacensi, necdum sibi satis consultum fore putans inter greges Canonicorum, ubi necdum experiebatur regnare tam necessarium Clericis terrenarum rerum fastidium, ut quorum portio & hæreditas Deus ipse sit. *Videbat institutis illis Clericorum nihil* Bibl. Clun. *propè Religionis inesse, multa ibi simulari, pauca in ve-* pag. 1303. *ritate geri, ambitione, cupiditate, æmulatione cuncta interturbari, & sub tonsura vel habitu Clericali, rectius mercenarios, quam Canonicos posse vocari.* Ea sunt verba Petri Venerabilis, Abbatis Cluniacensis.

VII. Nihil exaggeratè dicebatur in his tam acerbis exprobrationibus. Idque in causa fuit, ut mentem appulerint tandem Canonicorum Collegia ad elimatam vitæ communis & perfectionis formam. Ea tamen rerum conversio non poterat non magnæ molis esse, & diuturni laboris. Ideo & suam & Christianæ Reipublicæ vicem dolebat Ivo Carnutensis Episcopus, quòd vita communis, ad quam tot rationibus stimulantur Clerici, tam infrequens esset adhuc, ut toto orbe exulare videretur. *Hæ* Epist. 215. *sententia Apostolica nullum Clericum à vita communi excipiunt, nec civilis, nec suburbanæ Ecclesiæ Presbyterum: Quòd verò communis vita in omnibus Ecclesiis penè defecit, tam civilibus, quam Diœcesanis, non authoritati, sed desuetudini & defectui adscribendum est, refrigescente charitate, quæ omnia vult habere communia, & regnante cupiditate, quæ non quærit ea, quæ Dei sunt & proximi, sed tantum quæ sunt propria.*

Nec tam fœdis vulneribus lacrymas infudisse contentus Ivo, remedia etiam paravit; & omni virium contentione ad redintegrandam Clero vitam communem & à terrenis curis expeditam connixus est. Monasterii sancti Quintini apud Bellovacos Præfecturam ipse gerebat, Præpositi nomine. Hîc primum Reformationis novæ specimen auspicatò edidit. Hoc illi Seminarium veluti fuit, ubi Canonicos Regulares ita excoluit, ita virtutum Clericalium opibus cumulavit, ut eorum complures ad alios aliosque ablegarit deinceps Episcopos, qui in eorum Ecclesiis consimiles instituerent vitæ Regularis Colonias. Hinc illi ea parta gloria est, ut author, vel restaurator habeatur Canonicorum Regularium sancti Augustini. Vincentius Bellovacensis, sanctus Antoninus, & Onuphrius eo illum exornant encomio ad annum 1078. *Sub ipso cœpit reflorere Canonicus ordo primum ab Apostolis, postea ab Augustino regulariter institutus.*

VIII. Facilè his Scriptoribus obrepserit error aliquis, ut sibi persuaserint Canonicos Regulares Ivonis sibi blanditos esse nomine & Titulo beati Augustini, aut aliquam venditasse, sibique vendicasse quasi Regulam Augustini. Ne vestigium quidem ejus rei, aut vel umbra deprehendi potest in

omnibus Ivonis Epistolis. Epistola ducentesima octogesima sexta, quæ in postremis occurrit editionibus, nusquam occurrit in antiquioribus. Unde proclivis suspicio imposturæ. Anno 1090. Gerardus Cadurcensis Episcopus Cathedralem Ecclesiam Canonicis Regularibus instruxit, quibus & dotem sufficientissimam assignavit: verùm de Regula sancti Augustini altum tunc silentium. Fatetur ipsemet raram & penè inauditam iis locis rem eam
*Spicil. to. 8 pag. 161.* tum fuisse: *Cujus rei cum nulla, vel rara in partibus nostris invenirem vestigia, &c.* Unde & Sigebertus simpliciter scripsit Ordinem Canonicorum Regularium ab Apostolis primò institutum, & ad vitam communem redactum à beato Augustino, refloruisse sub Ivone Carnotensi. *Canonicus ordo primùm ab Apostolis, postea à beato Augustino regulariter institutus, sub Ivone cœpit reflorere.* Quin & id de Gallia sola intelligi debet. Jam enim vidimus à beato Romualdo, tum à Concilio Romano sub Alexandro II. innovatum fuisse fervorem priscum vitæ Regularis. Sed nusquam ibi mentio Augustini. Sed invictissimum ejus rei ducitur argumentum ab institutione Canonicorum Regularium Ivonis in Ecclesia sancti Georgii apud Trecas. Philippus Tricassinus Episcopus novi Monasterii fundamenta jecit anno 1085. suffragante Capitulo, & accersito cum aliquot ex Canonicis suis Ivone ipso, Præpositum tum adhuc agente sancti Quintini Bellovacensis: accepitque ab eo Regulam, non sancti Augustini,
*Spicil. to 11. pag. 302.* sed Ecclesiæ sancti Quintini Bellovacensis. *Domno itaque Ivone Abbate Trecis in Capitulo beati Petri residente, hac ratio approbata est ex utraque parte, ut fratres sancti Georgii à sancto Petro sua teneant, à beato autem Quintino Regulam.* Quod eò redit, ut illud Canonicorum Regularium novum Collegium, quoad temporalia obnoxium esset Ecclesiæ Cathedrali Tricassinæ, & quoad spiritale regimen à Collegio sancti Quintini Bellovacensis ejusque Præposito. Si verò anno 1228. in Confœderatione Abbatum sancti Joannis de Valle apud Carnutas, & san-
*Ibidem. pag. 307.* cti Quintini apud Bellovacum, Ivoni Carnotensi id laudis ascribitur, quòd Ecclesiam sancti Quintini Regulæ sancti Augustini subjecerit; id inde manavit, quod ea opinio tunc, ea & loquendi ratio pervagata esset, & quidem tanto potiori jure, quanto constabat Ivonem suis in Cœnobiis eadem illa æmulatum esse instituta, quæ Regulæ Augustini ascribuntur. Lutolfus Decanus Tullensis referente Bertoldo Presbytero instituit anno 1095. juxta Tullum Leucorum Abbatiam Canonicorum Regularium sub Regula sancti Augustini, quod & ab Urbano II. confirmatum est. *Clericos secundum Regulam beati Augustini vivere professos congregavit, &c. Dominus Urbanus Papa firmissimè decrevit, ut Clerici illius loci Regulam sancti Augustini in perpetuum custodiant.* Pauco pòst etiam tempore coævus author vitæ sancti Gebehardi Salzburgensis Archiepiscopi affirmat Conradum ejusdem urbis Archiepiscopum Cathedrales Canonicos ad communem & regularem vitam sancti Augustini adduxisse: *Majoris Ecclesiæ Clericorum vitam in melius informavit, & communem*
*Baron. an. 1011. n. 25.* *vitam Canonicorum sancti Augustini illi initiavit.* Aliquantò antè Urbanus II. Papa ad Rogerium scribens Suessionensem sive Abbatem, sive Episcopum supponit fuisse Canonicos Regulæ addictos beati
*Epist. 18. Append.* Augustini: *Propositi vestri ordinem secundum Regulam beati Augustini, &c.* Innocentius quoque II. ad Abbatem sancti Memmii Catalaunensis urbis scri-
*Epist. 11.* bens, ita habet; *Nullus ibi nisi Regularis Canonicus, & secundùm beati Augustini regulam subrogetur.* Con- *Can. 6*
cilium autem Remense anni 1131. cui præfuit idem Innocentius II. Regulares omnes in duas digessit classes, Monachorum, qui beati Benedicti: & Canonicorum, qui beati Augustini Regulam sectarentur, utrosque peræquè arcens à studiis legum & medicinæ. *Spreta beatorum Magistrorum Benedicti &* *Can. 9.*
*Augustini Regula.* Eadem verba usurpata sunt in Concilio II. Lateranensi sub eodem Pontifice. Ana- *Epist. 11.*
stasius IV. Papa iisdem quoque utitur verbis, de Canonicis agens Regularibus sancti Joannis Lateranensis Romæ: *Ordo Canonicorum ibi secundùm beati Augustini Regulam noscitur institutus.*

Privilegia & Diplomata promuntur Urbani II. & Paschalis II. concessa Abbatiæ & Abbatibus Canonicorum Regularium sancti Ruffi in Diœcesi Avenionensi, unde illis nomen, quanquam ipsa sancti Ruffi Abbatia, quæ caput est totius Congregationis, sita sit apud Valentiam in Delphinatu. Anselmus porro Havelbergensis Episcopus in Dialogis suis, cum de his Canonicis agit, beati Augustini Regulæ *L. 1. c. 10.*
illos subjicit: *Augustinus Hipponensis Episcopus, col-* *Spic. to 13.*
*lectis non falsis fratribus vita Apostolica praelegit vive-* *pag. 93. 111*
*re, quibus etiam Regulam vivendi in communi præscripsit. Cujus vestigia sequens quidam religiosissimus N. de sancto Ruffo in Burgundia tempore Urbani Papæ surrexit, qui collectis in eadem canonica professione fratribus totam illam Provinciam primò illuminavit.* Agit & mox de Congregatione B. Norberti: *Surrexit in eadem professione Norbertus tempore Gelasii Papæ.* Alibi autem idem Anselmus Monachos omnes Benedicti, Canonicos Augustini Regulæ mancipat: *Nec Monachos, qui sub Regula beati Augustini Apostolicam vitam gerunt, imitamur, &c.* Hos ille Dialogos Eugenio III. dicavit, nec tunc amplius dubitabatur, quin Regulares Canonici Regulæ & vexillo sancti Augustini sese omnes inscripsissent. Jacobus de Vitriaco agens de Abbatia sancti Victoris apud Parisios fundata, ut volunt, anno 1113. à Rege Ludovico Crasso, eam quoque Regulæ subjicit sancti Augustini. *Supra firmum & stabile fundamentum Regulæ* *Hist. Occid.*
*sancti Augustini.* Secernit Bernardus in Epistolis suis *c. 24.*
Canonicos sancti Augustini à Monachis sub beato *Epist. 2 3.*
Benedicto militantibus: & initio libelli de Præceptis & Dispensationibus commemorat Regulas sancti Basilii, Augustini & Benedicti. Stupere se ait Stephanus Tornacensis, qui Canonicos se jactent Grammontenses, cùm Augustini Regulam non sectentur.

Nullus ergo jam ambigendi locus, quin circa annum Christi centesimum supra millesimum cœperint Canonici Regulares vestiri nomine & gloria Augustini: quod sæculo IX. factum non fuerat. Plana & expedita ratio est, consultóque id factum videri potest, ut duodecimi sæculi Regulares Canonici sejungerentur ab iis, quibus sub Ludovico Pio sæculo nono Concilium Aquisgranense Regulam temperaverat. Hi quippe qui undecimum illustraverunt sæculum Canonici Regulares, Clerum Augustini omnino æmulabantur, pari terrenarum rerum omnium abdicatione; quum patrimonio non renunciarent, qui sub Ludovico Pio floruerant.

IX. Id enimvero est, quod videtur tunc significatum fuisse per Regulam, ut dicebatur, Augustini. Nec enim ullam Augustinus Regulam specialem suo Clero lucubravit, contentus exemplo & regula Apostolorum, quos certissimum est & communem vitam professos esse, & terrenorum omnium abdicationem. Sed juvabat Regulam hanc ab Augustino

non scriptis mandatam, sed uso & moribus firmatam, objicere Regulæ Concilii Aquisgranensis, quæ quanquam longè humanior, scripta tamen magis fuerat, quàm moribus invecta.

Quibus ita constitutis, facilè intelligitur potuisse affigi Augustini nomen posterioribus Constitutionibus sive Ivonis, sive cujuscumque demum Regularis Canonicorum vitæ propagatoris. Verbi gratia, cùm Concilium Mom-Pessulanum anni 1214. Canonicis Regularibus prohibet, ne Superpellicia unquam exuant sua, nisi dum ægri decumbunt, vel aliis occasionibus in Regula expressis, & ne dum equitant, foderatis vestibus utantur, juxta Regulam beati Augustini: *Superpelliceis semper utantur, nisi erit de permissione Regulæ, &c. juxta Regulam beati Augustini, &c.* Perspicuum est has longe posteriores fuisse Constitutiones, quas Augustini nomine & authoritate illustrare gaudebant, quòd eas se accommodassent Augustini laudatissimi imitatores.

Con. 16. 17

Istæ quippe Constitutiones ne attinguntur quidem Epistola centesima nona Augustini, qua continetur Regula, quam ille præscripsit Monialibus sub sorore ejus Præposita degentibus. Ab Hugone Menardo observatum est, à Benedicto illo Abbate celeberrimo, qui Concordiam Regularum sub Imperio Ludovici Pii concinnavit, immutatas fuisse voces quasdam hujus Augustini Epistolæ ad Moniales datæ, atque ita aptatam eam fuisse, ut videri posset Regula Canonicis Regularibus scripta. Sicut & ab eodem Benedicto, Regulæ à sanctissimis Episcopis Cæsario & Aureliano Monialibus præscriptæ, ita aptatæ sunt, ut Monachis usui esse possint. At nullo certo argumento constat, vel Ludovici Pii ævo, vel Ivonis Carnutensis, illam Augustini vel ad Moniales Epistolam, vel Monialium Regulam, Canonicis ullis Regularibus pro Regula propositam fuisse. Authori quippe Concordiæ Regularum illud longè probabilius est propositum fuisse, ut Monachis varias Regulas consarcinaret. Si tot sint autem manuscripti Codices, ut ferunt, ubi non eo loco sit hæc Epistola centesima nona, quo in vulgatis Augustini Editionibus, non alienum à fide est posteriores esse eos manuscriptos Codices, ævo Benedicti Concordiæ Regularum Compilatoris. Publicavit Benedictus XII. Papa anno 1339. in Pontificia quadam Bulla Constitutiones omnes Canonicorum Regularium, per innumeras orbis Cathedrales & Collegiales Ecclesias disseminatorum, nec ulla usquam mentio Epistolæ hujus Augustini.

Conc. to. 11. Part. 2. pag. 1799.

X. Si certò constet Gervasium Archiepiscopum Remensem restaurata Ecclesia sancti Dionysii apud Remos, Canonicos Regulares Augustini Regulæ obsequentes instituisse anno 1067. ut ex Chartis ejus Abbatiæ probari contendunt: *Canonicos ibi constitui, beati Augustini Ordinem Regulamque profitentes*: antiquissima hæc fuerit illius Regulæ memoria. Simillimum veri est, non aliud à Gervasio, quàm communicatas fuisse Abbatiæ sancti Dionysii constitutiones Ecclesiæ Cathedralis suæ, ubi communis & Regularis vitæ lex accuratissimè servabatur tunc, & à qua descitum non est nisi anno 1195. Tunc enim Stephanus Tornacensis inflammatissimas ad Decanum Remensem dedit literas, ut dehortaretur & deterreret eum à consilio jam inito abjiciendæ communis vitæ, & partiendi inter Canonicos patrimonii Ecclesiæ. In compluribus Galliarum Cathedralibus ad eam jam ventum erat temporalium Ecclesiæ bonorum divisionem: tantóque pluris intererat, ut Remensis Ecclesia ea abstineret, idque sibi præcipuum decus adsereret, supra alias Disciplinæ incuriosiores. *Singulari quodam privilegio Ecclesia Remensis inter alias Galliarum Ecclesias eminebat, perseverans cum Apostolis in communione panis & orationis, &c. Scio mansuetudinem domini Remensis Archiepiscopi tantam esse, ut facilè cedat, maximè cum generalis Ecclesiæ Gallicanæ consuetudo, singulares portiones Canonicis suis distribuendas concedat & approbet, & summi Pontificis authoritas non reclamet.* Anno 1136. Hugo Autissiodorensis Episcopus, Canonicos suos donavit multis Parochiis, earumque decimis, ea lege, ut per Quadragesimam communem agitarent vitam unique accumberent mensæ. *Ea conditione ut per singulos annos tota Quadragesima in refectorio communiter comedant.* Vestigia ea erant communis vitæ Canonicorum Cathedralium, quam pro virili parte sua Episcopi retinebant.

Defenso in Canonics Regulars L. 3. c. 31.

Epist. 160.

Spicil. to. 13. pag. 314.

Si ante annum 1200. obsoleverat in Ecclesiis Gallicanis vita communis Canonicorum, & temporalium partitio jam ubique facta fuerat in alias aliasque Præbendas; hinc confitendum erit unius non amplius sæculi rem fuisse, tam præclaram Apostolicæ Cleri vitæ innovationem. Sed multò certius est vitam communem observatam fuisse in non paucis Galliæ & alibi Cathedralibus, ante tempora etiam Alexandri II. qui eam innovavit iis in locis, ubi extincta fuerat. Ejusmodi erat, ut modò patuit, Remensis Ecclesia. Ejusmodi erat & Vesontionensis, authore Petro Damiani, qui ait ædes ibi fuisse ex uno latere Ecclesiæ, tam semotas à contubernio hominum, ut secessus & solitudo magis quàm domus videri posset: ex alia autem parte Ecclesiæ fuisse Claustrum Canonicorum, quæ schola erat virtutum eximia, atque sacrarum officina litterarum. *Claustrum est post absidam Ecclesiæ tuo duntaxat habitaculo dedicatum, ubi tam privatè, tam remotè studio potes orationis ac lectionis insistere, ut eremitica videaris solitudine non egere. Alterum quoque claustrum, ubi candidus Clericorum tuorum cœtus. Illic velut in cœlestis Athenæ Gymnasio, sacrarum Scripturarum erudiuntur eloquiis, &c.* Alibi verò idem Petrus Damiani elegantissimam exhibet imaginem Canonicorum suorum in Ecclesia Veliturensi, non communis tantùm vitæ, sed & pœnitentiæ durissimæ instituta sectantium. Anno 1145. Episcopus & major pars Ecclesiæ Bellicensis ab Innocentio II. diploma impetrarunt, ut vita communis, & bonorum temporalium in communi societate possessio restitueretur in Ecclesia Bellicensi juxta Regulam sancti Augustini. Anno 1137. idem Innocentius II. confirmavit institutionem ab Episcopo factam Canonicorum Regularium in Nicææ civitatis Ecclesia, edixitque, ut ne Episcopus quidem eligi posset ullus, nisi ex Canonicis Regularibus. *Nemo ibi præter Regulares Episcopus ordinetur.* Joannes Sagiensis Episcopus authoritate submixus Honorii III. Papæ, Archiepiscopi Remensis, & Angliæ Regis Henrici anno 1131. in Ecclesia Cathedrali sua Canonicos Regulares instituit, accitos ab Abbatia sancti Victoris apud Parisios. Arnulphus Episcopus Lexoviensis Joannis frater scripsit postea litteras ad Alexandrum III. ubi affirmat ante hanc disciplinæ restaurationem vix tredecim ibi Canonicis idonea suppeditari potuisse alimenta, tunc verò triginta sex Regulares Canonicos nulla re deficere. Qui Joanni suffectus est in Episcopatum Sagiensem, Regularem illam ab eo institutam in Capitulo vitam labefactare aggressus est, Regulares causatus

L. 3. Ep. 8.

L. 3. Ep. 10.

Gall. Christ. To. 2. p. 351. To. 3. p. 787. 967. &c.

minimè idoneos esse gerendis Archidiaconorum muneribus, & explicandæ jurisdictioni. Arnulphus ex adverso apud Pontificem decertavit, ut conatus retunderet Episcopi & pietatem firmaret Capituli Sagiensis. [*Arnulph. Epist. 25. 26. Spicil. To. 8. pag. 361.*] Sanctus Laurentius Dublinensis Archiepiscopus Canonicos Regulares in Ecclesia sua instituit. [*Surius die 14 Novem. c. 12.*] Thomas Cantuariensis Archiepiscopus Ecclesiam suam contemplatus tam multis retro sæculis à Monachis administratam, amplexus est ipse habitum & Regulam Canonicorum Regularium. Bibliotheca Præmonstratensis Compilator Ecclesias omnes olim Patriarchales, Metropolitanas & Episcopales, præsertim in Gallia, à Canonicis Regularibus administratas fuisse auguratur. [*Bibl. Præm. pag. 96.*] Quàm abludat, quàm non penitus abludat à vero hæc propositio tam vaga & arbitraria, ex antedictis utcumque intelligi potest. Referente Nangin anno 1179. sanctus Nurbertus Archiepiscopus Magdeburgensis Canonicos Regulares sui Ordinis præfecit Capitulo Ecclesiæ suæ, ejectis sæcularibus. Tradit Vuillelmus Tyrius Gottufredum Bullioneum, cùm primùm in deditionem accepit Hierosolymam, fundasse ibi & dotasse Capitulum in morem Occidentalis Ecclesiæ. [*Vuill. Tyr. L. 9. c. 6.*] Jacobus à Vitriaco docet Ecclesiam Patriarchalem Hierosolymitanæ civitatis, quæ sancti Sepulcri dicitur, administraram fuisse à Canonicis Regularibus sancti Augustini, quibus Prior erat pro Abbate, & penes quos jus erat eligendi Patriarchæ. [*Jacobus à Vitriaco Hist. Hierosol. c. 58.*]

XI. Nec pauciores forsan fuere numero Ecclesiæ Cathedrales, ubi pro Canonicis Monachi erant. Augustinus & Laurentius Apostoli Anglorum ex grege Monachorum egregii ipsi erant, & omnibus Angliæ Episcopalibus Ecclesiis pro Canonicis Monachos esse voluere. *In Episcopiis suis vice Canonicorum, quod vix in aliis terris invenitur, Monachos pie constituerunt.* [*Ordericus L. 4.*] Ducentis pòst annis irrupere Dani in Angliam, Ecclesiasque prostravere omnes. Ea vastatio sarciri cœpit Dunstani tempore & opera. Is enim demum Abbonem Abbatem Floriacensem ex Gallia in Angliam accersivit cum Monachis suis, ut Monasticam disciplinam in Anglia restitueret. Nec tamen verè redintegrata Ecclesia Anglicana, nisi tempore & industria Vuillelmi Angliæ debellatoris, & Archiepiscopi Lanfranci. [*Ordericus an. 1070. pag. 516.*] Tunc enimvero scripsit Alexander II. Papa ad hunc Archiepiscopum, ut illum excitaret adversùs eorum nefarios & procaces conatus, qui Monachos omnes Cathedralibus Ecclesiis depellere, Clericos subrogare moliebantur. *Moliuntur de Ecclesia sancti Salvatoris in Dorobernia, quæ est Metropolis totius Britanniæ, Monachos expellere, & Clericos ibi constituere; ut in omni sede Episcopali ordo Monachorum extirpetur, quasi in eis non vigeat authoritas Religionis.* [*Epist. 39.*] Deprooint autem idem Pontifex prædecessorum suorum Decreta, qui Monachos instituerant vel confirmaverant in omnibus Angliæ Cathedralibus. Vereor ne exaggeratius aliquid exciderit Joanni Salisberiensi, ubi de contentionibus agit gravissimis inter Cantuarienses hinc Archiepiscopos, inde Monachos Cathedrales. Refert Robertus de Monte ad annum 1151. ex septemdecim Ecclesiis Episcopalibus Angliæ octo fuisse, quarum Capitula implerent Monachi, unam quæ à Canonicis Regularibus occuparetur, quod non alibi facilè occurreret. *In acto eorum sunt Monachi in Episcopalibus sedibus; Hoc in aliis Provinciis, aut nusquam, aut raro invenies.* [*Epist. 217.*]

Fateor equidem has Monachorum Colonias frequentiores fuisse in Ecclesiis Anglicanis, quàm alibi gentium. Sed etsi aberant Monachi, Monastici certè instituti imitatores alibi erant seduli Cathedralium Capitulorum Canonici Regulares. Concilium Coloniense anni 1536. disciplinam Canonicorum Regularium repetit à Monachorum fontibus, velut à primæva origine. *Sint reipsa, ut sunt nomine, Canonici, id est, Regulares. Neque enim clam est, primam eorum originem, Monastica fuisse disciplina.* [*Part. 3. c. 4.*] Hujus porro Canonis non ea mens est, ut omnibus in Ecclesiis Monachis successerint Regulares Canonici: sed quod prima Canonicorum Regula à Crodogango digesta, ipsissima propemodum erat B. Benedicti Regula, Canonicis Regularibus attemperata. Fatetur Baronius Ecclesiam sancti Joannis Lateranensis Romæ occupatam primò fuisse à Monachis Cassinensibus, sub Innocentio dein II. Canonicis Regularibus eam fuisse adsignatam. Porro ea est Ecclesia Cathedralis Pontificis Romani. Concilii Lugdunensis Præsules anno 1116. præceperunt Canonicis Regularibus sancti Stephani Divionensis, ut à secessu & solitudine, quò ante annos quatuor aufugerant, suæ se rursum redderent Ecclesiæ. In Concilio Biterrensi anno 1233. Canonicis Regularibus periode ut Monachis proposita est inexorabilis necessitas colendæ continentiæ, paupertatis & obedientiæ. *Abdicatio proprietatis, continentia carnis, obedientia Regularis.* [*Can. 14.*] Concilium Salisburgense anni 1274. post enarratas Monachis Regulæ præcipuas praxes & virtutes, easdem mox ad Canonicos Regulares transfert. *Hæc eadem in Canonicis Regularibus.* [*Can. 3.*]

XII. Ex occasione vitæ communis inter Canonicos, in complusculá alia divertimus, quæ non erant tamen ab instituto sermone aliena. Non pauci postremæ hujus ætatis Episcopi, antiquæ disciplinæ ardore correpti, nullum non moverunt lapidem, ut Capitula sua adducerent ad ejusdem vitæ communis secum societatem amplectendam. Franciscus Ximenius Cardinalis, ubi primùm in Archiepiscopum Toletanum inauguratus est, Capituli Toletani Canonicos ad hunc Apostolicum vivendi tenorem allicere tentavit: *Ut Canonici & eorum socii, qui Portionarii dicebantur, ad vitæ communitatem redirent.* [*Gomezius de vita Ximen. l. 2.*] Spe frustratus flagitavit ut Ministri Altaris ea saltem hebdomada, qua vices suas obeunt, in secessum aliquem convenirent, unáque degerent. Subveriti sunt Canonici, ne Ximenius *restituendæ veteris disciplinæ cupidissimus*, & qui tum strenuam operam navabat, ut Monasteria omnia Hispaniæ repurgaret, & antiquo nitori restitueret, ejusmodi etiam aliquid in ipsos meditaretur. At Ximenius humaniùs cum illis agens, expetiit tantùm, ut ad Canonicorum Regularium instituta, quæ nuper abjecerant, sese referrent: nec vim adferre voluit, vel in ea re, vel in Ministrorum hebdomadario secessu.

Vehementi flagravit S. Carolus Borromæus desiderio, in communem vitam cum suo Mediolanensi Capitulo, unam in mensam coalescere, conflatis adunatisque Episcopatûs & Capituli reditibus, ut singulis necessaria inde suppeditarentur. Sed & ipse frustra fuit, tam præclaros ejus conatus frustrante Capitulo. Constabat ex Epistolis Eugenii III. sub Archiepiscopo Oberto in Capitulo Mediolanensi regularem disciplinam floruisse. [*Surius die 4 Novem. l. 5. c. 2.*] Bartholomæus de Martyribus Bracharensis Archiepiscopus eandem rem periclitari voluit, nec ipsi cessit felicius.

XIII. Ex his porro quæ hîc conglobata sunt hactenus, facilè colligi potuit, eam Episcoporum fuisse potissimum curam & gloriam, in Capitula ut

ſua Congregatiooes Regulares accerſerent, ſicut &
in Collegiales Diœceſis ſuæ Eccleſias. Archiepiſ-
copum Veſuntinnenſem laudibus effert Petrus Da-
miani, quòd noo ſolum Cathedralis Eccleſiæ ſuæ
Canonicos Regularis obſervaotiæ vinculo conſtric-
L. 5. Ep. 10 tos teneret; ſed & duas præterea Collegiales ex-
trueret Eccleſias. *Præter iſtas, duas alias noviter Ca-
nonicas uno ſimul eodemque tempore conſtruis.* Petrus
Epiſt. 45. ipſe Eccleſiam ſuam Veleirenſem Canonicis Regu-
laribus ornaverat. Confirmavit Alexander II. Papa
fundationem ab Epiſcopo Pataviensi in Germania
Baron. an. factam Eccleſiæ & Cœnobii Canonicorum Regula-
1124. n. 2. rium. Calliſtus II. fundationibus ejuſdem generis
Epiſt. 8. complutibus ab Epiſcopo Bambergenſi factis no-
vum robur confirmatione ſua adjecit. *Abbatias verò
& Regulares Canonicas per induſtriam tuam in Religio-
nis Ordine ſtabilitas, nulli hominum fas ſit in poſterum
immutare.*

Synod. Pariſ. In his verò ſatis præſidii eſt, ut dicamus Abbatias
iſtas & Collegiales Eccleſias propria aothoritate ab
Hiſt. Univ. Epiſcopis fuiſſe fundatas: nec Papæ interponen-
Pariſ. to 6 dam aotboritatem viſam eſſe, niſi ut ne ſucceſſores
pag. 374. Epiſcopi, aut nefarii uſurpatores pessundarent, aut
Steph. Torn. enervarent diſciplinam tam præclarè conſtitutam.
Epiſt. 85. Stephanus Tornacenſis Alexandri III. Papæ au-
thoritatem interpellavit, ut poteſtate ſua infringe-
ret Canonicorum ſæcularium procacitatem, qui
Regularibus Bleſenſis Eccleſiæ Canonicis minas in-
tentabant, & vim adferre parabant. *Oritur juxta eos,
& utinam non contra, quædam plantatio ſingularium,
ſeu ſæcularium Canonicorum, quos utrum Pater Cæleſtis
plantaverit, necdum ſcimus. Placeat oculis benevolentia
veſtra, Pater, ut jura Regularium non minuant ſæcula-
res, ut filiorum panes non comedant alieni.* Concilium
Can. 7. Colonienſe anni 1260. communem & regularem vi-
tam reſtituit inter Canonicos Provinciæ ſuæ. Ute-
bantur Præſules hujus Concilii, non alia, quàm ſui
Ordinis poteſtate, & quæ ipſo Decretalium jure
eis vendicatur; nimirum ut Canonicos Eccleſiarum
ſuarum cogere poſſent, ſtipendia omnia Eccleſiaſti-
ca io commune conferre, una domo vitam commu-
nem & ſocialem agere, numerumque ſuum rediti-
C. Quoniam bus & Officiis attemperare. En ipſa Decretalis ver-
De vita & ba: *Statuimus ut facultatibus Eccleſiarum veſtrarum,
honeſt. Cler. proventibus & expenſis diligenter inſpectis, certum in
eis valeatis ponere numerum Clericorum, & ſtatuere ut
bona eorum veniant in commune, in una domo veſcantur,
atque ſub uno tecto dormiant & quieſcant. Si qui verò
Contradictores extiterint, licitum vobis ſit per ſuſpen-
ſionem Officii & Beneficii, aut graviori etiam pœna ſi
opus fuerit, ad hanc eos obſervantiam compellere, ad-
pellatione nonobſtante.* Propiùs abeſt à vero hoc Gre-
gorii VII. eſſe Decretum, quàm aliorum cogno-
minum Pontificum; deſitque vigor ille & Decre-
torum & Epiſcoporum, poſt obitum hujus Ponti-
ficis, qui Alexandri II. & Nicolai II. ſucceſſor,
Spicil. to 12 & oon inſtrenuus zeli imitator fuerat. Anno 1135.
p 159. 162 Vatinus Epiſcopus Ambianenſis Collegium Cano-
oicorum Regularium fundavit in Eccleſia civitatis
Ambianenſis, quæ in Capituli ditione erat, illud-
que cum Præpoſito ſuo *ſubjecit Decano majoris Ec-
cleſiæ*, ita ut Præpoſitus opem invocaret Decani,
ſiquaodo opus ſibi eſſe ſentiret. *Culpas corrigat, &
in quibus neceſſe fuerit, Coadjutorem ſibi Decanum ad-
hibeat.* Anno 1145. Epiſcopus Ambiaoenſis Priora-
tum iſtum in Abbatiam erexit, cujus Abbas Capitu-
lo obnoxius eſſet ſemper.

Præcurrebant quandoque Canonici, & Epiſco-
pum ſuapteſponte ſollicitabant, ut Regularis vita
ſibi induceretur; ut conſtat ex Capitulo Romanenſi
in Delphinatu, & ſancti Saturnini Toloſæ. Conſu-
le ſi vacat litteras Gregorii VII. Papæ qui tam pia L. 1. Ep. 19.
conſilia corroboravit. Nec aliter ſe res habet in L. 9 Ep. 19.
emendatione Capituli ſancti Memmii apud Cata- Epiſt. 11.
launum, ut conſtat ex litteris Innocentii II. Papæ.

Verſant eam quæſtionem Canoniſtæ, an ad crea-
tionem novæ Collegialis Eccleſiæ neceſſariò adhi-
benda ſit Papæ authoritas. Neceſſariam multi cen- Barboſa De
ſent, qui ipſi tamen confitentur plurimos ſecus ſen- Canon. &
tire, quorum ſententiæ acceſſit & Rota anno 1625. dignitat. 2.
Joannes du Bellay Cardinalis Epiſcopus Pariſienſis n. 8.
in Capitulum & in Eccleſiam Collegialem erexit Synodic. Pa-
Pariſiis Collegium ſancti Nicolai ad Luparam, riſ. Hiſt.
quòd non antè fuerat niſi verè Collegium, ſeu Univ. Pa-
Schola, ubi litteris juvenes imbuebantur. Suffra- riſ. to. 6.
gabatur manifeſtiſſimè Epiſcopo Caput, *Quoniam*, pag. 374.
*De honeſtate Clericorum*, ubi Pontifex ſubſcribit ei
Epiſcoporum poteſtati.

Sub Eduardo I. Angliæ Rege Epiſcopus ſancti Conſtit. An-
Davidis io Principatu Valliæ, Collegialem Eccle- tiqua Reg.
ſiam erexit cum aſſenſu Regis. Anno 1286. Epiſco- Ang. p 385.
pus Dunelmenſis opulentam Parochiam Collegio 460. 461.
Canonicorum illuſtravit, quod & ab Eduardo Rege
confirmatum eſt.

Cenſent aliqui declaratum eſſe à Congregatione
Concilii eam poteſtatem Pontifici reſervari. Rebuf- Barbo. De
fus ooo aliud quàm more receptum ait, ut inter- Offic. Epiſc.
pelletur Papæ authoritas. *Hoc ſolet fieri Papa autho-* part. 3 All.
*ritate, licet quidam dicant fieri poſſe Epiſcopi autho-* 48
*ritate.* Capitula ipſa Cathedralium olim fundata do- Praxis Re-
tataque ſunt ab Epiſcopis & à Principibus tempo- buffi De
ralibus, ut ſæpiùs hactenus obſervatum eſt, no- erect. in Col-
viſque infrà firmabitur exemplis. Author eſt Hel- leg.
modus, poſtquam Geroldus Aldeburgenſis Epiſco- L. 1. c. 89.
pus aſſenſum expreſſit Saxoniæ Ducis, ut ſedem
ſuam Epiſcopalem Lubecam transferret, ſtatim
ejus authoritate inſtitutum ibi Capitulum ab eo
fuiſſe duodecim Canonicorum & Præpoſiti, quibus
& Præbendæ ſunt aſſignatæ temporibus Hadriani
IV.

XIV. Congregatiooes ipſæ Canonicorum Re-
gularium Colonias ſubinde ſui cœtûs novas in lon-
ginquas regiones, Regum & Epiſcoporum votis ac
poſtulatis ut ſatisfacerent, dimittebant. Abſalomus Baron. an.
Roskildenſis in Dania Epiſcopus ejuſmodi Colo- 1160 n. 18.
niam obtinuit ab Abbatia ſanctæ Genovefæ apud
Pariſios, ut refertur io vita Vuillelmi Abbatis Roſ-
kildenſis, qui è grege fuerat eorum, qui ablegati
eò erant. Innocentius III. Apoſtolica tuitione mu- Regiſt. 12.
nivit Canonicos Vaterfordienſes in Hibernia, qui Epiſt. 80.
reformationis ſuæ originem debebant Abbatiæ Pa-
riſienſi ſancti Victoris. Hiſtoriæ ſancti Martini Spic. to. 12.
Tornacenſis ſcriptor affirmat à ſancto Nurberto pag. 449.
triginta annorum ſpatio centum ejus Ordinis con-
ditas eſſe Abbatias. Non immeritò mirum accidet,
à Capitulis Canonicorum extructa Monachorum
cœnobia. Conſtat prorſus ex Urbano II. Corme-
riacenſe Monaſterium à Canonicis ſancti Martini
fundatum fuiſſe; unde & Cormeriacenſis Abbas
Virgam Paſtoralem à tumulo ſancti Martini repete-
re cogebatur. *Canonicorum ſtudio fuiſſe ædificatum.* Conc. Gen.
Cùm Abbatia ſancti Vedaſti apud Attrebatum habe- To. 10. 425.
ret ex adverſo Capitulum Canonicorum in ſua po- 602.
teſtate, & eadem ſecum immunitate: impetrarunt
Abbates ab Apoſtolica ſede unionem minoris hujus
menſæ cum ſua, miſſis Monachis, qui ejus Eccleſiæ
munia officiaque fungerentur. At Innocentius III. Innoc. III.
magis probavit alterius Abbatis conſilium, ut ſæcu- L. 1. Ep. 166.

laribus Canonicis ea Ecclesia commendaretur, quibus & sufficientes assignarentur reditus. *Ad amplian-dum cultum divini nominis, Canonicos saculares prout ibidem quondam fuerant, in ea ordinare desideras.*

XV. His Canonicia sedis & honoris prærogativa in suæ fundationis Monasteriis denegari non poterat: sed & universum Ordo Canonicorum antehabitus est instituti Monastici Congregationibus, ut qui portio quædam sit Cleri. *Epist. 3.* Excussit hanc controversiam Abaëlardus in Epistola quadam sua, Monachosque Canonicis Regularibus antetulit. Quæ tamen ille in eam rem disserit, ea non pertinent, nisi ad præstantiam quandam virtutum Monasticarum, & austeritatum exaggerandam. Unde & Pius IV. eam litem diremit secundùm Canonicos, cùm pronunciavit Canonicos sancti Joannis Lateranensis in Processionibus, consessibusque omnibus publicis primas honoris partes obtinere debere, ut *Spond. anno 1564. n. 15.* Clericos: at singulos eorum Ordinis Abbates, itemque sancti Benedicti Abbates in Conciliis sessuros & alibi, pro ævo & tempore suæ promotionis.

Inde est quod Concilium Augustodunense anni 1077. vetuit, ne Monachi suos in cœtus admitterent eos, qui jam illigati erant Conventibus Canonicorum Regularium. *19. q. 3. C. Nullus Abbas.* Jam diximus anno 1116. à Concilii Lingonensis Patribus jussos esse Canonicos Regulares sancti Stephani Divionensis, ut à desertis locis, in quæ secesserant, suam in Ecclesiam *Conc. Tom. 30. p. 550. 1138.* redirent. Cautum est à Callisto II. & ab Anastasio IV. ne Canonici Regulares suis ex Congregationibus dilaberentur, etiam ad austeriora cœnobia, nisi ex licentia superiorum. Urbano II. non perperam *19. q. 3.* id ascribitur temperamentum. Abruptè enim vetuerat Augustodunense Concilium sub Gregorio VII. ne ullos Monachi suum in Collegium admitterent Canonicos Regulares: hanc blandiorem clausulam addidit Urbanus II. *Sine Abbatis totiusque Congregationis permissione.* Certè eodem loco refertur à Gratiano aliud Decretum Urbani II. quo prohibentur Canonici Regulares Monasticam profiteri vitam, nisi expiandi facinoris cujuspiam, vel flagitii causâ. *Ne quis Canonicus Regularis professus, nisi, quod absit, publicè lapsus fuerit, Monachus efficiatur.* Sed tempero pluribus, uberrima enim hæc seges est, & non magnopere pertinet ad rem, quæ hic tractatur.

*Extra De statu Ord. c. 8.* Dicam tantùm Innocentium III. nihil deterritum Decreto Urbani II. concessisse, ut Monachus spectatæ virtutis & pietatis fieret Abbas Monasterii Canonicorum Regularium in Oriente, ea conditione addita, ne Ordinibus unquam initiaretur; utpote ne ea dignitate inflatus tumeret, & in subditos superciliosius insurgeret. *Accessit. Ibidem.* Adde quòd & sinebant Canones, ut Clerici Minorum Ordinum in Abbates eligerentur. *Ita videlicet quod ad sacros Ordines non ascendat; cùm instante necessitatis articulo possit in Abbatem assumi etiam in minoribus Ordinibus constitutus.* Decretali proxime concedit idem Pontifex Canonico Regulari, qui Monachicum institutum amplexus, consilio Metropolitani in priorem Conventum suum regressus erat, regimen ejus adgredi, nomine & authoritate Abbatis: quanquam illas migrationes ab Ordine uno ad alium & vetuisset Urbanus II. & certis pœnis ultus esset.

## De Abbatiis & Monasteriis. De Conjunctione Cleri & Monastici instituti.

### CAPUT XII. *P. 1. l. 1. c. 46.*

### De Origine Monasteriorum & Abbatiarum.

*I. In Oriente Paulus, Antonius & Hilarion vita ac professione Monastica originem dedere.*
*II. Probatur ex Hieronymo.*
*III. Ex Athanasio, à quo Monachorum propositum Italia accepit.*
*IV. V. Confirmatur ex Hieronymo.*
*VI. Martinus in Gallia Monasterium primus instituit.*
*VII. In Africa Augustinus.*
*VIII. Basilius in Ponto.*
*IX. Quo sensu referantur aliquando vita Monastica primordia in Apostolos, in Joannem Baptistam & ipsum Eliam.*
*X. Qui omnes virtute praluxere Monachis, non statu aut professione.*
*XI. XII. Probatur.*
*XIII. Qua ratione fierent Monachi.*
*XIV. De Gregorio Nazianzeno & Basilio.*
*XV. De Chrysostomo.*
*XVI. De Augustino. Hi Monachorum asperiorem vitam, non propositum erant amplexi.*
*XVII. Genus illud vita institutum ab Antonio est, etiamsi illius antè alii aliqua jecerint fundamenta.*

I. Cum Monasteria, Prioratus & Abbatia locum obtineant inter Beneficia perillustrem, non possumus non in eorum originem inquirere, conjunctionemque cum Clero, & potestatem amplissimam, quanquam Episcopali obnoxiam imperio. Quod ad originem spectat Monasteriorum, jam præsumptum illud animo est, & omnino exploratum, non potuisse ea ante Ecclesiæ pacem imperio Constantini partam efflorescere. Detonuisset persecutionum crebra tempestas in hæc Christianæ pietatis sacraria; utque eorum originem siluisset Historia, non tacuisset certè ruinam. Cogimur ergo confiteri cum Hieronymo & antiquis Patribus Ecclesiæ incunabula Monastici instituti in ipsis Constantini Imperii primordiis collocanda esse. Paulus, Antonius, Hilarion sanctissimæ institutionis hujus parentes, satoresque fuere in Ægypto & Palæstina; hinc ille velut gratiarum & cœlestium virtutum torrens in Orbem universum dimanavit. Versat eam quæstionem Hieronymus de antiquitate vitæ Monasticæ, initio vitæ beati Pauli, illamque diffinit secundùm eundem beatissimum Paulum & Antonium; quorum ille prima tam præclari propositi fundamenta jecit, hic & incrementa & ornamenta adjecit plurima. *Inter multos sæpè dubitatum est, à quo potissimum Monachorum Eremus habitari cœpta sit. Quidam enim altius repetentes, à beato Elia & Joanne sumpsere principium. Quorum & Elias plus nobis videtur fuisse, quàm Monachus: & Joannes ante prophetare cœpisse, quam natus est. Alii autem in qua opinione vulgus omne consentit, asserunt Antonium hujus propositi caput fuisse. Quod ex parte verum est. Non enim tam ipse ante omnes fuit, quàm ab eo omnium incitata sunt studia. Amathas verò & Macarius discipuli Antonii, quorum superior Magistri corpus sepelivit, etiam nunc affirmant, Paulum quendam Thebæum principem istius rei fuisse: quod non tam nomine, quam opinione nos quoque comprobamus.* Verissimè ergo Monachorum, seu Solitariorum primus

fuit Paulus; sed cùm propositi sui alumnos & imitatores finxisset nullos, ad Antonium rediit gloria tam sanctæ professionis, & anticipatæ in terris cœlestium vitæ; non institutæ tamùm, sed & latissimè propagatæ.

II. Ut fundamenta jecit Antonius Monastici instituti in Ægypto; ita eandem Hilarion in Palæstina & Syria laudem sibi vindicavit, Hieronymo ipso teste in ejus vita: *Necdum tunc Monasteria erant in Palæstina, nec quisquam Monachum ante sanctum Hilarionem in Syria noverat. Ille fundator & eruditor hujus conversationis & studii in hac Provincia fuit. Habebat Dominus Jesus in Ægypto senem Antonium, habebat in Palæstina Hilarionem juniorem.*

III. Scripsit Athanasius B. Antonii vitam, cúmque eam Romam secum detulisset, quando ipse eò profectus est, instar divini cujusdam seminis illa fuit, ex quo Italia cœlestium illarum fœcundari cœpit ubertate plantarum, quibus solus Oriens hactenus inclaruerat. Id narrat Hieronymus idem in Epitaphio Marcellæ, quæ prima eam professionem amplexa est. *Nulla eo tempore nobilium fœminarum noverat Roma propositum Monachorum, nec audebat propter rei novitatem, ignominiosum, ut tunc putabatur, & vile in populis nomen assumere. Hæc ab Alexandrinis Sacerdotibus, Papaque Athanasio & postea Petro, qui persecutionem hæreseos Arianæ declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerant, vitam beati Antonii adhuc viventis, Monasteriorumque in Thebaïde Pachomii, & virginum ac viduarum didicit disciplinam. Nec erubuit profiteri, quod Christo placere cognoverat.*

Paucis pòst annis Hieronymus ipse Romam venit, & non multo pòst tempore Hierosolymam ipsam Romam secum invexisse visus est, usque adeo frequentes jam passim erant ædes istiusmodi, pœnitentiæ laboribus dicatæ. Sic enim ipse ad Principiam: *Suburbanus vobis ager pro Monasterio fuit, & rus electum pro solitudine: multoque ita vixistis tempore, ut ex imitatione vestri, conversatione multarum, gauderemus Romam factam Jerosolymam. Crebra virginum Monasteria, Monachorum innumerabilis multitudo, ut pro frequentia servientium Deo, quod priùs ignominia fuerat, esset postea gloria.*

IV. Apertè profitetur Hieronymus Monasticum tunc illud institutum novitatis infamia Romæ laborasse, adeoque & invidiæ & maledicentiæ hominum patuisse. Id alibi quoque testatum facit, in Epistola scilicet ad Paulam de obitu filiæ Blesillæ: *Quousque genus detestabile Monachorum non urbe pellitur?* Illustrem quoque sibi laudem paravit Pammachius, qui inter primores hanc optatissimam crucis ignominiam vanissimæ præposuit sæculi pompæ: cúmque nobilitatis gloria circumfulgeret, ea conculcata splendidius aliquid secutus est, Monasticæ vitæ latebras sapientiæ & pietatis luce radiantes. Audi quæ ad eum perscripserit Hieronymus, cùm in luctu esset defunctæ suo fato conjugis Paulinæ. *Nobis post dormitionem somnumque Paulinæ Pammachium Monachum Ecclesia peperit posthumum, & patris & conjugis nobilitate patritium. Nostris temporibus Roma possidet, quod mundus antè nescivit. Tunc rari sapientes, potentes, nobiles Christiani. Nunc multi Monachi, sapientes, potentes, nobiles, quibus cunctis Pammachius meus sapientior, potentior, nobilior ἀρχι-στράτηγος Monachorum, &c. Quis hoc crederet, ut Consulum pronepos inter purpuras Senatorum, furva tunica pullatus incederet.* Diximus alibi de Xenodochio quod Pammachius construxit, & de consilio quod illi instillavit Hieronymus, ut in Abrahami vestigia insisteret, hospitésque & mendicos suis manibus pasceret. Diximus & suprà de Mediolanensi suburbii Monasterio sub Ambrosio, & de Vercellensi sub Eusebio sanctissimis Episcopis.

V. Ex Italia in circumjacentes Insulas facilis & brevis trajectus; itaque sanctimoniæ Monasticæ hæc deinceps fœcundissima fuere seminaria. Testem rursus excitabo Hieronymum in Epitaphio Fabiolæ. *Quod Monasterium non illius opibus sustentatum est? Angusta misericordiæ ejus fuit Roma. Peragrabat ergo Insulas, & totum Etruscum mare, Volscorumque Provinciam; & reconditos curvorum littorum sinus; in quibus Monachorum consistunt chori, vel proprio corpore, vel transmissa per sanctos & fideles viros, munificentia circuibat.* At ante Hieronymum Ambrosius: *Mare est ergo secretum temperantiæ, exercitium continentiæ, &c.*

VI. Ipse quoque Martinus priùs suum Monasterium Mediolani struxit, unde Arianorum infestatione ejectus in Gallinariam Insulam confugit: unde regressus in Gallias alterum Monasterium non procul Augustorito Pictonum struxit, cùm eò perrexisset, ut ad Hilarium Pictaviensem Episcopum se totum conferret. Postremò Turonensis Episcopatûs sede sublimatus, famosum excitavit Monasterium secundo ab urbe lapide, quod Majus Monasterium vocant. Hoc primum in Galliis conspectum fuisse Monasterium non injuria creditur, nisi eam laudem arrogare malis Monasterio & Insulæ Lerinensi, unde Sidonius Apollinaris complures sanctitate clarissimos Episcopos, Monachorum sanctissimorum ingens examen in Gallias se infudisse testatur. At cùm Honoratus qui Arelatensem postea rexit Ecclesiam, Monasterii antè Lerinensis fundator institutorque fuisset, fatendum est Monasteria sancti Martini hoc Lerinensi antiquiora fuisse annis admodum quinquaginta.

*Sev. Sulpit. in vita B. Martini, c. 4. 5.*

*Carm. 16. & L. 8 Ep. 4 & L. 9. Epist. 3.*

VII. Diximus suprà de Monasteriis Augustini Hipponensis Episcopi in Africa. Confirmat Possidius complura cum utriusque sexûs Ecclesiæ dimisisse, unde & non immeritò hanc illi adscrueris gloriam, ut primus sacratissimi hujus instituti in Africa propagator fuerit. *Clerum sufficientissimum & Monasteria virorum ac fœminarum continentium cum suis præpositis plena Ecclesia dimisit.* Fucatis idem Augustinus, personatisque Manicheorum virtutibus objectans sinceram & defæcatissimam Ecclesiæ Catholicæ Monachorum sanctimoniam, non alios commemorat, quàm eos qui Ægyptum & Orientem incolebant. Si cum hos ille lucubrabat libros Monasteriis & ipsa Africa frequentata fuisset, non tam longè petiisset sanctus Pater ea pietatis & veritatis Catholicæ munimenta. *Quis nescit summæ continentiæ hominum Christianorum multitudinem per totum orbem in dies magis magisque diffundi & in Oriente maximè atque Ægypto, quod vos nullo modo potest latere.*

*Possid in vita August. c. ult.*

*De moribus Eccl. Cathol. c. 31.*

VIII. Regrediendum nobis est ad Orientem, ubi author ipsemet est Basilius, illud sibi crimen longè pulcherrimum illitum fuisse, quod Monasticæ professioni aditum patefecisset, viamque munisset in Cappadocia. *Accusamur verò & hujus, quòd homines habeamus pietatis studiosos, ἀσκητὰς, qui mundo renuntiarint. Ego verò vitam impenderem, ut possem mihi hæc delicta impingi: haberemque apud me viros, qui me doctore hoc pietatis studium amplexi hactenus fuissent. Nunc autem & in Ægypto & in Palæstina & in Mesopotamia audio talem esse virorum quorundam virtutem, &c.*

IX.

IX. Cùm indigitata ad eum modum fuerint prima Monasticæ professionis incunabula per varias orbis Christiani Provincias; jam operosum non erit divinare, quæ vel eorum mens fuerit, qui senserunt Christiani nominis primævos sectatores, & Apostolos ipsos conditores satoresque primos fuisse Monachorum: vel eorum etiam qui in Joannem Baptistam, vel in Eliam ipsum eam laudem conferunt. Ita apertissimè Cassianus: *Cœnobitarum disciplina à tempore prædicationis Apostolicæ sumpsit exordium. Nam talis extitit in Hierosolymis omnis illa credentium multitudo, &c.* Addit porro ille ibidem cùm longè plures ex fidelibus aliquantum remisissent ex primævo illo charitatis æstu, & Christi fidem conjugio terrenisque facultatibus sociare voluissent, non paucos eorum primævi fervoris retinentiores, in solitudines secessisse, & sanctissimi instituti hæreditatem ibi traduxisse ad tempora usque Pauli & Antonii. *Istud ergo solum fuit antiquissimorum Monachorum genus, quod non modò tempore, sed etiam gratia primum est, quodque per annos plurimos solum inviolabile: usque ad Abbatis Pauli vel Antonii duravit ætatem.*

Collat. 18. c. 5.

X. Non satis video, unde suppetere possent Cassiano solida argumenta, quibus conficeret, primos Ecclesiæ Hierosolymitanæ fideles tam conjugia, quàm patrimonia repudiasse. Longè illud probabilius est, quod ait ille, fuisse semper aliquos, qui privatim otio Christiano, secessui, silentioque se dederent, & eas virtutes in antris actitarent, quibus postea Monachi orbem illustrarunt. Itaque ut supra Antonium ad Paulum ulteriùs eluctati sumus, ita possent forsan anteriores Paulo aliqui vel approbari vel conjici, ex quibus perpetua illa religionis successio prioribus tribus sæculis connecteretur; sed ea connexio & perpetuitas successionis, vereor ut possit, nisi suspicionibus & conjecturis astrui. Adde quod Ascetæ isti priorum trium sæculorum, nec discipulos instituerunt, nec fundarunt scholas, nec Regulam condiderunt ullam, nec veste à vulgo discriminari, nec cœtus Religiosos adgregare ullos studuerunt, quæ de Antonio ejusque imitatoribus dici non possunt.

XI. Hinc igitur illud existit, institutos ab Antonio verissimos Monachos, habuisse in primis fidelibus, in Apostolis, in Christo ipso, in Joanne Baptista, in Elia, Elisæo, Prophetisque aliis exemplar luculentissimum earum virtutum, quibus se totos impenderunt. At virtutum quidquid est, id obvium & commune est Monachis, Clero, fidelibus laïcis, ipsis Testamenti veteris discipulis. Ut Monachos consequaris, opus est præterea Regula, Congregatione, speciali veste, statu ab aliis discrepante & notabili, exercitiis officiisque ad certas horas alligatis & sui semper simillimis, Scholis, Colonus; nec id usquam, nisi post Antonium. Ita interpretandus est Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus, ita & Patres alii, si qui Eliam & Joannem Baptistam Monasticæ vitæ initiatores fuisse voluerint.

Cyrill. Hierosol. Catech. 3. Gregor. Nyss. in Cant. Hom. 7. 15

XII. Constantissimè astipulatur Hieronymus huic interpretandorum Patrum rationi. Cùm enim Ægypti Monachorum vitam & exercitia subjecisset oculis, statim addit, Paulum & Antonium ejus instituti authores principesque fuisse, talesque olim fuisse Joannem Baptistam, Eliam, Jeremiam, tales Essenos, quorum vivendi stupendam rationem Philo & Josephus scriptis consignarunt. Author Paulus, illustrator Antonius non fuisset ejus professionis, quæ cœpta, quæ ad summum perfectionis culmen provecta fuisset à tot aliis incomparabilis gloriæ & sanctitatis viris, pluribus antè sæculis. Unum ergo vult Hieronymus, in has easdem virtutes præisse & prælusisse Joannem Baptistam, Eliamque & alios, & quasi lineamenta quædam rudia duxisse operis tam splendidi. *Tales Philo Platonici sermonis imitator, tales Josephus, Græcus Livius, in secunda Judaica captivitatis historia, Essenos refert. Hujus vitæ author Paulus, illustrator Antonius, & ut ad superiora conscendam, princeps Joannes Baptista fuit. Talem virum Jeremias describit, &c.* Non ego is sum, qui spinosissimæ illi me implicem controversiæ, an Esseni, de quibus Philo & Josephus, Christo nomen dedissent. Satis mihi superque est, ut evicerim, nihil imminutum iri de gloria Pauli & Antonii, etsi Esseni Christo sub Imperatore meruerint. Addamus in eam rem & hoc Hieronymi testimonium, ex Epistola ad Paulinum, *De institutione Monachi.* Sic enim ibi: *Episcopi & Presbyteri habeant in exemplum Apostolos, & Apostolicos viros. Nos autem habeamus propositi nostri principes, Paulos & Antonios, Julianos, Hilarionem, Macarios, & ut ad Scripturarum authoritatem redeam, noster Princeps Elias, noster Elisæus, nostri Duces filii Prophetarum, &c. De his sunt & illi filii Rechab, &c.* Et in Epistola ad Rusticum: *Filii Prophetarum, quos Monachos in veteri Testamento legimus.*

Ad Eustoch. De custod. Virgin.

XIII. Non pœnitebit verò paululum immorari ejusdem Hieronymi Epistolæ ad Virginem Principiam beatæ Marcellæ filiam, quæ una cum parente sua Monasticam amplexata est vitam, rus tantummodo secedens, fuscamque & modestam induta vestem, sicut & Pammachius. *Suburbanus vobis ager pro Monasterio fuit, & rus electum pro solitudine, &c. Quis crederet ut Consulum pronepos furva tunica pullatus incederet.* Hæc illa tota est summatim Monastica professio Magnatum hujusmodi Romanorum, quorum nobilitas & opulentia vastissimæ respondebat Romanæ civitatis, Romanique imperii gloriæ. Athanasio authore eadem fuere Antonio in Ægypto primordia ac rudimenta professionis Monasticæ; suburbanum in agrum facta secessione. Ea forsan & ratione nonnulli sanctorum Patrum initio conversionis Monachi videri potuerunt.

XIV. Gregorius Nazianzenus eodem locupletissimo teste Hieronymo, cùm Episcopatu abiisset, rus secessit, ubi & Monachorum vitam exercuit. *Vivo se Episcopum in loco suo ordinans, ruri Monachi vitam exercuit.* Sed Nazianzenus ipse in Encomio Basilii elegantissimè descripsit, quorum in solitudine laborum & religiosæ vitæ studiorum socium illum habuisset. *Hinc illi Tunica una & Pallium unum, & stratus humi lectus, vigilia & suavissima cœna, panis & sal, quod commune utrinsque nostrum studium fuit.* Narrat deinde ut Basilius ibidem construxit diversa duo Monasteriorum genera; hinc nempè *Asceteria* & *Monasteria*, iis nimirum dicata, qui se totos immergebant contemplationi rerum cœlestium: inde verò illa Cœnobitis & communem vitam agentibus dicata: τῶν κοινωνικῶν, ἢ μιγάδων. Idem discriminis in Monasteriis Ægypti observatum fuisse alibi declarat. Alibi rursus Basilio aperit, quo desiderio, quo mœrore conficeretur, cùm veniret in mentem earum deliciarum, quas unà degustassent in abstrusis Ponti locis, ex vigiliis, ex Psalmorum cantu, ex oratione jugi, ex indefessa Scripturarum meditatione, ex opere manuum, ex agri arborumque cultu, ex complusculis aliis pari sanctitate & vo-

De script. Eccles. — Orat. 20. — Orat. 23.

Epist. 13.

luptate scatentibus studiis. *Quis psalmodias illas & vigilias dabit, & quis diurnas operum vices & labores, quis lignorum comportationes, & lapidicinas, quis arborum consitiones & irrigationes, quis platanum illam auream & Xerxis platano præstantiorem, in qua non Rex, sed Monachus, marcens, luxu diffluens sedebat, quam ego plantavi, Apollo rigavit, hoc est, excellentia tua, Deus autem in honorem nostri auxit.* Author vitæ Gregorii insinuare videtur, hæc ad eam spectare in Pontum utriusque secessionem, cùm uterque quantumvis reluctabundus Presbyter ordinatus fuisset. Eadem tunc Ponti deserta incolebat Amphilochius. Rursus fugit in solitudinem Gregorius, postquam Sasimorum Episcupales abjecit infulas. Denique postquam Episcopatu Constantinopolitano abdicavit se, in villam se recepit, ubi reliquum egit sanctissimæ vitæ curriculum patrimonio, quod sibi reliquum esse voluerat, se suosque sustentans. Hinc in eum probra aliqui, dicteriaque jactabant,

Gregor. Nazia. in Monachos Hypocritas.

otique immerentem; quod ipsemet narrat: *Dicens me divitem & copiosum esse, ut qui hortum & otium, & mediocrem fontem habeam, &c. Nos si fontem, vel hortulum, vel umbrosum nemusculum possideamus, id delicias interpretamini.* Denique dubitationis locum residuum nullum esse passus est ipse in Carmine de vita sua, ubi se diu fluctuatum testatur, ecquod vitæ genus teneret, inter Monachorum latibula, & urbium tumultuationes, medium tandem secutum esse tramitem, ut aliis ita prodesset, ut ne suæ ipse officeret saluti. *Media inter illos, hosque procedo via, meditans ut isti, commodum illorum æmulans.* Ergo eum vitæ ejus scriptor ait, maluisse eum Monachum esse, quàm sæcularis vitæ sequacem, pauperem quàm opulentum: non de Monastica propriè professione capiendus nobis est, sed de vita sæcularibus curis expedita, & de frequenti ab urbibus secessu.

XV. Sex annos Chrysostomus egit inter asperrimæ solitudinis dumeta; cúmque exhausta valetudine, & penitus vigiliis, jejuniis, macerationibus, nec non & sacrarum litterarum infatigatis studiis profligata, coactus fuisset se reddere usitatæ vivendi rationi, & Antiochiam redire, statim Diaconus ordinatus est, & quinto pòst anno à Flaviano, licèt invitus, creatus est Presbyter: *In juventutis flore vicinos occupat montes, ibique congressus seni cuidam Syro, se se illi socium dedit, imitatus vitæ continentiam duritiamque propositi. Mansit autem apud illum annos quatuor, &c. Postea solus remotiorem eremum petiit, ibique spelunca inclusus, biennium ferè peregit. Quo in tempore jugiter fermè sine somno persistens, Scripturas sanctas penitus edidicit, &c. Ecclesiasticum rursus occupat portum. Id autem divina providentia factum scimus, qua hunc ad Ecclesiæ utilitatem, ab exercitatione immodica, infirmitatis occasionibus repellit, ut impeditus ægritudine, speluncis renunciare cogeretur. Hinc jam à Meletio Diaconus, &c.* Hæc Palladius, ex quibus colligere est, ut fuerit, ut nunquam fuerit Monachis annumerandus Chrysostomus. Fuisse dici potest, ut qui aliquantis annis durissimæ sanctissimæque illius vitæ asperrima quæque exercitia secutus sit: non fuisse autem, quatenus id vitæ genus nunquam professus: illud dimisit, ubi tam adversa valetudine illud se tenere non posse expertus est; Antiochiam unde egressus erat, regressus est; habitum non mutavit; non renunciavit patrimonio: quæ omnia nunquam sibi licere voluisset Monachus pietatis & propositi tenax. Ita mihi quidem videntur Basilius, Gregorius Nazianzenus, Amphilochius, Augustinus virtutes Monachorum sectati, non propositum, non professionem. Id monebat his de Nazianzeno verbis suprà Hieronymus, *Ruri Monachi vitam exercuit.* Possunt Laici Clericique impendere plures vitæ annos imitandis Monachorum institutis, & si Monachi nec sint, nec esse velint. Nec enim verè est Monachus, qui sanctissimo proposito non se totum, & omne vitæ tempus dicat, & patrimonium totum abdicat.

Pallad. in vita Chrys. c. 5.

XVI. Anceps animi pendeo, an eodem numero haberi debeat Severus Sulpitius. Magnam enim patrimonii partem sibi servavit, & Xenodochium extruxit, ubi egenis ipse ministrabat. Sed indubium est nobis, id genus fuisse secessum Augustini in Africam, & in propriam domum ruris, propriosque agros, statim post Baptismum. Nec enim unquam statum amplexatus est Monasticum, etsi studia, & exercitamenta ejus omnia secutus sit cum amicis. *Placuit ei percepta baptismi gratia cum aliis civibus & amicis suis Deo pariter servientibus, ad Africam & propriam domum agrosque remeare. Ad quos veniens, & in quibus constitutus fermè triennio, & à se jam alienatis curis sæcularibus, cum iis, qui eidem adhærebant, Deo vivebat, jejuniis, orationibus, bonisque operibus, in lege Domini meditans die ac nocte.*

Possid. in ejus vita. c. 3.

XVII. Simillima fuerant Antonii ante Monachatum rudimenta, teste Athanasio. *Incipiens etiam ipse in locis paululum à villa remotioribus manebat.* Eam illi viam demonstrarant triverantque plures alii: *Nondum tam crebra erant in Ægypto Monasteria, neque omnino quisquam aviam solitudinem noverat: sed quicumque in Christi servitute sibimetipsi prodesse cupiebat, non longè à sua villula separatus instituebatur. Erat in agello vicino senex quidam vitam solitariam à prima sectatus ætate. Hunc Antonius cùm vidisset, æmulatus est ad bonum.* Non hæsit Antonius in his veluti prolusionibus; ita palmam tulit Monasticæ professionis supra Patres omnes de quibus modò diximus; professus est, immo & ad summum fastigium perduxit vitam Monasticam, ejus Scholas aperuit, ejus imitatores innumerabiles pertraxit; non contentus rem tentasse, & ad alia postea conversus, ut plerique fecerant ante eum. Eo pertinet, quòd *illustratorem* eum vocat Athanasius ejus professionis, quòd in præludiis hæsissent alii, ipse in perfectionis Monasticæ arcem evaserit.

Cap. 2. in ejus vita.

---

## CAPUT XIII. *P. 1. l. 1. c. 47.*

### Conjunctio & societas Ordinis Monastici, cum Ordinibus sacris & cum Ecclesiasticis functionibus per priora quinque Ecclesiæ sæcula.

*I. Monasteria & Abbatiæ Beneficiis annumerantur, propter intimam suam cum Clericatu conjunctionem.*

*II. Argumenta hujus conjunctionis & cognationis ex Pontificibus & Conciliis.*

*III. Ad superiores ferè Ordines Monachi promovebantur.*

*IV. Pachomius & Monachi ejus Lectorum officio fungebantur, etsi eo Ordine initiati non fuissent.*

*V. Quantùm voluerit Pachomius alienos esse Monachos ab Ordinum cupidine.*

*VI. Quanto tum complures Monachi æstu ad Ordines anhelarent.*

*VII. In desertis sua erant Monachis Ecclesiæ, & ex suo cœtu Presbyteri.*

*VIII. Quàm providè & prudenter Augustinus, ad Ordines vocari voluerit, sed optimos tantùm Monachorum.*

*IX. Siquis ad Ordines irregularis esset, eam labem non eluebat Monastica professio.*

*X. Non poterat Episcopus unius alterius Monachum ordinare.*

*XI. Damnatur aquè ab Augustino, & vanitas Monachorum in ambiendis, & contumacia in recusandis Ordinibus.*

*XII. Ruffinus magnificentissimam suam ad Quercum Ecclesiam Monachis instruit, sacra ibi munia obituris.*

*XIII. XIV. Ut Monachi à desertis remotisque locis ad Civitatum suburbia migraverint.*

*XV. Quàm mira eorum eluxerit authoritas, in maximis quandoque Ecclesiæ negotiis.*

*XVI. Satisfit objectioni.*

*XVII. Rationes duæ vocandorum ad Clericatus honorem Monachorum.*

*XVIII. Etsi Clericatu donarentur Monachi, tamen non mutabant statum, nec Monasticis observantiis exonerabantur.*

I. INter Beneficia locari haud satis congruè possent Monasteria, nisi Monachi ad Ecclesiæ dignitates & ordines provehi possent. Sed ingenuè profitendum est, ex quo orbi illuxit piissima illa institutio, amantissimos quosque purioris Ecclesiasticæ disciplinæ Episcopos, non aliud antiquius habuisse, quàm ut instituta Monastica sacris Ordinibus, Monachos Clericis consociarent.

II. Eo se flagrare desiderio testabatur Siricius Papa his verbis: *Monachos quoque, quos tamen morum gravitas, & vitæ ac fidei institutio sancta commendat, Clericorum officiis adgregari & optamus & volumus.* Nulla certè interstitiorum venia fiebat Monachis ab hoc Pontifice. Sed clementiores in eos fuere cæteri Pontifices, ut ex Gelasii Epistola alibi probatum est. Apud Græcos autem quanto in honore fuerint Monachi apud Clerum satis intelligitur ex Dalmatio Presbytero & Archimandrita Constantinopolitano, qui cùm annos duodequinquaginta in Monasterii sui latebris egisset, nec inde vel semel esset egressus, exiliit tandem periclitantis fidei discrimine excitatus, & Cleri Constantinopolitani ducem se Præsidemque agens, scripsit ad Concilium Ephesinum Oecumenicum, Cyrillo adversùs Nestorium & Joannem Antiochenum suffragaturus. In Concilio Constantinopolitano, ubi Abundius Comensis Episcopus, aliique Legati Leonis Papæ confessionem fidei receperunt porrectam ab Episcopis Monachisque, Archimandritæ nominati fuere post Presbyteros ante Diaconos, utpote quòd & ipsi magna saltem ex parte Presbyteri essent. *Reverendorum Episcoporum, Presbyterorum, Archimandritarum, Diaconorum, ac totius Cleri professiones cognovimus.* Scripsit Theodosius Imperator junior ad Archimandritam Barsumam, ut præciperet eum adesse Concilio Ephesino, nomine omnium Orientis Archimandritarum. *Locum tenentem omnium Orientis Archimandritarum.* Concilii Constantinopolitani sub Flaviano Actioni IV. interfuit Abrahamius Presbyter & Archimandrita, cum tribus aliis Diaconis Monachisque Eutychetis, qui & ipse Presbyter & Archimandrita erat. Actione V. minæ intentantur Eutycheti, velut exauthorando tum Presbyteratu, tum regimine Monasterii, qua & mox damnationis sententia perculsus fuit; cui subscripsere post Episcopos octodecim Presbyteri & Archimandritæ, Diaconus Archimandrita, Monachus Archimandrita. Cùm de ea re ad Concilium Ephesinum II. relatum fuisset, Eutychetis Monachi ad Patres Concilii scripsere, ut eum purgarent: subscripsere Epistolæ Presbyter unus, decem Diaconi, tres Subdiaconi, Monachi alii complures. Sessione IV. Concilii Calchedonensis repræsentati sunt etiam duodeviginti Presbyteri & Archimandritæ. Perlecta est ibidem Epistola ad Marcianum Imperatorem scripta à compluribus Archimandritis primùm, tum deinde ab ingenti turba Clericorum. *A minimis Archimandritis, & ab omnibus Comitibus suis in Christo, & reliquis Clericis, & Monachis, & Laicis.* Epiphanius Monachos locat post Episcopos ante Presbyteros, ubi de Meletii schismate verba facit.

Epist. 1. c. 13. — Gelas. Ep. 9. — Conc. Ephes. Ep. Cathol. — Conc. Tom. 3. pag. 450. — Con. Calch. Act. 1. — Hæres. 68.

III. His documentis perspicuum fit cœtum Monachorum à Clero & Laïcis secretum fuisse, antehabitum semper Laïcis, Clero persæpè permixtum: Archimandritas, seu Abbates Presbyteros ferè fuisse. Uno in Monasterio Presbyteros, Diaconos, Subdiaconosque nonnunquam magno numero fuisse: non ullam hîc fieri mentionem minorum Ordinum inter Monachos, ea forsan de causa, quòd Monasticarum exercitationum decursus non minùs idoneus esset ad animum sacris Ordinibus præparandum, eo certè tempore, quo non semper uni & eidem minores Ordines omnes, vel ulli conferebantur.

IV. Argumento erit quod de Pachomio memoratur, insigni illo tot Monachorum parente. Is vicum sacris præsidiis omnibus destitutum nactus, ubi agricolis non erat qui vel Scripturas legeret, vel divina Mysteria celebraret, Episcopum convenit, exoravitque ut Ecclesiam ibi construeret; & dum possent ibi ordinari Clerici, eò ipse cum Monachis suis Sabbato & Dominica die ventitabat, prælegebatque divinas Scripturas. Scriptor vitæ ejus pervetustus audiendus hic est. *Cùm necdum essent ordinati Clerici, qui solemnia plebi peragerent, ipse ad horam conventûs Ecclesiæ cum Monachis occurrebat, salutiferas plebi paginas relegens, quia nondum ibidem Lectores fuerant constituti, nec alii Clerici, qui ministeria sacra celebrarent. Quandiu ergo Presbyter & reliquus ordo Clericorum aberat, Pacomius veniebat, & sic alacriter ac inverecundè Lectoris implebat officium.* Implebat ergo Pachomius munus Lectoris, etsi eo ordine initiatus nunquam fuisset, & pio ejus zelo ita aspiravit omnipotentis Dei gratia, ut non pauci Gentilium Christo accesserint. *Unde plures institutione ejus, ab errore conversi facti sunt Christiani.*

Apud Rosweidum, in Vitis Patr. c. 26.

V. Cæterùm non patiebatur omnino vir sanctissimus, ut Monachi ad sacros Ordines suspirarent ideoque proximis è vicis Presbyteros accersebat, qui diebus festis solennioribus sibi sacra facerent, & Monachos sacra communione impertirent: siqui eorum tamen ante professionem religiosam Presbyteratu initiati fuissent, hos adhibebat ad sacerdotii munia obeunda; sed ea ejus animo altissimè insederat sententia, non posse Monachum sine gravi piaculo sacros Ordines expetere, vel ambire: *Cogitatio feralis ambitus, si in mentes irrepserit Monachorum, ut vel primi cupiant esse, vel Clerici.* Dedit se tamen occasio, ubi spiritalis animarum curæ callentissimus vir specimen ederet incomparabilis cujusdam sapientiæ. Plurium Monachorum Abbas idemque Presbyter, vehementissimè urgente uno eorum, ut ad Clericatum proveheretur, consilii inops Pachomium adiit, & quid sibi facto opus esset, percontatus est. Pachomio visum est dispensatione utendum, & annuendum irreligioso Monachi voto, ut ea indulgentia delinitus resipisceret, qui abrupta repulsa exasperari & retro labi in præceps potuisset. Ut animo ille præsumpserat, ita res cecidit. Monachus ambitiosulus, voti compos factus, se tandem sibi reddidit, & culpæ suæ pertæsus ad Pachomium venit, egitque gratias humanitati non salutiferæ tantùm, sed tum necessariæ, qua propulsata cedendo esset tentatio, victrix alioqui futura.

Ibid. c. 24. — Ibid. c. 35.

VI. Persequitur alicubi Cassianus varias artes, & sinuosus flexus, quibus insidiosus teotator illudebat Monachis, ut ad dignitates & functiones Ecclesiasticas concupiscendas illos accenderet. *Nonnunquam verò Clericatus gradum & desiderium Presbyterii vel Diaconatus immittit.* Vix poterat Monachus

Cassian. De Cœnob. inst. L. 11. c. 14. 15.

nisi Diaconatum & Presbyteratum ambire. Jam constitit enim minorum Ordinum functiones à Monachis citra Ordines ullos administratas fuisse. Unde & mox idem Cassianus de Monacho disserit, qui in cellula sua deprehensus est, dum Presbyteri & Diaconi functiones sacras ad altare meditaretur, & quasi præluderet. Ex his paret, quàm non assentirentur tunc omnes Monasticum institutum Sacerdotio sociari non posse, quanquam sui ipsius contemptu & fastidio religioso, abhortere deberet Monachus à sacra & summa ea dignitate.

Collat. 3. c. 1.

VII. Alibi verò Cassianus idem laudibus in cœlum extollit Paphnutium Abbatem, qui in solitudine egerat ab infantia ad annum usque ætatis suæ nunagesimum, Presbyteratum exercens, & Monachum alium Danielem nomine, virtutibus quàm annis commendatiorem Diaconatu ornari curaverat. Illum quoque in Presbyteratûs Officio successorem sibi adjungere voluit, & se superstite ordinari fecit. Aliter tamen Deo visum est, Paphnutio præmortuus est Daniel, ne delibatis quidem Presbyteratûs muniis, quòd cæteras ejus virtutes premeret obscuraretque humilitas, ut quamvis Presbyter ordinatus esset, maluerit Paphnutio Diaconum se

Colla. 4. c. 1.

& ministrum exhibere. *Optans sibimet successorem dignissimum providere; superstes eum Presbyterii honore provexit. Qui tamen prioris humilitatis consuetudinem non omittens, nihil unquam sibi illo præsente de sublimioris ordinis adjectione donavit, sed semper Abbate Paphnucio spiritales hostias offerente, hic velut Diaconus in prioris ministerii permansit officio.*

Hinc clarum est in aviis illis solitudinibus Ecclesias tamen fuisse, quò Monachi convenirent, Presbyterosque & Diaconos suo ex gremio haberent. Quod rursus hinc confirmatur, quòd cùm Theophilus Archiepiscopus Alexandrinus Paschales Epistolas ad eos misisset, quibus pro more admoneret de die Paschæ proximo anno celebrandi, & ubi data occasione invehebatur in errores Anthropomorphitarum: Monachi zelo, quàm scientia instructiores, usque adeo exulcerati sunt, ut decreverint communione sua Theophilum expungere; si qui verò inter eos essent modestiæ & officii tenaciores, ii ejus tantùm litteris legendis abstinuerint. Ex Ecclesiis quatuor & Presbyteris omnibus solitudinis Scete, unus fuit Paphnutius uni earum præpositus, qui doctrinæ Archiepiscopi Alexandrini subscriberet. Hæc refert Cassianus, ut qui fuerit

Collat. 10. c. 2.

omnium oculatus testis. *Denique & ad his qui erant in Eremo Scythi commorantes, quique perfectione ac scientia, omnibus qui erant in Ægypti Monasteriis, præminebant, ita est hæc Epistola refutata, ut præter Abbatem Paphnutium, nostræ Congregationis Presbyterum, nullus eam cæterorum Presbyterorum, qui in eadem Eremo aliis tribus Ecclesiis præsidebant, nec legi quidem aut recitari in suis conventibus prorsus admitterent.*

VIII. Augustinus ægerrimè tulit ille quidem, quòd ab Aurelio Carthaginensi Archiepiscopo ad Ordines admissi essent Monasteriorum desertores; sed Litteris ad eum scriptis disertissimè significavit, quantum doloris & mœstitiæ caperet ex iis qui Clero aggregati essent, quanquam ne gregi quidem Monachorum, cui ascripti primùm fuerant, constanter adhærescere potuissent: tantùm se exhilaratum iri, si quos diuturna Monasticarum virtutum purgasset approbassetque perseverantia, ii in Clerum adoptarentur. *Non est ista via danda servis Dei, ut se faciliùs putent eligi ad aliquid melius, si facti fuerint deteriores. Et ipsis enim facilis lapsus, & ordini Clericorum fit indignissima injuria, si desertores Monasteriorum ad militiam Clericatûs eligantur: cùm ex iis qui in Monasterio permanent, non tamen nisi probatiores atque meliores in Clerum assumere soleamus.* Subjicit verò adeo non ex degenere Monacho Clericum fieri posse probum: ut ex adverso ne ex religiosioribus quidem Monachis boni & utiles asciscí possint Clerici, nisi virtuti respondeat doctrina, & nisi ut præsens, ita & anteacta vita immaculata fuerit, & criminis pura. *Nimis dolendum, si ad tam ruinosam superbiam Monachos surrigamus, & tam gravi contumelia Clericos dignos putemus, in quorum numero sumus: cùm aliquando etiam bonus Monachus vix bonum Clericum faciat, si adsit ei sufficiens continentia, & tamen desit instructio necessaria, aut personæ regularis integritas.*

Epist. 76.

IX. Quibus in Augustini verbis duo sunt obiter adnotanda. Alterum est, quod semet Clericis ipse annumeret, non Monachis, quod suprà jam animadversum à nobis est. Alterum est, quantacumque sit Monachi præsens vitæ sanctitas, non ea tamen præteritas abstergeri posse irregularitates, ut sacris Ordinibus aptetur. Id Augustinus innuit his verbis, *si desit personæ regularis integritas.* Ita agnoscit Augustinus posse sanctissimum Monachum Ordinibus suscipiendis minùs idoneum esse, si scientiæ necessariis præsidiis destituatur, *si desit instructio necessaria:* & si quo scelere graviori post baptismum commaculatus sit.

Adnotari & illud potest tertio loco, desertores Monasticæ professionis jam tum à Doctoribus Ecclesiæ damnatos fuisse, tanquam qui spem salutis & æternæ vitæ abjecerint. Non enim admiserat Monachos illos ad Clericatum Aurelius, nisi ea persuasione, quòd assensus esset eorum consilio Augustinus: qui contrà contestabatur injussu suo Claustro egressos, non posse nisi in infandam referri Apostatarum classem. *Desertores Monasteriorum, &c. sed de istis credo arbitrata sit Beatitudo tua, quod nostra voluntate, ut suis potiùs conregionalibus utiles essent, de Monasterio recessissent. Sed falsum est, sponte abierunt, sponte deseruerunt, nobis quantum potuimus, pro eorum salute renitentibus.*

X. In eadem Epistola testatum facit Augustinus, suo ævo Africana Concilia ita definisse. *Antequam de hac re aliquid in Concilio statueremus* Id equidem valde suspicor à Concilio Carthaginensi V. definitum fuisse: *Si quis de alterius Monasterio repertum vel ad Clericatum promovere voluerit, vel in suo Monasterio Majorem Monasterii constituere; Episcopus qui hoc fecerit, à cæterorum communione sejunctus, sua tantùm plebis communione contentus sit.* In hoc Canone nemo non intelligit, quàm cuperent Episcopi Africani, ut ex Monasteriis occurrerent aliqui, iis exculti virtutibus & disciplinis, quibus tutò sacerdotium committeretur; & quàm impatienter ferrent, si quos ipsi aluissent & perpolissent Monachos, alii Episcopi in Ecclesias suas transferrent. Hoc enim decreto liquet, non minùs Monachos, quàm Clericos Episcopo quemque devinctum suo, & mancipatum fuisse; ex quo fiebat, ut eorum neminem possent cæteri Episcopi traducere in suas Ecclesias.

Can. 13.

XI. Sed nusquam apertiùs patet quid de hac re tota senserit Augustinus, quàm ex Epistola ejus ad Eudoxium Presbyterum & Abbatem Insulæ Capraria. Illum enim edocet unius corporis membra esse Clericos Monachosque, quibus ejusmodi sunt laboris & quietis vices, ut quidquid ex alterutris utilitatis & ornamenti proficiscitur, id in utrosque redundet. Cæterùm quàm procul esse debent Monachi ab ambitiosa sacrorum Ordinum cupiditate, tam ab ignavia & supinitate abhorrere par est, quæ labores fugitat, tum cum vocat Ecclesia, quæ jubere: cum rogat, quæ cogere potest. *Vnum corpus sub uno capite sumus, ut vos in nobis negotiosi, & nos in vobis otiosi sumus. Exhortamur in Domino ut propositum vestrum custodiatis, & usque in finem perseveretis. Ac si qua operam vestram Ecclesia mater desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis.* Epist. 81.

XII. Narrat Hieronymus in Epitaphio Paulæ, cùm solitudines circumlustraret Paula aridas sterilesque, sed cælestibus plantis compluribus consitas: innumerabiles Monachorum catervas illi obvias produisse, quos inter non ordinum magis, quàm virtutum splendore eximii plerique fulgebant. *Occurrente sibi sancto & venerabili Episcopo Isidoro Confessore, & turbis innumerabilibus Monachorum, ex quibus multos Sacerdotalis & Leviticus sublimabat gradus.* Alio à nobis loco refertur, ut Presbyter ordinatus fuerit Hieronymus, utque quæ animi moderatio & sui despicientia eum sacro admovebat ministerio, illum ea absterruerit, ne eo unquam fungeretur; quod in causa fuit ut Paulinianus frater ejus ab Epiphanio in ejus Monasterio Presbyteratu auctus sit. Refertur & quæ scripserit Ambrosius de connexione facta ab Eusebio Vercellensi Clericalis & Monasticæ professionis, quarum altera gloriæ, sanctitatis altera arcem tenet. Refertur & quæ ad Dracontium Monachum per litteras mandarit Athanasius, ut ne otium & quietem sibi suavem anteponeret labori & utilitati Ecclesiæ, à Claustro ad Episcopatum sevocantis: utque insisteret eorum vestigiis splendidissimis, qui magno utique numero Monasticarum virtutum lumina, quibus perdiu navassent operam, Episcopali ministerio, charitate & sollicitudine cumulassent. Refertur & tum Basilii in Oriente, tum in Occidente Martini & Honorati Monasteria, officinas fuisse, è quibus longè plurimi sanctissimique Episcopi ad regendas Ecclesias prodiissent. In vita Chrysostomi Palladius de Presbytero & Abbate Isaaco loquitur, cui suberant Monachi centum quinquaginta, è quibus ad Episcopatum septem vel octo Theophilus accersivit. Erant & ducenti sub alterius Abbatis ditione, quorum multi etiam Episcopali sarcina decorati sunt. Si tam multi ad Episcopatum asciscebantur Monachi, quantò plures ad Presbyteratum, plures ad Diaconatum? Cap. 15.

XIII. Retulimus & illud suprà de magnificentissimo Templo quod Ruffinus in Suburbio Calchedonensi construxit, sub nomine Apostolorum Petri & Pauli, astructo juxtà Monasterio, cujus Monachi Cleri vicem & munia implerent. *Monachos etiam in vicino collocavit, qui Clerum Ecclesiæ supplerent.* [illegible] Sozom. l. 8. c. 17.

XIV. Ita Monachi varia charitatis ingenia secuti, à desertis in urbes ad spargendæ pietatis officium se retulerunt, qui antè colligendæ pietatis ergò in deserta se contulerant. Æquum enim erat, ut quas spiritales opes in imperviis solitudinibus effoderant, in civitates disseminarent. Scripserat ad Paulinum Hieronymus, si Clericali vitæ studeret, sedem sibi figeret in urbibus, ubi aliorum saluti invigilando, suam promoveret: at si Monasticam meditaretur professionem, eo ipso Monachi nomine solitudinis & amorem aspirari, & legem præscribi. Sic ille Monasticæ vitæ regulas delineabat. *Si officium vis exercere Presbyteri, si Episcopatûs te vel opus vel honos fortè delectat, vive in urbibus & castellis, & aliorum salutem fac lucrum animæ tuæ. Sin autem cupis esse quod diceris, Monachus, id est solus, quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum?* De institut. Monac. ad Paulinum. Idem ille scribit ad Rusticum Monachum de vivendi forma. Et ad Heliodorum, *Clerici in suis urbibus commorantur.* Et ad Marcellam, *Tantam frequentiam hominum saltem invitum videre, à proposito Monachorum & quiete aliena sunt.* Et in Epitaphio Fabiolæ: *Peragrabat Insulas & reconditos curvorum litorum sinus, in quibus Monachorum consistunt chori.* Ea haud dubiò est primigenia & generalis Monachorum Regula. Sed charitatis lex, ipsissima certè lex legum & regularum regula, regina & moderatrix est; & ea certè Episcopos compulit, ut compellerent Monachos è desertis remigrare in urbes, functionibus Clericalis ordinis & sacerdotio acquiescere, urbes denique & plebes locupletare iis sanctitatis opibus, quibus in solitudine ditati essent.

XV. Prodidit Chrysostomus, quo insolenti eventu suis è montibus in urbem Antiochiam exciti perductique sint sanctissimi Monachi, ut consternatam levarent plebem, & tantumnon exanimatam terrore Judicum, & fragore novorum Tribunalium, quæ in turbas noxiorum mox sævitura erant. Ita illi excepti sunt, ac si è cælis Angeli advolassent. *Vndique confluxerunt, velut Angeli quidam de cælo profecti; erat cernere tunc civitatem, similem redditam cælo.* Hom. 17. ad pop. Antioc. Judices illi universos convenerunt, tam intrepidi, tam blandi, ut illos tandem exarmaverint. Alibi autem existimaverat Chrysostomus, non usque adeo debere Monasteria ab urbibus summoveri, earum contemplatione rerum, sine quibus transigi vita non potest. *Vt ii loci neque ita multùm ab hominum conspectu remoti, solitudinis tamen otium, quietemque habeant.* De Sacerd. L. 6. c. 6.

Augustinus primum suum Monasterium intra urbis mœnia, vel, ut ipse ait, in Episcopi hortis locavit, authore Possidio. Monasterium Ambrosii *extra urbis mœnia* situm fuisse ipsemet ait. Affirmat & *apud Carthaginem Monasteria esse cœpisse.* Confess. l. 8. c. 6. L. 2. Retrac. c. 21.

XVI. Gregorii Nazianzeni vitæ Scriptor narrat Theologi hujus Gregorii patrem cognominem, Episcopum Nazianzenum, hæreticorum astutia & fraude circumventum, eorum se communione & errorum subscriptione inquinasse. Ab ejus tum protinus communione alienasse sese totius regionis Monachos, quibus & magna plebis pars accessit. Tunc advolasse Gregorium Theologum, patrem expedisse his laqueis, quibus sua illum simplicitas implicaverat; ad erroris detestationem adduxisse, expressa ab eo Catholicæ fidei confessione, Monachis denique illum & plebi conciliasse. Eo exemplo, ut & illo Delmatii suprà allato, nulli non patet, quanti sua interesse sentirent Monachi, ubi Ecclesiæ fides & salus periclitabatur; quanti ad eam tuendam esset momenti eorum consensio; & quanta eorum apud plebem esset vis & authoritas. Consignata litteris sunt à Theodoreto certamina Aphraatis illius celeberrimi, & aliorum Monachorum L. 4. c. 24. 25.

complurium, qui furentibus Arianis & Valentis Imperatoris potestate fteris constantia invictissima restiterunt. Addit verò ille, suo eis exemplo præluxisse olim Antonium tempore Constantii Imperatoris, cùm Alexandriam ipse concessit, ut fidem, ot fidei causæ conjunctissimum Athanasium tueretur. *Relicta solitudine totam illam circuibat urbem, quo omnes doceret, tum Athanasium praconem veritatis, tum Arianos veritatis hostes esse.*

Theodorus Lector. l. 1. & l. 2. Eodem æstu ebatitatis Daniel Stylita columna excendit sua, ut Basilisci Tyranni reprimeret impetus reformidandos, fidemque Orthodoxam & Concilium Calchedonense propugnaret, cujus ille exitium meditabatur. Monachi ipsi turbæ permixti exterruerunt impium Anastasium, cùm toto pondere imperatoriæ potestatis in Ecclesiam irrueret, fureretque. Profert Evagrius Epistolas pro confirmatione fidei ConciliiqueCalchedonensis perscriptas à Leone Imperatore ad Metropolitanos omnes, & ad principes Monastici tum instituti viros, Symeonem Stylitam, Baradatum, Jacobum. Paulò Evagr. l. 2. c. 9. l. 3. c. 13. antè idem Evagrius disseruetat, ut Symeon Stylita zeli sui invicta constantia & fortitudine extorsisset ab Imperatore revocationem Edicti, quo jussi fuerant Christiani Judæorum Synagogas restituere.

XVII. Graviora hæc fuerunt rerum discrimina, ubi transiliendα fuere regularum generalium septa, ad ferendas Ecclesiæ laboranti suppetias. Cæteroqui universim verissimum est quod ait Hieronymus, Apolog. ad Domnio. adv. Vigil. Monachorum esse lugere, non docere: *Monachum se esse non loquendo & discursando, sed tacendo & sedendo noverit. Monachus non Doctoris: sed plangentis habet officium; qui vel se, vel mundum luget.* Quòd cum utique locum habet, cùm eos non evocat Ecclesiæ, aut periculum, aut præceptum.

XVIII. Nec abs re fuerit hîc observare, provehi solitos ad Clericatum Monachos duplici de causa; vel ita postulante Monasterio ad sui ipsius utilitatem: vel sic Episcopo volente, ut vel Episcopali sedi, vel Parochiæ vacanti consuleret, & Pastorem provideret. Harum rationum prima non absolvebat Monachos à familiaribus aliorum Monachorum vinculis & functionibus; altera verò functionibus Cleri illos penitus vendicabat, eximebatque prioribus nexibus, quantum illi Clericali ministerio adversabantur. De prima verba facit Hieronymus, ad Heliodorum scribens: *Quòd si te quoque ad Ordinem Clericorum pia fratrum blandimenta sollicitant, gaudebo de ascensu, sed timebo de lapsu.* De secunda ad Rusticum Monachum: *Cum ad perfectam ætatem veneris, & te vel populus, vel Pontifex Civitatis in Clerum elegerit, agito quæ Cleri sunt, & inter ipsos sectare meliores. Quia in omni conditione & gradu, optimis mixta sunt pessima.* Operosum non est distinctionis hujus regulam admovere exemplis aliis hoc capite acervatis, & illud exuere præjudium, vulgatissimum juxtà & mendacissimum, Monachos ordinatione Clericali quasi emancipatos fuisse professionis Monasticæ vinculis.

XIX. Utque novis eam doctrinam muniamus adhuc præsidiis, exemplum proponam trium præstantissimorum Monachorum, Barsis, Eulogii, & Lazari, qui Episcopali ordinatione exornati sunt, non ut Diœceses & Ecclesias adgubernarent; sed ut præcellentissimis eorum virtutibus accedente Episcopali omnium splendidissima dignitate, accederet L. 6. c. 34. & summus gloriæ cumulus. *Creabantur Episcopi non urbis alicujus, sed honoris causa, qui veluti vitæ piè anteacta compensatio in propriis Monasteriis illis deferebatur.* Ita Sozomenus. Hi certè Episcopi sic ordinati, Monasticis virtutibus, laboribus, vigiliis, adeo non solvebantur, ut arctiùs etiam astringerentur. Sicut autem lubrica videatur Sozomeni fides, is Innocentio saltem Papæ I. assentietur, qui observantiæ regulari, maximè autem continentiæ, subjectos perstare declarat Monachos, quicumque Clero adgregantur. *De Monachis qui diu morantes in Monasteriis, si postea ad Clericatus ordinem pervenerint, non debere eos à priore proposito deviare, &c. Quod diu servavit, in meliori gradu positus, amittere non debet.* Epist. 2. c. 10. Quod ad exemplum autem pertinet à Sozomeno relatum, addi possent & ea quæ ex Theodoreto alibi attingimus, de iis Monachis sanctissimis, quibus Episcopi Presbyteratum contulere, nulla sanè spe, ut eæ unquam functiones ab illis exercerentur. Agit Theodoretus de Barse Episcopo Edesseno. Binas ad eum literas dedit Basilius. Sed nulla L. 4. c. 5. certa probatione evinci potest illum ipsum esse Barsen, de quo Sozomenus. Epist 326. 327.

## CAPUT XIV. *P. 2. L. 1. c. 34.*

### De conjunctione & confœderatione Clericalis & Monasticæ Professionis secunda Ecclesiæ ætate, hoc est, á Clodovæo ad Carolum Magnum. In Italia primum & Anglia.

*I. II. Quo casu permitteret Gregorius Papa Clericis, ut à Claustris quibus se devoverant, priores in Ecclesias suas regrederentur. Institutioni Clericatum miro & præcellenti modo inesse vota, & sanctitatis documenta Monachorum*

*III. Non omnibus Monachis pervius erat aditus in Clericatum, nisi pœnitentia comes esset innocentia, hoc est capitalium scelerum immunitas.*

*IV. Ejusdem rei argumenta alia. Vita Monastica diu agitata, pro subdiaconatu & minoribus Ordinibus erat, aut certè pro interstitiis alioqui servandis.*

*V. Vita Monastica sanctitas ad sacerdotium pulcherrima præparatio.*

*VI. Suo tandem ex collegio ac cœtu Presbyteros habuere Monachi.*

*VII. Admiranda Monachatûs & Clericatûs contextio, consortioque in Palatio Pontificali Gregorii Magni. Inde erupere Episcopi bene multi.*

*VIII. Sanctissimi viri Equitius & Benedictus asperitatem Monasticæ professionis Evangelicæ prædicationi copulavere*

*IX. X. XI. Clericatus Professioni Monasticæ illigatus. Clerus Angliæ universus Augustinus princeps suo exemplo prodiit ex Monachis fere conflatus fuit. In Synodo Romana declaratum à Bonifacio IV. ad omnes Cleri functiones idoneos esse Monachos.*

*XII. In Hibernia Episcopis omnibus collibitum fuerat, ut Abbati Presbytero, sancti Columbani successori obnoxios se profiterentur.*

I. II. NOn patiebatur Gregorius, Clericos sponte sua in Monasteriis professos, ad Ecclesias resilire suas, nisi si fortè singulari eorum pietate & dexteritate excitatus Episcopus, eos ad Presbyteratum, & ad Ecclesiæ alicujus regimen revocaret. *Si quos à Clericatu in Monachicam conversionem venire contigerit, non liceat eis ad eandem vel aliam Ecclesiam denuo remeare: Nisi talis vita Monachus fuerit, ut Episcopus cui ante militaverat, Sacerdotio dignum prævideris, ut ab eo debeat eligi, & in loco quo judicaveris, ordinari.* L. 1. Ep. 40. Minùs sollicitus videtur fuisse Gregorius, de observantiæ regularis & votorum priorum necessitate, quæ novo Parocho nihilominus incumberet. Clerici quippe tunc, quibus ab Ecclesia alimenta dumtaxat & vestimenta suppeditabantur, & qui Clericalis continentiæ

vinculo superioribus ordinibus innexo tenebantur, non multùm discrepabant à Monachis quoad castitatem & paupertatem Evangelicam. Quod ad obedientiam verò pertinet, eam Episcopo suo religiosissimè exhibebant. Stabilitas qua uni affigebantur Ecclesiæ, Monachorum stabilitate in Monasteriis suis non multò laxior erat. Religio denique & morum conversio, quam tunc profitebantur Monachi, & quæ tribus votis nunc quidem usitatiùs exprimitur, Clericis omnibus præscribitur, adscribiturque persæpè à sanctis Patribus Conciliisque, ut innumeris toto hoc opere exemplis adprobabitur. Canonum certè stricta observantia, perinde ut Monastica regula, ad has virtutes conciliandas accommodatissima erat.

III. Cùm Urbevetanus Episcopus Presbyteris destitueretur, permisit Gregorius, quod ab eo flagitatum fuerat, ut ex Monachis suis aliquos Presbyterarn oneraret, cum assensu Abbatis: & diu excussos, an nullo irretiti essent crimine, quorum qui sunt affines, secundùm Canones Ordinibus summoventur. *Ne, quod absit, hic honor, & illis pœna,*
L. 5. Ep. 27. *& vobis incipiat esse peccatum.* Panormitano quoque præcepit Episcopo, ut in Monasterio sancti Hermæ ex Monachis unum, quem fratres eligerent Presbyteratu initiaret, dum tantæ dignitati vita anterior
Epist. 41. dehonestamento non esset: *Cujus vita, mores & actio tanto possit ministerio convenire.* His duobus exemplis manifestum fit, etsi majestate sacerdotii cresceret splendor Monasticæ sanctitatis, & vicissim sanctimonia claustrorum dignitatem Cleri illustraret: fuisse tamen eam sanctitatis & puritatis in sacris Ordinibus præcellentiam, quæ non posset quibusque Monachis committi. Qui enim claustra inibant, Pœnitentiæ lacrymis eas absterfuri criminum sordes, quæ sacros ipsis Ordines præclusissent; ii ab eisdem semper tum arcebantur, quamvis diuturnis pœnitentiæ laboribus sese confecissent. Quod suo infrà loco prolixè demonstrabitur. Præter sanctimoniam pœnitentiæ & claustri sudoribus partam, innocentia quædam & eximia puritas desiderabatur, quæ nullius unquam criminis macula respersa fuisset, ejusmodi inquam criminis, quod pœnitentia publica expiari deberet quondam, sive publicum id, sive occultum esset: & quod cœpit post sextum denique sæculum, cùm occultum erat, occulta quoque elui pœnitentia, quanquam vel tunc sacrorum Ordinum aditum intercluderet.

IV. Apertius id quoque alibi facit Gregorius, ubi vetat eligi Opportunum, nisi antè quæsitum
L. 9. Ep. 13. fuerit, *Si nulla ei crimina quæ per legis sacræ Regulam morte multanda sunt, obviant:* & si quidem innoxius comperiatur, moneatur, vel Monachum profiteri, vel Subdiaconatu sacrisque ejus Ordinis functionibus aliquandiu persungi & purgari, antequam ad sacros Ordines, & ad Episcopatum denique progrediatur. *Tunc hortandus est, ut vel Monachus, vel à vobis Subdiaconus fiat. Et post aliquantum temporis, si Deo placuerit, ipse ad Pastoralem curam debeat promoveri.* Multæ animadversionis est locus iste, ubi ut vir pius ad Episcopatum præparetur, suadetur, ut aut Monachus fiat, aut Subdiaconus. Itaque Monastica professio eodem loco habetur, ac Minores Ordines: immo ac Subdiaconatus, qui supra Minores jam incipiebat assurgere. Eò autem id fiebat quòd duplex hoc esset tyrocinii genus luculentissimi, ut majoribus quis Ordinibus, ipsique adeo Episcopatui aptaretur. Itaque his verbis insinuat Gregorius, si Monasticum institutum amplecteretur Opportunus, pro Subdiaconatu id illi imputatum iri, & mox Diaconatum ei, Ordinesque sacros alios conferendos esse. Idem genus exempla alibi delibata, & delibanda à nobis sunt, quibus constat pro minoribus Ordinibus habitum esse Monachatum: aut si cui minùs arrideat ea sententia, constabit saltem Monasticæ vitæ labores pro interstitiis Ordinum habitos esse. Postremò ita definit Gregorius, si quo se piaculari ejusmodi crimine Opportunus aliquando conspurcarit, jam non aliud ei superesse confugium, quàm ut sæculo renunciet, & reliquum vitæ spatium pœnitentiæ addicat. *Si qua verò gravia obviant, multò magis admonendus est, ut sæculum relinquat, & hæc perfectius defleat.* Erant ergo in Monasteriis duæ classes, altera eorum, qui eò intulerant vitæ innocentiam, & hos Monastici instituti exercitia magis magisque purgabant, & Sacerdotio præparabant: altera autem eorum, qui eò accesserant ea expiaturi scelera, quæ illos à sacris Ordinibus arcerent: & hos non magis illa claustri privata, quam publica Ecclesiæ pœnitentia sacerdotio admoveri sinebat.

V. Nec tantùm ut aptetur quis sacerdotio, opportunissima est Monastica institutio: sed etiam ut sacerdotii sanctissima ministeria, ea qua par est sanctimonia impleantur. Inde est quod idem Gregorius Gallicanum Episcopum hortabatur, ne claustro abstraheret Monachum, cui quondam contulerat Clericatum, & quem postea ejusdem Monasterii ordinaverat Diaconum. Quippe claustro eximere, & in Ecclesiam suam illum transferre non poterat, quin velut è portu in medias negotiorum causarumque Ecclesiæ procellas illum ejiceret. *Ut qui à tur-* L. 10. Ep. 33. *bulento sæcularium curarum tumultu se segregans, quietis desiderio portum Monasterii appetiit, rursum in Ecclesiasticarum curam non debeat perturbationibus implicari; sed in Dei laudibus permittatur securè ab his omnibus remanere, ut postulat.* Inde erant illæ metæ, quæ objectæ fuerant Episcopali potestati, in evocandis à claustro Monachis ad sacros Ordines.

VI. Multa superiùs obvia fuere Monasteria, L. 10. Ep. 54. quibus nulli proprii essent Presbyteri, sed ab Episcopo mittebantur, qui rem divinam Monachis facerent, cùm postularet Abbas. Sed rursus obvia fuere alia, ubi fratrum suffragiis electus Presbyteratu initiabatur, & sacra Mysteria celebrabat, non diebus singulis, sed *quoties necesse fuisset.* Non oris tantùm & secessûs studio, adducti sunt Monachi, suo ut ex grege proprium habere vellent Presbyterum, sed ut se contra Clericorum avaritiam munirent, qui spiritalis regiminis velo rapacitatem suam obumbrabant, & Monasterii res deprædabantur. Inde illæ Gregorii querelæ ad Episcopum Ravennatem: *Pervenerat ad nos Monasteria in Ravenna par-* L. 6. Ep. 40. *tibus constituta omnino Clericorum vestrorum dominio prægravari, ita ut occasione quasi regiminis, ea, quod dici grave est, velut in proprietate possideant.* Hinc universim vetabat Pontifex, ne Clerici Monasteria ingrederentur, nisi ad fundendas preces, vel celebranda sacra, cùm peterent Monachi: *Nullam deinceps in eis Clerici, vel hi qui in sacro sunt ordine constituti, ob aliud habeant, nisi orandi tantummodo causa, licentiam accedendi, aut si fortè ad peragenda Missarum fuerint invitati mysteria.* Denique prohibentur à Gregorio Clerici omnes, qui è Monasteriis prodierint, eorum se negotiis & rebus deinceps intricare.

VII. Sed quæ vel optari fingive potest major copula, vel arctior confœderatio Clericatûs &

Claustrorum, quàm quæ in Palatio ipso Pontificio Gregorii mirandam se latiùs quàm imitandam orbi terrarum venturisque sæculis ostentavit. Ibi enim simul Monachorum, simul Clericorum flos delibatus, par virtutum fervor, par litterarum sacrarum studium. Inde velut ex Episcopali & Apostolico seminario Clericorum Monachorumque, pullularunt Episcopi complures; Apostoli quoque nonnulli, ad debellandum diaboli regnum, ad propagandum ultra ipsa maria Christi Imperium hinc prodiere. Orientales ipsos certiores fieri voluit Gregorius ejus Anglicanæ Evangelicorum præconum missionis, & signorum quæ à novis his Apostolis edebantur. *Vt Monasterii mei Monachum ad prædicationem Evangelii transmittere debuissem, &c. Vt Apostolorum virtutes in signis quæ exhibent, imitari videantur, &c.* Joannes Diaconus nonnullorum nomina ad nos transmisit, eorum qui ex Pontificio hoc Monasterio ad Episcopatum venerunt. *At verò ex Monachis Monasterii sui Marinianum Ravennæ, Maximianum Syracusis, & Sabinum Callipoli Præsules ordinavit. Sed & Augustinum penes Anglos à Galliarum Episcopis ordinari præcepit, per quem ad Episcopatum in eadem gente Monachi ejusdem Patris tempore diverso provecti sunt, Mellitus, Justus, Laurentius & Paulinus.*

L. 7. Ep. 30. — L. 3. c. 7.

VIII. Non facilè mihi persuaserim Monachorum Gregorii ea prima fuisse rudimenta in Angliæ, quasi alterius orbis conversione tentanda profligandaque. Probabilius utique est, specimen aliquod sui eos antè edidisse, & quasi prælusisse sibi, in agris villisque & vicis prope Romam verbi divini semente conspergendis. Equitius ille fama sanctitatis notissimus, cujus vel alumnus vel æmulator fuisse existimatur Gregorius, in suorum fundatione Monasteriorum & disciplina, concionandi munus Monasticis institutis & laboribus conjunxerat. Locupletissimus ejus rei testis est ipse Gregorius, qui charitati ejus alas addidit, ut in Ecclesias, villas, vicos, castraque evolaret, ignemque sacrum ubique spargeret quo urebatur ipse, & quo ejus jam Monasteria conflagrabant. *Tantus illum fervor ad colligendas Deo animas accenderat, ut sic Monasteriis præesset, quatenus per Ecclesias, per castra, per vicos, per singulorum quoque fidelium domos circumquaque discurreret, & corda audientium ad amorem patriæ cælestis excitaret.* Eccui dubium, quin hac Equitii flamma afflati ejus Monachi exardescerent & ipsi? & quin Gregorius ipse, qui in Dialogis suis commendavit cœlitus confirmatam Equitii missionem, & miracula, quibus fidem & authoritatem conciliatam voluit Deus inusitatis quibusdam ejus gestis; quin Gregorius, inquam, extimulatus sit his exemplis, ut Monachos quoque suos ad has armaret Apostolicas functiones, quos & ad Apostolicas tam feliciter animabat virtutes?

Greg. Dial. l. 1. c. 4. Et L. 2. c. 8. 19.

IX. Consignavit ibidem Gregorius victorias, quas B. Benedictus concionibus suis, de quibusdam Paganorum reliquiis reportavit. *Commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continua ad fidem vocabat.* Et alibi: *Vicus erat, in quo non minima multitudo hominum ab idolorum cultu, Benedicti fuerat exhortatione conversa.* Multos quoque Gentilium B. Columbanus Christiana fide imbuit, referente eo qui vitam ejus scripsit.

X. Bonifacius IV. qui quartus post Gregorium Apostolica sedit in Cathedra, coactæ Romæ Synodo declaravit, non doctrinæ & veritatis vi, sed nefanda æmulatione adductos fuisse, qui dixerant, non posse Monachis sacerdotalia munia demandari. *Neque pœnitentiam, neque Christianitatem largiri, neque absolvere posse per sacerdotali officio injunctam potestatem.* Eam allucinationem ab invidentia magis quàm ab imperitia profectam, convellit Bonifacius exemplis Gregorii Papæ, Augustini Angliæ, Martini Pannoniæ Apostoli, qui eas Ecclesias sacro quodam conjugio sponsas sibi non copulassent, si Monastica professio id vetuisset. *Qui nequaquam annulo Pontificali subarrarentur, si quia Monachi fuerunt, prædictis uti probiberentur.* Denique id ex iis conficit Pontifex, si *Sacerdotes Monachi, atque Canonici*, Angeli sunt Domini: Monachos ut ad editius contemplationis fastigium evectos, superiori etiam Angelorum, putà Cherubimorum ordini adscribendos: quorum alæ sex à Scripturis illis appictæ, ipsius Monastici habitûs figuram adumbrare videantur. Ea certè vestium Monasticarum cum Cherubimorum alis comparatio illius ævi Scriptores, maximè Græcos plurimùm delectabat.

Collectio Romana Holsten.

XI. Non hîc repetemus quæ suprà jam disceptata sunt de quadam Clericatûs & Monachatûs indiscreta conjunctione, ut Clericatu Monachus, Monachatu quis Clericus fieri diceretur. Ita Zacharias Papa, ut uno rem absolvam exemplo, nec Lectori fastidium creem, Clericatum atque unà vestem Monasticam Rachi Regi Longobardorum pœnitenti contulit. *Clericusque effectus, Monachico indutus est habitu.*

XII. Affatim hactenus de Anglia, ubi videtur ab Augustino vita Monastica Ecclesiis omnibus Episcopalibus fuisse invecta, nec non & Capitulis. Sed præteriri sine piaculo non potest, quod refert Beda de Monasterio sancti Columbani Apostoli Hibernorum, ubi Abbas Presbyter erat, & in potestate habebat non Monasteria tantùm omnia, sed & Provinciam Insulamque omnem, adeoque & Episcopos ipsos, quod magis mireris: sic enim visum illis fuerat, inusitato & inaudito eo personagi honore in suæ gentis Apostolum. *Habere solet ipsa Insula semper Abbatem Presbyterum, cujus juri & omnis Provincia, & ipsi etiam Episcopi ordine inusitato debeant esse subjecti; juxta exemplum primi Doctoris illius, qui non Episcopus, sed Presbyter extitit & Monachus.*

Beda. l. 3. c. 4. Baron. an. 565. n. 32.

---

## CAPUT XV. *P. 2. l. 1. c. 35.*

### Clericalis & Monastici statûs conjunctio sæculo eodem VI. VII. & VIII. in Gallia, Hispania, Africa & Oriente.

*I. Concilia Galliarum Monachos ad sacerdotalia munia vocant.*

*II. Novi adhuc è Monasterio Lirinensi Episcopi prodibant.*

*III. E Luxoviensi Monasterio prodibant examina Monachorum ad Apostolicas missiones. Exemplo suo prævêrant Columbanus & Eustasius.*

*IV. Lobiensis Abbatiæ Monachus unus Episcopali inaugurabatur dignitate, ut Evangelium circumpositis gentibus prædicaret.*

*V. E Gallia in Hispanias trajicitur, ubi Concilia Abbates supra Diaconos, quandoque & supra Presbyteros evexere.*

*VI. Fulgentius in Africa illam, qua de hic agimus, confœderationem astruit.*

*VII. VIII. Ex Monasticis in rem eandem regulis. Comparatur disciplina veteri nova in hac parte; utrique quantumvis dissimili proprium & singulare inest decus; vetustissimis etiam quandoque temporibus optabilior visa est nova.*

*IX. Non poterant Clerici sine licentia Episcopi profiteri in Claustris, sed repulsam pati non poterant.*

X.

*X. Regula beati Benedicti haud agre Clericos inferiores admittebat: non aque Presbyteros. Cur?*
*XI. Admittebat tamen & Presbyteros. Quomodo?*
*XII. Supra eos sedebat Abbas, tametsi laicus.*

I. IN cæteris quoque Ecclesiis eadem Cleri & Claustrorum conjunctio latissimè propagata & confirmata est. In Gallia Agathense Concilium vagos & errones Monachos ordinari vetat, in vicis Parochiisque, nisi Abbatis sui testimonio juventur. Si Clericorum penuria laboret Episcopus, & ex Monachis allegere cupiat, id poterit cum assensu Abbatis. *Si necesse fuerit Clericum de Monachis ordinari, cum consensu & voluntate Abbatis præsumat Episcopus.* Can. 27.

Concilia Aurelianensia IV. & V. ab Abbatibus subscripta fuere, vice Episcoporum. Statuit Concilium Turonense, ut qui non possent Episcopi interesse ipsimet Concilio, eò Abbates vel Presbyteros suo nomine ablegarent. Ubi Presbyteris præponuntur Abbates. Altisiodorensi Synodo plures subscripsere Abbates ante Presbyteros Parochosque.

II. Uti ab origine fuerat, ita & deinceps fuit Monasterium Lerinense Seminarium Episcoporum, teste Cæsario Arelatensi Episcopo. *Beata & felix Insula Lirinensis, quæ cùm parvula & plana esse videatur, innumerabiles tamen montes ad cœlum misisse cognoscitur. Hæc est quæ eximios nutrit Monachos, & præstantissimos per omnes Provincias erogat Sacerdotes. Ac si quos accipit filios, reddit Patres; & quos nutrit parvulos, reddit magnos; quos velut tyrones accipit, Reges facit.* Hom. 25. Erat Cæsarius ipse unus ex montibus illis, qui è Lerinensi Cœnobio in cœlum caput extulerat, nec ullas in summo Episcopatûs magisterio explicuit virtutes, nisi quas in tyrocinio hauserat Lerinensi.

III. Si Lerinensi ex Insula pullulabant Episcopi, seque in orbem effundebant, non minor Concionatorum Apostolicorum multitudo è Lexoviensi Cœnobio ad excolendas regiones proximas dispergebatur. Eustasius enim alumnus & successor in eo beatissimi Columbani, exemplis & præceptis tanti imbutus Magistri, proximas gentes vel hæretica, vel etiam idololatrica superstitione demersas, Evangelicæ prædicationis lumine collustravit. Auspicatis animatus his initiis, longiùs latiúsque excurrere ausus est, in Bavariam usque progressus, ubi cùm mira fecisset incrementa, duces militesque strenuissimos instituit, qui regionem illam penitus Christo subjugarent. *Reversus Eustasius ad Luxovium, Magistri sui præceptum implere parat, ut gentes quæ vicina erant, fidei pabulo nutrirentur. Progressus ergo Vuarascos prædicando convertit populos, &c. ad Boias tendit, &c.* Vita ejus apud Sur. a 4. die 29. Mart.

Nec fama, nec zelo minor fuit Gallus inter discipulos Columbani, nec minùs strenuè ad evertendas Idololatriæ reliquias decertavit. Id illi singulariter à Columbano commendatum fuerat: propterea quod præter Latinam, linguam quoque callebat Barbarorum, qui ex idololatriæ tenebris nondum emerserant. *Columbanus beato Gallo id injunxit officii, ut populum ab errore idololatriæ ad cultum Dei exhortatione salutari revocaret: quia ipse hanc à Domino gratiam meruit, ut non solùm Latina, sed etiam Barbaricæ locutionis cognitionem non parvam haberet.* Vita ejus apud Sur. a 6. die 16. Octob. Sive cælestis gratiæ beneficio, sive arte & studio consecutus eam ille esset peregrinæ linguæ peritiam, nihil erat quod Apostolico Præconi magis concineret. In confesso est non mediocrem Monasteriorum partem, quæ postea in Gallis excitata sunt, amplexata esse Regulam B. Colombani, & ejus auspiciis sese vendicasse. Inde id exprimitur, tanti ducis exemplo, non suæ tantùm eos, sed & populorum salutis curam gessisse. Extra controversiam est, concionandi provinciam inter Sacerdotales & Apostolicas functiones principatum quodammodo tenere, & admissos ad eam Monachos, non posse non & toto videri sacerdotio impartiendos. Ne quis ergo posthac stupeat, si à vetusto Scriptore dictum sit, Luxoviense Cœnobium non Abbatum tantùm fingendorum, sed & Episcoporum celeberrimam fuisse scholam. *Quis locus vel civitas non gaudeat ex beati viri disciplina rectorem habere Pontificem vel Abbatem?* Le Cointe. ad an. 612. n. 22.

IV. Lobienses Abbates, quod Cœnobium est antiquissimum & opulentissimum, non procul Tuino oppido, in agro Leodiensi: Episcopi diu fuere, nec tamen ullo alio ministerio Episcopali defungentes, quàm ut Barbaris & Gentilibus circumjacentibus facem inferrent Evangelicæ prædicationis: ex quo tempore ibi Ursmarus sub Pipino seniore Abbas & Episcopus fuit. Accipe verba ipsa ejus qui hujus Belgarum Apostoli vitam litteris mandavit: *Dicendum paucis, cur dictus sit Episcopus, cùm Lobia non sit sedes Episcopalis. Quia enim intentus erat semper lucrandis animabus, & quia multi Barbaricæ gentis ut supradicti Flandrenses, adhuc detinebantur vanis idololatriæ superstitionibus, prædicandi tantùm gratia, sicut competebat rudimentis novellæ fidei, est ordinatus Episcopus. Quod factum quoque de sancto Amando legimus. A quo etiam locus Lobiensis tantam dignitatem est adeptus, partim quia locus regiis regia munificentia est constructus, ut nulli committeretur, nisi primùm esset ordinatus Episcopus. Quæ dignitas perduravit etiam in multos successores, qui leguntur fuisse Episcopi & Abbates.* Du Chesne Tom. 1. pag. 083. Prolatis proferendisque id genus exemplis aliis, id consecuti nobis videmur, ut penè nefas sit in dubium hæc revocare. Sed non eadem fides facilè astruenda iis quæ mox subjicit idem Scriptor, hinc profecta esse ornamenta illa Episcopalia, & Episcopalis jurisdictionis privilegia, quibus Lobbenses postea etiam meri Abbates usi sunt. Nisi si ea fuit Authoris hujus mens, Romanos Pontifices, qui his privilegiis Lobbenses donavere Abbates, rationem etiam habere potuisse illius antiquissimæ præcellentiæ ejus Ecclesiæ Abbatum, qui Episcopi ordinabantur.

V. In Hispania Oscense Concilium edixit, ut quotannis Episcopi Diœcesanam congregarent Synodum, cum Abbatibus, Presbyteris & Diaconis suis, ut novo eos robore communirent, ad diligentissimam legum Ecclesiasticarum observationem. *Annuis vicibus unusquisque nostrûm omnes Abbates Monasteriorum, vel Presbyteros, & Diaconos sua Diœcesis congregare præcipiat, & omnibus regulam demonstret, &c.* Anno 598. Sedent hic Abbates ante Presbyteros, uti & in Synodo Autisiodorensi in Gallis, & in aliis quibusdam suprà laudatis Conciliis. Emeritense Concilium Presbyteros ante Abbates recenset, dum & illis præcipit, ut summo honore colant Episcopum Ecclesias visitantem. Can. 11. Concilio III. Braccharensi locantur Abbates inter Presbyteros & Diaconos, ubi pœnis corporalibus omnes subducuntur. Can. 7. *Qui gradus jam Ecclesiasticos meruerunt, id est, Presbyteri, Abbates, seu Levitæ, exceptis gravioribus & mortalibus culpis, nullis debeant verberibus subjacere.* Ubi ne pigeat observasse, inter gradus Ecclesiasticos, inter Presbyteros & Diaconos constitui Abbates. Concilium Toletanum XIII. eandem tenuit ratio-

Tol. 13. c. 11. nem. Concilio XV. Toletano ante Presbyteros subscripsere Abbates, & quidem suo nomine, cùm non subscriberent Presbyteri nisi nomine Episcoporum, à quibus delegati fuerant. Idem cernere est
Can. 4. in Toletano XVI. In Concilio Toletano XII. vitio datum est, tum Regi Vambæ, quòd vim adhibuisset; tum Emeritensi Episcopo, qui Regi cessisset ut erigeret novum Episcopatum in Monasterio sanctissimi Confessoris Pimenii, qui simul Abbas olim & Episcopus fuerat Monasterii Dumiensis. Rescissus est prorsus insolens hic Episcopatus, cujusjusmodi tamen paucos aliquot perquam similes indicavimus.

VI. Quod diximus de Fulgentio satis idoneum specimen est disciplinæ Africanæ, ubi non parum ornamenti & splendoris accedebat Clero ex sua cum Monasticis cœtibus consociatione. Gradus ergo faciendus est ad Græcos, ubi statim occursant nobis magno numero Archimandritæ & Monachi secundæ Syriæ, qui libellum miserunt supplicem ad Hormisdam Pontificem, ut ejus tuitione munirentur adversùs hæreticos qui Orientem depopula-
Post Epi 21. Hormis. bantur. Ii verò aut Presbyteri omnes erant, aut Diaconi. Archimandritæ illi quoque qui Concilio affuere Constantinopolitano sub Mena, in Ordinibus sacris omnes erant. Confiteri ergo cogimur, quamvis Monachos, immo & Abbates & plurium Monasteriorum Patres sua plerumque ab Ordinibus sacris subduceret humilitas & honorum fuga: illos tamen etiam renitentes ab Episcopis persæpè Cleri dignitatibus exornatus ita fuisse, ut vicissim ipsi has ornarent dignitates. Id liquet ex mirabili illo Saba, cujus tam numerosa fuit & sanctissimorum Monachorum soboles, & Monasteriorum propagatio; qui nunquam tamen assentiri potuit, ut vel ipse, vel suorum quisquam sacris Ordinibus decorarentur, cohærere non posse ratus tantum columen cum Monastica humilitate & necessaria sui
Surius die 5. Decem. c. 22. dejectione. *Vt qui nec ipse auderet suscipere dignitatem sacerdotii, nec alicui alii ex iis quibus præerat, rem permittebat. Ita enim statuebat, sacerdotium esse semper Monachis causam ambitionis.* Cessit ipse tamen authoritati Episcopi Hierosolymitani, qui eo dignitatis gradu addito authoritatem ejus in Monachos amplificavit, quos antea expertus semper erat minùs obsequentes.

VII. Apparet ergo certasse Episcopos Monachosque; illos, ut conferrent, hos, ut declinarent sacras Cleri dignitates; alternis vicisse ipsos, sed vicisse semper Christi gloriam, Ecclesiæ sanctimoniam & pacem, cui amicissima erant illa certamina. Regula
Cap. 46. Aureliani non concedit Abbati, nisi unius Presbyteri, unius ex Monachis suis Diaconi, unius denique Subdiaconi copiam, si ita necessarium duxe-
Cap. 83. rit. Regula Magistri præcipiebat, ut admitterentur in Monasteriis Presbyteri, velut hospites; ita ut præessent divinis Officiis, & Collectas recitarent, ut ordinationi eorum honos haberetur: porro ne ullam in partem adsciscerentur administrationis temporalis, nequando fastidirentur ab eis Abbates ipsi, & ut Laïci ejicerentur. *Ne & ipsi obtentu honoris de ratiociniis, vel dominatione Monasterii, utpote laïcos, Abbates excludant.* Necdum Episcopi & Clerici illud ejuraverant præjudicium, quo ab exordio imbuti fuerant, res Ecclesiæ omnes temporalis sui juris esse, sitæ perdiu possessionis fuisse. Itaque pluribus sæculis multa & industria & circumspectio ab Abbatibus adhibenda fuit, ut reditus suos & oblationes fidelium sibi adsererent & firmarent. Denique ibidem Regula Magistri Abbati præcipit, ut hortari satagat Presbyteros, quo suis & ipsi manibus operentur, sicut & cæteri Monachi: si dicto minùs audientes sint, blande eos hortetur, suas ut in Ecclesias se recipiant.

VIII. Hæ certè circumstantiæ omnes Presbyterorum, non nisi in Monasteriis, nisi *peregrinorum loco*; nunquam admitti ad ullam temporalis regiminis partem; Abbati utpote laïco non posse non esse, non dicam subinvisos, sed suspectos & formidolosos: denique illi semper obnoxios esse discrimini, suas ut in Ecclesias abigerentur: hæ omnes, inquam, circumstantiæ penè persuadent nunquam satis coaluisse in unum cum cæteris Monachis corpus, qui ad Monasteria jam Presbyteri se conferebant, nunquam professionem emisisse. Et sanè difficillimum erat extraneo Presbytero bene convenire cum collegio Laïcorum. Docuit nos suprà Gregorius, si quis ex Monasterio accerseretur ad Clerum, non potuisse posthac eum inserere se rebus Monasterii. Sed eo res erant loco in Occidente tantùm, quandiu ne Abbates quidem ipsi Clericatu initiabantur, nec ullus Monachorum ad Clerum vocabatur. In Oriente enim ubi Abbates penè omnes, & Monachorum complures vidimus in Ordinibus sacris constitutos, suspiciones istiusmodi omnes facilè præfocabantur. Quin & in Occidente ipso apparet senescente sæculo septimo Abbates omnes Presbyteratu ornatos fuisse; cùm eos observaremus in Synodis Diœcesanis Conciliisque Provincialibus, sedere utplurimum suprà Presbyteros & Parochos, sedisse semper supra Diaconos. Quin & disciplina ejus ætatis, quam illustravit Gregorius Magnus, non poterat non valde impedita videri. Nec enim poterant non habere Presbyteros Monasteria, & tamen illæ semper suspiciones intercurrebant, & scrupulosæ anxiæque cautiones. Ita eò denique ventum est, ut suo ex gremio Presbyteros Cœnobia haberent; idque sub ipso jam Gregorio factitari cœperat. Sed extremam denique manum adjecisse visus est Gregorius ipse cumulatissimæ conjunctioni Clericatûs cum Monastico instituto, quando Monachos in Angliam, non ad sacerdotalia tantùm, sed ad Apostolica delegavit exolvenda munia, Clerumque omnem & Episcopatum Angliæ Monachis commendari expetivit, & longè maxima ex parte consecutus est. Ex quibus id manifestè efficitur: nec suis laudibus fraudandam esse priorem Monasteriorum disciplinam, quæ nullos habebat Presbyteros: & multò pluribus ac justioribus cumulandam esse posteriorem, quæ Presbyteros illis concessit; cùm & Monasteriorum necessitas, & Ecclesiæ charitas sanctissimos tandem Episcopos Pontificesque compulerit, ut novum hunc usum inducerent, ut Apostolicas ii exercerent functiones, qui & virtutes ardentiùs æmulabantur. Nec aliter sentiendum de Monachis olim in invia remotissimaque loca summotis, & iisdem postea in suburbia, immo & in civitatum meditullia receptis. Conducibilis erat illa fuga & secessio: conducibilior postea fuit hæc appropinquatio & vicinia: cùm Augustino & Chrysostomo optatissimum visum fit, ut illa sanctitatis lumina urbes propiùs jam collustrarent, Clerumque suo igni propiùs admoto accenderent. Ne amplius ergo ubique antiquitatis admiratio nobis imponat, & obtrectare suadeat novitati. Est ubi antiquitatem ipsam sui pœnituit, conscientia & experimento molestiarum, quæ non tanto pòst tempore fugiunt. Est ubi antiquitas ipsa

semel immutavit, nec nisi in melius, Chrysostomo & Augustino, aliisque ejusmodi doctoribus & anthoribus immutavit. Vulgatissima quidem, sed & iniquissima non rarò illa persuasio est, meliora semper esse, quæ antiquiora. Si ita res haberet, non ipsi Patres Ecclesiæ perantiqui & longè præstantissimi, veteres usus novis persæpè mutassent, diu experti nimirum, quantum ex his, vel illis, & dispendii emergeret, & compendii.

IX. Post cumulatissimam Cleri cum Monachis conjunctionem, in Concilio Toletano IV. commoniti sunt Episcopi, ut ne suis adversarentur Clericis, siqui eorum in Monasteriorum silentio & otio reliquum vitæ cursum dicare cuperent cœlestium contemplationi. Can. 50. *Clerici qui Monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab Episcopo in Monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur* Eo canone illud innititur fixum fuisse ratomque, Clericos tam arctè connexos esse, & Episcopo, à quo ordinati fuerant; & Ecclesiæ, cui ipsa ordinatione sua mancipati fuerant: ut duplici eo se vinculo expedire ipsi non possent; nisi & fidei quam Ecclesiæ, & obedientiæ, quam Episcopo desponderant, desertores essent. Ita non poterant nisi consentiente Episcopo, Monasteriis sese nova professione illigare. Sed vetat Concilium, ne dissentiat unquam Episcopus petitioni tam justæ, qua subditorum numerus non minuitur, sed virtus augetur: & quæ illos tantò Ecclesiæ utiliores, quantò sanctiores facit. Nam si modò fucum nobis non faciant carnis oculi, qui sanctiores, iidem & utiliores Ecclesiæ sunt, etiam tum cum otiari & quiescere videntur: cùm ex adverso negotiosa & strenua non paucos exerceat inertia, non tanquam nihil, sed tanquam aliud agentes; vel sancta minùs sanctè munera obeuntes. Plus strepitûs, quàm fructûs habet diligentia & sedulitas, cui par non respondet sanctitas.

X. Præcipit beati Benedicti Regula, ne facilè admittatur Presbyter, *Non quidem ei citius assentiatur:* pandatur tamen Monasterii janua, si constanter pulsare perseveret ad ostium, sed indicatur ei observantia Regulæ diligentissima. Denique sedere eum jubet post Abbatem. At Clericis non easdem objicit moras, nec eos nisi inter Monachos alios locat, ab eisque professionem observandæ Regulæ & stabilitatis exigit, quod non videbatur tam expressè ab Presbytero exegisse. Cap. 60. *Clericorum autem siquis eodem desiderio Monasterio sociari voluerit, loco mediocri collocetur. Et ipse tamen se promittat de observatione Regulæ, vel propria stabilitate.* Dictum est à nobis, cur morosiores essent Monachi in aggregandis sibi Presbyteris, quàm Clericis aliis. Major erat Presbyterorum dignitas, major & cum suis Ecclesiis conjunctio: ita fiebat, ut nec admitti facilè possent, nec rejici: ad professionem cogi vix possent, multò minùs ea absolvi. Sed quoad minores Clericos, cùm eos non sedere juberent nisi promiscuè inter Monachos, eo satis prodebant, non tanto sibi videri Monachos Clericosque inferiores distare intervallo. Quocirca & quod in Monasticis laboribus impensum erat temporis, id perinde habebatur ad interstitia Ordinum, acsi in minoribus Ordinibus actitatum esset.

XI. Enimvero ad eos veniens beatus Benedictus, quos seligit Abbas Ordinibus initiandos, de Presbyteratu tantùm meminit, & Diaconatu: persuasus nimirum minorum Ordinum exercitia & hinc comparatam animi sanctitatem Monasticis exercitationibus etiam cum fœnore compensari. *Si quis Abbas sibi Presbyterum vel Diaconum ordinare petierit, de suis eligat, qui dignus sit sacerdotio fungi.* Cap. 62. Monacho autem ad Presbyteratum sublimato, statim inculcat sanctissimus Pater, ne nova hac dignitate intumescat: Presbyteratu ipso suo ad impensiorem Regulæ observantiam incitari eum debere; Abbatis imperio quanquam laici, hoc est Ordinum sacrorum experris, ipsum subesse: denique evenire posse, ut insolescens à fratribus, non ut Presbyter, sed ut rebellis haberetur. *Ordinatus caveat elationem, nec quidquam præsumat, nisi quod ei ab Abbate præcipitur; sciens se multo magis disciplinæ regulari subditum, &c. Quod si aliter præsumpserit, non ut Sacerdos, sed ut rebellis judicetur.*

XII. Mirum illud prorsus, quod cùm beati Benedicti summa esset in Presbyteros observantia, illos tamen & Abbati laïco postponit, & claustrali subjicit jurisdictioni. Cap. 60. *Concedatur ei post Abbatem stare, & benedicere, aut Missas canere, si tamen jusserit ei Abbas. Sin alias, nullatenus aliqua præsumat.* Profertur à Coïntio nostro exemplum, ubi Monachi laïcum quendam nec Dominico die ad sacra Mysteria, nec ad communionem admisere. Ad annum 518. Sibi enim sacra faciebant Monachi, etiam ante Monachatum Presbyteri, non laïcis, non populis, quos ad proprias ablegabant Parochorum Ecclesias.

---

## CAPUT XVI. *P. 2. l. 1. c. 36.*

### Quantum curæ & studii posuerint Episcopi in propagandis & multiplicandis Monasteriis. Singularia quædam Monasticæ professionis capita, à Chlodovæi temporibus ad Carolum Magnum.

*I. Non potuere fundari Monasteria nisi intercessione Episcoporum.*
*II. III. Pleraque eorum in Gallia & Hispania non authoritate tantum, sed & largitate Episcoporum fundata fuere, & dotata.*
*IV. V. VI. Idem statuendum de Italia, Anglia, Africa.*
*VII. VIII. Idem de Oriente.*
*IX, X, XI. Variæ Justiniani Leges de Monasteriis, de non admittendis servis, de eligendis Abbatibus, de litibus, de Monialibus, de Ecclesiis Monachorum, de eorum Exarchis, seu Generalibus.*
*XII. Varia de rebus iisdem Gregorii decreta.*
*XIII. De Generalibus Ordinum & Monasteriorum præpositis.*
*XIV. De Anachoretis.*

I. PRopagatio Monasteriorum Ordinumque Regularium, cui tantopere studuerunt Episcopi, ut nec operæ, nec sumptibus parcerent, luculento ea est argomento, quàm individua charitate sibi cohærescerent Clerici Monachique. Ad beati Cæsarii Arelatensis Episcopi varias consultationes rescribens Symmachus Papa, edixit ut ne alienari usquam possent fundi, quibus donatæ dotatæque essent Ecclesiæ, quanquam iis donari possent vel ad vitæ tempus Clerici de Ecclesia bene meriti, vel Monasteria singulari pietate commendata. Epist. 3. *Nisi forsitan aut Clericis, honorum meritis, aut Monasteriis religionis intuitu* Can. 1. Cautum Agathensi & Epaonensi Conciliis, ne qua nisi approbante & permittente Episcopo extruerentur nova Monasteria, aut Monasteriorum rudimenta. Can. 27. Can. 10. *Nisi Episcopo permittente, aut probante, &c. Cellas nostras aut Congregatiunculas Monachorum absque notitia Episcopi prohibemus institui.*

II. Potestatem quoque fecit Episcopis Conci-

lium Toletanum II. ut agris quibusdam Ecclesiæ Monasteria donarent, dum ne ea largitate paupertas afferretur Ecclesiæ. *Si quid verò, quod utilitatem non gravet Ecclesiæ, pro suffragio Monachorum, vel Ecclesiis ad suam Parochiam pertinentibus dederint, firmum maneat.* Can. 3. 4. Hoc eodem rursus Concilio copia fit Episcopis, ut Monasterium aliquod extruant in Ecclesia una quadam Parochiali, atque non Parochiæ tantùm ejus proventus addicant, sed fundum etiam aliquem Ecclesiæ Cathedralis, dum ne locupletando Monachos sponsam suam exhauriant: *Si Episcopus unam de Parochianis Ecclesiis suis Monasterium dicare voluerit, ut in ea Monachorum regulariter congregatio vivat, hoc de consensu Concilii sui habeat licentiam faciendi. Sit stabile, si de rebus Ecclesiæ suæ eidem loco aliquod donaverit, quod detrimentum Ecclesiæ non exhibeat.* Sed cùm dubitationis non parum esset in dijudicando, quanta ex Episcoporum liberalitate detrimentum afferri posset Ecclesiæ: Concilio Toletano IX. definitum est dari ab Episcopo posse ei Monasterio, quod in Diœcesi sua extrueret, quinquagesimam partem bonorum Ecclesiæ suæ: ea enim temperata largitate, nec Ecclesiam extenuari, & Monasterium abundè ditari posse. Si pro Monasterio autem malit Episcopus aliam quamvis Ecclesiam suis ornare beneficiis, utpote quod ibi terræ mandari constituerit: præfiniit idem Concilium, ut centesimam tantùm partem conferre possit bonorum matricis Ecclesiæ; cautione illa præstituta, ut unus idemque Episcopus non possit nisi alterutra largitate uti, nequaquam verò utraque. *Monasterio non amplius quàm quinquagesimam partem dare debebit ex rebus Ecclesiæ, cui præsidet. Ecclesiæ verò quæ Monasticis non informabitur regulis, aut quam pro suis magnificare voluerit sepulturis, non amplius quàm centesimam partem conferre licebit, &c.* Satis ex his superque clarescit, quàm proni essent Episcopi ad nova in dies extruenda Monasteria, ut à Conciliis modus ponendus esset eorum exundanti liberalitati; & quàm ne ipsa quidem Concilia à pio hoc in Monachos studio aliena essent.

III. Monasteriorum Hispaniæ, sicut & Monachorum Regulæ author parensque fuit B. Isidorus Episcopus Hispalensis. Ita verò censet ille post exempla Eliæ, Elisæi, Prophetarum & Joannis Baptistæ, Paulum & Antonium, Hilarionem & Macarium, *conversationis hujus nobilissimos fuisse Principes.* De Offic. Eccles. l. 2. c. 15. Sex esse Monachorum classes diversas, quarum tres nunquam satis commendari, tres aliæ verò nunquam satis vituperari possint. Non posse Anachoretas illi sese committere solitudini, quæ non pascitur nisi cælestium contemplationis deliciis, nisi triginta saltem annis in obedientiæ & claustralium exercitationum rudimentis versati & obdurati fuerint. Ex his utcumque intelligitur, cujusmodi fuerint Cœnobia ab Isidoro structa & instituta. Fructuosus Bracharensis Episcopus Regulam & ipse condidit Monachorum, & tria ipse Monasteria extruxit ex Scriptoribus ejus vitæ. Etsi enim vetaret Concilium Toletanum, ne ex Cathedralis Ecclesiæ fundis ac reditibus decerpere posset quilibet Episcopus amplius quidquam, quàm quod ad unius Monasterii structuram & dotationem requireretur: non eò tamen prohibebantur, quin longè plura construerent Episcopi, vel patrimonii sui sumptibus & agris, vel opulentissimo charitatis ingenio, cujus inexhausti sunt semper thesauri.

IV. Aurelianus & Cæsarius sanctitate clarissimi Arelatensis civitatis Episcopi, Regulas & ipsi condiderunt, unde facilè auguramur condita ab eis quoque fuisse Monasteria. Ante obitum suum Cæsarius in Monasterio suo Arelatensi sub Abbatissa sorore sua ducentas amplius habuit virgines Monachas. Cyprianus in vita Cæsarii. Audoënus Rotomagensis Episcopus religiosis his Colonis usque adeo frequentavit suam Diœcesin, ut Ægyptum & Thebaidem non imitari, sed superare velle videretur. Quin & per Gallias varia sparsit Monasteria, gnarus nullos debere, nullos posse charitati limites poni. *Ardebat summo studio Monasteria & loca sacra per omnes Franciæ Provincias construendi, maximè verò in propria Diœcesi; ubi sanè multa Cœnobia, eaque ampla & nobilia à fundamentis condidit; non pauca verò priorum Antistitum & Abbatum desidia neglecta instauravit, &c. Tantus ibi erat numerus Cœnobiorum diversi sexus, putà Monachorum & Monacharum, quæ ad ejus institutionem tanquam divinæ sationis messes quædam subitò enituere, ut multitudine & religione Ægypti Monasteria, ab Antonio quondam instituta, æquare videretur.* Surius die 24. Augusti. Eligius Noviodunensis Episcopus pari flagravit desiderio struendorum Monasteriorum; ipse quidem Monialium Cœnobium Novioduni aædificavit; ac discipuli ejus complurimi tanto Præceptori obsequentes, longè plurima toto regno condiderunt, in varias Episcopales sedes assumpti. *Sed & alia multa Monasteria, quæque ejus opere, quæque verò institutione à discipulis ejus constructa, hodie intra Gallias noscuntur: nam multi ex discipulis ejus Ecclesias condiderunt, multi Monasteria salubriter rexerunt, multò etiam in regimen Episcopale sublimati, Ecclesiis præfuerunt.* S. Audoën. in vita sancti Eligii. L. 2. c. 5. Sanctus Dumnolus Cenomanensis Episcopus ex Ecclesiæ suæ Cathedralis facultatibus plures & ipse Abbatias extruxit. Surius die 16. Maii.

V. Confirmata est à Gregorio Magno Papa constructio Monasterii & Xenodochii Augustodunensis, à Siagrio ejus urbis Episcopo facta, & à Regina Brunechilde. *Quod in civitate Augustodunensi à Siagrio Episcopo, & excellentissima filia nostra Regina constructum est, &c.* L. 11. Ep. 10. Verùm Gallicanos Episcopos, ut dignitate, ita construendorum novorum in dies Cœnobiorum pia sedulitate superabat ipse Gregorius. Diximus bene multos ex Gallicanis Episcopis è Cœnobiis Monachorum, ubi diutius posuerant tyrocinia, ad Episcopales Cathedras venisse: ut non potuerint non eo fervere studio propagandi Monastici instituti, cui tantum ipsi debebant, cui ipsas Episcopales infulas quodammodo acceptas referebant. Nec cessit illis in ea re Gregorius, Monasticam vitam & ipse diu professus; documento sunt sex Monasteria in Sicilia structa statim à conversione sua, præter illud quod Romæ fundavit. Quantumvis egena Cœnobia, simul ac Gregorius rescierat, paupertate eximebantur. Cùm Imperator Mauritius lege lata militibus profiteri volentibus Monasteriorum fores clausisset, eas pandi jussit Gregorius, eo adhibito summæ sapientiæ temperamento, ut ne admitterentur, qui ratiociniis publicis obligati erant, neque ne ulli profiterentur, nisi triennio toto antè probati. Missis in Angliam idem Gregorius Monachis suis, non fidem tantùm disseminavit in regionibus iis, quas Angli, qui ex Germania eò irruperant, ejectis Brittonibus indigenis, subegerant: sed & in ipsis Brittonum Monasteriis fidei Catholicæ, & disciplinæ morum puritatem restituit. L. 1. Ep. 13. 42. 54. L. 7. Ep. 11. Erant autem ea Brittonum Monasteria tam populosa, ut teste Beda, in Cœnobio Bancorensi septem essent turmæ, singulæ trecentos saltem

Monachos compleat, alternis vicibus divinam in Ecclesia psalmodiam celebrantes, & opere manuum sustentantes vitam. *In Monasterio Bancor tantus fuisse fertur numerus Monachorum, ut cùm in septem portiones esset cum præpositis sibi Rectoribus Monasterium divisum, nulla harum portio minùs quàm trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum suarum vivere solebant.*

Beda Hist. Angl. l. 2. c. 2.

VI. Nec nescire poterant Africani Episcopi, ab Augustino Episcopo exorta esse initia Monasticæ institutionis in vastissimis illis Africæ regionibus. Episcopus ille ad quem se primùm contulit Fulgentius de sæculi fuga cogitans, Monasterium ipse in exilii sui loco construxerat. Episcopus Syracusanus, quem invisit, dum Romam proficisceretur, Monasterium ipse quoque sibi exædificarat, ubi post Episcopalium tumultus curarum, pauxillum otii nancisceretur, & cælesti recrearetur contemplationis pabulo. *Monachorum professionem super omnia diligebat, habens etiam ipse Monasterium proprium, cui semper adhærebat, quoties ab Ecclesiasticis vacabat.* Episcopus alius extorris ab Africa, in vicina Insula Monachum agebat. Fulgentio ad Episcopatum provecto, non aliud prius, non aliud antiquius suaviusque fuit, quàm primas ut curas suas struendo impenderet Monasterio. Denique dum in Sardinia postea exularet, Monasterium & ibi extruxit juxta Calaritanam civitatem suis impendiis, & ibidem cum quadraginta Monachis egit, donec detumesceret persecutio, & in Africam regredi fas esset.

Ferrand. in vita Fulg. c. 4. 12. 13. 19. 20. 27.

VII. Joannes Patriarcha Alexandrinus, ille ab eleemosynarum largitate Sole ipso splendidius nomen assecutus, Monasteria duo nova Alexandriæ condidit, & reditibus Episcopatûs dotavit, non immeritò persuasus patrimonio pauperum non alios æquiùs, non alios liberaliùs sustentari debere, quàm qui se sponte Evangelicæ paupertati devoverunt. Non aliud autem ab eis sibi flagitavit, nisi solemnia vespertinorum & nocturnorum Canticorum officia: expertus pluris esse ad Ecclesiæ utilitatem & gloriam horum otia, quàm complurium aliorum negotia tumultuosa. Horum enim æmulatione Monachorum incensi Alexandrini cives, cœpere insomnes in decantandis divinis laudibus noctes ducere, & amplissima civitas unum videri potuit vastissimum Cœnobium. *Et ad similitudinem Monasterii ex his civitas pene vivit, in diversis locis pervigiles hymnodias Deo referens.*

Vita ejus c. 44.

VIII. Multa sanxit Justinianus Imperator ad Monastici ordinis disciplinam. Initium verò facit à consensione Episcopi antè impetranda, quam novum struatur Cœnobium, ab precibus ab ipso fundendis, denique à defigenda cruce, tum cum fundamenta jaciuntur. *Si quis Monasterium ædificare voluerit, Episcopum advocet: ille manus extendat ad cœlum & per orationem locum consecret Deo, figens in eo crucem, sicque inchoet ædificium.* Quibus abundè probatur longè plurimorum, & quodam non absurdo sensu omnium prorsus Orbis Monasteriorum authores parentesque fuisse Episcopos.

Novel. 5. c. 1.

IX. Utque aliqua perstringamus capita antiquissimæ hujus Monasteriorum disciplinæ: illud primò monemus, ibidem præcipi, ut in sæculari veste & capillitio triennio probentur Laïci, antequam veste & tonsura donentur Monastica, hoc est, antequam profiteantur. Idem præcipiebat Pachomius. At ante Pachomium Antonius statim ad vestem & ad professionem Monasticam admittebat. Jubet Justinianus, ut & servi recipiantur, utque Christi servitus quam profitentur, absolvat eos à priori hominum servitute, & integra donet libertate. *Sive servi sint, non inquietari, migrantes ad communem omnium cælestem Dominum, & arripiantur in libertatem. Nam si multis casibus etiam ex lege hoc fit, & talis quædam libertas datur, quomodo non prævalebit divina gratia, talibus eos absolvere vinculis.* Ne illud quidem patitur, ut hos proprii domini servos vindicare & reposcere possint toto probationis triennio, si solo servitutis jure agant. Præcipit ut Monachi una omnes mensa aulaque vescantur, una dormiant cubentque aula, suo quisque lectulo, sed nullo ab aliis alii septo exclusi: exceptis Anachoretis solis, qui & *Quiescentes*, ἡσυχασταὶ, dicuntur. Si post professionem discedant, quæ intulerant Monasterio, repetere jam non possunt, ut quæ in Monasterii jus cesserint. Denique eligi debet Abbas, non à Monachis, sed ab Episcopo, cui pluris erit virtus & industria, quàm antiquitas, ætasque.

Nov. 5. c. 2.

Cap. 3.

Cap. 4. 5. 6. 9.

X. Verùm electio Abbatis postea ab eodem Imperatore reddita est suffragiis Monachorum, ubi juramento adacti fuerint in ipsa Evangelii verba, digniori se suffragaturos: qui confestim ab Episcopo ordinabitur, & in sedem mittetur. Fuit & aliud, quo prioribus Constitutionibus suis per posteriores derogaret Justinianus. Servos dominis reddi jussit, si eos ante elapsum probationis triennium reposcerent; deinceps non reddi, nisi si quando exilirent Monasterii claustris & à sanctitatis proposito deficerent. Passus & iis privatas permitti cellulas, quos ætas ingravescens & crebræ senii ægritudines communis vitæ legibus viderentur eximere. Vetuit ne ulla in posterum essent utriusque sexûs Cœnobia, & ubique abjunxit Monachos à Monialibus. Statuit, ut examini Episcoporum subessent Presbyter, vel Diaconus, quem Moniales elegissent, ad Eucharistiam ad eas deferendam, & ad earum causas in se recipiendas. Si verò nullo adhuc Ordine sacro decoratus esset, quem illæ elegissent, & ei moneri idoneum Episcopus censuisset, illum protinus ordinaret Episcopus, oneraretque cura Monasterii, in quo tamen manere haud unquam posset. *Fæminis autem quemcumque ipsæ elegerint, sive Presbyterum, sive Diaconum, ad faciendum responsum, aut sanctam eis Communionem portandam, sanctissimus Episcopus, sub quo sunt, deputet, quem recta fidei & bona vita esse cognoverit. Sin verò, &c.* Non ergo amplius Moniales Monachorum magisterio & curæ subjacuerunt, post illam duplicium Monasteriorum separationem. Spiritalis earum directio penes Presbyterum erat, vel penes Diaconum, qui communionem Eucharisticam ad eas deferebat, ab ipsis electus, & ab Episcopo confirmatus. Jam verò si quis Monachus à Monasterio recedens, sæculari se vitæ immergat, præterquam quod pristinis omnibus exuitur dignitatibus, ab Episcopo & Magistratu in suum retruderur Monasterium, & si rursum resiliat, Præfectus Provinciæ corripi illum curabit, & infimis justitiæ Officialibus inscribi.

Nov. 123. c. 34. 35.

Cap. 36

Cap. 42.

XI. Denique præfatus alibi Imperator, non aliud sibi propositum esse, quàm ut diligenter serventur Canones: ad juniorum Monachorum abrumpendam societatem & familiaritatem omnem cum sæcularibus; constituit, ut si publicam habeant Monachi in Monasterio suo Ecclesiam, ne eò ingrediantur, nisi ut sacris intersint Mysteriis; cæteroqui ne ibi conspiciantur nisi quatuor, aut quinque seniores, qui vitam in Monasterio omnem transegerunt, meritòque virtutis spectatæ Presbyteratum,

Nov. 133. c. 1. 4. 5.

Diaconatum, vel Ordinem alium quemvis consequuti fuerint, ut spiritalis eorum cum sæcularibus congressus, & sermo sapientiæ sale conditus, ac mores Christi bonum odorem spirantes, Monasterii totius pietatem fidelibus omnibus approbent, & si fieri possit, etiam affricent. Exarchi seu Generales Monasteriorum complurium suæ provinciæ creditorum, sicubi erunt aliqui, ut Constantinopoli; ii excubabunt pro disciplinæ observantia, & per Apocrisarios suos Monasteria obambulabunt, visitabuntque: sicut & Archiepiscopi, Episcopi & Metropolitani, per Defensores Ecclesiarum suarum. Denique Imperator ipse censorem sese aget Episcoporum & Abbatum, zelique & indignationis suæ tela torquebit, nisi strenuè ulciscantur horum Constitutionum transgressores. *Monasteriorum Exarchus, si quis per loca fuerit, sicut in hac felicissima civitate, hac sollicitè curet, & mittat Apocrisarios per Monasteria, &c. Sed etiam uniuscujusque civitatis Episcopus, &c. Sive Patriarcha, sive Metropolita, &c. Neque enim Imperium despiciet hæc negligi, neque retinebit indignationem adversus Abbatem, neque contra loci Episcopum, & sub eo positos Defensores, si hæc non observaveriat, &c.*

L. 1. Ep. 33. XII. Exarsit & non rarò Gregorius Papa, ad
34. 40. 48. Monachos in claustra sua revocandos, ad errores
L. 1. Ep. 67. eorum ab aliis ad alia Monasteria compescendos,
ad arcendas à vicinia Monasteriorum fœminas, ad
eos à litibus foroque summovendos, laïco aliquo
pio eorum causis onerato, non sine congrua mer-
L. 2. Ep. 3. cede. *Ei Monasterii ipsius generaliter debeas constituto*
*solatio commendare negotia. Expedit enim parvo incommodo à strepitu causarum servos Dei quietos existere, ut & utilitates cella per negligentiam non pereant, & servorum Dei mentes ad opus Dominicum liberiores existant.* Et in alia Epistola ad Abbatem, *In causis istis procuratorem institue, & tu ad lectionem atque orationem vaca.* Et rursus ut Monachis stimulos adderet ad hospitalitatem sectandam, ad sublevandos egenos, maximè autem ad æs alienum solvendum. *De hospitalitate esto sollicitus; quantum potes, largire pauperibus: ita tamen ut serves quod Floriano restitui debet.* Ut ad lectionem eos accenderet: *In ipsis fratribus Monasterii tui quos video, non invenio eos ad lectionem va-*
L. 2. Ep. 23 *care.* Ut Episcopos impelleret ad ordinandos Ab-
bates, quos Monachi elegissent. Ut reniteretur
Mauritio Imperatori, pervinceretque, ut paterent
Monasterii fores, & iis qui ratiociniis publicis im-
plicati essent, Monasterio eorum nomina exolven-
L. 2. Ep. 62. te: & militibus, cùm *plerique sint, qui nisi omnia re-*
L. 3. Ep. 40. *liquerint, salvari apud Deum nullo modo possunt.* Ad
prohibendos Monachos, ne sibi *commatres facerent*,
& specie paternitatis spiritalis rursus se sæculo im-
mergerent. Ut servis patrocinaretur, qui in Mona-
steria non confugerant, ni ut humanam divina ser-
vitute commutarent, quæ verissima libertas est, id-
L. 4. Ep. 44. que expleto probationis triennio: *Ut ab humano ser-*
*vitio liber recedat, qui in divino obsequio districtiorem appetit servitutem.* Ut Monasteriis ea minora vendi-
caret Monasteria quæ illis à Fundatoribus unita
L. 8. Ep. 39. subjectaque fuerant. Ut ne in Clerum admitteren-
L. 7. Ep. 31. tur servi, quos servitute non absolverant domini,
30. nisi ea lege, ut Monasteriis se devoverent, & in
proposito perseverarent. Ut inviti in Monasteria
retruderentur desertores sacri propositi. Ex eo au-
L. 12. Ep. tem intelligimus experientia jam compertum fuisse
30. nec ejiciendos esse Claustro Monachos incorrigibi-
les, nec sibi permittendos, ut in præceps irent,
quò suus illos error furorque transversus ageret;

quanquam B. Benedictus præcepisset eos ejici, qui Regula cap.
nec excommunicatione, nec pœnis corporeis resi- 28. 29.
piscerent; nec tutius admitterentur, si aufugissent,
aut si tertiò expulsi essent. Concilium Aurelianen- Can. 19.
se I. præceperat, ut adjutante Episcopo fugitivi
*sub custodia revocarentur.* Concilium Turonense II. Can. 15.
fugaces Monachos, qui uxores duxerant, excom-
municaverat, donec in sua se Claustra reciperent.
Concilium Pictaviense, quod pacandis Monialibus sanctæ Radegundis habitum est, extremo & irrevocabili anathemati subjecit fugitivas Moniales.
Concilium V. Parisiense eodem confixit anathema- Can. 11.
te apostatas omnes, donec suis se redderent Monasteriis.

XIII. Manifestissimè patuit in his suis Gregorium Epistolis, corroborasse pleraque statuta illa, quæ suis Novellis innovaverat magis, quàm condiderat Justinianus Imperator. Non facile tamen est illos Exarchos, seu Monasticorum Ordinum Generales deprehendere in Occidente, quorum tam clara erat in Oriente fama. Generales Monasteriorum aptiùs dixissem quàm Ordinum Monasticorum. Unus enim Monasticus erat Ordo, quem non dividerent nisi variæ regiones in quas Cœnobia disseminata erant. Ita legimus frequentissimè Monachos Ægypti, Palæstinæ, Orientis, Thebaïdis, Mesopotamiæ. Unus Hieronymus eorum omnium exempla suppeditat; rarò autem Monachos leges Antonii, Hilarionis, Macarii. Ne Basilii quidem, sed Ponti. Ita Exarchi, seu Generales in ditione sua habebant omnia unius regionis Monasteria, nulla ratione habita regularum, quòd omnes omnibus regulæ essent propositæ, etsi non omnes ab omnibus æquè observarentur. Hi ergo Exarchi seu Generales quàm frequentes in Oriente, tam erant in Occidente infrequentes. Fateor in vita sancti Columbani commemorari Archimandritas, qui
mille Abbatibus imperitarent: *Ita ut mille Abbates* Cap. 7.
*sub uno Archimandrita esse referantur.* Sed de Orientalibus eo loco agitur. Quod rursus patet ex ipsa voce Archimandritæ, quæ utique, aliqua saltem sui parte, Græca est; & ex prodigiosa hac Abbatum multitudine, cujusmodi nunquam ad id ævi in Occidente conspecta fuerat. Si unum Monasterium alteri obnoxium suprà ostensum est à Gregorio, si Fulgentius Monasteria duo constrinxit societatis vinculo, non implent ea Generalis vel Exarchi nomen & expectationem. At Author vitæ Eutychii, qui Patriarcha deinde creatus est Constantinopolitanus, disertis verbis docet, cùm antè Monachus & Abbas esset, factum illum fuisse *Catholicum*, seu Generalem Monasteriorum unius Metropoleos.
*Totius Monachorum curas in ea Provincia gubernandi* Cap. 15.
*Provinciam cepit, ex quo Catholicus, seu Generalis appellatus est.* Marianus Abbas sancti Delmatii Constantinopoli, *& Exarchus omnium Monasteriorum urbis Regiæ*, memoratur Actione I. Concilii Constan-
tinopolitani sub Mena. Nominatur ibidem & Ser- Act. 2.
gius Presbyter & *Visitator*, *Periodeutes*: Leontius Abbas & *Vicarius totius Deserti*; Sophronius Archi-
mandrita & *primus totius Deserti*. Paulus Delegatus Act. 5.
Monasterii sancti Maronis, qui *primus* erat Syriæ secundæ. Alexander *Exarchus* Monasteriorum urbis Constantinopolitanæ. Quibus ex omnibus liquidum fit & Exarchos & alios Præfectos fuisse Generales complurium Monasteriorum: & non habitam esse tamen rationem vel Ordinum, vel Regularum inter Monachos, sed regionum diversarum, in quas vel sparsi, vel collecti essent. Atque ita unum fuisse

Monachorum Ordinem, sicut & unus erat Clericorum ordo ubique terrarum, in varias tantùm Metropoles & regiones sectus.

XIV. Quoad Anachoretas verò qui soli deguot, ita de illis verba fecit Trullana Synodus, ut suprà Justinianus in Novellis suprà laudatis: eos damnans qui illo otio & secessu non aliud quàm prætexunt obumbraoique inertiam, imperitiam, & probrosam quandoque licentiam; remunetans ex adverso laudibus inmensis eos qui in Monasteriis diu exercitati, abdiderunt se tandem in contemplationis beatissimæ secessum. Eadem fuit sententia Concilii VII. Toletani. *Can. 7.* Eodem excitata spiritu Agathensis Synodus, sancivit, ut quæ his solitudinis amatoribus permittebantur separatæ cellulæ, ambitu Monasterii cingerentur, & sub potestate essent Abbatis. *Can 38.* *Intra eadem Monasterii septa, sub Abbatis potestate separatas cellas habeant.*

## CAPUT XVII. *P. 3. l. 1. c. 32.*

### Confœderatio Monachorum & Clericorum sub Imperio Caroli Magni.

*I. Utrique Ordini officia incumbunt sua.*

*II. Monachi ad Cleri dignitates adoptati, prioris propositi eas virtutes & consuetudines retinent, quæ cum Clericatu suo novo non conflictantur.*

*III. Monachi Clero inclusi. An Presbyteratu gauderent Abbates. An Clericatum conferrent.*

*IV. Monachi divina ut Officia peragerent, ad primarias Romæ Ecclesias adscribebantur.*

*V. Parochia Monachis regenda commendantur.*

*VI. Abbas eo jure utitur, ut Archiepiscopatum vacantem regeret.*

*VII. Ingens Monachorum potestas in pœnitentia foro.*

*VIII. Non omnes Monachi Confessionibus audiendis præfecti, ab arcta Canonum disciplina discedebant.*

*IX. Parochi multi Abbatibus obnoxii. De abdicantibus parochiales Ecclesias, ut in Monasteriis profiterentur.*

*X. De Episcopis, qui Episcopatu abibant, ut Monasticum institutum sectarentur.*

*XI. Qui voto se obligarat, ut Religionem profiteretur, interim electus Episcopus, & consecratus, in Monasterio profitetur, & tum rursus redit ad gubernacula Ecclesiæ suæ.*

*XII. Presbyter sanctissimus Monachorum, Monasteriorumque institutorum admiratione & amore exæstuans.*

*XIII. In Oriente Monachi ad Episcopalem sarcinam vocati, & habitum retinent, & pietatis officia.*

*XIV. A vero alienissimum est, Clericatu absolvi Monachos à vinculis & legibus Monasticis, Clericatus, vel Ordinis functione non repugnantibus.*

*XV. Recentiorum Græcorum disciplina relaxatio.*

*XVI. Multitudo incredibilis Monachorum in Conciliis Generalibus.*

*XVII. Plurimum omnium Monachi insudarunt infidelium conversioni.*

I. Clericos pariter & Monachos, ut affines sibi, & iisdem legibus ferè officiisque obnoxios submonebat Carolus Magnus, ut propositi votique sui meminissent. *Capitul. Aquisgr. anni 789. c. 28.* *Ut Clerici & Monachi in suo proposito, & voto quod Deo promiserunt, permaneant.* Intuebatur Carolus ad Concilii Calchedonensis Canonem, quo utrisque æquè interdicitur militia, & qualiscumque demum dignitas sæcularis. *Can. Calch. c. 7.* *Constituimus neque ad militiam neque ad dignitatem sæcularem venire.*

II. Innocentii quoque I. decretum innovavit Carolus, quo præcipiuntur Monachi, ubi ad Clericatum adrogabantur, nihil remittere de pristinæ conversationis suæ austeritate & sanctimonia. *Ibid. c. 27.* *Item in Decretis Innocentii Papæ de eadem re, ut Monachus si ad Clericatum provehatur, propositum Monachicæ professionis non amittat.*

III. In Concilio Francofordiensi permiscentur Monachi Clericis, ubi submonetur Episcopus Metropolitani & denique Regis authoritatem interpellare, si minus morigeros experiatur, tum Clericos, tum Monachos suæ ditionis: *Si non obedierit aliqua persona Episcopo suo de Abbatibus, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Monachis, & cæteris Clericis.* *Can. 6.* Ubi vides interseri Clericis Monachos, quod rursus in alio infra Canone, ubi tam illis, quàm his tabernæ interdicuntur. *Ut Presbyteri, Diaconi, Monachi & Clerici tabernas ad bibendum non ingrediantur.* *Can. 19.*

Cœperunt frequentiùs deligi Abbates ex Presbyteris. Regula beati Benedicti multa nobis superiùs suppeditavit argumenta, quibus constaret Abbates complures adhuc fuisse laicos, hoc est nullo ordine sacro donatos. *C. 60.* Verùm ex Concilio Aquisgranensi anni 817. Abbates adhuc non pauci ad Presbyteratum minimè promovebantur. *C. 11.* Sancitur enim, ut *Abbates, Præpositi, vel Decanus, quamvis Presbyteri non sint, Lectoribus benedictionem tribuant.* Concilium Romanum sub Eugenio I. anno 827. edixit ut Abbates Presbyteratu initiarentur, ut hinc accessio illis fieret aliqua authoritatis, ad subditorum correptionem profuturæ. *Can. 27.* *Sacerdotalem quoque honorem sint adepti, ut peccantium sibi subjectorum fratrum valeant omnimodis refrænare & amputare commissa.* Ita quidem ibi. Verùm tam densa exemplorum in contrarium copia, argumento est, Canonem illum usu receptum non fuisse.

Synodus Oecumenica VII. Abbatibus concessit, ut Tonsuram Clericalem & Lectorum ordinem Monachis sibi obnoxiis conferrent, si modò ipsi Presbyteratu aucti essent, & Episcopali benedictione ordinati. Liquidum ergo hinc fit, Abbatum tum multos fuisse, multos etiam non fuisse Presbyteros. Ratherius Episcopus Veronensis in Institutione Synodica sua ad Parochos, vetuit ne quis eorum sine licentia sua Clericos ordinaret. *Clericum nemo vestrûm sine licentia facias nostra.* Diximus alibi per Concilia Carthaginensia Presbyteris seu Parochis licuisse ut Cantores instituerent, porro Cantores Clericis adscriptos fuisse ex iisdem Conciliis. Inter Presbyteros animarum curam agentes Agobardus Abbates etiam collocat: unde æquum est, ut & ipsi Presbyteri habeantur. *In nomine Pastorum & Rectorum intelligantur Abbates & Præpositi atque Presbyteri.* *De modo Reg. in. Eccl.* Hi nimirum Pastores erant sub summo Pastore Episcopo; Pastores, inquam, erant Abbates Monachorum, Præpositi Canonicorum, Parochi fidelium.

IV. Structa sunt Romæ Monasteria à Gregorio III. juxta Ecclesias sancti Chrysogoni, & sancti Joannis Lateranensis, ut ab eis divina interdiu noctuque persolverentur in his Ecclesiis Officia, eodem ritu, quo in Ecclesia sancti Petri, ita ut Rectori vel Parocho nihil juris esset in hos Monachos. *Constituens ibidem Abbatem & Monachorum congregationem ad persolvendas Deo laudes in eodem titulo, diurnis atque nocturnis temporibus, instar officiorum Ecclesiæ B. Petri Apostoli, segregatum videlicet à jure potestatis Presbyteri prædicti tituli.* *Anastas. Biblioth.* In ipsa B. Petri Ecclesia à simillima Monachorum congregatione decantabantur divinæ psalmodiæ Officia: cùm Missæ à Presbyteris & reliquo Clero celebrarentur. *Ut in Oratorio nomini eorum dicato intra Ecclesiam B. Petri Apostoli, sub arcu Principali à Monachis vigilia celebrarentur, & à Presbyteris hebdomadariis Missarum solemnia.* Stephanus IV. antequam ad Petri Cathe-

dram extolleretur, admissus fuerat in Ecclesiam sancti Chrysogoni, & in ejus Congregationem Monachis Clericisque conjugatam: *Illicque Clericus atque Monachus est effectus.* Adrianus I. priscam, quæ penè obsoleverat, consuetudinem revocavit, ut binæ Monachorum Congregationes ad Ecclesiam S. Joannis Lateranensis venitarent, divina Officia celebraturæ. *Officia celebrarent, hoc est, Matutinam horam, Primam, Tertiam, Sextam, sed & Nonam, etiam & Vespertinam.* Hæc Anastasius Bibliothecarius in eorum Pontificum vita.

V. Quin & Monachis credita est Parochialium Ecclesiarum administratio, ut patet ex Concilio Moguntino anni 847. sub Archiepiscopo Rabano. *Nullus Monachorum aliquid proprietatis habeat, & res sæculares, quibus renuntiavit, nullatenus sibi usurpet; nec Parochias Ecclesiarum accipere præsumat sine consensu Episcopi. De ipsis verò titulis in quibus constituti fuerint, rationem Episcopo vel ejus Vicario reddant, & convocati ad Synodum veniant.* Quæ hic adhibentur cautiones, ut Synodo intersint Episcopali, ut rationes omnium ad Episcopum referant, vel ad Episcopi Vicarios, utque ne nisi vocentur, Parochiatum regimini interveniant: cautiones, inquam, hæ omnes abundè suadent, jam non mediocrem fuisse numerum Monachorum qui Parochias regerent.

VI. Nec id stupebit, qui ad ea adverterit animum, quæ Ledradus Archiepiscopus Lugdunensis ad Carolum Imperatorem perscribebat, restauratam à se esse Abbatiam sanctæ Barbaræ ad Ararim, præstitutumque nonaginta Monachis ibi degentibus eum Abbatem, qui nec pietate, nec experientia & doctrina impar sit tot aliis jam præstantissimis Abbatibus, penes quos hactenus fuit ejus Monasterii administratio; concessam illi à se esse eandem potestatem ligandi & absolvendi, quam prædecessores ejus à prædecessoribus suis consecuti essent; confirmatamque prærogativam, qua prisci Abbates usi fuerant, ut Lugdunensem Diœcesin regerent, dum abesset Archiepiscopus, aut dum viduata lugeret Ecclesia. *Abbati tradidimus potestatem ligandi & solvendi, uti habuerunt prædecessores sui, clarissimi viri, qui ipsum locum rexerunt. Quos Eucherius, Lupus atque Genesius, cæterique Episcopi Lugdunenses, ubi ipsi aderant, aut non poterant adesse; mittebant cognituros, utrum Catholica fides rectè crederetur, nec fraus hæretica pullularet. Quibus in tantum erat commissa cura, ut si Ecclesia Lugdunensis viduaretur proprio Patrono, ipsi in cunctis adessent rectores & consolatores, quousque Ecclesia à Domino dignissimo illustraretur Pastore.* De hoc Insulæ Barbaricæ privilegio aliquantò prolixiùs infrà dicemus.

*Inter Agobard. opera*

Infrà l. 32. n. 12.

VII. Quod ad facultatem autem pertinet excipiendi confessiones & peccata remittendi: Concilium VI. Parisiense improbata primùm præpostera Laïcorum cupiditate, qui non tam Episcopis, Parochis, aliisque Presbyteris sæcularibus, quàm Monachis confiteri gestiebant; non tacet tamen Moniales & Clericos ipsos incredibili quodam æstu exarsisse, ut non aliis quàm Monachis conscientiæ suæ arcana panderent. Jure expostulat hoc Concilium, quod nonnisi de Monachis agat, quorum solvendi potestas intra Monasterii septa coarctata fuerat: & de Laïcis qui ad eos non alliciebantur Monachos plerumque, nisi ut rigori Canonum se subducerent, quorum observantiæ longè tenaciores ea tempestate erant Episcopi, Parochique. *Nullo modo quippe nobis convenire videtur, ut Monachus relicto Monasterio suo, idcirco Monasteria sanctimonialium adeat, ut confitentibus peccata sua modum pœnitentiæ imponat. Nec etiam illud videtur nobis congruum, ut Clerici & Laici Episcoporum & Presbyterorum Canonicorum judicia declinantes, Monasteria Monachorum expetant, ut ibi Monachis Sacerdotibus confessionem peccatorum suorum faciant. Præsertim cum eisdem Sacerdotibus Monachis id facere fas non sit, exceptis his duntaxat, qui sub Monastico ordine secum in Monasteriis degunt. Illis namque peccatorum confessio est facienda, à quibus subinde & modus pœnitentiæ, & consilium salutis capiatur: & à quibus post tempora pœnitentiæ peracta, secundum canonicam institutionem, si Episcopus jusserit, reconciliatio mereatur.*

Anno 829. c. 42.

VIII. Dilucidum est æquissimas hujus Concilii querelas, non pertinere, nisi ad geminum hunc errorem, cui nulla prætexi potest justa causatio. 1. Quòd Monachi accepta ab Episcopis potestate ad Commonachos suos peccatorum vinculis exsolvendos, ea abuterentur in Laïcorum, Clericorum, & Monialium confessionibus excipiendis. 2. Quòd ad eos Laici plerique convolarent, ad effugiendam austeritatem Canonum, qui ab Episcopis & Presbyteris sæcularibus accuratiùs & tenebantur & distringebantur. Sed cùm privatorum hæc essent vitia, universim videri potest Monachos jam tum Episcopis Presbyterisque affuisse, & eorum partem aliquam sarcinæ in se recepisse, in his quæ ad pœnitentias injungendas pertinerent. Adde quòd non omnes ita Monachi defecissent vel à peritia, vel ab observatione indeflexa Canonum pœnitentialium. Nobile promo Nili Abbatis exemplum, quo molliores & indulgentiores fuere Episcopi in causa Principissæ Capuanæ, quæ Nilum accersierat, ut confiteretur instigatos à se filios esse, ut Comitem quempiam cognatione sibi conjunctum, sed potestate suspectum invisumque interficerent. Illico Nilus admonuit, ut Episcopos conveniret, quibus potestas clavium à Christo mandata est: *Ego peccator sum, nec habeo potestatem ligandi atque solvendi, vade ad Episcopos, qui hæc judicare possunt: & quodcumque tibi dixerint illi, facito.* Cúmque illa respondisset, jussam se ab Episcopis hebdomada quaque ter Psalterium recitare, & largiores effundere eleemosynas: *Præceperunt ut Psalterium legerem ter in hebdomada, & eleemosynas facerem indigentibus:* ad hæc reposuit vir sanctissimus, nequaquam ea piamenta sufficere, nisi propinquis ejus qui contrucidatus fuerat, unum permitteret ex liberis suis, & interfectoribus Comitis. Non acquievit illa, eique intrepidè Nilus ominatus est ingentem calamitatum procellam, quæ mox in ejus caput irruitura esset. Ita longè alienior fuit ab indulgentia sanctissimus Abbas, quàm Episcopi. Quod attinet autem ad homicidæ deditionem, non facilè mihi persuaderi sinam, ut voluerit Abbas Principissæ filium objici vindictæ furentium inimicorum. Certus erat vel eorum generositatis, vel suæ penes eos authoritatis & gratiæ; non nesciebat pœnitentiæ sacramentum, & quæ inde penderent omnia, non minori fuisse venerationi, quàm incontaminata Templorum asyla. Denique eo forsan loco & tempore luebantur adhuc homicidia pœnis pecuniariis. Sicut minùs hæc satisfaciant, at æstimet saltem ille sanctissimis viris ea quandoque cœlitus affulgescere lumina, ad quæ alii hebescant, & suspici à nobis debere non rarò illa eorum consilia, quæ imitari nefas esset.

*Surius die 26. Septem. c. 15.*

Subjungo & aliud inexorabilis austeritatis exemplum in beato Romualdo Camaldulensium institutore.

tore. Vitæ ille Monasticæ vinculis addixit Thamnum, qui gratiæ & potestatis apud Otthonem Imperatorem Principatum tenebat, ad expiandum perjurium, quo Crescentem Senatorem Romanum circumvenerat, ut potestati se permitteret Otthonis, cujus jussu confestim interemptus est præter datam fidem. *Quia Thamnus & fraudis conscius, & perjurio tenebatur obnoxius, idcirco à beato Romualdo jussus est relinquere sæculum.* Nec Imperatori ipsi ea tantùm luenda fuit pœna, ut in Thamno sibi conjunctissimo plecteretur; sed cùm & ipse scelus Romualdo confessus esset, jussus ab eo est pedes ire Roma ad Ecclesiam sancti Michaëlis in Monte Gargano; in Monasterium Classense juxta Ravennam secedere toto Quadragesimæ tempore, psalmodiæ ibi se jejuniisque dedere, cilicio indui, in storea cubare, denique spopondit Otto Romualdo abiturum se Imperio, & Monasticam amplexurum professionem. *Promisit beato Romualdo, quod imperium relinquens, Monachicum susciperet habitum; & cui innumeri mortales erant obnoxii, jam ipsi pauperculo fratri cœpit esse subjectus.* Si quorundam laxior & remissior doctrina Monachorum illis conciliabat eos, qui amabili & pestifera sui insania, quærebant, qui vulneribus blandirentur suis, non qui mederentur: apparet Nili & Romualdi alumnos & imitatores complurimos fuisse, qui hominibus persuaderent, præ salutis æternæ cura & studio, vilia esse debere omnia: & omnium optima illa esse suavissimaque videri debere consilia, quæ carni hîc non parcerent, ut in æternum & animæ & carni propitiaretur & parceret Deus; ea porro ab iis maximè expectari debere consilia, qui austerissimum vitæ genus professi, sibi ipsis minimè parcerent.

Surius die 19. Junii. 25. 20.

IX. In confesso est, ab Episcopis & fundatoribus Monasteriorum, complures illis & Parochias & Ecclesias assignatas fuisse in dotem, & in alimenta Monachorum; adeóque Presbyteros Parochosque eorum Abbatum potestati permissos fuisse. Ejusmodi erat Presbyter, de quo Lupus Ferrariensis Abbas ad Senonensem Archiepiscopum: *Hic Presbyter ex Ecclesia sancti Petri & nostra.* Uberiùs alibi hacce de re. Ejusmodi forsam erant, & alii duo illi Presbyteri, sive Parochi, qui tunc Ecclesiis suis renunciare, & Monasticam vitam profiteri statuerunt. Non acquievit Ganelo Senonensis Archiepiscopus eorum cessioni, nisi antè Lupus idem approbasset sibi per Canones id licere. Lupus illud Epistolæ suæ exordium fecit, ne dubitatum quidem ea de tenuquam fuisse. *Vestra prudentia relinquendi suos eis Titulos copiam negavit facturam, ut liberiùs & districtiùs institutionem beati Benedicti sequantur, nisi forte nostra parvitas authoritatem vobis depromat, absque vitio posse fieri. Id tametsi nunquam in controversiam vocatum vel audierim, vel magistra lectione compererim, &c.* Luculentè mox exaggeravit, cum Christus laïcos ipsos invitaverit ad Evangelicorum consiliorum perfectionem, consentaneum jam non esse, ut ab Episcopis Presbyteri ab ea revocentur. *Ab ea igitur perfectione quam Deus etiam laicis proposuit, absit ut summoveat sacerdotes.* Deum ipsum authorem esse ejus divortii spiritalis, cùm Pastor Ecclesiæ suæ renunciat, ut ad asperiorem se conferat sanctioremque vitæ rationem: vix ullum usquam esse Cœnobium, in quod non Parochus aliquis sæculi curarum & procellarum pertæsus secesserit velut in portum: *Jam verò de Presbyteris quid dicam, cùm nullum ferè Monachorum reperiatur Monasterium, quò non aliqui eorum, sæculi tumultus declinantes concesserint.* Aldricum Senonensem Archiepiscopum apud se constituisse olim in priorem sanctissimi otii stationem remeare, nempe in Monasterium Ferrariense, ex quo ad Episcopatum pertractus fuerat: at morte occupatum non potuisse. Denique Regulam beati Benedicti, quam tot laudibus cumulavit Gregorius Magnus, annuere, ut in Monasteria admittantur Presbyteri; unde invictissimè efficitur, nihil ibi esse quod Canonibus adversetur: *Cum beatus Gregorius Regulam Patris Benedicti approbat, eadem autem Regula Sacerdotes cum officio suscipiendos censet, &c.*

Epist. 82.

Epist. 29.

X. Denique quod cursim perstrinximus de iis, qui è claustro ad Episcopale solium assurgunt; Nicolaus I. Papa ad Egilonem rescribens Senonensem Archiepiscopum, testatum facit, pristinum omnem constare vigorem decreto Innocentii I. suprà non semel relato: hortaturque illum, ut ministerio Episcopali omnium summo illas omnes adjungat virtutes, quibus antè in Monasterio strenuissimè perfunctus fuerat. *Tuum præterea frater charissimè propositum observa, & qui diu in Monasterio moratus es, à pristino voto divertere noli. Quod enim diu in humili habitu custodisti, profectò indecens est, in potiori positus dimiseris ordine, hoc ipsum sancta quoque Scriptura, venerandisque decretis pleniter edocentibus.* Innovatum jam diximus à Carolo Magno hoc Innocentii Decretum.

Conc. Gall. To. 3. p. 175.

Capit. l. 1. c. 27.

XI. Accipe quod non possit non aliquem animo injicere stuporem. Cùm diu & multùm reluctatus Rembertus, abreptusque nihilominus tandem fuisset ad Archiepiscopatum Bremensem, ipsomet die obitûs sancti Anscharii prædecessoris sui: non existimavit etiam post consecrationem suam absolutum se esse eo voto, quo se obligaverat profitendæ Religionis statim ab obitu sancti Anscharii, cujus disciplina imbutus fuerat. Episcopi ipsi qui ei manus imposuerant, assensi sunt, authoresque fuere ut votum exolveret; incunctanter ille in Abbatiam Corbeiensem Germaniæ profectus, pollicitus est vovitque Deo obedientiam, conversionem morum, & stabilitatem juxta Regulam beati Benedicti, quantum labores Monastici Episcopalibus muniis non obstreperent. *Tenebatur jam olim Rembertus voto ejusmodi obstrictus, ut post sancti Anscharii obitum, mox & propositum & habitum Monasticum amplecteretur. Quamobrem communicato cum Pontificibus, qui ipsum consecrarant, consilio, statim ut ordinatus fuit, ad novæ Corbeia Monasterium properans, illius professionis habitum ex toto suscepit. Conversationis autem illius professionem ita fecit, ut obedientiam, & conversionem morum, & stabilitatem secundùm Regulam sancti Benedicti exhiberet, quatenus labores & occupationes suscepti Episcopatus permitterent.* Et sanè in Episcopali Palatio collegam unum ex Monachis habere voluit, à quo doceretur totum Monastici tyrocinii decursum. Id verò hîc magnopere observandum venit, quantum ille discriminis esse intellexerit, habitum inter & functiones varias laboresque vitæ Monasticæ. Habitum enim omnino induit, nunquam posthac exuendum. *Illius professionis habitum ex toto suscepit.* Exercitia verò Monastici instituti professus non est se obiturum, nisi quantum fas esset per Episcopatûs functiones. Refertur infrà Epistola Innocentii III. ubi similiter præcipit, ut Episcopus, etiam consecratus, votum anterius impleat Religionis.

Surius die 4 Februar. c. 10.

Bernardus Hildesheimensis Episcopus morum

sanctimonia spectatissimus, paulò ante obitum Monastico habitu indui voluit in Capella, in quam deferri se jussit; ut ibi efflaret animam, ubi & mundo renunciasset. *Tactus infirmitate ultima, cùm adesse exitus sui horam sensisset, in eandem Capellam se ferri præcepit, justum esse asserens, ibidem vitæ terminum sortiri, ubi sæculi abrenunciationis habitu se contigisset insigniri.* Refertur ab Vuillelmo Malmesburiensi, ut Odo Viltoniensis in Anglia Episcopus, renisus diu multúmque sit, ne Cantuariensis crearetur Episcopus, propterea quod nullus ea sede hactenus sedisset, qui non antè Monachum se professus esset. *Nullus enim ad id tempus, nisi Monachili schemate indutum, Archiepiscopum sedisse.* Denique cùm eam ejus constantiam fregissent authoritate sua & conspiratione, tum Rex, tum Episcopi, ne puncto quidem temporis cessavit, quin mare trajiceret, Floriacum improvisus veniret, ibique professus Monasticum institutum, in Angliam rursum ad Ecclesiæ suæ capessenda gubernacula properaret. *Transito mari apud Floriacum Monachilia accepit, frugi homo & prudens, ut nec favorem civium rideret, nec priscam consuetudinem decoloraret.*

Surius die 10. Nov. c. 43.

Vuill. Malmesb. L. 1. de Gestis Pont. Angl.

XII. His exemplis dilucidum fit, persuasissimos tunc fuisse Episcopos, Episcopatum in quo summum columen est perfectionis, nihil habere, quod sociari & cohærescere non possit cum ea consiliorum Evangelicorum perfectione, quam Monachi profitentur. Eulogio Cordubensi in Hispania Presbytero Martyri mirum in modum placebat hæc Clericalis cum Monastica vita conjugatio; cùm tametsi Monasticam professionem nunquam emisisset, ejus tamen virtutes & labores omnes strenuissimè perfungeretur, contextis in unum functionibus Sacerdotii omnibus, & Monasticæ pietatis institutionibus. *Ita Clericatum agens proprium, ut regularem ordinem non dimitteret alienum: Ita Monachus adhærens, ut Clericus probaretur; ita in Clero degens, ut Monachus videretur; utrobique aptus adcurrens, & utrorumque professiones unus sufficientissimè complens: currebat sæpius ad cœnobiorum sacratissimos greges. Sed ne proprium ordinem contemnere putaretur, ad Clerum iterum remeabat, in quo dum aliquod tempus persisteret, ne virtus animi curis sæcularibus enervaretur, iterum Monasteria repetebat.*

Surius die 11. Martii. c. 3.

XIII. In Oriente verò, quod mirere, multò etiam strictior sanctissimæ utriusque professionis conjunctio & societas fuit. Ut plurimum Patriarchæ & Episcopi ex Monasteriis adsciscebantur; & eorum ingens numerus in eadem se abdicata dignitate retulit Cœnobia; quibus & optatiùs, & splendidiùs erat in claustro, quàm in solio, tum vivere, tum mori. Paulus Patriarcha Constantinopolitanus, cui successor datus Tarasius, in Monasterium se receperat, & religiosam induerat vestem. *In numerum Monachorum se retulit, mutato habitu.* Ignatius Patriarcha ejus civitatis Regiæ Monachus erat. At vitæ ejus Scriptor Nicetas affirmat, Photium qui illum solio exturbavit, in Patriarchalem sedem seipsum intrusisse, susceptis intra sex dies Ordinibus omnibus. Etenim prima die factus est Monachus, secunda Lector, tertia Subdiaconus, quarta Diaconus, quinta Presbyter, sexta Episcopus & Patriarcha. *Prima die Monachus ex Laico, secunda Lector, &c.* Viderit Lector an hoc exemplo id efficere velit, ut Episcopi Orientis omnes ante Episcopalem ordinationem Monasticam induerent vestem & professionem, atque ita illigarent se perpetuæ continentiæ, à qua liberi & soluti erant omnes inferiorum ordinum Clerici, ipsique adeo Presbyteri. Mihi certè Episcopatûs consecratio ipsa videtur inexplicabilis fuisse nodus, quo inviolabili cœlibatûs legi innecterentur.

Vita Tarasii. Surius mens. Febr die 25. c. 5.

Erat enim non parum discriminis inter Episcopos, qui è Claustro, & eos qui è sæculo Episcopi creabantur. Illos apertissimè ab his discriminat Synodus VIII. Oecumenica: quando hos jubet non uti pallio, nisi locis & temporibus ad id definitis: illis autem præcipit, ne in Episcopatu Monasticam abjiciant vestem, quin & vesti Monasticæ sanctimoniæ reliquum addant apparatum. *Illos autem qui reverenter Monachicam vitam sectati sunt, & Episcopalem meruerunt honorem, conservare schema & amictum Monachicorum indumentorum, & ipsam beatam vitam decernimus, & nullus omnino habeat potestatem deponere jam dictum schema, propter typhum & arrogantem voluntatem, ne per hoc inveniatur propriorum transgressor pactorum.* Hujus Concilii Patribus visum est, non posse sine duplici piaculo Monachum Episcopatu auctum Monasticam repudiare deinceps vestem, vel Monasticæ pietatis exercitia; hinc quippe humilitatis insignibus pompam præferri: inde proposito & votis antè Deo nuncupatis derogari.

Serm 27.

Hinc autem liquidò patet, non omnes Episcopos ordinari cœpisse induenda veste Monastica. Astutè Photius ea arte voluit excusare præcipitem illam festinationem, qua omnes simul Ordines suscipiebat. A Monachis non eadem Ordinum interstitia quæ à Laïcis exigebantur. Sed in causa erat illa persuasio, quòd plures quis jam annos in Monasticæ conversationis stadio peregisset: idque abundè esset, ut interstitia Ordinum compensarentur. Itaque non aliud tunc Photius, quàm genio indulgebat, ubique versipellis, ubique veterator.

XIV. Hinc autem rursum liquescit, quàm non à vero tantùm, sed & à veri specie procul sint, qui sibi fingunt, ubi vocarentur Monachi ad Clericatum, continuò absolutos fuisse eos à vinculis quibuscùmque Monastici instituti. Ex adverso enim hic ne Episcopatus quidem ea solvit vincula vel votorum, vel exercitiorum, quæcumque cum Episcopalibus functionibus sociari possunt. Adde & illam Justiniani Novellam, quam Nomocanoni suo Photius intexuit, qua nempe uxores ducere prohibentur Clerici minores, si antè Religionem sunt professi. *Si Monachus, Clericus factus fuerit, ne audeat ad matrimonium accedere, etiamsi eum gradum sit assecutus, in quo licet Clericis uxores ducere, scilicet Cantoris, & Lectoris.* Itaque ordinatio ejus qui Monachus jam esset, non pristinorum pietatis officiorum, vel remissio erat, vel imminutio, sed novorum accumulatio.

Nomocan. To. 9 c. 29

XV. Jam verò quoad Presbyteros qui Religioni Monasticæ nomen dabant, illos Patriarcha Michaël Constitutione sua in propria compegit Monasteria, quamvis ea priùs consuetudo viguisset, ut nec à Collegio, nec à functionibus cæterorum Clericorum excluderentur. *Cùm enim mos esset ut qui ex laïcis functionibus Monachi facti fuerant, & ad Sacerdotum ministerium priùs adscripti erant, etiam post vitam Monasticam in Ministrorum corpore & catalogo permanerent, & unà cum laïcis Sacerdotibus versarentur; sanctissimus Dominus noster Michaël longam hanc consuetudinem habuit pro nihilo, & statuit ut ex laïcis solùm Sacerdotibus ministeria constarent, Monachi autem in suis Monasteriis assiderent.* An casto & infucato zelo id constituerit Patriarcha, judicium sit

Juris Orien. Tom. 1. pag. 230. Balsamon. in Nomoc. Tit. 1. c. 3.

penes alios. Sed illud nos in rem nostram arripimus, moris id fuisse ante hominum memoriam vetustissimi, ut Beneficiarii, Parochi, Clerici denique omnes, integrum servarent ordinem, locumque pristinum, & munus in Capitulis & in Clero, postquam Clericali amplitudini Monasticæ sanctimoniæ lumen addiderant. Diuturnior aliquantò fuit in Occidente Clericorum illa Monachorumque adgregatio in eundem Clerum, in eademque Cathedralium Ecclesiarum Capitula.

XVI. In Concilio VII. Generali ferè omnes Legari Papæ, cæterorumque Patriarcharum absentium ex Monachis delegari fuerant. In hujus Concilii Actione IV. post Episcopos subscripsere Abbates & Monachi penè innumeri, qui sacrarum imaginum vindices fuerant acerrimi, & invictissimi fidei
Can. 14. defensores. Quocirca velut in tam strenuæ virtutis præmium, & ad persimilis fortitudinis invitamentum, illud Abbatibus concessum, vel confirmatum est privilegium, ut minores Ordines sui Cœnobii Monachis conferre possent. In VIII. quoque Sy-
Act. 9. nodo Monachi complures Patriarcharum absentium sedes implevere, maximè verò Josephus Archidiaconus & Vicarius Patriarchæ Alexandrini.

XVII. Sed minimè prætereundus nobis est Apostolatus tot Monachorum, qui tot adiere pericula, tot exhausere labores, ad Septentrionales gentes Christo subjugandas, & qui primi earum Episcopi & parentes fuere. Adamus Canonicus Bremensis in Ecclesiastica historia multa in hanc rem commemorat. Cùm enim Ludovicus Pius Corbeiensem in Germania Ecclesiam extruxisset, eòque deduxisset
Cap. 6. 11. Coloniam Corbeiensium in Gallia Monachorum,
14. 27. 28. ex eorum grege Ansgarium delegit, quem in Da-
36. niam mitteret, aliasque Boreales gentes Christianæ fidei Præconem. Ita res processit, ut Ansgarius Hamburgensis Archiepiscopus crearetur, & universam illam Ecclesiam posthac Apostolica authoritate & delegatione adgubernaret. Suum sibi ille alumnum Rimbertum adjunxit collegam & commilitonem, & eo ipso tempore, quo Normanni Danique Galliam & Germaniam immanitate incredibili populabantur, ipsi eam injuriam sanctissimè ulciscebantur; Dania vicissim & Suecia Christi Imperio non alio quàm divini verbi gladio subacta. Potentissimi & numerosissimi exercitus vel conspectu ipso Normannorum exanimari fugabantur, cùm duo intrepidi Christi milites maria tranarent, ut Normannos & confœderatas eis barbarie & furore gentes in proprio ipsarum profligarent solo. *Et quia vastatio Normannorum vel Danorum excedit omnem crudelitatem, eo plus mirum, quod sancti Confessores Dei Ansgarius & Rimbertus per tanta pericula maris & terræ illas gentes intrepidi adibant & prædicabant, ante quarum impetum nec armati Reges, aut potentes Francorum populi subsistere poterant.*

Ibid. c. 38. Nunquam sejunxit Rimbertus Episcopatus labo-
41. 42. res à Monastici instituti asperitatibus, evicitque ab Imperatoribus, ut Adalgarius Corbeiensis Monachus cooperator & collega sibi accederet, dum ingravescente senecta spiritum utcumque duceret, post obitum successor futurus. Exhausto Adalgarius longo & perillustri prædicationum missionumque Apostolicarum curriculo, ab Nicolao I. Papa non ægrè impetravit, ut commilito interim sibi, post & successor daretur Hogerus Monachus & ipse Corbeiensis. Ab his Archiepiscopis præformati sunt tandem, datique Daniæ, Sueciæ, & Norvegiæ Episcopi & Pastores. Egimus suprà de missione sancti Bonifacii cæterorumque B. Romualdi alumnorum in Russiam. Posset & aliorum acervus exemplorum huc congeri. Sed vel hinc satis patet, quàm non pœnitere debuerit Pontifices, quòd ad Sacerdotales & Apostolicas functiones acciverint Monachos, quorum industriæ & infatigatæ constantiæ accepta feratur tot barbararum conversio gentium. Cùm Bonifacius & Lullus Archiepiscopi Moguntini & ante ipsos Suvibertus & Luidgerus Germaniæ Apostoli fuerint, eam illi gentem insuefecerunt regimini eorum Episcoporum, qui quò Evangelicorum consiliorum religiosiores erant ex Monasticis institutis observatores, eò efficaciùs invictiúsque Evangelicam fidem promulgabant. Arnolphus Monachus sancti Emmerammi Ratisponensis libro secundo vitæ ejusdem beatissimi viri, restatum facit, Episcopatum Ratisponensem alternatim mandari solitum Canonicò & Monacho, qui sedem habebat, & Abbatis munus implebat in Monasterio sancti Emmerammi. Luculentissima ea erat ratio conglutinandi cum Clero Monastici instituti, & eam Bonifacius ipse Germaniæ Apostolus instituerat. *Ex eo tempore quo primùm à Bonifacio Apostolicæ Sedis Vicario juxta Decreta Canonum in Bojoaria ordinabantur Episcopi, vicissim sibi succedebant in hujus Episcopatu Monachi atque Canonici; ita ut si antecessor esset Canonicus, fieret successor Monachus, & iterum huic antecessori succederet Canonicus. Hac consuetudo usque ad nostra permansit tempora.*

---

## CAPUT. XVIII. *P. 4. l. 1. c. 50.*

### De conjunctione Clericalis & Monastici instituti post annum Christi millesimum.

*I. Capitula quadam & ipsa Episcoporum solia quandoque Monachis addicta & reservata. Abbates jam necessariò Presbyteri.*
*II. Ab Urbano II. statuitur, propositum Monasticum quo sanctius, eò gerendo sacerdotio & administrandis Sacramentis accommodatius esse.*
*III. Clericorum & Monachorum conjunctionis varia argumenta.*
*IV. Alia rursum ejusdem rei argumenta ex Concilio Constantiensi & Tridentino.*
*V. Charitas & sollicitudo pastoralis Episcopos & Parochos evehere potest ad amplius aliquod sanctimoniæ culmen, quàm dura & aspera Monastica vita studia.*
*VI. Conspiratione Monasticarum Congregationum cum Episcopis, teterrima aliquando schismata oppressa sunt.*
*VII. Eminentissimas Ecclesiæ Sedes impleverunt ornaruntque Monachi. Summi Principes & maximi quandoque Præsules à Professione Monastica dignitatem sibi quandoque, & sanctitatem quæsiere.*
*VIII. Retunditur insania Monachi ultra modum venditantis status sui perfectionem.*
*IX. Consensus Ecclesiæ Græcæ.*
*X. Bernardi in hanc rem pulcherrima quædam dicta.*

I. Cum Beneficia partim Clericorum sint, quæ sæcularia: partim Monachorum, quæ Regularia dicuntur: non potuimus non hîc agere de Clericorum Monachorumque conjunctione & necessaria copula. Eos quippe ut distingui necesse est, ita nimis sejungere res plena periculi foret.

Bituricensi Concilio anni 1031. innovatæ sunt leges, utrique statui communes, ut ne à priori sua Ecclesia in aliam, vel à priori Monasterio, cui affixi fuerant ordinatione sua, vel professione, *ubi prius titulati sunt*, in aliud transilire possint, nisi permittente Episcopo, vel Abbate; utque ne resiliant Can. 13.
à statu suo; sed cogantur Monachi Monasticam vestem, quam exuerunt, rursus induere; si ab Abba- 14. 15.

tibus autem rejiciantur, tum liceat eis ad Clericorum se collegia adgregare. *Maneat cum Clericis in Monasteriis, vel apud Ecclesias.*

*Epist. 39.*

Rescripsit Alexander II. ad Lanfrancum Archiepiscopum Cantuariensem, ut ne depelli sineret è Capitulo Cantuariensi Monachos, quos inde & ex aliis compluribus Angliæ Cathedralibus Ecclesiis nefarii quidam homines ejicere machinabantur. Narrat Eadmerus ut in eam Monachorum dejectionem conspirassent Episcopi, qui ex ordine Clericali cùm essent, à Vuillelmo Angliæ Rege Episcopalibus sedibus donati fuerant: utque Vuillelmum Lanfrancus ab ea sententia & voluntate abduxerit, impetraveritque tandem Ecclesiæ suæ Cantuariensi istud ab Alexandro II. privilegium. Anno 1062. habitum est in Hispania Arragoniæ Concilium, quo firmatus est antiquus usus, ut Episcopi Jaccæ, vel Huescæ, qui Arragonii Episcopi dicebantur, deligerentur semper ex Monachis Cœnobii sancti Joannis de Pena, hoc est de Rupe. Notitiæ suæ Episcopatuum Pompelonensium Sandovallius Privilegium inseruit Sancii Regis anno 1023. quo jubentur Pompelonenses Episcopi semper eligi ex Monasterio sancti Salvatoris de Leira. Id animadversum est ab eruditissimo viro Cossartio in hoc Concilium Arragonense.

*Eadm. Hist. Nov. l. 1.*

*Mariana. L. 8. c. 14.*

Concilio Pictaviensi anno 1078. præceptum est, ut Abbates Presbyteratu initiarentur, aut exspoliarentur Abbatiis suis. *Ut Abbates, & Decani, qui Presbyteri non sunt, Presbyteri fiant, aut Prælationes amittant.* Nihil amplius ab Archidiacono, quàm ut Diaconus esset, desiderabatur: & tamen in Concilio Londinensi anni 1075. supra viginti & unum Abbates sedit Archidiaconus; cùm non possent non eorum complures Presbyteratu gaudere. Itaque & hac etiam extrema Ecclesiæ ætate & Capitula constabant quandoque solis Monachis, & ex Monachis deligebantur Episcopi, & Abbates incipiebant ea arctari beata necessitate, ut Presbyteri essent.

Erant & aliquando bipertita ex Clericis Monachisque Capitula. In Ecclesia sancti Ambrosii Mediolani duo erant Collegia, alterum Canonicorum, alterum Monachorum, quæ in eadem Ecclesia canonicas persolvebant divini Officii horas, non simul, sed alio & alio tempore. Unde & de horis jurgatum aliquando est, & res ad Innocentium III. relata, qui anno 1201. pronunciavit vetustissima esse duo hæc Collegia in ea Ecclesia, *à longissimis retro temporibus*; nihil esse causæ, quamobrem alterum alteri subjiceretur, & unamquamque Canonici Officii partem tunc ordiendam esse Monachis, cùm ab ea Canonici desissent. Nardensis in Italia Ecclesia Græcorum olim fuerat Monachorum, postea Benedictinorum, quibus permixti erant Canonici. Unde conjectura emergit, Cathedralem olim eam fuisse Ecclesiam. Anno 1567. à Cardinali Legato Episcopo Albanensi reformari cœpta est ea Ecclesia, constitutis ibi decem Canonicis, aliisque similiter Monachis decem; ut hi ex una, illi ex altera Chori parte simul Canonicum pensum persolverent, haberentque suas singuli sejunctim Canonici Præbendas, reliquæ Ecclesiæ res penes Abbatem & Monachos essent. Anno 1413. Joannes XXIII. Papa eam Ecclesiam in Cathedralium dignitatem evexit. Author est Longinus anno 1059. obiisse Aaronem, qui ex Cluniacensi Monacho creatus fuerat Abbas Thiniecensis in Polonia, & exinde Archiepiscopus Cracoviensis. Ante obitum autem suum Thiniecenses hoc donaverat privilegio Abbates, ut Canonici forent in Ecclesia Cracoviensi, interessentque divinis Officiis, in superpelliceo & Almutia. *In Ecclesia Cracoviensi sit Canonicus natus, &c.*

*Italia sacra. To. 4. pag. 509. Ibidem To. 1. pag. 522.*

II. Ex hac porro sacerdotalium ornamentorum in Monachos derivatione, accensa est forsan vel invidia vel æmulatio eorum qui eo ævo evulgare suam hanc cœpere insaniam, rata & valida non esse sacramenta, quæ à Monachis administrarentur. In Concilio Nemausensi anni 1096. Urbanus II. Monachorum tuitionem & patrocinium suscepit; insulsosque obtrectatores his argumentis convulsit, Gregorium Magnum Romæ, Augustinum Angliæ, Martinum Turonensem in Gallia Monachos fuisse, nec minùs dignè strenuéque claves Ecclesiæ administrasse. Ita edixisse in Regula B. Benedictum, ut Monachi sæculo, non ut Clero renuntiarent. Non minùs teneri Clericos quàm Monachos sæculari fastu & illecebris abstinere: *Quod quidem Apostolicis documentis, & Sanctorum institutis, non solùm Monachis, verùm Canonicis summopere imperatur, ut mortui mundo sint.* Addit porro illos esse dignissimos sacramentorum administros, qui proximè accedant ad Apostolicæ vitæ morumque innocentiam, & sæcularium rerum omnium abdicationem. *Itaque videtur nobis, ut his qui sua relinquunt pro Deo, digniùs liceat baptisare, communionem dare, pœnitentiam imponere, necnon peccata solvere, &c. Censemus eos qui Apostolorum figuram tenent, prædicare, baptizare, Communionem dare, suscipere pœnitentes, peccata solvere.*

*Can. 2. 3 4*

Ad hæc Urbani II. decreta attemperavit se disciplina posteriorum sæculorum. Quamprimum subacta fuit victricibus Latinorum armis Palæstina, Congregationes omnes Occidentis Monasticæ eò convolarunt, & toto pectore incubuerunt in Tartarorum cæterorumque Infidelium, & in Schismaticorum Græcorum conversionem. Cúmque Tartarorum Rex, obtruncato Presbytero Joanne, qui tota ferè potiebatur Asia, & Christiano nomine se venditababat, filiam ejus uxorem duxisset, invasissetque ditionem, & omnium paratissimus videretur ad hauriendam Christianæ fidei institutionem; Ludovicus IX. sanctissimus Galliæ Rex Dominicanos ad eum & Franciscanos ablegavit. Mandatæ sunt literis à Vincentio Bellovacensi aliisque Scriptoribus delegationes Apostolicæ huic utrique religiosissimo cœtui exinde concreditæ. Nemo nescit longè maximam partem & laborum & laudum penes Regulares hos fuisse, in spargendo Dei verbo inter barbaras & infideles Orientis istiusmodi Nationes. Cogit necessitas, etiamnunc ut & Parochiæ ferè omnes eis regendæ mandentur in Americanis Regionibus, quæ eorum maximè opera & barbariem exuère pristinam, & ad Christum se contulerunt. Non potest planè non admirationi esse omnipotentis Ecclesiæ sponsi Christi providentia, qui novum quendam orbem universum sibi sponsæque suæ his postremis sæculis adgregare volens, tam numerosas excitavit Congregationes Regularium, quibus & eum inspiravit fervorem, immo & Constitutiones Regulasque dictavit, quibus astringuntur & Fidelium saluti, & Infidelium conversioni se totos impendere.

*Cantiprat. L. 2. c. 54. n. 14. Vincent. Bello. Spec. Hist. L. 31.*

III. In Concilio Vindsorio anno 1114. electus est ad Archiepiscopatum Cantuariensem Radulphus Roffensis, jam Episcopus; contestantibus nonnullis, ab Augustini temporibus Episcopos omnes Cantuarienses ex Monachis assumptos fuisse, uno excepto, qui à Pontifice exauthoratus fuerat, tum ea de causa, tum quòd gravioribus quibusdam sce-

leribus irretitus esset. Tradit Matthæus Paris anno 1228. Romæ definitum fuisse, ut Monachi Coventrenses & Canonici Lichfieldenses alternatim Episcopum eligerent Coventreosem, quamvis eum hactenus soli Monachi elegissent. Diximus suprà de Odone, vel Vldone, qui in Cantuariensem electus sedem, diuque renisus, quòd soli Monachi eam Ecclesiam rexissent, tandem coactus, in Floriacensi antè Cœnobio Monachum se professus est. Idem habet Hatafeldius de Episcopis Dunelmensibus in Scotia, undecimo sæculo. Anno 1238. in Concilio Lundinensi statutum est, ut religiosè servaretur Decretum Innocentii I. Papæ, ut ne Monachi à priori instituto deviarent, quando Clero & Ordinibus

Can. 14.

allegerentur. *Non debet aliquatenus à priore proposito deviare, &c. Quod diu servuverunt, id in altiori gradu positi amittere non debent.* Est enim Clericatus eminentior sanè gradus, sed cui plurimum accumulatur splendoris & dignitatis ex Monasticæ vitæ sanctimonia. Postquam definisset Alexander Papa III. non posse uxoratos profiteri institutum Monasticum, nisi eorum conjuges idem profiterentur: addit tantò eandem legem impensiùs observandam in Ordinibus sacris, quantò hi præcellunt statui religioso.

Appen. Con. Lat. Part. 5. c. 6.

*Cùm igitur Senatus sacrorum Clericorum longè præemineat cœtui Monachorum, ita ut aliquando bonus Monachus vix bonum Clericum faciat, nullus conjugatorum est ad sacros Ordines promovendus, nisi &c.*

IV. At verò anno 1415. damnata est in Concilio Constantiensi propositio illa pestiferæ Viclephi doctrinæ, qua oppugnabatur Monastica institutio, tanquam ea velut obex quidam adversaretur divinæ voluntati, eamque arctaret, ne ad alia aliaque

Sess. 8.

pietatis officia hominem vocare posset. *Si quis ingreditur religionem privatam, redditur ineptior & inhabilior ad observantiam mandatorum Dei.* Anno 1433. in Concilio Basileensi Doctor Ordinis Dominicani Kaltheisenus prolixo & meditato sermone demonstravit propositum Monasticum Apostolicis insistere vestigiis, & Apostolicarum virtutum effigiem sempiternam Ecclesiæ repræsentare: non quidem in regimine Ecclesiæ universalis: in id enim Apostolis successisse Cardinales: nec in privatæ cujusque Ecclesiæ administratione, in hanc enim iisdem substitutos Episcopos, sed in religiosæ vitæ & pœnitentiis ac macerationibus deditissimæ professione. Quin & Tridentina Synodus in Regularibus agnovit imaginem & participationem quandam Episcopalis

Sess 23. c. 10.

potestatis in Abbatibus, quibus jus confirmavit conferendi Monachis suis Tonsuram & minores Ordines.

V. Universim tamen certissimum est, functiones Ordinum Hierarchicas ea resplendescere gloria & sanctitate, ad quam non semper aditum sibi tentandum Monachi duxerunt. Si verò qui eas exercent, non unà illam retinent vel animi castimoniam, vel cælestium rerum contemplationem, cui affixi sunt ex Monachis sanctissimi quique: ipsa illa charitas, qua adducuntur, ut propriæ salutis & sanctitatis incrementa posthabeant proximorum saluti, incrementum videri potest multò maximum sanctimoniæ, quo sanctissimis Monachis quibusque vel exæquentur, vel etiam quandoque anteponantur. Saltem permagni interest, ut ita persuasum habeant Monachi. Ita certè persuasissimum erat Bernardo, cùm hæc ille vociferaretur, & pertonaret in Monachos quosdam Ordinis sui immoderata admiratione iosanientes, & insurgentes in Episcopos & Parochos, qui non tantam quantam illi carnis mortificationem præ se ferrent.

In Cant. Serm. 12.

*Memineris scriptum, Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens. Nam tu quidem in tui custodia vigilans, bene facis: sed qui juvat multos, & melius facit & virilius. Quod si implere non sufficit, absque aliqua iniquitate, id est absque quadam inæqualitate vitæ & conversationis suæ, memento quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hæc dicta sint contra geminam tentationem, qua sæpè viri Religiosi Episcoporum vel ambire gloriam, vel excessus temerè judicare diabolicis instigationibus incitantur.*

VI. Quæ autem hoc Bernardi spiritu animatæ erant Monasticæ Congregationes, eæ sua cum Episcopis indivulsa conjunctione sub Episcopis subjectione, Cleri utilitatum, non minori quàm suarum studio, & sapientiam commendabant suam, & gloriæ cumulum sibi comparabant. Consule, si vacat, Epistolas Hugonis Abbatis Pontiniacensis, Bernardi Abbatis Claravallensis, Stephani Abbatis Cisterciensis, & omnium ejus Congregationis Abbatum, ad Honorium II. Papam & ad Ludovicum VII. Franciæ Regem, ut in Regis hujus gratiam charitatemque pristinam redintegraretur Episcopus Parisiensis in quem eruperat ejus indignatio. Non

Baron. an. 1127.

multo pòst tempore eodem perfuncti sunt officio in Archiepiscopum Senonensem. Cùm pestifero Anacleti schismate proscinderetur Ecclesia, magni ad revehendam confirmandamque unitatem & pacem momenti fuit, earundem Congregationum conspiratio pro tuenda Innocentii II. causa. Testis

Baron. anno 1130.

locuples Bernardus: *Itaque Camaldunenses, Vallosombrani, Cartusienses, Cluniacenses, & qui de majori Monasterio sunt, mei quoque Cistercienses, Castemblenses, Cadumenses, Tyronenses, Saviniacenses, universitas denique & unanimitas fratrum, tam Clericorum, quàm Monachorum Regularis vitæ probataque conversationis, sequentes Episcopos tanquam greges Pastores suos, Innocentio firmiter adhærent.*

Bernard. Epist. 126.

Author coævus vitæ sancti Anthelmi Bellicensis Episcopi occasione alia id ipsum confirmat. *Interim præeuntibus Carthusianis ac Cisterciensibus Alexander Pontifex à Gallis, Hispanis, Britannis brevi receptus est.*

Surius die 26. Junii.

VII. Ex his minuetur, ut spero, stupor, quem alioqui injicere potuisset Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis, ubi scribit, Cathedras omnes Episcopales, Patriarchales, & ipsam Romæ Pontificalem sedem sæpiùs fuisse insessas à Monasticæ vitæ professoribus, qui in ea fastigia electione & merito singulari venissent. *Quid indecens si Religiosa Ecclesia religiosus, sapiens, litteratus Monachus inde in Pontificem electus est, unde Episcopales, Archiepiscopales, Patriarchales, & ipsa omnium vertex Ecclesiarum, Apostolica & Romana Sedes, patres sibi assumere consueverunt.*

L. 1. Ep. 29.

Vuillelmus Angliæ Rex ab Hugone Cluniacensi Abbate poposcit ex alumnis suis Monachos sex, ut à se consuli possent & consiliis præesse suis, tanquam oracula quædam cælestia, in Episcopatuum distributione, & in tota Ecclesiarum administratione. *Supplicando, ut sex ei personas dirigeret ex fratribus nostris, quorum consilio agere posset, quidquid illi de Ecclesiis ordinandis foret agendum, eisque Rectoribus constitutis, securus esset de ovibus custodiendis atque regendis.*

Bibl. Clun. pag. 453.

Longè admirabilius est repulsam passum esse Regem ab Abbate, quàm hæc eum ab illo poposcisse. Luculentum erat ejusmodi Consiliarios & Ministros à Rege optari; luculentissimum Monachos sanctissimos his non permitti procellis. Ludovicus Crassus antequam exhalaret animam habitu indui voluit B. Benedicti, Regulamque professus est. Testis aderat Sugerius sancti Dionysii Abbas;

idemque author est Episcopos ipsos hoc exemplum secutos esse, vel præisse: *Videant qui Monastica paupertati derogant, quomodo non solùm Archiepiscopi, sed & ipsi Reges, transitoriæ vitam æternam præferentes, ad singularem Monastici ordinis tutelam securissimè confugiunt.* Henricus frater Ludovici VII. Regis instituto Cisterciensi sese illigavit, nec multò pòst ad Bellovacensem Ecclesiam electus est. Bernardus Bonævallensis Abbas in vita sancti Bernardi Clarævallensis Abbatis nomina recenset unius Pontificis, duorum Cardinalium, & complurium Episcoporum, qui sub Bernardi disciplina ad Claramvallem Monachi fuerant. Ubi refervit sanctus Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, ab Episcopo Parisiensi, vi extractum fuisse Cantorem Ecclesiæ à Monasterio sancti Martini de Campis, quò ille confugerat, ut Monasticum propositum profiteretur, litteras ad eum dedit, authoritate & doctrina refertissimas; admonens quàm his adversa essent, quæ præceperint Gregorius Magnus, nec non & Concilium Toletanum IV. ut integrum semper esset liberumque Clericis, sortem eligere à curis & tumultibus sæculi remotiorem. *Qui meliorem vitam sequi cupiunt, liberos esse debere ab Episcopis.* Scripsit ad Episcopum Gebennensem Innocentius III. si professionem amplecti Monasticam proposuisset, spopondissetque Deo ante Episcopatum, abdicari debere Episcopatum, persolvere votum, & si tum rursus eligeretur, fas tunc demum esse electioni assentiri. *Consulimus, quatenus si tuam omnino sanare conscientiam desideras, regimen resignes Ecclesiæ memoratæ, ac reddas Altissimo vota tua: in hoc tibi gratiam facientes, quod si Capitulum ejusdem Gebennensis Ecclesiæ te postmodum canonicè duxerit eligendum, concedimus, ut electionem recipias taliter de te factam.*

Baron. an. 1136. n. 21.
Ann. 1149. n. 18.
L. 3. Ep. 22. 23
Regest. 18. Epist. 93.

VIII. Virtuti ipsi expedit, habere quæ sibi obstrepant & adversentur, ne altiùs longiùsque eluctando elidatur. Eo forsan consilio, altiùs consulente providentia, permissi sunt quidam Monachi de ipsa statûs sui sanctitate intumescere, & in eam prorumpere insaniam, ex cujus curatione sapientiæ & modestiæ accessio non parva cæteris fieret omnibus. Concilii Constantiensis tempore evulgavit Matthæus Grabon Dominicanus Vismariensis in Saxonia, consilia Evangelica usque adeo Monastici statûs esse propria & peculiaria, ut extra Cœnobia ea coli & observari nefas esset: ideoque & crimine gravi sanciri eos, qui terrena omnia fastidirent, erogarentque in pauperes, nisi eodem ipso tempore sese Cœnobio cuipiam devoverent includerentque, in Religione approbata reliquam peracturi vitam. Recantare hos illum errores adegit Concilium Constantiense, & in eum calamum distrinxit Gersonius, edito Tractatu, ubi commonstrare nititur Christianam Religionem verissimam Religionem esse, ejus præceptis & consiliis omnibus accuratissimè obsecutum esse Christum ipsum sine votis, posse & à quocumque observari ejus non solùm præcepta, sed & consilia sine votis: Monasticas Religiones non tam professiones esse partæ jam virtutis & perfectionis, quàm studii & ardoris, & officiorum complurium, ac velut adjumentorum ad eam comparandam. *Melius nominarentur via quædam vel instrumenta seu dispositiones ad perfectionem acquirendam, quàm status perfectionis.* Denique Pontificem summum, Cardinales & Episcopos in potestate habere, immo & officii eorum esse, ut Religionis Christianæ partes & numeros omnes impleant cumulatiùs etiam quàm Monachi, cùm ea sint in statione locati, quæ vitæ perfectionem desideret. *Quia sunt in statu perfectionis exercendæ.*

To. 2. pag. 628. &c.

IX. Paucis convenienda nunc nobis est Ecclesia Græca, in qua Nicephorus Gregoras electionem referens Patriarchæ Constantinopolitani Niphonis, cujus se jactat discipulum, refert incunctanter uxorem ejus Religioni nomen dedisse, nec ipsum ausurum id fuisse, ut nisi habitu indutus Monastico, in Patriarchalem sedem conscenderet: *Et ipse verecundia Sedis habitum Monasticum induisset*: nisi ab Imperatore prohibitus fuisset, propterea quod ita statuissent Medici, carnium esu citra vitæ discrimen interdici eum non posse. Cæteri tum Græciæ Episcopi è Claustris ipsi quoque prodibant, & is hodiernus etiamnunc usus est. Cùm continentiæ fræna abjecerint Presbyteri Diaconique Græcorum, in eam se quoque ipsi conjecere necessitatem, ut non alios sibi præpositos habeant Episcopos, quàm ex Monachorum grege electos. Verùm non continentiam tantùm, sed seriem & contextionem omnem Monasticarum virtutum & observantiarum Episcopi Græci in thronos Ecclesiæ secum adferunt, ut hîc liquet de abstinentia carnium. Extant non pauca apud Pachymerem in Andronico documenta irarum & querelarum Cleri Græcorum, ex eo quòd eluctari ad altius aliquod Presbyteratu fastigium ipsi quidem non possent, Episcopatuum verò omnium apex ad Monachos solos deferretur.

L. 7.
L. 1. c. 34.
L. 2. c. 28.

X. Insignia hæc summæ cujusdam Cleri cum Monastico statu conjunctionis, complecti pauca potuissemus Bernardi verbis, qui Monachorum columen & decus semper fuit, nunquam verò assentator. Ordinem Monasticum cum Ecclesia cœpisse ait, immo ab eo cepisse Ecclesiam. *Ordinem nostrum qui primus fuit in Ecclesia, immo à quo cœpit Ecclesia; cujus Apostoli institutores, cujus hi quos Paulus tam sæpe sanctos appellat, inchoatores extiterunt.* Apertiùs alibi ab eodem proditum est, Apostolos non Clericalis tantùm Ordinis initiatores & parentes fuisse, divinis Sacerdotii functionibus; sed etiam instituti Monastici, observantia religiosissima Consiliorum Evangelicorum. Itaque cùm in ipsa sui origine conjunctissimi fuerint hi duo status, fieri non potest, quin & in longo sæculorum decursu mutuæ necessitudinis vincula servent indissolubilia, ad utriusque incolumitatem & gloriam sempiternam. Otto Frisingensis Episcopus in ea fuit sententia: hac Congregationum religiosarum sanctissimarumque multitudine suspendi, ac retundi tela ultricis iræ Dei, in terras tot facinoribus flagitiisque demersas alioqui sævituræ. *Ex peccatorum nostrorum multitudine haud diu stare posse mundum putaremus, nisi Sanctorum meritis veræ civitatis Dei civium, quorum in toto orbe copiosa variè & pulchrè distincta florens Collegia sustentaretur. Diversos Religiosorum Ordines, quorum, ut dixi, sanctitate à misericordissimo judice malignitas mundi supportatur, silentio præterire incongruum arbitramur; ut tantorum malorum turbulentiæ, clarorum virorum gesta insignia metam & articulum ponamus.*

Apolog. ad Guill. Abb
Chron. l. 7. c. 34.



## CAPUT XIX. *P. 3. l. 1. c. 30.*

### Reciproca alternatio Canonicorum Monachis, Monachorum Canonicis succedentium sub Imperio Caroli Magni.

*I. Exempla Monachorum Canonicis desperatæ pravitatis substitutorum.*
*II. III. IV. V. Alia exempla in Francia Angliaque.*
*VI. In Angliæ Cathedralibus Capitulis Monachis Canonicis successere, qui ipsi aliis Monachis successerant, aliorum successoribus Canonicorum.*
*VII. Quibus authoritatis gradibus fierent hæ mutationes.*
*VIII. In Germania & Italia Canonici Monachis subrogati.*
*IX. De Canonicis sancti Augustini.*
*X. Maluere non pauci Regulæ subjici Monachorum, quam Canonicorum.*

I. SUccessio reciproca & alternans Monachorum, Canonicorumque, perstricta hactenus non semel, uberiùs hîc expendi postulat. Adalbero Metensis Episcopus diurna fatigatus expectatione & patientia, dum resipiscerent toties monitis, toties minis vellicati suis Canonici sancti Arnulphi apud Metas; cùm eorum desperandam curationem cerneret, *Ut qui illorum mores, & vitam incorrigibilem noverant*: illos tandem ejecit, eorumque loco Monachos substituit, consilio inito cum Clero suo, cum Abbatibus & Laïcis ipsis. *Conc. Gall. To. 3 p. 582.* *Denique consultu nostrorum Clericorum scilicet Abbatum utriusque ordinis, atque fidelium laïcorum, præfecimus ibi Abbatem, cujus institutionibus in reliquum adventantes inibi, ordine Monastico erudirentur.* Rex Odo ipse assensus est, cum tota Metensi Ecclesia. *Cùm consensu Ducis nostri Odonis, totiusque nostræ Ecclesiæ.*

Adalberon autem ille junior, qui prioris cognatus & discipulus fuit, Archiepiscopalem Remensem administrans Ecclesiam, ab Episcoporum concilio confirmari curavit ejusdem generis mutationem in Abbatia Mosomensi à se factam, ubi piissimos Monachos nequissimis suffecerat Canonicis: ut & Canonici ipsi in locum successerant Monialium, ibi primùm institutarum. *Ann. 893. Ibid. p. 598.* *Ille Mosomi Cœnobialis locus, ab exordio sanctimonialium vitæ aptatus, postmodum verò Canonicorum ordine ab Heriveo prædecessore nostro melius informatus, sed nefandis usibus utrobique negligenter incultus, &c. Quo comperto adhibito fidelium nostrorum diligenti consilio, liquido perpendens eundem locum in Canonicali ordine stare non posse, ibidem Monastica Religionis vitam ordinato Abbate constitui.* Archiepiscopus Remensis Tilpinus Monachos & ipse restituerat in locum Canonicorum sancti Remigii Remensis. *Flodoard. L. 2. c. 17.* *In Cœnobio denique sancti Remigii Monachos ordinasse, ac Monastica vita eos traditur instituisse: cum Canonicos priùs idem Cœnobium à tempore Gibehardi Abbatis, qui eandem congregationem ob amorem Dei & sancti Remigii reperitur adgregasse, ad hoc usque tempus habuisse feratur.* Incertis hæc rumoribus astruit Flodoardus, ideoque non prorsus constat Ecclesiam sancti Remigii Remensis Canonicis primùm concreditam fuisse, quibus indubium est Monachos à Tilpino subrogatos fuisse.

II. Non temerè quis suspicaretur jam priùs idem contigisse Abbatiæ Remensi, quod & postea accidit Abbatiæ sancti Theodorici, qui inter beati Remigii alumnos primas tulerat. *L. 8. c. 25.* Testatur enim Flodoardus suo ævo Clericos Monachis suffectos fuisse in Abbatia sancti Theodorici. *Horum denique beatorum Monasterium Patrum, pro Monachis modo Clericos habet.* *Du Chesne. Tom 3. pag. 438.* At vetus Chronicon ait ab Archiepiscopo Adalberone Remensi eliminatos fuisse Canonicos, & in eorum vacuas sedes Monachos successisse. *Canonicos à loco ejiciens, Monachos restituit.* Refertur & ab eodem Flodoardo, Archiepiscopum Remensem Artoldum è Monasterio sancti Basoli ejecisse Clericos, Monachusque invexisse. *Monachos mittit, expulsis Clericis, qui serviebant ibi.* *Ann. 952. Du Chesne. To. 2. pag. 618. dem to. 3. pag. 340.* Necdum Regiam Francorum sedem insederat Hugo Capetus, Francorum se Ducem agens: magnificè cùm transferri jussit in Ecclesiam sancti Bartholomæi, ubi tunc ministrabant Canonici, beatissimorum Pontificum Samsonis, Maglorii, Macuti & Senatoris corpora, quòd ea esset tunc Capella Regia. *Ut in Regali Capella, &c. in qua Canonicorum ordo divinum Officium celebrabat.* At ampliavit post ea idem ipse Francorum Dux eam Ecclesiam, eamque dedicari jubens, sub nominibus sanctorum Bartholomæi & Maglorii, administrandam illam commisit Monachis, cum potestate eligendorum suo semper è gremio Abbatum. *In qua etiam Monachos ad divinum Officium peragendum instituit, quibus semper Abbatem ex propria congregatione præesse, tam Regali, quam Sacerdotali authoritate stabilivit.* Robertus Rex Hugonis filius & successor, *Ibidem Pag. 345. 349.* Aureliæ detineri eos jussit, qui devehenda in Armoricam agressi erant magna ex parte ossa membraque sancti Samsonis, deponique jussit sacra ea pignora in Ecclesia sancti Symphoriani. Denique ab eodem Rege donata & subdita fuit Abbatiæ sancti Maglorii apud Parisios Ecclesia ejusdem Pontificis nomine inscripta dedicataque in Episcopatu Leonensi apud Armoricos. In alio adnotatur Chronico, Senatorem Aletbensem Episcopum, hoc est, San-Maclomiensem in Armorica, non comportasse Parisios, nisi mediam partem corporis beati Samsonis, cum integro Maglorii corpore. Ita minus operosum erit conciliare Aurelianenses cives cum Prioribus sancti Salvii apud Monasteriolum in Pontivio, qui beati Samsonis corpus habere se venditant, perinde ut & Abbatia sancti Maglorii apud Parisios; apud quam diuturna commoratio mea digressioni huic veniam, ut spero, exorabit.

III. Monachos quoque Ludovicus Pius substituerat Canonicis Cellæ, hoc est Abbatiæ Andagii. *Cella vocata Andagium quæ olim inhabitatoribus ordinis Canonici floruit, &c. Monachos incolas loci illius esse voluit.* *Ibid. 394.* In Chronico Fontanellensi fertur Normanniæ Dux transtulisse Abbatem Maynardum ex Abbatia sancti Vandregisilli ad Monasterium sancti Michaëlis de Monte, eliminatis hinc Canonicis. *Spicil. to. 3. pag. 256. 106.* In Senonensi Chronico Dux Lotharingiæ memoratur Monachos pepulisse, ut *Canonicos sæculares* induceret; sed ab uno ex successoribus ejus religiosiore restitutos in pristinas sedes fuisse Monachos septuaginta.

IV. Tardiùs in Anglia, sed tantò strenuiùs celeriúsque in omnes Ecclesias Cathedrales & Collegiales extrusis Canonicis invecti sunt Monachi. Canonicorum, Parochorumque incontinentia insanabili offensus Dunstanus Archiepiscopus Cantuariensis, expressit à Joanne XIII. Papa & à Rege mandatum, quo jubebatur universim depulsis incontinentibus Canonicis Monachos subrogare. *Ann. 976. Osbertus in vita Dunst. die 19. Maii c. 38.* *Ordo Clericalis ea tempestate plurimum erat corruptus, & Canonici cum Presbyteris plebium voluptatibus carnis plus æquo inserviebant. Quod malum Dunstanus corrigere cupiens, authoritate Joannis Apostolicæ sedis Antistitis, apud Regem obtinuit, quatenus Canonici, qui caste*

*vivere nollent, Ecclesiis quas tenebant, depellerentur; & Monachi loco eorum intromitterentur.* Hæc Osbertus in vita beati Dunstani.

Præluserat jam in hanc necessariam Cleri Anglicani emendationem sanctus Osuvaldus Episcopus Vorecestrensis, & quod vi & potestate non facilè extorsisset, pia arte & charitatis miro quodam ingenio expugnaverat. Cùm enim Canonici expelli authoritate vix possent, ut qui Regni Optimatibus cognatione conjuncti essent, per cuniculos rem egit. Juxta Ecclesiam Cathedralem aliam construxit, quam & B. Mariæ nomine cùm Deo dicasset, cœpit ipse ibi divina celebrare Officia, cum idoneo Monachorum numero. Pietate Præsulis & horum eximia conspicuaque sanctimonia Monachorum id perfectum est brevi, ut & plebi, & sibimet ipsis Canonici vilescerent. Nonnulli ex Canonicis eadem Monachorum veste & professione se devinxerunt: cæterùm usque adeo paulatim imminutus est Capituli numerus, ut non multò pòst nova hæc Ecclesia in Cathedra-
*Ibid. c. 27.* lem evaserit. *Quia Clericos nec à pravitate convertere, nec inde, eo quod nobiles apud sæculum atque potentes erant, quivit eliminare, construxit Ecclesiæ contiguam Ecclesiam, in qua ipse cum Monachis quos se proposuerat adunaturum, Christo servire. Religio itaque Monachorum contemptum Clericis peperit, & vulgi conventum ab eis alienatum, sibi assiduum fecit. Quid plura? Numerus Clericorum passim minuitur, Monachorum conventus in dies augetur. Quidam insuper ex ipsis Clericis conversi, numero illorum additi sunt. Hoc modo Sedes Pontificalis mutata est in Ecclesiam B. Mariæ semper Virginis.*

V. At postquam Dunstanus fulmen illud irrevocabile in incontinentes contorsit Canonicos, Athelvoldi Vintoniensis Episcopi ante alios zelus emicuit ad ejus in Ecclesia sua Decreti executionem. Vestes Monasticas ingenti numero adornari jussit, & in Chorum post Mysteriorum celebrationem induci; tumque inexorabilem hanc indixit Canonicis suis legem, aut Beneficia exuerent, aut hæc in-
*Ann. 975.* duerent Monastica vestimenta. *Paratis complurimis Monachorum cucullis, &c. Aut disciplinam in præsenti apprehenderis, aut loci istius beneficiis hinc eliminati cedetis.* Alii ad Monasticam professionem lubentes prosilierunt, alii ad Regem se contulere, ut sub ejus delitescerent tuitione. Ille Vintoniense coëgit Concilium cum Archiepiscopo Dunstano. Dunstanus quidem infractam retinebat constantiam, at cùm non facilè posset obluctari precibus & intercessioni Regis, qui Canonicorum querelis lacrymisque emollitus fuerat: vox è cœlo quædam exaudita litem diremit, intonuitque non posse nisi temerè solvi, quod tam sanctè & tam necessariò fuerat con-
*Ibid. c. 39.* stitutum. *Tunc subitò Crucifixi Dei imago, signo crucis in edito domûs affixa, audientibus cunctis dixit: Non fiet, non fiet, Judicastis bene, mutaretis non bene.*

Eam postea instaurarunt contentionem filii Canonicorum in Synodo Calnensi, sed os illis obthuravit Dunstanus, & tandem ruina pavimenti ejus loci ubi congregati fuerant, oppressæ sunt penitus lites istiusmodi & pugnæ. Quadraginta octo Monasteriorum fundamenta in Anglia jacta sunt brevissimo tempore, eaque magna ex parte ruinis Capi-
*Ann. 979.* tulorum Cleri sæcularis superstructa fuere. *Et alii*
*Ibid. c. 40.* *plures Clerici horum similes de suis Ecclesiis ejecti sunt, & Monachi in eorum locum substituti. Aucta est igitur Religio per Angliam in tantum, ut quadraginta Monasteria Monachis vel Sanctimonialibus instituerentur, cooperantibus Dunstano, Osvaldo & Athevoldo.*

VI. Cùm ibi non magno sint Episcopatus numero, vix ambigi potest, quin ingens ille numerus Monasteriorum quadraginta octo bene multas complecteretur Ecclesias Cathedrales. Ne de eo quidem potest ambigi, quin eorum Capitulorum Cathedralium pars longè maxima pro Canonicis Monachos habuerit, ex quo Augustinus ejus Insulæ Apostolus Ecclesiam illam omnem restauravit. Cùm enim & Monachus esset & Monachis cinctus, multò probabilius est, communem ab eo & religiosam vitam in omnibus Angliæ Capitulis institutam fuisse. Itaque vicissitudines hæ fuere jugea, & veluti alternationes Clericorum & Monachorum in Angliæ Capitulis omnibus. Prima enim ejus Ecclesiæ fundatio à Clericis facta est. Ejusdem quasi regeneratio quædam sub Augustino à Monachis est profecta. Longa temporum & morum improbitas hos Monachos vitiaverat, & sæcularibus vitiis, forsan & vestibus infecerat. Unde rursus hos Canonicos amandari, Monachosque sufficí necessum fuit. Rursus infrà apparebit, ut & Canonici rursum Monachis successerint.

Ex Authore vitæ sancti Suviberti constat Suvibertum ipsum à B. Egberto Archiepiscopo Eboracensi Canonicis ejus Ecclesiæ inscriptum fuisse, ubi Monasticis institutis servire cœpit. *Illum Canonicum* *Surius die*
*ordinans, &c. In quo conventu tam strictè Monasticis se* *1. Mart.*
*disciplinis mancipavit, &c.* Ita Canonici quandoque *c. 4.*
Monasticæ pietatis formam retinebant, & mediam quandam implebant stationem, ex qua facilè ad hos vel illos declinarent.

VII. At verò sancti Osvaldi vitæ Scriptor accuratiùs paulò persecutus est, quibus se gradibus explicuerit Episcopalis authoritas ad has Capitulis formas quandoque novas & castiores inducendas. Rex, summus Pontifex, Archiepiscopus, Concilium Nationale consensione & conspiratione unanimi rem definiebant, Episcopi executioni manda-
bant. *Authoritate Joannis Papæ Dunstanus Archiepis-* *Apud Surium*
*copus coacto generali Concilio, statuit ut Canonici omnes,* *Octob. d. 15.*
*Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, aut castè viverent, aut Ecclesias quas tenebant, dimitterent. Habebat autem Regem Edgarum hac in re fidelem adjutorem & egregium defensorem: porro hujus decreti executio demandata est Osvaldo Vigorniensi, & Etheluvoldo Vintoniensi Episcopis.*

VIII. Aliud ejusdem rei suggeritur exemplum ab Authore vitæ sancti Meinverci Paterbornensis Episcopi, Ecclesiæ videlicet Bremensis, ubi indiscriminatim Canonici Monachique ita permixti erant, ut non facilè alii ab aliis secernerentur. At Archiepiscopus Lubentius minùs probans tam diversa proposita in unum confundi, quidquid Monasticæ conversationis supererat, obduxit, expun-
xitque. *Primus omnium Congregationem, quæ antea qui-* *Surius die*
*dem mixta ex Monachis & Canonicis conversatione dege-* *Iunii c. 22.*
*bat, ad Canonicam regulam traxit.* Ita Canonicorum in Cathedralibus origo non alia fuit, quàm depravatio Monachorum. Proclivius erat Monachos degeneres permittere, ut in sæculares omnino desciscerent, quàm adducere, ut in regularem sese reflecterent disciplinam. Ita disertè Ratherius Veronensis Episcopus, cum Clericos subrogavit Monachis
perditissimis suæ ditionis: *Cùm perarduum sit Mo-* *Spicil. To. 2.*
*nachorum propositum, & talibus inconvenientissimum:* *pag. 236.*
*sicut enim Monacho nihil sanctius, ita nihil est hypocrita sceleratius: relicto impossibili, ad possibilia me conferre operam dedi.* Pro Monachis ergo in eo Monasterio instituti sunt à Ratherio tres Presbyteri,

Diaconus

Diaconus unus, Subdiaconus unus, Clerici aliquot minores, ut nocturna diurnaque Officia, & sacra Mysteria quotidie ibi celebrarent. *Ut inibi nullo die Missa deesset. Hymnos in memoriam consuetudinis, in Laudibus matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera & Completorio, quæ omnia ad horam debitam exhiberi decrevi, cantarent.* Quod cursim à me adnotatum est, ut manifestum fiat, Canonicos quanquam haud magno numero essent, Canonicorum Officiorum quotidianæ celebrationi obnoxios fuisse.

IX. Meminit Chronicum Senonense Monasterii Monialium in Episcopatu Tullensi, quibus ejectis suffecti sunt Monachi, & his rursus Canonici; quorum illi B. Benedicti Regulam, hi B. Augustini sectabantur. *Ibidem Monachos instituit Episcopus sub norma sancti Benedicti; quibus postea inde expulsis Ordinis sancti Augustini Canonici, sicut usque nunc ibidem permanent, sunt inthronizati.* Antiquissima hæc est memoria Canonicorum sancti Augustini, magnique ea res ponderis esse censeretur, si ejus Chronici vel authoritatis vel antiquitatis fides minùs nutaret. Ibidem non multò pòst subditur à Friderico Lotharingiæ Duce substitutos fuisse Monachos Canonicis in Abbatia suæ ditionis quadam; & paulò pòst tamen revocatos eodem fuisse abactis Monachis Canonicos. *Quia facta Monachorum satis expertus erat, Canonicos seculares ibidem, sicut usque adhuc permanent, instituit.*

*Spicil. to. 3. pag. 284. 314.*

*Anno 924.*

*Pag. 309.*

X. Quamvis alternasse videantur hæ vicissitudines, indubitatissimum tamen est, Synodos, Pontifices, Episcopos, Principesque longè propensiores semper fuisse, ut Regulares secularibus, quàm ut Regularibus seculares subrogarent. Nam etiam cùm Ludovico Pio urgente Canonicorum Regulam & Amalarius Diaconus compilavit, & Concilium Aquisgranense Nationale illam non confirmavit tantùm, sed consecravit: Abbatiarum pars oppidò magna, in quas jam Canonicorum vita invecta fuerat, maluit suæ se origini reddere, hoc est, Monasticæ institutioni, quàm recentem illam amplexari Canonicorum Regulam. Audi quid ea de re differat Ademarus Monachus. *Anno 816. Ludovicus jussit fieri Regulam Canonicis, excerptam de diversis Patrum scripturis, decrevitque eam observandam à Canonicis. Ut sicut Monachi respiciunt ad librum Regulæ S. Benedicti, sic perlegant Canonici inter se librum vitæ Clericorum. Quem librum Amalarius Diaconus ab Imperatore jussus, collegit ex diversis Doctorum sententiis. Dedit ei Imperator copiam librorum de Palatio suo, &c.*

*Ann. 816.*

Nihil sibi, nihil cuiquam reliquum fecit hic Imperator, ut eam Regulam mitti curaret *per omnes Civitates & Monasteria Canonici Ordinis*; & nihilo tamen minùs celeberrima illa Ferrariensis Abbatia, abjecta Canonicorum vita & veste monasticam complecti maluit. Lupus ipse Ferrariensis Abbas maximè idoneus testis est. *Certè Ferrariensis Monasterii quondam nobilis Abbas & Presbyter Sigulfus, qui usque ad senium Canonico habitu laudabiliter vixerat, sponte se potestate exuit, & nostram, hoc est, Monachicam Religionem assumpsit, atque donec diem obiret, suo passus est subjici discipulo, quem ipsius voluntate, ac fratrum consensu, Imperator Ludovicus memorato loco Abbatem præfecerat.*

*Epist. 29.*

Octo non amplius annis post mortem Ludovici Pii, Canonici sancti Martialis Lemovicensis à Carolo Calvo impetrata licentia Monasticam professionem & observantiam sibi induxere. *Omnes Canonici prostraverunt se ad pedes ejus, postulantes dari sibi licentiam se fieri Monachos in eodem loco. Rex verò Deo gratias agens, &c.* In San-Dionysiana Abbatia Canonicus fuerat Hincmarus quondam junior: & postquam Monachi illuc invecti sunt, Monasticum & ipse ibi amplexus est institutum.

*Ademarus.*

*Hincmar. Epist. 26. ad Nicol. Pap.*



## CAPUT. XX. *P. 3. l. 1. c. 31.*

### Non omnes has Canonicorum Congregationes spontaneæ se paupertati devovisse sub Imperio Caroli Magni.

*I. Ejus rei probationes ex Regula Crodogangi.*
*II. Probationes aliæ ex eadem Regula, per quam licebat patrimonium possidere & distributiones.*
*III. Probationes novæ ex Concilio Aquisgranensi, ubi rerum abdicatione secernuntur Monachi à Canonicis.*
*IV. Elucidatur Canon hujus Concilii, quo Canonicis proprietatis permitti videtur, ut & distributiones percipiant.*
*V. VI. Aliæ ex eodem Concilio probationes, & ex Capitularibus.*
*VII. Nec stabilitatis lege vinciebantur Canonici.*
*VIII. Novis argumentis ostenditur Canonicis omnibus hic integrum fuisse, ut peculio gauderent & patrimonio.*
*IX. Inde est quod nunquam vocati sint Canonici sancti Augustini.*
*X. Necdum etiam forsan Canonici Regulares vocabantur.*

I. AD illam nunc accingimur controversiam, magni certè ponderis, an Congregationes illæ Ecclesiasticæ & Clericales, de quibus sermonem fecimus, tum in Cathedralibus Ecclesiis, tum in privatis Abbatiis & Monasteriis, præter vitam communem, spontaneæ etiam se devoverent paupertati.

Multò mihi quidem similius veri videtur, voluntariam paupertatem & qualiscumque peculii abdicationem, nunquam vovisse, nunquam professos, nunquam amplexos esse hos omnes Canonicos. Hauriemus primùm ejus rei ex Regula Crodogangi probationes, prorsus invictissimas. Statuitur quippe ibi, ut si cui Presbytero, vel Clerico pecuniæ aliquid detur, vel eleemosynæ, pro Missa, vel confessione, vel psalmodia, possit ille eam sibi habere, suosque & in quos volet usus impendere. At si erogatio illa fiat non privato cuiquam, sed Congregationi, nemo ut possit eam sibi peculiariter vendicare. *Si aliquis uni Sacerdoti pro Missa sua, vel pro confessione, aut Clerico pro Psalmis & Hymnis, seu pro se ipso, vel pro quolibet caro suo, aut vivente aut mortuo, aliquid in eleemosyna dare voluerit; hoc Sacerdos vel Clericus à tribuente accipiat, & exinde quod voluerit faciat. Si autem à tribuente ad omnes Sacerdotes aliquid in eleemosyna datum fuerit, hanc eleemosynam communem habeant, & psalmodiam vel Missas pro illo Misericorde faciant.*

*Cap. 42.*

Vix quidquam optari poterat libertati peculii & proprii magis consentaneum. Adde & aliud non minoris momenti. Exponit Regula iis, qui patrimonio gaudent suo, vel fundis Ecclesiastici Beneficii, priscam sanctorum Patrum sententiam, & legem, nequid earum percipiant distributionum, quæ in singulos privatim dispensantur. Non ergo prohibebantur Canonici, vel fundos Ecclesiæ in Beneficium & in usumfructum possidere, vel domestica etiam patrimonia in proprietatem. *Sanctorum Patrum sententia docent, Clericos non divitiarum sectatores esse, nec res Ecclesiarum inofficiosè accipere debere. Inde dicit Prosper. Qui Ecclesiæ serviunt, & ea quibus opus non habent, aut libenter accipiunt, aut exigunt, nimis carnaliter sapiunt.* Diximus alibi ex bea-

*Ibid. c. 4.*

ci Prosperi, aut Juliani potius Pomerii sententia hac in libellis de vita Contemplativa, Clericos proprietarios exæquare se quodammodo posse iis, qui proprium omne abdicarunt, si modo patrimonii sui fructibus sese sustentantes, Ecclesiæ gratis inserviant, Ecclesiæque & pauperibus ea cedant, quæ ad ipsos ex Ecclesiasticis distributionibus redire poterant.

II. Nec minùs explicatè rursus eadem Crodogangi Regula: *Hi verò qui nec suis rebus abundant, nec Ecclesia habent possessiones, & magnam utilitatem Ecclesiæ conferunt, accipiant in Canonica congregatione victum & vestimentum, & eleemosynarum partes, quia de talibus in libro Prosperi dicitur, &c.* Ergo debentur propriè seu vestium, seu alimentorum distributiones Ecclesiasticæ Canonicis proprio quocumque destitutis: non iis quibus vel à patrimonio, vel à Beneficio suppetit, unde necessarias faciant impensas.

Longè uberior justiorque cum iis erat expostulandi materia, qui cùm pinguissimis abundarent alioqui proventibus, nec Ecclesiæ ullo vel officio, vel obsequio suo prodessent, copiosiores tamen distributiones percipiebant ab Ecclesia, quàm ii qui & inopia laborabant, & de Ecclesia labore & industria sua benemereri satagebant. Ea autem valde frequens erat rerum perversitas. *Solet in plerisque* Ibid. c. 7. *Canonicorum Congregationibus irrationabiliter atque indiscretè fieri, ut nonnulli Clerici, qui & divitiis affluunt, & aut parum aut nihil utilitatis Ecclesiæ conferunt, majorem cæteris divinum strenuè peragentibus officium, annonam accipiant. Cùm hoc ita fieri debere nunquam nec in authoritate Scripturarum, nec in Traditionibus Patrum possit inveniri.*

III. At cùm constet Crodogangi Regulam non in omnibus Canonicorum Collegiis Capitulisque usu receptam fuisse: defluere nos necesse est ad eam Regulam, quam adornari temperarique jussit Ludovicus Pius, ut in omnibus prorsus Canonicorum Anno 816. Ecclesiis, Capitulis, Collegiisque & Congregationibus observaretur. Atqui huic Regulæ Concilii Aquisgranensis illigata sunt ea ipsa Capitula, quæ modò attigimus Regulæ Crodogangi. Ergo ea utraque Regula eædem suppeditantur probationes.

Sed supersunt & ex posteriori hac Concilii Regula novæ quædam machinæ expediendæ. Discrimen illud statuitur in hoc Concilio Canonicos inter & Monachos, quòd Canonicis liceat fundos certusque reditus possidere, ideoque & lautiùs commodiúsque vestiri & vesci, lineis vestibus & carnibus uti, quod nefas est Monachis. *Quanquam enim* Con. Aqui. c. 115. *Canonicis, quia in sacris Canonibus illis prohibitum non legitur, liceat linum induere, carnibus vesci, dare & accipere, proprias res & Ecclesiæ cum humilitate & justitia habere, quod Monachis, qui secundùm regularem institutionem, arctiorem ducunt vitam, penitus inhibitum est.* Subjicitur ibidem mox, cùm econtrario verò Monachi rebus omnibus, largiùs illis copiosiúsque subministrari debere omnia ad vitæ usus necessaria, quàm Canonicis, qui & patrimoniis simul fruuntur & proventibus Ecclesiasticis. *Et quia nihil sibi proprium reliquerunt Monachi, manifestum est illos copiosioribus Ecclesiæ sumptibus, quàm Canonicos, qui suis & Ecclesiæ utuntur rebus, indigere. Unusquisque enim, ut ait Apostolus, proprium donum habet à Deo.*

IV. Est quidem hujus Concilii, sive Regulæ locus, quo venia fieri videtur Canonicis, ut quanquam patrimonii abundent, vel Beneficii reditibus, percipiant nihilominus à Capitulo alimenta & eleemosynarum partes: *Proinde qui & suas & Ecclesiæ ha-* Ibid. c. 120. *bent facultates, & utilitatem Ecclesiæ aut interius aut exterius conferunt, accipiant in congregatione cibum & potum, & partes eleemosynarum, & his contenti sint, ne plus accipientes, pauperes gravare videantur.* Sed nec paucæ, nec infirmæ sunt causæ, quibus adducor, ut his verbis irrepsisse aliquid vitii conjectem. 1. Adversatur prorsus ea Regula & sententia sententiæ & Regulæ Crodogangi, unde tamen excerpta est. 2. Nec minùs apertè refragatur authoritati & verbis Prosperi, vel Pomerii, quæ mox subjiciuntur, velut antedictorum fundamenta. *Perpendente Prosperi sententiam, qua dicitur: Qui sua possident, & dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, non accipiunt.* 3. Nonne illud naturæ ipsi communi & sensui obstrepit, ut qui patrimonio suo, vel Ecclesiæ Beneficio aliquo opulenti & pingues jam sunt, etiamè cogantur contenti esse alimentis & distributionibus, quæ illis præterea offeruntur ex re & pecuniis mensæ communis Canonicorum; utque nihil præterea expectant? 4. Subjungitur & illud mox, qui sudoribus laboribusque suis Ecclesiam illustrant adjuvantque, nec aliunde quidquam rei possident, eos ab Ecclesia percipere debere & vestimenta & alimenta & portiones eleemosynarum. Ita ergo æquarentur, qui omnium inopes sunt & locupletes, & utrisque pares tribuerentur ad distributiones. Quod ab æquitate, & à Concilii Regulæque scopo alienissimum est. 5. Sanè quidem accipiunt ab Ecclesia qui sunt inopes, non cibum tantùm, sed & vestem, quod de ditioribus non exprimitur. Sed non facilè mihi persuaserim, ea una in re decrevisse Concilium, ut lauti & locupletes Canonici parcerent mensæ communi, quæ pauperum necessitatibus dicata est.

V. Redeo ad horum Canonicorum statum pervestigandum, & novo hoc argumento revinco, nulla eos necessitate constrictos fuisse, ut patrimonium ejurarent. Præcipitur Canonicis, qui hæreditariis patrimonii bonis, ac præterea fundis gaudent Ecclesiæ jure usu fructuario: ut tempore famis & sterilitatis effundant in pauperes ex hac sua opulentia aliquantum, nec eam sibi superbiendi ansam aucupentur, & insurgendi in eos, quos ut verè pauperes pascit Ecclesia: *Qui verò & suis, & Ecclesiæ* Cap. 122. *abundant rebus, instante sterilitatis tempore, eis quos pauperes pascit Ecclesia, suis facultatibus cum charitate & humilitate suffragari procurent. Non tamen ob id se superbiendo extollant, quia sicut in libro Prosperi legitur, Non se debent hujusmodi inani jactantia præferre his, quos nihil habentes pascit ac vestit Ecclesia.*

VI. Missas facio probationes cæteras, ex Regula Crodogangi jam delibatas, cujus ipsissima verba inserta sunt Concilio huic Aquisgranensi à capite cxv. ad cxxv. Concilium Vernum sub Pipino Rege anno 755. ubi de Clericis agit, qui *modò res eorum vel pecunias habent:* hoc est, qui patrimonio quisque suo fruuntur; sancit illud quidem, ut in Monasteria, vel in Episcopales domos concedant, ut vitam communem agitare incipiant cum professionis suæ consortibus; at nequaquam edicit, ut ejurent patrimonia vel facultates omnes proprias, antequam Collegio vel ædi Episcopali adgregentur.

Quin ex adverso ex Capitularibus ad manum est locus eximius justà & perspicuus. ex quo liqueat inter Canonicos fuisse, qui Beneficiis & fundis Ecclesiæ fruerentur, ex quibus sese sustentare deberent, atque ita allevare Congregationem, cujus

redituus egenorum necessitatibus dedicati sunt. *Volumus atque præcipimus, ut sicut Synodali atque Canonica authoritate à Pastoribus sanctæ Ecclesiæ sæpissimè admoniti sumus, ut Canonici Clerici, qui in Civitatibus, vel in Monasteriis degunt, qui Beneficia habent, unde victum & vestimentum habere possunt; ut his juxta Apostolum contenti sint, & stipendia fratrum, unde pauperiores & hi qui assiduè in prædictis locis Domino famulantes excubant, atque ibi assiduum divinum explent officium, vitam sustinent, nequaquam assumant, aut in suis usibus convertant. Scimus enim quia absque periculo atque dispendio animarum suarum hoc nullatenus facere possunt. Si quis hæc statuta contempserit, utrisque careat, id est, & Beneficio & Prabenda, atque si gradibus fruitur Ecclesiasticis, ipsis privetur.* Videtur huc alludi ad Concilium Aquisgranense, quando dicitur, *Synodali authoritate admoniti sumus.* Atque inde elicitur, nequaquam passos esse Patres Concilii Aquisgranensis, ut Canonici, quibus aliunde suppetunt idoneæ facultates, in partem venirent distributionum & eleemosynarum communium.

Addit. l. 1. c. 76.

Fateor non agi hoc capite nisi de iis, qui Ecclesiastica obtinent Beneficia: sed duo proximè sequentia capita legi eidem subesse volunt eos omnes, qui patrimonium non abdicarunt, mendicatis ipsis Prosperi, seu Pomerii verbis: *Quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune, nec aliquid inde eis, qui sibi de suo sufficiunt convenit erogare. Quando nihil aliud sit habentibus dare, quam perdere. Nec illi qui sua possidentes, dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt.* Fas ergo erat Canonicis omnibus, ut & Beneficia, & patrimonia obtinerent.

Ibid. c. 77. 78.

VII. Si à paupertate autem ad stabilitatem flectatur oratio, ne ea quidem obligatos magis fuisse Canonicos comperimus. Eadem Synodus Aquisgranensis vitio vertit Episcopis quibusdam, quòd ambitiosiùs quàm prudentiùs plures quàm alere possent Canonicos suis allegerent Ecclesiis. Inde quippe id emergebat detrimenti, quòd hi Canonici rebus ad vitam necessariis destituti, à Congregatione resilirent, & intemperantiæ ac libidini servirent. *Hi taliter adgregati, dum à prælatis stipendia necessaria non accipiunt, claustra societatemque cæterorum relinquentes, efficiuntur vagi & lascivi, gulæ & ebrietati & cæteris suis voluptatibus deditis, quidquid sibi libitum est, faciunt.* Apostatæ hîc non audiunt, qui ab his Collegiis desciscunt, quòd libera essent illa & soluta.

Ibid. & c. 119.

Ablegabant nonnunquam & Episcopi eos, quos admiserant: sed sordidæ avaritiæ stimulo agi tum non debebant. *Nec eos quos rationabiliter gubernare possunt, causa avaritiæ abjiciant.* Ideo & in eos Præsules invehitur hæc Synodus, qui in Ecclesiæ suæ Capitula non admittebant, nisi servos Ecclesiæ suæ, in quos videlicet potestate & imperio abuterentur suo, frustrarentque eos stipendiis usitatis; utpote quod querelas omnes de ejusmodi contumeliis & damnis opprimeret ac præfocaret metus ille gravissimus, ne in prioris servitutis vincula retruderentur. *Timentes ne aut severissimis verberibus afficiantur, aut humanæ servituti denuo crudeliter addicantur.* Si hi Canonici professi essent Regularem quamvis professionem, nihil istiusmodi reformidare potuissent.

Agemus infrà de Canonicis fœminis, quibus idem Ludovicus Pius Regulam concinnari jussit in eadem Aquisgranensi Synodo; idque ex ipsis earum Constitutionibus exsculpemus, nullam eis inflictam fuisse necessitatem patrimonii ejurandi. Ex quo id quoque infertur ab ea necessitate longius abfuisse Canonicos.

VIII. Potest & illud non immerito perpendi, quod ei Synodo præsantur Episcopi, interpellatos se esse ab Imperatore, ut Collectionem aliquam ederent Statutorum & Regularum ad Canonicos spectantium, quæ Operibus sanctorum Patrum & Conciliorum decretis interteuntur. *Adjunxit monendo, ut quia Canonicorum vita sparsim in sacris Canonibus & in sanctorum Patrum dictis erat indita, aliquam ex iisdem sacris Canonibus & sanctorum Patrum dictis Institutionis formam excerperet, &c.* Atqui nullæ Canonicorum Regulæ Conciliis Patrumque operibus intextæ jubent, ut vel proprio renuncient, vel communis vitæ societate copulentur.

Nullus supererit dubitandi locus, si perpendas, quàm vehementer & enixè tunc Imperator Episcopos adegerit, ut hanc *Formulam Canonicæ institutionis* ubique observari facerent: vitamque communem Capitulis suis in omnibus instituerent, uno non amplius anno concesso, ut hæc omnia executioni mandarentur. Tum denique Missos suos Dominicos immisit, ut explorarent, qua quisque Episcopus diligentia, quo fervore, quo tepore, qua desidia in hanc sibi demandatam Provinciam incumberet. *Ut cum nos hujus rei gratia inquirenda Missos nostros per Imperium nostrum destinaverimus, &c.* Denique accersiturum se significavit eos Episcopos, qui in ea re curanda supiniores fuissent. *Quicumque ille est, ante præsentiam nostram venire festinet, quatenus à nobis juxta quantitatem culpæ dignè corrigatur.* Atqui & temerè & iniquè tot Canonici tam abruptè cogerentur vel inviti, immo & omnes Clerici, ut paupertatem prorsus involuntariam profiterentur, & stabilitatem.

Conc. Gall. Tom. 2. pag. 426.

IX. Hinc manifestè patebit, cur in Conciliis, Capitularibus, Regulisque, ubi de his Canonicis hîc agitur, nunquam memoria occurrat Canonicorum beati Augustini. 1. Congregatio enim Clericorum in ædibus Episcopalibus Augustini coacta, abdicationem omnium temporalium facultatum præ cæteris præ se ferebat, ac profitebatur. Porro alienum id erat à Canonicis de quibus hîc agitur. 2. Regulam Crodogangi vidimus consarcinatam ex Canonibus, ex scriptis Patrum universim, maximè autem ex Regula beati Benedicti, quæ illi veluti forma proposita erat. At nullæ ibi, vel minimæ Augustini partes. 3. Regula Concilii Aquisgranensis, quam Amalarius Diaconus contexuisse creditur, ab hoc Concilio approbandam, eadem est propemodum, atque Regula Crodogangi. Itaque nihil admodum, aut perparum certè derivatum in eam est ab Augustino. Quin beato Benedicto potius imputandum id esset. 4. Tum Imperator, tum Concilium præ se ferunt ex Conciliis & Patribus in genere Regulam eam compilandam. Enimvero multò frequentiores in ea occursant Hieronymus, Prosper, Isidorus, Gregorius Magnus, quàm Augustinus. 5. Illi quidem Augustini sermones duo, quibus ejus continetur Seminarii institutio, ac præ cæteris omnium proprii peculiique abdicatio, hîc intexuntur. Sed ea mera est narratio eorum, quæ sub Augustino contigêre, non Concilii autem præceptio ulla, ut ad eam formam & cæteri adigantur Clerici. 6. Quin ex his ipsis sermonibus id elucescit, ne ipsum quidem, dum hoc ipso vel maximè zelo effervesceret, omnibus illud Clericis Canonicisque jugum imposuisse, ut paupertati se sponta-

Con. Aquis. c. 112.

neæ illigarent. Sed omnes qui jam in Clericatu essent, suo permisisse arbitrio: certus ipse in posterum nulli Ordines sacros conferre, nisi qui secum illico & vitam communem & omnium abdicationem profiteretur. *Ego sum, qui statueram nullum ordinare Clericum, nisi qui mecum vellet manere. Vt si vellet discedere à proposito, rectè illi tollerem Clericatum, quia desereret sanctæ societatis permissum.* 7. Sed lapsu temporis sanctissimo Patri consultius visum est, Clericatui permittere, qui patrimonio gaudere vellent: *Ecce muto consilium. Qui volunt habere aliquid proprium, quibus non sufficit Deus & Ecclesia ejus, maneant ubi volunt, aut ubi possunt, non eis aufero Clericatum.* Denique in his sermonibus Augustini manifestissima & certissima est illa paupertatis & stabilitatis professio, quam Augustinus Clericis omnibus proponebat, qui secum vellent vivere, & necessitas religiosissimè servandi, quod Deo semel spopondissent; at nihil istiusmodi proponitur, nedum imponitur Canonicis in Regula, vel Crodogangi, vel Concilii Aquisgranensis; nusquam paupertas præcipitur, nusquam abdicatio temporalium.

Certissimum est ergo Congregationes Canonicorum illas, quæ tantum splendoris, laudis & admirationis conciliaverunt sæculo & Imperio Caroli Magni, sive in Capitulis Cathedralium, sive in Monasteriis Abbatum, nullo unquam vinculo astrictas peculiari fuisse vel Regulæ, vel Nomini Augustini: immo ne id observasse quidem unquam, quod maximè proprium & peculiare erat Congregationi & Regulæ Augustini, hoc est, proprii & peculii cujuscumque abdicationem. Tunc omnes ferè Monachi Regulam se beati Benedicti sectari confitebantur: quin ergo & alicubi saltem Canonici Regula se jactassent Augustini?

X. Ne ipsum quidem Regularium Canonicorum nomen magnopere usitatum tunc erat. Quin immo *sæculares Clerici* vocari videntur in Conventu Abbatum & Monachorum quem anno proximo indixit idem Ludovicus Pius. *Vt nullus plebeius, seu Clericus sæcularis in Monasterio ad habitandum recipiatur, nisi voluerit fieri Monachus.* Certum est his verbis *Clericus sæcularis*, contineri Canonicos, quos nefas est in Monachorum claustris commorari. *Ann. 817. Can. 42.*

---

## CAPUT XXI. *P. 4. l. 1. c. 49.*

### De Canonicis & Regularibus proprietariis post annum Christi millesimum.

*I. II. Pœna in Monachos proprietarios.*

*III. Easdem in Canonicos proprietarios extendere pro virili nititur Petrus Damiani.*

*IV. Objicitur ei Regula Concilii Aquisgranensis sub Ludovico Pio; in quam ille vehementer invehitur, ignarus ejus authorum.*

*V. Petrus Damiani præcepti vim addebat Decreto, quod Pontifices non proposuerant, nisi ut consilium.*

*VI. Initia Regulæ & Canonicorum sancti Augustini.*

*VII. Vt Monachi evaserint proprietarii, & quæ huic malo quæsita remedia.*

*VIII. Prohibetur ne Obedientia vel parvi Prioratus ad vitam dentur, ne peculium Abbatis permissione excusetur, ne pecunia dividatur in Monachos, ad vestimenta sibi comparanda.*

*IX. Occluduntur inania quædam effugia. Gersonii doctrina.*

*X. Decreta Concilii Tridentini super ea re, & posteriorum Conciliorum.*

*XI. Responsa Congregationis Concilii super pensionibus ad vitam, Mobilibus propriis, &c.*

*XII. Diluuntur objectiones duæ, ex Decretalibus & Senatusconsultis petita.*

I. II. IN Londinensi Concilio anno 1075. sub Archiepiscopo Lanfranco, communione etiam post mortem, & sepulturæ jure spoliati sunt Monachi proprietarii, & impœnitentes. De Monachis tantùm ibi agitur. At Concilia duo Romana sub Nicolao II. & Alexandro II. annis 1056. & 1063. quorum Canon suprà relatus, ut vitæ communis posthac degendæ fundamentum: hæc, inquam, duo Concilia majoribus omnibus Clericis indixere, ut & vitæ communis societatem amplecterentur, & temporalium abdicationem. *Simul manducent & dormiant, & quidquid eis ab Ecclesia competit, communiter habeant.* Hoc statutum tunc editum est, *Præcipientes statuimus*, ut in communi possiderentur omnes Ecclesiastici reditus, *quidquid eis ab Ecclesia competit.* At huic præcepto adjectum est hoc eodem in Canone consilium, ut Apostolicæ vitæ simulacrum aliquod innovaretur, temporalium prorsus omnium, & ipsius patrimonii abdicatione. *Rogantes monemus, ut ad Apostolicam communem vitam summopere pervenire studeant.*

III. Scripsit ad Alexandrum II. Papam Petrus Damiani litteras vehementissimo illo zelo inflammatas, quo flagrabat ipse, ut à Clero proprietarios omnes eliminaret, nullo discrimine inter Canonicos Regulares & sæculares Clericos interposito. *Fratres Canonici Ordinis.* Satis erat Petro, Canonicos Clericosque in Congregationes allectos communem vitam agere, ut eos rerum omnium cujuscumque generis proprietate spoliaret. Cùm enim vir doctissimus prompsisset, quæ sui Seminarii Clericis præscripserat Augustinus, quo uno ejus Clerus constabat: hinc argumentatur, ut sibi quidem videtur, validissimè, quicumque Canonici una utuntur mensa domoque, proprii nihil eos possidere posse. *In quibus sancti viri verbis evidenter ostenditur, quia Clericus qui pecuniam possidet, ipse Christi possessio vel hæreditas esse, vel Deum hæreditate possidere non potest. Quod tamen non de Clericis omnibus dicimus, sed de his specialiter qui Canonico censentur nomine, & vivunt in Congregatione.* Testimoniis Augustini desumptis ex duobus Sermonibus *de moribus Clericorum*, addit idem Petrus suffragia Hieronymi & Prosperi, non minùs in eam rem vehementia. *L. 1. Ep. 6.*

IV. Verùm his Patrum testimoniis, & Damiani cæteris machinis objiciebant Canonicæ Congregationes non paucæ Regulam Concilii Aquisgranensis, jussu Ludovici Pii compilatam, & qua jubentur Canonicis distribui *partes eleemosynarum* præter vestem cibumque. Unum id præ se tunc ferebant hi Canonici, eam præscriptam sibi esse Regulam; authoritatem verò illi non venabantur, vel ab Imperatore Ludovico Pio, vel ab Episcopis & Concilio Aquisgranensi; quod & ipsos fortasse fugiebat; cùm ea in rerum temporumque ignoratione tunc etiam non indocti homines versarentur. Hinc illæ Petri Damiani in eam Regulam, nullo, vel incerto authore tunc jactatam expostulationes: hinc ejus refellendæ ardor. Hinc ejus illæ contestationes, honori sibi esse & reverentiæ Patres illos, qui ibi allegarentur: sed non posse se non exhorrescere illam in singulos quosque Canonicos superfluam panis, vini, carniumque redundantiam, distributionesque pecuniæ inter Canonicos. *Cum hæc Canonicis objicimus, ipsi Regulæ suæ librum nobis protinus objiciunt, ad Regulæ suæ authoritatem redeunt; eaque sibi proprietatis peculium concedente, pati se præjudicium patiuntur. Quam nimirum Regulam nos nec funditus improbamus,*

*nec authoritatem illi omnino tribuimus. Probamus in quantum sanctis Ecclesiæ Doctoribus consonat, abjicimus atque conspuimus, in quantum authenticis eorum institutis non concordat.* Ab aculeatis Petri in eam Regulam verbis hic referendis supersedebo. Si exploratum ei fuisset, qui essent ejus authores, eorum nomini, famæ, dignitati pepercisset, & necessaria illa indulgentiæ tum temperamenta fuisse existimasset. Si ipsa autem quæ profert Patrum testimonia, penitius introspexisset, liquidum ei fuisset, ne in mentem quidem venisse Augustino, ut omnes orbis Christiani Clericos vellet, tentaretve eidem ac suos paupertatis professioni mancipare: Hieronymum vidisset verba non facere de Clericis in Congregationem adunatis, cùm ejus instituti primus artifex parensque fuerit Augustinus: denique à Prospero, vel potiùs à Juliano Pomerio, non spoliari Clericos patrimonio suo, vel vitæ communis societati necessariò astringi: sed in unum cogi, ut si patrimonio gaudeant, ne quid de reditibus & distributionibus Ecclesiasticis attingant; ut his illi demum sustententur, qui humanis præsidiis omnibus destituuntur. Nihil moror cælestem nescio quam visionem, obiter relatam in Epistola à Monachis sancti Bernardi scripta, & ab Horstio intexta in Introdu- Cap. 6.
ctionem in Opera Bernardi. Ea nimirum perhibetur Ludovico Pio insonuisse, incertum unde, vocem istiusmodi, *Venenum Ecclesiæ addidisti.* Ne Scriptores quidem ejus Epistolæ Monachi eam increpationem aliò detorsere, quàm ad nimias opes, quibus Ludovicus Ecclesias cumulatat. *Qui præcipuè ditavit Ecclesias.* Nihil id ad Clericos qui patrimonium retinere permittuntur. Denique nonnisi trecentis demum pòst annis, quàm vivis excesserat Ludovicus, obtrudi cœpit ea qualiscumque visio.

V. Unus ergo Augustinus Clero suo Hipponensi invexit eam, quam Petrus Damiani & Pontifices ejus ævi enitebantur in omnem Occidentalis Ecclesiæ Clerum propagare continentiam, vitam communem, tum patrimonii, tum Beneficiorum Ecclesiasticorum ejurationem. Pontifices Romani nihil ulterius quàm consilium insusurrabant, monebant, rogabant; at Petrus Damiani ad abdicationem patrimonii necessitate præcepti constringebat. *Si quid tibi de propriis reservasti, audi Apostolum terribiliter objurgantem, Cur, inquit, tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, ut fraudares de pretio agri, &c.*

VI. Tunc temporis enimvero cœpit Augustini Regula ea duobus ejus Sermonibus contexta, quos Petrus Damiani, *De moribus Clericorum* inscribit, objectari opponique Regulæ Canonicorum, ab Episcopis Concilii Aquisgranensis comprobatæ. Cùm ea re esse videretur Regulam Regula retundere, ex duobus his Sermonibus Augustini conflatum est, quod ejus Regula diceretur. Epistolam enim Augustini centesimam nonam ne memorat quidem, aut ullo attingit verbo Petrus Damiani, nedum ea ea Regulam fabricet, qua proprietarios Canonicos coerceret. Hoc ipso quoque tempore Canonicorum ordo in duas se scidit Congregationes, aut Congregationum species, sectantibus aliis Aquisgranensis Concilii Regulam, aliis Augustini. Quantumcumque enim apud Pontifices imminetet urgeretque Petrus Damiani: *ut hæc apud inobedientiam Clericorum, imo nummicolarum rebellionem efficaciter valeant, sanctus Apostolatus vestri vigor impellat:* nec Pontifex Alexander II. nec successores ejus vim & pondus præcepti addi debere censuerunt rei, quæ in perfectionis consiliis ab exortu Ecclesiæ habita fuerat.

Tum verò Canonici Regulares dici cœpere, qui proprio renuntiarunt, ut Augustini Regulæ sectatores, hoc est, ut imitatores communis vitæ & abdicationis, quam Augustinus olim inter Clericos Ecclesiæ suæ initiaverat. Ex Petro Damiani constat eam vocem jam eo sensu usurpari cœptam, nempe ex ejus libello *de Communi vita Canonicorum.* Accipe ejus verba, hortantis Canonicos ad Regularem vitam, cùm Canon Græcè, Regula Latinè ejusdem sint prorsus significationis. *Planè quo pacto quis valeat dici Canonicus, nisi sit Regularis? Quomodo Monachus, nisi juxta vim sui nominis sit etiam singularis? Volunt siquidem Canonicum, hoc est, Regulare nomen habere, sed non regulariter vivere.* Regula Canonicorum olim non alia, quàm Canones Conciliorum. Deinde ea dicta est, quam Synodus Aquisgranensis concinnavit, penè eadem ac Crodogangi. Hinc Canonici dicebantur. Qui se demum Augustini Regulæ devoverunt, ii Regulares cœpere dici Canonici. Sicut & B. Benedicti Regula aliquandiu cum multis aliis Regulis pervulgata, eò tandem evasit, sola ut Regula diceretur. Ex utraque denique hac Regula Regulares dicti, qui alterutram nunc profitentur Monachi, Canonicique.

VII. Nec in potestate sanè fuisset horum Pontificum, ut Clericos omnes adigerent, ad nuntium tam patrimonio, quàm Beneficiis Ecclesiasticis remittendum. Monachi quin etiam ipsi Normannorum irruptione, & Ecclesiarum Monasteriorumque per eos devastatione, & huc illocque dissipati omnes fuerant, & evaserant proprietarii. Et ubi post illud excidium totius Regularitatis in sua cœperunt se recolligere Monasteria, una Cluniacensis Congregatio primævam instauravit retinuitque Ordinis Monastici perfectionem, Monachis aliis penè omnibus palliatæ acquiescentibus avaritiæ, eique permissionem Abbatum prætexentibus: nempe jactabant B. Benedicti Regula id permitti, ut jure possiderent, si modò copiam fecisset Abbas. *Regula,* Bibl. Clun.
*inquiunt, jubet ut nihil habeat Monachus, quod Abbas* pag. 42. 43.
*non dederit, aut permiserit. Abbates verò nostri tales* 51. 215.
*sunt, ut nostra non curent, & ob id permittunt nos habere quæ indigemus.* Expilatorum Monasteriorum egestas fucatum adombratumque præstabat patrocinium privatis illicitisque opibus Monachorum.

Nec in Galliæ tantùm, sed & in Italiæ Monasteria ea se effuderat lues nefariæ proprietatis. Extirpare eam aggressus est Innocentius II. ea Monaste- Rainal. an.
rio Sublacensi non procul Roma, innovatis pœnis 1102. c. 7.
canonibusque Gregorii Magni, ac solenniter contestatus adeo non posse Abbates veniam proprii facere Monachis, ut ne Pontifices quidem ipsi possent. Non poterat efficaciùs exsufflari fallax illa permissionis Abbatum obumbratio, qua suæ sordes avaritiæ Monachi tegebant. *Nec æstimet Abbas* C. Cum ad.
*quod super habenda proprietate possit cum aliquo Mona-* De statu
*cho dispensare; quia abdicatio proprietatis, sicut &* Monach.
*custodia castitatis adeo est annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

VIII. Simile veri est, ubi eodem mox decreto vetantur ad vitam dari Monachis Obedientiæ, id ex eo pendere, ne Monachi præter Regulam proprietarii essent. *Nec alicui committatur Obedientia per-* Ibidem.
*petuò possidenda, tanquam in sua sibi vita locetur, sed cùm oportuerit amoveri, sine contradictione qualibet revocetur.* Perpetui erant Abbates, perpetuos esse

Obedientiarios nefas erat; videlicet cùm Abbates omnia communiter cum Monachis possiderent, nil poterant habere proprii. At Obedientiarii, cùm vel soli essent in Cellis, vel cum uno & altero Monacho, facilè proprietatis contagio afflabantur. Ita planum fit ex alio Innocentii ejusdem III. Decre- *C. Quanto. De Offic. Ordin.* to: *De obedientiis & redditibus, quorum curam gesserunt, pecunia congregata.* Indidem constat ea contagione laborasse Monachos Canonicosque. *Monachi, Canonici, & alii Regulares, &c.*

Præter mentem & expectationem suam hujus proprietatis vitio ansam dederat Alexander III. quando in Concilio Lateranensi III. permiserat Abbatibus, ut aliquid ipsi possidendum permitte- *C. Monachi. De statu Monachor. C. Super quodam. Ibidem.* rent Monachis, qui Administrationes gerebant, quæ non facilè aliter geri atque expediri possent. *Qui verò peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum, à communione removeatur altaris.* Clemens III. in Decreto quodam suo laudavit Canonem Concilii Lateranensis & Regulam sancti Augustini adversùs Canonicos Regulares proprietarios. At multò apertiùs in Concilio Parisiensi anno 1212. approbata est indulgen- *Part. 2. c. 1.* tia, ex qua lapsu temporum non poterant non ea nasci, quæ exitio essent. Cùm videlicet Prioribus concessit ea possidere, quæ ad eorum administrationem gerendam necessaria forent: Monachis autem, vel Canonicis privatim ea quæ vel permitterent Prælati, vel condonarent. *Id præcipuè cupimus statuendum, quod in Regula B. Augustini & B. Benedicti constat esse statutum. Priores tamen & administrationem habentes ad communem usum habere possunt ea quæ pertinent ad suam administrationem.* In eo nihil adinodum esset periculi, si Conventuales tantùm ii essent Priores, qui nihil nisi *ad communem usum* possiderent; cùm ex adverso Obedientiarii, vel Priores simplices sibi possideant, si quid possident, ut quibus nulla Congregatio conjuncta sit. Sed res plena discriminis proximo continetur Articulo. *Claustralis quoque aliquid modicum potest ad usum suum habere; ita tamen si Prælatus suus ei specialiter dederit, vel concesserit.* Mollire interpretando videbatur hæc Synodus supra allatum Innocentii III. statutum, cùm Prælatos Regularium admoneret, ne supra sedem Apostolicam assurgerent, concedendis dispensationibus, quæ ne ipsa quidem à se dari posse arbitratur. Censent Canonistæ posse quidem à Pontifice Monachum transferri in statum Clericorum, & ita mox illi permitti, ut quidvis possideat: at non posse efficere, ut Monasticus status cum proprietate & possessione rerum privata sociari queat. Concilio huic Parisiensi visum est simplici *usu* rerum paucarum, sub imperio & nutu Abbatis, non effici Regulares proprietarios. Utcumque dissimu- *Part. 3. c. 6.* lari res posset, si possit relaxatio ibi stare, ubi incipit. Et sanè hoc ipso in Parisiensi Concilio proscripta est quarondam Monialium licentiosa consuetudo, ubi singulis erogabatur pecuniæ aliquid, quo vestem sibi cibumque compararent; & tam parcè erogabatur, ut residuum aliunde mendicare aut venari cogerentur. Quæ summa erat Monasticæ regularitatis & paupertatis pernicies. Idcirco ibidem statim sancitur, ut in commune vestiantur & nutriantur omnes, nec plures deinceps ad professionem admittantur, quàm quantæ sustentari possunt.

In Concilio Montis Pessulani anno 1214. idem vetitum est, ne quid pecuniæ detur, ad comparandas cuique vestes, quòd ea quasi rima sit & occasio, qua proprietas illabatur. *Quia ex hoc datur materia proprium possidendi.* Statutumque ibidem est, ut inter claustralia officia esset, cui ex officio incumberet, ut Monachis Canonicisque singulis vestes suppeditaret. *In omni Monasterio, vel Canonica Regu-* *Can. 18.* *lari, certi reditus deputentur, de quibus per manus unius qui eos colligat fratribus provideatur de vestimentis.* Sed quasi subodorati essent hujus Concilii Patres, quantum malorum serpere posset ex ea indulgentia, quam Parisiense Concilium invexerat; apertè declararunt non posse Regulares Prælatos vel Canonicis vel Monachis copiam facere, ut quidquam propriè possiderent. *Nullus Monachus vel Canonicus Regularis proprium habeat, nec etiam de sui Abbatis vel Prioris licentia; cùm ipsis hujusmodi dare licentiam non possint.* Quoad Obedientias & Prioratus simplices fatetur hoc Concilium posse eos citra periculum proprietatis obtinere, dummodo ex mandato Superiorum, & ad tempus tantùm. *Quod si aliquam Obedientiam de sui Majoris præcepto teneant, donec illa secundùm loci consuetudinem expendantur, talis Regularis non dicitur propter hoc proprium retinere.* Quo insinuari videtur Obedientiarum proventus in Abbatiæ sustentationem impendi debere, ex imperio Abbatum. Et sanè vetat hæc eadem Synodus, ne Regularis quisquam Ecclesiam habeat, hoc est, Beneficium, ad suam privatim Præbendam, qua alatur. *Nullus Monachus vel Canonicus Regularis à sua vel* *Can. 28.* *alia Ecclesia, vel persona Ecclesiastica, Ecclesiam vel aliquid aliud recipiat, vel teneat pro Præbenda.*

Oxfordiensis Synodus anni 1222. pecuniam ad *Can. 43.* vestes dari prohibuit, *Camerarium* ea de causa institui jubens. Vetuit etiam ne Monachi Canonicique testarentur, cùm nihil haberent proprium: item ne conducerent, vel ad Firmam tenerent terras, Ecclesias, Monasteria; denique ne Prioratus ad vitam, vel ad tempus diuturnius retinerent. Ita sonant hæc verba: *Ne alicui Monacho, vel Canonico* *Can. 47.* *Regulari, qui non sit obedientialis, custodia Monasterii committatur; ita quod ex longa ipsius mora vel conversatione scandalum oriatur.* Usque adeo enim inveterata erat ea consuetudo, & quasi natura ipsa Obedientiarum, ut ad tempus, & quidem breve darentur: ut vox ipsa *Obedientialis* Priorem designaret irrevocabilem, vel stato tempore, vel ad nutum Abbatis. Statuta Abbatum Ordinis sancti Benedicti Provinciæ Narbonensis anno 1226. quæ à Gregorio IX. confirmata fuere, præcipiebant Obedientiariis omnibus & Prioribus, ut quotannis Capitulo Generali rationes omnium exhiberent, renuntiarent suo muneri, & tum rursus, si probè administrassent, restituerentur. *Renuntient absolutè admi-* *Spicil. to. 6.* *nistrationibus suis etiam non requisiti in manu Abbatis.* *pag. 32.* *Abbates restituant eos quos, &c.*

Anno 1233. in Concilio Biterrensi novum robur *Can. 14.* additum est Innocentii III. statuto, & claustralibus *Can. 20. 24.* Prælatis inculcatum, abdicationem proprii sic in- *Can. 26.* timam, sic indivulsam hærere statui Regularium, ut de ea dispensare nec Abbates nec Pontifices ipsi possint. In Concilio Campiniacensi anni 1238. in- *Can. 36.* novata est Constitutio Concilii Montis-Pessulani anni 1214. addita prohibitione, ne quid veniæ & dispensationis Abbates darent. Concilium ad Castrum Guntherii anno 1231. & Salmuriense anni 1253. irritas cassasque declararunt dispensationes istiusmodi omnes ab Abbatibus datas, quo demum cumque prætextu. *Ne Monachi nisi sint in administratione constituti, habeant aliquo colore possessionem, vel aliquam proprietatem etiam de licentia Abbatum; cùm licentia Abbatis eis in hoc non valeat suffragari.* Conci-

*Can. 5.* cilium ad Castrum Guntherii anni 1268. cessisse videtur cupiditati opum, qua transversi agebantur Monachi, quibus prohibuit duntaxat, ne pecuniam & alias opes haberent extra Monasterium depositas.

*Can. 11.* Concilium Turonense anni 1239. damnavit consuetudinem quorundam Monasteriorum, ubi pecunia dabatur Regularibus ad victum & vestitum.
*Can. 42. 44.* Londinense anni 1268. vetuit præterea, ne Firmas administrarent. Constitutiones Benedicti XI. Papæ anno 1339. ad repurgandam disciplinam Congrega-
*Cap. 26. 36.* tionum omnium Canonicorum Regularium sancti Augustini, in Ecclesiis etiam Cathedralibus, easdem prohibitiones innovavere; cùm sinerent tamen pensiones annuas imponi Prioratibus, aliisque Beneficiis in eorum ditione positis, si ordinarii reditus Camerariorum, aliorum Officialium & Administratorum minùs sufficerent, ad vestes, ad alimenta, & ad necessaria denique omnia Canonicis suppeditanda. Quoad Canonicos autem, Conversosque omnes proprietarios, peculia auferuntur eis omnia etiam superstitibus, & communi mensæ transcribuntur. Sed Obedientiæ, Prioratus, Administrationes, & alia Beneficia, non jam ad certum tempus dari præcipiuntur, adeo non ad nutum Superioris revocari posse declarantur. Quæ corruptela tantò fœdior erat, quantò nec Pontifex medicari se illi posse sperabat; cedebatque, ne magis magisque ægresceret.

IX. Sed & aliquantò turpior fuit illa pravitas,
*Conc. Gen.* cùm Capitulum Provinciale Monachorum Benedi-
*To. 12. pag.* ctinorum apud Vuestmonasterium in Anglia anno
*150.* 1422. censorio inustis cauterio Abbatibus Monachisque proprietariis, qui agros fundosque alios habebant, quàm Monasterii: proscripta etiam exitiali illa consuetudine largiendæ pecuniæ pro veste & cibo: Indulsit mox Monachis, ut pecuniam accipere & servare possent ad privatas necessitates, dum licentia id fieret Superioris, cui ratio redderetur toties, quoties illi adlubesceret, saltem semel anno quolibet; ita ut quidquid anno elapso residuum esset, Superioris arbitrio permitteretur. Non poterat nescire hoc Capitulum, quanta hîc Regulæ contumelia imprimeretur; sed conducibilius & sapientiæ regulis accommodatius ducebat, immedicabile tolerare malum, quàm illud inani medendi spe exasperare. *Illud juris consilium esse perlegimus, propter vitandum malum majus, minus tolerare.*

Inter Joannis Gersonii opera occurrit Tractatus contra Canonicos Regulares proprietarios, ubi hæc Episcoporum & Capitulorum inter Regulares Generalium, vel Provincialium indulgentiora decreta proponuntur, ut infida & minimè tuta. Ita enim
*To. 1. Gers.* profitetur magna & eruditionis fama & sanctitatis
*p. 659. 660.* laude vir Gersonius, Prælatorum incuria segnitieque, qui hæc mala toleraverunt, fieri non potuisse, quin mala essent tantò detestabiliora, quòd immedicabilia evasissent. Nec posse vel Abbatum permissionem, vel Capitulorum conniventiam, indulgentiamque Canonicæ dispensationis locum & pondus obtinere: quandiu Decretum Innocentii III. fulgurabit, intonabitque in aures Monachorum, ne per ipsum quidem summum Pontificem dispensari posse, ut non teneantur Regulares strictæ paupertatis observantia, quam Deo voverunt.

X. Jam verò Concilium Tridentinum, cùm vetuisset ne Regulares bona ulla possiderent, sive mobilia, sive immobilia, etiam nomine Conventûs; pronunciat denique non posse illis à Superioribus permitti, nec usum, nec administrationem, nec commendam ullius boni stabilis; Administratores bonorũ Monasterii omnium ad beneplacitum revocabiles semper esse debere: usum denique quem permittent Superiores bonorum mobilium, respondere semper debere paupertati & modestiæ quam Mona-
chi profitentur. *Nec deinceps liceat Superioribus bona* *Sess. 25. c. 2.*
*stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem vel commendam. Administratio autem bonorum Monasteriorum, seu Conventuum ad solos Officiales eorundem, ad nutum Superiorum amovibiles pertineat. Mobilium verò usum ita Superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat: nihilque superflui in ea sit: nihil etiam quod sit necessarium, eis denegetur.*

Concilium Cameracense anni 1565. cùm cavisset ne Monachis daretur quidquam pecuniæ ad vestem cibumque: mandavit Superioribus, ut Officialibus auferrent jura & emolumenta omnia quæ usurpassent: privatis Monachis adimerent quascumque pecunias, aut ab amicis, aut à cognatis acceptas, aut propria industria quæsitas haberent, ut in com-
munes usus expenderentur. *Rescindant insuper Supe-* *Part. 18.*
*riores, & aboleant prorsus universa illa emolumenta &* *c. 10.*
*jura, quæ antiquo more quibusdam Monasteriorum Officialibus concedi solebant. Breviter omnis illa pecunia vel res, quam Monachus vel Monialis acquirere sive labore, sive industria, sive amicorum liberalitate, seu denique qualibet alia occasione possit, Superiori mox tradatur, ita ut ad nutum ejus, tanquam res communis expendatur.* Vix quisquam dubitet, quin huic Concilio illud persuasissimum fuerit, statuta hæc sua concinere in primis decreto & ingenio Concilii Tridentini.

Anno eodem ipso 1565. Concilium Mediolanen- *Can. 8.*
se I. nihilo clementius fuit in proscribenda à Monasteriis puellarum proprietate, maximè quoad dona muneraque, quæ recipi ab illis non possunt nisi per Abbatissam liceat, per quam licere nulli earum unquam debet, ut pecuniam ipsa servet. Id firma-
tum rursus est Concilio Mediolanensi IV. anno *Can. 12.*
1575.

In Concilio Mechliniensi anno 1570. damnatæ sunt pensiones vel reditus annui quicumque, tam frequentes apud Sanctimoniales: sicut & ingentes pecuniarum summæ, quas Officiales quovis obten-
tu aliquando accumulant. *Pensiones autem vitales,* *Titul. de*
*aut reditus perpetuos nulli permittantur recipere. Neque* *Regul. &*
*liceat eis ratione officiorum vel ministeriorum pecuniam* *Monial.*
*corradere, aut conservare, etiamsi in pios usus convertere velint, omnia in communes usus convertantur.*

Concilium Rotomagense anni 1581. id sibi licere voluit, ut aliquid indulgentius decerneret quàm Tridentinum. Concessit enim Superioribus, ut fundum aliquem Monacho ad vitam condonare possent, excolendum, & melioris faciendum conditionis, ita ut emolumentum id omne ad Cœnobium
rediret. *Attamen potest Superior alicui tanquam Offi-* *Tit. de Mo-*
*ciario; ad tempus aut ad vitam rem committere, cujus* *nast. c. 11.*
*conditionem faciat meliorem, & acquirat non sibi, sed* *12.*
*Monasterio.* Sed non multò post manifestissimè proditur, relaxatum id à Concilio non fuisse, nisi ex necessaria consulendi & dispensandi charitate, ne ex intempestiva curatione morbus exulceraretur. *In his exequendis & reformandis prudentia & mansuetudine opus est, ne frangamus potiùs quàm corrigamus, quæ in pravum longa consuetudine induruerunt.* Sed idem mox jubet Concilium, ut Priores, Beneficia-

rii, & Officiarii Claustrales omnes ad nutum sint revocabiles. *Hos amovibiles decet esse, sicut omnes Officiarios Claustrales.*

Concilium Burdigalense anni 1583. non probavit ad vitæ tempus Regulari commendari fundum quemcumque. Quin & pensiones etiam perpetuas forsan damnavit, cum jussit ut bona mobilia, etiam à cognatis data, Superiori deferrentur & in Monasterii converterentur communes usus. *Bona mobilia, parentum & amicorum liberalitate donata, teneantur Superiori tradere, ut in commune conferantur & conventui addicantur.* Ipsissima penè Tridentinæ Synodi verba in Conventu Mediolanensi confirmata fuere anno 1579. *Immobilia, vel mobilia bona statim Superiori tradantur, Conventuique incorporentur.*

XI. Visum est Navarro Caput *Monachi*, *De statu Monachorum* concedere peculium Regularibus, cum licentia Superiorum. Visum est etiam illi, nihil ei Capiti derogatum esse à Concilio Tridentino, vel juri communi. Sed re seriò pensitata Capite *Monachi* non conceditur peculium nisi iis qui Administrationes gerunt, ubi ad expensas & utilitates communes Monasterii ita necessum est; tunc verò peculium jam non illud est, seu bonum proprium & peculiare. Congregatio quoque ipsa Concilii hoc rejecit peculium, & Navarri sententiam exsibilavit post Concilium Tridentinum. Habuit tamen illa postea sequaces & approbatores peculii Monachorum, cum Superiorum licentia. Prolixè Fagnanus eam pertractavit quæstionem, & adversùs molles ignavosque hos Canonistas demonstravit, nihil esse in Jure communi & Decretalibus quod eis suffragetur, refragari autem vehementissimè Concilium Tridentinum.

*Fagn in l. 3. Decr. Par. 1 pag. 356. & Part. 2. p 164. 165*

Vetat enim Concilium, ne Regulares mobile quidquam vel immobile possideant, etiam concedente Abbate, & Conventûs nomine. *Possidere etiam nomine Conventûs mobilia vel immobilia:* jubet ut ea continuò omnia *Conventui incorporentur:* neque postea possit Superior permittere usum mobilium, citra superfluitatem & penuriam. Congregatio Concilii perspicuè declaravit, non posse à Superioribus permitti simplicem usum bonorum mobilium superfluorum: & tum falli ipsos, tum fallere, cùm se jactarent in his dispensare posse. Declaratum & illud ab eodem est, Si qua Monialis pensionem ad vitam sibi reservasset in usus privatos, eam pensionem Monasterio quæsitam partamque esse, & actutum deponendam in manus Abbatissæ, à qua expendi debeat primò in necessarios Monialis, inde & in Monasterii usus. *Censuit Congregatio hanc pecuniam annuam, non obstante reservatione, jam quæsitam esse Monasterio, ideoque deferendam esse recta ad manus Abbatissæ, quæ primùm prospiciat necessitatibus Monialis oratricis: & quod reliquum fuerit, in usus totius Monasterii convertat.* Colores prætextusque alii aliique his Monialium pensionibus appicti sunt, & eas tamen semper confixit sacra Congregatio, ut infestas Concilio Tridentino, & pœnis Canonicis proprietariorum obnoxias. Congregatio autem Cardinalium illa quæ negotiis Episcoporum & Regularium præposita est, nihilo segnior in hanc purioris disciplinæ partem incumbendam, unà cum Congregatione Concilii in compluribus Sanctimonialium Cœnobiis prohibuit Novitias recipi, donec in iis & vitæ communis societas omnino redintegraretur, & cujuscumque privati peculii abdicatio.

*Ibid p 170. 171. 173.*

Denique Clemens VIII. anno 1600. Decretum promulgavit, quo Concilium Tridentinum interpretari, vel aliquo etiam augere adgressus, artes omnes strophasque Regularium proprietariorum proscripsit, jussitque ut immisceretur Monasterii bonis reditibusque, quidquid singuli singulæve sibi privatim acquisissent, vel reservassent, mobilium, vel immobilium, pecuniæ vel redituum, eleemosynarum, munusculorum, salariorum tum ex concionibus, tum ex prælectionibus Scholarum, ita ut nulla usquam sit in his dispensandi facultas penes Superiores. *Bona immobilia aut mobilia, pecunia, proventus, census, &c. statim Superiori tradantur, Conventuique incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, reditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quo communis inde victus ac vestitus omnibus suppeditari possit, &c. Nulla quorumcumque Superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia vel mobilia, fratres excusare possit, quominus culpæ & pœnæ ab ejusdem Concilii decretis imposita & ipso facto incurrenda obnoxii sint, etiam si Superiores asseverent hujusmodi dispensationes aut licentias concedere posse; quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus.*

*ibid. pag. 173. 174.*

XII. Ex his sive Clementis VIII. sive Congregationis Concilii, sive Concilii ipsius Tridentini decretis responsisve, sive denique ex tot antè relatis Pontificum Decretalibus Canonibusque Conciliorum, facilè intelligitur, si Innocentius III. validam existimavit eam professionem ejus, quæ illam hac conditione circumscripserat, *ut in domo propria cum omni substantia sua remaneret:* id eo consilio factum esse, quòd ea conditio sponte sua labaret & irrita caderet, ut substantiæ ipsi professionis adversa. Ita sacra Congregatio Concilii eam commentata est Decretalem, præter sententiam complurium Canonistarum, rescissis tam sæpè pensionibus, quas sibi Moniales in profitendo servatas voluerant. Et sanè qui potuisset Innocentio III. in mentem venire, ut ne summus quidem Pontifex dispensare posset cum Monachis & Monialibus, ut propriæ aliquid rei vel pecuniæ retinerent: & posset tamen ipsis ea permitti licentia, ut quidquid sibi collibitum esset, profitendo sibi reservarent? Denique etsi quid caliginis superesset in Decretalibus, at Concilium Tridentinum eam prorsus abstersit, tam disertè prohibens Superioribus, ne quod bonum stabile dent Monachis, sive usufructu, sive commenda, sive usu simplici possidendum.

*C. Insinuante. Quod Clerici, vel voventes. Fagnan In l. 4. Decr. pag. 32.*

Si Senatusconsultis autem compluribus Regni hujus Gallicani confirmatæ sæpissimè sunt pensiones hujusmodi Monachis & Monialibus, ut videre est apud Gallicanos Scriptores, qui hacce de re agunt: Responderi primò potest, minimè mirum esse, si sæculares Judices in ea fuerint sententia, in quam tot turmatim ierant Canonistæ, præsertim ante Concilium Tridentinum. Si vel maximè perpendas animo, quàm multa in his blandimenta, ut clementiùs loquar, à Conciliis etiam quibusdam vel probata, vel tolerata fuerint. Sed satius forsan erit, illud Magistratuum Judicumque consilium spectare, quo parentes cognatosque ipsos urgebant ad pensiones ejusmodi solvendas, ut quæ merè alimentariæ essent, naturali jure fultæ: nihil imminuta Claustralium Superiorum potestate, ad eas in usus Cœnobii communes convertendas. Eo sensu his Ecclesiæ Decretis nihil adversantur illa Senatusconsulta.

*Cleri Gallic. Act. To 2. Part. 3. pag. 165. Le Prestre Centu. 1. c 64. Fevret de Abusu. l 4. c. 6. n. 16. Louet To 2. pag. 1021.*

Non paulò remissiores fuere Canonistæ in gratiam Canonicorum Regularium, qui complurimas in Hispania Cathedrales occupant Ecclesias, maximè in Catalaunia, & qui singulas sibi singuli Præ-

bendas

bendas habent. Concedunt quippe illis administrationem & usum dumtaxat eorum bonorum, dominium quippe & proprietatem vindicare sibi non possunt: at monent eos interim nisi se piaculo gravi velint obstringere adversùs paupertatis legem quam professi sunt, ut parati semper & præstò sint omnia resignare in manus & ad nutum Superioris.
Barbosa. De Dignit. & Cano. c. 1. *Canonicus qui portionem possidet, ita ut non sit animo etiam ad Superioris nutum relinquere, peccat manifestè contra votum solemne paupertatis, & tenetur dictam portionem restituere.*

---

## CAPUT XXII. *P. 4. l. 1. c. 51.*

### De Parochiis quæ Canonicis Regularibus & Monachis commendatæ sunt.

*I. Conciliorum Pontificumque statuta varia de Parochiis quæ Monachis nunc permissa, nunc prohibita sunt.*

*II. Duæ rationes, ut eis illæ committerentur, Clericorum vulgatissima aliquandiu incontinentia, & Ecclesiarum à laicis usurpatio. Duæ rationes, ut admoverentur, silentium Claustrorum & alienus à subeundo Episcopali imperio nonnunquam animus.*

*III. Variæ Pontificum Decretales ad Concilii usque Tridentini tempora.*

*IV. Varia Conciliorum Decreta circa Monachos, Parochiarum regimen affectantes.*

*V. Nil vetat quin Canonici Regulares Parochias gerant.*

*VI. Cùm super ea re controversia illis fieret, illud eis jus ab Ivone Carnutensi strenuè vindicatur, & à Conciliis. Utilia cum primis Ivonis monita.*

*VII. Canonici Regulares qui Parochias administrabant, sui secum Collegii socium habebant, & corripi destituique poterant ab Abbate suo.*

*VIII. De eodem rursus, & an Parochi Regulares ab Abbatibus revocari possint.*

*IX. Decreta Concilii Tridentini, & Pontificum ei posteriorum, circa Beneficia quæ à Regularibus geri regique possunt.*

*X. Solvuntur objectiones.*

I. IN hujus quæstionis tractationem compulit nos suprà Urbanus II. cùm tuitione Pontificia affuit Monachis, quos nonnulli, ut minimè idoneos, arcebant à Sacramentorum administratione, & ab Hierarchicis functionibus. Contrà enim nitebatur Pontifex, & paupertatis & vitæ totius Apostolicæ, qui religiosiores essent imitatores, iis vel maximè Apostolicas functiones mandari posse. Concilium Rotomagense anni 1072. Monachos Clericosque & Laïcos eodem confodiebat telo, quicumque Parochias emerent. Ergo tum Mo-
Can. 13. nachi Parochias administrabant. *Emuntur & venduntur Curæ Pastorales, scilicet Ecclesiæ Parochianæ, tam à Laicis, quàm à Clericis, insuper etiam à Monachis; quod ne amplius fiat, interdictum est.* Ita tamen posset quis hunc Canonem interpretari, ut Laïci, Monachique venderent, non emerent Parochias. Concilium verò Rotomagense anni 1074.
Can. 5. vetuit ne Parochiæ Monachis donarentur. *Ut nulli Monacho Parochia regenda committatur.* Concilium Vintoniense in Anglia anno 1076. idem prohibuit rursum: *Si quis Monachus etiam canonicè susceptus fuerit, non permittatur Ecclesiis publicè deservire.* Concilium Pictaviense anno 1078. concessit ut sacramentum Pœnitentiæ Abbates Monachique admini-
Can. 5. 6. strare possent, dum per Episcopos liceret. *Ut nullus Abbas, Monachus, vel quilibet alius pœnitentias injungat, nisi quibus proprius Episcopus hanc curam dederit.* Verùm id ad propria ipsorum restringi debet Monasteria. Nam quod ad Ecclesias Parochiales pertinet, quæ redditæ eis vel dimissæ fuere, non eis conceditur, nisi ut temporalibus gaudeant proventibus, Presbyterum autem ibi constituant, qui animarum curam gerat, & Episcopo rationes exhibeat. *Reditus beneficiaque obtineant, Presbyter tamen de Cura animarum Episcopo respondeat.* Juliobonense Can. 12. Concilium anni 1080. idem statutum innovavit, & Parocho potestatem fecit, ut cum Monachis degat alaturque, ut curet, ut Ecclesia necessariis ornamentis non destituatur: vel si nolit cum Monachis diversari, ab Abbate sufficientem accipiat pensionem; & ad eam solvendam Abbas ab Episcopo cogatur. *Quod si Presbyter cum Monachis vivere noluerit.* Præcipitur denique ut eidem statuto se accommodent Ecclesiæ Canonicorum. Concilio Pictaviensi anno 1100. prohibitæ sunt Monachis functiones omnes parochiales. *Ut nullus Monachorum Parochiale ministerium Presbyterorum, id est, baptizare, prædicare, pœnitentiam dare, præsumat.*

II. His exemplis patet, non illum viguisse in Ecclesia usum, ut Monachi Parochias regerent, quamvis duo essent eo ævo, quæ ad eos eis illigandos magni essent omnino momenti. 1. Cùm Parochi in abruptam quandam incontinentiæ voraginem tunc præcipites iissent: consentaneum omnino videbatur, ut in eorum vicem subrogarentur Monachi. 2. Cùm Laïci qui Ecclesias invaserant, & earum bona omnia, in illo fragore concidentis Imperii Carolinæ familiæ, inciperent jam ea Monachis restituere velle, vociferari res ipsa videbatur, Monachis maximè ipsis Parochias istas committi debere regendas. Quos modò laudavi Canones, ii inter has rerum temporumque commissuras conditi fuere. Et tamen constantissimè Episcopi antiquam Ecclesiæ disciplinam retinuêre, ut ne Monachos Parochiarum gubernaculis admoverent.

Non recedit igitur à vero, Episcopos duo quædam alia alienasse à Parochiarum cura Monachis committenda. 1. Dissonantiam nescio quam inter primarias Parochorum, Monachorumque curas & functiones. Potest enim Monasticæ Regularitati conciliari status & vita Canonicorum: at silentium & secessus Monachorum non facilè unquam consentiet & cohærebit cum strepitu quodam negotiosæ Parochorum charitatis. 2. Libertatem eam Episcopalis jurisdictionis impatientem, qua tunc temporis delectabantur Monachi, & quam curabant Apostolicis muniri privilegiis. Certè ea semper lex ab Episcopis præscripta fuit, cùm passi sunt Monachis Parochias à Laïcis dari: ut Abbas Episcopo sæcularem Presbyterum præsentaret, qui regeret Ecclesiam, Episcopoque obnoxius prorsus esset.

III. In Concilio Lateranensi I. anni 1122. Callistus II. Monachis interdixit Parochialibus muniis omnibus. *Interdicimus Abbatibus & Monachis publicas pœnitentias dare, & infirmos visitare, & unctiones facere, & Missas publicas cantare.* Alexander Papa III. duplicis generis Ecclesias distinguit, alias quæ pleno jure ad Monachos pertineant; alias verò quæ eorum sint etiam, sed non adeo stricto jure. Et in his tantùm postremis jussit illos in Concilio Lateranensi III. anni 1179. Episcopo præsentare Presbyteros, qui ei de animarum cura responderent: *In Ecclesiis suis quæ ad eos pleno jure non perti-* Can. 9. 10. *nent, instituendos Presbyteros, Episcopis præsentent, ut* C. Monachi. *eis de plebis cura respondeant.* Et in proximo Cano- De statu Monast. *ne: Monachi non singuli per villas & oppida, seu ad* C. Quod *quascumque Parochiales ponantur Ecclesias, sed in ma-* Dei timo- *jori Conventu, aut cum aliquibus fratribus maneant.* In- rem. ibid. nocentius III. citato hoc Canone Lateranensis Concilii, perantiquos Canones pronunciat licen-

tiam factam esse Monachis, ut Parochias administrarent, propter Verbi prædicationem, cui meritò privilegia quælibet annuuntur, & qua ipsi cæteris præcellebant. *Et per antiquos Canones etiam Monachi possunt ad Ecclesiarum Parochialium regimen in Presbyteros ordinari, ex quo debent prædicationis officium, quod privilegium est exercere.* Suprà non Parochos tantùm, sed & Episcopos vidimus ex Monachis ordinatos, unius contemplatione Verbi divini, quod illi gnaviter circumjacentibus Ethnicis annunciabant.

Ex his Alexandri III. & Innocentii III. Decretalibus, secessio facta est Canonistarum in duas pugnantes sententias. Alii enim contendunt, non posse Monachos Parochiali Ecclesia onerari sine dispensatione Papæ, cujus solius est veniam facere Concilii Lateranensis, quo id prohibetur. Alii autem ex eodem ipso Canone Concilii Lateranensis argumentantur, dummodo gregalis & socius aliquis adhæreseat Monacho, posse eum ab Episcopo & Abbate suo præfici Ecclesiæ Parochiali. Quæ postrema sententia multò sanè magis consonat horum Pontificum Decretis. Verùm id intelligitur de Parochiis à Monasterio sejunctis. Nam si Parochia sit in ipsa Ecclesia Monasterii; clarissimè ab Urbano III. definitum est, Presbyterum sæcularem ab Abbate Episcopo præsentari debere, ut ab eo instituatur, ab illo pendeat, uno ab illo corripi destituique

C In Ecclesiis. De Capellis Monachorum. possit. *In Ecclesiis ubi Monachi habitant, populus per Monachum non regatur; sed Capellanus qui populum regat, ab Episcopo per consilium Monachorum instituatur, ita ut ex solius Episcopi arbitrio, tam ordinatio ejus, quàm dispositio & totius vitæ pendeat conversatio.* Anno 1254. Abbas sancti Audoëni Rotomagensis ab Urbano IV. privilegium impetravit, ut à Monacho regi & administrari posset Parochia, quæ sui ipsius in Monasterii Ecclesia erat.

IV. Ea fuit Disciplina, id jus usque ad Concilium Tridentinum. Expostulat Stephanus Tornacensis Episcopus cum Monachis sancti Bertini, qui unam ex Parochiis suis regebant, vel per Vicarios annuos & conductitios, vel per seipsos, quòd à

Epist. 100. se prohibitum esset, juxta Canones: *Per seipsos quod sacris Canonibus prohibitum est, Parochialia ministrant.* Concilium Campiniacense anni 1238. anathema interminatur Monachis, si in Parochiarum administrationem se interponant, nisi si qua urgeat necessitas, permittat autem Episcopus Abbasque.

Can. 29. *Nisi in necessitate, cum Abbatis & ipsius Diœcesani licentia.* Idem sancit Concilium Turonense anni 1239.

Can. 13. *Ne Monachi in Ecclesiis Parochialibus deserviant, nisi ab Episcopo in casibus permissis curam receperint animarum.* Synodus Nemausensis anno 1284. eadem omnia confirmavit Decreta. Concilium Coloniense anni 1423. anathemate perculit Parochos, & Vicarios, qui Ecclesiarum suarum regimen mandarent Monachis Mendicantibus, vel non Mendicantibus, si ad manum sint alii, quibus illud commit-

Can. 7. tant. *Modo alter idoneus commode haberi poterit, dolo*

Cap. 12. *& fraude seclusis.* Constitutiones Campegii Cardinalis ad Germanicarum Ecclesiarum Disciplinæ emendationem, Monachos & ipsæ etiam exemptos abegere ab administratione Parochiarum, nisi

Can. 13 urgeat necessitas. Concessere tamen à Monachis regi Ecclesias Monasteriis unitas, & tam propinquas, ut qui eis præest Monachus in Monasterio degere, & Regularem disciplinam observare possit. *Ecclesiæ tamen suis Monasteriis unitæ, usque adeo propinquæ, quod Religiosi earumdem curam habituri, in Monasterio sub debitaque obedientia stare possint, modo sint habiles & idonei, per hujusmodi Religiosos provideri possint.* Ulterius denique aliquid indultum est Monasteriis, quæ necessariis vitæ subsidiis destituta sunt; dummodo Monachus Parochiæ Præfectus Episcopo subesse omnino assentiatur. *Id quoque permittimus de Monasterio, quod tam tenue est, ut debitam sustentationem habere nequeat, volentes Religiosos qualitercumque exemptos, Curata Beneficia habentes, Ordinario loci esse subjectos.*

Concilium Coloniense anni 1536. voluit, ut Pa- Par. 4. c. 18.
rochiæ Monasteriis unitæ à Presbyteris sæcularibus regerentur: nec tacuit tamen non ferendæ inclementiæ fore, si Parochiæ Parochus Monachus negaretur, cujus eximia esset doctrina, & pietas singularis. *Non tamen tam duri hic erimus, quominus interdum viros Monasticos quos Regulari vitæ exemplo, & doctrinæ salutaris disseminatione insignes comperiemus, apud Ecclesias Parochiales relicturi & confirmaturi simus.* Treverense Concilium anno 1549. permisit Can. 12.
eas Monachis Parochias, quæ & unitæ sunt Monasterio, & tam vicinæ, ut & inter Monachos quoque suos versari & communem vitam agere possint.

V. Ad Canonicos Regulares venio. Ac primùm Abbati Suessionensi ab Urbano II. concessum est, ut Parochias Abbatiæ suæ obnoxias Canonicis suis conferret, dum ne quid de jure Episcopi deteretur. *Præsentium literarum authoritate concedimus,* Epist. 18.
*ut in Parochianis Ecclesiis, quæ ad vestrum Monasterium pertinent, Regulares vobis liceat claustri vestri Clericos ordinare, qui Ecclesiis ipsis serviant, & populi adjacentis Parochiam, salvo Episcopi jure debito, sollicitè procurare non negligant.* Nova tunc fuisse videtur ea concessio. Si enim vetustus is fuisset usus, aut arbitrarius, non adisset Pontificem Abbas ut ea potestate donaretur; aut non rogasset saltem nisi ut suum sibi confirmaretur jus. In promptu est autem causa novitatis. Nempè novitas tum ipsa Canonicorum Regularium instituti.

Verùm non multò pòst quæ singularis fuerat gratia, ad omnes propagata est Canonicos Regulares. Etenim anno 1100. Concilium Pictaviense, cui præerant Legati Paschalis II. qui Urbano II. successerat, Canonicis omnibus Regularibus copiam fecit, ut Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ administrarent, Verbum Dei prædicarent, mortuos mandarent sepulturæ, quæ munia sunt Parochorum. *Ut Clericis Regularibus jussu Episcopi sui, baptizare,* Can. 10.
*prædicare, pœnitentiam dare, mortuos sepelire liceat.* Canone proximè sequenti earum functionum fores Monachis occluduntur, *Parochiale ministerium Presbyterorum:* Quo latum Canonicis Monachisque discrimen interponitur.

Vexata eo tempore fuerat ea quæstio, & magna hinc & inde animorum contentione excussa, An administratio Parochiarum Canonicis Regularibus permittenda esset. Ivonem Carnotensem Episcopum percunctati sunt Canonici quidam Aurelianenses: quibus responsum ab eo est, ut ex ejus clarescit Epistola ad Episcopum Aurelianensem: Exordio Ecclesiæ non creditam fuisse Ecclesiarum & animarum curam, nisi Clericis communis vitæ societate devinctis. *In primitiva Ecclesia nullus constitutus est* Epist. 215.
*Rector animarum, nisi de communi vita assumptus.* Quod constat de eo nimirum tempore, quo Apostoli & fideles omnes referente Luca communi mensa ciboque utebantur. Addit Ivo & Decretales alias antiquas ex quibus infert Clericos debere communem vitam amplecti. *Hæ sententiæ Apostolicæ nullum Cle-*

*ricum à communi vita excipiunt, nec civilis, nec suburbana Ecclesia Presbyterum.* Ex quibus tandem id ille efficit, non posse sanctiùs tutiùsque committi animarum curam, quàm iis qui sæculi ludibria opesque vanas fugitantes, unam sibi æternitatis & charitatis curam posthac cordi fore solenniter professi sunt. Sed tanti momenti sarcinam credi non debere, nisi iis quorum sanctitas & doctrina eminentior sit, nec nisi ab Episcopo credi, ac committi debere. *Nemo rectius custos præponitur vitæ alienæ, quàm qui priùs custos est factus vitæ suæ. &c. Non tamen ad hoc officium alii assumendi sunt, nisi quos vita & doctrina commendat; & Episcopalis authoritas ad hoc agendum idoneos probat.*

Epist. 93. Eadem de re & in eandem sententiam scripsit Ivo ad Congregationem Canonicorum Regularium in Lemovicibus; admonens non posse ab eis regimen Parochiarum demandari, nisi illis sui cœtûs Canonicis, qui singularia diu sapientiæ, pietatisque documenta edidissent, invictæque constantiæ adversùs sæculi blanditias & terrores, quibus illos rursum objicit administratio Parochiæ. *Si qui ergo sunt in Collegio vestro viri prudentes & maturi, & igne tentationum examinati, quibus hoc onus imponi videris, eos ante præsentiam Episcopi, ut ab eo Curas animarum suscipiant, &c.*

Quod hic secundo loco submonet Ivo, ut Episcopo sistant ex Collegio suo eos, quos Parochus destinant; conjectandi nobis dare locum videtur, non alia magis de causa Episcopum Lemovicensem Constitutione Synodali Canonicis Regularibus regimine Parochiarum interdixisse, quàm ob excussum ab eis obedientiæ Episcopalis jugum. Scitissimè autem Ivo in eadem Epistola censet Episcopum illum multò præclariùs de Ecclesia bene meriturum fuisse, si sæculares omnes Clericos ad Regularem pellexisset vitam, quàm excludendis à Cleri functionibus Canonicis Regularibus. *Qui rectius fecisset si omnes Sacerdotes ad regularem vitam invitasset, quam regulariter viventes à Dominicarum ovium custodia penitus removisset.*

Sed eò tandem revolvitur Ivonis oratio, ut certissimum esse debeat Canonicis Regularibus, specie tenus ex ea repulsa aliquid aspergi sibi ignominiæ, at reapse salubertimam & conducibilem eam ipsis esse, atque adeo congratulandam. Quid enim vel optatius esse potest, vel compendiosius, quàm aliorum salutis cura non gravari, suæ totos incumbere? *Vos enim eo per viam Dei expeditius inceditis, si alienorum criminum deprimentes fasciculos cum quotidianis vestrorum excessuum lapsibus non portetis.*

Istiusmodi ergo contentionibus sedandis adlaboratum est in Concilio Pictaviensi, de quo paulò antè. Ergo constitutum ibi est, ut nonnisi Episcopi authoritate Canonici Regulares in Parochiis collocarentur. Id verò Canonicorum Regularium jus ad regendas Parochias, quàm inconcussum staret, & quàm constanter illos à Monachis discerneret, luculentè prorsus aperit Petrus Blesensis his verbis.
Serm 36. *Cænobitæ quos Monachos appellamus, ne alter alterius onere premeretur, singularem quisque sui custodiam elegerunt. Inde est quod nec baptizare, nec aliis prædicare, nec pœnitentias injungere eis licet. Vos autem imitatores Apostolorum multitudinis, quorum cor est unum, & anima una, vobis & aliis providere potestis & debetis.*

VII. Stephanus Abbas sanctæ Genuvefæ & postea Episcopus Tornacensis, ab Episcopo Carnotensi exonerari flagitavit exactionibus quibusdam novis, unam ex Parochiis suis, quam Canonici Regulares duo administrabant. *In qua duo Canonici Re-* Epist. 136.
*gulares curam Parochiæ gerentes, Deo serviunt.* Hinc colligitur moris fuisse, ut duo saltem Parochiam regerent Canonici, ne unius fervor tepesceret, & ne qua alia ut solet ex solitudine macula infamiaque posset inuri.

Sed aliud est ponderis multò majoris, quod idem nobis Abbas suggerit. Nempè in Epistola ad sum- Epist. 179.
mum Pontificem, quem enixissimè rogat, ut ne veterem sinat abolescere consuetudinem, ut Canonici Regulares, possint ab Abbate & eripi, & revocari in Monasterium, quum ita expedire Abbas existimarit. *Verum perhibemus testimonium, quod ab exordio nostri Ordinis, Parochiales Canonicos nostros, in Episcopatibus in quibus sunt, liberè & absque contradictione, pro necessitate vel utilitate Ecclesiarum nostrarum, vel pro suarum correptione culparum consuevimus amovere, & in Claustrum reducere, & quoties res urgebat, excommunicare.* His querelis ansam præbuerat quorundam contumacia Regularium Parochorum, qui per cuniculos irrepserant in animum Episcupi Suessionensis, ejusque Patrocinio muniti, & conjunctionem eam venditantes indivulsam, qua Parochi Episcopo suo conglutinari debent, jam nec pœnas errorum luere, nec per Abbates suos poterant Parochiis abdicari. Id verò in perniciem cedere videbatur Canonicorum Regularium Ordinis, cujus jam tot erant capita, quot Parochi Abbati nihil jam obnoxii. *Si pestis ista convaluerit, perit ordo Canonicus, pereunt & sanctorum Patrum regularia instituta, solvuntur fines, & funes obedientiæ, & erunt Collegiis nostris tot Abbates, quot Presbyteri Parochiales.*

VIII. Innocentius III. in Decretali certè illa, quæ suprà jam allegata est, Parochiales Ecclesias à Canonicis Regularibus docet ille quidem gubernari posse, dummodo suimet Ordinis socium habeant, qui & solatio sit & testimonio, subsidioque ad Regulæ observantiam. *Ut exercens Plebani officium si* C. Quod
*commodè fieri poterit, unum Canonicum Regularem tecum habeas ad cautelam; cujus in his quæ Dei sunt & regularis observantia, tam consortio, quam solatio perfruaris.* Dei timorem. De statu Monach. Sed non definit, an Abbatis illa semper futura sit potestas, ut eos revocare possit, vel ad ipsorum emendationem, vel ad majora Abbatiæ emolumenta.

Nodum illum extricavit Urbanus III. in Ecclesiis ipsis Monachorum, ubi jubet Presbyterum sæcularem offerri Episcopo, cujus onius erit illum & instituere & destituere. *Ita ut ex solius Episcopi arbi-* C. Ecclesia.
*trio, tam ordinatio ejus quàm dispositio, & totius vitæ* De Capell.
*pendeat conversatio.* Monach.

Sed illud non spectat nisi ad sæculares Parochus in Ecclesiis Monasteriorum. Quod plurimum distat à Parochis Regularibus in Ecclesiis, quæ Abbatiæ obnoxiæ, vel ne obnoxiæ quidem sunt. De hac enim altera specie agebat Innocentius III. in Decretali illa sua *Quod Dei timorem.* Anno 1279. Provinciæ Rotomagensis Episcupi ad Concilium Pont-Audemarense congregati, medium tenuere quasi tramitem, quo temperari & concordare videbantur Episcopi & Abbatis jura in istiusmodi jurgiis. Nimirum ut ne Regulares ab Abbate præsentatos institueret Episcopus, nisi accuratè examinatos, & pollicente atque in se recipiente Abbate, non revocatum unquam iri, nisi consentiente Episcopo: denique si ultra dies quadraginta vacuam sineret Parochiam Abbas, ea ab Episcopo sæcularis Presbyter

Con. 24 investiretur. *Quodque eorum Prælati, postquam ipsi ab Episcopo recepti fuerint ad curam animarum, eos sine conscientia Episcoporum suorum ab eis non valeant amovere, &c.* Ita verè constabat Abbatis nutu & voluntate revocabiles esse hos Parochos; at pacisci Episcopum cum Abbate, ut ne unquam dissentiente se eo jure uteretur.

IX. Jure autem novissimo post Concilium Tridentinum eadem Canonici Regulares gaudent licentia obtinendi Parochias, cùm eo illos non exuerit Tridentina Synodus, nisi cum ab uno Ordine in alium transilierunt. Ex ea enim inconstantia & levitate jure reformidatur, ne libertatis potiùs libidine agantur, quàm suæ alienæve salutis charitate. Itaque justæ hinc emersere causæ sæcularibus illos arcendi Beneficiis, nam Regularia Regularibus à Concilio semper permittuntur. *Taliter translatus, etiamsi Canonicorum Regularium fuerit, ad Beneficia sæcularia etiam curata, omnino incapax existat.* Hoc ergo Concilii testimonio liquidum fit, excepto hoc instabilitatis casu, Canonicos Regulares posse semper Parochiis sæcularibus donari, non Regularibus tantùm, hoc est, Ordini unitis.

Sess. 24. c. 10. 11.

Sess. 7. c. 7. Si Concilium autem alibi potestatem facit Episcopis instituendi Vicarios perpetuos in Parochiis quæ Ecclesiis Collegialibus unitæ sunt; huic decreto derogavit Pius V. ea Bulla quæ Canonicis Regularibus & Mendicantibus permittit, ut suo ex Collegio ad has Parochias deligant Vicarios amovibiles, quos ab Episcopo approbari faciant. Fatentur quidem eam postea Bullam revocatam fuisse ad normam Concilii Tridentini. Sed cùm anno 1595. Cardinalis Borromæus Vicarium sæcularem perpetuum in id genus Ecclesia constituisset pro Regulari: interpellatus est nomine & verbis Pontificis, ut Vicarium Regularem restitueret, & amovibilem, si idoneus quis posset occurrere.

Fagnan. in l. 3. Decret. Part. 2. pag. 187.

Anno verò 1581. Gregorius XIII. Constitutionem publicavit, qua Regularibus prohibet, ne interponant se in sæcularium Parochiarum regimen, etiam ad tempus, etiam cum Generalis sui licentia, nisi ex dispensatione Sedis Apostolicæ. Flagitavere Canonici Regulares absolvi se ab hujus Constitutionis observantia, & repulsam passi sunt. Hinc declaratum est à Congregatione Concilii, non posse ab Episcopis præfici Regulares Parochiis sine dispensatione Sedis Apostolicæ, quæ concedi non deberet, nisi vehementer instante & urgente Episcopo ob Ecclesiæ suæ necessitates. *Quæ dispensatio non videtur concedenda, nisi instante Episcopo, pro necessitate vel utilitate Ecclesiæ.*

Ibidem.

Multò minùs idonei sunt Regulares ad sæcularia Beneficia non Curata, utpote ad Canonicatus, & ad Beneficia simplicia. Jam prælibata ratio est, nempe quòd eis lubentiùs concessæ sint Parochiæ, ob verbi divini prædicationem, ad quam semper instructiores expeditioresque sunt. Cæterùm antiquo etiam jure sæcularibus Beneficiis arcebantur Regulares. Admovendæ hîc antes Alexandro III. pronuntiantis disertissimè, retineri ea ab illis non posse, ne voto injuriam faciant, & proprietarii evadant. *Nec amplius in Ecclesiis sæcularibus debent assumi, ne contra votum, quod Domino fecerunt, venire probentur.*

C. Super eo. De Regular.

Ideo & sacra Congregatio semel assensa, ut urgente necessitate, & dispensante Papa, Monachus Parochiæ præponeretur: confestim statuit, ut subductis Parochi alimentis, quidquid redituum superesset, necessitatibus Ecclesiæ & pauperibus erogaretur. Consulente ipsa Congregatione Concilii, Gregorius XIII. respondit anno 1578. etiam Canonicum Regularem interdici Beneficiis simplicibus: quòd etsi ea de re siluisset Concilium, non sileret jus antiquum, quo id vetatur. Quæ hîc porro disputata sunt, ea nihil pertinent ad Ecclesias & Parochias novi Orbis, ubi Pius V. flagitante anno 1567. Hispaniarum Rege, concessit ut Monachi Curas administrarent, cùm penuria sæcularium Presbyterorum is ibi usus jam & necessarius esset, & perantiquus.

Fagn. Ibid.

Bullarii. Tom. 2.

X. Decretalis *In Ecclesiis*, *De Capellis Monachorum*, non patiebatur ut Monachi Parochi essent in Ecclesia ipsa Monasterii; sed sæcularis Presbyter Parochiæ præficiendus erat. Jam Canonistæ observaverant hoc statutum in desuetudinem abiisse. Ideo & Concilium Tridentinum pro certo habens ex more jam recepto Regularem ejusmodi Parochia investitum esse, absolutè cum Episcopali jurisdictioni subjicit in cura animarum gerenda & in administratione Sacramentorum.

Fagn. ibid. Pag. 221. Conc. Trid. Sess. 25. c. 11.

Non expedita ratio est, cur Decretalium jure permitteretur Regularibus Parochiæ sæculares extra Monasteria administrandæ, ipsa verò Monasterii Parochia non permitterentur. Et non immeritò tamen videri potest, ita statutum fuisse, non posse Regularem tam sæpè Monasterio egredi ad Parochianos suos invisendos, juvandosque, quin regularitati, silentio & solitudini obstrepat Monasterii. Sed ubi justa & canonica de causa extra Monasterium diversatur, jam offendiculo nemini esse potest, si Parochiam frequens perlustret.

Denique Concilium Turonense anni 1583. Mendicantes Monachos monuit, quantumvis ex dispensatione Papæ præficiantur alicui Parochiæ ob penuriam Clericorum sæcularium: nihilominus eos votis suis obligari, & nec priorem aut vestem, aut Tonsuram posse abjicere.

Can. 26.

## De Monasteriorum Disciplina & Regulis.

### CAPUT XXIII. *P. 1. L. 1. c. 49.*

### Disciplina Monasteriorum, de Lauris, de Cellis, de Superioribus generalibus per quinque priora sæcula.

*I. Optat Hieronymus, ut Monastica disciplina Ecclesiasticam imitetur.*

*II. Erant in Monasteriis Superiores, Superiores subalterni, Decani.*

*III. Ex Hieronymo tria genera Monachorum.*

*IV. Ex Cassiano quatuor genera Monachorum. Ad fastigia perfectionis Anachoretarum non venitur, nisi per gradus vitæ Cœnobiticæ.*

*V. Lauræ Cellulæ erant sejunctæ, Monasterio circumpositæ. Quantum præsidii esset ad communem fidelium salutem in his Solitariis.*

*VI. Erant & Lauræ sine Monasterio.*

*VII. De Cellulis separatis, quæ postrema hac etiam ætate damnata sunt.*

*VIII. Concilium Venetum eas damnat.*

*IX. Cur Abbas unus plura habere Monasteria prohibetur.*

*X. De Generalibus Monachorum.*

*XI. Cur Episcopis suspecti non essent.*

*XII. Aliæ probationes, fuisse Monasticas Congregationes sub Abbate uno.*

I. EA altè insederat Hieronymo sententia, Monasticam Disciplinam Ecclesiasticæ ab

exordio accommodatam fuisse, ut origini, & formæ suæ primævæ; nec enim potuisse filios Ecclesiæ sapientissimos & virtute præstantissimos non ad optimæ parentis voluntatem & mores sese conformare. Hinc eidem Hieronymo statum illud fixumque fuit, Cœnobitarum Regulam, qui communem agitant vitam sub unius imperio & obedientia Superioris, longè tutissimam & absolutissimam esse, ut quæ propiùs absit ab Ecclesiæ disciplina, quam sempiterna Christus sapientia & incorruptibilis sanctitas finxit ipse & elimavit. *Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur. Huc tendit oratio, ut doceam, te non tuo arbitrio dimittendum, sed vivere debere in Monasterio sub unius disciplina Patris, consortioque multorum. Præpositum Monasterii timeas ut Dominum, diligas ut Patrem.*

*Ad Rustic. Mona. De vivend. forma.*

II. His ergo Monachis communis vitæ contubernio devinctis suus erat Præpositus, à quo regerentur. Sed cùm numero quandoque essent permagno & penè incredibili, erant Præposito adjuncti Decani, Centuriones, aliique Subsidiarii, qui eos utcumque sub onere fatiscentes levarent. Unde Hieronymus: *Prima apud eos confœderatio est obedire Majoribus, & quidquid jusserint facere. Divisi sunt per Decurias, atque Centurias; ita ut novem hominibus decimus præsit, & rursus decem Præpositos sub se centesimus habeat. Manent separati, sed junctis cellulis.* Quæ Superiorum aliorum aliis imperitantium & obsequentium Ecclesiasticæ Politiæ luculenta adumbratio est.

*Ad Eustoch. De virgin. servanda.*

III. Verùm eodem loco subjicit Hieronymus, præter Cœnobitas istos, duas fuisse alias Monachorum Classes. Alii arida & impervia soli incolebant loca, & Anachoretæ vocabantur. Hoc enimvero præ se fert locis compluribus sanctus Pater, eam fuisse perfectionis summam; sed eò eluctandum esse per vitæ cœnobiticæ quasi gradus quosdam & per illas quæ in communis vitæ Palæstra & comparantur, & corroborantur virtutes. Postremi denique ii erant, qui apud Ægyptios *Remoboth* appellitabantur, omnium tepidissimi, qui bini scilicet, ternique, vel paulò plures secedebant, nulli Regulæ, nulli Præposito subjecti, portionem tantùm lucri ex opere manuum emergentis in commune ærarium deponentes, ut una mensa vesci possent. Porro ex illa Præpositorum quibus morigerarentur penuria, nulla non paulatim vitia scatebant. *Hi bini, vel terni, nec multo plures simul habitant, suo arbitratu ac ditione viventes: Et de eo quod laboraverint, in medio partes conferunt, ut habeant alimenta communia. Habitant autem quamplurimi in urbibus & castellis; & quasi ars sit sancta, non vita, quidquid vendiderint, majoris est pretii. Inter hos sæpe sunt jurgia, &c.* Postremæ hujus Classis vitia & labem observasse juvat, quòd nostra etiam hac ætate ejus quasdam quasi reliquias conterere necesse fuerit.

IV. Tria hæc Monachorum genera delineavit & Cassianus: utque duo priora summis justissimisque exornavit laudibus, ita in postremum vehementissimè, nec iniquè destomachatus est. Ait in Ægypto eos *Sarabaitas* appellari, quòd nulli subesse se velle palam profiterentur, suisque propriis in ædibus singulos versari; vel binos ternosque in Cellulis conglutinari, quibus ipsi quidem Monasteriorum nomen affingebant. *Districtionem cœnobii declinantes, bini vel terni in Cellulis commorantur, non contenti Abbatis cura atque imperio gubernari, sed hoc præcipuè procurantes, ut absoluti à seniorum jugo, exercendi voluntates suas, vel quo placuerit evagandi, agendive quod libitum fuerit, habeant libertatem, &c.* Et ibidem: *Aut in suis domiciliis sub privilegio hujus nominis iisdem obstricti occupationibus perseverant, aut construentes sibi cellulas, easque Monasteria nuncupantes, suo in eis jure ac libertate consistunt, &c.* Addit & quartum genus Cassianus, quod ipsum idem erat ac secundum, sed adulteratum. Anachoretæ erant, qui inde ordiebantur, ubi desinendum fuerat; & in abstrusas antè abdebant se solitudines, quàm in Monasteriorum disciplina Regulari tyrocinium posuissent, & indomitas perdomuissent cupiditates; ex quo illud nascebatur, ut solitudine regerentur magis vitia ac priores libidines, quàm sanarentur. *Porro virtutes non occultatione vitiorum, sed expugnatione pariuntur.* Consultiùs utique Paulus Abbas illa sanctissimus, cùm triginta primùm annos in Cœnobio strenuam navasset operam in debellandis cupiditatibus, atque inde secessisset in solitudinem, annosque ibi viginti commoratus esset, in societatem rursus vitæ communis se retulit; necdum satis edomitas ratus pravas animæ suæ concupiscentias; nec eas elidi prorsus posse nisi in religiosorum hominum contubernio & congressu; denique tutissimum esse persuasus, humiliori potiùs acquiescere gradui, quàm non sine periculo in culmen sublimius eniti. *Minus est de præsumpta sublimioris professionis difficultate periculum. Melius enim est devotum in minoribus, quàm indevotum in majoribus professionibus inveniri.* Ea denique Cassiani doctrinæ summa est, omnibus perfectionis æmulatoribus certandum esse, ut duplicis hujus generis virtutes ac dotes omni studio sibi comparent, Cœnobitarum, & Anachoretarum. In eam semitam ingressi sunt Macarius, Paphnutius, Moïses, & tot alii, qui contemplationem actione, actionem contemplatione pulcherrimè interpunxerunt: nunc immersi in delitias solitudinis & jugis cum Deo colloquii, nunc inde emergentes, ut se totos charitati & provehendæ proximorum saluti impenderent. *Is verò non ex parte perfectus est, qui & in Eremo squallorem solitudinis, & in Cœnobio infirmitates fratrum æquali magnanimitate sustentat.*

*Collat. 18. c. 7.*

*Ibid. c. 8.*

*Collat. 19. c. 2. 3.*

*Ibid. c. 9.*

V. Eo utique consilio Lauras & Monasteria eodem loco excitavere: ut perfectioribus quibusque cederent Lauræ, quæ cellulæ erant, aliæ ab aliis sejunctæ: juniores autem in Monasteriis instituerentur, ut in omnium gymnasiis virtutum, immoderatas animi frangere & elidere cupiditates: denique ut Anachoretæ ipsi alternatim in Monasteria reduces, possent illum assequi perfectionis apicem, qui ex utriusque instituti copula exurgit. Id genus fuit Monasterium incomparabilis viri Gerasimi Abbatis, cui conjuncta erat Laura septuaginta cellarum, cujus delineatio hæc transmissa nobis est ab antiquissimo Scriptore vitæ beati Euthymii Abbatis. *Hic ergo magnus Gerasimus, qui Jordanis solitudinis civis fuit, simul & Patronus, cùm maximam illic Lauram, quæ non pauciores quàm septuaginta Anachoretas habebat, construxisset, & præterea Cœnobium in medio ejus optimè collocasset; curabat, ut qui introducebantur quidem Monachi, manerent in Cœnobio, & vitam Monasticam exercerent. Qui autem crebris & longis se laboribus exercuerant, & ad perfectionis mensuras jam pervenerant, eos in iis, quæ vocantur, cellis, collocans, sub hac jubebat vivere regula, ut quinque dies hebdomadæ unusquisque in sua cella sileret, nihil gustans quod esset esculentum, nisi panem & aquam & dactylos: Sabatho autem & Dominica venientes in Ecclesiam,*

*Surius die 20. Januar. Cap. 37.*

*ciem participarint sanctificata, cœlo uterentur in Cœnobio, & sumerent parum viai.*

Horum Augustinus Apologiam texuit sanctissimorum Anachoretarum, adversùs inconsideratos quosdam obtrectatores, qui nihil ea eis præsidii, nihil utilitatis Ecclesiæ accedere existimabant, nec perpendebant, eorum precibus & exemplis tanquam inexpugnabili munimento vallari Ecclesiam, & victoriæ suæ de prophanis omnibus sectis trophæa hæc habere splendidissima. Unde & eos ostentat sanctus Pater retundendæ Manichæorum jactantiæ, qui non poterant nisi inanibus inflari virtutum umbris. *Videntur nonnullis res humanas plusquam oportet deseruisse, non intelligentibus quantum nobis eorum animus in orationibus prosit, & vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur.* Quæ responsio aliquantò etiam validior est adversùs eos, qui inutilitatis insimulant Monachos, Monachorumque Congregationes eas, qui consulere proximorum saluti & adlaborare non videntur: cùm eorum tamen precibus, & exemplis, & eleemosynis mirum quantum adjuventur fideles, & excitentur, & inflammescant ad æternitatis amorem. Unde illud quoque Ruffini dictum: *Ut dubitari non debeat ipsorum meritis adhuc stare mundum.*

*August. De morib. Eccl. Cath. l. 1. c. 31.*

*Ruffin. Prolog. in l. 2. De vitis Patrum.*

VI. Ex erant artes pulchinæ, ea ingenia Anachoretarum, ut virtutes eas inter se diversissimas copularent, quæ copulari non posse ferè videbantur. Non semper Lauris adhærescebat Monasterium: sed inconvulsa illa stabat pietatis regula, antè in Monasteriis ponenda fuisse rudimenta omnium virtutum, & longo usu confirmanda ibidem, quàm Cellulis quisquam Laurisque se obtruderet. Euthymius ipse Lauram extruxerat cum Cellulis quinquaginta, totidem Monachis quæ usui essent, ubi & cœlestis atque immortalis Agnus quotidie incruentè immolabatur. *Cœpit prospera & fœlix esse Laura, & ejus amplificari multitudo, & deductus est Fratrum numerus ad quinquaginta, & unicuique eorum fuit ædificata cella, & quotidie sacra peragebantur Mysteria.* Euthymium adiit S. bas in ipso adolescentiæ flore; & quanquam animo præsagus Euthymius videret, quàm fortiter & fœliciter Sabas aliquando ad Monasticæ perfectionis culmen grassaturus esset, illum tamen pro more ad Monasterium misit. Lapsu temporis plurium & Monasteriorum & Laurarum conditor & parens fuit Sabas, nec tamen patere cuiquam voluit Lauras, nisi in Monasteriis diutissimè exercitato. *Nulli imberbi licebat omnino Lauram ingredi. Cùm autem vidisset hic divinus Pater eum qui renunciaverat, & regulam Monasticæ institutionis didicisse, & rectè mentem suam posse custodire & à mente sua expulisse omnem rerum mundanarum memoriam, ei præbebat Cellam in Laura, si corpus haberet infirmum. Si verò esset fortis & robustus, ei jubebat cellam ædificare.* Quæ Monasteriorum consuetudines essent & asperitates, ab Hieronymo animadversum est Libro 1. adversùs Jovinianum: *Sordidam tunicam, nudos pedes, cibarium panem, aqua potum.* Et Libro 2. *Tunc pexa tunica & nigra subucula vestiebaris, sordidatus & pallidus, & callosam opere gestitans manum. Nudo eras pede.* Augustinus universim de Monachis pronunciat, *Non solum à carnibus & vino abstineat, &c.*

*Ibid. c. 32*

*Surius die 5. Decemb. in vita S. Saba. c. 9. 36. 91.*

VII. Minimè arduum est dijudicare, ad quam harum Classium propiùs accedant Monasteria, Abbatiæ, Prioratus, aliaque horum nostrorum temporum Regularia Beneficia. Cellulæ separatæ & nullius imperio obnoxiæ, obliteratæ sunt: idemque tentatum in Monasteriis minimè numerosis, quòd non procul abessent à Sarabaïtis, quorum Hieronymus & Cassianus fœdissimam effigiem delineaverant. Supersunt, novique in dies emergunt Anachoretæ, qui unum Præpositum, unam Regulam consectantur, propriam voluntatem. Sed ex antedictis facilè quivis intelligit, in iis extinguendis eodem zelo æstuare nostri temporis Episcopos, ac antiquos Patres. Superest ergo sola Cœnobitarum professio semper commendatissima. Superest & societas utriusque professionis Anachoretarum & Cœnobitarum, in nonnullis Congregationibus valde etiamnunc perspicua.

VIII. Permagnam horum partem paucis complexa est Synodus Veneta: *Servandum quoque de Monachis, ne eis ad Solitarias Cellulas liceat à Congregatione discedere: nisi fortè probatis post emeritos labores.* Infirmis condonari posse Cellulas subjicitur separatas, ubi remittitur eis aliquid de austeritate Regulæ, dum Cellulæ omnes Monasterii ambitu cingantur: *Aut propter infirmitatis necessitatem asperior ab Abbatibus regula remittatur. Quod ita demum fiet: ut intra eadem Monasterii septa manentes, tamen sub Abbatis potestate separatas habere Cellulas permittantur.*

*Can. 7.*

IX. Proximo ejusdem Concilii Canone aspergetur aliquid lucis, unde difficultas alia illuminetur. Prohibetur enim eo, ne unus Abbas plura habeat Monasteria, aut Cellas: *Abbatibus quoque singulis, diversas Cellulas aut plura Monasteria habere non liceat, nisi tantum propter incursum hostilitatis, intra muros receptacula collocare.* Hæc in urbibus secessûs loca in Monasteria tandem abiere. Sed improbari ab hujus Concilii Patribus videtur id, quod perquam familiare erat sanctissimis illis olim de quibus suprà Monachis Abbatibusque. Quot enim quantaque extruxit Monasteria Antonius in Ægypto, Pachomius in Thebaide, Hilarion in Palæstina? Theodosius, Euthymius, Sabas? nonne innumera ferè illi exædificarunt Cœnobia, Lauras, Cellasque, quarum & Præpositi Generales fuere, quandiu spiritum duxerunt?

*Can. 8.*

X. Docet nos vita Posthumii, quinque Monachorum millia illi paruisse; at Antonium quinquaginta millia reliquisse sub regimine & administratione Macarii: *Idem Macarius ab illustri viro Antonio Monachorum ferè quinquaginta millia susceperat gubernanda.* Severus Sulpicius author est, bina ternaque eorum millia fuisse in quibusdam Ægypti vicis. Ammon referente Ruffino tria regebat millia Tabennesiotarum, quorum illustre fuit & celeberrimum nomen, & austeritas disciplinæ penè ultra fidem. In urbe Oxyrincho, eodem referente, plura ferè Monasteria erant, quàm domus: omnibus diei noctisque horis laudum divinarum ibi personabant Cantica, & ab Episcopo ipso affirmabatur, Monachorum ibi decem millia, sacrarum Virginum immortali Agno desponsarum viginti esse millia. Audet idem ipse etiam & affirmat, non pauciores esse Solitudinum Ægypti incolas Monachos, quàm urbium cives. *Quanti populi habentur in urbibus, tanta penè habentur in desertis multitudines Monachorum.* Affirmat denique conspectum à se fuisse Serapionem, qui plurium Monasteriorum parens esset, Monachos verò regeret ad decem millia. *Sed & in regione Arsenoite Serapionem quendam Presbyterum vidimus, multorum Monasteriorum Patrem, sub cujus cura plura & diversa Monasteria, quasi decem millium habebantur Monachorum.* Suas ad Leonem Papam litteras Theodoretus perferendas curavit à duobus Presbyteris, & ab Exarcho, id est, Præ-

*Rosweid. vitæ Patrum.*

*De vitis Patrum. L. 2. c. 5.*

*Ibid. c. 18.*

posito Generali Monasteriorum suæ Diœceseos. *Alipium Monachorum qui apud nos sunt Exarchum.*

XI. Nihil ergo jam residuum esse potest dubitationis, quin persæpè tum unus Abbas, unusque Præpositus Generalis pluribus præesset Monasteriis, quæ in unum veluti corpus, & unam Congregationem copulata essent. Necdum ulla vel scintilla æmulationis Episcopos afflaverat adversùs tam populosas Congregationes, earumve duces & Præfectos generales. (Ep. 115 116.) Sive quod ipsarum sapientia & pietas miris persæpè clarebat operibus, quibus ipsa non paulò admirabilior erat: sive quòd summa earum esset humilitas & dejectio, promptissimaque ad Episcoporum imperium obedientia; sive quòd inaccessas penè tantùm incolerent solitudines: sive quòd cùm Monachi tum in labore manuum haberent omnia, quantumcumque paterent illa Præpositorum & Abbatum Generalium imperia, admirationi, quàm invidiæ, vel æmulationi propiora erant. Cæterùm unumquodque Monasterium harum Congregationum suo suberat Abbati peculiari. Itaque nihil hæc Concilio Veneto obstrepebat disciplina, cùm eo non aliud prohibeatur, quàm ut ne unus Abbas immediata jurisdictione & ditione sua duo complectatur Monasteria.

XII. Regula Pachomii quade verba facit Hieronymus, itemque Palladius in historia Lausiaca; Regula Orsiesii ejus discipuli, quam in Bibliotheca Patrum legere est: Regula utriusque Macarii, duo enim fuere: Regula Basilii, quæ omnium & prolixissima, & perpolitissima est, immo & certissima, Constitutionibus ejus Monasticis implicata; Regulisque prolixiùs & breviùs disputatis: Regulæ inquam hæ omnes totidem argumenta sunt fuisse Congregationes Monasteriorum complurium sub unius maximè Regulæ moderamine, forsan & sub unius Abbatis, dum Regulæ saltem conditor, aut plurium fundator Monasteriorum superstes esset.

---

## CAPUT XXIV. *P. 2. l. 1. c. 37.*

### De Regulis Monasticis, quæ in Galliis invaluerunt sub Imperio Chlodovæi, ejusque stirpis Regiæ.

*I. Variæ Regulæ variorum Autorum.*

*II. Cæsarii Regula, velut in supplementum Augustiniana.*

*III. De Regula Cassiani. Gente Gallus erat Cassianus, duplex ejus Massiliæ Monasterium.*

*IV. Cur primæ fuerint Regulæ Monialium.*

*V. De Columbani Regula. Quàm latè ea per Gallias fusa fuerit.*

*VI. VII. Successit ea Regulis Cassiani & Basilii, contulitque non modicum, ad Monasteria regularitati restituenda.*

*VIII. Regula beati Benedicti. Ejus præcellentia. Jungitur Regulæ Columbani. Regula Donati.*

*IX Necdum Monachi Congregationes, vel potiùs Ordines diversos constituebant. Unum omnium Monachorum corpus, unus Ordo erat; sicut & omnium Clericorum corpus, unus Ordo erat.*

*X. XI Monachi nostri omnes evasere tandem in Galliis maximè Benedictini, quod beati Benedicti Regulam omnes complexi sint, ut omnium absolutissimam.*

*XII. XIII. Multò major illius in Italia splendor & autoritas fuit; sed ei nunquam Gregorius Magnus addixit, vel Monasteria sua, vel discipulos suos, exclusis Regulis aliis.*

*XIV. Eò commendatissima fuit beati Benedicti Regula, quòd prudentiæ & charitatis blandimentis refertissima.*

*XV. Gregorius Magnus Monachus fuerat, pluriumque fundator Monasteriorum, sed nulli specialiùs Regulæ addictus, cæteris exclusis. Regula sancti Benedicti Anglis in honore. An ei Beda illigatus fuerit. An Maurus in Gallias, Augustinus in Angliam eam Regulam detulerint.*

*XVI. De Hispania.*

I. Strictim non semel suprà attigimus Regulas sanctissimorum virorum Cæsarii, Aureliani, Columbani & Benedicti: & necdum tamen satis nobis constare potuit, cui plus honoris & reverentiæ impensum sit in Occidente, maximè verò in Gallia. Lingonensis Diœcesis Monasterium Reomaum Chlodovæus privilegio munivit, quo liquet illud sub beati Macarii Regula militasse. (*Le Cointe ad an. 496. n. 111.*)

II. Scripsit ad Episcopos Galliæ beata Radegundis Regina, ut eorum tuitioni committeret Monasterium Sanctimonialium, quod ipsa Augustoriti Pictonum extruxerat, subjeceratque Regulæ, quam sanctus Cæsarius Arelatensis Episcopus ex statutis sanctorum Patrum concinnaverat Cęsarię sorori suę, ejus Monasterii Abbatissæ, quod ipse struxerat apud Arelate. *Congregationi per me collectæ regulam, sub qua sancta Cæsaria deguit, quam sollicitudo beati Cæsarii Arelatensis Episcopi ex institutione sanctorum Patrum convenienter collegit, adscivi.* (*Greg. Turo. l. 9. c. 42. 39.*) Episcopi Concilii Turonensis confirmarunt, quod ab eis Radegundis flagitabat, ut *secundùm beati Cæsarii Arelatensis Episcopi constituta*, illud Monasterium regeretur. Cæsarius porro antequam sorori suæ alias committeret erudiendas virgines, ipsam priùs miserat Massiliam Monasticis institutis informandam, in Monasterio videlicet Cassiani, quode Gregorius Magnus meminit in Epistola ad ejus Abbatissam scripta. *Evocata è Massiliensi Cœnobio venerabili sorore sua Cæsaria, quam idcirco eò miserat, ut disceret quod doceret, & priùs esset discipula, quam Magistra.* (*Vita S. Cæsarii. c. 15. Surius die 27. August.*)

III. Non refert autem Gregorius illud Monasterium, vel à Cassiano conditum, vel ejus Regulæ addictùm fuisse: sed tantùm in honorem beati Cassiani dicatum fuisse. Simile tamen veri est Cassianum authorem fuisse Regulæ & Monasterii conditorem Monialium, immo & alterius etiam Monachorum. Ideo enim à patrio recesserat solo, perlustraveratque Monasteria Orientis & Ægypti omnia, ut ad eam rediret inferretque spolia opulentissimarum solitudinum & feracissimorum desertorum divitias spiritales. Cassianum enim patriæ suæ, hoc est Galliæ restituit Holstenius, evicitque ex ipsis Cassiani verbis natale solum ei fuisse Provinciam Provinciæ. Ita enim Cassianus: *Ad repetendam Provinciam nostram, atque ad revisendos parentes, quotidianis animi æstibus urgebamur.* (*Collat. 24. c. 1.*) Hæc ille Collatione ultima sua, exhausto jam piæ peregrinationis curriculo, & de reditu cogitans. Hæc Provincia ipsamet Provincia est, ubi multos spes erat se Deo lucrari posse: *Credentes nos maximum fructum percepturos de conversione multorum:* & revisurum amænissimos agros, lætissimasque solitudines, quæ expungi animo non potuissent: *Tum præterea ipsorum locorum situs, in quibus erat majoribus nostris avita possessio, ipsarumque regionum amænitas jocunda ante oculos pingebatur, quàm grate & congrua solitudinis spatiis tenderetur, ita ut non solum delectare Monachum possint secreta sylvarum, sed etiam magna victus præbere compendia.* Hæc tabella regionis pulcherrimæ, desertis amænis interfitæ, Provinciæ Narbonensi II. magis consentit, quàm Scythiæ, unde Gennadius originem derivat Cassiani, quòd inde forsan Majores ejus emersissent. Vel una enim elegantia styli tersissimi argumento est, inde potiùs oriundum esse Cassianum, unde Eucherius, Salvianus, Vincentius Lirinensis, Faustus, Hilarius, & alii eo ævo Scriptores Gallicani, quàm ex Scythia. (*Gennad. in Catal. vir. illust.*) Fateor Scytham fuisse Dionysium Exiguum. Sed longo etiam ille à

nitore & elegantia Cassiani distat intervallo. Sed ne diutiùs distineat nos Patria Cassiani, in confesso est conditorem illum fuisse duplicis apud Massiliam Monasterii, alterius Monachorum, alterius Monialium, atque adeo & Scriptorem Regulæ, quæ ibi in honore erat.

Ita suo sibi Gallia è sinu protulit antiquissimos conditores & Legislatores Monasteriorum suorum, Martinum apud Turonas & Pictones; Honoratum, illum postea Arelatensem Archiepiscopum, apud Lerinensem insulam: Cassianum apud Massiliam, Cæsarium apud Arelate. Omnibus ferè Occidentis Monachis Cassiani opuscula instar Regulæ fuere. Cæsarius ipse Monialium Regulam scripsit, quam ut ab eo acciperet, beata Radegundis Arelate ipsa profecta est, unà cum ea quam Præpositam Monasterii sui Pictaviensis futuram delegerat. Audi Gregorium Turonensem. *Radegundis cum Abbatissa sua, quam instituerat, Arelatensem urbem expetunt, de qua regula sancti Cæsarii atque Cæsaria beata suscepta, Regis se tuitione munierunt.* Alia Monialium Regula Aureliano tribuitur Arelatensi Episcopo. At quid causæ fuit, quamobrem non sufficeret illi Regula Cæsarii? Quin potius Monachis inscripsit attemperavitque Regulam, cùm ejus tempore eorum Monasterium Childebertus Rex apud Arelate condiderit? An Regulam suam Aurelianus scripsit ad usum alterius Monasterii, quàm Arelatensis? Idemque sibi licere voluit in Cæsarii Regulam, quod sibi Cæsarius ipse sumpserat in Regulam Augustini, novam condens, ut temporibus locisque his opportuniorem? Certè non aliud meritò videri potest regula Cæsarii quàm supplementum Regulæ Augustini: eademque ratio est Aureliani Regulæ ad Cæsarii Regulam comparatæ. Non recedit à vero Augustodunense Monialium Monasterium, cujus memoria apud Gregorium Magnum, eidem Regulæ dicatum fuisse; forsan & Altivillarense ad Matronam, de quo Concilium Nannetense anni 658.

*Gregor. Turon. l. 9. c. 40. Hist. Fran.*

*L. 11. Ep. 11*

*Flodoard. L. 2. c. 7.*

IV. Verùm necdum ullam observavimus Regulam Monachorum in Galliæ Monasteriis. Opuscula enim Cassiani, etsi informandis Monachis aptissima sint, Regulæ tamen ne speciem quidem præferunt. Monasteriorum autem sive sancti Martini apud Turones, sive Lerinensis, sive Augustodunensis, sive Arelatensis, Regulam adhuc nullam deprehendimus. Parisiense Monasterium, seu Sandionysianum, Privilegium ab Episcopo accepit, non Regulam. Unum illud præcepit Rex ut jugis ibi noctes diesque celebraretur psalmodia, Monachis in plures & alternantes turmas divisis; sicut in Monasterio sancti Mauricii in Sabaudia, & sancti Martini apud Turones. Venire etiam in mentem posset, nec injuria, Augustinum quoque Monialibus instruxisse Regulam, non Monachis, quibus Evangelium ipsum locupletissima Regula est, & usu receptæ consuetudines Monasterii abundè sufficiunt. At Monialibus subsidio aliquo peculiari opus est, & lumine, quo regantur illustrenturque inter septa claustralia disciplinæ.

*Anno 658.*

*Conc. Gall. To. 1. pag. 499.*

V. Prima Monachorum Regula in Galliis Columbani videtur fuisse, cui discipuli ejus Patrocinati strenuissimè sunt, quin & ipsi Gallicani Episcopi in Concilio Matisconensi, anno 627. Eustasius Luxoviensis Abbas, qui tam fortiter congressus est in ea Synodo adversus Regulæ obtrectatores, alumnus & successor erat Columbani, qui ante annum 600. Luxoviensis Cœnobii fundator institutorque fuerat. Inde cedere coactus anno 612. in Italia Bobiensis Monasterii fundamenta jecit. Certatim mox Episcopi Galliarum alia aliaque condidere sub ea Regula Columbani Monasteria. Accipe quæ in eam rem scribat Jonas, in vita sancti Eustasii Abbatis Luxoviensis. *Appellinus quoque & cæteri Galliarum Episcopi ad roboranda sancti Columbani instituta adspirant, quorum multi in amore sancti Patris nostri ferventes, secundum ejus regulam Monasteria construunt, &c. Inter quos vir illustris Eligius nomine, qui modo Veromanduensis Ecclesiæ Pontifex præest, juxta Lemovicensem urbem Monasterium nobile, Solemniacum nomine construxit, & alia multa in eisdem locis Cœnobia. Sed & in civitate Parisiensi puellarum Monasterium, quod de regio munere susceperat, ædificat, in quo Christi virginem Auream præfecit. Biterrensi vero urbe Puellarum Monasterium ex beati Columbani regula Bertrada nobilis fœmina construxit. In suburbano etiam Betericensis urbis Monasteria construxit Babolenus ex Regula Columbani.* Complura ille quoque alia memorat Cœnobia Columbani auspiciis structa, & Regulæ dicata. Affirmat idem ipse sanctam Burgundoforam statutis Columbani Abbatiam suam accommodasse. Ordericus Vitalis eidem Columbani Regulæ subjicit & alia Cœnobia plura, Gemmeticense, sancti Faronis Meldensis, & Resbacense: ab eoque primùm ait Regulam Galliæ Monasteriis præscriptam: *Monachalem Regulam edidit, primusque Gallis tradidit.* Bernardus in vita sancti Malachiæ refert ex eademque illum Hibernia profectum olim in Gallias fuisse Columbanum, ut Luxoviense Cœnobium excitaret, *Factus ibi in gentem magnam.* Tam numerosa autem fuit & Luxovii Congregatio, ut & ibi per alternas turmas interdiu & noctu divinæ laudes Psalmique concinerentur, ut refert ibidem Bernardus.

*Cap. 6.*

*L. 1. Hist. Norman. pag. 716.*

*Cap. 5.*

VI. Hæc omnia luculenter confirmantur à beato Audoëno, non sine novæ lucis accessione, in ea quam ille scripsit vita beati Eligii Noviodunensis Episcopi. Tradit enim degeneres jam mores, laxatamque fuisse disciplinam Monasteriorum Galliæ, quorum ne numerus quidem magnus erat, quamvis varias sectarentur Regulas, Cassiani & Basilii, ut suprà ex Gregorio hausimus Turonensi, cujus hæc sunt verba: *Cœnobium fundavit Aredius, in quo non modo Cassiani, verùm etiam Basilii & reliquorum Abbatum, qui Monasterialem vitam instituerunt, regula celebrantur, &c.* Ex hac Regularum diversitate perturbationis forsan aliquid invehebatur; non diuturna certè interim vigere potuerat inter Gallicana Cœnobia regularitas; immo nec eorum magnopere numerus augescere. At Columbani Regula consonantiam quandam Monasteriis omnibus induxit; saltem per eam constat plurimum novi fervoris accessisse, unde & eorum deinceps numerus longè auctior fuit. De his in hunc modum disserit sanctus Audoënus, ubi ex Luxoviensi primùm, inde ex Solemniacensi, quod Eligius ipse fundaverat Monasterium, ad exemplar Luxoviensis, derivat, tum plurimorum restaurationem in sanctioris disciplinæ formam, tum novorum etiam fundationem Monasteriorum. *Ipse quoque Eligius properabat ad Cœnobia, maximèque Luxovium, quod erat eo tempore cæteris eminentius, atque districtius. Neque enim tam crebra erant adhuc in Galliis Monasteria, & sicubi essent, non sub Regulari disciplina. Sed erant prorsus in malitia fermenti veteris sæcularia. Præter Luxovium ergo quod solum ut dictum est, districtionem Regulæ solerter tenebat, Solemniacense Monasterium in partibus occiduis, hujus religionis extitit caput, ex quo demum multi sumpserunt.*

*Hist. l. 12. c. 29*

*Spicil. to. 5. pag. 176.*

*sumpserunt & initium & exemplum. Adeo ut nunc quoque propitia divinitate, innumera per omnem Franciam & Galliam habeantur sub regulari disciplina alma utriusque sexus Cœnobia.* His apertissimè declaratur laus illa & insigne decus Columbani, quòd Regula, Monasterioque suo Luxoviensi, antiquiora Galliæ Cœnobia ad castioris disciplinæ æmulationem accenderit, ansamque præbuerit cumplura alia utriusque sexûs exædificandi.

VII. Audoënus ipse antequam Aula abiret, Resbacense fundaverat, dotaveratque Cœnobium, eique unum ex Columbani discipulis præfecerat.
[*Vita ejus apud Surium, die 24. Augusti.*] *Sanctorum Monachorum multitudinem illic congregans, Abbatem unum ex almi Patris Columbani discipulis, virum in disciplinis regularibus adprimè eruditum eis præficit.*

VIII. Interea verò Italiam universam beati Benedicti Regula suavissimo perfuderat odore sanctitatis; unde non poterat non eo & Gallia ipsa celeriter afflari.
[*Flodoard. L. 2. c. 7.*] Nivardus Archiepiscopus Remensis Altivillare ad Matronam Berchario Abbati concessit, ut ibi cum Monachis suis degeret sub Regula beatorum Benedicti & Columbani: *Berchario Abbate, qui ab eo petierat locum sibi dari, ubi cum fratribus suis Monachis sub Regula Patrum sancti Benedicti & sancti Columbani vivere posset, quod & idem Præsul facere studuit.* Nec obstrepit Historia Monasterii Dervensis à Camusatio evulgata, etsi dicat sub Rege demum Rodolpho post annum denum 900. Regulam sancti Benedicti Gallis esse communicatam.
[*Promptuar. Antiq. Trecens. pag. 92.*] Illud enim ad eam referri debet redintegrationem disciplinæ Monasticæ, quæ Congregationi Cluniacensi tunc exortæ accepta fertur, post illas labes & ruinas Ecclesiæ Imperiique importatas, occasu & excidio Carolinæ regnatricis familiæ.
[*An. 692.*] Bertusiendus Catalaunensis Episcopus Immunitatis privilegio donavit Dervense Monasterium Monachorum, & Puellare Monasterium, seu Monialium, utrumque Regulis beati Benedicti, & beati Columbani subjectum. *Secundum Regulam sancti Benedicti, vel Domni Columbani ab Abbate, vel Abbatissa corrigantur.*
[*Spicil. to. 10. pag. 629. Nota in Lanfr. pag. 366.*] Lucas Dacherius in nunquam satis laudato Spicilegio suo plura hujusmodi protulit exempla privilegiorum & Fundationum, ubi duæ illæ Regulæ cohærebant, etiam Luxovii. Sanctus Donatus quem cælitus impetraverat Columbanus parentibus antè sterilibus, & qui ex Monacho Luxoviensi Visontionensis Episcopus creatus fuerat, Regulam Monialibus cumpilavit ex regulis Cæsarii, Benedicti, & Columbani, ut ipsæmet postularant. Audi ut in Præfatione ipsas alloquatur: *Sæpius mihi injungitis, ut explorata sancti Cæsarii Arelatensis Episcopi Regula, quæ specialius Christi virginibus dedicata est, una cum beati Benedicti, & Columbani Abbatum collectis in unum flosculis ad instar Enchiridion excerpere vobis deberem.*

Illa utique sui conjunctione cum Regula beati Columbani in Gallias effudit se invaluitque Regula beati Benedicti, ut in unam cum ea conjugata. Adde quod nec priscus adhuc mos exoleverat, ut Regulæ unius professione aliæ Regulæ non excluderentur. Docuit enim nos paulò suprà Gregorius Turonensis, Aredium suis Monasteriis commendasse Regulas Cassiani, Basilii, & aliorum Patrum. Diximus Cæsariam informatam primùm fuisse Cassiani Regula apud Massiliam, tum Arelate reducem novam à fratre suo beato Cæsario Regulam accepisse, cui accessit & nova postea Regula Aureliani. Quin & Benedictus ipse ita suam Cassinensi Monasterio Regulam consignavit, ut una complecteretur Collationes Cassiani, scripta Patrum & Basilii Regulam. *Quislibet Catholicorum sanctorum Patrum hoc non resonat, &c. Nec non & Collationes Patrum, & instituta & vita eorum, sed & Regula sancti Patris nostri Basilii, &c.* [*Reg. sancti Benedicti, c. ult.*]

IX. Si longa postea temporum longinquitate non alia etiam à Conciliis Episcoporum celebrata fuit, quàm beati Benedicti Regula, id eo factum est, quòd ea numeris suis omnibus absolutissima esset, & aliis sepositis sola sufficeret. Ne ergo sibi quisquam fingat, Regula beati Benedicti statim oblitteratas fuisse cæteras, nec Congregatione ejus cæteras illico omnes absorptas quodammodo fuisse. Nullæ tunc adhuc in Occidente propriè Monachorum Congregationes erant, quarum aliæ alias deglutire possent. Sui tunc erant juris omnia Monasteria, tametsi eandem sectarentur Regulam, nec alia aliis erant obnoxia; si paucissima demas, quæ unum aut alterum in potestate haberent, ut suæ fundationis. Denique uno ab Episcopo loci singula pendebant. Itaque Monachorum omnium unus erat Ordo, à Clero & Populo discretus: nequaquam verò in plures ipse Monasticos Ordines scindebatur, Sicut & Clericorum unus ubique gentium indiscretus erat Ordo, à Monachis & populo sejunctus, ipse non alia quàm Diœceseon & Provinciarum seu Metropoleon divisione disjunctus. Nec aliter suprà à nobis commonstratum est, Orientales Monachos discretos fuisse ab aliis alios sola regionum & provinciarum discrepantia; & Exarchos, seu Generales Præpositos fuisse, non qui unius Regulæ sectatoribus, sed qui unius urbis, aut Provinciæ Monasteriis præficerentur, qualiscumque demum ibi observaretur Regula, Antonii, Pachomii, Basiliique.

X. Sic ergo statuendum est, sæculo VII. Monasteria omnia Galliæ, adeoque & Occidentis in unum Ordinem Monachorum compaginata fuisse, ab Ordine Clericorum sejunctum, & indiscriminatim addictum Regulis Basilii, Cassiani, Cæsarii, Aureliani, Columbani, denique Benedicti. Verùm cum hæc posterior Regula longo experimento comperta esset aliis omnibus, & sapientiæ luce & igne charitatis præcellere: vehementiùs in ejus amorem omnes exarsisse, adeoque ei uni summum additum esse cumulum authoritatis. Inde illud quoque emersit, ut paulatim Occidentales Monachi omnes haberentur alumni beati Benedicti, ejusque Regulæ sectatores: quanquam reapse, & ab origine primigenia alumni essent, & sectatores, successoresque eorum, qui instituti fuerant à Martino, Cæsario, Cassiano & Columbano. Nominis mutatio imposuit, quasi res alia esset; cùm eadem ipsa esset mutato nomine. Si quid re ipsa mutatum est, non in successione utique Monachorum, quæ eadem semper mansit: sed in Regulæ professione mutatum est: cùm enim priùs omnes indiscriminatim Regulas, & maximè illam Columbani sibi præstitutas haberent: postea totos se ad unam Benedicti Regulam contulere.

XI. Inde est, quod Leodegarius Augustodunensis Episcopus in Synodo sua edixit, ut Monachi Canones & Regulam beati Benedicti observarent.
*De Abbatibus vel Monachis ita observare convenit, ut* [*An. 670.*] *quidquid Canonicus ordo, vel Regula sancti Benedicti edocet, custodire debeant.* Concilium Liptinense anni 743. *Monachi & Ancillæ Dei Monasteriales juxta Re-* [*Can. 7.*] *gulam sancti Benedicti, Cœnobia vel Xenodochia sua*

*Conc. Gall* *ordinare studeant.* Et in proxima Liptinensi Synodo,
*Tom 1. pag.* postquam Clerici solenni sponsione professi sunt
*506.* Canones à se graviter observatum iri: Monachi
*An. 743.* etiam Regulæ Benedicti sese devoverunt. *Abbates verò & Monachi receperunt Regulam sancti Benedicti*
*Can. 7.* *ad restaurandam normam Regularis vitæ.* Eadem sola
*Can. 5.* ferè in ore, sola in admiratione hominum fuit Regula Benedicti, cùm inter exordia familiæ Caroli Magni quæ tunc rerum potiebatur, Monasteria omnia ad ejus Regulæ normam renovata quodammodo & restaurata fuissent. Legatus Pontificis Bonifacius, tam verè Restaurator Ecclesiæ Gallicanæ, quàm Germaniæ Apostolus & sator celebrandus, non mediocriter etiam studuit roborandæ propagandæque tunc Regulæ, quæ in summam jam invaserat in Italia authoritatis arcem. Præfuit enim Liptinensi Concilio Bonifacius, & Benedicti Regulam Monachis omnibus Occidentalibus præstituit: is ipse qui Abbatiam Fuldensem in Germania con-
*Epist. 4. 13.* didit *sub Regula sancti Benedicti*, quam confirmari obtinuit à Zacharia Papa.

XII. Quod ad Italiam verò spectat, manifestissimè liquet ex Bonifacio IV. Papa, jam tum ejus ævo habitum esse eo loco Benedictum & honore, quo Parentem & Legislatorem omnium Monachorum: quando omnino id agens ut probaret Monachos sacerdotalibus muniis funditus arceri non debere, inde argumentatur quòd iis eos non in-
*Collect. Rom* terdixerit beatus Benedictus. *Neque enim Benedictus*
*Holsten.* *Monachorum præceptor almificus hujusce modi rei aliquo*
*pag 243* *modo fuit interdictor.* Joannes Diaconus Gregorii Magni vitæ scriptor, omni virium animique contentione connititur, ut Gregorium illiget Ordini & Regulæ beati Benedicti, probetque Benedicti & ejus Regulæ sectatores Monachos in Angliam ab eo
*L. 4. c. 80.* ferendæ fidei causâ ablegatos esse. *Et sui Monaste-*
*82.* *rii Monachos Benedicti utique Regulæ mancipatos in Saxoniam destinavit.* Ejus rei hæc ab eo depromitur ratio, quòd eo ævo Monachi Angliæ omnes beati Benedicti Regulam habitumque profiterentur, ac præ se ferrent. *Vix potest in illis partibus Monachus aliquis inveniri à quo non observetur, tam in proposito quam in habitu Regula Benedicti.* At tam inanis est hæc probatio, quàm vana Joannis Diaconi opinatio, & a vero aliena. Cùm enim fusissimè Gregorius in Dialogis vitam scripserit beati Benedicti, ne litteram ullam facit, qua significet, seipsum uni ejus Regulæ adhæsisse, aut eam Monasteriis suis
*Dial l. 2.* unam proposuisse sectandam. Non tacet nomina
*Præfat.* quatuor beati Benedicti discipulorum, à quibus hausisset, quæ de eo mandasset litteris: sed non aliquem eorum in sua Monasteria accivisse se memorat. Regulam Benedicti hoc longè pulcherrimo jus-
*L. 2. c. 36* tissimoque exornat encomio: *Scripsit Monachorum Regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam:* at non scribit eam vel à se, vel jussu suo in Monasteriis suis specialiùs quam aliàs servatam fuisse. Quin ex adverso testificatur, & seipsum se & Monasteria sua commisisse Abbati Valentioni, alumno beati Equitii, non autem beati Benedicti discipulo
*L. 4. c. 21.* cuiquam. *Vita namque venerabilis Valentio, qui post in hac Romana urbe, mihi, sicut nosti, meoque Monasterio præfuit, priùs in Valeriæ Provincia suum Monasterium rexit.* Quòd autem Provinciæ Valeriæ Monasteria quitii institutis formata fuissent, idem in-
*L. 1. c. 4.* frà declarat Gregorius: *Qui nimirum Equitius pro sua magnitudine sanctitatis, multorum in eadem Provincia Valeriæ Monasteriorum Pater exstitit.* Confirmatio autem Regulæ beati Benedicti in Synodo Romana à Gregorio facta, nihilo firmioribus nititur fundamentis. Necdum enim in more positum erat, ut Regulæ Monasticæ à Papa confirmarentur. Adde quod incolumis & intacta cùm ea Synodus in nostras transmissa sit manus, in ea altum de illa Regula silentium est.

XIII. Fateri ergo necesse est, nonnisi post obitum B. Gregorii, & post ejus evulgatos in Italiam omnem Dialogos, vitam & Regulam B. Benedicti tam latè percrebuisse & radiasse tam splendidè, ut Monasteria omnia ei se Regulæ præ cæteris, & tandem ei uni omissis cæteris adglutinarint. Ex quo & illud contigit, ut præter mentem suam, dum nihil aliud moliuntur, quàm ut omnium elimatissimam sanctissimamque Regulam deligant, ad unam se beati Benedicti Regulam, ad ejus se nomen ordinemque adgregarint: non quo ulla esset jam tum verè Congregatio, aut quòd Monasterii unius Abbas plurimis aliis præesset: sed sola eorum inter se cognatione ex unius observatione Regulæ. Ex fuere vices in Italia à sexcentesimo Christi anno ad septingentesimum, in Gallia à septingentesimo ad octingentesimum.

XIV. Diximus jam primas tulisse Benedicti Regulam, ob indulgentiam maximè sapientiæ sale conditam. Id quippe in ea mirabatur magnopere Gregorius. *Discretione præcipua.* Author vitæ sancti *Surius die*
Eugendi tradit in Gallia in honore fuisse potissi- *1. Januarii,*
mum Regulas Basilii, Pachomii, Leronis, Cassia- *c. 16.*
ni, sed eum temperamentis cœlo Gallicano accommodatis. *Efficacius hæc facilinsque natura vel infirmitas exequitur Gallicana.*

XV. Indubium prorsus est Monasticæ professionis vincula induisse Gregorium, & Abbatis nomine & dignitate antè claruisse, quàm Apostolico sessitaret throno. Testatur ipsemet inter prima conversionis suæ rudimenta optatissimum sibi fuisse, ut & virtutem coleret, nec sæculi tamen contubernio, aut veste abstineret: *Postquam cælesti sum desiderio afflatus, sæculari habitu, contegi melius putavi, &c. Inolita me consuetudo devinxerat, ne exteriorem cultum mutarem.* Sed hos tandem ille abscidit nexus, & in portum Monasterii se conjecit. Audiendus ipsemet Gregorius: *Portum Monasterii petii, & relictis quæ mundi sunt, ex hujus mundi naufragio nudus evasi.* Sic ille testificatus est ad Leandrum Hispalensem Episcopum scribens, in præfatione Moralium Job. Disertiùs exprimi non potuit professio Monastica. Constitutio Gregorii in gratiam Monachorum edita, quam Baronius contulit in annum 1601. restatum facit perfunctum ipsummet esse Abbatis officio in Monasterio sancti Andreæ Romæ. *Anteactum nos efficium, quod in regimine Cœnobii exhibuimus, informat.* Author est Gregorius *L. 10. Hist.*
Turonensis Gregorium Magnum exædificatis & amplissimè dotatis septem Monasteriis, reliquas res suas vendidisse & erogasse in pauperes: *Reliqua vendidit cum omni præsidio domûs, & pauperibus erogavit.* Quæ omnium abdicatio ferè non fit, nisi in amplexanda Monastica professione. Dilucidiùs etiam Beda: *Mutato repente sæculari habitu Mona-* *L. 11. c. 1.*
*sterium petiit.* Idem habet Paulus Diaconus in vita hujus Pontificis: *Mutato repente sæculari habitu Monasterium petiit, & ex hujus mundi naufragio nudus evasit.* Joannes Diaconus affirmat Gregorium Monasticam vitam induisse sibi in Monasterio sancti Andreæ, quod Romæ struxerat. *Monasterium fabri-* *L. 2. c. 6.*
*cavit, in quo relictis sericis, auro gemmisque radiantibus togis, suaque supellectilibus reliquis in usum pauperum*

*erogatis, ex hujus mundi naufragio nudus evasi, diuque desideratum Monachicum cupiens indumentum, &c.* Ubi patet duos vitæ Gregorii Scriptores istos ipsismet Gregorii verbis usos, narrasse, ut sæcularibus impedimentis omnibus semet spoliarit, ut nudus è naufragio sæculi enataret in portum religiosæ vitæ, cujus & induisset habitum. Id ipsum manifestiùs adhuc patefecit Bonifacius IV. in Synodo Romana anni 610. sexto tantùm post Gregorii obitum anno; ubi eorum labefactans inania molimina, qui Monachis sacerdotalium functionum sepiebant aditum: arguit Pontificatu ergo summo Gregorium ipsum interdicendum fuisse, cùm certissimum sit Monasticas illum gestasse vestes. *Si veteres æmuli vera prædicarent, Apostolicæ Sedis compar beatus Gregorius Monachico habitu pollens, ad summum apicem nullatenus conscenderet.*

Nec minùs indubium est Gregorio agnitam
L. 2. c. 36. fuisse Regulam B. Benedicti, quam suprà tam luculento diximus ab eo exornatam fuisse testimonio in Dialogis. *Regulam Monachorum* vocat, tanquam omnium præstantissimam. In Epistola etiam quadam sua eandem laudat: *Si Regulam Monachorum nosse voluisses*;
L. 9. Ep. 42. laudat porro caput Regulæ, quod in Bene-
Cap. 42. dicti Regula legere est. Cùm tanto verò studio Benedicti vitam scripserit Gregorius in Dialogis, facilè hinc conjicitur suis illum in Monasteriis ei vitæ, & Regulæ plurimum curæ & reverentiæ impendi voluisse. Unde & Bonifacio IV. in Concilio Romano anni 610. dicitur *Benedictus Monachorum Præceptor*. Probat Joannes Diaconus Gregorium sectatum esse instituta & Regulam Benedicti, ex ejus tabellis quæ visebantur Romæ cum stricto cingulo, ex laudibus quibus eam Regulam commendavit, denique ex ejus Regulæ observantia generali in omnibus Angliæ Monasteriis, quæ ejus discipuli con-
L. 4. c. 80. diderant. *Porro in exilitate baltei, quæ unius pollicis mensuram nunquam excedit, speciem propositi Regularis olim à sancto Benedicto statuti, cujus ipse vitam describens in Dialogo Regulam quoque laudaverat, eum servasse luce clarius manifestat. Præsertim cùm idem venerabilis Doctor Gregorius sui Monasterii Monachos Benedicti atque Regulis mancipatos in Saxoniam destinarit.* Saxoniam vocat Angliam, quòd Germaniæ gentes duæ, Angli & Saxones Magnam Britanniam junctis viribus perdomuissent. *Quod verò Monachi à Gregorio in Saxoniam missi, sancti Benedicti fuerint Regulæ mancipati: inter alia illud etiam ostendit, quod ex illius discipulis vix potest in illis partibus Monachus aliquis inveniri, in quo non observetur, tam in proposito, quàm in habitu Regula Benedicti.*

Senescente nono sæculo scribebat Joannes Diaconus, & sui certè ævi sermone usitato utebatur, cum aiebat Gregorium & discipulos ejus vesti, instituto & Regulæ B. Benedicti sese mancipasse. Sæculo septimo uno adhuc corpore & ordine censebantur omnes indiscriminatim Monachi, necdum vestis, aut Regulæ unius præ aliis venditatione alii ab aliis discreti. Pontifices, Episcopi, Synodique, in quorum potestate tunc prorsus erant Monachi, Regulam Benedicti cæteris antepositam voluere, utque in eam omnia se conferrent Monasteria. Id desinente sæculo VII. & decurrente VIII. factum est. Hinc nusquam se Gregorius, vel Equitii, vel Benedicti profitetur sectatorem, sed tantùm vestem & professionem Monasticam induisse. Hinc & proprietarium Monachum notavit, ut prævaricatorem Regulæ sui Monasterii. *Quippe quia ejusdem semper Monasterii mei Regula fuerat, ut &c.* quanquam non nescius esset hoc etiam caput esse Regulæ beati Benedicti. Denique inde est quod Benedicti Regulam appellavit, non solam Regulam Monasteriorum, sed *Regulam Monachorum*; gnarus Regulas tunc omnes omnibus Monasteriis communicari hactenus solitas, sicut & Clericis Canones omnes. Hinc & sæpiùs jam laudata Romana Synodus Bonifacii IV. Benedictum commendat ut præcipuum magistrum Monachorum, non horum, aut illorum: non aliquorum propriè suorum, sed simpliciter Monachorum; quòd omnia adhuc Monachis tunc communia essent. Hinc & eodem Concilio nominantur Gregorius Romæ, Benedictus Italiæ, Martinus Galliæ, Augustinus Angliæ, ut splendidissima lumina Monastici Ordinis sine ullo inter ipsos discrimine. Hinc denique ipse Bonifacius IV. in Epistola ad Ethelbertum Regem Angliæ magnopere approbat ejus consilium instituendæ Congregationis Monachorum in Cantuariensi Monasterio, quod olim construxerat Augustinus: *Monachorum regulariter viventium habitationem, Monachorum gregem*. Nec in mentem venit illi exprimere, cujus Ordinis & cujus Regulæ professores futuri essent illi Monachi.

Hinc est quod Beda Monasterii quidem Cantua- L. 1. c. 33.
riensis ab Augustino Gregorii discipulo constructi mentionem facit: sed nec eo loco, nec ullo quovis alio, vel Regulam, vel institutum B. Benedicti commemorat, cùm sexcentis locis de Monachis agat. Non quo nesciret Benedicti Regulam Beda, cùm simillimum veri sit, eam ab Augustino perlatam in Angliam fuisse, & Cantuariensi Monasterio communicatam. Sed nondum is erat usus, ut Monachi se alii ab aliis discernerent unius ostentatione peculiaris Regulæ. Sub finem certè historiæ suæ monet nos Beda, paucis se exarasse historiam Monasterii sui Viremuthensis, in quo stadium vitæ confecerat. In ea autem Viremuthensis Monasterii historia traditur primum ejus conditorem Benedictum Biscopum, paulò ante mortem vehementer adhortatum esse Monachos suos, ut B. Benedicti Regulam religiosissimè observarent, maximè verò in ele-
ctione Abbatis. *Ut juxta quod Regula magni quondam* L. 1.
*Abbatis Benedicti, juxta quod privilegii vestri continent decreta, in Conventu vestro congregati, perquiratis, qui aptior ad tale ministerium probetur.* Inde non incongruè concluditur eandem B. Benedicti Regulam in Monasterio quoque Cantuariensi summo in honore fuisse, cùm ejus antè Abbas idem Biscopus fuisset; denique illuc etiam ab Augustino advectam fuisse. Sed non inde unquam effici poterat, ut Monasteria Angliæ alia ab aliis, vel à quibuscumque aliis per Occidentem discerni voluerint, observatione Regulæ sancti Benedicti, quæ sibi propria esset, aut quæ ullis monasteriis ita esset propria, ut non cum ea cæteræ quoque Regulæ colerentur.

Missam facio vitam sancti Vilfridi Eboracensis Archiepiscopi, scriptam ab ejus alumno Monacho Cantuariensi, qui testificatur ab eo Cantuaria Eboracum perlatam esse Regulam Benedicti, adulto jam sæculo VII. *Revertens cum Regula Benedicti, instituta Ecclesiarum bene melioravit.* Mitto quæ apud Vuillelmum Malmesburiensem eloquitur ipse Vilfridus, *se primum qui sancti Benedicti Regulam à Monachis observari jusserit.* Mitto carmina sancti Adelmi Abbatis, deinde Episcopi Shireburnensis in Poëmate de Virginitate: *Primus qui nostra statuit certamina vita, qualiter optatam teneant Cœnobia normam.* Consule, si vacuum est, luculentissimam Mabillonii

dissertationem, Tomo II. ejus Analectorum, cui ipse debere me multum profiteor in hoc nodo expediendo.

Quoad Gallias si ineluctabilis esset authoritas Synodi Augustodunensis anno 665. vel 670. sub sancto Leodegario Episcopo; videri posset jam tum Benedicti Regula in eis multùm propagata fuisse. Jubet enim ea Synodus districtissimè Canones à Canonicis, a Monachis Regulam B. Benedicti observari. *De Abbatibus vero vel Monachis ita observare convenit, ut quidquid Canonicus ordo vel Regula sancti Benedicti edocet, & implere & custodire in omnibus debeant.* Sapere mihi quidem videtur hoc statutum mores & ingenium sæculi ejus, quod Pipinus & Carolus Magnus illustrarunt. Si verè autem Leodegarii ea est Synodus, fatendum erit ab eo prælusum esse Pipino & Carolo, idque prætentatum, ut Regulæ B. Benedicti reliquæ omnes subjicerentur, vel decederent.

Ita verisimilius fieret B. Maurum, cum in Gallias profectus est, tot nova conditurus Monasteria, eò Regulam quoque Benedicti importasse. Nec enim consentaneum est, ut tantus alumnus tanti magistri monumentum longè præstantissimum secum advehere neglexerit; & qui Monasteria conditurus veniat, Regulam prætereat. Ideo & Carolus Magnus retro flectitur usque ad B. Martinum, ejusque discipulos, ut Monachos inveniat, quibus B. Benedicti Regula proposita non fuerit, & de quibus jure ambigi possit quam Regulam sectarentur. *Inquirendum qua Regula Monachi vixissent in Gallia, priusquam Regula sancti Benedicti in ea tradita fuisset: cùm legamus sanctum Martinum Monachum fuisse, & sub se Monachos habuisse, qui multò ante sanctum Benedictum fuit.* Dicitur quidem à Petro Diacono, Simplicius discipulus & successor Benedicti Regulam ejus omnibus Monachis proposuisse: *Regulam quam suus Magister edid rat, publicè legendam omnibus Monachis tradidit.* Verùm id de Italia intelligi potest. In ea verò beati Mauri vita, quæ à Fausto scripta est, & ab eodem Petro Diacono laudata, B. Benedictus Mauro in Gallias profecturo Regulam dicitur tradidisse, sua ipsius manu exaratam. Nec me præterit hoc Fausti opusculum minùs probari asperioribus quibusdam censoribus. Sed quod attinet ad Regulæ depositum illis commendatum, qui novas excitaturi erant Monachorum Colonias, nulla admodum subest justa suspicionum causa.

Tradit Paulus Diaconus Longobardos expilasse, & funditus evertisse Cassinense Monasterium, tumque Monachos Romam profugos, eò secum attulisse

L. 4. c. 6. Regulam. *Sacrum codicem sanctæ Regulæ, quam præfatus Pater composuerat, & quædam alia scripta, necnon libram panis & mensuram vini, & quidquid ex*

L. 6. c. 3. *supellectili recipere poterant deferentes.* Cùm Constantinus, Simplicius, Vitalis & Bonitus successissent alii aliis, & omnes Benedicto, sub hoc postremo contigit excidium Montis-Cassini. Galli Cenomanenses & Aurelianenses cùm Cassinum perrexissent, B. Benedicti & B. Scholasticæ sororis ejus corpora reverituri, ea noctu asportarunt, advexeruntque in Gallias, ubi magnificentissima illis constructa sunt templa. Hæc Francorum pietas argumento est, nomen & Regulam B. Benedicti jam tum inere-

L. 6. c. 13. buisse per Gallias. Cæteroqui totam illam narrationem aut peritioribus aut majoris otii censoribus excutiendam lubens permitto. Centum & decem annis post excisum Cassinense Monasterium, Petronax jubente Gregorio II. illuc profectus est, ut novum Monasterium exædificaret. Missum est ad eum à Zacharia Papa autographum ipsum Regulæ beati Benedicti. *Insuper & Regulam quam B. Pater Benedictus suis sanctis manibus conscripsit, paterna pietate concessit.*

XVI. Tempestivum jam est ad Hispanias delabi, ubi Mariana fidem facit, non ante annum 515. mentionem habitam esse Monachorum, quo coaluit Concilium Tarraconense. *In eo primùm Concilio mentio Monachorum extat inter Hispaniæ monumenta.* Alibi autem tradit, id contigisse ætate Gregorii Turonensis, Donatum nempe Monachum ex Africa cum septuaginta Monachis trajecisse in Hispaniam, ibique extruxisse monasteria, & certa instruxisse Regula, cùm priùs per Hispanias visi non essent nisi Anachoretæ, nullis devincti votis. *Gregorio æqualis Donatus Monachus adjunctis septuaginta sociis ex Africa venit in Hispaniam, & Monasterio extructo, Monasticam vivendi rationem, certis nimirum legibus institutisque temperatam invexit primus in Hispaniam, ut Hildephonsus scribit. Monachi enim quorum in Actis Conciliorum Hispaniæ ante hæc tempora mentio extat, aut nulla votorum religione constricti erant, aut per sylvas dissipati vitam exigebant solitariam.* Isidorus Hispalensis Episcopus aliquantò pòst Hispaniæ Monasteriis Regulam concinnavit suam, quam penè constat ibi diutius magno in pretio fuisse, donec Mauri Afri Hispanicas Ecclesias propemodum omnes evastarunt, ineunte octavo sæculo.

L. 1. Hist. Hisp. c. 7. L. 5. c. 11.

---

## CAPUT XXV. *P. 3. l. 1. c. 33.*

## De Regulis Monasticis sub Imperio Caroli Magni.

*I. II. Omnia Monasteria Imperii Caroli Magni Regulæ beati Benedicti mancipata. Probationes.*

*III. Reliquæ Regulæ expunctæ & abolitæ non fuere, sed contextæ quodammodo, vel attextæ instar supplementi ad Regulam beati Benedicti.*

*IV. Anianæ Abbas Benedictus, hoc supplementum, sive hanc edidit Concordiam cæterarum omnium Regularum.*

*V. Immo & in Capitulare eas contulit, quod Capitularibus Regum Franciæ innexum est.*

*VI. Ruente imperio Caroli Magni Berno Abbas Cluniacum condidit, & Pater Rectorque fuit Generalis Congregationis longè plurimorum Monasteriorum strictioris observantiæ, quanquam principatus honoris semper esset penes Abbatem Cassinensem, quem Abbatem Abbatum Pontifices Romani declaraverant.*

*VII. Eremitico instituit beatus Romualdus, qui Religiosum statum ad summum apicem perfectionis extulerunt.*

*VIII. Quæ fuerit potestas Generalis Benedicti Anianæ Abbatis in subjecta sibi Monasteria.*

*IX. De Abbatibus, quibus præterea suberant Cellæ.*

*X. Cluniacensis Congregatio prima omnium fuit sub uno Abbate Generali.*

*XI. In Oriente erant & Præpositi Generales Monasteriorum.*

*XII. Nulla erat Regularum diversitas. Regebantur Monasteria omnia Legibus & Canonibus.*

*XIII. Nova ejusdem rei probationes.*

*XIV. De Eremitis & Inclusis.*

I. NE dubitandi quidem locus residuus est ullus, quin sub Imperio Caroli Magni, & Imperatoriæ ejus familiæ, Regula beati Benedicti reliquas omnes obscuraverit, & pro Monachorum omnium Regula habita sit; sicut Constitutiones Pontificum, Conciliorum & Patrum, instar habebant Regulæ generalis Clericorum. Concilium Francofordiense in hunc modum præcipit: *Ut Abbas cum suis dormiat Monachis secundum Regulam sancti Benedicti, &c. Tales electi sint Cellarii, quales Regula sancti Benedicti docet.* Diximus jam aliquoties à Ann. 794. Can. 13. 14.

Crodogango Episcopo Regulam beati Benedicti inflexam emollitamque fuisse, atque contemperatam, ut ea etiam jam esset Regula Canonicorum. Sub Pipino Rege id contigit. Hæc initia fuere propagationis effusissimæ hujus Regulæ. Quanquam enim annis jam amplius centum Regula Benedicti & amori fuisset & admirationi in Italia, in Gallia, Angliaque: nondum tamen is illi cumulus accreverat authoritatis, ut una esset Regula Monachorum, cujus aliæ supplementum dumtaxat essent.

Quin & fluitabant adhuc nonnihil hæc exordia. Carolus quippe Magnus cum plurimas quæstiones alias Episcopis doctissimisque sui imperii hominibus enodandas, tum hanc quoque proposuit, An possent Monachi esse alterius quàm B. Benedicti Regulæ sectatores: & Ecquam sectarentur Regulam Monachi Galliarum, antequam allata huc esset Regula Benedicti. *Vtrum aliqui Monachi esse possint, præter eos, qui Regulam sancti Benedicti observant, &c. Qua Regula Monachi vixissent in Gallia, priusquam Regula sancti Benedicti in ea tradita fuisset, cum legamus sanctum Martinum & Monachum fuisse, & sub se Monachos habuisse; qui multò ante sanctum Benedictum fuit.* An. 811. Conc. Gall. pag. 261. 263.

Dominabatur tunc ergo sola beati Benedicti Regula, ita ut memoria penè excidissent Columbani, Cæsarii, & Aureliani Regulæ, aliæque omnes. Nec tamen ambigebat quisquam, quin fuissent in Gallia Monachi, ante Benedicti tempora, & Regulæ cuipiam antiquiori addicti. In Concilio Moguntino anni 811. hinc coaluerunt Episcopi, ut semetipsos excuterent, excussa & perpensa Regula sua, nempè Evangeliis, Epistolis Pauli, Actis Apostolicis, Canonibus, Scriptis Patrum, maximè autem Pastorali Gregorii Magni. Ex alia parte ibidem coïerunt Abbates & celeberrimi quique ex Monachis, ut conferrent de Regula beati Benedicti, consultarentque de Monastico statu ad summum perfectionis suæ fastigium provehendo: *In alia turma consederunt Abbates, & probati Monachi, Regulam sancti Benedicti legentes atque tractantes diligenter, qualiter Monachorum vitam in meliorem statum perducere potuissent.* Can. 11. Denique præcepit Concilium, ut Abbates religiosissimè Benedicti Regulam servarent: *Secundùm doctrinam sacræ Regulæ Benedicti, quantum humana permittit fragilitas.* Can. 13. Ne Monialibus quidem alia tunc quàm Benedicti Regula erat proposita: *Quæ verò professionem sanctæ Regulæ Benedicti fecerunt, regulariter vivant; sin autem, canonicè vivant, &c.* Infrà demonstrabitur, Sanctimoniales admodum omnes, quæ beati Benedicti Regulam non amplectebantur, Canonicas fuisse, sine voto, sine professione.

II. Eodem anno celebratum est etiam Concilium Remense II. ubi & Pastoralis liber Gregorii Episcopis perlectus est, Canones Canonicis, Regula beati Benedicti Monachis. Can. 8. 9. *Lecti sunt Canones ut quisque Canonicus legeret vitamque suam minimè ignoraret.* Et loci & temporis summa illa fuisset opportunitas legendæ Augustini Regulæ, si hujus ævi Canonici ei fuissent obnoxii: sicut Monachis inculcata ibi est Benedicti Regula. *Lecta est Regula sancti Benedicti, ut ad memoriam reduceretur Abbatibus, qualiter se & suos secundùm eandem Regulam gubernare valerent.* In Concilio III. Turonensi ejusdem anni restituta est pristino honori, primævæque observantiæ eadem Regula in omnibus Monasteriis, ubi olim floruerat; cùm præjudicatum id tunc esset Canonicorum potius quàm Monachorum Cœnobia fuisse illa, ubi ea non dominata aliquando fuisset. Can. 23. *Monasteria Monachorum, in quibus olim Regula beati Benedicti conservabatur.* Manifestius id quoque fit ex Concilio Cabilonensi II. ejusdem anni, ubi dicitur, omnes pene ejus Provinciæ Monachos Regulæ beati Benedicti devinctos fuisse: *Quia pene omnia Monasteria Regularia, in his regionibus constituta, secundùm Regulam sancti Benedicti se vivere fatentur.* Can. 22.

Cùm omnes Regni sui Episcopos Carolus Magnus in hæc quatuor aggregasset Concilia, jam nemo in dubium vocare potest, quin tam late pateret Regulæ Benedicti authoritas quæda ii summa, quàm imperium Caroli Magni. Similiter etiam Conventus Aquisgranensis Abbatum anno 817. non aliud ferè, quàm varia ejus Regulæ Capita innovavit illustravitque, non sine novis quibusdam necessariæ tum prudentiæ & charitatis delinimentis. Verbi gratia, ut carnes esitare liceat quatriduo tum in festo Natalis Domini, tum in Paschà. Can. 78. Denique Concilium II. Aquisgranense sub eodem Ludovico Pio habitum anno 836. generalem edidit Constitutionem, ut Canonici omnes subjicerentur Regulæ Canonicorum, quæ in primo Aquisgranensi Concilio compilata fuerat, & Monachi similiter omnes Regulæ beati Benedicti. Can. 15. *Monachi verò secundùm traditam unanimiter à beato Benedicto Regulam, regularem vitam sectentur.*

III. Erat quod stuperemus, celebratissimas olim tot Regulas alias usque adeo intercidisse, ut ne earum quidem memoria propemodum superesset ulla. Nisi succurreret animo, in illa Ecclesiarum Regnique ruina generali, dum Chlodovæi domus concideret, cum Clero & ordine Monastico absorptas quoque fuisse Regulas illas pene omnes, cùm vitiorum infanda colluvies per universas Galliarum Provincias restagnaret. Cùm verò Carolinæ familiæ Principes Regnum Ecclesiamque cœperunt in pristinam revocare formam & pulcritudinem, ut Clero proposita est Regula Chrodogangi, seu Concilii Aquisgranensis, ita & Monachis Regula beati Benedicti, illa ipsa quæ ante labem illam jam celebrabatur, illa quam Crodogangus ipse Canonicis aptare tentaverat: illa denique quam inspirasse credebatur & dictasse Spiritus sanctus, Canonicarum omnium Legum author & parens, ut loquitur Concilium II. Duziacense. *Spiritus sanctus per beatum Benedictum, eodem Spiritu quo & sacri Canones conditi sunt, Regulam Monachorum edidit.* Anno 874.

In Italia verò Benedicti Regulæ subditos fuisse omnes Monachos, ne in controversiam quidem duci poterat. Concilium Ticinense anni 855. sub Ludovico Imperatore duas non amplius Regulas approbabat, Canones pro Canonicis, Regulam Benedicti pro Monachis & Monialibus. *De Monasteriis autem virorum, seu fœminarum, quæ secundùm Regulam sancti Benedicti vel secundùm Canonicam authoritatem debent esse disposita.*

IV. Constat nihilo tamen minus maximè insignem Benedicti Regulæ propagatorem fuisse Benedictum Anianæ Abbatem in Narbonensi Gallia ortum, seu Linguæ Occitanæ regione. Accivit eum in Franciam Ludovicus Pius, & ea illi amplissima Latifundia, ea summæ authoritatis præsidia contulit, quibus opus esset, ut duodecim construeret Monasteria, veluti quædam Regulæ hujus propugnacula, ad perfectionem Monasticam muniendam. *Hic est Benedictus, per quem Dominus Christus in omni Regno Francorum Regulam sancti Benedicti restauravit.* Du Chesne Hist. Franc. To. 3. p. 388. Invisa fuerant & perlustrata priùs à Benedicto hoc Monasteria omnia, perpensæque Regulæ & leges quibus regerentur, tum ex iis omnibus

una consarcinata fuerat, quæ omnes complecteretur, & quam ipse omnibus à se fundatis Monasteriis præstitueret: *Dedit cor suum ad investigandam beati Benedicti Regulam, eamque ut intelligere posset, satagens, circuivit Monasteria, peritos quosque interrogans quæ ignorabat, & omnium Sanctorum, quascumque invenire potuit, Regulas congregavit, normamque utilem & Monasteriorum consuetudines didicit, suisque eas tradidit Monachis observandas.*

Hæc altera verò responsio est, ad eam quæstionem, quò denique evasissent tot aliæ Regulæ, quarum non mediocris antè fuerat fama, nunc obscura gloria. Alter hic Benedictus omnibus Galliarum Monasteriis generaliter præpositus, Regulas illas omnes undique conquisitas compilavit, conflavit in unam, ut id Benedicti Regulæ supplementum esset, consuetudinibus cujusque Monasterii præclarioribus eo congestis: cui rei ipsius Ludovici Pii Imperatoris accessit confirmatio. In eum modum additæ & consociatæ fuere cum beati Benedicti Regula Regulæ omnes vetustiores, ita ut non minùs deinceps ponderis hæc Benedicti Anianæ Abbatis *Regularum concordantia* habuerit, quàm ipsa princeps Regula beati Benedicti. *Præfecit eum Imperator cunctis in regno suo Cœnobiis, ut sicut Aquitaniam Gothiamque normâ salutis instruxerat, ita etiam Francos salutifero imbueret exemplo, &c. Ut sicut una omnium erat professio, fieret etiam omnium Monasteriorum salubris una consuetudo, jubente Imperatore aggregatis Cœnobiorum Patribus, unà cum compluribus Monachis, per plures resedit dies. Omnibus ergo simul positis Regulam ab integro discutiens, cunctis obscura dilucidans utiles consuetudines, affectusque confirmavit, &c. Quas minus Regula pandit consuetudines, assentientibus cunctis protulit. De quibus etiam Capitulare institutum Imperatori confirmandum præbuit, ut omnibus in Regno suo positis Monasteriis observare præciperet. Cui protinus Imperator assensum præbuit, inspectoresque per singula posuit Monasteria, qui utrum ea quæ visa fuerant, observarentur, inspicerent.* Ibid. p. 395.

V. Hoc certè Capitulare est, quod legere est in libro I. Additionum ad Capitularia Caroli Magni, capitibus sexaginta duobus contextum, quod auctor est Leo Ostiensis observatum fuisse non minùs sanctè & religiosè, quàm ipsam B. Benedicti Regulam. *Sexaginta duo generalia Capitula constituit, quæ omnia apud nos perinde ferè ac si Regula sancti Benedicti observantur.* Hist. Cass. L. 1. c. 18. Ex quo elucet, non aliter obscuratas à Benedicti Regula Regulas cæteras, quàm quòd ei insertæ & implicatæ quodammodo fuerint. Possent dici ea quoque ratione immortaliter vivere, quòd ex eis optima quæque in suam transtulisset sanctus Benedictus. Ita præfatus est Anianæ Abbas Benedictus in Concordantiam suam Regularum: *Cœpi Regulas legere Patrum, quas dum sagaci intentione percurrerem, & eadem penè quæ à sancto Benedicto prolata sunt verba in quibusdam locis, in quibusdam verò sensum eundem cognoscerem, &c. Beatus Benedictus suam à cæteris assumpsit Regulam, & veluti ex manipulis unum strenuè contraxit manipulum.* Ergo Regulæ omnes beato Benedicto anteriores, ejus Regulæ ab eo innexæ sunt, posteriores verò omnes Capitulari Benedicti Anianæ Abbatis intextæ.

VI. Labefactata rursum Caroli Magni prosapia, una concidit Regni & Ecclesiæ, Cleri & Monastici status disciplina. Tum verò circa annum scilicet 912. Berno Abbas benevolentia fretus Vuillelmi Aquitaniæ Ducis, Cluniacensem Abbatiam in Burgundia excitavit, ubi reviviscentis Monasticæ disciplinæ fundamenta rursus ponerentur. Ea est Odilonis Cluniacensis Abbatis V. sententia, in vita sancti Majoli prædecessoris sui. Gigniacensis Abbas fuerat Berno, & ex Comite Monachus factus, amplissimum Comitissæ parentis suæ patrimonium in fundationem & dotem contulit Monasterii Cluniacensis.

Exinde fuit Cluniacensis Abbatia novum caput instaurati Ordinis sancti Benedicti in Gallia, quòd ibi natales & velut cunabula fuissent novæ Congregationis, innumerabilia penè Monasteria non multò pòst complexæ, sub uno Capite & Generali Abbate. Præluserat & quasi prætentaverat rem Benedictus Anianæ Abbas, ut omnia Monasteria in unum consociaret, at ejus præfestino obitu in nihilum abierant ejus conatus præclarissimi. Nec dissimulandum tamen hunc amplissimum Cloniacensis Monasterii principatum, Galliæ finibus circumscriptum fuisse. Sic innuit Ordericus Vitalis his verbis: *A Cluniacis, quorum authoritas inter nostrates Monachos maximè præcellit.* Script. Norman. p. 393. Cassinensi enim in Italia Abbatiæ suus semper incolumis illibatusque in omnia Occidentis Monasteria vendicabatur principatus honoris & gloriæ. Et quidem cùm ad Cassinense Monasterium profectus esset sanctus Odilo Cluniacensis Abbas, rogatusque Missarum solemnia celebrare cum pastorali sacroque Abbatum baculo, eo potestatis insigni uti constantissimè recusavit præsente Abbatum Abbate, hoc est, Abbate Cassinensi. *Longè refugit dicens, Nequaquam dignum esse, contra fas esse, quempiam Abbatum manu pastoralem præferre virgam, ubi Benedicti Vicarium, Abbatem scilicet omnium Abbatum esse contingeret.* Leo Ostien. Chron. Cass. L. 2. c. 54. & 97. Eam honoris prærogativam contulit Romanus Pontifex Abbatibus Cassinensibus, ut supra Abbates omnes alios sederent in Conventibus omnibus, tam Principum, quàm Episcoporum. *In omni Episcoporum Principumque Conventu superiorem omnibus Abbatibus sedem, & in Consiliis eorum priorem sententiam firmavit.* Pontius Cluniacensis Abbas cùm Romæ Concilio adesset, unà cum Abbate Cluniacensi, & illam quoque nominis gloriam sibi arrogaret, ut Abbas diceretur Abbatum, fractus tandem est pondere & evidentia rationum, pro Cassinensi Abbate militantium, cui Pontifices quoque eum titulum integrum uni servaverunt, quòd è Cassino Regula in omnem se orbem effuderit. L. 4. c. 62.

VII. Sed non intra Benedicti Regulæ cancellos cohiberi potuit fervor perficiendæ & ad summum apicem impellendæ Monasticæ perfectionis. Romualdus longè plurimorum in Italia cœtuum auspex parensque fuit, qui invias asperrimasque solitudines Anachoretarum gregibus frequentarunt. Ann. 974. Scripsit Romualdi vitam Petrus Damiani, scripsit & Apologiam. Confestim enim his Anachoretis summæ ad perfectionis culmen eluctantibus obtrectari cœptum est, quòd semitam tenerent, quam non præmonstrasset, non tenuisset B. Benedictus: quódque suo cœtui adgregarent Monasteriorum B. Benedicti desertores. His ora obthurabat Petrus Damiani hoc responso, caveri à B. Benedicto, ne Abbates alii aliorum Monachos admitterent, dum cogniti sibi mutuò essent. *Caveat Abbas, ne aliquando de noto Monasterio Monachum ad habitandum suscipiat sine consensu Abbatis sui.* L. 6. Ep. 124. Sed Priores Anachoretarum ea prohibitione non implicari: inconcussam illam enim semper viguisse in Ecclesia doctrinam; post diuturna cœnobiticæ vitæ tyrocinia fas esse ad solitudinis perfectionem eniti: denique ipsummet

Benedictum id coarctatum esse, nonnisi rudibus se & incipientibus Regulam scribere, quibus opus est quibusdam vitæ communis rudimentis initiari, ut possint aliquando numeris omnibus in Desertorum otio absolvi & perpoliri. Audi ipsa beati Benedicti verba, ut à Petro Damiani allegantur. *Regulam autem hanc descripsimus, ut hanc observantes in Monasteriis, aliquatenus vel honestatem morum, aut initium conversationis nos demonstremus habere. Cæterùm qui ad perfectionem conversationis festinant, sunt doctrinæ sanctorum Patrum sectatores quarum observatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis.* Unde ideo Petrus hoc edicit, eam fuisse Benedicti mentem, hoc consilium, ut lacte quodam vitæ communis alliceret incipientes; ut eo infantiæ cibo paulatim roborati, assuescerent cibo solidiori contemplationis, inter Solitarios in antrorum secessibus degustandæ. *Vides igitur quia Doctor insignis in Monasterio quidem constituit bonæ conversationis initium, sed post ad sublimioris vitæ in sancta Religione provocat institutum. Ut illic honestè vivere, moresque componere, velut in convalle primæ conversationis incipiat, deinde jam spiritualibus exercitiis roboratus, tanquam à lacte ad solidum cibum transiens, verticem perfectionis ascendat.* Denique Benedictus ipse inter Anachoretas meruerat primum, non sine singulari fervoris fama: at modi impatiens charitas illum postea impulit, ut temperatius aliquid scriberet, instillaretque incipientibus, ut & ipsi eo blandimento ad culmen perfectionis gradatim conniterentur. *Benedictus Eremi cultor extitit, &c. Dispensativè constituit prius Monasterialis vitæ planitiem, ut illic disciplinæ flagellis atteriti, & exercitiis roborati jam faciliùs conscendamus ad eremi arcem.*

VIII. Enucleatiùs hic aliquid dicendum est de potestate ea generali, qua Ludovicus Pius instruxit Anianensem Abbatem Benedictum. *Præfecit eum Imperator cunctis in Regno suo Cœnobiis.* Intra Galliæ ergo limites septa fuit ea authoritas. Sed quæ jura, quæ privilegia fuerint Abbatis hujus, seu Præpositi Generalis, non satis video unde expiscari possimus. Non enim simile veri est, omnia Galliæ Monasteria in unam Congregationem adunata fuisse, cui præesset hic Abbas, præfuturique essent ejus successores in perpetuum. Nusquam existunt vestigia hujus confœderationis perpetuæ plurium Abbatiarum sub uno generali Abbate; ne umbra quidem ulla successorum Benedicti hujus in universalem illam Præfecturam. Vidimus Capitula quædam Generalia Abbatum, seu Conventus Abbatum & Monachorum generales Regni Gallicani: sed in his nullus eminebat, nullus suopte quasi jure præerat aliis omnibus. A Principe convocabantur, & universim Episcopis suberant. Ideo & quæ ibi statuebantur, Imperatorum Capitularibus implicabantur, & statutis Conciliorum. Proximè ergo ad verum accedit, hanc generalem Præposituram Anianensi tunc Abbati commendatam, personæ ejus illigatam fuisse, & extraordinario muneri, quo tunc ille fungebatur, in unam & sanctiorem formam redigendi omnia Galliarum Regularia Monasteria.

IX. Erant compluribus Abbatibus præter princeps Monasterium suum Cellæ, vel Cellulæ, & Obedientiæ quandoque plures. Ea erat ejusmodi potestas & ditio, quæ ad successores manaret, & in omnem æquè porrigeretur spiritalem temporalemque administrationem. Verùm hæ Cellæ ne Monasteria quidem erant, nedum Abbatiæ. Modici erant & jejuni Conventus, quinque sexve Monachorum: immo ab origine Firmæ quædam fuerant, seu villæ agrestes. Id genus erant Cellæ, quas Hugo Caroli Magni filius obambulabat, ut Abbatiæ suæ quasdam appendices & villas: *Cùm quadam die Hugo secundum morem, Abbatiæ suæ Cellas causa providentiæ & ammonitionis circuiret, devenit in Franciæ terras, ubi multæ Cellæ erant sub ditione Novaliciensis Cœnobii erectæ.* Abbatia Novaliciensis. Du Chesne. To. 2. pag. 249. Infrà copiosiùs de his Cellis, quæ in Beneficia tandem aliquando evaserunt.

X. Ergo prima omnium Congregatio fuit Cluniacensis, quæ plura Monasteria, pluresque Abbatias sub unius Abbatis imperio adgregavit. Berno qui primus eam instituit, paulò ante obitum suum, duos sibi successores ex discipulis suis delegit, eorum utrique plurima demandans regenda Cœnobia. Bibl. Clun. pag. 9. 10. Alter eorum fuit B. Odo, Cluniacensis Abbas II. & Generalis Præpositus Monasteriorum Galliæ, Aquitaniæ, Hispaniæ, nonnullorumque Romæ circumjacentium, ut initio ejus vitæ perhibetur. *Abbas ordinatus, Franciarum, Aquitaniarum, Hispaniarumque partium atque Romanæ urbis circumstantium Cœnobiorum, effectus est dux & pater dulcissimus.* Ibid. p. 15. Hic ille est Odo, cui successorum unus Petrus Venerabilis, adgratulatus est, quòd Monastici Ordinis penitus collapsi restaurator fuerit, & proximam post Benedictum & Maurum palmam meritò consequutus sit. *Venias post magnum Benedictum & ejus discipulum Maurum, summus Ordinis Monastici in Galliis reparator, præcipuus Regulæ reformator Odo. Odo, inquam, primus Cluniacensis Ordinis Pater, qui emortuum jam & pene ubique sepultum Monastici propositi fervorem resuscitare suo conamine aggressus est.* Ibid p. 58. Petr. Vener. L. 6. Ep. 15. Itaque eò Præpositi Generales fuere Ordinis Monastici Cluniacenses Abbates, quia primævæ & purioris disciplinæ restauratores. Vix ambigi potest, quin sanctissimi viri Benedictus & Maurus, dum adviverent, Præfecturam generalem gesserint Monasteriorum omnium, quæ ipsi extruxerant. Sed ea potestas ad successores non est propagata, quòd ea omnia Monasteria in unum veluti corpus glutino perpetuo non essent coagmentata, uti ea quæ Abbati postea Cluniacensi paruerunt.

XI. In Ecclesia porro Græca tradit quidem Balsamon tam non licere Monacho per Canones duas obtinere Abbatias, quàm nec Clerico duas Ecclesias, vel duo Beneficia: sed excipiendos esse Ordinum Monasticorum Generales, quorum Monasteria in unum coeunt corpus, & in unum quodammodo Monasterium conflantur: cui non potest nisi unum esse caput. *Si non permittitur alicui, ut sit Clericus in duabus Ecclesiis, nec Præfectus seu Abbas duobus Monasteriis præerit. Quod autem Pantocratorenus Præfectus præsit multis Monasteriis, Canoni non adversatur, multa enim Monasteria ut unum reputantur; quòd per accessionem ad Pantocratorenum redeant.* Balsam. in Nomocan. Tit. 1. c. 20.

Habemus hîc ergo Generales Ordinum inter Monachos Græcos, quod fieri vix aut nec vix poterat sine umbra saltem quadam privilegii & exemptionis. Horum enim Generalium potestas, rivulus quidam necessariò erat potestatis Episcopalis. Sed nec Monasticus status consistere poterat sine his exemptionum rudimentis: nec paterna charitas Episcoporum ejusmodi gratias poterat denegare. Expostular idem Balsamon, quòd sola Abbatum licentia migrarent Monachi à Monasteriis aliis in alia: etsi per Canones assensione potiùs opus sit Episcopi, quàm Abbatis, quòd impensiùs obnoxii sint Monachi voluntati Episcopi, quàm Abbatis: *Episcopi enim magis subjecti Monachi, quàm Monasteriorum Præfectis.*

Narrat Anastasius Bibliothecarius Theodorum Studitam, illum doctrinæ & sanctitatis laude celeberrimum, duorum Regiorum Monasteriorum factum esse Abbatem. *Spicil. To. 3. pag. 23.* *Duorum Imperialium, insigniumque Cœnobiorum, Studii videlicet & Saccudiorum constitutus est Abbas.* Quasi dicat factum esse Generalem duorum istorum Monasteriorum, & Cellarum, si-quæ illis subessent.

XII. Diversitas autem Ordinum vel Regularum nulla aut rara apud Balsamonem. Ut Clerus idem ubique, & unus, & sui simillimus erat, cui Regula in Canonibus. Præsides in Episcopis erant: ita & Monasticus Ordo unus ubique, & sibi arctissimè cohærens, Episcopisque quàm Abbatibus subjectior devinctiorque, nulla Regularum diversitate discretus. Canones ipsi tam apud Monachos, quàm apud Clericos Regulæ vim & pondus habebant. Si vacat legere Titulum XI. Nomocanonis Photii, & in eum quæ commentatur Balsamon, perspicuè liquebit Regulas omnes Monachorum regiminis à Canonibus Conciliorum & Legibus Imperatorum repetitas fuisse. Extant & apud eundem Balsamonem Interrogationes & Responsiones factæ sub Patriarcha Nicolao circa regimen Monasteriorum, & in his vel maximè elucet, non aliam ubique in ore, & in auctoritate esse Regulam, quàm Canones.

Cùm prohibuisset Concilium Trullanum, ne ad Altare accederent, qui Clerici non essent, declaratum est Monachos id posse, dum ne quam Ordinum ibi functionem explerent: at Novitios Monachorum id non posse, per triennium illud sui primum tyrocinii, quòd needum Monachi, sed laici adhuc sint. *Sin autem propter probationem, convenienter Canonibus, vestes Monasticas induit, quas etiam intra triennium deponere ei permissum est, non ingredietur ad sanctum altare pro ulla causa, ut qui nondum in Ordinem Monachorum est relatus, sed adhuc est laicus.* Hic nimirum communis est usus Græcorum Latinorumque, quanquam contrarius vetustissimæ consuetudini, qua jubebatur ut tempus probationis in sæculari veste ageretur, utque induenda veste Monastica tacitè professus quis censeretur. Quò plus cæteris Balsamon in antiquioris disciplinæ usibus versatus erat, tantò alienior erat ab his novitatibus, quæ paulatim irrepserant. *Mihi autem videtur non posse quispiam qui sanctas vestes nullo modo unquam indutus est, eas abjicere & habere ludibrio. Non enim debet cum vestibus Monasticis probari, sed cum habitu laico. Et ideo omnibus qui sacra veste induti sunt, erit absque præjudicio aditus ad sanctum altare, ut qui ne in laici quidem locum venire possint.*

Multas etiam ad Monasticum statum spectantes Constitutiones edidit Concilium Constantinopolitanum, quod à Græcis appellitatum est primum
*Can. 5.* & secundum. Cautum ibi est, ne quis Monastica indueretur veste, nisi triennio probatus; nisi sicui mors proximè immineret, vel siquis in veste sæculari nullum non virtutis specimen edidisset; his enim sex mensium probationem posse sufficere. Observat tamen Balsamon complures in Monasteria ingredi solitos, tum nigris uti vestibus, [illegible], in Ecclesiam admitti dum Trisagium decantatur, nominaque mutare; & quoniam tamen mos erat, ut nonnisi post triennium tonsura insignirentur Monastica, contendisse eos hoc toto temporis spatio sibi fas esse resilire in sæculum: contrà tendentibus aliis probationem non fieri nisi in habitu sæculari, ideoque non Novitios, sed verè Monachos fuisse illo triennio, quo in sæculari veste non erant, etsi needum essent Monasticam consecuti Tonsuram.

XIII. Possem & innumera alia id genus coacervare testimonia, quibus constaret Monasteriorum disciplinam apud Græcos Conciliorum Canonibus regi solitam, ut sanctissima eorum Regula. Hinc efficitur nullas apud Græcos fuisse ejusmodi Congregationes, quales apud recentiores Latinos post Cluniacum. Nec satis mihi liquet an Generales illi, quos attigi, eadem armati essent potestate, ac Latini, in suæ ditionis Monasteria. Hinc forrasse illa morum labes in Monasteriis Græcorum tempore Balsamonis. Fatetur enim ipsemet nulla amplius vitæ communis vestigia superesse apud Græcorum Monachos, quæ adhuc magnopere vigebat apud Latinos. *Et hæc quidem Leges & Canones. Hodie autem parum quid eorum, vel propemodum nihil fit. Nam neque Monachi Monasteriorum virorum simul habitant, neque ascetriæ. In solis autem mulierum cœnobiis servatur hæc communis simul vivendi ratio & habitatio. Apud Latinos autem huc usque servatur ea vita ratio. Omnes enim Monachi simul comedunt & dormiunt.* *In Synod. Carthag. c. 47.*

Non Regularum Basilii & Antonii despectui & conculcationi hic imputatur corruptela Monasticæ Disciplinæ, sed Canonum & Legum: ut ex quibus verè consurgat Regula Monastica. Ideo nec unquam hæ Regulæ Basilii, Antonii, Pachomii, & aliæ id genus inculcantur vel in Conciliis Græcorum, vel in Canonum interpretibus; ut Benedicti Regulam tam frequenter & tam enixè commendant Concilia Ecclesiæ Latinæ.

Et sanè nullam beato Antonio ascribit Regulam Hieronymus, sed septem tantùm Epistolas ad diversa Monasteria scriptas. *Misit Ægyptiacè ad diversa Monasteria Apostolici sensus sermonisque Epistolas septem.* *De illustr. Script. c. 88.* Immo & Athanasius narrat in beati Antonii vita, poposcisse ab illo aliquando alumnos suos *Institutoria præcepta*; nec quidquam ab eo esse responsum, quàm sufficere debere Evangelium. *Cap. 15.* Ex omnibus priscis Eremi Patribus soli Pachomio Gennadius aliique Scriptores antiqui Regulam adscripsere; & Basilio, cui ipsi Tractatus & Constitutiones potius quàm Regulam antiqui vendicant. *Gennad. de Script. c. 7.* Regulæ tamen nomen illis tribuitur à beato Benedicto ipso, & à Gregorio Turonensi. *Reg. B. Bene. c. 73.* Ex verbis tamen beati Benedicti colligitur, solam Basilii Regulam ei cognitam fuisse. *Greg. Turo. L. 10. c. 29.* *Collationes Patrum & instituta & vita eorum, sed & Regula sancti Patris nostri Basilii, &c.* *Reg. B. Bene. c. 73.* Una ergo Basilii Regula poterat vim & nomen Regulæ in Oriente sortiri. Sed cùm ea conscripta fuisset à summo summique nominis Archiepiscopo, spectabantur semper in Oriente Constitutiones Episcoporum & Conciliorum, ut certissimæ Monachorum Regulæ.

XIV. Supersunt pauca de Inclusis & Eremitis. Trullana Synodus non alios patitur Inclusos, quàm qui in Monasteriis id vivendi genus triennio observaverint, & rursus anno uno extra Monasterium soli egerint, & ab omni hominum contubernio alieni. *Cap. 41.* Tum demum enim includi permittuntur. Scitè Balsamon observat quadriennii probatione opus esse, ad hoc instituti genus. Eremitæ verò, qui urbes oppidaque adibant, nigra veste & promissis capillis: jubentur ab hac eadem Synodo ingredi in Monasteria, ubi eadem tam tonsura, quàm veste utantur ac reliqui Monachi; vel procul aufugere in remotas solitudines, ut ne unquam cum sæcularibus congrediantur. *Cap. 42.* Eremitas etiam omnes

ablegavit

Conc. Gal. To. 2. pag. 156. ablegavit Carolus Magnus in Monasteria: *De Anachoretis melius est, ut hortentur in Congregatione permanere, quàm animus eorum alicubi ambulare tentet.* Inclusos passa non est Francofordiensis Synodus ullos, nisi illos diu probassent, ipsique inclusissent Can. 12. Episcopi vel Abbates. *Ut Reclusi non fiant, nisi quos aut Episcopus Provinciæ, atque Abbas comprobaverint, & secundum eorum dispositionem in reclusionis loco ingrediantur.*

## Quàm obnoxia Episcopis, & subjecta essent Monasteria.

## CAPUT XXVI. *P. 1. l. 1. c. 48.*

### Quàm subessent Monachi & Monasteria Episcopis Presbyterisque per priora quinque sæcula Ecclesiæ.

*I. Suberant Episcopis Monachi, ut qui ab illis geniti in Christo essent verbo veritatis, æquè ut fideles omnes.*

*II. Suberant & tanquam fundatoribus plerumque Monasteriorum.*

*III. Ut à quibus alebantur.*

*IV. Non possunt nisi Episcopali authoritate fundari Monasteria.*

*V. Multa Monasteria à privatis fidelibus, vel à Monachis ipsis fundata fuere.*

*VI. Suberant & Monachi Episcopis, ut à quibus Regulam accepissent.*

*VII. Universim prima & princeps causa hujus subjectionis Monachorum, est divinitus instituta Episcoporum authoritas in omnem Christi gregem.*

*VIII. Verba Hieronymi aurea, de observantia summa Monachorum in Episcopos & Clericos.*

*IX. Ut Clerici omnes quodammodo in Apostolorum locum successerint.*

*X. Quo fundamento nitatur Presbyterorum potestas in Monachos. Consensio Corporis Christi naturalis & mystici.*

*XI. Nunquam Parochus fuit Hieronymus, etsi secus sentire videatur Sulpitius Severus. Dissensionum Joannis Hierosolymitani Episcopi, & Hieronymi Presbyteri.*

*XIII. Episcopus solus Ecclesiæ præest, ut Caput & Princeps.*

*XIV. Erant Monasteriis sui Presbyteri ex proprio gremio.*

*XV. Nova quædam argumenta observantiæ Hieronymi in Clericos.*

*XVI. Lis sopita inter Episcopum Forojuliensem & Lerinensem Abbatem. Quod tunc jus Commune, & in quo juxta illud potestas Episcoporum in Monachos collocaretur.*

*XVII. Sanctissimi Monachi subjectionis & obedientiæ mirum exemplum.*

*XVIII. Imperium Episcoporum, maximè in Monachos clementia & charitatis suavitate condiendum est.*

*XIX. Episcopi Abbates deligebant.*

I. QUi ad Ordines & ad Ministeria sacra vocabantur Monachi, novis quidem hi vinculis strictiùs illigabantur obsequio Episcoporum: sed & ipse per sese status Monasticus jam à potestate & imperio Episcopali pendebat, etiam ut à Sacerdotio sejunctus; pendebatque tantò constantiùs, quantò virtutea omnes quo præcellentiores, eo & modestiores, sibique viles sunt, & tum à Deo, tum à potestatibus omnibus divinitus in Ecclesia maximè constitutis pendent.

Præcones fuere Episcopi, quà Apostolorum successores, non Præceptorum tantùm, sed & Consiliorum Evangelicorum; ex quo fit, ut Magistri & parentes fuerint eorum omnium, qui se Christianæ perfectionis apicem sectari professi sunt. Quos ita nobilissimis natalibus ornarunt Episcopi, domibus postea secessui aptis, legibusque & Regulis donaverunt.

II. Ad nauseam usque jam inculcata à nobis sunt Monasteria Ambrosii in suburbio Mediolanensi, Eusebii in Ecclesia Vercellensi, Martini apud Turonum, Basilii in Ponto & Cappadocia, Augustini & Fulgentii in Africa. Hinc perspicuum fit Episcopos longè plurimorum extructores fuisse, & dotatores Monasteriorum. De his omnibus & de plerisque aliis dici potest Episcopis, quod de Martino scripsit Severus Sulpitius, si Monachorum duo millia ejus exequiis affuerint, prolem ejus dumtaxat & spiritalem stirpem affuisse. *Monachorum ad duo millia convenisse dicuntur, specialis Martini gloria, cujus exemplo in Domini servitutem stirps tanta fruticaverat.* Epist. 3. Docuit jam nos Hieronymus in Epitaphio Marcellæ, Athanasium in Italiam primum detulisse vitam superstitis adhuc Antonii, quam litteris mandarat, eoque quasi cœlesti igne conflagrasse Romam, lapsu temporis Occidentem totum, unde tot eruperunt postea Monasteria.

Augustinus Hippone Monasteria utriusque sexûs condidit, Presbyteros eis præfecit, moriensque Ecclesiæ suæ successoribusque dimisit, tanquam fundatas ab Episcopis ædes sacras. Ita manifestè Possidius ad calcem ejus vitæ. *Clerum sufficientissimum & Monasteria virorum ac fœminarum continentiaro cum suis Præpositis plena Ecclesia dimisit, unà cum Bibliothecis, libros & tractatus, vel suos, vel aliorum Sanctorum habentibus.*

Invidiam faciebant Augustino Donatistæ, vel præter spem suam potius summum illi gloriæ cumulum adjiciebant, ex eo quod status Monastici fundamenta posuisset: *Arguens me, quod hoc genus vitæ à me fuerit institutum.* Contra Lit. Petil. l. 3. c. 40. Eodem tempore cœperant esse Carthagine Monasteria: *Cùm apud Carthaginem Monasteria esse cœpissent.* Retract. L. 2. c. 21. Ex his Monachis cùm alii exemplo & doctrinæ Apostoli obsequentiores, opere manuum vitam sustentare se gauderent: alii socordiam inertiamque suam hoc fuco prætexerent, quòd cùm jugi orationi incumberent, fidelium oblationibus pascendi essent: *Alii se suis manibus transigebant, obtemperantes Apostolo: alii vero ita ex oblationibus religiosorum vivere solebant, ut nihil operantes unde necessaria vel haberent, vel supplerent. &c.* Augustinus hanc litem, quæ ipsos etiam inter se laicos commiserat, elucubrato *Opusculo de opere Monachorum* compescuit. Paucis his jam quæ protuli Augustini verbis, patet jam tum Monachos partim suis se transegisse manibus, partim fidelium victitasse oblationibus, quæ Episcoporum largitati non immeritò adscribi poterant, ut qui eas à Clero in eos derivari & detorqueri paterentur. Quod ergo de Ambrosii Monachis & de ipso eorum altore dicit Augustinus, ad nutrimenta etiam corporalia trahi potest. *Erat Monasterium Mediolani extra urbis mœnia sub Ambrosio nutritore.* Confession. L. 8. c. 6.

III. Etsi autem Augustinus in eo libello de Opere Monachorum testatum faciat percupere se, ut tam latè per Africam, quàm in aliis Orbis Christiani Plagis propagentur Cœnobia: *Propositum vestrum tam bonum, tam sanctum, quod in Christi nomine cupimus, sicut per alias terras, sic per totam Africam pullulare.* De Opere Mona. c. 28. Non dissimulat tamen, nec celat illos, quàm jure tenerentur aliquam saltem sustentationis suæ partem labore & arte quapiam sua parare: cùm ordinarii Sacramentorum & Verbi Ministri non essent. Si enim Ministri altaris de altari vivant, ea *non mendicitas est, sed potestas.* Cap. 15. At cùm hi Monachi essent obscurissimæ plerumque stirpis, & ab aratro ad Claustra migrassent, ut sacerdotalia

non poterant munia defungi, ita nec quæ sacerdotii propria sunt jura & vectigalia, usurpare. *Nunc* Cap. 22. 23. *autem veniunt plerumque ad istam professionem ex conditione servili, liberti, ex vita rusticana, ex opificum exercitatione, &c. Temere sibi arrogant quòd ejusmodi habeant potestatem. Si enim Evangelistæ sunt, habent; si Ministri altaris, dispensatores Sacramentorum, bene sibi istam non arrogant, sed planè vendicant potestatem, &c.* Dixi cogi eos ab Augustino aliqua saltem ex parte labore manuum parare sibi quo vescantur: propterea quod Monasteria Regularis observantiæ aliquam dumtaxat diei partem labori manuum dicabant, reliquam orationi & lectioni.
Cap. 29. *Per singulos dies certis horis, quantum in bene moderatis Monasteriis constitutum est, aliquid manibus operari, & cæteras horas habere liberas ad legendum & orandum.* Præterquam quod, ut infrà commonstrabitur, multi semper Monachi justis de causis laboris immunes erant. Necesse ergo erat, ut alendis Monasteriis largè succurrerent fideles, quæ rursum largitas dici poterat Episcoporum, quorum nutu & imperio dispensabantur fundi reditusque Ecclesiastici omnes.

IV. Repetenda nobis est à Concilio Calchedonensi authoritas invictissima, qua persuadeatur, authoritate & consecratione demum Episcoporum fundandis dotandisque Monasteriis robur & stabilitatem inconcussam adjici. *Quæ semel ex voluntate Epis-* Can. 24. *copi dedicata sunt Monasteria perpetuò manere Monasteria, & res quæ ad ea pertinent, Monasterio reservari, nec posse ea ultra fieri sæcularia habitacula.* Residet penes Episcopos solos sacerdotalis plenitudo potestatis, quæ rerum ipsam potest vertere naturam, ex profanis sacra, ex sæcularibus Ecclesiastica facere, & hanc consecrationem declarare irretractabilem.

V. Nec tamen inficias ire quisquam potest, quin quanquam Episcopis accepta feratur plurimorum fundatio & dotatio Monasteriorum, præsertim in urbibus & circa urbes: eorum fuerit tamen innumerabilis quædam multitudo, quæ vel Monachi ipsi, vel fidelium pietas, vel liberalitas Regum Reginarumque à fundamentis excitarit. Author vitæ Euthymii Lauras ab eo & Monasticas ædes extructas complurimas fuisse prodit; voluisse privatos aliquos in partem venire aliquam & impensarum & meritorum: denique Imperatricem ipsam Eudoxiam, dum inter invias solitudines bene multa excitat Monasteria, sempiternum sibi Palatium in cœlis exædificasse. Id ipsum observare est in vitis Antonii, Hilarionis, Pachomii, Theodosii, Sabæ & tot aliorum, pœnitentiæ & perfectionis Evangelicæ signiferorum, quorum opulentissimus paupertatis thesaurus exhauriri non potuit in excitandis alendisque Cœnobiis penè innumeris; cùm autem Laïcorum etiam auxiliares sibi largitates accedere patiebantur, non tam eorum opibus ipsi ditescere, quàm illos locupletari à se posse confidebant, mirando prorsus inito cum pauperibus Christi commercio divitum.

VI. Cùm ergo fundationis jure omnia prorsus Monasteria subjecisse non possint sibi Episcopi: cùm rursus antiquissimi illi Monachi illiterati & rudes maxima ex parte essent, ideoque à Clericatu alieni, nec eo nomine Episcopis subjiciendi: venandum nobis est fundamentum aliud generalius, quo subjectio hæc tam necessaria universim astruatur. In mentem venire non injuria posset, Regulas Monachis ab Episcopis traditas, qui illorum proinde ut Legislatores, ita & magistri ac parentes fuerunt. Eam Basilii laudem extollit Nazianzenus: *Monasti-* Orat. 20. *carum legum institutiones, partim voce, partim scripto tradita.* Sed ante Basilium frequentissima fuerant per Orientem universum Monasteria, nec degere ea sine Regulis ac præceptionibus potuere. Cùm distinguat hic Nazianzenus Regulas scriptas & non scriptas: fingere sibi quis posset ante Basilium Ægypti & Palæstinæ Monachis non fuisse Regulas, nisi vivæ vocis oraculo promulgatas, inscriptasque tabulis immortalibus cordium, moribusque & usibus sanctissimorum innumerabiliumque Monachorum. At quo argumento extundemus, authores fuisse Episcopos earum legum viventium? Non me præterit Athanasium consuetudine Antonii usum fuisse familiarissimè, & invisendi scriptitandique quadam cum eo reciprocatione delectatum esse, sicut & cum aliis Deserti luminibus. Vitam quoque ejus scripsit, eaque per Occidentem didita instar sementis fuit, unde opulentissima seges effloruit. Sed non inde evinci potest, quòd Regulam Monachis Athanasius dederit. Ut summùm conjecturæ sunt non aspernandæ. Certum est Re- Epist. 109. gulam ab Augustino scriptam fuisse, sed Sanctimonialibus Monasterii ejus Hipponensis.

VII. Hinc ergo illud existit, quandiu non alia Regula quàm Evangelio ipso utebantur Monachi, eos Episcopis subjectissimos fuisse, divina hujus Regulæ authoritate, cùm sint Episcopi successores Apostolorum, & Christi Vicarii in sua quisque Diœcesi. Sive scriptæ autem postea, sive non scriptæ accesserint Regulæ, non potuit illis Evangelicæ Regulæ tantò sanctiori & vetustiori præjudicari quidquam aut derogari. Denique in Canonibus Conciliorum & Decretis Pontificum ea resplenduit Monasticæ norma politiæ & Regula, cui nullæ obstreperent exceptiones.

VIII. Quantùm observarent colerentque Monachi, non Episcopos tantùm, sed Presbyteros, & Clericos demum omnes, præclarissimè adnotavit Hieronymus, ita ut eorum ratione habita, ne à Laïcis quidem sese ipsi discernerent. *An de Clericis* Ad Heliod. de vita eremitica. *aliquid audeam dicere, qui certè in suis urbibus commorantur? absit ut de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus. Qui claves Regni cœlorum habentes, quodammodo ante diem judicii judicant, qui sponsam Domini sui sobria castitate conservant. Sed alia Monachorum est causa, alia Clericorum. Clerici pascunt oves, ego pascor. Illi de altario vivunt, mihi quasi arbori infructuosæ securis ponitur ad radicem, si munus ad Altare non defero. Mihi ante Presbyterum sedere non licet; illi si peccavero, licet tradere me Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit.*

IX. Non mihi tempero, quin hic aliqua observem, non facilè, non oscitanter prætereunda. De Clericis universim loquitur Hieronymus, illosque ait Ordini, gradui & potestati Apostolorum successisse. Christus sanè Ordines omnes Clerumque universum in Apostolis suis primùm parturivit, quippe universum in se præcontinebat ipse cum tota Sacerdotii plenitudine. Eam plenitudinem effudit ille in Apostolos, Apostoli in Episcopos in postera semper sæcula propagandam. Cùm igitur Clerici ordinatione sua partem veluti decerptam ex Sacerdotio perceperint, pro suo quisque gradu: in partem etiam aliquam adsciti sunt Apostolicæ successionis & potestatis. Minores ipsi Or-

dines, qui Ecclesiastica ab institutione dimanasse tam multis, nec inductis videntur: sunt tamen in radice veluti quadam sua & origine institutionis divinæ, quæ delibationes sunt Diaconatûs, qui jam ipse tertius est Sacerdotii gradus, & portio Hierarchiæ divinitus constitutæ. Hinc ergo illa sanctissima Hieronymi & priscorum Monachorum religio & observantia in Clericos omnes.

X. Juvat rursus in eodem Hieronymi testimonio illud advertere, nullum ab eo discrimen interponi Laïcos inter & Monachos, quando eorum comparatio instituitur aliqua cum Clericis, maximè verò cum Presbyteris Episcopisque. Fatetur Monachos Clericis subditos, immo & vectigales, denique eorum obnoxios jurisdictioni. Ejus rei mira quidem, sed & solidissima hæc ratio est. Quibus potestas est tam divina, & quam ne mente quidem, nedum verbis assequi possimus, in corpus proprium & naturale Christi, ut illud pariant ad aras, illud dispensent, illud indignis subducant, illud dignis impartiantur: non possunt angustiorem aut jejuniorem in ejusdem Christi corporis membra mystica exercere authoritatem. Et qui fieri posset, ut non eadem potestas penes illos esset in Monachos, æquè ac in Laïcos: cùm hos illosque ex æquo genuerint per baptismum, omnes ex æquo pascant beentque cælesti veritatis & carnis Christi pane; denique cùm omnibus indiscriminatim cælestia regni fores aut occludant, aut pandant. Hæc sanè omnia luculentè complexus est Hieronymus contextu supraposito.

XI. Presbyteratu postea initiatus fuit Hieronymus ipse, posset & Parochus dici Ecclesiæ Bethlehemiticæ, si certa in eo fides Severo Sulpitio addi

Dial. 1. c. 9. posset. *Bethlehem oppidum petii, Ecclesiam loci illius Hieronymus Presbyter regit, nam Parochia est Episcopi, qui Hierosolymam tenet.* Adjicit inexorabilis eum censuræ suæ ne Clericos quidem subductos voluisse, ideoque subiratos ei illos ferè fuisse: *Oderunt eum Clerici, quia vitam eorum insectatur & crimina.* Non satis mihi liquet, an de dissidiis capi id debeat inter Joannem Episcopum Hierosolymitanum ortis & Hieronymum. Sed in Epistolis ea de re ab Hieronymo scriptis perspicuum est, & ipsum, & fratrem ejus Paulinianum, quamvis Presbyterii Ordine aucti fuissent, Parochialis Ecclesiæ clavum nunquam administrasse. Id verò in eum scopum hîc refertur, ut constet etiam tum cùm æstuarent maximè dissensiones, nunquam Hieronymum detraxisse quidquam de ea reverentia, quam Monachi, etiam Presbyteri Episcopis impendere coguntur. Expostulabat Joannes de contumacia Hieronymi & Pauliniani. Responsionis Hieronymi summa hæc est, Subjici se Episcopis, à quibus ordinati sint; si flagitet autem Joannes, ut eum non aliter colant, quàm si ab eo ordinati fuissent, se quidem ad humillima ejus obsequia venturos, quibus laïci fideles in Episcopos funguntur; at quod ad functiones sacerdotales spectat, nullo se earum contemplatione obligari novo obsequio, cùm iis nec fungantur, nec fungi velint: immo nec cogi possint ut velint, cùm invitis & renitentibus sibi ingesta sit ordinatio, ac vehementer contestantibus, integram se suam sibi servare libertatem, eam scilicet quam solitudinum incolæ sibi vendicant, in secessu agendi, & otii hujus cælestes quasdam delicias anteponendi eminentioribus quibusque Cleri dignitatibus. *Si de*

Ad Pamma. adv. error. Ioa. Hierosol. *Pauliniano tibi sermo est, vides eum Episcopo suo esse subjectum, versari Cypri, ad visitationem nostram interdum venire, non ut tuum, sed ut alienum, ejus videlicet, à quo ordinatus est. Quod si hic etiam esse volueris, & in exilio nostro quietus in solitudine vivere, quid tibi debet, nisi honorem, quem omnibus debemus Episcopis? Fac à te ordinatum; idem ab eo audies, quod à me misello homine Episcopus Paulinus audivit. Num rogavi te, ut ordinarer? Si sic Presbyterium tribuis, ut Monachum nobis non auferas, tu videris de judicio tuo. Si autem sub nomine Presbyteri tollis mihi, propter quod sæculum dereliqui, ego habeo quod semper habui, nullum dispendium in ordinatione passus.* Paulinianus ergo ab Epiphanio ordinatus Presbyter non aliter illi suberat, tametsi Monachus, quàm cæteri Presbyteri. Si collibitum verò ei fuisset sedem sibi Hierosolymis defigere, tam integrum ei fuisset, quàm Hieronymo, dum cessaret ab officio quocumque sacerdotali: quod ut attingeret, cogi neuter poterat à Joanne Episcopo, propterea quod præter voluntatem & reluctabundus fuerat uterque ordinatus.

XII. Pergit porro ibidem Hieronymus edisserere, ut Presbyteri Monachi venerarentur Presbyteros ad Parochiarum gubernacula sedentes, & ipsos multò impensiùs Episcopos. Ait enim quanquam essent quinque Presbyteri in Monasterio Bethlehemitico, adduci tamen eos non potuisse, ut quadraginta eorum baptizarent, qui terrore cælestis cujusdam portenti consternati ad Ecclesiam confugerant, & enixissimè flagitabant salutari confestim expiari se lavacro. Illos omnino ad eos remisere Presbyteros, quos Joannes in Monasterio constituerat Bethlehemitico. *Ante paucos menses cùm obscurato Sole circa dies Pentecostes omnis mundus jam jamque venturum judicem formidaret, quadraginta diversæ ætatis & sexus, Presbyteris tuis obtulimus baptizandos.* Ibidem. *Et certè quinque Presbyteri erant in Monasterio, qui suo jure poterant baptizare, sed noluerunt quidquam contra stomachum tuum facere.* Non dissimulat Hieronymus in potestate fuisse quinque illorum ex Monachis Presbyterorum, ut baptismum conferrent: *Suo jure poterant baptizare.* Unde facilè, nec improbabiliter conjicias, needum tunc Episcopos Parochosque concitatos aut inflammatos fuisse adversùs Monachos super administratione Sacramentorum. Id quippe præstabat horum in illos veneratio & obsequendi vehemens proclivitas, ut & illi his lubentissimè copiam facerent administrandorum Sacramentorum, quoties ad eos ea de causa Laïci confugerent.

XIII. Suggeritur & aliud in subsequentibus mox verbis argumentum. In Hieronymum & Paulinianum excandescebat Joannes, quasi violenter sacerdotii munia invaderent & involarent; quippe qui ab alio, quàm à seipso Diœcesano eorum Episcopo ordinari non potuissent. Ab illis ergo altare aliud, thronum alterum excitari in Ecclesia, regnumque usurpari. Eam calumniam uno verbo difflat Hieronymus; non regnare in Ecclesia nisi Episcopos; tam alienos ergo se esse à Regno, quàm ab Episcopatu ambiendo. *Si proprium defendimus principatum, ostende nos in Parochia tua habere Episcopum.* Hoc responso paret Episcopum unum, Principem esse & Caput Diœceseos; & quandocumque Presbyteri omnes Diœceseos, sive Regulares, sive sæculares, ipsi uni assurgunt, ipsi uni conglutinantur ut Capiti, nihil paci, nihil unitati publicæ imminere periculi in administratione Sacramentorum. Certè Canones complurimi cavent, ne Episcopi alii in aliorum ditionem sacram quidquam moliantur: at non perinde laboratum est per priora hæc sæcula de

Parochorum aliorum in alios usurpatione prævertenda.

XIV. Totus hic porro Hieronymi sermo labefactare prorsus videtur illam Severi Sulpitii narrationem de Hieronymo, quasi Parochi nomine & authoritate Hierosolymitanam Ecclesiam regente. Hic ipse autem Joannes Episcopus, qui tam inclemens erat in Monachos, Monachus ipsemet erat, teste Hieronymo ipsomet in Epistola ad Theophilum adversùs errores Joannis Hierosolymitani. *Monachus, proh dolor! Monachis minatur & imperat exilium: & hoc Monachus Apostolicam Cathedram habere se jactans.* Epiphanius ipse quoque easdem abstergens, quæ in ipsum redundabant, Joannis calumnias: præ humilitate & verecundia Hieronymum & Vincentium affirmat à celebrandis Mysteriis omnino abstinuisse: id numerosæ Monachorum Congregationi, & dolori fuisse & detrimento: ea justissima causa adductum se fuisse, ut Paulinianum Presbyterum ordinaret, non in Parochia quæ Episcopo Hierosolymitano subesset, sed in Monasterio. *Cum vidissem quia multitudo sanctorum fratrum in Monasterio consisteret, & sancti Presbyteri Hieronymus & Vincentius propter verecundiam & humilitatem nollent debita nomini suo exercere sacrificia, & laborare in hac parte ministerii, quæ Christianorum præcipua salus est, &c. Quanquam in Monasterio ordinaverim, & non in Parochia quæ tibi subjecta sit.* Cœperant ergo Monasteria Presbyteros non habere, nisi ex ipso grege Monachorum delectos: antea enim longè aliter sæ res habuerat.

*Epist. Epiph. ad Joannem Hierosol.*

XV. Alio certè loco Hieronymus testatissimom fecerat suam erga Clericos omnes summam quandam reverentiam, & quàm demissè, quibus ubsequiis æquum sit ut Monachi Pastores parentesque suos in Christo colant. *Quasi non quidquid in Monachos dicitur, redundet in Clericos, qui Patres sunt Monachorum. Detrimentum pecoris pastoris ignominia est. Sicut è regione illius Monachi vita laudanda est, qui venerationi habet Sacerdotes Christi, & non detrahit gradui, per quem factus est Christianus.* Eadem ipsa penè verba fuere sanctissimorum olim Monachorum in Concilio Constantinopolitano sub Flaviano Actione quinta adversùs Eutychetem habito; ubi contestati sunt se Ecclesiæ filios esse, nec alium sibi esse posse sub Deo Patrem, quàm Archiepiscopum. *Nos verò & Ecclesiæ filii sumus, & unum Patrem post Deum habemus Archiepiscopum.* Hanc unam Hieronymus ab Episcopis desiderabat moderationem in explicando imperio suo in Monachos, Meminissent se Patres esse, non dominos, & imperium gestare charitatis non terroris atque tyrannidis. *Contenti sint honore suo: Patres se sciant esse, non dominos, maximè apud eos qui spretis ambitionibus sæculi, nihil quieti & otio præferunt.*

*Ad Furiam de viduitate servanda.*

*Con. Calch. Act. 1.*

*Epist. Hieron. ad Theoph. adv. Joann. Hierosol.*

XVI. Hic lenitatis idem & charitatis instinctus animabat omnino agebatque Episcopos Concilii Arelatensis III. ubi compositæ sunt dissensiones Theodori Episcopi Forojuliensis, & Fausti Lirinensis Abbatis. Ad hunc enim modum utriusque jura temperata conciliataque sunt. Statutum est, ut Clerici omnes Lirinenses ordinari non possent, nisi à Theodoro, vel ab iis quos ille delegasset: ab eo Chrisma, ab eo Confirmatio susciperentur: ne ad Communionem & ad Altaris ministerium admitterentur extranei Clerici, nisi eo permittente. Laïci porro Monasterii in solius Abbatis potestate essent, nec posset Episcopus quenquam eorum ordinare, nisi petente Abbate. Sic ab Episcopo Clericorum pendebat ordinatio: at quicumque expertes & vacui Ordinum essent, in ditione erant & potestate solius Abbatis, citra cujus assensum ordinari non poterant. *Ut Clerici atque Altaris Ministri à nullo nisi ab ipso Theodoro Episcopo, vel cui ipse injunxerit, ordinentur: Chrisma nonnisi ab ipso speretur. neophyti si fuerint, ab eodem confirmentur: peregrini Clerici absque ipsius præcepto in communionem, vel ad ministerium non admittantur. Monasterii verò omnis laïca multitudo ad curam Abbatis pertineat, neque ex ea sibi Episcopus quidquam vendicet, aut aliquem ex illa Clericum, nisi Abbate petente præsumat. Hoc enim & rationis & religionis plenum est, ut Clerici ad ordinationem Episcopi debita subjectione respiciant: Laïca verò omnis Monasterii Congregatio ad solam & liberam Abbatis proprii, quem sibi ipsa elegerit, ordinationem, dispositionemque pertineat.*

*Conc. Gall. To. 1. p. 120.*

Ejusmodi erat non privilegium celeberrimæ Abbatiæ ab Episcopis concessum, sed jus commune, quod tunc temporis in usu erat. Observant enim Episcopi hujus Concilii Leontium Theodori prædecessorem ad eundem se gessisse modum, & intemerata fide servari debere Regulam sanctissimi Monasterii hujus fundatoris. *Hoc tantummodo vindicaturus, quod decessor Leontius Episcopus vindicaverat, &c. Regula quæ à fundatore ipsius Monasterii dudum constituta est, in omnibus custodita.* Ex hac ergo Synodali Constitutione emicat, potestatem temporalem penes unum fuisse Abbatem: & quoad spiritalem, obnoxium fuisse Episcopo Monasterium. tum quòd nisi ejus nutu & arbitrio haberi non posset Ordinatio, Chrisma, Confirmatio, tum quòd nec extranei admitti possent, nisi eo annuente Clerici. Cæteroqui omnia administrabat Abbas, vel jure communi, vel consensione certissima Episcopi, quæ in jus commune evasisset.

XVII. Seu sanctus Ephremius, sive quivis alius scriptor vitæ Anachoretæ sanctissimi & prorsus mirandi Abrahami, is certè narrat ab hoc solitudinis & sacri otii ac silentii amatore constantissimo, perdiu restitum fuisse Episcopo, qui Presbyteratu illum, & Cura atque Præfectura sacra Vici, quem soli incolebant Pagani, onerare meditabatur. Tandem aliquando obedientiæ cessit humilitas, cùmque pulcherrima hæc verba in aures Abrahami intonuisset Episcopus: *Cùm universa compleveris, agnosce te obedientiam, quæ cunctis virtutibus eminet, non habere:* fracta est ejus contumacia prior, cessit imperio Episcopi, creatus est Presbyter, & tanta fidei constantia, tam invicta animi fortitudine in horum conversionem Paganorum incubuit, ut omnes tandem in Ecclesiæ gremium, omnes ad sacrum baptismi lavacrum perduxerit. At postquam legi obedientiæ satis à se factum esse arbitratus est, primævo abreptus silentii & solitudinis amore, clam secessit aufugitque, & Episcopum coëgit ei Parochiæ alium præficere.

*Vita Patr. Rosweid.*

XVIII. Tantò luculentior hic obedientia ab Anachoreta Abrahamo impensa est Episcopo, quantò eam is precibus, & hortamentis eblandiebatur, aliisque paternæ charitatis lenociniis, quæ propria forma est & summa laus Imperii sacerdotalis. Ita sentiebat Hieronymus in Epistola ad Theophilum adversùs errores Joannis Hierosolymitani. *Amari parens & Episcopus debet, non timeri. Non amaris Monachos tibi esse subjectos, ideo magis subjectos habes. Tu offers osculum, illi colla submittunt. Exhibes militem, & ducem impetras. Quasi unus in pluribus es, ut sis unus ex pluribus. Cito indignatur libertas, si oppri-*

*mittur. Nemo plus impetrat à libero, quam qui servire non cogit. Novimus Canones Ecclesiasticos, non ignoramus ordines singulorum, &c.* Episcopi ex Hieronymi sententia, patres sunt, non heri: Pastores, non dominatores subditorum: optatius illis esse debet amari, quàm timeri; lubentiùs eis ceditur, qui minus exigunt: obtemperant propensiùs, qui minimè coguntur: ea porro subjectio ex animo, tantò firmior est, quò liberior: diuturna non est servitus, quæ extorquetur. Sed singulari decet Episcopos esse teneritudine, & charitate erga illustriores eos Ecclesiæ filios, qui conculcatis sæculi pompis & voluptatibus, approbaverunt tam non esse in rebus humanis quod extimescant, quàm quod ambiant. *Non novit terrori natio ista succumbere; & impendenti gladio magis cervices, quam manus subjicit. Quia enim Monachorum exul patria, non exul est mundi, &c. Contenti sint honore suo Episcopi: Patres se sciant esse non dominos, maximè apud eos, qui spretis ambitionibus sæculi, nihil quieti & otio præferunt.*

L. 2. XIX. Studitarum Abbate apud Constantinopolim mortuo, narrat Theodorus Lector Patriarcham Timotheum eò profectum, ut Abbatem alium, vel ut alia habet editio, Episcopum ordinaret. Qui ordinandus erat, non est assensus Ordinationi, nisi postquam Timotheus Calchedonensi se Concilio adhærere professus est. Ordinatio hic bis exprimitur voce χειροτονίας: unde augurari quis posset Episcopum pro Abbate ordinatum fuisse. Nec desunt ejus rei exempla. Utcumque se id quidem habeat, at indubium hinc fit in potestate fuisse Episcopi, ut vacantibus monasteriis Abbates daret. Qua de re infrà suo loco copiosiùs

---

## CAPUT XXVII. *P. 3. l. 1. c. 34.*

### Ut Monachi & Monasteria ab imperio Episcopi penderent sæculo VIII. IX & X.

*I. Argumenta varia ut ab Episcopo penderent Monachi ex Conciliis.*

*II. Argumenta alia ejusdem obedientiæ.*

*III. Episcopi Monasteria persæpe ipsi fundabant, & hinc novi ut ea juris accessio.*

*IV. Vel succedebant juri fundatorum.*

*V. Sine præjudicio Ecclesiæ Cathedralis Monasteria fundabant.*

*VI. In Oriente non poterant Fundatores Monasteria sua eximere potestati omnium Episcoporum.*

*VII. Episcopus sub ditione, non in proprietate sua habebat omnia Monasteria.*

*VIII. Potestas Monachorum ad Confessiones, & Ordinationes, ad Tonsuram & Professionem Monachorum.*

*IX. Argumenta alia obnoxiæ Episcopis Monachorum sortis.*

I. Nullis circumscribitur limitibus in Concilio Verno anni 755. spiritalis Episcoporum potestas in Regulares, sicut nec in Clerum, & in Laïcos. Can. 3. 5. *Ut unusquisque Episcoporum potestatem habeat in sua Parochia, tam de Clero, quam de Regularibus, vel sæcularibus, ad corrigendum & emendandum secundùm ordinem Canonicum spiritalem, ut sic vivant, qualiter Deo placere possint.* Si repugnet quis Episcopo, confugiendum est illi ad Metropolitanum: cujus potestati si quis rebellet, adeundum est Provinciæ Concilium. Denique si quorum contumacia non frangatur Concilii authoritate, eos Monasterio abigendos statuitur, quod Monachis aliis obsequentioribus commendetur, Concilii & Regis voluntate. *Tales in eodem loco in ipsa Synodo constituantur, per verbum & voluntatem Domini Regis, vel consensu servorum Dei, qui secundum ordinem sanctum ipsum gregem regant.* Concilio Francofordiensi cautum est, ne eligi possit Abbas, post impetratum etiam Regis consensum, nisi approbante Episcopo. *Ut Abbas in congregatione non eligatur, ubi jussio Regis* Can. 17. *fuerit, nisi per consensum Episcopi loci illius.* Utque possent Episcopi observantiæ Monasticarum Constitutionum imminere, jubentur in hoc Concilio Regulam & Canones perdiscere: hoc est Regulam beati Benedicti. *Ut Episcopum Canones & Regulam* Can. 20. *non liceat ignorare.* Cùm enim eæ tum partes essent Episcoporum, ut excubarent & in Clericos ad Canonum, & in Monachos ad Regulæ observantiam religiosissimam, utraque hæc illis gemina peritia pernecessaria erat.

Ideo & in Concilio Moguntino anni 813 Episcopi Monachos & Abbates compulerunt ut pollicerentur & in se reciperent, nullis se unquam causis sæcularibus, litibusque implicatum iri, nisi ex consensu & cum consilio Episcopi. *Monachi ad sæcula-* Can. 11 12. *ria placita nullatenus veniant, neque ipse Abbas sine Consilio Episcopi sui, &c.* Jussi sunt hoc eodem in Concilio Episcopi circumlustrare Monasteria omnia tum Monachorum, tum Canonicorum & Monialium, unà cum Missis Dominicis extraordinariè in Provinciam delegatis, ut explorarent, an Regulæ beati Benedicti consentirent omnia; utque siquid obstreperet, id amolirentur, præsertim in iis quæ ad claustrum, sive clausuram regularem pertinebant. *Ut Missi per quaque loca directi, simul cum Episcopis* Can. 20. 21 *uniuscujusque Diœcesis perspiciant loca Monasteriorum, Canonicorum pariter & Monachorum, similiterque puellarum, &c. Si Claustrum firmum habeant, &c. Ubi autem aliter inventum fuerit, hoc omnimodis Episcopus loci ipsius faciat emendari.* Denique adhortata est hæc Synodus, ut Monasteriis omnibus instarent, quò ab eis eligeretur, & tum denique accuratissimè observaretur, vel Regula Canonicorum secundùm Canones, vel Professio Monachorum secundùm Regulam beati Benedicti. *Episcopus sciat, quantos quisque Abbas Canonicos habeat in suo Monasterio, & hoc omnino ambo pariter provideant, ut si Monachi fieri voluerint, regulariter vivant: sin autem, canonicè vivant omnino*

II. In Concilio Parisiensi VI. anni 829. sub Ludovico Pio, sancitum est, ut Abbates Canonicorum siqui immorigeros se & contumaces Episcopo præstarent, cum consensu Principis in Concilio Provinciæ exauthorarentur: *Abbates Canonicorum* Can. 37. *si Episcopo suo superbiendo obedire renuerint, Synodali judicio aut corrigantur, aut certè Principali authoritate interveniente, honore Prælationis priventur.* Concilium II. Aquisgranense sub eodem Ludovico Pio, anno 836. Abbates Canonicorum & Canonicos ipsos præcipit, tantò impensiùs obsequi subjicique consilio & authoritati Episcoporum, quantò ei suos rationes reddendas vitæ & disciplinæ totius non nesciunt. *In quantum tum ipsi Abbates, Abbatumque* Can. 8. 2. *subjecti, Episcopis propriis pro se suisque omnibus rationem reddituros noverint: tanto eorum consilio atque authoritate modis omnibus mancipentur.* Et quod ad Abbates Monachorum spectat, statuit hæc Synodus, ut novo quodam fervoris æstu Regulari disciplinæ & pietati se dedant, nec ullis se innectant causis, sive sæcularibus, sive Ecclesiasticis, nisi consulto & assentiente Episcopo. *Et neque sæcularibus, neque Ecclesiasticis negotiis, nisi in causa necessitatis, accepta tamen propria civitatis Episcopi licentia interesse.*

Hinc dilucet arctiùs cohæsisse & paruisse Episcopis

Canonicos cum suis Abbatibus, quàm Monachorum Abbates cum Monachis suis. At quanquam Monachis plerumque permitterent interiorem Monasterii disciplinam Episcopi, juridicè tamen illos visitabant quandoque, & accuratissimè in omne eorum regimen inquirebant. Ita manifestè declarat Concilium ad Saponarias sub Carolo Calvo, anno

Can. 9. 859. *Ut Congregationes Canonicorum, & Monachorum, ac Sanctimonialium secundùm Canonicam institutionem à propriis Episcopis strenuè visitentur, & eorum religio & habitus exquiratur, si vita & moribus sint probi, &c.*

Datis ad eundem Carolum Calvum Epistolis Adrianus II. Papa submonet illum de generali illa Ecclesiæ lege, quæ omnia prorsus Monasteria jurisdictioni subjicit Episcopali: contestaturque plerisque Monasteriis extremam perniciem non aliunde acceleratam quàm ex sanctissimæ hujus legis vio-

Conc. Gall. To. 3. p. 401. latione. *Nostis enim quia omne Monasterium in potestate Episcopi esse debet, juxta Canonicam authoritatem, & quia hoc est transgressum, ideo plurima Monasteria habentur destructa, sicut Monasterium Turonis, &c. Monasterium majus, &c.*

Ideo & quotannis poterat Episcopus Abbates omnes suæ ditionis in unum congregare locum, ut siquid præter Regulam tentatum usquam fuisset, id protinus emendaretur. Accipe quid in eam rem

L. 6. c. 136 edicant Capitularia Caroli Magni: *Abbates pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant. Et si quid extra regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur. Qui semel in anno in loco ubi Episcopus elegerit, accepta vocatione conveniant.* Ibidem prohibentur Monachi longinquis se committere peregrinationibus,

L. 5. c. 25 licentia Episcopi non impetrata. *Monachos per unamquamque civitatem & regionem subjectos esse Episcopo suo, &c. Nec Monasteria propria deserant, nisi fortè eis præcipiatur propter opus necessarium ab Episcopo civitatis.* Sine litteris Episcopi, tam non poterant Monachi, quàm Clerici, finibus Diœceseon exce-

L. 6. c. 130 dere: *Clericis, vel Monachis sine commendatitiis Epistolis Episcopi sui licentia non pateat evagandi.* Ideo & duo illi Ferrariensis Abbatiæ Monachi, qui Romam ad limina Apostolorum profecti sunt, quo sua Deo vota exolverent, litteras antè dimissorias acceperunt, tum ab Episcopo, tum ab Abbate suo. Verba Archiepiscopi Ganelonis Senonensis istiusmodi

Lupi Epist. 101. 102 erant: *Romam proficisci orandi studio destinarunt, & nostra Abbatisque sui Lupi licentia accepta propositum exequuntur.* Lupi autem Abbatis Ferrariensis istiusmodi: *Romam proficisci supplicatum statuisse, & Antistitis memorati ac nostro permissu, quod exoptaverant adimplere.* Idem ipse Lupus cùm magnopere cuperet, Monasterii Altisiodorensis Monachum sibi cum primis utilem diutiùs in Monasterio suo retinere, scripsit ad Episcopum Altisiodorensem, cujus necessaria erat assensio eo maximè tempore, propterea quod non multò antè Episcopus generali mandato Monachos omnes jusserat in claustrum

Epist. 19 Mabillo. Anal. to. 2. pag. 82. suum remigrare. *Qui congregari undique fratres, vos præcepisse comperiens, celsitudini vestræ hos direxi apices, postulans ut & hunc mihi aliquandiu concedatis.* Cùm Monasterio à se constructo Abbatem præficere vellet Rambertus Episcopus Brixiæ, Aganonem Bergomatem Episcopum per litteras oravit, ut Maginardum sibi Monachum meritis & virtutibus clarissimum donaret. *Rogans ut concederemus Maginardum Presbyterum & Monachum, ut eum Abbatem ordinares.*

III. Erant Monasteria non pauca ab ipsis extructa & dotata Episcopis: hinc juris novi accessio, ut Episcopis subessent. Id genus erat quod Nivardus struxerat Remis, dotaveratque rebus ante Episcopatum partis. Subjecit illud ipse successoribus suis, & hoc insigne illi privilegium contulit, nullo uti privilegio, sed Episcopo subjici, committique, ut amico, ut parenti, ut Ordinis Monastici custodi & conservatori. *Constituto Monasterio, quidquid possessionum ante Episcopatum fuerat visus habere, ad ipsum locum tradidit. Privilegium quoque contulit, ut scilicet ipse Præsul idem Monasterium in sui juris dominatione, dum adviveret, conservaret, & ut post suum decessum Remensis Episcopus idem Monasterium gubernet, & eosdem Monachos contra omnes adversitates defendat.* Flodoard. Hist. Rem. L. 2. c. 7. Istiusmodi rursus erat Monasterium Avenoacum, ab Hincmaro & Regina Irmentrude dotatum, fundis adsignatis ad viginti Clericorum & quadraginta Monialium sustentationem. *Significans se dispesuisse Viginti Clericos, & quadraginta Nonnas ibidem consistere posse.* Ibidem. L. 2. c. 27. Sicut olim Nivardus Antivillarense Monasterium Ecclesiæ Remensis opibus fundisque dotaverat. *Ostendens quod Nivardus Monasterium Antivillarense de rebus Ecclesiæ Remensis construxerit.* L. 3. c. 11. Concessit idem Hincmarus Episcopo Diaconum Monachum Abbatiæ Remensis, *Quem eidem Episcopo id petenti ad ordinandum & regendum committit.* Abbatiam sancti Remigii Remensis Archiepiscopi ipsi fundaverant. Permirum illud est, quod à Vuillelmo Malmesburiensi narratur, Athelvoldum ex Abbate Abendoniensi Vintoniensem Episcopum creatum, tot extruxisse Monasteria, ut tantis expensis vix pares esse possent Reges. *Tot & tanta Monasteria fecit, quod vix modo credibile videatur, ut talia fecerit Episcopus urbis unius, qualia vix posset Rex Angliæ totius.*

IV. Optimates & opulentissimi quique Monasteriorum fundatores, post immensas opes in eorum structuram & dotem effusas, cùm aliquandiu ipsi cum prole voluptatem fructumque cepissent ex eis, jus tandem suum omne non rarò in Episcopos, & in Ecclesias Cathedrales transferebant. Ita in hæc Cœnobia duplici jure muniebantur Episcopi. Id genus fuit Monasterium, quod Evrardus Marchio suis in latifundiis construxit. Præfuit illi post ejus mortem Rodolphus Abbas filius ejus, velut hæreditario jure. At postea ipse paulò ante mortem jus suum illud omne in Ecclesiam Cathedralem Remensem transcripsit. *Quod prædium post ejus obitum ad filium ipsius Rodulfum Abbatem hæreditario jure devenerit, qui res ipsas simul cum memorati Martyris gleba, vita sua diebus absque ulla contradictione tenuerit; & de sæculo migraturus, easdem res cum Monasterio, & corpore sacro, Remensi sanctæ Dei Genitricis Ecclesiæ delegaverit, eandemque rerum suarum hæredem instituerit.* Flodoard. L. 4. c. 24.

V. Tantò proniores erant Episcopi & liberiores ad struenda dotandaque Monasteria ex Ecclesiæ reditibus agrisque, quòd Ecclesiam ipsi suam priùs hæreditariis suis agris dominiisque largissimè donatis locupletaverant. Exemplo esse potest sanctus Meinvercus Paterbornensis Episcopus, qui in sua hac civitate Canonicorum Abbatiam condidit, & in dotem illi decimas Ecclesiæ suæ assignavit, cui de patrimonii sui opibus centies tantùm & amplius contulit. *Ne alieni successorum suorum non bona voluntatis viro, neque amorem Dei in corde suo retinenti, mensa sua stipendia Episcopus diminuisse videatur, sciat eum has decimas & de hæreditariis & de acquisitis bonis centies restituisse.* Surius die 5. Junii, c. 122. Sive ergo Ecclesiæ bonis de pa-

trimonio suo compensatis, sive expenso ipso patrimonio Episcopi construerent Monasteria, poterant ubique ea legare, ac speciali nexu subjicere successoribus suis, præter illam universalem legem, qua invictissimè Monasticus Ordo Episcopali Ordini subjicitur.

VI. Venio ad Ecclesiam Græcam, ubi siquam fundatores Monasteriorum conditionem fundationi ipsi inseruissent, sacris Canonibus infestam, & ei subjectioni, qua suos Monachi venerari debent Episcopos: irrita illa erat ipso jure. *Nota ex Novellis hic insertis, quod statuta quæ fiunt à fundatoribus, servantur, nisi adversentur Canonibus.* Et mox: *Dic his notatis, consistere non posse, quæ in statutis & à fundatoribus scribuntur, ut locorum Antistites nullam omnino partem habeant in Monasteriis à se ædificatis. Similiter nec Acta Antistitum, quæ continent eos qui eis succedent Episcopos, nihil juris habituros in Monasteriis; & quæ eam ob causam propter transgressionem intentantur ab eis segregationes, tanquam à ratione alienas, in ipsorum capita redituras.* Ita Balsamon, qui id exprimit alibi ex Canone Calchedonensi, ubi tamen occurrunt limites, quibus astrui poterunt legitimæ privilegiæ inferiùs disceptanda. Tradit enim voluntates fundatorum nullius esse ponderis, quando Monasteria, Xenodochia, vel Ecclesias subducunt Patriarcharum & Episcoporum potestati: propterea quòd Congregationibus sacris omnibus illud natura sua insitum sit, ut Episcopis subjiciantur. *Clerici ergo, vel Monachi, qui dicunt hodie, se Patriarchæ vel regionis Episcopo non esse subjectos, tanquam sint liberi Monasterii, vel Ecclesiæ, proferentes utique etiam à fundatoribus factorum statutorum ordinationes, quid ad hæc respondebunt? Omnino nihil. Etiamsi quis fundator Monasterii, vel Ecclesiæ in statutis suis, vel ordinatione sua decreverit non subjici eorum Monachos vel Clericos regionis Episcopo, non audietur, ut qui divinis sacrisque Canonibus contraria statuerit.* Legitima privilegia alicui semper Episcopo subjiciunt, quidquid usquam est Monasteriorum.

*In Novell. Tit. 2. c. 2.* — *In Can. 8. Con. Calch.*

VII. In Concilio Constantinopolitano, quod Photii gregales primum & secundum dixere, denudatur ars turpissima & fraudulentia eorum qui Monasteria construebant, & nulli subesse volebant Episcopo, ut eorum & dominationem & proprietatem sibi semper posterisque suis vendicarent. *Se eorum quæ consecrata sunt, dominos inscribunt, & sola appellatione Deo dedicare machinantur.* Cui malo ut occurreret hoc Concilium, vetuit ut in posthac fas esset construi Monasterium: nisi interpellato & consentiente Episcopo, cujus in manus deponerentur fundationis Chartæ, ut ne fundator quidquam posset decerpere, vel sibi arrogare eorum, quæ Deo ipsemet devovit, aut verò Abbatis nomen sibi induere; qua de re aliàs.

*Can. 1 apud Balsamon. pag. 349.*

Additur & illud à Balsamone, quanquam Chartarum fundationis custos, & Monasteriorum defensor sit Episcopus, non esse tamen eorum dominum vel proprietarium, nec pro arbitrio suo cui volet ea posse donare. Liberum est enim Monasterium, suique juris, ut ne possit quidem alienari; nec ex eo ad Episcopum quidquam redeat, nisi Episcopalia jura, nimirum potestas examinandi & judicandi reos, invigilandi in Ministros Altaris, Præpositum constituendi, jubendi ut nomen suum in sacris Diptychis recitetur. *Ex hoc Canone non est Episcopo concessum, potestatem in id Monasterium obtinere, tanquam ad ejus Ecclesiam dominii jure pertineat. Sed habet in eo tantum jura Episcopalia. Ea autem sunt delictorum animæ examinatio, observatio eorum qui illa administrant, ejus nominis relatio, & Præfecti ordinatio. Conservabitur ergo Monasterium liberum & per se degens, non alienabile, nec donabile.*

VIII. Postremò denique disertis verbis pronuntiat Balsamon, Monachos Presbyteratu ornatos non posse vel Confessiones excipere, vel peccata remittere, nisi permittente Episcopo: at eos qui Presbyteri non sunt, ne eo quidem permittente posse: quanquam non semel hi atque illi, perfrictissimæ frontis viri id auderent. *Quare nota, quod qui sine Episcopali permissione hominum confessiones excipiunt sacrati Monachi, malè faciunt; multò autem magis non sacrati. Ii enim cum permissione Episcopi possunt tale quidquam exercere.* Ex quibus argumentatur Balsamon, in eo Monasterio ubi Abbatem necesse erat Confessiones audire Monachorum, necesse fuisse ut Abbas Presbyter fieret.

*In Can. 6. Carthag.*

Erant quibus videretur non posse Abbates vel vestem vel tonsuram novis Monachis conferre: idque eliciebant ex eo, quòd solis integra servetur Episcopis virginum consecratio; quæ nihilo sanctior vel augustior est, quàm Monachorum vestis aut tonsura. Sed multò solidior est Balsamonis ratiocinatio, cùm Concilii VII. Canone Abbati Presbytero liceat conferre Tonsuram Clericalem & Lectoratum Monachis suis: multò evidentiùs ei licere, ut Tonsuram conferat Monachalem, citra novam Episcopi permissionem. Addit porro idem ipse, Monachos eos, qui Presbyteri sunt illi quidem, sed non Abbates, non debere quidem quenquam Monastica donare Tonsura, nisi permittente Episcopo, propter Canonem Carthaginensem, quo id prohibetur: sed contraria consuetudine præscriptum esse adversùs Canones & Leges. *Ex longa consuetudine, quæ Canone & Lege fuit potentior.*

IX. Præcipit VII. Synodus Oecumenica, ut ne sinant Episcopi nova construi Monasteria ab ambitiosis & inconsideratis Monachis, qui jugi impatientes, & obedientiæ tandem pertæsi, nova sibi exædificare Cœnobia adgrediuntur, ubi subesse nulli, cæteris præesse possint. Si cœpta sit tamen constructio, perfici eam patietur Episcopus, si suppetant facultates. Id in Clericis quoque & Laïcis locum habet, qui novæ ejusmodi quæpiam adgrediuntur. Denique in Concilio Constantinopolitano primo-secundo, ut à Græcis vocatur, prohibentur Monachi è Monasterio, ubi sæculo renuntiarunt, in aliud quodvis migrare, vel in sæcularium ædes, nisi permiserit Episcopus.

*Can. 16.* — *Jura Orien. T. 1. p. 372. 373.*

---

## CAPUT XXVIII. *P. 4. l. 1. c. 52.*

### Quàm necessariò Monachi pendeant ab Episcopis post annum Christi millesimum.

*I. Subjiciebantur Episcopo Monachi, nec injussu ejus Diœcesi migrare, aut digredi poterant.*

*II. Mira inter Episcopos, Monachosque consensio.*

*III. Quamvis nova efflorescerent Congregationes sub Abbate Generali, Episcopis tamen subjiciebantur.*

*IV. Prima Episcoporum querela in Gallia & Italia adversùs Privilegia Monachorum.*

*V. Tuitio Sedis Apostolicæ, quam Monasteriis nonnullis Pontifices annuebant, nequaquam eò pertinebat, ut Episcopali jurisdictioni subducerentur.*

*VI. Aura quædam pietatis & castioris disciplinæ effudit se è Cassinensi primùm, postea & è Cluniacensi Cœnobio in innumerabilia Cœnobia: & hinc illa privilegiorum seges.*

*VII. Præcellentia Cassinensis Abbatis supra Cluniacensem*

*non est profecta ex purioris disciplina, Regulaque strictiore observantia.*

*VIII. Cùm Cluniacensis Abbatia non haberet sibi subditos nisi Prioratus, singuli autem olim Monachi Cluniaci profiterentur, consortes etiam facti sunt omnes privilegiorum Cluniacensium.*

*IX. Cistertienses omnes Abbatia non solùm de consensu Episcoporum extructa sunt, sed etiam post approbata ab illis statuta sua omnia. Idque à Romanis Pontificibus confirmatum est.*

*X. Quam Episcopis professionem ederent Abbates Cistertienses.*

*XI. Invehitur Bernardus in Privilegia.*

*XII. Illa tamen non improbat, qua à fundatoris voluntate proficiscuntur. Doctrina Petri Cantoris Ecclesia Parisiensis.*

*XIII. De Dominicanis & Franciscanis.*

*XIV. Quid de privilegiis senserint sanctissimi viri, Carolus Borromaus, & Franciscus Salesius.*

*XV Sancta Theresia consilia & gesta in hujusmodi difficultatibus, sibi in speciem adversa, & tamen Ecclesia consiliis consentanea.*

*XVI Conciliorum decreta alia.*

I. QUos Regulares nunc dicimus, hoc est, Canonici Regulares & Monachi, Episcopali amplitudini & potestati subesse se lubentes jam olim & gratanter profitebantur, tanquam illustriores quædam eorum gregis portiones; tantundem saltem affixi Monasteriis, quàm Clerici Ecclesiis; ut tam non possent illi, quàm hi à Diœcesi una in aliam migrare, sine consensione Episcopi. Concilium Legionense in Hispania anni 1012. suscipi ab Episcopis, vel retineri vetat Monachos & Moniales alterius Diœceseos, & Episcopi alterius jurisdictioni mancipatos.

Can. 3.

*Ut nullus contineat, seu contendat Episcopus Abbates suarum Diœceseon, sive Monachos, Abbatissas, Sanctimoniales refuganos: sed omnes permaneant sub ditione sui Episcopi.* Si Monachi suarum Diœceseon desertores & transfugæ, *suarum Diœceseon refugani*, cogebantur eò redire, non ergo erant adhuc ibi generales, vel Congregationes, vel Abbates, ubi possent Monachi ex Monasteriis aliis in alia aliarum etiam Diœceseon migrare.

Fulber. epist. 72. 41.

Hortatus est sanctus Fulbertus Monachos sancti Medardi reddere se jugo & ditioni sui Episcopi, cùm antiqui Canones, quos ibi citat, ita sanxerint. Alibi rursus Episcopo stimulos addit, ut ab Abbate Canonicam exigat subjectionem, sed ne extorqueat sacramentum, cùm ita se percupere præ se ferret Rex.

Arnulph. Epist. 13. 31. 42.

Arnulphus Lexoviensis Episcopus meminit & ipse hujus Abbatum professionis cum sacramento. Scripsit & Ivo plures ea de re Epistolas.

Consideratiùs & circumspectiùs dici posset hæc non tam Monachorum subjectio & dominatio Episcoporum, quàm suavissima quædam consensio & quasi concertatio Episcoporum ad amandos & devinciendos sibi charitatis vinculo Monachos: & Monachorum, ad venerandos & obsequiis suis demerendos Episcopos. Episcopi Concilii Lemovicensis anno 1031. Monachos Abbatibus suis omnino permisere: non subjugandos rati Conciliorum jussis & imperiis eos qui perfectissimis Evangelii legibus & consiliis sponte sua subsequuntur, & impigræ obedientiæ suæ celeritate jussa Episcoporum anteveniunt. *Monasteria Monachorum Regularia, quia diligentius & nitidius omnia ad nutum Altaris procurant, in Abbatum suorum arbitrio, de his, sicut de aliis regulis permittimus. Illi enim nostris legibus constringi non debent, qui ultra nos per arctam & angustam portam vitæ ingredi appetunt, qui voluntatem propriam frangunt, qui Episcoporum jussis summopere in omnibus obediunt. Tales, inquam, legibus non oportet subjici Conciliorum, nisi fortè reprehensioni vel contemptui patuerint.* Episcopus Lemovicensis, cujus hæc sunt verba in Synodo, cujus Acta fuere forsan perlecta in hoc Concilio, testificatur ibidem non multò pòst, accersiri à se Abbates in suam Synodum non ad aliud, quàm ut consilii aliquid & sapientiæ extundat à viris pari prudentia & pietate præditis: experientia enim ipsa comperisse se, accedere nihil posse nitori, munditiei & splendori librorum, ornamentorum & calicum, quibus Monachi uterentur. *Abbates Regulares non ideo ad Synodum venire cogo hujus Sedis, ut arguantur, sed ut mihi de rebus Ecclesiasticis moderandis consultum præbeant, &c.*

Si constans & inconcussa fuisset hæc inter Episcopos & Regulares amoris reciprocatio, æmulatioque mutuorum officiorum, non adgredienda mox nobis esset operosa disputatio de privilegiis, quibus pacem sibi Monachi aucupabantur, & ex quibus tamen interminabiles excitatæ sunt pugnæ. Vel ex hoc autem Canone constat, visitari solitas ab Episcopo tum Monachorum Ecclesias, sed Ecclesias tantùm, idque rarò, & ad laudes potiùs eorum pietatis & regularitatis celebrandas, quàm ad acerbiorem exerendam censuram. Erat & in Episcopi potestate pœnarum irrogatio, sed inculpatissimæ innocentiæ privilegio tuebantur se Monachi. Denique vocabantur ad Synodum, plus consilii & luminis imparrituri, quàm accepturi.

III. Concilio Coyacensi in Hispania anni 1050. subjiciuntur Monachi & Moniales omnes Regulæ sancti Benedicti, & mandatis Episcopi. *Secundum B. Benedicti regant statuta, &c. cum suis Congregationibus & Cœnobiis sint obedientes, & per omnia subditi suis Episcopis.* Can. 1. Sed hoc permittitur Abbatibus, ut ex mutuo consensu alii aliorum Monachos suscipiant. *Nullus eorum recipiat Monachum alienum, aut Sanctimonialem, nisi per Abbatis sui & Abbatissæ jussionem.* Can. 2. Si ad hanc migrationem necessarius non habebatur Episcopi consensus, illud erat jam privilegium, quo Abbates donabat hæc Synodus. Sed ante institutas Congregationes, earum instituendarum subinde necessitas emicabat, & rudimenta veluti quædam earum ponebantur, hac mutua permutatione Monachorum. Scripsit Gregorius VII. ad Monachos, ut Episcopum Lemovicensem placarent, qui de duobus Monasteriis sibi sublatis expostulabat. De Bourdieux. Erant ergo jam consociationes Monasteriorum complurium in unum veluti corpus compaginatorum. L. 7. c. 17. Urbanus II. in Concilio Turonensi anni 1096. docet Monasterium Cormericense Capitulo & Canonicis sancti Martini Turonensis adunatum subjectumque fuisse, à quibus Abbas Cormericensis pedo Pastorali donandus erat, sicut & ab Archiepiscopo Turonensi erat ordinandus. *Salvo Turonensis Archiepiscopi jure, quod in Abbatis ordinatione, secundùm communem Ecclesiæ consuetudinem exercendum est.* Paschalis II. Papa anno 1107. Archiepiscopo Narbonensi concessit confirmationis omnium jurium & privilegiorum suorum diploma: Monasteriaque omnia ei subjecit, juxta Ecclesiæ jus commune. *In Monasteriis verò, seu cæteris Ecclesiis, salva Sedis Apostolicæ authoritate, Canonicum vobis jus obtinere concedimus.* Epist. 48. Idem prorsus indulsit & Archiepiscopo Viennensi: *Abbatias quoque tam intra, quàm extra Viennensis urbis mœnia sitas, tuæ fraternitati regendas disponendasque committimus.* Epist. 78. Paulò prolixior ille fuit in diplomate eo, quo Papiensem Episcopum ornavit. Cap. 86. Sed eodem tandem omnia recidunt. Gelasii II. & Callisti II. concessiones ulterius non progrediuntur. Gelas. II. Epist. 4. Est & Callisti concessio, qua Canonicorum Regularium Abbatiam tutela & protectione dignatur Sedis Apostolicæ, ita tamen, ut ab obedientia Callist. II. Epist. 7.

Epist. 26. dientia proprii Episcopi eam nolit recedere. *In B. Petri & Romanæ Ecclesiæ tutelam protectionemque suscipimus, &c. salva Augustensis Episcopi reverentia, &c. Ad indicium percepta à Romana Ecclesia libertatis, albam cum cingulo & amicta persolvetis, &c.*

IV. In Concilio demum Remensi anni 1119. præsidente Callisto II. Papa præfervidè destomachati sunt Episcopus Matisconensis & Archiepiscopus Lugdunensis in privilegia Cluniacensium, qui ne in Ordinationibus quidem Diœcesano subjici volebant Episcopo, nedum in aliis. *Ecclesias decimasque suas debitasque subjectiones sibi violenter abstulit, & congruas dignitates, suorumque ordinationes Clericorum denegavit.* (Ordericus Vital. l. 12.) Cardinalis Joannes de Crema Monachorum patrocinium adgressus est & hinc exorsus, non gravatè ferre debere Episcopos, si in eorum Diœcesibus possideat Sedes Apostolica, quæ ipsi fidelium religio largitasque legaverit: ejus loci, qui Cluniacum dicitur, dominum id Monasterium struxisse *in allodio suo*, hoc est, in agro libero, nullique obnoxio: simul illud donasse ac dicasse Ecclesiæ Romanæ, quæ ducentis ab hinc annis Abbates confirmaret, ordinaretque. Nec verò his assentiebantur Episcopi, immo nec dissensum suum dissimulabant, etsi Pontificis præsentis reverentia cohiberentur.

Pari indignationis æstu efferbuerunt Episcopi Italiæ in Concilio Romano anni 1122. sub eodem Pontifice. *Cœperunt Episcopi dicere, nihil superesse aliud, nisi ut sublatis virgis & annulis, Monachis deservirent, illos enim Ecclesias, villas, castra, decimationes, vivorum & mortuorum oblationes detinere.* Cassinensis privatim Cœnobii defensionem Pontifex ipse in se recepit, quòd illud & restaurassent, & magnis impendiis reparassent Romani Pontifices: vicissimque tutissimum ibi uno semel habuissent perfugium: professus alioqui se Monasteria reliqua omnia dimittere illi sorti & conditioni, qua fuissent ab exordio & fundatione sua. *Cassinense Cœnobium ab omni mortalium jugo quietum ac liberum manere, & sub solius sanctæ Romanæ Ecclesiæ defensione perpetuò manere decernimus: Cætera verò Monasteria in quo ordine antiquitus constructa sunt, manere jubemus.* Auctor est Leo Ostiensis ab Alexandro II generali immunitate donata fuisse & Episcopali jurisdictioni subducta, quæcumque Cassinensi Abbatiæ subessent, sive Monasteria, sive Cellæ. (Leo Ostien. L. 3. c. 23. Baron. an. 1066. n. 3.) *Non modo in nostra, vel principali Ecclesia, verùm in omnibus ubicumque cellis ullam jurisdictionem ne quis Episcopus usurpare præsumeret.*

Non abhorret à similitudine veri Cassinensem Congregationem jam tum aliquam fuisse, perinde ut Cluniacensem. Hinc ab hoc Pontifice dictum, B. Benedictum Ordinis sui principatum et contulisse: *Totius Ordinis Monastici Caput.* Cùm Cluniacensis ergo Congregatio antiquissima fuerit toto Occidente, facilè intelligitur, ab his Congregationibus Monasticis ortum duxisse Ordinis Monastici privilegia. Minùs iniquè tulissent Episcopi, si solam sibi Papa Cassinensem Abbatiam reservasset: immo et si Cluniacensem plenissima libertate frui solam permisisset, cùm ejus fundatores ea lege & conditione immensas opes suas Ecclesiæ legassent: si privilegia illa his duobus Monasteriis coërcita, non in omnia se effudissent earum Congregationum Cœnobia, quod spoponderat Callistus II. Quod & rursus ab eo confirmatum est in Concilio I. Lateranensi anno 1122. ubi Abbates Monachosque omnes Episcopis subjecit, in Chrismate, in Oleo, in Ordine quolibet ab eis accipiendo. *Chrisma & oleum, consecrationes Altarium, Ordinationes Clericorum ab Episcopis accipiant, in quorum Parochiis manent.* (Can. 17.) Cùmque biennio pòst privilegio insigni muniret Abbatiam Bambergensem, non illam tamen absolvit potestate Episcopali. *In Romanæ Ecclesiæ protectione suscipimus, contra pravorum hominum nequitiam defendenda, &c. Ordinationes sanè Abbatum, vel Monachorum suorum à Catholicis Episcopis Diœcesanis accipiant.* (Baron. an. 1124. n. 2.)

V. Hinc illud existit, protectionem illam & tutelam Sedis Apostolicæ, quam tam ambitiosè prehensabant Monasteria, non fuisse nisi tuitionem quandam, temporalium forsan magis, quàm spiritalium: certè quæ illa nequaquam subduceret ordinariæ Episcoporum potestati. Patet id rursus ex Privilegio, quod Paschalis II. anno 1100. Cisterciensi concessit Abbatiæ, quæ præ se initio tulit, nullis muniri se velle privilegiis, nec tamen sibi temperavit, quin protectione Apostolica tegi se vellet. *Abbatiam sub Apostolicæ sedis tutela specialiter protegi sancimus, quamdiu vos ac successores vestri, in ea quam hodie observatis, disciplinæ ac frugalitatis observantia permanseritis, salva Cabilonensis Ecclesiæ Canonica reverentia.* (Baron. an. 1100. n. 41.) Idem inculcat Alexander III. in Capite, *Recepimus, De privilegiis*, ubi agit de Ecclesiis, quæ Romanæ Sedi censum annuum pendebant: *Si ad indicium perceptæ protectionis census persolvitur, non ex hoc juri Diœcesani Episcopi aliquid videtur esse detractum.* Eadem habet & Bonifacius VIII. Capite, *Si Papa. De Privilegiis. In Sexto.*

VI. Illud ergo distabant Congregationes illæ geminæ, Cluniacensis & Cisterciensis, quòd Cluniacensis privilegiis statim ab initio Apostolicis superstructa, aut certè non multò pòst vallata fuerit: Cisterciensis autem inter ipsa sui exordia Privilegiis quibuscumque nuntium remiserit. Sed illud conveniebat celeberrimis his Congregationibus, quod & in superiùs laudata Paschalis II Epistola observari potuit: quòd non alio ex fonte profecta ac derivata in eas sint tot singularia, seu privilegia, sive ornamenta, quàm ea nova & inusitata quadam pietate, ac regularitate prorsus incredibili. Cùm sanctus Odilo Cluniacensis Abbas Cassinum concessisset, Pedo uti constanter recusavit, coram, ut aiebat ipse, Vicario beati Benedicti, & Abbatum Abbate: (Baron. an. 1022. n. 16. Leo Osti. L. 2. c. 54.) *Ubi Benedicti Vicarium, Abbatem scilicet omnium Abbatum adesse contingeret.* Cluniacum ipsum quod Cassinensi cœnobio concedebat, non alio tamen magis nomine, oculos omnium & admirationem ad se converterat, quàm quod Monasteriis omnibus, quæ suo cœtui sociabantur, novam statim, & emendatiorem disciplinam, & strictiorem induceret Regulæ observantiam. Si qua Glabro fides, cùm primùm vacabat Abbatia quælibet, à Regibus & Principibus accersebatur Vuillelmus Congregationis Cluniacensis Abbas, eique illa commendabatur, puriorem in Disciplinæ formam refingenda. (Glaber L. 3. c. 5. Baron. an. 1024. n. 6.) Floriacensi ad Ligerim Abbatiæ eandem Helgaldus arrogabat laudem, ut *Caput esset totius Ordinis Monastici.* (Idem anno 1029. n. 9.) Victor II. cum Cassinensem Abbatem in Cardinalium Collegium cooptasset, illi successoribusque ejus concessit tum primam sedem, tum suffragii prærogativam ante Abbates alios omnes in omnibus Principum & Episcoporum Conventibus: *In omni Episcoporum Principumque Conventu, superiorem Abbatibus omnibus sedem, & in consiliis eorum atque judiciis priorem sententiam firmavit.* (Baron. an. 1057. n. 8. Leo Ostien. L. 2. c. 97.) Molestè ferens Innocentius II. usque adeo

labefactatam esse Luxoviensis Abbatiæ disciplinam, qua nihil ustm decantatius fuerat, Petro Abbati Cluniacensi mandavit, ut Abbatem & Monachos mitteret, pristinumque decus ei restitueret. Morem

Baron. an. 1131. n. 13.

gessit Petrus, antè tamen enixè contestatus, quantùm ab ea re abhorreret, & quàm vereretur, ne aliena struens, sua destrueret; suisque dispendiis alios locupletaret. *Valde timemus, ne frequenter, sicut sæpè fit ad alias Ecclesias translatis fratribus nostris, quod aliis refrigerium, nobis inferas detrimentum.* Idem porro Petrus gratias egit per litteras Imperatoribus Constantinopolitanis, quod Monasterium prope Constantinopolim exædificatum Cluniacensi Abbati, & Priori de Charitate commendassent: remuneratus & ipse vicissim est summos illos Principes societate & communione precum, atque adeo *Confraternitate* Ordinis, ad quam adoptati jam fuerant Reges Franciæ, Angliæ, Hispaniæ, Germaniæ, Hungariæ & Imperatores ipsi.

Petr. Clun. L. 3. Ep. 23.

Idem l. 2. Epist. 39. 40.

Adiri possunt monumenta certissima, quibus Abbatiæ Cluniacensi integrum illæsumque servatum est jus corripiendi, visitandi, reformandi, in Abbatiam sancti Ægidii ab Innocentio II. & in Abbatias Hispaniæ ipsis postulantibus Regibus; denique in ipsas Italiæ Abbatias. Cæteri non ejusdem tantùm, sed & sequentium sæculorum Pontifices, non cessarunt à novis identidem Monasteriis Cluniaco adjiciendis, tanquam Capiti & fonti castigatioris disciplinæ. Duodeviginti Cœnobia à Gelasio II. ei subjecta fuere. Ut quibus exploratissimum id esset, quod scripserat Paschalis II. Hugoni Abbati Cluniacensi, ubique per Gallias à Cluniacensibus aut institutam fuisse Religionis Monasticæ sanctitatem, aut saltem restitutam. *Ubi nulla fuerat, instituta: ubi defecerat, per Galliarum partes est restituta Religio.* Nec verò per Gallias tantùm, sed & per Occidentem universum revocatus fuerat opera & studio Cluniacensium pristinus Religionis fervor. Pontifex hic autem eandem laudem cum Cassinensi Cœnobio communicatam volebat.

Innoc. II. Ep. 33 34 38
Calixt. II. Epist. 2.
Lucius II. Epist. 2.
Hadria. IV. Epist. 27.
Gelas. II. Epist. 5.

Sirmund. in l. 4. Epist. Gofridi Vindocin.

VII. Sed in tumultuaria hac farragine exemplorum & testimoniorum, perspicuè tamen intelligitur, Cassinensis Abbatiæ prærogativas partas illi esse, ex omnium magis pietate in beati Benedicti Memoriam, ex Officiis Pontifici Romano inter varias clades exhibitis, denique ex Principum favore: quàm ex nova & splendidissima quadam Monasticæ reformationis propagatione. Contrà autem ex unius hujus postremæ causæ contemplatione, inclaruere vel maximè Cluniacenses, suoque sinu innumerabilia tum nova, tum vetustiora excepere, sibique adgregavere Monasteria. Hinc est quod ubi Pontius Cluniacensis Abbas, dignitatis & gloriæ cupidior, quam sanctitatis, contendere cœpit cum Abbate Cassinensi, de nomine & Prærogativa Abbatis Abbatum in Concilio quodam Romano, percontati sunt illum dumtaxat, Cluniacum Cassino, an Cassinum Cluniaco Regulam beati Benedicti impartiisset. Cúmque confessus esset, quod nulla tergiversatione celare poterat: statim pronunciatum est, justissimis ergo de causis à Pontificibus ornatos fuisse Cassinenses Abbates splendido hoc elogio, ut Abbates Abbatum dicerentur. Antiquitatis ergo & dignitatis, non sanctitatis id præcipuum erat decus. Nec erat quod sibi plus æquo blandirentur Cluniacenses, qui ut solent exordia, vehementiùs tunc fervebant: sicut & Cassinenses olim dum recentes essent ab instituti sui cunabulis, majorem in modum pietate & religione efferbuerant.

Leo Ostien. L. 4. c. 62.

Deferbuit postea ut solet is æstus, primùm in Cassinensibus, postea in Cluniacensibus. Utrius cœtus ardor diuturnior fuerit, non facilè dici potest ob temporum perturbationes. Audiendus hic nunc est Leo Ostiensis: *Dum Pontius Cluniacensis Abbas Abbatem Abbatum se jactaret, &c. Si à Cassinensi Monasterio tanquam à vivo fonte Monastica Religionis norma manabit, jure à Romanis Pontificibus Cassinensi Abbati hac prærogativa concessa est, ut ipse solus, qui tanti Legiferi Vicarius est, Abbas Abbatum appelletur.*

Longè præclarior erat Petri Cluniacensis, tutiorque ratio propugnandæ gloriæ suæ Congregationis, cum tam iniquo patiebatur animo Reverendissimum se, & Patrem vocari à beato Bernardo: *Reverendissimum me esse ignoro; Patrem, quantum ad te, me esse nego:* uni acquiescens nomini *fratris & amici*, exemplo Guignonis Prioris Carthusiæ, qui in simili causa, his ad eum scripserat verbis: *Defixis in terram genibus obsecramus, ne vilitatem nostram Patris nomine dignam ulterius æstimetis. Satis & super satis est, si frater, si amicus, si filius appelletur, qui nec servi nomine dignus habetur.* Deberet hæc quidem nominum & titulorum magnificentia tam præclaris Abbatibus; sed ejusmodi est ea nominum gloria, ut cùm primùm ambitur, jam non gloria, sed dedecus sit. Illud quoque narrat Matthæus Paris, Authentcis Privilegiis Abbatem in Anglia Sant-Albanensem, dictum fuisse primum & principem Abbatem Angliæ: quo nihil pulchrius, nihil optatius, si eam illi laudem, & majores sui pepererant, & ipse sibi adsciscebat fugiendo & latitando, non ambiendo ventosam gloriam.

Petr. Clun. L. 6. Ep. 3.

VIII. Redeo ad Privilegia, quæ tantò magis increbuere, quantò latiùs & fama & opibus excrevere Abbates Generales, & Abbates Abbatum. Cluniacenses omnes Monachi non profitebantur nisi Cluniaci, aut non alibi saltem professio consummabatur. Id liquet ex Opusculis Petri Venerabilis, maximè autem ex ejus Compilatione Statutorum Cluniacensium; ubi sancitur, ut tyrones & Novitii omnes intra primùm admissionis suæ triennium, Cluniacum convolent, nec antè possint vel ordinari, vel celebrare Mysteria, vel obedientia, seu Officio claustrali, aut prioratu donari. Ad eum modum cùm essent omnes Cluniaci professi, ejus privilegiorum consortes quodam modo omnes efficiebantur, & quodammodo rursus universa Congregatio uno Cluniacensi Cœnobio circumscribebatur, de Monachis dico, non de domibus & Prioratibus, per Gallias orbemque reliquum sparsis.

Petr. Venerab. De Mirac. l. 2. c. 7. Stat. Congr. Clun. c. 35.

IX. Ex adverso autem Abbatiæ & Ordinis Cisterciensis fundamenta penè ipsa posita sunt in privilegiorum recusatione, & Episcoporum obedientia. Confirmata sunt à Callisto II. statuta, quæ assensu Episcoporum condiderant, & Ordo ipse. *Siquidem assensu & deliberatione communi Abbatum & fratrum Monasteriorum vestrorum & Episcoporum, in quorum Parochiis eadem Monasteria continentur, quædam Capitula statuistis: quæ authoritate Sedis Apostolicæ petitis confirmari, &c.* Inter statuta ab Episcopis approbata, & ab Apostolica deinde Sede confirmata, principatum tenet famosa *Charitatis Charta*, cujus illud est maximè memorandum, ne privilegia deposcantur ulla. *Ne aliqua Ecclesia, vel persona Ordinis nostri, adversùs communia ipsius Ordinis instituta, privilegium à quolibet postulare audeat, vel obtentum quomodolibet retinere.* Post Chartam Charitatis, quæ anno 1119. sub Stephano Abbate conscrip-

Bibl. Cister. L. 1 pag. 36

Annal. Cister. 1. L. pag. 109.

ta fuit, anno circiter vigesimo post fundatum Cistertium, conscripta, inquam, in Generali Capitulo totius Ordinis, cujus non plura adhuc erant, quàm undecim vel duodecim Monasteria: famosissima altera Collatio Statutorum in Capitulo Generali anno 1134. celebrata est, cujus articulo XXXVIII. prohibetur, ne quis Capitulo se Generali subducat, quovis prætextu mandatorum Episcopi, vel Archiepiscopi cujuslibet; propterea quod nullum unquam exædificatur Cisterciensis Ordinis novum Cœnobium, nisi repræsentatis Diœcesano Episcopo Statutis Ordinis, & ab eodem confirmatis. *Et ideo sicut aliàs scripsimus, cum quis Abbatum Abbatiam construere voluerit, primo hoc Capitulum & catera Archiepiscopo vel Episcopo diligenter sunt ostendenda.*

Annal. Cist. Tom. 2. pag. 205.

Cùm confirmaret Eugenius III. anno 1152. Statuta Cisterciensia, primum locum ei assignavit, quo spondent in seque recipiunt, non ante ullum à se fundatum iri Monasterium, quàm assensus sit Episcopus loci Statutorum suorum omnium observationi.

Eugen. III. Epist. 71.

*Statuistis inter vos, ne in alicujus Antistitis Diœcesi Ordinis vestri Abbatia fundetur, donec ipse Antistes Decretum, quod inter Ecclesias Ordinis vestri ad custodiam disciplina firmatum est, ratum se habere promittat.*

Cæterùm complusculi deinceps Ordines Monachorum Cisterciensibus Statutis usibusque sese accommodarunt. Cùm primùm edita & publicata est Charta Charitatis circa annum 1119. ea fuit veluti Regula, cui se conformarunt Ecclesiasticæ & Regulares Constitutiones complurimæ, quæ postea orbi Christiano illuxerunt. Ordo Præmonstratensis circa annum 1120. exortus accuratissimè sese his Statutis aptavit. Tres Abbates designati sunt, qui quotannis Abbatiam & Abbatem Præmonstratensem visitarent. *Per tres primos Abbates, de Lauduno, de Floreffia & de Cuissiacensi, annua ibidem visitatio fiat.* Suprema potestas penes Capitulum Generale est. Ordo Vallis Scholarium in Diœcesi Lingonensi conditus anno 1212. ad eandem se Charitatis Chartam formari fingique voluit. Tres illi Priores fuere majores, quibus curæ est visitare Generalem ipsum in Ecclesia sua Matrice, cum potestate ejus abdicandi. Eodem propè ipso tempore excitatus est in eadem Lingonensi Diœcesi Ordo Vallis Caulium, concinnitque cum primis Cisterciensi Instituto, cujus palmare id erat decus, ut communicato semper cum Episcopis consilio, quidvis molirentur.

X. Hæc fuere initia Cisterciensium, uno maximè à Cluniacensibus diffidentia, quòd à privilegiis quibuscumque abhorrerent. Narrat ipsemet Sigebertus anno 1098. Robertum Molismensem Abbatem fundato Cistertio, ejus regendi cura sarcinaque à Valtero Episcopo Cabilonensi investitum fuisse. Honorius III. centum amplius pòst annis Decreto cuidam suo intexuit Professionem, quam Cisterciensis omnes Ordinis Abbates facere tenerentur. Ex quo apertissimum est Episcopis tunc obsequentissimam fuisse Congregationem illam omnem.

C. Ne Dei Ecclesiam De Simonia.

*Adjicimus ut Archiepiscopi & Episcopi ea sint forma professionis contenti, qua ab origine vestri Ordinis noscitur instituta, quæ talis est: Ego frater Abbas Cisterciensis Ordinis subjectionem, & reverentiam, & obedientiam à sanctis Patribus constitutam, secundùm Regulam sancti Benedicti, tibi domine Episcope, tuisque successoribus canonicè substituendis, & sanctæ Sedi Apostolicæ, salvo ordine meo, perpetuò me exhibiturum promitto.* Nihil erat quo offenderentur Episcopi in hac clausula, *salvo ordine meo*, quòd ea non muniretur nisi absolutissima Statutorum Ordinis custodia, quæ Episcopi ipsi assensione & authoritate sua firmaverant. Sed cùm eo Decreto Pontificis occurreretur simoniacis exactionibus, quibus ab Episcopis quibusdam Monachi fatigabantur; conatibusque exigendæ ab eis arctioris cujusdam professionis, vel obedientiæ strictioris, adversùs decreta præcedentium Episcoporum, à Pontificibus summis confirmata; hinc non obscurè intelligitur, si postea privilegiis à summa Sede extorquendis studuerunt etiam Cistercienses, non sola vel ambitione, vel Monasticæ disciplinæ relaxatione eò deventum esse.

XI. Necdum eò res eruperat tempore Bernardi, qui crimini vertit Abbati Morimondensi, quòd ab Abbatia sua discessisset, inconsulto, nec assentiente Episcopo suo Lingonensi, & Abbate Cisterciensi. *Episcopi Lingonensis, & Abbatis Cisterciensis, nam utrique debitor erat, licentia.* Epist. 7. Fuere & amarissimæ Bernardi querelæ, in sinum effusæ Innocentii II. ex eo quòd Abbas sancti Maximini Trevirensis impatientissimè ferens Abbatiam ab Alberone Archiepiscopo emendari, & enormibus repurgari vitiis, Patronos Romæ potentissimos nactus esset, & suorum confirmationem privilegiorum. *Ne iterum possit surripi à Monachis: non tam ut simulant, appetentibus libertatem, quam fugitantibus disciplinam.* Epist. 179. 180. Idem ipse datis litteris ad Henricum Senonensem Archiepiscopum, eloquentia & zelo incredibili invehitur in Abbates sui sæculi Ordinisque, hoc est, B. Benedicti asseclas, qui privilegia impetrarent non obtemperandi Episcopis, cùm ipsi immorigeros sibi quoslibet suis in Cœnobiis, omnino inultos non finerent. *Miror quosdam in nostro Ordine Monasteriorum Abbates, hanc humilitatis regulam odiosa contentione infringere, & sub humili, quod pejus est, habitu & tonsura, tam superbè sapere, ut cùm ne unum quidem verbulum de suis imperiis subditos prætergredi patiantur, ipsi propriis obedire contemnant Episcopis.* Epist. 42. Adulterinæ libertatis fuco ambitionem suam hi obducebant: contrà autem nitebatur Bernardus, ostendebatque umbratili illa libertate verissimam turpissimamque tegi servitutem, quæ eos legitimæ ut obedientiæ eximeret, superbiæ subjiciebat; & Pastori non subduceret, nisi ut lupis sævientibus objectaret. *Non propter me, inquit, facio, sed quæro Ecclesiæ libertatem. O libertas omni, ut ita loquar, servitute servilior! Patienter ab hujusmodi libertate abstineam, quæ me pessima addicat superbia servituti. Plus timeo dentes lupi, quàm virgam pastoris.* Palliatæ libertatis hi sectatores simulabant se non aliud quàm Episcoporum persecutiones extimescere, & sæcularem quo plerumque incitantur typhum. Occludit porro Bernardus inania hæc effugia, docetque multò conducibilius esse, propter justitiam persecutionem pati, illiusque æmulari patientiam, qui Pilato aliisque Principibus sæculi comminantibus & cruciantibus se non substraxit. *Quid igitur vos, ô Monachi; Sacerdotum gravat authoritas? Metuitis infestationem? Sed si quid patimini propter justitiam, beati. Sæcularitatem contemnitis? Sed sæcularior nemo Pilato, cui Dominus astitit judicandus.*

Censor idem quàm sanctus, tam intrepidus, ne ipse quidem pepercit summis Pontificibus, quos admonuit modestissimè, sed & fidentissimè, subduci Monachos Episcopis, Episcopos Metropolitanis, esse illa quidem plenissimæ potestatis eorum insignia; an essent autem & summæ justitiæ, plenissimæque, meritò dubitari. *Subtrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis. Sic factitando probatis* Lib. 3 De Consider.

*vos habere plenitudinem potestatis, sed justitia fortè non ita. Facitis hoc, quia potestis: sed utrum & debeatis, quæstio est.* Omnes Ordines Monasticos et jam subjici, ut universali Ecclesiarum Pastori; nec expedire ut rursum illi peculiariùs subjiciantur, quasi non possent oves simul & peculiari suo, & universali omnium Pastori subesse: *Quid tam indignum tibi, quàm ut totum tenens, non sis contentus toto, nisi minutias quasdam atque exiguas portiones ipsius tibi creditæ universitatis, tanquam non sint tuæ, satagas nescio quomodo adhuc facere tuas.* Hunc esse potissimum exemptionum hujusmodi fructum, laxationem disciplinæ & morum dissolutionem: *Nolo prætendas mihi fructum emancipationis ipsius. Nullus est enim, nisi quod inde Episcopi insolentiores, Monachi etiam dissolutiores fiunt.* Portenti instar esse, membra Ecclesiæ non situ, non ordine suo collocata conspici, & immediatè capiti subjici eas partes, quibus per intermedias alias adesse debet & opitulari. *Monstrum facis, si manui summovens digitum, facis pendere de capite. Tale est, si in Christi corpore membra aliter locas, quàm disposuit ipse.* Denique in potestate esse Pontificis, ut dispenset, non ut dissipet, evertatque leges Ecclesiæ. Porro non prudentem eam esse dispensationem, sed dissipationem vehementissimè dolendam, nisi innitatur dispensatio evidenti utilitati vel urgenti necessitati, non privatorum, sed Ecclesiarum. *Quid inquis, prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est. Ubi utilitas provocat, laudabilis dispensatio est; utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.*

XII. Non poterat Bernardus luculentioribus documentis suam à privilegiis alienationem demonstrare. Nec dissimulat tamen ille esse justissimas causas dispensationis, ubi perspicua est vel necessitas, vel utilitas Ecclesiæ. Quin & mox confitetur illas esse canonicas exemptiones, & inconcussas, quando nempe fundatores ipsi voluere, ut quæ donabant ipsi de suis latifundiis, ea Ecclesiæ Romanæ immediatè subessent. *Nonnulla tamen Monasteria sita in diversis Episcopatibus, quod specialius pertinuerint ab ipsa sui fundatione ad Sedem Apostolicam pro voluntate fundatorum, quis nesciat? sed aliud est quod largitur devotio, aliud quod molitur ambitio, impatiens subjectionis.* Ita Bernardus ipse subscribebat privilegio
*Du premier esprit de Citeaux. pag. 507. 509.* & libertati Cluniacensi. Quin & Cistercienses ipsi non multò pòst privilegia flagitavere, quanquam usque adeo propitios experti essent Episcopos, ut centum annorum spatio Monasteria ad duo millia construxerint. Primus illos ab Episcoporum visitatione & correctione absolvit Innocentius IV.

*De Verbo abbreviato. c. 44.* Petrus Cantor authoritate nixus Bernardi excandescit & ipse peræquè adversùs has exceptiones, & contestatur tamen non eum se esse, qui vituperare ausit Apostolicæ Sedis concessiones, cui tam certè consulit, tam manifestè præest Christi Optimi Maximi providentia.

XIII. Quæ duæ novæ Congregationes doctrinæ ubertate & morum innocentia illustrarunt exordia sæculi decimi-tertii; & duabus Sectis successere, quarum minùs auspicatus fuit exitus: Dominicanos dico & Franciscanos, qui in locum successere, si Abbatem Uspergensem audias, Humiliatorum
*Anno 1212* & Pauperum de Lugduno: hæ duæ, inquam, Congregationes novæ statim ab incunabulis suis summam præ se tulerunt conjunctionem suam cum Sede Apostolica, adeoque & obedientiam, *Apostolica Sedi obedientes.* Matthæus Paris Monachus Angliæ Ordinis sancti Benedicti, de iis agens, eo livore totus tumet, ac felle, quo solent fervere Congregationes veteres & senescentes in novas, à quibus eas necesse est tam nominis gloria & authoritate, quàm regularitate & sanctimonia superari. *Unde & in multis cedebant eis Religiosi, deferentes* *Ann. 1236.*
*propter scandalum, & propter potentum offendiculum. Erant enim Magnatum Consiliatores & Nuntii, etiam domini Papæ Secretarii, nimis in hoc gratiam sibi sæcularem comparantes.* Indubium est tamen privilegia libertatesque aversatum esse B. Franciscum: at successor ejus Elias, successor inquam dignitatis, minimè verò imitator & modestiæ, prima Ordinis sui privilegia impetravit. Audi quid de his Baronius: *Certè quidem nunquam placuit sancto Bernardo,* *Baron. an. 676. n. 7.*
*ut Monachi ab Episcopali obedientia hujusmodi privilegiis se subtraherent. Nec gratum fuit sancto Francisco, sed Fratris Heliæ, hominis non divino spiritu, sed carnis prudentia nitentis fuit opus.*

XIV. Sanctus Carolus Borromæus Monasteria *L. 2. c. 7.*
quædam Monialium subduxit directioni & magisterio Monachorum, ut Episcopo ea prorsus subjiceret, juxta Giossanum in ejus vita. Quæ sententia fuerit in his B. Francisci Salesii, Episcopi Gebennensis, docebit nos ipsemet in Epistola quadam sua. *Video equidem conspicuos natalium & pietatis splendore* *L. 6. Ep. 8.*
*viros, qui malint Monasteria subesse Ordinariorum potestati, prisco more, per omnem Italiam nunc restituto: non sub regimine Monachorum, juxta usum qui in Galliis quadringentis quingentisve jam ab annis invaluit. Ego verò adduci non possum, ut probem Monasteria Sanctimonialium regi à Monachis, maximè qui sint ejusdem Ordinis. Ea verò in re mihi quidem video Apostolicæ Sedi obsequi, quæ quando opportuna se dat occasio, illam subjectionem solvit.*

XV. Verùm nihil hîc occurrit, quod plus habeat admirabilitatis, quàm quod ipsamet refert sancta Theresia de fundationibus Monasteriorum, novæ suæ vel Religioni vel Reformationi accrescentium. Cælesti quodam primùm oraculo admonita est, ut Monasteria sua subjiceret non Monachis Carmelitis, sed Episcopo Diœcesano, quod & Brevi Apostolico mox firmatum est. *Sub obedientia & correctione Episcopi Abulensis, pro tempore existentis.* *Histoire des Carmes Déchaussez d'Espagne. Tom. 1. l. 2. c. 6. 9. L. 3. c. 2. 4. 10. Tom. 2. l. 3. c. 20.*
Sed aliquantò pòst tamen se suaque Monasteria omnia restituit obedientiæ Generalis Præpositi Carmelitarum. Et ne id quidem tunc, nisi ut monitis jussisque cælestibus obtemperaret. Cùm summa nostra esse debeat observantia, summaque veneratio in Theresiam, utpote in cælesti Theologia versatissimam; hinc eò necessariò adigimur, ut pro temporibus, locis, personis privilegia nunc conducibilia, aliàs noxia: nunc necessaria interpretemur, aliàs periculosa. Unde fit, ut & Ecclesia quæ privilegia nunc concedit, nunc temperat vel retractat, nihil leviter, nihil inconstanter agere, sed divinis inhærescere existimetur moribus & exemplis; Sponsumque immortalem in hoc mortalitatis curriculo æmulari suum, qui Testamentum Novum antiquato Veteri subrogavit, & versatili rerum mutabilium vicissitudine immutabilis sapientiæ suæ consilia suavissimè fortissiméque exequitur. Quod hîc de Carmelitis Virginibus dixi, ad Hispaniam spectat. Quæ enim in Galliis posteriùs institutæ sunt, Episcoporum curæ & providentiæ subsunt, & ea certè cælestium gratiarum ubertas, quæ in has quoque exundavit, argumento est, perinde has atque illas ipsissimo tegi spiritu Teresiæ, quæ in Hispania ipsa

diversis temporibus diversum quoque hoc utrumque regimen approbavit.

XVI. A novis cœtibus Monachorum ad veteres jam nos referamus, de quibus Concilium Salmuriense anni 1253. docet, eorum quidem Constitutiones à Pontifice probatas esse, Can. 14. *Cum super statu Religiosorum ipsis per summum Pontificem ad plenum sit provisum*: sed Episcoporum jam curæ esse, ut illas observari faciant, pœnasque decernant iisdem Decretalibus indictas: *Pœnas in eisdem litteris comprehensas, eisdem infligere non postponant.* Editæ sunt nihilominus in hoc Concilio Constitutiones Monasticæ complures; sicut & in eo quod apud Castrum Guntherii anno 1231. coactum est. Can. 15. 16. &c. Concilium Coloniense anni 1260. post constitutam Clericorum disciplinam, mox ad Monachos accessit Ordinis sancti Benedicti. Ex adverso autem Concilium Campiniacense ejusdem anni prohibuit nominatim, ne Exemptis Chrisma donetur, vel ullum rependatur Officium, cùm Episcopum ipsi suum jure & honore debito defraudent. Can. 9. *Ne Chrisma dent, vel ministrent Ecclesiis Privilegiatorum, cum ipsi Diœcesanis suis reddere & facere denegent jura sua.* Concilium Viennense in Austria anno 1267. decrevit, ut Episcopi omnes Provinciæ Salisburgensis, cum Episcopo Pragensi Nigrorum Monachorum Cœnobia omnia circumlustrarent & repurgarent, in contubernio habentes suo duos Abbates Cistercienses: exceptis iis qui immediatè subjiciebantur Papæ, quos visitaret Cardinalis Legatus Præses Concilii. Can. 13. Concilium quoque Salisburgense anni 1274. multa decreta edidit, ad Benedictinorum & Clericorum Regularium Cœnobia laudabiliori disciplinæ redintegranda, maximè ni Capitula Provincialia statis temporibus adgregarentur.

Hinc dilucidum fit 1. Antiquiores Regulares, nempè Benedictinos & Canonicos Regolares in potestate & obedientia Episcoporum constantiùs diutiúsque perseverasse. 2. Hæc Concilia non se interposuisse, ut de Dominicanis, vel Franciscanis aliquid decernerent, quòd privilegiis suis munirentur. 3. Vel de Cisterciensibus, quorum tam accurata vigebat adhuc disciplina, ut ad aliorum reformationem ipsi adhiberentur.

## De Privilogiis, quæ Monasteriis concesserunt Pontifices, Patriarchæ, Episcopi, Reges.

---

## CAPUT. XXIX. *P. 2. l. 1. c. 38.*

### De Privilegiis, quæ Monachis contulere Episcopi, Regesque sub Imperio Clodovæi & Regiæ ejus stirpis.

*I. Privilegia ab Episcopis data nulla tergiversatione eludi possunt.*

*II. III. IV. Concilia Galliæ intra certos limites coarctant potestatem Episcoporum in Monasteria, sed ibi non spectant nisi ad res temporales: spirituali verò jurisdictioni nihil subtrahitur.*

*V. VI. VII. Expenditur Privilegium à Landerico Episcopo Parisiensi concessum Cœnobio Sandionysiano, orante Rege. Ei nihil detrahitur spirituali Episcopi jurisdictioni.*

*VIII. Nec aliter se res habet in Privilegio Abbatiæ Corbeiensis, aliisque compluribus.*

*IX. Singulare quid in Privilegio sanctæ Radegundæ Pictaviensis.*

*X. Congregatio plurium Monasteriorum sub uno Abbate, dissociata obitu fundatoris.*

*XI. De eligendo Abbate à Monachis. Formula Marculphi Episcopis suffragantur in negotio hoc Privilegiorum.*

*XII. Regula beati Benedicti Abbatem Episcopo subjicit.*

*XIII. Avaritia & exactionibus Episcoporum quorumdam exulcerati Monachi, privilegia expresserant à summis Pontificibus.*

I. Quæ ab Episcopis ipsis Diœcesanis conseruntur privilegia, ea longè firmissima sunt, & naturæ ipsi rerum maximè consentanea. Quid enim æquius, quid firmius, quàm ut stet, quod quis sciens volensque de suo jure decedit? Cæterùm ex his ipsis quæ mox depromturi sumus Episcoporum privilegiis, stabilietur magis magisque authoritas & jurisdictio antiquissima Episcoporum in Monasteria. Nec enim ea poterant Episcopi annuere, nisi ut sua se nativa potestate exuerent.

II. Vetuit Agathense Concilium, ne Monachi errones ordinarentur, sine testimonio proprii Abbatis. Eos verò qui stabiliter degunt in Monasteriis, cautum ibidem est, ut ne ordinentur, nisi ex Abbatum assensu. *Monachi etiam vagantes; ad Officium* Can. 27. *Clericatus, nisi eis testimonium Abbas suus dederit, nec in civitatibus, nec in Parœciis ordinentur, &c. Si necesse fuerit Clericum de Monachis ordinari, cum consensu & voluntate Abbatis præsumat Episcopus.* Vincula ipsi sibi induebant Episcopi his decretis. Etenim quantacumque illis postea ingineret necessitas, & Clericorum penuria, non poterant injussu Abbatum vel sanctissimos Monachos ad Ordines, & ad munia quævis Ecclesiastica vocare.

III. Concilium Aurelianense I. subjicit omnino Abbates jurisdictioni, correptioni, & Synodo Episcoporum. *Abbates pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant, & si quid extra regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur; qui semel in anno, in loco ubi Episcopus elegerit, accepta vocatione conveniant.* Et nihilo tamen minùs mox idem Concilium Monachos uni subjicit Abbati. Can. 19.

In Concilio Epaonensi Abbati quem exauthoraverit, & dato successore exuerit Episcopus, conceditur, ut ad Metropolitanum provocet: *Abbas si in* Can. 22. *culpa reperiatur, aut fraude, & innocentem se asserens, ab Episcopo suo accipere noluerit successorem, ad Metropolitani judicium deducatur.* Ad sententias depositionum id pertinet. Aurelianensi II. Concilio Abbates, qui Episcopis non subjiciuntur, subjiciuntur anathemati. Concilium Turonense II. prohibet, ne Episcopus Abbatem, vel Archipresbyterum abdicet, *sine omnium suorum Compresbyterorum* Can. 7. *& Abbatum consilio.* Concilium denique Cabilonense anathemate perculit eos, qui sæcularis potestatis præsidio authoritatem Episcopalem declinarent & ludificarentur. *Ut Abbates, aut Monachi,* Can. 15. *aut agentes Monasteriorum patrocinia sæculari penitus non utantur, nec ad Principis præsentiam sine Episcopi sui permissu ambulare audeant. Quod si fecerint, a suis Episcopis excommunicentur.* Ex quibus planum est, quantacumque tunc Episcopi privilegia Monachis largirentur, non tamen à jurisdictione eos sua immunes esse voluisse.

IV. Concilium Valentinum II. anni 584. *Apostolica authoritate* confirmavit largitates & dona, quibus Guntrannus Rex, Regina ejus conjux, & filiæ duæ Moniales varias cumulaverant Ecclesias, cavitque ne quid inde Episcopi, Regesque detraherent, aut delibarent. *Neque Episcopi locorum, neque potestas Regia quocumque tempore successura, de eorum voluntate quidquam minorare, aut auferre præsumat.*

Dilucidum tamen est, non eximi hîc potestati Episcopali, nisi temporalia Ecclesiarum & Monasteriorum bona, in quæ porrigebat se olim potestas Episcoporum, cui ipsimet renunciatum voluerunt hoc Privilegio.

V. Precibus suis, tantumnon jussis, *Regis petitio, quasi nobis jussio est, cui difficillimum est resisti:* Landericum Parisiensem Episcopum impulit Clodovæus II. ut privilegio cohonestaret Abbatiam sancti Dionysii, ubi Dagobertus Rex & Nantildis Regina tumulati erant, & ubi quiescebant corpora beati Dionysii, itemque commilitonum ejus Rustici & Eleutherii Martyrum. Cessit Regiæ voluntati pietatique Landericus, contulitque *securitatis & incommutabilitatis privilegium*, cum assensu Canonicorum suorum: *Ut nos & Canonicorum nostrorum communis fraternitas, &c. Una cum consensu fratrum meorum, &c.* Curavit, ut & ab Episcopis aliis subscriberetur, *Ut nostris & futuris temporibus valitura sit.* Atqui hoc privilegio nihil amplius conceditur, quàm 1. *Ut Monachis secundum Ordinem suum vivere liceat.* 2. Ut Presbyteri Clericique in Ecclesiis Abbatiæ ob noxiam ministrantes, immunes sint à Synodatico, & aliis id genus exactionibus: *Sint liberi & absoluti ab omni debito & redditione Circadarum & Synodorum.* 3. Ut gratis oleum & Chrisma eis detur. *Sine pretio Chrisma & oleum suscipiant.* 4. Ut permittatur Abbati potestas plectendi eos, qui contumeliam facerent Presbyteris & Clericis Ecclesiatum Abbatiæ subjacentium, & pecunias seu emendas, quibus hæc tum scelera redimebantur, ad se revocandi, alioqui ad Episcopum redituras. *Et si quis eorum Presbyterorum, aut Clericorum, forte aut occisus, quod absit, aut vulneratus fuerit, aut ex his omnibus alicujus injuria acclamatio assurrexerit, quidquid ex his omnibus ad nos pertinere videatur, hoc totum Abbati, qui in ipso loco præfuerit, cæterisque fratribus habendum & disponendum concedimus.*

VI. Si præsumpta animo præjudicia seponantur, totum hoc privilegium non ad aliud pertinet, quàm ad subducendas Episcopo res Monasterii temporales: nisi observantiam Regulæ spectes, quam observari, non privilegii est, sed juris communis à fundatione ipsa Monasteriorum indivulsi. Altera pars privilegii hujus Presbyteros Clericosque eximit non à visitatione & Synodo Episcopi, sed à Cathedratico & Synodatico, qui census erant Episcopo persolvendi. Tertia pars Monachis adjudicat pecunias, seu Emendas pecuniarias, quibus tunc reos multari purgarique mos erat. Id prorsus sonant hæc verba: *Quidquid ex his omnibus ad nos pertinere videtur, hoc totum Abbati habendum & disponendum concedimus.* His verbis apertissimè describitur Emenda pecuniaria, quæ Abbati conceditur, alioquin ad Episcopum reditura.

VII. Ut inesset autem caliginis & dubitationis aliquid in privilegii verbis, eam omnino discuteret ipsa ejus per Clodovæum II. Regem confirmatio. Nec enim condonarunt Episcopi, nisi quod à Rege fuerat postulatum. Atqui ita profitetur Rex, non aliud se vel petiisse, vel impetrasse, vel nunc confirmare, quàm temporalium Abbatiæ rerum immunitatem: *Ut si quid ad ipsum sanctum locum in Villabus mancipiis, vel quibuscumque rebus delegatum est, nullus Episcoporum vel qualibet persona possit auferre, aut aliquam potestatem sibi in ipso Monasterio usurpare, aut aliquid quasi per commutationis titulum minuere, aut calices, cruces, &c.* Ex Aimoino L. 4. c. 41 denique constat, non postulasse Regem ab Episcopis, nisi temporalium immunitatem rerum.

VIII. Simillimo privilegio Clotarius III. Corbiensem Abbatiam munivit anno 664. eam quippe ipse fundaverat; unde & à Bertefrido Ambianensi Episcopo hanc illi temporalium exceptionem impetravit. *Quod ad Monasterium fuerit oblatum, nihil sibi inde Pontifex, aut Archidiaconus, aut quilibet ordinator Ecclesiæ audeat vindicare, &c. Altaria Episcopus benedicat, & Chrisma conficiat sine pretio, &c. Et cùm Abbas fuerit de sæculo iste evocatus, quem unanimiter congregatio Monasterii ex semet ipsis bonum & dignum elegerint, data authoritate à Principe, vel ejus successoribus, à nobis vel successoribus nostris absque ullo commodo secundùm sanctos Canones ordinetur. Similiter & reliquos gradus Clericorum majores & minores, quos Abbas elegerit, sive intra, aut extra Monasterium, sine aliqua præmii acceptione constituimus consecrare.* Prætterquam quod disertissima sunt hæc verba pro temporali immunitate, testificatur ipsemet Episcopus sectari se exempla immunitatum concessarum Monasterio sancti Mauritii, Lerinensi, sancti Marcelli, Luxoviensi, ubi constabat jurisdictionem spiritalem Episcopi sartam tectamque servatam esse: quin immo profitetur Episcopus insistere se vestigiis Augustini, & Concilii Africani sub Bonifacio, de quo nos infrà.

Nec me fugit Regem Theodoricum in confirmanda electione Erembetti Abbatis Corbiensis, hoc eligendi Abbatis privilegium declarare eis concessum fuisse à Regibus & Episcopis. *Secundùm sanctum privilegium quod regali munificentia & Sacerdotum concessione indultum est, de semetipsis eligere Rectorem.* At Episcopus à quo ordinabatur Abbas, eo uno illum suæ potestati prorsus vindicabat. Ad summum in ea re una spiritali suo juri derogabat Episcopus, quòd suo nominandi Abbatis jure Monachis cederet: si quo alio spiritali se jure in eorum gratiam exuisset, non id omnino potuisset fieri.

Idem rursus emicat ex privilegio quod Dervensi Monasterio concessit Episcopus Catalaunensis anno 694. orante Clodovæo III. Rege. Accipe ejus Summam è Chartulario ejus Abbatiæ exscriptam, & à Camuzatio Cointioque publicatam: *Privilegium datum à Bertoendo Episcopo Catalaunensi, ad rogatum* Cointius ad an. 694.
*claræ memoriæ Clodovæi Regis, & Pippini Majoris domûs Regiæ, in quo Episcopus dat nobis electionem Abbatis & Abbatissæ, tam in nostro quàm in puellari Monasterio: qui etiam prius dedit nobis in villa nostra & aliis circumvicinis omnimodam jurisdictionem, nihil sibi retinens præterquam benedictionem Abbatis & Abbatissæ, confectionem Chrismatis, collationem Ordinum, & Pœnitentiales.* Manifestissimè integra hîc servatur Spicil. to 10.
Episcopo jurisdictio spiritalis, translata ab eo temporali tantùm in Monachos. Idem liquet ex privilegio ipso, quod postea erutum & publicatum est in Spicilegio Dacherii.

IX. Singularem prorsus privilegii speciem repræsentat nobis Gregorius Turonensis. Sanctissima Regina Radegundis Monialium Abbatiam Augustoriti Pictonum extruxerat, Episcopisque subesse voluerat: *Semper subjecta & obediens cum omni congre-* Greg. Turo.
*gatione sua anterioribus fuit Episcopis.* Sed cùm Reli- L. 9 c. 40.
quiarum, & maximè Christi Crucis sacra pignora ad eam ex Oriente perlata fuissent: interpellatus est ab ea Pictaviensis Episcopus, ut in Ecclesia Monasterii ea collocaturus accederet, ea pompa & magnificentia, qua par erat. Aspernatus est Episcopus preces Reginæ, quæ confugiens ad Sigebertum Re-

gem, pervicit ut id oneris Turonensi Archiepiscopo imponeretur. Nil residuum sibi fecit Regina, ut Episcopum demulceret, irrito semper conatu. *Cum Pontificis sui gratiam sæpiùs quæreret, nec posset adipisci.* Denique Arelatem profecta, Regulam sancti Cæsarii accepit, reduxque subjecit se Regis tuitioni, cùm sua illam frustraret Episcopos. *Regula Cæsaris & Cæsaria suscepta, Regis se tuitione munierant, scilicet, quia in illo qui Pastor esse debuerat, nullam curam defensionis suæ poterant recipere.* Post obitum Radegundis, quæ ejus in locum successit Abbatissa, tutelæ se reddidit & protectioni Episcopi, qui à Rege etiam præceptum elicuit, quo pristinæ suæ in illam Abbatiam potestati restituebatur. *Iterum petiit Abbatissa, se sub Sacerdotis sui potestate degere. Quod ille cùm primum respuere voluisset, consilio servorum promisit se Patrem earum, sicut dignum erat, fieri; & ubi necessitas fuisset, suam præbere defensionem. Unde factum est, ut abiens ad Childebertum Regem præceptionem eliceret, ut ei hoc Monasterium, sicut reliquas Parochias regulariter liceat gubernare.* Duriori igitur Episcopi dominatione factum est, ut Monasterium hoc Regi suo commendaretur, & sub ejus tuitione conquiesceret, tanquam miserabilium & Ecclesiarum universalis Defensoris, ultimo tempore vitæ B. Radegundis: post cujus obitum, ne tum quidem potuit Episcopus pristinam recuperare authoritatem in illam Abbatiam, nisi novo Regis præcepto, & quasi abdicatione juris quo antè utebatur.

X. Meminit alibi idem Gregorius Turonensis sancti Ursi Abbatis, qui plura fundavit Monasteria, & suis singula subjecit *Præpositis*, quibus eo extincto Episcopi Abbatum nomen & authoritatem addiderunt. *Post cujus obitum Præpositi qui per Monasteria erant, Abbatum officium Episcopis largientibus susceperunt.* Quibus verbis id manifestè insinuatur, has Præposituras omnes Urso paruisse, dum superstes fuit: post ejus obitum eas ab Episcopis divulsas esse alias ab aliis, ut Abbatiarum nomine amplificatæ, uni subessent posthac Episcopo Diœcesano.

Vita Patr. c. 18.

XI. Supervacaneum est plura hîc accumulare id genus Privilegia, à Regibus & Episcopis concessa ad temporalium immunitatem, sospite integraque spiritali Episcoporum jurisdictione universa, præterquam in Abbatum electione, quam Monachis jam concesserant Justiniani Leges: unde & commune illud jam erat jus, & tantò certiùs commune, quòd fideles ipsi quoque Laïci Episcopos sibi suos deligerent, nec quidquam decantatius fuerit in Conciliorum & Patrum monumentis hac priori Ecclesiæ ætate, quàm eligi ab omnibus debere, qui omnibus præfuturus erat. Supervacaneus, inquam, hic foret labor, cùm Formulas ipsas Privilegiorum quæ ab Episcopis & Regibus eliciebantur, ad nos transmiserit Marculphus. Eadem penè sunt verba, atque eorum quæ attigimus, sententia prorsus eadem. Formula Privilegii Episcoporum apertè commonstrat, 1. innumeris id per Gallias Monasteriis concessum fuisse. *Dum ab antiquitus juxta constitutionem Pontificum, per Regalem sanctionem Monasteria sanctorum Lirinensis, Agaunensis, Luxoviensis, vel modo innumerabilia per omne Regnum Francorum sub libertatis privilegium videntur consistere.* 2. Immunitatem non effundi nisi in res temporales. Eadem enim usurpata sunt superiùs verba in Privilegio Corbiensi, sed hîc multò effusiora, & expressiora ad immunitatem restringendam ad temporalia. 3. Electionem Abbatis & Abbatissæ liberam fuisse Monachis & Monialibus, at institutionem Episcopi fuisse necessariam. 4. Abbatem pro officio suo animadvertere debuisse in reos, si suppeteret vis & authoritas; sin minùs ad Episcopum devolvi eam curam: quòd his Privilegiis pax Monachis invehatur, non impunitas scelerum, Episcopalis verò authoritas non decrescat in spiritualibus, etsi sit diruta obliteretur in temporalibus. *Monachi ab Abbate si prævalet, corrigantur: sin autem, Pontifex de ipsa civitate coërcere debet; quia nihil de canonica authoritate convellitur, quidquid domesticis fidei pro quietis tranquillitate tribuitur.* 5. Poterat Episcopus solus ordinare Monachos, sed illos dumtaxat, quos Abbas obtulisset. Formula Regii Privilegii novum his omnibus robur adjicit; adjicit etiam præterea amplissimam immunitatem ab exactionibus fisci, seu ærarii Regii.

Du Chesne To. 1 pag. 660. &c. Spicil. to. 10. p. 617 &c. Marculph. Formula 1. 2. &c.

XII. Eadem eligendi Abbatis libertas astruitur in ipsa B. Benedicti Regula. Itaque eo eligendi jure nihil derogatur jurisdictioni Episcopali. Alioqui id sancire non potuisset Benedictus. Quin ex adverso ipsemet Episcopos obtestatur, ut electionem rescindant, si elegerint Monachi, non censorem suæ nequitiæ, sed adulatorem: utque ipsimet eum præficiant, qui probè & sanctè munere fungatur. *Prohibeant pravorum prævalere consensum, & Domui Dei dignum constituant dispensatorem.* Can. 64.

XIII. Non possumus non uno saltem verbo perstringere, quod privilegia hæc omnia inculcant, execrandæ quorumdam Episcoporum Simoniacorum avaritiæ infamia impulsos fuisse Episcopos Regesque, ut hæc privilegia largirentur. In illis enim id observatum est, juberi Episcopos, ut Principes Ordines conferant, instituant Abbates, Chrisma consecrent, oleumque sacrum suppeditent gratis. Creberrimæ fuere Gregorii Magni querelæ, de simonia, quæ eo ævo per Gallias grassaretur. Quibus venalis erat ipse Spiritus sanctus, ii non facilè pepercissent rebus Monasteriorum temporalibus.

---

## CAPUT XXX. *P. 2. l. 1. c. 39.*

## De Privilegiis à Papa concessis sub Clodovæo ejusque stirpe Regia.

*I. Privilegia à beato Gregorio indulta non spectant nisi ad res temporales Monasterii, & ad Claustrorum custodiam.*

*II. Fundatores ipsi & Reges ea flagitabant privilegia.*

*III. Plura observantur in privilegia quæ à Regibus expetebantur. Non poterat Episcopus Monachum invito Abbate subducere, cui vel Ordines, vel Beneficia conferret.*

*IV. V. VI. His novum lumen & robur accumulatur ex Epistolis Gregorii Magni, qui de Episcopali jurisdictione nihil unquam decerpsit in privilegiis Monasticis.*

*VII. Primus omnium Adeodatus Papa jurisdictioni Episcopi derogavit in privilegia beati Martini Turonensis: sed ex addicta conspiratione Regum & Episcoporum, ipsiusque Archiepiscopi Turonensis.*

*VIII. Simili privilegio donatur Fuldensis Abbatia à Zacharia Papa, Archiepiscopo ipso & Rege flagitante.*

*IX. Generaliter aliqua in his observantur.*

*X. Stupendum in Hibernia Privilegium, ubi Episcopi se omnes Abbati subjecerant.*

*XI. De Privilegiis Hispaniæ.*

*XII. Et Orientis.*

*XIII. XIV. De Privilegiis Africæ.*

I. Simillima superioribus privilegiis fuere ea, quæ ipsi Pontifices Romani Monasteriis contulere, ut illæsa & intaminata Episcopi jurisdictione spirituali, Abbatibus & Abbatissis illæsa quoque & intacta asservaretur temporalium admi-

nistratio, & Disciplinæ Claustralis cura. Monasterium beati Cassiani Gregorius Papa privilegio hoc illustravit: 1. Ut Abbatissam eligerent sanctimoniales, eamque ordinaret Episcopus, si præmisso
L. 6. Ep. 12. examine dignam comperisset. *Quam tamen si digna huic ministerio judicata fuerit, ejusdem loci Episcopus ordinet.* 2. Ut nec Episcopus, nec ejus Clericorum quisquam ullam partem attingeret administrationis temporalium. 3. Ut ne ibi solemnia Missarum celebret Episcopus, nisi in Dedicatione: cæteris diebus omnibus sacra peragant Presbyteri, qui ad id ab ipso delegati fuerint. *Cæteris diebus per Presbyterum, qui ab eodem Episcopo fuerit deputatus, Missarum officia peragantur.* 4. Ut Episcopus animo pervigil excubet in regimen Abbatissæ, & in mores Monialium, ut in noxias Canonicis sæviat pœnis. *Ergo vitam actusque Ancillarum Dei sive Abbatissæ, Episcopo sollicitudinem statuimus adhibere, ut si aliquam exigente culpa oportuerit ultioni submitti, ipse juxta sacrorum Canonum vigorem modis omnibus debeat vindicare.*

II. Ex eadem Epistola constat, concessum fuisse hoc privilegium, rogantibus ipsis Monasterii fundatoribus. Cùm Childebertus Rex Arelatense extruxisset Monasterium, à Vigilio Papa privilegium illi quæsivit, quod à Gregorio deinde Magno confirmatum est. In eo hæc quoque tria observanda veniunt. 1. A fundatoribus ipsis & Regibus interpellatam esse Sedem Apostolicam, ut ea privilegia indulgeret. 2. Ea ratione adductos fuisse, tum fundatores, tum Reges, quod summa esset omnium in illius Sedis Pontifices observantia, & in ejus decreta: *Sciens eam Apostolica sedi reverentiam à fidelibus exhiberi, ut qua ejus fuissent Decreto disposita, nullius deinceps illicita usurpationis molestia quaterentur.* 3. Privilegio hoc quod summus Pontifex tanto Regi concederet, quod Gregorius Magnus confirmaret, non aliud agi, non aliud satagi, quàm ut Abbatiæ libera vendicetur electio Abbatis, libera temporalium administratio, nullo Episcopi spi-
L. 7. Ep. 115. ritalis jurisdictionis detrimento. *Ut eidem Monasterio tam in dispositione rerum, quam in ordinatione Abbatis quædam privilegia largiremur.*

III. Petentibus etiam Theodorico Rege & Brunechilde Regina, idem Gregorius privilegio munivit Monasterium & Xenodochium Augustodunense, quod Siagrius Episcopus & Regina fundave-
L. 11. Ep. 9. 8. rant. *Privilegia locis ipsis pro quiete & munitione illic degentium, sicut voluistis, indulsimus.* 2. Nec nisi ad tuendas res temporales Monasterii pertinet hoc pri-
L. 11. Ep. 50. vilegium: *Statuentes nullum Regum, nullum Antistitum, de his quæ Xenodochio jam donata sunt, vel in futuro fuerint collata, minuere vel auferre posse.* 3. Edicitur, ut Abbas eligatur à Rege, consentientibus Monachis, ita ut nihil ab eo emungat Episcopus qui ordinabit. 4. Ut ne possit suo gradu dejici Abbas, nisi crimine irretitus aliquo, cui ea pœna debeatur; canonicoque Episcopi Augustodunensis judicio, cui sex alii assideant Episcopi. Abbatem hunc Presbyterum esse debuisse disertè exprimunt Pontificis verba; qui Conciliis hîc videtur Africanis sese accommodare, per quæ nefas erat quemcumque Presbyterum munere suo abdicari, nisi sex Episcoporum unà consultantium judicio. 5. Ne unquam possit hujus sive Monasterii, sive Xenodochii Abbas, vel Presbyter, ad Episcopatum promoveri, ne Xenodochii spoliis novam suam locupletet sponsam. *Simili quoque definitione, juxta desiderium conditorum decernimus, ut nullus eorum qui eidem Xenodochio atque Monasterio Abbas aut Presbyter in posterum fuerit ordinatus, ad Episcopatus officium quacunque obreptione sit ausus accedere, ne res Xenodochii aut Monasterii iniqua erogatione consumens, gravissimam egestatis necessitatem pauperibus ac peregrinis, aut cæteris exinde viventibus generet.* 6. Denique ne quem possit Episcopus vendicare sibi Monachum, non assentiente Abbate, ut eum vel Ordinibus sacris, vel Ecclesiæ alicujus satelna constringat: ruere enim, vel dirui Monasteria, ubi hæc illis fulcra subtrahuntur. *Ne loca quæ acquisitione hominum construenda sunt, ablatione destruantur.* Animadversum jam à nobis est, pluribus jam in Provincialibus Conciliis idem statutum fuisse. 7. Subjungit Pontifex imprecationem potiùs quàm judiciariam sententiam, in omnes hujus Decreti sui violatores, ne exceptis quidem iis, quorum coronatus radiat vertex, Episcopis, Regibusque. *Si quis verò Regum, Sacerdotum, Judicum, personarumque sæcularium, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de iniquitate perpetrata cognoscat.* Sed nihil splendidius, nihil in Monasteriorum gratiam compendiosius decrevit unquam Gregorius, quàm in Romana Synodo anni 601. Id decretum publicatum est à Baronio. Sed non aliò tamen collimat, quàm ut in tuto sint res temporalia Monasteriorum, ut electioni Abbatis libertas canonica constet, utque ne illi invito Monachi sui subtrahantur. Cæteroqui nec Abbates subducuntur correptioni Episcoporum, nec spiritali ejus jurisdictioni quidquam detrahitur.

IV. Passim alibi in Epistolis suis declarat Gregorius, quàm toti pendere debeant Abbates Monachique ab Episcopi jurisdictione. Expostulat de L. 1. Ep. 12.
Episcopo Urbevetano, Monasterium divexante, & prohibente ne ibi sacra fierent, aut mortui sepelirentur. Gravissimè objurgat Abbatem, qui contumelias sibi ab Episcopo injustas non religiosa illa humilitate & patientia tulerat, qua par erat: nec satis præsto & expeditus fuerat, ut ei obvius fieret reconciliari volenti: cùm illacrymandum utique vel maximè sit personaræ illi humilitati, quæ mitescit honoribus, injuriis exasperatur. *Adhuc cognosco, quia nobis omnino lachrymarum opus est. Non enim grande est, iis non esse humiles, à quibus honoramur, quia & hoc sæculares quilibet faciunt: sed illis maximè humiles esse debemus, à quibus aliqua patimur.* Cùm L. 2. Ep. 18.
vacantem Episcopatum Episcopo alicui commenda- L. 5. Ep. 11.
ret, curam in primis illi mandabat Monasteriorum. L. 2. Ep. 59.
Scripsit ad Episcopum Neapolitanum, ut Monasterium ibi Virginum dedicaret: per Presbyteros suos curaret illis celebrari Mysteria, ab temporalibus reditibus & oblationibus manus omnino abstineret. Scripsit Episcopo Ravennati, Monachis ea ut resti- L. 4. Ep. 1.
tueret Monasteria, quæ invaserant ejus Clerici. Cùm Ariminensis Episcopus multa truculentè, mul- L. 4. Ep. 41. 43.
ta injustè in Monasterium aliquod egisset, eam intemperantiam cohibuit, refrænavitque Gregorius, nec ei, ejusque successoribus quidquam reliquum fecit, nisi ordinationem, vel confirmationem Abbatis à Monachis electi. *Illa videlicet ei jurisdictione relicta, ut in defuncti Abbatis locum, alium quem dignum communis consensus Congregationis elegerit, debeat ordinare, &c. Monasterium illud nulli ulterius aliqua ratione generali canonicaque jurisdictioni deserviens, remotis vexationibus, divinum opus, cum summa animi devotione perficiat.* Verùm nec his verbis, nec toto contextu Epistolæ excluditur spiritalis jurisdictio Episcopi

Episcopi, quæ veluti consectaria & pedissequa quædam est Ordinationis, sive Confirmationis. Unum id molitur, in id unum enititur Pontifex sanctissimus, ut in tuto collocet temporalia Monasteriorum bona; & ne Episcopus in Monasteria ventitans Pontificalia sacra solenniter obiturus, eò turbas pertrahat populorum, quæ silentio, secessui & paci Monachorum officiant. Si verò Galliæ Monasteria ipsa Episcoporum jurisdictioni commisit Gregorius, quanquam tam crebræ illis & tam enixæ Regum ac Reginarum commendationes suffragarentur: quid censebimus de hoc Ariminensi Cœnobio, quod vexationi subducere, non specialius aliquid gratificari contendebat?

L.5. Ep.28. Cùm Marinianus Joanni Episcopo Ravennati successisset, certiorem illum fecit Gregorius, Præcessorem ejus fundasse, aut dotasse Monasterium Ravennæ, & à se privilegium obtinuisse, ad vallandas eas donationes adversùs successorum rapacitatem.
L.5. Ep.27. Cùm Urbevetanus Episcopus Presbyterorum inopia laboraret, id illi indulget Gregorius, ut ex Monasteriis adsciscat, non sine assensu tamen Abbatum.
L.6. Ep.10. Scripsit ad Episcopum Ariminensem, ut si Primates Cleri sui non iis dotibus prædici essent, quibus esse deberent *Præpositi* sui Monasterii, Clerico inferiori eam curam delegaret, cujus pietas & industria ætatem, ordinemque cum aliquo forsan fœnore compensarent. In Episcopi Hierosolymitani gratiam & benevolentiam studuit revocare Abtem Monasterii cujusdam; diffidebant enim illi tunc,
L.6. Ep.29. *utrique abstinentes, utrique docti, utrique humiles*; cùmque antè unanimi charitate fuissent conjunctissimi,
L.6. Ep.32 tunc alienati erant. Ad Episcopum Carthaginensem scripsit, ipsius partes esse, ut corriperet Monachos Abbatibus suis immorigeros, utque prohiberet Episcopos, ne quorum esse deberent censores ultoresque criminum, eorum essent patroni. Conquestus est ad Episcopum Ravennatem de ejus Clericis, qui dominia & proprietatem invaserant
L.6. Ep.40. Monasteriorum. *Monasteria Clericorum vestrorum dominio prægravari, ita ut occasione quasi regiminis, ea, quod dici grave est, velut in proprietate possideant.* Denique interminatur, nisi his occurratur posthac malis, consulturum se ita Monachis, ut minùs inde
L.7. Ep.18. sibi Episcopi gratulentur. Et certè cùm audisset, Classense Monasterium à superioribus Episcopis miserandum in modum expilatum fuisse: paulò ampliori illud instruxit privilegio, 1. omnem Episcopi in temporalia potestatem funditus sustulit. 2. Monachis liberam Abbatis eligendi facultatem dedit, vetuitque ne quidquam exigeret Episcopus in eo ordinando. 3. Non sine Abbatis consensione Monachos concessit ab Episcopo abduci, quantacumque vel Episcopi esset penuria, vel abundantia Abbatum. Assentitur tamen ut sine consensu Abbatis educat Monachos, qui illi superflui, cæteris Monasteriis regendis sint necessarii. 4. Ne perstringitur quidem Episcopi jurisdictio spiritalis, quandoquidem si quo se Abbas crimine illaquearit sinat, judex sedet Episcopus, illumque juxta Canones abdicat. *Extantibus criminibus quæ sacri Canones punire monstrantur.*

L.7. Ep.33. V. Cùm Episcopus Scyllicitanus curiosior esset arrodendæ Monasterii substantiæ, quàm in melius provehendæ regularis disciplinæ: per litteras eum admonuit Gregorius, per Leges & Canones abstineri illum rebus opibusque temporalibus Monasteriorum, at spiritali disciplinæ præfici. *Nam sicut ab iis quæ incongruè usurpantur, fraternitatem vestram volumus abstinere, ita in his quæ ad disciplinæ rectitudinem vel animarum custodiam pertinent, esse sollicitam, modis omnibus admonemus.* Præcipit ergo ut Monachos puniat à Regula deviantes. Ad Episcopum L.7. Ep.56.
Spoletanum scripsit, ne Monachos ab Abbate suo communione summotos, suæ ipse communioni illabi pateretur, sed judicium ferret de excommunicatione, quam vibrasset Abbas. Universim ad Neapolitanum Episcopum scripsit, Monasteria omnia tutelæ & fidei Episcoporum esse commissa: *Quam-* L. 8. Ep. 13. 43.
*vis & oratio & loci sui qualitas fraternitatem vestram commoneat, tuitionem Monasteriis, & maximè sub se constitutis impendere.* Cùm Monasterio Monasterium subjiceret aliud alterius Diœceseos, hoc posteriùs declaravit semper subjectum fore Episcopo suo priori. *Ipsum Monasterium sic tua nos ordinationi com-* L.9 Ep.67
*misisse cognoscas, ut tamen jurisdictionem illic non Episcopus Surrentinus, in cujus civitate Monasterium tuum est, sed Nucerinus, cujus est Diœcesis, habeat. Nam sic hujus loci ordinationem disponimus, ut tamen jura sua singulis Episcopis inviolata servemus.* Mandavit Episcopo Leontino in Sicilia, ut Presbyteratu initiaret Monachum, qui à suo illi præsentabatur Episcopo, post accuratum & canonicum examen: *Nihil* L.10. Ep.54
*aliud ei privilegii concedens*, quàm ut sacra faceret, cùm opus esset. Cùm Maximianus Episcopus Ab- L.11. Ep.16
batem communione orbasset, non à Gregorio insimulatus est, ut qui potestatis suæ metas transiliisset, sed quòd præpropere & *sine causa* illum damnasset.

VI. Ex hac strue testimoniorum & Epistolarum Gregorii dilucidum est, nunquam ab eo relaxatos fuisse Abbates Monachosque à jurisdictione Episcopi spiritali, quantislibet eos privilegiis & beneficiis cumularit. Si qua autem his adversa alicunde prodeant, meritò suspecta vel adulterina haberi ea debere.

VII. Sexaginta ampliùs annis post receptum An. 670.
in cœlos Gregorium, primus omnium Adeodatus Papa aditum patefecit & munivit novæ huic & priùs inauditæ indulgentiæ, concesso ejusmodi privilegio, quo ab Episcopi Turonensis spiritali jurisdictione eximeretur Monasterium B. Martini. Contestatus est ipsemet Pontifex, inauditam eam & intentatam suis prædecessoribus esse novitatem; nec id à se extorquendum fuisse, nisi quadam Gallorum Episcoporum violenta contentione & vi, ipsiusque adeo Episcopi Turonensis. *Parumper ambigimus, id-* Conc. Gall.
*circo quod mos atque traditio sanctæ nostræ Ecclesiæ plus* Tom. 1.
*nihil suppetat, à regimine Episcopalis providentiæ religiosa loca secernere. Verùm ubi & fratris nostri Crotberti Turonensis Præsulis Monachicam libertatem, id est, liberam dispensandi licentiam scripto concessam religiositate ejus exemplaria proferente, comperimus; in cujus volumine & aliorum per Gallicanam videlicet Provinciam constitutorum Antistitum ad id consensum præbentium subscriptiones subter annexas inspeximus; nullatenus jam exortem rationis ac canonicæ regulæ tantorum Episcoporum consonam sententiam fore perpendimus.* Profitetur ergo Pontifex à se confirmari tantùm, quod ab Episcopis Galliæ jam concessum erat: *Propterea & nos, quod iidem fratres nostri præsentes conferre providerunt, firmari concessimus.* Porro contextus istius mox privilegii Monasterium absolvit à nexu & potestate spiritali, atque à correptione Episcopi, cui unam superesse vult potestatem conferendi Diaconatûs, & Presbyteratûs, & consecrandi Chrismatis: *Episcopo faciendæ tantùm ordinationis ac promotionis Sacerdotum, atque Levitarum, vel conficiendi Chrismatis sit tantùm concessa licentia.* Aliàs autem

spiritalis jurisdictio tota Abbati delegatur. Denique ibidem observat Pontifex, ad temporalium immunitatem Reges ipsos eidem Monasterio privilegia contulisse.

VIII. Fuldensi in Germania Abbatiæ Zacharias Papa non absimile adjecit privilegium, à Bonifacio exoratus Archiepiscopo & fundatore: sed eam legem addidit, ut hoc Monasterium Romanæ Sedi immediatè subesset, nec integrum præterea cuiquam esset Episcopo, quamcumque ibi spiritalem explicare jurisdictionem. *Quia postulasti à nobis,*
Ann. 751. To. 1. Conc. Gall. *quatenus Monasterium à te constructum, privilegii Sedis Apostolicæ infulis decoretur, ut sub jurisdictione sanctæ nostræ, cui Deo deservimus, Ecclesiæ constitutum, nullius alterius Ecclesiæ ditionibus submittatur, &c. Ideo cujuslibet Ecclesiæ Sacerdotem in præfato Monasterio ditionem quamlibet habere, hac authoritate, præter Sedem Apostolicam prohibemus.* Accessit deinde ei privilegio confirmatio Regis Pipini, cum consensu
Du Chesne. Hist. Fran. To. 1. pag. 662. &c. Episcoporum & Principum: *Ideo hanc nostram præceptionis seriem conscribi jussimus, per quam Privilegium Sedis Apostolicæ à B. Zacharia sibi collatum, cum consensu Episcoporum, cunctorumque fidelium nostrorum per omnia roboramus, præcipientes, ut nullus Sacerdotum in præfato Monasterio jurisdictionem aliquam sibi vindicet, præter Sedem Apostolicam.* Potuerat sanè Archiepiscopus & fundator Monasterii sua in Romanum Pontificem transferre jura: ut autem irrevocabilem huic decreto suo conciliaret firmitatem, subscribi illud curavit à Rege, ab Episcopis, ab Optimatibus, hoc est, à Regni Comitibus.

IX. Ante Adeodatum ergo nullum prorsus ejusmodi Privilegium concessum usquam fuerat, quo absolveretur Monasterium ab Episcopi spiritali potestate. Agatho ipse qui uno aut altero post Adeodatum anno Apostolicam Sedem obtinuit, Viremuthense in Anglia Monasterium non vallavit, quantumvis interpellante Rege, nisi id genus privilegio, quo muniretur adversùs hostium irruptiones, referente Beda ipso, qui in eodem Monasterio professus erat vitam religiosam. *Epistolam privilegii, qua Monasterium ab omni prorsus extrinseca irruptione tutum perpetuò redderetur & liberum.* 2. Ante Zachariam nulla Abbatia reservata summo Pontifici fuerat, eique immediatè subdita. 3. Hæ innovationes ab ipsis primùm ortæ sunt Episcopis, iisque annitentibus à Sede Apostolica confirmatæ. 4. Aliorum Regni Episcoporum consensus ad cumulum accedebat. 5. Ante ea tempora privilegia & libertates Monasteriorum non pertinebant nisi ad tuitionem temporalium bonorum, quibus ut irretractabilis firmitas adderetur, interponebatur Sedis Apostolicæ authoritas. 6. A Regibus ipsis Privilegia Monasteriis concedebantur, ut summoveretur ab eorum rebus temporalibus, Laïcorum grassatio & deprædatio; utque libertates ab Episcopis & Pontificibus indultæ hoc etiam præsidio convalescerent. 7. Episcopi ipsi Diœcesani Monasteria quædam & suæ & successorum suorum jurisdictioni spiritali primi subduxere, & coram ipsi contestati sunt summum Pontificem, permagni & sua & ipsorum interesse ut ita fieret. Ex eo autem id emergit, ut non potuerit non eis & fidem adjicere, & assentiri atque obsecundare Pontifex. Maximè cùm suffragarentur huic veteris disciplinæ immutationi, penè dixerim vulneri, cæteri omnes Regni Antistites, & suaderent novo hoc remedio novis morbis occurrendum esse. Quî enim posset non haberi fides iis, quorum maximè intererat, ut ne prisca earum authoritas coarctaretur?

8. Itaque ut prioris generis Privilegia eò pertinebant, ut arcerentur Episcoporum quorundam cupiditates à rebus Monasteriorum: ita simile vero est eò specˈtare posteriora, ut finis modusque aliquis poneretur spiritali jurisdictioni, qua eorum nonnulli sæpiusculè abutebantur. Ejus rei exempla jam aliqua attigimus in perstringendis Gregorii Epistolis. Nihilo rariora fuisse ea in Galliis facilè conjicitur, ex tot & tantis Episcopis, qui passi non essent, qui saltem non expetiissent potestatem suam ita circumscribi, nisi necessitatis urgentis, vel evidentis utilitatis Ecclesiarum stimulo incitati. 9. Quanquam Adeodatus omnium primus istiusmodi diploma annuerit, ejus tamen generis non pauca prælusa erant rudimenta. Etenim à Monachis suum sibi eligi Abbatem; ab Abbate præsentari Episcopo Monachum, quem Monasterio Presbyterum ordinet: non posse Episcopum ex Monasterio accersere invito Abbate quem Presbyterum ordinet, & jamdiu viduatæ Parochiæ præponat: prohiberi Episcopum, ne in Ecclesiam Monasterii ventitet, suamve in ea Cathedram erigat, vel Pontificali pompa sacrum faciat? hæc omnia disciplinæ jam usitatissimæ capita totidem erant spiritalis Episcoporum jurisdictionis decrementa, sed usu trita, ab ipsismet approbata, & in jus commune recepta. 10. Verùm nec iis se cohibuit limitibus immunitas à spiritali imperio Episcopi, quos ei delineaverat Adeodatus. Exemit enim ille quidem Abbatem Monachosque ab Episcopi correptione, at non tamen concessit ut Chrisma Ordinesque ab alio quàm Diœcesano Episcopo flagitarent. Hoc quoque vinculum antiquissimæ obedientiæ abrupit Zacharias, Fuldensem Abbatiam Sedi Romanæ immediatè subjicians. Longo sæculorum tractu ad multò plura serpent hæ libertates; quas vel non expetiissent, vel non tam facilè admisissent Episcopi, nisi persuasissimi fuissent privatæ suæ potestati anteponi debere publicam Ecclesiæ & pietatis utilitatem. In Synodo Romana anni 601. assensus est Gregorius omnibus capitibus Monasticarum libertatum, tunc usitatarum, illa adactus necessitate propulsandæ à Monasteriis quorundam Præsulum vel ambitionis, vel avaritiæ. *Quia in plurimis Monasteriis multa à Præsulibus præjudicia atque gravamina Monachos pertulisse cognovimus.* Assensi sunt Episcopi omnes qui Concilio intererant, immunitatibus quas tum necessarias censebant: *Libertati Monachorum congaudemus, & quæ nunc de hit statuit beatitudo vestra, firmamus.* Probabile omninò est Episcoporum Galliæ eandem fuisse mentem, cum Adeodatum precibus suis præverterunt, cum Zachariam postea secuti sunt in annuendis libertatibus Monachorum, etsi cum aliquo suæ potestatis detrimento. Cæterùm si prior illa Ecclesiæ ætas Episcopos repræsentat, qui suam circumscripserint ipsi successorumque suorum authoritatem, ut Monachis de Ecclesia benemeritis gratificarentur. Repræsentabit & infrà posterior ætas Regulares animi, consiliique & virtutis præstantia nobiles, qui nisi de consensu Episcoporum sua noluerunt explicare Privilegia; persuasi videlicet æquissimum esse, ut ne suis ipsis beneficiis Episcopi oppugnentur.

X. Minus erit quo moveamur tam faciles fuisse Episcopos in decurtanda sua ipsorum olim potestate, si in mentem veniat Episcoporum Hiberniæ, de quibus suprà diximus, qui in unius Abbatis qui Columbano successisset, potestate esse se perdiu voluere, authore Beda. Meminit idem Beda Libar-

tatis qua donatus est ab Agathone Romano Pontifice Benedictus Biscopus Abbas in Anglia. Verùm ea non aliud quàm donationes Regiæ Monasterio vindicabantur, ut ne facilè paterent deprædatoribus. *Accepit ab Agathone in munimentum libertatis Monasterii quod fecerat, Epistolam privilegii ex Apostolica authoritate firmatam, juxta quod Egfridum Regem voluisse ac licentiam dedisse noverat, quo concedente & possessionem terræ largiente, ipsum Monasterium fecerat.* (L. 3. c. 4. L. 4. c. 18.)

XI. Adeunda nunc obiter Hispania, ubi Concilium Ilerdense anni 524. miram consonantiam suam prodit cum Agathensis Concilii Canonibus: in eo maximè quòd res & facultates Monasteriorum subducerentur potestati Episcopi, ejusque seu juribus, seu exactionibus. (Can. 3.) *In nullo diœcesana lege Episcopis constringantur.* Neminem potest Episcopus ordinare, nisi assentiente Abbate, propterea quòd ordinatio emanciparet quodammodo Monachos à potestate Abbatis, & Episcopo addiceret Monachos. Gravissimè expostulavit Toletanum IV. Concilium de Episcopis qui Monasteria immaniter divexassent; edixitque ut posthac non aliud auderent Episcopi, nisi ut Abbates & officia Claustri instituerent, atque invigilarent ut observaretur Regula, & inobsequentes pœnas darent. (Anno 633. Can. 51.) *Hoc tantùm sibi in Monasteriis vindicent Sacerdotes, quod præcipiunt Canones, id est, Monachos ad conversationem sanctam præmonere, Abbates aliaque officia instituere, atque extra Regulam facta corrigere.* (Can. 3.) Concilio Toletano IX. repressi sunt & illi Episcopi qui Abbatum nomine & potestate necessarios proximosque suos investiebant, ut eos spoliis & manubiis Ecclesiarum & Monasteriorum locupletarent.

XII. In Oriente quàm obnoxia essent potestati Episcopali Monasteria, ex Constitutionibus Novellis Justiniani Imperatoris suprà patuit. Est autem vero aut verisimili finitimum, cùm Episcopi Orientales propemodum omnes è Claustris ad Pontificias sedes adsciscerentur: humaniores eos quoque fuisse & propensiores ad tuitionem Cœnobiorum, in quibus ipsimet sanctissimè & suavissimè innutriti fuerant; ut minùs necesse fuerit ea tot propugnaculis privilegiorum muniri adversùs Episcoporum infestationes. Postquam ei formulæ fidei & communionis Catholicæ, quam miserat Hormisda, subscriptum est à Patriarcha, contendere cœperunt Archimandritæ, nihil opus esse ut suo ipsi nomine subscriberent, ut qui in Archiepiscopo suo implicati fuissent. *Sufficit quia Archiepiscopus noster fecit, nos factum ejus sequimur.* Ita post Epistolam 40. Hormisdæ.

XIII. Non committemus ut muta nobis abierit Ecclesia Africana. Quin pulcherrimæ illa locum dabit quæstioni, ab ea quam versamus non alienæ prorsus. Statim enim ibi in oculos incurrit Archiepiscopus Carthaginensis antiquissimo jure & more fultus, ut tutela & protectione sua totius Africæ Monasteria complecteretur. Expendendum ergo nobis erit, an Patriarchæ eo jure uterentur, ut privilegia quædam imparticerentur aliarum Diœceseon Monasteriis, atque ita suæ illa vindicarent jurisdictioni. Verùm satius est eam quæstionem in Caput proximum differre, & hîc aliquid delibare de Episcoporum ipsorum potestate in Monachos Africanos.

XIV. Cùm migrasset Fulgentius è Monasterio, ubi Abbatem agebat, in aliud strictioris observantiæ in Insula quadam, prioris Monasterii Monachi Episcopum adiere, ut sibi pissimus transfuga restitueretur. Episcopus anathema ostendit magis quàm intentavit Fulgentio, qui jussis ejus sequacem se præbens, in prius Monasterium se recepit, ubi mox ab Episcopo Presbyter & Abbas ordinatus est; ut ne ab alio quopiam Episcopo ordinari, & ad aliam Diœcesin transferri posset. Non plura dicam, nec enim necesse est, ut manifestissimè constet Africanorum Episcoporum in Monachos authoritas. Audiendus hîc jam Ferrandus in vita Fulgentii. *Episcopus protinus Episcopali authoritate suum esse Monachum Fulgentium allegat, sibique reddi, & ubi ipse jusserit vivere debere confirmat. Minatur excommunicationem contradicentibus, ipsum verò Fulgentium nisi consentiat, inobedientibus similem pronuntiat judicandum, &c. Repente eum Sa ordos consecrat Presbyterum, ut Abbatis & Presbyteri decoratus officio, nec Monasterium relinquere, nec in alia posset Ecclesia forsitan ordinari.* (Cap. 24 25.)

---

## CAPUT XXXI. *P. 2. l. 1. c. 40.*

### De Privilegiis, quæ à Patriarchis collata sunt Monasteriis, per eadem mediæ ætatis sæcula.

*I. Erant in variis Africæ Diœceses & Provincias sparsa Monasteria, quæ uni suberant Archiepiscopo Carthaginensi.*

*II. III. IV. V. VI. VII. Acta Concilii Carthaginensis, ubi hæc privilegia confirmata fuere*

*VIII. Alio Carthaginensi Concilio corroboratur ille usus Carthaginensis Episcopi, ut ei immediatè suberant plura totius Africæ Monasteria.*

*IX. Observantur aliqua in his privilegiis, quæ morem in angustias conjiciebant Potestatem in Monachos Episcopalem: & quæ tamen indulta concessaque sunt ab Episcopis, multò antè, quam Pontifices Romani ejusmodi libertates ullas concessissent*

*X. His privilegiis non prorsus subducebantur Monasteria Episcopo Diœcesano.*

*XI. XII. Hæc Africana Concilia & Privilegia non inexplorata Gallis olim fuere.*

*XIII. Nusquam verba facit Augustinus de hac Carthaginensis Episcopi potestate*

*XIV. Patriarcha Alexandrini, Antiocheni, Hierosolymitani in omnia prorsus Monasteria curas suas porrigebant.*

*XV. XVI. XVII. Erant Constantinopolitano Patriarchæ immediatè subjecta Monasteria, in omnes ejus Patriarchatûs provincias disseminata*

*XVIII. Erant & idem genus Monasteria per totam provinciam uni Metropolitano subdita.*

*XIX. Possunt quibus volunt subjicere Monasteria, qui ea exædificant & dotant*

I. NUsquam splendidiùs micant privilegia, à Patriarchis in omnes suæ ditionis Diœceses earumque Monasteria & Abbatias dispensata, quàm in Concilio Carthaginensi anni 525. sub Archiepiscopo Bonifacio, cui intererant Africæ universæ Episcopi, sub Hilderico Vandalorum Rege. Præsto affuit Petrus Abbas, unà cum Monasterii sui Senioribus, conquestusque est de Liberato Primate Provinciæ Byzacenæ, qui illos anathemate innodaverat, cùm primùm libertates suas commiserant patrocinio & tuitioni Archiepiscopi Carthaginensis; cui negabant se sententiæ parere debuisse: cùm tam justo & præpotente patrocinio niterentur. (Ann. 525.) *Rogamus beatissime & Apostolica dignitate prædite, Christi venerandè Pontifex Bonifaci Episcope, & omnes sancti Sacerdotes, qui adesse videmini, &c. Ex quo huic venerabili sedi libertatem Monasterii nostri commisimus vindicandam, adversum nos exurrexit tempestas invidiæ Sanctus quippe Liberatus Episcopus primæ sedis Provinciæ Byzacenæ Congregationibus Sacerdotum sæpè collectis, in perniciem nostram multa & multiplicites* (Spicil. To. 6.)

*machinatur, dum Monasterium nostrum gravi excommunicatione percutere voluisset. Absit enim ut percussisse dicamus, scientes nos sub vestro velamine constitutos, nullis posse jaculis quorumlibet consiliorum penetrabiles deferi.* Testatum faciunt integrum sibi fuisse, ut se cui mallent Episcopo dederent: *Si discutiatur ratio, licet liberis, quocumque voluerint pertinere*, sectatos se exempla complurium Africæ aliorum Monasteriorum, in subeundo unius Carthaginensis Episcopi jugo: *Si quærantur exempla, multos antè fecisse irreprehensibiliter docemus*: æquum esse, ut Episcopus confugio sit & præsidio Monachis, perinde ut Clericis, qui ad eum undique convolant, à suis Episcopis iniquius exagitati: *Illuc ne opprimeremur confugimus, ubi solent etiam Clerici, qui se opprimi viderint, appellare*: si suum autem aliquando Subdiaconus rexisset Monasterium, non inde quidquam juris accrescere Episcopo; cùm ille non qua Subdiaconus, sed qua Monachus, sibi & fundator fuisset & Abbas. *Nec ideo nos eum, quia Subdiaconus, sed quia Monachus fuit, Abbatem habuimus.* Denique cùm ubique pro excommunicatis haberentur, & extruderentur Ecclesiis, orant, ut iniqua cohibeatur persecutio, & primæva sibi libertas restituatur. *Nos priori securitate confirmata, nostræ libertati restituatis.*

II. Non sibi temperavit Archiepiscopus Bonifacius, quin de Liberati importunitate expostularet, cui tam vilia fuerant Carthaginensis Ecclesiæ privilegia. *Privilegia hujus sanctæ Ecclesiæ moliri subtrahere*: quique Episcoporum Conventus tam injustæ implicuisset causæ: *Congregationes Pontificum frequenter adducens.* Janoarius Episcopus condolescit violatis sanctæ sedis Carthaginensis honoribus. *Dolemus satis, audientes, quia reverentiam sanctæ huic sedi debitum consacerdos Liberatus audet in aliquo denegare.* Nec minore in Bonifacium observantia & cultu omnes esse debere contestatur, quàm in ejus prædecessores fuerint: *Et hoc omnes tuæ gloriæ exhibeamus, quod antiquitas prædecessoribus tuis detulisse evidenter ostenditur.* Idem professi sunt omnes, qui Concilio aderant Episcopi. *Episcopi dixerunt, Hæc etiam nostra postulatio.*

III. Lectus est alter quoque Libellus supplex Abbatis Petri, quo præ se ferebat, vacante tantùm Carthaginensi sede, paruisse se Primati Byzaceno, sed post illum Primatem extinctum, nemini se subjici voluisse vicinorum Episcoporum, nec iis qui vacantes Episcopales Ecclesias administrarent. *Ita tamen ut defuncto Primate, non successor plebis illius aliquam in nobis haberet licentiam, sicut est moris in subditis, sed neque plebi nos vicinæ aliquando subjecimus, aut vicinis Episcopis, aut interventori Ecclesiæ, quæ proxima est nobis.* Sed expectatam à se creationem novi Archiepiscopi Carthaginensis; cui uni subesse vehementissimè cuperent. *Poscimus, ut nostrum Monasterium facias tuæ Beatitudinis regimini subjacere*: ut Primati uni totius Ecclesiæ Africanæ obnoxii essent: *Ut tantæ Sedis, quæ Primatum totius Africæ Ecclesiæ tenere cognoscitur, defensione muniti, &c.*

IV. Tum verò perlecta est defensio Episcopi Liberati, & Concilii ejus Provincialis, ubi multa præfatione honoris & reverentiæ præmissa, vehementer rogabatur Bonifacius, ut Canonum vigorem tueri vellet, à quibus Episcopi Diœcesani jurisdictioni omnia subjiciuntur Monasteria. *Novimus sapientiam tibi divinitus infusam, quæ præcipuè hoc studeas, ut nullus permittatur, Ecclesiasticorum Canonum aliquatenus convellere firmitatem, ut terminos paternis definitionibus constitutos non negligat servare posteritas.* Universim reposuit Carthaginensis Archiepiscopus, cùm iis privilegiis jamdiu accessisset consensio & confirmatio tot Episcoporum, & tot Conciliorum, frustra jam ea in controversiam trahi, inutili & fucato prætextu renovandi priscos Canones: ea quippe si percrebresceret licentia, jam nihil in Ecclesia fixum, nihil ratum statumque fore in Ecclesiæ disciplina. *Neque enim poterimus statuta mutare, quæ per tot Sacerdotes instinctu divino servata noscuntur. Si enim admiserimus ea, quæ antè constituta sunt, in retractationem vocari, nihil in divinis humanisque actibus, nihil in sacris publicisque rebus ob inire ullam poterit firmitatem: dum post annorum spatia, tanquam in emendationem Patrum velut instructior nostra videatur mutare posteritas.*

V. Stitit se rursum Petrus Abbas, ac profiteretur Monasterium suum nunquam juris fuisse Provinciæ Byzacenæ Episcoporum, quòd ejus nimirum fundamenta posita fuissent à Monachis, qui ex variis confluxerant Provinciis Africæ, quorum & nonnulli ex ultramarinis Provinciis advecti essent; eos porro suis sumptibus, vel necessariorum facultatibus impensas omnes fecisse; ac statim à se Monasterium Ecclesiæ Carthaginensi dicatum ac devotum fuisse, cujus & nomen, & protectionem implorarent adversùs impotentiam Clericorum: *Dum constet nos de diversis locis Africanis, vel transmarinis ad hunc locum congregatos fuisse: & nunquam alicui obnoxios fuisse. Monasterium sumptu parentum nostrorum, vel aliorum Religiosorum fundatum esse firmamus.* Curasse quidem se ut Monasterium dedicaretur ab Episcopo Provinciæ Proconsulatis, sed expectasse se, dum Sedes Carthaginensis proprium nancisceretur Episcopum, ut ei se subjicerent. *A jugo nos Clericorum, quod neque nobis, neque Patribus nostris quisquam superponere aliquando tentavit, eruere digneris.* His subtexunt nomina plurium Africæ Monasteriorum, quæ nequaquam juris sunt Diœcesani Episcopi, vel proximi cujusquam, sed vel Primarum, vel longinquiorum; ut multò æquius sit subesse aliqua Ecclesiæ Carthaginensi, cui universa subest Africa. Nec sileri hîc debet, quod de Adrumetino subditur Monasterio, quod non solùm à potestate immune est Episcopi Diœcesani, sed Presbyteros etiam suos omnes de transmarinis accipit regionibus. *Nam de Adrumetino Monasterio nullomodo silere possumus, qui prætermisso ejusdem civitatis Episcopo, de transmarinis partibus, sibi semper Presbyteros ordinaverunt.*

VI. Tum his adnectuntur probationes plurimæ Libertatum Monasticarum, quarum excerptæ nonnullæ sunt ex libellis sancti Augustini *de Moribus Clericorum*, qui sermo quinquagesimus est *de Diversis*: aliæ ex Concilio Arelatensi, ubi in gratiam rediere Theodotus Episcopus Forojuliensis & Faustus Lirinensis Abbas, ubi prima Libertatum lumina radiaverunt, ut suprà diximus: aliæ denique ex perantiquo privilegio Monasterii cujusdam puellarum, quod eis concesserat Bonifacius Primas Byzacenæ, cujus hæc sunt verba imprimis favorabilia. *Insinuo semper servorum Dei vel Ancillarum Monasteria liberum habere arbitrium à conditione omnium Clericorum. Quorum priscorum Patrum sequentes ritum etiam vestrum Monasterium hoc habere, & in vobis manere usque in ævum. Unde per hanc vos authoritatem duximus commonendas, ut licentiam habeatis unde volueritis, spiritualem sumere cibum, liberam in omnibus facultatem habentes, &c. Ut quem velitis, vobis corrogetis Presbyterum, &c.*

VII. Exitus denique hujus causæ Conciliique ia fuit, qui & Ecclesiæ Carthaginensis amplitudini, & Monasteriorum libertati amplificandæ responderet. Hoc refertur ejus Decretum: *Erunt igitur omnia omnino Monasteria, sicut semper fuerunt, à conditione Clericorum modis omnibus libera, sibi tantùm & Deo placentia.*

VIII. Aliud decimo pòst anno coaluit rursus Carthagine Concilium sub Archiepiscopo Reparato, ubi Ruspensis Episcopus formam regiminis postulavit Monasterio suo, quod B. Fulgentius construxerat. Decrevit tandem hæc Synodus prioris sub Bonifacio Concilii statuta religiosissimè servanda esse; ut omnia Monasteria plenissima libertate fruerentur: illæsa Episcopi potestate juxta Canonicas Constitutiones, ordinandi Clericos, & consecrandi Altaria: ita ut nihil novi oneris imponere possit, nec Abbates eligere, nec ulla Monachos exactione vexare; Monachis unius Abbatis imperio regendis, & dissensionibus ipsis, si quæ inter Abbates nascantur, per alios Abbates sopiendis. *Cætera Monasteria etiam ipsa libertate plenissima perfruantur, servatis limitibus Conciliorum in hac dumtaxat, ut quandoque voluerint sibi Clericos ordinare, vel Oratoria dedicare, Episcopus in cujus plebe vel civitate locus Monasterii consistit, ipse hujus muneris gratiam compleat, salva libertate Monachorum, nihil sibi in eis præter hanc ordinationem vendicans; neque Ecclesiasticis eos conditionibus aut angariis subdens. Oportet enim in nullo Monasterio quemlibet Episcopum Cathedram collocare, &c. Esse enim debent Monachi in Abbatum suorum potestate. Et quando ipsi Abbates de corpore exierint, qui in loco eorum ordinandi sunt, judicio Congregationis eligantur: nec officium sibi hujus electionis vendicet aut præsumat Episcopus. Si qua verò contentio, quod non optamus, exorta fuerit, ut ista Abbatum aliorum consilio, sive judicio finiatur.*

Spicil. to. 6 pag. 26.

IX. Mirari libet tam propitia, tam amica Concilia Monachis Monachorumque libertatibus & privilegiis, quibus in arctum sanè redigitur spiritalis Episcoporum potestas. Cùm verò hæc Concilia plerumque Episcopis Gallicanis prælucerint, nonnulla operæ pretium duxi hic in ea animadvertere. 1. Monasterium unde agebatur in priore Carthaginensi Concilio, extructum fuerat à Monachis peregrinis, nonnullis etiam tranato mari in Africam vectis, propriis ipsorum sumptibus. Itaque tantò potius illustriusque erat jus quo se tuebantur, quòd se suaque quasi patrimonia potuerant ei cui collibitum esset, Episcopo Africano addicere, maximè autem Carthaginensi, qui communi omnium consensu Primas erat universæ Africæ, & quasi Primas Primatum. Nullum tutius, nullum privilegii indubitatius fundamentum est, quàm fundatorum voluntas, quibus integrum utique est bona sua & se ipsos cui lubet donare. 2. Erant & alia ejusmodi complura Cœnobia, quæ in potestate essent non Diœcesani Episcopi, sed vel Primatum, vel Episcopi alterius longè dissiti. 3. Non propria ergo & peculiaris hæc erat Sedis Carthaginensis prærogativa, cùm tot alii Episcopi obnoxia sibi quædam haberent in aliis Diœcesibus Monasteria. Sed ex dictis liquet, multò plura id genus fuisse sub Archiepiscopo Carthaginensi: & à Concilio ipso eam haberi velut præcipuam dotem Ecclesiæ Carthaginensis, quòd quæcumque vellent Monasteria, possint sub ejus tutela conquiescere. 4. Verùm hæc Privilegia Monasteriorum Africæ non tam immunitates erant, quàm commutationes dominationis & subjectionis. Omnia enim hæc quantumvis libera & exempta Monasteria, alicui subjecta semper erant Episcopo, saltem longinquo, saltem Carthaginensi. De Adrumetino solo poterat dubitari. Ex cismarinis enim nostris Provinciis Presbyteros suos suscipiebat; nec facilè divinari potest, an à Romano, an ab alio aliquo Episcopo certo, an à quocumque. Si nondum prorsus deferbuerat prisca illa æmulatio Monachorum à Presbyteris magnopere sibi caventium, ne dominari in Monasteria vellent Presbyteri, propter Ordinis sui præcellentiam: providè rebus suis consuluerant Adrumetini, ut Presbyteros non haberent nisi transmarinos, tantò à dominandi ambitu alieniores, quantò ab amicis & præsidio omni prorsus destitutos. 5. Cæteroqui Privilegia quæ hîc Monasteriis per Africam omnibus communicantur, & jam Privilegia non sunt, sed libertates communi in Africa jure confirmatæ: brevissimo gyro concludunt spiritalem omnem Episcopi in Monachos jurisdictionem. Sola enim eis servari videtur ordinatio Clericorum, aut Altarium consecratio. Ne duo illa quidem capita satis firma erant, si Monasteria se Episcopo Carthaginensi subjici mallent: aut si fundatorum ei voluntate, vel alii cuicumque Episcopo subjecta fuissent. 6. Quin & suspicari fas est, ideo tam faciles fuisse Africanos Episcopos ad amplificandas Monachorum libertates, ne tam crebra eos incesseret cupiditas, ad tuitionem Carthaginensis Episcopi confugiendi. Aliàs enim Africani Episcopi prisci vigoris & austerioris Canonum disciplinæ retinentissimi erant. 7. Quoquomodo se res habeat, Episcopi ipsi harum libertatum largitores & dispensatores fuere, certi id sibi & honori futurum & ornamento, nec obfuturum potestati, quæ nusquam major, quàm dum Ecclesiæ paci & publicæ saluti consulitur. 8. Subjecerant se Monachi Africani & Monasteria immediatæ Carthaginensis Primatis jurisdictioni, perdiu antequam vel Gallicani, vel Occidentales reliqui Monachi Romano Pontifici immediatè & ipsi subesse ambiissent, ut liquet ex tempore à nobis adnotato singularum hujusmodi innovationum. 9. Extra Italiam Romani Pontifices Privilegia Monasteriis non concesserunt ferè, nisi ut ea confirmarent, quæ jam Reges & Episcopi contulissent, postulassentque confirmari. Cùm ex adverso ostensus sit à nobis Carthaginensis Episcopus, & dedisse, & datas vindicasse id genus libertates repugnantibus Episcopis Diœcesanis; qui tamen aliquando tandem ejus potestati concedere & accedere cogebantur. 10. Non dissimulavit Adeodatus quàm gravatè cederent Gallicanis Episcopis, & ipsi Turonensi, à quibus cogebatur Turonense Cœnobium subtrahere Episcopi spiritali jurisdictioni. Zacharias primus omnium Fuldense Cœnobium subjecit immediatè Romanæ Ecclesiæ, voluntati obsecutus Bonifacii Archiepiscopi & fundatoris. Carthaginensis Primas eadem sæpiùs authoritate jam antè usus fuerat, forsitan & majore, nullo Episcoporum Africanorum, vel raro, qui id molestè ferret. 11. Ne in Italia quidem ipsa Gregorius Magnus Monasteria immediatè suæ Sedi subesse voluerat, tametsi diligentissimè provideret, ut ne cui eorum detrimentum importaret imperiosa Episcoporum dominatio.

X. Quanquam hæc autem ita gesta sint in his Carthaginensibus duobus Conciliis: non potest tamen omnino videri spiritalis in Monasteria Episcoporum potestas funditus excisa. Non ablata enim

ea est ab Episcopis, sed ab uno ad alium translata, à Diœcesano ad Carthaginensem. Immo ne translata quidem tuta erat. Supererat enim Episcopo facultas consecrandi Chrismatis, & ordinandi, ordinandi etiam, ni fallor, Abbatis. Nam & ordinari dicebantur Abbates, cùm ab Episcopo vel benedicerentur, vel confirmarentur. Nec expressis verbis eximuntur Abbates in his Africanis Conciliis ab Episcopi correptione.

XI. Adde quod & ipsi Galliarum Episcopi, ubi hæc Carthaginensia Concilia sibi proposuerunt, uti normam eorum privilegiorum quæ concessuri erant, non tamen omnia vincula spiritalis suæ in Monachos jurisdictionis relaxarunt. Audi enim quibus usi sint verbis in Privilegio Monasterii sancti Dionysii. *Quanquam sancta Carthaginensis Synodus facta à beata memoria Domno Bonifacio ejusque Coëpiscopis, non prohibeat Monachos sub privilegio proprio residere, &c.* Iisdem penè verbis conceptum fuerat Privilegium Corbeiense. In utroque etiam laudatus est Augustini liber *de gradibus Ecclesiasticis*, ut fundamentum libertatis Claustrorum, *Cùm Augustini libri doceant Monachos sub quiete regulariter viventes, absque inquietudine Clericorum vel Episcoporum residere.*

*Conc. Gall. Tom. 1.*

XII. Authoritate etiam Concilii hujus Carthaginensis sub Bonifacio fultum adstructumque est Privilegium sancti Mauri Fossatensis juxta Parisios, ab Andeberto Parisiensi Episcopo concessum. *Si verò contra Patrum statuta eum fecisse causantur, legant Canones à sancto Bonifacio Carthaginensi Episcopo & aliis Episcopis factos, & invenient quod Monasteria in quibus regulariter vivitur, libera esse debeant ab omni infestatione Episcoporum & Clericorum.*

*Du Chesne Hist. Franc. To. 1. p. 623.*

XIII. Opinati sunt quidam agnitam fuisse probatumque ab Augustino, hanc extraordinariam & universalem Archiepiscopi Carthaginensis potestatem in omnia Africæ Monasteria. Id exsculpuot ex ejus Epistolis nonnullis, ubi Presbyter adhuc cùm esset, gratulationis dedit litteras ad Aurelium Carthaginensem Episcopum, quòd concessisset Alipio, ut in Hipponensi Monasterio commoraretur: & exinde creatus Episcopus non improbat ordinatos fuisse ab Aurelio Monachos transfugas. Sed his argumentis vim invictam non facilè assentiar inesse: non eam quoque quæ æquari possit Canonibus Africanis, qui tam disertè Monachos subdunt suis quosque Episcopis. Denique nihil evidentius optari potest, quàm quod dictum est de primo Carthaginensi Concilio sub Bonifacio, ubi jus & potestas Episcopi Carthaginensis hactenus porrigitur, ut sub sua tuitione recipiat Monasteria, quæ à fundatione & origine illi se addixissent; non ut in omnia Africæ Monasteria immediatam exerat jurisdictionem. Ideo & eo Concilio allegatur authoritas Augustini, ad constabilienda Ecclesiæ Carthaginensis jura in Monasteria; sed de his duabus Epistolis ne verbum quidem fit ullum; quodque ex Augustino depromitur, nihil omnino pertinet ad immediatam illam & universalem Carthaginensis Episcopi authoritatem in omnia Monasteria.

*Epist. 64. 76.*

XIV. Nec prætereundi sunt nobis Patriarchæ Alexandrini, Antiocheni & Hierosolymitani: quorum cura & administratio in omnia eorum Patriarchatus Monasteria propagata fuisse comperietur ex Ecclesiasticæ historiæ antiquissimis monumentis. Thebaïdis Monasteria visitavit Athanasius, ad Solitarios Epistolas perscripsit. Ex historia Lausiaca Palladii, ex vitis Patrum Ruffini, ex Prato spirituali Joannis Moschi identidem emicant argumenta ejus sollicitudinis spiritualis, qua Patriarchæ incumbebant in Monasteriorum suæ ditionis disciplina purganda, tuenda, regendaque. Sed non ita facilè est, vel certa nancisci exempla, vel indubia argumenta scrutari exemptionis manifestæ, quæ Monasterium quodvis proprio auferret Episcopo, & in Patriarchæ solius jurisdictionem transferret.

Verùm inficias ire non possum, quin sæculo jam septimo essent in Patriarchatu Constantinopolitano bene multa Cœnobia, ab Episcoporum Diœcesanorum spiritali jurisdictione prorsus absoluta, & uni immediatè subjecta Patriarchæ Constantinopolitano, & Exarcho Patriarchali, quem ille ad omnium omnino Monasteriorum administrationem delegabat. Extat in hanc rem in Jure Orientali Constitutio Germani Constantinopolitani Patriarchæ, qui hac velut accensa face præluxit successoribus suis omnibus; sicut & ipse in antecessorum suorum vestigia insistebat. Hoc verò primùm ille profitetur, Ecclesias, Monasteria, & Oratoria omnia in omnibus Patriarchatûs Provinciis ad Patriarchæ immediatam jurisdictionem non revocari, nisi ubi in prima ipsa eorum fundatione, Crux Patriarchalis defixa fuit. Id Græcia dicebatur *Patriarchale Stauropegium.* Id enim juris erat penes omnes Episcopos, ut in ipsa quorumcumque fundatione Monasteriorum Crucem suam defigerent, ut suprà observavimus ex Constitutionibus Justiniani, id verò insigne erat, & quasi vexillum eorum jurisdictionis. Verùm si fundatoribus magis adlubesceret Monasterium suum Patriarchæ subjici, tunc Patriarchalis Exarchus Crucem ipse suam defigebat. Perinde autem habebat de quibuscumque Ecclesiis, vel Oratoriis. *Ut Patriarchalis nominis relatio in illis sola obtineat, & clarius exprimatur, in quibus extructio per Patriarchalis Crucifixa facta fuerit, sive Monasteria sint, sive Ecclesia Catholica, sive Oratoria.*

*Juris Orien. L. 3. p. 235.*

XVI. Rursus autem à Germano Patriarcha id declaratur, non posse ullam jurisdictionis partem depromi ab Episcopo Diœcesano in hæc Monasteria, quæ ab exordio sui contradita sunt Patriarchis, sive in celebratione Mysteriorum, sive in Abbatum ordinatione, sive in criminibus plectendis, sive in Canonicis pensionibus exigendis. *Et in hujusmodi nihil sit commune regionis Antistiti, sive ad sacrorum confectionem, sive ad Præfecti designationem, sive ad peccatorum inquisitionem, neque aliud quidquam, usque ad Canonicarum illationum exactionem.* Ea omnia Exarcho servantur integra Patriarchali, sicut & causæ Matrimoniales, de quibus ibidem mox.

XVII. Tertiò idem Germanus charitati, quàm cupiditati obsequentior, & minuendorum quàm amplificandorum cupidior privilegiorum hujusmodi, quæ cum jure communi confligantur: declarat agros, domos, Oratoria, ubi necdum defixa fuit Crux Patriarchalis, omnino in Episcopi Diœcesani potestate fore, quamvis pertineant ad Monasterium aliquod, quod jurisdictioni subsit Patriarchali. *Non est consentaneum ut Episcopus à proprio expellatur populo, eo quòd Patriarchalibus Monasteriis, quibus adhærent prædia, vel suburbana subjecta sint, sed nec à suis Oratoriis, nisi sub Patriarchalibus stauropegiis & ipsa fundata sint.*

*Ibidem. Juris Orien. Par. 3. p. 237*

XVIII. Denique in usu erat etiam familiari Orientalis Ecclesiæ, ut essent & Metropolitanis Monasteria, eorum potestati addicta subditaque, quanquam in Suffraganeorum Diœcesibus sita essent. Idque eadem prorsus fiebat ratione, in ipsa Monasterii fundatione defixa Metropolitani cruce.

*Ibid. p. 236.*

Non raro Episcopi impatientius ferebant ita impune irrumpi in fines suæ ditionis, & seu zelo disciplinæ, seu contumeliæ ferendæ impatientia, alienas has refigebant Cruces, suasque substituebant.

XX. Ex antedictis promicat, illud maxime, illud universaliter ratum fixumque fuisse, constantissimas & inconcussas illorum Monasteriorum libertates habendas esse, ut immediate subessent Patriarchis, cum a fundatione & ab ipsa Fundatorum voluntate id totum proficiscebatur. Nec enim non illis integrum esse poterat, sua bona, latifundia, patrimonia largiri & devovere quibus mallent.

---

## CAPUT XXXII. *P. 3. l. 1. c. 35.*

## De Privilegiis, quæ Reges & Episcopi Monachis contulere sub Carolo Magno, & ejus stirpe Regia.

*I. Non aliud Pontifices sivi tunc quam privilegia confirmabant ab Episcopis & Regibus concessa.*

*II. Ea privilegia eo pertinebant, ut libera esset Abbatis electio, & res temporales in tuto essent.*

*III. Illæsa servabatur in Monachos Episcopalis jurisdictio.*

*IV. V. Horum probationes variæ, maxime jurisdictionis Episcopalis.*

*VI. Eligendi Abbatis libertas canonica valebat cum primis ad procul eliminandos Commendatarios Abbates, sive Clericos, sive Laicos.*

*VII. Nova ejusdem rei documenta.*

*VIII. Amantissimi quandoque claustralis disciplinæ Episcopi, hæc sua ipsi sponte largiebantur privilegia, ut ne vel ipsi, vel successores possent Abbatum ibidem nomen & officium usurpare.*

*IX. X. XI. Probatur his privilegiis non excisam fuisse Episcoporum in Monasteria jurisdictionem.*

*XII. Abbas insulæ Barbaræ apud Lugdunum Vicarius Generalis Archiepiscopi Lugdunensis, & jurisdictione ejus delegata defungens.*

I. NOn confirmavit Nicolaus I. privilegia, quæ prædecessor suus Benedictus contulerat Corbiensi in Gallia Abbatiæ, nisi ante contestatos, Episcopos Ambianenses, quorum in territorio sita erat illa Abbatia, & cæteros Galliæ Episcopos ea concessisse privilegia, jam inde ab iis temporibus, quibus extructa fuerat Abbatia a Regina Bathilde, filioque ejus Rege Clotario; & rursus ea nuper confirmasse, sub Imperio Caroli Calvi Regis. *Sicut jam olim concessum illi Monasterio cognovimus ab Episcopo Ambianensi & ab aliis Episcopis Galliarum, & privilegio cessionis firmatum, tam temporibus dilecti filii nostri Caroli, præsenti tempore regnantis, quam antiquis temporibus, Balchilde Clotarioque Francis principantibus.*

Conc. Gall. To. 3. pag. 218.

Sane non alium idem Pontifex conservatorem constituit horum privilegiorum, postquam ea confirmaverat, nisi Episcopum Ambianensem, quem ideo persona induit & authoritate summi Pontificis. *Hoc vero constitutum si fuerit ab aliquo prævaricatum, per Episcopum Ambianensem, quisque ille fuerit, ex nostra conveniatur authoritate, ut eum, qui hujus sedis Constituta convulserit, conveniat, & iniquitatis suæ culpam commoneat, cuique periculo subjiciatur notum faciat.* Sive ignavia autem, sive incuria officio non fungeretur Episcopus Ambianensis, Monachis ad Metropolitanum confugiendum erat, ut suam & Vicariam sedis Apostolicæ authoritatem distringeret in hos mandatorum Apostolicorum violatores: *Quod si vel ipse despexerit, vel neglexerit, vel timuerit perficere, Metropolitanus Episcopus conventus a fratribus ipsius Cœnobii, personam hujus Sanctionis violatricem adire non differat, &c. ex sua nostraque authoritate, &c.* Postremo si nec par sit Metropolitanus frangendæ impotentiæ scelestorum hominum, adibunt Monachi ipsi summum Pontificem. *Licentiam habeant fratres Romanam Apostolicamque sedem adire, &c.*

Ex his elucet, quæ natura, quæ indoles esset horum antiquissima privilegiorum, quæ adeo non in dedecus cedebant Episcoporum Diœcesanorum: ut eorum ipsi authores essent, & conservatores; ut jam nil opus esset Monachos ad sedem Apostolicam confugere, nisi ubi ad tuenda ea privilegia, vel minus vigilarent, vel minus valerent Episcopi, adeoque necesse jam esset Episcoporum decreta & Beneficia, summorum Pontificum authoritate communiri.

Hactenus de authoribus horum privilegiorum, qui non alii sane erant, quam Episcopi ipsi Diœcesani, reliqui Provinciæ Episcopi & Regni, Metropolitani, Reges, & tum demum summi Pontifices. Nunc expendenda nobis sunt libertatum harum capita, sive in spiritalibus, sive in temporalibus.

II. Primum erat, ut suum sibi pro arbitrio Monachi eligerent Abbatem, convenienter Regulæ & Canonicis institutis. Alterum erat libera administratio & potestas rerum temporalium, ita ut in ea nec Episcopi, nec Episcoporum ministri se ullatenus interponerent. *Ut prædicto Monasterio, & rerum suarum liberam concederet dispositionem & in eligendo de semetipsis Abbate regularem dare, Canonicamque libertatem.* Ostensum est alibi id juris fuisse penes Episcopos, ut Monasteriis Superiores præficerent, & in potestate haberent fundos omnes, omnes reditus Ecclesiasticos suæ Diœceseos, cujuscumque demum sortis & naturæ ii essent, ut qui primi extitissent patres, satores, fundatoresque Religionis & Ecclesiarum omnium Diœceseos. Privilegio ergo quodam utrumque jus istud Episcopi in Monasteria transcribebant. Idque illi plerumque fundatoribus gratificabantur. Bathildis Regina & Clotarius Rex Corbiensis Abbatiæ conditores, hanc illi simul utramque impetraverant libertatem, alteram in spiritalibus, in temporalibus alteram. Quod enim jus magis spiritale, quam ut suum sibi quis ducem, Pastorem & Superiorem ac Magistrum deligat?

Ex hoc autem duplici privilegio scaturiebant complura alia. Deinceps enim non poterat Episcopus quidquam exigere rerum Monasterii, vel redituum; vel aliquid sibi in Abbatem arrogare, vel in Monachos, vel in Monasterium, vel in Cellas ei subjacentes, vel in Clericos, servosque qui ibi ministrarent, nisi quantum per Canones fas esset. *Episcopus vero Ambianensis nullam ex eis vel accipiat, vel exposcat portionem, neque vel in Abbate, vel in fratribus, vel in ipso Cœnobio potestatem obtineat, neque in Cellis ipsius Monasterii, dominatione potiatur ulla, neque in Clericis, neque in famulis, & in omnibus quæcumque ad Monasterium illud videntur habere possessionis respectum, &c. nisi quantum canonicus ordo permittit.* Exinde autem prohibentur Episcopus, Oeconomus, Archidiaconus, Archipresbyter in Monasteria ingredi, vel in ejus Cellas, nisi ab Abbate invitati fuerint: quo visitationis jus perimi videtur. *Nec ad Monasterium seu Cellas ejusdem vel ipse per se Episcopus, vel Oeconomus ejus, vel Archipresbyter, vel Archidiaconus illius, aut qualibet ex eius agentibus persona, potestatem habeat accedendi, nisi forte ab Abbate*

*Monasterii necessitatis causa, vel dilectionis gratia vocatus advenerit.*

III. Verùm huic visitandi juri non remittunt omnium Episcopi, per se, vel per Vicarios obeundo, in Ecclesia quæ à Presbyteris sæcularibus reguntur, & quæ obnoxiæ sunt Monasterio. Vetantur tantùm novare quidquam, aut novas inducere servitutes, priscis consuetudinibus & libertatibus infestas. *Neque in Ecclesiis prædicto Monasterio subjectis, vel in Presbyteris eisdem Ecclesiis ordinatis aliquam tentet facere perturbationem, vel Abbati & fratribus novam constituendo, & antiquam consuetudinem violando.*

Quoad oleum verò sacrum, Chrisma, Dedicationes Ecclesiarum, Consecrationes Altarium, Ordinationes, horum omnium dispensator unus erit Episcopus, qui citra moram obnoxiæ in his sibi succurret Ecclesiæ, nec Spiritûs sancti dona inæstimabilia vili pretio addicet. *Ordinationes quæ necessaria fuerint in Monasterio, sive de Monachis, sive de Canonicis, & quas petierint Abbas & fratres, agere non differat. Altaris quoque & Basilicarum benedictiones, &c. Chrisma quoque & oleum consecratum, &c. Et pro his omnibus nullum munus accipiat.*

Conc. Gall. Tom 3 pag 524. IV. Hæc summa, hæ partes Privilegii ea ætate celeberrimi, cujus instar & simulacrum quoddam delineatum cernere est in aliis ejusdem ætatis omnibus. Est quippe illi perquam simillimum Privilegium Abbatiæ sancti Carilephi. Ibi enim etiam confirmatum est à Nicolao Papa, quod Reges & Episcopi jam largiti fuerant. *Libertatem ab Episcopis & Regibus concessam ut roboraremus.* Capita libertatum primaria, electio Abbatis, & temporalium summa ac libera potestas, *Libertatis privilegium in rerum suarum dispositione, & in Abbatis de semetipsis electione.* Non poterat subire in Claustra Episcopus, nisi ab Abbate rogatus: *Nisi vocatus ab Abbate & fratribus accedat.* Clerici, Canonici, Monachi peræquè immunes erant omnes à dominatione temporali Episcopi. *Episcopus neque per se, neque per Ministros suos neque ex Clericis, neque ex Canonicis, neque ex Monachis, neque ex Laïcis, potestatis jure, aut Episcopali fastu, sine voluntate Abbatis & Fratrum præsumat aliquid ad ordinandum, vel ad disponendum, vel ad dominandum.* Ordines, Dedicationes, Oleum, & Chrisma Monachi ab Episcopo, sed gratis accipiebant.

Unum in hoc Privilegio additur, quod in superiori supplendum non temerè suspicamur: ut Abbas à Monachis electus ab Episcopo confirmetur, ordineturque: & si quando scelere quopiam inquinetur, quod secundùm Regulas & Canones depositione sui debeat, à Diœcesano Episcopo, & à quinque aliis Episcopis, quos Rex nominarit, judicium de eo canonicum instituatur. In quibus duobus plurimum omnino momenti est, ad authoritatem tuendam Episcopi in Abbates exemptos. *Quòd si fuerit infamia calumniis denotatus Abbas, ex Regali providentia habeatur Episcoporum non minùs quàm sex conventus, quorum de numero Cenomanicus constituatur Episcopus, & eorum in judicio secundùm Canones illius causa discussa, non aliter deponi possit, nisi reus manifestis certisque patuerit indiciis, &c. Sic itaque Abbas & electus à pluribus, & ordinatus sacerdotali benedictione, nullo modo sui Ordinis honore privari possit, nisi manifestis fuerit criminibus convictus.* De hoc rursus Privilegio agetur capite sequenti.

V. Anno 866. Solemniacensis Abbas Concilium Suessionense III. adiit & Regem Carolum Calvum, ut confirmationem & innovationem peteret vetustissimi Privilegii, cujus authenticæ Chartæ exustæ fuerant à Normannis, quódque Dagobertus Rex olim concesserat, contemplatione illustrissimi & sanctissimi fundatoris B. Eligii Episcopi Veromanduorum. *Regiam clementiam & Synodalem adiens pietatem pro privilegiis ipsi Monasterio impetrandis, quibus sub tuitione Regia atque Apostolica, & Synodali defensione perpetuò muniretur.* Non complectitur hoc Privilegium à Concilio datum, vel roboratum, nisi duo illa de Abbatis electione, & de libera temporalium dispositione. Cæterùm & hîc & in superioribus illud animo infigendum, illud pro certo habendum est, eligendi Abbatis libertatem, & à Monachis tantopere expetitam, & ab Episcopis, Conciliis, & Regibus certatim collatam assertamque eo maximè consilio fuisse, ut Abbates Commendatarii, sive Clerici, sive Laici summoverentur. Obrepserat enim jam Regibus, ut & hos Abbatiis obtruderent. *Ut eumdem locum non aliter nisi tutela defensionis ac tuitionis Reges usurpent, nec cuiquam Clericorum Canonici habitus, aut Laïcorum, quod absit, eum attribuant.*

Eadem ipsa sunt principalia ejus immunitatis capita, quæ anno 878. Joannes VIII. Papa Floriacensem donavit Abbatiam, tempore eo quo habebatur Synodus Tricassina II. contemplatione corporis B. Benedicti, quod eò devectum fuisse, ibi quiescere, ibi coli idem Pontifex testificatur. Ea Privilegia olim complurimis Monasteriis collata fuerant; sed imperante Caroli Magni prosapia majore studio flagitarunt Monasteria, ut his inexpugnabile robur accederet à summi Pontificis confirmatione: quòd nimirum cœpissent Laici procacissimè invadere & grassari non modò in temporalia Monachorum bona, sed in ipsum Abbatis nomen & decus, quod sibi arrogabant. *Quamvis Privilegia multorum meruerint Episcoporum, ad reprimendam quorumlibet illicitam cupiditatem, humiliter postulare, ut super Abbate regulari ex eis eligendo, etiam nostra authoritatis Privilegia consequantur.*

VI. Itaque ad tutelam magis & defensionem Monasteriis præstandam collimabant hæc Privilegia, quàm ad debilitandam Episcoporum in Monachos authoritatem. Sub Chlodovæi ejusque stirpis imperio poterat utique Privilegium dici, si eligendi Abbatis facultatem, si temporalium dispositionem transfundebant Episcopi in Monachos. At sub imperio Caroli Magni cùm Pontifices, Imperatores, Reges, Episcopi connitebantur & conspirabant ad retundendam Laicorum effrænatam in opprimendis & expilandis Ecclesiis licentiam: tum certè chartæ potiùs eæ erant tuitionis & defensionis, quàm Privilegiorum ac libertatis. Ideo & anno 885. Marinus Papa vetera innovans Privilegia Solemniacensis Abbatiæ non aliud memorat, quàm tuitionis & defensionis Apostolicæ præsidium ei tunc additum: *Ut præfatum Cœnobium sub defensione ac tuitione beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra statueremus.* Et postquam in tuto collocavit electionem Abbatis, propulsavitque deprædatores, tum adjicit novam à novo Gistii jure immunitatem, & ab impensis Magnatum, qui ibi meabantur. *Statuimus etiam ut nullus Episcoporum, seu Comitum, Mansionaticum ibi, vel paratas, vel stationes requirere, seu exigere præsumat.* De hoc Gistii, Mansionatici, & Metatûs jure prolixè nos infrà suo loco.

Quanquam autem Laïcorum maximè infestationi objectarentur hæc veluti propugnacula quædam Privilegiorum: erat tamen & eorum usus nonnun-

quam

quam aliquis adversùs Episcopos cupidiores. Concilium Tullense anni 850 Carolum Calvum Regem & Archiepiscopum Bituricensem interpellavit, ut Abbatia Floriacensis ea libertate frui sineretur, quam Episcopi donassent, quam Rex confirmasset, cui Archiepiscopus ipse subscripsisset, & qui tamen tum eam Abbatiam invasisset, præter Canonicas omnes Regulas. *Ut Privilegium quod annuente Rege firmaverant, quodque idem Rodulphus Biturigum Archiepiscopus subscripserat, qui præfatum Abbatiam irregulariter retinebat, ratum & inconvulsum servare studerent.* Eo Privilegio non eximebatur Abbatia visitationi extraordinariæ Missorum Regiorum, nec juri Episcopali in exauthorandis Abbatibus, quorum esset scelus ea pœna ulciscendum. *Quod si Abbas negligens & sacris regulis inconveniens per directos Missos inventus fuerit, ab eadem paternitate removeatur, & alius qui dignus repertus fuerit, substituatur. & privilegii regularis authoritas in eodem Monasterio quacumque occasione non destituatur.*

Hæc certè *Privilegii Regularis authoritas* non aliter interpretanda venit, quàm jus eligendi Abbatis Regularis, nec tolerandi sæcularis, aut merè Clerici, cujusmodi erat hic Archiepiscopus Bituricensis. Quamquam enim à primæva rerum origine possent Episcopi Abbates vel Præpositos quosdam Monasteriis assignare: certum est tamen temporum lapsu Legibus Imperatorum, Conciliorum Canonibus, & ipsa B. Benedicti Regula concessam constitutamque fuisse Monachorum eligendi Abbatis libertatem: & hanc deinceps facultatem habitam esse veluti agnatam quandam libertatem, & Juris communis legem.

VII. Id rursus fas est observare in Privilegio Abbatiæ Corbiensis, quod confirmavit Concilium Parisiense anno 846. sub Carolo Calvo. Nam Episcopi & Metropolitani hujus Concilii cui præerat Hincmarus, fundatum fuisse aiunt hoc Monasterium à Regina Bathilde & Clotario Rege: repræsentatas sibi fuisse Chartas Ludovici Pii Imperatoris, & Lotharii filii ejus, qui concedebant liberam Abbatis electionem, liberam temporalium dispensationem: *Electionis gratiam, & rerum suarum dispensationis libertatem*: & Chartas Caroli Calvi, qui defensorem se & custodem hujus Abbatiæ profitebatur, velut paternæ hæreditatis: *Qui idem Monasterium secundum morem prædecessorum suorum, quasi jure hæreditario in sua familiaritate, ac defensione, ab*
Conc. Gall. To. 3 p. 58 *exordio regni sui suscepit.* Se Episcopos, hoc est, *Patres & Defensores Ecclesiæ*, non potuisse non confirmare hoc privilegium, ad petitionem Monachorum, qui tumultuosis his temporibus meritò reformidant, ne sibi, sicut & aliis compluribus Monasteriis, hæc duo libertatum suarum capita & quasi summa fastigia elidantur: *Verentes similia pati, sacras litteras Principum expetierunt, electionem sibi & liberam rerum suarum dispositionem confirmantes.* Denique Episcopi ipsos obtestantur Principes, præsentes, futurosque, ut hanc electionis libertatem Monachis perpetuent *juxta authoritatem Canonicam, & Regulam sancti Benedicti*: hoc utique constituto & præjudicato, eam electionis libertatem non in eo sitam, ut solo numero suffragiorum pendatur, sed ut eligatur, cui merita, virtutesque suffragabuntur splendidiores: *In ipsa porro electione regularis authoritas conservetur, id est, ut ille præponatur sanctæ Congregationi, quem non multitudinis electio commendaverit, sed quem sanioris consilii, licet pauci numero fratres elegerint, & quem vita meritum & sapientia dignitas probabilem reddiderit.* Intonant postremò Præsules horrendum in eos anathema, qui eam Abbatiam involaverint, sola Regia potestate innovatis ad hoc Canonibus Apostolicis: *Secundum Canonicam authoritatem, quia sæculari potestatem Ecclesiam Dei obtinere voluit.* Si verò Reges, orbis domini, filii Ecclesiæ: *Si filii nostri, domini rerum,* has prætergrediantur sanctissimas Ecclesiæ leges, extimescendas & ipsis esse has pœnas.

Lupus Ferrariensis Abbas Pardulum Laodunensem Episcopum, qui in flagrantissima erat Caroli Calvi Regis gratia, interpellavit, ut renovari restituique curaret Abbatiæ sanctæ Columbæ Senonensi, illud idem priscum privilegium, quod ei toties concessum, & tam sanctè confirmatum fuerat ab Episcopis, Regibus & Imperatoribus. *Monachi sanctæ Columbæ privilegio & antiquorum & præsentium muniti Episcoporum, Regumque, & Imperatorum, & priscis & recentibus instructi edictis, spem recuperationis aliquam nacti, pietatis regiæ portum petunt, &c.* Epist. 12.
Congerere ex hac tota exemplorum supra relatorum constare videtur, non aliud hoc Senonensis Abbatiæ privilegio vetere & innovando, quàm eandem utramque libertatem contineri potuisse: quæ nimirum toties conculcabatur, quoties hanc ipsam Abbatiam Archiepiscopi Senonenses à Regibus eblandiebantur; eblandiebantur autem perquam sæpissimè.

VIII. Consules si voles Excerpta Chartarum Abbatiæ Lobbensis in Agro Leodiensi: illud autem statim comperies, ex quo Franco Lobbensis Abbas ad Episcopatum Leodiensem provectus est, illam Abbatiam Episcopali ditioni adjectam fuisse, atque exinde Episcopos Leodienses illam perdiu administrasse per Præpositos & Decanos, usque ad Episcopum Notgerum, qui ab Imperatore Ottone II. & à Papa Joanne impetravit, ut eligendi Abbatis jus Monachis redderetur, servata potestate Episcopo ejus confirmandi, sicut & Advocati eidem Monasterio præficiendi, quem Monachi elegissent. *Immunitatem Ecclesiæ nostræ suggerente Episcopo Notgero, ab Othone II. innovari primùm, postea eodem Episcopo agente à Joanne Papa authoritate Apostolica confirmari obtinuit Abbas Fulcuinus, &c.* Spicil. to. 6. pag. 589.
*Sic tamen ut potestatem sibi retinerent Leodienses Episcopi regali concessione, videlicet ut Abbatem quem congregatio sibi liberè elegisset, ipsum præficerent, Advocatum quoque secundum eligentium votum Ecclesiæ constituerent.* Ad remunerandam vero Lobbensem Abbatiam, ea qua tantum & honoris, & emolumenti, & præsidii ad Episcopatum Leodiensem redibat, statutum est, ut Abbas Lobbensis Vicarius Generalis natus Episcopi Leodiensis declararetur, & primas honoris haberet Lobbensis Ecclesia post Cathedralem, ante cæteras omnes Ecclesias Diœceseos. *Pro collato sibi honore ejusdem loci Abbatem in sua iidem Leodienses Ecclesia Vicarium haberent, & Lobiensem Ecclesiam inter cæteras totius Episcopatus Ecclesias post matricem primæ Sedis Ecclesiam, primatum præ omnibus habere concederent.*

Hinc elucescit 1. ut Abbatiæ Episcopis nunc darentur à Regibus, nunc auferrentur. 2. Ut Episcopi publicæ, quàm privatæ rei studiosiores, darent ipsi, dandasque & confirmandas curarent Abbatiis libertates, quò proprios & Regulares haberent Abbates, à quibus & tuendis rebus temporalibus, & fovendæ regulari disciplinæ cura propensior adhiberetur. 3. Hoc eligendi regularis Abbatis privilegio excludi ipsos Episcopos, ne Abbatiales præ-

terca infulas ambirent. 4. Pontificum & Imperatorum auchoritatem interpoſitam fuiſſe perſæpè ab Epiſcopis ipſis, adversùs ſucceſſorum ſuorum ambitum & rapinas. 5. His non permi, ac ne debilitari quidem poteſtatem Epiſcoporum ſpiritalemque juriſdictionem in Abbatem & Abbatiam. 6. Juſtiſſimas quandoque fuiſſe cauſas honorificentioris ſedis ordiniſque aſſignandi Abbatibus & Monaſteriis quibuſdam ſupra Clericos & Eccleſias complures alias Diœceſeos.

IX. Illud verò in quo caput & cardo vertitur quæſtionis hujus, nimirum nihil obſtrepuiſſe hæc Privilegia, quin juriſdictioni ſpiritali Epiſcopi obnoxii ſemper eſſent Abbates Abbatiæque, præter exceptiones ſuprà memoratas: quanquam multis jam argumentis exempliſque abundè commonſtratum ſit: juvabit tamen & hoc rurſus aliquantò illuſtrius expreſſiuſque addidiſſe. Bertoëndus Catalaunenſis Epiſcopus ad preces Clodovæi Regis & Pipini Majoris Palatii Monaſterium Dervenſe Privilegio donavit, ſicut & Monaſterium Puellare, ad ejus formam, quo gaudebant Monaſteria Lerinenſe, ſancti Mauritii, Luxovienſe, ſancti Marcelli & Orientalia complura; quo eligere poterant Monachi Abbatem; Moniales re cum Monachis communicata, Abbatiſſam; nec aliam ſibi reſiduam vult Epiſcopus ſupereſſe poteſtatem, quàm ordinandi Abbatis, conſecrandi Chriſmatis, & Ordines con-

*Spicil. to 10. pag. 627.* ferendi. *Et ſi eis opportunum fuerit Abbatem benedicendi, aut Chriſma conſecrandi, vel ſacros Ordines percipiendi, hoc tantummodo nobis propter Canonicam inſtitutionem, & præjudicium Eccleſiæ noſtræ abſque ullo motu reſervamus.* Tum exuit ſe Epiſcopus dominio quocumque & jure omni, quod alioqui vendicaſſet ſibi, tum ipſe, tum Archidiaconus in Abbatiam, & in cellulas, Parochias, ſive etiam Monaſteria ei obnoxia. *Cæterùm nullam poteſtatem, aut dominationem, neque nos vel Archidiaconus, ſucceſſoreſque noſtri, aut qualibet perſona habere non debeat; aut quamcumque de eodem Monaſterio vel Cellulis ejus & Parochiis, aut cæteris Monaſteriis cauſam audeat præſumere vel auferre.* Denique correptio ibi culparum fiet, juxta Regulam ſancti Columbani, vel Benedicti, qui nonnullas in ea re quoque Epiſcopi partes eſſe voluere. Denique profitetur Bertoëndus non fieri injuriam canonicis Inſtitutis, cùm ſpeciali quapiam gratia decorantur, qui ſpecialia edunt virtutum & religionis documenta. *Ideo quoque præſtitimus privilegium, quia nihil de Canonica authoritate convellitur, quidquid domeſticis fidei & maximè contemplativam vitam ducentibus pro quiete tranquillitatis conceditur.*

Refertur à Vuillelmo Malmeſburienſi Privilegium, quo Abbatia Glaſtemburienſis in Anglia donata eſt à Rege Edgaro; in quo ſi penitius intro-

*Malmeſbur de geſt. Reg. Angl. l. 2.* ſpiciantur hæc verba, *A quocumque Præſulum canonicè ordinatum, ad titulum ſanctæ Mariæ ordinari facerent*, facilè intelligetur, non ea id valere, ut Monachis liceret à quocumque vellent Epiſcopo ordinari; ſed ut à quocumque ordinentur Epiſcopo, non ordinentur niſi ſub titulo ſanctæ Mariæ Glaſtemburienſis, ut ei Monaſterio exinde onus incumbat eorum ſuſtentationis. Adde quod hoc Privilegium à Rege & Epiſcopis conferebatur.

X. Quin & validiora ſuperſunt quæ proferamus exempla, quibus planum fiat, quantiſcumque obvallatas Privilegiis Abbatias, obnoxias adhuc in non paucis & Diœceſano fuiſſe Epiſcopo, & Me-

*Spicil. To. 8 pag. 238.* tropolitano. Abbatiam Miciacenſem ſancti Maximini munierat Jonas Aurelianenſis Epiſcopus inſigni Privilegio, quod corroborari curavit à Ludovico Pio & Lothario Imperatoribus anno 826. ut Ordo Monaſticus ibi illæſus ſemper vigeret, ut Regularis ſemper eligeretur Abbas, nihil ſucceſſores Epiſcopi de facultatibus temporalibus inmoverent; denique ibi non ſiletur, ut Jonas hoc Privilegium impertiſſet de conſenſu Capituli ſui & Metropolitani. *Circa Cellam ſancti Maximini, quæ eſt juris Epiſcopii ſui cum conniventia Metropolitani ſui Jeremiæ, & Canonicorum, &c.* Unde & Imperatores ipſi decrevere, ut ſi Epiſcopi Aurelianenſes huic Privilegio *Miciacenſe Monaſterium ſancti Maximini.*
derogatum irent, poſſent Monachi ad Metropolitanum confugere Senonenſem, qui eam ſarciri curaret injuriam, communicato cum Epiſcopis Provinciæ conſilio: ſi nec Archiepiſcopus autem par eſſet tantæ difficultatis moli diſſipandæ, recurreretur ad Regem, vel ad Imperatorem, ut in Conventu generali Epiſcoporum Regni aliquid remedii tanto malo adhiberetur. *Ut res ad notitiam Senonici Metropolitæ perferatur, quatenus adhibitis ſuæ Diœceſeos Suffraganeis Epiſcopis, negotium diſcutiat, &c. Si contingeret negotium propter aliquam ſui difficultatem ab eo minimè poſſe definiri, volumus ut ejus relatu nobis ſucceſſorumque noſtrorum auribus res innoteſcat, ut noſtræ authoritatis ſanctione in generali Conventu Epiſcoporum hujus conſtitutionis convulſor corripiatur.*

XI. Aldricus Senonenſis Archiepiſcopus à compluribus Epiſcopis Archiepiſcopiſque confirmari pervicit Privilegium, quo Abbatiam ſancti Remigii in ſuburbio Senonenſi donaverat; nimirum ut libera ſemper eſſet Abbatum electio, & integra ſervaretur facultas temporalis, munita hoc vallo adversùs Archiepiſcopos in poſterum Senonenſes, qui exigere non poſſent niſi equum, ſcutum & lanceam, annua videlicet dona, & permodicam pecuniam ad extraordinarias expeditiones, ubi Regibus ſubſidii aliquid conferre cogebantur Senonenſes Archiepiſcopi, cum milite quem ſuis alebant ſtipendiis: qua de re nos alibi opportuniùs prolixiùſque. *Epiſco-* *Spicil. to 2. pag. 579. An. 834.*
*pus in exigendis muneribus Abbatem non gravet, ſed ſufficiat ei ad annua dona equus unus, & ſcutum, cum lancea.* Illud in hoc Privilegio maximè memorandum, quòd ſi non poſſit Epiſcopus Abbatem conſtruere de gremio Monaſterii, propterea quod nullus Monachorum oneri par ſit: ipſe de ſua Diœceſi aut Provincia dignum deliget, non ſine conſilio & aſſenſu Epiſcoporum Provinciæ & vicinorum Abbatum. *De eadem Parochia, vel Diœceſi Senonica, conſentientibus Coëpiſcopis ejuſdem Diœceſis, & circumpoſitis venerabilibus Abbatibus, &c.*

Edocuit jam nos Flodoardus in ſola Abbatis ele- *L. 5. c. 7.*
ctione collocatam fuiſſe libertatem, quam Monaſterio ſuo contulit Nivardus Archiepiſcopus Remenſis. Idem rurſus alibi verba faciens de Privile-
gio quod contulerat Hincmarus, ait illum ipſa ea- *L. 3. c. 27.*
dem ſecutum eſſe verba Gregorii Magni, in Privilegio Monaſterii quod Regina conſtruxerat, additis iiſdem *maledictionibus* adversùs Privilegii tranſgreſſores. Imprecationes etiam vetiſſimæ eæ ſunt, non anathematum fulmina, quæ Pontifex vel intorqueat, vel interminetur: *Repetens maledictionem, quam dominus Gregorius jaculatus ſit.* Nonnihil diverſum hoc rurſus exemplum promo, jam ſuprà delibatum; ſed quod hîc prætermitti non potuerit.

XII. Inſulæ Barbaræ apud Lugdunum Abbati confirmavit Leidradus Archiepiſcopus Privi[illegible]ium quod olim conceſſerant Eucherius, Lupus & Geneſius prædeceſſores ſui ejus prædeceſſoribus Maximo, Ambroſio, Licinio; nempe poteſtatem

utendi clavibus spiritalibus ad ligandum & solvendum : visitandi Diœcesin absente Archiepiscopo, veluti inquisitores fidei, denique cavendi ne quid vacante Sede Ecclesia Lugdunensis caperet detrimenti. *Cujus etiam Abbati tradidimus potestatem ligandi atque solvendi : uti habuerunt prædecessores sui, scilicet Maximus, Ambrosius, Licinius, clarissimi viri, qui ipsum locum rexerunt : quos Eucherius, Lupus, atque Genesius, cæterique Archiepiscopi Lugdunenses, ubi ipsi deerant, aut non poterant adesse, mittebant cognituros, utrum Catholica fides rectè crederetur, ne fraus hæretica pullularet. Quibus illis in tantum erat commissa cura, ut si Ecclesia Lugdunensis viduaretur proprio Patrono, ipsi in cunctis essent rectores & consolatores, quousque Ecclesia à Domino dignissime illustraretur Pastore.*

*Epist. Leidr. ad Car. M.*

Nævos aliquos in hac Leidradi Epistola deprehenderunt viri doctissimi Baluzius, le Laboureur, & Cointius noster. Relatum est autem à me juxta recensionem Cointii, qui nihil vitii olfacere potuit in verbis à me decerptis. Ex iis porro illud exprimitur, Archiepiscopos Lugdunenses & Episcopos Augustodunenses necdum tunc usi solitos eo jure, quo etiamnunc vicissim fruuntur, ut alter alterius vacantem regat Ecclesiam, tam in spiritalibus, quàm in temporalibus omnibus rebus. Id juris erat penes Abbatem Insulæ Barbaræ ante Leidradi tempora, à quo & illud ei confirmatum est. Sanè non qua Abbas, sed qua Episcopi, vel Episcopatûs Vicarius generalis, ea potestate & jurisdictione spiritali ille utebatur. Et hi fortasse fuerint Abbates, Episcoporum vicem gerentes, qui olim *Coëpiscopi* dicebantur, & à nonnullis vesi dictique sunt fuisse. Carolo ipsi Magno dictus est *Abbas, sive Episcopus* Hermengaudus Abbas Castellionis in Episcopatu Virdunensi.

*Laboureur Mazures de l'Isle Barbe. Le Cointe ad an. 807.*

*Mabillon. Analect. To. 2. pag. 401. 403.*

## CAPUT XXXIII. *P. 3. l. 1. c. 36.*

### De privilegiis à Romano Pontifice concessis sub Imperio Caroli Magni, ejusque stirpis.

*I. Hæc Pontificia privilegia ab Episcopis & Regibus postulabantur Monachis, non Canonicis. denique incolumis retinebatur jurisdictio Episcopalis.*

*II. Suppositititum sancti Dionysii privilegium, quo prorsus suspenditur jurisdictio Episcopalis, & proprius datur Episcopus. Consimile privilegium sancti Martini.*

*III. IV. V. Complura alia privilegia, per quæ sospes & illæsa Episcoporum jurisdictio servatur.*

*VI. Cluniacensi privilegio non omnino perimi & extingui videtur jurisdictio Episcopalis.*

*VII. Diluuntur objectiones. Cur exempta Monasteria Romana Ecclesiæ annuum censum penderent.*

*VIII. Nova argumenta residua Episcoporum jurisdictionis in Monasteria exempta.*

*IX. Privilegia singularia. Observantur aliqua in ea quæ suprà dicta sunt.*

*X. XI. XII. Nulla adhuc Libertates, aut privilegia Capitulis concedebantur.*

I. AD Summorum Pontificum privilegia defluet jam oratio ; ut eorum & origo, & vis retegatur. Superiori enim capite, ubi delibata ea quæstio est, patuit jam. 1. Plerumque à Regibus ipsis & Episcopis exoratos fuisse Pontifices Romanos, ut hæc privilegia annuerent. 2. His privilegiis non omni ex parte subductos fuisse Abbates Monachosque jurisdictioni Episcopali ; nedum in ullam partem ipsi vocati sint jurisdictionis sacræ Episcoporum. 3. Hia donari solitos libertatibus Monachos, non Canonicos, sive Cathedrales, sive quosvis alios. Sed cum de iis dixerimus tantùm privilegiis, quorum authores fuere Episcopi ipsi ; explorandum nunc nobis incumbit, an Pontifices Romani intra easdem angustias sua compegerint.

II. Obviam se statim dat privilegium, quod hos limites omnino transiliat, absolvatque ab omni præterquam Romanæ Ecclesiæ jurisdictione Abbatem sancti Dionysii, & omnia prorsus Monasteria, quæ Fulradus Archicapellanus Regis Pipini exædificaturus esset. *Ipsaque Monasteria à te fundata privilegiis sedis Apostolicæ in futuro munirentur, ut sub jurisdictione sancta cui Deo Authore deservimus Ecclesiæ constituta, nullius alterius Ecclesiæ jurisdictionis submittantur.* Tum verò Stephanus II. Papa hujus largitor privilegii, integrum vult esse Abbati, ut quem malet accersat Episcopum ad Ordinationes, ad Chrisma, & ad omnes Episcopatûs functiones, adjuncta velut in cumulum facultate, causas suas omnes immediatè referendi ad Sedem Apostolicam.

*Conc. Gall. To. 2. pag. 15. An. 757.*

Non ego hic morosiùs tricabor de omnibus hujus privilegii vitiis, non de stylo incondito, & pene barbaro, nec malè cohærentibus partibus omnibus, quibus constat, & non constat. Cointius aliique doctissimi viri hujus libertatis adulterium & imposturam nudarunt ea diligentia, ad quam nihil possit accedere. Non ergo hic diutiùs morabor, sed in percurrendis privilegiis longè certioribus hujus ætatis, enitar elucidare, quæ tunc causæ censerentur solidæ justissimæque dandarum libertatum. Hinc enim æquius procliviusque judicium ferri poterit de eorum stabili fide, vel inconstantia.

Fateor equidem privilegio Adriani Papæ I. quod eidem Monasterio concessum circumfertur, laudari privilegium Stephani Junioris Papæ : *Postulastis quatenus privilegium Stephani Junioris Papæ confirmaremus.* Verùm & hoc forsan Adriani æquè nutat privilegium, ac illud Stephani. Nam 1. Adriani privilegio permittitur eligi & haberi semper proprius in Monasterio Episcopus, qua de re obmutuerat omnino Stephanus. 2. Quin ex adverso Stephanus immediatè & unicè Pontifici Romano subjicit Monasterium sancti Dionysii : at Adrianus propriò illud donat Episcopo. 3. Stephanus Abbati sancti Dionysii copiam facit, ut quem volet Episcopum invitet ad Ordinationes & ad Chrisma : Adrianus has functiones uni demandat Monasterii Episcopo. 4. Privilegio Adriani Episcopus Monasterii proprius subjici videtur Abbati, quod omnino præposterum, & Ecclesiasticis legibus moribusque adversarium est. Eo enim fertur Episcopum quæ suæ sunt jurisdictionis negotia temperaturum & dispensaturum, *cum consensu Abbatis sui :* nec ad judicium cujusquam trahi posse hunc Episcopum nisi de consensu Abbatis : *Nullus audeat Abbate minimè annuente, sæpiùs nominati Monasterii Episcopum distringere, vel in qualibet judicare parte.* Alienum prorsus est, ut tantus Pontifex existimetur Episcopatum tam vilem & despicabilem habuisse, vel haberi voluisse. 5. Nec similiores veri sunt censuræ & excommunicationes, quibus vel ipsos suos innodat Adrianus successores, si quid eorum imminutum eant, quæ immodico hoc privilegio donantur. Non nescius erat Adrianus, successores sibi fore, & potestate pares, & sapientia forsan non impares. *Statuentes sub anathematis interpositionibus, ut nullus unquam nostrorum successorum Pontificum, &c.* Denique infrà demonstrabitur Ludovicus Pius anno 832. huic Monasterio reformando operam navasse, ad hoc adhi-

*Ibid. p. 113. Anno 786.*

buisse Archiepiscopum Senonensem cum Suffraganeis, in quibus erat & Episcopus Parisiensis, qui & testatum faciebat, hanc esse propriam Episcoporum potestatem. Huic Episcoporum molitioni magna contentione reluctati sunt Monachi, at nunquam illis in mentem venit, nunquam vel uno verbulo contestati sunt, Apostolico se hoc privilegio septos esse contra Episcoporum machinamenta.

Privilegium rursus sancti Martini Turonensis ab eodem Adriano I. concessum, cum superiori illo Sandionysiano collatum, ab eo exscriptum esse deprehenditur. Testatur tamen Adrianus id tantùm sibi esse propositum, ut privilegium confirmet olim ab Adeodato Papa concessum, in quo tamen certissimum est ne uno quidem verbo attingi Episcopum proprium & peculiarem, è Monasterii gremio habendum. Apertissima est hæc ergo confictatio. Perspicuum etiam aliàs est, cùm illud Adeodati privilegium antè ipsi Galliarum Episcopi, & præ cæteris Turonensis concessissent, quod ab Adeodato postea confirmatum est; non eos id concessuros suopte marte unquam fuisse, ut esset Episcopus Monachus Abbati subjectus in Monasterio. Denique etsi id flagitassent immemores & incuriosi suæ dignitatis Episcopi, non concessisset tamen Adeodatus, cùm tam alienum se & difficilem exhibuerit in confirmanda charta, qua non penitus Diœcesano subtrahebatur Episcopo Monasterium. Si quid ab Adriano concessum sit privilegii Sandionysianis Monachis, non potuit ea nisi confirmatio quædam esse privilegii olim à Landerico Episcopo concessi. Nec enim tunc temporis latiùs se porrigebant Pontificum largitates: nec nisi ægrè utplurimum assentiebantur Episcopalibus privilegiis, quibus Monachos ab aliqua suæ jurisdictionis parte absolvebant. Concessiones proprii habendi Episcopi non pertinebant, nisi ad verbi divini & Sacramentorum administrationem, quæ Monachis delegabatur ob frequentiam populorum ad eos concurrentium. At in hoc negotio inanissimus is fuisset prætextus. Hoc enim jam tempore, his locis, apud Parisios, apud Turones, jam fides vetusta, jam latissimè propagata erat; erant ubique Parochi, erant Episcopi, à quibus plebes turbæque ad fidem & pietatem instruerentur. Denique multò expeditius fuisset, Monachum Presbyteratu ornari, & huic ei totam demandari provinciam, quàm alterum in eadem Diœcesi non vacante creari Episcopum.

*Le Cointe Ann. 766. n. 11.*

Quod refertur Leonis III. anno 798. privilegium, quo illud confirmatur Stephani III. anterios pro Episcopo proprio Monasterii San-Dionysiani, perinde & ipsum titubat, ruitque. Ad Fulradum destinatur Abbatem, duodecim aut quindecim etiam antè annis mortuum. Adnotat ibi Papa annos sui Pontificatûs, quod nisi multis post annis fieri non cœpit à Pontificibus, post nimirum quam Romanæ Civitatis dominio à Galliarum Regibus donati sunt. Quin & Stephani quidem III. privilegium, ut editum est à Sirmundo in Conciliis, meminit omnino hujus facultatis eligendi proprii in Monasterio Episcopi. Altera Editio quæ id potestatis Fulrado addit, perspicuè adversatur privilegio Landerici, quod tamen unum confirmare se velle significat Pontifex. Episcopi *Scoti*, & qui *Ambulantes & Vagantes* in Conciliis dicuntur, & quorum damnantur vagationes, & invasiones alienæ potestatis, secesserant fortassis quandoque in hæc Monasteria, & inde quæsita occasio fingendorum hujusmodi privilegiorum.

*Le Cointe. An. 798. n. 41. 42.*

*Idem ann. 757. n. 11.*

III. Si quando in Chronico vel Chartis aliis sancti Stephani Divionensis, nunc Pontifices, nunc Coepiscopi dicuntur, qui Abbates erant: non statim Episcopi illi fuisse jactandi sunt. Nec enim eo Chronico memoratur id genus privilegii, quod non facilè tamen excidisset. Ne hæc quidem Abbatia immunis erat à potestate Episcopi Lingonensis: à quo ipse constituebatur hic Abbas Coepiscopus. Ibi enim perhibetur, ut Isaac Lingonensis Episcopus restaurarit à fundamentis illam Abbatiam, auxerit proventus, disciplinæ purioris formam indiderit, Bertillonem denique Abbatem adsignarit & Coepiscopum: *Isaac igitur venerabilis Episcopus, congregavit in hoc loco Monachos sub Coepiscopo & Abbate nomine Bertilone, qui regulariter viverent.* Postea verò experimento tandem edoctos Isaac Episcopus, duo illa officia Abbatis & Coepiscopi non satis commodè sociari posse, Bertillonem Coepiscopum manere jussit, ut Ecclesiasticis in functionibus totus esset: alium verò subrogavit Abbatem, cui cura Claustralis incumberet Disciplinæ. *Considerans domnus Isaac Episcopus Bertilonem Coepiscopum & Abbatem ad utrumque officium non posse sufficere, Sarronem constituit ei socium, ad regimen & curam animarum, ut dum iste adjuncto cœtu fratrum divinis studet intendere theoriis, ille liberius Ecclesiasticis inserviret ministeriis.* Hinc illud efficitur, etsi verè ordinatione Episcopali inauguratus fuisset hic Abbas Coepiscopus, obnoxium tamen perinde illum fuisse suarum potestati Episcopi Lingonensis, peræquè ut & Abbatia tota sancti Benigni. Sed multò similius est veri, Vicarium hunc fuisse Generalem Episcopi Lingonensis, cui honoris gratia in suo maximè Monasterio Coepiscopi nomen appingebatur.

*Spicil. to. 1.*

Pergamus & ad cætera Privilegia, ex quibus ad aliorum indaginem & dijudicationem instruamur. Scripsit Leo IV. Papa ad Prudentium Episcopum Tricassinum, ut ei delegaret dedicationem Ecclesiæ & Monasterii, cujus modò fundator fuerat Adremarus, *in rebus juris B. Petri Apostoli*, in Diœcesi tamen Tricassina. Cæterùm hoc Monasterium sempiternæ sanctæ Sedis potestati & tuitioni commendatum fuerat. *Ut semper ac perpetualiter sub jure ac potestate sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ jam factum Monasterium consistat atque permaneat.* Fundationis jure & fundatoris voluntate hoc Monasterium contraditum fuerat & mancipatum Sedi Apostolicæ. Cujusmodi libertates extra controversiam semper fuere.

*Conc. Gall. To. 3. p. 71.*

IV. Ubi rescivit Nicolaus Papa sancti Carilephi Monachos jussis repugnare Cenomanensis Episcopi, nec ei subesse velle, litteras dedit ad Archiepiscopos & Episcopos Galliæ, & ad Regem Carolum Calvum, quo ea controversia in Episcopali Concilio diffiniretur. Sed rursus postea idem Pontifex commonefactus à fundatione ipsa, *à prima suæ conditionis die* duplici hoc Privilegio usum fuisse hoc Monasterium, & eligendi Abbatis, & dispensandæ suo arbitrio rei temporalis, hoc ei Privilegium à Regibus & Episcopis ante donatum novo authoritatis suæ pondere roboravit. *Libertatem & ab Episcopis & à Regibus Francorum concessam.* Quin & illud subjiciebat Pontifex, etsi olim sub ditione Cenomanensium Episcoporum fuisset illud Cœnobium, tam diuturna jam libertatis possessione adversùs eam præscriptum fuisse. *Tamen secundum leges seculi post tot jam secula, & annorum spatia repeti nullatenus jure potuisset.*

Tot justis gravibusque causis condonandi Privi-

legii præmissis, nihilo tamen minus non pauca superesse vult Pontifex primævæ in illud Monasterium Episcopi Cenomanensis potestatis vincula. 1. Non poterunt enim Abbates Monachique Ordines, Chrisma, oleum, dedicationes Ecclesiarum, Altarium consecrationes suscipere, nisi ab Episcopo Diœcesano, qui gratis ea omnia in illos potissimum conferet. 2. Si qua criminali causa impetatur Abbas, non poterit perfici judicium, nisi à sex Episcopis, quorum unus erit Cenomanensis, reliquos Rex deliget. Id verò totum fit consentaneè Carthaginensibus Conciliis, qui Presbyterum abdicari ab Episcopo non sinunt, nisi unà sedeant judices quinque alii Episcopi. 3. Si vim pararet Cenomanensis Episcopus ad infringendas ejus Abbatiæ libertates, Monachi confugient ad Turonensem Metropolitanum, eoque cessante, vel pigritante, ad Pontificem. *Licentiam habeant Metropolitanum Episcopum Turonensem convenire, & pressuram innotescere suam. Quod si Metropolitanus eorum precibus adjutorium præstare detrectaverit, licentiam habeant Romanam Sedem adire.* Ne fundatio quidem Regia, nec Regum postulatio, nec Episcoporum consensio propriorum, satis momenti visa sunt Pontifici habere, ad absolvendam prorsus hanc Abbatiam ab Episcopi Diœcesani jurisdictione. In Corbeiensis Abbatiæ Privilegio licèt amplissimo eadem lex posita, *Si criminis denotatione fuerit Abbas appetitus, non præter Canonicam & Regularem deponatur examinationem.*

*Conc. Gall. Tom. 3. pag. 485.* V. Diximus jam de Floriacensi Privilegio, quod Joannes VIII. Papa in Tricassino Concilio contulit, vel firmavit. Confirmat Pontifex corpus B. Benedicti in Floriacensi Abbatia quiescere: *sicut manifestissima constat veritate:* illam Imperatoris Caroli beneficiis & tutela decoratam fuisse; denique flagitasse à se Monachos confirmationem libertatis à compluribus jamdiu Episcopis concessæ, circa Abbatum electionem. *Quamvis Privilegia mortuorum meruerint Episcoporum, ad reprimendam quorumlibet illicitam cupiditatem, ut super Abbate regulari ex eis eligendo, etiam nostræ authoritatis privilegia consequantur.*

*Ibidem. Pag. 570.* VI. Spem facere poterat amplioris & uberioris libertatis testamentum Vuillelmi Aquitaniæ Ducis, Comitis Arverniæ, & fundatoris Abbatiæ Cluniacensis, anno 910. cùm vir præpotens suo proprio in agro eam extruxerit, & incunctanter Ecclesiæ Romanæ addixerit. Et in hac tamen ipsa charta nihil novæ libertatis usurpatur, præter usitatissimam illam liberæ Abbatum electionis, & temporalium rerum, quæ nec à Regibus, nec à Pontificibus attingi poterunt: Pontifices ipsi non aliud quàm vindices & defensores Abbatiæ & ejus Obedientiarum; eamque tuitionem remunerabitur Abbas censu decem aureorum Ecclesiæ Romanæ pendendorum quinto quoque anno. *Per quinquennium autem Romæ ad limina Apostolorum decem solidos præfati Monachi persolvant, habeantque tuitionem ipsorum Apostolorum, atque Romanum Pontificem defensorem.* Si verò Dux ipsi Regum dominationi subduxit hoc Cœnobium: *Nec nostro nec parentum nostrorum, nec fascibus Regiæ magnitudinis, nec terrenæ cujuslibet potestatis jugo subjiciantur iidem Monachi:* id eò factum auguror, quòd sperabat ipse eas in sua ditione ita fuisse regiones, ut nulli præterea subessent, vel Regum Galliæ, vel Germaniæ Imperatorum. Compertum alioqui est, quidquid Provinciarum fuit minuscularum inter Galliam & Germaniam: in varios id scissum esse principatus, & eam fuisse veluti lacerationem Regni Arelatensis, seu Burgundici.

Ludovicus Rex filius Caroli Simplicis hanc Cluniacensium exemptionem confirmat, & peculiarem erga Romanos Pontifices, tanquam defensores suos subjectionem. *Sit locus ipse juxta quod Vuillelmus constituit, & Apostolicæ Sedi ad tuendum, non ad dominandum subjugavit, ab omnium sæculari dominatu, tam Regum, quàm Principum liber & absolutus.* *Bibl. Clun. p. 6. & 264.* Quoad Parochias & Ecclesias, quas Abbates Cluniacenses jam sibi adjunxerant, eas possidere hoc Privilegio permittuntur, eo modo & jure, quo Pontifices & Episcopi definierant. *Ecclesias verò suas cum omnibus suis Decimis, sicut per Privilegium Romanum & per scripta Episcoporum acquisierunt, teneant & possideant.*

VII. Quod subjungitur in ea Charta, non levem excitat suspicionem plenioris libertatis, qua spiritali etiam subtraherentur Episcoporum potestati. *Secundùm sanè excommunicationes Apostolicorum,* *Anno 938.* *quæ Privilegiis inserta sunt, & secundum contestationem quam præfatus Vuillelmus imprecatus est, nos quoque in Christi nomine præcipimus & contestamur, ut nunquam alicui mortalium, Regi videlicet, Episcopo, vel Comiti quolibet pacto subjiciatur: sed juxta traditionem, quam nostris diebus tenere videntur, ita vivere liceat. Quod si exorbitaverint, judicio Dei, sive Regulæ correctioni subjiciantur, & donatio Deo & Sanctis ejus facta nullo modo rescindatur.* Sed si accuratiùs excutiantur ea verba, emicabit tandem de temporalium libertate id totum capi debere. 1. De ea una verba fecerat Dux Vuillelmus, cujus jussa hîc confirmantur. 2. Cluniacenses Monachos ea Charta declarat minimè obnoxios Regibus, Episcopis & Comitibus. Atqui à Regibus & Comitibus pendere non poterant, nisi in temporalibus. 3. Crimina Monachorum secundùm Regulam B. Benedicti plectuntur. At ea Regula Episcopis subjicit plectendos.

Quod ab Agapeto Papa paucis pòst annis concessum est Cluniacensi Cœnobio Privilegium, libertates ejus omnes accuratissimè percenset & confirmat: sed eodem semper tenore, ut manifestissimè semper pateat, spectari tantùm ad temporalium tutelam, nullo intertexto verbo, quo spiritalis Episcoporum potestas debilitetur, vel quo Monasterium aliter summis Pontificibus subjiciatur, quàm ut vindicibus & defensoribus. *Ibid. p. 273. Ann. 948.* *Cœnobium Apostolicæ Sedi ad tuendum atque fovendum pertineat.* Cùm in confesso fuerit semper Privilegia Cluniacensium esse ac fuisse omnium largissima atque effusissima, facilè quivis intelliget, si iis nihil spiritali Episcoporum juri detrahebatur, nec aliis sanè ullis detractum quidquam fuisse omnibus retro sæculis.

Hinc conjectura facilis, quæ tandem fuerit illa libertas, quam Geraldus Aureliacensis Comes Romæ impetravit Monasterio quod ab ipso in hoc suo Comitatu conditum est, unàque Romanæ Ecclesiæ contraditum & mancipatum, cum annui censûs obligatione, ut id sempiternum esset monumentum ejus donationis, qua omnia sua B. Petro dederat, legaveratque. *Ibid. p. 88. 89.* *Romam proficisci velle, & prædia sua B. Petro Apostolorum Principi jure testamentario delegare.* Hinc perspicis cujusmodi esset is census, quem Romana libertate donata Monasteria Pontifici persolvebant, non tanquam redemptæ libertatis pretium, aut tuitionis Apostolicæ, sed pietatis testimonium, quo profitebantur, quidquid agrorum rerumque temporalium possiderent, id totum Apostolicæ Sedi & B. Petro donatum fuisse. Vuillelmus Comes terras etiam illas omnes, in quibus Cluniacensem Abbatiam fundaverat dotaveratque, legaverat B. Petro. *Res juris mei sanctis Apostolis Petro* *Ibid. pag. 5.*

*& Paulo de propria trado donatione, Cluniacum scilicet.*

VIII. In Capitulari suo Carisiacensi confirmat Carolus Calvus Imperator, quidquid Privilegiorum congestum esset à Pontificibus, Episcopis & Imperatoribus Monasterio Compendiensi, nec expressit tamen quò ea pertinerent. Sed cùm & ab Episcopis ipsis illud corroboratum sit, hinc augurandum, nihil ibi fuisse, quod eorum spirituali authoritati obstreperet. *Privilegium à domno Papa & ab omnibus Episcopis confirmatum. Imperiale etiam decretum.* Sub hoc eodem Imperatore Benedictus III. Papa rata jussit esse Abbatiæ Corbiensis, tot jura à Regibus, Ambianensibus Episcopis, Archiepiscopis Remensibus, & à Concilio universali Episcoporum Galliæ concessa. *Alind ab Archiepiscopo Remensis Ecclesia Hincmaro, & universali Concilio Episcoporum Galliarum.* Libertati electioni Abbatis & temporalium dispositionis adjuncta hîc est immunitas à visitatione Episcoporum & Archidiaconorum: *Nec Episcopus nec Archidiaconus ejus accedant ad præfatum Monasterium, nec servorum Dei quietem perturbare præsumant.* Et summa administratio interioris disciplinæ Claustri, ut ne ei se Episcopus unquam interserat: *Quoniam cùm Abbas Christi vices in Monasterio creditur agere, Pastoris officium super creditas sibi oves habere cognoscitur; utque dispensationis suæ ministerium exercere prævaleat dignè, nullius debet perturbari potestate subjectus, sed ab omni Episcopali liber dominatione, Christum tantummodo judicem sustineat, cui redditurus est de creditis sibi ovibus rationem.* Et nihilo tamen minus obnoxia semper & subdita Episcopo Diœcesano perstat Abbatia, in Dedicationibus Ecclesiarum & Altarium, in Chrismatis, olei, Ordinumque dispensatione, denique in ipsorum tuitione Privilegiorum, pro qua confugiendum est ad Episcopum Diœcesanum, ad Archiepiscopum, ad Episcopos vicinos, antequam ad Sedem Apostolicam recurratur: ut in compluscul is jam Privilegiis declaratum est, ut nihil opus sit hujus quoque verba eodem spectantia intexere.

Du Chesne. To. 2. pag. 461. Spicil. to. 6. pag. 397.

IX. Obiter & raptim duo hîc singularia perstringam privilegia. Altero donatus est à Joanne VIII. vir & Beneficiis Ecclesiasticis, & Patrimonio potens; movebant Pontificem, ut id gratificaretur, Beneficia officiaque complura, & magni prorsus ponderis, quibus ille sibi Ecclesiam obligaverat. Sua illum Pontifex tuitione obumbrabat, prohibitis Episcopis, Clericis Mediolanensibus, & quibuscumque demum aliis, nequid in eum, vel in ejus unquam patrimonium Beneficiaque molirentur. *Liceat tibi sub Apostolicæ sedis successorumque nostrorum tutamine, cum propriis Beneficiis, & cum omnibus tuis hominibus utriusque ordinis manere quietum atque securum.* Alterum fuit Episcopatûs Bambergensis, quem Henricus I. Imperator hæreditariis suis bonis fundavit dotavitque, atque Ecclesiæ Romanæ contradidit. *Rex eundem Episcopatum, quem ex integro suo Donate fundavit, terminis ejus, ab adjacentibus Episcopatibus, legitimo concambio commutatis, Principibus Apostolorum Petro & Paulo, speciali jure Romanæ Ecclesiæ tradidit, ut & primæ Sedi debitum honorem devinitius impenderet, & suam plantationem tanto patrocinio firmiter muniret.* Ea sunt verba Scriptoris vitæ S. Meinverci Episcopi Paterbornensis, à quo nec census tacetur, quem annuum solvi præcepit Henricus Romanæ Ecclesiæ, æternum protectionis Apostolicæ monumentum. *Bambergensem fundum Rex cum omnibus pertinentiis suis beato Petro concedens, Apostolico Præsuli jugiter defendendum commendavit. Et in commemorationem hujus protectionis album Ambulatorem cum phaleris singulis annis Romano Pontifici dari constituit.*

Joan. VIII. Epist. 204.

Surius die 5. Junii. c. 23. 27.

X. Ex hac ergo prolixa, forsan & tædiosa exemptionum recensione, hæc omnino emergunt. 1. Censum hunc annuum persolutum fuisse, non pro libertate data, sed ut argumento & testimonio esset donationum, quibus suas Ecclesiæ Romanæ terras Ecclesiasque in illis constructas Fundatores contradiderant. 2. Protectionis eas potius fuisse Chartas, & defensionis, quàm Exemptionis. 3. Concessas illas quandoque fuisse privatis hominibus, quandoque & Episcopatibus, perinde ut Abbatiis. 4. Ut plurimum eas sive protectionis, sive exemptionis Chartas ipsis fundatoribus indultas fuisse omni contentione id efflagitantibus. 5. Episcopos ipsos etiam flagitasse & Principes Monasteriis quibusdam suis. 6. Libertates & exemptiones, eas ipsas quæ maximè paterent, ita temperatas fuisse tamen, ut Monasteria Episcopali jurisdictioni permitterent, in ordinibus, oleo, Chrismate, dedicationibus Ecclesiarum, consecrationibus altarium, criminalibus Abbatum judiciis, denique in ipsis etiam exemptionum tuendarum causis. 7. Hinc non immeritò suspecta visa sunt esse antiquiora illa privilegia, ubi extincta prorsus jacet & conculcata Episcoporum jurisdictio, & ubi propius Monasteriis permittitur Episcopus. Nihil invictius visum est nobis quàm consensio longè plurimorum unius ætatis privilegiorum, ut falsa revincantur, si quæ ab ea dissonent.

X. Denique observari & illud potuit, nulla Canonicis, nulla Capitulis Privilegia, sive Cathedralibus, sive Collegialibus hactenus concessa fuisse. Ante millesimum ergo Christi annum nullum usquam commemoratum est Privilegium immunitatis Canonicorum, sive Capitulorum quorumcumque. Magni momenti ea res est, nec abs re erit aliquantulùm ei illustrandæ immorari. Carolomannus Rex Spicil. to. 8. Privilegio munivit Ecclesiam Aurelianensem & Ca- pag. 146. nonicos ejus, interpellante nimirum Episcopo ipso Aurelianensi, pro rerum temporalium defensione, & libera Electione, ut à priscis Regibus concessum fuerat, quorum Chartæ exustæ fuerant à Normannis cum Ecclesia ipsa Aurelianensi. Non abnuebat idem Rex, quin ab Apostolica Sede consimile Privilegium impetraretur. *Liberam à parte no-* Conc. Gall. *stra licentiam eidem concessissemus, antiquam authorita-* To. 3. pag. *tem more canonico à Sede Apostolica impetrandi.* Caro- 511. lus Crassus Imperator Cabilonensem Ecclesiam eadem eligendi Abbatis libertate donavit. *Omni deinceps tempore canonicam obtineat electionem.* A Joanne VIII. Pictaviensis Ecclesia Privilegium obtinuit, sed quod sibi cum Episcopo commune esset: nempe una despondetur Sedis Apostolicæ protectio in res Ecclesiæ temporales, in Episcopum & Canonicos, qui in unum Episcopi Senatum, & in unum veluti corpus cum eo coalescebant. *Authori-* Ibid. p. 481. *tate Apostolica expresse jubemus, quod nemo vestrûm, tam sacerdotali ordine perfruens, quàm militare officium tenens, ipsius Ecclesiæ Pictaviensis aliquam Ecclesiam, aliquodve Monasterium, vel prædia ipsi quoquo modo pertinentia invadere præsumat, ullosve colonos, servos, ancillas, contra sui Episcopi velle, tollere audeat. Sed liceat ipsius Ecclesiæ Episcopo, suisque successoribus, illa quæ sui antecessores legitimo tramite canonica authoritatis habuerunt, sub nostra tuitione habere, & ut possederunt, possidere, & ut ordinaverunt, suo arbitrio ordi-*

*nare, cum consulto consensuque sua Ecclesia Canonicorum, ut prisca consuetudo dignoscitur, sine vestro vestrorumque obstaculo, &c.* Ea porro Epistola tanto pluris facienda est, tantòque certior habenda, quòd in Actis Concilii Tricassini II. legitur; & inde dilucidum fit, ne potuisse quidem tunc Canonicos Cathedralium munire se privilegiis & exemptionibus Apostolicis adversùs Episcopos, cùm communibus ipsi uterentur cum Episcopo suo honoribus, juribusque ut qui ejus essent membra & Consiliarii. (Ibid. p. 478.)

XI. Idem quidem Pontifex Presbyteros, id est, Parochos Diœcesis Turonensis donavit immunitate alia, qua tutari se posse viderentur adversùs Episcopum suum. Sed totum eò referebatur, ut possent Ecclesiæ singulæ mansum habere suum, ea erat certæ terræ quantitas à Capitularibus designata, liberum & absolutum ab omni censu. *Ut debeat unaquaque Ecclesia proprium mansum habere, &c. Sine personali & civili munere exigendo, &c.* Erit alibi opportunior locus de mansis dicendi. Missas facio libertates alias complures, quas Episcopi & Archiepiscopi à sede Apostolica suis Ecclesiis concedi impetraverunt: ad retinendas, vel dignitates, vel possessiones, jam dudum ab ipsis possessas. Unum dico, aliud quidvis potiùs eas fuisse, quàm arma & tela, quibus adversùs Episcopos Monachi decertarent. (Ibid. p. 483. Conc. Gall. To. 2. p. 73. Spicil. to. 3. pag. 580.)

Verùm ut muniatur illustreturque magis ac magis, quod à nobis pronunciatum est, Ante annum Christi millesimum nullas prorsus fuisse, vel expetitas à Capitulis Cathedralibus, vel impetratas sedis Apostolicæ Chartas libertatis, aut immunitatis, quibus Episcopalis jurisdictio spiritalis, vel debilitaretur, vel omnino excideretur: ratio icanda hîc ea est, quam strictim delibavimus, ratio ejus rei, in qua tantum inest ponderis, ut nulla tergiversatione declinari via ejus possit. Sanctissimè & manifestissimè confirmavit Joannes Papa VIII. eam fuisse vetustissimam Ecclesiæ disciplinam, eam etiamnunc esse, ut consilio & consensu Canonicorum suorum Episcopus, tum in temporalibus, tum in spiritalibus suam omnem jurisdictionem explicaret. *Liceat Episcopis ut possederunt possidere & ut ordinarunt ordinare, cum consulto consensuque sua Ecclesia Canonicorum, ut prisca consuetudo dignoscitur.* Agebatur de Ecclesiis, Monasteriis, terrisque & fundis in potestate positis Episcopi Parisiensis. *Ecclesiam, Monasteria, prædia.* Ea sunt in quibus spiritalis versatur & temporalis jurisdictio. Quæ rursus utraque duobus verbis his discernitur, *possidere, ordinare.* Planum ergo fit, utriusque potestatis hujus exercendæ & consiliarios Episcopis & collaboratores fuisse Canonicos.

Sunt ergo hæc Cathedralia Capitula antiquissimus ille Clerus, indivulsè cum Episcopo conglutinatus ad Ecclesiæ totius regimen; idque innuebat Pontifex his verbis, *ut prisca consuetudo dignoscitur.* Unde fit ut non possent hi Canonici subducere seipsos Episcopi jurisdictioni, cùm eâ labefactatâ semetipsos labefactarent, eâ collapsâ ipsimet collaberentur. Multò minùs venire in mentem illis poterat, ut Privilegiis aliunde impetratis Episcopalem vellent ipsi exercere jurisdictionem, quam cum Episcopo longè splendidiùs semper hactenus exercuissent.

XII. Idem & cùm Aldricus Senonensis Episcopus novo quodam Privilegio donaret Abbatiam sancti Dionysii in Suburbio Senonensi, testatum faciebat, id à se fieri *Cum consilio fratrum nostrorum, Canonicorum videlicet & Monachorum, nec non & fidelium Laicorum.* Non consuluit Laicos, nisi quia Monasterium ex uno loco in alium transferre meditabatur. At Canonici & Regulares in Consiliariorum & Fratrum numero erant. Et cùm Jonas Aurelianensis Episcopus sancti Maximini Abbatiam Monasticæ reddidit regularitati, Canonicorum quoque consilio usus est. *Cum connivientia Metropolitani & Canonicorum Ecclesiæ cui ministrat.* (Spicil. To. 2. pag. 580. Spicil. to. 8. pag. 338. Ann. 826.)

Constat ergo, postquam sub Imperio Caroli Magni allecti sunt Canonici in vitæ communis societatem, & studio etiam sum propensiore dediti fuere Psalmodiæ publicæ Ecclesiarum, constantissimè fuisse eos antiquissimum illum Ecclesiæ Clerum, Episcopi Consilium & Senatum, qui cum Episcopo & sub Episcopo gubernacula Ecclesiæ administraret. Nec ab eo statu descitum est, quando postea Canonicis Monachi sunt subrogati. Idem quoque infrà liquebit in perquirendis Privilegiis omnibus Regum & Imperatorum, nulla unquam fuisse, quæ Canonici sejunctim ab Episcopis impetrarent, cùm sejunctum ab Episcopis nihil haberent; denique nec ab ipsis Monachis impetrata ulla fuisse, quibus Episcopalis jurisdictionis compedes prorsus omnes abrumperentur, quamvis de Regularibus Abbatiis ageretur.

---

## CAPUT XXXIV. *P. 3. L. 1. c. 37.*

### Privilegia concessa à Patriarchis Orientalibus eadem ætate media.

*I. Adnumerbantur à Patriarchis Orientalibus privilegia, quibus eximerentur à potestate Episcopali Monasteria quorum in fundatione fixa fuerat Crux Patriarchalis.*
*II. Vetustissima consuetudine & præscriptione nitebatur hoc jus Patriarcharum.*
*III. Jura Patriarchæ, vel Exarchi Patriarchalis in ea Monasteria, quæ illis à fundatoribus subjecta fuerant.*
*IV. Jura peculiaria Patriarchæ Constantinopolitani, ut admittendi Clericos, & Monachos omnibus aliarum Diœcesεon.*
*V. Origines hujus juris.*
*VI. VII. Proferetur & refellitur sententia Balsamonis de jure hoc Patriarcharum ad danda privilegia.*
*VIII. Idem jus sibi arrogant Metropolitani. Irrito & casso conatu.*
*IX. Id jus Patriarcharum complectebatur Parochias & Oratoria, si fundatores ibi erexissent Crucem Patriarchalem.*
*X. Varia hujus juris temperamenta.*
*XI. Quæ esset jurisdictio Exarchi Patriarchalis in Monasteria exempta.*

I. EO quoque jure perfruebantur Patriarchæ Orientales, ut singularibus Privilegiis nobilitarent ea Monasteria, quorum Fundatores Patriarchalem ibi Crucem defixerant, eaque ipsimet sua sponte dediderant Patriarchis, addixerantque. Verùm eo maximè nomine insignia erant hæc Privilegia, quòd iis subducerentur prorsus Monasteria jurisdictioni Episcopali, & Exarcho Patriarchali, uti Vicario Patriarchæ Generali subjicerentur.

Tria hîc omnino sunt, quæ munienda sint jam nobis & illustranda ex Juris Orientalis & Balsamonis Commentariis. 1. Patriarchas Orientales eo quoque jure usos esse, ut privilegia Monasteriis concederent. 2. Non aliis ea concessa fuisse Monasteriis, quàm quorum extructores ab exordio ea & facultates suas omnes Patriarchis contradidissent. 3. His privilegiis cessasse & feriatam deinceps fuisse Episcopi jurisdictionem.

II. Denarrat Balsamon, quàm sæpè Episcopi & Metropolitani Græcorum effudissent querelas adva-

rissimas apud Imperatores & Patriarchas ipsos de Crucibus his Patriarchalibus, & de Immunitatibus, quæ ex his pullulascebant; patrocinium sibi nimirum accersentes adversùs istiusmodi innovationes à Canone Apostolico, quo cavetur, ne à suo se Presbyteri abjungant Episcopo, neu altare altari *In Can. 31. Apost.* adversarium excitent. *Hoc Canone & reliquis qui eadem decernunt, freti Metropolitani & Episcopi, murmurant adversùs eos, qui quærunt, ut Cruces Patriarchales in suis regionibus figantur, & ideo sæpe quoque nonnulli, Imperatoris & Patriarchæ aures obtuderunt quærentes ut Patriarchalium affingendarum crucium datio aufferretur.* Sed inanes cadebant hæ querelæ, cumque Episcopi sciscitarentur, quos tandem allegarent Canones juris vel consuetudinis hujus Patroni: respondebatur vim Canonum inesse consuetudinibus tam vetustis, ut earum initia in retroactis sæculis & monumentis nusquam deprehendi possent. *Sed non sunt exauditi. Et cum postularent proferri Canones, qui crucium ejusmodi figendarum concessionem permitterent; sanctissimæ Ecclesiæ pars eorum sententiam rejecit, per longam non scriptam Ecclesiasticam consuetudinem, quæ pro Canonibus servata est tanto tempore, quanti memoria haberi non potest, & in hodiernum usque diem.*

III. Profertur alibi ab eodem Balsamone Constitutio Alexis Comneni Imperatoris, qua jus visitationis & correptionis vindicatur Patriarchæ & Visitatoribus ab eo delegatis in omnia Monasteria, tum libera, tum ipsi data, vel commendata tan- *In Can 19. Syn. VII.* tùm ejus regimini & dispensationi. *Tam in liberis Monasteriis, quam in traditis & donatis, & iis quæ ad administrationem, vel dispensationem data sunt.* Quæ tria Monasteriorum genera, ea ipsa fortasse fuerint, quæ rursus ibidem ita describuntur: *Sive sint Patriarchalia, sive Imperatoris, sive libera,* κἄν τε πατριαρχικὰ ὦσι, κἄν τε βασιλικὰ, ἢ αὐτοδέσποτα. Aut libera forsan erant eadem ac Imperialia: & Patriarchalium duæ erant classes, alia Patriarchæ potestati & juri prorsus obnoxia, alia ejus tantùm concredita tuitioni. *Jus habet adeundi, & contrectandi delicta animæ, sive ipse per se, sive ejus suasione, quem ipse ex Ecclesiasticis elegerit, & ea perscrutari dignum esse statuerit.* Habes ergo ibi jus visitandi expressum & corrigendi. Cætera jura ibidem mox subjiciuntur, avaritiam compescere Claustralium superiorum: rationes reposcere donorum & donationum in Monasterii gratiam factarum; cogere ad admittendos in Monasterium & ad professionem sæculares eos, qui infucato æstuant desiderio in piis his secessibus Deo obsequendi: excerpere ex redundantibus Monasterii proventibus, vel pensiones, vel alimenta, quibus sustententur sæculares aliqui rerum omnium penuria laborantes, vel Episcopi Ecclesiis suis exturbati & extorres. *Quando videris aliquem sæcularium sitientium propriam salutem, citra ullum impedimentum Patriarchæ licebit collocare eum in Monasterio, &c. Si autem accedit laicorum quispiam, qui est omnino inops & pauper, ad sanctissimum meum Dominum, vel ex Antistitibus, qui suos thronos, & sunt inopes, & volueris statuere, ut is victum capiat ditiori aliquo Monasterio, hoc rectè faciet.*

IV. Præter hæc jura, quæ Patriarchis omnibus communia erant, sed quæ non effundebantur nisi in eorum propriæ potestatis Monasteria, quæcumque demum in Diœcesi, vel Provincia sita essent ea. Erant & alia jura Patriarchæ Constantinopolitani propria, quibus utebatur in omnia Monasteria aliis Episcopis subjecta. Confirmat enim Balsamon potuisse Episcopum Constantinopolitanum admittere, & sibi adjungere Clericos Monachosque aliarum Diœceseon, quòd nec Hierosolymitano fas esset Patriarchæ, nec Antiocheno: *Patriarchæ Constanti- In Can. nopolitano, ut sæpe dictum est, permissum est Monachos Carth. 13. & Clericos ex regionibus alienis, nec ejus sedi omnino subjectis accipere. Sed non itidem Antiocheno throno, vel Hierosolymitano: ipsi enim, ut sæpe dictum est, ab alienis finibus sine impedimento Monachos & Clericos recipere concessum est.*

V. Non dissidet à vero, aut saltem à verisimili, hanc potestatem extraordinariam, & propriam peculiaremque Episcopi Constantinopolitani, sicut & Carthaginensis, ex eo profectam esse, quòd in utramque hanc civitatem, maximè Constantinopolim, confluerent turmatim Clerici, Monachique: quódque frequentissimè Episcopi, Abbates, & Ecclesiæ complures adirent Patriarcham, ut ab eo ejusque manu perpolitos & exploratos haberent Episcopos, Presbyteros, Monachosque. Plus satis enim probat experientia ex redundantia opum etiam spiritalium Regiæ cujusque civitatis collocupletari posse & satiari jejunitatem complurium Provinciarum.

VI. Sed venanda nunc nobis origo est ejus potestatis, quæ indiscriminatim Patriarchis omnibus communicata erat, ut suæ jurisdictioni vindicare possent Monasteria in quibusvis Patriarchatûs sui Episcopatibus sita. Visum est Balsamoni, qui ipsemet Patriarcha erat Antiochenus, Provincias Ecclesiasque ab exordio nominis Christiani, non Episcopis, non Metropolitanis obnoxias fuisse, sed Patriarchis quinque, qui universum sibi partiti sint orbem Christianum. Inde esse, quod ubique terrarum in sacris Diptychis nomina eorum recitentur. Concilium Nicænum manifestissimè subjecisse Patriarchis Alexandrino & Antiocheno Provincias longè plurimas. Denique cùm penes Patriarchas sit potestas illa eximia, ut de causis cognoscant omnium Episcoporum: mirum accidere non debere, si ea utantur potestate, ut in earum Diœcesibus Cruces defigant, eorumque sibi vendicent Clericos. Hac responsione tradit Balsamon sedari solitas Episcoporum querelas, qui molestissimè ferebant eas Patriarcharum molitiones, & inultas usurpationes juris alieni. *Animadverti hæc jure & canonicè Supplem. fieri, & Episcopos frustra queri. A divinis enim Cano- pag. 1112. nibus, nec Metropolitano, nec Archiepiscopo, nec Episcopo data est regio, sed quinque Patriarchis distributa sunt regiones totius orbis terrarum; & ideo ab omnibus qui sunt in ipsis nomina eorum referuntur, &c. Et Canones primæ & secundæ Synodi decernunt, ut Alexandrinus habeat omnem Ægyptum, Lybiam & Pentapolim, Antiochenus Caleusyriam, Mesopotamiam, & Ciliciam, & reliqui Patriarchæ alias Diœceses, ut his Canonibus comprehenditur. Cum autem ipsi eos Antistites qui earum curam gerunt, judicent & canonicè corrigant, jure etiam dabunt jus figendi cruces in eorum Civitatibus & Parochiis; Earum quoque Clericos impunè sibi proprios efficient, quoties voluerint. Cùm autem hæc ita se habeant, nulli Patriarchæ licebit, in alterius Patriarchæ Provinciam mittere jura figendi crucem, nec ejus Clericum abducere, ne confundantur jura Ecclesiarum.*

VII. Quæ universim de Patriarchis pronunciat Balsamon, ea difficillimum est aptari Episcopo Constantinopolitano, & Hierosolymitano, qui tardius ad Patriarchalem pertigere dignitatem, postquam Episcopi & Metropolitani complurimi cœperant suis Ecclesiis Provinciisque præesse, quarum jure & dominio

dominio non potuere nisi difficillimè deturbari à Patriarchis tantò pòst exortis. Certè his duobus ortus ludibrium adscribi non potest, quod de Patriarchis ait Balsamon, inter primordia Christiani nominis Ecclesias Provinciasque Ecclesiasticas, non Episcopis, vel Metropolitis, sed Patriarchis attributas fuisse.

Quòd antiquiores tres Patriarchales Ecclesias, ab iis ortas prognatasque omnes alias fuisse Ecclesias proximè à vero abest, & in eas hæc sibi servasse integra jura, cùm illas parturiebant. Sed abunde constat nulla fuisse tribus prioribus sæculis Monasteria, quando propagabantur Ecclesiæ: adeoque nec tunc potuisse Patriarchas quidquam sibi juris in ea reservare. Denique complures Ecclesias à cæteris Apostolis satas fundatasque fuisse, qui sedibus vel Ecclesiis Patriarchalibus præfuere nunquam.

VIII. Eandem sibi authoritatem sumpserant Metropolitani, ut in Suffraganeorum Diœcesibus suas defigerent Cruces, & ibi suæ adgregarent jurisdictioni ea Monasteria, quæ ipsis subjici adlubesceret fundatori. Eum conatum repressit ac dissipavit Patriarcha Germanus, à quo commonstratum est, extraordinaria ea potestate non uti nisi Patriarchas, intra Patriarchatûs sui fines: *Quia stauropegiorum, seu Crucifigiorum quæ fiunt per Diœcesin, soli Patriarchali amplitudini relictum est privilegium, Metropolitanorum autem nemini.*

Juris Orien. To. 1. pag. 234.

IX. Verùm complura alia eruuntur multò majoris momenti ex eadem Patriarchæ Germani Constitutione 1. Non solis enim Monasteriis, sed & Parochialibus Ecclesiis, ac Oratoriis defixa Crux libertatem impertiebat. 2. In tribus hisce locorum exemptorum generibus, nil supererat Episcopo Diœcesano juris, nec ad Sacramentorum administrationem, nec ad nominationes Abbatum ac Presbyterorum, nec ad multationem criminum, nec denique ad exactiones Canonicas, quas solvi necesse erat Patriarchali Exarcho, sive Vicario. 3. Hujus Exarchi partes erant, ut Præfectos Ecclesiis Exemptis daret, examinatos priùs diligentissimè: ut contractibus Matrimonialibus præesset, ut Patriarchalium proventuum rationes reposceret. *Patriarchalis nominis relatio in illis solis obtineat, in quibus extructio per Patriarchalia Crucifixa facta fuerat, sive Monasteria sint, sive Ecclesia Catholica, sive Oratoria. Et in hujusmodi nihil sit commune regionis Antistiti, sive ad sacrorum confectionem, sive ad præfecti designationem, sive ad peccatorum inquisitionem, neque aliud quidquam, usque ad canonicorum illationum exactionem. Etenim qui in his Sacerdotes fiunt, Patriarchales erunt, & nominabuntur, & Patriarchalium jurium Exarcho subjicientur, eique solita Canonica persolvent. Ipse autem Exarchus, &c.*

Permittit Ordinariis Germanus loca omnia, quæ non ab ipsa sui origine cesserant ditioni Patriarchæ, etiamsi ea ipse aliquandiu tenuisset: Permittit & eos omnes, qui jam incolebant eum locum ante defixionem Crucis Patriarchalis, aut qui vetustioribus illis incolis orti fuerint. *Subjicimus autem locorum Antistitibus, & illos qui ante extructionem divinorum templorum, quæ sub Patriarchalibus Crucibus prædificata sunt, vel postea ædificabuntur, locum habitarunt: aut qui eum posteriùs inhabitarint, ab indigenis, vel incolis originem ducere reperiuntur, ut regionis Antistiti tales subjiciantur in omnem Episcopalem sollicitudinem.*

X. Promulgavit denique idem Germanus Synodicum Statutum, quo potestati & jurisdictioni Episcopi Diœcesani subesse patitur Ecclesias, oppida, domos, terras, quæ sub ditione erant Monasterii, cui ab initio Crux Patriarchalis & jurisdictio Patriarchæ affixa fuisset. Ratio erat in promptu, quod privilegium Crucis, & immunitas Patriarchalis in Monasteria sola defluerет, vel Ecclesias, quibus præfixa esset Crux ipsa Patriarchæ. *Non esse consentaneum ut Episcopus à proprio expellatur populo, eo quòd Patriarchalibus Monasteriis, quibus adhærent, prædia vel suburbana subjecta sint, sed nec à suis oratoriis, nisi sub Patriarchalibus stauropegiis & ipsa fundata sint, sive etiam paralauria forte sint, aut Metochia.*

Supperunt & aliæ coarctationes ejusdem Patriarchalis privilegii Monasteriorum. Conditores Monasterii, quod à primo statim ortu Episcopo paruerat, permolestè ferentes, quòd non sineret Episcopus expilari ac dilapidari fundos, quos primùm contulissent: callidum illud inierant consilium, ut aliam construerent Ecclesiam, eamque Patriarchali Cruce insignirent, tum denique agros priori condonatos, in hoc novum transcriberent Monasterium. Detestatus est Patriarcha fraudulentissimam hanc nequitiam, statuitque ut ne posset Monasterio Episcopali auferri, quod in Patriarchale transferretur. *Quod siquis Monasterium, vel Oratorium sub Patriarchali stauropegio extruere velit, à nemine prohibebitur, priùs tamen possessiones ex propriis ei assignare procuret.*

Ibidem. pag. 242.

Episcopale Monasterium contraditum fuerat Abbatiæ Patriarchali, ut subsidii inde aliquid caperet, vel hospitii. Patriarchalis Monasterii Monachi eradere conabantur alterius Monasterii insignia quædam Episcopalia. Damnata est à Patriarcha fraudulenta audacia: quod Monasterii ab origine sua Episcopalis, non potuissent nisi reditus temporales auferri, & donari patriarchali Abbatiæ. *Nam qui illud Monachis in Metochium, seu usum fructum largitus est, pecuniarum solum dominium tribuere potuit, non autem spiritalem Episcopi relationem, & animæ delictorum examen.*

Ibidem.

Monasterio, vel Oratorio Patriarchali erant agri, erant & Ecclesiæ in pluribus Episcopatibus. Parochi earum Ecclesiarum non recitabant nomen Diœcesani Episcopi in sacris Diptychis: quod Relatio, ἀναφορὰ, dicebatur. Quin & ei jura Canonica exsolvere abnuebant. Adiri necesse fuit Patriarcham Georgium Xiphilinum, à quo pronunciatum est, ab his Ecclesiis, terris, incolisque persolvi debere Episcopo Diœcesano honores & census usitatos, quos Episcopis persolvi mos est: quamvis eæ Ecclesiæ parerent Monasterio Patriarchali. Crucis enim Patriarchalis ea est prærogativa, quæ complectatur loca in ipsa fundatione Cruci subdita, & jam tum Patriarchæ addicta: non eas autem vel Ecclesias, vel terras, vel personas quæ longo sæculorum lapsu prioribus illis accrescent.

Ibidem pag. 285.

XI. Postremò denique si cui libet vacatque, in hæc Ecclesiæ Græcæ privilegia altiùs penetrare, perlegenda graviter illi est facultas, qua Exarchum Patriarchalem instruebat Patriarcha, cùm illum Exemptis & Patriarchalibus omnibus præficiebat Monasteriis. Commonet illum, ut sedulò curet, annitaturque, quo paternæ charitatis visceribus abundent Abbates in Monachos, ut Monachi observent Abbates, eisque religiosè pareant; lites ut inter ipsos & jurgia terminet consopiatque: pœnis canonicis afficiat delinquentes: vetet Monastico habitu indui indignos quosque, & necdum Psalterium memoria complexos; Apostatas Mo-

Juris Orien. To 1. p. 431. 434. &c.

nachos in Claustrum revocet, nec vagari ullos impunè sinat; ne Monialibus patiatur spiritalia administrari subsidia, nisi à Monachis, ætate & virtute provectis. Denique Exarchiis his suis delegabat Patriarcha executionem & observantiam religiosissimam Monasticæ disciplinæ; Abbatum maximè curam eligendorum, & remittendorum ad Patriarcham ipsum, à quo ordinarentur.

---

## CAPUT XXXV. *P. 3. l. 1. c. 38.*

### De privilegiis concessis à Principibus, & Regibus, ac Imperatoribus temporibus Caroli Magni, ejusque familiæ.

*I. Discrimen Abbatiarum Regalium & Episcopalium Missos suos delegabant Reges ad earum emendationem.*

*II. Eidem Abbatiarum resegenda disciplina operas suas commodabant Episcopi.*

*III. Quam necessarium in his esset Regiam interponi authoritatem.*

*IV. Ad eam rem non Sedes Apostolica interpellabatur, quòd nulla Episcopali jurisdictioni penitus subducta esset Abbatia.*

*V. Authoritas maximè Regum in iis repurgandis Abbatiis necessaria, quarum fundatores ipsi, aut defensores essent, & custodes, vel quarum terras olim militibus suis addixerant.*

*VI. Delegatio generalis Missorum Dominicorum, & Episcoporum ad Monasteriorum disciplinam innovandam.*

*VII. Privilegiis Regum non subtrahebantur Abbatiæ jurisdictioni Episcopali. Objectio ex Abbatia Fuldensi petita. Responsio.*

*VIII. Probatur rursus Abbatias, quas Reges haberent, & fundatores, & protectores, sub Episcoporum fuisse jurisdictione.*

*IX. Eò tamen nonnunquam collimabant Regum privilegia ut ne Episcopi ipsi Abbates fierent.*

*X. Nulla tunc privilegia spiritali Episcoporum potestati intercedebant.*

I. PRivilegia Regum & Imperatorum tam noltis indulta Abbatiis, sæpissimè quidem, sed cursim tantùm superiùs perstricta sunt: hîc ergo ea pro ubertate materiæ paulò copiosiùs expendenda erunt nobis. Duplicis generis fuisse Abbatias, & quidem alterutrius sexûs, addocet nos Concilium Vernum anno 755. Regales aliæ erant, aliæ Episcopales; hæ Episcopis, illæ Regum Ministris temporalis administrationis rationes exhibebant.
Can. 20. *Vt illa Monasteria, ubi regulariter Monachi, vel Monachæ vixerunt, hoc quod eis de illis rebus dimittebatis, unde vivere potuissent, exinde si Regalis erat, ad dominum Regem faciant rationes Abbas, vel Abbatissa: & si Episcopalis, ad illum Episcopum, similiter & de illis vicis.* Perspicuè ubi Abbatias fundaverant, dotaverantque Reges, temporalis administrationis rationes exigebant Ministri Regum: ubi Episcopi, Episcoporum Vicarii.

Non potuit regularis disciplina pristino suo nitori redintegrari, & sanctimoniæ, nisi eorundem Regum conspirante vigilantia, authoritate, religione. Missos suos sæpissimè Carolus Magnus ablegavit, qui perlustrarent omnes Abbatias, & imminerent executioni, & observantiæ eorum quæ constitura sanctissimè fuerant, ad purioris disciplinæ
Conc. Gall. restitutionem. *Vt prædicti viri per singulas civitates,*
To. 2. pag. *& Monasteria virorum & puellarum, prævideant quo-*
147. *modo aut qualiter in domibus Ecclesiarum & ornamentis Ecclesia emendata, vel restaurata esse videntur; & diligenter inquirant de conversatione singulorum, vel quomodo emendatum habeant quod jussimus de eorum lectione & cantu cæterisque disciplinis Ecclesiæ perti-*
Capitular. Car. Mag. L. 1. c. 123. *nentibus.* Ex eo Capitulari Caroli Magni facilè perspicis, quàm strenuè ille fungeretur suo munere, nimirum Ecclesiarum omnium Episcopi exterioris.

II. Dominicis his Missis plerumque socios se adjungebant Episcopi, ut visitationi & morum repurgationi gnaviter utrimque incumberetur. Ita jussit Synodus Moguntina sub eodem Carolo, anno
813. *Vt Missi per loca quæque directi, simul cum Epis-* Can. 10.
*copis uniuscujusque Diœcesis perspiciant loca Monasteriorum, Canonicorum pariter & Monachorum, similiterque puellarum, &c.* Expleta visitatione jam Episcopalis erat curæ officiique, ut studiosè servarentur quæ statuta præclarissimè fuerant. *Vbi aliter inventum fuerit, hoc omnimodis Episcopus loci ipsius faciat emendari.* Concilium Remense ejusdem anni apertissimè prodit, necessariò dominari solitam fuisse Regiam potestatem in his difficillimis & perquam necessariis rerum mutationibus faciendis. *Vt* Can. 13.
*in victu, vel vestitu, vel conversatione Abbatum, qui Monachos habere cernuntur, Dei voluntas & Domni Imperatoris impleatur.* Quæ vis enim alia potuisset opulentos Abbates, ad eandem cum Monachis aliis mensæ, vestium, supellectilisque modestiam & frugalitatem revocare, nisi summorum Principum authoritas charitasque collaborasset?

III. Sed præter necessitatem interponendæ potestatis Regiæ, ne cassam luderent operam Episcopi ea destituti: erat etiam tantæ rei gloria cum summis Principibus communicanda, qui complurium fundatores erant Monasteriorum, omnium beneficentia sua parentes, vindicesque tuitione necessaria. Quin & eo gloriæ lenocinio Principes non absurdè alliciebantur, ut novis semper incrementis pristinas largitates suas cumularent: ne quod sæpè fit, temporalium præsidiorum penuria spiritalis disciplina collaberetur. Ita clarè significat Concilium idem Remense: *De Monasteriis puellarum con-* Can. 33.
*siderandum est, & domni Imperatoris misericordia imploranda, ut victum & necessaria à sibi prælatis consequi possint sanctimoniales, & vita illarum & castitas secundum fragilitatem sexus diligenter provisa tueatur.*

Post concinnatam Canonicorum & Canonicarum Regulam in Concilio Aquisgranensi anno 816. Ludovicus Pius jam præclari dux consilii authorque, Missos suos in omnes Imperii partes disseminavit, qui moras, & impedimenta omnia amputarent.
*Missos nostros per Imperium à Deo nobis collatum dire-* Conc. Gall.
*ximus, remota cujuslibet difficultatis oppositione, &c.* To. 2. pag.
Obex ille vel maximus amoliendus erat, penuria 427.
proventuum temporalium, quibus alerentur novæ Congregationes Canonicorum, jam communem vitam agitantium: & hic labor, hoc opus erat Episcopos adducere, ut istud oneris in se reciperent. *In habitationibus construendis, & in necessariis stipendiis, iis tribuendis.*

Venio ad Monachos. Cùm in Sandionysiano Cœnobio pessumdata & profligata jaceret Disciplina, Ludovicus idem Pius ab Hilduino indidem Abbate extimulatus, per Archiepiscopos Senonensem & Remensem decerni, & executioni mandari curavit ejus correctionem, accedente & Episcoporum Provinciæ & Imperatoris ipsius authoritate. Nec enim Principem fallebat, geminæ potestatis conjuratione quadam pia opus esse. *Ad Præsules Ecclesiarum* Ib. p. 516.
*idem censuimus referre negotium; ut nostri principatus* An. 832.
*authoritate, eorumque judicio, quibus tanta est collata potestas à Domino, idem Ordo in eodem loco absque retractatione restitueretur. Veniens ergo Aldricus Metropolita Senonicus cum Suffraganeis suis, &c.* Ab his Pontificibus revocati sunt in Claustra sua desertores; siqui pernegarent se professos unquam fuisse,

eos certissimis testimoniis convicerunt: qui remiserant tantùm aliquid de primæva pietate, eos strictiori observantiæ reddidere: denique ab eis perfectum cumulatissimè est, quod profligari omnino non potuerat per duos Abbates sanctissimos, quos eidem antè curæ & providentiæ idem Ludovicus Imperator præfecerat, ut Regula beati Benedicti in omnibus Monasteriis accuratissimè teneretur. *Ad Monasticæ institutionis normam corrigendam, duos religiosos venerabilis vitæ viros, Benedictum & Arnulphum constituimus, qui per nostrum Imperium seduli huic negotio studiosè insisterent.*

IV. Si his addas quod refert Leo Ostiensis de Conventu Abbatum & Monachorum Aquisgranensi anno 817. ejusdem Ludovici Pii jussu, & de sexaginta duobus ibi consarcinatis emendationis Capitibus, quibus eandem, aut non admodum disparem venerationem Monachi deinceps adhibuêre, ac Regulæ beati Benedicti: inde facilè agnosces, quàm jure duo illa hic à nobis astruantur capita. Nimirum & penes Imperatores, Regesque legitimam fuisse potestatem procurandæ, urgendæque Monasteriorum repurgationis per Episcopos sui Regni, quoties à Regulari disciplina longius declinassent. Et hac ætate media ita emendationem hanc totam per Episcopos profligatam consummatamque fuisse, ut sedes Apostolica non adiretur. Quod argumento est, ut frequenter & inculcatum est jam, & inculcandum à nobis, nullo tunc adhuc Apostolico privilegio Monasteria ulla Episcopalis jurisdictionis vinculo soluta fuisse.

Eadem fuit ratio temporum Caroli Calvi. Certatim Reges & Episcopi contendebant ad Monasteria, quæ vel inopia, vel ignavia conciderant, pristinum in disciplinæ vigorem revocanda. Audi quid ad Carolum ipsum Patres Concilii Verni II. anno
Can. 3. 844. *Nonnullos desidia, multos necessitate victûs in Monasteriis à sua professione deviare comperimus. Petimus ut in omnibus Parochiis directi à vestra mansuetudine religiosi atque idonei viri, cum notitia Episcoporum scrutentur, & corrigant, & singulorum locorum statum vestræ celsitudini, & nostræ mediocritati tempore à vobis constituendo renuncient.*

Can. 41. 42 V. Ex Concilio verò Meldensi anni 845. occasionem nanciscemur retegendæ doctrinæ, quam diligenter animo commendari operæ pretium est. Privati ipsi Monasteria quandoque extruebant, cupiebantque magnopere, ut eorum se Reges Defensores & Custodes profiterentur, ne fundatorum hæredibus & cognatis obreperet dira cupido involandi in ea, quæ Deo consecrata fuissent. Exinde verò flagrantibus civilibus bellis, cùm susdeque miscerentur omnia, & penè conclamatæ jam res essent Ecclesiæ perinde, ut Regni, Reges ipsi ea Monasteria Palatii sui, Exercituumve ducibus & militibus donarant, quasi hæreditario jure obtinenda. His ita se habentibus nulla prorsus spes superesse poterat recuperandæ Monasteriorum disciplinæ, nisi vel Ministri Regii, vel Missi Dominici accingerent sese & totam explicarent Regum, vel Imperatorum potestatem, ad infringendam contumaciam, vel Militum prædiis Ecclesiæ jamdiu incubantium, vel hæredum & propinquorum fundatoris. *Providendum est regiæ majestati, ut Monasteria, quæ ab hominibus Deum timentibus in sua proprietate constructa, prædecessores illius, causa defensionis, & mundiburdii susceperunt, ut libera libertate, remota spe hæreditaria de illorum propinquitate, ibidem religio observaretur; & nunc in allodium sunt data, quapropter omnis exinde religio funditus est eversa: qualiter vota fidelium inconvulsa permaneant, &c. Regia solertia Missos dirigat, & imbrevient res Ecclesiasticas quas per subreptionem atque ignorantiam quorumcumque, in allodium ipse aut pater suus donavit, & consulens periculo animarum, suæ videlicet ac patris sui, hoc ad tempus corrigere studeat: ne forte cum voluerit, minimè possit.* Cùm fundata fuisset à Clotario quondam Rege & à Bathilde Regina Abbatia Corbiensis, testatum fecit Carolus Calvus Regiam ei à se tuitionem impendi, *Secundùm morem prædecessorum suorum, quasi jure hereditario, in sua familiaritate ac defensione suscepit.* Ut nimirum jus eligendi Abbatis proprii & dispensandæ rei temporalis sartum tectumque servaretur. Ejus rei memoriam Concilium Parisiense Conc Gall. Regibus omnibus commendatam voluit, ut hujus To 3 pag. privilegii defensioni studerent. 59.

VI. Pernecessaria omnino erat Regiæ & Episcopalis authoritatis consensio atque conspiratio ad disciplinæ restaurationem Monasteriorum & Capitulorum, perinde ut ad eorum defensionem. In Concilio Suessionensi II. anni 835. statutum est, mittendos Visitatores in omnia Capitula, & in Monasteria utriusque sexûs, qui consuetudinum corruptelas omnes vel emendarent, vel ad Regem, & ad Concilium perferrent. *Idonei Legati dirigerentur, & quæ ipsi per se non valerent corrigere, judicio proximè futuri Concilii & potestati Regiæ revelarent.* Can. 7. Assensus est ei decreto Carolus Calvus, Episcopisque & Abbatibus præcepit, ut Dominicis suis Missis operam industriamque suam consociarent, ad restituendam Abbatiarum & Capitulorum observantiam strictiorem Regulæ Canonumque. *Ut Missi nostri per Civitates & singula Monasteria, tam Canonicorum, quam Monachorum, una cum Episcopo, & consensu ipsius qui Monasterium retinet, &c.* Ablegatus est Lupus Ferrariensis Abbas cum Episcopo Tricassino ad hanc perlustrationem generalem, & ad certiorem faciendum Regem de Monasteriorum omnium statu in Conventu Generali. *Ut in Conventu generali Rex de singulis locis possit certior fieri.* Epist. 63.

Concilium Tullense ad Saponarias anni 859. eundem Regem Carolum Calvum enixissimis precibus adivit, ut Abbatiæ sancti Benedicti ad Ligerim conservatum vellet privilegium quod ipsemet indulserat, eligendi Abbatis proprii. Eo perstringebatur Archiepiscopus Bituricensis, qui eam Abbatiam invaserat. Concilium Suessionense III. eundem Regem convenit, ut Solemniacensi Monasterio id ipsum gratificaretur, & potestatem qua pollebat, ædificando potiùs, quàm destruendo ostentaret. *Nec sibi aliter nisi tutela defensionis ac tuitionis Reges usurpent, nec cuiquam Clericorum aut Laïcorum, quod absit, eum locum attribuant.* Can. 11.

Ludovicus & Carlomannus Reges in Concilio apud sanctam Macram, decreta hæc omnia confirmarunt, addito insuper hoc novo statuto, ut Visitationi qui præficerentur, diligentissimè recensferent numerum cujusque Ecclesiæ Canonicorum, Monachorum & Sanctimonialium, perferrent ad Regem, qui Episcopis & Consiliariis Regni in consilium adhibitis, statuat de minuendo, vel augendo eo numero, habita annuorum proventuum ratione. *Numerum etiam Canonicorum, & Monachorum, sive Sanctimonialium uniuscujusque loci describant, & Regi referant: ut secundùm qualitatem & quantitatem loci cum consilio Episcoporum & fidelium suorum, ubi minor numerus fuerit, regia authoritate addatur: ubi verò indiscretione Prælatorum superfuerit, ad mensuram redigatur.* Ann. 881. Can. 4.

VII. Non video quid expressius, aut quid validius dici possit, ad demonstrandum horum omnium privilegiorum, quæ Reges concederent, eum fuisse scopum, ut libertas eligendi Abbatis, & administrandæ suo arbitrio rei temporalis adsereretur Monasteriis, ita quidem ut de Episcopali jurisdictione ne tantillum quidem demeteretur. Unde & hæc privilegia, quæ *Præcepta* etiam Regum dicebantur, hortantibus, aut saltem consentientibus Episcopis concedebantur, erantque Canonicis & Monachis communia, cùm eo tempore ne cogitarent quidem Canonici de minuenda, aut debilitanda Episcoporum jurisdictione, cujus ipsi Ministri, & quodammodo collegæ erant.

Objici posset Epistola Pipini Regis ad Archiepiscopum Moguntinum Bonifacium, quo confirmat privilegium à Zacharia Papa ejus Monasterio concessum, cum immunitate plenissima à jurisdictione Episcopi. *Hanc nostram Præceptionis seriem conscribi jussimus, per quam privilegium Sedis Apostolicæ à beato Zacharia tibi collatum, cum consensu Episcoporum cunctorumque fidelium nostrorum per omnia roboramus, præcipientes ut nullus Sacerdotum in Regno nostro divinitus nobis concesso in præfato Monasterio jurisdictionem aliquam sibi vendicet præter Apostolicam Sedem, ita ut nisi ab Abbate fuerit invitatus, nec Missarum solemnia ibi quisquam præsumat celebrare.* Verùm multa hîc æquum est seriò adnotari. 1. Datum fuisse hoc privilegium *cum consensu Episcoporum*. Atqui minùs simile veri est, assensos esse Episcopos suæ jurisdictionis tanto detrimento, vel potiùs excidio. 2. Suspenditur hîc jurisdictio Episcopalis quoad claustralem Disciplinam & temporalium facultatum regimen, eoque jus quidem Visitationis extinguitur: sed nihilo tamen minus latissimus superest jurisdictioni Episcopali campus, ad ordinandos & confirmandos Abbates, ad canonica de eorum flagitiis judicia, ad Ordines administrandos, dedicandas Ecclesias, Chrisma & Oleum dispensandum. Nulla horum exemptio exprimitur in privilegio, ideoque interpretando minimè adjicienda est, cùm rigidum interpretem desiderent privilegia. 3. Fuldense hoc Cœnobium à Bonifacio extructum fuerat, in eo loco, qui recens Christo se addixisset, ubi nulla antè Episcopalis potestatis vestigia impressa fuerant, denique sub auspiciis Romanæ Ecclesiæ, & delegatione ejus Bonifacius Barbaras eas Gentes mansuefecerat & suavi Christi subjecerat jugo. Itaque justissimæ erant rationes ei Monasterio indulgendi specialis aliquid & uberioris privilegii. Nihil ergo hinc præjudicari potest ei regulæ, quam nos universim præstruximus, nec Reges, nec Pontifices ulla sub Imperio Caroli Magni vel contulisse, vel confirmasse privilegia, quibus Episcopalis jurisdictio penitus elideretur.

Du Chesne To. 2 pag 663.

VIII. Redeo ad nova ejusdem rei documenta: sicubi præ se ferebant Reges Abbatias sui esse dominii, suæ proprietatis, ne eo quidem oppugnatam fuisse spiritualem Episcoporum jurisdictionem, sed summotas vexationes, deprædationesque prædiorum & temporalium facultatum. Valtramus Abbatiæ sancti Galli fundator hanc tutelam custodiamque Regiam Abbatiæ huic suæ summo studio comparavit. *Valtrammus Abbatem Pipino Regi præsentavit, ipsique Regi Monasterium, quod adhuc hereditario jure in sua potestate tenebat, cum ipso Abbate contradidit; ut Abbas ejusque successores idem Monasterium regia authoritate retinentes, nullius deinde violentia premerentur, sed tantummodo Regum jussionibus obedirent. Princeps statim conscriptionem fieri præcepit, ut Monachi deinceps potestatem haberent Abbatem eligere sibi, atque solis tantummodo Regibus obedirent.* Eam privilegii Chartam Carolus Magnus ei Abbatiæ, nec non & vicinæ alteri confirmavit, concedens, ut Abbatem eligerent sibi suum, & uni Regi obtemperantes essent. *Potestatem haberent eligendi Abbates, & ut nulli absque Regibus deinceps essent subjecti.* Ejusdem Caroli Magni privilegium Laurisbamensi concessum Abbatiæ, præter electionem Abbatis luculentè exprimit protectionem Regiam, adversùs ipsos etiam Episcopos, ne vel ab ipsis res & proventus Monasterii usurpentur. *Sub nostra mundeburde, vel defensione, in ipso Monasterio quiete vivere, ut nullus Episcoporum inquietare, &c.* Author hujus Chronici Abbatem illum auget nomine & titulo *Imperialis Abbatis, & Principis.* Quæ gloriæ nomina posterior ætas usitatissima fecit.

Du Chesne To. 3 pag. 481. 482

Ibid. p. 483 484.

Pag. 493.

Hoc sancti Galli Abbatiæ exemplo proditur, nonnullorum Custodes & Defensores Monasteriorum fuisse Reges, quorum non essent tamen fundatores. Sed eo consilio privati fundatores in Reges ipsos conferebant eam gloriam, & Custodiam ac Defensionem Monasteriorum, ut ab iis deinceps rapaces arcerentur manus, vel hæredum suorum, vel ipsorum quandoque Præsulum; ne hi vel illi sibi proprium esse vellent, quod Deo & pauperum sustentationi dicatum fuerat. Ita rursus splendet in simillimo Caroli Calvi Capitulari. *Ut Missi nostri investigent cum Episcopo, de Monasteriis, quæ Deum timentes in suis proprietatibus ædificaverunt, & ne ab heredibus eorum dividerentur, parentibus & prædecessoribus nostris sub immunitatis defensione tradiderunt.*

Baluz. in Append. ad Lupum pag. 514. 515.

IX. Quæ à Ludovico Pio & Carolo Calvo collata sunt privilegia Abbatiæ sanctæ Columbæ Senonensis, huic uni defensioni Regiæ, & strictiori observantiæ Regulæ sancti Benedicti patrocinabantur, sospite & intacta Episcopi potestate spirituali, præterquam in interiore Claustri disciplina, & in adgubernatione rerum temporalium. *Nullus Episcopus aut alicujus potestatis persona ordinationem aut potestatem contra Regulam sancti Benedicti in eo exercere præsumat.* Non ibi agitur de Ordinibus sacris, cùm Regula beati Benedicti non vetet quin ii ab Episcopo proprio suscipiantur, & cùm quo hîc prohibentur Episcopi, prohibeantur & alii omnes. Et mox ibidem: *Neque Episcopus in sui juris dominatione, vel nostra largitionis Beneficio eum aliquando usurpare attentet.* Non alio id additur consilio, quàm ut spem omnem abjiciant Episcopi invadendæ Abbatiæ, aut eblandiendæ à Regibus nominationis, qua Abbatea ipsi fiant. Postremò denique cùm privilegiis his Regiis nullum accederet ab Apostolicæ sedis confirmatione novum robur, non ea erant utique illa, quæ suapte vi possent ab Episcopalis jurisdictionis vinculo spirituali fideles quosvis absolvere.

Ibid p. 508. 509.

X. Contrà autem Ludovicus Pius profitebatur, sola Pontificum authoritate perfici posse & præstari hæc omnia in rebus sacris privilegia: nec Regiæ confirmationis suæ robur accedere, nisi quod Episcopi exoptassent. *Verùm licet Ecclesiastica atque Pontificalis constitutio, sua imoque divina authoritate esse prævideat, tamen non indecens atque incongruum judicavit, si nostra imperiali authoritate, sua constitutio firma esse perpetuo sanciretur.* Carolus Simplex Rex exemplo prædecessorum suorum confirmatione & ipse sua munivit privilegia Abbatiæ Corbiensis ab Episcopis olim & ab Archiepiscopis concessa, & à Romanis tandem Pontificibus. *Supplicaverunt, ut*

Spicil. to 2. pag. 383.

Spicil to. 6. pag. 412.

*Privilegia antiquorum Episcoporum, Archiepiscoporum & Pontificum Romanorum Regali edicto in perpetuum intemerata caveremus.*

Spicil. to. 8. pag. 138. Cùm Ludovicus Pius & Lotharius Imperatores calculo suo firmarunt Privilegium, quo Jonas Aurelianensis Episcopus donabat Monasterium sancti Maximini, adeo non illud Episcopali subduxere potestati, ut & ipsius Privilegii defensionem ipsi maximè commendarent Archiepiscopo Senonensi, ejusque Suffraganeis, atque adeo si opus esset, Comitiis Generalibus Episcoporum Regni. *Res ad notitiam Senonici Metropolitæ perferatur, &c. ut nostra authoritatis sanctione in generali conventu Episcoporum hujus constitutionis convulsor corripiatur, &c.* Ibid p. 331. Denique in confirmatione Privilegiorum Monasterii sancti Andreæ Elnensis, Carolus Calvus expressis verbis jurisdictioni Episcopali suffragatus est, citra exactiones tamen ullas. *Episcopus nullam exactionem contra regulas sacras eidem loco imponat, nec pro ordinatione Ecclesiasticorum Ministrorum, vel pro largitione consecrati olei, vel Chrismatis quodcumque emolumentum contra Canones sacros ab Abbate, vel à Monachis requirat.*

---

## CAPUT XXXVI. *P. 4. l. 1. c. 53.*

### Privilegia à Regibus & Episcopis concessa post annum Christi millesimum.

*I. Varia exempla privilegiorum in Gallia ab Episcopis concessorum cum assensu Regis.*
*II. De Cluniacensibus Privilegiis.*
*III. Exempla alia consimilium Privilegiorum.*
*IV. In Italia ipsa à Pontificibus Romanis concedebantur Privilegia, rogantibus vel annuentibus Episcopis.*
*V. Nova exempla Privilegiorum Regiorum quæ Episcopi & Pontifices confirmarent.*
*VI. Simillima exempla in Anglia. Regiuncula nullius Diœceseos.*
*VII. Exempla persimilia in Hungaria, ubi Rex Legatus erat Apostolicæ Sedis, & fundator tum Episcopatuum, tum Abbatiarum. Origo Ecclesiarum nullius Diœceseos.*
*VIII. Nova exempla Capellarum Regiarum in Anglia.*
*IX. Observantia Concilii Tridentini in privilegia Regum.*
*X. Nova in Gallia exempla. Rursum de Cluniacensibus Privilegiis.*
*XI. Libertates Monasteriorum Imperialium in Oriente.*
*XII. Privilegia Ecclesiarum Regiarum in Hungaria & Gallia. Abbatia non Episcopo, sed Archiepiscopo obnoxia.*
*XIII. XIV. De Privilegiis in Hispania & in Italia datis.*
*XV. Et in Oriente sub Latinis.*
*XVI. De Abbatum potestate ordinandi Lectores, & remittendi peccata.*

I. Ultima hac etiam Ecclesiæ ætate post annum Christi millesimum, à Regibus & Episcopis concessa sunt Privilegia, quæ hic expendi instituti nostri series & ratio postulat. Collec- Capit. To. 2. pag. 579. tionem novam Formularum edidit doctissimus vir Balusius, ubi occurrit libertas Monasterii data à conditore ejus ipso, ab Episcopo Diœcesano, & ab Episcopis aliis, qui illud protectioni Regum Burgundiæ committebant. Conceditur ut Chrisma & Ordines, à quo volent Episcopo, Monachi accipiant. *Cùm fuerit opportunum Ecclesiam dedicare, aut sacros Ordines benedici, quemcumque de religiosis Episcopis Abbas ipse, vel Monachi sibi voluerint invocare, in eorum maneat potestate.* Robertus Rex anno 994. Privilegio munivit Abbatiam Burguliensem, quam Comitissa Pictaviensis extruebat in agro qui feudi Regii erat, interveniente Episcoporum & Optimatum consilio & assensu. Conr. Gen. To. 9. pag. 742. *Cum consilio & assensu tam Episcoporum, quàm Optimatum nostrorum.* Mera ea fere erat protectionis temporalium Charta, & libertas eligendi Abbatis, cum consensu Comitissæ & filiorum ejus. Goffridus Vindocinensis Comes anno 1040. Monasterium sanctæ Trinitatis in Castro Vindocino construxit, permittente Archiepiscopo Turonensi & Episcopo Carnotensi, idque Ecclesiæ Romanæ in allodium, seu instar patrimonii proprii donavit. *Beato Petro & Romanæ Ecclesiæ in patrimonium & allodium devoverunt.* Ibid. p. 938. Confirmata est ab Episcopis donatio Ecclesiarum terrarumque complurium, in eorum Episcopatibus sitarum, quibus Comes Abbatiam illam opulentissimè dotabat.

II. Non explicatur eo privilegio quæ sint eæ libertates Monasteriorum, quæ à propriis fundatoribus Apostolicæ Sedi donantur *in patrimonium & allodium.* Eadem ratione donatum fuit Romanæ Ecclesiæ Cluniacum; cúmque Leo IX. Papa anno 1059. ejus Privilegia confirmaret, copiam ei fecit, quem liberet Episcopum deligendi, ad Ordines Monachis conferendos, ad Abbatum benedictionem & ad Chrisma. Conditum porro fuerat Monasterium Cluniacense in ejusmodi loco, qui nec Imperatori, nec Regi, nec Episcopo ulli hactenus paruisset; unde & à fundatore suo datum Pontifici, & à Pontifice ipso Romano ea conditione acceptum fuit, ut præter Romanum Pontificem nullus ei vel in temporalibus, vel in spiritalibus præesset. *Ne ullus, sive Imperator, sive Rex, vel Archiepiscopus, vel Episcopus aliquam in aliquo potestatem exercere præsumat.* Quo ita constituto, difficillimè poterat quisquam locus alius Cluniaco æquari.

III. Sanè cùm idem Leo IX. anno 1050. confirmaret antiqua Privilegia *ab Episcopis Ambianensibus, Archiepiscopis Remensibus* & à Pontificibus Romanis tributa Abbatiæ Corbiensi totam immunitatem una ferè concludebat temporalium exemptione, jussis Abbatibus Monachisque à proprio Episcopo recipere Benedictionem, Ordinationes & Chrisma. *Qui tamen Episcopus quas Abbas petierit ordinationes, differre non debebit: similiter Altarium & Basilicarum consecrationem. Chrisma quoque & oleum consecratum singulis annis, nec aliquod propterea munus exposcere.* Episcopus Ambianensis, & supra ipsum Remensis Metropolitanus privilegii executione & defensione onerantur: si ineluctabilis occurrat obex, Monachi ad Papam provocabunt. Ibid p. 998. En qualia tum darent Episcopi, qualia confirmaret Pontifex Privilegia.

Cùm anno 1068. Concilium Ausciense, cui præerat Cardinalis Legatus Papæ, statuisset ut omnes Vasconiæ Ecclesiæ quartam partem Decimarum Episcopo persolverent, approbata tamen & confirmata est immunitas Abbatiæ sancti Orientii: cujus id quoque Abbati concessum est, ut Archidiaconi munus & jurisdictionem exerceret in Ecclesias suæ ditionis, & in Clericos sibi obnoxios: quos si contumaces experiretur, de iis ad Episcopum referret, à quo cogerentur pœnas inflictas subire, nullo quidem persoluto pretio. *Laudaverunt etiam, ut gubernator qui locum sancti Orientii rexerit, vices Archidiaconi in honore suo super Ecclesias & Clericos teneat: & ipse, si lapsi fuerint, justitiam faciat. Tamen si pœnitere noluerint, ipse ante præsentiam Domini Archiepiscopi repræsentet, & ipse illis pœnitentiam injungat, ut illi placuerit: excepto quod ullam legem ab illis requirat.* Perspicis ut illæsa & illibata jurisdictione sua, libertatum chartas donarent Episcopi.

IV. Nec in Italia quidem Pontifex Abbatias Romanæ Ecclesiæ ut proprias vendicabat, nisi ubi lu-

bentes assentiebantur Episcopi. In Concilio Romano anni 1002. sub Sylvestro II. Papa, Pontifici ipsi controversiam fecit Episcopus Perusinus de Perusino Monasterio. Repræsentavit Pontifex libertatum instrumenta à prædecessoribus suis collatarum. Responsum est ab Episcopo, nunquam assensos fuisse Majores suos Episcopos Perusinos. *Sine antecessoris mei consensu privilegium illud factum est:* Ibi p. 1247 *si solum viderem consensum, haberem inde æternum silentium.* Tum verò universus Clerus Romanus vociferatus est, vidisse se literas, consensum, adeoque & preces antecessoris ejus. *Vidimus omnes epistolam antecessoris tui, in qua & consensus erat, & precibus, ut hoc fieret, postulabat.*

V. Philippus Galliæ Rex anno 1085. in Concilio Compendiensi confirmavit privilegium Abbatiæ sancti Cornelii apud Compendium, à Carolo Calvo Imperatore exædificatæ, eoque ipso tempore privilegium consequutæ Joannis Papæ & Episcoporum septuaginta duorum, quo absolvebatur à jurisdictione Episcopi Suessionensis & Archiepiscopi Remensis. *Nullius quoque Metropolitani Episcopi, nullius dominationi, nec ipsius Suessionensis fuisse constat obnoxiam.* Cùm immunitatem eam impetrasset Imperator ipse, qui & fundator erat, cujusmodi libertates ne ab asperrimis quidem censoribus, ne à Bernardo quidem improbantur, simillimum veri est, non sine assensu Episcopi & Archiepiscopi eam fuisse concessam.

Anno 1097. Urbanus II. Canonicis sancti Martini Turonensis sua confirmans Privilegia, *libertati* Epist. 12. *Romanæ* illos adserit: *Ut Romana Ecclesia libertate perpetua gaudeatis*: sed incolumi & integra authoritate, qua usus esset hactenus Turonensis Archiepiscopus: *Salvo nimirum jure seu consuetudine, quam hactenus erga vos Turonensis noscitur Archiepiscopus habuisse.* Diœcesano expressè servavit Episcopo jus ordinandi in omnibus eorum Ecclesiis: *Ordinandorum Clericorum tantùm curam gerat.* Denique rata jussit esse privilegia omnia quæ antè contulissent Romani Pontifices, vel Archiepiscopi Turonenses, vel Episcopi Galliarum in Synodo Generali apud Tussiacum congregati. *Quidquid præterea libertatis, quidquid immunitatis vel prædecessores nostri Romani Pontifices, vel Archiepiscopi Turonenses, vel Gallicanarum Ecclesiarum apud Tussiacum generalis Synodus contulerunt, nos præsentis decreti pagina confirmamus.*

Paschalis II. anno 1107. conjunctam subjectamque voluit esse Cluniacensi Abbatiam sancti Ulmari apud Bononiam in Morinis: ut eadem strictior observantia Regulæ, eademque pariter libertas utrique communis esset. Verùm ea concessio data est à Pontifice voluntati precibusque Episcopi Tervanensis, & Comitis Boloniæ. *Joannes Morinorum* Epist. 70. *Episcopus petens Eustachio Boloniensi Comite, sancti Ulmari Abbatiam sollicitudini tuæ corrigendam commisit. Et nos juxta ejus desiderium, &c.*

Ea fuit, ut apparet, innocua & simplex propagatio Cluniacensium Privilegiorum in Monasteria omnia ejusdem Congregationis, vel voluntate fundatorum cujusque privatim Monasterii, aut consensione Episcoporum, quibus cumulus Apostolicæ confirmationis accedebat, quo rea fieret certa penitus & irrevocabilis.

VI. Leget, cui libitum erit, in Concilio Cicestrensi anno 1157. diuturnam contentionem, & pugnam Episcopi Cicestrensis & Abbatis sancti Martini de Bello, circa libertatem qua hanc Abbatiam donarat Vuillelmus Rex Angliæ I. & Neustriæ Dux, cum consensu Archiepiscoporum & Episcoporum Angliæ. Tricari voluit Episcopus de consensu præcessoris sui, at Rex ipse constanter in defensione perstitit libertatis, & protectionis quæ præstita esset. Sancitum est in Concilio Londoniensi anno 1200. ut Monachi Episcopo præsentarent Parochos, qui in illis Ecclesiis ab eo instituerentur, quæ non pleno jure eis essent obnoxiæ. *In Ecclesiis suis, quæ* Can. 14. *ad eos pleno jure non pertinent.* Ita fatebantur Episcopi ipsi esse Ecclesias, quæ ad Monachos pleno jure pertinerent, & in quibus Parochi ab Abbate non nominarentur, sed & instituerentur. Alexander III. suo in Gallias Legato specialiter commendavit protectionem Abbatiæ sancti Maglorii, à Rege nimirum Ludovico expressa ea commendatione. Append. 1. Epist. 11. Concilium Avenionense anni 1209. subjecit potestati Legati Pontificii Vallem quæ dicebatur nullius esse Diœcesis. *Vallem de Tretis, quæ ut acephala, in nullius Diœcesi asseritur instituta*; ut spiritalem ibi, adeoque si necesse esset, & temporalem adversùs hæreticos exerceret potestatem. Anno 1274. Concilium Salisburgense omnia innovans Decreta Concilii Viennensis circa Monachos Ordinis sancti Benedicti: constituit ut Abbates abstinerent se deinceps ornamentis & insignibus Episcopalibus, quibus uti cœperant, donec privilegiorum suorum Chartas repræsentassent. Can. 5. Can. 4.

VII. Pene memoria effluxerat maximè memorandum privilegium Monasterii Hungariæ, Ordinis sancti Benedicti. Author privilegii sanctissimus Rex Hungariæ Stephanus, cui postea Gregorii IX. confirmatio accessit anno 1232. Fundator erat Rex ejus Abbatiæ, idemque Pontificius in Hungaria Legatus. Ergo libertas ea simillima erat, aut eadem ac Montis Cassini. *Talem concessimus libertatem qualem detinet Monasterium sancti Benedicti in Monte Cassino.* Sed præter Fundatoris jus, quo fulciebatur privilegium; affirmat Rex eo loco, nec Diœcesim unquam fuisse ullam, nec Episcopatum, nec Abbatiam: denique se conditorem fundatoremque unum esse omnium Episcopatuum & Abbatiarum Regni: ideoque integrum sibi fuisse, huic quascunque liberet gratias & libertates accumulare. *Necdum enim* Rainald. *Episcopatus & Abbatia præter ipsum locum in regno* An. 1232. *Ungariæ fuerant. Quod si licuit mihi, quo volui loco* n. 24. *Episcopatus & Abbatias statuere: an non licuit cuipiam loco, quod volui ut facerem?* Potestas fit privilegio illo Monachis, ut Ordines suscipiant: Abbas ut inauguretur à quo malet Episcopo.

Non video quid invictius dici possit pro Bernardi doctrina de privilegiis, quibus eadem ac Monasterio ipsi adsignata sunt fundamenta: & ubi nonnunquam fieri potuit, ut Monasterium vetustius esset circumpositis omnibus Episcopatibus. Ea quoque forsitan fuere, quæ nullius Diœcesis dicta sunt Monasteria. Nec enim cordato cuiquam, ut reor, facilè persuaderi poterit, jam extructis & in aliqua fundatis Diœcesi Monasteriis, id privilegii à summo Pontifice concessum fuisse, ut nullius essent Diœcesis.

Hujus ipsius vitæ sanctissimi Regis Scriptor, illud rursus luculentè commemorat, Reges, & in Baron. an. 1062. n. 13 Regiæ Majestatis societatem quandam adscivisse sibi Pontifices, & Pontificiæ quoque potestatis quædam munia ipsos, & jura sibi sumpsisse, putà ut potestati Episcopali Ecclesias quasdem subtraherent; cùm nemo in dubium posset vertere, quin Episcopi essent assensuri. Vide ut de ea re disserat Scriptor ejus gestorum & vitæ luculentissimus, idemque

Episcopali fulgens dignitate Chartuitius. *Tanta elegantia Ecclesiam usque adeo Rex sibi uni vindicavit, adeoque immunem esse voluit, ut nullus Episcopus quidquam in ea juris haberet, &c. Eum Episcopum voluit in ea & absolvere pœnitentes, & Chrisma conficere, quem ipse vel præsens id facere juberet, vel quem absens eò mitteret. Divina quippe Missarum solemnia, Rege illic præsente, illum duntaxat Episcopum celebrare, cui Rex consentiente cum fratribus Præposito, id demandaret; absente autem Rege, absque Præpositi & fratrum bona venia, nullum Episcopum illic sibi vel Missas celebrandi, vel cujuslibet Pontificalis Ministerii exercendi licentiam usurpare.* Hactenus privilegium Regium Ecclesiæ beatæ Mariæ apud Albam Regalem. Addit idem Scriptor Decimas omnes ab eodem Rege Capitulo tributas fuisse, non Episcopo.

VIII. Simile veri est daturum operam fuisse eum Regem, ut hæc omnia ab Apostolica Sede confirmarentur, nisi Legatus ipsemet fuisset Apostolicus. Eduardus sanctissimus & ipse Angliæ Rex, ut libertates easdem assereret Monasterio, quod ipse fundaverat, diploma privilegii impetravit à Nicolao II. Papa anno 1060. Rescriptum ipsum Ealredus vitæ hujus Regis à se exaratæ intexuit: ex quo

Baron. an 1060. n. 11 pauca hæc excerpimus: *Concedimus, & confirmamus, ut in perpetuum Regiæ constitutionis locus sit, & habitatio perpetua Monachorum, qui nulli omnino personæ, nisi Regi subdantur, &c. Absolvimus locum ab omni*

Baron. ann. 1114. n. 15. *servitio, & dominatione Episcopali.* Non ex jam meræ protectionis & tuitionis chartæ erant, ad temporalium maximè defensionem. Instrumenta erant certissimæ libertatis, qua solvebantur Monachi à potestate Episcoporum, qui voluntati Regum non prorsus inviti serviebant, quorum benevolentiam, & cum primis sibi necessariam experiebantur, & obsequio hujusmodi aliquo emercandam.

In Synodo Cicestrensi anni 1157. perlegere fas est, ut pollicerentur Reges Angliæ, vendicaturos se privilegia Abbatiæ sancti Martini de Bello, eodem prorsus studio, eademque contentione, *Sicut Dominicam Regis Capellam.* Quis enim sanus dubitet, quin Capellis suis Regiis, seu Sanctis Capellis ea privilegia studuerint Reges accumulare, quæ in alias sæpè conferebant, vel conferri procurabant Ecclesias.

Pag. 1206. 1027. 274. In lucem Editæ sunt *Constitutiones Antiquæ Regum Angliæ* complures, in quibus Eduardi I. Charta declarat Capellas Regias suas immunes esse ab Ordinarii jurisdictione: *Ab omni jurisdictione ordinaria exempta penitus & immunis.* Clericos suarum Capellarum ab Episcopo cogi non posse, quandiu Regiis immorantur obsequiis, vel in Ecclesiis ut resideant suis, vel ut sacris innectantur Ordinibus. *Cum Clerici nostri ad Ordines suscipiendos, vel ad faciendam in suis Beneficiis residentiam personalem, dum nostris immorentur obsequiis, compelli non debeant.* Ante hominum memoriam multis retro sæculis Angliæ Reges eo gavisos esse jure: *Nosque, ac Progenitores nostri Reges Angliæ hujusmodi libertate, seu privilegio pro Clericis nostris, à tempore quo non extat memoria, semper hactenus usi sumus.* Quamvis id de solis Minoribus Clericis capiendum esset: *Dum tamen infra sacros existat.* Hoc ipsum liquet ex libertate ea, quæ illos vetat cogi ad sacros Ordines. Cæterùm Clericos suos Rex quandiu collibitum erat sibi, obsequiis suis devinctos retinebat. *Qui per præceptum nostrum nostris jugiter intendit obsequiis.*

Immunitatem eandem ab Episcopi jurisdictione confirmavit idem Rex Xenodochio sancti Joannis apud Oxfordiam, à prædecessoribus suis extructo; addita etiam exemptione à procurationibus & exactionibus Episcopalibus omnibus. *Ab omni jurisdictione ordinaria, & præstationibus, procurationibus, & aliis exactionibus quibuscumque per Ordinarios faciendis à prima fundatione sua exemptum penitus & immune.* Ibidem. pag. 1028. Denique ne visitari quidem poterat ab ullo hocce Xenodochium, præterquam à Rege & ejus Cancellario. *Ita quod nullus præterquam nos, & Cancellarius noster prædictum hospitale visitare, quoquo modo intromittere debeat de eodem.* Ibidem. pag. 1075. 1076. 1288. Iisdem libertatibus munitæ erant Capellæ omnes Regiæ, at non semper his adsentiebantur Archiepiscopi Cantuarienses, in quos vehementissimè, siquando eas visitassent, excandescebat Rex. Immunes pariter erant à Procurationibus, quæ Legatis Pontificum ab aliis Ecclesiis exsolvebantur. Pag. 1181. Pag. 424. Innocentii IV. diploma Exemptionis publicari tota Anglia fecit Eduardus I. sed eo non solvebantur hæ Capellæ, nisi à Censuris & Interdictis Episcoporum, atque à Procurationibus, quibus non subjiciebantur Ecclesiæ Exemptæ. Eas tamen illud quidem immediatè subesse Romano Pontifici jubebat. *Oratoria Ecclesiæ Romanæ immediatè subjecta.*

Capella Regia Bosehamensis id habebat peculiare, quòd cùm in Episcopatu Cicestrensi sita esset, unis subesset Episcopis Excestrensibus, tanquam Capellanis Regis: unde & penes hos jus erat conferendarum Præbendarum. Eduardus I. rex molestè ferens, Ibidem. pag. 1266. Episcopum & Archidiaconum Cicestrensem eam immunitatem ludibrio passim habere, exoravit à Pontifice, ut ea Capella, nec Diœcesano Episcopo, nec Archiepiscopo Cantuariensi obnoxia posthac esset, quod commune erat & usitatum privilegium omnium Regiarum Angliæ Capellarum. Sedulò autem animadvertendum est, 1. Nec in exemplo hocce, nec in præcedentibus mentionem haberi à Rege de Bullis anterioribus ullis Pontificum. 2. Unum astrui exemptionis fundamentum, possessionem cujus initii nulla usquam extet memoria. Ibidem. pag. 7. 3. Potuisset ergo sola consuetudo, & spontanea Episcoporum consensio, concessioque his libertatibus dedisse initium, quas præscriptio postea roborasset. 4. Capella hæc subducta Diœcesani Episcopi potestati, alii suberat Episcopo Regis Capellano. Cùm ergo semper essent Regibus Episcopi quidam Capellani munus obeuntes, poterat per istiusmodi Episcopos Episcopalis jurisdictio in has Capellas exerceri, & præscribi contra Diœcesanos. Ibidem. pag. 984.

Capella Regia Glocestrensis in Diœcesi Vorcestrensi Archiepiscopis Eboracensibus à Regibus mancipata fuerat, soluta prorsus ab obsequio Episcopi Diœcesani. Perantiqua erat hæc libertas, & à Pontificibus Romanis confirmata. Erat & Henrici III. Angliæ Regis diploma, quod declararet Capellas Regias suas ante omnem hominum memoriam ab Episcoporum jurisdictione immunes fuisse. Erant & Regiæ Capellæ quædam, quæ immediatè Romano subessent Pontifici. Ita tamen ut dissentientes non rarò & repugnantes experirentur, tum Episcopos, tum Archidiaconos, quorum etiam censuris & excommunicationibus subinde earum Capellani fatigabantur. Ibid. p. 62. 209. 856. 933.

Illud Eduardo I. Regi à Nicolao IV. Indultum est, ut viginti Clerici ejus obsequiis addicti, per annos decem sua possent Beneficia retinere, nec teneri interim lege vel residentiæ, seu primæ quæ strictior est, vel ordinariæ, quæ deinceps aliquanto temperatior. *Speciali gratia concessit quod viginti* Ibid. p. 425

*Clerici nostris obsequiis insistentes, quos duxerimus nominandos, sua Beneficia Ecclesiastica per decennium liberè percipere valeant, non obstante quod primam vel aliam residentiam non fecerint in eisdem: prout in litteris Apostolicis plenius continetur.* Duplex hîc apponitur limes, cum ea libertas arctatur ad viginti Clericos, & ad annos decem. (Ibid p. 858. 986.) Hinc porro liquidum fit, nullam prorsus fuisse Chartam Privilegii Pontificii, quæ Palatinos omnes complecteretur Clericos, & in totum vitæ spatium exporrigeretur. Sunt tamen Rescripta Regum, ubi nulli istiusmodi limites occurrunt.

IX. Concilii Tridentini Patres tametsi ad Privilegia coarctanda propensissimi, eo tamen Reges prosecuti sunt honore præcipuo, ut ne Episcopos quidem, etiam ut Sedis Apostolicæ delegatos permitterent visitare ea loca, quæ sub immediata Regum protectione essent, nisi ex eorum licentia. (Sess. 22. c. 8.) *Non tamen quæ sunt sub Regum immediata protectione sine eorum licentia.*

Erat nempe sanctissimis illis Patribus exploratum, in Regiis id genus Libertatibus justissimas plerumque causas intervenire, & quæ ne trahi quidem possent in controversiam. Plerumque enim interveniebant Pontifices, Reges ipsi fundatores erant, nulli quandoque antè Episcopo obnoxia fuerant loca, ita nihil damni cuiquam Episcopo importabatur. Id luculenter Petrus Cluniacensis ad Bernardum scribens, de Cluniaco ipso testatum fecit. (L. 1. c. 28.) *Hæc ipsi ita condiderunt, non ut hanc de qua loquimur, Cluniacensem Ecclesiam alteri Episcopo prius eam possidenti auferrent, sed à fundatoribus, qui eam in proprio allodio construxerant, rogati, in propriam retinuerunt, atque soli Romano Pontifici eam in æternum subjacere decernentes, pluribus hoc Privilegiis confirmaverunt.*

X. Ivo Carnutensis Episcopus de immunitate agens Ecclesiæ sancti Quintini apud Bellovacum, testatum facit illam statim ab exordio collatam fuisse ab Episcopo loci, qui & fundator erat, tum (Epist. 208.) deinde à Papa & à Rege confirmatam. *Ut Privilegia quæ Ecclesia B. Quintini ab antecessoribus vestris Episcopis obtinuit, & Apostolica manus roboravit, Regia quoque Majestas pragmatica sanctione firmavit, intemerata servetis, &c. Fundator prædictæ Ecclesiæ Episcopus Belluacensis, &c.* Ita concurrebant causæ omnes justæ & indubitatæ legitimi privilegii. Ejusmodi fuit & exemptio quam Alphonsus Rex Hispaniarum contulit anno 1175. Abbatiæ sancti Justi, cum assensu Archiepiscopi Compostellani & Capituli: (Anna. Cist. To. 2. p. 53.) *Hoc Monasterium consentiente Archiepiscopo cum consensu Canonicorum tali libertate dono, ut nullius deinceps potestati, tam sæculari, quàm Ecclesiasticæ subjaceat; nulli obediat, nisi sanctæ Romanæ Sedi, &c. Ab omni jurisdictione Episcoporum in perpetuum absolvimus, ut à nullo quæ sua sunt cogantur, præter Episcopalia, id est sacros Ordines, olei consecrationem, & Abbatis benedictionem accipere.* Non satis claret an adhuc possent hoc donati privilegio, à suo tantùm ordinati Episcopo: sed illud apparet, eam quandam fuisse Cluniacensis privilegii imitationem, cum à sæculari etiam dominatione locus eximitur.

Ludovicus ipse Galliæ Rex anno 939. hoc ipsum caput confirmaverat immunitatis ab authoritate Regia, consentaneè voluntati fundatoris Cluniacensium: (Bibl. Clun. pag. 265. 575. 1519.) *Sit locus ab omnium sæculari dominatu, tam Regum, quàm cæterorum Principum liber & absolutus.* Ludovicus VI. Galliæ Rex anno 1119. tutela & protectione sua dignatus & ipse est Cluniacensem Abbatiam, ut nobilem in primis Regni Francici portionem, hortatu maximè Episcoporum & Procerum Regni. *Ad preces Archiepiscoporum, Episcoporum & Principum Regni nostri, Monasterium Cluniacense* (Spici. To. 13. pag. 300.) *nobilius membrum Regni nostri, cum omnibus Prioratibus, possessionibus, &c. In nostra & successorum nostrorum Regum defensione, garda & tutela recipimus.* Confirmatum hoc ipsum est à sancto Ludovico Galliæ Rege anno 1258. *Cum Monasterium Cluniacense ad Regalem custodiam ab antiquo pleno jure pertinere noscatur, nos divini amoris intuitu, ob remedium animæ nostræ & antecessorum nostrorum, volumus ut idem Monasterium semper in Regia custodia & protectione persistens, nullo unquam tempore possit ab ea recedere, nec nos aut successores nostri custodiam ejusdem Monasterii extra manum Regiam ponere valeamus.* Non temerè locus prolixior intextus est hîc à me, sed ut ex eo palam fiat custodiam defensionemque Regiam expensarum & sollicitudinis plurimæ rem fuisse; ut ad eam nisi pietatis & religionis contemplatione amplectendam non facilè Reges adducerentur. Simile veri est expertos tandem fuisse Cluniacenses longè sibi conducibilius esse uni subesse potentissimo piissimoque Regi, & ab eo regi, quàm inani se jactare specie & famosa gloria libertatis, cùm interim & prædæ & ludibrio essent circumpositis Nobilibus militibusque compluribus, imbelles & inermes ipsi. Ante B. Ludovicum Philippus Augustus Cluniacensi Cœnobio protectionem suam impartierat, quod (Ibi p. 1512. 1644.) & à Carolo VII. Rege postea confirmatum est.

Ab eodem beato Ludovico Rege narrat Vuillelmus Nangius confirmata pariter fuisse Privilegia (Du Chesne, Hist Franc. To. 5 p. 401.) Abbatiæ sancti Dionysii, quæ illi quondam contulerat Carolus Magnus, nil deterrito sermonibus Aulicorum qui conferri ab eo non potuisse garriebant. Ex Epistola quadam Alexandri II. Papæ edocemur, (To. 4. pag. 204.) Abbatem & Monachos sancti Dionysii apud eum expostulasse de Episcopo Parisiensi, qui ea frequenter concuteret Privilegia, quæ olim contulissent Episcopi ipsi Parisienses, Reges, Romanique Pontifices.

XI. Monasteria Imperialia, sive libera Imperii Constantinopolitani, absoluta prorsus erant à jurisdictione Episcopali. Innocentius III. Papa eadem illos libertate gaudere jussit adversùs Latinos jam eo tempore Episcopos Græcorum Episcopatuum, & Imperatrici Græcorum voluit eosdem semper ac priùs honores haberi, postquam sub ejus Pontificatu Orientis Imperium Latini ditioni suæ subegerunt. (Innoc. III. Regest. 13. Epist. 39. Regest. 16. Epist. 168.) *Cùm libera Monasteria, quæ Imperialia nuncupantur, Græcorum quoque dominio, nulli essent Archiepiscoporum vel Episcoporum subjecta, &c. Mandamus, quatenus in Monasteriis illis Regalibus regni Thessalonicensis, quæ Græcorum tempore Archiepiscopis vel Episcopis subjecta non erant, non permittatis Archiepiscopos vel Episcopos juris aliquid indebitè usurpare, facientes in eis Imperatrici quondam Constantinopolitanæ honorificentiam debitam exhiberi.*

Confirmata sunt ab eodem Pontifice Privilegia, quæ Episcopi & Imperatores concesserant Monachis Montis Sancti, qui Athos olim dicebatur, & cui nomen Sanctitatis indidere postea examina Monachorum sanctissimorum, quibus frequentatus est. Eadem erant illa, ac nostrorum Cluniacensium privilegia. Accipe pauca hæc ex Epistola Innocentii. *Ecclesiarum Prælati & Imperatores Constantinopolitani pluresque Principes sæculares, per Privilegia sua multa, olim tantæ libertatis præeminentia vos dotarunt, ut post Deum, cui vos volebant liberè famulari, nullius*

*unquam effetis jurisdictioni subjecti.*

Non alienum prorsus erit ab instituto nostro, si hîc observemus non minùs forsan frequentia numerosaque fuisse Orientis quàm Occidentis Monasteria; sed non ea ibi fuit quæ postea emersit in Ecclesia Latina Regularum varietas. Anselmus Havelbergensis in Germania Episcopus vidisse se Constantinopoli testificatur uno in Monasterio septingentos Monachos B. Antonii Regulam professos, in alio quingentos Pachomii, plurimas verò Congregationes, B. Basilii nomine & Regula se vendicantes. Nemo nescit quàm etiam nunc incredibilis sit numerus Monachorum in Monte Atho. In Epistola quadam sua Innocentius III. ait, vulgato rumore sparsum esse Sedi Apostolicæ immediatè eos esse obnoxios. *Monasteria Montis sancti quæ ad Sedem Apostolicam immediatè pertinere dicuntur.* Alibi docet in uno eo Monte structa fuisse trecenta Monasteria: *cùm trecentis Monasteriis decoretur*: & tum ab Episcopis, tum ab Imperatoribus absolutos eos fuisse omni hominum jurisdictione; quas libertates tum confirmat Pontifex: *Libertates autem & immunitates rationabiles, & antiquas ac etiam approbatas, prout in vestris privilegiis dicitur contineri, vobis & per vos Monasteriis vestris authoritate Apostolica confirmamus.* Editæ sunt à Crusio Epistolæ quædam Græcorum hujus ævi, ex quibus liquet esse adhuc sua Patriarchæ Monasteria, quæ ut quondam Stauropegia adhuc vocentur: superesse etiam Monasteria Regia, quæ libera se contendant à Patriarchæ etiam jurisdictione & censuris.

Ansel. Dial. l. 1. c. 10

Regest. 13. Epist. 40. Regest. 16 Epist. 168

Turcograc. Crusii. l. 4 p. 302. 303

XII. Abbatiæ & Præpositura Regiæ in Hungaria Archiepiscopo Strigoniensi immediatè suberant, quanquam aliis in Episcopatibus, immo & in Provincia alia sitæ essent. Ita firmatur in diplomate, quo eas firmavit Gregorius IX.

Meminit Innocentius III. sanctæ Capellæ Divionensis Ducum Burgundiæ in Decretali quadam sua; nemo erat Episcoporum, vel Metropolitanorum, qui ejus Canonicos suspendere, excommunicare, interdicere posset. Anno 1172. Dux Burgundiæ Hugo tum fundationem, tum immunitatem muniveat confirmatione Alexandri III. ita ut Decanus vice summi Pontificis curam gereret animæ Ducis & Ducissæ. Robertus Dux anno 1298. à Bonifacio VIII. impetravit, ut Decanus hujus sanctæ Capellæ, Romam ipse proficisci posthac ne cogeretur, ad petendam confirmationem, sed ut Abbas Cisterciensis vicaria authoritate Papæ eum confirmaret.

C. Ex ore. De Privil.

Recueil des pieces pour l'hist. de Bourg. pag. 246. 272. 382.

Du Tillet Part. 1. pag. 442. 451.

Regiis Capellis & Clero Palatino Regis Galliæ Joannis & Reginæ concessit Clemens VI. adeoque & successorum Regum, ut eorum Clerici à quocumque vellent Episcopo ordinari possent, dum in Sedis Apostolicæ communione fruerentur. *Ut Clerici & Capellani Capellæ vestræ, omnes minores & sacros Ordines à quibuscumque Archiepiscopis vel Episcopis Catholicis gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habentibus, licitè recipere valeant.* Gregorius IX. & Alexander IV. id privilegii indulserant sancto Ludovico, ut ne possent ejus Capellæ interdici, nisi permittente Sede Apostolica. Testatur Nangius anno 1275. conquerente Senonensi Archiepiscopo, quòd Archiepiscopus Remensis Lutetiæ Parisiorum Reginam inunxisset, responsum ei fuisse Capellam Regiam immunitate gaudere. *Cùm Capella domus Regis exempta foret Parisius, & ideo ratione loci inunctio ad ipsum non spectabat.*

Spicil. To. 4. pag. 293. To. 6. pag. 484.

XIII. In Hispania Sancius IV. Arragoniæ Rex Abbatiæ sancti Joannis vel contulit vel confirmavit eadem quæ Cluniaci sunt Privilegia, ut ne ulli sive in temporalibus, nisi Romano Pontifici subesset, sive in spiritalibus. *Privilegia qualia habet Cluniacense Monasterium, ut sicut Cluniacenses sunt liberi ab omni jugo humanæ servitutis, ita & isti sint, tantummodo reverentiam Apostolicæ Sedi servantes.* Ex consequentibus patet consensu Episcoporum rem esse perfectam: *Confirmo etiam donationes Regum, Privilegia Episcoporum, &c.* Et paucis pòst annis: *Facto Privilegio secundùm Privilegia Cluniacensis Monasterii, ab omni jugo, vel censu Regia, vel Episcopalis, vel alicujus Ecclesiasticæ vel sæcularis potestatis, authoritate regali favente & annuente Mantio Arragonensi Episcopo, nec non Sanctio Pompelonensi Episcopo liberos feci.*

Hispan. ill. To. 3 pag. 607. 626.

XIV. In ipsa Italia Episcopi persæpè authores fuere largitoresque Privilegiorum, nec nisi ab illis exorati ea concessere Pontifices. Illustre suppeditat argumentum Innocentius III. in Monasterio *Crypta Ferrata* Episcopatûs Albanensis; cui concessum id ab Episcopo ipso fuerat, ut à quo liberet Episcopo Monachi vel suas consecrari Ecclesias, vel Clericos ordinari facerent, tum in Abbatia ipsa, tum in Ecclesiis sub ejus ditione positis. Id Cælestinus Papa confirmaverat: *Ut liceret Abbati & fratribus à quocumque vellent Episcopo tam ordinationem Clericorum, quàm consecrationem Altarium in Monasterio ipso & prædictis Ecclesiis obtinere. Et Cælestinus Papa prædecessor noster confirmavit.*

C. Constitutus. De Relig. Domibus.

XV. Postquam Latinæ dominationi subacta victricibus armis paruit Palæstina, paruit & Ecclesiæ, non potuere non quibusdam Privilegiis acquiescere Episcopi Latini. A Jacobo de Vitriaco proditum est sub Hierosolymitano Patriarcha fuisse Abbates & Priores, qui Episcopalibus ornati insignibus rem divinam facienti ei adessent. *Habet Patriarcha Abbates & Priores sibi subjectos, insignia Pontificalia, baculos scilicet & mitras, annulos & sandalia ex privilegio dignitates habentes, domino Patriarchæ in ministerio reverenter assistentes.* Non injuria forsan suspicabimur, Patriarchis olim Mysteria celebrantibus ministrasse persæpè Episcopos, diebus maximè solemnioribus; & lapsu temporis factum esse, ut Episcopis deficientibus Abbates subrogarentur, eadem qua Episcopi veste sacra exornati. Capitulo Ecclesiæ Patriarchalis sancti Sepulcri, quod Canonicis Regularibus tum constabat, concessa videtur fuisse jurisdictio quasi Episcopalis in urbem Joppensem, cum provocatione ad Patriarcham. *Joppensis civitas non habet Episcopum, sed immediatè subest Priori & Canonicis Dominici Sepulcri.* Eodem jure suberat Neapolitana Civitas, sive Sichar, Abbati Ecclesiæ Templi. *Similiter civitas Neapolis Episcopo caret, pertinet autem immediatè ad Abbatem Dominici Templi.*

Hist. Hieros. c. 38.

Inter ipsa primordia novellæ hujus Latinorum Ecclesiæ in Palæstina, Episcopalibus omnibus Ecclesiis non potuit statim assignari ea terrarum proventuumque copia, quæ par oneri & impendiis necessariis esset. Itaque vel abstentum est aliquandiu à præficiendis Episcopis, Ecclesiæ verò interim commendatæ sunt Abbatibus alioqui opulentis, qui pariter donati privilegio utendi Pontificiis indumentis, Patriarchæ ministrabant: vel plures Episcopales civitates Ecclesiæque uni Episcopo regendæ creditæ sunt. *Multa etiam alia sunt civitates in terra promissionis, quæ licèt ante tempora Latinorum proprios haberent Episcopos Surianorum & Græcorum: Latini*

*tamen propter multitudinem & paupertatem eorum, ne dignitas Episcopalis vilipenderetur, plures Ecclesias Cathedrales & Civitates uni Cathedrali subjecerunt.*

XVI. Finem faciet huic Capiti privilegium, à Conciliis, à Pontificibus Romanis, ab Episcopis, concessum Abbatibus, suis ut in Monasteriis Lectores ordinent. Nicæni II. Concilii Patres id privilegii concessere, dum Abbates Presbyteratu ornati essent, & nonnisi Monachis Tonsuram conferrent, vel Minores Ordines. Jam non semel variis exemplis patefecimus, parum, aut nihil quandoque discriminis Monasticæ, & Clericali Tonsuræ interpositum fuisse, idque ante hujus Concilii tempora; eodem enim ipso tempore, & ab eodem Abbate Clerici fiebant, apud quem Monastica vota nuncupabant; Monachatûs ipse instar habebat Ordinum non rarò Minorum; vel illis prætermissis professi Monasticum institutum attollebantur ad Diaconatum; denique antiquissimi illi, seu Monachi, seu Anachoretæ, Scripturas quandoque in Ecclesiis lectitasse demonstrati suprà sunt, etsi in Lectorum Ordinem allecti fuissent nunquam. His perpensis posset forsan quis suspicari, hanc Abbatum potestatem ad creandos Lectores, jus commune, præscriptamque consuetudinem & possessionem potius fuisse, quàm privilegium recens à Concilio VII. Oecumenico tunc collatum.

Sed cum æqua lance trutinantur & alia paulò diversa argumenta; inter Monachos professos, fuisse complures, qui Clerici non essent, propterea quòd illitterati essent, vel aliis quibusvis irregularitatibus implicati: longè aliud semper habitum fuisse, Clericum ordinari, & Monachum profiteri: Multos Clero allegi, qui Monachi non fierent: multos fieri Monachos, qui Clero non adgregarentur: jam Monachos supponi ab hac VII. Synodo, quibus ea permittente Abbas Clericatum & Minores Ordines conferret: His ergo æqua lance hinc & inde trutinatis, vix jam ambigere quisquam poterit, quin privilegio opus esset, ut Abbatibus potestas conferendi Clericatûs & Minoris cujuslibet Ordinis vendicaretur. Denique cùm ea potestas intra hos limites à Synodo cohibetur, ut Abbates & Presbyteri sint, & ab Episcopo fuerint benedicti: vel hinc rursum arguere fas est, eam Abbatum potestatem ab hoc manasse privilegio, non ab antiquissima possessione, cui non facilè novi hi limites circumscriberentur.

D. 69. c. 7. Canonem hunc Decreto suo Gratianus intexuit, tanquam qui in desuetudinem non abiisset. Innocentius III. in Decretali *Cùm contingat*, *De ætate præficiendorum* prolato hoc eodem Canone diffinit, *Per primam tonsuram juxta formam Ecclesiæ datam, à talibus Clericalem Ordinem conferri.* Duo hîc quædam cursim adnotabimus. 1. Pontificem decernere, ut ab his Abbatibus Presbyteris, & ab Episcopo benedictis Tonsura conferatur *juxta formam Ecclesiæ*. Quo planum fit longè aliam fuisse eam Tonsuram atque Monasticam. 2. A Pontifice dici, conferri cum ab Abbate *Ordinem Clericalem*; non exprimi verò ullum Minorum Ordinum. Sed Canon ipse Græcæ Synodi quem confirmat Innocentius, pro usitato Græcorum more, cum Tonsura Lectorum Ordinem, adeòque & Minores alios Ordines hîc non disjungit. Quibus suffragatur & Tridentina Synodus, dum prohibet, ne Abbates aliis quàm

Sess. 23. c. 10. Monachis suis conferant *Tonsuram, vel Minores Ordines*, vel litteras Dimissorias. Porro Decretalis illa Innocentii excerpta est ex ejus Registro XIII. & ex Epistola 127. ad Archiepiscopum Rotomagensem scripta, qui illum super ea re percontatus fuerat.

Matthæus Blastares qui Nomocanonem Alphabeticum anno 1335. compilavit, notabili exceptione arctat hoc privilegium Abbatum. Ita enim statuit, non agi in VII. Synodi Canone, nisi de Monasteriis inter longinquas & avias solitudines extructis, procul ab urbibus Episcopalibus. *Si in desertis ut ego arbitror, Monasteria sint ædificata.* Scitè id quidem excogitatum, non tamen usu receptum est. Nec ea potuit esse mens vel Innocentii III. vel Concilii Tridentini, ut inaccessarum tantùm solitudinum Monasteriis & Abbatibus consultum vellent. Littera A. c. 6.

Comitia Generalia Cleri Gallicani annorum 1625. 1635. & 1645. statuere, ut & assensus Diœcesani Episcopi necessariò expectaretur. *Cùm collatio Ordinum juris sit prorsus Episcopalis, omnibus indiscriminatim prohibetur, quo se cumque tueantur privilegio, ne Minores conferant Ordines, ac ne Tonsuram quidem, nisi permittente Episcopo Diœcesano.* Memoires du Clergé Tom. 1. pag. 994.

Canonistis visum fuerat Decretali *Cùm inter vos*, *De sententia & re judicata*, copiam fieri Abbatibus ut Tonsuram & minores Ordines conferant etiam sæcularibus, in locis ubi illis subsunt *pleno jure*, hoc est, ubi Abbates utuntur jurisdictione quasi Episcopali. Prolixioris forsan & perinde infructuosæ foret indaginis, si scrutari aggrederemur, an ea verè sit hujus Decreti sententia. Sed jam nihil est quod hîc immoremur, cùm illi ipsi Canonistæ confiteri cogantur, eam in sæculares Abbatum potestatem à Tridentina Synodo esse irritatam & ad solos revocatam Monachos. Fagnan. Ibid.

---

## CAPUT. XXXVII. *P. 4. l. 1. c. 54.*

### De Privilegiis, quæ summi Pontifices concesserunt, aut semper, aut pene semper consentientibus Episcopis, post annum Christi millesimum.

*I. Quanti interfit aliò inflecti animo hunc Episcoporum assensum. Exempla.*

*II. Exempla nova. Non rarò inculta priùs ea fuerant loca, & nullius Diœceseos.*

*III. In privilegiis Pontificiis integra servata est Episcoporum jurisdictio, nisi schismate illaqueati essent.*

*IV. Eadem vigent leges, & conditiones in privilegiis à Gregorio VII. concessis.*

*V. Similiter & sub Urbano II. & Paschali II.*

*VI. Nec ab eo more descitum est sub sequentibus Pontificibus.*

*VII. Famosissima privilegia Abbatiis concessa sunt, quas fundatores ipsi ab ortu ipso addicebant Sedi Apostolicæ. Quod nec à Bernardo improbatum est.*

*VIII. Perimit sanctus Carolus apud Apostolicum Sedem, ut irritetur privilegium ab ea concessum, si assentiretur Episcopus, comperto Episcopum non consensisse.*

*IX. Quid Vuillelmus Archiepiscopus Tyri, & Jacobus de Vitriaco, circa privilegium Equitum Templi.*

*X. De privilegio Minorum.*

I. Fieri vix, aut nec vix poterat, ut toties & tandiu Reges & Episcopi authoritatem Apostolicæ Sedis interponerent ad confirmandas libertates, quibus ipsi Monasteria munerabantur: & non aliquando tandem Pontifices ipsi aliquid sua sponte in eo genere gratificarentur, & commodarent, quamvis nonnisi consentientibus Episcopis id primum, id perdiu tentatum sit.

Quanquam capite superiori affatim exemplorum congestum sit, ut hic Episcoporum consensus ad-

probaretur: non abs re tamen erit plura hic velut ad cumulum acervari, sive ut tantò spectatior sit certiorque moderatio ac prudentia summa Pontificum: sive ut fiat satis Episcoporum zelo, ad Episcopatûs majestatem tuendam non injuria attento; sive denique ad alendam, augendamque Exemptorum pietatem & reverentiam in authores suæ libertatis. Philippus Franciæ Rex anno 1075. confirmavit privilegia Abbatiæ Trenorchiensis, propterea quòd ea à Pontifice & ab Episcopis, interpellantibus Regibus prædecessoribus suis, collata fuissent. *Privilegia quidem Apostolicæ Sedis, privilegium quoque Episcoporum, quia deprecatione Regum ad libertatem loci facta sunt, conlaudando firmamus. Ut autem hoc nostrum Edictum à Francorum Regibus perpetuo custoditum permaneat, authoritate Episcoporum nostrorum firmare & corroborare fecimus.* Pontifices alii Callistus II. anno 1122. & Eugenius III. anno 1146. ejus Abbatiæ immunitatem confirmarunt, ea posita concessione Episcoporum, cujus Rex mentionem modò fecit: *Nec Episcopo liceat cujuscumque Diœcesis eundem locum excommunicationis, vel absolutionis, vel cujusli bet dispositionis occasionibus perturbare.* Ludovicus junior Rex eodem anno 1146. eadem Episcoporum & Pontificum privilegia sua authoritate munivit. *Privilegia denique Apostolicæ Sedis, privilegia quoque Episcoporum quæ ad libertatem, seu defensionem loci facta sunt, collaudando firmamus.*

*Fevret de l'Histoire de Tournus. Pag. 324. 408. 441. 442. 447.*

Andrensi Monasterio privilegium indulsit Paschalis II. ad preces Episcopi Teroannensis. *Intercedente venerabili fratre Tervannensi Episcopo.* Unde & canonicam Episcopo servavit obedientiam, quòd eam Episcopus non remisisset. *Salva Tervanensis Episcopi Canonica reverentia.* Alexander III. Papa cùm privilegia Cisterciensium Abbatiæ Diœcesis Matturanensis in Italia communicasset, eam Apostolicam concessionem confirmavit Episcopus. *Privilegium Apostolicum Cisterciensis Ordinis libertatem vos ab Alexandro III. obtinuisse testatur. Ut Deo cooperatores & nos effici mereamur, tam laudabilem libertatem præsenti privilegio confirmamus.* Ex quo æquum est conjicere non tantùm inter exordia sui Ordinis Cistercienses ab Episcopis impetrasse liberum usum suarum Constitutionum: sed etiam postea ubi Apostolica ipsi impetravere privilegia, curæ habuisse, ut ea sibi assensu Episcoporum firmarentur.

*Spicil. to 9. p. 388.*

*Annal Cist. To. 2 pag. 502.*

Archiepiscopo Compostellano permisit Innocentius III. uti pallio etiam extra Provinciam, quod inimicum erat Ecclesiæ legibus, si modò Diœcesanus Episcopus permitteret. *Dummodo is ad quem Ecclesia pertinet, id permittat.* Idem ipse tuitionem Pontificiam impendit Abbatiæ Angliæ in Diœcesi Vorcestrensi, quam à jurisdictione Episcoporum absolverant prædecessores sui, à duobus Regibus interpellati. Lubens crediderim duos Reges consensum Episcopi facillimè impetrasse.

*C Ex tuarum. De auctoritate & usu Pallii C. Audita. De præscriptionib.*

II. Non poterant Episcopi dissensu suo frustrare fundatores ipsos, qui beato Petro & Ecclesiæ Romanæ fundos agrosque suos devovebant. Sylvestri II. de Vizeliacensi Cœnobio hæc sunt verba. *Quod à fundatoribus beato Petro Apostolorum Principi, & liberali devotione & testamenti pagina conlatum est.* Asperrima sæpissimè & inculta fuerant priùs ea loca, & nullius Diœcescos, ut liquet ex Synodo Romana anni 1015. ubi Benedictus VIII. authoritate sua roboravit privilegium Abbatiæ hujus generis. *Romanæ Sedis sublimitas assensum facillime præbuit, quia præfatum Monasterium in deserto loco, unde nullus unquam Episcopus alicujus vel decima reditum noscitur habuisse, fundavit, & Apostolica, Regalia, nec non & Imperialia testamenta acquisivit, & præterea Episcopus in cujus limite locus situs esse videtur, propria manu firmavit, pluresque firmare rogavit Episcopos testamentum, &c.* Quanquam de loco hic agitur antè inhospito, & nullius Diœcesis, vult tamen Pontifex rationem haberi consensûs Episcopi vicini, antequam privilegium ratum faciat.

*Epist. 3.*

Acquievit Innocentius III. fundationi quam meditabatur Marchio Brandeburgensis, Capituli, quòd uni subesset, uni obnoxium esset Romano Pontifici, & cujus Præpositus, quem mallet Episcopum invitaret ad functiones Episcopales. *Spiritalia quæ officium Episcopale requirunt, Præpositus exigat & obtineat à quocumque malueris Episcopo, Apostolicæ Sedis gratiam obtinente.* Propterea quod facienda erat illa fundatio in regione, quam nupertimè profligatis Gentilibus subegerat Marchio, & proinde ubi nulla unquam Ecclesia, nulla fuerat Diœcesis. *Si terram illam constiteris esse solitariam & desertam, maximè quod non sit in memoria hominum illam fuisse per Christicolas habitatam, sed paganos habitatores inde fuisse depulsos in memoria hominum teneatur, recipiatis fundum in jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ vice nostra.*

*Regest. 15. Epist. 25.*

*Pag. 988.*

In Concilio apud Ansam juxta Lugdunum anno 1025. Matisconensi Episcopo graviter expostulante de Archiepiscopo Viennensi, qui se inconsulto ordinationes fecisset apud Cluniacum: minùs probarunt Concilii Patres, quod allegavit Archiepiscopus, esse penes Odilonem Cluniacensem Abbatem privilegia Apostolica, quibus possint Monachi ejus à quo ipse volet Episcopo ordinari. Reclamatum est ex adverso privilegium ejusmodi, cum manifestè repugnet Concilio Calchedonensi, obreptitium proculdubio esse, & nullius roboris. *Decreverunt chartam non esse ratam, quæ Canonicis non solum non concordaret, sed etiam contrairet sententiis.* Ut ne nos altiùs immergamus in hujus Concilii indaginem & censuram; liquet hinc apertè, quàm necessarius omnino esset Episcoporum consensus, ut privilegiis suis gauderent Regulares. Ita Leo IX. privilegia contulit, vel confirmavit Abbatiæ Corbiensi, sed quæ non à Pontificibus tantùm Romanis, sed & ab Archiepiscopis Remensibus & ab Episcopis Ambianensibus collata eis fuerant. *Sicut Monasterio concessum cognovimus, & collaudatum ab Episcopis Ambianensibus, & Archiepiscopis Remensibus, cæterisque Episcopis Galliarum.*

*Epist. 18.*

III. Idem ipse Leo IX. Abbatiam sanctæ Sophiæ apud Beneventum jurisdictioni subduxit Abbatis Montis Cassini: at quod ad Episcopum pertinet, unum id concessit, ut si is Monachos gratis & canonicè ordinare recusaret, tunc demum possent illi ad quem mallent Episcopum confugere. *Porro quia ab aliquibus Episcopis solent Cœnobia gravamina sustinere: nos verò alicui præjudicium nec volumus, nec debemus facere, hoc tandem concedimus tibi hac nostra authoritate, ut si ab Episcopo, in cujus Diœcesi consistis, nequiveris Ecclesiasticas ordinationes gratis & canonicè acquirere, licentiam habeas à quocumque tibi tuisque acquirendi eas justè.* Ita ingenuè profitetur Pontifex, nec voluisse, nec debuisse se in eo derogare Episcopatui, facta promiscuè copia, ut à quo vellent Monachi ordinarentur. Non id ergo licere vult, nisi cum Episcopus Simoniaca nundinatione committit, ut potestate qua abutitur, merito exuendus sit. Pervagatissima porro tunc erat inter Episcopos Clericosque simonia. Et hinc angu-

*Epist. 19.*

rari licet hinc exorta Cluniacensis Ordinis privilegia, quibus adversùs hanc tunc maximè grassantem simoniæ pestem munirentur. Ubi ergo oppressæ jam sunt extinctæque illæ pestes, tum verò æquum forsan fuerit, non statim revocari privilegia omnia, quæ adversùs illas præsidio fuerant: ejusmodi enim mutationes tumultuosæ plerumque sunt, & periculi plenissimæ: sed eorum usum inflecti nonnihil & ad voluntatem Episcoporum accommodari, ut à compluribus ex Regularium & Exemptorum sanctissimis viris approbatum factitatumque fuisse infrà pluribus demonstrabitur.

Anno 1063. Alexander II. Monasterium Vindocinense sanctæ Trinitatis ab Episcopali protsus jurisdictione exemit; verùm dux authorque facti erat ipse Diœcesanus Episcopus Carnotensis. *Magis huic* Epist. 40. *nostræ confirmationi adnectendum, quod Carnotensis Epis-* 41. 43. 45. *copus Clementi Papæ Epistolam transmiserit, rogans eum, quatenus hic locus consilio ejus & voluntate B. Petro oblatus, tali per eum corroboraretur authoritate, ut neque illi, neque successoribus suis excommunicare, interdicere, seu quamlibet potestatem aut dominationem in ipso loco exercere liceret. Quod benignè Clemens Papa annuit.* Vides planè quo animo esset Pontifex, & quem in sensum interpretanda sint Privilegia alia ab eo concessa, ut videre est in ejus Epistolis. Nam quod ei, seu ejus Legato Petro Damiani satisfacere coactus est Episcopus Matisconensis in Concilio Cabilonensi anno 1063. ob violata Cluniacensium Privilegia, ejusmodi res erat. Agebatur de privilegio quod ab ipsa Monasterii fundatione & fundatoris voluntate profectum esset. Ideo & inde exorsa est hæc Synodus invehi in Episcopum Matisconensem.

IV. Cùm justissimæ subessent fraudis & imposturæ suspiciones in privilegiis Abbatiæ in Episcopatu Derthusensi sitæ, noluit Gregorius VII. novas illi Chartas Privilegiorum largiri, nisi antè vacua tum Episcopalis Sedes idoneum nancisceretur L. 3. Ep. 33. Pastorem, quocum de re tota deliberaret. *Cùm Dordonensis Ecclesia, cujus Parochiæ adjacetis, canonicè fuerit ordinata, tunc ex consensu ejusdem Sedis Episcopi proficua utilitatis privilegium vestræ necessitati providebimus, canonica authoritate suffultum.* Hæ omnino canonici privilegii dotes sunt, ut utile sit & necessarium ad disciplinam Monasterii Regularem, denique ut consentiente Episcopo detur. Episcopum quidem Taurinatensem deterrere studuit idem Pontifex ab iniquissima infestatione Monasterii sancti Michaëlis, comminatus se illud ejus jurisdictioni subducturum. Sed vel hinc exculpitur prævalidum argumentum, nunquam hunc Pontificem commissurum fuisse, ut Episcopum vel minima jurisdictionis suæ parte truncaret invitum, nisi qui aliquo id genus crimine se inquinasset, quo meritò exuendus esset secundùm Canones potestate, qua abu- L. 2. Ep. 69. teretur. *Nam si deinceps Monasterio infestationes ali-* L. 6. Ep. 6. *quas inferre pertentaveris, nos ut Monasterium illud in perpetua libertate consistat, & nullius magisterio vel judicio post Deum, nisi sancta Ecclesia Romana subditum, servire valeat Deo, procurabimus.*

In votis fuerat eidem Pontifici, ut Monasterium Massiliæ iisdem vinculis astringeretur Romanæ Ec- L. 6. Ep. 15. clesiæ, quibus Cluniacense, sed mera tum ea erant L. 6. Ep. 7. vota. Perfecta tamen postea res est, quando in Ab- 14. batem electus est Romanæ Ecclesiæ Cardinalis: & ne tum quidem eò deventum est, nisi ut arcerentur à Monasterii rebus infestationes crebræ & violentissimæ: *Ab omnibus violentiis defendere decrevimus.*

Denique cùm invidiam penè faciant huic Gregorio, ut suæ Sedis amplitudinis & potestatis retinentissimo; non tamen unquam ille vel Monachis vel Abbatibus indulsit, ut ab alio quopiam quàm à Diœcesano Episcopo acciperent quidquid Episcopalium est benedictionum & donorum, nisi Diœcesanus Episcopus vel hæresi, vel schismati, vel notoriæ simoniæ implicatus esset. Vide quid scripserit pro Abbatia Episcopatûs Constantiensis: *Illud etiam ad Romanæ libertatis munus confirmandum adji-* L. 7. Ep. 24. *cimus, ut si aliquo tempore Constantiensi Ecclesiæ Præsidens ab Apostolica Sede discordaverit, eique inobediens fuerit, liceat Abbati, sibi suisque à quocumque religioso Episcopo placuerit, ordinationes, consecrationes, & quæ ad Episcopale officium pertinent, expetere atque suscipere, vel ad Apostolicam Sedem recurrere.* Et alibi agens de Abbatia Mommajorensi apud Arelatum, & Crassensi juxta Narbonem: *Vestri studii sit Abbates eli-* L. 9. Ep. 6. *gere, quos ab illo Episcopo in cujus Diœcesi fuerint, si ab hac Sede excommunicatus, vel simoniacæ hæreseos infamia notatus non erit, ordinandos decrevimus. Si verò alterum horum obstiterit, Abbas à Romano Pontifice suam ordinationem expetat, aut ad quemcumque Episcopum ille præceperit, pergere, pro sui ordinatione licentiam habeat.* Anno 1090. in Concilio Narbonensi Archiepiscopus Narbonensis juxta Sedis Apostolicæ hæc privilegia ab Abbatia Crassensi & omnibus ejus Obedientiis jurisdictionem omnem excussit: *remota omni jurisdictione Diœcesana, vel Episcopali*, sub annuo dumtaxat censu permodico.

V. Sed difficillimis tandem temporibus suis, & schismatum procellis, cùm plerique Germaniæ Episcopi cum schismatico Imperatore à Sede Romana defecissent, compulsus est Gregorius ad hæc nova descendere privilegia. Sed ne tum quidem ejusmodi dedit, nisi sub ea conditione. Urbanus II. successor ejus permisit ille quidem Cavensi Abbati & Monachis ejus in Diœcesi Salernitana, ut à quo vellent Episcopo ordinari possent. Sed multa Epist. 10. hîc ponderari par est. 1. Gregorius VII. ejus Abbatiæ veluti fundator fuerat, ante & post Pontificatum, idque illi indulserat privilegii. 2. Cùm litem movisset Salernitanus Præsul de hujus Abbatiæ immunitate, Concilium convocat Urbanus II. ubi id, quidquid erat causæ, terminaretur. At Episcopus ei se substraxit. 3. Quoad loca omnia extra Salernitanam Diœcesin sita, præcipitur eo privilegio, ut nonnisi Diœcesanus Ordines conferat Episcopus. *In aliis Diœcesibus requisito dumtaxat primitus Diœcesano.* Idem præcepit Urbanus Canonicis sancti Martini Turonensis, concedens ut pro Episcopo proprio, qui privilegiis quibusdam illis permissus videbatur, ad Papam recurrerent; sed Obedientiæ eorum omnes Episcopo Diœcesano subessent quoad Ordinationes.

Si verò idem Pontifex in Concilio Nemausensi Epist. 11. 12. anni 1097. Monasterium sancti Ægidii absolvit à censuris omnibus Episcoporum, id eo factum est, quòd existimaretur ea Abbatia Sedi Apostolicæ donata fuisse à conditore suo sancto Ægidio, & à Comite Berengario Marchione Provinciæ, qui in illa regione rerum potiebatur. *Quatenus idem Monasterium ex ipsius B. Ægidii traditione, sancta Romana Ecclesia juri proprio subditum, Romana semper libertatis gratia perfruatur.*

Paschalis II. qui Urbano II. successit, Cabilonensis Diœcesis quandam Abbatiam *sub Apostolicæ* Epist. 8. *Sedis tutela specialiter protegi assensus est*: sed ita demum ut nihil detereretur de jurisdictione Episco-

palr, *Salva Cabilonensis Ecclesia canonica reverentia.* Nec aliter se ille egit in negotio Abbatiæ alterius Episcopatûs Lugdunensis. Vizeliacensem Abbatiam à jurisdictione Episcopali, etiam quoad Ordines & Chrisma substraxit, sed propterea quòd eam Romanæ Sedi dono dedissent fundatores ipsi. *Quod* [Epist. 62. 51. 52. 53. 54. 55.] *fundatores ipsius Gerardus Comes & uxor Bertha. pia devotione & testamenti confirmatione B. Petro Apostolorum Principi obtulerunt.* Sed quoad Ecclesias alias Vizelico obnoxias in aliis Diœcesibus, jussit ut Ordines & Chrisma acciperent ab Episcopo loci, si à schismate & simonia purus esset & integer. [Epist. 68. 72.] *Si gratiam Romana Sedis habuerint, & gratis ac sine pravitate aliqua dare voluerint. Sin aliàs, à quo maluerint Catholico Episcopo accipiant.* Has cautiones novas excusabat tum schismatis contumacia, & schismate diuturnior effusiorque simonia. Eadem lege coërcuit hic Pontifex Ecclesias omnes Cluniaco obnoxias, jubens ut Ordines & Chrisma non ab alio, quàm à proprio loci Episcopo acciperent, si simoniæ affinia non esset. *Siquidem gratis & sine pravitate voluerint exhibere. Alioquin à Catholico quem malueritis Episcopo.* Ex quo patet tum non omnes Ecclesias, quæ uni subessent vertici & Ordinis principi Monasterio, eisdem libertatibus uti potuisse. Poterant enim Abbates Cluniacenses, non poterant omnes Ecclesiæ Cluniaco subditæ pro arbitrio suo Episcopos quoslibet ad ordinationes sibi celebrandas advocare. [Epist. 90. 94.] Idem rursus Pontifex Monasterium Florentiæ & alia quædam subjecit Ordinario, dummodo communione & gratia floreret Sedis Apostolicæ, nec simoniæ labe inquinaretur. Concilium Pictaviense anni 1100. cui præerant duo Cardinales Legati, vetuit Episcopalibus ornamentis uti Abbates, nisi privilegio aliquo donati essent Apostolico. [Can. 6.] Ex quo perspicitur hanc insanam cupiditatem in multos serpsisse, ut jure in eos efferbuerit sancti Bernardi zelus.

VII. Callistus II. repræsentatis & expensis Ecclesiæ Romanensis privilegiis, eam Ordinario subjectam declaravit. [Epist. 3.] *Visis prædecessorum nostrorum privilegiis, & Imperatorum præceptis, tam in sæcularibus, quàm in Regularibus Clericis, ibi ordinatis vel ordinandis, Pontifices Viennensis omnem habere decernimus potestatem.* Idem ipse Canonicis Regularibus Episcopatûs Augustani usitatissimum iis temporibus concessit privilegium, Sacramenta à quolibet Episcopo [Epist. 27.] suscipiendi, si schismate, si simonia Diœcesanus Episcopus suos à se ipse alienaret subditos. Sæpiùs jam prolata sunt multa ejusmodi exempla & verba.

Anastasius IV. anno 1154. confirmans prædecessorum suorum privilegia, Innocentii, Cælestini, Lucii, Eugenii, Equitibus sancti Joannis Hierosolymitani concessa, illos nihilominus Episcopo subesse [Epist. 12.] jubet. *Consecrationes, ordinationes, & cætera Ecclesiastica sacramenta à Diœcesano suscipiantur Episcopo, siquidem Catholicus fuerit & communionem Sedis Apostolicæ habuerit, & ea gratis absque ulla pravitate vobis voluerit exhibere. Alioquin, &c.*

[Epist. 5.] Urbanus IV. Equitibus Xenodochii Bononiensis plenissimam indulsit libertatem Ordines aliaque Sacramenta à quibuslibet suscipiendi Episcopis Catholicis; quod nimirum qui fundator fuerat suum fundatoris jus transmiserat in Alexandrum III. Pontificem.

Innocentius III. Abbati & Monachis sancti Germani apud Autissiodorum concessit, ut Chrisma Ordinesque deposcerent à quocumque alio Episcopo, cùm ea Episcopus loci nisi numerata pecunia dare recusaret. *Chrisma & Ordines à Diœcesano suscipietis Episcopo, si gratis adhibere voluerit. Alioqui, &c.* [Regest. 1. Epist. 181. 186.]

Ex hac sanè congerie exemplorum concludi non injuria potest, non fuisse concessa quæ jurisdictioni Episcopali subtraherent quemquam privilegia, nisi consentientibus Episcopis: vel comminatoria ea fuisse, ad Episcopos à schismate & simonia avocandos; aut concessa fuisse Monasteria, quæ ab ipsa sui origine nullis paruissent Episcopis, quòd eorum fundatores ea illico Sedi Apostolicæ dono dedissent, ut hoc esset quasi dominium proprium & patrimonium Sedis Apostolicæ.

Omnia Monasticorum Ordinum Capita, quibus & privilegia quæque copiosissima ingesta sunt, hujus generis fuere. Fuere & alia complura. Goffridus Vindocinensis Abbas de suo Monasterio in hæc verba disserit; *Monasterium nostrum ita B. Petri est* [Goffr. Vind. L. 1. Ep. 3. 4. 8. 15. 18.] *proprium, quod ab ipsis fundatoribus suis Allodium ei datum extitit & patrimonium, &c. Pro cujus amore & honore ei olim Episcopi & Archiepiscopi honorem & reverentiam deferebant, &c. Nulli nisi soli Papæ potestatem aliquam in eo exercere licuit. Et quidem satis justè, quia ab ipso sui principio per venerabiles & religiosos fundatores ab Apostolica Sede hanc inviolabilem dignitatem obtinuit.* Non poterant Episcopi non assentiri tam piorum & tam illustrium fundatorum obtestationibus. Unde & inter Opuscula ejusdem Goffridi Abbatis Vindocinensis legitur & privilegium Theodorici Episcopi Carnotensis. *Gaufridus Comes & Agnes Comitissa ex nostro consilio propriis sumptibus Monasterium construxerunt, nostroque & Clericorum nostrorum assensu & concessione B. Petro & Romanæ Ecclesiæ in patrimonium & allodium obtulerunt.* Goffridus ipse Martellus Comes in Charta fundationis testatum facit, nihil à se factum, nisi Regis & Episcopi consensione, ut Monasterium suum Ecclesiæ Romanæ devoveret. *Assertione domini mei* [Sirm. in l. 2. Epist. Goffr. Vindoc.] *Regis Francorum Henrici, & consilio Theodori Carnotensis Episcopi.*

Idem habet Bernardus de Abbatia San-Dionysiana, illud nimirum Ecclesiæ Romanæ proprium fuisse patrimonium. Ita enim ille ad Eugenium III. Papam, ut ejus defensionem amplectatur. *Pro Ecclesia sancti Dionysii & pro persona Abbatis, &c. Et is, & illa specialis res vestra. &c. securus sollicitudi-* [Epist. 285.] *nem vestram pro vestra ipsius proprietate sollicite, &c. Gladius Petri defendas Patrimonium Petri.* Consensionem Ecclesiæ Parisiensis Episcopi suprà protulimus.

VIII. Ut ad nostra hæc tempora propiùs accedamus; illud certissimum habuit sanctus Carolus Borromæus Mediolanensis Archiepiscopus, visitari à se posse Capitulum de Scala apud Mediolanum, quanquam immunitatis diploma accepisset à Clemente VII. anno 1531. Nempe usitato tunc more in Canonicis exemptionibus, ea conditione absolutum fuerat illud Capitulum à potestate Episcopi, si Episcopus assentiretur. *Si venerabilis fratris* [Glossan. l. 2. c. 20.] *nostri moderni Archiepiscopi Mediolani expressus ad id accederet consensus.* Cùm repræsentari non potuisset Charta consensionis Archiepiscopi, non solùm Jurisconsultorum quidquid erat quod consuli posset, sed & Pontifex Carolo rescripsit, posse ipsum ordinaria uti potestate.

IX. Pauca supersunt monumenta consensionis Episcoporum ad Privilegia Equitum sancti Joannis Hierosolymitani. Inde est quod his persæpè illacrymatur Vuillelmus Tyrius, quanquam pro virili

Pontifices culpa levet, ut qui præsagire non potuerint, fore ut libertatibus à se concessis tam fœdè abuterentur, qui eas impetrabant. Non agit Vuillelmus Tyrius nisi de jurgiis & concertationibus gravissimis, quæ exarserunt inter Equites & Patriarcham Hierosolymitanum. Sed ex occasione tantùm hujusmodi contentionum, non dissimulat hanc malorum & scandalorum lernam ortam non esse, nisi ex illa effræni libertate, à jugo Episcopali soluta, quam sibi illi Apostolicis privilegiis

L. 17. c. 3. quæsierant. *Hujus tanti mali primitivam originem Romana Ecclesia, licet fortasse nesciens, nec multò ponderans libramine, quid ab ea peteretur, diligenter considerantibus videretur intulisse. Nam locum prædictum à domini Patriarchæ jurisdictione, qui diu & meritò subjacuerat, emancipavit indebite: ut nec ad Deum timorem; nec ad homines, nisi quos timent, habeant reverentiam.* Ab illo certè Equitum Ordine profecta sunt in Ecclesiam, & etiamnum proficiscuntur officia, obsequiaque longè maximi momenti. Sed fieri tamen vix potuit, quin crebra eorum cum Ordinariis certamina circa has libertates, invictissimorum fidei & Ecclesiæ defensorum aliquando gloriam obnubilarent.

Hist. Hier. c. 71. Parcior in his est & observantior Jacobus de Vitriaco in sedem quidem Apostolicam, sed ita tamen ut Exemptis ipsis minimè omnium parcat; quòd & Episcoporum authoritati, & Ecclesiarum accuratæ disciplinæ frequenter officere censeat Monasticas exemptiones. Esse tamen suprà consentiebat Jacobus privilegia quædam, à quibus Episcopi non abhorruissent.

X. Contigit aliquando tamen, ut Episcopi ipsi occuparent privilegiis suis munire Monasteria, & ea suæ suorumque successorum jurisdictioni spirituali prorsus subducere, ut immediatè Romano Pontifici parerent. Anno 1471. Archiepiscopus Consentinus beato Francisco de Paula ejusque successoribus, non modò jurisdictionem omnem spiritualem temporalemque contulit, ad regenda Monasteria sua omnia necessariam, ad ligandos, incarcerandos, absolvendosque Monachos suos, sed libertatem omnimodam à potestate Ordinarii sui, successorumque, ut uni subessent Romano Pontifici.

Italia sacr. To. 9. p. 331. *Ab omni jurisdictione subjectione, & superioritate matrum Ecclesiarum, & nostra, nostraque Consentina Ecclesia, cæterarumque personarum, quantum cum Deo possumus, in perpetuum eximimus, & liberamus, & sub jurisdictione & superioritate Sedis Apostolica totaliter & singulariter remittimus.* Hoc privilegium à Sixto IV. confirmatum est.

---

## CAPUT. XXXVIII. *P. 4. l. 2. c. 55.*

Sanctissimos quosque Episcopos æquissimo tulisse animo ut Regulares suis fruerentur privilegiis, quandiu consultius id fuit ad animarum salutem, aut certè non adversarium: nunquam iis quidem intercessisse cupidine Principatûs & dominii. Plures etiam mirabili sapientia & sanctitate Regulares privilegiis usos non esse, nisi Episcopi assentirentur.

*I. Tot privilegia Regularibus concessa, vel ab Episcopis, vel ipsis consentientibus, satis produnt quam proni hi essent ad illos gratificandum. Clerus tamen Gallicanus & universitas Parisiensis statim exarsere in Mendicantium privilegia.*

*II. Proponitur exemplum beati Francisci, qui suos vetuit subiis uti privilegiis & libertatibus, ubi contradicerent Episcopi.*

*III. Beatus Bonaventura eodem animo, eadem fuit in sententia, privilegiis uti vetuit, ubi Parochi reluctarentur.*

*IV. Posteriora hæc privilegia eo tempore concessa sunt, quo rarò residebant Episcopi, & Parochi fere per Vicarios Ecclesias suas regebant.*

*V. Nova documenta, de beati Francisci modestia instantissima.*

*VI. Delegatione sua Apostolica uti abstinuit Franciscus Xaverius, nisi Episcopis & eorum Generalibus Vicariis consentientibus.*

*VII. Eadem temperantia ab Ivone Carnutensi approbata. Ivonis ipsius temperamenta in libertatibus privilegiisque Monasticis.*

*VIII. Considebat Anselmus professione Monastica contineri obedientiam Episcopis exhibendam.*

*IX. Conciliantur dissensiones aliquæ obviæ in professione, qua Abbates in Episcopos fungebantur.*

*X. Petri Blesensis, & Hildeberti doctrina de privilegiis.*

*XI. Quanti referret ad Exemptorum pacem, laudem & commoda, gratiam & benevolentiam Episcoporum emereri, & privilegiis uti, illis volentibus.*

I. Quæ superioribus Capitibus dicta sunt de privilegiis Ordini Regularium concessis, vel ab Episcopis, vel iis consentientibus; ex iis omnino id elucescit, nequaquam adversatos esse Episcopos privilegiis, quorum authores erant: nec molestè tulisse libertates, quas ipsi contulissent. Intererat ad successorum sanctimoniam & famam, ut ne diruerent, quæ priores Episcopi ad animarum salutem extruxissent. Ut universim in confesso debet esse Pontifices, Episcoposque excitatos non fuisse ad annuendas has exemptiones, nisi stimulo aut illecebra pietatis, religionis, charitatis & publicæ utilitatis fidelium: ita certum ratumque est, Episcopos quosque sapientiæ & sanctimoniæ studiosos, non tolerasse tantùm, sed vehementer approbasse usum harum libertatum, quandiu is usus nihil officere visus est, vel Claustrorum disciplinæ, vel fidelium omnium ædificationi. Non diutius hìc moras trahemus in re superiùs satis superque elucidata. Fuere tamen tempora quædam aspera & calamitosa, ubi dissilire & evanescere visa est illa concordia. Episcopi Galliæ & Universitas Parisiensis vehementer efferbuere anno 1283. in Mendicantium privilegia, & in hoc maximè Caput, quo videbatur illis facultas annui Confessiones excipiendi injussu Episcoporum & Parochorum. Duo erant in his privilegiis nova, quibus magis aliqui angebantur. 1. Quòd non meræ hæ jam essent Exemptiones à jurisdictione Episcopali, qui apex summus fuerat priscarum libertatum: sed facultates Dominicanis, Franciscanisque concessæ, ac deinceps aliis Regularibus, Hierarchicas functiones exercendi in omnibus Diœcesibus: quas in compedes rariùs se antiqui Regulares conjecerant. 2. Hæ facultates à solo concedebantur summo Pontifice, ita ut præterea minùs necessaria jam esset permissio Pastorum ordinariorum. Præsules Parisiis congregati cum Universitate Parisiensi contendebant privilegia hæc omnia religari debere ad Decretum Innocentii III. *Omnis utriusque sexus*, quo præcipiuntur fideles confiteri *proprio Pastori*, anno quolibet saltem semel: ideòque non posse nisi assensu Pastorum ea potestate uti. Ubi diuturnarum dissensionum tandem pertæsum est utrinque, ut reor, id tum demum à Pontifice expugnavere Episcopi, ut sponderet se, vel ea revocaturum privilegia, vel ita interpretaturum, ut jam nullus querelarum superesset locus. Sed cùm novum id ab eo declaratum esset, quanquam omnibus potestas fieret confitendi apud Regulares, obligari nihilominus fideles omnes ad confitendum

Hist. Univ. Paris t. 3. pag. 465. & seq.

semel quotannis propriis Pastoribus, recaluere contentiones, tantum abest ut extinguerentur.

II. Nemo sobrius dubitare potest, quin sapientiæ & pietatis consilio & ad animarum lucra adducti fuerint summi Pontifices, ad inusitatas has facultates Regularibus communicandas, etiam non expectato quandoque consensu Pastorum immediatorum. Etenim ne hi quidem ipsi lapsûs & erroris expertes semper omnino sunt, ideoque obstinata asperitate possunt quandoque auxiliarium harum copiarum recusare subsidium, illis ipsis temporibus, quibus earum opera cum primis necessaria est. Sed nec illud quidem in dubium vocari potest, quin sanctiùs fructuosiùsque Episcopis & Parochis collaborarent Exempti, cùm exemptiones suas explicare abstinebant, donec consensio Episcoporum accessisset.

Non hærebo diutius in eo quod narrat Hermannus Chronologus de Abbate Augiæ Divitis, seu Majoris anno 1032. qui cum à Pontifice impetrasset licentiam utendi Episcopalibus indumentis in celebratione Mysteriorum, comperissetque Varmannum Episcopum Constantiensem impatientiùs id ferre, conquestumque de eo esse ad Imperatorem: diploma ipsum Episcopo tradidit, à quo protinus igni injectum absumptumque est. Pio Abbati exploratum erat, permissum sibi fuisse indui Pontificalibus insignibus à Pontifice, non imperatum; nec ubi annuitur aliquid privilegii, vetari, quin eo se abstineat, cui uberior occurrit laudis copia ex ejus abstinentia, quàm usu. Qui hujus Abbati dignitati successere, non omnes ejus modestiam retinuere. Memorat Bertoldus anno 1095. ab Urbano II. interdictum fuisse Abbatem Augiæ Divitis usu jurisdictionis Episcopalis, quam in insulam suam usurpaverat, eamque Episcopo Constantiensi adjudicatam fuisse. *Omnem Episcopalem potestatem in Clerum & populum Augiensis insula interdixit.*

Idoneus cum primis author Nicolaus III. Papa in Decretali illa sua, *Exiit qui seminat*, Vetuisse affirmat beatum Franciscum, ne fratres, ne gregales sui ulla in Ecclesia, vel Diœcesi concionarentur, ubi Episcopus contradiceret. *Expressè continetur in Regula, quòd fratres non prædicent in Episcopatu alicujus Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum.* Hoc animo, hoc spiritu agebatur sanctissimus Legislator, quo animari, quo agi Exemptos omnes optatissimum esset, non in spargendo tantùm Dei verbo, sed in omni ejusmodi functione, ad quam Exemptione armandi sunt. Sanè quidem ab eodem Pontifice declaratum est, hoc Regulæ Caput observatum iri nisi aliter Pontifex decreverit ad animarum salutem. *Nisi per Sedem Apostolicam circa hoc pro utilitate populi Christiani sit concessum, vel ordinatum aliud, vel in posterum concedatur, seu etiam ordinetur.* Sed non facilè demonstrabitur, quod Papa jusserit, *ordinetur*: quanquam permiserit, *concedatur*: ut non semper expectetur consensus Episcoporum. Atqui nulla necessitas est exercendæ potestatis, cùm eam exerceri ita permittitur, ut non imperetur. Adde quod ne permissio quidem concedatur, nisi ad fidelium utilitatem. Atqui ad fidelium utilitatem nihil conducibilius indissolubili eorum concordia & unanimitate, qui curam animarum salutis profitentur. Dicam inferiùs eam Nicolai III. modificationem à concilio Tridentino revocatam fuisse, atque adeo Caput illud Regulæ beatissimi Francisci ad summum authoritatis & gloriæ culmen evectum fuisse.

*In Sexto. L. 5. Tit. 12. c. 3.*

III. Bonaventura Francisci Regulam cœlesti ea luce, & charitatis suavitate interpretatus, qua scripta fuerat, ait necessarium quidem esse Episcopi consensum, sed præsumi Episcopum consentire, quando non dissentit, non contradicit. *Hoc ideo dicitur, quia fratribus iste gradus licentia debet sufficere: quia præsumitur eum consentire, si non contradicat.*

*In cap. 9. Reg.*

Quod ad Parochos autem attinet; quo se cumque privilegio Papæ fulciri glorientur Regulares, sive ad prædicationem verbi divini, sive ad sacramenti Pœnitentiæ dispensationem, vetat Bonaventura, ne se Regulares ad ea se immisceant præter voluntatem Parochorum, nisi expresso Episcopi mandato urgeantur. *Quod dico de Prædicatione, intelligo etiam de Confessionibus audiendis. Possunt Fratres Apostolica ordinatione in Privilegiis Ordinis expressa, audire cujuscumque Sacerdotis Parochianos, ipso inconsulto, vel etiam contradicente, si authoritatem habeant ab Episcopo audiendi.* Si potest enim Parochus alios sibi asciscere & sociare Presbyteros ad officii sui ministerium implendum, quin possit & Episcopus? *Cùm ipsi soleant sibi alios adjungere Sacerdotes, pro illis audiendis, quos ipsi nolunt, vel nesciunt, vel non possunt audire, impium est dicere, ipsos hoc posse, & Episcopum non posse.* Denique Fratres suos omnes monet Bonaventura, ut ad Parochos remittant eos omnes quos senserint non justis moveri causis, ut alios sibi Confessarios expetant. *Nisi eos inveniant piè motos & rationabili causa ductos, remittant eos ad proprios Sacerdotes.* Et alibi: *Nam si Plebanus potest alteri vicem suam committere, multo fortius potest hoc Papa & Episcopi, qui pleniorem habent in omnes sibi commissos sine differentia potestatem.*

*Ibidem.*

*Quæstiones circa Regul. S. Francisc. q. 2.*

IV. Advertit porro sanctissimus idem Doctor, extraordinarias has facultates Regularibus a Pontifice ideo delegatas fuisse, eo tempore, quo Episcopi Parochique de pastorali sollicitudine plurimum remiserant, rariùs residentes, curis se & negotiis intricantes sæcularibus, denique Parochiarum regimen totum in Vicarios transferentes. Ita rem habuisse fidem faciunt ejus ævi Concilia. In hæc enim maximæ disciplinæ vitia sæviunt eorum Canones. Denique in peculiari Tractatu, qui ab eodem scriptus est hac de re, *Quare Fratres Minores prædicent, & Confessiones audiant*: rursus profitetur ingenuè Bonaventura, non potuisse Regulares vel Confessiones excipere, vel à casibus Episcopo reservatis absolvere, nisi ipso specialiter permittente: *Cùm ab Episcopis habeamus commissum Confessionis officium, non solùm de communibus, sed etiam de specialibus casibus ad ipsos spectantibus possumus absolvere, &c.* His denique addit species & circumstantias complures, ubi necesse sit extraordinarios Confessarios Parochianis condonari; eaque de causa Regulares delegari addit à Pontifice & ab Episcopis.

V. Franciscus denuo, cujus sanctitas humilitasque supra omnem admirationis aleam evecta est, quantumvis duros & infensos quandoque experiretur Episcopos: lenitate & sui dejectione summa demulcere eos satagebat ille quidem, at utcumque res caderet, nihil unquam nisi iis vehementer assentientibus adgressus est in eorum Diœcesibus. Hortantibus aliquando suis, ut à Pontifice diploma exprimeret, quo citra permissionem Episcopi concionari ipsis liceret: luculentissimè juxtà & sanctissimè respondit, Demerendos primùm esse Episcopos humilitate & patientia, tum populos prædicatione:

*Vadingh. Ann. 1223. n. 56.*

hoc primum & princeps eorum esse debere privilegium, ut nullum haberent privilegium, quo inflari possent & contentionibus implicari: denique unum sibi hoc à summis Pontificibus eblandiendum, unum extorquendum esse subsidium, quo animarum procurandæ saluti incumberent, salva charitate & concordia Episcoporum. *Adhuc & vos Fratres sine intellectu estis, nec scitis Dei voluntatem. Illa enim est, ut priùs per sanctam humilitatem & dignam reverentiam convertamus & lucremur Prælatos, deinde sancto verbo & opere illis subjectos. Dum enim Episcopi sanctam vestram conversationem & laudabilem vitam conspexerint, neque velle vos illorum authoritati præjudicare, ipsi vos rogabunt, ut eis cooperemini. Hoc itaque sit nobis singulare privilegium, nullum habere privilegium, per quod elevemur in superbiam, vel in quo confisi, velimus illi præjudicare, vel lites excitare.* Denique eo ultimo, eo summi momenti ante obitum monito instruxit Pater sanctissimus filios suos omnes, Episcopis ut Parochisque ex animo subessent. *Semper Prælatis & Clericis sanctæ matris Ecclesiæ fideles & subjecti existant.*

Idem anno 1219. n. 26.

Ann. 1226. n. 9.

VI. Franciscus Xaverius in B. Francisci vestigia ingressus, cùm primùm Goam attigit, ad Archiepiscopi genua provolutus, professus est, ne Legati quidem nomine, aut Legationis Apostolicæ munere functurum se, nisi quantum ipse annuisset. *Se in Episcopi Indici potestate futurum, nihilque facturum, nisi ex ipsius sententia & voluntate. Tum Pontificiis, Regiisque litteris prolatis, Apostolicæ suæ Legationis testibus, ad ejus pedes provolutus, ea omnia se illi tradere ait, ne secus uteretur, quàm Episcopo visum foret.* Archiepiscopus tantæ modestiæ adgratulatus, oravit, ut totam explicaret Legationis suæ potestatem, & exinde summa ei necessitudine, animorumque consensione devinctus fuit. Cæterùm cùm toto decennio Legatus hic Apostolicus Indias peragraverit, præter Goanum Archiepiscopum nemo prorsus rescivit illum Apostolica Legatione à Pontifice decoratum esse. *Ut eum esse Legatum Apostolicum, per decenni spatium, præter Goanum Episcopum sciret nemo, ipso rem solerti consilio tegente.* Collegas & fratres suos volebat Xaverius his exemplis, his præceptis imbui, his insistere, ut quocumque se contulissent, id in primis laborarent, ut humillimis obsequiis Vicarios Generales Episcoporum sibi conciliarent & haberent propitios. *Adversùs Episcopi Vicarium egregiam semper adhibebitis reverentiam, obedientiamque. Ejus genibus advolutus, de more osculaberis manum, inde pedes, ut tibi potestatem faciat concionandi, audiendi Confessiones, cæteraque pietatis munera obeundi. Nec unquam ab eo te quantacumque offensio abalienabit.* Scriptor ejus vitæ hæc excerpsit ex Epistola quadam sua ad unum ex sociis scripta, ubi & hanc addidit admonitiunculam minimè aspernandam: *Sic tibi persuadeas, pluris esse exiguum fructum, sine cujusquam offensione, quàm permagnum cum offensione multorum.* Satius est enimvero sine strepitu, sine cujusquam offendiculo lentiùs progredi, quàm multa & magna molientem turbas & dissensiones excitare.

Maffæus Hist. Indic. l. 12. Tursel. l. 2. c. 2. L. ult. c. 9. 12.

L. 4. Ep. 3.

VII. Hac sapientia, hac moderatione prorsus mirabili, viri sanctissimi privilegiis suis & libertatibus utendo, vel non utendo, quantasvis difficultum moles complanarunt, & ineluctabiles superarunt obices. Invicta semper est humilitas, victrix semper modestia, & cedendi obsequendique proclivitas. Non alia terrior pestis & calamitas Evangelicorum laborum, quàm contentio. Si Vindocinensis Abbas has easdem vias trivisset, non ad eum Ivo Carnotensis Episcopus objurgatorias illas dedisset litteras, ubi testatur non posse se illi paternum præstare affectum, à quo justis filiorum obsequiis fraudaretur, ut qui usitatam obedientiæ professionem edere abnuisset, frustra autem ab eo jactari ab Apostolica Sede eam sibi libertatem esse concessam; nec enim eò pertinere Ecclesiæ Romanæ potestatem, ut improbitati & contumaciæ adversùs Pastores bellaturienti patrocinium suum & authoritatem præstet. *Non ergo injustum, si tibi subtraho lac matris, qui mihi debitum honorem non exhibes Patris. Noveris enim vanas esse excusationes quas obtendis, te propter obedientiam Romanæ Ecclesiæ, Carnotensis Ecclesiæ refutasse professionem, cùm Ecclesia Romana à Deo nullam injustam acceperit potestatem, fidem violandi scilicet, debita sua cuique non reddendi, sed tantùm quæ sunt liganda ligandi, & quæ sunt solvenda solvendi.*

Epist. 95.

Ex adverso autem Majoris Monasterii Abbas casto incitatus spiritu humilitatis & concordiæ, professionem obedientiæ Archiepiscopo Turonensi antè præstitit, quàm ab eo solemniter benediceretur, quanquam animo jam suo prospiceret, quàm iniquo animo id laturi essent Monachi sui, & quàm amarulentè sua infringi privilegia conquesturi. Adversùs has suorum querimonias confirmare illum studuit Ivo Carnotensis; Potuisse enim publicè profiteri, quam fovere suo in animo semper debuerat infucatam suæ in Episcopum obedientiæ alacritatem. *Quod calumniantur non rectè vos fecisse, quod ante benedictionem promisistis obedientiam Sedi Metropolitanæ, vana, vel nulla calumnia est. Quomodo enim connexa sibi ad invicem poterunt esse membra corporis Christi, nisi dispensatores Canonicarum vel Monasticarum Congregationum eam obedientiam exhibeant Prælatis suis, quam sibi exhiberi volunt à subditis suis?* Nullo privilegio præscribi potest adversùs humilitatem, obedientiæ parentem: *Cum enim humilitas sola, quæ comes est obedientiæ, digna sit exaltari, sicut superbia dejici; non peccat Abbas, si profitetur ore quod semper debet in corde habere, & cum opportunum fuerit, exhibere in opere.* Non negabant Exempti Abbates isti obedientiam se debere Episcopis, id publicè profiteri tergiversabantur. Abbas Majoris Monasterii eam professionem ore ediderat, ut Archiepiscopo suo obsequeretur: porrecta dextera id confirmare detrectabat, quanquam & hoc quoque tum ab Archiepiscopo exigeretur. Scripsit ad eum Ivo, ut ne his se minutiis & morositatibus sineret fraudari fructibus longè copiosissimis sinceræ cum Archiepiscopo concordiæ & pacis. *Quia nullo tempore obedientiam non exhibuistis, prout debuistis; non est mirandum si à vobis exigitur quod debetur, videlicet, ut Metropolitano vestro obedientiam debitam & ore promittatis, & data dextera confirmetis, &c. Si vobis libet, satis licet, ut quod debetis & corde tenetis, ore promittatis, & manu confirmetis; quia non major mihi videtur obligatio manûs, quàm oris, &c. Sed aliquando cogunt nos invenire nova genera medicamentorum, nova incrementa morborum.* Si obedientiæ virtus animæ medullis infixa erat, ecquid causæ erat, ut ore eam promere Abbates cunctarentur? Si hic Abbas non detrectabat eam ore profiteri: eccur cessabat manu? Nil moror, id Archiepiscopus novaret, id jactantiæ daret, at cedere & quidvis concedere voluntati Præsulum, laudatissimum semper religiosorum hominum virtutis, & perillustre modestiæ & humilitatis specimen est. *Etsi enim, quod absit, hoc quod dictum est,*

Epist. 57.

Epist. 136.

*est, exigatur ex aliqua vana occasione, cùm tamen non obsit fidei & bonis moribus, acquiescendum est vobis causa reformandæ pacis ex debita humilitate.* Nec diplomata Pontificum, nec importunitas si qua unquam fuit Episcoporum, ejusmodi vires habent, ut vincula ea abrumpant, quibus tenentur Regulares humilitati, obedientiæ & modestiæ studere, studiique hujus sui documenta edere, quæ loci temporisque ratio postulabit.

Unum hîc superest quod magis mirere. Idem ipse Ivo Carnutensis, qui urgebat Abbatem, ut inflecteret infringeretque se ad omnes Archiepiscopi sui voluntates: uno eodemque tempore rescribebat Archiepiscopo, ut rem ne premeret, ut Abbatem haberet indulgentiùs, & acquiesceret professioni, quam ille ore & lingua præstò erat edere. Episcopi Andegavensis & Cenomanensis in eam causam interpositi fuerant. Ex ea multum impensarum fecerat Abbas, non parum tædii & sollicitudinis demessuerat Archiepiscopus. *Hæc dissensio quantùm fuerit illi Monasterio sumptuosa, vobis autem laboriosa, &c.* De re nihili jurgabantur, lingua sola, an etiam manu res una eademque significaretur. *Unum restat, quod Abbas, quod profitetur ore, non vult manu confirmare.* Simpliciùs, ne dicam puerilius Abbas hærebat & tricabatur in re, quæ quanquam insolita esset, illicita tamen haud esset; obstinatiùs exigebat Archiepiscopus rem etsi licitam, minimè tamen necessariam, immo minimè usitatam: & quam non extundere, sed aspernari opportunius fuisset. *Ut enim se habet simplicitas hominum, plus horret hoc Abbas facere, quia est insolitum, quàm quia sit illicitum.* Non aliud expeditius in hujusmodi commissuris ad resarciendam concordiam, & deinceps alendam, quàm Ivonia exemplo, dissidentibus suadere, ne velint ad extremum tricari, ne jura sua tanto æstu defendant; ne hinc tam enixè Episcopalis authoritas, inde libertas Monastica exaggeretur: sed utrimque potiùs remittatur aliquantulum, quantum sinet æquitas, quantum suadebit charitas, quantum jubebit humilitas, quantum pacis & concordiæ amor imperabit. Præsulum authoritatem altiùs extollit charitas, cum videtur deprimere: humilitas & spontaneum obsequium Regularium libertates firmat amplificatque, cum eas videtur contrahere & infirmare.

Epist. 137.

Temperata hæc & suspensa Ivonis Carnutensis in rebus administrandis ratio, alio quoque loco emicuit, quando ad Episcopos scripsit, non posse eos administrationem sacramenti Pœnitentiæ tutiùs deponere, quàm in manus Canonicorum Regularium: at simul tamen per litteras Canonicos ipsos Regulares admonuit, quanquam juxta Canones non possent eis ad ejus sacramenti dispensationem cæteri ulli anteponi: gratulari tamen illos & adgaudere sibi debere, si tanto oneri subducerentur, nec alienis peccatis gravarentur ipsorum conscientiæ. *Hæc tamen prohibitio, licet aliquo forsitan livore Canonici Ordinis facta esse videatur, quanto salubrior, tanto fraternitati vestræ esse debet acceptior. Vos enim eo per viam Dei expeditius inceditis, si alienorum criminum deprimentes fasciculos cum quotidianis vestrorum excessuum lapsibus non portetis.* Si hæc in Exemptorum animos altiùs descenderent consilia tam provida, privilegiis suis fruerentur, aspirante Episcoporum gratia & pace, atque ita etiam copiosiùs. Si quando autem iis uti prohiberentur, id quidem rarissimum esset, sed vel tunc libertatum intermissio, & ipsis longè plus splendoris conferret,

Epist. 93. 215.

& fidelium ædificationi mirum quantum prodesset.

VIII. Cùm Beccensem Abbatem adhuc ageret beatus Anselmus, ita censebat, voto obedientiæ, quo se astringunt, quicumque Religionem profitentur, obligari & subjici eos non Abbatibus solùm suis, sed & Episcopis, & Superioribus omnibus Ecclesiasticis. Alius illum Abbas percunctatus fuerat, an ab Episcopo Benedictionem accipere deberet, à quo vicissim exigenda foret obedientiæ professio. Rescripsit autem Anselmus, Monachos promptos semper & accinctos esse debere, ut obedientiam profiteantur ore & operibus: quam promittunt obedientiam, dum Religionem profitentur, ea non teneri tantùm Abbatibus ipsos suis, sed & Superioribus universim omnibus; atque adeo si primam hanc obedientiæ professionem intemeratam servassent Abbates, qui benedicendi sont, nihil opus esse aliam ab eis professionem exigi. *Scimus quia semper profiteri ore & opere exhibere debemus majoribus nostris regularem obedientiam, &c. Cùm professi sumus conversionem morum nostrorum, utique promisimus obedientiam, non solum Abbatibus, nec solum quandiu essemus sub Abbate, sed omnibus majoribus nostris, & quandiu viveremus. Qui ergo Monachicam semel scripsit & legit professionem, si nunquam eam abnegavit, frustra aliquis ab eo aliam exigit.* L. 2. Ep. 12.

Ea ergo ratione abstineri posse ab exigenda nova obedientiæ professione ab Abbatibus qui benedicuntur, existimabat Anselmus: quod professio ipsa Monastica, & obedientiæ, & obedientiæ Episcopis dependendæ professio sit. Ex quo arguere licet, si qui essent Abbates, à quibus dum benedicerentur, nova hæc professio non exigeretur; id ex eo profectum, esse quòd contenti essent Episcopi priore professione, quæ à Monastica non divellebatur. Si novam verò desiderabant alii Episcopi professionem, id demum contigit post priorem obedientiæ professionem sæpiùs convulsam & violatam. Jure merito verò Anselmus optabat, ut ne unquam nova hæc obligationum vincula injicerentur; sicut & optatissimum fuisset, ut nulla unquam incubuisset necessitas ea exigendi juramenta, quæ fraudulentiæ & grassanti per tot curiculos hominum nequitiæ objiciuntur.

Porro non semel Anselmo contigit, ut ita vel sentiret, vel scriberet. Ubi enim electus fuit Archiepiscopus Cantuariensis, & ejus cunctationes vicit Episcoporum authoritas, ut novæ assentiretur dignitati: cùm Beccenses Monachi submonerent, obligatum sibi illum esse, nec posse iis invitis abscedere: incunctanter respondit, in ipsa sua Monastica professione obedientiam se spopondisse, sed ante alios omnes Episcopis. *Cum professus sum Monachum, abnegavi meipsum mihi, ut deinceps non viverem secundùm propriam voluntatem, sed secundùm obedientiam. Vera autem obedientia aut est Deo, aut Ecclesiæ Dei, & post Deum maximè Prælatis.* L. 3. Ep. 7.

IX. Sub idem tempus Angliæ Rex Lexoviensi Episcopo prohibuit, ne ab Abbatibus benedicendis ullas exigeret professiones, cùm ea re prædecessores ejus abstinuissent: *Pertinaci Episcopo imperavit, ut mores quos antecessores ejus in Normania sub patre suo tenuerunt, observaret, & Abbatem sine alicujus novitatis exactione consecraret.* Ex adverso Abbati sancti Vandregisilli præcepit Innocentius Papa, ut professionem præstaret Archiepiscopo Rotomagensi, dum ab eo inauguraretur. In Chronico Beccensi refertur, paulò post B. Anselmum electum esse Abbatem Bosonem, & ab Archiepis-

Ord. Vital. l. 10. anno 1099.

Neustria p.a. p. 173.

copo Rotomagensi consecratum. Cùm autem eo ventum esset, ubi Pontificalis liber jubet interrogari Abbatem, *Vis obediens esse huic Ecclesiæ & mihi & successoribus meis?* Illum incunctanter respondisse, *Volo.* Urgebant Clerici, & instabant crebriùs, ut diceret, *Profiteor.* Ille perstitit, & ter iteravit, *Volo, & ex corde volo.* Aderat Legatus Pontificius, & abundè id sufficere existimavit; ita acquievit & Archiepiscopus. Contrà autem Urbanus II. irritam declaravit professionem, quam Ivo Carnotensis expresserat à Goffrido Vindocinensi Abbate, vetuitque ne posthac Abbates Vindocinenses, quidquam ejusmodi præstarent. *Professionem ipsam ita adnullamus, ut nullas vires penitus obtineat. Insuper ne Abbas Monasterii vestri deinceps Episcopo professionem faciat, prohibemus.* L. 11. Ep. 20

Facilè componentur lites istiusmodi omnes, si perpendamus non de ipsa obedientia tunc controversatum fuisse, sed de obedientiæ sponsionibus faciendis. Obedientia inserta erat professioni Monasticæ, id palam fecit Anselmus, nec dissentiebant Abbates, in Pontificali libro testis habebatur locupletissimus, ut modò dictum est. Sed qui id gloriæ etiam sibi fore ducebant Abbates, si Episcopis obsequentes essent, refugiebant tamen nonnunquam ab ea professione ore facienda: qui ore & lingua faciebant, ægrè ferebant exigi, ut manu quoque facerent: quòd ea novitas esset; porro suspecta semper & invidiosa sit novitas. Alii Abbates eo scrupulo non movebantur, & sinceræ obedientiæ suæ quascumque sponsiones edere non recusabant. Nec Abbates tantùm alii aliter in hac re afficiebantur; sed etiam Pontifices, Reges, Episcopi. Alios movebat, & alienabat novitas: alii facilè assentiebantur novis firmari his vinculis fluctuantem in Præsules Obedientiam Abbatum. Ita in cortice tantùm nonnihil erat pugnæ & dissensionis: in medulla omnibus de eo conveniebat, quod continebatur professione ea, quam exordio Ordinis sui Abbates Cisterciensis Congregationis Episcopis edebant. *Subjectionem & reverentiam & obedientiam à sanctis Patribus constitutam, secundùm Regulam sancti Benedicti, tibi Domine Episcope salvo ordine meo me exhibiturum promitto.* Perspicuè liquet nulla non privilegia huic professioni obedientiæ consentire posse. Extr. C. Ne Dei Ecclesiam. De Simonia.

Persuasissimum erat utique Carthusianis, hanc in Episcopos obedientiam professioni includi Monasticæ, quando Abbatem sibi elegerunt Episcopum Gratianopolitanum, & tota Congregatione sua nonnisi Priores & dici, & esse voluere, qui ei subessent. *Sub Priore agunt, vices autem Abbatis ac Provisoris Gratianopolitanus Episcopus, vir plurimum religiosus exequitur.* Hæc Guiberti Abbatis verba sunt. Guiber. Abbas de vita sua. L. 1. c. 10.

Testatur Bernardus ipse, nec se, nec cæteros Ordinis sui Abbates, id sibi sumpsisse unquam, ut à gravioribus criminibus quemquam absolverent: sed ad judicium Episcopi remitterent. Datis bearus Fulbertus litteris ad Monachos sancti Medardi Suessionibus, priscos Canones illis inculcat, & maximè Calchedonenses, ut addoceat non posse eos non Episcopo suo obtemperantes esse. Epist. 61. Epist. 72. 73.

X. Vicarias calami sui operas Archiepiscopo Cantuariensi commodavit Petrus Blesensis, ut ad Alexandrum III. Papam de libertatibus conquereretur, quibus Abbates donabantur, & quibus fœcunda seges effundebatur dissensionum inter Episcopos & Monasteria, & fontes quidam corruptelarum disciplinæ in claustris ipsis. Sed idem ipse Petrus fratri suo, qui & ipse Abbas erat, luculentum cum primis consilium instillavit, quo efficacissimam his malis faceret medicinam. Nimirum ut aut privilegia, aut Abbatiam abdicaret. Illud eò redibat, ut nisi de consilio & assensu Episcopi, privilegiis ne uteretur. *Quid est enim positio sedis in Aquilone, & usurpatio similitudinis Altissimi, quàm emancipatio, & insignium Episcopalium acquisitio in Abbate? Adjuro vos unice & deprecor, ut in signum plenæ humilitatis, Pontificalia resignetis insignia, aut si hoc sine scandalo fieri nequit, renuncietis in manu Domini Papæ Monasterii administrationem.* Magni animi erat & consilii Abbas iste, itaque consilio obsequutus Abbatiæ renunciavit; quod & ei congratulatus est Petrus Blesensis: *Magnanimitati vestræ congratulor.* Cæterùm tantò tunc tempestivius erat hoc Petri consilium, quod ea tempestate non aucupabantur Monachi Pontificias istas libertatum Chartas, nisi ut securiùs impuniúsque suis se pravitatibus immergerent. Epist. 68. Epist. 90. Epist. 158.

Quod autem attigit Blesensis de indumentis sacris Episcoporum, non debet hîc præteriri, quod Thomas Cantipratensis Episcopus Suffraganeus Cameraçensis de his habet. Horum usum olim paucissimis Abbatibus indultum fuisse, ut San-Dionysiano, & Cluniacensi Abbatibus, quod triburum fuerat singulari eorum sanctimoniæ, & regulari disciplinæ. *Certus sum autem quod istud nisi in paucissimis & specialissimis quibusdam Galliæ Monasteriis, ut in Monasterio sancti Dionysii & Cluniacensi antiquis temporibus non fiebat: quibus tamen hoc tunc propter vitæ eminentiam specialibus privilegiis est concessum.* Sed exinde longè plurimos Abbates eadem obtinuisse, aut potius extorsisse privilegia, & cognitum sibi esse Abbatem, qui sumptibus in eam rem faciendis Abbatiam suam exhausisset. Capitulum Generale Cisterciense constituit, ne ullus Ordinis Abbas uteretur unquam Mitra, vel Chirothecis Episcoporum: & hoc statutum ab Innocentio III. confirmari curavit, ut inconcussum deinceps hoc esset munimentum humilitatis: atque ut cæteri Abbates, qui Ordini posthac adgregarentur, ne iis possent amplius uti gloriæ Episcopalis insignibus, etsi antea iis fuissent usi. Accipe pauca hæc ex Epistola Innocentii Decretum confirmantis: *Communi Abbatum vestri Ordinis consilio statuistis, quod nullus Abbatum vestri ordinis Mitra vel chirothecis utatur, ne forsan ex ipsis elationis supercilium assumat, &c.* L. 2. c. 6. n. 2. 3. Regest. 1. Epist. 197. 198.

Retorquenda nunc ad ea est disputatio, quæ paulò antè perstrinximus, de vitiis eò latiùs, quò impunius serpentibus, ex occasione abjectæ Episcoporum obedientiæ. Constat id quidem ex Epistolis Petri Blesensis, sed aliquantò præclariùs ex Arnulphi Lexoviensis Episcopi litteris: qui certum quidem habet ratumque illud, subesse Abbates Episcoporum jurisdictioni, & id profiteri in consecratione sua; sed parum observantes eos esse ait sponsionis suæ: & omni ope contendere, ut eo jugo absolvantur, quo impunè peccent. Subreptum est haud dubio aliquando Pontificibus, & præter eorum mentem & intentionem ad alios longè usus & abusus eorum privilegia detorquebantur. Id quoque non parva habet momenta, ut adducantur Monachi, suas libertates & privilegia, usu quidem & exercitio ad Episcoporum voluntatem religare: tum vel maximè, cùm constat non incitari Episcopos, nisi purioris disciplinæ & regularitatis amore. Arnulph. Lexov. Epist. 13. 58. 85. 48.

Epist. 18. Hildebertus patrocinari aggressus est privilegiis
L. 1. Ep. 3. sancti Martini Turonensis. Scripsit ad Alexandrum Papam Petrus Cellensis pro tuitione Abbatiæ Fontis Euraldi, cujus Abbatissam Episcopus Pictaviensis compellebat ad præstandam sibi professionem obedientiæ, quam suæ Sedi Pontifex Romanus reservasset in eorum privilegiis. *Contra privilegium consuetum, Abbatissam cogit professionem sibi & obedientiam promittere, quam sibi Sedes Petri retinuit.* Nec Episcopo, nec Abbati huic ea erat mens, ut scelerum impunitatem foverent, obtentu Monasticorum privilegiorum. Quin necessaria quandoque fuisse in privilegiis perfugia compererant, adversùs impotentiam quorundam Præsulum, quorum sæcularis vita, sæculares cupiditates omni ope Regularibus adversabantur. In hujusmodi rerum teterrimo concursu perutilia, & quandoque necessaria fuisse privilegia indubium est. Id ne ipse quidem Petrus Blesensis dissimulat, Archiepiscopi Cantuariensis nomine scriptis ad Alexandrum III. Epistolis:
Epist. 68. *Scimus quod ob quietem Monasteriorum & Episcoporum tyrannidem, has exemptiones plerumque Romani Pontifices indulserunt.* Sanctus Anselmus Beccensis adhuc Abbas, quanquam persuasissimus de Archiepiscopi Rotomagensis indulgentia & humanitate: muniit se tamen adversùs successorum ejus inæqualitatem & sævitiam privilegiis ab Urbano II. impetratis:
L. 2. Ep. 33. *Quia plures Episcopi non tantùm gaudent Monasteria paterna pietate nutrire, & Episcopali cura erudire, quàm austera quadam dominatione, & propria voluntate gravare.* Confirmat & Gregorius ipse IX. in
C. Nimis iniqua. Et, C. Nimis prava. De excessibus Prælatorū. In Clemen. Ibid. c. unico. Decretalibus, sævitia & inhumanitate quorundam Episcoporum aliorumque Prelatorum factum esse, ut privilegia Mendicantibus concederentur. Cùm verò non plura quàm viginti septem gravamina accumulasset hic Pontifex Episcoporum adversùs Regulares: Clemens V. triginta evulgavit in Concilio Viennensi, quibus opportuna suis Decretis remedia temperavit.

XI. Sed si in aliquorum vexatione Præsulum justissimæ fuere causæ dandorum privilegiorum: quin ergo & justæ sint causæ iis abstinendi, quando ex adverso pronissimi sunt Episcopi ad Regulares donis & Beneficiis suis cumulandos: saltem cum notissimum, & pervulgatissimum est, non urgeri Episcopos, nisi verè Apostolico zelo disciplinæ. Hac Episcoporum in Regulares gratiarum largitate, & sincera charitate, hac Regularium in Episcopos infucata veneratione, & voluntaria privilegiorum abstinentia, nihil pulcrius, nihil optatius fingi potest, nihil ad Ecclesiæ ædificationem conducibilius. Quorsum enim tuebuntur & tegent se iisdem armis & præsidiis adversùs amicos, parentes & benefactores nunc suos, atque antè contra insidiatores & adversarios? Debent Episcopis Monachi Monasteriorum fundationes plerasque. Debent omnes, si ratio habeatur consensûs eorum, sine quo ea perfici non possunt. Debent illis & ipsa sua, quæ iis consentientibus omnia, aut pleraque data sunt privilegia. An tot Beneficiorum memoria faciliùs elabetur, quàm paucarum injuriarum?

Pia hæc & religiosa officiositas Regularium in Episcopos, dissensiones Episcoporum & Monachorum complurimas antevertisset, & præfocasset, aliquando exitiales, semper tædii & molestiarum plenissimas. Commissus aliquando fuit sanctus Carolus cum Regularibus. Non potuere non esse hæc jurgia illi permolesta, his turpia. Vicit Carolus causâ, & si minus vicisset tum, posteritatis judicio vicisset incorrupto. Franciscus Ximenius Cardinalis ille omni laude major, authoritatem Regiam interpellavit, Rescripta elicuit specialia, & his veluti privilegiis Pontificiis pugnavit adversùs privilegia Monachorum, ut ne irrita caderet reformatio Monasteriorum, quam adgressus erat. Gomecius. L. 2.

Detestatus est Cardinalis Papiensis, nec injuria, aliud genus immunitatis, quod sui malè compotes Monachi & Regulæ suæ fastidio nauseantes, à Cardinalibus ambiebant, ut in eorum quasi familiam & in domesticos adoptarentur, quo vel sic à Claustro & claustralium Superiorum obedientia solverentur. Monuerat jam Pius Quintus Cardinales, ne ejusmodi libertates annuerent, certissimo impetrantibus exitio futuras. Epist. 226.

Si stupendum sit autem captatam à Regularibus libertatem, qua non ab Episcopis jam, sed à Regularibus etiam Præpositis absolverentur, & velut emanciparentur: multò mirabilius erit ab illis olim impetratum esse diploma Leonis X. quod in Conventu Minervæ Romæ etiamnunc servatur, & quo concedit Papa, ut Superiores Conventuum conveniant ad Minervam sub Præposito Generali Dominicanorum, quoties necesse esse ipsi existimarint, ut collatis suffragiis deliberent, *de gravaminibus etiam à summo Pontifice illatis, vel inferendis.* Id narrat Bzovius Dominicanus ipse in Annalibus sacris. Hinc magis magisque clarescit, quàm optabile sit, ut privilegiorum suorum usum sustineant, inhibeantque Regulares, cum Episcopos Parochosque non agit, non exstimulat, nisi laudabilis Disciplinæ sanctioris arctiorisque cupido. Paulò diutiùs in hoc argumento versatus sum, quòd vel ipsos assentiri mihi Regulares existimem. Sed ut & Episcopos existiment, non alio quàm pietatis & religionis instinctu agi, hoc opus, hic labor est. Jam ita rem habere, ut persuadeantur, & factis documentisque certissimis persuadeantur, Episcoporum & Parochorum est operam dare, & omni animi, omni virium contentione in id eniti, omnique humanitatis & beneficentiæ copia complecti eos, qui ipsorum & Christi gregis semper portio egregia sanctiorque erunt. Bzovius an. 1516. n. 1. Spondan. An. 1516. n. 16.

---

## CAPUT XXXIX. *P. 4. l. 1. c. 56.*

### De Privilegiis Monachorum aut temperandis, aut prorsus revocandis toties deliberatum non esset, si inflectere se illi potuissent, ut nonnisi de consensu Episcoporum iis uterentur.

*I. Quid actum sit in Concilio Viennensi de Privilegiis.*
*II. Quid deinde in Anglia tempore Archiepiscopi Armacani.*
*III. Quid in Gallia tempore Joannis Gersonii.*
*IV. Quid in Concilio Constantiensi.*
*V. Quid in Concilio V. Lateranensi.*
*VI. Ipsimet antea Pontifices in eos, qui abuterentur privilegiis excanduerant.*
*VII. Excanduerant & Concilia.*
*VIII. Pontifices & Concilia de impostura & falsificatione Privilegiorum quandoque aliquid subodorabantur.*
*IX. Hæc mala, hæc necessaria, & permolesta tamen remedia mutuus Episcoporum & Regularium consensus antevenire potuisset.*

I. SI is fuisset utendi privilegiis modus, qui fuerat ea concedendi, hoc est summa consensio Episcoporum & Regularium, non toties consultatum esset de iis abrogandis, denique ad

tam arctos forsan limites redacta ea nunc non fuissent; ut hoc & sequenti capite patefiet. Thomas de Valsingham consse narrat anno 1311. Concilium Generale Viennense, & aliquanto antè tempore rumores per orbem sparsos fuisse, fore ut in eo privilegia omnia ad Jus commune revocarentur: quo consternati Cistercienses, sua sibi antè innovari Privilegia & confirmari impetrarint. *At ante illud Concilium per totum orbem generaliter fuit divulgatum, quod omnes & singuli Religiosi exempti ad jus transirent commune. Unde solus Ordo Cisterciensis Papam adiit ante dicti Concilii celebrationem, pro exemptione sua pristina pacificè obtinenda. Quod & obtinuit donis datis.*

*Valsing. ad an 1311.*

Templariorum Equitum calamitas, scelerumque colluvio, in causa fuit, ut exardescerent certatim Episcopi in Exemptionum excidium in Concilio Viennensi. Erat enim simillimum veri in tantæ impietatis voraginem non isse præcipites, nisi quia per Orientem disseminati, tam procul ab oculis Pontificum, & liberi ab obsequio & authoritate Episcoporum, ideo scelestissimè & flagitiosissimè degebant, quia impunè. Adde his reciprocas illas Episcoporum & Monachorum querelas & accusationes, quas in Annales suos contulit Rainaldus. Occurret ibidem & Monachi Cisterciensis Tractatus pro defensione Privilegiorum. Occurrent & responsiones ad objecta, petita ex Templariorum infamia, ex qua perperam quidem, conflabant tamen nonnulli invidiam Exemptis omnibus. Sed nihil accedere potest, nihil æquiparari Tractatui Vuillelmi Durandi Episcopi Mimatensis, de rebus in Concilio reformandis, & præ cæteris de revocatione Privilegiorum, quam apprimè necessariam judicabat Durandus, ut conticescerent tandem tot dissensiones, ut tot mala ex his pullulantia offocarentur. Tractatus hic, *De modo celebrandi Concilii Generalis*, jussu Clementis V. Papæ concinnatus & Concilio oblatus est.

*Rainal. in Appen. Tom. 15. Ann. 1312. Guill. Dur. Par. 1. c. 5.*

II. Modi & temperamenta quæ privilegiis adhibita sunt à Concilio Viennensi & Clemente V. adeo non satisfecerunt Episcopis, ut anno 1351. Cardinales, Prælati, & Parochi rursus conspirarent in Curia Romana apud Avenionem, ut Clementem VI. Pontificem impellerent ad Mendicantium Ordines penitus excidendos, vel ad eorum revocanda privilegia. Mendicantium defensorem se & patronum egit Pontifex, palamque explanavit Episcopis, quantis in Ecclesiam illi officiis, quantis laboribus ad animarum salutem, ad Episcoporum & Parochorum levamen certarent, ut quos nunc extinctos vellent, eos haud dubio mox desideraturi essent præpropere oppressos. Vicêre tunc Monachi. At quantò tutius esset non ita periclitari? non de summa salutis toties decertare? Copiosiùs hanc historiam scripsit Nangii Continuator. Nec diuturnus fuit fructus hujus victoriæ ab Exemptis reportatæ. Anno enim 1358. juxta eundem Valsinghamum, Archiepiscopus Armacanus in Hibernia conjurante secum totius Angliæ Clero, id ipsum Romæ machinatus est, ut privilegia omnia funditus exciderentur. Sed cùm nonnihil remisisset Anglicanus Clerus, intercessere Regulares, non favore tantùm & variis artibus, sed & munerum vi, si qua Valsinghamo fides, ne definiretur quidquam: quod illis abundè fuit, ut libertates omnes suas pristinas retinerent. *Clero Anglicano sibi subtrahente promissa, exuberante in Curia fratrum satis magna pecunia, adhuc lite pendente, fratres sua Privilegia, sicut per ante, sub data nova obtinuerunt.* Erat ipse Valsinghamus Monachus Ordinis sancti Benedicti & Monasterii Sant-Albanensis in Anglia: sed Mendicantium privilegia non minùs infesti tum erant antiquiores omnes Monachi, quàm Episcopi ipsi. Dictum est à nobis suprà quid interesset discriminis inter antiquarum & novellarum Congregationum Monasticarum privilegia.

III. Anno rursus 1406. Episcopi Gallicani & Universitas ipsa Parisiensis vehementissimè excanduerunt in Bullam nescio quam Privilegiorum à Mendicantibus impetratam; consiliumque inierunt, ut eam ab illis ejurari facerent. Joannes Gersonius tum Cancellarii munere fungebatur in Universitate, quocirca & in illam Bullam acerbissimè detonuit: *Ut quoniam videtur & visum est compluribus sanctæ Ecclesiæ Prælatis, præcipuè domino Parisiensi, visum est filiæ Regis Universitati hunc hierarchicum ordinem Prælationis aliquando modo in perturbationem aut impedimentum casurum; voluit & vult ut potest obviare & resistere.* Negat nisi obreptione potuisse ejusmodi Bullam ab Apostolica Sede manasse; ea quippe miruum in modum foveri disciplinæ Regularis corruptelas veteres, novas importari: meritò censuisse Ægidium Romanum Templarios Exemptionibus suis & morum perniciem sibi primùm, postea & Ordinis sui excidium accelerasse; denique auxiliares Ministros & cooperatores à Pontifice dari non debere Episcopis, nisi consentientibus, & necessarios illos sibi esse confitentibus. *Si dicat aliquis Papam eos mittere, videndum est an sit necessitas. Non enim dandus est curator aut coadjutor Prælato aut alteri, ipso invito, sine defectu ejus aut impotentia, alioquin gravatur; quod non vult aut non debet velle facere Papa fratribus suis Prælatis.*

*To. 4. p. 416.*

Monachi Sandionysiani historia ab ipso Latinè scripta, sed Laboratoris studio Gallicano sermone donata, & ita in publicam lucem edita, commemorat quid in Comitiis Universitatis decretum sit anno 1409. *Non concionaturos Parisiis Mendicantes, donec repræsentassent ipsum authenticum Bullæ à se impetratæ, eamque ejurassent. Paruisse Dominicanos & Carmelitas, & Bullas repræsentasse, &c. Monachum sancti Martini de Campis publicè prædicasse, eam Bullam obtentam fuisse se nescientibus & imprudentibus, nec eam à se probari. Carmelitas idem professos esse, &c. Et quia cæteri Mendicantes obstinatiùs Bullam retinebant, Regis nomine & authoritate, interpellatione autem Universitatis significatum illis esse, vetitos esse & Parochos & Presbyteros omnes, intentata temporalium rerum omnium jactura, ne quem eorum paterentur suis in Ecclesiis prædicare, vel Confessiones excipere.* Reliquis Mendicantibus conducibilius fuisset & ad gloriam ubetius, Dominicanos, Carmelitas & Benedictinos hîc imitari, & nuntium remittere Privilegiis, quæ retineri non poterant nisi inter frequentes ejusmodi dissensionum procellas.

*L. 29. c. 5.*

IV. In Concilio Constantiensi revocata sunt aut irritata privilegia omnia quæ concessa fuissent à tempore obitûs Gregorii XI. hoc est, ab initio schismatis; indiscriminatim obducta sunt omnia, sive à veris, sive à veros se jactantibus Pontificibus indulta forent. Excipiebantur tamen, 1. quæ in ipsa fundatione fuissent concessa. *Exceptis exemptionibus, quæ concessa sunt locis, sub modo exemptionis, aut conditione fundatis, aut contemplatione novæ fundationis.* 2. Quæ data fuissent assensu eorum, quorum intererat. *Aut super quibus præsentibus & auditis quorum intererat, authoritate competente ordi-*

*Anno 1417. Sess. 43.*

*natum fuerit, seu quibus ordinarii consenserint.*

Callistus III. Bullam meditatus fuerat scriptisque mandarat, quæ Mendicantes omnes ad jus commune revocaret. Illam publicaturus erat quamprimùm Paulus II. cum horum Ordinum Præpositi Generales appellationem ad Concilium commentati sunt. Qui Sixtus IV. postea fuit, & qui tunc Franciscanorum Generalis erat Præpositus, solus ad Paulum II. accessit, contestatusque est, ei Mendicantium consilio nec interfuisse se, nec assensum esse. Non possunt non gravia & permolesta videri hæc omnia, nec exitus ferè hic alius, quàm de quo tam multis hîc contendimus.

*Raynal. an. 1471. n. 69.*

V. In Concilio denique Lateranensi V. anno 1515. post Sessionem IX. constituerunt inter se Episcopi, ut ne ulli amplius adessent Sessioni, nisi antè Pontifex illam revocasset Bullam, quæ *Mare magnum* appellatur, & ad jus commune reduxisset Mendicantes omnes, quorum privilegia Episcopi caperti erant scatebras esse inexhaustas abusuum & dissensionum. Acciti sunt Præpositi Generales Ordinum, flagitaruntque, ut liceret sibi rem communicare Capitulis Generalibus, quæ primo quoque tempore convocanda forent. Episcopi hanc meram tergiversationem esse interpretati sunt, nempe non expectari nisi ut solvatur Concilium: ideoque perinde Sessionibus Concilii se subduxerunt. Spopondit Pontifex proxima Sessione revocatam iri Bullam *Mare magnum*, sive assensum præstarent Exempti, sive pernegarent. Habita est Sessio X. affuere Episcopi, & Pontifex publicavit Bullam, quæ confirmaret potestatem Episcoporum ad plectendos Exemptos, quocumque se demum crimine constrinxissent. Petiere Episcopi, ut per Pontificem sibi liceret in unum veluti coire corpus & in unam confœderationem pro authoritatis suæ adversùs Exemptos defensione. Penè assensus erat Pontifex, at Cardinales, quæ inde nasci possent mala reformidantes, eum à sententia deduxerunt; adeo ut cùm rursus instarent Episcopi, responderit Pontifex, Constantissimè intercedere Cardinales: non omnia se suo arbitrio, suaque sponte facere: si pergerent has urgere preces, nullam ulterius sessionem coalituram, atque adeo privilegia omnia, quorum postulabant revocationem, pristinum vigorem suum retentura. Habita est denique Sessio XI. ubi Pontifex recitari jussit Bullam, qua revocabantur ex aliqua tantùm parte privilegia Bullæ, de qua tam acres jamdio contentiones flagrabant. Ægrè ideo adducti sunt Episcopi, ut assensu suo eam ratam haberent. Publicata est tamen aliquando tandem, etsi pauci quidam Episcopi à priore sententia & dissensione sua dejici neutiquam potuerint. Pissimus Annalium conditor Spondanus Apamiensis Episcopus, querelas hîc suas cohibere non potuit, de hac postrema Sessione agens: *Hæc est, eritque, quandiu res ita persliterit, perpetua & æquissima Episcoporum expostulatio.* Sanè ut vel ipsi Pontifici aut eliciendus, aut extorquendus fuit Episcoporum assensus, ut starent privilegia, quæ hîc non revocarentur: ita pro certo habendum est, nec concessionem, nec executionem privilegiorum satis validam aut constantem fore, immo ne compendiosam quidem & fructuosam, nisi Episcopis assentientibus.

*Raynal. an. 1515. n. 1. & 3. 4.*

*Idem anno 1516. n. 1. 2. 3. 4. 28. 38.*

*Ann. 1516. n. 15. 16.*

VI. Inter querimonias quæ increbruerant adversùs Exemptos, & ex quibus inflammata usque adeo est Episcoporum hujus Concilii indignatio: ea non postremo loco habenda est. Æquum non esse privilegiis adversùs Episcopos Monachis infensiores impetratis, iisdem pugnare adversùs Episcopos longè dissimillimos. Acerbissimè aliquando objurgavit Paschalis II. Abbatem & Monachos Sandionysianos, quòd ab aliis Episcopis, quàm à Parisiensi, Ordines & Chrisma acciperent. Id verò testatur ille fieri non posse, nisi per summam Canonum injuriam; nec enim data esse privilegia, nisi ut muniantur Monachi adversùs iniquitatem & insolentiam Episcoporum schismati vel simoniæ innexorum: iisque adeo abstinendum esse erga Episcopum Parisiensem, qui tam procul sit à simonia, quàm à schismate. *Quæ profectò sacris Canonibus valde contraria sunt. Et quidem Privilegia pro pravis & malis collata sunt, & ad ædificationem, non ad Canonum destructionem alicui conferuntur. Cùm itaque Episcopus vester Galo gratia Dei bonus & Catholicus habeatur & prædicta Sacramenta gratis ac sine pravitate indulgeat: & vos præter ipsius licentiam pro eisdem Sacramentis suscipiendis alios adire Antistites prohibemus, & Archiepiscopis vel Episcopis omnibus, ne ea vobis exhibeant, interdicimus.* Ex quo id emergit, ubi Rigordus ait in historia Philippi Augusti, designatos specialiter à Pontifice fuisse Episcopos Meldensem & Sylvanectensem, ut Ordinationes & Altarium consecrationes necessarias celebrarent in Ecclesia sancti Dionysii, id quidem interpretandum esse ea præscriptis à Paschale II. Legibus: nimirum cum assensu Episcopi Parisiensis, vel citra ejus assensum, si quo schismatis aut simoniæ contagio afflatus esset. Si verò Archiepiscopus Senonensis & Episcopus Parisiensis compulsi sunt Pontificalia omnia exuere indumenta, ut tunc demum ingredi possent in Ecclesiam sancti Dionysii, & exequiis interesse, quæ tunc celebrabantur, sancti Ludovici Regis Francorum, ejus nominis IX. ne qua hæc foret jurisdictionis usurpatio, cum aliis Episcopis, eademque ac ipsi veste interessent: id verò quo jure factum sit, non satis dispicio: nisi certè iis adjungi causis & monasitaribus id quoque debeat, quibus toties & exulcerati sunt in privilegia Exemptorum Episcopi & destomachati.

*Du Chesne. To. 4. pag. 671.*

*Du Chesne. Tom 5. pag. 20. 515.*

In Concilio Lateranensi III. rescivit tum demum Alexander III. anno 1179. quàm sæpè Templarii, Hospitalarii, aliique Exempti privilegiis abuterentur in injuriam authoritatis Episcopalis. *Indulta sibi ab Apostolica Sede excedentes privilegia, contra Episcopalem authoritatem multa præsumunt, quæ & scandalum generant in populo Dei, & grave pariunt periculum animarum.* Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. anno 1215. persimiles querelas ingeminantibus Episcopis, Abbatum audaciam compescuit, temerè irrumpentium in functiones Episcopales. *Intelleximus graves & grandes quorundam Abbatum excessus, qui suis finibus non contenti, manus ad ea quæ sunt Episcopalis dignitatis extendunt.* Ad calcem Concilii Senonensis anno 1269. occurrit fragmentum Rescripti Pontificii contra excessus Exemptorum, non Templariorum modò, sed propè omnium, ex occasione privilegiorum. Concilium Avenionense anni 1281. justissima indignatione exarsit adversùs Exemptos, qui cortici magis & litteræ adhærescentes privilegiorum suorum, quàm spiritui quo data sunt, & voluntati Romanorum Pontificum, sententiis & mandatis Episcoporum obsequi obstinatiùs detrectabant. *Si Exempti prætextu suorum Privilegiorum quibus utuntur, inhærendo intellectui litterali duntaxat, vel cortici eorundem, sententias Prælatorum & censuras Ecclesiasticas ausu temerario præsumpserint contemnere, &c.*

*Can. 9.*

*Can. 60.*

*Can. 6.*

VII. Concilium Remense anni 1287. similiter efferbuit in Dominicanos & Franciscanos, qui impetratam à Martino V. Bullam ad excipiendas Confessiones, eo explicabant sensu, qui Conciliis, Pontificibus, & ipsi Martino V. adversaretur. Hoc est, ut ea uterentur præter voluntatem Episcoporum. *Dicunt se intellegere eo modo, quod dilucide obviant juri communi, Conciliis & Constitutionibus Romanorum Pontificum & intentioni etiam concedentis.* Tum verò constituerunt inter se hi Episcopi, ut vigesimam partem reddituum suorum conferrent, quo Romam proficiscerentur, & eam Bullam revocari pervincerent. Concilium Compendiense anni 1301. excommunicatione perculit Abbates, nisi intra mensem ejurarent, revocarentque id fœdus, quo & ipsi conjuraverant, ut communibus impendiis causam suam communem adversùs Episcopos
Can. 6. tuerentur. Concilia Avenionensia annorum 1326.
Can. 19. 1337. & 1368. easdem innovarunt querelas, easdem
Can. 23. minas adversùs usurpationes Exemptorum. Hinc
Can. 522. magis magisque liquet, quantæ & gloriæ & saluti cessurum fuisset Monachis, si ad voluntatem se accommodassent Episcoporum, eorum saltem, qui indigni non erant, quorum assensus expectaretur. Si ad eum modum res comparatæ fuissent, non tantum querelarum adversùs Exemptos in Conciliis compluribus effusum esset, & in quibusdam etiam Conciliis generalibus, cujusmodi fuerunt Lateranensia. Nec enim vel suspicari quisquam potest, tot Conciliorum omnes prorsus Episcopos amaro & iniquo animo fuisse in Exemptos omnes.

VIII. Nihildum diximus de adulteratione privilegiorum, nec de Episcopis qui ea sibi coram exhiberi flagitaverunt.
Ann. 1109. n. 5. 6. 7. Consulit Baronius in Annales suos, quod relatum fuerat de beato Goffrido Ambianensi Episcopo, qui astantibus Remensis Concilii Patribus retexit imposturam privilegii & exemptionis Abbatiæ sancti Valerici.
Abbat Guib. pag. 570. 571. Romam appellarunt Monachi, ubi & Episcopus causa ventilata vicit. Etsi commentitia foret hæc narratio, ut probare connititur vir doctissimus & de toto hocce litterarum genere optimè meritus Lucas Dacherius, probat autem ea contraria Alexandri III. sententia, secundùm illam Abbatiam pronuntiata, postquam delegatum fuisset causæ examen Episcopo Noviodunensi, & Archiepiscopo Remensi. Dubitari tamen non potest, quin ejusdem generis fraudem nudaverit damnaritque Gregorius VII. ut in Epistola
L. 1. Ep 33 ipse quadam sua prodidit: *Quod privilegium ratum non esse manifestissimis deprehendimus indiciis, corruptione videlicet latinitatis, & diversitate canonica authoritatis.* Sensit & hic idem Pontifex prædecessori suo surreptum fuisse aliquando, unde & rescindi jussit
L. 9. Ep. 9. privilegia præter jus ab eo expressa. *Antecessori nostro à malitia quorumdam nonnunquam subreptum est, &c. Si privilegium contra justitiam factum esse deprehenderis, eo cassato, &c.* Denique revocavit hic ipse Pontifex, quæ surrepta sibi ipsi fuisse ferebantur
L. 9. Ep 31. bene multa. *Noverit tua prudentia, quia multa tanquam à nobis deferuntur, & scripta, & dicta, nobis nescientibus. Multa enim surripi possunt, minùs ad singula intentis, utpote divisis ad plurima, & intentis ad maxima quibus vehementer arctamur, &c.*

Narrat Matthæus Paris ad annum 1238. Archiepiscopum Cantuariensem obtinuisse Romæ privilegia, privilegiis Monachorum Capituli sui Metropolitani adversa. Ex ea conflictatione privilegiorum dissidia pullularunt innumera. Cùm interponeret se Legatus Pontificius ad eos conciliandos, oblatum est pro Monachis consimile privilegium à B. Thoma Archiepiscopo & Martyre, ut ferebatur impetratum. Verùm adulterationem ejus à Monachis factam deprehendit Legatus, obductis quæ officerent, subrogatis quibus juvarentur. Eam ille fraudem variis pœnis ultus est.

Archiepiscopi Cantuariensis nomine scripsit ad Alexandrum III. Papam Petrus Blesensis, operæ pretium esse, ut & ipse muniret se adversùs hanc privilegiorum adulterinorum fraudulentiam, & authentica ipsa curiosè & scrupulosè rimaretur: quòd frequentissimæ essent eæ fraudes in Monasteriis. *Falsariorum enim præstigiosa malitia ita in Episcoporum contumeliam se armavit, ut falsitas in omnium feri Monasteriorum exemptione prævaleat, nisi in decisionibus, & examinationibus faciendis, judex veritatis exactor districtissimus intercedat.* Quod factum est (Epist. 68.) examen privilegiorum Capituli Cantuariensis anno 1181. nihilo honorificentius illi fuit. (Script. Angl. pag. 1438.) Tam evidenter privilegii cujusdam adulterationem retexit Arnulphus Lexoviensis, ut illud ad se ab Abbate ipso perferri voluerit Papa. (Epist. 85.) Detexit Innocentius III. ipsemet fraudem sigilli privilegio appensi. (Gesta Inn. III. p. 23.)

IX. Ut has tendiculas declinarent, voluere non semel Episcopi ipsa sibi privilegia repræsentari. Insidiosè tamen id agebat Episcopus Dunelmensis in Anglia, juxta Matthæum Paris anno 1221. malitia nescio qua fervens adversùs Monachos Capituli sui. Ex adverso autem voluit Alexander III. ut Capitulum Cantuariense suo Archiepiscopo privilegia exhiberet, cui integrum esset duodecim habere secum expertissimos horum examinatores. (C. Accepimus. De fide instrumentorum.) Scripsit ad Episcopum Tricassinum Petrus Cluniacensis Abbas, sua se, ubi collibitum ei foret, exhibiturum privilegia. (Petr. Clun. L. 2. Ep. 31.) Andino & Carnotensi Episcopis sæpiùs etiam significavit Goffridus Vindocinensis Abbas, præstò se esse, ut Abbatiæ suæ privilegia cum illis communicaret; (Goffr. Vindocin. L. 2. Ep. 19. 22. L. 3. Ep. 12. 42.) bona fide pollicitus se Episcopo Carnotensi præstaturum, quæcumque sibi ille in fundatione Ecclesiæ integra servasset. *Quidquid Ecclesia vestra in fundatione Monasterii nostri sibi in ipso reservavit, non contradico, sed concedo.* Nemo non facilè sibi persuadebit, omnes Episcopos, quicumque sua in Diœcesibus Monasteria construi permiserunt, id optasse, id percupiisse, ut Monachi secum & cum successoribus suis animorum consensionem perpetuam alerent.

---

## CAPUT XL. *P. 4. l. 1, c. 57.*

### Exemptos Episcopis quibus in rebus subjecerit Concilium Tridentinum.

*I. Variæ species Exemptorum & Exemptionum.*

*II. Quibus in rebus Concilium Tridentinum Episcopo subjecerit Ecclesias Exemptas, sive Regulares, sive Sæculares.*

*III. Quibus in rebus Ecclesias nullius Diœcesos.*

*IV. Quibus in rebus personas Exemptas & nullius Diœceseos.*

*V. Quibus in rebus alias personas exemptas sæculares.*

*VI. Quibus in rebus personas exemptas Regulares, sive resideant in Monasteriis, sive non resideant.*

*VII. Referuntur capita XLVII in quibus secundùm Fagnanum Concilium Tridentinum Exemptos Episcopi subjecit.*

*VIII. Decretum Alexandri VII. super eadem re.*

*IX. Decretum Innocentii X.*

*X. Tria diversa genera locorum nullius Diœcesis.*

*XI. Decreta Cleri Gallicani.*

*XII. Decretum Clementis X.*

*XIII. Cur tam frequenter laudatus sit Fagnanus in hac nostra lucubratione.*

I. NOn aliud ferè molior toto hoc Capite, quàm ut Excerpta quædam huc conferam ex Fagnani variis locis, maximè verò ex *C. Greve. De Officio Ordinarii.* Exemptorum porro nomine complector tum Ecclesias, tum personas: Regulares, Sæcularesque, illasque ipsas quæ nullius sunt Diœceseos. Sunt enim omnino Exempti reliqui in Diœcesi, juxta formulas juris & Concilii Tridentini. Sed detruncantur quandoque ab Episcopi Diœcesi, & propriam Diœcesin nanciscuntur ipsi, ubi jurisdictione gaudent quasi Episcopali in plebem & Clerum. Ita Canonistæ loquuntur. Sed ostensum jam suprà, loca plerumque fuisse deserta, quò se nulla unquam porrigere potuerat Episcopalis cura; ubi Abbatiæ primùm constructæ fuerant, & paulatim adgregaverant sibi ex opificibus & Ministrie laicis turbas, quæ in dies augescerent, in vicos & in oppida exerescerent, & in quae plenissimam exercerent jurisdictionem.

Sess. 7. c. 3. Sess. 25. c. 8. II. Ecclesias verò Exemptas, Regulares, vel Sæculares, Commendatas, vel minimè Commendatas, cura animarum aliqua gravatas, vel nulla, potest, debetque quotannis Episcopus visitare, juxta Decreta Concilii Tridentini.

Nisi Monasteria Regularium intra annum coalescant in Congregationem aliquam & reformationem: convocabit illos Metropolitanus, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, ut eos ed id hortetur.
Sess. 25. c. 8. Si hie monitionibus minùs obtemperent, Episcopis posthac Diœcesanis subjicientur, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis.

Si Monasteria hæc in Congregationem unam consociata, animarum curam gerant, & aliorum quàm suæ familiæ secularium: poterit Episcopus visitare tam Regulares, quàm Sæculares, qui animarum curam administrabunt: nec Vicarii etiam amovibiles ibi constitui poterunt, citra ejus assensum, & postquam ejus examen subierint. Excipitur à Con-
Sess. 25. c. 21. cilio Abbatia Cluniacensis aliaque Ordinum Capita, in quibus resident Abbates Generales, vel qui in Parochos & Parochianos jurisdictionem exercent Episcopalem & temporalem. Ea semper observata lege, ut nihil derogetur juri Episcoporum in iis locis, in quibus diutina possessione majoris ubique jurisdictionis gaudent Episcopi.

Sess. 7. c. 7. Parochiæ in perpetuum Monasteriis unitæ ab Episcopo visitabuntur; qui prohibebit etiam ne delegentur ibi Vicarii temporarii, nisi hoc ipsum ille conducibilius judicet; quibus & tertiam partem fructuum assignare faciet, vel ut expedire censuerit. Congregatio Cardinalium præposita Regularium causis & negotiis, non censuit ab Episcopo visitari posse domum Parochi, ubi eam inhabitat solus Parochus Regularis ab ipso approbatus.

Si Monasteria in Congregationem redacta, nulla onerentur animarum cura, non possunt ab Episco-
Sess. 25. c. 8. po visitari, quamvis commendata sint. Quia non conceditur ei, etiam ut Apostolicæ Sedis Delegato, jus visitationis nisi in Monasteria Commendata, ubi Disciplina Regularis non viget.

Si Ecclesiæ Regulares, nec animarum regimen sustineant, nec Commendatæ sint, non potest eas
Sess. 25. c. 20. Episcopus visitare. In Ecclesiis Regularibus eas comprehendit sacra Congregatio Concilii, quæ Abbatiæ alicui, vel unitæ, vel obnoxiæ, à Regularibus administrabantur.

III. Ecclesiæ quæ nullius sunt Diœcesis, & quæ à Clericis, non à Monachis teguntur, ab Episcopo visitabuntur, cujus proximior est Cathedralis; si de Sess. 24. c. 9.
eo autem minùs liquet, ab illo Episcopo, qui ab Episcopo loci in Concilio Provinciali deligetur; & is eas visitabit tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus.

Ex quo constat non posse ab Episcopo visitari Ecclesias Regularium, quæ nullius sunt Diœcesis, quamvis cura animarum premantur. Quia Conci- Sess. 25. c. 11.
lium non subjicit correctioni Episcoporum, nisi ea Monasteria curam animarum gerentia, quæ sunt in Episcopi cujusque Diœcesi. *In cujus Diœcesi sunt sita.*

Quanquam Regulares istæ Ecclesiæ nullius Diœ- Sess. 21. c. 8.
cesis Commendatæ essent, non possent ab Episcopo visitari: propterea quod Concilium non donat Sess. 24. c. 9.
Episcopos ea potestate nisi in Monasteria Commendata Exempta, nec verbum facit ullum de iis, quæ nullius Diœcesis sunt; nec eam potestatem effundit in Ecclesias nullius Diœcesis, nisi quando Sæculares sunt.

Semel tantùm Diœcesano Episcopo, vel ei cujus Ecclesia Cathedralis propior est, potestatem facit Concilium in Monasteria Regularia nullius Diœ- Sess. 23. c. 18.
ceseos, nempe ut cogantur stipis aliquid conferre, instituendo Seminario.

Ecclesiæ sæculares quæ nullius sunt Diœcesis, aut Sess. 24. c. 9.
nullius Diœceseos finibus continentur, & tunc visitari possunt ab Episcopo, cujus propior est Cathedralis: aut alicujus Diœceseos ambitu cinguntur, tumque Diœcesani Episcopi est eas visitare. Utrobique visitabit Episcopus, ut Delegatus Apo- Sess. 23.
stolicæ Sedis, & perinde Ordines, litterasque Di- c. 10.
missorias conferet.

IV. Hactenus de Ecclesiis. Nunc de personis. Et primùm de iis qui nullius sunt Diœcesis.

Si Clerici sint nullius Diœcesis, visitabit illos Sess. 24. c. 9.
Episcopus, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus. Est enim à sacra Concilii Congregatione declaratum: cùm Ecclesias visitare possit, posse & Clerum, populumque; Clericos istos Episcopali Synodo adesse debere; denique ab eodem & Ordines & Dimissorias accipere. Hæc est tota in eos Episcoporum potestas.

Si Regulares verò sint nullius Diœcesis, ab Epis- Sess. 24. c. 9.
copo visitari non possunt, cùm Concilium hanc eorum potestatem coarctet ad Ecclesias sæculares.

Etsi autem ab his Regularibus regerentur Parochiæ in Ecclesiæ nullius Diœceseos, ne tunc quidem possent ab Episcopo visitari, quia non ei conceditur eo casu illa potestas, nisi in Ecclesias Exemptas, quæ sunt in Diœcesi. Constitutio Gregorii Sess. 25. c. 15.
XV. iisdem ipsis Concilii utitur verbis, & eodem sensu donanda est, ut à Congregatione Concilii declaratum fuit.

Sicut non potest Episcopus hos Regulares visitare nullius Diœceseos, ita nec ullam in eos explicare jurisdictionem, nec illos cogere, ut Processionibus in publicis supplicationibus intersint, cùm per Concilium non liceat nisi Exemptos ad eas vocari. Ita declaratum est à Congregatione Concilii, à qua sedulò illud perpensum est, qui nullius sunt Sess. 25. c. 13.
Diœcesis, Exemptos vocari non posse, ut qui nunquam fuerint subjecti.

Ab eadem rursus Congregatione Concilii decla- Sess. 23.
ratum est, ubi Superiores horum Regularium nul- c. 10.
lius Diœceseos Dimissorias illis ad Ordines concedunt, non posse eos ordinandos dimittere, nisi ad Episcopum propinquiorem, vel ed eum cujus Diœcesi circumscripti sunt: ut ex Tridentino jam observatum est.

V. Hactenus de personis, seu sæcularibus, seu
Sess. 25. c. 11. Regularibus nullius Diœcesis. Venio ad Exemptos. Si Presbyteri sæculares sint, quibus incumbat cura animarum, ii Episcopi visitationi, correptioni & jurisdictioni subjiciuntur, in omnibus quæ ad animarum salutem & Sacramentorum administrationem pertinent, juxta Concilium, & Constitutionem Gregorii XV. circa privilegia Exemptorum.

Sess. 6. c. 3. Si nullam animarum curam gerant, possunt ab Episcopo visitari, ut Apostolicæ Sedis Delegato.
Sess. 14. c. 4. Possunt etiam causæ eorum criminales examinari, & pœnæ in eos decerni ab Episcopo in cujus Diœcesi resident, etiam extra tempus visitationis. Quod intelligitur de sæcularibus privilegio personali exemptis. Si exemptio enim communis esset loco & personæ, non posset Episcopus suam exerere jurisdictionem, nisi tribus casibus, de quibus infrà.

Sess. 6. c. 4. Canonici & Capitula Cathedralium Ecclesiarum & Metropolitanarum visitationi & correptioni Episcopi subjiciuntur, etiam ut Delegati Sedis Apostolicæ, nulla Exemptionum ratione habita. Præscripta est enim ratio & via, qua Episcopus
Sess. 25. c. 6. jurisdictionem suam in Capitula Exempta exercere debeat, sive tempore visitationis, sive alio quolibet.

Sess. 6. c. 3. VI. Sed si personæ sint Regulares Exemptæ, aut
Sess. 14. c. 4. sedes illis est in Monasterio, aut extra. Si habitant extra Monasterium, visitari & corripi possunt ab Episcopo, ut Apostolicæ Sedis Delegato; nimirum tempore visitationis juxta Decreta Concilii. Pius IV. idem jus prorogavit etiam extra visitationem, si Episcopi in Diœcesi sua residerent. Apostatæ & qui ejecti sunt ex Regularium grege & domo, ii jurisdictioni quoque Episcopi subesse declarati sunt à Congregatione Concilii. Denique Regulares exempti & extra Monasteria commorantes, coram Ordinario conveniri possunt, tanquam delegato
Sess. 7. c. 14. Sedis Apostolicæ, à personis miserabilibus, ut debita exolvere cogantur.

Sess. 14. c. 11. Si exempti autem Regulares in Claustris manent,
Sess. 25. c. 20. nulla ratione subjiciuntur, nec visitationi, nec jurisdictioni Episcopali.

Et quanquam Decretali *Volentes. In Sexto* subjiciantur Exempti Episcopo, si vel crimen admissum, vel contractus initus, vel res de qua controvertitur, sita sit extra locum exemptum: quanquam de-
Sess. 7. c. 14. nique ea Decretalis à Concilio Tridentino sit innovata: declaravit tamen sacra Concilii Congregatio, nullo horum casuum Regulares subjici Ordinario, quòd sint specialiter privilegiati.

Æstimantur autem in Monasterio residere, quando commorantur in Parochiis illi unitis. Itaque si ibi aliquid criminis committant, quod nec ad animarum curam spectet, nec ad Sacramentorum dispensationem, Episcopus cognoscere de iis non potest, ut in Congregatione Concilii decretum fuit. Perinde habet juxta eandem Congregationem, si resideant in domo aliqua erigendo Monasterio destinata, sub unius Superioris regimine & Regulæ observantia.

Eadem hæc exemptio porrigitur ad personas sæculares, quæ resident & ministrant intra ambitum Monasterii, & sub obedientia Superioris degunt,
Sess. 24. c. 11. juxta Concilium Tridentinum & Bullam Gregorii XIII. *Circumspecta*.

Sess. 25. c. 21. VII. Quæ cùm ita se habeant circa Exemptos Regulares in Monasteriis suis commorantes, multæ supersunt species, in quibus subjiciuntur Episcopo, vel ex Decretis Concilii Tridentini, vel ex Bullis posteriorum Pontificum. Namque

1. Si insiliant ipsi in administrationem alicujus Sacramenti sine Pastoris licentia, aut etiam accepta Pastoris licentia, si quid gravius peccent in ipsa administratione, Bulla Gregorii XV. de Exemptionibus, subjiciuntur jurisdictioni, visitationi & correptioni Episcopi, ut Apostolicæ Sedis Delegati.

2. Bulla eadem Gregorii XV. correptioni Episcopi illos subjicit, ut Delegati Sedis Apostolicæ, quoties criminis aliquid committunt adversùs eos qui resident in Monasteriis Puellarum, aut contra earum clausuram, aut in administratione earum rei & substantiæ temporalis.

3. Per eam quoque licet Episcopo, per se, vel per Vicarium adesse, vel præesse electioni Abbatissarum, cum Superioribus Regularibus.

4. Per eam non licet Regularibus, ut Monialium sibi subjectarum Confessiones audiant, sine Episcopi approbatione.

5. Jubet eadem ipsa Gregorii XV. Constitutio, ut Regulares qui bona administrant Monialium, quotannis ad ratiocinia vocentur ab Episcopo coram Regularibus Superioribus. Potest etiam, cum justæ suberunt causæ, postulare Episcopus, ut Superiores Regulares his sive Confessoribus, sive Administratoribus alios subjiciant; & sin minùs sibi pareatur, potest illos amovere.

6. Concilium Tridentinum Decretum innovans Trident. Sess. 4.
Concilii Lateranensis sub Leone X. adversùs eos Lateran. Sess. 10.
qui libros typis edi curant sine nomine & sine approbatione, jubet ut Regulares approbationem petant Episcopi, vel ejus qui ab eo ad id muneris fuerit delegatus.

7. Si negligant Abbates lectionem Scripturæ in- Sess. 5. c. 1.
stituere, ubi commodè fieri poterit, Episcopus, ut Delegatus Papæ eos ad id compellet, & remediis juris utetur: nec sinet huic lectioni præfici quemquam, antequam ejus vitam & doctrinam ipse examinarit. Quod tamen non debet ad eos trahi, qui ita prælegunt in Claustris Monasteriorum.

8. Ne in propriis quidem Ecclesiis possunt Regulares concionari, nisi acceptâ Episcopi benedictione: nec in alia quavis Ecclesia sine ejus licentia: nec denique in ulla prorsus Ecclesia *Episcopo* Sess. 5. c. 2.
*contradicente*. Decreverat antè Congregatio Conci- Sess. 24. c. 4.
lii, Regulares qui in his contra Episcopum peccarent, plecti non posse nisi à Superioribus Claustralibus; at Bulla Gregorii XV. eos hìc correptioni subjecit Episcopi: cui accessit postea Congregatio Concilii sub Urbano VIII. qui speciali quodam Brevi declaravit quantum interesset inter denegatam ab Episcopo benedictionem, vel permissionem, qua repulsâ non prohibetur Regularis prædicare in Ecclesia sui Ordinis; & expressam prohibitionem, tum enim omnino non potest, ne in sui quidem Ordinis Ecclesia.

9. Prædicatione interdicere debet Episcopus Regularibus qui errores spargunt in propriis etiam
Ecclesiis. A Congregatione Concilii declaratum est, Sess. 5. c. 2.
posse eum Confessionem fidei ab illis antè exigere, quàm prædicare permittat.

10. Regulares qui Conservatores eligent, vel iis utentur, non ad eum modum qui præscriptus est à
Concilio Tridentino & à Constitutione Gregorii Sess. 14. c. 5.
XV. privantur voce activa & passiva; eorumque Conventus Conservatorum opera & initione per unius anni spatium uti non possunt, eoque tempore omnes eorum causæ judicio Episcoporum finientur. Si post annum cessent eligere Conservatores,

tores, & electionis chartam deferre ad Episcopi tabularium, jurisdictioni Episcopi subjiciuntur, donec id præstiterint. Denique novos Conservatores non subrogabunt, nisi quinquennio quoque, nisi legitimæ urgeant causæ, quas vel Pontifici, vel Episcopo, ut visum eis fuerit, approbabunt.

*Seß. 21. c. 9.* 11. Juxta Concilium & Concilii Congregationem, nec publicare Indulgentias possunt, quantumvis vetustas, sine licentia Ordinarii: nec Collectas facere extra loca, ubi situm est eorum Monasterium, nisi exhibita Episcopo licentia Superiorum: nec in alia Diœcesi, sine Diœcesani permissione: nec denique alios his publicis Collectis præficere, quàm Ordinis sui Fratres.

*C. In his. De Privil.* 12. Dominicanis & Franciscanis concesserat Honorius III. ut in Altaribus portatilibus celebrare possent, etiam sine licentia Episcopi. Hoc privilegium revocatum est à Concilio, & à Congrega- *Seß. 22. c. unic. de celebr. Miß.* tione Concilii, moxque à Pio V. in Extravaganti anni 1566. qua Regulares omnes subjiciuntur Episcopis, eorumque mandatis super celebratione Missarum, atque adeo pœnis, si quid in ea re peccent.

*Seß. 22. c. 8. 9.* 13. Si Regulares Administratores sint Confraternitatum, vel Hospitalium, Episcopo rationes omnium reddent, subeuntque pœnis ab eo decernendis, si quid peccarint. Non ita autem res habet in Fabricis Ecclesiarum suarum, ut à Congregatione declaratum est.

*Ibidem.* 14. Si sint Confraternitates Laïcorum in Ecclesiis Regularium, penes Episcopum erit jus eas visitandi, & rationes expendendi.

*Seß 22 c.11 22 13.* 15. Declaratum est & illud à Congregatione, subesse Regulares Decretis Concilii circa Ordinum interstitia. Itaque nec ad superiores possunt Ordines progredi, nisi inferiorum muniis perfuncti sint; nec primo initiari Ordine sacro, nisi post annum quàm Minores susceperint; nec creari Presbyteri, nisi integro interlapso anno post Diaconatum, nisi urgeat vehementior necessitas, quam edisseret Superior Claustralis in Litteris dimissoriis, sed in unius Episcopi arbitrio & potestate erit dijudicare, an dispensationi locus sit.

16. Non possunt Regulares Confessiones excipere Laïcorum, ac ne Presbyterorum quidem sæcularium, nisi approbati fuerint ab Episcopo; cui pœnas dabunt, ut Delegato Sedis Apostolicæ juxta *Seß. 23. c. 15.* Constitutionem Gregorii XV. si id tentaverint sine ejus permissione, aut ea temporis lapsu extincta, vel revocata.

Quippe Congregatio Episcoporum & Regularium, adeoque & Tridentina, statuerunt, 1. Posse ab Episcopo approbari Regulares ad certum tempus, quo elapso elabitur & eorum potestas. 2. Posse approbari ad beneplacitum, donec revocetur indulta facultas. 3. Denique posse approbari, nullo certo limitato tempore: utique si quid de novo peccetur in ipso Confessionum negotio, posse ab Episcopo revocari approbationem, nec teneri tamen illum Superioribus Claustralibus causas exponere revocationis. Sed quanquam nihil novæ culpæ incurrat, si à Vicario Generali tantùm approbatus sit Regularis: potest illum Episcopus ad novum vocare examen; & si minùs idoneum judicet, prorsus abjicere. Quod nequaquam potest, si examinaverat ipse & in perpetuum approbaverat. Potest tamen is vel tum à successore revocari.

*Seß. 24. c. 2.* 17. Jubentur à Concilio Tridentino interesse Episcopali Synodo Exempti omnes, qui nulli sub-



sunt Capitulo Generali, & qui interesse tenerentur, si nulla Exemptione gauderent. Qui Rectores sunt Parochiarum, vel aliarum Ecclesiarum sæcularium, tenentur & ipsi adesse, quamvis unitæ sint Ecclesiæ. Congregatio Concilii non censuit teneri Abbates, quibus nec Conventus sunt ulli, nec animarum cura. Si Regulares administrent Parochiam per Vicarium sæcularem ab Episcopo approbatum, sufficit ut Synodo adsit Vicarius. Parochi qui nullius sunt Diœcesis, adesse debent Synodo Episcopi propioris, à quo & visitari possunt.

18. Debet Episcopus collaborare cum Superiore *Seß. 25. c. 3.* Claustrali, ad definiendum numerum Monialium Regularibus subjectarum, juxta Congregationem Concilii, & Constitutionem Gregorii XIII. *Deo sacris virginibus.*

19. Nova non possunt erigi Monasteria Mona- *Ibidem.* chorum vel Monialium, nisi de licentia Episcopi. Prohibuit Decreto quodam suo Clemens VIII. ne paterentur Episcopi nova construi Monasteria, nisi convocatis auditisque Superioribus antiquorum ejusdem loci Monasteriorum, ut rescirent an iis alendis locus sufficiat. Aliud Decretum promulgavit Gregorius XV. quo vetuit novos exædificari Conventus, nisi vel redituum, vel eleemosynarum ea foret copia, qua sustentarentur duodecim saltem Monachi, ut ne minoris ullos numeri esse permitteretur. Voluit denique Urbanus VIII. ut quæ posthac extruerentur Monasteria, in quibus pauciores essent quàm duodecim Monachi, ea jurisdictioni Episcopi & correptioni subessent.

Cùm Pius V. in sua de clausura Monialium Constitutione, sanctæ Sedi reservaverit potestatem transferendæ Abbatissæ ab uno Monasterio in aliud quod recens construitur: inde Fagnanus ait inolevisse morem, ut nova Monasteria ipsius Papæ auspiciis & authoritate erigantur, quanquam à Concilio Episcopis ea concessa sit potestas.

20. Possunt Regulares ab Episcopo plecti, ut *Seß. 25. c. 4.* Ordinis sui desertores, quando deprehenduntur extra Monasteria, sine Obedientiæ charta, quo se cumque tegant fuco & prætextu, quasi pergant ad Superiores; cùm ne id quidem possint sine eorum licentia scriptis mandata.

21. Qui ad studia Universitatum generalia able- *Ibidem.* gantur Regulares, ii Episcopi jurisdictioni & censuræ subsunt, nisi commorentur in Monasterio.

22. Episcopus ut Papæ delegatus nullo non jure, *Seß. 25. c. 5.* nulla non potestate fretus est, ut clausuram Monialium strictissimè servari cogat, earum etiam quæ Regularibus parent. Censuit Congregatio Concilii, ad id eum posse visitare Monasteria, separatim interrogare Moniales, & clausuræ infractores canonicis pœnis comprimere.

23. Moniales Professæ non possunt egredi Mo- *Ibidem.* nasterio, ad tempus quantulumcumque, nisi permittente Episcopo, juxta Concilium. Porro ex Bulla Pii V. non debet permittere Episcopus, nisi tribus his casibus, pestilentiæ, lepræ, incendii. Ex Concilio eodem Tridentino, ingredi in Monasterium nemo potest, nisi Episcopo vel Superiore permittente, prout Episcopo vel Regularibus subjicitur Monasterium, ut à Congregatione Concilii declaratum est. Sed sicubi consuetudine præscriptum esset, ut solus Episcopus eas licentias daret, etiam ad Monasteria Regularibus subdita, consuetudini standum esset, juxta Congregationis scita. Eodem sa res habet modo de alloquendis ad cratem Monialibus. Si præscripta est consuetudo, ut id solus

annuat Episcopus, ab ea discedendum non est. Alioqui eas licentias dabunt Superiores Regulares, in Monasteriis sui juris, quanquam Congregatio Episcoporum & Regularium decreverit tandem ipsa quoque, eas licentias vel tum ab Episcopo ipso subscribi debere.

*Sess. 25. c. 7.* 24. Si eni Monasterio nulla sit Monialis satis idonea, quæ Abbatissæ locum vacuum impleat, poterat ex Concilio Tridentino Episcopus ex alio Monasterio dignam accersere. Eam Pius V. potestatem Papæ integram servari voluit. Consensu Superioris Regularis confirmantur electiones Abbatissarum in Monasteriis Regularibus. Superioris est etiam Regularis Confessarios ut designet Extraordinarios, juxta responsa Congregationis. At nunc servanda est Constitutio Gregorii X V.

*Sess. 25. c. 9.* 25. Monasteria Monialium immediatè subjecta Sedi Apostolicæ, reddita sunt nunc potestati Episcoporum, ut Papæ Delegatorum.

*Sess. 25. c. 11* 26. Si Ecclesiæ Monasterii incumbit cura animarum, non possunt ibi Regulares Vicarium constituere, etiam amovibilem, nisi post examen & consensum Episcopi, aut ejus Vicarii Generalis. Congregatio Concilii decrevit non posse ab Episcopo ibi constitui Vicarios perpetuos: nec à Regularibus ipsis ibi debere Vicarios constitui, nisi Mona- *Sess. 7. c. 7.* chos revocabiles. Agit alibi Concilium de Parochiis unitis Monasterio, & potestatem facit Episcopo perpetuas ibi Vicarias constituendi, si necessarias existimet.

27. Nisi Monasteria quæ nec Capitula habent, nec Superiores Generales, in unam se Congregationem consocient, ut posthac possint habere: saltem ubi interpellata fuerint à Metropolitano: jam *Sess. 25. c. 8.* tum & Conventus, & Monachi Episcopis subjiciuntur.

*Sess. 25. c. 12* 28. Debent in Ecclesiis suis Regulares publicare, & servare Censuras, & interdicta, quæ vibrarit Episcopus. Censuit sacra Congregatio non posse eos, ad Mysteria celebranda admittere in suis Ecclesiis Presbyteros sæculares aliarum Diœceseon, sine Episcopi scripto, quo id permittatur, si ita servari sanxerit Episcopus.

29. Mandatis Episcopi de Festorum celebratione parere debent Regulares, ex ipso Concilio. *Ibidem.* Quod declaravit Congregatio Concilii non spectare nisi ad Prædicationes in Evangelia Festorum dierum: nec enim teneri ad Officia ipsa Canonica immutanda.

*Sess. 25. c. 13* 30. Potest Episcopus dissidia omnia Exemptorum quoad prærogativas sedendi, aut procedendi in Processionibus & Exequiis sine appellatione terminare.

*Ibidem.* 31. Exemptos omnes Regulares Sæcularesque potest Episcopus cogere, ut Processionibus intersint, nec abstinere Censuris juxta Congregationem, à quibus absolvi non poterunt, nisi ab Episcopo ipso, vel à Papa. Excipiuntur à Concilio, qui clau- *Ibidem.* stris septisque suis nunquam egrediuntur. Excepit & Gregorius XIII. Monasteria, quæ absunt ab urbibus, plus quàm dimidio milliari.

*Sess. 25. c. 14.* 32. Si Regularis in Monasterio degens, extra Monasterium tamen gravè facinus perpetrarit, quod offendiculo plebi fuerit, corripi debet à Superiore Regulari intra tempus ab Episcopo præscriptum; alioqui & exauthorabitur Superior, & Monachus Episcopo pœnas dabit. Addit Clemens VIII. in speciali Constitutione anni 1596. si Superior Monachum sceleris reum in aliam ableget Diœcesin, cogendum esse, ut eum revocet tempore quod præfiniet Episcopus: alioqui alterius Diœcesis Episcopus à Collega & Coepiscopo monitus fugacem Monachum pœnis subjiciet. Declaratum est autem à Congregatione tunc peccari extra Monasterium, cùm peccat Monachus in Ecclesia ipsa Monasterii, nisi fores essent occlusæ, & soli adessent Monachi.

33. Novitiorum renunciationes & obligationes, *Sess. 25. c. 16.* quæ fiunt bimestri spatio ante professionem, irritæ sunt, nisi fiant, cum licentia Episcopi, vel Vicarii ejus Generalis. Potest & Censuras intentare Episcopus, ut cogat Monasteria, Novitiis sua omnia restituere, si qui ante professionem resiliant.

34. Episcopi est per sese, aut per delegatum exa- *Sess. 25. c. 17* minare, an Sanctimoniales plena libertate, quæ duodecim annis majores sunt, religiosum induant habitum, ac deinde suo singulæ tempore profiteantur: & an illæ quæ habitum induerunt sacrum ante annum ætatis duodecimum, ætate deinde legitima, & libertate plenissima professionem edant. Tenetur quippe Præposita Monasterii Episcopum monere, uno antè mense quàm fiat professio: alioqui arbitrio Episcopi suspendetur.

35. Nullitas professionis non potest dijudicari, *Sess. 25. c. 19* nisi à Superiore Regulari & Episcopo conjunctim. Sive, ut declaravit Congregatio Concilii, Monachus absolvi se petat, sive Monasterium eo se cupiat exonerari.

36. Si Capitula, vel Provinciales supinius agant, *Sess. 25. c. 22* nec executioni mandent decreta Concilii Tridentini, quæ ad Reformationem pertinent: supplebunt in eorum vicem Concilia Provincialia, & Regulares ejusdem Ordinis designabunt, qui rem perficiant.

37. In Ecclesiis ubi ante quadraginta annos quar- *Sess. De reform. c. 13.* ta pars obventionum exequialium, ad Cathedralem, vel ad Parochialem Ecclesiam spectabat, eadem illis redintegrabitur, nulla habita ratione privilegiorum, quibus exinde attributæ fuerant, vel Monasteriis, vel aliis piis locis.

38. Si qua Monachus publico se crimine illaqueavit excommunicatione, censuit Congregatio Concilii, posse illum ab Episcopo denuntiari excommunicatum, ut vitari possit.

39. Censuit eadem Congregatio, idque à Gregorio XIII. confirmatum est, Religiosos sancti Joannis Hierosolymitani, qui in Episcopos graviter delinquebant, quique eorum jurisdictioni adversabantur, posse corripi plectique ab iisdem Episcopis.

40. Declaratum ab eadem est non posse Regulares Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum palam & cum pompa suis etiam in Ecclesiis exponere, nisi justa & publica causa, quam Episcopus approbasset: pro necessitatibus privatis nunquam id enim annuitur, ut sacratissimi Tabernaculi valvulas aperiant.

41. Decretum ab eadem est anno 1625. & ab Urbano VIII. confirmatum, ut posthac Monasteria, ubi alì non possent duodecim Monachi, Episcopi subsint jurisdictioni & correptioni.

42. Urbanus VIII. Constitutione sua *In suprema* anno 1627. Ordinarii jurisdictioni subjecit Monachos omnes pecuniæ adulteratores.

43. Monasteria omnia, ubi non saltem sex Monachi sunt, quorum quatuor sint Presbyteri: Episcopi jurisdictioni subjiciuntur.

VIII. Hactenus ex Fagnano, qui idem ipse.

*In l. 1. Decret. part 1 pag. 104.* rursus alibi promit Censuram Alexandri VII. Papæ anno 1659. contra aliquas propositiones Mendicantium Andegavensium, qui Tridentino Concilio non posse jactabant sua coarctari privilegia in Galliis, quæ ejus needum admisissent nisi Decreta fidei: approbationes Confessariorum ab Episcopis nec limitari posse, nec revocari; posse Exemptus sine licentia Episcoporum absolvere à peccatis, quæ illi sibi reservassent; posse Mendicantes ab Magistratu Civili mandata deposcere ad concionandum, cùm Episcopi dare detrectabant. Pontifex propositiones has omnes accuratissimo præmisso examine proscripsit.

*In l. 5. Decret. part. 1. pag. 394.* Profertur alibi ab eodem Fagnano Decretum Innocentii X. & Responsio Congregationis Cardinalium super dissensionibus in India exortis inter Episcopum Angelopolitanum & Jesuitas; ubi confirmantur quæ suprà attigimus circa Confessiones & Prædicationes: & potestas qua Gregorius XV. armavit Episcopos, ut Censurarum fulmina excutiant in Regulares, qui ab his Decretis deviabunt. Ex quo illud existit, non potuisse Conservatores quos Jesuitæ elegerant tela excommunicationis in Episcopum & Vicarium ejus Generalem intorquere.

Cæterùm exdem hæc ipsa Cardinalium Congregatio eodem tempore respondens ad multas quæstiones ab eodem Episcopo Angelopolitano propositas, declaravit, nec Jesuitas, nec Regulares ullos præsidio Conservatorum suorum subducere se posse ei subjectioni, qua eos Tridentinum Concilium subjicit Episcopis: si qua autem venditarent Privilegia, quæ his Decretis Tridentinis eximerent, jure exigere Episcopos, ut ea sibi repræsententur: si qua caligo verbis privilegiorum subesset, recurrendum esse ad Sedem Apostolicam; grangias, cellas, aliaque loca, ubi unus & alter tantùm esset Monachus, non gaudere Monasterii privilegiis: nec ibi posse servis rusticisque ad Pascha Eucharistiam administrari: postremò Decretum quidem illud Congregationis Episcoporum & Regularium anno 1615. editum, quo cavetur ne Episcopi suspendant Confessarios simul omnes unius Monasterii, nisi consulta Congregatione ipsa: Decretum, inquam, illud, non porrigi quidem ad Episcopos Indiarum: nec tamen uti eos debere ea potestate, nisi gravissimis de causis, super quibus sacra Congregatio eorum conscientias oneraret.

*L. 5. Decret. Par. 2. p. 24.* X. Rursum alibi refert idem Fagnanus Responsa Congregationis Concilii ad dubia quædam circa Bullam Gregorii XV. anno 1622. quibus constat non posse visitari ab Episcopo nec sanctissimum Sacramentum, nec Tribunalia Confessariorum, nec Altaria Ecclesiarum Regularium, quibus nulla imminet cura salutis sæcularium personarum: concessa Episcopis in Regulares jura non porrigi ad eos qui nullius sunt Diœcesis, aut in eos qui jurisdictionem obtinent Episcopalem; approbatos ab Episcopo ad excipiendas sæcularium Confessiones, non statim approbatos censeri posse ad Confessiones Monialium: nec approbatos ad unum Monasterium, ad alia approbari.

Advertit denique idem Scriptor Capellas ipsas Regias & earum Capellanos, nullis se tueri posse privilegiis, ut non visitentur ab Episcopo, juxta *Sess. 6. c. 4.* Decretum Concilii à sacra Congregatione declara*Sess. 25 c. 2.* tium. Verùm extra visitationem illibata constare ea*Sess. 24 c. 11.* rum privilegia, juxta idem Concilium, in quo innovatur Decretalis Innocentii III. *Cum Capella.*

XI. Unum hoc obiter addam de locis nullius Diœcesis, ejusmodi memorandum exemplum oculis subjicit Ordericus Vitalis annno 1050. Cùm enim dominus cujusdam in Normannia latifundii didicisset ab incolis loci, se nullius esse Diœcesis: *Dixerunt se nullius Episcopatûs esse:* subjecit se ipse, cum aliis quibusdam Nobilibus, quorum prædia ejusdem conditionis erant, *quæ terra simili libertate abutebantur*, Episcopo Lexoviensi, quem inter vicinos Episcopos pietate insigniorem compererat. *Du Chesne Hist. Norman. p. 464* Indulgeat suo quisque ingenio, ut existimet, an ex fuerit olim Episcoporum incuria, an incogitantia.

*Fagnan. in l. 3. Decret. Par. 1. pag. 379.* Censent Canonistæ triplicis esse generis loca nullius Diœcesis, origine, privilegio, præscriptione: & quæ sunt ab origine, ea olim prætermissa fuisse in ea partitione quæ facta fuit Episcopatuum. Verùm hæc partitio prorsus commentitia est, nec fieri potuit nisi per lentissima Evangelicæ prædicationis incrementa, adeo ut exordia Ecclesiarum singularum lateant ferè, & doctissimos fallant. Incogitantiæ ergo potiùs tribuerim, vel forsan etiam negligentiæ, hanc tam diutinam harum Ecclesiarum ab aliis sejunctionem.

Privilegio autem potest Ecclesia quæpiam bifariam nullius esse Diœcesis. Putà cùm Episcopalis aliqua Sedes extinguitur, ut Ecclesia Montis Cassini, cui suus fuit olim Episcopus, & quæ extincto Episcopatu facta est nullius Diœcesis. Repudiata est enim à sacra Congregatione improba eorum spes, qui volebant Episcopalem adhuc Ecclesiam esse, aut propriam illi adhuc superesse Diœcesin.

Vel cùm Papa bipartitur Episcopatum aliquem, aut aliquam ab eo partem abscindit, in qua Prælatum inferiorem instituit, cum jurisdictione quasi Episcopali. Si hæc portio scissa, sit in extrema Diœceseos ora, tunc Ecclesia illa nullius Diœcesis & in nulla Diœcesi erit. Cujusmodi est Abbatia Castri Durandi, ab Episcopatu Urbinate scissa. Si verò ea portio truncata à reliqua Diœcesi in meditullio *Ibidem.* ejus sit, tum ejus Ecclesia in Diœcesi, non tamen de Diœcesi erit, immo nullius Diœcesis erit. Ejus generis est Abbatia sancti Joannis in Episcopatu Theatino.

Denique præscriptione fit Ecclesia aliqua nullius *Ibidem.* Diœcesis, cum Prælatus inferior præscribit jurisdictionem omnem Episcopalem in Clerum & in populum portionis alicujus Diœceseos Episcopalis, possessione annorum quadraginta, quæ sit cum titulo, vel immemoriali. Sunt Canonistæ, qui negent id fieri posse; portenti enim simile esset corpus biceps. At contrà alii dicunt, negari non posse quin jurisdictio Episcopalis possit præscribi. Tunc ergo non corpus biceps, sed ex uno duo fieri corpora, suo quæque capite instructa. Missam facio quæstionem, quam idem Fagnanus ventilat, An *Fagn in l. 5. Decr. Par 2. pag 14. & c.* Abbates qui nullius sunt Diœceseos, & quasi Episcopali jurisdictione gaudent in Clerum & populum, possint cognoscere de causis matrimonialibus & criminalibus.

XII. Quæ prolata hîc sunt à nobis Decreta, *Memoires du Clergé. ultima edit. Tom. 1 pag. 964 & seq.* magna ex parte confirmata & innovata invenies in Comitiis Generalibus Cleri Gallicani, annis 1625. 1635. 1645. Superiores Regularium Parisiensium his Cleri statutis subscripsere. Consuli possunt, & Edicti Blesensis articuli 25. 26. 27. & 30. Articuli item 6. & 7. Edicti anni 1596. Item & 4. Edicti anni 1629.

XIII. Denique Clemens X. anni 1670. Bullam *Superna* promulgavit, qua potestati subjecit Episcopi & pœnis ab eo decretis Regulares, qui eo expressè prohibente prædicarint: sit in una approbati

Diœcesi, in aliam migrent, ubi non sint approbati, non posse ibi excipere Confessiones eorum, qui primæ sunt Diœcesis incolæ; approbatos ad Confessiones sæcularium, rursus approbandos esse ad Monialium; Regulares qui Confessiones excipiunt aliorum sui Monasterii Regularium, posse excipere & sæcularium domesticorum, & commensalium, non aliorum qui ministrant quidem & ipsi Regularibus, non autem eandem domum incolunt; quibus facultas est absolvendi à casibus Papæ reservatis, non statim posse à reservatis Episcopo, nisi ipse concesserit: denique Confessarium in una approbatum Diœcesi posse ibi absolvere Pœnitentes alterius Diœcesis à casibus Episcopo alterius hujus Diœcesis reservatis, non reservatis autem in ea Diœcesi, ubi ipse Confessiones excipit: nisi intellexerit fraudulentè & ad declinandam Episcopi sui authoritatem, hosce Pœnitentes ab altera in alteram Diœcesin ventitare.

XIV. Cæterùm si tam frequenter non in hoc tantùm capite, sed & tota in hac lucubratione nostra, Fagnani nomen, & laus, & excerpta commendantur, id eo factum est, quòd compertum sit, per annos amplius quinquaginta, & eo ipso tempore quo hæc ipsa scriberentur, affuisse illum & plerumque præfuisse negotiis & causis omnibus, consultationibus, deliberationibusque Ecclesiæ Romanæ. Tantæ & tam diuturnæ rerum experientiæ accesserunt studia & meditationes. Non tam illum ego ut Canonistam suspexi, quàm ut historicum, testemque locupletissimum rerum in Romanis Tribunalibus definitarum. Quæ ex eo à me excerpta sunt, ea ad accuratissimas pietatis & sanctioris disciplinæ regulas accommodatissima sunt. Si quando ab iis ille discedit, quæ à Scriptorum Gallicanorum doctrina, & à Jurisprudentia nostra forensi abhorrent, ea ego ne attigi quidem, ut quæ aliena prorsus essent à meo instituto.

---

## CAPUT XLI. *P. 4. l. 1. c. 58.*

### De Exemptionibus Capitulorum Cathedralium. Exemptiones quorundam Episcoporum. De Episcopis Monasteriorum.

*I. Exempla exemptionis quorundam Capitulorum.*
*II. Immunitas Capituli Lincolniensis à Rege concessa, à Legatis Pontificiis, ab Archiepiscopo, ab Episcopo proprio.*
*III. Antiquissima origo harum immunitatum inde est, quòd ad communis vitæ societatem perducti & constringi non potuerint Canonici, nisi interior jurisdictio adjiceretur Capiti, vel Decano.*
*IV. Incredibilis multiplicatio harum Exemptionum.*
*V. Limites ei præscribuntur in Concilio Constantiensi.*
*VI. Earum aliqua authoritatem nacta ex ipso Juris Civilis contextu.*
*VII. Capitula exempta Episcoporum visitationi & correptioni subjecit Concilium Tridentinum.*
*VIII. Cur Hispaniæ omnia, Italiæ nulla Capitula à jurisdictione Episcopi immunia sint.*
*IX. De potestate dandi Litteras dimissorias.*
*X. De Privilegiis quæ ipsi contulerunt Episcopi.*
*XI. Cur Capitula Galliarum intercesserint promulgationi Concilii Tridentini.*
*XII. De Capitulis Cathedralibus, quæ non Episcopi, sed Archiepiscopi immediatæ jurisdictioni subjiciuntur.*
*XIII. Mira & varia potestas Archiepiscopi Cantuariensis in Diœcesibus Suffraganeorum suorum.*
*XIV. De Archiepiscopo Strigoniensi.*
*XV. De Capitulis Provinciæ Remensis.*
*XVI. De Episcopo Veronensi.*
*XVII. De Episcopis à Metropolitani obedientia absolutis.*
*XVIII. De Metropolitanis nulli Primati obnoxiis.*
*XIX. De Abbatiis, quibus proprius fuit Episcopus.*
*XX. De Abbate Cardinali Vindocinensi.*

I. ETsi rarò, aliquando tamen tam asperos & impotentes experta sunt Capitula Episcopos, ut & ipsi privilegiis se munire studuerint. Inter Epistolas Alexandri III. Papæ amarulentissimæ *Post Epist. 103.* leguntur querelæ Capituli Aurelianensis de Episcopi sui infestationibus. Hic idem Pontifex à Capitulo Cabilonensi interpellatus, quòd Episcopus rejiceret eos omnes qui ei offerebantur instituendi ad regendas Parochias Capitulo obnoxias: concessit ut ter repulsam passi à Cabilonensi, præsentarent *Append. Epist. 7.* illos Augustodunensi, ut ab eo instituerentur in Parochiis vacantibus; denique prohibuit ne interdici ab Episcopo Cabilonensi, suspendi, vel excommunicari possent Clerici Ecclesiæ suæ Cathedralis, nisi monito priùs Capitulo, si vel maximè præsto esset Capitulum, ut in reos animadverteret. Meminit Matthæus Paris Episcopi Lincolniensis, qui visitationem Capituli aggressus est præter consuetudinem quæ id juris Decano vendicabat. Ita ille anno 1239. *Ut postposito Decano Lincolniensi, ab ipso Episcopo contra consuetudinem Ecclesiæ infra tempus, cujus non extat memoria, visitarentur.* Ea ergo immunitas consuetudini potiùs quàm privilegio superstructa fuerat.

II. Viderit tamen Matthæus Paris, an id satis concinat cum alia ejus narratione anni 1241. nimirum Vuillelmum Ruffum Angliæ Regem innovata & quasi à fundamentis restaurata Lincolniensi Ecclesia, ipsaque Episcopi Sede, post diuturnum interregnum, duos accersivisse Cardinales Legatos, octo Archiepiscopos, Episcopos sexdecim, qui consensione unanimi statuerunt, ut Canonici sæculares Cathedralis hujus Ecclesiæ subjicerentur visitationi & correctioni Decani: si quis eorum verò contumacior esset, uno & altero anno à Beneficio suspenderetur; si ne ea quidem pœna frangeretur ejus contumacia, tum verò res ad Episcopum devolveretur. Si verò ne Episcopo quidem cederet cervicosus & pertinax Canonicus, tum potestatem suam interponeret Rex, & Beneficio spoliatum gravioribus pœnis coërceret. Habes hîc Capituli & primariam institutionem & primævam libertatem ab ipsa sui origine, confirmatam a Papa, à Rege, ab Archiepiscopo, ab Episcopo proprio, & ab aliis Episcopis compluribus. Ita jure devoluto duntaxat Episcopus in Capitulum suam explicabat jurisdictionem, cum Decanus cessabat, vel Canonici à Decano canonicè correpti non resipiscebant.

III. Non abludit à vero complures Capitulorum Exemptiones hujus persimiles fuisse. Cùm enim Capitulum Congregatio quædam esset, communis vitæ vinculo sibi colligata, rerum ipsa natura & necessitas cogebat, ut authoritate quadam speciali muniretur Superior, veluti Caput in membra, maximè inter initia, ubi sincera servebat pietas, & ubi jurisdictio plurimis leniebatur blandimentis, & occultè tantùm exercebatur. Recentissimæ Congregationes Ecclesiasticæ exemplo esse & argumento possunt. Etsi enim nihil omninò Exemptionum affectent, & Episcopo omnino subesse se glorientur: non possunt tamen Episcopi, quin regimen, monitiones, correptionesque permittant prorsus Superioribus ejusdem cœtûs, ipsi ad insolitos tantùm & graviores casus authoritatem suam interposituri. Interim verò arbitrariæ hæ concessiones senescunt & vetustate roborantur, præscribunturque. Denique Episcopus Lincolniensis anno 1243. Romæ

obtinuit juxta eundem Matthæum Paris, quod contendebat, eique Innocentius IV. Pontifex jus visitandi Capituli restituit, non concessa tamen illi correptione Canonicorum, nisi si quando Decanus officio fungi cessaret. Probabile cum primis est, in fundatione ipsa ita indultum esse Decano visitandi jus Capituli, ut eo non fraudaretur Episcopus, ubi & ipsi Capitulum visitare collibuisset.

Iniquo tulit animo Exemptiones B. Bernardus, earumque amatores quosdam insanos vehementer insectatus est. Nec tamen unquam Capitulorum ille lacessivit Exemptiones. Cujus rei facilis & obvia ratio est, quòd eæ rariores tunc essent, vel quòd à Capitulo ad Episcopum semper provocatio esset, vel rursus quòd eæ libertates Capitulis collatæ essent ab Episcopis ipsis, qui earum Congregationum & Capitulorum fundamenta jecerant, instruxerantque privilegiis adversùs sive levitatem, sive importunitatem successorum, ut suprà ostensum est; vel quòd in partitione rerum facta olim inter Episcopos & Canonicos ita utrisque convenerat, ut infrà exemplis declarabitur.

Juvabit & alia ejusdem rei exempla hîc protulisse, quo constet, Præpositorum & Decanorum antiquissimam in Canonicos jurisdictionem, illam ipsam fuisse ab origine, quæ à disciplina claustrali quasi sua sponte promanabat, cùm non possent Episcopi non aliqua impartiri authoritate eos, quos Congregationi à se institutæ præficerent. Memorat Thomas Cantipratensis, qua pœna Decanus Capituli cujusdam in Germania & Capitulum ipsum affecerint Canonicum flagitiosa libidine maculatum; nempe carcere & virgis in Monasterio, ut

L. 1. c. 7. n. 5. culpam lueret. *A senibus Concanonicis & Decano ab ingressu Ecclesiæ arctatus est, & infra septa Monasterii quasi pro agenda pœnitentia in loco ad hoc deputato reclusus: qui humiliter pœnam suscipiens, flagellabatur interim à Decano, & gravibus conviciis culpabatur.*

L. 2. c. 39. n. 2. 3. Promitur ab eodem alibi stupendum documentum austeritatis Decani Remensis in Canonicum & Archidiaconum ejusdem Ecclesiæ, qui Regia cognatione fulgebat, & in Catalaunensem Episcopum jam electus erat. Criminis dabatur, quòd interfuisset exequiis Episcopi Leodiensis sine veste Canonicorum propria. Inexorabilis censor Decanus nudari illum in Capitulo jussit, virgisque sua ipse manu cecidit. Archidiaconus adeo non ea inclementia exasperatus est, ut Decano plurimas ageret gratias, Capituloque congratulatus sit, quòd tam diligens & accurata vigeret ibi legum Canonicarum custodia. Nepos hujus Decani apud Atrebatum Canonicus cùm esset, annua suspensione Beneficii mulctatus est ob carnis lapsum. Decano Atrebatum profecto cùm aliò maturaret, Capitulum ejus urbis arbitrio ejus causam pœnamque nepotis commisit. Ille adeo non remisit quidquam, ut decreverit altero rursus anno protrahi eam Beneficii suspensionem. Ab hac claustrali disciplina non appellabant ad Episcopos, sicut ne nunc quidem in Claustris. Idque quodammodo in Concilio Tridentino innovatum est.

IV. Exemptiones Capitulorum veræ, an suppositititæ excreverant jam in immensum ferè anno 1277. quando Episcopi Provinciæ Remensis in unum quodammodo confœderati suot corpus & in unam causæ societatem, ut munimenti sibi aliquid

Conc. to. 11. Part. 1 pag. 1031. adversùs Capitula sua compararent. Sed multò magis illæ excreverant temporibus Concilii Viennensis, cùm deliberatum in eo sit de iis revocandis prorsus, sicut & de Regularium privilegiis. Pervolutabis, si vacat, Tractatum Jacobi de Thermis, Abbatis Caroliloci, Ordinis Cisterciensis, ubi profert quæ adversùs privilegia Canonicorum & Capitulorum objiciebantur, eaque refellere nititur, quanquam ea velit multò minùs plausibilia esse, quàm Monachorum, quibus non est cum Episcopo conjunctio tam arcta, nec tam intima necessitudo. DeChaalis.

Anno rursus 1395. omnia Capitula Provinciæ Remensis novo se fœdere constrinxerunt, & Conventum generalem & annuum suis Deputatis indixerunt apud Augustam Veromanduorum. Bibl. Cister. Tom. 4. pag. 300. Spicil. to. 12. pag. 76.

V. Sed eo maximè schismatis tempore, quo fœdissimè dilaniata est Ecclesia post obitum Gregorii XI. eo, inquam, maximè tempore libertates istæ Capitulorum latissimè propagatæ sunt. Ideo & Concilium Constantiense omnes illas rescidit, revocavitque, quæ exinde concessæ fuerant sine consensu Episcoporum, & ore Martini V. spopondit, nullas amplius indultum iri, nisi vocatis quorum interest, & causa diligentissimè excussa. *Insuper non intendimus exemptiones de cætero facere, nisi cognita causa, & vocatis quorum interest.* Sess. 43.

VI. Sed bona tamen fide fateri cogimur, fuisse Capitula verè & legitimè exempta, & quorum libertatibus textus ipse Juris Canonici suffragaretur. Caput enim *Irrefragabili*, quod ab Innocentio III. & Concilio Lateranensi IV. promulgatum est, disertis verbis confirmat, esse Capitula quibus consuetudo jus pepererit Canonicos corripiendi: *Excessus Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ, qui consueverunt per Capitulum corrigi.* Additque si intra legitimum tempus à Capitulo pœnæ in reos non decernantur, eam potestatem ad Episcopum tunc devolvi: denique non posse à Capitulo Ecclesiam interdicto subjici, nisi gravissimis & manifestis de causis. Ostiensi Cardinali placet non potuisse ab his Capitulis pœnas infligi, nisi leviores, & quidem de plano, sine figura judicii. Jam sæpiusculè monuimus ejusmodi fuisse prima quasi rudimenta ejus jurisdictionis. At exinde consuetudo, præscriptio, & privilegium Capitulis quibusdam addiderunt jurisdictionem Episcopali proximam, & quasi Episcopalem, ut Canonistæ alii consentiunt, utque à Tridentino ipso insinuari videtur.

VII. Arctiores quidem limites ab hoc Concilio Exemptionibus Capitulorum circumscripti sunt. Subjiciuntur enim Episcopi visitationi, quoties illi libitum fuerit; subjiciuntur & ejus correctioni, etiam extra tempus visitationis; etsi non teneatur Sess. 6. c. 4.
monere Episcopus, & tempus præfigere, aut ex- Sess. 25.
pectare dum in culpa sit Capitulum cessatione sua. *Capitula Cathedralium, & aliarum majorum Ecclesiarum, illorumque personæ nullis exemptionibus tueri se possint, quominus à suis Episcopis per se ipsos solos, vel illis quibus sibi videbitur adjunctis, juxta Canonicas sanctiones, toties, quoties opus fuerit, visitari, corrigi & emendari, etiam authoritate Apostolica possint & valeant.* Unum id interest, quod extra tempus visitationis Episcopos duos ex Canonicis Adjunctos sibi habere debeat, à Capitulo ipso deligendos initio cujusque anni, & delegandos, ut cum Episcopo de causis Canonicorum cognoscant. Nisi quando agitur de gravioribus sceleribus; tum enim ne eorum conscii aufugiant, potest Episcopus solus litis summam instruere, quo manus illis injiciantur. Si duo Adjuncti negligerent, aut detrectarent cum Episcopo conniti ad judicium illud, censuit sacra Congregatio ad Metropolitanum, aut si ea Ecclesia Fagnan. in L. 1. Decr. Part. 2. pag. 449.

Metropolitana sit, ad Papam confugiendum esse, ut cogantur Adjuncti impigrè officio fungi.

VIII. Ita Fagnanus, qui ibidem testatur Capitula Italiæ omnia secundùm jus commune Episcopis subesse, contrà autem Hispaniæ omnia soluta esse ab Episcopi jugo. Non facile est divinare, quæ sit hujus tantæ discrepantiæ origo. Cùm vel maximè Italia tantò propiùs absit ab ipso exemptionum & libertatum fonte. Sed mox idem Fagnanus refert transactionem initam inter Episcopum & Capitulum Abulensis civitatis in Hispania; qua potest Decanus pœnas sumere à noxiis, eoque cessante jus illud ad Episcopum devolvitur. Authores vitæ sanctissimi Archiepiscopi Braccharensis, Bartholomæi de Martyribus, animadvertunt, olim quidem jurisdictionem omnem Archiepiscopo communem fuisse, & Capitulo Braccharensi; sed tandem transactione temporalem jurisdictionem omnem Archiepiscopo attributam fuisse, spiritalem partim Archiepiscopo cessisse, nempe in Parochias Diœceseos, partim Capitulo, videlicet in Parochias urbis. Constat ergo in Hispania ipsa exemptionem & jurisdictionem Capitulorum superstrui persæpè voluntati Episcoporum, & conventionibus eorum cum Capitulis.

Cùm paulò post annum Christi septingentesimum Mauri Africani in Hispaniam se effudissent, eamque omnem subegissent, Episcopi ipsi cum copiis militaribus Regi, Regiisque exercituum Præfectis adgregaverunt se per plura sæcula, ut urbes, ut civitates, ut Ecclesias, seque ipsos exturbatis Sarracenis recuperarent. Interim verò opportunum, immo penè necesse fuit, ut Capitula jurisdictionem in sese, in Canonicos, in Ecclesias urbanas capesserent, præscriberentque; quod in Italia locum habere non potuit.

IX. In Concilio Tridentino ea rursum potestate spoliata sunt Capitula, ut ne Dimissorias ad Ordines litteras dare possint, aut Ordinationes celebrari facere, nisi elapso primo anno post obitum Episcopi; illis tantùm exceptis, qui Beneficio suo arctantur, ut intra annum ordinentur. Pœnas constituit Concilium in immorigeros, sive Canonicos; sive alios quoscumque, qui Sede vacante succedunt in administrationem potestatis Episcopalis. *(Sess. 7. c. 10.)* Denique aufert Concilium, tum Abbatibus exemptis & nullius Diœceseos, tum Capitulis privilegio idoneo munitis potestatem conferendi Tonsuram & minores Ordines aliis quibuscumque, quàm Regularibus sibi subjectis, & dandi litteras Dimissorias Clericis sæcularibus, refuso hoc omni jure in Episcopos, in cujus Diœcesi sunt. *(Sess. 23. c. 10.)*

Nec desunt tamen interpretes Canonum, quibus videantur Abbates jurisdictione quasi Episcopali utentes, posse etiamnunc post Concilium Tridentinum condonare Dimissorias ad Ordines, aliis quàm sibi subditis Regularibus. Sed non satis illi perpendunt, quòd cùm Concilium eo jure exuat Abbates nullius Diœceseos, exuit & eodem eos omnes, qui quoquo modo jurisdictionem assecuti sunt Episcopalem.

Si hoc autem loco Concilium non agit nisi de Abbatibus nullius Diœcesis, qui ambitu alicujus Episcopatûs continentur: id eo factum est consilio, quòd tunc potestas dandi Dimissorias servetur Episcopo Diœcesano. Si enim Abbatia & nullius est Diœcesis, & in nulla, à sacra Congregatione tunc ea potestas assignata est Episcopo, cujus propiùs abest Ecclesia Cathedralis. Declaratum ergo ab eadem est, nec Abbati Montis Cassini, nec Sublacensi, nec Castri Durandi, quibuscumque privilegiis confidant, quidquam superesse facultatis dandi Dimissorias sæcularibus personis, aut aliis quàm Regularibus sibi subditis: quamvis hæ Abbatiæ commendatæ essent Cardinalibus. *(Fagna. in L. 1. Decret. Part. 2. pag. 328. 383.)*

X. Cùm revocata sint à Concilio Tridentino privilegia omnia ab Apostolica Sede concessa, immo & omnia alia quæ suis Episcopis extorquere potuissent Capitula, ut ne ab Ordinario visitari possent, vel corripi: utque *nullis concordiis quæ tantùm suos obligent authores, non etiam successores, tueri se possint*: *(Sess. 6. c. 4.)* propositum fuit Romæ, an ea revocatio complecteretur concordiam, seu transactionem anni 1459. inter Episcopum & Capitulum Attrebatense, qua absolvebatur omnino Capitulum à jurisdictione Episcopi, maximè postquam Eugenius IV. eam concordiam ratam esse jusserat. *(Fagn. l. 1. Decr. Par. 2. pag. 369.)* Opinabantur complures non concordiam eam esse, sed privilegium ab Episcopo concessum, quod ibi Episcopus omnia commoda et, & nihil vicissim reciperet: cùm in concordiis & transactionibus mutua esse debeat compensatio incrementi & detrimenti. Declaravit quidem sacra Congregatio, non esse revocatas à Concilio eas transactiones, quæ à Papa confirmatæ sunt: sed hoc intelligendum de iis quæ confirmantur non in forma communi, sed causa cognita, & de scientiæ plenitudine. *(Idem l. 1. pag. 257.)*

Denique responsum est à Congregatione convenienter verbis ipsis Concilii, posse Episcopum visitare suum Capitulum, sive solum, sive iis sibi adjunctis, quos maluerit, sive Canonicis, sive aliis. *(Sess. 6. c. 4.)* Ad Capitula tantùm exempta, & quidem extra tempus visitationis pertinet ea lex, ut Adjunctos sibi duos assumat ex corpore Capituli. *(Fagnan. L. 3. Par. 2. pag. 275.)*

XI. Non est ergo quod miremur, si toties Capitula Cathedralia Galliarum intercesserint publicationi Concilii Tridentini in Galliis, cùm in eo usque adeo accisa fuerint eorum privilegia. Quantumcumque spónderent & in se reciperent Episcopi, nequaquam jure Concilii usuros se, ad Capitula sibi rursum subjicienda: suam posse visi sunt præstare illis fidem, non successorum. Cùm hoc maximè urgebatur negotium, dabantur Episcopatus tam alienis ab eo munere hominibus, ut non abs re videretur Capitulis, Ecclesiarum suarum dignitatem ex privilegiorum suorum strenua defensione religatam pendere. *(Du Taix 36. 37. &c. 60. 61.)* Nostri hujus ævi fælicitati gratulandum nunc quidem, & referendæ Deo optimo maximo gratiæ, quòd non eo res jam sint loco ex parte Episcoporum. Ideoque nec spes abjicienda, quin promulgari tandem absolutissimè possit Tridentinum, juxta tam sæpè iterata Cleri Gallicani vota, additis sicubi opus sit necessariis temperamentis, ad Gallicanas libertates in tuto collocandas.

XII. Fuit & aliud Exemptionum genus, quo Monasteria & Capitula quarundam Ecclesiarum Cathedralium, non Episcopo, sed Metropolitano subjiciebantur. Herbertus Episcopus Norvicensis in Anglia, authore Vuillelmo Neubrigensi, Romam ipse se contulit, ut retractari pervinceret privilegium Abbatiæ sancti Edmundi, quam Alexander Pontifex uni immediatè sub-esse sanxerat Archiepiscopo Cantuariensi. *Libertas Monasterii ab Alexandro Papa data, ut nulli Episcopo locus ille subdatur in aliquo, Archiepiscopi tantummodo nutum in legitimis spectaturus.* *(Baron. an. 1101. n. 2. Eadmer. Nov. l. 3.)* Ad hunc planè Herbertum Norvicensem Episcopum & de ipsa exemptione scripsit Lanfran-

cus Archiepiiscopus Cantuariensis, non posse insimulari se ab aliis Episcopis, quasi in eorum jura invaderet, cùm Anglia universa una sit Archiepiscopi Cantuariensis Diœcesis. (Epist. 13.) *Nec sobrius quisquam putaverit hoc esse in aliena Parochia aliquid temerè præsumere, cùm per misericordiam Dei, totam hanc quam vocant Britannicam Insulam, unam unius nostra Ecclesia constet esse Parochiam.* Narrat tamen Eadmerus ne Lanstanco quidem ipsi placuisse privilegium ejus Abbatiæ, ejus authenticam ipsam Chartam eum abstulisse Abbati, nec nisi paulò ante obitum reddidisse. Attigerat quoque alicubi hoc privilegium Abbatiæ sancti Edmundi Guillelmus Malmesburiensis: (L. 1. Episcop. Angliæ.) *Vt nulli Episcopo locus ille subdatur in aliquo. Archiepiscopi tantummodo nutum in legitimis spectaturus.*

XIII. Cùm Episcopus Londinensis Anselmo Lanstanci successori in Archiepiscopatu Cantuariensi reniteretur, & molestissimè pateretur & Altaria ab eo consecrari, & alias Parochiæ functiones exerceri ab eo, in Ecclesiis Sedi quidem Cantuariensi obnoxiis, sed quæ tamen in Episcopatu Londinensi sitæ essent: statuit Anselmus percontari super ea re longè sanctissimum Angliæ tunc Episcopum Votecestrensem, quin & ætate provectissimum, Vulstanum. Litteras ergo ad eum dedit, explanata primùm Ecclesiæ suæ possessione, sub anterioribus Archiepiscopis, Lanfranco, Dunstano & cæteris. *Quippe* (L. 3. Ep. 19) *testante omni genere hominum, qui sunt in Cantuariensi Diœcesi, & in aliis Episcopatibus qui sunt circa eandem Diœcesin, semper Archiepiscopus Cantuaria hanc habuit potestatem & consuetudinem, ut intra cujuscumque Episcopi Diœcesin haberet Ecclesia Cantuaria villam, aut Ecclesiam, qua ejusdem Archiepiscopi proprii juris essent, quidquid de eadem villa vel Ecclesia pertineret ad Episcopale officium, sive dedicatio, sive aliquid aliud. Adhuc vivant innumerabiles homines, qui viderunt antecessorem meum Lanfrancum Archiepiscopum dedicare Ecclesias villarum suarum intra Diœceses aliorum Episcoporum, sine calumnia. Quod etiam sanctus Dunstanus & alii prædecessores mei fecisse probantur, ipsis Ecclesiis quas dedicaverunt adhuc stantibus.* Sanctissimus Præsul Vulstanus in sua ad Anselmum responsione multis corroboravit jus & possessionem Archiepiscopi Cantuariensis, ut Pontificias functiones tota Anglia exerceret, ne monitis quidem Episcopis Diœcesanis, dummodo in Ecclesiis tantùm vicisque ad se spectantibus id auderet. *Nullus aliquando extitit, qui hanc Cantuariensi Archiepiscopo potestatem adimere vellet, & ne dedicationem propriarum duntaxat Ecclesiarum publicè faceret, defenderet. Extant & in nostra Diœcesi Altaria & Ecclesia, quas Stigandus vestra Excellentia prædecessor haud tamen jure Ecclesiastica hæreditatis, sed ex dono possederat sæcularis potestatis, ab ipso dedicata, nostris & Antecessoris nostri temporibus, nobis inconsultis, nec antea, nec postea inde calumniantibus, &c.* Prolata in medium hac Vulstani Epistola, Eadmerus testatum facit, beatum Anselmum eo Vulstani testimonio roboratum, aliisque ejusmodi pluribus, pro antiquo more suo exercuisse jurisdictionem suam Episcopalem in omnibus Angliæ Episcopatibus, *inconsultis Episcopis.* Addit denique eam fuisse antiquissimam & receptissimam consuetudinem. *Siquidem mos & consuetudo Archiepiscoporum Cantuariensium ab antiquo fuit, & est, ut in terris suis, ubicumque per Angliam sint, nullus Episcoporum præter se jus aliquod habeat, sed humana & divina omnia, velut in propria Diœcesi, in sua dispositione consistant.*

E re fore duxi, aliquantas hîc acervare probationes, quibus certò constet fuisse & Abbatias & Ecclesias sæculares, quæ cùm sitæ essent in aliis aliisque Diœcesibus, immediatè suberant tamen soli Archiepiscopo, cujus Ecclesiæ juris & quodammodo patrimonii erant, quòd ita sanxissent fundatores vel benefactores. Et hinc planum fit, eodem jure uti potuisse Pontificem Romanum in Ecclesiis tum sæcularibus, tum Regularibus, quæ illi addictæ & deditæ fuere, cùm prima earum fundamenta locarentur.

XIV. Erat Archiepiscopo Strigoniensi eadem potestas in Hungaria, eademque jurisdictio immediata, in omnes Abbatias, & Præposituras regales Regni Hungariæ. Id clarescit ex Charta Gregorii IX. qui ea omnia privilegia confirmavit. *Clemens & Cælestinus prædecessores nostri suis litteris confirmarunt jus, quod habes in Abbatiis & Præposituris Regalibus, Ecclesia Strigoniensi per Hungariam ubicumque subjectis.* (Rainal. an. 1231. n. 38.)

XV. Quando Romæ proposita fuit libertas Ecclesiæ & Capituli Arelatensis ex concessione Episcopi proprii: demonstratum fuit id Capitulum paulò antè subditum fuisse immediatè Archiepiscopo Remensi, & postea Cameracensi Episcopo. (Fagnan. in l. 1. Decret. Por. 2. pag. 572.) Compertum est omnia Capitula Cathedralia Provinciæ Remensis obnoxia immediatè etiamnunc esse Archiepiscopo Remensi: perinde ut Andegavense Turonensi, Nivernense Senonensi. Hæ libertates paucis antè annis confirmatæ sunt, novis aut Concordiis, aut Senatusconsultis. Dicitur Sylvanectense, Pictaviense, Inculismense, eodem jure frui, aut juris fiducia. Concilium Lugdunense I. C. *Romana. De appellationibus in Sexto.* agnovit consuetudine dari potuisse id juris Prælatis inferioribus Provinciæ Remensis, ut ab ipsis appelletur, non ut præscribit jus, ad Episcopum, sed ad Archiepiscopum. Id verò non aliud est, quàm immediatè non Episcopo subesse, sed Archiepiscopo.

Hujus porro privilegii origo manasse ex eo potuit, quod multorum decursu sæculorum fuerit Ecclesia Remensis sacræ & sanctioris disciplinæ tenacissima, reliquisque proposita Ecclesiis, quam imitarentur. Ut se ejus Ecclesiæ moribus legibusque attemperarent totius Provinciæ Capitula, ambierunt forsan aliquando, ut in solius Archiepiscopi Remensis potestate essent, & quod fieri solet, à Capitulo ipso Remensi, pariter atque ab Archiepiscopo regerentur. Strigoniensi autem Archiepiscopo cur subjectæ fuerint Abbatiæ totius Regni & Præpositūræ Regales, non arduum est augurari. Earum enim omnium ferè fundator, dotatorque fuerat Rex ipse Hungariæ, apud quem authoritate & gratia semper cæteris omnibus præpollebat Strigoniensis, unus perdiu ejus regni Metropolitanus, & Regni semper Primas, cui adeo lubentiùs Rex ea, quæ suæ potestatis, suique quodammodo patrimonii erant commendavit. Idem non immeritò suspicari quis posset de Cantuariensi Archiepiscopo. Ego verò lubentiùs mihi persuaserim, Episcopatus omnes Angliæ tot barbaricarum gentium incursationibus divexatos, conculcatosque diutissimè jacuisse, eversisque, Episcopalibus plerisque sedibus vacasse longo tempore Ecclesias, quas interim foverent, utcunque poterant Cantuarienses Archiepiscopi, Clerique & populi reliquias tristissimas sustentarent, solique interim ferè in his ruinis dominarentur. Diximus suprà, ut excitatæ rursus fuerint paulatim Ecclesiæ, sedesque Episcoporum, ubi minùs proinde mirum est, si qua prædia, si

quæ Ecclesiæ, si qua oppida semper manserint sub ditione Archiepiscoporum Cantuariensium, sub quorum ditione omnia penè olim fuerant. Quandiu recens fuit apud Episcopos memoria tanti beneficii, ne venit quidem in mentem cum iis litigare. At ubi ea sensim exolevit, tum controversia illis cœpit fieri, de hac portiuncula quam retinebant ii, qui totum priùs & perdiù obtinuerant. Hoc probabiliter volebant Lanfrancus & Anselmus suprà, ubi totam Angliam aiebant unam esse Cantuariensis Archiepiscopi ditionem.

*Italia sacra To. 5. pag. 818 823. 824. 867. 872.* XVI. Ex Anglia nunc petenda nobis Italia est. Anno 1278. Bartholomæus Episcopus Veronensis privilegia & exemptiones confirmavit Archipresbyteri & Capituli Veronensis, quondam concessa à Patriarchis Aquileiensibus, & ab Episcopis Veronensibus, ut immediatè Archipresbytero subesset Capitulum, à quo non ad Episcopum Veronensem esset provocatio, sed ad Patriarcham Aquileiensem immediatè. Anno 1292. Raimundus Patriarcha Aquileiensis privilegia confirmavit *Archipresbytero & Capitulo Ecclesiæ Veronensis, Aquileiensi Ecclesiæ immediatè subjectis:* intexuitque Chartæ privilegii privilegia priscorum Aquileiæ Patriarcharum, & Episcoporum Veronensium: ducto initio à privilegio Rotaldi Episcopi Veronensis, sub Imperio Caroli Magni, & Bernardi primi Italiæ Regis. Dolens quippe Rotaldus, quòd Ecclesiam Prædecessor suus Aldon penitus vastasset, cùm alia fuisset constructa ab Archidiacono Pacifico, hanc dedicari curavit à Patriarcha Aquileiensi Maxentio, eamque illi immediatè subjici voluit, ejusque successoribus Patriarchis, ne rursus ea ab aliquo successorum suorum expilaretur. *Convocavimus D. Maxentium Patriarcham Aquileiensis Ecclesiæ, qui Ecclesiam consecravit. Eo verò ordinante, ut Canonici sanctæ Veronensis Ecclesiæ sint liberi in supradicta Ecclesia, sub jure & dominio Patriarchæ: præcavens ne in futurum successores mei, qui Episcopalem Cathedram adepti fuerint, aliquam molestiam tam in Officiis, quam in Beneficiis illis inferre possint.* *Ibid. p. 881. & seq.* His succedit privilegium Pilegrini Patriarchæ Aquileiensis anno 1141. & alia complura. Anno 1376. inter Episcopum & Capitulum Veronense, gravè conflagravit dissidium occasione ejusdem privilegii, quod irritari urgebat Episcopus. Concordatum est tandem, & ab Aquileiensi Patriarcha confirmata est transactio, qua similiter Capitulum Veronense Patriarchæ immediatè subesse permittitur.

XVII. Est & alia Exemptionum species strictim saltem hic delibanda. Nempè Episcoporum à Metropolitani, vel Metropolitanorum à Primatis potestate solutorum. De ea re expostulabat Bernardus *De Consid. L. 3.* cum Eugenio Papa III. *Subtrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis, sive Primatibus. Sic factitando probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ forte non ita.* Addit porro Bernardus nihilo sanctiores fieri his libertatibus Abbates, Episcoposque hujusmodi, quin ex adverso jugi & disciplinæ insolentiores: *Nolo prætendas mihi fructum emancipationis ipsius. Nullus est enim, nisi quod inde Episcopi insolentiores, Monachi etiam dissolutiores fiunt.*

Animo id quoque suo providerat Petrus Blesensis, has Abbatum, Capitulorum, & Episcoporum Exemptiones connexas sibi quodammodo & implicatas esse, & fore aliquando, ut Ecclesiæ & Of- *Epist. 68.* fendiculo essent, & detrimento. *Nisi huic malo maturius remedium adhibeatur, verendum est, ne sicut Abbates ab Episcopis, ita Episcopi ab Archiepiscopis, & à Prælatis suis Decani & Archidiaconi eximantur.*

Ut erant Abbatiæ quibus innata quodammodo libertas esset, quod ab origine ipsa sua illa essent donata: ita erant & Episcopatus, qui ab Apostolicis Missis in Mediis Gentilium regionibus fundati, nulli unquam paruerant Metropolitano. Ejusmodi fuit Episcopatus Estoniensis & Rigensis in Livonia, cujus Episcopo in hæc verba scripsit Innocentius III. *Cùm in memoria hominum non existat, quòd Estiensis Provincia cuiquam fuerit Metropolitico jure subjecta, præsentium tibi authoritate mandamus, ne cuiquam tanquam Metropolitano respondeas absque mandato Sedis Apostolicæ speciali.* *Regest. 16. Epist. 119. 182.*

Ejusmodi fuerant & Episcopatus Scotiæ usque ad annum 1176. cùm hoc anno Henricus II Angliæ Rex magnopere quidem enixus ipse sit, ut pro Sacramento fidei quo sibi obligabantur, Ecclesiæ subessent Anglicanæ, cui olim paruerant: *Ut eandem facerent subjectionem Ecclesiæ Anglicanæ:* *Roger.* at responsum sit ab eis constantissimè, se nunquam ei subjectos fuisse. A Rogerio Archiepiscopo Eboracensi allegata sunt privilegia summorum Pontificum ut evinceret Metropoli suæ subjectos fuisse Episcopos Glascoviensem, & Gallovaiensem. Sed exertè contestatus est Episcopus Glascoviensis, quòd *Glascuensis Ecclesia specialis, filia est Romanæ Ecclesiæ, & ab omni subjectione Archiepiscoporum, atque Episcoporum exempta.* Cum Archiepiscopum Cantuariensem spes illa quoque & cupido incessisset, fore ut Ecclesiæ Cantuariensi subjicerentur Episcopatus Scotiæ, data ab eodem opera est, ut Rex à tuenda Episcopi Eboracensis causa tum quidem refrigesceret, & ab urgendis Episcopis Scotis.

Cùm nuperrimè Scotia tota ad fidem Christi accessisset, apparet nequedum ullam in ea Metropolin erectam fuisse, & Episcopos, qui illi ad Christum adgregandæ collaboraverant, illas rexisse recentissimas Ecclesias, ea simplicitate qua solent rerum novarum regi exordia, nec ulla vel lege, vel disciplina alia fuisse usas quàm charitate. Antequam Angli in magnam Britanniam irruerent, & ante Cantuariensem Metropolin ab Augustino excitatam, author est Vuillelmus Malmesburiensis, nil certi referri posse de Metropoli antiquorum Brittonum. *Prima Sedes Archiepiscopi habetur Cantuariæ, qui est totius Angliæ Primas & Patriarcha. Cæterùm ubi fuerit Archiepiscopatus tempore Brittonum cognitio labat; quia vetustas consumpsit nostri sæculi memoriam.* *De Gestis Pont. Angl. in Prolog.* Sui utique fuerant Episcopi insularibus olim Brittonibus, simile veri est nullos fuisse Metropolitanos. Si fuissent enim aliqui, in eorum maximè sedibus jussisset Gregorius ab Augustino suo Metropolitas constitui, Anglicanæ Ecclesiæ deinceps præfuturos. Ne Londini quidem potuit statui Metropolis, ut optaverat Gregorius: & quæ eo jubente Eboraci erecta fuerat, haud sanè diu eo honore potita est. Paulinus qui primus ibi sederat Metropolitanus, à Barbaris ejectus, Rocestriam abiit, ubi & fatis concessit. Exinde plures Episcopi Eboracenses, Episcopi dici maluere, quàm Metropolitani. *Plures post eum tantæ urbis Præsules simplici Episcopatus nomine contenti, nihil altiùs anhelaverunt.* *Idem l. 1. De Gestis Reg. Angl. pag. 24.* Eo rursus factum est forsan, ut Episcopi Cantuarienses tota Anglia immediatam exercerent jurisdictionem; nec aliam sibi Provinciam esse jactarent, quàm Angliam universam. Egbertus Episcopus Eboracensis, tempore Caroli Magni, primus Pallium & nomen Metropolitani obtinuit sibi, Ecclesiæque

clesiæque suæ. Ex his haud dubio plurimum affunditur lucis, his quæ dicta sunt a nobis de Episcopis Scotis, & de Ecclesia Scotiæ Metropolitano prorsus destituta. Certè cùm Rex Angliæ instaret vehementiùs, ut Scoti se Episcopi Anglicanis profiterentur obnoxios, Archiepiscopus Eboracensis, qui & propior & opportunior meritò videbatur ei juri potiundo, in duos tamen solos Episcopatus ditionem suam porrigi posse præ se tulit, Glascoviensem & Gallovajensem. Denique anno 1188. Clemens III. Episcopos omnes Scotiæ Sedi Apostolicæ immediatè subjectos declaravit. *Rogerius.* *Duximus statuendum, ut Scoticana Ecclesia Apostolica Sedi, cujus filia specialis existit, nullo mediante debeat subjacere; in qua hæ sedes Episcopales esse noscuntur.* Cælestinus III. Clementis successor hoc privilegium confirmavit, quo nihil aliud quàm primigenia firmabatur libertas ejus Ecclesiæ, quæ ab Apostolicis Concionatoribus sata & propagata fuerat, ut solet, & nullum præterea adhuc nacta fuerat proprium Metropolitam. Sixtus IV. duas Metropoles erexit, Sant-Andreanam & Glascoviensem, hisque Episcopatus omnes Scotiæ subesse jussit.

Nec alia ratio fuit Provinciæ seu Principatûs Vualliæ; ejus Episcopi eodem modo, nec dispari ratione exempti fuerunt. *Rogerius. An. 1199.* Narrat Rogerius, ut anno 1199. Archiepiscopus Cantuariensis suæ illos subegerit ditioni. Episcopus Meneviensis, qui & sancti Davidis dicitur, contendebat à tempore B. Samsonis prædecessores suos omnes Metropolitico apice floruisse. Suffraganeus etiamnunc est Ecclesiæ Cantuariensis.

E adverso autem cùm Episcopalis sedes ab Auca civitatem in Burgensem in Hispania translata fuisset, Toletanus & Tarraconensis Archiepiscopi, eam sibi certatim subjici ambiebant. At authore Mariana, *Mariana. L. 10. c. 2.* *Romani Pontifices, quoniam controversia componi non poterat, ab utriusque imperio liberos, suique juris esse sanxerunt.* Exemptum se quoque profitetur à Metropoli Bituricensi Aniciensis Episcopus in Gallia. Contrà nititur Bituricensis. *Du Taix. pag. 169.* Actum de ea re est in Comitiis Melodunensibus Cleri Gallicani.

Imperiosior quandoque dominatio Metropolitani Episcopos compulit, ut ei se subduci ambirent. Ejus rei exempla apud Græcos frequentiora fuere, ubi Imperatoria potestate ita emancipabantur Episcopi, & exinde fiebant Archiepiscopi, non tamen Metropolitani, sed nulli subjecti Metropolitano. Ejusmodi fuit Georgius Episcopus Amastrensis, qui invitus è claustro raptus est ad Episcopatum. Cùm tyrannicè sæviret Metropolita Gangrensis in suos, Rescripto Principis in libertatem vindicari Ecclesiam suam pervicit Georgius, fautore usus Tarasio Patriarcha. *Bollan. die 21. Febr. c. 6.* *Tum alia contulit, tum illud, ne cui ejus Ecclesia subesset Archiepiscopo impetravit, insigni apud Imperatorem libertate usus. Nam qui eo tempore Gangrensium regebat Metropolin, mirum in modum se se fastu & arrogantia efferebat, &c.* Sollicitatus est Innocentius III. à Patriarcha Latino Constantinopolitano, ut ejus ditioni subjiceret Metropolitam Cypri, aliasque complures Ecclesias, quæ jurisdictioni Patriarcharum Græcorum exemptæ fuerant, ante expugnatam à Latinis Constantinopolin. *Gesta Innoc. III. pag. 108. 109.* Pontifex constanter recusavit.

XVIII. Quod verò expostulabat Bernardus, Archiepiscopos subduci potestati Primatum, non satis capio quò id pertineat. Antiquissimo enim & nativo jure Metropolitani omnes Occidentales liberi & soluti sunt, uni que Papæ, ut Occidentis Patriarchæ subjecti. Vicarios sibi quandoque subrogarunt Pontifices Romani, sed quibusdam tantùm in Provinciis, & quibusdam temporibus, non ubique, non semper. Vidimus suprà ubi Metropolitani has Primatias permolestè ferrent, unde & eas paulatim abolescere plerasque non ægrè passi sunt.

XIX. Libertatis novum genus est, nec prorsus hîc silendum, ubi suus Monasterio proprius permittebatur Episcopus, ad ea omnia quæ Episcopale ministerium desiderant. Primus omnium vir doctissimus Massonus evulgavit privilegium sancti Martini Turonensis, ut proprius ibi esset *ad prædicationem*. Epistola XXCIII. Adriani II. Papæ ejus privilegii fidem labefactare prorsus videtur.

Minùs suspecta videri poterunt quæ nunc depromimus, & tamen præfari illud cogimur, ubi revocatur à Pontifice privilegium habendi in Monasterio Episcopi proprii, nondum in eo esse constantissimum argumentum ejus privilegii quondam verè concessi. Urbanus II. ad venerandum corpus beatissimi Martini Turonas venit, confirmavitque omnia prædecessorum suorum privilegia, eo tantùm mutato, quòd non jam proprium haberent Episcopum, sed uni summo subjicerentur Pontifici. *Denique quoniam in quibusdam sua Ecclesia privilegiis, proprium eis habere Episcopum concessum est, ejus vice nos Romano eos sancimus specialiter adhærere Pontifici, & graviores eorum causas ejus pendere judicio.* *Baron. an. 1096. n. 4.* Itaque cum hic idem Pontifex litem diremit Capituli sancti Martini Turonensis & Abbatiæ Cormericensis, jubetque ut ordinatio Abbatis semper reservetur Archiepiscopo Turonensi, id de ordinatione Abbatis Cormericensis capiendum videtur. *Salvo Turonensis Archiepiscopi jure, quod in Abbatis ordinatione secundùm communem Ecclesiæ consuetudinem exercendum est.* *Conc. Gen. To 10. pag. 602.* Ecclesiæ hujus privilegia innovata fuere à Martino IV. anno 1281. ab Eugenio IV. anno 1435. *Epist. 2.* Eugenius in Turonensem Archiepiscopum stomachatus est, quòd coram Concilio Basileensi privilegia illa B. Martini impetiisset: significavitque Pontifices ipsos esse ejus Ecclesiæ Episcopos, & Judices unos causarum ad eam spectantium. *Satis miramur, quod cum tibi constet de privilegiis & libertatibus Ecclesiæ B. Martini Turonensis, cujus nos & Romani Pontifices pro tempore existentes, sumus Episcopi; tam contra libertates & privilegia hujusmodi litigare cœpisti in Concilio Basileensi.* *Rainal. an. 1435. n. 6.* Quondam etiam Hildebertus Archiepiscopus Turonensis illa ipsa privilegia propugnare egressus fuerat, adversùs Pontificem ipsum: quod non potest non permirum accidere. *Epist. 18.* Sed cùm ejus rei fidem faciat ipse in Epistola quadam sua, non satis prodit, qua in re quereretur Pontifice privilegiorum limites transiliri.

Urbanus ille ipse qui Episcopos proprios abstulit Ecclesiæ, seu Monasterio B. Martini Turonensis, abstulit & jurisdictionem Episcopalem Abbatiæ in Lacu Constantiensi sitæ, quam in Clerum populumque Insulæ usurpatam retinebant Abbates Augienses: eamque Constantiensi Episcopo reddidit, authore Bertholdo ad annum 1045. *Suprà c. 38. n. 2.* *Omnem Episcopalem potestatem in Clerum & in populum Augiensis Insula interdixit.* Id suprà jam monueramus.

Urbanus V. Regulæ vitæque Monasticæ sanctimoniam in Abbatia Cassinensi redintegrare meditatus, Episcopatum primò ejus Ecclesiæ extinxit, tum Abbatem ei præfecit, ex grege Camaldulensium, quòd nullum satis idoneum haberet ad manum ex Ordine nigrorum, ut vocabant, Monachorum. *Postquam de Episcopali dignitate ipsum ad Abbatialem reduxit.* *Rainal. an. 1370. n. 16.*

Dictum est suprà alicubi in suburbio Civitatis Cantuariensis fuisse Ecclesiam B. Martini nomine Deo dicatam, ubi esset jam ante plura sæcula Episcopus proprius, donec eum Episcopatum extinxit Lanfrancus, quæsito colore ab antiquis Canonibus, qui magnopere vetant, ne unius Civitatis duo sint Episcopi. Non recedit à veri specie, unum hunc fuisse ex vetustissimis Brittonum ante Anglos Episcopis & Episcopatibus, quibus obnoxii essent Clerici Laïcique ex antiquis Brittonibus, lingua moribusque ab Anglis diversi, & quibus adeo necessarii aliquandiu fuerint Episcopi, vernaculæ suæ linguæ & gentis. Solis enim Anglis Saxonibusque nuper ex Germania in Britanniam Insulam invectis præerat Augustinus à Gregorio Magno missus cum sociis. Perdiu superfuerunt ingentes antiquorum Brittonum reliquiæ: & quanquam eorum plerique in Valliam concesserint, hærere tamen aliquandiu aliqui potuere, variis in locis, maximè autem in Suburbio Cantuariensi.

*Vita Lanfranci. c 13*

Duæ invehuntur rationes à Scriptore Chronici Abbatiæ Lobbensis in Pago Leodiensi, cur ejus loci Abbas Episcopus sit. Existimarunt nonnulli, cùm necessum esset ab eo Evangelicæ veritatis lumen infundi circumpositis Gentilibus adhuc compluribus: expeditius tandem visum esse, ut & Episcopalis ei ordinario, cum prædicandi munere concrederetur. Videbatur aliis Abbatiam illam esse Regalem, Castro Regio Listinensi, aut Liptinensi proximam, ideoque Episcopis commendatam fuisse. Propiùs forsan à vero abest, etsi Episcopi minimè essent, eo tamen nomine insignitos fuisse propter prædicandi munus eis demandatum.

Suspicati sunt nonnulli, in Ecclesia quoque sanctæ Genovefæ apud Lutetiam Parisiorum proprium fuisse Episcopum; idque colligebant ex Necrologio ejus Ecclesiæ, ubi legitur ad diem 16. Novembris, *Obiit Bernerius præsentis Ecclesiæ Episcopus*, & quod prope esset antiquissimum Regum Palatium. Evanida & fluxa sunt hæc argumenta. Potuit Bernerius Episcopatum abdicasse, & pio hoc deinceps latuisse secessu. Quod ad Palatium Regium, & à vero & à verisimili procul est, Episcopatus semper fuisse in Abbatiis Palatio cuipiam Regio proximis. Proximus erat Episcopus Parisiensis Palatio Regio, ut alio Episcopo minimè opus esset. Scripsit ad Papam Stephanus Tornacensis pro tuendis hujus Abbatiæ privilegiis, quæ tunc validissimè ab Episcopo Parisiensi impugnabantur. Sed nec verbum ille facit de hoc habendi proprii Episcopi privilegio.

Diximus jam suprà de Chronico sancti Benigni apud Divionem, cujus Abbas *Coëpiscopus* aliquando dicebatur. Sed probabiliùs is fuerit Vicarius Generalis Episcopi Lingonensis. Idem dicendum de Abbatibus Hohenovensibus apud Argentoratum.

XX Castri Vindocinensis Abbatia, non illa quidem Episcopos, sed Ecclesiæ Romanæ Cardinales jam olim Abbates se habuisse venditat. Goffridus Abbas Vindocinensis cùm Paschali II. Papæ significasset, quàm gravibus impensis affuisset illa Abbatia Pontificibus, Italia profugis, & ubique exagitatis, obtestatur tandem, ut sibi restituat Ecclesiam S Priscæ Romæ, qua Alexander II. & Gregorius VII. Abbates Vindocinenses donaverant, & quam abstulerat Antipapa Guibertus. Ad Honorium Papam scribens, sanctissimè affirmat se ter quaterve superasse Alpes, ter captum fuisse, multa denique pro causa Romanæ Ecclesiæ perpessum; & cùm Romæ Presbyter ordinaretur, se *Investituram de Ecclesia B. Priscæ per manum domini Papæ Urbani recepisse.* Anno 1062. Abbatibus Vindocinensibus Alexander II. concessit Ecclesiam sanctæ Priscæ cum dignitate Cardinalitia, ut liquet ex ejus Epistolis ad Abbatem Odericum: *Concedimus omnibus hujus loci Abbatibus Ecclesiam B. Priscæ cum dignitate Cardinali.* Callistus II. & Honorius II. id privilegium confirmaverunt. Innovatum est illud ab Innocentio quoque III. præfato hinc excidisse quodammodo Abbates Vindocinenses, quòd sarta tecta ejus Ecclesiæ non curassent, quo factum esset, ut alii Titulares nominarentur; in posterum verò revocatum iri eos in possessionem ejus Ecclesiæ & Tituli Cardinalitii, dum morem gererent tamen eis sanctæ Priscæ Cardinalibus, quos Papa Romæ nominasset. Ex eo tempore duo semper fuere Cardinales sanctæ Priscæ, alter Romæ verus, alter titulo tenus in Abbatia Vindocinensi. Eo titulo utebantur Abbates Vindocinenses tempore Concilii Constantiensis.

*L. 1. Ep. 9. 13. 14.*

*Nota Sirmundi in Goffridum Vindocin.*

## De Virginibus & Viduis Deo sacris.

### CAPUT XLII. *P. 1. L. 1. c. 50.*

De Virginibus Deo sacris, privatas suas ædes incolentibus, aliis cum solemnitate velatis, aliis sine solemnitate, per priora quinque Ecclesiæ sæcula.

*I. Virginum Deo sacrarum chori jam inde ab incunabulis Ecclesiæ.*
*II. III. Earum numerus, sanctitas, dignitas tempore Tertulliani & Cypriani.*
*IV. Sola seorsim & sejuncta à viris manebant.*
*V. Stipendiis Ecclesia alebantur, æquè ut Viduæ Deo sacræ.*
*VI. Earum cura & sollicitudo ingens penes Episcopos.*
*VII. VIII. Quàm sancta earum institutio, vita, disciplina, psalmodia, secessio, studia Scripturarum & meditatio juxta Hieronymum.*
*IX. Duplicis generis erant.*
*X. Aliæ pullam vestem ipsæ sibi induebant.*
*XI. Aliæ solemniter ab Episcopo velabantur.*
*XII. Ex hac innumerabili turba per orbem universum sacrarum Christo Virginum, Christianæ Religionis sanctimoniam & veritatem Latini Græcique Patres Gentilibus approbarunt, nec hi diffitebantur.*
*XIII. Erat illis in Ecclesia locus sepositus, & honorificentior.*
*XIV. Quanto zelo æstuarent sancti Patres ad prædicandam Virginitatem, & ad omnes ejus amore inflammandos.*
*XV. Quàm magno & incredibili numero essent Virgines.*
*XVI. Exhæredationem comminabantur parentes, Ecclesia stipendiis suis eas alebat.*
*XVII. Absentibus Episcopis, Presbyteri eas consecrabant.*
*XVIII. Non atterebatur sollicitudo Ecclesiæ ad has castitatis hostias multiplicandas, alendas, solemniter velandas, nisi incredibilis earum vita sanctimonia.*

I. A Monasteriis virorum, ad virginum cœnobia traducenda oratio est; & præfari aliquid necesse fuit, de virginibus quæ Deo catervatim dicari cœpere, jam inde à cunis Ecclesiæ Christianæ. Nec enim inficiari quisquam potest, quin virginum, & viduarum longè antiquior sit professio, quàm Monachorum. De Monasteriis virginum & viduarum infrà uberius. Nunc de virginibus id primò fateri cogimur, earum institutum ipsi Ecclesiæ coævum esse. Monasteria quidem

virginum posterius floruere, ubi primùm Constantino imperante pax & serenitas Ecclesiæ alluxit. At professio ipsa & consecratio virginum unà cum Evangelica semente statim ab exordio nominis Christiani per orbem propagari cœpit. Testes locupletissimæ quatuor filiæ virgines Philippi Diaconi.

II. Nihil attinet hîc repetere, quæ suprà Hieronymus & Epiphanius ad Cleri sempiternum decus disseruerunt, Ecclesiæ Sponsum virginem, de virgine nasci voluisse Christum, Solem ipsum gloriamque virginum fuisse, in Collegium Apostolicum non admisisse nisi virgines, aut in æternum pudicos: denique Ecclesiæ suæ id instillasse, ut in Sacerdotii sacrum Ministerium, & in Clerum, quantum fieri posset, non admitteret, nisi virgines. Iis Christus sempiterna Dei sapientia encomiis virginitatem exornavit, iis Paulus cæterique Apostoli hortamentis ad eam amplexandam fideles omnes excitarunt, ut omnibus postea sæculis efflorucrint in Ecclesia Catholica innumerabilium greges candidati virginum, quæ & decus essent & deliciæ Ecclesiæ. Hinc Tertullianus: *Quot spadones voluntarii, quot virgines utriusque sexus?* Et alibi: *Quid ergo si Episcopus, si Diaconus, si Vidua, si Virgo, si Doctor, si Martyr, lapsus à regula fuerit, ideo hæreses veritatem videbuntur obtinere?* Hi erant tum eminentissimi Ecclesiæ apices, qui si starent, gloria: si corruerent, infamia longè maxima illi aspergebatur. Et alibi: *Sanctitatem maritis anteponunt, malunt Deo nubere, Deo speciosæ, Deo sunt puellæ, cum illo vivunt, cum illo sermocinantur, illum diebus & noctibus tractant, orationes suas velut dotes Domino assignant, &c. Jam in terris non nubendo de familia angelica.* Istiusmodi erat hominum existimatio de angelica virginum castimoniæ, hos esse Ecclesiæ Angelos, Christo sponso suo illas in oculis, in deliciis esse: ejus eas colloquio conspectuque jugiter frui.

*De resurrect. carn.*
*De præscrip.*
*L. 1. ad Uxor.*

III. Eloquentiæ suæ, verè Ecclesiasticæ, & à sæculi ineptiis defæcatissimæ flosculis Cyprianus virgines sacras ipse quoque illustravit: *Nunc nobis ad virgines sermo est, quarum quò sublimior gloria, major & cura est. Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio Christi. Gaudet per illas atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fœcunditas. Quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto gaudium matris augescit.* Quibus verbis declaratur, quanta essent Episcopi non teneritudine tantùm & charitate, sed veneratione etiam in has Agni immortalis sponsas; & quàm certò constet, etsi nondum possent dum persecutionum sævities grassaretur, in Claustra seorsim aliqua seponi, ut postea factum est: jam tum tamen in unum eximium cœtum coaluisse, à vulgo fidelium segregatum, & tanquam portionem longè præclarissimam gregis Christi.

*De habitu virginum.*

IV. Testatissimum idem alibi facit, eam inviolatam viguisse in Ecclesiis legem, ne virgines istæ Deo sacræ una unquam in domo versarentur cum viris. *Nec pati virgines cum masculis habitare, non dico simul dormire, sed nec simul vivere; cum & sexus infirmus & ætas adhuc lubrica per omnia frænari & regi debeat.* Hinc & idem ipse commendavit inexorabilem Episcopi censuram, qui Diaconum abdicarat, qui cum sacra virgine sæpè mansitar. *Idcirco consultò & cum vigore fecisti, abstinendo Diaconum qui cum virgine sæpè mansit.* Affirmat denique Cyprianus has virgines & adulteras & incestas fieri, si fidem Christo desponsam non retineant. *Quæ hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adultera est.* Ideo & eas invitat, ut à publicis abstineant balneis, cùm eas tuo sint *pudori & pudicitiæ corpora dicata.* Ex his liquidum est has tum sacras Deo virgines, etsi Professas, etsi verè Sanctimoniales, privatis tamen in ædibus suis commorari solitas fuisse. Eæ sunt de quibus agit Eliberitanum Concilium Canone a 11.

*L. 1. Ep. 11.*

V. Stipendiis Ecclesiæ alebantur hæ virgines, æquè ut Clerici. Quo minùs mirum sit, de iis si agamus in hac nostra de Beneficiariis Commentatione. Cornelius Papa in ea quam retulit Eusebius ejus Epistola, non centum quinquaginta tantùm Clericos ab Ecclesia Romana ali testatur, sed etiam mille & quingentas, seu virgines, seu viduas, ægros, pauperesque. *Viduas denique cum infirmis & egentibus plusquam mille & quingentos. Quibus universis gratia & benignitas Dei alimenta suppeditat.* In hoc viduarum numero simillimum vero est contineri & virgines; sicut & viduas constringi in illo virginum numero, quas Socrates testatur Helenam Imperatricem voluisse suis manibus pascere, suo ministerio venerari, quotquot inscriptæ erant Ecclesiæ Catalogo. *Virgines etiam quæ inscriptæ erant in Ecclesiarum Canone, ad epulas invitaret, ipsa illis ministraret, opsonia mensæ apponeret.* τὰς παρθένους, τὰς ἀναγεγραμμένας ἐν τῷ τῶν ἐκκλησιῶν κανόνι. Idem sentiendum & de contextu Sozomeni, ubi memorat Julianum Apostatam virgines omnes sacras viduasque; quas sua paupertas Clero adscribi coëgerat, τὰς δὲ χήρας ἐν τοῖς κλήροις καταλεγμένας: compulisse ut fisco redderent, quidquid ad eas rediisset ex iis distributionibus, quas Imperator Ecclesiis singulis assignasset, ex publicis Imperii in qualibet urbe reditibus.

*Euseb. l. 6. c. 43.*
*Socrat. l. 1. c. 13.*
*Sozom. l. 5. c. 5.*

Basilius illas *Canonicas* vocat, & irritum sancit earum conjugium, si nubant. Hic Catalogus Ecclesiæ, qui Græcis κανὼν dicebatur: ille ipse erat cui inscribebantur nomina Clericorum, seu Beneficiariorum, Virginum, Viduarumque omnium, quas Ecclesiæ sumptu alebantur. Scitissimè advertit Hieronymus, bigamos non tantùm Clero interdici, sed & viduas quæ bis nupsissent, expungi ex earum Catalogo quæ alimentis Ecclesiæ sustentabantur. Porro ab Apostolo ipso id præmonstratum sancitumque fuisse. *Vidua inquit eligatur, non minus annorum sexaginta, quæ fuerit unius viri uxor. Hoc omne præceptum de his est viduis quæ Ecclesiæ pascuntur eleemosynis, & idcirco ætas præscribitur, ut illæ tantùm accipiant pauperum cibos, quæ jam laborare non possunt. Simulque considera, quod quæ duos habuit viros, etiam si anus sit, & decrepita, & egens, Ecclesiæ stipes non meretur accipere.* Non usque adeo obduruerant Ecclesiæ viscera, ut viduis bigamis, quas premeret egestas, nihil stipis conferret. Nec id sanè vult Hieronymus. Sed eas quæ secundis se implicuerunt nuptiis, irregulares quodammodo evasisse, nec jam posse non abradi à matricula earum, quarum alendarum curam in se recepit Ecclesia, perinde ferè ac Clericorum.

*L. 1. adv. Jovin.*

VI. Profitetur ipse Chrysostomus sarcinæ Episcopalis illam esse molestissimam occupationem, viduas dijudicare, quæ in Ecclesiæ catalogos referendæ essent, ut pascerentur. *Quoties illæ deligendæ, & tanquam in catalogum referendæ sunt, & hic quoque magno admodum examine opus est.* ἡ τῶν χηρῶν καταλογή. Perinde enim nefarium est indignas adscribere, ac expungere dignas. *Hujusmodi viduas Ecclesiastica pe-*

*De Sacerd. L. 3. c. 16.*

*cunia ubi, &c.* Idem alibi ait, olim fuisse numerosos viduarum choros, de quibus Paulus; ut superarant etiam tum chori virginum numerosissimi. *Nam quemadmodum chori sunt virginum, sic & olim viduarum erant chori: neque passim licebat illis in numerum viduarum referri.* Sanè negat Chrysostomus has fuisse viduas, de quibus præcipit Paulus sexagenarias esse debere; quia in re minùs ei convenit, & cum Hieronymo jam laudato, & cum aliis Patribus infrà laudandis. Sed illud nobis hic sufficit, quod testatur Chrysostomus, ingenti numero fuisse viduas Deo sacras, quas Ecclesia sustentaret. *Nam & viduæ dicuntur, quæ cùm in summam inciderint egestatem, & in matriculam relatæ fuerint, Ecclesiasticis pecuniis aluntur, sicut temporibus Apostolorum fiebat.* Denique expressus est alio loco à Chrysostomo numerus ipse earum, quæ inscriptæ erant huic Catalogo Ecclesiæ Constantinopolitanæ, locusque in eo perhonorificus designatus viduis, virginibusque. *Unius divitis nec valde locupletis hæc Ecclesia fructus colligens, cogita tecum quot viduis, quot virginibus quotidie succurrat. Jam enim numerus earum in Catalogo ad tria millia pervenit, &c.*

*To. 5. serm. 46.*

*ἀπογεγραμμέναι.*

*In Matth. hom. 67.*

VII. Ab parentibus infantulæ plerumque Deo dicabantur & devovebantur virgines, & jam tum vitam ordiebantur religiosam, & eandem prorsus quam postea in Monasteriis agere cœperunt. Jubet Hieronymus, ut ab anno ætatis septimo jam tum ediscant Psalterium, libros Salomonis, Novum Testamentum, in domo paterna secessum & desertum veluti quoddam sibi parent, & altissima in ignoratione sint eorum quæ in sæculo geruntur. *Cùm virgunculam rudem & edentulam septimus ætatis annus exceperit, discat memoriter Psalterium, & usque ad annos pubertatis libros Salomonis, Evangelia, Apostolos & Prophetas, sui cordis thesaurum faciat: nec liberius procedat ad publicum, nec semper Ecclesiarum quærat celebritatem, in cubiculo suo totas delicias habeat.*

*Ad Gauden. de Pacatulæ ordinatione.*

Itaque etsi hæ virgines necdum Monasteriorum septis, quæ nulla erant, includerentur: ipsæ sibi domi Monasterium struebant, ubi vitam omnem castissimis his & cælestibus impendebant deliciis, secessui, psalmodiæ, orationi, jejuniis. Audi ut de beata Asella Hieronymus disserat. *Post duodecimum ætatis annum unius cellulæ clausa angustiis, latitudine Paradisi fruebatur. Idem terræ solum & orationis locus extitit & quietis. Jejunium pro ludo habuit. Pane & sale & aqua frigida concitabat magis esuriem, quàm restinguebat. Operabatur manibus suis, sciens scriptum esse, Qui non operatur, non manducet, &c. Intra cubiculi sui secreta, ut nunquam pedem proferret in publicum, &c. Ad Martyrum limina pene invisa properabat, &c.*

*Ad Marcellam. De laudibus Asell.*

VIII. Lectio, oratio, opus manuum, hæ nimirum erant virguncularum Christi deliciæ, hæ occupationes continuæ, aut aliæ aliis potiùs interpunctæ. *Semper te cubiculi tui secreta custodiant, semper tecum sponsus ludat intrinsecus. Oras, loqueris ad sponsum; legis, ille tibi loquitur.* Hæc idem Hieronymus. Earum oratio & psalmodia nunquam intermittebatur: *Horam tertiam, sextam, nonam, diluculum quoque & vesperam nemo est qui nesciat. Noctibus bis terque surgendum. Revolvenda quæ de Scripturis memoriter retinemus. Egredientes de hospitio armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat antequam sessio.* Hoc silentium, hic secessus, hæ macerationes, hæc orandi infatigata assiduitas, hæ sacrarum Litterarum meditationes fateri nos cogunt, antequam essent ulla Monasteria, tot fuisse Monasteria, quot erant domus, quas in mediis civitatibus incolerent hæ virgines, sibi, Deoque uni affixæ. Ita quippe Hieronymus de B. Asella. *Ut in urbe turbida inveniret Eremum Monachorum.*

*Ad Eustoch. de custod. Virgin.*

*Ad Marcel. de laudibus Asellæ.*

IX. Erant porro duæ classes virginum sacrarum. Aliæ Deo se devoventes induerant ipsæ sibi vestem fuscam & permodestam, qua Sanctimoniales à cæteris discernebantur, & hæc erat earum irrevocabilis professio. Aliæ ab Episcopo solemniori quodam die festo velum consecrationis acceperant inter Missarum solemnia, spectante populo universo. Harum posteriorum numerus quanquam permagnus erat, multis tamen partibus concedebat earum innumerabili multitudini, quæ primam classem implebant. Jam inde ab anno ætatis duodecimo, quo nobiles Romano jure erant virgines, poterant Christum eligere sponsum, eique se devovere, fuscam vestem indutæ: at velo consecrationis non donabantur virgines, nisi diu probatæ in prima classe, & ætate provectiores. Hæc jam Patrum testimoniis astruenda sunt.

X. Vide ut Asella professa sit virginitatem & religionem, fuscioribus vestibus induta. *Tunicam fusciorem quam à matre impetrare non poterat, induta, pio negotiationis auspicio, se repente Domino consecravit, ut intelligeret universa cognatio, non posse aliud ei extorqueri, quæ jam sæculum damnasset in vestibus.* Et alibi de Pacatula: *Solent quidam cum futuram virginem spoponderint, pulla tunica eam induere, & furvo operire pallio, auferre linteamina, &c.* Et alibi: *Pulla tunica, minùs cùm humi jacuerit, sordidatur. Soccus vilior auratorum pretium calceorum egentibus largitur. Cingulum non auro gemmisque distinctum, sed laneum & tota simplicitate purissimum, & quod possit magis astringere vestimenta, quàm cingere, &c. Nos quia serica veste non utimur, Monachi judicamur.* Et rursum alibi: *Vestis ipsa pulla & vilis.* Si quando tamen vitæ sanctimonia morumque innocentia non responderet huic & vesti & professioni, molliriem nescio quam & mundicias minimè consentaneas affectabant hæ virgines, propositi sui minùs tenaces, quas ideo objurgabat Hieronymus. *Si vestis ipsa vilis & pulla rugam non habeat: si per terram, ut altior videaris, trahatur: si de industria dissuta sit tunica, ut aliquid intus appareat, &c.* Damnavit & Chrysostomus has in veste vili & simplici affectatas elegantias: *Ubi enim pulla tunica fuerit, & pectori cingulo diligenter astricta, ad earum instar quæ in scena saltant, rugas circa pectus intendens pariles, quàm sericæ vestis illecebram hac arte non superet? Et ibidem: Quid calceus pullæ vesti subjectus, ad imitationem antiquæ picturæ in acumen venustè desinens?* Quid insulsius autem, quàm nigri pallii affectatio, ut vultûs candor & nitor magis splenderet: *Ac demum pallium imponis, ut sub nigro colore facies decentior videatur & gratior.*

*Ibidem.*

*Ad Gauden. de Pacatulæ educat.*

*Ad Marcellæ de ægrotat. Blæsillæ.*

*De vitando suspecto contubernio.*

*In Epist. 1. ad Timoth. hom. 8.*

XI. Et hæ quidem vel suis ipsæ, vel parentum manibus induebantur vili hac & fusca religionis veste; at alias solemni consecratione velabat Episcopus ipse. Ejus generis fuit Demetrias, ad quam hæc scribebat Hieronymus: *Scio quod ad imprecationem Pontificis flammeum virginale sanctum operuit caput.* Ejusmodi erat & illa alia, de qua alibi: *Post Apostoli Petri Basilicam, in qua Christi flammeo consecrata est.* Erat & illud velamen sacrum, sanctumque, quo se illæ priores sponte sua obumbrabant & mundo suffurabantur, & professam virginitatem præ se ferebant. Unde & sacrilegos vocat Tertullianus, qui hoc velum detraxerint. *O sacrilegæ manus, quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt!*

*Ad Demetr. de servanda Virgin.*

*De Virgin. velandis.*

Sed longè tamen sanctius, longè augustius erat hoc consecrationis velum, quod cum sacra pompa solus Episcopus imponebat. Unde de eo Ambrosius: *Venit Pascha dies, in toto orbe Baptismi sacramenta celebrantur, velantur sacra virgines. Uno ergo die sine dolore aliquo multos filios & filias solet Ecclesia parturire.* Et alibi acerbissimè objurgans unam ex his quæ pactam sponso virginum fidem violaverat: *Non es memorata diei sanctæ Dominicæ Resurrectionis, in qua divino Altari te obtulisti velandam? In tanto itaque solenni conventu Ecclesiæ Dei, inter lumina illa splendida, inter candidatos regni cœlestis quasi Regina Regi nuptura processeras. Non es memorata qualis allocutio facta est illa die ad te: Aspice filia & intuere & obliviscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum, &c. His tunc in illo die consecrationis tuæ dictis & multis supra castitatem tuam præconiis, sacro velamine tecta es; ubi omnis populus dotem tuam subscribens, non atramento, sed spiritu, pariter clamavit, Amen.* Ejusdem generis fuit consecratio B. Genovefæ à B. Germano Episcopo Altisiodorensi facta. *Interea Sacerdos gressum divertit ad Ecclesiam, maximo populorum agmine prosequente, ibique inter dintissimos Psalmorum concentus, ac prolixam orationis continuationem, beatus Germanus dexteram super caput virginis indefesse tenuit.* Hoc probrum objectat Optatus Episcopo Donatistæ, quòd incesto adulterio contaminasset unam harum puellarum, cujus pater evaserat, imposita ei Mitra, ita enim vocat velamen sacrum: *Cui Mitram ipse imposuerat, à qua pater antè vocabatur.* Velamina erant lanea, purpureo colore infecta: *De qua lana Mitrella fieret, de qua purpura tingeretur.* Symbolum id erat cælestis cum immortali Sponso conjugii. *Spiritale hoc nubendi genus est. Jam cælestes celebraverant nuptias.* Hujus veli sanctitate deterrebantur, ne auderent nefarii homines has virgines vel ambire sibi sponsas, vel rapere. *Ne qui sponsabat, perseveret petere, aut raptor audeat violare.*

*Exhortatio ad Virgin.* — *Ad Virgini lapsam. c. 5.* — *Vita S. Germani. c. 2.* — *L. 2. c. 7.*

XII. Tradit Epiphanius virginitati, ceu inconcusso fundamento superstructam stare Ecclesiam, quam Christus in summo ipse collocavit defixitque culmine castimoniæ, & perfectionis, atque carnis illecebrarum abdicationis: *Fundamentum igitur ac velut crepido quædam in Ecclesia virginitas est, quæ à plerisque colitur & observatur, & in illustri quadam gloria ac prædicatione versatur. Virginitatem solitaria vita proximè sequitur, quam in plerisque sexus utriusque Monachis videmus.* Author est Chrysostomus, ne ipsos quidem Gentiles potuisse non summopere admirari Christianæ Religionis sanctimoniam, in tam numerosis intaminatarum virginum choris radiantem, quæ innatarum cupiditatum conculcatio & victoria omnes proculdubio naturæ vires superabat, nec poterat nisi ab ipso naturæ conditore proficisci. *Inter Græcos sanè quidam licet pauci ita philosophati fuerunt, ut opum essent contemptores, & iram vicerunt. Virginitatis autem flos nullo modo apud illos floruit, in qua semper concesserunt nobis primam dignitatem, ingenuè fatentes rem supra naturam esse, & non humanam, & eapropter omnibus gentibus summæ admirationi fuimus.* Harum ergo virginum castimonia illustrabatur toto orbe Christi fides & religio, quo acuebatur Episcoporum sollicitudo, ut earum invigilarent spiritali disciplinæ, & ne quo subsidio temporali eas deficere paterentur. Ideo & Canonicas vocat hic Chrysostomus, tanquam Canoni seu Catalogo Beneficiariorum inscriptas.

*Exposit. fid. Cath. c. 21.* — *Tractatu Quod Canonicæ cum viris cohabitare non debeant.*

Nec Augustinus in præteritis habuit, hoc Christianæ fidei & veritatis documentum, cùm nisi incarnatâ ipsâ sempiterni Dei sapientia, non potuerit contemnendæ carnis & ad æternam continentiam constringendæ disciplina toto orbe propagari, stupentibus Philosophis id fieri tam crebrò & tam familiariter, quod omnino fieri posse diffidebant, quod ne tentabant quidem plerique eorum, quod in mores induci posse publicos omnino desperabant. *Si tot juvenum & virginum millia, contemnentium nuptias castèque viventium, jam nemo miratur, &c. Si tam innumerabiles aggrediuntur hanc viam, ut desertis divitiis & honoribus hujus mundi, ex omni hominum genere uni Deo summo totam vitam dicare volentium, deserta quondam insulæ, ac multarum terrarum solitudo compleatur.* Fingendo tantùm, aut ne fingendo quidem potuerat humana sapientia has virtutes commentari, terrenarum omnium voluptatum aspernatrices. Incorruptibilis & omnipotentis Dei sapientiæ hoc fuit operæ pretium, ut mulierculas ipsas virgunculasque ea imbueret & armaret Philosophia.

*De vera Relig. c. 3.*

XIII. Ad majestatem ergo Ecclesiæ permagni intererat, ut hos virginum greges curaret, excoleret, & tueretur, velut incorruptibile quoddam suæ sanctimoniæ decus. Ideo his virginibus specialis & honorificentior locus in Ecclesia dicatus erat, ubi & exarata radiabant encomia, quibus virginitatem Scripturæ prosequuntur. Ambrosius ita docet in Epistola ad Virginem lapsam. *Nonne vel illum locum tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas recordari debuisti, &c. Nonne vel illa præcepta quæ oculis tuis ipse scriptus paries ingerebat, recordari debuisti?*

*Cap. 6.*

XIV. Nec sine piaculo sileri potest vehementissimus ejusdem Ambrosii zelus ad puellas omnes fideles alliciendas, vel etiam pertrahendas ad eandem virginitatis professionem. *Hoc non omnibus imperatur, sed ab omnibus flagitatur.* Alibi autem ait toto ex orbe Mediolanum convolare virgines, ut virginitatem profiterentur, quanquam frigerent Mediolanenses virgines ad suas istiusmodi exhortationes, quibus tam longè dissitæ aliæ inflammabantur. *Dicit aliquis, Tu nobis quotidie virginum canis laudes. Quid faciam, qui eadem quotidie cantito, & proficio nihil? Sed non mea culpa. Denique de Placentino sacrandæ virgines veniunt, de Bononiensi veniunt, de Mauritania veniunt, ut hic velentur; Magnam rem videtis, hic tracto, & alibi persuadeo. Si ita est, alibi tractemus, ut vobis persuadeamus.* Plus erat momenti, plus virium in fama Ambrosii, quàm in lingua: absentibus, quàm præsentibus faciliùs quidvis persuadebat. Nec tamen ille de spe, aut zelo, aut officio quidquam suo remittebat, ut omnes ad Evangelicæ perfectionis præcepta complectenda incitaret, virginesque urgeret, quo se cœlesti immortali dicarent Sponso, ei amorem, ei metum parentum postponerent, ei dotis jactura litarent, quanquam essent paucissimi, qui illas ea de causa tantùm dote fraudarent. Ostendebat denique sponsas Regis Regum & Domini Dominorum inopia vel inedia laborare nunquam posse: in ipsa virginitate incorruptibilem esse thesaurum, quo paupertas ipsa solatio sit; parentum verò repulsam, non repulsam esse, sed probationem. *Dotem negabunt parentes? Sed habes divitem sponsum, cujus contenta thesauro, patriæ successionis emolumenta non quæras. Quanto dotalibus præstat compendiis casta paupertas? Et tamen quam audistis aliquando propter studium integritatis, legitimæ factam successionis exortem? Contradicunt parentes, sed volunt vinci: Indignantur frequenter, ut*

*L. de Viduis.* — *L. 1. De Virginibus.*

*discas vincere. Abdicationem minantur, ut tentent, si potes damna sæculi non timere. Exerceris virgo, dum cogeris. Si vincis domum, vincis & sæculum.*

XV. Crimini vertebant Ambrosio malè feriati homines, quod ipse laudi ducebat, quòd videlicet omnibus passim virginitatis custodiam inculcaret:
Ibid. l. 3. *Criminis invidia hæc est, quia suadeo castitatem. Virginitatem inquis doces, & persuades plurimis. Utinam convincerer, utinam tanti criminis probaretur effectus. Non vererer invidiam, si efficaciam recognoscerem. Utinam potuissem revocare nupturas.* Si qui invidiam illi ex eo crearent, quòd crescente virginum sacrarum numero decresceret gentis humanæ soboles: reponebat Ambrosius, nusquam esse majorem hominum frequentiam, quàm ubi esset & numerus virginum Deo dicatarum plurimus, nempè in Ægypto, in Africa, in Oriente, ubi exaggeratè quidem, sed verè tamen dicit, plures consecrari virgines, quàm homines in Italia nascerentur. Videtur autem Ambrosius ibi designare Ecclesiam Alexandrinam, Carthaginensem & Antiochenam: quæ amplissimæ, & antiquissimæ cùm essent Ecclesiæ, tantò invictiùs ibi Christiana Religio & Evangelicorum Consiliorum perfectio dominabatur. Et quidem cùm calidissimo utantur cœlo regiones illæ, tantò evidentiùs hinc præpotentis Christi gratiæ argumentum existebat, cui cœli terræque natura & vis famulabatur.
Ibidem. *Si quis putat consecratione virginum minui genus humanum, consideret, quia ubi paucæ virgines, ibi etiam pauciores homines: ubi virginitatis studia crebriora, ibi numerum quoque hominum esse majorem. Discite quantas Alexandrina totiusque Orientis & Africana Ecclesia quotannis sacrare consueverint. Pauciores hic homines prodeunt, quam illic virgines consecrantur?* Permirum illud verò est, quod de virginibus solemniter consecratis agat Ambrosius. Nam cæterarum multitudo multò erat utique numerosior.

XVI. Duo hîc rursus cursim observanda. Primum est nunquam, aut rarissimè frustratas fuisse sacras virgines legitima hæreditatis portione, quanquam nec parentum fortasse consensum expectassent, nec cum iis jure agere solerent. Alterum est ad professionem admissas has virgines sine dote, & ære Ecclesiæ sustentatas fuisse, ut quæ Christi patrimonii dispensatrix esset. Adde & illud, quod Ambrosio suffragetur Augustinus in laudanda Africanarum virginum frequentia.
Epist. 203. *Sanctimonialium occursantium atque cantantium greges.* Ita jam tum excipiebantur Episcopi in civitatem advenientes, obviam prodeuntibus gregibus sacrarum virginum, & sponsi sui laudes concinentibus.

XVII. Diximus ab Episcopo solo virginibus imponi solitum consecrationis velum. Per Africanos tamen Canones licebat & Presbyteris eo fungi munere, jubente, vel permittente Episcopo. Sic enim habet ex Concilio Carthaginensi Ferrandus:
Can. 91. *Ut Presbyter inconsulto Episcopo virgines non consecret, Chrisma verò nunquam conficiat.*

XVIII. Non injuria autem sancti Patres virgines omnes extimulabant, ut huic se proposito dedicarent, cùm illud semel amplexatæ angelicam deinceps vivendi formam & sanctitatem sectarentur. Uni Deo illæ inhærebant, & Scripturarum meditationi ab infantia ipsa. Ita enim Hieronymus ad Lætam de educatione filiæ. *Adhuc tenera lingua Psalmis dulcibus imbuatur, &c. Reddat tibi pensum quotidie de Scripturarum floribus carptum, &c. Assuescat ad orationes & Psalmos nocte consurgere, mane Hymnos canere, Tertia, Sexta, Nona hora stare in acie, quasi bellatricem Christi, accensaque lucerna reddere sacrificium vespertinum. Orationi lectio, lectioni succedat oratio. Discat & lanam facere, tenere colum, &c.* An Monasterio concedebat ejusmodi materna domus? An regularem probationem non æquabat talis institutio? An Clerici, an Beneficiarii poterant sanctiori inouitari disciplinæ? Nec nos interim præteribit, quod religiosæ parenti ab Hieronymo inculcatur, ut virgunculam Christi à teneris insuefaceret labori manuum, sed qui nil vanitatum, nil ineptiarum sæculi redoleret, quod ejurasset. *Talia vestimenta paret quibus pellatur frigus, non quibus vestita corpora nudentur.* Sancit Hieronymus ut juvencula Sanctimonialis novi Testamenti librum nocturna versat, verset & diurna manu, memoriter discat libros Prophetarum; evolvat opuscula Cypriani, Hilarii, Athanasii, cæterorumque Patrum; denique serió matrem monet, ne tanta se cura & sollicitudine edocendæ ad eam normam filiæ ipsa fatiget, si minùs ei se parem sentiat, sed illam Monasterio tradat instituendam.

Iisdem ille præceptis imbuit clarissimam virginem Demetriadem, ubi & illud aperit, quàm non immeritò hæ virgines omnibus Clericorum & Beneficiariorum ornamentis, emolumentisque donarentur. *Præter Psalmorum & orationis ordinem, quod tibi hora Tertia, Sexta, Nona, ad Vesperum, media nocte & mane semper est exercendum, statue quot horis sanctam Scripturam ediscere debeas, quanto tempore legere, &c. Cumque hæc fimieris spatia, habeto lanam semper in manibus.* Ad Demetr. De virgin. servan. Deinque non modò recitari, sed & decantari vult sanctissimus Pater Canonicas horas ab his virginibus in ædibus paternis. *Quis ignorat psallendum esse fœminis in cubiculis suis, & absque virorum frequentia & congregatione turbarum?* L. 1. adv. Pelagian.

Non video quid amplius in cujusquam animo residere possit dubii, quin virgines istæ quæ paternas incolebant domos, vel domorum partes remotiores & à contubernio hominum prorsus secretas, verè Moniales, verè professæ essent, iisdemque insenescerent pietatis exercitiis, quibus illæ, quæ in Monasteriis instituebantur.

---

## CAPUT XLIII. *P. 3. l. 1. c. 39.*

### De Virginibus & Viduis Deo sacratis in paternis ædibus & de fœminis Canonicis, sub Imperio Caroli Magni.

*I. Velum sumebant virgines, vel sua manu, vel parentum, vel Presbyteri: quoquo modo id fieret, religiosa ea erat professio.*

*II. Varia statuta de viduis, quæ extructu mortuis semet ipsæ velabant.*

*III. Paternis in domibus morabantur.*

*IV. Nec resilire fas erat ab ea professione.*

*V. Cujus modi esset hic habitus, hoc velum.*

*VI. Solius hæc erat virginitatis vel continentiæ professio, sine aliis Religionis votis.*

*VII. Ea res in Oriente minùs frequens.*

*VIII. De Canonicis fœminis. Continentiam profitebantur.*

*IX. Cur in earum Regula mentio non fiat Regulæ Augustini. Solam profitebantur continentiam & stabilitatem, quibus Regula Augustini Evangelicam adjiciebat paupertatem.*

*X. Erant tamen Canonicæ, quæ temporalia abdicabant omnia, quanquam id minimè profiterentur.*

*XI. Quæ vitæ tenor Canonicarum.*

*XII. Eadem ipsæ erant, atque priscæ Sanctimoniales, quæ à paternis ædibus non recedebant, & quæ nunc compulsæ sunt ad communis vitæ societatem, exemplo Canonicorum & Clericorum omnium.*

*XIII. Nec Canonicas, nec Moniales curabant, aut regebant Monachi.*

I. PErinde ut antè, ita & sub Imperio Caroli Magni, aut sua se manu velabant Deoque dicabant virgines, aut à parentibus, Presbyterisve velabantur. Quo demum cumque modo caput illarum sacro velo obumbratum fuisset, quo nimirum Sanctimoniales à laïcis & nupturientibus virginibus secernebantur, jam ab eo proposito resilire non poterant, nisi si qua vis ut velarentur allata
Ann. 752. fuisset. *Vt qualibet modo fœmina velum acceperit, in*
Can. 4. *hoc permaneat, nisi se invitam aut reclamantem velaverit aliquis. Tamen prædicandum est, ut cum velo suo permaneat, si voluerit. Quod si Presbyter eam invitam reclamantemque velaverit, gradum suum pro hac causa perdat.* Sic habet Canon Concilii Vermeriensis, anni 752. quod dilucidè intelligitur de Sanctimonialibus virginibus, quæ claustris non cohibebantur, & quæ cum cognatis vitam degebant, sub speciali Episcopi custodia, & eorum quos eis ille præficiebat regendis, nonnisi summa & prudentia & pietate viros. Id aliquanto etiam clarius micat in
An. 789. Caroli Magni Aquisgranensi Capitulari. *In Concilio*
Cap. 40. *Africano præcipitur, ut virgines Deo sacratæ à gravio-*
Ann. 829. *ribus personis diligenti custodia serventur.* Concilium
c. 42. Parisiense anni 829. earum retexit damnavitque fraudulentiam, quæ paupertatis impatientia velabant seipsas, subdola ea spe, fore ut eo obtentu cæteris præponerentur, & Custodes & Administratrices Ecclesiæ crearentur. Edicit Concilium, ut caveant sibi Episcopi, Presbyterique ab his Sanctimonialibus, rei augendæ, quàm castitati colendæ addictioribus; ne credant illis Ecclesiæ administrationem rerum, edoceantque eas, quàm humili, quàm casta, quàm defæcata à terrenis cupiditatibus mente, expetendum sit sacrum velum. *Invenimus quod quadam fœminæ, maximè hæ qua valde censu tenues sunt, sine consensu Sacerdotum, idcirco sibimetipsis velum imponant, ut sub prætextu hujus velaminis, Ecclesiarum excubatrices & administratrices fieri possint. Hæc igitur incauta velatio, unusquisque Episcopus provideat, ne in sua Parochia fiat, &c. Talis velatio ne ulterius indiscretè fiat.*

II. Viduæ post conjugum statim obitum totæ propendebant ad velum induendum & ad profitendam continentiam, ita ut à propriis non discederent ædibus, nec familiæ curam & providentiam exuerent. Antiquissimus is erat usus, fueratque aliquandiu sanctissimus, cui nunc duplex labes adhærescebat. Nonnullæ doloris primùm & luctûs impatientissimæ velum arripiebant, parique mox levitate ejus abjiciendi occasiones aucupabantur; primùm præcipites, mox leves & perfidiosæ. Aliæ sensim defluebant ad molles illas delicias, quæ non facilè declinari possunt, quando rerum copia affluit, & sæculi voluptates insaniæque oculis auribusque jugiter obversantur.

In Concilio eodem Parisiensi innovatum est Statutum Ludovici Imperatoris, consensione Episcoporum firmatum, nempe ut triginta saltem dies post mariti obitum professionem differrent viduæ: his elapsis, vel nuberent rursum, aut si quod religiosius est, eligerent continentiam, tum excitarentur ad subeunda Monasterii claustra, quo tutiores essent à scopulis fluctibusque sæcularis conversa-
Ibidem. tionis. *Nobiles fœminæ quæ amissis viris velantur, &*
Can. 44. *non in Monasteriis sub spiritalis matris regimine, sed potius propriis in domibus sub occasione liberorum rerumque suarum residere, delitiisque affluere delectantur, &c. Statuimus, ut hujusmodi viduæ amissis viris repente non velentur, sed cum conniventia Episcopi sub triginta diebus, ut à glorioso Principe domno Ludovico cum consilio Sacerdotum jamdudum confirmatum est, expectent; quibus peractis, aut nubant, aut si potius Deo se sacrari expostulaverint, admoneantur & instruantur, ut non in domibus propriis, sed in Monasteriis sub spiritalis matris regimine Deo se servituras subdant.*

III. Quanquam hujus Concilii Patres contestentur, viduas adolescentiores, quæ post votum continentiæ Deo nuncupatum, sæcularibus ex ædibus suis non migrant, miserandis lapsibus obnoxias plerumque esse: non aliud tamen quàm illas hortantur, ut in Monasteria se aliqua abdere velint. Itaque extra controversiam est, hoc genus viduas & virgines Deo sacras privatis in domibus semper aliquantas fuisse. Cujus rei fidem faciunt & Capitularia. *De viduis & puellis, quæ habitum reli-* L.7.c.157.
*gionis in domibus propriis, tam à parentibus, quàm per se & vestem mutaverint, &c.* Si Moniales hæ extra Claustrorum septa habitantes nuberent, jubet Concilium eas sejungi. Usque adeo vera & rata habebatur earum Professio.

IV. Non paulò austerior fuit his Heraldus Archiepiscopus Turonensis. Nec enim passus est, ut quibus reluctantibus injectum fuisset Religionis velum, eæ possent unquam à Religionis proposito declinare: qua lege ille eas quoque complectebatur, quæ paternarum ædium incolæ semper essent. *Quod* Cap. 37.
*non liceat mulieri velum, aut sponte, aut coacte semel susceptum quacumque ratione rejicere, licet in domibus propriis vestes mutarint.*

V. Tacita ea erat Professio, quæ fiebat sumpto velo, habituque modestiore, quem publicus usus his Monialibus proprium fecerat. Id innuitur his quidem verbis: *vestes mutare.* Concilio ex Forojuliensi anni 791. sub Patriarcha Paulino, constat eam vestem in Longobardia nigram fuisse: non potuisse eam puellis viduisque concedi inconsulto Episcopo: si ea indutæ postea nuberent, separari à marito, & pœnitentiæ addici, cui mors una finem poneret. *Placuit de puellis vel viduis, quæ virginita-* An. 791.
*tis sive continentiæ propositum spontaneè pollicentes, Deo* Can. 11.
*emancipatæ fuerint, & ob continentiæ signum nigram vestem, quasi religiosam, sicut antiquus mos fuit in his regionibus, indutæ fuerint, licet non sint à Sacerdote sacratæ, in hoc tamen proposito eas perpetim perseverare mandamus. Si publicè nupserint, segregentur ab invicem, &c.*

VI. Præter observatiunculas jam præmissas supersunt hîc & nonnullæ aliæ non aspernandæ. 1. Ea professio uni virginitati vel continentiæ illigabat. Nec obedientiæ, nec Evangelicæ quemquam astringebat paupertati. Eratque tamen verè Religiosa professio. 2. Multùm discrepabat à professione solemni quæ tunc fiebat, cum Episcopus virginem velabat, aut ordinabat Diaconissam. *Licèt non sint à Sacerdote sacratæ.* 3. Itaque succurrere posset animo simplex illud fuisse votum; cùm tamen eo dirimeretur, si quod subsequeretur matrimonium: iis certè temporibus & locis, ubi ita conducibilius esse autumabat Ecclesia. 4. Si simplex autem id habebatur votum; solemnitas ei tamen aliqua conciliabatur ex priori Episcopi assensu. *Nulli liceat prædictis personis habitum, id est, vestem mutare, absque sui Episcopi conscientia.*

Concilium Moguntinum sub Arnulpho Rege an- Can. 26.
no 888. permisit arbitrio Episcopi tempus, quod viduis ad deliberandum daretur, an continentiam eligerent, *consentiente Episcopo.* Porro si animum ad-

jicerent ad continentiam; hortatur illas Concilium, ut aut in Monasteriis sedem sibi figant, aut ex sedibus ædibusve suis Monasterium sibi faciant, perfugiumque à tumultuosa sæculi vanitate. *Si propositum castitatis assumpserint, aut Monasteriis claustris regulariter constringantur, aut domi manentes castitatem suæ professionis integerrimè custodiant.* Contra virgines autem quæ se gravi lapsu contaminassent, innovatur ab hoc Concilio Synodi Elvirensis austeritas; ex quo id nimirum efficitur, ut si quæ earum nuberent, numero eo haberentur, quo adulteræ.

VII. Affatim jam esse videtur exemplorum & Canonum, quibus liquidò constet, usque ad annum Christi millesimum fuisse in Ecclesia Latina virgines & viduas Deo sacras, simplici voto alligatas continentiæ, velo & habitu sibi proprio notabiles, in paternis propriisve domibus habitantes. Quod ad Græcam autem Ecclesiam attinet, ex Balsamone colligitur ferè cum jam usum exolevisse, nec vel Constantinopoli ullam fuisse tum domum, quam incolerent hæ virgines, quæ Monasteriis non includerentur; denique Thebanum Archiepiscopum extructo istiusmodi virginibus domicilio, æternum gloriæ decus sibi peperisse. *Hodie Constantinopoli nec sunt virgines cum laicali habitu nec est virginum domicilium, quod Parthenon dicitur. Solus autem sanctus ille Thebarum Metropolitanus Caloctenes fecit Thebis Parthenonem, & laicas in ipso virgines ordinavit. Et ideo æternum est hoc ejus monumentum, eique eo nomine gratia agenda est.*

VIII. Ad Canonicas nunc promovendus gradus, & quæ de iis jam dicta sunt, ubi de Congregationibus & Capitulis Canonicorum agebamus, pluribus hic astruenda sunt argumentis. Cognatæ enim cum primis sunt quæstiones hæ duæ: an Canonici, Canonicæque præter communis vitæ societatem, profiterentur etiam continentiam, paupertatem, stabilitatemque, in suis quique separatim Congregationibus. Ostendimus Canonicos hoc ævo Imperii Caroli Magni, quamvis in eodem Claustro sedem haberent, nullo tamen voto, nulla professione obligatos fuisse. Eo præjudicio de Canonicis fœminis utcumque intelligitur, quid præsumi debeat. Itaque quod nemo satis mirari poterit, erant nescio quo modo eodem tempore, & veræ Moniales, quæ non Monasteriis, sed privatis suis in ædibus diversarentur: erant ex adverso & inclusæ Monasteriis virgines viduæque, & regulari disciplinæ obnoxiæ, quæ Monachæ, Monialesque non essent.

Can. 11. Concilium Vernense anni 755. nihil interponit discriminis inter viros fœminasque, sese Deo devoventes; omnesque indiscriminatim cogit, aut Monasticam sectari Regulam, aut Canonicam vitam sub Episcopi regimine. *De illis hominibus qui dicunt, quod se propter Deum tonsurassent, & modo res eorum, vel pecunias habent, & nec sub manu Episcopi sunt, nec in Monasterio regulariter vivunt; Placuit ut in Monasterio sint sub ordine regulari, aut sub manu Episcopi sub ordine Canonico. Et de ancillis Dei velatis eadem forma servetur.* Manifestè ergo patet, quantùm Canonici hi imperio & disciplinæ Episcopi immediatè subjecti, à Regularibus vel Monachis, Regulæ beati Benedicti & Abbati obnoxiis discrepabant; tantum fuisse discriminis inter Canonicas & Moniales, quòd hæ Regulam tenerent beati Benedicti, illæ specialem Regulam ex Canonibus specialiter sibi contextam.

Sed cùm Canon iste non agat nisi de velatis, & optionem illis det instituti Monialium, vel Canonicarum: hinc colligitur Canonicas continentiam saltem fuisse solitas profiteri. Ejusdem rei probationem aliam eruere fas est ex Concilio Moguntino. *Abbatissas cum Sanctimonialibus omnino rectè & justè vivere censemus. Quæ verò professionem sanctæ Regulæ Benedicti fecerunt, regulariter vivant. Sin autem, Canonicè vivant pleniter, & sub diligenti cura custodiam habeant, & in claustris permaneant, neque foras exitum habeant. Sed & ipsæ Abbatissæ in Monasteriis sedeant, nec foras vadant, sine licentia & consilio Episcopi sui.* Vix dilucidius quidquam dici poterat ad Canonicas à Monialibus disjungendas. Erant tamen Canonicæ non omnis obligationis expertes. 1. Cùm vocentur *Sanctimoniales.* Suo ergo quodam modo Moniales erant; quamvis beati Benedicti Regulæ non subessent. 2. Cùm Claustro uno omnes sepirentur: *in claustris permaneant.* 3. Cùm egredi his septis nunquam possent. *Neque foras exitum habeant.* Hoc non absurdè dixeris stabilitatis vinculum, quod continentiæ voto accederet. Ann. 813. Can. 13.

His conjecturis præsidii non parum accedet à Concilio Cabilonensi anni 813. quod propter Canonicas tantùm aliqua statuere decrevit, quod abundè suppeterent Monialibus ex Regula beati Benedicti, quæcumque ad vitæ Monasticæ normam conducunt. *Libuit huic sacro conventui quasdam admonitiunculas breviter eis Sanctimonialibus scribere, quæ se Canonicas vocant: quoniam hæ quæ sub Monastica regula norma degunt, totius vitæ suæ ordinem in eadem quam profitentur regula scriptum habent.* Clausura, lectio, oratio, cantus divinorum Officiorum, hoc in Concilio diligentissimè præcipiuntur. Ubi & illud notare par est, nisi hæ Canonicæ continentiam & stabilitatem vovissent, non tantopere laboraturos fuisse hujus Concilii Patres, ad eas in Claustra sua cohibendas, & prorsus arcendas à sæcularium contubernio & congressu. An. 813. Can. 53.

IX. Illud permirum, qui factum sit, ut Regula beati Augustini, quæ ejus Epistola continetur, & quam constat regendis Sanctimonialibus fuisse ab ipso exaratam, ab his Conciliis, maximè ab Aquisgranensi sub Ludovico Pio non sit in medium prolata, ut ad eam hæ Canonicæ constringerentur. Aquisgranense hoc Concilium anni 816. Regulam propriam Ludovici Pii jussu contexuit ex sanctis Patribus, eamque illi obtulit, ut ad eam servandam Canonicæ adigerentur: *Nam & in altero libello idem sacer Conventus eodem Augusto monente, quandam institutionis formulam ex sanctorum Patrum dictis studiosè excerpsit, & Sanctimonialibus Canonicè degentibus tenendam perconsuit.* Initio hujus Regulæ congesti sunt antiquorum Patrum Latinorum, Græcorumque contextus, quos inter Augustino datus non est locus. An. 816. Conc. Gall. To. 2 pag. 130.

Cùm verò hi Tractatus Patrum ad Virgines Deo sacras attemperati fuissent, hinc nova probatio suppeditatur, ut Canonicas istas continentiæ illigatas fuisse intelligamus. *Ecce quibus saluberrimis documentis sanctissimi viri Deo dicatas ad castimoniale propositum servandum instituunt.* Sed quorsum attinet plura aucupari argumenta ad eam rem approbandam, quæ disertissimis ipsius Regulæ verbis perspicuè exprimitur: *Cùm hujusmodi Religionis gratia Monasteria expetiverint, non eis facilis tribuatur ingressus, donec prius eis hæc legantur capitula: ut his perlectis, noverint quid eis in castimoniali proposito observandum, quidve vitandum sit. Quæ postquam se Domino in hac militia devinxerint, nequaquam licitum erit* L. 1. c. 6. Can. 8.

*propriis*

*propriis uti consiliis, nec sæcularibus penitus implicari posse negotiis, &c. Proinde scrutentur prius arcana cordis sui, ne inconsultè & minus cautè vinculum continentiæ & virginitatis arripientes, redeant post satan, & fiant sicut canis reversus ad vomitum.* Habes hic apertissimam professionem continentiæ viduis, virginitatis virginibus, stabilitatis utrisque diligenter observandæ.

Sed & illud ingenuè fateri cogimur, nullo se vinculo Canonicas obligasse, ut patrimonio nuntium remitterent. Earum aliæ sponte sua terrenas facultates opesque omnes abdicabant, incorruptibiles flagrantiùs sectaturæ divitias. Aliquæ Ecclesiæ conferebant agros fundosque suos omnes, solo usu fructu sibi deinceps servato. Aliæ denique ipsam rerum suarum proprietatem retinebant, nec aliud cogebantur, quàm ut earum administrationem & curam & defensionem amicis cognatisve suis demandarent: ne tumultu caussarum sæcularium, quies & silentium interturbaretur religiosi secessûs. Germana ergo ea ratio est, cur alium sit de Regula beati Augustini silentium in Regula Aquisgranensi Canonicarum. Paupertatem Evangelicam exactissimè præcipiebat Augustini Regula, quo vinculo non erat consilium vel Ludovici Imperatoris, vel Patrum Concilii Aquisgranensis Canonicas constringere. Accipe verba ipsa Concilii, quibus ne optare quidem possis, vel expressius quidquam,

Ibid. c. 9. vel dilucidius. *Providendum est his quæ ob amorem Christi castimonia se dicaverint, & in collegio Sanctimonialium se admitti postulaverint, ut res suas antequam Monasterium ingrediantur, ita disponant, ut ad vitam tendentes æternam, nullam earum occasione patiantur perturbationem. Proinde si aliqua Sanctimonialium res suas proprias Ecclesiæ ita contulerit, ut nihil ex his sibi proprium vindicare, sed tantum rebus sustentari velit Ecclesiæ, huic sufficienter in Congregatione stipendia largiantur necessaria. Si autem Ecclesiæ eas tradiderit, & usufructuarie habere voluerit, quæstor Ecclesiæ eas, utpote Ecclesiæ, defendat. Quod si eas Ecclesiæ conferre noluerit, Abbatissa & cæteris Sanctimonialibus cohibentiam adhibentibus, committat eas perscriptum publicè ro[...]ium, aut propinquo, aut alio cuilibet bonæ fidei amico, qui eas jure fori defendat.*

X. Eo Canone idoneæ & sufficientis stipendia non assignantur nisi iis, quæ terrenis omnibus renuntiarunt. *Huic sufficienter in Congregatione stipendia largiantur necessaria.* Quod ad illas minimè porrigitur, quæ vel proprietatem retinent suarum pos-

Can. 12. 13. sessionum, vel saltem usum fructum. Ideo cùm sequentes Canones præcipiant, æquales esse omnium Canonicarum distributiones, ut singulis nempè diebus singulæ earum accipiant tres libras panis, tres libras vini, carnes, pisces, legumina, habita tamen ratione temporum locorumque: debent hi Canones ad eas trahi, quæ nihil sibi residuum esse voluerant, nec proprietatis, nec ususfructûs.

Ibidem. XI. Nigra veste utebantur Canonicæ: *Nigris*

Can. 10. *indui vestibus.* Sericeas adhibere nec Abbatissæ poterant. *Qua authoritate sibi attribuunt licentiam, sericas vestes induendi, aut pompis vanis inserviendi?* Officiorum divinorum psalmodia, lectio Scripturarum, Catholicorumque Tractatorum, labor denique manuum, juges erant earum & voluptates, & occu-

Can. 10. pationes. *Aut Psalmorum modulationibus, aut manuum operationibus insistant, aut certè divinis lectionibus aurem accommodent.* Frustra ergo sunt, qui addubitant, an horarum Canonicarum illæ quotidiano penso tenerentur. Uno loco omnes somnum capiebant, singulæ singulæ lectis propriis; uno omnes loco reficiebantur: *Omnes in dormitorio dormiant, singulæ scilicet in singulis lectis. In refectorio quoque pariter reficiantur.* Aula spatiosissima in qua dormiebant omnes, accensa lampas nocte perpeti collustrabat.

*Lucerna quoque noctis tempore in eodem dormitorio jugiter ardeat.* Si qua corripi & emendari non poterat jejuniis, corporeis pœnis, sequestratione à choro & à mensa, claustrali carcere, ea tandem pœnitentiæ subjiciebatur, quam Episcopus indixisset, quod nefas prorsus esset in sæculum, aut redire, Can. 17.

aut rejici. *Quia nullatenus huic sæculum repetere fas, advocetur, si necesse est, Episcopus & pœnitentiam sibi ab eo salubriter injunctam gerat.* Can. 18.

In eo verò novum professæ Canonicorum stabilitatis argumentum suppeditatur. Supperunt & alia ejus libertatis documenta, qua patrimonium retinere poterant. Poterant enim famulas sibi ad quotidiana asciscere Ministeria, hortante dumtaxat illas Concilio, ne plures quàm necesse esset haberent, atque in earum mores sedulò inquirerent:

*Quia licitum est Deo dicatis canonicè viventibus, vernulas secum famulandi gratia in Monasteriis habere, cavendum est, &c. Ut non amplius quam necessitas exigit, sibi ad serviendum congregent, & erga congregatas curam adhibeant, &c.* Ideo & pro cellulis singulæ domunculas habebant, quæ unius muri ambitu omnes cingebantur. *Intra claustra Monasterii propriæ solitæ sunt habere mansiunculas, &c.* Ideo denique & ea distributionum copia erat panis & vini, quæ ultra unius alendæ necessitatem effunderetur. Can. 22.

Can. 23.

XII. Hinc illud manifestè existit, has Canonicas illas omnino fuisse primigenias Ecclesiæ virgines, viduasque, quæ tantum splendoris & gloriæ contulerant primis illis Christiani nominis temporibus, incorruptæ continentiæ professione, quanquam patrias ædes incolerent, nec hæreditariis possessionibus renunciare cogerentur. Eodem quippe ipso tempore, quo animum adverterunt Episcopi, Principesque, ut Clericos omnes ad communis vitæ societatem compellerent, & in Capitula Congregationesque edunarent: virgines quoque & viduas Deo devotas in communia claustra contrudere decreverunt. 1. Virginum, viduarumque Collegia duo fuerant longè omnium antiquissima in Ecclesia. 2. Ad communem vitam ita compulsæ sunt, ut facultates proprias retinerent, quoad collibitum esset. 3. A Monachis Monialibusque discretæ semper fuere. 4. Nec tamen nullæ fuerunt, quibus indulgeretur, ut extra ea claustra commorarentur, propositi semper sui retinentes. 5. Non poterat stabilitas tanta Canonicorum præscribi, quanta Canonicarum; propterea quod seu virgines, seu viduæ castitatem semper professæ erant, at non omnes unquam Clerici cœlibatui fuerant illigati. Itaque suis Claustris nunquam egrediebantur Canonicæ, quod de viris Canonicis ne fingi quidem potest.

Non abludit tamen omnino à similitudine veri, tempore Concilii Liptinensis nullasdum fuisse Canonicas, anno 743. cùm eo Concilio sanciatur, *ut Monachi & ancillæ Dei Monasteriales juxta Regulam sancti Benedicti vivere studeant.* Castrum Liptinense Diœcesis est Cameracensis, ubi sitæ sunt etiam Montes, & Malbodium urbes. Itaque hujus Concilii tempore nec in his urbibus Canonicæ ullæ erant, nec usquam alibi, cùm universim de omnibus Ancillis Dei sanciat Liptinense Concilium, ut Regulam amplexentur B. Benedicti. Videri forsan possent in Concilio primùm Francofordiensi distingui

Can. 46. Canonicarum & Monacharum Abbatissæ. *De Abbatissis quæ canonicè aut regulariter non vivunt.* Unde & Cabilonense Concilium de iis agit, ut de instituto novo quodam: *Sanctimonialibus quæ se Canonicas vocant.* (Can. 53.) Fieri ergo facillimè potuit, ut laxata disciplinæ fibula, & Monachi aliqui Canonicos, & Monachæ nonnullæ Canonicas se agere cœperint, & utrisque propè necessariò indulgentia adhiberetur, dum piè nihilo secius viverent, convenienter iis temperamentis, quæ approbata fuerant vel Crodogangi Regula ad Canonicos, vel ad Canonicas Aquisgranensi. Fidem faciunt Annales Hannoniæ sæculo circiter decimo medio, à Brunone Archiepiscopo Coloniensi, & Pontificio Legato, instituta fuisse duo Collegia Canonicarum apud Montes, & apud Malbodium. Verùm utcumque probabiliter hoc dicatur, contrà potest dici stare Concilium Vernum anni 755. (Can. 11.) Ejus enim ex Canone suprà relato videtur esse potuisse tum Monachos & Moniales, Canonicos Canonicasque vitæ sanctitate insignes.

XIII. Unum superest quod hîc observemus. Monachis tunc quidem in usu non fuisse ut Confessiones exciperent, vel Canonicarum, vel Monialium. Apertè id præ se fert Concilium Aquisgranense anni 816. (Can. 27.) cum sancit, ut Presbytero non confiteantur Canonicæ, nisi in Ecclesia: aut si ægrotarint, ut eas necesse fuerit in Monasterio confiteri, ipse socium sibi adjungat Diaconum, Subdiaconumque. *Si qua igitur peccata sua Sacerdoti confiteri voluerit, id in Ecclesia faciat, ut ab aliis videatur, &c.* Sed Concilium Parisiense anni 829. (An 829. Can. 46.) non modò illud statutum innovavit: sed absolutè vetuit, ne Monachæ vel Canonicæ Monachis unquam confiterentur. *Nullo quippe modo videtur nobis convenire, ut Monachus relicto Monasterio suo idcirco Sanctimonialium Monasteria adeat, ut confitentibus peccata sua modum pœnitentiæ imponat.* Illud denique ibidem declaratum est, non posse Presbyteris Monachis confiteri, nisi ejusdem Monasterii Monachos. *Præsertim cùm eisdem Sacerdotibus Monachis id facere fas non sit, exceptis his duntaxat, qui sub Monastico Ordine secum in Monasteriis degunt.* Denique Monachos admonet Concilium, Institutum Monasticum, otio sacro silentioque dicatum esse, ideoque feriari eos debere ab administratione quacumque tum civilium rerum, tum sacrarum. *Cùm Canonica authoritas doceat Monachos quietem debere diligere, & intentos esse tantummodo jejunio & orationi, in locis quibus renuntiaverunt sæculo permanentes, ut nec Ecclesiasticis, nec sæcularibus negotiis communicent.*

---

## CAPUT. XLIV. *P. 1. l. 1. c. 51.*

### De Virginibus Deo sacris in Monasteriis, & puellis quæ in eisdem Monasteriis instituebantur per priora Ecclesiæ sæcula.

*I. Fœminarum Deo sacratarum Monasteria non minùs antiqua, quàm Monachorum. Probationes ex Antonio & Pachomio.*
*II. III. IV. Ex Gregorio Nazianzeno, Basilio & Theodoreto.*
*V. VI. Ex Ambrosio, Martino, Augustino, Hieronymo.*
*VII. Quibus institutionibus uterentur alumnæ B. Paulæ in Monasterio suo Bethlehemitico.*
*VIII. De puellarum Monasteriis Romæ.*
*IX. Puellæ ibi ab infantia educabantur.*
*X. Regulam scripsit Augustinus Monialibus. Summa ejus Regulæ.*
*XI. XII. Suberant Augustini Moniales Abbatissæ, seu Præpositæ suæ, Presbytero, qui spiritalem earum curam gerebat, & Episcopo.*
*XIII. Quæ nobis Abbatissa, Orientalibus Amma dicebatur.*
*XIV. Suberant & præpositis suis Sanctimoniales, quæ paternis in ædibus diversabantur.*
*XV. Moniales in Oriente crinem tondebant, deponebantque in manus Abbatissæ.*
*XVI. In Occidente olim crinem non tondebant.*
*XVII. XVIII. XIX. In Occidente perinde, ut in Oriente Monasteriis commendabantur virgunculæ educandæ à cunis.*

I. Ad fœminarum Monasteria accedendum jam nobis est, suisque astruendum argumentis, quod prænuntiavimus, ejusdem ætatis fuisse fœminarum Monasteria ac virorum. Non potest quisquam ambigere, quin parens primus, authorque Monasteriorum fuerit Antonius. Atqui soror Antonii in ejus statim vestigia ingressa est, & cum puellis aliis ejus exemplo abdidit se in Monasterium, cujus Præposita ipsa fuit. Vide quid de his Athanasius in vita B. Antonii: *Sororem quoque jam vetulam virginem videns, & aliarum puellarum Magistram, mira exultatione sustollitur Antonius.* (Cap. 29.) Inter alumnos Antonii eximius cum primis Pachomius, sorori & ipse suæ Monasterium struxit, ubi Sanctimonialibus eam compluribus præfecit, & religionis fama præstantissimis. *Protinus imperat religiosioribus fratribus, ut ei procul à se Monasterium construant. Convenerunt ad eum aliæ plurimæ, & brevi tempore magnæ multitudinis mater effecta est.* (Vita Pach. c. 28.) E Monachis suis Petrum delegit Pachomius veneranda canitie & diuturnis virtutum experimentis spectatum, constituitque hujus fœminarum Monasterii Visitatorem, quo ad sanctimoniam eas instrueret, & in variis consolaretur vitæ ærumnis. Regulam Pachomius scripsit Monasteriis suis omnibus, viris fœminisque juxtà accommodatam, cùm fœminæ iisdem subessent macerationibus, nec quidquam distaret nisi genus vestis. Interlabente fluvio dividebantur Monasteria, & eo sensu intelligenda sunt, quæ aliquando fuisse dicuntur Monasteria communia.

II. In laudes primò evehitur Nazianzenus virginitatis, ut quæ Angelicis cœtibus, Christoque ipsi nos consociet, à quo edocti sumus, virginitate abduci homines à corporeo hoc & corruptibili mundo, ut Deo adglutinemur: tum deinde subjicit virginum Monasteria à Basilio fundata fuisse. *Magna res est virginitas & cœlibatus, atque in Angelorum naturæ singularis ordine censeri; vereor enim dicere Christi, qui cùm propter nos genitos gignendus esset, ex virgine gignitur, virginitatem velut lata lege sanciens, ut hinc abducentem, ac mundum contrahentem, vel potius mundum ad mundum transmittentem, præsentem ad futurum. Quis igitur magis quàm Basilius aut virginitatem in pretio habuit, aut carni leges imposuit? Cujus sunt virginum Cœnobia? cujus præcepta illa litteris mandata, &c.*

III. Expertus est Basilius quanto in periculo versarentur Moniales extra Monasteria, cùm Diaconus nescio quis ejus Diœceseos, Presbytero, seu Parocho, Chorepiscopoque contempto, immo & ipsomet qui Episcopus erat, *assumpto titulo & habitu Patriarchali, cœpit insolescere*, ducem se Sanctimonialibus præstare, & eas in desertum abducere. Quas Canonicas dicat Basilius, non semel jam diximus. (Epist. 412. 300. 302.)

IV. Ex Theodoreto liquet aliquas fuisse quidem, sed paucissimas, quæ solæ & solitariæ degerent, à sæculo longè semotissimæ: sed in Monasteriis innumerabiles: *Multæ siquidem aliæ partim solitariam vitam sunt amplexæ, partim versari cum pluri-* (Histo. Relig. c. 30.)

*bus maluerunt.* Quibusdam in Monasteriis ducentas quinquaginta & amplius fuisse, quæ alternis se orationi & labori manuum dederent: *Ita ut ducenta & quinquaginta, aut eo plures pauciorésque unà degant, uno cibo vescentes, super storeis solis dormire solita, & manus quidem lanificio exercentes, linguam verò Hymnis consecrantes.* Denique has cælestium Angelorum Colonias sparsas fuisse per Orientem, Palæstinam, Ægyptum, Asiam, Pontum, Ciliciam, Mesopotamiam, Europam: & hos esse incorruptibiles flores, quos cælesti satu edere terra cœpisset, cum primùm de Virgine ortus est nobis Sol justitiæ Christus. *Ex quo Christus de virgine nascens virginitatem honoravit, virginitatis prata natura produxit, & odoriferos istos, nec unquam marcescentes flores profert Creatori.*

V. Agit etiam forsan Ambrosius de Bononiensi
*L. 1. de Virg.* virginum Monasterio circiter viginti. *Sacrarium virginitatis incolunt, sine contubernali sexu.* Psalmodia & opere manuum noctes diesque transigebant: *Nunc Canticis spiritalibus personant, nunc victum operibus exercent.* Sed procul dubio de Monasteriis virginum verba facit in Epistola quadam sua: *cucurrisse ad Monasterium*, ostenditque Sanctimoniales quasdam fuisse ibi ab Episcopo consecratas. *Ejus*
*Epist. 64.* *sanctificatam benedictione* Unam earum virginum hoc probro onerat Ambrosius, quòd in officio contineri non potuerit, ne ipsa quidem Monasterii, cui nomen dederat, sanctimonia & disciplina. *Oblita*
*Ad Virginẽ* *domum patris tui, ad Monasterium virginale transisti.*
*lapsam c. 7.* *Non dico tuta esse debueras inter tot posita, si voluisses, sed etiam tutelam aliis præstare potuisses.* Meminit Se-
*Sever. Sulp.* verus Sulpitius Monasterii puellarum, ubi B. Mar-
*Dial. 2.* tinus locavit conjugem militis, qui Monasticum institutum amplexus erat. Beatum Augustinum testatur Possidius fundamenta jecisse Monasteriorum
*In vita Aug.* utriusque sexûs. *Monasteria virorum ac fœminarum*
*c. ult.* *continentium, cum suis Præpositis, plena Ecclesia dimisit.* Edicit Hieronymus, ne Monasteriis suis egrediantur Moniales, ut ad Ecclesiam procedant, nisi
*Ad Demetr.* simul omnes & cum Præposita sua. *Quæ vivunt in*
*de virgin.* *Monasterio, & quarum simul magnus est numerus,*
*serv.* *nunquam sola, nunquam sine matre procedant.*

VI. Illo Hieronymi testimonio palam fit nullas adhuc Ecclesias, nulla fuisse Monialibus tunc Oratoria, sed gregatim processisse ad majorem Ecclesiam, quò sacris Mysteriis interessent. Quanti periculi esset in publicum procedere sacras has virgines, testatum abundè fecere Hieronymus, Ambrosiusque, ut prorsus necesse fuerit lapsu temporis, sua illis Oratoria, suas proprias & interiores Ecclesias concedere, ne quo sæcularium afflati possent contagio. Tradit Hieronymus harum virginum aliquas sibi probè cognitas, solemnioribus Festis abstinuisse ab adeundis Ecclesiis propter populorum
*Ibidem.* turbas tunc frequentiores. *Scio ego sanctas virgines quæ diebus Festis propter frequentiam populorum pedem domi cohibent, nec tunc egrediuntur, quando major est adhibenda custodia, & publicum penitus devitandum.* Compertum est quo sanctissimus Pater zelo efferbuerit adversùs Sabinianum, qui harum virginum unam in Bethlehemitico ipso Templo sollicitaverat, quò suo ex Monasterio accesserat. *In Monasterio se*
*Epist. ad Sabin.* *victuram spoponderas.* Eo consilio sanctus Pater id non tarò Monialibus insusurraverat, ut domi po-
*Ad Eustoch.* tiùs orarent, quàm in Ecclesia. *Rarus sit processus*
*de virginit. serv.* *in publicum. Martyres tibi quærantur in cubiculo tuo.*

VII. Quamvis nullæ adhuc essent sacris virginibus Ecclesiæ, ubi immolaretur Agnus earum sponsus, & ubi eo vescerentur: erant tamen domestica Oratoria, quæ cælestibus Canticis & horis Canonicis diu noctuque personarent. Postquam B. Paula virorum extruxit Monasterium, tria alia virginibus sacra exædificavit, ubi sejunctim in suo quæque Monasterio vescebantur, & operabantur manibus: at conjunctim è tribus Monasteriis in unum illæ convolabant Oratorium ad Officia divina, soloque Dominico die ad Ecclesiam vicinam progrediebantur, ubi Mysteriorum Agni participes fierent. *Post* *In Epitaph.*
*virorum Monasterium, quod viris tradiderat gubernan-* *Paulæ.*
*dum, plures virgines ex diversis Provinciis congregatas, tam nobiles, quàm medii & infimi generis in tres turmas, Monasteriaque divisit, ita duntaxat ut in opere & in cibo separata, psalmodiis & orationibus jungerentur. Post Alleluya cantatum, quo signo vocabantur ad Collectam, nulli residere licitum erat. Mane, hora tertia, sexta, nona, vespere, noctis medio, per ordinem Psalterium cantabant. Nec licebat cuiquam Sororum ignorare Psalmos, & non de Scripturis sanctis quotidie aliquid discere. Die tantùm Dominico ad Ecclesiam procedebant, ex cujus habitabant latere. Et unum quodque agmen matrem propriam sequebatur, atque inde pariter revertentes instabant operi distributo. Excepto victu & vestitu, nullam habere quidquam patiebatur.*

VIII. Ex quo Romæ fuere virorum, fuere & virginum Monasteria, atque adeo tota Italia. Idem Hieronymus cùm dixisset Marcellam Principiamque ejus filiam suam ruri domum in Monasterium sibi delegisse: tanto inde amore exarsisse affirmat urbem Romam in ejusmodi vitam cælestibus diffluentem deliciis, terrenisque sordibus & tumultibus expeditam, ut Roma jam non Roma, sed Hierosolyma esset, propter incredibilem quandam multitudinem Monasteriorum, seu virginum, seu viro-
rum. *Multoque ita vixistis tempore, ut ex imitatione* *In Epitaph.*
*vestri, conversatione multarum, gauderemus Romam fa-* *Marcellæ.*
*ctam Jerosolymam. Crebra virginum Monasteria, Monachorum innumerabilis multitudo.*

IX. Postremò id monet nos Hieronymus, Monasteria hæc Sanctimonialium scholas fuisse luculentissimas, ubi puellæ nobiles, quas à teneris Deo parentes dicabant, sanctissimè educarentur. Ideo cùm Lætæ inculcasset sanctus Pater, quæcumque ad filiolæ institutionem castissimam pertinere videbantur; suadet tandem & hortatur, ut hanc quam Christo dicaverat sponsam, enutriri curet potiùs in Monasterio, ubi amita, ubi avia, ubi virtutes intaminatas edisceret, vitia etiam nesciret, nullo
afflaretur pestifero sæculi veneno. *Noli ergo subire* *Ad Lætam.*
*onus quod ferre non potes, sed postquam ablactaveris,* *De instit.*
*eam redde aviæ & amitæ. Nutriatur in Monasterio. Sit* *filiæ.*
*inter virginum choros, nesciat sæculum, vivat angelicè, sit in carne sine carne, omne hominum genus sui simile putet.*

X. Regulam Monialium elucubravit Augustinus longè pulcherrimam. Sororem suam Monasterii Præpositam ipse constituerat. Abdicatio temporalium, obedientia, vita communis, castitas, modestia vestium & capillorum, denique virtutes omnes religiosæ speciali quodam nitore ea in Regula fulgurant. Erat illis Oratorium domi privatum, in quo orarent & psallerent; ad Mysteria participan-
da publicas ad Ecclesias prodibant. *Orationibus in-* *Epist. 109.*
*state, horis & temporibus constitutis. In Oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, unde & nomen accepit: ut si aliqua etiam præter horas constitutas orare voluerint, non eis sint impedimento, quæ ibi aliquid agere voluerint. Psalmis & Hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in voce.* Et infrà:

*Quando proceditis, simul ambulate; cùm veneritis, quò itis, simul state, &c. Quando ergo simul estis in Ecclesia, & ubicumque ubi & viri sunt, invicem vestram pudicitiam custodite.* Velum illis, ut equidem auguror, imponebat Episcopus, non Abbatissa vel Præposita: *Sub illa estis velata.* Non ait *ab illa.* Simplicitas & modestia in veste renidebat: *Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus.* Quibus erant facultates & bona, iis Monasterium impertiebant. *Quæ aliquid habebant in sæculo quando ingressæ sunt Monasterium, illud libenter velint esse commune.* Ab aliis nihil exigebatur: *Quæ non habebant, ne se putent esse fœlices, quia victum & vestitum invenerunt.* Certas habebant horas, quas lectioni impenderent. *Codices certa hora singulis diebus petantur, extra horam quæ petierint, non accipiant.*

XI. Regebantur hæc Monasteria ab Præposita & Presbytero, maximè verò sub imperio Episcopi. Ita perspicuè Augustinus in hac ipsa Regula: *Convicta secundùm Præpositæ vel Presbyteri arbitrium debet emendatoriam sustinere vindictam, &c.* Et infrà: *Si deprehenditur atque convincitur, secundùm arbitrium Præpositæ, vel Presbyteri, vel etiam Episcopi, gravius emendetur.* Verùm ut Presbytero potestate præcellebat Episcopus, ita concedebat Præposita. Itaque potissimam Moniales Presbytero & expeditissimam impendebant obedientiam. *Præpositæ tanquam matri obediatur, honore servato, ne in illa offendatur Deus; multo magis Presbytero, qui omnium vestrûm curam gerit.* Et ad Presbyterum Præposita recurrebat ipsa, sicubi ejus authoritas rerum ponderi & difficultati succumbebat. *Ad Præpositam præcipuè pertinet, ita ut ad Presbyterum qui vobis intendit, referat quod modum vel vires ejus excedit.*

*Ibidem.*

XII. Beatam Læam Hieronymus Monasterii virginum matrem ait fuisse, hoc est, Abbatissam. *Ita eam ad Dominum fuisse conversam, ut Monasterii princeps, mater virginum fieret.* Eodem nomine & honore afficit B. Paulam in Monasteriis virginum quæ apud Bethlehemum fundaverat. *Cùm frequentibus choris virginum cingeretur, & veste, & voce, & habitu, & incessu minima omnium erat.* His ille subjicit mirabiles & innocuas artes plurimas, quibus tenellos virguncularum greges sanctissima magistra ad omnes pietatis numeros fingebat.

*Epist. ad Marcellam. de obitu Lææ.*

*In Epitaph Paulæ.*

XIII. In Oriente *Amma* dicebatur Præposita, hoc est, Mater & Abbatissa, Syriaco idiomate. Ut enim Syris Hebræisque *Ab* pater est, ita *Em* vel *Am* mater; reliquum in iis nominibus crementum est linguis omnibus usitatissimum. Narrat Palladius Piterionem Abbatem cælesti monitu contulisse se ad Monasterium, ubi puella sanctissima à cæteris comitibus *Sala*, id est, fatua vocabatur: cùm non alia hæc ejus esset, quàm stultitia crucis, hoc est, sapientia quædam salutis, quæ insanis insania, sanis salus videbatur esse. Huic ergo confestim Piterion ad genua procidit, ab eaque benedici se petiit, *Benedic Amma.* Frequens est & alibi id nomen apud Palladium, quas Pelagius *Matres spirituales* interpretatur.

*Palladius Hist. Laus. c. 42.*

*Ibid. c. 57. 137. 138. Vita Patr Rosv. Libel. 18. n. 19*

XIV. Nec in Monasteriis tantùm præerant Monialibus Præpositæ, Abbatissæ, Ammæ; sed & iis quæ paternis in ædibus hospitabantur virginibus, & quæ alimentis Ecclesiasticis sustentabantur, sua erat cui parerent Præposita. *Virgines Ecclesiasticæ* dicebantur, eisque Episcopus ipse præficiebat eam, cui morem gerere debebant. Meminit Sozomenus B. Nicaretes, quæ cùm virtutibus maximè florere, tum humilitate præcellebat. Unde cum à Chrysostomo vocaretur ad Diaconissarum munus, & ad Præfecturam Virginum Ecclesiasticarum, παρθένων ἐκκλησιαστικῶν ἡγεῖσθαι, ipsa qua erat humilitate constantissimè recusavit.

*L. 8. c. 23.*

XV. Claustris abditæ virgines, ut suam vanitatum & pomparum mundi fugam demonstrarent, & devotam Abbatissæ mandatis obedientiam, incisos sibi capillos in ejus manus deponebant, vel ipsa cæsariem earum cædebat Abbatissa. Eam virginum consuetudinem in Ægypti & Syriæ Monasteriis authur est Hieronymus. *Moris est in Ægypti & Syriæ Monasteriis, ut tam virgo quam vidua, quæ se Deo voverint, & sæculo renunciantes, omnes delicias sæculi conculcaverint, crinem Monasteriorum matribus offerant desecandum, non intecto postea contra Apostoli voluntatem incessura capite, sed ligato pariter, ac velato.* Aliam ejus moris causam idem alibi observat: *Ne parvis animalibus quæ inter cutem & crinem gigni solent, & concretis sordibus opprimantur.* Sæculares enim fœminæ balneis & unguentis eas à se pestes abigebant. Eundem morem secandi virginum capilli attigit Palladius: *Virginum hujusmodi erat habitus, ut essent tonsæ & cucullatæ.*

*Ad Sabin.*

*Hist. Laus. c. 41. Pelag. libel. 18. c. 19.*

XVI. Non desunt argumenta ex quibus ominari liceat ab hujusmodi consuetudine abhorruisse tunc Occidentem. Unde & eam videtur Hieronymus Ægypto & Syriæ circumscribere. Africana virgo persecutores fugiens, & in iis propinquos ipsos suos, & sponsum sibi exosum, ex rupe præcipitem se dejecit; at invisibili cœlestis sponsi dextera sublevata, & molliter humi deposita, in Ecclesiam confugit, ubi virginitatem & capillum Christo dicavit, à quo, ut intaminati pudoris argumento, ferrum & manus deinceps abstineri placuit. *Ad ædem pudicitiæ portumque pudoris, Ecclesiam, intacta virgo confugit: ibi consecrati Deo dicatique capitis in perpetuam virginitatem sacratissimum crinem inconcusso pudore servavit.* Ita habent Acta ipsa Martyrum apud Surium. Compertissimum est Gangrensi Canone XVII. damnari eas, quæ personatæ religionis specie præpostera, capillos sibi abraderent, quo subjectionis symbolo nihil naturæ ipsi accommodatius est. διὰ τὴν νομιζομένην ἄσκησιν [illegible] τοῦ νόμου. Eò & Optatus referri potest, virgines Catholicas ait eos, ad specimen spiritalis sui cum Christo conjugii, promissum & fluitantem gestasse crinem: *Spiritale hoc nubendi genus est, & in nuptias sponsi jam venerant voluntate & professione sua, & ut sæcularibus nuptiis se renunciasse monstrarent, spiritali sponso solverant crinem, jam cœlestes celebraverant nuptias.* Tum vituperat Donatistas, qui eas coëgerant, iterare professionem, iterata eadem ceremonia: *Quid est quod eas iterum crines solvere coëgistis, &c. Quasi secundas coëgistis ad nuptias, ut crines iterum solverent, imperastis.* Augustinus verò in Regula Monialium, ita præcipit: *Capillos ex nulla parte nudos habeatis: nec foris vel spargat negligentia, vel componat industria.* Ambrosius virginem sacram, fœdissimo piaculo incestatam cùm ablegaret ad pœnitentiam publicam, jussit ut crines amputaret, quorum inani ventilatione delectata, & tandem in gravissimum lapsum impulsa fuerat. *Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt.* Constat ergo eas omnes quibus illæsa constabat castitas, nequaquam crines abscidisse.

*Die 21 Febr.*

*L. 6.*

*Epist. 109.*

*Ad virgin. lapsam. c. 8.*

XVII. Diximus jam in Monasteriis Virginum apud Bethlehemum enutriri solitas ab infantia puel-

las, primisque imbui Christianæ pietatis rudimentis; invitatamque ab Hieronymo Lætam, ut Paulam filiolam eò mitteret, Magistrum se ejus & nutritium senem fore despondente. *Ipse si Paulam miseris, & Magistrum, & nutritium spondeo. Gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo multò gloriosior mundi Philosopho, qui non Regem Macedonum Babylonio periturum veneno, sed ancillam & sponsam Christi erudiam, regnis cælestibus offerendam.* *Ad Lætam de instit. filiæ.*

XVIII. Si ad gloriam & beatitatem uberius amplius que sibi fore duxit Hieronymus, ad Regnum sempiternum tenellulam Christi sponsam instituisse: quàm si ut Aristoteli demandata sibi fuisset instituendi Alexandri Provincia, cujus Imperium tanto sanguinis impendio stetit, nec stetit, sed statim corruit; non minus fuit Basilii studium ad tam illustrem, tam necessariam operam Christo navandam. Voluit enim in Monasteriis suis utriusque sexûs infantuloa educari, vel orphanos, vel à parentibus Deo dicatos: & quanquam non loquatur ipse nisi de virorum Monasteriis: probabile tamen cum primis est Monialibus ab eo commendatas esse puellas, in Dei cultu & in Religionis instituendas tyrocinio. *Cum Dominus dicat, sinite parvulos venire ad me, & Apostolus eum laudet, qui ab infantia sacras litteras didicisset, idemque alio in loco educandos esse filios præcipiat in disciplina & timore Domini: promptè ad eos, qui ad nos accedunt, admittendos, nullum non ætatis tempus idoneum esse judicamus, vel ipsius adeo tenera atque ineuntis. Vt videlicet eos qui parentibus orbati sint, nostrapte sponte ipsi assumamus, & exemplo Job parentes pupillorum simus. Qui autem sub parentibus sint, eos ab ipsis ad nos adductos, multis adhibitis testibus recipiamus, &c.* Jubet autem Basilius, ut extra Monasterii septa nutriantur, ut integrum prorsus eis sit Religioni se mancipare, vel in sæculo versari, cùm ætatem assecuti fuerint idoneam; sejungi pueros à puellis; utrosque non poëticas fabulas, sed sacræ Scripturæ libros & historias edoceri; denique ut artem aliquam ediscant honestam. In Ecclesia ergo id semper viguit, sed non illa semper viguit observantia, ut ad hanc religiosam juvenum institutionem non admitterentur, nisi qui Religioni se mancipaturi viderentur. *In Regul. fusius disp. r. 15.*

XIX. Idem moris in Ægypto fuisse declarat Severus Sulpitius in primo Dialogo, ut in Monasteriis nutrirentur infantulorum greges. Ait enim ex his duos, unum quindecim, alterum duodecim annos natum, ingentem cepisse aspidem, & ad Monasterium duxisse, excantatum non alio carmine, quàm sua ipsorum innocentia & castimonia vitæ. Et illos tamen egregiè jussit Abbas excipi, ut his plagis retunderetur aculeus superbiæ, quo pungi facilè potuissent. Narrat Ruffinus Joannem illum tanta numinis gloria inter deserti incolas clarum, Militi suasisse, ut filium Monasteriis enutriendum commendaret. *Septem annis peractis trade eum Monachis, erudiendum sanctis & cælestibus disciplinis.*

## CAPUT. XLV. *P. 2. l. 1. c. 41.*

### De Monasteriis Monialium in Gallia & Hispania sæculo VI. VII. & VIII.

*I. Quantùm distarent ab aliis Moniales ab Episcopo solemniter velatæ in Gallia.*

*II. III. IV. Erant in propriis ædibus, erant & in Monasteriis plures, & harum aliquæ claustro nunquam efferebant pedem, aliæ nullo ejusmodi vinculo constringebantur. Annos probationis omnes in sæculari habitu agebant.*

*V. An irritum esset matrimonium post hanc professionem contractum.*

*VI. Earum quæ in claustris degebant paucas velabat Episcopus.*

*VII. VIII. Probationes quibus efficitur, irritum earum fuisse conjugium.*

*IX. Eadem in Hispania Sanctimonialium varietas.*

*X. De iis quas Episcopus velo consecrationis honestabat.*

*XI. De variis Officiis Monialium. De puellis, quæ illis credebantur nutriendæ & instituendæ.*

I. Soror ipsa Clodovæi Regia, quem Galliarum Constantinum non injuria dixeris, solemni Episcopalique consecratione Deo dicata fuit, ut docet nos B. Remigius in Epistola ad Clodovæum ipsum de obitu sororis scripta. *Christus implevit, ut benedictionem virginitatis acciperes: qua sacrata, non est lugenda, quæ flagrat in conspectu Domini flore virgineo.* Longè probabilius est Regiam hanc virginem Monastico claustro nunquam septam fuisse. Superessent enim aliqua ejus rei vestigia in historicis monumentis. Itaque retinebatur hac ætate media, eadem quæ priùs distinctio velatarum cum solemni pompa, & sine pompa Sanctimonialium, sive illæ in Monasteriis, sive privatis in ædibus degerent. Jubet Agathense Concilium, ut longè semper intervallo distent Monasteria virorum ac puellarum, *longius consolemur*, tum ut maledicentiæ bominum occurratur, tum ut dæmonum propulsentur tentationes, & mille nocendi artes. *Conc. Gall. Tom. 1.* *Can. 18.*

II. Duplex illud virginum sacrarum genus indigitasse videtur Symmachus Papa, in Epistola Decretali ad Cæsarium Arelatensem Episcopum, ubi anathemate eos innodat, qui earum aliquam uxorem duxerint. *Illos vehementius persequendo, qui Deo sacratas virgines, vel volentes, vel invitas matrimonio suo sociare tentaverint.* Et mox conjugio interdicens illis, quæ plures annos in Monasteriis egerint. *Neque viduas ad nuptias transire patimur, quæ in religioso proposito diuturna observatione permanserunt. Similiter virgines nubere prohibemus, quas annis plurimis in Monasteriis ætatem peregisse contigerit.* Frequentior erat, ut arbitror, tacita quàm expressa tunc professio, implicita, quam explicita. Ergo harum vel virginum, vel viduarum tacita professio censebatur *diuturna observatione, plurimis annis*. Si minor effluxisset annorum numerus, is erat Novitiatus, id tyrocinium. Certè author est Gregorius Magnus toto triennio in sæculari veste probatos fuisse Novitios Monasteriorum, & tunc demum Religionis habitu indui, hoc est profiteri. Vigent etiamnunc in jure Canonico varia hæc professionum genera. Sed ut ad Symmachi Papæ Epistolam me referam, certum est eas quas in primo Decreto vocat *sacratas Deo virgines*, diversas ab iis omnino esse, de quibus in secundo agit, quarum vota & sacra vincula non constant, nisi post plures in Monasterio perseverantiæ annos: cùm ex adverso priores illæ statim atque consecratæ fuerant, indissolubili vinculo & nexu constrictæ tenerentur. *Conc. Gall. Tom. 1. Can. 4. 5.*

III. Ejusdem rei probationes ineluctabiles suggeret nobis Concilium Aurelianense V. Sancit enim ut in Monasteriis, ubi fida est Claustri custodia, probentur puellæ anno uno, antequam sacro induantur habitu; & ubi non observatur Claustri lex, tribus annis in sæculari antè probentur veste, quàm Monastico habitu donentur. Ideo & communione abscinduntur, si postea nubant. Idem sancitur erga viduas, puellasque, quæ paternis ædibus non egressæ, continentiam Deo voverunt, mutata veste,

hoc est, modestiorem indutæ habitum, quo secernerentur ab eis quæ se eidem professioni non inieavissent. Promenda sunt ipsa Concilii verba:
Can. 19. *Quæcumque puellæ seu propria voluntate Monasterium expetunt, seu à parentibus offeruntur, annum in ipsa qua intraverint veste permaneant. In iis verò Monasteriis ubi non perpetuò tenentur inclusæ, triennium in ea qua intraverint veste permaneant, & postmodum secundum statuta Monasterii ipsius in quo elegerint permanere, vestimenta Religionis accipiant. Quæ si deinceps sacra relinquant loca, propositum sanctum sæculi ambitione transcendentes; vel illæ quæ in domibus propriis, tam puellæ, quàm viduæ commutatis vestibus convertuntur, cum his quibus conjugio copulantur, Ecclesiæ communione priventur. Sanè si culpam sequestratione sanaverint, ad communionis gratiam revocentur.*

Ex hoc Canone manifestum fit, 1. Monasteria fuisse jam tum, ubi servaretur; fuisse & ubi non servaretur Claustri lex. 2. Fuisse adhuc viduas, puellasque Deo sacras, a paternis & propriis ædibus quæ non recederent. 3. Unius anni fuisse probationem, ubi Claustri lex observabatur: trium verò, ubi non servabatur. 4. In laica veste peragi solitum probationis tempus. 5. Indui habitum professionis, perinde fuisse ac professionem edere. 6. Professionem virginum viduarumque extra Claustra degentium fieri solitam fuisse sumpta tantummodo ea veste quæ propria esset Professarum. 7. His omnibus virginum sacrarum viduarumque classibus commune id erat, ut abjecto Religionis habitu resilire in sæculum non possent, aut nuptias contrahere, sine gravissimo flagitio, quo & offenderentur fideles, & anathemata incurrerentur. 8. Irritum sua sponte hoc conjugium in Gallia habebatur, cùm eo illaqueati ab excommunicationis vinculis non solverentur, quin separarentur à conjugibus adulterinis. 9. At in his omnibus nihil prorsus de iis quas Episcopus consecrasset. Longum ergo inter has aliasque intervallum.

IV. In Concilio Parisiensi III. sejunguntur hæ virgines sacræ & ab Episcopo sacratæ, ab iis quæ privatim semet ipsas velabant, & usitatam induebant Sanctimonialium vestem. *Sacratarum virginum*
Can. 5. *ne quis conjugia sortiatur. Similiter earum conjunctionibus abstinendum, quæ vestium commutatione tam viduæ quàm puellæ religionem, pœnitentiam, aut virginitatem publicâ fuerint declaratione professæ.* Hæc non conjugia ut irrita separantur. Professio publica harum posteriorum sola se prodiderat vestis mutatione; at priorum, consecratione Episcopali.

V. In Concilio Turonensi II. proferuntur verba ipsa Innocentii Papæ I. de distinctione virginum, quæ se Deo ipsæ devoverant, quamvis ab
Can. 20. Episcopo nondum velatæ fuissent. *Quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen sponsio earum à Domino tenebatur:* vel quæ ab Episcopo solemniter fuissent velatæ: *Quæ Christo spiritaliter nupserunt, & velari à Sacerdote meruerunt.* Tum verò anathemate percellit hoc Concilium eos qui has virgines viduasque ducent, vel ab iis separari abnuent: *Sacratam Deo virginem, quæ in honorem Christi vestem mutavit;* denique ostenduntur Leges Romanæ, quæ hujusmodi incestos homines capite luere sanciunt. Simile veri est extendi tum cœpisse Privilegia hæc sacrarum Deo fœminarum: & ad omnes alias effusum esse, quod primò de iis tantùm decretum fuerat, quæ consecrationis velum ab Episcopo accepissent.

VI. Ecquis enim facilè sibi persuaserit concessum fuisse consecrationis velum Monialibus omnibus, quarum professio in una posita erat mutatione vestis, post probationem unius aut trium annorum? Ideo & B. Radegundis non meminit nisi consecrationis Abbatissæ Monasterii sui, in ea quam ad Episcopos scripsit Epistola, ut ab iis novo robore firmarentur Privilegia, quæ sibi jam Reges Præsulesque concessissent. *Abbatissam sororem meam Agnetem,* Grego. Turo.
*quam beatissimi Germani præsentibus suis fratribus bene-* Hist Franc.
*dictio consecravit.* Attexuit verò piissima Regina in L. 9. c. 42.
eos qui vel res vel Privilegia Monasterii sui convellere adgrederentur, ejusmodi imprecationes, quæ non multùm distent ab iis quæ in Epistolis quibusdam occurrunt Gregorii Magni. Orat rursus Radegundis Episcopos, ut eo animo esse velint in Abbatissam & puellarum Congregationem sibi commendatam, quo fuit B. Joannes Apostolus in beatam Mariam Deiparam, postquam ejus fidei & custodiæ ab ipso Christo commendata fuit. Gallicani autem Episcopi in sua ad Reginam responsione non Ibidem.
sine insitato admirationis & lætitiæ sensu adgra- L. 9. c. 39.
tulantur ei, quòd in Gallias advecta fuerit eadem ex regione, ex qua B. Martinus, eundemque cælestem intulerit ignem, ardoremque multiplicandorum Monasteriorum; addunt denique cùm suaveolentia Monasticarum virtutum allectæ in ejus Monasterium convolaverint puellæ complurimæ ex omnibus Provinciis; si quæ earum Diœcesanæ suæ ex Pictaviensi Monasterio resilirent, & nuberent, eas à se diro anathemate percelli, una cum adulteri sacrilegique consortibus.

VII. Hæc verò prohibitio, immo & hæc irritatio conjugiorum multis aliis in Conciliis promul-
gata est. Matisconensis Synodus I. id expressè ve- Can. 12. 19.
tat, quod in aliis implicitè vetari existimandum est, non tantùm ut ne ex Claustro ad nuptias prosiliant puellæ, sed omnino ut ne pedem efferant ad sæcularis vitæ contubernia, profanosque congressus. Concilium Lugdunense III. excommunicationem vibrat, dum in Claustra se recipiant. *Quousque in* Can. 3.
*Monasterium, unde egressæ sunt, revertantur, à communionis gratia segregentur.* Concilium Parisiense V. Can. 12.
hoc decretum ad Monachos etiam exporrigit, edicitque ut eos Episcopi in suas retrudant cellas, nec antè relaxent vibratum in eos anathema.

VIII. Verùm quoad virgines viduasque, quæ domi suæ vitam agerent, sua ipsæ sponte, vel à parentibus Religionis habitum indutæ: *Quæ sibi vestes in* Can. 13.
*habitu Religionis in domibus propriis, tam à parentibus, quàm per se ipsas mutaverint:* declarantur hoc ipso in Concilio Parisiensi, si nupserint, privandæ communione, immo & civili contubernio fidelium, donec scelestam copulam abruperint. Edicto suo Regio hoc Synodale Decretum munivit Clotarius II. pœna mortis iis indicta, qui Moniales rapuissent, sive in Claustro, sive privatis in ædibus conversantes; si volentes autem volentibus nuberent, iis separatio, proscriptio bonorum omnium, & exilium indicitur. Zacharias nihilominus Pontifex in Conc. Gall.
Epistola ad Pipinum Majorem Palatii & ad Episco- To. 1. pag.
pos Galliæ scripta, una contexuit Decreta Inno- 587
centii I. & Leonis I. quibus multum discriminis Can. 10.
interponitur Monialibus velatis & non velatis. 12. 17.

IX. Qui beati Cæsarii Arelatensis Archiepiscopi vitam litteris mandavit, de Monasterio Arelatensi verba faciens, ait Sanctimoniales eas tam sanctè rigidéque Claustri legem observasse, ut ne semel quidem toto vitæ curriculo vel tantillum digrederentur. *Erant autem illo loco adeo inclusæ, ut usque ad supremum vitæ diem nulli earum fas esset extra Mona-*

*sterii ostium progredi.* Ad calcem ibidem adnotatur ducentas ibi fuisse Moniales, trigesimo tantùm post jacta fundamenta Monasterii anno. Non utique tanta ab Episcopo multitudo virginum consecrata fuerat die quapiam solemni, quanquam esse possent aliquæ, sicut de beata Itta legimus, senioris Pipini conjuge. *Inter Missarum solemnia de manu Pontificis sacrum velamen & Religionis habitum suscepit, seque redigens in numerum Sanctimonialium, &c.* Itemque de beata Godeberta, quam B. Eligius Noviodunensis Episcopus Christo desponsaverat, annulum suum ejus inserens digito. *Virginem illam annulo suo aurea Christo sponsam coram Rege & parentibus ejus fidentissimè despondit & dedicavit.* Concilium Liptinense anno 743. de Monialibus ita loquitur: *Ancilla Dei. Nonna velata.* Suspicari posset aliquis *Ancillas Dei* vocari Moniales non velatas, at *Nonnas velatas*, quas Episcopus velasset. Sed leviuscula tantùm hæc fuerit conjectura. Porro quod earum carnis flagitia Concilium ea pœna mulctat, *ut radantur omnes capilli capitis*: hinc colligimus moris non fuisse, ut rasitarentur Moniales, nisi ubi pœnitentiæ publicæ subjiciebantur. Cùm professio Religiosa professio sit pœnitentiæ, quanquam illæsa plerisque harum Sanctimonialium constiterit vitæ innocentia; facilè fieri potuit, ut ad ineundam à sponso suo cumulatiùs gratiam, pœnitentiæ hoc symbolo clarescere omnes voluerint, & abscissis esse capellis, ad æmulationem pœnitentium: sicut & ceratim jamdiu cum pœnitentibus fideles omnes uno anni die cineribus consperguntur, eoque profitentur pœnitentiam.

Du Chesne Hist. Franc. To. 1. p. 598. 671.

X. Nec multùm erat aliena à nostris in Gallia moribus Hispaniæ disciplina. Barcinonense Concilium anno 599. excommunicationis telo percutit, separarique jubet virgines, quæ ad nefarias convolarint nuptias, postquam mutato publicè habitu continentiam professæ erant. *Si qua virgo propria voluntate, abjecta laicali veste, devotarum more induta, castitatem servare promiserit.* Quod attinet autem ad Sanctimoniales Claustris septas, Concilium Hispalense II. anni 619. earum administrationem spiritalem permittit Monachis, dum æquo distent intervallo Monachorum & Monialium Monasteria; dum Abbas solus Abbatissam solam alloquatur de rebus ad sempiternam salutem spectantibus: idque rarò, & præsentibus duabus tribusve Monialibus aliis. Quoad res temporales, cum Episcopi consensu deleget Abbas unum aliquem ex Monachis suis, qui curam gerat agrorum proventuumque Monasterii virginum, quæ vicissim vestes Monachorum consuent sarcientque. In Concilio Toletano IV. præcipitur Episcopis, ut manus injiciant in eos qui aufugerint è Monasteriis, tum pœnitentiæ subjiciant, retrudantque in Monasteria sua, parique disciplina sæviant in eas seu virgines, seu viduas, quæ religiosam abjecerint, sæcularemque rursus induerint vestem. *Qua forma servabitur etiam in viduis, virginibusque sacris, ac pœnitentibus fœminis, quæ sanctimonialem habitum induerunt, & postea aut vestem mutaverunt, aut ad nuptias transierunt.* Isidorus Hispalensis Episcopus has Constitutiones Synodicas compendiariè complexus est eo capite, quo de Monachis egit. Non repetam quæ jam delibata hîc sunt: sed pauca hæc addam, ex quibus novæ lucis aliquid eliciatur. *Lanificio etiam corpus exercent atque sustentant, vestesque ipsas Monachis tradunt, ab his invicem, quod victui opus est, resumentes.* Et hæc probabiliter suberat causa olim duplicia construen-

Can. 4.
Can. 11.
Can. 55. 56.
De Offic. Eccles. l. 2. c. 15.

da Monasteria, ut opus manuum, hinc Monachorum, hinc Monialium, mutuo hinc inde solatio subsidioque esset. Obliquæ, fateor, suspiciones perstrepebant, sed his obviabant intervallo ex aliquo dissita Monasteria, prohibiti congressus, vetita colloquia, sola charitatis & pietatis necessitudo.

X. Sed commonstrat Isidorus, quod in Hispaniæ Conciliis non diluxerat, fuisse virgines, quas consecrationis velo Episcopus decoraret, & quæ proinde suprà laudatis magnopere præcellerent. Earum forsan in Conciliis rara aut nulla mentio, quòd numerus esset perexiguus, in diesque minueretur. Et certè cùm ut plurimum hac pompa velarentur, & ordinarentur Diaconissæ, cœperunt hoc ævo Episcoporum Concilia Diaconissarum ordinationes abolere, ut alibi probamus: pariterque consecratio virginum minùs frequens esse cœpit. Quærit Isidorus, *cur sacræ virgines in benedictione velentur?* respondetque hoc illis solatio esse, & quodammodo loco dignitatum omnium sacerdotii, quibus excluduntur. *Quarum hæc causa est: In gradibus enim vel officiis Ecclesiasticis fœmina nullatenus præscribuntur: nam neque permittitur eis loqui in Ecclesia, vel docere, sed neque contingere vel offerre aliquid virilis muneris, aut sacerdotalis officii sortem sibi vendicare. Ideoque hoc tantum quia virgo est, & carnem suam sanctificare proposuit; idcirco venia fit illi, ut in Ecclesia notabilis vel insignis introeat, & honorem sanctificati corporis in libertate capitis ostendat, atque mitram quasi coronam virginalis gloriæ præferat in vertice.* Non satis liquet an his verbis alludat Isidorus ad Diaconissarum extinctionem. Illud certè liquidum, coronatos, ut ait ille, vertices velo consecrationis non facilè traduci posse ad virgines claustris & latibulis Monasteriorum abditas, ita ut proditent nunquam, & totam temporalis earum substantiæ rationem administrarent Monachi.

Ibid. c. 17.

XII. Ut perstringamus aliquid de dignitatibus Abbatiarum Monialium: Cæsarius quidem in Regula multa specialiter præcepta temperat Abbatissæ, seu *Matri*, *Præpositæ*, *Primiceriæ*, *Formariæ*, quæ Magistra erat Novitiarum, quòd juvenculas ad pietatem formaret, fingeretque, denique *Infirmariæ*, quæ curam ægrotantium gerebat. Nolebat Cæsarius alias quascumque virgines in Monasteriis educari, nisi quæ se Christo dicaturæ essent, jamque se pro virili dicarent. Hunc equidem auguror horum verborum sensum. *Aut difficile, aut nulla unquam in Monasterio infantula parvula, nisi ab annis sex aut septem, quæ jam & litteras discere, & obedientiæ possit obtemperare, suscipiatur. Nobilium filiæ, seu ignobilium, ad nutriendum, aut docendum penitus non accipiantur.* Ideo Cæsarius Magistram Novitiarum non aliam fecit, aliam cæterarum Monasterii alumnarum, quibus non adlubuisset votum Religionis. Redeo ad Abbatissam. Non visa est sibi quidem B. Radegundis jam inter laïcas censeri posse fœminas, postquam Monialis & Abbatissa fuerat. *Vinclis laicalibus absoluta, ad Religionis normam transflata.* Curavit porro illa ut suo loco eligeretur Abbatissa Agnes, & postquam à sancto Germano præsentibus Episcopis aliis consecrata sunt, tunc eam confidere cœpit à Monasterii Sanctimonialibus non posse deponi. *Seu Abbatissam alteram, quam sororem meam Agnetem, quam B. Germanus præsentibus suis fratribus benedictia consecravit, aut ipsa Congregatio quod fieri non potest, habita murmuratione mutare contenderit.* A Monasterio facta electio fuerat, & ab Episcopis confirmata. *Cui consentientibus beatissimis & hujus civi-*

Greg. Turon. l. 9. c. 42.

*tatis & reliquis Pontificibus, electione etiam nostra Congregationis dominam & sororem Agnetem, quam ab ineunte ætate loco filiæ colui & eduxi, Abbatissam institui.* Ubi liquet Abbatissam simul & à Fundatrice præsentari, & à Monialibus eligi, & ab Episcopis confirmari.

---

## CAPUT XLVI. *P. 2. l. 3. c. 42.*

### De Monasteriis Virginum in Italia, Anglia & Oriente, VI. VII. & VIII. sæculo.

*I. Constitutiones Gregorii Magni de Monialibus.*
*II. Cur posset Episcopus Cathedram suam in Ecclesias Monasteriorum inferre, & semel tantùm posset anno quolibet.*
*III. An puella sponsata, aut etiam conjugata, possint adhuc Religionem profiteri.*
*IV. Quantum præsidii & fiduciæ sit Ecclesiæ universæ in Monialium sanctimonia.*
*V. De Abbatissa, quæ totum vitæ tempus consumpserat, nunquam assumpto Religionis habitu.*
*VI. VII. Quamvis pleræque in Italia Sanctimoniales in claustris commorarentur, erant tamen & in paternis ædibus nonnulla.*
*VIII. De consecratione virginum in Italia.*
*IX. Et in Anglia.*
*X. In Oriente damnat Justinianus Monasteria duplicia.*
*XI. Damnatur in Concilio Trullano mos absurdissimus virgines eo die sæcularibus indumentis magnificentiùs exornandi, quo Christo se dedicaturæ sunt, paupertatis & modestiæ amatori.*
*XII. XIII. Variæ Regulæ ad Monialium claustra & sepulturas.*

I. NUnc Italiæ Sanctimonialium disciplina mediæ ejusdem ætatis perpendenda nobis est, pòst Angliæ, denique Orientis. Cùm recepisset *L. 2. Ep. 39.* Gregorius Magnus servam adolescentulam percupere Christo & Religioni nomen dare, sed à domino cohiberi: jussit libertatis ei pretium solvi, ut liberatori & redemptori vero suo nubere fidenter posset. Illud quoque ab eo alibi advertitur, Monasterio Abbatissam eam fuisse præpositam, quam *L. 2. Ep. 59.* fundatrix nominasset. *In quo Gratiosam Abbatissam præesse disposuit.* Ut capite superiori animadversum est, à B. Radegunde nominatam fuisse, jussamque benedici Abbatissam Monasterii Pictaviensis; ita vides hîc non abhorruisse Gregorium à Gallicana ea consuetudine. Idem alibi tradit præclarissimè provisum esse à Metropolitanis Calaritanis, ut fide & experientia spectatus Clericus aliquis, res & causas temporales Sanctimonialium administraret, ne sacris ipsæ suis septis egredi, & his vacare cogeren- *L. 3. Ep. 9.* tur tumultuosis occupationibus. Tum verò Januario Calaritano Metropolitano præcipit, ut exemplo utatur majorum suorum, Clericumque fidelem & prudentem oneret sarcina tota rerum causarumque Monasteriorum singulorum, ut Sanctimoniales sacro otio & secessu perfruantur. *Quatenus ulterius eis, pro quibuslibet causis privatis vel publicis extra venerabilia loca contra Regulam vagari non liceat.* Sancit deinque in abstrusiora, duriorque contrudi Monasteria eas, quæ perruptis claustrorum repagulis luxuriatæ professionem sacram commaculassent. Sicu- *L. 4. Ep. 4. 18.* lam alibi Monialem, quæ ab uno in aliud Monasterium transilierat, cogit in Monasterium priùs suum *L. 6. Ep. 22.* regredi. Ex adverso aliud in Monasterium eam ablegari, quæ bona dilapidaverat ejus, in quod admissa fuerat. Gravissimè expostulat de Exarcho Ravennate, qui propudioso patrocinio suo illas tuebatur, quæ cœnobio recesserant, ut incestas nuptias celebrarent. Donavit ille quidem insigni privilegio Massiliense virginum sancti Cassiani Monasterium; sed vel ex eo maximè confirmatur authoritas Episcopi, inflammaturque charitas, ut in Moniales vigilet; non sæpiùs tamen quàm semel ei anno quolibet concedens, ut die Dedicationis, Pontificali pompa Mysteria celebraturus, *Cathedram poni* suam curet in Ecclesia Monialium, quam & inde statim auferri jubeat, atque sacrum erit peractum.

II. Eadem Conciliorum Africanorum disciplina viguit, eadem Monasteriorum consuetudo & libertas, ubi Cathedram suam vetabatur Episcopus inferre in Ecclesias Monachorum & Monialium. Origo hujus usûs altiùs repeti potest à primis Ecclesiæ sæculis, cum Ecclesia una in unaquaibet Civitate erat, in qua collocabatur, eminebatque Cathedra Episcopi, ornatior & sublimior Cathedris aliis Presbyterorum, quo ostentaretur magnificentiùs Sacerdotii quasi majestas regia, in quam non rarò, & in Religionis perniciem semper conspirabatur. Cùm cœptæ sunt aliæ extrui in Episcopali urbe Ecclesiæ, eò delegabatur ab Episcopo Presbyter, qui sacra faceret; eò & ipse se conferebat Episcopus solemni maximè die, ut Mysteria celebraret, deportata illuc Cathedra, supremæ jurisdictionis testificatrice. Ad has publicas Ecclesias ventitabant Monachi, Monachæque, sacris impartiendæ Mysteriis. Sed tandem illis concessa sunt Oratoria, concessæ quin immo Ecclesiæ, ut Claustri illæso vinculo, sacrorum participes fierent. Episcopus quidem qui hanc libertatem condendarum particularium Ecclesiarum annuebat, & secessionis à sua faciendæ; qui eas dedicabat, assentiebaturque ut pars gregis sui aliqua eò diverteret, sejungeretque se à Cathedrali, & matrice Ecclesia, atque à vertice suo, centroque unitatis Ecclesiasticæ; Episcopus, inquam, id utique sibi servabat juris, ut eò accederet, quoties liberet, celebraturus Mysteria, inferretque secum summæ potestatis suæ insignia, Cathedram maximè suam, quòd non fundendo sanguine, non ferro, sed gladio spiritus & spargendo æternæ sapientiæ verbo parta sit summa illa Episcopatûs & Ecclesiastici imperii potestas. Sed cùm turbæ semper populorum circa Episcopos circumstreperent, ne quies, otium, silentiumque Monasteriorum perturbaretur, expresserunt ab Episcopis Concilia & Pontifices, ut his sacris latibulis & religiosis secessibus parcerent, contentique essent, semel anno quolibet eò se conferre, nempè dedicationis die sacro, ut qui locupletissimus certissimusque testis sit, quàm necessariò subsint sacra omnia loca consecratori & dedicatori suo Episcopo. Quæ hoc jam capite ex Gregorio corrasimus, & aliis superioribus, omnem prorsus exemisse videntur dubitationem, ut ambigi jam non possit, quin eo ævo omnibus jam Monasteriis essent peculiares suæ Ecclesiæ, maximè verò Monialium, quibus omnes evagandi ansæ studiosissimè amputabantur.

III. Pontificiam quoque tuitionem Gregorius ei impertiit virgini, quæ ut religionem profiteretur, à sponso discesserat: sponsumque coëgit, ut agros domosque redderet, quos præpropere invaserat: qua in re Gregorius Imperialium legum authoritate fulciebatur. *Et quia Decreta legalia desponsatam si converti voluerit, nullo omnino censuerunt damno mulctari.* *L. 6. Ep. 10.* Copiam faciebant etiam Justiniani Leges conjugatis, viris, fœminisque ex æquo, non expectato consensu mutuo, in Monasteria ut convolarent, & profiterentur. Occidentalis Ecclesia eam consuetudinem dissensu semper suo & usu

contrario

contrario improbavit: sed illud sibi semper licere voluit, ut puellas ad Religionem admitteret non solùm desponsatas, sed etiam per verba de præsenti conjugatas, dum tamen copula carnis nondum intervenisset. Verùm Gregorius non agit hic nisi de sponsata, quæ mortali immortalem præfert Sponsum.

IV. Erant tunc Romæ Sanctimonialium tria millia. Earum tam mira erat castitas, paupertas, patientia, pœnitentia, omnium denique virtutum gratia tanta, ut non aliter à Gregorio haberentur, quàm ut præsidia quædam Ecclesiæ & inexpugnabilia Romanæ civitatis adversùs Longobardos monimenta. L. 6. Ep. 23 *Juxta notitiam, quæ dispensantur, tria millia reperiuntur. Harum talis vita est, atque in tantum lacrymis & abstinentia districta, ut credamus, quia si ipsæ non essent, nullus nostrum jam per tot annos in loco hoc subsistere inter Longobardorum gladios potuisset.* Procul sunt ab hac profectò Gregorii doctrina & religione, quibus videntur utriusque generis claustra, otiosorum & inutilium latibula esse, nec ulla parte ad publicas utilitates quidquam conferentium. Fœdissimus hinc manat error, quòd non satis intelligant, divinis meliùs quàm humanis præsidiis muniri & stare Rempublicam, & precibus magis quam armis.

V. Cùm Sanctimonialis habitum tantùm sacrum exuisset, de nuptiis nec cogitasset, aculeatas ad Sipontinum Episcopum Epistolas scripsit Gregorius, quòd non illam statim jussisset corripi, & in L. 7. Ep. 9. 10. Monasterium suum retrudi. Abbatissa Monasterii Calaritani ævum traduxerat, non accepta Religionis veste, sed eam induta, qua vulgò utebantur eæ, quarum mariti Presbyteratu fuerant aucti. L. 7. Ep. 7. Ind. 21. *Abbatissam usque ad diem obitus sui indui se Monachica veste noluisse, sed in vestibus, quibus loci illius utuntur Presbyteræ, permansisse.* Adducebantur in medium aliæ quoque Abbatissæ, quæ habitu Presbyterarum usæ fuerant, id est, earum quorum ordinati Presbyteri fuerant conjuges. Itaque obtinuerat pene ea consuetudo. Gregorius Romanorum Jurisconsultorum sententias perscrutatus, rescripsit potuisse quidem illum errorem esse Episcopi, qui passus esset Abbatissam non una veste eademque uti cum Monialibus suis: sed hanc quæ totum vitæ spatium contriverat in fungendo munere Abbatissæ, verè Monacham esse, atque ita res ejus post mortem L. 9. Ep. 21 omnes ad Abbatiæ jus pertinere. Laudat alibi Gregorius Episcopum Calaritanum, quòd Monasterium Monachorum construi prohibuisset juxta cœnobium virginum.

VI. Quidquid hactenus ex Gregorio corrasum est, nullas nobis extra claustra Sanctimoniales ostendit; quin immo arctam claustrorum ipsorum demonstravit fuisse custodiam. Hinc jure conjicies raras fuisse in Italia Moniales liberas & in privatis domibus degentes; non tamen nullas omnino fuisse Dial. l. 4. c. 15 In Evang. Hom. 40. efficies. In Dialogis enim & in Homiliis super Evangelia elogium texit Gregorius pientissimæ fœminæ Redemptæ, quæ in veste Religionis consenuerat juxta Ecclesiam beatæ Mariæ, secum habens duas alumnas, quas ad pietatem fingebat, sicut & ipsa pietatis rudimenta posuerat sub sanctissima fœmina, quæ in pio proposito super Prænestinos montes vitam traduxerat. *Tempore quo Monasterium petii, anus quædam Redempta nomine, in Sanctimoniali habitu constituta in urbe hac juxta beatæ Mariæ semper Virginis Ecclesiam manebat. Hæc illius Herundinis discipula fuerat, quæ magnis virtutibus pollens, super Prænestinos montes vitam Eremiticam duxisse ferebatur. Huic Redemptæ duæ in eodem habitu discipulæ fuerant, &c. Tres hæ in uno habitaculo commanentes, morum quidem divitiis plenam, sed tamen rebus pauperem vitam ducebant.*

VII. Illustriori exemplo rem perficiam trium Gregorii amitarum, quæ propriis in domibus virginitatem suam virginum sponso devoverant. *Tres* In Evang. Hom. 38. *Pater meus sorores habuit, quæ cunctæ tres sacræ virgines fuerunt. Uno omnes ardore conversæ, uno eodem-* Dial. l. 4. c. 16. *que tempore sacratæ, sub districtione regulari degentes, in domo propria socialem vitam ducebant.* Si unus idemque fuit trium fervor inter initia, non eadem fuit fervoris perseverantia. Nam cùm duæ aliæ vitæ cursum implessent infatigatæ virtutum omnium strenuitate semper spectabiles, tertiæ pietas ita sensim intepuit, refrixitque, ut sæcularibus se fœminis permiscuerit, & quod dictu nefas, nefariis se innexuerit nuptiis, ducto agrorum suorum villico: *Oblita Dominici timoris, oblita pudoris & reverentiæ, oblita consecrationis, conductorem agrorum suorum postmodum maritum duxit.* Hoc illi probrum sæpiùs sorores ingesserant, quòd laïcam magis quàm Monialem sese ageret: *Soror nostra inter laïcas deputata est.* Sed miserando hoc casu voluit Deus declarari, gratiæ suæ esse muneris, tum quòd perseverent justi, tum quòd peccatores ad justitiæ leges revocentur amplexandas.

VIII. Hærere posset aliquid dubii in illa de qua Gregorius *Consecratione*, an illa esset, quæ solemnioribus Festis fieri solebat. Similius autem nobis quidem videtur veri, illam ipsam esse. Cùm enim tres istæ virgines nulli unquam se affixerint Monasterio, cùmque earum duæ in Religionis professione totam traduxerint vitam: quam earum Gregorius diceret consecrationem, nisi ab Episcopo velatæ & consecratæ fuissent? Consecratio nequaquam dicebatur illa vestis mutatio, quæ fiebat vel cùm ipsæ sibi, vel cùm à parentibus sumerent vestem religiosam. Denique illæ saltem duæ, quæ cursum consummarunt, fidemque servarunt, cùm & virtutum & natalium splendore tanto essent, fieri vix potuit, quin ab Episcopo consecrarentur.

IX. In Anglia erit quod vehementius stupeamus, Beda Hist. referente Beda. Edilfridis Regina, cùm duobus L. 4. c. 19. nupsisset Regibus, quorum ultimo annos duodecim cohæserat, & virginitate tamen illibata perstiterat, quantumvis Egfridus Rex, cui posteriùs nupserat, ad suscipiendam prolem eam hortaretur. Cùm denique ab eo licentiam expressit subeundi Monasterii, solemniter ab Episcopo velata fuit, & cum aliquot annos in Claustro duxisset, tandem Abbatissa creata est Monasterii virginum, quod ipsa construxerat. *Quæ multum diu Regem postulans, ut sæculi curas relinquere, atque in Monasterio tantùm vero Regi Christo servire permitteretur; ubi vix aliquando impetravit, intravit Monasterium, accepto velamine Sanctimonialis habitus ab Antistite Vuilfrido. Post annum verò ipsa facta Abbatissa, ubi constructo Monasterio Virginum Deo devotarum, per plurium mater virgo & exemplis esse cœpit & monitis.* Statim illi donata religionis vestis citra probationem ullam, hoc est, nullo Novitiatu defunctæ; propterea nimirum quòd in Palatio Regio probata plus satis fuerat, & multò diligentiùs quàm in claustro potuisset. Id verò argumento est velo consecrationis ab Episcopo ornatam statim fuisse, ac tum jam Monacham in claustrum se conjecisse. Pro consecrationis enim velo alia in usu erat probatio extra Monasterium.

L. 3. c. 8. Baron. an. 640. n. 13. Narrat alibi Beda, nequedum potuisse in Anglia Virginum Monasteria increbrescere, ideoque complures à divino incitatas spiritu in Monasteria Galliæ devolasse, ibique virginitatem professas fuisse.

L. 1. Codic. De Episc. & Cleric. Leg. 43. X. In Ecclesia verò Græca Monasteria omnia duplicia sejungi curavit Justinianus Imperator; vetus Monasterium permisit iis, vel viris, vel puellis, qui numero plures erant, novumque paucioribus construxit, reditibus cuique pro eorum numero assignatis. Illud quoque sanxit, ut Episcopus Monialibus præstitueret Senem aliquem, qui rebus earum temporalibus administrandis vacaret; Presbyterumque item & Diaconum ad Mysteriorum celebrationem; ea cautione, ut ne vel in Monasterio manerent, nec cibum ibi sumerent, aut Moniales alloquerentur. *Non convesci, aut conversari, aut cohabitare cum ipsis.*

XI. Trullanæ Synodo curæ fuit, ut consuetudinem omnino aversandam resecaret, de qua nostro hoc ævo resecanda ferè ne cogitatur quidem. Antè enim quàm virgines quæ se Deo devovebant, religiosa induerentur veste, aureis illas, sericeis, gemmeisque indumentis decorabant, & sponsas Christi mox futuras, tota sæculi nugacissima pompa suf-
Can. 45. farcinabant. Hunc errorem damnarunt Trullani Patres, quòd non essent malè sopiti ignes concupiscentiæ sæcularis excitandi rursum: sed potiùs omnino opprimendi. *Ne quorum jam oblita erat, memoriam revocet, & ex eo anceps reddatur.* Pugna & conflictatio ea erat manifestissima, & periculosissima, oblivionem præcipi vanitatum & illecebrarum sæculi fallacium, & earum memoriam refricari, earum exuvias indui.

In eodem Concilio illud quoque obiter adnotandum, Moniales tunc nigris vestibus uti, & vestes ipsas benedici solitas, antequam iis induerentur, ante aras, ubi Sponso virginum se libabant, qui ibidem pro illarum salute quotidie libabatur. *Intelleximus sericis vestibus, auro & gemmis exornari, & sic ad Altare accedentes exui tanto opum apparatu, & statim in illis fieri habitûs benedictionem, illasque nigro amicta indui; statuimus ne hoc deinceps fiat.*

Can. 46. XII. Prohibet denique hoc Concilium, ne Claustris unquam suis Moniales egrediantur, nisi eas inexorabilis necessitas cogat: & ne tum quidem, nisi permittente Abbatissa, & *cum aliquibus vetulis, & quæ in Monasterio primæ sint.*

XIII. Cùm ex sepultura Monialium id consequeretur, ut vel ipsæ extra claustra prodirent, vel
Nov. 133. c. 3. in earum claustra penetrarent Monachi: ne qua inde labes aliquando oriretur, Novellis suis Constitutionibus provisum voluit Justinianus. Vetuit enim ne deinceps vel in Monachorum Conventibus Moniales, vel in Conventibus Monialium Monachi sepelirentur. Et quia effodi terram necesse erat, eratque adeo virorum opera necessaria: edixit ut ea una quæ portæ Monasterii præerat, vel etiam Abbatissa, si ipsi ita visum esset, adesset, cùm effoderetur humus, ac incunctanter facesserent viri, nec in conspectum venirent Sanctimonialium. Denique ne quis superesset locus supervacaneis sæcularium colloquiis, declarat idem Imperator, Monialibus in terra nihil jam affinitatis superesse, nil cognationis, nil necessitudinis cum quoquam, abruptis semel vinculis omnibus carnis & sanguinis, ut uno cum Christo in cœlis conversentur. *Cognatio enim Monachis in terra non est, cælestem zelantibus vitam.*

## CAPUT XLVII. *P. 3. l. 1. c. 40.*

### De Monialibus & earum Claustris; Item de consecratione Virginum sub Imperio Caroli Magni.

*I. Moniales in Claustra B. Benedicti Regulam tenebant.*
*II. Displicebant parvi Conventus, id est, minus numerosi.*
*III. Capita non radebant.*
*IV. Earum professio multùm discrepabat à solemni virginum consecratione ab Episcopo*
*V. Velari debebant viduæ à Presbyteris, virgines ab Episcopis.*
*VI. Incuria Episcoporum factum est, ut Presbyteri & Abbatissæ munus velandarum virginum quandoque sibi sumpserint.*
*VII. Quî eò prope ventum sit, ut consecratio virginum abolesceret.*
*VIII. Manifestissimum discrimen duplicis professionis religiosæ, alterius non solemnis anno ætatis duodecimo, alterius solemnis anno vigesimo-quinto.*
*IX. Non potuit omnino is usus abolescere, ut & Episcopi virgines quasdam consecrarent, & viduæ professionis velum ipsæ sibi imponerent.*
*X. De Diaconissarum consecratione. Extinguuntur in Oriente & in Occidente.*
*XI. De Sanctimonialibus in Oriente.*

I. DE his Sanctimonialibus agitur in Conci- Can. 6.
lio Vernensi anni 755. cum prohibentur Ann. 755.
egredi claustro, & correptioni subjici jubentur Episcoporum: utque horum interpellatione sublevetur earum egestas, largitate aliqua Principum, si tenuitas rerum videatur officere strictiori observantiæ Regulæ. *Similiter nec illæ Monachæ extra Monasterium exire debeant. Quod si aliqua in aliquem lapsum ceciderit, infra Monasterium per consilium Episcopi pœnitentiam agat. Et si aliqua Monasteria sunt quæ earum ordinem propter paupertatem adimplere non possant, hoc Episcopus Regi innotescat, ut in sua eleemosyna hoc emendari faciat.*

II. Cœpit Carolus Magnus animadvertere quàm paterent parvi Conventus relaxationi Regulæ, vitiisque compluribus. Jussit ergo ea ab Episcopis supprimi, & ejusmodi excitari Cœnobia, quorum numerosa Monachorum copia observandæ strictiùs Regulæ opportunior esset. Audi Capitulare ejus anni 789. *De Monasteriis minutis, ubi Nonnanes sine* Conc. Gall.
*Regula sedent, volumus ut in uno loco Congregatio fiat* To. 2. pag.
*Regularis, & Episcopi provideant, ubi fieri possit.* Ca- 157.
pitulare Ludovici Pii anno 817. jubet ut in Cellis vel Prioratibus sint saltem sex Monachi. *Et Abbas* Cap. 44.
*provideat, ne minus de Monachis ibi habitare permittat, quàm sex.*

Addam hîc ex occasione data, nec multùm tamen aliena ab instituto, Capitulare quod Ludovici Pii fertur esse pro Abbatia sanctæ Crucis Pictaviensis, ubi jubetur, ut ne Moniales plures sint quàm centum, Clerici verò ad Sacramenta ministranda triginta, qui Collegio seu Capitulo Monialium subjiciantur. *Ne ultra centenarium numerum Congre-* Can. 6. 7.
*gatio multiplicetur. Ne Clericorum numerus plusquam triginta augeatur, & ipsi per omnia ad dictam Congregationem sanctæ Crucis honestè & perfectè obedientes sint atque subjecti.* Eruditissimus vir Mabillonius, Anal. To. 1.
cujus ex Analectis hoc Capitulare deprompsimus, pag. 302.
hoc ibi adnotat, ita lege, ita moribus constitutum fuisse, ut Clerici, Monachique, qui spiritalia salutis adminicula Monialibus ministrabant, Abbatissæ & Capitulo earum subessent & morem gererent. Cujus rei exemplum legere est apud Bedam. L. 4. c. 23.
III. Hæ Nonnæ quandoquidem tam frequens

hoc earum nomen in Capitularibus, Syriacæ vel Hebraicæ ipsum quoque originis, peræquè ut Mammæ & Abbatissæ, quas filias aut puellas dicas: hæ, inquam, Nonnæ capita non radebant, non nudabant capillis, nisi hæc illis pœna imponeretur, flagitii cujuspiam pœnitentiam implentibus: *Similiter & Nonna velata eadem pœnitentia teneantur, & radantur omnes capilli capitis ejus.* Concilium Vernum II. anni 844. atroci etiam pœna eas ulciscitur, quæ crines adtondebant. *Si quæ Sanctimoniales causa Religionis, ut eis falso videtur, vel virilem habitum sumunt, vel crines adtondent, admonendas castigandasque decernimus.*

Capitular. Car. Mag. L. 7. c. 316

Can. 7.

IV. Sed quod hîc cura majore adverti necesse est, illud est jam sæpiùs inculcatum de duplici velo, & de duplici professione, quòd jam inciperent Abbatissæ illam Episcopi propriam sibi vendicare solemnem veli sacri impositionem, non sine benedictione. Ad eam amoliendam injuriam protinus exarsere Episcopi, competere id sibi decus integrum & intemeratum servari secundùm Canones debere, tanquam immortalis Sponsi Vicariis: *Auditum est aliquas Abbatissas contra morem sanctæ Dei Ecclesiæ velare virgines cum benedictione sacerdotali, quod omnino interdicendum esse scitote.*

Cap. Aquis. Anno 789 c. 76.

V. Ne Presbyteris quidem fas erat ut virgines velarent, quod id fieri deberet ea consecratione, quæ jam propria erat Episcoporum, quàm Ecclesiarum Altariumque dedicatio. Audi quid de his Concilium VI. Parisiense anni 829. *Quorundam relatu didicimus, quosdam Presbyteros mensura sua immemores, immo canonica authoritati resultantes, in tantam audaciam prorupisse, ut sacrarum virginum consecratores existerent. Et hoc ad negligentiam Episcoporum pertinere non dubium est. Quod quia canonica authoritati minimè concordat, &c.*

Cap. Car. M. L. 7. c. 127. Addit. l. 2. c. 21. 22. 23. 24.

Can. 42.

Non ita res habebat in viduis, quæ velari poterant à Presbytero. Cùm enim jam non possent ipsæ illam perfectè repræsentare Sponsam Christi, quæ incorrupta semper virgo est, non erat necesse ut ab Episcopo velarentur, qui Ecclesiæ sponsus erat, immortalis Sponsi vices gerens. Audi rursum ea de re quid sanxerit idem Concilium Parisiense VI. à quo prohibentur tantùm Presbyteri sine Episcopi consensu viduas velare. *Ut nullus Pontificum viduas velare attentet, canonica authoritas inhibet. Quod verò Presbyteri inconsultis Episcopis suis velum viduarum consecrare non præsumant, interdicimus.*

Conc. Paris. VI. c. 40.

VI. Velandæ ergo erant virgines ab Episcopo, viduæ à Presbyteris. Sed finitimum vero est, Episcoporum vel quandoque incuriam, vel frequentes absentiam, vel occupationes, Monialium copiam exundantem, Abbatissarum ambitionem in causa fuisse, ut novæ consuetudini janua panderetur velandarum ab ipsa Abbatissa virginum. Id prorsus videtur innui in eodem Parisiensi Concilio. *Invenimus quod quædam Abbatissæ & cæteræ Sanctimoniales non solùm viduas, sed etiam virgines puellas velare solitæ sint. Quod quantum sexui feminino illicitum, & à Religione Christiana sit alienum, omnis qui sanum sapit, facilè advertit. Pene igitur in omnibus Monasteriis puellaribus hujusmodi velatas invenies.* Nec tacendum illud quod aiunt Patres hujus Concilii, Moniales vanissime illa interim spe lactatas fuisse, quòd leviores futuræ essent earum culpæ, ubi macularent sanctimoniam veli, non ab Episcopo, sed à se ipsis accepti. *Idcirco etenim hujusmodi hoc modo potiùs quàm à Sacerdote velari volunt, quia dum clanculo se corrumpunt, nihil sibi obesse ad peccandum tale velamentum putant. Ita ergo idem illicitum & temerarium factum habetur in usu, ut vix aut vidua velari à Presbyteris, aut puella virgines consecrari expetant à Pontificibus.*

Can. 43.

VII. Tempestivum est hîc igitur animadvertere 1. quòd jam inde ab octavo sæculo cœperit in desuetudinem abire lex accipiendi solemniter ab Episcopo veli virginei; idque ex incuria Episcoporum, ut non dissimulant Patres Concilii hujus Parisiensis: *Et hoc ad negligentiam Episcoporum pertinere non dubium est.* Et infra: *Nulli dubium est, quin hoc factum ad quorundam pertineat negligentiam Sacerdotum.* 2. Confidebant Presbyteri posse se vicem implere Episcoporum in eo ministerio fungendo. *Ut sacrarum virginum consecratores existerent.* 3. Inde Abbatissæ id sibi arrogarunt, ut virgines viduasque velarent, quibus & suaserunt minimè necessariam esse virginibus Episcopalem consecrationem. *In omnibus Monasteriis hujusmodi velatas invenies, &c. Ita idem illicitum factum habetur in usu, ut vix puella virgines consecrari expetant à Pontificibus.* 4. Haud satis exploratum habeo, an Abbatissæ aliquæ ausæ sint velum ipsum consecrationis virginibus imponere. Id enim penè innuunt illa verba Capitularis Aquisgranensis: *Velare virgines cum benedictione sacerdotali.* 5. Sed in dubium vocari non potest, quin ex quo omnes penè virgines viduæque in sua claustra compulsæ sunt, plurimæ ibi virgines & professæ fuerint & consenuerint, veli & consecrationis expertes Episcopalis. Ejus rei rationes bene multæ menti succurrunt, & nulli ferè non obviæ sunt.

Can. 41.

Capit. Car. Mag. l. 2. c. 73

Etenim 1. ea strictioris disciplinæ forma plures quàm antè congregavit virgines, ut fieri solet. Itaque non ita facilè potuit Episcopus tanto numero virginibus præsto esse, ut eas consecraret. 2. Cùm omnes uno jam clausæ latitarent Monasterio, parum necessaria jam hæc illis erat sui cum immortali Sponso conjugii tessera, qua à cæteris distinguerentur. 3. Ostensum est suprà tribus prioribus sæculis, virgines viduasque ubi sponte sua continentiam Deo vovebant, privatim etiam seipsas velasse, aut à parentibus velum illud accepisse. Cum cœperunt ergo postea in Monasteria compingi, necesse fuit illas aut velatas jam illuc venire; aut ab Abbatissa ibi velari. Quin posset enim Abbatissa illis quod possent ipsæ sibi, quod parentes imponere potuerant velum? 4. Non liquet quod ante sæculum VIII. stata fuerit lex, aut usus generaliter receptus, ut Moniales omnes virgines velarentur aut consecrarentur ab Episcopo. 5. Cùm Monasteria partim viduis, partim virginibus constent, permolesta & invidiosa res fuisset, accersere Presbyteros, qui viduas, Episcopos qui virgines velarent. Hinc non rara ebullisset invidia, æmulatio, ambitio. Ergo quanquam nonnullæ semper ab Episcopis consecrarentur virgines, res eò tandem rediit ferè, ut tota ea potestas Sanctimoniales velandi ad Abbatissas desflueret.

VIII. Constantissimè tamen Canones semper Episcopis consecrandarum virginum jus vindicarunt; ut ex laudatis antè Canonibus liquebat. Porro de hoc consecrationis Episcopalis velo interpretandum est illud Caroli Magni Capitulare, quo jubentur non velari nisi vigesimo quinto ætatis anno, juxta Africanos Canones. *Ut virgines non velentur ante viginti quinque annos, nisi rationabili necessitate cogente.* Alio loco laudantur duo Africani Canones, qui eam ætatem definiunt: facta tamen Episcopis potestate, ut rem accelerare possint, cùm de vita periclitantur ægrotantes puellæ, aut reformi-

Ibid. c. 46. 107.

datur potentis proci, raptorisque importunitas. Id rursus præceptum est in Concilio Turonensi III. anni 813. *Virginibus sacrum velamen accipiendum decreta Patrum interdicunt ante XXV. annos, nisi fortè aliqua cogente necessitate.* Can. 28.

Quod autem ea ætas annorum XXV. ad velum consecrationis Episcopalis spectaret, non ad qualemcumque virginitatis professionem, sive in Monasteriis, sive extra, id sanè liquet ex Concilio Triburiensi sub Formoso Papa anno 895. Quippe hujus Synodi Patres cùm verba fecissent de virginibus solemniter consecratis, declarassentque si tum illæ infando se contaminarent conjugio, separari & rescindi illud debere: *Canonica authoritate, & in hac sancta Synodo præcipimus, ut omnino separentur, & ea si qua inter se dividenda sint, dividantur, & uterque sua provideat:* Tum verò sequenti Canone ad virgines sermonem traducunt, quæ seipsas velabant anno ætatis duodecimo: sanciunt ut id velum cùm anno integro gesserint, ne abjicere deinceps illud sinantur. *Quæcumque virgo suo patrocinio ante annos duodecim non coacta, sed propria voluntate sacrum velamen sibi imposuerit, annumque & diem nullo repetente, velata permanserit, ab eodem sancto habitu ulterius non recedat.* In hoc eodem Canone suo protulerunt Triburienses Episcopi duos Canones Africanos, qui annum ætatis XXV. præscribunt virginibus velandis. Quocirca jam dubium non est, quin Triburiensi Concilio exploratissima fuerit illa duplex ætas, duplexque professio per sacrum velam virginitatis: altera cum ipsæ sibi sumebant, altera cum ab Episcopo velum accipiebant. Huic necessaria erat ætas annorum viginti quinque, illi satis erat annorum duodecim. Postremò hæc eadem Synodus proximo Canone de viduis agit, quæ seipsas velabant, vetatque ne qua labecula sordidari sinant hoc velum, etsi illud minimè consecratum esset: nec enim quidquam profuturas earum excusationes, ubi dixerint, sponte se velum induisse ea spe, ut & sponte sua illud exuerent. *Quod si sponte velamen quamvis non consecratum sibi imposuerit, & in Ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit, nolit, sanctimoniæ habitum ulterius habere debebit: licèt sacramento confirmare velit, eo tenore & ratione velamen sibi imponere, ut iterum possit deponere.*

Can. 24.

Can. 25.

Postremi duo hi Canones id perficiunt, quod propositum suprà fuerat, usum nempe illum frequentissimum fuisse prioribus sæculis, qui & nonnullis in locis valeret adhuc, ut virgines viduæque possent ipsæ sibi imponere Religionis velum & propositum, quo simul & semel onerabantur officiis omnibus continentiæ religiosæ. Atqui hoc ipsum est velamen, quod Abbatissæ postea contulerunt. Et ea de causa nemo forsan illis obstrepuisset, nisi consecrationis ab Episcopo faciendæ ritum propiùs forsan imitatæ essent: aut sic in contemptum non adduxissent consecrationem virginum Episcopalem, quæ tanto in pretio olim fuerat, & quam usque adeo virgines sacræ deperibant.

IX. Ex Nicolao ipso Papa declaratur priscum illum morem necdum penitus obliteratum fuisse, ut viduæ continentiæ velo ipsæmet caput obumbrarent: cum eam quæ id præstiterat, & postea nupserat, præcipit ab adultero divelli, & servare quod spoponderat, aut spondere se simulaverat. Hæc Epistola Nicolai apud Reginonem extat: *Quod interrogasti de fœmina quæ post obitum viri sui velamen sacrum super caput suum imposuit, & finxit se sub eodem velamine Sanctimonialem fœminam esse, postea verò ad nuptias rediit, & non legitime in voto suo permansit, &c. Revertatur ad id quod spopondit, &c. Nam si consenserimus, quod omnia sacramenta Ecclesiastica quisque prout vult fingat, & non verè fiat, omnis ordo Ecclesiasticus conturbatur, &c.*

Prima Append. Regin. c. 7.

Hinc perspicuum est, 1. minùs obtemperatum fuisse plurimis Decretis Conciliorum Galliæ, cùm tam multis locis perstiterint virgines viduæque pro arbitrio ipsæmet arripere virginitatis & continentiæ velum. 2. Ita velatas complures in Monasteria postea subiisse, nec magnopere complures earum curasse, ut ab Episcopis consecrarentur; cùm tam multæ extra Monasteria eo simplici velo contentæ, totam vitam sæpè transegerint in paternis ædibus. 3. Tametsi vetarentur, contulerant nihilominus Abbatissæ velum, tum virginitatis, tum continentiæ: quippe quod & parentes & ipsæ sibi conferre potuissent. 4. Quod vel Abbatissæ vel parentes conferebant velum, vel ipsæ sibi virgines viduæque assumebant, ei adhærebat individua comes Professio, seu virginitatis, seu continentiæ, quæ quanquam solemnis non diceretur Episcopali consecrationi comparata, non tamen pro voto, ut nunc loquuntur, simplici haberi poterat, cùm tot exemplis supra perstrictis ejus unius contemplatione irrita fuerint matrimonia pòst inita.

Nec omnino tamen exolevit evanuitque usus Episcopalis virginum consecrationis. Post sæculum Ecclesiæ duodecimum ejus vestigia superfuere, ut infrà planum faciemus. Hîc non pigebit narrare quod habetur in vita B. Bernardi Hildesheimensis Episcopi, de concertatione exorta inter Archiepiscopum & Episcopum, ubi consecranda fuit soror Ottonis III. Imperatoris. Gestiebat regia virgo ab Archiepiscopo potiùs, quàm ab Episcopo consecrari, Pallii videlicet splendore præstricta. Superior tamen evasit Episcopus, cui jura suffragabantur. Alias idem Episcopus consecravit ipse Epiphaniorum die, præsente & pluribus Episcopis cincto Imperatore.

Surius die 20. Novem. c. 12. 18.

X. Erat olim & Diaconissarum consecratio solemnis admodum, & plurimæ pompæ. Traducta nunc ea videtur ad Abbatissarum benedictionem, ut quæ persæpè dictæ sint Diaconissæ. In vita Nili Abbatis Diaconissa vocatur, quæ Abbatissa erat Monasterii. Dissentit Atto Episcopus Vercellensis, nominum originis & etymologiæ tenacior. Abbatissa enim matrem sonat & dominam: at Diaconissa ministerium præ se fert & obsequium. Idcirco sic ille statuit, si revocandum nunc in usum foret Diaconissarum nomen, non aliis magis illud tribui debere, quàm castissimis quibusdam & grandævis Sanctimonialibus, à quibus panes & oblatæ ad sacrificium præparantur, quæ Ecclesias verrunt, quæ portas earum custodiunt. *Quapropter si hujus officii nomen nunc etiam quoquo modo perduraret, in his quæ per mulieres adhuc dispensari videntur, illas Diaconas putaremus, quæ ætate senili devictæ, religiosam vitam cum castitate servantes, oblationes Sacerdotibus offerendas fideliter præparant, ad Ecclesiarum limina excubant, pavimenta detergunt.*

Surius die 26 Septem. c. 14.

Spicil. to 8. pag. 324.

Hinc certum fit, nullas tum amplius Diaconissas in Occidente fuisse, & solo earum nomine donatas fuisse Abbatissas. Desitum quoque esse in Oriente ab iis ordinandis affirmat Balsamon, præterquam Constantinopoli, ubi pauculæ adhuc eligebantur, non ut ad Altaria accederent, sed ut præessent Conventibus fœminarum. *Olim aliquando ordines Diaconissarum Canonibus cogniti fuere, habebantque ipsæ gradum ad Altare. Menstruorum autem inquinatio ministerium earum à divino & sancto Altari*

Iuris Orien. To. 1. p. 381.

*expulit. In sanctissima autem Ecclesia Sedis Constantinopolitana Diaconissa deliguntur, unam quidem communicationem ad Altare non habentes, in multis autem habentes conventum, & muliebrem cœtum Ecclesiastice dirigentes.*

Sed prior illa antè quæstio, cui satisfacit Balsamon, habet omnino quod obstupescas. Quæritur enim an Abbatissæ possint excipere Confessiones Monialium, cum Episcopi permissione. In promptu est responsio, ne id quidem posse Abbates, si Presbyteri non sint, adeoque nec Abbatissas. Sed quæstio ipsa prodit rem exemplis non caruisse. Patum liquet an in Galliis quoque eam sibi sumpsissent licentiam, quando id quoque crimini eis dabat Carolus Magnus, quòd viris quoque tum manus imponerent, tum benedictionem impertirent. *Benedictiones cum manus impositione, & signaculo sanctæ crucis super capita virorum dare.* (Cap. Aquisg. Ann. 789. c. 76)

XI. Docet idem Balsamon, consuetudine jam præscriptum esse, ut ne raderentur mulieres conjugatæ, nec in Monasteria admitterentur, nisi toto triennio probatæ. (In Nomoca. Phot. T. 8. c. 3.) Ait alibi nullas jam usquam ordinari Diaconissas, etsi eo nomine decorentur Abbatissæ nonnullæ. *Etiamsi quædam Ascetria abusive Diaconissæ dicantur.* (In Can. 15. Calched.) Assumptam semel Religionis nigram vestem abjici jam non posse; propterea quod ubi jubet Justinianus in veste laïca ponendum esse triennii tyrocinium, non agatur nisi de iis, quorum dubia & incerta conditio est, liberi sint, an servi. *Si sit quidem notum, eum nulli esse fortunæ subjectum, Monasterii præfectus quando hæc cognoverit, habitum illi præbeat. Sin autem nescitur, an ulli sit fortunæ subjectus, intra tres annos Monasticum habitum ne accipiat.* (In Synodo Constantin. Can. 3. pag. 961.) Verba sunt ipsa Justiniani, quibus patet, Monastico habitu indui perinde fuisse ac Religionem profiteri. Testatur idem alibi Balsamon in more adhuc fuisse, ut quo tempore Tonsuram vestemque religiosam induendæ sunt Sanctimoniales, paulò antè longè magnificentissimis indumentis ornarentur. Nec enim obtemperatum fuisse Canoni Trullano, ut qui nullis sævisset pœnis in delinquentes. Verùm luculentè idem mox subjicit, ubi nil pœnarum decernunt Canones, ab Episcopo decerni debere.

---

## CAPUT XLVIII. *P. 4. l. 1. c. 59.*

### De Monialibus post annum Christi millesimum.

*I. Monialium duo genera, aliæ erant professæ, aliæ Monasteriis à parentibus oblatæ.*

*II. Quàm religiose servarentur vincula quibus se quis religioni obstrinxerat, ante etiam quam in claustra se conjiceret.*

*III. Professionum expressarum origo.*

*IV. Testimonia pro tacita Professione.*

*V. Duas classes Tyronum, seu Novitiorum faciunt Pontifices Romani. Alii seipsos probare cupiunt, & his integrum est in seculum regredi. Alii verò statuerunt nunquam in seculum revolvi, & hi possunt ad aliam Religionem migrare strictiorem: at si resiliant in secularem vitam, etsi molesta illis Ecclesia non sit: juxta plerosque tamen Pontifices, gravi sese piaculo obligant, ut qui sponsam Deo fidem infregerint. Probationes.*

*VI. VII. Aliæ aliæque probationes.*

*VIII. Multa adnotantur in Tyrocinium, quod ponebatur in veste seculari usque ad tempora beati Bernardi. Unde usum hodiernum, ut in veste religiosa sint Novitii.*

*IX. Quod dictum est de Novitiatu non pugnat cum doctrina Pontificum de Novitiis, qui tota quandoque conscientia non possunt seculo se rursus immergere.*

*X. Nec repugnant decreta Concilii Tridentini.*

*XI. De Monialibus Hospitalariis sancti Joannis Hierosolymitani. De Puellis quæ ab infantia nutriuntur in Monasteriis.*

I. Docet Lanfrancus duas fuisse in Claustris Monialium classes. Aliæ quippe professionem ibi ediderant, aliæ oblatæ tantùm ad altaria fuerant à parentibus à teneris unguiculis; sed utrisque tamen par & perpetua servandæ Regulæ necessitas. *Sanctimoniales, quæ de servanda Regula professionem fecerunt; vel quæ quamvis adhuc professæ non sint, ad altare tamen oblatæ fuerunt, secundùm mores & vitas earum ad servandam regulam moneantur, increpentur, constringantur.* (Epist. 32.) Quod autem mox subjicit, tanquam ex suo Regisque consilio, id verò narrat Eadmerus ab eodem Lanfranco in Concilio Angliæ universali constitutum fuisse, ut quæ fœminæ nobiles in claustra confugissent, velumque induissent, ut tutæ essent adversus Normannorum in Angliam irrumpentium impudicitiam, ne cogi possent, ut se Moniales profiterentur. (Conc. Gen. To. 11. pag. 346.)

II. Sed vel ipsa hæc dubitatio, & recursus ad Lanfrancum & ad Concilium generale Angliæ, ad eam diluendam, manifestè produnt, qua tum cura, qua religione observarentur sponsiones, quibus se quisque ad religiosam obligaverat vitam. Plusculum etiam stuporis injiciet fidei constantia Monialium Marciniacensium, à quibus id expugnare non potuit Pontificius Legatus Hugo Archiepiscopus Lugdunensis, ut Claustro egrederentur, quo incendio cederent, & consulerent saluti suæ. Quin ex adverso pervicerunt illæ, ut ipsemet preces & totam Christi, cujus Vicarius erat, authoritatem interponeret, ut flammarum vortices cohiberentur. Illis ipse, ipsi obtemperarunt flammæ. Hæc Petrus Cluniacensis; pulcherrimè sanè, etsi minùs forsan appositè ad rem nostram, à qua tamen non prorsus alienum est, quidquid spectat ad strictissima Monialium claustra. (Baron. an. 1094. Petrus ven. L. 1. Mirac. c. 22.)

Exauthoratus ejectusque est Basilius Camaterus Patriarcha ab Isaaco Angelo Imperatore Constantinopolitano, quod Matronas, quas Andronicus Tyrannus repugnantes Monasteriis intruserat, liberas abire, & nigris exui vestibus passus esset. *Causa prætexebatur, quod quas nobiles matronas Andronicus in Monasteria invitas abstrusisset, iis ipse nigro vestitu deposito, reditum ad pristinum habitum, & vitæ rationem concessisset.* (Baron. ann. 1186 n. 32. Nicet. l. 2.) Ingenuè fatendum est non minùs tyrannicam hanc fuisse Patriarchæ extrusionem à sede Pontificia, quàm intrusionem Matronarum in Monasteria. Sed vel hæc ipsa vitia argumento sunt, quàm strictè rigidéque propositum ipsum religionis ab omnibus retineretur, nec sineretur à quoquam vel tantillum relaxari.

A Vuillelmo Malmesburiensi narratur non antè ab Henrico I. Angliæ Rege ductam fuisse Mathildem filiam Scotorum Regis, quæ in Monasterio ab infantia enutrita fuerat, quàm certior factus esset B. Anselmus, Cantuariensis Archiepiscopus, non gestatum ab ea velum fuisse, nisi ut à se ablegaret improbam sibi procorum importunitatem, nulla unquam edita professione. *Legitimis productis testibus, qui eam jurarent sine professione causa procorum velum gessisse.*

Non tacuit Petrus Cluniacensis Abbas, quibus se aliqui nexibus impedirent ante professionem, & à quibus sese expedire suo arbitratu non possent, ut ipse quidem opinatur. Laïcus fidem ipsi suam obligaverat coram testibus post Missæ sacrificium, fore ut Cluniaci profiteretur: ei denique se dediderat, tanquam unum de gregalibus suis Monachis. Denique ab eo resecari sibi crines, & in

L. 2. Ep. 15

pignus datæ fidei servari volnerat. *Corpus & animam vestram coram testibus in manu mea Mysteriis cœlestibus consecrata posuistis, vos ipsum in Monachum pro arbitrio meo tradidistis, in signum redditionis comam à me præcidi & servari voluistis, habitum Religionis die constituta Cluniaci vos suscepturum jurastis.* His se ille nexibos cùm obstrinxisset, scripsit ad illum Petrus, non posse illum non teneri cum salutis æternæ periculo, ut fidem suam liberaret, nec votum suum cum Hierosolymitano itinere commutaret.

III. Ivonem Carnutensem Episcopum consuluit Goffridus Vindocinensis Abbas, an Monachus à Monacho benedictus, ab Abbate rursum benedicendus esset.

Epist. 25.

Rescripsit Ivo benedictiones & professiones Monachorum nihil attinere ad Sacramenta, quæ iterari non possunt; novellas esse eas; nec enim vel Paulum, vel Antonium, vel innumera illa sanctissimorum Ægypti Monachorum examina, benedictionem unquam solemnem ullam accepisse, sive à Monachis, sive ab Abbatibus; volventibus sæculis inductas esse professiones & benedictiones, ad Monachos sanctissimo proposito suo strictiùs alligandos, denique adversus levitatem & inconstantiam animi hæc provisa esse medicamenta. *Quod verò postea multiplicatis Monachorum congregationibus professiones ab eis exactæ sunt, & benedictiones super eos datæ, quadam cautela factum est, ut Monasticus ordo quanto firmius in conspectu Dei & hominum & solemnius ligaretur, tanto robustius & devotius ab ipsis servaretur. Et si qui vellent ab hoc proposito recedere, testimoniis pluribus convincerentur, & tanquam jurati in Christi sacramenta tyrones ad propositum suum reverti cogerentur. Quibus liquet traditiones hujusmodi nihil esse aliud quam quadam Religionis vincula, humanæ instabilitati provisa.*

Non ait peritissimus Canonum Ivo, necessaria fuisse vota ad instabilitatem hominum cohibendam: sed hoc ille eo loco affirmat de professione explicita & exteriori, quæ coram testibus & scripto fit, aut viva voce non sine aliqua solemnitate. Et sanè simillimum veri est, non Paulum, non Antonium, non Hilarionem ullas ejusmodi professiones emisisse, etsi vota emiserint observaverintque Monastica perquam religiosissimè.

Episcopatu ultro abierat Suessionensis Præsul, ut in Monasterii latebris totum se Deo, totum se æternæ salutis curia immergeret. Id conscio, id incentore, & postea præcone Ivone Carnutensi cùm

Epist. 19.

factum esset, in eum non pauci dentem stringere cœperunt, quod pateretur eum qui consecratione Episcopali inauguratus fuerat, Abbatum benedictione donari. Percontatus est Ivo super ea re Paschalem Papam II. præfatus tamen ipse, nihil in eo subesse posse periculi, sive benediceretur Abbas, sive non benediceretur, ut qui jam Episcopus esset: nec enim alio quàm pia quidem, sed minimè necessaria cæremonia totam illam benedictionem constare.

IV. Erat ergo persuasissimum illud, ut ex superioribus patet, satis esse ad professionem tacitam & implicitam ut professorum habitum induisset quis, & publicè gestasset. Sunt & alia ad id argumenta, ex corpore ipso juris Canonici hausta. Si qua vidua suo ipsa capiti imposuisset velum usitatissimum viduis Deo sacris, & ita in Ecclesia conspiciendam se dedisset, jam liberum ei non erat Religioso proposito renuntiare, quantumcumque reclamaret, non alio consilio illud se sibi velum imposuisse, quàm utcùm liberet, deponeret. Is ex Triburiensi Canone excerptus est Canon, à Burchardo & Ivone relatus. *Vidua si sponte velum conversionis, quamvis non sacrum sibi imposuerit, & in Ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit nolit, sanctimonia habitum ulterius debet habere. Licet sacramento firmare velit, eo tenore velamen sibi imposuisse, ut deponere possit.* Definitio Honorii III. in re consimili, eò revolvitur, ut quibus in Monasteriis Professorum & Novitiorum vestes non differrent, professi censerentur, qui uno amplius anno vestem gestassent.

C. Vidua. De Regularibus.

*Qui ultra annum portat habitum Monachalem in Monasterio, ubi sunt habitus indistincti, censetur professus.*

C. Ex parte tua. ibid.

Eo perspicuè supponitur, quod & aliunde certissimum est, ad professionem unum id requiri, ut vestem professorum induerit quis, ubi differebant Professorum & Novitiorum vestes. Unde & Gregorius IX. respondit, posse Novitios è claustris discedere liberos, si nondum professorum vestem induerint, quæ tacita erat professio: vel si nondum expressam fecerint professionem. *Ante susceptum Religionis habitum qui dari profitentibus consuevit, vel ante professionem emissam, ad priorem statum redire libere posse intra annum.* Expressæ itaque professioni æquabatur propriæ professorum vestis gestatio.

C. Statuimus, ibid.

In hac verò tacita professione per solam habitûs professorum gestationem, nihil est quod magnopere mireris: si perpendas pluribus & melioribus sæculis solam in usu fuisse professionem tacitam, ut suprà commonuit Ivo, utque passim Annales Ecclesiæ vociferantur. Æquum ergo erat ut quæ sola in usu & authoritate fuerat tacita professio longo sæculorum lapsu, ea non prorsus abolesceret, ubi ætas posterior exteriorem invexit professionem.

IV. Erit forsan quod majorem incutiat stuporem in Decreto Gregorii IX. alio, quanquam consentaneum illud sit cumprimis moribus & institutis antiquissimis. Ita enim constituit, posse Novitios sæculari se vitæ reddere, si nondum professorum veste induti sunt, aut si nondum expressa perfuncti sunt professione: nisi eluceret non eos claustra inisse eo consilio tantùm, ut sese probarent, sed firmo mentis proposito emergendi prorsus è sæculi procellis, & fidæ se Religiosæ stationi reliquo dicandi vitæ tempore. Ubi enim res ita habent, eam ipsimet ejurarunt libertatem, qua gaudent Novitii ad sæcularia vota se referendi. *Statuimus Novitios, &c. ad priorem statum redire posse liberè intra annum, nisi evidenter appareat, quod tales absolutè voluerint vitam mutare, & in Religione perpetuò Domino servire. Cùm quilibet renuntiare valeat ei quod pro se noscitur introductum.*

C. Statuimus. ibid.

Id ipsum jam pridem decreverat Innocentius III. verbis tam expressis & tam dilucidis, ut nullus superesse possit tergiversandi locus. *Consulti sumus frequenter à multis, utrum is qui Monasterium ingressus est, habitum sumendo Novitii, si ante professionem emissam intra tempus probationis exire voluerit, licitè possit absque apostasiæ nota, vel noxa, præsertim cum debita morum correctione ad sæculum remeare. Licèt autem super hoc senserint diversi diversa, nos tamen credimus distinguendum, utrum is qui convertitur, proposuerit absolutè vitam mutare, ut sub habitu regulari omnipotenti Deo de cætero famuletur: An conditionaliter experiri observantiam regularem; ut ita demum si infra annum sibi placuerit, profiteatur Ordinis disciplinam, aut si fortè non placuerit, moribus emendatus ad statum revertatur pristinum. In primo casu debet, ut regulariter vivat, ad laxiorem saltem Regulam pertransire. In secundo potest ad sæculum, non tamen ut vivat sæculari-*

C. Consuluit. ibid.

*ter, remeare. Vt ergo quæ sit ejus intentio pleniùs cognoscatur, propositum suum in principio protestetur.*

Itaque ex Innocentii III. sententia, qui ad Monasteria se conferunt, & tyrocinium ipsum adgrediuntur, non fluctuante animo, sed certo & constanti proposito sæcularibus nugis renuntiandi: possunt quidem illi postea indulgentiorem aliquam Religionem expetere, sed non possunt revolvi in sæcularem vitam, quin gravissimo se flagitio obstringant. Fatetur Pontifex alios hîc aliud sentire: sed & fatendum quoque illud nobis est, ex alternantibus sententiis ei permagnum authoritatis pondus accessisse, ad quam se contulit, & quam suo judicio comprobavit Innocentius. Quin immo rem definisse visi sunt Innocentius III. & Gregorius IX. etsi alii aliter olim sensissent; definisse autem ex præjudicio toto antiquæ disciplinæ Ecclesiarum, quando nec definitum Novitiatûs tempus, neo usitata erat professio expressa, nec vestium differentia.

His vehementer assentitur doctrina & sanctitate conspicuus Raimundus de Pennafort, expensis antè duobus his Pontificum Decretalibus. Addit porro si nullo foris argumento liqueat de tyronis voluntate, experiendi sese, an stabili & irrevocabili proposito se Deo consecrandi: standum esse iis, quæ ipse confitebitur in foro pœnitentiæ occultæ; & si fateatur voluisse se seriò & in perpetuum renuntiare sæculo, tum monendum esse, ut quod Deo spopondit persolvat, nec de sæculo posthac cogitet. Si dubius autem hæreat, tunc suadendum illi esse, ut ne ad sæculares illecebras retro abeat, propterea quòd in rebus dubiis præponendum sit semper quod tutissimum. *Quid si non apparet evidenter, quod voluit vitam mutare, & in Religione perpetuò deservire, in judicio tamen pœnitentia confitetur, quod tali voluntate compos fuit, & præmissa deliberatione intravit, & proposuit in animo sæculum mutare? Dico quod non licet ei redire ad sæculum; et si dubitaret, idem consulerem ei: quia in dubiis via tutior est eligenda.*

Summa l. 1. pag. 70.

Ab eodem Gregorio IX. pronuntiatum, verè Monacham fuisse, nec potuisse testari eam Abbatissam, quæ Monasterium diu in potestate habuisset, rexissetque, etsi abstinuisset veste Monialium. Nullas irritasque jussit esse Professiones Innocentius IV. si ante expletum tyrocinii annum profiterentur. Alexander IV. eam legem restrinxit ad Dominicanorum & Franciscanorum Ordines, qui tum longè strictissimi habebantur. Bonifacius VIII. ad Mendicantes omnes eam ampliavit. Concilium Tridentinum Religiones omnes ea complexus est, omnesque Professiones. Sed his novis Constitutionibus nihil derogatum Decretis Innocentii III. & Gregorii IX. circa licentiam exeundi ante finem Novitiatûs. Alexander enim IV. cùm perspicuè definisset, validam esse non posse posthac Professionem, nisi expletus antè esset Professionis annus: declarassetque præcipitatas alioqui Professiones nullius momenti: adjicit mox longè aliter rem se habituram, si certa suppetere possint documenta, voluisse eos absolutissimè renuntiare sæculo, nec ejus se fluctibus posthac unquam implicari. *Nisi major quatuordecim annis existens, professus sit tacitè vel expressè, aut evidenter constet illum vitam voluisse mutare, quod tamen non præsumitur, nisi clara probatione, vel competentibus indiciis ostendatur, omnino ad sæculum redeas, &c.*

C. Quia. De Testamentis.

In Sexto. L. 3. Tit. 14. c. 1. 2. 3.

Ibid. c. 2.

Nec ab his abludit prorsus Cælestinus III. ubi definit eam quæ accepto nuntio de morte conjugis, religionem professa est; & quæ ei superstiti reducique reddita postea fuit: si verè postea vivere desinat maritus, teneri tum ipsam monastico sese restituere proposito: quod videlicet *Votum ejus eatenus fuerit obligatorium, quatenus se poterat obligare.* Certissimè enim voluerat renuntiare sæculo, intercurrit obex conjux redivivus præter opinionem ejus, cessit necessitati, amoto obice, reviviscit prior obligatio. Quod addit autem Pontifex cogi eam minimè debere, si obstinatiùs renitatur; eo forsan non levatur obligatio, sed oneratur super ea re ejus conscientia.

C. Placet de Conversione Conjug.

VI. Eodem refertur quod scribit Anselmus, posse Novitium exilire Claustris, sed summo & æterno Judici reum fore propositi sanctioris cœlitus inspirati, etsi non possit Abbas illum retinere. *Libera ei conceditur potestas ad discedendum. Non dico quod placet si acceptam bonam voluntatem deserat, & quod sapiùs ore bene promisit, diabolica persuasione deceptus exhorreat: sed dico, quia quamvis coram Deo mendacii arguatur, non est tamen Abbatis, ut quod ille promisit, ab eo violenter exigat.* Postquam verò Cantuariensis Archiepiscopus creatus fuit Anselmus, Cantorem Ecclesiæ Parisiensis per Epistolas monuit, cùm semel consilium iniisset profitendæ Religionis, non posse eum nisi cum ingenti æternæ salutis suæ discrimine inter Clericos merere. *Nullo modo potest anima tua sine sui reprobatione hoc facere.*

L. 2. Ep. 25.

L. 3. Ep. 13.

Tradit Cæsarius, si Regula B. Benedicti patitur ut discedant Novitii, id eo pertinere, ut permittatur minus malum, ne quod gravius incurratur: tolerabilius enim esse, ut antè, quàm post Professionem resiliant: sæculares ipsos qui votum simplex emittunt in manu Abbatis, omnino deinceps conjugio abstinendos esse; denique Pontifices cum Novitiis dispensare, ut in clementiorem deficiant Religionem, non ut in sæculum relabantur. *Mavult sanctus Benedictus inter duo mala, Novitium discedere tempore probationis, quàm jam Monachum post diem professionis. Vnde eum liberum vocat à loco, non à voto, &c. Sæcularibus personis, quæ solo verbo votum fecerunt inter manus Abbatis, nequaquam licitum est vitam sæcularem sectari, vel matrimonio ligari. Circa Novitium in necessitate dominus Papa dispensat, ut ad Ordinem transeat mitiorem, sed non permittit ut ad vitam redeat sæcularem.*

D. 1. c. 15. Bibl. Cisterc. To. 2 pag. 10. Vide Pag. L. 3. Decr. Par. 2. pag. 91. 97. Vid. & Gratian. 17. q. 1. 2. 3.

Denique ille ipse qui Novitiatûs annui necessitati maximè suffragatus est Bonifacius VIII. eodem tamen penè loco habuit, tum eos qui constanter apud se statuerant renuntiare sæculo, tum qui Professionem expressam emiserant, tum denique qui habitum induerant professorum. *Nisi constet, quod vitam voluerit absolutè mutare, vel professionem expressam fecerit, seu scienter habitum receperit professorum.*

In Sexto. L. 3. Tit. 14. c. 4.

VII. Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus Episcopo Dunelmensi rescripserat, cùm de Presbytero ageretur, qui Religionis habitum publicè aliquando gestasset, non posse eum secundùm Canones retro labi: *Canones Decretaque sanctorum Patrum eos qui vestem Religionis aliquot diebus in conspectu hominum deferunt, ad sæculum quocumque modo postea redire non sinunt.* Alexander III. idem rescripserat de Presbyteris, Clericisve aliis, qui vestem Monasticam gesserant, abjecerantque ante Professionem: *Antequam essent vinculo professionis astricti, ante oblatum professionis libellum.* Præcepit enim, ut mitiori se saltem addicerent Religioni, eos impostterum declarans ad Beneficia Ecclesiastica inhabiles. *Si austeritatem Religionis, ad quam transire noscuntur, servare*

Epist. 26.

Appen. Cone. Later. III. Par. 21. c. 2.

*noluerint, ad mitiorem Religionem transire cogendi sunt, nec amplius in Ecclesiis sæcularibus debent assumi, ne contra votum quod Domino fecerunt, in animarum suarum periculum probentur venire.*

His adprimè consentiunt antiquiora Chartusiensium statuta à Guigone compilata, qui quintus fuit Chartusiæ Prior. Edicitur enim capite XXII. ut toto Novitiatûs anno serventur quæcumque intulit Novitius; restituenda videlicet ei, si à proposito deficiat; sed non restituenda tamen, nisi ea cautione, ut ad humaniorem se aliquam Religionem conferat, quæ viribus suis magis congruat. *In examinatione ad minus annua ponitur, suis omnibus integrè usque ad diem professionis omnino reservatis. Quod ei nonnisi sub tali sponsione conceditur, ut si fortè nostrum nequiverit aut noluerit tolerare propositum, ad sæculum nequaquam redeat; sed aliquod potius aliud Religionis genus, quod ferre possit, accipiat.* Quo nihil consonantius Pontificum suprà expensis Decretis. Sapientissimos Pontifices non latebat, si cui justæ sunt causæ, ut in duriori non perseveret Religione, cui se repente obtulerat, non perinde justas esse causas, ut Religionem aliam suis viribus accommodatam fugiat.

VIII. B. Benedicti Regula, immo & pleræque antiquiorum Regularum, Concilia utriusque Ecclesiæ, Justiniani denique Leges in id consenserant, ut in veste laica percurreretur stadium Novitiatûs, & tum demum indueretur Religionis habitus, cùm Professio emitteretur. Hinc non temerè conjicitur orta consuetudo, ut susceptio habitûs Monastici velut Professio haberetur tacita, etsi nulla præisset, aut perbrevis tantùm probatio in veste sæculari. Probabiliter quidem id conjicitur, sed non æquè forsan concederent suprà laudati Pontifices, sicut per Regulam B. Benedicti licitum erat discedere toto tempore Novitiatûs in veste laica tum peragendi, peræquè id jam licitum esse, quando Novitiatus in veste Religiosa peragitur; præsertim si vestem Monasticam se induisse conscii sibi ipsi certique sunt, ut sæculo funditus renuntiarent.

*Reg S Bene. c. 58. Con. Aurel. V. c. 19. Nov. 5. Just. c. 2.* Quanquam enim Leges Justiniani triennale tyrocinium præscriberent: quanquam unius saltem anni desideraret Regula B. Benedicti, & Concilia non pauca: erant & aliæ tamen Regulæ, utpote sanctorum Cæsarii, Ferreoli, Fructuosi, & aliæ non paucæ, quas contextas invenies in Menardi Codice Regularum, quas & sejunctim singulas edidit Holstenius, in quibus prudentiæ & arbitrio Abbatis totum permittitur ut tempus tyrocinii contrahat protrahatque, perinde ut ejus qui convertitur saluti expeditius fore videbitur. *Cap 20.* *Quod si quilibet conversus bonis ac puris moribus enitens, Abbatis & aliorum fratrum spiritalium fuerit judicio comprobatus, pro merito & purificatione suæ conscientiæ celerius poterit fratrum consortiis misceri.* Verba ea sunt Regulæ sancti Fructuosi. Quæ suprà congessimus Pontificum Decreta, quibus probatio unius anni indicitur ad Ordines Mendicantium, satis produnt, non antè ratam eam fuisse solemnemque consuetudinem, ut in annum integrum Novitiatus produceretur.

Inde patet cur professi haberentur, qui antè coram professi constantem suam perseverandi in Religione voluntatem, ita habitum induerant Monasticum. Ille enim fervor animi contrahi tempus probationis persuaserat, atque ita susceptio habitûs antiquo ex more tacita illa fuerat professio.

Hinc mos transigendi Novitiatûs in veste religiosa, non ex decretis orta videtur, quæ prioribus obluctarentur decretis, sed ex prætermisso generaliter Novitiatu, & universim inducta consuetudine suscipiendæ illico vestis Monasticæ. Hæc enim consuetudo cùm universim invaluisset induendæ statim vestis Monasticæ, ubi postea innovata est lex necessitasque implendi ante professionem Novitiatûs annui, tum penè necesse fuit, ut in veste religiosa transigi sineretur Novitiatus. Tum quoque illud usu receptum, ut gestatio religiosi habitûs ultra annum pro legitima censeretur professione. Suo certè tempore Bernardus annuum illud tyrocinium in veste laica peragi solitum fuisse, ita testatur: *Post annum sponte professus, tunc primum sæculari veste rejecta, Religionis habitum suscepisti.* *Bern. Ep. 1.*

IX. Non nesciebat Alexander III. quid sanciret Regula B. Benedicti de licentia resiliendi ab instituto Monastico ante finem probationis annuæ. Et ab illo tamen ad Episcopum Lucensem rescriptum est, Si qua vidua vestem susciperet religiosam, nec in Monasterium tamen ullum se conjiceret, nec patrimonio renuntiaret, id genus esse voti simplicis, quo prohibetur matrimonium contrahendum, contractum non dissolvitur. *Sicut simplex votum matrimonium impedit contrahendum, sed non dirimit contractum; ita sine professione & propriorum renuntiatione, habitûs susceptio ne contrahatur impedit, sed consummatum nequaquam dissolvit.* *Appen Con. Later. Part. 45. c. 4.* Nicolaus Papa à Gratiano *D. 27. c. 6.* refertur ejusdem modi conjugium rescidisse. Quod omnino concinebat Statuto Luitprandi Regis in Legibus Longobardicis, occasione harum viduarum, quæ ipsæmet suis suscipiebant manibus velum & habitum, ut vocabant beatissimæ Mariæ. *Velamen aut vestem sanctæ Dei genitricis Mariæ.* *L. 2. Tit 17.* Denique Innocentium III. Gregorium IX. & Bonifacium VIII. non præteribat caput illud Regulæ B. Benedicti, quando toties inculcarunt eam definitionem, cui hic illuminandæ confirmandæque jamdiu insudamus. Veniebat illis forsan in mentem, à Benedicto simpliciter dici, non posse cogi ut maneant, qui discedere volunt ante expletum probationis annum: quod indubium prorsus est: non dici autem, eos quibus certissimam voluntatem infudit Deus semet ipsos religiosæ in perpetuum vitæ mancipandi, qui palam ita se velle confessi sunt: & qui tum demum habitu Religionis sunt donati: posse rursus tuta conscientia demergere se in sæculi fluctus tot naufragiis infames.

X. Declaratum quidem est à Concilio Tridentino nullam esse Professionem, nec ea ad ullam Religionem, sive peculiarem, sive in communi quemquam astringi, si ante exhaustum probationis annum emissa sit. Quod perspicuum est Sessione XXV. capite XV. Sed scitissimè nihilominus à Fagnano observatum est, esse adhuc ei doctrinæ locum, *Fagnan. in c. 1 3. De regul. part. 3. pag 96 97.* quæ tradit eum qui constantem voluntatem suam renuntiandi sæculo publicavit, suscepitque habitum Novitiorum, tacitè professum censeri. Potest etiam videri Concilium Tridentinum non egisse nisi de foro exteriori, ubi certum est professionem ante ætatem legitimam, vel ante finem annui tyrocinii præfestinatam, prorsus irritam esse; minimè autem ad forum conscientiæ trahi debere, ubi juxta Pontifices suprà laudatos, qui inspiratam à Deo voluntatem conculcandi sæculi, & fugiendæ ejus contagionis abjecerint postea, non possunt non esse vehementer obnoxii iræ & vindictæ divinæ; non quòd legem ullam Ecclesiasticam violarint, sed quòd jus illud divinum, naturale & inconcussum obtriverint, quo jubemur Spiritui

sancto

sancto non contradicere, gratiam ejus non ludificari. Qui potuisset enim quisquam sine spe & gratia sancti Spiritûs velle & vehementer velle sæculum aspernari, Religiosum ambire & complecti Institutum, aliquandiu ibi perseverare, & obstantes perfringere difficultatum moles? Et qui possit quisquam sibi fingere, illa quam invexit Concilium Tridentinum exterioris politiæ innovatione perfectum esse, ut tantam gratiæ Dei & Spiritui sancto allicienti contumeliam aspergere, piaculare non sit?

XI. Immensæ fuisset operæ singulis immorari Monialium Congregationibus. Unum dicam, Gregorio IX. conducibile visum esse, ut Hospitalariis Sororibus sancti Joannis Hierosolymitani permitteretur Monasticam & vestem & professionem illam dimittere: accedere autem ad Regulam & vestem Canonicarum Regularium sancti Augustini in Anglia. Adducebatur Pontifex ea ratione, quòd Ordo Militaris parum consentiret Monialibus, nec ferè Collegia fœminarum Hospitalium ulla excitarentur. *Maximè cùm in Ordine Hospitalis ipsius non consueverit fieri Collegium Dominarum.* Veræ Hospitalariæ eæ fuerunt, de quibus pauca perstrinximus in Tractatu de Xenodochiis.

Const. t. antiq. Regum Angl. p. 131.

Jam quod ad puellas attinet, quæ enutriuntur in Monasteriis, tardiùs, ut nobis quidem videtur, obliterata est consuetudo, ut ne in Monasteriis susciperentur, nisi quæ votum profitendi, aut ejus voti rudimentum aliquod animo foverent. Id conjicitur ex Privilegiis compluribus, à Pontifice Romano concessis, ut Galliæ Regum filiæ possent demorari in Monasteriis, donec spiritum ducerent.

Du Tillet Par. 1. pag. 451.

## CAPUT XLIX. *P. 4. l. 1. c. 60.*

### De Consecratione Virginum ab Episcopo extrema hac Ecclesiæ ætate, post annum Christi millesimum.

*I. Exempla aut vestigia antiquissimæ hujus cæremoniæ residua.*
*II. Episcopo semper vendicata est.*
*III. Et à velo viduarum secreta.*
*IV. Nova probationes quod Episcopi Virgines adhuc consecrarent.*
*V. Distinctio Virginum Professarum simpliciter, & solemni pompa velatarum.*
*VI. Varia animadversiones in antedicta.*
*VII. Quibus causis abolita sit hæc cæremonia.*
*VIII. De Diaconissis.*
*IX. De consecratione Sanctimonialium Cartusianarum.*
*X. De professionibus Religiosis, quæ fieri possunt inter manus Episcoporum.*

I. SÆpiùs jam disceptatum est à nobis de hac Virginum Episcopali consecratione; maximè verò Capite 42. hujus tertii Libri, numeris 11. 17. 18. & aliquantò fusiùs Capite 48. penè toto. Hic ergo ea tantùm attingemus, quæ ad novissimam hanc pertinent Ecclesiæ ætatem post annum Christi millesimum. Et mirum est sanè qui fieri potuerit, ut tantæ quondam sanctimoniæ & solemnitatis res usque adeo nunc obsoleverit, ut vix obscurissima quædam & fugientia ejus appareant vestigia. Hæc persequemur hoc Capite, causasque venabimur, quibus tanta solemnitas & apud sanctos olim Patres celebratissima, silentio oppressa jam sit. Cunegundis Imperatrix ab Episcopo consecrata Deo est, velumque accepit ab Episcopo, annulumque Mysteriis refertissimum, quando statim post mortem Henrici Imperatoris conjugis sui Religionem professa est. *Præcisis capillis, imposito sibi ab Episcopo velo, annulo fidei subarrhata, gratulabunda concinuit, Posuit signum in faciem meam & annulo suo subarrhavit me Dominus Jesus Christus.* Ita scriptor ejus vitæ. Sancta Hildegardis Deo consecrata, & pro more statim coronata est ab Episcopo Moguntino: *Coronam quæ in die consecrationis suæ ab Episcopo coronata est, transmisit.* Beata quoque Lutgardis ab Episcopo Leodiensi & consecrationem & coronam cum compluribus aliis virginibus accepit, circa annum 1200. *Leodiensi Episcopo complures Sanctimoniales consecrare volente, quibus adjuncta est Lutgardis.*

Baron. an. 1025. n. 2.
Bollan ianuar. pag. 109.
Surius die 16. Iunii. L. 2. c. 9.

II. Sacrum illum ritum necdum prorsus obsolevisse apertè innuit Ivo Carnotensis, cùm docet ita Episcopo integram servari virginum consecrationem, ut non iteretur tamen, ubi occupavit Presbyter eam celebrare. *Unde nec consecratio virginum, quæ ex authoritate Apostolica Episcoporum privilegio reservatur, si aliquando à Presbyteris usurpetur, propter Sacramentum Christi & Ecclesiæ, quod ibi continetur, nullatenus ab Episcopis iteratur.* Scribens Anselmus ad nobilem fœminam, quæ religiosam diu vestem circumgestaverat & postea abjecerat, contestatur eam fuisse tacitam professionem, qua non minus Deo teste obligaretur, quàm professione illa quæ fiebat apud Episcopos; denique antiquissimas Monasticæ vitæ professiones non aliter quàm sola vestis mutatione factas fuisse. *Quamvis ab Episcopo sacrata non fueris, nec coram ipso professionem legeris, hoc solum tamen est manifesta, & quæ negari non potest professio, quia publicè & secretè habitum sancti propositi portasti, per quod omnibus te videntibus Deo dicatam te esse, non minus quam professionem legendo affirmasti. Nam antequam fieret ista nunc usitata Monachici propositi professio & sacratio, multa millia utriusque sexus hominum, solo habitu se ipsius esse propositi profitentia, celsitudinem & coronam consecuta sunt. Et qui tunc habitum sine hac professione & sacratione assumptum rejiciebant, Apostatæ judicabantur. Inexcusabilis ergo es, si deseris sanctum propositum, quod diu habitu & conversatione professa es, quamvis professionem nunc usitatam non legeris, & ab Episcopo consecrata non fueris.* Ex quibus inferri posset ipsasmet Sanctimoniales, quanquam septis claustrorum vallatas, ab Episcopis velatas & consecratas tunc adhuc fuisse, etsi minimè necessaria esset ea consecratio, ut earum professio irrevocabilis evaderet, cùm ne expressa quidem professio esset necessaria.

Epist. 25.
Epist. 4.

Davidis Scotiæ Regis filiam ex pervetusti Angliæ historici fide, duxit Henricus I. Angliæ Rex, quamvis in Monasterio enutrita fuisset, *non ut Sanctimonialis fieret, sed ut propter cautelam cum cæteris puellulis coætaneis suis nutriretur & litteris erudiretur:* & quamvis aliquando Abbatissa ejus capiti velum imposuisset semel, ut pro Moniali tum haberetur, cùm in Monasterium ingressus est Vuillelmus Ruffus Rex Henrici prædecessor, ut velt sanctitate deterreretur, ne eam attingeret: duxit illam tamen postea Henricus Rex, postquam ab Abbatissa sanctissimè affirmatum est, eam nec Sanctimonialem unquam, nec consecratam ab Episcopo fuisse. *More Sanctimonialium velo capiti imposito benedictione Episcopali consecrata.* Non dissimulavit Anselmus celebrari posse id conjugium, sed nec tacuit quantum inde calamitatum erupturum esset, eam unam ob causam, quòd puella sacrum velum ex occasione ad punctum temporis gestasset. Principes duo Regii eo ex conjugio orti mari absorpti sunt, cùm ex Gallia in Angliam trajicerent.

Ea quæstione lacessitus aliquando est Rupertus Abbas, an consecrari posset virgo virginalis propositi prævaricatrix. Negat autem ille velum, annulumque ei congruere posse, uti nec viduæ, cui velum sine annulo conceditur. Tecto sunt etiam viduæ capite, virgines nudo, cùm illis velum imponitur. Hinc diffinit Rupertus, cujus emarcuit turpi flagitio pudor, eam viduarum velo convenientam esse debere. *Quæ in sæculo conversata virum cognovit, veniens ad conversionem, sacrum velamen superinduit, gratiam sortita secundi, id est, vidualis ordinis. Quæ in sancto proposito corrupta est, non parum consequitur, si revertens ad virum suum Christum taliter suscipitur.* Addit Rupertus, si Confessarius solus sciret quid ab ea flagitii admissum sit, non facilè se in alterutram sententiam assensum præcipitaturum. *Definire non audeo, quod integra consecratione consecrari non debeat, vel non possit.*

Spicil. to. 12. pag. 375.
L. De læsio. Virginit. c. 25.

III. Eo Ruperti testimonio patet, moris adhuc fuisse, ut velarentur viduæ, quæ Religiosum institutum profitebantur. Idem testatum fecit Guibertus Abbas in vita sanctissimæ fœminæ parentis suæ, quæ velari voluit, quantumvis ei obluctarentur complures, eamque hoc canonici juris axiomate obtundederent: *Viduas velare Pontificum nullus attentet.* Sed neuter horum scriptorum dixit ab Episcopo velatas fuisse viduas. In Appendice Concilii Lateranensis sub Alexandro III. de vidua agitur, quæ *nec intravit claustrum, nec in manu Episcopi, aut Abbatis, aut Abbatissæ, vel super altare est professa, vel obedientiam promisit.* Exinde odorari licet virgines non rarò adhuc Religionem professas esse in Monasteriis inter manus Episcoporum.

Par. 45. c. 4.

IV. Accedunt dilucidiora adhuc ejus rei documenta. Causam diffinit Alexander III. militis Hispani, qui Archiepiscopum Tarraconensem & Cæsaraugustanum compulerat, ut conjugi suæ in Monasterium contrusæ velum imponerent: *Episcopi missi à viro, ut ei velum imponerent, &c. Alter Episcoporum, ut viri tyrannidi satisfacere videretur, mulieri velum imponere simulavit.* Interrogatæ sunt Moniales cum Præposita, an vis allata fuisset. Burgensis & Palentinæ Diœceseos Abbatissas audaciores increpat Innocentius III. quæ *Moniales proprias benedicunt, ipsarumque confessiones criminalium audiunt, & legentes Evangelium præsumunt publicè prædicare.* In Constitutionibus Cisterciensibus vetantur Abbates Monialibus benedicere. *Prohibitum, ne quis Abbatum nostrorum Monacham benedicere præsumat.* Quin & ibidem advertitur in Capitulo Generali anni 1241. declaratum fuisse, eam qua Abbates interdicerentur Monialium benedictionem, illam ipsissimam esse, qua virgines ab Episcopis consecrabantur. Odo de Soliaco Parisiensis Episcopus in Constitutionibus Synodalibus prohibet Presbyteris, & solis Episcopis vendicat consecrationem virginum sicut & Altarium. *Nullus Sacerdos confirmare, aut consecrare virgines præsumpserit. Solius Episcopi est confirmare, virgines consecrare, Ecclesias dedicare, Ordines dare.* Concilium Parisiense anni 1212. vetat nequid accipiatur pecuniæ pro Episcopali virginum, vel Altarium consecratione. *In Ecclesiarum dedicatione, in virginum benedictione.* Concilium Oxfordiense anni 1222. annulo uti vetat Moniales, nisi ab Episcopo consecratæ sint. *Sola Monialis consecrata deferat annulum, & uno solo sit contenta.* Thomas Cantipratensis medio sæculo decimo-tertio scribebat adhuc de iis nimirum virginibus, quæ ab Episcopo velari possent. *Consecrari & velari ab Episcopis quasi virgines jure possunt.*

C. Perlatum De his, qua vi, metusve causa fiunt.
Monastic. Cisterc pag. 255. 281.
C. 4. n. 5.
Par. 4. c. 32.
Can 38.
Cantiprat. L. 2. c. 29 n. 30.

V. Inter Moniales ergo secernebantur ab aliis eximiæ illæ quas Episcopus sacraverat. Non omnes ergo ab eo vel consecrationem vel benedictionem eam solemnem consequebantur. Abelardus ait Eloisam ab Altari accepisse velum quod Episcopus benedixerat. *Confestim ab Episcopo benedictum velum ab Altari tulit, & se Monasticæ professioni coram omnibus alligavit.* Quod omnino consonat Ruperti suprà Abbatis diffinitioni. Sed alibi Regulas præscribens idem Abelardus Monialibus, apertè distinguit duo vela, alterum consecratarum, alterum cæterarum omnium Sanctimonialium. *Duo velorum genera esse volumus, ut alia sint scilicet virginum consecratarum, alia verò minimè. Quæ verò prædictarum sunt virginum, crucis sibi signum habeant impressum, &c. Et sicut in consecratione distant à cæteris, ita & hoc habitus signo distinguantur, &c. Hoc autem signum virginalis munditiæ in summitate capitis candidis expressum filis virgo gestabit, & hoc nullatenus, antequam ab Episcopo consecretur gestare præsumat.*

Epist. 1.
Epist. 8. pag. 185.

Duæ ergo erant uno in Monasterio Sanctimonialium classes, quarum eæ quæ inauguratæ ab Episcopo fuerant, velum gestabant alba cruce insignitum. Illud quoque observat Abelardus, consecrationem virginum solemnioribus Festis dumtaxat peragi solitam. Anno 1239. cùm Abbas Episcopatus Avenionensis Prioratum Sanctimonialium exædificaret, id potestatis Præpositæ concessit, ut Moniales suas consecrari faceret ab Episcopo Avenionensi, Abbatibus successoribus suis consentientibus, sed & non consentientibus. *Moniales dicti Prioratus possint à Domino Avenionensi Episcopo, de nostro & successorum nostrorum consilio & assensu, à Priorissa requisito, consecrari. Et si super hoc Abbas malitiosè differet dare consilium & assensum, nihilominus Dominus Avenionensis Episcopus possit dictas Moniales consecrare.* Anno 1244. Innocentius IV. à Rege & Regina Castellæ certior factus est, cùm filia virgo regia professionem editura esset in Monasterio Regio Cisterciensis Ordinis in Suburbano urbis Burgensis, prævertisse Abbatissam, & dum Missarum solemnia Episcopus celebraret, ipsammet velum Regiæ puellæ imposuisse. Damnavit Pontifex hanc præproperam Abbatissæ audaciam, omnino infestam Canonibus, qui prohibent, ne eæ vel viduas unquam velo donent, vel virgines. *Ne viduam, aut puellam virginem velare præsumat.* Edixitque ut deinceps Abbatissæ & Moniales Virgines à Diœcesanis Episcopis consecrarentur. *Abbatissis & Virginibus firmiter injungas ut à Diœcesanis suæ consecrationis velum recipiant.* In Promptuario suo Antiquitatum Tricassinarum publicavit Camusatius Chartam Episcopi Tricassini, qui anno 1324. Monialibus sanctæ Mariæ Trecensis permisit, ut à quo vellent benedici possent Episcopo Catholico, & communionis Pontificiæ. *A quocumque Episcopo Catholico, & Apostolicæ sedis gratiam obtinente munus benedictionis recipere valeatis.*

Epist. 7. pag. 113.
Spicil. to. 7. pag. 273.
Rainald. Ann. 1244 n. 57.

His exemplis patet consecrationem virginum etiam Claustris septarum, non ita infrequentem fuisse sæculo XIII. quanquam essent ibidem Moniales aliæ complures, professæ, & quibus interclusus esset in sæculum exitus. Adde & Concilium Lambethense anni 1281. quo irrevocabiliter professæ declarantur eæ omnes, quæ ætatem assecutæ legitimam ultra annum gestaverint vestem Monasticam, etsi eas nondum Episcopus benedixerit. *Moniales quædam tantum desipiunt, ut cum ætatis legitimæ*

Can. 19.

*& doli capaces, postquam ultra annum inter Moniales Monasticè vixerint, putent se non esse professas, ac sibi licere redire ad sæculum, pro eo quod benedictionem Episcopalem cum solemnitate voti emissi minimè receperunt. Nos verò præsentis Concilii authoritate definimus, eas ipso facto professas existere reputandas, postquam ultra annum vitam sponte in Collegio duxerint regularem; adeo ut ad sæculum redire minimè permittantur; nihilominus ab Episcopis cum solemnitate debita consecrandas suo tempore, vel velandas.*

VI. Præstructis his testimoniis argumentisque tot & tantis, jam nihil dubitationis in animo cujusquam reliquum esse poterit: 1. quin distingui debeat religiosa professio à consecratione virginum. Legitima erat & irrevocabilis in utroque sexu professio, ex quo ultra annum exegerat quis in Claustro & in veste religiosa. At velum consecrationis non conferebatur nisi virginibus professis, & plerumque jamdiu antè professis. 2. Ideo & plurimùm discrepabat ætas Religioni & consecrationi idonea. 3. Paulatim Episcopi minùs solliciti fuere de consecrandis Sanctimonialibus, tum quòd earum numerus mirum in modum excresceret, tum quòd satis vallatæ viderentur tum professione, tum Claustro, ut minùs jam opus esset quasi novo consecrationis munimento. 4. Ita Abbatissæ sensim sine sensu insuefactæ sunt, aut sese & Moniales suas consecrationis velo abstinere, aut illis professionis velum ipsæmet imponere. Unde factum est, ut ferè ubique ei temperamento acquiescerent, ut velum Religionis ab Abbatissis, vel à Presbyteris acciperent Sanctimoniales, velo consecrationis abstinerent.

Certè posterioribus sæculis multò semper rariora fuere consecrationis virginum exempla. Distinguit tamen adhuc B. Antoninus consecrationem virginum à professione, aitque consecrari non posse, nisi quæ jam religionem professæ sint. *Nec tamen consecratur inter virgines, nisi solemniter professa in Religione approbata.* Ventilatur & illa ab eo quæstio, an consecrari posset, quæ virgo putaretur esse, nec esset: nempe vitandi causâ scandali. Docet denique quanquam ex antiqua Canonum norma consecrandæ non essent virgines nisi solemnioribus Festis & post annum ætatis XXV. invaluisse tamen contrarium usum, ut nec ea expectaretur ætas, & quolibet die Dominico consecratio fieret virginum. *Consuetudo habet, quod fiat etiam Dominicis diebus, & aliis Festis solemnibus, & etiam ante tempus dictæ ætatis.* Nondum ergo Antonini ævo oblitteratæ prorsus erant virginum consecrationes: præsertim cùm ille alibi affirmet, fuisse Monasteria, ubi mos ferret omnes prorsus consecrari Sanctimoniales. *Puta quia in tali Monasterio consueverunt omnes consecrari.*

(Summa Anton. part. 3. Tit. 2. c. 2. n. 3. 2.)

Anno 1548. Augustana Synodus de consecratione virginum egit. (Can. 21.) Anno 1583. Concilium Turonense inter functiones Episcoporum proprias solam recenset Abbatum & Abbatissarum benedictionem, de virginum seu benedictione, seu consecratione prorsus silet. (Can. 12.) Quod argumento est quibusdam in Provinciis eam tunc abolitam prorsus fuisse. Ideo & B. Carolus in Concilio IV. Mediolanensi præcipit, ut ea restituatur in integrum iis in locis, ubi in desuetudinem abierat. *Ubi religiosus iste & vetus Moniales solemniter velandi mos his temporibus antiquatus est, ad pristinum usum ex veteri instituto & ritu revocetur, dummodo intra Monasterium id fiat.* (Acta Eccl. Med. p. 194. 926.)

VII. Potest & alia intervenisse causa oblitterandæ hujus consecrationis, quòd nempe prisco Patrum ævo solemnior esset ejus pompa, ut hæc videri tum possent fuisse priscæ disciplinæ vota solemnia: at jure novo convaluit, ut habeantur vota solemnia, quæ emittuntur in ejusmodi Religione, quam prima Sedes approbaverit. Denique ubi in Claustra sua abditæ fuerunt Sanctimoniales, solemnitas illa antiquæ pompæ vix jam locum habere potuit; ut quæ celebrari jam non deberet nisi in interiori Monasterii Oratorio, ut præcipit Concilium V. Mediolanense sub beato Carolo: *Neque ibidem Missæ celebrandæ causa ad interiorem Ecclesiam Monasteriique septa Episcopus Superiorve introeat unquam, nisi tantum cum Præfecta Monasterii aut alia Monialis consecranda est. Tuncque ne Moniales egrediantur, sed is adjunctis etiam quos ad ministerium conficiendum necessarios habet, ministris, introeat, licet intus Missam celebret, ritumque consecrandi adhibeat, ad Pontificalis libri præscriptum.* (Pag. 290.) Quasi religiosæ & virginalis professionis solemnitas erat illa consecratio. Desiit ergo consecratio, ubi desiit solemnitas. Itaque quanquam summa fuerit prorsus in B. Carolum ejusque Concilia omnium veneratio, haud tamen illis obtemperatum est. Una superest in usu Ecclesiarum vulgatissimo Abbatissarum consecratio, quæ tanto strepitu tantaque fit solemnitatis pompa, ut facilè omnes intelligant, jam non posse singulis Sanctimonialibus virginibus tantundem curæ & pompæ impendi.

Unus pene fuit Robertus de Arbrissellis, qui edixerit ut sui ad Fontem Euraldi Ordinis Abbatissa, non ex Monialibus professis una eligeretur, sed vidua eaque laïca, quæ administrationem temporalium gerere posset. (Boll. Febr. To. 3. pag. 609.) Id genus Abbatissa nulla ratione benedici potuisset. Hugo VI. Cluniacensis Abbas Marciniacense Monasterium viduis solis construxit. (Bibl. Clun. pag. 420.) Beata Coleta ex adverso virgines tantùm admisit in Monasteria ea, quæ ad strictissimam Regulæ beati Francisci observationem ipsa refingebat. (Surius die Mart. 6. c. 10.)

VIII. Non video quid de Diaconissis dici possit, cùm earum ordinatio obsolefacta jam inde à decimo aut duodecimo sæculo fuerit. Leo IX. meminit adhuc potestatis Episcoporum ad ordinandos Presbyteros, Diaconos, Diaconas, & Subdiaconos. (Epist. 14.) Eo quippe ordine eas recenset. Benedictus Papa anno 1019. Portuensium Episcoporum jura pernumerans, Diaconorum, Diaconarum & Subdiaconorum ordinationes in præteritis non habuit. (Italia sacr. Tom. 1. pag. 138.) Earum tamen superfuisse vestigia conjicitur, quæ olfecerint Canonistæ ii, qui velum ordinationis eis imponi censuerunt, & potestatem addi legendi Evangelii in nocturnis Sanctimonialium Officiis. Ideo & aiunt dum ordinarentur, jussas fuisse eas manu attingere illa Breviarii loca, ubi Evangelicæ sunt Lectiones. (Fagn. in l. 3. Decr. Par. 2. pag. 21.) Mutum est prorsus Pontificale Romanum in ea authoritate legendi Evangelicas Lectiones ad nocturnas horas: at ubi totam subjicit oculis virginum consecrationem, tum profert quorundam Monasteriorum consuetudinem, ubi Diaconissarum loco commendabatur virginibus consecratis incipiendi horas Canonicas, & legendi Officium in Ecclesia. *Quia in nonnullis Monasteriis est consuetudo, quod loco Diaconissatûs virginibus consecratis facultas datur incipiendi horas Canonicas, & legendi Officium in Ecclesia.* Sequitur Collecta, qua id potestatis confert Episcopus, jussis contrectare Breviarium: *Accipite librum, ut incipiatis horas Canonicas, & legatis Officium in Ecclesia.*

IX. Prohibent Constitutiones Chartusiensium, ne Priorissæ Sanctimonialium Chartusiensium duo- (Stat. Nov. part. 3 c. 4. n. 10. 36.)

decimam recitent Lectionem, si quis Monachus adsit, vel sæcularis Presbyter. Sed satius erat in his observare discrimen Monialium simpliciter professarum, & earum quæ consecratæ postea fuerunt, idque juris solæ habent, ut nigro utantur velo. *Nec Moniales quæ non sunt benedictæ, nigro utuntur velo.* Ibi distinguitur accuratè receptio, professio & consecratio Monialium. Professæ sunt si expleto anno ætatis duodecimo, unum præterea impleant annum integrum in Religione: at consecrari non possunt, nisi anno ætatis vigesimo quinto. *Non profiteantur ante finitum duodecimum annum, quo finito, si per annum continuum probatæ fuerint, pro professis habeantur, juxta dispositionem juris communis. Nec consecrentur ante vigesimum quintum annum.* Hoc statuto vehementissimè approbantur, quæcumque dicta sunt à nobis, de professarum & consecratarum virginum discrimine, & de necessaria utriusque generis ætate.

Tertia Compilatio c. 12. n. 7. 8.

Duo autem professionis genera in hoc statuto observari par est, Professio expressa his adnotatur verbis, ætatem significantibus, qua fieri potest: *Non profiteantur ante finitum duodecimum annum.* Verbis consequentibus exprimitur tacita professio, quæ fiebat veste gestata alicto præterea anno integro post expletum annum tyrocinium & post impletum annum ætatis duodecimum. *Quo finito si per annum continuum probatæ fuerint, pro professis habeantur, juxta dispositionem juris communis.* Hæc eadem gemina professio alibi quoque significatur in iisdem Constitutionibus, sicut & ætas necessaria annorum duodecim. *Nulla Monialis ad eligendum cum aliis admittatur, nisi duodecimum annum peregerit; & professionem fecerit tacitè, vel expressè.*

Tertia pars Statut. nover. c. 4.

X. Una restat quæstio paucis stringenda, an possit adhuc alicubi fieri professio Religiosa inter manus Episcopi, cùm Concilium Tridentinum omnes irritaverit professiones, quibus non præiverit annuus Novitiatus. Generaliter profiteri Religionem in manu Episcopi, votum id simplex fuerit. Inter manus Episcopi non potest fieri professio cujuscumque Religionis ab Apostolica Sede approbatæ, nisi consentiente Abbate, vel Præposito ejus Generali. Si Episcopus idem esset & Abbas, posset ad professionem admittere quoslibet. Si Monasteria non exempta, post terminum ab Episcopo definitum, cunctentur & cessent admittere Monachos eo numero, qui expensis subductisque reditibus annuis præscriptus fuit, potest Episcopus Monachos & Moniales admittere ad professionem annuo expleto Novitiatu. Posset & consuetudo id præscripsisse, ut ejus unius esset ad professionem quosvis admittere. Hæc summatim Fagnanus in eam rem.

Seff. 25. c. 15.

L. 3 Decret. Part. 2. pag 61. 62.

## CAPUT L. *P. 1. l. 1. c. 52.*

### De Viduis Deo sacris & de Diaconissis per priora Ecclesiæ sæcula.

*I. Quàm antiquum in Ecclesia, quàm sacrum viduarum institutum.*

*II. Erant & prærogativa earum aliqua supra virgines.*

*III. Quæ cautiones in viduis Ecclesiasticis juxta Tertullianum.*

*IV. Ex Hieronymo, cur viduis tantum sit impensum cultûs & observantiæ. Cur ætas præscripta annorum sexaginta. Cur voluerit Paulus juniores viduas iterum nubere.*

*V. Hortatur Ambrosius juniores viduas ad continentiam.*

*VI. Laudibus in cælum extollit Augustinus sanctimoniam præstantiamque viduarum.*

*VII. Ex Chrysostomo laudes viduarum & officia.*

*VIII. De Diaconissis. Ex virginum quandoque grege deligebantur.*

*IX. Sed multò frequentiùs ex agmine viduarum.*

*X. Nova ad id argumenta.*

*XI. Alienum erat ab Officio Episcopi, ut viduas velaret.*

*XII. Verùm cave, ne id de Diaconissis interpreteris, quas solus ordinabat Episcopus.*

*XIII. Hæc Diaconissarum ordinatio merè erat, undoquaque cæremonia, quæ nullam ex partem attinebat Sacerdotii.*

*XIV. De conjugibus Clericorum sacratarum.*

*XV. Sex fœminarum Deo sacratarum genera.*

I. Viduarum Deo sacratum antiquitas in Ecclesia Christi non minor fuit quàm virginum, porro numerus multo non paulo major. Viduas cum virginibus locat & consociat Tertullianus. *Si Episcopus, si Diaconus, si vidua & si virgo, si Doctor, &c.* Expostulat alibi, quòd fuerit viduas locata & provecta sit virgo; fateturque fuisse quondem justas & constantissimas causas augendæ honoribus præmiisque hujus virginis; sed rem adeo alienam à natura, & à sensu communi dissonantem probare omnino non potest. *Plane scio alicubi virginem in viduatu ab annis nondum viginti collocatam. Cui si quid refrigerii debuerat Episcopus, aliter utique salvo respectu disciplinæ præstare potuisset, ne tale nunc miraculum, ne dixerim monstrum in Ecclesia denotaretur, virgo vidua.*

De præscrip.

De velan. virgin.

II. His Tertulliani verbis apertè proditur privilegia & compendia viduarum uberiora fuisse, quàm virginum. Certè Paulus expressissimè commendavit alimenta stipendiaque, non virginum, sed viduarum. Diximus alibi de universali Ecclesiarum consuetudine, eadem admetiendi stipendia viduis, atque Clericis Beneficiariis, juxta mandatum Apostoli.

III. Observat ibidem Tertullianus, quas exigeret Paulus virtutes & conditiones à viduis in Ecclesiæ Catalogum transcribendis. Ut ne bigamæ essent, ut liberos haberent, instituerentque Christianis disciplinis, sexaginta ut annos natæ essent, quo ætas hæc grandior & rerum experientia ad illa eas pararet munera, quæ illis Episcopi commendaturi essent. *Ad quam sedem præter annos sexaginta, non tantùm univiræ eliguntur, sed & matres, & quidem educatrices filiorum, scilicet ut experimentis omnium affectuum structæ, facilè norint cæteras & consilio, & solatio juvare.*

IV. Hieronymo visum est accommodasse se Paulum inter initia Ecclesiæ rudioribus adhuc populis, & à gentilitate recentibus, ubi vetuit viduas admitti ante annos sexaginta. Castitas virtus erat, cujus ne nomen quidem satis familiare erat Gentilibus. Res ipsa protsus inusitata. Semel nupsisse, eximium decus erat. Ideo nihil amplius tunc à Ministris sacris Paulus expressit. Itaque ne viduis quidem satis constare posse existimavit fidem famamque continentiæ, nisi attigissent annum ætatis sexagesimum. Sed cùm majora in dies incrementa fecerit res Christiana, cùm novæ virtutes, novæ semper vires accesserint; cœperunt majorum Ordinum Clerici, è virginibus maximè asciscí: cœperunt etiam viduæ eligi Ecclesiasticæ, quæ aliquantò ætate minores, virtutibus non paulo provectiores essent. Inde consilium Hieronymi ad juniorem viduam Salvinam, ut inter Ecclesiasticas viduas profiteatur. *Nec te moveat quòd sexagenaria eligatur in viduam, & putes adolescentulas ab Episcopo reprobari. Alioquin omnes quæ ante sexaginta annos viduatæ sunt, accipient maritos. Sed quia rudem Christi Apostolus instituebat Ec-*

Ad Salvinam De viduit. servanda.

*clesiam, & omni ordini providebat, præcipuèque pauperibus; quorum et cura cum Barnaba fuerat demandata; illas vult Ecclesiæ opibus sustentari, quæ propriis manibus non queunt laborare, quæ verè viduæ sunt, quas & ætas probat & vita.* Si præcipit autem Paulus juvenculas viduas nubere, id interpretatur Hieronymus, necessaria tunc indulgentia factum esse, ad antevenendos frequentes turpissimosque lapsus, eo tempore quo continentia exulara toto penè orbe videbatur. *Scribit ad Timotheum, volo adolescentulas nubere, &c. Cur indulseris, statim subjecit, jam quædam declinaverunt post Satanam: ex quo intelligimus illum non stantibus coronam, sed jacentibus manum porrigere.* Hinc liquet primigeniam & spontaneam Ecclesiæ voluntatem fuisse, ut viduæ quantumvis juvenes, æternæ se deinceps continentiæ addicerent; quod adprimè consentit Christi verbis Evangelicisque litteris: sed exempla tristissima & frequentia earum, quæ sese Ecclesiamque fœdissimis lapsibus infamassent, Apostolum eò compulisse, ut consilium daret, inglorium & penè ignavum, sed tutum & tandiu retinendum, donec homines castitati & pudori aliquando tandem insuescerent. Conqueritur ipse Hieronymus de viduis, quæ gloria nominis delectarentur, *Castæ vocarentur, & Nonnæ;* cùm moribus essent à castitate alienissimis.

Ad Eustoch. De Virgin. servanda.

V. Ambrosius ad viduitatis propositum constanter retinendum adhortatur, non sexagenarias tantùm, sed & juniores viduas; nec univiras tantùm, sed quantumvis bigamas. Apostolo non repugnat, quisquis ejus magis voluntati, quàm verbis obtemperat: & primaria potius ejus sectatur decreta, quàm delinimenta, quæ ab eo quandoque posterior extorsit necessitas. Viduis ut calcaria addat, commonstrat Ambrosius, Ecclesiam non virginem tantùm & sponsam esse, sed & viduam. *Habent omnes quod imitentur exemplum, virgines, nuptæ & viduæ; & fortasse ideo Ecclesia virgo, nupta, vidua, quia unum corpus in Christo sunt.* Quas Ecclesia in eos decernebat pœnas, qui secundis se illaqueaerent nuptiis, ex iis abundè clarescit, quàm optatum illi fuisset, ut viduæ omnes inviolabilem posthac continentiam profiterentur. *Non prohibemus secundas nuptias, sed non probamus sæpè repetitas.* Inferiùs ait cælibatum non omnibus præscribi, sed ab omnibus expeti. *Non omnibus imperatur, sed ab omnibus flagitatur.* Addit denique viduitatem quandam esse palæstram virtutum, & quæcumque pietatis & fidei persecutores fuere, eosdem gravissimè & continentiam & viduitatem insectatos esse. *Bona ergo viduitas, quæ toties Apostolico judicio prædicatur. Hæc enim magistra fidei, magistra est castitatis. Unde & illi qui Deorum suorum adulteria & probra venerantur, cælibatûs & viduitatis statuere pœnas, ut annuli criminum, mulctarent studia virtutum.*

L. de Viduis.

VI. Datis Augustinus ad sanctissimam viduam Probam Epistolis, domum ejus ostendit tanquam seminarium fuisse virginum, viduarumque, quarum castissimæ deliciæ & sanctissimæ occupationes in meditandis interdiu noctuque divinis eloquiis versarentur. *Aliæ sanctæ viduæ virginesque sub vestra cura securius constitutæ: quantò magis domum vestram piè tractatis, tantò impensius orationibus instare debetis.* Sed accedere nihil potest iis, quæ sanctissimus Pater scripsit *de Bono viduitatis.* Demonstrat enim id votum à virtute proficisci provectissima. *Ab illicitis valde longe est, quæ voti libertate se obstrinxit, & sibi etiam licita ne licerent, non imperio legis, sed consilio charitatis effecit.* Assentitur Hieronymo infregisse se Paulum ad earum imbecillitatem, quibus permisit, ut in secundas potius nuptias, quàm in desperatæ turpitudinis barathrum deliberentur. *Jam enim quædam conversæ sunt retro post Satanam. Ut his verbis ejus intelligamus eas quas nubere voluit, melius posse continere quam nubere, sed melius nubere, quàm retro post Satanam ire: id est, ab illo excellenti virginalis vel vidualis castitatis proposito, in posteriora respiciendo cadere & interire.*

Epist. 121.

Cap. 5.

Cap. 8.

Denique ut compertum fiat non frustra tantum & honorum & ornamentorum congestum fuisse in viduas, paribusque eas stipendiis cum Beneficiariis donatas esse; attexam hîc ex eodem Augustino, quàm piis, quàm duris, quàm jugibus se dederent virtutum officiis viduæ istæ universæ: *Deliciæ igitur spiritales deliciis carnalibus in sancta castitate succedant, lectio, oratio, Psalmus, bona cogitatio, bonorum operum frequentatio, spes futuri sæculi, & cor sursum, atque de his omnibus gratiarum actio Patri luminum, &c. Jejunia quoque & vigiliæ, in quantum valetudinem non perturbant, si orando, si psallendo, legendo, & in lege Dei meditando sumuntur, in delicias spiritales etiam ipsa quæ videntur laboriosa vertuntur.*

Cap. 21.

Paucissimis eadem omnia verbis complectebatur Concilium Carthaginense IV: *Viduæ quæ stipendio Ecclesiæ sustentantur, tam assiduæ in Dei opere esse debent, ut & meritis & orationibus suis Ecclesiam adjuvent.* Docet nos alibi idem Augustinus, nigellis vestibus indui solitas has viduas, & modestioribus, quàm quæ inter conjugatas erant modestissimæ. *Est quidam pro modulo personæ habitus matronalis, à viduali veste distinctus.* Et infrà, *Nigellis vestibus.* In historia Laurentii Martyris Prudentius virgines viduasque monogamas pulcherrimè declarat, eo loco pretioque habitas, quo Ecclesiæ decora & lumina, & pretiosissimas sacræ coronæ gemmas. *Cernis sacratas virgines, miraris intactas anus, primique post damnum thori, ignis secundi nescias. Hoc est monile Ecclesiæ, his illa gemmis comitur, dotata sic Christo placet, sic ornat altum verticem.*

Cap. 103.

Epist. 199.

VII. Agens Epiphanius de Ecclesiæ Catholicæ spectatissimis membris, viduas post virgines locat. Sed quid splendidius de viduis Christianis, non dici, sed optari potuit, quàm quod Chrysostomus prædicat de earum Officiis in Ecclesia, de vigiliis, de jugi orandi studio, de patientia incredibili, de virtutibus cumulatissimis. *Statuerunt Apostoli, ut essent & viduæ, & ea in re tantum posuerunt studium, ut eis septem Diaconos præficerent. Quomodo enim Episcopos & Presbyteros & Diaconos & virgines & continentes in membrorum Ecclesiæ numerum referunt, ita etiam viduas. Neque enim ea levi & abjecto funguntur munere. Nam tu quidem quando vis, ades: ipsæ autem noctu & interdiu psallunt & adsunt, non solùm hoc facientes propter eleemosynam. Vide in quanta sunt fornace paupertatis, & tamen nullas ex iis videris blasphemantes, neque ægrè ferentes, & in gratiarum actione degunt, & si obolum dederis, gratias agunt, & millies bona precantur.* Præter illas viduas quæ mendicabant, & quibus suppeditabat Ecclesia, si quid præterea opus esset: erant & aliæ, quæ ab ea omnino sustentabantur; erant & aliæ denique opulentæ, *charitate in pauperes & hospitalitate* præ cæteris insignes. Altissimè Chrysostomus subierat in penetralia ipsa Theologiæ Paulinæ, & morum præsertim doctrinæ ejus præstantissimæ defæcatissimæque. At testatum facit ille, non multò plus exigere Paulum officiorum, diligentiæ & charitatis ab Episcopo, quàm à vidua. *O quantum diligentiæ requiret à vidua*

Exposit. fidei Cath. c. 21.

In Epist. 1. ad Corint. hom. 30.

Ibi hom. 36. In Epist. 1. ad Timoth. hom. 14. Et Tom. 4. ad juniorem viduam.

*Et De non iterando conjugio.*

*Tantum profectò, ut ab Episcopo plus fere nihil exigat.* Possem testimoniis Chrysostomi roborare quidquid suprà ex Hieronymo & Augustino deprompsi. Sed res in longum iret. Consules, si vacuum est, tractatus ejus varios in eam rem. Viduis quoque Basilius easdem atque Augustinus Regulas præfixit; sine intermissione orare, noctes ipsas preci impendere, jejunare frequentiùs, hospitalitatem sectari, bona opera in dies accumulare.

VIII. Erat & alius ordo viduarum, ad quas traducenda nunc nobis oratio est, nempe Diaconissarum. De bis jam noo pauca superiùs præcerpsimus; sed jam hîc à capite res arcessenda est. Paulus ipse Apostolus capite ultimo Epistolæ ad Romanos, aliquid perstrinxit de Phæbe, Diaconissa Ecclesiæ in Cenchris, quod Corinthi urbis Suburbium erat. Simile veri est eam viduam fuisse. Quanquam enim virginibus quoque ad hunc Diaconatum aditus pateret, erat tamen id rarius, inter illa quidem initia. Author Constitutionum Apostolicarum hoc ministerium demandat primum virginibus; & earum si non fiat copia, viduis. *Diaconissa eligatur virgo pudica; si autem non fuerit virgo, sit saltem vidua quæ uni nupserit.* Quin & viduas jubet morem gerere Diaconissis, sicut & Episcopis, Presbyteris, Diaconisque: *Viduas oportet honestas esse, graves, obedientes Episcopis, Presbyteris, Diaconis, adhuc etiam Diaconissis.* Agit Gregorius Nyssenus in vita sanctæ Macrinæ de Lampadia, quæ Præposita erat virginum & Diaconissa: *προτεταγμένη τοῦ χοροῦ τῶν παρθένων, ἐν τῷ τῆς διακονίας βαθμῷ.* Neminem fugit Imperatricem Eudoxiam id aliquando consilii cepisse, ut Imperatricem Pulcheriam Diaconissam ordinari faceret: Olympiadem nobilissimam virginem defuncto conjuge Diaconatu isto diu perfunctam fuisse Constantinopoli: denique quantùm enixus sit Chrysostomus, ut Nicarete virgo præstantissima eidem se functioni mancipari pateretur.

*L. 6. c. 17.*
*L. 3. c. 7.*
*Sozom. l. 8. c. 8. & 9.*

IX. Ad hoc tamen Diaconissarum munus viduis januam pandit Epiphanius, peræquè ac virginibus. *Illa quidem univiræ & continentes esse debent, vel post unas nuptias viduæ, vel perpetuæ virgines.* Promiscuè etiam utrasque ad sacrum ministerium accersit Concilium IV. Carthaginense. *Viduæ vel Sanctimoniales, quæ ad ministerium baptizandarum mulierum eliguntur, tam instructæ sint ad officium, ut possint apto & sano sermone docere imperitas & rusticanas mulieres, tempore quo baptizandæ sunt, quomodo baptizatori interrogatæ respondeant, & qualiter accepto baptismate vivant.* Vidua erat Olympias juxta Sozomenum, quando ad Diaconatum vocata est à Nectario.

*In Exposit. fidei.*
*Can. 12.*

X. Finltimom tamen vero est prioribus sæculis hanc provinciam viduis potissimum delegari solitam fuisse. Præceperat Paulus viduas eligi sexagenarias. Idem innuit Ignatius in Epistola ad Antiochenos: *Saluto sanctarum portarum custodes Diaconissas, saluto Christo acceptas virgines.* Similiter & Tertullianus: *Apostoli præscriptio digamos non sinit præsidere, viduam adlegi in ordinationem nisi univiram non concedit.* Et alibi: *Ordinari in Ecclesia solent, quæ Deo nubere maluerunt.* Basilius denique: *Viduam quæ in viduarum numerum velata est, hoc est, quæ ab Ecclesia in Diaconatum suscepta est, censuit Apostolus nubentem esse despiciendam.*

*Tertul. l. 1. ad uxor. Exhort. ad castit.*
*Epist. Cano. Can. 14 τ. διακον. μέρει.*

XI. Minimè verò ad has trahi debet viduas Diaconissas, quod prohibent Canones, ne ab Episcopis velentur, & quod Episcopis vendicant virginum consecrationem. Ita enim jubet Concilium Carthaginense II. *Chrismatis confectio & puellarum consecratio à Presbyteris non fiat.* Et ejusdem urbis Concilium III. *Presbyter inconsulto Episcopo virgines non consecret, Chrisma verò nunquam conficiat.* Et Gelasius Papa: *Devotis Deo virginibus nisi aut in Epiphaniorum die, aut in Albis Paschalibus, aut in Natalitiis Apostolorum, sacrum minimè velamen imponant Episcopi, nisi forsitan gravi languore correptis, ne sine hoc munere de sæculo exeant, implorantibus non negetur. Viduas autem velare Pontificum nullus attentet, quod nec authoritas divina delegat, nec Canonum forma præstituit.* Hîc verò operæ pretium est observari, 1. Ab Episcopo solo, qui sponsus Ecclesiæ est, & immortalis Sponsi Vicarius, posse virgines Christo devotas velari, eique consecrari. 2. Eam consecrationem solemnioribus Festis diebus celebrari solitam; Ambrosius Paschalem solemnitatem ei rei designarat, Gelasius Epiphaniam & Natalitia Apostolorum. 3. Ea consecratione magnam sibi gratiarum copiam cœlitus irrigari persuasissimas fuisse castissimas virgines, cùm tantopere vererentur, ne ante consecrationem morte abriperentur præfestinata.

*Can. 3.*
*Can. 36.*
*Epist. 9.*

XII. At Diaconissas solus certissimè ordinabat Episcopus; seu viduæ illæ forent, seu virgines. *Ordinationis* voce hîc ooo semel usus est Tertullianus. Author Constitutionum Apostolicarum idem adhibet vocabulum, quod omnes complectitur ordinationes. *De Diaconissis ego Bartholomæus sic constituo, manus ei Episcope impones, præsentibus Presbyteris, Diaconis & Diaconissis.* Eadem penè sunt verba Concilii Calchedonensis: *Diaconissam non ordinandam ante annum quadragesimum: si verò suscipiens manûs impositionem, &c.* Hæ certè voces χειροτονία, χειροθεσία veram Ordinum sacrorum celebrationem exprimunt. Epiphanius Diaconissas includit ordini & collegio Clericorum. *Diligenter observandum Ecclesiasticum Ordinem, ἐκκλησιαστικὴν τάξιν, sive Officium, usque ad Diaconissas tantùm necessarium fuisse.* Ipsum Nicænum Concilium Diaconissas accenset Clero, ἐν τῷ κανόνι. Si eodem verò Canone statim dejiciantur in Laïcorum classes, & impositione manuum fraudentur; *Quòd non habeant manûs impositionem, & ideo eas inter laïcas deputari*; id non pertinet nisi ad Paulianistarum hæreticorum Diaconissas, quæ ad Ecclesiam Catholicam se conferebant. Alioqui collideretur hic secum ipse Canon, pugnaretque Canoni Calchedooensi.

*L. 8. c. 19.*
*Can. 15.*
*Hæresi 79.*
*Can. 19.*

XIII. Opportunissimè verò monet Epiphanius, hac ordinatione Diaconissas nullam consequi quantulamcumque Sacerdotii portionem, quamvis eadem fieret manûs impositione. *Quanquam Diaconissarum in Ecclesia Ordo sit, non tamen ad Sacerdotii functionem, aut ullam ejusmodi administrationem institutus est: sed ut muliebris sexus honestati consulatur; sive ut baptismi tempore adsit, sive ut cum nudandum est mulieris corpus, interveniat, ne virorum qui sacris operantur, aspectui sit exposita, sed à sola Diaconissa videatur, quæ Sacerdotis mandato mulieris curam agit, &c.* Ubi & illud scitissimè adjicit, ne ipsum quidem Diaconum in potestate habere, ut ullum perficiat sacramentum, sed ut administret tantùm: ὑπηρετεῖν, διακονεῖν. Itaque si Concilium Nicænum Clero innexuit Diaconissas: *Similiter de Diaconissis & universè de iis, qui in Clero recensentur, eadem forma servabitur*: non eo tamen eas ullam in Sacerdotii partem admisit. Inter Montanistarum portentosas insanias, eam quoque commemorat Epiphanius, quod fœminas ipsas sacerdotio impertirent, & ex ipsis Episcopas, Presbyterasque designarent. Cùm

*Hæresi 79.*
*Can. 19.*
*Hæresi 49. 65. n. 4. 5.*

utriusque testamenti paginis aditus illis obstruatur ad sacra quælibet sacerdotii munia; illud autem solatio illis esse debeat, quòd nec ipsa Deipara Virgo ejus consortium nacta sit, nisi quòd victimam cœlestem hujus Sacerdotii ipsa peperit, eoque immensa quadam amplitudine sexum suum omnem condecoravit.

Functiones Diaconissarum delibavimus in Canonibus & in testimoniis Epiphanii paulò antè relatis. Profertur & alibi locus Apostolicarum Constitutionum, quo earum stipendia diffiniantur; ut nemo molestè ferat, si ex à nobis inter Beneficiarios censeantur.

XIV. Cursim delibandum est & aliquid de alia Diaconissarum classe, quæ eas complectebatur, quarum mariti ad sacros Ordines abrepti fuerant. Continentiæ jam tum astringebantur, & non rarò referebantur in album Diaconissarum. Ejusmodi fuit Theosebia, Gregorii Nysseni uxor ante Episcopatum, quam Gregorius Naaianzenus insigni ornat encomio: *Theosebiam verè sanctam Presbyteri conjugem & honore parem, magnis mysteriis dignam.* (Epist. 95.) Joannes Damascenus in Oratione II. de sacris imaginibus, Diaconissam vocat eam, quæ Abbatissam agebat in eo Monasterio, quo beata Euphrasia admissa fuit, sub Theodosio magno [illegible] In dubium vocari potest, an cùm Diaconissa esset, ad Monasterii Præfecturam vocata sit: an una Abbatissæ dignitas Diaconissæ decus & nomen et conciliarit. Jam enim ostendimus in antecessum, postquam longo sæculorum tractu extinctæ sunt Diaconissæ, subrogatas quodammodo eis fuisse Abbatissas.

Est & scrupulus aliquis eximendus in Canone Concilii Laodiceni (Can. 11.): *Non oportere eas, quæ dicuntur Presbyteræ, πρεσβύτιδες, & Præsidentes, in Ecclesiis constitui.* Ita verbom è verbo redditur Græcus textus; quem paulò latiùs effudit Ferrandus Diaconus (Can. 121.): *Ut mulieres quæ apud Græcos Presbyteræ appellantur, apud nos autem viduæ, seniores, univiræ & matricula, in Ecclesia tanquam ordinatas, constitui non liceat.* Sensus Ferrandi is est, prohiberi ne amplius in Diaconissas referantur ex viduæ Ecclesiasticæ, unius viri uxores, quæ publicis Ecclesiæ stipendiis alebantur, erantque inscriptæ Beneficiariorum pauperumque Catalogo. Græca verba aliò trahi possunt, ut prohiberetur tantùm, ne earum ulli Præfectura mandaretur viduarum Ecclesiasticarum.

XV. Erant ergo omnino olim sex fœminarum Deo sacratum genera. Nimirum Sanctimoniales, quæ simpliciter profitebantur sive in paternis ædibus, sive in Monasteriis. Virgines sacræ, quæ ab Episcopo consecrabantur. Diaconissæ quarum ordinatio specie tenus plurimùm alludebat ad Diaconi ordinationem, etsi mera illa esset cæremonia. Abbatissæ Monasteriorum. Præfectæ Virginum Ecclesiasticarum, quæ in paternis ædibus diversabantur. Denique Clericorum majorum conjuges.

## CAPUT LI. *P. 2. l. 1. c. 43.*

### De Viduis, de Diaconissis, de fœminis Canonicis, dc conjugibus sacrorum Clericorum, media Ecclesiæ ætate.

*I. II Justinianus quadraginta Diaconissas superesse voluit in Majore Ecclesia Constantinopolitana.*
*III. Præfinuit, quæ dotes & virtutes earum esse deberent.*
*IV. Ætas annorum quinquaginta, & à contubernio virorum alienatio*
*V Earum sacra stipendia*
*VI VII. Canonicæ & Hospitalariæ ad sepulturas operam navabant.*
*VIII. De Episcoporum conjugibus in Oriente.*
*IX. X. Et in Occidente Vetabantur nubere, etiam post conjugum obitum, tum vinculo continentiæ, tum bigamiæ metu. Id cum aliorum Clericorum uxoribus commune erat.*
*XI. XII Diaconissæ in Galliis extinctæ. Ut B. Radegundis ordinata fuerit Diaconissa.*
*XIII. De Viduis Hispaniæ.*

I. DE Viduis, Diaconissis, Canonicis fœminis, conjugibus Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, immo & Subdiaconorum, postquam & illi continentiæ vinculis fuut irretiti, promiscuè hîc nobis agendum est, ut se media ætate, seu sæculo VI. & VII. habuerint.

II. Adgressus est Justinianus Imperator numerum cujusqoe Ecclesiæ sacrorum Ministrorum definire, & accommodare annuis ejus reditibus, convenienter voluntati Fundatorum, à quibus præscriptus est numerus Presbyterorum, Diaconorum utriusque sexûs, Subdiaconorum, & aliorum quorumcumque Clericorum. *Determinarunt quantos quidem competens esset Presbyteros per unamquamque Ecclesiam quantosque Diaconos masculos, atque fœminas, & quantos Subdiaconos, & rursus Cantores atque Lectores, & Ostiarios constitui.* (Novel. 3. c. 1.)

Jubet ut ne plures in Ecclesia Constantinopolitana ordinentur, quàm sexaginta Presbyteri, Diaconi centum, quadraginta Diaconissæ, Subdiaconi nonaginta. Ubi vides quo ordine essent Diaconissæ inter Beneficiarios Ecclesiæ. De Beneficiariis enim hîc agebatur ad certum numerum redigendis, ne ultra modum annuorũ proventuum excresceret. Jam verò ex numero quadraginta Diaconissarum tunc definito, cùm daretur tunc opera numero minuendo, augurari licet quantum curarum & officiorum iis incumberet.

III. Alia Constitutione enumerat Justinianus necessarias earum dotes, quæ Diaconissarum ordinatione donabuntur. Utitur enim & ipse voce Ordinationis, χειροτονίας. Jubet ergo ad hunc promovendas Diaconatum, virgines esse, aut certè unius viri conjuges; cùm Apostolus ipse decreverit, bigamia tanquam canonico impedimento arceri omnes, non à sacris tantùm Ordinibus, sed & à statione Diaconissarum. Jubet & eas moribus inculpatas fuisse, ut quæ Ministræ futuræ sint, vel adjutrices Baptismi fœminarum, & affuturæ arcanis quibusque Mysteriis. *Sic sacram promereri ordinationem, aut virgines constitutas, aut unius viri quæ fuerint uxores. Non enim permittimus, neque secundas contrahentibus nuptias, neque vitam habentibus non dicimus reprehensibilem, sed nec suspectam omnino ad sacrum venire ministerium, & adorandis ministrare baptismatibus, & aliis adesse secretis, quæ in venerabilibus ministeriis per eas ritè aguntur.* (Novel. 6. c. 6.)

IV. Non sinit eas ordinari ante annum ætatis

circiter quinquagesimum, ut infrà dicemus. Aut si qua necessitas id extorqueat ab Episcopis, ut hanc ætatem præveniant, nec sedem habere, nec ministrare poterunt, nisi in Monasteriis, semotæ procul à contubernio & à conspectu virorum. *Si quadam necessitas fiat, & minorem hac ætate ordinari Diaconissam contigerit, liceat eam in aliquo venerabilium Asceteriorum ordinari, & in illo habitare. Neque viris admixta constituta sit, sed vita separata, &c.*

Quæ verò congrua ætate ordinatæ fuerint, seu viduæ, seu virgines, nunquam versari poterunt in eadem domo cum viris, quamvis cognatis, nec cum Agapetis, quo casti amoris velo & obtentu regitur quandoque turpis cupiditas, & non raro infamis. Sed vel solæ suas sibi ædes incolent, vel cum parentibus, liberis, fratribus, aliisque, ex quibus nulla possit obliquior conflari suspicio. Denique Diaconissis comminatur vult Imperator, si quando nubant, & bona earum omnia fisco addicenda fore, & ipsas capite luituras, cum incestæ copulæ consortibus. Si Legibus enim Romanis morte plectebantur Vestales, quæ profanum Sacerdotium inconcessa venere contaminaverant: quantò æquius est vita carendi eas, quæ sanctissimam professionem deturparint, cui & umbra aliqua speciesque appicta erat cœlestis Sacerdotii. *Quomodo non magis definimus, pudicitiam conservari à Diaconissis, ut quod decet natura custodiant, & quod debetur Sacerdotio, conservent.*

Novel. 123. c. 30. V. Denique Novellam quoque aliam edidit Justinianus, qua præcipit ut ab Episcopis exauthorentur Diaconissæ, quæ suis ex ædibus non ablegabant eos omnes, in quos qualiscumque cadere poterat suspicio: ut Beneficiis & diurnis stipendiis spolientur; ἢ τῆς ἰδίας διαίτης ἀποστερεῖσθαι: quo patet diurnas aliquando fuisse has sportulas; ut Monasteriis includantur; ut denique earum res inter Ecclesiam & Monasterium dividantur, si liberis careant: aut inter liberos & Monasterium.

Novel. 59. c. 2. 3. VI. Venio ad Canonicas & ad Moniales Hospitalarias, quarum Imperator alibi constituit quæ stipendia esse debeant, in ea Constitutione, ubi de Sepulturis agit, in quibus illæ operam suam industriamque collocabant. Definit enim menstruas distributiones, quas ab iis Ecclesiæ Oeconomis accepturæ essent, quibus tributa fuerat administratio terrarum, quarum reditus in sepulturas impendebantur. *Quod hactenus datum est laborantibus circa funerum exequias, & deinceps detur, hoc est, per singulum mensem quadringentos solidos dividendos Decanis & Acolythis, & Ascetriis, & Canonicis, ἢ ἀσκητρίαις, ἢ κανονικαῖς.* Hæ Sanctimoniales ei morem gerebant Diacono, à quo Xenodochium regebatur; erat & suus Canonicis Præpositus. Et his Præpositis exolvebantur pecuniæ, ad harum alimenta puellarum. *Oportet auri partem Ascetriis competentem per Oeconomos dari Eugenio Diacono & Xenodocho Samsonis sanctæ memoriæ Xenonis, & ejus qui per nos constitutus est, & his qui erunt post eum memoratorum Xenodochiorum Xenodochi eo quod Ascetria ad hæc ministrantes opus, sub Xenodochis constituta sint. Quod autem contingit Acolythos & Canonicas, eis dari, qui nunc eis præsunt.*

Cap. 4. Præcipit mox Imperator, ut ad singulas exequias, octo saltem harum Monialium vel Canonicarum prægrediantur ante sarcophagum, decantentque Psalmos cum tribus Acolythis; Cæterùm nec hos, nec illas accipere quidquam mercedis posse, nec pro labore, nec pro sarcophago. Si quis autem cupiat, plures ut suorum exequiis intersint Moniales, fas id esse, dum impensas earum faciat, quæ hîc definiuntur: sicut & siqui vellent uti alterutro ex duobus magnificentioribus sarcophagis qui in Sacrariis asservabantur, nec circumgestari poterant, nisi numero multò majori ministrorum.

VII. Ex his Justiniani Legibus aliisque nonnullis liquidum fit, etsi non essent in Oriente illi greges Monialium, quæ privatim extra Monasteria degerent; fuisse tamen 1. Diaconissas, quæ post consecrationem suam cum cognatis & parentibus degerent, si ea ætate essent, quæ ad annum ætatis quinquagesimum accederet. Juniores enim in Monasteria secedere cogebantur. 2. Fuisse & Hospitalarias Sanctimoniales sub regimine Clerici sibi præpositi, ut Xenodochii administratoris spiritalium temporaliumque rerum. 3. Fuisse & Canonicas, quæ cum his Sanctimonialibus ad exequias Fidelium ministrarent, & ad Psalmodiam exequiis semper conjunctissimam. Canonicæ vocabantur à Canone distributionum, quibus donabantur. Distinguuntur autem à Monialibus Hospitalariis, quòd hæ sacro Collegio suo & Congregationi alligatæ essent: unde & *Ascetria* hîc vocantur; *Asceteria* quippe Monasteria Græci appellabant. At Canonicæ nullo ejusmodi vinculo tenebantur, sed continentiæ tantùm, ut apparet. Cod. l. 1. De Ep. & Cler. l. 33.

VIII. In Concilio Trullano conspiciendas se dant aliæ Moniales, seu Diaconissæ. Conjuges eorum videlicet, ad Episcopatum qui provecti fuerant. Cùm primùm enim assensæ fuerant electioni & ordinationi conjugis sui, facessere jubebantur in Monasterium ab Episcopalibus ædibus summotum, ibique Episcopi sumptibus ali, nisi sua illas spectatissima pietas ad Diaconatum propelleret. *Vxor ejus qui ad Episcopalem dignitatem promovetur, communi consensu à viro suo priùs separata, postquam in Episcopum ordinatus est, Monasterium ingrediatur, procul ab Episcopi habitatione extructum, & Episcopi providentia fruatur. Sin autem digna visa fuerit, etiam ad Diaconatûs dignitatem provehatur.* Can. 48.

IX. Concilium Turonense II. id unum Episcopo præcepit, ut conjugem deinceps suam, ut sororem haberet, secederetque ab ejus mansiuncula. *Episcopus conjugem, ut sororem habeat, &c. Tam longè absint mansionis propinquitate divisi, &c.* Nec minor fuit hujus Concilii indulgentia in Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos. Sola illis lecti communione interdixit Synodus Altisiodorensis: quanquam illud præterea ibi declaratum sit, nunquam amplius posse eas, nec post obitum conjugum, ad alias aspirare nuptias, quasi maritorum ordinatio perpetuæ & indeclinabili ipsas quoque continentiæ mancipasset. *Non licet relicta Presbyteri, nec relicta Diaconi, nec Subdiaconi, post ejus mortem maritum accipere.* Can. 12. 13 / Can. 21. 22

Ulteriùs progressi sunt Patres Concilii Matisconensis II. & alteras nuptias ne superstitibus quidem concesserunt uxoribus Subdiaconorum, Exorcistarum & Acolythorum; jussis illis si nuberent, separari & in Monasteria coarctari dum viverent. *Vt quæ uxor Subdiaconi vel Exorcistæ, vel Acolythi fuerat, mortuo illo, secundo se non audeat sociare matrimonio. Quod si fecerit, separetur, & in cœnobiis puellarum Dei tradatur, & ibidem usque ad exitum vitæ suæ permaneat.* Cùm inferiores hi Clerici nullo unquam continentiæ voto ligati fuissent, si post eorum mortem nubere prohibebantur eorum viduæ, non video qua id causa, vel ratione fieret, Can. 16.

nisi

nisi vitandæ causâ bigamiæ. Nam si bigamia uxoris in maritum reflectebatur, videri ea poterat, tam in priorem, quàm in posteriorem maritum reflecti. Concilium Aurelianense I. nuptiis non interdixerat, nisi viduæ Presbyteri & Diaconi; quòd ii, ut reor, tunc temporis Ordines soli cum Episcopatu bigamos excluderent, & continentiæ indivulsè co-
Can. 13. hærerent. *Si se cuicumque mulier duplici conjugio, Presbyteri, vel Diaconi relicta conjunxerit, aut castigati separentur, aut certè si in criminum intentione persliterint, pari excommunicatione plectantur.*

X. Iisdem se limitibus cohibuit Concilium Romanum sub Gregorio II. nec anathema intorsit, nisi in eos qui uxores duxissent Presbyteri, Diaco-
Can. 1. 2. 3. nive relictas, vel Sanctimoniales. *Si quis Presbyteram, Diaconam, Monacham, quam ancillam Dei vocamus, in conjugium duxerit, anathema sit.*

XI. Quoad Diaconissas, earum ordinem extinxit Concilium Epaonense, vetuitque ullas posthac consecrari, nec residuam fieri voluit viduis benedictionem ullam, nisi religiosæ pœnitentiæ. *Vidua-*
Can. 21. *rum consecrationem, quas Diaconas vocitant ab omni regione nostra penitus abrogamus, sola eis pœnitentiæ benedictione, si converti voluerint, imponenda.* Ex Concilio Aurelianensi II. subrutilat, hanc extinctionem Diaconissarum ab omnibus Galliarum Episcopis approbatam fuisse, nec alia magis ratione eos incitatos fuisse, ut obliterarent Ordinem ab annis quingentis celeberrimum, à sanctis Patribus & à Paulo ipso tantopere commendatum; quàm earum incontinentia, quæ offendiculo & pudori jam sæpè fuisset, & in dies frequentius esset Ecclesiæ. Vibrato enim excommunicationis fulmine in Diaconissas eas quæ jam nupsissent, vetat hoc Concilium, ne ullæ amplius ordinentur, ne sexui tam fragili com-
Can. 17. 18. mittatur benedictio Diaconatûs. *Fœminæ quæ benedictionem Diaconatûs hactenus contra interdicta Canonum acceperunt, si ad conjugium probantur iterum devoluta, à communione pellantur. Quod si hujusmodi contubernium admonitæ ab Episcopo dissolverint, in communionis gratiam acta pœnitentia revertantur. Placuit etiam ut nulli postmodum fœminæ Diaconalis benedictio pro conditionis hujus fragilitate credatur.* Concilium Turonense II. aliam subjicit oculis rationem ejusdem rei, nempe quòd benedici viduas semper improbaverint Canones, ea honoris & sanctimoniæ prærogativa virginibus servata, ut quæ veriores
Can. 20. Agni cælestis sint sponsæ. *Cùm omnes sciant quod nunquam in Canonicis libris legitur benedictio vidualis quia solum propositum illis sufficere debet, sicut in Canonibus Epaonensibus à Papa Avito, vel omnibus Episcopis conscriptum est.*

Non præteribat hos Præsules ante aliquot jam sæcula vocatas fuisse viduas ad Diaconatum. Sed jure negabant ab Episcopis unquam approbatam fuisse viduarum consecrationem, vel benedictionem, & ordinationem: quam vindicatam potiùs voluissent virginibus, ut quæ convenientiùs hac qualicumque sacerdotii umbra illustrarentur. Si
22. enim Hieronymo & Epiphanio visum est, nonnisi ex virginum penuria cœlibes ad sacros Ordines accitos fuisse: quantò æquiùs id de Diaconissis conjiciemus? Certè ex virginum inopia ad Diaconatum accesserant initio viduæ: & tandem eò res erupit, ut ex viduarum incontinentia & virgines & viduæ Diaconatu funditus exciderent. De solis enim viduis suprà laudatis Canones expostulabant. Denique Zacharias Papa ad consulta respondens Pipini Majoris Palatii & Episcoporum Galliæ, Gelasii decreta innovaverat de non benedicendis viduis: nempe à Pontificibus, quod tum fiebat, cum Diaconissæ ordinabantur. *De viduis sub nulla benedictione velandis, &c. Ut viduæ non velentur à Pontificibus, &c.* Conc. Gall. Tom. 1 pag. 565.



XII. Nec deterritus tamen est his decretis beatus Medardus Suessionensis Episcopus à B. Radegunde Regina in Diaconissam ordinanda. Verùm ejusmodi ea res est, ut miraculo sit potiùs, quàm exemplo. Nec enim vidua erat Regina, superstes erat conjux ejus Rex. Assentiebatur quidem Rex ejus secessioni, sed haud sanè ipse cœlibatui se innectebat. Denique non cessit Episcopus, nisi vim facienti Reginæ, ut Diaconam consecraret. *Qua ille contestationis concussus tonitruo manu superposita consecravit Diaconam.* Vita ejus apud Surium Aug. die 13. L. 1. c. 6.

XIII. Nec in proposito suo constantiores firmioresve erant viduæ Hispaniarum, quàm Gallicanæ. Concilium Toletanum X. ut resecaret ludificationes omnes, quibus incontinentiam suam illæ obumbrabant, jussit ut scripto firmarent professionem suam Presbytero, Diaconoque: neque ab eo simul acciperent habitum religionis, modestia, non colorum aut pannorum varietate insignem; denique ut propositi sui insigne semper circumferrent, pallio aut velo purpureo vel nigri coloris caput contegentes. *Scriptis professionem suam faciat, & nunc accepta à Sacerdote vel Ministro apta religionis usui veste, quæ careat & varietatibus colorum, & diversitatibus partium, &c. Pallio purpurei vel nigri coloris caput contegat ab initio suscepta religionis, &c.* Can. 4.

# De ætate necessaria ad Professionem Virginum, Viduarum, Monialium & Monachorum.

## CAPUT LII. *P. 1. l. 3. c. 53.*

### De ætate necessaria ad Professionem Diaconissarum, Viduarum, Virginum Sanctimonialium & Monachorum, quinque prioribus Ecclesiæ sæculis.

*I. II. Ætas annorum sexaginta Diaconissis & Viduis necessaria juxta Paulum & sanctos Patres necessaria quatuor prioribus sæculis.*

*III. Aliarum viduarum professio, quæ Diaconatu non ornabantur, maturius fiebat.*

*IV. Concilium Calchedonense Diaconissarum Ordinationem ad ætatis annum quadragesimum revocat.*

*V. Velum solemnis Virginum consecrationis in Gallia & in Africa anno ætatis earum vigesimo quinto conferebatur.*

*VI. VII. Professio Virginum simplex, id est, sine solemnitate, fiebat anno ætatis duodecimo. Probationes variæ.*

*VIII. IX. X. Probationes distinctiones necessariò interponenda professionibus solemnibus & non solemnibus. Ex Pontificum Decretis.*

*XI. XII. XIII. Ex Concilio Turonensi, ex Decreto Papæ Leonis, ex vitis Pontificum.*

*XIV. XV. Ex Lege Majoriani. Ex Decreto Gelasii, confirmante professiones duas, duasque ætates longè diversas.*

*XVI. Professio simplex fiebat anno ætatis duodecimo, vel decimo quarto.*

*XVII. XVIII. Aliæ probationes ex Hieronymo & Ambrosio.*

*XIX. Probationes ex sequentibus sæculis.*

*XX. In Oriente B. Basilius professionem defigit anno ætatis decimo sexto.*

*XXI. Postea Græci anno undecimo defixerunt.*

*XXII. In Occidente Congregationes austeriores tardiùs ad professionem admittebant.*

I. Dictum suo suprà loco est de ætate, qua Clerici & sacra tonsura, & Ordine deinde quolibet initiabantur. Nunc definienda nobis ætas est, qua viduæ, qua virgines Ecclesiasticæ, qua Diaconissæ, qua Monachi profiterentur. Initium ducemus à viduis, quas Paulus sexaginta annorum esse sanxit. Tertullianus libro de velandis Virginibus suo ævo Præceptum Apostolicum religiosissimè observatum fuisse docet. *Ad quam sedem præter annos sexaginta non eliguntur.* Juniores quidem viduas hortabatur Hieronymus ad hoc sanctissimum institutum; sed simillimum veri est eum verba fecisse, de spontanea & perpetua continentia, quam viduæ quædam amplecterentur; non de publica viduarum veli ceremonia, & continentiæ professione, quæ non fieret nisi anno ætatis sexagesimo. Alibi verò idem Hieronymus censet, non definitam fuisse ab Apostolo eam ætatem, nisi propter eas, quas suo sumptu Ecclesia sustentaret. Tum enim effœtis corporis viribus, & laboris manuum parum patientes, stipe Ecclesiæ alebantur. *Nec Ecclesiasticis vidua sustentatur alimentis, nisi quæ sexaginta annorum est, & maturitatem habet morum pariter & ætatis.* Nec minùs fervebat Ambrosii zelus, ut omnes passim viduas ad professionem incitaret: sed cùm ad ætatis attigisset: *Non minus sexaginta annorum*, inquit.

*Ad Salvinam. De Vidui. serv.*

*L. 1 adv. Jovini.*

*In cap. 3. Isaia.*

*L. De viduis.*

II. Contestatur quoque Basilius, in viduas non referri solitas, nisi ea ætate, quam Apostolus constituisset: & in Episcopos refundi debere infamiam, si quas præfestinè admiserint, quæ se postea in varias libidines præcipites dent. *Porro viduas sexaginta annos natas, si rursum cum viro habitare voluerit, boni communione non dignabitur, donec ab impuritatis perturbatione cessaverit. Sed si ante sexaginta annos eam in numerum retulerimus, nostra est, non mulieris culpa.* Lege lata Theodosius Imperator observantiam confirmavet Paulini instituti; *Ut nulla nisi emensis sexaginta annis, cui votiva domi proles sit, secundùm præceptum Apostoli, ad Diaconissarum consortium provehatur.* Socrates ejus meminit legis, & qua sit occasione perlata. Porro hic quoque Basilius de viduis Diaconissis agebat, immediatè enim ante sermo illi erat de iisdem Diaconissis.

*Epist. 2. Cano. ad Amphilo.*

*L. 7. c. 16.*

*Cod. Theod. De Episc. & Clericis. Lege 27.*

III. Et hæc, ut opinor, mollissima ratio est conciliandæ inter sanctos Patres concordiæ, qui aliàs collidi mutuò & ipsi secum videntur. Qui urgent annorum sexaginta ætatem, de Diaconissis verba faciunt: qui quantumvis juvenculas viduas ad viduitatis æternæ propositum adducere satagunt, agunt de iis, quæ quamvis continentiam professæ essent, Diaconissæ tamen non erant. Harum professio sine solemnitate & sine pompa peragebatur; illarum autem cùm solemni pompa, ut quæ proximè accederet ad solemnitatem sacrarum ordinationum. Cæterùm Africanæ Ecclesiæ is erat usus, ut juniores etiam pasceret viduas, quibus per valetudinem & vires minus liceret manibus se suis sustentare. Concilii Carthaginensis IV. Patres audiendi hîc sunt. *Viduæ adolescentes quæ corpore debiles sunt, sumptu Ecclesiæ, cujus viduæ sunt sustententur. Ad reatum Episcopi, vel Presbyteri pertinet, si sustentanda vitæ præsentis causa, adolescentiores viduæ vel Sanctimoniales Clericorum familiaritatibus subjiciantur.*

*Conc. Carthag. IV. c. 101.102*

IV. Paulino huic instituto derogasse visum est Concilium Calchedonense, facta copia, ut anno quadragesimo ætatis Diaconissæ ordinarentur. *Diaconissam non ordinandam ante annum quadragesimum & hanc summo cum libramine.* Si postea nubant, in eas tunc demum, & in earum sacrilegos adulteratores anathema pronuntiant ejus Concilii Patres. Trullani Concilii Patribus eadem placuit ætas. Idem decretum est & à Concilio Cæsaraugustano: *Non velandas esse virgines quæ se Deo voverint, nisi quadraginta annorum probata ætate quam Sacerdos probaverit.* Cui præiverat Concilium Agathense: *Sanctimoniales, quamlibet vita earum & mores probati sint, ante annum ætatis suæ quadragesimum non velentur.*

*Can. 15.*

*Can. 14.*

*Can. 8.*

*Can. 19.*

V. Verùm ad Diaconissas ea omnia referuntur. Virgines quippe etiam tum solemniter ab Episcopo velabantur anno ætatis vigesimo quinto, ut præcipit Canon Concilii III. Carthagensis: *Ante viginti quinque annos ætatis nec Diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur.* Non possunt hujus Canonis verba rapi ad Diaconissas, quæ hujus Concilii tempore non ordinabantur nisi annos sexaginta natæ & probatæ, ut ex Paulo, Patribus & Imperatoribus suprà ostensum. Si verò Calchedonensis Synodus non est ausa annos sexaginta à Paulo præfinitos contrahere, nisi ad quadraginta: qui sibi id sumpsisset Concilium Carthaginense III. has ut contraheret ad annos viginti quinque? Si vel maximè id perpendatur, quòd habitum sit hoc Concilium paucissimis pòst annis quàm Theodosius Imperator lege lata corroboraverat præceptum Pauli de sexaginta annorum ætate observanda. Denique ex viduis tum frequentissimè deligebantur Diaconissæ; functiones quoque earum minùs congruebant puellis annorum viginti quinque.

*Can. 4.*

VI. Verùm ut longè aliæ sunt hæ virgines, quæ solemniter velabantur anno ætatis suæ vigesimo quinto, atque Diaconissæ, quæ anno tantùm quadragesimo ordinabantur: ita ab his diligenter distinguendæ sunt virgines quæ simplicem edebant professionem virginitatis sumpto virginum Ecclesiasticarum velo, ita enim suprà vocatæ sunt, & earum se agmini adgregabant. Hæc quoque professio simplex fiebat jam inde ab anno ætatis duodecimo, & cùm primùm nubiles erant. Ideo & illud ipsum Concilium sanxit, ut Lectores vel uxores ducant, vel continentiam profiteantur, cùm primùm ad annos pubertatis venerint: *Lectores cùm ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.* Minimè consentaneum est, ab eodem Concilio statutum fuisse, ut Lectores vel uxores ducant, vel continentiam profiterentur anno ætatis decimo quarto, vel duodevigesimo, puellæ autem nonnisi vigesimo quinto. Nec enim utrobique spectatur nisi nubilis ætas; quo possint Christo copulari, ea ætate qua possent homini. Ætas porro nubendi maturiùs puellis advenit quàm pueris. Itaque Concilio Milevitano II. declaratum est, si quæ virgines se Deo devoverint, veriti que ne aut non acceptum velum præproperà morte abripiantur, ante annum vigesimum quintum id ab Episcopo expresserint ut velentur; nequaquam hinc insimulari posse Episcopos violati Canonis IV. Concilii Carthaginensis. *Quicumque Episcoporum necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis, cum vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel si aliquo etiam mortis scrupulo periculoso compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet, velaverit virginem, seu velavit intra viginti quinque annos ætatis, non ei obsit Concilium, quod de isto annorum numero constitutum est.* Ex hujus Canonis contextu manifestum est, virgines has jam Deo se sua voto privato consecrasse, &

*Can. 26.*

tanquam hæc sponsalia tantùm fuissent, vehementi illas æstuasse desiderio, ut ne suis cum immortali Agno nuptiis perfectis, quod consecratione & veli solemnitate fiebat, præmorerentur. Concilium
Can. 30. Arelatense II. ita decrevit: *De puellis quæ se voverunt Deo, & præclari nominis decore floruerunt, si post vigesimum quintum præsertim ætatis suæ annum ad terrenas nuptias sponte transierint, id custodiendum esse decrevimus, ut cum his quibus se alligaverunt, communione priventur.* Si *præsertim* post annum vigesimum quintum tenentur, tenebantur ergo & prius.

VII. Arelatensem hunc & Mileviranum suprapositum Canonem uno Canone suo complexa est Synodus Turonensis II. anni 567. ubi & ex his, & ex collatione Pontificiorum Decretorum elevantur omnes prorsus quæ hinc ingruere possent difficultates, omnis discutitur caligo. Nil jam residebit dubii, quin duplex ætas, duplexque professio secernenda sit, altera anno duodecimo, altera vigesimo quinto: si paulò pensiculatiùs attendantur hæc Pontificum Decreta, quorum alterum à Concilio Turonensi profertur.

VIII. Prima harum est Epistola Decretalis Innocentii I. ad Victricium Rotomagensem Episcopum data. Ibi primùm de virginibus ab Episcopo
Can. Turon. Can. 20. Epist. Innoc. Cap. 12. velatis ita habet Pontifex: *Quæ Christo spiritualiter nupserunt, & velari à Sacerdote meruerunt, quæ postea vel publicè nupserint, vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is cui se junxerant, de sæculo decesserit.* Ab his ille progreditur ad virgines alias, quæ velatæ nunquam fuerant, sed quæ ita se Christo ipsæ consecrassent, ut jam sponsæ ejus essent, nec possent sine infando piaculo fidem illi desponsam prætergredi. *Hæ*
Cap. 13. *verò quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se permanere promiserant, licèt velatæ non sint, si fortè nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est, quia sponsio earum à Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi, quantò magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigerant, solvi sine vindicta non debet? Nam si Apostolus Paulus, quæ à proposito viduitatis discesserant, dixit eas habere condemnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, quantò magis virgines, quæ pactionis suæ fidem minimè servaverunt?*

IX. Operæ pretium duxi adscribere hoc loco prolixiùs hoc Decretum, ut apertissimè dignoscantur duo genera virginum, quarum hæ solemniter velatæ sint anno ætatis vigesimo quinto, illæ juniores, nec velatæ: sed ambæ irrevocabilis professionis nexu continentiæ & Christo adstrictæ. Junioribus his Monasteria frequentabantur. Quorsum enim opperirentur annum ætatis vigesimum quintum, ut claustris includerentur? quò juniores enim erant, eò conducibilius illis erat, ut Claustri cancellis cohiberentur. Ostensum est etiam suprà in Monasteriis frequentissimas fuisse viduas. At viduis vetuerant Canones, ne Episcopus velum imponeret. Diaconissæ consecrabantur quidem illæ solemniter, at eas in Monasteria contrudi, id sanè ab earum functionibus penè alienum erat. Virgines ergo non velatæ tam jure admittebantur in Monasteria, quàm viduæ, quæ nunquam velabantur. Denique in Monasteria admittebantur Monachi ad professionem, nulla adhibita ejusmodi cæremonia, quæ velo & consecrationi solemni virginum responderet: sola sponsione renuntiandi sæculo admittebantur: id verò simplici Monialium non velatarum professioni conveniebat.

X. Frustra essent ergo si qui contenderent solemnem non fuisse virginitatis vel continentiæ professionem, nisi eam quæ veli susceptione solemni fiebat, cætera autem vota non fuisse nisi simplicia, ut vocantur nunc. 1. Nec enim eludi possunt ulla ratione ea argumenta, quibus suprà ostensum est, Monasteriis septas fuisse, non eas tantùm quas Episcopus solemniter velasset, sed & quæcumque se peculiari continentiæ voto ipsæ obligassent. 2. Eadem Monasteria viduis patebant, quas nefas erat ab Episcopis velari. 3. Æqua & par erat Monachorum & Monialium professio. At Monachorum professio sola constabat vestis Monasticæ susceptione, & sponsione abdicandi sæculi. 4. Demonstratum suprà est in Monasteriis virginum enutritas fuisse virgunculas ab infantia. Multò ergo magis eas quæ se sua sponte Christo devovissent. 5. Innocentii quidem decreto differunt hæ professiones, quarum altera publica & solemnis erat, Episcopo velum imponente; alia privata & sine solemnitate veli: sed & illud ex eodem constat neutra tunc temporis dissolvi potuisse conjugium post contractum: utriusque autem prævaricationem expiandam fuisse per pœnitentiam, alioqui virgines fidei & sponsionis suæ prævaricatrices æternæ damnationis periculum adituras. 6. In confesso est, discrimen solemnium & simplicium votorum, uti in præsentiarum res se habent, ante trecentos aut quadringentos non amplius annos invectum fuisse.

XI. Adde Patres ipsos Concilii Turonensis II. anno 567. post allegatum Innocentii I. decretum, subjungere quod sit insigne professionis virginum Sanctimonialium, & illud constituere in mutatione vestis: quòd tunc propria esset harum sacratum Deo virginum vestis, quæ eas à reliquis discriminaret: *Ut nullus sacratam Deo virginem, quæ in honorem Christi vestem mutavit, aut rapere, aut competere, aut sibi conjugem sociare præsumat.* Et infrà: *Quæ in honorem redemptoris sui se veste mutaverint.* Et rursum
inferiùs: *Nam quæ se veste mutaverit, absque dolo in eo proposito, quod disposuit, perseverare procuret.* Denique viduæ etsi nunquam benedicantur, irrevocabili tamen continentiæ voto constringebantur. *Illud verò quod aliqui dicunt, vidua quæ benedicta non fuit, quare non debet maritum accipere: cùm omnes sciant quod in Canonicis libris nunquam legitur benedictio vidualis, quia solum propositum illi sufficere debet.* Denique easdem Concilium hoc intentat iis pœnas, qui solemniter velatas, & qui non solemniter velatas virgines, sed virginitatem solo vestis mutatione utcumque professas contaminaverint. Can. 20.

XII. Accedit & aliud Leonis Decretum non minùs perspicuum, ex ejus Epistola ad Rusticum Archiepiscopum Narbonensem; quo gemina illæsas, geminaque Sanctimonialium professio secernatur.
*Puella quæ non coacta parentum imperio, sed spontaneo judicio virginitatis propositum atque habitum susceperunt, si postea nuptias eligunt, prævaricantur, etsi consecratio non accessit, cujus utique non fraudarentur munere, si in proposito permanerent.* Et mox sequenti capite: *Ambigi verò non potest magnum crimen admitti, ubi & propositum deseritur, & consecratio violatur. Nam si humana facta non possunt impune calcari, quod eos manebit, qui corruperint fœdera divini sacramenti?* Epist. 92. c. 12. 13.

Eadem hîc observanda recurrunt, quæ suprà in Innocentii decretum. Crimini utique imputabatur, pactam Deo intus fidem, *Propositum*, præteriisse: quamvis velum sacratum sua manu non contulisset Episcopus, quæ *Consecratio erat.* Quamvis longè

atrocius foret flagitium, professam non solùm *proposito* & habitûs susceptione, *habitum susceperunt*, contaminare virginitatem, sed etiam confirmatam postea roboratamque fidem Episcopali benedictione, velique impositione solemni inter Missarum solemnia, spectante Ecclesia, die solemni quopiam. Tunc enim non humanum tantùm maculabatur institutum, sed divina Sacramenta profanabantur. *Corruperunt fœdera divini sacramenti.* Denique priori decreto ejusdem Epistolæ Leo de Monachis eadem dixerat, quæ hîc de Monialibus non consecratis: quo proditur hujus generis fuisse turbam Monialium in Monasteriis. *Propositum Monachi absque peccato deseri non potest. Unde qui ad nuptias devolutus est, publica pœnitentia satisfactione purgandus est, quia etsi honestum potest esse conjugium, electionem tamen meliorum deseruisse, transgressio est.*

XIII. Liber Pontificalis, seu de vitis Pontificum, tradit à Leone prohibitum fuisse, ne ante annum ætatis quadragesimum velarentur Moniales. *Statuit, ut Monacha non acciperet velaminis capitis benedictionem, nisi probata fuerit in virginitate quadraginta annis.* Scripsi quadraginta, pro sexaginta, vel sexaginta novem annis, quod peccatum est vulgarium Editionum: cùm constet ab ævo Theodosii Magni sexaginta illos annos contractos fuisse ad quadraginta.

XIV. Prodiit eo ipso tempore Majoriani Imperatoris Constitutio, ex qua eadem existunt in
Constitut. 8. Majoriani. hanc rem elucidamenta. *Constituimus filias quas pater materve à sæculari permixtione translatas, Christi fidei servare præcepta, continuata virginitate censuerint, in beata vita propositi permanentes, non antè suscepto honorato capitis velamine consecrari, quàm quadraginta annos ætatis emensæ, talibus infulis inoffensa meruerint observatione decorari.* Hæc eadem perspicuè Leonis Papæ Constitutio est. Utrobique clarescit omnino ante annum ætatis quadragesimum, quo velabantur hæ virgines, eas perpetuæ addictas jam fuisse castitati, & jam tum vocatas fuisse *Monachas*.

XV. Geminam quoque hanc discriminat Gelasius Papa professionem in Epistola ad Episcopos Lucaniæ, quamvis neutrius ætatem ibi designet. Observari sufficit, quamvis pronuntiet Pontifex viduas velari non debere: nihilominus strictam iis ab illo imponi legem servandæ incontaminatæ continentiæ. Cresconius Episcopus in Africa in Breviario Canonum profert hæc Pontificum Decreta, Innocentii, Leonis, Gelasii, ut duplicis distinguat
Cap. 101. generis virgines. *De virginibus velatis, vel non velatis, si deviaverint.*

XVI. Non abhorret autem à similitudine veri, solemnem illam veli professionem non omnibus in Ecclesiis eodem prorsus tempore peragi solitam fuisse. Patuit jam Ecclesiæ Africanæ & Gallicanæ placuisse ætatem annorum viginti quinque: Leoni Papæ & Majoriano Imperatori quadraginta. Est & aliud non minùs verisimile, nempe cùm uno eodemque tempore Calchedonensis Synodus in Oriente quadraginta ætatis annos Diaconissis præfiniebat, Leo & Majorianus eandem ætatem virginibus solemniter velandis præscribebant. Hinc ergo forsan conjecerit aliquis, has Italiæ Diaconissas fuisse, de quibus Leo & Majorianus ita sanxerunt.

XVII. Post constitutum discrimen & ætatis & professionis geminæ Sanctimonialium virginum, jam suis astruendum est argumentis, quod diximus de ætate prioris professionis anno ætatis duodecimo. Hieronymus in Epistola ad Marcellam docet Asellam Deo se devovisse paulò post annum ætatis decimum: *Vix annum decimum ætatis excedens, honore futuræ beatitudinis consecratur.* Et infrà: *Post duodecimum annum cellula clausa angustiis, jejunium pro ludo habuit.* Vox *consecrationis* qua utitur Hieronymus, declarat prioris professionis vim non multò minorem fuisse, quàm posterioris. Sed cum narrat sanctus Pater Asellam postquam annum duodecimum explevit, tunc omnibus Monasticæ vitæ muniis, laboribusque defunctam fuisse, eam videtur insinuare propriam fuisse professionis ætatem Monasticæ.

XVIII. Manifestiùs id confirmat Ambrosius, cum ait ex quo nubiles sunt virgines, nubere illas jam tum posse immortali Agno, virginum sponso. Sed antequam eò defluat Ambrosii oratio, strenuè ab eo refelluntur eorum querelæ, qui aliquantò maturiorem desiderabant ætatem, ad rem quæ tantum momenti habeat ad reliquum omne vitæ curriculum. Fatetur ingenti maturitate consilii opus esse, sed eam contendit à virtute magis ac pietate, quàm ab ætate proficisci; sapientiam prorsus mirabilem, puritatem cumulatissimam, inconcussum robor animi in puella duodecenni inveniri posse, posse & in grandævis deficere: denique non majorem animi vim & fortitudinem, non sapientiæ maturitatem, ad inducendum virginale seu velum, seu propositum requiri, quàm ad subeundum martyrium. Quantæ autem infantulæ Virgines Martyresque in Fastis Ecclesiæ coruscant? *Aiunt plerique maturioris ætatis virgines esse velandas. Neque ego abnuo,* L. 3. De Virginibus.
*Sacerdotalis esse cautionis debere, ut non temerè puella veletur. Spectet planè, spectet ætatem Sacerdos, sed fidei vel pudoris, spectet & maturitatem verecundiæ, examinet gravitatis canitiem, morum senectam, pudicitiæ annos, animos castitatis. Tamen deinde si matris tuta custodia, comitum sedula sobrietas, si hæc præsto sunt, non deest virgini longæva canities. Si hæc desunt, deferatur puella moribus, quàm annis. Non ergo ætas rejicitur florentior, sed animus examinatur.* Et ibidem: *Cùm omnis ætas habilis Deo, perfecta sit Christo. Nec mirere in adolescentulis professionem, cùm legeris in parvulis passionem. An dubitamus si eum usque ad continentiam sequatur adolescentia, quem usque ad mortem confitetur infantia.* Habes expressam ibi adolescentiam. Sed habes mox annum ipsum designatum: quo nimirum per Leges Romanas nubiles sunt: *Et quasi in-* Ibidem.
*credibile putamus, si puellæ nubiles Christum sequantur ad regnum, quem etiam pueri sequebantur in desertum.* Et in eodem libro: *Quibus licet sponsum eligere, non licet Deum præferre?* Et libro primo de Virginibus: *Nempe si hominem amarent filiæ vestræ, per legem possent eligere quem vellent; Quibus igitur hominem eligere licet, Deum non licet?* Nec prætereunda est conjectura illa ex eodem Ambrosio, paulò exaggeratiùs aiente, Religiosas virgines plures in Oriente & in Africa esse, quàm sint in Italia cives: *Discite quantas Alexandrina, totiusque Orientis & Africana Ecclesia quotannis sacrare consueverint. Pauciores hic homines prodeunt quàm illic virgines consecrantur.* Nec ferenda quidem fuisset ea exaggeratio, si in Oriente anno tantùm ætatis vigesimo quinto, vel quadragesimo ad professionem admissæ fuissent virgines.

Si ageret autem eo loci Ambrosius de professione virginum solemniore, ut suspicari quis possit ex illis verbis, *velare, consecrare* aliquantò etiam invictius foret argumentum, quo utimur. Nam si nubilis ætas sufficit solemni professioni, multò

magis non solemni. Sed si ea est Ambrosii sententia, ut conjici rursum ex eo potest, quòd totum committat arbitrio Episcopi: tunc sanè id consequeretur, Canones eos qui determinabant ætatem professionis, Mediolani in usu & authoritate non fuisse. Augustinus sermone quodam de Diversis meminit junioris Professæ, cui necdum per ætatem licebat de rebus suis disponere: *Quamvis videremus fulgorem professionis, tamen lubricum timebamus ætatis. Argentum puellæ servaretur, ut cùm ad legitimos annos veniret, faceret inde quod virginem Christi deceret.* Non ergo annum ætatis attigerat vigesimum quintum.

Serm. 49.

XIX. Sed non patitur quidquam in cujusquam animo residere dubii disciplina posterior Ecclesiæ Latinæ, à prioribus utique, ut solet, sæculis hausta. Annum enim tantummodo duodecimum ad Sanctimonialium professionem desideratum fuisse, ita prodit Concilium Triburiense anni 995. ubi tamen additur de novo annuum tyrocinium. *Quæcumque virgo suo patrocinio ante annos duodecim non coacta, sed propria voluntate sacrum velamen sibi imposuerit, annumque & diem nullo repetente velata permanserit, ab eodem sancto habitu ulterius non recedat.* Hinc dilucidè patet, Professionem simplicem & solemnitatis exortem factam fuisse anno ætatis duodecimo, cùm puella sua ipsa sponte manuque vestem velumque Religionis assumebat. Nec mox taceantur in hoc Concilio Canones Africani, qui non sinebant ab Episcopis velari virgines, nisi quæ annum vigesimum quintum implessent. Capitularia Caroli Magni eosdem innovarunt Canones, & hinc meritò infertur non incompertam in Galliis tunc fuisse duplicem illam professionem. Clemens III. in Decretali *Cum virum. De Regularibus*, Ambrosium sequi videtur, docetque puellam annum ubi attigit duodecimum, posse nubere, posse & nuptiis renuntiare: posse mortali homini, posse & immortali sponso Christo nubere. Ex quo id efficitur, ut & adolescentuli tunc profiteri in Religione possent, quando & in sæculo uxorem ducere poterant, anno ætatis decimo quarto. Ideo & Alexander Papa III. in Decretali *Ad nostram. De Regularibus*, Religionis habitum abjici permittit, ab iis qui eo induti sunt ante quatuordecim annos expletos. *Ante consummationem decimi quarti anni.* Is fuit usus Ecclesiæ universæ Occidentalis, à primis haustus sæculis, & tandem Pontificum decretis confirmatus, usque ad Concilium Tridentinum, à quo annorum sexdecim ætas utrique sexui ad religiosam professionem præscripta est.

Can. 24.

Capit. Car. Mag. l. 1. c. 46. 107

XX. At in Ecclesia Orientali Epistolæ Canonicæ seu Decretales Basilii, receptissimo iis temporibus usui Ecclesiarum consentaneæ, disertis verbis definiunt non valere professiones virginum, nisi post impletum annum sextum decimum, vel septimum decimum ætatis. *Professiones ab eo tempore judicamus, quo ætas rationis complementum habuerit. Non enim pueriles voces omnino in his ratas esse existimare oportet. Sed eam quæ supra sexdecim vel septemdecim annos nata fuerit, rationisque compos; & diu examinata probataque perseveraverit.* In hac eadem Epistola Canonica Basilius professionem viduarum vel Diaconissarum differt in annum ætatis sexagesimum. Certum est ergo duas discriminari debere ætates, duas professiones. Si non nutat fides Actorum sanctæ Euphrasiæ, à Joanne Damasceno laudatorum, sanctissima hæc virguncula in Monasterium admissa est, Deoque se devovit habitu Monastico assumpto ab anno ætatis suæ septimo.

Can. 18.

XXI. Postea verò Concilium in Trullo habitum anno Christi 692. in hunc modum constituit: Si cùm Paulus in annum sexagesimum distulisset professionem Diaconissarum, Calchedonensis Synodus eam ad quadragesimum revocavit, gnara expertaque virtutes in Ecclesia Christi maturescere in dies; pari ratione incrementa aliqua virtutum viriumque ad continentiam gnaviter observandam post Concilium Calchedonense facta jam esse: unde & par esse jam ut acceleretur tempus professionis. Statuit ergo Trullana Synodus, ut professio, quam in annum sextum decimum contulerat Basilius, anno decimo fieri possit. *Qui ergo Monachicum jugum est subiturus, ne sit minor quàm decem annos natus.* Duæ professionis species manifestæ & hîc sunt. Zonaras & Balsamon in suis ad hunc Trullanum Canonem Commentariis, testatum faciunt suo ævo illum viguisse. Cúmque Constitutione sua VI. Leo Sapiens vetuisset, ne possent id ætatis pueri puellæque, cum profitebantur, pariter de rebus suis disponere: Balsamon præstari id ab eis posse declarat, cum annos quindecim nati erunt. Can. 40.

XXII. Universales tantùm Regulas hoc capite complexus sum. Gregorius enim Magnus in Insularibus, atque adeo asperioris disciplinæ Monasteriis, *quia dura est in Insulis Congregatio Monachorum:* vetuit suscipi quemquam ad professionem, nisi elapso ætatis anno decimo octavo. Ubi idem prohibuit velari virgines ante annum sexagesimum, de Abbatissis agebat, quarum prudentia & virtus diutius probanda est. *Juvenculas Abbatissas fieri vehementissimè prohibemus. Nullam igitur fraternitas tua, nisi sexagenariam virginem, cujus ætas hoc atque mores exegerint, velari permittat.* Alexander Alensis secutus Gregorium, negat in Monasteriis quibusdam profiteri quemquam posse, ante annum ætatis duodevigesimum, quòd longè asperrima ibi teneatur vitæ disciplina. L. 1. Ep. 48. L. 3. Ep. 11.

---

## CAPUT LIII. *P. 2. l. 1. c. 44.*

### De necessaria ætate ad Professionem Religiosam, sæculo VI. VII. & VIII.

*I. In Oriente annorum primo quinquaginta creabantur Diaconissæ, inde quadraginta.*
*II. Cur anno ætatis decimo profiteri permiserit Trullana Synodus.*
*III. Quæ potuerint justa esse causa ejus Decreti.*
*IV. Eo ævo poterant Parentes Religioni dicare impuberes liberos. Minus mirum ergo si ipsi se possent anno ætatis decimo devovere.*
*V. Invictissima ætatis duplicis, duplicisque argumenta professionis.*
*VI. An observatum fuerit decretum Concilii Trullani.*
*VII. Beatus Benedictus tenellos pueros in Monasteria sua admittebat.*
*VIII. In Italia varias ætates adsignat Gregorius Magnus ad alias & alias professiones.*
*IX. In Gallia similiter observabatur discrimen ætatis duplicis, duplicisque professionis.*
*X. XI. XII. In Anglia, Hispania & Africa idem disciplina tenor.*

I. Lege cavit Justinianus Imperator, ut ne ante annos circiter quinquaginta ordinarentur Diaconissæ, seu virgines illæ forent, seu viduæ: ne qua consecrationi contumelia inureretur, si ea ferventi adhuc & in cupiditates pronæ committeretur ætati. *Primum quidem eis ætatem neque novellam esse, neque crescentem, neque ex hoc ad peccandum fa-* Nov. 6. c. 6.

*lientem, sed super mediam constitutas ætatem, & circa quinquaginta annos secundum divinas regulas agentes.* Novel. 123. c. 13. Siquæ ante eam ætatem ordinatæ sint, eas in Monasteriis ministraturas declarat. Alibi verò idem Justinianus annos tantùm quadraginta desiderat in Cod. l. 1. De Episcop. & Cler. Leg. 9. Diaconissis. *Diaconissam non ordinari in sancta Ecclesia, quæ minor est annorum quadraginta.*

II. Concilium Constantinopolitanum in Trullo habitum prohibuit ne puellæ ad professionem accederent ante annum ætatis decimum; facta Episcopis potestate, sicubi æquum censerent, paulò maCan. 40. turiorem expectare ætatem. *Qui ergo Monachicum jugum est subiturus, ne sit minor quàm decem annorum natus, ejus quoque rei examinatione in Præsulis arbitrio sita, an augeri tempus conducibilius existimet, ad introductionem & constitutionem in vita Monastica.* Professionem quidem virginum à Basilio fatentur hujus Synodi Patres affixam fuisse anno ætatis sexto-decimo; sed sicut sexaginta viduarum annos à Paulo præfinitos contraxit Concilium Calchedonense ad quadraginta: ita consentaneum illis videtur, sexdecim annos à Basilio præstitutos ad decem revocari. Utrobique par ratio, ex incrementis sapientiæ & pietatis, quæ in dies accedit Ecclesiæ Catholicæ filiis. *Etsi enim magnus Basilius in sacris suis Canonibus eam quæ se sua sponte Deo offert, & virginitatem complectitur, si septimum decimum annum compleverit, in Virginum Ordinem referendam esse statuit. Sed tamen de viduis & Diaconissis exemplum secuti, indictum tempus analogia & proportione habita, eos qui Monasticam vitam elegerunt, deduximus. In divino enim Apostolo scriptum est sexaginta annorum viduam in Ecclesia eligendam. Sacri autem Canones quadraginta annorum Diaconissam ordinandam esse statuerunt; cùm Dei Ecclesiam Dei gratia potentiorem & robustiorem evasisse, & ulterius procedere vidissent, fideliumque ad divinorum mandatorum observationem, firmitatem ac stabilitatem.*

III. Hi mores, hæc Græcorum fuit disciplina à septimo sæculo. Ubi multa observari operæ pretium erit. 1. Si immatura videtur illa decennii ætas ad tantæ rei professionem irrevocabilem: ostensum est capite superiori, & infrà rursum evincetur propè abfuisse à Græcis mores legesque Latinorum; ut qui anno duodecimo puellas, quattodecimo pueros ad professionem admitterent. 2. Trullana Synodus penes Episcopum vult esse potestatem procrastinandæ professionis: donec maturescat ætas. 3. Adde quòd cùm nubilis ætas illa ipsa opportuna sit professioni Monasticæ: in Oriente antè nubiles erant puellæ, quàm in Occidente, idque ob cœli solique diversitatem, ut ex recentiore illarum gentium historia etiamnunc constat. 4. Basilius Monialium professionem fixerat anno sexto-decimo, Latina Ecclesia illam eodem tempore illigaverat duodecimo. Mox Græci anno decimo eam adsignarunt, Latini à priore non recesserunt consuetudine usque ad Concilium Tridentinum, quo Basilio accessere. Ita utriusque Ecclesiæ non modica consonantia fuit, in nonnulla tamen morum dissonantia. 5. Denique si Trullanis Patribus visum est, Ecclesiam ipsam non modicos fecisse constantiæ, stabilitatis & virtutis progressus, postquam ex infantia veluti quadam sua erepsit; idem prorsus visum est Hieronymo, Chrysostomo, aliisque Patribus. In confesso est apud Patres mira indulgentia & humanitate condidisse Paulum disciplinam nascentis Ecclesiæ: quod necdum vel Judæi vel Gentiles sibi viderentur ad patientiam austerioris politiæ satis confirmati.

IV. Verùm duo sunt alia quæ longè majoris viderı possent ponderis in hac re tota. Primum est, quòd eo tempore in utraque Ecclesia, maximè autem in Latina mos invaluisset, ut impuberes pueri a parentibus Deo devoveri possent, & Monasticæ allaqueari disciplinæ, ut resilire inde nunquam posthac liceret, in Latina quidem Ecclesia. Hoc ita fixo & constituto, nihil superest in Trullano Canone, quod movere quemquam jure possit. Si possunt enim parentes liberos his laqueis induere, antequam libertatis rationisque splendor eis alluxerit: quin possint & liberi ipsi à pueritia seipsos similiter Deo & Claustris devovere, cùm primùm possunt præesse & imperare illi sibi? Illud ergo suo infrà loco accuratissimè pertractabitur, quæ parentum potestas esset ad filios adhuc impuberes Monasticæ vitæ indissolubili nodo devinciendos; similiter & Clericali eos addicendi instituto.

V. Alterum est, hoc Trullano Canone perspicuè duas sejungi ætates, duasque illis consentaneas professiones. Viduas enim Paulus anno tantùm sexagesimo admiserat; has viduas Diaconissas interpretatur Trullanus Canon. Postea verò tum Canones, tum Leges Principum ad annum quinquagesimum, immo & quadragesimum viduas admiserunt & Diaconissas. Eodem tempore Basilius juniores virgunculas admittebat anno ætatis sexto-decimo, postea Trullana Synodus decimo. Manifestissimum omnino est distare has inter se & ætates & professiones, nec posse nisi per incogitantiam quandam summam eas mutuò permisceri; aut ab iis qui virginitatem, aut Monasticum profitentur institutum, exigi ut ea ætate sint, qua olim viduæ, vel Diaconissæ, vel quæ solemniter ab Episcopo cum strepitu & pompa consecrabantur.

VI. Suspicari posset aliquis tamen Basilii Constitutionis tenaciores fuisse Græcos, quàm Trullani Canonis. Etenim Stephanus ille tot prælijs, tot victorijs nobilitatus in defensione sacrarum Imaginum, cùm à puero consecratus esset Deo à parentibus, non tamen Monasterio oblatus est, nisi anno ætatis decimo-sexto. *Eum tondet Abbas & Monachica veste induit, decimum-sextum annum vitæ jam agentem.* Surius die 28. Novem. c. 5.

VII. Narrat Gregorius Papa I. à B. Benedicto extructa primùm fuisse duodecim Monasteria, duodecimque Monachos in singulis constitutos, tum verò admissos ab eo puerulos, qui illi à parentibus instituendi ad Dei cultum commendabantur. Eorum veluti primitiæ fuere Maurus & Placidus; valde tenelli & immaturi illi erant tunc, & tamen jam tunc penè ut Monachi habebantur. *Cœpere tunc ad eum Romanæ urbis Nobiles & Religiosi concurrere, suosque ei filios omnipotenti Deo nutriendos dare.* His verbis prorsus innuitur eam insedisse parentibus voluntatem, ut filiolos Deo dicarent, professionique Monasticæ, cum eos in Abbatum manus deponebant, includebantque Monasteriis. Testes promo Maurum ipsum Placidumque, quibus non alia splendidiora fuere ejus instituti lumina. Audiendus hîc Gregorius Magnus: *E quibus Maurus junior cùm bonis polleret moribus, Magistri adjutor cœpit existere,* Dial. 2. c. 3. *Placidus verò puerilis adhuc indolis gerebat annos.* Ad vitam ergo Monasticam parvuli illi informabantur. Unde & mox ibidem de puerulo Monacho, qui ruina muri oppressus, à B. Benedicto redditus est vitæ. *Unum puerulum Monachum opprimens ruina contrivit.* Et infrà de alio: *Quidam puerulus Monachus,* Ibid. c. 11. 24. 33. *parentes suos ultra quàm deberet diligens.* Soror Benedicti Scholastica ab infantia Deo dicata fuerat:

*Omnipotenti Domino ab ipso infantiæ tempore dedicata.* Diximus suprà non passum esse Gregorium, ut veste Monastica donarentur adulti, nisi in laïca veste per triennium probati antè fuissent. Erat quippe tunc susceptio habitûs Monastici ipsamet professio. At puerulos hos, ut quid Gregorius toties Monachos vocaret, nisi veste Monastica induti fuissent, & verè pro Monachis habiti? *Puerulos Monachos.*

VIII. Fateri tamen cogor puerulos hos Monachos potuisse annum agere ætatis quartum-decimum, quæ tunc erat canonica professionis Monasticæ ætas. Ejus rei argumentum ex eodem alibi Gregorio rursus exsculpi potest. Cùm austerior esset Regula Monasteriorum in Insulis positorum, vetuit Gregorius quemquam ad ea admitti, nisi annos saltem duodeviginti natum. *Quia autem dura est in Insulis Congregatio Monachorum, etiam pueros in eisdem Monasteriis ante decem & octo annorum tempora suscipi prohibemus. Vel si qui nunc sunt, tua eos experientia auferat, & in Romanam urbem transmittat. Hoc & in Palmaria aliisque Insulis te per omnia volumus custodire.* — L. 1. Ep. 48.

Si Gregorius tanta undique lenocinia & blandimenta captans ad leniendam vitæ Monasticæ asperitatem: sinit tamen vel in his omnium durissimis Monasteriis professionem edi anno duodevigesimo: patiebatur utique anno decimo-quarto reliquis in Monasteriis, vel Romæ, vel Roma procul eam fieri, ubi humanior erat disciplina. Vixdum forsan Benedicti Monasteria in Insulis excitata erant ulla. Sed & ipse in Regula profitetur, se plurimum studuisse delinimentis iis, quibus molliri posset Monasticæ vitæ sanctitas incorrupta ad patientiam infirmiorum. Itaque nil vetat quin pueros admiserit à teneris unguiculis.

Si rursus idem Pontifex velari prohibet Abbatissas ante annum earum ætatis sexagesimum: *Juvenculas Abbatissas fieri vehementissimè prohibemus. Nullam igitur tua fraternitas nisi sexagenariam virginem velari permittat, cujus ætas hoc atque mores exegerint.* Ita ille ad Episcopum Syracusanum; nonne hinc certa & invictissima probatio duplicis & ætatis & professionis? His adde suspiciunculam non levem, non temerariam tarescere tunc cœpisse illam virginum ab Episcopis consecrationem, nisi eæ Abbatissæ essent, reliquis anno ætatis duodecimo vel decimo sexto virginitatem in Monasteriis plerumque sine pompa profitentibus. Sanè Abbatissæ in ordinationem Diaconissarum quodammodo succedebant. — L. 3. Ep. 11.

IX. Convertenda nunc oratio ad Gallicanam Ecclesiam, ejusque consensus explorandus cum Romana, Itala & Orientali. Sanctimoniales velari prohibet nisi quadraginta annos natas Agathense Concilium: *Sanctimoniales quamlibet vita earum, & mores probati sint, ante annum ætatis suæ quadragesimum non velentur.* De consecrationis utique velo interpretandus est hic Canon, non de religiosæ professionis. Vocantur enim *Sanctimoniales* ante susceptum velum de quo hîc agitur. Ætas quadraginta annorum designata est, tum in Conciliorum Canonibus, tum in Legibus Imperatorum ad Diaconissarum consecrationem. De his ergo agere Agathensis Synodus existimanda est, non universim de Monialibus. Infrà docebimus id in Gallia quoque inolevisse tunc, ut filios rudes adhuc Monasteriis offerrent addicerentque ii, quorum in potestate erant, constringerentque impuberes eo vinculo, quod dissolvi postea non posset. Non ergo Monastica ibi professio in annum quadragesimum differebatur. Vetat Aureliani Arelatensis Archiepiscopi Regula, parvulos in Monasteriorum claustra suscipi, nisi decem aut duodecim annorum ætatem assecuti sint. *Minori ætate in Monasterio non excipiantur, nisi ab annis decem aut duodecim, qui & nutrice non egeant, & cavere noverint culpas.* Pariter Cæsarius in Regula, ut sexennes vel septennes puellæ in Monasteriis suscipiantur. *Et si fieri potest aut difficile, aut nulla unquam in Monasterio infantula parvula, nisi ab annis sex aut septem, quæ jam & litteras discere, & obedientiæ possit obtemperare, suscipiatur. Nobilium filiæ, sive ignobilium ad nutriendum aut docendum penitus non accipiantur.* His postremis Cæsarii verbis obstruitur Monasteriorum aditus puellis quibuscumque, Nobilibus etiam, & Magnatum natabus, ut ne enutriri possent in Monasteriis, nisi aut propria devotione, aut parentum voluntate Religioni destinarentur. Itaque priora hujus loci verba ad eas spectant, quæ offerebantur Monasteriis, ut jam tum Monachæ evaderent; & has vetat Cæsarius suscipi, nisi septennes, vel sexennes saltem. Qui Cæsarii ipsius vitam consignavit litteris, author vetustissimus, eique familiaris, Clero ascriptum fuisse ipsum memorat anno ætatis octavo, & biennio post ad Lerinense Monasterium se contulisse. Beatus Villibaldus, qui Eistethensis postea fuit Episcopus, Monasterio oblatus, innexusque est à parentibus anno ætatis quinto. — Can. 19. — Cap. 17. — Cap. 5. — L. 1. c. 1. — Surius die 7. Iulii.

X. Quoad Insulam Britannicam, in Compilatione Canonum Hibernorum legitur & Agathensis Canon paulò antè laudatus; sed inflexus nonnihil & attemperatus ingenio sæculi posterioris. Postquam enim extinctus fuit Ordo Diaconissarum à Conciliis ipsis, nec aliæ jam ferè Moniales fuerunt, quàm quæ in Monasteriis ab infantia Deo dicatæ fuerant: Canon hic ab origine Diaconissis regendis excusus, deflexus est ad Sanctimoniales, quæ anno duodecimo velabantur. *Sanctimoniales quamlibet vita earum & mores probati sint, ante annum ætatis suæ duodecimum non velentur.* In alia compilatione Decretorum Theodori Archiepiscopi Cantuariensis leguntur hæc statuta, in quibus omnino redolet Orientalium disciplina, qua primùm imbutus fuerat Theodorus. Pueri quinto-decimo, puellæ decimo-sexto anno profiteri possunt. *Puer quindecim annorum potest se Monachum facere; puella sexdecim vel septemdecim, quæ in potestate parentum est.* Quod infrà referemus ex Beda, de filiis qui à parentibus in lucem statim ut editi erant, Deo vovebantur, & quibus integrum postea non erat in sæculum retro labi, aut à proposito desciscere Monastico: id certè non leve suppeditabit argumentum ejus rei, cui astruendæ hîc insudamus. Nempe Canonicam in Anglia habitam fuisse Monialium professionem, etsi ea tunc illarum esset ætas, ut sæculum cui renuntiarent, vix cognitum haberent; tantò feliciores, quantò à cupiditatum terrenarum vinculis absolutiores essent, & ea servitute teterrima ne oculos, ne aures quidem unquam contaminassent. — Spicil. to. 9. pag. 42. 62.

XI. In Hispania per Concilium Toletanum X. fas erat utrique parenti filios filiasve vitæ addicere Monasticæ, dum annum decimum attigissent, ita ut qui pueri cum veste Monastica in publicum aliquando prodiissent, jam nequaquam possent in sæculares unquam revolvi sordes. At postquam annum decimum prætergressi sunt, tunc, ut ita dicam, emancipantur ab hoc Concilio parvuli, ut jam non in parentum potestate sit, sed in ipsorum voluntate

Can. 6. positum, ut Monachi sint. *Parentibus sanè filios suos religioni contradere, non amplius quàm usque ad decimum ætatis eorum annum licentia poterit esse. Postea verò, an cum voluntate parentum, an suæ devotionis sit solitarium votum, erit filiis licitum religionis assumere cultum.* Hoc ipsum est ergo Concilii Trullani Decretum, ut annorum decem ætas & necessaria sit & sufficiens ad Monasticam Professionem. Porro tum Trullani, tum Toletani sententia Concilii meritò conjicitur ea fuisse, ut anno decimo pubertas inciperet. Itaque dum impuberes essent, nec nubere poterant, nec profiteri. At tempus pubertatis non semper idem fuit, vel naturæ, vel legibus. In utroque eo Concilio placuit ut impuberes jam non essent post elapsum annum decimum: placuit aliis, ut post duodecimum, aliis ut post decimum-quartum sextumve.

XII. Ne in naufragio quidem suo quidquam remiserat de pristino vigore suo inter Vandalorum enses Ecclesia Africana. Fulgentium perhibet Ferrandus Diaconus à Monasterio suo, ubi Abbatem agebat, in aliud se subduxisse arctioris disciplinæ, utpote Insulare, in quo tamen ab infantia complu-

In vita Fulgent. c. 14. res Monachi ætatem omnem consumpserant. *In hoc Monasterio rigidi propositi disciplina antiqua servatur, ab infantia sua plurimis usque ad decrepitam senectutem, sanctissimè ibi viventibus.* Refert Ruffinus Joannem celeberrimum illum Eremi cultorem præcepisse viro nobili qui eum inviserat, ut filiolum Monasterii Monasticis instituendum virtutibus contraderet, cùm primùm septimum ætatis annum attigisset. *Hic*

Vita Patr. L. 1. c. 1. *nutriatur in domo tua absque ulla contaminatione gentili septem annis, quibus peractis, trade eum Monachis, erudiendum sanctis & cælestibus disciplinis.* In Monasteriis B. Pachomii imbuebantur vitæ Monasticæ rudimentis crudi adhuc infantes, ut in Monachos

Vita Patr. Rosw. p. 131. adolescerent. *Infantulus quidam de ipsa Congregatione.*

## CAPUT. LIV. *P. 3. l. 1. c. 41.*

### De ætate professionis Monasticæ, & de parvulis qui in Monasteriis instituebantur, sub Imperio Caroli Magni, & stirpis ejus Regiæ.

*I. In Oriente anno ætatis decimo profitebantur, quamvis ita professi testari non possent nisi decimo-quinto.*

*II. Ibidem discriminabatur ætas Professionis Virginum anno decimo, Consecrationis solemnis vigesimo-quinto, & Ordinationis Diaconissarum quadragesimo.*

*III. Ecclesia Gallicana Decreta de ætate professionis & consecrationis.*

*IV. Argumenta alia ejusdem distinctionis.*

*V. Utriusque Ecclesiæ consonantia.*

*VI. Non instituebantur, ne admittebantur quidem in Monasteria, nisi qui Religionem amplexaturi erant.*

*VII. Perinde habebat in Monasteriis virorum.*

*VIII. Observationes aliqua residua de ætate.*

I. TEmperamenti aliquid cùm meditaretur Leo Sapiens Imperator, ad Canonem Trullanum, quem vexamus jamdiu, decrevit, ut qui consentaneè ad Decreta Basilii anno sextodecimo profiterentur, testari una possent de rebus suis. At qui anno decimo juxta Trullanum statutum alligarent se Religioni, ii validè quidem id facerent, at testari omnino non possent, nisi annum ætatis quintum decimum assecuti. Si præmori eos contingeret, tum servos quidem manumitti, bonorum partes duas Monasterio addici, tertiam partem parentibus & cognatis; qui si nulli essent, rursus Monasterio. *Basilius anno decimo sexto, vel decimo septimo, sexta Synodus anno decimo mandat suscipiendos esse. Hæc cum Patriarcha & Metropolitanis expendentes, neutram sacrarum Legum duximus contemnendam. De bonorum dispositione peculiarem sententiam pronuntiamus; ut qui sextodecimo tonderi voluerit, de rebus suis quoquo modo velit, statuere possit. Existimo enim propterea etiam magnum illum Basilium hoc tempus hujusmodi actioni tribuisse, quòd ad id legitima ætatis requisitio ad statuendum de rebus suis impedimento non sit. Qui verò decimo anno in Monastica vita sanctimoniam transire habeat in animo, ne is de rebus suis testandi facultatem habeat, &c.* Leo Const. 6.

Profertur à Balsamone lex ista, communicato, ut moris erat, consilio cum Patriarcha & Metropolitanis promulgata, & eo potissimum notabilis, quòd non existimetur ibi Basilius in annum decimum-sextum rejecisse professionem, nisi ut qui profitebatur, ea esset ætate, qua & testari posset. In Can. 40. synodi Trull.

Porro idem alibi Balsamon observat, Carthaginensi Canone quidem non posse Episcopus velum consecrationis imponere virginibus, nisi quorum supra vigesimum annum ingressis, demptis quibusdam rerum & temporum importunitatibus, quibus id possent: at illi Canoni nil loci fuisse in Oriente, qui totus Basilii decreto & Trullano Canone regebatur. Aut si velis aliquem usum esse hujus Carthaginensis Canonis in Oriente, fateare necessum est, posse etiam Episcopos aliquos ad professionem admittere ante annum decimum. *Si autem velis præsentem Canonem valere, ut non præjudicio afficiantur Episcopi, qui propter justam causam aliquos etiam ante decennium vestiunt, nemo est qui prohibeat.* Can. 127. Carthag.

II. Non observata est à Balsamone hoc loco illa duplicis tum ætatis, tum professionis distinctio. At Zonaram ea non latuit, cum ait virgines jam Deo sacras, postea ab Episcopo velari anno ætatis vigesimo quinto, juxta Canonem Carthaginensem: & post probationem deinde prolixiorem, cùm ad annum pervenissent quadragesimum, tum Diaconissas ordinatas fuisse. *Virgines namque olim Deo dicata castimoniam profitebantur, quas Episcopi consecrabant, ex Synodi Carthaginensis Canone sexto. Easdem ex numero opportuno tempore, cùm videlicet quadragesimum annum implevissent, Diaconissæ ordinabantur.* Tria tempora & tres diversas professiones discriminat Zonaras. *Profiteri. Consecrari. Ordinari.* Nonnisi anno quadragesimo ordinabantur, consecrabantur vigesimo quinto. Episcopus illas ordinabat, consecrabatque. Sed priùs ipsæmet professæ erant, voverantque Deo virginitatem. Sanè quæ vigesimum illum & quintum consecrationis occupabant, & antè vel metu Arrianis, vel raptoris velabantur ab Episcopo, hæ satis declarabant quàm pridem suam Christo fidem obligassent. Si quæ autem ab Episcopo consecratæ fuerant, eæ probabantur sæpe diutius quàm Diaconissæ ordinarentur: quantò æquius erat, ut post dicatam Deo virginitatem, periculum adhuc sui facere, suamque antè experiri constantiam cogerentur, quàm consecrarentur ab Episcopo. In Can. 19. Nicæn.

III. Allegata sunt jam à nobis Ecclesiæ Gallicanæ Decreta Africanis decerpta ex Canonibus de ætate annorum viginti quinque ad consecrationem virginum Episcopalem; sed facillimè ibi observari potuit, quo discrimine distaret professio virginum ab earum consecratione, & quam diversum utriusque velum esset. Liquida sunt verba Canonis Francofor- Cap. Aquisg. ann. 789. c. 45. Conc. Francof. Can. 46. Con. Turon. II. c. 28. Capitul. ad. 846. c. 16.

diensis. *De virginibus quo tempore velandæ sint, vel quibus occupationibus ante annos x x v. detinendæ, si necessitas compellit, ea quærantur, quæ in Canone scripta sunt.*

*Conc. Francof. Can. 46.*

Occupationes illæ pissimæ, quibus distinendæ erant virgines, dum adventaret annus ætatis vigesimus quintus consecrationi necessarius, abundè produnt illas jam Deo fuisse devotas. Capitulare ad Theodonis villam aliquantò etiam apertius est:

*Anno 85. Cap. 14.*

*Vt infantulæ ætatis puellæ non velentur, antequam illæ eligere sciant, quid velint: & ut pulsentur salva canonica sententia & authoritate.*

*Capit. Car. Mag. l. 5. c. 115.*

Ergo jam tum velabantur, cùm primùm delibaverant rationis & judicii radium. Id ætatis, id veli distabat ergo plurimum ab ætate & velo annorum viginti quinque.

*Ibidem L. 5 c. 101.*

De puellis his alibi agitur, cùm velari vetantur, sicut & pueri tonderi sine parentum consensu: nec enim de consensu parentum controversia fieret, si puellæ eæ annum agerent quintum supra vigesimum. *Ne pueri verò sine voluntate parentum tonsurentur, vel puellæ velentur, modis omnibus inhibitum est.*

Solemnius quidem erat, velum quod Episcopus imponebat anno x x v. & velum simpliciter quandoque dicebatur: non expresso, quod satis intelligitur, velum esse Consecrationis. At persæpè tamen disertè id exprimebatur: ut in Capitularibus ipsis Caroli Magni.

*Ibidem L. 1. c. 107.*

*Vnde colligitur, quia juxta priorem sanctionem virgines x x v. ætatis suæ anno ritè consecrandæ sint.*

IV. Duas & ætates & professiones scitissimè distinxit Regino.

*L. 2. c. 177. 178.*

Refertur enim ab eo Canon Carthaginensis de consecratione virginum anno x x v. faciends, vel in Epiphaniæ, vel in Albis Paschalibus, vel in festis Apostolorum: *Vt virgines non velentur ante x x v. ætatis annum, & ut Gelasius Papa dicit, nisi in Epiphania, & in Albis Paschalibus, & in Apostolorum natalitiis non sunt consecrandæ, nisi causa mortis urgente.* At mox refert idem Regino Canonem Concilii Triburiensis, quo sancitur, ut si virgo ante annum ætatis duodecimum injussu tutorum suorum velum induit, teneatur illud gestare per omnem vitam, si id gestaverit anno & die uno

*Conc. Tribur. c. 24.*

cum eorum assensu, quibus subdita est. *Virgines quæ ante duodecim annos, insciis mundiburdis suis sacrum velamen capiti suo imposuerint, illi mundiburdi integrum diem & annum hoc tacendo consenserint, in sancto proposito permaneant.*

Erat ergo hæc professio rata ante annum duodecimum, si modo confirmaretur assensu parentum, vel tutorum, quo nec ipso opus erat, nisi quia ante annum vigesimum peracta fuerat. Indubium ergo est, ætate nubili, seu anno duodecimo, potuisse virgines continentiam profiteri, assumpto tum velo, quod valde diversum esset à velo consecrationis.

Dixi hunc Canonem à Concilio Triburiensi desumptum, quòd ejus quasi elucidatio sit. Audi verba ipsa Triburiensium Patrum:

*Can. 24.*

*Quæcumque virgo sub patrocinio, ante annos duodecim non coacta, sed propria voluntate sacrum velamen sibi imposuerit, annumque & diem, nullo repetente, velata permanserit, ab eodem sancto habitu non recedat. Si verò idem patronus, &c.* Itaque proprius ille est Canonis sensus, qui nec Patres, nec tutores attingit, sed eos qui concessa illis libertate, Patronorum jura quædam in eas sibi adhuc vendicabant. Sed constat semper ex hoc Canone validam fuisse professionem, cùm puella annorum duodecim ipsamet virginitatis velum imponebat sibi, quod à consecrationis velo multis pòst annis ab Episcopis imponendo plurimum differebat.

V. Ita mirum in modum concinebant Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis. Illa probabat professionem anno decimo factam, potestate Episcopis facta ejus procrastinandæ: hæc anno duodecimo si de puellis; decimo quarto, si de pueris ageretur: semper verò ætate nubili, inter prima pubertatis exordia, ut cœlestium ea esset, quæ terrenarum ætas nuptiarum. Ignatius Constantinopolitanus Patriarcha in Monasterio olim professus fuerat anno quarto decimo, ut perhibet author ejus vitæ.

VI. Observatum multisque argumentis approbatum jam est, educari, institutique in Monasteriis non potuisse, nisi qui sese, vel quos parentes vitæ Monasticæ devoverent. His virtutum gymnasiis exulare jubebantur, quos sua, vel paterna ambitio terrenis functionibus & dignitatibus destinabat. Novum hoc videbitur iis, quibus tam multa sanctitatis præcepta ac documenta nova sunt, quia dura, quia infesta. Et tamen nullo effugio declinari potest vis invictissima Capitularis hujus Caroli Magni anno 804. *Quicumque filiam suam aut neptem, aut parentem Deo omnipotenti offerre voluerit, licentiam habeat. Sin autem domi infantes suas nutriat, & non aliam ins à Monasteria mittere nutriendi causa præsumat, nisi quæ in ipso loco firmiter in Dei servitio perseverare voluerit, vel secundùm instituta sanctorum Patrum, seu Canonicam authoritatem.* Ann. 804. Cap. 6. Hæc extrema verba capienda sunt de Regula beati Benedicti, pro Monachis & Monialibus: *secundùm instituta sanctorum Patrum*: vel de Regula Canonicorum, ex Canonibus decerpta pro Canonicis fœminis, *seu Canonicam authoritatem.* Ergo nec in Sanctimonialium, nec in Canonicarum Monasteriis suscipi, ali, institutique poterant puellæ, nisi ipsæ suo, vel parentes earum nomine pollicerentur, perseveraturas in sacra Religiosaque Congregatione.

Et ne ad solas hoc quisquam trahat puellas, de pueris adolescentioribus statim ibidem similiter statuitur, etsi non intercludatur illis adhuc aditus, nisi in puellarum Monasteria. *Omnino prohibemus, ut nullus masculum filium aut nepotem, vel parentem suum, in Monasterio puellarum ad nutriendum commendare præsumat; nec quisquam ullum suscipere audeat.* Ibid c. 10. Hic obiter adverte parentis vocem detortam jam tum fuisse ad proximos & cognatos quosque designandos.

Nec minus dilucidum id est in Concilio Aquisgranensi anni 816. ubi post Canonicarum Regulam subjunguntur præceptiones complures ad institutionem puellarum in Monasteriis informandarum. L. 2. c. 22. Decerptæ sunt pleræque omnes ex Hieronymi Epistola luculentissima ad Lætam de institutione filiæ, quæ cùm infantula esset, jam cœlesti Agno se sponsam professa erat. Ita litteræ sacræ, psalmodia, vigiliæ, jejunia tanquam terrenis Angelis, summæ eis, solæque erant deliciæ.

VII. Etsi facili conjectura quod de puellis dictum est, ad pueros trahatur, ut ne inter Monachos alantur, nisi Monasticum amplexuri propositum: libet tamen apertissimam promere Capitularium authoritatem. *Vt nullus Plebeius, sive Clericus sæcularis in Monasterio ad habitandum recipiatur, nisi voluerit fieri Monachus.* Addit. 2. c. 42. Ex Hincmari exemplo aliud suppetit argumentum. Narrat enim ipsemet enutritum se fuisse in Abbatia sancti Dionysii à primæva infantia, sed cum habitu Canonicorum, ut qui jam se rum ei Regulæ devovisset. *Qui in Monasterio ubi ab ipsis rudimentis infantiæ sub Canonico habitu educatus, &c.* To 2 pag. 304. In Chronico Centulensi, seu sancti Ri-

*Spicil. to. 4 pag. 301.* carit, refertur in illa florentissima Abbatia ali solitos Comitum, Ducum, Regumque liberos: ut nobilissimæ quæque Gallicani Imperii gentes aliquos è suis illi adgregatos esse venditarent. *In hoc Cœnobio Duces, Comites, filii Ducum, filii Comitum, filii etiam Regum educabantur; omnis sublimior dignitas quaquaversum per Regnum Francorum posita in sancti Richarii Monasterio se parentem habere gaudebat.* Porro narratum ibidem jam fuerat inter ejus Cœnobii Abbates numeratos fuisse principes quosdam stirpis Regiæ, & ipsos Regum patruos. Quin ipsi Abbates Comites iidem & Præfecti regionum erant: in quo stimuli & irritamenti plus satis erat, ad pelliciendas Nobilium cupiditates.

Cæterum quæ huc congesta sunt de educatione puellarum puerorumque jam inde ab infantia in Monasteriis, & de legibus Canonicis Civilibusque, ut ne ibi educarentur, nisi qui præ se ferrent in religioso proposito se perseveraturos: illa eò collimant omnia, ut invictiùs constent, quæ de ætate dicta sunt ad professionem Monasticam necessaria. Si enim non admitterentur in Monasteria, nisi quæ Monasticæ se vitæ offerrent, admitterentur autem rudes adhuc infantulæ, ea ergo ætas idonea habebatur professioni Religiosæ. Ea ex Hincmari verbis his paucissimis egregiè confirmabuntur: *To. 2. pag. 540.* *Nivinus diffamatus est de quadam Sanctimoniali, ab infantia in Monasterio Deo dicata, & à Sacerdote velata, &c.* Cùm dicitur *Deo dicata ab infantia*, prima hæc est professio puellæ duodecennis. *A Sacerdote velata*, altera hæc est professio anno ætatis vigesimo quinto.

---

## CAPUT LV. *P. 4. l. 1. c. 61.*

### De ætate necessaria ad professionem Religiosam post annum Christi millesimum.

*I. Jure Decretalium profiteri possunt Religionem pueri quidem post annum quartum decimum, puella post duodecimum.*
*II. Plures Monachorum Congregationes protrahebant professionis tempus.*
*III. A Pontificibus & Pontificiis Legatis præscripta est ætas aliquantò maturior ad Monasteria districtiori disciplina.*
*IV. Quod fiebat imitatione Gregorii Magni.*
*V. Particulares hæ Constitutiones nihil obstrepebant Concilio Tridentino, annum sextum supra decimum præscribenti professionibus. De ætate suscipiendi habitùs & professionis tacita post Tridentinum.*
*VI. De Novitiis ejus anni, quo reformatum est Kalendarium.*
*VII. Statuta Comitiorum Aurelianensium & Blesensium in Gallia.*
*VIII. Discrepantia ætatis necessariæ ad professionem religiosam & ad solemnem Consecrationem.*
*IX. Ætas Abbatissarum & Priorissarum.*

I. INdubitatissimum est jure novissimo post annum Christi millesimum, ætatem annorum duodecim Monialibus, quatuordecim Monachis & necessariam & idoneam fuisse, ut earum religiosa professio convalesceret. Porro annos illos non inceptos, sed expletos esse necesse erat. Definiit jam nobis Alexander III. eum qui habitum induerat Monasticum *ante consummationem decimi quarti anni*, *Append. Conc. Lat. III. part. 21 c. 1. & par. 30. c. 10.* abjicere eum potuisse, & ad nuptias convolare. Ad Episcopum quoque Bellovacensem idem rescripsit, validam canonicamque esse professionem, si fieret vel confirmaretur post annum decimum-quartum. *Seu decimum quartum annum compleverit, cum Religionem intravit; seu post decimum quartum annum Professionem à se prius factam ratam habuerit.* Quoad puellas, non præfinit Clemens III. nisi annos discretionis & ætatem nubilem. Sed ejus capitis Rubrica *Decret. Greg. L. 3. Tit. 31 c. 8. 11. 12.* disertis verbis annum duodecimum. Bonifacius VIII. voce activa non donat Sanctimoniales nisi anno ætatis duodecimo. *Nisi duodecimum annum peregerit, & professa fuerit tacitè vel expressè.* *Sextus l. 1. Tit. 6 c. 43.* Eandem ætatem desiderat Hibernorum Canonum Collectio. *Sanctimoniales quamlibet vita eorum & mores probati sint, ante annum ætatis suæ duodecimum non velentur.* *Spicil. to. 9. pag. 42.* Constitutiones Carthusianorum jam laudavimus capite superiori, super ætate Monialium hujus Ordinis. *Non profiteantur ante finitum duodecimum annum; quo finito si per annum continuum probatæ fuerint, pro professis habeantur juxta dispositionem juris communis.* Petrus de Honestis Regulæ suæ capite nono Canonicos Regulares anno demum decimo quarto profiteri jubet.

II. At Carthusiani Tyrones & Novitios non admittebant nisi annorum viginti, impares rati laboribus sui cœtûs, & indefessæ pœnitendi curæ juniores omnes. *Pueros sive adolescentulos non recipimus, sed viros, qui juxta præceptum Domini per manum Moysi, viginti ad minus annorum, ad sacra possint bella procedere.* *Statu. Anti. pars 2 c. 24. Tertia Compilat. c. 8.* Potuisse tamen Capitulum Generale & Priorem Carthusiæ remittere aliquid de eo rigore valde suspicor.

Prohibuit Hugo VI. Cluniacensis Abbas, ne qua in Cœnobio Marciniacensi profiteri posset nisi annos viginti egressa: *Si non ultra, tamen omnino vel usque ad vigesimum annum jam pervenerit.* Jam diximus hoc Cœnobium viduis destinatum fuisse.

Idem statutum edidit Petrus Cluniacensis Abbas Ordini suo Cluniacensi; saltem ejus apologiam texuit, ubi non dissimulat excidium Regularis Claustralisque disciplinæ non ex alio fonte manasse, quàm ex eorum præcoce & immatura ætate, qui ad Novitiatum & ad Professionem essent admissi. *Statutum est, ut nullus etiam ex concessione futurus Monachus Regularibus usque ad viginti annos vestibus induatur. Causa instituti hujus fuit, immatura, nimisque celer infantium susceptio, qui antequam aliquid rationabilis intelligentiæ habere possent, sacra Religionis vestibus induebantur, & admixti aliis puerilibus ineptiis omnes perturbabant.* *Bibl. Clun. pag. 494. 1364. 1459.* Ab Hugone, qui septimus-decimus fuit Cluniacensium Abbas, novo robore auctum est illud statutum: exceptis tamen puerulis Cantoribus, quibus alii non sufficiebantur, nisi post immutationem vocis. *Nullus Regularibus vestibus infra viginti annos induatur, exceptis illis tantùm de schola apud Cluniacum, sine quibus servitium Dei fieri non consuevit. Quibus tamen nisi post immutationem vocis, alii non succedant.* *Ibidem. pag. 1459.* Confirmata est hæc Constitutio ejusque exceptio à Gregorio IX. Bulla anni 1233. *Bullar. To. 1. p. 87. 150.* Sed anni leguntur alibi quindecim pro viginti, unde meritò suspicaremur adulteratum Bullæ textum, nisi eadem annorum quindecim ætas confirmaretur in Bulla Nicolai IV. novum vigorem addentis statutis Cluniacensibus, anno 1289. Itaque mitigatio illa fuit Ordini invecta.

III. Legatus in Angliam Cardinalis Otto anno 1238. Londini Capitulum generale congregavit omnium Abbatum Ordinis sancti Benedicti, multaque publicavit statuta, atque illud in primis, ut aditus jam non panderetur ampliùs ad professionem nisi anno ætatis vigesimo, ad Novitiatum autem undevigesimo; & post unius anni Novitiatum aut profiterentur, aut egrederentur Claustro. *Matth. Par. Anno 1238.* *Nullus ante vigesimum annum completum ad Professionem, & un-*

*devigesimum ad probationem in Monasterium de cætero admittatur.* Concilium Parisiense anni 1212. quemquam in Monasteria admitti vetuerat, nisi annum attigisset duodevigesimum. Idem statutum fuit in Concilio Oxfordiensi anni 1222. Innocentius III. vetuit ne Monachi sanctæ Trinitatis Novitios admitterent *antequam annum videantur vicesimum complevisse.*

*Conc. Par. Part. 2. c. 2. Conc. Oxon. Can. 42. Anna. Cist. To 1 p. 281.*

Vetabant Constitutiones Cistercienses na in Monasteriis vel in Obedientiis alerentur & instituerentur pueri, nisi Monachi, vel Novitii. *Nullus puerorum doceatur litteras intra Monasterium, vel in locis Monasterii, nisi sit Monachus, vel receptus in probatione Novitius, quibus tempore lectionis discere liceat.* Novitius ergo prohibetur admitti ante annos quindecim impletos. *Et notandum, quia nullum nisi post quintum decimum ætatis suæ annum in probatione ponere licet.* Capitulum Generale anni 1196. prohibuit Novitios suscipi ante annos duodeviginti: exceptis tamen Regnis Poloniæ, Hungariæ, Bohemiæ, & circumjacentium Provinciarum, ubi anno quintodecimo admittuntur Novitii, quòd eam prætergressis ætatem vix unquam in mentem veniat conversionis ad pietatem & ad Monasticas professiones. *In quibus locis adulti rarò veniunt ad conversionem, quibus indulgetur, ut à quindecim annis & suprà ad conversionem venientes licitè recipiant.* Constitutiones anni 1134. eundem quintum decimum annum præfixerant probationi. *Et notandum quia nullum nisi post quindecim ætatis suæ annos in probatione nobis ponere licet.*

*Monastic Cist p 269. 316 317.*

Martinus V. in Bulla Reformationis Franciscanorum anno 1439. vetuit ad tyrocinium annuum quemquam admitti ante completos quatuordecim annos, nec nisi post expletam probationem annuam professionem edi. *Nullus recipiatur ad Ordinem, nisi annum quartum-decimum compleverit, etiamsi oblatus fuerit à parentibus, nisi pro scandalo evitando, foret filius militis, vel superioris dignitatis.* His ita constitutis, non injuria ambigeret quis, an Alexander Alensis satis circumspectè dixerit, anno demum ætatis decimo-octavo incipere omnes teneri lege Ecclesiastica jejunandi, quod eam ætatem Ecclesia definierit Monasticis professionibus, ut validæ sint. *Tempus aptum jejunio est tempus XVIII. annorum: hoc est enim tempus ordinatum ab Ecclesia ad intrandum Religionem; quod præveniri non potest secundum Ecclesiasticam institutionem.*

*Bullar to. 1. pag. 249. To 4 q 18. Art. 2. § 2.*

Pius V. anno 1570. Servitarum seu Servorum B. Mariæ novam disciplinæ formam refingens, statuit ut na Novitii adsciscerentur nisi anno decimo-octavo, profiterentur autem anno Novitiatu explето. *Novitii etiam oblati ante duodevigesimum ætatis suæ annum completum non recipiantur, neque ante undevigesimum completum ad Professionem admittantur.*

*Bul. To. 2. pag. 132.*

IV. Observatum est illud à Fagnano, posteriores has Congregationes austerioris disciplinæ ad Gregorii Magni suprà relatum de Insularibus Monasteriis Decretum sese accommodasse. Ideo enim Capucinos nec Clericos ad Novitiatum admisisse, nisi completo anno septimo supra decimum, Conversos autem post decimum nonum: & hos autem & illos post impletam probationem annuam tunc demum professos esse. Pius V. in Bulla, *Illa nos*, Conventualibus Franciscanis prohibet, ne Novitios ad professionem vocent, nisi anno ætatis undevigesimo expleto, Conversos autem vigesimo quinto. Denique Clemens VIII. vetuit Conversos ad Novitiatum suscipi, nisi post annos ætatis viginti: unde nec profiteri possunt nisi vigesimo primo.

*Fagnan, in L. 3. Decret. Par. 2. p. 4. 36.*

V. Declaravit sacra Congregatio Concilii Tridentini, particularibus his Constitutionibus Ordinum Monasticorum nihil officere Tridentini Concilii Decreta, quæ ante annum decimum sextum vetant ratam esse professionem. Prompta & perfacilis ratio est, quòd Concilium prohibeat tantùm ætatem illam antevenire, neminem autem cogat eo saltem anno profiteri, neminem prohibeat protrahere tempus professionis. Cùm Regulares molestè ferrent Bullam Pii V. quæ in annum XVIII. prolatabat susceptionem Novitiorum, censuit sacra Congregatio temperamenti aliquid adhiberi debere.

*Fagn. ibid.*

Quæ hactenus præstructa sunt omnia, ea mirè confirmant adprobantque temperamentum, illud Concilii Tridentini, quo in usum revocatum est antiquissimum sancti Basilii institutum, ut cassæ irritæque essent Professiones omnes ante expletum sextum decimum ætatis annum. De sola Professione ibi agitur. Nam in Tridentino nihil prorsus definitur de ætate & tempore suscipiendi habitûs Monastici, etiam quoad Moniales, de quibus alicubi subobscurè loquitur. Sed eo loco perpenso, & excusso Concilio toto Congregatio sacra Cardinalium declaravit, posse pueros puellasque Monasticam induere vestem, qua volent ætate, nec hinc Concilii Decretis quidquam offici. Id verò de expressa Professione intelligi decet.

*Sess. 25. c. 15. Sess 25. c. 17.*

Nam Professio tacita, quæ nequaquam à Concilio abolita est, & quæ fit gestato per annum integrum Monastico habitu, Professis & Novitiis communi, post annum decimum sextum expletum: hæc, inquam, professio fieri non potest nisi post expletum annum ætatis decimum septimum, ut à sacra Congregatione determinatum est. Inde est, quod quibus in Monasteriis non fit professio expressa nisi adultiori ætate, ne tacita quidem fieri possit, nisi unius anni interlapso curriculo post tempus expressæ. Denique Professio tacita, quæ fit suscepta veste propria Professorum, post Tridentinum Concilium fieri potest post impletum annum ætatis decimum sextum.

*Fagnan. in L. 3. Decr. Par 2. c 2. 3. 4. Barbosa. De Offic. Episc. Part 3 allegat. 102.*

Addam & illud quod à Congregatione Concilii anno 1580. pronuntiatum fuit, si virgo annorum duodecim matrimonio locata religionem profiteri vellet, sponsum ejus cogendum ut toto quadriennio eam sustineret, donec professionem emisisset. Eam rationem in Concilio Tridentino Granatensis Archiepiscopus premebat, si Cardinali Palavicino fidem adjiciamus, ne differretur professio ad annos duodeviginti, ut contendebant non pauci. Tum enim sexennium totum suspendenda fuissent sponsi vota. Pragensis Archiepiscopus alia pugnabat ratione, quod qui Monastica initiantur Religione juniores, & pestilentia vitiorum sæculi necdum afflati, illis feliciùs cederent omnia in religiosi stadii decursu. His aliisque ejusmodi rationibus adducti sunt Tridentini Patres, ut mediam illam insisterent viam.

*Hist. Conc. Trid. l. 24. c. 2.*

VI. Cùm verò Gregorius XIII. in recudenda nova Calendarii Romani forma decem amputasset dies anno 1582. quòd annus probationis totidem mancus fuisset diebus, hinc complurimæ Professiones irritæ declaratæ sunt: ut strictè sinè Tridentino Concilio mos gereretur, quod annuum absolutè desiderat Novitiatum.

*Fagnan. in L. 3 Decret. Par. 2 p 32.*

VII. Ubi se Henricus VIII. Angliæ Rex detestando flagitio Caput esse promulgavit Ecclesiæ Anglicanæ, Monasteria & reformare & visitare adgressus est. Functus est munera ut par erat eo fuugl

Ecclesiæ & pietatis adversarium infensissimum. Ejecit omnes Claustris, qui necdum viginti quatuor annorum ætatem attigerant, reliquis discedendi copiam fecit. *Spond. ann. 1535. n. 16.* Meta illa fuit obreptio, cùm Gallorum Rex Christianissimus & verissimè Catholicus Articulo XIX. Edicti Aurelianensis, adolescentes prohibuit profiteri ante annum ætatis vigesimumquintum; adolescentulas autem ante annos viginti: addito si cum annum occuparent, & maturiùs profiterentur, fore ut postea & hæreditatem cernere & testari possent, in gratiam quorum vellent proximorum, non Monasterii, *non obstante professione, jurisque rigore, vel consuetudine contraria.*

Advertе hic autem, 1. nihildum tunc à Tridentinis Patribus ea quidem de re constitutum fuisse, *An. 1560.* cum Aurelianense Edictum prodiit. 2. Hoc Edicto non rescindi professiones ante eam ætatem editas. Quin immo validas agnosci, & declarari tantùm, Professos Professasve hujusmodi posse adhuc adire hæreditates & testari, ne parentes tutoresque urgeant adolescentulos ad temerè & inconsideratè profitendum. 3. Si jubet Edictum ut hæredes scribi possint hi Professi, eo in integrum restituitur Jus Civile, Canonicumque, per quod non licet exhæredari Christum, exhæredatus iis qui se illi dicaverunt. 4. Non ita proclive est illam alteram Edicti partem tueri, qua vetantur Professi quidquam legare Monasteriis suis, sed cognatis tantùm. 5. Denique hoc Aurelianensis Edicti statutum revocatum abrogatumque postea prorsus fuit *Art. 28.* Edicto Blesensi, quo promulgata sunt de ætate Professionis Monasticæ Decreta ipsissima, quæ sunt Tridentinæ Synodi. Plus utique momenti fuit in Blesensi, quàm in Aurelianensi Edicto, quod publicatum fuerat nomine Regis impuberis, pestilentissima hæreticorum factione circumventi, à qua non magnopere abhorrere tum Cancellarium plerique suspicabantur.

VIII. Enixi quidem nonnulli sunt, hunc articulum Aurelianensis Edicti purgare, & obumbrare authoritate Concilii Canonisque Carthaginensis, quo vetabantur velari virgines ante annum XXV. At ii sanè non satis intellexerant, qui ejus Canonis sensus esset, & quod discrimen ætatis duplicis, quæ duplici responderet Professioni. Ætas annorum duodecim idonea semper fuit in Ecclesia Latina ad religiosam professionem, ad Concilium usque Tridentinum, cui ætas placuit annorum sexdecim completorum. At longè diversa semper habita est ætas consecrationis virginum, quæ solemnior erat virginitatis professio. Petrus Damiani hanc non nescivit viginti quinque annorum necessitatem, *To 3 Opusc. 16. c. 5 6. 7.* ad Virginum consecrationem: *Ipsas Virgines, quas nisi in præcipuis festivitatibus & post viginti quinque annos ætatis consecrari minimè licet.* Quo tamen ipso in Opusculo agnoscit ab illis retractari non posse votum, quod earum parentes nuncupassent de iis Religioni implicandis, quandiu impuberes sunt: nec retractari posse ab iis votum simplex virginitatis, quod ipsæ emisissent. Protuli suprà Carthusiensium Constitutiones, quæ anno duodecimo fieri posse virginum sui Ordinis professiones declarabant, ad Consecrationes autem earum annos XXV. requirebant.

Pontificale Romanum ponens fieri professionem, vel anno duodecimo jure Decretalium, vel decimo sexto post Tridentinum: edicit ut Episcopus *T. de Bened. & Consecr. Virgin.* virgines consecraturus, hinc ordiatur. *An annum vigesimum quintum compleverint?* Idem Pontificale agens de Benedictione Abbatissarum, discrimen interponit inter eas, quæ ante simpliciter professæ Sanctimoniales fuerant, & eas quæ jam velatæ, jam consecratæ ab Episcopo, supra reliquas Moniales assurrexerant. *Si priùs dum erat Monialis, non fuit velata, Pontifex surgit & benedicit velum, &c. Si vero Abbatissa priùs velata fuit, omittuntur prædicta.* *Tit. de benedict. Abbatissæ.*

IX. Beatus Antoninus cùm discriminasset diligentissimè velum ætatemque tum consecrationis Virginum, tum Professionis Religiosæ: *Primùm est velum professionis, quod datur fœminis duodecimo anno completo: & hoc velum portant in Religionibus omnes professæ. Secundum est velum consecrationis, quod datur anno vigesimo quinto ætatis, &c.* additoque jam exolevisse consuetudinem expectandi anni vigesimi quinti, quamvis ita jus præciperet: *Consuetudo habet, ut etiam ante tempus dictæ ætatis fiat:* accedit postea ad velum Ordinationis, quo Diaconissæ ordinandæ tegebantur, quibus & contrectandum porrigebat Episcopus Breviarium horarum Canonicarum, ut potestatem illis conferret incipiendarum horarum Canonicarum, & recitandæ homiliæ. *Confertur ei aliqua benedictio, ex qua accipit officium* *Summa par. 3 Tit. 2. n. 2.* *inchoandi horas in Choro, & legere Homiliam, quod alias non licet. Unde & ab Episcopo datur ei Breviarium ad tangendum, ubi sunt Homiliæ de Evangelio in Matutinis.* Denique addit Antoninus exolevisse jam consuetudinem expectandæ ætatis annorum quadraginta ad ordinandas Diaconissas & viginti quinque ad consecrandas virgines: *Et hoc adhuc servatur, & fit post consecrationem earum in eodem officio Missæ; sed non consuevit dari aliquod velum in hoc, sed nec etiam illa ætas, ut sit quadragenaria, expectatur; sed in communi consuetudine est, ut cum consecratur, quæ consecratio, seu velatio etiam fit ante vigesimum quintum annum communiter, post consecrationem ordinatur.* Accedit denique sanctissimus Archiepiscopus ad Abbatissas, quas ait suo jam ævo, non expectata sexaginta annorum ætate, anno trigesimo impleto benedici.

Cùm residuus jam nusquam ferè sit usus consecrationis Virginum, una superest Abbatissarum benedictio, quæ adumbratam ejus aliquam nobis repræsentet imaginem. Velum reapse benedicit Episcopus, quo mox caput obnubunt, & sponso nubunt & consecrantur Virginum. Ita consecratio Virginum implicatur quodammodo benedictioni Abbatissarum. Hinc ex Canonica Regula provectior quoque debet esse ætas Abbatissarum, & Priorissarum quàm Sanctimonialium. Bonifacius VIII. triginta non amplius annos præscripserat: *Nec in Abbatissam aut Priorissam, ubi per Priorissam* *In Sexto. L. 1. Tit. 6. c. 43.* *Monasterium gubernatur, de cetero eligatur aliqua, nisi tricesimum annum compleverit.* Concilium Tridentinum convenienter antiquis Canonibus quadraginta desiderat. *Abbatissa & Priorissa & quocunque alio nomine Præfecta, vel Præposita appelletur,* *Sess. 25. c. 7.* *eligatur non minor annis quadraginta.* Urgente gravi necessitate anno trigesimo eligi permittitur. Concilia Mediolanense & Turonense anni 1583. id Decretum innovavere. *Par 3. c. 4. Can. 17. Pagn l. 1. Decr. Par. 2. pag. 48.* Anni porro illi quadraginta expleti sint necesse est; ut verba ipsa sonant. *Non minor quadraginta annis.*



## De Impuberibus utriusque sexûs quos propria voluntas, vel paterna devotio Monasteriis dicabat.

### CAPUT LVI. *P. 3. L. 1. c. 45.*

### De pueris quos parentes Monasticæ vitæ consecrabant, necdum puberes, necdum sui conscios; per priora octo sæcula.

*I. Concilia Hispaniæ resilire non sinunt à proposito Monastico adultos, quos parvulos mater paterque Monastica vita dicavit.*
*II. Quibus rationum momentis eò adducti sint Episcopi.*
*III. IV. V. Perinde habebat de iis, quos parentes Clericatus mancipabant.*
*VI. VII. Idem usus in Gallia & Italia pervagatissimus.*
*VIII. IX. Ei mori patrocinabatur beati Benedicti Regula, Regulæque aliæ.*
*X. In Anglia non aliter res habebat.*
*XI. In Oriente ex adverso Basilius & Ecclesia Græca consensum puerorum necessariò accedere debere censuerunt.*
*XII. Idem sensit Augustinus.*
*XIII. Et Leo Papa I. Itaque antiquior Latina Ecclesia Græca consentiebat, prioribus quidem sæculis.*
*XIV. Medio ævo accommodavit se Conciliis Toletanis.*
*XV. XVI. Sæculo tandem duodecimo iterum Græcæ consentire cœpit, & priori se sua reddidit sententiæ & consuetudini.*
*XVII. Quæ rationes hinc & inde militent, contrariasque approbent variis temporibus & locis consuetudines.*
*XVIII. Itemque diversas ætates professionis Religiosæ.*
*XIX. Cautiones necessariæ, nequid hinc exculpatur, quod præsentis sæculi moribus officiat.*

I. Quoa parens alteruter ab utero recentes, quandoque necdum natos Monasticis dicaverat institutis, fuere Ecclesiæ, fuere sæcula, ubi resilire non possent, cùm postea adolevissent, nec sæcularis se in vitæ fluctus demergere. Expressissi-Can. 6. mum est in eam rem Concilium X. Toletanum, quo edicitur, ut si alterutrius sexûs liberos parens alteruter vitæ Monasticæ devoverit: & si semel tonsuram vestemque gestarint Monasticam, quacumque id demum ætate contigerit; ne amplius eam possint abjicere, coganturque in tam laudabili instituto vitæ cursum exigere: *Ideoque si in qualibet minori ætate vel Religionis tonsuram, vel Religioni debitam vestem in utroque sexu filiis unus aut ambo parentes dederint, certè aut nolentibus, aut nescientibus sese susceptam, non mox visam in filiis abdicaverint, sed vel coram se, vel coram Ecclesia palamque in conventu eosdem filios talia habere permiserint, ad sæcularem reverti habitum ipsis filiis quandoque non licebit: sed convicti quòd tonsuram vel religiosam vestem aliquando habuerint, mox ad religionis cultum habitumque revocentur, & sub strenua districtione hujusmodi observantia inservire cogantur.* Itaque sive præcepissent parentes ipsi liberos devovere Deo, sive parvulos adhuc religiosa veste indui passi essent, nec prohibuissent, pro ea quam Moyses in sacris Litteris faciebat potestate; necessario deinceps in proposito sanctitatis perseverare pueri hi adigebantur. Certè hoc Concilio ista parentum potestas anno natorum decimo arctatur: cum enim ætatis annum prætervecti, jam sui compotes erunt parvuli, nec nisi sua ipsorum propria voluntate Deo poterunt, vitæque Monasticæ devoveri.

II. Exemplo parvulorum qui baptismo initiantur, pugnaverant antè Hispani Episcopi. Tinguntur enim parvuli, non assentientes, ac ne conscii quidem plerumque quibus interim constringuntur vinculis, servandæ non Monasticæ, sed Christianæ Religionis, beatis quidem illis, sed arctissimis, & non levia onera ingerentibus, denique à quibus deinceps discedere nunquam liceat. Eo rursus exemplo nitebantur Episcopi Toletanæ Synodi VIII. ut aliquid solatii & levamenti afferrent iis qui ineluctabili necessitate aliquus coacti fuerant sacros Ordines subire, à quibus absolvi deinceps nunquam possent, nec à Clericalis vitæ jugo, dum vita suppeteret. *Id sibi rationabiliter dari noverint in objectu,* Can. 7. *quod sacrosancti baptismatis inappretiabile donum est semper, & sæpè non solùm volentibus, verùm etiam, quod majus est, nescientibus impertitur, sed hoc à nullo penitus prophanari permittitur, &c. Si majores impune non deserunt, quod parvuli vel nesciendo vel nolendo percipiunt, quantò magis non convenit violare, quod pro mortis aut pœnarum evadenda pernicie, occulta Dei dispensatione dignoscitur obvenisse.* Paria utique erant hujus exempli momenta in pueros eos, quos voluntas parentum, & Christianæ primò Religioni, & postea Monasticæ implicuerat disciplinæ. Est quippe Christianæ etiam Religionis, perinde ut Monasticæ jugum vehementer grave, nisi illud suave faciat charitas, & cælestis gratia, qua perinde allevatur utrumque & demulcetur. Continentiæ quidem perpetuæ compedes nemini injicit baptismus, omnibus injicit Monasticum propositum. At quot quantique opibus & nobilitate florentissimi, irruentibus olim populorum turbis & manum injicientibus Episcopis ad Episcopatum, ad Presbyteratum rapiebantur, inviti ordinabantur & repugnantes, & frangebantur tandem ut vellent reliquum vitæ cursum continentiæ sacerdotiique muneri dicare? Eo quoque exemplo deliniebat Augustinus illos, qui conjugati cùm essent, cogebantur tamen longè maximam vitæ partem cœlibes vivere, vel propter ægritudines conjugum juges, vel inevitabili absentia, vel variis & improvisis eventis. Non spoliat quidem nos baptismus terrenis possessionibus. At quis nescit legitima authoritate munitos fuisse parentes, ut eas liberis vel decurtarent, aut accumularent, aut temperarent ad eum modum, qui pietati & saluti eorum esset consentaneus. Denique si Lege Romana parenti fas erat natos vendere, nec semel vendere; cur non poterit Christiana lex parentes ea armare potestate, qua valeant liberos ejus servituti mancipare, cujus Reges ipsi servi sunt, & cui servire, verè regnare est?

III. Hæc, ut reor, considerabant Toletani IV. Concilii Patres, cum definiebant pariter irrevocabilem esse professionem Monasticam, sive propria devotione quis, sive paterna voluntate irretitus ea esset. *Monachum aut paterna devotio, aut propria pro-* Can. 49. *fessio facit. Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde his ad mundum reverti intercludimus, & omnem ad sæculum interdicimus regressum.* Et alio rursus Canone: *Non aliter & hi qui detonsi à parentibus fue-* Can. 55. *rint, aut sponte sua amissis parentibus se ipsos Religioni devoverint, & postea habitum sæcularem sumpserint, hi à Sacerdote comprehensi, ad cultum Religionis acta prius pœnitentia revocentur.*

IV. Consentaneum porro in primis est his de Monastica professione decretis præluxisse & prælusisse ea, quæ de Clericali in eundem prorsus modum statuerant. Jamdiu enim antè Concilii Toletani II. statuto firmatum fuerat, ut si impuberes pueri Clero à parentibus dicarentur, Clericatum abdicare

ipsi quidem nunquam possent, sed anno ætatis decimo octavo eis optio daretur eligendi vel conjugii, quo fieret ut totum vitæ stadium decurrerent in inferiorum Ordinum functionibus: vel cœlibatûs, quo via ipsis complanaretur ad sacros Ordi- Can. 1. nes, & ad summas quasque Dignitates. *De his quos voluntas parentum à primis infantia annis Clericatûs officio mancipavit, statuimus observandum, ut mox cùm detonsi, vel Lectorum ministerio contraditi fuerint, in domo Ecclesiæ sub Episcopali præsentia à Præposito sibi debeant erudiri.*

V. Posset non injuria in mentem venire, Hispaniensem Ecclesiam minùs semper propitiam, quandoque & subinfestam fuisse videri hominum libertati. Ideo enim & Concilio Toletano XII. sancitum est, ut si quos repentina vis morbi privasset sensu & potestate petendæ pœnitentiæ, iis interim tonsura & vestis pœnitentium collata fuisset, recuperata pòst corporis & mentis integritate, certissimè astringerentur subeundis omnibus pœniten- Can. 2. tiæ canonicæ laboribus. *Unde sicut baptismum quod nescientibus parvulis sine ulla contentione, in fide tantùm proximorum, accipitur; ita & pœnitentiæ donum quod nescientibus illabitur, absque ulla repugnantia inviolabiliter hi qui illud exceperint, observabunt, &c. Tonsura venerabile signum, habitumque Religionis, &c.* Denique annua suspensione mulctat ea Synodus Episcopos qui pœnitentiam non petentibus infixerint: & nihilo tamen minus eos, quibus vel sic inflicta fuerit, cogit inexorabili quadam necessitate functionibus ejus & macerationibus omnibus subjici.

VI. Ergo in Galliam traducenda disputatio, quæ patria ipsa libertatis est. Concilium Aurelia- Can 19. nense V. Toletanis Legibus Synodisque se accommodans, confitetur puellas Religiosæ professioni illigari, vel propria, vel parentum voluntate. *Quæcumque puella seu propria voluntate Monasterium expetunt, seu à parentibus offeruntur.* Nec minùs apertè Concilium Matisconense I. declarat, quàm necessariò in Monasteriis perseverent puellæ, quæ vel sua sponte, vel parentum voluntate iis tenera ætate Can. 12. oblatæ fuerint. *Si qua puella voluntariè, aut parentibus suis rogantibus, Religionem professa, vel benedictionem fuerit consecuta, & postea ad conjugium aut illecebras sæculi transgredi præsumpserit, usque ad exitum cum ipso qui se hujusmodi consortio miscuerit, communione privetur.*

Cùm Sanctimonialis Agnes nomine Claustro exiluisset semel, iterumque resilire tentaret, idem de- Can. 19. cretum ibidem innovatum est, *De puellis, quæ se divinis cultibus aut parentum aut sua voluntate devoverunt.* Apertissima sunt hæc argumenta, nec minùs tamen dilucida sunt, quæ Gregorius Papa II. rescripsit ad Bonifacii Archiepiscopi Moguntini interrogationes, ad Gallicanæ & Germanicæ Ecclesiæ Gregor. II. temperandam disciplinam: *Addidisti quod si pater* Epist. 9. *vel mater filium vel filiam intra septa Monasterii in in-* alias 14. *fantia annis sub regulari tradiderint disciplina, utrùm liceat eis postquam pubertatis impleverint annos, egredi & matrimonio copulari. Hoc omnino devitamus, quia nefas est, ut oblatis à parentibus Deo filiis voluptatis frena laxentur.*

VII. Usitatissimam eam fuisse in Galliis consuetudinem author est Gregorius Turonensis, ut infantulos suos Monasteriis parentes offerrent, immaculatas corpore & mente hostias Deo offerendas: De Gloria Martyr. l. 1. c. 76. *Mulier quadam filium suum unicum ad hoc Monasterium adducens, Abbati tradidit erudiendum, videlicet ut factus Clericus sanctis manciparetur officiis, &c.* Paulo pòst vocatur *parvulus, infantulus.* Et alibi: *Puerulus unus ex familia Ecclesiæ, &c. Puerum humiliatis* De gloria Confess. c. 22. *capillis Monasterio cessimus.*

VIII. Nec necesse est diutiùs Italiæ immorari, cùm Gregorius II. Papa difficultatem diluerit omnem. Addam unum modò ex Regula B. Benedicti caput, ubi mos ritusque describitur, quo offerebatur Monasterio à parentibus filiolus, Deoque devovebatur. Ut in baptismo enim, ita & hîc petebant parentes, quod petere infantes necdum poterant, mappaque Altaris manum pueruli involvebant, quasi jam hinc auspicarentur ejus ad aras immolationem. *Si quis forte de Nobilibus filium Deo suum of-* Cap. 59. *fert in Monasterio, si ipse puer minori ætate, parentes ejus faciant petitionem, quam suprà diximus. Et cum oblatione ipsam petitionem & manum pueri involvant in palla Altaris, & sic eum offerant.* Subjiciuntur monita quæ parentibus inculcabantur, ne quid usquam pueris bis clam largirentur, quo abduci & alienari possent à sanctissimo proposito, & terrenis rursum innecti cupiditatibus. At ne verbum quidem unum facit B. Benedictus, quid facto opus esset, si rationis ac libertatis lucem nacti aliquando adolescentes, Claustris egredi; & sæculi se vanissimis oblectamentis immergere cuperent. Silet de eo Regula, quòd hi tunc sanctioris propositi desertores nihil prorsus à cæteris Apostatis differrent, de quibus alibi Regula.

IX. Benedicti autem Regulæ cæteræ omnes adprimè consentiunt. Regula Isidori, ut legitur in Concordia Regularum, & apud Gratianum, ita se habet: *Quicumque à parentibus propriis in Monasterio fuerit delegatus, noverit se ibi perpetuò permansurum. Nam Anna Samuel puerum natum & ablactatum Deo pietate qua voverat, obtulit, qui in Monasterio Templi, quo à matre fuerat functus, permansit, & ubi constitutus est, deservivit.* Regula Magistri ulterius provehitur. Satius enim & conducibilius existimat, ut parentes offerant ipsimet filios suos, quàm si filii semet ipsi offerrent. *Votum filii convertentis exquiratur à parentibus, ut ab ipsis potius videantur devoveri vel offerri, qui eum genuerunt.* Sed sacramenti sanctissimis vinculis constringuntur parentes, ut ne quid usquam daturos se polliceantur, his liberis suis, ut tantò certiùs illi in proposito perseverare compellantur. *Ita ut jure jurando per sacrosancta Evangelia promittatis, ei ulteriùs de vestra substantia patrimonii nihil habere, ut firmiter jam perseveraat in Domino, sciens se de sæculo nihil sperare, cùm se à vobis & ab eo viderit alienum, solummodo superna desideret.*

X. In Anglia Rex Osuvi, ut cælesti muniretur præsidio adversùs infestissimum sibi Merciorum Regem, perpetuæ virginitati dicavit filiolam uno non amplius anno natam; votique reus post reportatam insignem victoriam, stetit promissis, puellamque Monasterio inclusit, ubi diutissimè discipula, disciplinis mox iisdem cæteras diu imbuit Moniales, donec anno ætatis sexagesimo in immortalis Sponsi sinu obdormivit. *Vovit si victor existeret, filiam suam* Beda l. 3. *Domino sacra virginitate dicandam offerre, simulque* c. 24. *duodecim possessiones prædiorum ad construenda Monasteria donare, &c. Pro collata victoria gratias referens, dedit filiam suam Elfledam, quæ vixdum unius anni ætatem impleverat, perpetua ei virginitate consecrandam, &c. Intravit filia Deo dicanda Monasterium, &c.*

XI. Ambigi tamen utcunque posset, an æquè in Anglia, ut in aliis Provinciis, de quibus hacte-

mus, adigerentur hi adolescentuli ad religiosissimam votorum observantiam, quibus non sua, sed parentum voluntas eos devinxisset. Dubitandi ratio non levis petitur ex ultimo Capite Capitularium Theodori Archiepiscopi Cantuariensis, qui videri potest humanitate Orientalium conduleasse quodammodo austeritatem Latinorum, ad quos ex Oriente profectus, & apud quos summas dignitates consecutus erat. *Basilius judicavit pueris licentiam nubere ante sexdecim annos, si abstinere non potuerint, quamvis Monachi fuissent.* Sanè cùm Basilius professiones affixerit anno ætatis sexto vel septimo supra decimum, nequaquam irrevocabiles censuit eas, quæ ante illam ætatem fierent. Sed quorsum conjecturæ? Cùm disertè Basilius in Regulis prolixiùs disputatis suscipi quidem jubeat utriusque sexûs infantes in diversis Monasterii ædibus, alique & instituì ab infantia, sive se ipsi, sive eos parentes Monasticæ vitæ offerant: sed vetet eos cæteris permisceri jam professis, vel ipsosmet ad professionem admitti, ante hanc annorum sexdecim maturiorem ætatem, qua suo jam ipsi se judicio consilioque agant regantque. *Quo sanè tempore admittenda est virginitatis professio, tanquam firma jam, & ejusmodi, quæ à proprio consilio judicioque proficiscatur; ratione jam probè adulta.* Si verò post diuturnum hoc tyrocinium, sua illos non urgeat voluntas, ad ineundam Evangelicæ perfectionis viam, permitti sibi, dimittique jubentur: *Qui verò vitam cum virginitatis professione suscipere nolit, is tanquam qui res Domini accurare sollicite non possit, ipsis iisdem testibus adhibitis dimittitur.* Testes adhibet Basilius eos ipsos cum dimittuntur adolescentuli, qui affuerant cum admitterentur à parentibus oblati: *Qui sub parentibus sunt, eos ab ipsis ad nos adductos, multis adhibitis testibus recipiamus.* In Regulis autem brevioribus vult quidem sanctus Pater, ut suscipiantur pueruli, quos parentes offerent; sed ea lege ut non antè legitima & rata habeatur eorum professio, quàm ad eam venerint ætatem, quam leges conjugiis præscribebant. *Firma tamen tunc erit professio virginitatis, ex quo adulta jam ætas esse cœperit, & ea quæ solet nuptiis apta deputari.*

*Spicil. to. 9. pag. 62.*

*Regula fusius disput. inter. 15.*

XII. Ad hanc sanè Ecclesiæ Græcæ disciplinam revocavit sese tandem Latina prorsus Ecclesia, ut infrà docebimus; vel ut aptiùs loquar, ipsa se sibi reddidit. Nam antiquissimus hic fuerat usus Latinorum, ut testatum facit Augustinus, pueris permittendæ optionis, ut sua se sponte agerent, appellerentque animum, vel ad sæculi, vel ad Cleri, vel ad Cœnobiorum vitam amplectendam: cùm ea mirabili varietate Deus gratiæ suæ dona aliis aliis largiatur. *Quid mirum si Pater communem filium nolebat hujus vitæ sustentaculis à matre nudari, ignorans quid in grandiuscula ætate sectaturus esset, Monachine professionem, an Ecclesiasticum ministerium, an conjugalis necessitatis vinculum. Quamvis enim ad meliora excitandi & erudiendi sint filii Sanctorum, unusquisque tamen donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic.*

*Epist. 199.*

Ex hoc si fas licet tam miro unanimique consensu ejus, qui Græcorum Augustinus, ejus qui & Latinorum Basilius, non immerito dici potest, facilè intelligitur, prioribus illis sæculis, eam doctrinam, eam ubique consuetudinem obtinuisse, ut sua cuique libertas permitteretur, permitteretur & ipsi Spiritui sancto, de quo Paulus, *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*; ut non parentum, sed suo maximè nutu vitæ institutum, quod magis adlubesceret, adolescentuli complecterentur. De Asella quidem memorat Hieronymus, vix egressam annum decimum Deo consecratam fuisse. At non ait eam, vel invitam, vel inconsultam, vel alieno magis quam suo impulsu dicatam cœlesti virginum sponso fuisse: *Adhuc infantia involuta pannis, & vix annum decimum ætatis excedens, honore futuræ beatitudinis consecrata est.* Illa ipsa decem annorum ætas, vel jam nubilis, vel nubili finitima erat. Agit alibi idem Hieronymus in Epistolis ad Lætam, ad Marcellam, ad Gaudentium, aliisque de puellulis quæ in Monasteriis educabantur ab ipsis cunabulis in spem religiosæ professionis: sed nusquam ait prohibitas se sæculari reddere vitæ, si adultiores ita cuperent. Similiter interpretandus est Theodoretus in Historia Religiosa, ubi de seipso testatum facit implevisse se parentum piam voluntatem, qui eum needum in lucem editum justitiæ Soli Christo & Patri luminum devoverant. Nulla ibi necessitatis, nulla coactionis umbra.

*Cap. 13. Et Ep. 81.*

XIII. His adde Leonis Papæ decretum tam dilucidum, tam peremptorium, ut jam dubitandi locus non supersit ullus, quin prioribus illis sæculis Latina Ecclesia Græcæ omnino consentiret, & integrum cuique faceret etiam adolescentulorum, vel servare simpliciter mandata, & ita in vitam ingredi sempiternam, vel Evangelicorum Consiliorum observatione eminentiores quasdam jam hinc exercitare sibi sedes in cœlesti Regno. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, &c.* Huic Evangelicæ regulæ attemperavit Leo hæc sua Decreta: *Propositum Monachi proprio arbitrio, aut voluntate susceptum, deseri non potest absque peccato, &c. Puella quæ non coacta Parentum imperio, sed spontaneo judicio virginitatis propositum atque habitum susceperunt, si postea nuptias eligunt, prævaricantur.* Hæc Leo ad Rusticum Narbonensem Episcopum. Verisimillimum est hos Galliæ mores fuisse sæculo quinto, & eum germanum esse sensum Gallicanorum Canonum suprà laudatorum, ubi professio Monialium tum revocari non posse pronunciabatur, ubi plures annos in Monasteriis versatæ fuerant. Cùm enim tenera admodum ætate in Cœnobia admitterentur, omnino post annos aliquot ibi propria libertate consumptos professæ habebantur, & quidem libera ac spontanea professione: immaturæ ætatis decursu toto imputando parentum magis, quàm ipsarum pietati.

*Epist. 92. c. 12. 13.*

XIV. Tam infesta Decreto Leonis Papæ consuetudo in reliquum Occidentem irrepere & propagari non potuit, nisi ex Conciliis Toletanis, adeo ut & in ipsa Ecclesiæ Romanæ decreta inserpserit usque ad duodecimum sæculum. Gregorius II. suprà impuberibus omnibus, qui à Parentibus oblati fuissent, facultatem abstulit resiliendi. Alexander III. pari constantia definit, immutabilem esse professionem, sive à parentibus oblati parvuli, sive post annum decimum quartum professi sint. *Si à parentibus fuerit oblatus, seu decimum quartum annum compleveris, cum religionem intravit, eum ad eandem, vel ad aliam redire compellas.* In Decreto quod mox sequitur Clemens III. eandem confirmat observantiam, desinente sæculo duodecimo. Profert enim Canonem de quo suprà, Concilii Toletani IV. & cùm sibi objectasset Decretum Leonis Papæ paulò suprà relatum, contendit trahi illud debere ad puellas nubiles, quæ jam in parentum potestate non sunt, quòd earum tunc & ratio, & libertas ejusmodi jam sit, quæ & facem præferre eis possit, & gressus regere. *Nec obloquitur quod de sancti Leonis*

*Extra. De Regularib. C. Significatum.*

Ibidem C. Cum virg. Antiq. Coll. 2. l. 3. Tit. 18. c. 3. *Papa constitutione per contrarium sensum assumitur, ut puella quæ coacta Parentum imperio virginitatis habitum susceperunt, ipsum possint sine prævaricatione deferere. Cum de ea possit intelligi, quæ in ætate nubili noscitur constituta. Tunc enim quia liberum arbitrium habet in electione propositi, parentum sequi non cogitur voluntatem.*

XV. Fato suo functus est Clemens III. anno Christi 1191. In Petri sedem ei successit Cælestinus III. & octo plus minus annis Pontificatum obtinuit. Veri ergo simile non est, Cælestinum III. consuetudini tot jam sæculis insolitæ, & à præcessore vehementer approbatæ derogatum voluisse. Et Ibid. c. 5. ejus tamen Capite ibidem proximo depromitur Decretum prorsus contrarium, cui & accommodatus est postea hodiernus usus, quo rescinduntur professiones minorum omnes, seu vis allata fuerit, seu ab alterutro parente oblati fuerint; præter mediæ quidem ætatis consuetudinem, sed convenienter omnino priorum Ecclesiæ sæculorum moribus. C. Cum simus. Extra. De Regularibus. En ipsa Decreti verba: *Intimamus quod si dictus puer ad annos discretionis pervenerit, & habitum retinere noluerit Monachalem, si ad hoc ipsum induci nequiverit, non est compellendus. Quia tunc liberum erit sibi eum dimittere, & bona paterna quæ ipsi rectè successione provenient, postulare.* Probabile cum primis est authorem hujus Decreti Pontificem ea persuasione occupatum fuisse, puerum de quo agebatur, decem saltem, vel forsan etiam quatuordecim annos natum fuisse, cum illum parens Monastico obligavit instituto: atque adeo juxta mediæ etiam ætatis leges moresque, potuisse illum paternæ in eo quidem refragari voluntati. Ita suadet contextus ipse totius Epistolæ Pontificiæ in Antiquas Collectiones relatus; & idem rursus conjici potest ex eo quòd decem post hebdomadibus, à Patre & à Monasterio discesserit, & debitæ sibi successionis cœperit jura repetere.

XVI. Huic tamen Decreto innixus est usus posterior, mediæ ætatis consuetudine obliterata illa quidem, sed redintegrata priorum quinque sæculorum & antiquissimorum Patrum disciplina Pontificumque. Eo modo minuta, sed ad sapientiæ & mediocritatis regulas temperata est patria potestas, & restituta primæva dignitas adolescentiori rationi, libertatique nativæ, cui penè ante exortum suum Hallier. De sacris elect. pag. 321. fræna priùs injiciebantur, & vincula. Non unum id exemplum est rei miræ, & verissimæ tamen: novas & meliusculas quandoque consuetudines superstitui decretis atruncatis, & in alienos quodammodo sensus detortis.

XVII. Porro si consuetudinum adversa fronte pugnantium, nunc huic, nunc illi suffragari visi fumus in disputationis totius hujus contextu, non ea tamen fuit sententiæ, non judicii inconstantia: sicuti nec Ecclesia nisi per summum nefas insimulari potest, non sibi constare, cùm aliis aliisque temporibus & locis consuetudines approbat & sectatur capitaliter adversa.. Sempiterna ipsa Dei sapientia in Scripturis suis præcepta non semel alia aliis mutavit; & ita authoritatem conciliavit Ecclesiæ suæ, vel in Conciliis generalibus, vel in moribus receptissimis, nova identidem Edicta promulganti, & novis remediis vel novos vel inveteratos morbos curanti. Non semper juvenes ratione & consilio suo utuntur consentaneè ad æternæ Legis præscripta, cui servire ea demum vera libertas est: ideo vel ipsis aliquando compendiosissimum fuit, ut paterno magis judicio imperioque regerentur, quàm suo, & ad eum cumulum boni coarctarentur, quò vix unquam ipsi aspirassent. Ea potestate non semper tam piè usi sunt parentes, quàm videri voluerunt: avaritiæ persæpè incitamento magis, quam religionis impulsi filios devoverunt: æquum itaque tunc fuit ea illos spoliari facultate, quæ tardiùs & ægrè forsan illis concessa fuerat. 2. Non necessitas quandoque magis, quàm fœlicitas cogit ad bonum, aut certe fœlix necessitas. Quod enim primò cogi & vi expugnari videtur bonum, assuetudine dulcescit: suave fit quod amarum erat: non potest non & vehementissimè postea & libentissimè amari beata illa necessitas. Hoc ex fonte manabat mediæ ætatis disciplina. Sunt porro ex adverso alii, quorum animus coactione exasperatur magis magisque: & quos necessitas non ad virtutem trahit, sed allicit ad simulationem. Hinc justæ extiterunt causæ prioribus posterioribusque Ecclesiæ sæculis, ut rationi & libertati juvenum exorienti primùm, mox adolescenti assurgerent, indulgerent, & magnopere caverent, ne quid illi crearent molestiæ, ne naturæ & Deo repugnare viderentur. 3. Prioribus sæculis videbatur quibusdam, ne baptismi quidem vinculis illigandos esse parvulos, nisi intelligentes quid fieret, & assentientes. Eo ergo tempore ne veniebat quidem in mentem eorum, quibus diversa etiam insederat sententia, pueros omnium inscios, aut minùs libentes implicari Monasticis institutionibus. Aliquanto pòst tempore consultius meritò visum est, tantò meliùs, quantò maturiùs subjici homines suavissimo Christi per baptismum jugo. Itaque tum cœptum est tingi vulgò parvulos ab utero recentes, vel non multò pòst. Non multò etiam pòst cœpit à quibusdam, parvulis ne scientibus quidem, nedum assentientibus alia imponi sarcina, paulò gravior illa quidem Monasticæ professionis, sed quæ & ipsa tum assuetudine, ut solet, allevaretur, tum charitate, quæ pondus ipsamet est, quo anima non deorsum deprimitur, sed sursum extollitur, & ad cœlum rapitur. Denique interjici postea visum est debere discrimen ingens inter jugum tam necessariò ferendum, quàm necessaria salus est: & jugum tam lubentibus conducibile, quàm illibentibus mortiferum simulatoribusque, nequaquam autem omnibus necessarium. Hinc usuvenit ut baptismus semper parvulis impartiretur, Monastica verò professio servaretur volentibus. 4. Præstò fuit Isaac, ut divinæ libaret se voluntati, cujus interpres unus & executor parens. Samuë maternæ obsecutus est voluntati, quæ ipsum ante exortum suum Templo mancipaverat. Moyses impuberum vota rata jussit esse, si à parentibus confirmarentur. His in exemplis satis est præsidii ad mediæ ætatis Canones moresque vendicandos & à suspicionibus & à calumniis. Sed non satis est, ut necessitatis vinculum aliquod hoc cudatur, quo mores iidem semper obtineant.

XVIII. Ad hanc eandem trutinam expendendæ sunt mutationes suprà conclcatæ, circa ætatem professionum Monasticarum. Viduas & Diaconissas non admittebat Paulus nisi annorum sexaginta. Sæculo quinto senescente admissæ sunt annorum quadraginta. Concilia Carthaginensia velum consecrationis contulere anno vigesimo-quinto. Placuit Diaconissas aboleri, & Abbatissas earum loco successisse insinuabat Gregorius Magnus, cum earum ad annum sexagesimum ordinationem differebat, quæ ad quadragesimum postea revocata est à Conciliis. Virgines factas ad professionem susceperat

Basilius anno ætatis decimo-sexto: Trullana & Toletana Synodi anno decimo eas admisere: denique Concilii Tridentini Patres ad Basilii temperatissimum Decretum universam Ecclesiam perpulere. Hæ vicissitudines non à levitate, non ab inconstantia profectæ sunt ea, quæ omnibus hominibus, immo & Imperiis omnibus innata est: sed ab inexcogitabili Dei sapientia & charitate, quæ ita se Ecclesiamque suam inflexit, ad cujusque sæculi necessitates, & ad cujusque proclivitates gentis; ut eæ semper in Ecclesia maximè semper vigerent Leges, quæ hominum saluti & utilitati essent accommodatissimæ.

XIX. Ne ex his verò quæ hoc capite disputata sunt, aliquid sibi patrocinii sperent affulgere posse inhumani illi parentes, si qui nunc Monasteriis filios quandoque intrudunt invitos. Accommodabant se olim parentes moribus Ecclesiæ; ergo & nunc Ecclesiæ moribus serviendum est, & tantò impensiùs iis serviendum est, quantò ii oune & primigeniæ Christi Ecclesiæ, & naturali æquitati magis consentiunt. Cum duriorem illam disciplinam approbabat in Conciliis suis Ecclesia, Spiritûs sancti suavitas utique aliqua existimanda est aspirasse se filiis, ut non illibentes parentibus *compellentibus intrare* obsequerentur. Nulla hujusmodi spes residua est, cùm Ecclesia ipsa ab eodem Spiritu sancto impulsa vim illam jam ut importunam detestetur. Si id sibi quisque somat, ut non sæculi sui legibus moribusque vivat, sed quibus volet priscorum sæculorum, actum est de pace publica. Ne ea quidem quæ Deus olim ipse sub priori Lege præceperat, innovari fas est, postquam legitima authoritate antiquata sunt. An impune quisquis volet, reducet Canones antiquos, recentiorum Conciliorum statutis obductos? Denique in minores tantùm & impuberes ea potestate abutebantur tum parentes: nihil istiusmodi unquam tentarunt in eos qui pubertatem essent assecuti. Cùm ergo nunc ne validè quidem possit quisquam profiteri Religionem, nisi pubertatem prætergressus, nihil verendum nobis est, ne parentes priscis illis Canonibus & exemplis quasi jure suo abutantur.

## CAPUT LVII. *P. 3. l. 1. c. 42.*

### De Impuberibus pueris quos Parentes Religiosæ vitæ dicabant sub Imperio Caroli Magni.

*I. Jam inde à tempore Caroli Magni cœptum est minime probari, si pueruli illibentes Religioso proposito illigarentur.*
*II. Quo loco res fuerint sub Ludovico Pio.*
*III. Quæ horum puerorum tunc institutio.*
*IV. Sub Carolo Calvo rursus antiqui mores invaluere, ut offerrentur Cœnobiis puerulli, & perseverare cogerentur.*
*V. Novis argumentis evincitur, revixisse priscam inclementiam, cogendi pueros, in Clero, vel in Claustro, cui additi fuerant, ut consenescerent.*

I. Coepta est mitigari sub Carolo Magno inhumanitas quædam prior, qua parentes Clero, vel Cœnobiis filiolos obtrudebant, etiam renitentes, etiam adempta spe & facultate resistendi. Concilium Moguntinum anni 813. eos qui in antecessum his compedibus innexi fuerant, absolvere non potuit: at cavit in posterum, ne his nexibus adamantinis obligarentur pueri, nisi ætate à (Ann 813. Can. 23.) Canonibus præfixa, & impetrato ipsorum assensu. *De Clericis verò hoc statuimus, ut hi qui hactenus inventi sunt, sive in Canonico, sive in Monachico ordine, tonsurati sine eorum voluntate, si liberi sunt, ut ita permaneant: & deinceps cavendum, ut nullus tondeatur, sine legitima ætate, & spontanea voluntate, vel cum licentia Domini sui.* Ad Clericos æquè, atque ad Monachos hoc statutum se porrigit. Id enim sonant hæc verba, *sive in Canonico, sive in Monachico ordine.* Itaquè jam cogi non poterant in Clero, vel in Claustro perseverare, si eos vel non assentiantes, vel ante annos discretionis parentes in ea vincula conjecissent.

Clementiæ Caroli Magni imputandum utique videtur hoc durioris disciplinæ delinimentum. Paucis enim ante hoc Concilium annis Breviculum ille scripserat graviorum quarundam rerum, de quibus cum Episcopis & Abbatibus serio sibi consultandum proposuerat. *Brevis Capitulorum, quibus fideles nostros Episcopos & Abbates alloqui volumus, & commonere.* (An. 811.) In iis erat & hoc caput, quo de hic agimus, & permagni intererat Episcopos & Abbates consuli, vel interrogari, quo tandem consilio, aut fructu tantopere studerent amplificando ultra modum suorum vel Clericorum numero, vel Monachorum, ex quo fiebat, ut inconsideratissimè pueruli in Clerum & Monasteria intruderentur complurimi. *In quo Canonum, vel in cujus sancti Patris Regula constitutum sit, ut inventus quislibet aut Clericus, aut Monachus fiat? Aut ubi Christus præcepisset, vel quis Apostolus prædicasset, ut de nolentibus, & invitis, & vilibus personis congregatio fieret in Ecclesia, vel Canonicorum, vel Monachorum?* (Cap. 10.) Ut quomodocumque Imperatoris voto satisfieret, Concilium Cabilonense anno 813. pœnis subjecit Canonicis Episcopos & Abbates, qui cuniculis & arte grassarentur, ut suas in Congregationes allicerent eos, quorum magis inhiabant pecuniis, quam animarum saluti. (Ann. 813. Cap. 7.) *Quoslibet homines illectos circumveniendo totonderunt.* Nil vetat in his & parvulos intelligi.

II. Fateri tamen cogimur, Capitulare Ludovici (Ann 816. Cap. 20.) Pii, videri professionem puerorum puellarumque à voluntate parentum religare. *Ne pueri sine voluntate parentum tonsurentur, vel puellæ velentur, modis omnibus inhibitum est.* Sed reponi potest, ibi supponi liberum consensum parvulorum, ætate ea qua sint rationis compotes, & sui, quamvis vel tum dum minores sunt, voluntas parentum dominetur.

Aut certè dicendus erit Pius Imperator hoc Edicto parentibus non concedere nisi facultatem offerendi liberos vel Clericali, vel Monasticæ professioni, nequaquam adempta pueris potestate, vel abrumpendi hæc vincula, vel illis se strictius implicandi, cùm suo se plenè agent judicio arbitrioque. Quæ interpretatio eo verior certiorque videri potest, quo consonantior est statuto Comitiorum generalium Abbatum universi regni, quæ proximo post anno celebrata sunt apud Aquisgranum, scilicet anno 817. Accipe statutum, quo asseritur qui- (An 817. Cap. 36.) dem parentibus jus ac potestas offerendi liberos Monasteriis, cùm aliqua patrimonii portione; at ea addita cautione, ut id firmaret puer, cùm idoneam attigisset ætatem. *Ut puerum pater, aut mater tempore oblationis offerant altari, & petitionem pro eo coram laicis testibus faciant, quam tempore intelligibili ipse puer confirmet.*

III. Non constabat omnino, quam se in partem inclinatura esset puerorum voluntas; sed interim tamen plerisque Regulæ institutionibus, maceratiopibusque subjiciebantur. Carne interdicebantur, nisi labaret valetudo. *Ut infantes oblati carnem non-* (Ibid. c. 37.)

*nisi causa infirmitatis manducent.* Quo rursum corroboratur, quod suprà fusè probatum est, non ali solitos in Monasteriis, nisi parvulos professioni Re-
Ibid. c. 45. ligiosæ destinatos. *Vt schola in Monasterio non habeatur, nisi eorum qui oblati sunt.*

IV. Unum ex liberis suis Carolus Calvus ad aras obtulerat, Carlomannum nomine, Cleri functionibus mancipandum. Per gradus omnes ad Diaconatûs verticem is evectus est: sed eas postea turbas excivit & dissensiones in Regno, ut parum sinceram ejus ad Clerum vocationem jure multi ominati sint. Audi ut ejus ad Altare oblationem narret
To. 2. pag. 253. Hincmarus: *Karlomannus à patre sacro Altari oblatus religiosis divini servitii obsequiis mancipandus, ac in Clericum tonsus.* Stephanus VI. Pontifex Romanus Basilio Imperatori per Epistolas gratulatus est, quòd unum è filiis Clericatui obtulisset. *Cùm verò audiverimus, quod ex semine tuo filium ad sacerdotium dedicasses, magno hac de causa repleti sumus gaudio.* Verùm hic Basilii filius, nomine Stephanus, Constantinopolitana Patriarchali Sede postea auctus, sanctimonia & innocentia vitæ præcelluit, cùm Karlomanni improbitas desperatissima eò tandem patrem impulerit, ut oculos ei juberet exculpi. Hinc non injuria forsan suspicaberis, tantum ortum esse discriminis, quod Karlomanno vis allata fuerat.
Du Chesne. To. 3. pag. 313. Ita enim Annales Metenses: *Carlomannus cùm esset puerulus, jussu patris attonsus Clericus effectus est. Deinde procedenti tempore ad Diaconatûs officium, quamvis invitus atque coactus, in præsentia genitoris ordinatus est, &c.*

Jam ergo minimè mirum est priscam revixisse consuetudinem, cogendorum ad perseverantiam parvulorum, sive in Cœnobio, sive in Clero, cui oblati fuerant à parentibus. Si enim Reges, qui auspicati ipsi erant eam oblitterare consuetudinem, eam reuehebant, retinebantque; eo exemplo credere par est cæteros omnes ad hoc ipsum pertractos fuisse.

Capitular. l. 4. c. 35. V. Diximus jam strictim aliquid de Capitulari Ludovici Pii anni 817. n. 2. ubi vetantur pueri semel detonsi, aut puellæ semel velatæ, tonsuram velumque abdicare, nisi quando invitis parentibus minores id passi sunt. *Si quis puerum invitis parentibus totonderit, aut puellam velaverit, &c. Illi potestatem habeant capitis sui, ut in tali habitu permaneant, qualis eis complacuerit.* His adde Concilium Tullen-
Can. 7. se ad Saponarias anno 859. in quo Attoni Virodunensi Episcopo crimini datum est, quòd olim à Monasterio desciviſſet, cui oblatus primùm fuerat: *Quod oblatione regulari, unde petitio ibidem est præsentata, in Monasterio sancti Germani Autisiodorensium extiterit, & contra regulas Ecclesiasticas inde discedens, minùs providè, quàm sacra authoritas doceat, ad Ordinem Episcopalem pervenerit.* In his sanè hæret aqua, nec video satis quis sit hinc exitus. Unde & fateri cogor, eam quam restaurare conatus fuerat Carolus Magnus disciplinam, & vacillasse semper, & brevi corruisse. Manifestè profectò Vormaciense Concilium ex mediæ hujus ætatis ingenio vetuit, ne dilabi amplius è Monasteriis sinerentur, quos illis impuberes obtulisset parens alteruter. *Si pater, vel mater filium filiamve intra septa Monasterii in infantia annis sub regulari tradiderint disciplina, non liceat eis postquam ad pubertatis pervenerint annos, egredi, & matrimonio copulari, &c. Non liceat eis susceptum habitum unquam deserere; sed convicti quod tonsuram, aut Religiosam vestem aliquando habuerint, in Religionis cultu, velint nolint, permanere cogantur.*

## CAPUT. LVIII. *P. 4. l. 1. c. 63.*

### De pueris, qui in Monasteriis offerebantur Deo, & ibi alebantur, post annum Christi millesimum.

*I. Vtriusque sexus impuberes in Monasteriis alebantur, non modo ut ad sanctitatem instituerentur, sed etiam ut Monachi, vel Moniales fierent.*

*II. Obstrepebant plerumque hæc juvenum agmina quieti & silentio claustrorum.*

*III. Hinc excludebantur, quibus non esset voluntas amplectenda Religionis Monastica.*

*IV. Quare nunc fiat Novitiatus in veste Religiosa.*

*V. An post Concilium Tridentinum indui possint veste Monastica puellæ nondum duodennes, ad parentum preces.*

*VI. Maximè si illæ renitantur.*

*VII. Varia statuta posteriorum Conciliorum circa puellas, quæ in Monasteriis aluntur.*

*VIII. Cisterciensium Constitutiones super ea re.*

I. Quàm certum est in Monasteriis semper fuisse scholas impuberum utriusque sexus: tam similè veri est in solam spem Monasticæ professionis hanc eis institutionem accuratam fuisse. Tria Lanfrancus facit genera religiosarum fœminarum in Monasteriis. Aliæ quippe Moniales erant professæ, aliæ ad Altaria à parentibus oblatæ, aliæ denique quæ probarentur, an satis in proposito constantes futuræ essent: *Quæ verò nec professæ, nec* Epist. 32.
*oblatæ sunt ad præsens dimittantur sic, donec voluntates earum de servando ordine subtilius inquirantur.*

II. Erant & in Monachorum claustris catervæ puerorum, litteris & pietati incumbentium, sed pro ætatis ingenio petulantium plerumque & tumultuosorum, quorum adeo strepitu & intemperiis silentium otiumque suum sacrum interturbari vehementer aliquando dolebant sanctissimi quique Monachi. Cùm ad Montem Cassinum profectus esset Petrus Damiani, illud præ cæteris Commendavit ejus Cœnobii decus, quod nulla ibi tumultuaretur schola adolescentium, sed aut senes sapientiæ canitie venerandos, aut viros charitatis virtutumque omnium robore vitia sæcularia debellantes vidisset, non ullos juniores, claustralis disciplinæ semper adversarios. *Hoc fateor mihi non mediocriter* Baron. an.
*placuit, quod ibi scholas puerorum, qui sæpè rigorem* 1063. n. 4.
*sanctitatis enervant, non inveni: sed omnes, aut senes, cum quibus nobilis vir sedebat in portis Ecclesiæ, aut juvenili decore lætantes, qui ut filii Prophetarum, &c. Vicere malignum, &c.*

III. In his adolescentulorum turbis erant fortasse, qui Monastico ab instituto abhorrerent. Hinc illæ adversus eos querelæ. Nec nos fugit Hildeberti Epistola, qua contestatur puellam, quæ Monasterio credita fuerat, ut pietate imbueretur, abduci inde ad nuptias potuisse: *Puellam de Monasterio* Epist. 42.
*Sanctimonialium abstractam, quam maturioris doctrinæ causa, sacris commixtam virginibus, ad virum egredi Pater dictavit.* Sed neminem quoque fugere debet Synodus Bajocensis anni 1300, ubi præceptum est Monasteriis, ut *pueri & puellæ, qui ibidem solent* Cap. 92.
*nutriri & instrui, penitus expellantur.* Speciali Bulla approbavit Innocentius IV. anno 1253. Regulam Monialium sanctæ Claræ, qua edicitur, ut modesta induantur veste puellæ, quæ in earum Monasteriis educantur, attondeantur eis crines, suo denique tempore profiteantur, nec ullæ prætere a admittantur: *Juvenculæ in Monasterio recepta infrà tempus ætatis* Bulla 22.
*legitimæ tondeantur in rotundum, & deposito habitu* Innoc. IV.

*sæculari, induantur panno religioso sicut visum fuerit Abbatissa. Cùm vero ad ætatem legitimam venerint, induta juxta formam aliarum, faciant professionem suam. Nulla vobiscum residentiam faciat in Monasterio, nisi recepta fuerit juxta formam vestræ professionis.*

IV. Succurrit animo hinc pullulascere potuisse illam consuetudinem novam, dandæ novitiis ipsis vestis Monasticæ; cùm ea donarentur oblati à parentibus pueri: donarentur eadem, aut valdè similis, puellæ quæcumque in Monasteriis alebantur. Cùm enim exuendæ essent pretiosis & sæcularibus indumentis, inanem mundi pompam præ se ferentibus, non tantùm ut profiterentur, sed etiam ad ponendum Tyrocinium, utque in Monasterio versarentur: expeditius forsan compluribus visum est, simul & semel religiosam illis vestem concedere, aut non multum dissimilem.

Spicil. to. 4. pag. 115. 116. 175.

Antiquarum Cluniaci Consuetudinum Compilator, aliam suggerit ejusdem rei rationem. Advertit enim plurimas ibi simul fuisse Novitiorum classes. Confluebant eò enim Clerici, Laïcique sine Monastica veste. Ventitabant & Monachi ex Prioralibus & Obedientiis, ut Cluniaci profiterentur, seu ut novam professionem ederent Abbati Cluniacensi. Diximus suprà peculiarem eam fuisse ejus loci consuetudinem, ut alibi suscepti, Cluniaci tamen professionem ederent. Placuit forsan ut Novitiorum omnium una esset forma communis, una vestis Monastica. Affirmat etiam idem Consarcinator statim Novitiorum veste amictos fuisse pueros, qui offerebantur.

Fagnan. L. 3. Par. 2. pag. 51.

V. Inquirunt Canonistæ, an post Tridentinum etiam fas sit, religiosa veste induere puellas antè annum ætatis duodecimum, quæ Monasteriis offeruntur Religiosæ professioni. Respondent autem posse, & ex ipsis Concilii verbis res in aperto est, ibi enim jubetur Episcopus bis explorare liberum earum consensum, quæ post annum ætatis duodecimum vestem induunt Monasticam, nempè antè habitus sacri susceptionem, & ante professionem:

Sess. 25. c. 17.

sed earum quæ vestem illam ante annum duodecimum indutæ sunt, semel tantùm, nempè antè professionem. Frustrà enim antè annum duodecimum earum consensus exploraretur. Id quoque Medina, qui ei Sessioni affuit, testatum facit Concilio placuisse; à quo propterea derogatum non est Decretali, *Cùm virum. De Regularibus*: nec Decretis à Gratiano relatis, de potestate parentum ad offerendos Ordini Monastico puerulos.

20. q. 1. c. 1. 4. &c.

Elicit & aliud Fagnanus ejusdem rei argumentum ex alio proximo Tridentini Capite: ubi intentatur excommunicationis jaculum iis, qui puellas & quascumque demum fœminas coëgerint ingredi in claustra & veste ibi Monastica indui, *præterquam in casibus à Jure expressis.* Atqui nec juri, nec usui recepto consentit, ut contrudantur mulieres in claustra ad eluenda ibi flagitia pœnitentiæ lacrymis & laboribus. Immo & à sacra Congregatione declaratum est, non posse Episcopum permittere mulieribus conjugatis in causa adulterii, vel in causis conjugii ipsius, ut in Monasteria secederent, cùm excommunicatio & à Concilio, & à Pontificibus in eas decernatur, quæ illuc ingrediuntur. Denique cum prohibuerit Concilium, ne permitteret Episcopus sæcularibus personis ingredi Monasteria, nisi ubi causæ sunt necessariæ: declaratum est à sacra Congregatione, eas necessarias causas dici, quæ ad Monasterium, non ad personas sæculares spectarent. Unus ergo superest casus, ubi jus permittat cogi ad religiosæ vestis susceptionem, nempè puellas ante duodecimum, pueros ante decimum quartum annum à parentibus vitæ Monasticæ consecratos. Addit denique Fagnanus moris esse, ut licentia postuletur à Congregatione Episcoporum & Regularium, induendarum vestibus Monasticis puellarum ante annum duodecimum; idque ab ea, & re multum librata, & raro concedi.

Sess. 25. c. 18.

Fagnan. ibid. & pag. 135.

Sess. 25. c. 5.

VI. Non paulo gravior ingruit difficultas, cùm pueri reluctantur respuuntque veste illa indui Monastica. Unde & tunc ferè assentiuntur Canonistæ, non posse parentes vi agere, quantumvis impuberes & rudes adhuc sint pueri. Iisdem tamen rationibus locus est, & expressa est Clementis III. Decretalis, *Cum virum*, *De Regularibus*, ubi ait de puellis solis nubilibus capi debere Decretum Leonis I. ubi pronunciatur abjici posse vestem Monasticam à puellis, quæ ad eum induendum coactæ fuerant à parentibus, quòd pleno tunc rationis lumine & voluntatis imperio puellæ utantur, nec teneantur se prorsus permittere parentum voluntati. *Nec obloquitur quod Leonis Papæ constitutione per contrarium sensum sumitur, ut puella, quæ coacta parentum imperio virginitatis habitum susceperunt, ipsum possint sine prævaricatione deserere. Cùm de ea rectè possit intelligi quæ in ætate nubili noscitur constituta. Tunc enim quia liberum habet arbitrium, in electione propositi sequi parentum non cogitur voluntatem.*

VII. Ante verò quàm altius immergamus nos in Minorum causam, qui à Parentibus, vel Tutoribus dicabantur Monasteriis, congerenda hic sunt ea, quæ de parvulis in Monasterio alendis supersunt dicenda. Præcipiuntur Moniales in Concilio Cameracensi anni 1565. sanctissimis institutis imbuere eas puellas, quarum ex assensu Episcoporum curam in se recipiunt, juxta placita Concilii Tridentini. *Quas de consensu Episcopi, aut Superioris visitatoris juxta Tridentini Concilii Decretum, educandas & formandas susceperint.* Concilium I. Mediolanense anni 1565. edixit ut puellæ, quæ tunc in Monasteriis enutriebantur, elapso anno, ejicerentur; nisi professionis Monasticæ adesset voluntas, nec deesset idonea indoles. *Post annum à Monasterio exire cogantur, nisi omnibus iis prædita, quæ ad suscipiendam Religionem requiruntur, Monachalem vestem sumere voluerint.* In posterum ne illæ admitterentur, nisi licentia Episcopi, scriptis consignata, vel Superioris Regularis, vel Metropolitani: à quibus id non concederetur, nisi iis, quarum educatio nulli prorsus posset commendari, & quæ nec decennio minores essent, nec ultra annos quindecim provectæ; denique quæ essent semel egressæ, ne regredi possent amplius, nisi ut Moniales fierent.

Tit. 18. c. 13.

C. q. 11.

Ex his omnibus clarè emicat Seminaria hæc ab origine fuisse, ut juniores puellæ ad religiosam vitam præpararentur; à qua tamen lege primaria deflexum est non alio magis incitamento, quàm Christianæ sapientiæ & charitatis, ut defæcatissimæ pietatis semina in eas derivarentur, à quibus Christianus orbis nova & Christiana semper prole frequentandus erat. Ideo hæc Synodos, æquè ut Turonensis anni 1583. & Aquileiensis anni 1596. vestium modestiam & totius supellectilis fœmineæ sobrietatem eandem istis propemodùm ac Monialibus indicunt.

Can. 17.

Can. 19.

VIII. Constitutiones Cistercienses anni 1134. prohibebant in Monasteriis alendos admitti pueros, nisi Noviciatum inire vellent, & annos quindecim nati essent. *Nullus puerorum doceatur litteras intra*

Annales Cisterc. to. 1. p. 181.

*Monasterium, vel in locis Monasterii, nisi sit Monachus, vel receptus in probatione Novitius, &c.*

## CAPUT LIX. *P. 4. l. 1. c. 64.*

### De pueris quos parentes immaturos implicabant Monasticæ professioni, ante annum duodecimum, vel decimum quartum.

*I. Post Concilium Tridentinum in potestate adhuc parentum est liberos utriusque sexus offerre Monasteriis, & Monastico induere habitu ante annum duodecimum, vel decimum quartum.*

*II. Usque ad annum millesimum ducentesimum, non poterant parvuli à parentibus Deo oblati, sæculo se rursum immergere. Probationes ejus rei.*

*III. IV. Probationes aliæ ex Bernardo, & ex Pontificibus.*

*V. Cælestinus III. omnium primus primigeniam restituit parvulis libertatem, paterno non cedendi imperio, vel voto, nisi & ipsi adlubescant.*

*VI. Exempla varia hujus in Disciplina mutationis.*

*VII. Perstitit tamen mos parentum offerendi liberos, liberorum etiam, utplurimum obsequendi voluntati parentum, non tamen semper, non necessario.*

*VIII. Summatim de hujus disciplinæ vicissitudinibus.*

I. Dictum est capite superiori de potestate parentum, à Tridentino Concilio nihil debilitata, filios ante annum quartum decimum, filias ante duodecimum conjiciendi in Monasteria, & religiosis vestibus induendi. At ne verbo quidem attigi professionem ab eis eliciendam. Seposita est in hoc caput ea quæstio. Ubi aperiemus primo etiam post annum millesimum, & jure novo Decretalium sartam tectamque servasse Parentes eam in liberos potestatem de qua supra in liberos: Tum ad illud accedemus, quo ex fonte fluxerit maximè hæc mutatio morum legumque sacrarum.

II. Petrus Damiani post laudatos Toletanos Canones, fixum illud ratumque esse pronunciat, pueros à parentibus vitæ Monasticæ devotos, addictosque, jam non posse amplius in sæculum divertere. *Esto ut qui à Parentibus offeruntur, ita permaneant, nam de tam perspicuis sanctorum Patrum dictis ambigere, quid est aliud quàm micantium astrorum globis oppositum, apertis oculis nihil videre?* Part. 3. Opusc. 16. c. 5.

Lanfrancus Epistola superiùs relata in eundem ordinem contulit puellas professas, & à parentibus oblatas: easque diligenter ab aliis discrevit, quæ tum probantur, tum semet ipsæ probant. In ea verò Coacervatione, quæ illi tribuitur Decretorum Ordinis sancti Benedicti, ritus exhibetur, quo pueri ad Altare offerebantur inter Missarum solemnia, ad Offertorium, hostiam & calicem infuso vino manibus gestantes, & manibus postea mappa Altaris circumvolutis; tum verò cogebantur parentes polliceri, nihil unquam rei, aut peculii esse daturos, *undè quod absit perire possint.* Denique ubi majores evaserant, solemni more profitebantur. Epist. 32. Cap. 17.

Petrus de Honestis in Clericorum Regula quam scripsit circa annum 1100. jubet suscipi parvulos à parentibus oblatos, tertio, aut quarto post ablactationem anno. *Post tres itaque, vel quatuor ablactationis annos, si sic parvus offertur, Clericus effectus, ab omnibus diligatur, ut filius.* Post annum decimum quartum puerorum consensus omnino necessarius habebatur, cum illos offerebant parentes. *Post annos verò quatuordecim non potest pater eum offerre, nisi filius voluerit.* Sed id ætatis puer potest non expectato patris assensu, Monachum se, aut Clericum profiteri. *Hujus enim ætatis hominibus, invitis quoque parentibus licitum est, habitum Religionis suscipere quem elegerint.* Can. 9

Anno Christi 1096. Canonici Regulares Capituli Caturcensis cum Gausberto de Castro novo pepigere nescio quid, & convenit illis præ cæteris, ut filiorum ille unum aliquem offerret ante annum ejus ætatis decimum quo Canonicus fieret Regularis. *Hoc tenore, & convenientia, ut det nobis filium unicum ex duobus, quos priùs illi genuit uxor sua, ut fiat Canonicus Regularis in Ecclesia nostra, &c. Concessio verò pueri fiat usque ad expletionem decem annorum, &c.* Eodem Spicilegii Tomo plura ejusmodi occurrent exempla, oblatorum à parentibus Capitulo liberorum, cùm terris agrisque nonnullis, quæ eorum tanquam portio & hæreditas esset. Spicil. to. 8. pag. 361.

Goffridus Vindocinensis Abbas Toletani IV. Concilii Canonem illum laudat, *Monachum aut paterna donatio, aut spontanea devotio facit; quidquid horum fuerit, alligatum tenebis:* tanquam qui vigeat adhuc & in usu sit. Guibertus Abbas dolet Monasteriorum vicem, quorum collapsæ disciplinæ causa refundebatur in hos maximè oblatorum puerorum greges, qui nunquam postea pietatis eo fervore æstuarent, quo ii qui sæculi nequitia fatigati, in tutam se conjiciunt Monasteriorum stationem. *Ab illis potissimum detinebantur Ecclesiæ, qui in eisdem parentum devotione contraditi, ab ineunte nutriebantur ætate.* L. 3. Ep. 35. De vita sua L. 1. c. 8.

Multa quoque Odericus Vitalis coacervat ejusdem rei exempla. Militis ille meminit, qui Monasterio filium obtulit cum Ecclesiis, quam dotalem cum uxore acceperat, filia fundatoris. Item ejus qui anno ætatis nono oblatus est. Ejus quoque qui anno quinto consecratus est Deo. Uterque eruditionis fama postea floruit. Odericus ipse semet à parente narrat Monastico ordini oblatum fuisse anno ætatis undecimo, nec refragari ausum. *Paternis votis tenellus puer obviare non præsumpsi, &c. Undecimo ætatis meæ anno ad Monachatum susceptus sum, &c.* Anno 1059. H. stor. Norman pag. 479 480. 490 924. An. 1085.

III. Robertus ille de quo tam multia agitur in beati Bernardi vita, Ordini Cluniacensi à parentibus oblatus fuerat, at cum in paternis ædibus hospitaretur, vehementer postea urgere cœpit, ut in Cisterciensem potius admitteretur ordinem, unde & Bernardus eum abduxit Claram vallem. Cisterciii asperitas & delinimenta Prioris alicujus Cluniacensium, Robertum rursus à Clara valle Cluniacum pertraxerunt, ubi & religionis veste indutus fuit; quin ne ullo angeretur scrupulo, Rescripto Romanæ sedis recreatus roboratusque est. Et tamen ad eum Bernardus refertas eo igne spirituque quo ipse ardebat, scripsit Epistolas, in quibus contendit. 1. Illum Cluniaco desponsum promissumque potius fuisse, quam donatum: alioqui non hospitaturum ampliùs fore in sæculo: *Quanquam dubium non sit promissum illum fuisse, non donatum, &c. Alioquin oblatus Monasterio, quid quærebat in sæculo?* 2. Quamvis oblatusque datusque Cluniaco fuisset à parentibus, oblationem donationemque quam ipsemet sui fecerat ad Claram vallem majoris futuram momenti, quam quæ à parentibus facta fuisset Cluniaco. *Videant & judicent, quid potius stare debuerit, an votum patris de filio, an filii de se ipso; præsertim cum filius majus aliquid voverit?* Videri posset Bernardus non plus addere momenti voluntati filii, quàm parentis, sed voto filii de seipso, quàm voto patris de filio: denique voto filii longè præcel- Epist. 1.

lentiori, quam qualicumque patris voto.

At verò quæ ibi mox consequuntur multò majoris ponderis sunt, ad exsolvendos liberos inexorabili ea priùs necessitate, quàm voluntas Patrum liberis infligebat. (Ibidem.) *Videat & legislator noster Benedictus, quid regularius sit, utrum quod factum est de infantulo, nesciente ipso, an quod ipse per se postmodum prudens & sciens fecit, cum jam ætatem haberet, ut pro se loqueretur. Quanquam dubium non sit, promissum illum fuisse, non donatum.* His ex verbis manifestum est, id contendisse Bernardum, quantumvis Robertus à parentibus Cluniaco oblatus & donatus fuisset, pubertatem tamen postea adeptum, potuisse semetipsum Cisterio dedicare, suaque propria voluntate paternæ voluntati legitimè intercedere.

Verùm ea non erat nisi voti in votum commutatio, & quidem in votum præstantioris cujusdam perfectionis: quo proinde continebatur ipsum parentis votum, & adeo non infirmabatur, ut magis convalesceret. Ad eum modum alio loco philosophabatur Bernardus ipse, cùm verteretur quæstio de alio Monacho, sancti nimirum Bertini, qui ad Claram vallem se contulerat. Vide ut Abbatis sancti Bertini querelas diluat Bernardus: (Epist. 324. 325.) *Sed jam videndum est, quid habeat ponderis illud quod dicitur, eum oblatum à parentibus. Videat prudentia vestra, quid habeat plus vigoris & rationis, utrum illud quod factum est de ipso per alium, ipso nesciente, an illud quod sciens & prudens de se ipso fecit. Non autem ipse, sed gratia Dei, quæ nolentem prævenit, ut velit; quæ volentem subsequitur, ne frustrà velit. Ego autem dico, quod votum parentum integrum manet & oblatio eorum non est exinanita, sed cumulata. Nam & idem offertur, quod priùs oblatum est: & eidem offertur, cui priùs oblatum est: & quod priùs à solis parentibus oblatum fuerat, nunc offertur à filio.*

IV. Non ergo id tum controvertebatur, an minores à parentibus religiosæ vitæ dicati, possent in sæculum retro labi, ubi pubertatem attigissent: sed an possent jam puberes ad aliam quampiam Congregationem, eamque durioris disciplinæ tenacem se conferre. Affirmat vehementer Bernardus, & eo demum sensu tradit filiorum voluntatem patriæ voluntati præponderare. Et sanè Clemens III. anno 1190. disertè pronunciavit standum esse Concilio Toletano, nec claustrorum fores aperiendas pueris, quos minores parens alterutri instituto Monastico devovisset. *Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit alligatum tenebit, revertendi ad sæculum adita penitus interdicta.* Ea ergo erat superstite Bernardo juris Canonici constitutio, cui non poterat ille obluctari. (C. Cum virum De Regular.) Si Leo I. concessit virginibus recepitui cavere, ubi vi facta in Monasteria à parentibus contrusæ sunt; respondet Clemens III. id de virginibus majoribus adultisque intelligi debere. Eadem fuerat & Gratiani responsio ad eandem ex Leone Papa objectionem: (20. q. 1.) *Non licet pueris à proposito discedere, quod paterna devotione in puerilibus annis susceperint.* Idem significaverat Alexander III. (C. Significatum. De Regular.) *Si à parentibus fuerit oblatus seu XIV. annum compleverit, cùm religionem intravit, eum ad eandem vel ad aliam Religionem transire compellas.*

V. Dilucidum est ergò recepto in cœlos Bernardo, jus antiquum in hac parte pristinum retinuisse vigorem, & id unum relaxatum fuisse, ut à Congregatione Monastica una ad aliam migrare fas esset. Cœlestinus III. qui Clementi III. successor datus est anno 1191. primus omnium rescripsit posse quem pater Monasticæ vitæ impuberem mancipaverat, puberem factum sæculo se reddere & Monasticas abjicere vestes. (C. Cum simus. ibid.) *Si dictus puer ad annos discretionis pervenerit, & habitum retinere noluerit Monachalem, sed ad hoc induci nequiverit, non est ullatenus compellendus, quia tunc liberum sibi erit, eum dimittere, & bona paterna, quæ ipsi ex successione proveniunt, postulare.*

Prima hæc Pontificum Decretalis puberes absolvit à jugo professionis Monasticæ, quod impuberibus inflixerant parentes. Decretum *Tua nos. De desponsatione impuberum*: quo tenentur filii conjugiis quæ sine ipsorum assensu parentes contraxerunt, dum essent impuberes: videri meritò posset nobis adversari. Sed cum id Hormisdæ Papæ imputetur in prima Collectione Antonii Augustini: antiquatum non injuria dici potest. Nisi mavis eo obligari juvenes non necessitate, sed reverentia quadam paternæ authoritatis. Innocentius III. Cælestini III. vestigia premit, & aliquanto etiam disertiùs rem definit. *Cùm contum reperiatur in Canone, ut minoris ætatis filiis, qui oblati Monasterio fuerint, suscipientes habitum, vel Tonsuram, si à prælatis suis ante XV. requisiti, se in assumpta Religionis proposito consenserint permansuros, pœnitendi licentia præcludatur: alioquin eis non adimatur ad sæculum redeundi facultas, ne coacta præstare Deo servitia videantur.*

VI. Explicanda jam exempla sunt aliqua ejus libertatis, quàm Cælestinus III. initiavit, ut possent minores ad tempus tantùm cedere paternæ devotioni, & dominationi, postea autem se sibi reddere, ubi per ætatem sui juris esse cœpissent. Vuillelmus Montis Pessulani Dominus anno 1211. testamento (Spici. To. 9. pag. 155.) condito aliquos ex filiis Monastico, alios Clericali Ordini addixit & Canonicos jussit esse: his illisque agros adsignavit, & pecuniæ aliquantum, ut ne quid ampliùs paterna ex hæreditate ambirent. *Guidonem filium meum volo esse Monachum Cluniacensem; & dimitto Ecclesiæ Cluniacensi centum libras, quibus dictus Guido sit contentus de bonis meis. Si ante Monachationem Guido decesserit, habeat dicta Ecclesia de istis centum libris tantùm D. sol.* Sancius olim Rex Arragoniæ (Catel. Des Comptes de Toulouse. pag. 92.) Ramirum filium anno 1131. Abbatiæ sancti Pontii Tomeriarum cùm amplissimis prædiis dicaverat: prolatis exemplis, tum Abrahæ, qui Isaacum: tum Annæ, quæ Samuëlem Deo obtulerat: *Ea devotione & fide, qua obtulit Abraham filium suum Isaac Deo, & Anna Samuel.* (Hispan. illust. to 3. pag. 27. 44.) Cùm postea Regia stirps in Arragonia defecisset, Ramirum hunc à Pontifice Arragonii postulaverunt, & exoraverunt, ut à claustro ad nuptias abductus, reges viduato regno daret, quod & feliciter processit. Scriptor ejus historiæ Hispanus observavit, habitam esse rationem ætatis, qua Monasticis votis obligatus fuerat. *Canonicis sanctionibus, quod penè infans, votorum damnatus esset.*

Refertur à Roderico Archiepiscopo Toletano (Hispan. illust. 11. pag. 144.) Ferdinandus Castellæ Rex complures filiorum devovisse, illos Canonicorum, hos Monachorum Collegiis. In Gallia Ludovicus VIII. Rex testamento suo sanxit, ut liberorum suorum quintus, & qui deinceps nascerentur, adscriberentur Clero. Placuit beato Ludovico Galliarum Regi, idque testamento quoque decrevit, ut duo, quos in Orientali expeditione susceperat, liberi, in Monasteriis enutrirentur, alter apud Dominicanos, apud Franciscanos alter, ut ita suavissimè illicerentur ad religiosum institutum. (Du Chesne. To 5. pag. 325. 448.) *Vt illic sacris institutis à litteris*

*instruerentur, & ad amorem Religionis salubriter inducerentur. Desiderans toto corde, ut documentis salutaribus informati, Domino inspirante, loco, & tempore, ipsas Religiones intrarent.* Pia illa sunt tantùm vota, & præfervida quidem, sed desideria tamen duntaxat. Carolus IV. Rex filiam quinquennem obtulit Monasterio Pixiacensi anno 1397. Repræsentata sunt puellæ Religionis vota, & instituta Regulæ: cùmque illa se iis obsecuturam spopondisset, statim à Priorissa exuta est regiis vestibus, & Religiosis induta. Tum celebratis Mysteriis, ab Episcopo benedicta est. Aliquantis pòst annis, nempe anno 1405. Rex Pixiacum venit, & filiæ conjugium proposuit, in quod ipse hortatu Principum regii sanguinis sui consenserat. Puella quæ necdum velum induerat Religionis, respondit se irrevocabili voto fidem suam obligasse cælesti Sponso, cùm primùm in claustrum ingressa esset. Anno denique 1408. Religionis vota emisit regia virguncula, & velum suscepit astante & gratulante Regis Curia. Itaque anno decimo quinto vel sexto ætatis vota Religionis publicè emisit, hoc est, expressam Professionem edidit: cùm antè, anno duodecimo Rex ei potestatem fecisset exeundi claustro, & nubendi. Quæ omnia belle satis superiùs enucleatæ doctrinæ consentiunt.

*Histoire de Charles V. traduite par le Laboureur L. 17. c. 4. L. 25. c. 16. L. 28. c. 1.*

VII. Perstitit ergo mos antiquissimus pueros puellasque Monasteriis offerendi & dedicandi, sed exolevit paulatim illa necessitas perseverandi in eo proposito, quod non sua sponte elegissent. Perstitit & mos liberorum obsequendi utplurimum paternis votis, sed ut vel umbra facesseret necessitatis. Bonaventura ipse Regulam & Ordinem B. Francisci complexus est, quod ita parentes vovissent. *Cùm Religioni maturum se, & illi ex parentis voto debitum se intelligeret.* Hugo Cartusiensis primò Ordinis lumen, dein Episcopus Lincolniensis, à parente oblatus addictusque fuerat Congregationi Canonicorum Regularium, ab anno ætatis octavo. Thomas Cantipratensis refert beatissimum exitum pueri nondum septennis, anno 1220. qui annuente patre ab aliquot annis gestarat vestem Franciscanorum, & Regulam strictissimè observarat. Ubi perspicis morem illum apud antiquos Benedicti Regulæ Monachos inveteratum, ad novas has manasse & perpetuatum esse Congregationes, sub Dominici & Francisci auspiciis militantes. Statuta Cluniacensia paulò post annum 1300. ostensâ pœnâ excommunicationis vetuere, ne Monastico donarentur habitu pueri, quocum mox ad propinquos remitterentur. Martinus V. anno 1430. solemni diplomate vetuit à Conventualibus Franciscanis admitti, nisi saltem annos quatuordecim natos, etsi à parentibus oblati fuissent: nisi de Nobilis alicujus filio res esset, ubi vitandi scandali causâ urgeret. *Nullus recipiatur ad Ordinem, nisi annum decimum-quartum compleverit, etiamsi oblatus fuerit à parentibus, nisi pro scandalo evitando foret filius militis, vel superioris dignitatis.* Pius V. in Bulla anni 1570. ad Servorum B. Mariæ emendationem, prohibet ad Novitiatum quemquam suscipi nisi anno ætatis saltem duodevigesimo, comprehensis etiam iis qui à teneris oblati fuissent. *Novitii etiam oblati ante decimum-octavum ætatis suæ annum completum non recipiantur, neque ante decimum-nonum completum ad Professionem admittantur.*

*Surius die 14. Julii. c. 5. Surius die 17 Novem. c. 1. L. 2. c. 28. n. 8. Bibl. Clun. pag. 1371. Bull. To. 1. pag. 349. Tom. 2. p. 232. Spicil. to. 4. pag. 33.*

Nec nos fallit alicubi etiam post Cælestini III. decretum eodem necessitatis vinculo ac priùs, constrictos fuisse ad professionem idonea ætate faciendam, qui à teneris oblati fuerant. Etenim anno 1226. Abbates Benedictini Provinciæ Narbonensis statuta edidere varia, ubi dilucidum est hoc discrimen inter eos qui infantuli, & qui adulti in Cœnobia admissi sunt. Illi necessariò compelluntur profiteri, idoneam ubi assecuti sunt ætatem; hi verò exsoluto Novitiatu, possunt profiteri, possunt & discedere.

VIII. Ex his satis superque patet, ut spero, 1. necdum obsolevisse prorsus morem, pueros vitæ & Congregationi Monasticæ offerendi; 2. ejusmodi parvulos qui etiam nunc in Monasteriis velut in Seminariis aluntur, illos ipsos esse, de quibus Concilia, Patres, Historici antiquissimi tam multa disseruere ac statuêre; 3. eo tamen notabili discrimine, quod libertas proprio sese agendi, & devovendi, vel non devovendi arbitrio, quam media ætas videbatur intercepisse, ab annis admodum quingentis in eundem vigorem restituta sit, quo quingentis prioribus Ecclesiæ sæculis, parvuli Monasteriis vel Clero oblati otebantur.

## De necessitate consensus Principum, Parentum, Episcoporum, ad Monasticam, vel Clericalem professionem.

---

## CAPUT LX. *P. 3. l. 1. c. 43.*

### An consensus Principum necessarius esset, ad nomen Clero, vel Religioni dandum, Imperante Carolo Magno & Regia ejus stirpe.

*I. Non intercessit Carolus Magnus, nisi iis qui circumvenirent adolescentulos, & ita ad Clerum, vel in claustra illicerent.*
*II. Clericorum, Monachorumque omnium numerum augeri volnit, sed obrepi cuiquam non est passus.*
*III. Servorum id erat proprium, ut consensu egerent dominorum, quo se his professionibus illigarent. Profertur Capitulare Caroli Magni quod adversari nobis videtur, & explicatur.*
*IV. Ex aliis ejusdem Capitularibus elucidatur mens ejus, & consilium.*
*V. Multa animadvertuntur in Capitularia ea. Claustra Monasteriorum nulli non profiteri volenti patebant.*
*VI. Probationes aliæ ex Conciliis sub Carolo Magno.*
*VII. Sub Ludovico Pio Cleri & Monasteriorum fores omnibus patebant.*
*VIII. Author est Hincmarus eam legem à Carolo Magno revocatam, quod ex ea nasci posset aliquid mali, à quo ipse alienissimus erat.*
*IX. Non poterant Regni Optimates Aulicique, non eam à Regibus licentiam flagitare.*
*X. Ut alii omnes eam flagitarent, ne fieri quidem poterat.*
*XI. Comparatio Legis Mauritii.*
*XII. Explicatur Lex Caroli, qua prior abrogabatur.*
*XIII. Lex Caroli Calvi, qua antedicta muniuntur omnia.*

I. ITa non paucis persuasum est, vetuisse Carolum Magnum, ne quis injussu suo, vel in Clero profiteretur, vel in Cœnobiis. Verùm re diu librata, perpensaque diligentissimè, duo quædam sunt, de quibus constet, Alterum est, edictis suis obviasse Carolum Magnum iis vel in Clero, vel in Cœnobiis professionibus, quæ fierent non infucata pietate profitentium, sed vel Episcoporum ambitione, agmina Clericorum sibi adgregare captantium: vel parentum immanitate quadam in filios, vel ignavissima functionum publicarum fuga.

Alterum verò est, à mente & Concilio Caroli Magni alienissimum id fuisse, ut avocaretur quisquam à feria & pia pœnitendi & Deo uni vivendi voluntate, cui inter tumultuantis, vel lascivientis sæculi ludibria satisfieri à se non posse sentiret. Ea duo sunt in quorum elucidationem toto hoc capite incumbemus.

II. In Capitulari Aquisgranensi piissimus Imperator Episcopos vehementiùs Abbatesque adhortatus est, ut darent operam ita ornandis excolendisque eximia quadam sanctitate moribus, ut eo lenocinio ad eos se adglutinarent piissimi quique & liberi homines; nec jam ut hactenus, servilis conditionis Clericos in Ecclesias suas intruderent. *Vt eorum bona conversatione multi attrahantur ad servitium Dei, & non solum servilis conditionis infantes, sed etiam ingenuorum filios adgregent, sibique socient.* Qui sermo abhorret prorsus ab eo quod illi affingitur consilio. Nec minus repugnat Constitutio ea, qua in Episcopalibus Ecclesiis, Monasticisque Scholas excitari jussit, ut ibidem videre est. Fœcundissima enim duplices hæ Scholæ erant veluti Seminaria, ex quibus turbæ in dies Clericorum, Monachorumque pullulascerent.

Ann. 789. Cap. 72.

Ibidem.

III. Innovata est à Concilio Francofordiensi antiquissima Ecclesiæ lex, ut ne servi possent Ordinibus sacris, vel Monasteriis, nisi consentientibus dominis, illigari. *De servis alienis, ut à nemine recipiantur, neque ab Episcopis sacrentur, sine licentia dominorum.* Si Carolus idem hoc ipsum exprimere voluisset ab omnibus Imperii sui civibus, quid hoc aliud, quàm servitutis jugo substerni genus hominum universum videri potuisset? Accipe hic verba ipsa Capitularis, cui tantùm inhumanitatis imputatur, temerè prorsus, ut mox elucescet. *De liberis hominibus, qui ad servitium Dei se tradere volunt, ut priùs hoc non faciant, quàm à nobis licentiam postulent. Hoc ideo, quia audivimus aliquot ex illis, non tam causa devotionis hoc fecisse, quàm pro exercitu, seu alia functione regali fugienda. Quosdam verò cupiditatis causa ab his qui res illorum concupiscunt, circumventos audivimus, & hoc ideo fieri prohibemus.* Et capite proximo: *Ne forte parentes eorum contra justitiam fiant exhæredati, & regale obsequium minuatur, & ipsi hæredes propter indigentiam, vel latrones, seu malefactores efficiantur.*

Can. 13.

Capitular. Car. Mag. L. 1. c. 120.

Ibid. c. 121.

Nec posse, nec debere se profitetur Imperator refragari piis eorum desideriis, qui sæculo nuntium remittere concupiscunt; nec inquirere se velle, nisi in eos qui Clero Claustrisve dicabunt se, *non tam causa devotionis*, quàm ut se muneribus publicis eximant, quod nobile serviendi genus est: aut ut eorum se accommodent voluntati, à quibus circumventi sunt, avaritiæ utique, vel fastus, quàm religionis amantioribus.

IV. Aliquantò adhuc præclarius idem Carolus aperit, quæ sibi mens, quid sibi consilii esset, nempe in Capitulari ad Theodonis-villam anno 805. Unum id præcipit Monasticum institutum amplexantibus, ut verè se Monachos agant, ut eo approbent id se sectatos esse vitæ genus, uno stimulo pietatis & religionis, non sordidis cupiditatibus actos. *De his qui sæculum relinquunt ad servitium dominicum impediendum, & tunc neutrum faciunt, ut unum è duobus eligant, aut pleniter secundùm Canonicam, aut secundùm Regularem constitutionem vivere debeant, aut servitium dominicum faciant.* Non ergo infestum se fore testatur nisi iis qui specie tenus tantùm & personata pietate sæculum abdicant, & qui Regulam Monasticam ore semel, verboque, non vita, non moribus unquam profitentur. Non prohibet ingredi in claustra, sed ingredi jubet in vestigia, non simulatorum, sed sanctissimorum complurium Monachorum. Ita enim certissimè inertes & ignavi quique à Claustris abigentur, si strictiùs Regulam cogantur implere. Denique non multitudini vel Clericorum, vel Monachorum infensus fuit Carolus, sed multitudini tantæ, quantam regere & administrare non possent Præsules. *Congregationibus superfluis, ut nullatenus fiant, sed tantos congreget quis, quantis consilium dare possit.*

Cap. 2.

V. Non ergo regni terreni præ cælesti, studio incitabatur Carolus; non eo metu quasi militum ducumque inopia laboratura esset Respublica, si antiquo more omnibus panderentur Cœnobiorum fores: 1. Cùm testarum faciat veræ pietati, & consiliis inde profectis suffragaturum se semper. 2. Cùm profiteri sinat, quicumque volent, dum religiosa Regulæ observatione propositi sui sinceritatem confirment. 3. Cùm augescere sinat Clericorum Monachorumque numerum, quantùm Pastores regere & instituere ad curam sempiternæ salutis poterunt. 4. Nec ea lex Caroli spectat nisi ad eos qui vinculo jam aliquo sæculari militiæ innexi erant, sive in regiis exercitibus, sive in Reipublicæ muneribus obeundis: *Pro exercitu, aut alia functione Regali fugienda.* Quicumque ergo alii his nexibus absoluti erant, ei legi obnoxii non erant: & qui obnoxii erant, iis unum hoc erat præstandum, uno ut salutis æternæ & religionis amore se æstuare approbarent. 5. Puellæ viduæque istiusmodi Legis nexu non tenebantur ullo, nec aliud eis præcipitur in Capitulari ad Theodonis villam, quàm ut ne ante pubertatis annos velentur. *Infantulæ non velentur, antequam eligere sciant quid velint.* Can. 14.

Et ubi Carolus idem Episcopos objurgat, per fas nefasque grassantes, ut Congregationes Clericorum Monachorumque haberent perquam numerosissimas; ut qui numerum eorum, quàm meritum pluris facerent: *Vt invitus quilibet, aut Clericus, aut Monachus fiat, &c. Non tam probis, quàm multitudine hominum delectantur;* nonne planum facit, corruptelis se mederi velle, non multitudini, & incremento Cleri, & Monachatûs remoras objicere? Conc. Gall. To. 2. pag. 163.

VI. Concilium porro Moguntinum anno 813. habitum paulò ante obitum Caroli Magni, testatissimum facit, aut ejusmodi præceptum ab eo nunquam manasse, aut cessasse ipsum ab ejus executione urgenda. Ibi enim præcipitur, ne quis posthac minùs libens in Clerum vel in Cœnobia compingatur; nec Monastica tonsura ingeratur, nisi idoneam adeptis ætatem, qui eam expetierint, eviceriutque consensum dominorum, si conditione servi sint. *Nullus tondeatur sine legitima ætate, & spontanea voluntate, vel cum licentia domini sui.* Can. 23.

Sed multò dilucidiùs est Concilio in Cabilonensi anni ejusdem 813. aut emollitam, aut prorsus revocatam fuisse eam Caroli legem, ex qua scatere poterant damna in Ecclesiam innumera, si Clericum se vel Monachum profiteri nemo posset, sine Principis assensu. Quanquam enim eò tantùm ab eo collineatum esset, ut subreptitiæ professiones à veris sejungerentur: potuisset tamen aliquis ea potestate abuti, ad Clericalis sacræque omnis militiæ detrimentum, & ad incrementum profanæ. Pœnis Canonicis subjecit Concilium Cabilonense eos Episcopos & Abbates, qui arte & blanditiis inescarent homines divites, suis ut Congregationibus se inscribe- Can. 7.

rent; eos qui ita lactari se & ludificari passi essent, coëgit in eo quod professi erant perseverare ipsos quidem, at eorum bona propinquis vel hæredibus reddi: sed ne verbum quidem fecit ullum de consensu Principis posthac obtinendo, ut his fraudibus obviam iretur. Hoc silentio modestè tacitéque revocatur lex Caroli, cùm malo, quod ille cupiebat prævertere, alia occuratur ratione, moribus Ecclesiæ magis consentanea.

VII. Assensus est Ludovicus Pius Imperator huic revocationi, cum idem ipsum firmavit Cabilonensis Concilii decretum, dum insidiosas tantùm sollicitationes prohibuit, dum denique secus facientibus Ecclesiasticas civilesque pœnas intentavit. *Statutum est etiam, ut nullus in Canonica aut Regulari professione constitutus aliquem tonsurare propter res adipiscendas deinceps persuadeat. Et qui hoc facere tentaverit, Synodali, vel Imperiali sententia modis omnibus feriatur.* (An. 816. c. 8.) Capitularibus Caroli Magni intextum est hoc decretum. (L. 5. c. 137)

Prohibitum est ab eodem Ludovico Pio, *ne pueri sine voluntate parentum tonsurentur, vel puellæ velentur.* (Ibid. c. 20. 36.) Verùm id de pusionibus capiendum est, qui non poterant nisi à parentibus ad altare offerri, dum adolescerent, & proprio arbitrio rem confirmarent. Nulla hîc Principum voluntatis interventio. (Capit. Car. M. l. 1. c. 120) Constat ergo nequaquam se tum Reges interposuisse, ad examen vocationum, sive ad Clericalem, sive ad Monasticam militiam. En rursum ex Capitularibus, quæ mirè id confirment. (L. 4. c. 35.) *Si quis puerum invitis parentibus totonderit, vel puellam velaverit, legem suam in triplo componat; aut ipsi puero, vel puellæ, si jam sua potestatis sunt, aut illi in cujus potestate fuerint. Illi verò potestatem habeant capitis sui, ut in tali habitu permaneant, qualis eis complacuerit.*

VIII. Si quid reliquum esset difficultatis, eam prorsus elevaret Hincmarus, cùm datis ad Carolum Calvum litteris docet, statutum quidem fuisse primùm à Juliano Apostata, deinde à Mauritio Imperatore, ut ne possent milites militia abire, nisi aut veterani, aut trunci, murilique: sed eam legem abrogatam revocatamque fuisse ab iis qui in Imperium successerant, à Gregorio Magno Papa, & à Conventibus Generalibus Episcoporum, ut quæ in excidium vergeret Religionis Christianæ. Circumventione nescio qua Carolum Magnum ejusmodi aliquid promulgasse, prohibitis liberis hominibus, ne injussu suo sæculo renuntiarent: sed ei decreto se interposuisse Ecclesiam, Christianamque Rempublicam: quò & ipse tandem adductus est, ut revocaret quod subreptum ipsi fuerat, sicut ex ejus Capitularibus patet. (Spicil. To. 2. pag. 813. Collect. in Conc. Dusiac p. 448. 9. 482.) En verba ipsa Hincmari: *Julianus & postea Imperator Mauritius decreverunt, ut ei qui semel in terrena militia signatus fuerit, nisi aut expleta militia, aut pro debilitate corporis repulsus, in Monasterio recipi, & Christo eum militare non liceat. Quod religiosi Imperatores, & sanctus Gregorius authoritate Apostolica & generali Episcoporum consensu, Ecclesiastico vigore, & Reipublicæ Christianæ cohibente religione destruxerunt; velut in ejus Epistolis ad Mauritium Imperatorem & ad plurimos Episcopos directis ostenditur. Quod & divæ memoriæ avo vestro Carolo surripuit, sicut majorum traditione, & verbis, & scriptis didicimus. Et in libro 1. Capitul. cap. 112. demonstratur de liberis hominibus ad servitium Dei sine sua licentia non convertendis. Quod Ecclesia & Respublica non consensit, quodque postea correxit, sicut in eodem libro cap. 134 monstratur.*

Scitè & copiosè alibi Hincmarus, Principum Christianorum Leges Christianas & ipsas esse oportere declarat. *Defendant se quantum volunt, qui ejusmodi sunt, sive per leges, sive ulla sunt, mundanas; sive per consuetud nes humanas. Tamen si Christiani sunt, sciant se in die judicii, nec Romanis, nec Salicis, nec Gundobaldis, sed divinis & Apostolicis legibus judicandos. Quanquam in regno Christiano etiam ipsas leges publicas oporteat esse Christianas, convenientes videlicet & consonantes Christianitati.* (To. 1. p. 592.) Quod eodem redit, atque illud Capitularium, *Lex Imperatorum non est suprà Legem Dei, sed subtus.* (Addit. l. 5. c. 9.)

IX. Proceres certè aulici, aliique Principum obsequiis & ministeriis arctius implicati, expedire se his compedibus non poterant, ut in cœlestia se Cleri ac religionis vincula induerent, nisi cum licentia Principis. Liquet id exemplo Vuillelmi Comitis sub Ludovico Pio: *Vuillelmus Comes, qui in aula Imperatoris præ cunctis erat clarior, &c. accepta convertendi licentia, &c.* Liquet ex Aldrico Cenomanensi postea Episcopo. Absolvi se ab aula & sæculo petiit. Rex duodecim Comitatus donabat, si in officio perseveraret. Ille nec Regni dimidio oblato abduci se à sententia posse professus est. Tum concessit Rex, annuitque, quod renuere non poterat. *Promittens ei duodecim & amplius comitatus se daturum, si hoc dimitteret, & in sua militia perseveraret. Ipse verò à Rege hoc audiens ait, Etiam si dimidium regnum suum ei daret, ipsam, voluntatem propter hoc non dimitteret. Videns autem Rex se illum à sua intentione non posse avertere; concessit ei licentiam, &c.* (Baluz. Miscel. Tom. 3. pag. 3.) Hæc ex Aldrici gestis, quæ ipsi ejus alumni litteris mandarunt.

Idem videre est in Thamno Ottonis III. Imperatoris Ministro præpotente, & quem tamen, ad expiandum Crescentii necis facinus, Romualdus Monasticæ vitæ addixit. *A Rege licentiam expetens, non modo facilem reperit, sed nimis etiam alacrem fecit.* Nec ea ergo rusticitate esse poterant aulæ Proceres, exercituumque Duces, ut Regis injussu ab eo in claustra deficerent; nec secessionem suam ei approbare curarent: nec tam irreligiosi erant Christiani Principes, ut suis in castris eos morarentur diutius, quos ad sua summus Imperator Christus sevocabat. (Du Chesne Hist. Franc. To. 3. p 391.)

X. Et qui tandem fieri potuisset, ut quoscumque afflabat in dies patriæ cœlestis charitas, studiumque abdicandi sæculi, ii omnes Carolum Magnum convenirent impetrandæ licentiæ ergò, infinitis quodammodo, remotissimisque ex Provinciis? (Surius die iunii 19. c. 15.) Quisquis serio hoc decretum excusserit, ejusque executionis obices, spinasque expenderit, facilè intelliget, ne fieri quidem potuisse, ut in mores unquam inveheretur: ne si quidem posset id persuaderi Principi, ut totum se dederet examini eorum omnium, qui Clero, claustrisve subinde accedunt.

XI. Adde & illud, si Mauritii lex cassa irritaque ceciderat, ut Christianæ rei & religioni prorsus inimica: nihilo auspicatiores exitus habere potuisse Decretum Caroli Magni. Sua enim lege non complectebatur Mauritius nisi eos, qui jam militiæ adscripti, sibique & Reipublicæ mancipati erant. At Caroli constitutione coërcebatur quidquid erat usquam liberorum hominum, & hæc illis gravissimam illidebatur servitus, nomini Christiano imprimis indecora, ut non possent, nisi permissu terreni Principis, Principi se devovere & Regi cœlorum immortali.

XII. Porrocaput illud Capitularium, quo contendit Hincmarus retractatum esse à Carolo legem,

libertati

libertati Ecclesiasticæ infestam, in hunc modum se habet: *Ut liber homo, qui in Monasterio regulari comam deposuerit, & res suas ibidem delegaverit, promissionem factam secundum regulam firmiter teneat.* Recentior quidam Scriptor non mihi satis visus est in hæc verba, & in eorum germanum sensum penetrasse, ex quo contigit, ut & addubitaret de revocatione prioris Decreti. Ea est porro hujus Capitularis sententia, non intercessurum Principem, quin liberi quicumque homines, ubi lubitum erit, religionem profiteantur: dum id fiat instigante sincera & germana pietate, quæ tum se prodet, si Regula accuratè observetur. Cùm ejus rei judicium & examen sibi Princeps non reservet, nec licentiam à se peti jubeat, in eo satis argumenti est, ut rescindere existimetur innovationem ante factam, nec aliud quidquam sibi vindicare, nisi jus exigendæ observantiæ Regularis, quod ipsius Regni jus summum videri potest, quia Reges Canonum Custodes, & Ecclesiarum defensores sunt. Ea mens erat Hincmari, qui oculatus penè testis erat, quem cursum habitura fuisset Lex Caroli, nisi retractata fuisset. Denique si componantur sibi Canones omnes, hoc Capite acervati, ex eorum consensu non aliud quidquam probabilius efficietur. (L. 1. c. 143.)

XIII. Edictum Caroli Calvi anno 864. vetuit, ne qui Capitationi obnoxii erant, seu quorum agri vectigalibus publicis suberant, Ecclesiæ sese, vel sua dedere possent. *Ut illi Franci, qui censum de suo capite, vel de suis rebus ad partem Regiam debent, sine nostra licentia ad casam Dei, vel ad alterius cujuscumque servitium se non tradant, ut Respublica quod de illis habere debet, non perdat.* Planum est Edicto eo, non aliud provideri, quàm ut ne fisci Proventus annui minuantur, & ne cogitari quidem de coarctanda eorum libertate, qui sæculum volent abdicare. Eodem porro Capite Edicti Regii, manifestum est à Carolo Magno revocatum fuisse Edictum prius, omnibusque patefactas cœnobiorum fores. *Prior observatio durior, posterior autem exigente causa inclinatior fuit: post hac præfata Capitula decessorum & progenitorum nostrorum, hujusmodi Francis hominibus res suas ad casam Dei, vel aliis tradere ac vendere, eosque ad divinum servitium converti, si vellent, non prohibuerunt, sicut in capitulis 1. c. 132. 134. & l. 2. c. 31. & l. 4. c. 19. continetur.* Nihil vel optari poterat disertius, ad plenissimam libertatem profitendi, sive in Clero, sive in Monasteriis, sub Carolo Calvo & *prædecessoribus*, id est, sub Magno & Pio Imperatoribus. His verbis perspicuè alluditur ad revocationem à Carolo Magno factam prioris Edicti. Denique hic contestatur Carolus Calvus, non pertinere hoc Edictum suum, nisi ad Francos, Romanis autem legibus à se permitti Romanos, seu Gallos, qui à Francis tum adhuc secernebantur. At verò Leges Romanæ non remorabantur eos, qui ad Clerum, vel ad Cœnobia properarent. Nam Mauritii Legi nihil unquam loci fuit inter Imperatorias, Romanasve leges, nec ejus ferè usquam mentio, nisi in Epistolis beati Gregorii. (Edictum Pistense c. 28.)



## CAPUT LXI. *P. 3. l. 1. c. 44.*

### An consensus Principum necessarius esset ante tempora Caroli Magni, ad profitendam vel in Clero, vel in Monasteriis Religionem.

*I. Concilio Aurelianensi I. vetantur sæculares Clero ascribi, nisi per Reges liceat.*

*II. Nota in hunc Canonem, & in Formulam Marculphi, quæ idem sancit. Ad Clerum id spectabat, non ad Monachos. Cur.*

*III. Erant non rarò peculiares rationes, quæ Proceres & Ministros Regum cogerent, non discedere, nisi illis annuentibus.*

*IV. Sub Ethnicis Imperatoribus, nulli occludebatur Cleri janua.*

*V. VI. Constantini de ea re leges expenduntur.*

*VII. Unde servitus divitum, & eorum quæ ab iis possidentur bonorum.*

*VIII. De Arcadii, & Honorii legibus.*

*IX. Non placet Justiniano, ut consensus etiam parentum sit necessarius.*

*X. Legem Mauritii Gregorius emollit.*

*XI. Quantum intersit inter Clerum & Ordinem Monasticum.*

*XII. Probatur temperamento aliquo mitigatum fuisse legem Mauritii.*

*XIII. Aliæ rursus ad idem ex Hincmaro probationes.*

I. IN hac quæstione tantum sanè momenti est, ut altiùs & ab origine repeti operæ pretium sit, atque in ipso suo fonte vestigari. Ab Imperio ergo Caroli Magni retro & ad priora usque Ecclesiæ sæcula retorquendus est calamus, tum ad alias extra Galliam Christiani orbis Provincias, & ad Orientem usque circumducendus.

Concilium Aurelianense I. paucis post Clodovæi baptismum annis ab ipso congregatum, anno scilicet 511. Clerum videtur in eas contrusisse angustias, ut ei adscribi non possint, nisi quibus Rex, vel Magistratus permiserit, aut quorum patres avique sacerdotio fuerant jam implicati. *De Ordinationibus Clericorum id observandum esse decrevimus, ut nullus sæcularium ad Clericatus Officium præsumatur, nisi aut cum Regis jussione, aut cum Judicis voluntate. Ita ut filii Clericorum, id est, patrum, avorum, ac proavorum, quos supradicto ordine parentum constat observationi subjunctos in Episcoporum potestate ac districtione consistant.* Centum amplius pòst annis sub Dagoberto Rege habitum Concilium Remense, anno videlicet 630. idipsum prohibuit omnibus, qui publicis exactionibus censibusque suberant, ne sine licentia Regis, vel Judicis, Clero, vel Ordinibus Ecclesiasticis initiarentur. *Hi verò quos publicus census spectat, sine permissu Principis, vel Judicis, se ad Religionem sociare non audeant.* (Can. 4.) (Can. 6.)

Ex horum collatione Canonum id emicare videtur, illos tantùm juberi nonnisi cum licentia Regis in Clerum allegi, qui muneribus publicis, vectigalibusque suberant. Sed contrà omnino nituntur Formulæ Marculphi. Litteræ enim Regiæ, quibus licentia hæc continebatur, seu ut tunc loquebantur, *Præceptum de Clericatu*, apertè expetebantur à liberis omnino hominibus, & à Rege illis concedebantur, ejusmodi diplomate, quod Clericatûs adeundi libertate spoliabat eos qui censibus publicis erant obnoxii. *Ille ad nostram veniens præsentiam petiit serenitati nostræ, ut ei licentiam tribuere deberemus, qualiter comam capitis sui ad onus Clericatûs deponere deberet, & ad Basilicam illam aut Monasterium deservire. Quod nos propter nomen Domini hoc eidem gratanti ani-* (Can. 19.)

*mo præstitisse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus, ut si memoratus ille de capite suo bene ingenuus esse videtur, & in puletico publico censitus non est, licentiam habeat comam capitis sui tonsurare, & ad suprascriptam Basilicam aut Monasterium deservire.*

II. Igitur fateri cogimur, 1. hanc necessitatem à Rege Clodovæo impactam fuisse, liberis omnibus & ingenuis hominibus, atque ab omni censu nexuque alienis, ut nisi eo permittente in Clerum cooptari non possent. 2. Eam licentiam iis nequaquam concedi solitam, qui servili conditione vel nati essent, vel utcumque dejecti. 3. Ubi & quo tempore Canoni huic inservitum est, ad Clericales & Sacerdotales functiones adscitos ut plurimùm fuisse eos, qui ex avis vel patribus orti essent Clericis, vel Sacerdotibus; quod tantò proclivius erat, quantò major erat Clericis minoribus conjugii libertas. 4. Minimè diuturna fuit hæc disciplina, cùm centum admodum post annis sub Dagoberto Rege, iis tantùm hac Regum licentia opus esset, ad Clericalem professionem sectandam, qui muneribus exactionibusque publicis subderentur. 5. Cúmque hoc de hominibus minùs liberis statutum innovari oportuerit in Concilio Remensi, hinc conjicitur liberos homines ab ea petenda licentia jamdiu supersedisse. 6. Nec Aurelianensis, nec Remensis Canones, nec Marculphi formula aditum utcumque obstruunt nisi Cleri: de Monastica professione ibi prorsus siletur. Integrum ergo erat cuicumque cælestium charitate succenso Monasticæ se dedicare vitæ, nec Principis, nec Magistratûs petita licentia. 7. Nec obscura est ratio discriminis tunc quidem interponendi. Ordo quippe Clericalis supplebatur semper suffectis eorum filiis, qui Clerici aliquando fuerant. Quod non ita habebat in Monasteriis. Eam rationem innuisse videtur Canon Aurelianensis. 8. Sed alia inferiùs hoc capite occurret ratio permagni planè ponderis, & qua compulsus est Gregorius Magnus assentiri, ut ne possent milites Clero initiari, juxta legem Mauritii; quamvis idem ipse vehementissimè adversatus sit eidem legi, quatenus ea à Monastica etiam professione milites arcebantur. Præstantissimè enim monet Gregorius, dubium omnino & anceps esse, an qui Clero se allegi ambiunt, postquam implicamentis sæculi variis servierunt, sæculum dimittere velint, an mutare; & alia aliis abjectis vincula induere. At qui se voluptatibus & vanitatibus terrenis excutiunt, & Monasticæ se totos devovent institutioni: ii certè non insincera æternorum bonorum charitate aguntur. Itaque priorum vocatio examine diuturno expendenda est; at his postremis non potest obex, non mora objici ulla, quin Spiritui sancto, quo stimulantur, fiat injuria. 9. Agitur quidem in Marculphi formula de Clerico addicendo ministeriis Basilicæ, vel Monasterii; nec tamen inde suspicari meritò quisquam potest, de professione Monastica verba fieri. Alibi enim deprompti sunt à nobis Canones complusculi, & exemplorum affatim prolatum est, ut constaret ordinatos sæpissimè fuisse Clericos, ad Sacerdotii munera in Monasteriis obeunda, quamvis ipsi Monachi non essent. Denique Formula ipsa Marculphi qua de agimus, disertiùs sæpiùsque agit de Clericis, quàm ut ad Monachos trahi possit. Certè Aurelianensis & Remensis Canones suprà relati ad Monachos nihil pertinent. Idem sentiendum de Capitulari Caroli Magni, quod tam operosè versavimus capite superiori. Nihil non enim indulsit iis, qui seriò mundum aspernarentur, ut asperius se dederent pœnitentiæ in Monasticis Claustris. Ne in mentem quidem ergo illi venire potuit, ut Monachos nisi regia permissione profiteri inhiberet.

III. Erant sæpissimè gravia rationum momenta, quæ Nobilibus Proceribusque vim quodammodo facerent, ut ne nisi consultis & assentientibus Regibus, vel in sese, vel in familia sua quidquam novi & inusitati adgrederentur. Cùm nobilissima virgo Godeberta Deo sese dicare gestiret, parentibus ejus, qui principem penè locum inter Optimates tenebant, visum est non posse eam, nisi explorata voluntate Regis, vel conjugio, vel Religioni alligari. Illam ergo B. Eligius præsente Rege, Deo, Christoque sponso consecravit. *Parentes autem ejus cùm essent Regis Beneficiarii, non audebant inconsulto Rege cuiquam eam in matrimonium collocare.* Du Chesne, Tom. 1. pag. 671. Agens Gregorius Turonensis de Tonsura qua initiatus fuerat vir nobilissimus Gondulphus, priùs illum affirmat Regiam impetrasse licentiam, quanquam id ad terras potiùs videatur spectare, quas Ecclesiæ largiturus erat, cui & seipsum dicabat: *Converti decrevit, ut humilitatis capillis sancto deserviret Antistiti, sed prius à Rege præceptum elicuit, ut res suas omnes Basilicæ traderet vivens.* De Mirac. S. Martin. L. 3. c. 15. Clotarii Regis gratia florebat præ cæteris Austregisillus, & insigne in ejus Palatio gerebat munus. In causa id fuit ut Clero initiari non potuerit, nisi ejus assensu. *Cupiebat in Clerum adscribi, sed cujus opera id à Rege impetraret, necdum compertum habebat. Æ[illegible]rium rogavit ut ageret apud Regem, quo ejus permissu liceret ipsi in Clerum transire. Egit ille cum Rege, & Rex assensit.* Surius die 20 Maii. n. 4. In Aula Theodeberti Regis nobilitate, opibus & authoritate nulli concedebat Florus: *Decentissimè omnia jussus à Rege Palatina disponit moderamina*: ut ait Scriptor vitæ B. Mauri. Surius die 15 Januar. c. 25. Ea ergo de causa haud fuit illi integrum Monasteriis, quæ Maurus in Gallia extruebat, ingentia bona sua, filium, seipsum denique dedere, nisi annuente Rege. *Florus non immemor promissionis, quam Deo voverat, pergens ad Theodebertum Regem, licentiam ab eo expetiit, ut ei Regularem liceret suscipere habitum. Rex cum negare nequisset, &c.* Ibid. c. 32. Sulpitius cognomento Dulcis, qui Bituricensis postea fuit Archiepiscopus, attonderi in Clericum non potuit, nisi postquam Austregisillus Regium expressit consensum. *Austregisillus Bituricensis Antistes à Theoderico Rege obtinuit, ut liceret Sulpitio, &c. Annuit Rex sine mora, ut tonsis capillis in Clerum transiret.* Beatus Audoënus Cancellarius primo & primarius Minister fuit Regis: *Auricularii locum & munus in aula Regis obtinuit, itemque ad obsignanda scripta vel edicta Regia, sigillum vel annulum Regis custodiebat. Ad illius nutum omnia Palatii negotia gerebantur, &c.* Surius die 17 Januar. c. 3. Ideo ergo nisi permittente Rege, Ecclesiasticæ non potuit inscribi militiæ. *Postea verò tum Regis voluntate, tam multorum religiosorum hominum, Clerici tonsuram accepit.* Surius die August. 24. c. 5. 10. Clotario Regi à poculis erat Hermelandus; cùm ergo profiteri in Monasterio sancti Vandregisili decrevisset, assensum Regis expetivit, & tantùm non repulsam ab eo passus est. Surius die 25 Martii. c. 3. At Regiis seu blandimentis, seu querelis infringi non potuit constantia viri, in Aulica veste Monachum jam sese agentis. *Regem adiit & petiit ut liceret posthabita militia Palatina, ad Monasterium se conferre. Idut Rex audivit, pro summa in illum benevolentia & amore, ejus preces planè rejecit, nec illum à se passus est separari. Diu quidem ejus animum vexavit, attamen sanctum ejus propositum nulla potuit ratione immutare.* Bolland. Febr. die 13. Qui Andegavensi postea Ecclesiæ præfuit S. Lesin.

*Bolland. die 23. Febr.* Licinius, cùm Comes esset Stabuli Clotarii II. sua abire non potuit, nisi eo assentiente.

In hac porrò exemplorum strue, quibus accumulari & alia possent complura, illud observare est, hos omnes specialiter autè, & Curiæ, & personæ Principis innexos fuisse. 2. Præter aulæ Palatiique Officia, erant illis amplissima & nobilissima prædia de quibus sine consensu Principis disponere nefas erat. 3. Eam licentiam flagitabant nonnulli, magis quia ita decebat, quàm quia necesse erat. 4. Ideò vel nulli, vel paucissimi à Regibus repulsam patiebantur. 5. Et ubi plus æquo cunctabantur Reges, interim mos gerebatur cœlesti oraculo ad superna vocanti, dùm Regis voluntas ipsa ad eam se inflecteret & accommodaret.

IV. Nec facilè ab his dissentient, qui sedulo pensitabunt, inter ipsas persecutionum procellas sub Ethnicis Imperatoribus, Ecclesiam Christi summa semper libertate suos sibi Pontifices elegisse, quanquam non ignara esset, Romanos Imperatores non minore vel invidia, vel odio æstuare in Pontifices Christi, quàm in æmulos imperii. Verba ipsissima sunt Cypriani de Cornelio Papa: *Sedisse intrepidum Romæ in sacerdotali Cathedra, eo tempore, cum tyrannus infestus sacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur; cùm multò patientius & tolerabilius audiret levari adversus se æmulum Principem, quàm constitui Romæ æmulum sacerdotem.* *Epist. 52.*

V. Alienum prorsùs à fide, & vel ab ipsa specie veri est, ut postquàm cœlesti lumine & filiorum Dei libertate donati sunt per Ecclesiam Christiani Principes, novam illi impingere servitutem ipsimet meditati sint. Non omnes quidem indiscriminatim Constantinus passus est Clero accedere: sed eos ille tantùm inde abegit, quorum vel personæ, vel facultates publicis jam oneribus, muneribus, vinculisque obligatæ erant, à ratiociniis necdum expeditæ, necdum à fisci, vel Reipublicæ nexu liberæ. Atqui Ecclesia ipsa hos omnes inclusit una irregularitatis compede. *Officiales rationales, si exhibitione cursus, seu primipili necessitate neglecta, interversa etiam ratione fiscali ad Clericatus honorem putaverint transeundum; ad priorem conditionem retrahantur.* *Cod. Leg. Official. De Episc. & Cleric.* Qui publicis Judicibus approbare poterant, se nec Officiis ullis mancipatos esse: *Officiales, necessitatibus obnoxii:* nullis ratiociniis teneri, *rationales, obnoxii ratiociniis:* ii plenissima gaudebant libertate, ut se suaque quandocumque vellent Deo dicarent. *Si verò obnoxii ratiociniis, vel necessitatibus non sint, sub notione judicum, officiis consentientibus, si probabilis vitæ studium id postulaverit, transferantur, nec cessionem metuant facultatum.* Qui hoc examen Judicum subire recusabant, Clero implicare se non poterant, nisi rerum suarum duas partes jam tum contraderent, vel liberis, vel propinquis, vel Collegio ipsi, cujus veluti membra fuerant. *Quod si clandestinis artibus putaverint irrependum, duas partes rerum suarum concedant liberis, aut si proles defuerit, propinquis: ex propria substantia portionem tertiam sibimet retenturi. Sin verò propinquorum necessitudo defuerit, geminæ portiones officiis, in quibus militant, relinquantur: portione tantummodo tertia sibi retenta.* Hæc verba, hæc sententia est Legis Constantini, quæ à Clero non summovet, nisi eos omnino, quos ipsa semper Ecclesia à militia sua abegit.

VI. Altera verò Constantini Lex, quæ ad divites spectat, vel ad eos qui nascendo oneribus quibusdam publicis mancipabantur, ejusdem planè rationis est. Et personæ eorum, & res istæ his servitutibus publicis & legum imperialium vi, & usu antè ætatem Christianam antiquissimo addictæ fuerant. Vel Canones autem ipsi Ecclesiæ vetustiores his omnibus infamiam inurunt irregularitatis, foresque Cleri obstruunt. Qui in his legibus vocantur Curiales, Municipes, Decuriones, servilis suo quodam modo sortis erant, ideoque vetustissima Canonum disciplina illos semper irregularibus annumeraverat. Terræ & opes aliorum consimili suberant servituti juxta leges Imperii: nec eas à Clericatu summovebat Imperator, nisi quod nollet eos suis spoliare substantiis, quibus hæ servitutes publicæ adhærescebant. Perfacilè eis fuisset, cedere his bonis, sive his vinculis, & ita Ecclesiasticis bonis honoribusque potiri. Ideo & hi non ambibant plerumque Clericatum, nisi ut hac se duplici extricarent servitute, quàm leges publicæ jam olim, & ipsis, & ipsorum substantiis indixerant.

Quæ cum ita se habeant, jam non potest, nisi perperam, & inconsideratissimè quisquam dicere, cautum esse à Constantino, ne qui Clero allegerentur, nisi permittente Principe. Non incessit hominum mentes absurda hæc opinatio, nisi extremis his sæculis, ubi illa servitus seu hominum, seu rerum ita obsolefacta est, ut à plerisque qualis olim fuerit, ignoretur. Cæteroqui lex Canonica, quæ amolitur à Clero servos omnes, nisi dominorum assensio accesserit, hactenus una eademque semper & inconcussa stetit; at servitus ipsa non semper iisdem vel rebus, vel personis affricata fuit. Opportunè jam hic Constantini verba adscribentur. *Ne sub specie Clericorum à muneribus publicis vacatio defferatur. Nec temerè & citra modum populi Clericis connectantur. Sed cùm defunctus fuerit Clericus, ad vicem defuncti alius allegetur cui nulla ex municipibus prosapia fuerit, neque ea est opulentia facultatum, quæ publicas functiones facillimè queat tolerare, &c. Opulentos enim sæculi subire necessitates oportet, pauperes Ecclesiarum divitiis sustentari.* *Cod. Theodos. Tit. 2. L. 16. c. 6.*

VII. Permagni omnino refert duo hîc adverti. Primùm est, sicut inter exordia Romanæ Reipublicæ dispensabantur dignitates pro modo opum: & vel in Senatu cuique, vel inter Equites locus erat, vel inter honoratiores Centurias, habita facultatum ratione: ita concidente Romano imperio onerosiora quæque munera & impendia affixa fuisse Magistratibus municipiorum, & familiis opulentioribus. Ut locupletissimi quique majores assecuti fuerant dignitates: ita ad delectationes populi, aut levamentum Reipublicæ multa illi effuderant. Consuetudo in legem vertit, largitas in necessitatem, liberalitas denique jam in servitutem. Hæc altissima origo est hujus Curialium servitutis, & irregularitatis, quam ei Canones sacri aspersêrunt.

Alterum quoque illud observatum velim. Lege Constantini neutiquam id edici, ut defuncto Clerico ne alius quisquam injussu suo in locum ejus sufficiatur. Quin ex adverso alium liberis suffragiis eligi cupit, dum ne eorum quisquam qui servilibus quibusdam vinculis sunt obligati. Si repugnet verò immoderatæ multitudini Clericorum, eadem in vestigia ingressa est Ecclesia, ut immodestius excrescentem Clericorum turbam, & ultrà necessitatis metas augescentem improbarit semper.

VIII. Lege Arcadii atque Honorii, prohibiti sunt quidem Decuriones, qui quasi quidam Municipiorum Senatores erant, ordinibus Ecclesiasticis donari, etsi patrimonio cederent. Id eò fiebat, quòd & ipsimet, & res eorum eidem subjiciebantur *Cod. L. 2. De Episc. & Cler. Le. 12.*

ſervituti, cui affixerant Synodi Canoneſque Eccleſiæ irregularitatem. Cùm decedebant ergo te tota, uno ſe tantùm ſervitutis nexu expediebant, alter ſupererat, quo perſona ipſa vinciebatur. Alia

*Ibidem. Leg. 16.* verò mox lege aſſentiuntur iidem Imperatores, ut ruſtici cenſum ſolventes domino, Clero ſe adſcribi curent, dum cenſum ſolvere pergant, aut per ſeſe, aut per Vicarium.

*Ibidem. Leg. 36.* Confirmata eſt à Leone Imperatore irregularitas eorum, qui ruralibus ſervitutibus innodati erant: & liberos tamen idem abſolutoſque hoc impedimento Canonico declaravit eos, qui his ſemel obligationibus ſatisfeciſſent. Ex quibus clarum eſt, non eam inſediſſe Principibus voluntatem, ut Cleri janua nulli niſi ipſis volentibus & permittentibus pateret: ſed ut quorum res perſonæque fiſco, vel Reipublicæ obligatæ eſſent, ne fraudem facerent, neu Cleri ſanctitatem ſibi prætexerent, ad perfidiam avaritiamque ſuam palliandam.

*Ibidem. Leg. 27.* Lex Leonis ita habet: *Quiſquis emenſis militia ſua ſtipendiis, expletiſque officiis, ſive muneribus, qua cuicumque conditione, aut conſuetudine, aut lege debebantur, ad conſortium ſe contulerit Clericorum, nullius prorſus ſententia acerbitate revocetur.*

IX. Procul erat Juſtinianus utique Imperator ab ea voluntate, ut citra conſenſum ſuum, vel Clero, vel Religioni adgregari nemo poſſet, cùm ne

*Ibid. leg. 54. 55.* paterno quidem aſſenſu opus eſſe voluerit. *Ut non liceat parentibus impedire, quominùs liberi eorum volentes Monachi, aut Clerici fiant; aut eam ob ſolam cauſam exhæredare.* Quod & legibus aliis ab eo corroboratum eſt.

X. Non multùm primo videbatur abludere Mauritii Lex ab antiquiorum Imperatorum Conſtitutionibus. A Clericatu removebat eos, qui publicarum rerum adminiſtrationi aliquando implicati fuerant. Id quidem legis Caput vel ab ipſo Gregorio Papa probatum eſt, qui jure cenſuit, hos mundanis fæcibus tam altè immerſos, ad rectiſſimam converſionem opus habere latibulo & ſeceſſu aliquo à ſæcularibus impedimentis remotiore, quàm ſit Clericorum vita: ne vel ipſi experirentur, ſe non à

*L. 2. Ep. 61.* ſæculo aufugiſſe, ſed in ſæculum recidiſſe. *Qui ſæcularem habitum deſerens, ad officia Eccleſiaſtica venire feſtinat, mutare vult ſæculum, non relinquere.*

At alterum hujus legis caput, quo vetabantur militea in Monaſteria antè ſe conjicere, quàm ſtipendiorum curſum, & legitimos militiæ annos explerent, infandum & deteſtabile Gregorio viſum eſt. Animo, & cogitatione finxere ſibi nonnulli, ita honoratioris cujuſdam ſervitutis genus eſſe terrenam militiam, ut ab ea nemo niſi à Principe ſolvi poſſit. Si res ita haberet, non adeo excanduiſſet ad eam legem Gregorius, non tam exertè vociferatus eſſet, Religioni Chriſtianæ graviſſimam contumeliam ea inuri: non denique pronuntiaſſet ſanctiſſimus Pontifex, quem Mauritius in ea re ſequeretur authorem, præter Julianum Apoſtatam habuiſſe neminem. Certè in publicis ſervitutibus non recenſuere militiam leges ſuprà relatæ. Verba legis Leonis ſuperiùs adductæ, *Quiſquis emenſis militia ſua ſtipendiis*, de omnibus adminiſtrationibus publicis poſſunt intelligi. Latiſſimè enim patebat *militia* vox; & peræquè munera omnia, ſive Reipublicæ, ſive Palatii, ſive denique Eccleſiæ complectebatur. Denique ſi publicæ ſervitutis ſpecies fuiſſet militia tempore Leonis, cui ſe nemo eximere potuiſſet: aliter res habebat tempore Mauritii. Argumento eſt, vel ipſa ejus lex. Si enim ejuſmodi jam fuiſſet, vel lex, vel conſuetudo; nec Mauritius eam legem ſciviſſet, nec in eam, ut in novitatem intolerandam detonuiſſet Gregorius. Nec enim vel tunc Gregorius, vel tot poſtea ſæculis interceſſit Eccleſia, quin ſervitus à Clero quælibet arceret.

XI. Quod Gregorius poſtea, idem Juſtinianus interpoſuerat diſcriminis Clerum inter & Religioſam in Monaſteriis profeſſionem. Qui enim *Curiales*, vel *Officiales* vocabantur, eos Juſtinianus vetuit ad Epiſcopatum unquam, vel ad Preſbyteratum protrudi, niſi jam inde ab infantia inter exercitationes Monaſticas totam vitam traduxiſſent. *Præterquàm ſi ab infantia ei contigit inter Monachos connumerari, & morari in ipſo ſchemate.* *C. Lege, Sancimus. De Epiſc. & Cler.* Erat utique caſta & ſincera pœnitendi voluntas & Deo inpuſterùm vivendi, quæ hos à ſæculo ad clauſtra compellebat. Ideo & Chriſtiani Principes non illubentes ſuo abſolvebant nexu, quos ſibi amicos Deus cooptabat. Non perinde certum erat eos ſerio reſipiſcere, qui ſe Clero adglutinabant. Verendum prorſus erat, ne eos à ſæculo abjungeret ſæcularis & furtiva cupiditas, vel honorum, vel libertatis ejus, qua à pluribus vinculis extraherentur.

XII. Ingenuè confitetur Joannes Diaconus, cùm Palatii ſui Officiis Gregorius Laïcos omnes interdixiſſet, nec jam niſi Clericus admitteret; plurimos ſæcularium attonderi ſe popoſciſſe, nefariaſque cupiditates velo inumbraſſe Religionis: *Ob hoc ſe multi procerum ſub obtentu Religionis primo tonſurare cœperunt.* *Vita Greg. L. 2. c. 15. 16.* Imperatorem Mauritium obviaſſe ſerpenti malo, lege lata de qua ſuperiùs: *Quorum tergiverſationi Mauritius Imperator prudenter occurrens, &c.* A Gregorio vehementer probatum fuiſſe hoc caput legis Mauritii: *Quàm legem ſuper hoc Gregorius laudavit, &c.* at cum catervatim ſæculares ſæculari à militia deſciſcerent, irruerentque in Clerum, occluſis Cleri foribus clauſtrorum januas illis à Gregorio patefactas fuiſſe. *Nequaquam eos ad Eccleſiaſtici decoris officium, ſed ad capiendum ſolummodò Monachicum propoſitum ſuſcipiendos eſſe cenſebat:* in promptu erat ratio, quòd ſola Dei charitas poſſet Monaſticas auſteritates devorare, & præferre ſæcularia vitæ vinculis. *Ut ab humano ſervitio liber recedat, qui in divino amore diſtrictiorem appetit ſervitutem.*

XIII. Hinc liquido conſtat, te Gregorium irritaſſe legem Mauritii, quanquam verbis & ſpecie tenùs ab obſequio Imperatoriis præceptis præſtando non recederet. Juſſit enim ut nihilominus admitterentur milites in clauſtra Monaſtica, dummodò priùs ritè probarentur. Gregorii mentem aſſecutus erat prorſus Hincmarus, cùm ad Carolum Calvum Regem ſcribebat, Gregorium, Imperatores, Epiſcopos, Eccleſiam, Rempublicam Chriſtianam conſpiraſſe ad irritandam Mauritii legem; eo certè capite, quo libertati Eccleſiaſticæ illa, & Religioni infeſta atque adverſaria videbatur. *Quod religioſi Imperatores, & ſanctus Gregorius, authoritate Apoſtolica, & generali Epiſcoporum conſenſu, Eccleſiaſtico vigore, ac Republica Chriſtiana cohibente religione deſtruxerunt: velut in ejus Epiſtolis ad Mauritium Imperatorem & ad plurimos Epiſcopos directis oſtenditur.* Quin ipſe Gregorius alibi non diſſimulat, mandata non fuiſſe executioni Imperatorum edicta ea, quæ legibus & Canonibus colliderentur, propterea quòd ea perſuaſione occupati eſſent omnium animi, ea ab ipſis niſi circumventis extundi non potuiſſe. *Quia Imperatori eſſet ſubreptum, nec juſſio ejus, quippe qua contra leges & ſacros Canones data fuerat habuiſſet effectum.* *L. 12. Ep. 3.* Et in ipſa lege Mauritii conteſtatur

sanctissimus Pontifex æquo & pacato animo tulisse Imperatorem, quod sibi obtemperatum non esset, pergerentque milites in Monasteria admitti, nondum veterani, nondum emeriti. *Qua de re etiam serenissimus & Christianissimus Imperator, mihi credite, omnimodo placatur, & libenter eorum conversionem suscipit, &c.* Itaque vel Imperatores ipsi ita interpretabantur, immorigeros sibi non esse, quicumque justitiæ parebant, & utilitatibus Christianæ serviebant Reipublicæ.

---

## CAPUT. LXII. *P. 4. l. 1. c. 65.*

### An necessarius fuerit Parentum & Præsulum consensus, ut Clero vel Religioni nomen daretur, post annum Christi millesimum.

*I. Necessarius omnino non est parentum consensus, nisi impuberibus, ante annum 12. vel 14.*

*II. Flagitatus est aliquando Episcoporum & Parochorum consensus.*

*III. Congregationes Religiosæ illud privilegii ab Apostolica sede obtinent, ut ne necessarius sit Episcoporum & Parochorum consensus ad Monasticam professionem.*

*IV. Huic Congregationum religiosarum libertati suffragantur leges Principum.*

*V. Non possunt secundùm Canones Episcopi non præstare consensum suum.*

*VI. An necessarius Principum consensus.*

20. q. 2.

I. VErsavit hanc quæstionem Gratianus, & prolatis Canonibus Concilii Toletani X. & Triburiensis, qui parentibus & tutoribus eam potestatem vendicant, abstrahendi à Clero & à Cœnobiis, eos qui professi fuerint, pueri quidem ante quartumdecimum, puellæ autem ante duodecimum: sed suprà illam ætatem, sui jam juris illos, propriæ potestatis esse jubent: *Si verò in fortiori ætate adolescentula, vel adolescens servire Deo elegerit, non est potestas parentibus prohibendi.* Inde id exculpit Gratianus impuberum tantùm vota convelli rescindique posse à parentibus, ut sanaere Conciliorum leges. *Paterna professione docetur astringi quilibet in puerilibus annis, & præter voluntatem eorum proposito suscepto prohibetur teneri, si tonsuram, vel religiosam vestem parentes mox visam abdicaverint.* Petrus de Honestis illud quoque supra disertè affirmavit expleto anno quattodecimo posse adolescentulos invitis parentibus profiteri.

*Preuves de l'Hist. de Bresse. p. 6.*

II. Visus est etiam necessarius Episcoporum & Parochorum assensus quandoque iis, qui pensiculatius considetaverant, quid suaderet, quid cuperet pietas; quid expediret, quid deceret, etsi non prorsus forsan necesse esset. Non induerunt ordinis sui veste Cathusiani B. Pontium de Balmey nisi licentia facta ab Episcopo Lugdunensi circa annum 1116. *De licentia Præsulis Lugdunensis Gauceranni ipsum novitiali cuculla induit.* Hugo Archiepiscopus Lugdunensis Legatus Paschalis II. Papæ, cùm pacem componeret inter Monachos sancti Benigni Divionensis & Canonicos Visuntinos, in causa maximè Ecclesiarum Urbis Salinensis, illud præ cæteris memorabile constituit, ne possent Monachi sancti Benigni Monastica veste quenquam donare oppidi Salinarum, etiam impendente fato, nisi ex assensu Parochi. *Parochianos Salinenses, nec vivos, nec mortuos suscipiant. Quod si aliquis Parochianorum Salinensium in ægritudinis lecto positus, Monachus pro metu mortis effici voluerit, non nisi Presbytero, cujus Parochianus est annuente, eum suscipiant.* Regula Clericorum à Petro de Honestis scripta circa annum 1100. vetat vel eos admitti, qui nec Ordine aliquo, nec professione sua, vel paterna ulli innexi sunt Ecclesiæ: *Clericus non habens Ordines, nec Ecclesiæ alicui professione propria, vel paterna traditus:* nisi licentia ab Episcopo impetrata, & ab Archidiacono, vel Archipresbytero: *Episcopi, aut etiam Archidiaconi, seu Archipresbyteri sui acquisita licentia.* Si extranei verò Clerici admitti postulent, præter cautiones alias, assensio etiam Episcopi desideratur. *Ut Episcopalis licentia innotescat.* Certè ea Regula non pertinet nisi ad eos Clericos, quos solus Clericatus, etiam sine ullo ordine, jam Episcopis vendicavit. Illud à Roberto Pullo Cardinali animadversum est, in usu fuisse, ut ne itineri quidem paulo longinquiori se quisquam committeret, nisi secum Parocho suo communicata. *Bonum tamen est, & usus Ecclesia habet, ut qui peregrè proficisci disponunt, consilio illius, de cujus Parochia sunt, peregrinentur; ne fortè quod debet placare Deum, exasperet.* Concilium Ravennas IV. anno 1317. ne amplius in Capitula Cathedralium & Collegiatium Ecclesiarum obtrudetentur homines omnibus doctrinę & pietatis pręsidiis destituti, similiterque in Monasteria, constituit, ut ne sine licentia Episcopi, vel Metropolitani admitterentur. *Ordinamus quod de cætero nullus instituatur, vel recipiatur in fratrem & Canonicum alicujus Cathedralis Ecclesiæ, vel Collegiatæ, vel Monachum alicujus Monasterii, vel Canonicum Regularem, sine licentia speciali Ordinarii loci, vel Metropolitani.*

*Recueil pour l'Hist. de Bourg. pag. 209.*

*Cap. 20.*

*Sent. par 7. c. 22.*

*Can. 9.*

III. Pleræque Regularium Congregationes illud privilegii ab Apostolica Sede impetraverant, ut adgregare sibi possent Clericos laicosque, qui infucato pietatis affectu adducerentur. Ea immunitas ad id fortè spectabat, quòd Parochi, aliique forsitan Pastores, confiderent non posse quenquam nisi illis permittentibus Religionem profiteri. Paschalis II. anno 1114. Congregationi Religiosæ in Italia concessit, ut adjungere sibi posset laïcos Clericosque sæculares, ut nec Episcopi, nec Pastores alii obniti possent. *Laicos sanè seu Clericos sæculariter viventes ad conversionem suscipere, nullius Episcopi, vel præpositi contradictio vos inhibeat.* Pastores aliqui Ecclesiarum Provinciæ Lugdunensis, cogebant testari & legare sibi aliquid eos è Parochianis, qui Cisterciensi Ordini se devovebant. Abbates ejus Ordinis querelis suis super ea re Innocentium III. interpellaverunt, à quo damnata est Parochorum audacia juxtà, atque avaritia. *Capitulum illud, quod ei à sede Apostolica indulgetur, ut licitè liberos & absolutos à sæculo fugientes recipiant, interpretantes sinistrè, asserunt, eos licet aliàs absoluti existant & liberi, sine ipsorum licentia non posse ad Religionem transire, pro eo quod jure Parochiali eisdem obligati tenentur. Quocirca præcipimus, quatenus præsumptores prædictos compescatis, &c.* Alexander III. anno 1172. Abbatiæ cuidam in Belgio persimile indulserat privilegium: *Liceat vobis Clericos, vel laicos à sæculo fugientes, liberos & absolutos, ad conversionem vestram recipere & retinere.* Idem quoque concessit Innocentius III. iisdemque penè verbis Priori Canonicorum Regularium Xenodochii Cadomensis & aliis compluribus.

*Baluz. Misc. tom. 2. pag. 190.*

*Regest. 13. Epist. 162. 11.*

*Regest. 14. Epist. 18.*

*Regest. 15. Epist. 141.*

*Spicil. to. 9. Epist. 461.*

IV. Cùm jam non fiat Religiosa professio, nisi post annos pubertatis, jam nihil secundùm Canones opus est consensu parentum, vel tutorum. Si qua vero emicuerunt in Galliis Senatusconsulta his subinfesta, & ubi prohiberi videatur, ne filii

*Preuves des Libertez de l'Egl. Gall. pag. 1185. 6. 7. 8. 1204.*

familias sine parentum consensu admittantur in Cœnobia: jure augurandum nobis est, ea ad causas quasdam particulares pertinuisse, ubi fraude & astu delusa adolescentum simplicitas in claustra Monachorum pertracta fuerat. Nec enim in eam rem Edicta sunt ulla Regum nostrorum: & si qua essent, ea certissimè consentirent Imperatoriis Justiniani legibus, quas Photius in Nomocanonem, Balsamon in suos Nomocanonis Photiani Commentarios congessit, ut quæ eorum tempore summ vigorem in Orientali Ecclesia obtinuerint. Atqui hæ leges exertissimè vetant, ne parentes quomodocumque piis juvenum desideriis obluctentur, si vel Clero, vel Cœnobio cuipiam illigare sa exardescant; & ne illos ea de causa exhæredare possint. *Non licet parentibus prohibere filios, qui volunt esse Monachi, vel Clerici: nec illos ea sola de causa exhæredare.* Ea lex universæ Ecclesiæ proposita quodammodo fuit in Decreto Gratiani.

Fevret. pag. 115. 6.

Nomocan. Tit. 9. c. 31.

39. q. 3. c. 10.

V. Quoad Episcopos & Parochos, eorum semper officii, munerisque fuit fideles hortari ad Consilia Evangelica; non ergo illis obstare ipsi, aut remoras objicere potuerunt, ne tam præclaris hortamentis obsequerentur. Privilegia supra delibata, & à Sede Apostolica impetrata, ad quoslibet religionis sinu excipiendos, si modo eos pietas sincera alliceret, viam complanarunt munieruntque, ut liberius faciliusque omnes ad ea se conferant summæ & veræ Evangelicæ perfectionis gymnasia. Diximus jam ab Anselmo in Cantuariensem Archiepiscopum electo, datas litteras ad Episcopum Parisiensem, quibus illum admoneret, non posse eum refragari, uti jam cœperat, Cantori Ecclesiæ Parisiensis, cui fixum illud erat animo, ut professionem Monasticam amplecteretur. Ita enim repugnari Deo, repugnari Evangelio ad perfectionem neminem cogenti, omnes invitanti, repugnari Canonibus, qui expressè præcipiunt, ne Episcopi à proposito melioris & strictioris vitæ eos dehortentur, quos ad id incitare debuerant.

L. 3. Ep. 1.

VI. De assensu Principum nihil hic opus est dicere; ab annis enim admodùm sexcentis Christiani Principes ea in Deum, in Ecclesiam, in Religiones pietate imbuti sunt, ut nec in cogitationem illis veniat de ea servitute illis indicenda, quos summus Imperator Christus ad Evangelicam libertatem vocat. Qui Donationem Constantini commentus est, quàm Leo IX. primæ suæ ad Constantinopolitanum Imperatorem Epistolæ intexuit, hanc præ cæteris libertatem finxit Ecclesiæ Romanæ à Constantino collatam, ut quoscumque liberet Clericos clero suo adgregaret. *Licentiam concedimus, quem placatus proprio consilio Clericare voluerit, & in numero religiosorum Clericorum connumerare.* Refert Matthæus Paris exempla aliqua petitæ à Regibus licentiæ ad profitendam Religionem. Sed ea privata sunt facta, nulla certa lege, nulla necessitate expressa, mero ex hominum arbitrio. Et eam quidem ille regulam recenset inter Consuetudines Regias: *Filii rusticorum non debent ordinari absque assensu domini de cujus terra nati dignoscuntur.* Sed inclytus Martyr Thomas eam refutavit consuetudinem; nec eam toleravit Alexander III. Papa, nisi quia rustici hujusmodi servilis ferè conditionis erant jam inde à media ætate.

Paris. 1154. 1163. 1164.



# De fœminis Canonicis, de Congregationibus Laïcorum, de Clericorum Congregationibus liberis, sine votis, sine professione.

## CAPUT LXIII. *P. 4. l. 1. c. 62.*

De Canonicis fœminis sæcularibus, de Beguinis, de Congregationibus laïcorum utriusque sexus, de Tertiariis, de Congregationibus liberis Clericorum, sine votis, sine professione, hac ultima Ecclesiæ ætate, post annum Christi millesimum.

*I. Canonicæ Regulares abdicare omnia tenebantur.*
*II. An illæ ipsæ sint, quibus Regulam præscripsit Concilium Aquisgranense, sed strictiorem observantiam & rerum omnium abdicationem professæ.*
*III. Decreta Bonifacii VIII. & Clementis V. ad Canonicas Sæculares, non approbato tamen earum instituto.*
*IV. Canonicæ in Gallia.*
*V. Canonicæ in Germania, & Conciliorum Decreta ad earum regimen.*
*VI. Describuntur Canonicæ Belgii & Germaniæ à Jacobo de Vitriaco.*
*VII. Canonicæ sæculares modernæ, an illæ ipsæ sint Concilii Aquisgranensis?*
*VIII. De Monialibus quas Dominas vocant.*
*IX. De nobilitatis stemmate, quod exigunt Canonicæ.*
*X. An in Beneficiis locari debeant Canonicæ, & an ad horas teneantur Canonicas.*
*XI. De Beguinis.*
*XII. De Dominabus Oratorii, & de pluribus aliis utriusque sexus Congregationibus à beato Carolo institutis.*
*XIII. De Tertio Ordine sancti Francisci, sancti Dominici, & de aliis laicis.*
*XIV. De Congregationibus merè Clericalibus.*
*XV. De Oblatis sancti Caroli.*

I. Perstrinximus aliqua de Congregationibus Laïcorum inter priora Ecclesiæ adolescentis sæcula, ubi de Seminario egimus beati Augustini, quod laicorum fuisse primo visum est, superius hac ipsa Parte. Strictim etiam diximus de Canonicis fœminis Capite XLV hujus ipsius Partis. Nunc ergo non hic aliud quam congeremus, si qua supersint de hujusmodi rebus memoranda.

In Concilio Lateranensi II. sub Innocentio II. anno 1139. prohibitæ sunt Sanctimoniales & Canonicæ, ne cum Canonicis Monachisve in eodem choro horas Canonicas decantarent. *Ne Sanctimoniales simul cum Canonicis, vel Monachis in Ecclesia in uno Choro conveniant ad psallendum.* In Concilio Remensi sub Eugenio III. anno 1148. Moniales, Canonicæque distinguuntur, & utræque tamen subjiciuntur arctissimæ claustri legi. *Ut Sanctimoniales, & mulieres, quæ Canonicæ nominantur, & irregulariter vivunt, juxta beatorum Benedicti & Augustini rationem, vitam suam in melius corrigant & emendent, & in Claustro sint assiduè permanentes.* Si quid reliquum esset adhuc dubii, an Canonicæ istæ verè profiterentur Regulam beati Augustini, sicut Sanctimoniales aliæ Regulam beati Benedicti, eodem ipso ex Canone posset tota illa caligo difflari. Jubentur enim proprio quocumque spoliare sese, sententia in contumaces pœna interdicti, & privationis sepulturæ Ecclesiasticæ. *Choro, refectorio, & dormitorio sint contentæ, & relictis Præbendis, & aliis propriis,*

Can. 27.

Can. 4.

*earum necessitatibus de communi provideant.* Non tantum pœnarum in has Sanctimoniales derivatum fuisset, nisi professione propria Evangelicam paupertatem vovissent. Ita sanè præcipit Regula beati Augustini, quam illæ professæ erant, ut terrenis omnibus possessiunculis nuncius remittatur.

II. Distabant ergo prorsus hæ Canonicæ aliis, quibus Regulam præscripserat Concilium Aquisgranense sub Ludovico Pio anno 817. per quam licebat propriis incubare rebus. Ideo & hæc Aquisgranensis Canonicarum Regula nusquam meminit Regulæ beati Augustini, vel Epistolæ ejus centesimæ nonæ, quamvis aliorum Patrum luculentissima testimonia bene multa contexat.

Posset forsan non injuria quis ominari, has ipsas fuisse Canonicas prorsus, sed quibus postea à priori Sanctimonia defluentibus, Synodi Præsulesque arctiorem fibulam disciplinæ addiderint, ut ex Sæcularibus Regulares evaderent Canonicæ, & patrimonium ejurare cogerentur. Duci posset conjectura ex Concilio Lateranensi II. quod molestissimè tulit eas vitam degere tam alienam à Regulis Benedicti, Basilii & Augustini, sejunctisque habitare

Can. 16. ædibus, inani hospitalitatis obtentu : *Quæ licet neque secundum Regulam beati Benedicti, neque Basilii, aut Augustini vivant, Sanctimoniales tamen vulgo censeri desiderant. Cùm enim juxta Regulam degentes in Cœnobiis, tam in Ecclesia, quam in Refectorio, atque dormitorio communiter esse debeant, propria sibi ædificant receptacula, in quibus sub hospitalitatis velamine, &c.* Abdicationem temporalium illis reddidit Concilium Lateranense istud, Remense eam vel instituit, vel restituit. Fateor enim certissima & invictissima non suppetere documenta, de hoc Canonicarum ordine, earumve, quæ sæculis sequentibus sæculares permansere, an eæ sint ipsæ, quibus Synodus Aquisgranensis vitam quidem indixerat communem, non tamen patrimonii ejurationem : an Canonicæ fuerint Regulares ab origine, & Augustini quondam Regulam professæ, quæ postea desciverint à castiore illo instituto suo; & in Canonicas degenerarint sæculares.

III. Præcepit Honorius III. Abbati cuidam, ut Censurarum jacula vibraret in Canonicas Clericosque Abbatissæ jurisdictioni obnoxios, ut eos compelleret ei morem gerere, quanquam non aliud illa posset, quàm eos suspendere ab officio & Be-

C. Dilecta. De majorit. & Obed. neficio, non autem excommunicare. *Cùm ipsa plerumque Canonicas suas, & Clericos suæ jurisdictioni subjectos, propter inobedientias & culpas eorum officio beneficioque suspendat, iidem confisi ex eo, quod eadem Abbatissa excommunicare eos non potest, suspensionem hujusmodi non observant.* Mihi quidem non satis liquet de Sæcularium, an de Regularium Canonicarum Collegio hoc Decretum interpretandum sit.

At dilucidè prorsus Bonifacius VIII. Canonicas Sæculares describit, quæ patrimonii sui compotes semper erant, nullam edebant professionem, & non aliam ducebant vitam, quàm Canonici sæcula-

In Sexto. L. 1. Ta. 6. c. 43. res in Ecclesiis Cathedralibus & Collegialibus. *Juxta quarundam provinciarum consuetudinem mulieres, quæ nec propriis renunciant, nec professionem faciunt regularem, sed vivunt ut in sæcularibus Ecclesiis Canonici sæculares.* Jubet Pontifex ut earum Abbatissa annorum sit saltem triginta, eligaturque eodem omnino more quo Abbatissæ Regulares : quanquam præ se ferat nequaquam à se earum approbari institutum. *Per hoc tamen earum statum, ordinem, seu Regulam nolumus, nec intendimus approbare.*

Nec ab hac Canonicarum tabella abludit quod de iis habet Clemens V. qui eas Episcopi, ut Ordinarii visitationi subjicit, si exemptæ non sint : & ut delegati Apostolicæ Sedis, si sint : similiterque con- Clement. L. 3. T. 10. c. 2.
testatur, non eo à se earum institutionem approbari. Simile tamen veri est hæc Pontificum Decreta ad regendas Canonicas, instar habuisse confirmationis cujusdam tacitæ, vel tolerantiæ publicæ. Ceteroqui quæ demum esse potuissent Canonicæ Exemptæ sine approbatione ulla, aut privilegio?

IV. Aliqua legavit in Testamento suo sanctus Ludovicus Rex Galliis Regni sui Beguinis, quæ Canonicæ tamen non erant, cùm filiorum ejus unus Petrus Alenconii Comes in eo quod edidit testamento anno 1282 Canonicas à Beguinis disjungat. Canonicæ hæ Regulares, an Sæculares fuerint, non satis mihi quidem claret. Du Chesn. To. 5. pag. 439. Hist. de S. Louis par du Cange.

V. Concilium Coloniense anni 1536. incumbendum sibi necessariò duxit in reformationem Sæcularium Canonicarum, quæ nullo se voto, & ne perpetuæ quidem castitatis astringebant. *Sæculares Part. 10. Can. 19.
Canonicæ appellantur, quod perpetuæ castitatis ac reliqua vota Monastica non emittant.* Synodus Augustana anni 1584. de iis verba facit, tanquam quæ sine votis servari à se intaminatam castitatem præ se ferrent. Jubet ergo eas uno in dormitorio simul omnes dormire, suadetque una etiam mensa ut reficiantur. Concilium Coloniense II. anni 1549. jubet, ut Ab- Cap 12.
batissæ in has *nobiles Virgines* pervigili cura excubent, uno loco eas cubare, horas Canonicas ab eis decantari faciant, servarique statuta ad emen- Cap. 7.
dationem disciplinæ omnia ab Imperatore promulgata.

VI. Circa annum Christi millesimum ducentesimum & vigesimum scribebat Jacobus à Vitriaco floruisse Canonicas sæculares in Germania, Brabantia, Hannoniaque, quæ *Domicellæ* nuncuparentur, & Moniales vocari se deprecarentur, sicuti nec Canonici Monachi dicendi sunt. *Canonicas Hist. Orcid. Cap. 31.
Sæculares, seu Domicellas appellant, non enim Moniales nominari volunt, sicut Canonici sæculares Monachi non dicuntur. Nonnisi filias militum & nobilium in suo Collegio volunt recipere.* Et cum exaggeratiùs multa dixisset, de pompa mollium vestium, pannorum & pellium pretio, quibus utebantur, ait illas uno omnes dormisse dormitorio; in iisdem Ecclesiis esse Canonicos, Canonicos Canonicasque simul affuisse Choro, & Canonicas horas unà decantasse, processionibusque interfuisse, altero hos, altero illas latere; complures earum *relictis Prebendis & Ecclesiis* nupsisse : alias totum vitæ curriculum castissimè piissiméque consumere. Denique earum nonnullas jam se contulisse ad Cistercientium familiam. Ejusmodi sunt adhuc celeberrima Canonicarum nobilium Cœnobia apud Montes, Malbodium & alibi.

VII. Ea certè Jacobi Vitriacensis narratione perpensa, videtur jam animus magis propendere in eam sententiam, ut de Canonicis sæcularibus suprà egerint Concilia Lateranense & Remense; & has omnino reliquias earum esse, quibus concinnata est specialis Regula in Concilio Aquisgranensi. Si enim degener tantùm fuisset ea proles Regularium olim Canonicarum, suis ab institutis longè exerrantium, non eas tam clementer habuisset Jacobus hic Cardinalis, eximii cujusdam zeli laude celeberrimus.

VIII. Anno 1279. Archiepiscopi Cantuariensis Pastorales Epistolæ eas perstringebant Sanctimo-

*Conc. Tom. Can 11. part. 1. pag. 1070.*

onales, quæ *Dominas* se vocari gestiebant, non potius *Matres* vel *Sorores*. *Sciatis vos Monachas, vel Moniales esse, non dominas: sicut nec Monachi possunt sine ridiculo domini appellari.* Statuendum & hoc ipsum fuit pro Carthusianis Sanctimonialibus:

*TertiaCon. pi Stat. c. 1. n 17.*

*Priorissa Monialium à personis ordinis matres vel domna vocentur: non Dominicæ, Moniales verò sorores, quacumque consuetudine contraria nonobstante.* Dominas vocari Canonicas non ita alienum erat, quàm Moniales.

*Rainal. an. 1285. n. 8t.*

IX. Circa nobilitatis autem avitæ documenta, quæ exigebantur, Ecclesiastici Annales fidem faciunt ànno 1285. cùm Tibure esset Honorins IV. didicissetque Canonicas Belgii à Guidone Flandriæ Comite institutas fuisse, ea lege ut non admitterentur, nisi spectatæ, certisque monumentis approbatæ nobilitatis virgines, rescissum ab eo cassatumque fuisse id statutum, ut ex quo infinita quædam perjuriorum seges pullulatura esset. Improbaverat jam Gregorius IX. persimile statutum Capituli Argentoratensis, nec passus erat ejus rationem haberi in provisione Præbendæ. Nitebatur porro ea ratione Pontifex, quòd Ecclesiæ in pretio & amori sit sola virtutis nobilitas, ut ad quam Deus pauperes potius quàm divites; ignobiles magis, quàm natalium splendore claros vocarit. Itaque non injuria Jacobus à Vitriaco hoc ipsum improbavit Canonicarum decretum. *Adeo personas accipiunt, quod nonnisi filias militum volunt recipere in suo Collegio.*

*C. Venerabilis. De Præbendis.*

X Refert denique idem Jacobus, suas ab ipsis resignari solitas Præbendas, cùm nuptum ibant. Ubi tria non oscitanter observanda. Primum est non mediocriter hac in re eas defecisse, ab illis quas instituerat Concilium Aquisgranense. Etsi enim patrimonio frui illæ sinerentur, at nuptiis constantissimè abstinebant. Sed si tamdiu in Ecclesia Minores Clerici, & Beneficia obtinuerunt, & conjugii libertate frustrati non sunt: Ecquid miramur si Canonicæ sæculares tandiu cùm nubere possent, præbendis tamen suis potirentur?

Alterum est, posse verissimo aliquo sensu Præbendas harum Canonicarum Beneficiis adnumerari, cùm Præbendæ sint, cùm resignari potuerint, cùm hinc existeret obligatio diurni pensi horarum Canonicarum. Præstimonia alii magis esse voluerunt, quàm Beneficia; quòd Beneficia placuerit propria magis esse Clericorum. Sed confitentur ipsi de re conveniri, controverti de nomine: nec injuria posse has Præbendas in censu Beneficiorum reponi, cùm proventuum Ecclesiasticorum portio ea sit, qua qui gaudet officiis vicissim & ministeriis teneatur Ecclesiasticis. Concilium Coloniense de quo paulò antè, declarat non posse uni Abbatissæ subesse duo Collegia Canonicarum, quòd vetent Ecclesiæ Canones, plurium Beneficiorum copiam ab uno retineri.

*Hallier. De sacris Elect. pag. 526.*

Tertiò denique observandum illud venit, non minùs Canonicas, quàm Canonicos teneri lege officii divini recitandi, vel decantandi, cùm fundationis, seu Præbendarum, seu distributionum, quibus Præbendæ successerunt, ea fuerit conditio, ea statim natura, id onus indeclinabile, ut divina Officia ritè persolverentur. Ideo & Jacobus de Vitriaco, & Concilia omnia suprà laudata, meminere celebrationis divinorum per Canonicas canticorum. Denique non inertibus & otiosis dispensatur patrimonium Christi, sed actuosis & divinas laudes jugiter concelebrantibus.

XI. Jam Beguinæ quidem Parisienses, & aliarum quarumdam Galliæ Civitatum, memorantur in testamento, tam sancti Ludovici Regis, quàm filii ejus Comitis Alencouii. Refert Goffridus de Belloloco Dominicanus, & sanctissimo Regi à Confessionibus, ejusque vitæ Scriptor, emptam Parisiis à sanctissimo Rege datamque domum, qua alerentur quadringentæ Beguinæ, præter plures alias toto regno sparsas. *Domum Parisiis honestarum mulierum, quæ vocantur Beguinæ, de suo acquisivit & eisdem assignavit, in qua honestè & religiosè conversantur circiter quadringentæ, similiter & in pluribus aliis Regni sui Civitatibus, atque castris domos ad habitandum dictis Beguinis providit.* Meminit Cantipratensis hujus à sanctissimo Rege fundationis Beguinarum: videturque solas Virgines eò admittere. Philippus III. Franciæ & ipse Rex testamento suo anni 1284. multa eis legavit. Idem Cantipratensis meminit & alterius Nobilis viri, Philippi de Monte Mirabili, cui major præterea à virtutibus nobilitas accedebat, qui cum divitiis non admodum abundaret, exæstuaret autem charitate, octo Cisterciensium Cœnobia exædificavit, Beguinas autem variis in locis adgregavit ad quinque millia. Porro designatur à Cantipratensi locus tempusque, quo primùm orbi instituta Beguinarum illuxerunt. Ait enim anno 1226. complurimos adhuc memoria tenuisse, illarum exordia apud Nivellam Belgii urbem extitisse. *In hac urbe, ut pluribus adhuc viventibus notum est, mulierum devotarum quæ Beguinæ dicuntur, nunc latè diffusa per orbem religiositas inchoavit.* Agit ille alibi de grege Beguinarum bis mille sub una Præposita.

*Du Chesne. To. 5 pag. 452.*
*Spicil. to. 9. pag. 168.*
*Cantiprat. L. 2. c. 29. n. 34.*
*Cantiprat. L. 2. c. 38. n 2 c. 51. n. 12. c. 54 n. 10.*

Non multò post tempore harum nonnullæ in absurdissimos errores rere præcipites in Germania; ventosa inflatas fiducia, posse in hac mortali vita supremum attingi perfectionis apicem, in quam peccatum non caderet, visionem Dei claram, denique id fastigium contemplationis, cui superfluum jam esset macerare corpus, jejunare, vel mortalium quorumcumque regi monitis, præceptis parere. His anicularum impiis deliramentis anathema intorsit Concilium Viennense Generale, & Beguinarum ipsarum institutum extinxit, veluti suspectum: *eas meritò suspectas habentes:* facta tamen copia fœminis verè piis, verè fidelibus, castam & pœnitentiæ laboribus exercitam vitam gerere: sive ex voto, sive sine voto. *Sanè per prædicta prohibere nequaquam intendimus, quin si fuerint fideles aliquæ mulieres, quæ promissa continentia, vel etiam non promissa, honestè in suis conversantes hospitiis, pœnitentiam agere voluerint, & virtutum Domino in humilitatis spiritu deservire, hoc iisdem liceat, prout Dominus ipsis inspirabit.*

*In Clement. C Ad nostrum. De hæreticis.*
*Ibidem. C Cum De religiosis domibus.*

Hujus exttemæ utique clausulæ munimento vallatæ tot etiamnunc in Belgio efflorescunt Beguinarum piæ & numerosissimæ Congregationes. Non inussit enim Concilium, nisi eas, quæ suspectæ, vel imbutæ hæresi essent. Itaque verè orthodoxas pristinæ permisit libertati. Quod autem earum esset institutum, eadem Decretalis docet. Nec obedientiam, nec paupertatem profitebantur, sed veste propria modestissimaque utebantur, suberantque regimini præstantium sapientia & religione virorum. *Cùm nulli promittant obedientiam, nec profiteantur aliquam Regulam approbatam, Religiosæ nequaquam existunt, quamquam habitum, qui Beguinarum dicitur, deferant, & adhæreant Religiosis aliquibus.*

Philippus Pulcher Galliæ Rex totus fuit in urgenda Decretorum Viennensis Concilii executione. Hinc facilè quis suspicaretur abolita ab eo in Galliis

Beguinarum

*Eurrav. Comm. l. 5. T. 9. c. unic.*

Beguinarum cœnobia. Alibi diversoria illis sua sarta rectaque servata sunt, tum innocentiæ suæ præsidio, tum Decreto Joannis XXII. qui prædecessoris sui statutum, Clementis scilicet V. non aliter interpretatus est, quàm nos, tuitionemque in se recepit complurium passim sparsarum per provincias Beguinarum, & earum Congregationum, quæ nullo unquam hæreseos laboraverant contagio, vitæ innocentia semper enituerant. Fidem facit Pontifex complures earum castitatem profiteri, communis vitæ societatem alere, bona possidere suo Collegio propria.

Ea me res impulit, ut eas à Beneficiariis non disjungerem. Ejusmodi enim bona, & bonorum distributio, & hæc vitæ ratio multùm consentit antiquissimis seu Virginibus, seu Viduis, seu Diaconissis, quæ sumptu Ecclesiæ alebantur, eique ministeria sorti suæ consentanea impendebant. Postremò idem Pontifex Joannes XXII. ibidem, & Bonifacius VIII. in Sexto, Canonicas sæculares & Beguinas jurisdictioni Episcoporum subjiciunt, eximuntque sæculari tribunali, quanquam expressè non approbent earum Congregationes. Nec aliter Rota judicat.

*Conc. Nangu. an. 1317.* *C. Indemnitatibus.* *Fagnan. L. 2. pag. 60*

Qui ulteriorem antiquioremque originem adsignarunt Canonicarum, & Beguinarum, & retro ad sanctam Beggam, vel ad Gertrudem filias Pipini Ducis Brabantiæ, vel ad sanctam Valtrudem eluctati sunt: rem nobis quoque facilè persuaderent, si aliquantò validioribus uterentur, vel rationibus, vel testimoniis. Laudabili conatu rei piæ antiquitatem venantur. Non procedit semper tamen fœliciter, quod piè tentatur. Sed quæ major, quæ optatior antiquitas, quæ firmior, quàm si dicatur Ecclesia Christi jam inde ab exortu suos castissimos semper & numerosissimos habuisse greges, seu Virginum, seu Viduarum omnis generis, professarum, non professarum, cum Regula, sine Regula, communes simul ædes habitantium, vel separatas; sed eas semper omnes habitas non aliter esse, quàm ut Ecclesiæ delicias, ut alumnas: ut ejus gloriæ, ejus etiam sumptu viverent. In Statutis Cluniacensibus distinguuntur tria genera stipendiariarum Ecclesiæ. *Monacha. Conversa. Prabendaria.* Præbendariæ, quasi conductitiæ erant ad exteriora quædam officia. Ea autem Præbendariæ vox non paulò aptiùs ascripta fuisset sacris olim Virginibus illis, & Viduis, ex quibus tantum gloriæ & splendoris in Ecclesiam redundabat.

*Bibl. Clun. pag. 1460*

XII. Mediolani sanctus Carolus Borromæus instituit Dominas Oratorii, regulas præscripsit, & exercitia pietatis complusculа, & præcipuas quasque civitatis Matronas ei instituto adjungere enixus est. Instituit & complura Virginum Collegia, ac domicilia, tum Mediolani, tum sparsim tota Diœcesi: præter Congregationem sanctæ Ursulæ, quæ quaqua versum diffundebatur: & Conventum sanctæ Annæ, in quo viduæ complurimæ perpetuæ se dedicabant continentiæ Hæ Congregationes Christi bonum odorem spargebant longè latèque, nulli Monasticæ professioni addictæ.

*Giussano L. 5. c. 6. L. 8. c. 25*

Viros quoque idem Carolus laïcos adgregavit in unam Congregationem sub nomine sancti Mauritii, ubi & cœlibatum perpetuum profitebantur. Denique Conversarum seu Pœnitentium puellarum collegium regendum commisit duodecim Matronis Tertii Ordinis sancti Francisci.

*L. 2. c. 27*

XIII. Instituerat incomparabilis sanctimoniæ vir Franciscus Ordinem Pœnitentium, seu Tertium Ordinem, quo continerentur conjugati utriusque sexûs, vestemque & Regulam propriam præscripserat. Innumerabilis quædam hominum multitudo in hunc confluxit Ordinem, quo & Franciscani tandem compulsi sunt subducere sese eorum regendorum oneri, ne tanta negotiorum sarcina & regiminis pondere opprimerentur. Addit Bonaventura id eo factum consilio, ut ne maledicentiæ semper jaculis paterent, cùm illarum pœnitentium aliqua prolabebatur in flagitium; & ne omnium necessitatibus providere constringerentur, quod nulla jam ratione assequi, vel sperare poterant. Hoc verò loco vocat illas Bonaventura Beguinas.

*Vadingus. An. 1221. n. 17.* *Libel. Apologet. in eos qui Minoribus adversantur. q. 16*

Tertius Ordo beati Dominici simillimus fuit Franciscano, ut videre est in Regula ab Innocentio VII. confirmata anno 1405. Idem statuendum de Tertio Ordine, tum Servitarum, tum beati Francisci de Paula. Tametsi laïci sint omnes, & plerique conjugati, sunt tamen illis Priores, sunt Priorissæ, sunt Provinciales. Imminet stricta obligatio recitandi Officii divini, iis qui litteras sciunt, vel justa compensatione aliquoties iterandi orationem Dominicam, vel quasvis preces alias.

Hic ergo perspicis, ut à primis Ecclesiæ exordiis fuerint semper cœtus laïcorum utriusque sexûs, quorum erat vita religiosissima. Permirum autem illud est, quòd sicut ex primis illis fidelibus eximia charitate & consiliorum Evangelicorum spontanea observatione conspicuis; extiterunt tandem quarto Ecclesiæ sæculo omnis generis Monasteria utriusque sexûs: ita Tertii Ordinis B. Francisci Sectatores eo numero tandem, eoque constantissimæ pietatis fervore clarescere visi sunt, ut Leo X. anno 1521. illos in novum Religionis Ordinem conjunxerit, ubi tria Monastica vota, ubi Regula Monastica, ubi professio denique ipsissima Monachorum.

*Spondan. An. 1221. n. 17.* *Leo X. Bulla 42.*

XIV. Si Laïcorum autem, multò magis Clericorum merè Clericorum semper in Ecclesia fuere religiosissimæ Congregationes. Non attingam Clericos Regulares, quos Theatinos dixere, & quorum institutio approbata est à Clemente VII. anno 1524. Non Clericos Regulares sancti Pauli, seu Barnabitas, qui ab eodem Pontifice approbati sunt anno 1533. In his Congregationibus enim & compluribus aliis pulcherrimè conjuncta & confœderata est Clericalis vivendi ratio cum Monastica. Nec distant Clerici hi Regulares à Canonicis antiquis Regularibus, nisi in rebus, quas differre necessum est in institutis, tanto ex intervallo temporis distantibus.

Hîc agitur de Cœtibus merè Ecclesiasticis, votorum & professionis expertibus. Quales fuerunt Clerici ii, quos aggregavit beatus Gerardus, cujus Thomas à Kempis scripsit vitam, & qui vita excessit anno 1384. Fratres vitæ communis appellati sunt. Nullis ligabantur votis. Exscribendis libris vitam sustentabant. Vitam complurium ex ipsis scripsit Thomas à Kempis, & quamvis illos inter Regulares locet Canonicos, certum est tamen liberos & solutos fuisse Clericos, nullo constrictos voto, ne stabilitatis quidem, quamvis statim patrimonium omne in commune conferrent, & ejurarent omne jus, illud quomodocumque repetendi, seu sponte ipsi resilirent à Collegio, seu ejicerentur. Horum historiam publicavit Miræus, Bullasque Pontificum illis propitias, etiam post Concilium Constantiense, quod in eorum aliquos tantùm contumaciores deonerat, intacto Collegio, & Ordine ipso intaminato.

*Rainald. n. 6.*

Si contexas autem Canonicos, quibus Concilium Aquisgranense Regulam temperavit anno 817. cum Fratribus his vitæ communis, denique cum Oblatis sancti Ambrosii, cum Oratorio Romano sancti Philippi, cum Oratorio Gallicano Petri Berullu Cardinalitia postea purpura decorati; & complures subinde alias Congregationes merè Clericales & sine votis; compertum erit semper fuisse in Ecclesia Clericos & Beneficiarios, qui Ecclesiæ se obsequiis mancipavere, & Ecclesiasticos reditus ea parcimonia, frugalitate, charitate dispensavere, quæ ab aureæ & primævæ Ecclesiæ sanctimonia non multùm deficeret. Memini quippe, ubi de Seminariis ageremus, ex Juliano Pomerio ostendisse nos, jam tum fuisse Congregationes solis Clericis frequentatas, qui suis se sumptibus alerent, reditibus Ecclesiasticis abstinerent, Congregationibus autem suis & Ecclesiis easdem præstarent operas, quas ii quos Ecclesia sua stipe sustentabat.

Nec possum has Congregationes Ecclesiasticas non in Beneficiariorum numero collocare, cùm in eis Ecclesiastici proventus & possideantur, & dispensentur ea ratione, quam præmonstrarunt Apostoli, quam secuti sunt priorum & castissimorum Ecclesiæ sæculorum Clerici, quam Regularium retinent Capitula Canonicorum, & Monastici omnes cœtus.

*Giussano. l. 5. c. 4.* XV. Nec silentio nobis prætereundum est, cùm sanctus Carolus Congregationem erexisset Oblatorum, ubi Presbyteri, aliique Clerici inferiores erant consociati, & voto stabilitatis Episcopo astricti: quæ erat veluti expressa imago professionis tacitæ Clericorum omnium olim, quibus nefas erat, vel à Cleru recedere, vel Episcopi se sui obedientiæ subducere: voluisse illum, ut possent Oblati aggregare suo cœtui Laïcos conjugatos utriusque sexûs ad ministeria quæque necessaria. *Acta Eccl. Mediol. pag. 817.* 2. Tam Clericos, quàm laïcos votum emisisse stabilitatis & obedientiæ. 3. Clericos ipsos patrimonia retinere potuisse, sed & potuisse privato paupertatis voto ea abjicere: vel adjicere & subjicere Congregationi, ut non ea jam amplius possiderent, nisi ejus nomine, tanquam administratores. 4. Hos Oblatos beatum Carolum præfecisse Seminariis suis regendis. 5. Si qui eorum pio è cœtu ejicerentur, restituta fuisse, quæ secum intulerant.

## CAPUT LXIV. *P. 4. l. 1. c. 74.*

### De Canonicis laïcis post annum Christi millesimum.

*I. Canonici laïci in Conciliis proscripti.*
*II. Alii Canonici laïci in Ecclesia honoratissimi. Initium ductum à Carolo Magno. Comes Andegavensis, Canonicus & Thesaurarius Ecclesiæ sancti Martini Turonensis.*
*III. Archiepiscopi Senonenses & Bituricenses, Episcopi Andegavenses & Pictavienses ejusdem Ecclesiæ Canonici erant.*
*IV. Reges Galliæ ejusdem Abbates erant, Dux Burgundiæ Canonicus.*
*V. Dux & Ducissa Burgundiæ Canonici sanctæ Capellæ Divionensis.*
*VI. Rex Hispaniæ prabendarius Ecclesiæ Cluniacensis.*
*VII. Rex Angliæ & Episcopi omnes Canonici unius Ecclesiæ.*
*VIII. Ecclesiæ aliæ quarum Abbates Canonicique sunt Reges & Principes.*
*IX. Imperatores Germaniæ Canonici admittuntur in Ecclesia sancti Petri Romæ & sancti Joannis Lateranensis, & alibi. quin vestes & functione Diaconi Subdiaconique utuntur.*
*X. Reges Galliæ Abbates & Canonici pluribus in Regni Ecclesiis.*
*XI. Origo Canonicorum Laïcorum.*
*XII. Quod discrimen inter duas has Canonicorum classes.*

I. Canonicorum Laïcorum antiquitatem prodet eorum condemnatio, immo & ex parte quadam extinctio. Anno 1214. Concilium Mons-Pessulanum vetuit, ne posthac Collegio Canonicorum allegerentur laici, neu ad Præbendam panis & vini admitterentur, quòd plurimum ea quidem societas intulisset Ecclesiæ detrimenti. *Districtè mandamus, quod in nulla Ecclesia laici recipiantur in Canonicos, & in fratres, nec etiam ad Prabendam Canonicalem, qua consistit in pane & vino & quibusdam aliis, cùm per hoc Ecclesia multa damna proveniant.* *Can. 8.* In Concilio Biterrensi anno 1233. eadem prohibitio iterata est, quòd ex laicorum Canonicorum contaminatissimis moribus non modica infamia Ecclesiæ aspergeretur. Ideo & Beneficio privandos decernitur, nisi resipiscant. *Districtius mandamus quod in nulla Ecclesia laici recipiantur in Donatos ad Prabendam panis & vini: de quorum turpi conversatione scandalum generetur. Quod si qui tales recepti, inventi fuerint fornicatores, adulteri, & aliàs criminosi post monitionem competentem, nisi excessus suos correxerint, perpetuo Beneficio careant memorato.* *Can. 24.* *Du Chesne To. 5 pag. 810* Idem statutum insertum est statutis Raimundi Comitis Tolosani & Legati Pontificii. *Catal. des Comtes de Toulouse. pag. 331.*

Canonici, ut reor, laïci in hoc Concilio dicuntur, qui sese Ecclesiæ alicui cum agellis suis dedebant, Capituloque ita adgregabantur, ubi panis & vini distributiones consequerentur, quæ dicebatur panis & vini Præbenda, essentque in numero Beneficiariorum. Interrogatus super ea re Eugenius Papa, an ubi numerus Canonicorum Decreto & juramento fixus confirmatusque fuisset, possent *laici qui Canonicorum titulo numerantur*, comprehendi: rescripsit, non reputari debere Canonicos, nisi qui verè essent, cujusmodi nunquam possunt esse laici. *Cùm laïci non debeant in Canonicorum numero computari.* *C. In Eccl. De institutio.* Ita in libris Decretalium.

II. Verùm si ad vestigandam laïcorum Canonicorum originem ulterius progrediamur, in viros incidemus tanta nobilitatis & authoritatis gloria circumfluentes, ut ne ambigere quidem possit quisquam, quin Episcopales Synodi Pontificesque ipsi, & Ecclesiæ & ipsis gratulati sint, quòd inter Canonicos sederent, eadem uterentur veste, eidem incumberent divinæ psalmodiæ Optimates sæculi, summique terrarum Principes. In Chronico Angliæ refertur Fulco III. Andium Comes cognomento Bonus anno 960. in Ecclesiam sancti Martini admissus esse Canonicus apud Turonas, affuisse non rarò horis Canonicis in veste ipsa Canonicorum. *Script. ant. Eccl. Angl. Tom. 1. pag. 455.* *Bibl. Clun. nota p. 21.* *Canonicus ascriptus fuit in Ecclesia sancti Martini, in festis Sancti ejusdem in choro inter psallentes Clericos cum veste Clericali & sub disciplina eorum astabat.* *Spicil. to. 10. pag. 403. 437.* Lutharius Galliæ Rex cùm illum aliquando dicteriis lacessivisset in choro cum Canonicis suo more psallentem, haud mora hanc ille propulsavit contumeliam, probro data Regi ipsi incuria affectata litterarum, quibus clarescere & illustrari mirum in modum possit ipsum Regium diadema.

Majori certè laudi gloriæque solidiori vertisset Lothario Regi, si æmulatus fuisset, non Comitem sibi obnoxium, sed ex prædecessoribus suis longè præstantissimum Carolum Magnum, qui Cantûs Ecclesiastici eam adeptus erat peritiam, ut illum emendari, & emendatiorem prodire, atque evulgari ipse curaverit, & nunquam non in Ecclesia

cum Clericis Psalmos palam decantaret. Testem locupletissimum profero Eginardum : *Legendi atque psallendi disciplinam diligentissimè emendavit. Erat enim utriusque admodum eruditus : quanquam ipse nec publicè legeret, nec nisi summissim & in commune cantaret.* (Du Chesne To. 2. pag. 103. 110.) In Ecclesia Palatina regi ab eo solita narrat Sangallensis Monachus Officia divina : ipsum signo quopiam oris, manûs, sceptri designasse, qui lectiones recitarent. Hinc non injuria augurabitur quis ducendam originem ejus, quæ postea latissimè pervagata est consuetudinis, ut Comites & Duces, Reges & Imperatores ingererent se functionibus titulisque Cantorum minorumque Ecclesiæ Clericorum, quo vel ea sacerdotii umbra regiam coronam venustarent.

Cùm Ingelgerus Consul, vel Comes Andegavensis, utroque enim tunc titulo promiscuè utebantur, affuisset unà cum Episcopis translationi corporis beati Martini, ipsi hæredibusque ejus assignata est Præbenda perpetua : cúmque vacaret tunc Thesaurarii ejusdem Ecclesiæ dignitas, ab iisdem Episcopis in eandem dignitatem invectus institutusque est, declaratusque Ædituus, & Defensor beati Martini Ecclesiæ & omnium ejus dominiorum : (Bibl. Clun. Not. p. 48) *Cum omni Consilio dederunt Ingelberio Comiti Præbendam beati Martini, ipsi & hæredibus ejus in perpetuum possidendam. Quia verò Ecclesia ejusdem Sancti carebat Thesaurario & Æditno, Consulem Ingelgerium inthronizaverunt, & Thesaurarium constituerunt, & Defensorem Ecclesiæ fecerunt, & tutorem omnium possessionum ejus ubicumque essent, delegaverunt. Qui sedem Thesaurarii & domos cum reditibus, quandiu advixit, obtinuit.* Habes hîc ergo Comites Andegavenses Canonicos & Thesaurarios sancti Martini Ecclesiæ Turonensis, cum plenissima potestate in prædia & agros ei dignitati affixa, denique cum Præbenda panis & vini.

III. Andegavenses & Pictavienses Episcopi, Senonenses & Bituricenses Archiepiscopi, ejusdem Ecclesiæ Canonicorum albo inscripti erant, ut docet nos Vuillelmus Andegavensis ipsemet Episcopus. Narrat enim anno 1191. venisse se Cæsarodunum Turonum, admissum se in Ecclesiam & in Capitulum à Canonicis sancti Martini, ut Concanonicum : idem præstitisse sacramentum, quod à Canonicis, & ab Archiepiscopis illis duobus præstari soleret, dum admitterentur : denique sanctissimè sibi affirmasse, & in se recepisse Capitulum, si qua (Spicil. to. 10. pag. 306.) illum inopina invaderet affligeretque calamitas, in Claustro suppeditaturum illi tri, & domum, & sustentationem, non Canonico tantùm, sed & Episcopo congruam. *Quod juramentum ipsi Ecclesiæ facere tenebamur, sicut alii Prælati Canonici ejusdem Ecclesiæ, videlicet Episcopus Pictaviensis, Archiepiscopus Bituricensis, Archiepiscopus Senonensis.*

IV. Revocanda nunc ad Canonicos Laïcos oratio. Audinis enim Comitibus Ducibusque ut successere Reges nostri, ita & in Canonicatum hunc laïcum beati Martini cooptati & ipsi sunt. Scripsit Archiepiscopus Turonensis ad Ludovicum VII. Regem, tanquam Abbatem sancti Martini Ecclesiæ, ut authoritate Regia interposita Thesaurarium Capitulumque cogeret interdictum à se vibratum revocare. (Du Chesne To. 4. pag. 640.) *Rogamus & petimus quatenus in manu regia & sicut Abbas ejusdem Ecclesiæ, Thesaurario præcipiatis & Capitulo, &c.* Odo Burgondiæ Dux anno 1215. (Recueil de l'Hist. de Bourgogne. pag. 316.) Chartas impetravit, quæ visuntur etiamnunc in Camera Divionensi Computorum, quibus tum ipse, tum ipsius successores adgregantur Canonicis Turonensibus sancti Martini, ea lege, ut Sacramentum præstent, quod à Canonicis omnibus præstabatur.

Cùm Divione extruxissent Duces ipsi Burgundiæ veluti Regiam quandam sanctam Capellam, Canonicos se ibidem, immo & conjuges suas suscipi voluere. Mirum id, & inusitatum videri possit, cùm reapse ea non sit nisi precum & orationum societas, & tuitionis certissima fides, qua vicissim Duces Canonicique sibi gratificabantur. Pauca hîc assuam verba susceptionis Ducissæ Adelaidis anno 1226. *Adii Ecclesiam nostram Capellam Divionis, & consortium spirituale Canonicorum recepi, fidelitatem eis & statuta Ducum me servaturum juravi, singulos Canonicos in signum fraternitatis & in osculum sanctum recepi : tam illos, quam res illorum in speciale tutamen amplectens.* (Ibid. p. 421.)

Non dissidet à vero, ubi Canonici dicebantur Duces Burgondiæ, simul Præbenda panis & vini donari solitos. Donabant enimvero nonnunquam Duces ipsi Canonicos Monachosque Præbenda panis & vini, immo & opsonii suo ex Palatio. Ita cùm à Monachis sancti Benigni donatus fuisset Dux Odo eo loco qui vulgò dicitur Mons Talenti, acceperunt ab eo istiusmodi laïcam Præbendam. *Prior & Monachi habebunt unam Præbendam integram in pane, vino & coquina, de mensa Ducis aut Ducissæ.* (Ibid. p. 309.)

Justiores forsan eruet stuporis causæ, ubi andieris anno 1255. ab Abbate & Conventu sancti Benigni accepisse Ducem Burgundiæ ad vitam Prioratum de Paluel, ut eo & terris omnibus frueretur plenissimè, duos tantùm ibi aleret Monachos, sarta tecta tueretur omnia, post ejus obitum Abbati restituenda. Comes Burgundiæ Ortho ab eodem Abbate anno 1281. Prioratum alium impetravit, in Diœcesi Visontionensi situm, ut dum vita suppeteret, eo frueretur. (Ibid. p. 481.) Ita summorum Principum munificentiam levidensibus his donis prosequebatur & remunerabatur Ecclesia, nec pietatis quæ erat significatio, Canonibus injuriosa videbatur.

VI. Hugo Cluniacensis Abbas ut Alfonsi Hispaniarum Regis beneficentiam aliquo vicissim remuneraretur dono, anno 1070. quotidianam in refectorio Præbendam illi concessit, ut statim ejus nomine pauperibus erogaretur. Adsignavit & illi nobilissimum unum ex altaribus Ecclesiæ suæ, ut quæ ibi offerrentur sacrificia, illi potissimum fructuosa essent. Quid istud aliud, quàm Hispaniæ Regem Præbenda & Beneficio Ecclesiæ suæ investire? *Statuimus ut Præbendam quotidianam habeat in refectorio, ad majorem mensam, quasi si nobiscum epulaturus sederet, quæ uni pauperum Christi semper tribuatur, pro salute animæ ejus, tam in vita, quam in morte, & Dedimus ei unum altare de præcipuis in Ecclesia quam ipse de propriis facultatibus construxisse videtur, quo divina mysteria ibidem celebrata, saluti ejus valeant suffragari.* (Spicil. To. 6. pag. 447.) Eò major, quò diuturnior erat harum Præbendarum fructus, ut quæ ne cum vita quidem ipsis extinguerentur. Obiter hîc monebo, cùm Præbendæ, seu portiones istæ pauperibus statim distribuerentur, etiam pro defunctis Monachis, eo die anniversario, quo eorum nomina in Refectorio recitabantur : à Petro venerabili Abbate earum numerum defixum fuisse ad quinquaginta ; ne si in dies semper augesceret, Abbatiæ reditibus prorsus aliquando exhaurirentur. (Bibl. Clun. pag. 1363.)

VII. Delibandum hîc aliquid & de Anglia est, ubi Archiepiscopus Cantuariensis consilio inito de Sede sua in Ecclesiam sancti Stephani transferenda, constituendum sibi primò ibi Capitulum Canoni-

corum sæcularium existimavit; cujus Præbendas adsignavit primarias Regi, erat is tunc Henricus II. Episcopisque Provinciæ omnibus, ea lege, ut Præbendis ipsimet & Vicariis annuos proventus compararent. Quod ab eo fiebat eo consilio, ut Rex & Episcopi ei assentirentur Sedis translationi.
*Script. Ant. Angl. pag. 1481.* *Et ut Regem & Episcopos Angliæ sibi confœderaret, Regi, ut fertur, unam assignavit Præbendam, & Episcopis suffraganeis suis singulis singulas, sic tamen ut ipsi Præbendis & Vicariis suis reditus necessarios invenirent. Addit, &c.* Hinc probabile fit non semel Canonicos istiusmodi fuisse fundatores ipsosmet Ecclesiarum, vel Canonicatuum; & dum abessent, Vicarios sibi subrogasse, ad quos proventus Præbendarum redirent.

VIII. Reges ipsi quandoque pro Canonicis dicti sunt Abbates, ut jam ostensum in Ecclesia beati Martini Turonensis: utque indubium quoque est de Ecclesia Pictaviensi beati Hilarii, cujus superest sacramentum, quod Capitulo præstabat Rex, cùm
*Pag. 51.* primùm illuc accedebat. *Juramentum quod facere & præstare tenetur Rex Abbas Ecclesiæ beati Hilarii, quàm primùm personaliter ad eam accesserit.* Id certè legitur ad calcem Annalium Aquitanicorum. Anno 1403. cùm primùm Aurelianensis Dux solenni pompa urbem Aurelianensem iniret, in Ecclesia sancti Aniani susceptus est in veste Canonicorum, pro antiquo more & ritu, ut refert Joannes Juvenalis Ursinus in vita Caroli VI.

*In l. 5. Decret. part. 1. pag. 154.* Scripsit & Fagnanus de his nobilium laïcorum Præbendis in Ecclesia Compostellana Hispaniæ, & Turonensi in Gallia, & ne eas quidem docet Canonistis inexploratas fuisse, qui eas minimè improbarint; cùm nullius in rei merè spiritalis communionem vocentur laïci, sed temporalibus tantùm vel honoribus impertiantur, vel emolumentis. Addit vix quidquam hac ætate ejusmodi tentari posse, cùm vel pensiones ipsæ in Ecclesiastica bona cœperint instar habere rei spiritalis.

IX. Quod ad Germaniæ Imperatores attinet, contulit Rainaldus in annum 1311. ritum & pompam coronationis Imperatorum, quòd eo anno Henricus VII. Romæ Imperatoria corona redimiri se constituisset exoptassetque. Electus ergo Imperator statim Canonicus Ecclesiæ sancti Petri à Canonicis ejus Ecclesiæ constituitur in Ecclesia sanctæ Mariæ Majoris, quò illi ideo accedunt: & mox
*Rainal. an. 1311 n 12. 53. 57.* vestibus Imperatorum amicitur. Pontifex ad altare illum admittit, tanquam Diaconum: Imperator autem sacra facienti Pontifici Calicem & urceolum offert vices Subdiaconi agens. Anno 1377. non potuit Carolus IV. à Rege Galliæ impetrare, ut Natale Christi ad sanctum Quintinum ageret; quòd cùm moris illi esset, ut ad Nocturna Officia septimam lectionem in veste Imperatoria recitaret; molestissimè laturi essent Galli, ea vel umbra jurisdictionis eum in Galliis gaudere, in quas nihil unquam
*An. 1377. n. 13.* juris fuit Germanis Imperatoribus. *Quoniam tum moris esset Imperatorem nocte Natalis septimam officii Matutinalis lectionem in habitu & insignibus Imperialibus recitare, nequaquam id licuisset ei intra Regnum Franciæ nihil Imperio debens exercere.* Verba ea sunt Spondani Apamiensis Episcopi; qui & alibi narrat Sigismundum Imperatorem anno 1414. Constantiam venisse in pervigilio Natalis Domini, Missæ Pontificis Romani affuisse, Evangelium recitasse,
*An. 1414. n. 10.* Diaconorum veste indutum. *Ad Missam Pontificalem habitu Diaconali legit de more Evangelium. Exiit edictum à Cæsare Augusto.* Ex eodem Spondano Fri-

dericus Imperator post præstitum Papæ sacramentum, Alba indutus est, in Canonicum Ecclesiæ sancti Petri admissus, tum denique corona cinctus: *An. 1452. n. 2.*
*Alba indutus, & in Canonicum sancti Petri receptus.* Verba ea sunt Naucleri, quæ Rainaldus etiam historiæ suæ intexuit. Anno 1468. cùm idem Imperator *An. 1468.*
Natale Christi Romæ ageret, à Diaconibus Cardi- *n. 45.*
nalibus veste sacra Diaconi indutus fuit, & ita Evangelium recitavit in Nocturnis Officiis, reliquam lectionem ab alio decantandam dimittens. *Camisium vestemque albam, & pluviale, ministrantibus Diaconibus Cardinalibus sumpsit, & Evangelium lectionis septima non injucundè cantavit.* Nec aliter Carolus V. Imperator anno 1529. Canonici Lateranenses Roma Bononiam profecti sunt, ut illum Collegio suo adjungerent, cùm ibi corona Imperii ornatus est anno 1530. *Capitulariter receperunt in Cano-* *Rainal. an.*
*nicum & confratrem.* Canonici sancti Petri eò quo- *1530 n 45.*
que Roma se contulerant, teste Paulo Jovio, unde *Spond. ann.*
& ipsi illum Concanonicum sibi asciverunt. Ponti- *1530. n. 12.*
ficale & Ceremoniale Romanum hæc omnia accuratissimè describunt præscribuntque. Illud Sigonius *Sigon. de*
commemorat, cùm Longobardiam peragraret Im- *Regno Italiæ. l. 7.*
perator, in more positum fuisse, ut secundam ac- *Panormit.*
cepturus coronam, in vestibus Subdiaconorum Ar- *In l. 1. Decr.*
chiepiscopo Mediolanensi ministraret. Hoc veluti *pag. 25*
privilegium Imperatoribus indultum commentan- *Fagn. ibid.*
tur Canonistæ. Longè probabilius plurimas Dia- *& pag. 154.*
conorum & Subdiaconorum vestes, Imperatorum proprias olim fuisse, & ab illis fuisse Sacerdotio communicatas. Et hac ni fallor convenientia antiquissima & cognatione Regiarum vestium cum Sacerdotalibus, adducebatur olim piissimus Rex Robertus, ut solemnioribus Festis pretiosissimam indutus Cappam, permisceretur Cantoribus Ecclesiæ S. Dionysii, ut constat ex antiquo Codice ejus Abbatiæ, quem laudat Molinetius in Tractatu de Canonicis. *Inter Missarum solemnia stans in Choro cum* *Reflex. 50.*
*Cantore, cæterisque Chorum tenentibus, indutus cappa serico pretiosa, quam sibi ad hoc ipsum comparaverat, tenens sceptrum Regale aureum in manibus totum Chorum, immo totam Ecclesiam illustrabat psallens cum psallentibus.*

X. Exierunt in lucem variæ Chartæ, quibus Reges Galliæ inscribuntur Abbates sancti Hilarii Pictaviensis, Abbates sancti Martini Turonensis, Canonici Cenomanenses, Andegavenses, Lugdunenses, Aquenses in Provincia Narbonensi, sancti Quintini, Cleriaci. Anno 1481. confirmatum est à Ludovico XI. Rege, veluti *Capite & Abbate* privilegium sancti Hilarii Pictaviensis, ne reus quisquam possit ad supplicium rapi eo vico, qui major in Burgo est sancti Hilarii. Idem ipse Rex confir- *Preuves des*
mato privilegio sancti Martini Turonensis, & im- *Lib. Gallic.*
munitate ab exactionibus omnibus, hanc addidit *pag. 24.*
clausulam: *Prædecessores nostri prædictam Ecclesiam multis privilegiis supra cæteras decorarunt, in qua specialem tenuerunt sedem Abbatiæ, tanquam primi intitulari in Ecclesia post Romanum Pontificem qui solus in ea præsidere potest Episcopus.* Ad Galliæ Reges devoluta sunt jura hæc omnia, cum ipsis Comitatibus & Ducatibus, quibus ea adscripta & diu coalita fuerant. Si Reges autem id in more habent, ut suas in his Ecclesiis Præbendas aliis conferant: id ex eo profectum est, quod, ut suprà vidimus ab Exemplo Ecclesiæ Cantuariensis, qui hujusmodi Præbendarum compotes erant: ii dum abessent, Vicarios sibi substituerent.

XI. Suspicari potuisset aliquis, has Regales Ab-

batias, Canonicasque Præbendas, earum reliquias fuisse tenuissimas, quas vel ipsi Reges invaserant temporibus Pipini & Caroli Magni stirpis, de quibus nos alibi copiosissimè. Hincmarus Remensis Archiepiscopus nepoti suo Hincmaro Laudunensi, probro & crimini vertebat, quod jure Beneficiario possidenda Regi dedisset Ecclesiæ prædia, injussu Metropolitani & Provinciæ Episcoporum. *Domino Regi sine meo ac Coepiscoporum nostrorum consensu beneficiasti.* Sed longo hæc distant intervallo; & quàm invidiosæ fuerunt antiquæ illæ usurpationes, tam blandæ & amoris atque concordiæ inter Sacerdotium & Regnum conciliatriculæ fuere hæ posteriores Ecclesiæ concessiones, Præsulibus Regibusque hinc inde tum suavissimæ, tum ad mutuam honorificentiam compositæ. Hinc ad tuitionem & patrocinium Ecclesiæ paratiores fuere Reges, & adeo non res ejus imminutum ierunt, ut vehementiùs in dies adauxerint. Duplici ergo ex illo fonte hic manavit usus, ea pietate Ecclesiæ in Principes, ea Principum in illam largitate.

XII. Non ergo ad hanc alteram Canonicorum laïcorum classem configendam spectabant allata priùs Concilia. Quin & quidquid fuerat censuræ acerbioris, utcumque videri potest revocatum fuisse à Benedicto XII. Papa anno 1339. in reformandis Canonicis Regularibus sancti Augustini. Prohibuit enim Pontifex, ne ulli posthac vel in Cathedralibus Ecclesiis, vel in Monasteriis Præbendarii susciperentur laïci, nisi semet ipsi priùs rebus cum suis omnibus dederent. *Ne in Ecclesia Cathedrali, seu Monasterio, quivis Clericus sæcularis vel laicus recipiatur ad Præbendam, seu etiam portionem, nisi eidem dederit primitus se & sua* Uberiùs ea de re infrà, ubi de simonia disputatio instituetur. Hîc verò ad hujus capitis calcem monebimus, si terrenos Principes Regesque hic exhibuerimus, nomine, veste, dignitate sacra Canonicorum, Thesauriorum, Abbatumque indutos: non id à Scripturis ipsis divinis abhorrere. Sic illæ enim de filiis Davidis Regis: *Filii autem David Sacerdotes erant.* Quin & ipse David conspiciendum se in Templo præbuit Sacerdotali veste linea amictum: *Porro David erat accinctus Ephod lineo.* Jam tum ergo regnum cum Sacerdotio consuescebat, eaque societas & consuetudo istiusmodi consignabatur documentis, approbante & testificante Scriptura.

*Conc. Gen. Tom. 11. Par. 3. pag. 1800.*

# De Præpositis, Decanis, Prioribus Abbatibus, Abbatissis.

## CAPUT LXV. *P. 2. L. 1. c. 32.*

### De Præpositis, Prioribus & Decanis in Monasteriis ante sæculum VIII.

*I. De Præpositis tempore Gregorii Magni.*
*II. De Præpositis & Decanis eodem tempore.*
*III A quibus Præpositi & Abbates eligerentur.*
*IV. De Prioribus & Decanis*

I. Gregorii Magni ævo sui jam erant Monasteriis Præpositi, iidemque ipsi ac Priores erant. Meri erant Administratores; sed perpetui, nec ferè, vel tunc, vel ab origine aliud Beneficiarii erant. Præpositi verò & Priores secundùm Abbates totam Monasteriorum regiminis sarcinam sustinebant. Joannes Abbas à Gregorio Papa expetiit licentiam ordinandi Bonifacii in Præpositum sui Monasterii. *Petiit dilectio tua ut frater Bonifacius in Monasterio tuo à te debeat ordinari Præpositus.* Aliàs præcepit Gregorius ut incurioso muneris sui Abbati adjungeretur Præpositus pervigil & industrius. Monachum Roma dimisit Neapolin, ut in Monasterio Præpositus crearetur, quin & Abbatis sedem impleret, si ea interim dignus compertus fuisset. In Dialogis verò agit Gregorius de Præpositis quibusdam mira animi magnitudine & fortitudine præditis, qui disciplinæ corruentis labes sarciebant, infringebantque ipsam Abbatum perversitatem, quos Græco aut Syro more vocat Gregorius Patres Monasteriorum. Isidorus Hispalensis, cura maximè & sollicitudine rerum temporalium Præpositos onerat. *Ad Præpositum pertinet sollicitudo Monachorum, actio causarum, cura possessionum, satio agrorum, plantatio & cultura vinearum, diligentia legum, constructio ædificiorum, opus Carpentariorum, seu fabrorum.* Inferiùs suo loco demonstrabimus temporalium Ecclesiæ bonorum administrationi ita addictos fuisse Præpositos, ut id muneris aliquando Laïci usurparint.

*L. 3. Ep. 3. Ind. 11.*
*L. 4. Ep. 4.*
*L. 7. Ep. 92.*
*L. 1. c. 1. 7.*

II. Sed retroflectendus nobis gressus est ad priorem illam Gregorii Epistolam. Ea enim liquet Præpositum peræquè ut Abbatem *ordinari* solitum, nec id tamè nisi ex assensione Episcopi factum esse. Possent & ea aliis Epistolis Gregorii testimonia ad id corradi. Verum satis esse superque arbitror, ex ipsa B. Benedicti Regula invictissimum expromere argumentum: ubi gravissimè increpat Præpositos quosdam, qui adversùs Abbates ferociebant in iis locis ubi ab eodem prorsus vel Abbate, vel Prælato Abbates & Præpositi ordinabantur. *Sæpius contingit, ut per ordinationem Præpositi scandala oriantur, dum æstimantes se secundos Abbates, dissensiones faciunt, maximè in illis locis, ubi ab eodem Sacerdote vel ab eisdem Abbatibus, qui Abbatem ordinant, ab ipsis etiam & Præpositus ordinatur.*

*L. 6. Ep. 10.*
*Reg. c. 65.*

Ut huic Præpositorum contumaciæ, & hinc emergentibus malis mederetur B. Benedictus, consultissimum existimabat, ut à creando Præposito supersederet Abbas, & per Decanos eorum loco substitutos, ut plures, Cœnobium moderaretur, ut divisa in plures authoritas modum teneret, & superbire dedisceret. *Per Decanos ordinetur omnis utilitas Monasterii. Ut dum pluribus committitur, unus non superbiat.* Si autem omnino necesse sit deligi Præpositum, ab Abbate eligatur, cum consilio piissimorum Monachorum. *Quemcumque elegerit Abbas cum consilio fratrum timentium Deum, ordinet ipse sibi Præpositum.*

III. Altiùs ergo repetita rei origine, Episcoporum erat Abbates Præpositosque deligere & ordinare. Utque electio Abbatum non multò pòst Monasteriis ipsis permissa est, privilegio quidem, sed quod statim & pervagatissimum & juris communis fuit: ita electio Præpositorum non multo pòst tempore Abbati ipsi & Monasterio dimissa fuit. Porro Abbates illi, quos attingit B. Benedictus, & à quibus ait ordinari solitos Abbates alios Præpositosque: facilè conjiciuntur ii esse, qui alia quædam fundassent Monasteria, in quæ proinde id sibi juris vindicarent, ut ea semper haberent sibi obnoxia.

IV. Ne Prioris quidem nomen B. Gregorium latuit, in Monasteriis utriusque sexûs *Ut ad Prioratûs locum pertingeret, &c. Ille Prioris obtinet locum,*

*L. 4. Ep. 4.*
*L. 6. Ep. 10.*

&c. Concilia Galliæ de Præpositis quandoque egerunt. Can. 14. Concilium II. Turonense, *Abbate aut Præposito gubernante.* Decanos paulò suprà Benedictus ipse commemoravit. Hieronymus & Cassianus non semel de iisdem egere, quibus Abbas commendabat regendos Monachos decem, unde & Decanorum nomen. Agit de illis etiam Augustinus, ubi tradit singulos Monachos quidquid operis manibus August. de morib. Eccl. L. 1. c. 31. elaborassent, Decanis suis contradidisse. *Opus suum tradunt eis quos Decanos vocant, eo quod sunt denis præpositi.* Penes Decanos fuisse omnem temporalium potestatem: *Decani cum magna sollicitudine omnia disponentes, &c.* Denique uni Abbati ab omnibus reddendas omnium fuisse rationes. *Rationem reddunt uni, quem Patrem vocant.*

---

## CAPUT LXVI. *P. 3. l. 1. c. 49.*

### De Præpositis & Decanis, sub Imperio Caroli Magni.

*I. Præpositorum in Abbatiis potestas Abbatum potestati proxima.*

*II. A Monasteriis ad Capitula Canonicorum translati sunt Præpositi, quando Capitula juxta Regulam Crodegangi in Congregationes Monasticis simillimas conformata sunt.*

*III. Tunc data est opera, ut in antiquam formam & regularitatem restagerentur Præpositi, à qua mirum in modum descivenerant.*

*IV. Ut Præpositi in Laïcos penè desciverant, ita laïci invaserant Præposituras. Et malo medicina quæsita.*

*V. Præpositus ab Episcopo, vel ab Abbate nominabatur.*

*VI. Quanta Præpositorum potestas.*

*VII. Distinguuntur Præpositura Capitulorum & Monasteriorum. Illa ex Archidiaconatus sectione aliqua emerserant.*

*VIII. Multa circa Præpositos statuerat Regula beati Benedicti.*

*IX. Et circa Decanos, qui Præpositis suberant.*

*X. Cùm sæcularibus cupiditatibus servire cœpissent Præpositi, eis sufficiuntur Decani.*

*XI. Officia Præpositorum & Decanorum perpetua erant.*

*XII. De iis qui vocabantur Domni & Nonni.*

*XIII. Præpositorum & Decanorum erat Lectores benedicere.*

*XIV. De Decanis Ruralibus.*

*XV. Summa eorum quæ de Præpositis & Decanis dicta sunt.*

I. Monasteriorum summa erat penes Abbates potestas, proxima penes Præpositos, Authoritas & sollicitudo temporalium maximè rerum, frequensque hinc necessitas evagandi procul à Claustro, inopinos paulatim tandem sæculari vitæ moribusque profanis Præpositos implicuit. Hinc illud Caroli Magni Decretum, vetantis, ne vena- Conc. Gall. To. 2. pag. 248. tioni & aucupio se dederent. *Ut Monachi per verbum Episcopi, & per regimen Abbatis regulariter vivant. Et ut Præpositus, & hi qui foras Monasteria sunt, ne venatores habeant, quia jam frequenter jussimus, ne Monachi foras Monasterium habitassent.* Hinc & Laïci in Officia invaserunt Præpositorum, ubi Præpositi in mores Laïcorum descivere. Id subodorari fas est Ibid pag. 255. ex Concilio ad Theodonis villam: *Ut laïci non sint Præpositi Monachorum intra Monasteria, nec Archidiaconi sint laici.* Utroque sanè ex eo abusu, quòd Præpositi nomine vesteque Monachi, re & vita sæculares essent, vel nonnunquam etiam sæcularem vestem gerentes; factum est ut Monasteriorum administratio in Decanorum manus deveniret. Perspicuum id quidem in Concilio Moguntino, ubi commendata strictiori observantia Regulæ sancti Bene- Can. 11. dicti, præcipitur in hunc modum anno 813. *Decrevimus sicut sancta Regula dicit, ut Monasterium ubi fieri possit, per Decanos ordinetur; quia illi Præpositi sæpè in elationem incidunt, & in laqueum diaboli.* Concilium Remense II. eodem anno habitum, loqui videtur de Præpositis, uti de Vicedominis, hoc est, tan de sæculari dignitate, quæ non fuerat tamen instituta, nisi ad Ecclesiam defensandam. *Ut Præ-* Can. 24. *positi ac Vicedomini secundùm Regulas vel Canones constituantur.* Hoc est, sicut Ecclesiæ Cathedrales jubentur Canonicis institutis suos habere Vicedominos; ita & suos Monasteriis Præpositos præesse debere. Itaque Præpositi quasi Vicedominorum & Advocatorum munia obibant in Monasteriorum defensionem.

II. Ad nauseam usque jam inculcatum à nobis est, Crodogangum Canonicorum Regulam ad Regulam B. Benedicti effinxisse ac contemperasse. Itaque ut Monachorum Collegia, ita & Capitula Canonicorum in potestate Præpositorum fuere. Patet res ex Capitularibus Caroli Magni: *De his quos* L. 1. c. 88. *Præpositi Canonicorum aut Monachorum ordinandos expetiverint, eadem forma servanda est.* Idem rursum dilucidius patet ex Concilio Aquisgranensi sub Ludovico Pio, ubi exterior interiorque Canonicorum in communis vitæ societate degentium disciplina, Præpositis omnino committitur. Eorum est spiritalium rerum libros Canonicis suggerere quos legant: eorumque rursus est tam validis altisque mœnibus claustra vallare, ut nec ingressus pateat, nec exitus ullus, nisi porta ea, cujus custodia viro prudentissimo credatur. *Præpositorum officii est, ut subditorum mentes sanctarum Scripturarum lectionibus assiduè muniant: & quanquam ab his hoc instantissimè fieri oporteat, necesse est tamen, ut claustra in quibus Clero sibi commisso canonicè vivendum est, firmis undique circumdent munitionibus; ut nulli omnino intrandi, aut exeundi, nisi per portam pateat aditus.* Præpositis mox iisdem præcipitur, ne plures in Col- Can. 117. legium suum Canonicos allegi sinant, quàm quan- 118. tos alere per annuos reditus, & piè regere per disciplinæ regularis custodiam licebit. *Ne si indiscretè plures aggregaverint, ipsos gubernare non valeant, nec cæteris Ecclesiæ necessitatibus adminiculari.*

III. Instauratio hæc castioris disciplinæ, Ludovici Pii authoritate constituta, primigeniæ integritati restituit Regulares, Clericalesque omnes Congregationes, ipsosque adeo earum Præpositos, ut potestati qua pollebant, par responderet vitæ sanctimonia. Porro Synodus hæc eadem Aquisgranensis declarat Præpositos quidem dici posse, quicumque aliis præsunt: sed usum invaluisse, ut Præpositi dicerentur, qui cùm Canonicos vel Monachos in potestate haberent, ipsi in Episcoporum potestate essent. *Quanquam omnes qui præsunt, Præpositi rectè* Cap. 139. *dicantur, usus tamen obtinuit eos vocari Præpositos, qui quandam Prioratûs curam sub aliis Prælatis gerunt.* Qui ergo hic dicuntur *Ecclesiarum Prælati*, ii vel Episcopi sunt, vel Abbates. Eorum porro est eligere sibi Vicarios & Officiales quoscumque, quos in partem vocent potestatis & sollicitudinis suæ. *Oportet* Ibid. c. 138. *Ecclesiæ Prælatos, ut de Congregatione sibi commissa tales eligant boni testimonii fratres, in quibus onera regiminis securè possint partiri; quibus etiam talem conferant potestatem, ut vice illorum fungentes, & inobedientes canonicâ censurâ corrigere, & obedientes hortando ad meliora valeant provocare.*

IV. Conventus Abbatum & Monachorum Aquisgrani habitus anno 817. duo illa inculcavit ad Regularis disciplinæ tuitionem cum primis conducibilia & necessaria; primum, ut nec jam laïci Præpositi esse sinerentur: *Ut Monachis nonnisi Monachus* Cap. 31. 32. *Præpositus constituatur.* Cùm Monachis tantùm Præ-

positurae hae concedantur, Clerici ea spe videntur ipsi quoque frustrari. Secundò ut more Majorum penes Praepositos esset summa omnium sub Abbate potestas. *Ut Praepositus intra & extra Monasterium, post Abbatem majorem reliquis Abbati subditis habeat potestatem.* Regni negotiis tunc plerumque distinebantur Abbates, sive in Aula Principis, sive in exercitu: ita temporalis potestas omnis, quae tum erat permaxima, ad Praepositos devolvebatur, & hinc illis evagandi ansa, saeculoque altiùs se immergendi.

V. Diximus non à Collegio ipso Monachorum eligi solitos Praepositos & Decanos, aliosque omnes Capituli vel Monasterii ministros, sed vel ab Episcopo solo, vel ab Abbate. Quanquam autem ab Episcopo vel Abbate solo eligi possent, non tamen ab eo solo poterant exauthorari, ne humani affectus illuderent; uni Monasterii utilitati vel necessitati eos servire decebat, qui Monasterii Officiales abdicabant. *Ibid. c. 56.* *Ut Praepositus, Decanus, Cellarius de eorum ministerio nisi cautâ utilitatis aut necessitatis non removeantur.*

Posset nescio quid objectari ex electione Hincmari in Praepositum Monasterii sancti Vedasti. Quo enim tempore ipse inaugurabatur Episcopus, confessus est se ejus Monasterii electum fuisse Praepositum ab Episcopo & Monachis. *Conc. Gall. To. 2. pag. 652.* *Respondit quod Praepositeram Monasterii sancti Vedasti jubente Joanne Episcopo & consentientibus fratribus susceperit.* Sed responderi potest vacuam tunc fortasse fuisse Abbatis sedem, ut non rarò tunc contingebat, sic volentibus Regibus: ita Episcopus in jus Abbatis successit, Praepositumque delegit. Aut ea fortasse tunc Abbatia Canonicorum erat, communis vitae vinculo adunatorum, in quos primas authoritatis partes Episcopus sibi vendicabat. Ita de se ipso testatur Hincmarus, Canonicum se in Abbatia beati Dionysii fuisse, antequam Monachi sancti Benedicti in eam inducerentur.

VI. In Ecclesia Viennensi, qui Archidiaconus, idem Praepositus erat, ut colligere est ex Concilio Valentino III. anno 855. *Can. 23.* *Propter Archidiaconum & Praepositum suum, &c.* Narrat ipse Hincmarus Remensis efferbuisse in Hincmarum Laudunensem Episcopum Regem Carolum Calvum, invasisse temporalia ejus omnia, excepta Ecclesia, Episcopatu & Claustro Canonicorum: Vicedomino autem & Praeposito praecepisse, ut prohiberent, ne quid obsequii Episcopo Clerici Laïcive ejus Ecclesiae exhiberent *Tom. 2. pag. 517.* *Per Vicecomitem ipsius pagi in bannum, quod jus lingua Latina proscriptio confiscandi vocatur, est missum, &c.* Ex quibus liquet, ut Vicedomino summa erat potestas in Laïcos omnes unius Dioeceseos, ita Praepositum Clericis omnibus Ecclesiae praefuisse; & secundùm Episcopos ac Abbates caeteris omnibus gloria & dignitate Praepositos praecelluisse. Ideo & Sangallensis Monachus refert praestantissimos duos Monachos, sancti Columbani alumnos, natalium quidem obscuritate prohibitos fuisse, ne Episcopi vel Abbates fierent; eorum pater moletrinae praefuerat: meritorum tamen suffragiis factos esse Bobiensis Monasterii Praepositos, altero in alterius decedentis locum succedente. *Du Chesne. To. 2. pag. 110.* *Per merita tamen, ut creditur, Magistri sui, Praeposituram Bobiensis Monasterii unus post unum strenuissimè gubernaverunt.* Scribens Agobardus ad Lugdunenses suos, monet illos subesse tribus Pastoribus sub Episcopo suo, nempe Monachos Abbatibus, Praepositis Canonicos, Parochis fideles Laïcos. *Ita ut in nomine Pastorum & Rectorum intelligantur Abbates, & Praepositi, atque Presbyteri.*

VII. Finem faciam dicendi de Praepositis, ubi accumularo nova quaedam documenta originis eorum, prout ea superiùs à nobis enarrata est. Primaeva ab origine fuisse eos Claustris Monachorum sub Abbate Praefectos; & exinde Praepositos quoque dictos fuisse Congregationum Clericalium principes & duces sub Episcopo, postquam eae se ad Monasteriorum formam effinxere, communemque vitam amplexatae sunt. Extant apud Flodoardum summa capita & argumenta complurium Hincmari Epistolarum, quas ille nunc ad Capitulorum, nunc ad Monasteriorum Praepositos exarabat. *L. 3. c. 28.* In Regula Canonicorum Crodogangus unum eundemque donat nomine, dignitate & potestate Archidiaconi, Praepositi, & Primicerii. *Cap. 10.* *Qui Archidiaconus, vel Primitiarius, &c. Qui Archidiaconus, vel Praepositus, &c.* Archidiacono sanè eadem potestas commendata fuerat in omnes unius Ecclesiae Clericos, nondum tunc in communis vitae societatem devinctos, quae postea credita est Praepositis, post Congregationes Clericorum institutas. Itaque primùm Archidiaconi & Praepositi Officia conjuncta in unum fuere, quae sejuncta deinde fuere, ut esset penes Praepositum jurisdictio in omne Capitulum, penes Archidiaconum autem prisca in alios omnes totius Dioeceseos Clericos authoritas. Itaque Praepositura Capitulorum velut decerpta fuit portio quaedam Archidiaconatûs: ita ut Praepositi deinceps Vicarii fuerint Episcoporum & eorum jurisdictionis administri in Canonicos: sicut Archidiaconi in Clericos caeteros omnes Dioeceseos, qui quondam hos illosque omnes fuerant complexi. Addit denique Regula Crodogangi, si quo se graviori flagitio obstrinxerit Archidiaconus, vel Praepositus, ab Episcopo utrumque exauthorari debere, aliumque substitui. *Ibidem.*

VIII. Ex Regula B. Benedicti bene multa jam capite superiori decerpta sunt, sed & restant aliqua, quae hîc addantur. Plures in Decanias partitur Regula B. Benedicti Congregationes Monasteriorum numerosiores; & cuique Decano adsignat regendam gregis universi portionem, summo sub imperio unius Abbatis. *Cap. 21.* *Si major fuerit Congregatio, eligantur de ipsis fratres boni testimonii & sanctae conversationis, & constituantur Decani qui sollicitudinem gerant super Decanias suas, &c. quibus securus Abbas partiatur onera sua, & non eligantur per ordinem, sed secundùm vitae meritum & sapientiae doctrinam.* Eligebantur ergo Decani, non aetatis, sed meritorum & experientiae suffragio. Non abdicabantur nisi qui desperatae essent pravitatis: *Correptus tertiò, si se emendare noluerit, dejiciatur.* Eadem Decanos authoritate armat B. Fructuosi Regula: *Cap. 21.* *Decani sint eis quasi custodes & rectores, tanquam pro ipsis rationem Domino reddituri.* Illis Monachi clam aperiebant arcanas animi sui cogitationes, cupiditates, latebras omnes: quae videri posset privatae confessionis imago: *Non celent fratres Decanis suis, quidquid per singulos dies cogitaverint.* Constitutiones San-Gallensis Abbatiae circa annum 817. jubebant impleri ab Praeposito Abbatis absentis munia, à seniore quoque Decanorum partes impleri absentis Praepositi. *Absente Abbate Praepositus locum ejus in Ecclesia, in Capitulo & in refectorio teneat, &c. & Praeposito non praesente senior Decanus eadem faciat.* *Saec. Bened. 4 pag. 741.*

X. Anno 813. Concilii Moguntini Patres inculcata Regulae observantia religiosissima, statuêre, ut

pro Præpositis, quos transversos agebat pernicialis quædam præsumptio, per Decanos Abbati subjectos Monasteria regantur. [Can. 11.] *Decrevimus sicut sancta regula dicit, ut Monasterium, ubi fieri possit, per Decanos ordinetur; quia illi Præpositi sæpe in elationem incidunt & in laqueum diaboli.* Nec tamen desitum est in compluribus Abbatiis Præpositos creari; in quibus plures cùm essent Decani, cæteris unus eminebat Senior Decanus: unde & post Abbatem Præpositumque primus sedebat ante alios. *Ut Senior Decanus reliquis Decanis præponatur, & Abbate, vel Præposito præsente, locum proprium teneat.* Cùm frequenter & Abbates abessent & Præpositi, hinc illa emergebat unius Decani supra alios prærogativa honoris & potestatis, ut ab eo, dum abessent, vel nulli forsan essent Abbates Præpositique, Monasteria regerentur.

XI. Hinc ille ipse Abbatum Conventus anni 817. apud Aquisgranum, ubi hæc ad eum modum constituta sunt, statuit & hoc rursus, ut perpetua essent Officia Præpositi, Decani, & Cellerarii, nisi eos alio evocet urgens necessitas aliqua vel utilitas evidens. [Can. 55. 56.] *Ut Præpositus, Decanus, Cellarius, de eorum ministerio, nisi causa necessitatis, vel utilitatis, non removeantur.*

XII. Primaria hæc ergo erant in Monasteriis Officia post Abbates tria, Præpositus, Magnus Decanus à cæteris sejunctus Decanis, & Cellerarius. Si enim in hoc eodem Conventu Nonni memorantur: [Cap. 54.] *Ut qui præponuntur, Nonni vocentur:* non id dignitatis nomen est, sed honoris præfatio, ad omnes in dignitate collocatos usitatissima, uti nunc *Domni* vox, quæ tunc Abbatum propria erat. Disertè enim B. Benedictus, [Cap. 63.] *Abbas quia vices Christi creditur agere, Domnus & Abbas vocetur.* Utque seniores cum alloquebantur juniores, fratres eos appellabant: ita à junioribus honoris causâ seniores Nonni vocabantur. *In ipsa appellatione nominum, nulli liceat alium puro appellare nomine: sed priores juniores suos fratres nominent; juniores autem priores suos Nonnos vocent: quod intelligitur paterna reverentia.*

Suspicari posset quis ab extremis his verbis, Nonni vocabulo paternam gravitatem authoritatemque designari. Sed similius tamen veri est sanctitatem tantùm eo declarari. Ita enim ea voce utitur Hieronymus: [Epist. 48.] *In adulationem tui sanctum Nonnumque te vocat.* Rursum ita Arnobius Junior: *Adulantes nobis invicem, Sanctos vocamus & Nonnos.* Et alibi: [In Psalm. 140. 105] *Si ille qui Sanctus vocatur & Nonnus.* Hinc *Nonnæ*, & *Nonnanes* apud Hieronymum & antiquos Scriptores, atque in Conciliis ipsis, quæ à nobis dicuntur *Sanctimoniales.* Si quid hîc autem nonnihil diffideat ab iis, quæ alibi de Nonnis dicta sunt, id totum vicissitudini temporum imputandum est.

XIII. Ad Decanos redeo, quibus idem Conventus Aquisgranensis Abbatum jus tribuit benedicendi Lectoris, sicut Abbati, & Præposito: quamvis nec hi, nec illi Presbyteratu initiati essent. [Cap 61.] *Ut Abbas, Præpositus vel Decanus, quamvis Presbyteri non sint, lectoribus benedictionem tribuant.* [Du Chesne. To 2. pag 228.] In antiquo Chronico Decanus Monasterii Vicarius vocatur Abbatis & Præpositi. *Tibi Decano ad vicem Abbatis & Præpositi.*

XIV. Quando Monasticæ Disciplinæ imago Capitulis Canonicorum appingi cœpit: par fuit in his, atque in illis Præpositorum & Decanorum authoritas. Cùm Parochi etiam Ruris Capitula sua menstrua cœperunt colligere & Congregationes, eligendi & ipsi fuere Decani in singulis regiunculis, qui præessent. His ruralibus Decanis affinitas magna cum Archipresbyteris, ut patet ex Concilio Tolosano. [Ann. 843. c. 5.] *Statuant Episcopi loca convenientia per Decanias, sicut constituti sunt Archipresbyteri.* Hincmarus eos *Magistros* vocat, quòd cæteris illi imminerent Parochis, & de Statutorum observantia religiosissima à Parochis exhibita Episcopum admonere deberent. *Hæc omni anno investiganda sunt à Magistris & Decanis Presbyteris per singulas matrices Ecclesias, & qualiter observentur illa quæ capitulatim observanda Presbyteris dedimus.* [Conc. Gall. To. 3. p. 623.] Non loci Parocho, non regiunculæ, seu Decanatûs cujusque seniori, Decani dignitas tribuebatur, sed Parochi ipsi eligebant suo ex cœtu dignissimum, & rerum expertissimum; quem & ab Episcopo confirmari curabant, sive prior Decanus vivere desiisset, sive sua illum loco dejecisset improbitas. Ex Hincmari ad Parochos suos Capitularibus hausta sunt hæc omnia. *Si Decanus in ministerio vestro, aut negligens, aut inutilis, & incorrigibilis fuerit, vel aliquis eorum obierit, non inconsideratè Decanum eligite, &c. Electionem ad me referte, ut à me confirmetur, aut immutetur.* Extant apud Flodoardum inscriptiones quædam Epistolarum Hincmari ad Decanos, qui non iidem erant cum Archipresbyteris. [Ibid. p. 643. Flodoard. L. 3. c. 28.] *Gerardo Decano, &c. Sigloardo Archipresbytero, &c.* Commiscentur tamen nonnunquam Archipresbyteri cum Decanis, teste Reginone, ubi velut ex Agathensi Concilio allegat hunc Canonem, qui apud Burchardum [L. 2. c. 262.] etiam, & Gratianum legitur, quo jubentur Parochi, & Decani rurales, seu Archipresbyteri adesse, cùm ineunte quadragesima Episcopus pœnitentes publicos ad fores Ecclesiæ excipit. *Ubi adesse debent Decani, id est, Archipresbyteri Parochiarum cum testibus, id est, Presbyteris pœnitentium, &c.*

XV. Quæ Ebboni Archiepiscopo Remensi adscribitur institutio de Officiis ac Ministris Ecclesiæ Remensis, quamque Sirmundus ad calcem Flodoardi attexuit; ea Præposito adjicit spiritalem temporalemque jurisdictionem omnem, exteriorem & interiorem in Capitulum, in personas, in mores, in res. *Præpositum decet cura interior ac exterior.* Et infrà: *Omnes negligentias omnium publicè deprehensas in Capitulo omnium fratrum judicio puniens his modis, id est, aut carcere, aut separatione mensæ, sive omnium verberum diversitate.* Jurisdictio ut vides datur Præposito & Capitulo in Canonicos. 2. Ab Episcopo datur. 3. Ea non poterat carere Congregatio, vitam agens communem. Ea enim societate communis vitæ tunc constringebatur Remense Capitulum, ut ex hac ipsa constitutione liquet. 4. Ea tunc negotiorum mole gravabantur Remenses Archiepiscopi, in Aula, & in exercitibus, in Conciliis etiam ipsis, quæ tunc frequentissima erant, ut hujus sarcinæ partem aliquam in alios rejici, non expediret tantùm, sed & necesse esset. Eo necessitatis telo adacti, tantum authoritatis impertiebant Archidiaconis, Chorepiscopos creabant, Capitulorum verò sollicitudinem in Præpositos transferebant. 5. Sed ea Constitutione nihil potestatis datur Archidiaconis ad excommunicandos Presbyteros, cùm in Diaconos & inferiores Clericos eo jure omnino uterentur. *A Diacono usque ad infimum excommunicare.* Chorepiscopis non mandantur, nisi ea munia, quæ Presbyteria consentiant. Denique Archiepiscopo ibidem vendicatur summa quædam jurisdictio in Prælatos omnes inferiores, ac proinde in Præpositos. *Cujus Officii summa speculationis hæc est, ut & subtilissimè providendo insistat, qualiter omnium officia*

*studiosissimè*

*studiosissimè gubernando ad portum perfectionis dirigat.*

Erant & Decani in eodem Remensi Capitulo, & plures erant, in eosque eminebat omnes jurisdictio & potestas Præpositi. Sicut & in Monasteriis Præpositus uni postponebatur Abbati, Decania verò omnibus Monachisque moderabatur. Audi Ebbonem: *Cujus etiam prudentissima circumspectio Decanis sibi suppositis invigilare debet; ne unus quidem à maximo usque ad minimum absque ejus conscientia & licentia unius diei spatio nequaquam ab officii sui loco desit.* De Decanis Capituli utique non de Ruralibus hæc interpretari necesse est. Dicemus infrà, ut Præpositi quidam totos se, authoritatem suam & industriam contulerint ad temporalium administrationem & defensionem, sive utilitati Monasteriorum tunc in ea re, sive propriæ servirent cupiditati: dimissa permissaque Decanis potestate & cura spirituali omni, qui exinde principes & capita evasere Capitulorum. Cúmque lapsu temporis Præpositi temporali quoque potestate insolentiùs abuterentur: non paucis in Ecclesiis extincta est ea dignitas, ejusque potestas in Decanos refusa, & in Capitula ipsa: dati Decanis Vicarii, & Substituti, qui Subdecani dicti; denique Decanorum numerus olim ingens, in unum Decanum Subdecanumque constrictus est. Aliis in Ecclesiis vigent Præpositi, præsuntque Capitulis, quòd nunquam ibi ea fuerit illorum improbitas, quæ in aliis locis. Si in Capitulis autem non semper subsunt Decani Præpositis aliqui; ne in Monasteriis quidem forsan ipsis semper erant Decani, qui Præpositis parerent; sed ubi erat major numerus Monachorum, quibus adeo & plures præficiendi essent, alii aliis obnoxii.

## CAPUT LXVII. *P. 3. l. 1. c. 50.*

### De Cellerariis, Hospitalariis, Thesaurariis, Infirmariis, Oeconomis, Cantoribus, Prioribus, Præbendariis, sub Imperio Caroli Magni.

*I. De Cellerariis Monasteriorum, & Capitulorum.*
*II. De Hospitalariis.*
*III. De Xenodochiis Capitulorum.*
*IV. De Infirmario.*
*V. De Thesaurario.*
*VI. De Oeconomo.*
*VII. De Cantoribus, Scholasticis, Primiceriis.*
*VIII. De Prioribus in Abbatiis.*
*IX. De Prioribus Cellarum, vel Obedientiarum.*
*X. Quomodo ex Prioribus Abbates evaderent.*
*XI. De Prioratibus inter Clericos moros.*
*XII. De Præbendis & de Beneficiis.*

I. CUm Capite superiori delibatum jam sit aliquid de Cellerario, ostensumque eam potissimam fuisse post Præpositos & Decanos dignitatem: denique à Monasteriis ad Capitula Canonicorum traductam: æquum est, ut de ea hîc ante alias omnes agatur.

Officium Cellerarii tempore beati Benedicti latissimè patebat, suæque potestatis ambitu temporales Monasterii res omnes complectebatur, quarum Administrator is erat, & tanquam Monasterii Pater. *Omni Congregationi sit sicut Pater*: ut habetur in Regula. Ei incumbebat cura infirmorum, infantium, pauperum, hospitum. *Infirmorum, infantium, hospitum, pauperumque cum omni sollicitudine curam gerat.* Itaque quæ postea fuere sejuncta Officia Infirmarii, Hospitalarii, Thesaurarii, Eleemosynarii, uno Cellerarii munere hæc olim omnia continebantur. Ejus erat bona omnia Monasterii spectare & tractare tanquam Christi patrimonia, pretia peccatorum, oblationes & hostias sanctas, eaque reverentia quodammodo prosequi, quo sacra vasa. *Omnia vasa Monasterii, cunctamque substan-* Cap. 31.
*tiam, ac si altaris vasa sacrata conspiciat.* Verba ipsissima sunt Regulæ beati Benedicti.

Hanc Cellerarii institutionem compendiosiùs ex- Cap. 11.
pressit Crodogangus, quando eam dignitatem à Monachis transtulit ad Canonicos. Concilium A- Cap. 140.
quisgranense sub Ludovico Pio utriusque hujus Regulæ verba & decreta retinuit; sed à Cellerarii munere officium distraxit Hospitalarii; de quo hîc dicendum, tanquam de Cellerarii portione primùm decerpta.

II. Hospitalario incumbebat cura Xenodochii pauperum, cui Capitula omnia pendebant decimas, non solùm prædiorum Ecclesiæ, sed etiam Oblationum, omniumque eleemosynarum & piarum largitionum: & impendebant præterea, quo necessitatibus pauperum omnibus fieret satis. *Prælati Ecclesiæ præcedentium Patrum exempla sectantes, aliquod præparent receptaculum, ubi pauperes colligantur, & de rebus Ecclesiæ tantum ibidem deputent, unde sumptus necessarios, juxta possibilitatem rerum, habere valeant, exceptis Decimis, quæ de Ecclesiæ villis ibidem conferuntur. Sed & Canonici tam de frugibus, quam etiam de omnibus Eleemosynarum oblationibus in usus pauperum decimas libentissimè ad ipsum conferant hospitale.* Duplex illud est proventuum genus, qui- Can. 142.
bus Concilium Aquisgranense anni 816. sustentari decrevit Xenodochium pauperum. Episcopus prædia idonea, decimasque omnium Ecclesiæ prædiorum assignare debet. Capitula eò inferre decet proventuum suorum omnium & distributionum decimas. Hoc enim Canone ea duo distinguuntur.

Præfectus autem Xenodochii, vel Hospitalarius ea Capituli Collegio deligendus est; nihil potest eorum quæ pauperibus erogantur, in suos usus convertere: denique exsomni diligentia in eum invigilare debet Episcopus, ne alimenta quæ sunt pauperum, ea ipse tanquam sui Beneficii fructus præcerpat. *De ipsa Congregatione boni testimonii frater constituatur, qui hospites & peregrinos adventantes ut Christum suscipiat; qui ea quæ in usus pauperum cedere debent, nequaquam in usus suos reflectat &c. Sed & Prælatorum debet vigilare industria, ne eum cui hospitale pauperum committitur, res pauperibus deputatas in aliquo minuere, aut his quasi Beneficiario munere concessis, sinant uti; quod à Prælatis quibusdam curam pauperum parvipendentibus, fieri comperimus.*

III. Possunt in hæc verba non incongruè observari, quæ jam aliqua ex parte suprà perstricta sunt. 1. Capitulis omnibus sua fuisse Xenodochia, quæ ipsi fundassent, & exædificassent Canonici. 2. Xenodochium hoc in commune patuisse hospitibus, pauperibus, iter agentibus. 3. Ab Ecclesia Cathedrali dotatum illud fuisse, assignatis prædiis agrisque aliquantis, & aliorum decimis omnium. 4. Canonicos quoque ipsos eò contulisse decimas suarum distributionum, cujuscumque demum generis illæ essent. 5. Administrator hujus Xenodochii unus erat ea Canonicis. 6. Eorum quæ in pauperum usus conferebantur, ne delibare quidem quidquam ille poterat, & in marsupium suum derivare. 7. Jam tamen irrepserat nescio quid corruptelæ, ut veluti ea proprio quopiam Beneficio aliqua sibi privatim surriperent, *quasi Beneficiario munere.*

8. Abdicatione plectuntur, qui in suas detorquent utilitates erogatas in alimenta pauperum stipes. *A ministerio removendus est, quippe qui & pretia peccatorum & alimenta pauperum, & thesaurum cœlo recondendum, suis, quod fas non fuit, aptavit usibus.* Ex
Cap. 4. 5. Regula Crodogangi totum hoc Caput decerptum est. In Regula beati Benedicti, hospitum cura uni
Cap. 53. etiam ex Monachis mandata fuerat. *Cellam hospitum habeat assignatam frater, ubi sint lectisternia sufficienter, &c.*

IV. E Cellelarii quoque officio detruncatum
Cap. 141. fuerat Infirmarii officium. Statutum fuerat à Concilii Aquisgranensis Patribus, ut quanquam essent privatæ singulis Canonicis ædes: propria tamen senibus & infirmis habitatio adsignaretur: *Mansio*
Can. 40. *infirmorum & senum intra Canonicorum claustra fieri debet à Prelato.* Regula Crodogangi unum ex Ca-
Can. 36. nonicis delegat ad infirmorum curam. *Sit unus ex Clero deputatus timens Deum, qui circa infirmum maximam curam gerat de omnibus necessitatibus ejus.* Regula B. Benedicti ægros infirmosque domesticis credebat servis, quibus imminebat Cellerarius, Cellerario Abbas. *Infirmis fratribus sit Cella super se deputata, & servitor timens Deum; curam maximam habeat Abbas ne à Cellerariis, aut servitoribus negligantur infirmi.*

V. Thesaurarii & Eleemosynarii munera non multùm abludebant ab officio Hospitalarii. Memo-
Baluz. in Appen. ad Lupum Fer. pag. 524. ratur Thesaurarius Capellæ quæ obnoxia erat Abbatiæ Compendiensi, in privilegio Regis Caroli Simplicis, ad ejus Capellæ erectionem dato, cui inserviebant Canonici duodecim. *Prepositus & Decanus Monasterii Compendiensis cum fratrum consilio in præfata Capellæ loco constituant Præpositum & Thesaurarium ex suis.*

VI. Archiœconomi mentio fit in Capitularibus
L. 2. c. 29. Caroli Magni. *Sive Episcopus sive Archiœconomus ejus.* Episcopo cuilibet suus erat Oeconomus. Erant forsan & aliquando in una Ecclesia plures, quorum caput & princeps Archiœconomus dicebatur. Cæterùm administrabat Episcopi & Episcopatûs substantiam omnem temporalem Oeconomus; longè diversus ab iis qui Capituli agros proventusque curabant, postquam Congregationibus vitam communem agentibus concredita sunt Capitula, ut infrà ostendetur hujus operis tertia & ultima Parte, ubi de temporalibus Ecclesiæ bonis copiosissimè disputabitur.

VII. Plurimùm etiam inter se consentiebant Dignitates Cantorum, Succentorum, Præcentorum, & Scholasticorum. Erat in Collegiis Canonicorum copia ingens Cantorum, quibus præceptiones luculentissimas edidit Concilium idem Aquisgranense, de ratione recitandi vel decantandi Psalmos, ea suavitate ac gravitate, qua influat & inhærescat pietas in animis fidelium. Cúmque hæc Cantorum schola complures complecteretur juniores Clericos, commendabatur eorum institutio & regimen spectatissimæ pietatis & gravitatis Canonico, qui præfervidè ferocientis juventæ impetum retunderet, componeretque, & studiis litterariis præes-
Can. 137. set. *Constituantur interea seniores fratres, probabilioris scilicet vitæ, qui tempore statuto vicissim cum Cantorum schola sint; ne hi qui discere debent, aut otio vacent, aut inanibus & supervacaneis fabulis insistent.* Cùm plures autem eam provinciam exercerent per vices, hinc forsan quandoque una in Ecclesia Scholastici com-
Can. 50. plures. Porro Canon iste ex Regula Crodogangi contextus est totus, & in compendium missus. Ex historia Comitum Andegavensium liquidò constat Scholasticum alicubi eundem fuisse cum Cantore. *Qui postmodum Odo Magister scholæ & Præcentor ejusdem Ecclesiæ sancti Martini Consule adminiculante constitutus est.* Spicil. to. 10. pag. 455. Hic ille est Odo Cluniacensium Abbas celeberrimus.

Verùm perdiu antè Aldricus, qui Cenomanensi postea præfuit Ecclesiæ, Cantor creatus fuerat, Scholasticus & Primicerius Ecclesiæ Metensis. In ejus Gestis, quæ litteris mandata sunt à discipulis ejus, hæc occurrunt de Cantorum dignitate primùm: *Eligentibus fratribus, & suadente Episcopo, licet coactè, senior Cantor ibi sublimatur.* Jam de Scholastici Officio, quo antè ornatus fuerat: *In scholis verò in quibus jam Magister erat constitutus, sapienter multos & innumerabiles in supradictis artibus erudiens magnum lucrum in Ecclesia Dei facere meruit.* Denique oculis subjicitur dignitatis Primicerii ea amplitudo, quæ se exporrigat in omnem Clerum urbis & Diœceseos. *Videntes eum Pontifex, Clerus, populus in dictis Ministeriis & doctrinis magnum habere studium, & multos Doctores ac Magistros nobiles fecisse, in majus eum ministerium, quamvis coactè sublimaverunt; & Primicerium secundùm Romanum ordinem eum esse constituerunt, totumque Clerum, tam civitatis, quàm Monasteriorum, sive totius illius civitatis Parochiæ ei subditum esse preceperunt, & Magistrum omnium eum constituerunt.* Ex quibus emicat, non amplitudinem tantùm & splendorem ac jurisdictionem his dignitatibus illigatam fuisse ingentem, sed & Officia cum primis operosa, & laboris plurimi. Scholastici enim in scholis verissimè docebant, unde & in eas jurisdictio illis plurima etiamnunc est.

VIII. Priorum tam frequens memoria est inter Ecclesiastica Beneficia, ut eorum nominis origo & antiquitas diligentiùs etiam nobis vestiganda sit. Sancit Crodogangi Regula, ut Canonicus pia confessione deponat in aures Episcopi sui, vel Prioris nefarias quasque dæmonum suggestiones: *Deinceps cum aliqua cogitatio mala in cor, suadente diabolo, venerit, citò Episcopo vel Priori confiteatur.* Cap. 31. 32. Monachorum utique è pia disciplina id erat mendicatum, de quibus proximo capite dicitur: *Monachi in unoquoque Sabbato confessionem faciant cum bona voluntate, Episcopo aut Priori suo.* Idem suadebat Regula B. Benedicti: *Cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere, & seniori spiritali patefacere.* Cap. 4. Qui senior vocatur à B. Benedicto, Prior dicitur à Crodogango. Itaque Prioris nomine generatim videri possent hîc designari seniores & honoratiores, non qui speciali hac dignitate quapiam fulgerent. Ita in Conventu Abbatum anni 817. Priores dici videntur quicumque præerant Monasterio: sive Abbas, cùm adesset: sive eo absente Præpositus, sive absente Præposito Decanus, Decano Cellarius: *Balnearum usus in arbitrio Prioris consistat. Juxta Prioris arbitrium opera exerceant jejunantes. Libris de Bibliotheca juxta Prioris dispositionem acceptis.* Cap. 7. 18.

IX. Quin à veri specie non recedit, ubi omnes illi in dignitatibus constituti aberant, tunc ex Monachis natu maximum, seu professione priorem, & aliis præfuisse, & Prioris nomine & dignitate interim gavisum esse. Multò verò certius est, in Cellis, seu Obedientiis, seu minoribus Conventibus, ubi propter insignem paucitatem, nec Abbas, nec Præpositus erat ullus, nec Decanus, nec Cellerarius, totam spiritalium temporaliumque præfecturam fuisse penes unum, qui Prior apppellaretur.

In vetustissimo Chronico refertur Oddo quidam Monachus ab Abbate impetrasse obedientiam, cum titulo Prioris, quo gradu elatus jamque altiùs spirans, Abbatis nomen ambiebat, ut eo ab Abbatis sui absolveretur nexu. *Quidam frater Monasterii deprecatus est Abbatem, ut huic supradicto Monacho Oddoni quandam obedientiam de Pollentia subtus eum daret; qui precibus ejus acquievit. Oddo adiit ad Arduinum, ut illum Abbatem faceret de Cella, unde Prioratum habebat. Marchio dixit se non posse facere, quia pater suus dederat Bremetensi Monasterio.* A præpotente tandem Patrono ambitiosus Monachus Romam perductus est, & à Papa in Abbatem inauguratus. At mox fraude & obreptione comperta abdicatus, & priori suo Abbati sacramento obligatus est, nunquam se, nisi ex ejus assensu vel Abbatia ulla, vel Prioratu investitum iri. *Marchio duxit secum Romam, obtulit maximam pecuniam Papæ, & dedit ei consecrationem, &c. Dominus Papa cognita veritate, dato anathemate jussit, ut nec Abbas fieret, & in jussionem sui Patroni rediret, &c. Juravit Oddo, Ego sine licentia domini mei Abbatis, nec Abbatiam, nec Prioratum habebo.*

Du Chesne To. 3. pag. 643.

X. Obiter hîc advertes, Abbatias plerumque in ditione sua habuisse minusculos Conventus, qui Cellæ & Obedientiæ dicebantur, propter obedientiam Abbati præstandam; eas Cellas à Prioribus administratas fuisse, qui & Obedientiarii etiamnunc alicubi dicuntur. Porro Prioratus hujusmodi conferebat Abbas, Prioratus in Abbatias crescebant, cum Prior Abbatum benedictione donabatur. In hoc verò exemplo, dum certa illi constet fides, elucet Prioratus à Papa in Abbatias erigi: aspirare favorem ad id Principum temporalium, priorum Abbatum consensum præ cæteris desiderari.

XI. Claustrales hi Prioratus ex Regularibus sæcularia tunc evasere Beneficia, cùm longa rerum experientia docuit, vix ac nec vix satis accuratam esse posse religiosæ vitæ observantiam in tantillo numero Monachorum. Tunc enim Clericis sæcularibus habitandæ excolendæque commendatæ sunt hæ Cellæ, ut suo alibi prolixiùs loco declarabitur.

Potuere tamen & aliqui ab origine Prioratus esse merè Clericales. Præcipit enim Concilium II. Aquisgranense anni 836. ut habeat unaquæque Ecclesia Presbyterum suum, qui Mysteria ibi celebret, sive Episcopo uni immediatè, sive Priori etiam Presbytero alteri obnoxius. *Unicuique Ecclesiæ suus provideatur ab Episcopis Presbyter, ut per se eam tenere possit, aut etiam Priori Presbytero subjugatus, ministerium Sacerdotale perficere possit.* Duo hæc sunt genera Rectorum, seu Parochorum. Alii Parochiam suo sibi jure retinent: *ut per se eam tenere possit.* Alii subjecti sunt Presbytero alteri, qui Prior hîc dicitur, cui antè obnoxia fuerat ea Capella, quàm in Parochiam erigeretur: *aut Priori Presbytero subjugatus.* Antiquissima sanè hæc sunt exempla Priorum-Curatorum, ut etiamnunc appellitantur. De his forsan Prioribus interpretanda sunt Hincmari Capitularia, ubi præcipitur ut Capitulis Parochorum unius tractûs præsit Decanus vel Prior. *Decanus, aut aliquis Prior illorum benedicat cibum.*

Can. 16.

Regino. l. 1. pag. 213.

In Epistola Pauli Papæ ad Pipinum Regem Prior dicitur qui scholæ Cantorum præerat: *Ad Monachos Simeoni schola Cantorum Priori contradere deberemus, ad instruendum eos in Psalmodiæ modulatione.*

Du Chesne. Tom. 3 pag. 719.

Proximè igitur à vero abest, Priorem dictum fuisse, qui primus aut antiquissimus esset in Collegio quopiam, quòd simplicissimè ea voce designetur ordo & sedes. Eo sensu Episcopi Concilii Turonensis IV. anno 849. litteras dedere ad Nomenoium ducem Armoricæ: *Nomenoio Priori gentis Britannicæ salutem.* Nomen ergo Prioris cum majoribus olim Dignitatibus tributum fuisset, cessit tandem magnificentioribus titulis subinde excogitatis, & minusculis adhæsit Beneficiis.

Conc. Gall. To. 3. pag. 69.

XII. Usitatior quoque cœpit esse vox Præbendæ, sicut & Beneficii. Eo autem discrepabant ea duo vocabula, quòd Beneficium diceretur ager aliquis, vel fundus, quem Clerici, Laïcique tunc promiscuè ab Ecclesia obtinerent usufructuario jure. Præbendæ verò non erant nisi sportulæ, seu distributiones, quæ inter ejusdem Ecclesiæ Canonicos Monachosque distribuerentur. Perspicuum est illud discrimen in Capitularibus Caroli Magni, ubi vetantur qui sustentare se possent fructibus Beneficii sui, ullam partem attingere earum distributionum, quæ alendis pauperibus dicantur: cui decreto si qui obluctentur, iis & Beneficia auferentur, & Præbendæ. *Canonici Clerici, qui in civitatibus, vel in Monasteriis degunt, qui Beneficia habent, unde victum & vestitum habere possunt, ut his juxta Apostolum contenti sint, & stipendia fratrum unde pauperiores vitam sustinent, nequaquam absumant. Si quis hæc statuta contempserit, utrisque careat, id est, & Beneficio & Præbenda, atque si gradibus fruitur Ecclesiasticis, his privetur.* Expostulat quoque idem Carolus in Capitularibus suis, de iis qui præter Parochiales Ecclesias Præbendas obtinerent in Monasteriis: & de Canonicis unius Ecclesiæ, qui Parochialis præterea Ecclesiæ regimini præficiebantur: *Contra Canones Presbyteri nostræ Parochiæ dicuntur Ecclesias suas negligere, & Præbendam in Monasterio Montis Falconis obtinere; sed & Canonici ipsius Monasterii Ecclesias rusticanarum Parochiarum occupare.*

Addit. l. 2. c. 76.

Conc. Gall. To. 3. pag. 637.

Ex quibus patet, 1. Canonicos Monasteriorum, id est, Ecclesiarum Collegialium in commune viventium, Parochias aliquando jam tum accepisse regendas, quod Canonibus obstrepebat, teste hîc Hincmaro. 2. Parochis præter Parochiales Ecclesias suas, fuisse quandoque concessas Præbendas, hoc est, manuales distributiones, quæ in Canonicos dispensabantur, quod alienum æquè erat à Canonicis regulis. 3. Beneficia necdum tunc dicebantur vel Præbendæ istæ, vel Parochiales Ecclesiæ: sed prædia agrique, quibus Laïci quandoque de Ecclesia benemeriti, aut benemerituri remunerabantur, & quibus postea donati sunt etiam Clerici.

---

## CAPUT LXVIII. *P. 4 l. 2. c. 66.*

## De Beneficiis Regularibus, & primùm de Abbatibus & Abbatissis post annum Christi millesimum.

*I. De Beneficiis. Quando ea vox usitatior esse cœperit, & ad Claustrales etiam Administrationes propagata sit.*

*II. Ex sanctiorum Monachorum flore eligendi erant Abbates; & quæ sacrorum Ordinum, eadem Abbatiarum aditum crimina obstruebant.*

*III. Intra annos sexaginta non totus Cisterciensium Abbatiæ effloruerunt quingentæ.*

*IV. Cluniacensium major etiam fœcunditas fuit.*

*V. Cur Cisterciensibus non fuerint nisi Abbatiæ, Cluniacensibus etiam Prioratus.*

*VI. Summum jus Abbatis Cluniacensis in sui Ordinis Prioratus.*

*VII. Alia & alia ratione Cluniacenses & Cistercienses in beati Benedicti vestigia & exempla ingressi sunt.*
*VIII. Diligenter Cluniacenses Abbates cavent, ne Prioratus sui in Abbatias consurgant. De erectione Prioratuum in Abbatias.*
*IX. Cujusmodi sint Abbatia Cluniacensium. De fundatione novarum Abbatiarum.*
*X. Libertate. Cluniacensium assensione sua Episcopi confirmabant.*
*XI. De Ordine Præmonstratensi.*
*XII. De Abbatissa Burgensi in Hispania, qua Præposita Generalis est omnium Hispaniæ Cisterciensium Abbatissarum.*
*XIII. Unde in Capitulis Canonicorum Abbates.*
*XIV. De Cluniacensibus & Cisterciensibus Monialibus*

I. IN Concilio Turonensi anni 1060. eo ferè quo nunc sensu Beneficii vox usurpatur, sed non agitur ibi nisi de Episcopis, Abbatibus, Archipresbyteris, Archidiaconis, Præbendis & Canonicatibus. (Cap. 1. 5) *Qui pecunia Episcopatum, Abbatiam, Archidiaconatum, Archipresbyteratum, seu aliquam dignitatem Ecclesiasticam, sive aliquem gradum, aut ministerium, vel Beneficium, quod non nisi Clericis habere sanctorum Patrum sanxit authoritas, dare vel accipere tentaverit, &c. Præbendam qua Canonica dicitur, &c.* Olim Dignitates, Gradus, Ministeria, voces erant usitatissimæ. Beneficii vocabulum nunc irrepebat, Clericisque incipiebat aptari: quanquam & hoc ipso in Concilio Laicis adhuc accommodetur. Docebit Alexander ipse III. Papa, quàm novum adhuc & insolitum esset, eam vocem Clericis aptari. (Epist. 35.) *Nullus deinceps Episcoporum Beneficium Ecclesiæ, quod quidam Canonicam vel Præbendas, seu etiam ordines vocant, pro aliquo pretio Clericis audeat conferre.* Incipiebant ergo tunc Clericis, aut vendi, aut donari eadem ipsa Ecclesiæ prædia, quæ Laicis hactenus in Beneficium, & quasi in Feudum conferebantur. Rarius tamen id erat adhuc, & meris distributionibus donari solere Clericos, docet hæc eadem Synodus, cum *parte* sua mulctet incontinentiæ reos Clericos. (Can. 3.) *Neque partem ab Ecclesia suscipiat.* Quæ eadem pœna aliis verbis exprimitur in Concilio (Can. 15.) Rotomagensi anni 1072. *Ne aliquid de Beneficiis habeant.* Ad Canonicos Lugdunenses scribens Gregorius VII. Papa, eosque certiores faciens de Decano suo, qui in manus suas renunciaverat (L. 6. Ep. 34.) *obedientias cæteraque Beneficia*, quæ illis inconsultis sibi vendicarat: hæc Ecclesiæ Beneficia alio isto vocabulo designat: *Ecclesiæ dispensationes.* Quanquam enim à privatis Clericis obtinerentur hæc Beneficia, forma tamen & natura eorum erat eadem semper, quæ patrimonii Christi & Ecclesiæ bonorum. Mera hæc erant deposita, nec Clerici aliud quàm Dispensatores eorum & Administratores erant. Eò redit germana significatio vocis Beneficii.

II. Jam ostensum est Abbates primum & Principem tenuisse locum inter Diœceseos cujusque Beneficiarios post Episcopum. Prohibitum est in Concilio Rotomagensi anni 1074. ne eligerentur Abbates, nisi qui longis Regularis vitæ & sanctimoniæ (Can. 2. 6.) experimentis claruissent. *Quod nullus ordinetur Abbas, nisi qui priùs diuturna conversatione Monasticæ vitæ disciplinam assecutus fuerit.* In hoc eodem Concilio irregulares & exortes Abbatiarum declarantur, quicumque etiam Monachi conscientiam & famam turpi aliquo crimine maculassent. *Nullus Monachus corporali crimine publicè lapsus Abbas ordinetur: vel in aliquo exteriori officio præficiatur: quod in utroque sexu servetur.* Eodem Canone continebantur, & Monialium Abbatiæ, Administrationesque omnes & Officia Claustri.

III. In Capitulo Generali Cisterciensi anni 1151. narrat Matthæus Paris statutum fuisse, ne novæ amplius conderentur Abbatiæ, quòd quingentæ jam ejusdem Ordinis numerarentur. *In Capitulo Cisterciensi statutum est, ne de cætero aliqui novam construerent Abbatiam; quia numerus Abbatiarum illius ordinis usque ad quingentas excrevit.* Sanè ex eodem Matthæo, Capitulo Cisterciensi anni 1244. quingenti affuere Abbates, quando eo profectus est sanctissimus Rex Ludovicus IX. ut in Confraternitatem & communionem precum totius Ordinis adoptaretur. In brevi de Abbatiis Commentario suo Robertus de Monte non immeritò stupet, quî potuerint intra annos quinquaginta quatuor, nempè ab anno 1098. ad 1151. exædificari dotarique quingentæ unius Ordinis Abbatiæ: additque in Capitulo Generali, in quod cum Abbatibus omnibus confluxerant & Episcopi, qui ex eodem cœtu ad Episcopales infulas adsciti fuerant, ventum fuisse, ne is numerus augeretur. (Post opera Guiberti Abbati.) Definitum jam fuerat in Capitulo Generali anni 1134. ne qua nova extrui posset Abbatia, quæ ab aliis omnibus ejusdem Ordinis Abbatiis, non saltem decem leucis Burgundicis distaret; ne ullus Abbas suo ex cœtu novam propagaret Abbatiam, nisi sexaginta saltem professos haberet: & nisi præter Capituli Generalis licentiam, assensionem quoque impetrasset Episcopi, repræsentatis ei Ordinis Constitutionibus, & hac potissimum, vetari non posse ab Episcopis Abbates, quin Generalibus se sistant Capitulis. (Annal. Cister to. 1. pag. 276. 277.)

Anno 1148. Serlo IV. Abbas Sylviniacensis adjici, subjicique se voluit Ordini Cisterciensi, & Clarævallensi Abbatiæ, unà cum perillustri sua triginta Abbatiarum Congregatione, per Angliæ Galliæque Provincias sparsarum; teste & auspice hujus adunationis Eugenio III. (Ibidem. To. 2. pag. 104. 232.) Author est Goffridus in vita sancti Bernardi, centum sexaginta Abbatias ab eo ante obitum fundatas. Simile veri est eo numero contineri illas Sylviniacensium Abbatias, quæ illi accesserant, & alias id genus.

IV. In Chronico Cluniacensi perhibentur accessisse illi cœtui ac societati circiter trecentæ quatuordecim Ecclesiæ sive Monasteria; & Abbatias, vel Prioratus, Præposituras, vel Decanatus ad duo admodum millia adgregata fuisse sub imperio Abbatis Cluniacensis, Petri Venerabilis. *Et sub ipsius Abbatia Cluniacensis subjectione fuerunt tam Abbatia, Prioratus, Decanatus, Præpositura, Officiaque, tam mediatè, quam immediatè ei subjecta, circa duo millia, vel amplius.* (Bibl. Clun. 600.)

V. Verùm id intererat discriminis inter Ordinem Cluniacensem & Cisterciensem, quòd Cisterciensium non erant ferè nisi Abbatiæ, Cluniacensium verò Prioratus. Cùm enim prima omnium orbi Christiano affulserit Cluniacensis Congregatio, quæ longè plurima complecteretur Monasteria, uni Abbati Generali subjecta, etsi per longè remotissimos Episcopatus dissipata essent: ut hæc membrorum cum capite societas validiùs conglutinaretur, expeditius visum est, ut apud Cluniacum tantùm in manus Cluniacensis Abbatis omnes prorsus profiterentur. Itaque quidquid erat usquam Tyronum Ordinis & Novitiorum, Cluniacum proficisci cogebatur, & ibi obedientiam Abbati Generali profiteri. Hinc illud extitit, Prioratus & Obedientias fuisse Cœnobia alia, Cluniacum solam verè Abbatiam, in cujus potestate essent. Ad Petrum Cluniacensem Abbatem scribebat Prior Charitatis, missurum se Novitios suos, ut Cluniaci profiterentur, si per tempus liceret. *Si potuerimus præparare Novitios, ad* (L. 2. Ep. 6.)

*benedicendam mittemus.* Scribit ipse Petrus Cluniacensis Matthæum illum, qui postea Cardinalis Albanensis Episcopus fuit, in Cœnobio primùm Parisiensi sancti Martini de Campis susceptum, institutumque fuisse, & tum demum Cluniacum migrasse, ut profiteretur. *Corpori Monasterii quantum tunc fieri potuit, vel debuit, associatur: parvo temporis spatio emenso Cluniacum venit, quod ei de professione scripta, vel de Monachi usitata benedictione defuerat, à Cluniacensi Abbate ibi benedictio suppletur, & jam integer Monachus, &c.* Idem denique Petrus statutum vel promulgavit, vel confirmavit, ut Ordinis universi Novitii intra primum triennium Cluniacum convolarent, Regulam professuri, nec antè possent vel Ordinibus initiari, vel celebrare Mysteria, nec ullo fungi officio. Leo X. Papa primus omnium Priori sancti Martini de Campis apud Lutetiam concessit, ut Novitios ad professionem ipse admitteret suos, qui antè semper Cluniacum fuerant ablegati. *Monachis profiteri valde grave & dispendiosum existebat, ad Cluniacense Monasterium pro emittenda in manibus Abbatis, vel ipsius in spiritualibus Vicarii generalis professione, juxta instituta & laudabiles consuetudines dicti Ordinis accedere, &c.* Anno 1523. Priorem eundem sancti Martini de Campis Vicarium suum, & Generalem, & Perpetuum creavit Cluniacensis Abbas, ut Novitios ad professionem susciperet; quod privilegii genus in successores quoque ejus manavit.

*Bibl. Clun. pag. 1305.*
*Ibidem. pag. 1366*
*Hist. sancti Martini de Camp. pag. 123. 131. 136. 140.*

VI. Ea cum instituta igitur fuerat ratio, qua tam numerosæ Congregationis membra omnia unum in Ordinem & sub uno capite coalescerent: cùm una esset Abbatia vera Cluniacum; Cœnobia reliqua ejus essent veluti Cellæ & Obedientiæ, seu Prioratus. Hos enim omnes unus Cluniacensis Abbas confert Prioratus, ut electioni locus non sit, nec in eam rem se interponant Episcopi. Contrà verò si Abbatiæ totidem fuissent, & eligendi fuissent Abbates, & ab Episcopis benedicendi, confirmandique. Teste utemur omnium locupletissimo Ludovico Crasso Galliæ Rege anno 1119. in eo privilegio, quo Cluniacum donavit, suæ illud vendicanda menti. *Et quia certum est quod singuli Prioratus ad Abbatem & Monasterium Cluniacense pertinentes, per Abbates Cluniacenses acquisiti sunt, & eis dati ad suam, & Monachorum suorum, & pauperum Christi sustentationem: & quia à fundatione Ordinis Cluniacensis est observatum, quod Abbas Cluniacensis Prioratus suos committit regendos & custodiendos, sicut rem suam propriam cuicumque voluerit de suis Monachis, sine aliqua distinctione, electione, vel certa persona requisitione, vel nominatione, & eosdem removet, quando sibi bonum videtur & utile.*

*Bibl. Clun. pag. 176.*

Eo privilegio Cluniacensis Ordo universus protectioni & tuitioni Regiæ committitur, nec sermo tamen habetur, nisi de Cluniacensi Abbatia, & de Prioribus ei obnoxiis, qui mox ibidem recensentur. Nec collationis tantùm jure fruebatur Cluniacensis Abbas, nullo se Patrono, seu laico, seu Clerico io his interserente: sed Priores ipsemet nominabat, & revocabat ad nutum, cùm ex re esset, ut in hoc eodem privilegio perhibetur, atque ex Innocentii III. Epistolis colligere præterea fas est. Ea desiderari visa fuerant, ut Congregatio conflaretur Abbati suo plurimùm, Episcopis minùs obnoxia. Ideo & statim libertates & exemptiones suas explicuere Cluniacenses: revocabiles sd nutum Abbatis Priores nihil admodum curantibus Episcopis instituere, vel destituere. Contrà Cistercienses initio in potestate se Episcoporum esse præ se ferebant, cùm ab Episcopis Abbates eorum omnes benedicendi vel ordinandi essent.

*Regest. 15. Epist. 191.*

VII. Non Regulæ tantùm; sed & exemplo beati Benedicti gemina hæc tunc Congregatio serviebat, quamvis non eandem utraque viam insisteret. Condidit enim Benedictus ipse plures Abbatias, quæ lapsu temporis in alias multò plures sobolescere visæ sunt, ita ut nonnullo inter se nexu cohærerent, & Monti Cassino utcumque subessent. Id secuti sunt Cistercienses. Sed ingenuè tamen fateri cogimur, illam vetustissimam societatem Abbatiarum B. Benedicti, necessitudine quadam magis spontanea, & animorum conjunctione, quàm obedientiæ & jurisdictionis vinculo coaluisse, quod à Cisterciensibus additum est. Sed præterea sui erant Prioratus, suæ Cellæ, suæ Obedientiæ singulis B. Benedicti Abbatiis vetustioribus, & ad eam sese formam composuere Cluniacenses.

VIII. Ut arctiùs in dies stringeretur membrorum cum capite suo copula in Ordine Cluniacensi, in eo operam industriamque posuere, ut prohiberent, prohiberique curarent à summis Pontificibus, ne Prioratus sui Abbatiarum titulo & gloria augerentur. Paschalis II. anno 1100. id privilegii confirmavit. *Ad hæc adjicimus, ut in omnibus Prioratibus & Cellis, quæ nunc sine proprio Abbate vestro regimini subjectæ sunt, nullus unquam futuris temporibus Abbatem ordinare præsumat.* Honorius II. anno 1125. Clemeos III. anno 1187. totidem verbis, aliique similiter eorum successores idem privilegium roboraverunt. Istiusmodi causis cœpere Abbatiarum erectiones Romanis Pootificibua reservari. Authoritas eorum interpellata est, ut ne in Ordine Cluniacensi erigerentur ullæ. Sed & eam quidam interpellarunt, ut suspensa illa prohibitione erigerentur nonnullæ. Ab Alberto Stadiensi Abbate commemoratur, ut ab Archiepiscopo Bremensi illa ejus hæc fuerit erecta Abbatia, qui ibi consecravit Capellam ligneam, & tres affixit perillustres beneficasque familias, ut illic & sepulturam haberent & Sacramentorum erogationem. Cave dubites, eodem modo fundatas olim fuisse longè plurimas Abbatias, solius Episcopalis authoritatis interventu. *Statuit Albero Episcopus, ut iidem tres fratres cum uxoribus, & filiis, & filiabus, & reliqua progenie, & familiis ipsorum ibidem in perpetuum reciperent sacramenta Ecclesiæ & sepulturam.*

*Bibl. Clun. pag. 522. 569. 1378.*
*An. 1142.*

IX. Sunt tamen & Abbatiæ quædam in Ordine & sub ditione Abbatis Cluniacensis. Sed eæ nimirum erant Abbatiæ Cluniaco vetustiores, quas ei commendarunt subjeceruntque Pontifices putiori disciplina imbuendas. De his jam suprà diximus Abbatiis, quæ se ad accuratiorem B. Benedicti Regulæ formam refingendas, reformandasque Cluniacensi cœtui adgregarunt. Sed ipsius præterea suffragio summi Pontificis Paschalis II. opus est hic muniri discrimen illud Prioratuum à Cluniaco prognatorum, & Abbatiarum, quæ cùm gloria & opibus jam abundarent, abundarent autem & vitiis, ad Cluniacensis Ordinis & Abbatis authoritatem sese contulerunt. Postquam prohibuit Paschalis Prioratibus Cluniacensibus Abbatiarum titulos & pompam adjici: tum ad Abbatias delabitur, quas ait ab Apostolica Sede Cluniaco contraditas fuisse. *Abbatias verò, quas tuæ tuorumque successorum ordinationi præcessor noster Gregorius VII Papa commisit, nos quoque committimus.* Adrianus IV. Abbatiam Diœcesis Visuntionensis primùm gradu movit, & in

*Ibid p. 523. Epist. 29.*

Prioratum dejecit, quo anterioris in Sedem Apostolicam rebellionis pœnas lueret: & tunc demum eam Cluniacensi Abbati subjecit. Opportuniore infrà loco dicemus, qua cautione paterentur Abbatiæ, ut suæ ditionis Cellæ vel Prioratus in Abbatias crescerent. Non poterat novus Abbas, nisi ex professis prioris Abbatiæ eligi, in cujus Capitulo celebranda ea erat electio, & cui census annuus debebatur.

Promo nunc exemplum, ex quo multum luminis argumento quod hic tractamus, affundatur. Consentiente Capitulo Episcopus Ambianensis anno 1135. Collegium Canonicorum Regularium in eadem urbe instituerat, in Ecclesia quæ ditionis erat Capituli, & eodem structa loco, ubi ferebatur B. Martinus vestem olim cum Christo pauperis speciem induto partitus esse. Ei Canonicorum Collegio præfuit primò Prior, seu Præpositus: sed enixissimis tandem precibus Canonici ab Episcopo extuderunt, ut Abbatem ibi constitueret decimo pòst anno, quàm institutum fuerat Collegium. Quæ autem illum adduxerint rationes, ut morem gereret obsecundaretque Canonicorum votis, hæ referuntur, nec non & conditiones novæ hujus Abbatiæ, legesque. 1. Ut aliquantò plus authoritatis accederet Præsidi & Rectori Collegii. *Sub nomine Abbatis efficaciori cura, & honorabiliori disciplina regeretur.*

*Spicil. to. 12. pag. 162.*

2. Electio Abbatis celebrata à Collegio, confirmanda erat à Capitulo. *Concedimus ut quod huc usque de Priore actum est, & ordo electionis, & favor vestræ concessionis in prærogativam Abbatis transeat, & quidquid in Priorem habuis, in Abbatem Capitulum vestrum habeat, & Abbas à fratribus electus, & à vobis laudatus, benedictum tantum ab Episcopo recipiat.* 3. Non exigebatur ut Abbas ex ipso Capituli gremio eligeretur, quòd non posset sæcularis Canonicus Abbatem agere Canonicorum Regularium. 4. Nova Abbatia in potestate semper erat Capituli & Decani: *Vobisque subjectionem & obedientiam promittat, & à Decano curam accipiat animarum.* 5. Ita Episcopus unus cum Capitulo suo Prioratum auget, & amplificat titulo Abbatiæ. Regulares Prælatos facilè conjicitur ad eandem se formam accommodasse. 6. Cùm sæpissimè occurrant Abbatiæ Regulares Ecclesiis Cathedralibus subjectæ, prona est conjectura, subjectionem hujusmodi fuisse; & ab Episcopis similiter ipsis, Capitulisque eas fuisse fundatas, vel à Fundatoribus dono accepisse.

Fieri etiam vix potuit, ut non alicui eorum qui Abbatias fundabant, dotabantque, in mentem venerit aliquando, eas Congregationi Cluniacensi adglutinare, cujus fama sanctitatis regularisque disciplinæ orbem pervagata erat. Et sanè anno 1077. cùm Vuillelmus Aquitaniæ Dux Abbatiam extruxisset in suburbio Pictaviensi, illam protinus Hugoni Abbati Cluniacensi subjecit, ut in ea Abbatem & Monachos collocaret. *Abbas Hugo regulariter secundùm Præceptum Domini & sancti Benedicti Abbatem ordinet cum Monachorum catervis.* Non leviter illud prætereundum est, quod noluit Dux vel à suis successoribus nominari, vel à Monachis eligi, sed ab ipso designari Abbate Cluniacensi: quod propius aberat à moribus Cluniacensium, ut Abbatia nova Cluniacensibus Prioratibus quodammodo æquaretur.

*Spicil. To. 11. pag. 300.*

Mandata est litteris à Bertholdo Presbytero fundatio Monasterii Canonicorum Regularium anno 1095. à Decano Ecclesiæ Tullensis, & institutio Abbatis per Episcopum, quia illis in regionibus usitatissimum erat, ut Congregationibus Regularibus præessent Abbates, nullis non gaudentes Abbatum privilegiis, nisi quòd baculos Pastorales non gestarent. *Præpositum præfecit, quem Episcopus loci in Abbatem eidem Congregationi solemniter consecravit. Est enim consuetudo in illis partibus, ut Præpositi Congregationum hujusmodi Abbates nominentur, & in Abbates consecrentur, hoc tantùm excepto, quod baculos non portant.*

Postquam Robertus Cistertii Fundator ad priorem Abbatiam suam Molismensem regredi compulsus fuit, Albericus Cistertii Prior in ejus locum Abbas electus est à Monachis, & ab Episcopo Cabillonensi confirmatus; à quo & Paschalis II. Papa interpellatus est, ut novam Abbatiam nova quoque muniret confirmatione. *Ut locus ille Abbatia libera in perpetuum maneat.* Apostolicæ authoritatis pondere operæ pretium erat roborari tantæ reformationis exordia. Inusitatis his & necessariis causis adacti fuere quandoque Episcopi ipsi, ut à Pontifice firmari peterent, quod propriæ ipsorum erat potestatis.

X. Quùm in unius Abbatis Cluniacensis potestate essent omnes ejus Ordinis Prioratus, id hinc rursus luculentè astruitur, quòd non solùm domini temporales & Patroni laïci, sed Episcopi ipsi jure quocumque suo & ditione cederent Abbati. Perspicuum id fit ex eodem de quo suprà privilegio Ludovici Crassi Regis anno 1119. ubi sermo fit de Prioratu Charitatis: *Prioratus B. Mariæ de Charitate super Legerim, quem Gaufridus Altisiodorensis Episcopus, & Guillelmus Comes Nivernensis, & Bernardus de Chastant, & alii fideles nostri, ad quos locus ille de Charitate, cum villa & pertinentiis suis omnibus in spiritualibus & temporalibus totaliter pertinebat, Hugoni Abbati & Monasterio Cluniacensi, & eorum successoribus dederunt & concesserunt, absque ulla pretentione, &c.* Exhibet Bibliotheca Cluniacensis complurium Monasteriorum nomina, quæ Episcopi Diœcesani Abbati Cluniacensi concessere.

*Bibl. Clun. pag. 576.*

*Pag. 575. 178. &c.*

XI. Præmonstratensis Ordinis incrementa non minus forsan injicient admirationis. Narrat Hermannus Monachus Norbertum Fundatorem ejus Ordinis totos non totos triginta annos habuisse pene centum sui Instituti Abbatias. Addit porrò Regulam quidem B. Augustini profiteri eos, sed longè austeriorem disciplinam ab iis coli. *Ut beati Augustini pace dicamus multò rigidiorem multòque severiorem videmus esse Norberti, quàm Augustini institutionem.* Scripsere alii Abbatias amplius quàm mille eo cœtu aliquando numeratas fuisse, præter trecentas Præposituras, & quingentas Monialium Abbatias.

*De mirac. S. Mariæ Laud. l. 3. c. 6. 7.*

*Bibl. Præm. pag. 325.*

XII. Jam quod attinet ad Monialium Abbatias, non silendum nobis illud est, anno 1189. ab Abbate & Capitulo Cisterciensi Abbatissam sanctæ Mariæ in civitate Burgensi Hispaniæ institutam fuisse Præpositam Generalem Abbatissarum Ordinis in Regnis Castellæ & Legionis, jussamque Capitulum Generale quotannis celebrare in eadem civitate Burgensi. Congregato Capitulo Generali, Abbatissæ Burgensi assurrexere cæteræ omnes, velut parenti omnium spiritali; denique statutum est, ut quotannis illam & Burgensem Abbatiam visitarent quatuor majores secundùm illam Abbatissæ, sicut & anno quolibet Abbas & Abbatia Cisterciensis visitatur ab Abbatibus Firmitatis, Pontiniaci, Claravallis & Morimundi. Anno 1100. Guido Abbas Cisterciensis instituit Capitulum Generale Abbatissarum Galliæ & Regionum circumjacentium, qui-

*Anna. Cist. To. 3 p. 225. Gouvern. de l'Abbaye. pag. 236.*

bus quotannis conveniendum erat in Abbatia de Tart Ducatûs Burgundiæ. In commune ibi consultabant Abbatissæ, sicut Abbates in Capitulo Generali Cistercii. Præsidebat Cisterciensis Abbas, per sese, aut per Vicarium.

XIII. Porro siquibus in sæcularibus Ecclesiis Abbates quidam sunt inter Dignitates earum, ut patet ex Decretali *Ex transmissa, De renuntiatione*: non improbabiliter creditur Regulares olim eas fuisse Ecclesias, & tum à fervore primævo, tum à Regulari statu descivisse. Agemus alibi de Regularibus Ecclesiis compluribus, quæ in sæculares degenerarint. Ea rerum conversione facta, hærere potuere aliqua prioris statûs vocabula.

XIV. Cùm Cisterciensis Abbatiæ perstrictæ sint à nobis obiter quatuor filiæ principales, quæ eædem ipsæ matres sunt innumerabilium aliarum Abbatiarum, singulæ suarum, cùm omnes tamen Cistertio obnoxiæ sint; æquum est & hîc quinque filias designari Cluniacensis Abbatiæ, quarum quinque Magni Priores, sacramento fidelitatis & obedientiæ obligantur Abbati Cluniacensi, cùm suo quisque primùm Prioratu initiantur. Ita prorsus decretum fertur in Statutis Ordinis Cluniacensis, sub Henrico I. Abbate consarcinatis, qui anno 1308. electus est Abbas Cluniacensis. *Ordinamus quod Abbates Ordinis & quinque Majores Priores, videlicet de Charitate, sancti Pancratii Lewensis, & sancti Martini de Campis Parisius, Silviniacensis & Celsiniensis præcipuè, & omnes alii Priores, in novitatibus præstare teneantur in manibus Abbatum Cluniacensium sacramenti & juramenti formam talem, &c. Fideles, devoti, & obedientes erunt nobis, &c.* Hæ sunt quinque filiæ Cluniacensis Abbatiæ. Haud satis comperi an filias Cisterciensis antiquitate æquent, quibus Alexander III. Papa plurimum contulit authoritatis in Cistertium ipsum, seu cùm vacaret, seu cùm à Regula deviaret.

Bibl. Clun. pag. 1560. 1561.

Du Chesne. To. 4. Conc. Gen. Tom. 10. pag. 1188

## CAPUT. LXIX. *P. 4. l. 1. c. 67.*

### De Prioratibus, Cellis, Obedientiis, aliisque Beneficiis, Abbatum potestati obnoxiis, post annum Christi millesimum.

*I. Cellæ, Obedientiæ, Prioratus, unum idemque sunt. Prohibentur Monachi, ne soli ibi sint, aut ad Firmam.*

*II. Idem rursum prohibetur; & ne unus duos ambiat Prioratus.*

*III. Priores & amoveri semper poterant, & ad rationes vocari.*

*IV. Justissima causa prioratuum tenuiorum Monachis auferendorum & conferendorum Clericis, ut ex Regularibus sæculares fierent Prioratus.*

*V. De ætate & numero Monachorum in Prioratibus non Conventualibus. De Conventualibus & Electivis.*

*VI. De Abbatiis in Prioratus decrescentibus.*

*VII. De pensionibus quæ Prioratibus imponebantur. De Spoliis.*

*VIII. Quæ tunc Officia Priorum sæcularium.*

*IX. Pervigilat Episcoporum diligentia, ut satis magno numero sint Monachi in Prioratibus.*

*X. Prioratus Regulares Clericis sæcularibus commendantur ab Abbatibus ipsis, minùs id quidem tunc probantibus Episcopis.*

*XI. Obedientiariorum ætas & rationes.*

*XII. Prioratuum varia species, Conventuales, non Conventuales.*

*XIII. XIV. Quo numero esse deberent in Conventualibus Prioratibus usque ad Gregorium XV.*

*XV. Ad nutum revocabantur omnia Claustri Officia.*

*XVI. De Prioratibus Curatis.*

*XVII. Canonico decreto percelluntur, qui Beneficia captant propter reditus temporales.*

*XVIII. Distinguuntur prioratus Regulares & Sæculares.*

*XIX. Monachorum singulorum loca Beneficia sunt.*

*XX. Rursum de Officiis Claustri, ut revocari ad nutum possint, & annuam rationes facerent.*

I. Cellæ, Obedientiæ, Prioratus minuscula erant Monasteria, in Abbatiæ alicujus ditione posita. Ita enim Gregorius VII. ad cujusdam Abbatiæ Monachos. *Cæteri Monachi, vestri consocii, per Cellas ab eodem Patre vestro constructas, ut vobiscum sint unanimes, eidemque Abbati obediant, præcipimus.* In Concilio III. Lateranensi anno 1179. cautum est, ne unus unquam sine socio Monachus in Obedientiis quavis habitaret. *Monachi non singuli per villas & oppida, seu ad quascumque Parochiales ponantur Ecclesias; sed in majori Conventu, aut cum aliquibus fratribus maneant.* Cautum est etiam in Concilio Eboracensi, *Ne reditus, quos Obedientias vocant, ad firmam teneant.* Quod argumento est, ea fuisse prædia ad augendos Abbatiæ reditus data, aut comparata, quibus præficiebantur pauci Monachi: non ut conductores ipsi essent, sed ut prædiis & conductoribus rusticisque præessent, & quæ pietatis religiosæ erant, curarent. Porro aliquo ipsosmet numero esse cavebatur, ut sibi aliis & testimonio essent & adminiculo, neque canonicas divini Officii horas unà celebrarent. Erant autem in Oriente etiam istiusmodi duorum vel trium Monachorum Cellulæ, authore Innocentio III. à quo & Papatus usitata Græcis voce appellantur. *Decimas Monasteriorum, & Papatuum, in quibus tres Monachi vel pauciores morantur.* His verbis significari videtur, usitatissimum fuisse, ut tres simul essent Monachi. Quin & suspicari fas est eos fuisse Prioratus Curatos, hoc est animarum cura oneratos. Papæ enim apud Græcos appellantur, qui nobis Presbyteri.

Can. 10.

Can. 9.

Regest. 15. Epist. 60.

II. Rursus anno 1212. Concilium Parisiense Lateranensis III. Canones confirmavit & novo auxit vigore, ut ne in Prioratibus singulares esse possent Monachi, & ne unus plures Obedientias, seu Prioratus obtineret. *Grave nimis est quod quidam Religiosi duos Prioratus seu Obedientias sibi præsumunt usurpare.* Gravi autem cauterio inussit hæc eadem Synodus Monachos, qui tumultuabantur in Monasterio, ut velut in pœnam ablegarentur in Cellas, ubi licentiùs degerent. *De perturbatoribus pacis in Claustro, quorum quidam dicuntur movere seditiones, ut mittantur ad Cellas. Constituimus, ut diutius & arctius in Claustro permaneant, ne ex fraude sua videantur commodum reportare.*

Par. 2. c. 16. 17.

Can. 24.

III. Revocabiles ad nutum erant Obedientiarii, seu Priores omnes, & omnium quæ administrabant, rationes facere Abbati tenebantur. Jubet eadem Synodus, ut ne ab Abbate revocentur, nisi propter Ecclesiæ utilitatem, nullo carnali affectu instigante; utque bis saltem singulis annis ad exhibendas rationes vocentur. *Ut non amoveant Priores, vel Obedientiarios, pro consanguineis introducendis, nisi pro manifesta utilitate Ecclesiæ, &c. Ad minus bis in anno omnes Obedientiarii & Priores super receptis & expensis reddant rationem Abbati.* Denique ad vitam cuiquam conferri Obedientias, ibidem prohibetur. *Ne conferant Obedientias fratribus vel aliis, hoc expresse, quod ad vitam suam debeant tenere.*

Part 3. c. 14. Can. 26. 31.

IV. In Concilio Mompessulano anno 1214. vehementer objurgantur Abbates, qui Obedientiam pluribus alendis Monachis idoneam, uni conferebant: edicitur que ut tres saltem semper unà habitent Monachi, quorum unus sit Prior. Si trium autem Monachorum sustentationi non sufficeret

Obedientia una, tres in unam Obedientiam compingerentur, ut in una earum tres Monachi communem vitam agerent, duæ reliquæ per sæculares Can. 30. 31. regerentur Capellanos. *Cum Monasteria & Canonicæ Regulares, Prioratus seu Obedientias habeant, & in ipsis singulos fratres ponere consueverint, qui ibidem regulariter vivunt, & quandoque ab uno consumitur, de quo possit pluribus provideri: statuimus, ut si talis fuerit Prioratus, in quo tres fratres valeant commorari, tres ad minus fratres ponantur ibidem, & unus ex eis Prior sit, qui curam omnium habeat. Si verò tot fratribus non sufficit Prioratus, duæ vel tres Ecclesiæ juxta arbitrium Episcopi, vel Abbatis, ubi non præest Episcopus, jungantur in unum, & illi Priori, qui instituetur, respondeant. Et idem Prior in illis Ecclesiis, in quibus non sunt fratres, per sæculares Capellanos ministret.*

Hinc patet 1. Prioratus & Obedientias fuisse, tum Canonicorum beati Augustini, tum Monachorum beati Benedicti. 2. Tres saltem vel Monachos, vel Canonicos Regulares in quolibet Prioratu esse debuisse; quod & in Narbonensi Concilio anno 1227. confirmatum est. 3. Potuisse Episcopos Abbatesque, in unum Prioratum pinguiorem plures te- Can. 10. nuiores conflare. 4. Cùm Prioratus omnes ferè ab origine Regulares fuissent, sæculares aliquos emersisse, postquam sæcularibus Clericis commendati dimissique sunt, quorum ea esset redituum tenuitas, ut tribus Monachis haud satis esset. 5. Eodem ab exordio manasse etiam Capellas complures sæculares, & alia id genus Beneficia. 6. Tum Capellas, tum Prioratus lapsu temporis in Parochias abiisse, quarum Primitivi Parochi, aut Priores Curati fue- Can. 54. re, qui simplices antè fuerant Priores. In Concilio Albigensi anni 1254. totidem verbis innovatus est hic Canon, nisi quod Capellanus jussus est Presbyteratu initiari.

V. In Concilio ad Castrum Guntherii, anno 1231. vetitum est ne in Prioratibus essent Monachi, minores anno ætatis quintodecimo, nisi Prioratus Can. 15. essent Conventuales. *Monachi qui non attingunt quindecim annos, in Prioratibus nisi Conventualibus, nullatenus ponantur.* Apertissima hîc est distinctio Prioratuum Conventualium & minimè Conventualium. Quoad non Conventuales, præcipit hæc Synodus, ut duo in eis saltem sint Monachi; si minus id fieri possit, uniantur Monasterio majori, in quod transferetur etiam cura Officiorum divinorum ibi defungendorum: denique ad eblandiendum Patro- Can. 19. norum consensum, operam navabit Episcopus. *Ne Monachi solitarii sint in Prioratibus, sed de duobus solitariis fiat Prioratus, vel ad Monasteria redigantur, in quibus expleant illud officium quod pro Patronis in locis solitariis facere tenebantur. Et per Diœcesanum Patroni, ut in hoc consentiant; propter mala, quæ inde proveniunt, efficaciter compellantur.*

In Concilio Biterrensi anni 1233. cautum est, ne Prioratus unius Monasterii conferrentur alterius Monasterii Monachis, nisi canonicè eligerentur ad Prioratus Conventuales, in quibus non essent Can. 22. professi. *Nisi per electionem canonicam ad Conventualem Prioratum, in quo professus non fuit, fuerit advocatus.* Eligebantur ergo Priores Conventuales. Ea quippe fuerat antiquissima disciplina, ut Superiores omnes Claustrales eligerentur. Apud Cluniacenses contraria obtinuit consuetudo, tanquam Regulæ generalis exceptio.

VI. Abbatiæ quandoque ipsæ in Prioratuum sortem deprimebantur, hominum importuna quadam ambitione, ut imperiosiùs eas administrarent. Ideo enim Paschalis II. Papa id privilegii Abbatiæ cuidam contulit, ut quandiu regularis ibi disciplina excoleretur, istiusmodi sui imminutione dehonestari non posset. *Interdicimus ne quis idem Besuense Cœnobium in Cellam redigere audeat, quandiu Monastici Ordinis observantia illic Domino præstante viguerit.* Epist. 62. Idem ipsum quandoque ex rerum temporalium dilapidatione contingebat. Anno 1090. apud Narbonense Concilium Abbas Crassensis conquestus est, quod *Abbatia sancti Laurentii propter terræ malitiam erat redacta in Prioratum.* Sed & Cellæ minores, quas vocabant Grangias, in Prioratus evadebant, ubi crescebant ea ubertate proventus, ut tres ex eis Monachi victitare possent. Hinc illud Concilii Campiniacensis anno 1238. *Ne Monachi, vel Canonici Regulares soli maneant in Prioratibus, Cellis, & Grangiis.*

Paschalis II. impatientissimè jamdiu ferens. quòd Abbas idem esset, qui Episcopus, Cassinensibus præcepit, ut alium sibi Abbatem eligerent; interminatus alioqui se in eorum Cellis omnibus Abbates instituturum: quo Prioratus illi omnes sui jam quodammodo juris fuissent, à summi Abbatis potestate absoluti. *Sin secus agerent, in omnibus Monasterii Cellis Abbates ipse statueret.* Baron. an. 1111. n. 32. Ita Petrus Diaconus.

VII. In Concilio ad Vallem Guidonis anno 1242. imperatum est Abbatibus, ut operam darent redintegrandis Prioratibus, qui exhausti penè fuerant pensionibus censibusque gravissimis, quos Abbatibus exsolvere cogebantur. *Prioratuum dirupta loca, propter pensiones, quas singulis annis Abbatibus suis solvere compelluntur.* Can. 2. 3. Prioratuum labes ex eo quoque oriebatur, quòd frequentiùs Priores alii aliis succederent. In causa id fuit, ut vetaret Concilium, ne ab Abbatibus revocarentur Priores, novique subrogarentur, nisi ad utilitatem vel necessitatem Ecclesiæ. *Quia ex frequenti mutatione Priorum non minima sequuntur incommoda, Abbates ad ipsorum mutationem, vel translationem de facili non procedant, nisi necessitas, vel utilitas hoc inducat.* Ubi rutilus dilucidum est Priores ab Abbatibus nominari solitos, à quibus & revocabantur, cum ex re videbatur esse.

Anno 1253. Concilium Salmuriense Abbatibus Can. 18. 19. 20. 21. præcepit, ut ne novas indicerent Prioratibus pensiones, immo abstinerent ab iis etiam exigendis, quæ non ita pridem solvi cœpissent. Vetuit & ne spolia asportarent Priorum post eorum obitum, aut certè tantum dimitterent, quantum opus esset ad expensas Prioratûs, usque ad novas fruges. Idem decretum iteratum est in Concilio apud Castrum Guntherii anno 1268. Prohibitum denique ne Laïcis tenuissimi etiam Prioratus permitterentur, sed Clericis potiùs qui rem divinam ibi facerent & Ecclesiasticis fungerentur officiis. *Ne Abbates religiosa loca, etiamsi solitaria fuerint, ad tempus, vel quoad vixerint, Laïcis concedant. Sed talibus conferant, quod prædicta loca debito servitio non fraudentur.* Can. 4.

In Concilio Campiniacensi anni 1260. statutum Can. 12. est, ut quibus in Prioratibus duo quondam alebantur Monachi, duo adhuc sustentarentur, ne qua rerum sacrarum jactura fieret; ad id verò illi cogerentur, ad quos redibant Prioratuum proventus. Canones porro hi omnes, quibus sancitur ut duo tresve sint in quolibet Prioratu Monachi, ex ea indeclinabili necessitate emerserunt, quòd quanti sunt reditus, tot alendi sint sacri ministri in Prioratibus. Potest enim Abbatia ipsa ex Prioratibus decerpere

decerpere partem proventuum ad Monasterii sustentationem: at Prior ipse in alimenta Monachorum convertere debet, quidquid sibi redituum dimittitur.

In Concilio Londinensi anno 1268. inculcatum denuo illud est decretum: ut Clericis sæcularibus cederent Prioratus, quorum fructibus duo saltem
Can. 43. Monachi vitam tolerare non possent. *Quod si fortè pauperes habent Ecclesias, quæ duobus non sufficiant Monachis exhibendis, faciant illis per sæculares Clericos deserviri, ut sic nec debitis Ecclesiæ fraudentur obsequiis, nec regularis frangatur integritas disciplinæ.*

VIII. Jure merito animadvertenda est hæc clausula in compluribus præterea Canonibus aliis, quòd Clerici sæculares Monachis suffecti, persolvere tenerentur Officia Canonica omnia Prioratûs. Inde enim colligi potest, quæ essent officia, quæ vincula Priorum sæcularium, aliorumve simplicium Beneficiariorum, sive residentiam spectes, sive divinorum Officiorum recitationem. Ecquis enim ambigat, quin Monachi residerent, & canonico horarum persolvendo penso insisterent? Atqui in eorum non stipendia & prædia tantùm, sed & in officia pietatis omnia successere Clerici, Beneficiariique hi simplices.

Can. 4. IX. In Concilio Provinciæ Remensis anno 1271. præcipiuntur Episcopi observare numerum Monachorum, qui in uno quolibet Prioratu ali debent, ne Abbates illum imminuant, ad amplificandos Mo-
Can. 2. nasterii sui reditus. Idem præceperat anno 1264. Concilium Nannetense. Cùm ab exordio non fuerint Prioratus, nisi Cellæ & Obedientiæ Abbatiarum, si vetantur Abbates, multò vehementiùs prohibentur Priores de præfixo Monachorum numero
Can. 12. quidquam detrahere. His adde Concilium ad Pon-
Can. 10. tem Audemari anno 1279. & Synodum Parisiensem anni 1280.

Can. 8. X. Anno 1276. Salmuriensi in Concilio decretum fuit, ut ne ii quidem Monachi, qui nonnisi post decimum octavum ætatis annum professi fuerant, possent amandari in Prioratus non Conventuales, & ibidem antè habitare, quàm biennio probati fuissent in Monasteriis. Deinque prohibitum denuo hîc fuit, ne Abbates Clericis sæcularibus Prioratus largirentur, in quibus ali possent duo Mo-
Can. 10. nachi. *Prohibemus, ne quis Abbas vel alius Prioratum, in quo possint ad minus duo Monachi sustentari, vel consueverint morari, cuiquam sæculari conferre præsumat, si secus actum fuerit, id irritum decernentes.* In hoc eodem Canone affirmant Episcopi, à Majoribus suis concessos fuisse Prioratus Clericis sæcularibus, ea lege, ut ibi Monachos alerent eo numero, quo hactenus fuerant. *In prædecessorum nostrorum Conciliis fuerat aliàs rationabiliter ordinatum, de supplendo in Prioratibus Clericis sæcularibus concessis, debito numero Monachorum.* Sed cùm [illegible] Clerici minimè observassent, vetitum est ne illis posthac Prioratus ulli conferrentur.

Novum genus ergo fuerat illud Priorum sæcularium, cùm Abbates vel Episcopi velut in Commendam dabant Prioratus non Conventuales Clericis sæcularibus, ea lege, ut priscum ibi Monachorum alerent numerum. In Concilio Salmuriensi anni 1253. citatur decretum superius Goffridi Archiepiscopi
Can. 19. Turonensis super eadem re: *Quod in Prioratibus Monachis aut Clericis concessis, suppleatur antiquus numerus Monachorum.* Cùm decreto Goffridi minimè paruissent, hoc Salmuriensi Concilio jussi sunt Episcopi intorquere censuras, ut morem gerere coge-

rentur. Non potest non stupor aliquis hinc excitari, ubi Commendæ ab Abbatibus conceduntur, interdicuntur ab Episcopis.

XI. A Concilii Langeacensis Præsulibus anno 1278. Can. 11.
cautum est ne Monachi annum ætatis decimum octavum nondum assecuti, sedem haberent in Prioratibus non Conventualibus. Concilium Bituricense Can. 23.
anni 1286 edixit, ut viginti saltem essent annorum. Synodus Bajocensis anni 1300. præcepit, ut Abbates, Priores, aliique *Obedientiarii* quolibet anno ter saltem aut quater accepti expensique rationes Capitulo exhiberent, ut Monachis Monasterii principalis certa constaret ratio proventuum & agrorum cujusque Prioratûs. In Concilio Parisiensi Can. 11.
anno 1346. prohibiti sunt Abbates, ne Prioratus mensæ suæ adjudicarent.

XII. Statuta Ecclesiæ Lugdunensis anno 1251. Obedientiarum nomine complectuntur, administrationes omnes temporales Claustri, vel Capituli. Nempe quòd omnes essent ad nutum revocabiles. C. In singul. De statu Monac.
Agit alicubi Innocentius III. de Prioribus qui nulli suberant Abbati. Pictaviensis Synodus anni 1284. Can. 5.
duas facit Priorum classes, quorum alii essent in potestate Abbatum, alii eo jugo absoluti essent, nempe qui Ordinis essent B. Augustini. *Prioribus Abbates non habentibus Ordinis sancti Augustini.* In Conci- Can. 26.
lio Bituricensi anni 1286. de Prioribus Conventualibus agitur, quibus suberant Priores non Conventuales, quorum decedentium vendicabant sibi spolia. Concilium Andegavense anno 1448. de iisdem Can. 9.
agit, testaturque eos, cùm nulli subsint Abbati, sibi ubnoxios habere Priores non Conventuales. Ecclesia Primatialis Cantuariensis, cujus Capitulum Eadmer in
constabat Monachis sancti Benedicti, Priori, non vita Ansel.
Abbati suberat, ut ex Historicis & Conciliis constat. Ecclesia Patriarchalis sancti Joannis Lateranen- Anast. IV.
sis in urbe Roma, cùm Canonicos habeat Regula- Papa Ep. 21.
res, non Abbati, sed Priori paret, qui electione ad eum gradum promovetur. Erant ergo Priores complurimi, qui nullius in Abbatis ditione erant: quin ipsi in ditione sua Priores habebant alios.

Magni interest unum in primis elucidari, discrimen videlicet Prioratuum Conventualium & non Conventualium. Conventuales electivi erant & perpetui; cæteri in modum Obedientiarum, ab Abbatibus vel Prioribus dabantur, vel adimebantur, cum ex re erat. Ita constituitur hoc discrimen in Concilio Lateranensi III. sub Alexandro III. an- Can. [illegible].
no 1179. Vide ut hic Canon referatur in Decretalibus, sinceriùs, ut suspicor, quàm in ipsis Conciliorum Generalium editionibus, & emendatiùs. *Priores cùm in Ecclesiis Conventualibus per electionem* C. Monachi.
*Capitulorum suorum canonicè fuerint instituti, nisi pro* De statu
*manifesta & rationabili causa non mutentur, videlicet si* Monac.
*fuerint dilapidatores, si incontinenter vixerint, aut tale aliquid egerint, pro quo amovendi meritò videantur, aut si etiam pro necessitate majoris Officii, de consilio fratrum fuerint transferendi.* Sola ergo canonica depositione, vel translatione in superiorem aliam dignitatem, poterant abdicari Priores Conventuales.

Clemens III. Fundatores & Patronos Ecclesiæ Conventualis arcet ab electionibus Priorum ac Prælatorum quorumlibet, concesso eo tantùm, ut factæ assentiantur electioni, nisi præscriptione ampliorem sibi pepererint jurisdictionem. *In Conven-* C. Nobis De
*tuali Ecclesia non electioni Prælati facienda, sed jam* jure Patron.
*facta honestiùs Patroni postulatur assensus, nisi aliter de sua jurisdictione obtineat; ut partes suas interponere debeat electioni tractandæ.*

Quoad Prioratus autem non Conventuales, Innocentius III. jubet ut semper revocabiles sint ad Abbatis nutum. *Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda, tanquam in sua sibi vita locetur. sed cùm oportuerit amoveri, sine contradictione qualibet revocetur.* [C. Cum ad Monasteriũ. De statu Monac.]

Illud verò quod non multò minoris visum semper est momenti, ne Solitarii degant in Prioratibus Monachi, luculentè confirmat Honorius III. qui nonnisi subreptitio privilegio impetrari potuisse duxit, quod contraire liceret Abbatiæ Diœcesis Veneræ in Provincia Armorica: cùm vel maximè decreti Concilii Lateranensis in eo privilegio mentio nulla fieret. Rescripsit idem Pontifex ad Archiepiscopum Burdigalensem sua ut 10 Cœnobia retruderet Monachos solitarios, eisque substitueret Clericos, aut curaret socios illis adjici. Ab Innocentio verò III. illud perspicuè declaratum est, comprehensos quidem non esse Canonicos Regulares eo decreto Concilii Lateranensis: quia quamvis in multis consentiant cum institutis Monasticis, Regula tamen utuntur liberiore & indulgentiore. *Quia etsi à sanctorum Monachorum consortio non putentur sejuncti: Regula tamen serviunt laxiori.* Sed nihilo tamen minus cùm Parochias suscipiunt regendas, socium aliquem è suo sibi cœtu eos adjungere debere, *si commodè fieri poterit.* [C Ex parte tua De Capellis Monachorum.] [C Ad Audientiam. Ibidem.] [C Quod Dei timorem. De statu Mon.]

Multò sanè optatius, quod legitur in Statutis Raimundi Comitis Tolosani & Legati Pontificii circa annum 1232. ubi præcipiuntur Abbates tres aut quatuor Monachos in quolibet habere Prioratu, eosque non admodum juvenes: quoad Parochiales autem Ecclesias, ut tres saltem Monachi, vel Canonici Regulares tres in unaquaque earum collocarentur. [Catel hist. Comtes de Toulouse. pag 331 333]

XIII. Nec facilè diffiniri potest, quo saltem Monachorum numero esse deberent Prioratus Conventuales. Consultissimum est quod ab Hugone sancti Victoria est observatum: tantumdem à majore, quantum à minore, quàm par sit, numero Monachorum impendere periculi in Monasteria. Hinc succrescunt lites & jurgia innumera ex ingenti prædiorum copia, quæ tot alendis Monachis sit satis, si numerosior sit Congregatio: *Qui multos congregant, necesse est, ut eorum victui multa quærant. sed dum quærunt plura, crescit exteriorum cura, sparguntur fratres, soli inter sæculares habitant, nolentes pati fraudem, sed judicio contendere parati.* Illinc verò vix aut nec vix potest secessûs, silentii & Canonici pensi regula servari accuratè, ubi quatuor aut quinque tantùm Monachi congregantur. *Qui per Cellas duo, vel tres, aut etiam quatuor, vel quinque simul habitant, claustrali non coarctantur legi; loquuntur, & quando, & cui, & quomodo volunt.* Non injuria ergo tot Concilia sævierunt in Prioratus, ubi unus & alter tantùm degebat Monachus; cùm Hugo harum rerum consultissimus, & longa fretus experientia, existimet ne quatuor quidem aut quinque Monachos sufficere claustrali disciplinæ diligenter observandæ. [L. 2. de claustro animæ. c. 2.]

His addit ille verissimos B. Benedicti alumnos mediam insistere quandam semitam, qui cùm numerosiores exonerant Conventus, nonquam ad nova extruenda Cœnobia pauciores mittunt quàm duodecim Monachos. *Ne Religionis opus paucitatis negligentia corrumpatur.* In his germanis B. Benedicti alumnis non extremo loco erant Cistercienses, quorum in Capitulo Generali statutum est anno 1134. ut præter Abbatem duodecim saltem Monachi mitterentur ad nova quælibet condenda Cœnobia. *Duodecim Monachi cum Abbate tredecim ad Cœnobia nova transmittantur.* Ideo nec poterat Abbas ullus hujusmodi Colonias sui ex Monasterii gremio propagare, nisi saltem sexaginta professos sibi subjectos numeraret. *Nullus de Abbatibus nostris locum ad Abbatiam fundandam accipiat, nisi prius sexaginta Monachos professos habeat.* Cùm Regularitas & Conventualitas religiosissimè in his omnibus observaretur Ecclesiis, inde perspicuè conjicitur in ea fuisse sententia hos sanctissimos Monachos, eo saltem numero Monachorum opus esse, ut Conventualitas constaret. [Anna Cist. Tom. 1 pag. 273. 277.]

Quod rursus manifestissimè patet ex Capitulo anni 1204. quo constitutum est, ut gradu exturbentur, & in Grangias ac Cellas revocentur Abbatiæ, quæ sustentandis saltem duodecim Monachis pares non sunt; donec earum reditus ad eum modum augescant. *Ut Abbatia quæ minus habent à duodecim Monachis, vel expirent penitus, ut redigantur in grangias: vel si abundant possessionibus ut dictum numerum possint suscipere, provideat Pater Abbas.* Si quos in his grangiis Monachos residuos passi essent, Prioratus hi fuissent Cluniacensibus simillimi. Sed cùm certum illis fixumque esset, non habere Monachos, nisi regularitatis sectatores, & conventualitatis: hinc meras grangias esse & dici sinebant, donec duodecim Monachi simul habitare & victitare possent. Idem firmatum in Capitulo anni 1218. *Ut Abbatiæ quæ duodecim Monachos cum tertio decimo Abbate sustinere non possunt, redigerentur in grangias.* [Ibid. To 3. pag. 440.] [Ibid. To 4. pag. 370. Nomast. Cist. p 499]

Carthusiani ad eundem quoque numerum duodecim Monachorum primò adhæserunt, eadem ratione, qua Victorinus Hugo, ut ne implicarent se illis & molestissimis & innumerabilibus litibus, quæ prædiorum multitudinem & opulentiam necessariò consectantur. Audi quid de ea re scripserit Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis. *Ut non esset eis quandoque necessarium, vel plus terra quàm dictum est possessioni suæ addere, aut numerum jumentorum suorum, vel pecorum augere, duodecim tantùm Monachos cum tertio decimo Priore, ac decem & octo conversis, paucisque mercenariis, nullo prorsus superaddito in sui Ordinis Monasteriis, esse perpetuò decreverunt.* Sicubi verò obvium se daret quartus decimus socius, meriti spectatissimi, hoc quoque illi indulseraot sibi, ut admitteretur. *Sed etsi talis aliquis unus, cujus utilitas & honestas videatur vix posse recuperari, misericordiam postulaverit, addetur & quartus decimus.* Si Monasterium, ubi jam essent quatuordecim, Priorem sibi eligeret ex alio Monasterio, hunc quoque probavere numerum quindecim Monachorum. *Si domus quatuordecim Monachos habens, vel Novitios expectans, Priorem elegerit de alia domo, nullus mittatur extra; & in hoc casu possunt esse quindecim.* Et hæc quidem olim. At postea Carthusiani, nec illi Monachorum numero, nec prædiorum aut proventuum modo scrupulosiùs servire visi sunt, & nihilo tamen minus & claustralia observantiæ laude & sanctitatis gloria floruere, florentque etiamnum toto Christiano orbe. Sed multò luculentiùs radiat regularitas illis in Monasteriis numerosioribus, quàm ubi pauciores sunt quàm duodecim. Itaque duce & magistra experientia jam compertum est, expeditius futurum fuisse, ut statueretur, ne decrescere unquam sineretur ille duodenarius numerus, quàm ut ne multùm crescere permitteretur. Ideo & Concilia & Pontifices succensuere non pauca in paucitatem Monachorum, ut regularitati subinfestam, vix un- [Petr. Clun. De Mirac. L. 2. c. 28.] [Statuta Hugon. c. 78. 79.] [Statu. Antiq. Par. 2. c. 25.] [3. vet. c. 3. n. 33.]

quam autem in multitudinem nimis exuberantem.

Cùm versaretur Benedictus XII. Papa in Procurationibus moderandis Prælatorum visitationis, atque attemperandis ad modum Ecclesiarum & Monasteriorum quæ visitarent: majores ille minoresve Conventus seu Prioratus disjungit alios ab aliis ex numero Monachorum. Majores enim sunt, ubi Monachi duodecim, aut plures; minores autem, ubi pauciores sunt quàm duodecim.

Conc. Gen. Tom. 12. pag. 1795

Eadem penè doctrina tritissima videtur fuisse tempore Concilii Constantiensis circa Conventuales Prioratus. Illud enim tum meditatum, fortassis & tentatum est, ut interpellaretur summus Pontifex, ne in Commendam amplius daret Prioratus, vel Conventus magnos, hoc est, ubi essent decem Monachi. *Monasteria aut magni Prioratus Conventuales, haberi consueti his temporibus ultra decem Religiosos in Conventu.*

Conc. Gen. To. 12. pag. 1431.

Redeo ad Cluniacense Institutum, ubi Gregorius IX. & Nicolaus IV. id sanxere tantùm, ne usquam ullus esset Prior sine socio. Sed in Statutis sub Henrico I. consarcinatis, Prioratus Conventuales in tres classes digesti sunt, prout in eis essent Monachi plures, quàm viginti, vel duodecim, vel sex: *Conventuales locorum, ubi erunt viginti Monachi, & supra, &c. Conventuales locorum, ubi erunt duodecim Monachi & supra, &c.* Ubi pauciores erant quàm sex, parvi habebantur Conventus. *Alii minores Priores, &c.* Ex his ergo Statutis, stabat adhuc Conventualitas, ubi sex tantùm erant Monachi. Et hinc forsan scaturiit tandem tanta disciplinæ corruptela & calamitas in eo Ordine, cui medicari conatus est Statutis suis Joannes Borbonius Episcopus Aniciensis & Abbas Cluniacensis anno 1458. Hic certè pronuntiatum est Conventuales verè Prioratus eos esse, qui viginti Monachos suo sinu foverent. *In omnibus Abbatiis & Prioratibus Conventualibus Ordinis viginti scilicet Monachorum & supra.* Et infrà: *In Prioratibus Conventualibus die qualibet; in non Conventualibus verò, videlicet à sex Monachis & supra, tribus vel duabus vicibus in hebdomada Capitulum generaliter teneatur.* Ubi liquet Conventuales non esse jam Prioratus, si sex aut paulò plurium sint Monachorum.

Bibl. Clun. 1361.

Ibid. p. 1596 1599.

Cùm verò Conventualitati satis sit, quod satis est Regularitati: visus est ferè numerus Monachorum vicenarius minimè necessarius, duodenarius verò & moderatione & authoritate præpollere. Superioribus ea de re testimoniis accumulari & hæc possunt. Primo in Concilio suo Provinciali statuit B. Carolus Borromæus, ut Monialium Cœnobia, quorum proventus non sufficerent alendis saltem duodecim, transferrentur ad alia Cœnobia, iisque unirentur ab Episcopo Diœcesano, unà conspirantibus Regularibus Prælatis, si ea illis subjicerentur. Si gravioribus autem septæ difficultatibus uniones istæ viderentur, Cœnobiis illis adimeretur facultas Novitios admittendi, atque ita paulatim extinguerentur.

Acta Eccl. Med. p. 49

XIV. Anno 1621. Gregorius XV. solenni diplomate sanxit, ne deinceps Cœnobium ullum extrueretur alterutrius sexûs, nisi reditus ii affluerent, quibus ali possent commodè duodecim, Monachi, Monialesve, sive ex agrorum proventibus, sive ex piis erogationibus annuni illi reditus colligerentur. Confirmat Fagnanus manasse id Decretum ex votis Congregationis Cardinalium, quæ Consultationibus præest Episcoporum & Regularium. Anno 1625.

Fagnan. in C. Nisi amplius. n. 32. 33. 34.

innovatum est à Congregatione Concilii Decretum istud Gregorii XV. Cœnobia omnia, quæ non haberent utplurimum Monachos duodecim, subjecta fuere visitationi, correptioni & jurisdictioni Episcopi: denique decreti hujus vis & authoritas etiam extra Italiam ampliata est. Hoc Congregationis Decretum approbavit Urbanus VIII. Anno 1652. Innocentius X. publicatâ Bullâ *Instaurandæ*, parvos omnes Conventus Italiæ & circumjacentium Insularum suppressit. Ad omnes variorum Regnorum Nuntios Pontificios missa est ea Bulla. In Germania & Polonia palam testificati sunt esse sibi in votis, ut ea promulgaretur, & rescinderentur Conventus omnes minusculi. In Italia extincti reipsa sunt non pauci, sed & evasere eam cladem non pauci, quin & ex iis qui excisi fuerant, non pauci redintegrati sunt. Anno 1654. idem Innocentius X. astruendæ saltem in residuis his Monasteriis disciplinæ cupidus: jussit 1. ut essent in iis saltem sex Monachi, quorum quatuor saltem Presbyteratûs Ordine gauderent, & maturioris essent ætatis: alioqui ea excisum iri. 2. Ut ii subjicerentur jurisdictioni & correptioni Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati. 3. Idque dum eorum reditus augescerent, possentque ex iis duodecim Monachi sustentari.

Fagn. C. Relatum. Extr. Ne Clerici vel Monac.

Ex hac legum, decretorumque, & exemplorum congerie pene tumultuaria facilè intelligitur, Conciliorum, Pontificumque, Theologorum & præstantissimorum Regularium consensione optatissimum semper fuisse, ut duodecim saltem Monachi in omnibus alerentur Monasteriis, ad conventualitem & ejus comitem Regularem disciplinam alendam: neque ne parvi Conventus sinerentur esse ulli, ubi sex saltem non essent Monachi. Denique cùm Prioratus hi minores tam proclives sint ad disciplinæ relaxationem, consentaneum fuit, ut Conventuales non essent, adeoque Priores non haberent, nisi revocabiles. Si electivi enim & Conventuales fuissent, difficillimè curari potuissent tam frequentia vulnera disciplinæ.

XV. Diximus jam Officia ipsa Claustralia Obedientiarum voce designata fuisse, quòd sine strepitu & sine figura judicii ab Abbate destituerentur. Exemplis ea de re jam superiùs relatis, adjici & ista possunt. Ab Ottone Episcopo Frisingensi memoratur Bruno Tullensis Episcopus in summum Pontificem electus, cúmque Romam pergeret, Cluniaci invenisse Hildebrandum in Prioratûs Obedientia constitutum: *Ubi Hildebrandus Prioratus, ut dicitur, Obedientiam administrabat.* In Catalogo Abbatiarum, Prioratuum, & Decanatuum Ordinis Cluniacensis, illico perhibetur, in Abbatia Cluniacensi quinque fuisse Officiarios perpetuos, qui Obedientiæ dicerentur. *Sunt ibi quinque Officiarii perpetui, qui dicuntur quinque Obedientiæ, videlicet de Prioratu majori, de Sacristia, de Decanatu, de Eleemosyna, & de Archidiaconatu.* Si tum perpetui erant hi Officiales, cum Catalogus ille publicatus est, non semper fuerant actis retro temporibus, ut ipsa Obedientiæ voce declaratur. In contextu ejus Catalogi multi occurrunt Prioratus, qui perpetui & ipsi esse declarantur, multorum etiam percensentur Officia, nec perpetua tamen dicuntur esse. Hinc elucescit, 1. Hæc Officia Claustralia paulatim perpetua & irrevocabilia evasisse, disciplinæ relaxatione illis in Monasteriis gliscente. 2. Id jam cœpisse ante annum 1400. Catalogus enim ille ante eum annum exaratus fuerat. 3. Cùm his Officiariis assignati fuissent reditus an-

Baron. an. 1049.

Bibl. Clun. pag. 1705.

nui, ad munus suum defungendum, ubi illi perpetui evaserunt, hos jam veluti proprios proventus, & quasi titulo Beneficii retinuere. 4. Illud quoque ex eo Catalogo emicat, his Officiariis sæpissimè plures singulis fuisse Ecclesias, pluresque Prioratus sibi obnoxios. 5. Præter supradictos quinque Officiarios, nempe Magnum Priorem domûs Cluniacensis, qui ea nominis gloria à tot aliis Ordinis Prioribus secernebatur, Sacristam, Decanum, Eleemosynarium & Archidiaconum: complures alios fuisse, Infirmarium, Camerarium, Præpositum, Thesaurarium, Cantorem, &c.

In Concilio Viennensi videri jam poterant hæc Officia Claustralia in numerum & sortem Beneficiorum abrepta fuisse: cùm ibi jubeatur, ut Prioratus & Administrationes, quibus tam tenues erant reditus, ut duorum Monachorum sustentationi non sufficiant, conjungantur & coalescant cum Monasterio ipso majori, aut ejus Officiariis, vel Prioratibus aliis, subrogatis in locum Monachorum sæcularibus Clericis. *Locis aliis vicinioribus ad eorum Monasteria pertinentibus, vel ipsorum Monasteriorum Officiis, aut inter se invicem, prout erit commodius, cum consilio & consensu Abbatum per locorum Ordinarios uniantur. Monachis locorum, quæ aliis uniuntur Prioribus, ad Claustrum primitus revocandis, & Clericis servituris ibidem, de locorum ipsorum proventibus provisione debita facienda.* Quando reditus depauperatorum Prioratuum Claustralibus Officiis uniebantur, erant utique his Officiis assignati reditus proprii, quos in muneris sui expensas impenderent, quorum rationes Abbati redderent, & quibus tandem sibi velut propriis vendicatis, ad rationes jam nec venirent vocati, vel ne vocarentur quidem.

*C. Ne in agro. In Clement. De statu Mon.*

XVI. Eodem Decreto mox præcipitur, ut Priores Conventuales annum saltem attigerint ætatis vigesimum quintum. Quibus annexæ sunt Ecclesiæ Parochiales, si annum saltem vigesimum impleverint; Parochia verò ipsa administretur à Presbytero sæculari. *Alii Prioratus curam animarum habentes, etsi Cura ipsa per sæculares habeat Presbyteros exerceri, &c.* Quin & ibi jubentur Presbyteri ordinari, cùm primùm annum ætatis vigesimum quintum attigerint; alioqui destituendi. Denique cavetur hoc decreto, ut Priores hi omnes, vel Administratores, quorum Ecclesiæ sont extra Monasterium, in iis resideant, nec possint sibi sedem defigere in Monasterio. Unde manifestum est Prioratus hos omnes ab origine & institutione sui residentiæ lege obligatos fuisse: & permirum esse, quomodo non eadem devinciantur Clerici illis postea substituti.

Sed & illud ibi adverti potest, fuisse jam tum Priores Curatos, qui disjunctam à Prioratu Parochiam per Presbyterum sæcularem administrabant, & Prioratu fruebantur, tanquam Beneficio simplici, jam inde ab anno ætatis vigesimo. Sanè hoc Decreto residere jubentur, & ubi annum vigesimum quintum attigerint, Presbyteri ordinari.

Non recedit à verisimilitudine hujus generis fuisse longè plurimos Prioratus Curatos, quorum ipse quoque tandem Prioratus Clericis commendatus sit. Sed cùm vetitum sit à Tridentino Concilio, ne posthac Beneficia Curata sæcularia in Beneficia simplicia converterentur, dato Vicario perpetuo, cui incumbat cura animarum: inde necessariò infertur, infanda nescio qua audacia factum aliquando fuisse, ut Beneficium Curatum in Prioratum desisceret simplicem, transfusa in Vicarium perpetuum cura animarum, cum portione congrua proventuum.

*Conc. Trid. Sess. 25. c. 18.*

Gallis Germanisque convenerat, ut tum alia complura Reformationis capita à Concilio Tridentino promulgari flagitarent: tum illud in primis, ut rursum cura animarum redderetur, & uniretur Prioratibus sæcularibus, à quibus preter institutionem primariam revulsa fuerat: denique cùm Beneficia instituta non essent, nisi ad certa obsequia quædam Episcopo & Ecclesiæ dependenda, ut Episcopus sacras functiones aliquas Beneficiis omnibus illigaret ad curam animarum pertinentes, aut ea Ecclesiis Parochialibus uniret. *Cùm Beneficium sine Officio nec esse debeat, nec possit.* Concilii Tridentini Patres Prioratui curam animarum tunc rursus copulatam voluerunt, cùm intra annum assignata non esset, vel assignari omnino non posset portio congrua Vicario perpetuo, in iis Ecclesiis, quæ ab origine Parochiales fuissent.

*Goldast. Const. Imp. To. 3. p. 572.*

*Ibidem.*

XVII. Concilium verò Bituricense anni 1584. huic eidem constantissimè insistens doctrinæ, Beneficia sine Officio esse nec posse, nec debere: illud magnopere altissiméque infigendum animis pronuntiavit, si quis propter solos temporales proventus Beneficia aucupatur & obtinet, cum tuta conscientia nec Beneficiis, nec proventibus iis frui posse, tenerique proinde ad restitutionem. *Cùm Beneficium Ecclesiasticum non otiosis, sed officium suum exequentibus sit constitutum: & propter officium detur Beneficium: denuntiat hæc Synodus omnibus cujuscumque gradus & conditionis, qui Beneficia Ecclesiastica solius temporalis proventus gratia suscipiunt, eos non facere fructus suos, sed ad restitutionem teneri.* Quàm justum, tam terrificum est hoc decretum. Quid enim & apertè iniquius, & pervagatius tamen, quàm eorum & copia & insolentia, qui una temporalium redituum cupiditate Prioratus, aliaque simplicia Beneficia undecumque captant?

*Tit. de Benef. c. 1.*

Rursus Concilium hoc ipsum præcepit, ut Priores Regulares suis in Prioratibus residerent cum socio saltem uno Regulari; utque Episcopi imminerent Abbatibus Prioribusque, quo priscus Monachorum numerus aleretur, Ecclesiasticisque censuris animadverterent in contumaces, adversùs quos sæcularis etiam potestatis ministerio uterentur.

Anno 1624. Concilium Burdigalense statuit, ut Episcopi singulis annis visitarent Prioratus omnes regulares sæcularesque, inquirerentque an strenuè oneribus ab exordio sibi assignatis fieret satis: si qua verò essent, quibus nihil oneris esset indictum, indicerent ipsi pro ratione & modo proventuum. *Tunc singulorum Beneficiorum censibus & proventibus ponderatis, prout magis vel minus accrescere vel decrescere dignoscentur, de officiis peragendis ita censeant Ordinarii, ut eadem Beneficiis plenè respondeant.*

*Tit. 18. c. 11.*

XVIII. Beneficia Regularia à sæcularibus manifestè sejungit Bonifacius VIII. prohibetque Clericis sæcularibus dari ea quæ à Clericis sæcularibus nunquam possessa aut præscripta fuere. Regulam juris aliam perantiquam, sed quæ tum incipiebat obsolescere, publicavit idem Pontifex, ne Monachi unius Monasterii possent Prioratus, Administrationes, vel Officia alterius cujuspiam Monasterii gerere, nisi eò transferrentur authoritate Canonica, vel Pontificia dispensatione. Potest ea translatio fieri à Collatore ipso, cum Monachus transit à laxiore ad strictiorem Religionem: aliàs dispensatione opus est. Propterea nimirum quod stabilitas quam profitentur Monachi, migrationi obstrepit ab uno Monasterio in aliud, nisi in strictiorem observantiam demigretur. Nec enim instabilitatis est,

*C. Cum de Beneficio De præben. In Sexto. C. Cum singula. Ibid.*

ad perfectionem ulteriorem eluctari.

Scitissimè à Canonistis animadversum est, non comprehendi Episcopos eo Decreto, quo à Regularibus Beneficiis excluduntur Clerici sæculares. *Fagnan. in L. 5. Decret. Par. 2. p. 78.* Observarunt quippe in Capitibus *Causam quæ, De judiciis: &, Novit ille, Ne sede vacante*: Episcopum fuisse Abbatem Capituli sui Cathedralis, quod solis Monachis constabat. Ratio in aperto est, quòd complectatur Episcopatus perfectionis quidquid est in diversis Ecclesiæ ordinibus: & sua quasi natura specialique prærogativa pater sit Episcopus, Præpositusque omnium suæ Diœceseos tam Regularium, quàm sæcularium Clericorum.

Hæc Fagnanus obiter, quæ à nobis copiosissimè pertractata sunt toto hoc opere de antiqua Disciplina Beneficiorum, maximè ubi de Confœderatione egimus, & de conjunctione summa quadam Cleri cum Monasticis Congregationibus. Antiquioris porro hujus disciplinæ vestigia magis magisque in dies obscurata & obtrita sunt, postquam Regularia Beneficia suos seorsim reditus habuere, & cœperunt homines ea concupiscere, non conversionis & religionis, sed avaritiæ incitamentis.

Concordati Gallicani ea lex est, ut Regularibus conferantur Tituli Regularium Beneficiorum, sive Abbatiarum, sive Prioratuum. Allucinatus est haudubio Gratianus, cum de Cardinalibus & Episcopis interpretatus est Caput *Nemo*, ex Epistola sancti Gregorii Papæ decerptum, & à nobis infrà suo loco exponendum prolixiùs. Certè hic Pontifex Abbatiis non excludit nisi Clericos Episcopis inferiores. Sed illud ex Gratiano nihilominus constat, ejus ævo ampliatam esse exclusionem illam ad Cardinales & ad Episcopos, quanquam ipsorum quidem longè alia spes esset, alia sententia. *Illud Gregorii, Nemo, &c. de illis intelligendum est, qui in numero Cardinalium vel Episcoporum ordinati, Monasterii sui dispensationem sibi reservare contendunt.* Si intercedit Gratianus, ne Priores Abbatias retineant, qui ad Cardinalatum vel ad Episcopatum provecti sunt: multò magis refragatus utique esset, ne qui Cardinalatûs jam vel Episcopatûs dignitate florent, Abbatiarum donarentur Titulo, etiam sine dispensatione.

Quæ de Monachorum Abbatiis Prioratibusque dicta sunt, ea ad Moniales quoque pro earum modo derivantur. Ideo & Concilium Senonense anni *Can. 17.* 1528. innovato Viennensis Decreto Concilii paulò suprà relato, de comprimendis Monasteriolis, & majori Abbatiæ uniendis, vel aliis Prioratibus; idem mox statutum exporrigit ad Monialium Prioratus, ubi tot victitare non poterunt, quot ad regularitatem tuendam necessariæ sunt: ut supprimantur, unianturque Abbatiæ principali: præposito eis Presbytero sæculari, qui necessarias obeat functiones sacras.

XIX. Paucis delibandus nobis superest status Monachi cujusque singularis. Assentiuntur enim Canonistæ singulos Monachos, singulos habendos esse Beneficiarios. Quin immo non Beneficium tantùm illud est, sed imago primigenia & forma elimatissima Beneficiorum primævæ Ecclesiæ, adeoque & ejus formæ quæ duodecim penè sæculis in Ecclesia floruit, cùm Clerici omnes Beneficiarii iidem essent; nec alias opes Beneficiarii sectarentur, quàm ali & vestiri. Postquam verò senescente disciplinæ vigore, non Officia tantùm Claustralia, sed & Monachi ipsi communis mensæ res & fundos reditusque dispertiti sibi sunt; tunc in confesso fuit ea esse Beneficia, sed tantò decoloratiora, quantò ei partitioni communis Ecclesiæ patrimonii, privata sæpiùs cupiditas, quàm Christi charitas præfuisset. In Concilio Coloniensi anni 1260. prohibitum est, *Can. 23. 25.* ne Monachi qui abfuissent, possent reposcere Præbendam, seu portionem distributionum, quas præsentes percepissent. Jura enim timebatur, ne ansa hinc præberetur propriè aliquid sibi & seorsim possidendi. *Ne aliquam Præbendam tempore suæ absentiæ requirat: quia illa esset occasio propriam habendi.* Præceptum est in eodem Concilio, ut quotannis Officiarii exhiberent accepti & expensi rationes Abbati & Senioribus: si quid verò residui superesset, id Abbatis esset & Seniorum in Monasterii utilitates convertere. Itaque sin minùs proprietas, jam partiendi consuetudo invaserat Monasteria. Vetuit Concilium Salmuriense anni 1276. ne Monachus *Can. 9.* duobus in Monasteriis intitularetur, & ne plura obtineret Officia, vel Administrationum nomina in uno vel in pluribus Monasteriis, nisi permittente Episcopo. Quod perinde est ac damnare pluralitatem Beneficiorum Regularium; jus verò dispensandi Episcopis communicare.

XX. Quod verò ait Probus in Additionibus suis ad Guimierii Commentarios in Pragmaticam Sanctionem, Regulares Beneficiarios non esse merè manuales, nec ad Abbatis nutum revocabiles; idque eis vicissim repensum fuisse ad sarciendam jacturam ejus damni, quo vetantur proximis succedere ab intestato. *Eo jure Galli utuntur, ne Monachus sine causa à suo Beneficio possit removeri, instar sæcularis, quod est datum in recompensam, in eo quod Regulares ab intestato parentibus & cognatis aut aliis quibuscumque non succedunt.* *De Collationibus §. Item quod ad dictas.* Ne suspicari quidem possum, unde hæc in mentem Probi irrepserit cogitatio. Obveniebant enim hæreditates, non Monachis, sed Monasteriis. Itaque Monasterio, non Monacho compensandum fuisset id, quidquid erat jacturæ. At ex adverso expilatur exhauriturque Monasterium, cum perpetui & irrevocabiles evadunt Officiarii, nec ad rationes jam vocantur. Merus ergo ille abusus est, cui senescenti, ut solet, accessit authoritas nescio quæ, vel hominum tolerantia, ut fit in malis desperatis.

Consule si quid otii suppetit, Statuta Joannis *Bibl. Clun. pag. 1694.* Borbonii Abbatis Cluniacensis anno 1458. Perspicies enim ut Abbas ipse Cluniacensis, aliique Abbates & Priores quater anno quolibet exponerent statum Monasterii in Capitulo, & coram Visitatoribus, quando advenerant. Claustrales Officiarii altero quoque mense accepti & expensi rationes repræsentabant Abbati, vel Priori, Senioribusque. *Dominus Abbas Cluniacensis, & cæteri Abbates, & Priores quater in anno statum suæ domus in suo Capitulo, & coram Visitatoribus tùm venerint, planè declarent, item singuli Officiarii coram Abbate, vel Priore, si non est ibi Abbas, & coram Senioribus, singulis duobus mensibus de suis Officiis rationem, & de omnibus receptis & expensis computationem fideliter faciant.* In Statutis *Ibi. p. 1562.* Henrici I. Abbatis Cluniacensis vetabatur ne Officiis suis Officiarii spoliarentur, nisi justis de causis. Justæ porro hìc causæ percensentur eædem, atque in Concilio Lateranensi III. ubi agitur etiam de Abbatibus & Prioribus perpetuis. *Adhærentes statutis Apostolicis, inhibemus districtiùs, ne aliquis Abbas, Prior, aut Decanus Ordinis nostri, Priores & Administratores institutos sub eis contra eorum voluntatem removeant de locis sibi commissis, sine causa rationabili & justa. Causam autem intelligimus justam, si dilapidato-*

*ret, rebelles, &c.* Quamvis ea esset hæc enormitas criminum, ut justæ hinc existerent causæ abdicandi, non Claustrales tantùm Officiales, sed & Abbates, Prioresque perpetuos: id intererat tamen discriminis, quòd Claustrales Officiarii exauctorari possent sine figura judicii, quia verè & per sese revocabiles erant ad nutum: cùm ex adverso non possent Abbates Prioresque perpetui, eorundem convicti criminum, gradu dejici, nisi canonico judicio, & servatis juris formulis.

*Can. 7.* Ab anno jam inde 567. in Concilio Turonensi II. vetiti fuerant Episcopi Abbates vel Archipresbyteros deponere, nisi convocatis velut in Senatum suum Abbatibus & Presbyteris cæteris. Concilium *Can. 19.* Epaonense anno 517. copiam fecit Abbati, provocandi à sententia Episcopi ad Metropolitanum. Per Regulam quidem Cluniacensem licebat Abbati Prioratus dare, vel adimere, ut collibitum sibi esset: quod suprà patuit ex privilegio Ludovici Crassi *Bibl. Clun. pag. 576* anno 1119. *Eosdem removet, quando bonum sibi videtur & utile.* At Alexander III. & Concilium Lateranense III. non parum discriminis interposuere inter Priores Conventuales & alios: *Priores cùm in Ecclesiis Conventualibus per electionem Capitulorum suorum canonicè fuerint instituti, nisi pro manifesta & rationabili causa non mutentur.* Perpetui ergo erant Conventuales Priores, reliqui amovibiles: quia illi eligebantur, non isti. Potest tamen utcumque dici, Priores simplices & revocabiles ad nutum, & ipsos quoque suo quodam jure & modo fuisse perpetuos, quia ad nullum certum tempus promovebantur; & quamvis revocari possent sine forma & strepitu judicii, non debebant tamen sine justissimis causis. Id præclarè observatum à Guimierio in *De Collat. §. item quod ad dictas.* Pragmaticam. *Dicitur enim perpetuum, quod certo tempore non limitatur, etiam si detur ad beneplacitum Superioris.*

## CAPUT LXX *P. 4. L. 1. c. 68.*

### De Beneficiis & Dignitatibus Capitulorum. Maximè de iis quæ in Abbatiis locum habent. Varia genera Canonicorum & Semicanonicorum ab anno Christi millesimo.

*I. Dignitates communes Capitulis & Abbatiis*
*II. De Præposituris Capitulorum & Abbatiarum.*
*III. Revocabiles & arbitrariæ primò fuere eæ Dignitates; inde in perpetuos enterfere titulos.*
*IV. V. De Præpositis Capitulorum, & eorum necessaria residentia. De Decanis*
*VI. De Oeconomis & Thesaurariis.*
*VII. Qui potuerint hæ Dignitates aliis conferri, quàm Canonicis, & à Capitulo Canonicorum excludi.*
*VIII. De Cellerario & Sacrista. De Scholastico, & Capitali Schola.*
*IX. De Cantore. Magistro Chori. Magistro Cæremoniarum.*
*X. De Officialibus infimis Chori, Capellanis, Vicariis, Portionariis, Prebendariis, Semiprebendariis.*
*XI. De Capellanis & Vicariis.*
*XII. De creatione novarum in Capitulis Dignitatum.*

I. TAm sæcularium, quàm Regularium Ecclesiarum communes sunt hæ Dignitates, quibus carere omnino non possunt, Præpositi, Decani, Cellerarii, Oeconomi, Cantoris, Camerarii, Thesaurarii & Sacristæ. Pluribus declaratum est suprà, has primò meras fuisse Obedientias, seu arbitrarias & ad nutum revocabiles dignitates, peræquè in Capitulis, atque in Abbatiis. Longo illa postea temporum tractu in perpetua & irrevocabilia evasere Beneficiorum nomina, Titulosque perpetuos, in Capitulis primò, postea & in Monasteriis. Cùm promiscuè Capitulis Abbatiisque hæ Dignitates competant, nemo molestè ferat, si ea quoque quandoque dicamus, quæ utrisque possint ascribi.

II. In Concilio Tolosano anno 1056. vetiti sunt Monachi Præposituras recipere, nisi de consensu Abbatis sui. Vetiti sunt ibidem Laici, ne agros redituſque invaderent Archidiaconorum, Præpositorum, Parochorum, Sacristarum, & Magistrorum Scholæ. *Can. 6. 8.* Authoritatis suæ novo pondere firmavit Gregorius VII. quod ejus præcessor statuerat ab Episcopo Aurelianensi interpellatus, nempe ut Capitulum sanctæ Crucis Decanum vel Præpositum eligeret: utque esset in ea Ecclesia Canonicatus, cujus reditus omnes in pauperum alimenta dispensarentur. Præpositura hæc Decanatus ipse erat sanctæ Crucis. *L. 3. Ep. 37.* Longè aliter autem res se habebat in Præpositis Ecclesiæ sancti Martini Turonensis, quorum tres post Cantorem & Episcopos subscripsere sententiæ ab Urbano II. latæ inter Ecclesiam sancti Martini & Abbatiam Cormericensem anno 1096. His Turonensibus Præposituris suæ erant Ecclesiæ in agro Turonico, Præpositis sedendi jus in Capitulo B. Martini.

Anno 1121. Regularium Canonicorum fundata est Præpositura ab homine nobili in Diœcesi Augustodunensi. Eam Callistus II. Papa confirmavit, sanxitque ut Præpositus eligeretur. *Epist. 26.* *Præpositorum libera & canonica, maximè de eadem, vel de qualicumque spirituali Congregatione fiat electio.* Concilium Parisiense anni 1212. Abbatum avaritiæ sordes damnavit, qui Præposituras Abbatiarum suarum elocabant Monachis, Claustralis disciplinæ minùs studiosis. *Can. 13.* *Præposituras suas Monachis suis, residentiam Claustri eludere cupientibus, sub certa forma pecuniæ dant ad firmam.*

III. Unde liquet Abbatias in ditione sua habuisse Prioratus & Præposituras; eò Abbatem arbitrio suo Monachos destinasse, denique Præpositos ipsos Abbatibus rerum omnium sibi creditarum ratiocinia facere debuisse. Ubi verò retro labi cœpit disciplina, tum Præposituræ ab Abbatibus ad vitam & ad firmam datæ, quo factum est, ut evaderent in Beneficia perpetua. Hinc non ægrè intelliges, an ad residentiæ leges Præpositi tenerentur. Obligabantur enim utique lege residendi, sed in Ecclesiis ipsis Præposituræ cujusque, ut Priores & Beneficiarii Regulares omnes eodem vinculo astringebantur: non in Abbatia; eo enim interdicebantur potius, ut suprà allegati Canones patefecerunt, sed in propriis Beneficiorum Ecclesiis. Si Prioratibus istis autem & Præposituris sedes datur in Choro Abbatiæ principalis, argumento id est vel membrorum cum capite suo societatis, vel antiquissimæ consuetudinis, ut Obedientiarii omnes aliquoties anno quolibet venitarent, & tum administrationem suam, tum expensas, tum vitam, rationesque omnes examini subjicerent Abbatis.

IV. Anno 1260. Concilium Coloniense Decanos à Præpositis secrevit; sed ii Præpositi in Cathedrali sedem habebant Ecclesia, in eoque versabatur eorum officium & industria, ut temporales Ecclesiæ res ditionesque protegerent ac defenderent adversùs grassatorias deprædationes. *Can. 24.* *Cùm Præpositis ea potissimum incumbat solertia, quod circa Ecclesiæ exteriora, vel ejus temporalia defendenda sint vigiles, &c.*

*cooperantes Capitulis, &c.* Commendabantur his Præpositis reditus Præbendarum, quarum fructibus Canonici ad tempus carebant, ut errorum suorum pœnas luerent; eos verò Præpositi in reparationes Ecclesiæ expendebant: vel si minùs egeret Ecclesia, ad suos usus eos convertebant, dum ne quid inde suspensis Canonicis gratificarentur.

Quoad Decanos verò qui interiori præerant disciplinæ, ut Præpositi exteriori; eos sugillat hæc Synodus, qui abesse se posse sperabant ab Officiis Chori. In Concilio Coloniensi anni 1549. eadem discrimina elucent Decanorum & Præpositorum in Capitulis, eadem munerum & officiorum diversitas.

*Tit. de Officiorum persona. c. 5*

Non facile est divinare qui illi essent Ecclesiæ Carnotensis Præpositi, quorum exactiones vexationesque in pauperiores Clericos tam acerbè tulit Capitulum ejus Ecclesiæ, ut ad Paschalem II. Papam scripserit, expresseritque ab eo Rescriptum, quo istiusmodi grassationes damnabantur. Regiæ facilitati imposuerunt Præpositi, extorseruntque diploma, quo in eum restitui jubebantur statum, quo erant ante Rescriptum; non sine gravibus comminationibus. Scripsit Ivo ad summum Pontificem, ut ab eo confirmaretur prius Rescriptum, tam justum, quàm necessarium Ecclesiæ. Operam quoque suam interposuit apud Regem, ut ne pergeret regia authoritate eos tueri, qui sua abutebantur ad dilaniandos pauperes.

*Ivo Epist. 265. 271.*

Ex Notis porro Soucheti in has Ivonis Epistolas, & ex formula juramenti Canonicorum, quam suorum Analectorum Tomo II. inseruit vir doctissimus Mabillonius; illud edocemur, quatuor illos Præpositos, penes quos tota erat administratio temporalium omnium bonorum Capituli Carnotensis, rescissos à Capitulo fuisse, temporalia omnia ad mensam Capituli communem revocata, quatuorque alios creatos à Capitulo eodem Præpositos, quibus sua singulis precaria seu latifundia assignata sunt, ne minueretur numerus Dignitatum.

Apparet non tam facilè potuisse hos posteriores Præpositos extricare se à lege residentiæ, cùm non ea illis incumberet, quæ prioribus, rerum Ecclesiæ omnium temporalium administratio. Erant quippe Præpositi, quibus nulla peculiaris erat Ecclesia; sed uni affixi erant administrationi temporalium Ecclesiæ Episcopalis, vel Abbatialis, cujus Oeconomos agebant: unde non ægrè persuadebimur solutos eos fuisse à vinculo residentiæ, non facilè cohærentis cum tanta negotiorum & occupationum mole. Sed erant & alii, quibus propriæ & peculiares erant Ecclesiæ præter illam principalem, in qua sedem tamen honoris causâ habebant, cum lubebat: & hos non satis video quid prohibere potuerit ne residerent in propriis suis Ecclesiis. Ne Priores quidem illi, si quando absolverentur à temporalium dispensatione vel tuitione, satis tutò se subducere poterant residentiæ universim adeo necessariæ.

Possunt & alii in mentem venire Præpositi, qui Defensores magis & Advocati erant, quàm Oeconomi. Ejus generis erat ille Caturcensis Ecclesiæ Præpositus: *Electus ad Præposituram ad tuendos B. Stephani exteriores honores, ob nimiam molestiam & injuriam à plurimis illatam.* Sacramentum fidei præstabat is Episcopo & Canonicis, fore ut res & jura eorum tueretur, & Ordinibus initiandum se exhiberet, cùm primùm juberet Episcopus: *Ut omnibus diebus vitæ meæ sine conjugio sim, & ut Ecclesiasticos Ordines per ammonitionem Episcopi & Canonicorum libenter accipiam.* Intelligis jam, opinor, qui fieret, ut id genus officium minimè ad residendum quemquam obligaret, nec copiam faceret sedendi in Capitulo. Sed ubi cessatum est ab hac armata Ecclesiarum Advocatione, Præpositique soluti sunt à tota illa tuitionis defatigatione: viderint ipsi an æquum sit, ut cessante causa, non cesset residentiæ dispensatio.

Cùm porro eò ventum esset, ut sola temporalium cura Præpositis mandaretur: eò denique postea perventum est, ut ea quoque levarentur, ne ea abuterentur diutiùs. Idem antè causæ fuerat, ut spirituali jurisdictione exuerentur, eaque transferretur in Decanos, ut suprà attigimus. Publicata est à Camusatio in Promptuario Antiquitatum Tricassinarum Charta suppressionis Præposituræ in Ecclesia Tricassina anno 1167. Cùm Præpositus electus esset ad Episcopatum Carnutensem, assensus est Præposituræ unioni cum Capituli mensa, servata sibi solummodo Præbenda, dum superstes foret. Refert Molinetius in suis ad Canonicos Observationibus litteras Philippi I. Francorum Regis, quibus potestatem faciebat Rogerio Episcopo Catalaunensi, extinguendæ Præposituræ & conglutinandæ cum mensa Capitulari Cathedralis Ecclesiæ suæ; sicut Rex Henricus Philippi pater suppresserat Præposituras Capitulorum Compendiensis & Laudunensis, propter frequentes Præpositorum in Canonicos contumelias & vexationes. *Exoravit ut sibi liceret Præposituram sui loci Canonicis suis concedere, quoniam injuriam Præpositorum suorum non poterant sustinere. Et quoniam audierant patrem meum Henricum in Compendiensi & Laudunensi Ecclesia hoc idem fecisse, propter infestationem Præpositorum, quam ferre non poterant, & ideo sæpiùs ad invicem litigabant. Concessi Episcopo, &c.* Ubi his grassationibus abstinuerant Præpositi, locis in his priorem retinent adhuc cum nomine dignitatem.

*Pag. 123.* *Reflexio. 4.*

V. Decani Cathedralium Ecclesiarum Decanos Abbatiarum imitati sunt, & ad eorum formam constituti. Anno 1096. Comes Tolosanus Abbatiæ sancti Ægidii restituit, quidquid a se in eam usurpatum fuerat. Subscripsere Chartæ non Cardinales tantùm & Episcopi, sed Abbas etiam, Prior & Decanus Abbatiæ. Porro cùm Abbas & Prior rarissimus supersit in Ecclesiis Cathedralibus, Decani in plerisque principem locum tenent inter Dignitates. Agens Innocentius III. de Asturicensi Ecclesia in Hispania, tradit Decanum Capituli Priorem dictum olim fuisse, removeri potuisse ab Episcopo & à Capitulo, nec aliter rem se habere in cæteris Hispaniæ Ecclesiis. *Quia Asturicensis Ecclesia dignitatem Decanatus à longis retro temporibus noscitur habuisse, licet qui eo fungebatur honore, promoveretur aliquando, & destitueretur pro Episcopi & Capituli voluntate: nec Decani, sed Prioris nomine vocaretur, secundùm consuetudinem ferè omnium Ecclesiarum Hispaniæ, quæ tunc temporis ibi vigebat.* Quibus Innocentii verbis non obscurè insinuatur, ea Capitula quondam à Monachis occupata fuisse, quibus præerat Prior, & sub Priore Decani: porro cùm Regularis abjiceretur disciplina, & sæculares Canonici Monachis succederent, tum in Prioris locum subrogatum fuisse Decanum. Cupiens idem Innocentius priscam regularitatem redintegrare in Ecclesia Burgoliensis Abbatiæ in Andibus, præcepit Abbati ut Decanos sibi crearet *secundùm antiquam consuetudinem.*

*Spicil. to. 56. pag. 443.* *Conc. Tom. 10. p. 610.* *Regest. 1. Epist. 77.* *Ibid. Ep 31.*

Pro more Majorum suorum confirmavit idem

Innocentius statutum, quo Episcopus & Capitulum Ecclesiæ Tarvisinæ in Italia officium & dignitatem Præpositi extinxerant, quòd ab iis usque adeo dilapidatæ exhaustæque fuissent res omnes Capituli, ut vix superesset quidem, quo Canonici sustentarentur. *Cùm per quosdam Præpositos, qui curam bonorum Canonicæ Tarvisinæ gerebant, eadem usque adeo distracta fuisset, quod vix poterant prædicti Canonici congruè sustentari.* Non refert autem ibi Pontifex, an expuncto Præposito, subrogati fuerint Decani. At id non silet alio loco, ubi confirmat decretum Ecclesiæ Aquileiensis, jam confirmatum à Patriarcha Aquileiensi & à Papa Lucio: quo vitæ communis societas in eo Capitulo instituebatur, reditus omnes Præposituræ & Obedientiarum in mensam communem redigebantur, jurisdictio extinguebatur Præpositi, Vassallis & Feudis tantùm Ecclesiæ posthac præfuturi, & substituris in ejus locum Decanis, qui Capitulo præessent. *Communem vitam instituit, & proventus Ecclesiarum & prædiorum quæ priùs ad Præposituram spectaverant, nec non & obedientiarum redigi statuit in usus communes. Præposito omni prorsus jurisdictione, potestate ac utilitate in eisdem bonis sublata, cui tamen vassallos, ministeriales, & ipsorum beneficia reservavit.*

Regest. 11. Epist. 28. — Epist. 113. Ibidem.

Innocentius IV. declaravit potuisse Decanum Capituli Aurelianensis vibrare excommunicationes & interdicta, ut contumelias & vim propulsaret Ballivi. A Concilio Coloniensi anno 1260. decretum est, cùm penes Decanos esset summa potestas in Capitulis, eorum esse muneris, ut residerent, ut divinis interessent Officiis, ut omni ope & contentione certarent pro disciplinæ tuenda sanctimonia, eaque de causa cùm opus esset, correptiones & censuras iterarent.

C. Dilecto. In Sexto. De sent. excom. — Can. 9

Anno 1248. cùm à Cardinali Legato conderetur fingereturque Ecclesiæ Metropolitanæ Nicosiensis, & Insulæ Cypri disciplina, constitutus est & Decanus cum duplici Præbenda, cui impacta statim sarcina curæ animarum, tam Canonicorum, quàm cæterorum Clericorum Cathedralium: ita tamen ut nihil prorsus illi jurisdictionis contentiosæ permitteretur, & homagium ipse præstaret Archiepiscopo qui ejus electionem à Capitulo factam confirmaret. *Percipiat Decanus quantum duo Canonici, & habeat curam animarum personarum Canonicorum & Clericorum Ecclesia memorata. Jurisdictionem tamen aliquam contentiosam non habebit, Archiepiscopo Nicosiensi homagium facere teneatur, Decani verò electio ad Capitulum pertineat, ita quod de ipsius Ecclesia gremio fiat, confirmatio verò & institutio ad Episcopum pertinebit.*

Conc. To. 11. Part. 2. pag. 2402.

Omnino verò prætereiri non debuit, quod ab Aimonio commemoratum est, cùm invasissent Regni Optimates tum Abbatiales mensas, tum ipsos Abbatum titulos: voluisse eos, ut Conventus ipsi regerentur per obnoxios sibi, non quidem Præpositos, quos adversarios reformidabant, sed Decanos. *Statuentes Decanos Monachis, sibi nomen Abbatis usurpaverunt. &c. Hugo Magnus nomen Abbatis sumpsit, & sub eo hi Decani fuerunt.* Nec Monachorum tantùm Abbatiæ ab his tum Proceribus usurpatæ sunt, sed etiam Canonicorum; quin & ipsæ quandoque Ecclesiæ Cathedrales. Id certè in quacumque politia pervagatissimum est, ut cum dignitas aliqua superior extinguitur, ei succedat quæ proximior antè erat.

Aimon. l. 5. c. 34. 43.

Si qui porro suprà laudati Canones sanxere ut intra annum Decani Presbyterati initiarentur, de Decanis agebatur, quibus cura immineret animarum. Nam ad Decanatus extra Ecclesias Cathedrales, & ad Titulares Abbatias, ad Præposituras similiter & Archipresbyteratus, quibus nulla superest animarum cura, Tridentina Synodus annorum tantùm viginti duorum ætatem desideravit expletorum. Si verò ibidem præcipit Synodus, ut quibus quæpiam confertur dignitas, ii ordine jam ornati sint, quem illa desiderat, aut ea ætate, ut illo intra annum donari possint: id capiendum sanè est de Dignitatibus, quibus statuto aliquo particulari, vel præscripta consuetudine sacer aliquis Ordo annexus est.

S. 24. c. 12.

Anno 1208. Capitulum Noviodunense Decreto solemni jura & officia quæ essent Decani declaravit, *antiquo & consuetudinario jure.* Summa capita hujusmodi sunt. Resideret Decanus, Feudum Ecclesiasticum ab Episcopo nullum acciperet, nec hominium ei præstaret: *Quod ab Episcopo nostro feudum non recipiet, nec ei homagium faciet, nisi forte quæ hoc exigat, hæreditario jure successio qualibet ad ipsum fuerit devoluta.* Ne duas unus haberet Præbendas, vel Dignitates duas. Ne Præbendis vel Canonicis manus injiceret, nisi cum consilio Capituli. Presbyter esset. Denique ne Clericos in Chorum admitteret, nec ad Ordines nomine Capituli præsentaret, nisi ex consensu Capituli. *Nonnisi de consensu Capituli Clericos in choro recipiet, nec receptos ad ordinandum præsentabit ex parte Capituli nisi per Capitulum.* Quo postremo capite illud innuitur, Clericos qui Capituli nomine ordinandi præsentabantur, sub titulo Cathedralis Ecclesiæ ordinatos fuisse, à qua sustentandi deinceps essent, vel idoneo Beneficio donandi. Hinc porro liquet quæ essent Decani jurisdictione, quæ ea parte ea Canonicis communicaretur, denique quo se temperamento agerent erga Episcopos.

Spicil. To. 13. pag. 331.

Obiter hic perstringendi Decani illi, in Prioratibus potius & Obedientiis numerandi, qui tam modico intervallo ab Abbatia Cluniacensi dissiti erant, ut eò semper ventitarent ad Sabbati vespertinum officium & ad totum Dominicum diem celebrandum. Socium saltem unum sui Ordinis adjungere sibi tenebantur. *Provisores villarum, quos pro more nostro Decanos appellamus, quorum obedientia sita est infra iter dimidia diei, &c.* Clericis obtigere postea complures horum Decanatuum. Plura de iis habes in Compilatione antiquarum consuetudinum Cluniacensium.

Spicil. To. 4. pag. 171.

Unum hoc adjicio, quod à Canonistis etiam observatum est, in plerisque Galliæ & Hispaniæ Ecclesiis Decanos Archidiaconis eo nomine successisse, quòd principem post Episcopos locum & primariam obtinuerint dignitatem. Sed visum illis iisdem est, una ex consuetudine derivatam ad eos esse eam & dignitatem, & sedendi prærogativam, & in Capitula plerumque ipsa jurisdictionem. At contrà ex Historicis Synodicisque hactenus monumentis evicimus, Decanos immediatè successisse in potestatem non Archidiaconorum, sed Præpositorum; jam inde ab origine Capitulorum, cujusmodi sunt ab annis octingentis admodum, vel nongentis: vel Præpositis, vel Decanis delegatam fuisse jurisdictionem interiorem & quasi Claustralem in Congregationes Claustrales, sive in Capitula, quibus in vicem Capitis præerant: denique Archidiacones in omnibus Diœcesibus exercuisse suæ jurisdictionis vim, promiscuè in Laïcos Clericosque: at Præpositis & Decanis utplurimùm in ipsa Capitulorum fundatione assignatam fuisse jurisdictionem, qua fruituri essent, Episcopis utique obnoxia, non Archidiaconis.

conis. Itaque nec Præpositi, nec Decani incrementa suæ dignitatis nacti sunt ex Archidiaconatûs detrimentis; sed Officiales & Vicarii Generales quoad jurisdictionem: Scholastici & Theologi, quoad doctrinam & prædicationem: Thesaurarii, aliique quoad temporalium administrationem. Sicut perspicuum est Pœnitentiarios in se suscepisse maximam partem functionum quas olim exercebant Archipresbyteri, tanquam Vicarii Generales Episcopi in Sacramentorum administratione.

Barbosa. de Dignit. c. 9. n. 19. Denique si in Ecclesiis Cathedralibus Germaniæ, Poloniæ, Belgii, Angliæ, primas adhuc Dignitates occupant Præpositi, omnemque explicant jurisdictionem, non alia ejus rei causa subesse potest, quàm quòd vetustior ibi perpetuata sit disciplina, nec à Decanis Præpositi loco moveri potuerint, ut qui sanctissimè concessa potestate uterentur. Adde quod cùm pleraque Poloniæ, Germaniæ Belgiique Capitula constituta non fuerint nisi postquam Beneficia partita & distributa fuere, eo quo nunc sunt modo, dissipari non ita potuit à Præpositis Mensa communis Capitulorum, quæ tot in particulas jam tum scissa erat, nec eorum suberat potestati.

Conc. Tom. 11. Part. 1. p. 969. 973. VI. Quod ad Oeconomos verò attinet, quorum tantum olim erat dignitatis & potestatis fastigium, ii una in Ecclesia tantùm Græca residui memorantur. In Concilio Lugdunensi anni 1254. magno adhuc splendore circumfulgent. In Ecclesia verò Latina vix ulla usquam existunt vestigia. Suus erat adhuc Episcopo Atrebatensi Oeconomus, cum ad Claromontanum profectus est Concilium sub Urbano II. Sed illud apparet fuisse potius tum Episcopalis domûs Officium, quàm Ecclesiæ ipsius dignitas. Postquam mensæ communis bonorum partitio facta est inter Canonicos, Oeconomis nil superfuit loci.

Ita consentit Oeconomo Thesaurarius, ut ei successisse videri possit. Restitit vehementissimè Ivo Carnotensis Episcopus Drogoni, qui se Thesaurarium Ecclesiæ Catalaunensis institutum fuisse contendebat ab Episcopo ipso: & cui tamen objectabatur, quod Thesaurarium oporteret esse Canonicum ejusdem Ecclesiæ, ipse autem & Canonicum & Archidiaconum ageret in Ecclesia alterius Provinciæ. *Objectum est quod secundum ordinem Ecclesiasticum, prædictum honorem habere non posset, nisi ipsius Ecclesiæ Canonicus, quod ipse nec fuerat, nec esse poterat, cùm jam esset in alia Ecclesia & in alia Provincia Canonicus & Archidiaconus.* Epist. 95. Multo antè tempore B. Fulbertus, Carnotensis & ipse postea Episcopus, Thesaurarius creatus fuerat Ecclesiæ sancti Hilarii Pictaviensis. Baron. an. 1003. n. 17.

VII. Sed illud operæ pretium maximè foret magis magisque elucidari, quî potuerint hæ Capitulorum Dignitates, ad alios quàm ad Canonicos ejusdem Ecclesiæ devenire, ut exemplis innumeris experimur. Modo enim illud premebat Ivo, non posse in Ecclesia Catalaunensi Thesaurarium esse, qui ibidem Canonicus non esset. Potuissent tamen speciales subesse causæ, & non valde reconditæ, ut Thesaurarii maximè munus Canonico semper conferretur. In Conciliis Mediolanensibus sancti Caroli memorantur alicubi Thesaurarii, qui ad aliqua delegabantur quidem munia, at nullo gaudebant certo Beneficii Titulo.

Terret me, fateor, hæc difficultas, maximè quòd in confesso sit apud Canonistas, in Ecclesiis Cathedralibus & Collegialibus, Dignitates de Capitulo non censeri, nisi privilegio vel consuetudine eis accesserit, quod jure communi non obtinebant. *De dignitatibus in Cathedralibus & Collegiatis dicendum, quia circumscripta consuetudine, vel privilegio, non sunt de Capitulo.* Hæc Fagnani verba, hæc doctrina, quam ex Concilio quoque Tridentino astruit: *Qui verò non obtinent dignitates, nec sunt de Capitulo, &c.* Quod non ita exprimeretur, si Dignitates Capitulo includerentur. Fagn. in l. 1. Decr. Par. 2. pag. 6. Conc. Trid. Sess. 25. c. 6.

Qui ad aliquas tantùm administrationes vel functiones delegabantur, minùs mirum erat eos Capitulo excludi, ubi eorum administrationes ad examen vocabantur. Adde quod extraneis quandoque, immo & Laïcis eadem ipsa committebantur. Denique his delegationibus fiebat, ut nonnunquam diutissimè abessent; quod Canonicis minimè congruebat. Id genus fortasse primùm fuerant Præpositura, Archidiaconatûs & Oeconomorum Officia. Si ergo Dignitates de quibus agimus, arbitrariæ primò & revocabiles fuere delegationes, quæ tandem in stabiles aliquando & irrevocabiles evaserint dignitates: ut de Archidiaconis validissimè suprà multis locis demonstratum est: fieri potuit ut novum hoc stabilis dignitatis incrementum, inveteratæ non derogaret consuetudini, ne de Capituli corpore censerentur.

Sunt & Dignitates, quarum reditus à mensa Capitulari omnino disjuncti sunt; & quæ tamen specialibus quibusdam rationibus nexibusque residentiæ astringuntur, & canonicè ad chori psalmodiam assiduitati. Itaque hæ Dignitates & Chori servitio affigi, & à Capitulo excludi potuere, ubi maximè quæ ad temporales facultates spectant, in commune consultantur. Fagnan in l. 3. Decr. Part. 1. c. 33.

VIII. Missum facio Cellerarium, cujus mentio fit in Charta Dedicationis Abbatiæ Vindocinensis ab Archiepiscopo Turonensi anno 1040. Posset videri idem qui Camerarius. In Concilio Cabilonensi anni 1073. Camerarius Ecclesiæ Lugdunensis electus est Episcopus Ecclesiæ Cabilonensis. In Decretali *Dilecto. De Prabendis & Dignitatibus*, mentio habetur Cellerarii Ecclesiæ Cathedralis Tricassinæ. Conc. To. 9. pag. 939.

Qui *Sacrista* dicitur, is forsan ipse est, qui aliis his nominibus designatur, *Æditnus, Sacriscrinius, Archiclavis.* Postremum hoc nomen legitur in Concilio Senonensi anni 980. Penultimum in Concilio Elnensi anno 1027. In Decretalibus, alter est Titulus *De officio Sacristæ*, alter *De officio Custodis.* Quod ibi ex Conciliis Toletanis & ex Ordine Romano refertur, conducit nonnihil ad ea illustranda, quæ suprà dicta sunt de Dignitatibus, quibus non patet aditus in Capitula. Disertis enim verbis refertur, non fuisse Sacristam, nisi obnoxium Archidiacono ministrum. Ita minùs à fide alienum est, à Capitulo eum excludi, etiam ubi longo pòst temporis intervallo in Dignitates assurrexit. In Concilio Coloniensi 1260. Thesaurarius inferiorum unus est ministrorum. Et ipse ergo jam inde potuit insuescere, ut in Capitulum non admitteretur.

In Concilio Cameracensi anno 1565. *Matricularii* iidem sunt, qui Custodes Ecclesiæ & sacræ suppellectilis. Neminem fugit, quo nunc illi potestatis evaserint. In nonnullis nostratibus Cathedralibus Matricularii Clerici sunt adhuc, vel etiam Presbyteri, humilioribus ministeriis affixi.

De Scholastico vel Capite Scholæ agit Glaber, ubi de Concilio Aurelianensi anni 1017. *Herbertus*

*Ecclesia sancti Petri Capitale Schola tenebat dominium.* Aliquantò expressiùs Concilium Bituricense anni 1031. *Ut Archidiaconi, Abbates, Præpositi, Capischoli, Canonici barbam rasam & coronam habeant in capite.* (Can. 7.) In Charta Dedicationis Abbatiæ Vindocinensis anno 1040. *Magister Scholarum, Scholasticus.* In Concilio Elnensi anno 1027. vocatur Caput Scholaris. Synodo Augustana anni 1548. traditur eam Scholastico mandatam fuisse provinciam, (Cap. 9. Cap. 13.) ut juniores Clericos necessariis documentis ipse imbueret, vel Præceptores assignaret doctos piosque: denique ut ordinandos ipse excuteret & examinaret. Concilium Turonense anni 1583. Scholasticis & Cancellariis in Cathedralibus & Collegialibus Ecclesiis mandat, ut eos qui recitaturi vel decantaturi sunt Officia divina, ita instituant edoceantque, ut emendatè id faciant, punctorum intervallis, accentibusque observatis. (Tit 10. c. 4.) Bituricense Concilium sanxit, ut Scholastici vel Cancellarii eligerentur ex numero Doctorum vel Licentiatorum Theologiæ aut Juris Canonici. Concilium Mexicanum anni 1585. jubet ut Scholasticus Clericos juniores Grammaticam doceat Diœcesanos omnes, per sese, aut per substitutum. Præcepit Concilium Mechliniense anni 1607. ut Scholastici sexto quoque mense visitarent Scholas suæ ditionis, ut caveant ne quid ibi perlegatur quo morum sanctitas inquinetur, aut quod Ordinarius non approbarit. Excitaverat jam Concilium (Sess. 23. c. 18.) Tridentinum Episcoporum vigilantiam & sollicitudinem, ut imminerent Scholasticis, quo pro munere suo in Scholis docerent, aut Magistros designarent, ab Episcopo approbandos. In posterum autem jubet Concilium, ut hæc Officia seu Dignitates non conferantur nisi Doctoribus vel Licentiatis in Theologia, vel in Jure Canonico, vel denique iis qui docere ipsi per sese possint; alioqui irrita sit Collatio.

Jam indè ergo à temporibus Caroli Magni, qui tot Capitularia ipse promulgavit, tot Canones condi curavit, ut in Episcopatibus omnibus Scholæ excitarentur: jam inde, inquam, Scholastici artes liberales juniores Clericos edocebant; nec tamen ut nemo non sentit, aditus ipsis in Capitula pandebantur. Hinc præscripta consuetudo, ut Capitulo excludantur, etiam postquam in Dignitatum albo conscripti fuere, nisi pariter Canonicatum & Præbendam consequantur.

Non effugiet nos Statutum cum primis memorandum Guidonis Altisiodorensis Episcopi anno 1248. ut à doctissimis viris Sammarthanis fratribus refertur. (Gall. Christ. To. 2. pag. 303.) Constituebat ille Scholasticum Capellanum suum, seu Vicarium Generalem ad omnes Cleri functiones se absente; jubebat ut eodem anno Presbyter ordinaretur, ut novem saltem mensibus resideret; juramento constringeret se, gratis concessurum se Scholas, & docendi licentiam viris copiosè litteratis; denique hominium ligium Episcopo præstaret, eique fidelitatem juraret, salva fide quam deberet Capitulo, ut Canonicus. Scholasticus ergo Autisiodorensis Canonicus semper erat, sive statuto speciali, sive quòd ejus dignitas cùm esset antiquior partitione Præbendarum, obtigerat illi postea Canonicatus, sicut & cæteris. Cùm ex adverso non possint Dignitates post partitionem Præbendarum creatæ Capitulo accenseri, nisi Præbendam sibi aliquam, sive Canonicatum comparent.

IX. Cantores in Ecclesiasticis monumentis inter vetustissimas radiant Ecclesiæ Dignitates. *Cantor, Præceptor, Choraules.* Concilio Coloniensi anno 1260. (Conc. To 9. pag. 939. 1249.) Chorepiscopi dicuntur, quasi eorum inspectores, quæ in Choro fiunt; ibi & præcipiuntur religiosissimè residere, & Choro interesse, ut & ipsi possint alios ad eadem officia frequentanda quasi suo jure cohortari. (Conc To. 10 p. 488. 603. 1360.) Concilium Coloniense anni 1536. illos eodem nomine cohonestat. (Can. 9. Part. 3. c. 4.)

Habuit beatus Carolus Mediolanensis Archiepiscopus Magistrum Chori, seu Magistrum Cæremoniarum, cujus Concilium Mediolanense I. jura officiaque enucleavit, lata lege, ut omnibus in Capitulis ad hoc ipsum institueretur, nisi jam institutus fuisset. (Cap. 37. 39.) Alicubi distincta illa duo fuisse Officia, conjici posse videtur. (Can. 12.) In Concilio II. Mediolanensi suo statuit idem Carolus, ut Episcopi singuli unum aut alterum designarent Presbyterum, qui de Cæremoniis statas lectiones haberet. (Conc. Gen. Tom. 15. p. 289. 290. 332. 1082. 1289. 1448 1484. 1660) In Concilio Bituricensi anni 1584. Mexicano anni 1585. Avenionensi anno 1594. Burdigalensi anno 1624. sancitum est, ut in qualibet Ecclesia Cathedrali unus aut duo essent Magistri cæremoniarum. Nemo miratur novellis his dignitatibus aditum Capituli non patere, nec complura alia communicari Canonicorum ornamenta commodaque, quod neminem fallat novella hæc esse, & nupertimè instituta Officia. Si temporis diuturnitate convalescant, crescantque in Dignitates & Beneficia, ne tum quidem locus eis erit in Capitulo, nisi Canonicatum adipiscantur, vel Præbendam. Hæc, ni fallor, imago est antiquiorum Dignitatum, quæ & ipsæ aliquando novellæ fuere, & eis jam tum interclusus est aditus Capituli. Concilium Aquileiense anno 1596. Capellaniam seu Beneficium inferioris Chori Magistro Cæremoniarum in perpetuum addixit. *Ex Mansionariis, vel Capellanis, qua onus residendi addictum habent.* (Cap. 4.)

X. De his inferioris Chori Ministris pauca supersunt hîc delibanda. Promiscuè vocabantur Capellani, Vicarii, Portionarii, Præbendarii, Semipræbendarii. Eo numero habendos non existimo Vicarios Ecclesiarum Abbatialium, sive illæ penes Monachos, sive penes Canonicos Regulares essent. Aderant illi Officiis Ecclesiæ Cathedralis, cujus Præbenda aliqua Ecclesiæ Abbatiali suæ ad Regularium sustentationem attributa fuerat. Rotico Episcopus Ambianensis anno 1085. Præbendam suæ Ecclesiæ addixit Canonicis Regularibus sancti Firmini, ea lege, ut Capitulum unum ex iis eligeret, qui Vicarii nomine divinis interesset Officiis, atque eorum Prior una per anni orbem hebdomada Missam Capituli celebraret. *Præbendam perpetualiter habendam concessimus fratribus ibi deputatis. Provideant autem arbitrio Capituli nostri, quatenus Vicarius eorum de hac Præbenda in Canonicis horis persolvendis nobiscum Canonicè assistat. Qui autem Ecclesiæ illius Prioratum habuerit, una integra hebdomada, sicut Ecclesiæ nostræ Sacerdotes, Missarum solemnia concelebret.* (Con. To. 10. p. 408. 689)

Probibitum est à Paschali II. ne majores Præbendarii Ecclesiæ Parisiensis hominium exigerent à minoribus. *Ne fiat ulterius interdicimus, ut majores Præbendarii à minoribus hominia suscipiant.* (Epist. 77.) Inter statuta Pontificii Legati in Insula Cypro anno 1248. (Conc. To. 11 Part. 2. pag. 2402. 2424. 2429.) non pauca sunt quæ ad hos minores Præbendarios spectent; qui *Assisi* ibi vocantur, forsan ob strictiorem necessitatem residendi, & divinis Officiis se nunquam subtrahendi. Idem elucet in Constitutionibus Joannis Archiepiscopi Nicosiensis anno 1320.

Idem Archiepiscopus anno sequenti edixit, ut hi Assisii per sese semper interessent, nec possent sibi Vicarios subrogare. *Ordinamus quod omnes & singuli Assisii nostra Ecclesia, in eo ordine cujus Beneficium obtinent, seu Prabendam, serviant in divinis per se ipsos* Ibid. pag. 2442. *& non per alium substitutum.* Erant Semipræbendæ istiusmodi minoribus Ordinibus singulis affectatæ, cauto, ne qui eas consequuti erant, ad Ordines superiores eluctarentur. *Nullus obtinens Assisiam Acolythalem, Subdiaconalem, vel Diaconalem, se faciat, quandiu eandem Assisiam obtinebit, ad Sacerdotales Ordines promoveri.* Ita ferebant antiqui mores Ecclesiæ, ut officio & ordine quisque suo fungeretur, non inferiori, nedum superiori, quo necdum quis donatus esset.

Statuta Ecclesiæ Lugdunensis anno 1251. Canonicis ejus Ecclesiæ non adjiciunt nisi Præbendarios & duodecim Capellanos, quibus non suppeditabantur nisi alimenta in communi refectorio. *Sunt in eadem Ecclesia majores Canonici & alii minores Prabendarii, & iterum duodecim Capellani, quorum nullus in sua institutione percipit Beneficium temporale, praterquam quotidianam Refectorii distributionem.* Erant in Ibid. pag. 2524. 2536 eadem Ecclesia Vicarii & Obedientiarii. Præcipitur enim, ut Canonici, qui Ordine quopiam sacro ad Altare funguntur, duos quisque Vicarios præstò sibi habeant, vicem suam si opus sit, impleturos, eodem decoratos ordine sacro, iisdemque ornamentis indutos. *Quicumque honores Ecclesia, qua obedientia appellantur, habent, &c.* Diximus jam plerasque Capitulorum Dignitates sæculares ad normam Monasticarum formatas, temperatasque fuisse. Hinc fit, ut Obedientiæ quandoque dicantur. Denique non abludit à vero, quandiu Capitulorum Canonici communem egere vitam, precarias fuisse & ad nutum revocabiles Dignitates.

Stephanus Abbas sanctæ Genovefæ & Tornacen- Epist. 193. sis Episcopus in Epistola ad Archiepiscopum Remensem, molestissimè fert, quod cùm Capitulum Tornacense contulisset Canonico Regulari, qui sibi quasi socios erat, Vicariam majoris Altaris Ecclesiæ Cathedralis; ex quo contigerat, ut & pius civis adderet ei idoneos proventus ad alendum Presbyterum, addita portione Refectorii, quam cum aliis Canonicis communem habebat; cúmque ipse hunc socium suum ordinasset ad Titulum hunc majoris Altaris: idem Capitulum elapso biennio, nulla causa quæ appareret, nullo instituto judicio, illum interdixisset Altaris ministerio, ingressuque Refectorii: ex quo & illud erat consequutum, ut pius ille civis eundem concesso ante stipendio fraudaret. *Est socius meus, cui Capitulum nostrum Vicariam unam in majori Altari contulerunt, assignato ei Beneficio à quodam Burgense, unde sufficienti mediocritate sacerdotaliter vivere possit. Eum mihi prasentaverunt Canonici, ad titulum majoris Altaris ordinandum, & communem cum aliis participationem refectorii concesserunt.* His additæ preces ad Archiepiscopum, ut datis ad Decanum & ad Capitulum litteris hortaretur ad restituendum eum, quem spoliaverant, & tum si liberet, de causa ejus ex juris æquitate cognoscerent. Vides ergo quæ hujusmodi Vicariorum essent munera, quæ officia, quæ jura.

Capellanorum quoque nomine quandoque donantur inferiores Chori Ministri, propter Capellas in eadem Ecclesia eis destinatas, & quas veluti Præbendas obtinebant. In Concilio Placentino anni 1095. postquam vetiti sunt Canonici, ne quis eorum duos Canonicatus, vel duas simul Præbendas retineat; additur, si de Capellarum reditibus non possint sustentari Capellani, eam sibi curam ut induat Præpositus, quo ex earum proventibus possint idonea stipendia Capellanis omnibus erogari. *Si qua tamen Capella sunt, qua suis reditibus Clericos* Can. 15. *sustinere non possint, earum cura aut dispositio Praposito majoris Ecclesia, cui Capella subdita esse videntur, immineat, & tam de possessionibus, quàm & de Ecclesiasticis Capellarum officiis ipse provideat.*


XI. In Concilio Coloniensi anni 1260. tria genera Capellanorum distinguuntur, nempe Regum, Episcoporum, Præpositorum. Ii omnes ibidem ad residendum constringuntur, nisi ad necessaria dominorum obsequia abesse cogantur. *Cùm in aliqui-* Cap. 10. *bus Ecclesiis Capellani Regales, Episcopales, ac etiam Capellani Prapositorum existant, &c. Capellani hujusmodi residentiam in suis Ecclesiis, tanquam alii fratres, faciant, nisi illo tantùm tempore, quando agunt suorum negotia dominorum, atque etiam si negotia Ecclesia hoc exposcant.* In Concilio Senonensi anni 1320. inter Beneficiarios Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegialis, numerantur & Capellani: *Clerici Beneficiati tam Ca-* Can. 4. *thedralium, quàm Collegiatarum Ecclesiarum, sive sint Capellani, Canonici, Vicarii, seu simplices Choriales.*

Eosdem fuisse Capellanos Vicariosque non absimile veri est. Porro in Concilio Coloniensi anni 1536. acerbissimè objurgantur Vicarii, qui divinis Chori Officiis interesse detrectabant, nec meminerant moneri se vel ipso nomine Vicariorum, ut vice Canonicorum interessent, si quando illos vel negotiorum molestiæ, vel corporis ægritudines abesse cogerent. *Cujus enim vices gerent, nisi Canonicis ad-* Can. 11. *jutores accedant? Horum nimirum vice, qui vel adversa valetudine detenti, vel negotiis necessariis avocati, interesse non possunt.*

Perpetui & verè Beneficiarii erant hi omnes Clerici: sed non satis liquet, an idem affirmandum de iis sit, quos prohibet Cameracense Concilium anno 1565. Vicarios constitui ad horas Canonicas, nisi Ordine sacro initiati sint, aut Lectores saltem, & si fieri potest, continentiæ addicti, nec unquam in Ecclesiis sint, nisi superpelliceis induti. In Concilio Aquensi anno 1585. Vicarii isti ex Italorum consuetudine *Beneficiarii & Mansionarii* vocantur: pro- Tit. 6. c. 23. hibeturque ne quæ illis addicta desponsaque sunt Beneficia, conferantur, nisi iis qui plurimùm in cantu Ecclesiæ versati sunt. *Beneficiatura, seu Mansionaria pradicta conferantur Clericis, &c.* In Mexicano ejusdem anni Concilio Portionarii & Semiportionarii vocantur, Hispanicarum Ecclesiarum more, & jure donantur suffragii in Capitulo cum Dignitatibus & Canonicis, exceptis electionibus.

XII. Strictim aliquid attingendum superest de ratione adjiciendarum Capitulis novarum Dignitatum, quibus hactenus caruissent. Anno 1218. Evrardus Ambianensis Episcopus *communi consensu & voluntate Capituli* instituit tres Dignitates novas, *Tres personatus*: nimirum *Pracentoriam, Magisteriam Scholarum & Panitentiariam.* Denique certos reditus singulis assignavit. *Ita quod personatui cuilibet proventus proprios duximus assignandos.* Præcentori Spicil. to. 12. attribuit reditus qui Cantoris fuerant, cui alios pag. 104. adsignavit. Pœnitentiario duas stipendiarias fecit Parochias, quarum Parochi fidei sacramentum ei præstarent. Ordines quoque sedesque harum Dignitatum constituit. Præcentor post Decanum omnibus præibat. Proximus illi hærebat Cantor. Præ-

ţat uterque Choro cantuique. Solemnioribus Festis ambo simul moderabantur Choro, minoribus Festis Cantor cum Canonico. Scholasticus post Archidiaconum sedebat, curam gerebat Lectionum ad Matutinas horas & ad sacra Mysteria, nomine Capituli Epistolas scribebat, designabat qui in parvis Scholis prælegerent. Denique Pœnitentiarius ea obibat munia, quæ suo ipsius nomine prodebantur. Harum itaque Dignitarum iostitutio, functiones, reditus, in Episcopi & Capituli potestate omnino erant. Non pauca ejusdem generis exempla superiùs perstricta sunt. Anno 1274. Semurii in Burgundia ab Episcopo Augustodunensi fundamenta jacta suot Capituli, tredecim Canonicorum, quindecim Præbendarum, ut Decanus duabus, Cantor & Sacrista una singuli & dimidia fruerentur Præbenda. Eligendus erat Decanus, Canonicatus partim ab Episcopo conferendi, partim præsentandi à Patronis. *Ibid. p. 184.*




*Finis Libri tertii.*

